BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
G
22
NAPOLI

XXXIX G 22

IN

CLAVDII CLAVDIANI

LIBROS

De Raptu Proſerpinæ

COMMENTARIA

NICOLAI BIFFII NOB. BERGOMEN.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

IN

CLAVDII CLAVDIANI

LIBROS

De Raptu Proſerpinæ

COMMENTARIA;

Italicis textum Muſis explicantibus.

AVCTORE

NICOLAO BIFFIO,

NOBILI BERGOMENSI,

S.T., ac Sacr. Can. Doctore, Prothonotario Apoſtolico, Sacræ Inquiſitionis Bergomi Conſultore, Academico, inter Excitatos Bergomi, Incitato; inter Errantes Brixiæ, fauoribus cumulato.



NAPOLI

MEDIOLANI

Ex Typographia Ludouici Montiæ. MDCLXXXIIII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

SERENISSIMO, AC POTENTISSIMO

COSIMO DE MEDICIS

MAGNO HETRVRIÆ DVCI VI.

Se, ſuaq; omnia D.D.D.

NICOLAVS BIFFIVS.

EA eſt noſtrorum temporum calamitas, SERENISSIME PRINCEPS, vt, quamuis cedro carta notetur, corrodentes tamen nequaquam tineas effugiat; nec ante in lucem Mineruæ opera prodeant, quam in fulmineam Momi incidant dicacitatem. Hinc illud in more poſitum nouimus, vt non prius Lucinam experiantur, quam Daphniticis refertum comis vmbraculum, ad huiuſmodi eludendas fulminis iras, tutam ſibi delegerint in ſtationem. Verum, ſi has protinus in ſortes, omnibus licet abſoluti numeris, ſapientiæ partus offendant, quid meis, vrſini ad inſtar fætus, erumpentibus immineat, ni tutiſſimum properè ſe ſe in aſylum recipiant? Aſt, quæ tunc perijt, cum ſphœras deſeruit, Proſerpina quò tutiùs, quam ad ſphœras confugiat, ne, reuocatis iterum iam cladibus, pereat? Illam, quæ, Narciſſum legens, rapitur, male cauta, ſub vmbras, cur *Aurea ſexti Lilia Cæli* in ſpem perpetuò hauriendæ lucis non erigant? Sphœræ profectò huic tuæ (Maximum Hetruſci non modo Cæli, ſed & totius terrarum orbis iubar effulgens) dum ſeptimam ex earum numero excludunt, Saturni malignitate ſecluſâ, arridentes

tantummodo benefici Iouis influentias, *Liliato Sydere*, pollicentur; atque adeò nil mirum, ſi eas ſibi propitias aueat priùs, quam luci audeat inhiare. Patere igitur, eâ, quâ Regnantes omnes, clementiâ, Superas, Sereniſſime noſtri huius ſæculi fulgor, vt, tot iam caſibus afflicta, tuis tandem ſub ſphœris placidè conquieſcat, rapta quamuis, Proſerpina; ne, quam venuſtas olim Raptoribus prodidit, meo inuſta ſtilo, detractoribus iam prodat inuenuſtas. Sed quid te diutius tutelare ſibi Numen imploret? Tua eſt, quippe à tuæ ditionis Auctore progenita, ac Florentiæ debita floribus Proſerpina: tuum eſt quidquid imbecillitas mea Proſerpinæ potuit accinere; cum ex ea & ego tandem adſim propagine, quæ tot Celſitudinis tuæ deuicta beneficijs, tot aucta decoramentis, tot condecorata ſplendoribus, quidquid eſt, tibi, à te ipſo acceptum, apprimè nouerit deferendum. Non itaque temeritati, ſed, contractæ ex debito, neceſſitati imputandum, ſi quod tuum eſt, dicetur & tibi; ac Sereniſſimis tuis ſphœris, collectum ex ſuo, vectigal, imbecillitatis meæ munere perſoluatur. Gregaria, vilia, infima offero: ſed ſatis, meherclè, tribuit, qui, cum nil inſuper habeat, id totum tribuit, vt, hoc ipſo, ſe, pro viribus, ad tantæ, ac tam veneratæ Maieſtatis componat obſequium.

Bergomi prid. kal. Febr. 1678.

Humill.^mus addictiſs.^mus obſequentiſs.^mus
Idem qui ſupra Nicolaus Biſſius.

AD

AD LECTOREM.

Hyblæis, quibus vndique ſcatet CLAVDIANVS, fauis, nil mirum, ſi, non apes tantum, ſed & fucos, crabroneſque alliciat in pabulum. Apes habuiſti, Candidiſſime Lector, ſeelectiſſimos vsque legentes ex permeſſiaco Vatis viridario flores, quibus fauos, hercle, ipſos dulciores, dum depaſcerentur efficerent; nam tales, profectò, ſuſpiciendi ſunt Parrhaſius, Dempſterus, Delrius, Clauerius, Barthius, Heinſius, & alij, qui luculentiſſimis olim notis Claudiani operà colluſtrarunt, melleos ex eo ſuccos extrahentes. Ne iniquo tam feras animo; ſed pro tibi inſita benignitate, indulgeas, vt & fucus, & crabro (qualem me eſſe facile dignoſces) eoſdem irruat in fauos, mellea, ſi non fortè lecturus, certè in ingenij ſui pabulum direpturus; has enim ego qualeſcumque in Lib. de Raptu lucubrationes, quibus & ſenſuum arcana detegere, & eruditiones adnotare institui, non, vt lucem Vati afflarem, peragendas ſuſcepi; ſed vt me ipſum tanti Vatis luminibus reſpergerem, ratus, de Raptu agenti non odioſum fore, ſi raptori comitem ſe ſe addiderit deuaſtator; nec Libros legenti de Raptu ingratum, raptas vndique à deuaſtante dulcedines diſpergi potiùs, quam conſpergi. Ea autem, quæ latinis, ac vndequaque heroicis, licet ab Elegiaco non diſtantibus, Claudianus cecinit Muſis, italicis ego, animi gratia, vt redderem, pro viribus, moliebar, non verba quidem ſectatus, ſed ſenſum, cum meas ſemper ad aures inſonuerit præceptum illud ab Horatio traditum in arte

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres &c.

Quare aliqua, neceſſitate metri ſuperaddita, imminuta aliqua, aliqua leuiter immutata adnotabis; ſed ita tamen, vt ſententiarum tenaciſſimus ſemper decurrat ſtilus. Quod ſi ideò, hac in noſtra elucubratione, pluralitatem Deorum, aliaque, ex hac ipſa radice prouenientia, ingerere videamur, à veritate fidei Catholicæ prorſus abhorrentia; memineris, nos, vt interpretes, loqui, non vt aſſertores; hæc enim, vt fabuloſa, & agnoſcimus, & proferimus; non verò contra præfatam fidei veritatem aſſerimus. Relatiuè ergo dicta prudens accipias, non aſſertiuè. Cæterum nil noui certè noſtra afferre poterit Africa, niſi monſtra, feraſque; ſed & monſtra interdum receptatores Troadas iuuant nedum delectent. Direpta, fateor, his meis elucubrationibus, melleo vndique apparatu redundantia, videbis Aluearia; ſed ſparſa magis proſunt, quam excauatis incluſa corticibus mella, atque attriti magis, quibus aluearia ſtipantur, redolent flores, quam ſummis apum labris delibati. Quas ignauus, dulcedines, fucus, diſſipatas diſperſerit, colligere, tuæ erit humanitatis; nam quæcumque tandem illa ſunt, quæ nobis proterentibus obteruntur, vt diripienti cuique gratuito exponantur, tua tandem ſunt; Ego enim hac tantum ex parte Fuci, ac Crabronis naturam exuo, quòd aluearia, non mihi, ſed tibi omnia diripiam. Quod ſi hæc mei laboris initia tibi, quoquo modo accepta perſpexero, ſtimulos profectò hoc addet, vt ad reliqua Claudiani opera euiſceranda cupidam ex ſe manum admoueam, vt tibi, quantum valeo, totum me noueris addictum. Vale.

Pri-

Priuilegium Excellentiſſimi Senatus Mediolani.

CAROLVS II. DEI gratia Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ &c. Rex, & Mediolani Dux &c. Ven. I.C. Nicolaus Biſſius preces nobis dedit ſequentes videlicet. P. Rex. Multum prodeſt vtilitati publicæ, & ſubditis M. V., quæ ad ornatum dicendi, & Hiſtoriarum notitiam cumulantur ex ſtudioſorum laboribus typis imprimantur: Ven. I. C. Nicolaus Biſſius Bergomenſis perpetuus pro M. V. orator apud Deum volumen condidit in Claudij Claudiani libros de raptu Proſerpinæ Commentaria appellatum, quod ad vindicandas temporum iniurias, & pro vtilitate publica typis dari ſtudet in hac Mediolanenſi Ciuitate per Ludouicum Montiam; Verùm, ne, vltra opera, & propriæ ſalutis detrimenta, maximis maioribus impenſis grauetur, cuperet orator, nè dictum volumen, typis impreſſum, per ipſum Montiam, nec alios Impreſſores huius Dominij M. V. vendi, nec nouis typis reimprimi poſſit, ſinè ſpeciali facultate eiuſdem Oratoris Auctoris, Propterea innixus pietati M. V. ad illam confugere decreuit: Humiliter exorando dignetur in gratiam Oratoris, & Auctoris dicti voluminis per proclama ex ordine M. V. beneuiſis, tàm Ludouico Montia, quàm quibuſcumque alijs Impreſſoribus, nè dictum volumen poſtquàm typis datum erit vendere, ac quoquo modo alienare poſſint, minuſq; illud nouiter typis redonare, niſi cum ſpeciali licentia, & conceſſione eiuſdem Auctoris, cuius impenſis nunc primò in lucem editur, aliaq; concedere de forma in ſimilibus, quod &c. Quibus viſis nos vitis omnibus rem literariam adaugere ſtudentibus fauendum cenſentes morem ei gerendum eſſe duximus. Itaque præſentium tenore ſtatuimus, & inhibemus Impreſſoribus, Bibliopolis, alijſq; omnibus, & ſingulis, ne hinc ad annos decem ab edito libro numerandos narratum opus imprimere, aut imprimi facere, alibiq; impreſſum in hoc Dominium importare, vel venale habere, aut vendere audeant ſub pœna amiſſionis omnium librorum, ac prætereà nummorum aureorum ſcutorum quinquaginta, cuius pœnæ dimidia Fiſco noſtro, reliqua Supplicanti applicetur. Mandantes quibuſcumque Officialibus, & Iuſdicentibus Dominij noſtri Mediolani, tam mediatis, quàm immediatis, vt præſentes literas immediatè obſeruent, & obſeruari faciant, procedendo conttà inobedientes iuxtà earum diſpoſitionem, atque tenorem. In quorum fidem præſentes ſigillo noſtro munitas fieri, & regiſtrari iuſſimus. Datum Mediolani die prima Maij 1681.

Tattus.

Locus ✣ Sigilli.

APPROBATIO.

D*Octiſſimum, eruditiſſimumq; opus, cui præfixus eſt titulus*: In Claudij Claudiani libros de Raptu Proſerpinæ Commentaria &c. *de mandato Reuerendiſſimi Patris Inquiſitoris Generalis Status Mediolani ſumma cum diligentia, ingentiq; mei animi lætitia percurri, deguſtaui, & permultum didici, nihilq; in illo deprehendi, niſi veritatis, & bonitatis referens ſpeciem; Quapropter diutina prali luce digniſſimum cenſeo, ſi tamen &c. Dat. Mediolani in Conuentu Minorum Obſeruantium Sancti Angeli die 10. Ianuarij 1681.*

Fr. Didacus Rohas Concionator Generalis, Lector Iubilatus, Prouinciæ Pater, necnon Librorum Reuiſor, & Cenſor.

Attenta prædicta atteſtatione

IMPRIMATVR.

F. Sixtus Cerchius Inquiſitor Generalis Status Mediolani.

Iacobus Saita Canonicus Baſilicæ Sancti Ambroſij pro Reuerendiſſimo Capitulo Sede vacante.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

PERIL-

PERILLVSTRI, AC EXCELL.MO DOMINO

NICOLAO BIFFIO

CLAVDII CLAVDIANI Optimò Interpreti
Præceptori humaniſsimo
Suos ita dicabat plauſus deditiſsimus alumnus
Clemens Aregazzolus Excitatorum, et Errantium
Accademiarum à Conſilijs.

Proſerpinam Terris raptam Inferis ductam
Claudio Claudiano præeunte
Non claudo metro ſecutus
Ipſa in Tartara harmonicam induxiſti lætitiam
Triſauce Cerbero
Non offa, ſed carminibus placato,
Lethalibus in nuptijs pronuba tuæ laudis tuba
Ductis in choreas ſontibus.
Lilia decerpens tradita fuit Cereris filia,
At tu hilariore ſolamine
Tuis floribus ver indeficiens exhibet Matri:
Quippe qui & hyeme algente,
Et æſtuante ardoribus Sole,
Semper tedoles odore virtutum,
Semper vires florum diuitijs,
Ne irrideat Philoſophia modò Pythagoram,
Qui Cælorum motus in concentum credidit concinnari,
Si te ſuadente & Barathrum exultat in carmina.
Ales tuus verè coronatus
Ioui aſſiſtit
Non fulmina, ſed aureos miniſtraturus imbres,
Quibus Mundum recreas non inquinatà pudicitià,
Sed vberrimos reſtituturum Gloriæ fructus
Mortales enim edocens moralia
Aureo eloquentiæ pretio animas Cælo mercaris.
Tuum ſemper vnum otium fuit laboribus non otiari,
Sed laudabili auaritia
Tempus ſomno detrahens
Meliore in ſtudia largitate elargiri
Virtutis idolatra,
Cui te ipſum libris immobilem votum feciſti.
Gaude ferreum ſæculum,
Nec tibi aureæ deſunt eloquentiæ fodinæ,
Quibus & duritiem mulceas belli,
Et clariorem bello pacem inſtituas.
In vtraque temporum anguſtia
Vltra tempora viuet NICOLAVS
Iure meritus, vt nunquàm mærorem induat mortis,
Qui regnum ipſum mortis exhilarauit.

PRO-

PROSERPINA
Reſtituita alla luce delle Sereniſſime
MEDICEE SFERE
Dall' AQVILA Gentilitia dell' Eccellentiſſimo, & Reuerendiſſimo Signor Dottore
NICOLÒ BIFFI
Nobile Bergamaſco, Protonotaro Apoſtolico &c.

Eſſalta così ſublime impreſa con queſto

SONETTO.

DEL Sourano Motor MINISTRA altera,
Cui fulminar ſin ne gl' Abiſſi è dato;
Tu faſtoſa ci muti ancora il Fato,
Se PROSERPINA rendi à l'ALTA SFERA.

D' Euridice il Cantor la palma intera
Riuerente ti cede, hor che beato
Per te il Cielo trionfa, e forſennato
Laſci colui, che a' diſperati impera.

BIFFI, de faſti tuoi, ecco, che eterno
S' alza il gran vanto: infellonita Aletto
Indarno frema pur giù nell' Auerno;

Che, del Trace maggiore, Orfeo moderno
Vedoui di PLVTONE il meſto Letto;
E nell' APERTO CIEL vinci l' INFERNO.

Del Sig. Dottore Antonio Caſari.

DE

DE VITA
CLAVDII CLAVDIANI.

Mirum eſt quam in diuerſas abeant ſententias Claudij Claudiani Vitam recenſentes; dum, quæ Patria tanto Vate glorietur, iure merito inquirunt Auctores. Et primum Suidæ teſtimonio adducti Giraldus Dial. 4. de Latinis Poetis, & cum eo Petrus Crinitus, qui hanc Græcorum omnium ſententiam fuiſſe aſſerit, Claud. Ægyptiacum faciunt, & Alexandriæ ferunt progenitum: Apollinaris Sydonius eum pariter Ægyptiacum dicit; ſed natum Canopi memorat his dictis:

Et Peluſiaco ſatus Canopo
Qui ferruginei toros Mariti,
Et Muſâ canit Inferos ſupernâ.

Apollinari autem alios quoque adhæſiſſe indicare videtur Fabrinus in 4. Georgicorum ad Carm. *Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi &c.*
Franciſcus tamen Petrarcha, Landinus, Collutius Piertus accuratiſſimus profectò Florentinorum Scriba, nec non Volaterranus ipſe Claudianum floretiſſimæ non Cæli, ſoliq; minus ingenio, quam diſciplinarum omnium ornamentis Florentiæ attribuunt: Sic eum, in quo Homericum prorſus emicuit ingenium, Homeri etiam fortuna proſequitur, vt plures ſcilicet diuerſarum vrbes nationum Ciuem ſibi vindicent ſuum; quandoquidem & Hiſpani ſuum eſſe voluerunt, acerrimè cum Hetruſcis hac ipſa de cauſa olim decertantes.

Qui itaque Claudianum (vt maxime aduertendum cenſeo) Florentiæ ciuem adſcribunt, ab aſſerentibus eum in Ægypto natum non diſſentiunt: dicunt enim Vatis noſtri Patrem, Florentiæ vtique ciuem, patrio ſolo mercaturæ gratia relicto, in Ægyptum ſeceſſiſſe, ibiq; vxore ducta Claudianum ex illa ſuſcepiſſe. Quare vtramque facilè ſententiam arbitror conciliandam, ſi dicamus Claudianum iure Natiuitatis Aegyptiacum eſſe, iure Originis Florentinum. Hoc ipſum autem teſtatus apertè eſt Collutius cit., dum, Vatis ore locutus, noſtris ſic inſonat auribus:

Aegypto genitum noua me Florentia ciuem
Legibus agnoſcit, magnis iam digna Poetis
Infernos raptus recini, pugnaſq; Deorum;
Cæſareas laudes; nec non Stilitonis honores.

Scio præcitatum pro Aegyptiacis Giraldum mendacij notas Collutio inurere, dum inquit, eum amore potiùs regionis, quam veritatis, hanc Claud. originem fuiſſe commentum: Sed non video quo nam pacto aſſertionem hanc ſuam comprobet Giraldus ipſe. Audio equidem Parrhaſium Auctoribus cum Collutio ſentientibus infenſum, Giraldi aſſertum ex ipſius Vatis ore deduci, dictitantem; dum ille ad Gennadium ſcribens hæc exarat: *Graiorum populis, & noſtro cognite Nilo &c.*
& ad Hadrianum: *Audiat hoc commune ſolum, longaque carina*
Nota Pharos, flentemque attollens gurgite vultum
Noſtra gemat Nilus numeroſis funera ripis.

Sed quid euincitur, quæſo, ex eo quod Vates *Nilum* appellet *ſuum*? Nonne & ratione natalis ſoli *Nilum* potuit iure vocare *ſuum*, & adhuc eſſe ex Vrbe Hetruſcorum Metropoli oriundus? Certè ego, cum nullum afferant, quod viderim, aduerſarij argumentum de falſitate redarguens cum Politiano facile decantauerim:

Hunc Peluſiaci miſſum de Plebe Canopi,
Iure ſuum quem nunc Florentia iactat alumnum,
Gaudentem, ſtygio Dominam iunxiſſe marito.

Adde quod norat Philippus filius Matthæi de Villanis in Vita Claud. Sanctum antiquis fuiſſe, vt & maternam originem celebrarent ſuam. Plurimum autem Philippi defero auctoritati, quippe qui, teſte Saluiano Equite tom. primo in Decameronem, Pocicante, aliiſq; Auctoribus, eruditiſſimus fuerit.

Floruit itaque ex Florentino ſolo oriundus, Ægyptiacis in regionibus, natus flos iſte, Arcadio, atque Honorio imperantibus. Quo tempore Romam profectus ex Aegypto, accep-

acceptus adeò Principibus fuit, vt ei ſtatuam in foro Traiani, Senatu ipſo petente, decreuerint erigendam; prout Pomponius Lætus Romanarum antiquitatum peritiſſimus reſtatur: immò huius ſtatuæ meminit & Vates ipſe, cum in Præfatione ad lib. de Bello Getico inquit: *Conſulis hic faſces cecini, Lybiamque receptam;*

Hic mihi proſtratis bella canenda Getis.

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,

Oraque Patritius noſtra dicauit honos.

Marmoream huius ſtatuæ baſim in ruinis repertam, hacque inſignitam inſcriptione refert Pomponius apud Parrhaſium, Heinſium, & alios.

Cl. Claudiano V.C. Tribuno, & Notario

Inter cæteras vigentis artes glorioſiſſimo Poetarum

Licet ad memoriam ſempiternam carmina ab eodem ſcripta ſufficiant;

Attamen, teſtimonij gratia, ob iudicij ſui fidem

D.D. N.N. ARCADIVS, & HONORIVS

Fœliciſſimi, ac doctiſſimi Imperatores,

Senatu petente

Statuam in foro D. Traiani erigi, collocarique iuſſerunt.

Florentinum clariſſima virum nobilitate, omnique litterarum genere inſignem, tamquam Mecenatem ſuum, in primis coluit, cui etiam, quippe de re ruſtica græcè ſcribenti, Claudianus ipſe libris hiſce de Raptu inſcriptis obſequitur; ea enim ſub fabula, vt notant interpretes, totum Agricolarum ſtudium mirificè contexit Vates: nam Ceres feracis, ac plani ſoli vim deſignat, vt interpretatur Porphyrius; Berecynthia verò montani, ac lapidoſi ſterilitatem; Proſerpina denique ſeminum virtutem. Hanc itaque Pluto rapuit, cum Ceres, officij gratia, Berecynthiam conueniſſet; nam, quamlibet vberes, agri, ſi, ob neglectum, vel alia quapiam de cauſa, in glaream, ſcrupoſæque terræ naturam tranſierint, iniectum ſemen immoritur, & non, niſi magno labore, in Cereris erroribus repreſentato, reparatur; dum cultorum ſudoribus ager iterum, iterumque exercetur.

Plura alia carminibus demandauit eruditiſſimè Claudianus, quorum cathalogum fusè exarant Clauer. Heinſius, & alij, ad quos curioſum remitto. Multa etiam piè adeò ſcripſit, vt, niſi obſtaret auctoritas Diui Auguſtini, lib. 5. de Ciuit. Dei Cap. 27., eum à Chriſti nomine alienum fuiſſe declarans, cui & conſonat Oroſius, qui ambo, eadem ferè cum Poeta ætate, claruerunt, facile me in ſuam attraheret ſententiam Landinus, Claudianum primò quidem Ethnicum, poſtea Catholicum fuiſſe aſſeuerans. Sed hæc alijs agitanda relinquentes præfixum iam nobis opus aggrediamur.

Argumentum totius operis.

CÆlibem, quam ſolus iam diù ex Dijs degebat, vitam indignatus Pluto bellum Superis moliebatur. Verum Parcarum precibus delinitus, per internuncium Mercurium, à Ioue coniugem petit. Incertus hæret ſententiæ Iupiter; ſed tandem Proſerpinam ſibi ex Cerere filiam deſtinat in Nuptam. Res Veneri peragenda committitur, quæ, commorante, officij gratia, Idæis in Montibus apud Cibelem Matrem, filiam Siculis degentem in agris Diana, ac Pallade comitantibus inuiſit, ac dolo malo circumuentam ætneos allicit in campos, ac ſic Raptori, qui iam fratris monitu in prædam aduolabat, exponit. Rapta itaque ab illo, Pallade, ac Diana nequicquam reluctantibus, Proſerpina in mortuorum regnum transfertur. Clade, cum, ſomnijs excitata, redijſſet, cognita, Ceres, ſed auctoris incerta, ac loci quò abuecta eſſet filia, quam raptā ex Electra didicit, ignara Cælum omne permiſcet, vt quid de Virgine factum ſit ab aliqua ſaltem ſubaudiat Dearum; ſed, queſtubus, lacrymiſq; incaſſum conſumptis, in Aetna faces accendit, ac ſeſe incertis viarum committit erroribus, totum quoquouerſum terrarum Orbem peragratura, vt filiam, ſi vſquam adſit, reperiat tandem. Primus itaque Claudiani de Raptu liber antecedentia ad raptum continet: Secundus concomitantia raptum, atque ipſum deſcribit rapiendi modum: Tertius ſubſequentia ad raptum ipſum delineat, vt fuſiùs in vniuſcuiuſque libri argumento clariùſue elucebit; ac ex tota denique librorum ſtructura conſtabit.

IN PRÆFATIONEM
AD CLAVDII CLAVDIANI
LIBRVM PRIMVM DE RAPTV
COMMENTARIA.

Argumentum Præfationis.

MAximarum rerum exordia ijs, qui non admodum ſoleant aggredientium vires expendere, adeò ſæpè in admiratione ſunt, vt vel Icarijs auctores pennis volaturos interdum arbitrentur. Quarè prudentiſſime Claudianus, ne, apud clariſſimum præcipuè amicorum, Florentinum videlicet, ad quem lib. de Raptu erat tranſmiſſurus, vt facilè colligitur ex Præfatione ad lib. 2., in notam temeritatis incideret, ex eo, quod, nimio fortaſſis auſu, operoſam nimis prouinciam videri poſſet ſuſcepiſſe, Præfationem præmittit, qua modeſtè auſum excuſet, audacis entuſiaſmatis cauſas in eam refundens voluptatem, quæ vniuſcuiuſque animum rapit veriùs, quam alliciat, iuxta commune effatum: *trahit ſua quemq; voluptas*. Hoc autem perficit ſub Allegoria Nautarum, qui primo vix puppi audent extremum littus adlambere; ſubinde in altum ducuntur; mox, voluptate alliciente, clauoſq; regunt, veliſq; miniſtrant, & qua nulla apparet tellus, ſed maria vndiq;, & vndiq; Cœlum, longè, lateq; diuagantur, Aquilonum furias, vndarum vortices, tempeſtatum procellas, Iouis, ac Neptuni coniuratas iras iam nihili perpendentes. Allegoriâ vero propoſitâ Lectori applicationem relinquit peragendam; nam facilis ſubindè deductionis eſt ita diſſerere: Si voluptate alliciente nil intentatum relinquitur; nil mirum, ſi etiam Poeta, qui maximis hiſce ſtilo olim remiſſiore in alijs præluſerit, quamuis de re tam ardua dicere aggrediatur, non tamen Phoebo, voluptatiq; vocanti reluctetur; ſed plenis ſecet æquora velis.

CLAVDII CLAVDIANI
In primum de Raptu Proſerpinæ librum.
PRÆFATIO.

INuenta ſecuit primus, qui naue profundum,
Et rudibus remis ſollicitauit aquas;
Qui dubijs auſus committere flatibus aluum,
Quas Natura negat, præbuit arte vias;
Tranquillis primum trepidus ſe credidit vndis
Littora ſecuro tramite ſumma legens.

INVENTA SECVIT PRIMVS &c. A nouitate rei adauget primo temeritatem nauigantis; nam, ſicuti ab aſſuetis non fit paſſio, &, ſi fit, non tanta, vt Philoſophi omnes declamant, ſic è conuerſo Nouitas terret oculos, pulſat animum, & in maximam periculi adducit apprehenſionem, ideò appoſitè inducit timidè primò nauigantem; atque hinc, ſecundò, quomodo ex nouitate, cum tantiſper ſedati fuerint animi motus, ſenſim ſine ſenſu, inſinuetur delectatio: cum enim omnia noua placeant, facilè noui alicuius exercitij ex proſpero in primis euentu voluptas oritur, quæ ſemper ſubindè excreſcens efficit, vt ab inceptis, magnitudine ingruentium difficultatum animus nequaquam terreatur; idque ſibi tacitè innuit accidiſſe, qui, deſiderio ſcribendi, ex leuioribus materijs ad materiam, hactenus reliquis muſarum cultoribus, ſaltem quo ad methodum, intactam facilè attractus deſiſtere nequiuerit, grauiſſimis quamquam difficultatum lyrtibus obuallatus.

PRIMVS, QVI INVENTA NAVI &c. Primum Nauis Inuentorem Neptunum facit Diodorus; Heſiodus verò Myrmidones Nauigantium Choriphæos aſſerit in Ægina; ſed Dionyſius Afer Ægyptios autumat. Iterum primam Nauis inuentionem Argo Phrixi filio, impulſu, conſilioque Tritoniæ Deæ adiuto tribuit apertè Valerius Flaccus lib. Argonaut. pri. vbi ſic habet

. . . . . Clarum Tritonia denolat Argum.
Moliri hunc puppem iubet, & demittere ferro
Robora &c.

Cum ſcilicet Colchicam expeditionem molìretur Iaſon, vt Peliæ ſe ſubduceret potiùs, quamquam obtemperaret. Alij Typhum primum nauis inuentorem tuentur, qui profectò & ipſe vnus ex Argonautis fuit: quam opinionem diuerſitatem attendens Lyricus Mutinenſis Fuluius Teſtius, ne in re dubia quod ignotum, ambiguumq; remaneret decernere ſuo ipſe voto videretur, anceps ſibi eſſe Iudicium innuit dicens

Argo, Thifi, ò chiunque
Traſſe dal Monte il pino,
e ſi compiacque
Gonfiar d'aura inceſſante i lini ſparſi
Peſte fù de mortali &c.

Certè apud Pier. Valer. lib. Hieroglyph. 45. Tyrios, ac Phoenices reperio inuentæ nauigationis laudem proprio ſibi ore adſciſcere; & de Tyrijs idem ſentit expreſsè Tibullus inquiens

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Sed non libet in re parum ad inſtitutum ſpectante diutiùs immorari; nam & alij Erythram, à qua mare rubrum Erythreum dictum; alij Myſios, alij Thracas, alij Danaum; alij Iaſonem ipſum in hanc primi nauium inuentoris gloriam adſciſcunt, de quibus quam longiſſimum eſſet diſputare.

INVENTA. Hoc eſt excogitata, ac propria dictante minerua, ad nauigationis vſum concinnata; nam *Inuenta* participium paſſiuum eſt à verbo Inuenio, inter quod, & verbum *reperio* hoc intereſſe dictitant Interpretes verborum, quod inuenire ſtudij ſit ac virtutis; reperire autem fortunæ, quare Inachus apud Ouid. *Tu non inuenta; reperta es*: inquit.

NAVI. Nauis primò rudis apparuit vno duntaxat ligno in modum aluei excauato; ſubindè artificum ingenio eo redacta eſt, vt ex ingenti lignorum ſtrue, tabularumque compage affabre efformata mobilis inſtar oppidi exurgeret vndarum domitrix æratis puppibus, ac proris ſuperbiens, malis, Antemnis, veliſq; ad vſum pluribus inſignita, remis auctà cum priùs obuio quolibet conto impelleretur; tranſtris firmata, Clauo rectoris ad nutum regenda, vnctaq; facilis carina ad aquarum molem vento impellente ſulcandam, vt [illegible] omnibus in comperto eſt.

SECVIT. Per tranſlationem à ſerra deductam; nam ſicut ſerra lignum diuidit; ſic nauis carinato vndas aluo diſcindit; quarè & Virg. Æn. 5.

Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat vltima Priſtis.

PROFVNDVM. Antonomaſtice *Profundum*, dicitur *Mare*, eo quod deorſum magnam habeat profunditatem, vndè & Ouid. pri. de triſtibus. Eleg. 10. inquit.

Teſtor in vndomoro brumale loco profundo.

& Profundi Patrem Poetæ communiter appellant Neptunum.

ET RVDIBVS REMIS. Aptè, dum de prima nauis agit inſtitutione, rudes ei remos adaptat; rude enim dicitur quod adhuc impolitum eſt, nec ſatis artis ſtudio elaboratum; & certè artes omnes rudi quodam modo ſuis in initijs operantur, quæ poſtea paulatim expoliuntur, & ad perfectionem, ingenioſe ſe hominis in dies acuente, rediguntur. Imanò vt innuimus, obuio quolibet conto rates primo abigebant; antequam ſcilicet Copæ remum inuenirent.

SOLLICITAVIT AQVAS. Sollicitare eſt quaſi *Solo ciere*, ideſt è loco aliquid dimouere: cum igitur remis certè dimoueantur aquæ, benè ſollicitantur. Verùm quia *ſollicitare* magis propriè videtur dici de terra, cum pro eodem accipiatur, ac *arare ſindere*; quare & Tibullus inſit;

At teneram ferro ſollicitamus humum,

& Virg. pariter 1. Georg. præcipit inquiens

Sollicitanda tamen tellus, pulueſq; mouendus.

Tranſlatè locutum fuiſſe Poetam dixerim; ita vt, ſicuti Virg. arandi verbum ad nauigationem tranſtulit Æn. 2. vbi Creuſæ vmbra Æneæ nauigationem prædicens expreſſè ait:

Longa tibi exilia, & vaſtum maris æquor arandum.

Sic Claud. verbum *Sollicitare* ad Nauticam tranſtulerit. Neq; placet Parrhaſius, qui non alienam hic eſſe huius verbi ſignificationem aſſerit; nam videtur repugnare ipſa, quam ſupra tradidimus, & a Parrhaſio ipſo admittitur Etymologia. Vidit obiectionem Parrhaſius ipſe, quam vt cluderet, inquit etiam mare *Solum* appellari, vt ex Virgil. Æn. 5.

Olli certamine ſummo
Procumbunt: vaſtis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturq; ſolum &c.

Sed cur non aduerterit eruditiſſimus alioqui interpres, *ſolum* non tantum dici ſuperficiem terræ, ac Maris; ſed etiam quidquid aliud rei cuiquam ſubijcitur tamquam fundamentum aliquod, cui res ſuperpoſita innitatur? Profectò ſolum dicitur, & Cœlum apud Ouid. Metam. 1. vbi ſic habet ipſe.

Aſtra tenent cœleſte ſolum; formæque Deorum.

Imò Virg. vel menſam ipſam *ſolum* appellat. Æn. 7.

Et cereale ſolum pomis agreſtibus augent,

quibus poſitis negari nequaquam poteſt, quin *ſolum* nomen genericum ſit; ita vt cum de mari dicitur Genus pro ſpecie ponatur per Synecd. tropum; cum autem nullus ſine tranſlatione ſit tropus, ſanè in tranſlationem incidit Parrhaſius dum negat. Adde *ſolum* propriè de terra tantum dici quaſi *ſolidum*, vt verborum notant interpretes, quarè cum de Mari dicitur non niſi tranſlatum eſſe poteſt. Item *ſollecitare*, vulgo ſonat *affannare, ſtancare, annoiare*, quod dum de mari dicitur certè per tranſlationem dicitur; Vnda enim incapax afflictionis. Inſuper eodem nos vtimur verbo *ſollecitare* ad oſtendendum conatum, quo quis vtitur ad labefactandum animum mulieris, ac præcipuè Virginis: & ſic ſollicitare, dicimus, ad Turpia; ſollicitare Virginis pudicitiam &c. Quarè, cum Claud. agat de primo nauigationem attentante; aptè dicit *ſollicitare aquas*, quaſi, dum vndas antea intactas tranare aggreditur, earum Virginitatem labefactare aggrediatur; Virgines enim per tranſlationem dicuntur res omnes quæ incorruptæ adhuc, intactæ ſunt, & illibatæ, vt profectò, quo ad hoc, erat vnda maris antequam nauigium in illas primum immitterentur. Denique *ſollecito* vſurpatur interdum pro *irrito, incito, & ad vendictam eccito*; ſic à Ducibus animos militum ſollicitari, dicimus; ideò, quaſi à primi Nautæ temeritate ad offenſionem vindicandam Thetys irritaretur, appoſitè inquit Poeta:

Et rudibus remis ſollicitauit aquas.

QVI DVBIIS AVSVS &c. Ex vndarum mole ſimul, ac profunditate nullo negotio dehiſcente indicauit periculum, cui ſe ſic expoſuère Nautarum primi, attenta maximè imperitia, quæ artis tyronibus non adeſſe non poterat. Iam ex inſtabilitate ventorum, à quibus certè proſpera, vel aduerſa dependet nauigatio, periculum ipſum adauget, illudq; excreſcere adhùc edocet ex eo, quod, natura reluctante calcandum ſit iter omnibus Naturæ viribus imperuium.

QVI AVSVS. Repetitionem in relatiuo *Qui* aduerte quod ad primum illud de quo ſupra, refertur: *Auſus* autem ab audeo deriuatum idem eſt, ac *animum ſidens*, ſed *temerè auxus*. Quo nomine Vates eum notat, qui primus nauigationem intentauerit, quippe qui aggreſſus rem arduam, & inacceſſam fuerit.

COMMITTERE. Committere aliquid alicui propriè eſt illud alicuius fidei tradere. Quæ autem fides eſſe ventis poteſt, qui adeò variabiles ſunt, vt hi verè maris Prothei dici poſſint innumeras in ictu oculi ſe ſe vertentes in formas? Se verò ventorum fidei tradere quam plena res periculis ſit clariùs iam patet, quam egeat Commentatore. Sufficiet itaq; in hunc locum innuere Scomma illius Philoſophi, qui interroganti num plures eſſent viuentes, an mortui, reſpondit & ipſe interrogans Vtra in parte poneret nauigantes. Sanè Iuno apud Virg. Æn. 10. vt ſe ipſam purgaret à perſecutione in Troianos de qua illam inſimulauerat Venus Cauſam periculorum, agitationum &c. in imprudentiam contulit Ducis, qui ſe inconſultò ventis tradidiſſet, dum ſic ait.

Num linquere caſtra
Hortati ſumus, aut vitam committere ventis?

Ideò Audacem nimis appellat Vates eum qui ventis credidit Horatio inhærens, qui pri. Carm. ode 3. ait.

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras: Si tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

ALVVM. *Alnum* non aluum legunt Parrhaſius, Heinſius, & alij. Nec lectionem improbo, quæ profectò & Naturæ congruat; cum Alnus efformata videatur à natura, vt & aquis ſupernatet leuiſſima, & in aquis diù merſa perduret intacta; & inſuper Vati cohæreat, qui etiā lib. 2. de Raptu ait.

Miſſamq; Pado qui remiges Alnum.

Sed cur vulgatam non ſequar, quæ non minorem, vt arbitror, continet eruditionem? Aluus igitur ponitur hic pro Naui deducta à ventre metaphora alui nomine deſignato, ac poſita hic pro toto parte. Aluus enim tranſlatè dicitur vas quodlibet in modum vteri excauatum, ex quo etiam Virgil. Æn. 2. excauatum lignum in modum equini vteri *aluum* appellauit.

In latus, inq; feri curuam compagibus Aluum
Contorſit &c.

Quarè Aluus & hic erit concauum illud nauis ſpacium, in quo exceptæ merces detinentur, atq; hac voce vtens Poeta tacitè cauſam inſinuat, cur Nauis ſupernatet, in ſententia eorum Phyloſophorum, qui dicunt cauſam huiuſmodi eſſe aerem in ipſa nauis concauitate incluſum, qui, ob neceſſariam, rerum adhæreſcentiam, adeò naui adhæret, vt ſimul cum illa efficiat accidentale compoſitum grauius quidem ſolo aere, ſed aquā tamen leuius, atque hoc pacto, ob naturalem repugnantiam, quam habet aer vt infra aquam ſit, nauem ipſam ſuſtentari, & aquis, quamuis pondere receptarum rerum grauatam, ſupernatare; ni pondus illud adeò excreſcat, vt vires ſuperet aeris ſuſtinentis, & compoſitum diſſoluat, nam ex eo tunc fit vt nimis onuſtā Nauis demergatur.

FLATIBVS. Flatus à Flando ventus dicitur apud Poetas; nam licet ventus aliud in ſe non ſit quam terrea exhalatio, atque adeò propriè Flatus dici nequeat, tamen quia Poetæ de ventis loquuntur tamquam de compoſitis humanam ſpeciem habentibus; quare & Pictores, cum ventos depingunt faciem exprimunt humanam plenis buccis exſufflantem, ideò Flatus dicuntur effectu pro cauſa poſito.

DVBIIS. Dubios appellat ventos, tum ob eam, in qua ſolum conſtantes ſunt, inconſtantiam, propter quam apud Græcos ἀνεμώδεις appellantur, eodem ſcilicet vocabulo, quo, & inconſtantem, & leuem appellant: tum etiam quia venti ſæpè in anceps vitæ periculum conijciant Nauigantes, quod videtur innuere Ouid. de Triſtibus, dum, enarrato ventorum certamine, confeſtim ſubijcit.

Rector in incerto eſt, nec quid fugiatue, petatue
Inuenit: ambiguis ars ſtupet ipſa malis,

atq; adeò dubij per Metonim. venti dicuntur, quia dubium, anxiumq; nautam efficiunt.

PRÆBVIT ARTE VIAS. Hic præclariſſimè attingit Vates excellentiam artis, quæ æmulatrix ſimul, & imitatrix naturæ eo perfectionis interdum deuenit, vt Naturæ ipſius defectus corrigat, & emendet, atq; eidem aliquid addat perfectionis, cum iſta interdum illud aſſequatur, quod ſibi relicta Natura haudquaquam poſſit; vnde & inualuit effatum illud publicis iam in Triuijs decantatum apud Italos:

One natura manca arte ſuppliſce.

Ars

Ars igitur præbuit vias; hoc eſt modum adinuenit, & docuit, quo Thetydis gremium ſulcaret Nauta, qui modus fuerat quidem præmonſtratus à Natura, vt infra videbimus, ſed non datus vlli, cum autem dedit ars deffectibus ſupplens Naturæ, quod totum vna cum artis excellentia vnico hoc carmine comprehendit Poeta noſter, vt meritò inter videntes enumeretur. Eſſent hic plura dicenda de Artis ortu, & progreſſu; ſed quia parum ad rem noſtram conferunt libentiùs omitto.

QVAS NATVRA NEGAT. Natura videtur adeò coarctaſſe ſuorum finium limitibus res omnes, vt legem impoſuerit inuiolabilem, ne tranſirent fines ſuos. Itaq; dum terram circumdedit aquis, viſa eſt decernere, ne terreſtria in aquas tranſilirent, & Profectò, ſi de Natura naturante (vt cum Phyloſ. loquamur) ſermo ſit, hoc ipſum videtur innuiſſe Hor. ipſe ſupra cit. cum ait.

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ &c.

Natura enim Naturans nil aliud eſt quam ipſe Auctor Naturæ Deus; ſi verò loquamur de Natura Naturata, hoc eſt de Natura creata, vndas hæc piſcibus dedit, ſicut & aerem auibus, non verò hominibus; neque enim ea conditione naſcitur homo, vt per aquas ingrediatur: licet & Nautæ, & Vrinatores id paſſim iam arte magiſtra aſſequantur. Spectata itaq; lege Naturæ, eiuſdemq; expenſis viribus impoſſibilis ſanè videri potuit nauigatio, & ideò negatam illam, ac nobis impoſſibilem viribus ſolius naturæ indicat hoc loco Claud. Non tamen hic importatur impoſſibilitas Metaphyſica, quæ ſcilicet neque per diuinam potentiam immutari poſſit, vt cum Phyl. loquar 5. met. C. 5.; immò neque impoſſibilitas omninò phyſica, quia certè naturæ viribus, ſaltem arte coadiuuante, poteſt hæc impoſſibilitas ſuperari, & de facto ſuperatur. Dixi tamen «omnino» quia, abſolutè loquendo, & remota artis cooperatione, ſolis naturæ viribus transfretare nequimus, huiuſmodi impoſſibilitatem ſuperantes. Importatur ergò ſola impoſſibilitas moralis, quæ iuxta Phyl. cit. in hoc conſiſtit, vt phyſicè loquendo hoc eſt per vires naturæ ſaltem ab arte auctas poſſit quidem res aliter ſe habere; ſed tamen tales, ac tantas habeat obuallantes difficultates, vt nullus adhuc inuentus fuerit, qui eas ſuperauerit, quod adamuſſim in caſu à Vate propoſito euenit; nam quando primò inuenta eſt nauigatio, certe nullus adhuc inuentus fuerat, qui difficultates transfretandi ſuperare potuiſſet. De cœtero, ſi fides habenda ſit eruditiſſimis Pierij commentarijs, Natura ipſa modum tectè enauigandi per Miluum volantem ſępiùs iam ante oſtenderat; hic enim caudam modo hàc, modo illàc inflectens, ea Claui, ſeù temonis vtitur vice, ad aeris liquidum tranandum; ſicuti Nautæ vti Clauo debebant ad directionem Nauis: Alarum motu quomodo remigijs muniendà, impellendaq; nauis eſſet oſtendebat &c. Ita in liquido aeris oſtentante Natura quid opus facto eſſet in humido profundi, vt tuta extenderetur nauigatio.

TRANQVILLIS PRIMVM &c. Clarius oſtendit hic Vates Artem Naturæ imitatricem; nam ſicuti natura à minimo incipit, & paulatim ad ſibi conſentaneam adducit perfectionem; ſic ars à facilioribus incipiens ad difficiliora progreditur; vt, per ſe ipſum, patet conſideranti. Quod autem Claud. euenire hìc in Nautis exprimit, proportionaliter in omnibus habetur, cum certiſſimum ſit decantatum illud effatum: *Nemo repentè fit ſummus*: & quidem cum ortum habeat ars (quæ eſt recta ratio factibilium) à pluribus experientijs, ex quarum diuerſitate diuerſorum ſeries præceptorum in vnum finem tendentium adſtruitur, ad vnicam artem integrandam; certè non poteſt intellectus, vnico temporis momento, ad artis apicem peruenire; ſed debet paulatim à primordijs ad vlteriora contendere. Hanc autem artis gradationem incipit exponere hic Poeta, vt oſtendat quomodo per hanc, voluptate alliciente gradatim ducamur ad ſummũ; & quomodo ipſe à leuioribus quibus iampridem canens induſſerat ad Heroicum tandem, nullo negotio progrediatur.

PRIMVM TREPIDVS. En primus nauigationem intentantis gradus; nam *primum* aduerbium ordinis correlatiuè poſitum ad perſonam de qua dixerat. *Primus qui &c. trepidus* conditionem eiuſdem perſonæ importat, ſeù adiunctum: *ſe credidit:* actionem importat &c. Imperitus itaq; adhuc Nauta inſtar pueri profectò eſt primos extra Nutricis vlnas paſſus molientis, nutantiq; poplite, manum à pariete, cui adhæret, nunquam remouentis, tremebundi, ac ſemper circumſpicientis, quo nitatur fulcro, ſi caſu pedes labantur; namſic & Nauta Tyrocinium artis exercens, & tranquillas expectat vndas, & malè illis etiam, ſibiq; fidens littora tantum, quaſi manu tenens, trepidus (nam trepidare formidinis eſt) remo radit preſſiùs adnauigans, ac nihilominus circumſpiciens, qua parte effugium pateat, ſi forte nauis ipſo in Vado, tuta nempe in ſtatione, periclitetur. Ita ſemper vel vbi periculum non eſt periculum facit timor.

SE CREDIDIT VNDIS. Credere ſe alicui. Vulgò eſt *darſi in balia, in potere, in arbitrio.* Aptè igitur inquit *ſe credidit vndis*; nam qui nauigat videtur ab vndis dependere, ita vt ſæpè non ſit propriæ arbiter vitæ, ne dum voluntatis ſuæ; quoties enim, maris tempeſtate oborta, cogitur in diuerſa à quo ſtatuerat abire? Hinc certè anſam arripuit apud Torquatum Taſſum Aletes Francorum Ducem ne vndis fideret monendi, dum earum infidelitatem memorans ſic ait.

Tù, ch' ardito ſin quì ti ſei condotto,
Onde ſperi nodrir caualli, e fanti?
Dirai: L'Armata in mar cura ne prende.
Da i venti adunque il viuer tuo depende?

Hinc Nautis præcipuè inditum adagium illud *ſeruiendum tempori*; perſpicuumq; id reddidit illud Palinuri peritiſſimi apud Virg. Nautæ, Æn. 5.

. . . . . Superat quoniam fortuna ſequamur,
Quaq; vocat vertamus iter &c.

TRANQVILLIS. Hoc eſt quietis, placidis, pacatis. Tranquillitatem mari ab ipſa inditam natura aſſeruit Cic. pro Cluent., expreſsè ſic dicens (Mare, quod ſua natura tranquillum eſt, à ventis concitatur) idemque ſenſiſſe videtur Virg. Æn. pri. dum Æolum ventorum moderatorem deſcribens ait.

. . . . Mollitq; animos, & temperat iras.
Ni faciat, Maria, ac terras, Cælumq; profundum,
Quippè ferant rapidi ſecum, verrantq; per auras.

Et Æn. 2. enatantes pelago deſcribens ſerpentes ait:

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta &c.

Vbi dum Maria Antonomaſticè vocat *Tranquilla* hanc eorum eſſe naturam ſatis indicat. Imò paulò poſt locum cit. lib. pri. inducens Iunonem, proſperæ, per pacatum mare, Troianorum nauigationis impatientem, & apud Æolum, vt maria conciret, perorantem, ſententiam ſupra poſitam ſuam non minus quam Tullij confirmat, ore Iunonis inquiens.

Incute vim ventis, ſubmerſaſq; obrue puppes.

Quaſi nunquam futurum fuiſſet, vt mergerentur, ſpectata natura maris, quæ de ſe tranquilla eſt, & innoxia, niſi ab incumbentibus ventis concitetur. Quarè appoſitè, & Claud. inquit: *Tranquillis trepidus &c.* vt oſtenderet rerum agendarum imperitiam periculum ipſo in tuto facere, ac timorem, trepidationemq; incutere.

LEGENS LITTORA SVMMA. Summa littora dicuntur Maris, terræque confinia; nam littus, vt, referente Celſo iuris ciuilis auctore, Cicero arbiter olim aſſumptus definiuit, eſt totum illud quo maximus fluctus peruenit Hybernus; quod & Parrhaſ. eruditiſſimè adnotauit. *Legere* autem, quod ad Nauticam artẽ pertinet, eſt cum Nautæ traiecto per manum fune aſpera loca traijciunt; hoc enim *legere* vocant ipſi: vnde & Virg. initio 2. Georg. eadem, qua Claud., vtens allegoria ad Mæcenatem, quem ſibi auxiliarem inuocabat, eruditè inquit: *Primam lege Littoris oram.* Vno verbo id eſt apud Latinos legere littora, quod nos vulgo dicimus *Coſteggiare: nauigare di terra à terra: ò nauigar dietro à terra;* quaſi hoc pacto Littora ipſa perueſtigare velimus, pene ex ipſis aliquid decerpturi; nam *legere* eſt etiam aliquid oculis percurrere, & perueſtigare, ac perueſtigando colligere. Sicuti igitur qui hoc pacto aliquid veſtigant non elongantur à loco perquiſitionis; ſic nautæ legentes littora dicuntur, qui ab ijſdem littoribus non elongantur, ſed prope littus ſemper adnauigant. Eodem verbo in ſimili ſignificatione; iterum vſus eſt Virg. Æn. 4. egregiè.

Littoraq; Epiri legimus, portuq; ſubimus
Chaonio &c.

Addidit autem: *Summa*, hoc eſt extrema, ſeù extremum Littoris, ad magis exprimendam trepidationem, quam innuerat ignaros terrentem Nautas, qui & idcircò ſe ſe à terra, hoc eſt ab extremo littore minimè audeant diuellere.

SECVRO TRAMITE. Hoc eſt ob cautiones adhibitas non ſolum, ſed & per ſe ipſum tuto; tum ob expectatam vndarum tranquillitatem; tum etiam ob parum demiſſam aquæ profunditatem, quæ ijs reperitur in locis, quæ modica, adeò eſt, vt, etiam ſi e puppi deciderit imperitus, adhuc vix mergi poſſet; præcipuè ſpectata terræ vicinitate, ad quam conuerti illicò poſſet, ni plumbea prorſus ſtupiditate præpeditus ſe ipſum ſtultè negligeret, vt aquæ, vt dicitur, poculo mergeretur.

Mox longos tentare ſinus, & linquere terras,
Et leni cæpit pandere vela Noto.
Aſt, vbi paulatim præceps audacia creuit,
Cordaque languentem dedidicere metum.
Iam vagus irrupit pelago, Cœlumq; ſecutus
Ægæas hyemes, Ioniaſque domat.

MOX LONGOS &c. Ex frequentatis actibus fit habitus, vt ex communi Phyl. axiomate. Habitus verò, ex eorumdem definitione, *eſt qualitas difficilè mobilis genita ex actibus ad ſimiles actus inclinans.* Quarè proprium habituum eſt tradere facilitatem operanti, ita vt, quod, ante acquiſitum habitum, ſedulò, anxiè, ac cum maxima aduertentia, & formidine peragebatur, poſt acquiſitum habitum faciliter adeò exerceat, vt videatur, ſine vlla aduertentia, immò & tamquam aliud agens tutiſſimè operari. Quo præmiſſo, ſic iam præcitatum Poetæ textum hic explico.

Indicat enim profectò gradus, quibus paulatim in periculorum contemptum aſſurgat Nauta. Nam certè, nullo adhuc acquiſito habitu, anxius, trepidus, & maxima cum aduertentia, perexiguam quamuis nauigationem exercebit: ideò ſuperius dixit: *Tranquillis primum trepidus &c.* cum verò ex iteratis ſæpè actibus modicæ nauigationis trepidationem exuere incipit, eo quod aliquem acquiſierit habitum nauigandi; tunc, habitu illo præbente facilitatem, Potentia ad actus ſimiles inclinatur, nempè ad longiorem nauigationem, quæ, licet longior ſit, adhuc tamen eſt in eadem ſpecie, quia magis, & minus, iuxta Phyl. non variant ſpeciem. Inclinatur igitur poſt breuem, ad longiorem, ac diuturniorem nauigationem, eaque inclinatione, per modum ponderis, voluntatem vrgente, atq; experientia euentus proſperi, in nauigatione breuiori, erectus Nauta, expulſis, magna ex parte, anxietate illa, trepidatione, ac timore, mox longos tentare ſinus incipit, cum breuiorem nauigationem iam, ex habitu, pro ludicra habeat.

MOX COEPIT. Particula *Mox* initio carminis poſita indicat explicatam iam actuum ſucceſſionem, & aduerbium ordinis eſt ex ſubſequenti correſpondens particulæ illi *primum*, quę poſita fuerat in diſtico ſuperiori. *Cœpit* autem pro incœpit per Aphereſim ponitur verbum vtique notiſſimæ ſignificationis.

TENTARE. Græcè πειράζω, idem quod experior. Et quia Nauta ab experientijs ad experientias ducitur, vt ſupra dicebamus, ideò appoſitè *tentare*, hoc eſt experiri dixit Poeta. Iterum *tentare* eamdem habet ſignificationem, quam de verbo *ſollicitare* ſuperius retulimus, nempè *cōmouere*, *labefactare*; nam etiam tentare dicimus pudicitiam, virginitatem &c. quare ad iam dicta curioſum remitto. Tantum aduerto, verbum hoc ipſum fuiſſe, in hoc eodem ſenſu vſurpatum à Virg. in Poll. Ecl. 4.

Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetyn ratibus, quæ cingere muris,
Oppida, quæ iubeant telluri infindere ſulcos.

LONGOS SINVS. Sinus eſt totum illud maris recurui ſpacium, quod inter diſſita promontoria, duabus quaſi brachijs, longiùs ſe ſe in mare protendentia, continuo ductu, per interceptum littus excurrit, & protenditur. Sic in Mediterraneo, qua Europam alluit, ſinus eſt à Promontorio Calpe Hiſp. ad Lacinium vſque Italiæ promontorium deductus: Subindè verò alter a Lacinio vſque ad Acroceraunia protenſus &c. nimis enim longum eſſet, omnes, & cuiuſuis maritimæ oræ, ſinus numeratim recenſere. Vide Coſmographos, ſi plura cupias de Sinibus, quos Græci Κόλπους appellant, italico autem nomine *Golfi*, in quibus certè non modicum ſe expandit periculum, vt patet in ſinu Acroceraunijs terminato; cum Vates vocitent infames ſcopulos Acroceraunia ob frequentiſſima in eo ſinu peracta à Nautis naufragia. Longos igitur ſinus, inquit, ob conſiderabilem interpoſiti tractus diſtantiam, qui, vt dixi, in longum ſecus excauatum littus protenduntur, & quam immenſam ea græcis vocat Barth.; nec non vt oſtenderet, non ſegnis operis eſſe talem conficere nauigationem, ſicuti minor illa prius indicata nullius ferè operis fuerat.

ET LINQVERE TERRAS. Aptè hoc addidit Vates, vt oſtendat, iam non nihil expertum Nautam non radere hic, vt prius, littora; ſed in altiorem prouehi profunditatem à terra ſegregatum; non enim hoc ſatis explicuerat dicens: *Mox longos tentare ſinus*; nam hos etiam Sinus ita relegere Nauta potuiſſet intelligi, vt ſemper ſecus terram nauis deduceretur; ideò ex compoſito ſubdit: *Et linquere terras*; alta ſcilicet per æquora vectus.

ET PANDERE VELA. Magis adhuc explicat creſcentem Nauarchi audaciam, qui peritior factus, non contis tam, aut ſolis remis nauem impellit ſuam; ſed & velis alatam facit, ad curſum celerius peragendum; nam *pandere vela* propriè eſt velorum amplitudinem extendere antennis vtrinque ſuſpenſam, & malo alligatam, vt in illam impingens ventus ocyſſimè nauem proueſhat; ex quo fit, vt non vndis ſolum, ſed & ventis deuota Nauis vltro videatur adeſſe.

LENI NOTO. Nondum auſus vehementi, tentauit primò leni vento, quomodo vela credere poſſet: inquit in hunc locum Barth., & quidem egregie; voluit enim Vates oſtendere, Nautam nondum ſatis obfirmatum, ideò non omnibus adhuc fidentem ventis, ſed tantum *lenibus*, ideſt ſuauè ſpirantibus, mitibus, placatis. Porro Notus idem eſt ac Auſter, de quo alibi dicendum erit, ventus ſcilicet meridionalis, nebulas vt plurimum concitans, & pluuias, ſed hic ponitur pro quocumq; vento leniter afflante, (ſpecie poſita pro genere per ſynecd.), nec enim ſemper venti profectò furunt, ideoq; & mites ventorum animæ dicuntur.

AST VBI PAVLATIM &c. Tempus notat, quo Nauta putet, nullum ſibi periculum non ſubeundum, proſperis elatus, aduerſis impauidus.

AST. Pro At per epentheſim particula ex aduerſo coniunctiua eſt relationem habens ad minorem iam dictam habitus perfectionem, cui vltimam perfectionem, ſeù vltimū intenſionis gradum eiuſdem habitus perfectiuum cœteris antedictis gradibus coniungat.

VBI. Non loci hic, ſed temporis aduerb. eſt, & idem ſonans ac *cum*, ſeù *quando*.

PAVLATIM. Pedetentim: Vulgo *à poco à poco*; appoſitè dicitur ad ſucceſſiuam habituum continuationem ad ſummum vſq; increſcentium oſtendendam; iuxta iam poſitam gradationem.

PRÆCEPS. Nautarum audaciæ optimè præcipitis nomen inuenit, eo quod ſemper in præcipitio ſemper conſtituat centenis obiectum periculis pectus, quod tamen adeò obfirmat, vt videatur humanitatis ſenſum erga ſe ipſum extitiſſe, ne dum erga alios omni prorſus pietate denudatum. Porro hanc animi firmitatem latè recenſet. Hor. cit. lib. pri. Carm. Ode 3.

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti &c.

Paulò autem inferius hanc eamdem exagerans ait.

Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia?

His egregiè conſonat Fuluius Teſtius in Lyricis, vbi in Primi Nautæ audaciam, ſeù præcipitem potiùs temeritatem ſic inuehitur.

Pera chi di Natura
Primier ruppe i confini, e fè per l'onde,
Ad onta di Nettun, volar le ſelue.
Rozzo inuore, Alma dura,
Che tentar, per quelle vie profonde,
Puote ſenza terror l'horride belue;
Precipitoſo ingegno,
Ch'ad vn' aura, ad vn legno
Fidò ſe ſteſſo, e con dubbioſa ſorte,
Osò ſcherzar sù da vicin con morte.

Præcipitem inſuper Nautarum audaciam cum præcipitiū Gigantum, cœleſtes arces aggredientium, temeritate confert Valerius Flaccus Argonaut. primo, atq; vt ab illa immunem ſuum redderet Iaſonem Æſonis filium vela ventis daturum ſic heroicè inſonat eundem inducens loquentem.

. . . . . Scio me cunctis è gentibus vnum
Illicitas tentare vias, hyememq; mereri.
Sed non ſponte feror; nec nunc mihi iungere montes
Mens innet, aut ſummo depoſcere fulmen Olympo.

Et quidem veteres, vt eruditiſſimè notat Barthius nauigiorum vſum, non ſolum contra conditionem humanæ naturæ, ſed & contra Deorum voluntatem exiſtimarunt. Qui autem in Deos aſſurgerent præcipitia ſibi ipſis parare omnium eſt calculo dictitatum. Quarè iure optimo & Poeta noſter

nau-

nauticam hanc audaciam, quæ ſcilicet nihil penſi habeat, & omnia temere aggrediatur, præcipitis nota ſugillat; & quidem ſemper præceps audacia eſt: Aſt, cum paulatim creuit, vt hic creuiſſe dicitur, quid dicendum?

AVDACIA. Græco hæc nomine *θράσος* dicitur, quod etiam *ferocitatem*, & *temeritatem* ſonat: atque eſt ſecuritas quædam, qua quis malum neq; præſens, neq; futurum perhorreſcat, & ſemper ferè in malam partem accipitur, atq; ideò benè *præceps audacia*: & hinc eſt cur etiam benè addatur: *Cordaq; languentem dedidicere metum*; ad oſtendendum ſcilicet huius audaciæ effectum. Sed de his mox infra. Interim perpende, quæſo, quam exactè attingat hic celeberrimus Phyloſophus non minus quam Vates Claud. vigorem habitus iam ad perfectionem redacti; ex quo ſcilicet fiat, vt qui perfectum alicuius artis habitum, per frequentatam actuum exercitationem, fuerit aſſecutus pro nihilo ducat difficultates omnes, quas quoquo modo, obuias in exercitio talis artis habere poſſit; adeòq; in omne, quantumuis arduum propriè ſe ſe artis experimentum conijciat non ſolum, ſed in delicijs habeat id ipſum peragere; hic in arte nautica tamquam in exemplari oculis ſubijcitur, & porrò ratio in promptu eſt; nam ſicuti quo magis augetur actuum frequentatio, ſeù habitus, qui ex ea progignitur, decreſcit timor; ſic, cum eo vſque excreuerit, vt iam habitus ſuam obtinuerit perfectionem, perfectè etiam, & totaliter, e ſolio cordis timore deturbato, totam iam eo vacuam occupat ſedem audacia illa, quæ quantum decreuerat timor, tantum ipſa acceperat incrementi, ita vt iam intenſa in ſummo ſola cordis arce potiatur; eaq; ſubindè imperante, in maxima quæque pericula intrepidus irruit Nauta, nec, quatuor digitis tantummodo diſtantem, horridiſſimum mortis vultum, quem temnere iam didicit, perhorreſcit. Ideò aptè *vbi audacia creuit*, ſicuti ſuperius dixit ad oſtendendam cauſam, ſic, cum eius incremento coniungit decrementum timoris retrahentis, dum ſubdit: *Cordaq; languentem &c.* vt ſtatuat habitum in poſitione cognitionis attrahentis, & in negatione retrahentis conſtitutum, vt nos etiam fusè docuimus in Logicis quæſt. de habitibus.

CORDAQVE &c. Cor ſedes affectuum eſt, vt ex recta Phyloſophia ſapientiſſime docet Cauſinus de Eloquentia lib. 8. cap. 3. Nec mirum eſſe, inquit, ſi vita hæc hominis particula tot reciprocantes affectuum æſtus capere poſſit, quia enim ſpiritu, calore, & ſanguine, quaſi inſtrumentis, ac vehiculis indigent affectus; fons autem ſpirituum, & caloris ac deſęcationis ſanguinis ſedes cum ſit cor, aptiùs certè cordi inſident affectus, quod fons vitæ, motuumq; vitalium origo eſt, immò vita ipſa antonomaſticè à Græcis dictum, teſte Pier. Valer. in Hierogl. lib. 34. Quarè aptiſſime Poeta hanc nauticam audaciam, pulſo timore, collocat in corde. Item in corde prædominium habere dicitur Mercurius Mercatorum vtique præſes; idcircò, eo quod nauigatio plurimum conferat mercaturæ, nil mirum, ſi, ſub auſpicio Mercurij audaciam, ad finem artis, ex natura ſua inſtillantis, facilè metum, à periculis, nauigationi adnexis, incuſſum cor ipſum diſcutiat; quod videtur apertè innuere Claud., dum dicit *languentem metum*; hoc eſt deſidem, & minimè ad negociationem, ad quam Mercurius inclinat conformatum. Cum igitur cor ſit rerum agendarum radix, per Pier. cit. non abſonum eſt, ſi priuſquam in effectus erumpat dediſcere metum debeat; cum metus, ex Cauſ. cit. lib. eodem c. 22. Tortor ſit, & ſatelles, quo ſcilicet cor perſtringitur, & coercetur, ne oppoſitæ metui fiduciæ ſe tradat. Cor itidem voluntatis fons habetur, ex cit. Pier. (quarè cor, non autem alia pars Titij, qui illicitos concubitus concupierat, vulturi in inferis, exponitur dilaniandum) ideòq; à Poeta dicitur proficiſci ex corde impetus ſuperandarum difficultatum, vt ad vulgatum alludat effatum: *Nil difficilè volenti*.

DEDIDICERE. Dediduſco propriè eſt, *quod didici obliuiſcor*; cum itaque ſolus maris aſpectus meticuloſis terrorem incutiat, certè metuere didicit qui, nundum proprias vires expertus, tranari haud poſſe crediderat; cum autem, ex experientijs artis certior factus, nouit non omninò indomitum pontum eſſe, iam timorem oblitus fiduciam diſcit, & induit. Hoc loco itaq; verbum dedidicęre pro *depoſuere* aſſumitur per tranſlationem, aſſumptà ſcilicet illà audaciâ, de qua iam fuſiùs ſupra.

LANGVENTEM METVM. Aliquid, has circa particulas, nuper innuimus, iam aliquid enucleatiùs addendum. Metus igitur eſt quædam animi concuſſio in expectatione mali, quæ tantum interdum habet virium, vt exanimatos reddat meticuloſos ſola opinione mali impendentis, ita vt quis, non expectato fulmine, fulgure decidat. Hinc eſt, vt timidus ad omnia iners, ſegnis, & languidus ſit ſemper, vtpotè qui vel vmbram interdum metuat ſuam. Quare in timidi ſymbolum leporem aſſumpſerunt Antiqui. Hac de cauſa *languentem* Claudianus appellauit, quia languentem faciat. Meticuloſi verò vt plurimum ſunt illi, qui parum calidi ſanguinis habent circa cor, quiue ſe atra bili macerant, alacritatemq; ac vigorem animi ſic in dies extinguunt. Quarè prudentiſſime Claudianus ipſe primo in Rufinum mœrorem, timoremque, inter Auerni turmas ſimul coniunxit, ſic heroicè ſuo more canens.

Anxius, & ſciſſa mœrens velamine luctus,
Et timor &c.

Quaſi affectus iſti mœroris, ſcilicet, & pauoris æterno quodam, atq; indiſſolubili fœdere conſocientur; & qui, procul dubio, expelli prius debent, quam animus ad ardua concitetur.

IAM VAGVS &c. Expulſo metu retrahente, & poſita audacia, voluptateq; attrahente, quid ſequatur adiungit. *Iam* hoc loco particula eſt immediationem temporis ſignificans, & idem ac *illicò*, *nulla interpoſita mora*, ſine heſitatione, ac repugnantia &c.

VAGVS. Idem vagus eſt, ac errabundus; qui ſcilicet quoquo ducat fortuna, vllo ſine delectu, ſequatur. Etſi in hoc ſenſu accipiatur, & hic, cum Parrhaſio, non erit à mente Auctoris abſona interpretatio; nautarum enim profectò maximè proprium eſt firmam nunquam habere ſedem; ſed hàc, illacq; diuagari, ac in diuerſa ſemper, prout ferat occaſio, ſe conferre. Verum congruentiùs forſan dixerit, qui nomen *Vagus*, italico-latine loquens pro eodem hic accipiat, ac *Cupidus*, ſeù *id in delicijs habens*, eo, quo Itali cè dicitur, modo apud Bracciolinum de Cruce lib. 7. vbi ſic.

Vago di veder molto, habito, e note
Sonente cangia, a paſſa menti, o piani &c.

Et forſan vtrumq; ſenſum amplexus eſt animo Vates. Sed ad ſecundum moueor ex ipſo Auctoris contextu, qua cum ſupra dixerit, Nautæ corda, expulſo timore, præcipitem audaciam induere; quod eſt oſtendere, huiuſmodi nautas, continuatis nauticæ experientijs, tranſilire ab extremo ad extremum; nempè à nimio metu quo vix ſumma legebant littora, ad nimiam audaciam, qua pericula paruipendant Oceani; ſic eodem modo exprimere voluit hic congruenter huius audaciæ vires, quæ efficit, vt ab extremo horroris, quo priùs perculſi altum refugiebant ad alterum tranſiliant extremum, nempè ad talem animi fiduciam, vt iam in delicijs habeant, quæ priùs horruerunt; ideò inquit: *Iam vagus &c.* roborat autem meam, hoc circium, opinionem verbum quod hic ſubdit Vates.

IRRVPIT. Quod propriè eſt violenter, & cum impetu, ad modum inſoleſcentis victoris, ingredi. Sicuti igitur miles ſecundis rebus elatus, cum in Vrbes cedentis hoſtis irrumpit, hoc ipſum in delicijs habet, victoria lœtus; ſic nauta, quaſi mare ſubegerit, in delicijs habet, ſi in illud, victoris in modum, irrumpat. Adde verbum *irrumpere* ſumi à Lactantio pro eodem, ac *pontem frangere*: quæ verbi acceptio magis expreſſe hoc loco oſtendit, Mare edomitum in delicijs eſſe illi, qui ſic illud ſit frangere aſſuetus; fractio enim Maris certè importat victoriam nauigantis; aſt cum à Ferrarienſi Poeta decantetur apertè.

Il vincer ſempre fù laudabil coſa;
Vincaſi ò per fortuna, ò per ingegno;

ac laus ſemper procul dubio in delicijs, adeò ſit, vt vita dulcior exiſtimetur, iuxta illud Virg. Æn. 5.

Hi proprium decus, & partum indignantur honorem,
Ni teneant; vitamq; volunt pro laude pacisci.

Certum remanet laudem edomiti, fractiq; maris in delicijs eſſe. Hanc autem maris fractionem à Nautis prouenientem exprimit egregiè. Virg. Æn. 5. dum ait:

Infindunt pariter ſulcos, totumq; dehiſcit,
Conuulſum remis, roſtriſq: ſtridentibus æquor.

Ad quod fortaſſis alludens Poeta noſter hic, id, quod Virg. duplici explanat carmine, vnico ipſe verbo complexus eſt, irrupit, inquiens, pelago.

PELAGVS. Græcè *πέλαγος* dicitur, quæ vox *profundum maris propriè ſignificat*: quod autem ablatiuo caſu vtatur Poeta: *Pelago*: vbi verbum videtur accuſandi caſum expoſcere, vt apud Virg. Æn. 11.

Qui curſu portas primi irrumpere patentes &c.

Non eſt hæc noua, nec apud Vates extra vſum tranſmutatio; quandoquidem idem Virg. Æn. 3. dixerit:

Tres adeò incertos cæca caligine ſoles,
Erramus Pelago &c.

Sed

Sed quid ſi dixeris non auferendi, ſed dandi caſum eſſe, damnum videlicet importantem? Certè iniuria, ac damno maris prouehitur, qui illud ſubigat, ac illud frangere in delicijs habeat; vt & ſupra nos dicebamus, & confirmare videtur lectio Heinſiana, quæ pro *erumpet pelago*, reponit, & legit. *Exultat Pelago*: licet alij maluerint. *Inſultat Pelago*, quæ lectio ſatis confirmaret, non auferendi, ſed dandi caſum eſſe, vt ſupra. Sed iam ſatis Grammaticis indulſimus.

COELVMQVE SECVTVS. Notum iam Lippis, & tonſoribus nauigantes, in dirigendis per Oceanum itineribus, ab obſeruatione ſyderum dependere; ideoq; etiam Palinurus apud Virg. Æn. 5. vt oſtenderet, ſe naues dirigere ad ſyderum obſeruatorum normam, etiam ſi nubilo in Cœlo aſtra tunc intueri non poſſet, inquit:

Si modo rite memor ſeruata remetior aſtra.

Cynoſura enim obſeruata, quo vela dirigant, vndè deflectant, quà maria findant, ſatis norunt artis periti. Porrò, Cynoſuram ſydus eſſe ſeptentrionale, ſeptem compoſitam ſtellis, ſatis patet, eamq; duplicem agnoſcunt maritimis exercitationibus aſſueti. Altera eſt vrſa maior, quæ etiam Elice dicitur à Græcis nautis obſeruata: altera eſt vrſa minor, quæ & Phœnice appellatur, eo quod à Phœnicibus obſeruetur. Aſſerit has Hyginus, & teſtatur Ouid. de triſtibus.

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura vocatur,
Sydonius Elicem Graia carina notat.

Et quidem quod etiam Maior Vrſa à nautis obſeruetur, conſtat ex Properno, qui de ea [illegible] ſumpta ſic habet lib. 3.

Caloſte antiquior errauerat Vrſa per agros.
Hæc nocturna ſuo ſydere vela regit.

Fabulantur enim Poetæ Lycaonem Arcadiæ regem filiam genuiſſe, Caliſto dictam; quæ à Ioue compreſſa, dum in ſyluis vagaretur, a cœteris Dianæ Virginibus, in quarum numero adſcripta fuerat, ſegregata, diù celatum crimen contexit: ſed cum Deam ſecuta, adhuc vt Comes Virgo, ſimul quadam die cum ipſa lauaretur, tumore vteri detecta, ac prodita eſt; atque ideò à Dea expulſa, & in Vrſam commutata, indeq; miſeratione Iouis, cui Arcadem peperit in Cœlum vna cum Arcade filio aſſumpta maiorem conficit Vrſam. Alij dicunt verſam fuiſſe in Vrſam ira indignantis Iunonis. Sed quidquid de hoc. Certum eſt quod vrſa græca voce ἄρκτος dicitur. Cum autem Polo innixæ quaſi axe, ſint vrſæ; atq; ita collocatæ vt vtraq; reſupina alterius contegat caput, ad caudam contegentis vertens; hinc eſt vt Polus arcticus dictus ſit, & circulus, quo ipſæ clauduntur, circulus item arcticus ſit appellatus: &, quia nunquam occidunt, ideò nautis maximè deſeruiunt; atque hinc fit, vt nauium vectores, ne Cynoſuræ directionem amittant, etiam ſub nubilo Cœlo, piſcide vtantur magnetica; magnes enim, ſemper ad Cynoſuram ſe ſe conuertens, per ſimpaticam qualitatem, dum, vbi illa ſit, oſtendit, addito beneficio nauticæ Cartæ, indicat, quem locorum teneant, quem ſequi debeant, & quo tramite, nauium Rectores. Quarè Cœlum ipſum ductor naualis itineris meritò compellatur; atq; ideò aptè inquit Vates *Cœlumq; ſecutus*, cum & iuxta eamdem ſententiam dixerit Tibul.

Ducunt inſtabiles ſydera certa rates.

Cecinit etiam apertè hanc nauticam obſeruationem, Cœlumq; nauigantium Ducem Val. Flac. Argonaut. pri.

Peruigil arcadio Typhis pendebat ab aſtro,
Agnoſcens, fœlix ſtellis qui ſegnibus vſum,
Et dedit æquoreos, cœlo duce, tendere curſus.

Vbi etiam vides primam, ab ipſo, nauigationem Argonautis attribui. Pariter Virg., vt conclamatum ferè in re nautica oſtendat tunc, cum Cynoſuræ deficit directio, hæc 3. Æn. cecinit *Ipſe diem, noctemque negat diſcernere Cœlo,*

Ac meminiſſe viæ media Palinurus in vnda.

Verum hæc obuia ſunt in propoſito. Altiùs iam, ſi lubet, ſenſum hic eruditiſſimi Auctoris perſcrutemur, ex hoc ipſo textu reſultantem.

COELVMQVE SECVTVS. Corpora cœleſtia vim, & influxum habere in hæc inferiora, Aſtronomi omnes vno ore profitentur, ita vt, tamquam axioma irrefragabile, circumferatur illud: *Sol, & homo generant hominem.* Imò in tantam aliqui, Aſtrologiæ iudiciariæ addicti, deuenere dementiam, vt ſydereos influxus Fatum inuiolabile hominis dictitauerint, tantumq; illis virium attribuerint, vt dixerint, id, ad quod Planetæ vi ſua vrgeant, neceſſario implendum, nequicquam homine reluctante; ſicque liberum hominis arbitrium nullo negotio ſuſtulerint. Hanc ſtolidam inſanientium hominum fatuitatem latè perſequitur, & eruditè Io: Barclaius in ſua Argenide. Et equidem ſicuti hanc, ſemper impiam, ac Catholicis Inſtitutionibus aduerſantem, ſententiam abominor, ac deteſtor; ſic moderatos illos influxus, quibus Planetæ inclinant quidem, ſed non cogunt, haud quaquam Cœlis negauerim. Arbitror igitur, & in hoc ſenſu locutum Claud., quaſi dixerit, nautas, Cœlo ipſo ad huiuſmodi eos exercitium inclinante, Cœlum eſſe ſecutos ductorem, vt oſtenderet, ne ſe ipſum quidem Aſtrologis iudiciarijs adhæſiſſe: *ſequi* enim quid ſpontaneum, & voluntarium, non verò coactum ſonat; nam qui coactus operatur *trahi violenter* dicitur, non *ſequi*.

DOMAT. Hoc eſt ſubigit, vincit, ſuperat, & quaſi fræno coercet ne ſuperimpoſitam deijciant nauem, & obruant; verbum enim tranſlatum eſt ab arte deductum equeſtri, quæ equorum inſolentiam frænans coercet, ac ſubigit.

ÆGEAS HYEMES. Hyems accipitur ſæpè pro tempeſtate, procella, ac ventorum vi. Pro tempeſtate accipitur à Virg. Æn. 5. vbi ſic:

Olli cæruleus ſupra caput aſtitit imber,
Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Pro Procella accipitur ab eodem Æn. pri. vbi ait:

Vicit hyems; laxis laterum compagibus omnes,
Accipiunt inimicum imbrem, rimiſq; fateſcunt.

Pro ventorum vi accipitur ab eodem Æn. item primo; vbi cauſam aſſignans, cur Neptunus in ventos inſurrexerit illa ſcilicet exprobratione vſus: *Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri? &c.* dixerat priùs: *Emiſſamq; hyemem ſenſit &c.* [illegible] ventos per hyemem intellexiſſe patet apertè, tum quia emiſſi ab Æolo fuerant venti, vt naues Troianorum ſubruerent; tum quia non niſi ventos ad ſe vocat, vt eorum compeſcat audaciam.

Eurum ad ſe, zephyrumque vocat &c.

Ægeas autem hyemes dixit nomine deriuatiuo ab Ægeo Mari, eo quod in eo maximè tempeſtates procellæ, ac ventorum vires deſæuiant. Ægeum enim Mare, vulgo *l'Arcipelago*, à Sunio Adriæ Promontorio vſq; ad Heleſpontum extenditur, vt docet Ptolemeus: hoc autem, Strabo inquit, Ægeum nominatum ab Æga Æolidis Promontorio, quod germana habitantium lingua *Capra*, ideſt lingua noſtrate *Capra* dicitur. Hinc exiſtimo Poetam Ægeas hyemes pro quibuſcumq; atrociſſimis poſuiſſe per ſynecd. nomine a potiori deſumpto, cum nomen ipſum Ægei *Capra* ſonet, quaſi indicans, acerrimas in illo tempeſtates debacchari.

IONIASQVE. Ab Ionio mari deriuatiuè ſic dictas. Ionium autem mare, quod antea Saturnium dicebatur, ſic dictum autumàt, vel ab eius errore vt Æſchylo, ac Lycophroni placet; vel ab Ionio illirici generis homine, vt refert Theopompus; vel quod in eo perierint Iones, vt Archemachus; vel, vt alij apud Euſtathium, Iaon Italus Adriæ pater fuit, à quo Sinus Ionius, qui & mox ab Adria filio Adriaticus eſt dictus. Hoc mare, quod in Creticum, ac Siculum diuiditur, Acroceraunijs præcipuè horrendum eſt, quæ ſæpiſſimè fulminibus tanguntur, & conſequenter mare ipſum non poteſt, quin tempeſtatibus maximè obnoxium ſit, præterquamquod ſcopulis etiam ipſis formidandum profectò eſt. Sed, ne & nauis noſtra oppoſitos impingat in ſcopulos, vela tempore contrahamus.

Quoniam verò, non ſolum ex ſacris litteris, ſed etiam ex probatiſſimi cuiuſque Vatis elucubrationibus quadruplex ſenſus erui poteſt, non abs re erit, & qui nam hi ſint exponere, & quid ſub integumento litteræ ad humani generis inſtitutionem lateat expromere. Primus itaq; ſenſus litteralis dicitur, & ille eſt qui non vlteriùs quam vt verba ſonent extenditur: Alter eſt ſenſus myſticus, qui & tripliciter ſubdiuiditur, nam, quatenus ſpeculationes continet ad Cœlum ſpectantes, Anagogicus appellatur; Quatenus ad Morales inſtitutiones deflectitur, Tropologicus; quatenus verò verba ſimpliciter ad alienam transfert ſignificationem Allegoricus. Senſum itaque litteralem cum fusè iam explicuerimus, Tropologicum obiter enucleabimus; nam & Allegoricum initio operis quantum ſatis eſt attigimus, & paſſim litteralem explicantes edocuimus. Notat itaq; Barthius in hanc Claudiani Præfationem Maximum profectò opus à Vate ſuſceptum; quippè qui totam humanæ vitæ meliorem fortunam, & diſciplinam decantaturum ſe, vt ex propoſitione ipſa deducitur polliceatur. Cum igitur melior, imò optima humanæ vitæ conditio in ipſa optima morum inſtitutione conſiſtat, certum eſt hanc Vati præ ocolis fuiſſe, cum cœperit opus iſtud contexere, eamque per Tropologicum ſenſum exprimendam ſuſcepiſſe. Nec videatur hoc ab eruditiſſimo alienum Vate, quem lumine veræ fidei ca-

tentera

rentem aſſerat Auguſtinus; nam etiam Cicero ex opinione Zenonis, ſtoicorumq; omnium aſſeruit 5. de finibus, & 5. Tuſc. in vna virtute omnia, quæ ad Beatam vitam pertinent contineri. Senſus itaq; huius Præfationis tropologicus illud ipſum aſſtruit præceptum, quod & ab Ouidio traditum fuit cum dixerit: *Principijs obſta. Sero medicina paratur,*

Cum morbi oblonga conualuere mora.

Quod, ſi de corporis languoribus verificatur adamuſſim, multò magis locum habet in infirmitatibus animæ, animam ipſam ad æternum deducentibus interitum. Quare obſtandum principijs, ne ex habituatione, adeò conualeſcant huiuſmodi infirmitates, vt nil iam ſibi non audendum præſumant; nam qui ſpernit modica paulatim decidit; & ideò præceptor ipſe veritatis, dilectam ad ſe ipſum inuitans animam. Cantic. 2. ait: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*: Vulpis enim ſymbolum vitioſi affectus eſt apud Pier. Valer. vineam animæ deuaſtantis: & ſuper hunc ipſum Cantic. locum ſic idem Pier. exponit: *Nouellas vulpes occupari iubet prius, quam & adoleſcant, & altiùs inſideant, fiantq; aduerſus rectam viuendi rationem pugnatiores*; dum enim mala cogitatio in initijs eſt, de corde facilè poteſt exturbari; quæ, ſi frequenter iteretur, diutiuſque permanere aſſueſcat, quodam quaſi vſucapionis iure animam facillimè ad conſenſum adducit, confirmatoq; in corde conſenſu, procliuis indè eſt ad peccandum affectus. Hæc eruditiſſimus Pier. lib. Hierogl. 13. ex quo vides creſcentem vitij gradationem; initio enim à leuibus, & meticuloſe incipit; poſtea paulatim obfirmata voluntas grauiora ruit in ſcelera, donec roborato habitu in præcipitem adeò audaciam excreſcit, vt nefanda quæq; immania, ſacrilega audeat, & in delicijs habeat perpetrare: quæ eſt adamuſſim gradatio Claudiani in re nautica. Principijs igitur obſtandum, ne vitioſus paulatim progreſſus qualitas fiat difficilè mobilis, & in alteram quaſi tranſiens naturam vulgatũ illud ſibi vindicet adagium.

Naturam expellas furca tamen ipſa redibit.

Hinc optimè concinit Regius Vates pſ. 136. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram.* Imò hanc ipſam moralitatem multiplici ſimilitudine inſinuat. Ouid. cit. à Pier. vbi ſupra, quæ, quia congrua admodum rebus noſtris videtur, non piget hic recenſere. Sic enim ipſe.

Opprime dum noua ſunt ſubiti mala ſemina morbi;
Et tuus incipiens ire reſiſtat equus.
Nam mora dat vires; teneras mora percoquit vuas;
Et validas ſegetes quæ fuit herba facit:
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus vmbras,
Quo poſita eſt, primo tempore virga fuit:
Tunc poterat manibus ſumma tellure reuelli,
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Quod verò de progreſſu euitandorum diximus vitiorum, è conuerſo de virtutis progreſſu dicendum eſt. Huius enim principijs ſeria danda eſt opera, vt paulatim virtute procedente perueniamus ad montem; illum ſcilicet de quo regius Pſaltes Mons, in quo beneplacitum eſt Deo; nam & in hac nemo repente fit ſummus, ſed iteratis irrigatæ ſudoribus palmæ dactulos proferunt Coronas lauri.

Quod ſi iam cupias hanc inſignis Poetæ Præfationem Italicis demandatam muſis conſpicere; noſtro illam tenui quamuis exaratam ſtilo ſic habeas.

Chi dal monte primier traſſe gl' Abeti,
Scauati ordigni al valicar dell'onde;
E, con ruſtici remi, intatto altronde
Di profanar preſunſe il ſen di Theti.
Quel, che d'aura incoſtante al ſoffio incerto
Osò de curui legni eſpor la ſalma,
Per far, con l'arte, in non ſicura calma,
Ad onta di natura, il viaggio aperto;
Pria, co'l cuor palpitante, all'hor ch'in pace
Frena lieto il Triton tranquilli i mari,
Coſteggiò i lidi; e paruer quegli auari
Tal'hor di ſponda al rampicon tenace.
Quindi crebbe l'ardire; e, ſenza morſo,
Varcò, lungi dal ſuolo, i Golfi, e ſteſe
I lini ſparſi ad inuitar corteſe
In poppa il vento, ond' hebbe alato il corſo.
Ma poi ch'entrò, con inſenſibil paſſo
(Diſcacciato il timor, che pria l'offeſe)
Temeraria arroganza, e'l cuor ſorpreſe,
Non può renderlo il Borea afflitto, e laſſo.
Già d'immenſo Ocean traſcorre i lembi:
Reſtan mete neglette Auila, e Calpe:
E'l diletto di quello, all'hor, ch'ei ſalpe,
E'l domar l'onde, il contraſtare à i nembi.

IN PRIMVM CLAVDII CLAVDIANI
DE RAPTV PROSERPINÆ LIBRVM
COMMENTARIA.

Argumentum huius libri primi.

PLVTO ſolitudinis, ac ſterilitatis impatiens ſuæ in iram concitatur; aduocatoque totius Erebi conſilio, bellum Ioui fratri, quaſi ab ipſo, ne nuberet, prohiberetur indicturus exardeſcit; eiuſdemque horrenda in vota toto iam eunte Senatu, bellum paratur, in Cœlum illicò erupturum: obſtat tamen eruditâ apud ipſum Lacheſis peroratione, monetq; tentandam priùs Iouis voluntatem, quam non dubitat adfuturam, ne iuſto ſine titulo bellum admoueatur. Igitur Internuncius Deorum Mercurius mittitur ad Iouem imperantis potiùs, quam ſimpliciter petentis mandata relaturus; nam his exprobrat Ioui Pluto conſanguineos toros, ſtupra, adulteria, quibus videlicet innumerabili fere natorum ſerie ſupetur, Plutone ad Cœlibatum damnato; ac ſubinde minas ſubdit, ni votis perorantis indulgeat, coniugem ſcilicet tribuendo. His Iupiter auditis, & ſententiæ aliquandiù incertus, tandem Proſerpinam Plutoni deſtinat. Hic data occaſione deſcribit Vates Virginis Indolem præclariſſimam, a pluribus adamatam Dijs, quorum contentiones in cauſa fuerint, vt Mater, relicto Cœlo, munitiſſimis filiam ædibus celauerit, in Trinacria tellure fabrefactis; ſicque, incidenter quaſi, Trinacriam ipſam, Ætnæ qualitates, ac portenta flammarum deſcribit. Hinc Cererem inducit, poſita, vt arbitrabatur, in tuto filia, e domicilio diſcedentem, vt Cybelem inuiſat, in Phrygia commorantem; & eiuſdem iter graphice delineat. Interim negotium Veneri datur, vt Proſerpinam raptui exponat. Illa, Pallade, ac Cynthia, ignaris vtiq; doli, comitantibus, Proſerpinam adit, phrygioq; acu telas pingentem inuenit. Hic anſa arrepta, & Domum Cereris, & telas ipſas deſcribit Vates; atq; interim monitus à Ioue Pluto, iunctis ad curſum equis, raptum adornat, & rapiendi tempus expectat.

Hoc ipſum Argumentum, quod ſoluta ego Oratione propoſui, Carminibus cecinit Pierius Hypſila Æginenſis, relatus à Parrhaſio hic, cuius metrum, ſi cupias, iam accipe.

Dux Erebi Pluto molitur bella Tonanti;
Quod dulces natos, exoptatoſq; Hymenæos
Neſciat. Exorant Parcæ, ne Claſſica pulſent.
Rauca priùs, quam grata Iouem connubia poſcat.
Ditis Atlantiades celeres fert iuſſa per auras.
Audierat mandata Pater, ſecumq; volutat,
Diuerſos ducens animos, quæ tale ſequatur
Coniugium: Patrui tandem Proſerpina lecto
Damnatur, quam flaua Ceres (heu cœca futuri)
Æthere deſerto, ſiculis commiſerat oris;
Turrigeræq; petit Cybeles ſecura Penates,
Accelerat præcepta Venus, iuſſuq; Parentis,
Pallas & ipſa Comes Veneri ſoror addita Phœbi,
Vt ventum ad ſedes, plaudentem pectine telas,
Germanam offendunt, redituræ munera matri.

CLAVDII CLAVDIANI
De Raptu Proſerpinæ.
LIBER PRIMVS.

INferni raptoris equos, afflataque curru,
Sydera tænario, caliganteſque profundæ,
Iunonis thalamos audaci promere cantu,
4 Mens congeſta iubet, Greſſus remouete profani.

INFERNI RAPTORIS EQVOS &c.

Solemne ſemper melioris notæ vatibus fuit, vt, ipſo carminum initio, ſtricta ſub oculis periodo exponerent omnia, de quibus in progreſſu Poematis eſſent dicturi; quod eſt quaſi argumentum totius Poeſis breuiter expromere. Sic Virg. initio Æneidum totius operis argumentum in hæc verba erumpens expreſſit.

Arma, virumque cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit
Littora. Multum ille, & terris iactatus, & alto,
Vi ſuperum, ſæuæ memorem Iunonis ob iram.
Multa quoq; & bello paſſus dum conderet vrbem,
Inferretq; Deos Latio, genus vnde Latinum,
Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Romæ.

Virgilium autem, Poetarum vtiq; Principem latinorum imitatus Italicæ Princeps Poeſis Torquatus Taſſus ſic Liberatæ ſuæ Hieroſolimæ initium tribuens concinit.

Canto l'armi pietoſe, e'l Capitano,
Che'l gran ſepolcro liberò di Chriſto.
Molt'egli oprò, co'l ſenno, e con la mano;
Molt' ei ſoffrì nel glorioſo acquiſto
In van l'inferno vi s'oppoſe, e'n vano
S'armò d'Aſia, e di Libia il popol miſto,
Che'l Ciel gli diè fauore, e ſotto à ſanti
Segni ridusse i ſuoi compagni erranti.

Valerius item Flaccus modo non diſſimili ſuos Argonaut. lib. exorditur, initio promens.

Prima Deum magnis canimus freta peruia Natis,
Fatidicamq; ratem, ſcythici quæ Phaſidos oras,
Auſa ſequi, mediumq; inter iuga concita curſus,
Rumpere, flammifero tandem conſedit Olympo.

Pari paſſu Italicis fretus muſis Franciſcus Braccyolinus de recuperata Cruce Poeſim contexens heroicam exorditur.

Sento

Sento trarmi à cantar del ferro legno,
Dou'l Figlio di Dio morte ſofferſe,
Da pio rialto, e generoſo ſdegno
Del magnanimo Heraclio all'armi Perſe.
Far queſte, ad onta del Tartareo regno,
Con celeſte fauor votte, e diſperſe:
Corſe ſangue l'Eufrate, e cadde vinto
Il Popol d'Aſia, e'l fier tiranno eſtinto.

Sed quid plura hic congeram, vt, quod luce clarius emicat meridiana, dilucidem? Poetis omnibus inſignis nominis hoc ipſum in more poſitum reperies; atq; adeò & Claud. noſter, initio ſuæ poeſis, argumentum totius operis exponens, congruenti propoſitione hic inſonat. INFERNI RAPTORIS EQVOS &c. quarè plura illa, quæ aceruari hic poſſent lubentius ommittens, ad expectatam textus explicationem iam prouehor.

MENS CONGESTA IVBET &c. Mens eſt princeps animæ facultas, qua ſolus homo præditus cœteris antecellit animantibus; Quarè res incorporeas, & ab omni abſtractas materia contemplatur. Cum igitur acturus ſit Vates de rebus, per ipſum, ac per Gentilium fidem, diuinis; per nos verò, & verè, fabuloſis, conſequenter ab omni materia abſtractis, eruditè mentis facultatem rebus huiuſmodi addictam, & applicatam oſtendit. Adde, quod iure inſinuat, eruditionis fons ille Pier. Valer. lib. Hierogl. 5.; os ſcilicet interpretem eorum eſſe, quæ mens in ſuis penetralibus meditatur; Mens etenim verborum fons, & mentis os frater dicitur ab eodem ibi. Quarè cum Poeta exponat, ſe locuturum de ijs, quæ iam innuimus, aptè eorum originem mentem exprimit, fontem ſcilicet, & motricem ſermonis, cum nihil in ore ſit quod prius non fuerit in mente: ideò nec myſterio caret, quod additur, dum dicit.

MENS CONGESTA. Nam meditantis hoc eſt, vt notat Parrhaſius, vt animo plura congerat, & complectatur, ac indè poſt eligat quæ dicenda ſunt in ordinem digerens. Seù, vt Barthius interpretatur *congeſta*, hoc eſt in ſe ipſam collecta, nullis adſcititijs, aut aliundè accerſitis viribus; neque inſolens dictu eſt, animam ita in ſe ipſam adigi, vt, omnium externorum oblita, ſibi tantum, ac cogitationibus vacet ſuis; atq; ita collecta, & diuino afflata ſpiritu ea efferat in vulgus, quæ concepit illa ſui diuina congeſtione. Idem itaque eſt *mens congeſta*, vt aduertit Dempſt., ac mens congerie rerum referta, ideòq; confuſa, & implicita adeò, vt non facilè poſſit exordiri, quia tamen hæc congeries rerum non innata, ſed immiſſa à Deo Poetarum Præſide, vt innuimus; alij legunt: *Mens commota iubet*, & videtur hæc lectio, non ſolum ex facto vim deſumere, ſed etiam ex auctoritate Senecæ lib. de Tranq. animi ad finem, vbi ait: *non poteſt grande aliquid, & ſupra cæteros loqui, niſi mota mens*. Quarè alij fortaſſis aptiùs vertentes legunt *Mens concuſſa iubet*; aptiùs inquam quo ad expreſſionem, non quo ad ſignificationem vocis; nam ſenſus tandem vtriuſq; vocis idem eſt, vt illicò patebit ex dicendis. Notum itaq; eſt Poetas omnes, adeò Apollinis, Numinis vtiq; ſui, iactare potentiam, vt, quidquid efferre ſtuduerint, ex eiuſdem impulſu prouenire profiteantur; ac ſi nihil ſine auſpice tanto liceat exordiri; nil auſpice tanto remaneat intentatum. Hoc enim expreſsè innuit Virg. initio lib. Georg. 4. vbi cum in propoſitione dixerit:

Protinus aerij mellis cœleſtia dona
Exequar &c. Subdit. *Si quem*
Numina læua ſinunt, auditq; vocatus Apollo.

Adeò certum apud ipſos eſt, nullum à Poetis laborem ſuſcipi, quin apollineo furore intrinſecus impellantur. Hac ipſa de cauſa Cic. de Oratore ait: *Bonus Poeta nemo eſſe poteſt, ſine inflammatione animi, & ſine quodam afflatu quaſi furoris*; atq; furorem huiuſmodi *œſtrum* græco vocant vocabulo, eo quod, ſicuti æſtrum animal apibus infeſtum, vulgo Taſſano, apes exagitat, nec ſinit examina conquieſcere, ſicut æſtro acta in furorem dicitur Io, Iunonis hoc indignatione iubente; ſic Poetæ diuino quodam afflati furore *œſtro perciti* dicuntur; quia, niſi peracto, quod furor ſuggerit, ac præcipit, quieſcere nequaquam poſſint. Fauet Ciceronis ſententiæ nomen, quod poetico, furentiq; ſpiritui ex græca lingua mirificè apponitur, nempè ἐνθουσιασμός, quod propriè interpretatur *afflatio Numinis*; cum verò omnibus poetis illiuſmodi competat furor, tum maximè ijs, qui de rebus ſacris dicere aggrediuntur, & ad diuinitatem ſpectantibus; nam hi præcipuè *Vates* à vaticinando dicuntur; diuino enim ſpiritu afflati, quæ ex ſe ipſis neſcirent, diuino vaticinantur impulſu. Quemadmodum igitur Corybantes in Berecynthiæ ſacris; Bacchantes in ſacris Lyæi; Salij in Martis honoribus &c. nutantes ſaltitant; furibundis ſimiles agitantur; choreis, canticiſq; indulgent, quaſi diuino afflati furore conſiſtere nequeant; ſic Poetæ mens Entheaſmate affecta, *congeſta* ritè dicitur, hoc eſt dicendarum congerie referta, ac concuſſa, ideſt exagitata, furoriſque impatiens, donec ea, quæ congeſſerit, euoluat tandem. Hanc poeticæ mentis vehementiſſimam agitationem ludicro puerilis turbinis Hierogl. exprimi poſſe: indicat Pier. Valer. lib. 48. dum amatoriam agitationem ex eodem explicari contendit. Eſt autem puerilis turbo, qui communiori vocabulo Rhombus, ſeù Palæon nominatur, lignum videlicet buxeum, vel ex ſolidiore aliqua arbore efformatum, ac tornatum, plana, lataq; primum baſi, cono ſenſim in anguſtum abeunte, cuius apex clauo armatur ferreo, ac loris implicatus oblongis excutitur, ſoloque adhærens, aſſidua ex lorum explicatione, atq; impreſſa agitatione, circumuoluitur, eidemq; flagello, incumbentes Pueri efficiunt, vt validiùs rotetur, nec deſiſtat, donec impulſus ipſe impreſſus vires tandem amittat, pulcherrimum vtique poetici furoris ſymbolum, & quod ad amuſſim videtur expreſſiſſe Poeta noſter, dum mens, inquit, concuſſa, ſeù congeſta iubet. Concuſſa enim à verbo concutio deriuatur, quod propriè eſt vulgò *ſcuotere*, agitare apud latinos, & non quietem relinquere, quod idem dicit in cauſa *Mens congeſta*, hoc eſt furore in ſe ipſam adacta, ac conſequenter commota agitata, ac furoris impatiens, donec quæ furor iuſſerit, expleat. Ideò

IVBET. Nam afflata eo furore, ac Numine mens ipſa non poteſt imperium detrectare, atq; adeò ori imperat efficaciter, vt & ſine detrectatione Numini pareat, & ſe ipſam ſubditis à Numine ſtimulis exſoluat; cum & eodem ipſa ſe habeat modo quo Cumæa Sybilla apud Virg. deſcribitur Æn. 6. plena Numine, ac Numinis impatiens.

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro,
Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſſit,
Excuſſiſſe Deum: tanto magis ille fatigat,
Os Rabidum, fera corda, domans, fingitq. premendo.

PROMERE. Promere propriè eſt *in medium afferre*; translatè autem dictioni, ſeù cantui poetico aptatur, qui, per diſcurſum, ea profert in medium, quæ antea occultis erant in mentis penetralibus obuoluta, & quaſi inuolucris cæcis detenta. Hoc autem maximè competit illi, qui res infernas, hoc eſt maxime occultas velit in lucem reuocare. Heinſius mordicus defendit, ac probare enixè nititur hic non *Promere*, ſed *prodere* legendum eſſe, ac pro ſe citat Iſingrinium, Clauerium, ac Barthium fuſè hoc ipſum probantem; nam Prodere, inquit ipſe Vates, dicebantur Deos, quorum mentes, aut arcana reuelabant, vt patet ex Lucano pluribus in locis, & primo quidem Aruns apud ipſum lib. pri.

Exclamat: vix fas ſuperi quæcumq; monetis,
Prodere me populis &c.

Et mox inferius in eodem ſenſu habetur.

. . . . Rapitur Matrona per vrbem.
Vocibus his prodens vrgentem pectore Phœbum &c.

Plura vide loca ex eodem Lucano collecta apud ipſum hic, aliaq; pariter ex Ouid. Valer. Flac. & alijs, quæ nimis longum eſſet recenſere; mihi certè nullam vim faciunt, vt à vulgata recedam; nam & in eodem ſenſu Lucanum ipſum lib. pri. Video verbum Promere vſurpantem, cum ait.

Fert animus cauſas tantarum expromere rerum &c.

Et tamen de rebus à Cæſare geſtis loquitur quem inter Deos locauerat cum dixit:

. . . . Tibi numine ab omni
Cedetur: iuriſq; tuæ Natura relinquet,
Quis Deus eſſe velis, vbi regnum ponere mundi.

Quid igitur vim faciam in verbo, vbi nullus inuertitur ſenſus, nulla minuitur eruditio? Vulgatam itaq; proſequor, & prouehor.

AVDACI CANTV. Nulli iam imperuium eſt, Poetas per Cycnum ſignificari canentem; Apollinem Poetarum principem plectro vtiq; inſigniri, & Muſas artis poeticæ præſides muſicas ab omnibus recenſeri; atq; hinc fieri, vt poeticæ lucubrationes cantus nomine deſignentur. Sic muſicalis concentus per Hieroglyphicum Cycnorum exprimitur apud Pier. Valer. lib. 23., ſicq; ibidem Poetæ, qui ab eodem lib. 47. per lyræ ſymbolum denotantur, ſicuti & Muſæ, & muſica, per eamdem lyram, exprimuntur. Hoc autem prouenire ex eo, quod, cum poeticæ compoſitiones, quippe quæ ad delectationem compoſitæ, armonico quodam numero decurrant, verè videantur propiùs ad muſicam accedere, ſatis in comperto eſt: & ex hoc ipſo iam liquet,

car, libros ſuos cantus inſcriptione condecoret Claudianus, vt ſcilicet ſupradicta omnia vno innuat verbo. Audaci autem dixit primo vt reſponderet Poematis proſcenium audaciæ illi, quam in præfatione prætulerat; ſecundo quia, vt notat Barthius, verè de rebus diuinis non citra temeritatem loqui humanum os cenſetur, aut eas omninò homo contingere. Porrò nomen *Audax*, triplicem habet ſignificationem; modò enim ſignificat *fidentem nimis*, modò *inſolita, & ardua inæquali uſu attentantem*: modò *temerarium*. Vtcumque autem ſumatur bellè hic infertur; fiducia enim certè deeſſe non poteſt illi, qui ex impulſu diuino aliquid aggreditur, vt ſe libros huiuſmodi aggreſſum profitetur inferiùs Poeta.

Et totum ſpirans præcordia Phœbum.

Audacia autem neceſſaria eſt quoties aliquid ſupra vires aggredimur; & temerarium ferè videtur, quæ oculus non vidit, oculis ſubijcere velle. Quarè & Virg. Æn. 6. de rebus in inferno deliteſcentibus locuturus, non ſine Numine audaciam inſpirante hoc poſſe fieri innuit inquiens.

Si mihi fas audita loqui, ſi Numine veſtro,
Pandere res altâ terrâ, & caligine merſas.

EQVOS RAPTORIS INFERNI. Inferni nomen apud latinos adiectiuè conſtruitur Infernus, a, um, apud Græcos verò ſubſtantiuè vſurpatur in voce *ᾅδης*, & vtroq; modo aptè conſonat in præſenti. Si latino more accipiatur, Epitetum vtiq; proprium erit Raptoris de quo hic, nam cum Raptor ſit Pluto Inferorum Numen, nullo magis propriè deſignari poterat epiteto, quam *Inferni*; infernus enim eſt quicumq; locus, vel quidquid aliud infra nos eſt, ſicuti quod ſupra nos eſt ſupernum dicitur; ſic Virg. Æn. 7. de vmbris auernalibus, quæ certe infra nos ſunt loquens, ait.

Tu pater omnipotens aliquem indignatus ab vmbris,
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vita &c.

Et vice verſa, de campis loquens Eliſijs, vt illorum fœlicitatem è Cœlo propagatam, indicet, Eridanum, fluuium vtique cœleſtem, propè Arietem ſtellis compactum, inducit in Eliſios è Cœlo deſcendentem, voce vſus *supernè* a nomine *supernus* deriuata. Æn. 6.

Inter odoratum Lauri nemus: vndè ſupernè,
Plurimus Eridani per ſyluam voluitur amnis.

Antonomaſticè autem ſe ſe illud habebit, ſi ſic ſumatur, *Inferni raptoris*: nam pro Plutonis nomine ponitur. Verum mihi magis arridet ſenſus ex Græca eruditione decerptus, quo ſcilicet vocabulum illud *ᾅδης*, idem eſt quidem, ac latinè *Orcus* ſignificans, ſcilicet loca ſpeciatim illa pœnis damnatorum deſtinata, ſeù, vt alij, pœnas ipſas; ſed idem eſt etiam, ac *Pluto*, ſi ſubſtantiuè Græcorum more ſumatur. Quo poſito, duo erunt ſubſtantiua ſimul per appoſitionem iuncta, & idem erit dicere *Inferni raptoris*, ac dicere *Plutonis raptoris equos*. Arridet inquam magis ſenſus iſte, quia ſic apertiùs, ac clariùs procedit Poetæ propoſitio, hoc eſt initæ Poeſis argumentum, & inſuper græcam continet eruditionem, cui certè Claud. in pluribus adhæſiſſe ex explicandis patebit.

RAPTORIS. Nomen hoc eſt à verbo rapio deriuatum, & quod ex vi ſui primitiui violentiam importat, nam *rapio*, idem eſt, ac violenter, & inuitis dominis aliquid arripio, & aufero. Quarè cum Pluto deportaturus ſit, inuitis Pallade, & Cynthia, vt ſuo loco videbimus, inuitam Proſerpinam iure illi inuritur raptoris nota. Et ſi nomen *Infernus* ſubſtantiuè ſumatur pro Plutone modo dicto nomen ſubindè *raptoris*, non erit antonomaſticum, ſed adiunctum ex facto appoſitum, nam raptores propriè dicuntur in libris Iuris Romani, qui Virgines reſiſtere non valentes abripiunt, vt docet eruditè Barth.

EQVOS. Optimè *Raptori* tribuuntur *equi*, & *currus*, quia currum pro Imperij ſymbolo accipi ſolitum, docet Pier. Valer. lib. 43. Quarè, cum hic ſermo ſit de Plutone inferorum Rege, meritò, in ſignum imperij, equi adſunt, & currus. Adde, equos, & currus celeritatem importare, & conatum. Conatus quidem habetur importatus apud Tullium ad Quintum fratrem: *curſu corrigam*, (vbi inquit) *tarditatem, cum equis, tum verò quadrigis*; ideſt omni conatu; nam, ex communi adagio, *equis, quadrigiſque agere*, eſt omni conatu rem aliquam intentare. Celeritas verò habetur ex Virg. Æn. pri. vbi celeritatem equorum Neptuni rotas vehentium, cum auium volatu comparat inquiens.

Flectit equos, curruq; volans dat lora ſecundo.

Vtrumque autem ex Hierogl. Ægyptijs habetur, teſte Pier. cit., quorum procul dubio Claudianus peritiſſimus fuit, quippe natione Ægyptius, quamuis Florentia oriundus, vt iam in eius vita latè diſſeruimus. Quia autem, & celeritas, & conatus maximè conueniunt raptoribus; hinc eſt, vt Raptori, hic, equi, curruſq; aptentur. Inſuper in equo vitia quatuor deprehendit Philo relatus à Pier. cit. lib. 4. qui ſunt Superbia, Pertinacia, Inſolentia, Ceſpitatio. Cum itaq; agatur hic de Plutone inferorum principe, nulli meliùs competunt profectò equi, currum trahentes, nam certè Inferorum Princeps ſuperbiſſimus eſt: *Ponam ſedem meam in Aquilone ſimilis ero Altiſſimo*, de ſe ipſo loquitur Lucifer perditorum Anteſignanus Iſai. 14. Pertinacia propriiſſima illius eſt, iuxta commune iam effatum: *Humanum eſt peccare, Angelicum emendare, Diabolicum perſeuerare*. Inſolentia ex duabus præmiſſis neceſſario ſequitur; ac ſubindè Ceſpitatio: *Vidi Satanam, ſicut fulgur de Cœlo cadentem*. Lucæ 10. Quarè ſi quod animal Plutonis currui fuerit adiungendum, maximè equus fuerat, quippè Domini ipſius ad viuum exprimens naturam. Sed ne quis dicat hæc vera quidem eſſe iuxta Catholicum ſenſum, & veritatem fidei noſtræ, non verò eſſe ad mentem Vatis, qui & hæc ignorauerit, vtpotè a Chriſti fide alienus, vt teſtatur Auguſtinus, & de Plutone tamquam de Deo aliquo, non tamquam de Angelorum corruptore, damnato; noſq; iam à Poeticis Poeſim explanantes diſcedere; Memineris, Plutonem Deum quidem à Poetis confictum; ſed Deum eiuſdem cum Satana naturæ ſemper Cœlo, hoc eſt Ioui infenſum, Tartaris addictum, tortorem damnatorum &c. atq; ideo nil mirum, ſi hæc omnia Plutoni adaptentur, & præcipue a Claudiano, qui non adeò alienus fuerit à noſtris, vt plura fidei noſtræ dogmata non agnouerit, vt ex eiuſdem piiſſimè ſcriptis colligitur. Quod ſi Poeticis auctoritatibus, hæc Duci inferorum conuenire confirmatum exoptes. Plutonis ſuperbiam optimè attingit Braccyolinus cit. lib. 12. vbi de tenebrarum Principe ſic habet.

Si rinnuoua l'empio, e'l Ciel minaccia.

In cœlum enim minas iactare ſuperbiſſimi animi argumentum eſt. Pertinaciam pariter idem cit. exprimit ibi, dum ſubdit;

E grida: anche non ſon mie forze ſtanche,
Ne mai ſaranno, e ſaran ſempre eterne
Oppugnatrici alle virtù ſuperne.

Hanc eamdem innuit Virg. Æn. 12. vbi ſic.

Vtinq; Domus infernam, & duri ſacraria Ditis.

Ex iiſdem autem patet inſolentia; quid enim inſolentiùs excogitari poteſt, quam bella adhùc in ſuperos meditari? Patet & Ceſpitatio, ſeù, quod idem eſt, Præcipitatio in deſperatione Conſilij, quam profectò clariùs attigit Braccyol. lib. pri. ſic ore Dæmonis loquens.

Ch'à non debb'io
Parer mai lento in contrapormi à Dio.

Quod ſi ceſpitationem ad actuale Dæmonis præcipitium referas, audi ex eodem Braccyol. expreſſum lib. pri. de Cruce, vbi ait.

Ei de gl' Angeli erranti al gran conſiſtoro
Fulminato dal Ciel cadde nell'onde.

Sed, vt morem geramus cupientibus, vt, in via etiam Ethnicorum, cur Plutoni dentur equi, & currus, explicemus, à ſacris, ac veriſſimis fidei noſtræ aſſertis præſcindentes; aptam iam ex profanis ipſis ad rem, quam præ manibus habemus, cauſam repetamus. Scio equidem currui Cybeles addictos Leones; Dracones Cereri; Columbas Veneri; Pauones Iunoni; equos Marti; equoſque ipſi Planetarum Principi, qui adeò ceſpitationem importarunt, vt præcipitem egerint Phaetontem; ex quo factum, vt caneret Ouid.

Vitaret Cœlum Phaeton ſi viueret, & quos
Optarat ſtultè, tangere nollet equos.

Aſt cur Plutoni, in hoc caſu, currus adſcribuntur, & equi? Difficultatem enodabit eruditiſſimus Pier. Hierogl. lib. 43. vbi exponit antiquorum inſtitutum nouas curru nuptas adducendi, citans Heſiodum, ſeù Ariſtophanem, ſic in caſu dicentem:

Hi curru inuectam geniali Virginem amanti,
Traduxêre viro, paſſimq; Hymen Hymenæus
Excipit cantu &c.

Cum itaq; agatur hic de Plutone ad nuptias properante, nil mirum, ſi, eruditiſſima concinnitate, currus, equiue addantur aptiſſimum nouis nuptijs apparatum.

AFFLATAQVE CVRRV SYDERA TÆNARIO. Afflo Græcè *ἀποπνέω*, ideſt *exhalo* dicitur; & ex hoc verbo, iuxta græcam ſignificationem vſurpato, deducit Claud. *afflata*, hoc eſt exhalationibus infeſtata. Quo poſito.

Notum eſt, terreas exhalationes, ſeù, quod idem eſt, ter-

reos

reos vapores in altum attractos ſæpè ſæpiùs ſyderibus velum obducere, ita, vt interdum langueſcere non ſolum ſydera, ſed etiam è Cœlo eripi videantur. Notum inſuper eſt, Amſanctum lacum, ſeù paludem mauis, aut ſtagnum, in medio Italiæ apud Hirpinos ſitum, peſtilentem adeò emittere odorem, vt propiùs accedentes enecentur; hincq; datum fabulæ locum, nempe in Amſancti Vallibus ſpiraculum inferorum adeſſe, de quo Virg. Æn. 7. ſic

Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amſancti Valles &c. . . . . quibus ſubdit.
Hic ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula Ditis.

Notum denique Auernum Campaniæ lacum eadem notæ memorandum, nempè vt ſit Ditis ſpiraculum, & ad Inferos via, eo quod & ipſe graueolentes adeò exhalationes emittat, vt aues prætervolantes decidant enecatæ; Quarè dictus fuit ἄορνος, ideſt ſine auibus. Locú autem ſic deſcribit Virg. Æn. 6.

Spelunca alta fuit, vaſtoq; immanis hiatu,
Scrupea, tuta Lacu nigro, nemorumq; tenebris,
Quam ſuper haud vllæ poterant impunè volantes,
Tendere iter pennis; talis ſe ſe halitus atris,
Faucibus effundens ſupera ad conuexa ferebat,
Vndè locum Graij dixerunt nomine Ἄορνον

Et hoc ipſum fabulantur Poetæ de ceteris in ſummo graueolentibus locis, nempè in illis aditum ad Inferos inueniri. Ex quo ſatis patet, quam graues, quam noxiæ, quam peſtilentes exhalationes ipſi Baratro tribuantur ex communi opinione, cum ex ſpiraculis tantùm tales, ac tantæ erumpant. Hinc, vt ad propoſitum regrediamur, collige quam aptè dixerit Claud. *Afflataq; curru ſydera*; nam ſi hæc ex gregarijs exhalationibus terræ deliquium patiuntur, quanto magis, dum Plutonis currus ipſe è terra educitur, ſecum ferens quidquid peſtilentiſſimis terræ voraginibus teterrimum continetur? Emphaticè igitur apponitur dictio *afflata ſydera*, vt peſtem indicet inferorum, quæ ipſa incorruptibilia corpora cœleſtia turpiter adeò afficiat. Et forſans indirectè alluſit Vates ad ipſius Plutonis, ſeù Luciferi caſum, qui è Cœlo decidens maximam ſecum ſtellarum partem dicitur traxiſſe. Afflata inſuper ſydera optimè notat; nam cum indicat iratum Plutonem, Iouique bella indicturum, nil mirum, ſi, licet ſubindè deſierit iracundiæ cauſa, permiſſis, quas exoptabat nuptijs, adhuc tamen concepti iampridem incendij exhalationes turgido è pectore euaporantes ſyderibus afflent, ac mirum perturbent in modum, ideò canenda Vati ſunt ſydera afflata.

CVRRV TÆNARIO. Curru vid. illo, de quo lib. 2. dicitur *rapitur Proſerpina curru*; & qui cur competat Plutoni iam vidimus. Tænarius deriuatiuum nomen eſt à Tænaro deductum. Tænarus verò Promontorium Laconiæ eſt, &, circa ipſum antrum quoddam cernebatur, per quod Herculem ab inferis rediiſſe, ac cerberum catenis reuinctum eduxiſſe, fabulantur. Vulgò eſſe ibi credebantur Inferorum fauces. Quarè Virg. Georg 4. ait.

Tænarias etiam fauces alta Oſtia Ditis &c.

Poeta autem noſter Tænarium Plutonis currum nominauit, hoc eſt *ab inferis*, quo Tænarus viam præbeat, eductum.

CALIGANTESQVE THALAMOS &c. Indicatis apparatibus, quibus Raptorem Plutonem ſit educturus in ſcenam, ad conſequentia procedit; nempè ad Nuptias, raptu mediante, cum rapta Proſerpina celebratas: Thalamus enim propriè vtriuſque coniugis commune cubiculum eſt, vulgò *Camera nuziale*; ex quo fit vt tranſlatè pro ipſis nuptijs ſumatur, vt plane hoc loco. Non dixerim tamen abs re eſſe ſi quis dicat thalamum hic etiam ſumi pro ipſo coniugali cubiculo, in quo vir, & mulier prolem ſuſcipiunt, & geminant, cum de facto Claud. in progreſſu ipſum Nuptæ cubiculum, & cubile profectò memoret; ſed & hoc ipſum eſſet ſignum ponere pro re ſignata; ſeù pro antecedenti conſequens. Noui tamen in latiori ſignificatione non ſemel thalamum, aſſumi etiam pro cubiculo Virginali, nam Ouid. Metam. 2. de Herſe, Aglauro, ac Pandroſe Virginibus Athenienſibus loquens, eis thalamos aſſignat ſic.

Pars ſecreta domus, ebore, & teſtudine cultos,
Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandroſe, dextrum,
Aglauros læuum, medium poſſederat Herſe,

& in eodem ſenſu acceptus videtur a Virg. Æn. 6.

Hic thalamum inuaſit natæ, vetitoſq; Hymenæos.

Vbi dum thalamum ab Hymenæis, hoc eſt à Nuptijs diſtinguit certè thalamum pro Virginali Cubiculo poſuit, ab inuaſore turpiter violato. Imò, & pro quocumque loco ſimplicis habitationis thalamum vſurpatum inuenio apud eundem Virg. cit. dum ait: *Ferreiq; Eumenidum thalami &c.* Sed huiuſmodi acceptiones textui noſtro non congruunt. Caligantes autem thalamos huiuſmodi appellauit Vates, attenta natura loci, in quo Nuptiæ peragerentur; cum enim in Regno Plutonis factæ dicantur, de quo Virg. Æneid. 6. dixerit:

Vmbrarum hic locus eſt, ſomni, noctiſq; ſoporæ,

ac res infernas alta caligine merſas appellauerit, vt ex præcitatis vidimus; eruditiſſimè Claud. *Caligantes*, hoc eſt alta caligine merſos thalamos appellauit.

PROFVNDÆ IVNONIS. Indubitatum eſt, per profundam Iunonem, Proſerpinam hic intelligi, ac dici profundam à loco Inferorum, qui cum in maxima deorſum profunditate lateat, altâ terrâ, & caligine merſus, vt ex Virg. cit. verè dici poteſt antonomaſticè *Profundum*; atque ab eo nomen patrium efformari Profundæ Iunonis; & in ſententia Pythagoræ, aſſerentis duo eſſe emiſphæria, quorum ſupernum Ioui, ac Iunoni tribuatur; Infernum vero Diti, ac Proſerpinæ, locutum hic eſſe Claudianum, notat Parrhaſius. Sed cur Proſerpina Iuno dicatur, non adeo facilis eſt ſolutionis, & à nullo hucuſque redditam de hoc rationem inuenio; & tamen certe dicendum, eruditiſſimè locutum ſibi ſemper ſimilem Claudianum, cum hoc ipſum Iunonis nomen videamus Proſerpinæ attributum, ab omnibus ferè magni nominis Vatibus. Sic Statius Theb. 4. Stygiam Iunonem eam appellat . . . . *Stygiaque ſuberet,*

Iunonis thalamos.

Idem lib. 5. Sylu. 3. . . . *Vmbrarum reger Ætnæaq; Iuno.*
Silius lib. 13. . . . . . *Coniux Iunonis Auernæ,*
ac tandem ipſe Poetarum Princeps Virg. Æn. 6.

Aureus, & folijs, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer,

& ne dubites hanc Iunonem infernam Proſerpinam eſſe eodem loco mox ſubdit:

Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus,
Inſtituit &c. .

Scio equidem in Mythologia eruditiſſimi Natalis Comitis opinionem referri quorundam aſſerentium eamdem Deam eſſe, quæ Diana, Iuno, ac Proſerpina nuncupetur, hancque eam eſſe Hecatem, de qua dixerit Virg. Æn. 4.

Tergeminamq; Hecatem, tria Virginis ora Dianæ.

Sed præterquam quod falſa eſt hæc opinio, vt latiùs videbimus infernis, vbi de Hecate dabitur ex profeſſo diſſerendi occaſio; adhuc data huius opinionis veritate, ità vt eadem Dea ſit, quæ & Proſerpina, & Iuno vocetur; quod non inficiamur, ſi de Inferna Iunone ſermo ſit; adhuc inquam viget difficultas; nam certe Iuno illa, quæ Proſerpina eſt, Cœleſtis Iuno eſſe non poteſt; cum hæc *Diuum incedis Regina, Iouiſque & ſoror, & coniux*, Proſerpina verò, quæ & Iuno dicatur Cereris ex Ioue ſit filia; ideòque ad diſtinguendam vnam ab altera, prudentiſſimè Claud. diſtinctiuum appoſuit *Profunda*, quare eſto *Proſerpina*, ſit etiam *Iuno*: alia certè eſt à Cœleſti, cur igitur etiam Proſerpina Iuno dicatur ſemper remanet diſcutiendum.

Sciendum itaque nomen Iunonis à Iuuando deriuatum; & quia Claud. ſtatim, ac Proſerpina tartareos attigit limites, ceſſantes inferorum pœnas exponit, hinc factum, vt Iunonem eam iure optimo vocitauerit; cum maximoperè Manes iuuerit, ibi exquiſitis expoſitos tormentis. Quare & ſuo loco videbimus Manes ipſos Iunonis nomine Proſerpinam acclamantes: *Noſtra parens Iuno &c.*

Inſuper Pluto *Dis*, etiam nuncupatur quaſi *diuitiarum Deus*, quarum cum vis omnis è terra pullulet, & ſemina omnia, ex vi ſubterraneorum, igneorumque ſpirituum, tot in ſegetes erumpant, quibus terrarum orbis locupletatur; creditus eſt Pluto, vtpotè Numen ſubterraneum, in hæc omnia influere. Quo poſito. Fabulantur aliqui, Plutone ob vacuos olim ſine coniuge thalamos irato; terram eius furoris vim expertam, ita, vt, ſterilis & ipſa effecta, nullas iam progigneret ſegetes, orbemque totum propè in Lybiæ deſerta commutatum. Aſt verò, cum Proſerpinam rapuerit, effingunt, eumdem nouis nuptijs exhilaratum, ipſaque operante Proſerpina, cuius nomen *Opulentiam* & *fæcunditatem* ſonat, iterum terræ primæuam vbertatis faciem reſtituiſſe. Cum autem hoc ſummum orbi adiumentum ex Proſerpina fuerit, Iunonem & ipſam a Iuuando, arbitror, appellarunt, quæ tamen, vt a veteri Iunone diſtingueretur, *Profunda* notâ deſignatur. Nec mea omninò eſt hæc opinio; nam hanc multo ante ſecutus eſt eruditiſſimus Pier. lib. Hierogl. 9. vbi hæc habet. (*Proſerpinam verò eſſe vim ſegetum, & frugum omnium, Mythologi docuerunt*, & lib. 59. idem

 re-

repetens inquit: (*Seminum virtutem, & gignendi vim veteres muliebri forma pinxerunt, hancq; Bonam Deam, ſeù Perſephonem (quod idem eſt, ac Proſerpinam) appellarunt.*) Adde, Iunoneam illam cœleſtem præſidem Regnorum haberi, teſte eodem Pier. lib. 54. ex quo etiam fit, vt, cum Proſerpina Præſes inferni, hoc eſt Plutonij, ſit Regni; Iuno & ipſa meritò nuncupetur. Denique, ſicuti *Iupiter infernus*, pleno omnium ore Pluto dicitur, ſic iure optimo Plutonis, hoc eſt *Iouis inferni*, coniux *Iunonis Profundæ* condecoranda nomine fuit.

GRESSVS REMOVETE PROFANI. Iubet hic, breui apoſtrophe vſus, Poeta, omnes alias cogitationes, quæ ad rem, de qua agit, non pertineant longè facceſſere. Profanus enim dicebatur quiſquis ſacris non initiatus à Fanis arcebatur. Ideò Profani quaſi *procul à Fanis* abeuntes: atque in hoc tandem recidit id, quod ait Barth. cum inquit, Profanos dici omnes rei ignaros, ab eadem auerſos, & indignos, quos à rebus ſacris arcebant, quo maiorem earum facerent auctoritatem, & religionem iam acceptam animis augerent. Huius autem laudabilis prorſus conſuetudinis memor Virg. Æn. 6. ingreſſuram iam Antrum, quod ad inferos ducebat, Æneam ad Elìſios, vt Patrem inuiſeret, ducturam, ſic protantem Sybillam inducit.

Aduentante Dea. Procul ò procul eſte Profani,
Conclamat Vates; totoq; abſiſtite luco.

Cum itaque anima non moueatur pedibus, ſed affectibus; atque adeò, *Deos contemplari*, vt de illis diſſeramus, *ad Deos accedere ſit*; hinc eſt, vt Poeta cogitationes omnes, quæ de Deorum, vt ipſe arbitrabatur, nempè de Plutonis, ac Proſerpinæ nuptiis non eſſent, releget, abſcedere iubeat, & profanas nominet, quippe huiuſmodi ſacris non initiatas. Profani inſuper, apud Poetas, dicuntur quicumque muſis non addicti. Ideò Hor. lib. 3. Carm. Ode pri. hæc inſonat erudite:

Odi profanum vulgus, & arceo.
Fauete linguis: carmina non priùs
Audita, Muſarum Sacerdos,
Virginibus, pueriſq; canto.

Nam verè conſortio Muſarum vtens arcere ſemper debet eos omnes, qui non iiſdem Muſis deſeruiant, quia, ſi verum eſt quod cecinit Vates, cum dixit;

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt;

qui garrientibus immiſcetur cœtibus, diſtrahitur adeò, vt nequeat ſolertem Muſis ipſis operam nauare. Quarè & huiuſmodi Profanos arcet Poeta, vt magnitudinem, grauitatemque oſtenret tractationis iam initæ: ſicuti eam profectò huius libri oſtentat initio, carminibus omnimodè ad grauitatem compoſitis; nam vt rectè à Clauerio adnotatur, inſigne eſt artificium horum Claudiani Carminum, tantum opus concinna grauitate exordientium, & quæ, in numeros aſſurgendo, Raptoris veluti prodeuntis vehementiam non indicent ſolum, ſed exprimant, cum ſtridore, & horrore quodam litterarum toruum, & terrum illud affabre effigurantia. Quapropter, vt initijs ſequentia congrua grauitate reſpondeant, iure Profanos arcet, atque abſcedere iubet. Inſuper decantatum vbique habetur vulgatum illud præceptum; *Noli miſcere ſacra Profanis*; Ideò de ſacris, nempè de Diuinis Inferorum Numinum Nuptijs, locuturus Poeta, Profanos, ſe non admiſſurum, vt immiſceat, proteſtatur. *Greſſus remouete Profani.* Remouere enim greſſus ab aliquo, eſt ab illo abſcedere, & elongari; vtitur autem imperandi modo, vt firmam oſtendit voluntatem, qua irrenocabili decreto Profanos arceat. Verum poſſet hic obijci: Si Poeta ſacris miſcere nolit profana, cur equos canit? Certè equum, vt Profanum repudiarunt Ægyptij Sacerdotes, ac longè à ſacrificijs ablegarunt; imò per Equi Hieroglyphicum profana omnia deſignarunt, vt notat Pier. ſæpè cit. lib. Hierog. 4. addens, eius rei cauſam inde deriuari, quod, damnatum inter venena, fel habere, proditum de equo ſit. Facilis tamen ex hac ipſa cauſa reſultat obiectionis ſolutio; cum de Plutone maxime libus æternum furijs ſtipato ſermo ſit, ac cui tyrannidis nota inuratur, ex Ouid. Metam. 5.

Hanc metuens cladem tenebroſa ſede Tyrannus &c.

Eo ipſo quod fel habeat equus inter venena damnatum, rectè eum Plutoni ſacrum, addictumque Vates agnouit. Inſuper nonne equus ſacer eſt Marti per eumdem Pier. lib. cit. imò ſacer nonne eſt equus Solis præcurſori Lucifero, vt innuit apud Claud. ipſum Venus 2. de Raptu, vbi tempus aptum notans ad legendos, quos Ætna promulerat flores, inquit;

Dum meus humectat flauentes Lucifer agros,
Roranti præuectus equo &c.

Nonne hac eadem de cauſa equos attribuit Plutoni Ouid. 5. lib. Metam. cit. dum inquit:

Hanc metuens cladem tenebroſa ſede Tyrannus
Exierat, curruq; atrorum vectus equorum,
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.

Cur igitur equus, licet alioqui Profanus, Plutoni ſacer, inter eiuſdem ſacra, non recenſendus? Sed iam ad id, vnde digreſſi ſumus, reuertentes non abs re futurum arbitramur, ſi aliam etiam cur Vates dixerit *Greſſus remouete Profani*, cauſam adnotemus. Hæc igitur inquit Poeta, vt memorem ſe oſtentaret antiquiſſimi illius moris, quo tubicines ſacrificijs adſtantes identidem Sacerdotis auribus inſonabant. *Age quod agis*, quaſi & ipſe Deorum tuba excitatus ad ſacras haſce nuptias decantandas, ſibi ipſi inſinuet. Age quod agis, ſed me vlterior iam poſtulat explicatio: Italicis Muſis poſt ea quæ ſequuntur reiectis.

IAM FVROR &c. Rationem hic reddit cur Profanis omnibus exilium indixerit. Ratio autem eſt, quia furore afflatus poetico, ſeù entuſiaſmate, de quo ſupra diximus, eoque ſacris ſimul, & muſis initiatus, quaſi hoc æſtro extra ſe raptus, & maior iam homine effectus, nil mirum ſi Profano terrarum cœno obuolutos deſpiciat. Innuit etiam hic, arbitror, tacitè, commercium cum dijs habentem Deiformem fieri; ſicuti ex ſacris litteris habemus Iſraelitarum ductorem, ex conſortio ſermonis Dei, luce adeò emicanti afflatum, ac circumfuſum fuiſſe, vt, cum ex Monte Sinai tabulas referens legis deſcenderet, non auderent populi in radios ex ipſius vultu erumpentes oculos conijcere: & quidem, quantum valeat optimis vti ſocietatibus ad bonos mores effingendos, & vice verſa malis ad malos ſatis teſtatur regius Vates, dum dicit: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Nil igitur mirum, ſi Poeta, afflatus Numine, procul abeſſe iubeat Profanos. Poſſet aliquibus fortaſſe videri ſuperba elatio Poetæ, dum ſe Numine concuſſum profitetur. Sed imò modeſtè innuit, quam de ſe ipſo ſubmiſsè ſenſerit, dum ſe expreſsè imparem tantis rebus exprimendis profitetur, niſi mens ipſius Numine concuſſa coacta fuiſſet ad ea, quæ alioquin, vix à longè, & oculis profectò conniuentibus aſpicere potuiſſet. Quare aptè admodum ad extollendam Numinis benignitatem, quæ Vilia non deſpiciat, ac ſe ipſum deprimens inclamat.

Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus,
Expulit; & totum ſpirant præcordia Phœbum,
Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri,
Sedibus, & claram diſpergere culmina lucem,
Aduentum teſtata Dei. Iam magnus ab imis,
Auditur fremitus terris, templumq; remugit,
Cecropidum; ſanctaſque faces attollit Eleuſis,
Angues Triptolemi ſtridunt, & flammea curui,
Colla leuant attrita iugis, lapſuq; ſereno,
Erecti Roſeas tendunt ad carmina criſtas,
Ecce procul ternis Hecate variata figuris
Exoritur; leniſq; ſimul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit vngues,
Ebria Mæonijs fulcit veſtigia Thyrſis,

IAM FVROR &c. Furor inſaniam propriè dementiam, ac freneſim ſignificat. Aſt hic ſumitur pro quadam mentis concitatione; ſeù afflatu, impulſu, atque inſpiratione illa, quam affectant, ac ſæpè conſequuntur Poetæ. Furor enim poeticus, de quo hic ſermo, ille eſt diuinus, de quo nos ſupra, & quo cœleſtis afflatio ſcribentium carmina de ſua exit poteſtate, vt notat Barth. & furentis animi ſpeciem gerit. Hunc Ouid. faſt. pri. impetum appellat, quia mens videlicet, quaſi præceps hoc impetu agitur. Sic enim ipſe loco cit inquit;

Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo:
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Poetæ autem, vt notat idem Barth. afflatum hunc, videntur, ea ratione, maximè probaſſe, quod vberem, & velut diuinitus indultam, fingendi licentiam eo ſibi adſciuerint; non inuito vulgo æſtimationi eorum ſubſcribente; deducit autem hoc Barth. ex experientia ipſa, & videtur Clauerius aſſertum confirmare, dum ait, furorem Poeticum nil aliud eſſe, quam furentis di-

diuinitus animi vaticinationē iuxta illud ab Ouid. dictum:

Eſt Deus in nobis; ſunt & commercia Cœli:
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Vide autem dicta ſuperius ad verbum *Concuſſa*, nam ea & hic congruunt, & immiſſum diuinitus poeticum comprobant furorem. Tantum addo ex doctrina Cauſini de Eloq. lib. 1. deceptos errare eos, qui *furorem* Poetarum tantummodò eſſe ſibi perſuadeant; cum & ad Graues quoque, vehementeſque Oratores pertineat. Negat quidem Democritus, & Socrates, apud Platonem diſſerens, abnuit, quempiam Poetarum numero adſcribi poſſe, abſque afflante Numine, ac furorem intrinſecus adſpirante; ſed idcircò non tollitur ab Oratoribus furor; cum & Orator habere debeat ſpiritum in rebus, ſublimitatem in verbis, ac in affectibus præcipuè mouendis vehementiam; quæ omnia vnico *furoris* nomine comprehenduntur; atque ideò Dionyſius Alicarnaſſeus, Oratorum Cenſor acerrimus, inquit, optimam orationem Poeſi ſimillimam eſſe debere, vt aduertit Cauſ. cit. Et quidem, quod ad furorem ſpectat Oratorium, notat idem Cauſ. ibi, Galbam cum cauſas meditaretur, ita accenſum fuiſſe, vt vis caloris in corpus redundaret, &, vultu rubore perfuſo, ſcintillantibus oculis, penè à ſenſibus abreptum extitiſſe: quod & de ſe ipſo innuit hic Claud. dum ſubdit: *Humanos noſtro de pectore ſenſus expulit &c.* Ex hoc autem *furore* ſuperueniente excuſat Vates audaciam illam, quam faſſus eſt rebus ad dicendum propoſitis adfuiſſe, cum dixit: *Audaci promere cantu*: Occultè enim dicit, nil mirum eſſe ſi audax fiat, cum furor eo, quo ipſe nollet, impellat iam minime compotem ſui; eo ferè pacto quo Iaſon ſe ipſum excuſat à Nauigatione primo ſuſcepta, cum apud Valer. Flac. pri. Argonaut. etiam ſupra cit. inquit.

Sed non ſponte furor &c.

EXPVLIT HVMANOS SENSVS. Poetici furoris præcipuus inter omnes effectus eſt, vt animum à corpore abſtrahat, ac diuino quodam concitet inſtinctu, vt dicebamus. Docuit autem hoc ipſum Cic. 2. de Diuinatione, hæc habens. (*Ineſt animis præſagatio extrinſecus iniecta, atq; incluſa diuinitus: ea, ſi exarſerit acrius, furor dicitur: cum à corpore animus abſtractus diuino inſtinctu concitatur*) Quarè aptè inquit Poeta: *expulit*; vt videlicet ad pugnam contrariorum alluderet; ſemper enim contrarium contraria à ſubiecto naturaliter expellit: ſic frigus calorem; ſiccitas humiditatem; Lux tenebras &c. Expellere autem violentiam importat, qua vnum contrarium alteri præualens, illud è ſubiecto eijcit; eo ſimiliter pacto, quo afflatio iſta Numinis, quæ *furor* dicitur cum Vatis pectus immiſerit. *Expulit.*

HVMANOS SENSVS. *Humanus* denominatiuum eſt ab *homine* deductum, ſeù ab *hominis humanitate*. Humanitas autem ex Cic. Natura ipſa hominis eſt. Cum autem dixerimus, hominem, Numine afflatum, ſupra ſe ipſum eleuari, & in Numen quaſi conuerti; nil mirum, ſi, hoc ipſum confirmans, Vates dixerit: *Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus Expulit*. Cum ſe transformatum ſentiat in illud ipſum, à quo afflatur, Numen. Quarè Barth. in hunc locum ait: *expulit humanos ſenſus*: nihil enim horum relinqui in afflatorum pectoribus videri volebant. Inſuper diximus ſupra, Vatem, per apoſtroph. illam: *Greſſus remouete Profani*, expellere ſocietatem omnium Muſis non addictorum; Humanitas verò, cum Natura ipſa ſit, videtur ſocietatem omnium hominum appetere; nam animal aſſociabile dicitur homo, & ex natura hoc haberi latè probat pri. de officijs Cic. Cum igitur Claud. communem hanc ſocietatem, per ſuperius dicta, reſpuat, hic reddit rationem exutæ humanitatis; furor enim de pectore expellit humanos ſenſus. Adde, quod homo dicitur ab humo; atque adeò humanus dicitur quilibet affectus ad humum reſpiciens. Cum autem Poeta de Numinibus dicere aggrediatur, ſe ab omni terrenarum rerum affectu immunem, virtute afflantis furoris, profitetur; neque enim nouum eſt, *ſenſum* interdum pro *affectu* vſurpari. Item ſenſus aliquando idem ſonat, ac *cogitatio*, ſeù *mentis applicatio*, iuxta vulgatum illud effatum.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Cogitationes itaque omnes depoſuiſſe ſe aſſerit Poeta ad res humanas ſpectantes, vt, iuxta furoris impulſum, vnum hoc negotium meditetur. Quod vt clarius etiam explicet, ſubdit:

ET TOTVM SPIRANT PRÆCORDIA PHOEBVM. Spirare ſiquidem idem eſt, ac *exhalare per reſpirationem vitalem*. Quare ſicuti aere, quo ſpiritum ducimus, ita pleni ſumus, vt nil vnquam vacuum in nobis relinquatur, ſic dum à ſe Phœbum ſpirari innuit Vates, ideſt Phœbeam auram afflantem, clarè oſtendit, ſe adeò Phœbo plenum, vt nil vacui inferioribus cogitationibus relinquatur occupandum. Præcordia igitur inquit ſpirant totum Phœbum; ideſt totum, quod ſpirant, Phœbus eſt; nec inferiori auræ locus permittitur.

PRÆCORDIA autem, dixit, ſpirant &c. quia præcordia, verè, & propriè loquendo, ſunt partes cordi viciniores, inter quas pulmo, ſpongioſa videlicet materia compactus, vt aptiùs ad captandas auras inſtrumentum ſit, quippe qui inſtitutus à Natura, vt, veluti follis, aut ventilabrum cordi refrigerando deſeruiat; & inſtrumentum præcipuum ille eſt reſpirationis. Cum igitur Pulmo, per præcordia indicatus, nil, niſi Phœbum, fontem ſcilicet ſpiret caloris, nil mirum, ſi cor, quod, vt diximus, ſedes affectuum eſt, ac fons voluntatis, nullum alium admittat affectum, nihil aliud iam velit, quam quod Phœbeo illo afflatu inſinuatur. Item Præcordia interdum ſignificant partes omnes internas hominis & ſi in hoc ſenſu accipiantur, magis etiam quod innuimus confirmatur; nam, ſi partes omnes ſpirant Phœbum, totum ex partibus ipſis compoſitum ſolo Phœbo repleatur neceſſè eſt; ac ſicut vas aliquod, cum plenum, & ſupereffluens ſit, aliud non capit: ſic *pectus* Phœbo repletum alia omnia reſpuit. Præcordia autem pro eodem, ac Pectora accipit hic Barth., qui & notat Poetam his alludere ad inſpiratam apud Virg. Æn. 6. Vatem de qua iam nos ſupra.

NOSTRO DE PECTORE. Has hic particulas appoſuimus, quia, iuxta ſententiam noſtram; Præcordiorum nomine partes cordi viciniores, ſeù partes omnes internas hominis, intelligentem: hæ particulæ vtrique verbo deſeruiunt, nempè furor *expulit* humanos ſenſus de pectore, & de eodem præcordia *ſpirant* totum Phœbum. Quod ſi, iuxta Barth. explicationem Præcordia Pectus ipſum eſſe velis, tunc ita conſtruendus erit textus: Iam furor expulit de noſtro pectore humanos ſenſus, & præcordia ſpirant totum Phœbum. Opinione tamen mea, non adeò congruens eſt Barth. acceptio; nam ſi Vates præcordiorum nomine ipſum pectus intellexiſſet, iam idem per diuerſa ineptè repeteret: nam ſenſus eſſet expulit è pectore &c., & pectus ſpirat &c. Quare ſatiùs arbitror, quæ nos attullimus ſequi.

TOTVM PHOEBVM. Particulam *totum* appoſitam dixit Barth. ad ſolam carminis magnificentiam, & operis maieſtatem: ego verò emphaticè appoſitam arbitror, vt ſcilicet ſuperaffluentiam Numinis oſtendat, & exprimat incubantis, humanos ſenſus expellentis, cogentiſque vt ſuccenſum afflatu ſuo pectus pleno ore carmina, quæ ipſe idem dictauerit effundat.

PHOEBVM; Non verò aliud Numen appoſuit, quia Vaticiniorum, ac conſequenter Vatum, nec non ſapientiæ Numen habetur; Muſarum Princeps eſt, atque harmonici aſſeclarum Chori moderator. Ex quo fit, vt Poetæ ferè omnes ſuis Phœbum inuocationibus laceſſant. Ideò & antiqui Apollinem (*qui idem ac Phœbus*) marmoreum ſtruxerunt, lyram, Cycni dorſo ſuperimpoſitam, exercentem: Cycnus autem Poetam exprimit, vt dixi; *Sed in re clara quid immoror?*

IAM MIHI CERNVNTVR &c. Sicuti in ſuperioribus carminibus, vbi habet Poeta; *Iam furor &c.* ſe ipſum immutatum oſtendens inhæret mutationi illi, quam in Cumæam inducit Sybillam Virg. Æn. 6. vbi, aduentante Phœbo, eam immutari, & ab humanis extrahi ſenſibus exponit his verbis.

. . . . . . Deus ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores, ſubito non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ; ſed pectus anhelum,
Et Rabie fera corda tument; maiorq; videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt Numine quando,
Iam propiore Dei.

Imò & quemadmodum Exordium ſuum compoſuit ad imitationem (vt Clauer. aduertit) Silij Poetæ, qui ſeptimo Punicorum, de raptu hæc habet.

Ceu quondam æterna Regnator noctis ad amnes,
Cum fugeret thalamos, Ætnææ Virgine rapta,
Egit nigrantem picea caligine currum &c.

Sic in præſenti exprimens aduentantis Phœbi præcedentia ſigna, ſequitur veſtigia illa, quæ idem Virg. impreſſit 3. Æn. iiſque inhæret, quibus ibi ille exponens ſigna præcedentia Phœbei oraculi mox ad futuram reſponſionem ſic ait.

Vix ea fatus eram: tremere omnia viſa repente,
Liminaq; Lauruſque Dei, totuſque moueri,
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.

Et inſuper quibus idem Virg. Æn. 6. aduentantis Proſerpinæ ſigna deſcribit, cum ait.

Ecce

Ecce autem primi ſub lumine ſolis, & ortus,
Sub pedibus mugire ſolum, & iuga cœpta moueri,
Syluarum, viſæq; canes vlulare per vmbram,
Aduentante Dea.

In hoc enim tantum variat, quod ſicuti cauſa, & modus aduentandi diuerſus eſt, ſic diuerſa adſtruit ſigna; & quod Virg. quaſi hiſtoricè narrat Claud. ſibi ipſi, per viſum, fingit accidere, & diuinat; ne declinet à Phœbo, Deo ſcilicet vaticinij aduentante.

IAM MIHI CERNVNTVR &c. Dixerat iam Vates *Greſſus remouete Profani:* & vidimus Profanum dici, qui procul à Fano arcebatur. Quaſi igitur ipſe illicò in Phœbi templum raperetur vi Numinis afflantis; Profanos reiecit; Nunc verò, quaſi in eodem templo perſtet, ſigna ſuperuenientis Dei ex ipſo templi motu aggreditur. Et hoc quidem poeticæ venuſtati maximè conuenit; familiare enim Poetis eſt, diuerſis Poeſim inuentionibus exornare. Sicq; aliqui Pegaſo ſe vehi fingunt ſublimes, ac ſubiectas numerare regiones aggrediuntur &c. alij adinſtar Numæ cum Ægeria Nympha, ſe cum Muſis colloquium habere dictitant, & quæ ex ijs acceperint promulgare &c. Quarè congruenter admodum Claudianus etiam, ſe raptum in Phœbi templum, tacitè oſtendit, vt ſigna ex eodem exordiatur. Niſi potiùs, ac meliùs, arbitratu meo dicendum ſit, Poetam Profanis ex ſua ipſius domo, quam, dum ſe Muſis dicaut, in Phœbi templum dedicauerit, eliminatis, de eadem ſua domo, tanquam de templo Apollinis hic loqui, nam hoc magis profectò ad veri ſimilitudinem, quæ Poeticis etiam figmentis cordi, maximè eſſe debet, accedit; ac nil à veritate diſſonum importat, qui enim, vt Deo vacet, cœtera reijcit omnia, illico ſe ipſum, ædeſq; ſuas templum ipſius efficit Dei.

DELVBRA itaq; dicuntur certè Deorum templa, vt patet ex Virg. 2. Æn. in hoc eodem ſenſu delubri nomen vſurpante, dum inquit.

At gemini lapſu Delubra ad ſumma Dracones,
Effugiunt, ſæuæq; petunt Tritonidis arcem.

Siuè igitur ſe raptum in Apollinis templum fingat; ſiuè domum indicet Vates ſuam in templum Numinis conſecratam; egregiè conſonat, dum dicit:

Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri &c.

IAM CERNVNTVR MIHI. Iam idem eſt, ac *nunc ſtatim; illico &c.* quæ aduerbia præſentem adeò dicunt rem, cui applicantur, vt de ea dici poſſit, quod de momentaneis omnibus, idem nempè eſſe *fieri*, & *factum eſſe*. *Cernuntur mihi.* Proprium Numine afflati eſt viſiones habere, quibus res, cœteris occultas, diſcernant: idcircò *Mihi*, inquit, non alijs; non, quos reieci, Profanis; ſed *mihi afflato*, hoc videre conceſſum. *Cernere*, namq; eſt patentibus oculis aſpicere, diſtinguere, ac clarè internoſcere: quod ſi translatè ad ſenſum internum, ac viſionem intellectualem, vt certè hic, deflectatur, idem eſt ac animæ, ſeù mentis acie, lumine inſueto ſuffulta, nulliſque obducta tenebris intueri. Quid autem intueatur hic Poeta? Primum profectò ſignum quo ſibi Poetarum Deus appropinquare, afflare, ac canenda ingerere oſtendatur, Delubra ſcilicet.

MOVERI. Delubrum, vt vidimus templum eſt: *moueri* verò idem eſt ac concuti, & nutare, eo, proportionaliter, modo, quo ex terræ motu quatiuntur, & nutant ædificia, ac quo ſupra vidimus Virg. explicaſſe cum dixit.

. . . . *Tremere omnia viſa repentè,*
Liminaq; Laurusq; Dei, totuſq; moueri,
Mons circum &c.

Ideò.

TREPIDIS SEDIBVS. Trepidare enim; à quo *Trepidus* deriuatur, propriè eſt, præ timore, loco ſubſiſtere non poſſe: vulgò *vacillare per cagion di timore*. Hinc obiter collige, quantus Dei timor ineſſe debeat hominibus, cum & ipſa inſenſata ad Dei aduentum dicantur trepidare. *Trepidis igitur ſedibus*; Si Delubra pro ipſo templo accipiantur (vt vetuſtiſſimum Poetis eſt, numerum multitudinis pro numero vnitatis per Synecd. ponere) idem erit, ac *trepidantibus templi fundamentis*; nam, ſicuti *ſedes* locus dicitur, in quo aliquid quieſcit, & ſtabilitur immotum; ſic *fundamenta*, in quibus ædificium ſolidatur, & quieſcit immobile, ne dum immotum, *ſedes* translatè dici poterit ædificij. Dixi: ſi delubrum pro templo accipiatur; nam ſumi etiam poteſt pro ædibus pluribus ſub eodem tecto templi contentis, vt notat Aſconius dum ait: (*Delubra multarum ædium ſub vno tecto à diluuio plurium monimentum*) vulgò *le capelle della Chieſa*, in quo etiam ſenſu ſi delubra accipiantur quadrat explicatio noſtra; imò Delubrum ſumi ita etiam poteſt, vt ſignificet theccam, ſeù loculum. Vulgo *Nicchia*, in quibus Deorum ſtatuæ collocabantur, & ſi in hoc ſenſu ſumatur, pars eſſet poſita pro toto; & cum noſtra ſententia adhuc coincideret: Aliqui tamen Delubrum ſumunt, vt notat Parrhaſ. hic, pro loco, in quo, præter ædem area ſit aſſumpta Deûm cauſa, vt Circus Flaminius Iouis Romæ ſtatoris: Alij Delubra eſſe dicunt Ligna delibrata, hoc eſt decorticata, raſaque pro ſimulacris Deorum, veteri more, poſita, vt ſcribit Feſtus. Alij delubra ſtatuunt eſſe ea tantum templa, in quibus ſunt delubra corporum abluendorum, more Dodonei Iouis, aut Apollinis Delphici, in quorum Delubris lebetes, tripodeſq; viſuntur: In quo ſenſu ſi delubra accipiantur; *Trepidis ſedibus*, idem erit, ac trepidante toto templo, ſeù loco habitationis ipſius Dei; nam ſedes habitationem ſæpè ſæpiùs ſignificat. Quare & Auctor noſter lib. 3. de raptu Cererem inducit dicentem.

. . . . . . *Alijs ſedes obſcurior oris,*
Exquirenda mihi &c.

Magis tamen primus, quem propoſuimus, arridet ſenſus, & magis iuxta mentem auctoris videtur, qui, dum ſecundum à culmine delubri ſignum deſumit, videtur primum ex oppoſitis, nempe ex fundamentis deſumere voluiſſe, vt contrapoſitis carmen exornaret. Neq; hæc expoſitio cœteris repugnat; nam certum eſt totum tremere ædificium, cum fundamenta quatiuntur, quare expoſitio noſtra, & cœteras cōtinet, & magis congruit Vati, venuſtatis vbiq; percupido.

ET CLARAM DISPERGERE CVLMINA LVCEM. Attexuit aptè ſecundum ſignum Poeta hic, & quidem, quo ad aduentum Dei, tale, vt nullam pateretur exceptionem. Nam certè clara lux non aliundè vnquam magis, quam ex fonte luminis Phœbo haberi poterat; atque ideò, dum dicit: *Claram diſpergere culmina lucem*; præſentiam dilucidè oſtentat Phœbi, cuius luce tecta ipſa ſemtillent imbuta.

ET CVLMINA. Signum ſigno adnectit per particulam coniunctiuam *&*, qua etiam, gradationem inſtituens, aſcenſum connectit ſuum. *Culmen* autem quodcumque rei faſtigium dicitur, vt notum per ſe ſatis eſt: at translatè pro tecto domus, ſeù templi ponitur etiam apud Virg. in morte Didonis Æn. 4.

Non aliter, quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis,
Carthago, aut antiqua Tyros, flammæq; furentes,
Culmina perq; hominum voluantur, perq; Deorum.

Cum ergo Phœbi aduentus, non niſi è Cœlo, eſſe potuerit, nil mirum, ſi propiora Cœlo culmina radios prima recipiant, ac redundantia effundant, ac longè, latèque diſpergant.

Diſpergere enim idem eſt, ac *vndequaq; & in omnem partem ſpargere*, quo verbo oſtendit Vates cumulata adeò, & ſupereffluenti luce templum illud, ſeù ſuam ipſius domum templi vices implentem redundaſſe, vt non potuerit, quin lucem ipſam vndequaq; diffunderet; ex conſequenti enim voluit nos in cognitionem antecedentis deuenire.

CLARAM LVCEM. Vt Phœbi eam eſſe noueris, vt dicebamus; nam lux ſubobſcura, & incerta Lunæ potiùs, ac ſtellarum propria eſt, quippe participata, & quaſi per reflexum ſolaris radij conſpicua. Quarè & Virg. Æn. 6. incertam, & malignam Lunæ lucem appellauit inquiens.

Quale per incertam Lunam ſub luce maligna,
Eſt iter in ſyluis &c.

Claram verò Lucem Phœbo connaturalem eſſe innuit Ouid. Metam. 2. regiam Solis ſic deſcribens.

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara, micante auro, flammaſq; imitante pyropo.

Adde *Claram lucem* eſſe ſemper indicium diuinitatis in eo, ex quo clara emicat; atque hinc fit, vt, quantumuis etiam tenebrarum Princeps ſe transfiguret aliquando in angelum lucis, vt decipiat, tamen lux illa, quam ipſe induit, ſemper aliquid ſubobſcuri, ac tetrici habeat, & moleſtiam potiùs, quam delectationem incutiat, vt à vera diuinitatis luce diſtinguatur, quæ clariſſima ſemper eſt, & lœtificans; vt clarè innuit Cycnus Cnicis Florentiæ decus lib. ſuæ poeſis 2. dum Italico inſonat metro.

Et ecco, in placidiſſima quiete,
(Nè già ſogno fù quel; che sì diſtinta
Forma non può moſtrar l'ombra di Lete,
Nè celeſte bellezza eſſer può finta)
L'Anima à Dio diletta; ò con che liete
Luci, m'apparue, e di qual lume cinta.

Indò, claram hanc lucem diuinitatis indicium eſſe, nouit etiam Aquila Poetarum Virg., qui vt pri. Æn. oſtenderet, Æneam, quippè Veneris filium, diuinitate inſignitum, clara fulgentem luce deſcribit, dum exarat.

Reſtitit

Reſtitit Æneas, claraq; in luce refulſit,
Os, humeroſq; Deo ſimilis &c.

Conſonat Hetruſcorum Princeps Poetarum Torquatus Taſſus, qui cantu Hieroſ. liberatæ 12. inducens animam Clorindæ è Cœlo delapſam, vt Tancredi dolorem leniret, eam clara luce fulgentem indicat, eruditam ſic pulſans Chelim.

Bella aſſai più; mà lo ſplendor celeſte
Orna, e non toglie la notitia antica.

Et cantu 14. Vbi Vgonem Cœlo fruentem inducit clara circumfuſum luce, ita vt primo intuitu à Gottifrido, cui apparuerat, vix imò ne vix quidem agnoſceretur, ſic Ore videntis loquitur.

Quel nuouo aſpetto,
Che par d'vn Sol mirabilmente adorno
Dall'antica notitia il mio intelletto
Suiato hà sì, che tardi à lei ritorna.

Quod ſi animabus iſtis diuinitatem non eſſentialiter habentibus, ſed tantummodo participatam ab illo, cuius eſſentia diuinitas; & de quo, celſo in Cœli trono ſedente, cecinit Taſſus cit. cantu Hier. Liberatæ 9.

Questi ei così nel ſuo ſplendor s'inuolue,
Che v'abbaglian la viſta anche i più degni.

Quod ſi his inquam, qui, vt cecinit Cygnus cit. lib. 6.

Tutti, come dal Sol le ſtelle fanno,
Lo ſplendore han da Dio che gli colora &c.

Clara lux aptatur in ſignum; quid de ſummo Deo, à quo omnis participatio Diuinitatis dicendum? Quo poſito quid diceret de Sole Iulianus Cæſar, qui eum impenſiùs coluit; quid cœteri olim vt infra fuſiùs Solem vnicum orbis Deum ex lumine arbitrantes? Certe iuxta Poetarum commenta Phœbus plena vtiq; diuinitate fruens ab antiquis credebatur, quarè certiùs nullum illius aduentus ſignum, quam clara lux adſtrui potuit, cum luminis fons ipſe, & auctor ſe ipſo comprobetur. Scio equidem huic noſtræ explicationi aliquos, quos refert hic Parrhaſius aduerſari dicentes Poetam non loqui hoc loco de Luce ipſius Phœbi; ſed alluſiue ad Cereris faces; quaſi faces quas Ceres ad inquirendam filiam accenderat, luce ſua Poetæ domum non tantum, ſed & mentem illuſtrarent; de Cereris enim erroribus dicturus, inquiunt iſti, iure ijs ſe duci facibus dictitat, quarum iactatione initia Cereris celebrantur, & de quibus Statius Sylu. 4.

Tuq; Actæa Ceres, curſu, cui ſemper anhelo,
Votiuam taciti quaſſamus Lampada Myſtæ.

In ludis enim cerealibus diſcurrentes cum facibus operabantur. Verum hi mihi profectò caligare videntur in Sole, dum lucem, de qua hic diſſerit Vates, cum ea luce confundant, de qua inferius habebitur, *ſanctaſq; faces extollit Eleuſis*; nam ibi, vt videbimus, hæc ad faces cereales alluſio emicat; quæ ſi hoc etiam in loco importaretur, iam eſſet eiuſdem Lucis nugatoria prorſus repetitio; quod nunquam de tanto Vate dicendum. Idcircò optimè arbitror ſenſiſſe Barthium, qui hos contra hæc habet: (*claram diſpergere culmina lucem. Ineptè hæc aliter quam de Dei luce totum templum implente intelligantur, cum ipſe doceat ſequentibus verbis: aduentum teſtata Dei. Sic autem lucem inſuetam committari aduentum Deorum ſciſcebant.*) Sed pleniorem adhuc, ipſa hac luce ducente, Vatis eruditionem perſcrutemur. Eucherius, apud Pier. ſæpius cit. lib. 20. Lumen, in diuinis litteris, pro Die, pro Iuſtitia, pro fide, proſperiſque cunctis, autumat, ſymbolice poni. Ad id itaque reſpiciens Poeta, *culmina lucem diſpergere*, inquit; quaſi diceret vellet, fore vt claræ viſionis die mens eiuſdem afflata perfruatur, ad hoc vt ex ipſis tartareis vmbris eruat, quæ in Proſerpinæ raptu euenerint, ſeque iuſtè, ac fideliter eadem enunciaturum; proinde ſi proſperè illi euenerit, quod intendit hunc *Luce* indicat tribuendum, quæ Diem, Iuſtitiam, fidem, ac proſpera ſibi ingerat omnia. Aliud pariter nobile non minus Hieroglyphicum attingit relatum à Pier. cit. lib. 44. quo ſcilicet Ægyptij Sacerdotes ſimulachrum Solis per Lotum arborem agnoſcebant: quam alluſionem vt apertiùs intueamur, perſpicienda eſt huius arboris natura, quæ ea eſt, vt, ante Solis ortum, complicata habeat folia, quæ ſubindè ſenſim explicantur, & aperiuntur, quo magis iubar Solis attollitur, ita vt, cum in meridie Sol eſt, aperta omninò conſpiciantur. Hac autem poſita cognitione ſcatet alluſio; nam Vates ſe ipſum, quaſi Lotum arborem, ſignificat, quæ, antè receptam lucem, quam diſpergere culmina dixit, complicata folia haberet, ita vt vix quiret, quæ mente conceperat euoluere; beneficio autem huius, claræ, hoc eſt meridianæ, lucis, explicatis iam folijs, ardua, & inuoluta quæque nullo expanſuram negotio. Confirmatur verò hæc mentis Poetæ explicatio ex eo, quod dicunt, Lotum arborem Phœbo dicatam eſſe; atque ex ea muſicales tibias confici ſolitas; carmen autem ad tibiam decantare certe proprium eſt Poetarum. Accedit anſa, quam huic expoſitioni exhibet Vates ipſe, dum ſuperiùs Profanos iuſſit abſcedere; quod & facere videtur Lotus arbor, quæ ſoli Phœbo explicat ſolia, eoq; abſcedente iterum complicat, quaſi nulli velit, præterquam Luminis Numini patêre.

ADVENTVM TESTATA DEI. Satis hoc remanet ex dictis explicatum. *Aduentus* enim à verbo *aduenio*: vulgò *annecinarſi*: deriuatur. *Teſtata* à verbo *teſtor*: quod eſt teſtimonium perhibere, fidem facere &c. *Dei* antonomaſticè de Phœbo dicitur, & emphaticè. Verum, cur ita dicatur, ampliori profectò indiget explicatione. Sciendum itaque ex Macrobio, & alijs, omnes Deos ad vnum, vt ſupra innuimus, Solem, qui Phœbus eſt, ab antiquis relatos; quaſi Deos omnes ex vno Sole principali diuinitatem accepiſſe arbitrarentur; ac ſi Sol ipſe vnicus, & ſolus eſſet Deus, Sol enim, quaſi ſolus, dicebatur à quo cœteri Dij omnes, ad inſtar ſtellarum diuinitatis lumen acciperent. Et quidem Perſæ, teſte Pier. cit. lib. 44., reliquâ Deorum, quam Gentes venerabantur catervâ reiectâ, Solem Deum eſſe vnicum dictitabant, adorabantque ea ducti ratione, quod vni ſoli totus vix mundus ſufficeret. Accedit Romanæ Princeps eloquentiæ, qui Solem mundi mentem, & temperationem appellauit lib. de Somn. Scip.; cum autem mens in corpore vna ſit, ſequitur in ſententia Cic., ſolum Phœbum moderatorem vniuerſi eſſe, ac Numen. Inſuper, vt notat Mythologia Natalis Comitis, ſolus Iupiter, & Phœbus oracula reddiderunt; lib. citati Auctoris 4. Quarè cum Ioui æquiparetur Phœbus; & procul dubio Iupiter antonomaſticè dicatur Diuum Pater, atque hominum rex; iuxta illud Virg. Æn. pri. Iunonis ore prolatum, dum Æolum alloqueretur, vt ad perdendos Troianos maria concitaret:

Æole, namq; tibi Diuum Pater, atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento &c.

Cum, inquam, Ioui Phœbus æquiparetur, & Iupiter Diuum Pater appelletur; ac certè vnus tantum omnium Pater eſſe poſſit, videtur Phœbus idem cum Ioue affirmari; atque adeò, ſicuti antonomaſticè *Deus* vocatur Iupiter, quia ad illum, vt Patrem, Dij omnes alij referuntur; ſic ob eamdem rationem, iuxta ſententiam Perſarum, Phœbus antonomaſticè Deus vocandus; Quarè appoſitè inquam dicitur ab Auctore: Aduentum teſtata *Dei*; non autem ſimpliciter *Phœbi*, vt per emphaticam antonomaſiam, ea omnia quæ hùcuſq; expoſuimus indicet, ac notet.

IAM MAGNVS &c. His carminibus Vates, quaſi prophetico ſpiritu ab afflante Phœbo (quem Numen eſſe diuinationum iam dix.) imbutus omnia ſenſibiliter percipiat, ac videat eo in lumine, quod ſupra indicauerat, circumfuſo; Antecedentia, concomitantia, ac conſequentia nuptiales Proſerpinæ toros obiter hic, & quaſi enigmaticè attingit, alibi fuſiùs explicaturus; vt iuxta Rethorum leges ipſo in exordio ſemina iaciat dicendorum, atque ex his ſe impelli, ad eorum ſeriem euoluendam, tacitè profiteatur, magiſque ex his attentionem ſibi conciliet.

IAM MAGNVS. Ab antecedentibus incipit: nam, cum inferius Plutonem exprimat indignatum, bella ſuperis moturum, tartara concitantem &c. certè hunc prauium Plutonis apparatum motus inferorum, ac fremitus comitari debuit.

FREMITVS itaque ſignificat ſonitum confuſum murmure, qualis fit à fluctibus maris, ac deſcriptus ab eodē Claud. in Rufinum pri. vbi tumultuantes inferorum potentias fluctibus impacati maris aſſimilat inquiens:

. . . . Ceu murmurat alti,
Impacata quies pelagi, cum, flamine fracto,
Durat adhuc, ſæuitq; tumor, dubiumq; per æſtum,
Laſſa recedentis fluitant veſtigia venti

Hic autem eumdem fremitum memorat: ſed addit.

MAGNVS. Vt intelligeremus, non talem eſſe, qualis eſt rumor maris, abſcedente vento; ſed qualis eſt rumor eiuſdem maris, vento adhuc incubante, quem *magnum* pariter appellauit Virg. Æn. pri., cum ait.

Interea magno miſceri murmure Pontum,
Emiſſamq; hyemem ſenſit Neptunus, & imis,
Stagna refuſa vadis &c.

Conſonat autem huic explicationi ipſa acceptio nominis *fremitus*, & eiuſdem deriuatio à verbo *fremo*, quod eſt *murmurare, & voce, indignationem oſtendere*, vt patet ex Æn. pri.,

vbi

vbi de ventis, quos Æolus carcere frænat indignantes, hæc habet Vates.

Illi indignantes, magno cum murmure, montis,
Circum clauſtra fremunt &c.

Quarè, cum de indignatione Plutonis locuturus ſit Claud., optime hic pro ſigno ponit.

Iam magnus ab imis auditur fremitus terris.

Parrhaſius tamen fremitum hunc accipit, pro eo fremitu, quem equi Plutonis ederent, cum vt, ait Vates in fine huius libri pri.

Stabant ante fores iuncti, ſæuumq; fremebant,
Craſtina venturæ ſpectantes gaudia prædæ.

Et quidem fremitum eſſe proprium equorum patet, etiam ex Virg. Æn. pri.

Tuque ò cui prima frementem,
Fudit equum tellus magno percuſſa tridenti &c.

Quarè Parrhaſij interpretationem non improbo, ſed, de vtroq; fremitu, Vatem intelligendum, non ambigo.

AVDITVR. Sicuti color, & lux obiectum ſunt ſenſus viſiui; ſic ſonus obiectum auditus tantummodo profectò eſt: ideò ſicuti de luce Templum implente ait Delubra cernuntur diſpergere claram lucem: ſic de fremitu loquens, qui nil tandem aliud, quam ſonus, eſt, loquens propriſſimè inquit *Auditur*: & quidem vt apertiùs declaret, ſe de inferorum fremitu loqui, vel illud ſit indignantium tartarorum, vel equorum ſit prædam expectantium appoſitè addit: *auditur*.

AB IMIS TERRIS. Imus enim infimum, & vltimum ſignificat; quapropter *Ima terra*, ſeu infima, ea erit, quæ circa centrum eſt; nam & terræ centrum, ſub nomine imæ ſedis, imum vocauit Cic. in Somn. Scip. dicens: *Ima ſede ſemper hæret terra*. Regiam autem Plutonis in centro terræ ſituatam, ſatis iam notum eſt.

TEMPLVMQVE REMVGIT CECROPIDVM. Multiplicem eruditionem, in hoc Cecropidum templo, compilauit eruditiſſimus Auctor; ideoque multiplici expoſitione enodandum arcanum quodlibet eſt, ſicuti, per corticis inciſionem, immortalitati dicatus liquor ex myrtheis extrahitur Plantis. Primo igitur notandum eſt.

CECROPEM terræ filium (vt fabuloſa narrat hiſtoria) creditum fuiſſe; nam vetuſtas, teſte Minutio Felici, obſcuros, & quorum parentes ignorarentur, terræ filios dictitabant. Patriam autem Cecrops habuit Ægyptiacum oppidum *Sai* ab Incolis nominatum; ex quo tandem profectus, pluribus alijs ex Aegypto ſecum adductis, Peloponeſſum eſt aſſecutus, ac in Peloponeſſi Regione, quæ & Achaia, & Attica dicitur, cum conſediſſet, Athenas condidiſſe fertur; quarum & Rex ipſe conſtitutus quinquaginta annos Imperij frænum prudentiſſimè eſt moderatus; Tanta in rebus gerendis Prudentia, ac fortitudine vius, vt, ad perpetuam tanti fundatoris, ac Regis memoriam. Athenienſes omnes ſubindè Cecropides fuerint appellati, ac Regio ipſa Cecropia dicta. Vide hoc circum, ſi placet, Mythol. Nat. Com. lib. ix., & Pier. in Hierogl. lib 32. Quarè ex his iam conſtat, *Templum Cecropidum* templum eſſe Athenienſium. Quomodo autem hîc veniat hoc templum, & cur, non leuis erit indaginis explicare. Verum Cecrops, vt habeo ex Mythol. cit. Nat. Com., Biceps deſcribitur, eo pacto, quo Ianus iam Bifrons dictus: & idem confirmat Pier. cit. In cauſa autem fuit, iuxta Pier. ibi, duplex lingua, Græca, nempè, & Ægyptiaca, quibus Cecrops apprimè pollebat; vel, vt alij dicunt, apud Mythol. Nat. Com. loco cit., Prudentia, & Robur, de quibus ſupra; vel quia Seueritatem ſimul, ac Clementiam in ſe ipſo coniunxerit, & exercuerit. Alij tamen ibidem volunt, Cecropem bicipitem fuiſſe dictum eo, quia primus apud Athenienſes matrimoniorum fuerit inuentor; cum priùs vaga Venere matres tantummodò mortales noſſent, ac leges ipſe de matrimonijs tulerit peragendis: quia videlicet, cum virtute matrimonij fiant duo in carne vna, eorum Rituum inuentor biceps, idest duorum iure capitum eſſe videretur dicendus. Hoc poſito: cum ex Pier. habeam, lib. primo Hierogl. Cecropi Gallos immolari ſolitos, habeo etiam per conſequens, Cecropem ab Athenienſibus in Deorum numerum relatum, ſicuti à Romanis Romulus, & alij vbique gentium viri præſtantiſſimi fuere, eumdemque illum arbitror eſſe Cecropem, quem in Cœlo figuratum, notat Hyginus, manalis aquæ, quam verſet, vrceo inſignem, cum ipſe in Atticorum Regno Acteoni, cuius filiam duxerat ſucceſſerit tunc temporis, cum vini vſus nondum hominibus notus eſſet. In Arce Athenarum eiuſdem ſepulchrum extitiſſe refert Antiochus ix. hiſtoriarum. Quarè ſicuti Cecrops Deorum Albo adſcriptus fuerat; ſic eius ſepulchri locum eidem in templum fuiſſe conſecratum, nemo, arbitror dubitauerit, in quo victimæ, more iam dicto, immolarentur. Cum igitur acturus ſit Claud. de Nuptijs, inter Plutonem, ac Proſerpinam ſancitis; nil mirum, ſi pro antecedenti, vel concomitanti, reſonans Cecropis templum, Auctoris ſcilicet Nuptiarum, indicauerit, ſibi claſſico veluti quodam incitamentum operis ſubijciens.

Remugire enim idem eſt, ac *Reſonare*; quaſi hoc ipſo templi ſonitu oſtenderetur Cecrops Vati nõ ſolum aſſentiri, ac ſuffragaturus adeſſe; ſed eundem ipſum, ad opus aggrediendum, vt dix: hortari.

Templum autem certè noſtris hiſce temporibus ædes eſt alicui Diuo ſacrata; antiquitus autem etiam Sepulchra celebriora Templi nomine decorabantur. Quarè Virg. Æn. 4. Sichæi Sepulchrum in Regia Didonis erectum Templum vocat, ex eoque voces viri vocantis auditas refert, cum mortem Dido ſibi ipſi inferre meditaretur.

Præterea fuit in tectis de marmore Templum,
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niueis, & feſta fronde reuinctum.
Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Viſa viri, &c.

Cur itaque ad imitationem Principis Poetarum non potuit, & Claud. Templum Cecropis, hoc eſt eius Sepulchrum inducere mugitibus reſonans, vt Vatem de Nuptijs reſerendis meditantem, Nuptiarum auctor incitaret?

Inſuper Hymenæus, Deus paſſim Nuptiarum habitus (vt aliquibus placet) ex Attica Regione, cuius caput Athenæ ſunt, ortum dicitur duxiſſe; &, Raptas quondam a latronibus Virgines, intactas parentibus reſtituiſſe, vndè factum fuerit, vt ſubindè in Nuptijs inuocaretur, quippè qui ſcilicet intactas ſeruauerit Virgines, maritis vtique tradendas. Cum igitur Attica tota, vt dix. *Cecropia*, & Incolæ *Cecropides* dicerentur: *Templum Cecropidum*, inquit Auctor, vt innueret, Hymenæum Plutonis nuptijs fauentem ſe ipſum expedire, vt & eaſdem narranti faueat Nuptias; ideoque *Templum*; hoc eſt *Patria* Hymenei, ipſius diuinitate ſcilicet in templum conſecrata, ad motum, plauſumq; Numinis reſonaſſe, vt congrueret plauſibus quos elicuiſſe hymenæus ipſe dicetur lib. 2. *Nymbis Hymenæus hiulcis inſonat &c.* Et has germanas arbitror huius loci expoſitiones, quarum vtramque attingere vnico contextu voluerit, more ſuo Vates. Sed quia verſamur in Poeſi, quæ vndiq; eruditionibus ſupereffluit, alias etiam ſubdere, non minus profectò curioſis profuturas, non pigebit.

Ex Mythol Nat. Com. lib. 2. habetur, Plutonem maximo in honore habitum in Pylo, ibique eidem magnificentiſſimum templum extructum extitiſſe. Porrò Pylus triplex memoratur in Peloponeſſo: Cum enim Peloponeſſus olim diuideretur in Achaiam, ſeù Atticam, cuius Metropolim Athenas fuiſſe, diximus, *Cecropiam* ſubinde dictam à Cecrope; in Elidem; Meſſaniam; Argium; & Arcadiam; Pylus vnus in Elide fuit; alter in Meſſenio agro; tertius verò in Arcadia: cum autem, in quo nam ex his extructum fuerit templum Plutonis, non ſatis liquido conſtet, certum tamen remanet, in quocumque tandem eorum fuerit in Peloponeſſo extitiſſe. Quare hac etiam fretus eruditione; *Templumque remugit Cecropidum*: inquit Claud. ponens partem pro toto, nempè *Cecropiam*, Peloponeſſi partem, pro tota eiuſdem regione, vt per *Templum Cecropidum* intelligeretur *templum Plutonis* in Peloponeſſo; regionem Cecropidum Peloponeſſium appellans à parte potiori, ſeù præſtantiori, & ratione regis, & ratione vrbis, in qua olim ſcientiarum vigebat emporium. Et quidem maxime principijs iam poſitis, ſic explicatus congruit Vates; nam, cum poſuerit fremitum ab imis auditum terris, nempè frementem Plutonis Regiam, conſentaneum erat, vt & Templum eiuſdem Numinis, ſuper terris poſitum, fremitus repercuteret inferorum: atque adeò ingenioſè ſubditur *Templumq; remugit &c.* Poſſet inſuper non incongruè dici, ex hoc textu indicari Aram illam, quam D. Paulus Act. 17. Athenis dicitur inueniſſe, IGNOTO DEO inſcriptam, & quam Claudianus hic deſignat dicatam ſub hoc titulo, Plutoni fuiſſe, inhærens illi Ægyptiorum Hieroglyphico, quo, vt oſtenderent occultum aliquid, Plutonem pingebant Galeatum. Pluto enim, vt notat Pier. cit. lib. 59., quippè Deus ſubterraneus, maximè latens, & abſconditus eſt, ac *ignotus*: adeòque diceretur hic Auctor nomine *Templi* Cecropidum illam ipſam Aram deſignaſſe, quæ fremitum ab inferis receptum redderet,

neque

neque enim nouus eſt Tropus Catacreſis, quo Poetæ nomine propinquo abutuntur, ad aliud propinquum ſignificandum; ſicuti certè maximè propinqua ſunt *Templum*, & *Ara*, quæ pars templi eſt, in eoque continetur, quarè ſi Catacreſim nolis; Synecd. aderit &c.

Huiuſmodi explicationes, vt vides, efficiunt vt textus Poetæ ſigna importent antecedentia, quibus veluti via ſternatur de Plutonicis nuptijs decantaturo. Si autem mauis explicationem ſigna importantem concomitantia, vt innuimus, ipſum Proſerpinæ Raptum nuptialem, ex alia eruditione in eodem textu incluſa facilè pandetur; eaque hæc eſt.

Ex Græcis verſibus Orphei inſinuatur, inter Eleuſim, & Athenas, in Attico ſolo, Ianuam Ditis adeſſe, non minus, quam ad Promontorium tænarium, de quo ſupra; & per hanc Attici ſoli Ianuam à Plutone ad inferos Raptam Proſerpinam fuiſſe deportatam. Hos autem Orphei verſus latino Idiomate donatos ſic extulit Mythol. Nat. Com. lib. 2.

Pluto tibi caſtæ Cereris nam filia quondam;
Cum legeret flores in prato, rapta, quadrigis
Impoſita eſt, & Cecropium portata ſub antrum;
Hac ubi Eleuſis adeſt, vbi nigri Ianua Ditis.

Hoc ipſum notat Cic. in Verrem, Oſtiumq; dicit eſſe ad Cephyſum amnem, ac Caprificum vocari. Quo ſpectato Cecropidum illud templum, ſeù Ara Plutonis remugiens aderit inſtar fremitus, Deo ſuo victoriam plaudentis, dum ille optata onuſtus præda Regni ſui Ianuas ingreditur ouans. Eodemque pacto ſe habeat, quod ſubſequitur ex Vate.

Sanctaſque faces extollit Eleuſis.

Quaſi Ciuitas illa, Eleuſis dicta, Pronuba canendis fieret nuptijs, eas extollens tedas quibus in Eleuſinis Cereri inſtitutis ſacrificijs myſtæ vtebantur, de quibus ſupra, Eleuſis enim Ciuitas eſt non procul ab Athenis, & ab indicata Ianua Ditis conſtructa. Quarè nil mirum, ſi & ipſa Rapinæ teſtis oculata videatur Vati ſanctas ſibi attollere faces, quaſi canendis pronuba nuptijs vt dicebam effecta: Sanctas autem faces appellat; nam ſanctum dicitur quidquid Hymeneo dicatum ſit. Adde, Ædem etiam fuiſſe, Cereri ſacram, non procul Athenis viâ, quæ Phalerium ducit, in qua Ceres ipſa, & filia, ac facem præferens Baccus viſebantur, ad quas faces alludere Vatem aſſerit Parrhaſius, ſicuti Barthius ad Eleuſinas faces referri autumat. Sed ſicuti Parrhaſij ſententia ſigna importat concomitantia; ſic Barthij expoſitio anſam præbet, vt ad ſigna iam conſequentia tranſeamus. Nec mirum; nam, cum Poema eloquens pictura dicatur eſſe; hæc, à Claud. hic expreſſa, eius generis pictura eſt, quæ, variatis perſpectiuis, figuras, & imagines variat, ita vt plures in vnica exprimantur tela, non minus quam columbæ collum *molle trahat varios aduerſo Sole colores*. Ex quo tantæ eruditionis fuiſſe conſtabit Auctorem noſtrum, vt numquam adeò enucleetur, quin vlterius eiuſdem Poema ſit enucleandum. Pro vlteriori igitur explicatione cit. textus.

Reuocandum hic in memoriam eſt, Cererem Proſerpina orbatam cupreſſinas faces accendiſſe, vt ijs, ad quærendam, vbique terrarum, filiam, vteretur. Dum autem, aſſiduis itineribus, orbem peragraret, ſi qua filiæ veſtigia deprehenderet peruestigans, hoſpitio excepta eſt à Celeo Eleuſis, de qua dix. Rege. Itaq; ad hoc ipſum alludens Poeta dixit, Eleuſim ſanctas extollere faces, ideſt faces Cereris, filiam quæritantis, & quæ ſanctæ dicuntur, cum ſanctæ vtique perquiſitioni deſeruirent. Ac inſuper, ex eo quod Ceres lamentationibus omnia compleret ſuis, oſtendit eam, Eleuſi cum facibus receptam, vehementes adeò querelas extuliſſe, vt etiam vicinum templum Cecropidum lamentabilem ijs ſonitum Eccho redderet. Ideò

. . . . *Templumq; remugit*
Cecropidum, ſanctaſq; faces attollit Eleuſis.

Confirmatur hæc expoſitio ex ipſa vi verbi *extollit*, quod idem ſæpè ſignificat, ac *celebrare*, *decantare &c.* quaſi ex Vatis mente ſenſus huius loci talis ſit, vt quemadmodum audire ſibi viſus fuerat fremitum inferorum, ſic videretur ſibi Eleuſim audire celebrantem ſanctas Cereris filiam perquirentis faces, vt Vati ſuggereret, quid ei dicendum, vt conſequentia ad nuptias rectiùs attingeret.

Noui equidem Heinſium hoc loco totum in hoc eſſe, vt oſtendat legendum eſſe *attollit*, non *extollit*, vt ſenſum preſſiùs exprimat *in altum eleuandi*, ſed præterquamquod idem quo ad hoc ſignificat *attollo*, & *extollo*; appoſitè, arbitror ego, Vates verbo vſus eſt *extollit*, quod & *in altum eleuare*, & celebrare ſignificat, vt gemino vſus ſenſu geminam attingeret eruditionem iam à nobis explicatam, ac maximè textui congruentem.

Poſſet fortè etiam quis non incongruè dicere Poetam inſuper alludere ad antiquum Siciliæ, vbi hæc agebantur, morem, faces ſcilicet in ſummitatibus montium, ac turrium accendendi, cum alicuius grauiſſimi facinoris reus eſſet conquirendus, vt omnes circum habitantes, nocturnorum ignium monitu, in diſquiſitionem inſurgerent: quaſi innuat Celeum Regem, Cereris hoſpitem, eiuſdem pietate commotum, faces more ſiculo accendiſſe, vt ſubditos omnes excitaret, ad auxilium Cereri præſtandum, ſi fortè filiæ Raptor detegi potuiſſet. Confirmaret huiuſmodi ſenſum gratus in eum Cereris animus, quo videlicet Celei filium non leuibus proſecuta eſt beneficijs, vt mox videbimus: hunc autem ipſum Siciliæ morem antequam ad Celeum perueniret, videtur imitata fuiſſe Ceres ipſa, dum ſub noctem faces perquirendo Raptori addictas accendit, & in monte Ætna accendit media in inſula erecto, vt vndequaq; conſpici poſſent. Quarè nil mirum ſi & Celeus hoc ipſum feciſſe inſinuetur imitatione Cereris, ex cuius narratione, quæ peregerit ipſa in accenſione facum, didicerit. Aduerte tamen, quod licet Auctor hæc omnia, tamquam latiùs diſcutienda proponat, non omnia tamen diſſeruit; nam vix Cererem inquirentem filiam deſcribit, cum neſcio quo fato vel ipſe opus abſciſſum, imperfectumq; reliquit, vel certè iniuria conſumptum temporis perijt reliquum, quod operis deſideratur, ne noſtras latiùs mentes erudiret. Quarè & ea quæ hic, & ea, quæ ſubſequentibus carminibus, ad inuocationem vſq; propoſita ſunt, non diſcutit, opere, vt diximus, imperfecto decidente.

ANGVES TRIPTOLEMI STRIDVNT &c. Ceres hoſpitio excepta à Celeo Eleuſiorum Rege, vt ſupra dix., vt gratum animum oſtenderet, Triptolemum Celei filium, recens natum, alendum ipſa ſuſcepit; eumque, ſacro igne, per noctem; per diem verò diuino lacte paſcebat: ac, præterquamquod Celeum ipſum omnem agriculturæ rationem antea docuerat, eumdem poſtea filium, alatis ſerpentibus ſuperimpoſitum per totum orbem miſit errantem, ad vſum frumentorum hominibus indicandum, vt patet ex Ouid. Metam. 5. qui immò dicit, Cererem proprium currum, ſerpentibus vectum alatis, Triptolemo ad id minus obeundum ceſſiſſe, hæc inſonans.

. . . . *Dea fertilis angues,*
Curribus admouit, frænisq; coercuit ora,
Et medium Cæli, terræq; per aera vecta eſt,
Atque leuem currum Tritonida miſit in vrbem,
Triptolemo &c. Ideò

ANGVES TRIPTOLEMI STRIDVNT: inquit Poeta, quaſi audiret ſerpentes illos, ſe ipſum ſibilo excitantes ad enarrandum id, à quo poſtea eorum emerſit gloria; ac geſtientes videret, ſe ipſos ad carminis attentionem componere.

ANGVES. Anguis propriè loquendo ſerpens dicitur in aquis degens; hic tamen Angues ſunt Cereris Dracones, de quibus infra, qui angues per Catacreſin dicuntur.

TRIPTOLEMI. Triptolemum Celei filium iam vidimus fuiſſe, matrem verò eiuſdem ſi quæras, alij dicunt ex Menaline natum, alij ex Meganira, alij verò ex Deiope, cuius Eleuſi tumulum cum fundamenta templi Cereris, de quo ſupra, effoderentur, inuentum ſcripſit Ariſtoteles. Philocorus tamen ab Ouid. diſſentiens aſſerit Triptolemum longa naui vſum fuiſſe, ad orbem circumeundum, quam hic nomine Anguium venire arbitratur; cum notum non ſit apud Nautas Nauem ex inſignibus denominari. Sic apud Virg. Æn. 5. Centaurus, Piſtris, &c. dicuntur Naues, ex ſigno Centauri, Piſtris &c. quod gererent. Verum non libet ab Ouidio recedere, nam magis ad rem facere videtur gratus Cereris in Celeum animus, vt dicebamus.

STRIDVNT. Non à ſtrideo, ſed à *ſtrido* deriuatur. Sicut apud Virg. 8. Æneid. habetur.

. . . . *Stridunt q; Cauernis,*
Stricturæ calybum &c.

Stridêre autem, ſeù *ſtridere* (nam idem ſonant) eſt *ſtrepitum edere*; & propriè conuenit Plauſtri rotis, ob nimiam ſiccitatem gementibus. Itaque cum agatur hic de ſerpentibus currum trahentibus optimè ſtridere dicuntur, ſignificatione à curru ipſo ad trahentes translata; ni potius velis cum Parrhaſio, *ſtridunt* poſitum pro *ſibilant* per catacreſim, quod non abnuo.

ET CVRVI LEVANT &c. Signum ſigno innectit, per copulatiuam particulam *&*. *Curui*, hoc eſt, ad cantum

promptius audiendum, inflexi; nam curuus dicitur, qui quaſi in arcum flectitur, & contorquetur; licet enim curuitas propria ſerpentis ſit progredientis; hic tamen peculiarem notat ſerpentium actum, ſeù habitum ſe ſe ad Carmen audiendum componentium, ac ideò deflectentium, vt Vati incitamento eſſent ad canendum.

LEVANT. *Leuo* idem ſæpe ſignificat, ac *recreo*, vt patet ex Cic. in Catil. vbi ſic, *& corpora quidem defatigatione, & exercitatione ingraueſcunt; animi verò ſe exercendo leuantur*, In eodem ſenſu etiam habetur apud Virg. Æn. 9.

Interea genitor Tyberini ad fluminis vndam,
Vulnera ſiccabat lymphis, corpuſq; leuabat.

qua in ſignificatione egregiè hic cadit verbum *Leuant*, ideſt *recreant*; quaſi nouâ ſerpentes perfuſi lætitiâ, in expectatione cantus, Iugum nequaquam ſentirent acerbû, ſed leuarent

COLLA. Collum pars corporis eſt caput ſuſtentans, & in Brutis ea propriæ pars eſt, V. G. in Bobus, equis &c. cui Iugum imponitur cum ad currus iunguntur trahendos.

FLAMMEA autem ea vocauit colla Hyperbolicè, hoc eſt *colore flammas imitantia*; nec ſine myſterio talem hic ſerpentium formam, coloremuè deſcribit; ſerpens enim ſquammis perlucidus auſpicatior eſt ex Pier. lib. Hierogl. pri., & hinc eſt, vt Poeta Triptolemi ſerpentes flammea Colla habere dixerit, hoc eſt inſtar flammæ perlucida, & ignis in morem rutilantia, quippè qui fœliciſſimum fertilitatis augurium, ex eorumdem frugifera Dea, quoquo irent, ſecum indiuiſibiliter comportarent.

ATTRITA IVGIS. *Adſtricta*, ideſt *iuncta*: legit hoc loco Parrhaſius, Sed ſuperfluum hoc eſſet; nam eo ipſo quod ſerpentes currum dicuntur trahentes ſatis habetur, quod *iuncta* Iugo colla deferrent, olim enim non loris tantum, vt nunc, animalia currus trahentia iungebantur, ſed iugo, vt & nunc boues aratrum ducentes; ni fortè errore librariorum *Adſtricta* irrepſerit pro *obſtricta*, quod fortaſſis voluerit Parrhaſius, vt iuris verbo vſum oſtenderet Vatem. Nam collum obſtrictum verbum iuris eſt, ex eo quod, collo obſtricto rei in ius traherentur, in quo ſenſu Parrhaſij lectionem nequaquam improbarem; nam ſerpentes currui trahendo damnati videntur, quodammodo in ius trahi, quoties currui adiunguntur. Cum tamen cum vulgata Heinſium, alioſq; videam conſentientes, vt *attrita* legant, nil arbitror immutandum. Et quidem optimè *attrita*: attritus enim idem eſt, ac imminutus, ſeù ſaltem leuigatus; vulgò *logorato, ouer almen liſciato*. vt in hoc eodem ſenſu legimus anſam, apud Virg. attritam Eccl. 6.

Et grauis attritâ pendebat Cantharus anſâ.

Et apud eumdem Georg. pri. Vomerem habemus attritum.

Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro,
Ingemere; & ſulco attritus ſplendeſcere Vomer.

Quarè *Colla attrita* denotant frequentationem, aſſiduumq; Iugi vſum ſuſtinendi, currumuè trahendi, quo fit vt colla ipſa Iugo attrita leuigata videantur, & imminuta, ac calloſa appareant: idque maximè aptatum ſerpentibus Triptolemo datis, quibus ſcilicet vniuerſum peragrauerit, vt Cereris gloria frueretur abundè. Iugum verò ligneum quoddam inſtrumentum eſt, quo boues iunguntur trahendis plauſtris; ac indè tranſlatè accipitur pro quacumq; oneroſa ſeruitute, & pro quocumq; nexu, ac vinculo coniungente, immò etiam pro ipſo vinculo matrimoniali; aſt hic in primo, ac proprio ſenſu vſurpatur.

ET LAPSV SERENO ERECTI. *Lapſus* ſerpentum dicitur progreſſus, à labor, nam labitur ſerpens, cum progreditur, ſeù meliùs in ventrem graditur; hic autem lapſus idem, ac *error*, ſeù *diuagatio* eſt modo dicto peracta à ſerpentibus; hi enim, quippè tortuosè incedentes à rectâ ſemper aberrant linea, atque in incertum diuagari videntur, lapſu autem, dixit, *ſereno*, vt oſtenderet ſerpentium Alacritatem, quam ſupra innuimus, & qua carmen ſollicitarent: Serenus enim pro eodem tranſlatè ſumitur, ac alacer, eo quod ſerenitas ſemper lœtitiam ſpiret. Adde ſerpentes huiuſmodi fuiſſe Cereri ſacros, atque à ſacris quemlibet turbationis impetum ſemper arceri. *Erecti* verò adiectiuum participiale eſt ab erigo. Erigere autem vulgo ſonat *ſollevare, drizzare, inalzare*. Quarè denotantur ſerpentes ſubleuati in pectus, licet reliquo reptantes corpore, quales apud Virg. Æn. 2. ſerpentes à Tenedo enatantes.

Pectora quorum, inter fluctus, arrecta, iubæq;
Sanguineæ exſuperant vndas &c.

Et proprium profectò ſerpentium eſt, ad quemcumq; ſonitum, colla in altum erigere, vt attentiorem præſtent auditum, Quarè aptiſſimum his habitum attribuit Vates ſe ad Carmen audiendum componentibus.

TENDVNT ROSEAS CRISTAS. Tendere pro eodem non ſemel accipitur ac *porrigere* ſic Virg. Æn. pri.

Extemplo Æneæ ſoluuntur frigore membra.
Ingemit; & duplices tendens ad ſydera palmas &c.

Præclarè igitur hic *tendunt*; hoc eſt porrigunt, & offerunt (nam & pro offerre, tendere dictum reperio) aures: criſtas namque poſuit pro toto capite, in quo & aures ſunt. In quo Metalepſis aderit: Criſta enim ferociſſimorum eſt ſerpentû capitis coronamentum, nempe vertex, & conus quidam illi ſimilis, quem in Galli capite intuemur. Plinius quidem fabuloſas in ſerpentibus Criſtas autumat; quod & Barthius hic, ſed certè tàm Latinæ, quàm Italicæ linguæ Vates Criſtatos ſæpè ſerpentes dictitant; Poetæ autem cum Poetis loquendum, etiam ſi vera non eſſent ea, quæ ab alijs referuntur, nempe Criſtatos ſerpentes non ſemel ab ipſis aſſerentibus viſos. Certè Draconibus Criſtas, attribuit etiam Aſtulphus in ſua officina hiſtorica lib. 3. c. 16. Et ſerpentes qui hoc loco deſcribuntur, Dracones Cereris ſunt, quibus Vates Criſtas attribuit *Roſeas*; quia ſerpentum Criſtæ, cum ira excandeſcunt, igneſcere videntur, cum verò pacati ſunt, flammeum, roſeo accepto, deponunt colorem. Cum igitur Poeta tranquillos, lætoſq; nedum pacatos deſcripſerit ſerpentes, Roſeum Criſtis colorem prudentiſſimè adſcripſit.

AD CARMINA, Ideſt vt attentis auribus, præmeditatam ab Auctore, & de qua ipſi infuſam ab ipſa Cerere domitrice notitiam habeant, Poeſim hauriant, ipſorum de conſequenti gloriam promulgaturam.

ECCE PROCVL &c. Viſiones viſionibus adnectit, ex quibus tamquam partibus conſtantibus ea viſio integratur, quam ſemel cœpit enarrare, & qua ſe impelli ad cantum profitetur. Verum ne circa intelligentiam huius loci, longiùs quam par ſit aberremus, aliqua priùs aduertenda propono. Conſimiles à diuerſis licet cauſis effectus, ac conſimiles rerum licet diuerſarum denominationes, ſæpè ſæpiùs, etiam prudentiſſimos quoſq; non leues in errores adduxerunt; quod, vt in pluribus, ità quam maximè euenit in Hecate, de cuius natiuitate variant adeò Auctores, vt vix aliquid poſſe certum ſtatui, videatur. Hanc alij filiam Fauni dixêre, & Semelem alio nomine nuncupatam: Alij cum Orphæo Tartari, ſeù Bacchilidis, & Noctis filiam faciunt: Alij Aſtheriæ, & Perſei; Alij Iouis ex Latona: Alij Iouis ex Cerere natam ferunt. Quid igitur? Num vnica filia totidem naſci potuit, vt tot Natalis ſui iactet auctores? Vt itaq; difficultatem enodemus, plures fuiſſe Hecates, notandum eſt. Et prima quidem, nempè Fauno nata, memoratur apud Pier. Valer. lib. Hierogl. 14. quæ etiam adeò tenax honeſtatis fuiſſe dicitur, vt ſemper Fauni Patris, eam ad turpia ſollicitantis, nequitiæ fuerit obluctata; & nec virga Myrtea verberata, nec vino oppreſſa ab eodem genitore, vnquam illi aſſenſerit; donec tandem Pater, in anguem transformatus, filiam, vndique ſpiris colligatam, improbitati ſuæ parêre compulerit inuitam. Hanc qui cum Cynthia, ſeù Diana confunderet, erraret profectò, nam & Cynthia quidem virginitatis amans, ſed numquam vitiata legitur; & filia Iouis eſt, non Fauni. Secunda Hecate illa eſt, quæ Tartari, ſeù Bacchilidis, & Noctis dicitur filia, quæ etiam *Brimo*, à fremitu, vocatur. Hæc terribilis aſpectu, ac proceritate corporis dimidium ſtadij occupans effingitur, ac pedes ſerpentum inſtar habuiſſe reptantium; cum vultus, & aſpectus ad Gorgonum naturam accederet: Pro coma denſiſſimi dracones, ac viperæ, aliæ in cincinnorum morem contortæ, atque exſibilantes viſebantur, aliæ collum amplexebantur; aliæ ſpargebantur in humeros demiſſæ. Hanc Diuam creditam fuiſſe, ſub nomine *Brimo* autumat Apollonius, cuius græca carmina latinitate donauit Nat. Com. lib. Mythol. 3. ſic, *Tum vaſa cremauit*.

Ignibus innocuis mixtam lachrymis fundens,
Auxilio, Brimoq; vocans Hecatem, ſibi Diuam.

Hæc eadem Præſes veneficiorum habita, ideoq; veneficorum, magorumq; carminibus frequentata, ac Regina inferorum dicta eſt, vt ex eodem Apollonio patet apud Nat. Com. cit. his verſibus.

Protinus hac Brimo *flens terq; quaterq; vocauit.*
Brimo *nocturnam Reginam, quæ imperat vmbris.*

Tertia Hecate fuit Aſtheriæ filia ex Perſeo illo antiquiſſimo, Cei filio, vt patet ex verſibus Heſiodi græce quidem conſtructis, ſed ab eodem Nat. Com. cit. latinitate donatis, quæ ſic apud ipſum ſonant.

Edidit Aſtheriam pulchram, quam Perſes dicunt
Vxorem

Vxorem duxiſſe domum, quæ mox parit illi
Natam Hecatem &c.

Eoſdemq; huius Hecates parentes fuiſſe aſſeuerat Ouid. Metam. 7. , dum illam Perſeidem à Perſeo vocat.

Ibat ad antiquas Hecates Perſeidos aras,
Quas nemus vmbroſum, ſecretaq; ſylua tegebat.

Hæc venatrix fuit, quarè eam aliqui cum Diana confundunt, ſed immeritò; nam Diana ex Ioue, & Latona, non ex Aſtheria, & Perſeo ortum duxit; nec venefica vnquam fuit, vt hæc dicitur fuiſſe adeò, vt & prima peſtiferas herbarum radices inuenerit, & tanta ijs animi crudelitate vſa fuerit, vt earum vim in hoſpites conuiuio exceptos experiri, in delicijs habuerit, ac proprium genitorem interimere auſa veneno fuerit. Qua atteſta crudelitate hanc aliqui eamdem eſſe, cum Hecate illa Noctis filia dictitarunt; ſed non ita ſenſiſſent, ſi natalium diuerſitatem animaduertiſſent. Quarta igitur Hecate Iouis eſt, ac Latonæ filia, ſoror Apollinis, alio nomine Luna, ſeù Cynthia, ſeù Diana, quæ etiam Tergemina dicitur à Virg. Æn. 4. *Tergeminamq; Hecatem, tria Virginis ora Dianæ.* Hinc apud Pier. lib. Hierogl. 32. ſimulacrum Dianæ inuenias triceps efformatum eodem modo, quo Hecates figura, cuiuſq; tandem illa ſit, triceps ponitur apud eumdem lib. 59. Notat tamen ipſe idem dicto lib. 32. vnicâ facie Dianam reperiri apud Pauſaniam; & Alcamenem primum fuiſſe, qui tricipitem efformauerit. Porrò aliqui putarunt, hanc triplicem figuram Dianæ attributam, eo quod illa triplicis numinis ſubſtantiam habeat, cum, vt ipſi dicunt, eadem ſit Luna, ſeù Cynthia in Cœlis, Diana in ſyluis, & Proſerpina in inferis. Sed eſto eadem ſit Luna, ſeù Cynthia in Cœlis, ac Diana in Terris, cum & Natalia conſentiant, nempè ex Ioue, ac Latona; quomodo erit eadem, & *Proſerpina*, quæ Iouis quidem, ſed ex Cerere filia eſt? Refellit autem hanc opinionem Claudianus ipſe hoc pri. lib. de Raptu, vbi Dianam inducit, vnà cum Venere, ac Pallade, ad inuiſendam Proſerpinam, properantem; & lib. 2. vbi Proſerpinæ flores legenti Comites addit Palladem, Venerem, ac Dianam, & raptam dicit Proſerpinam, non raptam Dianam; præterquamquod nemo ſe ipſum inuiſere dicitur, aut ſui ipſius comes eſſe. Luna igitur, ſeù Diana, vel Cynthia non dicitur Hecates eo, quod, centum annos, errare faciat inſepultos, vt aliquibus placuit, nam hoc potius ad eam, quæ Brimo, & Regina inferorum dicitur, referri deberet: neq; ex eo, quod ſacrificio centum hoſtiarum *Hecatombe* dicto eius Numini litandum ſit; nam hoc Proſerpinæ potiùs ſacrificium conuenit: ſed Hecate dicitur, nomine à Mari deducto, nempè ab Apolline fratre, qui græca lingua ἑκατὸς dicitur, quarè & ſoror Ἑκάτη, ſicut ex eo quod ille dicatur Cynthius, Delius, Phœbus, ſic Luna ſoror ipſius Cynthia, Delia, Phœbe, nuncupatur. Ratio autem cur Diana, ſeù Luna triceps deſcribitur non eſt, quod vna, & eadem trinum ſit Numen; ſed quia Luna verè triplicem ſui figuram exhibeat; nam modo plena fulget, ac tota luminoſa eſt, vt in diebus Plenilunij; modo omninò latet obſcura, vt in diebus Lunæ, vt vocant, ſilentis; modo partim lucet, partim obſcura eſt, vt in Nouilunio, ac Lunæ ipſius decremento. Inſuper Luna modo alta apparet in Cœlo, modo circa Horizontem deflexa in ſyluis latere videtur, dum per interpoſitas, inter ipſam, noſtroſq; oculos, ſyluas interruptum immittit lumen: modo ſub Horizonte latet depreſſa, ita vt videatur ad inferos deſcendiſſe, ex quo eorum eſt error, qui dixerunt, Lunam, ſeù Cynthiam in Cœlis, Dianam eſſe in ſyluis, Proſerpinam in inferis. Adde etiam aliam erroris cauſam; nam poteſt dici, eam *Hecatem* vocari ab ἑκάς, ideſt *Longè*, eo ſcilicet quod Luna in Cœlis certè à nobis diſtet, quantum Cœlum ipſum diſtat à terra. Sic Diana ἑκάς, longè à nobis eſt, quia ob virginitatem perpetuam, quam ſeruare ſtuduit, longè ab omni hominum commercio, ferarum venatrix ſemper in ſyluis latuit. Proſerpina ἑκάς pariter, longè à nobis eſt, quia cum in inferis, quo deportata fuerit, degat, certè longiſſimo à nobis diſſita ſedet interuallo. Verum hoc indicat quidem omnes, ac ſingulas ex præcitatis, ob paritatem rationis Hecates nomine inſignitas; ſed non omnes vnam, eamdemque Hecatem eſſe. Alij Proſerpinam, eo quod *Hecate* dicatur, cum illa confundunt, quam Reginam diximus inferorum, ac Noctis filiam, & hanc cum Luna; ea ipſa ratione ducti, quod ſcilicet Hecate illa noctis filia veneficiorum Præſes dicta fuerit, vt vidimus, & Luna item eadem, quia & ipſa à veneficis inuocatur, & ab illis de Cœlo trahi dicitur paſſim. Sed aduerte diuerſitatem inuocationis; nam filia illa Noctis inuocatur, vt veneficiorum Patrona, & vt veneficos foueat, iiſq; opituletur; at Luna ab ijs vocatur potiùs, quam inuocetur, vt incantationibus, ac veneficijs deturbetur, obſcuretur, & deliquium patiatur. Rurſus Hecate illa Noctis filia Inferorum Regina habebatur, vt dix., quod nunquam de Luna traditum eſt: Verum ex hoc ipſo eamdem cum Proſerpina confundunt: ſed non fuit illa vxor Plutonis, nec Ioue, & Cerere nata, vt vidimus; ſed tantum habita eſt Regina Inferorum, attenta forma corporis, ad inferorum portentum efformata, & attenta animi crudelitate, quæ, non niſi apud inferos, cuſa videretur, & ipſam furiarum rabiem excedere. Plures igitur Hecatas agnoſco. Primam quidem Fauni filiam, quæ ἑκάς, hoc eſt longè, non à nobis certè, ſed ab humanitatis corruptæ fuerit inclinatione, ſerpentis tantum aſtu decepta, ac vi tandem violata. Secundam eam Noctis filiam ἑκάς, hoc eſt longè, ex ipſa corporis ſtructura, ab humanis recedentem; longiùs, ſi Præſes, ante Proſerpinam, fuerit inferorum. Tertiam Perſei filiam ἑκάς, hoc eſt longè ab humanis diſtantem, ex efferata animi crudelitate, qua in internecionem humani generis ferebatur. Quartam Lunam, ſeù Cynthiam, aut Dianam, quæ ſi conſideretur in Cœlo, certè ἑκάς, procul ſcilicet à nobis eſt; & ſi conſideretur, iuxta poeticum figmentum, in ſyluis venatrix ἑκάς, *procul* à nobis eſt, cum hominum in ſyluis abdita commercium euitare ſtudeat. Quintam denique Proſerpinam ipſam, *Hecate* nuncupatam ab ἑκάς, quia, procul certè, in inferis eſt. Diſſonantiam verò Auctorum de Hecates perſona differentium, inde prouenire dixerimus, quod vni attribuant ea omnia, quæ eſſent in plures diſpertienda; eo pacto, quo, cum plures fuerint Hercules, diuiſim ab omnibus prouenientia facinora vni Alcmenæ filio tribuuntur. His autem prænotatis, ad expoſitionem tandem eruditiſſimi Poetæ deueniamus.

ECCE PROCVL &c. More prophetico, enarrare proſequitur Poeta viſionem, quam Numine afflatus iam ſe conſpicere cœpiſſe profeſſus eſt, & iam partem edixerat, vt fuse ſupra diſſeruimus.

ECCE. Aduerb. demonſtrandi eſt, quod, vt plurimum, aliquid repentinum, & inſperatum ſignificat, vt teſtatur Auſonius, qui hoc proprium eſſe dicit Ciceronis, vt, in rebus improuiſis, hoc ipſo fere ſemper vtatur aduerbio *Ecce*. Demonſtrat igitur, & quaſi digito oſtendit Vates hic, inexpectatum, ac inſperatum quid eſſe, quod à viſione, Phœbeo ſibi lumine repreſentata, ſuggeritur enarrandum: Hocque dicit eſſe Hecatem, nempè Proſerpinam, quæ, dum inferorum efficitur Regina, propter nominis æquiuocationem, anſam præbuerit Alcameni eam Tricipitem excogitandi. Quaſi dicat: Ecce vnde ortum habuerit commentum indicans, *Hecatem* Lunam eſſe in Cœlo; Dianam in ſyluis; Proſerpinam in inferno: Ecce iam video primum huius commenti exordium hinc eſſe, quia ſcilicet tria hæc Numina, licet eſſentialiter diuerſa, in hoc tamen conueniunt, quod ἑκάς à nobis ſint. Ideò Hecate Luna in Cœlo &c.

Aliam pariter eruditionem, & quidem directè, & principaliter (nam ſupradicta minùs principaliter, & quaſi obiter attingitur) inſinuat Poeta hic. Sub nomine enim Hecates non Proſerpinam modo innuit; ſed Dianam inſuper Iouis ex Latona filiam indicat, quæ item Hecate dicta eſt, vt ſupra. In cauſa eſt, quia apud Plateenſes, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 3., antequam nuptias celebrarent, in more poſitum fuit, vt Dianam cognomento Eucliam placarent ſacrificijs adhibitis; quod, cum eſſet Virgo, odio habere matrimonia putaretur. Ad quod alludens Poeta oſtendit, ſe videre quidem Dianam placatam Proſerpinæ Nuptijs intereſſe; ſed

PROCVL tamen, ideſt quaſi inuito, auerſoq; & longè ab approbatione nuptiarum animo diuagantem; eo pacto videlicet, quo dicturus eſt lib. 2. vbi de Pallade, ac Diana raptui Proſerpinæ adſtantibus agens inquit: *Innuba ceſſere Dea &c.* Ideò enim dixit: *Ecce procul Hecate*; addit autem: *Ternis variata figuris*; vt magis expreſsè oſtendat, ſe de Diana loqui, quæ Triuia etiam dicitur, non ſolum quia colebatur in Triuijs, ſed etiam quia, cum Diana eadem ſit, ac Luna, verè triplicem ſui figuram oſtentat, vt iam ſupra adnotauimus; atque vt eam à Proſerpina, quæ nunquam Triceps fuit, vt vid., diſtinguat contra eorum opinionem, qui, fabulati ſunt Proſerpinam eamdem, ac Dianam eſſe, eo quod ex Fabulis acceperint, Iouem à Cerere exoratum conceſſiſſe, vt rapta Proſerpina ab inferis reduceretur, ſi tamen nil cibi apud inferos guſtaſset; ſed comperto, eam ibi aliquot grana Mali punici comediſse, tantum Cereri danum,

vt dimidiato tempore Proſerpina. ſex menſes ſcilicet apud Virum in inferis, ſex apud matrem degeret, & ſuperos; quod cum Dianæ, ſeù Lunæ conuenire videatur, quia tantumdem ſub terra, quantum ſupra, vt notat MVT. cit. Nat. Com. toto anno commoretur; hinc eſt vt fabulati, & illi fuerint Proſerpinam eamdem fuiſſe, ac Dianam, ſeù Lunam. Sed nimis iam fortè digredimur, habita iam germana Auctoris explicatione; quidquid in contrarium afferat Barthius in hunc locum innixus auctoritati Prudentij, qui lib. pri. in Symm. cecinerit.

Denique cum Luna eſt ſublustri ſplendet amicta;
Cum ſuccincta iacit calamos Latonia virgo eſt;
Cum ſubnixa ſedet ſolio Plutonia coniunx.

Nam nos longè, latèque auctoritatem iſtam infregimus, patenti nimis aſſignata diſparitate. Heinſius non *ternas varieta figuris*; ſed *ternas variata figuras* per helleniſmum legit; quod nil affert tandem diuerſitatis, aut eruditionis quod in vulgata non habeatur.

HECATE EXORITVR. Prima, quam circa nomen *Hecate* attullimus, explicatio egregiè ex verbo *exoritur*, quo vſus hic Vates eſt, confirmatur; nam apud Terentium idem eſt *exoritur*, ac *deriuatur*; quaſi dixerit Auctor; Hinc exoritur. Ideſt hinc deriuatur: *procul*, ideſt quamuis *procul a vero* commentum tricipitis Hecates. *Exoritur procul ternis variata figuris Hecate.* Secundæ pariter ad idem nomen expoſitionis fundamentum habetur, & ex ipſa eruditione, quam de Diana retulimus, & ab ipſa propria ſignificatione verbi exoritur, quod propriè ſignificat vulgò *uſcir fuori; farſi vedere*. Quaſi Diana nuptijs Proſerpinæ, adſit placata quidem, quo ad aſpectum; ſed animo reluctanti &c. vt ſupra fuſiùs dictum.

LENISQVE SIMVL PROCEDIT IACCHVS. Iacchus nomen Bacchi eſt ab *ἰακχῶ*, quod eſt *clamo, vociferor, ſtrepitum edo*; nam Baccho ſacrificantes omnia clamoribus, & vlulatibus complebant. Iacchum Proſerpinæ filium ex Mercurij concubitu ſuſceptum refert Cornilius citatus à Parrhaſio hic: eumdem Proſerpinæ item filium facit Arrhianus ab eodem citatus, & à Ioue ſuſceptum autumat ex Proſerpina, qui in Anguem mutatus, eo pacto, quo de Fauno diximus, filiam vitiauerit. Sed hæc ſunt omninò à ſententia noſtri auctoris aliena, qui vbique Proſerpinam, antequam Plutoni nuberet, Virginem vocat. Aliunde igitur deſumenda ratio, cur Iacchus huc ſe conferat. Parrhaſius idem cum viderit fabuloſam, quam attulerat Iacchi originem non poſſe ſubſiſtere, aliam aſſignat rationem, & dicit, vim, quam Proſerpina in ſemine, Ceres in ſegete repreſentat, ab Iaccho in plantis repreſentari, & ideò iure comitem Proſerpinæ aſſignari. Sed quid hoc cum Nuptijs decantandis, vel cum viſione ad eaſdem nuptias pertinente? Aliam init viam Barthius, dum inquit Ecquis tot Deorum Cereri, eiuſque propagini amicior fingi, aut aſſociari gratior libero poſſet, præſertim ad nuptiarum pompam ornandam, quam iſte feſtiuitatum omnium Choragus? Aliqua hæc ratio eſt, nec inficior. Sed quomodo gratus Cereri, aut Proſerpinæ, in caſu, lætitiæ Deus, cum vtrique Deæ luctuoſiſſimæ fuerint Nuptiæ, Cereri quidem ſemper, Proſerpinæ verò ſaltem cum raperetur, vt patet ex dictis eiuſdem, quibus de Patris inclementia conqueſta eſt lib. 2. Auctoris, vbi ait.

Cur non torſiſti manibus fabricata Cyclopum,
In nos ſola Pater? &c.

Aliam itaque ego validiorem hic affero, & quidem non vnicam huius rei rationem. Bacchum triplici nota inſignitum reperio. Prima eſt, eum diadematis fuiſſe inuentorem: quarè cum agatur hic de coronanda in Reginam inferorum Proſerpina, Bacchus diadematis inuentor accedat neceſſe eſt. Secunda eſt Bacchum inuentorem extitiſſe ſacrificiorum: Quarè cum Proſerpinæ inferorum Deæ conſtitutæ propria ornanda eſſent ſacrificia congruè adſtare dicitur ſacrificiorum inuentor Bacchus. Tertia eſt Bacchum auctorem generationis creditum fuiſſe, vt refert Mythol. Nat. Com. lib. 5. atque ideò nuptijs intereſſe proprio quodam cogitur iure, quippè quæ ad generationem propagandam fuerint inſtitutæ; nam Pluto vxorem petijt.

Impatiens neſcire torum, nullaſque mariti
Illecebras, nec dulce Patris cognoſcere nomen,

LENIS autem vocatur, quod italicè ſonat; *Molle, delicato, effeminato*; cum verò Bacchus iuuenis ſemper molliſque & effœminatus deſcribatur, ac pinguedine ſupereffluenti ferè grauatus; optimè illi lenitas competit. Sed, vt propiùs ad rem accedamus, *lenis* dicitur hic in eo ſenſu, quo *Lenis* idem ſonat, ac *mitis, facilis; ſauens, clemens, placatus*; nam cum humanis ſacrificijs Bacchi crudelitas placaretur; dum hic agitur de Proſerpina infernis, per has nuptias, deitatibus immolanda, Bacchus generationis auctor creditus hac nuptiali hoſtia placatus dicitur, adeoque lenis, ac mitis accedere. Alij legunt *latus*, ſed non video cur à vulgata recedendum.

SIMVL. Non ſignificat hoc aduerb. hic perſonarum concomitantiam, quaſi ſimul cum Diana, ſeu Hecate iunctis in idem animis procedat; nam cum viderimus Dianam; vtpotè virginem, auerſo animo adſtare, Bacchum verò, quippè generationis auctore, prono in nuptias animo adeſſe, non poteſt inter duas contrarij animi perſonas ſocietas copulari; ſed aduerb. illud *ſimul* concomitantiam tantum temporis importat; quaſi dicat: eodem tempore, licet diuerſis affectibus adſunt Hecate, & Bacchus; illa violatam deplorans virginitatem in Nuptijs; iſte, Hymeneis lœtus, hilari approbans fronte.

CRINALI FLORENS HEDERA. Ignotum non arbitror, quod Homerus de Baccho aſſeuerat in hymnis; nempè illum, à prima vſque infantia, ſolitum fuiſſe hederaceis coronis tempora redimire: ſed, vt imperitis meliùs hoc loco res pateſiat, non piget Homeri verſus ſubſcribere, qui in Mythol. ſua à Nat. Com. lib. 5. latinis ſic muſis efferuntur.

Tunc quoque paruus erat, ſyluiſque errabat in altis,
Ornatus lauro, atque hedera &c.

Quarè ſemper exiſtimata fuit hedera Patri Libero ſacra. Ratio autem, cur hedera Baccho ſacra ſit, multiplex redditur. Prima eſt, quia, cum Semelem Bacchi matrem Iuno, pellicatu offenſa, fulminibus obiecisset incautam, ac Bacchum ſubindè ipſum acerrimè perſequeretur, fertur iſte, adhuc infans, inter denſas hederæ frondes ab ira perſequentis latitaſſe, ac grati ſubindè in ſignum animi eiuſdem fronde coronatus inceſſiſſe. Secunda eſt, quia tortuoſa hæc arbor Bacchis ſuis e ramulo pendentibus vuarum racemos imitetur. Tertia, quia ſemper viridis, vt Bacchus ſemper iuuenis eſt: nam viriditas iuuentæ ſymbolum. Quarta, quia hæc arbor, vtpotè naturâ frigida, videatur, ob inſitum frigus, ſecum ferre amuletum ebrietatis, vel potius quia vt habet Plutarcus in ſimpoſiacis vino permixta ebrietatem inducat. Quinta, quia Ciſſus Bacchi comes, cum inter ſaltandum periſſet; Bacchi iuſſu fuerit in hanc arborem commutatus, quæ Græcis *κίσσος*, Latinis Hedera eſt. Duplicis autem ſpeciei hedera eſſe dicitur. Altera quæ à Bacchis, quas albas gignit, alba vocatur: altera verò, quæ à nigris Bacchis nigra dicitur; & hanc propriam Lyæi capitis coronam eſſe autumant. Verum & ſine delectu vtraque Baccho adſcribitur, vt notat eruditiſſimus Pier. Valer. lib. Hierogl. 51. Deſcribit igitur Poeta hic Bacchum ab adiunctis extrinſecis, & à corona incipit, quam, cum crinem cingat, & ex hedera, ſit hederaceam, & crinalem iure appellant. Ideò

CRINALI FLORENS HEDERA. Crinali, hoc eſt circa crinem, coronæ in modum, obuoluta.

Florens autem hic translatè accipitur pro conſpicuus, celebris, inſignis, in quo ſenſu ait etiam Ouid.

Nos quoque floruimus, ſed flos fuit ille caducus.

Aptiſſimè autem hederâ coronatus Liber inducitur hoc loco; nam, cum Veneri data fuerit Nuptiarum peragendarum cura, Bacchus in Venerem pronus oſtenditur ex hederacea corona; nam Hedera, vt diximus, Græcis *κισσὸς*, & *κισσᾶν* apud Græcos verbum idem eſt, ac *pronum in Venerem ferri*. In victorijs etiam hederacea corona vſus dicitur Bacchus, quarè & eius imitatione Alexander Magnus, vt ex Plinio, ac Curtio habetur, victor ex India redijt exercitu hederis coronato. Quarè, cum Bacchus generationis Auctor hic de virginitate Proſerpinæ triumphum referat, hedera coronatur.

PROCEDIT. Procedere, Idem eſt atque accedere, ſeù progredi; ſed ad pompam pertinet mediate velut euntis, vt notat Barthius.

QVEM PARTHICA VELAT TIGRIS. Indicata Lyæi corona, ſpolium, quo tegebatur, deſcribit; *Quem* enim ad Bacchum, de quo ſupra, refertur.

PARTHICA TIGRIS. *Parthica* nomen eſt à Parthia deductum, quæ quidem regio Aſiæ, & Hyrcaniæ contermina, conſequenter, ex vicinitate, Tigribus abundans; feraciſſima enim horum animalium Hyrcania eſt, & quidem ſumma ferocitate, ac crudelitate pollentium; Vndè factum vt Armida apud Torquatum Taſſum, in liberata Hieroſol., vt Amaſio, eam deſerenti, exprobraret crudelitatem, nulli, eius arbitratu, ſecundam, dixerit,

Ne te Sofia produſſe, e non ſei nato
Dell' Atio ſangue tu; te l'onda inſana
Del mar produſſe, e'l Caucaſo gelato;
E le mamme allattar di Tigre Hircana.

Didonem etenim imitatur, quæ, apud Virg. Æn. 4., iiſdem, licet diuerſo idiomate, verbis, in deſertorem ſui Æneam ſic inſurgit.

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus Auctor,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus; Hyrcanæq; admorunt vbera Tigres.

Notum autem eſt, ferarum exuuias crudelitatem edomitam indicare, cum feræ ex illis emortua denotetur, vt ex Herculei leonis ſpolio eruditiſſimè docet Pier. Valer., qui etiam idcircò aſſerit lib. 11. Bacchi carpentum Tigribus vehi ſolitum, vt nempè per tigrides curru ſubiectas immanitas edomita ſignificaretur, quandoquidem Auctores quamplures aſſeuerent, moderatum vini vſum, (quod Donum Lyæi eſt) ferocientis animi ſæuitiem demulcère. Quod ſi furorem adhuc ſpirantes Tigrides, eo tantum quod Iugo premantur edomitam immanitatem oſtentant, quanto magis emortuæ ſpolium feræ hoc ipſum indicabit? Adde in more poſitum ſemper, vt victores hoſtium ſpolijs ad ornatum vterentur. Quarè Magnus Alexander cum carperetur ex eo quod veſtem induiſſet Perſarum; in ſui defenſionem aſſurgens, inquit, ſe, vt victorem, deuictorum ſpolia induiſſe. Cum igitur Bacchus, expeditione in Indos ſuſcepta, Aſiam quoq; totam, in qua & Parthia eſt, & Hyrcania, peragrauerit, & in ditionem redegerit, optimè Parthica Tigride indutus demonſtratur. Verùm, quia arbitror etiam, Poetam per Synecd. locutum, ita vt ſpeciem pro genere poſuerit, quò plures, more ſuo eruditiones vnico attingeret verbo; hoc etiam aduertam hic lubens, nempè *feram illam*, quam Græci θῶας vocitant, Latini verò Lyncem, ſeù Lupum ceruarium, ab Arrhiano, qui res geſtas Alexandri condidit, *Tigrem indicam* appellari. Cum itaq; Bacchus Indiam domuerit, cur non indicam Tigridem, triumphale ſcilicet circumferat indumentum? Inſuper Mythol. Nat. Com. lib. 5. memorat, Bacchum Iunonis conſilio, eum perdere, per fraudem conantis, Tigride vſum fuiſſe ad tranandum Sollacem, ſeù alio nomine Sylum Armeniæ fluuium, qui poſtea à Tigride Bacchum transuehente dictus ſit Tigris. Quarè, cum natura ſua Tigris immaniſſima ſit, & à Iunone concitata immanitate ipſa immanior eſſe debuerit; eo quod Bacchus feræ ſimul, ac fluminis victor extiterit iure tigridis induit exuuias, æternum rei à ſe preclarè geſtæ monimentum. Denique Tigris, apud Pier. cit., Hieroglyphicum vltionis, & quidem accerrimæ eſt: cum autem Bacchus accerrimam ſumpſerit vltionem de Thyrrenis Pyratis, eum in ſeruitutem abducere conantibus, quando ſcilicet illos tanto affecit terrore, vt, præcipites à puppi ſe ipſos dantes in vndas, fuerint in delphinos conuerſi; & item de Pentheo, Orgia ſua diſtrahere volenti, cum Bacchus ſcilicet Bacchantes ſuas in Pardales, à quibus Pentheus diſcerptus eſt, conuertit: ac demum de Lycurgo, ob ſuccisas vites, cum illum cœcum reddidit, & inſanum adeò, vt loco vitium ſibi crura obtruncauerit; Iure in vltionum monimentum Tigridis pelle obuelatur, vt alij *Deſcant inſſionem monere, & non temnere Diuos*. Ad hæc verò alluſit etiam Ouid. Metam. 4. cum ait.

Pampineis agitat velatam frondibus haſtam,
Quem circa Tigres, ſimulacraq; inania Lyncum,
Pictarumq; iacent fera corpora Pantherarum.

VELAT. *Velare* non ſemper ſignificat *omninò tegere*, vel *occulere*: ſed ſæpè ſæpiùs, vt hic, *velo* pro eodem ſumitur, ac *veſtio*, prout in eodem ſenſu Virg. Tyberinum veſtiens Æn. 8. ait.

. . . . . *Tenuis glauco velabat amictu,*
Carbaſus, & Crines vmbroſa tegebat arundo.

Aduerte tamen, nos dixiſſe, verbum *velo* non idem prorſus eſſe, ac omninò tegere, nam ex hoc intelliges, illud verbum, licet idem cum veſtio, non importare tamen abſolutè talem veſtem, quæ totum obtegat corpus, ſed ſufficere ſi veſtem partialè importet; & certè in hoc ſenſu habetur hîc: ſat enim notum arbitror, vnicam Tigridis Pellem ad totum corpus obtegendum non ſufficere; Immò notum etiam arbitror, morem fuiſſe eorum, qui feram aliquam debellaſſent, vt exuuias ab vtroq; humero ſuſpenſas demitterent. Quarè ſatis conſtat, in quo ſenſu verbum illud *velat* hoc loco vſurpetur.

ET AVRATOS IN NODVM COLLIGIT VNGVES. Geſtamen ex ferinis pellibus confectum, cum, vt dixi, trophæi loco geſtaretur, in vſu etiam fuit, vt aureis ornamentis nobilius redderetur; ac præcipuè, ad tollendam pellis deformitatem, vngues ex illa naturales detrahebant, eorumq; loco artefactos alios ex auro confectos adijciebant. Ideò & Virg. Æn. 5. Leoninam pellem, qua Æneas Salium donauit, vnguibus ditatam aureis deſcripſit.

Sic fatus, tergum getuli immane Leonis,
Dat Salio villis onerosum, atq; vnguibus aureis.

Idcircò & Poeta noſter, vt dignam Numine pellem Tigridis efficiat, auratos adijcit vngues. Sed clariùs præſtantiſſimi acumen ingenij peruestigemus. Aurum, apud Chimicos, ſolare metallum eſſe, aſſeuerantiſſimè dicitur, vt teſtatur Pier. in accipitre. Cum autem Nat. Com. in ſua Mythol. lib. 5. dicat, Nebridum maculoſas pelles Baccho attribui, eo quod Bacchus idem cum Sole Numen à non paucis habeatur; Nebrides verò maculis ſuis, in ſe ipſis ſtellatum quaſi Cœlum depingant; & cum hanc de Baccho opinionem innuat Pier. ex Græcorum deductam Theologia, quæ etiam, ob eamdem cauſam, qua Baccho Nebrides dicentur, tigrides eidem pariter dicauerit; hinc eſt, vt Vates, ad hoc vt quodam quaſi Hierogl. ſententiam iſtam, quæcumq; tandem, aut vera, aut falſa illa ſit, in legentium mentes reuocaret, vngues, ex ſolari metallo confectos, Tigridi Bacchum obuelanti appoſuerit. Inſuper cum vnguibus feræ conſimilis dilaniatus fuerit Bacchi contemptor Pentheus; quid ni dicamus illum, in memoriam benè geſtæ vltionis, hos vngues auro coronatos voluiſſe? Rurſus, Tigridis ſpolio edomitam feritatem indicari docuimus: Fallor autem, ni ſpolio illi vngues addiderit aureos, vt innueret, ex edomita feritate, coniunctiſq; pacatiſſimo fœdere animis, ſummâ rerum omnium opulentiâ fruentibus, aureum ſæculum ſua olim primordia deſumpſiſſe: ideoq; & aptè ſubdit:

Et auratos vngues

COLLIGIT IN NODVM. Nam, licet hæc verba indicent modum, quo pellis decinebatur, ne ex humero decideret, myſterio tamen certè non carent: Quarè dixerim, ideò modò conſtrictos vngues poſuiſſe, vt indicaret, tunc aureum ſæculum noua exordia ſumpturum, cum immanitas adeò edomita fuerit, vt ligatis vnguibus inhabilis ad denuò in offenſas inſurgendum remanſerit. In huius rei memoriam Bacchi Sacerdos eadem pelle auratis vnguibus ornari poſtea conſueuit, vt teſtatur Papinius lib. 11. quem citat Parrhaſ. hic, & cuius hæc verba de Sacerdote loquentis,

Quem deſuper ambit.
Tigris, & auratis adnerberat vnguibus armos.

Imitatur autem hoc loco Vates, teſte Dempſtero, Statium qui 6. Thebaid. dixerit:

Extremos auro manſueuerat vngues.

EBRIA MÆONIIS FVLCIT VESTIGIA THYRSIS. Heinſius hunc textum corrigit, & legendum contendit ex optimis codicibus, quos ipſe ſe vidiſſe teſtatur.

Ebria Mæonius firmat veſtigia Tyrſus.

Optimam hanc eſſe lectionem non auſerim inficiari; quæ etiam ab ipſo roboratur exemplo Virg. Æn. 3.

Truncos manum pinus regit, ac veſtigia firmat.

Exemplo Inſuper Lucani Phari. lib. 4. vbi ait.

Dum labat, & ſine firmat veſtigia Thyrſo.

Ac tandem exemplo Statij Theb. 2. dicentis:

Medica firmat veſtigia virga.

Verum quia in idem tandem cum vulgata recidit, vt videbimus nil immuto; ſed explicationem iam proſequor.

Scimus, nimia vini potatione rationales adeò potentias deturbari, vt ebrio omnia interdum mutare videantur, atq; euerti: cum tamen ſolus ipſe nutet, & corruat. In cauſa eſt quia fumoſa illa ebrietas, nimiâ ſpirituum, quos agitat, concuſſatione, ſenſus alteratos adeò efficit, vt nil videant, niſi eo modo, & in eo motu, quo ſpiritus concuſſi viſionem ipſam concutiunt; & inſuper nimius calor, ex aſcendentibus ad caput vaporibus in cerebro congeſtus, neruos omnes, vtpotè radicem in cerebro habentes, concutit, & debilitat; ideoq; ebrij motus ſemper inſtabiles, & ad lapſum habent procliues. Cum igitur Bacchus vitis inuentor, & vini Deus habeatur, immò & pro ipſo interdum vino ſumatur, egregiè à Poeta ebrius deſcribitur, quaſi Numen ebrietatis, immò ebrietas ipſa: nam ſi litteras græcas introſpiciamus, vinum græcè Μέθυ; ebrietas verò Μέθη dicitur, quaſi parum, aut nihil diſtet, quin vinum, & ebrietas idem ſit; conſequenter Bacchus, qui pro vino habetur, idem & ebrietas erit: & hac fortè de cauſa Μεθυμναῖος à Græcis dictus fuit Bacchus, nomen videlicet à vino ſimul, & ebrietate deducentibus. Appoſitè igitur Poeta, Bacchum ab adiunctis deſcribens,

ebrium

ebrium facit, eiq; non incongruè ebria veſtigia adſcribit; quæ, quia vacillantia ſint; Ideò

FVLCIT. *Figit* alij legunt hoc loco, ſed ineptè, vt benè notat Heinſius hic; nam figere, eſt *aliquid immotum reddere*, eo ferè pacto, ac ſi radices humi immobiles affixiſſet; nam & Plantæ radices figere dicuntur, vt immobiles denotentur: ſic figere tentoria dicimus in rebus bellicis cum ſtationarium exercitum indicamus &c. Hæc autem immobilitas certè ebrijs veſtigijs repugnat; nam, quantumuis toto niſu, ac fulcris quibuſcumque adhibitis, ſtabiliantur, vacillantia ſemper conſpicientur. *Firmat* legit Heinſius: ſeù *firmans* apud alios. Sed eamdem patitur hæc lectio difficultatem, nam & verbum figo translatè pro eodem ſumitur, ac firmo. Meliùs igitur arbitror cum vulgata legendum *Fulcit*. Nam *fulcire* propriè eſt *ſuſtinere* aliquid, quod caſurum eſſet, ni fulcris ſolidaretur, & profectò nutantia veſtigia fulcire eſt quidem ea ſuſtinere, ne in præceps prolabantur; ſed non tollit, quin nutantia conſpiciantur; immò, quia nutant actu, actu fulciuntur ne cadant.

VESTIGIA. Veſtigium propriè eſt illud ſignum, quod ab impreſſo humi pede relinquitur: verum & interdum pro ipſo pede accipitur, intelligendo ſcilicet ex ſigno rem ipſam quæ ſigno imprimitur, ſeu mauis dicere ex effectu cauſam. Et hic quidem in hoc ſenſu veſtigia poſuit Poeta pro pedibus, vel pro ipſo, qui pedibus fit, inceſſu, & ſigno indicatur.

EBRIA. Id eſt inſtabili, nutantiq; nutantia motu, vt proprium ebriorum eſt; nam ſolitum hoc apud Poetas, vt effectum refundant in cauſam, ita tamen, vt ex cauſis effectus intelligant. Licet autem ebrietas, cerebrum lædere, videatur, non pedem; tamen dum in cerebro radicem neruorum omnium, vt vidimus, offendit, certè & pedem facit titubantem.

MÆONIIS THYRSIS. En quibus fulcris Bacchus vtatur, Thyrſis nempè. Conſueuiſſe Bacchum Thyrſis dexteram ornare ſimul, & armare, adeò decantatum eſt, vt iam nil notiùs; Immò, Thyrſis inſtructo exercitu, eum terras omnes luſtraſſe, docent & Diodorus, & Macrobius; ipſæ etiam Bacchantes ideò, ad eorum Numinis imitationem, Thyrſis armari conſueuerunt, ſi Macrobio credimus; quarè & apud Græcos Bacchus θυρσοφόρος, & apud Latinos Thyrſiger appellatur. Porrò Thyrſus haſta erat aculeata, ſeù latens telum, cuius mucro hedera, aut vite circumtegebatur ambiente, ac per totam haſtam, circumuoluti ſerpentis in morem, eadem hedera, aut vitis obſerpebat; quod, teſte Pier. Valer. lib. Hierogl. 51. vinum nocumentum indicat ſub ipſius ſuauitate latitans euibrari: ex quo dictum à Macrobio Liberum Patrem per obliquum ferire, circumfuſis mucrone hederis latitante. Huiuſmodi haſtis vtebantur omnes, qui Bacchi Orgijs operam darent. Quarè de Menadibus inquit Catullus.

Harum pars tectâ quatiebant cuſpide Thyrſos.

Et Virg. de Amatam proſequentibus, dum Orgia peragerét Æn. 7.

Pampineasq; gerunt incinctæ pellibus haſtas.

Et Amata ipſa de Baccho hæc ibidem clamitat.

Euohe Bacche fremens, ſolum te Virgine dignum
Vociferans. Etenim molles tibi ſumere Thyrſos,
Te luſtrare choros &c.

MÆONIIS autem, dixit, ſumpta denominatione à Mæonia minoris Aſiæ regione, vulgò *la Lidia*; nam, vt habet Mythol. Nat. Com., Bacchus celeberrimo cultu in Lydia colebatur, & per conſequens Thyrſorum ibi præcipuus vſus, ac nobilior pompa. Adde Lydiam optimis vinis abundare, vt colligitur ex Cyrene ad Ariſtæum, hæc apud Virg. Georg. 4. habente.

. . . . . Caput Mæonij Carcheſia Bacchi,
Oceano libemus &c.

Ex quo factum vt Bacchus ipſe Mæonius diceretur, atque ideò & arma ad Bacchum pertinentia congruenter admodum Mæonia dici debent.

Hucuſque exordium totius eruditiſſimæ Poeſis extenditur, quæ licet triplici libro ſubdiuidatur, ad hoc tandem initium, ſeù ad hanc, vt alij dicunt, Argumenti Propoſitionem omnia ſubdiuiſa reducuntur. Vt igitur videamus præſtantiſſimæ notæ Vatem, non poeticos ſolum, ſed & Oratorios numeros impleuiſſe, exordij partes, iuxta Rhetorum ſcholas, in ijs quæ ſupra explicuimus, anatomica peruestigatione quæramus. Tria exordiorum munera eſſe, iam ſatis conſtat ex Suar. lib. 2. de arte, & ex Cauſino inſuperabili profectò Rhetoricorum præceptore, nempè vt beneuolentiam, attentionem, ac docilitatem captent. Memineris tamen ſemper, præcipuam Oratoris artem eſſe, artem ipſam tegere, ita vt Natura potiùs, quam Arte dictante, fluere videatur oratio. Beneuolentiam igitur à perſona ſui ipſius captat Auctor, dum quaſi ſe ipſum ſuſcepto oneri imparem fatetur, ac auſum excuſat eo, quod poetico æſtro impellatur ad ardua: quod totum latet in ijs verbis: *Mens congeſta iubet audaci promere cantu*. Inſuper dum ſe religioſum adeò oſtendit, vt Numini addictus nolit ſacra miſcere profanis, magis adhuc ſibi beneuolentiam conciliat; nam etiam infenſiſſimi quique, velint nolint, natura impellente virtutes, ac rectam morũ compoſitionem vel in hoſtibus amant, dum ſuſpiciunt. Attentionem captat, dum innuit ſe maximis acturum de rebus; nam rerum pondus aures erigit auditorum, curioſitatis ſtimulo concitante: confirmat verò, dum, ſe afflatum numine, quæ tantummodo numen dictauerit, id eſt nulla animi interpoſita paſſione, dicturum profitetur.

Greſſus remouete Profani,
Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus,
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.

Docilitatem denique ſectatur, dum dicenda indicat, & ſemina dicendorũ omnium, dilucidante diuiſione diſſeminat.

Inferni Raptoris equos, afflataq; curru
Sydera Tænario &c.
Angues Triptolemi ſtridunt &c. vſq; ad finem.

Hæc enim omnia cantu proſequi propoſuerat Vates, licet (quod pluribus euenit) opus ſuum imperfectum, vel coactus reliquerit, vel perfectum exciderit, ita vt nobis mutilatum tantummodo exponatur.

Si ſenſus morales quæras ex hoc exordio deducere; Non rectiùs Seneca in moralibus loqui potuit; nam ex perſpicaciſſimi Poetæ ſententia deducitur, quo animo debeant eſſe qui ſacris initiati ſint, & addicti: nihil enim illi cum Mundo, ac Choragys eius; nihil cum vanitatibus ſeculi, nihil cum Profanis; ſed, ab alijs ſemper ſegregati, ſoli Deo, ſacriſq; vacare debent, & ſemper in auribus Tybicinis monitum habere.

AGE QVOD AGIS.

Inſuper diuinis vocationibus debere nos ſemper obtemperantes eſſe, ita vt, ſicuti, vt dicebat exul Poeta.

Quo rapitur fatis vel prater facta requirens;

Sic qui diuinis vocationibus, quæ trahunt omnia fortiter, ſuauiterq; diſponunt, alliciuntur, ſequi debent. & nil vberiùs præ oculis habere. Nuptias denique, virginitati comparatas, non improbandas quidem, ſed inferioris eſſe ediſcimus notæ; nam, licet meliùs, per Apoſtolum ſit nubere quam vri; melius tamen, eodem teſte, erit Virgini, ſi ſic permanſerit. Ideò Diana perpetuæ virginitatis ſplendore renitens adeſſe quidem, ſed *procul*, & quaſi auerſa à nuptijs fronte deſcribitur. Nuptias verò, auſpice Baccho, factas, infœlices exitus habituras; cum enim Bacchus hic nuptiarum auctor aſſultat, Proſerpina inferorum Tyranno copulatur. Diſce quam perovtioſa ſit nuptialibus in conuiuijs ebrietas, quæ ad exitum ſemper ducat infœlicem.

Neque obijcias moralia hæc documenta ad mentem Vatis à Chriſtiana fide alieni eſſe non poſſe, nam facile reſpondetur Ethnicos non defuiſſe, qui lumine naturæ præſtantiſſima moralium virtutum dogmata tradiderint, quæ ſubinde ſacris etiam litteris in pluribus cohærere potuerint.

Quod ſi iam textum exoptes italicis demandatum Muſis, accipe quæ currenti calamo nobis excidere.

Del Predator, che le tartaree grotte
Tiraneggia, trà l'ombre, i cocchi oſcuri;
Gl'anneriti deſtrier; l'aure interrotte
Dal peſtifero vol de fiati impuri;
Le gran faci del Ciel guaſte, e corrotte
Dal rio sbuffar de ſotterranei Arturi.
Cantar conuienmi; e que nutiali honori,
Ond'è, ch'in Stige altra Giunon s'adori.
Temerario è l'ardir. Mà ſcuote in vano
L'agitato penſier de Numi il peſo.
D'Entuſiaſmi gl' ardor del ſenſo humano,
Snudato già queſto mio petto han reſo.
Febo al mio genio impera, egli alla mano
Ch' il Pletro tocchi, ad vbbidirle inteſo.
Hor mentr' Apollo entr'al mio ſen riſiede,
Lungi n'affretti ogni Profano il piede.

Arturi è ſtella in ſigno Bootis tempeſtatũ excitatrix. Bootes verò agetur Plauſtrum in Cœlo dicitur.

Già

Già de tempij ſacrati al Dio di Cinto
Vacillanti crollar m'auueggio i marmi;
E'n chiara luce, ond'ogni lume è vinto;
A folgori inteſciuto il tetto parmi;
Quaſi, al ſgombrar di cieca notte accinto
L'ombroſo vel, con mille faci ei s'armi:
Mà co' prodiggi alla mia cetra addita
Del vicin Nume vn' inſperata aita.
Già dal fondo più cupo, oue trà morti
Giace ſepolto, e s'inabiſſa il trono
Di chi d'Vrna fatal ſcuote le ſorti,
Di fremito, e ſtridor s'inalza il tuono;
E'l Caprifico varco, infra diſtorti
Meandri del ſuo ſaſſo, eccheggia il ſuono:
Pronuba le ſue faci Eleuſi inalza;
E con tal fiamma i gran ſponſali incalza.
D'vn'ardente Vulcan nuouo ricetto
Di Tritolemo i Draghi il collo altero,
Del giogo ad onta, ond'è calar coſtretto,
Rizzano; e del deſire eſce in forriero
Già da fauci frenate, il fiſchio, aſtretto:
E'l ſerpeggiar più dolce, e luſinghiero,
Mentr'alzate le creſte, al canto, eſprime,
N'inuita i carmi al catenar le rime.
Ecco vn ſol nome in moſtruoſo oggetto
Di Gerion nouello i corpi aſſembra;
E perche vn *Lungi* è d'vn tal nome effetto,
Mentr' in trè lontananze vn ne rimembra,
D'Hecate forma il triplicato aſpetto,
Ch'hauer indi l'Oriente hor mi raſſembra.
E lieto in vn veggio del Moſto il Nume
Girar ridente abbacinato il lume.
Con le braccia tenaci hedra frondoſa
Diadema inteſſe alla ſuperba fronte:
Centro d'Hircani horror tigre pompoſa,
Co'l trofeo delle ſpoglie, al tergo il fonte
Di glorie addatta; e, 'n crudeltà famoſa,
L'vngna reſa è già d'or, perche ſormonte
Le ſtelle in pregio; e'l vacillante paſſo
A i Thirſi attienſi inebriato, e laſſo.

Caprificū mirum Deus Oſtium; ab hoc autē Plutonis in templū ſuum Aditus ex quo templum ipſū per Metalepſim ſumitur.

Hæc rudi profectò minerua Muſis noſtris exprimebantur. Sed, ne tedio afficiant, opportunè iam nos ad dulcedines ſuas reuocat Vates.

Dij, quibus innumerum vacui famulatur Auerni
Vulgus iners; opibus quorum donatur auaris,
Quidquid in orbe perit; quos ſtyx liuentibus ambit
Interfuſa vadis; & quos fumantia torquens
Æquora, vorticibus Phlegeton perluſtrat anhelis;
Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum,
Et veſtri ſecreta Poli. Qua Lampade Ditem
Flexit amor! Quo ducta ferox Proſerpina raptu,
Poſſedit dotale Chaos; quantaſq; per oras,
Sollicito Genitrix errauerit anxia curſu:
Vndè datæ populis fruges, &, glande relicta,
Ceſſerit inuentis Dodonia quercus ariſtis.

Gratia ch' il tutto può la cetra, e'l canto.

DII QVIBVS &c. Abſoluto exordio, ad inuocationem Auctor gradum facit; ſicuti profectò in more poſitum apud Poetas omnes facilè reperies. Sic Virg. Æn. pri. muſam inuocat propitiam ad ſeriem dicendarum rerum euoluendam.

Muſa mihi cauſas memora; quo numine laeſo,
Quidue dolens Regina Deûm tot voluere caſus,
Inſignem pietate virum tot adire labores,
Impulerit &c.

Sic Valerius Flaccus primo Argonauticorum Phœbum inuocat, & Neptunum; appoſitè, quia de maris violatione erat acturus, ideòq; ad Neptunum præcipuè pertinebat opē ferre de rebus, vt ita dicā, ſuis canēti, qui idcircò ſic inſonat:

Phœbe mone, ſi Cumææ mihi conſcia Vatis,
Stat caſta cortina domo, ſi laurea digna
Fronte viret. Tuq; ò, Pelagi cui maior aperti
Fama, Caledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus, phrygios prius indignatus Iulos;
Eripe me populis, & habenti nubila terræ,
Sancte Pater, veterumq; faue veneranda canenti
Facta virûm &c.

Ex Italicis verò eorumdem Princeps Torquatus Taſſus, cum Liberatam canere Hieroſolimam aggrederetur, cantu pri. Deiparam inuocat, ſub nomine Cœleſtis muſæ; & meritò quidem; nam, cum de eius Filij ſepulchro, e Barbarorum manibus vindicato, ageretur, matris erat filij gloriam quærentibus adeſſe. Quarè ſic ille.

O' Muſa tu, che di caduchi allori
Non circondi la fronte in Helicona,
Mà, sù nel Cielo, infra i Beati chori,
Hai di ſtelle immortali alma corona,
Tu ſpira al petto mio celeſti ardori,
Tu riſchiara il mio canto, e tu perdona,
S'inteſſo fregi al ver; s'adorno in parte
D'altri diletti, che de tuoi, le carte.

Bracceuolinus de Cruce Solem in ea inuocat ecclipſatum.

Sourano Sol, di cui facella è queſto,
Che, l'Vniuerſo illuminando, ſplende
Per l'Ecliſſe d'amor, ch'al Ciel funeſto
Tutto adombrò di tenebroſe bende:
Tu, che l'ingegno all' alt' impreſa hai deſto,
L'illuſtra sì, che, quale il vero intende,
Fuor di tenebre il tragga; e ſempre in tanto

Ex his aduertere cogimur, quam congruè, quam concinnè, ac prudenter etiam Poeta noſter in ſua inuocatione procedat; nam & ipſe de tartareis thalamis acturus ad quem, quæſo, Diuorum melius, quam ad illos, ad quos res ipſa peragenda ſpectaret, & quibus ſacrabantur ipſi inferorum thalami per inuocationem confugeret? Nil meliùs igitur, nil prudentiùs excogitatum quam in huiuſmodi inuocationem, dictante ſtimulo furoris, erumpere. Sed iam textum proſequamur.

DII. Deos hìc Manes inuocari, aſſerit Parrhaſius, vt eorum Numine res abditas, ac perpetuo ſilentio ſanctas, Vati impune liceret proferre. Id quod etiam facit apud Senecam in Tragædijs Theſeus, & Virg. in 6., vt idem inquit. Nam Neumenio, inter Phyloſophos rerum occultarum curioſiori, offenſam numinum, eo quod Eleuſina ſacra vulgaſſet, indictam ſomnijs, autumant fuiſſe. Vera fateor eſt Parrh. ſententia, ſed non quantum ſatis ſit ad intentum; explicandum enim fuerat, qui nam tandem ſint iſti, quos inuocat, Dij. Reſpondere poſſet Auctor ille, vt fatear, eruditiſſimus, ſe ſatis dixiſſe, cum dixerit, Deos Manes inuocari; nam Dij manes Inferorum Deitates eſſe dicebantur. Verum adhuc viget difficultas, nam, cum iuxta aliquos plures, ac plures ſint Auerni Deitates, iuxta id quod innuit Torquatus Taſſus Hier. lib. Can. 16.

Gente à gl'alberghi ſuoi, chiamò trecento,
Con lingua horrenda deità d'Auerno &c.

Vbi more poetico determinatum numerum poſuit pro indeterminato; ac rurſus iuxta alios vnicus inferorum ſit Deus, nempè Regnator Pluto, alij verò Auerni habitatores Conciues ſint à nutu Regnantis ſemper pendentes, vt videtur innuiſſe Iſmenus apud eumdem Taſſum ibi Cantu 13. inquiens.

Cittadini d'Auerno, hor quì v'inuoco,
E te Signor de Regni empi del fuoco.

Adhuc inquirendum qui nam nominatim ſint iſti Dij vt ſciamus, num vni, an alteri ſententiæ adhæreat Vates. Quod, cum Parrhaſius indeciſum relinquat, omninò arbitror explanandum.

Plutonem itaque procul dubio, ac Proſerpinam inuocat Poeta hìc. Quod, arbitratu meo, patet aperte; nam cum inferorum Imperium tyrannicum omnino ſit, alios certè Deos, ſaltem quibus poteſtas in res tartarei ſit Regni, non admittet, licet enim hoc proprium Regnorum omnium

eſſe

eſſe videatur; tamen iure hoc ſibi quodam peculiare vindicat Tyrannorum poteſtas, vt Regnum non capiat duos. Vlterius cum inferorum Regnum Cœlo ſit ex diametro oppoſitum, vt ex ipſa ſituum collocatione ſatis oſtenditur; Cœlumque ex antiquis Poetarum commentis plures, ac plures habeat Deos, Deaſque, interdum cum ipſo Ioue de poteſtate decertantes, licet Deitates ſint ipſi ſubordinatæ, per conſequens neceſſe fuit, vt Infernus vnicum habuerit Deum, Deamque vnicam, nec alios ſecum de poteſtate decertare pateretur Pluto periculo fratris edoctus, quem non ſemel de Regno eijcere tentarunt. Immò hunc vnicum Deum, ac Deam vnicam eo vinculo adſtrictos habere tartara debuerunt, quo in vnum coaleſcerent, omniſq; rebellantis Genij ſuſpicio inimicem excluderetur; quod & in cauſa fuit, vt Plutonis Nuptiæ fuerint excogitatæ. Quod autem hoc ipſum in mente omnia librantis extiterit Vatis, ipſum Carminis artificium teſtatur, dum eius initio ſyllaba de gemina fit vna per ſynereſim: *Dij quibus innumerum &c.* Neq; ſubtilis fortaſſe nimis videatur hęc poeticę mẽtis interpretatio; quandoquidem nouum non eſt, præſtantiſſimæ notæ Poetas peculiari ſtudio, ac arte carmina interdum ita concinnare, vt ex diſpoſitione vocum abſtruſi alicuius conceptus vehementia exprimatur, ac eiuſdem vis artificij viribus innoteſcat. Sic Virg. Æn. 5. vt ſub ictu entelli cadentem bouem citiſſime, ac tota corporis mole, vno ſimul impetu, neruis omnibus fractis, corruiſſe deſcribat, ita Carmen concinnauit, vt in monoſillabum à reliqua ſtructura ſeiunctum deſinens carmen ipſum toto impetu ruere videretur. *Exanimiſque tremens procumbit humi Bos.* Aſt, vt hoc ipſum non ex Latinorum tantummodo, ſed etiam ex Hetruſcorum Principe Poetarum diſcamus, perpende carmenà Torquato Taſſo concinnatum Cantu Hieroſ. lib. 19. ita vt ex artificio concinnationis viuacius emicaret vehementia affectus impellentis, ac celeritas Erminiæ ex equo proſilientis, vt languenti Tancredo, immò, vt ipſa credebat, emortuo, lugens aſſiſteret. Tali enim vſus methodo eſt eruditiſſimus Vates, vt carmen ipſum in præceps agi videatur.

Non ſceſe nò precipitò di ſella.

Quarè nil mirum, ſi ex ipſo Auctoris noſtri metro quid ipſe mente conceperit exprimatur.

QVIBVS &c. Nomen Dij ſuperius poſitum tàm ad ſuperos, quam ad inferos referri poterat, quarè notam hìc addit differentialem, quibus ad præcitata Inferorum Numina contrahatur. Sicuti autem indiuiſum in Plutone, ac Proſerpina Numen, Ægyptiaca quaſi vſus figura illius diſſillabi in ſillabam vnicam contracti, expoſuerat; ſic in præſenti oſtendit, indiuiſim eos Infernæ ſeruitutis obſequia excipientes; relatiuum enim in memoriam reuocat antecedens: *Dij quibus.*

INNVMERVM. Ariſtoteles 8. Phyſ. pr. de Cœlo, 2. de Generatione, & 2. Metaph., Mundum ab æterno fuiſſe non obſcurè aſſeuerat, & ipſum ſequuntur Auicenna, Auerroes, Simplicius, & alij. Hanc ſententiam erroneam omninò, & falſam, ac contra fidem eſſe, patet ex Geneſis pr. Vbi dicitur: *In principio creauit Deus Cælum, & Terram &c.* quo loco, illa particula *In principio* omnia creata definit fuiſſe creata in tempore, quia certè in æternitate nullum eſt inuenire principium. Verum cur non potuerit Poeta, qui, ſi Auguſtino credamus, gentilis fuerit, cum Phyloſophorum alioquin Principe ſentire aſſerens videlicet innumerum eſſe Vulgus Auerni ex eo quod ex Mundo, qui ab æterno fuerit, vel in Æliſios campos, vel in pœnarum Barathrum, quæ omnia ſub Plutonis ditione aſſerebantur, innumeræ certè animæ, hoc eſt infinitæ tranſmigrauerint? Quod ſi fidem deneges Auguſtino (quod non ſine aliqua temeritatis nota fieri poſſe exiſtimauerim,) & malis Claud. noſtræ fidei aſſeclam fuiſſe, vt alij aſſerere non dubitarunt, ideòque, & Mundum in tempore, non ab æterno creatum tenuiſſe non ſolum, ſed imò vel Chriſtianus, vel Gentilis fuerit, apertè docuiſſe hoc eodem libro, vbi inducit Proſerpinam acu in ſua tela pingentem: *Veterum qua lege tumultum diſcreuit natura parens &c.* Sic enim Chaos antiquiùs ſtatuit quam creata omnia, & certum eſt, quod nil detur æternitate antiquius. Si inquam hoc dixeris, non abnuo; ſed cur adhuc, ſaluis his omnibus, non potuit Vates alluſiuè ſaltem ſententiam Ariſtotelicam attingere dicens *innumerum vulgus famulatur &c.* hoc eſt infinitum, poſita ſententia Ariſtotelis Mundum ab æterno ponentis? Certè hoc non eſſet affirmare ſententiam, quo ad hoc, Ariſtotelis; ſed immò eam alluſiuè de incongruentia redarguere, quaſi aſſerat ex Poſitione Mundi ab æterno ſequi neceſſario, & negari non poſſe, infinitum actu animarum, quod tamen infinitum Ariſtoteles negauit, licet Mundum ab æterno poſuerit. Ex quo arguendam relinquit Ariſtotelicæ ſententiæ falſitatem, nam, cum à nullo ſanæ mentis Phyloſopho vllum admittatur infinitum actu extra Deum, conſequens eſt, vt nec Mundus, à quo tale infinitum ſequeretur, fuerit ab æterno. Sed quid vltra immoror? Poeta hìc dicendus eſt locutus ex ſuppoſita Ariſtotelis ſententia; loco verò citato, citra omnem alluſionem, propriam expoſuiſſe ſententiam, quod non repugnat, cum hìc alluſiuè tantum, ibi verò aſſertiuè loquatur. Hæc, quo ad ſenſum eruditionis, atque arcani in textu latentis, dicta ſint; nam, ſi ſuperficiem tantum delibemus, facilè eſt dicere, Poetam hyperbolicè locutum; & fortè etiam ſine hyperbole, ſed alluſiuè ad Euangelicam Hiſtoriam, ex qua Lucifer maximam ſtellarum partem ſecum traxit, ac vlterius: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Stellas autem Cœli quis enumeret? Ideo innumerum.

VVLGVS. Vulgus vt aliquibus placet à voluendo dicitur, eo videlicet quod inſtabile ſemper ſit, ac facilimè hùc, illùc, imprudenter, ſtultè, ac impudenter voluatur, & refluis interdum mobilius vndis, à ſe ipſo ſæpè, ac dum ab alijs diſſentiat, diſcors adeò, ac diſſidijs obnoxium. Audi Virg. exactè vulgi naturam deſcribentem Æn. 2.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Has igitur de cauſa infernales turmas Poeta Vulgi nomine deſignat, quia videlicet id, quod proprium Vulgi eſſe diximus, in gradu quodam eminenti excellit in inferorum cateruis; quod idem ipſe Claud. explicuit, cum omnes, quas diximus, notas infernis aptatas monſtris retulit lib. in Rufinum pr. vbi cum induxiſſet Megeram Rufini ſcelera extollentem, quæ carminibus iſtis enumerat, ac recenſet.

Eſt mihi prodigium cunctis immanius Hydris,
Tigride mobilius fæta, violentius Auſtro
Acrius Arpyis, refluis incertius vndis &c.

Tandem, vt oſtendat, non ſolum ſibi has inferorum proprietates Rufinum vſurpaſſe, ſed & iiſdem inferni monſtra ſuperaſſe, concludit inquiens.

Solus habes ſcelerum quidquid poſſedimus omnes.

Ex quo clarè patet, agnitam à peritiſſimo Vate inſtabilitatem, incertitudinem, diſſidiorum appetentiam fuiſſe proprias Inferos incolentium. Et cum, vt dixi hæ etiam ſint Vulgi proprietates; ideò Tartareas turmas meritò Vulgi nomine nuncupauit.

INERS. Inertes, quaſi *artis expertes* dicuntur qui ſegnes, pigri, ac nullius frugis eſſe cenſentur; nam Iners vulgò ſonat *ſtupido, pigro, ſenz' arte, inſenſato,* & quidem, cum profundo terræ ſinu, tenebricoſo potiùs carcere, quam Regno detineantur Erebi monſtra, certè ſitu, ac ſquallore loci non poſſunt, quin inertiſſima euadant, vt conſideranti ſatis patet: habent quidem artes nocendi, vt patet ex illo Iunonis ad Alecto apud Virg. Æn. 7. *Tibi nomina mille, Mille nocendi artes &c.* Sed quia, alijs nocendo, magis, ſic Deo diſponente, ſibi ipſis nocent, vertitur in Auctores ſcelus, ac proindè *ſine arte* dici poſſunt, cum nunquam Ars auctori ſuo debeat obeſſe; Ars enim virtus intellectualis eſt, quæ in bonum habentis eſt. Viles inſuper Dæmones eſſe, patet, quandoquidem à Patribus in heremo degentibus baculo abijciebantur. Sed eſto, hanc cognitionem nõ habuerit Vates. Certè ex loco ipſo, vt dicebamus, fractis, ac debilitatis virium eneruatio reſultet, neceſſè eſt.

VACVI AVERNI. Auernus quid ſit iam vidimus pag. 11. Col. prima explicantes verba illa: *afflataque curru ſydera Tenareo.* Quarè hìc tantum innuo, Auernum poni pro Vniuerſo Ditis Regno; aditus videlicet pro toto, ad quod eſt aditus, per ſynecd. Aſt cur Auernus hìc *Vacuus* dicatur, dum vno eodemque tempore plenus dicitur, cum innumerum vulgus in eo habitans dicatur? Scio equidem adiectiuum *Vacuus* pro eodem interdum vſurpari, ac *vaſtus, ſpatioſus;* Vulgò *ampio, ſpatioſo, grande:* ex qua profectò vacui intelligentia facilè diluitur contradictio, quę hìc prima fronte videtur ineſſe. Verum non ſatis adhuc animus acquieſcit; quantumuis enim ingens, vaſtum, ſpatioſum ſit Auerni Regnum, atque ideò vacuum dicatur, in hoc ſenſu, ad imitationem Virgilij Æn. 7. dicentis:

Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent &c.

Vacua enim, in rigore, ibi atria non erant, ſi in illis pueri ludos exercebant, ſed *vacua*, ideſt ampla & ſpatioſa dicuntur; quomodo adhùc vacuum, in hoc ſenſu, dici poſſit

Plu-

Plutonis Regnum, dum turba ſtipatum innumera dictitatur. An locus infinito locatorum numero Auguſtior adhuc adeò eſt, vt cum locatis comparatus vacuus dici poſſit, vt Atria Virg. Pueris ludentibus comparata? Nùm Poeta, vnum infinitum maius eſſe, voluit, alio; ita vt numerus locatorum licet infinitus æquare nequaquam poſſet infinitum maius, nempè infinitum loci ſpatium? Abſit hoc herclè de tanto vnquam viro opinari. Nugæ enim ſunt, vt Nos late in Phyſicis docuimus, quæ de infinito terminato iactantur, ac de infinitorum, inter ſe, exceſſu ab aliquibus aſſeruntur, contra ipſam naturam, eſſentiam, & Ethimologiam infiniti; nec diſertiſſimo Poetæ nugandum in ſerijs; præcipuè cum totum ſpirent præcordia Phœbum. Altioris igitur indaginis erit, ex eruditiſſimo Poetæ textu reconditam enucleare doctrinam, arcanumque eruere præſtantiſſimæ ſenſum intelligentiæ. *Vacuum*, rigorosè loquendo, certè in ſcholis definitur *locus omni carens corpore*. Ex quo factum, vt ego, cum Philoſophicum curſum, in publico Bergomenſi lycæo, præceptiuè peragerem, nullum poſſe naturaliter dari vacuum conſtanter aſſeruerim, cum videamus à natura Grauia ſurſum, Leuia deorſum, contra naturam agentium particularium, ad impediendum vacuum impelli; quod licet alij admittendum, experientia, vt dicunt, oculari oſtendere conentur, nunquam profectò aſſequentur; nam, ſi oculis cernitur, vt ipſi inquiunt, vacuum, hoc ipſum probat non eſſe vacuum, quia, ſi viſio adeſt, certè obiectum aderit, mediumque illuminatum: vacuum autem, præſcindendo à vacui terminis, nihil eſt, ac conſequenter obiectum viſionis eſſe non poteſt. Locus igitur omnis plenus ſaltem aere erit. Quod ipſum aſſerit de Regno Auerni Claud. lib. 2. hic, vt poſtliminio habito ad propoſitum tandem reuertamur, dum Proſopopeiam Plutonis Proſerpinam conſolantis intexens inquit.

Amiſſum ne crede Diem. Sunt altera nobis
Sydera: ſunt orbes alij; lumenque videbis
Purius; Æliſiumque magis mirabere Solem.

Et paulo inferius idem proſequens argumentum ait:

Prata tibi Zephyris illic melioribus halant &c.

Si igitur Sol ibi prata fœcundat; certè medio indiget aeris, vt influxus fœcundantes in prata demittat? Si ibi lumen, aere recipiente non caret: Si Zephyris halant; aer non deeſt: cum ventorum halitus, in non paucorum ſententia, nil aliud ſit quam aeris commotio repercuſſi. Non itaq; Poeta, cum vacuum appellat Orcum, ita intelligi poteſt, vt de vacuo rigorosè ſumpto loquatur, nam aerem ibi eſſe citatis idem ipſe carminibus fatetur. Quarè dicendum eſt acceptum hicà Poeta nomen *vacui* non iuxta rigoroſam Philoſophantium acceptionem, ſed latiori quodam modo, & iuxta communem loquendi morem, quo vacuus dicitur locus, alijs, præter aerem, carens corporibus; ideòq; iure ab eo dictum fuiſſe, Orcum, innumero licet Plutonis famulatu peragratum; vacuum nihilominus eſſe, cum Auerni incolæ corporea non ſint, ſed *ſpiritus, animæ, vmbræ*: locus enim quantumuis refertus vmbris, ſpiritibus, aut animabus tantummodò, ſemper locus erit omni carens corpore, in ſenſu iam tradito, conſequenter vacuus iure dicitur, iuxta communem modum loquendi. Sed demus Poetam lib. 2. cit., non locutum fuiſſe iuxta propriam ſententiam, cum Ore Plutonis loquatur, cuius proprium quarto modo eſt fallere ſemper, & decipere; & conſequenter demus Poetam immò contrariam Plutonis exagerationi ſententiam habuiſſe, quamuis repugnet Carmen eiuſdem lib. 2. vbi non iam ore alterius, ſed ore proprio, & quaſi hiſtoricè narrans, inquit.

Iam ſuus Inferno proceſſerat heſperus orbi.

Nam ibi affirmatiuè videtur narrationem Plutonis veram aſſerere; demus inquam, hoc non obſtante contrarium ſenſiſſe, ita vt dicendus ſit, nomen hic vacui iuxta rigoroſam vſurpaſſe acceptionem; adhuc verum erit infernum eſſe vacuum; quia tunc immò eo magis locus erit omni corpore carens, cum ibi corpora non ſint, ſed vmbræ varias corporum figuras imitantes, vt præclarè expreſſit Virg. Æn. 6. cum Æneam inducit, viſis apud Inferos Hydris, Gorgonum ceraſtis, Harpijs, Briareis, alijſq; quæ ibidem Poeta enumerat monſtris, in prælium inſurgentem, monſtraque obiecto ferro excepturum, ni monitus a Comite Sibilla fuiſſet, corpora ea non eſſe, nec vulneribus vmbras appeti poſſe; ſic habet:

Corripit hic ſubito trepidus formidine ferrum
Æneas, ſtrictamq; aciem venientibus offert.
Et ni docta comes, tenues ſine corpore vitas,
Admoneat, volitare caua ſub imagine formæ;
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.

Vmbræ igitur, ſeù animæ, ac ſpiritus, cum non ſint in loco circumſcriptiuè, ſed definitiuè tantum, vt recta docet Theologia; hinc eſt, vt, licet innumerus ſit vmbrarum famulantium numerus, tamen locum non occupent, cum corpora non ſint: atq; ideò Auernus, licet tot vmbris ſtipatus, *vacuus* adhuc iure eſt appellandus. Atq; hæc omnia vno illo nomine attigit eruditiſſimus Vates.

Vis autem hæc omnia, quæ diximus breui manu adnotata, ſeù obiter potius indicata ediſcere ex Ouid.? Adeas lib. Metam. 4. vbi, & quam maximè ſpatioſum ſit Plutonis Regnum, ita vt impleri nequeat quaſi infinitum infinito maius; & vacuum edocet quia Solis refertum vmbris ſic vaſtam Plutonis Vrbem graphice deſcribens.

Mille capax aditus, & apertas vndiq; portas
Vrbs habet, vtq; fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille, nec vlli
Exiguus populo eſt, turbamue accedere ſentit.
Errant exangues ſine corpore, & oſſibus vmbræ &c.

FAMVLATVR. *Famulantur* legit Parrhaſius, & *famulantur* legendum hic contendit Heinſius. Verum cum nullum ex alterutra lectione ſequatur inconueniens, non arbitror de voce altercandum, noſtra lectio cum voce concordat Parrhaſiana cum ſignificatione vocis, quæ multitudinem importat, ideò vtramque ratam habeo, ſed cur à noſtra diſcedendum non video. Iam ad rem. Confirmat hoc verbo Vates, quæ diximus, cum nullum per Poetam in Inferis Deum eſſe præter Plutonem, ac Proſerpinam aſſeruimus; nam ſi omnes alij famulantur, & ex vulgo ſunt, iam non inter Deos, ſed inter ſeruos recenſentur, ex quo ſequitur, vnicum eſſe Deum vmbrarum Regem Monarchico Regimine Imperantem, reliquas verò cuiuſcumq; generis potentias inferorum iugo tyrannidis preſſas famulantium officio idcircò fungi, nec tyrannidem detrectare, *quia vulgus mers*, & maximo in contemptu ſemper habendus.

QVORVM OPIBVS &c. Supra vidimus, pag. 12. col. 2. Plutonem diuitiarum Deum creditum fuiſſe, ideòq; & ditem appellatum. Pariter Proſerpinam fœcunditatis, & opulentiæ Deam exiſtimatam fuiſſe, ibidem col. 2. adnotauimus, ac talis denominationis cauſam recenſuimus; ex qua oritur idipſum etiam, quod hic habet Poeta. Verum, ne vnica ex cauſa, multiplex tanti viri eruditio ſcatere videatur; aliter hic explanare aggrediar, quod ipſe indicat ijs verbis: *Opibus quorum &c.*

Theſauros terris abditos Plutoni addictos eſſe, voluerunt non pauci; ita vt Aſtulphus, in ſua officina hiſtorica, lib. 3. cap. 19. aſſerat, hinc ortum habuiſſe fabulam Draconis Heſperidum aurea poma cuſtodientis. Et quidem Draconis ſymbolo Auernas poteſtates indicari ex pluribus paſſim Sacræ Scripturæ locis ſatis patet. Impium tamen duxerim, Theſaurorum huiuſmodi dominium transferri abſolutè in Dæmones, ſi quis dixerit. Sed ſi dicatur pecunia altiùs terris defoſſa (nam theſaurus, de quo hic loquimur, eſt vetus adeò pecuniarum depoſitio, vt nulla eius extet memoria, & nullum iam habet poſſeſſorem) Deo rerum omnium verè Domino permittente, ab inferorum potentijs cuſtodiri, non abnuero; cum de facto pluribus conſtet experimentis eos, qui huiuſmodi theſauris effodiendis inhiauerint, in Dæmonum cuſtodias incidiſſe, ita vt, nullo pacto, voti compotes fieri potuerint.

Alluſiuè igitur ad hanc in abſconditos theſauros cuſtoditricem facultatem inquit Claudianus *Opibus quorum*, cum ea, quæ ab ipſis cuſtodiuntur, in eorum videantur tranſiſſe ditionem, eorumq; ad opes acceſſiſſe. Rurſus opes ab Ope Saturni coniuge, per quam Deam repreſentari terram autumant; & quia diuitiæ omnes e terra educuntur, & in terram tandem redeunt, cuius fœcunditati præeſſe Plutonem vidimus, ac Proſerpinam loco cit. ideò *Opibus quorum*. Hinc occaſionem aſſumpſit Barth. aſſumendi nomen illud *Auaris*, tamquam nomen adiectiuum additum ſubſtantiuo nomini opibus, dum ait: *Opibus auaris quorum &c.* id. Opibus omnia ad ſe trahentibus; Pluto enim vocatur *Dis*; quod omnia & recidant in terras, & oriantur e terris. Sic *auarum mare* dixit Hor. quod omnia iniecta abſorbeat. Hæc Barthius in hunc locum; ſed longè fallitur opinione mea eruditus alioquin auctor; nam nomen illud *Auaris* ſubſtantiuum eſt; & verbo *Donatur* ſubſeruit, vt optimè in hunc locum notat Parrhaſius; Quarè huius textus germana conſtructio hæc erit: Quorum opibus quidquid in orbe perit, donatur Auaris; cum ſcilicet e terra iterum emergit, quod perierat, vt mox explicabimus; ſicq; Opi-

bus, quorum ablatiuus cauſam importans erit, non verò dandi caſus, qui verbo deſeruiat. Addit itaq; Vates:

DONATVR AVARIS: vt innueret, verum quidem eſſe, non omnibus a Dæmonum cuſtodia concedi, vt theſauros effodiant, ſed tamen hoc facilè auaris indulgere Dæmones, primo quidem, quia, cum nullum ſit ab auaritia ſcelus alienum, iuxta illud Virg.

. . . . . . Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames &c.

Facilè auari conſentiunt, vitam, animamque pro auro paciſci, ac ſe ipſos in gratiam auri infernali tyranno addictos deſpondere; ideòq; iis, non alijs donatur; nam Dæmon nil gratis donat; ſed deploranda nimis intercedente vſura concedit. Secundo quia, quod à Dite Auaris donatur ad Ditem illicò recedit; nam ij iterum pecunias defodiunt, ne vel ſibi, vel alijs vſui ſint inſuper. Ideò benè iungit Vates *Donatur Auaris*, ideſt auidis æris; nam idem Auarus eſt, ac auidus æris. Quod ſi ad fruges terræ ſententiam malis referre, indicat hic efficaciter Vates, tantam eſſe Plutonis, ac Proſerpinæ diuitiarum affluentiam, vt etiam inſatiabiles diuitiarum Charybdes valeant explere, licet inexplebiles adeò ſint, vt numquam dicant *ſufficit*; quia de aureis fluentis optunè verificatur illud Poetæ alterius dictum.

Quæ plus ſunt pota, plus ſitiuntur aquæ.

Ducor autem ad refellendam ſententiam Barthij, & hanc noſtram potiùs aſſerendam, quia, cum Vates propitia ſibi hæc Numina innocet, Laudes innectere debuit, quibus beneuolentiam ſibi eorum conciliaret; non probra ingerere, quibus irritaret. Probrum autem iniecisset, ſi iiſdem auaritiæ notam inuſſiſſet; ſicuti è contra, Laus eſt eos liberalitate præditos decantare.

QVIDQVID IN ORBE PERIT. Licet in ſenſu litterali, & ſimplici verè dicatur in orbe perire vis pecuniarum, quæ terris abditur, ita vt nulli in poſterum vſui eſſe poſſit; ſicq; videantur hæc verba fauere ſententiæ, quam de theſauris abſconditis retulimus; tamen nec erit alienum hoc ipſum dictum ab expoſitione, quam de frugum opibus adduximus; nam ſi conſideretur eorumdem verborum allegoricus ſenſus; certè pereunt, ideſt perire videntur; immò de facto pereunt, & corrumpuntur ſemina omnia terris demandata; nam, cum ex Ariſtotile corruptio vnius ſit generatio alterius, corrumpi ſemina debent, vt ex virtute ſubterraneorum ignium, de quibus nos ſupra, in eam aſſurgant rediuiua fœcunditatem, quæ toti orbi opulentiſſimas ſuppeditet diuitiarum affluentias, vt etiam euangelica teſtatur veritas illis verbis: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Certum eſt autem, id, quod de tritico dicitur, de alijs pariter ſeminibus dicendum, perire ſcilicet ea debere, ne pereant, & orbem latè locupletent; ideòq; etiam in hoc ſenſu aptè à Poeta more ſuo plures complectente ſententias dicitur

Donatur auaris quidquid in orbe perit.

QVOS STYX &c. Styx, vt refert Pauſanias in Arcadicis, Arcadiæ fons eſt, ex prærupta, ſummaq; rupis crepidine defluens non procul à Ciuitate Nonacri, vel vt alij aſſerunt, ad Pheneum ſcatens. Hanc eamdem aquam Theſaliæ fontem apud Peneum ſtatuiſſe tradunt nonnulli, ſed vnam, eamdemq; putat Pauſanias citatus. Huius aquæ potus pernicioſiſſimus eſt omnibus animalibus; tanta enim pollet frigiditate, vt calorem ſtatim bibentis naturalem extinguat, vitamq; hoc adimat pacto. Inſuper tantam huius aquæ frigiditati vim attribuunt, vt eius vehementia metalla omnia diſrumpantur, ita vt nullo prorſus vaſe niſi ex muli vngula, vel equi, aut iumenti, vt alij dicunt, valeat contineri; hancq; Macedoni propinatam ab Antipatro aiunt, cratere ex dicta vngula confecto, cum veneno ſublatus dicitur Alexander apud Curtium lib. 10. Pauſaniæ opinionem de Stygia vnda e ſaxo enaſcente protulit etiam Herodotus, & ſecutus eſt Plinius; eamdemque græco carmine euulgauit Heſiodus, cuius ſententiam Mythol. Nat. Com. lib. 3. his Latio Metris donauit, vt obuia magis eſſet.

. . . . . Fluit è petra, & paulatim labitur, alta.
Sub terris fluit, & tenebras per noctis opaca &c.

Vbi etiam, quam vaſta ſit Stygia palus apud inferos explicans, eam decimæ Oceani parti æquiparari declarat his verbis item ex Græco deductis.

Nam decima Oceani pars eſt Styx ipſa profundi.

Et hinc eſt vt Heſiodus idem, cum Stygiæ paludi Nymphā ſuam, ſeù Numen, poetarum more adſcripſiſſet, eam ex Oceani ſemine natam dixerit, apud eamdem Mythol. Nat. Com. cit., in his

Styx grauis Oceani refluì de ſemine nata.

Cum igitur aqua iſta ex rupe defluens pernicioſa adeò ſit. & ſub terris, ad modum Acheruſiæ, Arethuſiæ, Nilıacæ, aliarumq; aquarum, per cuniculos agatur, hinc eſt, vt ad inferos vſq; deſcendere, & fluuium, ſeù Paludem inferorum eam eſſe dixerint Poetæ; fluuium enim Stygium agnouit Plato in Phœdone, & Paludem Stygiam vocari dixit, in quam fluuius ingreditur. Ex vaſtitate autem huius, quam innuimus, paludis patet, abs re non eſſe, quod complurimi aſſerunt, nempè Stygiam Paludem Plutonis arce nouies interfuſa circumdatam obuallari; vt clarè Æn. 6. expreſſit Virg.

Fata obſtant; triſtiſq; Palus innabilis vnda,
Alligat, & nouies Styx interfuſa coercet.

Hanc Stygiam Paludem, quam apud inferos ponunt, tanta in veneratione apud Superos ipſos fuiſſe teſtantur, vt per eam Dij Superi iurare conſueuerint, ac nefas duxerint, quæ per Stygem iuraſſent, non implere, quod optime idem inſinuat Virg. Æn 6.

Cocyti Stagna alta vides, Stygiamq; Paludem,
Dij, cuius iurare timent, & fallere Numen.

Fallentibus enim pœna ſtatuta erat, nempè vt, ſi quis Deorum huiuſmodi iuramentum violaſſet, centum annos à nectare abſtineret Numinis Maieſtate priuatus, atq; ex aureo Deorum albo expunctus. Cauſam huius decreti fuiſſe ſcribit Seruius, quod Victoria, Stygis filia ex Acheronte concepta, Ioui fauiſſet in Bello Gigantum: Iſacius verò aliam aſſignat cauſam, nempè quod Styx, cum Dij reliqui Iouem vincire ſtatuiſſent, coniurationem ipſam eorum Ioui patefecerit, inſidiaſq; edocuerit; quarè Iupiter grati animi monimentum hoc illi dederit, vt, qui Deorum per Stygiam Paludem iuraſſet, iuramento indiſſolubiliter teneretur. Cum igitur Claudianus Deos inferos imploret, vt Cheli faueant ſuæ, ſicuti ſuperius pronam animorum in illis propenſionem ad beneficia cupientibus impertienda exagerauit: *Donatur Auaris &c.*, vt hoc pacto eorum ad fauendum alliciat beneuolentiam: ſic ex oſtenſione potentiæ hic incitat; cum eos illius dominos palludis oſtendat, quæ ſuperos ipſos habeat adſtrictos, vt oſtentet, ſe potiori quodam iure eos confidentiùs inuocandos exiſtimare, quam Superi ipſi inuocandi ſint. Porrò Styx, vt & ad ipſam regrediamur, hoc nomine compellatur à *ἀπὸ στυγεῖν*, ideſt à triſtitia, & mærore, vt patet ex Virg. cit. quarè appoſitè ait Vates

LIVENTIBVS VADIS. Liuens enim deriuatur à verbo Liueo, quod propriè ſignificat *liuidus ſum*; ideſt plumbei coloris ſpeciem referens; cum autem proprium mæſtitiæ ſit talis vexilla coloris mæſto in vultu explicare, appoſitè ſtix liuens dicitur per metonimiam, & habita alluſione ad axioma. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Vadum autem propriè ſignificat aquam, tam modicè depreſſam, vt pedibus pertranſiri poſſit: hic pro tota ponitur palude, & quidem aptè; nam proprium Paludis eſt modicū aquæ plurimum cœni habere.

AMBIT. Hoc eſt cingit, quod iam ſatis ſupra explicuimus.

INTERFVSA. Hoc eſt circumeffuſa: ſparſa, vt vulgò dicitur, *d'intorno*: nouies vid. vt ſupra vidimus.

ET QVOS PHLEGETON. Phlegeton fluuius item infernus eſſe dicitur flammis æſtuantibus rapidus, vndarum vicem implentibus. Hunc ſub Ditis imperio eſſe teſtatur etiam Virg. Æn. 6. vbi de Dijs Manibus loquens hæc expreſsè habet.

Dij quibus imperium eſt animarum, vmbræq; ſilentes,
Eſt Chaos, & Phlegeton &c.

Et eumdem flammarum vortices euoluentem ibi poſtea deſcripſit inquiens.

Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis,
Tartareus Phlegeton, torquetq; ſonantia ſaxa.

Atque hoc ipſum ſatis ex ipſo nomine patet, nam Phlegeton dicitur à græco *φλέγω*, quod latinè eſt *Ardeo*. Per hunc fluuium irarum, cupiditatumq; ardores repreſentari ſuſpicatur Macrobius: Quarè cum Vates Plutonem ira concitatum, bellumque moturum ſuperis ſit expoſiturus, aptè huius fluuij mentionem hic ingerit. Inſuper igneus iure meritò fluuius Diti attribuitur, quia (vt præſcindamus ab igne in inferis excruciante) Dis, vt dixi creditur Numen omnia ſoluens germina, quæ terras fœcundent; cum autem hoc fiat ex vi caloris ſpirituum igneorum, in terræ gremio deliteſcentium, iure flumen igneum habere dicitur, quo longè, lateq; calorem huiuſmodi diffundat.

TORQVENS FVMANTIA ÆQVORA. Torqueo, à quo participium præſentis temporis Torquens efformatur,

idem interdum ſignificat, ac italicè *Lanciare*: In quo ſenſu Virg. Æn. 5.

In medios telum torſiſti primus Achiuos.

In quo etiam ſenſu hoc verbum vim, ac velocitatem indicat, qua fluuius ille flammas ſuburget flammis, ac pernicioſiſſima rotat incendia. Interdum ſignificat idem, ac Italicè *ſoſtenere*, & in hoc ſenſu emphaticè ſe haberet verbum *torquens*, quaſi non ſine tormentorum affluentia flammas illas, quas ſuſtinet, euolueret; ideò enim, vt nempè oſtenderet flumen igneis vndis æſtuare, ſubdit *fumantia æquora*; fumus enim ignis naturale ſignum eſt, neceſſariam cum igne habens connexionem: quare ſignum ponit Claud. hic, pro re. *Æquora* autem dixit, vt vndas non ſolum tranſlatiuè explicaret, ſed etiam vt, quam vaſtum hoc flumen eſſet, per ſimilitudinem æquoris inſinuaret.

PERLVSTRAT. Perluſtrare propriè eſt *peragrando, perſpicere*: hic tranſlatiuè ponitur pro *circumire*; non impropriè tamen *perluſtrare* dicitur; nam, cum vnicuique fluuio tutelare Numen attribueret ſuperſtitioſa Gentilitas, aptè potuit, & Phlegeton *peragrando*, hoc eſt circumeundo perſpicere, & obuia quæq; contemplari, eo quo Numina pollent obtutu.

VORTICIBVS ANHELIS. *Gurgitibus*, non *vorticibus*, legit Parrhaſius, & legendum aſſerit Heinſius. Sed non video, cur à vulgata recedendum; cum certè magis delectemur metaphoris, quam verbis rerum proprietatem ſequentibus, & Poeſis ſemper delectationi profectò ſtudeat. Immò ſi à Parrhaſio quæras, quid Gurges ſit, Gurgitem ipſe per vorticem explicabit, dum inquit: *Gurgitibus*, hoc eſt *profundis aquarum vorticibus*: ſi igitur Gurges per vorticem explicatur, vel notiùs quid eſt vortex, quam Gurges, vel ad conuertentiam dicuntur, & idem ſunt. Si ſecundum dicat, non eſt cur lectionem reprehendat noſtram: Si primum aſſerat, iam potior eſt lectio noſtra, quia per notiora progreditur, niſi velit Parrhaſius fateri ſe ignotum per ignotius, vel ſaltem per æquè ignotum explicaſſe. Quod ſi verami à nobis inter Gurgitem, & Vorticem differentiam quæras; iam accipe. Gurges propriè locus eſt fluminis profundior, in cuius dum aqua demergitur, in ſe ipſam vertitur, & celerrimè adeò circumrotatur, vt leuia quæq; quæ inciderint, attrahat in profundum: Vortex autem *flatus repentini* genus eſt, ſicca ex nube erumpens, ac diuulſam nubis partem ſecum trahens, conuoluensq;, ac nigrum verſans turbinem, nauibus exitiale: Per tranſlationem verò, quæ in ſimilitudine circumrotationis fundatur, transfertur ad ſignificandam vehementem vndarum agglomerationem, qualem in Gurgitibus mox diximus circumrotari. Quare lectio noſtra idem affert, quod Parrhaſiana, ſed ornat ùs, cum illa propria ſit, noſtra verò tranſlata. Aptiſſimè autem huiuſmodi Vortices ingeruntur hic, quandoquidem Phlegeton, quippè flammis exundans, igneos vortices, nigrantes fumo, omnibuſq; exitiales, non poteſt, quin contorqueat, & agitet, dum ſummoperè in ſe ipſo agitatur & ipſe, & contorquetur. *Anhelis* autem inquit, vt, Poetarum more, flumen, ſeù fluminis Numen viuere indicaret; *anhelus* enim propriè eſt *ægrè anhelitum ducens*, quod proprium vehementer agitati eſt, & quaſi laboris pondere oppreſſi, æſtuantiſq;, ac æſtu ipſo ad extremum vſq; concuſſi.

VOS MIHI &c. Superioribus in inuocatione carminibus, beneuolos à laude; procliues in gratiam ab exagerata potentia; ac faciles ab expreſſa donandi conſuetudine, cum inuocatos reddiderit Deos; hic inceptam ibi ad ipſos apoſtrophem proſequens ea exponit, circa quæ eorum opem intendat implorare: atque vt magis adhuc dociles hìc reddat Auditores, breui, ac clariori recapilogatione, omnia, quæ dicturus ſit, iterum recenſet; nempè Ditis Arcana; Plutonem amantem; Proſerpinam raptam; genitricem Cererem toto orbe vagantem, vt natæ veſtigia deprehenderet; ac terræ fœcunditatis originem indè deductam.

VOS MIHI. Contrapoſitum hic decet emphaticum adnotare; nam ſenſus his latens in verbis eſt: Vos exorati mihi ſupplicanti; Vos diuites mihi inopi; Vos potentes mihi inualido; Vos liberales mihi cupido. Quæ contrapoſita omnia hìc venire intelligenda, ſatis patet ex iam diſcuſſis in ſuperiori inuocationis explanatione; nam ex illa hæc, nullo negotio, mehercule deducuntur.

PANDITE. Indicauerat ſuperiùs ea, quæ ſuſcepiſſet exponenda, non facilè quibuſcumq; eſſe oculis peruia, cum iis inuoluerentur vaporum afflatibus, quos vix, cœlorum oculi, ſydera, ſine deliquio, ſuſtinerent: *Afflataq; currus ſydera &c.* inſuper alta mergi caligine: *Caligantesq; profunda Iunonis thalamos*: maximis rurſum obuallatas eſſe difficultatibus, ita vt, depoſita humanitate, diuinitatem quodammodo induere deberet, qui Gordianos hoſce nodos exſcindere aggrederetur: *Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus expulit &c.*, & cum hoc ipſum non ſatis eſſe, digneſceret, ſub vmbra confugit Numinum *vos mihi*, alioqui inepto, *Pandite*. *Pando* enim idem ſonat, ac *aperio*, ſeù *manifeſtum facio*: & ſic Pandite, inquit, hoc eſt aperite; manifeſta facite, quæ alioquin obſtruſa ſunt, meiſq; prorsùs viribus imperuia. Hoc autem eodem modo loquendi bis vſum fuiſſe Virg. inuenio, dum, ad ardua quædam carminibus demandanda, Muſarum implorat auxilium, nempè 7. & 10. Æn. repetens.

Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſq; mouete.

Huius verò verbi vſum apud ſupplicantes frequentem ex eo deductum, ait Parrhaſius, quod, apud Veteres, qui ope indigerent, & ad Cereris Aſylum confugiſſent, eis panis dabatur; vnde *Pandere*, quaſi *panem dare*, hoc eſt, quod optamus, ac quærimus concedite. Quarè ſacrum vocauit hoc verbum Barthius. Quarè aptiſſimè Vates ſupplicantis more vſus *Pandite* inquit, præter iam allatas rationes.

PENETRALIA. Penetrale dicitur intima, & recondita quæq; pars domus, templi, ſacrarij &c. Cum igitur thalamos profundæ Iunonis, qui certè in inferorum intimis clauduntur, receſſibus, ſibi perueſtigandos propoſuerit, iure partes inferorum intimas poſtulat reſerari, vt omnia ad huiuſmodi thalamos ſpectantia valeat perluſtrare, abditiſque è tenebris in lucem educere.

SACRARVM RERVM. Omnia, de quibus acturum ſe Poeta profitetur ad eadem inuocata pertinent Numina; ideòq; ea ſub nomine *res ſacra* notat; ſacrum enim dicitur quidquid Numinis Religionem ſpirans Numini ipſi conſecratum, addictumque ſit. In hoc autem ſenſu intelligendum eſſe Poetam hic, patet, quia ponitur per anthitheſim ad *Profanos*, quos ſupra longo ſecedere iuſſerat interuallo. Nec placet Parrhaſius, qui *Rerum ſacrarum*, inquit, hoc eſt *occultarum* quippè *ſacra* dicuntur *arcana*; Non placet, inquam, quia, quod res huiuſmodi occultæ eſſent, ſatis indicauerat Vates per hoc, quod dixiſſet *Pandite penetralia*, vt ex datis conſtat, quarè ſuperfluum fuiſſet addere *ſacrarum rerum*, hoc eſt occultarum; quidquid enim in penetralibus eſſe inſinuatur profectò in occulto eſſe affirmatur.

ET VESTRI SECRETA POLI. Opis, & Apollo tabulas quaſdam Æneas ex Hyperboreis Delum tranſtuliſſe dicuntur, in quibus ſcriptum erat, animam à corpore recedentem in ignotum quemdam ſubterraneum receſſum penetrare, vbi Regia Plutonis ſit, nihilo minor, quam ipſius Iouis ſit Aula. Ex hoc datus eſt opinioni locus, qua dicebatur Pluto adæquatè cum fratre Ioue imperium diuiſiſſe, ita vt, cum medium globoſi orbis terra obtineat, ſuperius emiſphærium Iupiter, & eius filij gubernent: Inferius verò Pluto eiuſdemque teneant Nepotes. Ad hanc opinionem alludens, arbitror, Claud. Polos in inferis, nempè cœleſtes ſtatuit manſiones. Opinionem mox citatam refert Mythol. Nat. Com. auctoremque facit Platonem, licet dubium relinquat, num verè Plato, aut alius, qui nomen ſibi Platonis vſurpauerit, ita ſentiat. Verum, ne hæſitationibus immoremur, certum eſt, Poetas omnes in hoc conſenſiſſe, vt Eliſium, ſeù Eliſios campos, ad Plutonis ditionem pertinere dictitauerint, & in ſubterraneo eiuſdem imperio ſitos aſſeruerint; quod præcipue expreſsè patet ex Virg. Æn. 6.; nam cum deſcribat Æneam deſiderio Genitoris inuiſendi iter in Eliſium ſuſcepiſſe, & illum Ditis ianuam ingreſſum, & ramo aureo Proſerpinæ dicato munitum, vt illi Eliſiorum aditus pateret, & trans Acherontem vectum &c. deſcribit; ex quibus omnibus ſatis conſtat Virg. in ditione Proſerpinæ, ac conſequenter Plutonis Eliſium ſtatuiſſe; in eoque Polos, Solem, ac Sydera collocaſſe, dum lib. cit. apertè ait:

Largior hic campos Æther, & lumine veſtit,
Purpureo, Solemq; ſuum ſua Sydera norunt.

Idem teſtatur Pluto ipſe apud Claud. 2. de raptu loco ſupra cit. pag. 25. col. 1., & quem ſuo loco videbimus, cum ore Plutonis loquens dicat.

. . . . . . Sunt altera nobis,
Sydera, ſunt orbes alij &c.

Ex quibus ſatis confirmata remanet ſententia, iam poſita; nempe ſine Cœlis nunquam creditum fuiſſe Plutonis Regnum. Quo poſito eruditè poſtulat Auctor inquiens *Pandite* ſecreta veſtri Poli; vnum ſcilicet ponens pro pluribus, & partem pro toto, per Synecd.; Dico enim certè ſunt Poli, nempè Arcticus, & Antarticus in Cœlo; & ſunt duo

puncta ex diametro oppoſita, alterum vid. ad Septentrionem, alterum ad Meridiem, quorum inter vtrumque linea recta ducitur imaginaria, quæ Axis dicitur, quaſi ſupra his polis, veluti cardinibus, Axe illo Cœlorum motus circularis circumuoluitur; idemque Polus ponitur etiam pro toto Cœlo. Interdum Polus pro integro inſuper accipitur orbis globo: quarè, cum Poeta innuerit, in immenſa ſpatij, Plutonis Regnum extendi: aptè, quaſi alterum ſub terris agnoſcat orbem: *Pandite*, inquit, *ſecreta veſtri Poli*; ideſt ſubterranei mundi veſtra in ditione iam poſita: vel, ſi primus magis arrideat ſenſus, *ſecreta* veſtri Cœli, nempè Eliſij quo, lib. 2. ait ductam à Raptore fuiſſe Proſerpinam, cum inquit Ore Plutonis.

. . . . . . Eliſiumq; magis mirabere Solem &c.

Ad vtrumque tamen reſpexiſſe, more ſuo arbitror Vatem.

SECRETA. Secretum dicitur quidquid occultum, latens, abſconditum eſt: cum autem nil abſconditum magis, ac latens eſſe poſſit, quam id, quod, vt ſupra dix. in centro latitat, alta terra, & caligine merſum; hinc eſt, vt ea, quæ in Plutonis Regno peraguntur, *ſecreta* nominet. Aſt ne videatur noſtra hæc expoſitio in eamdem incidere obiectionem, quam nos ſupra obiecimus Parrhaſio, *ſacra* per *occulta* interpretanti; memineris, *Penetralia*, de quibus ſupra, ad locum certè referri: *ſecreta* verò, de quibus hic, ad res ipſas tali in loco peractas. Immò hoc additum confirmat ſententiam noſtram contra Parrhaſium; nam *res ſacra*, de quibus ſupra, neque reſpectu loci, neque reſpectu rerum geſtarum, poſſunt accipi pro *occultis*; nam locus ſatis indicatur occultus per hoc quod penetrale dicatur: Res geſtæ in loco ſatis *occultæ* inſinuantur per nomen *ſecreta* hic poſitum; ergò non erat, cur iterum, per *res ſacras*, *occultas* intelligeret; ſed ad Deos ipſos pertinentes, vt iam nos explicuimus. Demum *ſecretum* idem interdum ſignificat, ac *ſeparatum*, *ſemotum*, *diſcretum*, *ſecluſum*: Quid autem à nobis ſemotum magis, quam quod in inferno geratur? Ex hoc autem ipſo certè emergit maxima id dignoſcendi difficultas, niſi ab ipſis inferorum potentijs pateſiat: ideò & in hoc ſenſu aptiſſimè inclamat Vates: *Pandite ſecreta &c.*

QVA LAMPADE &c. Hæc ea ſecreta ſunt, quæ vt ſibi pandantur, ſupplex ſe ſe in vota effuderit Vates: primò nempè quinam Amoris ignis tantum habuerit virium, vt adamantinum Plutonis pectus incendere potuerit. Vt itaq; vim poetici huiuſce conceptus planè dignoſcas, ac penetres; Memineris id, quod refert Pier. Valer. lib. Hierogl. 41.; Adamantem ſcilicet ſumi in Hieroglyphicum mentis obduratæ adeò, vt nulla queat ratione dimoueri; atque hac de cauſa Plutonis pectora adamantina effingi; & apud Inferos ſolido ex adamante portas, ac columnas conſtitui, vt omnia ibi obdurata, atque implacabilia eſſe intelligamus: à Theocrito denique Plutonem ipſum vocatum apertè fuiſſe Adamantem, eo quod mirum in modum durus ſemper ſit, inflexibilis, inexorabilis. Hoc poſito: Fines impoſſibilitatis videtur attingere vnio inexorabilis naturæ cum ea lenitate, quam indubitabiliter ſecum amatorij trahunt affectus: ideò emphatica quadam admiratione inquit Poeta: *Pandite, qua lampade Ditem flexit Amor?* Cum imperceptibile, impoſſibile omninò factu id videatur.

Ægyptij Sacerdotes, ſicuti per aquæ ſymbolum, *odium* intelligebant, ſic, teſte Pier. cit. lib. 44. per ignis Hieroglyphicum *Amorem* exprimi voluerunt. Quarè Virg. Æn. 4.

At Regina graui iamdudum ſaucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Aſt ſi adamas Salamandris validiùs igni reſiſtit: quomodo Adamas Pluto igni ſuccumbat amoris? Et eo magis profectò creſcet admiratio, quia, ſi quæramus à Platone, quinam tandem ſit amoris ignis? Reſpondentem audiemus, apud Pier. cit. lib. 42., faces, quas euibrare dicitur Amor, eos eſſe radios viſuales, qui ex intimo cordis, in quo vitalis ſanguis, dulciſſimus, ac calidiſſimus, ſedem habeat, expirant, & qui quidem tenuiſſimi ſunt; ſed pateſacta, per oculos, ad egrediendum, via, per Amantis itidem oculos illapſi, ad intimum eiuſdem cor penetrant, accenſóque interim magis, ac magis ſanguine, bilem etiam inflammant: vndè ille ſequitur dolor, quem affixum eſſe cordi, amantes omnes profitentur. Cum igitur tenuiſſimi ignes ſint, qui ex amoris facibus eiaculantur; quomodo Adamantem Plutonicum igneſcere faciant. Si per oculos in accendendum pectus illabuntur; & Pluto cæcus Deus dictus eſt, vt crudeliùs, non viſis damnatorum tormentis, deſæuiat; quomodò iſtiuſmodi Amoris ignes in efferatum pectus viam inuenerint, vt illud inflammare[nt]? Imperceptibile eſt, Ideò *Pandite qua*

LAMPADE. Lampas genus eſt facis in aere exiſtens, & inter cometas enumeratum, vt tradit Plinius, & dupplicem diuiditur in ſpeciem; alteram, quam *Bolidam* dicunt; alteram nomine Lampadis indicatam: Vulgus tamen hæc vtriuſq; ſpeciei portenta promiſcuè *faces ardentes*, ſeu *lanceas ignitas vocat*. Aptè igitur translato nomine Lampadis, hoc eſt ignitæ lanceæ vtitur Auctor hoc loco, vt oſtendat, ſe, cognita Plutonis inflexibilitate, ſibi non facilè ſuaſurum, flecti eum potuiſſe tenuiſſimis ijs radijs, quos Plato edocuerat faces eſſe Amoris, ſed ignitas potiùs lanceas fuiſſe adhibendas, cum præcipuè Lancea ſtrenuitatis Hieroglyphicum ſit, ac prædominantis Imperij: immò & maritalis coniunctionis in ſignum vſurparetur, teſte Pier. Valer. lib. Hierogl. 42., Ita vt mos eſſet apud Romanos, vt Nuptarum capita cœlibari haſta comerentur, eo, quod quæ nuberet, viri ſubderetur Imperio: Cœlibarem autem haſtam vocabant, quæ in corpore Gladiatoris abiecti, interemptiq; ſtetiſſet. Cum igitur hic Amor Plutonem, pluſquam gladiatoria ferocitate efferatum, vincere dicatur, meritò igneæ triumphus Lanceæ, ſub nomine Lampadis attribuitur, & appoſitè adhùc magis, cum in Nuptias accenditur Pluto. Aſt cum hoc ipſum imperceptibile videatur, attentâ crudelis naturâ; Ideò *Pandite, qua Lampade*, inquit, emphaticè, vt innuimus, vt oſtenderet maximam certè, ac validiſſimam ſcelligere facem Veneris filium debuiſſe, vt Plutonem ſibi redderet ſubiectum; in hoc videlicet Ouidio conſentiens, qui Metam. 5. inducens Amorem, vt Matris obtemperaret imperio, Plutonis corda vulneribus affecturum, optimam, certiſſimamque ſagittarum ſuarum autumat delegiſſe, ſic inquiens. . . . . *Ille pharetram*

Soluit, &, arbitrio Matris, de mille ſagittis,
Vnam ſepoſuit; ſed qua nec acutior vlla,
Nec minus incerta eſt, nec quæ magis audiat arcum.
Oppoſitoq; genu, curuauit flexile cornu,
Inque cor hamata percuſſit arundine Ditem.

Grandior tamen, vt vides, aſſurgit Claudianus, dum extremum hunc Amoris conatum, per ignitæ Lanceæ ſymbolum, miris more ſuo modis vnico cum admiratione expreſſerit carmine. *Pandite qua lampade.*

FLEXIT AMOR DITEM. Verbum *flecto*, in communi locutione, pro eodem promiſcuè ſumitur, ac *moueo*, *torqueo*, *curuo*. Verùm ſi attentè introſpiciatur verborum vis, quo ad ſignificationem, diſtinguendum profectò erit inter verbum *flecto*, & verbum *moueo*, vt probè diſtinxit Æn. 7. Virg. furentis ore Iunonis, fruſtra Troadas exagitantis, ſic locutus,

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Iuno enim ibi queritur non poſſe ſe facultatem obtinere à Ioue (ſine quo nil poterat, quippè inferius Numen) vindictas de Troianis ſumendi, & fatetur, hoc prouenire ex eo, quod Troianorum fœlicitas fatali fulciretur decreto: cum igitur Iuno conaretur deducere Iouem, vtique reluctantem, ad infringendum decretum, quod infringi non poterat, ad malum certè conabatur adducere, ac iure Iupiter reluctabatur: quarè vtitur illa verbo *flectere*: *Flectere ſi nequeo ſuperos &c.* quod planè declarat verbum *flecto* indicare reſiſtentiam, & quidem non leuem rei flectendæ, ſi verbum in rigore ſumatur, vt hìc. At verò, cum de incitandis Inferis ad malum, nempè ad oppugnandum fatale illud decretum, ageretur, quia nulla adeſſe poterat reſiſtentia, ad vim Cœlo inferendam, in ijs, qui, ſuaptè naturâ ad malum proni ſemper, odio implacabili decreta proſequuntur cœleſtia, tunc verbo vtitur *mouere*: *Acheronta mouebo*, vt indicet nullam ibi adfuturam difficultatem, quin eos in ſuas adduceret partes. Optimè hinc Auctor noſter, emphaticum proſequens loquendi modum, *Flexit*, inquit, vt in ipſo verbo difficultatem oſtenderet, & reſiſtentiam penè ineluctabilem Plutonis in ſuas adducendi partes. Ideò *Flexit*

AMOR DITEM. Mirum, miriſq; effulgens myſterijs contrapoſitum! *Amor* ſemper exquirens bonum, amico participandum, vt probè cecinit in ſuo Leone Io: Baptiſta Chietinus inquiens.

Non ſibi flagrat propriuſque nunquam,
Fertur in quæſtus; ſed amica ſemper,
Lucra depoſcens, ſibi paret vna.

Ditis verò natura ſemper in malum prona, malum omnibus intentans, vt rectè notat Pier. cit. lib. 40. Amor Venere natus, ideſt mollis, delicatus, ſuauis: Pluto Saturno genitus, ideòque mœrore confectus, durus, ferreus, acerbus, ac Tyrannide inſignis. Amor nudus, vt ſimplicitatem præſeferat, omnibus amplexandus: Pluto galeatus, vt apud Pier. cit. lib. 42., vt occulta conſilia ſibi indicet ineſſe, & in furorem

rem armetur omnibus fugiendus &c. Porrò vndè nomen Ditis ſortitus fuerit Pluto, iam dix. pag. 12. col. 2. quarè non immoror. Cur autem Amor introducatur hic Plutonis cor ſubigens Æneum? Facilis eſt ſolutionis; Nam innuere voluit Vates cauſam ad Raptum impellentem iuxta ſententiam Ouid. Metam. 5. vbi enarrat ipſe Venerem indignatam eo, quod Diana, Pallas, & Proſerpina Numen Veneris, coniugijque aſpernarentur, perpetuæ ſtudentes virginitati, filium exoraſſe, vt Plutonem ſuis incendens ſagittis in Raptum Proſerpinæ concitaret; quod Amor, in obſequium Matris illicò peregerit. Obſecrationem autem Veneris (quoniam Nati obedientiam deſcriptam vidimus pag. 28. col. 2.) ita loco citato exprimit Ouidius.

> *Arma, manuſq; meæ, mea, Nate, potentia, dixit,*
> *Illa, quibus ſuperas omnes, cape tela Cupido &c.*

& inferius

> *Spernimur, ac mecum vires minuuntur Amoris.*
> *Pallada nonne vides, iaculatricemq; Dianam,*
> *Abſceſſiſſe mihi? Cereris quoq; filia Virgo,*
> *Si patiamur, erit; nam ſpes affectat eaſdem,*
> *At tu pro ſocio, ſi qua eſt tibi gratia Regno,*
> *Iunge Deam Patruo &c.*

QVO DVCTA FEROX &c. Secundum ſecretum, quod vt panderetur, Deos inferos precabatur, illud eſt; nempè vt oſtenderentur loca illa continuo vmbrarum ductu circumfuſa, perpetuiſq; obſita noctibus, quibus excepta fuerit Proſerpina, & num obſcuris manſerit in thalamis, an verò ſub ſilufia luce meliori Cœlo potita fletibus tandem finem impoſuerit &c. Eodem contextu orat, vt raptus non ſolum, ſed & modus eiuſdem ſibi pateſiat, & quomodo Proſerpina Regnum inferorum dotale acceperit &c. vtrumq; enim ſenſum vnica colligat dictione mirabilis ſemper Poeta.

QVO. Ex duplici ſenſu quem habere poteſt hæc particula *Quo* duplex promanat explicatio ſupra indicata; nam hæc particula *Quo*, vel ſumi poteſt, vt relatiuum antecedenti ſuo præpoſitum; ita vt idem ſit, ac *Quali*, ſicuti ſuperior particula *quo*, vbi dixit: *Quo lampade &c.* vel ſumi poteſt, vt aduerbium loci. Si primo modo ſumatur, conſentaneus erit ſenſus cum ſupradicta particula *quo* traductione tantummodo intercedente; & ſic ſecunda explicatio, quam attigimus, emerget. Si ſecundo modo ſumatur; ex cauſa, nempè ab Amore Plutonis ad effectum inquirendum procedit; nempè ad locum indagandum, quo ducta fuerit Proſerpina, vt explicare poſſit imperium, quod illius amoris cauſâ Proſerpinæ obtigit; ſeù erit proceſſus ab antecedentibus ad conſequentia, & ſic prima noſtra firmabitur explicatio. Poſſet fortaſſis tamen aliquis ex ſeuerioribus grammaticis Criticus, apices magis, & ſuperficiem, quam ſenſuum medullas perpendens, huic meæ explicationi fallaciam obijcere deceptionis, aſſerens decipi opinionem meã eo, quod non ſatis animaduerterim, particulam *quo* relatiuam, à particula *quò* aduerbiali per accentum diſtingui; nam relatiua ſine accentu ſcribitur, vt hic; aduerbialis verò accentu notatur. Sed aduertat nouus, quicumq; ille ſit, Cenſorinus Cato, ne, dum religioſè nimis Orthographiam ſectatur, Orthographiam poeticam offendat; nam, vt notant Proſodiacæ leges, in monoſſillabis accentus hodiè non cognoſcitur: Præcepto pri. de accentu; Immò in appendice prima ad idem præceptum, hæc expreſsè habentur: *vt in vltima ſillaba accentus ſit, latinitas vetat* (loquitur autem de Polisſillabis) *nam ſi ſuſcepimus, quod nonnulli Grammatici tradunt, diſcriminis cauſa, horum verborum eſſe poſtremam ſillabam acuendam, ſerpet res latiùs, quam volumus; id enim erit faciendum in verò, ferò, modò, crebrò &c. quæ tamen aduerbia ſine accentu ſcribi poſſe, apud Poetas centenis in locis reperies; nam ſicuti Poeta nominibus ſæpè aduerbialis vtuntur ſine accentu, ſic non eſt neceſſe eſt, accentu vti, vt aduerbia à nominibus diſtinguans, cum promiſcuè vtantur.* Quarè illa particula *quo* in Poeta noſtro vel accipi poteſt, vt relatiuum antecedenti ſuo præpoſitum, vt dix: vel vt nomen aduerbiatum, vel vt aduerbium reale loci, nulla habita accentus ratione. Firmata igitur dupplicitate ſenſus, quæ illi particulæ, intactis Orthographiæ poeticæ legibus attribui poteſt; ideò accentum dixerim à Poeta ommiſſum hac ipſa de cauſa, vt videlicet vtrumq; vnica illa particula colligaret. Et iam ſic explico.

QVO RAPTV. (Quatenus enim præpoſiti vim habeat relatiui hoc pacto connecti, & conſtrui debet.) Particula autem illa *quo* emphatica, hoc pacto, eſt, continens implicitè difficultates omnes, in ipſo rapiendi modo interuenientes, & quas enodari à Dijs ipſis exoptat Poeta; Mirum enim, inſolitum, inſuetum, prodigioſum eſt, Raptum vnius muliercula adornare eum, qui ſub poteſtate habuerit quotquot innumeris inferorum cateruis clauduntur: Mirum, ex centro Plutonem aſſurgere, vt amans amatam rapiat: mirum quomodo Cœlum non obſtiterit; quomodo Iupiter Pater conſenſerit; quomodo tellus ſuſtinuerit &c. *Quo Raptu*; ideſt quomodo in Raptum proſilierit amore impulſus Pluto, ac Proſerpinam duxerit. Si verò illa particula *quo* aduerbialiter ſumatur, ita vt locum ſignificet, quo Proſerpina, Raptu, ducta ſit; quis non videat, quantis difficultatibus obruatur, qui ea loca velit deſcribere? Semota ſunt; ſepulta ſunt; occulta ſunt; Cimerijs obuallata tenebris, horrore imperuia, mortuis tantum patentia, cum Regnum ſit illud Mortuorum. *Ideò Pandite quo ducta, raptu, Proſerpina &c.* Hæc enim erit conſtructio textus: ſi vim aduerbij aſſumat particula *quo*.

FEROX PROSERPINA. Proſerpinam filiam Cereris eſſe ex Ione, ſatis iam patet, & videbimus infra ad Carm. *Quid Cererem, magnamq; Themim &c.*, & ea eſt, de cuius hic agitur raptu. Remanet itaq; tantummodò explicandum cur

FEROX DICATVR. Ferox idem interdum eſt, ac *in hoſtem ſæuus*. Et in hoc ſenſu optimè *ferox* Proſerpina, quæ, cum rapta fuerit, probra in Iouem ipſum, ac querelas emiſerit, & armis fœmineo ſexui datis raptori reluctauerit, nempè lacrymis, ac gemitibus, vt fusè Auctor lib. 2. item *Ferox* ſignificat idem, ac *animo præſtans*, quis autem animo præſtantior Proſerpinâ, quæ vnicum Tonantis pignus, vt ait Barthius, tot appetitum Procis, nihil non auſura pro virginitate videretur; & quæ, inquam ego, dum ab inferno raptore, ferrugineo illo, vmbriſq; terribili, raperetur curru, non ſit exanimata terrore; ac tot inter mortis horrores animam non efflauerit; ſed immò Plutonis voces conſolantis admiſerit, ſiculas ad oras nunquam reditura? Demùò *Ferox* idem ſonat, ac *elatus*, ſuperbus &c. Ferox igitur Proſerpina, quæ maximè in ſubiectas vmbras ſuperbit, quæ implacabilis ius vitæ, neciſq; habeat, nullis morientium precibus exorata; & quæ ſe Iunoni ſummæ æquiparet in inferorum Regina adoptata?

DVCTA. Iuxta dupplicem ſignificationem particulæ *quo*, dupplici etiam ſenſu hæc vox *ducta* effertur. Quatenus particula *quo* vim localis habeat aduerbij, *Ducta* italicè erit *condotta, guidata &c.* Pandite quo ducta ſit Proſerpina, & vox *raptu*, quæ additur, erit ablatiuus modum importans, quo Proſerpina ducta fuerit. Quatenus verò illa particula *quo* ſenſum præpoſiti habeat relatiui. Senſus erit Pandite Raptum, quo, ſeù Pandite quali raptu Proſerpina ducta ſit; ideſt *nupta, vel coniux facta ſit*; nam duci in vxorem dicitur, quæ matrimonio vincitur. Atq; huiuſmodi ſenſus magis ad mentem Vatis videtur, nam ſic magis concordat cum ſenſu ſubſequentium; erit enim Nominatiuus verbi

POSSEDIT DOTALE CHAOS. Dotale dicitur quidquid ad Dotem pertinet. Superius Plutonem Virginis Raptorem vocauit, & tribus de Raptu libris idem proſequitur, Virginum autem Raptores Dotem de proprio Raptis inſtituere, tenentur ex legibus, etiam ſi eas, vt in vxores ducerent, rapuerint. Iure igitur hic Vates Proſerpinæ Dotem à Plutone in proprijs aſſignatam commemorat; *Poſſedit dotale Chaos.* Verum quia poſſet quis dicere, Plutonem fuiſſe quidem Raptorem reſpectu Cereris, ac Proſerpinæ, non verò reſpectu Genitoris, qui confeſſus Generum Nuptias ſimul, & Raptum approbauerit, vt lib. 2. ex ipſo habetur Auctore; licet hoc non tollat, quin Vates potuerit ad Leges contra Raptores ſtatutas alluſiuè reſpicere; aliam tamen, non inficior, in hoc Vatis textu eruditionem latêre, & ea eſt quæ Antiquum docet Germanorum morem, de quo hæc Tacitus: *Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert.* Inſuper Antiquiſſimus hic etiam fuit Regum Perſarum ritus, qui videlicet vxores ſuas dotare Ciuitatibus ſolebant, his verbis: *Hæc Ciuitas mulieri redimiculum præbet; hæc in collum, hæc in crines.* Et profectò non noua Poetæ noſtro fuit, ad huiuſmodi Perſarum morem alluſio; nam etiam in Nuptijs Honorij, & Mariæ ſic cecinit.

> *. . . . . . Iam te venerabitur Iſter,*
> *Nomen adorabunt populi, iam Rhenus, & Albis*
> *Seruiet; in medios ibis Regina Sicambros.*
> *Quid numerem gentes, Atlanteaſq; receſſus.*
> *Oceani. Toto pariter dotabere Mundo.*

Hoc etiam igitur loco aptiſſimè, cum raptam ab opulentiſſimo Rege, Dite videlicet, Proſerpinam deſcribat, ac abun-

dem ſibi in vxorem adſcitam, nihimirum, ſi Plutonem dotantem inſinuet, Regnumque inferorum illi tradentem dotale, vt ſecum æquo iure dominaretur Regina; ex quo factum, vt Proſerpina poſſediſſe dicatur dotale

CHAOS. Chaos enim dicebatur antiquiſſimum fuiſſe, & ante ipſam Mundi conſtitutionem. Cenſebatur autem eſſe quædam rerum omnium confuſio, formæ expers, tenebrarumq; omnium receptaculum. Arcades, hanc rerum confuſionem coæternum ſuo eſſe Demogorgoni, quem primum Deorum omnium deprædicabant, aſſeruère. Ouid. Metam. pri. hanc ipſam confuſionem ponit, quam poſtea, per rerum diſtinctionem, ad formas ab orbis conditore euocatam dictitat, cum ille mirabile iſtud Mundi opificium conſtruxerit.

Ante mare, & terras, &, quod tegit omnia, Cœlum
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaq; moles,
Nec quicquam niſi pondus iners; congeſtaq; eodem
Non benè iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Sextus Pompeius, ex ſententia Heſiodi, ait, Chaos eſſe confuſam quandam ab initio vnitatem hiantem, patentemque in profundum; hancque fuiſſe rerum omnium initium; atq; adeò verbum *inchoo* à Chao rerum omnium principio deriuari. Hæc ſententia videtur apertè definire locum, vbi Chaos eſſet, nempè in inferorum regione ſitum fuiſſe, dum dicit, eſſe vnitatem confuſam hiantem, patentemque in profundum; & hanc ſecutus eſt etiam Virg. Æn. 4. vbi inter Auernas, quæ inuocantur, potentias Erebum, ac Chaos collocat his verbis.

Tercentum tonat Ore Deos, Erebumq; Chaoſque
Tergeminamq; Hecatem &c.

& clariùs Æn. 6. vbi hæc habet expreſsè.

Et Chaos, & Phlegeton loca nocte ſilentia latè &c.

Prudenter itaque & Noſter, dum Proſerpinam inferius Regnis dotatam ſignificare voluit, dotatam Chao fuiſſe autumat; nam Chaos ipſum eſt Regnum inferorum, inquit in hunc locum Barthius. Quod ſi rationem ſententiæ Chaos in ditione inferorum ſtatuenti iam quæras, libens hic ſubdo. Superius vidimus Plutonem Deum dici diuitiarum, eo, quod ex illius Regno, tanquam ex ærario, ſemina omnium, quæ Mundum ditant, procedere videantur, modo iam alibi explicato. Quare cum Chaos rerum omnium initium dicatur, rectè in Regno Plutonis eſſe dicitur, immo totum ipſum Plutonis Imperium vnicum Chaos eſſe. Inſuper, ſi Chaos confuſionem ſonat, & diſcordiarum aggregationem, iuxta Ouid. cit., maximum Chaos erit Plutonis Regnum, vbi confuſiones æternæ, ac diſcordiarum perpetuitas enutritur. Quia autem difficillimum eſt ex confuſionibus, ac diſcordiarum receptaculis veras eruere cognitiones; hinc eſt vt Poeta: *Pandite, oret, dotale Chaos.* Magis propriè, vt notat Barthius, Chriſtiani ſcriptores *Chaos* vocant, quod interiectum eſt inter loca damnatorum, & Beatorum iuxta Euangelicum dictum: *Magnum Chaos inter nos, & vos &c.* Sed & ſi hoc pacto accipiatur, quanta ex eo confuſio? Ac quam benè ad Inferos pertinere dicatur cum ſit eorum à Beatitudine ſeparatiuum? Certè hoc dotatur Anima Plutoni per peccatum copulata. Sed iam ad noſtra regrediamur.

QVANTASQVE PER ORAS &c. Ad conſequentia tranſitum facit, quæ licet minorem habere videantur difficultatem, non tamen difficultatibus carent; nam difficillimum eſt, errantis, orbe toto, in incertum ſparſa proſequi veſtigia. Relaturus ergo Cereris filiam perquirentis errabunda itinera, iure, hæc ipſa patefieri à Numinibus, quæ omnia ſpectaſſe cenſentur, enixè contendit. *Pandite, & quantas per oras &c.*

QVANTAS. Vim habet hic numeralem; nam *Quantus*, & ad pondus, & ad menſuram, & ad numerum refertur: & licet apud Oratores non adhibeatur, vbi de numero agitur, nam adeſt vox *Quot*, quæ rigorosè ad numerum refertur; apud Poetas tamen non incongruè etiam vox *Quantus* ad numerum refertur: Quare hic *Quantas per oras* idem eſt, ac *quotue per oras*; non tamen omninò excludit menſuram; nam Ceres non plures, & plures tantum, ſed & eas vaſtiſſimas Oras peragrauit; nam id fuit ſollicitè peruestigantis officium, quarè & numerum, & menſuram vnica hac particula more ſuo amplectitur Vates.

PER ORAS. *Per*, vt noſtis, Motui locali deſeruit, quarè non immoror in præpoſitione explicanda, *Ora* verò ſignificat quamcunque rei extremitatem, ſeù Lymbum. Idcircò Oræ nomine nuncupantur propriè Regiones maritimæ, quia videntur eſſe extremitates terræ, mari vtique conterminæ; ampliatiuè tamen ſumitur Ora pro quacumq; regione, cuiuſcumq; tandem ſitus illa ſit, & interdum etiam pro Cœli climate; hic ſignificat certè Regiones quaſcumq; Cereris peruestigatione peragratas; quæ & plurimæ, & vaſtæ fuerunt, vt innuit potius, quam omninò explicet Vates lib. 3.; nam & hæc imperfectè, & quæ ſequuntur nullo pacto Vates peregit, licet peragenda propoſuerit; vel hoc euenerit eo, quod immatura morte præuentus perficere non potuerit inceptum, vel eo, quod temporum iniuria perierit, quæ perfecerit. Quam longis autem, & quam diuturnis erroribus Ceres filiam quæſierit, ſatis indicat Prouerbium, inde natum in eos, qui nimis ſint in quærendo occupati, nempè *Amèa quæſiuit Azeſiam &c.* Amèa quippè Ceres Azeſia Proſerpina apud Træzenios dicebantur, & ſub hiſce nominibus colebantur, vt notat in hunc locum Parrhaſ., ſed de erroribus Cereris lib. 3.

GENITRIX ERRAVERIT. Nomine Genitricis hic Cererem intelligit; & Genitricem vocat, vt ex maternitatis mentione magis de conſequenti innoteſcat, quanta affectuū commotione, quam ſolliciti cura, ac quanta animi anxietate, quæritauerit; quæ omnia faciliima intellectu, difficillima explicatu, ſunt, cum vix ſufficientes lingua ad intentum habeat expreſſiones. Ideò Deos implorans: *Pandite*, inquit, *quantas per oras Genitrix erràuerit*: & eſt tertium ſecretum ab ipſis reſerandum. Porrò *errare* hoc loco non dicit *errorem committere*, ſeù *in crimen prolabi*; ſed idem eſt, atque hùc, illùc, quo nos fortuna ferat, diuagari. Et nullo profectò aptiùs verbo vti poterat Sapientiſſimus Auctor, vt incertitudinem Cereris quærentis, ſed neſcientis tamen qua filiam quæreret adamuſſim exprimeret, cum enim filiam abeſſe ſciret, ſed quo, aut à quo ductam neſciret, omnes, incerta ſemper animo, quaſi errabunda vias perluſtrabat; non quod erraret, ideſt aberraret à vero, vel ab honeſto, aut à via, quam tenebat, ſemper ad vnum finem peruestigandi directam; ſed quia minimè inueniens, quam quærebat, ſemper in motu eſſet, nec vnquam ceſſaret. Sic *errantia ſydera* dicuntur Planetarum lumina, non quia errores perpetrent, & peccent in motu, ſed quia nunquam à motu ceſſent, ad quod alludens nobiliſſima pariter, ac eruditiſſima Errantium Accademia Brixiæ floreſcens Lunari corpori ſibi in impreſſam aſſumpto Lemma addidit: *Non errat errando.* ſic itaque Ceres Proſerpinę Genitrix non errabat errando, quia, licet motus ſui finem non inueniret, Iuſtitia, Pietas, & amor naturalis, dum virtute notabant iter, vitium ab eodem ſegregabant.

ANXIA. Anxietas quædam paſſio animi eſt, quæ quaſi quibuſdam ſtimulis, angorumq; vepribus, ſpirituum fontem; nempè cor ipſum, cui inhæret, diſcruciat, agitat, torquet, & inquietos ſemper ſpiritus ipſos exagitat, ita vt continuà ipſorum ſpirituum, & incertà concuſſatione irrequietum etiā detineat animum ſimul, & corpus. Ideò Vates anxiam vocat Cererem, quæ quanto paſſionis æſtu agitaretur, ob filiam deperditam, ſolum quæ mater ſit, & filiam amiſerit, ſatis poterit explicare; &, quia parum videbatur anxiam vocaſſe, addit

SOLLICITO CVRSV. Vt fluxui, ac refluxui ſpirituum anxietate deturbatorum correſpondentem fluxum, refluxumque motuum exteriorum oſtenderet; nam, cum motus omnis externarum potentiarum ex vi ſpirituum proueniat, iuxta ſpirituum decuſſationem, neceſſe eſt, vt decuſſatim ſequatur, & motus: & ideò Vates Anxiæ animæ ſollicitum animati corporis attribuit curſum; *ſollicitus* enim idem ſonat, ac *inquietus, curiſq; affectus*: & *curſum*, inquit non *motum*, vt velocitatem ex eadem anxietate procedentem indicaret.

VNDE DATÆ POPVLIS FRVGES &c. Quartum ſecretum explicat hic quod ſibi pandendum depoſcebat.

VNDE. Aduerbium iſtud ad locum referri communiter videtur, ita vt idem ſonet, ac *ex quo*, vel *à quo loco*. Verum, & ad perſonam interdum referri apud Cic. inueneris; ſicuti profectò Parrhaſ. illud ad perſonam Cereris refert, dum hunc explicans locum ait: *Ceres poſtquam filiam à Raptore reſciuerit fruges mortalibus indicauit*: Siquidem ad perſonam referri non negauerim; ſed ita vt inſuper habeat adnexam rationem cauſalem, ac ſi diceret Poeta: *Pandite cauſam propter quam Ceres dederit fruges &c.* Conſtat hoc ex ipſo Poetæ contextu; nam, dum Deos inferos orat, vt pandant ſecretum; certè de aliquo rogat arcano, quod non facilè obuium ſit. At Cererem frugum fuiſſe inuentricem, adeò in comperto eſt, vt nullum iam lateat, cum immò Ceres frugum Genitrix antonomaſticè fuerit nuncupata. Quarè, ſi aduerbium illud *vnde* ad ſolam perſonam referatur, fruſtra erit Deorum inuocatio, vt pandant quod lippis; & tonſo-

ſo-

foribus nouum eſt. Scio equidem, Siculos ſibi gloriam adinuenti tritici, atque Agriculturæ peragendæ artem adſciſcere; ſcio Ægyptios ſibi; Athenienſes ſibi vindicare; ſcio, ab alijs Celeum, ab alijs Triptolemum, ab alijs Cercyonem, ab alijs Eumelum ſationis, & frugum iactitari Auctorem; ſed hos ipſos à Cerere primum edoctos omnes conſentiunt. Cicero 7. in Verrem de Cerere, & Proſerpina loquens ait: *à quibus initia vitæ, atq; victus, legum, morum &c. hominibus data, ac diſpertita eſſe dicuntur.* Lucretius lib. 6. ab Athenienſibus initia frugum, & legum manaſſe ſcribens non deſtruit, nec confutat, quæ Ouidius 5. Metam. ſcripſit his verſibus.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro;
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris;
Prima dedit Leges. Cereris ſunt omnia munus.

Idem Ouid. 1. faſt. rationem reddens, cur ſues Cereri immolentur, dicit rationem eſſe, quia ſues deuaſtant Cereris dona, nempè fruges.

Prima Ceres auidæ gauiſa eſt ſanguine Porcæ,
Vlta ſuas meritò cæde nocentis opes.

Olitores ipſi ſexto menſis Aprilis ſpiceas coronas Cereri offerebant fertilitatem ab ipſa implorantes: ad quorum morem alludens Tibullus, huiuſcemodi Coronam è templis dère, iubet:

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Quid igitur clariùs, quam fruges ad Cererem, tamquam ab ipſa primo prouenientes referri, cum hoc vel Olitores ipſi reſciuerint? Verum, ſi cauſam, propter quam Ceres fruges hominibus dederit, requiras, hæc quidem in ambiguo fuit. Alij enim dixerunt, Cererem, ſuaptè natura iubente, pronam ad fruges impertiendas fuiſſe; ſed à Neptuno compreſſam, cum equum peperiſſet, partim ob iram in compreſſorem, partim ob pudorem, nigras ſumpſiſſe veſtes, ac lucis, Deorumq; fugientem conſpectum in obſcuriſſimo ſpecu latitaſſe. Hinc factum, inquiunt, vt omnes, abſente Dea, fruges corrumperentur, peſtiſq; paſſim homines, & animantia omnia conſumeret: Ruebat Vniuerſus in excidium orbis: cum, Dijs omnibus Cereris latebras ignorantibus, Pan Syluarum præſes, cum per Arcadiam venando vagaretur, Deam vidit caſu latentem, ac illam Ioui indicauit: Ioue autem iubente, Parcas illam adijſſe dicunt, Iiſq; vt iram deponeret deprecantibus, placatam tandem ad munus diſpertiendarum frugum redijſſe. Alij fabuloſum hoc Cereris commentum eſſe aſſeuerant, & dicunt frugum omnium, ſationumq; vbertatem ex Cerere deriuatam tunc, quando raptam, terris omnibus, Filiam quæritaret; quippè quæ, cum de omnibus, à quibus ſic peregrè proficiſcens comiter, ac liberaliter excepta fuiſſet, benemereri ſtuderet, frugum colendarum formam edocebat. Alij dicunt, non hoc contigiſſe, dum quæreret; ſed cum ea, quæ de Raptu Proſerpinæ contigerant, percepiſſet; nam, vt gratum tunc animum oſtenderet in reuelantes, frugum extitit liberalis. Certè Ouid. Cererem, immò terras omnes, ac præcipuè Siciliam, ſterilitate mulctaſſe autumat tunc temporis, quo filiam quæreret Raptam, nec inueniret; ſic enim Metam. 5.

. . . . , Terras tamen increpat omnes,
Ingrataſq; vocat, nec frugum munere dignas;
Trinacriam ante alias, in qua veſtigia damni
Repperit; ergo illic ſanâ vertentia glebas,
Fregit aratra manu, pariliq; irata colonos,
Ruricolaſq; boues letho dedit, aruaq; iuſſit
Fallere depoſitum, vitiataq; ſemina fecit.
Fertilitas terræ, latum vulgata per orbem,
Sparſa iacet: primis ſegetes moriuntur in herbis;
Et modo Sol nimius, nimius modo corripit imber.
Semina tacta legunt: Lolium, tribuliq; fatigant
Triticeas meſſes, & inexpugnabile gramen &c.

Redditam autem terræ fœcunditatem Ouid. idem ibidem memorat à Cerere, cum filiæ notitiam habuerit; tunc enim, vt ipſe ait, Triptolemum miſit Ceres ad fruges iterum diſpertiendas &c. ex quibus vides antiquiorem ab Ouid. affirmari agrorum culturam, quam Cereris ad filiam inquirendam peregrinationes, quarè prælatæ ab ipſo ſententiæ de frugibus, vel occaſione peregrinationis, vel notitiæ de filia habitæ, datis, non ſolum in dubium reuocantur, ſed refelluntur apertè. Aliam datarum frugum cauſam attigimus ſupra nomen *Profunda Iunonis* explicantes, quæ, licet ad perſonam Proſerpinæ ſpectare videatur, in ipſam tandem genitricem, ſine qua nec Proſerpina fuiſſet, refunditur. In tanta igitur opinionum varietate, ex tanto Auctorum diſſidio eritur difficultas, veram à falſis opinionem ſecernendi, vt vera cauſa, *vndè data populis fruges* diſcernatur. Quarè aptiſſimè inquit Poeta: *Pandite vndè datæ;* cum Arcanum hoc non facilis adeò ſit ſolutionis.

DATÆ. Ideſt *dono datæ*, ſpontè, liberaliter, & opportuno tempore, vt ex ſupradictis abundè patet non ſolum, ſed etiam ex dandi verbo, quod ſine addito prolatum gratuitam dationem videtur importare. Heinſius lectionem variat hoc loco, & ex Clauerиano codice legendum aſſerit, *vndè data populis Leges;* cui & Barthius aſſentitur; & rationem reddunt, quia hoc pacto voluerit Vates, & beneficium legum datarum, & beneficium frugum exhibitarum coniungere, ſicuti de facto, vt ait Barthius, Ceres vtrumq; hoc beneficium iunctum præbuit hominibus, iuxta illud Ouid. Metam. 5. de Cerere.

Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris,
Prima dedit Leges &c. vt ſupra retulimus.

His addi poſſunt auctoritates & Ciceronis, & Lucretij per nos ſupra relatæ in explicatione aduerbij, *vndè*, nam ijſdem cit. locis & Cic., & Lucr. Cererem primam legum inuentricem conſtituunt; Verùm non video, quomodo ex citatis Auctorum ſententijs, vel Heinſius, vel Barthius deducant & fruges, & leges vnitim à Cerere datas hominibus fuiſſe; neque enim repugnat Cererem primam fuiſſe frugum datricem, primam legum inuentricem, & fruges diuerſo à legibus ferendis tempore tribuiſſe. Et equidem lib. 5. Mythol. Nat. Com. Cap. 14. inuenio Legum conſtitutionem, poſt datas, fuiſſe, fruges. Sic enim Mythol. ibi *Cum frumenti ſemina inuenta fuiſſent, homines, qui prius nullis legibus parebant &c. Leges rogarunt, quibus ſua pars terræ cuiq; fuit aſſignata; deindè leges latæ ſunt de regundis finibus, de teſtamentis, de emptionibus, quæ primum latæ ſunt à Cerere, quia illa fuit legum ferendarum cauſa,* ex quibus patet, leges non fuiſſe eodem tempore, ac fruges datas; ſed poſteriores fuiſſe, & non niſi rogatu hominum, rixas ex communione frugum, qua vterentur enaſcentes euitare cupientium. Quarè hac ceſſante Barthij ratione bona ipſius, ac Heinſij, Clauerianiq; codicis pace non video, cur à vulgata recedendum. Nam latio legum frugum dationem ſequitur tamquam effectus ex cauſa procedens; ideoq; in cauſa, & ipſe attingitur effectus ſuo loco expromendus; atque adeò nulla expreſſior legum neceſſaria fuit hic mentio.

FRVGES. Nomine frugum venit quidquid ex fructibus terræ in alimoniam conuertitur; licet in principali loco triticum adſit; & de hoc principaliter, licet cæteris non excluſis, loquitur Poeta hic, vt ex dicendis patebit.

POPVLIS. Ideſt omnium nationum gentibus; nam ſicuti *Populus*, in ſing. num., ſignificat multitudinem mortalium, in eadem Ciuitate, communi ſocietate gaudentem: ſic Populi, in plur. num., ſignificat plurium Ciuitatum aggregationes; &, cum numerus indeterminatus æquiualeat vniuerſali, hinc eſt, vt vniuerſæ totius orbis aggregationes, per vocem illam *Populis*, ſint intelligendæ.

ET GLANDE RELICTA &c. Variat hic etiam lectionem Heinſius, & legendum potius autumat *vt*, ideſt *quomodo*, vel *cur glande relicta &c.*, & quidem congruenter ad ſua principia; nam cum pro quarto Arcano ponat leges datas, ſequitur vt pro quinto ponat inuentas ariſtas, quarum cauſam inquirat, aut modum per particulam *cur*, ſeù *vt*. Nos verò quibus Heinſij ſuperior lectio non arridet, neq; hic à vulgata diſcedendum arbitramur. Erit itaq; membrum hoc ſubſequens explicatiuum antecedentis; nam cum in antecedenti fruges datæ ſignificentur, & nomine frugum veniat quidquid in alimoniam cedit, vt dicebamus, vt oſtenderet Vates ſe principaliter de ariſtarum munere locutum, explicandum duxit, quid nomine frugum principaliter intelligeret, quarè particula *&* non erit hoc loco copulatiua, ſed explicatiua idem ſonans, ac *ideſt*, ſeù *hoc eſt*, in quo ſenſu & Plato ait; *Annos natus iam ſexaginta, & ſenex*, nempè *hoc eſt ſenex*.

GLANDE RELICTA. Ea fuit ante inuentum tritici vſum miſerrima mortalium conditio, vt omnes porcorum in morem glandibus veſcerentur, Teſtatur Iuuen. Sat. 6., Valer. Flac. Argonaut. pri. Virg. Georg. pri. Sidon. Carm. 9. Arnob. lib. 1. Plinius lib. 3., & Mythol. ſupra cit. Nat. Com. ac Cel. Rhodig. lib. 16. licet Glandis appellatione omnes fructus contineri adnotauerit Caius *l. qui venenum ff. de verb. ſignif.* Nullis tunc legibus tenebantur homines, omniaq; habebant communia, vt notat pri. Georg. Virg, cum ait.

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum,

Fas

Fas erat: In medium quærebant &c.

Quia non tanti tunc tellus erat, quippè deſertis ſimillima, vt agrorum terminales lapides ſtatui deberent. Poſtquam verò Ceres fruges, ac præcipuè triticum dedit, atq; agrorum colendorum rationem mortales edocuit; tunc agrorum ſubindè facta diuiſio, vt ſupra diximus, terminales etiam lapides ſacri exiſtimati, quia leges poſtea latæ de regundis finibus eos venerabiles effecerunt; ex quo legifera Ceres, vt item dix. *hoc eſt legum inuentrix dicta &c.* Et tunc, guſtata tritici iucunditate, Glandes Porcis relictæ pariter fuerunt, vt meliori victu mortales vterentur, atq; id attingit Poeta hic in his verbis: *Et glande relicta*. Glandes autem ſunt fructus illi omnibus notis, quibus vbiq; quercus abundat Ideò

DODONIA QVERCVS. Celebre eſt illud, quod de Oraculo dicitur Dodoneo ex quercubus erumpente. Dodona enim Ciuitas Chaoniæ fuit in regione Epiri, iuxta quam Dodoneum nemus querneum totum. In medio Nemoris inſigne aderat templum Ioui Dodoneo (ſumptâ videlicet ex loco Numinis denominatione) dicatum. Hic cum Iouem incolæ, exterique conſulerent, quercus, quibus conſitum erat nemus, profantes, atq; oracula reddentes audiebant. Hoc idem nemus glandibus, quibus affluebat, victum ſuppeditabat Dodonæis; ſed cum creſceret in dies incolentium numerus, iam non ſufficiebant in cibum glandiferæ arbores, & niſi Ceres fruges dediſſet, peſſimum malorum omnibus imminebat. Attigit hoc Virg. cit. dum in Inuocatione, quam habet ad Bacchum vini auctorem, & ad Cererem tritici donatricem, aſſerit, ante hæc dona, glandes in cibum lymphas in potum mortalibus fuiſſe; ſic enim pri. Georg. cit. cecinit ipſe.

. . . . Vos ô clariſſima Mundi
Lumina, labentem Cælo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus,
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta,
Poculaq; inuentis Acheloia miſcuit vuis &c.

Et paulò inferiùs ibidem deficientes iam glandes adnotauit, opportunamq; tunc Cererem aduenisse; dum ait.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram,
Inſtituit, cum iam glandes, atq; arbuta ſacræ,
Deficerent ſyluæ, & victum Dodona negaret.

Ex quo patet Claud. hoc loco veſtigijs prorſus ſapientiſſimi Maronis inhærere, dum adamuſſim loca vtriuſq; concordant. Dodoneam autem Quercum potius nominant, quam cœteras in genere, vt maiori eruditione locutionem exornent, poſita ideò ſpecie pro genere per Synecd. vt moris eſt Poetarum.

CESSERIT. Vbi maius ceſſat minus: quarè aptiſſimè hic Dodonea quercus *ceſſiſſe* dicitur, licet tot culta adoratoribus, tot oraculis frequentata, Ioui ipſi dicata, cum tunc temporis nil quercu magis mortales iuuaret; quia ſuperueniente Cerere ariſtarum inuentrice potiora emicuerunt ad ſedandam famem inuenta. Ideò *ceſſit*, ideſt ceſſauit, & loco ceſſit cedens, munus alendi hominis.

INVENTIS ARISTIS. Inuenio, a quo particip. *Inuentis* deriuatur interdum, vulgò ſignificat *acquiſtare*, interdum verò *inuentare, ò ritrouare*. In vtroq; hic ſenſu ponitur à Poeta; nam, quatenus Ariſtæ ad Cererem inuentricem, ſeù auctricem referuntur ſuam, ſecundam habet ſignificationem: quatenus verò referuntur ad populos illis à Cerere donatos, idem erit, ac *acquiſtati*. Porrò Ariſtæ Scabra ea ſpicarum pars ſunt, quæ licet tenuiſſima, addenſatorum haſtulium ſpeciem præfert, quibus ſpica ipſa in coronæ formam obuallatur, & ab inferiorum auium morſu protegitur. Sumitur autem pro ipſo tritico per metalepſim; nam ab ariſtis ad ſpicas, a ſpicis ad granum incluſum in earum folliculis gradum facimus. Adde ex iure ciuili, Gallo auctore, frumentum definiri *id, quod in ſe contineat Ariſta*, quarè apte ea pro tritico.

Iam ſi ad moralem ſenſum hæc traducenda eſſet inuocatio, facilè erit moralitatem elicere, qua erudiamur, in arduis quibuſcumq; ſuſcipiendis diuinum eſſe nobis auxilium ſemper implorandum, iuxta effatum: *ab Ioue principium*, & iuxta quod etiam Italicus cecinit Vates.

Chi ben commincia ha la metà dell' opra,
Ne ſi comincia ben ſe non dal Cielo.

quod præcipuè locum habet in ijs, qui de theologicis rebus, hoc eſt ad diuinitatem ſpectantibus agere conarentur, in quibus Angelicus ipſe Doctor magis ſe orationis, quam ſtudij aſſiduitate fatetur didiciſſe, cum enim omnia a ſupremo donatore proueniant, ab eo omnia ſunt exoptanda, aſſiduiſq; precibus expoſcenda. Inſuper ex propoſitione obiter admonemur, Amoris illecebris minimè fidendum, quamuis ita videremur nobis ipſi à natura inſtituti, vt Cautes ſcopulorum Marpeſiæ ſimus, atq; inflexibiles adamantes; nam, ſi ferreum, adamantinumq; Plutonem, odij, irarum, ac furoris indomiti receptaculum, ſubegit Amor, quis reſiſtet? Parthorum igitur in morem cum amore decertandum nobis inſinuatur; cum verum ſit,

Che non ſi vince Amor ſe non fuggendo.

alioquin teterrimus iſte humanitatis tyrannus, in fœdiſſima quæq; compellens, ad ſtupra, ad inceſtus, ad genus omne obſcœnitatum infelicem ſui ſectatorem deducet; vnde anxia Mater lugeat Eccleſia amiſſum filium deplorans, donec, filij prodigi adinſtar, relictis porcorum ſiliquis, ad meliorem tandem frugem, ſi fieri poterit, per pœnitentiam ſalcti reuocetur.

Sed iam quæ Italica ſcribenti ſuggerat Chelis exarentur.

Voi Numi, à cui, con vaſſallaggio eterno
Serue del cieco Mondo il popol miſto,
Ch' adduna horrendo infra ſue ſponde
Auerno,
Per fame immenſo à voſtri ſcetri acquiſto;
Voi, dal cui gran teſoro, onde l'Inferno
Douitioſo ſi vanta, à chi fù viſto
D'auare voglie ingurdamente acceſo,
Ciò, ch'in terra periſce, in dono è reſo.
Voi, che colà, tra i noue giri algoſi
Della Stigia Palude, il trono ergete;
E, ruotar Flegetonte incendij ondoſi,
Qual mar di fuoco, in vagheggiar, godete:
Voi di quel ſacro horror gl' arcani aſcoſi,
Diſſerrate al mio pletro; e voi ſcorgete
Nel centro voſtro, ou'è più cupo, e baſſo,
Sceuro d'error della mia Muſa il paſſo.
Dite voi, con qual face il nudo Arciero
Giunſe di Pluto ad eſpugnar gl' orgogli;
Come, amante in vn punto, e come, altiero,
Proſerpina rapir queſto s'inuogli:
Del thalamo nutial quale Emisfero
Del voſtro Mondo il fatal lutto accogli;
Come del Chaos tutto ella s'aſcriua
Feudo dotal l'interminata riua.
Della chioma dorata, in cui biondeggia,
Dell' hirſuto primier ſpogliato, il ſuolo,
La cagion ſoggerite: e, mentr' ondeggia
La meſſe d'or, d'aure feſtiue al volo,
Perche, prima adorata, hor ſi diſpreggia
Quercia ſacrata al Regnator del Polo;
E i ſuoi frutti, già vn tempo, ambito dono
Dell' Ariſte al trionfo abietti hor ſono.

Viliora, & nos abijciamus; ac Heroicum Auctoris noſtri metrum proſequamur.

Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras,
Prælia moturus ſuperis; quod ſolus egeret
Connubijs, ſterileſque diù conſumeret annos,
Impatiens neſcire torum, nullaſq; mariti
Illecebras; nec dulce Patris cognoſcere nomen.
Iam quæcumq; latent ferali monſtra Barathro
In turmas, aciemq; ruunt; contrâque Tonantem

DVX EREBI &c. Aggreditur iam Auctor hic nobiliſſimum ſuæ Poeſis complexum: Et, quoniam optime nouerat, quod præcepit Ariſtoteles Cap. 7. ſuæ Poeticæ, nempe fabulam Eroicæ Poeſis animam eſſe; & Poetam ab Hiſtorico diſtingui; quia Hiſtoricus facta enarrare debet fideliter, vt facta ſunt; Poeta verò ea debet enarrare, eo pacto, quo fieri potuerint, circa quod ſuas maximè vires exerit fabula: hinc eſt, vt Auctor, quo Plutonis motibus tribuat ini-

Coniurant Furiæ, crinitaque ſontibus hydris
Tiſiphone, quatiens infeſto lumine Pinum,
Armatos ad caſtra vocat pallentia Manes.

initium cauſæ, excogitet, exponatque, quibus concitus ira ex priuatione connubij in connubiorum aſſurgat deſiderium, vehemens adeò, vt bellum paret ſuperis inferre, ni coniux detur. Iure autem effingitur in ſuperos exardeſcens; nam, cum nulla videretur illi in inferis ſuo digna connubio, è ſuperis coniux fuerat expetenda; nec facilis, quæ impleretur, erat poſtulatio; nam quæ vxor ſibi Erebum adſciſceret? Inuitam autem luce priuari, æternisq; damnari tenebris non videbatur conſentaneum ſummo Ioui, qui nomen à iuuando deduxerit: quarè ex nimia Iouis in mortales indulgentia prouenire videbatur Plutonis cœlibatus; & ſe contemptum exiſtimare poterat à Fratre Pluto, cum illum mortalibus magis, quam ſibi fauentem proſpiceret. En causas irarum, ac bellicos apparatus accelerandi. Motus autem Plutonici in cauſam aſſentientis Raptui Iouis adducuntur, & hæc tandem omnia à primo ad vltimum eiuſdem raptus cauſam, ſeù potiùs cauſarum ſeriem aſſignant. Exornatæ igitur narrationi ſuæ initium daturus Vates iure à motibus iracundis incipiens Plutonis ait

DVX EREBI &c. Iure inquam Dux potiùs, quam Rex Erebi Pluto hic appellatur; nam, cum illum prælia in ſuperos molientem inſinuare velit Poeta, non alio nomine, quam Ducis debuit inſignire. *Dux* enim propriè dicitur, qui milites in prælium ducit obtemperantes. *Dux* autem *Erebi*, inquit, ideſt *totius Inferni dominator, eiuſdemq; Potentiarum omnium Ductor*; vt ex parte totum proponeret intelligendum. Sed, cur *Erebi* potiùs dixerit, quam Inferni, attendamus. Varro Orci Deum fingit Erebum Noctis parentem. Seruius exiſtimat eſſe ſeceſſum quemdam inferorum, quem teneant, qui cum virtute vixerunt, & adhuc in Eliſios non admittuntur. Certe Erebum in imis inferorum partibus locat Virg. qui Georg. 4. ſic ait.

Ac cantu commotæ Erebi de ſedibus imis
Vmbræ ibant tenues &c.

& Æn. 4. idem indicans ſic ore Didonis loquitur.

Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam,

& Æn. 6. non in profundo tantum iacuiſſe, ſed & tenebris obſitum fuiſſe Erebum declarat inquiens.

Troius Æneas, pietate inſignis, & armis,
Ad Genitorem imas Erebi deſcendit ad vmbras.

Alij non diſſentientes à Varrone Erebum Deum inferum dicunt, ſed Fluuiatilem Deum; nam Erebum inter Inferni amnes vtique enumerant, & Noctis cum Varrone parentem faciunt. Non deſunt tamen qui dicant Erebum Noctem habuiſſe vxorem, non verò filiam. Sed quidquid ſit de hoc, num, ſcilicet, Filia, an coniux Erebi nox fuerit (parum enim ad inſtitutum pertinet) certe omnes in hoc conueniunt, vt dicant Noctem ex Erebo dependere, vel filia ſit tandem, vel coniux. Crediderim tamen Poetam hoc loco in eorum ſententia deſcendiſſe, cum quibus ſenſit & Cic. 3. de Nat. Deorum, qui Noctem Erebi vxorem aſſeuerant, atq; ex eorum coniunctione ortum habuiſſe Amorem, dolum, metum, laborem, inuidentiam, querelas, rabiem, alioſque eiuſdem farinæ filios, quos latè enumerat Cic. cit., & ideò nil mirum eſſe, ſi Ducem potius *Erebi*, quam alterius inferorum partis Plutonem appellauerit, quem futurum erat, vt deſcriberet Amore concitatum, querelis affluentem, affrenatum rabie, inuidentem Fratri connubia, dolo, ac vi viſurum &c. Quod ſi mauis filiam, quam vxorem Erebi Noctem eſſe; memineris etiam Noctis ſubinde filiam Cæcitatem ex gremio Noctis procedere, ac conſequenter per veram deſcendentium lineam ex Erebo Cæcitatem deduci. Quia verò ira correptus cæcus dici poteſt, dum, rationis lumine irarum fluctibus obruto, extinctoq; ruit in præceps; ideò Pluto Erebi Dux dicitur, vt Cæcitati notetur addictus, dum in Cœlum, eiuſdem viribus ſemper inexpugnabile, bellum vtiq; meditaretur, quod maximam mentis indicat Cæcitatem. Erebum autem pro toto inferorum Regno vſurpari ſolitum, vt certè hic, nemo, vt arbitror, in dubium reuocauerit; nam & Virg. vſurpauit Æn. 6. vbi ait.

Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.

vbi vt doctè notat Parrhaſ. per amnes Erebi omnes inferorum fluuios deſignat deſcendentibus obſtantes.

QVONDAM. Tempus præteritum, & quidem longè præteritum indicat hoc aduerb. temporis, vt rem ſe ab ouo, vt dicitur, repetere profiteatur Poeta.

EXARSIT. Non auſim tranſlatum dicere hoc verbum, ne Platoni iniurius ſiam, qui dixerit, Iræ affectum igneum eſſe, vt benè notat Cauſinus lib. de Eloquentia ſacra, & profana 8. Cap. 28. quod Platonis aſſertum confirmatur etiam apertè ex definitione communi iracundiæ, quâ ſcilicet dicitur: *Ira eſt Ebullitio ſanguinis circa cor*, iam certe hęc definitio, igneum adeò eſſe hunc affectum, exprimit, vt ex eo ſanguinis ebullitio conſequatur. Hoc ipſum teſtatus fuit Lucretius lib. 3. cit. à Cauſ. vbi ſupra; dum pleno cecinit ore.

Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaq; mens facilè exardeſcit in iras.

quarè aptè vtitur & Claud. hoc verbo *exarſit* ad oſtendendam, iuxta exaratas ſententias, igneam iracundi affectus naturam. Sic etiam Martialis in Amphit., vt Rhinocerotis ferocitatem depræliantis explicaret, inquiens.

O quam terribiles exarſit pronus in iras;
Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat.

& verè iraſcentium flagrant micantes oculi, multus in ore toto rubor, & æſtuans ab imis vſq, præcordijs ſanguis eſt.

TVMIDAS IN IRAS. Tumidas vocauit iras, quia tumidum faciunt iraſcentem; nam ex illa ſanguinis ebullitione, quam diximus ex hoc igneo affectu prouenientem, adeò ſanguis ipſe exæſtuat in venis, vt, tumentis æſtum oceani imitatus, venarum interdum clauſtra diſrumpat, vt adnotauit in Leone Lucr. cit.

Quo genere in primis vis eſt violenta Leonum
Pectora, qui fremitu rumpunt plerumq; gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Iterum *Tumidus* interdum idem, ac *ſuperbus* eſt, quænam autem ira ſuperbior, quam quæ minas iactet in Cœlum, bellumq; ſuperis moueat? aptiſſimè igitur hic Pluto arſiſſe dicitur: *Tumidas in iras*. Ira autem ab *ire* dicitur, quia iraſcens extra ſe it, & furit, dum iraſcitur; atque adeò appoſitè cauſa cur Pluto extra ſe eat, & in Cœlum furere incipiat, *ira* proponitur.

PRÆLIA MOTVRVS. Prælium, vt aliqui volunt, dictum eſt à premendo, quia ſe inuicem hoſtes premant dimicantes: alij tamen, meo iudicio, meliùs, à Prælo deductum volunt, quia Prælio, quaſi prælo ſanguis è compreſſis exprimitur corporibus, non ſecùs ac ex prælo muſtum. Ex quo vides, quam altè exageret Plutoniæ iræ, ac ſuperbiæ magnitudinem Vates, adhibens hanc vocem *Prælia*; quaſi diceret, tanto eum iræ impetu correptum, vt iam ſibi videretur Prælum de Prælio facturus ad ſuperos miſerrimè contorquendos. Et nota, quam benè hic Poeta Naturam imitetur; nam de ſæuiſſimo Deorum loquens, atrociſſimis eum moribus imbutum, præclarè oſtendit. *Moturus* autem inquit, vt exprimeret deliberatam in prælium animi ſententiam, & præcipitem profectò, dum ante adhibitum deliberat Conſilium.

SVPERIS. Nempè Dijs Cœleſtibus; hos enim per hanc vocem ſignificari iam diximus in explicatione per oppoſitum ad Carmen *Inferni Raptoris equos &c.* Cauſam, cur in ſuperos bellum Pluto meditetur, & iam innuimus, & inferiùs latiùs patebit, quare non immoror.

QVOD SOLVS &c. Quod particula cauſalis eſt, vt, indicata Plutonis ira, tranſitum commodè faciat Poeta ad aſſignandas cauſas, quæ tanti fomites incendij extiterint.

SOLVS. Tres fuerant Saturni, opiſq; ipſius coniugis filij, nempe Iupiter, Neptunus, ac Pluto. Iupiter Iunonem duxerat; Neptunus Amphitritis connubio fruebatur: quarè iam ex tribus, quos fratres diximus, ſolus Pluto à connubijs excludebatur. Ex quo nota quam emphaticum ſit illud nomen *ſolus*: quaſi videlicet Canis mortuus eſſet ille reliquis fratribus comparatus, ideòq; à communi cum ijs ſorte excluderetur, quaſi, faſtu quodam, reliqui eum fratres deſpicerent, neglectumq; contemnerent, ac, quaſi ſpurium, ad perpetuum adigerent Cœlibatum. Omnis comparatio odioſa ſemper eſt, vt fert vulgatum axioma; at comparatio inter fratres, ſi eorum vnus ſe ab alijs contemptum arbitretur, ſi non pari omnes fortuna fruantur, ſi non æquo incedant gradu, ſi non iiſdem omnes ditentur muneribus, ſi non eodem modo omnes votorum compotes fiant, quantas interdum excitat Tragædias. Hæc vna cauſa fuit, vt Ioſeph in ſacris litteris vix non occiſus fuerit, venditus tamen Iſmaelitis à cœteris fratribus videntibus, quod à Patre ille plus cœteris amaretur, & credentibus ſe à fratre contemptos eo, quod enarraſſet, ſe per ſomnium vidiſſe Manipulum ſuum ſtantem in agro, & Manipulos fratrum cadentes adorare Manipulum ſuum. Hinc & ipſi mortem fratri machinantes, cum eum à longe venientem vidiſſent, contrabant

dicentes: *Eccè ſomniator venit; venite occidamus eum, & videamus, ſi proſint illi ſomnia ſua.* Iure igitur ſibi ipſi videri potuit excandeſcens, & Pluto, qui, fratribus coniugio lætis, ſe ſolum deſertum, ſe ſolum nullius gremio receptum, quaſi ſolus fratrum omnium eſſet peripsēma, ludibriumq; omnibus deridendum. Adauget autem hanc Plutonicæ apprehenſionis mæſtitiam ſimul, ac dolorem, dum appoſitè, prudenterque ſubdit

EGERET. Egēre enim propriè eſt alicuius rei inopia laborare. Quid autem abſurdiùs, quam Ditem egēre? Ergone Numen illud, quod indigentibus, egeniſq; omnibus, ex opibus ſuis, liberaliter, vt dictum fuit, ac largiter impertitum, inter egentes redactus, emendicare cogetur id, quod animalibus ipſis, ac beluis liberalis indulget Natura? Vide quantam habeat emphaſim, & quantum creſcat hìc nobiliſſima noſtri dictio Auctoris, & quam vehementes indignationis vno verbo euibret ſtimulos! Natura, vt cum Philoſophis loquar, vult ſemper conſeruationem ſui ipſius, in quantum poteſt; &, cum non poſſet in indiuiduo æternum perennari, vult ſe perennare ſaltem in ſpecie; ideòq; & inclinationem propagandi ſuas ſpecies, & ad propagandas fomitem incitantem viuentibus indidit omnibus; ita vt interdum angi videantur, ni, quod ad hunc finem conferat naturalem, aſſequantur. Quarè, ſi careant medijs, & conſequenter hoc fine priuentur, iure egēre, & miſerabiliter egēre dicuntur, ni tamen, virtute dictante, voluntariò abſtineant, ſi de ratione vtentibus loquamur. Quod ſi indignanter hanc homo toleraret indigentiam, quanto magis eam toleret Numen, quod, licet non habeat indigentiam naturalem ſe perennandi in ſpecie, cum perenne ſit, quippè immortale, in ſe ipſo, tamen cum, ſi Numen eſt, & *bonum* eſſentialiter ſit, ac *boni* natura ex ſe ſemper communicabilis ſit, certè non poteſt *hoc bonum*, quod Numen eſt, non ferri ex natura ſua in ſui ipſius communicationem, atque adeò, dum illa priuatur, iure ſtimulos experitur doloris, & in priuantem excandeſcit. Loquor ex ſuppoſita fabuloſa inuentione Poetarum, Numina, pro eorum libito, afferente; nam de cætero indecens vero Deo eſſet connubia appetere, atq; hoc medio, ſe ipſum communicare. Sed fabula fabulis innectitur, & Poetis omnia licent fabulantibus. Ideò nil mirum, ſi & Vates noſter, ſuppoſita Deorum Antiquatorum natura ad congrua fabulis reſpexerit, cum Inferorum Deum egere dixerit

CONNVBIIS. *Connubij* legendum eſſe elegantiùs, contendit Heinſius. Sed cum apud Eloquentiæ Principem ſæpe verbum *egeo* etiam datiuo iunctum animaduerterim, nec immutandum cenſeo, nec altercandum. Eſt igitur *connubium* nomen à nubo deriuatum; & ne mirèris, ſi, cum prima in *Nubo* producatur, in connubijs corripiatur; nam, licet *deriuata Patris naturam verba ſequantur*, adeſt tamen exceptio: *Dat innuba Nubo*, Pronubaq; &c. quibus & connubium iungens cum Principe Latinorum Æn. pri. dixeris:

Connubio iungam ſtabili, propriamq; dicabo &c.

Porrò *connubium* propriè dicitur ius illud, quod per matrimonium confertur vni ex coniugibus in corpus alterius, & vice verſa alteri in corpus vnius, quarè & pro *coniugio* ritè accipitur. Hoc iure itaq; priuatus Pluto videbatur ſibi, hoc ipſo, cœterorum reſpectu fratrum, deterioris iam eſſe conditionis, ideòq; exardet in iras, & vindictam in priuantes meditatur.

ET QVOD DIV CONSVMERET STERILES ANNOS. Nam à particula ſuprapoſita cauſali quòd, qua mediante redditur iracundiæ ratio, hæc ipſa dependent. A' conſideratione igitur conſequentium, quam infixam Plutoni innuit intellectui cauſas cauſis aggerat irarum in eodem Plutone exardeſcentium; à priuatione enim coniugij *ſterilitas*, hoc eſt, priuatio fructuum ex Matrimonio procedentium, oriebatur; *ſterilis* enim nomen eſſe ex græco deriuatum dicitur, nempè à *τοῦ στερεῖν* quod idem eſt, ac *carere*; quarè ſterilis dicitur quicumq; carentiam, ſeù priuationem illorum patitur fructuum, quorum capax à Natura ipſa fuerit inſtitutus. Cum igitur maiorem inferat, iuxta Phil. miſeriam priuatio rei debitæ, quam priuatio, ſeù potius negatio rei indebitæ, ideò ex capacitate Plutonis ad fructus connubiales percipiendos, cum non minoris, quam fratres, eſſet capacitatis, creſcit iniuria priuationis, ſeù ſterilitatis, quam patiebatur inuitus; hanc autem à tempore adauget Poeta apponens illam particulam *Diù*, quæ aduerbium temporis eſt, longam nimis tranſacti temporis exprimens ſeriem, à quo Pluto ſterilitati addictus *ſteriles*

CONSVMERET ANNOS. Annos ſteriles vocauit menſuram pro menſurato ponens, ſeù continens pro contento; neque enim annus, qui nihil aliud eſt, quam circulatio quædam temporis, & menſura durationis, ſterilis dici poteſt; ſed ſterilis erat Pluto his circulationibus menſuratus, quo ad vitales motus, nam tempus certè *eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius*, vt cum ſcholis loquamur; vel quippè qui continebatur in tempore, cum nihil eſſe poſſit, quin in tempore ſit, & tempore menſuretur; verò excepto Deo noſtro, qui in æternitate indiuiſibili eſt, nec tempore menſuratur. Cum itaque dixit Vates de Plutone, *quod ſteriles conſumeret annos*, idem fuit, ac ſi diceret: ſterilem vitalem generandi facultatem per multos iam annos menſuratam paſſum fuiſſe remorari. *Conſumeret* igitur inquit, quaſi *conſiceret* (in hac enim ſignificatione vſurpatum non ſemel verbum *conſumo*, procul dubio, reperies) nam potentia, quæ non reducitur ad actum perinde eſt, ac ſi non eſſet, ideòq; à Phil. fruſtra eſſe dicitur. Vel dicas, Plutonem annos conſumpſiſſe dici, ideſt *deperdidiſſe* notâ ſterilitatis deturpatos; ſicuti egregius ille Imperator: *Diem perdidimus, amici*: dicere ſolebat, ſi quando eo die facultatem beneficia elargiendi non exercuiſſet.

IMPATIENS. Præcipua hæc cauſa eſt Plutonicæ indignationis, quod videlicet diutiùs ferre non poſſet, ſtimulante natura, ſterilitatem; ea enim eſt vis illius particip. *Impatiens*: ideſt *non vlteriùs potens*, eo quod excogitatio priuationis, offenſæq; ex ea reſultantis, Plutonicum adeò genium è mentis ſede deturbaſſet, vt ſui ipſius, ac rationis impos effectus hæreret, cupiditate vehementiùs prædominante.

NESCIRE. Pro *neſciendi*, more poetico. Intelligendum autem eſt verbum de ſcientia experimentali; nam de pura cognitione ſpeculatiua certè intelligi non poteſt, quia ſi cupiebat, torum certè illum mente conceperat, nil enim voluntas, quæ potentia cæca eſt, appetere poteſt, niſi manuducatur ab intellectu præeunte, iuxta Phil. axioma: Nihil volitum, quin præcognitum. Quarè verbum illud *neſcire* idem erit, ac *non experiri*; *non degustare* tori delicias, ac fructus.

TORVM. Torus promiſcuè ſignificat, & cubile, & menſam, eamq; communis huius acceptionis cauſam fuiſſe, arbitror, quia antiqui lectos in triclinijs habere conſueuiſſent, in quibus recubantes epularentur. Vndè & Iouis Epulum, ſeù conuiuium Ioui in Capitolio apparari ſolitum, *Lectiſternium* dicebatur, à lectulo, in quo recubans Iouis ſimulachrū ſtatuebatur ad epulas ſumendas. Sicuti autem *Lectus* à lectis herbis, & frondibus, quibus conſtruebatur, ab antiquis *Lecti* nomen accepit; ſic *torus* ab intortis herbis nomen aſſumpſit. Nec mirēris antiquitatem, apud quam nondum noſtri temporis luxus percrebuerat, ſtratos ex herbis lectulos confeciſſe; nam meis ego ipſe temporibus, lectulos huiuſmodi, ex arborum fronde confectos, non ſolum vidi, ſed & in illis cubare coactus fui, in territorio Bellunenſis, propè Germaniam, Diœceſis, cum viſitanti Epiſcopo aditarem Bellunenſi; Quid enim aliud montanæ illius regionis aſperitas, incolarumque pauperies ſuppeditaret? *Aſſai dà*, inquit Italicum Poetæ effatum,

Che non hauendo più, dà ciò, che hà.

Sed ad propoſitum reuertamur. Cur *Torum* potiùs, quam *cubile*, aut *lectum* dixerit Vates? Non caret mehercule myſterio ſuo hæc nominis electio. Torus, vt diximus, & menſam ſignificat, & lectum: cum autem coniugati ita coniungantur, vt fiant duo in carne vna, omnia debent habere communia; ſed præcipuè menſam, & lectum: menſam vt intelligant, victum communem, communem etiam laborem, vnde victus communis comparetur, importare; quod etiam in cauſa fuerit, vt opinor, cur antiquus ille apud Macedones ritus ſancitus fuerit Nuptias, per diuiſum gladio panem, quem vterque ex coniugandis libabat, contrahendi, quem & ſeruatum ab Alexandro, cum Roxanem duxerit, apud Curtium reperies lib. 8. Lectum verò pariter communem habere debent coniugati, vt diù, noctuq; tàm laboribus vitam exercentes, quam quieti indulgentes ſciant coniugati inſeparabili ſe ſemper vinculo adinuicem obſtrictos,

NVLLASQVE MARITI ILLECEBRAS. Illecebræ propriè dicuntur incitamenta, lenocinia, blanditiæ, quibus ſtimulus ſopitis additur potentijs, vt operentur: cum autem hæc omnia licitè ab vxore erga maritum adhibeantur, hinc eſt, vt omnia menti Plutonis repreſentata impatientiam illam, de qua dix. vehementiſſimè excitauerint; cum enim ſuaptè natura voluntas feratur in bonum, &, vt bonum nulli ſecundum, harum fruitio illecebrarum repræſentetur; ac priuatio magis, magiſque generet appetitum; hinc eſt, vt

de-

deſideria dilata creſcant, & creſcentia torqueant, animumq; ita exagitent, vt furore accenſus moras omnes, quibus ab obtinendo detineatur intento, toto abrumpere conatu meditetur. *Mariti* autem inquit; hoc eſt illecebras ſolitas marito à coniuge exhiberi: & *illecebras mariti* dixit, per caſum adhiberi ſolitum in poſſeſſiuis, quia, cum hæ marito debeantur, iure *mariti eſſe*, dicuntur. Maritus porrò à mare dicitur, ita vt ſolis coniugum maribus applicetur.

NEC COGNOSCERE DVLCE NOMEN PATRIS. Sicuti ſuperius dix., verbum *noſcere* intelligendum eſſe, non de ſcientia ſpeculatiua, ſed de experimentali; ſic verbum *cognoſcere* hic eodem pacto accipiendum ob eaſdem rationes. *Dulce nomen Patris*. Conſequens ponitur pro antecedenti; nam relatio paternitatis, ex qua nomen *Patris* habetur, ex actione generatiua conſurgit, cum autem homini dulce ſit filios procreare ex ſuprapoſita ratione, videlicet quia inditum viuenti à natura eſt, vt ſe ipſum perennare velit in filijs, & etiam quia per realem ſui participationem pater in filijs reuiuiſcit; hinc eſt vt dulciſſima homini filiorum adſit procreatio, & conſequenter nomen Patris mellifluum euadat. Translatè tamen ponitur adiectiuum illud *Dulce*; neq; enim eſt hæc materialis aliqua dulcedo, quæ in apice linguæ ſit, tamquam in ſenſorio guſtus, quæuè ibi ex deguſtatis fauis iucundam efficiat ſenſationem, ſed eſt quædam voluptas interna, quæ ex eo, quod quis Pater appelletur, tantam in eum ingerit delectationem, vt ſuauioribus fauis anima ipſa frui videatur. Adde græcam expoſitionem: Pater enim græcè πατὴρ dicitur, quaſi παιτὴρ, ideſt, παῖδας τηρῶν latinè *filios ſeruans*; quid autem charius, quid dulcius Genitori, quam ſeruatorem ſe genitorum pignorum eſſe? Quod ſi liceat, Anagrammatico more, litteram τ in θ commutare, dicerem vlteriùs, nomen πατὴρ à græca dictione πάθος deriuatum, quę, cum affectum ſonet, idem iam eſſet dicere πάθος, & dicere: *totus affectus, totus amor* in filios, & quia, vt dixit quidam noſtri temporis Italicis indulgens muſis: *Ogni amaro l'amor conuerte in dolce*.

quis neget dulciſſimum forè nomen Patris, qui Amorem ſonans amaritudines omnes, quas aliqui in connubio dictitant amariſſimas eſſe, melleas omninò reddat. Hanc dulcedinem, à pari, in nomine Matris incluſam videtur efferre Virg. Æn. 4. vbi inducit Didonem ſibi mala omnia, calamitates, excidia ex Æneæ diſceſſu præſagientem, atque in ſolatium peroptantem, vt Mater ſaltem effecta fuiſſet; quaſi diceret, tantam huic nomini ineſſe dulcedinem, vt infortuniorum omnium amaritudines in dulcedinem ab eo conuertendas certo ſibi animo polliceretur.

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus aula,
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret;
Non equidem omninò capta, aut deſerta viderer.

imò ex hac ipſa dulcedine Anna Didoni ſtimulos ſimul, & animos addidit initio lib. Æn. eit. vt in Amorem Æneæ facilis deſcendat inquiens.

Sola ne perpetuâ mærens carpêre iuuenta;
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?

quaſi indignum eſſet Matris non noſcere nomen, reſpectu fœminæ, & conſequenter reſpectu viri Patris non noſcere nomen. Ex qua Virg. ſententia colorem ſumpſiſſe videtur Claud. hic.

Incuſatur hoc loco Claudianus, quod ſterilitatem indignari faciat Plutonem eo in loco, vbi perpetua ea ſit. Eum tamen ab huiuſmodi cenſura eruditiſſimè defendit Barthius indicans, non nouum Poetis eſſe etiam in Regno Mortis filiorum procreationem admittere; ſic ibi ex Nympha Orphne Aſcalaphum progenitum ferunt, ſic ex Erebo, & Nocte filios, quos ſupra recenſuimus &c. Quarè nil magis calumniatorum hic aſtus Claudianum ferit, quam vulgatam lectionem *nullaſq; mariti illecebras* ferant, qui legendum dicunt *nudaſque marita illecebras*, eo quod, vt notat Clauer. Illecebræ mulieris potiùs ſint, quàm viri. Nam hanc rationem nullam eſſe iam vidimus, cum, in quo ſenſu *mariti illecebras* dixerit, explicuimus. Sed iam incœpta proſequemur.

IAM QVÆCVMQVE LATENT &c. Patientia læſa vertitur in furorem. iam pro communi axiomate circumfertur. Idcircò Vates, prudentiſſimè quidem, ſuperioribus carminibus, diuturnam nimis fuiſſe patientiam Plutonis, connubio vtique indigentis, commemorauit, vt tandem, cauſa nondum ceſſante, ſed magis immò, ac magis extimulante, *impatiens neſcire torum*, in furorem adactus congruentiùs deſcriberetur. Iam verò, quia item vulgo patet dictum illud · *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, cum Ditem ſuis percitum furoribus deſcripſerit, aptiſſimè deſcribit hic ſecutam vniuerſi eiuſdem regni cómotionem, ita vt Erebi monſtra omnia regijs furoribus obſecundantia ad arma manus tumultuariè expediant; coniurent Eumenides in bellum à Plutone ipſo exoptatum; Antiſignana vexillifera ſimul, ac Tubicenis vicem gerat Alecto belligeras extollens faces, maneſque vrgens, vt in armis ſint, ducis tantummodo nutum expectantes.

IAM. Aduerb. temporis eſt miram importans celeritatem, non minus ac importetur per dictum illud, quod communiter circumfertur, nempè *dictum factum*; ideòq; hic aptè ponitur ad oſtendendam miram illam celeritatem, qua, viſo Regis furore, infernales turmæ ſeſe ipſas ad arma compararerint; illa enim particula *iam* idem ſonat, ac *illicò in ictu oculi; dicto citius &c.*

QVÆCVMQVE. Vox diſtributiua eſt, qua oſtenduntur omnia, & ſingula monſtra in bellum, nullo diſſentiente, ac ne hæſitante quidem conſpiraſſe. Superius vidimus infernos Lacus perpetuam diſcordiarum ſedem eſſe, & quidem iuxta ſenſum ipſius Claud. pag. 30. col. pri. Quomodo igitur tantam hic inter Auerni peſtes concordiam, idem Auctor ponat? Ne mireris, in fortè mirari velis mirandam prorſus Auctoris perſpicacitatem, qui, vt naturam, ac mores imitetur, diſcordiam ipſam concordi fœdere inducit conſociatam. Ecquis neſciat ſceleſtiſſimorum omnium proprium eſſe, vt, quantumuis inter ſe perpetuò rixantes, illicò tamen vnanimes coaleſcant, quotieſcumq; indignum aliquod facinus perpetrandum proponatur, quod infectum remaneat hac ſine vnione, neceſse ſit? Cum ergo hic de ſceleſtiſſimis Inferni agatur cateruis. congruum erat, vt, licet ſemper diſcordes, vnanimes hi coaleſcerent, dum impium maximè facinus, nempè Cœlorum oppugnatio proponitur peragenda.

MONSTRA. Monſtrum communiter definitur *Peccatum naturæ aberrantis a lege*: & de his monſtris eruditiſſimè ſcripſit integrum volumen Vlyſſes Aldrouandus, ad quem curioſos remitto; neque enim hic otium cuncta diſquirere. Tale monſtrum eſſet Natus cum Bruti capite puer, aut cum quatuor alis volucris &c. Certè noſtri Claudiani conciuis eruditiſſimus Franciſcus Bracciolinus de Cruce lib. 11. in hoc ipſo ſenſu monſtra dici Infernales Potentias profitetur, dum de ijs canit:

Viue ſerpi han le chiome, aſpre, e nodoſe
Arbereggian ivi lor corna mal torte;
E le vipre in giù ſcendon bramoſe
A ſugger pianto in sù le guancie ſmorte.
Fuor de gl'humidi labri eſcon bauoſe,
Quai d'antico Cinghial Zanne diſtorte,
Qual Drago ſembra, o qual Pantera, od Orſo
Qual di Lupo, ò di Tigre hà 'l fianco, ò 'l dorſo.
Qual frega il petto, o ne conuolue, o tragge
Squallida coda, e qual ferocia l'alza;
E qual gonfio di toſco all'erme ſpiagge,
Quaſi Botta notturna à ſalti balza;
Qual diſſegna 'l terren d'orme ſeluagge
Con ſuo piè foſſo, e qual di ferro il calza.
Infinita è la greggia horrenda informe,
E 'n nulla, fuor ch' in mal voler conforme.

ex quo etiam vides memoratam diſcordiam illam concordem, de qua mox ſupra dicebamus. Sed vt a fabulis præſcindamus; Monſtrum dicitur ſpectrum quodlibet horrendum, informe, ingens: vno verbo, quidquid terribile viſu eſt, monſtrum eſt. Cum autem ſemper tales appareant Inferorum vmbræ, iure monſtrorum nomine deſignantur.

LATENT. Monſtrorum ſemper eſt lucem fugere, ac in latebris deliteſcere. Sed appoſitè hic dicitur *quæcumq; latent &c.* vt intelligamus non ea ſolum monſtra ad expeditionem conueniſſe ſuſcipiendam, quæ aſſiduè Plutonis Regnum, quaſi curſores quidam pererrant, vt ſontes excipiant, iudicibus ſiſtant, & torqueant damnatos: aut illa etiam, quibus Pluto, tamquam exploratoribus vtitur, vt quę ſub hac luce peraguntur, valeat indagare: Vel quæ ad terras, mare, aeremq; ſæpiſſimè tranſmittit, ærumnis, naufragijs, tempeſtatibuſque miſcendis; ſed ea moueri omnia, quæ vel perpetuò torpêtia ſitu in tenebroſis, abditiſſimiſq; inferni antris deliteſcunt. Niſi potiùs velis dicere, monſtra omnia Erebi talia eſſe, vt lateât, cum Regnum palpabilibus obſitum tenebris inhabitent. Sed hoc & magis obuium eſſet, & minus ad Poetæ ſenſum faceret, qui omnia inferorum monſtra numeratim ad vnum vſque ad bellum properantia voluerit indicare,

FERALI BARATRO. Ferale idem eſt, ac funeſtum, dirum, exitiale; & Feralia ſacrata Dijs Manibus erant feſta, ex quo perpende, quam prudenter hoc adiuncto vtatur Poeta; funeſtum enim procul dubio erat, quod ſidera ipſa funeſtis inficere impreſſionibus, incurſionibuſq; feralibus ſydera funeſtare ipſa moliebatur: Dirum erat, quod ſumma crudelitate bellum exornabat: exitiale erat, quod ſuperis exitium meditabatur inferre: Inſuper *ferale* idem eſt, ac *mortale*, ita vt, quidquid ad mortem ſpectat, ferale eſſe dicatur. Cum itaque Pluto mortuorum Rex dictus fuerit, ac Regnum ipſius regnum mortis ſit; prudentiſſimè dicitur ferale. Adde, Vatem hac voce vſum, tamquam nota differentiali vocis genericæ ſubſequentis, nempè *Barathro*; Barathrum enim dicitur quælibet profunditas, in quam ſi quis demergatur, emergendi prorsùs deſtituatur facultate; nomen eſt enim deſumptum à loco quodam, qui Athenis in immenſam altitudinem præceps vndique depreſſus, Barathrum dicebatur, & in quem locum noxios, ac damnatos deturbabant. Cum igitur genericum ſit hoc nomen, vt ſatis intelligeremus ſermonem hic eſſe de Barathro quidem, in quod noxij omnes deturbantur, ſed de eo, in quo mors æternas habuit manſiones, hinc eſt, vt, notam quaſi ſpecificam, addiderit *ferale*.

RVVNT. Ruere idem eſt, ac *præcipitem ferri*, ſeù præcipiti paſſu iter accelerare; quod quidem propriſſimum furentium eſt: furor enim non minus, ac Amor, cœcus dicitur, conſequenter temerè ſemper, præcipitanter, & inconſideratè agit. Cum itaque inferorum cateruæ in ſui Ducis mores tranſierint, qui furore ſimul, ac Amore, hoc eſt duplici cæcitate ferebatur, non poſſunt profectò, quin ruant, dum Dux ipſe ruit.

IN TVRMAS. Turma dicitur ordo quidam militaris (vulgò *ſquadra*.) qui tres militum decurias continebat, totidemque habebat Decuriones; &, vt notat Varro, *turma* dicitur, quaſi *ter dena*; ſolebat autem turma ex equitibus confici, ordine memorato, vt patet ex Virg. Æn. 5.

> *Tres equitum numero Turmæ, terniq; vagantur*
> *Ductores &c.*

Hic tamen per Cathacreſim abutitur nomine propinquo Poeta, ſeruans ſcilicet turmæ numerum, ſed præſcindens ab hoc, quod vel equites, vel pedites milites ſint: non enim equis vmbræ indigent, niſi diceres, Vatem innuiſſe monſtra monſtris ſuperimpoſita, ita vt, equorum loco, Chimeras, Sphynges, Hydras, cœteraque huiuſmodi, quibus abundare deſcribitur Auernus Æn. 6., in terroris ſpeciem domitaſſent. Quod fortaſſis non eſſet abs re, de qua agitur, alienum.

ACIEMQVE. Aciei nomine exercitus intelligitur, ad dimicandum inſtructus ita vt tantum belli ſignum expectet. Perpende igitur, quam aptè, & congruenter, gradatim, iuxta vſum militarem procedat Auctor. Primò enim monſtra ſub Decurionibus in varias conueniunt turmas; ſubinde ex varijs turmis, in vnum coeuntibus, conflatur exercitus ad dimicandum paratus.

ET FVRIÆ CONIVRANT CONTRA TONANTEM. Suprapoſito bellorum incitamento, ex indignatione Plutonis deducto, aliud ex furiarum ardore deſumptum adnectit per copulam *&*. Nomen itaque ſortitæ ſunt *Furiæ* à furore; atque ideò nil mirum, ſi magis ipſæ, quam cœtera inferorum monſtra furere deſignentur, & coniurationem ſtatuere; cum vnanimes, ac eiuſdem furentis genij ſingulæ ſint. Verum aliam liceat cauſam ex ipſa Furiarum origine recenſere, & quam ab erudiſſimo Poeta ignoratam dicere, nefas eſſet. Heſiodus in libro, quem ſcripſit de origine Deorum, Furias natas eſſe aſſerit ex terra, & Saturni ſanguine, cum videlicet Iupiter Saturno Patri pudenda abſcidit, guttæq; ſanguinis in terram decidentes Furiarum fœtum ediderunt. Epimenides Poeta Cretenſis ſcriptum pariter reliquit, Furias Saturni filias fuiſſe, licet ab Heſiodo diſcedat, qui dicit eas natas ex eo pudendorum ſanguine abſciſſorum; nam Epimenides natas refert ex Saturno, & Euonyme à Saturno compreſſa; vt refert Mythol. Nat. Com. qui vtramque vtriuſq; Poetæ ſententiam exarat lib. 3. cap. 10. Quidquid autem ſit de modo, iuxta horum Poetarum ſententiam filiæ fuerunt Furiæ Saturni, conſequenter Iouis, Plutoniſq; ſorores, & tres ponuntur, vt ternarius numerus, qui eſt numerus perfectionis, indicet in illis furorem, à quo nomen deſumunt, in ſummo debacchantem. Pulſum cœleſti Regno Saturnum abs Ioue fuiſſe, cum eum videret vitæ ſuæ perpetuo inſidiantem, apertiſſimè in fabulis habetur. Furiæ igitur dupplicis in Saturnum Patrem iniuriæ à Ioue collatæ non ignunc... nempè & eiectionis è Regno, & pudendorum abſciſſorum, recenti Plutonis offenſa extimulatæ; cum triplicem habeant furoris cauſam peculiarem, quam in cœteris monſtris non fuerat reperire; ideò & publico odio, & priuato furore excandeſcentes maximè omnium furunt, & coniurationis ineundæ fœdus ad ipſas ideò ſolas pertinere fas fuit. Hinc erudiſſimè Auctor Furias deſcribit coniurantes, non autem cœtera monſtra. Si nomen vniuſcuiuſq; ex Furijs velis hic exaratum, quamquam in comperto ſatis, ſuperque ſit, habeas, non abnuo: & hæc earum ſunt nomina. *Alecto*, de qua meminit Virg. Æn. 6. inquiens.

> *Exin gorgoneis Alecto infecta venenis.*

Tiſiphone, de qua Auctor noſter paulò inferiùs, ſed & Virg. Æn. 6. ſic eam memorat.

> *Continuò ſontes vltrix accincta flagello,*
> *Tiſiphone quatit inſultans, toruoſq; ſiniſtra,*
> *Intentans angues vocat agmina ſæua ſororum.*

Megæra denique, quam vnà cum præcitatis ſororibus Virg., Eſchylo conſentiens, atque ab Heſiodo, Eumenideque diſſentiens, Nocte natam dicit Æn. 12. ſic

> *Dicuntur geminæ peſtes cognomine Diræ,*
> *Quas, & Tartaream Nox intempeſta Megæram,*
> *Vno eodemq; tulit partu, paribuſq; reuinxit*
> *Serpentum ſpiris, ventoſaſque addidit alas.*

CONIVRANT. Coniurare eſt *ſimul iurare*, datâ videlicet, acceptâq; in perniciem alicuius fide; qui enim, vno animorum concurſu, iungebant dextras, vt iunctis armis in alicuius perniciem irruerent, iniqua inter ſe fœdera adhibito firmabant iuramento, epoto etiam ſanguine ſæpè ſæpiùs conualidantes, quod ſignum erat implacabilis odij in vno quoque coniuratorum exardeſcentis. Vt igitur oſtendat Poeta, quam pleno conſenſu furiæ arma ſumerent, earum motum coniurationis nomine deſignat, atque vt eas implacabiles futuras oſtentet, dummodo pro Rege Plutone æternum in Iouem, liceat per Plutonem ipſum deſæuire, iuramento adſtrictas indicat, dum aſſerit coniurantes. Quod ſi quæras, cur, licet monſtra inferorum omnia conſurgeret dicantur in bellum, ſolis attribuatur Furijs coniuratio; iam ſatis conſtat ex eo, quod diximus peculiares cauſas, præter publicum odium Furias habuiſſe, quas cœtera nequaquam habuerint monſtra; vide igitur dicta antecedenti paragrapho, & cauſas inuenies.

CONTRA TONANTEM. Superius dixerat Vates Prælium, ex intentione Plutonis, mouendum ſuperis. Verum quia ſuperum Princeps, & cuius Nutu ſuperi omnes regerentur, erat Iupiter, vt & cecinit Helenus Æn. 3. ſic apud Virg. Ænean alloquens.

> *Nate Dea (nam te maioribus ire per altum*
> *Auſpicijs manifeſta fides: ſic fata Deorum Rex*
> *Sortitur, voluitq; vices: ſic vertitur ordo) &c.*

& confirmatur ex Æn. 10. *Rex Iupiter omnibus idem &c.* ideò Iouem præcipuum belli ſcopum hic ponit. Sic Sereniſſima Reſpub. Veneta, cum bellum in Turcas ageret, arma in Turcam, hoc eſt in Turcarum Imperatorem ſumpſiſſe dicebatur, quaſi de minimis non curet Prætor, eo quod facilis vtique prædæ reliqui remaneant, capite debellato. Notes autem hic obiter, quam benè ſuperbiſſimæ Inferorum Naturæ mores imitetur. *Contra Tonantem* inquit; quaſi ſuperbæ illæ phalanges indignarentur bellum cum inferioribus Dijs inire, & gregem illum inferorum Numinum deſpiciendum potiùs, quam debellandum cenſerent; immò nec Iouem ſuis parem indignationibus exiſtimarent, niſi *Tonantem*, ideò Vates non dixit ſimpliciter *coniurant* contra Iouem; ſed *contra*

TONANTEM. Tonantis enim nomen antonomaſticè de Ioue dicitur, ex eo, quod, vt notat Cic. 3. de diu. cum primum, inaudita ante, tonitrua terruerint orbem, & fulmina montes concuſſerint, terrore, ac admiratione correpti homines, ea effici à rerum omnium Ioue Auctore, crediderunt: exinde autem tonitruum Deus, & fulminum creditus eſt Iupiter. Inferni ergò furores, non in Iouem, vt Iupiter eſt, ſed in Iouem Tonantem; hoc eſt, vt tonitruis, ac fulminibus armatum, præpollentemq; collineant. Quid ſuperbius? Quod ſi, præſcindendo à mente Plutonis, Furias intelligere velis contra Tonantem potiùs, quam cœteros Deos furere, & deſæuire, potiori illæ ratione contra Tonantem peculiariter furunt, vt iam ex ſupra traditis notū eſt.

ET TISIPHONE. Coniuratas in Iouem deſcripſerat furias; Iam ex ijs Tiſiphonem ſeligit, quæ Anteſignanæ ſibi vicem vſurpans cœteris non modo ſororibus, ſed & inferorum monſtris Auctrix præeat bellorum cœdis, ac ſtragis. Sed cur Tiſiphone Auctrix hic cœdis fiat? Tiſiphone

apud

apud Græcos certè *Tiſiphone* dicitur, nomen à *Tiſis*, quod eſt vltio, & punitio, & *phonos*, nempè cœdis deriuatum. Si igitur ex vi nominis ad Tiſiphonem ſpectat cœdes, & homicidia plectere, ac punire, iuxta officium, cui intenta deſcribitur etiam à Virg. cit. Æn. 6.

Continuo ſontes vltrix accincta flagello &c.

quomodo hic ipſa in cœdes irruat, ſuis ipſa furoribus ſtultè obnoxia? Myſterioſiſſimum profectò Poetæ inuentum eſt; quo ſcilicet oſtendat omnem in ſuperos conatum, ſuum ſemper in Auctorem, recidere, ac ſui ipſius effici tortorem, qui Cœlum lœdere non perhorreſcat. Inſuper vim indignationis oſtendit Vates, quæ tanta ſcilicet eſt, vt nec ſinat iratum dignoſcere, quid ſibi decens, aut indecens ſit; Iratus enim ebrius perindè ſe habet, ac ſi Lethei fluminis vndas deguſtaſſet; propriæ enim naturæ, inclinationis, ac naturalis prærogatiuæ munus obliuiſcitur, ſolam iam præoculis habens, quam molitur vindictam. Tertiò conficiebatur mœrore Pluto impatiens neſcire torum: huius myſticæ ſtragis Plutonicæ auctor Iupiter dicebatur, ideò in Iouem irruat ſtragis, ac cœdium vltrix. Quartò Saturnum Tiſiphones Patrem Iupiter, quantum ex ſe fuerat, occiderat, cum eius virilia abſciderit; niſi enim immortalitas obſtaſſet, lethali vulnere Saturnus obijſſet; & quia leges non factum tantummodo perfectum, ſed etiam attentatum punitioni ſubijciendum conclamant, ideò cœdium vltrix præcipuè feratur in Iouem. Quintò ad Amantem ſpectabat Amantis iniurias acerrimè delinire vindicta. Tiſiphone ergo, quæ & ipſa quondam dolorem denegati connubij experta fuerat, in vltionem irruat præcipuè, dum de ſimili agitur in Plutone. Quomodo autem in ſimili caſu Tiſiphone fuerit, audi ex Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 10. ſic enarrante, Fabulati ſunt Antiqui, neque has quidem ſeueriſſimas Deas (de Furijs loquitur) cupidinis vim euitare potuiſſe; quando ſcriptum reliquerit Menander, Tiſiphonem in amorem formoſi cuiuſdam pueri, Cytheronis nomine, incidiſſe, cuius deſiderium, cum iam ferre non poſſet, verba ad illum de congreſſu perferrenda curauit: At is formidandum veritus aſpectum, ne reſponſo quidem dignam fecit. Quarè illa vnum è ſuis draconibus, e capillis euulſum in eum coniecit, quem ſerpens intra ſpirarum nodos conſtringens interemit, vbi Deorum miſeratione Mons ab illo dictus fuit Cytheron, qui prius Aſterius dicebatur. Hæc Mythol. cit. Cum itaque Tiſiphone in ſimili cum Plutone fuerit caſu, nil mirum, ſi, quaſi proprium, in ſimili, cauſam agens plus cæteris excandeſcat; illique primum coniurationis munus demandetur à peritiſſimo in eruditionibus Poeta; Tunc enim tumultuarius bellum apparandi modus per coniurationem haberi dicebatur, vt notat Seruius, cum quis Dux factus ſigna extollens tota vrbe clamaret: *Qui ſaluam vult Patriam, me ſequatur*. Quod quam bene expreſſum in Tiſiphone hic, vides

CRINITA SONTIBVS HYDRIS. Ex ſupra cit. Virg. locis patet Eumenides ſerpentibus crinitas effingi; fortaſſis, vt integumento fabulæ detegeretur magis earum mortale in homines odium; quaſi ſcilicet tanto earum caput veneno redundaret, vt venenata germina capillorum loco progignerent, ac enutrirent. Inſuper notum eſt, apud Naturæ arcana inueſtigantes pro certo haberi, crines mulieris diutiùs in aqua profluenti detentos facilè in angues degenerare: quapropter Poeta non ſolum communem, ſequitur fabulam, dum Tiſiphonem crinitam ſerpentibus facit; ſed præcitatum ſequitur Arcanum, dum crinitam hydris facit: hydrus enim genus anguium eſt in aqua degentium, vt teſtatur Plinius lib. 29. cap. 3. his verbis; *Pulcherrimum anguium genus eſt, quod in aqua viuit. Hydri vocantur nullis ſerpentium inferiores veneno*. Ideò Auctor furiarum hydris epitetum *ſontibus* ſuperaddidit, ideſt *infeſtis*, *nocentibus*, *malignis*, ac *veneno metuendis*. Ac profectò non poterat, quin ſerpentibus crinita deſcriberetur hic præſertim Tiſiphone, dum, amatorio Plutonis vulnere impellente, bellum adornabat, nam ſerpens, ex Pier. Valer. vipera appellatus amatorij vulneris Hierogl. fuit lib. Hierogl. 14. Inſuper Anteſignana infernalium turmarum Tiſiphone deſcribitur: porrò turmarum ductores Draconarij antiquitus appellabantur, quia in vna quaque turma vexillum ſerpentis, aut draconis attollebatur; quarè Draconarium appellabant & ductorem, & ſigniferum; vt refert Pier. cit. lib. 15. cum igitur Tiſiphone vexilliferi hic, ac ductoris impleat vices, Draconaria ſit, hoc eſt hydris crinita.

QVATIENS INFESTO LVMINE PINVM. *Quatio* italicè ſonat *crollare*; quod maximè furentibus, ac ira percitis conuenit. Quarè, cum agatur hic de Eumenide furente, ac bellum ſummâ animi iracundiâ concitante, optimè dicitur *quatiens*

PINVM. Facem ſcilicet Pinu confectam; hoc enim explicat adiunctum, de quo mox inferius. Barthius in hunc locum ait: *Hæc infœlix arbor ludibrio Poetarum faces furiarum inſtruit; faces autem præcipua earum arma*; & equidem miror eruditiſſimum alioqui commentatorem ſuperficialiter adeò rem iſtam delibaſſe, cum non tamen Myſterio certè non careat hæc facis aſſignatio; & non ſine fundamento eruditionis Pinus Furijs, ac præcipuè Tiſiphoni hic addatur quatienda in facem. Aperiam itaq; quod alij arcanum voluerunt. Obſeruatum eſt, vt notat Pier. Valer. lib. Hierogl. 52., Pinum ſemel exciſam non amplius ſuppululaſcere; ideòq; deſumptam fuiſſe in ſummi excidij, ac totalis abolitionis Hieroglyphicum. Vt igitur Tiſiphone oſtendat, eradicandum hoc prælio Iouem eſſe, penituſq; ad internecionem vſque exſcindendum, Pinum extollit in facem, triumphum, ſuperborum more canens ante victoriam. Adde, iuxta Diui Ambroſij ſententiam à cit. Pier. relatam, Pinum imaginem eſſe Naturæ. Vt igitur ob violatam Naturam, quæ, de ſe fœcunditatem appetens, ſterilis in Plutone adeſſe cogeretur, bellum iniri, conſtaret, aptè confecta ex Pinu face ad arma conclamauit Tiſiphone, vt, iuſtitiâ cauſæ in ipſo ſigno eluceſcente, nullum ex concitatis monſtris bellum, quod iuſtum indicaretur, detrectaret. Rurſus Pinus à conſtruendis nuptialibus tœdis arcebatur; quarè cum ob prohibitum à Nuptijs Plutonem bellum eſſet ineundum, iure Pinus à Nuptijs prohibitus facem præbet, quaſi ipſum ſymbolice Plutonem exprimens.

INFESTO LVMINE. *Infauſto lumine* legit cum Aldo, Parrhaſio, ac ſcriptis codicibus Heinſius lectionem comprobans ex Ouidiana Hypſipyle, quæ in ſimili ſic habet.

At mihi nec Iuno, nec Hymen, ſed triſtis Erennys,
Prætulit infauſtas ſanguinolenta faces.

Verum, vt fatear, licet Heinſiana lectio imitationi innitatur, non video, cur à vulgata recedamus. Immò ambiguè admodum legi arbitror: *Infauſto lumine*; nam infauſtum dicitur, quod vel de ſe infortunatum eſt, vel quod infortunatum alicuius rei exitum portendit. Tam itaq; Pinus illa infauſto lumine coruſcans intelligi poteſt reſpectu bella mouentium, quam reſpectu Iouis, in quem prælia mouebantur. Quod ſi legatur: *Infeſto lumine*, cum *infeſtum* idem ſit, ac *hoſtile*, non poteſt intelligi *hoſtile*, niſi reſpectu illius, contra quem feratur id, quod infeſtum dicitur. Et profectò quid tritum magis apud auctores, quam hoſtes infeſtis inuicem concurrere ſignis? Nonne & Æneas Æn. 5. Iouem precatur, vt hoſtile fulmen immittat, nomine vſus *Infenſo*.

Vel tu, quod ſupereſt infeſto fulmine morti,
Si mereor, demitte &c.

Nonne Teucri è muris in Rutulos Æneid. 9.

Saxa quoque infeſto voluebant pondere, ſi qua
Poſſent tectam aciem perrumpere &c.

quidni igitur, & *infeſto lumine* dicatur in Iouem pinea illa fax à Tiſiphone deferri? Aſt codicibus ſcriptis fretus immutauit Heinſius. Quid ſi ſcriptorum Manus errauerit? Vulgatam igitur lubentius ſequor, & explico. *Quatiens*, inquit, *pinum infeſto lumine*; ſubintellige ardentem; nam lumen pro flamma, à qua lumen diffunditur poſitum eſt; effectus ſcilicet pro cauſa. Facem igitur ex Pinu conſtructam, ardentemque infeſtis in Iouem flammis quatiebat Tiſiphone: Et vetuſtæ militiæ morem exprimit hoc loco Vates; nam, ante vſum tubarum, facibus inſtructæ acies præibant exercitum, quibus vtrimque coniectis, manus conſerebantur. Sed & conſuetudinem vtendi facibus in belli ſignum viguiſſe apud antiquos oſtendit Statius Thebaid. 4.

Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo,
Oſtendit Bellona facem &c.

Et Virg. Æn. 7. vbi Alecto, altera, & maxima Furiarum, vt Turnum in prælia concitet, facem dicitur vibrare.

Reſpice ad hæc. Adſum Dirarum ab ſede ſororum
Bella manu, lethumq; gero.
Sic affata facem iuueni conjecit, & atro
Lumine fumantes fixit ſub pectore tædas.

Item hæc ipſa exprimens Taſſus Hieroſ. lib. cap. 9. inducit Alecto facem extollentem, vt prælium, quod in Chriſtianos, nocturnus Arabs, latronum more, inierat, incluſis in arce Hieroſolimitana pateſaceret, eoſdemq; ad eruptionem inuitaret, vt iunctis viribus acrior fieret dimicatio.

E la face inalzò di Flegetonte
Aletto, e 'l ſegno diede à quei del monte.

Sic apud Florentinum Crucis Cyenum lib. 5. Barramus, cum in obſeſſam ab Heraclijarmis Ciuitatem Colroæ Regis, pedem ipſe per ſubterraneos meatus audax intuliſſet, intempeſta adhuc nocte, facem ſuccenſam erexit in ſignum, quo monitus Heraclij exercitus victoriam armis proſequeretur.

Apre le porte, e ſopra l'alte mura
Facciola vincitrice erge Barramo;
E l'aura in minacciuole figura
Porga ver la Città l'alto Vulcano.
Hor veduto il ſegnal dalla pianura
Corre il chiamato eſercito Christiano &c.

Cum igitur hic Tiſiphone incitatura Auernum ad arma Potentias furens diſcurrat, ac diuagetur, iure belli vtitur ſigno. *Spatiens infeſto lumine Pinum*, aptè autem *infeſto lumine* dixit; quia *infeſtus*, vt ait Nigridius à feſtinando dicitur; qui enim inſtat alicui, eumq; infeſtus vrget, ac opprimere ſtudet, feſtinet certè in eum irruere, neceſsè eſt. Vt igitur Poeta ex ipſa celeritate feſtinantis vehementiam oſtendat furoris, *infeſto* lumine inquit; ideſt in ſtrages feſtinante. Adde, quod & iam diximus, infeſtum idem eſſe, ac *inimicum*; cum itaque fax illa, & in Iouem hoſtiliter erigeretur, & denſiſſimas æternæ noctis vmbras rareſcere cogeret: ideò, ad vtrumq; effectum habito reſpectu, infeſtum illius pineæ facis dicitur lumen.

VOCAT. Hoc eſt ſollicitat, ſtimulat, concitat, & cogit ad caſtra; hoc eſt in agmen.

MANES. Deos eſſe inferos putabant antiqui, eoſque inter læua Numina enumerabant, placabantq; hoſtijs, ne nocerent, ſicuti bonis litabant Dijs, vt prodeſſent; Antiquitas enim bonos Deos habuit, & malos, hoſq; Manes appellabat, vt Seruio placuit ab antiquo nomine *Manus*, ideſt humanos, ſeù bonos, ſed per anthiphraſim, eo ſcilicet quod minimè boni eſſent. Apud Græcos *Δαίμονας* video vocari Manes, & in hoc ſenſu procul dubio procedit huius loci intelligentia, cum Manium nomine illud Vates intelligat vulgus de quo ſupra *vulgus iners &c.*

ARMATOS. Ideſt paratos in bellum, ita vt nutum tantummodo Ducis expectarent.

AD CASTRA. Hoc eſt in agmen, diximus iam ſupra. Caſtra enim dicuntur loca, in quibus milites in armis congregantur bellum inituri: Sic caſtra moueri dicuntur, cum exercitus ex vna in aliam transfertur ſtationem; ex quo patet, caſtra dici agmen ipſum, nam certè locus non mouetur, nec transfertur: Si tamen velis caſtra hic locum aliquem ſtatutum ſignificare, cum vtraq; expoſitio ſententiæ congruat, certe Inferorum exercitus in ijs Inferis inſtrui debuit, vt exindè in aciem educeretur, atque adeò, Aulam ipſam Plutonis caſtra vocari, dixeris, ſeù potius locum antè fores capacem, vbi caſtra ponerentur; & quidem

PALLENTIA. Nomine videlicet à pallore deducto, ſeù meliùs à verbo *palleo*, quod idem eſt, ac *pallore afficior*; in mæſtitiæ enim regno nonniſi in ſummo pallor, mæſtitiæ effectus eſſe poteſt. Vno verbo pallor mortis in Mortis regno inhabitet, neceſsè eſt, ideò *Pallentia*. Inſuper ſqualent loca ipſa ſitu obſita, ideòq; aptiſſimè adiuncto illo notantur. Tandem memineris Ouid. dictum in lib. de arte amandi 2. exaratum; *Palleat omnis amans, color eſt hic aptus Amanti*, & optimè noueris, cur pallentia caſtra dicantur; nam cum ex Tiſiphone amante repudiata concitetur bellum, & ortum à Plutone habeat impatiente neſcire torum, ex Ducum affectu, quem totus imitetur exercitus, Pallentia ſint caſtra omnia, neceſſe profectò eſt.

Si ſenſum ex his moralem aueas educi, facilis eum eductionis reperies; edocet enim Poeta hic, quam ingentes animi Peſtes ſint ſuperbia, iracundia, ac libido; nam prima duo vitia, minimis ſæpè de cauſis, quas maximas tamen effingunt, ingentes excitant tragædias; Tertium verò nempè effrenatum in Venerem obſequium, ſub ſpecie lenientis, adblandientiſq;, adeò ſæuit, vt, ratione ex imperio deturbata, in omne vetitum nefas obcæcatum animum impellat; ita vt in Cœlum ipſum furere nequaquam perhorreſcat, & veridicum efficiat Horatium, qui lib. pri. Carm. ode 3. dixit;

Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Solerter igitur ab his vitijs edocet cauendum, & ita; vt vel primis, minimiſq; eorum inſinuationibus obſiſtamus, ne vel ſuperbis elatus tumoribus, vel iracundiæ concitatus æſtu, vel prauis illectus cupiditatibus, intellectus noſter voluntatem ad id attrahat, quod minus honeſtum ſit; nam paulatim quidem, ſed repente labitur in deterius, & quæ parua fuerat ſcintilla, magnum illicò excitat incendium; ſuperbiæ enim, iracundiæ, ac libidinis effrenatæ paſſiones, per ternarium, Furiarum numerum ſignificatæ coniurant in perniciem cœleſtis partis, hoc eſt animæ ad Cœlum vtiq; creatæ, & à Cœlo donatæ, omneſque vitiorum catervas conuocant, vt hominè in horrenda quæq; facinora compellant præcipitem.

Sed Italicę iam muſę aures oblectamenti gratia præbeamus.

All'auuampar de diſdegnoſi ardori,
Che ſean del petto vn Mongibello atroce,
Arſe d'Erebo il Duce, ed i furori,
Sormontando del ſen l'anguſta foce,
Minacciauan terror del Cielo à gl'Ori;
E'l ſuo Genio guerrier, fatto feroce,
Senza punto ceſſar, gridana: all'armi:
Contro i Numi del Ciel l'Inferno s'armi.

Ingiuſto egl'è, che de trè Germi vn ſolo
Del gran Saturno, in ſolitario Regno
Tragga i ſecoli otioſo, e del ſuo duolo
Non alleggin le nozze il giogo indegno.
Troppo ſin hor di giuſte brame il volo
Cadde intercetto, e di viltà ſia ſegno
Più in ſe ſoffrir, ch'inſterilita reſti
Virtù, ch'altrui feconditade appreſti.

Così dunque Pluton vergine il letto
Haurà mai ſempre; e non ſaprà qual gioia
D'vn vezzo marital porga il diletto;
E quanto ſgombri (all'hor ch'infeſto annoia
Affannoſo penſier torbido il petto)
Con dolci ſaui ogn'oſtinata noia
Di Padre il nome? Ah non ſi tardi. All'armi.
Contro i Numi del Ciel l'Inferno s'armi.

Già de varchi più aſcoſi, oue di Morte
L'horror s'addenſa, ogni ſecreto apria
Empio il furore; ed, a prouar la ſorte
Pronto di guerra, ogni lor moſtro vſcia.
Forman più ſquadre, e di più ſquadre vn forte
Corpo d'Armata, in vn balen s'vniſa:
Fanſi guide feroci, e congiurate,
Contro chi tuona in Ciel, le Furie armate.

Teſiſone del crin le ſerpi in alto
Vibra; e'l Sibilo altier ſerue di tromba
Animatrice al deſtinato aſſalto.
Ella, mentre à quel ſuon ſtige rimbomba,
Scuote Pino guerrier, cui nero ſmalto,
Eſca infauſta d'ardor, diè là gran tomba
De viui eſtinti; e i fieri moſtri inuita
Armati in campo, & al pugnar gl'irrita.

Iratis itaque Monſtris, quid pararetur in Cœlum ex noſtro iterum Auctore decerpamus.

PENE RELVCTATIS &c. Ab effectibus, qui in promptu erant, vt ſequerentur, & vix non ſecutis amplificat Vates conceptum ab auernalibus incolis furorem, vt oſtendat, quam efficaciter Furiarum coniuratio armatos concitauerit Manes, &, quanto animi ardore, Plutonis eorumdem Moderatoris affectibus obſequerentur.

Pene reluctatis iterum pugnantia rebus,
Rupiſſent elementa fidem, penituſq; reuulſo
Carcere, laxatis pubes titania vinclis,
Vidiſſet cœleſte Iubar, rurſuſque cruentus
Ægeon, poſitis arcto de corpore nodis,
Obuia centeno vexaſſet fulmina motu.

PENE. Aduerbium remittendi eſt apprimè explicans id, quod ita imminens eſt, vt iam iam erumpat in actum. Italice ſonat *Quaſi che; Poco men che non &c.* ſeù *eraſi in punto di &c.* Latinè *vix abfuit quin &c.* hoc igitur aduerbio aptè vtitur Poeta ad oſtendendum imminens cœlo a paratis, ardentibuſque in prælium Inferis, impendenſque periculum,

ITE-

ITERVM. Idem eſt, ac *ſecundò*, Italicè *di nuouo*; ſeù *la ſeconda volta*. Quod aduerbium, vt, quam prudenter hic inferatur, in aperto ſit, perpende vnum ex periculis, quæ ex hoc bello imminentia deſcribit Vates, illud eſſe, vt omnia in Antiquum Chaos redeuntia confunderentur; ideò *Iterum* prudentiſſimè inquit Poeta ad primum reſpiciens Chaos, dum ſecundum ex hoc bello dictitat imminere.

PVGNANTIA ELEMENTA. Elementa principia rerum omnium ſunt, ex quibus reliqua omnia componuntur, & in quæ omnia reſoluuntur. Quatuor à Phil. enumerantur, nempè Ignis, Aqua, Aer, & Terra, quæ omnia ſecundum qualitates refractas in mixto remanent, quod, ſociali inter ſe iuncta fœdere, componunt. Hæc in antiqua illa rerum omnium confuſione, quam Chaos, de quo nos ſupra, dixere cómixta, & confuſa adeò fuiſſe dicuntur, vt, ſicuti propriam ſedem non habebant, ſic promiſcuè commiſcerentur, vt tamen compoſitionem efficeret nullam, ſed perpetuò inter ſe iurgio decertarent, ex quo factum, vt nulla ex iis res coaleſceret, ac diſtinctionem à cœteris confuſis, per propriam formam, nullam ſortiretur; vt egregiè Ouid. Metam. pri.

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigeſtaq; moles &c.

& paulo inferius, quæ diximus, ſic inſinuat.

Nec circumfuſo pendebat in aere tellus,
Ponderibus librata ſuis; nec brachia longo,
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaq; erat & tellus illic, & pontus, & aer;
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda.
Lucis egens aer; nulli ſua forma manebat,
Obſtabatq; alijs aliud; quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis; humentia ſiccis,
Mollia cum duris; ſine pondere habentia pondus.

Vt igitur ex hac teterrima confuſione res omnes, per diſtinctionem, ac formas, ad perfectionem educeret Iupiter, litem dirimens, omnia dicitur ſuo loco compoſuiſſe, diſtinctas elementis tribuens ſedes, eademq; ſtabili fœdere coniungens effecit, vt mirabile iſtud ineffabilis ſtructuræ opus, Mundus ſcilicet totus, ex tali tandem emergeret confuſione. Quod item cecinit Ouid. cit. ſic

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit;
Nam Cœlo terras, & terris abſcidit vndas,
Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aere Cœlum.
Quæ poſtquam euoluit, cœcoq; exemit aceruo
Diſſociata loco concordi pace ligauit &c.

quam diuiſionem confuſionis, rerumq; ex ea eductionem, ac Elementorum conſociationem idem auctor noſter in fine huius lib. depictam in tela Proſerpinæ exarare non renuit, vt ſuo loco videbimus. Sicuti igitur antequam hac pace ligarentur pugnantia elementa confuſionem illam, quæ Chaos diceretur, effeciſſe dicuntur: ſic *rurſus ſecundò pugnantia elementa* hic iam effectura erant, vt omnia in antiquum Chaos confuſa remigrarent. Ex his animaduertas, obſecro, quam miro amplificationis ſtylo inſonet hoc loco Claudianus, & intelligas cur adiecerit

RVPISSENT FIDEM. Rumpere enim italicè eſt *ſpezzare*, quod verbum violentiam indicat quamdam ab exuberanti impetu prouenientem. *Fidem* autem inquit, hoc eſt confœderationem illis ab Auctore inditam Naturæ, atq; inter ipſa ſtabilitam elementa, ex qua ordo continuus, quam pulchritudo firmatur vniuerſi. *Rumpere enim fidem* eſt *Pactum, ſeù fœdus initum reſcindere*: ex qua ſubindè confœderatione diſrupta nouum de conſequenti Chaos neceſſariò inferendum; ſicq; Poeta hoc loco antecedentia pro conſequentibus poſuit, & effectus nos ex cauſis intelligere iubet,

RELVCTATIS REBVS. *Reluctatis* participium eſt à verbo deponenti *reluctor*. Et ne reclament Grammatici. Nam eos redarguet inueteratiſſimus Antiquorum vſus, quem Poetæ paſſim ſequuntur, participia ex deponentibus deducta in paſſiua ſignificatione vſurpandi, vt notat in hunc locum eruditè Parthaſius. Sic Lucillius, apud ipſum, *A me auxiliatus*, Petronius Arbiter: *Animam noſtra amplexam in corpore*. Cic. pro Roſcio: *Quo vno maleficio ſcelera omnia viderentur complexa*. Varro: *Tribunitio auxilio adminiculatus*. Virg. *Nunc oblita mihi tot carmina &c.*, & ſexcenta alia, quæ vt Parthaſius adnotat, ſuppetunt exempla. *Reluctatis* itaque, hoc loco idem eſt, ac *conuulſis*, ſeù potiùs *decuſſis, proiectis*, ac *deturbatis*, ſeù quas in promptu erant, vt decuterent, proijcerent, deturbarent; & erit tranſlatio ab equis indomitis deſumpta; ſicut enim equus onera detrectans reluctari oneribus dicitur, eaq; decutiens proijcere; ſic elementa in procinctu erant, vt, rebus omnibus decuſſis, proiectiſq;, antiquam iterum innouarent confuſionem. Sed quia hoc, etſi grauiſſimum orbi malum, parum tamen Deos Cœleſtes videri potuit attingere, quippè rebus longe his omnibus ſuperiores animo, & eſſentia; ideò gradatim adaugens orationem aliud in Deos ipſos periculum excitari innuit Vates; renouatas videlicet Titanorum in Iouem, ac ſuperos omnes rebellionem totum alias Cœlum territantem; ideò ſubdit

PENITVSQVE REVVLSO CARCERE. *Penitus* hoc loco idem eſt, ac *funditus*, ideſt ex imis fundamentis *reuulſo*; hoc eſt *deiecto*, ſolo æquatis carcerum retinaculis. *Carcer* autem locus eſt, in quo reatui cuidam obnoxij detinentur, vel vt ſui operis rationem reddant, vel in pœnam delicti perpetrati, vt certè hic in pœnam ſceleris, quo Cœlum violaſſet, detinebantur.

TITANIA PVBES. Scripſit Diodorus, ex Titêa, & Cœlo natos eſſe filios ſeptemdecim, quemque ſuo nomine; ſed omnes communi nomine à Matre Titêa Titanas appellatos, quos Iupiter, bello domitos, apud inferos relegauerit, quod eius parentes in vincula coniecíſſent, vt deducitur ex Euhemero, Muſæo, & Corinthio Eumelo, qui Titanum prælia græcis eſt proſecutus Carminibus. Æſchylus verò, & Orphæus, ille in Prometheo, hic in hymnis, citati à Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 20. Titanes Cœli, & terræ filios autumant. Hi autem bellum in Iouem ſuſcepiſſe dicuntur, quia, cum ante Saturnum Ophio, & Eurynome filia Oceani, qui Titanes vocati fuerint, Dijs omnibus imperarent, Saturnus poſtea Ophione debellato, cum Rhea palæſtra Eurynomen viciſſet, illis imperium extorſit, quod illi bello iterum obtinere aggreſſi ſunt. Alij cum Apollonio Argonaut. 2. Titanem Saturni fratrem conſequenter cum ipſo Cœli, terræq; filium, iuxta ſententiam Orphæi in hymnis de Saturno, fuiſſe dixerint, ad quem, cum maior natu eſſet Saturno Regnum Cœlicolum, hæreditario iure debuerat pertinere. Verum, vt inquiunt, apud Mythol. cit., Matre, ac Sororibus deprecantibus Titan imperio ceſſit, ſceptraq; Saturno conceſſit; hac tamen lege, vt filios, ſi qui mares naſcerentur, enecaret, ne ad illos, poſt Saturnum, deferretur imperium, ſed in eos, ad quos hæreditario iure ſpectabat, rediret tandem. Cum itaque plures Saturnus liberos tenax fœderis deuoraſſet; Opis Saturni vxor, execranda viri conuiuia cum diutiùs ferre non poſſet, Iouem, ac Iunonem, vno eodemq; partu, enixa fœminam viro oſtendit, Iouem verò, clam educandum, in Cretam Inſulam relegauit, vbi Corybantium ſtrepitu obtegebatur, ne vagitibus ſe ipſum proderet innocens Saturno; Viro autem Puerum ſolerter inquirenti ſaxum faſcijs inuolutum obtulit, illudque a ſe eo partu editum ſimulauit, ac illud excipiens Saturnus hianti ſtatim ore deuorauit. Clàm quoq; Neptunum, ac Plutonem Opis peperit, quos & clam alendos curauit. Verum, detecta tandem fraude, cum reſciuiſſet Titan maſculeas Saturni proles educari, ac conſequenter, contra initum fœdus, ſuos è regni legitima excludi ſucceſſione, vnà ipſe cum filijs, qui a Patre Titanes cognominabantur, bellum Saturno intulit. Titanorum autem nomina hæc recenſentur: Prometheus, Carius, Pallas, Anytus, Centimanus, Ægæon, & Giges, qui omnes cum Patre coniurati Saturnum armis appetierunt non ſolum, ſed debellarunt, ac in carcerem detruſerunt. Quod cum reſciuiſſet Iupiter, expeditionem in Titanas ſuſcepit; breui manu profligauit; Patremque in Regnum reſtituit. Cum poſtea Iupiter ipſe Saturni loco imperaret, Titanes, ad quos, hæreditario iure, ſpectabat Imperium, Ioui ipſi bellum intulère, eum è ſede expulſuri tanquam illegitimum Regni poſſeſſorem; quos tamen Iupiter fulminibus compeſcuit, & in Tartara detruſit. Quod innuit Æn. 6. Virg.

Hic genus antiquum Terræ Titania Pubes,
Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.

loquitur autem Virg. de Tartaro, ſeù Barathro, quem locum innuit per aduerb. loci *Hic*: exponit enim Sibilla ibi, quodnam genus reorum in profundo Barathri aſſeruentur, atque acerrimis pœnis torqueantur. Ex his habes quænam ſit *Titania Pubes*, de qua Claud.; Genus enim deductum, ac Progenitum ex Titane eſt, infeſtum vtiq; Ioui, Regnum illis debitum vſurpanti. Quarè conſentaneè admodum inquit Vates, *Penitusq; reuulſo carcere*, quo ſcilicet detinebantur in inferis *Titaniam Pubem* fuiſſe erupturam, vt veterem nempè offenſam nouis præliorum vlciſceretur conatibus. Aliqui confundunt Titanas cum Gigantibus Phlegræis eo, quod vtriq; è terra ortum habuiſſe ducantur; vtrique in Cœlum dimicaſſe. Sed horum fallitur, & longè aberrat opinio;

Gi-

Gigantes enim impoſuerunt quidem Pellion Oſſæ, vt Iouis imperium ſibi vſurparent, ſed producti à Terra dicuntur ad vlciſcendam Titanorum mortem, qui ad vnum omnes deleti iam eſſent, vt dicemus lib. 3. fuſius. Quarè licet etiam Titanes filij terræ fuerint, Gigantes & ipſi, nil tamen congruunt cum Phlegræis, qui poſteriores, vt dictum eſt, extiterunt.

VIDISSET COELESTE IVBAR. Qui olim luce abutentes in ipſam lucis ſphœram iniurias contulêre, iure & ſphæris, & luce priuati æternas inter vmbras deliteſcunt reuincti. Cum autem Titanes, vt vidimus, vt cœleſtia Numina deturbarent è ſedibus, luce abutentes, indignos ſe ſe luce oſtendiſſent, in Noctis regnum meritò lugebant compulſi; nec inde exire datum illis, vt denuò, ne breui quidem intuitu, ſolaribus fruerentur radijs; nam vt ait Virg. Æn. 6.

. . . . . Facilis deſcenſus Auerni,
Sed reuocare gradum, ſuperaſq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt &c.

& illud etiam, quod ex hoc Virgilij loco decerpſit Italicus noſter Taſſus, vt carcerem ab Armida conſtructum deſcriberet, cantu Hieroſ. lib. 6. hùc reuocari iterum poteſt.

. . . . . . Nè può tornare;
Che quel ſerraglio è con mirabil vſo
Sempre all' entrare aperto, all' vſcir chiuſo.

quarè à portento nouitatis augetur amplificatio, qua Vates inferni furorem extollit, dum dicit, eos, qui tenebricoſo illo carcere incluſi, omni ſpe fruendi iterum ſole deſtituti iam erant, hoc temporis, cuſtode vmbrarum Plutone, permittente non ſolum, ſed etiam excitante, euaſuros ad auras, ita vt lumen viderent non ſolum, ſed & lumine ipſo, ad conculcandum luminis Auctorem, vterentur: ideò, mirum in modum aſſurgens, inquit Poeta *Vidiſſet Titania Pubes*; ideſt illa Ioui adeò infeſta, damnataq; tenebris monſtra *penè vidiſſent Cœleſte Iubar*. Iubar enim ſplendor Solis, cœterorumq; ſyderum dicitur; &, quia *videre* vicinitatem videtur exigere, ab antecedenti conſequens innuit, eos ſcilicet Iouis hoſtes ad cœlum vſq; infeſtis vtique aggreſſionibus fuiſſe conſenſuros.

RVRSVSQVE &c. Periculum periculis addit ex maximo Titanorum monſtro pertimeſcendum. *Rurſus* idem ſonat, ac aduerb. illud *iterum*, quod ſupra explicuimus: quarè illùc curioſum remitto; nam & hunc in locum venit, proportionaliter explicandum.

CRVENTVS ÆGÆON. Ægæonem, iam ſupra vidimus inter Titanas enumeratum, quorum numerum recenſentes Ægyptij, eos quadraginta & quinque numero fuiſſe prodiderunt, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 20. verum, vt tradunt aliqui, Ægæon particeps fraternæ in Iouem perfidiæ non fuerat: Imò, vt tradit Myth. cit. lib. 2. cap. pri., ex Thetidis monitu, pro Ioue ſtetit aduerſus reliquos Deos omnes, in Iouem coniurantes: quod & ab Homero affirmatum Illiad. 1. eadem Myth. teſtatur: & ideò etiam ab Heſiodo in Theogonia Ægæon inter Iouis cuſtodes extitit enumeratus. Alij dicunt, cum pro Ioue etiam in ipſos graſſantes fratres ſtetiſſe: quarè de Ioue benemeritus fuerat potiùs, illiq; addictus videbatur. Poſtea tamen, cum & eum regnandi cupiditas inceſſiſſet; & ab ipſo Ioue, qui Imperium, per vim occupauerat, didiciſſet, quo pacto eſſent Imperia vſurpanda; icto ſubindè cum Phlægræis gigantibus fœdere, Iouem è regno pellere conatus eſt; ſed fulmine cum cœteris ictus in Inferorum veſtibulum deiectus eſt. Ne itaque Mireris, ſi hìc Ægæonem inter Titanas videas enumeratum, quem lib. 3. videas inter Phlegræos Gigantes computatum, licet non eadem progenies ſit cum Phlegræis Titania Pubes, vt diximus. Cuiuſnam autem formæ Monſtroſum rebellis huiuſmodi corpus eſſet, ſi quæras: latè illud deſcribit, & quidem more ſuo heroicè Virg. Æn. 10. ſic

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenaſq; manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribuſq; arſiſſe; Iouis cum fulmina contra
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.

ex quo habes centenis eum viguiſſe manibus; quinquaginta capitibus cumulatum, ac inſuper igniuomum fuiſſe; nec ſatis ad eum debellandum vnicum fuiſſe fulmen, ſed pluribus interemptum. Quem autem locum apud Inferos obtinuerit, audi ex Virg. Æn. 6., qui eum ex multiplicitate capitum Hydræ nomine deſignans, eum Furiarum cœtum in veſtibulo Inferorum poſuiſſet, intra veſtibulum hunc ponit, ac deterius furijs ipſis monſtrum appellat.

Panduntur portæ. Cernis cuſtodia qualis
Veſtibulo ſedeat? facies quæ limina ſeruet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra
Sæuior intus habet ſedem &c.

Ex huius monſtri deſcriptione facilè intelliges, quantum habeat virium, ad diſcriminis obeundi periculum explicandum, Poetæ dictum. Ægæon appetens Regni, quod à Ioue poſſidebatur.

CRVENTVS. Quaſi adhuc ex vulneribus à Ioue acceptis cruor effluerет, quo, magis refricato dolore, in vltionem excitaretur; quem ſolis comitatum hominibus, licet giganteo neruo robuſtis, vix potuit tandem Iupiter proſternere. Hic parum abfuit, quin prælia reintegraret totis Inferni viribus fretus, ac Plutonis furore ſe ipſo maior effectus. Vide quantum in diſcrimen ex huius monſtri commotione Iouem vocet Poeta. Quid enim nunc? Si vix tunc ſuperauerit.

POSITIS NODIS ARCTO DE CORPORE. Indicat, indiſſolubilibus vinclis, arctiſſimiſq; catenis deuinctum quamuis, adhuc tamen metuendum, hoc monſtrum fuiſſe; ex quo inferendum relinquit, quid futurum, ſi à Plutone ſolutus in arma iterum conſurgeret: & ſic emphaticè dixit *Poſitis nodis*, hoc eſt fruſtratis vinculis, & catenis, iiſq; perfractis, abiectiſq; *Arcto de corpore*, hoc eſt à membris arctiſſimè colligatis catenarum pondere diſcuſſo. Quod ſi quæras, quibus non tam validis coercerentur catenis, ne rabidis motibus Infernum ipſum terreret, Ægæon accipe ex Papinio lib. 4., quem citat Barthius in hunc locum, ſic

Quod tibi monſtra Erebi, Scyllas & inane furentes
Centauros, ſolidoq; intorta adamante Gigantum
Vincula, & anguſtam centeni Ægæonis vmbram &c.

ex quo patet Adamantinas Ægæonis catenas fuiſſe, atque adeò nil mirum ſi indiſſolubiles cenſerentur; atq; adeò creſcit ex Portento emphatica Auctoris dictio

VEXASSET. Hoc eodem verbo vſus eſt Virg. Æn. 6. vt Scylleam in Dulichias naues rabiem oſtenderet efferratam, ac in nauium excidia debacchantem.

Quid loquar aut Scylla Niſi? aut quã fama ſecuta eſt,
Dulichias vexaſſe rates: & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis?

auſus tamen eſt Annæus Cornutus, referente Parrhaſio hic, Virgilium carpere, & conſequenter Auctorem noſtrum, qui ex hoc loco colorem deſumpſit, inquiens id verbum leue, paruique incommodi eſſe, atq; adeò ad res tantas ineptum exprimendas, verum vel liuore aliquo ductus hæc dixerit oportet Annæus: vel vim verbi ignoraſſe dicendus eſt. Certè Gellius, & Macrobius pluribus & rationibus, & exemplis probant hoc verbum *Vexo* ingentis calamitatis vſum denotare. Et quidem *Vexo* verbum ab eo deriuatum dicitur, quod eſt *Veho* interpoſita ſcilicet, loco aſpirationis littera *x*. In verbo autem *veho* ineſt profectò vis quædam, quæ alienis inferatur arbitrijs; nam qui vehitur, ſui potens non eſſe, vt plurimum, intelligitur. Quarè tantam potiùs emphaſim habere hoc verbum innoteſcit, vt aptiſſimè eo vtatur Vates emphaticam proſequens locutionem ab effectu, quem ſecuturum fuiſſe prædicit, ſi in prælium irruiſſet Ægæon; hoc enim verbo oſtendit Poeta Prædominium ingens, quod habiturus fuiſſet rebellis ille, infeſtiſſimuſq; aggreſſor, in fulmina: nam *vexare* eſt *perturbare; diripere; huc illucq;, protrahere, diſtrahere*. Quaſi dicat ludibrio illi futura fulmina, quæ diripiat, ac diſtrahat, quippè aſſuetus iam fulminibus reluctare non ſolum, ſed illudere, ac eadem pertinaciter eludere. Quod, ſi Iouem fulmina non tueantur, quale illi ab aggreſſore adſit effugium?

OBVIA FVLMINA. Potiſſima videlicet Tonantis arma, quibus non ſuffragantibus, facilè ſuperetur; arma inquam illa triſulco igne metuenda, orbemq; totum terrentia, quibus ſolum impeti Ægæon poſſet. Sed *Obuia*, dixit; nam obuium dicitur quidquid, quomodocumque, nos verſum tendit: Sed nomen vtique mite admodum eſt, quo oſtendat, nullam aut ferè nullam vim in obuijs fulminibus contra infenſum aggreſſorem adfuturam, quod optimè conſonat cum verbo *vexaſſet*, & rationem incluſam habet, cur fulmina fuerit eluſurus.

CENTENO MOTV. Indicat modum, & potentiam fulmina eludendi; nam ſi vulnera interdum vnico corporis motu euitantur, vt ex laniſtis, & gladiatoribus patet, quid centenis ſe ſe agitans motibus non obtineat? Inſuper alludit ad centenas Ægæonis manus, ac totius eiuſdem corporis ſtructuram ad ſe protegendum, ſimul hoſtemq; inuadendum ſummè accommodata. Nullum verbum quin mirabile.

Hinc habes (quod ad mores ſpectet) quomodo humana voluntas ijs, quas ſupra diximus, paſſionibus, ceu furijs, agitata in Titanum euadat Deo ipſi infenſum adeò, vt,

quantum

quantum ex ſe eſt, Deum deſtruat, cum, Atheiſtarum numero adſcripta, facilè ſibi perſuadet Deum Machinationibus deſtructum ſuis, iuxta id, quod de huiuſmodi Monſtris Regius teſtatus eſt Pſaltes inquiens: *Dixit inſipiens in corde ſuo; Non eſt Deus*, & ſibi Regnum ipſius Dei vſurpat dicens: *Manus noſtra excelſa, & non Deus fecit hæc omnia*. Vitiorum Briareum, centenis inſtructum ſceleribus, ſibi comitem adſciſcit, qui verè Hydra eſt, capitum ſemper renaſcentium pullulans peſtes; &, quamuis fulminet Cœlum, obdurata adeò perſiſtit peruicaciâ, vt fulmina ipſa in deriſionem perfidè deducat. Cures igitur, vt enaſcentes huiuſmodi furiarum ceraſtas, ipſis in incunabulis diſcerpens, antequam, adultis viribus, cœleſtem tui partem ſummum adducant in diſcrimen, interimas. Relegauit hæc monſtra apud Inferos Deus. Caue, ne tu ipſe inſano nimis furore diſſoluas, ac euoces in perniciem Cœleſtis, quo te ſummus conditor ditauit, ſpiritus animantis.

Iam verò, impari licet plectro, excuſſam tamen, excellentiſſimi textus Italicam audiamus explanationem.

Haurian già quaſi, in nuoue guerre immerſi,
Poſtergate d'vnion le leggi amiche;
E, gl'ordini del Ciel rotti, e diſperſi,
Rinouate trà lor le riſſe antiche
Gl'adirati elementi: e, riconuerſi
Dal furioſo cozzar d'armi nemiche
Dell'vniuerſo i già diſtinti arredi,
D'altro Chaos formate haurian le ſedi.
Atterrato dal fondo il Carcer cieco,
Del Rio Titan la furibonda prole
Hauria del Sol, con occhio toruo, e bieco,
Mirata ancor la luminoſa mole:
E le ritorte, ond'eſſi al nero ſpeco
Auuinti fur, di ferità le ſchole
In Cielo aprendo, al Regnator ſourano
Haurian impoſte al piè ſtrette alla mano.
Quel moſtro altier, che cento mani, e cento
Furioſe braccia alla battaglia ſnoda,
Di ſue ferite alla vendetta intento,
Rotto il ferro crudel, ch'il corpo annoda,
Co'l Fato ancor di cimentar contento,
Il temerario ardir ſueglia, e raſſoda;
E ſchernir pargli in lui ſcagliate à vuoto
L'armi d'ardor centuplicato il moto.

Sed illo non cedente, cedat nobilioribus metris diſſonans Chelis.

Sed Parcæ vetuêre minas, orbiq; timentes
Ante pedes, ſoliumque Ducis fudêre ſeueram
Canitiem, genibuſq; ſuas, cum ſupplice vultu,
Admouêre manus, quarum ſub iure tenentur
Omnia; quæ ſeriem Fatorum pollice ducunt;
Longaque ferratis euoluunt ſæcula penſis.

SED PARCÆ &c. Deſcripto bellico Inferorum apparatu, ac indicatis exitijs ex illo imminentibus; cum ex ſuperbo inferorum Duce ſperari nequaquam poſſet, vt ſponte ſua furorem remitteret, nec ab alijs in bellum irruentibus monſtris, vt ex ſe ab armis eſſent ceſſatura, quippè quæ, vel in Ducem obſeruantiâ, vel priuatis in Iouem paſſionibus, extimularentur; ineuitabili orbis ruinâ, bellum erat profectò ſeciturum, niſi aliqua efficaci interceſſione interpoſita, armorum furor ſedatus fuiſſet; Quarè ad auertendum huiuſmodi ab orbe bellum, ſeù potiùs excidium Parcas inducit hic Auctor ſupplicantes, earundemq; compoſitum ad ſupplicationes habitum deſcribit.

SED PARCÆ &c. Antequam explicationem aggrediamur, ſatisfaciendum ijs videtur, qui forſan curioſiùs inquirerent, cur Parcas potiùs induxerit intercedentes, quam vel Cybelen Deorum Matrem, vel aliud quodpiam ex Numinibus præcipuum. Quarè hoc primum expediemus, quod ab alijs omnibus intactum video. Hanc itaque interceſſionem, nec Cybeles, nec aliud profectò cœleſte Numen interponere poterat; quippè haud conſcia tantorum motuum cum eos, coniuratorum more, vaſerrimè tegerentur, & à Plutone, & à coniuratis Furijs, donec eruptio fieret inopinato, qua ſcilicet faciliùs opprimeretur imparatus hoſtis. Inſuper nec poterant interceſſionem interponere, quia qui addictus vni, vel alteri parti eſt, non eſt ad id muneris aptus, quia ſuſpectus ſemper habetur ab altera, cui non adhæret, parte. Inueniendum igitur erat Numen, quod & conſcium eſſet inſtantis belli, ac cauſarum in prælia impellentium, nec non præpotens, vel auctoritate, vel gratia, apud inferos, & quod non poſſet exiſtimari fauens magis Iouis partibus, quam Plutonis. Prudentiſſimè igitur Vates hic, ad ſedandos concitatos iam inferorum tumultus, Parcas intercedentes inducit; nam licet ſorores iſtæ (iuxta Heſiodi in Theogonia ſententiam) Iouis fuerint filiæ, eas tamen illi peperit Themis, quæ Dea habita iuſtitiæ eſt: quarè cum ex Philoſophantium doctrinis, ſicut Maſculei partus Patris potiùs, vt plurimum, quam Matris mores imitantur, ſic fœminei Matrem potiùs ſequantur, quam Patrem; quod dicunt prouenire ex prædominio ſeminis, a quo etiam Partum autumant ſexum ſortiri; non poterant procul dubio Parcæ in ſuſpicionem cadere partialitatis; Iuſtitia enim æquatis ſemper lancibus omnes reſpicit, & nullum reſpicit; &, quia Mater eſt, hoc ipſum Parcis tribuit filiabus; Ideoque *inexorabiles* dicuntur, vt benè expreſſit Martial. lib. 6. ſic

Lanificas nulli tres exorare Puellas
Contigit, Obſeruant quem ſtatuêre Diem.

Quod autem, qui intercedendi ſuſcipit munus, iuſtitiæ addictus, & eiuſdem ſi exiſtimetur, ſectator multum conferat ad hoc, vt audiatur non minus, quam exaudiatur, nulli impernium eſt. Ideoq; aptiſſimæ ad intentum Parcæ aderant. Inſuper rerum ignaræ eſſe non poterant, quia, vt aſſeruerunt Ptolemæus, Seneca, Democritus, Epicurus, & alij citati ab Aſtulpho in ſua officina hiſtorica lib. 2. cap. 13. ex his Parcis dependere exiſtimabantur omnes effectus naturales; omnes voluntatum inclinationes, omneſq; animorum paſſiones, & affectus ab his in pectora immitti credebantur. Sunt enim iſtæ, quas ſtultè Fatum appellarunt antiqui, cuius ductu, & omnes permiſceri Deorum affectus, paſſioneſq; regi crediderunt; vt fuſius explicatum videbis lib. 3. ad Carm. *Sic Numina Fatis,*

Voluimur, & Lacheſis nullo diſcrimine ſæuit.

Cum igitur Pluto Paſſionibus impulſus ſuis bellum compararet, non poterat hoc Parcas affectuum eiuſdem arbitras latere. Præpotentes etiam erant, apud Inferos, auctoritate, quia, vt diximus, hæ Fatum erant, & Fato Iouem ipſum ſubijci, conſequenter & fratres ſabulabantur Antiqui. Præpotentes denique gratiâ, quia, cum iſtarum eſſet officium ſtamina hominum vitalia nere, producere, ac reſcindere, ab earum forcipe pendebat, vt innumeris in dies cultoribus augeretur Auernus. Ideò ad intercedendum omninò conformatæ videbantur; ac conſequenter probè ait Poeta: *Sed Parcæ vetuere minas &c.* ſed iam ad explicationem deueniamus.

SED. Particula, vt plurimum, tranſeuntis eſt, facilem ſcilicet ex vna re in aliam tranſitum adaperiens. Verum & hoc loco aduerſatiua eſt, nam orationem ingreditur, vt obſtaculum aduerſus paratum iam bellum interponatur.

PARCÆ De Parcis plura iam diximus; pauca remanent ſuperaddenda. Tres fuiſſe dicuntur ſorores ita concordes, vt nulla vnquam inter ipſas, ſicuti inter cœteros quidem Deos, diſcenſio fuerit audita; vt optimè expreſſit Virg Ecl. 4. in Pollione, vbi ſic habet.

Concordes, ſtabili Fatorum Numine Parcæ.

& hoc ipſo ad ſedandas Deorum diſcenſiones aptiſſimæ profectò cenſendæ; immunes enim ab omni diſcenſione ſorores accurrerent faciles, ad aliorum rixas componendas; faciles enim ad id, quod appetimus, profectò ſumus, & habitudine naturæ trahimur ad auerſionem a quacunque re habitui noſtro aduerſante, vt patet cuiq; in ſcholis, vel mediocriter erudito. Harum ſororum nomina ſunt *Clotho*, quæ colum, ex quo vitalia ſtamina, nendo, detrahuntur, ſuſtineat: *Lacheſis*, quæ fila huiuſmodi contorqueat: *Atropos*, quæ filis forcipe detruncandis inſultet. Earum veſtes deſcribit Pier. Val. lib. Hierogl. 58. vbi per ipſum, *Clotho* veſte obtegitur verſicolorata, ac ſeptem ſtellarum coronata incedit diademate. Arbitror, quia Auctrix vitæ rerum omnium, ſicuti variæ rerum naturæ ſunt, ſic verſicoloratam veſtem habere debuit, vt eius ſignificaretur officium; & quia ortum rerum

omnia ex ſeptem Planetarum influxibus ita dependere, Caldæi præcipuè ſunt arbitrati, vt, iuxta Planetam ortui prædominantem, varios vitæ ſortirentur euentus, ſeptem prædictis ſtellis coronatur. *Lacheſis*, veſte paſſim ſtellata, incedere dicitur, quia, vt arbitror, cum ad hanc pertineat vitalia ſtamina protendere; & ſtellarum omnium influxus, vel diſpoſitiuè, vel etiam efficienter, ſaltem indirectè ad conſeruationem conferant viuentium; ſtellata hæc veſte vti debuit. *Atropos* atrata fingitur funeralibus ſcilicet addicta, cum hæc fila reſcindens, vitam confodiat. Ex his habes, cur rite ad Parcas ipſas pertineat, imminentibus orbi exitijs obſtitiſſe; nam cum illis demandata fuerit generationis, & conſeruationis rerum omnium cura vſq; ad ſtatutum à Fatis diem; ex officio tenebantur curare, ne repentino præpotentis inferi motu, ac furore omnia, ante præfinitum ab ipſis tempus, deſtruerentur. Præterea cauſam agebant ſuam; ne alter in propriam illarum meſſem falces immitteret enecando; Ideò aptiſſimè intercedunt Parcæ.

VETVERE. Ideſt prohibuêre, fregêre impetum obſiſtentes, ne minæ inferorum in actus erumperent. Vim autem nota illius verbi *vetuere*; nam, cum Parcæ pro Fato haberentur, vt diximus, & Fatum ipſis Dijs inuiolabile cenſeretur, Fato intercedente, non poterat quin iras remitteret Pluto. Quarè & reſpexit Vates ad formulam tribunitiam *veto*; & *vetuêre* dixit ad indicandam ineluctabilem quamdam intercedentium auctoritatem.

MINAS. Minæ ſunt quædam metus incuſſiones, verbis, aut ſignis exhibitæ, quibus ea mala prænunciantur, quæ ipſas ſubſequi poſſint: Sic tonitrua *Minæ fulmina præmentes* dici poſſunt, dum fulmen nondum excutitur nubibus, ſed imminens, & iam iam erupturum demonſtratur, ac promittitur. Ideò, cum hucuſq; vocibus tantum, ac concurſationibus militum delectus hæreret Inferorum, *Minæ* hæc dicuntur præcedentes bellum, quod nondum eruperat, erupturum tamen, ni Parcæ prohibuiſſent.

ORBIQVE TIMENTES. Orbis dicitur vniuerſa hæc Mundi Machina à ſphœrica, quam habet, figura, vt latè apud Phil. oſtenditur in lib. de Cœlo, & Mundo; *Orbis* enim idem, ac *circulus* eſt. Verum, cur huic orbi dicantur timentes Parcæ, quæ per Antiphraſim, à parcendo, eo quod nulli parcant, dictæ ſint, peculiarem profectò haberet difficultatem, ni iam vidiſſemus, ad illas ex officio ſpectare huius orbis conſeruationem. Vſitatiſſimum autem eſt, & inſitum à Natura, vt timorem nobis incutiat quidquid damni, aut periculi imminet ijs, qui nobis curæ eſſe debent. Quarè nil inſuper addo.

ANTE PEDES &c. Modum interpoſitæ interceſſionis hic, per hyppotipoſim, deſcribit; & Parcas more vtentes ſupplicantium inducit; nam, licet Fato Numina ipſa ſubijci, & Parcas Fatum eſſe, iuxta antiquorum ſententiam, meminerimus, cum tamen ipſæ dignoſcerent, ſibi agendum cum ſuperbiſſimo, immò cum ſuperborum omnium Principe, cognouerunt etiam, illi morem gerere, opportere, cum nunquam faciliùs, quam ſubmiſſionis exhibitione, ſuperbus deuincatur. Morem igitur gerentes Plutoni ſupplices cecidêre, quo faciliùs de eiuſdem triumphantes ſuperbia procinus erigerentur. Ideò

FVDERE SEVERAM CANITIEM. Fundo dupplicem habet ſignificationem, nempe *Proſternere*, & *ſpargere*. Vtramque complexum arbitror Poetam in verbo *fudêre*: ſignificationem quidem proſternendi in ſignum ſummi honoris, quem Plutoni tribuerent; Nam venerabundi eſt, ſe ad terram vſque toto vultu proſternere; ſicuti ex More Perſarum victorem Macedonem venerantium, libro apud Curtium octauo didicimus. Si enim humilitatis, & ſuperiorem agnoſcentis indicium eſt depoſitum Genu, vt notat Pier. Val. lib. Hierogl. 35., multo magis toto procumbens corpore hæc eadem præſtabit indicia. Cum itaque Parcæ ſupplices apud ſuperbiſſimum Ducem inducantur, ſummum obſequij ſignum efferre debuerunt. Dicit igitur Poeta, eas fudiſſe *canitiem*, vt ex canitie caput, ex capite totum corpus ad terram vſque declinaſſe intelligerentur; hanc enim gradationem inducit Metalepſis, qua vtitur Auctor hic. Significationem verò ſpargendi amplectitur, vt, Parcas, indicet, eam, & vultu, & geſtu, conditionem induiſſe, quæ maximè dolore immodico affectum deceret, vt, ipſo corporis habitu, commiſerationem maximè excitarent, quo faciliùs irati animum flecterent: paſſis enim crinibus incedere, ſummam animi deiectionem profectò denotat in Mulieribus præcipuè, & incuſſum ſummis, inſperanſq; ex periculis mœrorem ſimul, & horrorem. Quare Virg. Æn. pri. Luctum deſcribens mulierum ex imminenti Troianæ Vrbis excidio exortum, eas, paſſis crinibus, ſupplices ad Templum Palladis adducit inquiens.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades paſſis, peplumq; ferebant
Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.

triſtes & Parcæ erant, vt patet, vbi dicuntur: *Orbi timentes*; ſupplices, vt innuimus, & mox clariùs; deſtituti, in ſummo periculo, animi; igitur *fundunt canitiem*: ideſt paſſis crinibus ad ſupplicandum accedant: Vulgò *ſcarmigliate*, quales & Romanas Matres obijcit militibus ſuis Pompeius cum Cæſare congreſſurus apud Lucan. lib. 7.

Credite pendentes è ſummis mœnibus vrbis
Crinibus effuſis hortari in prælia Matres &c.

SEVERAM. Ideſt *grauem, veneratione dignam*; cum enim canities ſymbolum ſenectutis ſit, & ſit ſemper veneranda ſenectus: hinc eſt, vt Parcarum, quibus nil profectò antiquius, ſeueram appellet canitiem Auctor, reuocans ſcilicet in memoriam, & opinionem eorum, qui Parcas Saturno longè antiquiores exiſtimarunt, & antiquorum morem, quibus adeò ſancta fuerit ſemper veneranda ſenum Canities, vt eam Iuniores Numinis ferè inſtar venerarentur. Quare & Ouid. cecinit.

Magna fuit ſemper capitis reuerentia cani.

Ideò & noſter iure venerandam Parcis attribuit

CANITIEM. *Coma*, ex Pier. Val. lib. Hierogl. 32., Hieroglyphicum habetur cogitationum: *candor* autem exiſtimatum eſt fidei, ac ſinceritatis ſymbolum eſſe. Quarè *Canities* ſinceras, ac fide plenas profectò refert cogitationes, cum nil aliud tandem canities ſit, quam *capillus albus, alba coma*. *Fudere igitur Canitiem Parcæ*: ideſt in ſigno rem ſignatam; nempè ſinceritate, ac fide plenas cogitationes concordiæ, quas conceperant, nutu prius, quam verbis exprimentes, vt tacitè perorant priùs, quam orarent.

ANTE PEDES. Ad pedes procumbentem prouolui aliquem, actum eſſe ſupplicantis, adorantiſq;, notius eſt, quam indigeat explicatione. Verum hoc ipſum nequaquam caret Myſterio, in caſu; neque occulatiſſimus Poeta ſine Myſterio, etiam in obuijs, loquitur. Pedes, vt refert Pier. cit. lib. 35., in ſymbolum voluptuarij affectus ſumebantur, eo quod antiquiores Phil. dicerent, voluptuarios affectus pedes animæ eſſe, quippè quæ non gradiatur pedibus, ſed affectibus: Cum igitur ex voluptuarijs affectibus Plutonis furor ortum habuerit, ad pedes prouoluantur Parcæ; nam, deleto fonte furoris, ipſum ruere, neceſſe eſt; Deuincatur cauſa: & deuincietur effectus, & medicamine radicibus adhibito, morbus ex illis pullulans reſcindetur. Ingenioſiſsimo igitur more prouoluuntur ad pedes, vt ſede voluptuarij affectus expugnata effectu careat affectus; effectu iniquo illo, quo toti exitium orbi irreparabiliter parabatur. Iterum præceptum bellicum eſt, vt milites, haſtilibus, ſpiculiſque hoſtem aggreſſuri, ſiniſtrum præferant pedem; dexterum verò ſi gladijs debeant rem decernere: Quarè ab antiquis *Pedes* in Hieroglyphicum aggreſſoris erigebantur, vt notat Pier. cit.; cum igitur Parcis ſit, apud Aggreſſorem Plutonem, perorandum, ad pedes prouoluantur, vt, ijs conſtrictis, aggreſsio ipſa efficaciter impediatur. Præpoſitione tamen *Ante* potius quam *ad Pedes* vſus eſt Poeta, vt vno eodemque contextu oſtenderet, Parcas non quomodocumq; ad pedes prouolutas; nam etiam auerſos ad pedes poteſt ſupplex aduolui; ſed *ante*, ideſt non *auerſo*, ſed *conuerſo* Plutonis vultu; qui quamuis furijs agitatus non dedignatus fuerit, Parcas ad conſpectum admittere; licet, ne ſuperbiæ ſuæ aliquid remitteret, in ſolio maieſtatis conſediſſe oſtendatur, ſtantes vtiq; auditurus. Talem enim Plutonis habitum exprimit Vates, dum, ingenioſiſsimè Plutonis mores imitatus, ſubdit

SOLIVMQVE DVCIS. Cur Ducis nomine deſignetur Pluto, iam vidimus in explicatione ad Carm. *Dux Erebi &c.* *Solium* verò ipſa regia dicitur ſedes, eo, quod ſolus in ea Rex ſedeat, vt ex antiquo patet Perſarum More, quibus capitale fuiſſet in Regia Sella ſedentes aſpici, vt notat lib. 8. de rebus geſtis Alexandri Curtius. Et hic ſtudioſè *ſolium* dicitur, quaſi in ea ſedens Pluto cauſam ſui furoris eſſet vel tacens expreſſurus; quod ſcilicet ſolus ſederet in ſolio, nec eam haberet regni conſortem, quam armis ideò ſibi comparare aggrederetur, nempè vxorem: ſeù vt ex ſolij intuitu, ſolitudinis ſuæ memoria obfirmaretur; quod ſolus egeret &c. ne facilis precibus fieret exorantium. Quarè Vates, & modum ſupplicantium expreſſit, dum Parcas ante pedes proſtratas deſcripſit, eo pacto, quo Lucanus cit. Pharſ. 7.

ore

dre Pompei ſupplicantem Senatum, vt ſibi videre imaginentur, hortatur inquiens.

Credite Grandæuum veritumq; ætate Senatum
Arma ſequi; ſacros pedibus proſternere canos.

& eo pacto quo ſe facturum fuiſſe proteſtatur idem Pompeius apud eumdem, ni maieſtas Imperij obſtitiſſet.

. . . . . . Cum prole, & coniuge ſupplex
Imperij ſalua ſi maieſtate liceret
Voluerer ante pedes &c.

hunc, inquam, & morem expreſſit ſupplicantium noſter, & inſuper, habitum ſuperaddit Plutonis ſuperbè Parcas audientis, & ſe ex ipſo ſolij, in quo ſedebat aſpectu obdurantis, vt non faciles præberet aures, quo maior ſubinde emicet Perorantium virtus, quæ obfirmatum adeò pectus inflexerit.

ET CVM SVPPLICE VVLTV. Ne reclametis Grammatici; nam, per vos ipſos, in regulis de communi conſtructione, Præcepto octauo, modus actionis præpoſitionem *cum* interdum recipit. Quod autem ad intelligentiam ſpectat, explicuimus iam ſatis, cum Parcas ſupplicantium more accedentes indicauimus, ac totum corporis habitum, conſequenter, & vultum præcipuè, in quo maximè relucent animi affectus, ad ſupplicationem componentes. *Cum ſupplice fletu* legunt Parrhaſius, & alij: mihi non libet à vulgata diſcedere; indecens enim videtur, eas flere, quæ ſiccis oculis omnium reſpiciunt calamitates.

ADMOVERE GENIBVS SVAS MANVS. Antiquiſſimus ſupplicantium ritus eſt, vt genua amplexentur, & teneant: Refertur à Plinio, Suetonio, & alijs, atque ab antiquiſſimo Græcorumq; Poetarum Principe Homero Iliad. pri. Vice verſa acerrimum crudelitatis genus viſum fuit ſemper, eos, qui genua tenuerit, fruſtratis votis repellere. Quarè Tullius in Oratione poſt Reditum acerrimè exprobrat Piſoni hanc crudelitatis oſtentationem his verbis: *Tu meum generum, propinquum tuum; Tu, affinem tuam, filiam meam, ſuperbiſſimis, ac crudeliſſimis verbis à genibus tuis repuliſti.* A qua crudelitatis nota, vt immunem oſtenderet Anchiſem Virg. lib. 3., cum Sinonē genua tenentē induxiſſet.

Dixerat. Et genua amplexus genibuſq; volutans
Hærebat &c.

Ilicò Anchiſiadæ pietatis in hunc actum procliuitatem extollit, ſubdens

Ipſe Pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,
Dat Iuueni, atq; animum præſenti pignore firmat.

Hunc autem morem amplectendi genua inoleuiſſe apud antiquos autumat Seruius, quia genibus ineſſe religionem, ac diuinitatis ſpeciem quamdam arbitrarentur; ideoq; ea ſupplices attingebant, ad ea manus tendebant, atq; vt aras adorabant pietatis. Efficaciſſimus ergò pariter, ac vſitatiſſimus fuit hic ſupplicantium geſtus, quo genua tenerentur; nempè quia vt ex Seruio ſupra retulimus, & confirmatum habemus ex Pier. cit. lib. 35. ab antiquorum omnium profuſiſſima ſuperſtitione creditum fuit, genua Miſericordiæ ſedem, ac Pietatis eſſe; adeòq; genua tenentes Miſericordiam ſibi deuincire credebantur. Idcircò igitur, & Parcæ genua Plutonis amplexantur, vt & Miſericordiam, quam exoptabant, ſibi deuincirent, & nefas eſſet Plutoni, eas ad Pietatis aras confugientes fruſtratis votis repellere. *Admouère manus &c.*

QVARVM SVB IVRE TENENTVR OMNIA. A dignitate ſupplicantium humilitatem, ex oppoſito, amplificans ſupplicationis, indirectè oſtendit iterum Vates, quam graue fuerit damnum, quod toti immineret orbi; & quam indignum futurum fuiſſet, ſi taliter ſupplicantes a Plutone fuiſſent reiectæ; nec non, eodem contextu, mire Ditis extollit ſuperbiam, qui tales manus paſſus fuerit ad ipſius genua tenenda deuolui, ſororeſq; tanta dignitate fulgentes, ad euiſdem pedes prouolutas conſpicere, nec ad eas ſubleuandas manum extenderit, quaſi nihili faceret, quas omnia venerantur.

QVARVM. Ideſt quarum manuum genua Plutonis amplexantium, vt pietatem conſtringerent implorandam.

SVB IVRE. Hoc eſt ſub poteſtate, arbitrio, nutu, nedum prædominio, ac voluntate, omnia tenerentur obſtricta. Cum enim Megarenſes Iouis ſimulacrum extruxiſſent, ſupra cuius caput Parcæ ſtatuerentur; Æſchyluſque, eius ſignificationem interpretatus, dixerit, Iouem ipſum Parcis, ideſt Fato, ſubiectum; nil mirum, ſi reliqua omnia ſub Parcarum poteſtate eſſe dicantur; nam, ſi maior ſubditur, multo magis inferiora omnia ſubduntur; ex hoc vides, à Poeta hic Imperium Parcarum ampliari admodum ſupra ipſum Plutonis Imperium; nam Plutonis Regnum, quamuis ampliſſimum, inferorum tamen fines non excedebat; aſt Parcarum Ius, & Imperium, & in terras, & in aerem, & in Cœleſtia corpora; immò & in Iouem ipſum poteſtatem dicitur exercere. Quid plura? Nil eſſet ipſum Plutonis Regnum, vt alibi dixi: quod regnum profectò mortuorum eſt, ni Parcæ, ſtamina reſcindentes, mortuorum regnum efficerent. Superiores igitur inferiorem rogant, vt appareat, quantus ſuperbiæ faſtus ſit; & quam Prudentiæ axiomati tribuendum, dum ſeruiendum tempori præcipit, cum idipſum ſeruent hic lanificæ ſorores. Quoties enim ius eſt in armis, ſilent leges, nec armato, ac præſertim ſuperbo imperandum; ſed precibus apud concitatum furorem perorandum.

TENENTVR OMNIA. Ideſt omnia ſunt obnoxia illis, omnia ſubdita, omnia naturali quodam vinculo illis adſtricta. Rationem verò, cur omnia Parcarum manibus addicta ſint, & ſupra attigi, & latiùs attingam inferius.

QVÆ SERIEM FATORVM &c. *Quæ* iterum ad Parcarum manus refertur, quæ *ducunt*, ideſt extendunt, aut, nendo, protrahunt *ſeriem*, ideſt ordinem, ſeù continuatam ex ordine progreſſionem Fatorum. Fatum autem dupliciter ſumi poteſt; vel ſcilicet pro cauſa aliqua prædeterminante effectus à ſe dependentes: vel pro effectibus ipſis a tali cauſa prædeterminatè pendentibus, quatenus ex ipſius Fati prædeterminatione continuatis eueniunt ordinibus. In primo ſenſu Poetam non loqui hic, patet; nam cum dixerimus Parcas pro ipſo Fato prædeterminante vſurpatas, certè non poſſunt dici ſe ipſas ducere Parcæ. Quarè remanet tantum, vt in ſecundo ſenſu procedat intelligentia. Porrò Fatum, ſi vt cauſa prædeterminans ſumatur, iuxta Stoicos omnes, teſte Laertio, lib. 7. in vita Zenonis, nil aliud eſt, quam ineluctabilis quædam neceſſitas, ex qua quidquid boni, aut mali euenit, infallibiliter, ineluctabiliter eueniat. Idque aſſeueranter, adeò aſſeruere Aſtrologiæ iudiciariæ ſectatores, vt putauerint, hanc neceſſitatem efficere, vt etiam ea, quæ ex humani arbitrij libertate dependeant, infallibiliter, ac nequicquam repugnante humano arbitrio, debeant euenire, & in hac ſententia fuiſſe Democritum, Heraclitum, Empedoclem, & alios, Ariſtoteles teſtatur. Immò tantam huic Fato vim tribuerunt nonnulli, vt Deum ipſum ex neceſſitate agere, quidquid agat impiè dictitauerint, quos optimo iure refellit Auguſtinus 5. de Ciuit. Dei; & eloquentiſſimè confutat Baſilius Homil. in Hexamer. 6. nec non Ambroſius, Epiphanius, Euſebius, alijq; clariſſimis rationibus oſtendentes, ſtultum eſſe, Fatum in Cœli motu, ſtellarumq; conſtitutionibus (ſic enim de Fato arbitrabantur relatæ ſententiæ ſectatores Caldæi præcipuè) conſtituere. Aliqui etiam Parcas Fatum eſſe aſſerentes, cum eamdem, quem ſupra diximus, vim Fato concederent, Parcas ideò, cum Platone lib. de Republica, Neceſſitatis filias eſſe dixerunt: earumdemq; Fatum eſſe rationem. Plotinus Enneade 3. lib. 10. cap. 2. Fatum nil aliud eſſe iuxta aliquorum ſententiam aſſeuerat, quam cauſam ipſam primam, nempè Deum; dum de cauſa prima loquens, *cauſam hanc primam, inquit, ſibi, ſe diffundere per omnia, neque mouere ſolum, verum etiam ſingula facere arbitrantur. Quam quidem fatum vocant, Fatum exiſtimantes cauſam potentiſſimam cuncta mouentem, & non modo cætera quæcumq; ſiunt, ſed cogitationes quoq; noſtras ex ipſius motionibus proficiſci, non aliter, quam in animali partes ſingulæ mouentur, non quidem à ſe ipſis, ſed ab eo, quod in quolibet animali obtinet principatum.* Et hæc porrò ſententia, ſi ita Fatum eſſe aſſerat cauſam primam, vt etiam hominis mentem voluntate libera priuatam huius Fati neceſſitate deuinciant, cum ſuperius relatâ, impia omninò cenſenda, ac toto orbe eliminanda; niſi verò primam cauſam omnia agere dictitent, ex ſe ſola, aut neceſſitatem humanis actionibus inferre: tunc nil afferet improbandum. Sed nimis iam fortè digredimur. Fatum itaque (vt noſtra proſequamur) ſumptum, vt ſeries effectuum eſt, qui ab illa cauſa, quam Caldæi prædeterminantem, & cogentem arbitrati ſunt, proueniunt, ea erit neceſſitas ordinis, & euentus quæ non poteſt, ſuppoſita cauſæ prædeterminatione, variari. Quibus prænotatis, ſenſus iam Vatis aperiendus. Dum igitur dicit Poeta hic Parcas ducere ſeriem Fatorum, ſe non eſſe in ſententia Stoicorum, prodit aperte; immò illam occulte redarguit, vt patet ex vi illius verbi *Ducunt*: *volens enim ducitur*, non *inuitus*, & *inuitus trahitur*, non *ducitur*. Nouerat itaque Vates dictum illud Senecæ: *Fata volentem ducunt; nolentem trahunt*, quo Fati neceſſitas affirmatur, atq; adeò *Ducunt*, dixit: non dixit *trahunt*, quod magis pro-

prium fuiſſet Penſa è colis carpentium; vt vid. hoc pacto oſtenderet, ſe *Fatum* in ſenſu inclinantis non negare; ſed Fatum in ſenſu cogentis non admittere, licet reclamantibus Stoicis, & Iudiciarijs.

DVCVNT itaq; ait ſeriem Fatorum: hoc eſt effectus à Fato leniter inclinante, ſuauiter alliciente, ac ſuauius attrahente. ita vt infringi quidem à libera voluntate poſſit, ſed de facto non infringatur, protrahunt, & in *ſeriem* digerunt ordinatam. Ducunt &

POLLICE ducunt: nam hoc digito lanificæ fuſum contorquent, & ſic habitum nentis expreſſit, & naturam ſecutus, eo digito, quo Parcæ vitalia protrahi ſtamina dicuntur, continuatam illis euentuum ſeriem protrahi prudentiſſimè dixit. Addo Vatem ſtudio illo, quo hic aptiſſimè Naturam eſt imitatus, Myſteria etiam inſeruiſſe. Pollice, inquit, ducunt, vt Poteſtatem, ac Vires ſupplicantium Parcarum, iterum reuocaret in mentem. Pollex enim latinis dicitur primus in manu digitus, eo quod maximè polleat. Quaſi dixerit, ducunt Pollice idest ſuprema ea, qua in res omnes polleant poteſtate, ac vi quam omnia ſcilicet ſibi detinent addicta, Inſuper in Pollice hominis triplex eſt articulus, quaſi ex triplici nodo vna coaleſcat vis, ac poteſtas, cuius ſymbolum Pollex fuit. Ideò Parcæ Pollice ducunt, vt in tribus vnam noueris poteſtatem, vnum concordiæ, ac vnitatis firmamentum, quandoquidem & Iuncti Pollices ſancitæ ſocietatis ſymbolum fuère apud Pier. ſæpius cit. lib. 36. Pollice ducunt ſeriem Fatorum, in quibus Pax firmata fuerat inter Iouem, & Plutonem, vt Lacheſis inferius innuet, non violanda. Ideò Pollice ducunt, quia Pollex Pacificatorius olim digitus credebatur, teſte Pier. cit. Et Pollice ducunt, vt ex vi, qua polleat Pollex Fatorum vim, & poteſtatem intelligas. Quod ſi in ſenſu Chriſtiano. Quid tandem ſit Fatum, & num admittendum ſit, expoſcas. Reſpondeo ex dictis facilè, admitti poſſe tam in primo, quàm in ſecundo ſenſu: & in primo quidem ſenſu, nempè vt cauſa acceptum, Fatum per nos erit *inhærens rebus omnibus diſpoſitio immobilis, per quam diuina prouidentia ſuis quaq; nectit ordinibus.* Sed ad tem noo faceret in præſenti. Fatum autem, vt effectus illius cauſæ eſt, erit ipſemet nexus, quo res à diuina prouidentia ita nectuntur, vt ordinatè, diſtinctèque procedunt, & conſequentia ſemper antecedentibus reſpondeant.

ET EVOLVVNT LONGA SÆCVLA. Sæculum eſt multorum annorum ſpatium, &, vt Feſtus interpretatur, ſpatium nunc centum annorum eſt, nam & ludi ſæculares dicebantur, qui centeſimo quoque fierent anno. Cum igitur ſæculum nil aliud quam tempus ſit menſura motus ſecundum priùs, & poſterius, vt dix. pag. 34. col. 2., hinc eſt, vt quemadmodum è Parcarum manu motus omnium dependent rerum, ſic & omnis eorum pendeat menſura, nempe tempus; atque adeò nentes vitalia ſtamina tempus ipſum nere dicantur; & ideò etiam Virg. Ecl. 4. in Pollione dixit: *Talia ſæcla ſuis dixerunt currite fuſis.*

Sic & Noſter dicit Parcarum pollice longa euolui ſæcula, idest Mundi ætatem, per ſæcula diſtinctam, ab initio orbis videlicet vſque ad id temporis, quo apud Plutonem perorantes adſtant; adhuc euolutura in poſterum, ſi detur exoptatum concordiæ foedus, pro quo tam anxie ad preces deuoluebantur.

FERRATIS PENSIS. *Ferratis fuſis* vertit Heinſius. Sed non video, cur a vulgata recedendum, quæ ex vi præpoſitionis *A*, quæ in verbo eſt, ablatiuum, de quo, agnouit illum *ferratis penſis*, quaſi dicat *voluunt è ferratis penſis ſæcula longa.* In quo ſenſu optimè *Penſis* non *fuſis*, nam non ex fuſis, ſed ex penſis fila nendo detrahuntur, fuſiſq; aduoluuntur. Porrò *Penſum* manipulus eſt lanæ, vel lini, aut alterius materiæ nendo accommodatæ, qui ex colo euoluitur in filum. Hic tamen pro filo ipſo poſitum arbitror, poſitâ materiâ pro re ſignata. Ideo autem hæc fila ferrea dixit, vt, non facilè, innuat diſrumpenda; & vt conſequenter oſtendat, in Fatis fuiſſe, vt non tam citò orbis laberetur, adeòq; Plutonem, orbis excidio moliẽtem, fatis ipſis iniuriam talibus inferre. Dici etiam poſſet *Penſum* pro *Colo* ipſo poſitum, ex quo fila nendo detrahuntur, poſito contento pro continente, qui & ferreus ob firmitatem, & indeficientiam dicatur.

Ex his aptiſſimum collige inſtruendis moribus documentum: nempè quam deteſtanda ſint, etiamſi cum Etnicis loquendum eſſet, perfida, ac prorſus digna Dæmone dogmata Caluini, ac Lutheri, proterue aſſerentia, cauſas omnes ſecundas, immò & ipſam hominis voluntatem tam ad bonum, quam ad malum, ità à Deo prædeterminari, vt ineuitabiliter conſtringantur ad operandum iuxta coactionem ab ipſa illatam prædeterminatione: nam vides hic Parcas, quas Antiqui Fatum, ſeù cauſam prædeterminantem fuiſſe arbitrati ſunt, imminenti Plutonis furori reluctantes potiùs, quam ad illum, prædeterminando, cogentes; quin immò, vt ab impio eum auertant errore precibus enixè conantes. Quod ſi quidam in Caluini ſententia dixerit, ex hoc ipſo prædeterminationem adſtrui, quia ſcilicet ideò detumuerit Pluto, quia prædeterminauerant Parcæ Mundi conſeruationem, cui bellum Plutonicum aduerſabatur; Facilè conuinci poterit; nam ſi prædeterminauerant, & prædeterminatio infallibiliter, ineluctabiliter, effectum ſortiri debet, quid obſecrant, vt habeatur; quomodo timeant orbi? ſi prædeterminatione, eorum tutus ſatis ſuperq; exiſtit. Si verò cum Caldæis Fatum in ſeptem Planetarum, cœterorumq; ſyderum conſtituatur influxu inclinante non ſolum, ſed cogente; memineris Clotho ſeptem Planetis coronatam, Lacheſim ſtellata veſte conſpicuam apud Plutonem perorare; & intelliges Planetas, ſtellaſq; omnes potius hominem exemplo, ne delinquat, hortari, ac ne à mandatis ſupremi declinet Tonantis, ſicuti ipſæ corpora cœleſtia nunquam deflectunt à motu, quem illis ſupremus indidit motor. Planetæ inclinant quidem, ſed non cogunt, immò tunc ſapiens dominabitur aſtris, cum ea animaduerterit in bonum potiùs exemplo, vt dicebamus vrgentia, ac contra inclinationem ab eorum dem influxu immiſſam, ſi ipſa ad malum ſit decertantia, ni mendacij redarguatur veriſſimum illud axioma, exempla cogunt. Dices ſyderæ influxibus ſuis ad malum inclinare? Eſto. Dum ſummo motori exactè à ſe ipſis præſtitam præſeferunt obedientiam, exemplo, cogunt ad bonum. Si *Fatum* meliore ſententiâ, ac Chriſtiano ritu, *diuinam* dixeris *Prouidentiam*; abſit, vt in Caluini, aut Lutheri deteſtandam prorſus incidas ſententiam neceſſitatis ex ea auſpicandæ; nam hæc, tantum abeſt, vt ad malum incliner, nedum vrgeat, aut cogat, vt potius, per exempla obedientiæ inanimatorum, animam excitet ad exactiſſimam diuinæ legi præſtandam obedientiam, Immò Parcas oculis, nempe mortis memoriam ſubijcit, ac quotidiana eiuſdem mortis trophæa, vt hominem ad malum procliuem, à perniciosis inceptis auertat, & conuertat ad bonum, per inſpirationes ſcilicet internas, quæ voces quaſi Parcarum ſint ſuadentium, ne diutiùs in Cœlum pugnaturus inſurgat, qui, cum terra ſit, in terram recidere citò debet; ſed potiùs, inſanum demittens furorem, immortalis animæ conſulat ſaluti; ne, dum paſſionibus indulgens, late in partem ſui Cœleſte ſcelerum irruit armis, cœleſtem ſimul perdat, & terreſtrem, nempe & animam, & corpus. Anne Deus ſecum ipſe pugnabit prædeterminans, ſcilicet ac cogens ad malum, ac altera ex parte ad bonum adhortetur contra inditam à ſe ipſo prædeterminationem? Quis hoc dixerit, niſi Acum ſuperet fatuitate?

Sed ſatis iam in Latinorum emporijs remorati ad Italicæ radices Permeſſi diuertamus, vt varietate delectante alacriùs procedamus.

Mà del mar tempeſtoſo, in cui frementi
  S'agitauan d'horror nembi, e procelle,
  Il flutto altier, che da tartarei venti
  S'ergea ſpumante à minacciar le ſtelle,
  Le Parche, in calma à ricompor, clementi
  S'accingon toſto, e quel furor rubelle
  A riſopir, che, s'vſcìa fuor dal fondo,
  Vedean portar gl'vltimi crolli al Mondo.
Comparuer queſte al ferrugineo trono,
  Ou', in nubi orgoglioſe, il fiero Duce
  Siede, rauuolto, e, de ſuoi ſdegni al tuono,
  Fulminanti le ſquadre in moſtra adduce:
  E, pria, ch'al ſupplicar s'addatti il ſnono
  Di flebil voce, onde pietà s'induce,
  Al tirannico piè proſteſo, il volto
  Supplica, e'l crin canuto, al duol diſciolto.
Quindi, con geſto, ad ammollir baſtante
  Qual più duro macigno han l'Alpi in ſeno;
  Cercando pur, che, di ſua ſede amante,
  La Clemenza, fedel, non sfugga almeno;
  Al ginocchio infernal la man tremante,
  Che del Drago auernal teme il veleno,

Steu-

Stendon diuote; e non ricuſa humile
La man, ch'il tutto regge, atto ſeruile.
Quella man poderoſa, à cui ſoggiace
D'ogni ſtame vital ſerua la ſorte;
Quella, ch'il tempo ruota, ed à cui piace
Diſpenſa, à ſuo talento e vita, e morte;
Quella, che delle guerre, e della Pace,
E gl'oliui, e le palme, in ſue ritorte
Fila riſtringe; e che del terreo ſtato
La ſerie auuolge, e n'è miniſtra, e Fato,

Quella, ch'in fin delle ruotanti sfere
Dà, con forza d'vnion, le leggi al moto;
Quella, ch'in petto alle ſtellate fiere,
Di creduto deſtin vigore ignoto
Collocò baldanzoſa; hor, trà le nere
Caligini profonde, appeſa in voto
Mira, Pluton, di tue Ginocchia al tempio;
E sfumi à vuoto il machinar lo ſcempio.

Ceſſit & Chelis noſtra, dum grauis Auctor Numine proſequitur.

Prima fero Lacheſis clamabat talia Regi,
Incultas diſperſa comas: ò maximè noctis
Arbiter, vmbrarumq; potens, cui noſtra laborant
Stamina, qui finem cunctis, & ſemina præbes,
Naſcendique vices alterna morte rependis;
Qui vitam lethumq; regis: nam quidquid vbiq;
Gignit materies, hoc, te donante, creatur,
Debeturq; tibi; certiſq; ambagibus æui,
Rurſus corporeos animæ mittuntur in artus:
Ne pete firmatas pacis diſſolnere leges,
Quas dedimus, neuitq; colus: Neu fœdera fratrũ
Ciuili conuerte tuba. Cur impia tollis
Signa? Quid inceſtis aperis Titanibus auras?
Poſce Iouem: Dabitur coniux.

PRIMA FERO LACHESIS &c. Stultum profecto fuiſſet, tanto apparatu ad Plutonis tronum Parcas adducere, vt, Mimorum ſubinde in morem, ſolis geſtibus, ac nutibus, rem peragerent. Quarè præmiſſis iis, quæ ad ſupplicationem roborandam, per præcedentem affectuum commotionem, adornauerant ſupplicantes, iam ad exponendam ipſius ſupplicationis ſeriem deſcendit Auctor. Et prudentiſſimè quidem Lacheſim inducit perfectiſſimi Oratoris munera, (vt ex ipſius orationis diſcuſſione patebit) exequentem, ac breui quidem, ſed efficaciſſimæ probitatis eloquentia, apud furentem iam in armis Tyrannum, citatis in textu verſibus perorantem.

PRIMA. Ne putes hoc nomen eſſe numerale, ita vt Primam in ordine, ideſt ante alias Lacheſim locutam dicat: ſed nomen eſt officij, & dignitatis. Nam cum Lacheſis munus ſit ſtamina de colo detrahere, & contorquere, ac producere, videtur, illi demandata principalis, etiam vniuerſalis Machinæ conſeruationis cura. Nam Clotho, quæ colum ſuſtinet, (iuxta deſcriptionem Parcarum habitam à Pier. lib. Hierogl. 48.,) & Atropos, quæ fila reſcindit, adminiſtræ potiùs, & adiutrices videntur, quæ ad Lacheſis nutum operentur; atq; adeò hæc inter Parcas *Prima*, hoc eſt *principalis* erit. Apuleius, apud Parrhaſium hic, Tres, inquit Parcæ Tria Fata ſunt, numero cum ratione temporis facientia, ſi poteſtatem earum ad eiuſdem ſimilitudinem temporis referas; nam quod in fuſo perfectum eſt, præteriti temporis habet ſpeciem; quod torquetur digitis, momenti præſentis indicat ſpatia, quod nondum ex colo detractum, nondum digitis ſubactum eſt, id futuri temporis rationem importare videtur. Hinc Atropos præteriti temporis fatum, Lacheſis futuri, Clotho præſentis dicitur Fatum eſſe. Qua ſpectata opinione adhùc Lacheſis in caſu prima, & principalis erat; nam cum de euitanda orbis imminenti ageretur ruina ad Fatum temporis futuri ex officio ſpectabat, Orbis indemnitati proſpicere. Cum igitur in legationibus, in quibus plures adhibentur Oratores, digniori ſemper munus perorandi demandetur; hinc eſt, vt Poeta ſapientiſſime quidem Lacheſim indicat communes omnium exponentem implorationes. Ideò *prima*. Si quis tamen exciperet in hac voce *Prima* ordinem numeralem inuenire; dicas, hanc vocem emphaticè poſitam eſſe, ad oſtendendum vehementiam affectuum, quibus Parcæ ad ſupplicandum accellerabant; ea enim inſtructæ aderant deliberatione, vt, ſi prima repulſam pateretur, peroraret altera; &, ſi hæc etiam negligeretur, tertia ſuccederet, memores illius effati ab Ouidio expreſſi.

Gutta cauat lapidem, non bis, ſed ſæpè cadendo.

Prima igitur, non dignitate ſolum, ſed & in ordine Lacheſis Plutonis corda pertentans exorditur. Sed, quia huius petitionibus acquieuit Pluto, non opus ſubinde fuit, vt reliquæ verba facerent, ſicuti condictum fuerat, ſi renuiſſet:

LACHESIS. Græcè λάχεσις, Latinè ſors interpretari poteſt; nam λάχη ſors græcis eſt. Immò ſi græcam linguam ſpectemus, Lacheſis erit ſors legens ſtamina, & è colo ducens: nam λάχη ſors eſt, vt dix: λαχεῖν ſortiri, λάχνη verò lana dicitur; ideò Lacheſis *ſors lanam ſortiens*, ideſt nens lanam arbitrio ſuo delectam dici poteſt; nam ex vi nominis hoc totum extrahitur. Inſuper autem nomen ducit ex antiqua eorum, licet erronea, opinione, qui omnia ſorte, caſuq; regi arbitrabantur. Quænam autem hæc ſit, & cur ipſa potiùs, quam Clotho, vel Atropos loquatur, iam ſatis explicuimus.

CLAMABAT. Alta, & clara, licet compoſita ad affectum voce dicebat. Quamuis enim verbum clamo talem videatur vocis exprimere contentionem, quæ potiùs redarguentis ſit, quam ſupplicantis, tamen non eo vtitur in hoc ſenſu Vates; ſed in ſenſu miſerantis, & affectum miſerationis elata voce excitare conantis; indicat enim, quam enixè Lacheſis vocem ad affectum componeret, & qua vehementia orationem ſuam enibiaret, quo altiùs Plutonis cordi infigeretur, & altà ſederet mente repoſta: ſicq; morem concionantis expreſſit egregiè.

FERO REGI. Reddit rationem, cur Lacheſis, non ſubmiſſa voce, non ſtrictis, vt dicitur, dentibus loqueretur; ſed ſonorâ vocis tubâ, concitatoq; eiuſdem tenore contenderet; agnouerat enim Regis, apud quem perorabat, feritatem, cuius proprium eſt non facile placari, atque ideò, ſicuti exacerbato nimis vulneri lenitiua prodeſſe parum ſolent, ſed vehementioribus ſunt curanda medicamentis, ſic animum feritate obduratum, non leni, ſed vehementi oratione pulſandum iure exiſtimauit. Hic autem *Regi*, dixit, non *Duci*, nam, cum Oratores pacis admiſiſſet, iam Regem, non Ducem, agebat.

TALIA. Non enim profitetur Poeta, ſe velle ipſiſſima Lacheſis verba referre, ſed quæ dixerit, ſaltem ex congruentia, relegere, vt indicet, ſimilia, ſi non eadem prorſus verba, edidiſſe; nam Talia ſimilitudinem, non proprietatem important.

INCVLTAS DISPERSA COMAS. Videtur prima fronte hic locus cum ſuperiori coincidere, vbi dixerat: *Fudêre ſeueram canitiem*; ita vt labilis euincatur Auctoris memoria, qui non meminerit, ſe paulò ante Parcas paſſis crinibus procumbentes oſtendiſſe. Verum aduerte, maximè immemorem ſe illius effuſionis, quam ſupra delineauerat, immemorem oſtendere; dum hic ait *incultas*, quod nomen ad antecedenter enarrata adamuſſim profectò refertur. Sed creſcit hic Oratio perſpicaciſſimi Compoſitoris, dum, in ſummi doloris indicium, ſparſos iam crines Parcam vnguibus dilaniantem oſtentat, ex mox explicandis verborum proprietatibus innoteſcet.

DISPERSA. Morè poetico procedit, nempè per helleniſmum, locutio, dum *diſperſa comas*, inquit, vbi orator *diſpergens comas*, vel *diſperſis*, diceret, *comis*. Diſpergere autem eſt in diuerſas partes ſpargere; cum verò crines in diuerſa ſpargi non poſſint, ni lacerentur, habes ex hoc conſequenti Lacheſim, ex laceratione crinium ſuæ orationis præludia confeciſſe. Sparſos igitur crines, quod iam in prioribus viſum eſt, iniectâ hic lacerans manu vehementiam exprimit doloris. Ideò diſperſa

COMAS. Coma dicitur quaſi compta, ideſt compoſita, ac ſtudio aliquo concinnata, nam nil aliud coma eſt, quam Cæſaries ſtudioſiùs exornata. Hic certè Parcarum crines compti eſſe non poterant, ſi ad ornamentum muliebre reſpiciamus; nam incompti, ſparſique iam dicti ſunt. Verum ſi actionem, in ordine ad quam ſparſi fuerint crines, reſpi-

cias,

cias, optimè ad permouendam commiſerationem videris concinnatos; atq; adeò non incongruè Comæ nomine deſignantur.

INCVLTAS. Nomen tranſlatum eſt ab agris ad comas; nam ſicuti agri, qui non coluntur, nitorem amittunt, ſquallore perfunduntur, & quodam quaſi ſacro horrore veſtiuntur, ſic comæ, quæ non comuntur, ſed iacent in tergum fuſæ, ſquallent facilè, & horrido quodam modo, hirſutis implexæ crinibus errant; ac ideò incultæ dicuntur. Ex hoc habes etiam, quam prudenter ſeueram Parcarum canitiem appellauerit Vates, nam ſeueri animi eſt, inſitam à natura comarum mollitiem negligere. Sed quo magis hic neglecta eſt, eo magis ad mœrorem, commiſerationemque alliciendam compta, ac compoſita. Ideò *Incultas diſperſa comas*, hoc eſt ſparſos iam crines dilacerans, doloris impatiens Lacheſis ſic Regem effatur.

O MAXIME' NOCTIS ARBITER &c. Exorditur orationem ſuam Lacheſis, (quæ quidem in genere deliberatiuo eſt, cum ab armis diſſuadeat) ab Encomijs Plutonis, vt beneuolentiam ipſo ſibi conciliet initio, iuxta præcepta à perfecto quolibet Oratore ſeruanda.

O'. Particula inuocantis ſimul, & exclamantis, ac implorantis eſt; & maximè confert ad ſignificationem doloris, atq; affectuum permotionem, quæ omnia cum intendat Lacheſis, cuius tota oratio pathetica admodum eſt, probè ex hac particula ducit initium.

MAXIME'. Epitettum eſt, quod videtur prærogatiuam attingere diuinitatis, cum Maximi titulus diuinitati congruens præcipuè ſit; nam ſuperlatiua hæc habent, vt ſummum importent perfectionis; & *Maximus*, abſolutè loquendo, videtur, innuere ſupereminentem, in omnibus perfectionibus, excellentiam, ita vt, qui maximus dicitur, exiſtimetur culmen adeò perfectionum omnium attigiſſe, vt nil inſuper augmenti recipere poſſit; quæ profectò prærogatiua ſoli vtiq; competit Deo, cuius infinitæ perfectioni nil addi poteſt: ideoq; nos Deum Optimum Maximum appellamus; & Virg. ſic Iouem condecorat Æneid. 8.

At vos, ò ſuperi, & Diuum tu maximè Rector.

quia verò omnes, in ſummo, perfectiones habenti Clementia deeſſe non poteſt; hinc eſt, vt Lacheſis Maximum appellet Plutonem, vt eum de Clementia, quam implorat, tacitè admoneat; quo ipſo eum occultè Docilem reddit de optatis, vt mos Oratoris eſt.

ARBITER. A Maieſtate, quam nomen *Maximè* exprimit captata beneuolentia, eam ab exagerata poteſtate confirmat hic ſibi, ſimulq; docet nil ab ipſa petendum, quod ab ipſius non pendeat poteſtate. Arbiter enim alicuius rei dicitur, qui de illa pro libito, nullis reſiſtentibus, diſponere poſſit, & præcipuè ſi ſummus Arbiter ſit, nam, vt Iuris Ciuilis auctor Proclus ſcribit, ſummus Arbiter is eſt, à quo prouocare non licet. Ideò itaq; Lacheſis Plutonem *maximum*, hoc eſt ſummum arbitrum appellat, vt meminerit, cœteris inferorum potentijs omnibus forè, vt reclamare non liceat, ſi petitionibus annuerit ipſe, qui ſit omnium moderator, & Arbiter.

NOCTIS. Ponit hic Poeta cauſam pro effectu; nempè Matrem pro filijs omnibus ex ea Matre progenitis; ex Nocte enim, & Erebo, vt etiam vidimus pag. 33. col. 1., progenitos fabulantur filios, qui videlicet fuerint Amor, Dolus, Labor, Inuidentia, Mors, Tenebræ, Fraus, Pertinacia, & alia monſtra, quibus latè à Poetis refertæ inferorum ſedes dicuntur. Quarè, dùm Lacheſis Plutonem vocat Arbitrum Noctis, innuit ab eius arbitrio, nutuq; omnia Erebi, ac Noctis monſtra pendere, ita, vt eius nutus in vim legis, & quidem inuiolabilis, ab iiſdem excipiatur. Inſuper Regnum Plutonis *Noctis Regnum* appellari notiſſimum eſt, eo quod illo in Regno perpetua noctis ſedes, omni depulſo lumine, ſtabiliatur. Ideòq; ex ſigno Noctis, & Regnum indicat, & ſubditos omnes Manes, quos, tenebroſo alarum ambitu, Nox ipſa perpetuò contegit. Quod, vt magis etiam explicet Vates, addit

VMBRARVMQVE POTENS, *Potens* hoc loco participium præſentis temporis non eſt, vt patet, quia *Potens*, cum participium eſt, cum Accuſandi iungitur caſu: *Multa potens &c.*: ſed nomen eſt, quod italicè ſignificat *Padrone, aſſoluto dominatore* & ſic cum Genitiuo copulatur: *Potens vmbrarum. Padrone aſſoluto dell' ombre.* Qui autem abſolutè in aliquem dominatur, poteſt, & de illo abſolutè diſponere. Quid verò nomine vmbrarum intelligat Poeta, iam alibi diximus, nempè ipſa Auerni monſtra, ac ſpoliatos corpore Manes, qui ideò *vmbræ* dicuntur, quod, velut vmbra, corpore careant. Occurrit itaq; hac inuocatione, Oratrix, per Rhetoricam præoccupationem, obiectioni, quæ fieri poterat, nempè, non tam facilè concitatam vulgi multitudinem ſedari poſſe; & facilitatem inſinuat, quia licet totus in armis fremeret Cocytus; Plutonis tamen nutibus reluctare nequaquam audeat; cum ex illis omninò pendeat executurus. Ideò *Summanus* dicebatur Pluto apud antiquos, Capella teſte, quaſi ſummus Manium, eo quod cum ipſe Inferias, & parentationes primus inſtituerit, auctore Diodoro, Manibus omnibus creditus eſt diſpotica auctoritate imperare.

CVI NOSTRA LABORANT STAMINA. Attingit ſeruitutem, quam ipſi Plutoni vtique exhibeant Parcæ, vt indirectè, grati animi futurum, inſinuet, ſi quod petitur concedatur, nec reijci petitionem poſſe abſque ingrati animi nota. Quarè, & ex motiuo meritorum ex parte Orantis, & ex motiuo grati in ſeruitutem à Plutone acceptam animi vim ſuadendi deſumit, ac vrget.

CVI. Datiuus commodi, vt vocant, eſt. Vulgò *à di cui prò*. Rationem verò, cur Plutoni deſeruire ſtamina dicantur Parcarum, & iam innuimus. cum rationem, cur Parcæ ſupplicantes inducantur, redderemus, & inferius mox latius explicabimus.

NOSTRA STAMINa. Ideſt *vitalia*, quia his tantum è colo detrahendis dant operam ſorores ſupplicantes. *Stamen* enim propriè dicitur lana, linum, vel aliud ſimile, quod colo impoſitum ſit, & ſtamen à ſtando dicitur, non enim mouetur, niſi in quantum nentis digito in filum digeritur paulatim.

LABORANT. Hoc eſt aſſiduo labore deſeruiunt. Vbi aduerte, cauſam hic ex effectu eſſe intelligendam; neq; enim ſtamina ipſa, dum nentur, laborant, ſed laborant Nentes. Quarè ſenſus huius loci eſt idem, ac ſi diceret: *cui nos ſtamina nentes laboramus*.

QVI FINEM CVNCTIS, ET SEMINA PRÆBES. Ab indignitate, ac turpitudine facti, quam tamen melleæ laudis dulcedine contegit, Plutonem ab orbis, quod moliebatur, excidio diſſuadet. Indignum, vile, ac turpe profectò eſt, vt vindictam de aliquo ſumamus noſtris obnoxio indignationibus, in vilia, & ſubdita nobis mancipia, quæ noſtris reluctari nutibus, neque, ſi velint, poſſint, deſæuire, eaq; crudeliter perdere. Quæ enim Regis vindicta, ſi canem mortuum, vt Regius dicebat Pſaltes, perdat, ac deſtruat? Beluarum profectò magnanimitas Regis ſuperbos indicat debellandos quidem, ſed & ſubiectis parcendum latè deprædicat. Dum igitur Lacheſis oſtendit, omnia, quæ in Mundo ſunt, à Plutone dependere, & in fieri, & in eſſe, & in conſeruari, (vt cum ſcholaſticis loquar) ſatis oſtendit, omnia illi adeò ſubiecta eſſe, vt neque, ſi cupiant, rebelli in eum animo inſurgere, valeant; ſed cuncta, adinſtar mortui canis, ſi cum eius potentia comparentur, exiſtere: ex quo tacitè deducitur, indignum, indecorumque illi futurum, ſi hæc perdere totis inferorum viribus aggrediatur. Cur autem Lacheſis, cuncta, dicat, ex Plutonis arbitrio, & eſſe, & conſeruari in hoc Mundo, attigimus pag. 11. col. 1. & ſeq., vbi dicebamus Plutonem Ditem appellatum, eo quod ditet; quia ſcilicet creditus fuerit in omnia, quæ è terra naſcuntur, vi ſubterraneorum ignium, influere; adeòq; ex illo videntur hæc omnia ortum habere, & interitum. Et hoc quod ſpectat ad fruges, aliaq; inanimata, vel animata tantum anima vegetabili: Nam de alijs viuentibus infra habebimus. Quamuis autem hæc, & ea etiam ipſa, quæ ſequuntur, in hac Lacheſis Oratione, ſint omninò veritati, ac catholicæ noſtræ fidei repugnantia; memineris *hic Lacheſim loqui*, nempè fictam, ac fabuloſam Deitatem, ac conſequenter fabulas adulationi, non veritati conſentaneas agglomerari; vt ſcias, hæc omnia fabuloſa, & eſſe, & cognita eſſe, atq; vt talia à Vate congeſta, ad ornatum augendum, non ad veritatem mendacijs adſtruendam. Quid enim Poeſis ſine fabulis? Certè informe corpus.

QVI. Relatiuum eſt Plutonem rerum omnium Arbitrum in mentem reuocans, quem Lacheſis deliniendum curat.

PRÆBES. Verbum compoſitum eſt ex *Præ*, & *habeo*. Ex quo habes, eum, qui præbet, dicendum eſſe, id, quod præbet præhabuiſſe. Quarè oſtenditur in poteſtate Plutonis, ac ſub eiuſdem iure eſſe ortum, & interitum cuiuſcumq; rei, dum hæc dicitur cunctis præbere. Finem autem præbere dicitur, quia, cum à ſubterraneorum calore ignium habeatur, vt loco cit. innuimus, productio rerum omnium; & ſæpè ſæpius (hìc autem ſupponatur ſemper) eadem ſit

cauſa

auſa productiua, & conſeruatiua rerum; ſequitur, vt ex eadem vi rerum omnium dependeat conſeruatio: cum autem hæc vis credita fuerit à Plutone deriuata, vt item dix., nil mirum ſi & ortus, & conſeruatio rerum ad eundem referantur. Cum verò ad vniuſcuiuſq; rei interitum, & finem ſufficiat, ſi cauſa conſeruatiua ceſſet ab actione conſeruandi; hinc eſt, vt finis, ſeù interitus rerum omnium dicatur eſſe in poteſtate eiuſdem Plutonis, vim ſcilicet ſubterranei ignis, vel applicando, vt influat in conſeruationem, vel remouendo, vt ab actione ceſſet; quod ſecundum idem eſt, ac finem præbere, nam cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, vt latè docent Phyl. ſic qui ignem applicat, Incendiarius etiam in moralibus dicitur

FINEM. Idem eſt, ac ſi diceret *vitæ terminum*, & *interitum*, ſeù finem, ac terminum eſſendi, vt ex dictis patet; neque enim hìc cauſam importat finalem, vt conſtat ex contextu Poetæ, per contrapoſitum procedentis; cum enim dixerit: *finem præbes* addidit: & *ſemina*, vt contrapoſita elucerent, nempè ex ſemine ortus; ex fine interitus.

ET SEMINA. Semen, quaſi *ſeremen* dictum autumant à ſero, & propriè dicitur de granis, alijſq; ſementibus, quas agricolæ ſerunt, vt indè fruges exurgant; in ſemine enim fruges, potentià, eſſe dicuntur. Transfertur tamen etiam ad ſignificandos ſurculos, radices, virgulta &c. quæ loco ſeminis defodiuntur in terram. Immo aliam etiam habet translationem, qua fit, vt ſemen pro eodem, ac Origo, accipiatur, ſic Virg. Æn. 7.

. . . . . Geminoſq; Iugales
Seminis ab arbore &c.

& in hoc ſenſu ſemina accipit Poeta hìc, vt indicet rerum omnium originem à Plutone haberi, vi illa, de qua ſupra dix., influente, & de qua Hugo in Eccleſiaſticum ait: Ignea vis Origo eſt, quæ rebus omnibus incrementum ſubijcit, & ad viſibilem tandem perducit ſubſtantiam. Quarè à primo ad vltimum vides, ortum, & interitum rerum omnium à Lacheſi hìc Inferorum Regi attributum.

CVNCTIS. Hoc nomen vniuerſale quidem ex ſe eſt, ſed limitatur ab adiunctis, nempè à particulis *finem*, *&* *ſemina*, quæ efficiunt, vt coarctetur ad ea tantum, quæ purè ex ſeminibus in terram defoſſis naſcuntur; nam de alijs ex diuerſo ſemine ortum trahentibus ſubindè loquitur inferius, vt à partium diſtributione Lacheſis ducatur Oratio, Plutonis potentiam miris amplificans modis.

NASCENDIQVE VICES ALTERNA MORTE REPENDIS. Corruptio vnius eſt generatio alterius: vt cum eorum Principe Ariſtotile phyloſophi omnes teſtantur. Quarè, cum Lacheſis Plutoni attribuerit ortum, & interitum rerum omnium, conſequens fuit, vt eum etiam generationis, & corruptionis moderatorem, auctoremq; efficeret: Ideò qui

REPENDIS. Rependere idem eſt, ac *retribuere*, *commutare*. Vulgò *compenſare*, *contracambiare*. Verbum vtique deductum ex ære, quod ante ſignatæ vſum pecuniæ appendebatur, non verò numerabatur; olim enim commercia, per huiuſmodi compenſationem, agebantur, ita vt res pro re daretur, cum nondum pecuniarum vſus vigeret. In hac igitur eadem ſignificatione compenſandi, ſeù commutandi intelligendum hic eſt.

VICES NASCENDI. Res non vnico, eodemque tempore omnes vel naſcuntur, vel intereunt; ſed alternatim; modo ſcilicet hæc res, modo illa enaſcitur, & modo hæc perit, modo illa. Hinc huiuſmodi alternationes expreſſurus Poeta, per *Vices*, expreſſit: quod nomen vulgò ſonat *vicende*, *ſcambieuolezze ſucceſſiue*, *diuerſitadi*, *e varie ſorti di naſcere*, quas Pluto rependere dicitur.

ALTERNA MORTE. Ideſt ortum vnius rei compenſare alterius mortis vſurà, & vice verſa; ac quidem ſucceſſiuè adeò, & commutata inuicem ſorte, ita vt ſemper corruptio vnius ſit generatio alterius, & generatio vnius alterius pariter corruptio. *Mors* enim, licet, propria ſignificatione, videatur importare ſeparationem animæ à corpore, atque adeo de ſolis viuentibus dici poſſe; translatè tamen ſumitur, etiam pro interitu rerum omnium, etiam inanimatarum, vt clarè conſtat ex Hor. in epiſt. qui Mortem vocat vltimam rerum lineam, & ego potius vltimæ lineæ terminum appellarem. Sicut igitur res *alternatim* ex Plutonis dono naſcuntur, ſic *alternatim* ex arbitrio eiuſdem in interitum ruunt, vt inter generationem, & corruptionem perpetua detur compenſatio. Quod ipſum à Claudiano expreſſum deſumptum videò ex Papinio, apud quem Amphiaraus ad Plutonem, ſic ait aperto ore.

. . . . . O' cunctis Genitor maximè rerum

At mihi, qui quondam cauſas elementaq; noram,
Et ſator &c.

hæc autem compenſatio, de qua dictum eſt, cum origo tam pulchræ rerum diuerſitatis ſit, in mundo; maximè confert ad pulchritudinem vniuerſi. Quarè hìc Lacheſis acutè, artem regens tamen; cum præcipua oratoris ars ſit, artem tegere; ab indignitate iterum facti argumentum deſumit, quo Plutonem ab armis dimoueat: indignum enim profectò eſt, vt, qui propria liberalitate ſemper orbis pulchritudini conſuluit, leuibus iam nunc de cauſis, propriæ repugnans Naturæ, in orbis exitium, ac deuaſtationem irruat; & ſe ipſum offendere videtur, qui, ne, qui Munera ſui gratis habuit, diutius perfruatur, vel repetat, vel deſtruat, nulla ferè de cauſa: Ludus enim puerorum hic eſſe ſolet, qui, cum vix donauerint, dona repetunt, ſurripiunt, auferunt, vel infringunt. Item aliud argumentum latet hoc ipſo in carmine; nempè, indecorum eſſe, eum, qui mortem, beneficij loco, ſolitus ſit impertiri, velle ſubindè Mortem ipſam in vltionem, in pœnam, in deſtructionem conuertere. Sed, vt hoc extrahas argumentum, neceſsè eſt aduertere vim illius nominis, occultam quidem, ſed vulgo tamen ab omnibus receptam, *vices*: nomen enim iſtud ſæpè pericula, pugnas, Anguſtias ſignificat ab extrinſeco illatas; vt Æneas apud Virg. Æn. 2. ſic canens docuit:

Illiaci cineres, & flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu veſtro, nec tela, nec vllas
Vitauiſſe vices *Danaum &c.*

ideſt pericula, & anguſtias, quibus vndiq; à Græcis eingebatur. Ex hoc vides, Poetam, vt ſæpiùs aſſolet, gemino ſenſu vnicum ditaſſe carmen; primus quorum generationem, & corruptionem ſpectet, vt vidimus, ſecundus verò ad beneficium mortis, vel interitus referatur, innuens videlicet eorum ſententiam, qui Mortem dicerent Portum eſſe vniuerſalis huius Oceani, videlicet Mundi, quo accerrimis ſemper tempeſtatibus agitati, tuta tandem in ſtatione, componantur. Iuxta itaq; horum ſententiam Vates, Plutonem, Lacheſis ore, beneficium ſemper indicat fuiſſe, qui rebus, diutiùs, & aeris intemperie, & Cœlorum inclementia, alijſq; vndiq; anguſtijs, crebro agitatis morte tandem conſuluiſſet, quæ malorum vndequaq; ingruentium leuamen eſſet, & finis; indecorum autem futurum, ſi ex beneficio maleficus efficiatur, ijs iiſdem medijs, quibus beneficentiam prius oſtentaret, cum, alternatis vicibus, mortem vitæ periculis opponeret, & vitæ amaritiem, interitus, viciſſitudine deleret. Lector, his habitis, vt melius libuerit, explicabit; vterque enim ſenſus congruentèr procedet, licet primus, vt arbitror congruentiùs.

QVI VITAM, LETHVMQVE REGIS. Huc vſq; de generatione, & corruptione inanimatorum, cuius poteſtatem Plutoni attribuebat, egit Lacheſis; nunc ad attribuendam illi facultatem vitæ, ac necis, etiam reſpectu animatorum deſcendit, ſeù, meliùs, per gradationem, aſcendit. Ad intelligentiam aduerte, nomine inanimatorum venire hìc etiam viuentia aliqua imperfectiſſima, quæ vegetatiuam tantum habent vitam: latiùs quippè patet gradus viuentis, quam gradus animati; nam *animatum* ſpecies viuentis eſt, vt recta docet phyloſophia. *Animatum* enim dicitur à forma Animæ informantis; Anima verò propriè dicitur *actus corporis organici potentia vitam habentis*: & hac fortaſſis ratione ductus Ariaga negauit, poſſe dari rationem vitæ, quæ communis eſſet Plantis, & hominibus; nam corpus organicum, ſtrictè ſumptum, & in gradu perfecto, videtur conuenire tantum vitæ ſenſitiuæ, & rationali; immò, in rigore, ſoli rationali. Hic tamen loquitur primo loco, vt gradatim procedat, Poeta de animatis tantum ſenſitiuis: ideſt anima materiali informatis, vt patet ex ſequentibus, vbi dicit: *quidquid materies gignis*; nam ſola anima materialis dependet, in fieri, à materia, & de potentia materiæ educitur. De rationalibus autem agit inferius, vt videbimus.

QVI REGIS. *Regere* idem eſt, ac *moderari*. Quod autem ſub moderatore eſt, in eius poteſtate eſt. Quarè indicat hic Lacheſis, vt dicebamus, Plutonem, iuxta antiquorum ſententias, prædominium habuiſſe in vitam, mortemq; omnium viuentium ſublunarium, qui à materia dependent, in fieri, & conſeruari. Et quidem conſentaneè Arbiter vitæ, & mortis, creditur, qui creditus fuerit Auctor generationis, vt vidimus, & corruptionis, quæ certè in ſola fiunt materia; eum enim iſtæ ſint mutationes, mutatum adſit, neceſsè eſt: aſt non mutatur forma, cum pereat; non compoſitum, cum deſtruatur; ergò remanet, vt materia illa ſit, quæ mutetur,

cum

cum ipſa, remanens in eſſe, tranſeat de compoſito in compoſitum. Sed, vt ad propoſitum ex digreſſione redeamus: *Qui Regis*, inquit

VITAM. Vita, propriè ſumpta, & ſtricto modo, in ſenſu Vatis, eſt corporis, & animæ in vnum compoſitum, quod ſit principium operationum vitalium, coniunctio; vt ex explicatis iam patet.

LETHVM, vice verſa, eſt corporis, & animæ ab inuicem diſiunctio, à *Lyo*, quod eſt *diſſoluo*, ſeù per antiphraſim Lethum, eo quod minimè lætum; Lethum enim Mortem dicimus, & mors ea, qua nos ſupra definitione ab Epicuro ipſo definitur. Vtramq; nempè coniunctionem, & diſiunctionem, de quibus dix., in Plutonis poteſtate fuiſſe, ſequitur neceſſario ex eo, quod dictus ſit Pluto generationis Auctor, & corruptionis; nam anima materialis, per generationem educitur de potentia materiæ, ac corpori, pariter de potentia materiæ educto vnitur; per corruptionem verò, quæ compoſitum diſſoluit, ſeparatio, ſeù diſiunctio eiuſdem à corpore efficitur, & corrumpuntur.

NAM. Particula cauſatiua eſt, qua accingitur ad reddendam rationem, cur animata per animam materialem ſubdantur Plutoni modo dicto.

QVIDQVID. Particula generalis eſt totum includens, & nihil excludens, vt, ex vniuerſalitate, ſe omnium parentem agnoſcat Pluto.

VBIQVE. Magis vniuerſalitatem explicat ipſam, & ampliat ab adiuncto Loci vniuerſalis, nempè non in terris ſolum, ſed in aere, mari, ac locis omnibus, vbi huiuſcemodi viuentia reperiantur.

MATERIES GIGNIT. Quidquid materiale eſt, certè de potentia educitur materiæ; cum hæc, vt habet Ariſtoteles, initio Phyſicorum, inter tria rerum principia in fieri, ab eodem ibi enumerata, recenſenda meritò ſit; immò vt primum, & principale principium ponenda; cum illa ab eo dicatur *potentiâ omnia*, & definiatur ita, vt ipſa per ſe neq; ſit quid, neq; quale, neq; quantum, neque horum negationes, ſed ex quo omnia omnia fiunt. Cum itaque Lacheſis dicit: *Materies gignit*, non eſt ita intelligenda, vt aliquam materiæ tribuat actionem, ſeù vim actiuam, aut generatiuam, cum conſtet ex Phil. eam eſſe potentiam purè paſſiuam; ſed intelligenda ita eſt, ac ſi diceret: *quidquid è potentia materiæ educitur*; nam translatè cum fundamento ſimilitudinis, loquitur; ſicut enim quæ ex vtero matris educuntur; gigni dicuntur à Matre, ſic proportionaliter, quæ educuntur de potentia, quaſi de vtero educantur materiæ, à materia ipſa gigni pronunciantur. In quo ſenſu, & antiqui Phyl. materiam nomine Matris condecorarunt.

HOC, TE DONANTE, CREATVR &c. *Hoc*, ideſt quod ex Materia, tanquam matre, gignitur, hoc eſt, educitur de potentia materiæ; Pronomen enim demonſtratiuum eſt, id, de quo loquimur, quaſi digito ſignans.

TE DONANTE. Donum propriè dicitur, quidquid datur liberaliter, & nullis præcedentibus, in eo, cui donatur, meritis: in quo *donum* à præmio diſtinguitur, nam *præmium* ex præcedentibus meritis conceditur. Ex hoc patet, Donantem illum dici, qui aliquid nullis debitum meritis, ex ſola liberalitate, alteri tribuit. Cum autem certè res, quæ producuntur, nullo modo dici poſſint, habuiſſe meritum, quo productionem ipſam exigerent, cum meritum præuiam ſupponat actionem meritoriam, quam id, quod nondum eſt, nullo modo habere poteſt, quia omne operari ſequitur ad eſſe, iuxta ſcientificorum axioma; hinc eſt vt productio ipſa donum gratis datum iure dicatur, & Auctor, ſeù dator ipſius productionis *donans* dicendus ſit. Cur autem hæc productio rerum Donum Plutonis dicatur, & conſequenter Pluto *donans* illam appelletur, iam ſatis ex dictis patet.

CREATVR. Creari non ſumitur hic in ſtricta, ac rigoroſa ſignificatione, in qua ſcilicet definitur creatio. *Productio rei ex nihilo*, vt patet ex contextu Poetæ, qui ponens præcedentem Materiæ concurſum certè ex nihilo non fieri aſſerit, quod ex materia præexiſtente fit. Sed ſumitur in latiori ſignificatione iuxta Græcorum loquendi morem, apud quos Creo Κτίζειν dicitur, quod idem, ac producere, ſeù gignere eſt. Quare idem hic erit *creatur*, ac *producitur*.

DEBETVRQVE TIBI. Omnia, quæ naſcuntur, & ortum habent a materia, cum immortalia non ſint, mortalitatis legibus naſcuntur obnoxia; quia autem, vt vidimus, Pluto Rex dicitur mortuorum, iure quidquid mortale eſt, Plutoni adſtrictum cenſetur. Quod Ouid. etiam ad humana extendit compoſita, quæ ad Plutonis Regnum deferri autumat.

Tendimus huc omnes, hæc eſt domus vltima cunctis.

Adde omnia materialia, cum intereunt, in terram, à qua primo egreſſa ſunt, deuolui. Quarè ad Regnum Plutonis ſubterraneum detrahi, fatali quodam videntur Parcarum conatu; & ideò dixit etiam ſuperius Lacheſis: *Cui noſtra laborant ſtamina*. Cum itaque hanc interitus fatalitatem nil, quod ortum habuerit, euitare poſſit; hinc eſt, vt verbo importante neceſſitatem vſus ſit prudentiſſimè Auctor: *Debeturq; tibi*.

CERTISQVE AMBAGIBVS ÆVI &c. Ab informatis anima materiali gradum facit ad corpora, quæ animâ ſpirituali informantur: &, contra Epicureorum ſententiam, oſtendit, hanc animam immortalem eſſe, ſed & corpora, quæ hac informantur, Plutonis imperio ſubijci.

CERTIS. Hoc eſt *ſtatutis*, determinatiſq;, Deorum ſcilicet decreto, de quo infra.

AMBAGIBVS. Ambages nomen eſt deriuatum à Verbo Ambigo, græcè περιάγω, quod idem eſt, ac circumago, verbo ſcilicet ab *Am*, & *ago* compoſito. Quarè Ambages nil aliud erunt, quam *circuli, circuitus*, ſeù temporum determinatæ circulationes, ex Deorum vtique decreto ab anima peragendæ.

ÆVI. Æuum eſt longa temporum ſeries, finita tamen, & limitata, quam circumuolui debere, indicat Auctor, antequam Anima immortalis, quæ ſeparata à corpore ad inferos deſcendiſſet, in corpus redeat, iuxta tranſmigrationem Pytagoræ, de qua infra.

RVRSVS. Idem eſt, ac *denuò, iterum*, de quo pag. 39. col. pri., quo aduerbio clariùs Pytagoricam ſe attingere ſententiam, indicat Vates.

ANIMÆ. Quid ſit Anima, iam ex definitione, ſupra allata, ſatis vidimus; ac de immortalitate rationalis, de qua hic, infra habebimus. Satis igitur hic ſcire ſit, Animam eſſe formam viuentis rationalis, ſecundum huius loci acceptionem.

MITTVNTVR. *Mutantur*, legit cum Parrhaſio Heinſius. Sed Parrhaſio vulgata non diſplicet, vt ipſe idem fatetur. Heinſius verò *Mutantur*, contendit omninò legendum. Non videò tamen, cur à vulgata erudite loquente diſcedam: ideò explico. *Mitti* ſubiectionem, ſeruitutem, ac neceſſitatem obediendi importat, in eo, qui mittitur, reſpectu mittentis, qui in ſua poteſtate eum, quem mittit, habeat. Quare, & *miſſum facere* dicimus, cum ſeruum quis, ê ſua poteſtate liberum abire, concedit. Hoc igitur verbo oſtendit Lacheſis, omnes animas, etiam rationales, ſub Plutonis poteſtate, iuxta antiquorum fabulantium opinionem, fuiſſe; quod vt clariùs innoteſcat, mox explicabimus.

IN CORPOREOS ARTVS. *In corporeos ortus*. legunt alij. Quod tandem in idem recidit; nam Anima, in morte corporis, occaſum patitur, quo ad Manes deducatur, ac, cum reddit ad corpus, in ortum vitæ mortalis iterum aſcendit. Quarè vulgatam, & hic, ſequor. *In corporeos artus*; hoc eſt ad informanda noui corporis membra, ſeù nouum corpus organicum, vel noui corporis organa; poſita pro toto parte per Synecd.; Artus enim, nomen pluralis tantum numeri, propriè nodos ſignificat in corpore animalis, ex duorum oſſium coeuntium extremitatibus reſultantes, Artus dicti ab arctandis, colligandis, ac connectendis oſſibus, ita vt & corporis fulcimenta compaginentur, & habilis reddatur compaginatio ad motum, Animali maximè neceſſarium: quia autem motus ab Anima, proportionatis organis vtente, prouenit, ideò *artus* pro tota poſuit organizatione, & corpore. Sed iam, quomodo hæc ipſa Plutonico dicantur ſubijci imperio, rem altius repetentes, ad huius loci intelligentiam, enucleemus.

Sciendum itaque eſt, ex opinione Pytagoræ, eiuſdemque ſectatorum, Animas rationales, non ſolum immortales, ſed & æternas fuiſſe, ita vt ſemper, ſemper fuerint, nec principia ſui temporis nouerint, ſicuti nec finem vnquam ſunt habituræ durationis. Hanc ſententiam his rationibus fulcire conabantur (loquendo de ſecunda concluſionis parte æternitatem animarum, etiam à parte ante, aſſerente; nam immortalitas earum, &, à parte poſt, æternitas, apud nos etiam certa, immò & de fide eſt.) Si anima rationalis immortalis exiſtere debet, & ex aliquo naſcatur, vel ex immortali, vel ex mortali, neceſſariò naſcetur. Ex mortali non ſanè; alioquin omnia poſſent ex mortalibus fieri immortalia; nulla enim maior eſt ratio de vno, ac de cœteris, à mortali natis. Rurſus neque ex immortali naſci potuit, quia id, quod immortale eſt, nihil ad ſe gignit, cum non indigeat hac potentia

tis generatiuis, ad ſe ipſum ſaltem in ſpecie propagandum; (aduerte Phyl. loqui a Fabuloſis præſcindentes, ideoq; nil contra ipſos Pluto impatiens neſcire eorum,) nam potentia ad propagationem ideo data eſt à Natura, vt, cum non poſſit propagare ſe ipſam, ſeù perennare in indiuiduo, poſſit ſaltem perennare ſe ipſam in aliquo ſibi ſimili, nempè in ſpecie. Aſt quod immortale eſt, in ſe ipſo perenne, & æternum eſt, ergo fruſtranea in eo eſſet potentia ſe in ſimili perennandi: Deus autem, & Natura nihil faciunt fruſtra; conſequenter quod immortale eſt, nihil ex ſe gignere poteſt; atq; adeo Anima, quæ de ſe immortalis eſt, & ingenita debet eſſe, & ab æterno conſequenter eſſe. Nil mirum ſi Phyloſophantes huiuſmodi cæcutirent in Sole, quippè qui, ex Lumine fidei, actionem creatiuam, ex nihilo omnia edixentem nunquam agnouerint. Nos ex fide habemus creatam hominis animam in tempore, cum ſcilicet Deus, homine formato, inſpirauit in eum ſpiraculum vitæ, vt ex Geneſi declaratur, conſequenter animas ſingulas a Deo hic, & nunc creari ad exigentiam corporis in vtero Matris organizati, illiq; eodem tempore communicari, & informantes vniri. Quarè has ſententias, vt ignorantiæ monſtra adducimus, non vt earum erroribus quidquam veritatis attribuamus. Poſita igitur hac Pytagoræ ſententia.

Sciendum ſecundo loco eſt, adeo inualuiſſe apud recentiores non ſolum, ſed & apud antiquos Phyloſ. opinionem negantem, poſſe dari infinitum actu, in rerum Natura, vt ne diſputandum quidem de huius ſententiæ certitudine, ſint arbitrati. Quarè Auerroes, vt Ariſtotelem defenderet, qui, cum poſuerit Mundum ab æterno, dari infinitum negauit, ait nec dari multiplicitatem animarum. Sed vnicum dari Intellectum, id. vnam Animam, omnibus hominibus communem: quod tamen eſt contra fidem apertè, quia ex ſacris litteris Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur, ſi autem vnica eſſet, communis omnibus, anima, iam, dum in vno peccat; in alio verò bona opera exercet, deberet eadem anima, & damnari apud Inferos morte, & vita in Cœlis frui. Eſt etiam contra rationem, quia non poteſt naturaliter eadem forma plures actuare materias, ac præcipuè loco diſſicas, cum nec idem naturaliter poſſit eſſe in dupplici loco: nec poſſit dari naturaliter actio in diſtans, vt & nos latè probauimus in phyſicis. Alij igitur item excuſantes Ariſtotelem dixerunt, eum aſſeruiſſe Pytagoricam animarum transmigrationem; non tamen omninò iuxta Pytagoram, qui aſſeruiſſet Animam rationalem etiam in Bruta tranſmigrare; ſed ſtrictiùs, ita vt ex homine in hominem tantummodo tranſmigraret. Verum melius, arbitror, ſe ipſum defenderet Ariſtoteles, ſi viueret: diceret enim fortaſſis, non fuiſſe à ſe negatum infinitum abſolute, ſed illud tantum, quod eſſet vtrimq; infinitum, nempe & a parte ante, & à parte poſt: in forte huic etiam defenſioni obſtet illud, quod habet 12. Met. vbi videtur negare infinitum, etiam in numeris: ex quo Durandus, Arriaga, Conymbricenſes, & alij cenſent ſibi ipſi Ariſtotelem contradicere. Sed quidquid ſit de ſenſu Ariſtotelis. Certum eſt, apud omnes antiquos Phyloſ., opinionem negantem infinitum actuale viguiſſe; ideòq; etiam numerum Animarum, quas ab æterno fuiſſe dictitabant, finitum poſuere. Cum tamen viderent numerum hominum poſſibilium eſſe ſincategorematice infinitum, eo quod non ſit aſſignabilis certa hominum finita multitudo, cui addi vltra non poſſit; ne cogerentur dicere, numerum animarum debere eſſe infinitum, dixerunt, exiguum quamuis, animarum numerum ſufficere; quia eadem anima plura ſucceſſiue corpora informet. Huius ſententiæ videtur fuiſſe Heraclitus, qui opinatus eſt, & aſſeruit, e ſummis ad ima, atque ex imis ad ſumma animam iter agere, quoniam laboris, vt inquit, immodici eſt, in iiſdem perpetuo ſedibus, etiam ſupernis, atq; cœleſtibus immorari; inque Deorum contubernio alieni ſemper iuris eſſe. Idcircò partim quieſcendi cupidine, partim dominandi ſpe ſublatas ad inferiora iterum, iterumq; deferri. Empedocles pariter eiuſdem videtur ſententiæ, qui dixerit, ad hanc Animas vitam, vt prioris vitæ peccata luant, demitti; quod & ſenſit Pytagoras. Plato verò, non modo in pœnam ablegari huc animas autumat, ſed etiam interdum ſpontè, aliquando inuitas, ac vi coactas. Obſtabat tamen huic opinioni alia, quæ pariter, apud antiquos, immobiliter vigebat, opinio de Ætac. ſcilicet vrna; de pœnis, quibus ſontes Animæ ab inferorum Iudicibus addicebantur torquendæ; ac de Eliſijs campis, in quibus inſontes Animæ præmio fœlicitatis fruerentur. Quarè vt aduerſantes iſtas inter ſe opiniones conciliarent,

Sciendum tertio aliam effingi viam ab Antiquis initam. Dicebant enim Animam, quæ ab vno corpore ſeparetur, non ſtatim in aliud corpus tranſmigrare, ſed quaſi peregrè proficiſcentem per ſphœras omnes, & choros Dæmonum, ac Deorum diſcurrere debere, antequam ad nouum corpus redeat informandum. Auctor eſt Plato in Phœdone, Gorgias in Phœdro, & alij. Hæc verò animarum peregrinatio, quo tempore fuerit perficienda, non ſatis conſentiunt. Alij huic peregrinationi aſſignarunt ſpatium duodecim millia annorum, ex eo, quod putarent duodecim eſſe ſphœras mundani orbis, quatuor ſcilicet elementares, & ſupra elementa, octo, quos ponebant, Cœlos; per quas ſphœras omnes deberent animæ ſeparatæ, iuxta naturalem cuiuſcumq; ſphœræ motum, annum ſcilicet, milles circumuolui, vt prædictus duodecim millium numerus annorum expleretur; ad hoc vt ſubinde, ſatis expurgatæ, in alia corpora, ad exigentiam rerum in anteacta vita geſtarum comparata, à Deo mitterentur. Alij dixerunt, per duodecim annorum millium numerum, annum magnum indicari. Annus autem magnus dicitur, quod moto firmamenti conficitur, & delineatur; Firmamentum autem tarde, adeo moueri dicebant, vt ſuum circuitum non niſi peractis triginta ſex millibus annorum conficeret; tribus nempe magnis annis, reſpectu noſtri, quorum vnuſquiſq; duodecim millibus abſoluatur. Sed quidquid ſit etiam de temporè huic animarum præfixo peregrinationi, certè eam diuturnam omnes affirmarunt. Inſuper à ſapientibus antiquis traditum fuit, duas eſſe vias Animarum, à corporibus excedentium; quæ enim ſe humanis vitijs contaminaſſent, quæ ſe totas libidinum ſordibus addixiſſent, quæ ſe flagitijs vtcumq; inquinaſſent, vel fraudes inexpiabiles, in adminiſtrandis Patriæ ſuæ rebus, concepiſſent, iis iter deuium fuiſſe, ſeclusum à Deorum Concilio, tradiderunt, ita vt nunquam poſtea poſſent ad Deos ipſos peruenire: quæ verò multa quidem, ſed expiabilia tamen ſcelera commiſiſſent, illis, poſt certum temporis ſpatium, quo ſordes illas omnes, per præfatam peregrinationem, abluiſſent, ad Deorum concilium accedere, licebat, huncque ad Deos acceſſum faciliorem eſſe, quo minus contaminatæ diſcederent animæ, dictitabant, ac breuiorem; facillimum verò, ac breuiſſimum iis, quæ omninò puritatem, innocentiamque ſeruaſſent. Hæc omnia breuibus recenſuit Plato in Mennone, vbi addit, Animas ſeparatas remitti in corpora, poſt certum tempus, & poſtquam quædam abſoluerint munia iniuncta illis, remitti inquam a Proſerpina. Ex Platone autem videtur ſententiam ſuam decerpſiſſe Claudianus; nam quod, poſt raptum, ad Proſerpinam ſpectabat, per Platonem, ante Proſerpinam raptam, ad Plutonem ſpectaſſe oportet, cum hæc ex illo, coniugali iure, imperium accepiſſe dicatur. Quod ſi verba ipſa Platonis exoptes; ſic ille habet loco cit. *Aiunt hominis animam immortalem eſſe, (ſic enim ex Græco vertitur textus apud Mythol. Nat. Com lib. 3. cap. 20.) ac tunc quidem decedere, cum mori dicitur, atque iterum redire; interire verò, & extingui nunquam. Quarè vita eſt, quam ſanctiſſime tranſigenda; quibus enim Proſerpina pœnas antiquæ miſeriæ iam dederint, eorum animas illa rurſus ad ſupernum ſolem tranſmittet, nono anno, atq; Reges fiunt, gloriâ, potentiâ, ſapientiâq; præſtantiſſimi; atq; iſti in numerum Deorum, aut Heroum capiuntur*. Hinc Phyloſophi, ac Phyſici antiqui Platonis ſectatores duos Tropicos, ſigniferum circulum ſecantes, portas duas eſſe putarunt, per quas animæ, & aſcendant ad Cœlum, & iterum deſcendant ad terram. Porta aſcendentium Capricornus eſt, & a Platonicis vocatur *Porta Deorum*, vt videre eſt apud Pier. lib. Hierog. 59. quia animæ corporis vinculo ſolutæ, per eam, aſcendentes, participes fiant diuinitatis. Cancer verò Porta hominum dicitur, vt apud Pier. cit. quia, ſicuti Cancer retrograde incedit, ita, per illam exeuntes, Animæ, retrogrado curſu, e Cœlis in humana iterum corpora demittantur. Sed non adeò accedunt Phyſici alij ad Vatis noſtri ſententiam, ſicuti acceſſerat Plato, qui, dum dixit, Animas à Proſerpina, poſt certum tempus, in corpora remitti, vt dicebamus, videtur confirmare opinionem, quæ iam Poetarum fabulis communis eſt, nempe locum fœlicitatis inſontium Animarum in Eliſijs eſſe. Iuxta itaq; hanc opinionem ita eſſet diſſerendum, vt nempe, Animabus à corpore diſcedentibus duplex ſtatuta fuerit ad inferos via; iuxta id, quod 6. Æneid. adſtruit Virg. nam ex hoc facile deducitur, quid Poetæ de itinere animarum poſt mortem hominum fabularentur. Primò enim vnicam omnes promiſcue ad inferos viam ingrediebantur, donec, ad tranſuehendum Charontis flumen, peruenirent.

Eſt iter in ſylnis, vbi cœlum condidit vmbra
Iupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem &c.
Hinc via, tartarei quæ fert Acherontis ad vndas &c.

tranſacto autem Flumine, via hæc in duas diuiditur: dextera autem Eliſios ducit in campos; ſiniſtra ad impias Tartarorum pœnas deſcendit.

Hic locus eſt, partes vbi ſe via findit in ambas;
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit,
Hac iter Elyſium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

per hanc igitur ſecundam ſontes animæ diuertere cogebantur; & hæc via illa eſt, de qua ſupra diximus, iter deuium eſſe tenebroſum &c. ita vt animæ illam tenentes nunquam ad conſpectum Deorum redire poſſent; nam inferorum ſemel portas ingreſſis nullus vnquam dabatur reditus ad auras. Primam verò inſontes tenebant; & hæc via illa eſt, de qua dictum ſupra, animas eam ſequentes facile ad Concilium Deorum peruenire, ideſt beatitudine frui. Hæc ipſa per portas Cancri, & Capricorni ſignificabatur, nam ex Eliſijs reuocari animas, iterum ad informanda corpora remittendas innuit Virg. cit. eod. lib.

. . . . Animæ quibus altera Fato
Corpora debentur Lethæi ad fluminis vndam
Securos latices, & longa obliuia potant.

loquitur enim Virg. hic Anchiſem referens, qui Æneam filium in Eliſijs hanc animarum tranſmigrationem edoceret. Data autem occaſione aliam diſſoluit difficultatem, quæ huic repugnare videretur tranſmigrationi. Imperceptibile enim eſt, quomodo animæ in Eliſijs Beatæ induci potuerint, vt fœlicitatem illam deſerere, atq; redire voluerint in corpora, tot expoſita miſerijs, infœlicitatibus, ac ærumnis, quarum certè memores eſſe debuerint, cum vnitæ iam corpori expertæ fuiſſent. Ad tollendam igitur hanc profectò maximam difficultatem, fabulam Læthei fluminis excogitarunt; ex quo, qui biberet, memoriam rerum omnium amitteret, vt patet ſupra recitatis Virg. Carminibus; nam de Læthæo flumine, quo ad eiuſdem alias ab hac qualitate fuſius agemus lib. 2. vbi habetur: *fons altera Lethes &c.* Ad has itaq; vndas animæ ab inferorum Deo vocabantur, &, earum potione, omnium memoria nudabantur; vt ſic Deorum voluntati, ac neceſſitati ſeruire, cogerentur, in corpora redeuntes. Tria igitur neceſſariò erant peragenda ante animarum tranſmigrationem. Purgatio earum ab expiabilibus noxis; tempus tribuendum, quo præmio benefactorum fruerentur; ac tandem abolenda præteritorum omnium memoria, vt ſubinde tranſmigrarent. Purgatio in itinere ad Inferos fieri credebatur; ſtatio beatitudinis, ſeù tempus fruitionis præmiorum mille annorum ſpatio claudebatur in Eliſijs tranſigendo, quo elapſo, præteritorum memoria, per Læthei fluminis potionem abſtergebatur, vt in corpora denuò animæ mitterentur, vt dix. Quod totum expreſſit Virg. Æn. 6. vbi Anchiſes ſic in Eliſijs campis Æneam edocet filium.

Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: alijs ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus: aut exuritur igni.
Quiſq; ſuos patimur Manes.

Eccè ſcelerum purgationem varijs tormentis confectam, & quidem in itinere, vt patet ex ſequentibus, vbi ſic:

. . . . . . Exindè per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus;
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumq; relinquit
Æthereum ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.

Eccè, poſt purgationem, ad gaudiorum metam animas aduectas; tempus autem inibi immorandi, accipe ſtatutum ſpatium annorum mille, vt dix.

Has omnes, vbi mille rotam voluêre per annos,
Lætheum ad fluuium Deus euocat agmine magno:

Eccè animas à Plutone conuocatas, vt ex Læthe bibentes præteritorum memoria priuentur; vt Virg. addit.

Scilicet immemores, ſupera vt conuexa reuiſant
Rurſus; & incipiant in corpora velle reuerti.

Tot igitur antiquorum ſententijs inſtructus Claud. vt ſuam hic eruditionem oſtentaret, hæc omnia Lacheſim ſuam attingere voluit perorantem; nempè præfinitum purgationis tempus, ac tempus in Eliſijs commorandi in ijs verbis *certiſq; Ambagibus æui*; Tranſmigrationem verò, vbi ait: *Rurſus in mortales &c.* Auctorem tandem tranſmigrationis, dum inquit: *Te donante*, nam Plutonem deſignat. Vide quot, & quanta vnicum eximij Poetæ carmen includat: atque ex vngue Leonem diſcas. Sed orationem iam ſuam Lacheſis proſequatur.

NE PETE &c. Propoſitio hæc eſt, qua, quid concedendum exoptet, Lacheſis exponit. *Ne* particula dehortantis ſimul, ac prohibentis eſt. Peractis enim exordij partibus, & inſinuata facilitate, ac honeſtate exequendi, quæ petenda erant; nec non indicata turpitudine negationis ex incongruo, & indecoro, dum ad rem, quam petere decreuerat, gradum facit, ea quæ velit enarrans docilitatem aſſequitur, ſicuti antea, potentiam exagerans Plutonis, captauerat attentionem, implicitè innuens ſe de re maxima locuturam, quam hic exponit, dum proſequitur: *Ne pete &c.* vtitur autem particula *Ne* in duplici ſupra poſito ſenſu, vt oſtendat non renuendum precibus, cum dehortantes auctoritatem etiam habeant prohibendi, licet precibus vti maluit, quam imperio.

PETE. *Petere*, idem interdùm eſt, ac *velle*, *cupere*, *optare*; interdum verò idem, ac proſequi. In vtroq; ſenſu bellè hic cadit. *Ne pete*, itaq; inquit, ideſt *Ne velis* infringere fœdera &c., & *Ne proſequaris* paratum bellum fœdera diſſoluturus &c.

DISSOLVERE. Eſt, quod ligatum erat, ſoluere. Quia autem Alexander Macedo gordianum nodum, indiſſolubiliter reuinctum, enſe protinus diſſoluit; hinc eſt, vt Vates in ore Lacheſis, belligero duci inſinuantis, ne fœdera diſrumpat &c. poſitum hoc verbum voluerit alludens ad modum Alexandri enſe nodos diſſoluentis, locutione vtique tranſlata, nam ictis fœderibus animi obſtringuntur, rupto autem fœdere diſſoluuntur. Ideò: *Ne pete, diſſoluere*

FIRMATAS LEGES. Firmatas particip. paſſiuum eſt à verbo *firmo*, quod Italicè *ſtabilire*. Ideò firmatas, idem erit, ac *ſtabilitas*, *ſanctaſq; leges*: Lex autem definitur ab Oratorum Principe, primo de Legibus, vt ſit ratio ſumma, inſita in Natura, quæ recta ſuadeat, prohibeatq; contraria. Hic autem certè non ſignificat Decretum imperantis. Quis enim Ioui, ac Plutoni leges indicere, vt ſuperior poſſit; cui Fatum, ſeù Parcæ, quibus ſubijci credebantur, hic ſupplicantium vices gerant non imperantium? Significat itaq; tantummodo *pactum*, *conuentionem*, fœdus certis conditionibus ſtabilitum inter Plutonem, Iouemq; ex mutuò partium conſenſu. In hac autem ſignificatione accipi ſæpe ſæpiùs nomen Legis, ſatis in comperto eſt, nec ſine fundamento data eſt hæc legis acceptio; nam, ſi Lex inſita naturæ eſt, inſitum etiam à natura eſt, vt promiſſis ſtemus, ad conſeruandam armonicam illam ſocietatem, ad quam à Natura ipſa conditi ſumus, ac inſtituti, vt ait primo de officijs Tullius. Lex igitur obligat; & Promiſſio, qua fœdera firmantur, eſt obligatio, quæ ex mutuo conſenſu fœdus ineuntium contrahitur. Lex ad recta ſuadet; & rectum, iuſtumq; eſt ea ſeruare, quæ promiſeris quandoquidem pro bono pacis promiſeris. Lex à contrarijs rectitudini diſſuadet: & promiſſis non ſtare contrarium rectitudini eſt; ideòq; à fœderibus diſſuademur a violatione promiſſorum. Moueor ad accipiendum in hoc ſenſu legis nomen, ex eo quod ſupplicantes hic Parcæ adſint; ſupplex autem non debeat animum illius, cui ſupplex adſtat, obligationum mentione exaſperare. Quarè licet vim legis abſolutæ obtinuerint conuentiones habitæ inter Iouem, & Plutonem, fato interueniente, quod omnia lege firmat inuiolabili, tamen Parcam orantem modeſtè decuit loqui, nec eo, quo poterat imperio vti. Verum quidem eſt, quod adhibito legis nomine, tacitè in mentem reuocat obligationem, qua Pluto adſtringeretur, ſed quaſi voluntariam non coactiuam, vt leniter loquatur. Quod ſi mauis legem pro Decreto imperanti accipere. Dixeris Lacheſim ab impoſſibili Plutonem à bello deterrendum ſuſcepiſſe oſtendens, eum, Fato repugnantem, nil illum ſperare armis ſuis fœlicem exitum potuiſſe, dum fœdera Fatis interuenientibus ſancita diſſoluere conaretur. Quanam autem hæc fœdera fuerint, non recenſet Poeta, ſed nota ſupponit ex eruditione, quam nos claritatis gratia breuiter exponemus. Iam nouimus, Iouem, Neptunum, & Plutonem fratres fuiſſe, Opi genitos, & Saturno. Pulſo Saturno Patre, vtpotè filiorum vitæ inſidiatore, vi eorumdem filiorum, ac præcipuè Iouis, ex Imperio; Fratres ipſi inter ſe orbis Imperium, iactis ſortibus diuiſerunt; ac Ioui quidem Cœlum obtigit; Maria Neptuno; Plutoni verò inferorum imperium. Tunc igitur fœdera icta ſunt inter fratres, cum in diuiſionem conſenſiſſent; & quia prima fœderum conditio inter diuidentes ad inuicem Imperia, ductis ſortibus, eſt, vt quiſque ſua ſorte contentus abire debeat;

ſo-

ſecunda, vt, obtentis, quæ ſibi ſorte obtigerint, nullus in alterius meſſem falcem immittat, nec pacificam alterius poſſeſſionem perturbet, ſed potiùs ſemper alter, alteri opituletur, vt firma interim pace perpetuo coaleſcant extraneis omnibus metuendi, eædem conditiones interueniſſe dicendæ ſunt, cùm ex mutuo conſenſu orbis Imperium inter ſe diuiſerint fratres. Pluto igitur, cum bello cœlum eſſet aggreſſurus, contra has omnes iam Pacis firmatas conditiones nitebatur; ideòq; inſit Lacheſis: Ne pete firmatas *Pacis* diſſoluere leges. *Pax* enim à pactione dicitur, nam eſt vnanimis duorum, aut plurium conſenſus, ac mutua quies, & dilectio, ex pactis conſurgens fœderibus, quibus diſruptis, pax ipſa perit.

QVAS DEDIMVS. Reddit rationem, cur fas non ſit, eas pacis leges diſrumpere; & à cauſis eas conſtituentibus, vt ſupra innuimus, argumentum deducit, vt ab earum læſione Plutonem deterreat. Diximus Parcas pro ipſo Fato acceptas; cum autem execrandum ſcelus ſit Fati decretis temnere, hinc eſt, vt non violandas aſſerat leges, quas ipſæ dederint Parcæ, ideſt quas Fata ipſa ſanctas, ſancitaſque firmauerint.

NEVITQVE COLVS. Iam vidimus Parcarum officium eſſe ſeriem fatorum ſuo ex colo deducere. Confirmat igitur clarius, quod dixerat, nempè in Fatis eſſe, ne leges illæ diſſoluantur; ideòq; nefas eſſe illas infringere conari, & eo magis, quod colus ipſa, & ſtamina ipſi dicta ſint Plutoni deſeruire; nam eſſet hoc in beneficium irruere, ac offenſis proſequi. Vidimus item ſupra, Tres Parcas tria Fata creditas, & vnitim eas vnico ex colo fila detrahentes. Innuit itaque has leges triplici eo fato firmatas, vt per tria temporum fata nullo tempore aſſerat diſrumpendas. Ideò *Neuitq; colus*, ſubintellige *noſtra*, iuxta Barthij annotationem. Sed nota *Inſigne*, ſeu inſtrumentum poſitum pro adhibentibus inſtrumentum, nam Parcæ ex colo, *nent*, id. *ſtamina ducunt*, non colus, quæ nullam habeat actionem, ſed paſſiuè tantum ſtamina ſuſtineat.

NEV FOEDERA FRATRVM &c. Ab indignitate facti à naturæ legibus abhorrentis probat bellum non eſſe ſuſcipiendum; cum enim à natura inſitus ſit amor, qui mutuò inter fratres magis, quippè arctiori ſanguinis vinculo coniunctos, quam inter alios, ſeruari debet, conſequens eſt, vt Fratricida ſcelus, nunquam graui ſatis deteſtatione plectendum contrahat; & Fratricida mentalis ſaltem, ſi non actualis ſit, qui arma in fratrem conuertit; ideòq; oſtendens Lacheſis, expeditionem à Plutone paratam in Fratrem eſſe, eum ab indignitate facti deterrere conatur ab inceptis, vt tantum belli extinguat incendium.

NEV. *Neue* per apocopen eſt; & idem ſonat, atque *& ne*; copulans ſcilicet indignitatem grauiorem indignitati, comparatiuè ad hanc, leuiori, quam ſupra attulerat, hoc pacto argumentum ducens: Nefas eſt leges pacis infringere, cum quocumq; tandem firmatas: magis nefas, ſi id fiat reluctantibus fatis: ſummum autem nefas eſt, ſi has inter fratres iam firmatas frater infringat. Sed bellum, quod inferre paras tendit ad pacis leges infringendas, & quidem reluctantibus Fatis, & quod maximè aggrauat, inter fratres firmatas: ergò indignum gloria tua, quam mox latè deprædicant, facinus eſt huiuſmodi bellum ſuſcipere. Igitur. Ne

CONVERTE. Verbum iſtud dupliciter intelligi poteſt, vel ita vt ſumatur pro eodem, ac *euertere*, vulgò *metter ſoſſopra, rouinare, ſcompigere*: & ſic congruet dictio cum ſuperiori: *Ne pete diſſoluere &c.*; vel ita, vt ponat conſequentia pro antecedentibus; nam, cum belli finis ſit Pax, ruptis, bello, fœderibus, ſequitur, vt alia fœdera denuò firmanda ſint, vt pax iterum emergat; quod eſt fœdera in fœdera commutare: atq; adeò verbum illud *conuertere*, ita etiam intelligi poteſt, vt vulgò ſignificet *volgere*, & *mutare*: Dicit autem Lacheſis *Ne conuerte*: ideſt noli appetere noua fœdera diuerſa ab ijs, quæ iam ſancita ſunt: ex quo conſequenti intelligitur neceſſariò antecedens, nempè fractio primi fœderis, quam diſſuadet Oratrix.

FOEDERA. Fœdus propriè ſignificat amicitiam Regum, & Populorum, lege, & religione ſancitam, vti profectò erat amicitia inter Iouem Cœleſtium Regem, ac Plutonem Regem Inferorum ſancita legibus, & religione Parcarum interuenientium, vt vidimus in verbo *Leges*. Dictum fuit fœdus à feriendo, ſeù à Fecialibus, qui Sacerdotes erant fœdera ſancientes, & Porcum ferientes, cum imprecatione, vt eum, qui prior fœdera frangeret, Cœlum eo modo feriret, ſicuti ipſi Porcum illum feriebant. Vide Liuium lib. pri. ab vrbe condita, latè deſcribentem modum fœderis ſanciendi; iuſiurandum, quod interponebatur, interpretantem; ac demq; verborum, quæ vterentur formulam exarantem. Ex his habes, in quo diſtent fœdera a legibus, de quibus ſupra, nam Leges ſunt conditiones appoſitæ ad amicitiam firmandam; fœdera verò ipſa amicitia ex illis firmatis, & acceptatis conſurgens; vt videas quam gradatim creſcat Lacheſis oratio.

FRATRVM. Id. Iouis, & Plutonis; emphaticè dictum, vt conſtat ex mox ante dictis.

CIVILI TVBA. Ponit ſignum pro re ſignata, & cauſam pro effectu, nempè *tubam* pro *tubarum clangore*; & clangorem tubarum, qui belli ineundi ſignum eſt, pro ipſo bello. Quarè hæc Metalepſis erit, nam ex tuba ad Clangorem, ex clangore ad ſignum conferendi manus, a ſigno ad certamen ipſum gradus faciendus. *Ciuilis* verò dicitur: nam Bellum Ciuile propriè illud eſt, quod inter eiuſdem Patriæ ciues peragitur. Cum autem Iupiter, ac Pluto fratres eſſent ex Saturno geniti, certè, & Conciues erant Patriæ, eiuſdem, nempè Cœleſtis, quæ Patria Deorum eſt. Et licet Bellum inter fratres pluſquam Ciuile appelletur a Lucano, vt notat Parrhaſius hic, tamen cum non ſingulari certamine congreſſuri hìc fratres eſſent, ſed totis Inferorum, ac Cœleſtium viribus, hinc eſt, vt reſpectu exercituum reges ſequentium Ciuile dicatur bellum; nam etiam inferorum Potentiæ, quippè ex Deorum ſemine quoquo modo procedentes Ius Cœleſtis Patriæ poterant ſibi, vtique vindicare, præcipuè ruptis fœderibus &c. Quia vero bellum Ciuile omnibus ſemper fuit execrandum; ex hoc ipſo argumentum deſumit dehortandi, vt efficacius diſſuadeat. Videtur Parrhaſius hic Vatem noſtrum tacite redarguere, quod Tubam effinxerit, eo tempore, quo nondum fuerat inuenta: Sic enim ipſe. *Ciuili conuerte tuba. Hæc Vates à ſe ipſo dixit; nam, longè poſt, tubam Tyrrhenus Piſæus inuenit.* Quod idem eſt, ac dicere, Lacheſim meminiſſe tubæ non potuiſſe, quæ nondum eſſet, atque indè ſequi incongruenter Vatem Ore Lacheſis fuiſſe locutum. Sed memineris haberi omnia, quæ in Mundo habentur, *Plutone donante*, vt ex antiquorum ſententijs iam vidimus. Quarè, quod Tyrrhenus tubam, longè poſt, inuenerit, non tollit, quin apud donantem ingenij ad inueniendas in orbe tubas perſpicacitatem tubæ notitia, ac tubæ vſus eſſe non potuerit, licet Tiſiphonem diximus agitatione facis, vt ante tubam inuentam moris erat, Inferos excitaſſe; nam potuit illud fieri, & iſtud non ommitti, ſicuti & hodiè non ſolis tubis, ſed plurimis, ac diuerſis inſtrumentis ſigna dantur præliorum, vt innuit Crucis Cycnus lib. 33. vbi ait.

E tutto empir lì dove il dì ferventi
Il Cool de Corni, e timpani, e taballi &c.

adde, non incongruum forè ſi diceremus, iactatione facis, ac viuæ vocis ſono cateruas fuiſſe collectas, vſum verò tubarum reſeruatum ad initia belli excitanda. Neq; abſonum erit tubam in poteſtate Deorum aſſerere etiam, antequam Mundo innoteſceret. Nonne, & Æneæ tubi vſum ex inferis eductum Ferrarienſis cecinit Vates? Sed iam ſatis digreſſi ad inſtitutum redeamus.

CVR IMPIA TOLLIS &c. Ex defectu rationabilis cauſæ oſtendit bellum iniuſtum forè. Effert autem ſententiam per interrogationem, inſtandi, vrgendiq; gratia; vt, cum videat Pluto, Lacheſis argumenta nullam pati exceptionem, faciliùs inclinetur.

CVR. Aduerbium interrogantis eſt, quo maximè vtimur, cum nullam ad reſpondendum patere viam diſcernimus interrogatis, nullamq; iuſtæ rationis cauſam allegari poſſe; ſed teneatur interrogatus herbam nobis concedere. Plutonem verò hic cauſam belli ſuſcipiendi allegare non potuiſſe, patet, quia nulla erat cauſa bello Iouem laceſcendi, vt coniux daretur; cum Pluto nunquam antea deſiderium Ioui ſuum expoſuiſſet. Quarè nec quæſita ab eo vxor fuerat, nec a Ioue denegata; ideò fruſtra, & ſine cauſa bellum in non offendentem ſuſcipiebat. Quod enim ſupponeret Pluto, Iouem magis, quam Fratri, indulgere mortalibus, non erat ſufficiens belli cauſa, niſi hoc ſuppoſitum verum prius, firmumq; redderetur à reiectione petitionis, quæ non extabat, cum nondum Pluto petijſſet.

TOLLIS SIGNA. Tollere ſigna propriè italico, & militari morè loquendi eſt *inalberar l'inſegne, e ſpiegarle à venti, in procinto di fatti d'arme*. Sic de Turno apud Virg. Æneid. 8. legimus.

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtreperunt cornua cantu &c.

Quarè hìc ponit Poeta antecedens pro conſequenti, nempè

tollere ſigna, quod antecedens eſt, pro bellum mouere, quod conſequens eſt. Item ponit ſignum pro re ſignata, dum dicit *Impia ſigna*, ideſt *impium bellum*, ſignificatum per erectionem vexillorum. Signa enim hic propriè vexilla ſunt ſub quibus milites, in armis, congregantur; ex hoc vides, metalepſim hic quoq; adeſſe, nam ex ſignis cohortes, ex cohortibus legiones, ex legionibus exercitum, ex exercitu bellum intelligimus iniuſtum.

IMPIA. Vt iuſtè bellum indiceretur, priùs exponendæ erant querelæ, & cauſæ mouentes; ſubindè petendum, quod bello obtinere parati eſſent bellatores; &, negato, quod expoſtulabatur, ſi verè poſceretur, tunc iuſte bellum indicebatur. Non ſeruatis autem huiuſmodi conditionibus, iniuſtum, impium, deteſtandum bellum, quod moueretur, exiſtimabatur. Nullum horum impleuerat Pluto, ideò iure Lacheſis in mentem adducit, bellum impium futurum ex defectu conditionum, neceſſariò præmittendarum.

QVID APERIS &c. Vrgere iratum ducem, per interrogationem, proſequitur. & à ſocijs, quod ſibi in bellum adſciſceret, magis auget facinoris indignitatem. Qui enim rebellibus iungitur, eâdem ſe pice inquinatum oſtendit; & ſemper putabitur, non iure offenſæ, ſed titulo puræ rebellionis, bellum machinari. Cum itaque rebelles in Iouem fuerint Titanes; & præcipuè Ægeon ille, de quo diximus, exagerat Lacheſis notam Plutoni inurendam, ſi rebelles ducat ad ſigna, vt magis adhùc ab inceptis deterreat, & ad pacem vrgeat.

QVID. Aduerbium item interrogantis eſt, eamdem vim habens, ac *Cur* de quo ſupra abundè ſatis.

APERIS AVRAS. Ideſt: ex tenebricoſo inferorum carcere ad lucem ſupremi orbis paras educere. Dixit autem: *aperis auras*; vt ex contrapoſito, emphaticè expreſſo hoc ipſum indignum, maxime oſtendat eſſe: nam *Aura* dicitur, qua, ad reſpirationem, vtimur; Quarè auræ vitales etiam vocantur, quia vitæ conſeruationi deſeruiunt. Quam igitur indignum erat eos ad auras vitales educere, qui æternæ mortis vincula, non vnicâ rebellantis, ceruicis contumaciâ meriti, quam maximè fuerant? Nonne hoc fuiſſet Æaci, ac Rhadamanti iura violare, apud inferos inuiolabilia? Sibi ipſi itaque, Regnoq; ac iudicibus ſuis iniuriam inferebat Pluto, Titanas educendo. Indè agnoſcas, quam artificioſè, & efficaciter Lacheſis procedat Oratio, & quot habeat vnico ſub verbo ſenſus, vtique non ſpernendos.

INCESTIS TITANIBVS. Quinam fuerint Titanes iam vidimus. Remanet diſcutiendum, cur inceſti hoc loco dicantur. Pro quo aduerte, *Inceſtum*, à quo ſuprapoſitum adiectiuum deducitur, licet, in rigore loquendo, ſignificet congreſſum carnalem cum aliqua, cum qua, ex impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, matrimonium legitimè contrahi non poſſit; tamen, in ampliori ſignificatione, frequenter vſurpari ſolitum ita, vt quodcumq; ſcelus ſignificet, ex quo infamiæ notam quis contrahat; nam *ſcelus*, & *infamiam* Græci dicunt *ἀνάγνευτον*; immò, & ad ſignificandum quemcumq; modum, quo aliquid fœdè deturpatur, traduci. Sic Virg. Æn. 6 inquit . . . *Inceſtat funere claſſem*. Inceſtos igitur vocat Titanas, hoc eſt ſceleratos, infames, ac flagitiorum enormitatibus execrandos.

POSCE IOVEM. Quod iuris eſſet, ſuggerit exequendum, & facilitatem indicat executionis, in verbo *Poſce*: nam ſi ex communi effato habetur: *tentare nil nocet*; & *Poſcere nullum diſpendium affert*; Facillimum eſt & poſcere, & tentare. Præterquamquod oſtendit Plutoni viam legitimè bellum intentandi, quod ſemper integrum illi fuiſſet, præmiſſa ſcilicet petitione, ſi petita negarentur. Sed, ne poſſet Peroranti obijci, indignum tanto Rege eſſe, ſi, quod proprijs viribus ſibi vindicare poſſit, precariò quaſi ab alio efflagitet, nam videretur, Iouem, à quo peteret, ſe ipſo maiorem declarare; ad euitandam obiectionem ſumma arte, inquit

POSCE. Poſcere enim, vt peritiores Grammatici obſeruant, non importat humilem, & quaſi precariam petitionem; ſed eſt Imperioſe quodammodo, & in vim iuris poſtulare. Qui autem ſic poſtulet, non derogat propriè dignitatis celſitudini. Verum poſſet hic dubium irrepere, cur à Ioue poſtulandum, ſeù potiùs cur Iupiter ad connubia Plutoni danda excitandus; nam hunc ſenſum habet verbum illud *Poſce*. Quid hoc enim ad Iouem ſpectet? vt dicat apertè Lacheſis *Poſce* . . .

IOVEM. A Iouis, ac Iunonis arbitrio nuptias omnes de pendere antiqui arbitrati ſunt. Immò notat Cauſinus de Eloquentia lib. 10, cap. 9. ſolas nuptias in cauſa fuiſſe, vt adeò Iupiter, & Iuno decantarentur, ac colerentur, maximoque haberentur in honore, & abſq; nuptijs non futurum fuiſſe, inquit, vt horum Deorum cultus, celebrationeſq; ad homines deueniſſent. Fundamentum antiquæ huius opinionis eſt, quia Iuno *Iuga* dicitur, quaſi iugales iungens, & Iupiter omnium Pater dicebatur, quaſi, per nuptias à ſe inuentas, cauſa remota ſaltem eſſet vitæ omnium hominum. Huius autem horum Deorum denominationis cauſam fuiſſe tradunt, quod hi primi nuptias inuenerint, atq; hominibus oſtenderint, ideò primi etiam coniungentes, & copulantes fuerint. Huic igitur ſententiæ inhærens, *Poſce Iouem*: inquit Lacheſis; in cuius nempe poteſtate extant connubia. Et ſic iam dubium omne euaneſcit.

DABITVR CONIVX. Melius eſt, apud excelſæ magnitudinis animos, non petere, quam ſe periculo exponere, vt repulſam petitio patiatur. Quarè vt hanc etiam diluat ſuſpicionem, quæ ſi in mente Plutonis altiùs inſediſſet, ſola ſufficiens erat ad obfirmandum animum, ne Parcarum petitioni acquieſceret; fiducialiter ſponſionem addit, & quaſi ſe Prædem conſtituit: *Dabitur coniux*. Aduerte autem, abſolutè adeò, & aſſeueranter prolatam eſſe promiſſionem, vt, ſpectata perſona, & dignitate promittentis, nullus dubitationi locus relinquatur: Ad Lacheſim enim ſpectat futura prænoſcere, ac prædicere, vt fuſius videbimus lib. 3., vbi de Sirenibus. Ex abrupto autem infringit potiùs, quam perficit orationem, vt videatur plura adhuc congeſtura, ad oppugnandum Plutonis animum, ſi hæc non ſufficiat; & ſuſpendit Orationis finem intexere, quaſi reſponſum expectans, & obiectiones, ſi quas forte obijcere Pluto vellet, vt eas, ſubindè orationem proſequens, dilueret; artificioſiſſimà ſane artem, qua nullas effugij vias reliquiſſet, omnimodè cœlans, ac contegens.

Iam perpende quæſo, hìc obiter huius orationis artificium profectò inſigne; nam præterquamquod omnes perfectæ orationis partes amplectitur, nempe *exordium*, Propoſitionem, confirmationem, confutationemq; vt ex dictis patet: immo nec deeſſe Epilogum (licet artificioſè omniſſum oſtenderim) dicere auderem, ſi verum ſit, quod Cycnus Crucis ait lib. 4. loquens de Oratore apud Coſroam perorante, his verbis.

Conchiude, e tace; e perſuade ancora
Co'l ſilentio, e con gl'atti, il voglio honeſto.

præterquamquod, inquam omnes exequitur partes oratorias, videbis etiam, orationem ipſam ſingulis, quos ſupra deſcripſerat, belli apparatibus impugnationes ſingillatim oppoſitas. Primus belli terror erat vniuerſus in Chaos redditurus orbis; opponit firmatas leges non infringendas. Secundus terror fuit Titania Pubes è carceribus euocanda ad Cœleſte Iubar: Opponit, non cum rebellibus iungendas vires. Cauſas prius belli indicauerat: quod ſolus egeret connubijs: Nullas eiuſdem belli cauſas hic affirmat. Incendij fomitem eſſe dixerat, quia *ſolus egeret &c.* Diluit dum dicit: *Dabitur coniux*. Sicq; Furiarum impetus omnes impios oſtendit, vt coniurationem earumdem, quæ ſupra indicata fuerat, reprimat; Dum enim dicit: *Cur impia tollis ſigna*, Tiſiphonem indirectè redarguit, quam inferorum vexilliferam iam vidimus.

Collige, quo ad mores, effrenatas animi paſſiones, ſi Rationem è ſolio deturbent, in abſurdiſſima quæq; obſeſſum pectus impellere: ac præcipitata conſilia ſemper eſſe redarguenda: nam, quæ nos, cæcitate à fluctuantibus illata paſſionibus, non videmus, ſeù videntes non agnoſcimus vt nefaria, purgatus ab iiſdem paſſionibus intellectus optimè diſcernit; Noſq; ludibrio interdum exponimur iis ipſis, quibus gloriam nos aucupari à nobis ipſis ſuademur. Conſulamus igitur prudentes antequam deliberemus, ne iuſtis redargutionibus exponamur. Diſce, iura non violare: fœdera ſeruare; Rebellium ſocietatem, etiamſi iuſtam habeas belli cauſam, non admittere: hoſtilitates effugere, nec eas intentare, niſi priùs cuncta perpendas, quæ circumſtant nam nil ſerò pœnituiſſe iuuat: & melius eſt timidum videri, quam, percalcatas diuinas, humanaſq; leges, in ſcelera omnia inconſultò prorumpere. Quod, ſeruata pace, obtineri poteſt, impium eſt iniuſtis bellis appetere, etiamſi iure agere interdum videamur.

Verum Heroicis Claudiani plectris Italicam ſufficere cicadam ne detrectemus.

Quì, gl'argenti del crin lacera, in tanto
  Lacheſi, a cui cedon le ſuore il poſto,
  De gl'armonici accenti opra l'incanto

Contro

Contro quel fiero al battagliar diſpoſto;
Ed, eſclamando, ò tu che porti il vanto
D'arbitro della Notte, e ſottopoſto,
Dicea, dell'ombre tue l'immortal ſtuolo
Piega al tuo piè d'ogni vittoria il volo.
Tu quel pur ſei, cui tributarij al fine
Sacran le fila loro i noſtri ſtami;
Tu, ch'a ciò, che del tutto empie il confine,
Porgi i ſemi fecondi, e ne legami
L'inaridiſci ancor d'vltime brine:
Del naſcer tu, tu del perir dirami
Le vicende, alternando, in varij oggetti;
E vita, e morte al cenno tuo ſoggetti.
Ciò, che del Mondo in ogni parte alligna,
Tratto dal ſen della materia informe,
Tuo dono è pur; ne dal douer traligna,
Ch'à te l'aſtringe ancor render le forme:
E quel ſei tu, che, con la man benigna,
Guidi dell'alme ſciolte erranti l'orme,
Sin, che, traſcorſi, à lor prefiſſi, i luſtri,
Le renda al Mondo animatrici induſtri,
Deh non voler d'vn' inuiolabil pace,
Che di Fatalità figlia ſi preggi,
Con vaſto ardor d'ineſtinguibil face,
Stabilite da Noi, romper le leggi.
Deh non s'oda animar lo sdegno audace,
Alle guerre ciuil, tromba, che sfreggi
La data fè, ne de fraterni ſcempij
Gl'Etheocli, e i Pollinici habbian gl'eſempij,
E qual giuſta cagion guerriere inſegne
Minaccioſe ſpiegar ti ſpinge al vento;
Ne d'empio cuor temi le note indegne?
Perche l'ardir, già temerario, hor ſpento
Nell'ingiunte da te pene condegne,
De Titani ſcateni; e'l firmamento
Vuoi, che funeſti? Ah, s'Himenei richiedi
S'accenni à Gioue. Ei gli darà. Che chiedi?

ac eruditiſſimæ perorationis effectum contempleamur.

. . . . Vix ille pepercit,
Erubuitq; preces; animuſq; relanguit atrox,
Quamuis indocilis flecti. Ceu turbine raueo
Cum grauis armatur Boreas, glacieq; niuali
Hiſpidus, & Getica concretus grandine pennas,
Bella cupit, pelagus, ſyluas, campoſq; ſonoro
Flamine rapturus; ſi fortè aduerſus ahenos
Æolus obijciat poſtes, vaneſcit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in clauſtra procellæ.
Tunc Maia genitum, qui feruida dicta reportet,
Imperat acciri. Cyllenius adſtitit ales
Somniferam quatiens virgam, tectuſq; galero.

VIX ILLE PEPERCIT &c. Abſoluta iam Lacheſis Oratione, ad oſtendendam perorantis efficaciam, tranſitum facit Poeta, dum coercitas Plutonis iras oſtendit adeò, vt ab excogitato, ingruentiq; bello abſtineret, licet inuitus quaſi, contumaci videlicet repugnante Natura, frœna animus pateretur. Vt autem hanc animi reluctantis ſuperatam contentionem viuaciùs explicet, præclarè per ſimilitudinem expreſſit Boreæ, ventorum vtique omnium acerrimi, qui, procellis miſcendis inhians, ab ipſo ventorum Rege, obice montis oppoſito, detineatur, ne ad euertendam maris tranquillitatem furore irruat concitatus. Et quia, ſedato iam Plutonis animo, ita vt bellum differre non renueret, reliquum erat, vt Prudens Lacheſis conſilium, de poſcendo Ioue executioni mandaretur, vt, ſi poſtulata concederet, arma omninò ceſſarent; ſin abnueret, bellum iuſtè indiceretur; Plutonem inducit iubentem, vt ob id munus Internuncius ad ſe Deorum accerſeretur Mercurius; ac data occaſione Mercurium ipſum ſe ſe Plutoni ſiſtentem graphicè deſcribit.

VIX ILLE &c. Quid oratrix obtinuerit, iam hic habes, effectum nempè ſuſpenſionis ab armorum ſtrepitu, donec Iupiter poſceretur.

VIX ILLE &c. Sic enim legit Parrhaſius, Heinſius, & Barthius legunt hic: *Vix illa: pepercit &c.* In vulgatis autem pluribus legitur: *Vix ille pepercit &c.* Parrhaſij Lectio aptior mihi viſa eſt, ideò eam ſecutus textum ego iuxta illius ſententiam ſcripſi.

VIX. Aduerbium eſt difficultatem importans, & idem ferè ſonat, ac *cum re, & labore*: idemq; eſt, ac *ferè non*, ſeù *ægrè*, vulgo *à pena, e con violentar ſe ſteſſo*, & probè quidem hic locum habet, ſpectata acerrima Plutonis Natura, quæ ad ſæuitiem prona, non adeò facile conſilia pacis poterat admittere.

ILLE, Pluto videlicet, & nota eum hic deſignatum artificiosè per pronomen, tertiæ perſonæ demonſtratiuum, *Ille*; nec enim vocandus iam *Dux*, aut *Rex*, fuerat hoc loco, ſicuti in anteactis. Non dux, quia perſonam Ducis non ampliùs gerebat, qui bellum deſereret, & conſilia iam pacis amplecteretur: non Rex, quia nec Regis implebat vices, cum in hoc actu, potius à Lacheſi deuictus regeretur, & deuinctus traheretur obediens; Regis enim eſt, non nutibus obſequi, ſed nutibus obſequentes habere, ac præcipuè, ſi de Rege, ex natura ſua implacabili, vt Pluto eſt, loquamur. Immò nec proprio eum Plutonis nomine compellat, quia non ampliùs galeatus, ideſt ad pugnam accinctus, neque inuincibilis conſilij eſt, ad quam ipſius naturam indicandam, Galeatum Plutonem pinxerunt olim, vt diximus pag. 16. col. 2., ideo *Ille*: quaſi prodigiosè mutata Plutonis natura incertum iam relinqueret, quo nomine appellaretur.

PEPERCIT. Parco ſæpè ſæpiùs pro eodem accipitur, ac *Abſtineo*: ſic dicimus *parcere ſumptui*; hoc eſt à ſumptibus abſtinere. Interdũ etiam ſignificat idem, ac *omittere*: ſic Æn. 3. Virg. inquit.

Parce pias ſcelerare manus &c.

Ille igitur nempè Pluto Lacheſis exoratus oratione, *Pepercit*; hoc eſt, & ab armis inferendis abſtinuit: & bellum, quod vrgebat, in gratiam omiſit perorantis. Tantas ſæpè vires habet eloquentia.

Ex dictis patet, cur iure minus apta videri poſſit Lectio Heinſij, & Barthij: *Vix illa. Pepercit &c.* nam *vix*, in ea lectione, aduerbium eſſet celeritatem importans, ita vt diceretur, Pluto ferè non ſuſtinuiſſe, vt Lacheſis dicta perſolueret, tam celeriter, & ſubitò annuit precibus, prout in hoc ſenſu explicat Barthius ipſe illam particulam *vix*, dum ſic habet: *Scribendum: Vix illa. Pepercit. Vt ſubitus Tyranni motus ad bellum, ita & repentina ad meliora conſilia admoniti reuerſio. Hoc velle Claudianum prorſus indicat, quod ſequitur: Quamuis indocilis flecti.* Sed ego immò ex his allegatis à Barthio Claudiani verbis oppoſitum colligo; nam ſi *indocilis flecti*, quomodo tam ſubitò, ſine vlla difficultate flecti potuit? Meliùs igitur dicendum: *vix pepercit*; nam hoc nec tollit quin immediatè annuerit, nec tollit prodigium emergens ex inflexibili flecti iam edíſcente, ſed difficultatem notat, & violentiam, quam ſibi intulerit Pluto, vt parceret; & magis auget efficaciam perorantis; magis Naturæ mores imitatur, ac congruentiùs ad eius modum loquitur, ſanè ſi quis tamen cum vulgatis, quos vidi legere mallet: *vix ille pepercit*, ne videamur difficultatem effugere conſtructionis; ſic explico.

VIS. Vulgò ſignificat *forza, violenza, impeto*. Porrò hoc nomen, quod, in plurali caſu, nunc tantummodo declinatur vires, virium, viribus; Olim non ita declinabatur; ſed in numero plurali tres caſus habuit ſimiles nominatiuo ſingulari *vis*. Licet autem hoc nomen, tali pacto acceptum, iam antiquatum ſit: non indignum Poetis tamen fuerit eo vti, in antiquato quamuis declinandi modo. Quare & Claud. vt ſe ab antiquis non omninò peregrinantes aures habuiſſe oſtenderet, eo antiquiorum more vti profectò potuiſſet; & iam ſic conſtruendus adeſſet textus: *Ille pepercit vis*, hoc eſt *Ille à viribus exercendis abſtinuit*, ſeù quod idem eſt *pepercit viribus*.

ERVBVITQVE PRECES. Præſtantiſſimi Oratoris character ex commotione affectuum dignoſcitur. Quarè, vt Lacheſim ſuam oſtendat Vates perfectiſſimi Oratoris munus obiſſe, ex eius peroratione affectum verecundiæ, in ipſo Plutone, excitatum oſtendit, & quam quidem affectus

exci-

excitationem ab effectu, ſeù ſigno naturali demonſtrat, dum dicit; &

ERVBVIT. Erubeſcere enim effectus verecundiæ eſt, vt patet experientia ipſa. Porrò verecundia eſt metus quidam à iuſta reprehenſione incuſſus, & modeſtus quidam affectus Arrogantiæ oppoſitus, quo dum corda ſuffunduntur, Ignei ſpiritus, qui in ipſo corde conflantur, ad extimas partes, faciei præcipuè expelluntur, per vehiculum ſanguinis, & ſic, dum cor, accenſum aliqua vehementi paſſione, ab hac modeſtia leniter refrigeratur, inflammari vultus videtur, ad quem ignei ſpiritus, per refrigerationem verecundantis affectus expulſi ex corde, confugiunt. Quarè hanc eamdem modeſtiam refrigeratricem cordis irarum æſtuantis incendio denotans Priamus apud Virg. Æn. 2. ait.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo; ſed iura fidemq;
Supplicis erubuit &c.

En caſus in terminis à Poeta noſtro in Plutone deſcriptus. Verecundia itaq; teſtis ingenuitatis eſt, quæ animaduertens malum aliquod à ſe perpetratum illud diſſimulare, nequit, vel obtegere; ſed illo confunditur, & confuſionis, ac pœnitentiæ ſignum ruborem excitat. Quarè verecundi hominis rubor in ſignum probitatis à ſapientibus excipitur, ideòque de probo quodam adoleſcente, qui, dum redarguitur, erubeſcat, dici à prudentibus ſolet; *Erubuit, benè eſt: ſalua res eſt*, & Cic. 3. de legibus, verecundus, inquit, vt benè audiat, ideſt vt bonum ſibi nomen conciliet, erubeſcit; cuſtos enim virtutum omnium verecundia eſt, ſi eidem Eloquentiæ Principi credendum: & ſine verecundia nil rectum eſſe poteſt, nil honeſtum, vt idem aſſeuerat. Et quidem non poterat, non erubeſcere, Pluto, dum Parcarum Maieſtatem pedes ante ſuos proſtratam vidiſſet, ac ſupplicem, earumdemq; manus, quarum dignitatem iam expoſuimus, ipſius genua tenentes intueretur. Viderat etiam vlterius, rationes à Lacheſi adductas irrefragabiles eſſe, iuſta ſuaderi, conſequenter ſe præcipitanter nimis operatum fuiſſe; ideoque erubuit, ruboris videlicet purpurâ tetricam illius præcipitationis notam deleturus. Motiua autem, quibus ad ruborem, ac verecundiam adactus fuerit Pluto, attigit Poeta vnico verbo, dum *erubuitque* dixit

PRECES. Ideſt preces ab illis prouenientes Parcis, à quibus imperandum fuerat, non ſupplicandum; cum *Fato*, id. *Parcis*, Dij ipſi, vt vidimus, ſubderentur: & *preces* tanto humilitatis apparatu, ac tanta rationum vi abeloquenti congeſtas, profuſaſque.

ANIMVSQVE RELANGVIT ATROX. Animus irarum fluctibus tumens, furoriſque procellis concitatus, mari elato tempeſtatibus aſſimilatur, quod omnia ſubmerſurum videtur vndarum vorticibus, nil ſibi timens ipſum. Ideò iure dicitur

ATROX. AB *a* priuatiuo, & Græca voce *τρεῖν*, quæ timere ſignificat deductum nomen, quaſi idem ſonet, ac *nihil timens*, ideòque crudelis, aſper, inexorabilis. *Animus* enim interdum ſignificat id, quod italicè dicimus *Orgoglio*, *Arroganza*; & licet hoc potiùs eueniat, ſi in plurali, quam ſi in ſingulari numero vſurpetur; cur Poetæ non liceat numerum pro numero ponere, cum hoc frequentiſſimum, apud Poetas primi nominis, & vſitatiſſimum videatur? Et hic quidem animus in hoc ſenſu acceptus certè ſine timore eſt, hominum, Deorumque contemptor; ideò atrox, immitis, furens &c. Quare eruditiſſimè procul dubio Vates; *Animuſq; atrox* inquit.

RELANGVIT. Ideſt *detumuit, furorem depoſuit; vires erumpentes, exortaſq; repreſſit &c.* tranſlatione à corporibus deducta, quæ tunc languere dicuntur, cum vires, virtutemq; amiſerint ſuſtentantem: vel à Mari compoſitis fluctibus detumeſcente.

QVAMVIS INDOCILIS FLECTI. En illam exceptiuam conditionem, quæ præcitatis auctoribus anſam præbuit aſſerendi legendum eſſe. *Vix illa. Pepercit*. En inquam cui applicanda ſit. Flectitur enim, qui ab ira deflectitur, ita vt tumentes irarum deprimat fluctus, & ad conditiones inflectitur pacis. Animo itaque relanguenti addenda fuit; non verò *Animo parcenti*; nam prius eſt flecti, quam parcere, licet, Hyſterologia intercedente, conſequens hoc loco præponatur antecedenti, more Poetarum. Sed artem adnotemus. *Flecti inflexibilem* loco ſemper prodigij habendum eſt. Quarè, vt Poeta, prodigioſam Lacheſis perorantis efficaciam fuiſſe, ſignificet, hoc eam effectu aſſecutam, vt inflexibilem Plutonis flecteret animum; nam

INDOCILIS, inquit Seruius, eſt qui penitùs diſcere, non poteſt. Si igitur Pluto non poterat ediſcere flexanimis virtutem, prudentiæ, quarè indocilis flecti dictus eſt, & tamen flectitur; Satis patet Lacheſis Orationem efficaciæ apicem attigiſſe, dum etiam, quod impoſſibile videbatur obtinuit. Illa itaq; particula

QVAMVIS Emphaticè ponitur, nam ex difficultate reſiſtentis deducitur præſtantia ſuperantis.

INDOCILIS enim manſuetudinem ediſcere, manſuetudinem edocetur; inflexibilis flectitur; & implacabilis iam placatur.

FLECTI. Tranſlatum à planta eſt, quæ, dum tenera adhuc, facile quoquo velis curuatur, deducitur, ac flectitur; cum verò vetuſtate obfirmatur, frangi quidem, poteſt, flecti non poteſt; transfertur autem ad Animum, qui ſuperbia erectus, obfirmatuſque innatæ eiuſdem vetuſtate ſuperbiæ nulli vnquam cedit, & talis fuiſſe indicatur Plutonis animus, & rectè, vt videre eſt ex rationibus à nobis antecedenter allatis. Quarè prodigioſum omninò eum flecti fuit.

CEV TVRBINE RAVCO &c. Pulcherrimè, vt renitentiam exageret, quam Pluto experiebatur, ad pacem, illumque initium quaſi, ſuaſionibus ceſſiſſe, ſimilitudinem coarctati Boreæ introducit, qui non ſponte cedit, non intrinſeca animos frænante virtute, ſed externa prædominantis vi coactus; & ita cedit, vt tamen circa carcerem obiectum fremat, & ſe inuitum cedere oſtentet, ne videatur vltrò maribus euertendis pepercisse: ex quo vides quam apertè redarguatur expoſitio eorum, qui *vix illa, Pepercit*, legentes ſubitam, & ſpontaneam Plutoni attribuunt mutationem.

CEV. Hæc particula certiſſimum ſimilitudinis ſignum eſt, & idem ſonat, ac veluti; propria autem magis eſt Poetarum, quam Oratorum, atque adeò ab his eam rarò videbis vſurpatam, ſæpiſſimè vero à Poetis. Sic Virg. Æn. 2. furorem Danaum hoſtes aggredientium, hac vſus particula, ventis aſſimilat laxato carcere proruentibus.

Aduerſi rupto, ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyruſq;, Notuſq; & Lætus Eois
Eurus equis &c.

ſicque ibidem Troianas Matres territis aſſimilat columbis.

Præcipites atra, ceu tempeſtate columbæ &c.

TVRBINE. Turbo venti impetus eſt validiſſimus, & vorticoſus obuia quæq; deturbans, ac diripiens; *τυφῶν* ex Græcis dicitur, qui auidus aquarum appellatur à Lucano lib. Pharſal: 7. vbi hæc habet.

Et trabibus mixtos auidos Typhonas aquarum
Detulit; atq; oculos ingeſto fulgure clauſit.

ideò autem hoc dictum à Lucano, quia ventus huiuſmodi auidiſſime aquas contorquens, quaſi ad os attrahat, altiſſimè eleuat, ac in Cylindrum rotatas vehementiſſimo conatu extollit, adeò vt ſi nauis ſuperimpoſita vndis, hoc vento afflatis reperiatur, vna cum vndis, & nauis ipſa attollitur, ſuppoſita quaſi columna eam ſurſum impellente, donec, vorticoſo ventorum impetu remittente, nauis, liquentibus deſtituta columnis, proprio præceps pondere, ſibi ipſi, in ſubiecto Maris ſinu, naufragium aperiat ſimul, & ſepulchrum. Vt igitur ſæuientis Boreæ furias amplificet Vates, eas hoc impetu notat armatas, dum dicit *ceu turbine*

RAVCO. Rauca vox dicitur propriè, quæ obtuſa, compreſſa, & impedita eſt, ita vt indiſtinctos potiùs miſceat ſonos, quam articulatos proferat accentus. Porrò raucedo interdum oritur ex nimia vehementia, qua vox exercetur, ita vt vlulatui potiùs ſimiles, quam articulatæ exeat voci. Ad huius comparationem, & raucus dicitur ſonus quicumq;, qui proportionali pacto eodem efformetur. Quia autem venti prælato irruentes impetu obuia quæque deturbant, & varios ſonitus, dum & obſtantia agitant, & reſiſtentia infringunt, edere videntur; ac vice verſa ventus ipſe ab obſtantibus diuerſimode refractus, ventus ipſe varios, pro varia refractione, diſrumpitur in ſtridores, ita vt videatur adamuſſim, vnico ſuo impetu, effectus illos omnes exprimere, quos Nemori Liuius obſeſſo attribuit Torquatus Taſſus Hieroſ. liber. c. 13. dum inquit:

Eſce all'hor dalla ſelua vn ſuon repente,
Che par rimbombo di terren, che treme:
E'l mormorar degl' Auſtri in lui ſi ſente,
E'l pianto d'onda, che frà ſcogli geme:
Come rugge il Leon, ſi ſibia il ſerpente,
Com' vrla il Lupo, e come l'Orſo freme

Vdì

V'odi, e v'odi le trombe, e v'odi il suono.
Tanto è il fatto suono esprime vn suono.

Ex hac permixta, inquam, vehementique ſonituum confuſione, qui in vnicum, & alliduntur, & colliduntur ſonituum, mixtum quoddam rauco ſtridori ſimilius, quam cuilibet diſtinctæ ſonituum naturæ, ſonorum efficitur compoſitum, ad quod exprimendum, tamquam à furentis Boreæ turbine importatum, appoſitè vtitur adiuncto *Rauci*, dicens; *Turbine rauco*.

CVM GRAVIS ARMATVR BOREAS. Boreas ventus ſeptentrionalis eſt frigidus, & ſiccus, niues, nymboſque aggerans, ac omnium ferè ventorum violentiſſimus, de quo Ouid. hæc habet.

Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab arcto.

& Virg. Georg. pri. *Boreæ penetrabile frigus adurat.*
& Luc. lib. 5. *Occurrit gelidus Boreas, pelaguſq; retundit.*
Violentiam verò eiuſdem venti notat Virg. in Battarum.

Threicio cum Boreæ ſpirans immania vires &c.

& pri. Georg. cit. vbi Boream fulminis miniſtrum videtur adſtruere, dum ait; *At Boreæ de parte trucis cum fulminat &c.* Ideò

GRAVIS. Ideſt *moleſtus, infeſtus, ac noxius*, ducta tranſlatione à ponderibus, quæ grauia propriè ſunt; nam, qui moleſtiam patitur, perindè ſe habet, ac ſi intolerabili quodam onere premeretur.

ARMATVR. Id, accingitur ad exercendam furoris ſui tyrannidem. Verbum deſumptum ab iis, qui bellicum aliquod facinus aggreſſuri armis ſe muniunt, ac præparant. Prudentiſſimè igitur Poeta, vt diriſſimi Numinis ſub oculis ſæuitiem ponat, violentiſſimi ventorum ſimilitudinem aſſumit. Inſuper à vento Borea Orithyam Erechthæi filiam raptam ferunt: quarè appoſitè raptorem raptori comparat

GLACIEQVE NIVALI HISPIDVS. Ab adiunctis deſcribit, & amplificat Boreæ rigiditatem, & arma indicat, quibus bella peragat, ac triumphet.

HISPIDVS. Nempè *horridus*: ſicut enim, quæ aſpera, ac villis, ſpinarum in morem, rigentibus conſita ſunt, horrida dicuntur; ſic, quæ terrorem incutiunt, *hiſpida*, ex permutata proportione nuncupantur.

GLACIE NIVALI. Gelidam Boreæ naturam explicat, ex qua niues glacies &c. procedant. Porrò frigus homogenea congregat, & heterogenea: quarè, cum glacies nil aliud ſit, quam aqua conſtipata, ſeù niues pariter concretæ; hinc eſt vt Poeta Glaciem Boreæ, vento vtiq; frigidiſſimo adſcribat; & non glaciem vtcũque, ſed *niualem*, vt oſtendat, Boream & niuis ſimul, & glaciei frigidum eſſe Auctorem; ideòq; illum glacie, ac niue, quam excutiat, onuſtum facit, atq; iis armis ab eodem deſcribitur *Atrox*. Parrhaſius in verbis *Glacie niuali* grandinis definitionem aſſerit contineri; eo quod Grando, vt ipſe ait, concreta tandem nix ſit. Verum, bona tanti Auctoris pace, non placet ſententia; nam cum Grando immediatè ſubdatur, & per copulam, *& glaciei* ſuperaddatur *niualis*, non eſt dicendum, quod per *Glaciem Niualem* grandinem intellexerit Vates, alioquin idem per idem dixiſſet, & idem cum ſe ipſo copulaſſet, quod incongruum eſt.

ET CONCRETVS PENNAS GETICA GRANDINE. *Grando* propriè *pluuia eſt in aere conglaciata*; quæ pennis Boreæ adhærere dicitur, vt magis frigidam eius naturam, ac violentiam manifeſtet. Nec videatur abs re hæc Boreæ deſcriptio, quaſi omninò ficta, & fabuloſa ſit; nam, licet talis, veram tamen habet ſignificationem, cum veros, & reales effectus, à tali cauſa prouenientes, importet. Certè ex communi Phyloſ. conſenſu habemus, effectum omnem ab aliqua cauſa producibilem debere in ſui cauſa productiua contineri, vel formalitèr, vel virtualitèr, vel eminenter, atq; ideò etiam effectus, qui ab ipſo Borea producuntur, in eo eſſe debent ſaltem virtualitèr, quia ſaltem debet Boreas habere virtutem illos producendi. Quidni igitur Poeta illorum potuerit ſequi ſententiam, qui dicunt, cauſam debere effectum formalitèr continere, & ita congruentèr hos effectus Boreæ, tanquam in ipſo formalitèr exiſtentes, adſcribere? Adde, propriiſſimam Poetæ eſſe locutionem figuratam; atque adeò, ſicuti Mors pallida dicitur, non quia in ſe pallorem habeat, ſed quia in aliis pallorem producat, cur non poſſit dici Boreas glaciem, niuem, grandinem habere, eo quod iſta in aliis producat? Non abſonum profectò, ſed poeticum, elegans, figuratum erit dictum. Ideò habitum ex effectibus quaſi conſtruit Claudianus, quo Boream veſtiat, eumq; ſecundum propriam naturam omnium oculis per hyppotipoſim ſubiiciat.

GETICA GRANDINE; inquit: nam Getæ horridiſſimam incolunt ſeptentrionalis plagam regionis, in qua perpetua riget hyems, & quidem acerbior, quam in finitimis vndequaq; regionibus, vt fusè deſcribit Ouid. de Ponto, ferè paſſim, per totum, inclementiam illius Cœli exagerans. Quarè, vt rigorem, aſperitatemq; ſeptentrionalis Boreæ magis amplificet, ſcythicas, ſeù geticas grandines commemorat. Adde ventos, eo quod nihil aliud ſint, quam terreæ exhalationes, à terra, ex qua oriuntur, qualitates deſumere; ideòq; iure ſeptentrionali vento ſeptentrionalis plagæ rigidiſſimas qualitates inditas ab oculatiſſimo Poetarum.

CONCRETVS PENNAS. Vſitatiſſimus modus loquendi apud Poetas, qui, loco dicendi *concretis*, ſeù *coagulatis* grandine pennis, per helleniſmum dicunt: *concretus pennas*, quaſi dicant *concretus*, ſeù *conglaciatus illa, quo ad pennas*, vel *ſecundum alarum partes*. Sic Virg. pari vſus locutione Æneid. 5. ait.

Cætera populea velatur fronde iuuentus
Nudatoſq; humeros oleo perfuſa niteſcit.

vt innumeras, quæ afferri poſſent, in hoc modo loquendi, auctoritates, breuitatis gratia, omittam, *concretus* igitur idem eſt, ac *coagulatus* à verbo *concreſco*, quod eſt quaſi *ſimul in vnum creſco*, ſeù coagmentor. Verbum quidem aptiſſimum, ad oſtendendos conglaciationis effectus; nam, cum aliqua, licet etherogenea, glacie comprehenduntur, ac gelido illo compede colligantur, ita in vnum coaleſcunt, vt conglutinata videantur. Sic pennæ alas conficientes, gelu in vnum conſtrictæ, ac coagmentatæ, ſolidam quamdam alam conſtituunt, dum ſimul agglutinantur adeo, vt propriam videantur inter ſe diſtinctionem amiſiſſe. Pennæ autem, alarumq; remigium ventis tribuitur; non quia de facto ſpiritus ille aereus alas habere poſſit, ſed ad oſtendendam, qua fertur, celeritatem.

BELLA CVPIT. Mare ſuaptè naturâ pacatum, tranquillumq; eſſe iam vidimus explicantes carmen illud præfationis: *Tranquillis primum trepidus &c.* nunquam autem imperioſius extollens vndas pericula extrema in nauigantium perniciem agglomerat, quam cum ſimul ex aduerſo decertantibus ventis intumeſcit, rotatur, frangitur, & immenſis vndarum vorticibus contorquetur: & tunc eſt, cum peritiſſimi quiq; nautarum quid fugiant, petantue neſciunt, vt de ſuæ nauis Rectore, inquit, cum in Pontum enauigaret Ouid.

Rector in incerto eſt, nec quid fugiatue, petatue.
Inuenit ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

Ventorum autem concertationem, præter Ouid. cit., attigit, pri. Æn., Virg., periculumq; ex ea oriundum his innuens carminibus, inquit.

Incubuere mari; totumq; à ſedibus imis
Vna Eurusq;, Notuſq; ruunt, creberq; procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus.
Inſequitur, clamorq; virum, ſtridorq; rudentum &c.

Bella igitur non *bellum* dixit hic Claud., quia triplex ex ventorum furiis bellum proueniens conſiderari poteſt: nempè bellum in ipſum mare, dum eius euertunt tranquillitatem: Bellum in nauigantes, dum naues vndarum arietibus, eorumdem flatibus impulſarum, quatiunt non ſolum, ſed dilacerant, vela diſcerpunt, antennas infringunt, & mortem ſimul, ac ſepulchrum humanæ indicunt temeritati, inter vndas periclitanti: Bellum denique, quod mutuo inter ſe venti, diametraliter oppoſiti, decertantes exercent; ex quo prouenientia tandem excidia in nauigantium caput prouoluuntur. Et hæc reſpectu Maris, quod præcipue exagitant venti. Quod ſi latiùs ſumatur belligera ventorum vis, triplex, & reſpectu totius orbis bellum diſtinxit Vates ipſe, dum ait *Pelagus, ſyluas, campoſq;* ſonoro flamine rapturus. Boreas igitur armatus ad Bella dicitur, vt indicetur accinctus ad triplex, ſi ferat occaſio, vel in mari, vel in orbe, nedum ad vnicum bellum; vt ſic magis oſtendatur, quanto furore correptus, quantis auctus turbinibus, quanto virium, apparatu deſæuiat, vt aptior ſit ad Plutonicam indignationem, per Hieroglyphicum ſui, latiùs exprimendam.

CVPIT. Non eſt in libertate ventorum bella pro libito ciere, inferre, ac permiſcere; nam ſi liberum illis eſſet, vt in explicatione præfationis loco cit. iam vidimus, nunquam à prælijs ceſſarent; cum ex natura ſua volucri ſemper, & inſtabili, ac in omnes iugiter prona impetus, tunc in ſtatu videantur violento, cum quieſcunt coacti. Quarè Hor. lib. Carm. pri. Od. 15. Nereum Troiæ ruinas vaticinantem inducens, atq; vt audiri poſſet, ventis quietem, & otium imponentem, inquit:

Ingrato celeres obruit otio

Ventos,

Ventos, vt temeret fera
Nereus fata &c.

ex quo patet, naturâ ſuâ, ventos ſemper pronos in prælia;

Sed Pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris
Hoc metuens, molemq; & montes inſuper altos
Impoſuit, regemq; dedit, qui, fœdere certo,
Et premere, & laxas ſciret dare iuſſus habenas;

inquit, Æn. pri., Virg. Quarè venti *cupere*, quidem bellum, exardeſcere quidem poſſunt in prælia; aſt deſiderium exequi, ſine huius Regis, nempè Eoli, permiſſione, non poſſunt. Ideò & Poeta hic non dixit *bella aggreditur; bella miſcet:* ſed *cupit* bella miſcere, & quidem cupiditate non innata tantum, & quaſi remota, ſed elicita, & proxima, adeò vt expeditus iam, & in armis videatur bellici ſui apparatus oſtentatione Regem ſollicitare, vt præliandi facultatem vltro concedat, accepto nutu, ſtatim erupturus. Attentâ autem hàc ipsâ ventorum naturâ, ſemper concitatâ, ſemperq; bellorum auidâ, prudenter dixit Poeta: *Cupit bella.* non verò *cupit prælia*; diſtinguunt enim inter prælium, & bellum periti; nam prælium eſſe dicunt ipſam armorum conflictionem, vulgò *il fatto d'arme*: bellum verò eſſe dicunt ſeriem illam diſcordiarum, quæ totum illud temporis ſpatium percurrit, quo hoſtiles animos hoſtilia ſigna deferunt bellatores; quare in vnico bello plura ſæpe ſæpiùs prælia confici poſſunt: ita vt rectè Virg. Æn. 11. hac fretus diſtinctione dixerit:

Infantem fugiens media inter prælia belli
Suſtulit exilio comitem &c.

prudenter, inquam, dixit Vates: *Cupit bella*: non *cupit prælia*, quia inſitum vnicuiq; enti eſt à natura deſiderium diuturnæ permanentiæ in ſuo ſtatu connaturali; cum autem ſtatus connaturalis ventorum ſit *ſemper in motu eſſe*, & bellum gerere, vt diximus in anteactis, non cupit Boreas prælia, quæ, vellitationum adinſtar, citò conficiuntur, ſed bella, ideſt diuturnas in exercitio congeniti furoris permanentias. Quo magis oſtendit Vates obſirmatum diuturna in bella Plutonis animum, dum Boreæ bellum æquiparat cupienti; atque, vt magis patefaciat, quam grauia meditaretur excidia, comparationem proſequens iam cæptam, quid moliatur Boreas ſubdit, nempè totius orbis ruinas, dum ſequitur

RAPTVRVS &c. Rapio propriè eſt *ſumere, ac celeritate, quidpiam auferre*: & interdum idem ſignificat, ac *aliquid in præceps impello*. In vtroq; ſenſu optimè hic vires exerit ſuas participium *Rapturus*; notum eſt enim, quanta interdum violentia venti, quanto impetu, non teneras ſolum arbores, ſed antiquiſſimas ſæpè numero quercus è ſolo diuellant, ac euellant radicitus, ſecumq; in diuerſa diſtrahant perfractas. Notum pariter, & nimia ſæpè nauigantium iactura, quos vortices in mari efficiant, dum ſecum violenter deferunt velas, quot voragines aperiant, quot liquidos extollant montes, quot vndarum arietes miſerrimas impellant in naues. Cum itaq; ex hoc impetu, ac violentia præcipitium ſequatur earum rerum, quas ſecum aſportant venti; optimè, Boreæ deſiderium, quo in aliorum excidia ferebatur, exprimit Vates, per verbum *rapturus*: ideſt *vaſtaturus, diremptururus, depopulaturus*, non alijs ſtipatus auxilijs, quam

FLAMINE SONORO. Flamen hic à flando deriuatur, ad diſtinctionem Flaminis illius, qui maſculei generis eſt, & deriuatur à Filo, quo ſcilicet tempora cingebant Sacerdotes illi, qui Flamines dicebantur eo, quod laneo filo caput obnuberent. Hoc itaq; loco Flamen à flando neut. gen. eſt, & ſignificat *impetuoſum afflatum*, ſeù *vehementem ventorum, inſufflantium ſpiritum*; non quidem ex eo, quod venti os habeant ad inſufflandum; ſed quia, per mutuatam proportionem, perindè ſe habeat venti impetus, ac ſi ex ore vehementiſſimarum virium emitteretur. Adde ventos apud Poetas inſtar viuentium acceptos, Deitatis nomine inſignitos &c. adeòq; nil mirum ſi illis, & facies, & os, & pennæ &c. tribuantur, os, inquam, quo tantam interdum afflatuum copias eructant, atq; implacabiles iratum exerant impetus. Cur autem addiderit

SONORO. Satis patet ex dictis ſupra in explicatione ad verba *Rauco turbine*. Eodem adiuncto vtitur Virg. ad exprimendam *tempeſtates*, hoc eſt, turbinis effectum Æn. pri. vbi ait:

Talia flammato ſecum Dea corde volutans
Nymborum in patriam, loca fœta furentibus auſtris,
Æoliam venit. Hic vaſto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſq; ſonoras
Imperio premit &c.

PELAGVS, SYLVAS &c. Ab enumeratione effectuum, crebrò ex ventorum impetu prouenientium hyperbolicè adauget inclinationem, ſeù diſpoſitionem Boreæ crudeliſſima quæq; meditantis. Primus autem effectus præparati, & vix non erumpentis furoris ab abſtractione, conuulſione, ac euerſione vndarum deſumitur, quem dixi hyperbolicè augeri: quia, licet rapido ſimul, ac rabido ſecum abſtrahat impetu maris vndas, nunquam tamen Boreas tantæ eſſe poteſt violentiæ, vt totum diripiat pelagus, ac denudatum aquis relinquat profundum: ſed licet Poetas hyperbolicè loqui. Et non minus hyperbolica erit locutio, ſi de ipſo mari à ventis agitato intelligenda ſit ita, vt totum pro parte ponatur, per Synecd., ad hoc vt hyperboles vigeat, quam ſi ita intelligamus, vt continens pro contento ponatur, nempè pelagus pro ratibus in pelago degentibus, quæ ventorum vi coguntur ſæpè ſtatutum iter deſerere, & quo quo ventorum vocat impetus velum dirigere; vt aiebat Palinur. Æn. 5.

Mutati tranſuerſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti: atq; in nubem cogitur aer;
Nec Nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus: ſuperat quoniam Fortuna ſequamur;
Quoque vocat vertamus iter &c.

non minus, inquam, hoc ipſo in ſenſu viget hyperboles; nam non omnes, toto pelago, rates hoc impetu diripiuntur, ſed aliquæ tantum, quæ videlicet turbinibus obijciuntur; nam ſæpè eodem vento, altera nauis proſperum tenebit iter, altera naufragium patietur, prout vel ſecundo, vel iniuto ventorum afflatu iter proſequuntur.

SYLVAS. Secundus effectus hic adeſt, quem vaſtator ventus habere cupiat; & hic quidem hyperbolicus, dum totum pro parte ponit per Synecd., quantumuis enim inniatur Boreas, nunquam tamen integras exſcindet Syluas, quandoquidem Sylua hic pro nemore ponatur frondes quidem decutiet, ramos conteret, integras etiam aliquas conuellet arbores; ſed, integras ſecum ſyluas volantes attrahere, nunquam datum.

CAMPOSQVE. Tertius memoratur effectus, item hyperbolicus; nam poteſt ſanè ventus ſegetem proſternere, herbas adurere, virgulta necare &c. at integros ſecum ferre campos nequaquam; cum etiam in Arenoſo Lybiæ mari, cum illud furentes agitant venti, arenas turbine contorquentes, licet maximam earum vim agglomerent ad obtegendum puluereis cœlum nymbis, nunquam tamen ex imo fundo arenas omnes euertunt, volanteſq; ferunt, quamuis illæ fluentes de ſe ſint, ac mobiles; conſequenter multò minùs id poterunt, vbi terra ſolida eſt, quemadmodum in campis proſpicitur. Ex his habemus iratum Boream totius Mundi excidia meditari; nam inferior hic orbis terra conſtat, & aqua. Aquarum Cladem moliri Boream patet, dum *raptiurus* dicitur *Pelagus*. Terra ſubdiuiditur in partem montanam, & humilem: Montana autem per *ſyluas*, quæ in montibus crebriores, & magis ventorum viribus expoſitæ ſunt, indicatur; planities verò per *campos* ſignificatur. Quarè à primo ad vltimum totius terreſtris orbis ruinas meditatus deſcribitur Boreas, vt aptior fiat ad exprimendam Plutonis rabiem totius orbis exitium meditantis.

SI FORTE &c. Deſcripto Boreæ in bellum apparatu, vt ſimilitudo Plutoni congruat, bellum pariter apparanti; ſuum Poeta proſequens aſſumptum ad ſimilitudinem progreditur, qua impedimenti, ſeù obicis obiecti validitas exprimatur, prohibens videlicet, ne in effectum erumpant tantorum apparatuum minæ vtique terribiles.

SI. Hæc, vt plurimum, particula conditionalis eſt; & neq; hic ſenſum fortaſſis conditionalem omninò reſpueret; nam certè qui aliquid facturus eſt, ſi impediatur, non illud faciet: & profectò particula *ſi* importat conditionem *ſine qua non*; ideſt qua poſita non ſequitur effectus, qui ea non poſita ſequeretur; ſeù ſine qua non ceſſaret impetus Belligeri Boreæ. Verùm mihi magis arridet ſenſus Terentij, qui particulam *ſi* interdum adhibet pro *poſtquam*; nam magis ſic videtur Poetæ ſenſui congruens; Boreas enim erupturus, poſtquam Æolus poſtes obiecit ahenos, cum nil inſuper poſſit, *circum clauſtra fremit*, vt ait Virg.; vel *fracta redeunt in clauſtra procellæ*, vt hic habet Claud.; neq; enim redeunt in clauſtra, *ſi claudat*, ideſt *dum claudit*; nam adhuc ſpirare, & furere ad extra poteſt, donec clauſum omninò hoſtium ſit; ſed *poſtquam clauſerit*. tunc enim, nullo dato aditu ad extra, in clauſtra redeunt impetus. Immò nec particulam eſſe conditionalem, nec aduerbium temporis indicare hanc particulam *ſi*. hoc loco, dicerem, ſi loquendū mihi ex animi ſenſu ſit; ſed potiùs diuerſim accipiendam

eam

eam eſſe in ſenſu Plauti, qui eâ vtitur, tamquam particula cauſali, ponens *ſi* pro *quia*, nam idem eſt dicere: *retrocedit Boreas, ſi Æolus claudit*, ac dicere: *retrocedit, quia claudit*. Confirmat hanc meam opinionem textus ipſe Auctoris noſtri, qui particulam *ſi* cum indicatiuo coniungit; notat enim Seruius hanc particulam *ſi* pro *quia* vſurpari, ſed eam ſic vſurpatam ſemper ferè indicatiuum modum exigere, cum alioqui coniunctiuo ſæpiùs iungatur. Quarè, ſpectata textus ſtructura, dicendum eſt, vim eam habere cauſatiuam, & idem eſſe ac *quia*.

FORTE. Particula aduerbialis eſt, & idem ſignificat, ac *caſu*, ſeù *quaſi per fortem*. Non tamen ita intelligenda ea particula eſt hoc loco, vt ſignificet Æolum caſualiter, & quaſi temerè, non autem conſultò, ac conſilio, Boream ab exercendis furoribus impediat, & coerceat; ſed *caſu* dicitur, quia quod per ſe, ex deliberata determinatione, fit ab Æolo, caſuale dicitur reſpectu Boreæ, cui inſperatò, ac præter intentionem accidit, vt ab Æolo impediatur: poteſt enim, vt nos late in Phyſicis docuimus, idem eſſe fortuitum vni, & non fortuitum alteri, eo, quod alter præuideat, & per talia media intendat effectum; primus verò nec præuideat, nec intendat, ſed inopinatò factum videat: & adamuſſim cóuenit in præſenti Æolo, & Boreæ, vt ex explicatis.

ÆOLVS. Æolum Iouis filium fuiſſe tradunt ex Aceſta, ſiuè Segeſta, vt alij vocant, Hippotæ Troiani filia, à quo etiam Hippotades dictus fuit. Hic autem Æolus Strongylem inſulam, vnam ſcilicet ex ſeptem, quæ poſtea ab Æolo Æoliæ dictæ ſunt, habitationi ſuæ delectam habuit, & Rex, ac moderator ventorum creditus eſt, ex eo quod ipſe, vt tradit Iſacius, apud Nat. Com. Mythol. lib. 8. cap. 10. homo fuerit Aſtrologiæ peritiſſimus, ac præcipuè in ea verſatus ſcientia, quæ ad naturam pertinet ventorum; quarè nauigantibus prædicere ſolitus fuit, quinam motus ventorum futuri eſſent, certis, ac ſtatutis diebus, horis, momentiſque; quandiù eſſent perduraturi; quando impetum remiſſuri &c. Cum autem nunquam in ſuis hiſce prædictionibus erraret, factus eſt fabulæ locus, qua effingunt Poetæ ventos fuiſſe Aſtræi filios ex Aurora, ac conſequenter Coelorum indigenas; ſed ſemel ab ira Iunonis, pellicum Iouis numerum in dies augeri, indignantis in Iouem ipſum concitatos Tonantis indignationem meritos fuiſſe, ideòq; expulſos coelis orbem ſortitos eſſe inferiorem; Verum, quia, rebellem adhuc gerentes animum, concitatis flatibus orbem totum deuaſtantes peragrabant, factum fuiſſe ferunt, vt Iupiter eos iterum ex orbe pulſos in Æolias inſulas relegauerit, ac terris incluſos cauernis Æolo eos in cuſtodiam tradiderit, eidemq; ſubditos omninò eſſe voluerit. Libertatis igitur deſiderio æſtuantes venti nullam ijs in carceribus quietem inuenire dicuntur, ſed ſemper exitum è carceribus peruestigare, in ſe ipſos decertare, ſuperimpoſitos certe montes euerſuri, ni Regis Æoli imperio, additis etiam vinculis, detinerentur: quæ omnia miris attigit more ſuo modis Virg. pri. Æn. cit. etiam ſupra.

Sed Pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris,

& inſuper. . . *Hîc Vaſto Rex Æolus antro*

Luctantes ventos tempeſtateſq; ſonoras

Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat.

Quarè ad hoc ipſum reſpiciens Claud. imperiumq; Æoli confirmans ait. *Si fortè aduerſus ahenos*

Æolus obiecit poſtes &c.

Sed liceat hic obiter adnotare excellentiam Vatis, atq; elegantiſſimi illius ingenij acumen, in huiuſmodi comparatione efferenda. Bellum parat Pluto; bellum Boreas: Summas vires exerit ille; ſummas & iſte: Euaneſcit Plutonis impetus, quia Parcæ obicem ponunt, ac rationum vinculis coercent: Euaneſcit Boreæ furor, quia Æolus obijcit poſtes, ac vinclis imperij detinet: fit hoc caſu non reſpectu Æoli vtiq; prudentiſſimi, ſed reſpectu venti, cui inopinato accidit, vt detineatur: fit hoc caſu reſpectu Plutonis, cui inopinato euenit, vt a Lacheſi flectatur; ſed non caſu reſpectu Lacheſis flectentis, quæ conſultò rationes efficaciſſimas aſſumpſerat, vt deuinciret: Prudentis Viri typus eſt Æolus Ventos, ideſt irarum impetus frænantis; Prudentiæ vices obtinet Lacheſis iram Plutonis ab eruptionibus prohibens: Cedit Boreas, ſed inuitus, ac fremens; Pluto flectitur indocilis flecti. Quid quæſo hac comparatione exactius; quid viuacius exponi potuit? Sed me iterum reuocat ſubſequentium expoſitio, dum Boreæ impetum dira minitantem ventorum moderator compeſcit Æolus.

ADVERSVS. Aduerſus non ſemper idem eſt, ac hoſtis; ſed ſæpè etiam ſignificat alterius voluntati, ac deſiderio quomodocumque repugnantem; hoc pacto autem repugnare amantis etiam interdum eſſe poteſt, vt ſi quis furenti, ſe ſeque in præceps acturo repugnet, atque manum inijciens detineat: & in hoc ſenſu vtitur hoc adiectiuo Poeta hic. Ni fortè velimus dicere (nec abs re erit) in eo ſenſu adhiberi, quo *aduerſus* dicitur aliquis alteri diametraliter ſecundum naturales oppoſitus qualitates; nam ſic & eſſet Æolus reſpectu Boreæ; Boreas namque furens, Æolus pacatus, ac benignus; Boreas excidia meditatus, Æolus ſalutem; Boreas bellum cupiens, Æolus pacem &c. Et ſic quidem æquatis paralellis decurret comparatio, ſi quæ diximus de Borea, & Æolo, Plutoni applicare velis, ac Lacheſi. Seù dicas Æolum *aduerſum* dici reſpectu Boreæ, quia Boreas erupturus faciem vertebat ad egreſſum ſpeluncæ; Æolus ex diametro faciei illius oppoſitus obicem ponit: Vulgò *Gli ſerra la porta in faccia*. Sed hic ſenſus, licet non incongruus, minus tamen eſſet aptus ad comparationis vim, vt patet conſideranti.

OBIECIT. Obijcere eſt *iacere obi* ideſt ponere ante faciem aliquid impediens: Sic propugnacula hoſtibus irruentibus obijci dicuntur

POSTES. Poſtes in ædificijs propriè dicuntur latera illa, vel lignea, vel lapidea, quorum alterum fores ſuſtinet cardinibus affixas, alterum recipit vectem ferreum, aut ſerram, quibus fores clauduntur, & obſirmantur. Hic ponitur pro ipſis foribus, ita vt ex continente contentum intra ipſa latera, nempè fores intelligamus.

AHENOS. Adiectiuum ab ære deductum eſt: & quia in poetæ verſu diphtongus per diæreſim in duas reſoluitur ſillabas, hinc eſt, vt aſpiratio interponatur, iuxta Seruij annotationem, quæ tamen interpoſitio propriè hic tantum fit: quia autem æs (vulgò *il Bronzo*) maximam habet inter metalla ſoliditatem, ac firmitatem, ita vt vix frangi poſſit, ideò inquit Poeta *Poſtes ahenos* ad ſignificandas fores quæ obijciuntur, infrangibiles; adeòque incaſſum futurum fuiſſe, vt Boreas reluctaretur: atque hoc pacto oſtendit etiam, rationes à Lacheſi oppoſitas Plutoni nulla reſponſione infringendas fuiſſe, atque adeò eum vel reluctantem parcere debuiſſe. Inſuper eruditionem habet locutio Poſtes aſſerens ahenos, reſpicit enim antiquorum temporum naturam, qua æs prius innotuit, quam ferrum, iuxta Heſiodi dictum.

Ære laborabant nondum noſcentia ferrum

Sæcula &c.

Quarè cum de re antiquiſſima loquatur Vates naturæ temporum dictionem accomodat.

VANESCIT. Vaneſcere eſt in nihilum redigi: vulgò *ſuanire: ſfumare: cader à vuoto: riſoluerſi in nulla*: cum igitur ex tanto Boreæ apparatu nullus omninò ſequatur effectus, iure eius impetus dicitur in nihilum redigi; hoc eſt nullum in effectum, quantumuis in ſe ipſo ſerueat, prodire, ex oppoſito detentus impedimento.

INANIS. Inanis idem, hoc loco, ſonat, ac *otio addictus*, vt reddatur ratio, cur in nihilum redigatur impetus; nam, ſicuti otio torpeſcunt omnia, & labefactantur; ſic maximè: ventorum iræ; cum ſupra viderimus, nil magis ventorum naturæ contrarium, conſequenter nil magis eorumdem deſtructiuum, quam otium, quo franguntur, & pereunt.

IMPETVS. Vis, violentia, inuaſio, & propriè vehemens ille furor eſt, quo alium aggredimur peremptorie. Ex quo vides hic indicari, ex impoſito otio ventos non deſtrui, ſeù labefactari, quo ad eſſentiam ipſorum; ſed quo ad effectum producibilem, licet in aliquo bono ſenſu poſſit etiam dici cauſa ipſa effectus producendi ab otio corrumpi; nam iuxta effatum Phyſ: Implicante effectu, implicare etiam dicitur cauſa, non quidem per locum intrinſecum, ſed per locum extrinſecum; nam implicat dari cauſam, non quidem ſecundum illam entitatem, quæ cauſa dicitur, ſeù denominatiuè, vt aiunt Logici; ſed dari cauſam in eſſe cauſæ, ſeu vt dicunt formaliter, aut actu cauſantem, quin detur effectus; ideoq; deficiente effectu, deficere dicitur & cauſa in eſſe cauſæ. Ad hoc autem vt dicatur cauſa perire quo ad effectum, quantum attinet ad propoſitum, ſatis eſt, ſi impetus ille non exeat ad actum externum, ſeù tranſeuntem in externam materiam, licet in ſe adhuc referueſcat, & quaſi liquor in olla ebulliat, ac æſtuet.

ET PROCELLÆ. Procella vis venti eſt pluuijs aſſociata, & mari potiùs, quam terræ incumbens. Sed aduerte quæſo, Poetæ perſpicaciam in vocibus adhibendis, quam ma-

maximè ad interitum idoneis. Procella vis eſt quidem ventorum maxima, impetu terribilis, pluuiam hyememq; ferens, ac nymbos; ſed modicum durans: vt notant periti ſſimi omnium. Quo igitur alio magis nomine, quam Procellarum, notaret Auctor impetum Boreæ erupturum, dum vix natus intereat, &, ne egreſſus quidem ex limine, euaneſcat? Minùs durare non poterat, qui tantis apparatibus inſurrexerat; ideò procellæ nomine, iure optimo, deſignatur.

FRACTÆ. Frangi, à quo fractus deriuatur, propriè rerum eſt corpoream habentium quantitatem. Quare, cum hic dicatur de ventis, tenuiſſimis videlicet aeris ſpiritibus (ſi cum Poetis loquendum) non niſi tranſlatè intelligi poteſt vſurpatum. Frangi igitur tranſlatè *debilitari* eſt, & à *viribus deiici*: Sic explodenti in laneam materiam æneo tormento additum fuit lemma: *Frangitur in molli*. Seù pro eodem accipitur, ac *vinci*, *conſtringi*, & *coarctari*, & in hoc ſenſu fractas dixit procellas Auctor.

REDEVNT IN CLAVSTRA. *Redire* eſt quaſi *retro ire*; ideòque aptè effertur hic verbum *Redeunt*, cum enim ſermo ſit de procellis, quibus armatus Boreas, ex intimo ventorum ſpecu ad oſtium vſque decurrens, iam eſſet erupturus, obice obiecto, ne erumperet, quid amplius ageret, niſi imperio cedens retro iret, in clauſtra nempè in interiores partes, e quibus antea diſceſſerat, antri. Et aduerte attributum hic procellis id, quod proprium fuerat Boreæ procellas ferentis, more poetico; ideò redeunt in

CLAVSTRA. Clauſtrum à claudendo dicitur quidquid aliquid claudit. Hic ponitur pro concauis illis lateribus, quibus ventorum antra obuallari dicuntur, ex viuis ſcilicet ſuperimpoſitorum montium lapidibus, longo ordine, & quaſi contabulatione lapidea, deductis; Genere videlicet pro ſpecie poſito. Totum inſuper ponit pro parte indicans Vates, Boream ad vltimas antri partes receſſiſſe, indignatum Imperij molem, cui victus, fractuſque cedere, vel inuitus cogeretur. Quod ſi poſtremam hanc propoſitæ comparationis partem Plutoni exoptes adaptatam facilis erit applicatio; nam, obiectis rationibus eminentibus, à perorantis Parcæ prudentia embeatis, inſtar aheni poſtis nullo robore infringendi, euaneſcit quidem concitatus Plutonis furor; ſed redit in clauſtra cordis, vt vix cedere, dum cedit, videatur æſtuans adhuc, atque in ipſo exæſtuans corde. Vel potiùs dixeris, eum redire in clauſtra, nempè in vltimum Inferni centrum, vt ſæuiat in ſubiectos ſontes, cum nullus detur aditus in ſuperos inſontes deſæuiendi.

TVNC MAIA GENITVM &c. Monitis iam Parcæ acquieſcens Pluto, vt prudens perorantis conſilium executioni mandaretur, Legationem inſtituit ad Iouem; ideòq; Mercurium Deorum internuntium acciri iubet, vt cum mandatis ad Iouem euolet ſubinde.

TVNC. Aduerb. hoc temporis eſt, quod de quocumque tempore dicitur, vt latè probat Ambroſius de Callepio, hic de tempore præſenti dicitur, vt ex contextu patet: *Tunc imperat*; vt oſtendatur celeritas executionis conſilij; non enim diſtulit Pluto; ſed illicò, immediatè, nulla interpoſita mora ad executionem deuenit: ideò *Tunc* inquit, nempè eo ipſo tempore, antequam è conſpectu abirent ſupplicantes Parcæ, vt exequens honore afficeret, quas priùs ſupplices eſſe paſſus fuerat, ſic corrigens erratum non impertiti priùs honoris.

IMPERAT. Imperare proprium prædominantis eſt, & maximè illi conuenit, qui publicam obtineat poteſtatem: cum igitur Pluto in ſuo Regno eſſe deſcribatur hic; nil mirum, ſi ſua vti poteſtate, imperioque affirmetur per verbum *Imperat*. Non ſubdit tamen Poeta, cui ex miniſtris imperet, vt dignoſcamus Auctorem ex omni parte elegantiſſimum morum ſemper imitationi ſtuduiſſe; Is enim mos regum eſt, vt, ſubditis audientibus, iuſſa generaliter proferant, vt certamine Aulicorum gaudeant, quorum vnuſquiſque mandatum arripit, quaſi ipſi ſibi indictum nominatim, & qui nam citiùs exequatur certatim contendant omnes. Imperat igitur Pluto ſubditis vtique, ideſt inferorum manibus, ſed omnibus indiſcriminatim, nemini nominatim, vt, pluribus ad mandatum aduolantibus, citiùs illud impleatur, & vt regium, de quo diximus, morem Rex Erebi tueatur.

ACCIRI. Verbum eſt compoſitum ex *Ad*, & *Cio*, quod eſt *voco*. Quarè idem eſt *acciri*, ac *ad ſe vocari*. Dicit autem: *Imperat acciri*; qui modus loquendi videtur in imperante indicare prædominium, & poteſtatem in eum, qui vocandus eſt, cum autem vocandus fuerit Mercurius, poſſet quis Plutonem de temeritate, vel Poetam de incongruentia redarguere; nam quod quæſo ius habeat in Mercurium Pluto, vt quaſi ſibi ſeruum faciat, cum Deus & ipſe ſit, ac omninò extra Plutonis poſitus ditionem? Verum, licet, hanc tribuere Plutoni temeritatem, non abſonum fuerit, cum de Rege ſuperbiſſimo, ac tyrannicè imperante agatur, aduerte, & Plutonem facilè, & Vatem ab huiuſmodi criminationibus eximi, ſi conſideremus Mercurium internuntium eſſe Deorum, illiq; à Dijs ipſis iniunctum, vt aliqui volunt, apud Mythol. Nat. Com. lib. 5. cap. 5. munus obeundi bellicas caduceatorum legationes, cum fœderum, & Induciarum eum inuentorem autument fuiſſe. Sicuti igitur ex officio Internuntij tenetur Mercurius ad nutum cuiuſcumq; Numinis præſto eſſe; ſic præcipuè in caſu ex officio caduceatoris Plutoni maximè addicebatur. Inſuper Mercurius Iouis dicitur filius, conſequenter Plutonis nepos, qui Iouis frater eſt; & certè Patruus videtur iure naturæ aliquam in nepotem habere poteſtatem, ac prædominium: Ideò non imperat, vt rogent eum; ſed imperat acciri

MAIA GENITVM. Maiam vnam ex ſeptem filiabus Atlantis fuiſſe auctores aſſerunt Græci, & ſequitur Virg. Æn. 8. vbi ſic habet.

At Maiam (auditis ſi quidquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat Cœli, qui ſydera torquet.

Hanc ſedem in Cœlis habuiſſe ſatis liquet; cum ſeptem Atlantis filiæ in ſtellas illas dicantur commutatæ, quæ à Latinis Vergiliæ, à Græcis πλειάδες nominantur, quarum ortus primæ tepus nauigationis dicitur indicare; ideòq; πλειάδας vocantur à ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quod nauigare eſt; forſan vt morem genitoris ſequantur, qui inter primos Oceanum enauigantes dicitur adfuiſſe. Sed, cum hæc parum ad inſtitutum conferant, propiùs accedam ad propoſitum. Maiam iſtam compreſſit Iupiter, atq; ex ea Mercurium filium ſuſcepit; Quarè, & ab eodem Claud. inferius Nepos Atlantis appellatur Mercurius: Atlantis Tegeæ nepos &c. Porrò Mercurium ex Maia progenitum teſtatur etiam Virg. lib. Æn. cit., dum dicit:

Vobis Mercurius Pater eſt, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

eſſe autem ex Ioue progenitum teſtatur idem Æn. 4. dum Iouem inducens Mercurium alloquentem ſic ait.

Tunc ſic Mercurium alloquitur, ac Talia mandat
Vade, age, Nate, voca Zephyros, & labere pennis.

Quarè, quidquid alij dicant, Pleiades nempè, ideſt Electram, Alcionem, Cœleno, Maiam, Aderopen, Taigetem, Meropemque (hæc enim Pleiadum nomina referuntur) non Atlantis, ſed Licurgi filias fuiſſe; non malè Auctor noſter innititur, dum Arato, Higypo, ac tandem Poetarum Principi Virgilio inhæret, vocans Mercurium Maia genitum, Atlantis nepotem. Cur autem Pluto, Mercurium potiùs, quam alium, imperet acciri, & ex parte innuimus, & fuſiùs dicetur infra in explicatione ad verſ. *Cyllenius adſtitit Ales &c.*

QVI. Ad eum qui aduocandus erat refertur, nempè ad Mercurium, & eandem vim habet, ac ſi diceret: *vt ipſe*, vel *ad hoc vt ipſe*: finem enim importat, cur Internuncius ille vocaretur, qui

REPORTET. Reportare eſt *accepta ab aliquo ad alium deportare*, ſeù *ad aures alicuius alterius referre*, ſi de mandatis, vt hic, ſermo habeatur, & quidem in hoc ſenſu vſurpatum videmus verbum *reporto* ab ipſo Poetarum Principe Æn. 7. *Regis ad aures*

Nuncius, ingentes, ignota in veſte, reportat
Aduenisse viros &c.

ad hoc igitur accitur Mercurius, vt legationis munere fungens accepta ex Plutone ad Iouem referat

DICTA FERVIDA. *Dictum* nomen eſſe poteſt, & participium à *Dico*: Vt patet ex Terentio qui dixit: *Nullum dictum, quod prius non fuerit dictum*: vbi, vt vides, *dictum*, primo loco, nomen eſt; ſecundo loco eſt partic. Hic vim habet nominis, & propriè ſermonem ſignificat; vulgò *Ambaſciata*.

FERVIDA autem dixit: quia *Feruidus* nomen adiectiuum eſt deductum à *Ferueo*, verbo ſcilicet propriè ſignificante ebullitionem aquæ, vel alterius liquoris, ignis vi, ebullientis; ſed quod tamen tranſlatè dicitur de quacumq; re, quæ aliquo calore, quoquo modo, calefiat, atq; aliquo quodam æſtu agitetur. Quarè, cum ira æquiparetur igni, vt patet ex Virg. Æn. 5. iram Gyæ in Menetem, ſub allegoria doloris exardeſcentis, deſcribente, dum ait;

Tum verò exarſit iuueni dolor oſſibus ingens.

nec non Æn. 4. iram, per æſtum exprimente, dum de Didone inquit:

Sæuit amor, magnoq; irarum fluctuat æſtu.

& inſuper definitio cauſalis iræ, ita traditur, vt ſit: *Ebullitio ſanguinis circa cor*: hinc eſt, vt maximè feruefcendi proprietas iratis adaptetur. *Feruida* igitur appellat dicta Plutonis Vates, vt oſtendat, ipſum, quamuis, Parca perorante coactus, plurimum de ira remiſerit, interno tamen adhuc æſtu agitari; non ſecus, ac Mare, quod iam ventis concitatum, licet illi recedant, non ſtatim in priſtinam reddit tranquillitatem, nec totum totaliter vnico detumeſcit intuitu; ſed ex recepto à ventis impulſu fluctuat, adhuc, tetrumq; remugit. Quarè nec Pluto, vt diximus, quamuis iras remiſerit, nondum, pacificè ſatis, loqui poterat: ideò *feruida dicta*. Adde quod ſupra diximus in verbo *Poſce Iouem*; nempè *poſcere*, potiùs imperantis eſſe, quam ſupplicantis, atq; adeò Pluto, vt morem gerat auctoritati ſuæ, & æqualis perſonam ſuſtineat ad Iouem mittens, non mittit ſupplex, non exorans; ſed imperanti ſimilis feruida dicta agerat reportanda, ideſt ſermonem ferocientis animi ſymbolum, nam idem eſt *feruidus*, ac *ferox*.

CYLLENIVS ADSTITIT ALES. Cyllenius dicitur Mercurius à Cyllene Arcadiæ monte, in quo Maia à Ioue compreſſa Mercurium peperit, vt patet ex præcitato Virg. loco 8 Æneid.

Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

à Cyllene enim efformatur patronimicum illud Cyllenius; ſeù potiùs dixerim cum Stephano, & alijs, Mercurium Cyllenium dictum à Cyllene nympha, quæ & Mercurium educaſſe eo in monte dicitur, & ipſi monti nomen ſuum tradidiſſe, cum antea ſine nomine Mons eſſet. Omitto eos qui volunt Cyllenem non Nutricem tantùm, ſed Matrem Mercurij fuiſſe, quæ eum ex Ioue conceperit, nam hoc repugnat Principi Poetarum, cui inhæret noſter, vt vidimus

ALES. Antiquiſſimum fuit, Cyllenium, ſeù Mercurium, capite, pedibuſque alatum effingi, vt oſtenderetur celeritas, qua ipſi, vt Deorum internuncio, mandata numinum eſſent comportanda; Ala enim ſemper ſummæ celeritatis Hieroglyphicum fuit. Aſt quoniam incidenter Mercurij officium attigimus, habeas iam cauſam, cur, vt ſupra vidimus, Mercurium potiùs, quam aliud Numen, acciri, imperauerit Pluto; quia ſcilicet nulli, præter Mercurium, conceſſa fuerat facultas fungendi munere Internuncij; Sed vlteriùs alia ſuppetit cauſa, ex qua etiam ediſcas, cur Cyllenij nomine potiùs, quam proprio ſuo, appelletur hic Mercurius: *Cyllenius adſtitit &c.* Cyllenius dictus eſt, vt aliqui volunt cum Pompeio, Mercurius ex eo quod Græci Κυλλοὺς vocent eos, qui ſine manibus ſunt, notat Pier. Valer. lib. Hieroglyph. 35; & quia ſermo, cuius Præſes Mercurius eſt, ideòque & linguam ei dicatam volunt apud Pier. cit. lib. 33.) Ideò ſub Cyllenij nomine adſtitit, quia ſcilicet ſermo ſuaptè natura pollet, adeò vt omnia ſine manibus conficere poſſit, vt idem notat Pier. lib. 35. Statuerat itaq; Pluto experiri, num per legationem, ſine manibus, hoc eſt; ſine armorum tractatione, res confici poſſet, vt promiſerat Lacheſis. Adſtitit idcircò Mercurius ſub Cyllenij nomine, ideſt ſermo ſine manibus quaſi augurium nomine præferens, ſe omnia ſine manibus effecturum. Præſidem verò ſermonis, & eloquentiæ Mercurium fuiſſe confirmat antiquorum ritus, qui, vt apud eundem Pier. lib. 15.; Mercurij ſtatuis auream addebant virgam, in ſignum eloquentiæ, qua omnium animos delinret; & ideò idem Auctor cit. lib. 59., Mercurium appellans, eum dicit *vim Orationis, interpretandi virtutem, eloquentia facultatem*: ac citat pro eadem ſententia Poetarum Principis auctoritatem.

Interpres Diuum Cœlo demiſſus ab alto &c.

non vnicè tamen Virg. Diuum Interpretem vocat, ac Iouis Legatum Mercurium: nam etiam Æn. 4. dicentem audio:

Nunc etiam interpres Diuum Ioue miſſus ab alto &c.

& inferiùs:

Interpres Diuum fert horrida iuſſa per auras &c.

eumdemq; Alitem idem Virg. eodem lib. agnouit, inquiens.

Dixerat: Ille Patris magni parêre parabat
Imperio: & primùm pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem alis, ſiuè æquora ſupra,
Seù terram, rapido pariter cum flamine portant.

Ex quo vides aptatas, vt dicebamus, Mercurio alas ad celeritatem. Et quidem celeritate hic opus erat, ne inferorum exercitus erumperet impatiens. Ideò *adſtitit ales*. Inſuper, Caduceatorem eſſe Mercurium, nemo eſt, qui neſciat, cum ſemper caduceum tenens effingatur: Caduceatoris autem munus eſt, animos in diuerſum abeuntes, diſſonaſq; inter ſe voluntates ad concordiam reuocare; ideò Ægyptij caduceatoris Mercurij ſtatuis arundinem adſculpebant; nam ex latioribus arundinibus cerâ compactis fiſtulæ componebantur, quæ etiam, harmonicis concentibus, applicito modulante ſpiritu, tantam habere vim credebantur, vt furibundum hominem poſſent ad mentem reuocare meliorem. Ideò, dum de conſociandis animis Plutonis, Iouiſque; ac de voluntatibus eorumdem coniungendis, Plutone furente, ageretur, accitur Mercurius, vt, ipſius modulationibus flexo Ioue, Pluto ſanioribus vtiq; conſilijs reſtituatur: & ideò Cyllenius adſtitit Ales.

SOMNIFERAM QVATIENS VIRGAM. Auream Mercurio virgam attribui iam vidimus ſupra: ſed cur ſomnifera dicatur, remanet hìc diſcutiendum, & num illa eadem ſit, de qua ſupra, an alia Mercurij virga. Et primo, quod ſpectat ad ſecundam quæſtionem, Arbitror, quamcumq; virgam Maiæ genito attribuant, attenta cauſa, ſomniferam dici poſſe; vel enim aurea, vel arundinea ſit virga Mercurio attributa, vel ſit virga ipſa caducei ſerpentibus obligata ſemper ſomnifera dici poterit, ſi cauſas perpendamus; nam primo Aurea Mercurio virga datur in ſymbolum Eloquentiæ, vt vidimus; cùm autem Eloquentia *animæ Siren* dicatur, quæ ſcilicet, ſermonis illecebris, conſopitas, ac quaſi obdormientes animi paſſiones reddat, iure hæc virga ſomnifera dici poterit, cum ſomnus, imago mortis, niſi aliud tandem, quam placidiſſima quies ſit, qua omnes ceſſent tumultuantis animi fluctus. Si verò de arundinea loquamur, eadem militat ratio, quia & hæc Mercurio datur, ad oſtendendam Mercurij vim in reuocandis ad pacificam animis concordiam, quod effici non poteſt, niſi pacata priùs, ac quodam veluti ſomno conſopita lis diſſidentium ſit voluntatum. Dixerim tamen Poetam hic de caduceo, quæ vſitatior Mercurij virga eſt fuiſſe locutum, vt etiam Parrhaſius autumat, & cum eo alij; ſed nomine virgæ, quod genericum eſt, caduceum indicaſſe, vt ad alias quoque virgas Mercurio tribui ſolitas alluderet. Cur autem Caduceum virga ſomnifera dicatur, patet quidem ex dictis, ſed latiùs placet aperire. Caduceum Mercurij virga fuiſſe fertur, qua ille, ad diſſidia, diſcordiaſq; tollendas, vteretur, ideòq; dictum caduceum à cadendo, quod contentiones, & bella cadere faciat; nam quemadmodum per fæciales bella indicebantur, ſic per Caduceatores finiebantur. Agebatur hoc loco de dirimendo bello imminenti inter Plutonem, & Iouem, & ad hoc accitus fuerat Mercurius? Congruum fuerat, vt Caduceo inſignitus adeſſet, quaſi proſperum legationis ſuæ ſucceſſum præfigurans; atque ideò dixi Poetam hic de caduceo præcipuè intelligendum, vt quæſtioni ſatisfacerem. Inſuper caduceum virga erat ſerpentibus circumuoluta, ita tamen, vt ore vnius ad os alterius conuerſo ſe ſe inuicem oſculari viderentur. Per ſerpentes duo capitalia odia exprimuntur, vt doctè aduertit Pier. lib. Hierog. 16. vel etiam pro quacumq; funeſta clade ponebantur. Eo autem, quod, in Virga Mercurij copulati oſcula miſcere videantur, ſignificabantur odia illa mutuo iam fœdere conſociata conquieſcere, ad concordiam videlicet reuocata, vel, vt melius dixerim, conſopita. Manifeſtiſſima Clades Cœlo ex Plutone imminebat; capitalia odia inter Plutonem, ac Iouem erant excitanda? Neceſsè fuit, vt Caduceum intercederet, & conſopiret; ideò adſit Mercurius *ſomniferam quatiens virgam*; vt *Caduceo* (quod ſignum concordiæ eſt, vt notat lib. 69. Pier. cit.) concordiæ Numen Mercurius, ex eodem, deprædicatus, ſe *ſomno*, ideſt *placidiſſima quiete* lites compoſiturum præfiguret. Et *virgam quatiens*; quaſi excuſſione illa indicet, odiorum ſe monſtra domiturum, & nil tantæ virgæ potentiam eluſurum. Adde, concordiam inter Iouem, & Plutonem firmandam cœptam eſſe à Parcis, quas Fatum eſſe iam diximus, & cuius poteſtatem, ac vim per caduceum intelligendam ſuggerit Pier. cit. lib. 69 Quarè, ne dicatur Poeta incongruenter procedere, non niſi de caduceo loqui poteſt, quod etiam Virg. *ſomniferam virgam* appellat Æn. 14. & vim fati adnexam habere confirmat his verbis.

Tum virgam capit: Hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit;
Dat ſomnos, adimitq; & lumina morte reſignat &c.

ex quo intelligas nil ſine Mercurij Caduceo fieri potuiſſe, cum nil ſine Fato fieri potuiſſe crediderint Antiqui; & vice verſa

verſa nil infectum remanere potuiſſe, quod Mercurij Caduceum, fatalem induens vim, eâq; imperans, iuberet. Mercurius inſuper ſomniorum creditus eſt Præſes, & Præfectus Animabus Mortuorum datus in ea, de qua ſupra pag. 49. col. 2., egimus, poſt mortem peregrinatione, donec ab eodem noua in corpora reducerentur, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 5.; cum autem ſomnus æquipararetur morti, nil mirum, ſi *ſomnifera virga* caduceum dicatur Mercurij. Denique caduceum quatiens certitudinem promiſſi, à Lacheſi perorante enunciati, & virga confirmat; nam, quod Fatum promiſit, ac iterum Fatum procurat, infectum remanere non poteſt. Promiſit Fatum, nempe Lacheſis, coniugem: *Poſce Iouem: dabitur coniux.* Poſcet Fatum nempe caduceatus Mercurius; qui poſſit Iupiter obſiſtere, qui & ipſe tandem Fato ſubſit?

QVATIENS VIRGAM. Virgam quatere ſignum minitantis eſſe ſolet. Si igitur mediator Pacis eligebatur Mercurius, quomodo ſigna exerit minitantis: *Quatiens virgam?* Sunt Auctores, haud quaquam ſpernendi, vt ait Pier. cit. lib. 15., qui aſſerant, Caducei ſerpentes mutuo nexu implicitas minas ſimul, & Pacem oſtentare; ideòq; generoſiſſimos quoſq; bellatores conſueuiſſe, caduceum cæteris ſignis militaribus præferre, vt ſcirent hoſtes, contumacibus minas pœnaſq; irrogandas, quietis verò Pacem concedendam. Quatit igitur virgam Mercurius indicans, Iouem poſtulata conceſſurum, ni velit Fati indignationem experiri; & ſic mulcet magis, ac mitigat Plutonis animum, indita obtinendi ſpe, quod tanto iam ardore conceperat.

TECTVSQVE GALERO. Tectus participium eſt à Tego deductum; *tegere* autem *operire eſt*, pater autem hic adeſſe Synecd. tropum, dum tectus dicitur Mercurius; nam galerus ſolum caput operit, non totum corpus. *Galerus*, à Galea dictus, pileus erat rotundus in modum galeæ conformatus, atq; ideò à Galeæ ſimilitudine ſic dictus, ac de eo, ex Luciano, ita ſcribit Pier. cit. lib. 40. Antiqua Pilei forma eſt dimidium corticis alicuius Oui; nam, apud Garamantas, ex Struthionum ouis ſingulis, in æquas partes diſſectis, bini fiunt pilei (tanta ibi eſt eius oui magnitudo) eoq; capitis integumento populi illi ſibi plurimum applaudunt. Hæc Pier., qui paulo inferiùs, oſtendens, parum abſimilem Mercurij Galerum fuiſſe, ſubdit: *non negarim tamen, in aliquot monumentis, vbi ſigna maiora ſunt, extremum pilei marginem paululum ſurſum verſus inflecti; vt in ſtatuis aliquot, ac Mercurij præcipuè obſeruauimus.* Ex his Pierij locis apertè conſtat, Mercurij pileum fuiſſe in modum galeæ conformatum; nam & ouatam eius formam vides, & inflexo paululum ſurſum margine, vt in Galeis, ſeu, vt vulgò dicitur *no Morione*, ò *celate*, reperitur; ideò aptè Galerus dicitur. Aſt cur pileatus coram Plutone adſtitit Mercurius?

TECTVSQVE GALERO. Nonne decentiùs, aperto capite, ſtetiſſet coram mittente Nuncius, coram Rege Legatus, mandata quæ exequatur, excipiens? Nuncius quidem, ac Præco Deorum Mercurius eſt; ſed Deus & ipſe, Iouis filius, Plutonis nepos; atq; adeò conſpicuè nobilitatis, ac diuinitatis in ſignum licet illi, Plutone quamuis præſente caput opertum gerere; caput enim pileatum Hieroglyficum inſignis fuiſſe nobilitatis, teſtatur Pier. cit. lib. 40., atq; hac de cauſa, inquit, pileatum Vlyſſis caput fieri ſolitum, & Hyppocratis ſtatuam capite pileato, eadem de cauſa extructam. Sed quid antiqua memorem? Nonne & noſtris hiſce temporibus Hiſpani Optimates (quod nefas cæteris eſſet) Regi adſtant operto capite in ſignum dignitatis, qua fulgent, ac nobilitatis? Cur igitur redarguatur Mercurius, ſi, Patruo coram, operto capite, adſtiterit? Sed non in ſuperficie hac ſimplici Vates hæret, myſteria ſemper myſterijs innectens. Pileus, cuius ſpecies Galerus eſt, Libertatis Hieroglyphicum fuit, vt fuſe docet Pier. cit. lib. 40., & adnotatum ab aliquibus video, apud eundem Pier. lib. 42. Periclis ſtatuam galeatam fuiſſe, vt indicaretur libertas, qua Pericles, in dicendo, vſus eſt, quamuè, ad impudentiam vſque, ſibi dicitur vindicaſſe. Hoc poſito, memineris, Mercurium Plutoni adſtitiſſe legationis munera obiturum. Porrò Legatis tanta ſemper dicendi libertas fuit, vt nefas fuerit apud omnes in Legatos iraſci, nedum pœnis in ipſos deſæuire, quamtumuis graui orationis aculeo pungerent potiùs, quam delinirent: quarè ſicuti reprehendit Bracciolinus Coſroâ Perſarũ Regẽ, eo quod miſſos ab Heraclio de pace Legatos malè mulctauerit; ſic vice verſa laudibus extollit Heraclium, qui poſtea ad ſe miſſos à Coſroa Legatos blandè dimiſerit, licet par pari referre iam Tyranno potuiſſet, ſatiſque duxerit his vocibus ſenſum cordis indicare, quamuis Oratorum alter atrociter peroraſſet.

Ammoniſci il pos tu, che mal s'arriſchia
Mandarne, e incantamente ei ſi conſiglia,
Che ſtrage feo de miei meſſaggi acerba,
Ne deuria tronar ſè chi non la ſerba.
Mà tornatene pur; ch' Heraclio è tale
Che puniſce gl' error, mà non gl' imita &c.

Legatus itaq; conſtitutus Mercurius *tectus galero* adſit in dicendi ſignum libertatis, qua vſurus eſſet; præcipuè cum Mercurius cordis dominus dicatur, cuius Lingua miniſtra eſt, ac conſequenter, non ſimulatè, ſed ex ſenſu cordis adſtiterit locuturus. Quod ſi præconem mauis eſſe Mercurium, vulgò *Araldo*, quam Legatum; maxima etiam Præconibus libertas ſemper conceſſa; adeò vt Brac. cit. Præconem pacificis indutum veſtibus, licet ab Hoſtibus miſſum nefas reijci aſſerat ab interiori vallo, ſic inquiens lib. 26.

A lui ben fora ogni repulſa indegna.

& Poetarum princeps Hetruſcorum Taſſus, præconum libertatem, etiam inter diſtractos enſes veneratam, illibatamq; eſſe debere, declarat, exemplo Aridæi, Pindoriq; præconum, caduceatorumq; virgas impunè interponentium inter Tancredi, Argantiſq; diſtractos in mutuam cædem gladios, ac vehementiſſimo agitatos irarum æſtu animos reprimentium, cumbrataſq; hinc indè vires impunè diremptium; Cantu 6. ſic inquiens.

I pacifici ſcettri oſar coſtoro
Trà le ſpade interpor de combattenti,
Con quella ſicurtà, che porgea loro
L'antichiſſima legge delle genti &c.

Quarè vel Deorum Præconem, vel Legatum dixeris Mercurium, ſumma ille ſemper gaudere debet libertate, cuius Hierogl. Pileus eſt, & Galerus, adeòq; iure tectus galero adſtitit, ac ſomniferam quatiens virgam, vt omnia gereret veri caduceatoris inſignia.

Signa iam, & nos ſequentes, quæ hoc textu continentur, ea, quæ ad mores componendos edoceat, delibemus: *Vix ille pepercit:* ſed pepercit tamen Lacheſis ſuadela delinitus. Ditem impietate, vt ita dicam, æmuleris, eiuſdem obduratum habeas animum, ſceleribuſq; tantum addictum, furas in inſontes, in Cœlum inſanias, nullum habeat orbis proportionatum tuæ phrœneſi lenitiuum; quod ſi permittas, vt Parcæ acceſſum habeant ad efferatum tuæ mentis tribunal; ſi Lacheſi peroranti aures præbeas; vno verbo, ſi mortis memoria tuum ſe ſe in animum inſinuet; cedet, inuicta licet, furorum vis, vehementia paſſionum tumultuantium, ac tetra tandem peccandi libido. Hac Lacheſi apud non ſurdas aures perorante, ratio prudens, ac rationabilis Prudentia ſemel inſanientium paſſionum viribus è ſolio deturbata priſtino iterum reſtituetur imperio, ac prædominantis iure donabitur, eaque, Æoli adinſtar, celſa in arce ſedente fruſtra inſanient, ac metuendis accendentur furoribus, nymborum, grandinum, tempeſtatumq; excitatrices paſſiones, quæ in humani pectoris antro, ventorum ritu agitantur, & circa clauſtra fremunt erupturæ; nam vtcumq; furant Aquilonum huiuſmodi furiæ procelloſas tempeſtates flatibus excitantes, ſi Æolus rationis, ac Prudentiæ obſiſtat, imperioq; premens, vincliſque, & carcere frænans, Æneos obijciat poſtes, vaneſcet inanis impetus, & fractæ recident in clauſtra procellæ. Quod ſi Pacem tibi è cœlo aueas firmatam cœleſtis vtique gratiæ, quod concupiſcas, coniugio, non eſt hæc rebellibus in cœlum auſis attentanda, ſed per internuntium orationis Mercurium depoſcenda. Fruſtra de Cœlo conqueritur, ac io illud, quaſi gratiarum tenax, iurgia euomit, giganteos auſus, vel Plutonis furias imitaturus, qui nondum Orationis vim, per Mercurium ſignificatam in Cœlum præmiſerit. Poſce; & dabitur. Semper autem præſto erit Oratio aligera, vt celerrimè Cœlum penetret; caduceum quatiens, vt Deum tibi placatum conciliet, ſummâq; agens apud Deum ipſum fiducia, ac libertate, vt clementer indulgeat, quæ poſtulaueris, efficiet. Sed ſit poſtulatio tua Mercurius Pacificus, ideſt Oratio efficax quidem, ſed humilis: Dormiat oculus ſuperbiæ, cor autem affectibus vigilet. Publicanum in templo Orantem non Phariſæum imiteris, ne in ſuperbiam incidas Plutonis ſuperbè, Infernali ſcilicet more, poſtulantis; nam ſi Pluto voti compos efficitur, licet ſuperbè poſtulans exprimatur, hoc indè prouenit, quia Iouis frater effingitur; at nos qui nouimus vnicum Deum eſſe, dum interiores nos ipſos infinita agnoſcimus dimenſione, non debemus, quaſi Dei fratres, ſuperbè

poſtu-

poſtulare. Agitaris itaque paſſionum æſtu? Orationis vis ſomniferam ſuper illas quatiens virgam facilè reddet conſopitas. Deſperas de iuſtorum complemento deſideriorum? Hunc mitte in Cœlos Mercurium, & Fati vim præferens obtinebit, quod non ſperabas, & tribuet. Abſtine tantum à Cœlo in bellum laceſſendo furialibus parcens ſceleribus, & cuncta plana fient, & aperta.

Aperiat, & nobis tandem Heliconios fontes iam Pegaſus, & aureæ Claudiani cytharę italicis liceat fidibus conſonare.

Tacque. E quel fier, ch'in ſen di bronzo, vn cuore
 D'indomito diamante hauer ſi preggia,
 Sente l'ira, il rancor, l'odio, e'l furore
 Ceder, à forza, il campo; e già campeggia
 Inſolito, sù'l volto, ampio roſſore,
 Ond'eſſer vinto al fin l'empio s'auueggia;
 E, con ſue faci, à ſcorger pure il piega,
 Ch'à tanta interceſſion nulla ſi niega.
Del natiuo rigore il cuor ferace
 Pur richiama in ſe ſteſſo; ed ei non riede:
 Anzi de ſpirti altieri il volo audace,
 L'animo attroce, illanguidir, s'auuede;
 E, ſe ben'entro ei ſe ne ſtrugge, e sface,
 Pur, ſoſpender gli sforzi, al fin concede.
 Tanto sù'l ſcoglio ancor d'Inferno irato,
 Benche ſupplice ſia, trionfa il Fato.
Qual di turbini armato, e di tempeſte,
 Scuote Borea tal'hor gelide l'ali,
 Se, nel rauco ſtridor d'aure moleſte,
 Brami toruo ingaggiar guerre mortali,
 Crolla d'hiſpido crin le neui infeſte,
 E di ſcitico gel l'armi fatali;
 Ch'auuolger penſa in tempeſtoſo nembo
 Ciò, che di terra, e mar, s'accoglie in grembo.
Mà, ſe s'oppone all'infuriar peruerſo
 Prouido, à caſo, e gl'attrauerſa il paſſo
 Il gran Regnante, à ſuoi diſſegni auuerſo,
 E, pria ch'eſca il Prigion, l'eolio ſaſſo
 Chiude co bronzi, à porgli il fren conuerſo,
 Cade l'impeto à vuoto, irrito, e caſſo,
 Sfuma il furore, e con procelle infrante
 Solo de gl'antri il ſen flagella errante.
Tal di Pluton, mentr'à lui chiude il varco
 Parca fatal, perch'ei non ſcuota il Polo,
 Si rincentra lo ſdegno; e nuouo incarco
 Piomba sù'l cuor, che diſſerrogli il volo:
 E, ſenz'induggio, à Regni, oue lo sbarco
 Fan l'alme ogn'hor, ch'abbandonâro il ſuolo,
 Che ſi chiami di Maia il figlio, impera;
 Perche porti ambaſciata al Ciel ſeuera.
In forze, vſata à garreggiar co'l fato
 Scuote, de ſonni altrui grauida, verga
 Ratto più, che balen, Cillenio alato.
 Sciolto in rigagni d'oro il crin s'atterga,
 E, con forme d'vn'elmo il feltro ornato,
 Ricuopre il giro, ou'il lor fonte alberga.
 Ei, pronto ad eſeguir l'imperio acerbo,
 Si traſſe auanti al Regnator ſuperbo.

Sed exiliter luſiſſe hic ſatis, atque ad Auctoris ſeria reuertamur.

Ipſe rudi fultus ſolio, nigrâq; verendus
Maieſtate ſedet: Squallent immania fœdo
Sceptra ſitu; ſublime caput mæſtiſſima nubes
Aſperat; & diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. Tunc talia celſo
Ore tonat. Tremefacta ſilent dicente Tyranno
Atria: latratum triplicem compeſcuit ingens
Ianitor; & ; preſſo lachrymarum fonte, reſedit
Cocytus, tacitiſq; Acheron obmutuit vndis;
Et Phlegetonteæ requierunt murmura ripæ.

IPSE RVDI &c. Legationem miſſurus ad Iouem Pluto, æquum erat, vt totum ſe ad maieſtatem compoſitum oſtentaret; præcipue cum imperanti ſimiliorem, quam petenti ſe ſe eſſet Legato oſtenſurus. Ideò hic per hypotipoſim deſcribit Poeta Plutonem ipſum in ſede maieſtatis collocatum, eo aſpectu per ethopeiam efformato, quo turbationem non minus internam exprimeret, quàm audaciam prædominantis animi, cui tantum ſit pro ratione voluntas, gereret in vultu; ac denique ab effectis, terrorem, quo indignatoris vox tartara quatiebat, atq; inferorum obſequium, dicente Rege, amplificat diſertiſſimè.

IPSE. Nempè *idem Pluto*. qui acciri Mercurium iuſſerat; nam licet pronomen *ipſe* ſit pronomen demonſtratiuum interdum tamen, non inconcinnè non ſolum; ſed & emphaticè habet etiam vim relatiui, ita vt æquiualeat voci *Idem*. & in hoc ſenſu vſurpatum nouimus a Virg. Æn. 3. dum, deſcripto Cyclopis antro, in ætneis receſſibus latitante, ſtatim de inhabitante ſubdit:

. . . . . . Ipſe arduus altaq; pulſat
Sydera &c.

idest *idem Cyclops &c.* Ideò & hic in tali vſurpatum acceptione non ambigo, nam optimè ſic congruit prioribus, & emphaſim habet, vt notat Parrhaſius.

FVLTVS RVDI SOLIO. Sedentis aſperitati vt conſentaneum extruat, ſolium ipſum aſperat ingenioſè. *Fultus*, dicitur à *Fulcio*, quod italicè ſonat *ſoſtenere*, idest *innixus*, cum certe ſedens, & ſellæ innitatur, & à ſella ipſa ſuſtentetur. *Rude ſolio*, nam rude eſt quidquid aſperum eſt, & impolitum, ac nulla artificis excultum manu. Et porro non aliud ſolium, quam rude, & impolitum Plutoni fuerat tribuendum: ſiquidem veriſſimum eſt, animos ferocitate inſignes ea tantum, quæ, ferocitati congrua, ferocitatem etiam, ipſa ſui ſpecie ſpirent, in delicijs habere; cum autem perpolita ſedes, culta, atque exornata non videatur ad feritatem, ſed ad luxum potius compoſita, procul abſit ab inferis, proculà Plutone, cuius anima feritas eſt, & rude habeat ſolium; nam *rudis* apud Teren. idem ſæpè eſt, ac *crudelis* quaſi ſolium ipſum Plutonis crudelitatem, qua à ſedente domino afflatum fuerit, longè, latèque ſpiret, ac diffundat. Et hæc ad Maieſtatem, terroremque ſpirandum concinnata hùc veniunt. Verum Plutonem inſuper faſtum ſolio arbitror à Poeta repreſentari, eo quod proprium cogitabundi ſit, nec ſatis alicui certæ deliberationi acquieſcentis, tota, vt ita dicam, grauitate, in ſella ipſa decumbere potiùs, quam ſedere, ita vt, vel etiam mento ſuppoſita, cubitoq; lateralibus ſellæ fulcimentis innixo videatur interdum mortuo ſimilior, quam cogitanti. Pluto igitur cum, deliberaturus quænam Legato darentur mandata, æſtu adhuc irarum agitante, cogitaret nil mirum ſi ſe totum ſolio committeret, atque ideò à Poeta dicatur: *ipſe rudi fultus ſolio &c.*, & meæ quidem ſuggerit menti id quod præclarè cecinit Bracciol. de Cruce lib. 4. deſcribens animi oppreſſionem, qua Coſroas Perſarum Rex opprimebatur, regiam obſidente Ciuitatem Heraclio: ſic q; Coſroam delineans.

Quand'ecco vn dì, mentre penſoſo, e ſtanco
Il gran Rè dell'Oriente era ſoletto,
E colonna facea del braccio manco
Al proprio capo, e della palma letto,
Sembrando in viſta immobil marmo, e bianco
Ne ſuoi fiſſi penſier l'immoto aſpetto;
A lui peruenne nella ſegreta ſtanza
Pien di Speme Athemiſto, e di baldanza.

& talem mihi perſuadeo Plutonem fuiſſe inuentum ab aduentante Mercurio; non quidem quod aliqua ab extrinſeco preſſura premeretur; ſed quia internis, vt dicebam, compreſſarum paſſionum æſtubus fluctuaret ad huc, & cogitabundus ſecum ipſe deliberaret de mandatis, tam quo ad ſubſtantiam, quàm quo ad modum, tranſmittendis.

SOLIO. Solium Sella regia eſt, in qua Reges ius dicentes ſedere conſueuerant, & dicitur Solium quaſi *Solidum*;

prop-

propterea quod olim Reges thronis ligneis, & quibuſdam ornamentis vtebantur ſepeis ad ſui deffenſionem: & hoc innuere Vates videtur voluiſſe, dum *Solium rude* appellat thronum, in quo Pluto ſederet Mercurium actorem ſuum, ac nuncium pronunciaturus. Inſuper ſolium dicitur quaſi *vni Soli addictum*, nam Regnum non capit duos, ideò congruenter admodum ſedes Plutonis Solium appellatur, quippè nullum Regni admitteret conſortem, vt iam alibi diximus de tyrannico Plutonis imperio diſſerentes. Cur autem Pluto deſcribatur in throno potius collocatus, quam ſtans, vel alio quopiam corporis ſitu compoſitus, facilis eſt ſolutionis; primo quidem ex dictis, quia ſcilicet Regem pro maieſtate agentem Solium decet; nam, vt notat Pier. lib. Hieroglyf. 43. Nullum Regis ornamentum ipſo throno ſublimius vnquam fuit, cùm iſtud ad diuinæ propemodum Maieſtatis honores proximus accedat: quarè dum de Rege Inferorum, (& quidem iuxta Antiquorum fabulas titulo diuinitatis inſignito) agatur, eum neceſſe fuerat in Solio collocari. Secundò etiam facilis eſt ſolutionis, quia, vt notat idem Pier. cit., Seſſio Regis in Solio indicat firmam, ſtabilem, ac venerabilem futuram eius dignitatem: cum igitur Pluto acturus eſſet de perennanda ſua ipſius dignitate, per ſucceſſionem filiorum; ideòq; Connubia appeteret; immò & agendum illi eſſet de conſeruanda venerabili in ſtatu eâdem dignitate; facturus, ne illa à fratre Ioue contemneretur in ſolio poſitus ſedet, & ſtabilitur: *Ipſe rudi fultus ſolio*. Et quidem hoc regibus ſemper attributum videbis à melioris notæ poetis. Sic Bracciol. de Cruce lib. 4. in Solio deſcribit Coſroam Perſarum Regem excepturum Legationem ab Heraclio miſſam, his verſ.

Ei, vi poſtoſi in trono; al manco piede
Lo ſcabel ſottopeſto è finto il mare,
La terra al deſtro, e'n torno vn Ciel ſi vede,
Che d'elletto Zaffir puro traſpare:
La Luna, e'l Sol, nella pompoſa ſede,
Fulgentiſſime gemme al mondo rare,
Fiammeggian giuſo in parti aberta, & ime,
Quaſi baſſe miniſtri al Rè ſublime.
Ei ei ſi ſtà con la ſuperba fronte
Di corona real fulgente, e graue;
E ſoſtien con le mani all'ira pronte
Lo ſcettro altier, che l'Oriente paua;
Lo ſguardo è toruo alle minaccie, all'onte;
Pur d'affabilità raggio non haue:
D'ogni dote gentil l'anima è ſcema;
E la turba de' ſerui intorno trema.

Vide, quam congenea ſit hæc ſuperbi regis deſcriptio deſcriptioni, quam ex Claud. præ manibus habemus. Sed Principem Italicorum Poetarum audiamus, quomodo videlicet ipſe Regem Ægypti, Emireno belli Hieroſolimitani ſummam demandantem, deſcribat cantu 17. ſuæ Hieroſ. liber.

Egli in ſolio ſublime, à cui per cento
Gradi eburnei s'aſcende altèro ſiede:
E, ſotto l'ombra d'vn gran Ciel d'argento,
Porpora inteſta d'or preme co'l piede;
E, ricco di barbarico ornamento,
In habito regal ſplender ſi vede:
Fan torti in mille faſcie i bianchi lini
Alto diadema, in nuoua forma, à i crini.
Lo ſcettro hà nella deſtra, e per canuta
Barba appar venerabile, e ſeuero;
E da gli occhi, ch'etade ancor non muta,
Spira l'ardore, e'l ſuo vigor primiero;
E ben da ciaſcun atto è ſoſtenuta
La maeſtà de gl'anni, e dell'impero.
Apelle forſe, ò Fidia, in tal ſembiante,
Gioue formò, mà Gioue all' hor tonante.

Nota quam alte aſſurgat hæc etiam hypotiposis, & quam congruat cum poeta noſtro. Sed quid plura? Cupis ne ſcire, quanta exiſtimatione dignus, hoc loco, ſit Claud.? Sufficiat dicere, non dedignatum fuiſſe eundem italicorum principem illi inhærere, & Claudiani ſenſibus ſuam ditare poeſim Cantu 4. liber. Hieroſ. dum infandum Auerni Concilium deſcribens, ſic peragit.

Siede Pluton nel mezzo, e con la deſtra
Saſtien lo ſcettro ruuido, e peſante &c.

Et infra ſubdit.

Horrida maeſtà nel fiero aſpetto
Terrore accreſce, e più ſuperbo il rende:
Roſſeggian gl'occhi; e di veneno infetto,
Com'infauſta cometa, il guardo ſplende;
Gl'inuolue il mento, e sù l'hirſuto petto
Hiſpida, e folta la gran barba ſcende;
E, 'n guiſa di voragine profonda,
S'apre la bocca d'atro ſangue immonda.
Qual i fumi ſulfurei, & infiammati
Eſcon di Mongibello, e'l puzzo, e'l tuono,
Tal della fiera bocca i negri fiati,
Tale il fetore, e le fauille ſono.
Mentr'ei parlaua, Cerbero, i latrati
Repreſſe, e l'Hidra ſi fè muta al ſuono
Reſtò Cocito, e ne tremar gl'abbiſſi;
E'n queſti detti il gran rimbombo vdiſſi.

Conferas vtramq; deſcriptionem; & videbis, quam benè Claudianum induerit Torquatus Taſſus. Sed, vt, vndè diuertimus, reuertamur; Solium Reges maximè decere, etiam ex Virg. Æn. primo habetur; vbi de Regina Didone loquens hæc habet.

. . . . Media teſtudine templi
Septa armis, ſolioq; alte ſubnixa reſedit.

pariter, vt in re noſtra loquamur, idem Virg. Æn. 6. Solium Plutoni regi attribuit his verbis.

Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petiuit
Ipſius à Solio Regis, traxitq; trementem &c.

Latinus Rex, apud eundem Æn. 7. in ſolio eminet collocatus cum Æneæ recipit legationem

. . . . Ille intro tecta vocari
Imperat, & Solio medius conſedit auito.

Verum aptiori ſtylo Poetam ægyptijs prorſus imbutum caracteribus enucleemus. Iuxta ægyptias igitur figuras, *Solium*, ſeu thronus ceſſationem ſignificat, vt ex Pier. lib. Hierog. 43. Cum igitur ab armis, coactus eloquentia Lacheſis, ceſſet Pluto; in ſolio eſſe dicatur, quia Solium ſymbolum ceſſationis eſt.

NIGRAQVE VERENDVS &c. Niger triplicem habere poteſt ſignificationem: primo ita vt ſignificet ſimpliciter colorem illum, quem *atratum* communiter dicimus; & in hac ſignificatione certè dignum Maieſtatis epitetum Plutonicæ eſt, quippè *noctis Arbiter, vmbrarumq; potens &c.* dictus eſt Pluto. Secundo mortiferum quid indicat: & hoc ipſum Plutoni maximè aptatur, nam *finem cunctis, & ſemina præbet*, vt ſupra dixerat Vates ipſe; & inſuper Præſes mortuorum credebatur. Ideò mortifera iure eius adſtruitur Maieſtas. Tertio malum importat: Sic, cum Iudices condemnarent, mos fuit, vt nigrum præfigerent θ. Ideò Plutonis niger color aptetur Maieſtati, qui ſcilicet malum ſemper in ſontes exerceat, ac nigrum illis theta præfigat.

MAIESTATE. Maieſtas quædam qualitas eſt honoris ac reuerentiæ filia; Vulgo *Grauità del ſembiante in cui d'altrui la riuerenza ottiene*. Ideò in Plutone ponitur, quia verendo hæc dicitur etiam *regales oſtentatio auctoritatis*, ideò digna inferorum Rege in throno ſedente. Maieſtas inſuper quædam cum horrore grauitas eſt inquit Barthius. In primò ſenſu grauitatem Plutoni ingerit *innumerum vulgus, dum famulatur Auerni*. In ſecundo ſenſu Solum ipſum, in quo ſolus ſedeat vmbrarum potens; in tertio ſenſu Audacia, qua *prælia moturus ſuperis Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras*.

VERENDVS. Verendus dupliciter ſumi poteſt: vel ita vt per ſincopem idem ſit ac *venerandus*, & optimè conuenit Plutoni, cui *innumerum vulgus famulatur Auerni*, quique ideò, venerabili, vt dicebamus, ſedeat Maieſtate: vel ita vt non ſit participium à veneror; Sed à vereor, quod timorem, ac terrorem indicat in verente; & idem eſt ac *obſeruantia quadam honeſtoq; ac ingenuo pudore metuo*, ad diſtinctionem verbi *Timeo*, quod ſeruile eſt, & dicitur propriè de ijs, qui formidine pœnæ timent, & perhorreſcunt: cum, vice verſa *vereor* de liberis dicatur, qui, quaſi ſponte, & ingenita quadam reuerentia, ac ingenuitate verentur. Hic autem certe in hoc ſenſu de Plutone dici poteſt, quia, licet inferi coactè eum venerentur, & formidine pœnæ Tyrannum timeant; cum tamen, in caſu, terrorem Liberis etiam, nempè Cælitibus, & quidem ex legitima, vt ab ipſo putabatur, cauſa, eſſet incuſſurus, iure verendus, ſeu eius dicitur verenda maieſtas, ideſt non ſeruis ſolum, ſed & Liberis quibus imminebat ac minabatur.

SEDET. *Sedere*, quod ad Regem ſpectat, ſatis iam innotuit quid ſignificet. Quod ad rem attinet, quia à certamine ceſſabat iure ſedens conſtituitur ideſt ab inceptis deſiſtens, & otio ſe ſe ipſum componens.

SQVAL-

SQVALLENT. Deſcripto corporis ſitu, inchoatam Plutonis deſcriptionem proſequitur ab adiunctis; & primum ab ipſo ſceptro ad horriditatem compoſito. Porrò verbum *ſquallee*, à ſquammarum crebritate, & aſperitate deductum, adhibebatur olim ad ſignificandam aſperitatem rei alicuius, quæ ſcabra, & quaſi hirſuta ſquammis adeſſet: aſt, longo poſtea vſu, ita tranſlatum eſt ad ſignificandam deformitatem, vt iam de ijs tantum dicatur, quæ inculta, deformia, & multarum ſordium congerie contaminata exiſtunt. In vtroq; ſenſu textui Poetæ conuenit: in primo quidem, quia, cum poſuerit ſolium Plutonis rude, impolitum, & aſperum, conſequens erat, vt & Sceptrum poneret eiuſdem qualitatis: in ſecundo verò ſenſu, quia, vt ex contextu patet, rationem reddens deformitatis a cauſa, in verbo *ſitu*, ſatis oſtendit, ſe explicatè loqui de deformitate, quam à *ſitu* contraxerit Sceptrum illud; nam, cum Plutoni ferreum tribuatur ſceptrum, ad oſtendendum, damnatos in virga ferrea confringi, dum puniuntur; & ferrum facile rubiginem, & aſperitatem, ac deformitatem contrahat, ſi procul a ſole, in locis tetris, humidiſq; detineatur, ſequitur, neceſſario, vt Plutonis ſceptrum incultum, horridum, deforme ſit, cum illud tartareæ nocti ſemper addictum, ſtyge circumuallatum &c. non poſſit quin horrido inficiatur ſquallore. Ideò *ſquallens*, inquit

SCEPTRA. Per Sinecd. plura pro vnico ponentem. Sceptrum autem inſigne regium eſſe, nemo eſt, qui neſciat; & hoc ideò antiqui tamquam Regis Hieroglyhicum obſeruabant: ita vt Augures ex ſceptro, fulminis impetu è Neronis manu decuſſo, abrogatum diuinitus Cæſaribus imperium fuerint inaugurati. Quarè, cum de inferorum rege ſermo ſit in præſenti, iure illi ſceptrum fuerat tribuendum. Sed non leuibus hiſce tantum inhæret Excellentiſſimi Vatis eruditiſſimus calamus. Sceptrum, & quidem ſceptrum Iouis exiſtimabatur olim ab ipſo ſummo hominum parente Deo ad homines tranſmiſſum; atque ideò ſceptro vtebantur Principes ad foedera conſocianda. Cum igitur Pluto Iupiter infernus dicatur, non ſibi à Ioue tranſmiſſum regebat ſceptrum, ſed hæreditario ſibi debitum iure geſtabat: quarè, vt, ad Iouem miſſurus legationem, oſtenderet, hanc non eſſe ſpernendam, ſceptrum tenet, atq; etiam, vt ex æqualitate indicet, ſe, legatione, non petiturum, ſed imperaturum; ac ſceptrum ſe tenere, vt, audita legatione, foedera ſtabiliantur, ſin autem, ſceptrum ſceptro oppoſitum futurum, & quidem non impar, oſtenter.

IMMANIA. Immane idem eſt, ac *crudele*, *nocens*, *ferum*. Sic Virg. Georg. 3. loquens de Ixionis rota atrociſſimè lamante ait.

. . . . Tortoſq; Ixionis angues
Immanemq; rotam; & non exuperabile ſaxum.

Pariter de Euridice, noxio ſerpentis morſu perempta, Georg. 4. ait.

Immanem ante pedes Hydrum moritura puella
Seruantem ripas alta non vidit in herba.

Et in ſenſu feritatis eodem adiectiuo vſus eſt idem Virg. Æn. 7. vbi ait.

. . . . Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit &c.

Inſuper *Immane* ſæpè ſumitur pro eodem, ac *aſperum*, *horrendum*, *terrorem q; incutiens*. Sic Neptunum ventis obſtrepens apud Virg. Æn. primo, loquens de Eolo ventorum Rege hæc habet.

Non illi imperium pelagi ſæuumq; Tridentem.
Sed mihi ſorte datum. Tenet ille immania ſaxa,
Veſtras, Eure, domos. Illa ſe iactet in Aula.

Interdum etiam *immane* ſumitur pro eodem, ac *ingens*, *immenſum*, vulgò *ſmiſurato*. ſic 6. Æn. Virg. de Dædalo, fœlici volatu ad terram ex aereo tramite deducto hæc cecinit.

Redditus hic primùm terris tibi Phœbe ſacrauit
Remigium alarum, poſuitq; immania templa.

Quos autè diſparatim ſenſus habere poteſt adiectiuum *immane* apud cœteros poetas omnes colligit hic Auctor in vnum noſter, ita vt triplicem quem diximus ſenſum vna voce complectatur dum Plutonis *ſceptra immania* appellat; primo enim certum eſt, aſſerere voluiſſe, ſceptrum huiuſmodi crudelitatem redolere, dum in puniendis damnatis terribiliter ſe exercet; nocens, ac ferum eſſe, dum exquiſitis excruciat tormentis Ixiones, Tytios, Syſiphos &c pariter aſperum, ac horrendum eſſe dijudicat, vt, quale ſolium rude, & horridum deſcripſit, tale congruenter effingat & ſceptrum, & probatur hic ſenſus ex cauſa, quam adducit, dicens, immania eſſe *fœdo ſitu*, ideſt ſquallida, horrida &c. Et tandem *immania*, in ſenſu magnitudinis appellat, quia non acquieſcebat Auctor noſter ijs, qui dicebant Plutoni attributum fuiſſe ſcepterum breue, & aduncum; immò, iuxta ſententiam ſuam, eximiæ magnitudinis fuiſſe clare oſtendit 2. de raptu vbi illud trabale vocat

Indignatuſq; trabale.
Saxa fuerit Sceptro &c.

& cuius magnitudinis indicium hic poſuit. Nec obſtat, quod adiecerit, vt dicebamus, Poeta

FEODO SITV: Nam hoc refertur ad verbum *ſquallens*, non verò ad adiectiuum *immania* ſaltem principaliter; licet ſecundariò copulari poſſint, vt in ſecundo ſenſu explicationis ad illud *immania* & nos ipſi innuimus. Squallent igitur fœdo ſitu ſceptra immania ſquallore, id. horrida; immania horrore, ac terrore pœnarum, quas incutiunt; immania pondere, & magnitudine, nedum immania, dum ſquallent fœdo ſitu. *Fædum* autem dicitur quidquid turpe, horridum, deforme, eſt. Non poterat verò ſitus auernalis non eſſe huiuſmodi, cum infernis ſordibus concreſcat, vt mox dicetur. Pariter *Fædum* interdum ſignificat *execrandum*, *maledictum &c.*, & etiam in hoc ſenſu congruit, nam ſitus ille ſordes habet, in loco maledictionibus ſemper obnoxio enaſcentes, ſibi congenitas. Denique *Fædum* idem ſonat, ac *crudele*; & crudelis ſitus inferni eſt, qui tetro quodam odore enecat, ſi per ſpiracula exhalet inferorum, vt de Amſancti Vallibus iam diximus alibi. Ideò triplicem amplexus ſignificationem *Fædo*, inquit Vates ſitu. Situs porrò lanugo quædam eſt, vulgo *la muffa*, ex humido progenita præſertim in locis ſole carentibus: ſeù, vt alij dicunt, ſitus eſt ſordes, & illuuies illa, quæ naſcitur inter opaca domus, quæ diù non repurgatur. Aſt Plutonis domus certè eſt antrum opacum ingens, cum regnum ſit tenebrarum, ac perpetuæ noctis domicilium, quod cum immunditiarum omnium fœtida ſit ſentina, non poteſt quin ſitum procreet tetrum, ac fœdum, quo omnia in eo degentia contaminentur. Solet autem in locis ſitulentis odor quidam teter, ac fœdus enaſcens nares olfacientium grauiſſimè offendere; aſt teterrimus procul dubio dicendus odor ſitus auernalis, dum vel tenuis eiuſdem exhalatio peſtem per nares immittit, vt ex dictis Amſancti vallibus patet. Quarè fœdus, ideſt *crudelis* erit ſitus ille, ac execrandus, quia eum olfacientes execrationibus ſemper proſequentur, cum aſſiduè enecentur odore illo, & numquam perimantur. Hunc ſitum inferorum cauernis tribuendum agnouit etiam Latinus Homerus Æn. 6., eiuſdemq; cauſas attigit, dum ſic apud ipſum Æneas.

Sed me iuſſa Deûm, quæ nunc has ire per vmbras,
Per loca ſenta ſitu cogunt, noctemq; profundam.

iure igitur fœdo hoc ſitu ſquallentia Plutonis ſceptra deſcribit Auctor, & plures, more ſuo, ſenſus vnico complectitur verbo

SVBLIME CAPVT &c. Ex nube, triſti quadam circumuallatione Plutonis caput circumeunte, horridiorem delineat eiuſdem Numinis maieſtatem.

MÆSTISSIMA NVBES. Nubes vapor eſt humidus, ſeù aer in liquorem coactus, cuius denſitas, haud dubium, ſolis prohibet intuitum, quarè ſemper mæſtitiam infert; ideòq; mæſtæ dicuntur nubes, non quia in ſe mæſtitiam habeant; ſed quia mæſtitiam ingerunt in animos intuentium, & multò magis in eos, qui nubibus circumquaq. obuallantur. Ex ſitu autem, quem in inferorum locis ſuccreſcere vberrimè, diximus, certè colligitur, ea loca humidiſſimis eſſe repleta vaporibus, quarè nil mirum, ſi ibi etiam nubes, noctem magis addenſantes, adeſſe credantur, & quidem mæſtæ ibi, ſi vnquam alibi: nam, ſi ex connaturali tetro nubium colore horror ille, ac mæſtitia incutitur, vbi nam magis locorum terræ ſe ſe nubes addenſent, quam vbi denſa ſemper caligine nigreſcunt omnia? Aptè igitur caput Plutonis mæſtiſſima circumdatum nube deſcribitur, vt, ſicuti toti corpori thronus datus fuerat rudis impolitus &c., vt regis oſtenderet inclementiam: ſicuti ſceptrum manibus addictum fuerat fœdo ſquallens ſitu, vt dominantis indicaretur immanitas: ita conſentaneum fuit, vt capiti proportionata etiam diademata aptarentur; quod autem, mœroris in Regno, mortuorum Regi aptius diadema, quam quod mæſtiſſima nubes efformaret? Sed hæc in cortice tantum eruditiſſimæ refulgent Poeſis. Accuratiùs introſpiciamus. Sicuti ſerenus animus, ac ſerena mens dicitur illa, quam nullus aut inuidiæ, aut iræ, vapor obnubilat; ſic vice verſa animus, ac mens inuidiæ, atque iræ vaporibus circumacta ſerenitatem

ani-

amiſiſſe, ac nubibus obuallari ſatis dicitur. Atqui Pluto Ioui inuidebat fœlicitatem, & connubia, vt ex ſequentibus patebit; excandeſcebat proindè irarum æſtu efferueſcens, conſequenter mentis ſedes, quæ caput eſt, nube, & quidem mæſtiſſima circumcingitur, vt ex exteriori hoc ſigno quid interius lateret tempeſtatis abundè innoteſceret: Mæſtitia ſic intus latens foris apparebat.

ASPERAT. *Aſperare* eſt *aſperum reddere*, hoc eſt rude, impolitum, intuentiq; aut attrectanti moleſtum efficere: aſperitas enim potiùs ad ſenſum pertinet tactus, quam ad ſenſum viſus; & aſperum dicitur quidquid ita ſcabrum eſt, vt quibuſdam crebris veluti aculeis ſenſationem moleſtam in attrectante efficiat. Hic in ſenſu translato adhibetur, & quidem emphaticè, nam plus dicit quam dicat; oſtendit enim à nube illa atrociorem Plutonis reddente aſpectum, eiuſdem adeò ſeueritatem intendi, augeriq; vt formidandam prorsùs reddat intuentibus, ita vt, ſicuti aſperitas efficit, vt tactus ſe ſe illi applicare reformidet, ita rigor illius frontis oculum terret adeò, vt aciem in eum dirigere, perhorreſcat. Aſperat igitur, ideſt ſeueritati rigores, rigoribus horribilitatem ſuperaddit, ideòque nigra magis territat Maieſtas.

SVBLIME CAPVT. Sublime nomen creditur à *limo* efformatum, quaſi *ſuper limum* ſonet, vt, qui ſublimis adſtat, intelligatur limum deſpicere, & ſuper limum eleuari: quia verò quo altioris ſtructuræ homo eſt, eius caput magis diſtat à limo, ideò eiuſdem caput ſublimè dicitur. Quam altè autem Plutonis caput attolleretur, audi Principem Hetruſc. cit. Can. 4.

Nè tanto ſcoglio in mar, nè rupe alpeſtra,
Nè pur Calpe s'innalza, ò'l mago Atlante,
Ch'anzi lui non pareſſe vn picciol colle,
Sì la gran fronte, e le gran corna eſtolle.

ſed nimis litteram redolet ſenſus iſte, & ſolita Vatis eruditio admonet, ne vnquam litterarum cortice detineamur. Caput itaq; ſedes conſilij eſt, vt notat Pier. lib. Hierogl. 49. Cum igitur Pluto ſuperba adeò enutriret conſilia, vt in Cœlum ipſum impetum facere machinaretur, & ei mens eſſet, vt cedens Iupiter mandatis, quæ daturus erat ipſe Pluto, obtemperare cogeretur, nil mirum, ſi caput, huiuſmodi conſiliorum ſedes, ſublime dicatur, dum ſuperbis cogitationibus ſupra cœlum ipſum erigitur, & Iouem deſpicit quaſi limum pedibus vtiq; proterendum, ſe ipſum tantummodo reputans imperio natum.

ET DIRÆ RIGET &c. Ab adiunctorum ponderatione ad ipſam verendæ maieſtatis ſedem, quæ facies Plutonis eſt, reuertitur, vt ſupra adiuncta extrinſeca addat intrinſeca, nempè accidentia illa, quæ in ipſa facie, tamquam in ſubiecto inhærentia, terrificum eiuſdem reddebat aſpectum: & primo rigidam illam ex inclementia effectam delineat.

ET INCLEMENTIA. Inclementia eſt aſperitas quædam crudelitatem ſpirans, & inclementia dicitur, quaſi negatio pietatis, ac clementiæ eluceat in vultu ad pietatem inflexibili, ac ſolam in crudelitatem procliui, atq; ad ſolam compoſito ſæuitiem. Ideò inclementia diræ formæ, ideſt execrabilis ipſo in vultu crudelitas eluceſcens.

DIRÆ FORMÆ. Dira forma appellatur, vt ſciamus, nomen formæ non accipi hic in eo ſenſu, in quo forma ſimpliciter accepta vſurpatur: nam *forma*, ſi ſine addito ponatur, pulchritudinem ſignificat, vndè & formoſa dicitur virgo pulchritudine inſignis; ſed accipi pro ipſo faciei aſpectu, non ad amorem, ſed ad terrorem compoſito; *Dirum* enim propriè ſignificat quid crudele, ſæuum, immane, & dicitur *Dirum*, quaſi *Dei ira immiſſum*; ex quo factum, vt etiam æternales Furiæ Diræ, quaſi *Dei iræ* dicantur. Cum igitur agatur hic de Plutone irato, & de ſignis ab ipſo irato Deo in faciem immiſſis, vt ira, quæ intus ardebat, euaporaret ad extra, rectè dira eius forma nuncupatur, nempè in qua fulgurans Dei ira emicaret.

RIGET. Ideſt aſperatur, induratur, & magis magiſque inflexibilis apparet, vt horror magis augeatur, ac terror magis ingruat, & incutiatur.

DOLOR. Doloris nomine quilibet, vel animi, vel corporis cruciatus importatur. Hic autem procul dubio ad animum refertur, ita vt *dolor* hic varios ſignificet paſſionum motus, quibus Plutonis animus vexabatur; aderat nempè dolor priuationis coniugij, & liberorum; dolor inuidiæ, cum Iouem coniugatum cerneret, & quia illi cœlum, ſibi centrum obtigerit; dolor ideſt motus iracundiæ, quæ iam vergebat in rabiem, eo quod ſe contemni exiſtimaret; & dolor excreſcens ex eo, quod paratus in bellum ſupplicationes admiſiſſet, quibus cogeretur armis parcere, vel inuitus, & ad inuiſum Fratrem legationem mittere, ne videretur Fatis reluctari, & vim moliri iniuſtam, niſi priùs peteret &c. Multiplices igitur hi dolores, in vnicum dolorem confluentes intenſiuè, adeò Plutonem excruciabant, vt etiam in vultu horridior appareret animus furijs agitatus. Ideò eruditiſſimè inquit Auctor: Dolor

AVGEBAT TERROREM. Augere enim eſt rei, iam poſitæ incrementum ſuperaddere, vt qui aquam aquæ, ignem igni ſuperaddat. Sic etiam dolor Plutonis natiuæ eiuſdem horribilitati nouam accidentalem horribilitatem addebat; & horridior ideò ille non tantum in ſe ipſo euadebat, ſed terribilior etiam, ita vt maiorem videntibus terrorem incuteret. Terror autem propriè eſt motus alteri illatus, non in terrente receptus. Sed ab effectu licet hic latè cauſam intelligere. Quod ſi cupias clariùs dignoſcere, quanta ſit horribilitas Plutonis, ex hoc ſuccreſcens, quod ſe fractum, ab armis prohibitum, ac neglectum videat, legas Bracciolinum c. 1. de Cruce ſic ore loquentem Plutonis.

Di tempeſte hor più dunque, e di procelle
L'Auttor non ſono? E queſt' ancor m'hà tolto
Chi togliendomi il Cielo, e l'auree ſtelle
Nel cieco abiſſo hà'l mio poter ſepolto?
Tormento anco il punir l'alme rubelle?

Deindè ore proprio.

E quì di rabbia il cor ſi frange, e'l volto
Cocito freme, e ne rubella Auerno;
E più d'inferno è quel furor l'inferno.

quid terribilius? An non igitur dolor terrorem augeat. Sed ne nimis augere videamur ad vlteriora procedamus.

TVNC TALIA &c. Præmiſſo ſeueriſſimæ maieſtatis apparatu, & tali ſanè, qualis deceret inferorum Regem, naturâ videlicet extructo, indignatione ſolidato, doloribus in immenſum, ferè dixerim, adaucto, expromenda iam erant mandata legationis. Ad hæc igitur tranſit, ita vt aduerb. illud

TVNC tempus ſignet immediate ſubſequens ad ſic compoſitam maieſtatem.

TALIA. Nempè quæ ſequuntur, vel ſimilia his, quæ ſequuntur, non enim profitetur Poeta, ſe velle ipſiſſima verba referre. Vide in ſimili pag. 45. col. 2.

ORE. Os propriè eſt concauum illud, intra quod lingua, & dentes clauduntur, quæ omnia quàm maximè ad vocis articulationem conferunt. Ideò propriè hic dixit *Ore*, licet translatiuè loquatur, dum addit verbum *tonat*; nam tonitrua ex colliſione, ſeu confractione concauæ nubis eliciuntur; calor enim Solis in nubes illapſus, atque earum rigore coarctatus, ſimul ac de fractis erumpit nubibus ſonitum illum, fragoremq; edere dicitur; ad os autem ſummo niſu reſonans transfertur. Huiuſmodi verò vocis tonitrua maximè iratum decent; nam, ſi antiqui Phyloſ. voluerunt, tauri mugitum, per tonitrua, ſignificari, teſte Pier. lib. Hierogl. 3. quid terribilius Tauro fœnum in cornibus habente? ait enim Hor. Fœnum habet in cornu: longè, fuge: & Eccli. 6. monemur, cauendum ne animos veluti Taurus extollamus. Taurus igitur ſuperbi ſimul, ac furibundi ſymbolum eſt; ideòque Tauri mugitum voce tonans Pluto imitatur, & fortaſſis etiam, vt hoc ipſo mugitu, ac tonitru vocis, Iouem redarguat Fratrem, qui in Taurum conuerſus Europam ſibi in pellicem rapuerit, Plutonem nihilominùs cœlibato detinens addictum. Ore autem

CELSO, inquit, ideſt ore rotundo, & profundè altitonanti, hoc eſt toto vocis niſu exerto reboante. Ideò

TONAT. Vt ſuperbo oris ſonitu, ſe Ioue haud inferiorem oſtendat; nam ſcimus, & Clearcum Heracliæ tyrannum, cum tonitrum imitari voce non poſset, filium ſibi natum Tonitrum appellaſse; quem vicit tamen Salmoneus auſus, qui Iouis flammas, & Olympi ſonitum imitaretur, vt cecinit Virg. Æn. 6. hæc habens.

Vidi, & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis, & lampada quaſſans
Per Graiûm populos mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans diuûmq; ſibi poſcebat honorem;
Demens, qui nymbos, & non imitabile fulmen
Ære, & cornipedum curſu ſimularet equorum.

cur non igitur, potiori iure, voce tonitrua imitatus, poſſit ſe fratri æqualem frater oſtentare? Hunc ipſum verò Plutonici oris fragorem expreſſit, loco cit., Torquatus dum ait.

Quel'i fumo ſulfureo &c. vt ſupra.

TREMEFACTA SILENT &c. Ab effectibus amplificat

Plu-

Plutoniæ vocis vehementiam, ac fremitum tonitruis ſimilem, ex quo videlicet terror Inferis omnibus incutiatur.

ATRIA. Atrium prima pars domus eſt, quæ mediam continet aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendit. Hic, dum plurali numero vtitur Poeta, omnes Inferni partes indicat contremuiſſe, quas *Atria* vocat per catacreſim nomine propinquo abutentem. Seù dixeris omnes inferni partes *Atria* vocari, quia in omnes inferni partes Mundi depluant Sordes, ac Cœlorum iracundia in ſceleſtos defluat pœnalis.

TREMEFACTA. Tremor eſt concuſſio corporis, qualis in febrium rigore agitatis facilè cernitur. Sed & tremere dicitur tellus cum terræ motu concutitur. Quarè, cum ſermo hic ſit de ipſo inferorum loco, vides quantum amplificet Vates illius vocis fragorem, quo efficitur, vt quodam quaſi terræ motu inferna loca quatiantur. Quod ſi velis, non ſolum hic de continenti, ſed etiam de contentis eo in loco vmbris ſermonem eſſe, ita vt continens pro contento ponatur; vim terræmotui ſimilem loca concutientem dignoſces, febrilem verò, ſeù quaſi febrilem rigorem vmbris ipſis incuſſum dixeris. Tremefieri enim eſt à terrore extrinſecus aduenientе concuti, & in tremorem diſſolui. Conſonat hic textus ijs, quæ de eodem Plutone dixerat Statius Theb. 8. vbi ſic habet.

> *Dixerat; atq; illi iam dudum Regia Triſtes*
> *Attremuit oranti, ſuaq;, & quæ deſuper vrget*
> *Nutabat tellus. Non fortius æthera vultu*
> *Torquet, & aſtriferos inclinat Iupiter axes.*

SILENT. Repentino terrore concuſſum animal ſubito, quaſi occultis irretitam vinculis linguam habeat, vocem amittere, ſatis iam in comperto eſt: Quarè & Virg. horrorem cum deperditione vocis coniungit Æn. 4.

> *Arrectaq; horrore comæ, & vox faucibus hæſit.*

quod idem, ad verbum, repetit Æn. 12., vt magis opinioni arrideat, quam innuimus, & experientiæ ſententiam accomodet ſuam. Sic igitur pariter tremefacta terrore tartara, nil mirum, ſi vocem amittant, & obmuteſcant. Adde proprium ſeruorum eſſe, vt, loquente Domino, ſilentium teneant, vel in ſignum obſequij, vel vt attentiùs auribus hauriant, ſi quid præcipiatur, & è nutu pendere videantur, atq; ab ore loquentis: ac tunc præcipuè ſilent, & contremiſcunt cum iratum viderint, ne furorem ipſi in ſe concitent metuentes. Vtràq; de cauſa Inferni hic atria tremere, ac ſilere dicuntur; ideſt muta adeò extitiſſe, vt nullus iam ampliùs fremitus, nullus ſtridor, rumor omninò nullus ex nulla inferni parte ederetur, niſi quatenus tonanti Plutonis voce reſonarent.

DICENTE TYRANNO. Cauſam hic notat aternalis ſilentij. *Silent* enim *Atria*, dum Rex alloquitur, ſiuè *quia ipſe loquitur*. Tyrannus nunc dicitur tantum Incubator Imperij, qui non iure, neq; legibus, ſed vi, & animi quadam libidine dominetur. Sed & iuſtum quoque Regem Tyrannum Priſci vocabant. Quarè Latinus apud Virg. Æn. 7. Æneam innuens inquit.

> *Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.*

Plutonis Imperium Tyrannicum fuiſſe iam vidimus pag. 24. col. pri. Non tamen Regni vſurpator, nam, vt item vidimus pag. 50. col. 2., Regnum Plutoni obtigit, cum fratres Saturno nati, iactis ſortibus inter ſe, Paternum diuiſerint Imperium. Quarè Pluto Tyrannicum dicitur Imperium obtinere quo ad exercitium imperandi; quia videlicet tyrannico imperet more, non verò ex eo quod illegitimè ſeſe in regnum intruſerit. Legitimus Rex Pluto cenſebatur, eo quod iure, ac ſancitis legibus regnum obtinuiſſet; ſed tyrannus quo ad modum imperia in ſubditos exercendi. Quarè ad vtrumq; arbitror Poetam reſpexiſſe, dum Tyrannum appellat Plutonem *dicente Tyranno*. Prudenter tamen Tyranni potiùs vtitur, quam Regis nomine, vel videlicet vt proprio ex operationibus deſumpto titulo Plutonem notaret; ſiuè vt oſtendat, non mirum eſſe, ſi, eo loquente, contremiſcens ſileret Auernus, tyrannidem, quam nō ſemel expertus fuerat, reformidans, & quidem tunc maximè temporis, cum Pluto omnem legem poſthabere, ac ſatis ipſis contradicere videretur, bello in Cœlum erupturus infeſto.

INGENS IANITOR. Quis ſit iſte Inferni Ianitor, nulli imperitum, arbitror, cum nil magis apud Poetas ſolemne ſit, quam Cerberum inferorum cuſtodem conſtituere. Verum, qui ſit iſte Cerberus, non adeò compertum; cum varient Auctorum ſententiæ. Aliqui voluerunt, Cerberum nil aliud fuiſſe, quam ſerpentem in Tænaro Promontorio degentem, cuius venenum vehemens adeò eſſet, vt eo infectus ſtatim occumberet homo. Hunc autem ſerpentem interemptum dicunt ab Hercule tandem, ex quo datum fabulæ locum, qua dicitur Hercules, Cerberum ab inferis per Tænarum ad ſolis lucem abduxiſſe, ac inferorum ſic intereniſſe cuſtodem; cum enim ex Tænaro aditum ad Inferos eſſe voluerint, Cuſtodem inferorum huiuſmodi ſerpentem conſtituerant. Communior tamen opinio eſt Cerberum Canem fuiſſe, in quem inciderent animæ mortuorum, vbi flumina inferna traiecіſſent, qui quidem canis, atrociſſimus inferorum cuſtos, in ſpelunca quadam ante fores recumberet Plutonis, ac omnibus quidem ingreſſuris adblandiretur; ſed nullum egredi pateretur, egreſſuros omnes altiſſimis, horrendiſq; exterrens latratibus; quod ſi quis latratibus interritus effugere conetur, arripi ſtatim aiunt à Cerbero, ac voraci gutture deglutiri. Cerberum Typhone, & Echidna natum ferunt, Porrò Echidna ſerpens eſt viperæ ſimilis; aut à Poetis Echidnæ nomen vſurpatur ad quemcumq; ſerpentem ſignificandum: immò antonomaſtice, apud ipſos Echidna ponitur pro Hydra illa, quam Lerneæ paludis peſtem, interfectam autumant ab Alcide: Typhon autem ventus vorticoſus, ac vehemens eſt, vt vidimus pag. 54. col. 2. Ex quo patet Poetas tacite innuiſſe, Hydram, ad modum Olyſiponenſis equæ, Typhonem verſus aperto inhiantem ore, flatuſq; auidè exhaurientem concepiſſe; ideòq; Partum, venenis ſummè lethalibus, rabie, ac ferocitate, ex vtero materno deſumptis, mobilitatem, velocitatem, & impetum ex Patris ſemine deſumpſiſſe, vt monſtrum fieret vndequaq; immane, ingens, horrendum. Hinc fortaſſis originem duxit, & probabilitatem ſententia eorum, qui Cerberum ſerpentem fuiſſe tradunt; quid enim Hydra niſi Hydram, & Colubrum pareret? Sed minùs monſtroſum eſſet, quam terribilitas requirat inferorum. Nec nouum eſt, ex etherogeneo diuerſarum ſpecierum coitu quid tertium ſæpè, vtroq; parente monſtroſiùs prouenire. Quarè non ideò auſim redarguere, qui Cerberum canem faciunt, cum præſertim eum ſerpentibus vndequaq; horribiliter villoſum efficiant. Ex quo facilè etiam concordantur ſententiæ, quæ variæ videntur de multiplicitate capitum, quibus horreſcat Cerberus: nam Heſiodus, vt habet Mythol. Nat. Com. lib. 3. Quinquaginta illi capita attribuit: Centum Horatius lib. 2. Carm. Communis opinio tria tantum capita conceſſit: Facilè, inquam, concordantur, ſi dicamus Heſiodum quinquaginta capita tribuiſſe, eo quod angues omnes, qui villorum loco ex Cerberi collo pendeant, propria habeant capita, quibus exſibilent, mordeant, ac venena euomant; Horatium verò centum poſuiſſe ad eoſdem reſpiciens ſerpentes, ita vt vterq; Vates numerum determinatum pro indeterminato poneret, ſignificaturus innumera ſerpentium capita, quibus toto corpore villoſus Cerberus conſpiceretur; Communem autem opinionem tria tantum capita poſuiſſe, vt propria monſtroſi corporis præcipua capita, & quaſi eiuſdem eſſentialia denotaret. Hæc omnia latinus Homerus Æn. 6. complexus ſic Cerberum inferorum deſcribit cuſtodem, vbi à Charonte Æneam, ac Sybillam trans fluuium comportatos referens, quid eiſdem poſtea euenerit recenſet.

> *Tandem trans fluuium incolumes vatemq; virumq;*
> *Informi limo, glaucaq; exponit in vlua.*
> *Cerberus hæc ingens latratu Regna trifauci*
> *Perſonat aduerſo recubans immanis in antro:*
> *Cui Vates horrere videns iam colla colubris*
> *Melle ſoporatam, & medicatis frugibus, offam*
> *Obijcit: ille fame rabida tria guttura pandens*
> *Corripit obiectam: atq; immania terga reſoluit*
> *Fuſus humi, totoq; ingens extenditur antro.*
> *Occupat Æneas aditum, cuſtode ſepulto &c.*

Conſonat Hor. lib. 3. Carm. ode 11. ad Mercurium.

> *Ceſsit immanis tibi blandienti*
> *Ianitor Aulæ*
> *Cerberus; quamuis furiale centum*
> *Muniant angues caput eius, atque*
> *Spiritus teter, ſanieſq; manet*
> *Ore trilingui.*

vbi notandum eſt poſitum ab Horatio caput crinitum ſerpentibus pro toto corpore per Synecd., vt alludat ad ea, quæ iam ſupra innuimus. Quod ſi velis Horatium de ſolo capite loqui. Non abnuo: Sed hic etiam poſitum noueris numerum determinatum pro indeterminato, ſeù vnum pro pluribus, ne à ſe ipſo diſcordet Horatius idem. Sed de Cerbero nimis forte congeſta relinquamus, & ſenſum Poetæ noſtri proſequamur: qui ex ijs, quæ diximus, iam alte

patet; diximus enim, Cerberum horrendis latratibus terrere ab inferis egreſſuros, ſi quis egredi conetur. Quoſnam igitur latratus ederet, cum totus eruptunis in Prælium eſſet Cocytus? Probè igitur, dicente Tyranno, ſilet, tum ne vocum intelligentiam latratibus exturbet, tum vt Domino obſequium præſtet, tum deniq; maioris tonitru vocis perterrefactus, ac contremiſcens. *Ianitor* autem Antonomaſticè dicitur Cerberus inferorum; nam *Ianitor* a Ianua deriuatur, ac ſi diceretur *Ianuæ* ſeruator, & Cuſtos. Cum itaque viderimus Cerberum ante fores Plutonis excubare, ac ne quis exeat inuigilare, introeuntibus autem adblandire, iure, ex officio deſumpto, Ianitoris nomine, deſignatur. Quod etiam in vſu poſitum vidimus apud Horatium ſupra cit. immò & apud Poetarum Principem Æn. 6. apud quem ſic Amphriſia Vates Charontem alloquitur.

Nulla hîc inſidiæ tales: abſiſte moueri.
Nec vim tela ferunt; licet ingens Ianitor antro
Æternum latrans exangues terreat vmbras.

INGENS. Vides epitetum ex ipſo Virg. deſumptum. Et verè Cerberus pluribus de cauſis *ingens* dicitur; Ingens enim corpore, quia vt ait Virg. cit. immania terga reſoluit, quaſi menſura magnitudinis careat, qui *ingens* dicitur ad diſtinctionem illius, quod magnum tantummodo dicatur, nam magnitudo quantalibet illa tandem ſit, ſemper tandem menſura aliqua præfinietur: Ingens horrore, quia horrere videas iam colla colubris apud eundem Virg.: Ingens latratu, quia hic ingens latratu regna trifauci perſonat, vt ex eodem vidimus; ac tandem ingens terrore, quo Manes afficiat, dum æternum latrans exangues territat vmbras, vt mox ex Virg. legimus.

COMPESCVIT. Compeſco idem eſt, ac *cohibeo*, *freno*, *contineo*. Quod ſi, vt aliqui volunt, compoſitum ſit à *Paſco*, hic optimè cadit, ad oſtendendam impatientem Cerberi ferocitatem, qui ita latratus cohibet, vt dentibus frangere, moliriq; infractos videatur, quaſi frendat, canino more, ſilere, dum cogitur inuitus.

LATRATVM. Latratus propriè vox canis dicitur à *latro*. Ex quo patet, Claudianum in ſententiam eorum deſcendiſſe, qui *canem* Cerberum dicunt, reiecta ſententia, quæ dicit ſerpentem eſſe, in qua videtur fuiſſe Tibullus cum de Cerbero inquit:

Tunc niger in porta ſerpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.

ni dixeris & Tibullum intelligendum de ſerpentibus, quibus villoſus adeſſet, vt vidimus, Cerberus.

TRIPLICEM. Nam, cum triceps canis ſit Cerberus, conſequens eſt, vt & triplici latret ore.

ET COCYTVS. Effectum effectui adnectit per particulam *Et* coniunctiuam. Cocytus verò Inferorum fluuius eſt ex Styge profluens, & qui a gemitibus nomen habet; græcè enim *κωκυτὸς* dicitur, & *κωκύειν* gemere eſt; ſeù quod flumen ipſum vndarum murmure flebiles efficiat gemitus, dum in Acherontem deuoluitur; ſeu quod gemitibus damnatorum eius inſonent ripæ, eorumdemque lacrymis vnda fluminis augeatur. Huius meminit, & Virg. Æn. 6. vbi ſic Æneam erudiebat longæua Phœbi ſacerdos.

Cocyti ſtagna alta vides Stygiamq; Paludem &c.

RESEDIT. Reſidere idem eſt, ac *quieſcere*, *ceſſare*, & *immobiliter ſtare*. Reſedit ergo Cocytus, ideſt *reſtitit à curſu*, & vndas vndis trudere deſtitit, vt à gementi abſtinens murmure attentiùs Regnatoris perciperet mandata: ſeù, tacentibus damnatorum querelis, mutus & ipſe remanſit nullos reddens gemitus, vt etiam ex mutis rebus mortuorum in Regem obſequia mirè innoteſcerent, & terror voce impreſſus augeretur.

PRESSO FONTE LACRYMARVM. Rectè fluuio gemitibus compacto lacrymarum fluentas attribuit Auctor, ac conſequenter lacrymarum fontem, quo inceſſantes erumpant decurrentis aluei fletus: *reſedit* igitur *Preſſo fonte*, ideſt, viua vi, retardata fontis inexhauſta ſcaturigine, ne in nouas ſucceſſiuè vndas erumperet lacrymarum, ac ne gemituum nouo ſemper murmure obſtreperet, ob fines iam datos.

ET ACHERON. Primus Inferorum fluuius, qui ab accedentibus trajciendus ſit, eſt Acheron, flumen doloris, ac mœroris, vt ex ipſo nomine cõſtat deducto ἀπὸ τοῦ ἄχεος ῥεῖν, quaſi flumen dolorum, & quia maximo decurrit ſtrepitu, mæſto tamen ſemper, vt dolorem deceat nomine importatum. Hunc etiam fluuium, ſuſpenſo curſu, obmuteſcentem, dictis iam de cauſis, indicat Poeta, & tacitis vndis, ideſt nullo iam fragore decurrentibus, quippe nouo iam terrore immotis, obmuteſcere profitetur.

OBMVTVIT. Obmuteſcere interdum pro eodem accipitur, ac *ſilentium tenere*, quod iam mutum eſſet, vel ſaltem præſcindendo ab hoc, quod antea loqueretur, vel non loqueretur, qui obmuteſcere dicitur; ſic Virg. Æn. 4. Æneam obmutuiſſe dicit viſo Mercurio, cum tamen antea audientem Mercurij voces deſcripſerit, non loquentem; ſic enim habet Auctor ibi.

At verò Æneas aſpectu obmutuit amens;
Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæſit.

Verum ſpectata verbi natura, quod inchoatiuum eſſe videtur, propriè potiùs importare cenſendum eſt ſubitam quamdam ceſſationem a collocutionibus, ſeù vocibus quibuſcumq;, aut a quocumq; ſonitu, qui antea ab eo, qui obmuteſcere dicitur, eliceretur; nam idem eſt *obmuteſco*, ac *mutus fio*, hoc eſt *ſine voce iam eſſe incipio*. Et in hoc ſenſu vſurpatur a Virg. Æn. 6. Vbi, cum Sibillam Æneæ ſuggerentem, quid ei faciendum induxiſſet, ſubdit:

. . . . . . Dixit, preſſoq; obmutuit ore.

In hoc eodem ſenſu accipitur hic ab Auctore noſtro. Notat enim Acherontem ingenti prius fragore decurrentem illicò à ſtrepitu ceſſaſſe, ac vox Plutonis audita eſt. Sed ſicuti Virg. pri. ex locis citatis apertè cauſam, cur quis obmuteſcat in conceptum terrorem refundit, Sic, hoc ipſum innuens noſter, Acherontem obmutuiſſe, dixit, *dicente Tyranno*, quaſi conceptus horror vocem interceperit. Vides verbum obmuteſcere translatum hic eſſe ab animato ad inanimatum ſi pro ipſis vndarum vorticibus Acherontem intelligas; ſi verò Acherontem ſumas pro fluminis præſide Inferorum, ac fluuij Numine, tunc non translatum, ſed proprium erit verbum.

TACITIS VNDIS. Vides continuatam metaphoram deductam ab hominibus lingua carentibus, & qui ne muſſitare valeant quidem; nam ideo etiam Acheron obmuteſcere dicitur adeò, vt ne muſſitare quidem audiatur tacitis vndis, ideſt nullum iam edentibus ſtrepitum, imò nec motum vndis.

ET MVRMVRA PHLEGETONTÆÆ RIPÆ REQVIERVNT. Poſtremum recenſet peruagantis terroris effectum, ex ipſo Phlegetontis ſilentio deſumptũ. Quid ſit Phlegeton habes in explicatione ad carmen *Æquora vorticibus Phlegeton &c.* pag. 16. col. 1. Quarè hic tantum indicare, ſatis, ſuperq; erit, ſtrepitum ipſum Phlegetontis, quo vix alius apud Inferos violentior amnis, conticuiſſe, vt ſciamus, quam vox illa Plutonis fuerit terribilis, quam verenda, quam venerata cunctis Atrijs &c. Murmur autem propriè leuis aquæ ſtrepitus eſt, ſed hic ponitur ſpecies pro genere, nempè murmur pro quocumque ſtrepitu etiam fragoribus altum reſonante; immò ex minori ad maius argumentum præbet, nam ſi vel leuis aquæ ſtrepitus conticuit, multò magis ingens ille fragor, cuius exiguum vix veſtigium eſſe potuit murmur. Ideò prudentiſſimè ad denotandam profundam fluuij taciturnitatem. *Et murmura*, inquit, *Phlegetontæa ripa* (Ripas enim poſuit pro flumine ipſo, nempè continens pro contento) *Requierunt*. Requieſcere eſt requiem capeſcere, moram facere, ac otio componi: vulgò *fermarſi, far pauſa*. Cum igitur perpetuo ſtridore Acheron obſtrepat, conquieuit tamen, & ipſe, vt locum maiori cederet iam altiùs reſonanti.

Similem ab effectibus deſcriptionem, ac partium enumerationem habet Taſſus cit. Cantu 4. vbi Plutone loquente, totius inferni ſilentium ſic deſcribit,

Mentr' ei parlaua Cerbero i latrati
Ripreſſe, e l'Hidra ſi fe muta al ſuono,
Reſtò Cocito, e ne tremar gl' abbiſſi;
E'n queſti detti il gran rimbombo vdiſsi.

Bracciol. item cit. tonitrum Plutonicæ vocis, terroremque inferorum ab eadem promanantem ſic deſcripſit lib. de Cruce 11.

Ne mai nube tuonò sù 'l lido trace,
Ne vi ſcoſſero il ſuol vapor tremendi,
Com' al muggir delle ſue voci roche
Rimbomba il ſuon per la tartarea notte.

Collige quam pernicioſa ſit habitualis conſuetudo, quæ interdum cor adeò obcæcat, & indurat, vt, etiam cum peccare deſinis, peccare incipias, oratione abutens potiùs, quam vtens. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper, inquit Regius Pſaltes; vt intelligas, ſuperbi cordis elationem, licet mortis terrore interdum contundatur, rarò tamen infringi. Relucet ineuitabilis neceſſitas ſuperborum conatibus; adhuc tamen perſiſtunt; &, quaſi ſui ipſius Fatum exiſtant, volunt, vt, quæcumq; moliantur, ſit pro ratione

tione voluntas. Caue, ne, dum iactabundus ais: Non ſum ſicut cœteri homines: te maximè Plutoni ſimilem aſſeueres. Hunc autem, qui ſuperborum Princeps eminet, vt clariùs dignoſcas italica iam concinet Chelis.

Fatto guancial della ſiniſtra al volto,
Siede il ſuperbo in ferrugineo trono:
Scuote la deſtra i fieri ſcettri; e molto
A queſti di ſquallor diè Stige in dono:
Mà da gl'archi del Ciglio hirſuto, incolto
Sfauillan lampi, al preſſagire il tuono:
Ne v'hà pur di ſeren la fronte vn'ombra;
Ch' horrida Maeſtà tutta l'ingombra.
S'erge cinto di nube, in cui s'addenſa
Quant'hà d'horror della meſtitia il Regno,
L'altiero capo, ad atterrir l'immenſa
Mole del Ciel, che de ſuoi ſdegni è ſegno.
Quindi s'inaſpra più, che più condenſa
Nel crudo aſpetto aſpro rigor lo ſdegno;
E, più ch'il ſen flagella empio dolore,
Più nel ſembiante ancor creſce il terrore.
Aprouſi, al fin, di quelle fauci immonde
L'atre, voraginoſe, ampie cauerne;
E sfuoga il cuor, per quelle vie profonde,
Quel velen, ch'annidâr le parti interne.
Vento, ch'i regni di Nettun confonde,
Sembra il reſpir; ſcopio di nubi eterne
Della voce il fragor, ch', al tuon ſeuero,
Scuote, in mutuo tremor, quel vaſto impero.
Ne varchi adamantini il gran cuſtode
Del trifauce furor frena i latrati;
E di lagrime il fonte, in cui ſi rode
Sempre Cocito, i flutti ſuoi ſedati,
S'arreſta in ſtagno, e'l ſuo ſtridor non s'ode.
Quanto racchiuſi più, tanto ſpietati
Chiude Acheronte, i ſuoi lamenti, e l'onde
Corron già lente ad arietar le ſponde.
Dell'ardente Vulcano i globi ondoſi,
Che Flegetonte irato, a monti, inalza,
Spianan gl'horridi gioghi, e frettoloſi
Racchettan gl'vrli, ù l'ondeggiante balza
Più non ſpinge al cozzar maſſi fuocoſi;
Ne'l ſtrepitoſo ſuon con l'vrto incalza.
Tace mutolo il lido, e non eccheggia
Hor, che ſenza tremoto il fiume ondeggia.

Præmiſſis tot tantiſq; ſilentij apparatibus in obſequium loquentis Tyranni. Quid tandem intonet ipſe, Duce poeta noſtro, perpendamus.

Atlantis Tegææ nepos, commune profundis
Et ſuperis Numen, qui fas per limen vtrumque
Solus habes, geminoq; facis commercia Mundo;
I celer; & proſcinde notos; & iuſſa ſuperbo
Redde Ioui, Tantum ne tibi, ſæuiſſime Fratrum,
In me iuris erit? Sic nobis noxia vires
Cum Cœlo Fortuna tulit? Num robur & arma
Perdidimus, ſi rapta dies? An fortè iacentes
Ignauuſq; putas; quod non cyclopea tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus auras?
Nonne ſatis viſum eſt, gratis quod luminis expers
Tertia ſupremæ patior diſpendia ſortis,
Informeſq; plagas; cum te lætiſſimus ornet
Signifer; & vario cingant ſplendore Triones?
Sed thalamos etiam prohibes? Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite:
Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Iuno ſinu. Quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererē, magnāq; Themin? tibi tanta creandi
Copia, te fœlix natorum turba coronat.
Aſt ego deſertâ mærens inglorius aulâ
Implacidas nullo ſolabor pignore curas?
Non adeò toleranda quies. Primordia teſtor
Noctis, & horrendæ ſtagna intemerata Paludis;
Si dicto parēre negas, patefacta ciebo
Tartara; Saturni veteres laxabo catenas:
Obducam tenebris lucem; compage ſoluta,
Fulgidus vmbroſo miſcebitur axis Auerno.

ATLANTIS TEGÆÆ NEPOS &c. Hæc ſunt, quæ ore tonat, ideſt terribili Pluto profatur voce, quæ hic per proſopopeiam ethopeiæ mixtam exprimuntur. Orationem autem exorditur per apoſtrophem, à compellatione Mercurij, vt eum attentum faciat; laudat à nobilitate originis, atq; ab officij præſtantia, vt beneuolum conciliet; tandem, quid ab ipſo velit, exponit, vt docilem reddat; ac mandata ſubindè præſcribit Ioui deferenda, quibus, exprobrata Fratris inclementia, quæ nimium ſibi iuris vſurpet in Plutonem, occaſiones, queis Iupiter ſuperbiat, ac Plutonem deſpiciat, per contrapoſita, commemorat; ſed illicò ſe non vltrà contumelias paſſurum proteſtatur; ſatiſq. læſam fuiſſe patientiam, innuit, ſuam, abſq; eo, quod nouis cumuletur iniurijs, & toro etiam priuetur. Ab exemplo Neptuni, atq; ipſius Iouis, probat, & ſibi, qui eorumdem ſit Frater, thalamos, quos poſcit, iure deberi; & Ioui exprobrat inceſtos concubitus, adulteria &c. vt ab illicitis, quæ ſummâ Iupiter licentiâ exercuerit, arguat, immeritò ſibi licita denegari, ac per contrapoſita magis exageret indignitatem ſibi impoſiti Cœlibatus. Epilogum conficit interminatio minarum, addito per Stygias vndas, ac Noctis excellentiam, inuiolabili iuramento, quo oſtendat, ſi petita negentur, ſe tam iniuſtæ negationis pœnas, quas numeratim comminatur, irremiſſibiliter exacturum.

ATLANTIS TEGÆÆ NEPOS &c. Atlas Iapeti ex Clymene filius, Promethei frater, Rex Mauritaniæ fuit Aſtronomiæ peritiſſimus, ita vt primus omnium ipſe curſum Solis, & Lunæ, ac ſyderum omnium motus, motuumq; rationes deprehenderit, quarè Cœlum humeris dictus eſt ſuſtinuiſſe. Hic, cum ex Themidis oraculo didiciſſet, forè vt à quodam filio Iouis Regno Heſperidum, (quod in eiuſdem ditione fuiſſe autumant,) priuaretur, vt his verbis teſtatur metam. 4. Ouid.

. . . Memor ille vetuſtæ
Sortis erat; Themis hanc dederat Parnaſſia ſortem.
Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor: & hunc prædæ titulum Ioue Natus habebit.

euênit, vt Perſeum, abſciſſum Meduſæ caput reportantem, atq; hoſpitium ab Atlante depoſcentem reijceret. Quapropter indignatus Perſeus Meduſæ illi caput obiecit hæc inquiens:

. . . . . At quoniam parui tibi gratia noſtra eſt
Accipe Munus, ait, lævâque à parte Meduſæ
Ipſe retrouerſus ſqualentia protulit ora.
Quantus erat Mons factus Atlas &c.

vt apud Ouid. cit.; ex cuius Meduſæ intuitu in montem conuerſum fuiſſe Atlantem, ſatis ea poſtremo carmine ſuperius exarato iam patet. Atlantem itaque in montem conuerſum altè adeò ceruicem attollere aſſerunt, vt, ſicuti radicibus mare Atlanticum attingit, ita ſummo iugo cœlum ſuſtinere credatur. Et profectò ab Accolis Mons Atlas Cœli columna paſſim dictitatur. Ex Atlante natam fuiſſe Maiam Mercurij ex Iouis concubitu Matrem iam vidimus in explicatione ad Carm. *Tunc Maia genitum &c.* pag. 58. col. 2. quarè ſatis iam patet hic cur Poeta Mercurium ex Atlante progenitum compellauerit; cui & conſonat Hor. lib. 1. Carm. ode 10. inquiens: *Mercuri facunde Nepos Atlantis.* Atlas igitur Maiam genuit; Maia Mercurium; ideòque is iure dicitur Atlantis

NEPOS. Nam *nepos* filij, vel filiæ filium ſignificat. Verum, quia huic modo loquendi videtur repugnare communis huius vocabuli vſus, eo quod id temporis filiæ filius

Auunculus potiùs per deriuationem ab *Auia*, ideſt Matris Matre, appellatur, quàm *Nepos*; & vice verſa Nepotis nomen filium fratris, aut ſororis potius, quàm filij, vel filiæ filium videtur ſignificare; aduerte, Nepotis nomen impoſitum fuiſſe, non ad ſignificandam generationem Nati, vel ex fratre, vel ex filio illius, qui dicitur Nepos, promanantem, ſed ad ſignificandum gradum conſanguinitatis, quo Nepos cum Auo, ideſt cum eo, cuius eſt nepos, coniungitur: cum autem filius filij in eodem conſanguinitatis gradu ſit cum Patre ſui Patris, ac cum fratre ſui Patris; hinc eſt, vt tam filius filij, quàm filius fratris per nepotis nomen ſignificetur. Militat autem hoc, tam ſi conſideremus gradus conſanguinitatis, iuxta diſtributionem iuris Canonici, quam ſi eoſdem conſideremus, iuxta diſtributionem iuris ciuilis. Nam ius quidem Canonicum ita gradus in linea recta diſtribuit, vt quot perſonis diſtat aliquis à primo ſtipite, tot diſtet gradibus conſanguinitatis. Sic filius reſpectu Patris dicitur in primo gradu, quia pater non eſt gradus, ſed graduum Origo: Filius autem filij erit in ſecundo gradu, quia inter illum, & primum ſtipitem intercedit primus ille filius, à quo ſecundus iſte proceſſit, & dicitur *Nepos* reſpectu ſtipitis, hoc eſt *perſona in ſecundo conſanguinitatis gradu conſtituta*. Pariter, ſi loquamur de linea laterali. Duo Fratres ſunt in primo gradu reſpectu Genitoris communis vtriuſq; in linea recta; & in primo etiam inter ſe, per lineam lateralem. Subindè, ſi vnus ex dictis fratribus filium generet, hic filius, reſpectu prædicti fratris ſui genitoris, erit in ſecundo gradu conſanguinitatis, iuxta diſtributionem iuris canonici, in quo numerus graduum inter laterales ſemper ab eo, qui à primo ſtipite remotior eſt, deſumitur. Cum itaque tam filius filij, reſpectu primi ſtipitis, quàm filius fratris, reſpectu alterius fratris, ſint, iuxta dicta, ambo in ſecundo conſanguinitatis gradu, iure vterq; dicitur *Nepos*, cum nepotis nomen gradum notet, non perſonam, aut diuerſam generationis deſignationem. Si verò loquamur iuxta diſtributionem graduum, quæ in iure ciuili ſeruatur, idem militat; nam, iuxta hanc diſtributionem, ſi perſona, quæ primum conſtituit ſtipitem, duos habeat filios, duos iſti conſtituunt gradus, ita vt dicantur eſſe in ſecundo gradu inter ſe, licet vterq; in primo reſpectu ſtipitis. Si ex vno filiorum alius naſcatur filius, is erit, reſpectu ſtipitis in tertio gradu, & etiam reſpectu alterius fratris, cuius non eſt filius, in tertio item erit gradu ob rationem ſuprapoſitam, quia ſcilicet in linea laterali denominatio, & conſtitutio gradus deſumitur a remotiori. Quarè, iuxta regulam iuris ciuilis, vterq; *Nepos* vocabitur, cum Nepotis nomen ſignet perſonam in tertio conſanguinitatis gradu conſtitutam: quidquid ſit, an hinc habeat per lineam rectam, an per lineam lateralem. Si cuperes hanc graduum diſtributionem, iuxta vtrumq; ius enucleatiùs diſcuſſam inſpicere, vide, pro diſtributione iuris Canon., Sanchez. de Matrim. lib. 7. diſp. 50. Pro diſtributione verò iuris ciu. vide Authent. de hæred. ab inteſt. venient, Coll. 9., & habetur C. ad ſedem 35. Hinc habes, cur ſine iniuria noſtri quotidiani ſermonis Claudianus, & Hor. cit. Mercurium Atlantis nepotem appellent, ideſt filium Atlantis filiæ iuxta dicta

TEGÆE. Innuimus ſupra Plutonem à Mercurij laudibus exordiri, vt beneuolentiam ſibi conciliaret: vidimus adamuſſim id muneris expleſſe, dum Mercurium vocauit Atlantis nepotem, quaſi diceret eum Atlante ipſo non minorem, nec ab Auo degenerem ipſius Cœli, ne dum imponendæ legationis, pondus poſſe ſuis humeris ſuſtinere; immo tacite eidem inſinuat Cœlum ipſum ipſius humeris ſuſtinendum, ne Plutonicis impulſum labaret armis. Inſuper Atlantis nepotem vocauit, vt, memoratis natalium Mercurij primordijs, ſe ipſum eiuſdem diuinitatis conſcium indicaret. Iam à Patria ipſâ argumentum laudis deducit, & exerit. Tegæa enim Arcadiæ vrbs eſt, apud Ladonem, eiuſdem Arcadiæ fluuium, vt teſtatur Ptolemeus, qui etiam Tegæam cum dipthongo ſcribit, vbi alij ſine dipthongo ſcribunt Tegea. Rationem diuerſitatis arbitror eſſe, quia, ſicuti vulgo variat huius arcadicæ ciuitatis nomen, ita vt apud aliquos *Mochli*; apud alios *Tega* dicatur, ita arbitrati ſint duplicem eſſe in Arcadia ciuitatem, atq; eam, quæ vulgò *Mochli* dicitur Tegeam per duas primas breues apud Latinos nuncupandam; nam etiam apud Virg. Æn. 5. legimus,

Alter ab Arcadia Tegea de ſanguine gentis &c.

eam verò, quæ vulgò *Tega* appellatur, latinè Tegæam, per duas primas longas, eſſe dicendam; nam apud eumdem Virg. Æn. 8. iuxta lectionem, & interpretationem Fabrini Comment. habemus,

Tum lateri atq; humeris Tegæum ſubligat enſem.

Verum, quia, in alijs Virg. exemplaribus, non *Tegæum*, ſed *Tegeæum* ſcriptum lego; & ex altera parte inter præcipuas Arcadiæ Ciuitates vnicam tantum Tegæam memoratam inuenio, dixerim potiùs, hanc vnam, pro diuerſis temporibus, diuerſimode vulgari nomine fuiſſe appellatam; ideoq; etiam apud latinos ſcriptores hanc diuerſitatem ſcriptionis eiuſdem nominis ſortitam eſſe, quo deinde promiſcue vtantur Auctores, prout meliùs vnicuiq; libuerit. Quarè, etiam hoc Claudiani loco, vel legas *Atlantis Tegæe nepos*, vel cum alijs *Atlantis Tegeæe nepos*; nihil refert, nam eodem modo & carmen ſubſiſtit, & deriuationi congruit nomen. Sed quid Mercurij laudibus, inquies, eum Patria Arcadum eſſe, confert? Arcadia, in qua Cyllenium montem eſſe diximus pag. 59. col. 1., & vbi Maia Mercurium peperit, denominata eſt ab Arcado Iouis Filio: quarè iam eo nobilitatis euecta inſinuatur, vt videatur ad hoc maximè compoſita, vt Deorum Patria perennis ſit; ideò Pluto Mercurium a Tegæa Arcadiæ vrbe Tegæum, hoc eſt Arcadum, appellat, vt Deum, ac Deorum in Patria natum commemoret, quæ laus non exigua eſt.

NVMEN. Antecedenter, per mentionem originis, ac Patriæ, Mercurij Deitatè, dignitatemq; attigerat; nunc aperto ore eamdem fatetur Pluto: *Numen* enim ſumitur interdum pro eodem, ac *Deus*, vt patet ex imprecatione Didonis in Æneam abeuntem, apud Virg. Æn. 4. vbi Numen pro Deo vſurpat ſic:

Spero equidem medijs (ſi quid pia Numina poſſunt)
Supplicia hauſurum ſcopulis &c.

Sed obuijs, primo intuitu, ſenſibus non delectatur Auctor noſter. Corticem proſcindamus, & opobalſama elicientur. *Numen* itaq; non ipſe Deus proprie dicitur; ſed *Dei voluntas*; eſt enim nomen à verbo *Nuo* deriuatum, quod veteres pro *volo* vſurpabant. Patet hoc ex vmbra Creuſæ Æneam alloquente apud Virg. Æn. 2. ſic

O' dulcis coniux; non hæc ſine Numine Diûum
Eueniunt: non te comitem hinc aſportare Creuſam &c.

Iterum *Numen* interdum pro ipſa diuina poteſtate accipitur, vt apud Virg. videmus Ecl. 4.

Concordes ſtabili Fatorum Numine Parcæ &c.

Numen igitur Mercurium appellat Pluto, vt inſinuet in eius voluntate, ac poteſtate eſſe, vt Pluto voti compos fiat; nam, ſi Mercurius eſt ipſa Diuûm voluntas, ac poteſtas, nec Iupiter iubenti renuet voluntati, nec vlla difficultas reſiſtere poterit Poteſtati; ſed omnia plana fient, & aperta, ipſo eodem Mercurio annuente.

COMMVNE PROFVNDIS, ET SVPERIS. *Numen commune* appellat, perſiſtendo in poſtremo data explicatione, vt magis oſtendat, & Mercurium ſibi aſſentiri debere, &, aſſentiente Mercurio, futurum vt Iupiter nequaquam diſſentire poſſit; & vis rationis eſt huiuſmodi: *Tu Mercuri voluntas es & inferorum, & ſuperum: ergo quod volo Pluto Inferorum Deus tua voluntas eſt. Sed tu ipſe ſuperum voluntas es: ergo quod tu vis, Iouis voluntas ſit, neceſſe eſt. Communis igitur voluntas & Ioui ſit, & Plutoni, vt, conſociata voluntate, & Pluto voti compos fiat, & fœdera inter Fratres æternum duratura firmentur.* Ex hoc ipſo fortaſſis Mercurium tricipitem effinxerunt antiqui, vt refert Mythol. Nat. Com. lib. 5. cap. 5, quod videlicet trium Deorum vnica cenſeretur ipſe voluntas, nempè Iouis, Neptuni, ac Plutonis. *Commune* etiam *inferis, ac ſuperis Numen*, iuxta primam explicationem, appellat Mercurium: quia, poſt factam diuiſionem Imperij inter fratres, Iouem, ſcilicet, Neptunum, ac Plutonem, nefas erat quemquam eorum in alterius ditionem gradum ferre, ne perturbatæ iuriſdictionis ſuſpicio aleretur: ſed, quia interdum, vt in caſu præſenti, euenire poterat, vt ex neceſſe aliquod inter fratres commercium eſſe deberet, ſoli Mercurio conceſſum, vt ipſe, tamquam neutrale Numen, ac nemini ſuſpectum, per diuiſa imperia ad libitum tranſmearet: communis enim dicitur, qui multorum eſt, tracta ethimologia ab ijſdem munijs, ſeu muneribus: Cum autem Mercurius Deorum omniũ nuncius eſſet conſtitutus, iam, ex officio, & Inferorum erat, & ſuperum; vt omnibus in ijſdem munijs deſeruiret, conſequenter ab aliorum lege de non tranſgrediendis limitibus immunis. Hoc ipſum innuere voluit Eruditiſſima Ægyptiorum ſapientia, quæ Mercurij ſimulacrum habuit ex Mythol. cit. loco cit. partim atrâ facie, partim aurea, & clara compactum, quia ſcilicet modò clarus inter ſuperos, modò atratus inter inferos adeſſe cogeretur Numen Inferis, ſuperiſq; commune.

Quo-

Quomodo autem Inferorum nomine veniant Auerni Deitates, ſuperorum verò nuncupatione Cœlites, iam vidimus ad primum huius lib. Carm. *Inferni Raptoris equos &c.* quarè hic iterum enarrare ſuperſedeo.

QVI FAS &c. Oſtendit neceſſitatem, quam habet, Mercurij legatione vtendi; cum enim ſolus Mercurius, vt diximus facultatem haberet per vtriuſq; Imperij fines tranſmeandi, ſequebatur, vt Pluto, per nullum alium, aut ex ſuperis, aut ex inferis, poſſet hanc mittere legationem: quare indirectè etiam excuſat audaciam ipſum compellandi, & in Legatum adſciſcendi, vt magis beneuolentiam concilier.

QVI SOLVS. Satis hoc remanet ex dictis explicatum, quarè prætergredior.

FAS HABES. *Fas* idem eſt, ac *Ius*, cum hac tantum diſtinctione, quod *Fas* ius diuinum ſignat; *Ius* verò humanum, & ad humanas leges referri videatur: quarè idem eſt hoc loco dicere: *Qui fas habes*, ac dicere: *cui ſoli iure diuino licitum eſt* tranſmeare, & diſcurrere.

PER LIMEN VTRVMQVE. Ideſt per Imperium & ſuperum, & inferum; nam *Imperij limina* confinia ipſa imperij appellantur, eo quod confinia imperij ſint quaſi ingreſſus, & Ianua quædam ad Imperium: *Limen* etenim propriè ingreſſum, ac Ianuam Domus; immò partem infimam ipſius Ianuæ, quæ pedibus proteritur, ſignificat: hic autem confinia pro toto ponuntur imperio per Synecd.

ET FACIS COMMERCIA GEMINO MVNDO. Amplificat Mercurij poteſtatem, qui toto diſtermina mundo, Imperia, Iouis ſcilicet, ac Plutonis, tam longe diſſita, ac remota, vt vere dictum ſit, magnum Chaos inter Cœlites, & Inferos, intereſſe, aſſociabili ſolus ipſe commercio reddere poſſit conſociata.

ET FACIS COMMERCIA. *Facere commercia* eſt *ſanctiones, fœdera, amicitias ſancire, ac contrahendi vltrò, citròq; facultatem præbere*. Hæc omnia Mercurio tribuuntur, ſine quo nulla fuiſſet futura communicabilitas inter Cœlites, & Inferos, vt ex iam dictis patet; ideò facere dicitur commercia

GEMINO MVNDO. Dainus enim commodi eſt, vt habeamus hanc vtriuſq; Imperij communicationem fauorabilem, vtilem, neceſſariam eſſe vtriq; parti. Dum autem geminum mundum nominat, nempe ſuperiorem, & inferiorem, per ſuperiorem Cœlum intelligit, & quæ ſub Cœlo ſunt vſque ad concauum terræ ſinum, per inferiorem verò Tartara deſignat: nam vtrumq; Regnum ex antiquorum opinione, (vt alibi patebit, & iam innuimus etiam in antecactis,) & vaſtitate, & ſimetria partium, Mundi nomine potuit condecorari.

I CELER &c. Poſtquam beneuolentiam, attentionemq; captauerit Pluto, ad docilitatem iam deſcendit, quid illi faciendum, & quomodo, exponens; ac prima quidem hæc verba ad modum ſpectant, cum celeritate agendum ſummâ præſcribat, vt conſonet cum impatientia, quam ſupra expreſſerat, vbi habetur *Impatiens neſcire torum*.

I. Modus imperandi eſt; nec mirum, ſi Pluto imperet Mercurio, quem tanta excellentem expreſſerat dignitate; nam primo ius erat Patruo in Nepotem, nempe in filium Iouis Mercurium, vt alibi diximus. Secundo adhibebatur ille ex officio omnium imperijs Deorum. Tertio proprium ſuperborum eſt Imperio in quoſcumq; vti.

CELER. Alas capiti, pedibuſq; addiderat in ſignum velocitatis ſuæ Mercurius. Quid hic importunè repetit Pluto? *I celer*. Nonne ad celeritatem compoſitum iam ſatis viderat? Viderat profectò: ſed, vt ait Cic. Tuſc. 1., nulla eſt celeritas, quæ poſſit cum animi celeritate comparari. Addam ego: quæ poſſit cum animo auidè deſideranti comparari; nam audio Iuuenalem dicentem: *Cupienti etiam celeritas mora eſt*. Ideò Pluto, celeritate ipſa celeriorem exoptans Mercurium, celeritati celeritatem addere iubet, & moras omnes abrumpere. *I celer &c.*

ET PROSCINDE NOTOS. Obuius huius dicti ſenſus eſt apud Italos: *Fendi l'aria*, prout illud in hoc ſenſu exponit Parthaſius hic; quaſi Pluto non modum tantummodo celerrimi volatus præſcribat, ſed etiam breuiori tramite procedendum imperet, proſciſſo ſcilicet per rectam lineam aere, per Notum ſignificato, eo quod Notus ventus ſit, & ventus nil aliud, quam aeris repercuſſi vehemens commotio, eſſe dicatur. Aſt altiores, more ſuo ſenſus ſectatur Vates, vt arbitror. Notus itaque, qui & Auſter dicitur, ventus eſt de ſe omnium rapidiſſimus, & magno pollens impetu, ſi deſæuiat; atq; ideò in ſimbolum aduerſantis fortunæ non ſemel aſſumitur. *Proſcinde* igitur *Notos*, inquit Pluto, ideſt ſuperata quacumq; difficultate, quæ obicem interponere poſſit, quaſi ventus ſpirans volatui aduerſus tuo, celeritatem incende, & *Notos*, ideſt ventos omnes aduerſos diſrumpe inuictus, vt mandata exequaris. Iterum *Proſcinde Notos*: hoc eſt noti velocitatem velocitate ſuperes tua, & Notos, ideſt velociſſimas quaſq; ventorum pennas præuerte, vt celer eas; & venti, immò, ſi tantum licet, fulminis ſis ocyor alis. Ex his noueris particulam & coniunctiuam forè, ſi primum cum Parthaſio ſenſum ſequaris; ſi verò nobiſcum ſentias, non coniunctiuam forè, ſed explicatiuam exoptati celeritatis modi, idemq; ſonans, atq; *hoc eſt* Proſcinde Notos.

ET IVSSA SVPERBO REDDE IOVI. Adnotare hic libet gradationem: *I celer*: & *proſcinde Notos*: & *Iuſſa redde*. Sed nullius ponderis eſſet hæc obſeruatio, ni myſteria lateret in ſenſu, attenta Vatis eruditione. Memineris ergo effatum illud, quo Philoſophi aſſerunt, in momentaneis idem eſſe *fieri*, & *factum eſſe*; ideòq; *mori*, & *mortuum eſſe* non facere ſenſum diſiunctum, quia cum *mors* nil aliud ſit, quam *vitæ priuatio*, quæ in inſtanti emergit, *Priuari* hoc eſt *mori*; & *Priuatum eſſe*, hoc eſt *mortuum eſſe* idem ſunt, ſeù pro eodem habentur. Hoc poſito. Nota modum ſupraponſitæ elocutionis: *I celer, proſcinde, redde*; quaſi tantam exquirat velocitatem, vt dictum, ac factum vnico claudantur temporis momento. I; & redde: quaſi ne momentaneam quidem patiatur moram intereſſe inter receptionem, comportationem, atq; executionem mandatorum, cum hæc omnia per copulatiuam & indiſſolubiliter coniungat in vnum. I celer, & proſcinde Notos, &

REDDE. Reddere non ſemper ſignificat reſtituere; ſed ſæpè, vt hic, idem eſt, ac *narrare*, ſeù exponere: ſic dicimus: redde rationem, cur ita dixeris, vel feceris &c. ideſt expone rationem cur &c. In hoc igitur ſenſu, ait hic Pluto exprimens, quid faciendum Mercurio imponat: *Redde*, hoc eſt *refer, expone, enarra, exprime*. quæ à nobis accipis.

IVSSA. Mandata vtiq; noſtra; inhærens enim Lacheſis perorationi: *Poſce Iouem &c.* (vbi diximus, verbum *Poſce* poſtulationem imperantis potiùs, quam ſupplicantis importare) ſe iubentem oſtentare voluit Plutò. Conſonat etiam hic modus loquendi cum gradu & coniunctionis, & dignitatis; fratrem enim fratrem rogare indignum eſt: & Imperio vtendum, non ſupplicatione inter fratres. Pariter dignitas Plutonis Iouis dignitati erat, in re diſpari, æqualis. Rex enim Iupiter Deorum Cœleſtium hominumque; Rex Infernorum, ac Mortuorum Pluto; Inter æquales autem non adhibendæ preces, ſed tantum voluntas indicanda. Ideò *iuſſa refer*, ſeù *redde*. Congruit, & innatæ Plutonis ſuperbiæ, qui nulli cedens omnibus ſe imperare poſſe præſumit: Quare mores vndequaq; ſequitur Vates, & imitatur

SVPERBO IOVI. Qui perſpicilia gerit colorata, omnia obiecta perſpiciliorum colore intuetur infecta: ſic qui vitio tenentur, omnes, præter ſe, eo vitio teneri facilè dijudicant. Ideò Pluto, in ſe maximè ſuperbus, ſuperbum Iouem appellat, vt proprium in alios vitium refundat; ſuperbiæ enim, quidquid ſibi non ancillatur, ſuperbum eſſe videtur. Inſuper *ſuperbus*, quandoq, ſumitur pro eodem, ac *iniquus*. Cum autem exiſtimaret Pluto, Iouem ſibi iniuſtè connubia denegare, eum ſuperbum appellat, nempè iniquum, hoc eſt *æquitatis expertem*, quippe qui non æqua lance Plutonem cum Neptuno, ac ſe ipſo libraret; ſibi vxores, liberos &c. vt & Neptuno largè indulgens, Plutone cœlibatus iniuria male mulctato. Hac eadem de cauſa non dixit: *Et iuſſa ſuperbo redde* fratri; ſed *redde*

IOVI; Nam fratris nomen non meretur, qui iniquè ſe geſſerit in fratrem. Immò Redde Ioui inquit per Sarcaſmum; nam Iupiter à Iuuando dicitur, & tamen Pluto ſibi nocentem, vt putabat, experiebatur. Ideò *Ioui*, inquit, quaſi minimè *Ioui*, cum iniquus mihi ſit, ac crudelis.

Hunc textum, qui iuxta lectionem Parthaſij, & vulgatam habet, vt nos in textu ſcripſimus.

I celer, & proſcinde Notos &c.

corrigit Heinſius, qui cum Iſingr. & Clauer. legit, & legendum præcipit: *I celerer proſcinde Notos &c.* dum cæteros, qui aliter legant, errare aſſeuerat. Non negauerim profectò elegantiorem eſſe Heinſij lectionem, & conſentanea omninò eſt ſecundæ explicationi, quam nos attullimus ad membrum: *Proſcinde Notos*, & ad tertiam pariter: nec ſenſum variat, nec vllum ex ea ſequitur inconueniens, & ſuauiori metro carmen decurrit. Quarè & ego cum Heinſio, vt fatear, ſentio. Verum iuxta vulgatam potiùs, & textum exarauì, & ſenſum explicui, vt qui in vulgatam incidunt,

dunt, immutare non teneantur: Quodſi cum Heinſio legamus; adhuc Mercurio celeritas, & modus celeritatis indicatur *I celeres, profunde Notos &c.* tantum aduerte adiunctum *Celeres*, Vento applicatum, indicare rapidiſſimam eius violentiam, de qua ſupra diximus. De cœtero reliqua omnia pari omninò paſſu progrediuntur.

TANTVM NE TIBI &c. Tenor hic eſt Legationis, Mercurio demandatæ; & hæc mandata, quæ Ioui referenda præſcribuntur, ac per interrogationem efferuntur, inſtandi, vrgendique gratia, & vt maiori contentione procedant.

TANTVM NE. Adiectiuum hoc nomen *Tantus* à *Tam* deriuatur, & idem ſonat, ac *tam multus; tam magnus*: hic Neutrum adeſt ſubſtantiuatum, ac vim habet nominis partitiui, ideò cum genitiuo *ſortis* copulatur. *Ne* particula interrogantis eſt, vt ſatis patet, atq; emphatico niſu, cum partitiuo *Tantum* coniungitur, detegitq; vehementè indignantis admirationis affectum, ſubito impetu erumpentem, ex impulſu intemperantis doloris: Pluto enim, qui vix ſatis amplum ingenito dolori pectus haberet, congruens erat, vt in vehementem huiuſmodi expreſſionem erumperet.

IVRIS. *Ius*, licet, vt plurimum, legitimam importet poteſtatem, & auctoritatem; interdum tamen etiam ſignificat licentiam quamdam, ſeù poteſtatem, & auctoritatem illegitimè in alium vſurpatam. Et in hoc ſenſu aſſumitur à Poeta hic. Ideò per interrogationem vrget: *Tantum ne iuris erit &c.* vt exprobret eam vſurpanti, & indignum hoc eſſe profiteatur: *Tantum ne iuris*

ERIT. Verbum *ſum* datiuo iunctum, vt hìc, idem eſſe, ac *habeo*, iam ſatis liquet: quare idem erit dicere: *Tantum ne iuris erit tibi*: ac dicere: *Tantum ne iuris habebis &c.* ſed aduerte verbum illud *erit* hìc per poteſtatiuum modum efferri, ita vt faciat hunc ſenſum: *Poſſibile ne erit vt habeas, vt vſurpes tibi tantum iuris? Poterunt ne tantum tibi Fata permittere, & indulgere?* Vbi videatur quantum aſſurgat oratio talia vtiq; indignantis.

TIBI IN ME. Præclariſſimum mirêris anthiteton emphaticis refertum ſenſibus. *Tibi* fratri *in Me* fratrem: *Tibi*, cui imperium obtigit in ſuperos, non in inferos, & multo minus in inferorum Regem, *in Me*, qui ſubditus eſſe nequeo, cum frater ſim, & æqualis, atq; æquali dotatus imperio: *Tibi*, qui, beneficio meo, pace frueris, dum tibi infeſtos Titanas carcere inferorum coerceo detentos, *in Me* qui hoſtium tuorum furias infractas detineo: *Tibi*, cui libens meliorem imperij partem extrema ſorte contentus vltro conceſſi, *in Me* qui vmbras non renui, vt tu regnare poſſes in ſole: *tibi*, cui adhuc Saturnus inſidiaretur, vt regnum à te vſurpatum in ſuam iterum ditionem redigeret, niſi inferni vinculis conſtringeretur inhabilis: *in Me*, qui Saturnum detinens alligatum imperium tibi tutum obfirmo, ac pacatum: *Tibi* tyranno, quem ſuperi ipſi defererent, ſi bellum eſſet ſubeundum, cum, iam ante, coniurationes inierint, vt te a tyrannide deijcerent; *in Me*, qui omnium, & inferorum, & ſuperum, odio tui concitatorum potentijs armarer, ſi bellum mouere vellem: *Tantum tibi in me iuris erit?* Perpende quantam emphaſim habeat tam breuis contrariorum oppoſitio: & Vatis perſpicacitatem miraberis, qui tot ſenſus breuiſſimo incluſerit cortice.

SÆVISSIME FRATRVM. Per exprobrationem dicitur; nam genus inauditæ ſæuitiæ eſt immerentem torquere. Aſt innocentem, beneficum, fratrem lædere quam impium, quam crudele, quam execrandum eſt? Sæuus Neptunus, qui ſuarum vorticibus vndarum ſæpè Nautas, & naues non ſolum, ſed vrbes, ac regna ingurgitet: ſed tandem ſæuit in eos, à quibus offenſam patitur, dum, iniuriâ, per eius regnum, temerario auſu, contendunt volantes ducere ſyluas; vel compede portuum, vrbium &c. Neptunum ipſum deuincire aggrediuntur. Sæuus Pluto, qui exquiſitiſſimis tormentis Manes exagitet: ſed iuſtitia ab ipſo exquirit: vt ita Sontes torqueantur. Aſt Iupiter, cui nomen à iuuando, Fratrem, inſontem, beneficum, nulla iniuria laceſſitus, iniurijs proſequitur ijs priuans delicijs, quas ſibi, ad faſtidium vſque, ingratus frater vſurpet; Prolem habere votat cupientem, perpetuoq; cœlibatui addicens, acerrimè torquet, & dilaniat, ideò ſæuiſſimus &c.

SIC NOBIS NOXIA VIRES &c. Ita enim legit cum vulgata noſtra Heinſius. Hæc, inquiens, & ſequentia ſcriptis debemus, quæ mendoſè vulgo leguntur. Perſtringit autem tacitè Heinſius, hoc loco, Parrhaſium, qui textum hoc pacto legit.

> . . . . *Si nobis noxia vires*
> *Cum Cœlo fortuna tulliſſet; non robur, & arma*
> *Perdidimus &c.*

Barthius pariter in hunc locum hæc habet: *Si nobis noxia vires.* Lege: *Sic nobis noxia vires.* Ita nihil deerit ad Tyranni expoſtulatoriam Orationem, qui non ideò, iactat, ſe ſeruire, datum, tyrannidi Fratris, quia cœleſti regno, vt videri indignabundus vult, ſit ab eo interuerſus: eſſe & in locis horridis illis, & tenebroſis viriles animos, & robur in armis. Hæc Barth. & profectò ſi cum Parrhaſio legamus; ſtat itaq; ſenſus, ac rectè procedit quatenus dicit: *Si nobis noxia vires cum Cœlo Fortuna tullit; non perdidimus robur & arma.* Sed altera quæ ſequitur conditionalis, nempè *ſi rapta dies*, cui inhærebit? Quodnam erit verbum ſub conditione affirmatum? Alij partim Parrhaſio conſentientes, partim ab eo diſſentientes corrigunt, & legunt.

> . . . . *Si nobis noxia vires*
> *Cum Cœlo fortuna tullit; num robur & arma*
> *Perdidimus ſi rapta dies &c.*

Sed hæc lectio, dum ſecundæ conditionali verbum adſtruit conditionatum; conditionalem primam ſine verbo conditionato relinquit. Ni dixeris huiuſmodi correctores vnicum verbum ſub dupplici conditione affirmari, ita vt ordo verborum ſic conſtruendus ſit, *ſi noxia fortuna tullit nobis vires cum Cœlo; ſi rapta nobis dies eſt, num perdidimus cum ijs & robur & arma &c.* Sed hoc ipſum poterat Parrhaſius dicere ſine vlla lectionis ſuæ mutatione: niſi in quantum iſti per interrogationem efferunt, ille verò ſine interrogatione, dum *non* pro *num* repoſuit. Aptiùs tamen, nam emphaticè magis, legendum arbitror cum Heinſio: *Sic nobis noxia vires.*

> *Cum Cœlo Fortuna tullit? Num robur, & arma &c.*

vt facilè ex ſubſequenti patebit explicatione.

SIC. Aduerbium eſt ſimilitudinem inferens, & paritatem. Quarè vim hic habebit non minorem, quam habeat illud *tantum ne*, quod ſupra poſitum fuerat; nam comparat hìc cum ſæuitiâ Fratris inclementiam fortunæ, quærens num in æquali ſit gradu, quaſi dixerit: Tantum ne tu deſæuias, ac tecum pari crudelitate coniurata fortuna? Siccine nobis abſtulit vires, vt crudelitati tuæ reſiſtere non poſſimus? Inſuper particula *ſic* idem ſæpè ſonat, ac igitur, ſeù ergò: quod magis explicationem confirmat noſtram; præcipuè ſi perpendamus eamdem particulam *ſic* pro eodem etiam vſurpari, ac *tali pacto*: nam ſenſus erit: *Tali ne ergo pacto Fortunam vires noſtras eneruaſſe iam putas, vt Tyranno reſiſtere nequeamus?* In quo apertam iam ſatis emphaſim vides.

NOBIS. Vel more regio loquitur Pluto per Synecd. plurali numero vtens pro ſingulari; vel *nobis*, inquit, vt oſtendat cauſam ſuam non ſibi peculiarem eſſe, ſed omnibus inferorum potentijs communem, quæ ideò ad arma conclamarent: & quærit num deſint vires, quibus tanta adſit voluntas? vt, per oppoſitum, innuat, ſummis ſe immò viribus pollere.

NOXIA FORTVNA. Noxius idem eſt, ac *nocens, infeſtus, maleficus*: Fortuna verò eſt *ſubitus, ac inopinatus rerum euentus*. Noxiam itaq; Pluto appellat fortunam, quia, cum de diuiſione imperij ageretur, ſorti partium ſortitione demandata, præter expectationem, ſors, (quæ idem, ac Fortuna eſt) Cœlum Ioui, propitia, Barathrum Plutoni, iniqua, adiudicauit.

TVLLIT. Ideſt abſtulit per apherefim: & vim obtinet poteſtatiui, vt illud verbum *erit* de quo ſupra: ac ſenſus eſt: *Poſſibile ne eſt, vt Fortuna iniqua ab inferis abſtulerit vires, vigorem, ac robur, quod innatum eſt, ſicuti abſtulit Cœlum, quod aduentitium eſſe debuerat? Hæc ne tibi ſuaſerit ſuperbia tua?* Patet autem ex his interrogationem iſtam, quæ virtualiter contineat à minori ad maius argumentum, certè concludere per importatam impoſſibilitatem, qua oſtendatur Fortuna, quæ minus abſtulit, non potuiſſe, quod maius erat, auferre.

VIRES. Vis omnis noſtra in animo, & corpore ſita eſt, ait Cic. pro domo ſua. Quarè, donum naturale cum ſit, Fortunæ nequaquam ſubeſt, ideoq; ab hoc impoſſibili Pluto in Memoriam Iouis reuocat, non ſibi deficere vires illas, quæ a Fortuna auferri minimè potuerint. Sed vlteriùs mihi videtur ſenſus Poetæ hic eſſe, vt per Ironiam amaram, quæ & Sarcaſmus dicitur, carpat eorum ſententiam, qui, Fortunæ nimium tribuentes, eius potentiam ad omnia extendi dictitabant, ita vt penes illam eſſent omnes humanæ vitæ mutationes, omne arbitrium in facultates, bona, amicitias &c., tantoq; polleret vigore, vt ipſum humanum arbitrium, pro libito ducere poſſet, ac contorquere; quod omninò impium eſt dicere. Immò Deos ipſos cedere Fortunæ dice-

rent,

rent, qua enim Fortuna fauens inclinaret, Deos omnes Fautores adeſſe dicebant, abeſſe autem ab iis, quos Fortuna auerſa fronte deſtitueret. Quam erroneam prorſus opinionem aptè ſubindè confutauit Iuuenalis, aſſerens, fortunam ſtultè inter Deos collocari, & nullum Numen alienum à nobis eſſe, ſi noſtras dirigat actiones Prudentia, virtutum omnium magiſtra; ſic enim ipſe.

Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia. Sed Te
Nos facimus, Fortuna, Deam, Cœloq; locamus.

Fortunam Oceani filiam fuiſſe teſtatur Pauſanias, forſitan, vt eam Fortunæ inſtabilitatem, inconſtantiam, ac labilitatem edoceret, quam poſtea Poetæ omnes Fortunæ tribuentes varijs Hieroglyphicis exprimere conati ſunt; nam ſi filij, vt plurimum, hæreditaria quadam propagatione qualitates in ſe ipſos attrahunt genitorum, quid inconſtantius Fortunâ illâ eſſe poterat, quæ ab inſtabili quam maximè elemento originem duceret? Ideò hanc cœcam, & cœcis equis currum trahentibus inuectam pinxerunt antiqui, quippè quæ, cœcorum more, bona, & mala diſtribueret, nulla habita ratione meritorum, vt patet ex Ouid. in Epiſtola ad Liuiam,

Fortuna arbitrij tempus diſpenſat vbiq;
Illa rapit iuuenes, corripit illa ſenes.
Quoq; ruit, furibunda ruit totumq; per orbem
Fulminat; & cæcis cæca triumphat equis.

Andabatarum more, ab eodem deſcribitur, hùc, illùc inconſtantiſſime volitans, nunquam quieſcens, nunquam immota. Sic 2. de Ponto.

Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo firma, tenaxq; loco.

Hinc Tibullus Eleg. pri. Fortunam volucri verſatam rotâ deſcripſit, vt ſemper proclinem indicaret ad motum, eiuſq; inconſtantiam exprimeret.

Verſatur celeri Fors leuis orbe rotæ.

& Ouid. cit. lib. 2. de Ponto ſtantem in globo ſphærico depinxit, in quo ſcilicet pedem figere immobilem impoſſibile ſit, vt experientia edocet ipſa.

Scilicet indignum, iuuenum rariſſimè, ducis
Te fieri comitem ſtantis in orbe Deæ.

& quidem indignum homine eſt inopinatis euentibus titulum Deitatis adſcribere, cum ſtultum ſit ſemper dicere: *non Putaram*, vt eruditiſſimè docuit Africanus Scipio; ſuam enim ſibi quiſq; fabricat Fortunam, ex inſcitia potiùs, ſi mala ſit, quam ex Oceano progenitam. Quarè iure vim deſpicit Fortunæ Vates, & oſtendit, non poſſe fortitudinem, ac cœteras animi virtutes labefactare, quamuis in extrinſeca bona, quæ bona fortunæ dicuntur, ius & Imperium exercere videatur.

NVM ROBVR &c. Aliud agerit argumentum Pluto, quo ſe non ſpernendum oſtentet; nam, licet pacatus ſedeat, arma tamen, & robur habet, quibus ſe contemnentes puniat, ac plectat.

NVM. Particula interrogantis eſt, ſed hanc in ſe vim habens, vt negatiuam innuat reſponſionem interroganti neceſſariò reddendam, & hinc eſt, vt Pluto, hac vſus interrogatione, nullam expectandam iubeat reſponſionem; ſed diſcurſum proſequitur, ac ſi reſponſionem negatiuam Mercurio à Ioue iam datam audiuiſſet.

PERDIDIMVS. Ideſt deperditum deplorare debemus, ſeù amiſimus, hoſtili in poteſtate turpiter relinquentes id, quod nobis Fortuna auferre nequaquam potuit? Robur nempe & arma.

ROBVR, ET ARMA. Robur ad animum pertinet, cum fortitudo, ac præſtantia quædam animi ſit, qua intrepidus quis durat aduerſus pericula, ita, vt contemptor eorum eſſe videatur. Arma verò pertinent ad inſtrumenta, quibus vigor iſte animi vtitur, & ad auxilia, quæ, extrinſecus aduenientia, magis naturalem animi præſtantiam roborant. Non igitur Plutoni deerat robur, ideſt vigor animi, cum adhuc regios ſpiritus retineret, ac Cœlo bellum indicere floci faceret: pariter Arma non deficiebant, ideſt extrinſeca auxilia, quia illi nomen dabant Titanes, Briarei, Eumenides, & cœtera, quæ enumerauimus inferorum monſtra.

SI RAPTA DIES. Iterum Iouem monet, non ei fidendum, nec credendum, forè vt, quod maius ſit, rapiat, qui, quod minus erat, rapuerit, atq; adeò illa particula *Si* eamdem vim habet, ac *quoniam*, ſeù *poſtquam*: vulgò *Poiche*.

RAPTA. Notat iniuſtitiam facti, & Iouem ſibi vſurpaſſe, affirmat ius illud Plutonem ad Inferos relegandi, ita vt Cœlo, & inferiori hac ſub Cœlo luce, priuaretur omninò; ac per conſequens oſtendit, ſe ſemper poſſe iniuſtè rapta repetere, & vim in repetendis exercere, cum vim vi repellere liceat, & res malè à latronibus, vſurpata ſemper Domino ſtet, vbicumq; tandem ſit. Rapere enim à quo particula *rapta* eſt per vim aliquid ab inuito Domino auferre, ſibiq; arrogare.

DIES. Ponitur hic effectus pro cauſa, nempè *Dies* pro luce, cuius loco, tenebris tantùm circumuallabatur Plutonis regnum. Et ita intelligendus Poeta, vt loquatur de priuatione tàm lucis ſupra ſphœras emicantis, quàm ſubſolaris, ſeù ſublunaris. Vno verbo *Diem*, comparatione inferorum, Poetæ dicunt quidquid illorum non eſt, quidquid ſub ſole eſt, vt notat Barthius.

Similes habet indignantis Plutonis affectus Bracc. de Cruce lib. 11. Vbi quæ nos ſupra retulimus in explicatione ad Carm. *Terrorem dolor angebat*, habet & ipſe, & quod ad hunc locum ſpectat, ſic ait;

Di tempeſte hor più dunque, e di procelle
L'Autor non ſono? E queſto ancor m'hà tolto
Chi, togliendomi il Sole, e l'auree ſtelle,
Nel cieco abbiſſo hà'l mio poter ſepolto? &c.

non diſſimiles aggerat Torquatus Taſſus Hieroſ. liberatæ Canto 4. vbi hæc habet, Plutonem inducens inter Auerni peſtes colloquentem.

Tartarei Numi di ſeder più degni
Là ſopra il Sole, ond'è l'origin voſtra,
Che meco già da più felici regni
Spinſe il gran Caſo in queſt'horribil Chioſtra &c.

& paulò inferiùs, proſequens, ſic exagerat.

Et, in vece del dì ſereno, e puro,
Dell'aureo Sol, de gli ſtellati giri,
N'hà quì racchiuſi in queſt'abiſſo oſcuro,
Nè vuol, ch'al primo honor per noi s'aſpiri &c.

& ſubindè, non amiſſas attingens vires, proſequitur.

Ah non ſia ver; che non ſon anco eſtinti
Gli ſpirti in noi di quel valor primiero,
Quando, di ferro, e d'alte fiamme cinti,
Pugnammo già contro 'l celeſte impero &c.

quæ omnia latent, ac, quaſi in virtute, ſunt in paucis illis Poetæ noſtri verbis eo plenioribus, quo breuioribus.

. . . . . . Sic nobis noxia vires
Cum Cælo Fortuna tulit? Num robur, & arma
Perdidimus, ſi rapta dies &c.

nota etiam alloquium crebris interrogatiunculis interciſum, vt Patheticum aſſurgat magis, & vehementiam affectuum amentatis veluti euibret iaculis.

AN FORTE IACENTES &c. Diluit aliam opinionem, ſi quo caſu in animum Iouis irrepſiſſet, quæ Plutonem deſpiciendum repreſentaret, nec Ioui comparandum, ſtante eorum priuatione, quæ Iouem maximè conſpicuum reddunt, nempè Fulminum, ac Tonitruum: & per interrogationem vrget, quia negatiuam ſupponit neceſſariò reddendam reſponſionem.

AN. Aduerbium hic interrogandi eſt, eamdem vim habens, ac particula illa *num*, quam ſupra expoſuimus: eſſe autem aduerbium interrogandi, non verò particulam dubitandi patet, quia cum indicatiuo iungitur: *An putas?* cum enim particula dubitandi eſt, coniunctiuum exigit, vt notant peritiores Grammatici.

FORTE. Vulgò *per auuentura*, quia particula oſtendit deceptum Iouem fore, ſi iſta putaret, & futurum, vt imprudenter ſic opinaretur, non autem ad exigentiam facti iudicaturum, ſed immò indignam prorſus futuram Ioue ſententiam.

PVTAS. Puto hic ſumitur pro *exiſtimo*; vulgò *ſtimare, giudicare, riputare*. Aptè autem, in caſu, vtitur hoc verbo *Putas*; nam, à putatione vitium, cœterarumq; arborum ethymologiam trahens, videtur innuere, cogitationem hanc, temere ſuccreſcentem, amputandam eſſe, ſicuti, per putationem, ea, quæ ſuperflua, inutilia, damnoſa, ac luxuriantia nimis in arboribus deprehenduntur, amputantur, & reijciuntur.

IACENTES. Ideſt fractos, proſtratos, & tamquam mortuos contemnendos, deſpiciendos, ac nihili faciendos; particip. enim eſt præſentis temporis à *Iaceo* deductum, verbo ſcilicet, quod *decumbere*, proſtratum eſſe, mortuum eſſe, abiectum, neglectumq; eſſe, ſignificat pro varia eiuſdem verbi acceptione.

ET IGNAVOS. Ignauus idem eſt, ac *timidus, imbellis, omnia reformidans, & ad nil boni aptus*: vulgò *vile, poltrone, buon da nulla*. Sic Virg. Georg. 4. Spurias, nulliuſq; frugis, apes ignauum pecus appellat.

Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

vides quanto hæc cum ſtomacho, per continuatum Sarcaſmum, deportentur; nam omnia per oppoſitum vrget Pluto, vt Iouem mordeat potiùs, quam moneat.

QVOD. Particula cauſalis eſt, idem ſonans, ac *quia*: & tranſitum hic præſtat ad attingendam apparentem quandam rationem, cur fortaſsis Iupiter Imbellem exiſtimare potuerit Plutonem, in comparationem ſui, vt rationem ſubindè illam ironicè attingat Pluto eius tacitè redarguens inefficaciam ſic: *Quod*

NON STRINGIMVS CYCLOPEA TELA. Vulcanus creditus fuit in Lipare inſula, vel, vt alijs placuit, in inſula quadam intermedia inter Liparen, & Siciliam ſita (de quibus nos fuſius lib. 1. agemus ad Carmen: *turbatur Lipare &c.*) Dijs multis arma, fabrili arte, qua polleret, extruxiſſe, operumq; executores ſuorum, & operatores habuiſſe Brontem, Steropem, ac Pyracmonem; quorum tamen præcipuè frontes, in extruendis Ioui fulminibus, deſudarint. Quod ampla ſanè deſcriptione latè proſequitur Virg. 8. Æn. ſic.

Inſula Sicanium iuxta latus, Æoliamq;
Erigitur Lipare, fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra ætnæa tonant; validiq; incudibus ictus
Auditi referunt gemitum: ſtriduntq; cauernis
Strictura calybum, & fornacibus ignis anhelat;
Vulcani domus, & vulcania nomine tellus.
Hùc tunc ignipotens Cælo deſcendit ab alto.
Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Brontesq; Steropesq; & nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus, iam parte polita,
Fulmen erat: toto Genitor quæ plurima Cælo
Deijcit in terras; pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ
Addiderant, rutili tres ignis, & alitis Auſtri
Fulgores; nunc terrificos ſonitumq; metumq;
Miſcebant operi, flammiſq; ſequacibus iras.

ex his habes cur Poeta noſter Iouis fulmina Cyclopeorum telorum nomine deſignauerit, quia ſcilicet ea à Cyclopibus fabrefieri commenti ſint Poetæ; ſed quid huic commento anſam dederit; & cur ita fabulati fuerint antiqui, remanet explicandum: quod cum innoteſcere non poſſit, niſi veram fulminum naturam, atq; efformationem breuiter attingamus;

Scias fulmen nihil aliud eſſe, quam exhalationem calidam, & ſiccam; cum enim terra vi ſolis incaleſcat, exhalationem fieri, neceſſe eſt; & quidem non vnam ſimplicem, vt aliqui arbitrantur, ſed duplicem; vnam ſcilicet, quæ magis vapor ſit; altera quæ ſpiritus magis ſit. Vaporem voco exhalationem illam, quæ ex humore, qui intra terram, & ſupra terram eſt, vi ſolis attrahitur: Spiritum autem voco illam, quæ eâdem vi extrahitur à terra magis exſiccata, quam aliqui *fumidam* vocant; ego igneam potiùs exhalationem nuncupauerim ex exſiccata terra extractam; nam repurgatâ terrâ ab humido, quo intra poros terræ detinebantur ſpiritus illi ignei, quibus iam diximus interiora terræ repleri, vt eorum calore in fœcunditatem adducatur; illi ſpiritus ignei facilè euaporantes ſurſum feruntur, iuxta propriam naturam non ſolum, ſed ipſa conſimili ſolis etiam virtute attrahente. Harum igitur exhalationem ea, quæ ignea, ideſt calida, & ſicca eſt, altiùs aſcendit, quam vapor, quippè qui humidior, præ pondere, ſubſidat; cum enim exhalationes omnes participent naturam illius corporis, à quo exhalantes procedunt, certum eſt vapores, nempè exhalationes aqueas, humidas eſſe debere, cum aqua humida eſſentialiter ſit; Spiritus verò, nempè exhalationes terreas, ſiccas eſſe debere ſatis patet, cum terra eſſentialiter ſicca adeò ſit, vt antonomaſticè *Arida* dicatur. Itaq; terræ halitus ſiccus erit, aquæ verò humidus; vterque autem calidus, quia cauſa efficiens, hoc eſt attrahens huiuſmodi exhalationes, dum agit in illas attrahendo, in eas calorem, & conſequenter leuitatem inducit, vt patiens, quantum fieri poteſt, aſſimiletur agenti; cum omne agens agat ad aſſimilandum ſibi paſſum. Ratio autem, cur plus caloris, tenuitatis, ac leuitatis inducatur in vapores terreos, quam in aqueos, eſt ipſa natura terræ, & aquæ, nam terra minus frigida, quam aqua, eſt, quæ frigida in ſummo eſt, ac conſequenter terra minus reſiſtens, calorem immittere, conanti, quam aqua. Adde, iuuari hanc immiſſionem caloris ab ignibus ſubterraneis, qui terram fouent, & hoc quidem per vim ſimpaticam. Sic exhalatio terrea non impedita ſummo illo frigore, quod in aqua eſt, beneficio terreæ ſiccitatis, faciliùs ignis vim accipit, & ignem contrahit. Aduerte tamen, exhalationes aqueas, ac terreas, licet duplicem conſtituant ſpeciem exhalationis, & diuerſa loca, nempè inferiorem aqueæ, ſuperiorem terreæ ſortiantur, tamen, cum nullum ſub Cœlo elementum purum reperiatur, ſed quodcumq; elementum ſemper in ſe alterius habeat mixtionem, nunquam adeò ſegregari exactè ad inuicem poſſe, vt omninò viciſſim altera ab altera liberetur, & omninò ſeparata exiſtat, ſed alterius aliquid ſemper alteram comitatur; ſed exhalationem tunc terream dici, quando ſpiritus igneus vapori præualet admixto, tunc verò aqueam, cum vapor humidus ſpiritui præualet; denominatio enim ſemper à potiori deſumitur. Hoc totum attigit pulcherrimè Pontanus in metheorologicis.

Terra etenim duplicem exhalat ſaturata vaporem:
Humidus hic, craſſoq; madens, ſi corpore vix fert:
Aridus, & calido ſuſſimine, proſilit alter:
Arripit hos latè in gremium circumfluus Aer.

primo enim carm. duplicem habes ex terra exhalationem extolli: ſecundo deſcriptionem, & locum inferiorem exhalationis humidæ, ſeù aqueæ: tertio Terream exhalationem ſuperiori loco potiri vi caloris, licet vtramq; in aere videas, Carm. 4.

Hinc videtur apertus aditus ad explicandum quid ſenſerint ij, qui ſphœram ignis ſupra aerem ponunt, nam id, quod ignis nominatur, Lunæ orbem proximè attingit, iuxta Ariſtotelicum Siſtema, & nil aliud erit, quam halitus calidus, & ſiccus, qui, cum habeat igneas qualitates, igneus, ſeù ignis dicitur, & qui, cum altiorem locum, ex maiori tenuitate, ac leuitate, ſortiri debeat, locum propè cœlum occupat Lunæ: at verò halitus aqueus, qui ſcilicet ex tranſpiratione aquarum prouenit, cum humidus, & conſequenter grauior ſemper ſit, in ſphœra inferiori aeris propè ignem ſubſidit. Superior itaq; ſphœra *ſphæra ignis*, ſeù abſolutè *ignis* dicitur, quia Ariſtot. in Metheor. halitum illum ſiccum, & calidum, ex textu græco *πῦρ* nuncupauit, quod idem ſonat, ac *ignem*, vel propter ſimilitudinem elementaris qualitatis, vel quia his adiuuantibus facilè ignem concipit, & in ignem conuertitur. Hoc poſito facile

Patet fulminis naturam igneam eſſe, cum ex huiuſmodi exhalationibus igneis efformetur: intercluditur enim ſæpè numero ſpiritus, ſeù ignea exhalatio aſcendens, intercluditur, inquam aere denſo, & frigido, ac in nubem coacto; atq; hinc per obſiſtentiam contrarij, hoc eſt per antiperiſtaſim, dum coaleſcit magis, & vnitur, vt contrario reſiſtat, intenſionem in ſe ipſo adauget; ſicq;, dum ſe ex circumambiente contrario ſubtrahere, ac expedire conatur, euerberatus curſu, ac agitatione parum libera, incaleſcit magis, nam motus eſt cauſa caloris, ita vt iam carceris impatiens, ac contrario ipſo comprimente, & expellente, conceptâ flammâ, tenuiorem, ac debiliorem nubis partem infringens proſilit eo impetu, & celeritate, quorum miſerabilia interdum in terris nimium excitantur trophœa, & quidem non ſine tonitru, ac fragore, qui tandem nil aliud eſt, quam repercuſſio, ſeù colliſio nubium, quas, per partes laterales, & denſas, impellit interclūſus ignis vt exeat; & per earundem fractionem, dum per partem proſilit rariorem, ac tenuiorem, fulgure etiam proſilit comitatus, quia, dum motu illo vehementi igneſcit, flammæ ſplendor per ipſas diſcurrens nubes tranſparet, & fulgurat. Sed iam nimis fortè in Metheorologicis verſamur. Iam ad propoſitum, cum Ioui fulmina tribuantur, cur dicantur à Cyclopibus fabricari &c. inquirentes, reuertamur, vt latiùs pateat Vatis perſpicacia.

Iupiter pro aere ipſo ſumitur, vt patet ex Hor. lib. pri. Carm. Ode pri. . . . *Manet ſub Ioue frigido*
Venator teneræ coniugis immemor.

Sic dicimus aliquem ſub dio manere, ideſt manere ſine tecto expoſitum aeris inclementiæ, vt de Sancto Simeone Stilita dicebatur. Aſt ex Græco, *Διὰ* Iouem ſonat. Cum igitur in regione aeris fulmina efformentur, & ex eâdem eiibrentur, cur non dicantur poſita in manu Iouis, ac eiuſdem manu fulmina eiibrari? Patet etiam cur fulmina fabrefacta dicantur in Ætnæis antris operante Vulcano; nam Vulcanus Deus ignis exiſtimatur, immò pro ipſo ponitur igne: cum itaque ignis ſit ipſum fulmen, meritò ex Vulcani officina effingitur prodiſſe. Pariter iam ex dictis in comperto eſt, cur fulminibus fabricandis addicti Cyclopes, vulcanijs opificijs inſudantes, dicantur: nam Fulmen, tonitru, & fulgure comitantibus, immò & præcedentibus, emicat, & decidit: Cyclopes autem Vulcanij tres numerantur ſub nomine Brontis, Steropis, ac Pyracmonis, vt iam dictum eſt, quorum nominum ethymologiam ſi ex græca eru-

ditione indagaueris, comperies ea nil aliud ſignificare, quam *tonitrum*, *fulgur*, & *fulmen*: nam βροντὴ *tonitrum* ſignificat: ἀστραπὴ *fulgur*: πῦρ ἀκμάζον *ignem multum*, nempè *fulmen*; nam ſi ignea exhalatio, quæ in nubibus accenditur, leuis ſit, ac tenuis, in fulgura tantum proſilit; aſt ſi multa ſit, & intenſa, ac denſa vis horum ignium, ex circumobſiſtentia contrarij conſtipatorum, & flammeſcentium, tunc fulgur, & fulmen exit. Nec auſim (vt hoc etiam obiter dicam) negare, quod aliquos negantes video, nempè vapores terreos non poſſe in regione aeris verti, vel in lapides, vel in quid ſimile, quod in fulmen decidat: non auſim, inquam, negare; nam experientia ipſa compertum eſt, aliquibus in locis fulmine tactis repertas fuiſſe ſciſſuras à fulminibus factas in terra, iſiſq; defoſſis, repertos fuiſſe lapides diuerſæ figuræ, qui ex ipſa ſui ſpecie ſe non eſſe lapides eiuſdem cum noſtris efformationis oſtenderent: & inſuper ratio ipſa, hoc fieri poſſe, ſuadet; nam cum vapores ignei, qui è terra aſcendunt nunquam puri ſint, ſed habeant ſemper aliquid terrei admixtum; cur illud terreum non poſſit ex igne ipſo exſiccari adeò, maximè cum intenditur a circumobſiſtente contrario, vt in ſaxum obdureſcat, & igne decidat inflammatum? Sed dices, ſi fulmen erumpit, qua debiliorem inuenit nubem, cum totam prius percurrens concutiat, cur ſemper inferiùs deſcendit, & non potiùs ſuperiùs, iuxta naturam ignis aſcendit; præcipuè cum nubes nil aliud ſint, quam aer addenſatus, & certè aer, quo magis ſurſum tendimus, quippè purior, tenuior etiam, & ſubtilior eſſe debeat? Sed reſpondeo, veriſſimum eſſe hoc, ſi loquamur de aere accepto in ſuo ſtatu connaturali; ſed ſi loquamur de aere in nubem coacto, contrarium euenit; nam, ſicuti ignis ex circumambiente frigido aere intenditur magis, & denſatur, ſic nubes ex circumobſiſtente ſuperiùs ignea ſphœra magis intenditur, & denſatur, vt contrario reſiſtat; quarè pars debilior nubis ſemper in inferiori, vel laterali parte verſus inferiorem profectò reperietur. Immò denſitas illa ſuperior nobis illa eſt, quæ tanto impetu fulmen expellit. Sed inſtitutum explicandi, quod Vates cecinit, proſequamur, ſatis enim iam curioſitati conſultum.

NON STRINGIMVS, igitur, inquit Pluto, ideſt ſpernendos nos forſan arbitraris, quia non, ſicuti in tua, ita & in manu noſtra ſint fulmina, arma vtique ineuitabiliter vindictam de contumacibus ſumentia? *Stringere* enim *arma* eſt *ſe ad vltionem comparare*, atq; in vltionem ictus eubrare. Fatetur igitur Pluto, ſe non habere quidem Iouis arma, ſed tamen, ſe non inferiorem eſſe profitetur, ex eo quod, vt dixerat, alias ſibi vires eſſe non inferiores dignoſceret.

CYCLOPEA TELA. Ideſt arma à Cyclopibus fabrefacta: vbi vides à Poeta ſpeciem pro genere poſitam: aſt non dixit *arma*, ſed *tela*; quia *Arma* nomen genericum eſt, ſub quo comprehenduntur tàm defenſiua, quam offenſiua, *telum* autem ſpecies eſt eorum armorum, quæ offenſiua ſunt potiùs, quam defenſiua, & de offenſiuis certè quibuſcumq; armis loquitur Pluto, cum bellum eſſet illaturus.

AVT VANAS TONITRV &c. Aliam hic attingit cauſam, quam Iupiter timendus videatur, & ex cuius priuatione videri fortaſſe poſſit, ſed immeritò, contemnendus Pluto. Hæc deſumitur à tonitruis, quæ quantum incutiant terrorem, nemo eſt, qui neſciat; cum minæ Cœlorum ſint.

AVT. Coniunctio eſt ſeparatiua, ex qua oritur noua difficultas, ex doctrina, quam tradidimus, emergens. Dum enim diximus, fulmen aſſociata ſemper habere fulgura, ac tonitrua, quomodo hic Poeta, per coniunctionem ſeparatiuam, ita illa ab inuicem ſeparat, vt, aut vnum, dicat, diſtinctiuè, aut aliud Iouem habere, quaſi non concomitantes, ſed diſparati omninò eſſent effectus, & vnus ſine altero haberi poſſet? Verùm facilis eſt ſolutio; nam licet fulmen ſemper cum tonitru, ac fulgure ſit; ſæpè tamen tonitrua ſine Fulmine eſſe poſſunt, & de facto ſunt; duplicis enim generis tonitrua eſſe reperio; alterum quod fit ex percuſſione, ac repercuſſione ignis, ſeù Fulminis per latera nubis, ſibi exitum aperire conantis; & huiuſmodi tonitrua ſemper fulmen habent adnexum. Aliud verò tonitruum genus eſt, quod fit ex colliſione ipſarum inter ſe nubium, dum contrarijs ventis agitatæ ſe ſe inuicem collidunt, & infringunt: & huiuſmodi tonitrua ſine fulmine procedunt. Quod autem de poſtremo hoc tonitruum genere intelligendus ſit Pluto, cum diſiungere videtur tonitrum à fulmine, ſatis patet ex verbo quod ſubdit

DELVDIMVS. Deludere enim idem eſt, ac *irridere*; *per ludum, ac iocum agere*: vulgò *ſchernire, beffeggiare, prenderſi gioco, ò ſcherzo*, hæc enim tonitrua vmbratiles minæ, inania terriculamenta meritò dici poſſe videntur; terrore enim afficiunt, ſed innoxia, quia de facto vulnus non infligunt; ideò ludere videtur Iupiter, qui, cum poſſit fulmine offenſas punire, terrorem tonitruis tantum inieciſſe contentus, manum ſuſpendit a fulmine, atque ir. iam relinquit incutientium mortalium expectationem. Ideò deludimus auras, vel *aures*, vt legit Heinſius, inquit Pluto. Quod ſi iuxta verum ſenſum loqui debeamus, huiuſmodi tonitrua innoxia paternæ ſunt potius Altitonantis præmonitiones mortalibus inditæ, vt fugiant à facie arcus, à Deo ſcilicet irato ad Deum placatum confugientes, hoc à Diuina Iuſtitia vindictas minitante, ad Diuinam Pietatem prouocantes. *Sed noſtra ſequamur.*

TONITRV. Ideſt fragore illo innocuo ex colliſione, & confractione nubium contrarijs ventis actarum erumpente, ſed fulminibus quæ indicare creditur carente.

VANAS AVRAS. Aliqui hoc loco legunt: *Aut vano tonitru deludimus auras*: quod non improbo; nam vanus, id. innocuus, & ſine vulnere furens dici poteſt tonitrus ſine fulmine obſtrepens. A vulgata tamen non recedo, quia non minorem videtur habere eruditionem, vt ex dicendis patebit, & minori hiatu Carmen decurrere videtur. *Vanas aures* legit Heinſius, vt diximus: ſed non immuto, nam in idem tandem recidet, & lectio noſtra, licet non negauerim Heinſij lectionem clariori methodo procedere. Vulgatæ igitur inhærens ſic explico *Vanas auras*, hoc eſt fallaci fulminis expectatione ſuſpenſas. *Vanus* enim idem eſt, ac *inanis*: & porrò aer antonomaſticè *Inane* dicitur: idem eſt, ac *fallax*, & verè fallitur, qui expectatione fruſtratur, nam intranſitiuè hic ſumo nomen *fallax*, non actiuè. *Aura* autem eſt *leuis aeris motus*, qua placidè ſpirant Etheſiæ; ſeù potiùs eſt aereus ſpiritus, quo animalia omnia ad reſpirationem vtuntur; Quarè arbitror Poetam hic *auram* pro *fruentibus aura* poſuiſſe; ſeù continens pro contento, cum pro aere intelligat *viuentes omnes, quæ aere circumambiuntur, eoq; ad vitam fruuntur conſeruandam*. Ex quo ſatis liquet, lectionem noſtram cum Heinſiana coincidere, hac diuerſitate tantummodo habita, quod Heinſius proprietatem ſequitur, noſtra verò figuratam ſectatur locutionem.

Tantum nota hoc loco, quanto cum ſthomaco faſtum Iouis fulmine, ac tonitru vtentis in contumeliam, ac deriſionem reuocet Pluto. Quod vtique ſuperbiſſimi procul dubio proprium eſt animi.

NONNE SATIS &c. Quid paſſus ſit detrimenti commemorat Pluto, vt nimis iam læſam patientiam ſuam oſtentet; ac per contrapoſitum Iouis fœlicitatem amplificat, vt magis propria exageret detrimenta; quo ſubinde inferat, non eſſe, vt innuerat, ferendum poſtremum hoc detrimentum priuationis nuptiarum. Primum autem effert, per interrogationem exagerantem, vrgens perſeuerantem omnis ſæuitiam fratris, qui nondum ſatis offenſas cumulauerit. Ideò inquit

NONNE. Quod eamdem vim habet, ac ſi diceretur: *igitur non*: copulat enim ſenſum internum cum externo, ideſt conſiderationem iniuriarum, quæ longa ſerie diſtributæ menti repræſentarentur, cum ſenſu in voces erumpente; & ex ſenſu interno per illationem proſilit verbalis ſenſus externus concitato doloris æſtro excuſſus: *Nonne*; ſeù *Igitur non*.

VISVM EST SATIS. *Satis* aduerbium quantitatis eſt, idem ferè ſignificans, quod *quantum ſatis eſt*, ſeù *abundè*: vulgò *à baſtanza, ſofficientemente, abbondantemente*; hic tamen ſumitur vt nomen, vel loco nominis; quod nouum non eſt apud Auctores, quarè idem erit, ac *abundans, ſufficiens &c. Viſum eſt*: ſubintellige *eſſe*; nam interdum verbum *videor*, abſolutè ponitur ſine infinito ſubſequenti, cum in ipſo verbo ea lateat vis, vt non indigeat interdum, vt infinitum expreſſum apponatur. *Satis* autem *viſum eſſe*, vulgò eſt *contentarſi, reſtar contento di qualche coſa*, quo ad quantitatem ſeù diſcretam, ſeù continuam: hic de numero illatarum intelligit iniuriarum, vt ex ſequenti patet enumeratione; & de hoc interrogat Pluto, num ſatis Iupiter contentus ſit. Et primo

QVOD: ideſt *quia*, aut *quoniam*, nam idem eſt, vulgò *Perche*.

EXPERS. Expers alicuius rei dicitur, qui nullam ipſius rei obtinet participationem; ſed eâ omninò priuatus exiſtit.

LVMINIS. Lumen hic ponitur pro Cœlo, & Mundo, quibus lumen Solis effulget, & per metalepſin gradus eſt faciendus à lumine ad corpus emittens lumen, à corpore lumen emittente ad corpus illuminatum, & ad illud cuius

pars, & ornamentum eſt ipſum corpus emittens lumen; atq; ex his ad totum Imperium, quod Iupiter in Cœlum, ac ſublunarem orbem exercet, cuius Plutoni nulla obtigit participatio; ſed fuerat in Regnum noctis, & vmbrarum detruſus, quaſi noctua infœlix, vbi Iupiter, quaſi Phœnix, vitali ſemper lumine frueretur.

GRATI. Gratus hoc loco ſumitur pro eodem, ac *iucundus*, ſeù *iucunditate, ac delectatione afficiens*: & meritò quidem Pluto *gratum* lumen appellat, quia cum *lumen*, ſeù dies in diuinis litteris, vt docet Pier. lib. Hierogl. 10. ſumatur pro *fœlicitate, ac proſperitate omni numero perfecta*; tenebras verò, ſeù noctem ponant eædem ſacræ litteræ pro aduerſitatum, ac infœlicitatum copia, certè non poteſt, quin iucundum, ac gratum lumen ſit: Triſtis, iniucunda, ac mæſtitijs affluens Nox ipſa. Quarè cum Lux Ioui, Nox Plutoni obtigerit, cum tamen, vt fratres, debuiſſent æqualiter lucem, tenebraſq; ſortiri; meritò dolet, qui priuatus luce, tenebriſq; addictus perpetuis, ſe læſum nimis, & intolerabili affectum iniuria, ideò ſequitur.

PATIOR. Pati enim eſt toleranter ferre id, quod indignum dignitate, repugnans Maieſtati, violentum denique naturæ ipſi videtur. Patiebatur igitur Pluto ad perpetuas tenebras relegationem indignam dignitate dignitatem Iouis æquiparante; repugnantem maieſtati diuinitatis, quam communem haberet cum Ioue; violentam naturæ Deitatis, cuius proprium eſt lucem inhabitare inacceſſibilem. Priuatio rei, quæ ſubiecto priuato, iuxta exigentiam ipſius naturæ, non debetur, nulla, vel ſaltem leuis, iniuria eſt: aſt priuatio rei debitæ ſummam ſemper infert iniuriam: Quarè meritò inquit dolens *Patior*.

TERTIA DISPENDIA. Eſt hoc tritum iam, gregarium, & vſitatum, vt, quotieſcumq; aliquis fratrum, paternas diuidentium hæreditates, vltimus ad electionem venit, illi ſumendum ſit quod deterius eſt, eo quod primi eligentes potiorem certè, ac pinguiorem ſibi partem vindicauerint: & quidem mos eſt, vt, qui hæreditatem ipſam diuiſerit in partes, vltimus ad accipiendum accedat, hocq; vt diuidens cogatur æqualiter diuidere ſibi cauens, ne, cum alij priorem habeant electionem, ſibi pars infima relinquatur, ſi fortè aliquam deficientem tanquam æqualem ſtatuiſſet. Hoc pacto certè non venit Pluto vltimus ad electionem; nam cum diuiſiones, & electiones hoc pacto fiunt, conſuetum eſt, vt Maior natu diuidat, Minor verò primus eligat quam ſibi ex partibus diuiſis malit aſſumere. Quarè cum Saturni, Opiſq; Primogenitus fuerit Iupiter; ſecundus Neptunus; Tertius natu Pluto: ſi diuiſio modo dicto facta fuiſſet, Iouis fuiſſet diuidere, Plutonis autem primo loco, ſecundo Neptuni fuiſſet eligere, & ſic iam Iupiter, non Pluto coactus fuiſſet. *Tertia pati diſpendia ſortis*. Dicendum igitur potiùs arbitror diuiſionem hæreditarij imperij ex Saturno in filios deuoluti, alio itidem vſitato pacto factam fuiſſe; ita ſcilicet vt ex communi fratrum condicto non minus, quam concurſu, tres fuerint portiones conſtitutæ; cum autem altercarentur de primatu in electione, eo quod Iupiter, vt maior natu, ac Liberator Patris è manibus Titanorum &c. primatum ſibi deberi contenderet; condictum pariter fuiſſe, vt hæc controuerſia ſorte dirimeretur, & ſorti committeretur declarandum, quinam primatum in eligendo obtineret, vt dictum pag. 50. col. 1., & pro vt antiquiſſimo in more poſitum, legibuſq; ſancitis confirmatum latè differit Dempſterus. Affirmare autem hanc meam opinionem videntur Auctores omnes, qui ſemper, dum loquuntur de modo, quo imperium Ioui ſuperum, Plutoni inferum attributum ſit, dicunt illis *obtigiſſe*, quod verbum apertè ſignificat, hoc *per ſortem* peractum. Aſt cum ſors, quæ dijs deſeruire ſolita eſt, non ſit à Fato ſeiuncta; nam, vt ait Pauſanias in Achaicis apud Nat. Com. in Mythol. lib. 4., Fortuna vna ex Parcis eſt, quæ cœteras potentia ſorores antecellit, & quam nos Lacheſim eſſe ſupra indicauimus; & cum Parcas item Fatum eſſe diximus; remanet, vt Fatum ipſum, prout Fortuna Deorum eſt, primatum in electione tribuerit Ioui, ſubinde Neptuno, ac tertio loco Plutoni: Quarè cum Iupiter, ac Neptunus pulchriores partes, nempè ille Cœlum, partem omnium præſtantiſſimam; iſte Maria & inſulas ſecundariam, elegiſſent, Pluto ad quod deterius erat vltimus deuenerit. Huius ſententiæ noſtræ aſſertorem habere Vatem ipſum non profectò ambigimus; hanc enim ſortem, & ex tali ſorte datas leges, ac inita inter fratres fœdera, Imperiumque diuiſum, clarè innuit ſupra, vbi Lacheſis inquit

Ne pete firmatas pacis diſſoluere leges,

Quas dedimus, nentesq; colus, nec fœdera Fratrum &c.

Contentus igitur hac ſorte Pluto, quippè Parcarum fatali Numine, cui & Dij ſubſunt firmata, ſuas receſſerat in tenebras, ac toleranter detrimentum pertulerat, licet læſum ſe nimis agnoſceret. Non tamen Fatum accuſat, ſed Iouem; quia Fatum videri poterat prudenter egiſſe primatum tribuens Ioui ex rationibus à nobis ſupra indicatis, & inſuper quia videbatur Iupiter proprio iure Cœlum ſibi vindicaſſe, cum & Saturnum ipſum è Cœlo deturbaſſet, & aduerſus Titanas ſyderеam illam ſedem defendiſſet. Sed accuſat Iouem, quippè qui fraterno agens iure, ac amore, debuiſſet, his non obſtantibus, in partem lucis fratrem vocare; ideò ſe à Ioue læſum queritur. *Nonne ſatis viſum eſt, quod Grati Luminis expers &c.* Sed dices: Quomodo ſe expertem Luminis aſſerit Pluto; cum ipſe idem fateatur, immò Glorietur ſe meliore frui Cœlo, puriori luce, clarioribus aſtris &c. vt lib. 2. videbimus? Ad euitandam hanc difficultatem, vt arbitror, lectionem huius textus immutauit Heinſius, & loco *Grati Luminis*, repoſuit: *Superi quod Luminis expers*; licet ipſe dicat, ſe ideò immutaſſe vt lumen lumini opponatur, nempe Lumen ſuperum lumini infero, iuxta Virg. Æn. 6.

Incluſas animas ſuperumq; ad lumen ituras.

Ego verò vulgatam amplexus (præter ea, quæ mox de Elyſijs longè à Plutonis ſede poſitis repetemus ex anteactis) in ea ipſa latere huius ſolutionem arbitror difficultatis; ob quam Nota Plutonem non dixiſſe, ſe eſſe luminis expertem abſolutè, ſed *Luminis Grati*, quo adiuncto apertè indicatur ſuperum lumen, quod adeò gratum viuentibus eſt, vt licet audierint Elyſiorum Lumen pulcherrimum eſſe, ac fœliciſſimam regionem, quæ pios poſt mortem manet &c. nunquam tamen, ſi optio daretur, vellent hoc lumen cum illo commutare; Quarè Grati Luminis nomine iure ſuperum lumen, cuius ſe expertem eſſe lamentatur, omni hæſitatione remota deſignat Pluto; quo cum priuatus eſſet (dato etiam quod eius Lumine frueretur, vt iactat lib. 2.) angebatur ſibi à Ioue non conceſſum, quod mortalibus ipſis, ne dum cœleſtibus ſe ipſo inferioribus non denegaret. Ideò *Patior*, inquit; nam maxima profectò animi paſſio eſt, ijs priuari, quæ iure nobis deberi facile arbitramur. *Patior tertia diſpendia*: hoc eſt damna iſta, quæ tertio, & vltimo loco in hæreditatem vocatum premunt. Sed cur dixerit *Tertia* patior diſpendia? *Tertium* primum ſupponit, & ſecundum: at non nouimus Iouem, aut Neptunum diſpendia paſſos cum meliores illis obtigerint ſortes. Sed dicendum eſt eos quoq; diſpendia paſſos, cum quælibet diuiſio ſemper minuat hæredum diuidentium conditiones, nam pro tota pars ſubſtituitur.

SORTIS SVPREMÆ. Quænam fuerit hæc ſors iam vidimus. Sed, dum *ſuprema* titulo eam notat, non ſolum, vt docet Parrhaſius, intelligendus eſt ita; vt ſortem illam *ſupremam*, ideſt *vltimam* vocet, quaſi nomine ſupremæ ſortis, (quod voluit Parrhaſ. cit.) intelligat rem ipſam ſibi vltimo in hæreditatem vocato obuenientem. Sed ita vt nomine ſortis ſupremæ intelligat ſortem illam, quæ ipſum adegit ad vltimum locum in hæreditate obtinendum, quam ſortem *ſupremam* vocat, hoc eſt *altiſſimam, fatalem, inſcrutabilem*, nempè ipſam, cui & Dij ſubſint Parcarum voluntatem. Quod ſi, per *ſortem ſupremam*, rem ipſam vltimo ſibi loco obuenientem intelligeret, iam adiunctum illud *ſupremæ* eſſet ſuperfluum; ſufficiebat enim dixiſſe: *Tertia patior detrimenta ſortis*; nam, cum de diuiſione per ſortem inter tres fratres ſermo ſit, certum eſt, tertiam ſortem eſſe vltimam, & tertia diſpendia ſortis eſſe vltima poſtremæ ſortis detrimenta; quod non dicendum de Vate, qui, vt hùc vſq; adnotauimus, vix verbum habet, in quo multiplex non lateat eruditio, tantum abeſt, vt ſuperfluum admittere cenſendus ſit.

INFORMESQVE PLAGAS. Exprimit vnico verbo diſpendia illa, quæ, vltra grati luminis priuationem, paſſus fuerat inquiens: *Patior informes plagas*: nam, per informes Plagas, certè ſubterraneum indicat Imperium, vt, ex loco ipſo, ſuæ ſortis inclementiam exponat. Quid enim rege, & rege Deo indignius, quam ad Cloacas damnari? & tamen profectò hanc patiebatur ſortem Pluto, cum eius inferorum Regnum, iure, mundi Cloaca dici poſſit, in quam omnes terrei huiuſce orbis defluant ſordes, ideoq; *informes*, ideſt limo, ſquallore, ſitu, ſimoq; deformes. Certè Achilles, apud Homerum, optauit, heri potiùs, & quidem pauperis, ſeruitium in hac vita pati, quam illic Manibus imperare. Informes etiam Plagæ dicuntur, ideſt *ſine forma*, ſeù, quod idem eſt, *ſine pulchritudine, ac venuſtate* nam cum venuſtas

&

& pulchritudo, vel ex ordine rerum, vel ex ſimetria partium, vel ex viuacitate colorum, ortum habeant; nullus ibi ordo, vbi perpetua rerum confuſio; nulla partium ſimetria, vbi monſtroſè omnia ſuccreſcunt; nulla colorum viuacitas, vbi perpetua Nox tenebrarum extendit horrorem, ſine luce enim nullus color, vel quo ad eſſentiam, ſi loquamur in ſententia eorum qui dicunt, colorem nil aliud eſſe, quam lucem diuerſimodè reflexam, & refractam; vel ſecundùm actiuitatem potentiæ viſiuæ affectiuam, ſi loquamur cum illis, qui dicunt eſſentiam coloris eſſe quidem ab eſſentia lucis diuerſam, ſed tamen luce indigere ad hoc, vt ſpecies ad viſiuam tranſmittat potentiam, illamq; afficiat, qua luce deficiente omni ſuo nitore, perindè ac ſi non eſſet, priuetur color. Inſuper *Informe* idem interdum eſt, ac *ſine forma*, non quidem accidentali, vt eſt pulchritudo, ac venuſtas, ſed ſubſtantiali, ac præcipuè loquendo de forma animante, informeq; ideò cadauer dicitur, non quod careat forma, ſeù formis ſubſtantialibus, quibus in eſſe corporis conſtituitur, vt forma carnis, oſſium, neruorum &c. in ſententia admittente formas partiales in viuentibus, ſeù quod careat forma corporeitatis, vt inquiunt, qui formas partiales negant, ſeù quod careat formis accidentalibus *coloris, caloris &c.* nam ſæpè remanent etiam, ſaltem ad modicum tempus, hæc accidentia, præcipuè in repentina morte correptis, & tamen etiam tunc informe dicitur cadauer; ſed informe dicitur ex eo, quod careat forma animante, ideſt anima; atq; adeò idem eſt dicere *Informis*, ac *ſine forma*, ideſt Mortuum. Cum igitur Regnum Plutonis regnum mortuorum ſit, vt ſæpe diximus conſequenter *Regnum mortuum* dici poſſit, hinc eſt vt informes Plagas appellet Regni ſui vaſtitates. Sed dices, ſi immò ſolæ formæ hoc eſt animæ ibi degunt; quomodo in hoc ſenſu dici poterit *ſine formis?* Sed aduerte Animas ibi degentes eſſe quidem formas, ſed quæ deſierint informare, quod idem eſt, ac dicere *formas*, ſed *non formas*; formas, cum de ſe fuerint in ordine ad corpus; non formas, quia ibi degentes, nec informant, nec informare poſſunt, quandiù ibi degunt, ni tandem in corpora remittantur, vel iuxta dicta à Lacheſi ſupra fabulas ſectante, vel à ſuprema iudicij tuba iuxta fidem, & veritatem.

Plaga in Cœli, ac terræ diuiſione dicitur *ſpatioſus quidam tractus*, qui ſe in non modicam extendat latitudinem, vel longitudinem: & huiuſmodi tractus appellantur etiam, modo Climata, modo Zonæ. Cum igitur Pluto Regnum ſuum appellauerit alterum Mundum Mercurium alloquens,

Atlantee, Tegee, Nepos, commune profundis,
Et ſuperis Numen, qui fas per limen vtrumq;
Solus habes; geminoq; facis commercia Mundo.

vbi vides Superum Regnum, & Regnum Inferorum nomine gemini Mundi compellaſſe; nil mirum ſi in ſuo Regno inferorum Climata, & Zonas agnoſcat, ac Plagarum nomine deſignet, fuſiùs ſubindè explicaturus lib. 2. de raptu, vbi gloriabundus habet: *Sunt altera nobis*
Sydera: ſunt orbes alij &c.

Quæ licet ibi iactabundè, & amplificatiuè dicantur, vt Proſerpinæ ſolatium lacrymanti inijceretur, dum rapta ad inferos veheretur, potiùs quam vt rei, & veritati ſeruiret, qui talia iactaret; non obſtat hoc tamen, quin cognoſcatur ex illis Ambitio Plutonis, qui ſe ſimilem Ioui eſſe velit, & æqualem etiam in deterrimam regni ſortem coniectus, vt hic ipſe fatetur. Nam Eliſij Campi, de quibus loco cit. loquitur, cum dicit: *Lumenq; videbis purius &c.* longè erant à Plutonis ſede, licet apud inferos, vt ex Virg innuimus pag. 45. in Lacheſi perorante ad Carinen.

Rurſus corporeos animæ mittuntur in artus.

Vbi verò Plutonis ſedes nullum lumen, vt mox ſupra innuimus, ſed perpetuæ noctis caligo; quarè & à Lacheſi dictus fuit: *Noctis arbiter vmbrarumq; potens*, Pluto enim in Tartaris ſedem habere dicitur; vbi vmbra mortis ſedet, Eliſij verò campi longè à Tartareis diſtant à dextris ſemoti, vt loco cit.

CVM TE LOETISSIMVS ORNET SIGNIFER &c. A contrarijs infoelicitatem, quam ſummam ſuæ ſortis eſſe oſtenderat, iam exagerat: creſcit enim amiſſorum dolor bonorum, cum bona, arbitratu noſtro, nobis debita videamus ab alijs, iiſdemq; raptoribus, poſſideri. Enumerat ergò cœleſtes, in quibus regnaret Iopiter, pulchritudines, vt has opponens deformitati, qua præcellunt informes, de quibus dixerat, Plagæ ſuæ magis elucèſcere faciat tolerantiam, quam has tacitè patiebatur, ac Iouis impudentiam, quatenus, his non contentus, nouas adhuc iniurias moliretur. Cum verò pulcherrimum inter Cœleſtia corpora ſit illud, quod ſigniferum vocant, ab eo exorditur; & dicit: *Cum te &c.* vt notet ſimultatem temporis, qua vigeant, & coexiſtant infœlicitas Plutonis, Iouiſq; fœlicitas; nam

CVM. Aduerbium hic temporis eſt, Italicè ſonans *mentre che, in tempo che*; Latinè verò idem eſt, ac *dum*, ſeù *eo tempore quo*, aut *tunc temporis quo &c.* vt potiorem doloris cauſam oſtendat ex hac ſimultate temporis procedere.

SIGNIFER. Circulus ille maximus *ſignifer* eſt, ſeù potiùs Cœlorum Zona, quæ Zodiacus dicitur *ἀπὸ τῶν ζῴων*, hoc eſt à figura animalium, quæ in eo imaginantur Aſtronomi, nempè Arietis, Tauri &c. ideòq; *ſignifer* dicitur quaſi *ferens ſigna*. Eſt igitur circulus Cœli maximus, ſeù Faſcia, aut Armilla gradus duodecim lata, vt fert communis opinio; nam licet aliqui latitudinem illi quatuordecim interdum, aut ſexdecim graduum attribuant, hoc prouenit ex Martis, ac Veneris digreſſionibus, quæ, dum latiùs interdum ſpatiantur, ipſum videntur ampliare Zodiacum. Latitudinem huius circuli maximi alius bifariam ſecat circulus, qui Ecclyptica dicitur, ita vt ſex ex vna, ſexque ex altera parte gradus relinquat latitudinis Zodiaci, qui ſecundùm ſphœricam circumuolutionem in duodecim partes diuiditur æquales, quæ Planetarum domus dicuntur, quarum vnaquæq; ad triginta gradus extenditur, ac proprijs nominibus, atq; animalium figuris denotantur; ita vt, ſicuti duodecim ſunt partes Zodiaci, ita & duodecim ſint ſigna, ſeù animalium figuræ, quæ hoc diſthico continentur.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Primo verſiculo contenta, *ſigna Borealia* dicuntur; poſtremo verò, quæ continentur *ſigna Auſtralia* nuncupantur. Duodecim itaq; Zodiaci partes duodecim anni menſibus correſpondent. Earum ſigna fulgentiſſimis conſtruuntur ſyderibus, ex quorum influxo cum videatur pendere origo omnis, ac conſeruatio viuentium, ideò à græco *ζωή*, quod eſt *vita* ſignifer *Zodiaci* nomine deſignatur, quaſi *vitam tribuens*. Ecclipticam proterit Princeps ipſe Planetarum, atq; adeò Zodiacum ipſum percurrit, &, per ipſum, tempus diuidit, anni diſcriminat partes, ac diei, noctiſq; vices alternat. Adde ex fabulis Poetarum ſigna Zodiaci duodecim, duodecim herculeis laboribus correſpondere, quaſi Alcides non ſibi magis, quam exornando Iouis Patris ſolio, deſudaſſet. Ideò Signifer

LOETISSIMVS: primo quidem quia Syderum ornamento, eorumq; fulgentiſſimis ſplendoribus, lœtiſſima contemplantes omnes afficit iucunditate: ſecundo lœtiſſimus, quia Solem lœtitiæ fontem detinet ſuis in domibus ſpatiantem: tertio lœtiſſimus, quia omnia lœtiſſima reddit, dum vitalibus fœcundat influxibus: ac lœtiſſimus tandem, quia, æternum Alcidis monumentum, *Iouis delicias* ipſius Iouis in mentem perpetuò reuocat: ideòq; Pluto per Sarcaſmum obijcit Ioui quantum illi proſit lœtiſſimus Signifer, vt ſemper in id, quo, ſibi denegato, Iupiter fruatur, collineat.

ORNET. Ornare idem eſt, ac inſigni aliquo decoramento inſignire, ac quaſi honoris notis aliquem ab infima Plebe diſtinguere. Ideò ait Vates: *Cum Signifer ornet te*: ideſt lucido ſuo coronamento te decorum, ac illuſtrem faciat, & à ſorditate noſtræ ſortis diſtinguat, cum diſtinguendus nequaquam iure fueris, vt cauſam notet, cur in inferorum inuidiam vocetur Iupiter

TE. Ideſt *Te Iouem*; ſed, vt ex poſtremo dictis patet, emphaticè ponitur illud ſecundæ perſonæ pronomen demonſtratiuum *Te*; eo enim per contemptum hic vtitur Pluto, vt tacitè proteſtetur, Iouem indignum eſſe, qui cœleſti fœlicitate fruatur, cum cœlorum deliciæ iniuſtis, ingratis, ac ſceleratis tyrannorum animis non debeantur. Quarè *Te*, inquit, ideſt *Te* ſæuiſſimum fratrum, qui alios deprimis, vt ex ipſorum detrimentis ipſe ad ſolium euchari: Te ingratum, qui tibi vltrò, patienterq; concedentes adeò paruipendis, vt nouis cumulare iniurijs non verearis: Te iniuſtum, qui non iuxta ius approbatum, vel approbandum, ſed iuxta perfidæ tuæ voluntatis dictamen, fratres tibi æquales eſſe dedignaris: Te denique Tyrannum, qui, pulſo Patre, ac Fratribus, Cœlorum, per vim, Imperium occupaueris. Quid igitur hoc indignius? nempe vt te tantis obſeſſum ſceleribus loetiſſimus ornet Signifer. Vide quantam habeat emphaſim vnicum verbum.

ET TRIONES. Triones ſeptem ſtellæ ſunt verſus Aquilonarem circulum ſitæ, & eiuſdem rationis ſignum ex totidem ſtellis compactum verſus Auſtralem, ex oppoſito circulum effulget. Horum autem meminit Virg. pri. & 3. Æn.; Primo quidem dum apud ipſum in conuiuio Didanis.

. . . Citharâ crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit, quæ Maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Soliſq; labores;
Vnde hominum genus, & pecudes; vnde imber & ignes;
Arcturum, pluuiaſq; Hyadas, geminoſq; triones.

Tertio verò cum ſolertiam Palinuri in nauigationem cuiuſq; deſcribit peritiſſimi in morem nautæ, vbi ſic habet,

Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos; atq; auribus aëra captat;
Sydera cuncta notat tacito labentia Cælo,
Arcturum, pluuiaſq; Hyadas, geminoſq; Triones.

& meritò Triones obſeruat Nautarum peritiſſimus, cum huiuſmodi Sydera ea ſint, quæ Geminas Arctos Nauigantium directiuas conficiunt, de quibus nos fuſè egimus in Commentarijs ad Præfationem huius libri, cum Carmen illud præfatæ præfationis explicaremus.

Iam vagus erranti pelago Cœlumq; ſecutus &c.

Hic ideò non immoror in profuſiori explicatione, adeat locum eis, qui cupiat & naturam horum ſyderum, & ea, quę de his fabuloſè narrantur, dignoſcere; & illinc habebit etiam, cur Pluto Triones potiùs, quam alias hic memoret ſtellas; nempè vt, per Sarcaſmum, Iouem tacitè redarguat de ſtupro, cum Plutoni vel legitimas deneget nuptias.

VARIO SPLENDORE. Hoc inquit quia ſigna Borealia, cuiuſmodi eſt Vrſa Minor, quam & Plauſtrum vocant, & Auſtralia, vt eſt Vrſa Maior, quam & Elicem appellant, certè vario fulgore coruſcant. Vel dicas poni hic geminas Arctos pro tota ſtellarum multitudine, ac numeroſitate; licet enim innumeræ ſint Cœlorum ſtellæ, nulla tamen ſimilis, alteri omninò eſt; ſed alia viuacior; alia languidior; alia errabunda; alia immobilis; alia albicans; alia ignea omninò &c. vt enim hominum facies, licet eadem ſimetria partium conſtent, nulla tamen omnia ad amuſſim perpendenti ſimilis omninò alteri erit, quamuis imperito alicui ſimiles videantur; ita ſtellæ, quamuis vulgaribus ingenijs ſimiles inter ſe prorſus videantur, peritioribus tamen Aſtronomis ita apparent, vt nulla alteri ſimilis omnimodè dici poſſit, ſed varium vnaquæq; emittat ſplendorem. Porrò *ſplendor* idem propriè eſt, ac *lux*, *nitor*, *claritas*, & ſumitur etiam pro dignitate, decore, ac gloria. Quare ſenſus Poetæ eſt ſtellas huiuſmodi, ſicuti varia luce, nitore, ac claritate fulgent, ſic vario decore, dignitate, ac gloria Iouem, quem coronant, afficere. Quod ſi Cœli Animam Iouem dicamus, vt aliqui voluere, ex dignitate corporis, Animæ gloriam in lucem proferunt ſtellæ. Et quidem poſtremum hoc videtur Vates attingere, dum dicit

CINGANT TE. Cingere enim propriè eſt *circumquaq; tegere*, ſicuti veſtis circumquaq; contegit corpus. Cum igitur Anima tegatur à corpore circumquaq; cum ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, nec exterius emicet, niſi per operationes, ſic, ſi Anima Cœli dicatur Iupiter, Cœlo, quaſi corpore, non ſecus, ac veſte corpus, circumtegitur ita, vt tantum per operationem, hoc eſt per lucem, atque influxus, per ſtellas, (ideſt per magni illius corporis oculos,) tranſmiſſos, appareat; ideòq. ex dignitate ſplendoris oculorum, ac corporis, emicat dignitas, gloria, & decus Animæ latentis; ita Cœlo lemma addi poſſet *Pulchriora latent.*

SED THALAMOS ETIAM PROHIBES? Cum ſupra exagerauerit Pluto iniuriam ſibi à Fratre illatam, amplificans ab adiunctis locorum, quibus vterq; detineretur, ideòq; contraponens Cœlis Inferorum loca; Zodiaco, ac Trionibus, ſatellitum Iouis, ex ſeptem pariter compoſitum ſtellis, forma ſua, exprimentibus, Inferorum vmbras, caligines, loca ſenta ſitu &c. Hic emphaticè iniuſtitiam eiuſdem Iouis exprobrare aggreditur ab adiunctis perſonam ipſam tangentibus: & oſtendit Iouem legibus naturæ omninò aduerſantem; cum enim ex iure naturali inſitum habeatur præceptum illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, huic hercle præcepto obuerſabatur, dum fratri cœlibatum imponeret inuito, ſibiq; cœlibatum imponi non tantum nollet, ſed immò multiplicatis pellicum gregibus, nedum vxori indulgeret, effrenata vtiq; nimium veneris licentia, vt inferius explicat fuſius. Argumentum igitur huiuſmodi in virtute præfatæ interrogationis continetur: Indignum eſt, & contra ius ipſum naturæ alteri velle, quod tibi nolis: Sed tu non ſolum priuationem lucis, Cœlorum, ſtellarum &c. immò nec vxoris, aut pellicum vis pati, ergo indignum eſt eas mihi imponere priuationes. Hoc autem præcipuè valet, cum de vxore agitur, quandoquidem vndequaq; legitimum, expetibile, licitum ſit coniugium. In cæteris aliquam excuſationem prætexere Iupiter potuiſſet, iactam aleam refundens in ſortes: aſt qui excuſari poterit, vbi nil vetet connubium, præter ipſius Iouis arbitrium inuidioſè nimis agens in fratrem? Cum potiùs muneris ipſius eſſet fratrem matrimonio iungere, quippe præſes ſit Iupiter ipſe connubiorum, nuptiarumq; auctor, ac diſpenſator, vt diximus pag. 52. col. 1.

SED. Particula igitur hac diſcretiua vtitur, cuius beneficio tranſitum faciat ab ijs, quæ antea, licet intollerabilia, vt leuiora tamen, recenſuerat, & quæ num ſatis non fuerint à Ioue ipſo, per interrogationem, quæſierat, ad id quod magis adhuc acerbum, graue, indignum, intollerabile, & execrabile; ac quod vltimo potentiam iniurijs cæteris iniectam laceſſat adeò, vt in furorem meritò vertat: ſicq; cum dixiſſet: *Nonne ſatis viſum &c.* emphaticè ſubdit *ſed*, quaſi ſummum, extremumq; iniuriarum culmen expreſſurus, quod vtiq; quidquid prius dixerit exſuperet adeò, vt animum ad fœdera proterenda, ad prælia, ad ſtrages, ac implacabiles impellat ad vindictas. *Sed*

THALAMOS. Quid thalamus ſit, iam diximus ipſo huius libri initio, *Iunonis thalamos* explicantes; quare hic ſatis erit innuere, poni thalamos pro ipſis nuptijs: & per Synecd. plures pro vno poni, vt ex loco, in quo nuptialia oblectamenta delibantur, oblectamenta ipſa nuptiarum deſignentur, quæ nunquam numero ſingulari, profectò, clauduntur.

ETIAM. Aduerbium augendi eſt, quod, hoc loco, coniungi debet cum ſuperiori particula *ſed*, ita vt dicat *ſed etiam prohibes &c.* idem autem ſonat, ac *præterea*, ſeù *inſuper*, vulgo *in oltre*, ex quo patet tranſitum quem à malis ad peſſimum innuimus.

PROHIBES. Prohibeo non ſemper importat vocale imperium, ideſt iuſſum vocibus expreſſum, ne aliquid fiat; ſed ſæpè ſæpiùs ſignificat idem, ac *impedire*, ne quid fiat; cum autem impedimenta, ne aliquid peragatur, poſſint conſiſtere, vel in vocali vetantis imperio, ex quo voluntas aduerſantis declaretur; vel in ſola interdum actione, quoquo modo, reſiſtente, ita vt, vel cum expreſſione, vel etiam ſine expreſſione verbali voluntatis aduerſantis facto aliquo, impediamus, licet tacentes; & interdum etiam conſiſtat in ſola negatione conſenſus, ſeù concurſus, cum aliquid fieri nequit, niſi alter vel nobis præſtet aſſenſum voluntatis, vel nobiſcum concurrat operando; hinc eſt, vt pro diuerſis impedimentis diuerſam habeat ſignificationem verbum *Prohibeo.* In primo ſenſu habetur apud Virg. Æn. 9. vbi inducit Troianos, ex Apollinis monitu, Aſcanium à bello, quod, ſingulari certamine, ſuſcepturus erat, auertentes: nam hæc ibi habentur,

Ergo auidum pugnæ dictis, ac Numine Phœbi
Aſcanium prohibent &c.

Vbi vides Imperium vocibus expreſſum, & Phœbi voluntatem vocali prohibitione explicatam, ne bellum ſuſciperet. In ſecundo habetur etiam apud eundem Virg. Æn. 1. vbi bello arcebantur Troadum reliquiæ à Didonis Regno, cum enim in inore tunc poſitum eſſet, vt bella clamoribus initiarentur certè, & voce voluntatem exprimente, ne littus tenerent, & prælio ſuper arcebantur.

Quod genus hoc hominum, quæuè hunc tam barbara morem
Permittit Patria! Hoſpitio prohibemur arenæ;
Bella cient, primâq; vetant conſiſtere terra.

Prohibitionem pariter in ſola actione diuinente conſiſtentem, ſine vocis expreſſione, videbis apud eundem Virg. Georg. 4. vbi modum edocemur ludentes Apum volatus coercendi, ne aluearia relinquant, detractis ſcilicet Regalis &c.

Inſtabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor, Tu regibus alas
Eripe &c.

Prohibere autem in poſtrema ſignificatione, ſaltem quo ad efficaciam proprium videtur diuinitatis potius, quam humanitatis, nam, negatione conſenſus requiſiti alterius hominis non obſtante, poteſt homo arbitrio ſuo vti, & rem conficere, etiam ſi alter non aſſentiatur: pariter, ſi alter, cuius concurſu, & cooperatione indigeat, nolit concurrere, & cooperari, poteſt qui efficaciter vult id, quod tali modo prohibetur, ad alicuius tertij opem confugere, & intentum aſſequi: at ſi loquamur de negatione aſſenſus, ſi non approbantis, ſaltem permittentis cauſæ primæ, nil vnquam prorſus efficiet homo, tali negatione detentus & pariter niſi cauſa prima concurſu concomitanti cum cauſis ſecundis operetur, nil poteſt homo iuxta effatum ipſius diuinæ veritatis: *ſine me nihil poteſtis facere.* Cum igitur Poeta hic de

Ioue

Ioue agat prohibente, in hoc vltimo ſenſu vſus eſt verbo *Prohibes*; nam certè Iupiter nunquam dici poteſt, vocali imperio cohibuiſſe Plutonem, ne vxorem duceret, cum immò nec intentionem habuerit prohibendi, vt patet ex promiſſis, à Lacheſi factis ſupra: *Poſce Iouem: Dabitur coniunx* nec certè aliqua actione obuerſante impedierat, cum Pluto nunquam antea vxorem ducere attentaſſet: quarè tantum remanet, vt Pluto prohiberi ſibi nuptias ab Ioue dicat, eo quod ſpontè nuptam non obtulerit, cognita, vt cognoſcere debuit, quem nihil lateat, Fratris inclinatione, ex quo tacitam Pluto arguebat negationem conſenſus, & concurſus, quibus deficientibus, nuptiæ haberi non poterant, cum ex iam dictis pag. 52. col. 1. in ſolius Iouis poteſtate eſſent connubia, ideò inquit: *Sed thalamos etiam prohibes?* Et per interrogationem effert, inſtandi, vrgendiq; gratia, quaſi nulla Ioui eſſe poſſit ab accuſatione vel excuſatio, vel defenſio; præcipuè cum Iupiter, quæ Fratri deneget, ſibi ipſi indulgeat.

NEREIA GLAVCO &c. Ab exemplo probat, indignum eſſe, nec tolerandum, niſi & ipſe vxorem ducat, ſicut cœteri ipſius duxere fratres; & à Neptuno incipiens, cur ipſe minoris eſſe debeat conditionis, videtur exquirere, & æqualiter ſe ſe habendum inſinuat, cum Frater & ipſe ſit. Video hunc meæ explicationi non ſolum, ſed & Lectioni aduerſantem Parrhaſium, qui dicit Plutonem exemplum hic a Glauco deduxiſſe, qui Scyllam duxerit in vxorem, & quam Parrhaſius Nereiæ nomine deſignari contendit, eo quod filia Phorci dicatur, conſequenter *Nereia*, ideſt Nympha maris, ideoq; legit ipſe *Nereia Glauco*, & ſubdit *ſubintellige cohæret*; vel lege *Nereia Glaucum*, & ab inferiore repete verbum complectitur. Hæc Parrhaſius. Verum miror hominem alioqui tam multiplicis eruditionis egregiè adeò hallucinatum fuiſſe. Nam primo quidem a diſparatis non valet argumentum. Quarè quomodo potuerit Pluto ex eo, quod Glaucus vxorem duxiſſet ritè deducere, ergò & Iouis fratri ducenda eſt vxor? A fratribus ad fratrem valet profectò illatio, ſed à diſparatis nequaquam. Secundo. Quomodo Scylla Glaucum gremio exceperit, ſi immò illa Glaucum amantem ne audire quidem, ne dum amare ſuſtinuit, vt videbimus hoc eodem lib. in deſcriptione Siciliæ. Tertio, quomodo Glaucus Scyllâ potitus eſt, quæ à Circe Glauci amante, ac ſe Scyllæ poſtponi indignante conuerſa fuerit in monſtrum, ne eam Glaucus foueretur, vt pariter loco prædicto videbimus? Denique vnde probat Parrhaſius Scyllam inter Nereidas fuiſſe recenſendam? Certè oppoſitum, nos breui mox oſtendemus, explicantes quæ, & cur Nereia dicatur. Vulgatam igitur cum Heinſio, & alijs ſequimur: & ſic paucis explicamus

NEREIA AMPHITRITE. Vndarum Reginam eſſe Amphitritem Maris Deam, ac Neptuni vxorem; adeò inualuit apud Poetas, vt nil tam magis decantatum. Sed quæ illa ſit, aut quid ſit, non omnibus fortaſſe notum. Amphitritem igitur inter Nymphas Oceani, quæ à Patre Nereo, Maris Numine, Nereides appellantur, enumerat Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 7. innixus Heſiodo, qui, in Theogonia ſua, enumerans quinquaginta Nerei filias, inter illas nominatim recenſet Amphitritem; ideò à Poeta hic *Nereia* dicitur, per patronimicum a Patre Nereo deductum: ex quo patet, quam falſo Parrhaſius Scyllam dixerit Nereiam appellari, quia Phorci filia ſit, & Nympha maris. Quamuis enim non ignorem, ex communi modo loquendi, maris Nymphas omnes Nereidas appellari; ſcio etiam hoc factum per ampliationem denominationis, non per proprietatem nominis; nam, quia nullus ex maritimis Dijs tot Nymphas, quot Nereus, genuiſſe dicitur, ideò Pater Nympharum omnium, quaſi ſolus fuerit ipſe, omnes *Nereides* appellatæ fuerunt, denominatione à potiori, non a tota collectione, deſumpta. Verum hic Vates Nereiam dixit Amphitritem, vt ſtirpem notaret, ortumq; Amphitrites ex Nereo; proprietatem ſecutus, non verò ampliationem Patronimici. Quomodo verò Amphitrite, ex Nympha, in Maris Reginam excreuerit, habetur ex Mythol. cit. lib. 2. c. 8. ibi enim dicitur Neptunus captus amore Amphitrites, cum nullo pacto eam poſſet in ſui amorem allicere, delphinum miſiſſe, qui eam ſibi conciliaret, ſuaderetque, vt Neptunum æquo animo maritum ferret: quod munus cum fœliciter obiiſſet delphinus, ob perpetuam tanti beneficij memoriam, inter ſydera relatus dicitur: ad quam Metamorph. alludens Taſſonus Heroicomicus, inquit:

Nettun ſi ſè portar da quel Delfino.
Che frà l'onde del Ciel nuotar non teme.

ſic, cum Amphitrite maris nupſerit Regi, Reginam illam maria omnia meritò venerantur. Quod ſi quæras, quid, in rei veritate, ſit Amphitrite, accipe, quę recenſeat cit. Mythol. Nat. Com. dicto lib. 2. c. 8. ſic. Neptuni vxor dicebatur eſſe Amphitrite, quæ nihil aliud eſt quam ipſa aqua, vt in Cyclope ait Euripides his verbis.

Ego vadum pertranſeo, cæcus licet,
Per Amphitritem hanc, meo incedens pede.

quam Amphitritem *glaucam*, & *piſcoſam* nominauit Orpheus in Argonautis, cum *hæc ſint maris*, non Deæ alicuius, *adiuncta*. Hæc igitur, cum Aqua ſit, dicitur vxor Neptuni, cum Is ſpiritus ſit per totam aquam diffuſus, & tamquam anima ipſius aquæ elementi. Hæc Nat. cit. Hic tamen Claudianus Poetam agens in ſenſu Poetarum Amphitritem accipit pro maris Dea; ſed noluit adeò Poeticis inhærere, vt non oſtenderet, ſe non ignorare, quid, in rei veritate, fuerit Amphitrite; & hac ipſa etiam de cauſa *Nereiam* appellauit, quia nempè Nereus *mare ipſum*, ſiuè *marina aqua* ab aliquibus eſſe dicitur, vt notat Mythol. cit. lib. 8. cap. 7. citans pro eadem opinione Ouid. in Deianira ſic canentem.

Reſpice vindicibus pacatum viribus orbem
Qua latam Nereus cæruleus ambit humum

certum eſt enim *marinam aquam* circumagere totum orbem, quod non conueniret *Nereo*, pro Numine accepto, cum Deitates Poetarum indigerent curribus, quibus de loco ad locum veherentur, conſequenter non omnia terrarum loca, vnico amplexu pertingerent. Vbi nota ſtultitiam antiquorum, qui Deos limitatos non verò immenſitate, aut infinitate fruentes effingerent. Aliqui Amphitritem Oceani filiam autumant. Sed facilè concordari poſſunt ſententiæ, nam cum illa filia Nerei ſit; Nereus verò Oceani dicatur filius, nil mirum ſi Amphitrite filia, per deſcendentiam ab eo deriuatam, Oceani dicatur. Hæc itaque

COMPLECTITVR NEPTVNVM. Ideſt Nupta Neptuno eſt; ponit enim Poeta blandimenta, & amplexus legitimè ad connubium conſequentes pro ipſis connubijs; prima enim coniugalis arrha inter ſponſum, & ſponſam, oſcula exiſtunt, & amplexus. Quod ſi velis, verbum complector idem ſignificare, ac *in ſinum recipio*, vt certè interdum ſignificat, modeſtiſſimè explicabit hic Claud. ipſam legitimi matrimonij conſumationem. Sed nota principaliter, cur verbo *complector* vſus ſit; cauſa enim fuit, vt innueret ſententiam mox ſupra relatam, nempè Neptunum ſpiritum aquæ eſſe, qui aqua ipſa, tamquam corpore anima, circumtegatur vndequaq; ac complexu arctiſſimo detineatur, quod vt magis exprimat, & ſe ad illam ſententiam reſpicientem ita locutum aperiat, *notam maris* ſubdit nempè *complectitur*.

GLAVCO GREMIO. Glaucus enim color proprius vndæ maris videtur, nempe color de albo, ac viridi participans: quaſi dixerit, Amphitritem, gremio ex vndis compacto, Neptunum excipere, licet non ignorem huiuſmodi epitet. à ſupra cit. Orpheo deſumptum, qui glaucam Amphitritem appellauit. *Gremium* autem propriè dicitur ſpatium illud, quod eſt inter complexum *femorum*, nempè partium exteriorum coxendicis, & *feminum*, nempè partium eiuſdem interiorum, & in quo complexu mulieres concipere ſolent. Ex quo vides, quam exactè ex ipſo Poetæ textu confirmetur explicatio, à nobis, ſecundo loco, tradita circa intelligentiam illius verbi *complector*, ita ſcilicet, vt ad conſumationem matrimonij referatur. Hodie quidem promiſcuè a quamplurimus vſurpatur *gremium*, ac *ſinus* pro eodem; ſed, ſi rigoroſè accipiantur, valdè diſtinguuntur, nam *gremium* ſpatium eſt iam deſcriptum: ſinus verò ſpatium eſt intra pectoris, brachiorumque complexum. Sed hæc obiter. *Complectitur gremio*.

NEPTVNVM. Fuiſſe hunc Iouis fratrem, ac Plutonis, ex Saturno, & Opi progenitum ſæpius innuimus; quarè argumentum à pari deſumitur: eundem Maris Deum, Regemque, ac domitorem eſſe, eo quod, ſortitione facta inter fratres, vndarum hunc regnum obtigerit, ſatis conſtat: quare non immoror. Vnum attingere non renuam. Quo pacto ſcilicet ab acerba Saturni Patris, filios omnes deuorantis voracitate fuerit ereptus. Cum igitur Rhea mater, ſeu Opis (nam eadem duplici hoc nomine inſignitur) Neptunum peperiſſet, eum dicitur in ouili abſconditum opilionibus, hoc eſt paſtoribus alienas oues paſcentibus, alendum tradidiſſe inter agnos; ac pullum equinum, quem ſe ſimulabat peperiſſe, vorandum obtuliſſe Saturno. Sic itaq; ſeruatum Neptunum, adultumq; iam, a regno abductum, amoribus turpiter addictum recenſeant, adeòq; & pellicum greges habuiſſe ferunt. Quare nota acumen ingenij, quo [illegible]

[illegible]

elucet, dum ait: *Neptunum gremio complectitur Amphitrite*; quaſi indirectè innuat, laxatam Neptuni libidinem ſemper ad alienas vagantem extitiſſe, niſi quatenus amplexu Amphitrites detineretur, & tamen vxore non caruiſſe, cum tot extra vxorem pellices numeraret; Plutonem verò Cœlibem omninò detineri immeritò, & maxima vtiq; iniuria.

TE IVNO &c. Poſtquam, vxorati Neptuni Fratris exemplo, indignum eſſe ſe ſolum connubijs carere, oſtenderit Pluto, ad exemplum ipſius Iouis progreditur; & vnico, vt ita dicam, verbo multas infarcinat querelas, multas eiibrat exprobrationes, quas paulatim in ſequentibus exponemus.

IVNO. Hæc (vt indicatus iam latens eruatur ſenſus) filia Saturni, & Opis, conſequenter Iouis, ac Plutonis ſoror fuiſſe dicitur; quæ quidem à voracitate Patris eſſu potuit immunis, quia pactum, à Saturno cum Titanibus initum, ad Mares tantum, quippè ſucceſſionis capaces extendebatur, non autem ad fœminas, quæ ad regnum ſubeundum inhabiles ipſa natura eſſent ſua, ideòq; à Titanibus neglectæ. Cum igitur Iuno adoleuiſſet, & nubilem iam ætatis florem attingeret, eam dicitur Iupiter deperiſſe; cumque aliquando tandem eam à Deabus cœteris ſeiunctam vidiſſet, nactus inſidiarum tempus, in cuculum conuerſus, ad montem, qui Thronax tunc, poſtea Coccijs à cuculo (vt refert Myt. Nat. Cons. lib. 2. c. 4.) eſt dictus, in quo Iuno ſola erat, conuolauit, excitata priùs tempeſtate, qua illuc videretur impulſus, aduolaſſe. Hic tremens, ac frigens, ad ipſius Iunonis genua volatum ſuis demiſit: Iuno verò, illius miſerta auiculæ, veſtem continuò circuminiecit. Tum Iupiter, propria reaſſumpta figura, rem cum illa habere tentauit, Recuſabat illa, matrem verita, ſi reſciuiſſet: aſt vbi, ſe eam ductorum in vxorem, promiſiſſet Iupiter, ceſtum Veneris diſſoluendum amanti illa permiſit. In cuius rei memoriam, in Argiuorum templo, erecta fuit ſtatua Iunonis in throno ſedentis cum ſceptro, in cuius ſummitate cuculus inſideret; ſicque Iuno facta Iouis fuit & ſoror, & coniux, vt canit illa de ſe ipſa apud Principem Poetarum Æn. pri.

Aſt ego, quæ Diuum incedo Regina Iouiſq;
Et ſoror & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero &c.

Hoc autem ipſum, quod de ſe iactat Iuno, Ioui exprobrat Pluto, vt rem, perhorrendum facinus perpetratam. Inſuper ex ipſo *Iunonis* nomine fratrem inſimulat, tamquam à Plutonis iurium vſurpatorem; *Iuno* enim *diuitiarum Dea* credita fuit ab Antiquis; atq; adeò cum vigeat axioma, *ſi vis nubere, nube pari*, nulli videbatur copulanda diuitiarum Dea, niſi ipſi diuitiarum Deo Plutoni traderetur. *Ideò te Iuno &c.* inquit, vt oſtenderet Iouem ab eo vſq; tempore falcem miſiſſe in alienam ſegetem, ac Thalamos Plutoni prohibuiſſe, ſaltem indirectè, cum eam ſibi aſſumpſerit, quæ illi ſoli deberetur.

RECIPIT SINV. Hoc eſt amplexibus recreat, ac fouet. *Recipere* enim eſt *rem ſemel depoſitam rurſus aſſumere*: Sed eſt etiam *admittere*, ſeù *accipere aliquem*, ſeù *aliquem honoris, vel beneficij, vel humanitatis causâ ſuſcipere*. Hæc autem commoda omnia penes Iouem, in Iunone eſſe oſtendit Pluto; nam cum è ſinu Iouem Iuno dimiſerit interdum, cum fulminibus opus fuerit eruicare, iterùm reaſſumit, ac fouet, & in ſuum admittit obſequia tribuens maritalia, ſuſcipitq; humaniter, vt à ſuſcepto eiibrandorum labore fulminum reſtauret, ac coniugalibus recreet blanditijs. Quid ſit autem *ſinus* iam mox ſupra diximus, quarè non repeto.

TE. Emphaticè non ſolum poſitum eſt hic pronomen iſtud demonſtratiuum, vt ſcilicet, quæ ſupra obieciſſe in ſimili compellatione iam vidimus pag. 75. col. 2., iterum obijciat, ſed, vt ſcienti in memoriam tacitè reuocet modum, quo Iunonem turpiter, vt mox vidimus, duxerit, & carpat Iouem ipſum, qui nefario niſu ſororem deceperit, ac deceptam vitiauerit, quaſi diceret: *Te deceptorem; Te violatorem; Te conſtupratorem &c.*

FESSVM. Correſpondet, his verbis, ac enhæret Poeta ijs, quæ ſupra dixerat, cum Iouem crudeliſſimum appellauit inquiens: *Tantum ne tibi ſæuiſſimè fratrum &c.* nam hanc etiam crudelitatem, & quidem Ioui ſummam attribuit, cum dicat, non ceſſare eum à fulminibus eiibrandis, niſi continuatione *feſſum* laboris; *Feſſus* enim non dicitur, niſi qui exuberanti labore neruos ſenſerit infractos, ac langueſcentes, vt de meſſoribus ait Virg. Ecl. 2.

Theſtylis, & rapido feſſis meſſoribus æſtu.

& quidem Antiquorum fuit opinio aſſerens Iouem crudeliſſimum Deorum omnium eſſe: quarè ex græco Phyletio deſumpta hæc carmina in vernaculam tranſtulit linguam Mythol. cit. lib. 1. c. 18.

Iuppiter, haud quiſquam Diuum mortalibus eſt te
Sæuior, atq; feſſus magis; haud miſereris virorum.

ex deficientia igitur virium, ſeù laſſitudine nimia labor aſſiduus deducitur, quo vires franguntur, ex labore autem aſſiduo pronus in malum ſemper fulmina eiibrantis animus, atq; obdurata ſæuities, quæ non deſiſtit à pœnis infligendis, niſi cum vires fractæ fuerint exercitæ crudelitatis continua exercitatione.

POST FVLMINA. Ideſt poſtquam fulmina ad laſſitudinem vſque, ac virium deficientiam eiibraueris. In qua nota, quam extenuet ipſius Iouis potentiam, quæ ſcilicet impar muneri eiibrandorum fulminum oſtenditur, dum eorum eiiculatione dicitur fatigari. Quid ſint fulmina, & cur Ioui tribuantur, atq; à quibus efformentur, diximus in explicatione ad Carmen. *Quod non Cyclopea ſolo &c.* quare ad vlteriora citato iam prouehor gradu.

CONSANGVINEO SINV. Exprobrat hic Ioui Pluto illicitas nuptias, quippè, quæ in primo conſanguinitatis gradu cum ſorore videlicet contractas, vt oſtendat, Iouem nuptam ſibi, toto licet iuris emporio reclamante, contra id, quod ius, & fas eſſe poſſet, adſciuiſſe; & conſequenter exageret, quam indignum ſit, meritòq; prouocans iras, licitas Plutoni nuptias denegari ab eo, qui etiam illicitas adijt, vt voti compos fieret nefarius. Lucianus in Dialogis mortuorum Iouem excuſare velle videtur ab hoc, quod ſororem duxerit, dicens hoc feciſſe more Parthorum, quibus mos ſuit, vel ſanguine coniunctas, in vxores ducendi. Sed abſurdius eſſet Deorum Regem ſecutum fuiſſe hominum à legibus aberrantium exempla, ipſo iure damnata, quam ſi diceremus excuſaturi, legibus non ſubiacere, qui ſummus ſit omnium legislator. Verum, & hæc eneruis ratio eſſet, cum legislatores ipſi, & quidem grauioris nominis, ex ſe ipſis vindictas violatarum ſumpſerint legum, vt patet ex Seleuco, Licurgo, & alijs ab Aſtulpho in ſua officina hiſtorica relatis, vt dignoſcamus, non abs re eſſe hic querelam Plutonis in Iouem, ob inceſtas nuptias cum ſorore iure autem conſanguinitatis nota ſororem ſignat hic Vates dum ait: *Te conſanguineo recipit &c. Iun. ſinu*: ideſt *ſorore*; nam conſanguineorum nomine continentur etiam fratres ex eodem patre nati, vt habetur lib. 3. inſtit. de legitim. agnat. ſucceſſ. §. 1., conſequenter & ſorores, & profectò cum conſanguinitas, à qua conſanguineus ſit ipſa ſanguinis coniunctio; nulla certè maior quam inter fratres ex eodem patre natos conſanguinitas. Ideò *Recipit te conſanguineo ſinu*.

QVID ENIM NARREM &c. Per præteritionem attingit Pluto effrenatam Iouis libidinem, quæ ſolà vxore non exſaturata pellicum in dies numerum augeret, vt demonſtret, quam intollerabile ſit, licita petentibus denegari ab eo, qui per omne nefas, in eodem genere, excurrere non perhorreſcat; minora ſe, & licita exquirere indicans, nec ſine ſumma petentis iniuria à Ioue fratre deneganda.

QVID. Aduerb. hoc interrogandi eſt, idem ſignificans, ac *cur*, ſeù *quam ob cauſam*, vel *ad quem finem*: Quo aduerb. emphaticè innuit, quæ de vxore inceſtuoſa dixerit, ſatis ſuperq; eſſe ad oſtendendam effrenatam Fratris libidinem; ideòq; nullam iam eſſe cauſam, cur ſuperaddat; atque ideò per præteritionem ſe nolle dicere, quæ tamen maximè dicit, profitetur, ac per interrogationem effert, cui reſponſio pateat nulla niſi narratorum affirmatiua.

ENIM. Particula coniunctionem cauſalem importans eſt, vt magis vim acquirat expoſitus, eà appoſitâ ſenſus.

NARREM dixit potiùs, quam *dicam*: nam dicere eſt rem aliquam, verbis etiam obſcuris, & vix indicantibus, quomodocumq; exprimere; at verò *narrare* eſt rem aliquam ſerie, & ordine, quo res geſta eſt, recenſere, ita vt neque quo ad factum, neq; quo ad facti circumſtantias, illateat. Narranda autem quæ ſequuntur procul dubio Ioui, ſibi omnium apprimè conſcio, non erant; ideò, non eſſe, cur narret, inquit; ſed vt maximis afficiat improperijs quantum ſatis eſt, dicit

LATONIA FVRTA. Alij legunt *laetantia furta*, ita vt dicat Pluto, furtiuos Iouis concubitus æquari verbis non poſſe. Sed, licet quo ad ſenſum non impropria eſſet hæc locutio, vitioſa tamen eſt, nam eo ipſo, quod *furta* dicantur, *laetantia* ſunt; ideòque ſuperfluum eſſet Epitetum. Vulgatam igitur ſequens iam explico. Latona, cuius deriuatiuum eſt *Latonia* Cœi Titani ex Phœbe filia fuit, vt expreſsè teſtatur Ouid. Metamor. 6. apud quem ſic Niobe.

Quoq; modo audetis genitam Titanida Cœo

Latonam praferre mihi? &c.

Hanc eximiæ ferunt fuiſſe pulchritudinis, ideòq; à Ioue adamatam, vt expreſsè Hor. 1. Carm. ode 21.

Intonſum pueri dicite Cynthium
Latonamq; ſupremo
Dilectam penitus Ioui.

Latonam igitur compreſſit Iupiter, quæ Dianam, & Apollinem concepit. Senſit tandem Iuno, cui adulterium fuerat occultum, factam Iouis pellicem Latonam in vtero geſtare conceptum, eamq; Cœlo depulit non ſolum, ſed Pythoni ſerpenti iuſſit, vt illam inſequeretur. Subindè, Iunone inſtante, terra coacta eſt vniuerſa, vt iuraret ſe nullum Latonæ parturienti receptaculum conceſſuram. Hoc tantum non obſtricta iuramento Inſula Delos, quia, cum hæc inſula inſtabilis eſſet, fortè iuſiurandi tempore ſub vndis deliteſcebat; quarè poſtea, cum tempus pariendi Latonæ aduentaſſet, iuſſa hæc inſula emergere, vt dicitur, à Neptuno, & locum parturienti, quippè non iurata, præbere; vt & de facto præbuit; ideòq; Δῆλος vocata, hoc eſt apparens, & manifeſta; innuit autem hoc ipſum Niobe apud Ouid. cit. ſic proſequens iam dicta *Cui maxima quondam*

Exiguam ſedem pariturae terra negauit
Nec Cœlo, nec humo, nec aquis Dea veſtra recepta eſt.
Exul erat Mundo, donec miſerata vagantem,
Hoſpita tu terris erras; ego, dixit, in vndis,
Inſtabilemq; locum Delos dedit &c.

Vt autem ibi & Latona pariens, & Partus Iunonem laterent, in hanc inſulam dicitur aduolaſſe Latona à Ioue in coturnicem conuerſa: ex quo factum aiunt, vt inſula illa Ortygia diceretur, cum ſit ὄρτυξ coturnix apud græcos. Alij tamen dicunt, non Latonam, ſed ſororem eius Aſteriam, item à Ioue compreſſam fuiſſe in coturnicem commutatam, atq; vt Iunonis iram effugeret, ſe præcipitem in mare dediſſe, & conuerſam, vel Iouis pietate, vel Iunonis indignatione, in inſulam, appellatam, ab coturnice, Ortygiam eam fuiſſe; immò ideò hanc inſulam non fuiſſe, in Latonæ perniciem, iuramento adſtrictam, & ſororem ſubindè ad ſe fugientem recepiſſe, vt pariendi ſedem haberet tandem. Sed, quidquid ſit de hoc, certè clam Iupiter Latonam, vt aiunt, compreſſit, ne Iuno reſciret; cum tamen reſciuiſſet, iterum clam eſſe voluit, ne à Pythone læderetur; clam parere, & clam partus, donec adoleuerint educari; quare, cum omnia quaſi furtim peregiſſet, Latonia furta à Plutone commemorantur; licet enim apud nos *Furtum* ſit clandeſtina alienarum rerum arreptio, antiquitus tamen latiùs patebat huius vocis ſignificatio; *furta* enim dicebantur omnia, quæ clam fierent, & committerentur: ex quo *furta* pro adulterijs, clandeſtinoq; amantium coitu, frequentiſſime vſurpata legimus apud Poetas. Sic Tibullus: *Celari vult ſua furta Venus*. Virg. Georg. 4. in eodem ſenſu hoc nomen inflectit.

Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martiſq; dolos, & dulcia furta.

Conſonat Torquatus Taſſus italicæ poeſis anteſignanus, dum amatorias illecebras inter Rinaldum, & Armidam deſcribens Canto 16. ſic habet.

Ma quando l'ombra co' ſilentij amici
Rappella à furti lor gl' amanti accorti
Traggono le notturne hore felici
Sotto vn tetto medeſimo entro quegl' horti.

quarè immeritò etiam Claudianus hic clandeſtinum Latonæ ſtuprum à Ioue perpetratum, ac multiplicatos ſubindè coeuntium actus *Latonia* furta nominauit, vt modeſtiùs loquens altiùs Iouem carperet, qui ea actu impleuerit, quæ vel dictu obſcæna, vel ab ipſo Plutone cenſebantur.

QVID CEREREM? Cererem pariter Saturni, & Opis filiam memorant, Iouis, Iunonis, ac Plutonis, Neptunique ſororem. Hanc pariter ob eximiam ſui pulchritudinem adamaſſe dicitur Iupiter, & compreſſiſſe, ita vt ex illa Proſerpinam ſuſceperit filiam. Ex quo ſatis perſpectum eſt, nullum ſtuprum, nullamq; turpitudinem, vel domeſticam, Iouem ſibi putaſſe deuitandam. Mirarer mehercule dementem Gentilium ſtultitiam, quæ turpes adeò Deos impensè veneraretur, ni ſcirem, eos tales ſibi Deos effinxiſſe, vt liberius ipſi in omne, impium quamuis, facinus delaberentur impunes non ſolum, ſed etiam gloriabundi, quaſi obſcæna quæq; perpetrantes Deos ſuos imitarentur, ijſdemq; inhærentes effingerentur.

Tanta molis erat ſceleratam condere gentem.

ex iteratis igitur ſtupri, adulterij, ac inceſtuoſi coitus criminibus Iouem hic redarguit Pluto, & infandum eſſe confirmat, cum illicitus, obſcænis, horrendiſq; indulgere libidinum generibus, ſibi verò & licita negari. Circa particulam *quod* ſatis diximus ſupra: tantum nota Emphaticam eiuſdem particulæ repetitionem.

MAGNAMQVE THEMIN? Themis Cœli, & terræ filia dicitur, Dea ſcilicet recti amans adeò, vt homines edocuerit, ea petere, quæ fas eſſet; ex quo etiam Θέμις dicta; nam Θέμις græcè *fas* dicitur. Sanctitas tamen huius Deæ, quæ quod fas eſſet tantum ſectabatur, non abſterruit Iouem, ne eam per nefas appeteret. Hanc igitur concupiuit Iupiter, & eius adeò amore, antequam Iunonem duceret, exarſit, vt ſibi eam vellet vxorem. Themis virginitatis amans, non ſolum oblatos coniugales thalamos intrepida recuſauit, ſed, vt procum declinaret, fugâ ſibi, atque integritati ſuæ conſulere properauit. Verum quis fallat amantem? Secutus Iupiter eſt fugientem, ac tandem, in Macedonia deprehenſam, turpiter violauit. Pluto igitur ſtuprum huiuſmodi obijcit Ioui, & *magnam* vocat *Themin*, quia *magnum* non ſolum, ſed *maximum* eſt, fœminam peregrinationis, ac fugæ ærumnas præeligere, ne copiam ſui faciat amatori, ſtellarum quamuis imperio præfulgenti. Aduerte autem hic quantum Plutonis in Iouem improperia aſſurgant; Emphaticè enim in Themis violatione oſtendit Iouem ius omne, ac quodcumq; fas proculcantem, vt propriæ indulgeat libidini, ac ſubindè, quaſi Xenocrates eſſet, Plutoni licitas etiam denegat Nuptias. Scio Parrhaſium cenſuiſſe non enumerandas Cererem, ac Themin inter pellices, ſed inter vxores Iouis, cum dicat Iouem tres habuiſſe vxores, nempè Iunonem, Cererem, ac Themin. Verum in hac ſententia non fuiſſe locutum hic Vatem patet ex ipſo contextu; nam habita mentione Iunonis vxoris ſtatim ad Latonam Iouis pellicem tranſuolat; cum autem poſt eam, ac ſub eadem particula *quod* memoret immediatè Cererem, ac Themin euidens eſt, eas non vxores cenſuiſſe, ſed Pellices. Verùm ſi etiam dicendæ eſſent vxores, adhùc vigeret quàm maximè Plutonis argumentum iniuſtum enim eſſet, vt, qui tres ſibi voluerit vxores, vnicam fratri denegaret. Sed vt dixi minus ad mentem Vatis videtur id eſſe.

TIBI TANTA CREANDI COPIA. Triplici, præter Iunonium, ſcelere obiecto, quaſi ipſe inferorum Deus hæc proſequi ſine ſthomaco non poſſet, cœtera, quæ poſſet recenſere, quaſi aceruatim vnico dicto complecti vellet, ſubdit: *Tibi tanta creandi copia?* Quaſi dicat; numerum ternarium attigi, nam hic numerus tantæ perfectionis eſt, vt æquiualeat ſuperlatiuo, ſicuti *ter felix* pro ſuperlatiuo *feliciſſimus* vſurpatur; immò ſuperlatiuum ipſum tranſcendere videatur interdum, ideòq; *ter maximus* dicitur ille, cui nihil addi, & de quo nihil magis prædicari poteſt; vt, inquam, oſtenderem, effrænatas libidines tuas herculeas Venereî Oceani metas tranſcendiſſe. Quis enim omnia laſciui furta recenſeat? Vno verbo dicam, quæ integro vix queant volumine contineri. *Tibi tanta creandi copia*, ideſt tot vxores, tot pellices, tot nati &c. Tres enim vxores dicitur Iupiter duxiſſe, *Metim*, nempè Oceani filiam, Gnoſiam, alteram apud Therenum fluuium occupatam, cuius nomen ab auctoribus reticetur, tertiam verò Iunonem ſororem, & ſi addenda eſſet cum Parrhaſio Themis hæc quarta eſſet, ac Ceres quinta. Sed non id ad mentem Poetæ, vt vidimus. Pellices autem quis enumeret? Adſunt Europa, Caliſthus, Niobe, Laodamia, Alcmena, Taygetes, Antiopes, Leda, Danaes, Iodama, Carmes, Protogenia, Ægyna, Torrebia, Ora, Bronus, Electra, Thalia, Garamantides, & aliæ ſexcentæ, quarum nomina recenſere operoſum nimis. Quod ſi harum, quas recenſuimus, filios ex Ioue conceptos noſce deſideras, ac vniuſcuiuſq; matris conditiones agnoſcere, adeas Mythol. Nat. Com. lib. 2. cap. 1., vbi, poſt longam enumerationem, ſubditur ab auctore: *Alij complures filij Iouis nati eſſe dicuntur ex varijs adulterijs, quos omnes numerare longum ſanè eſſet opus; quam enim in formam non mutatus eſt Iupiter, vt optatis amoribus poteretur; aut quis formoſiores mulieres maritus domo ſecuritus diſcedere poterat? Quam multas dolo vitiauit? Quam multas ſtuprauit? Quam multas extra patriam aſportauit? Nec fuit is innumerabilium propè fœminarum complexibus contentus &c.* ex quo patet innumeros etiam Iouis filios fuiſſe, ideo *tibi tanta creandi &c.*

TIBI. Emphaticè, ideſt; tibi ſemper in Venerem prono: tibi conſtupratori: tibi inceſtuoſo: tibi, qui, licita fratribus denegans, illicita cumulas tibi: tibi, per omne nefas infandas prorſus libidines explenti &c.

TANTA. *Tantus* adiectiuum nomen videtur à *tam* deriuari, & quantitatem ſignificat, ita vt idem ſit *tantus*, ac *tam magnus*, ſeù *tam multus*; tam continuæ enim, quam diſcretæ

creatæ deſeruit quantitati. Correſpondet huic nomini correlatiuè nomen *quantum*, ſed interdum reticetur, nam facilè ſubintelligitur *quanta ex dictis patet*, vt hic

COPIA. Idem eſt ac *facultas*, *licentia*, *poteſtas*; & aduerte, quam aptè Poeta hic eo vtatur vocabulo *copia*, & non magis adhibuerit nomen *potentia*, *facultatis &c.*; ſcieris enim, quotieſcumque mulier viro in actum venereum conſentit, ac eidem copulatur, dici illam tali viro *copiam ſui facere*, vt modeſtiùs auctores, quod obſcænum dictu eſt, exprimant; ergò, cum tot vxores, tot pellices *copiam ſui fecerint Ioui*, quid meliùs dici poterat a ſapientiſſimo Vate, quam *Tibi tanta creandi copia*: ideſt (vt optimè interpretatur Clauer.) tot arua genitalia tibi ſunt expoſita, vt vbiuis queas vomerem figere &c. Video Parrhaſium hoc loco legentem: *Vbi tanta creandi copia*, verum, quia, ſi, pro *vbi*, *tibi* reponatur, & magis aſſurgit emphaſis, & rectiùs textui textus correſpondet; nam emphaſis, emphaſi ſuperadditur in vocibus *te conſanguineo &c.* *tibi tanta &c.* ac inferiùs: *te fœlix &c.*, addita etiam traductione figura, quæ mirificè carmen exornat, ideò vulgatam ſequor cum Heinſio, Clauer. & alijs. Inſuper *copia* ſignificat *affluentiam*, *redundantiam*, vulgò *abbondanza*, quæ ad ſthomacum vſq; ſatiet habentem; quarè aptè hoc nomine vtitur, vt innuat, Iouem, ad faſtidium vſq; delicijs amatorijs indulſiſſe.

CREANDI. *Creare* pro eodem ſumitur hic, ac *producere*, ſeù gignere. Antiquitus enim vigebat adeò illud ab Ariſtot. decantatum axioma: *Ex nihilo nihil fit*, vt veram actionem creatiuam vel non agnoſcerent, vel, vt Chimericam, negarent: ideò primum Chaos poſuere, materiam ſcilicet informem, ex qua, tanquam ab æterno præexiſtente, omnia ſubinde fuerint educta. Aſt verò, poſtquam, theologicis facibus, phyloſophorum tenebris illuxit Fides, maximam nos diſtinctionem agnouimus inter actionem creatiuam, & eductiuam, ſeù generatiuam; nam *creatio eſt productio rei tàm ex nihilo ſui, quàm ex nihilo ſubiecti*. Generatio verò, prout genericè ad omnem extenditur productionem, *eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente in ſubiecto eodem*, & actio eductiua *eſt productio alicuius formæ dependenter à materia*; hoc eſt à ſubiecto præexiſtente, de cuius potentia educatur. Generatio verò, prout ad viuentia contrahitur, *eſt Origo viuentis à principio viuente coniunctio in ſimilitudinem naturæ*; ex quo patet, actionem creatiuam ex nullo præſuppoſito ſubiecto, ideſt verè ex nihilo totius omnia condere; actionem verò eductiuam, productiuam, ac generatiuam, dependenter tantum ab aliquo ſubiecto concurrenti opus ſuum efficere. Quarè iam verbum *creare*, ad hoc vt ſignificet idem ac producere, & gignere, dicendum eſt per cathacreſim vſurpari. Nec nouum videatur hoc verbum, pro *producere*, ac *generare* acceptum; nam & Ennodius ſæpè Creatorem pro Patre vſurpauit, vt notat eruditiſſimè Clauer., & apud Poetas omnes frequentiſſimè illud reperies. Vnum tantummodo, aut alterum exemplum breuitatis gratia adducam ex Virg., & primum habetur Georg. pri. vbi terra dicitur Thyphœos, ac Titanas creaſſe, hoc eſt genuiſſe, ſeù produxiſſe.

. . . . Tum partu terra nefando
Cœumque, Iapetumq; creat, ſæuumq; Thyphœa,
Et coniuratos Cœlum reſcindere fratres.

Secundum exemplum habetur Æn. 10. vbi Regina pariens creare dicitur: *Et face prægnans*
Ciſſeis Regina Parim creat &c.

immò tam latè interdum verbum *creare* vſurpatur, vt etiam noui magiſtratus *creari* dicantur; quare nil mirum ſi & hic pro *gignere* vſurpetur, vbi *copia creandi* pro eo deſumi, & intelligi debet, vt dicat: *copia exercendi* actionem generatiuam.

TE FOELIX &c. Ab vxorum, ac Pellicum gregibus, quibus abundaſſe Iouem, oſtendit Pluto ad natorum turmas deſcendit; oſtendens, non interdicendum alijs, quod Ioui impensè adeò placuiſſet. De pronomine *Te* iam ſatis diximus, traductionem figuram nomina per varios caſus, ne tædium pariat, inflectentem aduocauimus. Emphaſis tantum remanet explicanda, quam ineſſe huic pronomini hic iam innuimus. *Te*, inquit, ideſt Te indigitantem alios thoro frui, natorum copia delectari &c. Te fratrem fratri cœlibatum, à quo tu abhorreas, imponentem &c.

FOELIX TVRBA. Fœlix dicitur non modo, qui habet in ſeipſo formaliter fœlicitatem, ſed & qui cauſatiuè alium facit eſſe fœlicem. Cum igitur Pluto dulce putauerit *Patris agnoſtere nomen*, conſequenter in partem fœlicitatis vocari, qui filios procreauerit, iure Natorum Iouis turbam fœlicem appellat, ideſt quæ fœlicem reddat genitorem. In quo ipſo ſenſu vſurpatum videmus nomen *fœlix*, etiam à Virg. vbi Æneam inducit Veneri, non ſatis ſibi notæ, tunc temporis, quo illi ignoto apparuit vultu, ſupplicationes porrigentem, vt ſibi ſuiſq; pareret fœlicitatem: ſic enim Æneas Æn. 1.

An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis vna,
Sis fœlix, noſtrumq; leues quæcumq. laborem.

TVRBA. Multitudinem innumericam, & quidem non paucorum ſignificat hoc nomen; dicitur autem turba à turbando, quia, vt plurimum, vbi multitudo, ibi confuſio eſt, & turbatio. Aſt hic turbam dictam arbitror per antiphraſim. eo quod multitudo filiorum, quæ ſemper turbationes immiſcet, & ſibi ipſi obſtrepens, & alijs, Patrem minimè turbet; ſicq; emphaticè ſe habebit hoc nomen *Turba*, ita vt indicet, tantam eſſe dulcedinem, quam percipit genitor ex filijs, vt turbationes ipſæ, quæ ex natorum turba inferuntur, in partem illi cedant fœlicitatis, ſunt enim copioſi illi ornamentum vnicum fœlicitatis paternæ; vt doctè adnotat in hunc locum Barthius.

NATORVM. Hoc eſt filiorum, qui à verbo naſcor *Nati* dicuntur. Maſculeo autem genere vſus eſt, quia, licet Iupiter mares non ſolum, ſed & fœminas ex adulterijs ſuis ſuſcepiſſet, tamen de fœminis non fit mentio, ex eo quod ſexus ille imperfectus non videatur aptus ad impertiendam Patri gaudiorum fœlicitatem, naturæ enim inſitum eſt, vt in natiuitate maris lætemur, ex ortu verò fœminæ triſtemur potius, quam lætitias ſumamus. Ideò *Natorum* prudenter dixit, vt perfectiùs gaudium Iouis exprimeret. Quam iure autem Ioue natos nomine turbæ comprehenderit Pluto, ad eorum multitudinem indicandam, ſatis in comperto erit, ſi cit. Nat. Com Mythol. conſulas lib. 2. cap. 1.; ibi enim *Preces* dicuntur Iouis filiæ, &, cum Preces innumeræ ſint, vide quam benè turbæ nomine deſignentur. Quod ſi de maribus, iuxta textum, loquamur, inter Iouis filios ibidem enumerantur Minos, & Rhadamantus ex Europa; Arcas ex Caliſto; Pelaſgus ex Niobe; Sarpedon, & Argus ex Laodamia; Hercules ex Alcmena; Taygetus, & Saon ex Taygete; Amphion, & Zetus ex Antiope; Caſtor, Helena, Pollux, & Clitemneſtra ex Leda; Perſeus ex Danae; Deucalion ex Iodama; Britomartes ex Carme; Megarus ex vna Sithiſſidum Nympharum; Æthlius, & Æpaphus ex Protogenia; Arceſſilaus, & Carbaus ex Torrebia; Colaxes ex Ora; Cyrnus ex Birno; Dardanus ex Electra; Pallici fratres ex Thalia; Hiarbas, Phyleus, & Pilumnus ex Garamanude &c. ideò optimè inquit Poeta: *Natorum turba*.

CORONAT. Verbum à corona deductum eſt, & quidem optimè hic adeſt. nam *corona* ſæpe ſæpiùs conſeſſum plurium indicat hominum, vnum aliquem circumquaq; ſtipantium, vt euenit in theatralibus ludis, in declamationibus oratorijs &c. Quare *coronant*, inquit etiam Claudianus ad multitudinem magis exprimendam; ſi enim *coronare*, hoc eſt *circumambire*, (vt explicat Barthius) filijs debuit Iupiter, qui, vt diximus, creditus fuit anima mundi, nulla mundi totius pars eſſe debuit, quæ Iouis filios non offerret. Inſuper corona in tripudijs vtebantur Antiqui, ita vt & Conuiuæ coronati adeſſent, & vina ipſa coronarent; itaque, vt magis oſtendat Pluto tripudium Ioui ex tot filijs propinatum, filios illi adſtantes memorat in coronam. Illud etiam tritum eſt, quod de filijs dicitur, eos nempè vnicum Patris eſſe coronamentum; quod deductum arbitror ex eo, quod olim, apud Romanos, qui liberos plures haberet, prior faſces ſumebat; ex cap. ſeptimo Legis Iuliæ, vt notat in hunc locum Dempſter. ex Gellio lib. 11. cap. 15. Quarè optimè *Natorum* turba coronat. Adde apud antiquos ſolitum fuiſſe, vt gloriæ ſymbolum extaret corona. ideòq; ob præclarè geſta facinora, tradebatur; & quia, vt fert vulgatum axioma, *Gloria Patris eſt filius ſapiens*; ideò filijs Iouem dixit coronatum; ſed, per ſarcaſmum, in hoc ſenſu dictum intelligas, eo quod ſolitus eſſet Iupiter de adulterijs, ſtupris &c., quaſi de præclariſſimis a ſe rebus geſtis, turpiſſimè gloriari, vt notat cit. Mythol. Nat. Com. ex Homericis carminibus, ibidem latinitati donatis, quibus Iupiter ipſe, quaſi præclariſſima trophæa, mulieres a ſe compreſſas iactabundus commemorat.

AST EGO &c. Amplificatæ Iouis fœlicitati, expreſſiſq; ex natorum turba perceptis gaudijs, opponit Pluto per antithetom infœlicitatem ſuam, mœroremq; ex ſolitudine, ac priuatione vxoris ſimul, & Natorum, prouenientem, quo adeò ſe opprimi indicat, vt intollerabile iam pondus cogatur deiectare, & negatam diutiùs, optatamq; fœlicitatem,

tem,

tem, quocumq; tandem conatu, ſibi in poſterum vindicare.

AST. Aduerbium eſt, ſeu potiùs particula aduerbialis aduerſatiua idem ſonans, ac *è contra*; & plurimum valet, præſertim cum dolorem vehementiùs exurgentem, ac indignationem exardeſcentem exprimere volumus. Quarè aptè hic Pluto; *Aſt*

EGO. Emphaticè ponitur: nempè Ego Iouis frater, ac Neptuni, qui non minoris eſſe debeo conditionis; Ego, illis, vxorias inter delicias, natorum cœtu lœlicibus, infœlix adſto. Ego, cum ijſdem, pariter Saturni, & Opis filius, ac eiuſdem per conſequens Regni particeps, qui, ne Ioui eſſem infeſtus, tertia ſponte ſum paſſus diſpendia ſortis, Cœlo omninò priuatus, Cœlebs etiam, deridenduſq; ideò exiſtam infœlix! Ego, qui Themidis præceptorum memor, quod fas eſt, tantum expeto, nullam mihi Themin adſciſcam! Ego, qui nulli violentus nullam vitiam, qui nullis aliorum toris iniurius, qui nullo pellicum grege ſtipatus ab illicitis tempero, nec licita conſequar gaudio.

MÆRENS. Hoc eſt triſtis, demiſſoq; incedens vultu, græcè Μοῖρε dicitur; quare facilè ijs aſſenſerim, qui deductum putarunt à nomine Μοῖρα: ac quod latinè ſonat *Parca*, *Fatum*, *Mors*; ſeù etiam *Sors*. Ex quo licet animaduertere, quam acutè Poeta cauſas ſimul, & effectum vnico, incluſerit non modo, ſed & expreſſerit verbo: effectum quidem, quia mœror talis eſt animi paſſio, & afflictio, ac deiectio cordis, vt non ſolum languoribus, morte appropinquante inductis, æquiparetur; ſed interdum etiam ipſa morte acerbior videatur; nam tanto nonnunquam tædio obſeſſum afficit pectus, vt cogat vitam ipſam odio habere, ac mortem præoptare potiùs, quam talis continuationem paſſionis cum vita ipſa perennari. Cauſas autem eodem exprimit verbo aptiſſime; nam cauſæ mœroris Plutoni erant ſortes, quibus Cœlo, aſtris, luce orbatus, in inferis detineretur, mortuorum imperio, non quidem ex electione, ſed aduerſante in partitionibus ſorte, miſerabiliter addictus: cauſæ erant Fata, quibus cum ſortes ipſæ firmarentur, reluctari nequaquam poterat Pluto: Cauſæ denique erant Parcæ, quæ dum ipſe iniurias à Fratre illatas vlturus mœrori ſuo medelam adhibere meditaretur, vetuère minas, & violari fœdera noluerunt, quæ ipſæ firmauerant, ac ſolus ouerat. Vnico igitur verbo hoc *mærens* mirè exagerat infœlicitatem ſuam, fœlicitati Iouis ex diametro oppoſitam. *Mærens*, ideſt, ex fœlicitate fratris frater infœlix, eo quod non æqualis ſit fratri: *Mærens*, quia Sors, Parcæ, Fatum, Ioui fauere, ſibi autem aduerſari voluerunt: *Mærens*, quia Iupiter Rex viuorum eſſet; ipſe verò Iouis frater inter mortuos deiectus, mortuorum, quaſi mortuus, addictus imperio: *Mærens*, quia neglectus, quaſi impotens, quod non Cyclopea tela ſtringat &c., cum frater, non maioris licet potentiæ, maximi putetur, eo quod tonitru, fulgure, ac fulmine armatus toti iam ſit orbi verendus. *Mærens*, quod ſibi ereptus fuerit Dies, quod, quaſi læſæ maieſtatis reus æternis plectatur vmbris, cum Iouem lœtiſſimus ornet Signifer &c. ac *mærens* tandem, quod Iupiter illi licitos etiam toros prohibeat, cum ipſe ſibi per illicita quæq; arroget diuagari. Vides, quanto ingenij acumine polleat eruditiſſimus Vates, qui vnico verbo complectatur, ac in memoriam reuocet quidquid in progreſſu Plutonicæ orationis latè diſſeruerat; & quam copioſam colligat ex græca eruditione meſſem conceptuum.

INGLORIVS Cicero 1. de legibus ait miſeros eſſe, qui inglorij ſunt. Porrò *inglorius* græcè dicitur ἄδοξος, quod latinè ſonat *humilis*, *obſcurus*, *abſurdus*, *infamis*; ἀδοξία enim eſt *ignominia*, *deſpectus*, *obſcuritas*, *infamia*; à verbo ἀδοξέω, quod eſt *gloria careo, ignominioſus habeor, & obſcurus, ſermone hominum vituperor; malè audio*. Quibus prænotatis, perpende, quam exactè cohæreant *Mærens*, *inglorius*, in hoc poetico textu; *Mærens*, quia *inglorius*; ideſt, iuxta Cic. ſententiam, quia *miſerqs reſtrus*; cum fœlix æquè, ac Iupiter eſſe debeam. *Mærens*, quia *inglorius*; ideſt, iuxta græcam eruditionem, obſcuri nominis factus negligor, vt fœx ex infima plebe relicta, cum tamen, Saturni filius, magni nominis eſſe deberem. *Inglorius*, quia ignominioſus, infamis habeor, nam, vt talis, vel à licitis arceor connubijs; ideò ſermone omnium vituperatus, deſpectus, conculcatus, quaſi indignus, qui meliori loco, quam inferorum carceribus detinear. *Inglorius*, quia, ſi filij gloriarum corona genitori exiſtunt, mihi ab hac gloria, ab hac corona interdictum, tamdiù, quamdiù connubia prohibet frater. Vides, quantum hæc oratio emphaſim habeat, & inſuper, vt aptè deiectionem ſuam Iouis opponat ſublimitati. Iupiter ob natorum copiam gloriabundus; Pluto ob carentiam inglorius: Iouem natorum turba coronat; Plutonem tali priuatum corona circumſtat ignominia. Ideò *mærens*, & mærore quidem intolerabili, ita vt omnia tentanda videantur, vt diſcutiatur: quarè ſubdit poſtea: *Non adeò toleranda quies &c.* ſed de his ſuo loco; Interim iam cœpta proſequimur.

DESERTA AVLA. Dupliciter intelligi poteſt: vel ſcilicet ita, vt ponatur pro ablatiuo ſtatus in loco; & idem erit, ac ſi diceret: *hoc meo in regno*, omiſſa præpoſitione *in*, vt facit etiam Virg. Æn. 4. vbi ſic Didonem inducit loquentem.

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus Aula
Luderet Æneas.

vel ita, vt ſit ablatiuus cauſalis, quaſi Aula Plutonis viſa ab ipſo deſerta, hoc eſt nullis ſtipata filijs in cauſa mæroris ſit, vtrolibet autem ſumas modo optimè ad ſententiam cadit.

AVLA, igitur propriè eſt Principum domus ventis perflabilis: vulgò *Corte, ò ſala aperta de Prencipi, ò Signori grandi*. Verum, quia Principum ædes plura ſolent continere huiuſmodi loca, factum eſt, vt, parte pro toto poſita, *Aula* pro *Regia* poneretur. Et in hoc ſenſu adeſt hic

DESERTA. Quomodo *deſerta* dici poſſit Aula Plutonis, non adeò obuium eſt; nam *deſertus* dicitur locus nullis frequentatus viatoribus, nullis cultus colonis, atq; ab omni inhabitantium conſortio ſegregatus. Qui igitur Poeta hic Aulam Plutonis deſertam vocet, cum paulo ante innumeris ſtipatam ſimilantium cœtibus affirmauerit? quomodo cohærent, quæ hic dicit, cum ijs quæ ſupra in inuocatione iam dixerat, vbi habet.

De quibus innumerum vacui famulatur Auerni
Vulgus iners &c.

Verum, antequam acutiſſimum carpas Poetam, effectum, quæſo, Amoris recogites, ac vulgatum illud memineris effatum: *Amans amata carens in multitudine ſolus*. Ardebat Pluto ducendæ coniugis deſiderio; totis optabat præcordiorum affectibus, vt filijs à ſe genitis regale ſtiparetur ſolium inferorum; quarè his amoris ſui, ac deſideriorũ ſuorum Cynoſuris carens, innumeris licet inferorum cateruis ſtiparetur, ſibi videbatur in multitudine ſolus: deſertum locum regiam reputabat ſuam, quippè in ea, vxore, ac filijs vacua nullum ſe dignum reperiebat, quo recrearetur, conſortium: ideò iure deſertam appellat Aulam, quaſi in deſerto verſaretur, qui innumera ſtipatus multitudine ſecum, quos optarat, non haberet. Sic Dido, apud Virg. Æn. 4., ſecedente ad Quietem Ænea, licet Aulicis vndequaque ſtipantibus *ſola* dicitur.

Sola domo mæret vacua &c.

aut certè vacuam appellat, deſertamq; Aulam in eo ſenſu, quo vacuum loco cit. Auernum appellauit: ſed prior explicatio textui conſona magis, vt arbitror.

NVLLO PIGNORE. Pignus propriè dicitur, quod creditori ob ſecuritatem datur, vt fiduciæ obſes: ſic pignora amoris alicui debiti dicuntur ſigna quæcumq; expreſſionem amoris oſtentantia: & quoniam, de coniugibus loquendo, creditores ſunt ſemper ad inuicem mutui amoris; Liberi autem ex ipſis procreati, vtpotè effectus amoris, viua eiuſdem mutui amoris extant ſigna; ideò *pignora* vocantur. Pignus igitur pro *filio* hic ponitur, vt etiam apud Ouid. Faſt. 3.

Dulcia ſollicita geſtabant pignora matres.

& Ablatiuus cauſalis eſt; nam dulce adeò eſt nomen Patris audire à filio, filiorumq; deliniri blanditijs, vt in cauſa hæc ſæpè ſint, qua Genitores acerbiſſimas quaſuis obliuiſcantur oppreſſiones, angores, & anguſtias animi. Quarè Papinius ad eliciendas in funere filij lacrymas ſic cecinit:

Quis tua colloquijs hilleres mulcebit amatis
Pectora? Quis curas, mentiſq; arcana remittet &c.

Quarè ſapientiſſime & Vates hic ait: *Nullo pignore*

SOLABOR. *Solari* enim idem eſt, ac *conſolationem tribuere*; vulgò *conſolare*, ſiue etiam idem ſonat, ac *ſubleuare*; vulgò *ricreare, alleggerare, dar ſollieuo*; effertur autem per modum Potentialis, ita vt idem ſit dicere *ſolabor*, ac diceret *dabitur, ſeù conceſſum ne, aut permiſſum erit, vt ſolari poſſim*, & intercedit figura interrogatio, vrgendi gratia, cum hæc maximè indignitatem exprimat huius priuationis, & pondus ponderi querelarum ſuperaddat.

IMPLACIDAS CVRAS. *Cura* dicitur, quæ quaſi *cor edat*, & excruciet; ſignificat enim paſſiones illas, angoreſq; animi, qui vulgò *Trauagli* dicuntur, quibus corda, regnantium maximè, obſidentur, iuxta vulgatum apud Italos effatum: *Gran nave, gran penſiere*. *Implacidas* autem *curas* ſuas appel-

L

appellat Pluto, quia nil placidum apud Inferos eſſe poteſt; itemq; *implacidas* appellat, hoc eſt nunquam quieſcentes, ad quietem nullam permittentes illi, cuius huiuſmodi curæ cor exedant, quod per metoniam, dictum agnoueris.

NON ADEO' TOLERANDA QVIES. Concluſio hæc eſt, ex præmiſſis in Oratione deducta, qua oſtendit, patientiam laceſſitam verti in furorem; & per modum ſententiæ, & Epiphonematis concludit, intolerabile iam pondus iniuriarum toto niſu excutiendum, ni tandem alleuetur.

NON ADEO'. Habent hæc vim indicandi continuationem tolerantiæ diù protractam macedonico tandem enſe præſcindendam. Quarè idem eſt, ac ſi diceres: non tamdiù toleranda quies: nimis iam, per longum temporis ſpatium, patientia deducta eſt: iam torpor ille, quo ſegnes exiſtimamur, faceſcat; otium tandem diſrumpendum; pax, ni concedatur, quod petimus, infringenda. *Adeò* interdum etiam idem ſonat, ac *modò*. Quarè ſic ſenſus erit: non diutiùs toleranda quies, ſed modo reſcindendam tolerantia iam eſt.

TOLERANDA. A verbo *tolero*, quod eſt *fero*, *patior*, *perfero*, *ſuſtineo*. *Tolerare* enim eſt, ſi non æquo animo, patienter ſaltem aduerſitates, ſeù illatas iniurias ſuſtinere. Oſtendit Pluto, in antea actis, nimia ſe vſum patientia tot ab iniquo fratre iniurijs laceſſitum; nunc determinatum oſtentat animum patientiam ipſam abijciendi, &, ni Iupiter ceſſet ab iniurijs, in vltionem irruendi. Ideò non toleranda

QVIES; inquit, vt iuſtam ſui furoris cauſam aſſignet. Sed quænam eſt iſta quies, quæ dicitur non toleranda; cum antea faſſus fuerit, nullam ſe habere quietem, dum ſe *implacidis*, hoc eſt *irrequietis* curis agitatum exprimeret? Aduerte, ad intelligentiam, de quibus tandem hic Pluto conqueratur & cuncta recte percipies. Summa querelarum habetur ex illo: *ſed thalamos etiam prohibes*: & ex illo: *Implacidas nullo ſolabor pignore curas*. Conqueritur igitur Pluto de carentia vxoris, & Liberorum, quibus à Ioue interdicebatur, vel ſaltem ſe interdici arbitrabatur. Atqui vxor, vt notat Seruius, dicta eſt *vxor*, quaſi *vnxor* ab vngendo, eo, quod ſcilicet noua nupta, antequam mariti limites ingrederetur, poſtes lupino adipe inungebat, quo ab ijs omnium malorum ſomitem eliminari credebatur. Si igitur Pluto à curis ad ceſſationem, per vxorem conficiendam, optabat pertranſire, quomodo hic non tolerandam vlterius inquit quietem, quandoquidem quies à curis ceſſatio eſt? Non eſt igitur hæc profectò quies, quam Pluto dicit non tolerandam; cum immò talem exoptet quietem. Sed quies hic ponitur pro ceſſatione ab armis, pro otio pacis, vt innuimus, in quo iam longâ nimis detineretur patientiâ, ne iniurias armata vlciſceretur manu. Quod ſi velis nomen iſtud quietis referri ad ipſam rei priuationem, de qua Pluto querebatur; expedita pariter erit explicandi ratio; pro qua memineris priuationem, de qua ille quereretur, fuiſſe priuationem connubij. Porrò connubium omnium calculis oneroſum, & laborioſum quid eſt; & ideò matrimonio iuncti *Iugales* dicuntur, quaſi *ſub Iugum miſſi*: Iugum autem actionis perpetuæ, aſſiduiq; laboris, ſymbolum eſſe quis neget? Priuatio itaque connubij apte ſub nomine quietis comprehenditur, quæ ceſſatio à laboribus, operibuſq; eſt. Sed meliùs adhuc, ſi philoſophico more loquamur. Ad quid enim inſtitutum eſt matrimonium? Certè in ordine ad generationem, qua mediante ſpeciei conſeruatio, & propagatio habeatur; ideò enim generatio perfectiſſimum dicitur naturæ opus, atq; ab ipſa maximè natura intentum. Qui igitur matrimonium expetit, actionem ſequitur, & operationem; omnis autem actio, per philoſophos motus eſt; ac motui cuilibet contraria opponitur quies, quæ nil tandem aliud eſt quam *ceſſatio à motu*. Quieuerat Pluto ad hunc vſq; diem ab actionibus generatiuis, quas ipſe exercere, per legitima, exoptaſſet, connubia; vt talis iam pertæſus ceſſationis, ſeù quietis, dum motum appetit generatiuum, intolerabilem iam ſibi eam declarat quietem: *non adeò toleranda quies*.

PRIMORDIA TESTOR NOCTIS &c. Addito iuramento, quod vnquam violare nefas eſſet, confirmat ſe diutius hanc non laturum quietem, vt ſciat Iupiter, vel concedendum eſſe connubium, vel iniuriarum vltorem adfuturum eſſe Plutonem.

TESTOR. Teſtari aliquem eſt illum in teſtem adducere veritatis, quod eſt per ipſum, quem in teſtem adducimus, iurare; nam *iurare* nil aliud tandem eſt, quam aliquid affirmare, vel negare, adducendo, vel tacitè, vel expreſſe Deum in teſtem aſſertionis, tamquam infallibilem veritatem. Duplex autem eſt iuramentum: aliud aſſertiuum rerum præteritarum, vel interdum etiam præſentium; aliud verò promiſſorium, quo ſcilicet aliqua à nobis de futuro facienda iureiurando pollicemur. Iurat hic Pluto, non toleraturum ſe vlteriùs quietem, ſed bella moturum ſuperis, ſi poſtulata negentur, additis minis, quæ ad atrocitatem belli peragendi &c. vt inferiùs: quarè iuramentum eſt promiſſorium de futuro, & quidem conditionatè factum, ita vt nil iuret, niſi quatenus conditio impleatur appoſita; propoſitio enim hypotetica, ſeù conditionalis quamtumlibet iuramento obfirmata, nihil affirmat, aut negat, niſi ex ſuppoſitione purificatæ conditionis. Iurat igitur Pluto, ſed per quem iuret audiamus: non enim myſterijs carere credendum eſt, q... quid à Plutone aſſumatur vt in teſtem adſit. Teſtor, ait,

PRIMORDIA NOCTIS. Primordia rerum dicuntur quælibet ipſarum rerum principia. Porrò principia dupliciter conſiderari poſſunt; vel enim erunt principia extrinſeca efficienter rem aliquam ponentia extra ſe ipſa; vel erunt principia intrinſeca, formaliter ipſam rei eſſentiam conſtituentia, quæ tandem cum ipſa re conuertuntur; & in vtroq; ſenſu rectè a Claudiano hic ratio principiorum vſurpatur, in vtroque enim optimè ad ſenſum cadit. Scieris igitur *Noctem* antiquiſſimam Deorum, Dearumq; omnium creditam fuiſſe communiter; ita vt aliqui voluerint, Noctem locos omnes, ante Deorum, Dearumq; ortus, ipſumq; totum Chaos occupaſſe, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 12. Ex quo videtur clarè inferendum, Noctem, quæ in eorum opinione Dea eſſet, ante Deos omnes, non ab alijs fuiſſe, ſed à ſe ipſa. Quarè *Primordia Noctis* nil aliud erant, iuxta ipſorum opinionem, quam ipſa Noctis eſſentia in æternitate floreſcens; ideòq; idem fuerit dicere: *Teſtor Primordia Noctis*, ac dicere: *Teſtor Noctem*, ſeù *æternam Noctis eſſentiam*. Sed cur Pluto diuinitatem Noctis potiùs, quam alterius Numinis in teſtem vocet? eiq; iuramento adſtringatur promiſſorio? Noctem Deorum omnium matrem dictitarunt, vt ex Orpheo deducit Mythol. cit. loco cit. Si igitur Pluto per aliquam debuit Deitatem iurare, debuit certè maiorem ſe in teſtem vocare, vt maiori pollens auctoritate dictum ipſum firmaret Plutonis. Inſuper iuramentum promiſſorium ad inſtar voti eſt, quo quis obſtringitur; nemo autem inferiori, aut æquali votum facit. Quam autem Deitatem Pluto, qui nulli cederet, ſe maiorem inueniret, niſi matrem Deorum nactus eſſet, quam teſtaretur? Certè matri tanta ſemper debetur reuerentia, vt nefas ſit, quæ per eam promiſeris violare. Senſus igitur Plutonis erit: teſtor Noctem, ex qua Deorum omnium Primordia deſumpta ſunt. Dixit autem *Primordia Noctis* ponens genitiuum *Noctis* ad modum poſſeſſiui; nam ſi Nocti debentur Primordia Deorum omnium, certè illa in Noctis fuerunt poſſeſſione, eorumque illa diſpenſatrix effecta eſt, cum Deos ipſos genuit. In quo ſenſu vides *Primordia Noctis* accipi pro principijs intrinſecis reſpectu ſui, nempè pro ipſa eſſentia noctis cæteris participata Numinibus per generationem; pro extrinſecis verò reſpectu aliorum Deorum ex ipſa Nocte prouenientium. Quod ſi velis cum Heſiodo, Noctem non fuiſſe à ſe, ſed ab alio, nempè ab ipſo progenitam Chao, ſeù, cum Parrhaſio, ac Varone ex Erebo natam; per Primordia noctis ipſum Chaos, vel Erebum, noctis Patrem intelliges, tamquam principia extrinſeca noctem ipſam producentia: & adhuc ad Deum Deorum omnium directum aderit iuſiurandum: nam ſi Nox Dea eſt, & Deorum omnium mater, certè Noctis Pater maximus, & primus Deorum omnium Deus adſit, neceſſe eſt; nam *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*. Quarè ſi Dea, & quidem ſumma Nox filia fuerit, ſummus certe Deus multò magis Chaos, vel Erebus pater, fuerit neceſſe eſt; & cui mentiri ſummum fuerit nefas ob ſuprapoſitam rationem.

ET STAGNA INTEMERATA HORRENDÆ PALVDIS. Iuramento, per primum cuiuſcumq; Deitatis principium, ſeù, per Deorum omnium matrem, habito, aliud ſuperaddit iuſiurandum illud horrendum, inuiolabile, ac ſummum apud Deos omnes; per ſtygiam ſcilicet iurans Paludem. Iuramentum autem huiuſmodi Dijs omnibus verendum, & cur tantum Stygi conceſſum ſit; immò quæ pœna Dijs iuramento huiuſmodi non ſtantibus ſtatuta fuerit iam vidimus in explicatione ad Carm. *Quos Styx lucentibus ambit &c.* pag. 26. Illic curioſum remitto, ne ſæpiùs repetita faſtidium ingerant. Tantum addo, *ſtagna* hic poni, cohærenter ad id, quod ibi diximus, nempè aliquos voluiſſe, ſtygem decimam eſſe Oceani partem apud Inferos depreſſam, nam maris pars ſtagni nomine deſignatur, ob profunditatem ſtabilis, ac quieta, præcipuè ſi depreſſiorem partem accipiamus: ſic Virg. *Æn. 1. . . . . . . Iam*

Stygna refuſa vadis &c.

Horrenda autem Palus dicitur, ideſt ſacra, veneranda, & quæ ſolo nomine ſacrum quemdam horrorem ingerat cordibus; ita vt ipſi illum experiantur Dij Paludis Numen venerantes, ac timentes; atque ideò eiuſdem *Stagna intemerata* dicuntur, ideſt *violata nunquam*, ac nunquam violanda, cum Dijs per eam iuratis fallere nefas ſit.

SI DICTO PARERE NEGAS &c. Hæc eſt conditio appoſita, ſine qua, iuramento nequaquam adſtringitur Pluto; immò, qua remota, ceſſet, ac nullum ſit iuramentum. Nam voti compos factus quid vltra deſæuiat?

SI. Particula conditionalis eſt, quæ facit, vt nil affirmet propoſitio hypotetica, niſi ipſa conditio, per particulam *ſi* inducta compleatur, vt dixi.

NEGAS. Cuilibet Legationi, vel affirmatiuè, poſtulata concedendo, vel negatiuè, eadem reijciendo, eſt reſpondendum. Mittit Pluto Legatum ad Iouem, Mercurium, ad poſtulanda connubia: ideò eodem tempore proteſtatur, ex reſponſione concedente Pacem, ex negante verò bellum ſecuturum. Aduerte autem hoc loco vim illius verbi *Negas*; non enim importat ſimplicem negationem, quæ pro libito legationem audientis, dari poſſit ſine iniuria poſtulantis; ſed importat negationem rei, quæ de iure debeatur, nec poſſit abſq; iniuria, & quidem grauiſſima denegari; ideò neganti bellum indicitur. Patet ſignificationem illius verbi *Negas* in hoc ſenſu accipiendam ex ipſo loquentis contextu, qui immediatè ſubdit:

PARERE. Hoc eſt *obedientiam dictis exhibere*. Obedientia autem in eo, qui obedire cogitur, ſemper importat *debitum*, & *obligationem* cum imperante contractam: obedire enim proprium ſeruorum eſt, & eorum, qui vel ex conditione, vel ex pacto, vel ex iuſtitia tenentur ad præſtanda ea, quæ poſtulantur: Iouem autem teneri ex iuſtitia ad connubia fratri concedenda, latè ſupra oſtenderat Pluto; atque ideò hìc dicit: *ſi parêre negas*; ideſt ſi recuſas exequi, quæ de iure præſtare teneris &c., & quidem ſine dilatione; nam, ad id exprimendum, non ſolum dicit: *ſi parêre negas*: ſed *ſi negas parere dicto*: quaſi tantam, in exequendo, celeritatem exquirat, vt poſſit dicere: *Dictum factum*, iuxta vulgatum axioma.

DICTO. *Dictum* à Dico deriuatum eſt nomen. Verbum autem *Dico* interdum ſignificat *admonere*: vulgò *auuertire*: Dico, ne facias: inquit Teren. Vt igitur bellum ritè intimetur, admonitio præcedit, & petitio, vt de iure indicendi bellum ſtatutum legimus. Sed aduerte admonitionem hìc eſſe commixtam imperio, quod liberiùs, vtpotè iratus facit Pluto, & vt conſonent verbis à Lacheſi dictis: *Poſce Iouem* vt ſemper, apud oculatiſſimum Poetam, reſpondeant vltima primis; ideòque optime coniunxit *Dictum* cum obedientia; *Si dicto parêre negas*.

PATEFACTA CIEBO &c. Incipit hìc Pluto indicare, quæ, ſub iuramento, ſe facturum, interminatus fuerat, ni dicto audiens eſſet Iupiter: & primo à commotione, & eductione omnium regni ſui virium, in prælia minas ſuas exorditur.

CIEBO. Ciêre idem eſt, ac *vocare*, ſeù potiùs *concitare*, vt patet ex Virg. Æn. 6. ſic habente.

Miſenum Æoliden, quo non præſtantior alter
Ære ciere viros, martemq; accendere cantu.

ciebo igitur, inquit Pluto: hoc eſt, omnia conuocabo monſtra, præcipuas, ac maximas Regni mei potentias, eaque in prælium, ac ſtrages, bellum ſuperis moturus concitabo.

TARTARA. Pluralis numeri hoc nomen eſt à ſingulari heteroclito *Tartarus*. Eſt igitur Tartarus profundiſſimus inferorum locus, in quo ſontes exquiſitis tormentorum generibus plectuntur: conſequenter eo in loco detruſa coarceruari teterrima quæq; inferorum monſtra credendum eſt. Huius loci profunditatem in immenſum ferè depreſſam ita expreſſit Virg. Æn. 6. *Tartarus ipſe*

Bis patet in præceps tantum, tenditq; ſub vmbras
Quantus ad æthereum Cæli ſuſpectus olympum

Hoc in loco monſtra detineri Inferis ipſis horrenda, & quæ præcipuè in Cœlum ipſum odia ſæpiùs exercere non horruerunt diffuſa enarratione enumerans, oſtendit Virg. ibidem ſic:

Hic genus antiquum terræ Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.
Hic & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere Cælum
Aggreſſi, ſuperiſq; Iouem detrudere regnis.
Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas &c.

Nec non & Tityum terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur &c.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumq; &c.

Ex his patet *Tartarum* carcerem eſſe pœnarum, cui addicta ſint omnia illa monſtra, quæ quomodocumq; auſa olim fuere bellum cœlis indicere. Quarè, dum, Tartara ſe educturum, Pluto minitatur, in prælium, vides, quanto turbine, Iouis ſe indicet Imperia iactaturum. Et profectò quantum terroris hæ præſeferant minæ ſatis in comperto eſt; nam ſi, viſo vno tantum ex his monſtris (puta Briareum) nequam eiuſdem in bello vires experirentur, adeò terrefacta dicuntur Numina, vt ſibi ipſis turpi fuga conſulerent, quid ſi omnia hæc monſtra cateruatim irruant in Cœlum? Perduelles ſemper in Tonantem, contumaces in Cœlum ſunt Tartarorum, quos nominauimus, incolæ, victi, quia fulmine deiecti tartareo carcere detinentur: quod ſi ab ipſo tartareo rege vinculis diſſoluantur, & beneficijs meliores, quo affecti à Plutone fuerint, & vindictarum in Iouem, qui eos afflixit, auidi, ac pœnas vtrimque paratas, ni vicerint, metuentes, deſperanteſq; auxilium omne, præter belli benè gerendi fortunam, aſſurgant in prælium, quas non Tragœdias excitabunt? futurum enim ducent vt ſit,

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

PATEFACTA. Cum tartara pro tartareis potentijs, locum ſcilicet pro locato per metonim. poſuerit, ſeù continens pro contento; translatam proſequitur locutionem addens ſuprapoſitum participium *Patefacta*. Patefacere enim eſt plenis portis, & vix non cardine reuulſis portibus aditum, vel egreſſum aperire: quod vulgò dicimus *ſpalancare*, ex quo antecedenti ſequitur per conſequens neceſſarium, vt intelligamus maximas, ac, vt ita dicam, decumanas belli procellas ex portis bipatentibus erupturas. Itaque, ſi referas participium illud *patefact.* ad locum, ſenſum habet ſuprapoſitum, vulgò nempè *ſpalancate gl' abiſſi*; ſi verò referas ad ipſa monſtra illum in locum detruſa, patefacere idem erit, ac *denudare, detegere*, & *in lucem educere*. Cum igitur monſtra illa, Cœlo ſemper rebellantia, in pœnam perduellionis, perpetuis Tartari tenebris contegantur, deſperato ſemper ad lucem reditu; minatur Pluto, ſe velum hoc tenebrarum ablaturum, & ea denuò in lucem educturum, vt, libertate donata, altius in Cœlum aſſurgant; & adducturum omnia ad vnum vſq; ita vt Tartara monſtris denudata profunditates omnes præbeant perluſtrandas, non occupato ſcilicet ampliùs à turba inibi iacentium loco. Vide quanta emphaſi procedat Oratio, & quantas cribret minas. Sed vlterius addit

SATVRNI VETERES LAXABO CATENAS. Minis hìc aggerat minas, dum Saturnum memorat futurum, vt vinculis exſoluat, Pluto, vt, ductore Iouis patre, acerrimo vtique in filium iniuriarum ab ipſo acceptarum vltore, ediſcant cetera monſtra crudeliter deſæuire. Sed, ad huius loci explicationem, dicendum neceſſariò, quomodo apud Inferos Saturnus eſſe dicatur, & quaſnam iniurias à Ioue filio acceperit, quibus implacabile odium in filium ipſum conceperit, cui libertatem, ſibi à Titanorum vinculis conſtricto reſtitutam, debuerit, vt iam alibi docuimus, & breuibus hìc repetam, claritatis gratia. Diximus, Saturnum, & Opim à Titanibus comprehenſos, in vincula coniectos, ac duro carcere diutius afflictos fuiſſe, eo, quod reſciuiſſet Titan; clam Saturni filios educari, contra iuſiurandum, ac contra leges Imperij Saturno traditi. Iupiter, vt item dixi, cum Patrem, ac Matrem audiſſet captiuos, Titanas lecta manu adortus, cum primo impetu fregiſſet, Patrem è vinculis eripuit, imperioq; reſtituit. At Saturnus in regnum reſtitutus, tanti immemor beneficij, cum meminiſſet reſponſum, ſibi olim ab Oraculo datum, nempè vt caueret à filio, à quo futurum eſſet vt regno pelleretur, Ioui, nuper liberatori ſuo, inſidias clam ſtruere cepit, vt habetur ex Mythol. Nat. Com. lib. 2. cap. 1. Patefecit Ioui Saturnias inſidias ex familiaribus vnus: quarè excandeſcens Iupiter, collecta iterum manu, Patrem de regno non ſolum deiecit, ſed captum, vincliſq. adſtrictum, in Tartarum demiſit, abſciſſis prius eius virilibus membris, eadem falce, qua Saturnus ipſe virilia Patri ſuo Cœlo iam ante amputauerat: atq; exindè Iupiter ſummo Cœli imperio potitus dicatur eſſe. Hinc habes quo modo Saturnus catenis addictus, quo modo in Tartara detruſus; regno deiectus; virilibuſq; membris mutilatus &c. qui omnium iniuriarum cumulus non poterat, quin Saturnum natura ſua crudelem, ac filiorum voratorem etiam innocentium, in Iouem tantarum ſontem iniuriarum implaca-

 bilis

bili odio concitaret. Scio aliam aſſerri cauſam ab eruditione Dempſt. in hunc locum, quam ex Fulgentio deſumpſit dicente, Saturnum catenatum fingi, ob tarditatem motus ipſius Planetæ. Sed quomodo hoc pacto catenatus dicatur in Tartaro? Vidit obiectionem Dempſt. ideò aliam addidit cauſam dicens: Saturnum catenatum dici, quia tardi ſint ad vindicandum Dij. Sed quomodo hoc verum in Tartareis locis vbi plena manu vindictę exercentur? Scio etiam aliam à Parrhaſio hic cauſam aſſignari, dum dicit Saturnum in Tartara relegatum, eo quod filios deuoraſſet. Sed hoc in bonum ceſſerat Iouis, qui hac de cauſa Cœlorum potiretur ſolus imperio, ideò non fuit cur ob id Saturnum plecteret. Quarè his omnibus reiectis, ſolam arbitror veram fuiſſe cauſam, quam attulimus, nempè Saturnum abs Ioue ob inſidias in ipſum comparatas in tartara detruſum, vbi ſubindè filium Pater implacabili odio proſequeretur: conſequenter ſi à Plutone, apud quem in vinculis aſſeruabatur, libertatem accepiſſet Saturnus, efferatè adeò, in Iouem erupturum eumdem fuiſſe, vt ipſe ſolus omnes inferorum furias agitare, meritò videri potuiſſet. Et hæc quo ad fabulas, ad quas reſpexit etiam primo Met. Ouid. cum ait,

Poſtquam, Saturno tenebroſa in tartara miſſo
Sub Ioue Mundus erat &c.

& ad quas etiam arbitror reſpexiſſe Romanorum ritum, quo in omnibus eorum fanis vincula ſtatuis Saturni iniecta viſebantur, quæ etiam ſaturnaliorum feſtis ſoluebantur in memoriam ſecuritatis, & fœlicitatis, quam ſub illo egerant homines, vt notat Dempſter. cit. Verum alitùs iam eruditiſſimi Poetæ ſenſum perſcrutemur. Saturnus temporis arbiter, immò ipſum tempus eſſe dictus eſt ab antiquis, & ideò falce armatus effingebatur apud ipſos, vt benè aduertit Pier. Valer. lib. Hierogl. 56. quod tempus omnia exſcindat, & demetat; qua de cauſa *vorax* etiam eſt appellatus, quia ſcilicet voret omnia tempus, & conſumat; vt adnotatum videbis ab eodem Pier. lib. 14. Quarè Saturnum dici autumant Auctores eruditiſſimi ab eo, quod *annis ſaturetur*, ita vt *Saturnus* ſit quaſi *ſatur annis*, quos ſemper renaſcentes ex ſe quaſi filios vorat Saturnus. Irridet hanc Saturni nominis Etymologiam Natalis Comes in Mythol. ſua lib. 2. cap. 2., licet ibidem ſæpiùs fateatur & ipſe, Saturnum pro tempore acceptum fuiſſe. Et ſic habet; *Qui voluerunt, Saturnum eſſe dictum, quod annis ſaturetur, quam ridiculi fuerunt, Dij boni! nam qui ab annis dictus eſt, & à ſaturando, apud latinos, erit ne idem κρόνος apud Græcos, an aliunde? Aut malè ficta eſt, & ridicula hæc Etymologia, aut, præclari iſti nominum interpretes mihi dicant, velim; cum κρόνος à τῷ κορεῖν, hoc eſt à ſaturando dicatur; illud ὄνος quod Aſinum ſignificat, num illi addendum putent in compoſitione? Quod niſi addatur, videbitur nomen datum Saturno ante apud Latinos, quam apud Græcos, quod falſum eſt; ſi addatur ſignificabit Saturnum Aſinos ſaturare; qua Etymologia quid magis ridiculum?* Hæc eruditiſſimus alioquin Auctor cit. Verum hallucinari quam maximè videtur mihi ſubtiliſſimus iſte Etymologiarum interpres, & indagator; & caueat quæſo, ne, dum grauiſſimos ipſe auctores ridiculos vocat, magis ipſe idem appareat deridendus. Sic igitur ſuperpoſitę Nat. Com. ſpeculationi reſpondeo; Clarum eſſe, nomen Saturni prius fuiſſe apud Græcos, quam apud Latinos, immò ex græco nomine κρόνος factum eſſe, vt Saturnus pro eodem accipiatur, ac *Tempus*, quia eadem voce vtuntur Græci ad ſignificandum & tempus, & Saturnum, mutata tantum littera χ in κ, ita vt *Saturnus* dicatur κρόνος; *Tempus* verò χρόνος. Concedo igitur nomen κρόνος à τῷ κορεῖν dici, ideſt à ſaturando: ſed vnde habet cit. Auctor, ſecundam huius compoſiti partem debere eſſe ὄνος, nempè *Aſinus*, & non potiùs ἔνος, nempe *annus*, mutata, vt ſæpè fit, in compoſitione vocali ε in o? Grammaticè nimis, litteris tantum innititur, arbitror, & corticę detentus medullam negligit hic Auctor vt ſe cęteris preferat, dum cęteros carpit. Quid ſi dixerim χρόνος non à τῷ τῶ κορεῖν, ſed a verbo gręco χρονίζω, quod eſt *longo tempore duro, immoror, perſeuero*, detinari? Nonne, qui longo tempore durat, exſaturatur annis? Num per *exſaturari* materialiter nimis ipſe intelligit, cibis ingurgitatus expleri? Nonne etiam mens exſaturari contemplationibus dicitur? An non nouit ipſe hunc translatè modum loquendi? Non igitur errarunt Etymologiam ducentes Saturni ab annorum ſaturitate; immo eruditè loquuntur, per translationem alludentes ad voracitatem illam, quæ Saturno tribuitur, & quam attingens Virg. Georg. 2. cecinit.

Ruſticus & curuo Saturni dente relictam
Perſequitur vitem attondens, fingiq; putando.

Poſita igitur hac rei veritate, nempè Saturnum tempus ipſum fuiſſe apud antiquos; Sciendum eſt tempus ita apud Phyl. definiri vt ſit *menſura*, ſeù quod idem eſt numerus *motus ſecundum prius, & poſterius*: aduertendum eſt, ad perfectam rationem menſuræ, qua aliquid menſurandum eſt, pertinere, vt illa minima ſit, vt nos late docuimus in Phyl. noſtra, vbi de motu, tempore, & duratione, eo quod menſura debeat eſſe apta, ad minimiſſima quæq; menſuranda. Quarè, cum motus Cœli velociſſimus ſit, adeòq; aptus ad menſurandum quemlibet vel minimum motum, dicitur ille *tempus extrinſecum* rei durantis commenſuratiuum. Porrò Cœli omnes, vt notum eſt, connexè adeò circumaguntur, & ordinatè, vt Cœli omnes Planetarum, ad motum primi mobilis moueantur; cum autem ſeptimum Cœlum, quod immediatè ſubeſt firmamento, ſeù primo mobili, quod Cœlum octauum eſt, ſit Cœlum Saturni, conſequenter ipſum Saturni Cœlum, quaſi colligatum primo mobili, ab eo pendet in ſuis motibus ita, vt moueri nequeat, niſi ad motum ipſius primi mobilis, quamuis naturali motu in contrarium deportetur; Cœlo autem Saturni reliqui adhærent Planetarum Cœli; quarè, poſt primum mobile, Cœlum Saturni prima videtur regula motus Cœlorum, & prima temporis menſura: cum autem Cœlorum motus certa ſemper lege, ac methodo progrediantur, hinc eſt, vt Saturnus vinculis dicatur adſtrictus, cum non niſi, iuxta exigentiam primi mobilis, moueri poſſit eidem alligatus. Quo igitur tendunt Plutonicæ minæ dum dicunt: *Saturni veteres laxabo catenas?* Certè correſpondent iis, quæ ſupra dixerat Vates, vix nempè abfuiſſe quin erumpentia ab inferis monſtra in antiquam omnia iterum reſoluerent Chaos.

Pene reluctatis iterum pugnantia rebus
Rupiſſent elementa fidem &c.

hic enim idem eſt ac ſi diceret: *quod differtur non aufertur.* Excidia, quæ in promptu erant, differo, non diſſipo; ideò, ſi negaueris, laxabo veteres catenas Saturni; hoc eſt totis exertis inferorum viribus diſſoluam eam vnionis, & adhæreſcentiæ leges, quibus omnia certis ordinibus, quaſi vinculis cohærent; Cœlos omnes, eorumq; motus perturbabo, ex quo fiet, vt totum tandem in antiquum Chaos diſſoluatur. Nec mihi obijcias, quod ego Dempſterij doctrinæ obieci; nempè hoc pacto Saturnum in Tartaro non fuiſſe; nam ibi iuxta fabulas loquebamur Saturnum in Tartara relegatum ferentes; hic verò de Saturno ſecundùm myſticum loquimur ſenſum; in quo ſenſu certè in inferis non degebat Saturnus modo explicato acceptus.

LAXABO, igitur, hoc eſt diſſoluam, diſrumpam, infringam, ac in nihilum redigam.

CATENAS, ideſt vincula illa, quibus omnia cohærent ad inuicem, vt hanc orbis machinam, tanto ordine cohærentem, tanta varietate diſtinctam, in vnum coaleſcere faciant, ac militante pro me Saturno, hoc eſt temporis voracitate, funditus deſtruam.

VETERES autem catenas huiuſmodi vocat, quia ab initio Mundi cum ex informi Chao eductus eſt orbis, conſtructa hæc rerum cohærentia viget, & coaleſcit; & ſi vera eſſet opinio Ariſtotelis de Mundo ab æterno: multo magis *veteres*, ideſt *æternæ à parte ante* dicerentur catenæ, hoc eſt prædicta vnionis, & adhæreſcentiæ vincula; & licet Ariſtotelis opinio falſa, & contra fidem ſit, non incongruum Plutoni fuerit hoc ipſum alluſiuè attigiſſe.

SATVRNI, ideſt *temporis*, & conſequenter Cœlorum omnium, quorum motus menſura *temporis* eſt, ac conſequenter *durationes* rerum omnium, quæ à motu Cœli, hoc eſt à tempore dependent. Quarè à primo ad vltimum deſtructionem totius Iouis Imperij indicat ſe operaturum: Tam altè paucis aſſurgunt verbis minaces Plutonis furiæ; quæ tamen vt magis expreſſæ, & explanatæ reddantur audienti, ſubdit

OBDVCAM TENEBRIS LVCEM. Explicat ad vnguem hic ſenſum mox ſupra à nobis explicatum, nempè ſe excidium vniuerſi patraturum. Porrò *obducere* eſt *circumuoluendo contegere, obumbrare, & quaſi velo cooperire*. Verum, cum propriè non ſolum, ſed translatè etiam, vt magis proprium videtur eſſe Poetarum, hoc verbum poſſit intelligi, priùs ſenſum litteralem explicabo: deinde allegoricum, qui magis explicationi conſonat iam traditæ. Minatur igitur Pluto, ſe obducturum tenebris lucem; nam cum Rex ſit ipſe tenebrarum, vt ſupra dixerat Lachefis: *O maxime Noctis*
Arbiter vmbrarumq; potens &c.
& faſſus eſt ipſe dum ait:
Nonne ſatis viſum eſt grati, quod luminis expers

Tartara

Tertia ſuprema patier diſpendia ſortis,
Informeſq; plagas &c.

non poterat quin tenebris, vmbraſq; ſecum adduceret in prælium, quibus obnuberet lucem illam, qua Iupiter hoſtis ornabatur, cum eum lætiſſimus ornet ſignifer &c. ſed nimis gregarium dictu hoc eſt, licet hoc pacto hunc explicet locum Parrhaſius dum ait: *Obducam &c.* hoc eſt *atra' deum molle inuoluam*, iuxta id', quod idem ex Papinio adducit in exemplum, apud quem Pluto. . . . *Regna omnia pandam*
Si placet, & Stygio prætexam Hyperiona Cælo.
Altiùs, arbitratu meo, protenditur Poetæ ſenſus, quem vt apertiùs introſpiciamus, *Obducam*, inquit,

TENEBRIS LVCEM. Tenebræ nil tandem aliud ſunt, quam priuatio lucis; vt recta docet phyloſophia; aſt certè priuatio formæ non poteſt induci in ſubiectum, quin forma priuationi oppoſita deſtruatur. Quid eſt ergò: *obducam tenebris lucem*, niſi hoc quod eſt, *lucem extinguam, ac deſtruam? Detraham de Cælo ſolem', & illius loco in creatum omne lucis priuatem ſuccedet induſtia*. At quid clarius dicere poterat, vt innueret iuxta explicationem à nobis poſtremò datam, ſe totam Mundi machinam in Chaos denuo reſoluturum? Vide quid de Chao dicat Ouid. initio Metamor. deſcribens:

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia Cælum &c.
Nullus adhuc Mundo præbebat lumina Titan,
Nec noua creſcendo reparabat cornua Phœbe.

quod idem eſt ac dicere: Tenebræ tantum erant ſuper vniuerſam faciem abiſſi: Solæ per totum Chaos tenebræ dominabantur. Et hanc noſtram profectò interpretationem declarauit Ouid. ipſe veram eſſe, cum inferius *cæcum æternum* vocauit Chaos.

Quæ poſtquam euoluit, cæcoq; exemit aceruo &c.

quarè dum Pluto tenebras minitatur, primum ſe inſinuat Chaos reducturum.

COMPAGE SOLVTA. Infert hoc ipſum magis ſententiam noſtram, *Compages* enim propriè *eſt vnio, compoſitio*, & *adhæreſcentia* eſt rerum aliquarum, valida adeò, vt facilè cuicumq; contrario eam diſſoluere conanti reſiſtat. Sic Virg. vnionem portarum, bellum ne fieret impedientium, clauſo iam templo, compaginis nomine deſignat Æn. 1.

. . . . *Compagibus arctis*
Claudentur belli portæ &c.

ideò Poeta hìc innuens, futurum, vt Plutonis imperij vnio, & adhæreſcentia rerum omnium diſſolueretur, ac ea diſſoluta in Chaos omnia redigerentur, inquit: *compage ſoluta*, ideſt fractis ijs rerum ordinibus, ac nexibus, quibus omnia in officio continentur.

FVLGIDVS VMBROSO MISCEBITVR AXIS AVERNO. Quid clariùs ad explicationem noſtræ ſententiæ dici potuit? Chaos in ditione auernalis regni fuiſſe iam dix. ad Carm. *Poſſedit dotale Chaos*. Quarè, dum dixit Cœlum Auerno miſcendum, clarè dixit in Chaos redigendum. Cur verò Cœlum dicatur *fulgidum* magis per ſe patet, quam explicatione indigeat; *fulgidus* enim à *fulgeo*, quod eſt ſplendore renideo: & ſupra dixerat Pluto,

Et vario cingunt ſplendore Triones.

Axem pariter Cœlum dici notum iam in Triuijs eſt, ſed vnde dicatur Axis, non adeò notum fortaſſis, ideò breuibus explicandum

AXIS. Propriè ab agendo *Axis* dicitur teres illud lignum, quod inter geminam currus rotam adeò extenditur, vt rotis ipſis inſertum circum ſe rotas ipſas habet rotantes. Quarè, ſicuti in Cœlo duos polos, nempe Articum, & Antarticum effinxerunt Aſtronomi; ſic lineam etiam inter vtrumq; polum protractam effingunt, circa quam Cœlum totum circumuoluatur; ideòq; *axis* per ſimilitudinem dicitur, & pro toto ſumitur Cœlo, ſicuti etiam interdum *axis* pro toto ſumitur curru.

MISCEBITVR. Ideſt confundetur cum auernalibus lucis, amota diſtinctione, adeò vt vnum quid confuſum fiat Cœlum, & Tartarus; quod eſt adamuſſim Chaos ipſum futurum, vt comminabatur, deſcribere

VMBROSO AVERNO. Quid ſit Auernus dix. ad Carm.

Dij quibus innumerum vacui famulatur Auerni &c.

pag. 11. col. 1. Cur dicatur *obſcurus* patet, quia regnum vmbrarum, regnum noctis, ac caliginis eſt, vt ſæpè in antéactis meminit Vates, quarè vlterius non immoror. Iam ad moralia deſcendamus.

Alibi ex Poeta deduximus, quam ſedulò ſeruanda ſit inter fratres æquanimitas, ne hæc cauſa, ac ſeminarium ſit diſcordiarum inter ipſos, ſi negligatur. Hic edocentur fratres, ne, ſi quando ad vnum domus vniuerſæ regimen deuenerit, alios ipſe deprimat, nec enim aliorum lenitati fidendum, ſi interea ſe ſubmitti patiantur, & à prædominante iniurias tolerent; nam interdum qui plures, ac plures iniurias pacato animo, ac patienter tulerit, exardeſcit tandem, & vltima iniuriarum, parua licet ſcintilla ſit, magnum excitat incendium; ita vt læſus, in furorem, ac deſperationem verſus, ſe ipſum perdere non perhorreſcat, dummodo & lædentem perdat. Manſuetudo ſæpiùs laceſſita maiorem vertitur in furorem; & ira quo tardiùs accenditur, vehementiùs exardeſcit. Iniuria poſtremò illata anteactas omnes in mentem reuocat, & per modum vnius, omnes tandem vires obarmant. Caueant præcipuè, qui alios in officio continere conantur, ne ipſi ſibi arrogent ea, quæ ſubditis denegent, nam ſemper improperijs patentes facilem ad rebellandum reddent ſubditorum animum. Exemplo priùs, quam verbo, opere priùs, quam ore edocendi ſunt, qui in officio continendi. Semper autem audientes dicto ſubditos bonæ indolis habebit, qui, quod ſibi non vult fieri, alteri non fecerit; nec in ſe præbeat redarguendum, quod in alijs reprehendendum perſequatur: alioquin & bonos, & malos, ſumma ſemper vi, in ſe ipſum experiri cogetur concitato.

Cohærenter autem ad ea, quæ poſtremo diximus, perpende intolerabilem ſuperbi animi elationem, quæ interdum adeò furit, vt in Deum ipſum iurgijs inuehatur ac minis, videaturq; Cœlum ipſum euerſurus, quaſi Deo ipſe, non ipſi Deus, debeat imperare: atque, vt Deo detrahat, interdum, cum quid reprehendendum in Deo inuenire non poſſit, fabulas effingit, vt chimericis ſaltem accuſationibus, cum Deo ipſo, de iudicio, contendat: Cœcus profectò, qui non videat, in ſui ipſius perniciem ruere, qui bellum Cœlo moliatur. Mirum eſt, Deum, tam longa interdum, ac diuturnâ patientiâ, hæc monſtra tolerare: Sed caueant, ne, quo tardior, grauior inde cadat vindicta; ſero enim molunt Deorum molæ; ſed benè comminuunt. Nec adeò fidendum pietati, vt, Iuſtitiæ obliti, fulmina non vereamur. Hæc non meminit ſuperbus, ideò tam alte furit in Cœlum; nec nouit fruſtra in Cœlum inuehi, quæ minor Deo potentia ſit. Sed ex ſeriis tandem ad iocoſa tranſeuntes, audiamus, quomodo & noſtra Chelis in exponendis Claudiani textibus iocetur.

Atlantis tega nepos commune profundis &c.

Gran nipote, diſs'el, del curuo Atlante,
Dell' Arcadico ſuol gloria immortale,
Tu, che del centro, e delle sfere amante,
Sei ſolo Nume ad ogni Nume eguale;
Tu, cui ſol lice, alla region tonante
Non men, ch'entr'al mio regno, impennar l'ale;
Tu, che, tra 'l cieco, e 'l troppo occhiuto Mondo,
Soſtieni ancor de gran commercij il pondo,
Vanne, t'affretta, e, ſorpaſſando i venti,
Colà t'inoltra, oue non giunge acerbo,
La gran pace à ſturbar, ſuon de lamenti:
Arma de ſdegni, ond' in mio petto I ſerbo
Ben mille roſtri, à lacerarlo intenti,
Tu la tua voce; e fuor Gioue il ſuperbo
Oda ſcoppiarne i diſdegnoſi accenti:
E ſian à lui queſti, à te qui commeſsi,
D'imperioſo voler miei carmi eſpreſsi.
Tanto (del proprio ſangue empio Tiranno,
Del paterno furor tu ſolo herede)
Dunque t'arroghi? Ed in Pluton cadranno
Dal tuo rigor, ch'ogni rigore eccede,
Sempre nuoue ſciagure? O' pur n'andranno
Lieti d'hauer, con la ſtellata ſede,
Rapito à me d'iniqua ſorte i giri
L'ardir, le forze, ond' à vendetta aſpiri?
Forſe, perche dell' aurea luce il ſoglio
M'inuolâr le tue frodi, e le rapine;
Perſo hò l'eſſer, in vn, quel, ch'eſſer ſoglio;
Perſo il cuor; perſe l'armi; e l'ire han fine?

Q'

O' pur, ch'imbelle Lſfa, ſinge 'l tuo orgoglio,
Codardo, e vil, perch' all' Etnee fucine
Non tempra Bronte à me fulmineo telo;
Ne, per me, 'l tuon ſquarcia dell' aria il velo?
Non ti baſtò, che della ſorte eſtrema
Contento i viſsi, abbandonando il giorno;
Ed in queſta di Lethe aſpra marema
Sceſi, à prender trà l'ombre il mio ſoggiorno,
Mentr', imperando alla region ſuprema,
Tu godi e ſtelle, e Ciel, che d'ogn' intorno
Vibran nembi di luce; e pellegrine
Fan le faſcie del Sol diadema al crine?
Di mie graui ſuenture ancor non ſatio
Dunque vorrai, ch' il mio martir s'eterni?
Dunque, con nuouo ſcempio, e nuouo ſtratio
Vorrai, che più l'Inferno in me s'inferni;
Perch' io del mio ſoffrir non mai mi ſatio?
Ne permetter ſai più, ch'in me s'interni
Di gioia vn raggio; anzi 'l mio duol decreti;
E i bramati ſponſali anche mi vieti?
Gode Nettuno, in ſua magion ſpumante,
Il più bel fior delle Nereidi Ancelle,
Quella, che pria ritroſa, e poſcia amante,
Paſce ſolo di lui l'auide ſtelle,
Amfitrite vezzoſa; e feſteggiante,
Quando ſtridon viè più venti, e procelle,
Ella in ceruleo grembo, al lui conforto,
Gl'apre, in torbido mar, tranquillo il porto.
Te pure, all' hor, che nell' empiree ſoglie
(Stanca di fulminar la deſtra irata)
Ritraggi il piede, entr'al ſuo ſeno accoglie
Là, pria che ſpoſa, al ripregar piegata
Del ſuo Cocco, Giunon ſorella, e moglie:
Per non ridir della tua fè violata
Gl'odioſi furti, onde Latona errante
Puote ferma arreſtar Delo vagante.
Taccio gli ſforzi alla gran Themi vſati;
Ne di Cerere i ſcorni hoggi rammento;
Che ben ſai tu, quanti tendeſti aguati.
Tanti adunque differri al tuo contento
Tanti copioſi; e di tua ſtirpe ornati
Schieranſi i figli, in tua corona, à cento:
Ed Io priuo di glorie, ebro di pene,
Viurò mai ſempre in ſolitarie arene?
Io ſol, dannato alle meſtitie, à i pianti,
Non haurò chi m'alleggi, e mi conſoli?
Ne ſia alcuno giamai, ch' hauer ſi vanti
Dalle viſcere mie di vita iſpoſi?
Troppo fur queſte in tolerar coſtanti;
Troppo d'onte ſoffi ir l'inginſte moli.
Tempo è hormai, che ſi ſcuota il giogo in-
degno;
E le forze del mio proui il tuo Regno.
Per que' profondi, e tenebroſi horrori,
Che dier vita alla Notte; e per quell' onde,
Che forza è pur, ch' ogn' alto Nume adori,
Ne già lece inuocar con labra immonde;
Giuro: ſcatenerò gl' alti terrori
(S'à cenni il tuo eſeguir non corriſponde)
De ſpalancati abiſſi: e i neri chioſtri
Vomiteran furioſi in guerra i moſtri.
Spezzerò di Saturno, hor prigionero,
Le graui indiſſolubili catene:
Ecclißerò con l'ombre il faſto altiero
Del Pianeta maggior: trarrò di ſpene
Di più 'l giorno guidar l'aſtro ſorriero:
E, diſciolta l'vnion d'auree ſirene,
Traruperò le sfere in duolo eterno;
E miſto al Ciel trionferà l'Inferno.

Hic refugit mea muſa ſonos, plectrumq; repoſuit. Et reuocat noſtrum Claudius inde ſtylum.

Vix ea fatus erat: Iam nuncius aſtra tenebat.
Audierat mandata Pater; ſecumque volutat,
Diuerſos ducens animos, quæ tale ſequatur
Coniugium, ſtygioſq; velit, pro ſole, receſsus.
Certa requirenti tandem ſententia ſedit.

VIX EA FATVS ERAT &c. Dicto audiens Mercurius quam citiſſimè munus ſuum exequitur. Legatione autem percepta, Iupiter, poſtulatis annuere cupiens, deliberabundus varijs diſtrahitur cogitationibus, anceps ex difficultate reperiendi Deam aliquam, quæ Plutonis aſſentiri velit coniugijs. Tandem certæ adhæret ſententiæ, quæ inferius explicabitur, dum præclariſſimum Poetæ methodum proſequemur.

VIX. Vt expreſſo Plutonis deſiderio, eo ſcilicet Carmine quo dixerat, *I celer, proſcinde notus &c.* ſumma celeritate correſponderet Mercurius, dicto citius auolat ad Tonantem. Quam velocitatem vt exprimeret Vates, *vix*, inquit; aduerbium enim eſt *vix* indicans, hoc loco, immediationem temporis inter prolatum Imperium, & ipſius executionem, ſeù, vt generaliter loquar, inter antecedentia, & conſequentia, quibus particula *vix* interponitur. Sic Virg. Æn. 1., vt oſtenderet celeritatem, qua euanuit nubes, qua, Veneris ope, occultabantur Æneas, & fidus Achates, cum iſte Æneam interpellaſſet, vt ſe proderet in lucem, eodem vſus eſt loquendi modo, quo vtitur hic Claud., inquiens

Vix ea fatus erat, cum circumfuſa repente
Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.

vix igitur loqui deſierat Pluto, & iam peragebatur mandatum. Nec mireris, tanta potuiſſe Mercurium celeritate Coelos omnes tranare, Ioui ſe ſiſtere, & Legationem exponere; nam Numen eſt, & Numen aligerum; atque, vt tale, cum non dependeat, in ſuis motibus, à reſiſtentia medij, & agilitate, quæ dos eſt immortalitatis, polleat, nil mirum ſi in ictu oculi, diſtantiſſima quæque pertingat. Non diſplicet tamen quod inſinuat Parthaſius hic; nempè Vatem reſpexiſſe ad naturalem velocitatem, qua Mercurij ſydus celerime moueatur, atque ex hac celeritatem, quam hic tribuit Mercurio, decerpſiſſe; nam ſi velox adeò ſydus, quid ipſius ſyderis Numen alatum?

EA. Pronomen hic eſt demonſtratiuum, indicat enim, & quaſi digito ſignat verba, quæ fecerat Pluto, ad Iouem, per Mercurium deferenda, & quæ nos ſupra perpendimus.

FATVS ERAT. Faris primæ coniugationis verbum deffectiuum deffectiuum etiam, vt Varronis præfert ſententia, explicat locutionem, quæ ſcilicet interrupta, interciſa ſit, nec planum habeat ſenſum; quarè quid minus ſignificare videtur, quam loqui; *loqui* enim eſt perfectè dicere, & ſenſum integrum, plenumq; exprimere. Verum hæc Varronis differentia iam per vſum contrarium obſoleuit; & nunc *Fari* abſolutè pro *loqui* ab omnibus, ac præcipuè Poetis vſurpatur, vt pat ex cit. Virg. loco, pluribuſq; alijs, quæ citari poſſent; ſed in re nota non arbitror immorandum.

IAM. Aduerbium temporis eſt celeritatem importans, vt dix. pag. 35. col. 2. Verum quatenus hic correſpondet particulæ *vix* maiorem habet vim expreſſionis, & ſignificationis, quaſi ſcilicet innuat, mandatum executione occupatum, adeò vt dictum, ac factum idem temporis habuerit momentum, quo indicatur, ex parte Mercurij, plene voti compos factus qui legationem illi commiſerat.

NVNCIVS. Mercurius, quem antonomaſticè Nuncium Iure merito appellat, & Internuncius quia Deorum: & quia actu Internuncij officio fungebatur.

ASTRA TENEBAT. Tenere locum aliquem dicitur qui eo peruenerit, in eoq; conſtiterit: hoc autem quia *teneo* idem interdum ſonat cum *occupo*; qui autem aliquo in loco

eſt,

eſt, certè occupat illum locum. Conſimili verò locutione, ad ſignificandum aliquem in loco poſitum, vſum fuiſſe habemus Virg. Æn. 7.

Ecce autem Inachijs ſe ſe referebat ab Argis
Saua Iouis coniux, auraſq; inuecta tenebat.

tenebat igitur *aſtra* Mercurius eo tempore, quo vix mandatis finem impoſuerat Pluto; ex quo vides omnem moram præciſam, ita vt momento temporis iter confecerit Mercurius; cum enim, iuxta Phyloſ., in momentaneis, idem ſit *fieri*, & *factum eſſe*, iure itineris mentionem non facit Vates, vtpotè momentanei; & vbi dici poterat *peragit* iam *peractum* oſtendit. *Tenebat*

ASTRA. Dupliciter *Aſtrum* inuenio in declinationibus poſitum: vno modo per maſculeum genus *Aſter, aſtri*; alio modo per neutrum, nempè *Aſtrum, aſtri*: quod idem apud Græcos videò obſeruatum. Differentiam inter nomen *Aſter*, & nomen *Aſtrum* dicunt eſſe, quia *Aſter* ſingulas ſignificet ſtellas; Aſtrum verò pro eodem ſumatur ac *ſydus*, nempè pro conſtellatione, ſeù ſigno ex pluribus aſtris conflato. Sed, quidquid ſit de hoc, certum eſt nomen *Aſtra* ſumi hic genericè prout ſtellas omnes comprehendit, tam vnitas ita, vt conſtellationes efforment, quam ſegregatas, & ſingulas; ſed ponitur pars pro toto, ſeù ſignum pro re ſignata, nempè *aſtra* pro tota Cœli aula, ac ſumma Iouis Regia, quæ vbi locata fuerit videbimus lib. 3. ad Carmen

Tum grauis ex alto Genitor ſic orſus olympo eſt.

AVDIERAT &c. Miror profectò peritiſſimi artificium Poetæ, qui non ſolum omnia præcidit, vt celeritate dicentis exequetur celeritas exequentis, omnia, inquam, præcidit ſuperflua, & per aſſintheton citatiſſimo decurrit metro; ſed etiam ea, quæ videbantur neceſſariò exprimenda, artificiosè negligit; ac demum vno verbo ſenſum antecedentem copulat, & conſequentem, quo celerior decurrat oratio. Videbatur profectò priùs deſcribendus ab Inferis diſceſſus, iter delineandum &c., & hoc quidem neceſſariò, nam non poteſt quis tranſire ab extremo ad extremum, quin tranſeat per medium. Hoc autem negligit; & metam, nulla itineris facta mentione, attigiſſe iam dicit, vt citiùs ſecum auolet. Videbatur neceſſariò exprimendum, expoſitam à Mercurio fuiſſe legationem, antequam auditam à Ioue diceret: hoc ipſum negligit; &, citiùs rem confecturus, ex conſequenti *audierat* intelligendum relinquit antecedens *expoſuerat &c.* Sed hæc leuia. Perpende quæſo verbum

AVDIERAT, quod vnico contextu ad paſſionem organi ſimul, & ad paſſionem animi refertur.

Segnius irritant animum demiſſa per aures
Quam quæ ſunt oculis ſubdita fidelibus.

iam pro communi axiomate circumfertur. Et tamen, efficaci adeò tinnitu, oſtendit Poeta, pulſatum, ex legatione Plutonis, animum Iouis, vt, eodem tempore, & aure audiens fuerit, & animo. Audiens aure, quo ad vocem; nam certè in auribus auditorium tympanum, in eoq; auditus ſenſorium collocant Phyloſ., vt nos fusè docuimus in Animaſticis vbi de Anima ſenſitiua, eiuſdemque potentijs, quo in loco etiam vidimus, quomodo ſpecies ſenſus externi deferantur ad internum, ab eoq; percipiantur, & exactam ipſius organi deſcriptionem habuimus; quarè hìc prætereo. Certe, quod ad rem eſt, *Auris*, ſecundum aliquos, dicitur *ſenſorium audiens* à græco *αὐδὴ*, quod idem ſonat, ac latinè *vox*, & *oratio*, eo quod ſolo aurium inſtrumento vox percipiatur: Seù, ſecundum alios, *aures* ab *audio* dicuntur, quaſi *audies*, ſeù *audientes*, eo quod ſolæ ipſæ vocis ſonum excipiant. Audierat igitur Iupiter ſonum vocis, ſeù verba Legationi commiſſa, & per Legatum iam expreſſa. Sed apud ſurdas aures canit, qui, dum aures pulſat, animum non flectat; ideò non audiuiſſet Iupiter, licet audiuiſſet, niſi ea quæ auribus audierat audiſſet, & mente. Vtrumq; igitur complexus Vates *Audierat* inquit: auribus quidem, ſi litteralis ſpectetur ſenſus, ſonum vocis; mente autem, & animo ad concedendum prono; ſi ſenſus ſpectetur translatus, quo efficitur vt *Audire* idem ſæpè ſit, ac *obedire*. Audierat inquam animo Iupiter, dum, perceptis aure vocibus, animus ad concedendum flexus de modo adimplendi Plutonis deſiderij iam ſecum agitabat impensè; atq; ideò, quantum in ſe erat, iam obediebat. Et ideò ſubditur

PATER. Non ſolum quia Diuum Pater antonomaſticè dictus eſt Iupiter, vt patet ex alibi cit. textu Virg. Æn. 1.

Æole (namque tibi Diuum Pater, atq; hominum Rex)
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento,

& etiam ex Æn. 9. vbi pariter idem de Ioue dicitur:

Aut tu magne Pater Diuum miſerere &c.

Sed peculiari hic titulo ad oſtendendum affectum, quo, peculiari quadam, ac quaſi paterna, propenſione Iupiter ad fauendum Plutoni inclinabatur; nam ſicuti Pater, cupiens filium voti compotem efficere, ac videns, non adeò facilè eſſe, quod cupiat, internis angitur cogitationibus. Sic Iupiter paterno affectu iam Plutoni obtemperabat conceſſurus poſtulata, & angebatur, vt Pater, difficultates ſatisfaciendi perpendens.

MANDATA. *Mandatum* propriè eſt, quod vulgò dicimus *commiſsione* Sed quia interdum pro *præcepto*, ſeù *iuſsione* ſumitur, legem eſſe amanti quidquid amato placeat; atq; ita intelliges, cur etiam à filio mandata audiat Pater: in quo ſenſu apud Quintilianum habetur: *mandata tamen tua, fili, perago*. Cum igitur paterno affectu Iupiter legationem illam audierit, nil mirum, ſi lex illi fuerit quidquid Plutoni libuerat. Ideò *mandata audierat*.

ET DVCENS DIVERSOS ANIMOS. Hoc eſt illud ipſum, quod Principi Hetruſcorum Poetarum Heroica ſuggerit Clio Cantu Hieroſol. liber. 13. ſic.

Così diſs' egli, e'l Capitano ondeggia
In gran tempeſta di penſieri in tanto &c.

quod autem vnico verbo clauſit Italus dicens: *Ondeggia*: Latinus Homerus integro carmine ſub oculis poſuit, anxietatem Æneæ referens qui à Mercurio iuſſus fuerat Didonis è littoribus ſoluere, & fugam illico arripere Æn. 4. ſic

Atque animum nunc huc celerem nunc diuidit illuc
In parteſq; rapit varias, perq; omnia verſat.

& pariter Æn. 5. idem delineat his verbis.

At pater Æneas caſu concuſſus acerbo
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat verſans &c.

talem igitur, & animum Iouis liceat intueri delineatum ijs verbis, *Ducens diuerſos animos*; licet enim *animus* pro *anima* ſæpè ſæpiùs ponatur; tamen hanc diſtinctionem peritiores agnoſcunt inter animam, & animum, quod *anima* vitæ ſit, *animus* verò *conſilij*, quarè idem eſt dicere: *diuerſos ducens animos*, ac dicere: *diuerſa perpendens, & ad trutinam reuocans conſilia*: nam *ducere* idem ſæpè ſignificat, ac *æſtimare*, ſeù *prudenti conſideratione perpendere*. *Animos* autem dicit, non *animum*, vt intelligamus, ipſum non loqui hic de animo in actu primo, idest de ipſo conſiliorum fonte, ſed de ipſius actibus ſecundis, ſiuè de effectibus animi, nempè de conſilijs, & cogitationibus ipſis. *Diuerſos* autem, dixit, ideſt non inter ſe conſonos, ac congruentes, ſed diſcrepantes potiùs, ac diſcordes, ita vt quod modò placuit nunc diſpliceat &c. iuxta varias quas habuit reflexiones.

QVÆ TALE SEQVATVR &c. Prima eſt hæc difficultas, & multarum quidem parens difficultatum, quæ Ioui obijcitur, Plutonem voti compotem efficere meditanti. Ex qua intelliges, quanto detineretur errore Plutonis æſtimatrix, pro certo exiſtimantis ſibi ex aduerſi Iouis arbitrio nuptias denegari, cum potiùs ex difficultate nuptam repetiendi non darentur. Cogitabat igitur Iupiter, Matrimonia omnia ſummâ debere libertate gaudere; conſequenter nullam viro addicendam, quæ liberè, ſpontè, ac voluntate omnimodè plena, in virum non conſentiret; alioquin iniuſtitiæ notam incurrere, qui nolentem cogeret alicui nubere. Quo certiſſimo iure ſuppoſito, luce meridiana clariùs eidem Ioui innotuerat, nullam in Plutonis nuptias, ſpontè ſaltem aſſenſuram; nam quæ mulier maritum ſibi deformitate inſignem adſciſceret? Quæ viuens mortuorum regno addici perpetuò ſuſtineret? Quæ ſolis tædijs aſſueta perpetuam tenebrarum caliginem præoptaret? Quæ ſubterraneis antris, nunquam ad lucem reditura, æquo ſe animo claudi pateretur? Perluſtrabat igitur mente Iupiter quotquot inſignes nouerat diuinis natalibus filias, & vnamquamq; ſingilatim ſcrutabatur; ſed nulla ſe offerebat, quæ conſenſura videretur; immò quæ audito ſolùm nomine Plutonis non perhorreſceret, & nuptias pleno ore non detrectaret. Ideò inquit eruditiſſimus Poeta Iouem excogitaſſe in primis

QVÆ SEQVATVR. Ideſt quæ volens inclinatura ſit ad nuptias huiuſmodi animum: *ſequi* enim actum indicat ſpontaneum, ſicuti *trahi* videtur violentum indicare, vt innuimus in præfatione ad hunc librum. Cogitat igitur quænam ſequi poſſit, ideſt voluntariè aſſumere, & amplecti

TALE CONIVGIVM. Connubium propriè lex maritalis eſt; nam ſub lege viri vxor, quandiù viuit, eſſe debet, & ſola morte alterutrius ſoluta hæc lex remanet maritalis. Ex ipſo itaque nomine connubij patet coniugatorum conditionem per ſe ipſam eſſe oneroſam. Aſt nullum ſine connubio, hoc eſt ſine huiuſmodi lege procedit *coniugium*, nempe ma-

trimonium ipſum, immò pro eodem ſæpè *coniugium*, & connubium vſurpantur, ergò *coniugium* per ſe ipſum oneroſum eſt. Quare prudenter Ægyptij, in coniugalis ſtatus Hieroglyphicum, manicas ferreas, ac Iugum erexere; quæ omnia etiam in ſymbolum ſeruitutis adſciuère. Si autem onus oneri addatur ex prauis viri qualitatibus, quæ virgo vnquam, quæ mulier tanto oneri libens ſuccumbat? Oneroſum igitur ex ſe coniugium: oneroſius, in caſu, ex adiuncto loci, oneroſiſſimum ex adiunctis perſonæ ipſius Plutonis, quippè qui eſſet crudelis, acerbus, immanis, inexorabilis &c. præterquam quod deformitate, vt dixi, horrendus: quæ igitur *tale ſequatur coniugium?* In quo aduerte Vatis ſolertiam, quæ in ſola illa particula *tale* emphatice poſita has omnes qualitates, quæ quamlibet ab aſſenſu deterrerent, tacitè compilauerit.

STYGIOSQVE &c. Secunda hæc difficultas eſt, quæ Ioui, in re quam exoptabat, obijcitur; quæ item grauiſſima eſt, aliarumq; plurium fœcunda difficultatum. Tanta enim Mundus venuſtate decoratur, vt, ad ipſius exprimendam pulchritudinem, nullum aptius nomen adinuenire potuerit Græcorum ſapientia, quam cum ab eadem dictus fuerit *κόσμος*; cum enim, apud Græcos, nomen *κόσμος* idem ſit, ac *ornamentum*, hoc eodem nomine Mundum appellari voluerunt, quaſi antonomaſticè *Mundus* dicendus ſit *ornamentum ornamentorum*, immò ſolus ſit ornamentum, cum nil ornatius Mundo infinita operatoris potentia protulerit in creatis, ſi ab Anima rationali, ac ſpiritualibus ſubſtantijs præſcindamus; nam certè Cœlo ipſo pulchrior eſt anima rationalis, cum ad imaginem, ac ſimilitudinem ipſius Dei creata fuerit. Sed, ne longiùs à propoſito diſcedamus; Mundus ornamentorum omnium ſedes, & *κόσμος* appellata ex duplici conſtat parte, ex inferiori videlicet, nempè terrea, ex hoc terreſtri, quem incolimus, globo conſlata; & ex ſuperiori, nempè cœleſti, tot ſphœris, luminibus, ſyderibuſq; compacta. Præſtantior autem certè tantò eſt pars iſta ſuperior inferiore, quantò præſtantior vmbrâ corpus eſt. Quarè Cœlum immortalibus ſemper aſſignatum, vt dignior ſedes, vbi terra mortalibus data, iuxta illud quod etiam Regius cecinit Vates: *Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*. His autem præcognitis, ſatis patet, cur magis cæcitatem deploret, qui priùs lumine fruebatur, quam qui à natiuitate cęcus fuerit, nam is non adeò priuationem ſentit earumrerum, quarum oblectamenta nunquam deguſtauerit; at qui, deguſtata ſemel earum dulcedine, repente illâ priuatur, quanto mœroris, ac doloris impetu obruitur? Cum autem naturaliter quiſq; fęlicitatis ſit amans, quis fęlicem ſtatum in infęlicem aueat permutare? Quis lumini cæcitatem anteponat? Quis tenebricoſo carcere detineri potiùs velit, quam apertis in campis communis Cœli lumine frui? Nunc à fortiori arguamus: Si tam miſerum cenſetur lucem hanc in tenebras commutari, ex apertis campis in fętidum, ac tenebricoſum ergaſtulum detrudi; quid dicendum de immortali, qui Cœlo priuaretur? Detrudebantur antiquorum Numina in terras, & detruſus a Ioue primus dicitur Saturnus, vt mortalium ibi experirentur infęlicitates; ac ſumma hæc iniuriarum, ſumma calamitatum habebatur; & tamen adhuc Cœlo, aliquo tandem modo, fruebantur. Aſt, in caſu, quo aliqua Dearum Plutoni tradenda eſſet in nuptam, quæ adeò demens futura eſſe videretur, vt ſponte Cœlis valediceret. Iure igitur merito, hanc Ioui conſideratione difficultatem facere, oſtendit Vates, atq; vt magis eluceſcat, eam effert per interrogationem: *Quæ velit &c.* Sed quia diximus, hanc difficultatem multas ſecum ferre difficultates, omnia iam membratim perpendamus.

QVÆ VELIT. *Quæ* emphaticè ponitur, quaſi dicat: *quæ Dea* cum ſit, vt deberet eſſe, quæ Plutoni nuberet, *velit*, ideſt velle ſuſtineat, ac libens Cœlo priuari patiatur? *Quæ*, ſanæ mentis, eligat relinquere Cœlum, vt ad inferos deſcendat, ibiq; æternum commoretur? Certè Sybilla Cumæa apud Virg. Æn 6. inſaniam appellat deſiderium Æneæ deſcenſum ad inferos meditantis, dum ait.

Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt
Bis ſtygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & inſano iuuat indulgere labori &c.

VELIT. *Velle* actum ſignificat voluntarium, aſſentientem non ſolum, ſed & ſponte eligentem, vt ſupra dicebamus in verbo *ſequatur*, cum certe nupta, dum ad virum tranſire conſentit, viri domum eligat potiùs, quam propriam incolere, nam hæc certè deſerenda, illa frequentanda.

STYGIOS RECESSVS, Stygios, dixit, à Styge, vt hac nota ſpeciali loca illa notaret, toto à Cœlis ſuis diſterminata Mundo, quæ nouies Styx interfuſa coercet, quæ Mundi ſordes alluunt, quæ perpetuis obſita tenebris deliteſcunt. Ideo *Receſſus*, inquit; nam propriè *receſſus* dicitur intimum aliquod penetrale, ſeù ſecretiſſimus domi locus; atque, in re noſtra, ipſum totius inferni centrum, vbi Plutonis Regia, per huiuſmodi nomen antonomaſticè poſitum, indicatur conſtituta, non ſine emphaſi in voce. Ex quo augetur profectò difficultas, nam linquere Cœlum, & terras peragrare graue Dijs fuerat, ſed tolerabile forſan poſſet videri, cum adhùc Cœlum ſaltem ſuſpicere poſſent; in ſepulchris deliteſcere grauius: ad oras Acherontis tranſmeare grauiſſimum: in centrum autem inferorum, nulla data ſpe reditus, deſcendere intolerabile prorſus eſt. Adde *receſſum* pro eodem ſumi, ac *ſeceſſum*, quaſi locus ſit, vbi ſecedentes ab omnium conſortio ſemoti ſolitudinem peragunt: quarè ex ſolitudine deſertum efficiente creſcit difficultas tranſmeandi. Ad inferos autem Dijs, vel Deabus, aditum non dari, ſatis patet ex anteactis, vbi diximus, ſolum Mercurium habuiſſe facultatem illùc commeandi. Exul igitur à Deorum omnium Cœlos incolentium facie abire debebat, quæ huc ſeceſſui addiceretur; quod, quantum incutiat dolorem, teſtantur Troianæ Matres, apud Virg. Æn. 5., quæ, quia exules, non quidem a ſuis, quos ſecum habebant, ſed à patrijs tantum mœnibus abijſſent, naues incendere exorſæ ſunt, ne longiùs abueherentur; facibus præeunte, quæ, ad eas incitandas, occultum exacerbauit dolorem exclamans.

Nulla ne iam Troiæ dicentur mœnia? Nuſquam
Hectoreos amnes Xanthum, & Simoenta videbo?

Quod ſi, ſola patriæ priuatione furebant adeò iſtæ, quid feciſſent, ſuorum ſibi omnium ſolitudine facta, & ſpe etiam intercisa eos ampliùs in poſterum conſpiciendi? Vlteriùs, *ſeceſſum* dici, non ignoramus, locum, in quem ſordes profluunt omnes, cum igitur receſſus, quod idem eſt ac ſeceſſus, dicatur hìc regia Plutonis, deformitas emphaticè loci indicatur, de quo Pluto ipſe dixerat: *informeſq; plagas*; & innuitur locus inferorum fętida totius orbis aditare ſentina. Quarè nota, quam multiplicatam antitheſim in his tantum Vates compilauerit verbis: *pro ſole receſſus*. Solis enim claritati tenebrarum opponit caliginem non diſcutiendam; nitori ſquallentem ſitu, & ſordibus locum; pulchritudini deformitatem; Deorum commercijs ſolitudinem; Cœlis infernas domos; circumferentiæ centrum; ornatiſſimis ſyderum emporijs fędam tenebrarum, ac ſordium ſentinam. Vide, quot difficultates agglomeret ea, quæ, prima facie, vnica videtur inſurgere difficultas.

PRO SOLE. Ideſt *loco Solis*, ſeù *relicto Sole*. Sol dicitur, quaſi *ſolus*; atq; ideò in Hieroglyphicum vnitatis aſſumebatur, quaſi Sol eſſet vnicum totius terrarum orbis, Cœlorumq; ornamentum, immò & vnicum bonum; nam ideò etiam in ſymbolum diuinitatis adſciſcebatur, quæ vnicum bonum eſt a quo bona cuncta procedunt. Idem igitur fuit dicere: *quæ velit ſtygios pro ſole receſſus*; ac dicere: quæ velit relinquere ſolum, & vnicum bonum, extra quod nullum reperiatur bonum, vt Lernam ſibi malorum aſſequatur?. Quæ velit ſuperos poſthabere Deos, vt inter Eumenidum verſetur furores? Ponit igitur Poeta Solem hic, non pro ſe ipſo ſolum, ſed pro toto Cœlo, adeòq; Cœlum Infernis poſthabendum ſedibus indicat nouæ Nuptæ: ponit pro ſyderibus omnibus, quorum fons luminis Sol ipſe eſt, vt fontem lucis cum tenebrarum Emporio decertantem in animo illius oſtendat, cui hæc ſponſalia eſſent adeunda; atq; dum Solem pro Cœlo ponit, pro centro fęlicitatis ponit; cui centrum miſeriarum opponit ex diametro, dum dicit: *Stygios receſſus*, nempe vbi luctus, vbi vltrices curæ, pallentes morbi, triſtis ſenectus, metus tremens, timidus tremor, famis, egeſtas, labor, diſcordia &c. quæ latè proſequitur Virg. Æn. 6. dum infernas ſedes deſcribit, & Claud. ipſe pri. in Rufinum diffuſè admodum commemorat. Vide, quot, & quantis deterrendus foret animus Deæ, cui Plutonis offerri potuiſſet coniugium, & quot, ac quantæ vno agmine ingruant difficultates.

CERTA REQVIRENTI TANDEM SENTENTIA SEDIT. Virtutum virtus anteſignana Prudentia eſt; ad quam cum ſpectet, harmonica quadam methodo, actiones omnes componere, nil mirum, ſi, octo ille ſecum virtutes adducens Muſarum quaſi expleat chorum, cui Apollo ſit ille ipſe, cui talis virtutum chorus arrideat. Prima igitur Prudentiæ comes Memoria præteritorum eſt, qua mediante conſideranda ſunt omnia, quæ fuerint, vt ex illis facienda doceamur: ſecunda eſt intelligentia præſentium, qua cauendum,

ne

ne incognita pro cognitis habeantur, ſed omnia introrſus perſpicienda ſunt, ac dilucidanda: Tertia eſt Docilitas, ideſt notitia per inſtitutionem comparata, qua fit, vt aliquid decreturus habeat præ oculis quid iura præcipiant, quid fas ſit, quid conueniens, quid æquum bonumq; exigant: Quarta ſolertia, quæ eſt ingenij in inueniendo, & conijciendo ſagacitas, qua prudens omnia præuideat, vt prouideat: Quinta ratio, quæ argumentatione, & ratiocinatione quid agendum concludat: Sexta Prouidentia, quæ eſt ipſa diſpoſitio mediorum idoneorum ad finem conſequendum: Septima Circumſpectio, quæ nihil eſt aliud, quam exacta ad circumſtantias rei ipſius, de qua agitur attentio, & octaua denique Cautio, quæ eſt molitio quædam mentis aduerſus ea, quæ ſe objiciunt, vel objicere poſſunt, impedimenta. Cum igitur iure merito Iupiter prudentiſſimus effingendus ſit, quippe ad quem ſpectet rerum omnium directio, ac gubernatio, ideò Vates hæc omnia Prudentiæ munia illi attribuit, & conſiderantem ſedulò deſcribit omnia, prudentibus conſideranda, nempè.

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahentur.

Quæ fuerint; quia, non ſolum menti illius objiciebantur, quæ à Plutone de exantlatis preſſuris fuerant recenſita, ſed etiam quæ fatorum ordine digeſta, vt patebit ex dicendis, cum Iupiter Venerem alloquens oſtenderet in Fatis fuiſſe, & oraculis confirmatum vt Pluto voti compos fieret. Vide quæ hoc eodem lib. habentur ad Carmen *Candida Tartareo Nupturam &c.* quare memoria præteritorum fretus præſentia rectè conſiderat non ſolum, ſed aperte intelligit, nempè conſonam Iuſtitiæ eſſe Plutonis petitionem: ſicque ſecundam exercet Comitem Prudentiæ virtutem: Docilitatemq; non negligit, dum perpendit Leges connubiales præcipere, ne extorqueatur aſſenſus ab inuita; quare ad ſolertiam gradum facit conijciens, quid, in futurum, objiciatur difficultatis, vt modum inueniat eaſdem difficultates ſuperandi; ideòq; mente relegit omnia, vt vidimus, quæ difficultatem faceſſere poſſint: inde autem rationem init concludens Fatis, oraculiſue non renuendum; atq; adeò prouidentiæ innititur, eligens media ad finem idonea; circumſpectus tamen omnes circumſtantias rei perpendens, ne erret in ipſa mediorum electione; & cautè proſpiciens, ne ipſe aut Fatorum detrectator, aut legum violator connubialium appareat, dum Plutonis obſequitur voluntati. Hinc ea animi agitatio, qua dictus eſt Iupiter *diuerſos ducens animos*. Qua tandem ſedata, ſententia, quæ hic oſten ditur certa inſediſſe Iouis menti, ea fuit (quod ex ſequentibus innoteſcet) vt & Fatorum decreta locum haberent, & Pluto vxorem duceret, ſed tali modo, vt nec Iupiter leges connubiales violaret; nec nupta conqueri poſſet, ſe à Ioue coactam; cum ille ſe tantum permiſſiuè decerneret operaturum. Hæc autem eſt illa

SENTENTIA. Ideſt ſenſus animi, ſeù deliberatio, quam, omnibus attentè ad trutinam reuocatis, ſtabili firmat Iupiter aſſenſu.

CERTA autem dicitur, ideſt firma, ſtabilis, deliberata, immobilis; nam quæ toto exactiſſimæ Prudentiæ niſu decernuntur, variari nequaquam poſſunt, cum nil accidere poſſit, quod non fuerit ab oculatiſſima Prudentia præuiſum, conſequenter cui etiam prouiſum non fuerit, ne, ad varianda prudentis decreta, vim haberet.

SEDIT. Magis hoc verbo confirmatur futuræ ſententiæ immobilitas. Sedere enim dicit ſtatum quietis, & tranſlatiuè dicit ſtatum imperturbabilitatis. Poſt æſtum igitur cogitationum aduerſantium, quem ſupra eſplicuerat, *certa ſedit ſententia*, ideſt nullis amplius cogitationum motibus perturbanda: & ſedit

REQVIRENTI. Requiro græcè eſt ἐπιζητέω, quod latinè ſonat *diligenter perquiro*. *Requirenti* igitur inquit Poeta, vt oſtendat Iouem omnibus Prudentiæ munijs vſum, in ſua conſultatione, vt diligenter inquireret, & inueniret animi ſenſum, cui poſſet plena voluntate acquieſcere. Item *Requiro* interdum ſignificat idem, ac *exopto, deſidero*, qui autem deſiderio, ſeù auiditate aliqua captus quærit, anxiè quærit, nihilq; irrequiſitum relinquit, vt optata inueniat, inuentaq; toto amplectitur affectu. Ex quo vides, quam emphaticè participium illud *requirenti* exprimat, & ſedulam perquiſitionem, & inuariabilitatem ſententiæ, quam, toto animo, iam inuentam, amplectitur Iupiter.

TANDEM. Parrhaſius huius aduerbij naturam ſecutus hæc habet. *Tandem, inquit, quia longa deliberatione conſtituendum Ioui fuit, an Ditis voluntati ſatisfaceret.* Sequitur, iterum fateor, Parrhaſius aduerbij naturam, quæ talis eſt, vt videatur aperte ſignificare, multum temporis à Ioue inſudatum, antequam in certam animi ſententiam deſcendiſſet, vt tandem aliquandò deſcendit. Verum nimis admodum hoc detrahit de ratione prudentiſſimi conſilij, eo ſpectato, quod, pri. de officijs, Cic. aſſeuerat, nempe prudentiſſimi eſſe accuratiſſimè pariter, ac citiſſimè omnia perpendere, & expedire: ita enim habet expreſsè Cic. loco cit. *vt quiſque maximè perſpicit, quid in quaq; re, veriſſimum ſit; quique accuratiſſimè, ac celerrimè poteſt videre, & explicare rationem, is prudentiſſimus, & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet.* Diuturnum igitur inſumpſiſſe laborem in deliberando, vt innui videtur per particulam *tandem*, & explicat Parrhaſius certæ, perfectiſſimæ derogat, quæ in Ioue haberi debet, prudentiæ. Aduertas itaque aduerbium illud *tandem* non ſemper ſignificare idem, ac *poſt longum tempus*, ſed ſæpè ſæpius à Poetis non ſolum, ſed etiam ab Oratoribus pro *tamen* vſurpari, vt teſtatur Calepinus ipſe, ex Tullio, vbi in ſuo ſeptem linguarum Dictionario hanc fusè explicat particulam: In hoc autem ſenſu noueris hoc aduerbio *tandem* vſum, & hic fuiſſe Claud. quaſi dixerit: non obſtantibus tot tantiſq; difficultatibus, *tamen* rem expedit Iupiter, & ſedatis fluctuantis animi motibus tranquilla in ſtatione componitur ſententiam firmans.

Ex his collige veriſſimum eſſe quod cecinit Iuuenalis ſat. 10. cum ait.

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus fortuna Deam Cæloq; locamus.

Prudentiæ enim dono omnia euitantur pericula. Quarè nil temere vnquam agendum, ſed omnia ad prudentiæ trutinam noueris reuocanda; Quod ſi auxilio virtutum prudentiæ adminiſtrantium aſſequemur, nulla erunt incommoda, quæ non facillimè euitemus. Diſce etiam quam immeritò interdum de ſummo omnium datore conqueramur, quaſi ipſe deneget nobis ea, quæ concedi ſæpè non poſſunt, difficultatibus, & obice exiſtentibus, non ex parte diuinæ voluntatis, ſed ex parte obiecti, ſeù rei concedendæ. Interdum etiam quod iuſta ratione differtur, non aufertur, ſed tempore donandum differtur. Petite, & accipietis, inquit infallibilis veritas, ſed petite in nomine meo, hoc eſt iuſta ſit, & iuſtitiæ conſentanea petitio, nam ſi aliquid interdum negatur, ideò negatur quia neſcimus, quid petamus: ſemper enim prudentiſſimus diuinæ ſapientiæ, ac prouidentiæ oculus paterno nos reſpicit affectu, & omnia quæ nobis vel profutura, vel obfutura ſint perpendens ea negat quæ obeſſe poſſunt, & profutura interdum differt, vt magis proſint exorantibus.

Sed iam Claudiani Clio heroicè præcinenti pediſſequa noſtris indulgens calamis ſuccinat Muſa.

Hauea Pluton tra le minaccie, e l'onte
A pena, in queſto dir ſciolti gl' accenti;
Che già premean l'orme veloci, e pronte
Del meſſaggiero i più ſublimi argenti,
Oue di ſtelle, à i maggior faſti acconte,
Formanſi i ſtrati all' ampia Regia ardenti:
Ed hauea gia 'l gran Padre a pien compreſo
Di qual brama il fratel n'andaſse acceſo.
Piegaſi il cuore à ſecondar l'inchieſte;
Ma trà Silla e Carridi erra il penſiero:
Ne così, eſpoſto a flutti, alle tempeſte,
A poggia, ed Orza ogn'hor piega il nocchiero;
Com' in ſua mente il Regnator celeſte
Ondeggia; e, volto al ſcandagliar sù'l vero,
Rintracciando à Pluton chi dia la fede,
Mille ſcogli al diſegno oppoſti ei vede.
Chi ſia colei, che del ſuo letto à parte
Voglia vn moſtro, (dicea) chi di tal ſpoſo
S'addatti a i vezzi; e, 'l ſol poſto in diſparte,
Meglio ſtimi di Stige il centro aſcoſo?
E'l proporlo impieta: Sforzar le carte
La Giuſtitia non deue. In mar sì ondoſo,
Qual Caliſto mi ſcorge? Al fin dell' Alma
Volge ſtabil decreto i flutti in calma.

Ne autem hoc partam decreto illo inuiolabili mentis tranquillitatè Chelis noſtra perturbet, modulos dum lubens præcidit, nos heroicam Auctoris noſtri texturam proſequamur.

Ætnææ Cereri proles optata virebat
Vnica: nec tribuit ſobolem Lucina ſecundam;
Feſſaque poſt primos hæſerunt viſcera partus,
Infœcunda quidem; ſed cunctis altior extat
Matribus, & numeri damnum Proſerpina penſat.
Hanc fouet, hanc ſequitur: vitulam non blandius ambit
Torua parens, pedibus quæ nondum proterit arua;
Nec noua lunatæ curuauit germina frontis.
Iam vicina toro, plenis adoleuerat annis
Virginitas; tenerum iam pronuba flamma pudorem
Sollicitat mixtâq; tremit formidine votum.

ÆTNÆÆ CERERI &c. Vt viam ſtrueret Poeta ad aperiendam ſententiam, cui Iouem acquieuiſſe iam innuit, ſed indeclaratam reliquit; operæ pretium fuit, vt ad exhibendam notitiam illius Nuptæ, quæ Plutoni addicebatur gradum faceret; quo ſubindè clariùs Iouis ipſius ſententia innoteſceret: præcipuè cum eadem Protagoniſtæ gerens perſonam, totius tragici euentus ſcenam adſit impletura. Quare prudenter Poeta eiuſdem originem, indolem, qualitates, ac virtutes exprimere aggreditur, quibus non vnicum ex Dijs in ſui amorem alliceret, vt, opportuno tandem loco, ſatis innoteſcat, non indignam Deo Plutonicis Nuptijs fuiſſe deſtinatam.

ÆTNÆÆ CERERI &c. Quænam Ceres ſit ſatis explicuimus ad Carm. *Quid Cererem, magnamq; Themim*. Quarè tantum remanet hic, vt dicamus cur Ætnæa dicta fuerit. Videtur autem hoc ipſum ſatis innoteſcere ex ſequenti Poetæ contextu; dum enim dicit, Cererem delegiſſe Ætnæas oras, quibus Proſerpinam filiam commendaret cuſtodiendam, certè, hoc loco, videtur præludere voluiſſe ijs, quæ ibi dicenda erant. Sed eſto hæc mens Poetæ non defuerit; non tamen hanc arbitror radicalem fuiſſe cauſam, cur Cererem *Ætnæam* appellauerit; ſed accuratiùs indagandum iam puto. De Ætna monte latiùs quidem dicendum erit inferiùs; ſed interim ſcitu neceſſarium eſt, totam Siciliæ oram *Ætnæam* ab hoc monte appellatam, eiuſdemque incolas *Ætnæos* dictos. Hinc itaque eſt, vt Ceres ipſa *Ætnæa* nominetur; habitauit enim hæc, vt fert Mythol. Nat. Com. lib. 5. cap. 14., ex auctoritate Apollonij, in Argonaut. lib. 4., habitauit, inquam Ceres Corcyræ, quæ vrbs Siciliæ eſt trans promontorium Lylibæum, ſic dicta à Corcyra Aſopi filia, quæ ibi ſepulchrum ſortita eſt; dictam tamen fuiſſe prius Drepanum eamdem vrbem comperio; quod nomen certè deductum à falce reperiemus, ſi animaduertamus falcem apud Græcos *δρέπανον* appellari, quod ego ad eam falcem referre non abhorruerim, quam Ceres à Vulcano acceptam Titanibus tradidit cum eos metere edocuit, ſeu; vt alij dicunt, quia falce vtebatur Ceres ipſa in meſſem. Cum igitur à Cereris falce vrbs ipſa Drepanum fuerit appellata, vides quam ab antiquo Ceres in Siciliæ oris culta fuerit, conſequenter quam meritò *Ætnæa* dici potuerit. Adde etiam, Siculas terras primum ſibi Cereris ortum vindicare potuiſſe, ni fallat eorum opinio, qui, vt legere eſt apud Mythol. cit. loco cit., dicunt frumentum primo in Sicilia natum ſua ſponte eſſe, quod, cum à nemine colligeretur, in terram rurſus recidebat; & quod vbi Cecrops Athenarum Rex à quodam reſciuiſſet, qui colligerent, miſit, atq; ad ſe aſportarent; cumque Triptolemus primus inde cæpiſſet terram colere, ſerere &c. dictus eſt à Cerere agriculturæ rationem edoctus. Cum itaq; Ceres pro ipſa triticea meſſe habeatur, cur non dicatur *Ætnæa*, dum in Ætnæis primo oris ortum habuerit? Patrium hoc maximè nomen Deæ profectò conuenit, ideòq; miro ingenij acumine hoc ipſum illi indidit nomen Claud. ſed adeſt & alius titulus, quo Ætnæa iure Ceres dicatur, eumq; refert in hunc locum Parrhaſius, qui, ſicuti ex Dione docet Ætnam montem nomen deſumpſiſſe ab Ætna Briarei Cyclopis filia, ac Sicani, qui nomen inſulæ dederit, ſorore; ſic ex Simonide recenſet, Vulcanum cum Cerere de Siciliæ finibus contendiſſe, ipſq; Ætnam arbitram extitiſſe, quæ & Cereri litem adiudicauerit. Quare & ex hoc titulo iure *Ætnæa* dicitur Ceres poſſeſſiua, ſcilicet hoc nomine ab adiudicata illi lite inſignis. Repugnat acerrimè tamen huic lectioni Heinſius, & legendum contendit, non *Ætnææ Cereri*, ſed Ænnææ, ſeù potius, addita aſpiratione, *Hennææ Cereri*, quod confirmat ex Turnebo, Gyraldo, Codice, Oxonienſi, Silio, Lycophrone, & alijs, qui Cererem Hennæam vocant, quia, vt inquit ipſe, ita vocata ſit Ceres tam ab oppido Siciliæ Enna, ſeù potiùs Henna dicto, quam ab eiuſdem nomine pago Attico, in quibus impensè Ceres colebatur. Verum non inficior ego Cererem Hennæam denominari potuiſſe: ſed vocandam hic eſſe Hennæam potiùs, quam Ætnæam; immò Hennæam, non verò Ætnæam, vnde probet Heinſius non video. Certè non militat cum ita debere hoc loco dici, quia ſic denominata à pago fuerit attico, nam quid ad rem præſentem conferat talis origo denominationis? Quod ſi dicat ſic denominandam, quia ſic appellata fuerit ab Ænna Siciliæ oppido, quænam maior ratio cur denominetur hic ab Ænna, quam ab Ætna? Noui equidem Ænnam fuiſſe Siciliæ vrbem, Stephano teſte edito in loco, & vndique præcipiti ſitam à Syracuſanis conditoribus, ac, quia in medio Inſulæ ſita ſit, vmbilicum Siciliæ dictam, & in qua præcipuus Cereri honor deferebatur. Sed noui etiam, præter Ætnam montem, quem ipſum alibi vmbilicum Siciliæ vocatum videbimus, vrbem pariter Ætnam appellatam, ac non procul ab Ætnæ montis radicibus ſitam fuiſſe, quam pariter Siciliæ vmbilicum appellatam, eo quod in medio inſulæ ſita eſſet, teſtatur ex Cic. Calepinus noſter. Ex quibus præcognitis ſic arguo: Vnicus vnius corporis vmbilicus eſt, ergò ſi & Ætna vrbs, & Henna vrbs pariter, Siciliæ vmbilicus dicta eſt, ſequitur quod vna, & eadem ciuitas ſub diuerſo nomine fuerit, & quæ quidem antiquitus Ætna vocaretur, ſed animaduertentes poſteri Ætnæ nomen ambiguitatem ſæpè in audientibus parere, qui dum de Ætna vrbe ſermo eſſet, Ætnam, loco vrbis, montem intelligerent, nomen vrbis ex *Ætna* in *Ennam* commutauerint, vt omnis in poſterum vitaretur æquiuocatio. Aptiùs autem vſum dixerim Auctorem noſtrum antiquo Ætnæ nomine, quam nouo Ennæ, à quo Ætnæa Ceres diceretur; nam ſub primo vrbis nomine antiquiſſima Proſerpinæ Raptus tragedia contigiſſe credenda eſt. Sed eſto duæ fuiſſent, & diuerſæ Ciuitates Ætna, & Enna: certè Vates noſter ſecutus ſententiam Hygini cap. cxlvi. quem citat, & ſequitur in hunc locum Barthius Raptum Proſerpinæ ſecutum eſſe ſtatuit apud Ætnam, vt ex 2. lib. de raptu apertè patebit: Domum inſuper Cereris Cyclopum eductam caminis eodem lib. 2. deſcribit conſequenter non procul ab Ætna monte extructam, quarè meliùs certè iuxta Vatis mentem Ætnæa, quam Ennea dicetur Ceres, ſpectata ſubiecta, de qua hic agitur, materia. Sed iam nimis in Heinſij gratiam diuagati ad textus explicationem, quam aſſumpſimus redeamus. *Ætnææ itaq; Cereri*

PROLES. Notiſſimum eſt quid Proles ſignificet, nempè ſobolem, progeniem, ſtirpem &c. Vno verbo quidquid ab alio ortum ducit proles illius dicitur; ideòq; hic *filiam* ſignificari in comperto eſt. Maiorem faceſſere poſſe difficultatem videbitur fortaſſis Epitetum duplex, quod adiungitur; nempè

OPTATA, & VNICA. Videri tamen poteſt facilè enodanda difficultas; ſi cauſalem ſubintelligamus, nempè *optata*, quia *vnica*. Ab aliquibus enim adeò prona in Venerem fuiſſe dicitur Ceres, vt & Neptuno, & Ioui, & Iouis filio Iaſioni copiam ipſa fecerit ſui; quæ procax ſalacitas indicat, Cererem vehementiſſimè optaſſe, vt filios ex multiplicato concubitu procrearet; cum autem ſolam potuerit obtinere Proſerpinam, vt habetur ea adiuncto *vnica*, ea iure *optata* dicitur; ideſt plenis expecta deſiderijs ante conceptum; poſt conceptum verò, ac natiuitatem eiuſdem *optata* eadem dicitur, ideſt eius conſeruatio plenis votis expetita, ac procurata. Quod totum videtur confirmari ex eo quod Vates inferius habet, dum dicit: *Feſſaq; poſt primos hæſerunt viſcera partus infœcunda &c.*, & ex ſedulitate, quam à Cerere adhibitam deſcribit vt Natam foueret: *Hanc fouet, hanc ſequitur &c.* Verum hoc ipſum, quod enodare difficultatem facile videtur, innectit potius quam ſoluat. Nam quomodo eruditiſſimus Poeta, qui profectò nouerit, tot Cereri, ex quibus prolis deſiderium appareret, attributos concubitus, non nouerit etiam decantatum illud ab omnibus, nempè Cererem ex Neptuno filiam ſuſcepiſſe, quam nefas fuerit nominare, ſeù, vt alij dicunt, quam Heram Antiquitas appellauerit, vt teſtatur Mythol. Nat. Com. loco cit.? Quomodo non viderit, ex aliorum opinione, Cererem, ex Neptuni concubitu, equum peperiſſe; ex concubitu verò Iaſionis, Plutum genuiſſe? Quomodo igitur Proſerpinam aſſerat *vnicam*, & ideò *optatam* quia *vnicam*? Quomodo infœcundam Cererem poſt primum partum vocet? An lumen tanto

Vati

Vati defuiſſe dicendum? Erraret profectò, qui Claudianum diceret erraſſe. Aduerte igitur verbum *opto* non ſemper idem ſignificare, ac *deſidero*; ſed interdum idem eſſe *optare*, ac *eligere*, & ideò optionem dari dicimus, cum *electio* alicuius rei conceditur; conſequenter idem erit *optatum*, ac *electum*. Vulgò *ſcelto*: electum ex millibus. Optatam igitur fuiſſe Cereris filiam, inquit Poeta, vt oſtenderet, tot naturalium donorum cumulo inſignitam fuiſſe, vt *electum* Fatorum *opus* dici poſſet, cui nempè Fata ipſa deſudauerint, nimio eam ditandi deſiderio exæſtuantia. Hoc autem ipſo initio innuit Vates, vt ſtatim præ oculis poneret Iouis prudentiam, quæ in non indignam Deo oculos coniecißet. Verum ſi quis obſtinatè contenderet (quod tamen rudis nimis eſſet ingenij) intelligendum eſſe participium illud *optata* in ſenſu purè litterali, & obuio; ita vt *deſideratam* dicat, non verò, vt nos exponebamus, *Electam*; facilè hoc ipſum exponetur; nec abſonum erit ab eruditione Poetæ. Quod vt facilè innoteſcat, ſupponendum, tamquam irrefragabile, eſt axioma illud Phyloſ., nempè omne agens agere ad aſſimilandum ſibi paſſum; & hoc præcipuè locum habere in generatione viuentium, quæ eſt *origo viuentis à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ*. Hoc poſito. Si verum eſt effrenatam adeò in plurium concubitus Cererem irruiſſe, videtur neceſſariò dicendum, eam ductam fuiſſe ab innato vtiq; deſiderio prolem ſibi ſimilem procreandi, & quidem ſimilem in natura. Aſt quis neſciat, eam, cum equum Neptuno pareret non peperiſſe ſibi ſimilem in natura? Quod ſi dixeris, non equum, ſed filiam nomine Heram peperiſſe; quis non videt, eam, quam dicunt nefas fuiſſe nominare, licet poſtea Hera dicta fuerit, adeo fuiſſe deformem, & à diuinis alienam dotibus, vt potiùs Tartaro deberi, quam Cœlo viſa fuerit, ideòq; inter ſpecies innominatas reiecta, conſequenter nec Cereri ſimilem proculdubio fuiſſe? Pariter, ſi ex Iaſione Plutum genuerit, nonne ſcimus, eum cęcum fuiſſe deſcriptum; immò & dementem, quippè qui, nullo habito meritorum, vel demeritorum diſcrimine malos interdum foueret, bonis aduerſaretur? Non itaq; huiuſmodi partus explere potuerant Cereris deſiderium generandi ſibi ſimilem; ſed immò ex priuatione optatæ in partubus ſimilitudinis magis excreſcere debuit deſiderium habendi filiam ſibi ſimilem, quandoquidem *Priuatio generat appetitum*. Ideò ſi dixeris Heram, Plutumq; ante Proſerpinam genitos, Proſerpina primos adhuc fuit Partus, qui iuxta deſiderium exierit in lucem, adeòq; prima, & vnica proles optata &c. ſi verò dixeris, Heram, aut Plutum, poſt Proſerpinam, genitos; adhuc poſt primum, Proſerpinæ videlicet, partum benè dicuntur viſcera Matris hæſiſſe infecunda, licet genuerint, cum ex illis non proceſſerit Partus Matri ſimilis in Natura; nam ſicuti terra dicitur infęcunda, licet tribulos germinet, & ſpinas, eo quod non gignat ea, ad quæ gignenda videtur ex principali naturæ intento inſtituta; ſic Ceres infęcunda dicitur quandiù monſtra potiùs genuerit, quam filios. Atq; hæc dicta ſint quantum ſpectat ad fabulas, earumq; litteralem intelligentiam, vt pateat, Claudianum non fuiſſe ab ijs longè peregrinatum, nec ab aliorum ſenſu longiùs abſiluiſſe, ſed potiùs eruditiſſimo ſtylo omnia Poetarum figmenta vnius ſub cortice vocabuli coniunxiſſe. Aſt, ſi quis verum expoſceret à nobis Poetæ ſenſum, dicerem, illum non ad fabulas tantummodo reſpexiſſe, ſed in ijs myſticum potiùs ſenſum fuiſſe ſecutum, ac, iuxta illum, optatam dixiſſe a Cerere Proſerpinam, & quidem ex Ioue filiam, ac, poſt primum partum, Cereris viſcera infęcunda hæſiſſe &c. Pro quorum intelligentia, myſticos iam ſenſus aperiamus. Dixerunt igitur Poetæ, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 5. cap. 14., Cererem natam ex Saturno, & Opi; quia putarunt, & ſignificare voluerunt, Cererem eſſe virtutem ſatorum omnium, quæ virtus cum non poſſit ſubſiſtere ſine loco, & tempore, quibus omninò indigeat, vt ſit, & conſeruetur, atq; in fructus erumpat; ideò eam dixerunt filiam Saturni, quia Saturnus pro tempore accipiebatur, vt vidimus, eamdemq; Opis filiam, nam Opim terram eſſe voluerunt. Alij putarunt, non Opim, ſed Cererem ipſam terram eſſe. Verum non eſt hìc locus diſputandi, quænam ex his opinionibus probabilior ſit, cum nihil referat ad inſtitutum, ex eo, quod in vtraque ſententia optimè vigeat Claudiani ſenſus. Siuè igitur terra ſit Ceres, ſiue ſatorum virtus, quæ tandem nil aliud eſt quam ſemen ipſum virtualiter ſegetem continens, certè eius filia Proſerpina erit; nam, ſi ſumatur Ceres pro terra, eius filia ſeges erit, quæ cum per terram germinans ſerpat in lucem eruptura, ideò Proſerpina dicitur: ſi Ceres pro virtute ſeminali ſumatur, adhuc eius filia erit ſegetis radix, quæ eodem modo Proſerpina dicitur, quaſi *per terram ſerpens*, vt emergat in ſegetem. Cum igitur Triticea ſeges præcipuè Cereri tribuatur, cum ſit ſatorum omnium nobiliſſima, hinc eſt, vt hæc ſola optata Cereri filia dicatur, & non ſolum optata Cereri, ſed optata cunctis viuentibus, quæ ratione viuntur: viſcera autem Cereris, ſeù pro terra, ſeù pro virtute ſeminali ſumatur, hærent infęcunda poſt primos partus, quia, vt conſtat, terra, quæ triticum produxit, nullum inſuper, eo anno, exhibet fructum; immò aliquibus in locis datur terræ quies, itavt terra, quæ triticeam meſſem hoc anno dederit, in ſequenti, noua triticiſatione non fatigetur; &, ſi herbas, aliaq; vilia legumina, vileſq; fruges producat, non ideò fęcunda dicitur, quia hæc, in comparatione triticeæ ſegetis, pro nihilo reputantur. Ad hæc omnia reſpexiſſe Claudianum, eruditiſſimo hoc contextu nequaquam ambigo; atque ideò omnia duxi aperienda, ne Poeta, excellens adeò, debita fraudaretur explicatione. Iam ad vlteriora procedamus.

VIREBAT. Cereris filia, & quidem ex Ioue: ideſt ex benignitate Cœli (Iouem enim vidimus à iuuando dictum, eiuſdemq; ſtellam beneficam eſſe) nata non virere non potuit. Si igitur Cereris filia, iuxta fabulas, ſumatur, vt certè hic ſumi debet, pro Dea Dei, Deique filia, verbum *virebat* tranſlatum erit profectò pulcherrimum; *virêre* enim, ſeù *vireſcere* eſt *primo, ac viridiori viriditatis germine emittere*, quod indicat radicem plenam eſſe optimo quoq; ſucco, ac vigore, nulloq; vitio affectam, mirum in modum vegetare. Quapropter iure merito iuuentutis florem vireſcere dicimus, cum iuuentus verè flos, ac viriditas ſumma ætatis humanæ ſit. Oſtendit igitur Poeta hic Proſerpinam Cereris filiam ætatis florem attigiſſe, ideòq; omni ſucco, gratijs, vigore, ac pulchritudine refertam extitiſſe, vt dignior appareat, quæ Deo copuletur. Si autem Cereris filia ſumatur iuxta myſticum ſenſum iam explicatum, verbum virebat proprium erit, vt patet.

NEC LVCINA &c. Explicat hic per negationem, & clariùs, quod iã ſolo illo vocabulo *vnica* expreſſerat; ac ſimul cauſam aſſignat, cur Ceres hanc vnicam habuerit natam.

NEC. Ponitur hic pro *& non*, coniunctio ſcilicet disiunctiua.

LVCINA. Lucinam ex compreſſa à Ioue (vt ſupra diximus ad Carm. *Quid enim memorem Latonia furta*) Latona natam deprædicant, eamque eamdem cum Diana Apollinis ſorore; eodemq; partu editã aſſerunt eſſe; videturq; hoc confirmari auctoritate Virg. in Pollione, dum ait.

Caſta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo.

quo in loco, vt patet, manifeſtè accipitur pro Diana. Hanc dicunt parturientibus præſidem fuiſſe datam, ex eo quod, cum in Ortygia ex ventre Latonæ Matris, ante gemellum ſibi Apollinem, proſiliſſet, vix nata obſtetricis munere functa fuerit in bonum matris, quæ mox eſſet Apollinem paritura. Alij tamen dicunt, Lucinam non eſſe Dianam, neque ex Latona natam, ſed aliam ex Ioue, & Iunone progenitam, hancq; delatam ex hyperboreis in Delum fuiſſe, vt parturienti Latonæ obſtetrix adeſſe, teſtatur Pauſanias in Atticis. Alij autem dicunt Lucinam eſſe Iunonem ipſam, vt videtur ſenſiſſe Terentius in Androg. dum ait: *Iuno Lucina fer opem.* Vtcumque fuerit, certè Lucina Dea communiter eſt habita, quæ parturientibus, ac partubus ipſis in lucem educendis præeſſet: quare in ipſius etiam poteſtate eſſe credebatur, vt matrum viſcera vel fæcunditate ditaret, vel ſterilitate perſtringeret. Quapropter hic aptiſſimè Poeta dicit, Lucinam Cereri induiſiſſe, vt Proſerpinam pareret, ac deindè eiuſdem viſcera concluſiſſe, ne alium ederet partum, & ſi ederet, monſtroſum tantum, & abortiuum emitteret. Videtur autem Claud. occultè attingere prædictas omnes de Lucina opiniones; nam Lucina, quæ Diana dicitur, cum ex adulterio Iouis cum Latona matre ortum habuiſſet, æquum fuit, vt Patri Ioui faueret, Cererem ab ipſo compreſſam tam inſigni prole fęcundans, ac non alienum erat, vt deinde infęcundam redderet, cum ſui alijs copiam faceret Ceres, aut non permitteret, niſi monſtroſum quid ab illa generari, vt Iouis Patris iniurias vlciſceretur. Iterum Lucina illa, quæ ex Ioue, & Iunone nata dicitur, vtpote quæ magis Patri, quam matri arridens, alios adulterinos ex Ioue patre filios iuuerat in lucem euaſuros, ſic etiam Cereri adiuiſſe dicenda eſt in gratiam genitoris. Aſt Lucina quæ dicitur Iuno eſſe propriam ſubindè vltura iniuriam calmatum, ſi Cereris vuluam concluſerit, & monſtra tantum parere in poſterum dederit: Ideò Poeta introducit hic Lucinam partum concedentem, & Lucinam partus prohibentem, vt

omnia vnico compleſteretur conceptu; Lucina igitur, quæ præſes parturientibus adeſt, Cereri non

TRIBVIT. Tribuo idem eſt, ac do, impertior, & ſuppedito; quarè indicat hic Vates, vt ex infra dicendis patebit magis, Lucinam tantum fauiſſe Cereri, cum Proſerpinam ei tribuiſſet, vt, exhauſto fauorabili ærario, nil amplius haberet Cereri impertiendum; ideòq; hac data non tribuit

SOBOLEM SECVNDAM. Soboles idem eſt, ac Proles, & dicitur ab oleſcendo, ſeù ſuccreſcendo, quia filij, poſt ortum, paulatim ad perfectam vſque ætatem ſuccreſcant, & quo ad molem, & quo ad vires. Adiectiuum verò ſecundus dupliciter intelligi poteſt: vel ita vt ſignificet gradum, primo immediatum, in ordine numerali, vel ita vt ſignificet idem, ac quod dicitur Proſperum, & ad vota. In hoc ſecundo ſenſu, tranſlatitiò ſcilicet, arbitror vſurpari hic à Poeta, ob ſupra traditas rationes, & quia, hoc dato, verificabitur etiam in ſenſu numerali; nam, dato primo partu ad vota, non datur alter, nempè ſecundus in ordine numerali, qui item ad vota ſit.

ET VISCERA FESSA; Viſcera ſunt ea quidem, quæ extra dicuntur, ſed non ſola; viſcerum enim nomine veniunt etiam cor, iecur, pulmo, lien, & cætera huiuſmodi; quæ vere apud anatomicos, & medicos viſcera compellantur, vt late docet Parrhaſius hic. Immò vlterius quidquid ſub extima pelle eſt, vt caro, oſſa, fibræ, cartilagines, nerui eodem nomine indicantur. Sic Virg. Æn. 1.

Terg[illegible] diripiunt coſtis, & viſcera nudant.

Quo poſito videtur Poeta hic duabus Phyloſoph. ſententijs aſſentiri. Prima ea eſt, quæ aſſerit etiam fœmineum actiuè concurrere ad generationem: Altera eſt, quæ ſemen humanum dicit profluere vndequaq; ab omnibus, ac ſingulis humani corporis partibus deciſum; ideòq; poſuit viſcera, idest partes omnes internas Cereris ad generationem Proſerpinæ concurrentes, quia ſi mulieris ſemen actiuè concurrat, & ſemen ab omnibus partibus decidatur, conſequens eſt, vt omnes partes aliquid ſui contribuant generationi. Hæc eadem eſt ratio, cur dicat hæc viſcera Cereris, poſtquam Proſerpinam genuerit fuiſſe

FESSA. Nam, cum certum ſit, motum, in quo ſpiritus vitales inſumuntur, non eſſe velociorem in fine, iuxta id, quod de cæteris motibus fert axioma: motus in fine velocior; eo quod in conſumptione ſpirituum vitalium agens eneruetur, & defatigatum contrahat laſſitudinem; quantò magis id valebit in motu generatiuo, quo generans ex omnibus ſui partibus deciſum ſubſtantiæ propriæ aliquid genito impartitur? Feſſa igitur dicit Vates Cereris viſcera, vt oſtendat ex vnico hoc partu eneruatam potentiam generatiuam ita, vt illi non ſuperfuerit virtus ad alios ſaltem perfectos producendos. Hoc ipſum ſubindè clariori metro, ac potiori iure cecinit de S. Thecla, quæ vnica fuerit matri ſuæ Gabriel Maria ex Auguſtiniana diſcalceatorum familia apud eruditiſſimum Abbatem Picinellum lib. Mundi ſymbolici 6. dum ait.

Nec poſt ſe natam, nec viderat ante ſororem
Vnica nam proſtrea filia Matris erat.
Prudens natura eſt: quæ conſulit omnia Theclæ,
Prolem non geminat, ne ſine dote foret.

HÆSERVNT. Ideſt conſtricta remanſerunt, vt nil amplius perfecti ſeminis emittere poſſent, ad nouam fœtuum generationem, quaſi emuncta iam ſatis, & emunctionis vlterioris incapacia. Hærere enim eſt ſtrictè inuicem coarctari, & concludi.

POST PRIMOS PARTVS. Nempè poſtquam Proſerpinam genuerint; Partus enim, & actus pariendi eſt; & fœtus, vt latius videbimus lib. 3. ad Carm. Partuſq; inleſſi. Tu geminus. De reliquo hæ particulæ ſatis ex ſuperioribus remanent declaratæ; cur enim Proſerpina prima dicatur, & vltima iam diximus.

INFÆCVNDA QVIDEM. Hoc ipſum ex prædictis explicatum remanet; quarè nil addam; nam quod ſpectat ad aduerb. Quidem ſatis conſtat idem eſſe, ac profectò.

SED. Particula aduerſatiua eſt, contraponit enim Poeta infœcunditatis mærori gaudium ex hâc vnicâ filia cumulatum matri, & faſtum, quo hâc vnicâ ſupra fœcundiſſimas quaſq; attolleretur. Ideò

ALTIOR EXTAT, inquit, CVNCTIS MATRIBVS. Ideſt excellentiâ, dignitate, gradus ſublimitate, cæteras Matres omnes anteceſſit. Nam altior propriè idem eſt, ab [illegible] ab homi, erectius, celſus, ſublimis; tranſlatè autem ſignificat aliquem dignitate præcellentem; in quo ſenſu & hîc, & apud Virg. Æn. 10. habetur:

[illegible] Apollo [illegible]

EXTAT. Magis hoc verbo roboratur explicatio illius comparatiui Altior iam à nobis data, nam extare propriè eſt idem, ac ſupereſſe; & eminere: quarè, dum inquit Poeta: altior extat, idem eſt, ac ſi dixiſſet: longo ſuperas interuallo cæteras matres. Si verò rationem, ſeù cauſam quæras, memineris quæ ſupra diximus, nempe bonæ indolis filias genitorum gloriam, ac redimiculum eſſe, ac ſubindè recogita, talem hic Proſerpinam effingi, vt dotes omnes, in alijs ſparſim repertas, in ſe vna peſtrinxerit, ac copulauerit; & ſic agnoſces, cur Ceres glorioſior, ac felicior dicatur.

CVNCTIS. Nomen hoc eſt collectiuum diſtributiuè ſumptum, nam ita omnes includit, vt nullam excludat, & ita ſingulas diſtribuit, vt ſingilatim omnes, Cereri ſi comparentur inferiores ſint: &, ſi omnes collectiuè, viceuerſa huic vni comparentur, adhuc earum omnium Decus cedat Cereris ſublimitati. Hoc matris ex vnica filia excellens ornamentum, vt innueret eruditiſſimus Abbas Picinellus Mundi ſui ſymbolici lib. 6., Concham vnica fœcundatam gemma in impreſſam aſſumpſit, cum lemmate: Vnica prole ditior, ſeù ſat vna decori. Nam numeri damnum hæc vnica penſat, vt inferius.

MATRIBVS. Mater non eſt hic nomen ob reuerentiam vſurpatum, ſicut illud apud Virg. ſæpè, ſed præſertim Æn. 5. vbi ait.

Ac ſe dardanidum mediam ſe matribus infert,

& ibid. *At matres primò ancipites, oculiſq; malignis &c.*

& Transſcribunt vrbi matres populumq; volentem.

& Ipſæ iam matres, ipſi quibus aſpera quondam &c.

Sed immò nomen eſt veram importans actionem generatiuam; mater enim quæ gignit efficitur.

ET NVMERI DAMNVM &c. Antiquis probroſum adeò fuit mulieribus, ſi ſteriles extitiſſent, vt quæ vuluam habuiſſent concluſam perpetuo damnarentur dedecore, luctuq; excruciarentur aſſiduo, vt latè patet ab exemplis, quæ innumera adduci poſſent tàm ex ſacris, quàm ex profanis hyſtorijs; ſed, ne in re certa longior ſim, prætermitto. Viceuerſa autem adeò in pretio erat fœcunditas, vt nullis videretur alijs naturæ dotibus exæquanda. Porrò fœcunditas non ex vnico tantùm partu deſumebatur, ſed ex pluribus ſucceſſiuè editis, ac ideò quæ numeroſiorem filiorum ſeriem ex proprio deriuatam vtero dinumeraret, ea glorioſior, ea venerabilior, ea cunctis incedebat præſtantior: quæ autem vnico germine contenta, non alios filios peperiſſet, vel monſtra tantum edidiſſet, inter ſteriles computabatur, & damnum ſubibat dedecoris mæroris, & iurgij. Cum igitur Poeta oſtenderit Cererem vnico partu condecoratam, eo quod, ſi alios ediderit, monſtroſos ediderit, videbatur redarguendus, quia nihilo minus Cererem cunctis matribus præſtantiorem declaraſſet. Nec obſtat quod Ceres ex Neptuno peperiſſe a Parrhaſio Arionem dicatur; nam Arion non eſt nomen hominis, hoc loco ſeù Dei, ſed nomen equi illius, quem ſupra genitum à Cerere vidimus, vt docet Micyllus in additionibus quibus 6. Ouid. lib. Metam. interpretatur ad Carm.

Et te Flaua comas frugum mitiſſima mater
Senſit equum.

nec pariter obſtat, quod ab eodem Parrhaſio hic dicitur, nempè ex Iaſione Cererem Philomelum peperiſſe: nam ex ipſo nomine a Græco vocabulo φιλομμα, quod eſt fraus, & deceptio apparet, quam Dea indignus fuerit hic ipſe filius, quarè & ipſe monſtruoſus iure potuit appellari. Ne itaq; de incongruentia ob ſupra enarratam cauſam redarguendum ſe præberet Poeta, quaſi immemor fuiſſet, matrem à ſterilitatis nota non eximi per vnicum vteri fructum, prudenter oratorio modo præoccupans occurrit obiectioni, & diluit, cauſam aſſignans, cur Proſerpina, licet vnica, Matrem à ſterilitatis nota exemerit, quia ſcilicet vna Proſerpina inſtar plurium eſset, & damnum numeri compenſaret. Ideò

ET PROSERPINA PENSAT DAMNVM NVMERI; Quod idem eſt ac dicere: ſupplet numerum, ita vt perinde ſit, ac ſi numeroſa fœtus filiorum mater non deeſſet; atq; ideò matrem, ſe ſola dumtaxat parem reddat ijs, quæ pluribus coronantur filijs; & non ſolum parem facit, ſed maiorem, vt ſupra diximus. Filiam autem Cereris proprio hic nomine compellat, vt, cum hæc in poſterum Protagoniſtæ numus ſit implenda, diſcamus ex ſola nominis voce præſtantiam, ac dignitatem perſonæ dignoſcere, vbicumque idem ingruat nomen.

PENSAT, autem inquit, nam penſare propriè eſt compenſando bona parem reddere; interdum idem eſt, ac ſupplere, iuxta explicatam noſtram [illegible].

DAM-

DAMNVM NVMERI. Ethymologiam huius nominis *damnum* inquirentibus occurrit, illud deductum à demendo; & ratio eſt, quia diminutione res deterior fit, quarè idem eſt *damnum*, ac *iactura*, & detrimentum. Ideò inquit Poeta *ſarciſet damnum*; hoc eſt ſupplet detrimentum, ac diminutionem numeri filiorum, qua mater deterior fieri potuiſset. Sed perpende perſpicacitatem Poetæ, qui vna cum ſenſu proprio ſenſum alluſiuum copulauerit; nam vox illa *Damnum numeri* alludit ad illud decoris detrimentum, quod ex ſterilitate infligi ſolitum fuiſse iam diximus, cuius detrimenti damnum prohibuerit à Cerere vnica Proſerpina numeroſæ æquiualens ſtirpi.

HANC FOVET &c. A ſimili amplificat non minus quam deſcribat Cereris in Natam ſtudium. Similitudinem autem deſumit à boue fœmina, quæ tanto amoris ardore vitulis adhæret, vt vix aliud animal impenſius proſequatur. Sed, antequam progrediamur, diluendam hic arbitror opinionem, quæ fortaſsis irrepere poſset in mentem alicuius, non rerum medullam conſiderantis, nempè Poetam vili nimis vſum ſimilitudine, & quæ indecens ſit, ne dum non idonea ad exprimendam Deam toto affectu natam amplectentem. Cadet autem facilè hæc opinio, ſi meminerimus, Iouem ipſum Bouis figuram non detrectaſse, cum mutatus in Taurum Europam aſportauit; ex quo ſequitur, vt etiam Ceres Ioue adamata non incongruè ſub bouis fœminę figura fuerit adumbrata. Inſuper Bouis Hierogl. non eſse indecens ad exprimendam diuinitatem, patet ex Græcis non ſolum, Iouem ſub ſpecie bouis colentibus, ſed etiam ex Ægyptijs, qui Iouem illum ſuum, qui & Oſiris, & Pater, & Iuſtus, & Dux, & Rex, & conſultor in ſacris Ægyptiorum litteris appellatur, taurina obuelatum fronte adorabant; immò Apim ſuum ex boue afflatà fulgure natum crediderunt. Adde Dianam à Tauroſcythicis Taurionem appellatam à cornuum figura: quin & Pallas Ταυροπόλος apud Andrios dicta fuit; & Bacchum Ταυροφάγον veteres appellauerunt; & apud Athenæum legitur Bacchus Tauro ſimilis, immò Lycophron eum abſolutè Taurum appellauit; ac Poetæ communiter *Dracontem Tauri* Patrem canunt, per illum Iouem, per hunc Bacchum intelligentes. Sed quid fabuloſis adhùc Poetarum figmentis adhæremus? Nonne ex ſacris litteris noſtris clarè conſtat, & Apoſtolos, & Chriſtum ipſum ſeruatorem bouis ſymbolo expreſſos? Certe Lucæ bos additur, eo quod humanam Chriſti generationem, ac manſuetudinem deſcripſerit. Quarè indignum dici non poteſt quod diuinitatem exprimat Bouis Hieroglyphicum. Vide hæc ipſa apud Pier. ſæpius cit. lib. 3. ac nos ad vlteriora procedamus.

HANC. Pronomen hoc eſt demonſtratiuum, quo vtitur Poeta, vt, quaſi digito, ſignet perſonam Proſerpinæ: nam pronomen *hoc* propriè ad perſonam ſpectat peritiores, norunt Grammatici.

FOVET. Plures habet verbum *foueo* ſignificationes: & primo quidem ſignificat *rigentes exprimendo pectori calefacere*, quod humanis Matribus conuenit, ad differentiam auium, quæ incubantes fouent, hoc eſt calefaciunt oua vt Pullos educant, ac Pullos ipſos iam eductos: ſecundo ſignificat *nutrire*: Lacte fouent matres &c. tertio *defendere*, & *tueri*: ſic dicimus, fouere caſtra, ideſt munire, ac defendere: tertio *Amplecti*: ſic Virg. Ecl. 3. *Neæram dum fouet &c.* Quoquo autem ex his modis accipiatur, optimè conuenit Cereri reſpectu prolis, hoc eſt Proſerpinæ; nam eam Ceres, & pectori admouebat, cum ſummè adamaret, & diligentiſſimè educabat, nutriebatq;, & ſummo ſtudio tuebatur, ne ab ipſa diuelleretur, vt ex dicendis patebit, licet eam tandem, & operam perdiderit, cum neque centenis Argus euigilans oculis vnicam cuſtodire potuerit iuuecam.

HANC. Repetitione vtitur, vt altiùs menti inſideat affectus erga talem natam, & emphaticè repetit, vt meritum quo ſibi nata ipſa matris affectum ſibi comparauerat, elucescat.

SEQVITVR. Sequi non ſemper eſt *pedibus*, ſed ſæpiùs *affectibus proſequi*, *voluntatibus obſecundare*, *indulgere*, ac *fidem alicui ſeruare*, & hoc etiam verbo in omnibus, ac ſingulis ſignificationibus iam datis vtitur Claud., nam Ceres toto affectuum niſu ferebatur in Filiam, ideòq; ab ea non facilè ſecedebat, Genio obſecundans, voluptatibuſq; eiuſdem indulgens, ac fidelem ſe illi in omnibus offerens, ac comprobans, vt proprium amantis, ac matris eſt, adſtabat indefeſſa.

NON BLANDIVS &c. Per particulam ſecretiuam *non*, comparationem aggreditur, vt eâ oſtentet æqualem amorem, & indulgentiam Cereris amori bubulæ matris, quæ ex naturæ inſtinctu ſummè vitulam amat, ne hinc dicat longè cedere Cereris amori in Filiam. Ideò *Non*

BLANDIVS. Ideſt blanditias blanditijs cumulando non magis luxuriat feſtis circa filiam iocis, ac blandimentis, licet ſemper vitulam circumcingat liniens, adlambens &c.

AMBIT. Ambire enim eſt *circumcingere*; quod verbum maximam exprimit blanditiarum affluentiam, qua bubula mater vitulam ſectatur, ac lingens ambitiosè comit, ita ſcilicet vt blandimentis vndequaq; ſtipetur vitula, & redundet.

VITVLAM. Vitula bubuli generis partus fœmineus eſt; & propriè de illis dicitur, quæ nondum ætatis ſuæ annum expleuerint; nam, expleto anno, partus in Iuuencam degenerat &c. vt laté de re ruſtica docet Varro. Vitulam autem aſſumpſit Poeta hic, non Iuuencam; nam tenellos partus animantia omnia ardentiùs amant quam adultos.

TORVA PARENS. Parens à pariendo dicitur. Quarè quiuis, vel quæuis ſit, quæ ad actionem concurrat generatiuam *Parens* dicitur. Hic igitur parentis nomine eam notat ex bubulo armento, quæ vitulam iam ſupra poſitam peperit. Aſt quomodo *Torua* dicitur, dum ſupra blandam appellat; *non blandius ambit &c.* Anne poteſt idem terribile ſimul eſſe, & blandum? Certè toruus à toruo aſpectu, terroremq; ſpirante deducitur: qui igitur fieri poteſt, vt hæc parens ſit ſpirans terrorem, dum blanda dicitur? Offenderet in limine profectò, qui hæc ſecum volutaret non enim ponitur hic torua pro *terribili*, ſeù terrorem ſpirante; ſed ponit Poeta ſignum pro re, & *toruam* dicit, ideſt optimam, nam toruus aſpectus optimam indicat eſſe Iuuencam, vt facilè legenti Virg. Georg. 3. apparet, vbi ſic.

Corpora præcipuè matrum legat. Optima Toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.

Quarè licet *toruitas* nil aliud ſit quam *taurorum acerbitas*, vt notat Parrhaſius; & præcipua frontis aſperitas; hæc tamen, ceteris terribilis, Partubus eiuſdem naturæ nequaquam terribilis eſt, ſed iucunda præſertim cum ea frontis aſperitas internorum affectuum lenitate, ac blanditiarum erogatione mitigatur. Acutè igitur, & congruenter ad ea, quæ dixerat Poeta, extat hic, apud ipſum, *Torua parens*; nam, cum Cererem ſupra omnes extollat matres, & vnico hoc fœtu optimam faciat, congruens fuit, vt, ad eam exprimendam per ſimilitudinem bouis fœminæ, ex bubulo armento optimam ſceligeret; quod, vt, ſe feciſſe, conſtet, eam toruitatis nota inſigniuit, vt ex *torua optimam* intelligamus; nam, quæ optima erit, fecundiſſima erit, ac ſummo ſtudio vitulas fouebit, & nutriet. Verum ex hoc ipſo alia inſurgit difficultas; cur ſcilicet Poeta vitulæ Proſerpinam aſſimilet. Eſto enim ratio adſit, vt ſupra vidimus, cur *toruæ parenti* Ceres compararetur; quid in Proſerpina erit vt eius vitula ſymbolum eſſe debeat? An quia luxurians, petulca, indomita, ac in venerem fuerit effrænata, vt de vitulis, in prima præſertim ætate, communiter loquuntur omnes? Sed hoc falſum redderet, quod ſupra dixerat Vates, nempè hac nata altiorem cunctis matribus Cererem eſſe; vitia enim natorum in parentes redundant, quia videantur ab ipſis genitoribus, tamquam hæreditario ductu, vt plurimum in filios promanare; atq; ideò indecorum hoc Cereri fuiſſet non decorum. Non vacat myſterijs, opidò, & quidem multiplicibus hæc Poetæ locutio. *Vitulam* igitur, dixerim, appellatam eſſe Proſerpinam, vt ſub hoc litterali cortice ſignificaret Auctor, & Proſerpinam Deam eſſe, & tantam ex hoc Partu Lætitiam in Cererem deriuaſſe, vt iam ſolà Proſerpinæ vitâ viueret mater. Quod vt clariùs explicetur, memineris Lætitiæ Deam, Hylo teſte, *Vitulam* fuiſſe appellatam, ex eaq; deriuatum in vſu olim fuiſſe verbum *vitulari*, quod pro eodem vſurpabatur, ac *lætari*, & *viuere*, eo quod, illum ſolum viuere arbitrarentur Antiqui, qui lætam ageret vitam; & ideò etiam *vitulari* illum dicebant, per verbum non ſolum à Dea vitula, vt diximus, ſed etiam à vitâ ipsâ, vt putabant deriuatum, quaſi *vitulari* nil aliud eſſet, quam *ſe vitâ ſolari*. Hoc poſito; cum Proſerpina Dea certe fuerit, & eadem vnica, ingens, ac ſumma matris lætitia, cur non eius *vitula*, hoc eſt *lætitiæ illius Dea* dicatur? Iterum cur non eius *vitula* nuncupetur, non quidem per nomen vniuocum, ſed per æquiuocum ita, vt in ſenſu ſimilitudinis vitulam bubuli generis ſonet, in ſenſu verò incluſo, & reali, *vitula* per diminutiuum à vitâ deriuatum, hoc eſt paruula matris vita, dicatur? Mireris Poetæ ingenium potiùs, quam obtrectare aggrediaris. Inſuper vitulam eſſe ſymbolum continentiæ, ac modeſtiæ perleges apud Pier. ſæpiùs cit. lib. 3., ideòq;

vitulam

vitulam in ſacris, apud Hebreos, mactari ſolitam, cum carnis impotentiam peruiciſſent; Mycerinumq; Ægyptiorum Regem fœminam, quæ ſe laqueo ſuſpenderat, a Patre per vim conſtupratam, lignea boue incluſiſſe, ac auro ſuperliniſſe, æternum rei monimentum, reperies. Vt igitur virginitatem, ac modeſtiam Proſerpinæ tacitè collaudaret Poeta, vitulam in eiuſdem adſciuit Hieroglyphicum; & vt, prophetico quaſi hoc ſymbolo, eam indicet Plutoni ſacrificandam, qui ab ineunte ætate cælibatum hucuſq; protraxiſſet, vt hac victima contentus in alias laſciuire dediſceret. Et hæc eſt eruditiſſima in Ægyptiacis litteris Auctoris noſtri peritia, ingenijq; acumen, quo Proſerpinam delineat ſub ſymbolo vitulæ.

QVÆ NONDVM PROTERIT ARVA PEDIBVS. Indicat hic Vates, & explicat id, quod nos ſupra diximus, nempè, ſe loqui de vitula, quæ nondum ſuæ ætatis annum compleuerit; nam poſt annum incipiunt aratro iungi, & arua pedibus proterere. Sed ad quid, dices, hoc ſuperaddere, ſi iam ſatis explicatum fuerat per nomen vitulam? Vidit præſtantiſſimus Auctor, vitulæ nomen ſignificare quidem, ſi ſtrictè ſumatur, eam, quæ annum non expleuerit; ſed vidit etiam idem nomen ampliari ſolitum aliquando ita, vt dicatur etiam de iam laboribus addicta, vt ex Virg. Georg. 3.

Hanc vitulam ne forte recuſet

Ire venit ad mulctram; geminos alit vbere natos.

Quarè, ne irreperet æquiuocatio, per hanc periphraſim ſenſum ſuum exponit, ne in diuerſa diſtorqueatur.

QVÆ NONDVM PROTERIT. Ideſt *quæ non adhuc calcauit: proterere* enim *pedibus* eſt *conculcare, pedibus premere, calcare, colliderere*; quia bos, quippe graue animal, in agris aratro cultis, altiùs veſtigia imprimit, & terram pedibus ſubigit, ideòq; *proterere* dicitur, quaſi trituram cedere, ac terere, ex quo fit, vt ſæpiùs etiam anteriori pede in altum ſpargat arenam. *Nondum* autem aduerb. temporis eſt, quod non factum hucuſq; ſit ſignificans. *Quæ* relatiuum antecedens ſuum, nempè vitulam de qua ſupra reuocans in mentem.

ARVA. Agri aratro ſubacti *arua* propriè dicuntur, nam *aruum* ab arando dictum; ex quo patet ſenſum explicationis iam datum germanum, & non commentitium pro libito eſſe.

PEDIBVS. Pars extrema corporis eſt, quæ terram pertingens totius corporis baſis efficitur; & bouis quidem corpus tota fere mole anterioribus pedibus innititur, quarè has innuit partes per vocem *pedibus*.

NEC CVRVAVIT &c. Alio indicio exprimit, ſe de vitula nondum annum complente loqui. Hoc autem indicium præbent cornua nondum ſuccreſcentia, nam ſi intra annum cornua erumpant, vix cernuntur, nec frontem lunatam efficiunt; tranſacto autem primo ætatis anno tunc curuaturam efficiunt cornua ſuccreſcentia, ac lunæ cornua imitantur.

NEC CVRVAVIT. *Curuare* eſt aliquid ita *inflectere*, vt extrema ex vtrâque parte poſità inuicem inclinentur, & ſe quaſi ad inuicem reſpiciant, arcum ferè efformantia vnà cum reliquo corpore, quo ſ curuatum dicitur. Hoc autem adamuſſim expreſſum in fronte bouis videmus, nam ſuccreſcentia cornua arcum illi efformant in fronte.

NOVA GERMINA. Germen propriè ſurculus eſt, qui ex arborum oculis germinans naſcitur. Quia verò cornua ex fronte bouis emergentia germinationem huiuſmodi videntur imitari, ideò per Catacreſim *germina* appellat, & *noua*, hoc eſt *recenter emergentia*. Alludit autem Vates hic ad ſententiam eorum, qui dicunt Crines, vngues, pilos, & cornua propriam habere animam vegetatiuam diſtinctam ab anima totius, & in viuente ſuccreſcere eo pacto, quo ſurculi germinant ex terra.

LVNATÆ FRONTIS. Frons quid ſit, ſatis per ſe in comperto eſt: quod ſi curioſiùs inquirere velis, videas quæ de fronte habemus lib. 2. de rapt. ad Carm.

Hunc frontis decepit amor, eo fronte retuſa &c.

Cur autem in bubulis lunata dicatur, ſatis conſtat ex dictis, quia ſcilicet creſcentis Lunæ ſpeciem præſeferunt.

IAM VICINA TORO &c. Ab expreſſione zelantiſſimi amoris, quo natam Ceres proſequebatur, regreditur Poeta ad ipſius Proſerpinæ deſcriptionem, eamq; ſub tantæ matris cura eo ætatis indicat perueniſſe, vt iam non impar oneri eſſet, quod illi imponere, Iupiter fuerat meditatus; cum iam oſtendatur matura viro.

IAM VIRGINITAS. De aduerb. temporis hic poſito alibi diximus; itaq; ſufficiat nunc dicere, notari hic tempus adoleſcentiæ inchoatæ, quæ ætas, vt patebit late inferiùs, maximè matrimonio apta eſt. Virginitas autem ea forma, ſeù ea virtus eſt, qua virgines dicuntur, quæ nullum cum viro commercium habuere. Hic autem *virginitas* potiùs dicitur quàm *virgo* (licet pro virgine ipſa per metonym. ſumatur) vt oſtendatur Proſerpina adeò hac virtute excellens extitiſſe, vt in virginitatem ipſam tranſmutata videretur.

ADOLEVERAT. Propriè eſt idem, ac *excreuerat*, & ad legitimam ætatem peruenerat, vt viro iungeretur. Sed vlteriùs nota, quomodo ſemper Poeta occulto verborum ſuorum ſenſu in ſcopum collineet. *Adolere* ſignificat etiam *gratum Dijs odorem reddere*: ſic dicuntur adoleri thura, thymiamata &c. ideò appoſite verbo *adoleuerat* vtitur Poeta, ad oſtendendam præſtantiam virginitatis, quæ, quo magis, creſcente ætate, in adoleſcentiam, ſubinde in iuuentutem vergens, ſuppoſitos ſentit paſſionum ignes, ac facibus crematur amoris, ſi incorrupta ſeruetur, ſuauiſſimum ſemper magis emittit odorem, cœlis vtiq; iucundiſſimum. Hinc inferendum relinquit Poeta, non futurum vt Pluto has nuptias negligat, quippè hæc virginitas gratum Dijs præberet odorem, dignamq; Deo virginem reddebat. Inſuper *Adolere* idem eſt, ac *ſacrificium offerre*: Sic Virg. Ecl. 8.

Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta

Verbenaſq; adole pingues, & maſcula thura.

de vitula igitur ſacrificanda, vt paulò ante diſſerebamus; aptè dicit *adoleuerat*, quaſi, fumantibus iam ſacrificij aceruis, vltimum tantum deſtinati ſacrificij complementum expectaretur.

VICINA TORO. Plutoni ſcilicet per Hymenæum ſacranda, (vt in ſupra indicata perſiſtamus allegoria) de toro, eiuſdemq; ſignificatione iam diximus pag. 34. col. 2. Quid autem ſit virium in nomine *vicina* ſatis per ſe patet, *vicinus* enim idem eſt, ac *propinquus, impendens, imminens, vix non coniunctus*. Quarè idem eſt dicere: *virginitas vicina toro*, ac dicere: *virginitas cui Nuptiæ imminent, nuptiaſq; mox mox paſſura*. Quod tandem in idem recidit, quod de Launia inquit Æn. 7. Virg. cum ait.

Sola domum, & tantas ſeruabat filia ſedes

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

nam & Auctor noſter ætatem nuptijs habilem adeſſe notat, dum cum eodem Virg. ſubdit

PLENIS ANNIS. Attento iure canonico de ætate ad matrimonium requiſita facilis ſolutionis eſt quæſtio, quæ hic videretur inſtituenda circa ſignificationem horum verborum *Plenis annis*; nam facilè eſſet interroganti, quot annos à Proſerpina tranſactos hic indicet Poeta, reſpondere, eam duodecimum iam annum expleuiſſe, cum ex communi Canoniſtarum duodecimus in muliere annus completus, in viro autem decimus quartus item completus requiratur ad hoc, vt, qui debent matrimonium contrahere, ſint ætate habiles ad contrahendum. Sed cum agatur hic de connubio inter perſonas legibus non obnoxias; nam, gentilium ritu, Dij erant, conſequenter nullis addicti legibus; videtur hæc menſura ætatis deſumenda potiùs à natura per ſe ipſam habilitante, quam ex præſcripto iuris Canonici, licet non negauerim, Poetam appoſitè dixiſſe, Proſerpinam adoleuiſſe plenis annis vicinam toro, vt ſe non ignarum oſtenderet iuris certam determinatam ætatem ad matrimonium requirentis, quidquid ſit an ius iſtud ciuile, an canonicum, an naturale eſſe debuerit. Certum igitur eſt, ſenſum Poetæ hic eſſe talem, vt oſtendat Proſerpinam eos iam ætatis annos tranſegiſſe, quibus naturali iure ad torum veheretur; ideſt eam iam compotem fuiſſe plenam, ac perfectam generatiuam potentiam exercendi, quod tempus etiam a Canoniſtis aſſeritur idoneum ad matrimonia contrahenda, dum ſtatuentis ætatem annorum in muliere duodecim ſubdunt: *niſi ante id tempus malitia ſuppleat ætatem*, quod ex communi interpretum ideo eſt ac dicere: *niſi ante id tempus haberetur in coniugandis perfecta ad generandum potentia*. Hinc incertum videtur prorſus remanere, quot annos Proſerpinæ voluerit Vates aſſignare; cum præſertim variæ ſint auctorum opiniones circa diuiſionem ætatis humanæ in Infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, virilitatem, ac ſenectutem; ex qua diuiſione videtur totius ſolutio quæſtionis penitùs pendere, vt patet ex ipſo verbo *adoleuerat*. Varro totam hominis vitam in quinque gradus diſtribuit, ac omnes, præter vltimum, æquales facit, ſingulis quindecim annorum ſpatium aſſignans. Itaq; pueritiam vſq; ad annum decimum quintum protendit, adoleſcentiam vſq; ad trigeſimum, iuuentutem vſq; ad quadrageſimum quintum; virilitatem vſq; ad ſexageſimum, ſenectutem verò ad vltimum

mum vſq; deinceps vitæ terminum. Circa quam tamen diuiſionem notat Manutius in Epiſt. 1. lib. 2. ad familiares, pueros nonnunquam dici poſt decimum quintum, & iuuenes etiam ante trigeſimum ætatis annum: quarè non adeò exactè ſeruatur. Aliam init diuiſionem Hippocrates medicus in ſeptem gradus ætatem diſtribuens; finem enim infantiæ ſeptimum facit annum; Pueritiæ geminatum ſeptenarium; adoleſcentiæ triplicatum; iuuentutis quadruplicatum; virilitatem verò extendit vſque ad ſeptem in ſe ipſum reductum; ſenectutem vſq; ad octies ſepties; decrepitatem, quæ ſupereſt, ætatem appellat. Conſonat autem huic diuiſioni altera antiquiſſimi Solonis apud Phylonem lib. de Mundi opificio, cuius græca carmina, noſtris donata muſis, exarat eruditiſſimus Abraham Ciceronis Commentator in Philippicam ſecundam §. 41. n. 2. ſic

Primum vbi ſeptenis dentes produxerit annis
Prodit adhuc infans, & ſine pube puer.
Septenos vbi deinde Deus conceſſerit annos,
Incipies pubem ſignificare nouam.
Ter ſeptem attingens membris creſcentibus annos
Plus oriens verſo mento colore teget.
At puero quartus dat ſeptenarius ingens
Robur, virtutes, dat quoq; ſigna viri.
Quarto tempus erit vincli meminiſſe iugalis,
Tempus & natorum quærere progeniem.
Ætas ſexta viro iam perficit vndeq; mentem
Moliri fatemur nec iuuenile volet &c.

conſonat & Auſonius monoſyllabo de membris hominum, dum ait.

Indecet in pueris ſeptenis prima nouus dens,
Pubentes annos robuſtior anticipat vox &c.

Seruius Tullius Romanorum Rex, in ſuis inſtitutionibus, pueros, ad ſextum decimum vſq; ætatis annum, appellauit; iuuentutem verò ad quadrageſimum ſextum vſq; perduxit.

Pythagoras hominis vitam in quatuor diuiſit ætates, ac vnicuiq; ætati viginti annos attribuit, eaſq; appellauit Pueritiam, Adoleſcentiam, Iuuentutem, Virilitatem.

Iuxta horum opiniones, diuerſas adeò, vides quam incerta ſit Poetæ ſententia; nam iuxta Pythagoram debuiſſet certè Proſerpina ætatem viginti annorum exceſſiſſe, cum dicatur adoleſcentiam ingreſſa: *plenis adoleuerat annis.*

Iuxta Seruium, certè debuiſſet decimum ſextum tranſcendiſſe, cum hic annus pueritiæ tribuatur in illa diuiſione, ni tamen dicendum, vt potiùs arbitror, decimum ſextum annum primum eſſe iuuentutis, in qua adoleſcentia etiam includatur; pueritiam verò eſſe vſq; ad decimum ſextum excluſiuè, non incluſiuè; nam ſic habuiſſe Proſerpinam ſexdecim annos.

Iuxta ſententiam Hippocratis, Solonis, & Auſonij dicenda eſſet ſupra vigeſimum primum tranſcendens; immò iuxta Solonem vigeſimum octauum attigiſſe; cum hic annus ab eo dicatur connubijs aptus: Quarto tempus erit vincli &c. nempè quarto ſeptenio: & certum eſt Claud. notare id tempus quo Proſerpina apta ad torum eſſet. Quid igitur in re tam ambigua, tam varia dicendum? Arbitror, vt fatear, Claudianum cum nulla ex enarratis ſententijs conſenſiſſe, niſi forte cum Rege Romano, iuxta poſtremam eius ſententiæ expoſitionem; Sed dicendum exiſtimo, Claudianum, quippè diutiùs apud Ægyptios verſatum, pedibus ire in Ægyptiorum ſententiam, qui, cum Aſtronomis, ita humanam vitam diſtribuebant, vt initium vitæ, vſque ad quinquennium, ſub Luna eſſe, dicerent; inde per decennium ſub Mercurio, vndè illius ætatis ſtudium diuerſarum rerum mutabilitatem, & inconſtantiam amplecteretur; mox hominem ſextodecimo ætatis anno in Veneris ditionem venire aſſeuerabant; ideòq; Sacerdotes Ægyptij ſextumdecimum annum aptum in Venerem adeò arbitrabantur, vt numerum 16. digitis ſignatum ponerent pro venereæ voluptatis hieroglyphico: & hunc annum florem vocat ætatis Terentius; necnon Ouidius ipſe, vt oſtenderet Narciſſum eo iam ætatis prouectum, vt amoribus, rebuſq; venereis operam dare poſſet eum in decimo ſexto conſtituit inquiens.

Iamq; ter ad quinos vnum Cephiſius annum
Addiderat &c.

Dico igitur in ſententia Claudiani deſcriptam eſſe ætatem Proſerpinæ annos ſexdecim circumagentem. Et moueor ex ijs, quæ immediate ſubdit, nempè:

. . . . . Tenerum iam flamma pudorem
Sollicitat, mixtáq; tremit formidine votum.

hoc enim expreſsè eſt dicere eam iam in Veneris ditionem deueniſſe, & confirmatur opinio ex eo, quod idem Poeta inferiùs Iouem inducit Veneri mandata committentem de tradenda Plutoni Proſerpina, vt ſuo loco videbimus; quod profectò clare innuit, Proſerpinam ſub ditione Veneris fuiſſe, quod ſexto decimo anno euenit, vt ex Ægyptijs, Aſtronomiſq; citatis. Quarè firmum remanet, annum Proſerpinæ decimum ſextum hic indicari, qui, quia complet, ac perficit naturam in ordine ad potentiam generatiuam, dicitur reliquorum annorum complementum fuiſſe. Ideò

PLENIS ANNIS. Plenus enim idem, ac *abundans*, ſeù ſupereffluens, ac cui nihil deeſt ad complementum eſt. Cum autem huic annorum numero nil deſit, ad potentiam generatiuam requiſitum; ideò ait: *plenis annis*, vt & Proſerpinam in ætatis flore conſtituat, & viro maturam indicet.

IAM PRONVBA FLAMMA &c. Alibi explicantes carmen illud. *Sanctaſq; faces extollet Eleuſis*, aliquid de Pronuba attigimus, quæ ſcilicet tedas præferret nouæ nuptæ, quæ ad thalamum duceretur. Hoc munus obibant, vt plurimum, vel fœmina familiarior, ac charior ſponſæ, vel etiam ſæpè mater ipſa. Peracto conuiuio, quod apud ſponſum habebatur, Pronuba accepta teda coniugalem lucernam accendebat, eâq; accenſâ, faces reliquæ omnes extinguebantur, vt eâ tantum duce ſponſa ad thalamum deduceretur. Hic Pronuba non accipitur ſubſtantiuo modo, ſed adiectiuo; ſeù ſi velis, vt ſubſtantiuum, aſſumere, dixeris additum per appoſitionem nomini *flamma* tamquam adiectiuè vſurpatum, ita vt coniungantur *flamma pronuba*. Neq; hæc flamma pronuba intelligenda eſt hic ita, vt tedam coniugalem, quæ à Pronuba accendebatur, ſignificet; ſed intelligenda eſt in ſenſu tranſlato, ita vt hæc flamma pronuba accipiatur pro quodam ardore ſenſibus quidem moleſto, ſed menti nondum ſatis apertè cognito, quo, licet ignotis aculeis, vehementius tamen, ætate matura, ad nuptias Virgines prouocantur: & quem ardorem lepide quidem mihi videtur expreſſiſſe ingenioſus quidam ex Italis, qui inducens Virginem cum Amaſio colloquentem, ſic animi, non ſatis cognitos, exprimentem indicat motus.

Sento anch'io vn non sò che,
Che ſerpendo al cuor mi và:
Mà, ſe chiedi: o che coſ'è?
Ti riſpondo: o chi lo sà?
Forſ'è Amor, forſi è Pietà.
Mà, ſe chiedi altro da me
Più non voglio. O queſto nò.
Son Citella: non ſi può.

vno verbo hæc pronuba flamma nil aliud eſt, quam ſenſus titillatio illa, quam experiuntur qui, nondum venereis rebus addicti, naturæ ſentiunt impulſum in venerem, at quinam ſit huiuſmodi motus, & vnde nam proueniat, non ſatis decernunt: eſt motus ille, quia Theologis *fomes peccati* dicitur, & ardoris nomine nuncupatur, quia occultè vrit, & viridum exſiccat humanæ vitæ, ita vt ſæpè Virgines maturæ viro macreſcant, adeò vt vix oſſibus adhæreat cutis, ni viro copulentur; & de his inquit Apoſtolus: *melius eſt nubere quam vri*; nam quæ adeò in virum incitantur, ni matrimonio copulentur, facilè eſt vt in illicitam Venerem ferantur; quod maximè cauendum eſt. De hoc ardore, ſeù incentiuo, titillatione, ac fomite, ſub nomine pronubæ flammæ loquitur Poeta hic, & dicit incepiſſe iam affici Proſerpinam, vt magis maturam viro oſtendat, ac præparet.

SOLLICITAT. De hoc verbo plura diximus in præfatione huius libri, cum carmen illud explicaremus.

Et vadibus remis ſollicitans aquas.

hic idem ſignificat, ac *moleſtia afficere, vrgère, impellere, titillatione ſenſum commouere*, vulgò *tentare, inclinare, ſollecitare*. Vtitur autem hoc verbo Vates, ad expreſſiùs ſignificandum impulſum, quem ex tali ardore Proſerpina experiebatur in virum.

TENERVM PVDOREM. Diſtinguunt aliqui *pudorem à verecundia*, eo quod dicant verecundiam affectum eſſe ingenuitatis cuiuſdam, & modeſtiæ; pudorem verò dicant eſſe affectum animi ſibi malè conſcij, ob ſcelus aliquod perpetratum, iuſtam reprehenſionem, ſeù etiam caſtigationem timentis. Verum hæc diſtinctio, & differentia, licet de facto non ſit omninò repudianda, non obſeruatur in communi ſermone; ſed promiſcuè confunduntur pudor, & verecundia. Certè hic Poeta pudorem non ſumit pro conſcientia malefactorum, ſed potiùs pro virginali verecundia, quæ præcipua Virginum virtus eſt; & quidem virgo, cuius modeſtia ſemper ad verecundiam prona eſſe debet, maximè verecundatur, cum ſenſus titillationem, quam nunquam antea ſenſerat, experitur, dubitat enim, ne aliquid

repre-

reprehendendum ſit, quod ſua ſibi accidat culpa. Verum, vt fatear, neque in hoc ſenſu pudorem accipit Poeta hic, niſi dicamus, eum ponere effectum pro cauſa, nam pudor effectus Pudicitiæ eſt, à qua nomen deduxit: ſed cum cuſtos eiuſdem ſit, vt ait Proper. lib. 2. Eleg. 6.

Nam nihil inuitæ triſtis cuſtodia prodeſt:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta ſat eſt.

ideò accipit Poeta pudorem hic in eo ſenſu, in quo illum acceptum video ab Oratorum Principe Philip. 2., & pro Mil., ac pro Sextio, & alibi, nempe vt aliquid ab ipſa pudicitia inſeparabile, ita vt perire pudor non poſſit, quin pereat pudicitia, ſicuti, pereunte Arcis cuſtodia, arx ipſa in hoſtium incidat manus neceſſe eſt. Pudorem igitur ponit Poeta pro ipſa pudicitia, & caſtitate Virgilium ſecutus, qui Æn. 4. Didonem induens, exprimenſq; ardorem, quo ſollicitabatur, vt, relicta coniugali in defunctum Sichæum fide, vidualem caſtitatem Æneæ traderet deflorandam ait:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat;
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi noctemq; profundam,
Ante, pudor, quam te violem, aut tua iura reſoluam.

atq; in hoc ſenſu dixit Claudianus *Pronuba flamma ſollicitat pudorem*: ideſt ſenſus titillat iam caſtitatis, ſeù virginalis impatiens pudicitiæ, vt Virginem iam maturam viro ad thalamos vrgeat. *Tenerum* autem dixit; quia tenerum profectò dicitur quidquid molle, delicatum, flexibile, ac minime robuſtum eſt. At vero quid minus robuſtum, quid magis flexibile, delicatum, ac molle, quam virginalis pudor, ac caſtitas? Roſa eſt profectò virginis pudicitia, ſed roſa nondum Veneris ſanguine infecta, quæ lacteam Cœli viam candoribus vincit ſuis; verum, ſi contrectetur, illicò deficit, ac decidit: primum ſuggerit Erudiſſimus Picinellus Abbas lib. Mundi ſymbolici 11. n. 165. vbi alba Roſa de ſe ipſa hæc loquens inducitur: *No do laſciuo Amor macchiare il ſeno*. Secundum ab eodem indicatur ibidem ab eodem Auctore n. 150. vbi Bargalij impreſſam refert, cuius corpus ex Roſa conficitur, addito lemmate: *Quanto ſi ſcuopre men tanto è più bella*; quod ipſum præcinerat Taſſi pſittacus Hieroſ. lib. Cantu 16.

Deh mira (egli cantò) ſpuntar la roſa
Dal verde ſuo modeſta, e verginella,
Che mezz' aperta ancora, e mezzo aſcoſa,
Quanto ſi moſtra men tanto è più bella.

Quod & Taſſus ipſe Sophroniæ laudibus adaptauerat Cantu 2. dum de Virgine illa ſic habet.

E'l ſuo pregio maggior, che trà le mura
D'anguſta caſa aſconde i ſuoi gran pregi,
E da vagheggiatori ella s'inuola,
Alle lodi, à gl' ſguardi, inculta, e ſola.

Suffragia hùc ſua conferunt Arabes, qui fœminarum caput, in pudicitiæ cuſtodiam, ita obnubere conſueuerunt, referente Pier. lib. 48., vt faciem quoq; totam obtegerent, ne viderentur; ac ne alios ipſæ liberè intuerentur; & verè, ſi, vt inquit ille, *Oculi ſunt in amore duces*, & nil magis pudicitiam labefactat, quam fumus, ne incendium dicam amoris, iure metuebant Arabes ne ſolo intuitu pudicitiam violaretur. Inſuper, ſi verum eſt, quod alter innuit Poeta dicens: *Caſta eſt quam nemo rogauit*; iure creditur Pudicitia ſolo intuitu lędi poſſe nam habent & oculi preces ſuas, ita vt Italica muſa de inaudito oculorum ſermone, ſed peruio tamen amantibus, dixerit:

Oue chiara per gl'occhi il cuor ſi vede,
Più diſtinta fauella Amor non chiede.

ex quibus Argumentum iam facilè inferas à fortiori, nam ſi ſolo intuitu hæc pudicitiæ roſa deflorefcit, quid ſi attrectatione conſtricetur? certè illicò deficiet, ac decidet: Lilium candidiſſimum virginalis pudicitia eſt; radices habens in corde, ſed ſi contrectetur odoris ſui fragrantiam vertit in fętorem: Quare eruditiſſimus Picinellus cit. lib. 11. n. 62. in virginitatis ſymbolum erigit Lilium Lemmate addito *Tutus abſcondo*. Immò delicatum adeò hoc lilium eſt, vt meridiano amoris æſtui expoſitum langueſcat ſtatim. Inſtar vitreæ ſphæræ pudicitia eſt, quæ in conſpectu ſolis ſplendeſcit, ſed minimo quouis frangitur calculo. Vides igitur, quam labilis, quam facile flexibilis, ac fragilis pudicitia ſit, eo præcipuè, quod à natura ipſa concuti videatur: Vides quam caducus ſit flos, quam minimè robuſta ſit ſepes illam cuſtodiens, nempè virginalis pudor; atq; ideò iure Claud. tenerum appellat pudorem.

ET VOTVM TREMIT MIXTA FORMIDINE. In rebus inſolitis, quarum nondum experientiam aliquam habuimus, naturale eſt, animum trepidare; atq; ancipiti quodam motu agitari. Cum igitur Poeta, primam ſenſus titillationem in Proſerpinam, horum motuum ignaram, expertemq; irrepſiſſe, edocuerit; nil mirum, ſi illam, talibus inſuetam motibus, trepidantem inducit: immo, naturam ſecutus, Virginis hic mores optimè imitatur: Virgo enim, caſtitatis, ac pudicitiæ amans, ſi quando Venereis titillationibus pulſatur, ſentit quidem incentiuum naturæ, quo ad viri deſiderium impellitur; ſed caſtitatis amore retrahitur, pudoris ſtimulo coercetur, ac, dum deſiderat, deſiderium ipſum in ſe ipſa redarguit; ideò *tremit mixta formidine votum*. Huiuſmodi affectum mirè profectò expreſſit Hetruſcorum Princeps Poetarum, dum Erminiam ſuam Hieroſ. lib. Cantu 6. deſcribit inter affectum amoris, ac pudoris, incerto animo fluitantem, ſic accinens:

Mà più d'altra cagion dal molle ſeno
Sgombra Amor temerario ogni paura;
E crederia trà l'vgne, e trà 'l veleno
Dell' affricane belue andar ſicura.
Pur, ſe non della vita, hauere almeno
Della ſua fama dee temenza, e cura;
E fan dubbia conteſa entr' al ſuo cuore
Duo potenti nemici Honore, e Amore.

idem licet in diuerſa materia expreſſit Cantu 20., vbi Armidam in Rinaldum armatam deſcribit, ac inter affectus iræ, & amoris fluctuantem.

Giunſe Rinaldo oue sù 'l carro aurato
Stauaſi Armida, in militar ſembianti,
E nobil guardia hauea, da ciaſcun lato,
De' Baroni ſeguaci, e de gl' amanti.
Noto à più ſegni egl' è da lei mirato,
Con occhi d' ira, e di deſio tremanti:
Ei ſi tramuta in volto vn cotal poco;
Ella ſi fà di gel, diuien poi fuoco.

Perpende carmen illud *con occhi d'ira &c.* & videbis, idem eſſe, quod Claud. hic latine dixit: *mixtâq; tremet formidine votum*: magis tamen adhuc explicat hunc animi titubantis æſtum in Armida idem Princeps, dum ſubdit:

Ella ſteſſa sù l'arco hà già lo ſtrale;
Spingea le mani, incrudelia lo ſdegno;
Mà lo placaua, e n'era amor ritegno.

& inferius idem proſequens in idem collineat dicens:

Pur vinſe al fin lo ſdegno, e l'arco teſo,
E fè volar del ſuo quadrel le penne.
Lo ſtral volò; mà con lo ſtrale vn voto
Subito vſcì, che vada il colpo à vuoto.

tandem eruditiſſime ad rem noſtram concludit:

Così hor pauenta, & hor deſia, che tocchi
A pieno il colpo, e 'l ſegue pur con gl' occhi.

videas num clariùs dicere potuerit: *mixtâq; tremet formidine votum*. Sed nos ad explicationem Poetæ noſtri reuertamur, ne alienis iam nimium diſtrahamur.

ET VOTVM. Votum propriè ſponſio aliqua eſt, qua Deo obſtringimur; de cuius natura, qualitatibus, ac conditionibus ad validitatem requiſitis plura Theol. aggerant. Verùm quia ea, quæ maximopere deſideramus, adhibitis votis, à Deo petere ſolemus, hinc factum eſt, vt *votum* pro ipſo vehementi aliquo deſiderio ſumatur. Quarè Poeta indicat hic, ex naturali illa ſenſus titillatione vehemens deſiderium explendi, quod per talem motum ſuggerebatur, in iam matura viro Proſerpina excitatum. Sed, quoniam in incognitum eo vſq; actum ferebatur, & in incertum, ideò, pudore retrahente, votum ipſum incertum.

TREMIT. Hoc eſt *titubat, vacillat, nec ſatis firmum, aut efficax eſſe ſinitur*; ita vt quæ per ſe foret voluntas efficax, in velleitatem detorqueatur.

MIXTA FORMIDINE. Aſſignat his enim verbis cauſam, cur deſiderium illud non exeat efficax, nempè quia formidine miſceatur; nam *mixta* participium eſt *miſceo* deriuatum, vt oſtendat ex tali permixtione votum nutans effici; ac ſic naturæ mores imitetur; nam naturaliter virgines virum excupiunt pariter, & metuunt. *Formido* itaq; metus vehementior eſt, ex cuius admixtione votum tremit. Congruens autem fuit, vt Vates *voto*, nempe deſiderio vehementi formidinem apponeret; nam ad hoc, vt votum retardetur, ac quaſi infringatur, neceſſe eſt, vt adſit contrarium vel validius, vel ſaltem æque validum, vt certè vehementior metus eſt. Verum aduerte, *formidinem*, vt plurimum, accipi pro metu pœnæ: quare dictum communiter eſt: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*: in quo magis oſtendit Poeta vehementiam illius voti, quod, licet inſurgeret in animo,

animo, habitu pudicitiæ inſignito, illiuſq; amanti, tamen tantis inſurgebat viribus, quippè à natura ipſa roboratum, vt fortaſſis Proſerpina non reluctatura fuiſſet, ſolo virtutis amore, ni contra inſurrexiſſet metus pœnæ, ſeù formido. Sed quam pœnam, inquies, timeat, quæ nuptias deſideret? Magna ſatis pœna Virgini eſt violatio ipſa pudoris: verentur enim Virgines, ne, ſi hoc ipſum quod in Venerem, legitimo licet modo, pronæ ſint, reſciatur, ſit illis maximi loco probri, & dedecoris: immò vnica hæc verecundia dominatur, adeò in animo Virginis, vt grauiſſimi auctores arbitrentur, Virginem ſemper pudicam fore, ac caſtam, ſi ſemper meminerit id quod aptè illis in mentem reuocat Ouid. *Nulla reparabilis arte*

Læſa pudicitia eſt. Deperit illa ſemel.

ideò, hoc tantum verecundiæ virginalis obice propoſito, ſat pœnæ videtur ineſſe in ipſa deſiderij venerei diuulgatione; ideòq; iure *mixta tremit formidine votum*. Alia tamen etiam de cauſa tremens votum Proſerpinæ inducit Poeta; nam, cum, vt patebit inferius, pluribus Procis, etiam abextrinſeco, ne dum ab intrinſeco, vt proprium maturæ virginis eſt, ſollicitaretur, ex formidine errandi in electione illius, quem in virum deligeret, tremit votum ſe ſe ferens in incertum, vt ſupra innuimus. Sed iam morale aliquid delibemus.

Diſce igitur quam facilis in Venerem ſit Cereris Filia; hoc eſt, quam mire venereis incendijs expoſita ſemper ſit humanitas illa, quam Ceres, ideſt alimentorum copia, ac ſuperefluens eorundem luxus, foueat, ac proſequatur. Iumentum humani corporis contra pudicitiam ſemper, impinguatus, incraſſatus recalcitrauit: ſicuti enim, *ſine Cerere & Baccho friget Venus*; ita, *data Cerere, & Baccho viget Venus*, & viget adeò, vt non ſufficiat interdum virtutis amor, ni vehemens ſuperingruat formido pœnæ, vt nos ab omni laſciuiarum genere vix coerceat. Viuat igitur neceſſarijs quidem alimentis vita; ſed non luxuriet in ſuperfluis, ne dum vitam quærit abundantiorem, deteriorem incidat in mortem. Eſcas ventri, & venter eſcis: Deus autem hunc, & has deſtruet. Ideò iure Proſerpina Plutoni addicitur in inferos detrudenda, quod nimium hanc Ceres fouet, nimium hanc ſequitur: inſanæ enim comeſſationes, crapulæ, ebrietates vitiorum omnium ſeminaria ſunt; vitia verò peccatorum fontes, ac digna tandem peccati pœna mors eſt, & perditio.

Nos interim à Virgine ad Virginem diſcedentes italicam de illa muſam, animi tandem gratia, conſulamus.

Di quella Dea, che con partiali honori
  Le ſpiaggie d'Etna, in meſſe d'oro, abbiglia,
  Creſcea, d'ogn'alma ad eccitar gl'ardori,
  Nel fior de ſuoi verd'anni, vnica figlia.
  Queſta dal ſen materno i primi albôri
  Traſſe bramata: indi 'l pigliar s'efiglia;
  Che, s'à Cerere diè Lucina vn Sole,
  Altro ſimil da lei ſorrir non vuole.
Le viſcere feconde, all'hor che liete
  Sue virtù tutte in sì bel germe vnîro,
  Chiuſero i fonti poſcia alle ſecrete
  Vene d'ogni vigor; ne più gl'aprîro.
  Mà, ſe qui ſtanche inſterilir douete,
  Non fia minor di voſtre glorie il giro;
  Ch'vn ſol parto, per mille, à voi ſuppliſce,
  E mille faſti in vn ſol faſto vniſce.
Habbian pur altre, in numeroſo freggio
  Di cara Prole, vn'immortal baldanza:
  Di Proſerpina ſola è tale il pteggio,
  Che la lei madre ogn'altra madre auuanza;
  Quindi le ſue delicie in queſta han ſeggio:
  Queſta è ſuo cuor, ſua vita, e ſua ſperanza.
  Pende dal volto; e di goder gl'è auuiſo
  Ne gl'occhi di tal figlia vn Paradiſo.
Non così di vitella il ſen lattante,
  E ch'al fender de ſolchi ancor non mugge,
  Ne 'l corno in Luna è d'incuruar baſtante,
  La torua madre in vezzeggiar ſi ſtrugge;
  Come, del Pegno ſuo Cerere amante,
  Infiora i vezzi; ed eſſa il miel ne ſugge.
  Se Proſerpina l'onde haueſſe in fronte,
  Potria queſta ſembrar Narciſſo al fonte.
Dell'argenteo pianeta, e dell'aduſto,
  Vſcite, al fin, dal predominio imbelle,
  Della madre d'amor l'impero auguſto
  Sentiuan già le di lei viue ſtelle.
  Già le pronube fiamme al varco anguſto
  Del petto virginal vibran facelle;
  Matura à gl'himenei l'inuita Amore;
  Mà 'l tremante voler frena il roſſore.

Ac, ne cum ipſa & noſtræ pariter Muſæ contremiſcat, ad Poetam iterum reuertamur.

Perſonat aula procis: pariter pro Virgine certant
Mars Clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu.
Mars donat Rhodopen; Phębus largitur Amyclas,
Et Delon, clarioſq; lares. Hinc æmula Iuno,
Hinc poſcit Latona nurum. Deſpexit vtrumque
Flaua Ceres; raptuſq; timens (heu cæca futuri!)
Infidis natam Laribus commiſit alendam.
Æthera deſeruit; ſiculaſq; relegat in oras
Ingenio confiſa loci.

PERSONAT AVLA PROCIS &c. Indicauit in ſuperioribus Poeta cauſam intrinſecam, qua ſollicitaretur Proſerpina ad Nuptias appetẽdas; nempe maturam ætatem, & fomitem naturæ inſitum: Iam verò oſtendit, non defuiſſe etiam cauſam ab extrinſeco ſollicitantem, nempè Amaſios, qui & ex dignitate perſonæ, & ex opulentia, ac redundantia diuitiarum videri poſſent talibus non indigni connubijs. Addit concertationem amantium, non ſolum Deorum, ſed & Dearum, vt magis ardenti tot Numinum deſiderio ſollicitatam oſtendat; ac riualitates adeò inualuiſſe declarat, vt Ceres, quæ nulli aſſentiretur, rapiendam Virginem ſuſpicata, tutiores illi ſedes eligere ſtuduerit.

PERSONAT AVLA PROCIS. Proci dicuntur illi, qui vulgò: *Riuali in amore*, & hi ſunt, qui vnius eiuſdemque Virginis nuptias ambiunt: Prociq; dicuntur a *procando*, ideſt *poſcendo*, quia duo, vel plures eamdem ſibi Virginem depoſcant, & de eadem obtinenda, rixari videantur; immò & interdum verè rixentur. Sic Rex Latinus aſſiduis bellis inter Æneam, & Turnum Lauiniam ſuam in coniugem poſcentes fatigatus apud Virg. Æn. 12. Turnum ſuadens, vt ab ea poſcenda deſiſtat, oſtendit, in Fatis fuiſſe, ne Lauinia vllis ex amatoribus antiquis, quos inter Turnus, nuberet; eoſq; Procorum nomine deſignat, his verbis.

Me natam nulli veterum ſociare Procorum

Fas erat: idq; omnes Diuiq; hominesq; canebant.

Cum igitur ſæpè contentiones, ac rixæ inter Procos intercedant, eo quod vnuſquiſq; primatum in corde ſibi vindicet Amatæ, nulliq; velit eſſe ſecundus, hinc eſt vt Poeta, his contendentium Proſerpinę procorum clamoribus, reboantem Cereris aulam teſtetur inquiens: *Procis*

PERSONAT. *Perſonare* enim eſt *ingenti ſtrepitu complere*, & ſonitum, quaſi Eccho reſonante, reflectere. Vulgò *rimbombare*. Quod autem verbum perſono non vulgarem ſignificet ſtrepitum vocis, facile colliges ex Virg. qui Æn. 6. hoc vtitur verbo ad exprimendam cerberei latratus vehementiam, qua Tartara omnia inſonarent, ſic

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci

Perſonat aduerſo recubans, immanis in antro.

vtitur igitur hoc ipſo verbo Poeta hic, vt indicet non leues fuiſſe contentiones inter amantes. Ideò *Perſonat*

AVLA. Quid nomine *aulæ* intelligendum ſit iam dixi in explicatione ad illud Plutonis, in anteactis.

Aſt ego deſerta mærens inglorius aula &c.

quarè ſatis hic liquet, aulam hanc nil aliud eſſe, quam domum, ſeù locum habitationis ipſius Cereris, ac Proſerpinæ, ſeù certe primam ipſius domus partem, in qua, vt notat Parrhaſius, ex Homero, hic, Proci diuerſabantur. Vbi nam verò locorum fuerit hæc Cereris aula, non explicat Vates; ſed ex ſubſequenti contextu quo dicit: *Æthera deſeruit &c.*

ſatis conſtat per hanc aulam Coelum ipſum indicaſſe, ac præſertim quartum Coelum, vbi ſignum Virginis cum ſpicea meſſe collocatur, hanc enim Cererem eſſe aliqui voluerunt, quæ tunc temporis quarto cum filia Coelum incoleret; & quod poſtea Coelum deſeruerit Mater, vt Filiam à rixantibus Procis in tutum ſubduceret; ex quo magis etiam patet, quam maximæ fuerint Procorum contentiones, quibus vaſtiſſimus Coelorum ambitus perſonaret.

PARITER PRO VIRGINE CERTANT. Declarat hic, & in ſubſequentibus, quinam fuerint Proci, qui ſimul rixarentur, vt Proſerpinam obtinerent: & quia æquales ambo videbantur meriti, ac conditionis, ita vt neuter altero dignior appareret; ideò

PARITER, Ideſt ex æquo decertant, cum nulla eſſet ratio, cur alter alteri cederet. Verùm aduerte, aduerbium illud *pariter* ſæpè pro eodem accipi, ac *ſimul*: quarè ſenſus Poetæ eſſet: *ſimul certant*; hoc eſt ad inuicem. Quod ſi quæras, cur potiùs *pariter* dixerit, quam *ſimul*. Reſpondeo, viſum fuiſſe aduerbio *pariter*, vt eodem vocabulo; & eos *ad inuicem* certare, & *ex æquo* certare affirmaret, quod ſolitum perſpicacitatis Claud. eſt.

CERTANT. *Certare* non ſemper armorum importat concurſum, ſed quomodolibet pertractatam contentionem. Quarè hic non ſignificat, procos ad arma deueniſſe; ſed obſequio, pollicitationibuſq; Virgini exhibitis de præratu contendiſſe.

PRO VIRGINE. Proſerpinam antonomaſticè Virginem appellat, & hanc rixarum cauſam notat.

MARS CLYPEO MELIOR &c. Aſſignat hic cauſam, cur ex æquo decertarent Mars, & Phœbus ſimul, dum dotes in vtroq; licet in diſpari, pares conſiderat, quibus efficiebatur, & neuter dignior videri poſſet; à Marte autem incipiens præſtantiam, & decus ipſius oſtendit ex Clypeo.

MARS. Martem bellorum Numen habitum fuiſſe ab antiquis, notum iam Lippis, & tonſoribus: ſic Virg. Æn. 9.

Hic Mars armipotens animumq; vireſq; Latinis
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit;
Immiſitq; fugam Teucris, atrumq; timorem.
Vndiq; conueniunt, quoniam data copia pugnæ,
Bellatorq; animo Deus incidit.

idem clarè patet apud eundem Georg. 2., vbi ſic.

. . . . . Sed dubius mediis Mars errat in armis.

immò Martem aliqui ipſum eſſe bellum affirmarunt; & quidem Heraclytus Ponticus, *nihil aliud, inquit, Mars eſt, quam ipſum bellum, ita ab imprecationibus, ſeù potiùs à detrimento nominatum.* Conſentire autem videtur Virg. Georg. 1. circa finem, vbi, bella inter Euphratem, & Rhenum breuiter attingens, hæc apertè habet.

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinæ, ruptis inter ſe legibus, vrbes
Arma ferunt; ſæuit toto Mars impius orbe.

& nos alibi, Ode noſtra ad Iuliam, vtramq; attingentes ſententiam ſic luſimus.

Empio Nume inhumano,
Che ſol di ſangue, e di reciſe membra
Paſci l'ingorda fame, e di tua ſete
Tempri l'ardore inſano;
Al cui vaſto furore anguſte ſembra
Ciò, che chiudon del Sol l'oppoſte mete:
Quando mai ſaran chete
Del tuo furore, ò non daran le trombe
Segni funeſti à popolar le tombe?
Mà che? Nume diſs' io
Vn di belue, anzi più, d'alme inferiore
Feriguo ſporto in human cuor nodrito,
Diſpietato deſio?
Ah ch' al proprio valore orſer Moſchete,
Arſero incenſi, e conſecrâr tradito,
Holocauſto gradito,
Sù gl' altar l'vniuerſo: e non s'annida
Barbaro Nume in Ciel, Nume homicida.

Hic quo ad ſenſum litteralem pro ipſo certè bellorum Numine ponitur; quo ad ſenſum verò allegoricum pro ipſo bello, ſeù potiùs, vt nos nuper innuebamus, pro ipſa humani generis rabie ſemper in alienam perniciem debacchante; cum enim Proſerpinam opulentiæ Deam iam antea viderimus conſtitutam, nempe in explicatione ad verſ. *Caligantesq; Profundæ Iunonis thalamos*; Opulentia profectò diuitiarum ea eſt, quæ auiditatem armat humanam, & bellum allicit, vt eam ſibi vindicet in ſuam. Sed quo ad litteram, cum de Procis Proſerpinæ agatur, certè, vt dicebamus, Numen ipſum ſignatur, quarè de ipſo Numine notitia hic venit tradenda. Igitur *Mars* præſes bellorum dicitur omnium, ex eo, quod Maribus in bello præſit; ſeù *Mauors* à Poetis nuncupatur, eo quod *magna vertat*: Addam ego: *& euertat*. Hunc filium Iouis, & Iunonis autumat Nat. Com. in Mythol. lib. 2. cap. 7. ac pro ſe citat Heſiodum in Theogonia, cuius ille græca carmina ſic exponit.

Addita mox vxor, poſt has, eſt vltima Iuno;
Lucinam Martemq; parit, quibus eſt ſoror Hebe.

Poſt has autem, inquit, quia fabulantur, vt alibi dixi, ductam primo loco à Ioue Metim, ſecundo Themim: tertio Iunonem. Eſto tamen hæc ſit opinio Heſiodi, quam Nat. Com. ſequatur, non video, cur Nat. ipſe ibidem tam acriter inuehi debeat in eos, qui Martem ex ſola Iunone, ſine Patre natum aſſeuerant; nam, quod ille dicit, hoc abſurdum eſſe, & portento ſimile omninò, valeret etiam in natalibus Mineruæ ex Patre Ioue, ſine matre enaſcentis; nam ex ſolo Iouis cerebro Minerua, ſeù Pallas erupiſſe dicitur; nec tamen hoc abſurdum, aut Portento ſimile aſſerit Natal. ipſe, qui in eadem ſua Mythol. lib. 4. cap. 5. refert de hoc auctores Stoſicorum, Apollonium, Strabonem, & alios; inter quos Apollonius in Rhodiorum inſula aurum pluiſſe dictitat, cum à Minerua ex Iouis capite naſceretur: immò Natalis ipſe in progreſſu eiuſdem capitis hæc videtur natalia confirmare, dum, varias recenſens dari Mineruas, ait: *Minerua prima eſt, quam matrem Apollinis diximus; ſecunda Nilo orta; tertia quam Ioue generatam ſupra diximus*. Si igitur apud ipſum portento ſimile non eſt Mineruam, ſine matre, ex ſolo Iouis cerebro naſci, cur adeò monſtroſum erit, Martem ex Iunone ortum dicere, ſine Patre? Alij igitur cum Ouidio inquiunt, turbatam Iunonem eo, quod animaduertiſſet, Iouem maritum, percuſſo capite, ſine muliere, Mineruam procreaſſe, deſiderio conſimilis incenſam eſſe generationis, ideòq; iter Oceanum verſus ſuſcepiſſe, vt ſcrutaretur, quo pacto & ipſa, ſine viro parere poſſet; accidiſſe autem, vt fatigata ex itinere ſecus fores Floræ Deæ cogitabunda conſederit; Sciſcitanti autem Floræ mæſtitiæ illius cauſam, nec non itineris, cum illa animum aperuiſſet, indicaſſe Floram, ſe ſecretum noſce, ac Iunoni aperituram, ſi illa iuraſſet, ſe Ioui nunquam id facinus indicaturam; iuratæ itaq; Iunoni Florem inquirendum in Olenijs campis indicaſſe, quo tacto ſtatim conciperet. Lætam itaque Iunonem perrexiſſe, florem inueniſſe, eoque tacto Martem autumant ſine maris concubitu concepiſſe, ac tempore tandem peperiſſe. Nil autem mirum ſi flore progenitum Numen florem ſibi depoſceret Cerealem.

CLYPEO MELIOR. De clypeo vide dicenda lib. 2. ad Carm. *Cornipedes vmbone ferit clypeoq; retardat &c.* Hic tantum obiter aduerto, Martis hoc loco prærogatiuam attingi, qua Phoebum exſuperare poſſe videatur; nam *melior* idem eſt, ac *potior, bellior, præſtantior*. Sed quarè Mars dicatur excellentior ratione clypei ambiguum videtur; quarè explicandum hic, cur Mars melior *clypeo* dicatur. Nota igitur comparationem primò fieri inter Martem & Phoebum, & quidem in genere bellatoris, vt non diſcedat à verbo *certant*. Nota ſecundo duplicem eſſe belligerandi modum; nam aliud eſt bellum, quod eminus, & quaſi per vellitationem fieri conſueuit, & in quo maximè eminebant ſagittariorum, ac funditorum peritiæ; aliud autem eſt bellum, quod cominus, conſertiſq; manibus tractabatur, & de cuius conſerta manu inquit eruditus ille.

Piede à piede, ſcudo à ſcudo; elmo elmo cozza.

Mars quidem, quippè bellicus ipſe furor ſit, magis in huiuſmodi concertationibus eminet, nam, non niſi ſummo acta furore, agmina atrociter adeò commiſcentur. Phoebus verò, quippè qui arma tractet, potiùs ad arcendum bellum, quam ad committendum, emicat in vellitationibus, quarum proprium eſt hoſtem à longe propulſare. Verum ſeius hæc eſt cauſa, cur vnus alteri præſtet, vel vice verſa. Aliam ex peritioribus arcanis eruimus. Deorum igitur præſtantia à conſequentibus arguitur hic, ita vt ex maiori, vel minori honore, qui vnicuique Deo tribuitur ipſius Dei præſtantia maior dicatur, vel minor; honor enim indicium præſtantiæ eſt. Hoc poſito, Martem Romanæ vrbis propitiatorem fuiſſe ignorat nemo: Decantatum pariter eſt illud, nempè, Numæ Pompilij temporibus, Clypeum è coelo demiſſum in vrbem, tamquam ipſius Palladium, fuiſſe, vt refert Liu. lib. 1. ab vrbe condita; huncq; Ancilis nomine deſignatum, creditum fuiſſe ab ipſo Marte vrbis protectore, ac conditore, illi dono datum: ex quo factum: vt duodecim Sacerdotes Marti tunc inſtituerentur, qui Salij dicti,

feſtiq;

feſtiq; ludi conſtituti. Quod in cauſa fuit, vt ſummè Mars, non ſolum tunc temporis coleretur, ſed, tranſmiſſa ad poſteros Saliorum memoria, decus eiuſdem immortalitati donaretur. Quarè, ratione huius Clypei cum tantus redditus ſit honor Marti; & de Phœbo nil ſimile quo ad Clypeum dici poſſit, hinc eſt, vt eruditiſſimè dixerit Poeta *Mars Clypeo melior*.

PHOEBVS PRÆSTANTIOR ARCV. Phœbum Apollinem eſſe vnico cum Diana partu progenitum ex Latona à Ioue compreſſa alibi innuimus *Latonia furta* explicantes. Pariter ibidem vidimus Pythonem ſerpentem ab irata Iunone immiſſum, qui Pellicem Latonam ad mortem vſq; perſequeretur. Hunc ſerpentem e terra ab ipſa Iunone pugno percuſſa natum eſſe antiqui fabulati ſunt teſte Myth il. Nat. Com. pro ſe Nicandrum citantis, eiuſque ex græco Carmina ſic Italicè recitantis.

Sic effata graui percuſſit robore dextra
Tellurem; motumq; ſolum eſt fertilis agri &c.

Ouidius tamen Metam. 1. aſſerit ſerpentem hunc è terra natum, ex putri, vt alij ſerpentes quamplurimi. Sed ipſum quæſo audiamus primo communes ex terra naſcentium ortus ex putri deſcribentem, deindè, ea inter, Pythonis ortum recenſentem, his verſ.

Cætera diuerſis tellus animalia formis
Spontè ſua peperit &c. En originem ſpontè naſcentium.
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inueniunt; & in his quædam modò cœpta per ipſum
Naſcendi ſpatium, quædam interc‍epta, ſuiſque
Trunca videns humeris: & eodem corpore ſæpè
Altera pars viuit, rudis eſt pars altera tellus.

en ſpontè naſcentium per hypotipoſim deſcriptionem. Iam Pythonis ortum, magnitudinem, horroremq; audiamus.

Illa quidem nollet: ſed te quoq; maxime Python,
Tum genuit; populiſq; nouis incognite ſerpens
Terror eras: tantum ſpatij de monte tenebas.

Hunc ſerpentem, vt dicebamus, à Iunone immiſſum ad Latonæ perniciem Apollo, qui & Phœbus eſt, ex Latona natus, tandem adultus, ſagittis confecit, vndè & Pythius dictus eſt, & ludi Pythij inſtituti, vt memorat Ouid. cit. his verbis.

Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, niſi in Damis, Capreiſq; fugacibus vſus,
Mille grauem telis, exhauſta penè pharetra,
Perdidit, effuſo per vulnera nigra veneno.
Neue operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos
Pythia, perdomiti ſerpentis nomine, dictos.

Cum igitur ex arcu tantum decoris retulerit Phœbus, vt, & matris, & totius humani generis ſeruator Pythone perempto, videretur dicendus, quæ nequaquam Marti conueniunt, hinc eſt, vt Marte *præſtantior Phœbus arcu* dicatur, ac ſic, inter diuerſam præeminentiam librato pondere, ſequitur, vt neuter alteri præponderet, atq; vt indè ex æquo decertent. Adde Phœbum eumdem eſſe cum Sole, qui ex Cœlorum arcu aureas radiorum euibrans ſagittas, cuiuſcumq; generationis, corruptioniſq; auctor meritò credebatur. Arcu igitur mirè profectò præſtat, cum non mortes tantum inferat, ſed vitales arcu ipſo euibret influxus. Mars verò Clypeo præſtans, qui non magis haſta feriat, & interimat, quam Clypeo protegat, & defendat. Quarè vterq; iure æquiparatur, & ex æquo decertare dicuntur. Cur verò dicatur Phœbus (nam de Marte iam vidimus) potiùs, quam aliud Numen Proſerpinam in ſuam expoſcere, ſatis patet, quia, cum alibi dixerimus, Proſerpinam ſegetem ipſam eſſe, ſeù radicem, aut germen in ſegetes erumpentem, cum hæc, non niſi beneficio ſolis, emergat, iure illius amans Phœbus aſſeritur, atq; eam ſibi in ſuam vindicare.

MARS DONAT RHODOPEN. In connubijs contrahendis, ratio habetur primo Perſonarum, ſubinde dotis, ac denique conſanguineorum conſentientium. Rationem perſonarum, nempe Procorum æquas vtrimq; conditiones, ita vt neuter dignior videretur, iam expoluit Vates. Iam ad dotes perpendendas tranſitum facit. In more poſitum apud Perſarum præcipue Principes fuiſſe, vt vir vxori de proprijs viri facultatibus dotem conſtitueret, iam innuimus ad illud Poetæ noſtri: *Poſſidet dotale Chaos &c.* Quarè congruenter ad iam alibi poſitam alluſionem, vt oſtenderet hic, quam vehementi deſiderio Proſerpinæ Proci in eamdem ferrentur, inducit eos, ac, primo loco, Martem dotem ſuam Proſerpinæ ſtatuentem. Ideò

DONAT. Donare eſt *gratuitò, & ex amoris impulſu aliquid alteri tradere, vt in ipſius dominio, ac poteſtate ſit.* In quo aduerte proprietatem loquendi, & perſpicacitatem Poetæ, omnia perpendentis. Cum enim de dote eidem Proſerpinæ à Plutone conſtituta loqueretur, hæc ait.

. . . . *Quo ducta ferox Proſerpina raptu*
Poſſidet dotale Chaos &c.

hic autem de eiuſdem Procis agens; *Mars*, inquit, *donat*; Quaſi Proſerpina dotem a Plutone conſtitutam proprio ſibi iure vindicauerit; a Marte verò mere gratuitò fuerit acceptura: optimâ profectò ratione; nam, vt ſuo loco diximus, Pluto raptor fecit; & raptores de iure tenentur, raptis dotem de proprio conſtituere; quarè eo ipſo, quod Proſerpina rapta fuerit; ius acquiſiuit, vt de bonis raptoris dotaretur: ideò non dicit ibi Poeta *donatur*, ſed *poſſidet*; quaſi iure proprio obtineat: Aſt hic quoniam agitur de connubijs ſpontè contrahendis, nec raptus interceſſerat, ideò non ex obligatione, ſed gratuito, & ex libera omninò animi voluntate *Mars donat*

RHODOPEN. Rhodope, & Hemus montes Thraciæ ſunt, de quibus Ouid. Metam. 6. ita fabulatur.

Threiciam Rhodopen habet Angulus vnus, & Hemum
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
Nomina ſummorum ſibi, qui tribuêre Deorum.

Fabulam autem ſic explicat liber quidam incerti auctoris, ſed Plutarcho adſcriptus. Rhodope & Hemus (quos aliqui regnum Thraciæ tenuiſſe potentiſſimo aſſerunt imperio) ex eodem Patre nati cœperunt mutuo inter ſe amore, ac deſiderio flagrare; ac Hemus quidem ſororem Rhodopen appellabat Iunonem: illa verò amatorem ſuum Iouis nomine condecorabat, praua quadam affectatione. Addunt etiam alij, iuſſiſſe eos, vt ſe tamquam Deos populi venerarentur. Quarè Dij contumelia huiuſmodi affecti in Montes, eadem nomina ſeruantes, ambos conuerterunt. Sed quidquid ſit de huiuſmodi fabulis: certum eſt Rhodopen Montem Thraciæ eſſe, ac pro tota Thraciæ Regione hic poni: nam ſub tutela, ac prædominio Martis Thracia tota eſt, vndè & Mars ipſe *Thracius* dicitur. Eſt autem ea Regio ampliſſima, prius *Scython*, poſtea *Thracia* dicta à Thraco Martis Filio eidem regioni dominante, vt intelligas, potiſſimo quidem iure in Martis ditione Thraciam eſſe; præterquam quod aſperrima illa regio eſt, nec Cœlo, nec ſolo tractabilis, vt inquit Pomponius, ac homines feros, cultuq; aſperos nutriens, ita vt ipſo loci ingenio videatur Martis rigore abunde ſacratæ.

Inſuper aduerte, in vſu eſſe, vt Iocalia dentur nouæ nuptæ, ideſt munera quædam, quibus matrimonij ſponſio ſolidetur, & quaſi arrhæ ſint ſponſalium. Quare, ſi præſcindere velis à dote, quæ, vt dictum eſt, à viro daretur, Iocalia erunt hæc, quæ à Dijs procis donanda proponuntur Proſerpinæ, vt intelligas, quanta animi vehementia expoſceretur ab vtroque.

PHOEBVS LARGITVR AMYCLAS. Propoſitâ dote, ſeù, ſi magis placeat, propoſitis Iocalibus, quæ Proſerpinæ afferebantur à Marte, exarat iam ea hic, quibus allicere Proſerpinam Phœbus conaretur. Dixit autem

LARGITVR. Quod eſt *profusè donat*. Largiri enim idem eſt, ac donare, ſed ita vt prodigè potiùs, quam liberaliter donemus. Donaturum ſe Thraciam Mauors oſtentauerat, adeoq; ſpectata regionis amplitudine, inſigne erat prodigi animi Donum: ne igitur cedat Apollo, *largitur*. & amplitudinem vnius, multiplicitate donorum, largè compenſat. Ideò primo largitur

AMYCLAS. Amyclæ plurali tantum numero declinantur. At vrbs eſt Lycaoniæ, regia olim Tindari ſedes. Porrò Lycaonia Regio intima Peloponeſi eſt, quæ, dicta aliquando Pelaſgia à Pelaſgo rege, poſtea à Lycaone item rege Lycaonia, ac tandem ab Arcado eiuſdem rege dicta fuit Arcadia. Hæc putabatur olim fęlicitatis ſedes, quaſi ſæculum in illa aureum perpetuò floreſceret, & ſuper omnes circum regiones fertilis; immò ab illa fertilitas in alias omnes emanaſſe perpetuò dicebatur. Arcadum Regem Apollinem ipſum fuiſſe teſtantur aliqui, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 4. cap. 10. eo quod fortaſſis, Ægyptiorum more, Arcades Deos, quos colerent, reges ſuos fuiſſe iactitarent. Ex hoc conſtat Arcadiam in poteſtate Apollinis fuiſſe, ideò hanc ſe ſpondens donaturum Amyclas memorat, partem pro toto ponens. Et iure quidem Proſerpinæ, hoceſt rerum omnium affluentiæ, fertiliſſima tellus dicanda fuerat; ideò large *donans Phœbus largitur Amyclas* Αμυκλαὶ dicatur apud Græcos, quod apud Latinos dicitur ſuaue, ac iucundum, & Porrò Amyclæ totam Apollinis claudebant. iucunditatem; nam Amyclæ dictæ fuerunt, vt notat Par-

 rhaſius,

rhaſius, ab Amycla Lacedemonis filio. (Eſt enim vna ex centum illis vrbibus Lycaoniæ, quas Lacedemonij tenuere, eamq; hic Lacedemonis filius condidiſſe fertur) Patre autem Daphnes & Hyacinti; non eſt autem nouum, quam vehementi amorem Daphnim deperierit Apollo, quantiſq; Hyacintum habuerit in delicijs; nam & Martialis de his inquit;

Torquebat Phœbum Daphne fugitiua, ſed illas
Oebalius flammas iuſſit abire puer.

omnem itaq; iucunditatem ſuam delicias ſuas omnes Proſerpinæ ſacrabat Phœbus cum largiretur Amyclas; immò omnibus amoribus valedicere ſe profitebatur, vt vni Proſerpinæ deuoueretur, cum Amorum ſuorum inſigne vtique monimentum, vrbem Amyclas Proſerpinæ largiretur, quod profectò magni apud Virginem ponderis eſt.

ET DELON. Delum, inter Cycladas, ſeù, quod idem eſt, inter natantes inſulas enumeratam, natale Apollinis ſolum fuiſſe, iam alibi diximus, Latonia olim furta explicantes. Quarè ſatis conſtat, quo iure de illa diſponere potuerit, ipsà præcipuè Latona conſentiente, quæ non minus Proſerpinam in Nurum exciperet, vt inferius dicendum.

CLARIOSQVE LARES. Lares crediti ſunt gemini fratres, qui ex Lara Almonij filia à Mercurio compreſſa & ortum duxerint, & nomen. Hæc Lara, ſeù, vt alij dicunt, *Larunda* dicitur Iouis adulteria indicaſſe Iunoni; quâ de re iratus Iupiter linguam ei dicitur præcidiſſe, eamq; ad infernam paludem relegaſſe, quo cum eam ex Iouis mandato deduceret Mercurius, in itinere amans factus compreſſit; atq; ex eo concubitu nati Lares creduntur. Ouid. 2. Faſt. ſic;

Iupiter intumuit, quaque eſt non vſa modeſtè,
Eripit huic linguam, Mercuriumq; vocat.
Duc hanc ad Manes (locus ille ſilentibus aptus.)
Nympha, ſed infernæ Nympha paludis erit.
Iuſſa Iouis fiunt: accepit lucus euntes;
Dicitur illa Duci tunc placuiſſe Deo,
Vim parat hic; vultu pro verbis illa precatur;
Et fruſtra muto nititur ore loqui.
Fitq; grauis, geminoſq. parit, qui compita ſeruant,
Et vigilant noſtra ſemper in æde lares.

hinc habes habitos Lares pro Dijs domeſticis, quarè pro ipſa ſæpè domo ponuntur. Aliqui etiam voluerunt, Deos eſſe agrorum; ideòq; non ſolum pro domo habitationis poſiti fuêre, ſed etiam pro agris, ijſq; omnibus quæ poſſidemus. Dum igitur Phœbus Lares hic Clarios offert, non parum offert; nam *Claros* Ioniæ ciuitas eſt Apollinis oraculo inſignis, quam Manto Tireſiæ filia dicitur condidiſſe, & quæ Apollini ſummo profectò ſtudio deſeruiebat. Græcè κλῆρος dicta, quia per ſortem Apollini obtigiſſe dicitur. κλῆρος namque idem eſt, ac *ſortio datus* apud Latinos. Sed maximè hic κλῆρος ea Ciuitas dici potuit, cum dono daretur, nam κλῆρος à Græcis etiam *munus*, ac *donum* appellatur. Eſt & Claros inſula in Myrtoo mari, & ipſa Apollini ſacra. Arbitror autem ex vtraque deriuatiuum *Clarios* à Poeta deductum hic, nam, & plurali vſus eſt numero, quo vtramq; proculdubiò complecteretur, vt prodigè largiretur.

HINC ÆMVLA IVNO. Oſtendit hic ipſas Deorum genitrices Deas adeò cum filijs conſentire, vt ipſæ quoque inter ſe de Proſerpina contendant, ne deſit conſenſus etiam conſanguineorum tertio loco, vt dicebam, conſiderandus in nuptijs. Vt igitur vnicuiq; Procorum ordinatim reſpondeat Genitrix vniuſcuiuſq; ſicuti primo loco Martem poſuerat, ita Iunonem, quam Martis matrem eſſe iam diximus, primo etiam loco hic ponit.

HINC IVNO. Hinc aduerb. partem vnam ab altera diſtinctam indicans eſt. Vtitur autem hoc aduerb. Poeta, vt non ſolum Procos, ſed etiam Dearum affectus decertantes ex æquo oſtendat, ita vt ex Deabus vnam ex vna alteram ex altera procorum parte adſtantem velit; ideò *hinc* inquit, nempè ex hac parte, hoc eſt ex parte Martis decertans infracto animo, adeſt

IVNO. Mater, vt iam diximus Martis (nam de Iunone reliqua fusè iam differuimus ad Carm. *Te conſanguineo &c.*) ex cuius mentione facilè intelligas, quanta fuerit Proſerpinæ præſtantia, quæ vel ipſam Deorum Reginam in ſui amorem alliceret. Nec myſterio caret, quod additur

ÆMVLA. Duplicem enim æmulationem attingit Poeta hic. Prima eſt, qua ſemper Iuno ferebatur infenſa in Iouis pellices, inter quas fuerat & Ceres, ac per conſequens etiam in genitos, vt fusè teſtantur Alcmenæ filij labores. Aſt tamen ſuis Proſerpinæ gratia, vt Iuno, ab ipſa æmulatione non obſtante, iniuriarum immemor, eam exoptaret in ſuam. Secunda æmulatio eſt, qua in Latonam ferebatur primo, vt Iouis pellicem, ne compos fieret voti; ſecundo vt in ſimilem, quæ ſe Iunone inferiorem videri non patiebatur, atque ideò eamdem ſibi Nurum exoptabat Proſerpinam. Ideò *æmula Iuno poſcit.*

HINC POSCIT LATONA NVRVM. Deſiderio Proſerpinæ quantum flagrabat Iuno Martis ex flore Mater, tantum & Mater Phœbi flagrabat Latona; ideò vna parte indicata, ad altera tranſit Vates per aduerb.

HINC. Quod ſicuti, primo loco, vnam ex diſtinctis partem ſignificat, nempè partem Iunonis; ſic, ſecundo loco, alteram notat, nempè ex parte Phœbi Latonam. Quæ autem Latona ſit, quomodo Phœbi ex Ioue mater &c. iam vidimus ad *Latonæ furta*; ideò non immoror.

POSCIT. In explicatione ad Carmen *Poſcit Iunonem &c.* vidimus verbum *Poſco* importare poſtulationem imperio potiùs ſimilem, quam ſupplicationi; & ideò hoc verbo vtitur Poeta hic, vt magis oſtendat vehementiam deſiderij, quia hinc, indè, Proſerpina appeteretur, & vt magis æmulationem ipſam exprimeret appetentium, quæ imperio potiùs agerent, quam poſtulatione, vt Cererem inducerent ad deliberationem concedendi; verbum enim *poſcit* ad vtramq; nempè & ad Iunonem, & ad Latonam refertur, vt & ipſas ex æquo oſtendat decertantes.

NVRVM. Nurus propriè filij vxor dicitur: dixit autem Poeta *poſcit nurum*, non ex eo, quod Proſerpina iam de facto nurus eſſet, ſed quia Nurum ſuam fieri vtraque; exoptabat, & contendebat.

DESPEXIT VTRVMQVE &c. Declaratis Deorum, Dearumq; amantium ſtudijs, progreditur Poeta ad patefaciendum Cereris ſenſum, quæ adeò extollebatur animo, vt Procos licet adeò conſpicuos reijceret à petitis connubijs, vt ipſa ſola tanto filiæ theſauro potiretur; hæc enim illi ſupra omnes Deos, Deaſq; ac eorumdem conſanguinitatem ſatis erat; nec mirum, ſi, quæ Iouis concubitu ſe ipſa altior euehebatur, inferiores Deos negligeret, quaſi tanta prole non dignos. Adde non iniuriâ, vt doctè monet Parrhaſius Martis, & Apollinis affinitatem à Cerere reiectam; nam Solis æſtus, & Bellum, ſi diutiùs protrahantur, æquè fruges lædunt, & annonæ penuriam inferunt. Grata indè adeò Cereri Pax, vt immò Dea pacis ipſa grauidam ſpicam manu tenens effingeretur, vt inquit Tibul. *Interea pax alma veni: ſpicamq; teneto*, quaſi indiſſolubili fœdere Pax ipſa & Ceres iungerentur.

DESPEXIT. *Deſpicere* propriè eſt *Deorſum aſpicere*. Verum quia, qui alium ſpernit, ne illum quidem dignatur aſpectu; ſed oculos potiùs, quam ad neglecti vultum, ad terram deijcit; ideò translatè vt hic *deſpicio* dicitur pro *contemno*, vt ex antecedentibus conſequentia, ſiuè ex ſigno externo internum animi affectum intelligamus. Ex conſimili autem ſigno Virg. Æn. 6. licet alijs verbis Didonem expreſſit Æneæ lacrymas deſpicientem, dum enim Æneas illam ad Littus Acherontis repertam alloqueretur.

Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat;
Nec magis incepto vultum ſermone mouetur,
Quam ſi dura Silex, aut ſtet Marpeſia cautes.

VTRVMQVE. Ideſt tam Martem, quam Phœbum, & conſequenter Iunonis, ac Latonæ deſideria, ac procurationes, quæ cùm acceſſoriæ eſſent ſuorum ſequuntur naturam principalium. Correſpondet autem Poeta hic ſuo ipſius textui; nam ſicut vterq; ex æquo decertabat, ſic vterq; ex æquo deſpicitur; ſicut vtraq; mater poſcebat, ſic vtraq; deluditur, ne Ceres vnica, quam habebat, filiæ fruitione ſpoliaretur. Hinc facilè noueris irritum eſſe Heinſij conatum hic, quo ſcilicet *vtramq;* legendum aſſerit, non *vtrumq;* quia, vt inquit ipſe, de Deabus ſermo ſit. Minus enim profectò intentum Vates aſſequeretur, ſi *vtramq;* ſcriberet; nam potuiſſet Ceres Dearum vota negligere, eaſdem nihili facere, & adhuc Procis ex alijs motiuis annuere. Aſt non poterat Procos deſpicere, quin & ipſis fauentes deſpiceret Deas. Ideò *vtrumq;* rectiùs.

FLAVA CERES. Flauus color eſt color mixtus ex viridi, rufo, & albo, qualis eſt color auri, mellis, & ariſtarum; cum autem Ceres Dea ariſtarum ſit, ideò appoſitè *Flaua* dicitur, perpetuo quaſi quodam Cereris epitheto; non quidem, quia color ipſius Cereris flauus fuerit, ſed color effectuum cauſæ attribuitur, & flaua, hoc eſt flauas creans ariſtas nuncupatur: nam *Ceres* nomen deriuatiuum eſt ab antiquo verbo *Cereo*, quod idem erat, ac *Creo*, ſeù Ceres dicitur quaſi *Geres* à *Gero*, quod fruges omnes ipſa gerere intelligatur; ad

quod

quod ſignificandum, antiqui Cererem ariſtis coronatam effingebant; & ad hunc quoq; morem alludens Poeta flauam appellat Cererem, ideſt flauis ariſtis coronatam. Conſonat & Virg. Georg. 1.

Aut tibi flaua Ceres mutato ſydere ferra &c.

& *Flaua Ceres alto nequicquam ſpectas Olympo &c.*

Ex hac autem Cereris ſenitentia melius adhuc intelliges, quam benè ſupra dixerit Vates, votum nuptiale Proſerpinæ tremuiſſe; nam, Procis ſollicitantibus, non poteſt, quia Virgo, matura viro, in nuptias propenſo animo deferatur; aſt, Matre renuente, nec ſilere fas illi eſt, nec loqui; ideò *mixta tremit formidine votum*; & *matura virginitas ſollicitat*; quia deſideria dilata creſcunt; creſcentia torquent.

ET TIMENS RAPTVS. Maximo quidem iure inducitur hic in Cererem timor, ne Proſerpina raperetur: primò quia Amor vt plurimum videtur ſemper omina ſpargere infortuniorum, quæ obiecto imminere poſſint amato: quarè ſcitè quidem de Amore cecinit Italus ille.

Che ama teme, e dal timor lontana
Non fù già mai conſolatrice ſpeme.

timet igitur amantiſſima Proſerpinæ Ceres & Amoris impulſu, & naturali quodam inſtinctu, quod omninò euenturum erat, occultè dictante. Secundò iure timet, quia ex poſitis antecedentibus neceſſitatem conſequentis non potuit, quin prudenter coniectaret. Proci dignitate conſpicui nunquam æquo repulſam patiuntur animo; atq; adeò ſæpè vim parant, vbi ſe deprecantes deſpici cognouerunt. Deſpexerat Ceres Martem, ac Phœbum Deos vtiq; præclariſſimos; quidni violentiam metuat inferendam. Tertiò cum æmulæs de eadem decertant Virgine, ſæpe ſæpiùs efficitur, vt vnus metuens, ne alter præualeat, & Amatam occupet, raptu ſibi conſulat, & ſponſam auehat. Quarè ex triplici cauſa incuſſus timor à Poeta ſubnectitur: *& timens* RAPTVS. Aduerte hic Cererem de virginitate Proſerpinæ ſollicitam, vt ſibi conſonet Poeta, reſpectu eorum, quæ ſupra dixerat: *Hanc fouet: hanc ſequitur &c.* non enim ſimpliciter timet, ne Proſerpina à ſe violenter duellatur, ſed ne ita duellatur, vt nefario etiam ſtupro ſubdatur. Quod totum erues ex proprietate illius vocis *Raptus*; diſtinguunt enim periti inter *Raptionem*, *Rapinam*, & *Raptum*; nam *raptio* refertur, inquiunt, ad perſonam; *rapina* ad rem; *Raptus* ad ſtuprum: timet igitur Ceres non ſimplicem *raptionem*; ſed *raptum*; ideſt raptionem conſtuprantem: ex quo vides, quam benè zelantem exprimat matrem hoc vnum Poetæ vocabulum. Vera enim mater illa eſt, quæ ſuper omnia filiæ diligit honeſtatem.

(HEV CÆCA FVTVRI.) Attingit hic denuò Poeta neceſſitatem illam, quam inferri à Fatis, ideſt à cauſa prædeterminante, mordicus aſſerebant antiqui, & aſtrologiæ iudiciariæ ſectatoribus ſequuntur adhuc, vt nos fusè diſſeruimus explicantes illud Poetæ: *ſeriem Fatorum pollice ducunt*. Et oſtendit indirectè cæcos eſſe, qui, humanæ ductu prudentiæ, imperſcrutabilia ſe Fatorum arcana penetraturos, arbitrantur, ac Fatorum ſeriem declinaturos. Et certè, quo ad primam partem, imperſcrutabilia ſunt adeò ſecreta Dei, vt ſcrutator maieſtatis opprimatur à Gloria. Quo verò ad ſecundam partem, vera etiam erit, ſi per *ſeriem Fatorum* intelligamus *ordinem diuinæ prouidentiæ agentia omnia naturalia in ſuum finem dirigentis*; ſed ſi intelligamus cauſam prædeterminantem actiones agentis liberi, omninò falſa ſententia eſt, quippè a falſo procedens ſuppoſito, cum nullum detur huiuſmodi fatum, vt loco cit. fuse oſtendimus; ſed Poetam non dedecet alluſiuè ad antiquorum ſententiam loqui, licet aſſertiuè contrarium ſenſerit, vt ibi.

HEV. Interiectio dolentis eſt, qua Poeta miſeram deplorat Cereris conditionem, quæ vltrò incurrit cladem, quam declinabat, eo quod neſcierit id omninò euenturum, quod ſuſpicabatur euenturum, ac ſtudia, quibus illam tutari aggreditur, nil illi, rapiendæ tandem, profutura. Vbi nota improuiſum animi motum opportunè pariter, ac violenter, patheticè adeo erumpentem ex conſideratione miſerandæ prorſus infelicitatis, vt contineri nequeat, quin, interrupto diſcurſu, per parentheſim emergat. Mirum profectò Poetæ artificium, qui ſe ipſum oſtendit ardentem, vt auditores incendat, & in eumdem pertrahat affectum, iuxta illud Rhetorum. Ardeat orator ſi vult Auditorem incendere.

CÆCA. Cæcus dicitur qui oculis captus lumen, nedum non res alias, videre non poteſt. A corpore autem, per proportionem quamdam translatè deducitur ad animam, & præcipuè ad potentiam animæ intellectiuam, quæ mentis oculus eſſe dicitur. Quarè rerum ignarus cæcus appellatur, quia mentis eas oculis non videt, perindè ac ſi mentis oculo captus eſſet. Et in hoc ſenſu ſumitur à Poeta hic, qui Cererem cæcam vocat, eo quod in futurum proſpicere, futuroſq; euentus inſpicere non potuerit: tacitè autem attingit decantatum illud in ſcholis: *De futuris contingentibus nulla datur certa veritas*; hoc eſt nulla in nobis dari poteſt cognitio, de qua poſſimus fieri certiores, num vera an falſa ſit; ideòq; intellectus reſpectu futurorum cæcus dicitur, vt hic habet Poeta dum dicit *Heu cæca*

FVTVRI. Suſpicabatur Ceres, futurum vt raptus ornari poſſet; ſed non videbat omninò futurum, vt Filia raperetur; & iterum fallebat eam opinio, quia rapiendam ſuſpicabatur ab eis, ex quibus non erat timendus raptus; ab eo autem, qui de facto erat rapturus, quippè ignoto, non timebat. *Futuri* autem dixit, vt oſtenderet illam ineuitabilem neceſſitatem euentus, quam ſupra innuimus, nam, quod abſolutè *futurum* eſt, infallibiliter eueniet. Pro qua nota diſtinctionem, quæ eſt inter *futurum*, & *poſſibile*, vt purè poſſibile; nam certe omne futurum eſt poſſibile, ſed non omne poſſibile eſt futurum. Cum autem rerum poſſibilitas nil aliud ſit in re quam mera non repugnantia ad hoc vt ponatur, &, ſi quæras quid de poſitiuo, nil aliud ſit quam diuina potentia potens aliquid creare, vel virtus cauſæ ſecundæ potens producere, ipſa diuina concurrente potentia, vt nos fusè docuimus in Phyloſophia noſtra; ea ſubinde futura dicuntur, quæ Deus de facto ponere, pro temporum diuerſitate decreuerit. Quarè *poſſibilitas* rei eſt ipſa potentia Dei præciſa à decreto ponendi rem; *futuritio* verò, vel *eſſe futurum* rei eamdem importat potentiam, ſed ex præſuppoſito decreto eam ponendi. *Futurum* igitur abſolutè appellat Vates raptum Proſerpinæ ex præſuppoſito illo decreto Iouis, quod innuit in ſuperioribus, dum Iouem inducit deliberantem.

Certa requirenti tandem ſententia ſedit.

& inſuper ex præſcripto ac decreto Fatorum, quibus & Iouem ſubiici credebant, vt diximus, quod decretum occultè attigit ore Lacheſis inquiens:

Poſt Iouem dabitur coniux.

nam cum dixerimus Parcas habitas pro Fatis illud *dabitur* vim obtinet decreti ab ipſis Fatis efformati; quæ decreta cum dignoſcere Ceres non poſſet, quippè occulta, & imperſcrutabilia, neque poterat cognoſcere, futurum eſſe infallibiliter vt filia raperetur, atq; ideò, dum eorum vim effugere satagit, ſpontè ſequitur, ac ſubit; eidemq; implendo cæca deſeruit. Ideò prudentiſſimè dicitur *Heu cæca futuri*.

INFIDIS NATAM LARIBVS &c. Hoc carmen non ſequitur in Parrhaſiano textu ad carmen immediatè ſuprapoſitum; ſed intermediat carmen aliud, quod ſic habet.

Commendat ſiculas furtim ſua pignora terras.

hoc tamen carmen intermedium è textu Vatis expungit Heinſius, vt ſuperfluum; & quidem cum ſequatur:

Æthera deſeruit; ſiculaſq; relegat in oras.

bis idem diceret Vates per diuerſa, quod admittendum non eſt; ideò vulgatæ, & ego Heinſioque, quoad hoc aſſentiens carmen illud, vt ſuperfluum, expunxi. Non tamen ita aſſentior eidem Heinſio, qui hoc ipſum, quod nos exarauimus Carmen; nempè *Infidis natam &c.* delendum cenſet; nec enim video cur iſtud ſuperfluum dicatur, immò neceſſariò mihi videtur addendum fuiſſe; nam expoſito Cereris timore, ex quo inducitur ſollicitudo ſibi, filiæq; conſulendi, neceſſarium fuerat ſubdere Proſerpina e periculo a Cerere ſubductam, & quia in modo conſulendi incolumitati vtriuſq; erraſſe dicta eſt, & cæcorum more proceſſiſſe adnotanda fuerat cauſa, cur dicta ſit erraſſe, quod vnico hoc Carmine quaſi in abſtracto innuit Vates, vt ſubindè plenioris eiuſdem explicationis aditus aperiretur. Neq; hoc eſt idem per diuerſa dicere, ſed per methodum reſolutiuam ab eo, quod in genere innuerat, ad explicationem rerum in eodem genere contentarum deuenire. Ex motiuo igitur concepti timoris impulſa Ceres ad curam Proſerpinæ præſeruandæ tota animi anxietate deuoluitur; ſed in hoc ipſo fallitur infelix; nam vbi tutam fore putabat, ibi raptui exponitur, nec à Fatorum ſerie ſubducitur. Ideò

COMMISIT. *Committere* propriè eſt *aliquid alterius fidei cuſtodiendum tradere*: aptè autem vtitur hoc verbo *commiſit*, vt alluderet ad commune effatum: *Agnum Lupo commiſiſti*, vt patet ex epiteto addito Laribus, queis Ceres filiam commiſerat, dum inquit: *Infidis commiſit Laribus*.

NATAM ALENDAM. Nomine *Nata* filiam ipſam ſignificari, ſatis in comperto eſt. Cum *nata*, quæ & *Gnata* dicitur, idem ſonet, ac *Genita*; & à naſcor deriuatum nomen

men non niſi filiam poſſit indicare. *Alendam* verò dixit, non quod Lares ipſi enutrire Cereris filiam debuiſſent, ſed *alendam* dixit, hoc eſt *educandam*, *fouendam*, *defendendam*.

INFIDIS LARIBVS. Quid Lares ſint, & pro quo accipiantur iam diximus. Cur *infidi* dicantur item patet ex mox ſupra dictis; cum *infidi* nomen eum indicet, cui minimè fidendum ſit, eo, quod proditor exiſtat. Quia igitur Lares, cuſtodes ſcilicet, quos ad Proſerpinæ tutelam delegerat, proditúri, ideſt expoſituri, licet citra culpam, eſſent Proſerpinam, ideò inquit ijs non fuiſſe fidendum, atq; adeò *infidos* vocat: & aduerte, Lares poſſe hic ſumi tàm pro ipſa domo, quam infernus deſcribit, quæ non ſatis munita, ac clauſa eſſet extitura, quàm pro ipſis Dijs domeſticis, quorum cuſtodià nequaquam ſatis tuta à raptu futura eſſet commiſſa illis Proſerpina.

ÆTHERA DESERVIT &c. Quibus medijs filiæ conſulere ſtuduerit Ceres, enarrat iam Vates: & primo quidem fugam ab obnoxio periculis loco arripuiſſe, notat *Æthera deſeruit*. Æthera poſuit Græcorum in morem, qui *æthera* dicunt, vbi nos ætherem diceremus. Æther autem propriè ſphæram ignis ſignificat; aſt hic pro toto ponitur Cœlo. Argutè tamen ætherem potiùs, quam aliam pro toto partem vſurpauit, quia cum Ceres Cœlum relinqueret, ex cauſa Procorum de filia decertantium, iam totum illi Cœlum ſphæra ignis Amoris videbatur, cum recordaretur amorem ignem eſſe, qui totum, quod allicit, incendit, vt notauit de Amore Didonis, loquens Virg. Æn. 4.

Vibuor infelix Dido &c.

DESERVIT. Notum illi erat italicum dictum; nempè

Che non ſi vince amor ſe non fuggendo.

ideò æthera, vbi viderat, Amorem regnantem Martis, ac Phœbi pectora ſubegiſſe, derelinquendum putauit. Adde, potuiſſe Cererem, ex aliquo ſaltem extrinſeco ſigno, agnouiſſe filiam aliquo, leui ſaltem vulnere ab amore tactam, cum trepidaret mixta formidine votum; & quia optimè nouerat ipſa, quod item italico viget pronunciato; nempè

La lontananza ogni gran piaga ſalda.

remouendam e Cœlo filiam duxit, vt ſanaretur. Et verè fugienda ſemper occaſio, ne pereamus, nam certè, qui amat periculum, peribit in illo; & ideò ſemouendam ab occaſione, & periculo raptus filiam rata, *æthera deſeruit*; deſerere enim italicè eſt *laſciare, abbandonare*.

SICVLASQVE RELEGAT &c. Quo perexerit in exilium Ceres, indicat; profuga enim ex æthere Ceres, ac ſecum profugam ducens filiam, æquum erat, vt ſibi, ac filiæ deligeret exilij locum. Nullus autem aptior locus videri potuit, quam ipſa Cereris patria, ceu tellus illi iamdiù addicta, & Sacrata; nam nec tutior in fide, nec diſtans magis ab occaſione deligi poſſe videbatur. Ideò Siculas deligit oras, quæ quomodo ad Cererem pertineant iam dixi in explic. ad Carm. *Æmnae Cereris proles &c.* Igitur Cœlum timens ad terram confugit, quippè in ditione matris Cybeles poſitam; & Trinacriam deligit ſuam, vt ibi pignus vnicè dilectum valeat aſſeruare.

ET RELEGAT. Relegare italicè eſt *appartare, ſeparare, allontanare*; ideò aptè ex dictis *relegat*. Item *relegare* idem eſt, ac *in exilium mittere*. Cum igitur propriſſima cœleſtium Deorum ſedes cœlum ſit, dum ab ea peregrinantur, exulare dicuntur: ideò aptè *relegat*; & etiam vt oſtendat, diſceſſum huiuſmodi à Cœlo, contra vtriuſq; voluntatem, ab ipſis arreptum fuiſſe; cum inuoluntarium ſit, licet ſpontè factum videatur quidquid fit propter metum cadentem in conſtantem virum.

SICVLAS IN ORAS. Ora propriè loquendò eſt, extremitas cuiuſcumque regionis; italicè *il confine*; propriſſimè tamen oræ dicuntur littora maris fluctibus contermina. Quare huius vocis virtute inſulam ponto circumfluam deſignat, cum oris, hoc eſt littoribus, vndequaq; claudatur, vt ex eiuſdem deſcriptione inferiùs patebit: hic tamen oras poſuit pro tota Inſula Siciliæ, à qua deriuatum eſt nomen *Siculus*. Itaq; Ceres vt filiam tueretur, raptoribuſq; ſubducat, Siciliam deligit in aſylum. Quam rectè, inferiùs patebit.

INGENIO CONFISA LOCI. Præter rationes iam indicatas, quibus moueretur Ceres ad ſiculas oras eligendas, aliam hic ſubdit Poeta, Cereris fini maximè congruentem, nempè ſitum ipſum Siciliæ, quæ videretur raptoribus impenita, adeò munita ipsâ loci aſperitate eminebat, vt infra.

CONFISA. A verbo confido, quod propriè eſt *ben fidare, vt, omni remota dubitatione, videatur animus in tuto poſitus aſylum inuiolabile reperiſſe*; atq; huius fiduciæ fundamentum aperit Vates, dum innixam oſtendit.

INGENIO LOCI. Ingenium enim eſt ipſa cuiuſcumq; rei natura; & dicitur à gignendo, eo quod cuique propria ſit, & ingenita natura; & hinc eſt, vt etiam rationalis animæ facultas ingenium dicatur, quia illi ingenita. Quarè *confiſa ingenio loci*, nil aliud eſt; quam tutam ſtationem illam à Cerere habitam, ſpectata natura, ſitu, ac circumuallatione à maris fluctibus efformata, quibus inacceſſibilis videretur.

Ex his percipies, quo ad mores, Proſerpinam anxiè defendendam, ne raptui exponatur: Proſerpina verò vicem hic ſubit illius theſauri, de quo ait Apoſtolus: *theſaurum habemus in vaſis fictilibus*, animæ videlicet rationalis. Hanc Ceres fouet; non quidem quia anima eſcis veſcatur carnalibus; ſed quia, corporis alimenta, dum corpus fouent, fouent etiam, & tuentur vnionem illam, qua anima in ipſo corpore detinetur; & ideò videtur per ipſa vitere alimenta, non quidem *vita propria*, cum hæc materialis non ſit, conſequenter nec materialibus nutriri poſſit alimentis, cum ijs nutriamur quibus conſtamus, ſed *vita compoſiti*, ſeu *vnionis*, quæ in vnione conſiſtit. Quia verò corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, quæ intrinſecus per fomitem peccati humanæ inſitum naturæ, extrinſecus autem, per occaſionum frequentiam ſollicitatur ad peccandum; cauendum ſedulò, ne raptui exponatur. Sed perſpexeris, vno eodemq; tempore, quam fallax ea cura ſit, quæ pulcherrimam hanc Proſerpinam à cœlo auertit, vt eam tueatur in terris. Fugiendum procul dubio ab occaſionibus peccandi; ſed recta ea fuga non erit, nec tutam ducet in ſtationem, quæ, Cœlo terga vertens, ſpes ſuas terris protrahit inniras. Non peritura erat, ſi Cœlis inhæſiſſet Proſerpina; at terris commiſſa raptui tartareo exponitur. Fugere ſtatuis à peccato, & fugam adornas in Siciliam, ideſt in domum vbertatis, in domum affluentiæ, conuiuij, & commeſſationis; nam fertiliſſimum habet ſolum Sicilia, horreum olim Romanorum, ideò hæc omnia ſuggerit? Fuga hæc non eſt à periculo, ſed ad periculum. Fugiendum quidem e terris, ſeu meliùs e Cœlo illo imaginario, quod à voluptuarijs effingitur in terris, & fugiendum *in domum Cereris*, quod idem eſt, ac *in domum panis*; ſed illius Cereris, ac panis, qui de Cœlo deſcendit, vt nos deferret in Cœlum: *in domum Cereris*, ideſt in templum illud, vbi Euchariſtico pane refecti egrediemur inde, tamquam Leones ignem ſpirantes, facti Diabolo terribiles. Aſt fugere in domum commeſſationis, ac luxus eſt Trinacriam petere, ideſt terram ex qua triplicatus mons ſuperbiæ in nos aſſurgat, ac, triplici aggreſſus hoſte, facilè rapiat. Non ſibi non terræ fidendum; noſtra enim ſaluatio in Cœlis eſt. Veluti à facie colubri fuge peccatum, ſed ad Cœlum tendas, non ad terram. Nec videatur hæc à ſenſu Vatis, quem Ethnicum faciant, diſſona moralitas; nam & Ethnici dicere conſueuerunt *Ab Ioue principium*; quaſi ſalutem ſuam procurantem ad Iouem accedere, non à Ioue recedere profectò debeant, vt viam ſalutis exordiantur.

Sed interim Caſtaliæ inſonent noſtræ, Italicis, vt animum relaxemus, fidibus concinentes.

Del quarto Ciel la douitioſa parte,
Ch'hà d'Erigone in ſen la meſſe d'oro, — *Spica cęlebes ſeu in decima parte Virginis, quã aliqui Cererem eſſe voluerunt.*
De gran riuali al gareggiar comparte
Eccho ſonora. Il virginal teſoro
Brama ſoggetto alle ſue forze vn Marte:
Febo, de lumi il principal decoro,
Nello ſteſſo deſio tutto s'infiamma;
E di ſdegno trà lor ſorge la fiamma.
Preuale al Dio di Cintho, il Tracio Nume
Co'l vaſto honor de gl'adorati ancili:
Delio dell'arco ſuo le glorie aſſume,
Maggiori aſſai delle diffeſe hoſtili.
Quindi, le palme à qual tributi Idume,
Brama, trà dubij ſuoi, d'Ariadna i fili:
Onde l'aſpra tenzon libran del pari
D'ambi gl'Amanti i riueriti altari:
Ofre il Rhodope in dono, e ciò, che varca
Nato l'Hebro da maſſi, il Dio dell'armi:
Dell'Amata, in tributo, à piedi ſcarca
Delo, Claro, ed Amicla, il Dio de carmi:
Quindi Latona, indi Giunon rimarca

Con ſue feminee garre impreſſi i marmi;
Sì d'ambi il cuor Proſerpina deſia,
Che per tal nuora hauer, ſe ſteſſo obblia.
L'vno Cerere, e l'altro à ſcherno preſe;
E ſprezzò inſieme e i donatori, e i doni;
Mà violenti temendo altre ſorpreſe,
Che non fece vna Cinthia à gl' Endimioni;
Scielſe lungi altra ſtanza; e nel Paeſe,
Oue ſudano i Bronti, e i Piragmoni,
Bandì ſeco la figlia. Ahi del venturo
Cieca, che, più ch'al Ciel, fidoſſi à vn muro!
Laſciò le ſtelle; e 'l pegno ſuo conduſſe
Della Sicilia ad habitare i lidi.
L'adoration, ch'al di lei culto adduſſe
L'Iſola, da gl' inſulti, è, che l'affidi;
E più, che tal natura iui produſſe
Sito, ch' entrarui occulto ogn' vn diffidi.
Così, mentre il ſuo ben ſerbar diſpone,
In tetto infido, al predator l'eſpone.

Sed Trinacriæ nos ſitum apertiùs ex Poeta perpendamus.

Trinacria quondam
Italiæ pars vna fuit; ſed Pontus, & æſtus
Mutauere ſitum: rupis confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes,
Paruaq; cognatas prohibent diſcrimina terras.
Nunc illam, ſociâ raptam tellure, triſulcam
Opponit natura mari. Caput inde Pachini
Deſpicit Ionias protentis rupibus iras:
Hinc latrat Getula Thetis, Lilybæaq; pulſat
Bracchia conſurgens: hinc, dedignata teneri,
Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum.
In medio ſcopulis ſe porrigit Ætna peruſtis;
Ætna giganteos nunquam tacitura triumphos,
Encelladi Buſtum; qui, ſaucia membra reuinctus,
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur;
Et, quoties detrectat onus, ceruice rebelli,
In dextrum, læuumq; latus; tunc Inſula fundo
Vellitur; & dubiæ nutant cum mænibus vrbes.

TRINACRIA QVONDAM &c. Ex ſuperius dictis, vale dixerat Cœlo Ceres, & Proſerpinam ſuam ſiculas relegabat in oras, vt eam Procorum raptui ſubduceret, ingenio, vt inquit Vates, confiſa loci. Iam verò iſtius confidentiæ, ne ad placitum conficta videretur, fundamentum aſſignaturus Siciliam Inſulam deſcribit, vt ex ipſa deſcriptione conſtet, quam meritò, attenta prudentis conſideratione, eam in Aſylum delegerit Ceres; nam ex ſitu inacceſſibili, ex montium triplici munimine, ex circumfluo mari, tempeſtatibus ferè ſemper obnoxio, ex monimento pœnæ, qua rebellantes Dijs inibi punirentur, expreſſo in Encelladi buſto ſub ætna &c. rectè videri poterat tutiſſima ab iniurijs ſtatio. Ideò deſcribit. Trinacria itaque Inſula eſt Tyrrheni maris anguſtiſſimo freto ab Italicis finibus ſeiuncta. Olim Italiæ creditur adhæſiſſe, ſed poſtea vel terræ motu, vel alia impellente cauſa ab eâdem Italia ſeceſſiſſe, vndè & Siciliam dictam autumant à *ſicilendo*, ideſt *abrumpendo*, ita vt dictam aſſerant *Secillam*, quaſi *ſeceſſilem*, eo quod ab Italia, cuius illa pars erat ſeceſſerit. *Trinacria* autem hæc dicitur, & *Triquetra* à figura triangulari, quam habet; nam eius eſt figuræ, vt ſuarum partium diſpoſitione litteram in alphabetico græco quarto loco poſitam, quæ Δ eſt, repreſentet. Seù, vt alij dicunt *Trinacria* dicitur à tribus Promontorijs, quibus tres eiuſdem anguli clauduntur, Pachino ſcilicet, Lilybæo, & Peloro, de quibus infra dabitur differendi occaſio; hanc autem Trinacriæ denominationem ab illis deducunt, quia Græci ἄκρα ſummitates vocant, & ideò *Trinacria* quaſi Τριάκρα munitiſſimam hanc ſimul, ac fertiliſſimam inſulam facit etiam Lucanus Pharſ. 3. vbi ſic.

Curio ſicanias tranſcendere iuſſus in vrbes,
Qua mare tellurem, ſubitis aut obruit vndis,
Aut ſcidit, & medias fecit ſibi littora terras.
Vis illic ingens pelagi, ſemperq; laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes;
Bellaq; Sardoas etiam ſparguntur in oras.
Vtraq; frugiferis eſt Inſula nobilis aruis,
Nec plus Heſperiam longinquis meſſibus vlla,
Nec Romana magis complerunt horrea terra &c.

Hæc itaque opulentiæ ſedes quam Trinacriam vocant.

QVONDAM. Ideſt ab antiquo tempore: nam *quondam* aduerbium præteriti temporis eſt, & quidem longè præteriti, ad denotandam rei antiquitatem.

FVIT VNA PARS ITALIÆ. Italia regio eſt Europæ olim Heſperia dicta, vel ab Heſpero Atlantis fratre, qui, ex Africa ab Atlante pulſus, Heſperiæ nomen dedit, vel vt alij malunt, ab Heſpero ſtella, eo quod occaſui ſubiecta ſit. Caue tamen æquiuocationem; nam duplex Heſperia eſt; altera ab Heſpero Atlantis fratre, Heſperia dicta, quæ Italia eſt; altera ab Heſpero ſtella, quæ ad diſtinctionem, *Heſperia vltima* dicitur; & eſt Hiſpania occidentalis; Quamuis Græci Italiam ab Heſpero ſtella denominatam velint, quia ipſis occidua Italia eſt. Dicta etiam fuit Oenotria ab Oenotrio Sabinorum rege, ſeù, iuxta aliorum interpretationem, à bonitate vini, quod in Italia naſcitur, nam vinum Græci οἶνον dicunt. Tandem Italia dicta ab Italo Siculorum rege, qui Italos agriculturam docuit, leges condidit, & ad meliorem frugem reuocauit. Ex quo conijci poteſt, quam verum ſit, Siciliam Italiæ quondam fuiſſe partem, cum ſub Siculorum rege tota eſſet Italia, orbis ſcilicet viridarium, & cuius poſtremas denominationes, vbertatemque attigit Virg. Æn. 1.

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt;
Terra antiqua potens armis, atq; vbere glebæ;
Oenotrij coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentes.

Italiam autem certum eſt à Iugis Alpium, dorſoq; Apennini exporrecta ſe ad Siculum vſque fretum attollere; quod innuere volui, vt ſcias, non à veriſimili abeſſe, qui dicunt Pelorum Trinacriæ promontorium partem fuiſſe ipſius Apennini montis, ab eodem poſtea deciſam, & conſequenter Siciliam partem totius Italiæ fuiſſe. Arrogat Virg. Æn. 3.

Aſt vbi digreſſum Siculæ te admouerit oræ
Ventus, & anguſti rareſcent clauſtra Pelori;
Læua tibi tellus, & longo læua petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge littus, & vndas.
Hæc loca vi quondam, & vaſta conuulſa ruina
(Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas!)
Diſsiluiſſe ferunt, cum protinùs vtraq; tellus
Vna foret: venit medio vi pontus, & vndis
Heſperium Siculo latus abſcidit, aruaq; & vrbes
Littora deductas anguſto interluit æſtu.
Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis
Obſidet, atq; imò barathri ter gurgite vaſto
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſq; ſub auras
Erigit alternos, & ſydera verberat vnda:
At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem.

ex qua Virg. deſcriptione facilè videas, quam ex Pelori parte inacceſſam putauerint antiqui Trinacriam. Et verè Siculum, hac parte, fretum ſemper nautis horrendum, ſemper infauſtum fuit; ita vt Saluſtij opinio fuerit, Peloro nomen inditum fuiſſe à quodam Peloro Annibalis Nauclero, eo quod Annibal adeò anguſtum Pelori fretum perhorreſceret, vt cum videret nauem ſuam ductore vehente fretum illud ingreſſam, veritus in vectore proditionem, eum interemit, ac in promontorio humauit eodem. Sed licet verum ſit Annibalis factum; tamen antiquius nomen Pelori eſſe aſſerunt alij, quam vt ab hoc Annibalis Peloro ducatur. Quomodo autem Pelorus, ac tota cum eo Sicilia fuerit à reliquo totius Italiæ corpore diuiſa, vix ſatis conſtat. Aliqui ex terræ motuum acerrima concuſſione hoc proueniſſe arbitrantur: alij ex ipſo mari, quod in obiectas montium cautes, diuturna æſtus repercuſſione, inuectum, ſaxa ipſa terebrauerit, ac fregerit, ita vt in vaſtas, ſubtus, cauernas hiſcere coegerit, ex quo ſubindè factum, vt proprio pondere, ſubductis vtique fundamentis, decidens à monte Mons, nempè ab Apennino Pelorus diuelleretur, libera mari viâ relictâ inter montium ruinas: nec diſceſſit ab hac opi-

opinione Virg. ſupra, dum huiuſmodi diuiſionem temporis antiquæ tribuit voracitati; nam certè hæc ſubterraneæ, ac longè, lateq; profunda excauatio fieri non potuit ex maris repercuſſione, niſi longâ temporis accedente diuturnitate; vtramq; cauſam conueniſſe facilè crediderim, nempè & terræ motuum impetum, & præcedentes ex mari ſubterraneas excauationes: nam & Charybdis voragines, & ſcopuloſos Scyllæ amphractus non niſi ingentem excauationem, & violentiſſimam indicant ruinam, viſcera montium inæqualiter adeò diſcerpentem. Sed, vt ad inſtitutum regrediamur, cauſam huius diuiſionis refundit principaliter Claudianus in ipſam maris violentiam, ſed ita tamen, vt & violentos motus ipſius terræ, licet vocabulo æquiuoco incluſerit potiùs, quam excluſerit, vt infra videbimus. Interim obiter nota primam in *Italia*, per Ectaſim, productam ex breuium occurrentia, vt facit & Virg. Æn. 1. *Italiam fato profugus &c.*

SED. Particula, hoc loco, aduerſatiua eſt; nam quod fuit ante vnitum, diſiunctum ex aduerſo ſubijcit.

PONTVS. Mare illud propriè Pontus dicitur, quod à Mæotide palude incipiens ad Tenedum vſq; protenditur, ampliatiuè autem pro quouis ponitur Mari per Cathacreſim.

ET ÆSTVS. Superiùs in voce *Pontus* attigit vnam ex cauſis, quibus diſcerpta à corpore totius Italiæ Sicilia creditur; nunc autem, per particulam coniunctiuam *Et*, ſecundam cauſam primæ copulat, nempè maris violentiæ violentiam ſubterraneorum ſpirituum; nam *Æſtus*, ne hoc videar inficiari, certè ſumitur pro motu, & agitatione fluctuum maris, vt patet ex centenis Poetarum locis, quæ afferri poſſent: & profectò Cic. 3. de Oratore: *Iam*, inquit, *exiſtunt turbines, feruet æſtu pelagus &c.* Et fretum porrò præcipuè Siculum ingentibus adeò motibus exæſtuat, vt vndarum in ſe recurrentium atrox, ac torrens pugna non experientibus modo, ſed & videntibus adſit terribilis; quandoquidem vndarum aliæ, quaſi terga vertentes in imum ſubſidunt: aliæ quaſi victrices, vrgenteſq; feruntur in ſublime, & nunc fremitum aſſurgentis æſtus, nunc gemitum in voraginem deſidentis exaudias, iuxta id quod innuit Virg. Æn. 3.

Tollimur in Cœlum curuato gurgite, & ijdem
Subducta ad manes imos deſcendimus vnda.
Ter ſcopuli clamorem inter caua ſaxa dedere;
Ter ſpumam eliſam, & rorantia vidimus aſtra.

Verum, ſi Poeta noſter in hoc ſenſu æſtum accepiſſet, videretur ſuperfluè additum nomen *æſtus* in carmine poſitum; ſi enim arbitratus ipſe fuiſſet, ſolam maris vim cauſam fuiſſe huius diuiſionis, ſatis eam expreſſerat dicens *Pontus mutauit ſitum*; ad quid igitur addidit *& æſtus*? Scio reſponderi poſſe, Poetam voluiſſe indicare *modum*, ſeù *inſtrumentum*, aut *quaſi inſtrumentum*, quo mare montem diſieciſſet. Verum, ſi hoc voluiſſet Vates, profectò dixiſſet *Pontus æſtu diſiecit*, ſeù *mutauit &c.* Dici tamen adhuc poteſt, Poetis hoc licitum eſſe, quo faciliùs metro diſcurſum accommodent, nempè vt inſtrumentum, non ablatiuo efferant, ſed nominatiuo caſu, illud tamquam cauſam principalem, alteri tamen coniunctam, quia inſtrumentum de ſe non operetur, ponentes. Sed eſto hoc verum ſit de inſtrumentis ab ipſa cauſa principali diſtinctis, vt ſi dicerem *manus, & malleus clauum pellunt*: certè non militat in inſtrumentis, quæ propriè inſtrumenta non ſunt, licet admodum inſtrumentorum explicentur, ſed potius ſunt ipſum formale determinatiuum potentiæ non diſtinctum ab ipſa cauſa principali. Quis enim non in cachinnos erumperet, ſi dicerem: *Gigas & eius vires domum diruunt*? Quis neſciat Gigantem non, niſi viribus adhibitis, id facere? Nonne igitur hoc addere prorſus ſuperfluum eſt? Eſto tamen non ſit ſuperfluum, ſi per ablatiuum modi efferatur, certè, ſi per copulam & nominatiuo efferatur, abſonum erit non ſolum, ſed abſurdum. Quid enim illa particula &, quæ vtique copulatiua eſt, quid, inquam, copulat? An idem copulet cum ſe ipſo? Ecce manifeſtum abſurdum, manifeſtam ſuperfluitatem. An aliquid diuerſum copulat cum diuerſo? Iam erunt hæc diuerſa, quæ inuicem copulentur aſſignanda. Cum igitur Poeta noſter dixerit *Sed Pontus, & æſtus mutauere ſitum*, non potuit *æſtum* accepiſſe pro ipſa maris agitatione; cum certum ſit, mare non agitatum nullam vnquam vim allaturum, quarè ſuperfluum fuiſſet addere *& æſtus*: ſubindè quid copulat per particulam &? an mare agitatum cum ipſo mari agitato? Hoc ridiculum dictu eſt. Quarè dicendum, cauſam cauſæ ſuperaddere diuerſam, nempè frementi, agitatoq; mari *æſtum*, diuerſam vtique cauſam importantem connectere. Quæ autem illa ſit, non erit explicatu difficile, ſi perpendamus, quid translatè ſignificet.

Æſtus igitur non ſolam maris agitationem ſignificat; ſed metaphoricè transfertur ad ſignificandam quamcumq; animi paſſionem tumultuarijs affectibus efferueſcentem; ſic dicitur *æſtus* Amoris, odij, libidinis &c. agitatio. Ex quo licet inferre, poſitum hic *æſtum* genericè, pro quacumq; agitatione, nam ſic omnia rectè procedunt, & cauſa, quæ cum agitatione maris, per particulam & connectitur, erit agitatio ventorum, ſeù, quod idem eſt, ſpirituum ſubterraneorum, quibus terra ſæpe concutitur, & dehiſcit; Terræ motus enim nil aliud eſt, quam terræ concuſſio, quæ à ſpiritibus, ſeù ventis, terræ incluſis, exitumq; ſibi molientibus, fit; vt fuſiùs habebitur infra. Adde, in locis maritimis, terræ motum nunquam fieri, quin & vehementiſſimæ fiant maris exundationes, eodem ſpiritu impellente, atq; ex imo fundo vndas agitante. Quarè ſi *æſtus* agitatio vndarum ſit, ponetur hic effectus pro cauſa, vel ſignum pro re ſignata; atque adeò, ſi primo ad vltimum, vides, quam aptè, per verba *Pontus & æſtus*, geminam copulet cauſam, nempè maris excauationem, & terræ motuum æſtum, vt nos ſupra dicebamus; quibus concuſſi diſſiluerint montes &c. Et ideò, vt arbitror, inquit Vates

MVTAVERE. Vt per verbum plurali numero adhibitum, clarè denotaret, non vnam ſe, ſed plures cauſas aſſignare mutationis. *Mutare* autem idem eſt, ac *variare, & diuerſum facere ab eo, quod erat quod erat*; & certè, ſi ex vnica terra duæ fiant, diuerſa vtriq; facies, & partium diſpoſitio reſultet neceſſe eſt. Quam mutationem, ſeù nouam partium diſtributionem, earumdemq; nouæ diſpoſitionis reſultantiam vt indicaret Vates, non dixit ſimpliciter: *mutauere locum tellure*; ſed *mutauere*, inquit, more ſuo acutiſſimè.

SITVM. Hæc enim differentia eſt inter *locum*, & *ſitum*; quod locus dicat tantum ſuperficiem immediatam locato, præſcindendo à tali, vel tali partium corporis diſtributione, ſiuè in ordine ad ſe, ſiuè in ordine ad aliud, nempè ad ipſum locum; & ideò definitur locus *ſuperficies corporis ambientis immobilis*. At verò *ſitus*, quem alij vocant *locum intrinſecum*, importat formaliter talem, vel talem partium diſpoſitionem: ſic ſitus corporis humani eſt, vt caput collo inſideat, pedes poſtremam corporis occupent partem &c. Quarè, ſi caput à collo præcidatur, certè ſitus vtriuſq; nempe & capitis, & corporis mutatur, nam alia, diuerſa à prima, reſultat diſpoſitio partium: ſic pariter Sicilia, Italiæ vnita, diſpoſitione partium totius fruebatur; abſciſſa aliam ſortitur diſtributionem à toto. Ideò *mutauere ſitum*.

RVPIT CONFINIA NEREVS &c. De Nereo pauca attigimus in explicatione ad Carm. *Neptunum gremio &c.* vbi Amphitritem Nerei filiam fuiſſe dicebamus. Hic tantum, quæ reliqua ſunt, licuerit, ad propoſitum, delibare. Nereus igitur Oceani, & Thetios filius dicitur, eumque Vatem eſſe crediderunt antiqui, cum Troianas etiam calamitates Paridi prænunciauerit apud Hor. lib. 1. Carm. Ode 15.

Paſtor cum traheret per freta nauibus
Idæis Helenam perfidus hoſpitam;
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, vt caneret fera
Nereus Fata. Mala ducis aui domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et Regnum Priami vetus &c.

Hunc maris deum eſſe, maribuſq; præeſſe cenſuerunt; ac in mari ſemper habitare ſolitum, quippè qui ab vndis educatus, ab vndis fuerit enutritus, vt refert ex Euripide Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 6. Quarè, enarratis veris euulſæ ab Italia Siciliæ cauſis, fabuloſam adnectit Poeta hic, hanc Nereo diuiſionem tribuens, qui aſſuetarum tandem pertæſus vndarum voluerit imperij ſui pomeria dilatare, atq; in edomitas terras ditionis ſuæ ſceptrum inducere, atq; per inuia viam æquoreis fluctibus patefacere. Dioniſius Punicus, & Euſtathius aſſerunt Neptunum Tridentis ictu inſulam diremiſſe, non Nereum. Sed aduerte, quod Nereus pro Neptuno quandoq; ponitur, & vterq; promiſcuè pro mari; nam Tritonem Nereo Patre, genitum prodit Lycophron, quem plures poſt Aceſandrum Neptuno. Certè Virg. Nereum pro Neptuno poſuit Æn. 2. dum ait:

Conflictunt Zephyruſq; Notuſq;, & lætus Eois
Eurus equis: ſtridunt Syluæ, ſæuitq; tridenti
Spumeus, atq; imo Nereus ciet æquora fundo.

Nereo enim, quem mitem vocat Heſiodus, placidum verò Claudianus ſæuities conuenire non potuit, vt doctè notat

in

in hunc locum Parrhaſius. Diſcrepant itaq; in nomine, non in re Auctores, nec noſter redarguendus, qui Virgilium fuerit ſecutus.

NEREVS igitur, qui eo vſq; aſſuetis vndis littoribuſq; delectatus ſe ſe intra præſcriptos vndarum fines continuerat, vagus iam nouas ſedes peragrandi.

RVPIT CONFINIA. In prima orbis huius molitione, rerum omnium conditor legem ponebat aquis, Prouerb. 8., ne tranſirent fines ſuos; & ex diſpoſitione ipſa naturæ videtur locus vndis aſſignatus, ne tranſeant fines ſuos. Ideò Nereo vndarum numini interdum videbatur fuiſſe, ne terrarum ſibi vnquam vſurparet Imperium non ſeuere adeo tamen, vt ex diuina diſpenſatione, vel in oſtentum prodigij, vel alia inperſcrutabili de cauſa, non poſſet interdum mare terras ipſas vndarum vorticibus abluere. Hoc itaq; quod à ſupremo conditore, ſeù, quod idem eſt, à Natura naturante, ſtatutum habemus ex ſacris litteris, tribuit Poeta Naturæ naturatæ, vel certe Ioui, quem omnium moderatorem antiqui ſtatuerunt Poetæ, quod autem hoc Ioui, ac Naturæ tribuerit Vates, habetur apertè in deſcriptione telæ, quam acu pingere effingitur Proſerpina circa finem huius libri, vbi dicitur:

Inſignibat acu, veterem qua lege tumultum
Diſcreuit natura parens, & ſemina iuſtis
Diſceſſère locis &c. & inferiùs
Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.

Inſuper ex diuiſione Imperij inter Iouem & Neptunum, de qua alibi egimus, cum Neptuno obtigerint maria, & quidem in eo, quo tunc erant ſtatu debuit antiquo Neptunus alueo contentus abire, nec terras, in fratris ditione poſitas, facta irruptione, ſibimet vindicare. Confinia igitur Nerei terra erat, quæ, clauſtrum quaſi, obijciebatur, ne ille vlterius pertranſiret: *confinium* enim propriè *terminus* eſt, *vltra quem tranſferens nefas ſit*: quarè confinia propria Nerei vnda vltima fuerat, quæ terram adlamberet; Confinia verò Cybelis, quæ Dea terræ eſt, ſeù Iouis, quatenus in ditione habere, & ſuperficiem huius terræ intelligitur, erant extremitates terræ, qua vndis copulabatur. Rupit igitur confinia Nereus, nam, cupiditate, prædominantium propria, fines dilatandi, & Imperium ampliandi, ſuis vndis minimè contentus alienos in fines tranſiliuit, & in terrarum ſe ſe inſinuauit ditionem non ſuam per diſiectas mare terras impellens.

VICTOR. Nam non obſtante reſiſtentia terræ campum ipſe obtinuerat, ac per diſcerpta montium viſcera vndarum agminibus viam patefecerat.

ET INTERLVIT. *Interluere* eſt *inter vtrumque lauare*; hoc eſt Apenninum, & diuulſum ab eo Pelorum. Ex conſequenti autem hic antecedens proponitur deducendum; nam ſi lauit ſpatia intermedia, certè per illa effluxerit neceſſe eſt.

ÆQVORE. Totum pro parte ponitur; nam pars æquoris non totum æquor ſiculo intercluditur freto.

ABSCISSOS MONTES. Hæc ſatis patent ex dictis, nam *abſcindere* eſt *vnum ab altero ſcindere*. Cum igitur Nereus, vt viam vndis ſtrueret Pelorum, partem ſcilicet Apennini, ab ipſo Apennino ſciderit, & geminos ex vno effecerit montes, interfluens ſubindè, atq; vtriuſq; calcem vndis obruens interluit certè abſciſſos montes.

PARVAQVE DISCRIMINA. *Diſcrimen* hoc loco eſt *Interuallum, diſtantia, intercapedo*, quæ tamen periculis obſita ſit, atq; ideò iure diſcriminis nomen ſortiatur, nempè & quia diſcriminet, & quia in diſcrimen conijciat præter nauigantes. Interuallum autem, quo ab Italia dirimitur Sicilia, eſt intercapedo illa, quæ inter diuulſos montes interiacet, & quæ, mari iam obruta, Siculum dicitur fretum, vulgò *Faro di Meſsina*; quod fretum quantis ſit obſitum periculis, ac naufragantibus celebris, ſatis conſtat ex dictis de Scylla & Charybdi iter illud obſidentibus, vt ex Virg. cit., & infra melius emicabit. Hæc autem diſcrimina dicuntur

PARVA, non reſpectu periculorum, ſed reſpectu modici interualli, quo terræ diuiduntur; nam fretum Siculum non magis mille, ac quingentis paſſibus in latitudinem protenditur, eo difficilius, quo anguſtius; tot enim paſſibus Sicilia diſtat ab Italiæ Agro Brutio, cuius pars dicitur fuiſſe, nunc æquore interlabente diuiſa.

PROHIBENT COGNATAS TERRAS. Ideſt terras iam vnitas diſiungunt, & alteram ab altera auertunt, atq; à priſtina inter ſe communione prohibent; nam certè non adeſt nunc libera inter vtramq; terram, æquore interpoſito, priſtina ex Apennino in Pelorum commeatio; & freti tranſfretandi pericula, arcent etiam vtriuſq; incolas à tam frequenti commercio. Ideò *Prohibent cognatas terras*. *Cognatæ* enim dicuntur, quaſi *vnà communiter natæ*; atq; ideò Sicilia, & Italia *cognatæ terræ* dicuntur, quia *vnà ſimul natæ*, ac communi vinculo olim aſſociatæ.

NVNC ILLAM SOCIA &c. Dixit, quomodo ſe habuerit Sicilia ante diuiſionem; diuiſionem ipſam recenſuit, à Nereo factam; &, quia dixerat mutatum fuiſſe illius ſitum, iam ad deſcribendum nouum Siciliæ, poſt diuiſionem, ſitum progreditur, & per particulam

NVNC denotat, de præſenti quinam ſit, prout præterito iam amiſſo ſitui opponitur. Particula enim *nunc* præſentis temporis eſt.

NATVRA. Natura propriè ea eſt, quæ res, vt tali modo naſcantur, efficit. Verum, cum non ſic nata Sicilia fuerit, ſed caſu, aut Nerei vi, à naturali eius priſtino ſtatu diuulſa; quomodo datum illi talem, poſt diuiſionem, ſitum à natura, aſſerit Poeta? Pro intelligentia, aduerte, Naturam ab antiquis inter Deas enumeratam fuiſſe. Immò Seneca lib. 4. de Beneficijs, Deum ipſum rerum omnium opificem *Naturam* appellat his verbis: *quid aliud eſt Natura, quam Deus, & diuina ratio toti Mundo, ac partibus eius inſita?* Et Plinius quidem Naturam *parentem, rerumq; opificem* nominat. Concordant hæ ſententiæ cum Chriſtianis Phyloſ., & Theol., communiter Naturam diſtinguentibus in *Naturam naturatam*; ideſt rem ipſam, creatam, ſecundum exigentiam naturæ vniuerſalis, & naturæ creatæ; & in *Naturam naturantem*; nempe ipſum Naturæ creatæ auctorem Deum. Hoc poſito. Si loquamur de *Natura naturata Siciliæ*, prout Italicis oris coniunctæ, certe diſiungi non exigebat, nec nouum ſibi ſitum inſtituiſ. Sed, poſito caſu eiulſionis, certè exigebat adhuc diuulſa conſeruari in ſuo eſſe, nec in interitum illi fieri ſitus mutationem. Quarè ab hac ipſa natura rei, prout in talibus circumſtantijs poſita, dici poteſt nouus Siciliæ ſitus promanaſſe, illum tamen principaliter operante Naturâ ipſa naturante, cuius ratio, & prouidentia, cum omnibus inſit rebus, dum dat eſſe, dat & conſequentia ad eſſe: quare, cum Siciliæ dederit, auulſa eſſe, & auulſam conſeruari; debuit & dare conſequentia adeſſe, nempe ſitum, quem deſcribere aggreditur Poeta: quod ſi cum Poetis loquamur Naturam inter Deas enumerantibus, ad hanc Deam ſpectaſſe prædictum munus in ſenſu Poetico dicendum eſt. Ideò prudenter inquit: *Nunc illam &c. opponit Natura mare.*

OPPONIT ILLAM. *Opponere* eſt *ex oppoſito ponere*. In cuius verbi efficacia adnotare licet prouidentiam Naturæ ipſi inſitam verbo; *opponit* enim, inquit, quaſi dixerit: violenter ſe in terras diſiectis montibus intruſit mare? hoc ipſum ſui ipſius opus magis mare ipſum coerceat, ac nouo quaſi carcere detineatur; nam ex vna parte reliquum adhùc Italiæ oppoſitum erit ad impetum vndarum coercendum, ex alterâ, pars ipſa ab Italicis oris diuulſa opponetur, vt, efformatis ſibi à ſemetipſo compedibus, reprimatur. Pronomen verò *illam* inſulam de qua diximus ſignat, & in memoriam reuocat.

RAPTAM. Ideſt *diſruptam*, auulſamque, poſtquam ſcilicet diſrupta fuerat, & à reliquo corpore auulſa, eo, de quo diximus, maris impetu. Ideò alij legunt *Ruptam*; ſed non tolerandi ſunt, vt notat Heinſius, quia Ruptio præceſſerat, & rapta per diſruptionem remanebat. Addo ego quod *rupta* videtur ad inſulam ipſam referri, quaſi ipſa in ſe rupta, & confracta eſſet, quod eſt falſum; nam licet à reliquo Italiæ corpore ſciſſa, & abſrupta fuerit, tamen in ſe ſolida, & integra perſeuerat.

SOCIA TELLVRE. Hinc intelliges *raptam* poni pro *ereptam* ab Italia, quæ ſocia priùs fuerat tellus, ideſt vnionis illi vinculo adhærens.

TRISVLCAM. Figuram hic notat Siciliæ triangularem factam, vt ſupra dicebamus; ſicq; nouum illius ſitum deſcribit; Triſulcum enim dicitur, quod triplicem habet aciem, ſeù triplicem aſpectum, aut proſpectum. Niſi velis intelligere triſulcam dici; ideſt triplici ex parte oppoſitum mare findentem in ſulcos, ſeù ex triplici ipſam mare peraratam, atq; infixis vndequaq; exeſam ſulcis, ideòq; nautarum acceſſui ſemper difficilem: nam nec iſta abſona erit expoſitio; curua enim ſemper, & excauata à fluctibus maris littora exſulcata cernuntur ſemper, ac præcipuè vbi magis promontoria fluctibus eminent; nam cum fluctus ſublimitatem nequeat tranſcendens dilatari, ſæuius furit, & impetit, ac diductis excauat ſulcis. Ideò nec lectionem Heinſij improbare auſerim, qui hoc loco legendum putat.

Nunc illam, ſocia raptam tellure, triſulco

Opponit natura mari;

Barthius cum Parrhaſio noſtris adhærent, ſed legunt.

Nunc illam, ſortæ vapeam, tellure, triſulcâ,
Opponit natura mari.

ſed non videtur à vulgata noſtra recedendum; nam omnia ſatis explicat, & quidem clariori methodo, quam aliorum lectio, vt ex dictis patet, *Opponit*, autem inquit, mari, quaſi frænum, retinaculum & carcer, ne amplius irrumpat, vt dicebamus.

CAPVT INDE PACHINI. Caput propriè tantum illud eſt, quod inſidet collo, & à collo ipſo in vincentibus ſuſtentatur. Quoniam verò ex capite initium ducunt nerui omnes, quibus reliquum corpus moueatur, vt ex peritiſſimis anatomicis compertum eſt, qui neruorum radicem in cerebro ſtatuerunt, hinc eſt, vt caput translatè vſurpetur pro cuiuſcumque rei initio, vel etiam pro ſublimiori cuiuſcumque rei parte, quæ cæteris altior partibus extollatur. Hic igitur caput Pachyni ſublimitatem indicat huius Promontorij, quod ex Siciliæ angulis vnum conſtituit inter Meridiem, & ortum, atque exceſis ſubtus rupibus ſummo vertice ſupra mare protenſum indicium, ex ea parte, diuulſæ iam Inſulæ tribuit Pachynus enim, Siculum vtiq; promontorium Græciam ad ortum ſpectat, Melitam ad meridiem, vulgò *Capo paſſo*; ſeù *capo paſſaro*. Quid ſint Promontoria iam ſatis vidimus in præfatione ad hunc librum. Certè Pachynus inſignis eſt Pachino portu, vulgo *Porto Longobardo* inter Pachinum Promontorium, & Moriam oppidum exciſum: & Pachynus dicitur ab aeris, quo circumducitur craſſitudine; nam παχὺ apud Græcos eſt, quod nos pingue, aut craſſum dicimus.

INDE. Aduerbium loci eſt indicans partem à Pachyno occupatam, vt ſubindè alias partes diſtinctius ſignet, &, vt magis hoc eluceſcat, notat etiam mare, cui Pachynus immineat, vt ex ipſo mari pateat huius anguli ſitus.

DESPICIT IONIAS IRAS. *Reſpicit* pro *deſpicit* legit hoc loco Parrhaſius. Sed minus aptè arbitror cum Heinſio; neque enim verbum *Reſpicit* ſatis exprimit, vel vndas montem arietantes, vel montem vndis non cedentem, vt certè hic venit exprimendum. Ideò Heinſius cit. *Reſonat* legendum contendit, non verò *reſpicit*, aut *deſpicit*. Lectionem ego Heinſij non improbo, nam certè reiectam, refractamq; à monte vim exprimit vndarum. Sed cum hoc ipſum, & quid etiam magis, exprimat vulgata lectio, quam & Clauerius ſequitur, non video, cur ab ea diſcedamus. *Deſpicere* itaq; vel ſumatur pro *deorſum aſpicere*, vel ſumatur pro *contemnere*, vt alibi ſumendum vidimus ad verba *Deſpicit verumq; etc.*, proprium eſt viuentis, ac præcipuè rationalis, in ſecundo præſertim ſenſu. Hic autem per metaphoram transfertur, & quidem in vtraque ſignificatione ad montem. Tam alte enim ſupra mare extollitur Pachynus, vt longe ſubiectas habeat vndas; &, quia, Promontorij more, ſupra ipſum mare protenditur, curuata ſublimitate, videtur quaſi caput inflectere, vt deorſum poſitas perluſtret vndas. Ideò *deſpicit* in primo ſenſu. Verum eodem tempore illas, tumentes quamuis, ferienteſq; videtur contemnere, & deſpicere, dum arietantibus Oceani fluctibus immobilis, inconcuſſus, nullo negotio reſiſtit, infractumq; impetum reijcit, dum, quaſi ne ſentiat quidem, ſuperbè negligit. Ideò & in ſecundo ſenſu *deſpicit*.

PROTENTIS RVPIBVS. *Prætentis rupibus*, legit Heinſius, ac vulgatam, quæ *protentis* habet, reijcit. Lectionem Heinſij non reſpuo; nam *prætendere* certè eſt *opponere*, vt conſtat ex Virg. Æn. 9.

Nonne pudet obſidione iterum valloq; teneri
Bis capti Phryges & Martis prætendere muros?

alij legunt *& mortis prætendere muros*, ſed noſtrum hic non eſt de Virgilij lectione contendere. Verum legas enim, non detorquet verbum *prætendere* à iam data ſignificatione. Probè igitur (vt ad noſtra regrediamur) legit Heinſius cum Parrhaſio, ſed non minus aptè vulgata, quam exarauimus, vt mox patebit. Notat itaq; Poeta hic, quo infrangibili obice contundat Pachynus veſſanas Pelagi iras, nempe *rupibus*. Rupes verò dicuntur præruptæ montium cautes, & inacceſſa marmorum viſcera, quibus montes horrent: gallice Rocher, ſeù Roche dicuntur, quaſi arces ſint a montibus ipſis noxium quodlibet arcentes. Dicuntur autem *Protenſæ* (*rupibus protenſis*) vt magis indicet non fractam vnquam montis reſiſtentiam; nam *protendere* eſt *in anteriorem partem extendere, & aduerſanti opponere*: ſic milites dicuntur Clypeos ante ſe, curuato brachio protendere, ac hoſti obijcere: ſic Tacitus, de haſtatis, inquit, lib. 14. *Equus protentis haſtis perfringit quod obuium erat*: ſic Virg. Æn. 11.

Aduerſi campo apparent, haſtaſq; reductis
Protendunt longe dextris &c.

ex quo videas Virgilium non magis Heinſio fauere, quam nobis. Obijcit igitur protentas rupes Pachynus, quaſi imperet mari. Hic confringes tumentes fluctus, ideò *deſpicit*, nec, rabiem ſuſtinens, timet.

IONIAS IRAS. Quodnam, & quale nam ſit Ionium Mare, vulgò *mar d'Albania*, ſæuiſſimis vtiq; obnoxium tempeſtatibus, ſatis edocuimus, in Præfatione, explicantes carmen illud.

Ægæas hyemes Ioniaſq; domat.

quarè non hic ſuperaddendum puto. Nota hic tantum efficaciam illius nominis *iras*, & perpende, quam Emphatice, hoc dicto, aſſurgat Vates. *Ira*, vt alibi innuimus ab *ire* dicitur, quia extra ſe it, qui iraſcitur. *Deſpicit* igitur *Pachynus Ionias iras*; nempe exundationes illas, quibus in ſe ipſo efferueſcens Ionium mare extra ſe iturum videtur, dum altè adeò extollit vndarum vortices, vt Cœlum ipſum imperere velle videatur. *Deſpicit*, inquam, quia tam altè Pachynus attollitur, vt, quantumcumq; vndas extollat mare, ſemper ipſe ſubiectas deſpicit, & cautibus tandem ſuis elidit infractas,

HINC LATRAT &c. Firmato, per Pachynum primo Siciliæ angulo, ad deſcriptionem ſecundi, ex Lilybæo conſtituti, deſcendit, ac primo ſubiectum illi mare deſcribit.

HINC. Aduerb. loci eſt, quod ex oppoſito correſpondet aduerbio ſuprapoſito *Indè*, nam particulæ hæ ſunt ad inuicem diſcretiuæ, ita vt alia vnum, alium alia deſignet locum, & quidem, in præſenti præcipuè, ex diametro oppoſitum.

GETVLA THETIS. Thetis, vxor Oceani, terræ & Cœli filia fuiſſe dicitur ab Heſiodo in Theogonia: quare maxima maris Dea habita eſt; &, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 2. ſub finem Thetis tandem *ipſa aquarum moles* cenſenda eſt, ſeù *ipſum aquæ elementum*. Quarè Thetis hic pro mari ponitur; &, ne videretur totum mare in hanc Siciliæ partem irruere, maris partem deſignaturus ſpecialem maris notam ſuperaddidit inquiens. *Hinc Thetis Getula*; *Getulus* enim adiectiuum nomen eſt à ſubſtantiuo *Geta*, vel *Getes*, deriuatum. Quarè notat hic Poeta, Geticum mare eſſe illud, quod hanc partem impetit, & diuexat; ideò *Getula Thetis*. Porrò Geticum mare, quod & Lybicum dicitur, illud eſt, quod Pontus Euxinus nuncupatur, vulgò *mar maggiore*; ideò *Thetis*, quaſi hic tota aquarum moles incumbat: violentiam autem huius maris exprimit Ouid. 1. de Ponto Eleg. 4. vbi, cum exageraſſet getici ſoli inclementiam, ſubdit:

Nec fretum laudes terra magis; æquora ſemper
Ventorum rabie, ſolibus orba, tument.

ex quo licet agnoſcere, quantus hic mari furor; & quam validas cautes Lilybæus obijciat inconcuſſas.

LATRAT. Latrare proprium canis eſt, cum vocem, territans, edit, & in quempiam impetum facit. Translatè autem ad maria transfertur, quæ concauis alliſa ſcopulis, Latratu canis ſimilem interdum eliciunt ſonum, ac præcipuè de Scylla dictum fuit, quam ideò canibus circumſeptam fabulantur. Per Catacreſim autem abutitur Poeta verbo propinquo, & à Scylla ad Euxinum transfert, vt intelligas ſimilia ex hac parte pericula imminere, & adeſſe.

ET PVLSAT. Particula *Et* copulatiua coniungit vtiq; Getici maris æſtum cum eiuſdem effectu, nempè cum impetu, quo in hunc Siciliæ angulum iuſto acrius fertur. Ideò *Pulſat*. Verbum *pulſo* frequentatiuum eſt à verbo pello deductum: ideòq; ſignificat *frequenter percutere, exagitare, verberare*; vulgò *batter ſouuente, ed arietar le ſponde*; ex quo vides aſſiduas, obſtinatas, obduratasq; huius maris in Lilybæum luctas.

BRACHIA LILYBÆA. Brachijs translatè vtitur hic Poeta; iiſq; inſinuat Lilybæum montem, mediâ ſui parte, recedentem, ac latera, ex vtraque ſinus parte, protendentem, in figuram arcus ſinuari. Brachia enim dicta eſſe, iam diximus, eas Promontoriorũ partes, ſeù Promontoria ipſa, quæ cætero corpore longiùs protenduntur in mare; vbi de ſinibus agebamus in Præfatione ad hunc librum. Latera igitur Lilybæi montis, ſe ſe longiùs, quam reliquum corpus, in mare protendentia, Brachia denominat, quaſi innuere velis, montem ita mari obſiſtere, vt, extentis brachijs, cum eodem mari luctaturus conſulat, dum brachia in luctam protendit. Quare & hic emphaſim liceat adnotare. *Lilybæa* autem adiectiuum nomen eſt a Lilybæo montis nomine deriuatum,

tuatum. Porrò Lilybæus Mons alter, ſeù Promontorium Siciliæ eſt ſecundum ſtatuens angulum; vulgò *Capo Boeo*, ſeù, vt alij, *Capo di Marſallo*, qui Carthaginem maximè ſpectare videtur, eumq; ab Africæ littoribus centum viginti millia paſſuum diſtare prodiderunt. Dictus eſt Lilybæus, vt aliqui volunt à Lybia quam verſus Auſtrum ſpectat, ac quam verſus protendatur.

CONSVRGENS. Refertur participium hoc ad ipſum mare Geticum, de quo ſupra. *Conſurgere* autem eſt *contra ſurgere*; quaſi dicat, hoc mare nunquam ſe Lilybæo placatum oſtendere; ſed ſemper contra oppoſitum montem furias agitare, licet incaſſum furat.

HINC RABIES TYRRHENA &c. Tertium iam Siciliæ angulum ſub oculis ponit, Peloro munitum, Tyrrhenique maris expoſitum furijs, ideò vtitur particula *Hinc* diſcretiua, vt iam ante dixi.

RABIES TYRRHENA. Rabies morbus proprius canum eſt, cum, veluti furore quodam acti, hùc illùc rapiuntur, nec vllum quietis locum reperiunt. Transfertur autem ab eruditiſſimo Poeta ad mare tyrrhenum, vulgò *Mar di Toſcana*, ſeù *Mare inferiore*, quod dicitur etiam mare Siculum, & Liguſticum à littoribus, quæ alluit ipſum mare. Duplici verò ex capite *rabiem* illi attribuunt Vates: primò ad oſtendendas frequentes huius maris furias, quod ſemper inſtabile ſit, ſemper æſtuoſiſſimis fluctibus agitatum: ſecundo quia in hoc mari, ex parte Italiæ deciſæ, quam alluit, latrat Scylla, Peloro oppoſita; atq; ideò canum rabiem, qui Rabidi apud Scyllam eſſe dicuntur iure huic mari attribuit oculatiſſimus Poeta.

DEDIGNATA TENERI. Diximus ſupra, carceres mari efformatos ab ijs ipſis terris, quas, vt fines ſuos dilataret, diſiecerat mare. Ideò *dedignata etiam rabies teneri* hic dicitur; Dedignor enim, à quo participiale nomen dedignatus, eſt idem, ac *indignum reputare*; ſeù *cum faſtu, & ſtomacho detrectare*. Rabies igitur huius maris indignum ſe ipſo reputans, vt diſiectis montium coerceatur ruinis maximo impetu obiectum conatur repagulum diſrumpere, *dedignata teneri*, hoc eſt carceribus claudi, ne vlterius fines extendat ſuos, oppoſito focijs mari ſe ſe vndis immiſcens. Obſerua autem ſublimem hanc translationem ab animato ad inanimatum, quæ veſtigijs illius inhæret, quam Virg. habet Æn. 8. vbi ait.

Indomitiq; Dea, & pontem indignatus Araxes.

CONCVTIT. *Concutere* eſt *vehementer quatere*, ita vt ferè tremat, & nutet quod concutitur. Hyperbolicum quidem dictum, ſed quod mirè impetum huius exprimat maris, quod Pelorum concutit. Vulgo *a ſcuote accrolla*.

OBIECTVM PELORVM. Obiectum ab obijcio deriuatum idem eſt, ac *antè iactum*, ſeù *pro obice actum*; nam *obijcere* eſt *aliquid pro obice iacere ante faciem irruentis*, Obiectum igitur dicit Pelorum, quia mons ille oppoſitus mari eſt, ita vt videatur eidem pro obice collocatus ad coercendas, reiectandaſq; vndarum furias. Pelorus igitur nomen eſt tertij Siciliæ Promontorij, tertium angulum ſtatuentis. Hoc autem Promontorium, quod vulgo dicitur *Capo della terra del Faro* in Italiam vergens Scyllæ oppoſitum eſt, ex quo ſatis patet, ſub ipſo Peloro Carybdim voragines ſuas nauigantibus obijcere. Sed, quoniam toties in Scyllam, & Carybdim incidimus, quid de illis fabulentur Poetæ, obiter aduertamus. Aliqui Scyllam virginem olim fuiſſe dicunt filiam Niſi Megarenſium Regis, quæ, capta amore Minois paternam regiam obſidentis, atq; expugnare conantis, abſcidit e capite Patris Niſi dormientis aureum, quem ipſe habebat, capillum, quo non reciſo, Niſus nequaquam mori poſſe credebatur, ac talem capillum perfida filia dono detulit ad Minoem, vt, Patri proditione iniecta, connubium ipſa Minois in præmium conſequeretur. Repudiatam tamen eam a Minoe, tantum ſcelus abominante, dicunt, à Niſo ſubindè Patre in mare deturbatam, atque in monſtrum conuerſam: Alij verò dicunt, eam non à Patre demerſam, ſed deſperatione captam, quod a Minoe neglecta relinqueretur, ſe ſe ipſam in mare præcipitem egiſſe, ac Deorum ira canes additos fuiſſe patrati ſceleris vltores, qui eam in monſtrum verſam aſſiduè dilacerarent: ex quo factum ſit, vt apud Scyllam canes latratibus ſemper eiuſdem implentes ſpeluncam exaudiantur. Sed, vt fatear, vereor ne, errore perſonæ decipiantur ex nomine harum fabularum aſſertores; nam Scyllam Niſi filiam, non in maris monſtrum, ſed in auem, nomine Cirim, ex cæſo capillo, commutatam inuenio apud Ouid. Metam. 8. vbi totam Niſi, Scyllæ, ac Minois fabulam latè recenſet, & caſum illius Scyllæ deſcribens ait expreſsè.

Illa metu puppim dimiſit: & aura cadentem
Suſtinuiſſe leuis, ne tangeret æquora, viſa eſt.
Pluma fuit; plumis in auem mutata, vocatur
Ciris: & à tonſo eſt hoc nomen adepta capillo.

& alibi Elegiacus factus idem Auctor eadem ſic repetit.

Filia purpureum Niſi furata capillum
Puppe cadens manes facta refertur auis.

Aliam igitur Scyllam inuenio, quæ Phorci, & Hecates filia dicitur fuiſſe. Hanc præſtantem forma corporis commemorant, ac de ea Ouid. Metam. 14. ſcribit, eius forma captum Glaucum in eiuſdem amorem vehementiſſimis flammis exarſiſſe; infeliciter tamen, cum illi ſe rigidam ſemper obtulerit Scylla, ac precibus nullo vnquam tempore fractam cautis in morem ſurdas ſemper aures præbuiſſe. Glaucus igitur Circem conſuluit, atq; vt aliquem Scyllæ amatorium ſuccum propinaret enixè orauit. Circes, quæ & ipſa Glaucum miſerrimè deperiret amans, indignata Scyllam ſibi à Glauco præferri, dicitur cerbereis ſuccis, venenatiſq; radicibus fontem, in quo Scylla corpus ſuum lauare aſſueuerat, infeciſſe; ita vt, cum Scylla fontem ingreſſa fuiſſet, inferiora ſui corporis membra in canes reliquum lacerantes ſenſerit transformata, quam illam, vt alij addunt, exhorrens deformitatem ſe ſe in vicinum mare præcipitem dederit: ſed cit. quæſo Ouid. textum percurramus.

Indignata Dea eſt; & lædere quatenus ipſum

Loquitur de Circe.

Non poterat, nec vellet amans; iraſcitur illi
Quæ ſibi prælata eſt &c.

& inferiùs.

Paruus erat gurges curuos ſinuatus in arcus
Grata quies Scyllæ; quo ſe referebat ab æſtu &c.
Nunc Dea prævitiat &c.

Circem intellige.

Scylla venit, mediáq; tenus deſcenderat aluo,
Cum ſua fœdari latrantibus inguina monſtris
Aſpicit; ac primò, non credens corporis illas
Eſſe ſui partes, refugitq; abigitq; timetq;
Ora proterua canum; ſed quos fugit attrahit vna,
Et, corpus quærens femorum, cruruḿq; pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus inuenit illis:
Statq; canum rabies, ſubiectaq; terga ferarum
Inguinibus truncis, vteroq; extante coercet &c.

Alij autem dicunt, ſex canum capita Scyllæ fuiſſe, & ſingula eorum capita tres dentium ordines habuiſſe, longiſq; adeò colli tractibus exporrecta fuiſſe, vt ijs vel longinquas naues ad ſe attraheret Scylla, vt homines prænauigantes ab ijs ſubindè canibus, qui circa eiuſdem pudenda erant vorarentur; ideòq; Scyllam naufragijs infamem eſſe &c. Carybdim pariter voraciſſimam fuiſſe fœminam ferunt, quæ, cum boues aliquas Herculi Geryonis boues abigenti furata eſſet; ab eodem Hercule cæſa, in monſtrum à Ioue conuerſa fuerit, quæue adhuc de præſenti, licet mutata natura, priſtinam ſeruet voracitatem, naues enim prætereuntes ingurgitat, & regurgitat, altè adeò impellens, vt proprio cadentes pondere confringantur. Si verò aueas, veritatem his fabularum integumentis obuolutam detegere. Scylla dicitur monſtrum marinum, ideſt portentoſus maris ſcopulus, ſpeciem mulieris habens; & habere canes dicitur, qui nauigantes interimant, quoniam ex inferiori parte ſcopuli prominentia ſaxa ingentes inter ſe conſtruunt cauitates, in quibus dum maris vnda colliditur, ſonitum latrantium canum videtur efformare: quod ſi ad frequentes harum cautium murices naues alliduntur, homines, ijs excepti concauitatibus, pereunt, atq; acutis illis ſilicibus dilaniantur.

Carybdis ex oppoſito ſcopulus eiuſdem figuræ eſt; ſed qui ſubtus habeat ingentis hiatum voraginis, quæ ter quotidiè alte adeo fluctus abſorbet, vt videatur totum fretum ingurgitare velle; ac ter ſubindè tanto regurgitat æſtu, vt videatur ex ſubterraneis illis clauſtris nouum mare emergere, vt doctè canit Virg. cit. Æn. 3.

Imo Barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus; rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſydera verberat vnda.

Quod ſi ex eodem auctore Scyllæ monſtrum cupias deſcriptum iuxta ſenſum fabularum, ibidem ſic graphicè habebis.

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus; poſtrema immani corpore Piſtrix;
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.

Aiunt autem Carybdim naues cum fluctibus ingurgitare, ac eaſdem regurgitare, atq; in Scyllam oppoſitam reiectare, vt ſcopulis diſijciantur. Et hæc quæ de Scylla, & Carybdi traduntur.

Quod ſi quæras, quantum hæc Siciliæ promontoria, de quibus ſupra diſſeruimus, inter ſe diſtent; Pelorum à Pachino diſtare dictitant millia paſſuum centum octoginta, ſeptem: à Pachyno autem ad Lilybæum centum ſexaginta quinque millia paſſuum enumerant; à Lilybæo autem rurſus ad Pelorum centum ſexaginta duo millia paſſuum ſtatuunt longitudinis, iuxta antiquam peritorum menſuram.

IN MEDIO SCOPVLIS &c. Deſcriptis Siciliæ oris, ſeù finibus, extremiſq; eiuſdem angulis, progreditur Poeta ad deſcriptionem interioris Siciliæ partis eiuſdemq; vmbilicum exacta hyppotipoſi delineat. Sed, antequam ad expoſitionem deueniamus, liceat hic oculatiſſimum Poetæ artificium detegere, vt clariùs eius emicet ſubtiliſſimi acumen ingenij. Dixerat ſuperiùs, factum, vt Ceres in filiæ aſylum Siciliam delegiſſet *ingenio confiſa loci*. Hoc aſſumptum erat probandum, & commonſtrandum fuerat, tale Genium, & ingenium Siciliæ fuiſſe, vt iure Ceres *ingenio confiſa loci* ſuum illi pignus commiſerit aſſeruandum. Diuertere tamen videri poteſt Poeta, & difficultatem probationis declinare, cum deſcriptionem Siciliæ exorſus indirectè tantum videatur aſſumptum probare, de conſequenti potiùs, quam de formali. Sed proh' quantum ſedulò indaganti arcana Poetæ aſſurgit ingenium! Probat directè aſſumptum, probat formaliter, efficaciſſimè probat; ſed in ſuperficie litteræ ſiſtendum non eſt. Vt autem hoc pateat, memineris peritiſſimam ægyptiorum ſapientiam tanti canes feciſſe, vt eorum ſymbolo Deos Lares, & quidem fidiſſimos; Genia loci, & quidem ſummè fidelia, expreſſerint, cum apud ipſos Canes fidelitatis ſymbola exponantur: Memineris Canes apud ipſos vigilantiſſimæ Cuſtodiæ hieroglyphicum præſtitiſſe: ac ſubindè memineris, Poetam canibus vndequaq; circumuallatam Siciliam expoſuiſſe: Hinc *latrat* Getula, Thetis: Hinc *rabies* Thyrrena concutit &c. quæ omnia canem memorant, & canum cuſtodiam indicant: hic Scylla canibus obuallatur &c. Quarè, dum indicat Inſulam canibus vndequaq; circumſeptam, cuſtodiam filiæ ſuggerit inceſſantem adfuturam, Lares huiuſmodi fidiſſimos, Genium loci inflexibilem fore cuſtodem; ideò Ceres eam deligit Inſulam, *ingenio confiſa loci*. Sed ne putes, huiuſmodi cuſtodes partibus tantum extimis, vt ita dicam aſſiſtere, ad interiora pergit, vt aſſumptum confirmet; ideòq; mentionem Ætnæ facit, ad cuius radices Volcani templum fuiſſe, memorat Pier. Valer. in canis commentario, cuius templi lucum incolerent canes, qui caſtè, pièq; adeuntibus adblandirentur; impuros verò, pollutoſque, quaſi rem diuinitus præſagientes, miſerabiliter lacerarent. Ah' noſco ingenium. Timebat Ceres ne Proſerpina violaretur; ideò ponam, mihi videtur dixiſſe, ponam inter Vulcani canes cuſtodiendam, filiam; nam, ijs cuſtodientibus, nullus impurus raptor, nullus libidinis æſtro percitus ad eam accedere audebit, ne ab huiuſmodi canibus laceretur. *Ingenio confiſa loci.* Quid quæſo acutiùs, quid altiùs, quid ſubtiliùs potuit, per occultam quidem, ſed artificioſiſſimam argumentationem, concinnari? Sed obuium hoc Vati noſtro; ideò ad intermiſſa, depoſitis admirationibus, reuertamur.

IN MEDIO. Notat hic Poeta ſitum ſpecialem montis Ætnæ, qui vmbilicum occupat Siciliæ; nam vmbilicum pro medio cuiuſcumq; rei poſitum in Pierij Hierogl. inuenio lib. 34., & ratio eſt, quia *medium* eſt veluti centrum in, ſphoera, ex quo ad totam circumferentiam æqualis longitudinis lineæ ducuntur. Sic igitur Ætnam in Sicilia collocatum oſtendit, vt æqualiter à quacumq; extremitate Inſulæ diſtantem oſtendat. Hoc autem non ſine ratione præmiſit; nam cum inferius dicturus ſit Proſerpinam raptam fuiſſe ex Ætnæ viridarijs, meminit dictum fuiſſe eam raptam fuiſſe ex eo Siciliæ ſitu, qui vmbilicus Inſulæ nominatur, vt Cic. expreſsè de Proſerpina docet in Verrem; ne igitur ignores ſitum, *In medio* ait.

ÆTNA. Mons eſt Ætna Siciliæ perpetuo clarus incendio; ſed eius nunc qualitates, incendia, cauſaſq; incendioſum reticeo, quia de his inferius latiùs erit agendum. Ætnam pariter Siciliæ oppidum Hyeronis opus non procul ab Ætnæ montis radicibus ſitam fuiſſe iam vidimus pag. 90. col. 1. ſed hic non de opido, ſed de monte ſermo eſt, qui quidem vaſtiſſimæ molis, & proceritatis in medio Inſulæ aſſurgit. In hoc monte fabrilem Vulcani officinam conſtitutam fuiſſe, ibiq; Cyclopes incudibus inſudantes vidimus in explicatione ad Carmen: *Quod non Cyclopea tela ſtringimus &c.* Quarè hic repetendum non arbitror. Virg. Georg. 4. ait; *Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis.*

Cum properant, alij taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntq; alij ſtridentia tingunt
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus Ætna.

PORRIGIT SE. Ideſt in altum ſe extollit, inferiùs dilatatis radicibus; nam *Porrigere* eſt *extendere, dilatare, promouere*: extenſio autem tàm in altitudinem, quàm in latitudinem certè fieri poteſt.

SCOPVLIS PERVSTIS. Scopulus eſt ſaxum eminens, ſcopulus dictus à verbo græco *σκοπεῖν*, hoc eſt à ſpeculando, eo quod à ſcopulis longè pateat proſpectus in mari. Ex hoc apparet, nomen ſcopuli propriè conuenire ſaxis in mari prominentibus: Verum per tranſlationem transfertur ad ſignificandas etiam ſaxeas montium rupes, incultas, & horride aſſurgentes. Quarè, vt hic Ætnæi montis horriditatem inſinuet Poeta, eum aſperrimis horrentem rupibus deſignat; addidit autem adiectiuum *Peruſtis*, ideſt *valde uſtis*, & continua quaſi aduſtione conſumptis, & labantibus; cum enim, vt dixi, perpetuo furat Ætna incendio, certè neceſſe eſt, vt eius ſaxa ſemiuſta ſemper appareant, nigrantia, exeſa, & corruentia. Attolluntur adhuc tamen hæc ſaxa in vertice Ætnæ, &, graciles quaſi arces impoſitæ, eius adaugent non minus, quam terribilem reddant altitudinem: Ideò aptè: *Porrigit ſe ſcopulis peruſtis.*

ÆTNA GIGANTEOS &c. Repetit hic montis nomen, vt repetitionis figuræ beneficio altiùs menti inſideat locus, qui, memoriâ cœleſtium vindictarum inſignis, efficaciſſimus videbatur ad deterrendos à facinoribus impios; & propter quam memoriam Ceres, arcendos eſſe raptores, non dubitauerit; atq; hic appoſitè notat Poeta, quænam ſit hæc inſignis memoria vindictarum, dum ſubdit

NVNQVAM TACITVRA. *Nunquam* aduerbium temporis negatiuum vniuerſale eſt, idem nempè ſonans, ac nullo vnquam futuro tempore. *Tacitura* verò participium futuri temporis à *taceo*, quod idem ſignificat, ac *ſileo*, ſeù *ſilentium teneo*, præcedente negatiua in aduerbio temporis *nunquam* incluſa, in contrarium adducitur ſenſum, ita vt idem ſit dicere *nunquam tacitura*, ac dicere *ſemper locutura*. Vbi vides verbum quidem tranſlatum ab animato ad inanimatum, ſed maxima cum virtute profectò; nam multiplex eſt modus loquendi quandoquidem *loqui* nil aliud ſit, quam *conceptum mentis exprimere*: loqui enim poſſumus per voces articulatas humano more; per nutus, vt certè linguâ capti, ſuo modo, loquuntur, ideſt ſuos exprimunt ſenſus; per litteras, nam Epiſtola definitur *mutuatum ſcriptis colloquium*: ac tandem per ſigna, ſymbola, Hieroglyphica &c. qui modus loquendi maximè in vſu fuit apud Ægyptios. Loqui igitur per voces articulatas proprium ſolius hominis eſt, ſicuti etiam loqui per epiſtolas; Loqui per nutus interdum, & feris conuenire poteſt, quæ, ex inſtinctu naturæ, interdum quid ſibi opus ſit exprimunt, vt ex aliqua preſſura eximantur: ſic in Syriæ ſyluis Leonem, pede dumis transfixo, obuium Mentori Siracuſio factum legimus ex Solino, qui propriæ conſulens neceſſitati blandè hominem excipere, ac pedes illius innoxia lingua cœpit adlambere, donec Mentor, depoſito metu, quem primo conceperat aſpectu, leoni cœperit inuicem adblandiri; quod cum aduertiſſet leo, tum denique ſaucium alleuans pedem, hominiq; oſtendens tot nutibus geſtire cœpit, vt opem apertè videretur implorare. Adfuit itaq; feræ medicus Mentor, &, detracto vepre, ſanieq; abſterſa, pedem faſciola colligauit, ac ſubindè gratiſſimum Leonis animum expertus eſt. Loqui per ſigna, & Hieroglyphica etiam rebus inanimatis tribuitur: & hac de cauſa in ſacris litteris Cœli enarrare gloriam Dei dicuntur, quia quot ſunt corpora cœleſtia, tot ſe ſe erigunt in emblemmata, quibus conditoris gloria mirificè exprimatur. Hoc eodem pacto ait Poeta hic, Ætnam nunquam tacituram giganteos triumphos, quia, quouſq; Mons iſte erit, ſemper ingens exiſtet Hieroglyphicum, Gigantum facinora perpetuis exprimens ſignis; ideò *nunquam tacitura*.

GIGANTEOS TRIVMPHOS. Antequam particulas iſtas exponamus, aliqua Gigantum notitia tradenda eſt, quo faciliùs textum intelligamus. Dicunt igitur, Gigantes & terra, ac Cœli ſanguine natos fuiſſe, quo tempore Saturnus, in inſidijs collocatus, falce pudenda Cœli Patris abſcidit; nam ex guttis ſanguinis in terram delapſis Gigantes natos eſſe fabulantur, vt teſtatur Heſiodus in Theogonia, cuius græca carmina ſic exponit Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 27.

Sanguineæ quotquot guttæ cecidêre receptæ

Terra

Terra ſinus; eadem rurſus voluentibus annis
Horrendas peperit furias, magnoſq; gigantes.

Alij ſolius terræ filios, ſine patre natos, Gigantes, autumant; eoſque, dicunt, ab irata Opi, quæ & terra ſit, productos, eo quod occiſi fuiſſent Titanes, quorum in mortis vltionem Terra, Titanum mater, Gigantes infenſiſſimos Cœli hoſtes produxerit. Sic videtur cenſuiſſe Ouid. qui ortum, ac formam Gigantum ſic 5. Faſtorum deſcribit,

Terra feros partus, immania monſtra gigantes
Edidit, auſuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues;
Atq; ait: in magnos bella mouete Deos.

idem expreſsè docet Claud. ipſe, dum in ſua Gigantomachia ſic;

Terra parens quondam cœleſtibus inuida regnis,
Titanumq; ſimul crebros miſerata dolores,
Omnia monſtrifero complebat Tartara fœtu,
Inuiſum genitura nefas: Phlegramq; recentis
Tanta prole tumens; & in æthera protulit hoſtes.
Fit ſonus: erumpunt crebri, nec dumq; creati
Iam dextras in bella parant, ſuperoſq; laceſſunt,
Stridula voluentes gemino veſtigia lapſu.

In hoc eodem ſenſu Virg. fuit Georg. 4. vbi ſic:

. . . . Tum partu terra nefando
Cœumque, Iapetumq; creat, ſæuumq; Typhoea
Et coniuratos Cœlum reſcindere fratres.

Hi in phlegræis campis, vel (vt alij malunt) apud Pallenem habitarunt, qui cum admirabili eſſent corporis proceritate, animoq; in obſequium materni furoris propenſo, ingentia ſaxa, atq. ignitas arbores in Cœlum eiaculabantur, quæ ſaxa tantæ magnitudinis fuiſſe, fabulati ſunt, vt, quæ recidentes è Cœlo in mare deciderunt, inſulas efformauerint; quæ verò terris excepta fuerint, montes extruxerint. Quinimmò montes montibus ſuperimpoſuiſſe dicuntur, vt, ijs gradum facientibus, in Cœlum conſcenderent, Iouem, cæteroſq; Deos, Deaſq; deturbaturi, vt canit Ouid. loco cit.

Extruere hi montes ad ſydera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Iouem,

& 2. de Ponto Epiſt. 2. proteſtatus pœnas ſuas delicto maiores, & grauiores eſſe, cum arma ipſe nunquam tandem in Deos mouiſſet, indicat etiam, qui nam fuerint hi montes, quos in ſcalam Gigantes erexêre, dum canit:

Non ego concepi ſi Pelion Oſſa tuliſſet
Clara mea tangi ſydera poſſe manu.
Nec nos Enceladi dementia caſtra ſecuti
In rerum dominos mouimus arma Deos.

conſimili methodo Vates noſter ore Proſerpinæ lib. 2. de raptu eadem ferè cecinit;

Non ego cum rapido ſæuiret Phlegra tumultu
Signa Deis aduerſa tuli: non robore noſtro
Oſſa pruinoſum vexit glacialis Olympum.

& Virg. Georg. 1. eadem heroicè exprimit ſic,

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atq; Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum;
Ter pater extructos disiecit fulmine montes.

Tanto igitur apparatu inita gigantum pugna primo ſub initio Deos adeò terrore compleuit, vt omnes, relicto Cœlo in Ægyptum profugerent; ac, cum neque ibi ſe tutos à gigantum furijs agnoſcerent, coacti ſunt varias animalium formas induere; vt latitarent; Sic Iupiter in Arietem mutatus; Apollo in coruum: Bacchus in Capram: Diana in felem; Iuno in vaccam: Venus in piſcem; Mercurius in Ibim &c. Quæ omnia memorat Ouid. Metam. 5. his verſibus.

Bella canit ſuperum; falſoq; in honore Gigantes
Ponit, & extenuat magnorum facta Deorum;
Emiſſumq; ima de ſede Typhoea terræ
Cœleſtibus feciſſe metum; cunctoſq; dediſſe
Terga fugæ, donec feſſos Ægyptia tellus
Ceperit & ſeptem diſcretus in hoſtia Nilus.
Huc quoq; Terrigenam veniſſe Typhoea narrat;
Et ſe mentitis ſuperos celaſſe figuris.
Dux Gregis, dixit, fit Iupiter, vnde recuruis
Nunc quoq. formatus Libys eſt cum cornibus Ammon;
Delius in coruo, Proles Semeleia Capro;
Fele ſoror Phœbi; niuea Saturnia vacca;
Piſce Venus latuit; Cyllenius Ibidis alis &c.

Victa nihilominus tandem temerarijs Gigantum auſus Deorum patientia in furorem exarſit; ita vt Iupiter crebris fulminum ictibus temeraria profligauerit monſtra; profligatoſque hoſtes, ſuperimpoſitis montium molibus, genere perpetuo coegit ſub pondere, vt impleretur legale illud decretum *per quæ quis peccat, per hæc & punitur:* Superimpoſitis montibus corpora Gigantum in Cœlum peccauerant? Æquum fuit vt ſuperimpoſitis ſibi montibus frangerentur. Vtrumq; perbellè attigit Ouid. Faſt. 5.

Fulmina de Cœlo iaculatus Iupiter arcet
Vertit in auctores pondera vaſta ſuos.

Typhœum tamen, & Enceladum præcipuos Gigantum coryphæos pondere Trinacriæ Inſulæ oppreſſos, ita vt totum Ætna Enceladum premeret, meminerunt Virg. Æn. 3. quo ad Enceladum, Ouid. verò 5. Metam. cit. quo ad Typhœum, quem dicit tantæ molis corporeæ fuiſſe, vt ſub tota merſus Sicilia detineatur, ac dexteram Peloro, ſiniſtram Pachino; Crura Lilybeo, caput Ætna grauentur. Sed confractum Typhœum ex ipſo tandem audiamus Ouid.

Vaſta giganteis iniecta eſt inſula membris
Trinacris, & magnis ſubiectum molibus vrget
Ætherias auſum ſperare Typhœa ſedes.
Nititur ille quidem, pugnatq; reſurgere ſæpè
Dextra, ſed Auſonio manus eſt ſubiecta Peloro,
Læua Pachyne tibi, Lilybeo crura premuntur;
Prægrauat Ætna caput &c.

de Encelado autem hæc habet Virg. 3. Æn. cit.

Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq; inſuper Ætnam
Impoſitam ruptis flammam expirare caminis:
Et, feſſum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & Cœlum ſubtexere fumo.

cauſam autem motiuam, ac principalem, cur Iupiter atrociter adeo Gigantes punierit, attigit Euripides in Helena, cuius carmina ex græco ſic transfert Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 21. *Odit Deus vim, poſſidendaq; imperat*
Tenêre iure quemq; non inferre vim.

His poſitis; ad intermiſſam redeo explicationem. Dixerat Poeta, Ætnam nunquam tacituram gigantæos triumphos: Aſt quomodo poteſt Ætna canere triumphos huiuſmodi, ſi gigantes victos, proſtratos, deiectos, non verò triumphantes vidimus? Giganteum dicitur, quod vel Gigantum eſt, vel ad gigantes ſpectat; triumphus autem huiuſmodi non gigantum fuit, ſed Iouis victoris fuit. Video Parrhaſium interpretantem, & probè, *giganteos triumphos*, hoc eſt *triumphos ex Gigantibus deuictis à Ioue reportatos*. Verum licet optima ſit explicatio, adhuc tamen non ſoluit amphibologiam, quæ in adiectiuo *Giganteos* ſita obijci poſſet; ſemper enim hæc ex optimis auctoribus eliminanda. Pro ſolutione igitur aduertes, *Giganteos triumphos* tripliciter conſiderari poſſe: primo quidem cum reſpectu ad initium pugnæ; ſecundo cum reſpectu ad finem eiuſdem pugnæ; tertio cum reſpectu ad conſequentia eundem pugnæ finem. Si itaque conſideremus Gigantes, primo prælij initio, de fuga Deorum, elato animo triumphantes; in ſenſu proprio dictum à Vate reperiemus,

Ætna Giganteos nunquam tacitura triumphos.

hoc eſt ſemper oſtenſura quemnam infœlicem exitum habuerint Gigantum triumphales elationes. Si verò finem pugnæ reſpicientes victores Deos conſideremus, paſſionem importari aduertemus ab adiectiuo illo *Giganteos*; & ſic verificabitur Parrhaſij expoſitio; nam idem erit dixiſſe: *Giganteos triumphos*, ac dixiſſe *Triumphos*, quos Gigantes paſſi ſunt à Dijs victoribus triumphati. Si tandem Gigantes victos, ac proſtratos, deiectoſq; pœnam temeritatis ſubiſſe perpendamus, Ironicè dictum nouerimus *giganteos triumphos*. Quarè non erit hæc Amphibologia, ſed multiplex in eadem voce incluſus virtualiter ſenſus iuxta diuerſum reſpectum explicandus; licet principaliter paſſiuam, de qua ſupra diximus, importet ſignificationem, vt teſtantur trophæa à Ioue ex Gigantibus collecta, ac in eodem Ætna monte collocata; vt ex lib. 3. dicendis fusè conſtabit. Sed in more Vatis noſtri iam poſitum ſæpè vidimus, vt vnica voce plures ſenſus complectatur, plures attingat eruditiones, plures exprimat eruditiſſimæ mentis conceptus.

BVSTVM ENCELADI. Buſtum propriè dicitur locus, in quo combuſti corporis reliquiæ aſſeruabantur ſepultæ, nam mos fuit Antiquorum, vt cadauera omnia cremarentur antequam terræ demandarentur, ad quod alluſit Virg. Æn. 6. cum ait:

Impoſitiq; rogis Iuuenes ante ora parentum,

Quarè *Buſtum Enceladi* idem eſt, ac *fulmine combuſti Enceladi ſepulcrum*. Subſtantiuum autem eſt per appoſitionem concordans cum ſubſtantiuo antecedenti *Ætna*. Enceladus verò quis fuerit, iam vidimus, ideò præteriens ſileo.

QVI. Relatiuum hoc nomen eſt in memoriam reuocans ſuum antecedens, nempè Enceladum, ad quem refertur.

REVINCTVS SAVCIA MEMBRA. Pro *ſaucius, reuinctus membris*, per Helleniſmum, ideſt per Græcorum loquendi formam ad Latium tranſlatam, qua vſus eſt etiam Virg. Æn. 1. *Os humeroſq; Deo ſimilis &c.* *Reuinctus* autem idem eſt, ac *arctè ligatus*; nam *reuincio*, à quo *reuinctus*, idem eſt, ac *iterùm*, ſeù *denuò vincio*; qui autem bis ligat, certè arctè ligat, ne ligatum facilè diſſolui poſſit. Oſtendit igitur Poeta hic, Enceladum arctiſſimis ſub Ætna vinculis detineri, licet ſemiuſtum, ne minas iterum in Cœlum aſſurgens audeat intentare. *Saucia membra*. Duplicem & hoc habet ſignificationem; nam *ſaucia membra* dicuntur, quia fulminum crebris ictibus vulnerata; & *ſaucia* dicuntur; ideſt ſuperimpoſito pondere fracta non minus, quam eximia laſſitudine eneruata, nam & feſſum *ſaucium* ſignificat apud probos auctores. *Membra* verò plurali numero dixit, vt oſtenderet totum corpus oppreſſum, & non partem tantum, vt magis ſupplicium efferat, & exageret.

SPIRAT. Attende, quo pacto Poeta hic damnatorum pœnas adamuſſim perſtringat. Et primò quidem infernis addictum pœnis Enceladum, licet adhuc ſub Ætna ſpirantem, oſtendit, vt tacitè profiteatur, veriſſimum eſſe, inferorum tormenta a loco non dependere; ſed damnatos, vbicumq; tandem collocatos, ſecum ſuum ſemper infernum circumferre. Hoc autem ex Encelado oſtendit, quem infernis cruciatibus ipſo ſub Ætna exagitatum demonſtrat ab effectibus. Noueris, quæ regius Pſaltes peccatorum inter pœnas recenſeat, dum ait: Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum: Pſ. 6. Primam huius verſiculi partem adimpletam in Encelado vides, qui *ſaucia membra reuinctus* iacet. Secundam iam pariter adimpletam notat; nam ex hoc conſequenti, quo dicitur Enceladus ſpirare accenſum ſulphur, quid aliud anteceſſiſſe dicendum, niſi quod ignis, ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eius fuerit? Et quidem pars ingens adeò, vt ex incapaci effluat ſinu per igneam tranſpirationem. Ideò *ſpirat*.

Spirare enim eſt *exhalare*, quod dupliciter poteſt intelligi: primo quo ad igneum ſpiritum; ſecundo quo ad grauoolentiam odoris; nam etiam flores *exhalare* odorum fragrantiam dicuntur; & *exhalare* Mephitim dicimus de re, quæ tetrum emittat odorem: vtramq; ſignificationem complectitur Vates hic. Primam, quia certe ex flagranti, ideſt igneo, pectore, non niſi ignis, poterit exhalari: ſecundam verò, quia ex ſulphure odor enecans tranſpirat, & ex ſemiuſtulato humano corpore teterrimus nidor efflatur. Vides, ſpirans infernum apertè deſcriptum, cuius reſpiratio, & halitus ignis ſit, & ſulphur accenſum. Hoc autem pacto fabuloſam quidem ſequi cauſam videtur Ætnæi incendij, quam etiam Virg. loco cit. expoſuit, ſed ſub fabulæ integumento veram ſubmurmurat, & naturalem illius incendij cauſam, quam inferiùs tamen, licet quaſi ſub dubio, clariùs explicabit. *Spirat*

SVLPHVR. Species aliqua terræ dicitur ex Plinio ſulphur facilè ignem concipiens. Alij tamen inter metallorum ſpecies ſulphur enumerant; Effoditur enim cuniculis in Æolijs, præcipuè inſulis non procul à Peloro Siciliæ Promontorio ſitis. Quarè nil mirum, ſi ex propinquitate efficiatur, vt etiam Sicilia talis ſit, qualis deſcribitur à Iuſtino lib. 1. nempè terra cauernoſa, ac fiſtuloſa intrinſecus ſulphur habens, & bitumen, quod, vbi ventus, per ſpiramenta cauernarum, incubuit diù luctatus, ignem concipit, quo Ætnæ perdurat incendium. Sulphur autem aliud foſſile eſt, & natiuum, quod etiam viuum appellant; aliud factitium, quod ſcilicet olei incoctu ad ignem perficitur. Hic de viuo loquitur Poeta, vt patet.

INEXHAVSTVM. Indicat cauſam perpetuitatis incendij, nam cum eius materia ex dictis ſulphur ſit, & ſulphuris magna adeò vis Inſulæ inſit, vt *exhauriri*, hoc eſt *enacuari* non poſſit, durante perpetuò cauſa, æternum duret incendium neceſſe eſt. Dum autem hanc inexhauſtam ſulphuris fodinam pectus facit Enceladi æternitatem Gehennæ flammarum apertè ſatis delineat, in damnatorum pœnis conſtitutam.

PECTORE FLAGRANTI. *Flagro*, à quo *flagrans* à flamma dicitur, quaſi *flamma ardeo*, & *flammam ago*; ſiuè, vt alij voluerunt, deriuationem ducit à flatu, quo incendium alitur. Quarè vtrumq; ſenſum optimè hic more ſuo Poeta complectitur: primum quidem, quia, cum viderimus Enceladum fulmine deiectum, nil mirum, ſi flammas ex fulmine conceperit, & flammis ardeat: *Pectore* autem dixit potius, quam *corpore*, quia cum incendium illi pro reſpiratione tribuerit, cumq; ex pectore ſit reſpiratio, non poterat quin pectus incendij faceret ſedem vtrique flammis ardentem, flammaſq; agentem. Secundum vero ſenſum, quia, ex dictis, afflatu ventorum Ætnæ alitur incendium, ideòq; vt hanc etiam naturalem cauſam attingeret, verbo vtitur *flagrante*; quod ſi ad damnatorem mauis referre, memineris, ex ſpiritu furoris Domini flammas inferorum, & incendia perennari; at pectus damnati præcipuam fieri incendiorum ſedem, vt cor, quod, vt ſedes voluntatis, origo omnium fuit delictorum præcipua, præcipuè etiam flammis torqueatur.

ET QVOTIES &c. Frequentibus terræ motibus obnoxia Sicilia eſt; ideo horum cauſam, fabuloſam ſecutus hiſtoriam, in rebelles Enceladi conatus refundit, alibi veram cauſam ex Phyl. allaturus. Non ſine ratione tamen fabulas hic ſequitur; nam, cum vere ex ijſdem ventis cauernoſo terræ ſinu incluſis terræ motus proueniat, vt dixi ad Carm.

Italiæ pars vna fuit, ſed pontus, & æſtus &c.

ex quibus ipſum Ætnæ incendium deriuatur, cum fabulam ſecutus Gigantis pectori attribuerit incendiarios afflatus, conſequens fuit, vt eidem cauſæ ex fabulis deſumptæ terræ motum tribueret. Particula itaq; *Et* copulatiua quidem hoc loco erit, ſed per modum augentis, eo prorſus modo, ac ſi poneretur pro aduerb. Inſuper.

QVOTIES pro quotieſcumq; habetur: vulgò *ogni qual volta che*: niſi mauis dicere relatiuam particulam eſſe ad *toties*, quæ tamen particula *toties* per Synecd. figuram reticeatur, tacitè ſubintelligenda.

DETRECTAT ONVS. *Detrectare* conatum importat, quo aliquid nobis ſuperimpoſitum excutere conemur. Ideò *detrectat*, hoc eſt impatiens, ſeù indignatus abijcere nititur. *Detractat* legit Iſingr. non verò detrectat; ſed *detractare* eſt quaſi de dorſo iactare, ſeù, quod idem eſt, abijcere. Enceladus autem quantumuis conetur non valet ſe ponderi ſubtrahere, vt ex ſequenti patet contextu. Corrigit Iſing. Heinſius, & putat ipſum legiſſe *retractat*; ſed in idem recidunt *retractat*, & *detractat*. Quarè nil immutandum. *Onus* porrò idem, ac pondus & ſarcina eſt: & quidem moleſtiâ afficiens; nam ſæpe *onus* pro moleſtia ponitur, hic autem oneroſam exprimit Ætnei montis molem, quæ Encelado ſuperimpoſita intolerabili ipſum pondere grauaret.

CERVICE REBELLI. Ceruix poſterior colli pars eſt, quæ ab occipitio incipit, & ad ſpinam tendit dorſalem. Hæc adeò adiuncta capiti eſt, vt caput ipſum rarò ſine ceruice ponatur, ideòq; iure meritò, & ipſa ceruix pro toto ponitur capite, vt videtur effeciſſe Poeta hic, dum ait *Ceruice rebelli*: Rebellis enim dicitur, qui impoſitum à proprio, ac legitimo principe onus, impoſitaſq; leges vel detrectat actu, vel detrectare molitur; cum autem nil volitum ſit, quin præcognitum, inſitum rebellantis animi videtur ipſa eſſe cognitio, quæ cum ab intellectuali potentia, cuius profectò organum cerebrum eſt, procedat, caput ipſum ſedes eſſe videtur rebellantis animi, ſeù rebelles actus meditantis. Quarè dum Poeta inquit *ceruice rebelli*, videtur à ceruice ad caput, à capite ad cerebrum, à cerebro ad intellectiuam potentiam gradum facere per metalepſim: verum, quia ceruix ex ſe ſola non caret Hieroglyphicis, latentia in ceruice myſteria, tanto vtiq; non ignota Poetæ diſcutiamus, vt ſatiùs innoteſcat, quam erudite Vates ceruicem potiùs, quam aliam capitis partem pro ipſo capite poſuerit. Ceruix igitur Hieroglyphicum ſuperbi, audacis, ferociſq; hominis eſt, vt patet ex Pſ. 128. vbi habetur: *Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum*: quo loco conueniunt interpretes, vt, per ceruicem, *Audaciam*, *arrogantiam*, *ſuperbiam*, *temeritatem*, peccantium intelligere debeamus. Cum igitur, qui ſemel victus, vt Enceladus fuerat, iterum bellum inſtaurare meditatur, procul dubio ſoperbè, audacter, arroganter, ac temerarie agit; quarè iure dicitur *agere ceruice rebelli*; cum *ceruix* horum omnium Hieroglyphicum ſit. Noſce hic obiter continuatam damnati deſcriptionem; ſemper enim damnatus, licet toties victus, toties profligatus, æterniſq; addictus tandem tormentis, nunquam tamen rebellare deſiſtit; ſed ſemper noua in Deum bella pertinaciter molitur: &, licet ſe incaſſum furere, ſatis ſuperque dignoſcat contra ſtimulum tamen calcitrat perduellis.

IN DEXTRVM, LÆVVMQVE LATVS. Subintellige *ſe ſe vertens*; & indicat hic Poeta anxium Enceladi ſtudium, quo ſe conatur impoſitæ tormentorum moli ſubducere; nam ſe in omne latus vertere, vt aliquid quis aſſequatur, idem eſt, ac nil intentatum relinquere, aut omnem mouere lapidem, vt voti compos fiat, qui talibus tandem ſtudijs

exci-

exerceetur. Nititur igitur Enceladus, toto ſui niſu, modo dextrum, modo læuum latus ſuum attollere tentans, & modo dextrum, modo læuum montis latus pertentans, ſed nil, præter ingentes, excitat, motus, quibus inſulam terreat, ſe ipſum autem magis torqueat, premente magis pondere, quo magis nutante. Et dum latus mutat, vt inquit Virg. cit. ſe ipſum ſucceſſato monte frangit magis, ac opprimit. En Damnati pœnam, qui quo magis in Deum aſſurgit incaſſum, magis in ſe ipſum vim agglomerat tormentorum. En Inferni furias, quæ, dum vires exercere nequeunt in Cœlum, ſæpè ſæpiùs in eius furunt imagines, nempè in rationales creaturas, & terroribus, damniſq; Deo permittente compleat interdum.

TVNC INSVLA FVNDO &c. Terræ motibus, quibus ſæpè ſæpiùs obnoxia Sicilia eſt, ex vi ſubterraneorum ſpirituum, vt innuimus, fabuloſam adnectit cauſam Poeta, ex motibus Enceladi ſupraindicatis deſumptam: atq; hic ad deſcriptionem hyperbolicam effectuum congruè admodum deſcendit.

TVNC. Aduerbium temporis eſt, quod hic pro eodem ſumitur, ac *toties* correſpondet enim aduerbio ſupra poſito *quoties*.

INSVLA. Ideſt Sicilia, quæ profectò, ex deſcriptione jam data, Inſula maris eſt: Inſula enim dicitur terra, quæ aquis vndequaq; circumcingitur, & propriè magis, quæ in mari poſita eſt: nam Inſula à Salo appellatam volunt, quaſi *in Salo poſitam*: quæ autem amnis vnda obuallatur *Mediamnis* potiùs dicitur quam Inſula, licet nunc promiſcuè Inſulas vocemus terras omnes, quæ, vel in mari, vel in fluminibus, vel in lacubus poſitæ, aquis vndiq; alluuntur; Immò & *Inſula* dicatur *domus a cæteris per intermediantes circumquaq; vicos ſegregata*. Hic tamen nomen *Inſula* in propria ſtrictáq: ſumitur ſignificatione, vt patet.

VELLITVR FVNDO. En adeſt hyperbolica dictio; nam *fundo velli* propriè eſt *imis è radicibus euerti, extremiſque, ac totalibus obrui ruinis*; quod ſi ſemel eueniſſet Siciliæ, non amplius, hercle, toties quoties Enceladus mutat latus, euenire potuiſſet, nam quod ſemel penitus dirutum eſt, vlterius dirui non poteſt, ne dicatur deſtrui quod non eſt. Verum vtitur Poeta verbo abſolutè poſito *vellitur*, vt oſtendat, tantam ineſſe huiuſmodi terræ motibus violentiam, vt videatur Inſula imis e radicibus diuelli, ac mox mox in nihilum, fere credatur, redigenda. Ideò *vellitur*: non quo ad effectum realem, ſed quo ad apparentiam effectus: & *vellitur fundo*, ideſt ex ima baſi, & radice, quaſi in vnam ex Inſulis natantibus transformanda.

ET DVBIÆ &c. Effectum terræ motus proſequitur, immò effectum effectui adnectit per copulam *Et*, eo enim oſtendit non ſolum quaſi Inſulam, vt dixerat, ſed concuti, adeò vt Siciliæ vrbes nutantes videantur lapſuræ; Ideò *dubiæ*. *Dubius* enim dicitur, qui duas, v.g., vias habens vtram eligat neſcit, & ambigens remoratur, vel qui in ancipiti poſitus periculo, vix periculo non ſuccumbit. Tranſlatè autem hoc loco Siciliæ vrbibus applicatur, ſi Poetam, velimus, locutum eſſe de vrbibus materialiter ſumptis, ſi verò de formaliter ſumptis, ita vt ponat continens pro contento, tunc adiectiuum *dubiæ* proprium erit, non tranſlatum. *Dubiæ* igitur dicuntur vrbes, quo ad materiale, quia ipſa vrbium ædificia adeo quatiuntur, vt modò hùc, modò illùc inclinantem impetum à terræ motu excipiant ad ruinam propenſa; at cum, altera ex parte, ipſa tenaci ædificiorum ſtructura ad permanentiam roborentur, videntur dubiæ remorari, quemnam horum impulſuum ſint ſecutura, vel ad permanentiam, ſcilicet, vel ad ruinam. Inſuper ex vehementi concuſſione in excidiorum periculo poſita vix non ſuccumbunt; ideò *dubiæ*, quod nos vulgò diceremus *già de cadere in forſi*.

VRBES. Vrbs propria Opidum eſt muro circumſeptum, & Vrbs dicitur ab *vrvo*, aratri videlicet curuaturâ, eo quod antiqui vrbes condendas aratro deſignarent, vt patet ex Virg. Georg. 1.

Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro.

& clariùs ex eodem auctore Virg. Æn. 5.

Interea Æneas vrbem deſignat aratro.

Ex hoc, nomen vrbis propriè videtur ſignificare tantum ipſam vrbem materialem, ſeù ipſa vrbis ædificia, vt videtur etiam inferri ex ijs, quæ habet idem Virg. Æn. 1.

Vrbs antiqua fuit: Tyrij tenuêre coloni.

& clarius apud eumdem Æn. 5. cit. vbi ſic habet:

Transſcribunt vrbi Matres, populumq; volentem.

Verum, quia nomen vrbis ab eodem Virg. Æn. 2. ita video vſurpatum, vt pro formali, nempè pro ipſis ciuibus ponatur, vt patet expreſsè ex illo eiuſdem Auctoris Carmine Æn. 2. cit.

Inuadunt vrbem ſomno, vinoq; ſepultam

nil obſtat, vt arbitror, quin in vtraq: ſignificatione accipi poſſit; ita vt duplici ſignificatione à Poeta noſtro decurrentur *vrbes dubiæ* iuxta duplicem iam traditum explicandi modum, in verbo *dubiæ*. Alij volunt vrbem ab *Orbe* dictam, eo quod in circulum perfectum ſolerent conſtrui. Sed, cum id parum ad inſtitutum ſit, prætereo.

NVTANT. Nutare idem eſt, ac *vacillare, tremere*, & ſignum collabendi exprimere. Frequentatiuum eſt à verbo *Nuo*, quod propriè ſignificat *frequenter caput inclinare cum tremore*; tranſlatè autem dicitur etiam de inanimatis, & de animo vehementi timore correpto. Quarè ſi vrbium nomine ciues intelligas, vt ſupra, dicendum hic eorum animos nutare inter vitæ, mortiſq; confinia, dum materialem ipſam vrbem vacillantem conſpiciunt; ſi verò nomine vrbis materiale ipſum intelligas, dixeris congruenter, verbum *nutant* tranſlatum eſſe ad exprimendum tremitum ipſum vacillantium ædificiorum, vt item ſupra.

CVM MÆNIBVS. Vrbs, ſi de materiali loquamur, propriè ſtructura ipſa ædificiorum eſt, partiumq; ſimetria, ac diſtributio; mœnia autem ſunt ſtrues illæ murorum, quæ quaſi ab vrbe ſeiunctæ vrbem circumuallant, ac muniunt: quarè illa particula *cum* ſocietatem indicabit. Quodſi pro ciuibus *vrbem* poſueris, ſenſus erit: *Ciues vna cum ædificijs contremiſcunt*: Si *vrbem* pro materiali ſumpſeris, ſenſus erit: *ædificia ſimul Ciuitatis, ac Mœnia Ciuitatem obuallantia eodem tremore funditus corripiuntur*. Vtrumq; copulatum innuere Poetam arbitror voluiſſe.

Ex his perpendere licet moralitatem quærenti, quam cæcus ſit, qui, terrenis affectus oblectamentis, Proſerpinam ſuam, hoc eſt Animam, Siciliæ: ideſt affluentiæ deliciarum fidat emporio, vt ſupra dicebamus; latet enim anguis in herba, atq; inter deliciarum flores occultatur Enceladus, impius ſcilicet Dei hoſtis Lucifer damnatus, qui Siciliam, ideſt mundanarum domum deliciarum tartareo ſulphure offendit, tartareis exhalationibus inficit, ac igne euaporante adurit ſæpiùs, quam denigret, eamque inſolitis quaſſans motibus, perpetuò, ſalutis dubiam, terrore, exagitat, ita vt nunquam mel ſine felle infœlicibus ſanè Incolis propinet. Nil poteſt in Deum, ſuperbiæ Gigas, Lucifer, ac temeritatis; ſed, vt, qua poteſt, parte fœdat, Imagini ipſius Dei viuenti, nempe animæ, aſſiduas conſtruit inſidias Latro, & Sirenum in morem delicijs allicit, vt occulto ſubindè perimat veneno. Montes immò ipſos, hoc eſt *firmiſſimas quaſq; ſanctitates*, motu ſuo, concutit *ſedes*, vt in perditionem adducat, ſi fieri poſſit etiam electos, Sulphure, ideſt peccatorum afflat fœtore; igne concupiſcentiæ flagellat; fumo ſuperbiæ inficit; tremore, ideſt timore, ac deſperatione ſalutis pertentat, ita vt *vndique anguſtiæ* exclamare cum Apoſtolo poſſit infœlix Anima, quæ poſthabito Cœlorum tramite, terræ inſiſtit blanditijs peritura, & eo ipſo periculo peritura, quod deliciarum velo amat obtectum: Videtur enim ipſe ſibi Enceladus ille ſuperbus ſummum de Deo ipſo triumphum reportaſſe, ſi animam Dei imaginem in imaginem propriam deturpans conuertat. Ideò detrectat onus impoſitum pœnarum ceruice rebelli, & tot agitat furias, vt Deum in creaturis rationalibus, quantum fieri poſſit, exagitet. Væ igitur animæ, quæ terrarum delicias appetens tantis terroribus, tortoribuſq; libens exponitur. Vndiq; perturbationum maribus anguſtatur; vndiq. in Scyllas incidit, & Carybdes; vndiq; ſuperbiæ montibus obuallatur, ac tandem ſolum inferni hiatum ſibi videt afflantem, ita vt iure exclamare poſſit: Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Citò deliciæ tranſeunt, horror permanet, & facilis ſubrepit deſperatio; cum quæ ſibi in vitæ augmentum profutura crediderat, in excidium videt erecta.

Ne deſperemus nos tamen; ſede ſiculis littoribus euolemus ad Pindum, vt propriam de his muſam conſulamus.

Del famoſo giardin, che, fra ſue gioie,
La rapita dal Toro ogn' hor vagheggia,
Parte fù la Sicilia: hor frà le noie
Giace, ſuelta, del mar, ch'intorno ondeggia.
Batte Theti, cui par, ch'il freno annoie,
Quel monte altier, al ſuo furor fronteggia,
S'apre Apennino all' arietar dell'onde;

Italia totius viridarium Europæ.

E con l'infrante rupi erge due ſponde.
Rotto il confin, frà i dirupati ſaſſi
Nereo s'inoltra, e vincitor traſcorre:
Scaua l'horride balze, oue più baſſi
Puote Natura i fondamenti apporre;
E, ſuolgendo i macigni, apre i trapaſſi
Di Forco à i moſtri: ei condottier precorre.
Creſce la piena; e l'onde all'onda aggiunte
Spargon d'ignoto mar l'Alpi diſgiunte.
Con ſtretto sì, mà portentoſo Egeo
Così la parte hor dal ſuo tutto è ſuelta;
E natura di lei formar poteo,
Scoglio à trè mari, inſuperabil Delta.
Vn Pachino, vn Peloro, vn Lilibeo
Forma à gl' angoli ſuoi rocca ben ſcielta
Che, con l'oppoſte ſelci, al mar furioſo
Spezza gl'orgogli, e lo rigetta anſioſo.
Sprezza il Pachin, de ſuoi dirupi armato,
D'Ionio ſdegno i procelloſi aſſalti:
Spuma in rabie 'l Tirrheno, e rigonfiato
Cozza contro il Pelor; mà, ne riſalti
D'infrante ſpume, al domator tentato
Porge, mal grado ſuo, di gloria i ſmalti:
Latra il Getico mar, s'agita, e ſcuote;
Mà 'l capo di Marſalla in van percuote.
Centro del gran triangolo, s'inalza
(Obeliſco immortale al fatto d'armi,
Con che, i rotti Giganti il Ciel trabbalza)
Dell'Etna il giogo; e con gl'arſicci marmi
Faſto cinge d'horror l'alpeſtre balza.
Taccian le Muſe pur: ceſſino i Carmi;
Che d'vn ſol Etna i riueriti horrori
Spiegheran ſempre i trionfali honori.
Quell'Etna eccelſo, alla cui vaſta mole
Il fulminato Encelado ſoggiace:
E, catenato alle marmoree Zole,
Nel ſepolcro fatal viuo ſe'n giace:
S'eſſacerban le piaghe; il cuor ſe'n dole,
Ed, in graue reſpir mentr'ei ſi sface,
Spira l'acceſo petto, ancor rubelle,
Sulfuree fiamme, ad oſcurar le ſtelle.
Tal hor furioſo, al deſtro lato, al manco
Si rauuincola, e ſcuote, à sforzo eſpreſſo,
Per rigettar dall'affannato fianco
L'impoſto monte: e pur vi reſta oppreſſo.
Mà dell'Iſola tutta afflitto, e ſtanco
Vacilla il corpo, al dubio moto impreſſo:
Treman torri, e Città: par che dal fondo
Tutto ſi ſuella, e ne dirocchi il pondo.

Videtur cõmeare vbi Phorcum Scyllæ Patrē ex fabulis vidimus.

Lylybæum.

At, ne tantis & nos terroribus ab inceptis deterreamur, ad Poetæ noſtri Laurum ſedulo confugiamus.

Ætnæos apices ſolo cognoſcere viſu,
Non aditu tentare licet: pars cætera frondet
Arboribus: teritur nullo cultore cacumen.
Nunc vomit indigenas nimbos, piceâq; grauatum
Fœdat nube diem: nunc motibus aſtra laceſſit
Terrificis, damniſq; ſuis incendia nutrit.
Sed, quamuis nimio feruens exuberet æſtu,
Scit niuibus ſeruare fidem, pariterq; fauillis
Dureſcit glacies, tanti ſecura vaporis,
Arcano defeſſa gelu, fumoq; fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
Quæ ſcopulos tormenta rotent? Quæ tanta cauernas
Vis glomeret? Quo fonte ruat vulcanius ignis?
Siuè quod, obijcibus diſcurrens ventus opertis,
Offenſo per ſaxa furit rimoſa meatu,
Dum ſcrutatur iter, libertatemq; repoſcens,
Putrida multiuagis populatur flatibus antra:
Seù mare, ſulphurei ductum per viſcera montis,
Oppreſſis igneſcit aquis, & pondera librat,

ÆTNÆOS APICES &c. Totius Siciliæ peragens deſcriptionem Vates Ætnæ montis attigerat prodigia, eumq; iam Buſtum Enceladi indicauerat; ac indè in eiuſdem Enceladi deſcriptionem per hyppotipoſim exarandam diuerterat. Nunc, peracto quaſi poſtliminio, ad ipſam Ætnam deſcribendam regreditur, ab hoc quod Buſtum fuerit Enceladi iam præſcindens; amplificat autem deſcriptionem ab effectibus, quorum etiam, data occaſione, cauſas naturales inquirit; ac plures aſſignat, iuxta diuerſas Auctorum opiniones, nullam ipſe certam ſtatuens, vt oſtendat ignotum nimis eſſe prodigiorum principium; ideòq; altioribus indagandum mentibus relinquendum, cum ipſe hic Poetam ſe, non Phyloſophum profiteatur.

Ætnæi fratres dicuntur humana illa (ne illos dicam homines) monſtra, quibus Cœlum capita alta ferentibus attingi viderentur, cum è ſyluis in maritimam concurrerent Oram. Verum hallucinantur iſti, vt arbitror, egregiè; nam, ſi Virg., cui nil vnquam ſuper fluum excidit, Epitetum Ætnæos ijs addidiſſet ad oſtendendam corporis, inſtar Ætnæ montis, proceritatem, non addidiſſet ſubindè: *Cœlo capita alta ferentes*; hoc enim ſuperfluum prorſus fuiſſet, quippe in epiteto *Ætnæi* omninò expreſſum. Video quidem, ab Aduerſarijs illa poſtrema verba dici poſſe apposita ad pleniorem, clarioremque explicationem illius epiteti *Ætnæi*; verum, qui ita diſſerat, incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim: Vitium enim eſſet Poetæ aliquid obſcurum ponere neceſſariò explicandum, ita tamen vt ſubſequens explicatio nil magis innuat quam explicatum. Quare ſi explicatio illa fuit neceſſaria, epitetum remanet ſuperfluum, ſi non fuit neceſſaria, iam ipſa ſuperflua eſt. Sed, vt clariùs dignoſcamus, quam turpiter iſti Virgilij ſenſum diſtorqueant, aduertite, Principem Poetarum loqui ibi de Cyclopum turba, qua tunc temporis tota incolebatur, ſeù potiùs vaſtabatur Sicilia, quæ ideò *Cyclopum Inſula* dicta fuerit, vt patet ex antecedenti eiuſdem Vatis contextu, vbi habetur.

Ignariq; via Cyclopum allabimur oris,

Vbi per oras Cyclopum Siciliam intelligit, vt patet ex deſcriptione Ætnæi montis ibi poſiti, quam immediatè ſubnectit; oram illam in progreſſu ſubindè trinacriam appellans. Cum igitur inferius de Cyclopibus Siciliam incolentibus loquens, ſecundum allegata ab aduerſarijs dixerit:

Cernimus adſtantes nequicquam lumine toruo
Ætnæos fratres Cœlo capita alta ferentes.

ÆTNÆOS APICES &c. Aggreditur Ætnæ deſcriptionem à partium enumeratione, eamq; proſequitur vſque ad illud. *Quæ ſcopulos &c.* vt ex hac deſcriptione magis eluceſcant prodigia, quæ in calce deſcriptionis, ab effectibus commemorantur. *Ætnæos* igitur adiectiuum nomen eſt ab Ætna deriuatum. Quarè Ætnæum dicitur quidquid ad Ætnam ſpectet. Sic Virg. Æn. 8. Antra huius montis *Ætnæa* nuncupauit inquiens.

Antra Ætnæa tonant validiſq; incudibus ictus &c.

Sic ibidem Cyclopes vulcanijs in hoc monte operibus inſudantes Ætnæos vocat, eo quod Ætnam incolerent.

Tollite cuncta, inquit, cœptoſq; auferte labores
Ætnæi Cyclopes: atq; huc aduertite mentem,

Scio equidem ab aliquibus, *Ætnæi* notam appoſitam interdum, dici ad oſtendendam alicuius rei proceritatem, quaſi id, cui apponitur, dicatur ſui corporis mole ipſius Ætnæ montis magnitudinem æmulari. Afferunt iſti ad ſuam opinionem roborandam Virgilij carmen Æn. 3. exaratum, quo

cur

cur non potiùs dicendum eſt, epitetum illud *Ætnæos* patrium nomen eſſe, quo indicaret Cyclopum nationem circa Ætnam regiones incolentem? Sed videant tortores iſti, ne Poetam dilacerent, dum diſtorquent; noſq; ad propoſitum regrediamur, & dignoſcamus nomen *Ætnæos*, & denominatiuum ab Ætna hic eſſe, & vbicunq; reperiatur.

APICES. Apex propriè loquendo faſtigium eſt in ſummo Flaminis pileo conſtitutum, in cuius extremo modica olim lana erigebatur. Sumitur, & pro ſumma verticis parte, ac denique pro cuiuſcumque rei ſummitate acuminata: quarè hoc loco *Ætnæi apices* ſummitatem acuminatam Ætnæ montis ſignificant; ideòq; idem eſt dicere *Ætnæos apices*, ac dicere ſummam Cœlum verſus Ætnæ montis partem, quæ ſcilicet mons ipſe in conum erigitur, quam ſummitatem millenis obuallatam periculis oſtendit Vates, dum dicit eam ſolo viſu cognoſci licere.

LICET. *Fas eſt, poſsibile eſt, conceditur*, ac *facultas datur*. Vtitur itaque verbo *licet* Poeta hic, vt oſtendat theoremata multa peruia quidem menti eſſe, ſed ad praxim nulla vi deducenda, inter quæ enumerandam indicat practicam Ætnæi montis cognitionem, cum, quamuis facultas detur, eam vt ingenij acumine aſſequamur, nulla tamen eodem experimento datur comprobanda, vt e ſpeculatiua in practicam committeur.

COGNOSCERE. Id, quod antea ignotum erat, dilucida cognitione perluſtrare; hoc *cognoſcere eſt*. In quo diſtinguitur verbum *cognoſcere* à verbo *agnoſcere*, nam hoc propriè dicit *rem ante cognitam ſpeciem reuocare in mentem*. Oſtendit igitur Poeta, ignotum cuilibet eſſe Ætnæi cacuminis portentoſum faſtigium; poſſe tamen notum fieri ſpeculantibus, cum nulla ſint arcana naturæ, quæ Phyloſophus mentis acie non valeat contemplari. Item *cognoſcere* idem eſt, ac *diligenter, & attentè conſiderare, perquirere, ſcrutari*; quos omnes ſenſus eruditè complectitur Poeta.

SOLO VISV. Propoſitio exponibilis hic habetur; nam, licet ex axiomatè Phyl. Qui vnum dicit alterum non excludat; tamen *ſolum hoc* dicit alterum quodcumq; excludit; idem enim eſt dicere *ſolus hic*, ac ſi diceremus: *hic, & nullus præter hunc alius*; quarè particula hoc pacto vnum includens alia omnia excludit, & huiuſmodi eſt nomen *ſolus*. Dum igitur Poeta dicit: *licet ſolo viſu agnoſcere*, idem eſt, ac ſi diceret: *viſu agnoſci poteſt*; ſed *nullo alio pacto cognoſci poteſt*. *Viſus* autem hic dupliciter ſumi poteſt, vt & aliàs innuimus, vel ſcilicet pro viſione intellectuali, vel pro viſione ſenſitiua corporea: vtramque complectitur Vates hoc loco; nam certe ocularis viſio prærupta, à longè ſaltem, ac deſerta montis cacumina poterat intueri, atq; ex iſtiuſmodi viſione aſſurgens ſubinde intellectualis viſio per ſpecies à ſenſu receptas, poterat altiùs ad effectus, & cauſas ſolerti indagatione penetrare; Vtriq; igitur viſioni peruios Ætnæos apices Poeta oſtendit; ſed non licere addit, eoſdem *aditu*; hoc eſt, experientia per approximationem habita, tentare, quoniam nimis hoc eſſet pernicioſum inquirentibus.

NON LICET. Idem enim verbum ſemel ſub affirmatiua poſitum, ſub negatiua iteratum intelligi debet, ponitur enim particula *non* per contrapoſitum oppoſita affirmatiue ſuperiùs poſitæ; ita vt dicat: *licet viſu cognoſcere: non licet tentare aditu*; quare particula illa *non* vim habet diſcretiuæ, & ex oppoſito disiunctiuæ. *Non licet*, hoc eſt non datur, non conceditur, impoſſibile eſt.

TENTARE. Idem, ac *experiri, periculum facere*, ac *curioſius inquirere* ſignificat verbum *tentare*. Quarè & hic ſignificat *præſtantiori ſenſuum experimento peruestigare*, ſicuti faciunt, qui, ſenſui viſiuo non fidentes, tactu rem pertentant, num talis, qualis oculo exhibetur, exiſtat, peruestigantes.

ADITV. Aditus propriè ingreſſum ſignificat. Porrò *ingreſſus* dupliciter ſumi poteſt: vel enim ſumitur materialiter, & quaſi terminatiuè, ſeù paſſiuè, & erit via illa, ſeù Oſtium, per quod adeuntes recipimur: vel ſumitur formaliter, ſeù actiuè, & vitaliter, nempe pro actione ipſa vitali, ſeù motu ipſo à principio vitali elicito, quo adeuntes ad aliquid promouemur. In vtroque autem ſenſu ſumi poteſt hic: In ſenſu quidem materiali, & paſſiuo, quia, cum ingenti pateat hiatu Ætnæ montis cacumen; immò, vt aliquibus placuit, hiatu duplici, quos notat Parthaſius Crateras appellatos, videtur Mons ipſe, aperto Gurgite aditum præbere cupientibus, vt interna ſui ipſius viſcera perueſtigent, ſed non tentandus tamen huiuſmodi aditus; nam præſeferre videtur inſcriptionem Tartarei regni *Laſciate ogni ſperanza o voi ch'entrate*. In apertam enim ſe mortem conijceret, qui Curtij in morem apertas, flammanteſq; voragines penetraret: in ſenſu autem formali, ſeù vitali actiuo ſumi poteſt, quia nimis temerarium eſſet accedere eo, vndè non ſemper liberum eſſet recedere. Obruunt cineres, & incendia, ex huius montis faucibus ſæpiùs euibrata, longinquas etiam vrbes: quis audeat propiùs ad fauces accedere, ardenteſq; fauillas experiri. Arbitror autem Poetam hic tacitè inſinuare non ſolum, ſed apertè redarguere temeritatem Empedoclis, qui deſiderio gloriæ impulſus, ferreis inſtructus calceis, ſe ſe in apertas Ætnæ fauces coniecit, vt verticoſos amphractus penetrans, tanti originem incendij perſcrutatus, veras poſſet cauſas, portento ſimilis, renuntiare. Verum temeritatis pœnas dedit, cum calceos tantum ad auras, reluctatis ignibus, profundæ illæ voragines euomuerint; ac ſic fundamentum præbuit Claudiano dicendi *Ætnæos apices ſolo cognoſcere viſu; non aditu tentare licet*. Quod Empedocles ex Ætna expertus eſt, expertum fuiſſe, & Plinium ex Ignìuomo Campaniæ monte Veſeuo, ſeù Veſuuio referunt Cecilius in Epiſtolis, & Euſebius. Sed nos Ætnam proſequamur. Aliam enim cauſam exprimere libet, cur humanis greſſibus imperuia Ætnæ culmina dicantur. Hæc autem eſt, quia, cum ex ſupradictis, & meliùs ex infra dicendis, aſſiduas flammas, ac ingentem cineris vim euomat Ætna, certe, & perulta circumquaq; ſaxa ingentibus dehiſcent ſciſſuris, & collabantia ſepulchrum obſtruent conſcenſuris; ac vis illa cinerum, præcipitia, ſupereffluentibus cineribus, contegens, & occultans, pedem vel cautiſſimè adeuntis fallet, &, prementi cedens, voragines ſcandenti aperiet non ſolum, ſed, grauiori ſuperfuſa corpori decidenti, obruet prolapſum, ac, præcluſa reſpiratione, nullo facile perimet negotio. Ideò *non aditu tentare licet*. Hæc autem de ſterilitate montis ſub cinere iacentis &c. ſatis colliguntur ex conſequenti; dum enim reliquum montis in viridarium deſinere deſcribit certè cacumen ipſum, vt ſubdit, deſertis ſimile fuerit neceſſe eſt.

PARS CÆTERA. Partem dictam volunt aliqui a Paruo, eo quod Pars paruum quid ſit reſpectu totius. Verum, licet, vt plurimum, verum hoc eſſe conſtet, fallit tamen interdum; nam quamuis pars aliqua alicuius totius certè ſemper ipſo toto ſit minor; magna tamen adeò in ſe eſſe poteſt, vt paruum quid dici non poſſit. Sic firmamentum pars huius machinæ mundialis dicitur; quis tamen, paruum quid eſſe, dixerit firmamentum? Cum immò ſphæras omnes orbemq; totum circumagat, & complectatur. Nonne tellus punctum dicitur comparata Cœlo? Nonne Cœlorum tractus ob vaſtitatem dicuntur immenſi? Quid ergo firmamentum? Inſuper aliqua poteſt aſſignari aliquando pars, quæ, non integrum quidem, ſed fere integrum abſorbeat totum: quomodo igitur quid paruum erit etiam ſi toti comparetur? Voluerunt itaq; alij, *Partem dici à pari*, eo quod partes ſimul iunctæ pares ſint toti, cuius ſunt partes, ita vt neque excedant, neque excedantur; quidquid ſit, an inter ipſas partes detur, vel non detur exceſſus magnitudinis, aut paruitatis. Veram autem hanc arbitror opinionem; nam certè partes ſunt, in quas adæquate diuiditur totum, &, ad hoc vt bona ſit diuiſio, iuxta Phyl., debent partes diuidentes totum adæquare diuiſum. Diuidit igitur Poeta hic Ætnam montem adæquate in duas partes, nempe in partem ſupremam, & ſupremæ ſubiectam, ſeù infimam. De parte ſuprema iam dixerat, eam inhabitabilem, inacceſſibilem, horrendam eſſe, vt etiam latius ab effectis patebit infra. Iam de parte ſubiecta, ſeù infima dicere aggreditur, quæ ſcilicet ab inferiori extremitate partis illius horridæ, deſertæq; incipiens ad extremas vſq; radices montis protenditur. Ideò *pars cætera*; nam cætera ex græco dicitur *καὶ ἕτερος*, quod latine ſonat idem, ac *alius*, ſeù *id quod ſupereſt*. Vulgò *il rimanente*, vt ſciamus, per hanc partem cæteram, reliquum à cacumine montem totum deſcribi, qui ſcilicet hac parte

FRONDET ARBORIBVS. Nonnìa hìc indirectè inſinuat Vates Vulcanij illius nemoris, quod ad radices Ætnæ poſitum innuimus ante, ad explicationem illius Carm. *In medio ſcopulos &c.* quod nemus, continuato per Ætnæ dorſum arborum ductu, protenſum ad deſertam vſque montis ſummitatem, fuiſſe indicat; ſeù etiam illius nemoris, quod, Iouis illuſtratum trophæis, ad radices eiuſdem Ætnæ poſitum, & æquè ad ſterilem vſque partem continuatum adeſſe dicturus eſt lib. 3. vbi habebit *Lucus erat præſcßlammis Actn &c.* Ex arboribus autem inibi ſucceſcentibus, vireſcentibuſq; colligendam peritis reliquit vberem Ætnæi montis fertilitatem, quæ non ſolum arboribus, ſed cæteris etiam Floræ, Vertumni, ac Cereris ornamentis ditaretur; hic enim arborum amœnitatem attigiſſe ſatis fuit Poetæ, vt alibi eiuſdem

P montis

montis fertilitatem ſeponeret deſcribendam; eam enim latiori ſtylo proſequitur ſubinde lib. 2. vbi ait:

Vderat herboſa ſacrum de vertice vulgus
Ætna parens florum &c.

vbi etiam explicat, quænam arborum ſpecies eſſent, de quibus hic genericè habet *Arboribus frondet*. Frondere igitur idem eſt, ac frondes habere, ſeù frondibus locupletari: & quamuis frondes propria arborum ſint ornamenta, eas tamen habere monti præbuit, quia *ſolo cedit* quod de ſolo viuit, ſeù de ſolo eſt, vt Iuriſtarum docet axioma: quarè cum ex fœcunditate ſoli proueniant arbores, eiuſdemq; humore vegetent, ac frondeant; hinc eſt, vt ſolum ipſum frondere dixerit Vates arboribus. Arborum verò nomine continentur Plantæ maiores, quæ ſimplici caudice, ramiſq; brachiorum in morem exporrectis aſſurgunt, cuiuſmodi ſunt *Olea, vites*, quercus, Amigdala, Pinus, & aliæ ſimiles, ideò diximus, dictum hoc Poetæ ad memorata nemora referri.

CACVMEN. Indicata amænitate inferioris montis, ad ſterilitatem regreditur faſtigij, vt ſibi viam ſtruat ad deſcribenda prodigioſa montis incendia, cauſas vtique ſupremæ ſterilitatis, vt hoc pacto ex contrapoſitis in eodem monte emicantibus prodigiorum inſurgat admiratio, quæ certe de hoc monte nunquam ſatis. *Cacumen* itaque ſummitas cuiuſcumq; rei eſt, v. g. arborum, turrium, montium &c. quæ tamen non conſiſtit in indiuiſibili, ſed patitur aliqualem dimenſionem altitudinis, & latitudinis præcipuè in montibus, vt hoc loco.

NVLLO CVLTORE TERITVR. Inhoſpitale montis jugum inculcat iterum, quaſi per Epiphonema, ſeù magis dicere per quamdam Emphaticam conduplicationem conceptuum, non verborum; quæ maximum profectò eſt poeticæ Orationis ornamentum. Porrò adiectiuum *nullus* compoſitum certè eſt ex particula negatiua *non*, & adiectiuo *vllus*, ita vt idem ſit, ac *non vllus*: cum autem negatio ſit malignantis naturæ, per Phyl., & neget quidquid inuenit poſt ſe, certum remanet, nomen *nullus* eſſe excluſiuum, ac negatiuum cuiuſcumq; ſubſequenti, cui applicetur, eſt enim, per ſummuliſtas, terminus ſincategorematicus vniuerſalis negatiuus; quarè dum ait Poeta *nullo cultore*, excludit profectò omnem, & quemcumque viuentem ab aſcenſu, & cultura huius Ætnææ ſummitatis. *Cultor* autem, a verbo *colo* deductum nomen, multiplicem habet ſignificationem; nam ſicuti *colere* idem eſt, ac inhabitare; ita *cultor* idem erit, ac *inhabitator*; ex quo fit, vt Poeta quemcumque habitatorem ex inhoſpitali illo excludat cacumine: Inſuper *colere* idem eſt, ac *terram varijs agricultura modis exercere*; ideò *cultor agricola* erit *quoquo modo agros exercens*, ex quo fit, vt Poeta quemcumq; etiam agricolam à ſummitate montis excludens ſummam illius de conſequenti notet ſterilitatem. item *colere* idem eſt, ac *exornare*; ornari autem poteſt tellus vel culturæ ſtudijs, vel ædificiorum molibus, vel fontium ſtructuris &c. quarè *cultor* erit *qui aliquo ex his modis cultam terram exornet*; &, etiam in hoc ſenſu, quemcumq; ab Ætnæa ſummitate cultorem amouet, vt eam ſummè horridam oſtenteret; *teritur* autem dixit, quia etiam hoc verbum *Tero* plures habet ſignificationes, quæ adamuſſim correſpondeant ſignificationibus de *cultore* ſupra traditis: *Terere* enim idem eſt, ac *pede premere*, vulgò *caminare*, *paſſeggiare*, quod proprium inhabitantium videtur. Excluſit Vates ex ſummo Ætna inhabitantes omnes: conſequenter *nullo teritur*; ideſt *nullo cultore pede preparatur*. Item *Tero* idem eſt, ac *findo*, ac *diſrumpo*, quod proprium agricolarum eſt, qui terram findunt aratro, glebaſq; comminuunt, vt aptior ferendis fructibus reddatur: remouet Poeta agricolam omnem: ideò *nullo*, etiam in hoc ſenſu, *teritur cultore cacumen*. Ex hoc ipſo reſultat tertia ſignificatio exornandi, vt vſui inſeruiat, cum *terere* interdum idem ſit, ac *vti*, atq; ideò *nullo teritur*, cum prorſus inhoſpita ſit ſummitas montis.

NVNC VOMIT &c. Reddit rationem hic, cur *nullo teratur cultore cacumen* cur *ſolo viſu*, *non aditu*, *tentare liceat Ætnæos apices*: atq; Ætnæ prodigia amplificat ab effectibus.

NVNC. Aduerb. temporis eſt, & quidem, hoc loco, ipſius temporis partitiuum, ac diſtributiuum: cum enim Poeta varios diſtributiuè deſcribat effectus, qui, pro varia diuerſitate temporis, ab Ætna proueniunt, vnicuiq; effectui ſuum tempus aſſignat diſtinctum, per particulam iteratam *nunc*, eiuſdem temporis diſtributiuam, ne videantur huiuſmodi effectus ſimultaneæ procedere, quamuis ſibi inuicem, immediatione fere temporis ſuccedant.

VOMIT. *Vomere* propriè eſt, quæ in ventriculo congeſta ſunt, ex ipſius ventriculi ſubuerſione, reiectare. Vt igitur Poeta oſtendat in viſceribus montis, quaſi quodam in ventriculo, aggerari incendia illa, quæ ab Ætnæ faucibus erumpunt, aptè vtitur verbo *vomit*, licet ab animato ad inanimatum translato. Videtur enim mons ipſe omnia repletione grauatus, ex interna viſcerum conuulſione, eas, quas intus aggerauerit, flammas aperto ore reiectare, atq; adeò, vt magis internam hanc aggerationem oculis ſubijceret, inquit: Vomit

INDIGENAS NIMBOS. Indigena enim dicitur qui ibi degit, vbi natus eſt, quaſi *inibi degens vbi natus*; nam incendia, in vtero montis ſuccreſcentia, in eodem montis vtero degunt, & occultantur, donec ex nimia repletione, impotens vlterioris aggerationis mons toto reiectet impetu. Quare minus aptè videtur mihi Parrhaſius *mouet* legiſſe pro *vomit*. Porrò nimbus, ſi conſideretur ſecundum propriam, & rigoroſam ſignificationem, nihil eſt aliud, quam denſiſſimus aquarum globus præcipites decidens in pluuias. Verum quia ex huiuſmodi cadentium aquarum copiam ſummâ aer denſatur obſcuritate, quidquid effectum ſimilem in aere producit, ex permutata proportione, *nimbus* dicitur. Sic vehemens ventorum afflatus aerem perturbans, & obtenebrans Nimbus apud Virg. appallatur Æn. 1. vbi ſic.

Talia flammato ſecum Dea corde volutans
Nimborum in Patriam, loca fœta furentibus Auſtris
Æoliam venit &c.

pariter volantem pulueris turbinem *Nimbum* vocat idem Virg. Georg. 3. *At fulua nimbus arena*
Tollitur &c.

immò bellatorum aciem, denſatis cuneis, ſe ſe in bellum euibrantem *Nimbi* nomine denotat Æn. 7.

Inſequitur Nimbus peditum, clypeataq; totis
Agmina denſentur campis &c.

nubes etiam *nimborum* vocabulo deſignat Æn. 8.

At Venus æthereos inter Dea candida Nimbos
Dona ferens aderat &c. & Æn. 9.
Hic primum noua lux oculis effulſit, & ingens
Viſus ab Aurora Cœlum tranſcurrere Nimbus.

ex quorum locorum diuerſitate, ac variâ nimbi, in iiſdem, acceptione, ſatis patet, Nimbum communiter dici quidquid denſitate pollens per aerem circumfertur. Quare Nimborum hic nomine, non pluuias, non ventos, aut nubes appellatas a Poeta noſtro ſatis liquet; ſed conſtat eum nimborum nomine denotare voluiſſe denſiſſimos illos flammarum, fumorumq; vortices, qui ex Ætnæo apice erumpentes, totoq; diuagarentur Cœlo, aeris regionem obtenebrantes, & quos Virg. Æn. 3. *atra nubis* nomine delineauit.

. . . , Sed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis:
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla:
Attollitq; globos flammarum, & ſydera lambit.

potiori tamen iure Claud., fundamento ſimilitudinis innixus, eructatos flammarum fumorumque globos *Nimbos* appellauit; nam, ad inſtar diluuij incendiorum, recidere videntur, quæ ad Cœlum vſq. pertingendum attollebantur. Clare autem intentionem circa huius nominis intelligentiam patefacit Vates, dum nimbos, de quibus loquitur *indigenas* appellat montis; nam, cum nemo det, quod non habet, mons ſolis diues incendijs non niſi incendiorum, fumorumq. globos potuit in Nimbos coaleſcentes emittere. Et forſitan alluſit Poeta ad illud Eſchili, quod apud Cauſſinum de Eloq. habemus lib. 4. cap. 18., qui videlicet horribiles illos exæſtuantis Ætnæ motus flammiuomas appellauit tempeſtates, hæc inquiens:

Hanc autem Typhon obuoluens eructat iram
Feruentibus ſolis tormentis, & flammiuoma tempeſtatis.

ET FÆDAT PICEA NVBE GRAVATVM DIEM. *Hysterologiam* hic, ſeù *vsteron proteron* agnoſco; nam priùs eſt fumum euaporare; deinde flammas ſubſequi. Poeta autem priori loco flammarum eruptiones, licet fumis immixtas, ac ſubindè euolantes exarat fumoſos vortices, ſine viuido flammarum, ac denique tonantem motum, vt videbimus, qui motus certe omnia præcedere debuit. Nil tamen mirum ſi Poeta homerico ſcribens ſtylo, homerica hac vtatur inuerſionis figura.

ET: Particula, vt ſæpè diximus copulatiua eſt: atq; hic maximè locum habet, non ſolum, vt antecedentia connectat cum ſubſequentibus, ſed vt ſimultatem indicet eorum effectuum, quos ideò poſuit ſub eadem particula temporis, nempe ſub eodem *Nunc* ſicut enim per diuerſum *nunc*, vt ſupra dicebamus, quæ habent ſimultatem diſtinguit, & ſeparat; ſic eos quos ſimultaneos indicare voluit per copulam

&

ſub eodem *Nunc* connectit, ac copulat; licet enim iuxta ordinem naturæ fumus flammam præcedat, tanquam ſignum rei quæ ſubſequitur; tamen loquendo de igne ſulphureo, & bituminoſo, vt certe ignis Ætnæ eſt, & patet ex ipſo Poeta, qui ſuperius dixerit: *Spirat inexhauſtum flagrans peſtore ſulphur*: immò & ex hoc ipſo loco, dum piceam appellat nubem; certum eſt huiuſmodi ignem nunquam adeò expurgatum erumpere, vt non plurimum vaporis, ac fumi ſecum habeat admixtum. Quarè, eſto incendijs præludat atrox fumus, vt ſupra innuimus, adhuc tamen ignis ipſe poſtea ſubſequens nigris adeò vaporibus immiſcetur, vt vix ignis ipſe, niſi per eiibratas inter tanti obſcuritatem linguas dignoſcatur; ideò & fumus, & incendium ſub vnico nunc ponuntur, & iure per coniunctionem copulantur, quod tamen non obſtat Iſterologiæ ſuprapoſitæ, vt perpendenti quæ ſcripſimus patebit.

FOEDAT. Fœdare idem eſt, ac *dehoneſtare, inquinare, polluere, deturpare*: cum enim volitantium obſcuritate Nimborum ſerena Cœli facies inuoluatur: polluta, dehoneſtari, ac deturpari videtur. Ideò rectè *fœdat*

DIEM Ponit hic effectum pro cauſa, nempè *Diem* pro *Sole*, ſeù pro *Solis luce*, quarum prima cauſa efficienter; ſecunda verò cauſa formalis ipſius Diei eſt; picea enim illa nubes, dum lucem inficit, ac Solem obtenebrat, diem fœdare dicitur, ac penè nobis eripere, dum interdiù noctis faciem reddit, Diem quaſi abripiens, & enecans.

GRAVATVM. Participium paſſiuum eſt a verbo actiuo *Grauo*, quod idem eſt, ac *moleſtia afficio*, & *moleſtiarum pondere premo, ac opprimo*. Grauatum itaq; Diem dixit Poeta, hoc erumpentibus ex Ætna fumoſis tenebris preſſum oppreſſumque.

NVBE PICEA. Nubes propriè ex aqueis conflatur vaporibus; cum autem fumus nil aliud tandem, quam vapor ſit, & quidem aqueus, ſi credendum phyloſophantibus ijs, qui humido ignem nutriri, ſeù detineri aſſeuerant; nil mirum, ſi elatos ex igne fumos nubis titulo deſignet Poeta. Adde proportionem ex effectibus; nam fumus inſtar nubium addenſatus & aerem obtenebrat, & faciem nobis eripit Cœli, & Solis prorſus impedit lucem, quæ omnia in cauſa fuerunt, vt Virg. ſupra cit. hos ipſos fumoſos vortices titulo atræ nubis deſignauerit. Quod præcipuè locum hic habet, vbi agitur de fumo inſtar picis nigricanti horrentique, vt ex addito denotatur, dum ait Vates: *Nube picea*; *Piceum* enim dicitur quod nigrum, ac inſtar picis tetrum inducit colorem, quod proprium fumi eſt ex igne bituminoſo prouenientis. Sed, vt melius introſpiciamus eruditam poeticæ locutionis proprietatem, obſeruemus, quæſo, quinam ignis ex accenſa pice proueniat, & videbimus eum tetra quadam obſcuritate flammantem, ita vt horrorem proſpicientibus incutiat. Piceam igitur hanc nubem appellat, vt tetrum, luridum, horridum oſtendat ignis ſimul, ac fumi commixtum hunc Nimbum, qui fœdat nube diem.

NVNC LACESSIT ASTRA MOTIBVS TERRIFICIS. *Molibus*: non *motibus* legit hoc loco Heinſius, cum Puteano, vt ipſe ait: & rationem affert, quia ſcilicet de molaribus agat ſaxis, quæ ex Ætna proſiliunt, & citat Senecam in Ætna dicentem: *Pelluntur exuſtæ glomeratis nimbus arenæ*

Flagrantes properant moles &c.

& Virgilium Æn. 3, paria ijs habentem ſic;

Interdum ſcopulos auulſaq; viſcera montis
Erigit eructans; liquefactaq; ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat: fundoq; exæſtuat imo.

Non improbo equidem lectionem Heinſij; ſed quia minus aptam arbitror ad eruditionem Poetæ oſtendendam, cuius in more ſemper fuerit, vt ſæpè adnotauimus, plura vnico verbo complecti, eam non ſequor, ſed vulgatam, quæ eundem effectum ab Heinſio commemoratum, & quid ampliùs etiam includit, vt ex ſequenti noſtra explicatione patebit.

Attingit itaq; Poeta hic ſub altero *Nunc* temporis indem diſtributiuo duos alios effectus eiuſdem montis per Iſteron proteron hic poſitos, vt ſupra dicebamus. Primus autem horum effectuum eſt ingens montis fragor, quo tonitrua videtur imitari: ſecundus verò vehemens eſt molarium ſaxorum eiaculatio, quæ, quaſi eiibrata fulmina tonitrui fragorem ſubſequuntur, Ideò inquit Poeta *nunc*, hoc eſt alio inſtanti temporis.

LACESSIT. Laceſſere idem eſt, ac *irritare, incitare*, & *in bellum*, ſeù *in experimentum virium prouocare*. Laceſſit igitur Mons aſtra primò, quia, dum tonitrua, & fulmina, ſuis motibus, imitatur, Cœlum ipſum videtur in experimentum virium prouocare, vt ſecum de palma decertet incutiendi terroris, excidiorumq; patrandorum: ſecundò, quia, cum huiuſmodi motus ex Enceladi Buſto proueniant, videtur Enceladus ipſe, rebellanti adhuc ceruice, montes iterum in Cœlum contorquere, adeoq; vera in ſe iterum, iterumque fulmina prouocare. Ideò *laceſſit*

ASTRA. Ponitur hic res poſſeſſa pro Poſſeſſore, nempè *Aſtra* pro *Ioue aſtrorum poſſeſſore, ac dominatore*; ni mauis dicere iuxta Aſtrologos, Aſtrorum influxus maximam vim habere in tempeſtates excitandas, in tonitrua, in fulmina &c. atq; ideo Aſtra laceſſi à Monte dicta, quaſi mons Aſtra incitet ad experiendum, num plus virium habeant eorum influxus in huiuſmodi monſtra, an cedere debeant occultis illis viribus, quibus hæc omnia concitat mons ipſe; & ita hoc ſecundum ad naturam montis referes, primum verò ad Enceladi Buſtum.

MOTIBVS TERRIFICIS. Motus dupliciter intelligi poteſt vel propriè ſcilicet, vel tranſlatè. Si propriè ſumatur; *motus*, ſecundum Phyloſophos, *eſt actus entis in potentia prout in potentia*, & eſt actio illa, qua quis, vel ex ſe ipſo, vel per impulſum ab alio receptum mouetur. Secundò ſumi poteſt tranſlatè, ita vt ſignificet quandam perturbationem, vel in ſe ipſo conceptam, vel alteri iniectam. Vtraq; acceptio optimè cadit hic: nam certè fragor Ætnæ non ſine motu ipſius Ætnæ fit; cum, in huiuſmodi exhalationibus eijciendis, ſemper horrendis terræ motibus concutiatur iuxta ſupra cit. Virg. locum.

...... *Horrificis iuxta tonat Ætna ruinis*.

deindè ipſa eiibratio ignium, ſaxorumq; per motum localem propriſſime dictum, profectò fit; & ideò *motibus* huiuſmodi videlicet molarium expulſiuis, & impulſiuis laceſſit aſtra. Item ſecunda conuenit acceptio motus; nam, cum fœdat nube Diem, videtur aſtra ipſa immiſſis perturbationibus agitare, quaſi vereantur aſtra, ne & ipſa nimis inuoluantur. Denuq; perturbatio, & terror incuti inſinuatur eidem Ioui aſtrorum dominatori, ne iterum prælia inſtauret Enceladus, & Deos iterum profugos perſequatur. Ideò *laceſſit aſtra motibus terrificis*; nam terrificum dicitur quod terrorem in alijs producit.

ET NVTRIT INCENDIA &c. Sine pabulo ignem in terris non detineri, certiſſimum eſt; quoticumq; enim materia deficit, qua detineatur, auolat ille, & ad ſphæram conuolat ſuam. Ideò Poeta Ætnæ ignibus materiam tribuit, & quidem nutritiuam, vt in memoriam reuocet eorum ſententiam Phyloſophorum, qui dixerunt, ignem animal eſſe, & materia ipſa combuſtibili enutriri. Ideo nutrit, inquit,

INCENDIA. Non dixit autem ſimpliciter *ignes*, ſed *incendia*: ad oſtendendam vim ignis in Ætna maximam aſſeruari; quælibet enim ſcintilla ignis profectò eſt; & parua ſæpè ſcintilla magnum ſuſcitat incendium; ſed non eſt ipſa formaliter incendium, quod propriè in maxima flammarum copia conſiſtit: vt igitur inexhauſtas Ætnæ flammas oſtenderet, iuxta dicta, appoſitè inquit *incendia nutrit*. Quod ſi quæras, quænam aſſignetur incendiorum nutritioni materia, iam innuit Vates inexhauſtum ſulphur. Sed audi quid ad præſignatam hoc ipſo addiderit loco.

DAMNIS SVIS: Subijciens, vt oſtendat, ipſa montis viſcera in ignis pabulum cedere. Sulphurea porrò viſcera huius montis eſſe volunt, ideóq; fouendo igni maximè idonea; quarè Vatis à materia ignis iam ſupra aſſignata non hercle hic diſcedit, ſed de conſequenti oſtendit, ignem à monte ſulphureo alimento enutriri, damnis ſuis, nempe ipſiuſmet montis; nam, quoties conceptos ignes eructat, ac eiuſdem vi molares eiibrat lapides, partes illæ ſunt ipſius montis, quæ ab ipſo euelluntur, ac proijciuntur, atq; adeò damnis ſuis incendia nutrit.

SED QVAMVIS &c. Portentis iam enarratis nouum attexit prodigium eruditiſſimus Vates, niuem videlicet flammis, intacto prorſus candore, copulatam. In quo licet aduertere ſubtiliſſimum Auctoris ingenium, qui non quaſi incidenter, vel vt hiſtoricum hic gerat, rem, vt pure ſe habet, enarrando, prodigium iſtud innectit, ſed vt hoc quaſi Hieroglyphico, duplicis capaci interpretationis, & cur Ceres Siciliam delegerit *ingenio confiſa loci*, oſtendat; & quomodo *caeca futuri* in interpretatione ſymboli errauerit, *inſidis narum lateribus commiſſiſque alendam*, Hæc omnia enim, quæ ſupra ſparſim docuerat; vnico hoc emblemate, inſtar in modum, colligit, & confirmat. Quis enim non conſideret virginitatis candorem illibatè ſeruandum eo in loco, vbi, piceis interorum incendijs obuallatæ, intactæ tamen niues perſeuerant; & lambit contiguas innoxia flamma pruinas? Videbatur mons ille Ægyptijs caracteribus inſignitus tacitè

ſubmurmurare: *ferventes vtcumque profunt amoris incendia, pudicitia nivibus hîc cadens in obſequium; nec inficere candidum candorem Ætnæis commiſſum Laribus cuſtodiendum.* Certè ad hæc ipſa reſpiciens noſtris etiam hiſce temporibus eruditiſſimus Abbas Picinellus Mundi ſui ſymbolici lib. 2. cap. 32. in pudici Amantis, nil contra Amaſiæ honeſtatem intentare audentis, Impreſiam Ætnæum erexit montem cum epigrapho *Gelido tutto fuor, mà dentro in bollo*; quod & expreſſum antea edocet à Hieronymo de Preis, qui de ſe ipſo hæc ait:

> *Pur nel ſilentio i miei penſieri aſcondo,*
> *Vino penando, e'n lagrimar mi ſtempro;*
> *E moro alla ſperanza, al duol rinaſco.*
> *Sol di penſiero, e di ſoſpir mi paſco;*
> *E, ſerbando il mio duol chiuſo, e profondo,*
> *Dentro ſon tutto fuoco, e fuori vn ghiaccio &c.*

Quarè nil mirum, ſi his ipſis commota Ceres *ingenio confiſa loci*, Siciliam filiæ delegerit contutandæ. Sed *heu! caca futuri*, quæ non viderit, immò, hoc ipſo emblemmate, expreſſa connubialis tœdæ præſagia. Mons enim, intactas flammis copulans, perpetuo fœdere, niues, quid aliud verè innueret, quam Diti flammarum ſubterranearum principi virginalem Proſerpinæ candorem, æterno maritali fœdere conſociandum? Certè hoc ipſum nouit Areſius relatus ab Abbate cit. Ætnam enim in ſymbolum damnatæ animæ erexit cum lemmate *Æſtu, & Gelu.* Cœca igitur Ceres, quæ tàm aperta omnia, iuxta propria potius vota, quàm iuxta veritatem præſagij fuerit interpretata; ſicq; ijs ipſis, quibus confidebat, decepta, *Infidis natam Laribus commiſit alendam.* Nota, quanta artificij perſpicacitate procedat inſignis Auctor, dum nos verborum explicationem proſequimur.

SED. Particula, hoc loco, eſt ad diuerſa tranſeuntis; nempè ab effectu erumpentis incendij ad effectum oppoſitum circumfuſæ niuis conſeruandæ, ne flammis labefactetur.

QVAMVIS. Vim habet hic particulæ exceptiuæ quidem, ſed incaſſum exceptiuæ: idem enim ſonat, ac *non obſtante quod &c.* vbi vides notatam exceptionem quæ obſtare deberet niuium conſeruationi, ſed quæ non obſtet tamen ne conſeruentur.

FERVENS. Participium eſt à *Ferueo* deductum. Feruere autem, vt etiam alibi diximus, eſt *ex ſuppoſito igne incaleſcere*: ſicq; feruêre dicitur aqua, quæ ſuppoſito igne commouetur, & agitatur ebulliens. Dicitur itaq; feruens Ætna, vt oſtendatur calore adeò affectus, vt vere ebulliens dici poſſit; ad hoc vt ſubindè magis prodigioſa appareat circumfuſæ niuis conſeruatio: atqui hunc ipſum feruorem non gregarium ponit, ſed exceſſiuum, dum ſubdit:

NIMIO ÆSTV. Nimius enim idem eſt, ac *immodicus, intemperatus, immoderatus*; vno verbo *nimium* dicitur, quod modum omnem excedit. Ex quo liquet Ætnæum calorem in ſummo, &, ſi tantum liceat, ſupra ſummum a Poeta collocari: ideò *nimio æſtu*: nam *æſtus* non quicunq; calor eſt, ſed calor excedens: ex quo notaueris duplici exceſſu Ætneum calorem inſigniri, nempè exceſſu importato per ſubſtantiuum *æſtus*, & exceſſu importato per adiectiuum *nimius*. Verum, quia ternarius numerus exquiſitæ perfectionis numerus eſt, tertium Poeta ſuperaddit exceſſum in ſubſequenti verbo

EXVBERET. Exuberare enim eſt quaſi *ex vbertate redundare*: ſicuti fontes nimio aquarum concurſu exuberant, & ſupereffluunt. Menſuram igitur caloris confertam, coagitatam, ac ſuperaffluentem in ſinu habere, hoc verbo indicatur Ætna; atq; adeò tertium hic libet exceſſum adnotare, vt pateat quod iam diximus, nempe Ætnæ calorem in ſummo, &, ſi tantum fieri poſſet, vltra ſummum, conſtitui. Nota inſuper gradationem in verbis *feruens, exuberat, æſtu nimio*, ſemper enim de verbo in verbum exceſſus creſcit; ſicut aqua ebulliens, creſcente calore, magis, ac magis ſemper intumeſcit, exuberat, ſupereffluit, ac præceps effunditur. Hæc autem adeò exagerat, vt oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant, & prodigioſa magis appareant.

SCIT NIVIBVS &c. En prodigium illibatæ niuis, tam vaſta obſequente caloris redundantia.

SCIT. *Scire*, rigoroſe loquendo, eſt *rem per cauſam cognoſcere*. Quarè & Virg. Georg. 2. de ſapientiæ fœlicitate, ait:

> *Fælix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,*
> *Atq; metus omnes, & inexorabile Fatum*
> *Subiecit pedibus; ſtrepitumq; Acherontis auari.*

ſi hoc pacto & Ceres ſciuiſſet, certè nec cœca futuri, nec infœlix prorſus fuiſſet. Verum *ſcire* non adeò ſemper rigoroſe ſumitur; ſed ſignificat interdum quamcunq; cognitionem, quæ circa rem aliquam practicè exercetur: ex quo factum vt aliqui ſcientiam diuidant in ſpeculatiuam, & practicam, ſeu experimentalem. Quomodocumq; autem ſcientia ſumatur; certum eſt verbum illud *ſcit*, hoc loco, per translationem vſurpari; nam ſcientia, quomodocumq; accepta eſt habitus intellectualis; conſequenter incapax huius habitus eſt omne illud, in quo intellectiua facultas non ſit: quarè certè mons nullius eſt capax ſcientiæ. Sed quia effectus, qui ab ipſo monte procedunt, ita procedunt, vt videantur ex alicuius ſcientiæ directione procedere; hinc eſt vt ſcientia ipſi monti attribuatur; & quidem ſcientia non ſpeculatiua, ſed experimentalis, & practica, quæ conſtare debet præceptis nunquam fallentibus, & ad unum finem infallibiliter dirigentibus; vt profectò nunquam fallunt montis huius incendia fidem, quam niuibus ſeruare conſueuerunt. Ideò *ſcit*

SERVARE FIDEM. Tacitè hoc loco inſinuat Poeta aliquod fœdus initum olim fuiſſe, in hoc monte, inter ignes, & niues, vt ſcilicet ſimul cohabitarent, nec alter ab altero læderetur: nam *ſeruare fidem* ſupponit *iam datam fuiſſe fidem*; fides autem datur, cum primò fœdera inter partes ſanciuntur. Nec dicendum hoc temerè à Poeta ſupponi; nam quod per ſcientiam a poſteriori, hoc eſt ab effectibus, colligitur, nunquam temere affirmatur. Ab effectibus vidit Vates nunquam niues ab igne, in hoc monte, licet alibi ſemper, violari, ſed perpetuo hic fœdere conſociari: quarè iure inferre potuit datam inuicem ab initio fidem, quæ perpetuò ſubinde ſeruetur: & argumentum ſic potuit efformare ab effectu: *ex effectibus habemus confœderatos niuibus ignes? ergò dicendum hoc ex fœdere initio, & quod violare nefas ſit promerere.* Ideò inquit; *ſeruare fidem*, quod ſupponit dediſſe fidem, *fidem enim dare eſt certis ſe obligare promiſſis: fidem verò ſeruare* eſt *datis iam ſancitiſq; ſtare promiſſis.*

PARITERQVE FAVILLIS &c. Attingit hic tacitè, ſed allusiue effectum antiperiſtaſis, quo ſcilicet contraria contrarijs intenduntur magis, & ex circumobſiſtentia contrarij magis ad reſiſtendum conualeſcunt: Sic aqua, in aere, ex circumobſiſtente calore conglaciatur ita, vt in grandines decidat conuerſa: Sic vapor igneus ex circumobſiſtentia vaporis frigidi condenſatur in fulmen &c. Quarè videtur hic Poeta effectum conſeruationis niuium in antiperiſtaſim refundere, dum dicit, glaciem fauillis circumobſiſtentibus obdureſcere. Et quidem; cum poſitus fuerit calor in ſummo ex vna parte contrarij: ex altera verò parte contrarij, nempè niuis, ſit frigus in ſummo; ſi hæc contraria inuicem ponantur intra ſphœram propriè actiuitatis, ex æquo decertabunt; atq; ideò, cum neutrum alteri cedat, non poterunt quin ad ſe ipſa contutanda magis ad reſiſtentiam comparent vires, atq; adeo magis conſeruentur, & reſiſtendo obdureſcant: nec videri hoc debet fabuloſum, & confictum gratis; quandoquidem prodigioſa quotidie opera contemplamur in natura per antiperiſtaſim perpetrata: atq; vt ex oppoſito paritatem deſumamus exempli, cur nix non obdureſcere magis poſſit ex circumobſiſtentia ignis, cum ignis magis inualeſcat circumobſiſtentibus aquis? Teſtatur hoc mons ille, quem egomet obuiam vidi ex Vrbe Bononienſi per Alpes Florentiam verſus iter habens, & qui vulgò dicitur *La Radicoſa*. Hic ex laterali ſui parte nocturno præcipuè tempore ignes euomit: cum autem ſereno Cœlo nullæ decidunt pluuiæ remiſſior (vt ex incolis accepi) ignis erumpit: aſt ſi, turbata Cœli facie decidant vndequaq; imbres, copioſior ignis exurgit. Mira ſunt: ſed modum operandi naturæ nequaquam tranſcendunt. Sed Dices, ſi niuium conſeruationem in antiperiſtaſim refundat Vates, quomodo non ſibi ipſi contradicat, qui mox ante in quoddam initum fœdus retulerit? facilis tamen eſt reſponſio; nam primo quidem hoc ipſum à natura inditum fœdus eſt: ſecundo dicere poſſem eum primo loco vt Vatem loqui fabuloſis cauſis inhærentem; ſecundo verò loco vt ſcientificum loqui veram effectuum cauſam attingentem.

PARITERQVE. Idem ſonat, vt alibi diximus, ac *ex æquo*, ſeu *eodem modo æqualiter*. Particula verò *&* coniunctio hic diſcretiua eſt, vnum ab altero contrario ſecernens, & vnicuique proprium aſſignans effectum, & ideò etiam in ſubſequenti iteratur. Si tamen reſpectu effectuum connexorum conſideretur certè coniun copulatiua eſt.

GLACIES. Aqua gelu concreta eſt *Glacies*, quaſi *Gelacies*: cum verò niues nil aliud ſint, quam aqua leuiter concreta, quæ ſubinde magis ſolidatur à frigore aeris circumambientis; hic Glaciei nomine nix ipſa intelligenda eſt, quæ per antiperiſtaſim durior glacies efficitur. Ideo

DV-

DVRESCIT. *Dureſcere eſt durum fieri, conſolidari, & roborari:* Glaciem autem non gregaria obduratione affici poſſe teſtantur Termodoontiacæ ſecures, quæ vix ſufficiunt interdum ad diſrumpendam Glaciei duritiem, qua fluuius Tanais obduratur, de quo lib. 2.

FAVILLIS. Notat cauſam creſcentis in niue duritiei, nempè cauſam antiperiſticam circumobſiſtentis ignis: Fauillas autem pro flammis, ſeù igne poſuit, conſequens ſcilicet pro antecedenti: nam fauilla, propriè loquendo, eſt *ſcintilla ab igne deſiliens*; immò & pro cinere ab igne relicto indiſcriminatim ſumitur. Si verò quis vellet cum Parrhaſio per nomen fauillæ importari calidos cineres ex eruptione ignis ſe ſe niuibus commiſcentes, eaſq; ferè obruentes, non obnuerem. Sed dicendum tunc erit non aſſignari cauſam antiperiſticam principalem, ſed aliam, quaſi formalem; Verum prima noſtra explicatio magis videtur cum antecedentibus congruere, admittus ad rem facere Parrhaſianam expoſitionem exiſtimauerim. Immò &, quæ ſequuntur, videntur priori magis explicationi fauere, dum *ſecura* dicitur *Glacies* non *à cineribus*, ſed *ab igneis vaporibus* perſiſtere.

SECVRA. *Secura* dicitur, quaſi *ſine cura*, nam *ſecurus* eſt idem, ac *curâ tranquillus, anxietate vacans, metu ſolutus*. Et nota hic obiter (vt proprietatem dignoſcas locutionis) differentiam, quæ reperitur inter nomen *tutus*, & nomen *ſecurus*. *tutus* enim dicitur, qui extra teli iactum, extra periculi aleam eſt conſtitutus, licet non omni fortaſſis adhuc timore deſtitutus: *ſecurus* verò dicitur, qui etiam in ipſo periculo poſitus omni vacat timore pereundi. Ideò igitur *Glacies ſecura* dicitur hic, quia, quamuis in periculo deſtructionis poſita, deſtructionem non metuit ab igne circumfuſo, qui *ſcit niuibus ſeruare fidem*. Et aduerte pulcherrimam illius epiteti tranſlationem ab animato ad inanimatum. Hocq; ad Poetæ contextum congruenter. Verum, ſi obſeruemus conſtructionem illius adiectiui *ſecura*. quod hic cum genitiuo conſtruitur, alteram illud ſuggeret ſignificationem eruendam: *ſecurus* enim, ſi cum genitiuo efferatur, idem eſt, ac *incurioſus*, ſeù *contemptor*, quod videtur quid magis eſſe, quam periculum imminens ſimpliciter non timere: quia tamen magis, & minus non variant ſpeciem, nec poteſt quis periculum negligere, ac contemnere, ni timore vacuus exiſtat, non libet à prima illius nominis explicatione, quæ vtramq; virtualiter continet recedere.

TANTI VAPORIS. Tantus idem eſt, ac *tam magnus, tam ingens, tam vaſtus*: ex quo vides, quam bene, per epitetum *Tanti* correſpondeat Poeta illi augmento, & amplitudini, quam ſuperius Ætnæis attribuerat ignibus. *Vapor* autem, ſi generice ſumatur, eſt tenuis cuiuſcumque humoris exhalatio. Sed, præterquam quod per ſubiectam materiam, de qua agitur hic, ab illa generica ſignificatione diſtrahitur, & contrahitur ad ignem, obſeruo inſuper, *vaporem* abſolutè dictum pro ipſo igne, ſeù fumo ignito, poſitum fuiſſe à Principe Poetarum Æn. 5. dum incenſas Troianorum naues deſcribens hæc habet.

Sed non idcircò flammæ, atq; incendia vires
Indomitas poſuere: vdo ſub robore viuit
Stuppa vomens tardum fumum, lentuſq; carinas
Eſt vapor; & toto deſcendit corpore peſtis.

optimo igitur iure *vaporem* pro igne, ſeù, quod idem eſt, fumo ignito, hic poſuit etiam Claud., ita vt idem fuerit dicere: *ignis ſecura vaporis*, ac dicere: ſecura tanti ignis, & incendij.

DEFENSA. Notat cauſam ſecuritatis, quam refundit in ignotam frigoris, ac non ſatis perſcrutabilem actiuitatem, qua durior ſemper efficeretur concretio: ideò *contra ignem defenſa*, quod participium præteriti temporis paſſiuum eſt à verbo *defendo*. quod idem eſt, ac *tueor, protego, iniurias arceo*. *Defenſa* igitur Glacies dicitur, ideſt à flammarum iniurijs reddita immunis.

ARCANO GELV. Adiectiuum nomen *Arcanus* à ſubſtantiuo *Arcanum*, atq; hoc ab *Arca*, ſeù ab *arcendo* deriuatur, eo quod, quæ in arca clauſa ſunt, ab omnium conſpectu arceantur. *Arcanum* itaque *gelu* nuncupatur hic, quia, cum intimum naturæ ſit, ac in eiuſdem intimis reconditum penetralibus imperuium videtur eſſe humanis cognitionibus, quæ quamuis ſecreta valeant indagare naturæ, non tamen penetrare adeò poſſunt, vt claram de ijs poſſint reddere rationem. Ideò *arcanum*, ideſt occultum, & abſconditum *Gelu*. Ponitur autem ſæpè *Gelu* pro ipſo frigore, ex quo *Gelu*, ſeù concretio aquæ progignitur; & quidem in hoc ſenſu poſitum hic fuiſſe non ambigo, poſito effectu pro cauſa, vt mos eſt Poetarum: & quia non adeò facilè eſt reddere rationem, cur, & quomodo frigus ex circumobſiſtentia contrarij magis intendatur, præcipuè ſi hoc aſſequi conemur per cauſas à priori; ideò Arcanum dicitur.

FVMOQVE FIDELI. Attigit hic alteram antiperiſtaſis cauſam; nam antiperiſtaſis effectus ſemper ex duplici cauſa proueniunt, altera intrinſeca rei, quæ per antiperiſtaſim intenditur, & eſt ipſa rei natura, quæ ſemper inquirit conſeruationem ſui in quantum poteſt, & ideò totis viribus contrario ſemper reſiſtit: altera verò extrinſeca, nempe ipſa circumobſiſtentia contrarij, qua oppugnante efficitur, vt validiores obſeſſum contrarium exerat vires, vt ſe ipſum tueatur. Cauſam intrinſecam indicauit, cum dixit: *Defenſa arcana gelu*; nunc cauſam aperit extrinſecam, nempè circumobſiſtentiam ignis, ſeù fumi igniti; nam flamma, & vapor igneus nil aliud tandem eſt, quam fumus accenſus. Fidelem autem huiuſmodi fumum appellat, ex eo quod niuibus fidem ſeruet vt dixerat; nam fidelis à ſeruata dicitur fide. *Fumoq; fideli.* Parce ſi iterum repeto, atq; in ijſdem verbis perpendendis iterum immoror; nam Auctoris noſtri eruditio non poteſt obiter explicari. Licet igitur hæc verba conſiderauerim, vt concauſam important antiperiſtaſis; quia tamen cum ſubſequenti ſenſu diſiuncti coniunguntur, ſeorſim etiam, & præciſa à ſignificatione huiuſmodi concauſæ perpendi debent. Præter concauſam itaque, quam vidimus importatam, ſignificant hæc verba modum ex correſpondenti oppoſitum modo, quo Poeta dixit, Glaciem igne obdureſcere; atque adeò ſub diſcretiuè repetitâ particulâ *Et*, de qua iam ſupra diximus, collocantur. Quare ſenſus Poetæ erit ignem eodem modo ſe à niuibus tueri, quo niues ab igne immunes conſeruantur; ac inſuper eo pacto, quo niues intactæ perſiſtunt, & flammam ſe continere ne niues lædat, vt ſancita fœdera ſeruet illibata. Ideò *fumo fideli* inquit; ideſt *ignito quidem fumo; ſed inſonti, ac non noxio, quippè, fidem ſeruante flammæ, niues circumagit*. Sicut igitur niues, nil in flammam agentes, ſe tantum magis roborant, & tuentur; ſic flamma adblandiri videtur, fumo niuibus fideli, ita vt nil agat in illas. Appoſitè autem id addit Vates; meminit enim decantatum illud in ſcholis, nempè quod omne agens agendo repatitur. quarè ſi contrariorum alterutri actionem alteratiuam tribuiſſet, nouit etiam eamdem repaſſionem Agenti tribuendam, igitur ad tollendum ſchiſma, ac fœdus, quod ſuppoſuerat, ſtabiliendum, oſtendit amicitia potiùs, quam lite contraria illa penitus conſociari. Immò, ſpectatâ ſuprapoſitâ particulâ *pariter*, quæ proportionem parallelam inter aliqua duo ſemper indicet aſſignandam; dicerem intelligendum eſſe, tamquam replicatum, per virtualem conduplicationem, carmen illud.

Arcano defenſa gelu, fumoq; fideli.

ita vt ſenſus eſſet iſte: eodem modo quo glacies dureſcit fauillis, & magis in ſuo eſſe roboratur,

Arcano defenſa gelu, fumoq; fideli:

ſic pariter Arcano defenſa gelu, fumoque fideli flamma tuta remanet ab aquis, ne lædatur concretis: Sic enim & paritas ſtudij in vtroq; contrario exprimitur circa fœdus ſeruandum; & paritas etiam antiperiſtaſis in vtroque; nam ſicuti glacies ex circumobſiſtente igne tamquam cauſa extrinſeca, & innato frigore reſiſtente, tamquam cauſa intrinſeca, induleſcit magis, & obdureſcit, ſic pariter vice verſa ignis ex circumobſiſtentia niuis, quæ per *arcanum Gelu* exprimitur, tamquam cauſa extrinſeca, & ex innato calore reſiſtente, qui per *fumum fidelem* importatur, tamquam intrinſeca incaleſcit magis, & roboratur; nil autem fidele magis naturæ, quam quod ab ipſa natura eſt: ideò fidelis fumus reſpectu flammæ, quam tuetur à contrario, & hoc iure naturæ: fidelis reſpectu niuis, & hoc ex vi fœderis iam ſuppoſiti, & per virtutem antiperiſticam: Sic pariter fidele arcanum gelu reſpectu niuium, quas iure naturæ tuetur intrinſecè; fidele reſpectu flammæ ex vi eiuſdem fœderis, & per eamdem virtutem antiperiſticam. In quo exactiſſimam diſcernes hinc indè paritatem ſtudij, ac fœderis ſeruatam fidem.

FLAMMA. Explicat hoc nomen, quinam fuerit ſenſus Poetæ, quoties fauillas, vaporem, fumum &c. ante oculos poſuit, eum ſcilicet de formali igne locutum, vt ſæpiùs ſupra explicuimus, nam *flamma*, nil aliud eſt tandem, quam *fumus accenſus*, ſeù *ardens vapor*, qui *flamma* dicitur à græco φλέγω, quod latinè eſt *Ardeo*.

INNOXIA. Innoxium eſt, quod nemini, vel nullo modo nocet. Ideò *innoxia* dicitur flamma, quæ licet contraria, ac debitè niuibus applicata, eas tamen nullo modo lœdat.

LAMBIT. *Lambere eſt lingua aliquid leniter lingere*, eo modo,

modo, quo canes, domino adblandientes, linguâ leuiter attingunt, quaſi oſcula libaturi. Hoc itaq. verbo appoſitè vtitur hoc loco Vates, quia, cum canis ſymbolum ſit fidelitatis, congruum erat, vt actio fidelis flammæ, per verbum fidelitati canis adaptatum concinnè exprimeretur. Subindè hoc eodem verbo aptè inſinuat, flammas illas adblandiri potiùs niuibus, quam nocere; ac tandem viuidè admodum exprimit motum ignis, ad ſphœram ſemper euolantis, qui quaſi igneas in linguas diuiſus delibare potiùs, quæ circumſtent, videatur, quam ex profeſſo illis mordicus incumbere; quod magis in caſu noſtro ex præſuppoſito iam fœdere ſeruandum fuit.

PRVINAS. Pruina, vulgò *Brina*, effectus niuium eſt; nam ex niue rores quidam producuntur, qui, à perurendis frugibus, *Pruinæ* dicuntur. Apparent hiſce roribus interdum niues ipſæ, matutino ferè tempore, conſperſæ ita, vt gemmeis eædem niues guttis exſudare videantur. Has itaq; pruinas intelligere, procul dubio, poſſumus pro niue poſitas, effectum videlicet pro cauſa, vt docet Parrhaſius hic. Sed acutiùs, vt arbitror, inſurgit Vates. Quare, non per tropos, ſed per proprietatem potiùs, ipſum, hoc loco, dixerim locutum; ita vt voluerit oſtendere, tantam eſſe Ætnæi ignis erga niues appoſitas fidem, vt non ſolum ab ipſis niuibus lædendis abſtineat; ſed nec pruinales quidem rores, quibus nix apparet conſperſa, lædere audeat: ſicq. à minori ad maius deducendum reliquiſſe dixerim argumentum.

CONTIGVAS. Sicuti reſpectu agentium omnium, vt iam obiter adnotauimus, ad hoc vt vnum agat in aliud, neceſſe eſt, vt Paſſum ſit intra ſphœram agentis conſtitutum; ſic reſpectu ignis certè requiritur approximatio rei combuſtibilis, vt in illam agat, & adeò requiritur, vt ſit conditio, ſine qua non ageret ignis. Vt igitur oſtendat Poeta, Ætnæum ignem non ceſſare ab actione in niues ex deffectu approximationis, appoſitè illas approximatas exprimit, dum contiguas aſſerit: contigua enim ea dicuntur, inter quæ nihil mediat. Et aduerte obiter differentiam inter *continua*, & *contigua*; *continua* enim dicuntur, quæ, cum homogenea ſint, & nihil medium intercedat, coaleſcunt in vnum: Sic duæ guttæ aquæ ſi ita approximentur, vt nil prorſus mediet inter ipſas, confunduntur inuicem, & in vnum coaleſcunt. At verò *contiguum* requirit, vt, quæ contigua ſunt, etherogenea ſint, vt aer, & terra, quæ licet nil medium intercedat, ita quidem cohærent, vt nihil magis, ſed nunquam coaleſcunt in vnum, quia ſemper terminantur termino proprio. Contiguas igitur igni pruinas dixit Poeta, quia nihil quidem medium intercedat, ſed nunquam tamen in vnum cum igne ipſo coaleſcant, eo quia vtrumq; contiguum etherogeneum eſt, & termino proprio vallatum.

QVÆ SCOPVLOS &c. Se ipſum admiratione hic captum oſtentat Vates, hærentemq; animo, dum prodigioſa hæc montis contemplatur portenta; ac denique tanta obuallatam dubietate, perplexamq; fuiſſe ſui ipſius indicat mentem, vt non facile tantorum motuum cauſam quærenti vera cauſa ſuppeditetur. Ideo & honeſtam oſtentat dubitationem, & ſtyli varietate feſſum recreat auditorem, & dubitans per interrogationem ſtuporibus admixtam cauſas quæritat portentorum; ac ſubindè aliquorum ſubdit ſententias: ſed inſolutam relinquit quæſtionem, vt magis propriæ mentis ambiguitatem patefaciat.

QVÆ TORMENTA. Quæ particula interrogantis ſimul, & admirantis eſt, idem ſonans, ac *Quales*; nam *Quis* admirantis idem eſt, ac *qualis*, *tormenta* verò nomen ſubſtantiuum eſt, cui per modum relatiui correſpondeat præpoſitum *quæ*. Nec mirum ſi præponatur, cum de ratione relatiui ſit, vt poſtponatur antecedenti; nam, cum in interrogatione, vt vidimus, ſignificationem mutet *formalis relatiui* ſemper præponitur ſubſtantiuo, ad augendam vim interrogationis, præcipuè cum admirantis eſt. Porrò nomen *Tormenta* non ſignificat hic animi, vel corporis cruciatum; ſed *Tormentum* hoc loco ſumitur, vt nomen aliquod genericum, quod conuenit omnium ſpeciebus machinarum, quibus ſaxa, tela, ſudes, & cætera huiuſmodi rotantur, & contorquentur: ſic *Bombarda* æneum hodiè dicitur tormentum: ſicq; olim Arietes, catapultæ, baliſtæ, ac ſimilia bellorum machinamenta *tormenta bellica* dicebantur. Dum igitur *Quæ tormenta* inquit, idem eſt, ac ſi dixiſſet: *quæ machina, quæ moles expulſiua, quæ inſtrumenta violentiæ*, ſecreto, & à poſteriori tantum noto, impulſu.

ROTENT. *Rotans* reponit Heinſius, quam non improbo, ſed aptiùs dubitandi dictum arbitror *rotent*, vt conſideranti patet; tum maiorem videtur habere expreſſionem perplexitatis. Porrò *rotare* eſt *in modum rotæ verſare*, ac tali circumrotatione aliquid euibrandum circumagere, & contorquere. Quod verbum eximiè indicat violentiam contorquentis; nil enim violentiùs impellitur, quam id, quod per præcedentem huiuſmodi circumrotationem expellitur; vt apparet ex motu circulari fundæ, qua lapis circumagitur, & proijcitur: ratio autem phyloſophica eſt, quia motus circularis, ex natura ſua, quam maximè remouet, & expellit mobile à centro. Sed de his Phyloſ., & nos ipſi in Phyſicis noſtris fuſiùs, vbi de motu proiectorum agebamus: experientiam autem tantum hic indicaſſe ſufficiat, vt noueris, quam aptè Vates vſus ſit verbo illo *rotent*, & non potiùs ſimpliciter dixerit: *euibrent*, vel *expellant*, vel *eiaculentur*.

SCOPVLOS. Scopulus quid ſit iam diximus ad Carm. *In medio ſcopulos &c.* vbi etiam notauimus tranſlatiuè hoc nomen vſurpari ad ſignificanda ſaxa vaſtæ adeo molis, vt montis euulſæ partes dici poſſint; quod & hic dicendum.

QVÆ TANTA VIS. Quod ſpectat ad particulam *quæ*, vide in præcedenti dicta; nam eadem eſt ratio. Item de adiectiuo *tanta* iam dixi idem eſſe, ac tam magna, tam vehemens &c. *vis* autem hic idem ſonat, ac *violentia*, ſeu violentus vigor.

GLOMERET CAVERNAS. *Glomerare* eſt *complicare*, & *in globi ſpeciem diſponere*, eo modo, quo quis filum in globi figuram conuoluit. Ea igitur, magna quidem, ſed occulta, vis, quæ in viſceribus Ætnæ progenita, ex verbis Poetæ denotatur, dum viſcera montis diuellit, & in apertos rotans explodit campos, nouas ſemper aggerat cauernis cauernas; ſicq; dum modò ſuperiùs, modo inferiùs, modo ad latus &c. nouas efficit exeſo in monte cauernas, videtur cauernis cauernas implicare, eaſq; labyrinteis fere nexibus in globi formam complicare. Ideò aptè Poeta vtitur verbo *Glomeret*. Video Heinſium legentem *Glomerat*, & inferiùs *ruit* pro *ruat*. Sed idem dicendum quod diximus ad verbum *rotent*, cuius ipſe loco *rotans*, legebat. Adde autem, ad intelligentiam verbi *Glomeret*, vim eamdem deſcriptam fuiſſe *rotantem*. ex quo facilè intelligas, vim illam ſe ipſam priùs, per viſcera montis cauernoſa, ſummo impetu circumagere, & labyrinteis flexibus modo hic, modo illìc, ſe ipſam contorquere, donec, aliqua montis parte debilitata, eam ſecum trahat, ac rotet, ac ſurſum deniq; violentiſſimè contorqueat. Ideò *quæ vis glomeret* inquit, vt oſtendat vim illam eumdem effectum efficere, in montis cauernis, ac faciunt in vtero hominis dolores illi, qui *tormina* dicuntur; ſicut enim ex ijs oritur vehemens adeò inteſtinorum conuulſio, vt videantur inteſtina ipſa in modum fili contorqueri, & in globulum conuolui; ita impetu ſuo vis illa, montis, vt ita dicam, torminoſa, cauernas eiuſdem montis contorquet, exagitat, excruciat; &, ſicut tormina ſemper ad inteſtinorum expulſionem cogere videntur, ſic vis illa nequaquam ceſſat cauernas contorquere, donec auulſa montis viſcera expellantur, *Cauernæ* autem quid ſint, ſatis notum arbitror; ſunt enim cauitates, & antra ſubterranea, vel ab ipſa natura, vel ab aliquo violenter operante excauata. Quarè non in his immoror.

QVO FONTE RVAT &c. Ab admiratione ingentium, quæ expelluntur, ſaxorum, vi quidem occulta, ſed vehementiſſima, tranſit in admirationem ignis perpetuò erumpentis; & per interrogationem admirationi admixtam, vt ſupra, quærit, quis ſibi reuelare nouerit, vndè tanta vis ignis erumpere poſſit ex monte. Et aduerte, quod licet perpetuus dicatur Ætnæ ignis, non ideò dicitur, quia eiuſdem *perpetua*, hoc eſt ſine vlla intermiſſione ſemper adſit eruptio; ſed quia licet interdum quieſcat, nunquam tamen omninò deficit, ac totaliter ceſſat, ita vt non in poſterum ampliùs alia ſit eruptio metuenda, ſemper enim incendia nutrit, licet non aſſiduè euomat. Ideò *Quo fonte* inquit. De particula autem *quo* eodem modo diſſerendum, ac de particulis *Quæ ſcopulos &c.* *Quæ vis &c.* de quibus ſupra. Quo

FONTE, *Fons* pro eodem ſumitur, ac *caput*, *origo*, *principiumq;* rei alicuius; & propriè de prima aliqua aquarum enaſcentium ſcaturigine dicitur, vt patet ex nominis deriuatione, quia fons à fundendo dicitur; eo quod aquas effundat. Verum tranſlatiuè ſumitur pro cuiuſcumq; rei origine, vt profectò Poeta hic *fontis nomine* originem deſignat Ætnæi ignis, quam occultam nouerit, & quænam, ac qualis ſit mirabundus exquirit. Sanè autem ingenioſiſſimè metaphoram fontis adhibet; nam ſicuti fons perpetua eſt aquarum ſcaturigo, ita, cum inexhauſtus ſit Ætnæ ignis, fontem habere perennem iurè cenſetur.

RVAT.

RVAT. Ruere idem eſt, ac *præcipitanter cadere*, ſeù *maxime impetu exilire*, eo modo, quo fluuiatiles aquæ ex fontibus, edito in loco poſitis, effusè dum exeunt, per ſubiectas rupes præcipitanter decurrunt: Ex hoc autem vides, quam artificiosè Poeta vſus fuerit verbo *ruat* ad exprimendum impetum, vehementiam, & affluentiam, qua Ætnæus è ſummo ignis erumpat.

VVLCANIVS IGNIS. *Vulcanius Amnis* legit Heinſius, atq; ita omninò legendum contendit: ad roborandum autem opinionem exempla plurium adducit Auctorem, & primo quidem ſeuerum citat in Ætna ſic differentem.

Donec confluxit renolutis æſtibus Amnes
Exiles, atq; furens tota vomit igneus Ætna.

Secundo Senecam aducit in Hyppol. *Qualis Ætnæ vapor*
Exundat antro &c.

Tertio Lucanum lib. 7. *Cum terra cauernas*
Egerit, & torrens in campos defluit Ætna.

Quarto deniq; Græcos compluręs, alioſq; latinos profert, quos videat apud ipſum curioſus.

Equidem eruditiſſimam eſſe Heinſianam lectionem non inficior; optima eſt, conſona eſt, elegantiſſima eſt, &, vt fatear, vulgatâ longè excellentior eſt. Nam ſicuti metaphora fontis initium ſcriptioni dedit, ſic per metaphoram fluminis eam claudi congruentius fuit. Attamen quia vulgata, quam nos cum Parrhaſio ſequimur, videtur importare non minorem eruditionem, ſed clariori ſtylo expreſſam; ideo Heinſium non improbantes, ſed immò collaudantes, vulgatam eaplicamus, Et profectò *Vulcanius Amnis*, torrentem ignis ſignificat: ſed in vulgata noſtra, & ignis adeſt apertè, & eruditione non caret Adiectiuum *Vulcanius*, quod certè nomen eſt à Vulcano deductum; eo quod Vulcanus ab antiquis Deus ignis præſes habitus fuerit, vndè & Vulcanus dictus quaſi *canus per aerem volitans*. Quarè ignis qui Vulcano ſemper ſacer fuerit, iure *Vulcanius* dicitur. Sed hæc nobis, atq; Heinſio communia. Alia hìc potiſſima adeſt ratio, cur Ætnæus præcipuè ignis *Vulcanius* appelletur; & illa eadem eſt, quam retulimus ad Carm. *Quod non Cyclopea sola &c.* nempè creditum ab antiquis omninò fuiſſe Vulcani officinam in Ætna monte conſtitutam, ibiq; Vulcanum fabrilibus per ignem operibus deſudaſſe: ideò potiſſimo iure ignis Ætnæus quaſi ea illius officinæ fornaculis eductus Vulcanius appellari non poteſt ſolum, ſed & debet. Vides, in Heinſiana lectione, adiectiuum *Vulcanius* vim tantum habiturum notæ differentialis, quo ſubſtantiuum amnis contrahatur ad ſignificandum ignem; in noſtra verò vim habere in mentem reducendi ipſam Vulcani officinam in Ætna poſitam, & ex eiuſdem fornacibus ignem erumpentem.

SIVE QVOD OBIICIBVS &c. Geminas affert cauſas, quæ aſſignari ſolent, tamquam certæ eorum origines motuum, quibus *aſtra lacesſit* Ætna. Et primam quidem à ſubterraneis ventis deſumit; alteram verò ab interclusis Oceani aquis; ſed ita tamen, vt neutram affirmet abſolute; nec enim audacter adeò inſurgere voluit vt Virg. in Ætna (ſi tamen Virg. eſt illud opus, & non potiùs ab incerto Auctore Virgilio adſcriptus) vbi hæc habentur.

In verò mihi cura: canam quo feruida motu
Æſtuet Ætna, nouoſq; rapax ſibi congerat ignes &c.

& quidem, cum, in tam reconditis arcanis, rem expedire, non facilis adeò indaginis ſit, temerarium videtur veram afferendi cauſam ſibi ipſi facultatem arrogare, & tutiùs ſemper videbitur aliorum dicta referre, quam certam aliquam ſententiam definire.

SIVE. Particula disiunctiua eſt, alteram ex neceſſe requirens disiunctiuam, quæ ſubſequatur, ad hoc, vt vnumquodque ea membris, quæ ſub diſiunctione ponuntur, per propriam diſiunctiuam particulam deſignetur. Propoſitiones autem, quæ ſub tali diſiunctione enunciantur, & diſiunctiuæ idcircò dicuntur, hoc proprium habent, vt nil determinatè affirment, præcipuè ſi per modum coniunctiuum efformentur, vt docent Summuliſtæ communiter, & ideò diximus quæſtionem à Poeta indeciſam relinqui.

QVOD. Coniunctio cauſalis eſt, idem ſonans, ac *quia*. Quarè dum inquit Poeta: *Siue quod*; ſenſus idem eſt, ac ſi diceret: *Vel cauſa ſit quia &c.*

VENTVS. Ventorum materiam eſſe exhalationem calidam, & ſiccam, ex terra reſolutam, definit Ariſtot. 2. Metheor. Ex cuius ſententia patet, ventos nil aliud eſſe, quam *exhalationes calidas, & ſiccas, à terra reſolutas, cum aliqua cœleſti virtute compoſitas*. Pro intelligentia notandum ex eodem Ariſt. ibi, duplicem eſſe exhalationem; alteram humidam, alteram ſiccam; quæ tamen ita commixtæ ſunt, vt nunquam humida ſine admixtione ſiccæ, vel ſicca ſine admixtione humidæ procedat. Verum humida ſimpliciter dicitur ea, quæ humiditatem poſſidet ad prædominium ſiccitatis: & vice verſa ſicca ſimpliciter dicitur, quæ ſiccitate gaudet ad prædominium humiditatis. Quæ humida ſimpliciter dicitur, vt plurimum aquea eſt; & vi ſolis in ſublime attracta in pluuias decidit conuerſa. Quæ ſimpliciter ſicca dicitur terrea eſt; & vi ſolis in ſublime elata ignitas ſæpè impreſſiones ex accenſione efficit ſui. Sic ex aquea exhalatione pluuiæ fiunt: ea terrea verò ſicca, & calida, dum attollitur, ventus dicitur confieri, & exiſtere. Hanc duplicem exhalationem, quarum, quæ ſicca eſt, *ſpiritus*, hoc eſt *ventus* fit, quæ verò humida eſt, *vapor*, ſeù *aqueus humor* fit, tradiderat etiam idem Ariſt. Methor. pri., & *aqueam* eſſe exhalationem, quæ *vapor* dicitur; *terream* verò quæ *ſpiritus*, ſeù *vapor fumidus* dicitur, edocuerat. His poſitis ad intermiſſam redeo explicationem. Duorum, & quidem principalium effectuum cauſa indaganda hìc fuerat à Vate, nempè concepti, erumpentiſq; incendij, & eiubrationis molarium lapidum, ac ſubinde inquirenda erat cauſa terræ motuum, ac ſonituum tonitrua mutantium, quos ab eodem monte prouenire iam vidimus. Horum omnium igitur effectuum cauſam, iuxta Ariſt. ſententiam refundi innuit in ventum, ſeù ſpiritum, vel exhalationem calidam, & ſiccam, aut, ſi mauis ita appellari, in vaporem fumidum, quæ tandem omnia idem cum vento eſſe cenſentur. Dixi: *iuxta Ariſt. ſententiam*; nam hæc expreſsè apud ipſum 2. Metheor. habentur; *quoniam autem conſtat, & ab humido, & à ſicco exhalationem reddi, oportere, terræ motus, cum hæc ſint, fiant, neceſſe eſt. Eſt enim terra per ſe quidem ſicca; ob imbres autem multum in ſe habet humorem, ita vt, & à ſole, & ab igne, quem continet* (concedit enim Ariſt. ſubterraneos ignes, de quibus nos alibi diſſeruimus) *calefactâ multum ſpiritus extra, intraq; gignatur: atq; is interdum quidem totus extra fluit; interdum verò totus intra; nonnunquam etiam diſtribuuntur. Si igitur hoc habere aliter non poteſt, id, quod ſequitur, conſiderandum eſt, quodnam videlicet corporum mouendi vim maximè habeat; id enim, quod longiſsimè progredi aptum, atque vehementiſsimum eſt, maximè tale ſit, neceſſe eſt: ac vehementiſsimum quidem neceſſario eſt, quod celerrimè fertur, quippè quod ob celeritatem vehementer percutiat: longiſsimè autem progredi aptum eſt, quod per totum tranſire maximè poteſt; atque hoc eſt, quod tenuiſsimum eſt. Itaque ſi ſpiritus naturâ huiuſmodi eſt, maximè omnium corporum mouendi vim ſpiritus habebit. Nam & ignis, quando cum ſpiritu fuerit, flamma efficitur, & celeriter fertur. Non igitur aqua, aut terra cauſa motionis erit, ſed ſpiritus &c.* Ex quibus patet, cauſam terræ motus apertè ab Ariſtotile refundi in ſpiritus intra terræ cauernas tumultuantes, quod idem eſt, ac refundi in ſubterraneos ventos, iuxta id, quod innuit Claudianus. Vento certè nil penetrabiliùs, nil celeriùs, nil violentiùs, vt per ſe patet. Cum igitur ventus in ſubterraneis cauernis, quaſi clauſo quodam carcere detineatur ſemper ea natura ſua aditum perquirens ad auras, in motu perpetuo eſt, omniſq; in fugam ſpiritus enititur, quam cum ex oppoſitis terrarum compagibus aſſequi prohibeatur, tanto nititur conatu, vt terram ipſam ingenti motu concutiat, donec, diſruptis aliqua ex parte compagibus, in apertum proſiliat: maior autem, vel minor terræ motus fit, iuxta maiorem, vel minorem ſpiritus incluſi, ac ſe agitantis molem, & anguſtias; nam ſi ſpatium habeat, vt ſe per implexas terræ cauernas dilatare poſſit; & tantæ molis non ſit, vt ſtatijs ipſis coanguſtetur, tunc agitatione illa ſua non efficit terræ motum; ſed obiecta verberans cæca clauſtra ſonum elicit per ſciſſuras refractus, ita vt tonitrua interdum imitari videatur. Ecce cauſam tonitruum, & terræ motuum, qui ex cauernoſo Ætnæ ſinu Inſulam totam terrent, & concutiunt. Remanet, vt videamus quomodo poſſit idem ventus eſſe cauſa incendiorum, eiubratorumq; ſaxorum. Et primò, quod ad ſuſcitationem attinet incendiorum, memineris quæ de natura terræ deducuntur ex Ariſtotile 2. Metheor. cit. nempè terram igni affinem eſſe, quippe quæ ſiccitate cum illo conueniat, quam ob cauſam terra in ignem facilè vertitur, ſolo frigore in calorem commutato, vt notat Franc. Vicomercatus in Commentarijs ad lib. Ariſt. cit., ac ſubindè in memoriam reuocaueris, quæ alibi diximus, nempè Siciliam cauernoſam eſſe, ac ſulphureis refertam venis, nec non bitumine affluentem. Quibus prænotatis, audies ſubindè Ariſt. 2. Metheor. cit. dicentem: *Etenim ignis in terra accenſi hanc eſſe cauſam putandum eſt,*

non

tum videlicet ſpiritus colliſus incenditur, atque priùs in partes exiguas diuiſo. Quid clariùs ex Ariſt. in hac materia haberi potuit? Ex ſubterraneo igitur vento, ſe ſe, inter impedientia obſtacula, iterato impetu, collidente, ignis exoritur. Nec mirum; cum dubium non ſit, motum eſſe cauſam caloris; calorem autem ignis excitatiuum: ex quo fit, vt ex ſola vehementi attritione corporum aptorum ignis excitetur, vt patet interdum in axe curruum, circa quem dum vehementi motu rotæ circumuoluuntur, per aſſiduam attritionem, concipit ignem axis, & comburitur. Ex repercuſſione igitur venti, in obiectos ſilices vehementiùs iterata, ignis accenditur, cum ipſe ſpiritus colliſus in ignem deſinat ex Ariſtotile eſt. Excipitur autem ignis ille ſulphureis venis, ac ſulphurato exceptus in incendium excreſcit; ac terra ipſa, quæ igni affinis eſt, & facile in ignem vertitur, incendium alitur, augeturque; cuius natura cum ſemper ad ſphæram tendat, & præcipuè a commixto ſpiritu concitata efficit, vt ſubterraneas indignatus cauernas, ſpiritui coniuratus, obſtacula, ac repagula quæque diſrumpat, ac diſruptis fornacibus igneum in torrentem exurgat, & effluat. Hanc eandem opinionem Ariſt. ſequitur Auctor operis, quod Virg. adſcribitur, atq; Ætna inſcribitur; dum hæc habet:

Præſto ſunt operi ventorum examina ſemper &c.
Flamma micat; latoſq; ruens exundat in agros &c.

alimenta pariter ignis ea ipſa, quæ nos innuimus aſſignat Auctor idem, quem Seuerum fuiſſe arbitratur Heinſius, dum in eodem poemate hæc exarat.

Præter aſſiduè ſaledus nunc ſulphuris humor;
Nunc ſpiſſus crebro præbetur vimine ſuccus:
Pingue bitumen adeſt: & quidquid cominus atras
Irritat flammas, illius corporis Ætna eſt.

Ex hoc ipſo facilis eſt ſolutio rotationis molarium lapidum. Quis enim neſciat, quantas excitent ruinas ignes illi, qui in ſubterraneis fornaculis (vulgò *mine*) nitrato puluere repletis à bellatoribus iniecti ſuffocantur? Nonne integros diuellunt montes, ne dum mœnia, ac turres, arceſque, alioquin inexpugnabiles, ſubuertant? Quis neſciat, ventorum violentiam vetuſtiſſimas quercus diuelli, ac turritum interdum excelſas moles per aerem aſportari? An non violentior incluſus eſt ventus, quam liber in aperta decertans arena? En igitur cauſam, quam Ætnæi ſcopuli euellantur, rotentur, & quam altiſſimè, ac longiſſimè proijciantur. Nam violentus ignis, violentiſſimo coniunctus ſpiritui, dum toto impetu erumpit, perfractos ſecum abripit, rotat, ac contorquet ſcopulos, non minus, ac tormentum Æneum vi ignis, ac ſpiritus incluſi, ferreos rotet globos, & violentiſſime contorqueat. Hoc autem ipſum aſſeruit, in Ætna ſua incertus auctor eſt. dum hæc habet:

Siuè peregrinis agitur, proprijſq; potentes
Coniurant animæ cauſis; ille impetus ignes
Et montis partes atras ſubuectis arena,
Vaſtaq; concurſu trepidantia ſaxa fragores;
Ardenteſq; ſimul flammas, ac fulmina rumpunt.

His poſitis, facilior erit verborum Poetæ intelligentia, quam vt proſequamur monet occaſio.

DISCVRRENS igitur *ventus* dicitur à Poeta; nam *diſcurrere*, à quo participium *diſcurrens*, idem eſt, ac *in diuerſas partes currere; hùc, illùcq; curſum agitare*: quod aptiſſimè conuenit ſummæ ventorum mobilitati; & præcipuè hoc loco, vbi attingenda fuerat cauſa accenſionis ignis, & tormenta erant aſſignanda ſcopulos rotantia: nam ſine hac crebra ſpiritus agitatione, ex qua vehemens repercuſſio ſequatur, & refractio, ignis accendi nequit: nec ſine hac venti circumuolutione ſaxa illa molaria rotari poſſent. neceſſe enim ad hoc eſt, vt ventus ſubterraneus exitum quærens non ſolum hùc, illùcq; agitetur, ſed more Circij rotetur in turbinem, vt vehementiori niſu, & viſcera montis diuellat, & diuulſa rotet, & impellat rotata. Quis enim Circij violentiam, etiam in aperto non admiretur. Sua certe illa circumrotatione integra nauigia, ſuppoſitis aquis collimus, vibrat in Cœlum; integras ſæpe ſyluas ſecum trahit diuellens, ita vt nullus ventorum, in aperto, diſcurrentium magis ſit Circio metuendus. Aſt, ſi hoc in aperto, quid in clauſo, vbi experientiâ patet, maiorem ſemper ventorum exerceri violentiam? Experientiâ inquam patet; nam idem ventus, qui apertis in campis, vix Etheſiarum in morem crines vellicat, ſi in ſeptam parietibus viam ſpirantem experiamur, in Aquilonem aſſurgit, ita vt vix toto interdum corporis niſu contra niti valeamus. Ex quo valet argumentum a minori ad maius efformare; quo enim maioribus prematur anguſtijs magis ſæuiet. Ideò *ventus diſcurrens* in Circium efformatus per antra, vt exitum ſibi quoquo tandem modo patefaciat maximè *furit*.

OBICIBVS OPERTIS. Obex nil aliud eſt, quam impedimentum aliquod, ſeù obſtaculum oppoſitum, quo aliquid detineatur; eſt autem nomen ab *obijcio* deriuatum, quaſi obiectu ſui impetum frænet irruentis: ideò, ſeruata deriuatione; non *obicibus* ſcribunt Poetę plures, ſed *obijcibus*, vt hic poſitum inuenio à Parrhaſio, Heinſio, & alijs. Verum quidem eſt, quod, & ſi *obicibus* ſcriberetur nullum putarem abſurdum, nam Ectaſis primam extenderet; immò collaudatum video hunc modum ſcribendi à diſertiſſimo Proſodiaci iuris indagatore Ricciolio 6. ſui operis parte. Quare non reprehendendos arbitror, qui *obicibus* hic ſcribunt, vt certè textus, quem præ manibus habeo, licet, vt præcitatis autoribus morem gererem, *obijcibus* cum ipſis ſcripſerim. *Opertus* autem, adiectiuum ab *operio* deriuatum, certè eamdem cum primitiuo ſeruat ſignificationem. *Operio* igitur duplicem habet ſignificationem, nempè *tegere*, ſeù *celare*, vel *abſcondere*: & *claudere*. Quare *opertus* vel idem erit, ac *tectus, celatus, abſconditus*: vel idem erit, ac *clauſus*: (quidquid dixerit Heinſius, aut Clauerius, qui opertum, hoc eſt *male apertum* exponunt.) Vtraq; ſignificatio optimè quadrat in loco; nam impedimenta illa, quæ ſubterraneis venti agitationibus obijciuntur; licet reſpectu venti occulta, & abſcondita dici non poſſint; occulta tamen, celata, & abſcondita abſolutè ſunt reſpectu noſtri, & reſpectu loci in quo ſunt; nam cum in viſceribus montis ſint altiſſima mole depreſſa, & contecta, ſanè abſcondita & occulta perquirentibus ſunt, præcipue cum, vt dixit Vates:

Ætnæi apices ſolo cognoſcere viſu
Non aditu tentare licent.

Secundo loco, *opertus clauſum* ſignificat: ſic: *vt verò abiero, operuere oſtium*: inquit Terent. Et in hac principaliter ſignificatione vſum fuiſſe Poetam hoc participio *opertis* ſatis conſtat ex ipſo contextu, & ex ſubiecta, de qua agit, materia; cum enim agat de ventis, prout terræ motum efficientibus, & in ignem ex colliſione deſinentibus, certum eſt huiuſmodi ventos, vt diximus, hæc efficere, eo quod, vndequaq; ſubterraneo carcere contra naturam incluſi, exitum ſibi patefacere conentur; ergo ſignum eſt, obſtacula, in quæ ventus impingit, vndequaq; clauſa non minus eſſe, quam claudentia; *clauſa*, inquam, idest exactè cohærentia, ita vt nullum ventus apertum aditum relinquant, ſicuti clauſæ fores nulli ingreſſum concedunt, vel egreſſum. Hanc igitur principalem, & ad rem neceſſariam ſignificationem ingerere hic eruditiſſimus Poeta voluit, vt cauſam furentis ſpiritus, ac impetum, dum coercetur augentis attingeret; ſed ita tamen, vt aliam, ſitum impedimentorum exprimentem non negligeret.

FVRIT. *Furere* eſt *vehementer iraſci*, & præ iræ magnitudine furioſo ſimilem fieri, ac furijs agitari. Ventus igitur, obicibus vndequaq; clauſus in viſceribus montis, obicibus ipſis vehementer, ſi tantum licet, iraſcitur, ita vt furioſo ſimilis fiat, ac conceptis furijs agitetur, quæ omnia, per audacem quidem, ſed pulcherrimam tranſlationem, vnico illo verbo *furit* transferuntur ad ventum interclusum. Sicut itaque furioſus cum furijs agitatur, locum tenere neſcit, ac nulla vi coerceri poteſt, ſed ferrea quamuis diſrumpit vincula, ac poſtes etiam Æneos concutit, & confringit; aut inſanas ipſas, quæ illum coerceant, diruit ſubſtructiones: ita ventus intercluſus, ex circumobſiſtentia terrei, vel etiam marmorei clauſtri prohibitus, ne, iuxta exigentiam naturæ, exeat in apertum, in ſe ipſum repulſus, & contortus exagitatur adeò, vt totam ſuperpoſitam, ac circumquaq; oppoſitam terræ molem furioſus concutiat; ac ſic terræ motus efficitur. Inde, adhuc ſuccreſcente furore, ex agitatione colliditur, atq; ex colliſione in ignem vertitur. Quarè fragores illi, qui audiuntur, ex colliſione oriuntur; ex igne autem ſuccreſcunt incendia, donec, inſanâ vi, clauſtris ſuperatis, & effractis, immania ſaxorum fruſta, incendijs, fumo, fauilliſq; commixta, circumrotentur, ac, ſummo impetu, eijciantur. Vide quanta, ac quanto ſpiritu, Vates, in vnico verbo *furit* ingenioſe congeſſa, expreſſerit, vt terræ motui non cedat, terræ motum deſcribens, & altiùs ſemper aſſurgat.

OSTENSO MEATV PER RIMOSA SAXA. Occurrit obiectioni, quæ hic fieri poterat hoc pacto: Si ſpiritus iſte, ſaxeis, vt dicebatur, incluſus cauernis, adeò *furit*, eo quod obices adeò in vicem cohæreant, vt nullum illi exitum concedant, poterit quidem totum terræ motu montem quatere; ſed nequaquam ex intercludente clauſtro diſſolui,

nisi

niſi tanta vi aſſurgeret, vt totum ſolo montem diſruptis æquaret cauernis; quod tamen nunquam accidit ex tot Ætnæ motibus, qui, tempore recurrente, ſæpiùs iterantur. Quomodo igitur non perpetuus eſt terræ motus, ſi nunquam ſpiritus e clauſtris exeat? Aut quomodo exit, ſi arcta adeò compage detinetur, abſq; eo quod totum diruat montem, inſulamq; euertat? Occurrit, inquam, huic obiectioni, eamq; prænotatis diluit verbis: ad quorum intelligentiam, perpendendus eſt modus, quo marmoreæ moles in viſceribus montium ſuccreſcunt, & agglutinantur, atq; inuicem compaginantur. Certum eſt igitur ſaxa, in viſceribus montium, licet viua dicantur, non creſcere per nutritionem, cum omninò non viuant, & conſequenter nec poſſint habere actionem vitalem, qualis profectò, citra omnem controuerſiam, nutritio eſt; ſed creſcere tantum per aggerationem, ſeù iuxta poſitionem partium, quæ inuicem agglutinantur, vt apparet ſępè ex venis ſaxa ipſa diuerſimode interſecantibus, ac facilem ſciſſionem inter ipſas ſaxorum partes exhibentibus. Inſuper montium cautes non adeò inter ſe exacte coagulantur, vt omnes in vnicam coeuntes cautem coaleſcant; ſed, plures ſemper remanentes, ita diſponuntur, vt altera alteri cohereat, graciliori aliqua terra, nondum perfectè in ſaxum efformata, & quæ, interdum facilè dilabeas, rimas aliquas inter cautem, & cautem relinquat; ita vt lapidicinas effodientes harum rimarum beneficio faciliùs marmora excauent, & diuellant, vt peritis in comperto eſt. Hoc poſito. Saxea clauſtra ſpiritum includentia dicuntur vndequaq; clauſa, non ex eo, quod nullis fatiſcant rimis; nam, ſi hoc eſſet, nec recipi intra illa ſpiritus potuiſſet; ſed ex eo, quod iſtiuſmodi rimulæ non ſufficiant ad præbendum exitum vento, tota ſui mole erumpere conanti. Quod vt apertiùs fiat exemplo, conſideremus, quæſo, experientiam, quam ex Amphora, obſtricto collo, aquam includente conſpicimus: licet enim paruulum illud orificium apertum ſit; ſi amphora inuertatur, ita, vt orificium, rectâ lineâ, ad terram collineet, aqua illa, quæ in Amphora eſt, dum tota ſimul deſcendere nititur, ſua ipſius mole impedita ſubſiſtit: & dum tota exire contendit, ne guttatim quidem valet exiſire. Sic ventus ab extrinſeco impellente compulſus, (puta ab æſtu maris Inſulam circumambientis, vt notat Parrhaſius hic) à calore Solis extenuatus &c. recipitur quidem paulatim per poros terræ, ac per ſaxorum rimulas, per quas in cauernas terræ defertur. Verùm, cum partes ibi recepti ſpiritus, facta continuatione, in vnum coaleſcant per vnionem continuatiuam, robuſtiorem vim iam habentes, & à noua (quod naturale eſt) diſcontinuatione abhorrentes, tota ſui mole, conantur erumpere; atq; ita, dum ſciſſuras, & rimas nimia opprimunt mole, obſtruunt potiùs, ac præcludunt, quam ad exitum patefaciant. Ideò ventus ita interclusus dicitur, vt nulla illi pateat ad exitum via. *Furit* itaque ſe ſe agitans, vt viam reperiat, & adeò furit, vt terram concutiat, & contremiſcere faciat; qua concuſſione, & tremore pars illa gracilioris terræ, quæ, inter ſaxum, & ſaxum, meatus obſtruebat dilabitur; ſicque, dilatatis rimis, ventus, qui ex agitatione calorem, ex calore ignem, & extenuationem, ſeù dicamus rarefactionem, contraxerit, toto impetu rimas permeat, concutit, labefactat, atque, anguſtiarum impatiens, cautes à cautibus diuellit, auulſaſq; ſecum trahit, ac rotat. Ideò inquit Vates

OFFENSO MEATV. *Offendere* enim eſt *aliquid, præter opinionem, inuenire*: ſeù *in aliquid incidere*: Quarè *offenſo meatu* idem erit, ac *inſperato, ſeù præter opinionem reperto meatu*; ita vt in illum incidat ventus, qui, deſperato exitu, furijs agitabatur. Appoſite autem dixit: *offenſo*; non verò ſimpliciter *reperto*, aut *inuento*, quia, qui incidit in aliquid, lædere ſæpè ſolet id, in quod incidit; ex quo factum eſt, vt *offendere* idem ſit, ac *lædere*: quarè cum hic ſermo ſit de ſpiritu ita meatum repeniente, vt, in illum incidens, meatum ipſum ſumma afficiat læſione diſrumpens, & diſijciens, ideò *offenſo meatu*. *Meatus* autem idem eſt, ac *via*: Sed dicitur tantum de via anguſtiori, & quæ vix capere poſſit permeantem, vt certe ſunt pori, & rimulæ, de quibus ſupra. Ideò igitur *meatus* nomine vſus eſt hic Claudianus, vt oſtenderet neceſſitatem violentiæ illius ſpiritus ad amplam, ſibi dato meatu, viam patefaciendam: atq; vt indicaret quomodo ibi meatus eſſe queant.

PER RIMOSA SAXA: Subiungit oſtendens, meatus rimis pateſieri, eo pacto, quo nos ſupra explicuimus: *rimoſus* enim à *rimis* dicitur, quaſi *rimis exeſus, & interſectus*; ideòq; *rimoſa ſaxa* dicuntur, vel quæ pumicea ſunt, vel quæ rimis interiacentibus diſtinguuntur, vt de montium cautibus diximus. Per huiſmodi itaq; rimas meatu offenſo, ſpiritus viam ſibi ruinis extruit amplam, & violentos, quos diximus, motus illos, euaporationeſq; igneas, nec non molarium efficit conuulſiones, rotationeſque, ac vehementiſſimas eorumdem expulſiones.

DVM SCRVTATVR ITER &c. Cum omne agens agat propter finem; vel ille ſit finis naturæ, vel finis particularis ab agente ipſo intentus; aſſignanda fuit cauſa finalis tantæ agitationis, & motus, quo ſpiritus ille incluſus, & ſe ipſum agitet, & circa ſe poſita exagitet: hanc autem refundit Poeta in libertatem, quam ex ſubterraneo carcere ſibi adſciſcere, intendit ventus; & in viam ad intentum neceſſario patefaciendam; quarum hæc finis ſecundarius eſt; illa primarius; nam libertas per ſe intenditur; via verò ad libertatem tantum in ordine ad ipſam libertatem intenditur.

DVM. Aduerb. temporis eſt, denotans continuationem illam temporis, quo aliqua actio fit, vulgò *mentre che*; *in tanto che*; eo tempore quo.

SCRVTATVR. *Scrutari* idem eſt, ac *perquirere*, ſeù *inueſtigare*; ſed vlteriùs diligentem quamdam ſolertiam, & curam, & anxietatem importat inueſtigandi. Quarè optimè adaptatur incluſo ſpiritui, cum ſpiritus totus ſemper in fugam ſit, vt dicebamus; atq; adeò anxiè, aſſiduè, ſolerter viam ſemper inquirit ad fugam.

ITER. Abeundo *iter* dicitur: quarè *iter* propriè *via ipſa* non eſt, *qua itur*; licet interdum pro ipſa vſurpetur; ſed eſt *ipſa profectio*, ſeù *ipſe actus eundi*; & in hac propriſſima ſignificatione aſſumitur hic; ita vt idem ſit dicere: *ſcrutatur iter*, ac dicere: *ſummo ſtudio, ac conatu molitur abire*. Si tamen *iter* pro *ipſa via* velis vſurpatum, non abnuerim, nam certè qui ſcrutatur abire, viam, quâ abeat ſcrutari debet. Quare non incongruè dicetur Poeta vtramque amplexus ſignificationem, more ſuo.

QVE. Pro *Et* particula coniunctiua eſt, finem mediatum, ſeù ſecundarium, iam expreſſum, cum fine immediato, & primario, de quo hic coniungens.

REPOSCENS. Particip. à verbo *Repoſco*; quod ex *re*, & *poſco* compoſitum idem eſt, ac *iterum iterumq; poſcens*. Nil autem acutius hic dici poterat: nam *Poſcere* eſt *poſtulare, quod ſibi debitum eſt*: ideò alibi diximus, verbum *Poſco* imperium potius, quam ſupplicationem importare; quod enim nobis debetur, iure, & conſequenter imperiosè poſtulamus: *iterum* autem *poſcere* eſt non ſolum, *quod nobis debitum eſt*, ſed *& quod debitum eſt, & quod antea iure obtinebamus, & ab aliquo iniuriâ ereptum fuit, denuò poſtulare*. Propria, connaturalis, debita ſpiritui libertas eſt, quippè qui, cum maximè mobilis ſit, exigit, longe, latèque, pro libito diuagari: cum verò in cauernis terræ conſtringitur, & ſaxeis clauſtris coercetur, libertas, quam prius habuerat, ſibiq; debitam poſſederat, illi eripitur carceris iniuriosè anguſtijs detenta: Ideò *ſcrutatur iter; libertatemq; repoſcens &c.*

LIBERTATEM. Libertas eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi quod vi, aut iure prohibetur. Quarè libertas opponitur ſeruituti. Hic accipitur pro facultate quoquo verſum, pro libito peruagandi, quam connaturalem eſſe ſpiritui iam vidimus, & quam libertatem illi adimunt ſaxea clauſtra, quibus includitur.

POPVLATVR. Conſequens hoc eſt, neceſſario ex poſitis antecedentibus procedens: nam, ſi à natura inſitum eſt legale illud axioma: *vim vi repellere licet*: connaturale ſpiritui eſſe debet, vt libertatem ſibi debitam, ac vi ſurreptam, iterum maiori ſibi vindicet vi; ideòque, cum ſpiritus priſtinam ſibi libertatem depoſcat, eamq; oppoſita vi, ſaxea illi clauſtra contendant, conſequens ex neceſſe eſt, vt ſpiritus vim vi repellat, atque, includentis damno, exitijſque, propriam ſibi vindicet libertatem. Ideò *Populatur*, *Populari* enim eſt *deprædari, diripere, ruinisq; complere*. Cum igitur ſpiritus libertatem repoſcens, dum vim oppoſitam expugnat, ruinis compleat detinentia clauſtra, viſceraq; includentis montis diripiat, ac deprædari videatur, dum marmoreas moles longiſſimè abuehens abſripit, iure dicitur *populari*: vulgò *metter à ſacco*.

ANTRA PVTRIDA. Antrum idem eſt, ac *ſpecus, caverna, ſpelunca*. Hic proprie ponitur pro ſinuoſis illis cauitatibus, quibus ventum ſubterraneum detineri, iam diximus: *putrida* autem hæc antra dicuntur, per multiplicem translationem: nam propriè *putridum* dicitur, quod, ex inſinuata corruptione, in putredinem reſoluitur: quoniam verò, quæ iam computruerunt, nullo negotio diſijciuntur, & corruunt, ideò, ad oſtendendam facilitatem, qua vehemens ille ſpiritus hæc antra diſijcit, *putrida* illa vocauit Poeta, idest *inualida*,

ſola, ac nullius, vel ferè nullius reſiſtentiæ contra tanti agentis violentiam: Secundo, quia Putrida facilè corruunt, conſuentia antra *putrida* dicuntur; hoc eſt labefactata, ac fracta, impetu ſpiritus excutientis: Tertio, quæ putrida ſunt exoſa etiam redduntur: ideò *Antra putrida*, quia ventis exoſa: Quarto dici poteſt effectum in cauſa poſitum: nam ſicut aquæ immobiles, ac ſtagnantes, in aliquo ſinu detentæ facilè computreſcunt; immò & homines ipſi videntur in fœtidis, ac tenebricoſis carceribus computreſcere; ſic *Putrida* ea Antra dicuntur, quæ, carcerem ſpiritui obtendentia, conari videbantur, vt illic perpetuo incluſus computreſceret ſpiritus. Deniq; ex rebus putridis fœtores exiliunt; Antra, quippè ſoli impervia, perpetuoq; ſitu ſqualentia, non poteſt quin graueolentem reddant fœtorem; ideò *Putrida*; & de Ætneis antris præcipue loquendo, cum hæc ſulphurea, ac bituminibus referta ſint, atq; eo ipſo quod igneſactus ſpiritus ea accenderit, fœtorem procul dubio ingentem emittentia. Vno verbo rem expedit Barthaſius inquiens: *Putrida*; hoc eſt *liquefacta*, & *in motum calore excoſſa*. Hæc autem dicta ſint, ne putridis in antris putridum videatur Vatis ingenium.

FLATIBVS MVLTIVAGIS. Flatus propriè *ſpiritus*, ſeù ventus eſt; ſed *ventus*, aut *ſpiritus*, *qui ex ore aliquo cum impetu procedat*. Quia verò ventis corpus pictores effinxerunt, inflatiſq; buccis ſpiritum furioſè emittentes pinxerunt; ideò Poeta his ſubterraneis ventis impetuoſam hanc ſpirituum emiſſionem attribuit, cuius impetu, antra illa deuaſtentur: & *multiuagis* inquit, vt iterum oculis ſubijciat agitationem illam, qua ſpiritus huiuſmodi, aſſiduis fluxibus, ac refluxibus, diſcurrens agitatur, cauernæ latera impellens, ac colliſus igneſcens &c. ex quibus motibus portentoſa illa, quæ iam memorauimus prodeant, Siciliam non ſolum Inſulam, ſed totum terrore orbem cumulantia.

SEV MARE &c. Per, correſpondentem ſuperiori, particulam diſcretiuam *ſeù*, tranſit ad obiter exprimendam alteram de terræ motibus ſententiam, iuxta Democriti placita procedentem: & quia ex iiſdem ferè cauſis, vt doctè notat Toroſinus de Metheor. cap. 4. procedere ſolent ſubterranei ignes, qui e montibus eructantur, à quibus terræ motus ipſi procedunt; hinc eſt, vt Poeta, indicatâ, iuxta ſententiam Democriti, terræ motuum cauſa, eidem attribuat efficientiam Ætnæi ignis. Democritus igitur, vt notat Ariſt. Metheor. 2. terræ motuum cauſam refundit in aquas: atq; hoc duplici explicat modo. Primus eſt, cum terræ concauitates, vel ex receptis, tanquam à ſpongia, pluuijs, vel ex naturali ſubterranea aquarum ſcaturigine, vel ex ipſo mari per ſecretas fiſtulas immiſſo, plenæ iam aquis, turgenteſq; redundant; nam tunc, inquit Democritus, ſi magni iterum ingruant imbres, qui in illas cauitates, vtpote iam plenas, excipi nequeant; tunc, inquam, imbribus illis vim inferentibus, & aquam illam, in concauitatibus iam concluſam, veluti coarctantibus, dum ſimul impellentes, repellenteſq; decertant aquæ, terram eorum impetu concuti neceſſe eſt. Idem dic de alijs aquis vel ex fontibus, vel ex mari ſuperuenientibus, & plenas iam cauitates impetentibus. Secundus modus, iuxta opinionem Democriti ſic ſe habet. Poſitis cauitatibus aquarum copia repletis, vt ſupra; euenit interdum, vt, terram alibi vehementer exſiccari, contigerit, ita vt aquam è plenis locis, ad temperandam ſiccitatem, extinguendamq; ſitim maxima attrahat auiditate; ex cuius vehementi attractione aqua ex loco ad locum cogitur irrumpere, & tranſmigrare. Talis autem motus, & irruptio aquæ non ſine impetu ſit, inquit Democritus, ſtante vehementia attractionis: quare impetu illo terra concutitur, & contremiſcit. Videtur huic Democriti ſententiæ fauere experientia ipſa; nam frequentiores, ac vehementiores terræ motus fieri aſſolent, vbi mare fluidum eſt, & regio fungoſa, ſeù ſpongioſa, & cauernis plena, vt notat Ariſt. 2. Metheor. cit., cuius rei ratio hæc reddi poteſt à Democrito, quod ſcilicet terram maris vnda per fiſtulas quaſdam ſubire videatur, ſicq; cauitates illas aqueis humoribus repleri, quas dum repletas nouis mare conatur aquis ingurgitare, illa ſequatur aquarum conflictio, de qua ſupra diſſeruimus, ac inde terræ motus vel maior, vel minor, ſecundum maiorem, vel minorem aquarum impetum, & conflictionem. Pariter, conflictionem aquarum vehementiſſimam fieri, poſſe, ita vt vim ipſam interdum ſuperet ventorum, videtur experientiâ comprobari; nam certum eſt, inter Eubœam Atticæ inſulam, & Phocidem Bœotiæ partem, Euripum eſſe, ſepties die reciprocantem, ac noctè, tam rapida profectò conuerſione, vt ventos, & nauigia ventis plena ſecum abſtrahat in contrariam ventorum impulſui partem; atque ideò fortaſſis impelli potuit Democritus, vt crederet, ex hac ipſa aquarum conflictione ingentes oriri poſſe terræ motus. Improbat tamen Democriti ſententiam de terræ motu ex aquis prouenientе Ariſt. 2. Metheor. cit.; &, admiſſis ſupra poſitis experientijs, adhuc cauſam terræ motuum in ventum aquas ipſas agitantem refundit. Sed, quoniam Auctor noſter indeciſam reliquit quæſtionem, nec noſtrum mehercule eſt eam decidere; quamuis Ariſtotelicam magis ſententiam comprobemus. Ex iiſdem autem ferè cauſis exoriri accenſionem ſubterraneorum ignium, ex quibus terræ motus oriuntur, vt ſupra ex Toroſino dicebamus, comprobari item videtur experientia; nam in citata Eubœa inſula, ex teſtimonio Stratonis, cum terræ motus ingens exortus eſſet, non antea deſijt, quam, in Lelanto campo, aperto telluris hiatu, igneus eruperit fluuius. Quarè, cum, iuxta Democritum, terræ motus cauſa eſſe dicatur aqua, nil mirum, ſi Poeta, in eamdem refundi poſſe ignium accenſionem, inſinuet, dum inquit: *Seu mare ſulphureo ductum per viſcera montis*

Oppreſſis igneſcit aquis.

Verum hoc magis difficilè explicatu eſt; nam videtur apertè obſtare Ariſt. 2. Metheor. cit., qui, de rebus agens, quæ cremari poſſunt, hæc habet expreſsè. *Et alia quidem cremari poſſunt, vt lignum, lana, os &c. alia cremari non poſſunt, vt lapis, & Glacies*; & rationem inferiùs reddens inquit: *Quæ non habent humorem igne imbecilliorem, vel quæ habent vehementiorem, vt Glacies, cremari non poſſunt*. Ex quibus Ariſt. verbis concludit acutiſſimè Franciſcus Vicomercatus eruditiſſimus Metheor. commentator, licet ignis ex humore alatur, non omnem humorem, ad ignes alendos, aptum eſſe; immò humorem igne valentiorem pernitiei potiùs ignis cauſam eſſe, quam vitæ; & exemplificans *talis eſt*, inquit, *aqueus humor: quarè rectè dicitur glaciem cremari non poſſe; ex aqua enim, quæ in illam concreta eſt, tota conſtat*. Et inferius ſubdit: *flammæ fouendæ ineptus eſt aqueus humor*. Quarè videtur, implicantiam in terminis importare, quod tamen fieri poſſe, non renuit Poeta, dum dicit, mare igneſcere poſſe, non quidem definitiuè loquens, ſed ad Democriti ſententiam. Difficilè, inquam, explicatu hoc eſt. Verum, ne videatur Poeta acutiſſimus alioquin, & eruditiſſimus, adhæſiſſe, ſaltem quo ad probabilitatem credendam, ſententiæ omninò improbabili, noſtrum erit explicare, quomodo ex huiuſmodi aquis poſſit ignis interdum excitari. Quod vt faciliùs aſſequamur; memineris primo, Claudianum, non de quacumq; aqua, ſed de *aqua maris* locutum, cum inſinuare videtur, aquam igneſcere poſſe. Secundo memineris Mare ſalſum eſſe, atq; eadem de cauſa, qua ſalſum eſt, calidum eſſe; nam hæc maximè conferunt, ad propoſitam difficultatem enodandam. Cum igitur Ariſt. videatur aſſerere, vt de facto aſſerit, aqueum humorem ineptum eſſe, ad flammas excitandas, loquitur ille de humore aqueo purè elementari, vel de eo, qui, ob defæcatiorem naturam, maximè videtur ad puritatem elementaris accedere. Aqua autem maris non eſt purè elementaris; neq; enim, vt aliqui voluerunt, ipſum elementum aquæ eſt mare; ſed potiùs excrementum quoddam eſt ex elementari aqua relictum in illa maxima terræ cauitate ſubſidens. Patet autem hoc clariſſimè, & ad euidentiam; nam, ſi omnia flumina, ac fontes, vt communis eſt opinio, ex mare exeunt, vndè eſt, vt maris ſalſedinem non retineant? Certè hoc euenit, quia, ad hoc, vt maris aqua per poros terræ ſe inſinuet, attenuari debet, & expurgari adeò, vt, quæ ſola defæcatior eſt, per huiuſmodi poros valeat penetrare: quarè, quæ in mari remanet, fæx erit aquarum, & excrementum: inſuper calore ſolis maxima ſemper vis aquei humoris ex mari attrahitur, & in altum ſubleuatur; Vapor autem huiuſmodi, certum eſt, quod nihil aliud ſit, quam purior, ſubtilior, & defæcatior aqua. Quarè, cum vndequaq; ſemper purior aqua abſtrahatur, fæces tantum, & excrementa aquarum, nempè aquæ illæ, quæ caloris vi non ſatis concoqui, & ſecerni, ac eleuari, aut abſtrahi non potuerunt, in ipſo remanent mari; ex quo fit, vt aqua maris ingentia nauigiorum pondera faciliùs ſuſtineat, quam aqua ingentis cuiuslibet fluminis; quia ſcilicet, vtpotè excrementitia, craſſior eſt, conſequenter difficiliùs cedens ſuperimpoſito ponderi: hinc pariter eſt, vt homines faciliùs in fluuiali aqua mergantur, in marina difficiliùs; quia ſcilicet illa defæcatior faciliùs penetrat ad præcordia, hæc quia fæculentior non adeò facilè. Eſt igitur mare excrementitia aquarum aggregatio. Porrò excrementum omne aliquid incoctum eſt; quod autem incoctum eſt, ſalſum etiam eſt. Patet hoc in ipſis excrementis humani corporis; nam vrina

ſalſa

ſalſa eſt, & ea, quibus admiſcentur, efficit ſalſa: ipſa autem vrina certe nil aliud eſt, quam excrementum dulcis potionis, calor enim naturalis, potionem, in ventriculo receptam, concoquens, partes ſubtiliores, & deſęcatiores ſegregat à fęculentis partibus, illaſq; in alimentum conuertit viuentis, has verò in veſicam depellit: idem dicendum de ſudore à corpori[?] us ex[?]pulſo, eſt enim excrementum incoctum cibi in alimentum vertendi, & ſalſum eſt: Idem dicendum de ſale, ac de cineribus ex ligno, vel ex metallicis per Alchimiſtas aduſtis, quæ omnia excrementa ſunt, & ideò ſalſa, vt experientiá ipſa comprobatur. Hoc poſito; inquirenda tandem eſt huius ſalſedinis cauſa; pro qua notandum, ſapores omnes in admixtione humidi, & ſicci conſtitutos eſſe; ſed hoc à cęteris *ſalſum* differre, quod *ſiccum*, ex cuius admixtione exiſtit, concoctum non eſt, nec caloris efficientia ſuperatum: *humidum* autem ſolum nec ſalſo, nec vllo alio ſapore affici poteſt: ideò vrina, & ſudor, quamuis ſoli *humores* videantur, aliquid tamen *ſicci* habent admixtum, quod, concoctum cum non ſit, vtrumq; ſalſum efficit: ac illud quidem in vrinarijs vaſis ſubſidere cernitur, hoc autem in cute animalium denſatur, ſi, poſtquam ſudauerint, non egregiè tergantur linteo. Ipſe igitur vrinæ humor, per ſe, ſalſus non eſt, ſed ex ſiccarum, tenuiumq; partium admixtionem ſalſedinem acquirit. Cum igitur excrementorum ſalſedinis cauſa ſit ſiccitas incocta, quæ ijs admiſcetur; & Mare, ex dictis aquarum excrementum ſit; patet, etiam ſalſedinem maris ex admixtione ſiccarum, incoctarumque partium prouenire; cum autem, quod ſiccum eſt, & excrementitium eſt, graue etiam ſit; terreum hoc eſſe videtur. Verum, quia circa illud calor, vtcumque, egit, licet ſuperare non potuerit, extenuauit tamen, & calidum reddidit. Quarè ſalſedo illa, quæ maris propria videtur, non ex alia tandem cauſa proueniet, quam ex plurimis exhalationibus terreis, cum ipſa aqua commixtis; cum autem exhalationem terream calidam ab extrinſeco, nempè à calore, vt diximus, alterante, & ſiccam ex natura ſua eſſe, viderimus; duo neceſſario ſequuntur; Primum eſt, vt maris ſalſedo ex ſpiritibus igneis, qui partibus terreis aquæ maritimæ admixtis inſident, proueniat; nam mordacitas ſalis ex igneo ſpiritu certè procedit. Secundum verò eſt, vt mare ipſum ex redundantia huiuſmodi exhalationum terrearum, calidum ab extrinſeco reddatur, ita vt aqua ideò maris minus apta ſit ad reſtinguendum ignem, quam alia purior aqua, quod item experientiâ patet; & notat acutè hoc ipſum Vicomercatus cit. in 2. Metheor. His autem ex neceſſe prænotatis; redeo iam ad oſtendendum, quomodo; licet ex aqua pure elementari, vel ad elementaris puritatem accedente, ignis, iuxta Ariſt., excitari non poſſit; hoc tamen poſſit, per aquam impuram, partibus terreis, igneiſq; admixtam ſpiritibus, qualem, vt ex ſalſedine, & caliditate conſtat, aquam maris eſſe iam noſcimus.

Penetrat igitur, per quaſdam, quaſi fiſtulas, vt dicebamus, hoc eſt per ſubterraneas terræ venas, ac latiores poros eiuſdem terræ aqua maris, & ſe ſe in ſulphurea montis viſcera inſinuat: qua tamen penetratione aqua illa non deſęcatur, cum non per ſubtiliſſimos vix permeet poros, ſed per latiores, vt diximus, venas, ſeù fiſtulas; hoc eſt per quoſdam, veluti artefactos aquæductus; Quibus certe Sicilia, quæ terra, de ſe, fiſtuloſa, ac cauernoſa eſt, vndequaque abundat. Hæc ipſa ſubindè aqua, excrementitia, fęculenta, pinguis, & craſſa, tranſiens per loca ſulphurea, & bituminoſa, cuiuſmodi eſſe vidimus Siciliæ terram, maiorem adhuc pinguedinem, craſſitiem, & igneorum ſpirituum acquirit commixtionem; ex quo ſit, vt, non ſolum minus apta reddatur ad extinguendum ignem, vt ſupra dicebamus, ſed immò ad ignem excitandum diſponatur; nam quod ſiccum eſt, & pingue, ſi calidum fiat, ignis facile efficitur: huiuſmodi autem ſit aqua, quæ, modo dicto, pingueſcit, neceſſe eſt, cum *pingue* nil aliud ex Ariſtotele ſit, quam *ſiccum vndtuoſum*. Hoc poſito. Aqua illa maris in ſulphureis illis, ac bituminoſis recepta cauernis, non ſolum vi ſolis, calore ſuo, intima terræ viſcera penetrantis; ſed etiam ſubterraneorum ignium vi; & ſulphuris item ignei admixtione, incaleſcit magis, ac concepti caloris virtute expelluntur adhuc, ſi quæ ſint, partes puriores, & ſubtiliores aquæ elementaris, ita vt magis adhuc terrea, & ſicca fiat, quæ remanet: Superueniente igitur noua vnda, impellente, agitatur aqua iam incluſa; ac, dum aduenienti reluctatur, & in ſe ipſam conuertitur, refluo illo motu attenuatur, ſaxis alliditur, & refrangitur, ita vt ex vehementi illa attritione, & colliſione ignis excitetur, qui ſulphure, & bitumine exceptus in incendium excreſcit, & bituminoſam illam, ſulphuream, ac pinguem aquam depaſcit, ita vt igneum mare videatur ibi fluctuans torrere. Ex hoc incendio ſequitur vt latera montis diuellantur, molaria rotentur &c. modo iam dicto. Hoc autem certè non excedit naturæ facultatem; nam, ſi experientiâ patet, ex colliſione fluctuum maris Anchorarios funes accendi interdum, per antiperiſticam actionem; quantò magis hoc fieri poterit in materia tot admixtionibus alterata, & diſpoſita? Iam igitur Poetæ textum, in quo, his habitis, nulla inerit difficultas proſequamur.

SEV MARE. De particula diſiunctiua *ſeu* ſatis dictum ſupra. *Mare*; ideſt *aqua maris*; nam totum pro parte ponitur.

DVCTVM. *Intromiſſum*, intellige autem, vel ab æſtu, vel ab ipſa maris natura, quæ inſtabilis eſt, ac mobilis, ſemperq; per terræ rimas, ac ſciſſuras ſe ſe ſedulò inſinuans &c.

PER VISCERA. Tranſlatum hoc eſt idem ſignificans, ac per *interiores partes*, quę quaſi viſcera ſunt in vtero ipſius.

MONTIS SVLPHVREI. Per montem ſulphureum Ætnam denotat; nam alibi vidimus ſub hoc monte Enceladum poſitum ſulphur inexhauſtum eructare &c. Inſuper ſulphureum memorat montem, vt innuat, quomodo hoc ſulphure commixta aqua facile per colliſionem accendi poſſit.

IGNESCIT. *Igneſcere accendi* eſt, & *conflagrare*; atq; *in ignem conuerti*; nam, vt dicebamus, dum aqua illa ex colliſione, & confractione, ignem excitat, qui materiam nactus ſulphuream &c. longe lateq; graſſatur ita, vt tota illa aqua talibus affecta alterationibus, vt ſupra in pabulum vertitur ignis. Ideò igneſcit.

OPPRESSIS AQVIS. *Opprimere* interdum ſignificat *claudere*: Sic apud Plaut. *Os comprime*: habetur. Quod ſi in hac ſignificatione ſumatur, facilis erit explicatiò, cum de aquis concauitate ſubterranea incluſis ſermo ſit; idem enim erit dicere *oppreſſis aquis*, ac dicere: *clauſis, & ab exitu prohibitis*; vnde oritur, vt, compreſſione ab extrinſeco facta ab alijs ſuperuenientibus aquis; vel, per antiperiſtaſim, à frigore ſuperueniente, vel ex æſtuanti colliſione incaleſcant, ebulliant, & ignem concipiant. Verum tardi nimis eſſet ingenij, tam obuiâ, ac tam gregariâ expoſitione, eleuatiſſimam, plenamq; ſplendidiſſimis luminibus, Poetæ mentem explicare. *Opprimere* igitur idem eſt, ac *vincere*, *ſuperare*, ac *victum*, *ſuperatumque ſub iugum* [illegible] *mittere*. Quarè *oppreſſis aquis*, inquit Poeta, ideſt *ſuperatis*, *deuictis*, *ſubactis*, ita vt, ad reſiſtendum iam ineptæ, in pabulum cedant igni deuoranti; atq; adeò *intereant*; hoc eſt *eſſentiam deperdant aquarum*, dum in ignem vertuntur: *Oppreſſis*; ideſt *ſubactis aquis*, dum nimio calore ſuperata earum frigiditas omninò expellitur, & conſumitur, qua deperdita ipſa aquarum eſſentia pereat neceſſe eſt; & ſiccitate prædominante, ex introductione eiuſdem caloris, humidum illud pingue vnctuoſum &c. quod ſolum remanet, ex admixtione ſulphuris, ac bituminis, magis ad deſtructionem iam conferat aquarum, quæ ideò iam non amplius aquæ, ſed ignes ſunt. Idcircò *oppreſſæ* dicuntur *igneſcere*; quaſi inuitâ earum naturâ, per vim apertam ſuperioris agentis, ignem induant, & intereant.

ET PONDERA LIBRAT. *Pondus* propriè eſt *grauitas rei ponderoſæ*: quarè ponitur hic abſtractum pro concreto, nempè *pondus* pro *re ponderoſa*, ſeù *grauitas* pro *re graui*; ponitur etiam genus pro ſpecie, nempè *Pondus* in genere pro ſaxis ponderoſis, ſeù pro ſcopulis à monte diuulſis, quos ſupra dixerat, ab ignis impetu euibrari.

Librare autem idem eſt, ac *euibrare*; ſci: *maxima aliquid vi iacere*, & *contorquere*. Ideò *librat pondera*; quia ignis violentia ſummo ea impetu rotat, & contorquet.

Si totam hanc Ætnæ deſcriptionem, eiuſdemque montis prodigiorum, apparatum, & cauſas cuperes lirico metro italicis demandatam muſis, conſule Marinum equitem, qui hanc ad vnguem proſequitur in ſuo illo opuſculo, quod inſcribitur *La Sampogna* Idilio 5. vbi & ipſe raptum deſcribit Proſerpinæ; cum enim opus celebre ſit, & nulli vt arbitror ignotum, non hic putaui apponendum, vt ſatius breuitati conſulerem. Curioſus auctorem adeat. Noſque aliquid ad mores pertinens obiter deliberemus.

Sicuti ſuperiùs dicebamus Enceladum damnati ſpeciem referre; ita Ætnam imaginem dicere poſſumus Inferorum, vbi ſcilicet damnati, à calore nimio ad frigus nimium tranſitum facere, coguntur, ne vlla ibi deſit pœna, vllum abſit tormentum. Seruat igitur, & ibi glacies ſidem ignis, ſed in perniciem Enceladi damnati.

Verùm quia hæc conſideranda ſunt, vt ſedulò eniteris,

Ætna ipſe nobis erit documentum, edocens, quam accuratè pericula euitanda ſint, ne in illis pereamus, vt in præcedenti moralitate iam dictum. Nemini igitur, docet Ætna, fidendum de ſua virtute adeò vt ſibi ſuadeat, fore vt illæſus, innocens perſeueret, ſontibus contiguus, vel admixtus; prodigioſum enim cum ſit, Ætnæ ignem fidem niuibus ſeruare contiguus, ita prodigioſum, & ſupra naturæ vires eſt, tangentem picem ab ea non inquinari; quarè in ſacris litteris, vt prodigia enumerantur Loth in ſodomiticis ciuitatibus inſons, cui ideò ignis fidem ſeruauerit; Iob in terra Hus; Abraham in regione Caldæorum, qui ſcilicet niuem innocentiæ inter peccantium ardores intactam ſeruauerint; de quibus profectò, & de vnoquoq; illorum dici poteſt; *rara auis in terris*. Ætnæos igitur apices ſolo cognoſcere viſù, non aditù tentare licet. Sulphureis euaporationibus infectos cognoſcere quidem licet, ſed à longè, vt fugiamus, non vt accedamus, nam veluti à facie colubri, peccatum, & peccandi occaſiones fugiendæ ſunt. Pars huius montis inferior viret, pars verò ſuperior gelida, & igni perpetuo adijciatur; vera peccatoris hyppocritæ effigies, qui inferiorem partem exornant floribus ſanctitatis; nam extenuant faciem ſuam, vt videantur hominibus ieiunantes; demiſſo incedunt vultu, vt humiles appareant; proximis accurrunt in ſpeciem Charitatis; ſed pars ſuperior, nempè anima perpetua rigeſcit glacie, dum à Deo alienata quærit quæ ſua ſunt, non quæ Dei ſunt; ideò obdureſcit, ne charitatem in proximos exerceat ſine lucro, ne cedant ipſi, vt humiles, ſed aliorum faſtum maiore conculcent faſtu; ne ieiunent corpore, ſed anima; dum ſecretis luxibus indulgentes, in omnia pronos vitia, cibo virtutum animam defraudant, dumq; alijs immiſcentur, omnes teterrimo ſuo fermento fermentare conantur. Ætnæos hos apices ſolo cognoſcere viſu, non aditu tentare licet; vt egregiè docuit ſumma æterni veritas verbi: *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis; nam veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. Veh igitur Empedocli, ſummam per imprudentiam, ad huiuſmodi Ætnæos apices accedenti; nam glacies iſta Animarum contracta perpetuis adijcietur incendijs, & quidem inconſumptibiliter, vt æternum tormenta rotentur. Damno ſuo Ætna nutrit incendia; damno ſuo rotat ſaxa &c. Ita Infernus, & Inferno non minùs peccator concepta Inferorum nutrit incendia, & ſaxeum cor in Coelum ipſum, damno vtique ſuo, euibrat, & contorquet. Terræ motibus Ætna concutitur, & aſſiduis tremoribus concutiatur peccator, propriorum conſcius malefactorum, neceſſe eſt. Aquas maris amaras cauernæ ingurgitant montis, atq; in ignem vertunt torquentem; Bibunt peccatores iniquitatem, ſicut aquam, quæ tandem in ignem tartareum, æternis torquentem poenis, conuertitur. Attendamus igitur ab hoc peccantium fermento, quod totam, cui adijcitur maſſam corrumpit; nam Ætnæos apices ſolo cognoſcere viſu, non aditû tentare licet. Aſt interim, ne nimis huic fermento adhæreamus, diuerſione vſi poeticâ Italicam, ad Pindum reuocantem, Muſam proſequamur.

Dell'infuocato monte alpeſtri i gioghi
Può ben l'occhio varcar, varcar la mente;
E rintracciar de ſotterranei sfoghi
L'horrido effetto, ad hor, ad hor, creſcente:
Ma, che d'iui inoltrarſi il piè s'arroghi,
Non ſia chi penſi. Allo ſpiraglio ardente
L'accoſtarſi non lice; e, ſe già ſcorto
Empedocle vi fù, reſtouui abſorto.
Nella parte inferior frondeggia, e ſcherza
Con lo ſpirto vital ſelua vezzoſa;
E, mentre lieue il crin Zefiro sferza
Par di ſmeraldi vna marema ondoſa:
Mà, doue il fuoco al duro gel s'interza,
Sembra vna Stige in tormentar faſtoſa;
Si che, giaccio al mirar, fugge l'horrore
Dell'alta vetta ogn'arriſchiato cuore.
Hor d'incendij pregnante, ed incapace,
Sgraua, ſcopiando, i conceputi ardori;
E per l'aperte foci, ampia fornace,
Scaglia, il Sole à ferir, gl'ardenti humori:
Cuopre à nero vapor la diurna face,
Ranuolge l'aria in tenebroſi horrori:
Tal che, trà 'l fuoco, e 'l fumo il dì ſommerſo,
Tutto in Etna direſti il Ciel conuerſo.
Hor, d'immenſo fragor ruotando i bombi,
Sfida le nubi ad eguagliarne il tuono:
Ne, in tal sforzo, già mai magici rhombi
Teſſalo mago attorcigliar fù buono;
Come, al ſcopiar de bellici rimbombi,
Le ſtelle ad atterrir, s'inalza il ſuono.
Sempre il monte fremendo arde, s'infiamma;
E le viſcere ſue paſcon la fiamma.
Pur, ſe ben di ſouuerchio vn mar fumante
D'incendi accoglie; e ſcintillante auuampa
La profonda voragine tuonante,
Serba fede alle neui amica vampa,
Ne ſtrugge il gel, che, della coſta amante,
A gl'orli intorno i ſuoi rigori accampa;
Anzi creſce il candor, l'algor s'indura,
Quanto più creſce la bollente arſura.
Nulla pauenta, alle gran fiamme à fronte,
Dal natiuo ſuo gel reſa ſicura,
La neue intatta, e non ſi ſtilla in fonte,
Nulla rallenta di ſua fiamma oſcura
L'infiammato vapor figlio del monte,
Cui dal giaccio il calor ſi raſſicura.
Innocente la neue i fuochi abbraccia;
E le brine l'ardor vezzeggia, e baccia.
Qual violenza s'aggiri entro que' vuoti
Cauernoſi receſſi, e n'apra il varco;
Qual machina mural ſconuolga, e ruoti
De ſconuolti macigni il grane incarco;
O da quai fonti, in quell'abiſſo ignoti,
Sgorghi di fiamme vn'immortal rimarco;
Chi più cerca ſcoprir, più ſi confonde;
Tanto Natura i gran ſecreti aſconde.
O' ſian, ſotterra, i ragruppati venti,
Da tenace prigion chiuſi, e riſtretti,
Libero il volo al procacciarſi intenti,
Ogni ſua furia ad agitare aſtretti,
Ch', alla fuga anhelando, aure frementi
Spirin, ruotando entr' a' marmorei tetti,
E, perch' à vuoto il ſuo deſir non cada
Cerchin, trà ſaſſo, e ſaſſo, aprir la ſtrada.
Quindi ſia poi, che, ritrouando i fiati
Picciol ſpiraglio, alle ſortite aperto;
E sforzando l'obliquo, ond' i meati
Serpeggian chinſi, al valicar sù l'erto,
Paſſino impetuoſi, e rinforzati
Crollino il monte, alle gran ſcoſſe incerto;
E, fatti eſſi del fuoco eſca, e focile,
Vibri ſcogli, ed ardor l'impeto hoſtile.
O' ſia, ch'il mar per le ſulfuree vene
Paſſi dell'Etna, e le cauerne ingombri;
Ond', à ſpirti fuocoſi impreſſo, auuiene,
Che dell'humido ſuo tutto ſi ſgombri,
Sin che, oppreſſe Vulcan l'ondoſe ſcene,
Del monte in ſen nouella Dite adombri,
Dal cui cieco furor l'immenſe moli
S'auuentin poſcia, ad atterrire i Poli.
Certi gl'effetti ſon; mà le cagioni
Non ſon gl'Edippi à ſuiluppar baſtanti:
Certe del monte ſon le fiamme, e i tuoni,
L'arietar delle machine volanti:
Mà gl'ordigni, le fonti, in que' burroni

Spiritus vetus eſt, & Zephyrus græcè ζωοφόρος idest vitã ferens.

Rhombus eſt inſtrumentum, quo vtebantur ad decendam Lunã, teſtis Silic. contexto

Giace

Glaccion ſepolte; e non ſia alcun che vanti
D'infallibil principio aprirne il vero,
Se non vanti eguagliar l'autor primiero.

Ideò his nos etiam omiſſis, quorum ad nos deciſio non pertinet, intermiſſam iam iterum reſumamus.

Hic vbi ſeruandum mater fidiſſima pignus
Addidit, ad Phrygios tendit ſecura Penates,
Turrigeramq; petit Cybelem ſinuoſa draconum
Membra regens, volucri qui peruia nubila tractu
Signant, & placidis humectant fræna venenis.
Frontem Criſta tegit: pingunt maculoſa virentes
Terga notæ: rutilum ſquammis intermicat aurum.
Nunc ſpiris Zephyros tranant: nunc arua volatu
Inferiore ſecant: cano rota puluere labens
Sulcatam fæcundat humum: flaueſcit ariſtis
Orbita: ſurgentes condunt veſtigia fruges:
Veſtit iter comitata ſeges. Iam linquitur Ætna,
Totaque decreſcit refugo Trinacria viſu.

HIC VBI SERVANDVM &c. Peracta totius Siciliæ, ac præcipuarum eiuſdem partium graphica deſcriptione, vt inde apertum fieret, quam meritò hanc inſulam prælegerit Ceres, vt in ea filiam Proſerpinam ab inſidijs Procorum tutaretur; indicat iam Poeta hic executioni mandatum, quod Dea iam mente conceperat, Proſerpinam ſcilicet ibi tamquam in ſacrario collocatam; ac tantam loci fiduciam animo Cereris inſediſſe oſtendit, vt, tutam ſatis in genio loci filiam, etiam ſi ſine matris cuſtodia remaneret, arbitrata, illinc ſe diuertere poſſe, & ad complexum Cybelis, Cereris vtique Genitricis, aduolare, non dubitauerit. Data autem hic occaſione, diſceſſum Cereris e Sicilia, modum itineris, ac præcipuè currum eius, draconeſq; deſcribit, & ab effectibus iter ipſum exornantibus amplificat.

HIC VBI &c. Hic aduerbium loci demonſtratiuum, ac ſtatui in loco deſeruiens eſt: quarè idem fuit dicere: *hic*: ac dicere: in hoc loco, quem latè deſcripſimus; in hac Siciliæ Inſula, quam delineauimus.

VBI. Aduerb. temporis eſt, idem ſignificans, ac *poſtquam*, Sic apud Virgilium ſæpiùs habetur: *Hæc vbi dicta dedit &c.* Aptè autem, cum de diſceſſu Cereris acturus ſit, notat Poeta tempus diſceſſionis, vt dignoſcamus prouidam non minus, quam piam matrem priùs filiæ conſulere, quam ſibi indulgere. Ideò & Ceres priùs filiam in tutum, vt ipſa exiſtimabat, ſecernit locum, & *poſtquam* filiæ ſic conſuluiſſet inuiſendæ Cybelis indulget proprio, quod conceperat, deſiderio. Pariter aptiſſime locum deſignauit, ne iniurioſa Ceres videretur curam natæ, negligere, dum non antea ſeceſſerit, quam illa eo in loco poſita fuiſſet, quem tutum etiam ab inuaſionibus & Phœbi, & Martis arbitrata fuerat mater ingenio confiſa loci. Ideò *Hic vbi*

MATER. Ideſt Ceres, quæ Proſerpinam genuerat, & cui ſe matrem verè oſtentabat, dum eiuſdem incolumitati, ac virginei eiuſdem floris conſeruationi, tota animi intenſione conſuleret. Aptiſſimè igitur hic, non *Ceres*, ſed *Mater* dicitur, quia veram ſe eſſe matrem oſtentabat, Matris verè perſonam gerebat, impenſè adeò Natæ curam gerens.

FIDISSIMA. Superlatiuum eſt à poſitiuo *Fidus*, quod idem eſt, ac *fidelis*, & *cui in omnibus ſummè fidendum*, quippè qui integerrimam alicui exhibeat, ac ſeruet fidem. Fædus, quo Matris fides natis addicitur, fæcialis Natura ipſa ſanciuit; cum autem Ceres diuinam, hoc eſt perfectiſſimam ſortita eſſet naturam, conſequens erat, vt perfectiſſimè etiam fidelis Natæ eſſe deberet: & quia mater extitit, non Nouerca; & quia amore feruens eximio oſtenditur, cuius effectus fides eſt, appoſitè fidiſſima nuncupatur, natura, ac conditionibus ſpectatis.

ABDIDIT PIGNVS. *Abdere* idem eſt, ac *abſcondere*, & *occultare*, verbum ſcilicet compoſitum ex *Ab*, & *Do*; ita vt *abdere ſe* ſit, quaſi ab alicuius conſpectu ſe in fugam dare, vt latebris occultemur. Ab inuiſo Procorum aſpectu filiam eripuerat Ceres. Inſulam, ſegregatam à Mundo partem, delegerat in hoſpitium, & quidem eam inſulam, quæ inſignis profligatæ violentiæ monimentis, abſterrere videretur ab ingreſſu violentiſſimum quemq; alieni iuris vſurpatorem. Ideò *Abdidit*. Adde quod, ex communi modo loquendi, frequens in vſu eſt; dum dicimus, ſe aliquem abdidiſſe, cum ad remotiſſimas regiones, nobiſque ob diſtantiam ferè ignotas, ſeceſſerit. Et quidem qui adeò latêre auet, vt nulla eius notitia in patriam remeet, remotiſſimas non ſolum regiones deligit, ſed vt plurimum neglectas, infimas, humileſq; caſas, ac magalia exquirit. Remotiſſima à Cœlo Sicilia erat; vilis, humilis, neglecta, ſi cum reliqua totios orbis terrarum magnitudine, ne dum cum vaſta Cœlorum amplitudine, comparetur; nam ſi totus terrarum orbis vix punctum eſt reſpectu ſphęrarum, vt cecinit in perſona Hugonis Hetruſcorum Princeps Poetarum Hieroſol. lib. Cant. 4. his verbis:

Quant' è vil la cagion, ch' alla virtude
Humana è colà giù premio, e contraſto:
In che picciolo cerchio, e frà che nude
Solitudini è ſtretto il voſtro faſto!
Lei, com' Iſola, il mare intorno chiude;
E lui, ch'hor Ocean chiamate, hor Vaſto,
Nulla, eguale à tai nomi, hà in ſe di magno;
Mà gl'è baſſa palude, e breue ſtagno.
Così l'vn diſſe, e l'altro in giuſo i lumi
Volſe, quaſi ſdegnoſo, e ne ſorriſe;
Che vidde, vn punto ſol, mar, terre, e fiumi,
Che quà paion diſtinte in tante guiſe &c.

ſi inquam, totus terrarum orbis punctum eſt, circumferentiæ ſphærarum comparatus; quid fuerit Sicilia, quæ vix huius puncti punctum eſt? Vilis; neglecta profectò fuerit, & ne digna quidem vt Cœlorum oculo perluſtretur; Ideò *hic abdedit pignus*. Inſuper Siciliæ oras Numina, à quibus Filiæ Ceres timebat, videri poterant, non ſolum refugere, ſed etiam ab earum aſpectu ſummopere auerti, ne Gigantum ibi erectis monimentis Cœlicolorum fugæ impreſſum cernerent opprobrium. Ideò itaq; *abdedit*, quia in inuiſa ſuperis regione collocauerat.

PIGNVS. Pignoris nomine filiam intelligi ſatis patet ex dictis hoc ipſo lib. in explicatione ad Carm.

Implacidas nullo ſolabor pignore curas!

Sed peculiari quadam ratione hic Proſerpina pignoris nomine deſignatur *Pignus* itaque, ideſt, quod inter duos cauſa contentionum cum ſit, ſequeſtro ponitur, vt victoris fiat. Certabant pro Virgine, vt vidimus, Mars & Phœbus, ideò rectè Proſerpina *pignus* dicitur, dum ſequeſtro ponitur in oris Siciliæ, donec victori cedat, ſi in Fatis fuerit vt alteri legitimè nubat, Adde fœminam, quippe creatam in adiutorium viri, ita natam videri, vt viro debita ſit, niſi ipſi nupſerit Creatori: Matri ergo tantum, vt pignus ſeruandum, tradita videtur, creditori reddenda; ideò egregiè à Poeta pignoris nomine Proſerpina nubilis denotatur. Verum quia hoc pignus incerto creditori reddi non debet, ſeruandum ſemper à Matre fuit, donec illi conſtaret quinam legitimi creditoris locum, ex Fatorum obtineat decreto, ne cogeretur vnicuiq; obuio filiam committere. Ideò Ceres, muneris non immemor ſui, cum Proci de illa altercarentur, & vis timeretur filiæ inferenda; Hic abdidit pignus

SERVANDVM. Seruare idem eſt, ac *cuſtodire*, *tueri*, *defendere*, vt videre eſt ex Virg. Æn. 2.

Dij patrij ſeruate domum, ſeruate Nepotem &c.

& in hoc eodem ſenſu vſurpatur hic; nam pignus, tot inter ſe decertantium ſtudijs expetitum cuſtodiendum erat, ne raperetur. *Seruare* etiam idem eſt, ac *liberare*, ſeù *incolumem reddere*; cum in hoc ſenſu videamus hoc verbum vſurpatum à Virg. Æn. 3.

Seruatum ex vndis Strophadum me littora primum
Accipiunt &c.

Seruandum igitur Pignus Cereris, dicit, quia filiam Mater in Siciliam abduxerat, vt ibi redderetur libera ab inſidijs Procorum, & incolumis eiuſdem virginitas permaneret. Denique *ſeruare* idem interdum eſt, ac *poſſidere*, ſeù ſibi poſſeſſionem alicuius rei integram retinere, vt ex Virg. Georg. 4.

Oceano libemus ait ſimul ipſa precatur
Oceanumq; Patrem rerum, Nymphaſq; ſorores,
Centum, quæ ſyluas, centum, quæ flumina ſeruant.

cariſſimi igitur pignoris poſſeſſionem, quam Ceres obtinuerat, ſibi integram tueri exoptabat, ac verita ne ſpoliaretur, vim inferentibus Procis, Pignus abdidit *ſeruandum ſibi;*

ſer-

ſeruandum intactum, & immunem à periculo defloratiouis; ſeruandum à vi, quam ab ijs ſuam exoptantibus metuebat.

TENDIT SECVRA &c. Officio erga Proſerpinam Matris perfuncta Ceres, ſe etiam filiam eſſe, non oblita, ad officium erga Cybelem matrem conuertitur. Ideò, filiæ rebus in tuto, vt rebatur, compoſitis, iter ad Cybelem arripit, vt filiale Matri præbeat obſequium, ac eumdem ſibi adhibeat ſolatium.

SECVRA. Securus eſt, vt antea dicebamus, qui, in periculo poſitus, nil tamen metuit; ac perindè ſe habet, ac ſi extra periculum verſaretur. *Secura* igitur Ceres, quia, licet Proſerpinam ſuam inſidis Laribus commiſiſſet alendam, cæca tamen futuri, tamquam filiæ rebus tutiſſima in ſtatione compoſitis, omnem periculi metum, immo & ſuſpicionem depoſuerat illam, quam de raptu; in Cœlis degens, conceperat.

TENDIT. *Tendere* idem hoc loco ſignificat, ac *iter inſtituere*, & *proficiſci*. In qua ſignificatione eodem vtitur verbo Virg. Æn. 1.

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium &c.

tendit itaq; Ceres, ideſt *iter arripit*, nil minus metuens, quam futurum vt, ea abſente, filia raperetur; ideò *tendit ſecura*

AD PENATES PHRYGIOS. *Ad* præpoſitio eſt accuſatiuo caſui deſeruiens, cuius proprius eſt vſus, cum motus ad aliquem locum ſignificatur, vt certè hic; nam ſignat Vates terminum ad quem iter Cereris deſtinatur, qui terminus ſub nomine Penatum Phrygiorum exprimitur, vt ex ſequentibus clarè patebit.

PENATES. Vbi Lucina ſuum munus, de quo iam diximus in explicatione ad anteactum Carm.

. . . . . . *Nec trebuit ſobolem Lucina ſecundam.*

expleuiſſet; ſtatim Penates Dij natos ſuſcipiebant infantes, vt fuit antiquorum opinio; Quarè Penates dicebantur, quaſi *penes quos nati* ſeruarentur infantes. Fuerunt igitur, qui putauerint, Penates Deos illos eſſe, per quos ſpiramus, per quos viuimus, per quos Solem intuemur. Verum hæc opinio potius explicat, quodnam fuerit eorum munus, quam quinam nominatim fuerint Penates Dij. Dionyſius itaque, vt refert Pier. Val. lib. Hierogl. 42. ait Penates duos, eſſe adoleſcentes, militari habitu ſedentes, ac ſpicula geſtantes manibus; hocq; ex antiquis impreſſionibus, ſeù ſculpturis patère, quibus hæc addebatur inſcriptio DII PENATES. Adhùc tamen in ambiguo laboramus. Quarè Nigidius duos hos Penates Apollinem, ac Neptunum eſſe arbitratus eſt; & quidem congruenter ad munus ipſorum, de qua ſupra; nam in Apolline calor, & ſiccitas; in Neptuno humor, & frigus ineſſe, intelligitur; quæ profectò noſtræ compoſitionis, ac conſeruationis principia eſſe perhibentur; ideòq; huiuſmodi Penates vocati etiam fuère *magni Dij*; vt patet ex Maroniano carmine Æn. 3.

Cum ſocijs, Natoque, Penatibus, & magnis Dijs.

vbi adnotant eruditiſſimi commentatores, particulam *&* non eſſe ibi copulatiuam, ſed explicatiuam pro *hoc eſt* poſitam. Hoc tamen ipſum anſam alijs dedit dicendi, Penates eſſe Iouem, & Iunonem, magnos vtiq; Deos, cum Iupiter Rex & Pater hominum, Deorumq; dicatur; Iuno autem Regina incedat, Tonantis vtiq; & Soror, & Coniux. Horum autem cum præcipuum munus ſit mortales iuuare, eòs meritò Penates fuiſſe appellandos à Penu, dictitarunt; eſt enim *Penus* omne id, quo homines, vt vitam protrahant, veſcuntur. Alij, numerum augentes, Ioui, ac Iunoni Mineruam, ac Veſtam addidere inter Penates recenſendas; Mineruam quidem, quia hæc, vtpotè è cerebro Iouis progenita, vis diuinæ videretur eſſe intelligentiæ, ſine qua nil proſperum nobis poſſit accidere: Veſtam autem, ex eo quod obſeruatum ſit, Penatibus ſacrificia nunquam fieri, quin iiſdem veſtalia ſacra immiſcerentur. Quid autem Veſta ſit, notiſſimum arbitror; verum ex Ouid.

Nec tu aliud Veſtam; quam viuam intellige flammam.

Qui tamen aſſerunt Penates Apollinem eſſe, ac Neptunum, videntur ſectati primam horum Deorum cultus originem; nam in Samothracia certè maximo in honore fuerunt Apollo, & Neptunus, qui ibi ſculpti colebantur, & inde a Dardano exportati tandem dicuntur; quod non leue ſuppeditat fundamentum dicendi eos Penates eſſe; nam de Penatibus hæc habet Pier. cit. *Pallantis filiam legimus, cum Dardano in Arcadia nuberet, Dotis nomine, munera Palladis attuliſſe, ſcutum quippè breue Cœlo delapſum, quod Palladium appellarunt, &, cum huiuſmodi ſcuto, Magnorum Deorum ſimulacra; Orta autem ſeditione in Peloponneſo, Dardanum inde cum vxore, & magna Arcadum manu, vertiſſe ſolum, & in Samothraciam nauigaſſe, vbi dotalibus muneribus templum erexit; quibus occultas inſtituit ceremonias, vt ſacra ea ſepararet à vulgi cognitione.* Hæc Pier. ex quibus habes, imagines magnorum Deorum, qui certè Penates ſunt, primò filiæ Pallantis traditas dono Palladis, ſubindè in Samothraciam delatas, ibiq; peculiari cultu condecoratas. Sed præcipuus Samothraciæ cultus, vt dicebamus, in Apollinem confertur, & Neptunum; ergò dicendum videtur, *hos Penates* eſſe illos, qui a Dardano in Samothraciam fuerint deportati; Ideò dixi opinionem huiuſmodi in cultu, ac veneratione talium Deorum fundatam procedere. His porrò Penatibus cum ſacra ex vino fierent, ac thure, flores humi ſpargebantur, & eorum templa in ſubterraneis, vt plurimum, ſpecubus adſtruebantur, iuxta ritum ab ipſo Dardano, in Samothracia, primò inſtitutum. Hos Deos ſubindè ſecum in Aſiam tranſuexit Dardanus; atq; hinc ab Ilo, cum Ilium ædificaſſet eo aduecti dicuntur; ex Incendio tandem Troiano ereptos Æneas ſecum detulit in Italiam, ac Lauinij poſuit: Sed inde iterum Aſcanius in ſuam Albam tranſduxit. Verum aiunt, ſequenti nocte, Penates nullo ferente, Lauinium rediſſe. Iidem demum Romam tranſlati, cum vrbem approbaſſent, nunquam abierunt; ſed in ſubterraneo ibi ſpecu, in templi modum conformato, commorati ſunt. Et, quia, vt vidimus, nunquam ſine Veſta illis ſacrificabatur, ad ſpecum ſimul, & Veſtam alludens Virg. Æn. 2. Hectorem inducit Æneæ Penates commendantem ſic:

Sacra, ſuoſq; tibi commendat Troia Penates.
Hos cape Fatorum comites; his mœnia quære,
Magna pererrato ſtatues quæ deniq; Ponto.
Sic ait: & manibus Vittas, Veſtamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Alij (& quidem aptius, vt arbitror, ſpectata Antiquorum ſuperſtitione, Deos in infinitum fere multiplicante) aſſeruerunt, certum horum deorum numerum præfiniri, non poſſe; cum crediderint, non modo ſingulas Ciuitates, ſed etiam ſingulas domos, ſingulos homines; immò ſingula animalia, plantas, virgulta, fontes &c. certos ac peculiares Deos, qui Penates vniuſcuiuſq; eſſent, habuiſſe, &, qui ideò Dij familiares, Patrij, ac domeſtici dicerentur; ex quo factum eſt, vt Penates ponantur etiam pro ſede ipſa, domo, ac loco habitationis eorum, quorum Penates appellantur; poſitis ſcilicet pro re poſſeſſa poſſeſſoribus Dijs, vt certè hoc loco Claud. *Penates* poſuit pro ipſa domo, vel templo in quo Cybeles colebatur; & ad quod Cereris iter dirigebatur. Nec enim aſſentior Parrhaſio dicenti mentionem hic Penatum fieri, eo quod Cybeles in eorum numero eſſet; fallit namq; argumentum, quo ipſe vtitur ad probandum aſſertum, & eſt huiuſmodi. Penates ſunt Magni Dij: Cybeles eſt Magna Dea, cum *magna mater* dicatur, ergo vna ex Penatibus; fallit inquam argumentum, nam eſto Magni ſint Dij Penates; vnde habet Parrhaſius quod omnes magni Dij ſint Penates? Certè omnis homo eſt animal; ſed non omne animal eſt homo. Quare bene ſtare poteſt quod Penates ſint Dij magni, quod Cybeles ſit magna Dea; tamen non ſit vna ex Penatibus, eo quod non omnis magnus Deus ſit inter Penates recenſendus. Et profectò qui Penates dicunt eſſe Apollinem tantum, & Neptunum, eos adhuc magnos Deos appellant, & tamen non concedunt Iouem, qui certè Magnus Deus eſt, inter Penates enumerari, quod apertè indicat latius patere nomen Magni Dei, quam nomen Penatum. Maneat igitur *Penates* hic pro templo Cybelis poſitos ad quod tenderet Ceres. *Penates* autem dixit

PHRYGIOS; vt, peculiari hac nota, Cybelis templum, ad quod Ceres tenderet, a quocumq; alio diſtingueret; nam, licet Cybeles, quæ nomen a Cybelo Phrygiæ monte deduxerit, apud Phryges præcipuè coleretur; non tamen in ſola Phrygia colebatur: ideò vt ſciremus quod Cybelis templum peteret ſpeciatim Ceres, particulam appoſuit *Phrygios*, nomen a Phrygia deriuatum. Porrò Phrygia Regio minoris eſt Aſiæ, Cariæ, Lydiæ, Myſiæ, ac Bithyniæ finitima adeò, & connexa, vt illius à reliquarum finibus confinia, ſicuti & cœterarum inter ſe fines difficulter diſtinguantur. Quare ſæpe, quod vni conuenit, alteri, vel omnibus promiſcuè attribuitur, quaſi in vnicam coirent regionem. Hinc eſt, vt in Phrygia dicatur reperiri Lydius lapis, in quem Battus Paſtor, qui vidit Apollinem boues alterius abigentem, & in ſyluis occultantem, eiq; promiſit iuratus, ſe de hoc furto ſilentium ſeruaturum; eo quod mox furtum reuelauerit, conuerſus dicitur ab Ouid. Metam. 2., irâ offenſi

Apol-

Apollinis pœnas repente; ita vt nunc etiam ſeruet prodendi ritum, dum indicat, num aurum perfectæ ſit, an imperfectæ qualitatis, quarè & Lapis index dicitur, vulgò *Pietra Paragone*; & tamen certè Lydius à Lydia dicitur. In Phrygia igitur Cybelus, & Ida montes ſunt præcipui; fluuij verò Tmolus, ac Pactolus, quorum poſtremum auro fluere, iam ſatis abunde decantatum eſt. In hac regione præcipuè floruit Cybeles cultus, vt dicebamus, ideò hanc petit Ceres.

TVRRIGERAMQVE PETIT CYBELEM. Ne crederetur Ceres in Phrygiam pergere, vt Deos Penates ipſos, de quibus ſupra diximus, veneraretur, hæ particulæ adduntur, vt ſciamus, eo Cererem pergere, vt Matris conſortio, ſolatioq; perfruatur.

ET PETIT. Particula *&* expoſitiua erit, hoc etiam loco, non copulatiua. Quarè ſenſus erit: *Tendit ad Phrygios Penates*; hoc eſt

PETIT CYBELEM. Peto autem interdum ponitur pro *appeto*, quod idem eſt, ac *cupio, exopto, deſidero*. Quarè Virg. Georg. 4., & Æn. 8. ait:

Pulchramq; petunt per vulnera mortem.

interdum, ac ſæpè pro verbo *proficiſcor* vſurpatur: Sic Virg. Æn. 3. inquit:

Contorſit læuas proram Palinurus ad vndas;
Læuam cuncta cohors remis, ventiſq; petiuit.

Vtrumq; ſenſum complectitur Vates noſter hic; oſtendit enim Cererem deſideraſſe complexum magnæ Matris, & hoc deſiderio correptam inſtituiſſe ſimul, & peregiſſe inſtitutum iter; ita vt vota & præcederent, & comitarentur Cererem euntem. Ideò *petit*, hoc eſt *auida pergit*, ſeù *deſiderij ſtimulis acta proficiſcitur*. Cybeles Deorum omnium mater effingitur. Ratio eſt, quia, hanc eſſe elementorum omnium naturam, voluerunt; & ideò vxor Saturni credita eſt, quoniam, in mutationibus elementorum, *Saturnus*, nempè *Tempus*, adeſſe neceſſario, & coniungi debet: cum autem Dij ipſi *veris elementorum eſſe* crediti fuerint; hinc factum, vt Saturnus pater, Cybele verò mater deorum omnium dicantur. Et porrò cum Cybeles ex antiquorum opinionibus *terra* ſit, quæ omnium corporum naturalium vinculum, & fundamentum ab iiſdem antiquis credebatur; circa quam frequentiores fierent mutationes, ac procreationes, & quidem non ſine temporis admixtione; ex effectibus certè, quos, e terra ortos, contemplabantur, deuenere tandem antiqui in Deorum cognitionem. Quarè Cybeles, ſeù terra mater Deorum dicitur, quia ex ea, beneficio temporis, nati videntur in hominum cognitione, qui, per eam, *Deos eſſe* cognouerunt, &, quaſi apud humanum genus recenter natos, coluerunt; nec enim nobis eſſe videtur, quod non cognoſcimus eſſe; & tunc illud acquirit eſſe intentionale, cum in intentione oritur, per cognitionem. Sed quidquid ſit de hoc, quod parum pertinet ad inſtitutum, niſi in quantum valeat inferri: eſt Mater omnium Deorum: ergò & Cereris; inquirendum hic in particulari, quomodo Cybeles mater Cereris à nobis dicta fuerit paulò ante, qui in ſuperioribus dixerimus Cererem Opis filiam fuiſſe, & Saturni, in explicatione ad Carm. *Quid Cererem magnamq; &c.* Pro quo ſcieris, Cybelem varijs appellatam fuiſſe nominibus; dicta enim hæc eſt *Berecynthea* à monte Phrygiæ, qui *Berecynthus* appellatur: *Idæa*, à monte Ida, item Phrygio: *Peſsinuntia* à Peſſinunte Phrygiæ Emporio &c. iuxta Apulei ſententiam eadem Dea fuit *Cybeles, Bellona, & Iſis*: Eamdem *Rheam* dictam, teſtatur Suidas; & hæc primum *Opis*, & *terra* dicta fuit, eo quod Dea telluris dicta ſit. Hanc autem curru vehi effinxerunt Poetæ, eo quia cum illam *terram* eſſe affirmarent, terra in aere pendens rotis ſuſtineri videatur; ſiue eo quia, iuxta Copernicum, terra ſemper rotatur, & voluitur; ita enim Copernicus Mundi ſiſtema conſtituebat, vt terra aſſidua circumuolutione circa Solem verteretur, ex quo fieri dicebat, vt nobis videatur Sol moueri, & rotari circa terram, cum nos ipſi ſimus, qui cum terra rotamur, dum Sol immobilis perſeuerat: hoc autem nobis accidere dicebat eodem modo, ac Prænauigantibus accidit, quibus ripæ fluminum recedere videantur, cum ipſi ſint, qui, ripis immotis, procedunt. Hanc nos ſententiam falſam omninò oſtendimus in noſtris lib. de Coelo, vbi etiam Sacris eam contrariam eſſe Scripturis oſtendebamus, ex quibus habetur apertè: *Terra autem in æternum ſtat*. Quare in ea hic refellenda non immoror. Verum, cum antiquis illis Gentium temporibus nullum vera fides lumen præferret; immò etiam in multis naturalibus cæcutirent, nil mirum ſi aliqui ſententiam Copernicanam approbarent, promulgarent, atq; vt certam edocerent; præcipuè ſi de Poetis loquamur, quibus omnia licere videbantur: & quorum inuentum fuit, vt Cybeles curru circumferretur, immò & *Cybeles à rotando* diceretur, quaſi deducto nomine ex Græco *κυβιστᾶν*, quod latinè ſignificat *in caput ſaltare*, quod idem tandem eſt, ac *rotari*, vt patet conſideranti; & quam vocem adaptauit Homerus Sacerdotibus Cybelis, qui caput rotantes, ſaltanteſque, illi, in ſacrificijs, accinebant. Cum itaque apud Antiquos, Cybeles *terra* eſſet: *Opis* eadem dicta, eo quod terræ ope vita hominum ſuſtentetur; immò & hoc ipſa etiam *Mater Deorum* dicta, quia Gentiles olim, pecudum more viuentes, arbitrabantur, Deos omnes ſuos fuiſſe priùs homines in terra, & ex terra ortos, qui ſubindè ob egregia facinora ab illis exantlata in Coelum tranſlati fuerint, & in Deorum album relati; vt poſtea, etiam de Anchiſe, hanc eamdem opinionem apud Troianos inualuiſſe, indicat Virg. Æn. 5. & alibi: ac de Cæſare Auguſto eamdem effert opinionem Horatius; quod ſcilicet in Deos tranſmigrauerint. Sed ne & nos, vanas iſtas in diuinitatem tranſmigrationes ſectando, mentis vertigines experiamur, reuertamur ad terram, quæ non immeritò ex relata ratione *Opis* ab *opibus* dicebatur, & *ops*; cum eadem Rhea dicta ſit *ἀπὸ τοῦ ῥέω*, quod eſt *fluo*, eo quod terra ſit affluens rerum omnium. Quarè Cybeles, quæ & *opis*, & Rheæ nomine compellatur, iure, à Leonibus vehi, dicitur; non quia montana Dea ſit, vt dicebat Suidas; ſed quia Leo animal ſolare eſt; terra autem vi Solis fæcunda efficitur, & io fructus adducitur. Ex his habes, cur, licet alibi dixerimus, Cererem Opis, ac Saturni filiam eſſe, nil hìc diſſonum dicatur, cum filiam Cybelis dicimus: Et quidem potiori iure *Terra*, quæ *Cybeles*, & *Ops* eſt, Cereris conſtituitur Mater; cum Ceres pro ipſis Cerealibus frugibus ſæpè ſæpiùs ponatur, ſeù, vt alibi diximus, ſit ipſa ſatorum, vis, ac radicum, quæ certè ex terra progignitur, & in lucem editur. Ad hanc igitur matrem Ceres, relicta Proſerpina, quam *ſegetem* à ſemine, vel radice ortam, alibi, eſſe, diximus *Siculis in oris*; quia, vt oſtendimus, præcipuæ Cereris diuitiæ Siculis horreis maximè clauduntur: Ad hanc, inquam, Matrem Ceres deſiderio anhelat, & tendit vltro; nam vis ſeminalis niſi hac Matre, nempè terrâ, foueretur, breui rueret in interitum. Atq; hoc dictum ſit, vt noueris, Poetam non abs re effinxiſſe, Cererem innato deſiderio ad Matrem trahi, & tendere, dum dixit:

Tendit ad Phrygios penates, & petit Cybelem.

TVRRIGERAM. Effinxerunt Antiqui Cybelis ſtatuam turribus redimitam, quia, cum terra ſit, certè turribus, vrbibus, Mauſolæis &c. coronatur: ideò *Turrigera*, quaſi *turres gerens*, dicitur. Quod ſi hæc omnia, quæ diximus, velles ex alicuius Poetæ auctoritate roborata accipe ex Lucretio lib. de rerum natura 2. apud Barth. cit.

Hanc, veteres Graium docti cecinere Poetæ,
Sedibus in curru biiugos agitare Leones,
Aeris in ſpatio, magnam pendere, docentes,
Tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere terram.
Adiunxere feras, quod, quamuis effera Proles,
Officijs debet molliri victa parentum:
Muraliq; caput ſummum cinxere coronâ;
Eximijs munita locis quod ſuſtinet vrbes,
Quo nunc inſigni, per magnas dedita terras,
Horrificè fertur diuinæ Matris imago.

SINVOSA DRACONVM MEMBRA REGENS &c. Aliàs, currum Cereris Draconibus vehi ſolitum, edocuimus ex Ouid. Metam. 5. cuius etiam carmina adnotauimus in explicatione ad Carm. *Angues Triptolemo ſtridunt &c.* Verum, cur Draconibus vectam Cererem effinxerint Poetæ, nondum ſatis explicuimus. Scio equidem, iuxta Zezis Heſiodum interpretantis ſententiam, Cereris Dracones ea ſignificaſſe volumina, quæ Triptolemus de agricultura conſcripſerit; cum teſte Pier. lib. Hierogl. 16. ſerpentis nomine ſcripta, lucubrationeſq; fuerint ab antiquis nuncupatæ. Verum, re attentiùs conſiderata, non ſatis huic ſententiæ acquieſco; nam, ſi Cereris ſerpentes ea eſſent volumina, iam ea Ceres à Triptolemo, non Triptolemus à Cerere recipere debuiſſet; quod tamen falſum omninò eſſe patet ex cit. Ouid., qui, currum anguibus vectum à Cerere Triptolemo traditum, aſſeuerat: ergò habuit Dracones Ceres antequam Triptolemus de Agricultura ſcripſiſſet volumina; nam per priùs edoctus fuit à Cerere, atq; ab eadem curru ſuo inſignitus, quam alijs præcepta colendorum agrorum demandauerit. Poſſet tamen Zezis ſententia ad rectum fortaſſe ſenſum deduci, ſi, videlicet, diceremus, eum, per Dracones, ſeù ſerpentes Cereris, non intellexiſſe ipſa volumina formalia, quæ Triptolemus ſcripſerit, ſed ea poſuiſſe, vt, ex con-

fe-

ſequentibus Antecedentia intelligentes, colligeremus præcepta à Cerere Triptolemo data; quæ virtualia eſſent volumina, ideòq; ſerpentium, ſeù Draconum ſymbolo deſignata. Sed nondum ſatis video, quomodo, quæ *virtute* tantum volumina ſunt, hoc eſt tantum *in potentia*, actualia volumina, ſeù volumina in actu, ſub nomine ſerpentium, actu rotas trahentium, dicantur. Liceat itaq; hanc alterius cauſam indagare. Expedit ſe breuiter ex hac quæſtione Natalis Com. lib. Mythol. 5. dum ait: *Dicta eſt Ceres in curru à Draconibus tractis vehi, propter obliquitatem ſigniferi circuli, quem, dum Sol ſub eo percurrit, non ſolum ſemina ſemine è terra, ſed etiam ad maturitatem perducit.* Videtur huic expoſitioni fauere Lucretius apud Pier. lib. Hierogl. 14., dum, Solem ſerpere, dicit, vt annum ſtruat, ideòq; Solem ipſum ſerpentem vocat his verbis:

Annua Sol in quo concludit tempora ſerpens.

Verum hæc ſententia Lumen quidem habet, ſed non adæquatum; veritatem attingit ex parte, ſed non adæquat; nam vnicum tantum aſſignat Draconem, ſeù ſerpentem, cum Ceres Draconibus, non Dracone vnico vehi dicatur. Quarè vlteriùs adhùc, & ſolertiori cura indagandum. Scias igitur Cererem, iuxta Poetæ noſtri contextum, deſiderio Cybelis in Phrygiam tendere, ac Cybelem terram eſſe, vt fusè oſtendimus ſupra. Hoc autem prænotato, prudentiſſimam adeas Ægyptiorum ſapientiam; & in ipſius penetralibus, inter cœtera eruditiſſimæ ſuppellectilis Hieroglyphica, ſerpentem inuenies erectum in totius Mundi machinæ Hieroglyphicum, & quidem illum virentibus inſignem maculis, vt adamuſſim deſcribit hìc Claudianus Cereris Dracones: *Quorum maculoſa virentes pingunt terga notæ &c.* vt inferiùs videbimus. Hoc poſito, non ommittenda ſunt, quæ de figura anguis, Mundum ipſum mira ſimilitudine referentis, Veteres Phyloſophi, quaſi ludentes, conſcripſere, ipſam rerum ſpeciem vniuerſam, non temere, oculis ſubijcientes, vt notat Pier. cit. lib. 14. Siquidem, per ipſos, ſerpens *corpore*, quo grauiſſimus eſt, *terram* repreſentat, quæ ponderibus librata ſuis ob inſitam grauitatem, in centrum decidit vndequaque. Hoc, primum, Dracone vehitur Ceres, nempè *terra*, cuius deſiderio mouetur Cybelem petens, quæ terra eſt, vt vidimus. Inſuper Lubricîſſimum animal ſerpens eſt, ac tortuosè incedens, quo motu, ac qualitate *aquarum molem* exprimit; dum corporis motu pandos, ac repandos vndarum flexus imitatur; ideòq; fabularum ſcriptores *Draconem* Heſperidum cuſtodem dixerunt *Europum* illum, qui inſulam circumagens obuallabat: ſic etiam tortuoſis flexibus ſerpens *amnes* exprimit, quos ſpiras circum terrarum orbem replicare, inſtar anguium Socrates ait. Ceres igitur, quæ vis eſt ſeminalis, indiget fluentis, vt earum humore erumpat in fructus; ideò hoc ſecundo Dracone vehitur, vt orbem frugibus expleat. Denique, per Draconum Sibila, aereos exprimi ſpiritus; per ſquammas rutilantes, ſtellarum varietatem, quæ ignes ſupremo micant in orbe, ac Cereri deſeruiunt, in frugibus è terra educendis, interpretantur. Ideòq; Draconibus Ceres vehitur. Iam verò aliam etiam breuiter cauſam referamus, cur frugifero hæc Dea Draconibus vehi dicatur: ad quam faciliùs enodandam, meminerís Cererem *Opis*, ideſt *Terræ*, & *Saturni*, hoc eſt *temporis* filiam eſſe. Quomodo, & cur Draconibus vehatur, ex, quod Opis filia ſit, iam vidimus; videndum autem nunc eſt, num ex parte Patris idem exigatur, nempe num vehi Draconibus debeat, eo quod filia Saturni ſit. Redeas igitur iam ad Ægyptiorum Hieroglyphica; atq; ea inter inuenies ſerpentem caudam ſuam ſub guttur attrahentem, occultantemq; in dextera Saturni manu collocatum, vt intelligamus, eum pro annuo circuitu, pro tempore, pro ætate poſitum. Quod in cauſa fuit, vt Virg. Georgicorum 2. ad ſerpentem huiuſmodi reſpiciens dixerit:

Redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe, ſua per veſtigia, voluitur annus.

Quod verò ſerpens temporis ſignum eſſet, cauſam hanc ſubijcit Cyrillus, quod nempe in longitudinem porrigitur, & multis complicatur ſpiris, quæ ſunt multæ dierum, menſium, annorumque ſeries; & tacitè proſerpit nullo edito ſtrepitu, & prolabitur. Quarè Poeta non incelebris apud Pier. cit. inquit:

Labitur occultè, fallitq; volubilis ætas.

Porrò tempus iuxta curſum Solis, ac Lunæ diſtinguitur in noctes, dies, horas &c. ac certum eſt *Cererem*, hoc eſt *virtutem ſeminalem* tempore deduci, ſine quo in fructum prodire nequeat. Solem verò Ianum etiam fuiſſe dictum teſtatur idem Pier. lib. 14., & Ianum dictum eſſe a circuitu annuo, cum Sol perpetuis circumuolutionibus circumferatur. Ex hoc ipſo enim factum, vt ſerpens in Hieroglyph. Solis erigeretur. Lunam pariter Ianam dictam ob eamdem rationem reperio; & eius motum certè *ſpiralem eſſe* periti omnes fatentur; quarè & ipſa ſerpentis ſymbolo deſignatur. Cum itaq; Sol, & Luna temporum diſtinguant variationes; & eorum influxibus maximè indigeat Ceres, idest ſeminum vis, vt educatur in fruges, iure optimo Draconibus, ſeù ſerpentibus hiſce vecta Ceres deſcribitur. Claudianus igitur, Cereris iter ad Cybelem proſecuturus, modumq; quo iter perficiat deſcribere ad ortus, eam in curru poſitam, ac draconibus vectam deſcribit, dum ait:

REGENS MEMBRA SINVOSA DRACONVM. Regere enim idem eſt, ac *moderari*, ſeù *dirigere*, ac *rectum in terminibus tenere, ne deuium aberret quod regitur*. Sic Auriga regere loris equos dicitur, dum eos recto continet in tramite, & eorum dirigit iter. Quarè & Ceres propriiſſimè hic dicitur *regens membra*. Membrum propriè caro illa eſt, quæ artus circumtegit, vndè membrana ſubindè dicitur ſuperior membrorum pars extima, nempè pellis, qua caro circumligatur. Accipiuntur tamen *membra* pro integris corporis partibus, vt certè hoc loco vſurpantur, vt ex ipſis partibus totum regi corpus intelligamus; *Sinuoſa* autem dicuntur hæc membra, quia, cum Dracones, & ſerpentes tortuosè ſemper incedant, plures arcus, flexis, ac reflexis corporum partibus, videntur efformare: curuationes autem illæ, quæ inter cornua repreſentatorum arcuum, ideſt, inter diſtantias partium prominentium, intro recedunt, *ſinus* dicuntur, vt nos in ſimili explicuimus de Sinibus maris in Præfatione ad hunc lib. Ideò *ſinuoſa*, ideſt, *varijs inflexionibus, ac tortuoſitatibus, plures ſinus referentia membra Draconum*. Iam diximus, fabulis Poetarum conſtare, currum Cereris à Draconibus trahi; vidimus quarè hoc commenti ſint, & quinam Cereris Dracones fuerint; Ideò non immoror.

QVI SIGNANT &c. Dixerat Dracones vehendæ Cereri deſeruire: nunc verò, ne arbitraremur, viliſſimis terræ animantibus nobiliſſimam Dearum vti, notas adijcit, quibus Cereris Dracones ab omni ſerpentium, ac reptilium vilitate ſecernat; & Cœleſti Deitati Cœleſtes, fere dixerim Dracones attribuat; cum & in ipſis ſphœris Draconem ſtellis ſuſpiceret exculptum, ſciretq; aligeros tantum Dracones eſſe Cereri aptos. Et quoniam, per Dracones, terræ, & aquæ elementa diximus repreſentari, eos, quibus Ceres veheretur, non terreos omninò, aut aqueos innuere voluit; ſed aereos, hoc eſt aereum ſpatium peragrantes, quaſi innueret, eos terreis, & aqueis exhalationibus efformatos facile per aereos tractus diuagari, & per hoc a grauioribus ſeparari reptilibus.

QVI relatiuum eſt rei antecedentis memoriam inducens, ac ideò Dracones Cereris in mentem reuocans.

SIGNANT. *Signare eſt impreſſa res ſignantes veſtigia relinquere* Sic Virg. Georg. 3.

Iunge pares, & coge gradum conferre iuuencos
Atq; illos iam ſaxò rota ducantur inanes
Per terram: & ſummo veſtigia puluere ſignent.

Quarè hic ex ſigno res colligenda; nam ex eo, quod aer ſignetur, intelligitur Draconum iter, quorum veſtigia aeri imprimuntur: ideo idem hic erit dicere *ſignant nubila*; ac dicere: *iter inter nubila ducunt, ac peragunt*. *Signant*

TRACTV. Tractus dicuntur *circulares*, ſeù, meliùs dixerim, *arcuati ſerpentium progreſſus* a traho, quia ſcilicet ſerpentes trahere potiùs corpus, quam deportare videntur. Sic Virg. Æn. 2.

Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

ideò & Dracones Cereris *Tractu* (ſexto caſu modum importante) aptiſſimè à Poeta noſtro dicuntur ſignare: & quidem *tractu volucri*, hoc eſt volanti, nam aligeri Cereris Dracones effingebantur vt ſupra.

NVBILA. Vapores in altum vi Solis eleuati *nubila*, ſeù *nubes* ſunt. Sed vapores iſti aqueis potiùs, quam terreis euaporationibus condenſantur. Immò aliqui voluerunt, aquam in aerem facilè conuerti, ita vt nubes nil aliud ſint, quam aer huiuſmodi ex aqua efformatus, & qui poſtea condenſatus in aquam iterum vertatur, ac decidat in pluuias. Quarè ſi *nubes* non aerem dixeris, ſed vapores aqueam naturam retinentes, poſitum hic erit *contentum pro continente*, nempè *nubila pro regione aeris*, in qua nubila ſunt. Si verò Nubila dicantur eſſe aer condenſatus, poſita erunt nubila tamquam ſignum illius regionis aereæ, in qua nubes efformantur. Sed Nota, quam mirè exprimat hic Poeta agilitatem, ac velocitatem Draconum Cereris rotas trahentium;

Non enim dixit: *Sudant nubes; tranant nubila; premunt aerem*: ſed *ſignant*: quod eſt leui adeò curſu nubes attingere, vt vix itineris appareant ſigna. Videor profectò hic mihi fulguris effectum delineatum videre, quod, ſerpentis opido in morem, dum per nubes velociſſimè dilabitur, leue adeò euolat, vt, licet igneis tractibus nubila ſignet, nemo tamen poſſit ſubindè dicere hic fulgur fuit, hac pertranſijt, cum veſtigia nuſquam fulguris appareant. Conſimili autem modo videtur mihi eruditiſſimus Braccyol. lib. de Cruce 30. delineare voluiſse agilitatem, & curſum velociſſimum Batram in ſubſidium Herintæ peruolantis, licet Leoninæ velocitatis exemplo, adumbrauit, cum dixit:

Così Leon che rimorò dall'alto
La leoneſſa ſua cruda, e ſuperba,
De ben cento moleſti al fiero aſſalto,
Ruotar le branche à far ſanguigna l'herba,
Rauedo ſe ne vien di ſalto in ſalto,
Nè veſtigio del piè l'arena ſerba.

Sicq; & expreſſam video à Poeta agilitatem, ac velocitatem draconum Cereris vnico illo verbo quo dixit: *Nubila ſignat* PERVIA. Immutat hic lectionem Parrhaſ. & legit:

Membra regens volucri per auia nubila tractu &c.

explicans autem huiuſmodi lectionem ſuam, mox ſubdit: *Per nubila, idest per aerem, quem vocat auium, non quod impermeus, & inacceſſus ſit aer, ſed vbi trita ſemita nuſquam extat; nam neque pedum, neque rotarum ſigna impreſſa retinet.* Non diſplicet explicatio, quæ ea ipſa, quæ nos ſupra diximus confirmat, nempè ſignari quidem nubila tractu celeri, ſed ſigna, eo ipſo quod fiunt euaneſcere, ita vt dici ex ſigno non poſſit. *Hic fuit, hac tranſijt currus.* Sed lectio nequaquam placet: nam ſi cum Parrhaſio legamus iſte procul dubio erit ordo verborum: *Petit Ceres Cybelem, regens per auia nubila, ſinuoſa membra Draconum.* Aſt verbum ſubſequens *ſignant* quoſnam caſus habebit? Eadem, dices, membra ſignant auia nubila, per quæ volucri permeant tractu. Optimè. Sed nonne vides, quanta circumlocutione opus ſit, vt vnicus conceptus exprimatur. Certè igitur lectio noſtra clariori methodo procedit, pleno carminis decoro aſſurgit, atque non ſine myſterio dicta fiunt, vt iam vidimus, quarè vulgatam iure amplector, & explico. *Peruium* itaq; dicitur id, *per quod iri poteſt*: & denuò *Peruium* idem eſt, ac *penetrabile*, ſeù *permeabile*. Si in hoc ſecundo ſenſu ſumatur, facilis eſt intelligentia; nam certè tranabilis eſt aer, vt experimento patet volantium. Sed tunc ſuperfluum videretur additamentum *Peruia*; nam eo ipſo, quod aer eſt, *peruius eſt*, cum certè non ſit corpus ſolidum, & impenetrabile, ſed cedens locum, aquarum mare non ſolum, ſed faciliùs etiam, cum ſubtilior, rarior, ac tenuior ſit aer. Si verò *Peruius* ſumatur in prima ſignificatione, videtur iure, & neceſſario appoſitum adiectiuum illud; nam quis credat reptilia, auium vias proſequi poſſe? Ideò inquit *Nubila peruia*, non reptilibus, quibuſcumque, ſed Cereris Cereris tantum Draconibus *peruia* ex rationibus iam ſuprapoſitis. Ego ſenſum vtrumq; dixerim à Poeta comprehenſum.

ET HVMECTANT FRÆNA &c. Frænatos eſſe Dracones, qui currum vehere iam dicti ſint, proculdubio neceſſe eſt: quare, ne hoc, quod omnibus obuium videtur, deſcriberet, quaſi ſuperfluè excurrens, ita præterit, vt non omittat; nam ex conſequenti, quod hic ponit, neceſſariò reſultat antecedens; humectare enim fræna non potuerant, qui non habuiſſent. Porrò *Et* particula copulatiua eſt, quæ motum Draconum copulat cum reiectatione ſpumarum, & quidem meritò; nam ſpuma fœx quædam, & excrementum eſt, quod, per ebullitionem, ſeù per vehementem agitationem, ſecernitur ab humoribus, iiſq; ſupernatat, & ab animali reiectatur, tamquam naturæ purgamentum. Cum igitur Poeta volantes, & velociſſimo volantes motu, Cereris Dracones indicaſſet; & cum ſit motus cauſa caloris; nil mirum, ſi, ex concepto per motum calore, ebullientes intrinſecus vitales ſpiritus, ac vehementi illa agitatione magis, magiſq; efferueſcentes ſpumam excrementitiam a cæteris purioribus corporum humoribus ſecernerent, atq; ad ora tranſmitterent reiectandam. Adde, ſpumas ex ore profluentes indicium eſſe generoſitatis, ac viuacitatis in equo, & in illo denotare affluentiam, & ebullitionem aſſiduam ſpirituum igneorum ſpumas ſegregantium, ac reijcientium. Hæc autem prædictorum affluentia ſpirituum efficit, vt ſonipes ſtare loco neſciat; ſit in laboribus aſſiduis, in curſum profuſus, in certaminibus imperterritus &c. quæ omnes optimi equi qualitates habentem reddunt conſpicuum. Cum igitur loquatur hic Poeta de Draconibus equorum vices iugum ſubeuntibus, nil mirum, ſi à ſimili bonas eorum qualitates, nempè viuacitatem, generoſitatem, laboris tolerantiam, curſus celeritatem &c. ex ſpumis indicare voluerit, imitatus in diſpari Virgilium, qui regium Didonis equum deſcribens Æn. 4. ait.

Stat ſonipes, & fræna ferox ſpumantia mandit.

Verum, ne, temere, & pro libito, putes, ſpumam Draconibus appoſitam, memineris, propriam immò ſerpentium ſpumam eſſe, ac præcipuè eorum ſerpentium, qui ob ætatem, & vaſtitatem corporis dracones nuncupantur; nam, cum iſti frigidis abundent humoribus, & quidem maximè fœculentis, qui ab igneis ſpiritibus, quibus itidem affluunt, vt patet ex eo, quod ignem ex oculis ſpirare videntur, agitati depurgantur, eorumq; fœces ad ora tranſmittuntur. Agnouerunt hanc ſpirituum copiam, quibus exuberantes ſpumant dracones Ægyptij, atq; vt talis exuberantiæ æternum poſteris relinquerent monimentum, angues totos compactos ſpiritibus effinxerunt, cum eos in hieroglyphicum ſtatuerunt ſpiritus illius, qui per vniuerſam Mundi molem difflatur, & qui, iuxta ſententiam Anaxagoræ, Mens, ſeù anima Mundi cenſebatur: ex quo poſtea vim habuit Virgilianum illud Æneid. 6.

Principio Cælum, & terras, campoſq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Cum igitur Mundi molem per ſerpentem ſignificari, iam viderimus, ſerpentem ipſum ſpiritibus molem agitantibus refertum eſſe, procul dubio neceſſe eſt; ac dum ſpiritus illius, qui orbem totum informare dicitur hieroglyphicum eſt, totus oportet ſerpens ipſe ſpiritus adſit. Quarè iure meritò ex vi ſpirituum dicuntur à Poeta Dracones ſpumas modo explicato reiectare, quibus

HVMECTANT. Humectare eſt humidum reddere, & madefacere, quod Dracones aſſequebantur ſpumis profluentibus: ideò *humectant*: de quo verbo fuſiùs habebis lib. 2. ad Carm.

Dum meus humectat flauentes Lucifer agros.

FRÆNA. Frænum inſtrumentum eſt, quo equi coercentur, ſic dictum à frangendo, eo quod ora frangat equorum, dum coercet, ſi contumaces exiſtant. Hinc factum vt ſymbolum ſeruitutis frænum ſit; & frænum accipere dicatur quiſquis alterius addicitur ſeruituti: quarè & huiuſmodi dracones frænis impoſitis ſubijci, ac regi deſcribuntur, dum Cereris currum veherent Dominæ deſeruientes.

PLACIDIS VENENIS. Draconum ſpuma, vt vel rudioribus patet, venenum eſt. Quarè idem fuit dicere: *humectant venenis*, ac dicere *humectant ſpumis ſuis*, vt nos ſupra exponebamus. Quia tamen incongruum fuiſſet, beneficentiſſimæ Deæ Dracones venena effundere nocentia, mortemq; circumferentia; ideò, ne in hanc opinionem quis incautus incideret, addidit Poeta Epitetum *Placidis*; quaſi diceret: Humectant Dracones fræna ſpumis, quæ, quia Draconum ſunt, venena ſunt; ſed aduerte, hæc venena noxia non eſſe, ſed innoxia; ideò *Placidis*. Sed quomodo, ſubmurmurabit fortaſſis hic venenorum diuerſitatis ignarus, quomodo venenum erit, & innoxium? Nonne venena mortem inferunt? Sed, antequam ſubmurmures, perpendas, tyrios quoq; colores *venena* dici, vt patet ex Virg. Georg. 2. vbi bona negatiua ruſticalis vitæ recenſens, ait fœlices ruſticos eſſe, quia illis.

Alba neq; Aſſyrio fucatur lana veneno

ex hoc enim intelliges, quam optimè Caius Iureconſultus de verb. ſignif. dixerit: *Qui venenum dicit adijcere debet, vtrum bonum, an malum.* Ratio autem veriſſimi huius pronunciati eſt, quia nomen hoc *venenum* medium eſt, & tam in bonam, quam in malam partem accipi poteſt: ideò Græci eodem nomine *φάρμακον*, & venenum, & medicamentum appellant. Verum quidem eſt, *venenum* ſimpliciter prolatum in malam accipi partem: ſed hoc ipſum in cauſa fuit, vt Poeta, ne errandi anſa daretur, dum poſuit fræna draconum Cereris *humectata venenis*, ambiguitatem tollere ſtudens adiecerit *Placidis*, quod idem eſt, ac *ſedatis, pacificis, quietis*; vocabulo ſcilicet deducto à verbo placeo; nam, quæ ſedata, quieta, ac pacifica ſunt, omnibus placent. Immò vlteriùs Poetæ ſenſus extenditur, qui per nomen *placidis* idem dicere voluit, ac *beneficis inferentibus*; nam, quæ benefica ſunt, ea certè, & maximè placent. Ita igitur draconum venena, rores fuiſſe oſtendit benignos, quibus terra turgeſcens frugiferos in fœtus erumperet, vt patet ex ſubſequenti contextu, vbi notat ex his natas fruges, productas ſegetes &c.

FRONTEM CRISTA TEGIT &c. Deſcriptionem Draconum, data hic, interſerit, occaſione; ac primum Criſtatos indicat, vt ſcias ab adiunctis deſumi deſcriptionem; & vt ex hoc ſigno noueris, hos eſſe Dracones Triptolemo poſtea conceſſos, & de quibus initio huius lib. dixerit: *Angues Triptolemi ſtrident &c.* Quid Criſta ſit, ibi diximus, eamq; in ſerpentibus inſigne quoddam capitis coronamentum eſſe indicauimus, quidquid in contrarium dixerit ibidem Plinius. Hic itaq; magis explicite hoc ipſum declaratur, dum latam adeò criſtam draconum Cereris deſcribit Vates, vt frontem circumeat tegens, quod idem eſt, ac dicere, eam in coronæ morem fronti circumdatam fuiſſe. Iure autem coronati Cereris Dracones deſcribuntur; nam, cum beneficis ſpumis, ſeù venenis orbem totum locupletarent modo dicto, iure coronantur in Reges, cum Regis proprium ſit in bonum ſemper ſubditorum vigilantem adeſſe, prout ſomnus ipſe, apud Homerum, Neſtoris perſonam indutus Agamemnoni inculcat, cuius Græcam ſententiam Pier. lib. 15. exponit ſic.

Non decet ignauum tota producere ſomnum
Nocte virum, ſub conſilio, ſub Numine cuius
Tot populi degunt, cui rerum cura, fideſq;
Credita ſummarum . . . . . .

Ideò Dracones, natura ſua ſumme vigiles, theſaurorum cuſtodes inſtituebantur, & ideò Cereri tribuuntur, quæ nunquam non inſomnis eſſe debet, vt germina vegetet: quæ totius orbis alimenta egerit, præparat, ac diſponit Regina vere benefica; ac conſequenter regio dracones animo præditi, vitalia, ac benefica euomentes venena merito coronantur in regiæ ſignum liberalitatis. Ideò *Criſta*

TEGIT FRONTEM. Tegit, inquam, hoc eſt circumagit, cingit, & redimiculo exornat. Frons autem ea pars eſt capitis, quæ à dextera, & a ſiniſtra temporibus; a ſuperiori capillorum radice; ab inferiori verò parte ſupercilijs terminatur. Ponitur autem hic pro toto capite, & meritò; quia frons dicitur a ferendo, eo quod indicia animi præ ſe ferat, atque adeò tunc maximè digna, quæ & coronam ferat, cum præ ſe fert indicia animi ſemper in bonum publicum propenſi, vt certè horum frons draconum præ ſe ferebat, dum de facto placida venena, hoc eſt fertiles in bonum publicum ſuccos effunderent.

NOTÆ VIRENTES &c. Deſcripto draconum capite coronato reliqui corporis deſcriptionem proſequitur, virentibus maculis, auro intermicante, diſtincti, ita vt ſumma pulchritudine decorati dracones iſti animum potiùs allicerent intuentium, quam terrerent.

NOTÆ. *Nota* deductum à verbo *noſco* nomen eſt: quarè *nota* nil aliud eſt, quam *ſignum*, inſigne, veſtigium rei alicuius, & præcipuè ſi de naturalibus notis, ſeù maculis loquamur, vt certè hic: nam notæ huiuſmodi *veſtigia* propriè ſunt, ex quibus natura viuentis deprehenditur, & dignoſcitur: ſic ex lineis in manu exaratis animi inclinationes, ac paſſiones ſe dignoſcere iactitant Chiromantici; ex lineis frontis, ac totius vultus, corporiſque habitu, Phyſiognomici &c. Notas igitur, ideſt externa ſigna, atq; indicia habitudinis internæ Cereris geſtant dracones, vt ex ipſo aſpectu quales eſſent intuentibus innoteſcerent. Ideò *Notæ* hic memorantur, & quidem

VIRENTES. Nam *virens*, quod à verbo *vireo* eſt, ethimologiam trahere aliqui volunt à vigore, eo quod nunquam æquè vigeant plantæ, ac quando vireſcunt; ideòq; per tranſlationem *virens*, & *viride* pro florenti, ac *vigore pradito*, accipitur. Sic Virg. Æn. 6.

Iam ſenior; ſed cruda Deo, viridiſq; ſenectus.

Virentes igitur notæ, ſeù maculæ Cereris draconibus impreſſæ, eos florentes, ac vigore plenos oſtentant, vt Animalia orbem totum fœcundantia placidis venenis prorſus eſſe decebat. Inſuper alludit Vates ad ſuprapoſitum Mundi, per ſerpentem, hieroglyphicum: cum enim Mundus inferior terra mariq; conſtet, viridibus maculis interſectus apparet terrarum globus, mari, ac fluminibus, perlucido colore interſecantibus.

PINGVNT. Pingere eſt *formam alicuius rei ductis penicillo lineis repræſentare*. Cum autem dixerimus notas huiuſmodi extrinſecas naturales indicia eſſe qualitatis internæ, nil mirum ſi forma externa pictura quædam dicatur, qua repræſentetur interna forma: ideò *virentes notæ pingunt*; ideſt quaſi pictura ſunt repræſentans internas Draconum qualitates, vigorem nimirum &c. Inſuper *Pingere* pro eodem ſumitur, ac *exornare*. *Pingere* igitur dicuntur *notæ*, vt intelligamus illas non ad horrorem compoſitas; ſed potiùs ad ornamentum, ad venuſtatem corporis illorum impreſſas extitiſſe.

TERGA. Tergum pars ea corporis eſt, quæ à collo per ſpinam dorſalem protenditur, & ex vtràq; ſpinæ eiuſdem parte dilatatur, quæ etiam *dorſum* dicitur. Ponitur autem hæc pars pro toto corpore; & quidem peculiari ratione, cum naturam ſequatur Poeta; videmus enim ſerpentes ita à natura efformatos, vt ventrem vel nullo modo maculatum, vel rarioribus, ac leuioribus diſtinctum maculis habeant, in oppoſita autem parte ſuperiori denſiores, viuaciores, ac perennes oſtentant macularum varietates. Adde quod ſerpentes in ventrem gradiuntur; quare Dorſi tantum maculas viſibiles præbent. Ideò & hic *pingunt terga*, licet totum corpus in aere ſuſpenſum cerneretur, ex quo facilè deducitur poſita hic pro toto corpore *terga*, vt mox dicebamus.

RVTILVM SQVAMMIS INTERMICAT AVRVM. Deſcriptis Draconibus iſtis, ſecundùm id, per quod Globum Mundi inferiorem repreſentant, & cuius hieroglyphicum eſſe ſtatuuntur; eoſdem deſcribit iam, quatenus ſuperioris Mundi, hoc eſt Cœleſtis, ſymbolum eſſe poſitos iam vidimus. Ideò ſquammas ilis aureas apponit, vt ſtellarum in illis varietas, vt ſupra dicebamus, eluceat. Ex quo videris quantum Ægyptiacis Hieroglyph. adhæreat Vates.

RVTILVM. Rutilus color, græcè *πυῤῥὸς*, color eſt ex flauo rubeſcens cum quadam ſplendoris exuberantia; qui quidem color maximè conuenit auro obrizo, ideſt puro, ſæpiùſq; per ignem repurgato. Vt igitur ſquammarum nitorem Poeta oſtendat, in illis ait emicare rutilum

AVRVM. Pretioſiſſimum omnium metallorum eſt aurum, ab aura, hoc eſt à ſplendore, dictum; ſeù à græco *αὐρὸς* quod diuitem, & potentem ſignificat, nam diuites, & potentes facit. Ideò & ex auro conflatas ſtellas dictitant Poetæ, quia ſcilicet aureo rutilant ſplendore, &, terras influxibus locupletantes, homines ditant, ac potentes efficiunt. Pari paſſu aureas hic draconum ſquammas decantat Vates, rutilum ſtellarum fulgorem imitantes; quia & ipſæ, ſtellarum in morem, & rutilent, & fœcundos terræ influxus diſtribuant eſpumantens. Ne credas tamen Poetam verè aſſeruiſſe ſquammas illas ex auro confectas, vel auro reali contectas; neque enim in viuentium dorſo metalla vegetantur, & efflorescunt: ſed *aurum* poſuit pro *auro ſplendore*, cauſam ſcilicet pro effectu: & quidem hyperbolicè hyperboles locum habet, vbi de rebus agitur ad Deitatem, iuxta fabulas loquendo, ſpectantibus.

INTERMICAT. Verbum compoſitum ex *inter*, & *mico*; vt ſignificetur aurum ſquammarum micare inter maculas illas virentes de quibus ſupra. Micare autem eſt *interpoſitis moralis fulgorem crebrare*, Ita vt, quod micat, identidem ſcintillet, identidem fulgores ſupprimere videatur. In quo egregiè exprimit Auctor fulgorem in motu elicitum; nam quæ ex ſe fulgent, ſecundum variam radiorum ſolis recepti refractionem, modo in ignes accendi, modo langueſcere cernuntur; quod in tanto draconum motu non euenire non potuit.

SQVAMMIS. Excrementa quædam ſunt ſquammæ, ex draconum cute prodeuntia, eidemq; adhæreſcentia, quaſi radices in illa fixas habeant: & fixas de facto habere dictitarent, qui aſſerunt pilos, vngues &c. propriâ informari animâ vegetatiuâ diſtinctâ ab anima totius, &, quaſi virgulta ex ſolo, eoſdem ex animalis corpore ſuccreſcere. Prodeant ergò ſquammæ in modum lati quidem, atque, vt plurimum rotundi, ac tenuiſſimi oſſis; ſed nihilominus tanta interdum duritiæ præditi, vt ferro quamtumuis acuminato reſiſtant, non ſolum, ſed & exceptam hebetent aciem. Piſces, ac maiores ſerpentes, fere omnes, hiſce ſquammis contextos videre facilè eſt; ideò non addo.

NVNC SPIRIS &c. Poſitâ ante oculos formâ, ac pulchritudine, ſeù ſpecie draconum, quibus Cereris vehitur currus, varios iam eorumdem itineris flexus graphice deſcribit, ita vt oculis eoſdem per hypponpoſim ſubijciat.

NVNC. Hanc particulam explicuimus ad Carm. *Nunc vetant indigenas nimbos &c.* quare illùc remitto.

TRANANT. Tranare propriè eſt idem, ac *natando traijcere*, verbum ſcilicet compoſitum a *Trans*, & *Nato*; tranſlatiuè tamen ponitur etiam pro *tranſuolare*, eo quod ſimili modo, quo ad motum, videantur ſe habere Piſces in aqua, & volucres in aere, ex qua permutata proportione tranſlatio oritur. Vtriuſq; autem acceptionis exempla habemus apud Virg., & quidem in propria ſignificatione apud ipſum Æn. 6. leges:

Ve

Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.
Translatiuæ verò exemplum extat Æn. 4.

Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila &c.

atq; in hoc eodem vltimo ſenſu vſurpatur à Poeta hic, vt ex contextu patet, cum de volantibus diſſerat draconibus.

ZEPHYROS. Zephyrus ventus eſt ab occaſu æquinoctiali leniter ſpirans, vt apud Ouid. apud quem tamen non lenis, ſed furens deſcribitur:

Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.

apud latinos Fauonius dicitur à fauendo, apud Græcos verò ζωήφορος, hoc eſt vitam ferens, eo quod ea, quæ ad vitam conferunt, ferat, dum eo turgentes plantæ, ac ſegetes educuntur in fructus; vel quia vitales afflet ſpiritus, cum vegetabilia omnia ex ipſo vitam recipere videantur, dum ipſo afflante virorem induunt, flores, fructuſq; parturiunt &c. cumq; ſine eo langueſcere omnia, ac pene arida, & demortua appareant. Numero hic plurali, loco ſingularis vtitur autem Vates, vt intelligamus, hunc ab eo ventum, pro vniuerſa ventorum multiplicitatem, vſurpatum, atq; vt ex his ventorum regionem, hoc eſt regionem aeris notatam dignoſcamus. Verum vt exactiùs percipere poſſis, quid ſit à draconibus Cereris Zephyros tranari, & quorſum nam (per has particulas, hucuſque ad litteram explicatas) iter eorum feratur, dum ſurſum per regionem aeris aſcendunt.

Aduerte, Aerem à Phyloſophis communiter diuidi in tres regiones, ſeù ſphœras, quarum vna *Suprema* dicitur, in qua fiunt corpora Metheorologica, quæ Cometæ, Trabes, Capræ ſaltantes, Sydera cadentia, Flammæ accenſæ, &c. huiuſmodi, quæ diuerſis etiam nominibus appellantur. Altera dicitur *Media*, in qua fiunt coruſcationes, ſeù fulgura, tonitrua, fulmina, nubes, nix, pluuia, Iris &c. Tertia demq; *Infima* eſt, in qua fiunt rores, pruinæ, grandines venti &c. Cereris igitur Dracones Zephyros tranare dicuntur, quia interdum infimam aeris regionem audaci volatu tranſiliunt, ſeſe in altum eleuantes, altioriq; itinere euecti ſuſpiciuntur, vt innuant, ſe, igneis compactos ſpiritibus, non poſſe, quin totis viribus ad ſphœram propius aduolent, vt inde nouam attrahant virtutem, qua ſubindè deſcendentes placida venena latiùs diffundant: Sicque, Cœlorum influxus neceſſariò ad fœcunditatem terræ requiri, apertè declarent, ſeque emiſſarios fuiſſe, qui aſcendentes arriperent, ad deſcendentes ad terram eorundem influxuum munera comportarent. Ideò *nunc Zephyros tranant*

SPIRIS. Spiræ ſunt reuolutiones, ſeù circuli in ſe ipſos non recurrentes, ideòq; *Spiræ* hic dicuntur lineæ illæ flexuoſæ, quibus tortuoſi tramites à draconum itineribus delineantur, dum celeres progrediuntur.

NVNC. Particula eſt alterum disiuncti membrum ſpecialiter, notans deſcenſum ſcilicet poſt iam datum aſcenſum; pro qua vide quid in ſimili dix. ad cit. Carmen: *Nunc vomis &c.*

INFERIORE VOLATV. Inferior nomen comparatiuum eſt à poſitiuo *Inferus* efformatum; quarè, cum de ſignificatione *inferi*, & *ſuperi* egerimus in explicatione ad Carm. primum huius lib. ſatis hic erit adnotare, fieri hic comparationem inter altiorem volatum, & depreſſiorem, ita vt inferior dicatur, qui prope terram delabitur, & de quo hic, reſpectu altioris illius, de quo dictum eſt, *nunc Zephyros tranant*, cui per contrapoſitum, pulcherrima antitheſi, opponitur volatus inferior. *Volatu* autem dixit, vt clarè explicaret, quod ſupra implicitè tantum aſſeruerat, nempè alatos eſſe Cereris dracones, & volantes, nam *volatus* actus ipſe eſt auis, vel alterius volantis.

SECANT ARVA. *Secare* propriè, & rigoroſè loquendo, idem eſt hac *proſcindere*, & *dimidere*. Sic pri. Æn. Virg.

Pars in fruſta ſecant, verubuſq; trementia figunt &c.

Verum *Secare viam* eſt viam velociſſime dimetiri, translatione deducta ab auibus, qui aerem volantes diuidunt, & ſecant. Cum itaq; hic Poeta de Draconibus agat volantibus, aptè vtitur hac translatione *Secant arua*, hoc eſt *ſecus arua celerrimè volant: ſeù, ‹melius›, terram ſpiralibus lineis deſignant veloces fermè excurrentes, ita vt iam ſcindere videantur;* cum nullis impedimentis ab incepta velocitate remorentur. *Arua* autem quid ſint iam dix. ad Carm. *ſedibus quæ nondum proterit arua*. Hic tamen ponitur indifferenter pro terra.

CANO ROTA PVLVERE LABENS &c. Ab effectibus amplificat virtutem placidi illius veneni, quod ex ore Draconum effluere dictitauerat; & ab iiſdem Cereris iter, ac beneficæ euiſdem præſentiæ liberalitatem, quacumq; iter habuerit exornat. Quod, vt melius aſſequatur, currui effectus attribuit, quaſi, etiam incurioſa, & aliud agente Dea currus ipſe diuinitate, quam vehebat, fœcundus, non poſſet, quin loca, quæ peragraret, frugibus ditaret:

ROTA. Infima hæc currus pars eſt, quippe quâ ſolà currus terram attingat. Rota autem dicitur à rotunditate, ſeù, vt alij malunt, à ruendo, quia videtur ex vna parte ſemper in præceps ruere, cum ex alia ſemper in altum aſcendat. Quarè de rota Fortunæ inquit eruditiſſimus ille, eà homines attolli, vt corruant. . . . . *Tolluntur in altum Vt lapſu grauiore ruant.*

Dum igitur rota circulari hoc motu ſemper in ſe ipſam vertitur, currus agitur, & procedit Rotam poni hic pro toto curru, vel cęcutiens viderit. Sed quærendum remanet, cur Poeta, partem pro toto ponens, potiùs rotam poſuerit, quam axem, Temonem, aut aliam euiſdem currus partem. Abhorruit adeò, arbitror, Vates à ſententia admittente actionem in diſtans, vt, ne in ſuſpicionem venire poſſet eam admittendi, ſi aliam nominaſſet partem à terra diſtantem; voluerit Rotam ponere, ad hoc vt Agens, quod effectum fœcunditatis producere debebat in paſſo, nempè humo, eſſet immediatum immediatione ſubiecti, ne dum immediatione virtutis; & immediatum adeò, vt quodammodo internum humo fieret ſulcans humum.

LABENS. Labi, à quo *Labens*, idem hoc loco ſignificat, ac leui, & celerrimo motu ita decurrere, vt motus volatui ſimilior ſit, quam curſui: ideò, ſicuti ſuperiùs dixerat: *Arua volatu ſecant*, ſic cohærenter hic motum volatui ſimilem currui attribuit.

CANO PVLVERE. Locum aſſignat, qua tranſiens *Rota fœcundat humum*. Canus itaque dicitur ille, cui, præ ſenectute caneſcunt, hoc eſt albent capilli; quarè & *Canus* pro Antiquo dierum ponitur, & *Canities* pro ſenectute: Puluis verò terra eſt minutatim ex ariditate attrita. Dupliciter igitur *puluis* poteſt dici *canus*; Primò quia, cum terra ſit, quid antiquior terra, præſertim apud Poetas, qui ex terra Deos ipſos effinxerunt progenitos. Secundò quia terra ex ariditate in puluerem redacta videtur quodammodo caneſcentis colorem induere. Ideò aptè *cano puluere*. Cur autem potiùs *puluere* dixerit, quam *terra*, ratio in promptu eſt ex agricolarum praxi, quæ oſtendit, ſemina, quæ ſolo demandantur meliùs ſemper germinare, cum in puluereum ſolum proijciuntur; ſi tamen leuis inde ſequatur pluuia, quæ puluerem coagmentet; nam tunc proiecta, ac ſibi credita, ſemina puluis ille apprimè complectitur, ac fouet, & clauſo quaſi protegit ſinu, ne ab auibus diripiantur. Cum itaq; Poeta inſinuare velit effectus fœcunditatis ex curru præterlabente progenitos, naturam ſecutus, materiam ad receptionem diſpoſitam conſtituere non negligit; Ideò redactam in puluerem terram indicat, & ne humor pulueri deeſſe videretur, placida effundi à Draconibus venena præmiſit; Hæc enim & Virgilius ad fertilitatem exigi teſtatur Georg. pri.

Humida ſolſtitia, atq; hyemes optate ſerenas
Agricolæ: Hyberno lætiſſima puluere farra:
Lætus ager. Nullo tantum ſe Myſia cultu
Iactat: & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.

Virtus ergò ſeminalis hoc puluere excepta, dum puluis placidis humectatur venenis, nil mirum, ſi ſtatim erumpat in fruges, cum præſentiſſimam habeant, atq; efficaciſſimam ex prædictis venenis vim eductricem, & conformatricem; ideò enim *Rota labens*.

FÆCVNDAT SVLCATAM HVMVM. *Fæcundare eſt copioſum, fertilem, fructiferum facere*. Quarè Virg. 4. Georg. de Nilo loquens Ægyptum limo, ex inundatione relicto, copioſam reddente, ait

Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena &

Humum verò aptiùs dixit, quam terram, ab humando; nam ſemina & virtus ſeminalis humari debet, vt in ſegetes exurgat: quod ipſum Increata Veritas innuit, dum ait: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Mortua autem corpora humari debent: & ideò in ſulcos finditur humus, vt notat Vates in adiecto *Sulcatam*; nam ſulcis terram findere, ac vertere, ſedulò ſtudent Agricolæ, vt repurgata, ac purificata tellus vberior reddatur. Oſtendit itaque prudentiſſimus Auctor, Rotam Cereris cultoris vicem implere, dum leui ſulco, veſtigio ſcilicet illo, quod, in modum ſulci, à Rota prætereunte relinquitur, puluerem & vertit, & purgat, & grauidam fœtibus efficit, & fructus eodem tempore educit in lucem. Nec mirum ſi hæc omnia non ſeruatis temporum interuallis, ad hanc rerum ſucceſſionem requiſitis, momento temporis peragantur; nam virtus

tus præſens Diuinitatis non dependet à tempore in operando. Ideò tellus recepto ſemine ſtatim ſine mora in iam adultas ſegetes erumpit, ac falcem mutat: atq; ideò

FLAVESCIT ARISTIS ORBITA. Quamuis *orbita* pro integris hic rotis ſit poſita; & pro tota communiter rota vſurpetur; tamen, in rigore loquendo, extrema pars rotæ eſt, vel illa interior ſumatur, vel exterior interna eſt pars illa teres, quæ immediatè axi inſerta circa illum in orbem vertitur, externa verò eſt arcuata illa curuitas, quæ circa totarum radios circumducta terram tangit, & orbiculari motu illam terit. *Orbita igitur flaueſcit ariſtis*; quia virtute prætereuntis Deæ influentia, ita in ictu oculi, ſuccreſcunt ſegetes, vt, iam maturæ in meſſem, rotis, à quibus vitales auras receperunt, adeò internectantur, vt ex ipſis ariſtis tota videatur rota componi; quaſi cognitionis capaces ariſtæ nouo miraculo, in gratiam nouæ, ac tam vberis vegetationis, profuſæ, beneficam amplexari, ac detinere rotam conentur, dum eà ſe ipſas implicantes vtramque orbitam contegunt, & proprio exornant flaueſcentium comarum apparatu, quo efficitur, vt rota ipſa flaueſcere, & ſpicas parere videatur; ideò *Flaueſcit*: *Flaueſcere* enim eſt *flauum induere colorem*; vulgò *Biondeggiare*; & ſpeciem auri referre; nam ex hoc flaua dicitur Ceres ipſa, quia hanc auri ſpeciem ariſtis fuerit elargita, vt nos ſuſius explicuimus ad Carm. *Deſpexit rerumq; Flaua Ceres &c.* Aureum hunc itaq; colorem induit orbita, dum maturis iam meſſibus denſatur, & internectitur *Ariſtis*: Ariſtæ verò quid ſint, & quomodo pro triticea meſſe ponantur, iam vidimus hoc eodem lib. ad Carm.

Ceſſerit inuentis Dodonia quercus ariſtis,

quarè hic ſatis erit ſcire, per ariſtas, quibus orbita flaueſcit, maturam iam meſſem indicari, vt mox antea innuebamus. Poſſet hoc loco quidam fortaſſis hanc noſtram redarguere expoſitionem, eo quod *orbita* videatur potiùs accipienda in eo ſenſu, in quo vſurpatur à Liuio dicente: *Rota vna in alteram orbitam depreſſa turrim inclinauit.* De bellica loquitur machina, quam ligneam appellant turrim. Quo loco eruditiſſimus Auctor *rotam* apertè ab *orbita* diſtinguit; nam *orbitam* eſſe indicat, non rotam, ſed veſtigium illud, quod à prætereunte rota impreſſum relinquitur. Reddenda igitur ratio, cur per *orbitam* circuitum Rotæ acceperimus, non autem ipſius rotæ veſtigium terræ impreſſum; vel cur non diximus cum Parrhaſio vtrumq; ſignificari; ſed priùs firmandum eſt, orbitam pro circuitu rotæ accipi omninò poſſe; quod tamen facilè firmatur ex Virg. 3. Georg. dicente:

Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor: iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli deuertitur orbita cliuo.

certè enim hoc loco *orbita* pro rota ponitur, vt patet ex verbo *deuertitur*; nam *rota* eſt, quæ *deuertitur*; veſtigium autem remanet, poſt impreſſionem, immotum. Hoc firmato; in promptu iam ratio eſt expoſitionis ſupra traditæ; nam primo quidem non ſerpit humi ariſtarum decus, ſed in altum extollitur, atq; adeò veſtigium rotæ, quod *orbita* diceretur, non poteſt ariſtis flaueſcere, ſed caudice potiùs contegi: *Orbita* autem, quæ pars rotæ ſit, poteſt; nam & ipſa in altum extollitur ita, vt ariſtarum adæquet altitudinem, & ideò implexis facilè flaueſcere poteſt ariſtis. Secundo Vates ipſe *orbitam* ab *orbitæ veſtigio* diſtinguit hic manifeſtè; nam cum dixerit: *flaueſcit ariſtis orbita*, ſtatim ſubijcit: *condunt veſtigia fruges*: quod ſuperfluum fuiſſet, ſi prius *orbitam* pro veſtigio rotæ poſuiſſet. Quarè dicendum neceſſariò remanet, *orbitam* pro *circuitu rotæ* hic poſitam, vt nos expoſuimus.

FRVGES SVRGENTES CONDVNT VESTIGIA. Mirè amplificat hic vbertatem, terræ infuſam ex prætereuntis Deæ liberalitate; nam oſtendit, tantam humo inditam fæcunditatem, vt, maturis iam meſſibus, in recentes ſurculos erumpant ſeminales virtutes, ita vt, dum flauæ iam fluctuant ariſtæ, nouis iam germinantium corculis vireſcat, ad flaueſcentium radices, fœcundiſſima tellus, & aureis ditata theſauris ſtratum ſubter eos ſmaragdinum viridantium intexat gemmitum productione. Ideò Poeta non ſimpliciter *fruges* dixit: ſed *fruges ſurgentes*, & etiam, vt intelligeremus eum Helleniſmo vti, & græcâ potiùs, quam latina inniti eruditione: *Fruges* enim latinè terræ fructus omnes dicuntur, quos in alimoniam vertimus: aſt hoc, quod latini *fruges* appellant, apud Græcos *καρπὸς* dicitur; & hac eadem voce *καρπὸς* vtuntur Græci etiam in herbis ad frugem producendam ſuccreſcentibus exprimendis. Quarè cum hæc vox apud latinos vertatur in vocem *fruges*, nil mirum, ſi Poeta hac voce *fruges* vſus in græca ſignificatione, qua tenera herbarum germina exprimunt, recenter e terris erumpentia. Prudenter tamen hanc vocem ſic adhibuit; nam ad mentis ſuæ explicationem addidit: *ſurgentes*; *ſurgere* enim ſæpè ſæpiùs idem ſignificat, ac *naſci*, & *creſcere*: Naſci quidem apud Virg. Æn. pri. vbi habetur:

Nate Dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit.

& Æn. 4. *Quid bella Tyro ſurgentia dicam?*

ſed propius ad rem noſtram Georg. 4. dixerat:

Decuteat rorem, & ſurgentes atterat herbas.

Item *ſurgens* pro *creſcens* ponitur ab eodem Æn. 6.

Per genitorem oro; per ſpem ſurgentis Iuli &c.

Æn. autem 4. *Aſcanium ſurgentem, & ſpes heredis Iuli Reſpice &c.*

quarè dum Poeta ſurgentes memorat fruges, certè germina naſcentia, & herbas ad frugem denotat creſcentes. Scio hanc ab Heinſio lectionem immutari; nam cum Iſingrini Codice, ac Claueriana editione legit ipſe: *Condunt veſtigia culmi*. Sed diſplicet hæc lectio, quia *Culmus* eſt ipſe calamus frumenti ſpicam ſuſtinens, quarè & olim columus dicebatur. Cum autem priùs dixerit Vates: *Flaueſcit ariſtis orbita*, certè ariſtas ſine ſuppoſito culmo non agnouit, vt ex explicatis iam patet; conſequenter ſi & hic iterum de culmis loqueretur, videretur idem in ordine ad diuerſa quidem, ſed ſuperuacuè conſiderare. Adde, quod nil per ſecundum membrum explicaret, quod non contineretur ſatis explicitè, ſaltem de conſequenti in primo, quarè hoc eſſet pueriliter ludere in verbis, non ſenſum ſenſui ſuperaddere ad amplificandam fertilitatem. Et idem dico reſpectu eorum, qui legunt: *Condunt veſtigia meſſes*. Quarè ſatius arbitror, ſi cum vulgata noſtra legamus: *fruges ſurgentes condunt veſtigia*: neque enim aſſentior Parrhaſio legenti: *Scandunt veſtigia fruges*; nam non video, quid cum Vatis intentione, aut cum ipſius ſtructurâ contextus habeat verbum *ſcandunt*. *Condunt* itaque cum vulgata legimus; nam condere eſt *contegere*, *operire*, *abſcondere*, ne appareat id quod tamen de facto adeſt. Quanta igitur celeritate rota Cereris, recuruam ſui eleuans, quam depreſſerat, partem, veſtigium relinquebat impreſſum, tantâ oſtendit Poeta noua germina pullulaſſe, quæ relictam contegerent orbitam creſcentia, ne ampliùs appareret. Ideò *Condunt veſtigia*, quæ quid ſint, iam vidimus abunde ſupra. In hac verò vbertima non frugum tantummodo, ſed & prodigiorum affluentiâ non poſſum, quin ea mente relegam, quæ Torquatus Taſſus ad Armidæ montis fertilitatem, amœnitatemque congeſta deſcribit decorandam; nec poſſum quin eadem oculis ſubijciam, ex Can. 16. Hier. liber. decerpta.

Nel tronco iſteſſo, e trà l'iſteſſa foglia
Sopra il naſcente fico inuecchia il fico:
Pendon à vn ramo, vn con dorata ſpoglia,
L'altro con verde, il nouo, e'l pome antico:
Luſſureggiante ſerpe alto, e germoglia
La torta vite, ou'è più l'horto aprica:
Qui l'vua hà i fiori acerba, e quì d'or gl'haue,
E di piropo, e già di nettar graue.

quod autem Cerealis rotæ veſtigijs attribuit hic Claudianus, accipe ab eodem Taſſo cit. per ſimilitudinem, expreſſum in veſtigijs Rinaldi præſtigioſam ſyluam ingredientis. Cantu 18.

Doue in paſſando le veſtigia ei poſa,
Par ch'iui ſcaturiſca, e che germoglie:
Là s'apre il giglio, e quì ſpunta la roſa;
Quì ſorge vn fonte, iui vn ruſcel ſi ſcioglie:
E ſopra, e intorno à lui la ſelua annoſa
Tutte parea ringiouenir le foglie;
S'ammolliſcon le ſcorze, e ſi rinuerde
Più lietamente in ogni pianta il verde.

VESTIT ITER &c. *Veſtio* à veſte deductum eſt, quaſi *veſtem induo*: translatè tamen idem ſignificat, ac *contegere*, *operire*, & *exornare*, hæc enim munera veſtis ſunt omnia. Porrò in hoc translationis ſenſu certè accipitur à Poeta hic. De itineris verò ſignificatione dix. ſupra ad Carm. *Dum ſeruatur iter &c.* Vbi vidimus, nomen *iter* ſæpiùs profectionem ipſam ſignificare, quam viam, qua profectio fit, licet interdum & hanc ſignificet. Hic in vtraque viget ſignificatione, nam *ſeges* certè viam operit, exornatque, qua Ceres progreditur, vt ex dictis patet: ac dum dicit: *comitata*, certè indicat ſegetis continuationem emergentis quocumq; Ceres progrediatur, ita vt ipſam Cereris profectionem ſubſequi, & comitari videatur, quaſi effectus à ſua cauſa inſeparabilis.

SEGES. Succreſcentes, & maturas etiam iam fruges, ſigni-

ſignificatione ſua, amplectitur *ſeges*; nam ea propriè eſt fruges eorum ſeminum, ex quibus conficitur panis, nondum quidem demeſſa, ſed præſcindens ab hoc, quod virens ſit, an flaueſcens. Sic Plin. lib. 18. Cap. 17. inquit ſegetem in articulum ire cepiſſe: ex quo patet, nomine ſegetis herbam triticeam appellaſſe, quæ primum vix in nodum excreſcat. Aptè igitur, & congruenter ad iam dicta, *ſeges* inquit Poeta, vt & Ariſtas, & germina, de quibus ſupra egimus vnica comprehenderet voce.

COMITATA. *Comitare* eſt *comitem ſe exhibere*; & proprium eſt inferioris erga ſuperiorem, vt certè ſeges eſt reſpectu ſuæ procreatricis Deæ, cuius quaſi pediſſequa profectionem ſequi oſtenditur, & comitari. Perpende hic, quam acutè Poeta terram, qua Ceres iter haberet, Cœlo, tacitè, in diſquiparantia, æquiparatam velit, licet tacitus comparationem prætereat: nam ſi Cœlum lacteâ ſe viâ gloriatur inſignitum, illud iam terra, pro viribus, imitatur, dum ſe ipſam non lacteâ, ſed aureâ, ſmaragdinis contexta encauſtis exornatam geſſit: Si ſpica Cœlum ditat, multiplicatis hic ariſtarum ornamentis terra gloriatur. Meritò autem Cœlum æmulari effingitur terra, quæ Deam geſtaret Cœleſtem, ac tantopere beantem.

IAM LINQVITVR ÆTNA. Exornatâ ab effectibus Cereris profectione, illam iam à termino, à quo longiſſimè recedentem deſcribit, vt ad terminum ad quem deducat, nempè e a Sicilia in Idam Phrygiæ montem, quo tendere Cererem ſupra dixerat

IAM. Aduerb. hoc temporis eſt, vt alibi dix., quod hic celeritatem oſtentat, nam pro eodem ſtat, ac ſi eſſet aduerbium *illicò*.

LINQVITVR. *Linquere* idem eſt, ac *deſerere*, ſeù *longè abire*. Quarè denotat hic Vates, momentaneo ferè temporis lapſu, Cererem ab Ætna fieri remotiſſimam; ideò *Linquitur*

ÆTNA. Quid ſit Ætna iam vidimus in anteactis, hic ponitur pro termino, à quo diſceſſerat Ceres, ideſt pro loco, cui filiam commiſerat ſignum, videlicet pro re ſignata.

ET TOTA TRINACRIA &c. Proſequitur adhuc Cererem abeuntem, & maiorem, ac maiorem ab Ætna diſtantiam aſſequentem: hanc autem diſtantiam, lineis viſualibus, iuxta artem Perſpectiuæ, egregiè, ac ſcientificè, dimetitur. Quarè quæ hic enucleari contigerit, applicanda etiam erunt particulis præcedentibus: *Iam linquitur Ætna*, adeò enim connexa ſunt, vt vnum ſine altero via ſatis explicari potuerit: Hanc autem connexionem efficit particula illa *Et*, quæ ita coniungit partem iam poſitam, nempè Ætnam cum toto reſpectu lineæ viſualis, vt, gradum faciens à minori ad maius, à minori etiam, licet longiſſima diſtantia ad maiorem diſtantiam rite progrediatur. Sed antequam explicationem aggrediamur, reuocandus in mentem modus eſt, quo viſio fiat; nam huius cognitio maximè confert ad intelligentiam explicandorum.

Reiectâ igitur ſententiâ, quæ aſſerebat viſionem fieri per extramiſſionem radiorum, ita ſcilicet, vt oculus emitteret radium quendam, quem viſualem appellabant, & qui ad obiectum vſque videndum protenderetur; reiectâ, inquam, hac ſententia, quæ iam communiter à ſcholis exploditur, iis rationibus, quas nos fuse in animaſticis edocuimus, communior ſententia eſt, viſionem fieri per introſuſceptionem ſpecierum ab obiectis viſibilibus emiſſarum. Pro quo

Notandum eſt primo, obiecta huiuſmodi omnia producere, & ex ſe tranſmittere ſpecies quaſdam, quas nos, in animaſticis, imagines obiecti virtuales eſſe, docuimus, ſed, quia hoc parum refert ad inſtitutum, non repeto. Hæ ſpecies, ob tenuitatem ſuæ materialitatis, ſpecies intentionales appellantur, & vicariæ obiecti communiter dicuntur, quia obiectum, quod immediatum ſenſui eſſe non poteſt immediatione ſuppoſiti, fiat per ipſas immediatum immediatione virtutis. Species igitur huiuſmodi ab obiecto tranſmiſſæ, ac in aere propinquo receptæ, per ipſum aerem, tamquam per medium propagantur, & ad oculum vſque deferuntur; iiſq; in oculo vitaliter receptis, oculus viſionem elicit, quæ eſt formalis imago obiecti repræſentati per ſpecies illas impreſſas, & ſpecies dicitur expreſſa.

Notandum ſecundo, has ſpecies intentionales ab obiecto ad oculum, in conum, procedere; ita vt protendantur in modum pyramidalis figuræ, cuius baſis in toto corpore obiecti ſtabiliatur; conus verò, ſeù acumen ſupremum oculos pertingat; ex quo fit, vt res in ſemota admodum diſtantia conſtitutæ, licet eximiæ magnitudinis ſint, paruulæ tamen eſſe videantur; & ratio eſt, quia, quo magis res viſibilis diſtat, pyramidalis ſpecierum ſtructura ſemper magis acuminetur, neceſſe eſt, & conſequenter minorem ſemper, & minorem ad oculos angulum deferat viſualem. Quarè, cum obiectum tale videatur, quale per proportionem anguli viſualis repreſentatur, quo minor eſt angulus, minor res ipſa viſibilis apparet. Hinc Perſpectiuam artem callentes ſtatuas, vel picturas, quæ, longè ab oculo, editiſſimis in locis, ſunt collocandæ, in giganteas, propè dixerim, extruunt moles; nam beneficio diſtantiæ ſubindè efficitur, vt iuſtæ dimenſionis eſſe, iuxta id, quod per ſculpturam, aut picturam, repræſentandum erat, appareant.

Notandum tertio ad viſionem eliciendam requiri ſemper, vt obiectum in debita ſit diſtantia collocatum; nam, cum obiectum ſit finitum, & limitatum, conſequenter finitæ etiam, & limitatæ virtutis, certè non poteſt emittere ſpecies niſi finitas, & ad finitum, limitatumq; ſpatium protenſas, habito reſpectu ad molem, & actiuitatem corporis à quo emittuntur. Quarè ſi oculus ſtatuatur extra ſphœram actiuitatis ſpecierum, ita vt earum pyramidalis angulus oculum pertingere nequeat, tunc viſio obiecti omninò ceſſabit, & euaneſcet. His autem prænotatis, ad explicationem iam poetici textus deueniam.

Dixerat antecedenter Vates: *Iam linquitur Ætna*: Noſq; explicantes obiter ibi, quod erat hic fuſius enucleandum, diximus, ſignificari Cererem iam longiſſimè diſtantem; nam, & ibi ſubintelligendum erat, quod hic ponitur, nempè *refugo viſu*; ita vt, dum dicit: *linquitur Ætna*: idem ſit, ac ſi diceret: *ceſſat Ætna aſpectus*; ſignificans ſcilicet, Deam longè adeò ab Ætna in ictu oculi proceſſiſſe, vt ſpecierum illius Montis Conus non amplius *refugientem*, hoc eſt *ab ipſis ſpeciebus retrò fugientem* oculum pertingere poſſet. Vulgò *Perdeſi di viſta il Monte*, ob rationem iam allatam. Non eodem autem tempore, quo conſpectus Montis euanuit, euaneſcere etiam potuit aſpectus totius inſulæ; nam, data proportione partis ad totum, ſi pars protendit ſpecies à ſe emiſſas in diſtantiam, V. G. decem ſtadiorum; totum ad centum vſq; protendat, neceſſe eſt: quarè, ceſſante conſpectu Ætnæ, adhuc in conſpectu Sicilia eſſe debuit; ſed, quia, adhuc refugiente oculo, maior, ac maior ſemper interponebatur diſtantia, acutior fiebat conſequenter ſpecierum emiſſarum conus, ita vt minor, & minor appareret Sicilia ipſa, donec, conſtituta tandem Cerere extra ſphœram actiuitatis ſpecierum, tota repente ex oculis Inſula euaneſceret; ideſt vulgò *Se perdeſſe di viſta*. Ex quo vides, quam exactâ, atque eruditâ gradatione, Poeta per decrementum maius, ac maius viſionis, ac tandem per totalem ipſius ceſſationem, diſtantiam maiorem, & maiorem à Cerere acquiſitam innuet.

Tota, igitur inquit, *Trinacria decreſcit*; nam *totum* idem ſignificat, ac *Integrum*, *Vniuerſum*, *Solidum*, & iterum *totum* illud dicitur, quod ex partibus in vnum coaleſcentibus componitur. Quarè particulas *tota decreſcit* duplicem hic habere ſignificationem animaduertes, primam ſcilicet comparatiuam *totius* ad partem; & ſic dicit: *Tota Trinacria*, vtpotè Ætnæa parte longè maior, adhùc ceſſante partis viſione, in conſpectu eſt, ſed minùs, & minus ſemper apparet, ſeù minor, & minor repreſentatur, quod verè decreſcere eſt non quidem in eſſe, ſed in repreſentari. Secunda autem eſt ſignificatio abſoluta, quatenùs ſcilicet *totum* idem eſt, ac integrum, & ſenſus eſt, quod tandem minor, ac minor apparens Sicilia, tota tandem, inquam, ideſt integra decreſcit, hoc eſt ab oculis, & è conſpectu tollitur, poſitâ iam Cerere extra ſphœram actiuitatis ſpecierum, vt ſupra dicebamus. Trinacria verò quænam ſit, & cur hoc nomine dicta vidimus ad Carm. *Trinacria quondam &c.*

REFVGO VISV. Cauſam aſſignat, cur decreſcere, & minor ſemper fieri videatur, donec tota ex oculis inſula euaneſcat, modo dicto; nempè quia oculus refugit, ideſt retrocedens maiorem, ac maiorem diſtantiam à ſpeciebus aſſequitur, donec per illam exeat è ſphœra ſpecierum &c., & ſic ceſſet viſio. *Refugus* enim à verbo *refugio* deductum nomen idem ſignificat, ac *ſe, retrò quaſi fugiendo, ab aliquo removens*; *Refugere* enim eſt *ſe retrò per fugam ab aliquo recipere*. Cum igitur Ceres è Sicilia diſceſſiſſet, quo magis ab illa elongabatur, eo magis, & ipſius oculus retrocedebat à ſpeciebus, donec extra ſphœram exiliret. Ideò *refugo viſu*. Nam viſus tam dicitur actus ipſe viſiuus, quàm potentia actum eliciens. Aſt hìc pro potentia ponitur viſiua.

Placet hic aliam afferre rationem, cur Poeta, Ætnam, totamq; Trinacriam decreſcere, ac tandem ex oculis euaneſcere dictitauerit; nam hæc etiam neceſſaria eſt huic textui, vt videbimus explicãdo; & ea eſt in qua fundari etiam videtur

tur id quod in ſimili habet Taſſus Hieroſol. liber. Cantu 16.

Vola per l'alto Mar l'aurata vela;
Et guarda il lido, e'l lido ecco ſi cela.

petitur itaq. hæc ratio, & ab ipſa viſionis natura, & à rotunditate inferioris huius orbis. Ad hanc verò rationem explicandam.

Sciendum primò, hanc eſſe naturam viſionis, vt ſemper fiat per lineam rectam. Ideò ſpecies, ab obiecto, & quacumque eius parte emiſſas, ad oculos in conum tendere, iam diximus, & figuram pyramidalem conſtruere; nam, ſicuti lineæ rectæ à circumferentia vndequaq; in centri punctum collineant, ſic ſpecies illæ ex vaſto corpore viſibili vndequaq; emiſſæ per lineam rectam in centrum oculi, ideſt in pupillam collineent neceſſe eſt: Quarè ex ampla baſi corporis viſibilis in conum, & angulum confluant oportet, vt patet conſideranti.

Sciendum ſecundò Aquam ſimùl, & terram globum conficere ſphœricum, non quidem mathematicè, rotundum, ſed phyſicè, vt nos, in lib. de Cœlo & Mundo, ſatis ſuperq; probauimus; ex quo fit, vt iter facientes per terrarum orbem perindè ſe habeant, ac formica, quæ rotæ ſemicirculum percurrat ſuperiorem. Hoc poſito: certum eſt, quod, ſi detur clauus in extrema decliuitate huius ſemicirculi infixus, & formica per circularem rotæ orbitam ſurſum aſcendens, ab eo diſcedat, quandiù formica progreditur in eo rotæ ſpatio, reſpectu cuius, curuitas eiuſdem rotæ non ita exuberet, vt rectam impedire poſſit viſionis lineam ad totum, clauum terminantem, tandiù formica totum clauum videbit: cum verò, per decliuo clauo oppoſitum rotæ ſpatium, incipit formica deflectere, ita vt inter ipſam, & clauum aliqua rotæ curuitas interponatur; tunc, quia linea recta viſionis non poterit ad inferiorem claui partem, obſtante curuitate intermedia, profectò deferri; conſequenter non totum iam, ſed dimidium, V. G. tantummodo Clauum, qua altius eminet intuebitur; & quo magis in decliue ferretur formica, creſcente curuitate interpoſita, eo minorem Claui partem videbit, donec, omninò tandem interpoſita curuitate lineam rectam impediente totus ex oculis clauus euaneſcet: atq; hoc pacto clauus videbitur formicæ illi paulatim decreſcere, ac totus tandem euaneſcere. Quod autem in formica exemplificauimus, poteſt quiſq; proprij oculi experimento delibare, ſi videlicet, oculum ad circularem rotæ, ſuperficiem depreſſum, & applicatum paulatim retrahat ab infixo clauo, ita vt per depreſſiorem rotæ partem magis, ac magis ſemper deſcendat: ne videamur exemplum attuliſſe in re, quæ experientiam teſtari nequaquam poſſit. Hinc eſt vt, in Mari, nauigantes corbem in ſummitate mali conſtituant, vt poſitus in eo ſpeculator non poſſit ab interpoſita aquæ curuitate impediri, quin longiſſimo diſtantia tractu proſpiciat nauigia, quæ in naui ſtantes nequaquam videre poſſunt, quia rotunditas aquæ, quæ rectam lineam viſualem ex altiori loco collineantem impedire non poteſt, lineam impedit ex inferiori eductam, quæ dum recta tendit in curuitatem in medio prominentem impingit, & ad nauem aduerſam progredi prohibetur interrupta ex eadem curuitate ſpecierum ex aduerſa naui emiſſarum, ad oculos in inferiori ſtantis propagatio. His poſitis,

Currus Cereris, vt vidimus, modo Zephyros tranat, modo inferiore volatu arua ſecat. Si igitur conſideretur, vt in altum euectus, tunc terræ rotunditas non poteſt per interpoſitam curuitatem impedire nec ſecundum partem, nec ſecundum totum rectam lineam viſualem; itaq; hac ratione nec decreſcere, nec tolli omninò ab oculis poteſt obiectum; conſequenter ad priorem allatam de ſpeciebus limitatæ virtutis erit recurrendum. Si verò conſideretur, vt arua ſecans inferiore volatu, tunc ſecunda de rectitudine lineæ vel partialiter, vel totaliter impeditæ ab interpoſita rotunditate terræ militabit, &, iuxta proportiones iam datas, ad proportionem diſtantiæ, & decreſcet magis ſemper, ac magis, & totum tandem occultabitur obiectum, etiam ſi alioquin non eſſet extra ſphœram actiuitatis &c.

Sed, ne & nos ſphœrica phyloſophicarum rationum perfectione detineamus ita, vt in id, quod ad mores pertinet, viſus mentis non collineet, ad altiora iam curſum dirigentes proprium phyloſophi moralis ſcopum attingamus.

ÆTNAM diximus imaginem inferorum præ ſe ferre, Proſerpinam Animæ ſymbolum exprimere: Cererem, hic iam liceat interpretari, eſſe principem illam, ac nobiliſſimam animæ facultatem, quam rationem, & mentem nominamus, & quæ, tamquam mater, ſemper de filiæ, hoc eſt de animæ ſalute ſollicita, hanc fouet, hanc ſequitur, hanc à periculis reuocat, hanc tutam in ſtationem totis conatur viribus deferre, ne rapiatur à Procis in eius innocentiæ perniciem conſpirantibus. Optima perfectò mater, optima naturæ ſalutis procuratrix, ſi tamen adſit prudentia, & vigili ſemper lumine in amatiſſimæ filiæ illius cuſtodiam feratur aſſidua. Aſt, cum, a Cœlo aberrans, æthera deſerit; fallitur imprudens; atq; ideò Inſidis natam laribus commiſit alendam, &, quia abyſſus abyſſum inuocat, cæca efficitur, ne videat quæ ad filiam contutandam neceſſaria ſint. Heu cæca futuri! Quæ ſcilicet non diſcernat, Cœlum relinquenti non niſi perditionem imminere. Ideò in periculo ſecura eſt, quia periculum non conſiderat, ac vigilantiæ negligit curam; ſicq; dum Anima ſibi ipſi relicta prope Ætnam, ideſt prope inferorum hiatum oberrat, illa ad alia diuagatur, & terram petit adeò, vt Ætnæ viſio, ideſt inferorum contemplatio, ab illa prorſus aufugiat, & euaneſcat. Cupis hanc Cererem prudentem efficere, ita vt nunquam erret, nunquam à filiæ cuſtodia, nunquam ab Ætnæ conſpectu diſcedat? Attende tibi; ac memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Deſcendamus oportet ad infernum viuentes, vt ad Cœlum morientes extollamur. Quod ſi Cœli priùs, deindè inferorum contemplationem negligentes ad Cybelem, hoc eſt ad terram toto animo diuertamus, tunc mens, & ratio draconibus vehitur, ideſt ſenſus à voluptate, mens à ſenſu decipitur, & diſtrahitur; ſenſuum enim, ac mentis deceptæ hieroglyphicum per terreſtris ſerpentem Paradiſi ſatis exprimitur, vt doctè notat Pier. Hierogl. lib. 14.; tunc rerum terrenarum affluentiâ obruimur, &, dum terrenis oblectamentis abſtrahimur, relinquitur Ætna, totaq; decreſcit refugo Trinacria viſu. Quid prodeſt Zephyros tranare, altiſſimas de Cœlo quæſtiones diſcutiendo; quid prodeſt terram ſecare volatu, & arcana Naturæ, ac ſeminalium virtutum vires indagare, nec non ex illis auream ſcientiæ meſſem nobis pullulare; quid denique prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Quid placida venena proſunt draconis, Mundi ſcilicet per draconem repræſentati, delicijs affluentia, ſi pro ijs interim Anima deſeratur? Fræna itaq; draconum, nempè paſſionum, & ſenſuum, regat recta ratio, ſed Dedaleo, non Icario itinere procedat: non deflectat, aut ad dexteram, aut ad ſiniſtram; nec ſurſum per ſuperbiam feratur, nec deorſum per deiectionem animi deprimatur. Semper in conſpectu ſtet Ætna, & nulla vigilantiæ cura, vt Proſerpinam noſtram tueamur, vllo vnquam tempore deſeratur; in via enim Domini non progredi eſt retrogradi; ideò tota decreſcit refugo Trinacria viſu, & Proſerpina raptoribus expoſita derelinquitur. Verum, ne & nos ferijs nimium vacantes Italica deſerat Clio, quid de his ipſa concinat, audiamus.

Di queſt' Iſola in ſen, che d'ogn'oltraggio
 Par da portenti ſuoi reſa ſicura,
 Poſto del ſuo gioir l'vnico hoſtaggio,
 La fida Madre ogni timor traſcura.
 Quindi al render di ſe diuoto Omaggio
 A chi vita gli diè, volge ſua cura,
 Certa, ch'il ſuo teſor dalle rapine
 Serbi, chi ſerba vniti e fuoco, e brine.
Mentre dall' Etna al dipartir s'accinge,
 Termine à viaggi ſuoi l'Aſia preſcriue,
 E dell' Aſia la parte, oue non finge
 Batto i ſilentij, e pur ſuelar s'aſcriue
 Se tal' hor l'Oricalco oro s'infinge;
 Doue il Pattolo ad arricchir le riue
 Gonfio trauolge in natural teſoro,
 Trà ſmeraldi di Flora arene d'oro.
Douitioſi Penati, aure tranquille
 Gode colà di Berecinthia il Nume:
 E de proſtrati adoratori, à mille,
 Coronata di torri i voti aſſume;
 Mentr'i ſacri miniſtri, à ſuon di ſquille,
 Crollan le fronti, e ne vacilla il lume.
 Cerere, che n'è figlia, à lei ſe 'n corre,
 E del piede le moſſe il cuor precorre.
I Draghi, auuezzi à ſolleuar le membra,
 D'alte ſtriſcie à ſolcar gl'aerei campi,

Battus in lydium lapidem cõuerſus. quod ſilẽtia promiſſa non ſeruauerat.

Pactolus Phrygiæ fluuius.

In-

Imbriglia queſta; e 'l dolce fren, raſſembra,
Che frà gl' haliti lor lieto diuampi;
Ma 'l placido velen ſcorrendo aſſembra
Con le neui accoppiar l'oſtro de lampi;
Sì che, douunque cada, in quello hà ſcorta
Ciò ch' Apollo, e Nettun d'influſſi apporta.

Vide Cōment. in Penates.

Lucide creſte alla ſuperba fronte
Forman diadema, e 'l tortuoſo tergo
Di verdi ſmalti è che Natura impronte:
Dan quei le macchie, e frà le macchie vsbergo
Più ſaldo aſſai, che temprar vanti vn Bronte,
Teſſon le ſquamme, à raggi d'oro albergo.
Così, trà verde, ed or, di terra, e Cielo
Par, ch' inteſciuto habbian sù 'l dorſo vn velo.
Sì vaghi moſtri all' aureo cocchio auuinti,
Già le redini d'or la manca ſcuote;
Lieue sferza la deſtra; e già ſoſpinti
Quei traggon, l'aria à valicar le ruote.
Folgori, al ſerpeggiar, che da raccinti
Scaglin le nubi, e ne rimangan vuote,
Sembran. De moti loro ella maeſtra.
Il rapido del vol regge, & addeſtra.
Hor ſoura i venti, in fleſſuoſi giri,
Spingonſi à reſpirar l'aure più pure,
Hor, riuolti alla terra i ſuoi raggiri,
Radon co'l baſſo vol le zolle impure.
Ride feſtoſo il ſuolo; e par, ch' aſpiri
Al rigettar dell' aride ſtrutture
L'antica ſpoglia, hor, che da draghi apprēde
Veſtir la nuoua, e 'l rifiorir n'attende.
Legieriſſimi ſolchi in bianca polue
Segna in tanto la ruota, e non s'aſconde;
Ma del vecchio ſquallor tutti diſſolue
Gl' aſcoſti nodi e ſua virtù v'infonde.
Succhi vitali, oue, s'aggira, e volue,
Nell' arſiccio terren quella diffonde:
Queſto s'ingemma; e verdi, e bionde al vento
Scorge ondeggiar le meſſi vn ſol momento.
Del curuo argento à ſdrucciolanti arredi
S'intreccia l'or delle mature ariſte;
Quaſi abbracciar del ſuo teſor le ſedi
Goda, e, grato, bacciar ruote alchimiſte.
Mà pur non ceſſa il germogliare: e vedi,
Naſcenti biade, alle già d'oro immiſte,
Le veſtigia coprir; ch', impreſſe à pena
Sorgono i germi ad arricchir l'arena.
Siegue ratta il camin la Dea fugace,
Ed i parti del ſuol ſieguon la traccia.
Viuo ſtrato il ſentier, reſo ferace,
Steſo conſerua, e pur le ruote impaccia
Di nuoue ſpiche, in pullular viuace,
Ne vuol d'ingrato ei ſottentrar la taccia.
Si che (ſcorra la Dea prato ò campagna)
Co'l tributo l'honora, e l'accompagna.
Già lungi è sì da d'onde moſſe i Draghi,
Che più l'occhio à ferir l'Etna non giunge:
L'Iſola tutta impicciolita i vaghi
Lumi di rimirarla à pena punge;
Che quell' oggetto, ond' il mirar s'appaghi,
Troppo di lontananza hormai diſgiunge:
E tanto al fin di nuoua terra acquiſta
Cerer, ch'l nido ſuo perde di viſta.

At, ne ab aſpectu etiam noſtro recedat eruditiſſimi Poetæ contextus, poſtliminio reuertentes, propiùs, obſecro, intueamur.

Heu quoties, præſaga mali, violauit oborto
Rore genas, quoties oculos ad tecta retorſit?
Talia voce mouens; Salue gratiſſima tellus,
Quam nos prętulimus Cœlo. Tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & caros vteri commendo labores.
Præmia digna manent: nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi verſabere vomeris ictu.
Spontè tuus florebit ager, ceſſante iuuenco:
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.
Sic ait: & fuluis ſerpentibus attigit Iden.

HEV QVOTIES &c. Pateticè exponit internas matris commotiones, quibus acta non potuit Ceres non indulgere dolori, & lacrymis filiam à ſe derelictam materno affectu recenſens, cum iam e conſpectu abiſſet Sicilia. Sed cur dolore perfunderetur; cur lacrymas effunderet, dum ſecura abſceſſerat, ſecura procedebat? Rationem reddit acutiſſimè Poeta, & mali ominis ſpeciem ſpontaneum dolorem, ſpontaneas aſſerit lacrymas; atq; hinc data occaſione Cererem inducit per proſopopeiam, ſummis refertam affectibus, cum Inſula colloquentem, illique ſuorum viſcerum pignus commendantem, propoſitis, ſi annuat præmijs, vt efficaciùs ſuadeat.

HEV QVOTIES &c. Amarum animi æſtum, in lacrymas erumpentem, per contentionem affectuum, hic deſcribit, & compaſſiuo proſequitur dolore, quem ipſo effert initio per particulam *Heu*, quæ interiectio dolentis eſt, eaq; vtitur Vates ad magis exprimendas Cereris paſſiones, quæ ferociter adeò patientis Deę pectus dilanient, vt eum etiam, qui illas tantum recogitet, valeant excruciare, ac concepta vehementia mæroris in exclamationem compellat erumpere *Heu*. Dolet igitur Vates, quod nimium Ceres doleat, vt ex compaſſiua contemplantis dolore, qui nam fuerit dolor agitatæ Matris facilè argumentemur; & dolet quia ingruentes calamitates Cereri oſtenduntur ſignis hiſce à natura præſentiente editis, & tamen ab ipſa licet patiente non obſeruantur, nec tanti fiunt, vt ad redeundum valeant abſcedentem impellere, vt debebant.

QVOTIES. Aduerbium hic admirantis eſt, quo vtimur cum iteratas totidem vices innuere volumus, vt ſupputanti numerus deſit. Sic apud Virg. Dametes Ecl. 3. inquit:

O quoties, & quæ mecum Galatea locuta eſt ?

Partem aliquam venti Diuum referatis ad aures.

PRÆSAGA MALI. Pręſagus idem eſt, ac *futura præſentiens*: quarè, dum Ceres præſaga dicitur, mali, indicatur in ſe ipſa aliquod pati indicium mali impendentis, licet non planè, quid hoc ſit, aut quid mali portendat, illi ipſi innoteſcat. Ideò *præſaga mali* hoc eſt *malum ſibi* præſentiens euenturum ex ſigno videlicet naturali interno à natura ipſa in præſagium excitato. Præſagium autem ſpecies diuinationis eſt; nam qui *præſentit*, ideſt *malum, antè quam veniat, ſentit*, ariolari videtur. *Diuinatio* autem *Prudentia futurorum dicitur* ex Cic. pro Rab. & pri. de diuin: Aſt quomodo in Cerere ponitur hic à Poeta hæc futurorum Prudentia, dum per ipſum, *Cæca futuri* erat Ceres, vt antea dixerat ore rotundo, & nos explicuimus in loco? Serò ſapiunt Phryges: Sed qui cæcus, ideſt nullâ circa aliquid prudentiá præditus fuerat, malo ſæpe ſuo didicit prudens eſſe. Sic Ceres cæca iam futuri, & imprudens æthera deſeruit; infidis natam Laribus commiſit alendam; relictâ ſubindè filiâ ſine matris cuſtodiâ, ad Phrygios tendit ſecura penates. Quid imprudentius? Verum vexatio tandem dat intellectum; nam cum ex interna, ſpontanea, & ſupra modum vehementi paſſione, ac mærore vexaretur, tunc cæpit ſapere, & prudens ſigna futuri damni, ac deplorabilis euentus obſeruare, ac perpendere; Sed prudens adhuc & cæca: prudens, quia ſigna futuri conſiderans futurum præſenſit malum: cæca, quia ad malum, quod præſentiebat, euitandum media vel non vidit, vel eligenda neglexit, loco enim redeundi ad filiam contuendam, inceptum adhuc iter cæca proſequitur, filiam infidis iterùm Laribus ſe commendaſſe contenta. Diuinationem, ait Cic. pri. de diu., verſata

ſari inter homines, & eſſe vim quamdam cognoſcentem, & explicantem ſigna, quæ hominibus à Dijs portenduntur. Eſt igitur hæc *diuinatio*, ſeù *prudentia futurorum* vis innata naturæ, non autem eſt Prudentia illa, quæ ſit *habitus intellectualis tractiuus dirigens operationes omnes ad bonum*: quarè prudentia potiùs naturæ eſt vniuerſalis, quam hominis taliter in indiuiduo, propria; Natura enim videtur præſentire futurum malum, & eiuſdem ſigna etiam exprimit quæ ſunt, cuiuſmodi ſunt metus repentino horrore quatientes, mœrores innati, quorum ignoramus originem, lacrymæ ſpontè effluentes, inſolitæ ſanguinis, arteriarumq; commotiones, cordis oppreſſiones, crebra ſine cauſis ſuſpiria &c. Sed licet hæc dignoſcantur ſigna eſſe malum aliquod impendens ominantia, neſcimus tamen adhuc, quodnam in particulari malum immineat, & adhuc à quo cauendum ſit, ignoramus; niſi prudentia, non *innata*, ſed *per experientias acquiſita*, perſpicacitate ſua, valeat indagare ex adiunctis, & circumſtantijs actionum, locorum, temporum &c. quodnam malum immineat, ac ſubindè media ad præcauendum eligere. Hanc Ceres non habuit; ideò prudens, & cæca: prudens, quia præſenſit malum in genere; Cæca, quia ex præcedentibus, cæteriſq; conditionibus, ac circumſtantijs expoſitam raptui filiam non agnouit, nec media ad conſultandam elegit. Præſagij ſymbolum Talpam fuiſſe reperio apud antiquos; nam, vt teſtatur Porphyrius apud Pier. Hierogl. lib. 13., Veteres illi diuinatores ſimul, ac talparum corda deglutiſſent, accipiebant ſubindè præſentem animam, Dei ritu, vaticinantem. Verùm eadem Talpa cæca eſt, &, teſte Heſychio apud Pier. cit., ſymbolum cæcitatis eſt, & ignorantiæ; quarè prudentiſſimè Eucherius, hæreticos, per Talpam, in diuinis litteris, expreſſos intelligit, quia, vt ipſe ait, licet aliquid cernere videantur, ipſum liquidæ veritatis lumen minimè diſcernant. Habetur igitur, & ex Talpa Hieroglyphicum illius prudentiæ, ſeù diuinationis naturalis, cum qua tamen cæcitas, & ignorantia copulatur. Ideò cæca Ceres, & tamen prudens futurorum, ſed prudentiâ quadam cæcitati admixtâ, dum præſentiens malum, à quo tamen, & quomodo caueat, non agnoſcit; atq; adeò deplorabilis magis euadit eius inclementia doloris, cum & fruſtra malum portendat, & incaſſum exagitet, quam non erudiat: quapropter optimè Vates in exclamationem erumpit. *Heù quoties &c.* Hanc ipſam naturæ inſitam diuinationis vim attigit etiam Virg. Æn. 10. vbi ſic habet:

Agnouit longè gemitum præſaga mali mens,

ſed & aſſiduâ eadem in nobis experientiâ comprobatur; nunquam enim enumerata iam ſigna in nobis ipſis experimur, quin aliquid euenturum mali ſuſpicemur. Tribuit autem hos Natura impulſus, vt nos ad omnia parati malum omne euitare conemur; Sed perplexo ſæpè recogitantes animo, quodnam malorum portendatur, incautos feriunt ruinæ. Ideò cæcum præſagium quo diuinantes, quid adhuc ariolemur, ignoramus.

MALI. Malum ſubſtantiuè hic ſumitur, & nomen genericum eſt, quod indifferenter de quolibet infortunio prædicatur; diſtributiuè tamen hic ſumitur, ita vt qui eſſet ex ſe terminus vniuerſalis, fiat terminus particularis indeterminate disiunctiuus, & idem ſonet, ac ſi appoſita eſſet particula, *alicuius* mali, ex innumeris videlicet, quæ accidere poſſent. Præſaga mali erat Ceres; ſed num eſſet malum ſibi ipſi imminens immediatè, an ſibi, in filia, neſciebat, licet Amor maternus filiæ potiùs timeret, quam ſibi, atque ideò filiam infidis demùm Laribus commendaret, vt infra. En quomodò Præſaga, & Cæca; prudens, & ignara fuerit futurorum.

VIOLAVIT OBORTO RORE GENAS. Pulchra illacrymantis periphraſis, ſed leuiter illacrymantis, nam ros pro leui aſpergine, vt plurimum, ſumitur; &, licet interdum pro ingentis humoris copia vſurpetur apud auctores, hic non in eo ſenſu vſurpari apertè indicat aduerbium *Quoties*, quod fletus interruptos ſæpè, & iteratos ſignificat, conſequenter leues; nam fletus illi exuberantes, & copioſi, effrenes dicuntur, quia ſine interruptione profluunt, nec facilè poſſunt cohiberi. Adde, quod Dijs (vt eſt apud Ouid.) nefas eſt flere; quarè ſummi in ijs doloris indicium, vel leuiſſima ſemper fuerit illacrymatio.

VIOLAVIT. Violare idem eſt, ac *corrumpere, polluere*, ac *vim inferre vitiando*; propriè autem dicitur de Virgine, cui illata vi pudor Virginalis eripiatur. Verum, ſicuti alibi diximus, nomen Virginis transferri ad res omnes intactas, illibataſq; ſignificandas; ſic verbum *Violo* transfertur à Virgine ad res alias, quæ tunc dicuntur violari cum natiua earum pulchritudo quoquomodo defloratur, deturpaturque. Et quia rarò euenit, vt lacrymæ oboriantur, quin vultus mæſtiſſimis non obnubatur nubibus, quæ eius pulchritudinem inficiant, ideò lacrymis dicitur deturpari, violarique. Inſuper lacrymæ, quippè quæ, vt definit Cauſinus de Eloquentia lib. 8. cap. 40. nil ſint aliud, quam humor ex calefactione humidi, ac teneri cerebri per oculos diſtillans, aliquid habeat acrimoniæ, ac mordacitatis, quam ab igneis illis ſpiritibus contrahunt, qui cerebrum calefaciunt; & hinc eſt, vt in ea parte, qua cadens excipitur lacryma, rubor ſtatim appareat; &, ſi diutius lacrymæ proſequantur, corroſionem etiam efficiant, vt ſatis experientia patet in aſſiduè lugentibus, quorum oculi inflammantur, & corroſiuam patiuntur impreſſionem; ideò violare, & corrumpere partem madefactam lacrymæ dicuntur, plenè quidem, & formaliter ſi aſſiduè profluant; ſi autem leues ſint, & non aſſiduæ idem inchoatiuè ſaltem dicuntur efficere. Ideò egregiè Poeta *Violauit*, inquit

GENAS. Genæ in rigore loquendo ſunt illa duo oculorum opercula, quibus coeuntibus pupilla obtegitur: Palpebras imperitum vulgus appellat: Imperitum dixi, quia Palpebræ propriè non ſunt membrana illa ſuperior, & inferior, quæ oculum tegunt, ſed ſunt Pili in Cilijs, hoc eſt in extremo ambitu genarum, vt latè docet Plin. lib. 11. cap. 37. qui & ideo dicit piſces, & inſecta genis non exornari, nec oculos contegere. Verum quidem eſt, genam accipi etiam pro ea parte, quæ propriè *mala* dicitur, ſub oculis ſcilicet poſita, & ad mentum deducta, quæ etiam *Gena* dicitur, quod in ea Pili gignantur. Hìc *Genas* arbitror in primo rigoroſo ſenſu à Poeta acceptas; nam cum leuem ex dictis indicet lacrymarum aſperſionem, & lacryma nihil citiùs areſcat, in Genis ipſa ſubſiſtet, ad differentiam profuſi fletus, qui malas ſæpiùs, ac pectus irrigant ipſum defluentes; quod in Cerere non euenit, quæ leuibus tantum quippè Dea, lacrymis potuit indulgere. Ideò

RORE. Ros propriè humor eſt, qui, verno tempore, de Cœlo fluit, ſerena nocte. Porrò de rore hæc habet Ariſt. 1. Metheor. *Eius autem vaporis, qui interdiù educitur, quidquid, ob caloris ſurſum ferentis paucitatem, aquæ ſublatæ comparatione, in ſublime non tollitur, rurſus, cum, noctu, refrigeratum fuerit, delapſum ros, & pruina nuncupatur; pruina quidem, cum vapor ante conglaciauerit; ros verò, cum in aquam vapor concreuerit; nec vapor huiuſmodi eſt, vt id, quod in ſublime elatum eſt, exſiccet; nec tale frigus, vt vaporem gelet, propterea quod aut locus calidior ſit, aut tempus: ros enim in Cœli ſerenitate, locisq; temperatis magis gignitur.* Ex hoc autem Ariſt. textu habes, rorem fieri ex modica euaporatione; vbi è contra pluuiæ ex largo vapore progenerantur. Patet, quod de rore dicimus, ex textu, inquam; quia, dum dicit, calorem eleuantem modicum eſſe, modicam etiam tantum euaporationem profectò attollet; ſicut enim quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, ſic quidquid eleuatur ad modum eleuantis eleuabitur; atq; ideò modicus calor non poterit vaporem vltra vires ponderantem eleuare. Et licet videatur Ariſt. indicare, vaporem eleuatum grauiorem eſſe, quam vires caloris eleuantis ferre poſſint; aduerte Ariſt. non locutum abſolutè, ſed comparatiuè ad maiorem, vel minorem diſtantiam: vires enim caloris ſufficiunt ad eleuandum, V. G. vſq; ad talem diſtantiam; ſed eleuantes deficiunt ita vt magis in ſublime ferre non poſſint. Quarè nunquam pondus excedet vires eleuantis, adeoq; cum modicus ſit calor, modica erit euaporatio eleuata, ex qua ros concreſcit. Hinc aptè metaphora roris vtitur Vates, ad leuem lacrymarum aſperginem exprimendam. Adde maximam eſſe, inter rorem, & huiuſmodi lacrymas, proportionem; nam ſicuti ros concreſcit ex vapore per vim caloris attracto; ſic lacrymas diximus ex calefactis cerebri vaporibus efformari: ſicuti, ſuperabundante calore, ita vt euaporationes iam eleuatas exſiccet, ros non decidit; ſic, ſi tanta ſpirituum copia ad cerebrum aſcendat, vt illius humidum exſiccet, areſcunt lacrymæ, nec decidunt; & hinc eſt, vt viri, in excedenti doloris, vel iracundiæ motu, fletus non effundant, quia ſcilicet nimius calor efferueſcens humorem cerebri exſiccat, & lacrymas deſtruit potiùs, quam efformet. Adde, liquatas margaritas appellari ſæpiùs lacrymas à Poetis: cum autem ex rore Cœli concreſcere in Conchis margaritæ dicantur, nil mirum, ſi eruditè loquens Auctor roris nomine lacrymas deſignet, præcipuè cum vidiſſet ab antiquorum ſapientia in lacrymarum hieroglyphicum vniones adſcitos, vt refert Pier. Hierog. lib. 28., & ſciret à coniectoribus affirmatum, vniones in ſomnis viſos

pro-

proſluuium portendere lacrymarum, vt idem docet Pier. lib. 41. Porrò lacrymarum varias enumerant cauſas auctores, nempè mæſtitiam, amorem, deſiderium, iram, inuidiam, pudorem, & alias quas perleges apud Cauſ. cit. Quod ſi cauſas quæras, cur Cereri aptentur lacrymæ à Poeta hic, in promptu ex dictis eſt reſponſio, nempè vt ex conſequentibus antecedentia, ex effectibus cauſas intelligamus. Filiam deſeruerat, & iam Sicilia, vbi illa remanſit, e conſpectu abierat. En deſiderij fomitem, & igniculum, præſertim in Matre, in qua amor ſummopere triumpharet, vt iam vidimus: *Præſaga mali* mæſtitia obruitur, & pudore, ſentiens, ſe quid indecens Matri commiſiſſe, dum ſui præſentia filiam deſtituiſſet, & curà. Ideò his affectibus Cereris animum torquentibus nil mirum, ſi Genas violauerit rore.

OBORTO. A verbo oborior, quod eſt *naſcor, in lucem prodeo*, quod lacrymis applicatum centies reperias apud latinos. Tantum nota hoc ipſo participio ſatis oſtendi non profuſis fuiſſe lacrymas, quæ naſcentes dictitantur.

QVOTIES OCVLOS AD TECTA RETORSIT! Expreſſa imago animi dicitur oculus, atque ideò eamdem facit oculus viam, quam animus ipſe facit. Cereris itaque animus ad Cybelem properabat: *Turrigeramq; petit Cybelem &c.* Sed ad Proſerpinam retrahebatur; & *Mens præſaga mali* in ipſam, retrocedens, ferebatur. Ideò & Cereris oculus reſpicit quidem Phrygios Penates, quo Comes animi tendit, ſed, animo ad Proſerpinam redeunte, comes item animi ad Proſerpinam conuertitur, retro identidem reſpiciens oculus. Quarè ad experimendam Deæ animi fluctuationem, qua, contrarijs motibus, fluxum ac refluxum patiebatur, nullo aptiori hieroglyphico, vti potuit Poeta, quam oculo. Ideo: *Quoties oculos ad tecta retorſit!* Inſuper oculi affectuum cordis indices certiſſimi ſunt, ex quo fit, vt oculus in ſublime elatus arrogantiæ, ac ſuperbiæ indicium exiſtimetur; demiſſus verò humilitatis, & deiectionis: nutantes oculi malitioſos arguunt mores, cogitationeſq; peruerſas: Immobiliter hærentes meditantem produnt ſpeculantemq; vel ſtupidum &c. Sed, vt noſtra peragamus, quemadmodum oculi auerſi negantis, aut faſtidientis geſtum oſtendunt, vt dicebamus in explicatione ad Carm. *Deſpexit vtrumq; &c.* ſic oculi conuerſi, hoc eſt in intuitum proni amantis, & obſequentis affectum indicant; quia, ſicuti oculi, vt ait Proper. ſunt in amore Duces, ſic viciſſim ab amore ducuntur, & in obiectum feruntur amatum, ita vt Amantis oculus aptè poſſit Eliotropio comparari, quod ſemper Solem contemplatur, ſemper ad Solem vertitur. Quod ſi Amoris affectui addatur Zelotipia, quæ vel alienationem Amaſiæ, vel malum eidem imminens, & quod euitare cupiat, pertimuerit tunc totus oculus fit amans ipſe, cum Zelotipia vndequaque oculis ſtipata incedat, vt expreſſit Ripæ Iconologia, & ad quod reſpiciens cecinit eruditiſſimus ille

Geloſo amante apro mill'occhi, e miro;
E mille orecchie ad ogni ſuono intento,

ita vt vix euenire quid poſſit, quod amantem fallat: iuxta id, quod dedetecto à Didone ſecreto Æneæ apparatu ad fugam cecinit Virg. Æn. 4. *Quis fallere poſſet amantem?* Sic igitur Cereris oculi ab Amore in Proſerpinam ducebantur; &, licet Draconum volatu longiſſime abſtraherentur, non poterant, quin Eliotropium imitarentur ad Solem conuerſi ſuum. Zelotipià afficiebatur Mater metuens, ne, per abſentiam, amor in ſe filiæ tepeſceret; præſaga mali infortunia horrebat; ideò conuerſis ſæpius oculis, ſi non natata, aut inſulam, in qua morabatur, ſaltem illius Cœli tractum auidè perluſtrabat. Vide quot, & quantos affectus exprimat Poeta hoc vnico carmine, & quantas, his oculorum caracteribus, exaret paſſiones, & quidem naturam imitatus: nam naturale eſt vnicuiq; vel Patriam, vel charos relinquenti, ſæpius & animo ſimul, & oculis relicta repetere tecta; ideòq; & Ceres iiſdem motionibus indulgens deſcribitur.

QVOTIES. De hoc aduerb. ſatis dictum ſupra.

RETORSIT. Retorquere, vulgo *rogirare, riuoltare*, eſt iterum iterumque oculos reuoluere in eam partem a qua diſceſſeris, quo actu denotatur diſcedens inuitus diuelli. Non diuellebatur inuita Ceres, e Sicilia, cum ſpontè iter arripuiſſet; ſed amore retrahente, atq; itinere reluctante; perindè ſe habebat, ac ſi traheretur inuita. Ideò retorſit

OCVLOS. Indices ſcilicet animi, vt dicebamus, filiæ deſiderio flagrantes, in quibus maxima elucerent amoris indicia. Oculos verò ab oculando dictos Varroni placuit, eo quod Ciliorum tegminibus oculantur, vt munitiores ab externis aſſeruentur iniurijs.

AD TECTA. *Tectum* à tegendo dicitur *ſumma pars domus, qua cætera teguntur*; hic per Synecd. pars hæc pro tota ponitur Domo; & Amantis eſt ſaxa ſaltem, quibus amatum clauditur obiectum, ſi obiectum ipſum non liceat, oculis perluſtrare. Aſt quomodo Ceres tecta reſpiceret, dum non anguſta iam ſolum, & depreſſa domus, ſed ipſa ingens Ætna, totum ipſum Siciliæ corpus, ex ſupra dictis, euanuerat e conſpectu? Aduerte ſolertiſſimam Poetæ prudentiam, qui ideò non dixit: *retorſit in tecta*; ſed *retorſit ad tecta*; maxima enim inter hos duos loquendi modos intercedit differentia; primus quippè modus non verificatur, niſi linea viſualis id, in quod dirigitur oculus non attingat; hoc eſt ſine præſentia obiecti non habet veritatem; talem enim vim habet particula *in* quæ præponitur obiecto. At ſecundus modus, ex vi particulæ *ad* quæ idem ſignificat, ac *verſus* non requirit præſentiam obiecti, ſed ſufficit, ſi verſus obiectum, hoc eſt eam partem verſus, in qua ſcimus obiectum eſſe, oculus dirigatur, licet obiectum ipſum nec videat, nec videre poſſit.

TALIA VOCE MOVENS. Parum fuiſſet, ſi ſolis oculorum conuerſionibus, amorem ſuum erga filiam teſtata fuiſſet Ceres, niſi eumdem vocibus explicaſſet. Ignis Amor eſt; aſt, vt alibi vidimus, nec occultari clauſus adeò poteſt ignis, quin per aditus omnes, quaqua dentur, erumpat. Miniſterium ſuum impleant oculi, non ſatis eſt, niſi & lingua ſuum exerceat. Præfecta aerario cordis lingua eſt, atq; ideò ex eiuſdem penetralibus amoris ſenſus elicere ſuum eſt. Sequatur itaq; oculos lingua, vt clariùs emicet Amor. Adde quod, ſeriem auguriorum proſequitur ordinatam ingenioſiſſimus Poeta. Sicut enim primò loco poſuit ſpontaneam mærorem, internamq; animi paſſionem, ſecundo obortas ſine cauſis lacrymas; ſic tertio innuit loco frequentem oculorum conuerſionem, quæ pariter mali ominis eſt, nam eos, qui breui à nobis diuellendi ſunt, frequenti adeò ſolemus obtutù contemplari, vt vix eorum aſpectu oculos, futuram dictante natura orbitatem, explere poſſimus. Hic igitur Auguria proſequens Cererem induit loquentem, vt vox ipſa, licet præter Cereris intentionem in mali ominis, creat portentum, dum orationem ſuam per verbum *ſalue* exorditur, quod funereum eſt; nam hac eadem voce antiquitus mortui à funeratoribus conſalutabantur, *Salue, vale*, & quamquam ea vox directè in Proſerpinam non feratur, indirectè tamen funus indicat, licet oraculorum more alienis prodeat inuolucris obuelatum. Per has igitur particulas *&* mala proſequitur Vates omina, quibus debuerat Ceres prudens fieri, & gradatim procedens magis adhùc exprimit Cereris affectus, ac tandem tranſitum facit aptiſſimum ad eiuſdem, filiam Siciliæ Commendantis, Proſopopeiam.

VOCE MOVENS. Vox propriè ſonus eſt ex animalis ore prouenienſ; tamen, quia hæc vox non fit, niſi per motum organorum voci deſeruientium, ideò qui loquitur, dicitur *mouere verba*, & interdum dicitur mouere ea ipſa, de quibus loquitur, eo quod voces ponantur immediate loco terum, licet ponantur ſimul etiam loco conceptuum mentis: Sic qui, voce, Tragica exprimunt facta, Tragædias mouere dicuntur. Sic itaq; Poeta hic ait *Mouens talia voce*, vt indicaret articulata verba per motum fieri, ideòq; verba ipſa moueri, & promobis à loquente, & *mouere voce*, quia vox eſt ſonus, ex quo verba componuntur, & efformantur, atque ad motum organi exprimuntur. Quarè idem eſt *voce mouens*, ac dicens, adhibita circumlocutione.

TALIA. Vide dicta de hac voce ad Carmen

Prima fere Lacheſis clamabat talia Regi.

Hùc illa referenda tantum indico ſubintelligi *verba*

SALVE GRATISSIMA TELLVS &c. Proſopopeia hæc eſt, qua per apoſtrophem Ceres Siciliam alloquens inducitur, atq; adeò totam Cereris orationem à ſalutatione inceptam proſequitur. Præponitur autem ſalutatio (quantum ex intentione Cereris fit, licet ex ſecreto arcano naturæ ominatio fuerit) ad hoc vt beneuolentia captetur in exordio, & ad hoc ipſum adnectitur expreſſio amoris, quo Siciliam proſequitur Ceres, & inſuper, quæ implicite latet, laus ſalutatæ Siciliæ. Sed cur hic Ceres Siciliam alloquatur? Cur illi commendet quam ipſa deſeruerat? Deſeruerat ſecura, ideſt nil filiæ metuens, vt dixi; Aſt, quia ſemper de natis ſollicitus eſt amor maternus, dum illa iter faceret ſollicitudines exercuit ſuas, iſq; matris pectus iterum lacerans, ſopitas iam ſuſpiciones excitauit; ideoq; Ceres præſaga mali ex vi amoris eſt facta, quia ſemper, quod ſuſpicatur, Amans, vigilans ſomniat, vt ait Seneca; Sed tamen adhuc ignara, dicebamus, modum malis occurrendi non vide-

bat, nec cui malo obſtandum diſcernebat; ideóq; anceps animi hærebat. Verum, ne materno muneri deeſſe videretur, filiam ſtatuit commendandam fidei eorumdem Larium, quibus iam illam commiſerat, vt ſui vicem, dum anceps ipſa remoratur, ſubeant filiæ Proſerpinæ defenſores. Ideò Siciliam alloquitur, eiq; ſuum pignus commendat. Sed adhuc hæremus ſyrtibus; nam, dum Ceres Siciliam obſecratur, vt filiam cuſtodiat, nonne apud ſurdas aures preces iactat? Inanimis profectò inſula eſt, nec ſenſum habet auditiuum, nec potentia pollet executiua. Verum facilè has ſyrtes euademus, ſi meminerimus, vnicuiq; Regnorum, Prouinciarum, Inſularum, Vrbium &c. proprio Penates Deos adiectos fuiſſe. Ceres itaque, dum Siciliam alloquitur, continentem pro contentis, ſeù rem poſſeſſam pro poſſeſſoribus accipiens ſermonem quidem ad terram ſiculam dirigit materialiter, formaliter verò ad Deos præſides Siciliæ. Secundo memineris, Deam eſſe quæ loquitur; reſpectu autem Diuinitatis, omnia etiam inſenſata ſenſum habere videntur, vt audientia dicto ſint, & etiam potentiam habere executiuam, vt nutui, nedum expreſſo verbis pareant imperio. Hoc innuit idem Claud. in antedictis, dum, Plutone loquente, atria deſcribit ſilentiò ad audiendum compoſita.

Ore tonat: tremefacta ſilent dicente Tyranno
Atria &c.

idem videtur ſenſiſſe Virg. Æn. 9. & 10. dum Ioue loquente tremens Cœlum inducit, repetens vtrobique.

Annuit & nutu totum tremefecit olympum.

nil igitur mirum, ſi *Dea* terram *tamquam audientem* alloquatur, illique filiæ defenſionem commendet ſuſcipiendam. Adde, Cereris orationem ex vehementia amoris in filiam profluere; &, quia amans, quod ſibi optat, ſibi etiam facile perſuadet, nil mirum ſi Ceres amans, optanſq; vt ipſa terra Argus fiat animatus ad cuſtodiam natæ deſtinatus, talem iam ſibi eſſe perſuadeat, dictoq; audientem fore; ideò illam alloquitur perinde, ac ſi anima frueretur. Deniq; Inter ornatiſſima Rhetorum lumina nonne conſpicuum eſt illud Proſopopeiæ quod perſonas conſtituit in rebus, quæ ſine perſonis ſunt, & ſenſum tribuit, quæ non habent? Audi Virg. Æn. 4. vbi inducitur Dido Sychei exuuias ſic alloquens.

Dulces exuuiæ, dum Fata, Deuſq; ſinebant,
Accipite hanc animam, meq; his abſoluite curis.

audi eumdem Georg. 2. terram vt hic Ceres conſalutantem.

Salue magna parens frugum ſaturnia Tellus.

& audi Italiam ab Ænea conſimili metro ſalutatam Æn. 7.

Continuo ſalue Fatis mihi debita Tellus &c.

Pariter Æn. 5. *Cineres Patris ſalutat Æneas*, ex quo obiter patebit etiam quomodo vox *Salue* funerea fuerit, & in funeribus adhiberi ſolita.

Salue ſancte Parens, iterum ſaluete recepti
Nequicquam cineres &c.

& in funere Pallantis mortuum alloquitur Æn. 10.

. . . . . Salue æternum mihi maxime Pallas
Æternumque vale. . . . .

Saxis ſenſum videtur tribuere apud Torquatum Hieroſ. lib. Cantu 12. Clorindæ Amator, dum marmoreum defunctæ ſepulchrum ita alloquitur.

O' ſaſſo amato, & honorato tanto,
Che dentro hai le mie fiamme, e fuori il pianto.
Non di morte ſei tù, mà di viuaci
Ceneri albergo, ou' è ripoſto amore;
E ben ſento io da te l'vſate faci,
Men dolci sì, mà non men calde al cuore.
Deh prendi i miei ſoſpiri, e queſti baci
Prendi, ch' io bagno di doglioſo humore,
E dagli tù, poich' io non poſſo, almeno
All' amate reliquie ch' hai nel ſeno.

Sic, lib. 14. de Cruce apud Bracciolinum, alloquitur Eliſa ferrum illud, quo occiſus fuerat Alcestes coniux his verbis:

Ferro, ohimè, ferro; à trapaſſarmi Alceſte
Ben la tua ferità ſi ſmaſpra, e indura &c.

Sed quid lucem quæramus in Sole? Ornatiſſimè non minus, quam prudenter, ſimuli vtitur methodo, in oratione Cereris contexenda eruditiſſimus Claud., & noſtrum iam eſt ſingulas eiuſdem orationis partes explicare.

SALVE &c. Eſt hæc oratio in genere deliberatiuo, & ſuaſorio ſtylo decurrit. Quia verò maxima perſuadendi vis amori ineſt, vt docet Pier. Hierog. lib. 25., cum oratio huiuſmodi ex impetu effluat amoris, partes omnes explere debet ad ſuaſionis efficaciam requiſitas; quod vt adimpleat Poeta perpendamus. A ſalutatione exorditur, qua beneuolentiam captet, vt diximus; nec enim quidquam magis beneuolum reddit Auditorem, quam ſi nos ei addictos oſtendamus; &, cum beneuolum fecerimus, facilè illi quidquid volumus, ſuadebimus. Docilem reddit, non petituram Cererem niſi honeſta, dum Siciliam gratiſſimam appellat; nam ab amico honeſta tantum petenda: & eodem tempore attentionem conciliat; nam dum quis ſe amicum profitetur præſupponitur dicturus ea, quæ ipſi amico audienti ingrata non ſint futura, atq; adeò attentionem excitat reciprocans amor. Sequitur narratio, ideſt expoſitio petitionis; *tibì commendo &c*. Petitionem honeſtat: *commendo labores veteri*; ſemper enim honeſtum eſt Matri filiæ incolumitatem procurare; & honeſtum eſt, ſi quis tali Matris faueat deſiderio. Motiuum petitionibus annuendi, ſumma dexteritate implicitè præpoſuerat; teneri nempè Siciliam ad Cereri annuendum titulo gratitudinis: *quam nos prætulimus Cœlo*. Narrationi cauſam innectit, qua poſtulata ab animo grato concedenda ſint; quia ſcilicet Gaudium eſt illius, quæ tanti inſulam fecit, vt eam prætulerit Cœlo: *Gaudia noſtri ſanguinis*. Denique ſpe præmiorum allicit, cum ſciat, muneribus placari, hominesque, Deoſque; nec leuia præmia, quæ tamen ſingillatim exprimit, futura indicat, dum ea cultorum admirationem conciliatura profitetur. Breuem debere eſſe ſuaſoriam orationem, & confieri ab oratore, nobilitatis, auctoritatiſq; decoramento inſigni, docent artis Magiſtri. Quænam breuior iſta, quæ ſeptimum non explet carmen; & nulla tamen in ea pars deſideratur? Orator Dea eſt, atq; vt auctoritatem oſtentet more Principum loquitur: *Nos prætulimus: Noſtri ſanguinis &c*. Vide quam exactè oratorios apices attingat Auctor. Sed artificio iam cognito, ad ſenſus, & conceptus deueniamus.

SALVE. Verbum ſalutantis eſt, idem ſonans, ac *ſaluus ſis*; quod verbum, vt patet, inaugurationem continet ſalutis, & conſequenter exprimit amicitiæ fidem, cui proprium eſt in bonum ſemper, ac ſalutem amici, toto animo ferri; ideò verbum aptiſſimum ad conciliandam beneuolentiam. Quarè Antonius ille ab Amiano relatus, qui ab Vrſicino agnitus in hoſtili acie ſtans, & proditor ideò, ac nefarius ab eodem Vrſicino appellatus, cum veniam petiturus ex equo proſiluiſſet, Vrſicinum, ſe ad terram vſq; inclinans, ſalutauit, Dominumque, ac Patronum, appellauit, ſciens, hoc maximè ad conciliandam conferre beneuolentiam. Ideò etiam Claud. hic à ſalutatione incipientem inducit Cererem. *Salue*.

GRATISSIMA TELLVS. Tellus, in rigore loquendo, non ipſa terra eſt, ſed eſt *terra Dea, cui nomen Tellus*; licet interdum rem poſſeſſam ex poſſidente, nempè terram ipſam ex Dea terræ intelligamus. Et certè hic Vates Deam poſuit terræ, non ſolum pro terra ipſa, ſed pro parte ſola terræ, nempe pro Siciliæ inſula; licet indirectè Siciliæ Genium, ſeù Siciliæ Deos præſides alloquatur, vt innuimus. Sed nota acutiſſimum Poetæ artificium, qui in hoc verbo efficaciſſimos abdidit ſtimulos, quibus acta Sicilia Cereris petitionibus nequaquam renuere poſſet. *Tellus* igitur, non *terra*, dixit Ceres, vt Siciliæ nomen *Telluris Deæ*, cui Sicilia ipſa ſe totam deberet, commemorans, & obijciens inſinuaret, nil Cereri, Telluris filiæ, atq; ad obſequium Telluri præſtandum properanti, denegandum: memineris enim, Cererem ad Cybelem iter facere, Cybelem autem *Terræ Deam* eſſe, vt diximus in anteacta lectione, & conſequenter eamdem eſſe, ac *Tellurem*: efficaciſſimum porrò motiuum, ne Inſula detrectaret Cereris iuſſum, ne videretur *ipſam terra*, & conſequenter *ſui ipſius Deam*, eiuſdemq; obſequia paruipendere, & negligere. Verum ne artificium appareat, cum præcipua oratoris ars ſit artem tegere, & ne videatur Ceres cogere potiùs velle, quam poſtulatione vti, Telluris nomen Siciliæ aptat, nomen Deæ innuiſſe contenta. *Salue Tellus gratiſſima*. Triplicem ſenſum ex hoc nomine *gratiſſima* video reſultantem; *Gratus* enim, à quo ſuperlatiuum *gratiſſima* deducitur, primò idem ſonat, ac *charus, dilectus, peramatus*; in quo ſenſu hoc ipſum nomen video vſurpatum a Virg. Æn. 5. dum ait:

Tranquillo ſilet, immotâq; attollitur vndâ
Campus, & apricis ſtatio gratiſſima mergis.

idem in eodem ſenſu vſurpauerat Æn. 3.

Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum Matri, & Neptuno Ægæo.

Secundò pro eodem ſumitur *Gratus*, ac *Iucundus, ſuauis, lætitiam, ac voluptatem afferens*, & *libenti animo promtus ad iuuandum*; nam teſte Cic. 2. de finib. Iucundus à Iuuando dicitur, propterea quod, quæ iucunda ſunt, mentem, & ſenſum iuuant. In hoc ſenſu Liuius, lib. ab vrbe condita 2., inquit;

quit: *Grata in vulgus leges ferre*; ideſt *mites, ſuaues, iucundas, ac rumentes*. Tertio de eo dicitur, qui gratiam pro accepto refert beneficio, vel ſaltem memor eſt, vt cuiq; in promptu patet. Triplicem autem hunc ſenſum complectitur hic Poeta, dum facit, vt Ceres *gratiſsimam* appellet Siciliam; pro quorum explicatione, nota, non potuiſſe non eſſe Cereri dilectam Inſulam, in qua Ceres ortum habuerit, vt quamplurimi autumant, & de quo alibi dictum; dilecta enim vnicuiq; adeò Patria eſt, vt Iris Beroem ſe eſſe effingens, apud Virg. Æn. 5., infælices, ac miſeras vocet Troianorum Matres, eo quod non occubuiſſent ſub patrijs mœnibus, quaſi infælicior ſit vita extra Patriam ducta, quam mors ipſa in Patria, & amor Patriæ efficiat, vt Mors in illa ſit dulcior, quam alibi vita.

O' miſeræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad Lethum Patriæ ſub mœnibus. O' Gens
Infelix! Cui te exitio fortuna reſeruat?

Summè dilectam igitur ſibi Siciliam Ceres profitetur, ideò gratiſſimam appellat, & quia eius Patria eſſet, & quia in illa ſummè vigeret Cereris cultus, vt alibi diximus. Dum autem ſuas in Inſulam ſic affectuum memorat propenſiones, magis adhuc beneuolentiam conciliat; nam magnes amoris amor. Subindè, quia laus dulcis vnicuiq; eſt, & quem audimus acta collaudantem noſtra facilè amamus, Ceres hoc ipſo nomine *Gratiſsima* laudes includit Siciliæ eam laudans à lenitate, qua ſemper prona ad iuuandum ſit, opemque ferendam; ac ſic inſinuat fiduciam, quam habet poſtulata obtinendi, dum eam poſcit, quam *gratiſsimam* ſe agnoſcere profitetur, ideſt ad beneficia impertienda procliuem, quod eſt maximum artificium oratoris perſuadere conantis. Denique vt eamdem fiduciam magis oſtentet Siciliam in tertio ſenſu *gratiſsimam* appellat, quod ſanè poterat experientijs confirmare: nam ſi Ceres illam frugibus, illa Cererem Aris cumulauerat. Virtualiter itaq; tria hoc nomen *Gratiſsima* continet argumenta. Primum eſt. Dilectus à dilecto polliceri ſibi omnia iure debet: Tu mihi *gratiſsima*, hoc eſt, *dilectiſsima* non potes, quin mei diligens ſis: ergo iure omnia abs te mihi polliceor. Secundum eſt: Summa in ea fiducia collocanda eſt, qui, lenis natura, ſemper ad beneficia impertienda promus eſt: Tu talis, dum *gratiſsima*, ideſt ſumma lenitate prædita es: ergò mihi in te fiducia collocanda eſt. Tertium verò eſt: Grati animi eſt omnia in eum, à quo beneficia acceperit, officiorum genera conferre; Sed tu gratiſſima, hoc eſt gratiſſimi es animi: ergò in me beneficam officium omne conferes tuum. En quanta congerat, ſumma ingenij perſpicacitate, vnica voce, eruditiſſimus Auctor; dum tot voicum verbum myſteria continet, & in rem quidem aptiſſima.

QVAM NOS &c. Reſpectu poſtremæ ſignificationis illius nominis *Gratiſsima*, videbatur in argumento elicito comprobanda illa pars, in qua Ceres ſe beneficam ſupponebat, & deprædicabat: quare eam iam comprobat hic; nam certè ſummi loco beneficij haberi debet honor in Siciliam à Cerere collatus, dum illam Cœlo ipſo pluris fecerit, ei fidens, quod non crediderat Cœlo, pignus. Neq; hoc eſt beneficia exprobrare: nam exprobratio in ingratos tantummodo locum habet, quæ nota non eſt inuſta Siciliæ, cum immò gratiſſimam fuiſſe præmiſerit Ceres; ſed tantum docere eſt, iure beneficium expectari ab eo, qui contulit; nam, vt ait Seneca, *beneficia dediſſe eſt reddere docuiſſe*; &, *beneficia ſe dediſſe quædam, potiſſimè* eodemque tempore ſe alia ſpondet cumulaturum beneficia; vt enim habet idem Seneca, *Beneficia plura rec ... reddere*. Cum itaq; oratoris ſuadentis officium ſit habere pro fine honeſtatem, pro motiuo vtilitatem, & ſpei affectum mouere: omnes implet partes hæc Cereris oratio. Finem honeſtatis iam indicauimus ſupra: motiuum vtilitatis hic attingit, cum beneficia plura ſperare debeat qui petenti conferat: ex quo etiam fit, vt ſpei affectus mirum in modum excitetur. *Quam* igitur relatiuum eſt in memoriam adducens ſuum antecedens, nempe Siculam terram, quam Ceres alloquitur.

NOS. Per ſynecd. ponitur ita vt, ex plurali numero ſingularis ſit intelligendus; quod eſt more Principum loqui, vt ſupra innuebamus, ad oſtentandam dignitatem, auctoritatemq; perorantis. Sed hæc obuia nimis. Aliud latet rudi ſub hoc cortice myſterium. *Nos* inquit, non *Ego*; quia, cum pro ſalute filiæ peroraret, voluit filiam ipſam in partem collati in Siciliam honoris vocare; Ideò *quam Nos*, ideſt *Ego ſimul, & Filia*; ſic enim beneficam filiam non minus, quam ſe ipſam, oſtendens Mater gratiſſimam tellurem ad beneficium Filiæ reddendum vehementiſſime excitabat.

PRÆTVLIMVS. *Præferre* eſt *aliquem alteri anteponere*, ita vt vnus præeligatur, alter relinquatur; quod quidem, reſpectu Siciliæ Cœlo comparatæ, Cererem feciſſe, vidimus, dum *Æthera deſerimus, ſiculaſq; relegat in oras*. Prætulit amoris affectu, dum magis à ſe Siciliam diligi, quam Cœlum, hanc eligens, illud relinquens, oſtendit: Prætulit confidentiæ effectu, dum plus Siciliæ credidit, quam Cœlo: & prætulit honoris tributo, dum illam Cœlo tutiorem ad contutandam honeſtatem, facto ſuo, declarauit. Cur autem plurali numero, & hic vtatur vide dicta ad particulam *Nos* ſupra.

COELO. Cœlum vno nomine dicitur tota illa Mundi pars, quæ eſt ſupra elementum ignis, quam Ariſtoteles ætherem vocaunt, licet Anaxagoras nomine ætheris ipſam, & ſolam ignis ſphæram deſignari voluerit. Cœlum autem dictum eſt à cœlando, eo quod, ſtellis intermicantibus, cœlatum quaſi auro argentum appareat Cœlum. Sedem fœlicitatis eſſe Cœlum ambigit nemo: *in Cœlum euehi* eſt *ſummis affici honoribus*; vno verbo, propriam Deorum ſuorum ſedem Cœlum exiſtimarunt antiqui. Inſuper veteres Phyloſophi, vt refert Pier. lib. Hierogl. 42., Cœlum cognomento Amoris condecorarunt; ideoq; Alas, & ſagittas, velocitatis ſymbolum, Amori addidere, velociſſimum Cœli motum exprimentes: addidere & faces nempè ignem, ad ſydera exprimenda, cum ea ignitas eſſe moles nonnulli dictitauerant; ac Puerum Amorem effinxere, primumq; tamen omnium gentium extitiſſe, quia e Cœlo ſenium auferant, licet primum rerum aſſerant creatarum. Plutarcus, apud eumdem Pier. lib. 34., Cordis effigiem, ſubiecto igne ſuccenſam Cœli ſymbolum eſſe voluit, quaſi Cœlum innuerit Amorem eſſe, qui corda rapiens igne ſuo inextinguibili accendat, ac fœliciter adurat. Ex his maximam in poetico hoc textu emphaſim agnoſcas; & quam maximam amplificationem in ſolis vocibus *prætulimus Cœlo*, tacitè concludatur, & effluat perpendas. *Prætulimus Cœlo*, in cuius comparatione, totus inferior terrarum orbis punctum eſt, ac ferè nihil; Cœlo, cuius ſemper influxibus indigeat terra, ne deſerta ſterileſcat, & arida; Cœlo, cuius ſydera contemplantem, adeò arripiant, vt exclamare cogatur: Heù quam ſordet tellus, dum Cœlum aſpicio; Cœlo, in quo tantum vera reſidet fœlicitas, cum fœlicitatis vmbra tantum vix in terris diuagetur; Cœlo, quod Deorum ſedes, Patria, requies, delicium eſt, cum terram vix dignentur aſpectu, interituram, ni à longè ſaltem reſpiciant tamen; Cœlo quod Amor eſt omnia corda rapiens, ac deſiderio ſui complens, perpetuo igne ſuccendit; cum à terra ſemper euolet, quippè ignis, Amor: & tamen Nos te, hoc Amore poſthabito, Amorem noſtrum conſtituimus, & cœnum Cœlo prætulimus. Hæc omnia virtualis dimidij carminis ſenſus exprimit abundè, apud Poetam noſtrum, quo qui plura poſſit ingerere, vix comperies.

TIBI GAVDIA &c. Habetur iam hic expoſitio petitionis, qua ſcilicet Ceres à Sicilia poſtulat, vt ipſam matris abſentis vicem ſupleat, Proſerpinam fouens, protegens, intactamq; matri reduci reſeruans.

COMMENDO. Hoc eſt: Filiam, tuæ iam fidei commiſſam, Protectioni iterum tuæ defendendam committo. Magna profectò dignitas eorum eſt, quibus Principes ſecundas in regno ſuo partes demandant. Quare hoc ipſum, nempè, vt Sicilia Cereris ſubeat partes; licet ab ea beneficij loco id poſtulet Ceres; maximum tamen eſt beneficium à Cerere impertitum Siciliæ. Ideò hoc ipſum, & poſtulatum eſt, & motiuum, ne onus audeat impoſitum detractare; qui enim beneficium ſponte oblatum recuſat, indignum ſe beneficio fatetur, ac beneficas in vltionem prouocat manus.

TIBI. Nota hic conflictionem pulcherrimam contrariorum, in emphaticis vocibus *Nos*, *Tibi*, latentem. Nos diuinitate conſpicua Numina; Tibi ſemper diuinitatis ope indigens: Nos Cybelis Filia; Tibi eidem addictæ: Nos amantes; Tibi amatiſſimæ: Nos fidentes; Tibi cui fidimus: Nos beneficia largientes; Tibi beneficijs à nobis cumulatæ: Nos te Cœlo præferentes; Tibi per Nos Cœlo prælatæ: Nos altiora beneficia collaturæ, ſi reddideris; Tibi largiora accepturæ, ſi annueris: Nos abſentes; Tibi præſenti &c. vt videas, quam fœcundus ſemper arcanorum ſenſuum in vnoquoque verbo adſit Poeta.

GAVDIA NOSTRI SANGVINIS. Ab adiunctis Perſonæ, quam commendat, oſtendit, quanti, ad ipſam, momenti ſit, eam intactam ſeruari, & quanti factura ſit beneficium à conſeruante impertitum. Ideò Natam, quam commendat non appellat *Filiam*, non proprio nomine *Proſerpinam*;

nam; ſed antenomaſticè *Gaudia noſtri ſanguinis*. *Gaudia* autem, dixit, non *Gaudium*; quia, ſicuti iam dixerat Vates, *Dominam numeri Proſerpina penſat*; innuens ſolam Proſerpinam multis æquiualere, ac propterea multorum habere rationes gaudiorum. Gaudium itaque affectio animi eſt ex præſenti bono concepta, quâ iuſtâ aliquâ ratione mouetur animus placidè, & conſtanter; ſed ita tamen, vt exhilaratio, quâ afficitur, non incompoſitè erumpat. Cur autem filius, vel filia gaudium eſſe dicatur Patris, aut Matris, vide dicta ad Carm.

. . . . . . Nec dulce Patris cognoſcere nomen.

Eo autem ipſo, quod Ceres ſuum gaudium, lætitiam ſuam, ſuaſq; delicias, Proſerpinam appellat, ingentem addit ſtimulum grataſſimæ telluri, vt illius enixè curam gerat; nam, qui gratum habet animum erga beneficiorum largitorem, ſi par pari omninò referre non poſſit, conatur ſaltem, vt hilarem habeat, &, quantum poteſt, efficiat. Quarè videtur Poeta hoc modo argumentum efformare. Qui grati animi eſt non poteſt minori diſpendio ſe talem oſtendere, quam vt Gaudia benefactoris procuret conſeruanda: Tu grataſſima es, & ego, benefica, tibi mea commendo Gaudia; ergò hæc à te mihi, pro viribus, conſeruanda.

NOSTRI SANGVINIS. Congruenter hic *Noſtri*, inquit, cum ſuperius *Nos* dixiſſet. Quarè ſi illud per ſynecd. dictum eſſe intelligas, idem erit & hic dicendum. Sed ſicuti non caret ibi myſterio particula *nos*, vt vidimus, neq; hic arbitror myſterium deeſſe, cum animaduertam, in hac Cereris oratione plures eſſe animi ſenſus, & ſententias paſſim, quam verba. Ad detegendum igitur Arcanum memineris, Proſerpinam Cereris filiam eſſe, & Iouis, conſequenter non minus eſſe illam *gaudium* Patris, quam Matris: memineris inſuper, Cererem, ac Iouem Opis filios fuiſſe, (quam eamdem eſſe, ac Cybelem diximus) & quidem ex Saturno progenitos. Quarè, vt Ceres Siciliæ nouum ſuggerat motiuum ad Proſerpinæ curam ſuſcipiendam, per particulas *Noſtri ſanguinis*, tacitè innuit, fore vt non ſolum ſe, verum & Iouem, & Cybelem, in quorum Gaudium Gaudia filiorum redundent, ſibi, hoc vno miniſterio valeat deuincire. Ideò non *mei*, inquit, ſed *noſtri ſanguinis*. Sanguis enim ſæpè ſæpius pro ſtirpe, ac progenie ſumitur, vt patet ex pluribus Poetarum, Oratorumue locis, ac præcipuè ex Æn. pri.

Si qua fata ſinant, iam tum tenditq; fouetque
Progeniem; ſed enim Troiano à ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim, quæ verterent arces.

& eodem lib. *Sunt & Siculis regionibus vrbes,*
Armaq; Troianoq; à ſanguine clarus Aceſtes.

& Æn. 4. *Veniſſe Æneam Troiano à ſanguine cretum;*
Cui ſe pulchra viro dignetur iungere Dido.

Conſonant Italici; nam eorum Princeps Taſſus Hieroſ. lib. cant. 16. *Nè te Sofiá produſſe, e non ſei nato*
Dell' Azio ſangue tu: Te l'onda inſana &c.

& cant. 17. *Coſcia che rubellante al ſacro Impero*
Si ſottraſſe l'Egitto, e mosò ſede
Del ſangue di Macon nacque vn Guerriero,
Se'n fà Tiranno, e vi fondò la ſede.

& cant. eodem. *Con ſottil magiſtero in campo anguſto*
Forme infinite eſpreſſe il fabro dotto
Del ſangue d'Azio glorioſo anguſto:
L'ordin vi ſi vedea nulla interrotto &c.

Sed quid, dilucidando quod per ſe clarum nimia iam eſt, tempus terimus? Gaudia igitur *noſtri ſanguinis*, inquit Ceres; hoc eſt *noſtræ ſtirpis*, videlicet Iouis Patris, Cereris Matris; Opis Auiæ Gaudia ſi ſeruaueris, Proſerpinam intactam ſeruans, nos omnes addictas vtiq; habebis ſemper. Sed quomodo, inquit, *noſtri ſanguinis* dicat Ceres, dum de fœminis loquatur? Propagatio ſtirpis per ſanguinem habetur quidem, quandoquidem ſemen hominis nil aliud ſit, quam puriſſimus ſanguis ex communi Medicorum conſenſu; ſed ſanguis ille à maſculis, non à fœminis deriuatur; nam fœminæ paſſiuè tantum ad generationem concurrunt, nec mulieris ſemen actiuè, quid confert ad generationem, vt multi Phyloſophorum, medicorumq; teſtantur? Sed reſpondeo Poetam hic ſecutum fuiſſe Anaxagoræ, & Epicuri, aliorumq; Phyloſ. ſententiam aſſerentium fœminam actiuè concurrere ad generationem, vt vidimus etiam ad Carm.

Feſſaq; poſt primos haſerunt viſcera partus.

Et quidem ad quid datum mulieri ſemen, ſi nil debeat actiuè mulier ad generationem concurrere? certe fruſtraneum omninò eſſet, & tamen ſcimus à Deo, & à Natura nil factum fruſtra. Sed non eſt hic otium de veritate ſententiæ diſputare, Certè potuit Vates ſententiam, quam maluerit ſequi, ad eamq; alluſiuum referre ſermonem. Sed non hoc ſolum ineſt huic ſanguini myſterium; immò lumina innectit luminibus, & ſententias ſententijs adnectit Vates, vt ſucco plena omninò decurrat oratio. Reuertamur itaq; ex duplici iam explicata ſignificatione illius particulæ *noſtri* ad primam indicatam, & ſupponentes, Cererem per ſynecd. fuiſſe locutam, inſignem Poetæ, quem nihil lateat, eruditionem obſecro contemplemur.

Sanguis pro anima ponitur præcipuè in ſententia Empedoclis, ac plurium ex antiquis Phyloſophantium, qui putarunt, animæ ſubſtantiam nil aliud eſſe, quam ſanguinem ipſum. Vnde ortum habuit illud Virg. Æn. 9.

Purpuream vomit ille animam, & cum ſanguine mixta
Vina refert moriens &c.

Et apud Ouid. Pythagorico monitu, vt notat Pier. Hierog. lib. 21., exturbare quorumcumq; animalium cognatas nobis animas, nefanda cæde, ideò prohibemur; ne *ſanguine ſanguis alatur*. Impia tamen profectò hæc ſententia eſt. Et, licet videatur poſſe confirmari auctoritate Sacr. Script. Gen. 1. vbi habetur: *Producat terra animam viuentem*; Impius prorſus eſſet, qui rectum Sacræ Scripturæ ſenſum ſacrilegè adeò diſtorqueret: cum ſcriptura ibi intelligenda ſit de anima tantum materiali Brutorum, quæ terrea eſt, & de potentia materiæ educitur, vt optimè docet D. Baſilius, qui faceſcere omninò iubet eos, quos non pudeat Animas ſuas, & equorum, ac canum, eadem in ſpecie collocare. In homine enim certè animam, per ſe ſolam etiam ſeparata à corpore vitalis, ſuiſq; ſe continet immortalitate; Sanguis autem in carnem coactus vertitur, & cum carne corrumpitur, & in terram conuertitur: adeòq; deteſtabilis prorsùs ea ſententia eſt, quæ dicat, ſanguinem ipſum eſſe humanæ animæ ſubſtantiam. Ne tamen impium dixeris, hanc ob cauſam Claudianum; nam, licet ſanguinem pro anima poſuerit, alluſiuè, non aſſertiuè dici poteſt eam Empedoclis ſententiam attigiſſe. Veram quidem aſſeruerim Heſychij ſententiam, qui dicit, illud, quod tamquam axioma decantari ab Empedoclis ſectatoribus, ex Leuitico ſolet, nempè *vniuſcuiuſq; animam in ſanguine eius eſſe*, non in eorum ſenſu explicandum, ſed ita intelligendum, vt dicat, Animam ſocietatem habere, per ſanguinem, cum carne; vnde aliqui ſanguinem Animæ vehiculum appellarant, quia, amiſſo ſanguine, abuolat Anima. Quarè etiam hic dicendum, ſi Poetam aſſertiuè velis locutum, ſanguinem poſuiſſe pro Anima, vt poneret vehiculum pro re, quæ vehitur; & id, quo ſocietas inter animam, & corpus firmatur, pro eo quod ſocietatem, & vnionem habet cum corpore: quapropter, cum Ceres dicit: *Gaudia noſtri*, hoc eſt *mei ſanguinis*, idem fuit, ac ſi diceret: *Delicium Anima mea*. Quid patheticum magis? quid magis ad mouendos affectus, ad inclinandos animos efficax?

ET CAROS VTERI LABORES. Cauſam affert, cur tantopere ſollicita ſit; cur efficaces adeò intendat preces; ſufficere enim videbatur, ſe matrem indicaſſe, vt ſe labores vteri commendare profiteretur; Cauſa autem ea eſt, quia Mater, quæ recordetur geſtationis in vtero, ac dolores, quibus excruciata eſt cum vterum depoſuit, numquam ſatis de filia eſſe poteſt ſollicita. Hoc itaq; in cauſa eſt, cur Ceres Proſerpinam antonomaſticè appellat *Caros vteri*

LABORES. Labor interdum ſignificat operationem laborioſam, ſeù defatigationem in opere faciendo: aliquando verò ſignificat opus ipſum laborioſè factum. Hic in ſecundo ſenſu directè, in primo autem indirectè accipitur; nam certè, Proſerpinam commendans, fructum vteri, non laborioſam eiuſdem fructus elaborationem commendabat; hæc enim iam ſuo functa munere deſierat, atq; ideo nil erat, quod commendaretur. Laborem autem pro ipſa re elaborata ſæpius poni, patet ex Virg. Æn. 1.

In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumq; labores,

vbi certè vides *labores* pro fructu laborum poſitos.

& Æn. 8. *Tollite cuncta, inquit, cæptoſq; auferte labores,*
Ætnæi Cyclopes, & huc aduertite mentem.

imperat enim Cyclopibus ſiculus Faber, vt opera, quæ cæperant, ſeponant, ad aliud vt ſtatim incumbant, nempè ad Æneæ arma conſtruenda. Poni autem labores pro ipſa operis exercitatione, quam nos actionem, ſeù paſſionem dicimus, ſatis liquet; ſed, ne & hoc inexornatum relinquamus, audi Virg. Æn. 12.

Ex illo qui me caſus, quæ, Turne, ſequantur
Bella vides; quantos primus patiare labores.

& quidem pro exercitatione afflictionem, & perpeſſionem,

inſe-

afferente (vt ea parturientium eſt) labores poni, habebis clarius ex eodem Virg. Æn. 5. in oratione Æneæ ad Iouem.

Iupiter omnipotens, ſi nondum exoſos ad vnum
Troianos; ſi quid Pietas antiqua labores
Reſpicis humanos, da flammam euadere Claſſi.

quod ſi cuperes, in ſubiecta parturientium materia, labores intueri poſitos, & pro ipſa exercitatione torquente, & pro effectu partus, & pro officio ab obſtetrice parturienti adhibito, audi Virg. Georg. 4.

Altera tum primos Lucinæ experta labores.

Quarè ſumma ſanè ingenij perſpicacitate Claudianus, ore Cereris Proſerpinam *vteri* nominat *labores*, plurali vſus numero, tum ob rationes ſupra traditas, in explicatione ad nomen *Gaudia*; tum vt, vnico vocabulo, & laborum fructum, & ipſos parturientis labores Partum antecedentes, concomitanteſq; attingeret, quos etiam indirectè diximus à Cerere commendatos, quia, ſaluo laborum fructu, videntur labores ipſi, in gaudia conuerſi, ſuaui perennitate vigere, & animos identidem oblectamentis afficere. Quarè & Virg., licet in diſſimili, Æn. 1. ait: *Et hæc olim meminiſſe iuuabit.* Pereunte autem laborum fructu, videntur & ipſi, in eo, periiſſe labores, eo quod incaſſum labores ſuſtinuiſſe videatur is, cui fructus perit laborum, &, vt dici ſolet, oleum, & operam perdidiſſe. Non potuit itaq; Ceres fructum commendare laborum, quin indirectè labores ipſos, ad fructum percipiendum impenſos, commendaret. Quot autem, & quanti ſint parturientium labores, explicent quæ experiuntur: longam in vtero geſtationem, ſomnos amiſſos, ſtomachi cruciatus aſſiduos, inappetentiam, qua cibos reſpuunt &c. ſanitatem labefactatam, dolores deniq; inexplicabiles, ac mortis, in eductione Partus pericula recenſebunt. Quarè iure merito, & iſti commendantur, ne, pereunte partu, incaſſum ceciderint. Nota tamen incluſam materni affectus vehementiam, quæ non *vterum*, ſed *vteri labores* commendet, quo oſtendat filiam ſibi ſe ipſa cariorem, & plus ſe Siciliæ debituram, ſi Proſerpinam ſeruet incolumem, quam ſi ſe ipſam ſeruaſſet pereuntem. Ideò inquit Ceres *Commendo labores vteri*; Labores

CAROS. Carus idem eſt, ac *ſuauis, gratus, iucundus*. Quod quidem ſi ad fructum laboris, nempè ad Proſerpinam filiam, referatur, clarum magis eſt, quam explicatione indigeat, cur *carus* dicatur *labor*, ideſt *fructus laboris*; nam Parturiens tanta, poſt partum, lætitia afficitur, vt de illa dixerit ipſa infallibilis veritas: *Iam non meminit preſſuræ propter gaudium*: hoc autem inſitum à Natura eſt; nam ideò Generatio præcipuum naturæ opus nuncupatur, quia hæc confert ad conſeruationem ſpecierum: atq; ideò inditum vnicuiq; indiuiduo ab ipſa natura eſt deſiderium ſe perennandi vehemens adeò, vt, cum non poſſit ſe perennare, in ſe ipſo, velit hoc ſaltem aſſequi in ſpecie. Inſuper Genitores partem à decíſam in ſemine genitis communicant, quare, in filijs, videntur reuiuiſcere, & renouatam ſortiri Aquilæ iuuentutem; ideò Cari labores dicuntur, qui tantam afferant Iucunditatem. Et hoc quod de Genitoribus diximus, intellige & de Genitricibus in ſententia afferente etiam fœminam actiuè concurrere ad Generationem, cui Vatem vidimus hoc loco, & alibi inhærere. Quarè meritò etiam Oreſta Coſroæ Perſarum Regis vxor, filios præmortuos ſecutura, has in voces ſic deſcribitur erumpens apud Bracciol. de Cruce lib. 6.

E riuolteſi à lor piangendo aſſai
Cari pegni perduti, e dal Ciel dati
Con tropp' empio deſtino. E gl' occhi affiſſi
Richiamando à gran voce i nomi amati.

Virg. verò Ecl. 4. Auguſtum Deorum prolem dicens ait:

Cara Deum ſoboles magnum Iouis incrementum
Aſpice conuexo nutantem pondere Mundum.

Inſuper *Caros vteri*, dixit, *Labores*, quia ex eo quod aliquid omnibus gratum ſit, magno pretio vendi ſolet, ex quo factum, vt, per translationem, quod magno conſtat, *Carum* dicatur; cum itaq; Partus ex dictis magno conſtet Parturienti. Ideò *Caros vteri labores* Proſerpinam vocat Ceres.

VTERI. *Vterus* ſinus eſt à natura in fœminis collocatus, vexicæ iunctus, ad recipiendum ſemen, continendumq; fœtum accomodatus: vno verbo locus eſt, in quo, ex recepto ſemine fœtus efformantur, & ad perfectionem adducuntur, quem medici *matricem* vocant: quia igitur huius vteri præcipuus circa fœtum labor eſt, cum debeat & ſemen recipere, & receptum elaborare, & elaboratum, contractis menſtruis, augere, auctum detinere, ac geſtare donec ad pariendi tempus vſq; perduxerit &c. hinc eſt vt filius *vteri labor* iure optimo dici poſſit. Si verò conſimilem commendationem cupere, Italico metro expreſſam; Principem adeas Hetruſcorum Poetarum; & Hieroſol. liber. Cantu 12. reperies inſeparabilem Clorindæ comitem, illi hæc matris, eam à ſe ipſa ſeparantis, vota referentem.

Leuò al fin gl' occhi, e diſſe: O Dio, che ſcerni
L'opre più occulte, e nel mio cuor t'interni.
S'immacolato è queſto cuor, s'intatte
Son queſte membra, e'l maritel mio letto;
Per me non prego, che mill' altre hò fatte
Maluagità; ſon vile al tuo conſpetto.
Salua il parto innocente, al qual il latte
Nega la madre del materno petto.
Viua; e ſol d'honeſtade à me ſomegli;
L'eſempio di fortuna altronde pigli.

Similem etiam refert in hunc locum Clauer., ex Statio, apud quem Thetis ſic loquitur.

Cara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ
Depoſitumq; ingens timido commiſimus aſtu
Sis fælix, taceaſq; precor &c.

PRÆMIA DIGNA MANENT &c. Tot ſtipata affectibus, tot referta argumentis, ad permouendum animum aptiſſimis, oratio ſatis, ſuperq; ad perſuadendum concinnata videri iam potuit. Sed, ne aliquid deſiderari adhuc poſſe diceretur, extremum ſuaſoriæ adijcit pondus, nempè præmiorum pollicitationem. Sic Iuno propoſitis præmijs Æolum allicit ad incitandam vim ventis, Troianoſq; perdendos apud Virg. Æn. 1. dum inquit:

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ,
Quarum quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriamq; dicabo;
Omnes vt tecum, meritis pro talibus, annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

& poſtea Æneas ipſe, inuità ereptus periculis Iunone, ſuos incitaturus ad vires in ludis exercendas Æn. 5. præmia proponit: *Inuitat pretijs animos, & præmia ponit &c.* & ibid. rurſus.

Protinus Æneas celeri certare ſagitta
Inuitat, qui forte velit, & præmia ponit.

Præmia igitur, & Ceres annuenti Siciliæ proponit hìc, maximum vtiq; ad exequendi munus incitamentum.

PRÆMIA. *Præmium* merces eſt, quæ pro rectè factis datur; ideò igitur Ceres præmia proponit, vt intelligat Sicilia, non rogare Cererem, quæ indecentia ſint, ſed quæ *rectè factorum* nomine præmijs vtiq; digna ſint; quo honeſtatem poſtulati amplificat ſummè, & non gregariam, ſed ſedulam præſtari operam ſe exoptare declarat, vt præmium mereatur; nec *præmium* dixit, ſed *præmia*, vt innuat, ſe non auarè, imò liberaliter præmijs cumulaturam; nam duo præmiorum genera conſiderari poſſunt, nempe & quæ incommoda auferant, & quæ ad commodum conferant: vtrumq; autem Ceres pollicetur, vt infra.

DIGNA. Dignus dicitur ille, cui aliquid meritò debetur: ideò *præmia digna*, quibus, ſcilicet, talis præſtetur opera, pollicetur Ceres: quod idem eſt, ac dicere, ſe daturam præmia beneficio non inferiora, operi paria, ſollicitudini æquiualentia.

MANENT. Subintellige *operam tuam*; *Manere* enim *expectare* eſt. Et præmia propoſita dicuntur laboris finem expectare, vt conferantur. Quarè verbum *manent* pro eodem ponitur, ac *tibi futura ſunt*, ſi exequaris.

NVLLOS PATIERE LIGONES. Explicat iam præmia, quæ datura eſt, vt magis moueat; & ab ijs exorditur, quæ incommoda remouent: *Nullos patiere ligones*. Arguit tamen Poetam hoc loco Barthius, &, erraſſe eum, pleno ore, decantat inquiens. *Hic errorem videas Poetæ. Quomodo enim ceſſationem à re promittat, quæ adhuc non ſit nota, aut facta?* carpit enim Poetæ verba infra ponenda, nempè: *ſponte ſua florebit ager, ceſſante Iuuenco*, & ad verba quæ hic præciſa habemus, inquit: *Dicas, Poetam hoc excidiſſe, velut tam vſu fatentes noto, quæ tamen poſt, tam amiſſa, & quæſita longè, latèq; Proſerpina, demum data per Triptolemum.* Videtur hoc confirmari ex 3. eiuſdem Claud. lib. de raptu, vbi inducitur Iupiter declarans, Cererem Plutoni conceſſam, vt Ceres terras omnes eam inquirens ſollicita diſcurrat, & peragret. *Donec nata lætata reperta*

Indicio tribuat fruges &c.

ergò antè amiſſam Proſerpinam fruges non erant, conſequenter nec ratio agrorum colendorum; atq; ideò nec ligonum vſus, nec vomeris, nec boum laboris &c. Quomodo igitur pro præmio habebitur remotio incommodi, quod nondum tellus pateretur! quomodo magni fiet propoſitum

præ-

ſequentibus Antecedentia intelligentes, colligeremus præcepta à Cerere Triptolemo data, quæ virtualia eſſent volumina, ideòq; ſerpentium, ſeù Draconum ſymbolo deſignata. Sed nondum ſatis video, quomodo, quæ *virtute* tantum volumina ſunt, hoc eſt tantum *in potentia*, actualia volumina, ſeù volumina in actu, ſub nomine ſerpentium, actu rotas trahentium, dicantur. Liceat itaq; hanc alicuis cauſam indagare. Expedit ſe breuiter ex hac quæſtione Natalis Com. lib. Mythol. 5. dum ait: *Dicta eſt Ceres in curru à Draconibus tracto vehi, propter obliquitatem ſignoferi circuli, quem, dum Sol ſub eo percurrit, non ſolum excitat ſemina è terra, ſed etiam ad maturitatem perducit.* Videtur huic expoſitioni fauere Lucretius apud Pier. lib. Hierogl. 14., dum, Solem ſerpere, dicit, vt annum ſtruat, ideòq; Solem ipſum ſerpentem vocat his verbis:

Annua Sol in quo concludit tempora ſerpens.

Verum hæc ſententia Lumen quidem habet, ſed non adæquatum; veritatem attingit ea parte, ſed non adæquat; nam vnicum tantum aſſignat Draconem, ſeù ſerpentem, cum Ceres Draconibus, non Dracone vnico vehi dicatur. Quarè vlteriùs adhùc, & ſolertiori cura indagandum. Scias igitur Cererem, iuxta Poetæ noſtri contextum, deſiderio Cybelis in Phrygiam tendere, ac Cybelem terram eſſe, vt fusè oſtendimus ſupra. Hoc autem prænotato, prudentiſſimam adeas Ægyptiorum ſapientiam; & in ipſius penetralibus, inter cœtera eruditiſſimæ ſuppellectilis Hieroglyphica, ſerpentem inuenies erectum in totius Mundi machinæ Hieroglyphicum, & quidem illum virentibus inſignem maculis, vt adamuſſim deſcribit hic Claudianus Cereris Dracones: *Quorum maculoſa virentes pingunt terga notæ &c.* vt inferiùs videbimus. Hoc poſito, non ommittenda ſunt, quæ de figura anguis, Mundum ipſum mira ſimilitudine referentis, Veteres Phyloſophi, quaſi ludentes, conſcripſere, ipſam rerum ſpeciem vniuerſam, non temere, oculis ſubijcientes, vt notat Pier. cit. lib. 14. Siquidem, per ipſos, ſerpens *corpore*, quo grauiſſimus eſt, *terram* repreſentat, quæ ponderibus librata ſuis ob inſitam grauitatem, in centrum decidit vndequaque. Hoc, primùm, Dracone vehitur Ceres, nempè *terra*, cuius deſiderio mouetur Cybelem petens, quæ terra eſt, vt vidimus. Inſuper Lubricoſiſſimum animal ſerpens eſt, ac tortuosè incedens, quo motu, ac qualitate *aquarum molem* exprimit; dum corporis motu pandos, ac repandos vndarum flexus imitatur; ideòq; fabularum ſcriptores *Draconem* Heſperidum cuſtodem dixerunt *Europum* illum, qui inſulam circumagens obuallabat: ſic etiam tortuoſis flexibus ſerpens *amnes* exprimit, quos ſpiras circum terrarum orbem replicare, inſtar anguium Socrates ait. Ceres igitur, quæ vis eſt ſeminalis, indiget fluentis, vt earum humore erumpat in fructus; ideò hoc ſecundo Dracone vehitur, vt orbem frugibus expleat. Denique, per Draconum Sibila, aereos exprimi ſpiritus; per ſquammas rutilantes, ſtellarum varietatem, quæ ignes ſupremo micant in orbe, ac Cereri deſeruiunt, in frugibus è terra educendis, interpretantur. Ideoq; Draconibus Ceres vehitur. Iam verò aliam etiam breuiter cauſam referamus, cur frugum hæc Dea Draconibus vehi dicatur: ad quam faciliùs enodandam, memineris Cererem *Opis*, ideſt *Terræ*, & *Saturni*, hoc eſt *temporis* filiam eſſe. Quomodo, & cur Draconibus vehatur, eò, quod Opis filia ſit, iam vidimus; videndum autem nunc eſt, num ex parte Patris idem exigatur, nempe num vehi Draconibus debeat, eo quod filia Saturni ſit. Redeas igitur iam ad Ægyptiorum Hieroglyphica; atq; ea inter inuenies ſerpentem caudam ſuam ſub guttur attrahentem, occultantemq; in dextera Saturni manu collocatum, vt intelligamus, eum pro annuo circuitu, pro tempore, pro ætate poſitum. Quod in cauſa fuit, vt Virg. Georgicorum 2. ad ſerpentem huiuſmodi reſpiciens dixerit:

Redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe, ſua per veſtigia, voluitur annus.

Quod verò ſerpens temporis ſignum eſſet, cauſam hanc ſubijcit Cyrillus, quod nempè in longitudinem porrigitur; & multis complicatur ſpiris, quæ ſunt multæ dierum, menſium, annorumque ſeries; & tacitè proſerpit nullo edito ſtrepitu, & prolabitur. Quarè Poeta non incelebris apud Pier. cit. inquit:

Labitur occultè, fallitq; volubilis ætas.

Porrò tempus iuxta curſum Solis, ac Lunæ diſtinguitur in noctes, dies, horas &c. ac certum eſt *Cererem*, hoc eſt *virtutem ſeminalem* tempore deduci, ſine quo in fructum prodire nequeat. Solem verò Ianum etiam fuiſſe dictum teſtatur idem Pier. lib. 14., & Ianum dictum eſſe à circuitu anni-

a.

mar, cum Sol perpetuis circumuolutionibus circumferatur. Ex hoc ipſo enim factum, vt ſerpens in Hieroglyph. Solis erigeretur. Lunam pariter Ianam dictam ob eamdem rationem reperio; & eius motum certè *ſpiralem eſſe* periti omnes fatentur; quarè & ipſa ſerpentis ſymbolo deſignatur. Cum itaq; Sol, & Luna temporum diſtinguant variationes; & eorum influxibus maximè indigeat Ceres, ideſt ſeminum vis, vt educatur in fruges, iure optimo Draconibus, ſeù ſerpentibus huſce vecta Ceres deſcribitur. Claudianus igitur, Cereris iter ad Cybelem proſecuturus, modumq; quo iter perficiat deſcribere ad ortus, eam in curru poſitam, ac draconibus vectam deſcribit, dum ait:

REGENS MEMBRA SINVOSA DRACONVM. Regere enim idem eſt, ac *moderari*, ſeù *dirigere*, ac *rectum in itineribus tenere, ne deuium aberret quod regitur*. Sic Auriga regere loris equos dicitur, dum eos recto continet in tramite, & eorum dirigit iter. Quarè & Ceres propriiſſimè hic dicitur *regens membra*. Membrum propriè caro illa eſt, quæ artus circumtegit, vndè membrana ſubindè dicitur ſuperior membrorum pars extima, nempe pellis, qua caro circumligatur. Accipiuntur tamen *membra* pro integris corporis partibus, vt certè hoc loco vſurpantur, vt ex ipſis partibus totum regi corpus intelligamus; *Sinuoſa* autem dicuntur hæc membra, quia, cum Dracones, & ſerpentes tortuosè ſemper incedant, plures arcus, flexis, ac reflexis corporum partibus, videntur efformare: curuationes autem illæ, quæ inter cornua repreſentatorum arcuum, ideſt, inter diſtantias partium prominentium, intro recedunt, *ſinus* dicuntur, vt nos in ſimili explicuimus de Sinibus maris in Præfatione ad hunc lib. Ideò *ſinuoſa*, ideſt, *varijs inflexionibus, ac tortuoſitatibus, plures ſinus referentia membra Draconum*. Iam diximus, fabulis Poetarum conſtare, currum Cereris à Draconibus trahi; vidimus quarè hoc commenti ſint, & quinam Cereris Dracones fuerint. Ideò non immoror.

QVI SIGNANT &c. Dixerat Dracones vehendæ Cereri deſeruire: nunc verò, ne arbitraremur, viliſſimis terræ animantibus nobiliſſimam Dearum vti, notas adijcit, quibus Cereris Dracones ab omni ſerpentium, ac reptilium vilitate ſecernat; & Cœleſti Deitati Cœleſtes, fere dixerim Dracones attribuat; cum & in ipſis ſphœris Draconem ſtellis ſuſpiceret exculptum, ſciretq; aligeros tantum Dracones eſſe Cereri aptos. Et quoniam, per Dracones, terræ, & aquæ elementa diximus repreſentari, eos, quibus Ceres veheretur, non terreos omninò, aut aqueos innuere voluit; ſed aereos, hoc eſt aereum ſpatium peragrantes, quaſi innueret, eos terreis, & aqueis exhalationibus efformatos facilè per aereos tractus diuagari, & per hoc à grauioribus ſeparari reptilibus.

QVI relatiuum eſt rei antecedentis memoriam inducens, ac ideò Dracones Cereris in mentem reuocans.

SIGNANT. *Signare eſt impreſſa rei ſignantis veſtigia relinquere:* Sic Virg. Georg. 3.

Iunge pares, & coge gradum conferre iuuencos
Atq; illos iam ſæpè rota ducantur inanes
Per terram, & ſummo veſtigia puluere ſignent.

Quarè hic ex ſigno res colligenda; nam ex eo, quod aer ſignetur, intelligitur Draconum iter, quorum veſtigia aeri imprimuntur: ideò idem hic erit dicere *ſignant nubila*, ac dicere: *iter inter nubila ducunt, ac peragunt*. *Signant*

TRACTV. Tractus dicuntur *circulares*, ſeù, meliùs dixerim, *arcuati ſerpentium progreſſus* à traho, quia ſcilicet ſerpentes trahere potiùs corpus, quam deportare videntur. Sic Virg. Æn. 2.

Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

ideò & Dracones Cereris *Tractu* (ſexto caſu modum importante) aptiſſimè à Poeta noſtro dicuntur ſignare: & quidem *tractu volucri*, hoc eſt volanti, nam aligeri Cereris Dracones effingebantur vt ſupra.

NVBILA. Vapores in altum vi Solis eleuati *nubila*, ſeù *nubes* ſunt. Sed vapores iſti aqueis potiùs, quam terreis euaporationibus condenſantur. Immò aliqui voluerunt, aquam in aerem facilè conuerti, ita vt nubes nil aliud ſint, quam aer huiuſmodi ex aqua efformatus, & qui poſtea condenſatus in aquam iterum vertatur, ac decidat in pluuias. Quarè ſi *nubes* non aerem dixeris, ſed vapores aqueam naturam retinentes, poſitum hic erit *contentum* pro *continente*, nempe *nubila* pro *regione aeris*, in qua nubila ſunt. Si verò Nubila dicantur eſſe aer condenſatus, poſita erunt nubila tamquam ſignum illius regionis aereæ, in qua nubes efformantur. Sed Nota, quam mirè exprimat hic Poeta agilitatem, ac velocitatem Draconum Cereris rotas trahentium;

non

Non enim dixit: *findunt nubes; tranant nubila; premunt aerem*: ſed *ſignant*: quod eſt leui adeò curſu nubes attingere, vt vix itineris appareant ſigna. Videor profectò hic mihi fulguris effectum delineatum videre, quod, ſerpentis opido in morem, dum per nubes velociſſimè dilabitur, leue adeò euolat, vt, licet igneis tractibus nubila ſignet, nemo tamen poſſit ſubindè dicere hic fulgur fuit, hac pertranſijt, cum veſtigia nuſquam fulguris appareant. Conſimili autem modo videtur mihi eruditiſſimus Braccyol. lib. de Cruce 30. delineare voluiſſe agilitatem, & curſum velociſſimum Batrani in ſubſidium Herintæ peruolantis, licet Leoninæ velocitatis exemplo, adumbrauit, cum dixit:

Così Leon che vinterò dall' alta
La leoneſſa ſua cruda, e ſuperba,
De bon cento moloſſi al fiero aſſalto,
Ruotar le branche à far ſanguigna l'herba,
Rapido ſi ne vien di ſalto in ſalto,
Nè veſtigio del piè l'arena ſerba.

Sicq; & expreſſam video à Poeta agilitatem, ac velocitatem draconum Cereris vnico illo verbo quo dixit: *Nubila ſignat*

PERVIA. Immutat hic lectionem Parrhaſ. & legit:

Membra regens volucri per auia nubila tractu &c.

explicans autem huiuſmodi lectionem ſuam, mox ſubdit: *Per nubila, idest per aerem, quem vocat auium, non quia impermeabilis, & inacceſſus ſit aer, ſed vbi trita ſemita nuſquam extat; nam neque pedum, neque rotarum ſigna impreſſa retinet.* Non diſplicet explicatio, quæ ea ipſa, quæ nos ſupra diximus confirmat, nempè ſignari quidem nubila tractu celeri, ſed ſigna, eo ipſo quod ſiunt euaneſcere, ita vt dici ex ſigno non poſſit. *Hic fuit, hac tranſijt currus.* Sed lectio nequaquam placet; nam ſi cum Parrhaſio legamus iſte procul dubio erit ordo verborum: *Petit Ceres Cybelem, regens per auia nubila, ſinuoſa membra Draconum.* Aſt verbum ſubſequens *ſignant* quoſnam caſus habebit? Eadem, dices, membra ſignant auia nubila, per quæ volucri permeant tractu. Optimè. Sed nonne vides, quanta circumlocutione opus ſit, vt vnicus conceptus exprimatur. Certè igitur lectio noſtra clariori methodo procedit, pleno carminis decoro aſſurgit, atque non ſine myſterio dicta fluunt, vt iam vidimus, quarè vulgatam iure amplector, & explico. *Peruium* itaq; dicitur id, *per quod iri poteſt*; & denuò *Peruium* idem eſt, ac *penetrabile*, ſeù *permeabile*. Si in hoc ſecundo ſenſu ſumatur, facilis eſt intelligentia; nam certè tranabilis eſt aer, vt experimento patet volantium. Sed tunc ſuperfluum videretur additamentum *Peruia*; nam eo ipſo, quod aer eſt, *peruius eſt*, cum certè non ſit corpus ſolidum, & impenetrabile, ſed cedens locum, aquarum mare non ſolum, ſed faciliùs etiam, cum ſubtilior, rarior, ac tenuior ſit aer. Si verò *Peruius* ſumatur in prima ſignificatione, videtur iure, & neceſſario appoſitum adiectiuum illud; nam quis credat reptilia, auium vias proſequi poſſe? Ideò inquit *Nubila peruia*, non reptilibus, quibuſcumque, ſed Cereris Cereris tantum Draconibus *peruia* ex rationibus iam ſuprapoſitis. Ego ſenſum vtrumq; dixerim à Poeta comprehenſum.

ET HVMECTANT FRÆNA &c. Frænatos eſſe Dracones, qui currum vehere iam dicti ſint, proculdubio neceſſe eſt: quare, ne hoc, quod omnibus obuium videtur, deſcriberet, quaſi ſuperfluè excurrens, ita præterit, vt non omittat; nam ex conſequenti, quod hic ponit, neceſſariò reſultat antecedens; humectare enim fræna non potuerant, qui non habuiſſent. Porrò *Et* particula copulatiua eſt, quæ motum Draconum copulat cum reiectatione ſpumarum, & quidem meritò; nam ſpuma fœx quædam, & excrementum eſt, quod, per ebullitionem, ſeù per vehementem agitationem, ſecernitur ab humoribus, iiſq; ſupernatat, & ab animali reiectatur, tamquam naturæ purgamentum. Cum igitur Poeta volantes, & velociſſimo volantes motu, Cereris Dracones indicaſſet; & cum ſit motus cauſa caloris; nil mirum, ſi, ex concepto per motum calore, ebullientes intrinſecus vitales ſpiritus, ac vehementi illa agitatione magis, magiſq; efferueſcentes ſpumam excrementitiam à cæteris purioribus corporum humoribus ſecernerent, atq; ad ora tranſmitterent reiectandam. Adde, ſpumas ex ore profluentes indicium eſſe generoſitatis, ac viuacitatis in equo, & in illo denotare affluentiam, & ebullitionem aſſiduam ſpirituum igneorum ſpumas ſegregantium, ac reijcientium. Hæc autem prædictorum affluentia ſpirituum efficit, vt ſonipes ſtare loco neſciat; ſit in laboribus aſſiduis, in curſum profuſus, in certaminibus imperterritus &c. quæ omnes optimi equi qualitates habentem reddunt conſpicuum. Cum igitur loquatur hic Poeta de Draconibus equorum vices iugum ſubeuntibus, nil mirum, ſi à ſimili bonas eorum qualitates, nempè viuacitatem, generoſitatem, laboris tolerantiam, curſus celeritatem &c. ex ſpumis indicare voluerit, imitatus in diſpari Virgilium, qui regium Didonis equum deſcribens Æn. 4. ait.

Stat ſonipes, & fræna ferox ſpumantia mandit.

Verum, ne, temere, & pro libito, putes, ſpumam Draconibus appoſitam, memineris, propriam immò ſerpentium ſpumam eſſe, ac præcipuè eorum ſerpentium, qui ob ætatem, & vaſtitatem corporis dracones nuncupantur; nam, cum iſti frigidis abundent humoribus, & quidem maximè fęculentis, qui ab igneis ſpiritibus, quibus itidem affluunt, vt patet ex eo, quod ignem ex oculis ſpirare videntur, agitati depurgantur, eorumq; fœces ad ora tranſmittuntur. Agnouerunt hanc ſpirituum copiam, quibus exuberantes ſpumant dracones Ægyptij, atq; vt talis exuberantiæ æternum poſteris relinquerent monimentum, angues totos compactos ſpiritibus effinxerunt, cum eos in hieroglyphicum ſtatuerunt ſpiritus illius, qui per vniuerſam Mundi molem difflatur, & qui, iuxta ſententiam Anaxagoræ, Mens, ſeù anima Mundi cenſebatur: ex quo poſtea vim habuit Virgilianum illud Æneid. 6.

Principio Cælum, & terras, campoſq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Cum igitur Mundi molem per ſerpentem ſignificari, iam viderimus, ſerpentem ipſum ſpiritibus molem agitantibus refertum eſſe, procul dubio neceſſe eſt; ac dum ſpiritus illius, qui orbem totum informare dicitur hieroglyphicum eſt, totus oportet ſerpens ipſe ſpiritus adſit. Quarè iure meritò ex vi ſpirituum dicuntur à Poeta Dracones ſpumas modo explicato reiectare, quibus

HVMECTANT. Humectare eſt humidum reddere, & madefacere, quod Dracones aſſequebantur ſpumis profluentibus: ideò *humectant*: de quo verbo fuſiùs habebis lib. 2. ad Carm.

Dum meus humectat flauentes Lucifer agros.

FRÆNA. Frænum inſtrumentum eſt, quo equi coercentur, ſic dictum à frangendo, eo quod ora frangat equorum, dum coercet, ſi contumaces exiſtant. Hinc factum vt ſymbolum ſeruitutis frænum ſit; & frænum accipere dicatur quiſquis alterius addicitur ſeruituti: quarè & huiuſmodi dracones frænis impoſitis ſubijci, ac regi deſcribuntur, dum Cereris currum veherent Dominæ deſeruientes.

PLACIDIS VENENIS. Draconum ſpuma, vt vel rudioribus patet, venenum eſt. Quarè idem fuit dicere: *humectant venenis*, ac dicere *humectant ſpumis ſuis*, vt nos ſupra exponebamus. Quia tamen incongruum fuiſſet, beneficentiſſimæ Deæ Dracones venena effundere nocentia, mortemq; circumferentia; ideò, ne in hanc opinionem quis incautus incideret, addidit Poeta Epitetum *Placidis*: quaſi diceret: Humectant Dracones fræna ſpumis, quæ, quia Draconum ſunt, venena ſunt; ſed aduerte, hæc venena noxia non eſſe, ſed innoxia; ideò *Placida*. Sed quomodo, ſubmurmurabit fortaſſis hic venenorum diuerſitatis ignarus, quomodo venenum erit, & innoxium? Nonne venena mortem inferunt? Sed, antequam ſubmurmures, perpendas, tyrios quoq; colores *venena* dici, vt patet ex Virg. Georg. 2. vbi bona negatiua ruſticalis vitæ recenſens, ait fœlices ruſticos eſſe, quia illis.

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno

ex hoc enim intelliges, quam optimè Caius Iureconſultus de verb. ſignif. dixerit: *Qui venenum dicit adijcere debet, vtrum bonum, an malum*. Ratio autem veriſſimi huius pronunciati eſt, quia nomen hoc *venenum* medium eſt, & tam in bonam, quam in malam partem accipi poteſt: ideò Græci eodem nomine *φαρμακον*, & venenum, & medicamentum appellant. Verum quidem eſt, *venenum* ſimpliciter prolatum in malam accipi partem: ſed hoc ipſum in cauſa fuit, vt Poeta, ne errandi anſa daretur, dum poſuit fræna draconum Cereris *humectata venenis*, ambiguitatem tollere ſtudens adiecerit *Placidis*, quod idem eſt, ac *ſedatis*, *pacificis*, *quietis*; vocabulo ſcilicet deducto a verbo placet; nam, quæ ſedata, quieta, ac pacifica ſunt, omnibus placent. Immò vlteriùs Poetæ ſenſus extenditur, qui per nomen *placidis* idem dicere voluit, ac *benefica inferentibus*; nam, quæ benefica ſunt, ea certè, & maximè placent. Ita igitur draconum venena, rores fuiſſe oſtendit benignos, quibus terra turgeſcens frugiferos in fœtus erumperet, vt patet ex ſubſequenti contextu, vbi notat ex his natas fruges, productas ſegetes &c.

FRONTEM CRISTA TEGIT &c. Deſcriptionem Draconum, data hic, interſerit, occaſione; ac primum Criſtatos indicat, vt ſcias ab adiunctis deſumi deſcriptionem; & vt ex hoc ſigno noueris, hos eſſe Dracones Triptolemo poſtea conceſſos, & de quibus initio huius lib. dixerit: *Angues Triptolemi ſtridunt &c.* Quid Criſta ſit, ibi diximus, eamq; in ſerpentibus inſigne quoddam capitis coronamentum eſſe indicauimus, quidquid in contrarium dixerit ibidem Plinius. Hic itaq; magis explicite hoc ipſum declaratur, dum latam adeò criſtam draconum Cereris deſcribit Vates, vt frontem circumeat tegens, quod idem eſt, ac dicere, eam in coronæ morem fronti circumdatam fuiſſe. Iure autem coronati Cereris Dracones deſcribuntur; nam, cum beneficis ſpumis, ſeù venenis orbem totum locupletarent modo dicto, iure coronantur in Reges, cum Regis proprium ſit in bonum ſemper ſubditorum vigilantem adeſſe, prout ſomnus ipſe, apud Homerum, Neſtoris perſonam indutus Agamemnoni inculcat, cuius Græcam ſententiam Pier. lib. 15. exponit ſic.

Non decet egregium tota producere ſomnum
Nobile virum, ſub conſilio, ſub Numine cuius
Tot populi degunt, cui rerum cura, fideſq;
Credita ſummarum . . . . . .

Ideò Dracones, natura ſua ſumme vigiles, theſaurorum cuſtodes inſtituebantur, & ideò Cereri tribuuntur, quæ nunquam non inſomnis eſſe debet, vt germina vegetet: quæ totius orbis alimenta egerit, præparat, ac diſponit Regina vere benefica; ac conſequenter regio dracones animo præditi, vitalia, ac benefica euomentes venena merito coronantur in regiæ ſignum liberalitatis. Ideò *Criſta*

TEGIT FRONTEM. Tegit, inquam, hoc eſt circumagit, cingit, & redimiculo exornat. Frons autem ea pars eſt capitis, quæ à dextera, & a ſiniſtra temporibus; a ſuperiori capillorum radice; ab inferiori verò parte ſupercilijs terminatur. Ponitur autem hic pro toto capite, & meritò; quia frons dicitur à ferendo, eo quod indicia animi præ ſe ferat, atque adeò tunc maximè digna, quæ & coronam ferat, cum præ ſe fert indicia animi ſemper in bonum publicum propenſi, vt certè horum frons draconum præ ſe ferebat, dum de facto placida venena, hoc eſt fertiles in bonum publicum ſuccos effunderent.

NOTÆ VIRENTES &c. Deſcripto draconum capite coronato reliqui corporis deſcriptionem proſequitur, virentibus maculis, auro intermicante, diſtincti, ita vt ſumma pulchritudine decorati dracones iſti animum potiùs allicerent intuentium, quam terrerent.

NOTÆ. *Nota* deductum à verbo *noſco* nomen eſt: quarè *nota* nil aliud eſt, quam *ſignum*, inſigne, veſtigium rei alicuius, & præcipuè ſi de naturalibus notis, ſeù maculis loquamur, vt certè hic: nam notæ huiuſmodi *veſtigia* propriè ſunt, ex quibus natura viuentis deprehenditur, & dignoſcitur: ſic ex lineis in manu exaratis animi inclinationes, ac paſſiones ſe dignoſcere iactitant Chiromantici; ex lineis frontis, ac totius vultus, corporiſque habitu, Phyſiognomici &c. Notas igitur, ideſt externa ſigna, atq; indicia habitudinis internæ Cereris geſtant dracones, vt ex ipſo aſpectu quales eſſent intuentibus innoteſcerent. Ideo *Notæ* hic memorantur, & quidem

VIRENTES. Nam *virens*, quod à verbo *vireo* eſt, ethimologiam trahere aliqui volunt à vigore, eo quod nunquam æquè vigeant plantæ, ac quando vireſcunt; ideòq; per tranſlationem *virens*, & *viride* pro florenti, ac *vigore prædito*, accipitur. Sic Virg. Æn. 6,

Iam ſenior; ſed cruda Deo, viridiſq; ſenectus.

Virentes igitur notæ, ſeù maculæ Cereris draconibus impreſſæ, eos florentes, ac vigore plenos oſtentant, vt Animalia orbem totum fœcundantia placidis venenis prorſus eſſe decebat. Inſuper alludit Vates ad ſuprapoſitum Mundi, per ſerpentem, hieroglyphicum: cum enim Mundus inferior terra mariq; conſtet, viridibus maculis interſectus apparet terrarum globus, mari, ac fluminibus, perlucido colore interſecantibus.

PINGVNT. Pingere eſt *formam alicuius rei ductis penicillo lineis repræſentare*. Cum autem dixerimus notas huiuſmodi extrinſecas naturales indicia eſſe qualitatis internæ, nil mirum ſi forma externa pictura quædam dicatur, qua repræſentetur interna forma: ideò *virentes notæ pingunt*; ideſt quaſi pictura ſunt repræſentans internas Draconum qualitates, vigorem animus &c. Inſuper *Pingere* pro eodem ſumitur, ac *exornare*. *Pingere* igitur dicuntur *notæ*, vt intelligamus illas non ad horrorem compoſitas; ſed potiùs ad ornamentum, ad venuſtatem corporis illorum impreſſas extitiſſe.

TERGA. Tergum pars ea corporis eſt, quæ à collo per ſpinam dorſalem protenditur, & ex vtraq; ſpinæ eiuſdem parte dilatatur, quæ etiam *dorſum* dicitur. Ponitur autem hæc pars pro toto corpore; & quidem peculiari ratione, cum naturam ſequatur Poeta; videmus enim ſerpentes ita à natura efformatos, vt ventrem vel nullo modo maculatum, vel rarioribus, ac leuioribus diſtinctum maculis habeant, in oppoſita autem parte ſuperiori denſiores, viuaciores, ac perennes oſtentant macularum varietates. Adde quod ſerpentes in ventrem gradiuntur; quare Dorſi tantum maculas viſibiles præbent. Ideò & hic *pingunt terga*, licet totum corpus in aere ſuſpenſum cerneretur, ex quo facilè deducitur poſita hic pro toto corpore *terga*, vt mox dicebamus.

RVTILVM SQVAMMIS INTERMICAT AVRVM. Deſcriptis Draconibus iſtis, ſecundùm id, per quod Globum Mundi inferiorem repreſentant, & cuius hieroglyphicum eſſe ſtatuuntur; eoſdem deſcribit iam, quatenus ſuperioris Mundi, hoc eſt Cœleſtis, ſymbolum eſſe poſitos iam vidimus. Ideò ſquammas illis aureas apponit, vt ſtellarum in illis varietas, vt ſupra dicebamus, eluceat. Ex quo videris quantum Ægyptiacis Hieroglyph. adhæreat Vates.

RVTILVM. Rutilus color, græcè *πυρόεις*, color eſt ex flauo rubeſcens cum quadam ſplendoris exuberantia; qui quidem color maximè conuenit auro obrizo, ideſt puro, ſæpiuſq; per ignem repurgato. Vt igitur ſquammarum nitorem Poeta oſtendat, in illis ait emicare rutilum

AVRVM. Pretioſiſſimum omnium metallorum eſt aurum, ab aura, hoc eſt à ſplendore, dictum; ſeù à græco *αὐρὸς* quod diuitem, & potentem ſignificat, nam diuites, & potentes facit. Ideò & ex auro conflatas ſtellas dictitant Poetæ, quia ſcilicet aureo rutilant ſplendore, &, terras influxibus locupletantes, homines ditant, ac potentes efficiunt. Vbi paſſim aureas hic draconum ſquammas decantat Vates, rutilum ſtellarum fulgorem imitantes; quia & ipſæ, ſtellarum in morem, & rutilent, & fœcundos terræ influxus diſtribuant expumantes. Ne credas tamen Poetam verè aſſeruiſſe ſquammas illas ex auro confectas, vel auro reali contectas; neque enim in viuentium dorſo metalla vegetantur, & efflorеſcunt: ſed *aurum* poſuit pro *auri ſplendore*, cauſam ſcilicet pro effectu: & quidem hyperbolicè hyperboles locum habet, vbi de rebus agitur ad Deitatem, iuxta fabulas loquendo, ſpectantibus.

INTERMICAT. Verbum compoſitum ex *inter*, & *mico*; vt ſignificetur aurum ſquammarum micare inter maculas illas virentes de quibus ſupra. Micare autem eſt *interpoſitis moralis fulgorem crebrare*, ita vt, quod micat, identidem ſcintillet, identidem fulgores ſupprimere videatur. In quo egregiè exprimit Auctor fulgorem in motu elicitum; nam quæ ex ſe fulgent, ſecundum variam radiorum ſolis recepti refractionem, modo in ignes accendi, modo langueſcere cernuntur; quod in tanto draconum motu non euenire non potuit.

SQVAMMIS. Excrementa quædam ſunt ſquammæ, ex draconum cute prodeuntia, eidemq; adhæreſcentia, quaſi radices in illa fixas habeant: & fixas de facto habere dictitarent, qui aſſerunt pilos, vngues &c. propriâ informari animâ vegetatiuâ diſtinctâ ab anima totius, &, quaſi virgulta ex ſolo, eoſdem ex animalis corpore ſuccreſcere. Prodeant ergò ſquammæ in modum lati quidem, atque, vt plurimum rotundi, ac tenuiſſimi oſſis; ſed nihilominus tanta interdum duritie præditi, vt ferro quamtumuis acuminato reſiſtant, non ſolum, ſed & exceptam hebetent aciem. Piſces, ac maiores ſerpentes, fere omnes, hiſce ſquammis contextos videre facilè eſt; ideò non addo.

NVNC SPIRIS &c. Poſitâ ante oculos formâ, ac pulchritudine, ſeù ſpecie draconum, quibus Cereris vehitur currus, varios iam eorumdem itineris flexus graphice deſcribit, ita vt oculis eoſdem per hyppotipoſim ſubijciat.

NVNC. Hanc particulam explicuimus ad Carm. *Nunc venit indigenas nimbos &c.* quare illùc remitto.

TRANANT. Tranare propriè eſt idem, ac *natando traijcere*, verbum ſcilicet compoſitum à *Trans*, & *Nato*: tranſlatiuè tamen ponitur etiam pro *tranſuolare*, eo quod ſimili modo, quo ad motum, videantur ſe habere Piſces in aqua, & volucres in aere, ex qua permutata proportione tranſlatio oritur. Vtriuſq; autem acceptionis exempla habemus apud Virg., & quidem in propria ſignificatione apud ipſum Æn. 6. leges:

Pro

Venimus, & magnos Euboi tranauimus amnes.
Tranſlatiuæ verò exemplum extat Æn. 4.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila &c.
atq; in hoc eodem vltimo ſenſu vſurpatur à Poeta hic, vt ex contextu patet, cum de volantibus differat draconibus.

ZEPHYROS. Zephyrus ventus eſt ab occaſu æquinoctiali leniter ſpirans, vt apud Ouid. apud quem tamen non lenis, ſed furens deſcribitur:
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
apud latinos Fauonius dicitur à fauendo, apud Græcos verò *ζωήφορος*, hoc eſt vitam ferens, eo quod ei, quæ ad vitam conferunt, ferat, dum eo turgentes plantæ, ac ſegetes educuntur in fructus; vel quia vitales afflet ſpiritus, cum vegetabilia omnia ex ipſo vitam recipere videantur, dum ipſo afflante virorem induunt, flores, fructuſq; parturiunt &c. cumq; ſine eo langueſcere omnia, ac pene arida, & demortua appareant. Numero hic plurali, loco ſingularis vtitur autem Vates, vt intelligamus, hunc ab eo ventum, pro vniuerſa ventorum multiplicitatem, vſurpatum, atq; vt ex his ventorum regionem, hoc eſt regionem aeris notatam dignoſcamus. Verum vt exactiùs percipere poſſis, quid ſit à draconibus Cereris Zephyros tranari, & quorſum nam (per has particulas, hucuſque ad litteram explicatas) iter eorum feratur, dum ſurſum per regionem aeris aſcendunt.

Aduerte, Aerem à Phyloſophis communiter diuidi in tres regiones, ſeù ſphœras, quarum vna *Suprema* dicitur, in qua fiunt corpora Metheorologica, quæ Cometæ, Trabes, Capræ ſaltantes, Sydera cadentia, Flammæ accenſæ, &c. huiuſmodi, quæ diuerſis etiam nominibus appellantur. Altera dicitur *Media*, in qua fiunt coruſcationes, ſeù fulgura, tonitrua, fulmina, nubes, nix, pluuia, Iris &c. Tertia demq; *Infima* eſt, in qua fiunt rores, pruinæ, grandines venti &c. Cereris igitur Dracones Zephyros tranare dicuntur, quia interdum infimam aeris regionem audaci volatu tranſiliunt, ſe ſe in altum eleuantes, altioriq; itinere euecti ſuſpiciuntur, vt innuant, ſe, igneis compactos ſpiritibus, non poſſe, quin totis viribus ad ſphœram propius aduolent, vt inde nouam attrahant virtutem, qua ſubindè deſcendentes placida venena latiùs diffundant: Sicque, Cœlorum influxus neceſſariò ad fœcunditatem terræ requiri, apertè declarent; ſeque emiſſarios fuiſſe, qui aſcendentes arriperent, ad deſcendentes ad terram eorumdem influxuum munera comportarent. Ideò *nunc zephyros tranant.*

SPIRIS. Spiræ ſunt reuolutiones, ſeù circuli in ſe ipſos non recurrentes, ideòq; *Spiræ* hic dicuntur lineæ illæ flexuoſæ, quibus tortuoſi tramites à draconum itineribus delineantur, dum celeres progrediuntur.

NVNC. Particula eſt alterum disiuncti membrum ſpecialiter, notans deſcenſum ſcilicet poſt iam datum aſcenſum; pro qua vide quid in ſimili dix. ad cit. Carmen: *Nunc vomit &c.*

INFERIORE VOLATV. Inferior nomen comparatiuum eſt a poſitiuo *Inferus* efformatum; quarè, cum de ſignificatione *inferi*, & *superi* egerimus in explicatione ad Carm. primum huius lib. ſatis hic erit adnotare, fieri hic comparationem inter altiorem volatum, & depreſſiorem, ita vt inferior dicatur, qui propè terram delabitur, & de quo hic, reſpectu altioris illius, de quo dictum eſt, *nunc Zephyros tranant*, cui per contrapoſitum, pulcherrima antitheſi, opponitur volatus inferior. *Volatum* autem dixit, vt clarè explicaret, quod ſupra implicitè tantum aſſeruerat, nempè alatos eſſe Cereris dracones, & volantes, nam *volatus* actus ipſe eſt auis, vel alterius volantis.

SECANT ARVA. *Secare* propriè, & rigoroſè loquendo, idem eſt hac *proſcindere*, & *diuidere*. Sic pri. Æn. Virg.
Pars in fruſta ſecant, verubuſq; trementia figunt &c.
Verum *Secare viam* eſt viam velociſſime dimetiri, tranſlatione deducta ab auibus, qui aerem volantes diuidunt, & ſecant. Cum itaq; hic Poeta de Draconibus agat volantibus, aptè vtitur hac tranſlatione *Secant arua*, hoc eſt *ſecus arua celerrimè volant: ſeù, meliùs, terram ſpiralibus lineis deſignant velociſſimè excurrentes, ita vt eam ſcindere videantur*; cum nullis impedimentis ab incæpta velocitate remorentur. *Arua* autem quid ſint iam dix. ad Carm. *pedibus quæ nondum preſſerit arua*. Hic tamen ponitur indifferenter pro terra.

CANO ROTA PVLVERE LABENS &c. Ab effectibus amplificat virtutem placidi illius veneni, quod ex ore Draconum effluere dictitauerat; & ab iiſdem Cereris iter, ac beneficæ eiuſdem præſentiæ liberalitatem, quicumq; iter habuerit exornat. Quod, vt melius aſſequatur, currui effectus attribuit, quaſi, etiam incurioſa, & aliud agente Dea currus ipſe diuinitate, quam vehebat, fœcundus, non poſſet, quin loca, quæ peragraret, frugibus ditaret.

ROTA. Infima hæc currus pars eſt, quippe quã ſolã currus terram attingat. Rota autem dicitur à rotunditate, ſeù, vt alij malunt, à ruendo, quia videtur ex vna parte ſemper in præceps ruere, cum ex alia ſemper in altum aſcendat. Quarè de rota Fortunæ inquit eruditiſſimus ille, eà homines attolli, vt corruant. . . . . *Tolluntur in altum Vt lapſu grauiore ruant.*
Dum igitur rota circulari hoc motu ſemper in ſe ipſam vertitur, currus agitur, & procedit Rotam poni hic pro toto curru, vel cęcutiens viderit. Sed quærendum remanet, cur Poeta, partem pro toto ponens, potiùs totam poſuerit, quam axem, Temonem, aut aliam eiuſdem currus partem. Abhorruit adeò, arbitror, Vates à ſententia admittente actionem in diſtans, vt, ne in ſuſpicionem venire poſſet eam admittendi, ſi aliam nominaſſet partem à terra diſtantem; voluerit Rotam ponere, ad hoc vt Agens, quod effectum fœcunditatis producere debebat in paſſo, nempè humo, eſſet immediatum immediatione ſubiecti, ne dum immediatione virtutis; & immediatum adeò, vt quodammodo internum humo fieret ſulcans humum.

LABENS. Labi, à quo *Labens*, idem hoc loco ſignificat, ac leui, & celerrimo motu ita decurrere, vt motus volatui ſimilior ſit, quam curſui: ideò, ſicuti ſuperiùs dixerat *Arua volatu ſecant*, ſic cohærenter hic motum volatui ſimilem currui attribuit.

CANO PVLVERE. Locum aſſignat, qua tranſiens *Rota fœcundet humum*. Canus itaque dicitur ille, cui, præ ſenectute caneſcunt, hoc eſt albent capilli; quarè & *Canus* pro Antiquo dierum ponitur, & *Canities* pro ſenectute: Puluis verò terra eſt minutatim ex ariditate attrita. Dupliciter igitur *puluis* poteſt dici *canus*: Primò quia, cum terra ſit, quid antiquior terra, præſertim apud Poetas, qui ex terra Deos ipſos effinxerunt progenitos. Secundò quia terra ex ariditate in puluerem redacta videtur quodammodo caneſcentis colorem induere. Ideò aptè *cano puluere*. Cur autem potiùs *puluere* dixerit, quam *terra*, ratio in promptu eſt ex agricolarum praxi, quæ oſtendit, ſemina, quæ ſolo demandantur meliùs ſemper germinare, cum in puluereum ſolum proijciuntur; ſi tamen leuis inde ſequatur pluuia, quæ puluerem coagmentet; nam tunc proiecta, ac ſibi credita, ſemina puluis ille apprimè complectitur, ac fouet, & clauſo quaſi protegit ſinu, ne ab auibus diripiantur. Cum itaq; Poeta inſinuare velit effectus fœcunditatis ex curru præterlabente progenitos, naturam ſecutus, materiam ad receptionem diſpoſitam conſtituere non negligit; Ideò redactam in puluerem terram indicat, & ne humor pulueri deeſſe videretur, placida effundi à Draconibus venena præmiſit; Hæc enim & Virgilius ad fertilitatem exigi teſtatur Georg. pri.
Humida ſolſtitia, atq; hyemes optate ſerenas
Agricolæ: Hyberna lætiſſima puluere farra;
Lætus ager. Nullo tantum ſe Myſia cultu
Iactat: & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.
Virtus ergò ſeminalis hoc puluere excepta, dum puluis placidis humectatur venenis, nil mirum, ſi ſtatim erumpat in fruges, cum præſentiſſimam habeant, atq; efficaciſſimam ex prædictis venenis vim eductricem, & conformatricem; ideò enim *Rota labens*.

FÆCVNDAT SVLCATAM HVMVM. *Fæcundare eſt copioſum, fertilem, fructiferum facere*. Quarè Virg. 4. Georg. de Nilo loquens Ægyptum limo, ex inundatione relicto, copioſam reddente, ait
Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena.
Humum verò aptiùs dixit, quam terram, ab humando: nam ſemina & virtus ſeminalis humari debet, vt in ſegetes exurgat: quod ipſum Increata Veritas innuit, dum ait: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Mortua autem corpora humari debent: & ideò in ſulcos finditur humus, vt notat Vates in adiecto *Sulcatam*; nam ſulcis terram findere, ac vertere, ſedulò ſtudent Agricolæ, vt expurgata, ac purificata tellus vberior reddatur. Oſtendit itaque prudentiſſimus Auctor, Rotam Cereris culturis vicem implere, dum leui ſulco, veſtigio ſcilicet illo, quod, in modum ſulci, à Rota prætereunte relinquitur, puluerem & vertit, & purgat, & grauidam fœtibus efficit, & fructus eodem tempore educit in lucem. Nec mirum ſi hæc omnia non ſeruatis temporum interuallis, ad hanc rerum ſucceſſionem requiſitis, momento temporis peragantur; nam vir-

tus præſens Diuinitatis non dependet à tempore in operando. Ideò tellus recepto ſemine ſtatim ſine mora in iam adultas ſegetes erumpit, ac falcem inuitat: atq; ideò

FLAVESCIT ARISTIS ORBITA. Quamuis *orbita* pro integris hic rotis ſit poſita; & pro tota communiter rota vſurpetur; tamen, in rigore loquendo, extrema pars rotæ eſt, vel illa interior ſumatur, vel exterior interna eſt pars illa teres, quæ immediatè axi inſerta circa illum in orbem vertitur, externa verò eſt arcuata illa curuitas, quæ circa rotarum radios circumducta terram tangit, & orbiculari motu illam terit. *Orbita igitur flaueſcit ariſtis*; quia virtute prætereuntis Deæ influentia, ita in ictu oculi, ſuccreſcunt ſegetes, vt, iam maturæ in meſſem, rotis, à quibus vitales auras receperint, adeò internectantur, vt ex ipſis ariſtis tota videatur rota componi: quaſi cognitionis capaces ariſtæ nouo miraculo, in gratiam nouæ, ac tam vberis vegetationis, profuſæ, beneficam amplexari, ac detinere rotam conentur, dum eiſe ipſas implicantes vtramque orbitam contegunt, & proprio exornant flaueſcentium comarum apparatu, quo efficitur, vt rota ipſa flaueſcere, & ſpicas parere videatur; ideo *Flaueſcit*: *Flaueſcere* enim eſt *flauum induere colorem*; vulgò *Biondeggiare*; & ſpeciem auri referre; nam ex hoc flaua dicitur Ceres ipſa, quia hanc auri ſpeciem ariſtis fuerit elargita, vt nos fuſiùs explicuimus ad Carm. *Deſpexit vtrumq; Flaua Ceres &c.* Aureum hunc itaq; colorem induit orbita, dum maturis iam meſſibus denſatur, & internectitur *Ariſtis*: Ariſtæ verò quid ſint, & quomodo pro triticea meſſe ponantur, iam vidimus hoc eodem lib. ad Carm.

Ceſſeret inuentis Dodonia quercus ariſtis,

quarè hìc ſatis erit ſcire, per ariſtas, quibus orbita flaueſcit, maturam iam meſſem indicari, vt mox antea innuebamus. Poſſet hoc loco quidam fortaſſis hanc noſtram redarguere expoſitionem, eo quod *orbita* videatur potiùs accipienda in eo ſenſu, in quo vſurpatur à Liuio dicente: *Rota vna in alterem orbitam depreſſa turrim inclinauit*. De bellica loquitur machina, quam ligneam appellant turrim. Quo loco eruditiſſimus Auctor *rotam* apertè ab *orbita* diſtinguit; nam *orbitam* eſſe indicat, non rotam, ſed veſtigium illud, quod à prætereunte rota impreſſum relinquitur. Reddenda igitur ratio, cur per *orbitam* circuitum Rotæ acceperimus, non autem ipſius rotæ veſtigium terræ impreſſum; vel cur non dixerimus cum Parrhaſio vtrumq; ſignificari; ſed priùs firmandum eſt, orbitam pro circuitu rotæ accipi omninò poſſe; quod tamen facile firmatur ex Virg. 3. Georg. dicente:

Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor: iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo.

certè enim hoc loco *orbita* pro rota ponitur, vt patet ex verbo *diuertitur*; nam *rota* eſt, quæ *diuertitur*; veſtigium autem remanet, poſt impreſſionem, immotum. Hoc firmato; in promptu iam ratio eſt expoſitionis ſupra traditæ; nam primo quidem non ſerpit humi ariſtarum decus, ſed in altum extollitur, atq; adeò veſtigium rotæ, quod *orbita* diceretur, non poteſt ariſtis flaueſcere, ſed caudice potiùs contegi: *Orbita* autem, quæ pars rotæ ſit, poteſt; nam & ipſa in altum extollitur ita, vt ariſtarum adæquet altitudinem, & ideò implexis facilè flaueſcere poteſt ariſtis. Secundo Vates ipſe *orbitam* ab *orbitæ veſtigio* diſtinguit hìc manifeſtè; nam cum dixerit: *flaueſcit ariſtis orbita*, ſtatim ſubijcit: *condunt veſtigia fruges*: quod ſuperfluum fuiſſet, ſi priùs *orbitam* pro veſtigio rotæ poſuiſſet. Quarè dicendum neceſſariò remanet, *orbitam* pro *circuitu rotæ* hìc poſitam, vt nos expoſuimus.

FRVGES SVRGENTES CONDVNT VESTIGIA. Mirè amplificat hìc vbertatem, terræ infuſam ex prætereuntis Deæ liberalitate; nam oſtendit, tantam humo inditam fæcunditatem, vt, maturis iam meſſibus, in recentes ſurculos erumpant ſeminales virtutes, ita vt, dum flauæ iam fluctuant ariſtæ, nouis iam germinantium corculis vireſcat, ad flaueſcentium radices, fæcundiſſima tellus, & aureis ditata theſauris ſtratum ſubter eos ſmaragdinum viridantium intexat germinum productione. Ideò Poeta non ſimpliciter *fruges* dixit; ſed *fruges ſurgentes*, & etiam, vt intelligeremus eum Helleniſmo vti, & græcâ potiùs, quam latina inniti eruditione: *Fruges* enim latinè terræ fructus omnes dicuntur, quos in alimoniam vertimus: aſt hoc, quod latini *fruges* appellant, apud Græcos *καρπὸς* dicitur; & hac eadem voce *καρπὸς* vtuntur Græci etiam in herbis ad frugem producendam ſuccreſcentibus exprimendis. Quarè cum hæc vox apud latinos vertatur in vocem *fruges*, nil mirum, ſi Poeta hac voce *fruges* vſus in græca ſignificatione, qua tenera herbarum germina exprimunt, recenter e terris erumpentia. Prudenter tamen hanc vocem ſic adhibuit; nam ad mentis ſuæ explicationem addidit: *ſurgentes*; *ſurgere* enim ſæpè ſæpiùs idem ſignificat, ac *naſci*, & *creſcere*: Naſci quidem apud Virg. Æn. pri. vbi habetur:

Nate Dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit.

& Æn. 4. *Quid bella Tyro ſurgentia dicam?*

ſed propius ad rem noſtram Georg. 4. dixerat:

Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.

Item *ſurgens* pro *creſcens* ponitur ab eodem Æn. 6.

Per genitorem oro; per ſpem ſurgentis Iuli &c.

Æn. autem 4. *Aſcanium ſurgentem, & ſpes hæredis Iuli Reſpice &c.*

quarè dum Poeta ſurgentes memorat fruges, certè germina naſcentia, & herbas ad frugem denotat creſcentes. Scio hanc ab Heinſio lectionem immutari; nam cum Iſingrini Codice, ac Claueriana editione legit ipſe: *Condunt veſtigia culmi*. Sed diſplicet hæc lectio, quia *Culmus* eſt ipſe calamus frumenti ſpicam ſuſtinens, quarè & olim columus dicebatur. Cum autem priùs dixerit Vates: *Flaueſcit ariſtis orbita*, certè ariſtas ſine ſuppoſito culmo non agnouit, vt ex explicatis iam patet; conſequenter ſi & hìc iterum de culmis loqueretur, videretur idem in ordine ad diuerſa quidem, ſed ſuperuacuè conſiderare. Adde, quod nil per ſecundum membrum explicaret, quod non contineretur ſatis explicitè, ſaltem de conſequenti in primo, quarè hoc eſſet pueriliter ludere in verbis, non ſenſum ſenſui ſuperaddere ad amplificandam fertilitatem. Et idem dico reſpectu eorum, qui legunt: *Condunt veſtigia meſſes*. Quarè ſatius arbitror, ſi cum vulgata noſtra legamus: *fruges ſurgentes condunt veſtigia*: neque enim aſſentior Parrhaſio legenti: *Scindunt veſtigia fruges*; nam non video, quid cum Vatis intentione, aut cum ipſius ſtructurâ contextus habeat verbum *ſcindunt*. *Condunt* itaque cum vulgata legimus; nam *condere* eſt *contegere*, *operire*, *abſcondere*, ne appareat id quod tamen de facto adeſt. Quanta igitur celeritate rota Cereris, recuruam ſui eleuans, quam depreſſerat, partem, veſtigium relinquebat impreſſum, tantâ oſtendit Poeta noua germina pullulaſſe, quæ relictam contegerent orbitam creſcentia, ne ampliùs appareret. Ideò *Condunt veſtigia*, quæ quid ſint, iam vidimus abunde ſupra. In hac verò vberrima non frugum tantummodo, ſed & prodigiorum affluentiâ non poſſum, quin ea mente relegam, quæ Torquatus Taſſus ad Armidæ montis fertilitatem, amænitatemque congeſta deſcribit decorandam; nec poſſum quin eadem oculis ſubijciam, ex Can. 16. Hier. liber. decerpta.

Nel tronco iſteſſo, e trà l'iſteſſa foglia
Sovra il naſcente fico inuecchia il fico:
Pendon à vn ramo, vn con dorata ſpoglia,
L'altro con verde, il nouo, e'l pomo antico:
Luſſureggiante ſerpe alto, e germoglia
La torta vite, ou'è più l'horto aprico:
Quì l'vua hà i fiori acerba, e quì d'or gl'haue,
E di piropo, e già di nettar graue.

quod autem Cerealis rotæ veſtigijs attribuit hìc Claudianus, accipe ab eodem Taſſo cit. per ſimilitudinem, expreſſum in veſtigijs Rinaldi præſtigioſam ſyluam ingredientis. Cantu 18.

Doue in paſſando le veſtigia ei poſa,
Par ch'iui ſcaturiſce, e che germoglie:
Là s'apre il giglio, e quì ſpunta la roſa;
Quì ſorge vn fonte, iui vn ruſcel ſi ſcioglie:
E ſoura, e intorno à luì la ſelua annoſa
Tutte parea ringiouenir le foglie;
S'ammolliſcon le ſcorze, e ſi rinuerde
Più lietamente in ogni pianta il verde.

VESTIT ITER &c. *Veſtire* à veſte deductum eſt, quaſi *veſtem induo*: translatè tamen idem ſignificat, ac *contegere*, *operire*, & *exornare*, hæc enim munera veſtis ſunt omnia. Porrò in hoc translationis ſenſu certè accipitur à Poeta hìc. De itineris verò ſignificatione dix. ſupra ad Carm. *Dum ſcrutatur iter &c.* Vbi vidimus, nomen *iter* ſæpiùs profectionem ipſam ſignificare, quam viam, qua profectio fit, licet interdum & hanc ſignificet. Hìc in vtraque viget ſignificatione, nam *ſeges* certè viam operit, exornatque, qua Ceres progreditur, vt ex dictis patet; ac dum dicat: *contexta*, certè indicat ſegetis continuationem emergentis quocumq; Ceres progrediatur, ita vt ipſam Cereris profectionem ſubſequi, & comitari videatur, quaſi effectus à ſua cauſa inſeparabilis.

SEGES. Succreſcentes, & maturas etiam iam fruges, ſigni-

ſignificatione ſua; amplectitur *ſeges*; nam ea propriè eſt fruges eorum ſeminum, ex quibus conficitur panis, nondum quidem demeſſa, ſed præſcindens ab hoc, quod virens ſit, an flaueſcens. Sic Plin. lib. 18. Cap. 17. inquit ſegetem in articulum ire cæpiſſe: ex quo patet, nomine ſegetis herbam triticeam appellaſſe, quæ primum vix in nodum excreſcat. Aptè igitur, & congruenter ad iam dicta, *ſeges* inquit Poeta, vt & Ariſtas, & germina, de quibus ſupra egimus vnica comprehenderet voce.

COMITATA. *Comitari* eſt *comitem ſe exhibere*; & proprium eſt inferioris erga ſuperiorem, vt certè ſeges eſt reſpectu ſuæ procreatricis Deæ, cuius quaſi pediſſequa profectionem ſequi oſtenditur, & comitari. Perpende hic, quam acutè Poeta terram, qua Ceres iter haberet, Cœlo, tacitè, in diſquiparantia, æquiparatam velit, licet tacitus comparationem prætereat: nam ſi Cœlum lacteâ ſe viâ gloriatur inſignitum, illud iam terra, pro viribus, imitatur, dum ſe ipſam non lacteâ, ſed aureâ, ſmaragdinis contexta encauſtis exornatam geſtit: Si ſpica Cœlum ditat, multiplicatis hic ariſtarum ornamentis terra gloriatur. Meritò autem Cœlum æmulari effingitur terra, quæ Deam geſtaret Cœleſtem, ac tantopere beantem.

IAM LINQVITVR ÆTNA. Exornatâ ab effectibus Cereris profectione, illam iam à termino, á quo longiſſimè recedentem deſcribit, vt ad terminum ad quem deducat, nempè ex Sicilia in Idam Phrygiæ montem, quo tendere Cererem ſupra dixerat

IAM. Aduerb. hoc temporis eſt, vt alibi dix., quod hic celeritatem oſtentat, nam pro eodem ſtat, ac ſi eſſet aduerbium *illicò*.

LINQVITVR. *Linquere* idem eſt, ac *deſerere*, ſeù *longè abire*. Quarè denotat hic Vates, momentaneo ferè temporis lapſu, Cererem ab Ætna fieri remotiſſimam; ideò *Linquitur*

ÆTNA. Quid ſit Ætna iam vidimus in anteactis, hic ponitur pro termino, à quo diſceſſerat Ceres, ideſt pro loco, cui filiam commiſerat ſignum, videlicet pro re ſignata.

ET TOTA TRINACRIA &c. Proſequitur adhuc Cererem abeuntem, & maiorem, ac maiorem ab Ætna diſtantiam aſſequentem: hanc autem diſtantiam, lineis viſualibus, iuxta artem Perſpectiuæ, egregiè, ac ſcientificè, dimetitur. Quarè quæ hic enucleari contigerit, applicanda etiam erunt particulis præcedentibus: *Iam linquuntur Ætna*, adeò enim connexa ſunt, vt vnum ſine altero vix ſatis explicari potuerit: Hanc autem connexionem efficit particula illa *Et*, quæ ita coniungit partem iam poſitam, nempè Ætnam cum toto reſpectu lineæ viſualis, vt gradum faciens à minori ad maius, à minori etiam, licet longiſſima diſtantia ad maiorem diſtantiam rite progrediatur. Sed antequam explicationem aggrediamur, renocandus in mentem modus eſt, quo viſio fiat; nam huius cognitio maximè confert ad intelligentiam explicandorum.

Reiectâ igitur ſententiâ, quæ aſſerebat viſionem fieri per extramiſſionem radiorum, ita ſcilicet, vt oculus emitteret radium quemdam, quem viſualem appellabant, & qui ad obiectum vſque videndum protenderetur; reiectâ, inquam, hac ſententia, quæ iam communiter à ſcholis exploditur, iis rationibus, quas nos fusè in animaſticis edocuimus, communior ſententia eſt, viſionem fieri per introſuſceptionem ſpecierum ab obiectis viſibilibus emiſſarum. Pro quo

Notandum eſt primo, obiecta huiuſmodi omnia producere, & ex ſe tranſmittere ſpecies quaſdam, quas nos, in animaſticis, imagines obiecti virtuales eſſe, docuimus, ſed, quia hoc parum refert ad inſtitutum, non repeto. Hæ ſpecies, ob tenuitatem ſuæ materialitatis, ſpecies intentionales appellantur, & vicariæ obiecti communiter dicuntur, quia obiectum, quod immediatum ſenſui eſſe non poteſt immediatione ſuppoſiti, fiat per ipſas immediatum immediatione virtutis. Species igitur huiuſmodi ab obiecto tranſmiſſæ, ac in aere propinquo receptæ, per ipſum aerem, tamquam per medium propagantur, & ad oculum vſque deferuntur; iiſq; in oculo vitaliter receptis, oculus viſionem elicit, quæ eſt formalis imago obiecti repreſentati per ſpecies illas impreſſas, & ſpecies dicitur expreſſa.

Notandum ſecundo, has ſpecies intentionales ab obiecto ad oculum. in conum, procedere; ita vt protendantur in modum pyramidalis figuræ, cuius baſis in toto corpore obiecti ſtabiliatur; conus verò, ſeù acumen ſupremum oculos pertingat; ex quo fit, vt res in ſemota admodum diſtantia conſtitutæ, licet eximiæ magnitudinis ſint, paruulæ tamen eſſe videantur; & ratio eſt, quia, quo magis res viſibilis diſtat, pyramidalis ſpecierum ſtructura ſemper magis acuminetur, neceſſe eſt, & conſequenter minorem ſemper, & minorem ad oculos angulum deferat viſualem. Quarè, cum obiectum tale videatur, quale per proportionem anguli viſualis repreſentatur, quo minor eſt angulus, minor res ipſa viſibilis apparet. Hinc Perſpectiuam artem callentes ſtatuas, vel picturas, quæ, longè ab oculo, editiſſimis in locis, ſunt collocandæ, in giganteas, propè dixerim, extruunt moles; nam beneficio diſtantiæ ſubindè efficitur, vt iuſtæ dimenſionis eſſe, iuxta id, quod per ſculpturam, aut picturam, repræſentandum erat, appareant.

Notandum tertio ad viſionem eliciendam requiri ſemper, vt obiectum in debita ſit diſtantia collocatum; nam, cum obiectum ſit finitum, & limitatum, conſequenter finitæ etiam, & limitatæ virtutis, certè non poteſt emittere ſpecies niſi finitas, & ad finitum, limitatumq; ſpatium protenſas, habito reſpectu ad molem, & actiuitatem corporis à quo emittuntur. Quarè ſi oculus ſtatuatur extra ſphœram actiuitatis ſpecierum, ita vt earum pyramidalis angulus oculum pertingere nequeat, tunc viſio obiecti omninò ceſſabit, & euaneſcet. His autem prænotatis, ad explicationem iam poetici textus deueniam.

Dixerat antecedenter Vates: *Iam linquuntur Ætna*: Noſq; explicantes obiter ibi, quod erat hic fuſiùs enucleandum, diximus, ſignificari Cererem iam longiſſimè diſtantem; nam, & ibi ſubintelligendum erat, quod hic ponitur, nempè *refugo viſu*; ita vt, dum dicit: *linquuntur Ætna*: idem ſit, ac ſi diceret: *ceſſat Ætnæ aſpectus*; ſignificans ſcilicet, Deam longè adeò ab Ætna in ictu oculi proceſſiſſe, vt ſpecierum illius Montis Conus non amplius *refugientem*, hoc eſt *ab ipſis ſpeciebus retrò fugientem* oculum pertingere poſſet. Vulgò *Perdeſi di viſta il Monte*, ob rationem iam allatam. Non eodem autem tempore, quo conſpectus Montis euanuit, euaneſcere etiam potuit aſpectus totius inſulæ; nam, data proportione partis ad totum, ſi pars protendit ſpecies à ſe emiſſas in diſtantiam, V.G. decem ſtadiorum; totum ad centum vſq; protendat, neceſſe eſt: quarè, ceſſante conſpectu Ætnæ, adhuc in conſpectu Sicilia eſſe debuit; ſed, quia, adhuc refugiente oculo, maior, ac maior ſemper interponebatur diſtantia, acutior fiebat conſequenter ſpecierum emiſſarum conus, ita vt minor, & minor appareret Sicilia ipſa, donec, conſtituta tandem Cerere extra ſphœram actiuitatis ſpecierum, tota repente ex oculis Inſula euaneſceret; ideſt vulgò *Se perdeſſe di viſta*. Ex quo vides, quam exactâ, atque eruditâ gradatione, Poeta per decrementum maius, ac maius viſionis, ac tandem per totalem ipſius ceſſationem, diſtantiam maiorem, & maiorem à Cerere acquiſitam inſinuet.

Tota, igitur inquit, *Trinacria decreſcit*; nam *totum* idem ſignificat, ac *Integrum*, *Vniuerſum*, *Solidum*, & iterum *totum* illud dicitur, quod ex partibus in vnum coaleſcentibus componitur. Quarè particulas *tota decreſcit* duplicem hic habere ſignificationem animaduertes, primam ſcilicet comparatiuam *totius* ad partem; & ſic dicit: *Tota Trinacria*, vtpotè Ætnæa parte longè maior, adhùc ceſſante partis viſione, in conſpectu eſt, ſed minùs, & minùs ſemper apparet, ſeù minor, & minor repreſentatur, quod verè decreſcere eſt non quidem in eſſe, ſed in repreſentari. Secunda autem eſt ſignificatio abſoluta, quatenùs ſcilicet *totum* idem eſt, ac integrum, & ſenſus eſt, quod tandem minor, ac minor apparens Sicilia, tota tandem, inquam, ideſt integra decreſcit, hoc eſt ab oculis, & è conſpectu tollitur, poſitâ iam Cerere extra ſphœram actiuitatis ſpecierum, vt ſupra dicebamus. Trinacria verò quænam ſit, & cur hoc nomine dicta vidimus ad Carm. *Trinacria quondam &c.*

REFVGO VISV. Cauſam aſſignat, cur decreſcere, & minor ſemper fieri videatur, donec tota ex oculis inſula euaneſcat, modo dicto; nempè quia oculus refugit, ideſt retrocedens maiorem, ac maiorem diſtantiam à ſpeciebus aſſequitur, donec per illam exeat è ſphœra ſpecierum &c., & ſic ceſſet viſio. *Refugus* enim à verbo *refugio* deductum nomen idem ſignificat, ac *ſe retrò quaſi fugiendo, ab aliquo recipiens*; *Refugere* enim eſt *ſe retrò per fugam ab aliquo recipere*. Cum igitur Ceres è Sicilia diſceſſiſſet, quo magis ab illa elongabatur, eo magis, & ipſius oculus retrocedebat à ſpeciebus, donec extra ſphœram exiliret. Ideò *refugo viſu*. Nam viſus tàm dicitur actus ipſe viſiuus, quàm potentia actum eliciens. Aſt hic pro potentia ponitur viſiua.

Placet hic aliam afferre rationem, cur Poeta, Ætnam, totamq; Trinacriam decreſcere, ac tandem ex oculis euaneſcere dictitauerit; nam hæc etiam neceſſaria eſt huic textui, vt videbamus explicãdo: & ea eſt in qua fundare etiam videtur

tur id quod in ſimili habet Taſſus Hieroſol. liber. Cantu 16.

Vola per l'alto Mar l'aurata vela;
Et guarda il lido, e'l lido ecco ſi cela.

petitur itaq. hæc ratio, & ab ipſa viſionis natura, & à rotunditate inferioris huius orbis. Ad hanc verò rationem explicandam.

Sciendum primò, hanc eſſe naturam viſionis, vt ſemper fiat per lineam rectam. Ideò ſpecies, ab obiecto, & quacumque eius parte emiſſas, ad oculos in conum tendere, iam diximus, & figuram pyramidalem conſtruere; nam, ſicuti lineæ rectæ à circumferentia vndequaq; in centri punctum collineant, ſic ſpecies illæ ex vaſto corpore viſibili vndequaq; emiſſæ per lineam rectam in centrum oculi, ideſt in pupillam collineent neceſſe eſt: Quarè ex ampla baſi corporis viſibilis in conum, & angulum confluant oportet, vt patet conſideranti.

Sciendum ſecundò Aquam ſimùl, & terram globum conficere ſphœricum, non quidem mathematicè, rotundum, ſed phyſicè, vt nos, in lib. de Cœlo & Mundo, ſatis ſuperq; probauimus; ex quo fit, vt iter facientes per terrarum orbem perindè ſe habeant, ac formica, quæ rotæ ſemicirculum percurrat ſuperiorem. Hoc poſito: certum eſt, quod, ſi detur clauus in extrema decliuitate huius ſemicirculi infixus, & formica per circularem rotæ orbitam ſurſum aſcendens, ab eo diſcedat, quandiù formica progreditur in eo rotæ ſpatio, reſpectu cuius, curuitas eiuſdem rotæ non ita exuberet, vt rectam impedire poſſit viſionis lineam ad totum, clauum terminantem, tandiù formica totum clauum videbit: cum verò, per decliuo clauo oppoſitum rotæ ſpatium, incipit formica deflectere, ita vt inter ipſam, & clauum aliqua rotæ curuitas interponatur; tunc, quia linea recta viſionis non poterit ad inferiorem claui partem, obſtante curuitate intermedia, profectò deferri; conſequenter non totum iam, ſed dimidium, V. G. tantummodo Clauum, qua altius eminet intuebitur; & quo magis in decliue ferretur formica, creſcente curuitate interpoſita, eo minorem Claui partem videbit, donec, omninò tandem interpoſita curuitate lineam rectam impediente totus ex oculis clauus euaneſcet: atq; hoc pacto clauus videbitur formicæ illi paulatim decreſcere, ac totus tandem euaneſcere. Quod autem in formica exemplificauimus, poteſt quiſq; proprij oculi experimento delibare, ſi videlicet, oculum ad circularem rotæ, ſuperficiem depreſſum, & applicatum paulatim retrahas ab infixo clauo, ita vt per depreſſiorem rotæ partem magis, ac magis ſemper deſcendat: ne videamur exemplum attuliſſe in re, quæ experientiam teſtari nequaquam poſſit. Hinc eſt vt, in Mari, nauigantes corbem in ſummitate mali conſtituant, vt poſitus in eo ſpeculator non poſſit ab interpoſita aquæ curuitate impediri, quin longiſſimo diſtantia tractu proſpiciat nauigia, quæ in naui ſtantes nequaquam videre poſſunt, quia rotunditas aquæ, quæ rectam lineam viſualem ex altiori loco collocantem impedire non poteſt, lineam impedit ex inferiori eductam, quæ dum recta tendit in curuitatem in medio prominentem impingit, & ad nauem aduerſam progredi prohibetur interrupta ex eadem curuitate ſpecierum ex aduerſa naui emiſſarum, ad oculos in inferiori ſtantis propagatio. His poſitis.

Currus Cereris, vt vidimus, modo Zephyros tranat, modo inferiore volatu arua ſecat. Si igitur conſideretur, vt in altum euectus, tunc terræ rotunditas non poteſt per interpoſitam curuitatem impedire nec ſecundum partem, nec ſecundum totum rectam lineam viſualem; itaq; hac ratione nec decreſcere, nec tolli omninò ab oculis poteſt obiectum; conſequenter ad priorem allatam de ſpeciebus limitatæ virtutis erit recurrendum. Si verò conſideretur, vt arua ſecans inferiore volatu, tunc ſecunda de rectitudine lineæ vel partialiter, vel totaliter impeditæ ab interpoſita rotunditate terræ militabit, &, iuxta proportiones iam datas, ad proportionem diſtantiæ, & decreſcet magis ſemper, ac magis, & totum tandem occultabitur obiectum, etiam ſi alióquin non eſſet extra ſphœram activitatis &c.

Sed, ne & nos ſphœrica phyloſophicarum rationum perfectione detineamus ita, vt in id, quod ad mores pertinet, viſus mentis non collinees, ad altiora iam curſum dirigentes proprium phyloſophi moralis ſcopum attingamus.

ÆTNAM diximus imaginem inferorum præ ſe ferre; Proſerpinam Animæ ſymbolum exprimere: Cererem, hìc iam liceat interpretari, eſſe principem illam, ac nobiliſſimam animæ facultatem, quam rationem, & mentem nominamus, & quæ, tamquam mater, ſemper de filiæ, hoc eſt de animæ ſalute ſollicita, hanc fouet, hanc ſequitur, hanc à periculis reuocat, hanc tutam in ſtationem totis conatur viribus deferre, ne rapiatur à Procis in eius innocentiæ perniciem conſpirantibus. Optima perfectò mater, optima natæ ſalutis procuratrix, ſi tamen adſit prudentia, & vigili ſemper lumine in amatiſſimæ filiæ illius cuſtodiam feratur aſſidua. Aſt, cum, à Cœlo aberrans, æthera deſeruit; fallitur imprudens; atq; ideò Inſidis natam laribus commiſit alendam, &, quia abyſſus abyſſum inuocat, cæca efficitur, ne videat quæ ad filiam conturandam neceſſaria ſint. Heù cæca futuri! Quæ ſcilicet non diſcernat, Cœlum relinquenti non niſi perditionem imminere. Ideò in periculo ſecura eſt, quia periculum non conſiderat, ac vigilantiæ negligit curam; Sicq; dum Anima ſibi ipſi relicta prope Ætnam, ideſt prope inferorum hiatum oberrat, illa ad alia diuagatur, & terram petit adeò, vt Ætnæ viſio, ideſt inferorum contemplatio, ab illa prorſus aufugiat, & euaneſcat. Cupis hanc Cererem prudentem efficere, ita vt nunquam erret, nunquam à filiæ cuſtodia, nunquam ab Ætnæ conſpectu diſcedat? Attende tibi; ac memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Deſcendamus oportet ad infernum viuentes, vt ad Cœlum morientes extollamur. Quod ſi Cœli priùs, deindè inferorum contemplationem negligentes ad Cybelem, hoc eſt ad terram toto animo diuertamus, tunc mens, & ratio draconibus vehitur, ideſt ſenſus à voluptate, mens à ſenſu decipitur, & diſtrahitur; ſenſuum enim, ac mentis deceptæ hieroglyphicum per terreſtris ſerpentem Paradiſi ſatis exprimitur, vt doctè norat Pier. Hierogl. lib. 14.; tunc rerum terrenarum affluentiâ obruimur, &, dum terrenis oblectamentis abſtrahimur, relinquitur Ætna, totaq; decreſcit refugo Trinacria viſu. Quid prodeſt Zephyros tranare, altiſſimas de Cœlo quæſtiones diſcutiendo; quid prodeſt terram ſecare volatu, & arcana Naturæ, ac ſeminalium virtutum vires indagare, nec non ex illis auream ſcientiæ meſſem nobis pullulare; quid denique prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Quid placida venena proſunt draconis, Mundi ſcilicet per draconem repræſentati, delicijs affluentia, ſi pro ijs interim Anima deſeratur? Fræna itaq; draconum, nempè paſſionum, & ſenſuum, regat recta ratio, ſed Dedaleo, non Icario itinere procedat: non deflectat, aut ad dexteram, aut ad ſiniſtram; nec ſurſum per ſuperbiam feratur, nec deorſum per deiectionem animi deprimatur. Semper in conſpectu ſtet Ætna, & nulla vigilantiæ cura, vt Proſerpinam noſtram tueamur, vllo vnquam tempore deſeratur; in via enim Domini non progredi eſt retrogradi; ideò tota decreſcit refugo Trinacria viſu, & Proſerpina raptoribus expoſita derelinquitur. Verum, ne & nos ferijs nimium vacantes Italica deſerat Clio, quid de his ipſa concinat, audiamus.

Di queſt' Iſola in ſen, che d'ogn'oltraggio
Par da portenti ſuoi reſa ſicura,
Poſto del ſuo gioir l'vnico hoſtaggio,
La fida Madre ogni timor traſcura.
Quindi al render di ſe diuoto Omaggio
A chi vita gli diè, volge ſua cura,
Certa, ch'il ſuo teſor dalle rapine
Serbi, chi ſerba vniti e fuoco, e brine.
Mentre dall' Etna al dipartir s'accinge,
Termine à viaggi ſuoi l'Aſia preſcriue,
E dell' Aſia la parte, oue non finge
Batto i ſilentij, e pur ſuelar s'aſcriue
Se tal' hor l'Oricalco oro s'infinge;
Doue il Pattolo ad arricchir le riue
Gonfio trauolge in natural teſoro,
Trà ſmeraldi di Flora arene d'oro.
Douitioſi Penati, aure tranquille
Gode colà di Berecinthia il Nume:
E de proſtrati adoratori, à mille,
Coronata di torri i voti aſſume;
Mentr'i ſacri miniſtri, à ſuon di ſquille,
Crollan le fronti, e ne vacilla il lume.
Cerere, che n'è figlia, à lei ſe 'n corre,
E del piede le moſſe il cuor precorre.
I Draghi, auuezzi à ſolleuar le membra,
D'alte ſtriſcie à ſolcar gl'aerei campi,

Battus in lydium lapidem cōuerſus, quod ſilẽtia promiſſa non ſeruauerit.

Pactolus Phrygiæ fluuius.

Im-

Imbriglia queſta; e'l dolce fren, raſſembra,
Che frà gl' haliti lor lieto diuampi;
Ma'l placido velen ſcorrendo aſſembra
Con le neui accoppiar l'oſtro de lampi;
Sì che, douunque cada, in quello hà ſcorta
Ciò ch' Apollo, e Nettun d'influſſi apporta.

Vide Comment. Luc. Frontes.

Lucide creſte alla ſuperba fronte
Forman diadema, e'l tortuoſo tergo
Di verdi ſmalti è che Natura impronte:
Dan quei le macchie, e frà le macchie vsbergo
Più ſaldo aſſai, che temprar vanti vn Bronte,
Teſſon le ſquamme, à raggi d'oro albergo.
Così, trà verde, ed or, di terra, e Cielo
Par, ch' inteſciuto habbian sù'l dorſo vn velo.
Sì vaghi moſtri all' aureo cocchio auuinti,
Già le redini d'or la manca ſcuote;
Lieue sferza la deſtra; e già ſoſpinti
Quei traggon, l'aria à valicar le ruote.
Folgori, al ſerpeggiar, che da raccinti
Scaglin le nubi, e ne rimangan vuote,
Sembran. De moti loro ella maeſtra.
Il rapido del vol regge, & addeſtra.
Hor ſoura i venti, in fleſſuoſi giri,
Spingonſi à reſpirar l'aure più pure,
Hor, riuolti alla terra i ſuoi raggiri,
Radon co'l baſſo vol le zolle impure.
Ride feſtoſo il ſuolo; e par, ch' aſpiri
Al rigettar dell' aride ſtrutture
L'antica ſpoglia, hor, che da draghi apprêde
Veſtir la nuoua, e 'l rifiorir n'attende.
Legieriſſimi ſolchi in bianca polue
Segna in tanto la ruota, e non s'aſconde;
Ma del vecchio ſquallor tutti diſſolue
Gl' aſcoſti nodi e ſua virtù v'infonde.
Succhi vitali, oue, s'aggira, e volue,
Nell' arſiccio terren quella diffonde:
Queſto s'ingemma; e verdi, e bionde al vento
Scorge ondeggiar le meſſi vn ſol momento.
Del curuo argento à ſdrucciolanti arredi
S'intreccia l'or delle mature ariſte;
Quaſi abbracciar del ſuo teſor le ſedi
Goda, e, grato, bacciar ruote alchimiſte.
Mà pur non ceſſa il germogliare: e vedi,
Naſcenti biade, alle già d'oro immiſte,
Le veſtigia coprir; ch', impreſſe à pena
Sorgono i germi ad arricchir l'arena.
Siegue ratta il camin la Dea fugace,
Ed i parti del ſuol ſieguon la traccia.
Viuo ſtrato il ſentier, reſo ferace,
Steſo conſerua, e pur le ruote impaccia
Di nuoue ſpiche, in pullular viuace,
Ne vuol d'ingrato ei ſottentrar la taccia.
Si che (ſcorra la Dea prato ò campagna)
Co'l tributo l'honora, e l'accompagna.
Già lungi è sì da d'onde moſſe i Draghi,
Che più l'occhio à ferir l'Etna non giunge:
L'Iſola tutta impicciolita i vaghi
Lumi di rimirarla à pena punge;
Che quell' oggetto, ond' il mirar s'appaghi,
Troppo di lontananza hormai diſgiunge:
E tanto al fin di nuoua terra acquiſta
Cerer, ch'l nido ſuo perde di viſta.

At, ne ab aſpectu etiam noſtro recedat eruditiſſimi Poetæ contextus, poſtliminio reuertentes, propiùs, obſecro, intueamur.

Heu quoties, præſaga mali, violauit oborto
Rore genas, quoties oculos ad tecta retorſit?
Talia voce mouens; Salue gratiſſima tellus,
Quam nos prętulimus Cœlo. Tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & caros vteri commedo labores.
Præmia digna manent: nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi verſabere vomeris ictu.
Spontè tuus florebit ager, ceſſante iuuenco:
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.
Sic ait: & fuluis ſerpentibus attigit Iden.

HEV QVOTIES &c. Pateticè exponit internas matris commotiones, quibus acta non potuit Ceres non indulgere dolori, & lacrymis filiam à ſe derelictam materno affectu recenſens, cum iam e conſpectu abiiſſet Sicilia. Sed cur dolore perfunderetur; cur lacrymas effunderet, dum ſecura abſceſſerat, ſecura procedebat? Rationem reddit acutiſſimè Poeta, & mali ominis ſpeciem ſpontaneum dolorem, ſpontaneas afferit lacrymas; atq; hinc data occaſione Cererem inducit per proſopopeiam, ſummis refertam affectibus, cum Inſula colloquentem, illique ſuorum viſcerum pignus commendantem, propoſitis, ſi annuat præmijs, vt efficaciùs ſuadeat.

HEV QVOTIES &c. Amarum animi æſtum, in lacrymas erumpentem, per contentionem affectuum, hic deſcribit, & compaſſiuo proſequitur dolore, quem ipſo effert initio per particulam *Heu*, quæ interiectio dolentis eſt, eaq; vtitur Vates ad magis exprimendas Cereris paſſiones, quæ ferociter adeò patientis Deę pectus dilanient, vt eum etiam, qui illas tantum recogitet, valeant excruciare, ac concepti vehementia mæroris in exclamationem compellat erumpere *Heu*. Dolet igitur Vates, quod nimium Ceres doleat, vt ex compaſſiua contemplantis dolore, qui nam fuerit dolor agitatæ Matris facilè argumentemur; & dolet quia ingruentes calamitates Cereri oſtenduntur ſignis hiſce à natura præſentiente editis, & tamen ab ipſa licet patiente non obſeruantur, nec tanti fiunt, vt ad redeundum valeant abſcedentem impellere, vt debebant.

QVOTIES. Aduerbium hìc admirantis eſt, quo vtimur cum iteratas totidem vices innuere volumus, vt ſupputanti numerus deſit. Sic apud Virg. Dametes Ecl. 3. inquit:

O' quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt!
Partem aliquam venti Diuum referatis ad aures.

PRÆSAGA MALI. Præſagus idem eſt, ac *futura præſentiens*: quarè, dum Ceres præſaga dicitur, mali, indicatur in ſe ipſa aliquod pati indicium mali impendentis, licet non planæ, quid hoc ſit, aut quid mali portendat, illi ipſi innoteſcat. Ideò *præſaga mali* hoc eſt *malum ſibi* præſentiens euenturum ex ſigno videlicet naturali Interno à natura ipſa in præſagium excitato. Præſagium autem ſpecies diuinationis eſt; nam qui *præſentit*, ideſt *malum, antè quam veniat, ſentit*, ariolari videtur. *Diuinatio* autem *Prudentia futurorum dicitur* ex Cic. pro Rab. & pri. de diuin; Aſt quomodo in Cerere ponitur hic à Poeta hæc futurorum Prudentia, dum per ipſum, *Cæca futuri* erat Ceres, vt antea dixerat ore rotundo, & nos explicuimus in loco? Serò ſapiunt Phryges: Sed qui cæcus, ideſt nullâ circa aliquid prudentiâ præditus fuerat, malo ſæpe ſuo didicit prudens eſſe. Sic Ceres cæca iam futuri, & imprudens æthera deſeruit; infidis natam Laribus commiſit alendam; relictâ ſubindè filiâ ſine matris cuſtodiâ, ad Phrygios tendit ſecura penates. Quid imprudentius? Verum vexatio tandem dat intellectum; nam cum ex interna, ſpontanea, & ſupra modum vehementi paſſione, ac mærore vexaretur, tunc cæpit ſapere, & prudens ſigna futuri damni, ac deplorabilis euentus obſeruare, ac perpendere; Sed prudens adhuc & cæca: prudens, quia ſigna futuri conſiderans futurum præſenſit malum: cæca, quia ad malum, quod præſentiebat, euitandum media vel non vidit, vel eligenda neglexit, loco enim redeundi ad filiam contutandam, inceptum adhuc iter cæca proſequitur, filiam infidis iterùm Laribus ſe commendaſſe contenta. Diuinationem, ait Cic. pri. de diu., ver-

ſari

ſari inter homines, & eſſe vim quamdam cognoſcentem, & explicantem ſigna, quæ hominibus a Dijs portenduntur. Eſt igitur hæc *diuinatio*, ſeù *prudentia futurorum* vis innata naturæ, non autem eſt Prudentia illa, quæ ſit *habitus intellectiuus practicus dirigens operationes omnes ad bonum*: quarè prudentia potiùs naturæ eſt vniuerſalis, quam hominis taliter in indiuiduo, propria; Natura enim videtur præſentire futurum malum, & eiuſdem ſigna etiam exprimit quæ iam, cuiuſmodi ſunt metus repentino horrore quatientes, mœrores innati, quorum ignoramus originem, lacrymæ ſpontè effluentes, inſolitæ ſanguinis, arteriarumq; commotiones, cordis oppreſſiones, crebra ſine cauſis ſuſpiria &c. Sed licet hæc dignoſcantur ſigna eſſe malum aliquod impendens ominantia, neſcimus tamen adhuc, quodnam in particulari malum immineat, & adhuc a quo cauendum ſit, ignoramus; niſi prudentia, non *innata*, ſed *per experientias acquiſita*, perſpicacitate ſua, valeat indagare ex adiunctis, & circumſtantijs actionum, locorum, temporum &c. quodnam malum immineat, ac ſubinde media ad præcauendum eligere. Hanc Ceres non habuit; ideò prudens, & cæca: prudens, quia præſenſit malum in genere; Cæca, quia ex præcedentibus, cæteriſq; conditionibus, ac circumſtantijs expoſitam raptui filiam non agnouit, nec media ad contutandam elegit. Præſagij ſymbolum Talpam fuiſſe reperio apud antiquos; nam, vt teſtatur Porphyrius apud Pier. Hierogl. lib. 13., Veteres illi diuinatores ſimul, ac talparum corda deglutiiſſent, accipiebant ſubindè præſentem animam, Dei ritu, vaticinantem. Verùm eadem Talpa cæca eſt, &, teſte Heſychio apud Pier. cit., ſymbolum cæcitatis eſt, & ignorantiæ; quarè prudentiſſimè Eucherius, hæreticos, per Talpam, in diuinis litteris, expreſſos intelligit, quia, vt ipſe ait, licet aliquid cernere videantur, ipſum liquidæ veritatis lumen minimè diſcernunt. Habetur igitur, & ex Talpa Hieroglyphicum illius prudentiæ, ſeù diuinationis naturalis, cum qua tamen cæcitas, & ignorantia copulatur. Ideò cæca Ceres, & tamen prudens futurorum, ſed prudentiâ quadam cæcitati admixtâ, dum præſentiens malum, à quo tamen, & quomodò caueat, non agnoſcit; atq; adeò deplorabilis magis euadit eius inclementia doloris, cum & fruſtra malum portendat, & incaſſum exagitet, quam non erudiat: quapropter optimè Vates in exclamationem erumpit. *Heu quoties &c.* Hanc ipſam naturæ inſitam diuinationis vim attigit etiam Virg. Æn. 10. vbi ſic habet:

Agnoſcit longè gemitum præſaga mali mens,

ſed & aſſiduâ eadem in nobis experientiâ comprobatur; nunquam enim enumerata iam ſigna in nobis ipſis experimur, quin aliquid euenturum mali ſuſpicemur. Tribuit autem hos Natura impulſus, vt nos ad omnia parati malum omne euitare conemur; Sed perplexo ſæpe recogitantes animo, quodnam malorum portendatur, incautos feriunt ruinæ. Ideò cæcum præſagium quo diuinantes, quid adhuc ariolemur, ignoramus.

MALI. Malum ſubſtantiuè hic ſumitur, & nomen genericum eſt, quod indifferenter de quolibet infortunio prædicatur; diſtributiuè tamen hîc ſumitur, ita vt qui eſſet ex ſe terminus vniuerſalis, fiat terminus particularis indeterminate diſiunctiuus, & idem ſonet, ac ſi appoſita eſſet particula, *alicuius* mali, ex innumeris videlicet, quæ accidere poſſent. Præſaga mali erat Ceres; ſed num eſſet malum ſibi ipſi imminens immediatè, an ſibi, in filia, neſciebat, licet Amor maternus filiæ potiùs timeret, quam ſibi, atque ideò filiam infidis demùm Laribus commendaret, vt infra. En quomodò Præſaga, & Cæca; prudens, & ignara fuerit futurorum.

VIOLAVIT OBORTO RORE GENAS. Pulchra illacrymantis periphraſis, ſed leuiter illacrymantis, nam ros pro leui aſpergine, vt plurimum, ſumitur; &, licet interdum pro ingentis humoris copia vſurpetur apud auctores, hic non in eo ſenſu vſurpari apertè indicat aduerbium *Quoties*, quod fletus interruptos ſæpè, & iteratos ſignificat, conſequenter leues; nam fletus illi exuberantes, & copioſi, effrenes dicuntur, quia ſine interruptione profluunt, nec facile poſſunt cohiberi. Adde, quod Dijs (vt eſt apud Ouid.) nefas eſt flere, quarè ſummi in ijs doloris indicium, vel leuiſſima ſemper fuerit illacrymatio.

VIOLAVIT. Violare idem eſt, ac *corrumpere, polluere*, ac *vim inferre vitiando*; propriè autem dicitur de Virgine, cui illata vi pudor Virginalis eripiatur. Verum, ſicuti alibi diximus, nomen Virginis transferri ad res omnes intactas, illibataſq; ſignificandas; ſic verbum *Violo* transfertur à Virgine ad res alias, quæ tunc dicuntur violari cum natiua earum pulchritudo quoquomodo defloratur, deturpaturque. Et quia rarò euenit, vt lacrymæ oboriantur, quin vultus mæſtiſſimis non obnubatur nubibus, quæ eius pulchritudinem inficiant, ideo lacrymis dicitur deturpari, violarique. Inſuper lacrymæ, quippè quæ, vt definit Cauſinus de Eloquentia lib. 8. cap. 40. nil ſunt aliud, quam humor ex calefactione humidi, ac teneri cerebri per oculos diſtillans, aliquid habeat acrimoniæ, ac mordacitatis, quam ab igneis illis ſpiritibus contrahunt, qui cerebrum calefaciunt; & hinc eſt, vt in ea parte, qua cadens excipitur lacryma, rubor ſtatim appareat; &, ſi diutius lacrymæ proſequantur, corroſionem etiam efficiant, vt ſatis experientia patet in aſſiduè lugentibus, quorum oculi inflammantur, & corroſiuam patiuntur impreſſionem; ideò violare, & corrumpere partem madefactam lacrymæ dicuntur, plenè quidem, & formaliter ſi aſſiduè profluant; ſi autem leues ſint, & non aſſiduæ idem inchoatiuè ſaltem dicuntur efficere. Ideò egregiè Poeta *Violauit*, inquit

GENAS. Genæ in rigore loquendo ſunt illa duo oculorum opercula, quibus coeuntibus pupilla obtegitur: Palpebras imperitum vulgus appellat: Imperitum dixi, quia Palpebræ propriè non ſunt membrana illa ſuperior, & inferior, quæ oculum tegunt, ſed ſunt Pili in Cilijs, hoc eſt in extremo ambitu genarum, vt latè docet Plin. lib. 11. cap. 37. qui & ideo dicit piſces, & inſecta genis non exornari, nec oculos contegere. Verum quidem eſt, genam accipi etiam pro ea parte, quæ propriè *mala* dicitur, ſub oculis ſcilicet poſita, & ad mentum deducta, quæ etiam *Gena* dicitur, quod in ea Pili gignantur. Hîc *Genas* arbitror in primo rigoroſo ſenſu à Poeta acceptas; nam cum leuem ex dictis indicet lacrymarum aſperſionem, & lacryma nihil citiùs areſcat, in Genis ipſa ſubſiſtet, ad differentiam profuſi fletus, qui malas ſæpiùs, ac pectus irrigant ipſum defluentes; quod in Cerere non euenit, quæ leuibus tantum quippè Dea, lacrymis potuit indulgere. Ideò

RORE. Ros propriè humor eſt, qui, verno tempore, de Cœlo fluit, ſerena nocte. Porrò de rore hæc habet Ariſt. 1. Metheor. *Eius autem vaporis, qui interdiu educitur, quidquid, ob caloris ſurſum ferentis paucitatem, aquæ ſublatæ comparatione, in ſublime non tollitur, rurſus, cum, noctu, refrigeratum fuerit, delapſum ros, & pruina nuncupatur; pruina quidem, cum vapor ante conglaciauerit; ros verò, cum in aquam vapor concreuerit; nec vapor huiuſmodi eſt, vt id, quod in ſublime elatum eſt, exſiccet; nec tale frigus, vt vaporem gelet, propterea quod aut locus calidior ſit, aut tempus: ros enim in Cæli temperie, locisq; temperatis magis gignitur.* Ex hoc autem Ariſt. textu habes, rorem fieri ex modica euaporatione; vbi è contra pluuiæ ex largo vapore progenerantur. Patet, quod de rore dicimus, ex textu, inquam; quia, dum dicit, calorem eleuantem modicum eſſe, modicam etiam tantum euaporationem profectò attollet; ſicut enim quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; ſic quidquid eleuatur ad modum eleuantis eleuabitur; atq; ideò modicus calor non poterit vaporem vltra vires ponderantem eleuare. Et licet videatur Ariſt. indicare, vaporem eleuatum grauiorem eſſe, quam vires caloris eleuantis ferre poſſint; aduerte Ariſt. non locutum abſolutè, ſed comparatiuè ad maiorem, vel minorem diſtantiam: vires enim caloris ſufficiunt ad eleuandum, V. G. vſq; ad talem diſtantiam; ſed eleuantes deficiunt ita vt magis in ſublime ferre non poſſint. Quarè numquam pondus excedet vires eleuantis, adeoq; cum modicus ſit calor, modica erit euaporatio eleuata, ex qua ros concreſcit. Hinc aptè metaphora roris vtitur Vates, ad leuem lacrymarum aſperginem exprimendam. Adde maximam eſſe, inter rorem, & huiuſmodi lacrymas, proportionem; nam ſicuti ros concreſcit ex vapore per vim caloris attracto; ſic lacrymas diximus ex calefactis cerebri vaporibus efformari: ſicuti, ſuperabundante calore, ita vt euaporationes iam eleuatas exſiccet, ros non decidit; ſic, ſi tanta ſpirituum copia ad cerebrum aſcendat, vt illius humidum exſiccet, areſcunt lacrymæ, nec decidunt; & hinc eſt, vt viri, in excedenti doloris, vel iracundiæ motu, fletus non effundant, quia ſcilicet nimius calor efferueſcens humorem cerebri exſiccat, & lacrymas deſtruit potiùs, quam efformet. Adde, liquatas margaritas appellari ſæpiùs lacrymas à Poetis: cum autem ex rore Cœli concreſcere in Conchis margaritæ dicantur, nil mirum, ſi eruditè loquens Auctor roris nomine lacrymas deſignet, præcipuè cum vidiſſet ab antiquorum ſapientia in lacrymarum hieroglyphicum vniones adſcitos, vt refert Pier. Hierog. lib. 28., & ſciret à coniectoribus aſſirmatum, vniones in ſomnis viſos

pro-

proſeulum portendere lacrymarum, vt idem docet Pier. lib. 41. Porrò lacrymarum varias enumerant cauſas auctores, nempè mæſtitiam, amorem, deſiderium, iram, inuidiam, pudorem, & alias quas perleges apud Cauſ. cit. Quod ſi cauſas quæras, cur Cereri aptentur lacrymæ à Poeta hic, in promptu ex dictis eſt reſponſio, nempè vt ex conſequentibus antecedentia, ex effectibus cauſas intelligamus. Filiam deſeruerat, & iam Sicilia, vbi illa remanſit, e conſpectu abierat. En deſiderij fomitem, & igniculum, præſertim in Matre, in qua amor ſummoperè triumpharet, vt iam vidimus: *Præſaga mali* mæſtitia obruitur, & pudore, ſentiens, ſe quid indecens Matri commiſiſſe, dum ſui præſentia filiam deſtituiſſet, & curâ. Ideò his affectibus Cereris animum torquentibus nil mirum, ſi Genas violauerit rore.

OBORTO. A verbo oborior, quod eſt *naſcor, in lucem prodeo*, quod lacrymis applicatum centies reperias apud latinos. Tantum nota hoc ipſo participio ſatis oſtendi non profuſas fuiſſe lacrymas, quæ naſcentes dictitantur.

QVOTIES OCVLOS AD TECTA RETORSIT! Expreſſa imago animi dicitur oculus, atque ideò eamdem facit oculus viam, quam animus ipſe facit. Cereris itaque animus ad Cybelem properabat: *Turrigeramq; petit Cybelem &c.* Sed ad Proſerpinam retrahebatur; & *Mens præſaga mali* in ipſam, retrocedens, ferebatur. Ideò & Cereris oculus reſpicit quidem Phrygios Penates, quo Comes animi tendit, ſed, animo ad Proſerpinam redeunte, comes item animi ad Proſerpinam conuertitur, retro identidem reſpiciens oculus. Quarè ad experimendam Deæ animi fluctuationem, qua, contrarijs motibus, fluxum ac refluxum patiebatur, nullo aptiori hieroglyphico, vti potuit Poeta, quam oculo. Ideo: *Quoties oculos ad tecta retorſit!* Inſuper oculi affectuum cordis indices certiſſimi ſunt, ex quo fit, vt oculus in ſublime elatus arrogantiæ, ac ſuperbiæ indicium exiſtimetur; demiſſus verò humilitatis, & deiectionis: nutantes oculi malitioſos arguunt mores, cogitationeſq; peruerſas: Immobiliter hærentes meditantem produnt ſpeculantemq; vel ſtupidum &c. Sed, vt noſtra peragamus, quemadmodum oculi auerſi negantis, aut faſtidientis geſtum oſtendunt, vt dicebamus in explicatione ad Carm. *Deſpexit vtramq; &c.* Sic oculi conuerſi, hoc eſt in intuitum proni amantis, & obſequentis affectum indicant; quia, ſicuti oculi, vt ait Proper. ſunt in amore Duces, ſic viciſſim ab amore ducuntur, & in obiectum feruntur amatum, ita vt Amantis oculus aptè poſſit Eliotropio comparari, quod ſemper Solem contemplatur, ſemper ad Solem vertitur. Quod ſi Amoris affectui addatur Zelotipia, quæ vel alienationem Amaſiæ, vel malum eidem imminens, & quod euitare cupiat, pertimeſcit tunc totus oculus fit amans ipſe, cum Zelotipia vndequaque oculis ſtipata incedat, vt expreſſit Ripæ Iconologia, & ad quod reſpiciens cecinit eruditiſſimus ille

Geloſo amante apro mill'occhi, e miro;
E mille orecchie ad ogni ſuono intente.

ita vt vix euenire quid poſſit, quod amantem fallat: iuxta id, quod dedetecto a Didone ſecreto Æneæ apparatu ad fugam cecinit Virg. Æn. 4. *Quis fallere poſſit amantem?* Sic igitur Cereris oculi ab Amore in Proſerpinam ducebantur; &, licet Draconum volatu longiſſimè abſtraherentur, non poterant, quin Eliotropium imitarentur ad Solem conuerſi ſuum. Zelotipiâ afficiebatur Mater metuens, ne, per abſentiam, amor in ſe filiæ tepeſceret; præſaga mali infortunia horrebat; ideò conuerſis ſæpius oculis, ſi non tecta, aut inſulam, in qua morabatur, ſaltem illius Cœli tractum audè perluſtrabat. Vide quot, & quantos affectus exprimat Poeta hoc vnico carmine, & quantas, his oculorum caracteribus, excitet paſſiones, & quidem naturam imitatus: nam naturale eſt vnicuiq; vel Patriam, vel charos relinquenti, ſæpius & animo ſimul, & oculis relicta repetere tecta; ideòq; & Ceres iiſdem motionibus indulgens deſcribitur.

QVOTIES. De hoc aduerb. ſatis dictum ſupra.

RETORSIT. Retorquere, vulgo *regirare, riuoltare*, eſt iterum iterumque oculos reuoluere in eam partem a qua diſceſſeras, quo actu denotatur diſcedens inuitus diuelli. Non diuellebatur inuita Ceres, e Sicilia, cum ſponte iter arripuiſſet; ſed amore retrahente, atq; itineri reluctante; perindè ſe habebat, ac ſi traheretur inuita. Ideò retorſit

OCVLOS. Indices ſcilicet animi, vt dicebamus, filiæ deſiderio flagrantes, in quibus maxima elucerent amoris indicia. Oculos verò ab oculando dictos Varroni placuit, eo quod Ciliorum tegminibus oculantur, vt munitiores ab externis aſſeruentur iniurijs.

AD TECTA. *Tectum* a tegendo dicitur *ſumma pars domus, qua cætera teguntur*: hic per Synecd. pars hæc pro tota ponitur Domo; & Amantis eſt ſaxa ſaltem, quibus amatum clauditur obiectum, ſi obiectum ipſum non liceat, oculis perluſtrare. Aſt quomodo Ceres tecta reſpiceret, dum non anguſta iam ſolum, & depreſſa domus, ſed ipſa ingens Ætna, totum ipſum Siciliæ corpus, ex ſupra dictis, euanuerat e conſpectu? Aduerte ſolertiſſimam Poetæ prudentiam, qui ideo non dixit: *retorſit in tecta*; ſed *retorſit ad tecta*; maxima enim inter hos duos loquendi modos intercedit differentia; primus quippè modus non verificatur, niſi linea viſualis id, in quod dirigitur oculus non attingat; hoc eſt ſine præſentia obiecti non habet veritatem; talem enim vim habet particula *in* quæ præponitur obiecto. At ſecundus modus, ex vi particulæ *ad* quæ idem ſignificat, ac *verſus* non requirit præſentiam obiecti, ſed ſufficit, ſi verſus obiectum, hoc eſt eam partem verſus, in qua ſcupus obiectum eſſe, oculus dirigatur, licet obiectum ipſum nec videat, nec videre poſſit.

TALIA VOCE MOVENS. Parum fuiſſet, ſi ſolis oculorum conuerſionibus, amorem ſuum erga filiam teſtata fuiſſet Ceres, niſi eumdem vocibus explicaſſet. Ignis Amor eſt; aſt, vt alibi vidimus, nec occultari clauſus adeò poteſt ignis, quin per aditus omnes, quaqua detur, erumpat. Miniſterium ſuum impleant oculi, non ſatis eſt, niſi & lingua ſuum exerceat. Præfecta ærario cordis lingua eſt, atq; ideò ex eiuſdem penetralibus amoris ſenſus elicere ſuum eſt. Sequatur itaq; oculos lingua, vt clariùs emicet Amor. Adde quod, ſeriem auguriorum proſequitur ordinatum ingenioſiſſimus Poeta. Sicut enim primò loco poſuit ſpontaneum mærorem, internamq; animi paſſionem, ſecundò obortas, ſine cauſis lacrymas; ſic tertio innuit loco frequentem oculorum conuerſionem, quæ pariter mali ominis eſt, nam eos, qui breui à nobis diuellendi ſunt, frequenti adeò ſolemus obtutù contemplari, vt vix eorum aſpectu oculos, futuram dictante natura orbitatem, explere poſſimus. Hic igitur Auguria proſequens Cererem inducit loquentem, vt vox ipſa, licet præter Cereris intentionem in mali ominis, creat portentum, dum orationem ſuam per verbum *ſalue* exorditur, quod funereum eſt; nam hac eadem voce antiquitus mortui à funeratoribus conſalutabantur, *Salue, vale*, & quamquam ea vox directè in Proſerpinam non feratur, indirectè tamen funus indicat, licet oraculorum more alienis prodeat inuolucris obuelatum. Per has igitur particulas *&* mala proſequitur Vates omina, quibus debuerat Ceres prudens fieri, & gradatim procedens magis adhùc exprimit Cereris affectus, ac tandem tranſitum facit aptiſſimum ad eiuſdem, filiam Siciliæ Commendantis, Proſopopeiam.

VOCE MOVENS. *Vox* propriè ſonus eſt ex animalis ore prouenions; tamen, quia hæc vox non fit, niſi per motum organorum voci deſeruientium, ideò qui loquitur, dicitur *mouere verba*, & interdum dicitur mouere ea ipſa, de quibus loquitur, eo quod voces ponantur immediatè loco rerum, licet ponantur ſimul etiam loco conceptuum mentis: Sic qui, voce, Tragica exprimunt facta, Tragœdias mouere dicuntur. Sic itaq; Poeta hic ait *Mouens talia voce*, vt indicaret articulata verba per motum fieri, ideòq; verba ipſa moueri, & protrolui a loquente, & *mouere voce*, quia vox eſt ſonus, ex quo verba componuntur, & efformantur, atque ad motum organi exprimuntur. Quarè idem eſt *voce mouens*, ac dicens, adhibita circumlocutione.

TALIA. Vide dicta de hac voce ad Carmen

Prima fero Lacheſis clamabat talia Regi.

Hùc illa referenda tantum indico ſubintelligi *verba*.

SALVE GRATISSIMA TELLVS &c. Proſopopeia hæc eſt, qua per apoſtrophem Ceres Siciliam alloquens inducitur, atq; adeò totam Cereris orationem à ſalutatione inceptam proſequitur. Præponitur autem ſalutatio (quantum ex intentione Cereris fit, licet ex ſecreto arcano naturæ ominatio fuerit) ad hoc vt beneuolentia capietur in exordio, & ad hoc ipſum adnectitur expreſſio amoris, quo Siciliam proſequitur Ceres, & inſuper, quæ implicitè latet, laus ſalutatæ Siciliæ. Sed cur hic Ceres Siciliam alloquitur? Cur illi commendet quam ipſa deſeruerat? Deſeruerat ſecura, ideſt nil filiæ metuens, vt dixi; Aſt, quia ſemper de natis ſollicitus eſt amor maternus, dum illa iter faceret ſollicitudines exercuit ſuas, iiſq; matris pectus iterum lacerans, ſopitas iam ſuſpiciones excitauit; ideoq; Ceres præſaga mali ex vi amoris eſt facta, quia ſemper, quod ſuſpicatur, Amans, vigilans ſomniat, vt ait Seneca: Sed tamen adhuc ignara, dicebamus, modum malis occurrendi non videbat,

bat, nec cui malo obſtandum diſcernebat; ideòq; anceps animi hærebat. Verum, ne materno muneri deeſſe videretur, filiam ſtatuit commendandam fidei eorumdem Larium, quibus iam illam commiſerat, vt ſui vicem, dum anceps ipſa remoratur, ſubeant filiæ Proſerpinæ defenſores. Ideò Siciliam alloquitur, eiq; ſuum pignus commendat. Sed adhuc hæremus ſyrtibus; nam, dum Ceres Siciliam obſecratur, vt filiam cuſtodiat, nonne apud ſurdas aures preces iactat? Inanimis profectò inſula eſt, nec ſenſum habet auditiuum, nec potentia pollet executiua. Verum facilè has ſyrtes euademus, ſi meminerimus, vnicuiq; Regnorum, Prouinciarum, Inſularum, Vrbium &c. proprio Penates Deos adiectos fuiſſe. Ceres itaque, dum Siciliam alloquitur, continentem pro contentis, ſeù rem poſſeſſam pro poſſeſſoribus accipiens ſermonem quidem ad terram ſiculam dirigit materialiter, formaliter verò ad Deos præſides Siciliæ. Secundo memineris, Deam eſſe quæ loquitur; reſpectu autem Diuinitatis, omnia etiam inſenſata ſenſum habere videntur, vt audientia dicto ſint, & etiam potentiam habere executiuam, vt nutu, nedum expreſſo verbis pareant imperio. Hoc innuit idem Claud. in antedictis, dum, Plutone loquente, atria deſcribit ſilentiò ad audiendum compoſita.

Ore tonat. tremefacta ſilent dicente Tyranno
Atria &c.

idem videtur ſenſiſſe Virg. Æn. 9. & 10. dum Ioue loquente tremens Cœlum inducit, repetens vtrobique.

Annuit & nutu totum tremefecit olympum.

nil igitur mirum, ſi *Dea* terram *tanquam audientem* alloquatur, illique filiæ defenſionem commendet ſuſcipiendam. Adde, Cereris orationem ex vehementia amoris in filiam profluere; &, quia amans, quod ſibi optat, ſibi etiam facile perſuadet, nil mirum ſi Ceres amans, optanſq; vt ipſa terra Argus fiat animatus ad cuſtodiam natæ deſtinatus, talem iam ſibi eſſe perſuadeat, dictoq; audientem fore; ideò illam alloquitur perindè, ac ſi anima frueretur. Deniq; inter ornatiſſima Rhetorum lumina nonne conſpicuum eſt illud Proſopopeiæ quod perſonas conſtituit in rebus, quæ ſine perſonis ſunt, & ſenſum tribuit, quæ non habent? Audi Virg. Æn. 4. vbi inducitur Dido Sychei exuuias ſic alloquens.

Dulces exuuiæ, dum Fata, Deuſq; ſinebant,
Accipite hanc animam, meq; his abſoluite curis.

audi eumdem Georg. 2. terram vt hic Ceres conſalutantem.

Salue magna parens frugum ſaturnia Tellus.

& audi Italiam ab Ænæa conſimili metro ſalutatam Æn. 7.

Continuo ſalue Fatis mihi debita Tellus &c.

Pariter Æn. 5. *Cineres Patris ſalutat Æneas*, ex quo obiter patebit etiam quomodo vox *Salue* funerea fuerit, & in funeribus adhiberi ſolita.

Salue ſancte Parens, iterum ſalue recepti
Nequicquam cineres &c.

& in funere Pallantis mortuum alloquitur Æn. 10.

. . . . . Salue æternum mihi maxime Palla
Æternumque vale. . . . .

Saxis ſenſum videtur tribuere apud Torquatum Hieroſ. lib. Cantu 12. Clorindæ Amator, dum marmoreum defunctæ ſepulchrum ita alloquitur.

O' ſaſſo amato, & honorato tanto,
Che dentro hai le mie fiamme, e fuori il pianto.
Non di morte ſei tù, mà di viuace
Ceneri albergo, ou' è ripoſto amore;
E ben ſent' io da te l'vſate faci,
Men dolci sì, mà non men calde al cuore.
Deh prendi i miei ſoſpiri, e queſti baci
Prendi, ch' io bagno di doglioſo humore,
E dagli tù, poich' io non poſſo, almeno
All' amate reliquie ch' hai nel ſeno.

Sic, lib. 24. de Cruce apud Bracciolinum, alloquitur Eliſa ferrum illud, quo occiſus fuerat Alceſtes coniux his verbis:

Ferro, oimè, ferro; à trapaſſarmi Alceſte
Ben la tua ferità s'innaſpra, o indura &c.

Sed quid lucem quæramus in Sole? Ornatiſſimè non minus, quam prudenter, ſimili vtitur methodo, in oratione Cereris conteſenda eruditiſſimus Claud., & noſtrum iam eſt ſingulas eiuſdem orationis partes explicare.

SALVE &c. Eſt hæc oratio in genere deliberatiuo, & ſuaſorio ſtylo decurrit. Quia verò maxima perſuadendi vis amori ineſt, vt docet Pier. Hierog. lib. 25., cum oratio huiuſmodi ex impetu effluat amoris, partes omnes explere debet ad ſuaſionis efficaciam requiſitas; quod vt adimpleat Poeta perpendamus. A ſalutatione exorditur, qua beneuolentiam captet, vt diximus; nec enim quidquam magis beneuolum reddit Auditorem, quam ſi nos ei addictos oſtendamus; &, cum beneuolum fecerimus, facilè illi quidquid volumus, ſuadebimus. Docilem reddit, non petituram Cererem niſi honeſta, dum Siciliam gratiſſimam appellat; nam ab amico honeſta tantum petenda: & eodem tempore attentionem conciliat; nam dum quis ſe amicum profitetur præſupponitur dicturus ea, quæ ipſi amico audienti ingrata non ſint futura, atq; adeò attentionem excitat reciprocans amor. Sequitur narratio, ideſt expoſitio petitionis: *tibi commendo &c.* Petitionem honeſtat: *commendo labores veteri*: ſemper enim honeſtum eſt Matri filiæ incolumitatem procurare; & honeſtum eſt, ſi quis tali Matris faueat deſiderio. Motiuum petitionibus annuendi, ſumma dexteritate implicitè præpoſuerat; teneri nempè Siciliam ad Cereri annuendum titulo gratitudinis: *quam nos prætulimus Cælo.* Narrationi cauſam innectit, qua poſtulata ab animo grato concedenda ſint; quia ſcilicet Gaudium eſt illius, quæ tanti inſulam fecit, vt eam prætulerit Cœlo: *Gaudia noſtri ſanguinis.* Denique ſpe præmiorum allicit, cum ſciat, muneribus placari, homineſque, Deoſque; nec leuia præmia, quæ tamen ſingillatim exprimit, futura indicat, dum ea cultorum admirationem conciliatura profitetur. Breuem debere eſſe ſuaſoriam orationem, & conferi ab oratore, nobilitatis, auctoritatiſq; decoramento inſigni, docent artis Magiſtri. Quænam breuior iſta, quæ ſeptimum non explet carmen; & nulla tamen in ea pars deſideratur? Orator Dea eſt, atq; vt auctoritatem oſtentet more Principum loquitur: *Nos prætulimus; Noſtri ſanguinis &c.* Vide quam exactè oratorios apices attingat Auctor. Sed artificio iam cognito, ad ſenſus, & conceptus deueniamus.

SALVE. Verbum ſalutantis eſt, idem ſonans, ac *ſaluus ſis*; quod verbum, vt patet, inaugurationem continet ſalutis, & conſequenter exprimit amicitiæ fidem, cui proprium eſt in bonum ſemper, ac ſalutem amici, toto animo ferri; ideò verbum aptiſſimum ad conciliandam beneuolentiam. Quarè Antonius ille ab Amiano relatus, qui ab Vrſicino agnitus in hoſtili acie ſtans, & proditor ideò, ac nefarius ab eodem Vrſicino appellatus, cum veniam petiturus ex equo proſiluiſſet, Vrſicinum, ſe ad terram vſq; inclinans, ſalutauit, Dominumque, ac Patronum, appellauit, ſciens, hoc maximè ad conciliandam conferre beneuolentiam. Ideò etiam Claud. hic à ſalutatione incipientem inducit Cererem. *Salue.*

GRATISSIMA TELLVS. Tellus, in rigore loquendo, non ipſa terra eſt, ſed eſt *terra Dea, cui nomen Tellus*; licet interdum rem poſſeſſam ex poſſidente, nempè terram ipſam ex Dea terræ intelligamus. Et certè hic Vates Deam poſuit terræ, non ſolum pro terra ipſa, ſed pro parte ſola terræ, nempe pro Siciliæ inſula: licet indirectè Siciliæ Genium, ſeù Siciliæ Deos præſides alloquatur, vt innuimus. Sed nota acutiſſimum Poetæ artificium, qui in hoc verbo efficaciſſimos abdidit ſtimulos, quibus acta Sicilia Cereris petitionibus nequaquam renuere poſſet. *Tellus* igitur, non *terra*, dixit Ceres, vt Siciliæ nomen *Telluris Deæ*, cui Sicilia ipſa ſe totam deberet, commemorans, & obijciens inſinuaret, nil Cereri, Telluris filiæ, atq; ad obſequium Telluri præſtandum properanti, denegandum: memineris enim, Cererem ad Cybelem iter facere, Cybelem autem *Terræ Deam* eſſe, vt diximus in anteacta lectione, & conſequenter eamdem eſſe, ac *Tellurem*: efficaciſſimum porrò motiuum, ne Inſula detrectaret Cereris iuſſum, ne videretur *ipſam terra*, & conſequenter *ſui ipſius Deam*, euiuſdemq; obſequia paruipendere, & negligere. Verum ne artificium appareat, cum præcipua oratoris ars ſit artem tegere, & ne videatur Ceres cogere potiùs velle, quam poſtulatione vti, Telluris nomen Siciliæ aptat, nomen Deæ innuiſſe contenta. *Salue Tellus gratiſſima.* Triplicem ſenſum ex hoc nomine *gratiſſima* video reſultantem; *Gratus* enim, à quo ſuperlatiuum *gratiſſima* deducitur, primò idem ſonat, ac *charus, dilectus, peramatus*; in quo ſenſu hoc ipſum nomen video vſurpatum à Virg. Æn. 5. dum ait:

Tranquillo ſilet, immotâq; attollitur vndâ
Campus, & apricis ſtatio gratiſſima mergis.

idem in eodem ſenſu vſurpauerat Æn. 3.

Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum Matri, & Neptuno Ægæo.

Secundò pro eodem ſumitur *Gratus*, ac *Iucundus, ſuauis, lætitiam, ac voluptatem afferens*, & *labens animo pronus ad iuuandum*; nam teſte Cic. 2. de finib. Iucundus à Iuuando dicitur, propterea quod, quæ iucunda ſunt, mentem, & ſenſum iuuant. In hoc ſenſu Liuius, lib. ab vrbe condita 2. inquit;

quit: *Grata in vulgus leges ferre*; ideſt *mites, ſuaues, iucundæ, ac commodæ*. Tertio de eo dicitur, qui gratiam pro accepto refert beneficio, vel ſaltem memor eſt, vt cuiq; in Triuijs patet. Triplicem autem hunc ſenſum complectitur hic Poeta, dum facit, vt Ceres *gratiſſimam* appellet Siciliam; pro quorum explicatione, nota, non potuiſſe non eſſe Cereri dilectam Inſulam, in qua Ceres ortum habuerit, vt quamplurimi autumant, & de quo alibi dictum; dilecta enim vnicuiq; adeò Patria eſt, vt Iris Beroem ſe eſſe effingens, apud Virg. Æn. 5., infælices, ac miſeras vocet Troianorum Matres, eo quod non occubuiſſent ſub patrijs mœnibus, quaſi infælicior ſit vita extra Patriam ducta, quam mors ipſa in Patria, & amor Patriæ efficiat, vt Mors in illa ſit dulcior, quam alibi vita.

O miſeræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad Lethum Patriæ ſub mœnibus. O Gens
Infælix! Cui te exitio fortuna reſeruat?

Summè dilectam igitur ſibi Siciliam Ceres profitetur, ideò gratiſſimam appellat, & quia eius Patria eſſet, & quia in illa ſummè vigeret Cereris cultus, vt alibi diximus. Dum autem ſuas in Inſulam ſic affectuum memorat propenſiones, magis adhuc beneuolentiam conciliat; nam magnes amoris amor. Subindè, quia laus dulcis vnicuiq; eſt, & quem audimus acta collaudantem noſtra facilè amamus, Ceres hoc ipſo nomine *Gratiſſima* laudes includit Siciliæ eam laudans à lenitate, qua ſemper prona ad iuuandum ſit, opemque ferendam; ac ſic inſinuat fiduciam, quam habet poſtulata obtinendi, dum eam poſcit, quam *gratiſſimam* ſe agnoſcere profitetur, ideſt ad beneficia impertienda procliuem, quod eſt maximum artificium oratoris perſuadere conantis. Denique vt eamdem fiduciam magis oſtentet Siciliam in tertio ſenſu *gratiſſimam* appellat, quod ſanè poterat experientijs confirmare; nam ſi Ceres illam frugibus, illa Cererem Aris cumulauerat. Virtualiter itaq; tria hoc nomen *Gratiſſima* continet argumenta. Primum eſt. Dilectus à dilecto polliceri ſibi omnia iure debet: Tu mihi *gratiſſima*, hoc eſt, *dilectiſſima* non potes, quin mei diligens ſis: ergo iure omnia abs te mihi polliceor. Secundum eſt: Summa in ea fiducia collocanda eſt, qui, lenis natura, ſemper ad beneficia impertienda pronus eſt: Tu talis, dum *gratiſſima*, ideſt ſumma lenitate prædita es: ergò mihi in te fiducia collocanda eſt. Tertium verò eſt: Grati animi eſt omnia in eum, à quo beneficia acceperit, officiorum genera conferre; Sed tu gratiſſima, hoc eſt gratiſſimi es animi: ergò in me beneficam officium omne conferes tuum. En quanta congerat, ſumma ingenij perſpicacitate, vnica voce, eruditiſſimus Auctor; dum tot vnicum verbum myſteria continet, & in rem quidem aptiſſima.

QVAM NOS &c. Reſpectu poſtremæ ſignificationis illius nominis *Gratiſſima*, videbatur in argumento elicito comprobanda illa pars, in qua Ceres ſe beneficam ſupponebat, & deprædicabat: quare eam iam comprobat hic; nam certè ſummi loco beneficij haberi debet honor in Siciliam à Cerere collatus, dum illam Cœlo ipſo pluris fecerit, ei fidens, quod non crediderat Cœlo, pignus. Neq; hoc eſt beneficia exprobrare; nam exprobratio in ingratos tantummodo locum habet, quæ nota non eſt inuſta Siciliæ, cum immò gratiſſimam fuiſſe præmiſerit Ceres; ſed tantum docere eſt, iure beneficium expectari ab eo, qui contulit; nam, vt ait Seneca, *beneficia dediſſe eſt reddere docuiſſe*; &, *beneficia ſe dediſſe quodammodo, petit*; eodemque tempore ſe alia ſpondet cumulaturum beneficia; vt enim habet idem Seneca, *Beneficia plura accipere qui ſcit reddere*. Cum itaq. oratoris ſuadentis officium ſit habere pro fine honeſtatem, pro motiuo vtilitatem, & ſpei affectum mouere: omnes implet partes hæc Cereris oratio. Finem honeſtatis iam indicauimus ſupra: motiuum vtilitatis hic attingit, cum beneficia plura ſperare debeat qui petenti conferat: ex quo etiam fit, vt ſpei affectus mirum in modum excitetur. *Quam* igitur relatiuum eſt in memoriam adducens ſuum antecedens, nempe Siculam terram, quam Ceres alloquitur.

NOS. Per ſynecd. ponitur ita vt, ex plurali numero ſingularis ſit intelligendus; quod eſt more Principum loqui, vt ſupra innuebamus, ad oſtentandam dignitatem, auctoritatemq; perorantis. Sed hæc obuia nimis. Aliud latet rudi ſub hoc cortice myſterium. *Nos* inquit, non *Ego*; quia, cum pro ſalute filiæ peroraret, voluit filiam ipſam in partem collati in Siciliam honoris vocare; Ideò *quam Nos*, ideſt *Ego ſimul, & Filia*; ſic enim beneficam filiam non minus, quam ſe ipſam, oſtendens Mater gratiſſimam tellurem ad beneficium Filiæ reddendum vehementiſſimè excitabat.

PRÆTVLIMVS. *Præferre eſt aliquem alteri anteponere*, ita vt vnus præeligatur, alter relinquatur; quod quidem, reſpectu Siciliæ Cœlo comparatæ, Cererem feciſſe, vidimus, dum *Æthera deſerui, Siculaſq; relegat in oras*. Prætulit amoris affectu, dum magis à ſe Siciliam diligi, quam Cœlum, hanc eligens, illud relinquens, oſtendit: Prætulit confidentiæ effectu, dum plus Siciliæ credidit, quam Cœlo: & prætulit honoris tributo, dum illam Cœlo tutiorem ad cuſtodiendam honeſtatem, facto ſuo, declarauit. Cur autem plurali numero, & hic vtatur vide dicta ad particulam *Nos* ſupra.

COELO. Cœlum vno nomine dicitur tota illa Mundi pars, quæ eſt ſupra elementum ignis, quam Ariſtoteles ætherem vocauit, licet Anaxagoras nomine ætheris ipſam, & ſolam ignis ſphœram deſignari voluerit. Cœlum autem dictum eſt à cœlando, eo quod, ſtellis intermicantibus, cœlatum quaſi auro argentum appareat Cœlum. Sedem fœlicitatis eſſe Cœlum ambigit nemo: *in Cœlum enim eſt ſummos afferri honoribus*: vno verbo, propriam Deorum ſuorum ſedem Cœlum exiſtimarunt antiqui. Inſuper veteres Phyloſophi, vt refert Pier. lib. Hierogl. 42., Cœlum cognomento Amoris condecorarunt; ideoq; Alas, & ſagittas, velocitatis ſymbolum, Amori addidere, velociſſimam Cœli motum exprimentes: addidere & faces nempè ignem, ad ſydera exprimenda, cum ea ignitas eſſe moles nonnulli dictitauerint; ac Puerum Amorem effinxere, primumq; tamen omnium gentium extitiſſe, quia e Cœlo ſenium auferant, licet primum rerum aſſerant creatarum. Plutarcus, apud eumdem Pier. lib. 34., Cordis effigiem, ſubiecto igne ſuccenſam Cœli ſymbolum eſſe voluit, quaſi Cœlum innuerit Amorem eſſe, qui corda rapiens igne ſuo inextinguibili accendat, ac fœliciter adurat. Ex his maximam in poetico hoc textu emphaſim agnoſcas; & quam maximam amplificationem in ſolis vocibus *prætulimus Cœlo*, tacitè concludatur, & effluat perpendas. *Prætulimus Cœlo*, in cuius comparatione, totus inferior terrarum orbis punctum eſt, ac ferè nihil; Cœlo, cuius ſemper influxibus indigeat terra; ne deſerta ſterileſcat, & arida; Cœlo, cuius ſydera contemplantem, adeò arripiant, vt exclamare cogatur: Heù quam ſordet tellus, dum Cœlum aſpicio; Cœlo, in quo tantum vera reſidet fœlicitas, cum fœlicitatis vmbra tantum vix in terris diuagetur; Cœlo, quod Deorum ſedes, Patria, requies, delicium eſt, cum terram vix dignentur aſpectu, interituram, ni à longè ſaltem reſpiciant tamen; Cœlo quod Amor eſt omnia corda rapiens, ac deſiderio ſui complens, perpetuo igne ſuccendit; cum à terra ſemper euolet, quippè ignis, Amor: & tamen Nos te, hoc Amore poſthabito, Amorem noſtrum conſtituimus, & cætum Cœlo prætulimus. Hæc omnia virtualis dimidij carminis ſenſus exprimit abundè, apud Poetam noſtrum, quo qui plura poſſit ingerere, vix comperies.

TIBI GAVDIA &c. Habetur iam hic expoſitio petitionis, qua ſcilicet Ceres à Sicilia poſtulat, vt ipſam matris abſentis vicem ſupleat, Proſerpinam ſouens, protegens, intactamq; matri reduci reſeruans.

COMMENDO. Hoc eſt: Filiam, tuæ iam fidei commiſſam, Protectioni iterum tuæ defendendam committo. Magna profectò dignitas eorum eſt, quibus Principes ſecundas in regno ſuo partes demandant. Quare hoc ipſum, nempè, vt Sicilia Cereris ſubeat partes; licet ab ea beneficij loco id poſtulet Ceres; maximum tamen eſt beneficium à Cerere impertitum Siciliæ. Ideò hoc ipſum, & poſtulatum eſt, & motiuum, ne onus audeat impoſitum detractare; qui enim beneficium ſpontè oblatum recuſat, indignum ſe beneficio fatetur, ac beneficas in vltionem prouocat manus.

TIBI. Nota hic conflictionem pulcherrimam contrariorum, in emphaticis vocibus *Nos*, *Tibi*, latentem. Nos diuinitate conſpicua Numina; Tibi ſemper diuinitatis ope indigenti: Nos Cybelis Filia; Tibi eidem addictæ: Nos amantes; Tibi amatiſſimæ: Nos fidentes; Tibi cui fidimus: Nos beneficia largientes; Tibi beneficijs à nobis cumulatæ: Nos te Cœlo præferentes; Tibi per Nos Cœlo prælatæ: Nos altiora beneficia collaturæ, ſi reddideris; Tibi largiora accepturæ, ſi annueris: Nos abſentes; Tibi præſenti &c. vt videas, quam fœcundus ſemper arcanorum ſenſuum in vnoquoque verbo adſit Poeta.

GAVDIA NOSTRI SANGVINIS. Ab adiunctis Perſonæ, quam commendat, oſtendit, quanti, ad ipſam, momenti ſit, eam intactam ſeruari, & quanti factura ſit beneficium à conſeruante impertitum. Ideò Natam, quam commendat non appellat *Filiam*, non proprio nomine *Proſerpinam*;

nis; ſed antonomaſticè *Gaudia noſtri ſanguinis*. *Gaudia* autem, dixit, non *Gaudium*; quia, ſicuti iam dixerat Vates, *Dominam numero Proſerpina penſat*; innuens ſolam Proſerpinam multis æquiualere, ac propterea multorum habere rationes gaudiorum. Gaudium itaque affectio animi eſt ex præſenti bono concepta, quà iuſtâ aliquâ ratione mouetur animus placidè, & conſtanter; ſed ita tamen, vt exhilaratio, qua afficitur, non incompoſitè erumpat. Cur autem filius, vel filia gaudium eſſe dicatur Patris, aut Matris, vide dicta ad Carm.

. . . . . . *Nec dulce Patris cognoſcere nomen.*

Eo autem ipſo, quod Ceres ſuum gaudium, lætitiam ſuam, ſuaſq; delicias, Proſerpinam appellat, ingentem addit ſtimulum gratiſſimæ telluri, vt illius enixè curam gerat; nam, qui gratum habet animum erga beneficiorum largitorem, ſi par pari omninò referre non poſſit, conatur ſaltem, vt hilarem habeat, &, quantum poteſt, efficiat. Quarè videtur Poeta hoc modo argumentum efformare. Qui grati animi eſt non poteſt minori diſpendio ſe talem oſtendere, quam vt Gaudia benefactoris procuret conſeruanda: Tu gratiſſima es, & ego, benefica, tibi mea commendo Gaudia: ergò hæc a te mihi, pro viribus, conſeruanda.

NOSTRI SANGVINIS. Congruenter hic *Noſtri*, inquit, cum ſuperius *Nos* dixiſſet. Quarè ſi illud per ſynecd. dictum eſſe intelligas, idem erit & hic dicendum. Sed ſicut ibi non caret ibi myſterio particula *nos*, vt vidimus, neq; hic arbitror myſterium deeſſe, cum animaduertam, in hac Cereris oratione plures eſſe animi ſenſus, & ſententias paſſim, quam verba. Ad detegendum igitur Arcanum memineris, Proſerpinam Cereris filiam eſſe, & Iouis, conſequenter non minus eſſe illam *gaudium* Patris, quam Matris: memineris inſuper, Cererem, ac Iouem Opis filios fuiſſe, (quam eandem eſſe, ac Cybelem diximus) & quidem ex Saturno progenitos. Quarè, vt Ceres Siciliæ nouum ſuggerat motiuum ad Proſerpinæ curam ſuſcipiendam, per particulas *Noſtri ſanguinis*, tacitè innuit, fore vt non ſolum ſe, verum & Iouem, & Cybelem, in quorum Gaudium Gaudia filiorum redundent, ſibi, hoc vno miniſterio valeat deuincire. Ideò non *mei*, inquit, ſed *noſtri ſanguinis*. Sanguis enim ſæpè ſæpius pro ſtirpe, ac progenie ſumitur, vt patet ex pluribus Poetarum, Oratorumue locis, ac præcipuè ex Æn. pri.

Si qua fata ſinant, iam tum tenditq; fouetque
Progeniem; ſed enim Troiano à ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim, quæ verteret arces.

& eodem lib. *Sunt & Siculis regionibus vrbes,*
Armaq; Troianoq; à ſanguine clarus Aceſtes.

& Æn. 4. *Veniſſe Æneam Troiano à ſanguine cretum;*
Cui ſe pulchra viro dignetur iungere Dido.

Conſonant Italici; nam eorum Princeps Taſſus Hieroſ. lib. cant. 16. *Nè te Sofia produſſe, e non ſei nato*
Dell' Azio ſangue tu: Te l'onda inſana &c.

& cant. 17. *Coſtui che rebellante al ſacro Impero*
Si ſottraſſe l'Egitto, e 'l mutò fede
Del ſangue di Macon nacque vn Guerriero,
Se'n fè Tiranno, e vi fondò la ſede.

& cant. eodem. *Con ſottil magiſtero in campo anguſto*
Forme infinite eſpreſſe il fabro dotto
Del ſangue d'Azio glorioſo auguſto
L'ordin vi ſi vedea nulla interrotto &c.

Sed quid, dilucidando quod per ſe clarum ni nis iam eſt, tempus terimus? Gaudia igitur *noſtri ſanguinis*, inquit Ceres; hoc eſt *noſtræ ſtirpis*, videlicet Iouis Patris, Cereris Matris; Opis Auiæ Gaudia ſi ſeruaueris, Proſerpinam intactam ſeruans, nos omnes addictas vtiq; habebis ſemper. Sed quomodo, inquit, *noſtri ſanguinis* dicat Ceres, dum de fœminis loquatur? Propagatio ſtirpis per ſanguinem habetur quidem, quandoquidem ſemen hominis nil aliud ſit, quam puriſſimus ſanguis ea communi Medicorum conſenſu; ſed ſanguis ille a maſculis, non à fœminis deriuatur; nam fœminæ paſſiuè tantum ad generationem concurrunt, nec mulieris ſemen actiuè, quid confert ad generationem, vt multi Phyloſophorum, medicorumq; teſtantur? Sed reſpondeo Poetam hic ſecutum fuiſſe Anaxagoræ, & Epicuri, aliorumq; Phyloſ. ſententiam aſſerentium fœminam actiuè concurrere ad generationem, vt vidimus etiam ad Carm.

Feſſaq; poſt primos haſerunt viſcera partus.

Et quidem ad quid datum mulieri ſemen, ni debeat actiuè mulier ad generationem concurrere? certe fruſtraneum omninò eſſet, & tamen ſcimus a Deo, & à Natura nil factum fruſtra. Sed non eſt hic animum de veritate ſententiæ diſputare. Certè potuit Vates ſententiam, quam maluerit ſequi, ad eamq; alluſiuum referre ſermonem. Sed non hoc ſolum ineſt huic ſanguini myſterium; imò nò lumina innectit luminibus, & ſententias ſententijs adnectit Vates, vt ſucco plena omninò decurrat oratio. Reuertamur itaq; ea duplici iam explicata ſignificatione illius particulæ *noſtri* ad primam indicatam, & ſupponentes, Cererem per ſynecd. fuiſſe locutam, inſignem Poetæ, quem nihil lateat, eruditionem obſecro contemplemur.

Sanguis pro anima ponitur præcipuè in ſententia Empedoclis, ac plurium ex antiquis Phyloſophantium, qui putarunt, animæ ſubſtantiam nil aliud eſſe, quam ſanguinem ipſum. Vnde ortum habuit illud Virg. Æn. 9.

Purpuream vomit ille animam, & cum ſanguine mixta
Vina refert moriens &c.

Et apud Ouid. Pythagorico monitu, vt notat Pier. Hierog. lib. 21., exturbare quorumcumq; animalium cognatas nobis animas, nefanda cæde, ideò prohibemur; ne *ſanguine ſanguis alatur*. Impia tamen profectò hæc ſententia eſt. Et, licet videatur poſſe confirmari auctoritate Sacr. Script. Gen. 1. vbi habetur: *Producat terra animam viuentem*; Impius prorſus eſſet, qui rectum Sacræ Scripturæ ſenſum ſacrilegè adeò diſtorqueret: cum ſcriptura ibi intelligenda ſit de anima tantum materiali Brutorum, quæ terrea eſt, & de potentia materiæ educitur, vt optimè docet D. Baſilius, qui faceſcere omninò iubet eos, quos non pudeat Animas ſuas, & equorum, ac canum, eadem in ſpecie collocare. In homine enim certè animam, per ſe ſolam etiam ſeparata à corpore vitalis, ſuâq; ſe continet immortalitate; Sanguis autem in carnem coactus vertitur, & cum carne corrumpitur, & in terram conuertitur: adeòq; deteſtabilis prorsùs ea ſententia eſt, quæ dicat, ſanguinem ipſam eſſe humanæ animæ ſubſtantiam. Ne tamen impium dixeris, hanc ob cauſam Claudianum; nam, licet ſanguinem pro anima poſuerit, alluſiuè, non aſſertiuè dici poteſt eam Empedoclis ſententiam attigiſſe. Veram quidem aſſeruerim Heſychij ſententiam, qui dicit, illud, quod tamquam axioma decantari ab Empedoclis ſectatoribus, ex Leuitico ſolet, nempè *vniuſcuiuſq; animam in ſanguine eius eſſe*, non in eorum ſenſu explicandum, ſed ita intelligendum, vt dicat, Animam ſocietatem habere, per ſanguinem, cum carne: vndè aliqui ſanguinem Animæ vehiculum appellarunt, quia, amiſſo ſanguine, abuolat Anima. Quarè etiam hic dicendum, ſi Poetam aſſertiuè velis locutum, ſanguinem poſuiſſe pro Anima, vt poneret vehiculum pro re, quæ vehitur; & id, quo ſocietas inter animam, & corpus firmatur, pro eo quod ſocietatem, & vnionem habet cum corpore: quapropter, cum Ceres dicit: *Gaudia noſtri*, hoc eſt *mei ſanguinis*, idem fuit, ac ſi diceret: *Delitium Animæ meæ*. Quid pateticum magis? quid magis ad mouendos affectus, ad inclinandos animos efficax?

ET CAROS VTERI LABORES. Cauſam affert, cur tantopere ſollicita ſit; cur efficaces adeò intendat preces; ſufficere enim videbatur, ſe matrem indicaſſe, vt ſe labores vteri commendare profiteretur; Cauſa autem ea eſt, quia Mater, quæ recordetur geſtationis in vtero, ac dolores, quibus excruciata eſt cum vterum depoſuit, numquam ſatis de filia eſſe poteſt ſollicita. Hoc itaq; in cauſa eſt, cur Ceres Proſerpinam antonomaſticè appellat *Caros vteri*

LABORES. Labor interdum ſignificat operationem laborioſam, ſeù defatigationem in opere faciendo: aliquando verò ſignificat opus ipſum laborioſe factum. Hic in ſecundo ſenſu directè, in primo autem indirectè accipitur; nam certè, Proſerpinam commendans, fructum vteri, non laborioſam eiuſdem fructus elaborationem commendabat; hæc enim iam ſuo functa munere deſierat, atq; ideò nil erat, quod commendaretur. Laborem autem pro ipſa re elaborata ſæpius poni, patet ex Virg. Æn. 2.

In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumq; labores.

vbi certè vides *labores* pro fructu laborum poſitos.

& Æn. 8. *Tollite cuncta, inquit, cæptoſq; auferte labores,*
Ætnæi Cyclopes, & huc aduertite mentem.

imperat enim Cyclopibus ſiculus Faber, vt opera, quæ cæperant, ſeponant, ad aliud vt ſtatim incumbant, nempè ad Æneæ arma conſtruenda. Poni autem labores pro ipſa operis exercitatione, quam nos actionem, ſeù paſſionem dicimus, ſatis liquet; ſed, ne & hoc inexornatum relinquamus, audi Virg. Æn. 11.

Ex illo quis me caſus, quæ, Turne, ſequantur
Bella vides; quantos primus patiare labores.

& quidem pro exercitatione afflictionem, & perpeſſiones,

inſe-

afferente (vt ea parturientium eſt) labores poni, habebis clariùs ex eodem Virg. Æn. 5. in oratione Æneæ ad Iouem.

Iuppiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad vnum
Troianos; ſi quid Pietas antiqua labores
Reſpicit humanos, da flammam euadere Claſsi.

quod ſi cuperes, in ſubiecta parturientium materia, labores intueri poſitos, & pro ipſa exercitatione torquente, & pro effectu partus, & pro officio ab obſtetrice parturienti adhibito, audi Virg. Georg. 4.

Altera tum primos Lucinæ experta labores.

Quarè ſumma ſanè ingenij perſpicacitate Claudianus, ore Cereris Proſerpinam *vteri* nominat *labores*, plurali vſus numero, tum ob rationes ſupra traditas, in explicatione ad nomen *Gaudia*; tum vt, vnico vocabulo, & laborum fructum, & ipſos parturientis labores Partum antecedentes, concomitanteſq; attingeret, quos etiam indirectè diximus à Cerere commendatos, quia, ſaluo laborum fructu, videntur labores ipſi, in gaudia conuerſi, ſuaui perennitate vigere, & animos identidem oblectamentis afficere. Quarè & Virg., licet in diſſimili, Æn. 1. ait; *Et hæc olim meminiſſe iuuabit*. Pereunte autem laborum fructu, videntur & ipſi, in eo, periſſe labores, eo quod incaſſum labores ſuſtinuiſſe videatur is, cui fructus perit laborum, &, vt dici ſolet, oleum, & operam perdidiſſe. Non potuit itaq; Ceres fructum commendare laborum, quin indirectè labores ipſos, ad fructum percipiendum impenſos, commendaret. Quot autem, & quanti ſint parturientium labores, explicent quæ experiuntur: longam in vtero geſtationem, ſomnos amiſſos, ſtomachi cruciatus aſſiduos, inappetentiam, qua cibos reſpuunt &c. ſanitatem labefactatam, dolores denique inexplicabiles, ac mortis, in eductione Partus pericula recenſebunt. Quarè iure merito, & iſti commendantur, ne, pereunte partu, incaſſum ceciderint. Nota tamen incluſam materni affectus vehementiam, quæ non *vterum*, ſed *vteri labores* commendet, quo oſtendat filiam ſibi ſe ipſa cariorem, & plus ſe Siciliæ debituram, ſi Proſerpinam ſeruet incolumem, quam ſi ſe ipſam ſeruaſſet pereuntem. Ideò inquit Ceres *Commendo labores vteri*; Labores

CAROS. Carus idem eſt, ac *ſuauis, gratus, iucundus*. Quod quidem ſi ad fructum laboris, nempè ad Proſerpinam filiam, referatur, clarum magis eſt, quam explicatione indigeat, cur *carus* dicatur *labor*, ideſt *fructus laboris*: nam Parturiens tanta, poſt partum, lætitia afficitur, vt de illa dixerit ipſa infallibilis veritas: *Iam non meminit preſſuræ propter gaudium*: hoc autem inſitum à Natura eſt; nam ideò Generatio præcipuum naturæ opus nuncupatur, quia hæc confert ad conſeruationem ſpecierum: atq; ideò inditum vnicuiq; indiuiduo ab ipſa natura eſt deſiderium ſe perennandi vehemens adeò, vt, cum non poſſit ſe perennare, in ſe ipſo, velit hoc ſaltem aſſequi in ſpecie. Inſuper Genitores partem à deciſam in ſemine genitis communicant, quare, in filijs, videntur reuiuiſcere, & renouatam ſortiri Aquilæ iuuentutem; ideò Cari labores dicuntur, qui tantam afferant Iucunditatem. Ex hoc quod de Genitoribus diximus, intellige & de Genitricibus in ſententia afferente etiam fœminam actiuè concurrere ad Generationem, cui Vatem vidimus hoc loco, & alibi inhærere. Quarè meritò etiam Oreſta Coſroæ Perſarum Regis vxor, filios præmortuos ſecutura, has in voces ſic deſcribitur erumpens apud Bracciol. de Cruce lib. 6.

E riuolteſi à lor piangendo diſſe:
Cari pegni perduti, e dal Ciel dati
Con tropp' empio deſtino. E gl' occhi affiſſe
Richiamando à gran voce i nomi amati.

Virg. verò Ecl. 4. Auguſtum Deorum prolem dicens ait:

Cara Deum ſoboles magnum Iouis incrementum
Aſpice conuexo nutantem pondere Mundum.

Inſuper *Caros vteri*, dixit, *Labores*, quia ex eo quod aliquid omnibus gratum ſit, magno pretio vendi ſolet, ex quo factum, vt, per tranſlationem, quod magno conſtat, *Carum* dicatur; cum itaq; Partus ex dictis magno conſtet Parturienti. Ideò *Caros vteri labores* Proſerpinam vocat Ceres.

VTERI. *Vterus* ſinus eſt à natura in fœminis collocatus, veſicæ iunctus, ad recipiendum ſemen, continendumq; fœtum accomodatus: vno verbo locus eſt, in quo, ex recepto ſemine fœtus efformantur, & ad perfectionem adducuntur, quem medici *matricem* vocant: quia igitur huius vteri præcipuus circa fœtum labor eſt, cum debeat & ſemen recipere, & receptum elaborare, & elaboratum, contractis menſtruis, augere, auctum detinere, ac geſtare donec ad pariendi tempus vſq; perduxerit &c. hinc eſt vt filius *vteri labor* iure optimo dici poſſit. Si verò conſimilem commendationem cupercs, Italico metro expreſſam, Principem adeàs Hetruſcorum Poetarum; & Hieroſol. liber. Cantu 12. reperies inſeparabilem Clorindæ comitem, illi hæc matris, eam à ſe ipſa ſeparantis, vota referentem.

Leuò al fin gl' occhi, e diſſe: O' Dio, che ſcerni
L'opre più occulte, e nel mio cuor t'interni.
S'immacolato è queſto cuor, s'intatte
Son queſte membra, e'l marital mio letto;
Per me non prego, che mill' altre hò fatte
Maluagità; ſon vile al tuo conſpetto.
Salua il parto innocente, al qual il latte
Nega la madre del materno petto.
Viua; e ſol d'honeſtade à me ſomegli;
L'eſempio di fortuna altronde pegli.

Similem etiam refert in hunc locum Clauer., ex Statio, apud quem Thetis ſic loquitur.

Care mihi tollus, magnæ cui pignora curæ
Depoſitumq; ingens timido commiſimus aſtu
Sis felix, taceaſq; precar &c.

PRÆMIA DIGNA MANENT &c. Tot ſtipata affectibus, tot referta argumentis, ad permouendum animum aptiſſimis, oratio ſatis, ſuperq; ad perſuadendum concinnata videri iam potuit. Sed, ne aliquid deſiderari adhuc poſſe diceretur, extremum ſuaſoriæ adijcit pondus, nempè præmiorum pollicitationem. Sic Iuno propoſitis præmijs Æolum allicit ad incutiandam vim ventis, Troianoſq; perdendos apud Virg. Æn. 1. dum inquit:

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ,
Quarum quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriamq; dicabo:
Omnes vt tecum, meritis pro talibus, annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

& poſtea Æneas ipſe, inuitâ ereptus periculis Iunone, ſuos incitaturus ad vires in ludis exercendas Æn. 5. præmia proponit: *Inuitat pretijs animos, & præmia ponit &c.* & ibid. rurſus.

Protinus Æneas celeri certare ſagitta
Inuitat, qui forte velit, & præmia ponit.

Præmia igitur, & Ceres annuenti Siciliæ proponit hic, maximum vtiq; ad exequendi munus incitamentum.

PRÆMIA. *Præmium* merces eſt, quæ pro rectè factis datur; ideò igitur Ceres præmia proponit, vt intelligat Sicilia, non rogare Cererem, quæ indecentia ſint, ſed quæ *rectè factorum* nomine præmijs vtiq; digna ſint; quo honeſtatem poſtulati amplificat ſummè, & non gregariam, ſed ſedulam præſtari operam ſe exoptare declarat, vt præmium mereatur; nec *præmium* dixit, ſed *præmia*, vt innuat, ſe non auarè, immò liberaliter præmijs cumulaturam; nam duo præmiorum genera conſiderari poſſunt, nempe & quæ incommoda auferant, & quæ ad commodum conferant: vtrumq; autem Ceres pollicetur, vt infra.

DIGNA. Dignus dicitur ille, cui aliquid meritò debetur: ideò *præmia digna*, quibus, ſcilicet, talis præſtetur opera, pollicetur Ceres: quod idem eſt, ac dicere, ſe daturam præmia beneficio non inferiora, operi paria, ſollicitudini æquiualentia.

MANENT. Subintellige *operam tuam*; *Manere* enim *expectare* eſt. Et præmia propoſita dicuntur laboris finem expectare, vt conferantur. Quarè verbum *manent* pro eodem ponitur, ac *tibi futura ſunt*, ſi exequaris.

NVLLOS PATIERE LIGONES. Explicat iam præmia, quæ datura eſt, vt magis moueat; & ab ijs exorditur, quæ incommoda remouent: *Nullos patiere ligones*. Arguit tamen Poetam hoc loco Barthius, &, erraſſe eum, pleno ore, decantat inquiens. *Hic errorem videas Poetæ. Quomodo enim ceſſationem à re promittat, quæ eatenùs non ſit nota, aut facta?* carpit enim Poetæ verba infra ponenda, nempè: *ſponte tuus florebit ager, ceſſante Iuuenco*, & ad verba quæ hic præciſa habemus, inquit: *Dicas, Poeta hoc excidiſſe, velut iam vſu ſationis noto, quæ tamen poſt, iam amiſſa, & quæ ſita longè, lateq; Proſerpina, demum data per Triptolemum*. Videtur hoc confirmari ex 3. eiuſdem Claud. lib. de raptu, vbi inducitur Iupiter declarans, Cererem Plutoni conceſſam, vt Ceres terras omnes eam inquirens ſollicita diſcurrat, & peragret. *Donec nata lætata reperta*

Indicio tribuat fruges &c.

ergò antè amiſſam Proſerpinam fruges non erant, conſequenter nec ratio agrorum colendorum; atq; ideò nec ligonum vſus, nec vomeris, nec boum laboris &c. Quomodo igitur pro præmio habebitur remotio incommodi, quod nondum tellus pateretur? quomodo magni fiet propoſitum

præ-

præmium, ſi nondum ſciat Sicilia incommodum illud, quod promittitur auferendum. Verum quam vana ſit huiuſmodi in Vatem inuectiua, latè videbimus in locum cit. lib. 3. Qui eam in præſenti cupiat locum adeat, & videbit nullum errorem Poetæ adſcribendum, nullam rerum obliuionem. Interim nos nullatenus digredientes proſequamur.

NVLLOS. Particula hæc eſt negatiua vniuerſalis, qui enim *nullū* dicit, ita omnem excludit, vt neminem includat.

LIGONES. Ligones inſtrumenta ſunt ruſtica ad extirpandas herbas accommodata, vulgò *le zappe*. Ex his autem quot; & quam crebra vulnera tellus accipiat, dixerint Agricolæ. Quarè tellurem alloquens, ipſiq; præmia ſpondens proportionari debuit exigentiæ; hic autem à leuioribus incipit, vt gradatim ad maiora deueniat promittenda.

PATIERE. Patior idem eſt, ac *ſuſtineo, tolero, perfero, moleſtè, fero*. Quod ſi terrarum orbis magnum animal eſſet, vt aliqui ſomniarunt, quid moleſtius ferret, quam tot iteratis ligonum vulneribus aſſiduè proſcindi? Patiens dicitur Tellus, reſpectu vomeris, de quo infra, apud Virg. Georg. 2.

Illa ferax oleæ eſt; illam experiere colendo,
Et facilem pecori, & patientem vomeris vnci.

Hoc igitur incommodum, hanc primo moleſtiam auferendam ſpondet Ceres; & videtur implicitè dicere: *ſi hæc pauca ſunt, adijciam maiora*.

NVLLO VERSABERE VOMERIS ICTV. Ex vomere maiora infliguntur vulnera, quam ex ligonibus, vt ex dicendis patebit, quarè à minoribus ad maiora, &, ferè dixerim, maxima procedit; nam hoc vltimum maximum incommodorum eſt, quod à ſe auferri tellus optare potuerit.

NVLLO. Præter expoſitionem iam datam ſupra alius hic includitur ſenſus; nam non ſolum excludit quemcumq; vomerem, *in indiuiduo ſpeciei*; ſed quodcumq; indiuiduum, *in quacumq; vomerum ſpecie*. Pro intelligentia aduerte plures eſſe vomerum ſpecies. Primam obtinet culter ille prædenſam, priuſquam proſcindatur, terram ſecans, futuriſque ſulcis veſtigia præſcribens, inciſuris, quas reſupinus in arando mordeat vomer. Secundam explet vulgaris vomer roſtratus vt vectis. Tertiam Dentalis habet exigua potens cuſpide. Quarta ex acutiori in mucronem faſtigiato conſtituitur. Quælibet autem ex his ſpeciebus plura, & plura ſub ſe continet indiuidua, ex quibus quot, quantiſq; modis tellus dilaceretur, ſatis patet conſiderantibus. Has omnes itaq; moleſtias, & in ſpecie, & in indiuiduo, cuiuſcumque ſpeciei, tormenta hæc omnia ablaturam ſe Ceres profitetur, in verbo *Nullo*

ICTV. Ictus enim idem eſt, ac *percuſſio, vulnus, laceratio*; percutit namque, vulnerat, lacerat tellurem vomer. Ideò, magni loco præmij, proponitur ceſſatio ab huiuſmodi vomeris feritate, ad quam indicandam appoſitè ait: *Ictu*

RIGIDI VOMERIS. Vomeres quid ſint, & quot ſint iam vidimus; inſtrumenta nempè & hæc ruſtica ſunt, & propriè ſunt Aratri ferramenta, quibus ſulcatur tellus; & vomeres dicuntur, quod *terram vomant*, hoc eſt eruant, & euertant. *Rigidi* autem dicuntur, quod crudeles, ſeueri, ac nunquam parcentes ſint; in his enim ſignificationibus nomen *Rigidus* communiter vſurpari ſolet.

SPONTE TVVS &c. Reiectis incommodis, quid ſupereſt, niſi vt commoda congeramus? Itaq; Ceres, vt Siciliam omni fœlicitatem affluentem ſpondeat futuram, ſuis vtiq; cumulatam muneribus, ſi Proſerpinæ præſto ſit; enumeratis præmijs, quæ in remotione malorum conſiſtunt, Præmia iam aggerat, quæ cumulatione bonorum eximia vndequaq; ſint futura.

TVVS. Pronomen hoc eſt poſſeſſiuum à *Tu* deriuatum, quo Ceres vtitur, vt peculiari nota ſignet agrum à Sicilia poſſeſſum, & in eius ſitum ditione, eumq; diſtinguat ab omnibus alienis, qui Cereris priuilegio inſignes futuri nequaquam eſſent.

AGER. Ager nomen genericum eſt comprehendens arua, campos, ſaltus &c. vulgò *Terreno*. Dicitur Ager ab *ago*, eo quod in eo multa agantur. Porrò ager multipliciter diuiditur; nam ſub ſe habet *agrum compaſcuum*, qui videlicet a diuiſoribus agrorum, ad paſcendum communiter, vicinis relinquitur; *Alluuium*, ideſt quem paulatim fluuius in agrum aggerando conuertit; Arcifinium, qui nempè certis linearum menſuris non continetur, quaſi *arcens fines*; *Noualem*, qui alternis tantum annis exercetur, vt vires ad fœcunditatem innouet; *Squallidum*, ideſt deſertum, nullaq; agricolarum manu excultum; *Vliginoſum*, qui aquis ſemper ſcatentibus madet &c. omnes enim agrorum ſpecies, eorumdemque qualitates omnes recenſere nimis longi operis eſſet.

Vnum hoc aduerte Cererem *agrum genericè poſuiſſe*, & propoſitionem generalem generaliter eſſe intelligendam, præcipuè in fauorabilibus, nam ſicuti pœnæ reſtringendæ, ita fauores ampliandi. Cum autem propoſitio indefinita, vt hæc eſt *ſponte tuus florebit ager* æquiualeat vniuerſali, certum eſt Cererem vniuerſaliter eſſe locutam, ita vt non agris tantum cultis, ſed incultis etiam fertilitatem, & hanc quidem ſpontaneam promittat, adeò vt vel dumeta ipſa Siciliæ in fruges ſpondeat, ſi opus fuerit, eruptura. Ex quo vides quantam fertilitatis redundantiam, præmium operis, quod poſtulatum fuerat, proponat Ceres.

FLOREBIT. *Floreo* idem eſt, ac *flores induo, floribus ornor, & veſtio*, in flores erumpo: Florere autem hic ponitur pro *fœcundum eſſe meſſium, ac fructuum copia*; ita vt ex antecedentibus, nempè ex florum copioſa ſupellectili, intelligere debeamus conſequentia, nempè vberrimas meſſes &c. Et quidem, (præterquam quod ſcimus meſſes ipſas floribus exornari ſuis antequam ad maturitatem deueniant) flores præſagia eſſe feracis anni, adeò decantatum eſt, vt Virg. ex multitudine florum Amigdali, lætæ identidem ſpem fœturæ, in frumentis ipſis, concipere nos poſſe, doceat Georg. 1.

Contemplator item, cum ſe nux plurima ſyluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes.
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore:
At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra
Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Nucem appellat Amigdalam, vt monent Interpretes.

Vides Virg. ex copia florum meſſium copiam ominari, ex paucitate verò florum inopiam frugum portendere. *Florebit* igitur, inquit Ceres, *Ager tuus*, vt ex floribus exuberantem innueret fœcunditatem, nam florere idem eſt, ac copiâ bonorum omnium, affluentiâq; perfundi. *Reflorebit*, inquit

SPONTE', quod idem eſt, ac *vltrò, ſuaptè naturâ, vi ſua, nullo cooperante agricolarum conatu*. Nota quam altè aſſurgat hic Ceres, in promiſſione præmiorum ſancienda, nam idem eſt dicere: *ſponte tuus florebit ager*, ac dicere *Aureò ſæculi fœlicitate coronaberis*: nam aurei ſæculi fœlicitas, quæ ſub Saturni dominatu effloruiſſe dicitur, nil differt ab ea, quam hic Ceres Siciliæ promittit, ſi Virg. credamus ſæculum aureum ſic, pri. Georg. deſcribenti.

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni,
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant; ipſaq; tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.

ex hoc autem poſtremo carmine, & à primo tamquam à cauſis, quæ in reliquis continentur ortum habent. Quarè dum Ceres dicit *ſponte tuus florebit ager*, implicitè pollicetur quidquid de conſequenti ſecum trahit aurei ſæculi fœlicitas; ad quod meliùs exprimendum ſubijcit illud idem, quod in pri. Virg. cit. carmine virtualiter continetur, dum ait

CESSANTE IVVENCO. Ceſſare enim à laboribus iuuencus non poteſt, niſi renouetur ſpontanea illa fœlicitas, & fertilitas quæ habebatur, cum

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni.

Ceſſare enim à quo participium *ceſſante*, idem eſt, ac *vacare ab operibus, otia ducere, quiete perfrui*, quod nunquam bos aſſequetur, ſi terra colenda ſit. *Iuuencus* autem propriè bos minor eſt, qui iam vitulus eſſe deſijt, ſed nondum in iuſtam bouis magnitudinem excreuit. Hic tamen ponitur pro quocumq; boue; & quidem indifferenter poni potuit; nam, cum Iuuencus a Iuuando dictus ſit, eo quod iam Dominum in agro excolendo iuuare poſſit, certè bos omnis de facto iuuans agricolam Iuuenci nomine poterit compellari.

DITIOR &c. Mirè a conſequentibus adauget hic promiſſam Siciliæ fertilitatem. Quod vt pateat, reuocandum in memoriam hic eſt, quod diximus in explicatione ad Carm. *Æmnæ Cereri proles &c.*, nempè Siciliam adeò fertilis fuiſſe naturæ, vt primo in ea triticum ſponte natum dicatur, quod, cum a nemine colligeretur, in terram rurſus recidebat; ex quo facile colligi poteſt, quanta meſſium vbertate floreret dono Cereris ab initio Sicilia, totidem multiplicatis ex tritico decidente ſeminibus, ex quibus iterum aurea conſurgeret meſſis. Profectò non tot fluctuauerint ariſtis Gargara, quot meſſibus tunc affluens eſſet Sicilia. Sed *deſ orem* nunc incolam pollicetur; conſequenter infinitam ferè dixerim, & inmultiplicabilem promittit vbertatem: ideo non minus proprij calami fœcunditatem exerit Vates, qui vnico verbo ingentem fertilitatis amplificationem peregerit.

DITIOR. Comparatiuum eſt à poſitiuo diues deductum; Diues autem ille dicitur, cui tanta redditum poſſeſ-

ſio

ſio eſt, vt ad liberaliter viuendum facilè ſuppetat; eaq; Dominus contentus ſit, vt habetur ex Cic. in Paradox.; conſequenter *ditior*, per ſyncopen, pro *diuitior* dicetur ille, qui, huiuſmodi redditibus exuberans, ſatis ſuperq; habeat ad finem indicatum, & redundet. Vtitur autem voce comparatiua hic eruditiſſimus Poeta, vt, comparando affluentiam, quam nunc promittit ſegetum Ceres, cum ea, qua ab initio fruebantur Siciliæ Incolæ, maiorem hanc fore oſtendat, quod idem eſt, ac dicere propemodum infinitam. Inſuper fruitio alicuius boni non conſiſtit in ſola materiali illius poſſeſſione, ſed in *formali*, ideſt in ea poſſeſſione, quæ coniunctam habeat cognitionem boni, quo fruitur poſſeſſor. V. G. Si quis adamantem eximium poſſideret, ſed neſciret adamantem eſſe, nec cuius valoris eſſet, ſed exiſtimaret, Chriſtallum eſſe, parui, ac nullius pretij; eſſet quidem iſte diues materialiter, ſed non frueretur formaliter diuitijs, quia, licet eas habeat, ignorans tamen quid habeat, perindè eſt, quo ad fruitionem, ac ſi non haberet. Quod ſi accedat cognitio diuitiarum, quas poſſidet, tunc vera, & realis reſultat fruitio, tunc dici poteſt formaliter diues. Potiebantur Antiqui Siculi abundantiſſimis triticorum copijs, ſed ignorabant, cuiuſnam valoris eſſent ariſtæ; ideò non fruebantur, niſi materialiter, perindè, ac ſi non poſſiderent, cum à nemine colligerentur. Diuites materialiter erant: ſed non formaliter fruebantur, neſcientes, ſe diuites eſſe. Aſt, cognitâ cerealis doni præſtantiâ, non poterant non fieri ditiores, quia, qui diuites tantum materialiter erant, iam fiebant diuites formaliter, per veram, ac formalem diuitiarum fruitionem. Ideò Vates & reſpectu augmenti copiarum, & reſpectu ſuperadditæ cognitionis, ac fruitionis formalis, Ditiores appellat, dum ore Cereris ſpondet, & inquit *Ditior*

INCOLA. Ab incolendo Incolæ nomen deducitur; & propriè dicitur de eo, qui in aliena vrbe, ac Republica habitat. Ex quo licet perpendere acutiſſimam Poetæ perſpicacitatem, qui tantam fore inſinuet fertilitatem Siciliæ, vt inuitatura ſit, facilè non ſolum, ſed efficaciter exteros ad transferendas in Inſulam ſedes, vbi ditiores illicò fiant, non ſine eorumdem ipſorum admiratione. Et quidem vbi ſoli viget fertilitas, confluunt vndiq; inhabitantes; & quia regionis opulentia ex multitudine inhabitantium augetur maximè, ratione mercaturæ, negotiationis, commerciorum &c. ideò, dum ditiores promittit Incolas Ceres, promittit, ſe Siculas oras ſupra omnem cuiuſcumque regionis fœlicitatem euecturam. Ideò *ditior Incola*

MIRABITVR. *Miror* triplicem habere ſignificationem animaduerto. Primo enim ſignificat idem, ac *cum voluptate intueor*. Virg. Georg. 3.

Seù quis Olympiaca miratus præmia palmæ.

& Æn. 5. *At procul excelſo miratus vertice montis*

Aduentum, ſociaſq; rates occurrit Aceſtes.

& Æn. 1. *Miratur molem Æneas magalia quondam,*

Miratur portas, ſtrepitumq; & ſtrata viarum.

Secundo mirari idem eſt, ac *vt aliqua tamquam noua obſtupeſcere*. In quo ſenſu Virg. Æn. 6.

Æneas (miratus enim, motuſq; tumultu)

Dic, ait, ò Virgo, quid vult concurſus ad amnem.

Loquitur autem de concurſu quem viderat in traiectu Acherontis, ac de Nauta alios recipiente, alios reijciente. Et apud Bracciol. de Cruce lib. 3. De Alceſte, Eliſam, quam demortuam crediderat, viuam, & à ſe ipſo, in ſingulari certamine proſtratam, intuente, hæc, in eodem ſenſu habentur.

Diſmonta Alceſte, e corre al vinto à piede,

Per torgli l'armi; e tratto à lui l'elmetto

Stupido, & adombrato Eliſa vede &c.

& apud Torquatum Taſſum Hieroſ. liber. Cantu 14.

Stupidi e guerrier vanno, e nelle nuoue

Coſe sì tutto il lor penſier s'impiega &c.

ex quibus aliſq; qui afferri poſſent locis tertia reſultat huius verbi ſignificatio, cum ſcilicet ſtupor, importatus per verbum *miror*, ex ignorantia prouenit rei, vel ipſius eiuſdem cauſarum. In quolibet ex enarratis ſenſibus optimè hic quadrat illud verbum *Mirabitur*, nam mirabitur Incola, ideſt cum voluptate intuebitur oblatas meſſes, & obſtupeſcet nouam, affluentemq; intuitus fertilitatem, neſciens quomodo tam vberes fructus ex tam parua regione percipi poſſint. Et aduerte quod licet nomine Incolarum exteros diximus propriè ſignificari, non tamen excluduntur Siculi ipſi, immò magis includuntur, nam magis etiam parta fœlicitate gaudebunt. Quarè omnis inhabitantium cætus mirabitur

MESSES OBLATAS. Meſſis ſegetes iam maturas, falcemq; expectantes ſignificat, & dicitur de ijs omnibus, quæ metuntur, vnde & nomen accepit: lato tamen modo ſumitur pro copia quorumcumque terræ prouentuum, vt vuarum, pomorum, herbarum &c. & in vtroque ſenſu dictum hic arbitror à Poeta, licet principaliter ſit de triticea meſſe intelligendus *Oblatas* autem dixit, hoc eſt *spontè datas*; nam *oblatus* participium eſt ab offero; *offerre* autem idem ſonat, ac ſpontè dare.

SIC AIT &c. Finem imponit Vates Cereris orationi ſupplicantis, aptè, per idoneas tranſitiones, ad alia progreſſurus: nam ſicuti eam deduxit à termino à quo, iterq; deſcripſit, ac viam proſecutus eſt; ita nunc eam in termino conſtituit ad quem, ne vlla pars itineris deeſſe videatur. Itaq; *ſic* eſt aduerb. ſimilitudinis; verùm hic pro aduerbio ponitur proprietatis, ita vt idem ſonet, ac ſi dixiſſet: *hoc modo, hoc pacto*; ſeù *hac ait*. *Aio* autem idem eſt, ac *loquor*, ſed interdum pro affirmo vſurpatur. Hic ſubtiliſſime vterq; ſenſus includitur; nam quod ſpectat ad poſtulationem, ſignificat, Cererem ſic locutam; quod verò ſpectat ad pollicitationes, ſignificat, Cererem, promiſſa ſe ſeruaturam, affirmaſſe.

ET FVLVIS &c. *Et* particula hic ſimul copulatiua, & diſcretiua eſt; *copulatiua*, quo ad tempus, quia indicat, Cererem, eodem tempore, quo loqui deſierat, ad metam perueniſſe, vt notet celeritatem, qua Dea vecta fuerit ad deſtinatum ſui itineris terminum: *Diſcretiua* verò, quo ad terra, quia tranſitum præbet facilem à motu, ad terminum motui conſtituendum, & vtrumq; ita ſecernit, vt alter ab altero facilè diſtinguatur; ac *diſcretiua* inſuper eſt, quia ab Ethopeia Cereris loquentis diſcernit eiuſdem ad metam aduentum, dum vtrumq; immediatè copulat, ſed ſucceſſiuè.

SERPENTIBVS FVLVIS. Vectam Draconibus Cererem iam vidimus, quarè & continuationem huiuſmodi vecturæ hic indicat vſque ad metam; ſed cur ſerpentes appellet, quos Dracones dixerat. In genere ſerpentium etiam dracones ſunt, vt alibi vidimus, mole tantum, & ætate à ceteris diſtantes, nec nouum Poetis eſt generico nomine vti pro ſpecifico. Fuluos autem nominat, nam Fuluus color ex aureo, & viridi dicitur reſultare: ſupra autem dixerat: *Pingues maculoſa virentes*

Terga nota, rutilum ſquammis intermicat aurum.

quarè cohærenter ad poſita participia procedit.

ATTIGIT IDEN. Attingere eſt leuiter tangere. Hic idem ſignificat, ac *peruenire ad*, quaſi *tangere ad*. Sed quia Ceres draconibus vehebatur alatis, & actu volantibus, illoſq; deſcripſerat agiles adeò, vt vix veſtigia relinquerent itineris; ideò agilitatis memor *Attigit*, inquit Vates, vt morem ad finem vſq; ſeruaret. Helleniſmo autem vtitur in voce *Iden*, græcâ vſus declinatione nominis, latinæ loco; nam Latinè *Idam* dicere debuerat: ſed, quia græca declinatio videtur aliquid ſuauitatis in pronunciatione huius nominis habere, ea appoſitè vtitur, vt oſtendat ſenſum dulcedinis in attingente, voce, ac metro pariter ad dulcedinem concinnato. Porrò Ida mons Phrygiæ altiſſimus eſt, in quo præcipuè Cybeles colebatur, & à quo Idæa olim dicta & Cybeles, & Regio ipſa.

Sed, quoniam ad montem iam deuenimus, montem moralis vitæ, ne deſpiciamus, ſed immò, quæ ad mores hinc pertinent, delibemus.

Errauerat Ceres filiam à Cœlo auertens, ac terræ commendans; ideò conſcientiæ ſtimulis acta

Heù quoties præſaga mali violauit oborto

Rore genas; quoties oculos ad tecta retorſit.

Semper enim vigilant in crimina pœnæ; &, vt Nos tragicos Bunarani noſtri a gentes cothurnos dicebamus, qui maculatam gerit conſcientiam, licet nullo extrinſeco tortore torqueatur, ipſâ tamen ſtimulante conſcientia, pœnaſq; exigente, *Sempr' hà le furie al fianco, e di ſe ſteſſo*

Carnefice crudel vorta ſe ſteſſo.

Peccatoris igitur, & male agentis vicem hic ſuſtinet Ceres, vt & in præcedenti innuebamus, qui Proſerpinam ſuam, hoc eſt animam, tartareo expoſitam raptui derelinquens videtur tamen in vtramq; aurem dormire ſecurus, quaſi nullo eius Anima periculo eſſe poſſet obnoxia. Hic enim licet ſecurus procedat, conſcientia ipſa vltrice, ſtimulis agitur internis, anxietatibus premitur, paſſionibus dilaceratur, mæſtitijs obruitur, in lacrymas ire vel inuitus cogitur, atque in ea ipſa, quam ſibi ipſe fingit, ſecuritate, ærumnas omnes experiri compellitur. Ex quo fit, vt, velit, nolit peccator ſollicitus de anima ſit, quam facilem deſeruit ſpontè raptoribus prædam. Sed quia, vt de peccatoribus inquit

Pſ. 34. Regius Propheta, *via illorum tenebræ, & lubricum* nil mirum ſi lubrico ſerpentum lapſu vecti, dum magis in dies cæcutiunt in lubrico ſtare neſciant, & progredientes cæcorum more abeant in præceps. Retrahit quidem conſcientiæ ſtimulus, & durum eſt contra ſtimulum calcitrare: Sed ea eſt peccaminoſi vis habitus, vt non tàm retrahat conſcientiæ ſtimulus, quin magis attrahat peccandi habitus; adeòq; licet peccatum agnoſcat peccator, media tamen ad illud euitandum negligit, & loco retrocedendi, & Animam ab infidis laribus retrahendi, progreditur inſanias nectere, &, quaſi, vt impius dixit, non ſit Deus, ad Deum ſe conuertere, Cœlum ſuſpicere, neſcit, immo animam terræ denuò affigit, perditioni denuò commendat, quaſi in aſylum ſalutis conuertendam ſperet perditionem. Vota Deo offerenda in obſequium terræ, ac creaturarum conuertit terrenarum, apud ſurdas aures preces iactans; & theſauros profundit, non vt Animam ſaluet, ſed vt perdat; dum maximè eius ſaluti videtur inhiare. Fatuas Virgines imitari videtur Peccator, quæ ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt negligentes, cum oleum in vaſis ſuis habere neglexerint, aliarum opem implorant; nec ſibi interim conſulunt, adeòq; à connubio cæleſtis ſponſi merito excluduntur. Extendit manum ſuam Deus, dum conſcientiæ ſtimulos addit: Sed nos non ad Dei manum, ſed ad Creaturas conuertimur, & diligimus magis tenebras quam lucem; ideò fiunt magis ſemper viæ noſtræ tenebræ & lubricum; donec dicturus ſit aliquando Deus: Extendi manum meam & renuiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſanabo vos. Ne igitur Cererem imitemur, conſcientiæ monitis regrediamur à vijs noſtris peſſimis: non fidamus terræ; non ſit nobis ſpes noſtra Ætneis innixa fuliginibus. Sed à Deo irato ad Deum confugiamus placatum: illi obſequia; illi vota; illi theſauros ab ipſo reddamus acceptos; nec de mundo ſimus, ne cum hoc mundo damnemur aberrantes. Et interim metris italicis indulgeamus, vt muſa noſtra canente, quid fugiendum, quidue amplectendum ſit, facilius addiſcamus dum Cereris errores apertiùs introſpiciemus.

Di ſciagure preſago, ahi, quante volte
 Perch'il duol non l'opprima, e no'l conſumi,
 Lagrimoſe rugiade, in perle accolte,
 Soſpinſe al cuore ad inaffiare i lumi!
 Quante volte à que tetti, oue raccolte
 Freggiauan le ſue gioie i ſaſſi, e i Grumi,
 L'occhio riuolſe, e co'l penſier s'affiſſe;
 Sin ch'in tai voci al fin proruppe, e diſſe:
Girin, propitie à tuoi deſir le sfere,
 (Spiaggia in ſommo gradita) eterni i moti:
 Volin le gratie al tuo gioir forriere;
 Ne gl'errarij del Ciel, per te, fian vuoti:
 Già che quella ſei tu, ch'alle lumiere
 Preferiron del Polo i noſtri voti;
 Del noſtro ſangue alla tua cura i freggi
 S'io conſegnai; Tu ne conſerua i preggi.
Tu del mio ventre i laborioſi impieghi,
 Delle viſcere mie riſguarda i frutti.
 Ne fia, che degno premio vnqua ſi nieghi
 A' chi Chi m'auuiua, e m'allontana i lutti
 Non più ſoffrir dourai, s'à me ti pieghi
 Del ferro l'onte, e non ſaran conſtrutti
 Gl'Aratri più, perch'al ſolcarti il dorſo,
 Portin di crudo acciar dentato il morſo,
Senza che ſtanchi al pigro armento il paſſo
 Crudo Boote, al lacerarti intento;
 Senza, ch'à duri giogbi il collo abbaſſi
 Il Toro al ſuo non men, ch'al tuo tormento;
 Quei l'auaro deſio ſatiar potraſſi,
 Queſti dell'herbe il natural talento;
 Che darà biade ogni tuo ſuol copioſe;
 E n'andran le fatiche in bando otioſe.
Volontarij fiorir colli, e pendici
 Stupir dourà l'Agricoltore, e pieni
 Di non ſudate meſſi i campi aprici,
 Delicioſe le valli, i poggi ameni,
 Di me, di Baccho, e di Pomona amici,
 Grauidi ſempre, e douitioſi i ſeni,
 Faran, che, di ricchezze à niun ſecondo,
 N'ammiri il don l'habitator giocondo.
Con tai promeſſe, alla ricchieſta eguali,
 Del laſciato teſor geloſa amante,
 Le preghiere auualora, e le fatali
 Sventure in diuertir ſi sforza errante.
 Mà gia de Draghi ſuoi lucide l'ali
 Giungon dell'Ida à rallegrar le piante.
 Ella i freni raccoglie, e per conforto,
 De viaggi ſuoi dolce ſalura il porto.

Nobis tamen in portu minimè quieſcendum; ſed Ducem ſequentes noſtrum ex portu iterum ſoluere non detrectabimus.

Hic ſedes auguſta Deæ templiq; colendi
Religioſa ſilex, denſis quam pinus obumbrat
Frondibus; &, nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferi modulantur carmina rami.
Terribiles intus thyaſi, veſſanaq; mixto
Concentu delubra gemunt; vlulatibus Ide
Bacchatur; timidas inclinant Gargara ſyluas,
Poſtquam viſa Ceres mugitum tympana frenāt;
Conticuere chori, Corybas non impulit enſem;
Non buxus, non æra ſonant; blandiq; leones
Submiſere iubas; adytis gauiſa Cybelles
Exilit, & pronas intendit ad oſcula turres.

HIC SEDES &c. Fusè deſcripſerat Vates terminum à quo Ceres diſceſſerat, Siciliam nempè Iter euiſdem ampliori ſtylo proſecutus, conſequens erat, vt & terminum ad quem per hypotipoſin oculis ſubijceret. Hoc itaq; peragit in præſenti, dum in Ida monte ſacro nemore incluſos Cybelis Penates indicat; templi maieſtatem, ac venerationem inſinuat, & ſacrorum ceremonias breuiter attingit; omnibuſq; ad ſacrum quemdam horrorem compoſitis, rigiditatem Numinis ex antecedentibus, ac ſignis oſtentat, vt ſubinde clariùs appareat, quam grata Ceres ad fuerit, cuius aduentu mutata in lætam Cataſtrophe deſcribitur; nec non fusè oſtenditur quantam aſpecta Ceres hillaritatem intulerit Matri, ac quanta vis fuerit amoris, quæ luctum omnem in gaudium conuerterit, ita vt Dea ipſa, maieſtatis, ac ſeueritatis oblita, & e ſede proſilierit, & ſuauientes in amplexus procucurrerit.

HIC. aduerbium loci eſt idem ſignificans, ac *in tali loco*; refertur autem ad locum, de quo ſupra loquebatur Poeta, nempe ad Idam Phrygiæ montem, quare idem eſt dicere *Hic*, ac ſi dixiſſet: *hoc in monte Ida*.

SEDES. Subintellige *eſt*, vel erigitur, vel eminet, quod per figuram ſynecd. reticetur. Sedes autem propria geſtatorium illud opus eſt, quo ad ſedendum vtimur, verum, quia ex hoc, quod ſedentes quieſcant, locus quietis eſt *ſedes*, ideò quicunque locus, ad quieſcendum aptus, ſedis nomine decoratur, atq; hinc fit, vt cuiuſcunq; *domicilium, habitatio*, ſeù *templum*, ſi de Dijs loquamur, *ſedes* translatiuè nuncupatur ſic Virg. *Cœlum Iouis ſedem* appellat Æn. 10. conciliumque vocat Diuum Pater atq; hominum Rex Sydeream in ſedem terras, vndè arduus omnes.

Caſtraq; Dardanidum ſpectat populoſq; Latinos.

itaq; ponitur & hic ſedes pro ipſo Cybelis templo.

Ædes non *ſedes* legunt hoc loco Parrhaſius, & Heinſius; & Sedem legere mendoſum aſſerit Parrhaſ.; perperam vſurpatum ſcribit Heinſius; ſed ex neutro rationes adductas video, cur adeò abſonum ſit, *Sedes* legiſſe, quarè nil arbitror immutandum: Immò Parrh. ipſe fatetur ſubindè *Sedes* legi poſſe, ni Sibilus aures offenderet. Sibilum hu-

uſ-

iuſmodi non experior. Fortaſſis dicatioris auris Parrhaſius fuit. Ideo qui legat, iudicet.

AVGVSTA. *Anguſta* legit Parrhaſius eam adducens rationem, quod ſcilicet ſeruandi ſint antiquitatis mores, qui ſinceritate quadam animi potiùs, quam opum luxu, Dijs litandum præcipiebant, & vt inquit Tibullus ab eodem citatus. *Stabat in exigua ligneus æde Deus.* Verum contrarium omninò teſtatur Mythol. Nat. Com. lib. 1. Cap. 10. vbi ait, inueteratum fuiſſe mos antiquorum, vt templa ampliſſima conſtruerent, nullis parcentes ſumptibus, ita vt vnicum ſæpè templum Doricos, Corinthiacos, Ioniosq; ſudores exſuggeret, hauriretque. Cur itaq; huic ſententiæ inhærens non potuit Vates auguſtam Cybelis ſedem appellare, vt emphaticè explicaret, quanta fuerit illius templi gloria, quanta eiuſdem magnificentia, ac maieſtas? Certè *Auguſta* dicuntur ea omnia, quæ ob eximiam ſtructuræ magnificentiam, dum oculos fulgore perſtringunt, animos in admirationem rapiunt venuſtatis. Sed eſto vera eſſet de moribus antiquorum circa templorum conſtructionem Parrhaſij opinio Tibulli auctoritate ſuffulta. Cur adhùc non poſſit dici *ſedes auguſta*, meliùs, quam *anguſta*? Meliùs inquam; nam certè *auguſtum* dicitur quidquid dignum eſt, quod religioſa quadam veneratione colamus: ideò Templa Deorum propriè vocanda eſſe *Auguſta*, docet Ouid. Faſt. 1.

. . . . . Auguſta vocantur
Templa Sacerdotum rite dicata manu.

& alibi idem. Quis locus eſt templis auguſtior? vndè rectè expoſuerit Barth., in hunc locum, *Auguſta*, inquiens cultu, non ſpatio, non ornamentis, ſed religione. Et quidem quis neget, Templa ſemper omni veneratione digna extitiſſe cum ſolus eorum aſpectus ſacrum quemdam horrorem incutere videatur? Sanè hanc templorum venerationem ſuorum ſummè antiquorum, licet inanibus, Dijs cordi fuiſſe teſtatur Hegeſander; nam, vt ipſe refert, ſi quis in Iouis Lycæi templum, aut etiam in aream, non peractis priùs de more luſtrationibus, ingreſſus fuiſſet, intra annum omninò mori eum neceſſe fuerat. Proh dolor. Chriſtianam ſuperant pietatem Gentilium ſuperſtitiones! Inclamat Moyſi Deus, ne ad accenſum rubum calceatus accedat: *Solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas terra ſancta eſt*: Exprobrat Iudæis: *Domus mea domus orationis eſt; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*: Se zelantem domus Patris Chriſtus profitetur: *Zelus domus tuæ comedit me*: & tamen, quia etiam nunc flagellum de funiculis non facit, vt vendentes eijciat, & ementes, domum Dei domum facimus negotiationis; Arcam fœderis cum Dagone, impij, componimus, nec vindicis fulmen numinis perhorreſcimus eutbrandum. Sed intermiſſa, vt doloris vehementiæ indulgeremus, obſecro, reſumamus.

Laſciuio quid & quo ſuplex ſit veceuſet Mythol. Nat Com.

DEÆ. Deam antonomaſticè Cybelem vocat; nam cum hæc credita fuerit Deorum omnium mater, vt alibi diximus, ſi verum eſt effatum: *propter quod vnumquodq; tale & illud magis*; certè Dea illa, propter quam alij & eſſent, & Dij eſſent, maximè Dea fuit, immò ſola, quæ Dea appellaretur, digna, cum alia Deorum turba deitatem ab ipſa traheret participatam.

TEMPLIQVE COLENDI RELIGIOSA SILEX. Hunc locum exponens Parrhaſ. inquit: *Religioſa ſilex*, effigiem Deum matris intelligit, quæ cœlitus lapſa Peſſinunti nomen Oppedo dedit: nam Liuius, Epitomatis vndetrigeſimo, idæa mater inquit deportata eſt Romam à Peſſinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis inuento, pelli Italia alienigenam hoſtem poſſe, ſi mater Idæa deportata Romam eſſet: tradita autem eſt Romanis per Attalum regem Aſiæ. *Lapis erat quem Deorum matrem Incolæ dicebant.* Hæc Parrhaſ., &, vt fatear, ingenioſè non minùs, quam eruditè. Verum licet hæc ſententia non videatur mihi omninò improbanda, & faueat ijs, quæ nos ipſi diximus aſſignantes terminum ad quem vltimo tenderet Cereris iter in explicatione ad Carm. *Ad phrygios tendit ſecura Penates*; non tamen poſſum illi omninò acquieſcere, cum videatur repugnare proprietati verborum, quibus ipſe textus aſſurgit: dum enim Vates inquit *Silex templi*; non videtur innuere potuiſſe hanc lapideam Cybelis effigiem, nam hæc non eſt *Silex templi*, cum non ſit *Cybele templi*; ſed *templum Cybeles*; quarè poſſeſſio importata per poſſeſſiuum Templi, poſita hac ſententia, penitus inuerteretur, & præpoſtero ordine diceretur. Cum itaque dicat *Silex templi*, non *templum Silicis*, dicendum eſt, quod Silex de qua loquitur ſit pars templi illius de quo ſupra, & cuius partis poſſeſſionem habeat idem templum, quod de lapidea Cybeles imagine verificari non poteſt, cum templum *illius* ſit, non illa *templi*. Aliam igitur explicationis viam arbitror ineundam. Quarè

ET, ideſt QVE pro *Et* copulatiua particula profectò eſt ſequentia cum antecedentibus coniungens.

SILEX autem propriè loquendo lapis eſt durus, ex quo ignis excutitur: vulgò *Pietra focaia*, ſeù *Batti fuoco*. Latiùs tamen accipitur interdum pro quocumq; ſaxo, aut marmore, poſita ſcilicet ſpecie pro genere. Quod ſi in hoc vltimo ſenſu accipiatur, facilis erit Poetæ explicatio, nec ſuis vacabit, herclè, myſterijs; nam rudes etiam lapides tanto in honore fuerunt apud antiquos, vt, inſtar Numinum, colerentur, atq; adeò religioſi etiam appellari potuerunt. Certè Arabes lapidem tetragonum coluerunt, & Thraces lapidem pariter venerati ſunt, in quo veſtigium Herculis impreſſum eſſe perſuaſum habuerunt. Hac de cauſa poſtes, ac liminaria templorum ex perpolitis lapidibus conſtruebant antiqui, vt ex adorando Templorum aditu ediſcerent ingreſſuri, quanta eſſet exhibenda inhabitantibus Dijs veneratio. Religioſa autem ſilex dicitur, eo quia religioſum dicitur illud, quod ſine piaculo violari non poteſt, vt certe nefas ſemper apud antiquos fuit, pollutos ſorde aliqua, licet occulta templorum limen attingere, & ſua quaſi contagione violare. Poſſet itaque dici Poeta, per religioſam Silicem intellexiſſe aditum ipſum templi, ſeù poſtes, & liminaria ex perpolito marmore conſtructa, debitamq; Cybeles templo venerationem in fronte præferentia, atq; ingreſſuris præmonſtrantia, ſicq; religionem in eorum animos inducentia. Neq; huic explicationi obſtaret, quod ſubtiliſſimè notant aliqui, nempè Silicem, cum pro quolibet ſaxo in genere ponitur, maſculei ſemper generis eſſe, vt patet primo Lucretij lib., vbi hæc apertè leguntur:

Primus autem qui excuſſerit Pyrodes Cilicis ſilius fuiſſe dicitur.

Vnde queant validi Silices, ferrumq; creari.

Non obſtaret, inquam, apud Virg. enim, Silicem pro quolibet ſaxo vſurpatum fœminei generis eſſe reperies, primo quidem Æn. 8. vbi Hercules ingentem Auentini ſaxum deuoluit in præceps, vt Caci ſpeluncam detegat, latronem peremptus: ſic enim habetur ibi.

Stabat acuta Silex præciſis vndiq; ſaxis &c.

Pariter Æn. 6. Didonem in modum marmoreæ ſtatuæ deſcribens obfirmatam, cum illam Æneas apud Inferos alloqueretur; ſic habet:

Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat,
Nec magis incepto vultum ſermone mouetur,
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia Cautes.

Quarè licet aliqui contendant *Silicem fœminino genere expreſſam* lapidem illum tantummodò ſignificare, ex quo ignis excutitur, non tamen abſonum fuerit in ſenſu ſuprapoſito Poetam explicare, dum aſſertorem ſequimur Principem Poetarum, ſicuti eiuſdem veſtigijs inhæret Claudianus, dum religioſa vocat ſaxa, quæ templorum limina conficiant: idem canente Virg. Æn. 2.

Plurima perq; vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora perq; domos, & religioſa Deorum
Limina; nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri.

Vbi etiam vides ab ipſo Virg. inſinuatum, quàm horrendum eſſet, hæc templorum limina pollui, & fædari. Inſuper nec obſtaret, quod Vates copulet per particulam *Et* id, quod importatur per nomen *ſedes*, nempè *Templum*, & id, quod importatur per nomina *religioſa ſilex*, nempè *ipſius templi poſtes, & limen*; nam certè pars inadæquatè diſtinguitur à toto, atq; ideò quæ primo aſpectui pateat, & prærogatiua aliqua inſigni conſpicua ſit, benè poteſt quaſi ſeorſim conſiderari, & cum ipſo toto copulari, vt quid diſtinctum modo dicto. Verum eſto congruens fuerit hæc explicatio, nec nudum arcanis proferat latus; tamen non eſt credendum ab erudittiſſimo Poeta commiſſum, vt anſam daret Neotericis criminationem contexendi circa illius nominis Silex intelligentiam, quamuis promptum eſſet ad Principis Poetarum aras effugium. Fatebor equidem, & ad prædictos ſenſus Poetam reſpexiſſe, ſed altiùs inſurrexiſſe non ambigo, & nomen *Silicis* in rigoroſa, ac propria ſignificatione accepiſſe, vt altiori eruditione incederet exornatus. *Silex* igitur Petra eſt, ex qua excutitur ignis. Sed vt ſignum hic ponitur pro re ſignata in templi foribus reſidente. Pro intelligentia memineris, quæ diximus, dum de Dijs penatibus ageremus, ad Carm.

. . . . . . Ad phrygios tendit ſecura Penates.

inter eos ſcilicet *Veſtam* à compluribus enumerari, hancque nil aliud eſſe quam purum ignem iuxta Ouid. inibi citatum.

Nec tu aliud Veſtam quam viuam intellige flammam.

Hoc poſito, in mentem reuoces quod, ex Homero, aſſerit Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 19., nempè Veſtam domorum omnium eſſe ſeruatricem, cui rerum omnium primitiæ offerebantur; Domorum autem ſeruatricem fuiſſe conſtitutam, eo quod artem conſtruendarum adinuenerit domorum. Quare apud Platonem, vt refert Mythol. cit., & Pier. Valer. Hierogl. lib. 43., reliquis Dijs, duodecim ordinibus, domo digreſſis, atq; alatum Iouis currum ſubſequentibus, ſola Veſta reſidet domi, Æditui ſcilicet officium peractura. Porrò æditui pro templorum foribus ſtatuebantur, vt late recenſet, apud Pier. cit., Euſebius, dum Serapidis templum deſcribit, æditui à tuendis ædibus dicti. Ignis igitur Veſta eſt; Ignis ex Silice excutitur; & Ignis, qui Veſta eſt, Æditus templorum eſt. Quarè iure merito Silicem pro foribus templi ponitur à Poeta, ex Silice ignem excutientes Veſtam huius Templi ſeruatricem pro foribus adeſſe dignoſcamus, cum & inter Phrygios Penates recenſitam agnouerimus. Sic autem Vates per particulam coniunctiuam *&* copulat terminum immediatum cum vltimato; nam, vt vidimus loco cit. ſupra, Ceres tendebat ad Penates Phrygios non vt cum ijs moraretur, ſed vt terminum vltimatum ſui itineris Cybelem haberet. Hic igitur ſedes Deæ, & Veſta pro foribus, quæ Cererem ad Deam introduceret; nomine Silicis deſignata, ideò verò *religioſa ſilex* dicitur, quia quam nefas fuerit Veſtam violari, & pollui, ſatis ſuperq; indicant leges contra veſtales Virgines ſancitas dicatum Deæ ſacrarium polluentes, de quibus apud Liuium latè. Has igitur eruditiones omnes vnico verbo attingens Poeta verè ignem excuſſit è Silice, quo Gentilium pectora, ad tanti templi venerationem maximè accenderentur. Ideò *Religioſa*, nam religioſum dicitur quidquid in alienum pectus religionem, vel religionis ſpirat amorem. Primam verò in *religioſa* per Ectaſim produxit ex concurrentia breuium coactus, vt ſæpe Virg. ipſe.

TEMPLI COLENDI. Templum antiquitus dictum fuit illud, quod certis quibuſdam conceptis verbis ab augure finiebatur, vndè tueri quamcumq; Cœli partem commodè poſſet; ex quo ortum habuit verbum *contemplor*; ideſt *diligenter intueor*; nam templum à tuendo dictum autumant. Hodiè pro ædibus ſacris accipitur, quas Eccleſiarum Præſules, ſanctiſſimo ritu, ſacriſq; verborum formulis, ſacras efficiunt conſecrantes. Olim pro quacumq; profana æde meritis dicata Numinibus vſurpabatur. *Colendum* autem, participium à *colo* deductum, ſignificat id, cui cultus, veneratio, honor, ac ſumma exhibenda religio eſt. Quarè *colendum* appellat Poeta Cybelis templum, quia, ſi vlli vnquam Deorum Templo cultus fuerat exhibendus, maximè huic Deorum Matri dicato. Inſuper *colendum* vocat reſpectu Cereris, quæ cum ad hoc veniſſet, vt Cybelem coleret, eidem vel templum ipſum offerebatur colendum, eamq; ad ſui ipſius venerationem iam præſens excitabat.

QVAM PINVS &c. Solemne fuit apud antiquos, Dijs omnibus, iuxta eorumdem diuerſitates, ac diuerſas proprietates, diuerſi generis lucos ſacrare, eo quod arbitrarentur, ſolitudines aptiores eſſe ad ſacrificia, tota animi deuotione peragenda; & etiam quia exiſtimabant, Deos ſuos ſummopere nemorum vmbraculis delectari, quod innuit Hor. lib. 1. Carm. Ode 21. in Dianam, & Apollinem. *Dianam tenera dicite Virgines &c.*

Vos lætam fluuijs, & nemorum comâ
Quæcumq; aut gelido prominet algido,
Nigris aut Erymanti
Syluis, aut viridis Cragi.

Hinc eſt, vt vix apud ipſos alicuius Dei Fanum inueneris, cui non adiacens lucus adſtruantur, in quo hoſtiæ libarentur, ac ſacra peragenda curarentur. Sic apud Virg. Æn. 11. Lucos Baccho ſacros reperies his Carm. expreſſos.

Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi
Expectare dapes, & plena pocula menſa,
Hic amor, hoc ſtudium dum ſacra ſecundus aruſpex
Nunciet, ac Lucos vocet hoſtia pinguis in altos.

Lucos Triuiæ ſacratos memorat Virg. Æn. 6. in quibus & aureum eiuſdem Templum coruſcaret.

Iam ſubeunt Triuiæ lucos, atq; aurea tecta.

eoſdem repetitos reperies Æn. 7. vbi hæc habet Virg.

Vndè etiam Triuiæ templo, Lucoſq; ſacratos
Cornipedes arcentur equi &c.

Fauno etiam dicatos Lucos habebis eodem Æn. 7. ex quibus oracula redderentur. Sic enim ibi:

At Rex ſollicitus monſtris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit; Lucoſq; ſub alta
Conſulit Albunea &c.

Solis filiam Circem Luco decoratam videre eſt apud eumdem Æn. pariter 7. vbi ſic.

Proxima Circææ raduntur litora terræ
Diues inacceſſos vbi Solis Filia Lucos
Aſſiduo reſonat cantu; tectiſq; ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Immò Solem ipſum Luco ditatum conſpicio, apud eumdem Ecl. 6. *Ne quis ſit Lucus, quo ſe plus iactet Apollo.*

Lucum Iunoni infernæ ſacrum memineris ab eodem commemoratum Æn. 6. ex quo aureum ramum Æneas decerpſiſſe dicitur:

Aureus & folijs, & lento vimine ramus
Iunoni infernæ dictus ſacer. Hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt conuallibus vmbræ.

Ioui non minus, ac Dianæ ſyluam, lucumque attribuit Æn. 3. vbi hæc ait:

Ariæ Quercus, aut conifera cypariſſi
Conſtiterant, Sylua alta Iouis, lucuſq; Dianæ.

Iunonem ſine Luco abire non ſinit Dido Æn. 1.

Lucus in vrbe fuit media lætiſſimus vmbra &c.
Hic Templum Iunoni ingens Sydonia Dido
Condebat, donis opulentum, & Numine Diuæ.

Venerem Lucos inhabitaſſe teſtatur Æn. 1.

At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aſpirans complectitur vmbra.

Cyrenem ſub ſuo ipſo flumine Lucos habuiſſe teſtatur Georg. 4.

Iamq; mirans domum Genitricis, & humida regna,
Speluncisq; lacus clauſos, lucoſq; ſonantes.

Quin immò ipſum Auernorum regem nemoribus delectatum oſtendit, dum auernos memorat Lucos Æn. 6.

Nequicquam Lucis Hecate præfecit auernis.

vndè factum, vt defunctorum animæ per Lucos ſpatiari apud inferos dicantur Æn. pariter 6.

Nulli certa domus, Lucis habitamus opacis.

Hinc Æneas, nouam ædificans in oris Siciliæ vrbem, Templum, Lucumq; Anchiſi, & vt mortuo, & vt in Deorum album relato ſacrat, & dicat Æn. 5.

Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ; tumuloq; ſacerdos,
Et Lucus latè ſacer additur Anchiſeo.

Sed, vt propiùs ad rem noſtram accedamus, inſpice Cybelem noſtram, ſub Berecynthiæ nomine, Lucum ſibi dicatum proteſtantem, quem ſuccidendum conceſſerit Æneæ apud Virg. Æn. 9. vbi ſic ea Iouem alloquitur.

Pinea Sylua mihi multos dilecta per annos
Lucus in arce fuit ſumma, quo ſacra ferebant &c.

Iure igitur hic etiam Poeta noſter antiquiſſimi moris non immemor, ac Berecynthiæ declarationibus inhærens, eius ita templum deſcribit conſtitutum, vt adiacentis Luci ritè meminerit, ac deſcripſerit ea eruditione, quam mox inferius intuebimur.

QVAM. Relatiuum eſt ad ſedem, nempè templum iam poſitum, & ad religioſam illam Silicem, ex qua limen diximus extructum, nempè ad Veſtam Templi ſeruatricem, in Silice ſignificatam: Ni mauis dicere, totum Cybelis templum ea religioſa Silice conſtructum effingi à Poeta, vt videatur agnouiſſe Genium eorum, qui dicunt, Cybelem eamdem, ac Veſtam eſſe; quapropter proportionatum illi lapidem, nempè ex quo ignis excuteretur adiecisse, ex quo Templi ſtructura conſurgeret. In quo caſu particula *Quæ* pro *Et* ſuperiùs poſita iam non eſſet copulatiua, ſed explicatiua.

PINVS. Pinus arbor eſt picei generis nuces ferens omnium maximas, quas latini *Pineas*, Græci *κώνους* vocant. Hæc arbor in agro primum Mileſio Cariæ viſa eſſe dicitur, atq; ex ea Miletus ſubindè Pytiuſſa vocatus; nam Pinus græcè *πίτυς* nuncupatur. Ex huius ramis Mileſij in peruigilio Cereris lectiſternia inſtituere conſueuerunt; atque in omnibus eiuſdem Deæ ſacris, apud eos, verbenarum vſum pinus exhibuit, vt notat in ſympoſiaco Didymus. Idam pariter Pinetis conſertam indicat Virg. cit. dum adeò celebrat Æneæ naues ex Idæa pinu conſtructas, atq; in gratiam Cybelis ab incendio ſeruatas, ac Nereidum numero adſcriptas. Cybeli enim præcipuè ſemper ſacra Pinus, & dicata; cuius rei cauſam Ouid. Metam. 10. in Athym refundit, qui ab ipſa Cybele in eam arborem fuerit conuerſus.

Et ſuccincta comas, hirſutaq; vertice Pinus,

Grata

Grata Deum Matri, ſiquidem Cybeleius Athys
Exuit hâc hominem, truncoq; induruit illo.

Ferunt itaque, Athym Phrygium puerum fuiſſe à Cybele matre adamatum, qui cum illius deſiderio ſatisfacere noluiſſet, perpetuam ſe virginitatem pollicitus ſit ſeruaturum. Verum cum eam non ſeruaſſet, à Cybele in furorem percitus ſe ipſum euirauit, violentas inſuper manus iugulo illaturus, niſi miſerta Dea illum in Pinum arborem ſibi conſecratam conuertiſſet. Alij dicunt, Athym Sacerdotem Cybelis fuiſſe ab illa ſacrificijs præfectum ſuis, ea lege, vt perpetuam ſeruaret caſtitatem; quam cum violaſſet, Sangaritidem comprimens Nympham (ex qua Lydum, qui Lydiæ, & Thyrrenum, qui Thyrreniæ nomen dedit ſuſceperit) actus ab irata Dea in furorem ſibi genitalia exſecuit, conuerſus ſubindè in pinum &c. Aſt hæc fabuloſa cum ſint, aliam huius arboris Cybeli conſecrandæ cauſam ex penitioribus arcanis placeat indagare. Pinum igitur Naturæ imaginem eſſe dixit D. Ambroſ., vt teſtatur Pier. Valer. Hierogl. lib. 52., quarè cum Cybeles pro ipſa Natura, nempè pro rerum omnium matre ſumatur, iure illi ſacratur Pinus. Iterum Pinus mortis ſymbolum ſemper eſt habita eo, quod obſeruatum fuerit, hanc arborem ſemel reciſam non ampliùs ſuppullulaſcere. Cum itaq; Cybeles terra ſit, omnium mortuorum corpora, quaſi pia mater ſinu contegens ſuo; nil mirum, ſi ſacratam ſibi Pinum adſciuerit in ſuam. Ex quo ſequitur, vt iure optimo Claud. lucum Cybeli addicturus, eum pino conſtructum aſſeruerit; licet Pinum in ſingulari dixerit pro numero multitudinis per ſynecd. poſito numero vnitatis.

OBVMBRAT. *Opacat*, legit Heinſius, & optimè quidem; ſed quia in idem tandem recidit cum vulgata quo ad ſignificationem, ideò non immutandum cenſui. *Obumbrare* igitur eſt vmbris vndequaque circumtegere: quo verbo & opacitatem ſub nemore degentem ſignat Vates, & vaſtitatem ſimul indicat huius pineæ Syluæ, quæ totum vndequaq; auguſtum illud Deæ templum circumtegeret, vmbriſq; circumtectum ſuis ſacro quodam horrore ditaret.

DENSIS FRONDIBVS. Duo hìc attingit Poeta, nempè & naturam ipſam arboris, quæ frondes ſtipatas adeò producit, vt nec oculus interdum inter ipſas valeat penetrare; & morem inſuper antiquorum, qui nefas ducerent ex ſacratis lucis ſtirpem, aut virgultum diuellere; quarè denſatis adeò ſuccreſcebant arboribus, vt ne radij quidem ſolares in nemorum intima penetrarent. *Denſus* igitur idem eſt, ac *ſtipatus*, *conſtrictus*, *coagmentatus*, & quaſi *coagulatus*, & compactus: ex quo oſtenditur ea frondium ſeries, quam, & natura ipſa operante, & religione cooperante, diximus ſuccreſcere. *Frondes* autem a fero dictas autumant, eo quod, comarum in morem, arborum ramos exornantes, expanſæ ventis quoquo verſum ferantur. Hæ autem arborum comæ *frondes* propriè dicuntur, quia propriæ tantum arboris ſunt, ad diſtinctionem *foliorum*, quæ non tam arborum, quam herbarum quarumcumq; propria exiſtimantur.

ET RAMI &c. Lectionem immutat Heinſius, nam vbi vulgata noſtra legit:

. . . . . . Et nulla lucos agitante procella
Stridula coniferi modulantur carmina rami.

legit ipſe cum Parrh. *Et nulla lucos agitante procella*
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.

non equidem doctiſſimorum auctorum lectionem improbo. Tribuit hæc Pineæ arbori muſicam actionem, quam ipſa ramis peragat quaſi linguis. Sententiam vtiq; approbo Sed cur non melius in Deæ obſequium actiones ipſæ muſicæ multiplicentur, ita vt tot ſint muſicalium accentuum modulatores in vnaquaq; earum arborum, quot rami, & ſinguli cuiuſcumq; arboris rami muſici ſint frondibus ipſis quaſi linguis modulos in immenſum multiplicantes? Hic autem vulgatæ noſtræ ſenſus eſt, quem vt magis in Deæ obſequium vergentem amplector, & textus iam verba ſic explico. Particula *&* copulat actionem arborum frondibus obumbrantium cum actione Ramorum Diuæ vtiq; plauſus iiſdem frondibus concinnantium. *Ramus* autem pars arboris eſt, & quaſi brachium, quod ex trunco emergens ab eodem protenditur, atq; inadæquatè diſtinctum expanditur.

CONIFERI. *Conifer* nomen eſt a nomine *conus*, & verbo *fero* compoſitum quaſi *ferens conos*. In quo Poeta, & figuram ipſam frondium, ramorumque, ac totius arboris, & eiuſdem fructum, ac fertilitatem oſtendit. *Coniferi* itaq; pinei rami dicuntur, quia Pinus pyramidali aſſurgit figurâ, ita vt ex lata baſi, quam frondibus efformat, graciliori ſemper aſcenſu ſuccreſcit in conum. Eſt autem *Conus* per Geometras figura quædam, quæ ex lata baſi aſſurgens in angulum deſinit in ſummitate acutum. Sicuti autem tota Arboris figura conum refert, ita naturam totius, & rami ſeruant, & frondes; ita vt ex minoribus hiſce conis inuicem vnitis integer, ac maximus totius arboris conus aſſurgat. Ideò *coniferi rami*, hoc eſt ſpeciem coni referentes. Inſuper Nux pinea, vt iam dictum ideò Græcis *κῶνος*, quia pyramidalem & ipſa figuram oſtentet: quarè rami in quibus huiuſmodi vigeant fructus, iure *coniferi*, hoc eſt *conos* ferentes appellantur. Indicat igitur Poeta, non ſteriles fuiſſe Cybelis arbores, ſed fœcundas, fructuſq; in æuum ſeruantes, dum coniferos earum ramos appellat.

MODVLANTVR. *Modulari* eſt *numeroſa quadam ratione vel componere, vel compoſita recitare*: à Poetis pro eodem accipitur, ac *canere*: quia cantus non niſi certa conſtat numerorum ratione: pars enim Aritmeticæ Muſica eſt; & canere nil aliud eſt, quam voces ad certum numerum inflectere. Canoras igitur fuiſſe Cybelis pinos inſinuat Poeta hic. Nec nouum; nam & Virg. Pinos facit loquentes Ecl. 8.

Mænalus argutumq; nemus, pinoſq; loquentes
Semper habet &c.

Multò minus mirum videri debet canoras dici arbores Cybeli ſacratas; nam Dodoneas quercus loquaces fuiſſe, ab omnibus decantatur; Laureum Apollinis nemus vocales truncos protuliſſe, nullus ex Poetis inficiatur; dum & ex Iouis quercù, & ex Apollinis Laurù oracula reddebantur. Quod ſi Dijs hoc filijs concedatur, quis hoc ipſum Deorum deneget Matri? Incongruum immò fuiſſet hoc ipſi non tribuere, quod natis ex ipſa vltrò conceditur.

STRIDVLA CARMINA. *Carmen* à canendo dicitur; quaſi *canmen*; ideo carmen erit quidquid metricè ſcriptum, aut dictum fuerit. Cum igitur dixiſſet Poeta, Cybeles Pinus modulari, quod eſt *voces ad numerum, metrumq; componere*; quid aliud, quam carmina modularentur? Inſuper ſolemne fuit, Deos cantibus venerari, vt noſtis, & nos fusè docuimus, in Poetica noſtra, de Hymnis, Lyrica, ac Dityrambicis agentes; quarè, vt ſacra Cybeli Pinus Deam ſuam ritè veneraretur, illi carmina tribuuntur modulata; & quidem *Stridula*, quod muſicæ rationis eſſe, inquit in hunc locum Parrhaſius: & ratio per ipſum eſt, quia, vt quæq; procerior arbor eſt, & in altum tendit, eo magis acutum edit ſonum. Hoc autem videtur ex Auſonio depromptum, quem citat Parrh. ipſe, his loquentem carminibus.

Eſt & arundineis modulatio muſica ripis,
Atq; arguta ſuis loquitur coma pinea ventis
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis.

quarè *ſtridula*, hoc eſt *arguta*, & *acuta* interpretatur Parrh. Equidem aptiſſimam eſſe Parrhaſij expoſitionem non inficior; ſed quid amplius etiam in mente vatis adfuiſſe, non dubito. Quarè non reiectâ quidem, ſed immò approbatâ eruditiſſimi interpretis expoſitio vlterius procedo, & nominis naturam ſequor. *Stridulus* itaque à *ſtridendo*, ſeu a *ſtridore* dicitur. Eſt autem *ſtridor* idem, ad *ſtrepitus*, *ingrati ſonus* videlicet, qualis in forium cardinibus, in anguium ſibilis, & in rotis curruum malè compactis auditur. Quarè ſtridula carmina dicentur, quæ aſperata procedant, & quæ ingrâta, inconcinna, diſſona ad aures perueniunt, eaſdemq; feriunt potiùs, quam mulceant: Similibus autem ſtridoribus, crepitaculis, atq; inconcinnis tinnitibus delectari, ſolitam Cybelem, patebit inferiùs. Itaq; Deæ propriæ indulgentes Genio *Stridula coniferi modulantur carmina rami*. Adde admirandum profectò in hoc eſſe artificium Poetæ, qui hoc pacto naturam obſecundauerit; nam difficiliùs creditu eſt, mutas arbores vocales fieri ita, vt diſtinctè, articulatè, & clarè muſicas voces modulentur, quam eaſdem, confuſo quaſi, ac ſtridenti quodam ſono, muſicas quidem fieri, ſed ſtridulas, ingrataſque. Agnouit igitur Vates, cum cæteris, vt inquit Barth., in arborum ventis inſpiratarum ſuſurris carmina; ſed congruentiùs, & ad naturam, & ad Deam, cui dicabantur *ſtridula*, *rauca* voluit, & ingrata.

NVLLA PROCELLA AGITANTE LVCOS, Vidit perſpicaciſſimus Poeta, hunc arborum ſtridorem poſſe ab aliquibus refundi in ventos, qui ſyluarum comas, vt mox ex Barth. dicebamus, agitantes, ſtridores ex illis excitent, vt omnibus in comperto eſt. Quarè, vt indicaret, hoc illis datum arboribus ex gratuito Deæ dono, non ex ventorum impulſu, ſyluam omninò pacatam ab extrinſeco, ſummâque fruentem quiete, ac tranquillitate, à ventis omnibus immunem deſcribit, inueteratæ antiquorum inhærens opinioni, ac Poetarum aſſertionibus, qui a Deorum ſedibus ventos omnes, ac tempeſtates eliminari conſtantiſſime aſſeruerunt.

NVLLA PROCELLA. Procella vis venti eſt pluuijs ad-

admixta, quæ impetu quidem maximo fertur, ſed breuibus capiat periodis; dicta *procella*, eo quod impetu ſuo *vendat procellas*, ac moueat. Hic pro quolibet vento, immò & pro ſtatu qualibet aura ponitur, poſita pro genere ſpecie; nam *procella* maris potiùs, quam terræ propria eſt. Ideò appoſuit: *Nulla*, particulam videlicet generaliter excluſiuam, vt intelligeremus, cum ab hac ſylua, cuiuſcumq; venti impetum, ac motum excludere, ad oſtendendum, ſpontaneos eſſe querulos arborum concentus. Et quidem Pinum maxime ſtridores decebant, & queſtus ſpontanei, tum ob mox traditas rationes; tum quia, cum Pinus Athys fuerit, vt dicebamus, in furorem actus, poſtea in eam arborem conuerſus, nil mirum, ſi adhuc furoris ſui ſtridores proſequatur, ac Fati inclementiam ſui querulis adhuc vocibus exprimat. Ideò ſponte ſtridores, ac querelas edere dicitur, *nullâ procellâ*

. AGITANTE. Agitare, (à quo participium eſt agitans) *eſt quaſi, aſtu quodam, huc, illucue agere, vndarum in morem*; ſeù idem eſt, ac *repentinis motibus quatere, ac decuſſare*, quod proprium furoris videtur animum furijs agitatum concutientis; quod mirè confirmat, quæ ſupra diximus; nam excluſis ab extrinſeco ventorum agitationibus, tantum remanet, vt intrinſeco adhuc furore debacchans Pinus exagitetur ita, vt querulos in ſonos, ac ſtridores erumpat. Horum igitur verborum ſenſus, vt vides, virtualis hic eſt: *nulla agitante procella*, nempè *impetu ab extrinſeco*; licet agitante impetu intrinſeco. Si itaq; conſiderentur Syluæ ſtridores, vt rauci concentus Deæ Genio indulgentes; ex Deæ dono prouenient, vt vel arbores ipſæ concinant, & oracula reddant: Si verò conſiderentur vt effecta concepti furoris; ab iratâ Deâ prouenient, vt adhuc in trunco perſeueret furor; vel potiùs Pœnitentis fremitus erunt, qui Deæ iram promeritus propriam lugeat infœlicitatem. Ideò aptiſſimè

Stridula conſeri modulantur carmina rami,

vt vtriuſq; muneris, nempè & venerationis, & obſequij, nec non furoris, ac pœnitentiæ exprimantur effectus, dum hæc modulantur, *nulla procella agitante*.

LVCOS. Lucus nil aliud eſt, quam denſum arboribus nemus, quod per antiphraſim lucus dicitur, eo quod minimè luceat; cum enim, vt diximus, circa Deorum templa huiuſmodi Luci diſponerentur, vt confirmatur ex Cycno Crucis lib. 5. canente.

Così volg' ella adolorata el piede,
Dov' vn picciolo tempio in vn boſchetto
Del giardino real celato ſiede
Da i primi Rè con ſacra pompa eretto &c.

nullæ illic arbores, propter religionem, cædebantur; atque adeò obſtabant, implexis ramorum frondibus, arbores ſolaribus radijs, ne lucem inferret Titan, ſacraſq; vmbras diuerberaret. Ideò opacus, & ſine luce erat Lucus. Dici tamen poſſet Lucus a Luceo pariter dictus, eo quod, cum in illo ſacra nocturno tempore fierent, vt item innuimus, licet de ſe ſine luce eſſet, ex frequentia tamen Luminarium, quæ inibi in ſacris accendebantur, vndiq; corruſcaret.

TERRIBILES INTVS THYASI &c. Deſcriptis, quæ circa Cybeles templum conſpiciebantur, in interiora templi penetrat Poeta, ac ritus, ſeù ceremonias, quibus vtebantur Cybeles Miniſtri, ac Sacerdotes, in obſequium venerata Deæ, breuiter attingit.

INTVS. Aduerbium hoc loci eſt idem ſignificans, ac genitiuus *Domi* aduerbialiter poſitus. Quarè hoc loco idem erit, ac *In interiore templi receptaculo*, ſeù *in interiori Deæ ædibus*.

THYASI. Thyaſus chorea eſt in Orgijs celebrari ſolita, nomen deducens à Thya primâ Bacchi ſacrificiorum Antiſtite bacchante. Per ſimilitudinem autem ad choreas, quibus Cybelem venerabantur eiuſdem Sacerdotes transfertur; nam, ſicuti Bacchantes furiali more in Orgijs agitabantur, ita Cybeles Miniſtri ſaltantes, capuéq; rotantes, ac ignita lumina terribili circumrotatione circumuoluentes ſacrificia Deæ ſuæ peragebant, tantoque, in ijs, furore agitabantur, vt ab aliquibus creditum fuerit, eos dæmones eſſe, vt latiùs videbimus inferiùs, vbi de Corybantibus agemus. Sacra autem huiuſmodi Deorum Matri dicata Dardanus, vt ex Lycophrone notat Parrhaſ., ex Samothracia in Phrygiam tranſtulit, cum, vt ferunt, obrutâ aquis inſulâ Dardanus ſpiritu diſtentum vtrem pectori admouit, eoq; fultus in Phrygiam enatauit. Initiabantur enim in Samothracia Cabiris, hoc eſt Dijs ſuis, nam Dij Samothraciæ *καβειροι* Græca voce dicti, quos quatuor enumerabant, & quorum primus *Axieros*, hoc eſt Ceres eſſet, ſecundus *Axiocerſa*, quam Perſephonem dixere, tertius *Caſmilos*, quem Mercurium interpretabantur. Alij verò duos tantum Cabiros fuiſſe dixerunt, Iouem nempè, & Dyoniſium; & hæc quidem opinio magis ad rem facit, nam Dyoniſius Bacchus dicitur; quarè ſi Bacchi ſacrificia apud Samothracios vigebant, facilè a Dardano transferri in Phrygiam, ac Deum Matri adaptari potuerunt. Scio & Montes Phrygię Cabiros appellatos, &, eo quod in ijs montibus diù habitaſſent, Iaſonem, & Dardanum fratres Cabiros appellatos, ſed hoc nihil ad rem noſtram, ideò præteruehor.

TERRIBILES. Terribile dicitur quidquid formidabile eſt, & horrendum. Quanto autem horrore repleuentur choreæ Corybantum, & ex dictis patet, & ex dicendis latiùs. Adde ſacras Deorum Ceremonias terribiles ſemper fieri ex ſacro quodam horrore ſanctitatis, qui tacite ſpectantium animos ſubit, & percellit.

ET DELVBRA. Delubrum dicebatur locus in quo Deorum ſimulacra collocabantur, ita dictum, quod in eo Dij ponerentur. Quarè pro ipſo templo accipitur. Alij tamen *delubrum* dicunt appellatum fuiſſe locum ante aras ſtratum, vbi ſcilicet aqua diffluebat, dictumq; Delubrum, aiunt, à diluendo; religio enim apud antiquos exigebat, vt ante ſacra manus ablueret ſacrificulus, ideóq; in ſingulis templis fons aderat ad id muneris conſtitutus. Si itaq; in prima ſumatur acceptione, Delubrum, iam ex pluribus vnum intelligendum ſatis noueris: Si verò in ſecunda ſumpſeris acceptione, partem pro toto poſitam, itemq; ex pluribus vnum intelliges, nempè ipſum Cybeles templum, in quo hæc peragerentur.

VESANA. Hoc eſt Lymphatorum clamore fremensia inquit, & doctiſſimè, Parrhaſ. Porrò *Veſanus* idem eſt, ac *vecors, crudelis, furioſus*: ex quo apertè vides continenti adaptatum id, quod proprium fuit Sacerdotum in eo contentorum. Templum videlicet reſonatum poſuit pro Sacerdotibus furioſo illo ritu templum ipſum reſonantibus. Quarè Veſaniam concentuum eſſe intelliges non Delubri.

GEMVNT. Gemere eſt *præ anguſtia in gemitum, mæſtum nempè ſonum, erumpere*. Et, quia, vt plurimum templa vocibus pſallentium reſonant, ideò, quia mæſtæ, ac terribiles Corybantum voces templi ſtructuram feriebant, & quaſi amariſſimis opprimebant anguſtijs, mæſtos, terribileſq; ſonos Delubra ipſa reddebant, iuxta accepti, ac reuerberati ſoni qualitatem. Ideò *Gemunt*, hoc eſt *mæſtum reboant*.

CONCENTV MISTO. Concentus propriè Harmonia eſt ex diuerſis reſultans vocibus. Hic tamen *concentus* pro eodem ſumitur, ac collatus cantus mæſtis, diſſonis, ac furialibus inſonans modulis, ex quo fit, vt delubra gemant. *Miſtus* autem dicitur à verbo *Miſceo*; nam, cum diuerſæ voces ad concentum efformandum concurrant, miſcentur, & concentum ex varijs mixtum efficiunt. Inſuper vocibus Corybantum addebantur Siſtra, Tympana, Tybiæ, cornua, & alia conſimilis generis crepitacula, quare ex confuſo omnium ſonitu mixtio horribilis componebatur.

IDE BACCHATVR &c. Furialibus adeò clangoribus furere Corybantes hic innuit, in ſacris, vt mons ipſe, Echo inſonans, agi videatur in furias, & Luporum vlulatus imitari; ex quo magis reſultat, quam inconditæ eſſent ſacrificantium voces, dum vlulatibus aſſimilantur, & vlulatuum ad inſtar ab ipſo redduntur monte; vt videas, quam iure terribilitatem ijs adaptauerit.

IDE. Mons ille eſt, in quo templum Cybeles conſtitutum vidimus ſupra.

BACCHATVR. *Bacchari* pro eodem ſumitur, ac *furere*, & *inſanire*; quod monti tribuitur per ethopeiam, & hyperbolem; attenta montium natura voces Echo reddentium, ita vt videantur mores eorum induere, qui primò voces emittunt. Vel dicas cum Parrhaſ. verbum hic paſſiuè vſurpari, iuxta acceptionem eiuſdem apud Virg. Æn. 3.

Linquimus Ortygiæ portum, pelagoq; volamus,
Bacchatamq; iugis Naxon, viridemq; Donyſam.

hoc eſt *à fanaticis per furorem quaſſitus &c.* ſed grandiùs, vt vides, aſſurgit, in prima noſtra expoſitione.

VLVLATIBVS. Indicatas hic putat Parrhaſ. veras Luporum voces, quos ipſe ex Homero in Hymnis aſſerit Currui Cybeles adiectos comites. Non renuo. Sed meliùs, arbitratu meo, ſubdit idem Parrhaſ. intelligi poſſe de vocibus Sacerdotum Luporum vlulatus imitantibus; nam & Claud. hoc ipſum voluiſſe, teſtatur Carmen lib. 2. de raptu exaratum.

Sed tu ſanguineis vlulantia Dindyma Gallis.

& Lucanus Pharſal. 1. conſonat, dum inquit:

Cri-

. . . . *Crinesq; rotantes.*
Sanguinei populis vlularunt triſtia Galli.

Eſt itaq; vlulatus nomen deductum à verbo *vlulo*, quod propriè ſignificat *mæſtum, atque incomditum ſonum, vehementi voce, edere, more Luporum*. Quarè *vlulatus* idem erit, ac *vehemens, & inconditus clamor*, qui à Corybantibus expreſſus, ac monti impreſſus, ab ipſo monte reuerberatur, ac repercutitur ita, vt mons ipſe videatur in Corybantem erigi, ac eorum exagitatus furore debacchari. Ex quo videas, quam verum ſit, quod ſupra aſſerebamus, nempe Cybelem inconditis clamoribus, ac fremitu delectari.

GARGARA. Nominatiuus pluralis numeri eſt à ſingulari heteroclito *Gargarus*. Eſt autem vertex Idæ montis, qua ad Myſiam vergit tanta frugum vbertate affluens, vt, quoties infinitum alicuius rei numerum denotare velimus, Gargarorum frugibus comparemus. Habent itaq; & Gargara Syluas ſuas, quibus, quia Deos ſuos, Syluanos ſcilicet, attribuerunt antiqui, nil mirum, ſi & his ſenſum præbeat Vates, & motum monti inclinandi, & motum Syluis timiditatis aptans, dum dicit: *Gargara*

INCLINANT. *Inclinare* enim propriè eſt *inflectere* in contrariam ab impellente timore partem; quaſi refugiendo ab eo, qui terrorem incutit. Inſinuat igitur Poeta, tantum terroris ab vlulatibus Corybantum monti incuti, vt Syluas inclinans eas aſportare velle videatur, quam poteſt, longè à terroribus incuſſis. Ex quo adnotare licet magnam in hoc loco Hyperbolicæ dictionis efficaciam. Dici etiam poſſet Vates fabuloſam ſecutus hiſtoriam, nam ferunt aliqui Idæ arbores terrore, ac tremore correptas aſſurgere Gallis in Ida debacchantibus, in ſignum videlicet obſequij, eo pacto quo Tyranno aſſurgunt obſequentes, qui tyrannidem metuentes obſequio placare ſtudent. Ideò *Gargara inclinant*

SYLVAS. Sylua nomen genericum eſt, arborum non ſolum, ſed etiam herbarum, ac fruticum coaceruatam, ſuccreſcentemque, vno in loco, multitudinem ſignificans; atq; hic præſertim in hac ſignificatione vſurpatur. Dixit autem *Syluas*, non *Syluam*. vt innueret, nullis Syluarum ſpeciebus montem illum caruiſſe, in quo rerum omnium degeret procreatrix.

TIMIDAS. Hoc eſt *timore perculſas, pauore conſternatas, anxiculoſas, tremebundaſq;* ex audito Thyaſum ſtrepitu, ex reſonantibus vndiq; ſtridoribus, clangoribuſque, rupibus ipſis, nedum arbuſtis terrorem incutientibus. Sicut itaq; ex improuiſo aliquo pauore, concuſſus aliquis, maxime ſi pauor ex audito ſtrepitu proueniat, ſe ipſum inclinare, ſpontaneo quodam naturæ aſſolet motu, & ſe in ſe ipſum quaſi exinanire, & reſtringere, ſeù contorquere: Sic eumdem Vates motum perterrefactis attribuit Syluis, dum eaſdem inclinantes indicat Culmos. Quod ſi tot terrores ex Deæ templo promanantes non videantur diuinitati eiuſdem conſentanei, cum tamen ex dictis his ipſis Dea delectetur; explicari poterit Poetæ textus in ſenſu reuerentiali, ita vt oſtendat, tantam Deæ adhibitam reuerentiam, vt ipſæ montis rupes, audito ex vlulatibus, ac clangoribus ſacrorum ſigno, Syluas in obſequium inclinent; ſicuti nos, auditis tormenti ænei bombis, quibus ſacroſanctum Altaris Sacramentum eleuari, in ſacrificio ſolemni admonemur, & intrinſeco quodam, ſed dulci tamen, terrore perfundimur, & in obſequij ſignum caput aperire, ac genua flectere ſolemus. Vtrunq; ſenſum ad Poetæ eruditionem pertinere equidem non dubitauerim; Sed primus tamen magis Deæ conſonat auſteritati, quæ ideò Cybele dicta fuerit, vt Feſtus ait, quia in furorem homines ageret, & de quo hoc vnum dictum ſufficiat, nempè crudelis eam Saturni vxorem creditam fuiſſe, vt nos diximus ad Carm. *Turrigeramq; petit Cybelem &c.*

POSTQVAM VISA CERES &c. Enumerat hic adiuncta omnia, quibus terribiles thyaſi redderentur, & quæ in peracta deſcriptione reticuerat, ne longior, quam par eſſet, euaderet, ac ne, quæ dixerat ſemel, repetere cum ſthomaco cogeretur. Dum itaque per remotionem enumerat buxos, æra, tympana &c. certè voluit, nos intelligere, ea omnia concurriſſe ad terribilitatem concentuum, atque incluſa in illo fuiſſe quod dixerat: *Vеſanaq; miſto concentu delubra gemunt*; ex his enim omnibus, quæ nunc remouet, concertum reſultaſſe certum eſt; non enim remouerentur, niſi adfuerint. Omnia autem Cereris aduentu, quaſi caduceatore, pacata, ac placida tranquillitate compoſita oſtendit. Ideò aptè,

POSTQVAM: Connexiua enim particula hæc eſt, qua dicta ſequentibus connectuntur, & ſucceſſiuam immediationem temporis ſignificat; idem enim eſt *poſtquam*, ac *ſimul atque*. Hac autem particula vtitur Vates, & vt aptum faceret ad contraria tranſitum; & vt oſtenderet, nullam temporis datam interpolationem inter viſam Cererem, & ceſſationem a luctuoſa terribilitate concentuum Cybeles templa perſonantium.

VISA. Subintellige *fuit*. Viſa autem à videor paſſiuo, idem eſt, ac *conſpecta*, ſeù *oculis percepta*: ex quo magis adhuc oſtenditur immediatio mutationis horrorum in lætitias, cum primo Cereris aſpectu omnia mutata ſignificentur, & in gaudium verſa.

CERES. Nominatim cauſam ſignat mutationis, ne in ambiguo remaneat, num hæc mutatio ab illa viſa præcisè, an verò ex viſione alicuius alterius portenti, puta Draconum volantium, vel frugum iter comitantium &c. procederet. Et quidem quid Matris exhillat pectus, niſi dilectæ filiæ aſpectus? Dulcia maternorum viſcerum pignora tota ſibi Genitricis vindicant gaudia, ac multo magis, cum præter expectationem occurrunt oculis, vt hic Ceres Cybeli occurrit matri.

TYMPANA. Tympanum inſtrumentum eſt ex vna ſaltem parte planum, membrana clauſum, intus vacuum, quod baculis pulſatur, cuiuſmodi in vſu eſſe videmus paſſim in peditum cohortibus, quæ nunquam ſine tympano in aciem procedunt. Scio ab aliquibus Tympanum pro Cymbalo, nec immeritò, vſurpari; & ideò fortaſſis Parrhaſ. vt ad vtrumq; alluderet, inquit, Tympanum digitis, vel bacillis pulſari. Arbitror tamen intelligendum hunc locum de Tympano militari, tum ex ſono mugitui comparato; tum quia Cybeles Miniſtri militari more digladiabantur: licet non negauerim, & Cymbali vſum in iiſdem ſacris adfuiſſe, cum aſſerat Lucretius

Tympana tenta ſonant palmis & Cymbala circum
Concaua &c.

Porrò Tympana, & Tybias ex buxo confectas, ad quorum ſonitum digladiarentur, ſed quaſi vmbratili concertatione, Cybeles miniſtri; eo pacto, quo & hodie aliquæ, præſertim Germanorum militum, cohortes eorumdem inſtrumentorum ſonitu ducuntur: videtur innuiſſe Virg. Æn. 9. dum ore inſultantis Remuli hæc Teucris exprobrat.

Tympana vos, buxuſq; vocat Berecynthia Matris
Idææ: Sinite arma viris, & cedite ferro.

teſtatur & illud de Tympano, & Cymbalo, Orphœi ex Græco ſic translatum in Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 5.

Tympana quam mulcent, tinnituſq; æris acuti.

nam Cymbalis crepitacula ærea addebantur ad acutiorem ſonum concinandum adaptata. Tympanum porrò Cybeli attributum arbitror, quia, cum hæc *terra* ſit, cultores ſuos exigit laboribus afflictos, ſolibus exſiccatos, parceque, ac durè viuentes, vt agricolas ſere omnes eſſe videmus paſſim; nam huiuſmodi hominum hieroglyphicum eſſe tympanum reperio, quippè quod ex areſacta pelle confectum, quæ tamen prius diuturnis fuerit macerationibus afflicta.

FRÆNANT. Frænare idem eſt, ac frænum equo inijcere, eoq; eius impetum coercere: quarè, per translationem, vt hic, ſumitur pro eodem, ac *compeſcere, cohibere, detinere, & ab incæptis remorari*. Sic Æolus apud Virg. Æn. 1.

Luctantes ventos, tempeſtateſq; ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

Tympana igitur frænant mugitum; ideſt à ſonitu, in quem, terribili concertatione, erumpebant deſiſtunt, ac quieſcunt.

MVGITVM. Mugitus propriè ſignificat ſonum illum incomptum, mæſtum, ac terrificum, qui ex ore boum, taurorumq; procedit. Verum translatiuè accipitur pro quolibet graui, acerbo, ingratoq; ſono, præcipuè ad terrorem compoſito: ſic dicuntur mugire tonitrua; mugire iratum mare &c. Ad oſtendendam igitur aptam incutiendis terroribus vehementiam, acerbitatemq; illius ſoni, qui Berecynthiæ tympanis edebatur, *Mugitum*, appoſita translatione, nuncupauit illud Eſchyli, apud Strabonem, pronunciatum vſurpans, qui dum de huiuſmodi ſacris loqueretur, inquit: *mugiunt ex occulto Taurisoni mimi, grauis Tympani, ſonitus quaſi tonitruum ſubterraneum fertur.*

CONTICVERE CHORI &c. Ex indicata ſtrepentium tympanorum ceſſatione gradum facit ad ceſſationem cantus, & ſaltationis; nam propriè

CHORVS eſt multitudo canentium, atq; ſaltantium, multorum enim vocibus, & concentu conſtat, vt Seneca, & Macrob. tradunt: quarè, vnico Chori nomine, comprehendit hic Poeta Choreas, quas ſupra thyaſos appellauit, & muſicas concertationes, quas ſupra, concentuum nomine, deſignauit: Omneſque, ait,

CONTICVERE. Conticère, eſt ſimul, & vnitim, con-
dicto

dicto ſilentio, tacère: Quarè & Virg. ad exprimendum ſilentium ab omnibus vnanimiter factum, vt Æneam audirent, Æn. 2. inquit.

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant,

Hoc igitur verbo oſtendit Vates, in templo Cybeles, ſilentium vniuerſale factum ab omnibus ſimul canentibus: &, quo ad hanc partem propriam habet verbum ſignificationem: qua verò ſpectat etiam ad ceſſationem Chorearum &c. tranſlatam habet ſignificationem; nam ſicuti *tacere* eſt ita ſilentium ſeruare, vt nullus audiatur ſtrepitus vocis; ſic quidquid ſtrepitum edit ſonorum, vt ex pulſu pedum in ſaltationibus euenit, cum ab eo ceſſat, dicitur conticeſcere.

CORYBAS NON IMPVLIT ENSEM. Quæ, generali nomine, complexus fuerat, hic iterum, per reſolutiuam diſpoſitionem, in partes diuidit, vt clarius appareat, ſe & ſaltationes, & cantus ad ſonum modulatos, vnico Chori nomine, comprehendiſſe. Primam igitur partem Sacerdotibus attribuit a ſaltatione, ac furiali armorum cubratione ceſſantibus; ſecundam verò inſtrumentis, ad quorum reſonantium numeros Choreæ ducebantur. Primo itaque

CORYBAS. Corybantes videtur a Sacerdotibus Cybeles diuerſos facere Mythol. Nat Com. lib. 8. cap. 5., dum dicit Cybeli additos fuiſſe Sacerdotes, qui tympana, æraq; pulſabant; & *Corybantes, qui armis circumſtabant tacedentem*, quibus verbis indicare videtur, Corybantes Deæ potiùs, eiuſdemq; Sacerdotum cuſtodes fuiſſe, quam Sacerdotes. Verum, cum certum ſit, Cybeles Sacerdotes ſaltantes, motanteſq; capita, furentibus ſimiles in ſacrificijs agitari ſolitos, vt idem auctor ibi non inficiatur, & lib. 9. cap. 7. apertiſſimè profitetur, vbi de Curetibus; & cum pariter certum ſit, Corybantes dictos à *κορυτταίν*, quod eſt caput in ſaltando iactare, ſeù à circumrotando capite, quod Græcè *κορυβαντιᾶν* dicitur, non video cur Corybantes à Sacerdotibus diſtinguantur. Potiùs itaq. dixerim diuerſi ordinis fuiſſe huius Deæ Sacerdotes, diuerſa circa ipſam miniſteria exercentes; nam hoc ipſum teſtatur Pherecides, qui ait quinquaginta Deum Matris fuiſſe Corybantes, ex quibus duos, & triginta læuos vocat, & faſcinatores aſſerit extitiſſe. reliquos verò, quos dexteros dicit, & qui maleficia diſſoluerent; cum Pherecide autem ſenſère etiam Hellanicus, & Mnaſæus apud Parrh. hic. Potiùs ideò, inquam, dixerim Mythol. cit. loco cit. non diſtinxiſſe à Corybantibus Sacerdotes; ſed Sacerdotes à Sacerdotibus: ſeù magis diuerſa Sacerdotum munia diſtinxiſſe; cum præſertim ibi huius Deæ miniſtri indiſcriminatim ſumpti, & Curetes, & Corybantes appellati ab eodem Auctore dicantur. Maneat igitur Corybantes Sacerdotes Deum Matris fuiſſe, qui & Galli dicti ſunt, a Gallo Phrygiæ fluuio, cuius hauſtâ aquâ, in furorem agerentur adeò, vt, teſta ſibi teſtes præciderent: quandoquidem à ſolis euiratis Sacerdotibus muliebri habitu indutis hæc Dea ſe coli patiebatur, ex quo obiter apertiùs intelliges quo ſpectaret probrum Teucris inuitum a Remulo apud Virg. ſupra. Sed iam qui fuerint Corybantes aperiendum. Corybas. auctore Diodoro, Iaſonis, & Cybeles filius dicitur, ac ſimul cum Dardano ſacra Idææ Matris in Phrygiam detuliſſe, quuíe ſacris eius Deæ initiari voluiſſent Corybantas à ſe ipſo nominaſſe. Alij originem Corybantum ex diuerſo deducunt genitore; dicunt enim Corybantas eoſdem fuiſſe cum Dactylis Idæis; Dactylos autem dictos à Patre Dactylo; Idæos verò ab Idea Matre, quæ ipſos Dactylo peperiſſet. Tres apud Phoronidis auctorem leguntur, nempe *Celmes, Damnameneuſq; ingens, Acmonq; ſuperbus*; atq; ij primi dicuntur in Cypro ferrum conficere docuiſſe. Certè Strabo multa ſcribens, & varia de Curetibus, ex aliorum etiam ſententia, aſſerit eoſdem eſſe *Curetes, Corybantes, Idæos, Dactylos, Thelchines, & Cabiros*, qui ſcilicet ſacra, & Iouis in Creta, & Idææ Matris in Phrygia cum armorum tumultuoſa agitatione, cum ſtrepitu, ac cum Cymbalorum, tympanorumq; ſonitu, nec non tybijs, & vociferationibus celebraſſent. Eorum Patriam alij Cretam, alij Phrygiam, alij Eubæam, alij Ætholiam faciunt; ſed Diomedes Grammaticus

Ida mons altus in Creta.

Curetum, ſeù Corybantum originem ſic refert. *Aiunt Opim in Idam Cretenſem delatam ex fuga, cum puerperij tempus inſtaret, primam montis partem manibus apprehendiſſe, atq; ita partu ſolutam. Ex impreſſione verò palmarum, quam cautes ceceperunt, Curetas prodyſſe, quos ob effectu Græci Δάκτυλος dixerunt à digitis, nam digiti Græcè δάκτυλοι, Idæos verò à monte nominarunt; Sentiteoſdem, à pupulis oculorum, quos Græce κορὰς appellant, vel à Galearum cono, Curetas.* Celmetem de quo ſupra inter hos ipſos recenſet Raphal Regius in quartum Metam. de quo ſcripſit Ouid. ibi eum ira Iouis (cui tamen olim cariſſimus fuerit) in Adamantem conuerſum, licet cauſæ non meminerit.

Te quoq; nunc adamas, quondam fidiſſimè paruo
Celme Ioui &c.

Sophocles verò in Satyris ſcribit eum à Cybele indignatâ in duriſſimum ferri genus tranſmutatum. Sed hoc nihil ad inſtitutum, ideò quidquid ſit de tali tranſmutatione, Primi Deorum Matri ſacris addicti Corybantes, auctoritate Strabonis, & Diomedis, à quibus cæteri ijſdem ſacris initiati nomen deduxerunt, Cretenſes fuere, illi ijdem ſcilicet, qui Iouem à Saturni voracitate ſubductum vigili cuſtodia circumſepſerunt, atq; Æneis crepitaculis inſonantes eiuſdem infantis vagitus oppreſſerunt, ne ijs auditis Saturnus, conquiſitum filium reperiret, ac deuoraret. Controuertitur autem, ex eorum furore occaſione data, num verè Corybantes homines fuerint, an Dæmones. Heccatæus Mileſius apud Mythol. cit. lib. 9. cap. 7. Saltatores, ac Luſores Deos appellauit: Menodorus Samius, ſub Curetum nomine, æreis ſcutis armatos Deos adfuiſſe dixit. At Heraclides Ponticus, non Deos, ſed homines putauit eſſe, qui primi omnium mortalium ærea arma induerint, in Eubæa Inſula Iouem enutrierint, ac cum eo poſtea militantes, eumdem paternum induxerint in regnum. Pauſidippus Idæos Dactulos dictos fuiſſe cenſet, ex eo, quod in Ida Cretenſi, de qua ſupra, Rheæ obuij digitos eius attigerint, dum eam complecterentur: Præſtigiatores fuiſſe, metallorumq; omnium conformandorum artifices autumat Phoronidis auctor apud Mythol. cit. Quarè nil mirum ſi dæmones crediti fuerint.

NON IMPVLIT ENSEM. Indicat hic Vates ritum, quem Corybantes ſeruarent, in ſacris peragendis; nam, præterquam quod caput ſaltantes rotabant, enſibus etiam diſtrictis, inter ſaltandum, ærea ſcuta harmonicè percutiebant, eoſdemq; memorant Bacchico affectos ſpiritu, tumultuoſa armorum inter ſe agitatione debacchari ſolitos, ſtrepituque, fragore, Cymbalis, Tympanis, Tybijs, vociferatione, in ſacris, vti conſueuiſſe, vt præſentes perterrefacerent, Deæque reuerentiâ complerent, ac metu. Quæ omnia pulchrè expreſſit Lucretius lib. 2., vbi ſub Curetum nomine eos deſignat, dum inquit:

Hic armata manus (Curetas nomine Graij
Quos memorant Phrygios) inter ſe fortè cateruæ
Ludunt, in numerumq; exultant, ſanguine læti,
Terrificas capitum quatientes Numine criſtas.
Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultaſſe feruntur,
Cum Pueri circum Puerum pernice chorea
Armati in numerum pulſarunt æribus æra.

Inſuper Aurelius Prudentius notat Corybantas non ſolum præcitata concuſſione armorum vti ſolitos, ſed etiam brachia ferire ſua, ac ſanguineos inde riuos extrahere; dum cecinit: *Cultrum in lacertos exerit Fanaticus*
Sectiſq; Matrem brachijs placat Deum,

quod ipſum innuiſſe videtur Lucretius ſupra cit. dum ait: *Sanguine læti*. Finem autem huius furentis inſaniæ iuxta à nobis iam aſſignatum aſſignat idem Lucretius, dum inquit:

Teloq; præportant violenti ſigna furoris
Ingratos animos, atq; impia pectora vulgi
Conterrere metu quæ poſſint Numine Diuæ.

Et confirmatur prædicta Brachiorum vulneratio ex Statio Theb. 1. vbi hæc cecinit:

Sic Phrygia terrificos genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis conſumptaq; brachia ferro
Scire vetat &c.

vt igitur Auctor noller hæc omnia obiter innueret, ſe ſe breui manu expediens, inquit:

Corybas non impulit enſem.

Non etenim dictio negatiua eſt, quæ poſitiuum ſubſequens omninò tollit; nam per Phyloſ. Negatio eſt malignantis naturæ, & negat quidquid inuenit poſt ſe. Ideò *non impulit*. Impellere verò eſt *pellere in*: quarè ſi, reſpectus habeatur ad armorum concuſſionem, ſenſus erit: *non pellit in ſcuta enſem concutiens*: ſi reſpectus habeatur ad inciſionem brachiorum, ſenſus erit: *non pellit in vulnera*; nam ex his omnibus ceſſauit viſa Cerere Corybas. *Non impulit enſem*. Porrò enſis notiſſimum gladij genus eſt, ideò non addo. Tantum nota Poetam ſingulari numero pro plurali vſum in omnibus vt aptè reſponderent vltima primis.

NON BVXIS &c. Prima ſaltantium ſcilicet, ac canentium parte ad ſilentium compoſita, ſecundum, ex ſonoris conſtantem inſtrumentis, aggreditur, eamdemq; docet non ſecius conticuiſſe. De particulam *Non* ſatis dictum ſupra, Iam quid

BVXVS. Arbor exigua hæc eſt, ſemper virens, ſemen ex ſe, ſeù granum, omnibus animalibus inuiſum, producens. Lignum durum eſt adeò, vt cariem non ſentiat, & ponderoſum adeò, vt aquis nunquam ſupernatet. Notiſſima vtiq; arbor eſt, nam vix vllum magni nominis viridarium inuenies, vbi buxo non diſtinguantur inter areolas ſemitæ ad deambulationem ſtratæ. Ex buxo laudatiſſimæ conficiebantur Tybiæ, inſtrumenta videlicet oblonga, tornatili opere intus excauata, foris perpolita, ac, ductis in lineam foraminibus, ex vna parte terebrata, & alterâ vnico contentâ foramine, vt digitis alternatim prædicta foramina vel aperientibus, vel claudentibus, modò acutus, modò remiſſus, modò circumflexus exeat ſonus, flatibus Inſufflantis excitatus: vulgò *Piffari*, ſeù *Flauti*. Adeò autem frequens erat Tybiarum vſus in ſacris, vt Tybia pro ſacræ rei ſigno poneretur ab antiquis; ex quo ſubindè inoleuit tritum illud prouerbium, de ceſſantibus à re ſacra decantatum, eos ſcilicet Tybicinem expectare, nam hoc nomine Tybiam inflans deſignabatur, ſicuti Tubicen qui tuba caneret dicebatur, nomine ab inſtrumentis deducto. Has Tybias in magnæ Deæ ſacrificijs adhiberi ſolitas ſuperiùs innuimus aſſertionem ex Virg. comprobantes: ſed & Lucretius.

Et phrygio ſtimulat numero caua Tybia mentes.

Ponit igitur Auctor hic materiam pro re ſignata, nempè *buxum* pro *Tybia* ex buxo confici ſolita. Inſuper Tybiam ponit pro quocumq; genere inſtrumentorum, quæ oris ſpiritu animentur in ſonum. Inuenio enim, non ſolam Tybiam ex buxo, ſed etiam recurua cornua in Cybelis ſacrificijs adhibita, vt Ouid. 1. de Ponto ait:

Ante Deum matrem cornu Tybicen adunco
Cum canit exiguæ quis ſtipis æra neget?

NON ÆRA SONANT. Hoc eſt *illiſi enſes* interpretatur Barth., quam bene viderit ipſe: cum enim ſupra dixerit Vates *non tinnulos enſem*, nonne hic idem repeteret per idem, ſi per æra ſonantia *illiſi enſes* ſignificarentur? Æs itaq; pariter hic ponitur pro inſtrumentis ex ære factis, puta pro tubis, ſiſtris, crotalis, & cæteris huiuſmodi, quibus vſos fuiſſe (præſertim de ſiſtris loquendo) Cybeles miniſtros clarè cecinit Ouid. cit.

Et quis ita audax qui limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula ſiſtra manu.

Magnæ enim ibi matris Sacerdotes emendicantes deſcripſit Ouid. Igitur *Non æra ſonant*; nam vt ceſſarent choreæ, & cantus, neceſſe fuerat, vt etiam inſtrumenta muſica ab edendis ceſſarent ſonis, ne Sacerdotes viderentur, inuita Dea, ab inceptis deſiſtere, ſi ſigna in ſacris proſequendi proſequerentur adhuc; ſed potiùs ceſſantes viderentur, iterum Tybicines expectare. Præcipuè verò æra ſilere debuerunt, nam ea maximè apta ad concitandum eorum furores quo dæmones credebantur, cum ſono æris ineſſe voces dæmonum opinarentur antiqui, vt notat eruditè Barth. quarè ijs non ceſſantibus, nec ceſſare debuiſſent, aut potuiſſent Corybantes Dæmoniaco propemodum furore acti in orbem currentes, ac ferro ſonora arma quatientes in oſtentationem furoris.

BLANDIQVE LEONES &c. Nunquam ſine Leonibus Cybeles, quippè qui illi maximè cordi ſint, vt teſtatur Virg. Æn. 10.

Alma Parens Idæa Deûm, cui Dyndima cordi,
Turrigeræq; vrbes, bijugiq; ad fræna Leones.

cur autem adeò cordi huic Deæ Leones ſint, vt nunquam ſine illis certatur dix. ad Carm. *Turrigeramq; petit Cybelem.* Sed & vlterior ratio fortaſſis ea eſt, quam inſinuat Diodorus Siculus, relatus à Pier. Hierogl. lib. 1., quia ſcilicet à Leonibus educata, & enutrita fuerit Cybeles, quam etiam rationem eſſe, dixit, cur Leones huius Deæ currum trahere dicantur, ex communiſſima omnium ſententia, & præcipuè Græcorum, de quibus hæc Lucretius lib. 3.

Quarè magna Deum Mater, materq; ferarum,
Et noſtri genitrix, hæc dicta eſt corporis vna,
Hanc veteres Graium docti cecinere Poetæ
Sedibus in curru bijugos agitare Leones.

Ad hæc itaq; reſpiciens Poeta blandos effici Cybeles Leones, viſa Cerere, aſſeuerat, vt ex hoc conſequenti intelligamus antecedens, nempè Leones ipſos, dum cætera omnia in furorem verterentur, furialibus ſtimulis non caruiſſe, vt morem gererent domatrici.

ET BLANDI. Particula *&*, nam *que* pro *&* ponitur, certè copulatiua antecedentium, cum conſequentibus eſt, ſed inſuper tranſitum præbet facilem à diſparato ad diſparatum quo ad eſſentiam, licet quo ad paſſiones ſimile, nempè ab hominibus ad feras quieſcentes, in quo pulcherimam licet aduertere gradationem. Ideò *Blandi*. Nota autem hic efficaciam huius epiteti; nam licet *Blandus*, ſilato modo ſumatur, idem ſit, ac *mitis*, pacatus, *excuſſoq; terrore*, *quietus* attamen, ſi rigoroſè perpendatur, *Blandus* verè dicitur, qui ad blanditias alicui tribuendas componitur. Quarè non video, cur Heinſius legi hoc loco voluerit *Blandoſq; Leones ſubmiſere Iubas*, potiùs quam cum vulgata *Blandiq; leones* nam certè adblandiri animalium fuit non Iubarum: cum ſemper actiones ſint ſuppoſitorum. Blandi igitur facti dicuntur Leones, vt oſtendantur non ſolum ſuperingeſtam ab extrinſeco terribilitatem, aut, quod magis eſt, naturalem ipſam ferocitatem depoſuiſſe; ſed inſuper internis adeò gaudijs exultaſſe, ex Cereris aduentu, vt, quaſi in ſignum grati animi, pro viribus geſtientes, ita oculorum aciem, Iubarum ventillationes, totiuſq; corporis habitudines compoſuiſſe, vt viderentur, Cereri, ſuo modo, adblandiri velle. Ex quo videtur quam mirè, & quam multa expreſſerit vno verbo Claud.

LEONES. Leo ferox adeò, immite, ac terrificum animal eſt, vt in ſymbolum terroris eum erexerint Ægyptij apud Pier. Hierogl. 1.; ſed vno eodemq; tempore Generoſiſſimum animalium eſt, atq; adeò proſtratos, ſupplicesq; offendere, erubeſcit. Venerabunda ad Cybelem accellerat Ceres, non hoſtis; quarè, ſpectata Leonum natura, nil mirum, ſi, ferocitate depoſita, ad blanditias componantur. Illud quidem mirum eſt, quod, ſpectatâ eâdem Leonum natura perpendi poteſt; nam dicitur Leo rotarum circumuolutiones, ſecreto quodam, ſed vehementiſſimo naturæ inſtinctu, perhorreſcere, & ab ijs in fugam conuerti. Quomodo igitur Leones Cererem, quæ volucri rotarum curſu veheretur, non perhorreſcant? Prodigij loco hoc poteſt haberi; ſed aptè prodigium iſtud inſeritur, vt denotentur feræ in obſequium Deæ ſuæ, cuius filia Ceres eſſet, naturam ipſam depoſuiſſe, materno afflatæ ſpiritu. *Ideò blandi Leones*

SVBMISERE IVBAS. Erectio iubarum in Leone ſignum eſt efferueſcentis iracundiæ: quarè Virg. Æn. 12., Turnum efferato leoni aſſimilans, Leonem excutientem, ventilantemq; *thoros*, qui idem, ac *Iubæ* ſunt, commemorat his verbis:

Attolliq; animos Pœnorum qualis in arruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus
Tum demum mouet arma Leo, gaudetq; comantes
Excutiens ceruice thoros &c.

Igitur è contrario Iubarum demiſſio ſignum in Leone pacati, ac ſereni animi erit. Dum itaq; Poeta inſinuat, Leones ſubmiſiſſe Iubas, per neceſſarium antecedens, denotat, eas prius erectas ex furoris concitatione geſtaſſe; non enim demitti potes, quod priùs erectum non fuerit, & euibratum, vel in ſuperbiæ, vel in furoris monimentum. Submiſere igitur Iubas. Submittere in duplici (quod ad rem præſentem ſpectat) ſignificatione vſurpatum inuenio. Primò enim idem eſt, ac *inflectere*, *demittere*, ac *terram verſus inclinare*: vulgò *abbaſſare*. Secundo idem eſt, ac *ſubijcere*, *ſubdere*, ac *alteri*, *in obſequij ſignum ſubordinare*: vulgò *ſottomettere*. Vtramque ſignificationem complectitur Vates hic; nam, vt oſtendat irarum ceſſationem, Leones deſcribit iubas ad terram demittentes; ſed vt gradatim eodem verbo à ceſſatione à furoribus, ad obſequium procedat, blanditiaſque, quas ſupra innuerat, exprimendas, Leones innuit iubas, Cereri ſubijcientes, declinaſſe; ita vt idem ſit, ac ſi dixiſſet: *miſere ſub pedibus Cereris*, in ſtratum quaſi efformatas Iubas, vnicum videlicet Leonis decoramentum. *Iubæ* enim ſunt Crines illi, qui è collo animalium ad terram protenduntur, quibus Leones præcipuè conſpicui ſunt; ſi de maribus loquamur, nam fœmina vel nullas, vel breues admodum comas è collo emittit. Quarè, dum Iubas ſubmittere leones dicuntur, caput ipſum, colla, q; & armos inclinaſſe ad obſequium dicendi procul dubio ſunt. Qui nam verò fuerint hi Leones habebis lib. 3. ad Carm.

Verberat Idæos torma cum matre Leones.

ADYTIS GAVISA CYBELLE &c. Si omnia in gaudium verſa, ad aſpectum Cereris, eliminatis mæroribus exultarunt, certè multo magis eiuſdem Cereris Mater, cuius gaudijs ſubditorum, ac famulantium gaudia præludebant. Ideò Poeta ſummum hoc Matris gaudium ad vltimam gradationis ſepoſuit exprimendum, vt ſemper creſceret Oratio. Hic igitur & lætitiam Cybeles, & lætitiæ effectus, ad naturam appoſitè deſcribit.

CYBELLE. Quænam hæc ſit ſatis ſuperq; diximus ad Carm. *Turrigeramq; petit Cybellem &c.* Hic tantum nota, nos *Cybelle* cum Parthaſ., Heinſio, & alijs, non *Cybble* cum vulgata

gata ſcripſiſſe, quia non arbitror hic nomen Deæ per ectaſim, in penultima extendi metri gratia, nec litteram *l* gemmamus neceſſitatis ergò, vt longa fiat ſyllaba alioquin breuis; ſed putamus nomen *Cybelle*, hoc loco, ſeù vt alij legunt cum Piſandro *Cybellis*, non eſſe nomen proprium, ſed Patrium deductum à Cybella Phrygię olim Vrbe, ſeù à Cybello, loco videlicet eiuſdem vrbis in quo Cybeles eximiè colebatur, & à quo dicta *Cybellis*, ſeù *Cybelle* ipſa Deum mater fuerit, quæ alioquin *Cybele* proprio nomine à rotando diceretur, vt dix. ad Carm. cit. Quod ſi per Ectaſim extendenda eſſet ſyllaba, rectiùs adhuc omitteretur geminatio litteræ *l*, quam haberetur, vt notat Rizzolius vbi de Ectaſi in prima ſuæ Proſodiæ reformatæ parte: quod innuere volui vt noueris, non geminatum metri gratia, ſed ſpectata deriuatione de qua ſupra.

GAVISA, à Gaudeo, idem, hoc loco, eſt, ac *lætata*; licet enim aliqui diſtinguant inter verbum *Gaudeo*, & verbum *Lætor*, per hoc, quod *Gaudere* ſignificet animum intrinſecè exhilarari, nullo erumpente in extrinſecum ſigno; vbi vice verſa lætor tantam importet Gaudij redundantiam, vt ad extra profluat; tamen hic pro eodem à Poeta vſurpatum patet, cum & addiderit extrinſeca ſigna in quæ Gaudium Cybellis eruperit, nam cum allata diſtinctio ſit purè accidentalis, non variat eſſentialem verborum ſignificationem, atq; adeò poſſunt promiſcuè adhiberi.

EXILIT. Exilire eſt ex aliqua vehementi commotione, repentino impetu ſe ipſum excutere, &, quaſi celeri ſaltu, ex loco ad locum properare. Hoc autem verbo denotat Poeta effectum repentinæ exultationis, quam ex inſperato Cereris aduentu perceperit Cybele, nam, ſaliente præ lætitia corde, non potuit, quin grauitatis, ac maieſtatis, qua ſacra excipiebat, oblita corpore etiam ipſo geſtiens exiliret, in occurſum videlicet properans Cereris. Et nota hoc loco ſubtiliſſimum Vatis acumen, quo præſentis temporis hic voce vtitur, licet vox *Gauiſa*, quæ præteriti temporis eſt, præteriti etiam verbi vocem in ſubſequentibus videretur exigere, ac eo magis, quod etiam leonum ſubmiſſiones per præteritum explicuerat *ſubmiſère Iubas*; Præſenti enim vtitur, vt, nulla interpoſita mora, ſed ſimultaneè hos affectus, & effectus erupiſſe oſtentaret; præſens enim, & ſimultaneus Gaudio fuit effectus exiliendi.

ADYTIS. Notat locum, ex quo aſſurgens Cybele obuia Cereri facta eſt; *Adytum* locus erat ſecretior templi, ad quem nulli aditus, niſi ſoli patebat Sacerdoti: dictum eſt autem *adytum* ab *a* priuatiua, & *δύω*, quod eſt ingredior. Hæc loca in ſacris litteris Sancta Sanctorum appellata ſunt ſoli peruia Sacerdoti. Adytum verò locum fuiſſe templi ſecretiorem, ac quaſi ab ipſo templo ſeiunctum, licet pars eſſet eiuſdem templi, patet ex Virg. Æn. 1., vbi illud à templo ſic diſtinguit:

Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo
Crinibus à templo Caſſandra, Adytiſq; Mineruæ.

immò & in more poſitum fuiſſe, vt, aperto templo, adhuc adytum clauſum remaneret apertè notat Æn. 3. ſic:

Vix ea fatus eram; tremere omnia viſa repente,
Liminaque, Lauruſq; Dei, totuſq; moueri
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.

certè enim Æneas, qui hæc narrans loquitur hic, antequam adytum recluderetur, in templo erat Apollinis, vna cum Anio Rege ſimul, ac Sacerdote eiuſdem templi; nam in præcedentibus narrationem contexens ibi dixerat:

Iungimus hoſpitio dextras tectumq; ſubimus.
Templa Dei, ſaxo, venerabar, ſtructa vetuſto:
Da propriam Tymbræe domum &c.

quod ſatis apertè indicat Æneam in templo fuiſſe, & preces iam immò ſuas expoſuiſſe, cum Adytis recluſis Oraculum excepit. Ex quo etiam patet ex Adytis oracula reddi ſolita, vt etiam habetur ex Æn. 2.

Suſpenſi Eurypilum, ſciſcitatum oracula Phœbi,
Mittimus; Iſque adytis hæc triſtia dicta reportat.

ex interiore igitur templi loco, in quo Cybeles aſſeruabatur, vt ſacratior, ac venerabilior redderetur. ex loco, inquam, vnde oracula proferebat; & in quo conſequenter ſumma eius elucebat, vigebatq; maieſtas, exilit, quaſi immemor, vt dicebam, maieſtatis, & quaſi facto comprobans ſuo, quod poſtea in effatum ſic cecidit:

Non bene conueniunt, neq; in vna ſede morantur
Maieſtas & Amor.

ET PRONAS INTENDIT AD OSCVLA TVRRES. Moribus hic obſequitur fœmineis; nam nihil actum exiſtimant fœminæ, ni oſcula inuicem miſceant, vel cum vel conueniunt, vel cum ab inuicem diſcedunt. Eodem tempore vehementiſſimum Cybeles amorem oſtendit, nam oſculum maximum eſſe pignus dicitur amoris, eo quod, ſi Amantis anima magis eſt vbi amat, quam vbi animat, vt aie ille amatorij peritus deliquij, per oſculum, inquit Plato apud Gellium Anima in alienum quaſi tranſmigrat corpus. Quarè vides quam altè emicet Cybeles in filiam amor, dum primo in oſcula effunditur impetu.

INTENDIT. *Intendere* eſt *vehementer tendere*; & propriè de arcu dicitur, qui neruo intenditur ad euibrandas ſagittas. Verum, quia arcus, dum intenditur, curuatur, hic translatè *intendo* ponitur pro *incuruo*, ſeù *inflecto*, quo verbo implicitè oſtenditur Cybele magni, ac vaſti corporis fuiſſe, vt profectò eam decebat, quæ turres in Diademate geſtaret; vno verbo, vt terram, quæ & Cybele eſt, eſſe decuit. Hinc, vt oſcula figeret natæ procul dubio caput illi erat inclinandum, ideoq; & turres, quas gerebat in capite fuerant inflectendæ. Quod ſi gigantæum hoc corpus Cybeli tradere, vt tamen æquum eſt, non libeat, dicas, verbum illud *Intendit* ſumptum à Poeta fuiſſe in propriſſima ſignificatione, prout ſcilicet idem eſt, ac *magis erigere*; nam qui oſculum alteri infigit, dum os ori applicare ſtudet, certè vultum exporrigere debet; experrecto autem vultu incedens occiput in dorſum aliquali inflexione declinat, ex quo fit vt tempora, circa quæ corona circumflectitur, rectiùs in altum erigantur, atq; ideò rectiori linea, & turres pro diademate impoſitæ erigentur. Vel tandem dixeris, verbum *intendere* ſumptum pro eo, quod eſt *in altum vehementi deſiderio dirigere*; in quo ſenſu dicta eſt Cybele intendere ad oſcula turres, poſito ſigno pro re ſignata, & idem fuit, ac ſi dixiſſet, Cybelem turribus coronatum caput ad oſcula dirigit, dum ipſa toto deſiderio eadem accelerat, Hos omnes ſenſus reſpexiſſe Poetam non ambigo, vt omnimodè explicaret geſtum in oſcula, amplexumq; feſtinantis.

PRONAS TVRRES. Hoc Epitetum *Pronas* ſi rigorosè accipiatur, maximè roborat primam, quam verbo *intendit* attribuimus explicationem; nam Pronus propriè idem eſt, ac *in anteriorem partem flexus*, ex quo reſultat verbum *intendit* ſumendum pro *inflectit*. Verum in latiori ſignificatione Pronus ponitur etiam pro eodem, ac *diſpoſitus*, ſeù promptus, & ſic cæteris congruet expoſitionibus. *Turres* quid ſint iam notum, & de corona ex turribus compoſita iam latis dix. ad Carm.

Turrigeramque petit Cybelem &c.

AD OSCVLA. Metam ſignat, ad quam Cybele coronatum turribus dirigat caput. De particula *ad* dictum alibi, & in re nota iam verſamur. Oſcula pariter quid ſint ſatis ſuperq; notum. Quarè tantum meminerim *oſculum* dici quaſi *os paruum*, quia oſculantes ora reſtringunt, & parua efficiunt, vt vnita virtute ſuauiùs oſculentur.

Placet hic referre non diſſimilem horroris in delicias conuerſi deſcriptionem, quam habet Hetruſcorum Princeps Poetarum, qui cum Hieroſol. liber. Cantu 13. Syluam, ab Iſmeno præſtigijs refertam, horrores ſpirantem deſcripſiſſet his verbis:

Eſce all' hor dalla ſelua vn ſuon repente,
Che par rimbombo di terren che treme;
E'l mormorar de gl' Auſtri in lui ſi ſente,
E'l pianto d' onda, che frà ſcogli geme:
Come ruggia il Leon, ſiſchia il ſerpente,
Com' vrla, il lupo, e come l'orſo freme,
V'odi, e v'odi le trombe, e v'odi il tuono
Tanti, e sì fatti ſuoni vſprime vn ſuono.

ac inferiùs eoſdem adaugens terrores addidiſſet.

E già calcato haurebbe il ſuol difeſo;
Mà gli s'oppoſe, ò pargli, vn fuoco acceſo.
Creſce il gran fuoco, e'n forma d'alte mura
Stende le fiamme torbide, e fumanti;
E ne cinge quel boſco, e l'aſſecura,
Ch' altri gl' arbori ſuoi non tronchi, ò ſchianti.
Le maggiori ſue fiamme hanno figura
Di Caſtello ſuperbo, e torreggianti;
E di ſtromenti bellici hà munite
Le rocche ſue queſta nouella Dite.
O' quanti appaion moſtri armati in guarda
De gl' alti merli, e in che terribil faccia! &c.

cum inquam tot terroribus confertam ſyluam deſcripſiſſet, eamdem ſubindè Cantu 18. ad lætitias compoſitam, ac ferè adblandientem, viſo Rinaldo, ad illam procedente, ſic deſcribit:

Era là giunto, ou' i non forti arreſta

Sole

Solo il terror, che di ſua viſta ſpira;
Pur ne ſpauentò à lui, ne pauroſa
Il boſco par; ma lietamente ombroſo.
Paſſa più oltre: & ode vn ſuono in tanto,
Che dolciſſimamente ſi diffonde;
Vi ſente d'vn ruſcello il roco pianto,
E'l ſoſpirar dell'aura infra le fronde;
E di muſico Cigno il flebil canto,
E l'Vſignuol, che plora, e gli riſponde;
Organi, e cetre, e voce humane in rime
Tanti, e sì ſatti ſuoni vn ſuono eſprime.
Il Caualliero, pur com'ad altri accenna,
N'attendeua vn gran ſuon d'alto ſpauento;
E v'ode poi di Nimfe, e di Sirene
D'acque, d'aure, d'angel dolce concento &c.
Dou'ei paſſando le veſtigia ne poſa,
Par, ch'iui ſcaturiſca, ò che germoglie;
Là s'apre il giglio, e quì ſpunta la roſa;
Quì ſorge vn fonte, iui vn ruſcel ſi ſcioglie &c.

vt nos iam ante attigimus in explicatione ad Carm.

Surgentes condunt veſtigia fruges.

vtrumq; enim Claudiani locum egregiè Italicus Vates complectitur, mirè amplificans, quę Claudianus obiter attigerat.

Quo ad mores ex præhabitis noſces, nunquam facienda mala vt eueniant bona. Errauit Ceres, dum debitam filiæ ommiſit cuſtodiam, vt Deam inuiſeret. Interdum enim Deus, pro Deo ipſo, relinquendus eſt: nam ſi ex obligatione aliquid Deo debeamus, vt certè Parentes filiorum curam, non eſt hoc deſerendum, vt Deum, in ijs, quæ ſupererogationis ſunt, exquiramus. Decipimur autem, in his, ſæpè quia Angelus tenebrarum ſe ſe transfigurat in Angelum lucis, & ſub ſpecie boni millenas nos inducit in culpas. Bonum videtur Templum Dei frequenter inuiſere? Optimum eſt. Sed cauè ne in ipſo templo occaſio adſit peccandi; ita vt meliùs futurum fuerit Domi remanſiſſe. Relinquenda eſt Interdum Eccleſia, vt ſatiùs Proſerpinæ noſtræ, Animæ videlicet domi conſulamus, nam ſi hanc negligimus, vt Eccleſiarum frequentationi indulgeamus, ducimur cum Cerere ad anguſtias, ad mortis terrores, ad tortores conſcientiæ noſtræ. Ne tamen ideò arbitreris, me templa omninò deſerenda perſuaſurum, dum immò Sanctiſſimum frequentandarum Eccleſiarum morem totis præcordijs collaudo. Sed deſerendas Eccleſias ipſas, tum moneo, quando per accidens Eccleſia locus efficitur, in quo congregentur aquilæ, non ad Solem, ſed ad corpus, non ad Creatorem properantes, ſed circa creaturam conuolantes. Vtinam Eccleſiarum frequentia in infinitum excreſceret, ſed eo ritu, vt mundis tantum, & incontaminatis corde pateret acceſſus. Templum corpore replere, Animam ad extra vagantem relinquere raptoribus expoſitam, eſt Eccleſiam ipſam deſertam facere, ita vt Deus conqueri poſſit, inquiens, Domus mea deſerta, & Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Eccleſiam itaq; adeuntes ne ſinamus, animam extrauagari, & incurioſam infernos propè limites ſpatiari; ſed nobiſcum eam habeamus, ac cuſtoditam præſentialiter aſſeruemus. ne cum Cerere luctuoſam Eccleſiam ipſam nobis experiamur. Sed hoc inquies contra textum eſt; nam immò viſa Cerere omnia quieta redduntur, & pacata, adeòq; Cereri luctuoſum non adſuit Cybelis Templum. Angelus tenebrarum transfigurat ſe in Angelum lucis. Omnia pacata quidem hic Cereri oſtenduntur; ſed mox omnia ferale Carmen reſonabunt, vt lib. 3. videbimus; nam ſemper extrema gaudij, cum Cybelem, hoc eſt terram, relicto Coelo, inquirimus, luctus occupat. Relinquat dummodò Ceres, hoc eſt recta ratio, expoſitam raptoribus Proſerpinam, nempè animam, omnia tellus illi proſpera, votiſq; obſequentia videtur totis viribus componere, ita vt interdum videantur impij eleuati, & ſuperexaltati ſicut Cedri Libani. Verùm miſeri, vt Claud. 1. in Ruf. ait; *Tolluntur in altum*

Vt lapſu grauiore ruant

Ne igitur terrarum blanditijs credamus, nec vanam ab ijs in ſpem erigamur, nam ſpes huiuſmodi vitrea eſt, quæ, dum ſplendet, frangitur. Verum & nos iam ſeria infringentes noſtræ Muſæ ludis animum aduertamus.

Dell'Ida eccelſo alla ſuperba fronte
 Quell'inclita maggion diadema inteſſe,
 Ch', in ſolio auguſto, hà la gran Dea del Mõte
 Note di religion dimoſtra eſpreſſe,
 Veſtal la pietra, ond'ogni cuor n'impronte,
 Come già 'l tempio, e limitar n'impreſſe;
 E quiui il Pin con denſo boſco ingombra
 Natiuo il ſuolo, e i ſacri tetti adombra.
L'antica ſelua, infra gl'opaci horrori,
 (Benche non giunga à diſturbar ſua pace
 Procella mai) pur rauco ſtride, e fuori
 N'eſce querulo il ſuon d'huom, che ſi ſface
 Trà doglie, in guiſa, e ſe ne lagni, e plori,
 Di duolo inſieme, e di furor capace:
 Così l'alte Piramidi viuenti
 Di ſua Diua à gl'honor tempran gl'accenti.
Ma lì, del tempio entr' a' ſacrarij, horrendo
 Al rauco ſuon di ſconcertata tromba
 Mentre le danze ſue ruotan fremendo
 I ſacri Galli, alto fragor rimbomba.
 Fiamma vibran le luci, in fuoco ardendo;
 Sembra il capo, al girar, ruotata fromba;
 E ſi fiera dal ſen ſcopia la voce,
 Ch'l furioſo dell'Orgie è men feroce.
Terribil Eccho à furibondi carmi,
 Che del concauo lor ſcuoton le vene,
 Con frenetico ſtil, rendono i marmi.
 L'Ida à gl'vrli riſponde, e ne diuiene,
 Qual Bacchante, in ſe ſteſſo: al fuggir, parmi,
 Del fertile ſuo crin piegar le ſcene
 (Se d'oſſequio il terror veſtir non voglio)
 Delle gargare meſſi il Campidoglio.
Mà, della bionda Diua al primo aſpetto,
 De tamburri il fragor cheto s'affrena;
 E, rincentrate à gorgogliar nel petto,
 Troncan le ſtrida al fiero vol la lena:
 Ceſſan l'horride danze; e'l ſuon concetto
 Laſcia in non cal la rintronata arena:
 Ne più de Coribanti vrtan ne ſcudi,
 Con furioſa tempeſta i ferri ignudi.
Del cauo buſſo animatori i fiati
 Concedon triegua allo ſpirar ſonoro;
 E, de concenti, al concordar formati,
 Ceſſano gl'Oricalchi; e tace il Choro.
 Nelle ſelue africane i coronati
 Rè delle belue, e di ſua Dea decoro,
 Quì s'inchinan feſtoſi, e della Figlia
 Dalle gran Giubbe il nudo piè s'abbiglia.
Da gl'intimi ſacrarij, oue, celata
 A chi le gratie adorator richiede,
 Quanto racchiuſa più, più venerata,
 De Dei la Diua in Maeſtà riſſiede,
 E le preci raccoglie, ed eſſorata
 De gl'Oracoli ſuoi rende la fede,
 A riſalti del cuor, che la ſoſpinge,
 Le ſue gioie al goder ratta ſi ſpinge.
Della cara ſua Prole i dolci baci
 Pegni d'amor, che d'ambi l'alme allaccia,
 Libar s'affretta; e ſtabilir le paci,
 Oue guerra non fù, lieta procaccia;
 E le gran torri, al lei voler ſeguaci,
 (Mentre ſtende à gl'ampleſſi auide braccia)
 Vedi curuar l'altere moli, e pronte
 La Thermeſia inuitar, ch'l baccio impronte. Thermeſia Ceres à Thermo oppido Sicilia.

Oſculentur itaq; ſe inuicem, amplexuſq; iterantes mutua dulcedine perfundantur Cybeles Mater, & Ceres Filia, ac nos, ne illis intempeſtiuo Muſæ cantu moleſti efficiamur, pendentem cytharam relinquamus, ac cum Poeta noſtro quid interim moliatur Iupiter proſpiciamus.

VIDERAT &c. Anteacta ad œconomiam ſpectant, vt, abſente Matre, rapiendæ occaſio detur Proſerpinæ: iam progreditur Poeta, & ad explanandam accedit ſententiam illam, quam iam ante innuerat. Certam Ioui inſediſſe, cum ait:

Certa requirenti tandem ſententia ſedit.

&, vt grandiori ſtylo aſſurgat, ipſum Iouem inducit proprij ſenſum animi aperientem, ac Veneri executionis partes concedentem. Sententia igitur hæc erat, vt, data ex abſentia Matris occaſione,

Viderat hæc dudum ſumma ſpeculatus ab arce
Iupiter, & Veneri mentis penetralia nudat.
Curarum ſecreta tibi, Cytheræa; fatebor.
Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi
Iam dudum decreta dari. Sic Atropos vrget:
Sic cecinit longæua Themis. Nunc, matre remota,
Rem peragi tempus. Fines inuade ſicanos,
Et Cereris Prolem patulis illudere campis,
Craſtina puniceos cum lux detexerit ortus,
Coge tuis armata dolis, quibus vrere cuncta,
Me quoq; ſæpè ſoles. Cur vltima regna quieſcunt?
Nulla ſit immunis regio, nullumq; ſub vmbris
Pectus inacceſſum Veneri. Iam triſtis Erynnis
Sentiat ardores: Acheron, Ditiſq; ſeueri
Ferrea laſciuis molleſcant corda ſagittis.

Proſerpina incuſtodita Plutoni cederet in Nuptam. Sed, ne Iupiter contra Ius connubiale, vt diximus alibi, aſſenſum extorqueret ab inuita, Veneri ſeducendam relinquit, vt, per ſe ipſam, ipſa ſe raptori exponat, ac Veneris partes fore conſtituit, vt Plutonem Proſerpinæ adeò amantem efficiat, vt eam rapiat in ſuam: hoc enim pacto, & fatorum ſeries fore, vt impleatur, optimè prouiſum, & ne Iupiter cogeret, cautum eſt, cum Nupta iam raperetur, non daretur. Et, licet ad nutum Iouis Venus Proſerpinam decepura aggrediatur, videbimus nutum huiuſmodi permiſſiuum eſſe, non coactiuum, cum ex præcedenti cognitione affectuum, ac propenſionum ipſius eiuſdem Proſerpinæ proceſſerit: Quare vicem ſubit voluntatis conſequentis potiùs, quam antecedentis, vt Theologi noſtri loquuntur; de quo fuſiùs infra.

VIDERAT. Cum in explicatione ad Carm. illud Claud.

Quæ ſeriem Fatorum pollice ducunt.

viderimus, Claudianum non adhæſiſſe Stoicis aſſerentibus, Fatum ita prædeterminare actus humanos, vt nequicquam liberum repugnet arbitrium; hic, congruentèr ad poſita iam principia, ſententiam, ac decretum Iouis de concedenda Plutoni Proſerpina, ex præuiſis innuit proceſſiſſe, ita vt, non voluntate prædeterminante, ſed meritorum præuiſionem ſubſequente, Decretum firmarit Iupiter. Ideò *viderat.* Video enim ſæpe ſumitur pro eodem, ac *Præuideo*, & *præ noſco*, in quo ſenſu acceptum habemus hoc verbum apud Eloquentiæ Principem in Epiſtolis, dum ait: *An tu non videbas mecum ſimul, quam illa crudelis eſſet futura victoria?* Certè enim quod futurum adhuc eſt præuideri poteſt, videri actu non poteſt. Quod ſi in ſenſu ſimplicis viſionis accipiendum contenderes verbum illud; adhuc, hoc loco, præuiſionem importabit, non viſionem; nam eo ipſo quod Poeta dicit, *Iouem iam dudum vidiſſe*, certè viſionem indicat longo temporis tractu res ipſas precedentem, quarè præuiſio erit, non viſio; *viderat* igitur, hoc eſt præuiderat, *præuouerat*

HÆC. Negligentiam videlicet Matris, quæ per incuriam filiæ cuſtodiendæ eam perditioni obijciebat; Proſerpinæ affectum in Venerem pronum, dum ſollicitaret pronuba flamma pudoreo, vt dictum eſt, ideòq; eamdem Proſerpinam ſe ipſam ad nuptias comparare quoquo modo ſubeundas: eamdem viderat Venereis addictam, dum Veneris triumphos indirectè ſaltem ſuis in telis contexeret, vt ſuo loco videbimus; quibus omnibus prometebatur, vt ſibi relicta raptoribus exponeretur: quarè ex his præuiſis meritis decretum emerſit eam expoſitam relinquendi, nam prauis indulgens inclinationibus merito ab omnium Patre in manibus conſilij ſui relinquitur, & meritò perditioni addicitur, non voluntate antecedenti, ſed conſequenti.

DVDVM. Videtur hæc particula aduerſari ijs, quæ ſupra diximus, nempè Iouem; longo antecedentis temporis tractu, hæc vidiſſe; nam *Dudum* aduerbium quidem præteriti temporis eſt, ſed breue indicat elapſum tempus, ita vt vix integrum diem interceſſiſſe ſignificet inter præuiſionem, & rem præuiſam: quare vulgò exponitur per verba *Poco fà, poco dianzi*, ſeù *pur hora*. Verum mirare potiùs fæcundiſſimi Poetam ingenij, quam noſtram carpas expoſitionem, illius omninò quadrantem ſenſui. Primò igitur memineris, ex ijs, quæ idem ipſe obijcis, *Dudum* aduerbium eſſe temporis indeterminati, atq. adeò diſtrahi à rigoroſa ſua ſignificatione potuiſſe, ita vt longum tempus, breuioris loco, ſignificaret, dummodò indeterminatum adhùc tempus ſignificaretur. Secundo memineris quodlibet longiſſimum tempus, reſpectu ſummi cognoſcentis, breuiſſimi interualli vices ſubire: ſic in ſacris litteris habetur: *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies externa quæ præterijt.* Si igitur per te *Dudum*, reſpectu noſtri diem ſignificat quæ vix præterierit, quidni, reſpectu ſummi motoris, mille annos, tamquam diem externam, quæ præterierit, ſignificet? Adde Clariſſimam de Diuina, æternaq; cognitione ſententiam, qua ſatis apertè ſcimus, omnia æternæ Dei cognitioni eſſe præſentia, licet per noſtrum modum intelligendi dicatur diuina cognitio, longiſſimo temporis interuallo, eadem præceſſiſſe, quæ V.G. in tota à parte poſt æternitate futura ſunt. Quæ ſententia de Deo vero veriſſima, licet quo ad veritatem rei non poſſit falſis Dijs aptari: cum tamen hic Iupiter à Poeta iuxta fabulas pro eodem, ac ſummo, veriſſimoq; Deo accipiatur cur non eidem deſumptam ex vera diuinitate perfectionem adaptauerit poeticè loquendo cum fabulis? Ideò igitur *Dudum* inquit Poeta, vt oſtenderet Diuum Patris, ac ſummi omnium Regis menti omnia eſſe præſentia, ac totum noſtri huiuſce temporis ſpatium inſtar momenti eſſe reſpectu illius cognitionis. Quarè particula illa *Dudum* breuiſſimum notat tempus reſpectu Iouis omnia præſentia ſemper habentis; longiſſimum reſpectu noſtri, atq; ideò indeterminatum, vt tàm breui, quam diuturno valeat reſpondere.

IVPITER. De Ioue ſæpiùs locuti non eſt cur immoremur. Vide dicta ad Carm.

I celer, & proſcinde notos, & iuſſa ſuperbo
Redde Ioui &c.

Ad Carm. . . . . *Saturni veteres laxabo catenas.*
Ad Carm. . . . . *Audieras mandata Patris &c* & alibi fusè.

SPECVLATVS. A ſpeculor, quod idem eſt, ac *contemplor*, & quaſi *è ſpecula proſpicio*. Credebatur, apud Antiquos, Iupiter editiſſimis quibuſq; vrbium inſidens locis dicta, factaq; hominum, & Regum in primis, ſpeculari. Fatua profectò antiquorum ſtoliditas, qui Deos ſuos, vt omnia noſcerent, vicinitatis indigentes effecerant. Poſſet tamen hæc antiquorum ſententia ad bonum ſenſum reduci ſi eam diceremus ad immenſitatem diuinitatis reſpexiſſe; ideoq; Iouem omnibus præſentem locis conſtituiſſe; ni erraſſent in hoc quod putarent Iouem è Cœlo deſcendere, vt facta hominum dignoſcerent, quam opinionem refellere volunt, vt arbitror Virg. Æn. 10. vbi Iouem inducit.

Sydeream in ſedem terras vnde arduus omnes,
Caſtraq; Dardanidum ſpectas populoſq; Latinos,

vt itaq; & Auctor noſter hanc antiquorum ſententiam falſam innueret. Hæc a Ioue præuiſa ex ſumma Cœli arce deprædicat: Atq; eodem tempore ſententiam à nobis ſupra allatam confirmat, nempe Deo omnia eſſe præſentia; nam ſicuti qui in edito, ac ſublimi loco poſitus omnia vnico videt intuitu, quæ ſubiecta ſunt; ſic omnia Ioui ex ſummo Cœlo, cui omnia ſubiecta ſunt, præuiſa eſſe, neceſſe eſt. Sed dices Præuiſio reſpicit ea, quæ nondum ſunt, cum adhuc futura ſint. Quarè eſtò probet ratio adducta de ijs, quæ de facto ſunt, certe non probat de ijs, quæ cum actu non ſint, licet ſint futura, nec Cœlo ſubiecta ſunt. Verùm hoc eſſet materialiter nimis ſententiam noſtram intelligere. Omnia etiam futura, & poſſibilia licet non futura præſentia ſunt diuinæ cognitioni, nam quodlibet tempus vel præſens ſit, vel præteritum, vel futurum ſemper coexiſtit indiuiſibili Dei æternitati, atque adeò cuicumque tempori coexiſtentia ſubiecta ſemper diuinæ cognitioni ſunt, conſequenter Cœlorum oculo ſubiecta cum Cœli oculus nil aliud tandem ſit, quam ipſe Deus. *Viderat itaq; Iupiter*, & viderat *ſpeculatus*; nam ſicuti qui in ſpecula eſt inobſeruatus obſeruat; Sic Iupiter non viſus videt, oculiſq, noſtris imperuius omnia tamen luſtrat.

AB ARCE SVMMA. Signat locum, ex quo Iouis viſio ſuper omnia extenditur. *Arx* porrò ab *arcendo* dicitur, quia quidquid noxium eſt, facilè arcet. Hìc pro Cœlo ponitur, ex quo omnia noxia arcentur. Inſuper arces editiſſimis in

locis

locis collocantur, quid autem Cœlo altiùs; præcipuè ſi loquamur de Cœlo, in quo ſedes Iouis a Poetis effingitur, nam hæc in editiſſima Cœlorum parte ſtatuebatur, vt videbimus factum lib. 3. Appoſite autem hic Cœlum nomine arcis deſignat, vt videlicet confirmet, quod iam diximus, nempè Proſerpinam viam ſibi ſtrauiſſe, cooperante Matre, ad perditionem; nam, cum æthera deſeruit, ex tuta ſe arce præcipuit, ac ſponte ſe raptorum iniurijs expoſuit: Arcem pro arce noluit; & arcem futuram ſibi exiſtimauit nudatam cœleſtibus tellurem præſidijs, in nutanti ſæpè Inſula poſitam, vt nutantes ſpes ſuas vndique conſpicere potuiſſet. Epiteto autem *ſumma* diſtinguit Cœlum Poeta à cæteris arcibus; immò efficit, vt ſolum Cœlum, per hanc arcem ſummam, poſſet intelligi: *ſummus* enim idem eſt, ac *ſingularis*, *ampliſſimus*, *perfectiſſimus*; aſt certe nil magis Cœlo amplum, nil ſingulare magis ex inanimis, ac perfectum; Ideò ex floribus elementorum Cœlum conſtare ab aliquibus dicitur; ab alijs verò quinta eſſentia incorruptibilis; ab alijs non conſtare creditur materia mutationibus ſubiecta, ideoq; imperturbabile eſſe; ab alijs conſtare quidem materia dicitur, ſed ab hac noſtra ſublunari diuerſa, ac præſtantiori. Nos verò in lib. de Cœlo docuimus, Cœlum eſſe eiuſdem materiæ cum ſublunaribus, ac de ſe eſſe corruptibile, ſed in præſtantiam formæ refundendam eſſe Cœli incorruptibilitatem, eo quod nullum detur de facto agens, quod huius vim formæ valeat labefactare. Quarè in omnium ſententia ſingularis perfectionis Cœlum eſt, & quidem ampliſſimum, cum omnes ſphœræ ſuæ ambitu inferiore complectatur, & deniq; altiſſimo in loco poſitum, cum ſupra Cœlum nihil ſit. Ideò verè Arx, cum ante inuenta ædificia locis editiſſimis pro arcibus vterentur.

ET NVDAT &c. Tranſitum gradatim facit Poeta à Præuiſione, ex qua certa in animo ſententia ſedit, & certum conſilium, ad eiuſdem conſilij communicationem, & participationem Veneri factam a Ioue, vt illud ad actum reduceretur.

De particula *Et* quatenus copulatiua, diſcretiua, ac tranſitiua particula eſt egimus ſæpe.

NVDAT. *Monſtrat* legit Parrhaſius; *Pandit* Heinſio placuit ab alijs emendatum referre, licet ipſe nobiſcum legat. Et profectò altior aſſurgit dictio in noſtra, quam in aliorum lectione, vt patet conſideranti. Nudare itaq; propriè eſt Veſtes detrahere, & nudum, facere ſic 7. in Verrem Cic. *Hominem in foro medio nudari, & virgas expediri iubet.* Sed quia, dum nudatur, detegitur corpus, ideò nudare, per translationem idem eſt, ac *detegere*, & *apertum facere*, *quod inuolucro aliquo latebat obuolutum*. Sedit in mente Iouis rerum agendarum ſententia. Sed quis conſcius arcanorum Dei. Iudicia Dei abyſſus multa. Ideò nemo nouit niſi cui voluerit Deus reuelare. Lucem inhabitat Deus inacceſſibilem; Ideò vias eius quis intelligat huiuſmodi integumento lucis obuallatas. Vide quam belle inſinuet Poeta hic, imperſcrutabilia eſſe iudicia Dei: ideò ab eodem ipſo nudanda, hoc eſt aperienda, per reuelationem, dicuntur, vt intelligi queant. Quod ſi hoc tribuitur Ioui, eo quod titulum diuinitatis habuerit, quantò illi falsò, & fabuloſè; tanto veriùs, ac ſanctiùs tribuitur, & iure maximo tribuendum eſt illi, qui non vmbratilem, ſomniatamq; ſed veram diuinitatis poſſidet formam, immò ad hanc, vt arbitror, reſpiciens Poeta Ioui illud adaptauit, quod proprium huius nominis, nè diuinitate, quæ illi adſtrebatur indignus videretur. Ignara Venus erat ſupremi Iouis conſilij, nec penetrare in arcana paterni cordis penetralia poterat eius acies ingenij; ideò Iupiter ea detegit, aperit, nudat, & palam illi facit.

PENETRALIA. Penetrale dicitur quidquid eſt in intimis partibus conſtitutum, vt diximus etiam in explicatione ad Carm. *Vos mihi ſacrarum penetralia &c.* & dictum arbitror per antiphraſim, quaſi minimè penetrabile, ni eiuſdem ſecreta ab ipſo habente clauem referentur. Penetralia itaq; hic ponuntur pro ijs diuinæ mentis receſſibus, in quibus ſententia reuelanda aſſeruabatur. Et quia ſententia iſta actus mentalis eſt, ideò ad explicationem, & diſtinctionem additur poſſeſſiuum nomen

MENTIS. Mens enim facultas iſta animæ eſt, quæ ab aliquibus intelligentia nuncupatur, eo quod hæc ſedes conſiliorum ſit; dicta mens quaſi *eminens*, quod inter cæteras animæ facultates maximè emineat. Ponitur tamen hæc conſiliorum officina, & operatrix, quæ mens eſt, pro conſilijs interdum ipſis: & in vtroq; ſenſu aptiſſimè hic inſeritur; nam *Nudat Iupiter penetralia mentis*, in primo ſenſu, nempè arcanos intelligentiæ receſſus, in quibus eiuſdem ſententia ortum habuit, vt illa Veneri detegatur: *Nudat &c.* in ſecundo ſenſu, quia detegit, quod latebat conſilij. Inſuper mens interdum pro voluntate ponitur. Sic Virg. Æn. 1.

Regina quotum

Accipit in Teucros animum mentemq; benignam.

atq; in hoc etiam ſenſu perbellè hic cadit; nam *nudat penetralia mentis*; ideſt reuelat ſuæ voluntatis determinationes, & decreta.

VENERI. Plures Veneres enumeratas reperio: Primam ex Cœlo, & Die natam, cuius Elide delubrum cernebatur; alteram ex Cœli ſemine, ac maris ſpuma progenitam; fabulantur enim è Cœli genitalibus, a Saturno diſſectis, & in mare proiectis, ſine matre, ſeù matre illâ ipsâ ſpumâ, quæ ex eorum proiectu in ſumma parte aquæ exorta eſt, natam Venerem fuiſſe: Tertiam Iouem cretam ex Dione, quæ Vulcano nupſerit, quod in cauſa fuit, vt nos Venerem ſupra Iouis filiam appellauerimus. Tres item Veneres enumerat Pauſanias apud Mythol. Nat. Com. lib. 4. cap. 13., nempè *Cœleſtem*, *Popularem*, & *Apoſtrophiam*, ſic dictam à Thebanis ex verbo græco *ἀποστρέφω*, quod eſt *auerto*, ſeù *detorqueo*; eo quod pudicam hanc ſuam Venerem ab impijs, iniuſtiſq; deſiderijs auertere, dictitarent. Plato duas tantum commemorat, nempè Cœleſtem alteram Cœlo ſine matre genitam, alteram verò popularem Iouis, & Dionæ filiam. Orphœus verò in Hymnis eamdem eſſe Venerem *Cœleſtem* hoc eſt è Cœlo ſine matre, vel matre tantum ſpumâ maris natam, ac Venerem Popularem ex Ioue cum Dione, aſſerit, cuius ſententiam ex Græco ſic transfert Mythol. cit.

Cœleſtis, genitrixq; fœcunda filia Ponti
Lætitiæq; parens Venus.

Venerem pariter Iouis filiam memorat Virg. Æn. 1.

Olli ſubridens hominum Sator, atq; Deorum,
Vultu, quo Cœlum tempeſtateſq; ſerenat,
Oſcula libauit natæ; dehinc talia fatur:
Parce metu Cytherea &c.

Euenit autem in Venerem id, quod in alijs contigiſſe, alibi vidimus, nempè omnium ſub eodem nomine conuenientium actiones vni tantum attribui, quaſi vnica eſſet Venus, atque ideò tam diſpari ſermone diuerſi Auctores diuerſa, & ſæpè contraria de Venere loquuntur. Hanc in concha margaritarum feraci conceptam aſſerunt alij, in qua etiam poſtea in Cyprum enauigauerit; ex quo Dea Cypria dicta ſit. Hoc Inuentum arbitror prouenisse ex eo, quod hi Auctores, ſicuti vnio vnica eſt in candore, ſic Venerem vnicam in pulchritudine extitiſſe, ſignificare voluerint; nam illam ipſam inuenio, apud Papinium, de formoſa quadam muliere loquentem eam dignam, quæ ſoror eius vocaretur, eſſe, & quæ eadem ſecum concha enauigaret, declaraſſe

Hæc & cærulεο mecum conſurgere digna
Fluctibus. & noſtra potuit conſidere Concha.

Ideò Venerem arbitror exiſtimatam nauigantibus propitiam, vt innuit Hor. lib. 1. Ode 3.

Sic te Diua potens Cypri
Sic fratres Helenæ lucida ſydera
Ventorumq; regat Pater &c.

Hæc tamen hanc ſuam eximijs ſemper laudibus celebratam pulchritudinem fœdè dicitur deturpaſſe, dum hæc prima artem fertur meretriciam inueniſſe, & impudentiſſimis moribus exercuiſſe; ideò vbicumq; actus huiuſmodi effrenatæ libidinis exercentur, ibi Venus traditur operam præſtare; atq; idcircò Nuptijs etiam præfecta exiſtimatur, modeſtioris ſic profectò munere decorata. Quarè iure merito Iupiter Proſerpinæ nuptias Veneri tradit adimplendas. Verum, ſi a fabulis præſcindendo ſcire optaueris, quid ſit Venus, audi Lucretium lib. 4. his reſpondentem Carm.

Sic igitur Veneris qui telis accipit ictum
Siuè puer membris muliebribus hunc iaculatur,
Seù mulier toto iactans è corpore amorem:
Vnde feritur; eo tendit, geſtitq; coire,
Et iacere humorem in corpus de corpore ductum;
Namque voluptatem præſagit muta cupido.
Hæc venus eſt nobis; hinc ductum nomen Amoris.

Vno verbo nil aliud erit Venus, quam occultum coitus, tàm in mare, quàm in fœmina deſiderium a natura inſitum vnicuique, ad propagandam ſpeciem, vt clariùs ait Mythol. Nat. Com. cit. cum ait

Nil Amor eſt aliud Veneris quam praua voluptas
Quæ ſimul expleta eſt, ſubit ora rubor.

ex quo clare patet, quod ſupra diximus, nempè Proſerpinam Veneri a Ioue commiſſam nil aliud eſſe, quam eam in manibus conſilij ſui reliquiſſe, ac prauis eiuſdem deſiderijs perditioni tradendam permiſiſſe. V 2 CV-

CVRARVM SECRETA TIBI &c. Proſopopeia hæc eſt, Ethopeiæ mixta, qua inducitur Iupiter Venerem alloquens, vt ea nudet mentis arcana de quibus ſupra. Et primo quidem Carmine exordium peragit, quo beneuolentiam, attentionem, ac docilitatem conciliet: beneuolentiam, dum declarat ſe Veneri patefacturum, quæ nulli aperiat alteri: Attentionem, dum ſecreta reuelaturum ſe indicat. Docilitatem, dum implicitè operâ ſe Veneris vti velle inſinuat.

CYTHERÆA. Nomen hoc creditur, ſeù potiùs cognomen ipſius Veneris, quæ ſic dicta fuerit à Cythêris, quorum ipſa dominium ſe habuiſſe profeſſa ſit apud Virg. Æn. 10. vbi ait: *Eſt Paphos, Idaliumq; mihi ſunt alta Cythêra.* Cythêra autem neutrum pluralis numeri nomen Inſulam notat non procul à Mallæo Promontorio ſitam, vbi Venus præcipuè colebatur. Venerem igitur nomine à cultu deducto appellat Iupiter (ſi à Cythêris nomen deducendum ſit) Cytheream inquam appellat, vt honoris appellatione indicet, quanti eam faciat Iupiter ipſe, & magis reddat attentam, vt alibi adnotauimus, in huiuſmodi vocatiuis proprio aliquem nomine interpellantibus. Dixi *ſi à Cythêris deducendum ſit nomen*; nam, vt fatear, licet Heſiodus hanc Cytheræ deriuationem non ſine maximo aſſerat fundamento; cum certè Venus, orta mari, primum dicatur hanc deueniſſe in Inſulam, quæ priùs à præſtantia purpurarum, quarum illic erat captura Porphyris diceretur, poſtea Cythêra à Cythêro Phœnicis filio; ibiq; maximis honoribus culta Venus facilè Cythereæ nomen inde deduxerit. Attamen non placet hoc loco huiuſmodi nominis deriuatio; nam, vt notat Proclus ſi à Cythêris deriuaretur iam ſecunda in Cytheræa longa eſſe deberet, quippe longa in Cythêris, & ratio eſt quia deriuata Patris naturam verba ſequuntur. Scio equidem hanc regulam ſuas pati exceptiones, neq; futurum primum hoc deriuatum, quod non retineat quantitatem *deriuatiui*, ſeù meliùs dixerim, *primitiui*; ſic breuis eſt prima in fragor a frango, in figulus à fingo, in lucerna à luceo &c. licet prima in primitiuis longa ſit. Verum in caſu noſtro non fallitur Proclus: nam huic exceptioni deriuatorum obſtat manifeſtè græca dictio, quandoquidem Cythêra græcè *κυθηρα*: η. autem certè ſemper apud Græcos vocalis longa eſt natura ſua, quarè, & in Cytherea, ſi à Græco *κυθηρα* deriuaretur, longa deberet penultima fieri ob vocalem η. Perplacet igitur Procli eiuſdem opinio, qui ait Cythereæ nomen, non à Cythêris deriuatum, ſed à Cytharis, quæ videlicet apud Platonem omnium amatoriarum fuerint illecebrarum Hieroglyphicum, & ideò ab iis Cytheream Venerem fuiſſe appellatam, eo quod Venus vniuerſæ conſuetudinis amatoriæ vim in ſe contineat ipſa. Iure itaq; Cythereæ hic nomine compellatur, quæ ad texendas amatorias illecebras, fraudeſque eſſet incitanda.

FATEBOR. *Fateri eſt confeſsionem alicuius culpæ verbis exprimere, quam tamen omninò occultam eſſe vellemus; & tamen cogimur reuelare*; nam, vt notat Seruius, *fateri* coactorum eſt, & culpabilium. Sed quomodò culpabile dici poſſit Numen, quod diuinitatis munitus præſidiis culparum incapax eſſe videatur? Reſponderi hic facilè poſſet, Antiquorum Deos inculpabiles non fuiſſe, cum immò nefariis omnibus immixtum Iouem ipſum iam alibi viderimus. Verùm quia nuper diximus veram hic, per Iouis allegoriam, diuinitatem ab auctore noſtro adumbrari; Quomodo culpabilis Deus, à quo, ratione diuinitatis, remouenda ſemper vel minima imperfectio eſt? Mirêris myſterium, ingens quidem, ſed paucis adumbratum. Culpa procul ſemper medius fidius à Deo abeſt; ſed interdum cogitur loco culpæ habere nimiam illam, qua Iuſtitiæ vindictas debitas diſtulit, clementiam; non quia ipſa culpabilis ſit, ſed quia perfidia noſtra efficitur, vt iniuſtitia quodammodo videatur, Iuſtitiam, Clementia intercedente, non impleri. Plutoni ex Fatorum decreto, non prædeterminante quidem, vt vidimus, ſed ſubſequente præuiſionem meritorum, addicenda erat Proſerpina. Viderat Iupiter, eam Venereis ſtimulis excitatam non diſſentire, licet à pudore detineretur, ne in actus erumperet: viderat eam Cœlo terga vertentem, ac terræ præeligentem delicias, quaſi ſe ipſam Cœlo iam decerneret indignam: quarè de rigore Iuſtitiæ præcipitandum erat vindictarum fulmen. Obſtabat tamen adhuc Clementia, & excruciabantur Patris viſcera Filiam, licet meritam, perditura: Sed videns eam nihilominùs non reſipiſcere, coactus tandem eam in manibus conſilii ſui relinquere, loco culpæ Clementiam habet, qua tandiù Iuſtitiæ obſequi diſtulit. Ideò *fatebor*, inquit, quaſi erubeſcere deberet, eo quod priùs Iuſtitiæ partes non exercuerit, & locum impiis dederit dicendi: *non eſt Deus*. Inſuper (quod meliùs etiam quadrat in caſu) fateri coactorum eſt: & quia ſemper Deus coactus à peruerſitate noſtra decretum damnationis pronunciat, contra voluntatem, qua, quantum eſt ex ſe vult omnes homines ſaluos fieri; Ideò fatebor. Coactus denique erat Iupiter occulta Veneri reuelare, quia illa miniſtra eſſe debebat tradendæ Plutoni Proſerpinæ. Quarè fatebor, inquit, quæ alioquin lubens tacerem, ne cogerer damnare, quam ſaluam vellem: & *fatebor*

TIBI. Cuius impulſu res peragi debet: tibi huiuſmodi munera libentiùs incumbenti: tibi quæ ipſi Proſerpinæ chara es, ac prædilecta, ſed quæ, quo magis diligeris magis prodis. Hæc enim in ſenſu reali, & emphatico continebat Iouis dictio, licet in ſenſu apparenti, ac reſpectu Veneri ſibi ipſi adulantis intelligi potuerit, vt diceret: *Tibi dilectæ filiæ, tibi præ omnibus electæ, Tibi filiæ Patris ſemper nutibus obſequenti; Tibi non alteri fatebor*

SECRETA CVRARVM. Secretum quid ſit vidimus ad Carm. *Et veſtri ſecreta Poli &c.* hic in eodem ſenſu accipitur, nempè pro re occulta, omnibus imperuia, inſcrutabili & idem ſignificat, quod *Arcana conſilia*, quibus confidentiores ſecluſis cæteris adhibentur, *Curarum* autem, inquit: quia cura propriè ſollicitudo eſt, quæ *cor edat*, & excruciet: ſic Dido Æn. 4. Anguſtias cordis, quibus iam moritura premebatur, curarum nomine deſignat

Tuq; harum interpres curarum, & conſcia Iuno &c. loquitur autem præcipuè de ſollicitudine, qua Æneam fugientem funeribus deuotum ſuis exoptabat. Sic pariter cogitationes Iouis hoc loco de Proſerpina Plutoniis regnis addicenda nomine curarum notat Iupiter ipſe, vt ſciueris Deum paterno affectu animas reſpicientem rationales angi, & excruciari (ſi capax horum affectuum Deus eſſet) quotieſcumque, licet ex impulſu Iuſtitiæ animam aliquam Inferorum cogitur cruciatibus addicere. Vocare autem quemquam in partem earum anguſtiarum quas nulli arbitremur aperiendas, ſicuti maximum beneuolentiæ pignus eſt, ita maximam conciliat beneuolentiam.

CANDIDA TARTAREO &c. Adeſt iam hic narratio eorum, quæ rete laturum ſe dixerat Iupiter, nempè tradendam Plutoni Proſerpinam, iuxta ſententiam, de qua dictum fuerat: *Certa sequestrem tandem ſententia ſedit*. ex contrapoſitis autem incipit narrationem, vt in ipſo ſententiæ pronunciandæ actu paternis ſe permoueri affectibus non diſſimulet, & ſe coactum pronunciare iterum fateatur. *Candidum* porrò dicitur, quod lucentem quamdam habet albedinem: quarè vocabulum *candida* poſitum hic pro *pulchra* non dubitauerim. *Tartareus*, ex oppoſito, idem eſt, ac *deformis, terribilis*, ac *ſquallore horridus*; nomen enim deductum à *Tartaro* eſt, loco videlicet in quo omnia ſquallentia ſitu ſunt, & quem Pluto ipſe appellauit *Informes plagas &c.* *Candida* iterum accipi poteſt hic pro eodem, ac *innoxia*, translatione à candidis deducta columbis; nam, quamuis culpabilis eſſet, quia in Venerem prona, quia æthera deſeruit, quia terram prætulit Cœlo, attamen, cum hæc leuia, ac nulla ferè ſint, in comparatione eorum criminum, quæ Antiquorum Diis habebantur communia, innocens ideò Proſerpina dici potuit: licet enim naturæ ignieulos non omninò repreſſiſſet, ſed lubens immò ſuſtineret accenſos, non tamen meretricias artes, vt Venus, exercuerat; nec, Veneri obſequens, in nefaria omnia ſe ſe præcipitauerat, vt Iupiter: non ipſa ex Endimione oſcula, cum Diana, quæ tamen hoc non obſtante caſta dicitur, delibauerat &c. ideò comparatiuè dici poterat *Innocens, innoxia, pura, ac candida columba*. *Tartareus* autem *candidæ* ex diametro opponitur, nam Tartarus locus punitionis eſt, vbi ſontes acerrimè torquentur, ideò indignum prorſus videri potuit, *candidam*, hoc eſt *Inſontem Tartareo* addici tortori, potiùs dixerim, quam Regi, attenta ſæuitiæ, qua ſontes ſemper excruciat.

PROSERPINA. Quæ hæc ſit fusè diſſeruimus ad textum *Æthnæa Cereri Proles &c.* Adeat curioſus.

DECRETA DARI. Indicat neceſſitatem exequendi, quod non ab ipſo Ioue, ſed à Fato, cui Iouem ipſum ſubdi aſſeuerabant antiqui, vt alibi diximus, ſtatutum fuerat, vt ſe coactum confirmaret ad Veneri hoc nuptiale munus permittendum. *Decreta* enim a verbo *decerno* idem eſt, ac *per decretum, ſeù determinationem, ſeù ſententiam iam firmatam addicta eſt*.

DARI NVPTVM. Ideſt coniungi vinculo indiſſolubili, Inuiolabili, æterno; nam vinculum nuptiale non diſſoluitur niſi per mortem; Diuinitatis autem participes vt Pluto, & Proſerpina immortales cenſebantur. Porrò *Nuptum* à

Nubo

Nubo eſt, quod idem eſt, ac *velo operio*, & quia verè velo operiri ſolebant nouæ nuptæ cum viro traderentur, quod & peractum cum Proſerpina videbimus lib. ſequenti; ideò factum vt *nubere* pro *viro* tradi accipiatur; ideò *Dari nuptum decreta*, hoc eſt *eam concedi tradendam viro* decretum eſt.

REGI TARTAREO. Ideſt Plutoni, qui cur Rex tartareus dicatur, alibi ſæpè docuimus, ac præcipuè ad Carm.

Prima fero Lacheſis clamabat talia Regi.

hic addo Plutonem veriùs dici tyrannum potuiſſe, quam Regem, cum in Inferorum regno tyrannicè imperet, non ſeruata ratione aut æquitatis, aut legum: ſed Rex dicitur à Ioue, quia cum illi, ſortitione facta, Auernorum euenerit Imperium, legitimus illius poſſeſſor habebatur: Inſuper ſic honorem Iupiter adhibet fratri, cuius offenſam, Tyranni nomine ſugillans, verebatur, nec irritandus tunc erat, ſed ſedandus.

IAM DVDVM. Ex *iam*, & *dudum* componitur hoc aduerbium temporis, quod cum participio *decreta* fuerat ex ordine verborum collocandum. Significat autem longiſſimam temporis ſeriem tranſactam, vulgò *vn pezzo fà*, *già gran tempo*, & quia hic de Fatorum decreto ſermo eſt; idem eſt *iamdudum*, ac ab æterno, nam quæ fato fieri dicuntur ab æterno decreta dicuntur. Hoc itaq; aduerbio Iupiter notat decretum huiuſmodi, ab æterno factum, firmatumq; inalterabile iam eſſe, ſeq; nimis iam executionem talis decreti diſtuliſſe, quod loco culpæ ſibi imputari poſſa indicauerat ſupra virtualiter, id exprimens per verbum *fateber*, vt dix;

SIC ATROPOS VRGET. Confirmat inuariabilitatem decreti a cauſis, quippè quod oſtendat pronunciatum à Ternario Parcarum, in quo Fatum conſiſtere credebatur, vt alibi diximus

SIC. Ideſt ita faciendum, ita peragendum, executioniq; mandandum, quod iam ab ipſa fatorum ſerie præſcriptum fuiſſe, innuit, nempè vt Proſerpinam Pluto habeat in ſuam,

ATROPOS. Quænam hæc ſit vidimus ad Carmen

Sed Parcæ vetuere minas orbisq; tenentes &c.

hic tantum moneo Atropum poni pro omnibus ſororibus, ſed hanc appoſitè, quæ funerea, & vt loco eſt. vidimus nominari, cum de Proſerpina Infernis mortuorum regnis tradenda negotium agitetur, & vt magis immutabilitas firmetur decreti, nam ἄτροπος Latinis idem eſt, ac immutabilis, & Atropos item vt aliqui volunt ab α, & τρέπω dicitur, quod inexorabilis ſit, ideòq; immutabilis, vt dictum eſt.

VRGET. Hoc eſt imperat, cogit, impellitque vt exequamur.

SIC CECINIT &c. Auctoritate antiquiſſimi Oraculi confirmat adhuc in fatis fuiſſe, vt Plutoni nubat Proſerpina, vt indè iterum deducat id eſſe omninò peragendum.

SIC. Ideſt hoc decretum fatorum, &, iuxta id decretum, opere complendum quod decernitur, & Proſerpinam Plutoni tradendam.

THEMIS. Quænam fuerit Themis, iam vidimus ad Carm. *Quid Cererem, magnamq; Themim &c.* Hic tantum addo, Themin, quæ græcè Θέμις dicitur, honeſtatis Deam habitam fuiſſe. Quarè, dum eius auctoritate ſententiam ſuam Iupiter ſuffultam oſtendit, honeſtum eſſe quod faciendum ſanciuerit, oſtentat apertè, Inſuper Themis Iuſtitiæ Deà credita etiam fuit, ex paruâ, vt arbitror, nominis variatione, & quæ eamdem habere deriuationem, ac conſequenter ſignificationem congruè credi poſſit: nam ſicuti honeſtatis Dea Θέμις à Græcis dicitur, ſic Iuſtitiæ Dea Θεμισίς appellatur; nam Θεμιστεύω apud Græcos dicitur, quod Latinis eſt Iudico, & leges condo. honeſtatem autem, & Iuſtitiam profectò leges ſequuntur, ideò, ſumpta ab eodem verbo deriuatio, Θέμις ius, & fas erit, conſequenter Themis Dea Iuſtitiæ ſimul, & honeſtatis credi potuit. Oſtendit igitur hoc pacto Iupiter honeſtum ſimul, ac iuſtum eſſe, quod decreuerit adimplendum, & ex neceſſitate Iuſtitiæ non detrectandum; nec, Clementiæ officio, diutiùs Proſerpinæ indulgendum; cum illa iam diù ex decreto Iuſtitiæ Plutoni fuerit addicta: ſicq; ex Iuſtitia, & honeſtate perſuaſum ſibi oſtendit, ne vlteriùs fatorum fruſtetur decretum.

LONGÆVA. Commendat perſonam Themidis Iupiter ab ætate, quo maior illi fides adhibeatur; nam vt canit Ouid. *Seris venit vſus ab annis*, quarè *Longæua* Themis à longo dicitur æuo; & quidem antiquiſſima fuerit neceſſe eſt, cum Cœli, & terræ filia per Orbis initia referatur ab Heſiodo, & iuxta Ouid. Metam. 1. ante Deucalionis diluuium in Parnaſſo Monte fuerit Oraculorum diſpenſatrix, &, iuxta Pindarum, ante ipſum in Parnaſſo Apollinem oracula dedit Themis, nam per ipſius Pindari opinionem prima Oraculorum diſpenſatrix. Nox fuit, ſubindè Themis, ac demum Apollo, ad quam ſententiam procul dubio reſpexit Ouid. cit. cum Deucalionem in Parnaſſum adducens poſt diluuium, ſubdit:

Corycidas Nymphas, & Numina montis adorat
Fatidicamq; Themim, quæ tunc oracla tenebat.

Noſter autem cum vidiſſet dictam à Pindaro, Themidem filiam Cœli, ac terræ, ab initio orbis progenitam; forſan reſpexit ad ſententiam Ariſtotelis de Mundo ab æterno, & ideò *Longæua* dixit, hoc eſt *ab æterno annumeratam*. Vel longæuam certè appellauit, vt Iuſtitiæ hanc, & honeſtatis Deam diſtingueret ab altera Themide item fatidica Euandri Regis Matre, quam Romani ſub nomine carpentis coluere, & de qua Virg. Æn. 8. ſeù apud ipſum ibi Euandrus ipſe hæc habet:

Me pulſum Patria Pelagiq; extrema ſequentem
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His poſuere, Matriſq; egêre tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & Deus auctor Apollo.

queis ſubdit narratiuè poſtea ibidem Virgilius.

Vix ea dicta: dehinc progreſſus monſtrat & aram &
Et Carmentalem Romano nomine portam,
Quam memorant, Nymphæ priſcum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.

ſed, vt ad noſtra reuertamur, cum omnia antiquitus Deorum omnium oracula vim legis inuiolabiliter ſeruandæ obtinerent apud eorumdem cultores; hoc maximè, procul dubio vigere debuit in oraculis Themidis, quæ honeſtatis, ac iuſtitiæ Dea haberetur. Cuius antiquiſſima fuiſſe oracula teſtatur, vel vetuſtiſſimum illum Beotiæ templum ex quo Themidis oracula reſtebatur. Ideò probe ex huius antiquitate probatis oraculis deducit Iupiter neceſſitatem rerum peragendarum, nec tantis legibus renuendum.

CECINIT. Canere proprie ſignificat *canora voce, vt exaudiri poſſit, aliquid proferre*, & quia mos vatum erat, vt ſonoris vocibus vaticinia proferrent, ideò *canere* pro eodem, ac *vaticinari* accipitur, ex quo illud Virg. Æn. 5.

Seroq; terrifici cecinerunt omina Vates.

Aſt quia de vaticinio hìc agitur, non enunciatiuo tantum, ſed & decretiuo; *Cecinit* idem erit, ac *vaticinando quod decretum fuerat nouo auctoritatis ſuæ confirmauit decreto.*

NVNC MATRE REMOTA &c. Vt facilè tactu oſtendat, quod in Fatis fuiſſe demonſtrauerat, ab opportunitate temporis, ſtante Matris abſentia, deſumit argumentum, & quidem efficaciſſimum.

NVNC. Aduerbium præſentis temporis eſt, quo ſignificat, ſine mora, ac nulla interpoſita dilatione ad opus incumbendum. Item *Nunc* aliquando idem ſignificat, ac *tandem*, & vtrumq; ſenſum complectitur Poeta; nam, reſpectiuè ad diuturnitatem temporis anteactum, qua decreta iam extabant, nunc, ideſt *tandem* aderat iam tempus executionis. *Nunc* autem pro *tandem* reperies etiam apud Virg. Ecl. 8. *Nunc ſcio quid ſit amor &c.* reſpectiuè verò ad Venerem, quæ opus aggredi debebat, *Nunc* tempus notat præſens ſine intermiſſione arripiendum.

TEMPVS. Subintellige *eſt*, quod per Synecd. figuram reticetur. Tempus autem hic ſumitur pro conditione temporis, hoc eſt pro opportunitate, qua vti, neceſſe ſit. Ideò *tempus*

PERAGI. Pro peragendi, ſeù *quo res peragatur*, poeticè dictum per Helleniſmum. Sic apud Virg. Iris Beroem ſimulans, ac Troianas matres ad naues ſuccendendas incendens Æn. 5. Hic domus eſt, inquit, vobis, Iam tempus agi res. *Peragere* vero eſt operari, ac perficere aliquid, quod faciendum ſit, & exequi, quod iam diù ſtatutum fuerat. Aliqui legunt: *Rem* peragit tempus. Sed, ſi tempus peragit, vt notat Barth, quid Venerem ſollicitet Iupiter? Quarè omninò cum noſtra legendum

REM. Res nomen genericum eſt negotium omne pertractandum complectens. Hìc à ſubiecta materia limitatur, ita vt negotium tantummodo tradendæ Plutoni Proſerpinæ ſignificet.

MATRE REMOTA. Reddit rationem, cur nunc tempus rem peragi, quia ſcilicet ex circumſtantia abſentis Matris, nempè Cereris, quæ ſola reſiſtere potuiſſet, incuſtodita Proſerpina facilis obijceretur raptoribus præda. Ab adiuncto itaq; opportunitatem quam indicauerat, ac facilitatem agendæ rei confirmat; ac obiter Incuriam carpit genitricis, quæ ſui abſentiâ occaſionem præbuerit raptui. Ideò *Remotâ*, quod idem eſt, ac *in longinquas à filia regiones profectâ*,

ſibi, & quæ conſequenter, in ictu oculi, adeſſe impedimento raptoribus non poſſet. Et hoc memorat, vt totò Veneri in Proſerpinam graſſari oſtenderet licère. Quarè arbitror Cererem vocari hic Matrem per antiphraſim, quaſi minimè matrem ſe, filiam deſerens oſtendiſſet.

FINES INVADE &c. Iuxta damnatam iure ſententiam de Fato, ineluctabilem imponente neceſſitatem, ſicuti tota Iouis decurrere videtur Oratio; ſic & in præſenti (ſi huic ſententiæ dicatur conſenſiſſe Claud.) pari paſſu procedit; nam, ſicuti ineluctabile Fatorum decretum de tradenda Proſerpina, extare profeſſus eſt, ſic imperatiuo more Veneri negotium committit, vt media neceſſaria, ac nulla vi infringenda, ad conſtitutum poneret finem. Verum; quia huc uſque oſtendimus Poetæ ſententiam ſtolidis hiſce principijs non inniti, hìc quoque idem ſentiendum eſt. Pro explicatione igitur in hoc ſenſu ſtatuenda, præmitto quæ aſſerit Ouid. Metam. 5., & nos iam referebamus ad Carm.

. . . . . *Quæ lampade Ditem*
Flexit amor &c.

nempè Venerem indignatam aliquando, quod Diana, ac Proſerpina Cereris filia, nomen aſpernarentur ſuum illibatam ſeruantes virginitatem. Ex his ab Ouid. præmiſſis facilè, & ad oculum deducitur hunc factum, vt Venus Proſerpinæ ignes applicans ſuos effecerit, vt teneram iam pronuba flamma pudorem ſollicitaret; vt in illâ miſta tremeret formidine votum; vt venereis ſuggeſtionibus agitata, licet in actus venereos non erumperet, delectaretur tamen, Veneris triumphos exprimens aeu &c. quibus non reluctans Proſerpina iure promerita eſt, vt relinqueretur in manibus conſilij ſui: ac proindè Veneri traditur, non præceptiuè, ſed permiſſiuè, non voluntate, & decreto prædeterminante, ſed ad præuiſa merita ſubſequente, vt impleretur quod dictum a SS. PP. eſt, *quod nempè quæ ſpernit modica paulatim decidet.* Non enim in electos Dei omnimodam obtinent facultatem humani generis hoſtes, niſi, Deo permittente, illam aſſumant. Viſa itaq; Iupiter Proſerpinæ incuriâ in non reijciendis venereis ſuggeſtionibus, quâ ſe Veneri addictam exoptare videbatur: Viſo deſiderio Veneris eam inflammandi; in negligentiæ pœnam Veneri permittit, vt odium exerceat ſuum, ac vires exerat in Proſerpinam omnes, ita vt in perditionem adducat ſponte conſentientem. Aſt audio Grammaticaſtrum quemdam huic noſtræ expoſitioni illudentem, iactantemque, apertè illi obſtare modum, quo Iupiter rem Veneri mandet peragendam, qui modus ſit imperatiuus præceptiuè imponens: *Inuade, coge &c.* Miſereor ſuper huiuſmodi redarguentis inſcitiam, qui non viderit, non ſolum à Poetis paſſim, ſed ex ipſis ſacris litteris imperatiuum ſæpius pro conceſſiuo vſurpatum. Legat iſte Virg. Æn. 4. vbi ad Æneam Dido

I: ſequere Italiam ventis: pete Regna per vndas.

legat Hetruſcorum Principem Poetarum hæc in Armida ſua imitantem Hieroſ. liber. Cantu 16.

Vattene: paſſa il mar: pugna, e trauaglia:
Struggi la fede noſtra; anch' io t'affretto.

Quid autem Didonis animum laceraret atrociùs, quam Æneæ diſceſſus? Quid minus voluiſſet, quam illum a ſe ipſa ſeparari? Armidæ verò quid intollerabiliùs accidere potuiſſet, quam Rinaldi fuga, fidei quam profitebatur deſtructio? An & has inquies, quod noluiſſent imperaſſe? Quis neſciat conceſſiones, & quidem amaras eas eſſe? Ex ſacris litteris (ne immemores videamur) perpendat iſte, quid Iob cap. 6. Amicis dixerit: *Subuertere nititimini Amicum veſtrum: Verumtamen quæ cœpiſtis explete.* An non ſatis tædio affectus fuerat Iob inſultantium amicorum opprobrijs, vt illos præciperet eorum adhuc ſeriem producere? Conſideret quæ Proditori Iudæ prodendus dixerit Præceptor Io: 13. *Quod facis fac citius.* Anne tunc proditionem Deus imperauerit; & Proditorem ad illam neceſſitans prædeterminauerit? Abſit: ſed imperatiuo vtitur pro conceſſiuo, vt in omnibus cit. locis patet, modum imperatiuum induiſſe naturam permiſſiui. Permittit itaq; & Iupiter dum Veneri inquit.

INVADE. *Inuadere* eſt *impetum facere*, atque *aperta vi aggredi*. Genitoris reuerentiâ indignationem ſuam compreſſerat Venus, ne tota vi Proſerpinam oppugnaret: ideò Iupiter poteſtatem hic illi facit, vt depoſitâ reuerentiâ in Patrem filiam Proſerpinam dolis omnibus aggrediatur. De hac autem Veneris indignatione in Proſerpinam vide locum ex Ouid. ſupracitatum.

FINES. Fines in numero, vt hic, multitudinis pro eodem ſumuntur, ac *confinia*, *limites*, *Ora* alicuius Regionis, Prouinciæ, aut Regni. Quia verò vidimus Siciliæ fines imperuios, vt ita dixerim, eſſe ijs, qui nefaria moliuntur, cum ibi æterna extarent punitorum monumenta flagitiorum, ideò audaci irruptione terrorem non admittente opus fuerat, vt illùc pedem nefarij inferrent; idcircò non dixit Iupiter Veneri nefaria in Proſerpinam molienti: *Vade, perge, ingredere, &c.* ſed inuade fines

SICANOS. Deriuatum à Sicania nomen. Sicaniam verò appellatam nouimus Siciliam à Sicanis populis, qui primi eam incoluiſſe dicuntur, ſeù à Sicania eiuſdem Inſulæ parte in finibus Agrigentinis collocata, in qua & Sicanus fluuius fuiſſe memoratur. Seù tandem vt alij volunt a Sicano Briarei Cyclopis filio. Ideò *fines Sicanos* appellat, vt Inſulam notet.

ET COGE &c. Cum inuaſione finium finem copulat operis proſequendi. Ideò *Et coge*: quod ipſum permiſſiuè pariter dicitur iuxta ſupra explicata (ni dicere velimus, Poetam fatis cogentibus adhæſiſſe, quod falſum vidimus, licet non omninò abnuerim eum illuſiuè ad eam ſententiam locutum,) & loquitur hic Iupiter, non in ſenſu abſoluto, ſed in ſenſu reſpectiuo, & ad indignationem Veneris, cui in animo erat Proſerpinam ſibi aſſimilare, & cogere vt ſibi adhæreſceret, & ad ipſam Proſerpinam, quam, licet reſiſtere poſſe, ſi vellet non ambigebat, tamen futurum vt non reſiſtere præcognouerat. *Cogere* enim eſt *violentiam aliciui ineluctabilem inferre, vt aliquid peragat vel inuitus*, vt efficere in Proſerpinam optabat Venus: quarè iuxta Veneris voluntatem potiùs, quam propriam, loquitur permittens.

CERERIS PROLEM. Ideſt Proſerpinam. Vide dicta ad Carm. *Ætnæa Cereris proles optata virebat &c.*

ILLVDERE PATVLIS CAMPIS. Præpoſitionem nomini detractam verbo dedit, & dixit *illudere campis*, pro *ludere in campis*, elegantiſſimè quidem vt notant Parth. & Barth. vulgò *ſcherzare*, *andar ſcherzando*. Approbo explicationem, & vt germanam amplector; ſed non ſine myſterio arbitror præpoſitionem additam verbo ab ingenioſiſſimo Poeta, ita vt potiùs *illudere* dixerit, quam *ludere in*. Memineris igitur verbum *illudere* pro eodem ſæpè ſumi, ac *per ludum nocere*. Sic apud Virg. Georg. 1. *Tum variæ illudunt Peſtes &c.* Præcognouerat Iupiter, ductu Veneris Proſerpinam in Ætnæ campos proceſſuram, & flores decerpturam: & quia qui flores è campis decerpit, videtur ipſis per ludum campis nocere, dum eos ornatibus exuit, & populatur. Ideò Illudere inquit, vt primum illum, & ſecundum hunc ſenſum amplecteretur. *Patulis* autem, dixit, *campis*; nam campus idem eſt, ac *æquor*, ideſt planities quædam, non in exiguam amplitudinem diffuſa; & *Patulus* dicitur campus ſemper apertus, & omnibus ſemper peruius. Vulgò *Campagna aperta*, vt nouimus fuiſſe planitiem ab Ætnæis radicibus extenſam longè latèque. Nil periculoſius Virgini, quam in publicum prodire; nam vt alibi dix: prædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via. Domi tuta Proſerpina fuiſſet cuſtodibus à matre relictis, vt demandatum pignus tuerentur, prout ſuo loco videbimus; ideò in Campum educenda, vt merces rapiatur. Hic autem inſinuat occulte Vates præcognitum à Ioue, quibus medijs Venus indignata in Proſerpinam vti excogitaſſet, dum his medijs nominatim recenſitis eidem facultatem impertitur, vt ijs ad finem vtatur.

CVM CRASTINA LVX &c. Tempus Veneri præſcribit quo ſorte ſua vtatur, quaſi innuat, non vlteriùs ſubinde conceſſam illi facultatem duraturam, vt oſtendat, ſe vere coactum hanc eamdem facultatem concedere.

CVM. Aduerbium temporis hic eſt idem ſonans, ac *quando*, vt non diem ſolum, ſed & horam præſcribat; ſeù idem eſt, ac *dum*, vulgò *mentre che*, *in tempo che*, *ò nell' hora che*.

LVX. Hìc ponitur pro Aurora; nam Lux dicitur *à verbo λυκη*. *λυκην* autem Græci appellant *primam lucem*, quæ Solis ortum præcedit, & quæ ſcilicet Aurora eſt.

CRASTINA à *Cras* deducitur, quod diem proximè venturum ſignificat; atq; ideò *lucem craſtinam* appellat *ſubſequentis immediatè diei Auroram*. Hanc autem præcisè horam deſignat, vt ſe non ignarum oſtendat Veneris huic horæ prædominantis, cum eâ præcipue hora videantur animalia in Venerem excitari.

DETEXERIT. *Detegere* eſt, *quod tectum eſt aperire*. Cum igitur fabulentur Poetæ, Solem occidentem in Thetydis gremio occultari, Auroræ munus eſt gremium ipſum aperire occultantis, & Solem orbi detegere. Ideò *cum detexerit*

ORTVS PVNICEOS. Aurora, quæ & filia, & prænuncia dicitur Solis, verè in ſe nil aliud eſt, quam prima ipſius

Solis

Solis lux per orbem diffuſa. Quarè ipſa eadem in ſe ipſa videtur primum Solis ortum continere, ac dum ſuper Horizontem aſcendit, & ſe ipſam oſtentat, primum ipſum Solis ortum in ſe ipſa detegere videtur, & oſtentare; ideò, inquit, cum detexerit *ortus puniceos*, hoc eſt ſe ipſam, quæ eſt primus Solis ortus, *Ortus* enim nil aliud eſt, quam Natiuitas, naſci autem Sol dicitur, cum primam lucem, quæ Aurora eſt, diffundit, & ideò hos ortus *puniceos* appellat; nam Puniceus color ille eſt, qui violæ flammeæ colorem imitatur, quem ſanè colorem Auroræ attribuit Virg. Æn. 12.

. . . . Cum primum craſtina Cælo
Puniceis inuecta rotis aurora rubebit &c.

eo quod Cœlum roſis, lilijſq; permixtis ſpargi videatur Auroræ manibus, ex quorum permixtione color ille flammeus quidem, ſed permixto albore langueſcens reſultat, qui puniceus dicitur. Peryphraſticè igitur horam Veneri congruam deſcribit Poeta. Vnico verbo *ſummo manè* dicere potuiſſet, ſed cum meminerit, Poeſim ad delectationem inuentam, pulcherrimè peryphraſis ornamento vſus orationem exornauit, ac Ioue prorſus dignam effecit.

TVIS ARMATA DOLIS &c. Recole dictum ſupra, nempè *Coge*. Iterum autem hic facilitatem inſinuat rei peragendæ, cum Venus Deos ipſos, immò & Deorum Patrem, ac Regem dolis ſuis irretitum ſe tenuiſſe glorietur. Ideò coge

ARMATA. Ex infando cum Marte concubitu Martiales hauſiſſe ſpiritus fertur Venus, quarè & arma gerere auſa dicitur, & officium ipſum Martis irrumpere; ſed cum tandem vulnere afflicta fuiſſet; fertur Iupiter Pater eam grauiter reprehendiſſe verbis illis homericis Illiadum 4. exaratis, atq; apud Mythol. Nat. Com. lib. 4. c. 13. ſic latinitate donatis.

Filia non ars eſt tibi bellica tradita: ſed Tu
Virgineas vitas, ſed tu connubia ſerua.
Hæc Mars, hæc tenuat communia munera Pallas.

Igitur & hic Iupiter non Martis arma ad impoſitum munus innuit capeſcenda; ſed arma illa, quibus ſubiugare nuda Deos ſoleat omnes. Ideò *armata*, inquit, non ferro, ſed dolis. Alij Venerem pharetra, ac ſagittis armatam incedere dictitarunt, vt Iulianus Ægyptius, cuius græca carmina ſic vertit Mythol. cit. loc. cit.

Vſque Venus plenam didicit geſtare pharetram,
Atq; arcus, longè ſpicula, quæ feriunt.

Quarè in armatam Venerem inſurgens Leonidas, eam fruſtra in homines armari, inquit, quæ nuda vel Martem ipſum vicerit armatum: huius autem Carmina ex Græco ſic transfert Mythol. cit.

Hæc Martis ſunt arma, Venus, cur cingeris illis?
Cur Cytherea geris tam graue pondus iners?
Mars eſt à nuda victus cum ceſtero ipſo
Vel Deus, hæc fruſtra nunc geris arma viris.

Neque hæc igitur arma in Proſerpinam intentanda innuit Iupiter, vt facilem oſtenderet Proſerpinam in Venerem; ſed ſufficere, inquit, arma illa, quæ data Veneri à Natura ipſa fuère, vt in amores induceret, nempè ſuauitatem oſtentatam, dulcia colloquia, beneuolentias, blanditias, ſuaſiones, fraudes &c. quæ dolos Veneris appellat Iupiter. Ideò *Armata ab Armor*, quod eſt *armis munior, armis induor, armis aſſumptis in hoſtem feror*. Verum *Arma* nomen analogicum eſt, neque enim ſemper arma militaria, nempè haſtas, tela, macheras &c. ſignificat; ſed arma etiam dicuntur cuiuſcumque artis inſtrumenta; ſic Agricolarum arma vocamus ligones, raſtra, vomeres &c. iiſq; armatus incedere dicit Agricola: & ſanè Virg. Georg. pri. ſub armorum nomine, quæ conueniant Agricolis, recenſet inquiens:

Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma,
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes.
Vomis, & inflexi primum graue robur aratri,
Tardaq; Eleuſinæ Matris voluentia plauſtra,
Tribulaq; traheæque, & iniquo pondere raſtra;
Virgea præterea Celei, viliaq; ſupellex,
Arbuteæ crates, & myſtica vallus Iacchi.

ſic coquinaria arma dicuntur lebetes, ollæ, Tripodes &c. Et his inſtructum Plautus coquum incedentem notat his verbis: *Quam eleganter inſtructum coquinarijs armis &c.* Arma pariter Nautarum eorumdem inſtrumenta dicuntur; vt vela, rudentes, remi, clauus, tranſtra &c. Sic Virg. Æn. 5., maxima oborta tempeſtate, inducit Palinurum præcipientem, vt vela, ſub nomine armorum, demitterentur, ne ventorum vi mergerentur naues, his verbis.

Ipſe Gubernator puppi Palinurus ab alta
Heù quid nam tanti cinxerunt Æthera nimbi?
Quidue Pater Neptune paras? ſic deindè locutus
Colligere arma iubet, validiſq; incumbere remis.

eodem modo ſtudioſorum arma Plautus vocat ſtylum, pugillares &c. his verbis: *cuius arma erant, non lancea, non venabulum, ſed ſtylus, & pugillares &c.* Armata igitur & Venus iure dicitur, ſi inſtructa ſit rebus aptis ad conformanda amatorijs artibus hominum corda: & quia ad hoc plurimum valent blanditiæ, fraudes, conſilia &c. quæ ſupra adnotauimus; Ideò hæc illi Homerus arma, tamquam propria, & congruentia aptat, dum illi attribuit Ceſtum, ſeù Cingulum diſcolorem, in quo omnia illa colligerentur, vt patet ex græco eiuſdem textu à Mythol. cit. ſic explicato

Sic ait: & lorum Ceſto de pectore ſoluit
In quo blanditiæ plures, mortalia corda
Mulcentes, inerant, ſermo iucundus, amores,
Gratia, quæ mentem falſa dulcedine fucans.

Hunc ceſtum, ſeù cingulum Armidæ ſuæ, quam Rinaldus, vt Venerem, coleret, adaptauit etiam Torquatus Taſſus Hieroſ. lib. cantu 16. vbi ſic, eius deſcribens ſtructuram egregiè cecinit:

Mà bel ſour'ogni fregio el cinto moſtra,
Che, ne pur nuda, hà di laſciar coſtume.
Diè corpo à che non l'hebbe; e, quando el feco,
Tempre miſchiò, ch'altrui meſcer non lece.
Teneri ſdegni, e placide, e tranquille
Repulſe, e cari vezzi, e liete paci,
Sorriſi, parollette, e dolce ſtille
Di pianto, e ſoſpir tronchi, e molli baci,
Puſe tai coſe inſieme, e poſcia vnille,
Et al fuoco temprò de lente faci;
E ne formò quell' ammirabil cinto,
De ch'ella haueua il bel fianco ſuccinto.

Hinc eſt, vt Cypriæ Deæ Gratias, Hymenæum, Cupidinem, Amores, Poetæ omnes attribuant ancillantes. Tantæ verò eius vires eſſe dicuntur, vt nullus propè fuerit Deorum, qui imperio ipſius non ceſſerit: Terris, omnibuſque elementis credita eſt dominari, & hæc vna denique Mundum procreaſſe, & procreatum enutrire, ac conſeruare, exiſtimatur; quia nullo pacto, ſine Veneris miniſterio, coagmentari potuiſſe, crediderunt antiqui. Quod præclare teſtatur Orphœus apud Mythol. cit. Græca latinè reddentem more ſuo his verbis:

Omnia inuiſti: per te ſtant pondera Mundi.
Imperitaſue tribus Parcis, atq; omnia gignis,
Quæ mare, quæ Cælum, latè, terramq; pererrant.

Has autem vires, prædominium, ac potentiam ex ijs habet, quibus prædictum Veneris cingulum conflatum vidimus, & quæ, doli nomine, notat Iupiter, quæue arma Veneris iure dici poſſunt; cum etiam Virg. *dolos* Vlyſſis à Sinone contra ſeipſum confictos eiuſdem ore *Arma* vocet Æn. 2.

Hinc mihi prima mali labes: hinc ſemper Vlyſſes
Criminibus terrere nouis: hinc ſpargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conſcius arma.

ideò aptiſſimè inquit & Iupiter: *Coge armata*

TVIS DOLIS. *Tuis* pronomen eſt poſſeſſiuum, quo hæc arma propria Veneris fuiſſe inſinuantur, illamq; in poſſeſſione ijs vtendi conſtitutam declarat, idem pronomen. *Dolus* verò vt plurimum *fraudem*, ac *deceptionem* importat; ſed interdum ſumitur etiam pro eodem, ac *ſolertia, induſtria, calliditas*; vulgò *ſtratagemma*. Vtrumq; ſenſum amplectitur Poeta: nam ſuauitas, blanditiæ &c. quatenus ex ſolertia, & calliditate Veneris proueniunt, eodem, quo cauſa ipſa, nomine, poſſunt appellari; quatenùs verò lætitiam ſpondent, & mæſtitiam pariunt, cum poſt coitum omne animal triſtetur, fraudes, ac deceptiones iure dicuntur. Aduerte autem, quam benè hæc mentio modi, ſeù mediorum, quibus Venus vti debeat, confirmet id, quod nuper dicebamus, nempè illud verbum *coge* non eſſe imperatiuum, ſeù mandatiuum violentiæ talis, cui reſiſti non poſſit: nam quis vnquam cogitur blanditijs? Allicitur quidem; ſed non cogitur. Immò nec efficaces ſunt ab intrinſeco, hoc eſt infallibiles in ordine ad finem conſequendum; ſed efficaces ſunt ab extrinſeco, ideſt a facilitate, qua homo ſpontè blanditiarum ſequitur incitamenta. *Coge* autem, dixit Iupiter, quia præcognouerat Proſerpinam ſponte ſecuturam, quaſi blanditijs coactam: & *coge* inquit, vt Peccantium excuſationes attingeret, quorum proprium eſt, quod ipſi ſpontè perpetrauerint, ineluctabili neceſſitate ſe ad id adductos profiteri, ne culpabiles videantur.

QVIBVS &c. Attingit hic ſententiam Orphœi à nobis ſupra relatam de Veneris potentia, ac prædominio in res omnes,

omnes, atq; hanc ex præfata Ceſte euenire, vt nos dicebamus confirmat apertè, nam relatiuum *Quibus* in mentem reuocat antecedentes dolos in Ceſte contentos.

SOLES. Ideſt *in more poſitum tuo eſt, vt effic ieris, ſeù aſſueſcis facere &c.* cum autem ab aſſuetis non fiat paſſio, oſtendit hoc verbo Iupiter, nullam Veneri in huiuſmodi negotijs peragendis difficultatem adfuturam, cum ſemper victoriam in ſimilibus, immò & maioribus obtinuerit. Sic etiam Gotifridus Imperator, apud Torquatum, Hier. lib. Cantu 20. ab aſſuetudine vincendi milites incendit ſuos, vt ſtrenuè in hoſtes irruant, & vincant.

Chiedo ſolito coſe: ogn'vn qui ſcorbrò
Quel medeſmo ch' altroue ò l'hà già viſto;
E l'vſato ſuo zelo habbia; e rimembre
L'honor ſuo, l'honor mio, l'honor di Chriſto.
Ite, abbattete gl' empi: e i tronchi membre
Calcate, e ſtabilite il ſanto acquiſto.
Che più vi tengo à bada? Aſſai diſtinto
Ne gl' occhi voſtri il veggio: hauete vinto.

VRERE CVNCTA. Idem eſt *vrere*, ac *inflammare, incendere, cremare.* Cum autem Amor, quem ſuam præcipuè potentiam iactat Venus, vt iam ex Ouid. vidimus ad Carm. *Quæ Lampade Deum &c.* ignis ſit, vt alibi pariter probauimus ex Æn. 4. *Vritur infelix Dido &c.* nil mirum, ſi Amoris effectus Veneri matri tribuatur, adde quod & aliquibus placuit Venerem facibus armatam effingere. *Cuncta* autem, inquit, quod idem ſonat, ac *omnia*, ſed *quæ coniuncta ſunt*; vbi vice verſa *omnia* cuncta quidem ſignificat, ſed tam coniuncta, quàm disiuncta, vt notant verborum indagatores. Ex quo nota exactiſſimum Poetæ artificium, quo, hoc vnico verbo, comprobat, quod nos ſupra apertè docuimus, nempè Venerem nil aliud eſſe, quam occultum coitus deſiderium, quod, quia inſitum omnibus eſt, ideò omnia Veneri coniuncta dicuntur; atq; adeò *cuncta* dixit pro *omnia*.

ME QVOQVE SÆPE. Argumentum hic apertiùs, & fortiùs efformat à maiori ad minus, vt oſtendat Venerem, nullo negotio triumphum de Proſerpina reportaturam; nam, quæ mares vicit, cur non fœminam; quæ Deos vicit, cur non Deam; quæ Patrem vicit, cur non filiam; quæ Iouem denique vicit quid non vincat? Reſpexit autem hic Poeta ad ſententiam Theocriti in Europa, qui græcè quidem hæc, ſed latinitati donata à Nat. Com. cit. habet:

Perdomitus Veneris oculis, leuibuſq; ſagittis
Quæ domuiſſe Iouem valet vna, Deoſq; ſupernos.

omittit autem particulam *&* per aſyntheton, quia illa virtualiter latet in aduerb. *Quoque*, & quia non videbatur Iupiter cum inferioribus copulandus, licet paſſione æqualis.

ME emphaticè poſitum agnoueris, quaſi adhuc obſtupeſcat Iupiter, ſe toties Venere deuictum, eiuſdemq; admiretur potentiam. *Me* qui ſcilicet cuncta rego, nec vlli ſubiectus omnibus impero; *Me* qui extra teli iactum videor conſtitutus, dum omnia videns decipi nequaquam poſſum; *Me* qui prudentiâ excelſus, ſapientiâ ſublimis, viribus animi inſignis, & vnicus exiſto, *me vrere ſæpè ſoles*; me victum in triumphum adducere; *Me*

QVOQVE. Mirificè emphaſim adauget hoc aduerb.; quaſi Venus, Iouem vincens, poſſibile ſibi eſſe oſtendiſſet, quod, per ſe ipſum, futurum fuiſſet impoſſibile: nam *Quoque* pro *etiam*, & pro *ſimiliter* ponitur. Quatenus *etiam* dicit, habet emphaſim indicatam; quatenus *ſimiliter* ſonat, facilitatem oſtendit, qua inuincibilem Venus Iouem, nullo negotio, non minus ac viles alios deuicerit viuentes.

SÆPE idem eſt, ac *frequenter*. Cum autem ex frequentatis actibus fiat habitus, qui conſiſtit in qualitate facilitatem inducente, vt dix. in Præfatione ad hunc lib., magis oſtendit adhuc facilitatem, qua à Venere deuictus fuerit, dum frequenter. Et nota artificium dictionis; non enim inquit: *vrere ſolita fuiſti ſæpè*; ſed *vrere ſoles* de præſenti, vt doceat perſeuerare adhuc Veneris in eum præpotentiam, viresq; illas recidiuum Iouem adducat, & attrahat; atque adeò non ambigendum, quin & alia non ſolum, ſed & ſe ipſum iterum vincat, ne dum teneram, mollem, ac in eam procliuem Virginem, & alludit fortaſſis Poeta hic ad eorum ſententiam qui dixerunt à Ioue non ſolum adamatam fuiſſe Cererem Matrem, & compreſſam, ſed & Proſerpinam filiam. Ideò de præſenti loquitur *vrere ſæpè ſoles*. Certè, etiam ſi hoc de compreſſa Proſerpina falſum putauerit Vates, cum Proſerpinam Virginem appellet, potuit ad aliorum mentem reſpectiuè loqui. Et inſuper Iouis profectò amores quis enumeret. Vide dicta ad Carm. *Tibi tanta recondo ſcepta &c.* nam ex eo loco tatis omnia noueris.

CVR VLTIMA &c. Deprompium ex Ouid. verbis Metam. 5. à nobis alibi citatis vbi Venus Cupidinem ſic affatur:

Tartara quid ceſſant? Cur non Matriſq; tuumque
Imperium profers &c.

Auidam his autem nouos ſemper triumphos aggerandi Venerem ſollicitat, ac ſpe propoſita, vel inferos debellandi accendit magis. Hinc per interrogationem cuibrat impulſum, vt oſtendens, nullam eſſe cauſam, cur Venus Inferorum Regnum ſuo non ſubdat imperio, eam excitat, vt Plutonem amoribus Proſerpinæ captum in raptum incitet. Sic enim à Ioue Proſerpina non dabatur, ſed rapiebatur, Ioue non renuente potiùs, quam volente, aut conſentiente. Hoc pacto Plutonis poſtulationi fiebat ſatis, cum iam non prohiberet illi thalamos Iupiter; immò cum, ipſe Pluto Nuptam raperet proprio genio indulgens, auferebatur cauſa conquerendi de Ioue, ſponſam fortaſſis tali non ſatis dignam toro præbente, conſequenter omnis nouæ indignationis occaſio diminuebatur. Ita Pluto voti compos efficiebatur; quod in fatis fuerat ad effectum perducebatur; & Iupiter nec nuptam cogebat, nec extorquebat aſſenſum; cum res tota iam Veneris eſſet, ac Plutonis, Ioue nihil operante. Habetur igitur clarè hic explicata ſententia, quam nos ſupra innuimus inſediſſe animo requirentis, & qua, ſaluis omnibus, Proſerpina Plutoni traderetur. Sed dices ſi Iupiter Venerem excitat ad Plutonem incendendum, quomodò permiſſiuè, & non potius imperatiuè ſe habeat? Sed nota Venerem excitari in volentem; nam volebat Pluto & Vri, & Coniugem ducere; volenti autem non fit iniuria. Permiſſiuè ſe habuit Proſerpinam Veneri tradens: hac tradita Venerem incitat in volentem, nempè in Plutonem.

CVR. Aduerb. interrogantis eſt, quod implicitè oſtendit nullam eſſe cauſam omittendi negotium, de quo agitur. Emphaticum autem hic eſt; quaſi dicat Veneri Iupiter: ſi iam quidquid in terris eſt; quidquid in æquoreis ſpatiatur vadis; quidquid Cœlo clauditur; immò & me ipſum ditioni tuæ ſubegiſti; quænam eſſe cauſa poteſt, cur Plutonia regna tuis non ſubdantur arbitrijs? Nulla eſt: nulla eſſe poteſt.

VLTIMA REGNA. Inferorum ſedes *vltima* appellat *Regna*. Regna quidem congruenter ad ea quæ dixerat, Plutonem appellans Regem

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi &c.

nec enim Rex eſſe poteſt ſine Regno. *Vltima* autem duplici appellat ratione: primo quidem vt conſentiat Plutoni, qui iam dixerat:

Tertia ſuprema patior diſpendia ſortis.

ſecundo reſpectu loci, deformitatis, ac ſitus. Locus enim centrum eſt terræ; ideò *vltima*, quia altâ terrâ, & caligine merſa, & vltima quia infimæ ſortis, nempe lurida, infœlicia, informia. Adde & tertiam rationem cur *vltima* vocentur, ideſt infirmiora, & debiliora, ac faciliùs ideò debellanda, ac quæ ſola vltimo loco ſubigenda remanerent, vt verè Venus totius orbis imperio potiretur.

QVIESCVNT. Quieſcere idem eſt, ac *nullo exerceri labore, nulla affici cura, ſumma perfrui pace, ac tranquillitate.* Quomodo igitur Inferorum regna quieſcere dicantur; cum Virg. Æn. 6.

Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campos &c. dixerit; & ſubdat
Gnoſius hæc Rhadamantus habet duriſſima regna
Caſtigatque, auditq; dolos, ſubigitq; fateri. & ſubindè
Continuo Sontes vltrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans &c

Anne quies dici poſſit, vbi aſſidua Pœnarum viget Tragedia? Ita ſanè; nam, ſi queſtus audiamus Amantium, tranquilla inferorum ſedes eſt, pacata damnatorum tormenta, placidæ, furiales quamlibet, iræ, ſi cum amatorijs cruciatibus comparentur. Ideò quieſcere dicuntur Inferorum regna, poſito continente pro ijs qui continentur, dum flammas nondum experiuntur Amoris, vt egregiè monet Marinus in Proſerpina:

Prouino hormai l' Erinne
Se ne Cocito è più cocente, e forte
L'ardor, della tua fiamma:
E dican lì già poi
L' Anime tormentate,
Se tormento han gl' abbiſſi
Che le pene amoroſe in parte eguagli.

Iterum verbum illud quieſcunt, non abſolutè profertur, ſed comparatiuè, & ad ſubiectam materiam limitatiue; hoc eſt *quieſcunt* ab hoc amatoriarum pœnarum experimento; nam,

licet

licet aliquis omni pœnarum genere exerceatur, ſi vna ſit pœna, quam non patiatur, dicitur ab illa quieſcere; atque hinc eſt, vt Inferorum Regna ab agitatione Venerei furoris aptiſſimè dicantur. Sed cur Regna in partem vocantur vbi de ſolo Rege Plutone ſubijciendo agitur? Facilis eſt reſponſio. Subacto enim Rege, quis non Veneri ſubijciatur cum Regis ad exemplum totus orbis componatur? Subacto itaq; Rege Plutone, omnes inferorum Incolæ de conſequenti ſub iugum veniunt, ideò Regna. Videtur autem ſubſecutum effectum attigiſſe Virgilius Æn. 6. dum amores apud Inferos exerceri innuit:

Hic quos durus Amor crudelitate peredit
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit; curæ non ipſa in morte relinquunt.

Videtur etiam hoc loco ſe ipſum Iupiter redarguere, eo quod hæc prius Veneri non permiſerit, dum ait: *cur vltima regna quieſcunt?* ac ſubindè ea Veneri tradit inuadenda.

NVLLA SIT &c. Quod permiſſiuè, non præceptiuè dictum cenſendum eſt, vt ſupra in reliquis huiuſmodi dicendi modis animaduertimus, ne dicamus Poetam Fato cogenti adhæſiſſe. Quod ſi in ſententia fatalem neceſſitatem admitteret loqueretur, non abſonum eſſet, & Iouem præceptiuè loqui. Sed, vt arbitror, non ſtat pro indiciarijs Vates.

NVLLA REGIO. Ceteris à Venere edomitis ſola inferorum regio remanebat ſubigenda. Quarè dum hæc Veneris incurſui permittitur, iure per particulam vniuerſalem excluſiuam dicitur *Nulla regio*, propriè autem *Regio*, nam hæc à *Rego*, ſeù à rege dicitur; priuſquam enim prouinciæ fierent *regiones*, hoc eſt *Plagæ, fines, ſpatia, tractus* à regibus regerentur. Quarè hoc loco idem eſt regio, ac regnum.

SIT IMMVNIS. Immunis eſſe dicitur, qui aliquo priuilegio gaudens liber eſt ab oneribus publicis ſubeundis, quare, cum oſtenderit Iupiter vniuerſaliter ab omnibus accepta Veneris onera fuiſſe, nil mirum ſi dicat immunem ab ijs eſſe non debere regionem Inferorum, iam ſubire volentem in Rege.

NVLLVMQVE SVB VMBRIS &c. Hic apertè declarat quod nos ſupra innuimus, nempè, ſuperato Plutone, futurum vt omnes Inferorum cultores ad partes Veneris tranſeant; atq; adeò, quæ ſupra generaliter complexus fuerat inquiens: *cur vltima regna quieſcunt*: & *nulla ſit immunis regio*: hic particulariter, per diſpoſitionem reſolutiuam de habitatoribus intelligendum eſſe iam explicat, dum dicit

NVLLVM PECTVS. De particula *Nullum* vniuerſaliter negatiua ſæpiùs diximus. *Pectus* verò anterior eſt pars animalis à gula vſq; ad ventrem protenſa. Homini tantum datum eſt latum pectus, quod animalia cætera habeant carinatum. Dictum Pectus à compactis coſtis, quæ veluti firmamenta pectoris ſunt. In hoc ſedem cor habet ſuam; ideòq; pectus pro corde ponitur, nempè continens pro contento; ſeù etiam ponitur pro Anima, quam principaliter autumant in corde reſidere. Hic & pro corde, & pro anima, poſitum arbitror, ſed pro corde ſi ſumatur, tranſlatus erit ſenſus; nam, cum regnum inferorum ſit regnum vmbrarum, vbi Æneam Sybilla comes edocet corpora non eſſe, iuxta illud Virg. Æn. 6.

Corripit hic ſubito trepidus formidine ferrum
Æneas ſtrictamq; aciem venientibus offert:
Et, ni docta comes, tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ,
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.

cum inquam ibi corpora non ſint, nec corda adeſſe poſſunt, niſi per quamdam ſimilitudinem, & proportionem, quatenus videlicet etiam in animabus Inferno addictis adeſt affectuum motio, cuius fons in viuentibus cor eſſe dicitur, & quatenus volitiuam potentiam, eiuſdemq; exercent actus, quam voluntatem in corde reſidere, Phyloſophi omnes teſtantur. At verò ſi pro Anima ſumatur, figurata quidem erit dictio, vt ſupra dicebamus, ſed proprietas in ſenſu ſeruabitur, quippe cum Amor, ac venerea cupiditas actus ſit voluntatis, & voluntas potentia animæ, quæ cum ab ipſa anima non diſtinguatur neque realiter, neque formaliter ex natura rei, vt nos fuſe docuimus in Animaſticis, dum hæc Veneri ſubditur, ipſa illi ſubditur Anima. Ideò *Nullum pectus ſit*; ab hoc enim verbo ſuprapoſito pendet, & hoc membrum per adiunctionem fig. *Nullum*, inquam, *ſit pectus*

INACCESSVM. Idem eſt *inacceſſum*, ac *impermeum*, quaſi *non prebens acceſſum*. Ponitur autem hic pro conſequenti antecedens, nempè *acceſſum* pro *poſſeſſione* ad acceſſum conſequente. Memineris enim ſtatutum, per leges eſſe, vt ſi alicuius fundi, & ædenda alicui legitima poſſeſſio ſit, is qui debet Poſſeſſor inſtitui, lictore præeunte, pedem inferat in fundum ſibi adiudicatum, herbas colligat &c. Ad hunc itaq; ritum alludit Vates, dum dicit, *Nullum ſit pectus Veneri inacceſſum*; ideſt: accedat Venus, pedem inferat in omnes animas, herbas ſuccreſcentium affectuum ſibi arripiat, permiſſione ſummi Iudicis, hoc eſt Iouis, obtenta, ac ſic poſſeſſionem accipiat animarum omnium, & nulla ſit adeò rigiditatibus obuallata, quæ ingreſſum in ſe ipſam, ac ſui poſſeſſionem Veneri non concedat. Alij, non *inacceſſum*, ſed *inaccenſum*, legendum arbitrantur: Inter quos videtur adfuiſſe Heinſius, nam, licet ipſe in textu *inacceſſum* legat: in annotationibus tamen ad textum, hæc habet: *Pectus inacceſſum*, immò *inaccenſum* cum melioribus. Male vulgatum tuetur Clauer. Apud Silium bene etiam lib. 1. Veteres libri: *Inaccenſi flagrant altaribus ignes*. Hæc Heinſius. Parrhaſ. è contra aſſerit inacenſum legi non poſſe, niſi perfracto ſenſu. Equidem, ſi aperiendum quod ſententiam ſit, dixerim vtendum diſtinctione, ita vt videlicet, ſi præpoſitio *in* ex qua componitur *inaccenſum* ſumatur, vt particula negatiua, & ſit idem *inaccenſum*, ac *non accenſum*, vtique putauerim *inaccenſum* legi potuiſſe, abſq; vlla ſenſus perturbatione, contra Parrhaſ.; Si verò præpoſitio illa *in* ſit particula intenſiua, ita vt idem ſit *inaccenſum*, ac *valdè accenſum*, vt videtur importare Silij locus ab Heinſio citatus. Certè inaccenſum legi non poteſt, nam ſenſum efficeret omninò contrarium illi, quem Vates exprimere intendit, vt facilè conſideranti patebit. Contra Heinſium. Quod autem prædictus Silij locus importet intenſionem per particulam *in* additam participio *accenſi* patet, quia dicit *inaccenſi flagrant ignes*; flagrare autem *ardere* eſt. Quomodo autem ardeat ignis *non accenſus* ſi particula *in negatiua* eſſet in compoſitione hic? Dicenda igitur *intenſiua*, nam *valdè accenſi*, certè *flagrant ignes*. Verum abſolutè loquendo meliùs arbitror legi *inacceſſum*, etiam ſi negatiuum eſſet in *inaccenſum*, nam & grandiori eruditione aſſurgit, & pleniori ſtylo decurrit. Attingit enim præter cætera etiam eam antiquorum opinionem, qui vt notat Barth. cenſebant neminem non mortalium ſubiacere Imperio Veneris, eamq; confictas ait dandum in omne etiam non mortalium pectus acceſſum.

VENERI. Emphaticè nomen Veneris hic ponitur, quaſi idem ſonat, ac *hera in mortem venientium*; nam, vt vidimus credebatur Venus rerum omnium Domina, atq; ideò, quocumq; veniat Venus *veniens vt hera* dici poterit. Inſuper *Veneri* emphaticè; hoc eſt Veneri illi, quæ Terræ, Coelis, Ponto dominatur, & cui conſequenter debetur etiam obſequium Inferorum? *Ideò nullum pectus &c.*

SVB VMBRIS. Superfluum videri fortaſſis poterit hoc additum *ſub vmbris*; nam eo ipſo quod dixerat *Vltima Regna*, de inferis loquens, nonne ſatis in comperto eſt, Regna illa in tenebris latitare? Nonne ſatis hoc incluſum fuerat in antecedenti? Sed caue, ne & tibi à Claudiano dicatur, quod contra carpentem cecinit: *Alter*

Quem carpas alios, noſcis, diſce prius.

Primò enim non ſolum hoc additum clariori inſeruit explicationi, dum locum ex inſeparabili adminicto deſcriptum ſub oculis ponit, ſed etiam ex parte loci affert cauſam, qua poſſet Veneri acceſſus prohiberi; nam, cum oculi ſint in amore duces, locum Venus habere non poſſe videtur, vbi tenebrarum addenſatio perpetuam aggerans cæcitatem, viſum omnem adimat oculorum; atq; ideò ingens objici vallum Veneri videbatur ex vmbris, ne in illi virium luxum, Amoris videlicet, faces euibraret. Ideò *ſub vmbris* addidit, vt innueret, hoc obſtaculo non obſtante, Venerem, ſi velit, triumphaturam. Et porrò quot interdum, viſione potius intellectuali, quam corporea, in ignotas ſæpè fœminas exardeſcunt? Secundò aliam affert cauſam, & quidem validiſſimam, qua tamen non obſtante, monet peruium futurum quodlibet Inferorum pectus. Cauſam autem quam hic attingit ea eſt, quam ſupra innuimus, nempè in Inferis, tantum eſſe tenues ſine corpore vitas, conſequenter venereæ cupiditatis incapaces; nam, cum diximus, Venerem nil aliud eſſe, quam occultum coitus deſiderium, a natura inſitum; certè coitus non poteſt exerceri inter res incorporeas, cum corporis actus ſit; ideòque etiam Poetæ hoc ipſum agnoſcentes, cum Iouem inducerent coitum exercentem, aliquod illi corpus, vt plurimum adaptarunt, V. G. Oloris cum Leda, Tauri cum Europa, Cuculi cum Iunone &c. Quare videbantur Inferorum habitatores, ex incapacitate naturæ, immunes ab inuaſione Veneris extare. Huic igitur, & ſuperiori obiectioni, quæ fieri poterant occurrit, per præoccupationem Rhetoricam, ore Iouis Poeta, vt tacu-

reſpondeat illi interrogationi cur quam ſupra expoſtulerat: Quaſi hic dicat: non eſt cur ſub vmbris reſiſtant: id eſt cur ad ſe defendendos prætexant incapacitatem Inferi, eo quod vmbræ ſint: Sub hoc enim prætextu non debent, etiam ſi vmbræ ſint, immunes eſſe. nam, licet vmbræ ſint, Animæ ſunt, ac conſequenter affectuum capaces; & venerea quidem cupiditas affectus animæ, hoc eſt voluntatis eſt, licet miniſterio corporis educatur in actum. Amare poteſt, & ſine corpore Anima, licet ſine corpore coire non poſſit. Sub vmbrarum igitur laruis fruſtra, Venerem fallere conabuntur; nam, Venere incitante, eo modo, quo Dæmones incubi, ac ſuccubi, poterunt modum inuenire actus venereos exercendi. Adde quod iuxta Poetarum fabulas non ſine corpore Numina ipſa effingebantur. Sed corpus ex ſua natura habere non potuerunt; ergò iuxta fabulas ſemper in corpore aſſumpto ſunt: Quarè ſi ratione naturæ incapaces ſunt vmbræ, ratione aſſumpti capaces fient venereæ ſuggeſtionis. Quod ſi Æneæ ſine corpore viſæ ſunt vmbræ, in puris tunc naturalibus, vt magis terrerent, ſeſe oſtentarunt; cum alioquin aſſumpto gaudeant corpore per Poetas, qui illis actiones omnes attribuunt corporeas. Ideò nullum pectus ſit Veneri inacceſſum ſub vmbris.

IAM TRISTIS ERYNNIS &c. Specificat adhuc magis obiectum in quod Veneris potentia poſt Plutonem exerceatur deuictum: & mire eandem potentiam amplificat, dum aptam denotat ad ea ſuperanda, quæ illi omnino oppoſita videntur inluctabilem cum illa antitheſim ſecum ferre.

IAM. Aduerb. temporis eſt; atq; hic pro *tandem aliquando*, ſeù *nunc tandem* vſurpatur, vulgò *hormai*, vt denotet inſtandum operi, atq; illicò ſuſcipiendum perficiendumque negotium.

TRISTIS ERYNNIS. *Triſtis* propriè idem ſonat, ac *mæſtus*; ſed quia triſtitia in fronte hominis, ſeù mæſtitia, crudelitatis, grauitatis, iræ, minarum, ac difficilis animi, vt plurimum, documentum eſt; ideò *Triſtis*, per translationem ponitur pro eodem, ac *crudelis*, & *nimia ſeueritate iracundus*, vt certe hoc loco ſic accipi, ex ſubſequentibus patebit. Crudelitas autem, ira, odium videntur ex Diametro Veneri oppoſita, cum potiùs nimium ſemper indulgens, ſuauis, ac mollis, totuſq; amor ſit Veneris ſectator; & tamen ſuperandum hoc Veneri contrarium innuit Iupiter. *Erynnes* autem *Furiæ* dicuntur, ſeù Eumenides, vt patet ex Virg. Æn. 7. qui tali nomine eam, quæ Alecto dicitur nuncupauit,

Talibus Alecto dictis exarſit in iras.
At iuueni oranti ſubitus tremor occupat artus;
Diriguere oculi; tot Erynnis ſibilat hydris.

& clariùs lib. eodem vnam pro pluribus, vt & noſter hic, id eſt pro toto ponens ternario, ait

Hic ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula Ditis
Monſtrantur, ruptoq; ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces, queis condita Erynnis
Inuiſum numen, terras, Cœlumq; leuabat.

Cum igitur Furiæ ſint *Erynnes*, non hic repetendum, quæ aut quot ſint, quodnam earum officium, ac nomina, cum hæc viderimus, ad Carm. *Contrâq; Tonantem*

Conſurgunt Furiæ, crinitaq; ſontibus hydris &c.

tantum hic remanet indicandum, cur Erynnes appellentur, quod facilè ex græco deducitur; nam Erynnis nomen eſt deriuatum à Græco verbo *ἐριννύω*, quod eſt *indignari*, ac *ſummopere commouere*. Aptè igitur ſæuas inferorum ſorores non vocat Poeta hic *Eumenides*, ſeù *furias*, ſed *Erynnes*, vt oſtendat, ipſum odium, in concreto furiali deſæuiens, & quod ex Diametro Amori opponitur, Veneri ſubdendum, ac in Amorem impellendum, vt ex hac inſuperabili, ſed ſuperanda tamen, antitheſi vires ipſius Veneris eximiæ amplificet, & robuſtiſſimas oſtentet. Porrò Erynnis ponitur hic, vt dicebamus pro toto Furiarum ternario, ſed vtitur numero ſingulari, vt inter illas ſpecialiter Tiſiphonem illam notet, quam vidimus inferorum caſtra incitantem, ac contra louem eorundem anteſignanam extitiſſe.

Tiſiphone quatiens infeſto lumine pinum
Armatos ad caſtra vocat pallentia manes.

quaſi Iupiter in pœnam odij, quod contra ipſum oſtentauerat Tiſiphone, eam Amori, ac Veneri tradendam peculiariter decernat, vt deteriores, ac ſæuiores inferno ipſo, ſi amantibus credimus pœnas infligeret rebellanti. Sed me parum memorem eorum, quæ loco cit. dixerim redarguit argutus quidam; quaſi non meminerim, me ibi dixiſſe Tiſiphonem amore Cytheronis captam, atq; ab eodem neglectam, contemptamq; fuiſſe; quod im nò in cauſa fuerit, vt auidiùs Plutoni deſeruiret prohibitos ſibi thalamos conquerenti. Et ſi igitur (arguit ingenioſè mei operis cenſor) ſi igitur Tiſiphone iam ſenſerat amatorium vulnus, ad quid illam hic ſignate amoribus tradendam inſinuet Iupiter? Potiùs itaq; dicendum eſſet, eas deſignaſſe, quæ nondum Veneri indulſerant; nam hæ præcipue Veneri repugnabant, illiq; obijciebantur. Validiſſima, fateor, obiectio eſt, ſed quæ me tamen ab inſtituto non dimoueat, Fateor Tiſiphone Veneris ſtimulos ſenſiſſe, cum Cytheronis formam fuiſſet intuita, ſed amantem ſui potiùs, quam Cytheronis fuiſſe dicenda eſt, quippè quæ proprias voluptates expleri cuperet, ſed explentem, ſeù expleturum Cytheronem non deperiret, præciſa ſui ipſius voluptate. Argumentum huic aſſertioni ſuggerit efficaciſſimum *ipſum Eumenidis factum*, quæ cum Cytheronem flectere nequiuerit, illicò in naturam rediens odia, & ferina quidem, in illum exercere non erubuit; quod contra amantium naturam omninò eſt; Amantem enim immutari adeò ex Amore, inquit Terentius, vt non noſcas eundem hominem eſſe; cum igitur tam cito Tiſiphone redierit in naturam, dici non debet, amantem vere, ac penitùs fuiſſe, cum non acquieſcerit Amantis habitum, qui qualitas eſt difficilè mobilis; ſed fuit Amans denominatiuè potiùs, quam formaliter; & ſe ipſam potiùs, quam Cytheronem amauit, ideò in furorem verſa eſt, cum ſe neglectam inſpiceret. Audi quid verè amans dicat apud Torquatum Hieroſ. lib. cantu 16. Armidam, cum eam neglectam fugeret Amaſius.

Solo ch'io ſegua te mi ſi conceda,
Picciola, frà nemici anco richieſta.
Non laſcia in dietro il predator la preda:
Và 'l trionfante; il prigionier non reſta.
Me, frà l'altre tue ſpoglie, il campo veda,
Et all'altre tue lodi aggiunga queſta,
Che la tua ſchernitrice habbi ſchernito
Moſtrando me ſprezzata ancella à dito.

hæ ſunt veræ Amantis, licet neglectæ, voces, hi ſunt verè diligentis affectus; non verò ſtatim furialibus ſtimulis agi, & Amaſium interimere. Sed eſto verè Amans fuerit Tiſiphone. An neſcimus Amorem in odium conuerſum furorem fieri, & pectus adeò contra Veneris amoriſq; inuaſiones obuallare, vt eiuſdem pectoris expugnationem meritò Amor ipſe deſperet? Si igitur verè Amans fuerit Tiſiphone, (vt tecum loquar) eo ipſo quod Amor ipſius verſus fuerat in odium, inſuperabile eiuſdem pectus Venereis efficiebatur telis; ideòq; augetur potiùs, quam minuitur ſuperandæ antitheſis vigor: atque adeò optimè, in ſenſu iam explicato, dictum à Ioue fuerit: *Iam triſtis Erynnis*.

SENTIAT ARDORES, *Sentio* propriè idem eſt, ac *ſenſu percipio*; cum autem amor, licet Animæ affectus ſit, adeò tamen redundet in corpus, vt ſenſibiles dolores, cruciatus, angoreſq. experiantur Amantes; hinc eſt, vt Poeta egregie vſus fuerit verbo *ſentiat*, vt vim indicaret Amoris, animas non ſolum, ſed & corpora ſenſibiliter excruciantis. Senſibili autem cruciatu amantes affici ſatis teſtatur Virg. in Didone Æn. 4. dum illam, Amoris ſauciam ſpiculis, Ceruæ aſſimilat infixum à Venatore telum geſtantis; oſſaq; ac medullas exſiccari ab amatorijs flammis apertè monet his verbis:

Quid delubra iuuant? Eſt molles flamma medullas
Interea, & tacitum viuit ſub pectore vulnus.
Vritur infelix Dido, totâq; vagatur
Vrbe furens, qualis coniectâ cerua ſagittâ,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitq; volatile ferrum
Neſcius, illa fugâ ſyluas, ſaltuſq; peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Vides quam egregiè deſcribat ſenſibiles amoris dolores: nam illa flamma vrens medullas combuſtio, vulnus, ferrum vulneri infixum &c. dolores certè ſenſibiles in ipſum corpus eiaculantur. Hoc autem non in rationabilibus tantum, ſed etiam in brutis euenire deſcripſerat Georg. 3. vbi de equarum amoribus ſic:

Illas ducit Amor trans Gargara, tranſq; ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant;
Continuoq;, auidis vbi ſubdita flamma medullis,
Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis
Exceptantq; leues auras &c.

quid his laboribus, ſic ſollicitudinibus, his medullis ambuſtis, ſenſibilius? Adde Iouem ipſum ſenſibiliter effractum, ita vt liqueſcere ſibi ipſi videretur, apud eundem Virg. Æn. 8. vbi de Venere Iouem amplexantem, loquens ait:

Dixerat; & niueis hinc, atq; hinc Diua lacertis
Cunctantem amplexu molli fouet: ille repente
Accepit ſolitam flammam, notuſq; medullas

Int

Intrauit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.

Experientiâ igitur propriâ edoctus Iupiter, Veneris vulnera ſenſibiliter percipi, nil mirum, ſi hoc ipſum dicat Tiſiphoni ſentiendum; cum, ſi illa vmbra ſit, ſeu ſpiritus, non minus talis ipſe Iupiter vtpotè ſupremum Numen, & tamen ſenſerat. Ideò *ſentiat*

ARDORES. *Ardor* vehemens calor, & incendium eſt; cupiditates autem venereas in incendia excreſcere, flammis comparari, & flammas antonomaſticè dici, adeò tritum apud Poetas, vt nulla indigeat explicatione. Vtitur autem hic Poeta numero multitudinis, vt ſciat Venus, non vnicum, ſed plures Eumenidi infligendos ardores, quo atrociùs in pœnam rebellantis animi torqueretur. Vnica ſupereſt difficultas, quam & ſupra attigimus: quomodo ſcilicet percipere per ſenſus potuerint & Iupiter, & Pluto, & furiæ, cum expertes corporis, ac ſenſuum ſint, & nos ipſi falſi ſimus, eos Veneres voluptatis incapaces, ni aſſumpto corpore ad illas vtantur exercenda. Sed reſponſum eſt, & iterum reſpondeo, Nos locutos iuxta ſenſum veritatis, quæ Deum, ac Dæmones docet incorporeos eſſe. Quo veritatis ſenſu ſtante allegorica erunt hæc omnia. Verum attentis Poetarum fabulis, quæ Deos, Deaſq; omnes fecere corporeas, propria dictio erit *ſentiat ardores*. Ideò etiam ſupra Dijs Manibus pectora attribuit, & corda, dum inquit: *Nullumq; ſub vmbris*

Pectus inacceſſum Veneri.

Quod ſi in particula *ſub vmbris* oſtendit Manes incorporeos eſſe, vt dicebamus, loquitur iuxta ſenſum veritatis, vt notauimus, cum vmbras aſſerit, iuxta ſenſum Poetarum, dum capaces nihilominùs Venerei facit impulſus.

ACHERON. Quid ſit Acheron, nempè dolorum fluuius, iam vidimus ad illud Poetæ: *Tacitiſq; Acheron obmutuit vndis*. Porrò fluuios ipſos Numinum cultus habuiſſe, patet, apud antiquos; quarè vnicuique fluuio proprium eiuſdem nominis Numen attributum fuiſſe ſatis conſtat. De hoc igitur Acheronte fabulantur Antiqui, miſſum illum ad inferos fuiſſe, eo quod potum Titanibus contra Iouem deprælìantibus præbuiſſet. Quarè & hunc nominatim incendijs addicendum Venereis memorat Iupiter, vt nouo, in pœnam perduellionis, inferno, amatorio ſcilicet, cumularet.

ET FERREA CORDA &c. Hùc vſq; gradatim progreſſus Vates priùs inferorum vulgus ſubigendum notauit: *Nullum ſub vmbris &c.* Subinde validiores inferorum potentias: *ſentiat Erynnis &c.* mox Ditis propugnaculum, nempè Acherontem, qui priùs tranandus, & ſuperandus eſt, quam quis ad Ditem, Regem ſcilicet inferorum, deueniat. Hic in vltimo gradationis membro Ditem notat, qui primus, ac principalis fuerat ſcopus, in quem Iouis oratio collimaret. Sed Criticum hic iterum audio redarguentem memoriæ meæ labilitates. Et nonne inquies, memineris te dixiſſe facillimum futurum fuiſſe Veneri Regna inferorum, ſubacto rege, in ditionem vindicare, ergò priùs ſubigendus erat Pluto. Quomodo igitur hic gradationem inſtituis a vulgo ad potentias, à potentijs ad propugnaculum, à propugnaculo ad Regem, quaſi ea omnia priùs ſuperanda fuiſſent, quam Rex ipſe. Nonne eſt hæc aperta contradictio? Feſtina (quiſquis hoc pacto arguas) obſecro, feſtina lente; nam facilis eſt, & in promptu obiectionis ſolutio. Imitatur mores non ſolum Iouis oratio, ſed & expoſitio noſtra; nam quod vehementiùs cupimus, & ipſo ſtatim orationis initio, ex impulſu paſſionis exponere ſolemus, &, cum deindè ad ſuadendum motiua propoſuerimus, iterum ad illud idem inculcandum, in calce orationis regredimur. Propoſuit itaque Iupiter quod primum erat in intentione, & primum optabat in executione initio orationis, cum dixit:

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi
Iamdudum decreta dari; nunc, Marte remoto,
Rem perage tempus &c.

Subindè motiua ſubdit excitantia ad opus, nempè triumphos, quos inde reportatura Venus eſſet, eaque ita artificioſè decurrit, vt ſenſim ſine ſenſu gradatim perducant orationem ad iterum inculcandum, quod initio propoſuerat. Quare bene ſtat, quod ſubacto rege reliqua ventura eſſent in ditionem, & optimè inſtituta inter effectus ſubſecuturos talis gradatio, quæ iterum reduceret ad inculcandam regis debellationem. Itaque particula *Et* hoc loco non eſt copulatiua conſequentis accenſionis Plutonis cum antecedenti inflammatione Acherontis, ſed eſt particula expletiua Emphatica idem virtualiter dicens, ac ſi diceret *Et ante omnia*.

FERREA CORDA. Ferrum duriſſimum metallorum eſt, & quidem rude, impolitum, horridum viſu, ni igne repurgetur, expoliatur, atq; artificis manu, ignis beneficio, ad meliorem formam reducatur: inſuper ferrum inflexibile eſt, ita vt faciliùs diſrumpatur, quam flectatur, ni igne molleſcat, præcipuè ſi loquamur de ferro præſtantiori, quod calybs eſt, loquamur. Ferrea itaque Ditis corda appellat Claud. ad oſtendendam morum Plutonis indocilitatem, duritiem, intractabilitatem, inflexibilitatem; *Ferreus* enim, deducto nomine a ferro, dicitur per translationem animus ſuauitati inacceſſus, moribus inflexibilis, inexorabilis &c. Ideò *ferrea corda*, pluribus pro vno poſitis, & poſito corde pro Anima, ſeù animæ potentia, nempè voluntate, quæ in corde reſidet, vt ſupra adnotauimus. Alludit autem hic Vates ad communem vulgi opinionem exiſtimantem, ex habitu cordis mores conformari; quæ etiam confirmari viſa fuit ex Ariſtomene bellatorum acerrimo, qui toties Lacedemonas fudit, proſtrauitque; nam eius demortui, ac diſſecti, ſetis obſitum cor inuentum fuiſſe, tradit Herodotus.

DITIS SEVERI. Ditis nomine Plutonem deſignat. De quo vide dicta ad Carm. huius lib 3. *Seuerus* autem idem eſt, ac *crudelis, terribilis, humanitate prorſus exutus*, quibus omnibus conditionibus difficilis ad Amores redderetur, & quæ in cauſa fuere, vt obſtupeſcens Auctor, in inuocatione huic Poemati inſerta, & quaſi de re imperceptibili locuturus exclamarit:

Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum,
Et veſtri ſecreta Poli. Qua lampade Ditem
Flexit Amor. Quo ducta ferox Proſerpina raptu.

Quam tamen imperceptibilitatem abſtulit Iupiter, dum *ferrea* Plutonis corda nuncupauit: nam, ſicuti ferrum, vt innuimus, ardoris vi facilè inflectitur, & in formas extenditur omnes, ſic ferreum Ditis cor Venereis flecti flammis, atq; in amores omnes conformari poſſe oſtendit. Ideò

MOLLESCANT. *Molleſcere* enim eſt *duritiem, & inflexibilitatem exuere, & facilem ſe præbere tractanti, mollitie, ac flexibilitate indutum*; quod per ignem aſſequitur, qui ferrum varios in artis vſus efformat induſtria.

LASCIVIS SAGITTIS. Ideſt ſagittis laſciuiam inducentibus. Laſciuia enim pro eodem, ac *mollities* ſumitur, vno verbo ſagittis Venereis, quæ ſcilicet hominem mollem, effœminatum, ac delicatum nimis efficiunt. *Sagitta* autem teli genus eſt, quod arcu euibratur; & igneas eſſe Amoris, ac Veneris ſagittas, iam eſt in Triuijs ipſis decantatum. Quare harum igne ſagittarum probe dixit emolliendum cor Ditis ferreum Iupiter, ſpectatâ naturâ ferri.

Nos itaque iiſdem ardoribus conflagremus ad fontem ſalutaris doctrinæ, quæ ſcilicet ad Inſtitutionem ſpectantia edocet morum, properemus, & quæ nobis ediſcenda hinc ſint ediſcamus.

Perditio tua ex te Iſrael. Nec eſt cur Deum prædeterminantem, aut Fatorum neceſſitatem incuſemus. Induratum fuit cor Pharaonis, & induratum à Deo; ſed hæc non fuit prædeterminatio, qua Deus illum in malum, ac perditionem cogeret; ſed pœna fuit anteactorum ſcelerum. Meritus fuit Pharao cumulata culparum ſerie, vt Deus gratiam ſubtraheret ſuam, illum relinquens in manu conſilij ſui: homo autem ſibi relictus ſemper in præceps ruit, naturâ, ſemper ad malum prona, turpiter impellente. An quia Pater, filium correctionibus recalcitrantem videns, laxas, vt dicitur, illi permittit habenas, dicendus eſt filium ad præcipitium cogere, & impellere? An impius dicendus Pater, quia filio prodigo portionem contingentem conceſſit, & quaſi à Patria poteſtate manumiſit volentem, cum ille hoc ipſum poſtulaſſet: Da mihi portionem quæ me contingit? Neminem puto dementem adeò, vt hæc auſus fuerit affirmare. Detrectat paterni onus imperij filius Peccator, dum peccatis addictus exclamare videtur ad Patrem Deum: *Liberum me creaſti: libertate datâ vti prorſus volo; nec legibus paternis coercendam eſſe iam cenſeo.* Cedit Deus Peccatori ſui ipſius imperium volenti: Sed, ne Iuſtitiæ iniurius ſit, hoc ipſum in pœnam anteacti delicti meritò conuertit, & hoſtibus expoſitum derelinquit, permittens, vt eum hoſtes diripiant, ac miſerrimam in captiuitatem adducant. Hoc in Fatis fuiſſe dicitur, ideſt Decreto ipſius Dei ab æterno ſancitum; non quia Deus, per tale decretum prædeterminauerit peccatorem ad mala agendum; ſed quia ab æterno viderat, peccatorem libero abutentem arbitrio, ſpontè ſua à Patre diſceſſurum, ſtatuit eum relinquere in manibus conſilij ſui; & quia ex hoc præuidit peccatorem ſpontè in peius ruiturum, ſtatuit, vt pœna peccati mors eſſet, ac conſequenter peccatorem hoſtibus tradendum, ac denique æterno damnandum interitu. Sed decretum illud ex præuiſis procedit, non ex abſoluta Dei prædeterminantis voluntate, vt vides. Tu

ipſe, ò homo, viam diuinæ gratiæ peccatis obſtruis; tu ipſe peccatorum prauiſorum atramento nigrum huius decreti Theta tibi ipſi conſcripſiſti. Dele pœnitentiæ lacrymis Chyrographum, quem formaſti, & nouerit Deus mutare ſententiam, ſi noueris mutare vitam. Æthera deſeruiſti? Iter denuò Cœlum verſus arripias. Terram Cœlo prætuliſti? Spretâ iterum terrâ, Cœlum eligas præferendum. Terrenis indulgens cupiditatibus, Imperio ſenſuum, eliminata ratione, obſecutus es? Iterum clauumq; regat vel.. q; miniſtret Pars ſuperior, & inferiori aſſiſtens, eamq; cuſtodiens, ad rectam viuendi formam componat; & eam, quam ſtolidi potiùs, quam Stoici Fatorum adſtruunt neceſſitatem, diuina cooperante iam gratia, euitabis. Sed dicet fortaſſis aliquis: Proſerpina mea, idest Anima, à peccatis grauioribus immunis extat. Leuiora quis euitet? Cum laqueis plena ſint omnia. Ne decipiaris, quiſquis es, qui talia recogitas; nam & hæc ſedulò, ac toto animi conatu vitanda ſunt. Capite nobis (ait ſumma veritas humanis degens in artubus) capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Hæc peccata, quæ leuiora dicuntur, vt Deus paulatim ſuam ſubtrahat gratiam promerentur; & tu ipſe Deum excitas ad talem ſubtractionem, ex qua ſubindè fit, vt qui ſpernit modica paulatim decidat. Væ homini illi, quem Deus iuſtus ſcelerum vltor relinquit in ſui ipſius manu conſilij, atq; in pœnam, vel non cuſtoditi ſenſus, vel abſentiæ, hoc eſt, negligentiæ cuſtodientis rationis cum hoſtibus permittit inuadendum, ac præcipuè Venereis oblectationibus concedit diſcerpendum. Sed hanc permiſſionem nos, nos ipſi poſſumus euitare, ſi libertatem, quam, Dei donu, recepimus, vltrò Dei legibus ſubijciamus. Quod ſi datum donum in Deum ipſum conuertimus, iure in præceps, Deo permittente dilabimur; iure deſerimur, deſertores ipſi cum ſimus: nec eſt cur perditionem noſtram alijs, quam nobis ipſis imputemus.

Iamque ſatis indultum moribus. Et, vt morem geramus Italicis muſis, Cytharam expedientibus, ſuadet ſtylus, ac ſtudium vrget breuitatis. Quarè ad diſſonam iam Chelim noſtram properemus.

Cun quell' occhio di Lince, à cui l'eterno
Non mai del grembo ſuo chiude gl' arcani,
Dalle Rocche ſupreme, onde l'interno
Scuopre quà giù de gl' andamenti humani,
Hauea non meno il Regnator ſuperno
Di tutto ciò ſcorta la ſerie, e vani
Delle Diue i contenti irne deluſi
Volti à figliargli il duol di Cloto i fuſi,
Quindi prend'ei de ſuoi conſegli à parte
Delle frodi d'Amor la Madre artiera;
E i ſecreti del ſen tutti comparte
A' chi vince ogni ſen nuda guerriera.
Ben sà quant'ella hà de gl' inganni ogn'arte;
Quant' à trionfi ſuoi ſe'n voli altiera;
Onde, giuſta al deſir, mentr'ei l'impiega,
Tutto n'attende; e così 'l cuor gli ſpiega.
Forz'è ch'i ſueli à te, Ciprigna, il cuore,
E le, ſtrigi del cuor, cure mordaci;
Che ſegreto non v'è, ch'al bel candore
Deua chiuſo reſtar delle tue faci,
Ne gl' eterni decreti, à qual l'honore
Sempre ſi diè di non vſcir mendaci,
Preſcritto fù, che ſpoſa il letto ingombre
Proſerpina la bella al Rè dell'Ombre.
Attropo così vuole; e, che s'affretti
De ſuoi voler l'eſſecutione, impera.
Così prediſſe; e n'accertò gl' effetti
Quella, del cui predir tutto s'auuera,
L'Antica Themi, in cui del Fato i detti
De gl' Oracoli ſuoi giran la sfera.
Si che non più dell' intrecciar dimore
Sono in noſtro poter libere l'hore.
Trà le ſelue dell'Ida, hor, che trattienſi
Lungi la Madre, ed al ſuo mal s'appiglia,
Benche cieca no 'l vede, e pur mantienſi
Sorda à quel duol, ch'il ritornar conſiglia;
Opportuno gl'è 'l tempo, oue conuienſi
A Pluto eſpor l'incuſtodita figlia;
Siche, fattene il fier dolce rapina,
Sia lui preda, e di lui Donna, e Regina.
Vattene adunque, oue le rupi aduſte
Chiudon del tuo Vulcan l'alte fucine,
E, quando, al flagellar tenebre ingiuſte,
Ch'vſurpauan del ſol vaſto il confine,
Eſca dal mar la nuoua luce, onuſte
Rendendo à freggi d'or le balze alpine,
Tù Proſerpina inuoglia, e da ſue ſedi
La traggi al depredar fioriti arredi.
Gl'inganni tuoi, le tue luſinghe, i vezzi
Con che la terra, il mar, le sfere incendi;
Quei, con che, ad onta pur de miei ribrezzi,
Del tuo dolce me ſteſſo all'eſca prendi,
Ed, à goder de tuoi tormenti, auuezzi;
Opra ſagace, e quell' incauta accendi:
Mà ſcopo in vn dell' ardor tuo ſoccomba
Ferito il Rè della tartarea tomba.
E perche di trè Regni à tue corone
Due ſoli aggiungi, e reſta il terzo à ſdegno?
Perch' all' vltimo ſcettro hor ſi condone,
Quaſi ſia quel de tuoi trionfi indegno?
Scuotilo; e di tue forze alla tenzone
Ceda di Lethe à tue vittorie il Regno.
Angolo non vi ſia, ne di cui ſeggi
Non ſi ſcriuan da te d'Amor le leggi.
Non ſia, tra l'ombre, vn ſolo cuor, ch'a i dardi
Del tuo fuoco fatal reſiſter vaglia:
Vrta, incalza, feriſci, infiamma, & ardi
Qual dell' Erinni in crudeltà più ſaglia.
Le tue faci à ſentir non più ritardi
L'Acheronte; e di Pluto il ſen berſaglia;
Si ch'ogni ferreo cuor vinto del pari,
Frà tue laſciuie, ad ammollirſi impari.

At ſatis obſtrepuit chelis hæc. Iam Plectra ſequamur.

Accelerat præcepta Venus; iuſſuque Parentis
Pallas, & inflexo terret quæ Mænala cornu,
Addunt ſe comites. Diuino ſemita greſſu
Clarnit; augurium qualis laturus in orbem
Præceps ſanguineo delabitur igne cometes,
Prodigiale rubens: non illum nauita tuto,
Non impune vident Populi; ſed, crine minaci,
Nunciat aut ratibus ventos, aut vrbibus hoſtes.

ACCELERAT &c. Occaſionem nacta Venus exſaturandæ indigationis ſuæ, cum illi Iupiter, quæ præoptabat, conceſſiſſet; illicò rem aggreditur conficiendam. Et, Pallade, ac Diana, in ſocietatem, ex ipſius Iouis nutu, aſſumptis, iter ad Proſerpinam arripit. Quarè iter ipſum breuibus Poeta deſcribit, atq; ex loco à ſimili præclarè nobilitat; cumq. de cometis, cui, ſemitæ Dearum impreſſam, lucem aſſimilauerit, mentionem feciſſet, aptè etiam, & Prodigia, & auguria, quæ à Cometis, omnia horrore complentibus, circumferuntur, obiter attingit, vt tacite oſtendat Proſerpinæ funeribus potiùs, quam nuptijs dignam non defuiſſe portentoſi ominis, ac luminis effulgurationem.

ACCELERAT. *Accelerare eſt praproperè, ac feſtinanter rem aliquam proſequi, & eſſ-ere.* Cur autem tanta celeritate accingitur Venus, ſi, vt vidimus, ex Iouis monitu, craſtina lux erat ad rei effectionem expectanda? Interpretatur Parrhaſ. hanc celeritatem prouenisſe ex affectu Veneris obedientiali in Patrem: nam, qui prompto animo obedientiæ indulget, alas induere videtur,

ſeruz, quibus celeriùs ad obtemperandum deſeratur; ſicq; (addit Auctor cit.) nos admonet officij Poeta, quo Parentibus alacres obſequamur. Non abnuerem ego, ſi Iouis verba in ſenſu prædeterminante fuiſſent intelligenda, & in ſenſu præceptiuo. Verum quia illa, in ſenſu potiùs permiſſiuo tantum, prolata fuiſſe, iuxta ſenſum Poetæ inſinuauimus, aliam illius celeritatis cauſam aſſignare tenemur. Hæc tamen in promptu eſt; nam vidimus Venerem indignatam, eo quod à Proſerpina ſe neglectam putaret, exoptaſſe Venereis eam cupiditatibus irretitam in triumphum adducere; ideò igitur properat, ne ſit poſt hæc occaſio calua. Arripit itaq; fortunæ crinem ſibi à Ioue oblatum; & quia, qui aliquid vehementi animo concupiſcit, feſtinato ſemper gradu ad arripiendum, quod deſiderat, properat; Ideò *Venus accelerat*, & adeò accelerat, vt ne Ioui quidem reſponſum dare ſuſtinuerit; Quia huiuſmodi reſponſionis reticentiam, poterat prætextu obſequij cohoneſtare, cum Numinis inferioris non voce, ſed opere nutui Maioris reſpondere *Accelerat*

PRÆCEPTA. *Præceptum*, à verbo *præcipio* deriuatum, idem eſt, ac *iuſſum*, ſeù *aliquid ab habente poteſtatem imperatum*; cum præcipere pro eodem ſumatur, ac *iubere*, quod proprium prædominantium eſt, qui ita imperant, vt ſubditi obedire, & exequi teneantur. Hæc particula videtur omninò auuerſari ijs, quæ ſuperiùs diximus, nempè Iouem non præceptiuè, ſed permiſſiuè locutum; nam, ſi præcepta impoſuit, certè eſt præceptiuè locutus: quarè hæc ſola particula omnia iam antedicta euertit, ac falſa planè demonſtrat. Verum attende, & penetra oculatiſſimi Poetæ conceptum, & intelliges, omnia nobis integra adhuc eſſe, nec quicquam ex dictis euerti; conſpicies enim Iouis permiſſiones, facultatemq; Veneri conceſſam, nomine *præcepti* deſignari, non iuxta mentem proferentis Iouis, aut referentis Vatis, ſed iuxta mentem Veneris acceptantis. Sic amico interdum dicere ſolemus: *Nutus mihi præcepta erunt tui; Legem habebo quidquid dixeris*. Anne ideò nutus amici, vel vox, etiam non præcipientis, ſed tantum indulgentis, vim præcepti, ac legis habere dicenda ſunt? Abſit à ſæculo. Præcepta de ſe non ſunt; ſed reſpectu cupientis illa arripere, & exequi loco, illi, præceptorum ſunt, & ideò *præcepta* ab illo appellantur. Sic igitur, in caſu, non præcipit Iupiter, ſed Veneri indulget indignanti, vt vidimus; aſt, quia Venus deſiderio flagrabat exequendi, quæ Iouis permittebat Oratio, habitum *præcepti* loco ab illa eſt quidquid Iupiter permittens diſſeruerat; ideò Poeta, quæ Iupiter permiſſiuè conceſſerat, *Præcepta* vocat, *iuxta Veneris acceptationem*, quæ ea in vim præcepti aſſumpſerit exequenda. Ad cuius expoſitionis confirmationem nota admirabile prorſus poetici textus artificium; nam cum dixiſſet *Accelerat Præcepta* ſtatim, ad mentis ſuæ explicationem, ſubijcit

VENVS. Venerem autem diximus eſſe *innatum coitus deſiderium*. Cur igitur non inquit Poeta: *accelerat præcepta Dea Paphia, Cypria, Cytherea &c.* ſed dixit: *Accelerat præcepta Venus*? Agnoſce ex Poetæ ſenſu expoſitionis noſtræ veritatem. *Accelerat*, inquit, *præcepta Venus*; quaſi diceret: *accelerat præcepta deſiderium illud, quod à Theologis fomes peccati dicitur, & cuius proprium eſt, id, in quo ipſe delinquerit, in Cœlum ipſum refundere, quaſi à cæleſtibus præordinationibus prædeterminatus ita agat, vt non potuerit non agere, atq; adeò quod puræ permiſſionis effectus eſt, id præcepto attribuat, & coactioni. Iniquiſſimum ſcilicet genus peccandi, quod errores erroribus cumulat, dum non ſat ſibi peccare eſt, niſi & peccatorum ſuorum cælum, ac Deum ipſum fecerit auctorem prædeterminantem*. Ideò dictum in ſenſu tantum exequentis *Accelerat præcepta &c.*

ET IVSSV PARENTIS. Magis explanat, ac detegit ſententiam ſuam Poeta, iuxta expoſitionem à nobis datam, procedere, nempè Iouem permiſſiuè, non præceptiuè locutum; nam ideò Iouem inducit Proſerpinæ non minus, quam Veneri, indulgentem, dum eodem tempore, quo Veneri facultatem concedit inuadendi, auxiliares etiam copias, ex certa, ac fauorabili Proſerpinæ ipſi, voluntate, Comites Veneri adijcit, quibus poſſit Proſerpina Venerem reijcere, ſi velit. Addit itaq; Iupiter Veneri comitem *Dianam*, hoc eſt *Virginitatis amorem*, vt Proſerpinæ, contra Veneris venena, inſtar Antidoti eſſet, ſi eo vti vellet. Addit & *Palladem*, hoc eſt *Sapientiam*, cuius monitu poſſit inſidias, dolos, ac fraudes Veneris detegere, ac eludere, ſi huic ſapientiæ inniti velit. Quarè, dum tentationem permittit, auxilijs, ad reſiſtendum, tentandam non deſtituit. Quaſi voluerit Poeta, in ipſo fabuloſo Ioue, veri, ac viui Dei ſimulachrum exprimere, de quo ait Apoſtolus: *Fidelis Deus, qui non permittit, vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Si itaq; Iupiter præceptiuè, ac prædeterminatiuè voluiſſet Proſerpinam Diti addictam, certè non iuſſiſſet, vt ad illam Pallas, ac Diana accederent, dum Venus ad ſeducendam properaret; nam hoc fuiſſet decretum contra decretum, dum eodem tempore, quo perdere aggreditur, adminiſtrat ſalutis, ſi ijs vti patiens velit, lateri addicit. Decretum autem contra decretum non admittendum in Ioue, ne dicatur idem ſimul velle, & nolle; conſequenter dicendum eſt, permiſſiuè tantum ad Venerem locutum fuiſſe; atque, vt oſtenderet ſe ipſum à prædeterminando alienum, eodem tempore, quo facultatem permiſerit aggreſſori, aggreſſiones paſſuram neceſſarijs non deſtituiſſe auxilijs. Sed meliùs infra.

ET IVSSV. Iuſſum ſecundæ declin. nomen, quod tamen frequentiùs, vt hic, per quartam inflectitur, propriè prædominium importat in iubente, coactionem in excipiente, ſeù obtemperante. Quarè ait Cic. pro Pompeio: *Lucullus veſtro iuſſu coactus abijt*. Iuſſus enim à verbo *Iubeo* deriuatur, quod apud peritos ſonat *Ius habens volo, cogens impero*, ex quo ſatis patet coactionem importari. In quo nota egregium Poetæ artificium; nam vbi loquitur de Iouis permiſſione, nomine præcepti à Venere deſignata, non eam *iuſſum* vocat; ſed *Præceptum* à Præcipio. Verbum autem *Præcipio* ſumitur ſæpè pro *præmoneo; ordinem ſuggero ſeruandum; Viam, qua incedendum ſit præmonſtro*, ex quibus vides nullam importari coactionem. Quando autem agitur de auxilijs ad Proſerpinam tranſmittendis, quia contra Veneris voluntatem futurum erat, vt tales haberet Comites, contra Virginum voluntatem, Impudicæ Deæ aſſociari; tunc *iuſſu* opus eſt ad cogendum, ne inuicem ſocietatem detrectarent. Ideò *Et iuſſu*

PARENTIS. Cum de Proſerpina tradenda Tartareo Regi ageretur, ſententiam protulit Iupiter, non vt Pater, ſed vt Iudex, pœnam ex præmiſſis præſcribens; aſt quando auxilia mittenda ſunt, vt Proſerpina euadere pœnam poſſit, ſi velit; tunc verè Patrem agit Iupiter, ideò hic, non ibi, ab eruditiſſimo Poeta Parentis nomine deſignatur; Parens itaque hic dicitur, quia Pater Proſerpinæ Patris verè vices, auxiliaturus, implebat: Parens reſpectu Veneris, quam vt filiam cogere poterat, vt Comites vel inuiſas aſſumeret: Parens denique reſpectu Palladis ex eius cerebro natæ, & reſpectu Dianæ eiuſdem ex Latona filiæ, quas vt Pater cogere poterat, vt Veneri viciſſim inuiſæ aſſociarentur. Et Parens deniq; dicitur, quia Proſerpinam filiam licet ex præuiſis meritis damnatam, quantum in ſe erat, cuperet non damnari, & ideò plura mitteret auxilia, quam tentationes permitteret.

PALLAS. Sapientiæ Dea eſt *Pallas*, alio nomine *Minerua*, quam ex Iouis cerebro ſine Matre progenitam effinxerunt Poetæ, eo quod, honeſtis omnibus diſciplinis, ac liberalibus artibus præeſſe crederetur, quarum artium, ac diſciplinarum inuentum, non ex humano ingenio, ſed ex inexhauſto diuinæ ſapientiæ fonte deriuatum affirmarunt. Dicta hæc *Pallas* eſt, quia *Pallantem*, vnum ſcilicet ex Gigantibus Cœlo infeſtis, Iaculo interfecerit, cum ipſa in armis ſtaret pro Ioue. Vel, vt alijs placet, dicta fuit *Pallas* à ἀπὸ τοῦ πάλλειν, idest à vibrando, nam de ſummo Iouis capite concutiens arma dicitur proſiluiſſe; & quia ideò ita pingi ſolet, & effingi, vt manu haſtam vibrare videatur. Dicta fuit etiam Tritonia à Tritonide palude, eo quod circa ipſam primò apparuerit, ex quo error illorum ſcatuit, qui Palladem Tritonide natam aſſeruerunt. Scio equidem, aliquos contendere, & conniti, vt Mineruam à Pallade diuerſam faciant, inter quos Apollodorus, qui immò dicit Palladem à Minerua vulneratam obijſſe. Verùm cum omnes conſentiant Auctores, armatam Palladem, bellorum Præſidem è Iouis cerebro (cranium Vulcania diuidente ſecuri) proſiluiſſe; & cum ex altera parte videam Apollonium in Argonau. lib. 4. aſſerentem, Mineruam armatam è Cerebro natam Iouis, quod & ante Apollonium aſſeruit Steſichorus, quem ſequuntur Lucianus, & alij communiter; non video cur à communi opinione recedendum ſit aſſerente, eamdem cum Minerua Palladem eſſe. Poterit tamen inter has fortaſſis diſtinctio argui à diſtinctione munerum, eo quod ſcilicet Pallas bellatrix ſit, bellorum Præſes, ac bellico aſſiduè exercitio addicta, vt apertè cecinit Horatius lib. 1. Carm. Ode 15.

Iam galeam Pallas & Ægida
Curruſq; & rabiem parat.

Sic apud Virg. Æn. 11. idem exprimunt Matres, Lauiniam ad templum Palladis proſecutæ, dum pro ſalute Vrbis, ac Dominæ, quam frequentes ſtipauerant, hæc fundunt vota.

Ar-

Armipotens belli Præſes Tritonia Virgo
Frange manu telum Phrygij latronis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo, portisq; effunde ſub altis.

Quem Virgilij locum imitatus poſtea Torquatus Hieroſ. lib. Canti 11. Turcarum Matres inducit à Surdo earundem Numinis opem ſic implorantes.

Deh ſpezza tu del Predator Franceſe
L'haſta, Signor, con la man giuſta, e forte;
E lui, che tanto il tuo gran nome offeſe,
Abbatti, e ſpargi ſotto l'alte porte.

Sed nos reuocat ad inſtitutum Pallas. Hæc, inquam fortè, ex officio bellatricis, alia putari potuit a Minerua, cui colum, & fuſum attribuit Virg. Æn. 7. ac calathos ad lanificium exercendum, quæ ex diametro bellatoribus genijs opponi videatur, vt oſtendit idem Virg. cit., dum ſic Amazonem bellatricem à fœmineis moribus alienam deſcribit.

Hos ſuper aduenit Volſca de gente Camilla
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas,
Bellatrix. Non illa colo, calathiſue Mineruæ
Fœmineas aſſueta manus; ſed prælia Virgo
Dura pati, curſuq; pedum præuertere ventos.

Veruo decidet, & hoc diſtinctionis, Palladem inter, & Mineruam, ponendæ fundamentum, ſi perpendantur ea, quæ græcè ſcripta ab Homero, latinè redduntur ex Mythol. Nat. Com. lib. 4. cap. 5.; videbimus enim tàm artem bellatricem, quàm Lanificam, aliaſq; ad Virginem ſpectantes, Mineruæ attribui; dum Hymno in Venerem Homerus oſtendit Mineruam, nunquam Veneri ſuccumbentem, bellatricem ſimul, ac lanificem fuiſſe his verbis:

Sed tribus haud potuit ſuadere, & fallere mentes,
E Ioue prognatæ, cui lumina glauca Mineruæ.
Aurea non illi Veneris ſunt munera cordi;
Prælia ſed placuere, feri ſed munera Martis,
Sed cædes, ſed bella, ſed & certamina pugnæ.
Prima viros docuit currus, orbeſq; rotarum
Suppoſuiſſe, ligans quas poteſt robora ferri:
Virginibuſq; eadem monſtrauit prima domi quæ
Munera conueniunt, animiſq; impreſſa notauit.

Ouid. autem Faſt. 3., apud eamdem Mythol. cit., Palladi apertè lanificium attribuit, dum hæc exarat.

Pallade placata, lanam mollire puellæ
Diſcant, & plenas exonerare colos,
Illa etiam ſtantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine denſat opus.
Hanc cole, qui maculas læſis de veſtibus aufers:
Hanc cole velleribus quiſquis ahena paras.

ex quibus Ouidij carminibus videtur ipſe idem Palladis, & Mineruę diſtinctionem accidentalem tantummodò innuere, dum Mineruam lanificijs operam dantem eſſe *Palladem placatam* inſinuat; Mineruam iratam, armiſq; indulgentem eſſe *Palladem armatam*. Quod conſtat, ſi conſideremus illa verba: *Pallade placata*, quibus diſtinguere videtur inter Palladem placatam, & Palladem iratam. Hæc igitur Pallas ſemper Veneri auerſa, quippè, quæ ſemper tenax virginitatis ſeruatrix dicitur extitiſſe, atq, adeò non potuit, quin inuiſa Veneri eſſet. Immò & in hanc indignationem exarſiſſe Venerem oſtendit Ouid. cit. Metam. 5. vbi ore Veneris hæc habet ad filium.

Pallada nonne vides, iaculatricemq; Dianam
Abſceſſiſſe mihi? &c.

Quarè reiectura facilè fuiſſet Venus Palladis ſocietatem, vtpote ſuſpectam, quæ Veneris orſis impedimento eſſe poſſet, & vice verſa reſpuiſſet Pallas eam habere comitem, à qua ſemper abhorruiſſet, ideò Iouis iuſſu opus fuit, vt neutra reluctaret.

ET QVÆ TERRET MÆNALA INFLEXO CORNV. Per periphraſim hic Dianam deſcribit Poeta, quæ, & ipſa Virgo, Veneri conſequenter erat infenſa, vt ex cit. Ouid. mox loco patet. Quam tamen Venus comitem ſibi adſciſcere iuſſu Iouis, vna cum Pallade, cogitur, & Diana, eodem pacto, ac Pallas, cogitur non renuere; vt dum vnica Venus Proſerpinam ſeducere moliretur; dupplici immiſſo auxilio fulciretur, ne in ſubdolæ foueas incideret, ſi illis potiùs quam Veneri adhæſiſſet. Sed hæc Veneri potiùs, quam illis, indulgens cecidit.

QVÆ. Ideſt Dea illa, quæ venationibus addicta

TERRET. *Terrere* eſt vehementem alicui terrorem incutere; & quia venatorijs cornibus feræ per ſyluas aguntur, quæ præcipiti metu ab eorum ſonitu longe, latèq; diffugiunt; ideò & Diana venatrix *illa* dicitur *quæ terret*

INFLEXO CORNV. Ex ſigno venatricem oſtendit; nam buccina, qua venatores vtuntur, propriè eſt *recuruum cornu*, ſeù, quod idem eſt *inflexum*, & quod in modum tubæ inflatur, ac ſonum edit belois omnibus terribilem, ex recilicta ſpecie, quam retineot, inſectationis, ac vexationis, quam audito tali ſonitu paſſæ ſunt alias; præter quam quod ipſa ſoni raucitas ad terrendum compoſita, dum tympanum pulſat auditorum animum ferit in corde. Poteſt etiam cornu hic accipi pro arcu ipſo ex cornu fabrefacto, ſeù qui in cornua flectitur, ſed magis placet expoſitio iam data, quam hæc quæ Parrhaſij eſt.

MÆNALA; a ſingulari etheroclito Mænalus, mons eſt Arcadiæ, non procul ab Argis, altiſſimus, ac pinea ſylua inſignis Dianæ ſacer, ponitur autem hic pro quouis monte, ſyluarum redimiculis ornato; nam Diana, vtpote venatrix, ſyluas omnes terrebat cornu; & in ſyluis perpetuò degebat, vt viriles aſpectus, nedum hominum commercia effugeret; tantus ipſam incendebat virginitatis amor. De Dianæ natalibus ſatis dictum, vbi explicuimus *Latonæ furta*. Dianam item fuiſſe venatricem innuimus ad Carm. *Ecce procul ternas Hecate &c.* Quarè ex ſigno venationis, quam exercebat, certum eſt Dianam hic Veneris comitem deſignari. Hanc auerſam à Venere fuiſſe, ex hoc vno patet, quod illa precibus a Ioue dicitur impetraſſe, vt virgo in æuum permaneret, vt teſtatur Græcus Callimachus latinitate tamen donatus apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. c. 18. Sic ore Dianæ

Da mihi perpetuo vt ſim virgo: da Pater alme.

Homerus etiam Hymno 10 Venerem teſtatur, Dianam Veneri nunquam adhæſiſſe, cuius græca carmina ſic vertit Mythol. cit.

Dianæ haud potuit mentem permittere amore
Alma Venus, quam ſtrepitumque iuuans riſuſque, ſociique,
Hanc arcus placuere, feras & cædere Syluis;
Huic Cythara, atq; Chori clamor concinnus, & vrbes
Iuſtorum huic hominum; vmbroſa ſuper omnia ſyluæ.

ex quo etiam habes, quænam exercitia Dianam exercuerint; & illam iuſtorum, ac innocentium tantummodo in Cœtibus adiuiſſe, quando è ſyluis, quod tamen raro, digreſſa Vrbes inuiſeret. Inuiſa igitur Dianæ Venus inuiſa Veneri Diana non niſi abſoluto Iouis iuſſu adduci poterant, vt ſimul, graderentur. Ex his autem comitibus Veneri additis vides venenum antidotis obuallatum, vt, ſi voluiſſet, Proſerpina antidotum potiùs hauriret, quam venenum. Video oppoſitionem, quæ nobis hic fieri poſſet ex Callimacho, qui Hymno in Lauacra Palladis oſtendit, quidquid Mineruæ (quam eamdem cum Pallade autumat) collibuerit Iouis nutu confirmari. Hæc autem ſunt Vatis carmina ex græco tranſlata apud Mythol. cit, lib. 4. cap. 5.

Annuit his dictis Pallas, quodq; annuit illa
Perficitur. Natæ Iupiter hoc tribuit
Ipſa Mineruæ one, quæ ſunt Patris, omnia ferre.

ex quo videtur inferri, Palladem; nempè *ſummam Iouis ſapientiam* Veneri comitem additam fuiſſe, vt intelligeret Venus, Decretum de Proſerpina ſeducenda firmatum ab ipſa Pallade, ac Iouis ideò nutu munitum, violari nequaquam poſſe; nec Veneri fas eſſe a ſeducendo deſiſtere, ne præſentem Palladem, à qua ſancitum fuerat quid agendum, offenderet, ac violaret. Verum hæc oppoſitio plus habet oſtentationis, quam roboris. Suppono cum Callimacho, vt hoc largiar obijcientibus, Iouem nihil decernere, niſi quod Palladi placuerit; atq; adeò dici poſſe, Palladem hic acceptam pro ipſa Iouis voluntate, nedum ſapientia. Quid inde? Sequitur ne ex hoc, diuinam voluntatem ſe Veneri aſſociaſſe, vt ei, in exequendis Venereis proditionibus, faueret, ac, vrgente ſui ipſius præſentia, eam ad nefarium facinus cogeret, & impelleret? Faceſcant, mediùs fidius, ad vltimos vſque Erebi receſſus, qui hæc fuerint opinati. Eſt Pallas ipſa Dei voluntas. Nonne ita dicitis? Et ſit. Aſt Pallas iſta nonne auerſa, nonne Veneri aſſeritur contraria, dum virginitatis aſſerendæ cupidiſſima deſcribitur? Ergo, ſi hæc Iouis voluntas fuit, fuit voluntas contraria, & oppoſita Venereis machinamentis, qua ideò potiùs oſtenditur Iupiter in Vatis habuiſſe, vt virgo Proſerpina remaneret; ideòq; hanc ſuam miſiſſe voluntatem, vt illa eam amplectens ſalua à raptoribus fieret, licet præuidiſſet hanc ſuam voluntatem ex deffectu Proſerpinæ negligendam, atq; adeò effectu carituram. Quare in auxilium mittitur, vt recipi contra Venerem poſſit ab indigente, ſi velit; non autem pro Venere ſtat, quæ Veneri contraria ſemper extitit.

ADDVNT SE COMITES. Pallas ſcilicet, & Diana de quibus ſupra. Et *addunt* inquit Vates, quia licet Pallas, & Diana ſi ſeorſim ſumantur ſingularitatem habeant, coniu-

ctua

etiam tamen ſuapte, vt hic numerum multitudinis efficiunt. Ideò addunt, quod idem eſt, ac *adiungunt*. *Adiungunt* autem non *coniungunt*, quia aſſiſtunt quidem lateri, ſed voluntates ſuas Veneri non coniungunt voluntati, cum ſemper auerſæ. Pronomen verò *ſe*, a genitiuo *ſui*, reciprocum cum ſit, in idem à quo prodit reuertitur, quarè hic in Deas ipſas reciprocatur, quæ iuſſu Iouis adduntur Veneri.

COMITES. *Addere ſe comites* idem eſt, ac *aſſociari*: Sed aduerte hic nominis proprietatem, noſtræ mirum in modum explicationi fauentem: non enim dixit Poeta: Addunt ſe *ſocias*, aut *ſodales*, ſed *addunt ſe comites*. Differentia igitur inter *comitem*, *ſodalem*, & *ſocium* eſſe dicitur ab indagatoribus proprietatis verborum; quod *Comes* dicatur is, qui quoquo modo alterius veſtigijs inhæret, lateriq; adhæret: aſt *ſocius* dicitur, qui alteri ſe ſe adiungit, in negotijs vt plurimum peragendis, ſerijſq; rebus, ac fortunæ arbitrio ſubiectis pertractandis. *Sodalis* verò dicitur is, qui in leuioribus, & ſæpè voluptuoſis, alteri aſſociatur. Vel igitur negotium Veneris ſerium hic exiſtimetur; Deæ illæ *ſociæ* non vocantur, quia Veneri huius negotij cooperatrices nequaquam erant futuræ; vel opus quod Venus moliebatur, dicatur voluptuoſum, vt congruentiùs fuerit, attenta Veneris natura; illæ non vocantur ſodales, quia huiuſcemodi operi immiſcendæ non erant. Ex quo clare deducitur, Deas illas, non Veneri auxiliares, ſed Proſerpinæ, ex iuſſu Iouis adfuturas. Nec opus fuerat, vt Iupiter hanc illis ſuam exprimeret voluntatem; nam nouerat futurum, vt ex ſeſe Virgines Virgini adhæreſcerent potiùs, quam proſtitutæ. Ideò ſatis fuit iuſſiſſe, vt cum Venere ad Proſerpinam properarent; quod opus futurum fuiſſet, ſpontè poſtea operaturæ. Carpit nihilominus Poetam hic Scalliger: quod Virgines det Veneri comites; ſed carpit, quia non vidit Myſterium à nobis ſupra patefactum. Sed dicet fortaſſis, faciendum fuiſſe, vt vel præcederent, vel à longè Venerem ſequerentur, vt opportuno tempore ſubinde adeſſent Proſerpinæ. Sed quærerem ego ex ipſo Scalligero, ſi debuerunt Proſerpinæ adeſſe, cum Venus dolos necteret, nonne, cum ipſa Venere, Domi Proſerpinæ, commorari debuerunt? Si itaq; indignum non fuerat eas Domi cum Venere eſſe, cur indecorum fuerit eaſdem comites itineris adiuiſſe? Adde quod, ſi præceſſiſſent, cum Venus eas Domi Proſerpinæ reperiſſet, potuiſſet ſe deceptam à Ioue arbitrari; cum videret Proſerpinam auxiliaribus copijs præmunitam, ac per conſequens à machinationibus deſiſtere. Si ſubſecutæ fuiſſent, videri potuiſſent miſſæ ad intercipiendas Veneris operationes, eo quod Iouem permiſſionis pænituerit: ac cum ſimul irent, potuit, & debuit potiùs arbitrari, eas miſſas à Ioue, ne Proſerpina dolos præſentiret ipſius Veneris, atq; adeo audaciùs proſequi, quæ in animo haberet, ſicque occaſionem præbere, vt Virgines Virginem tuerentur cognitâ Veneris perfidia. Quod ſi in ſenſu prædeterminante Iupiter deberet intelligi locutus, vt videtur ſenſiſſe Dempſterus; neceſſe fuit has addere comites inſcias rerum agendarum, vt Venus non ſuſpecta, quia virginibus aſſociata, faciliùs deciperet, ac ſeduceret. Tandem hoc ipſum vidit Vates; nam licet alij aſſuetas Proſerpinæ comites efficiant Dianam, & Palladem; nolunt tamen vt Deæ iſtæ ſponte per occaſionem inuiſendæ Proſerpinæ ſe Veneri ad eam properanti addidiſſe; ſed *iuſſu* Parentis, ſub quo Myſterium latuiſſe poteramt arbitrari, quo honeſta hæc ipſa concomitantia, ac non reſpuenda redderetur.

DIVINO SEMITA GRESSV &c. Incongruum fuiſſet, ſi, Dearum ternario iter faciente, nullum itineris apparuiſſet indicium; quandoquidem, vt ait Lucretius, quoties Dij Cœlitus aliquo ſe demittunt, manifeſta poſt ſe lucis veſtigia relinquunt. Sequitur itaq; hic naturam Vates, & Cœlum, qua Deæ pergunt, nouo exhillaratum fulgore deſcribit: ſed tamen hunc ipſum fulgorem, portentoſi adinſtar cometæ, indicat effulſiſſe vt congruum futuris euentis oſtentaret prodigium, quaſi, fatidicis ſymbolis, futura Cœlum ipſum loqueretur.

SEMITA. *Via anguſtior* eſt *ſemita*, vulgo *callo*, ſeù *ſentiero*. Semitæ igitur hic nomine deſignat Poeta totam illam tramitis latitudinem, quam Deæ incedentes occuparent, ita vt nec ſtrictior intelligi debeat, nec latior; quo verò ad longitudinem, integrum itineris tractum notat, quem Deæ ipſæ, e ſummo Cœlo ad terram vſq; incedentes delinearunt.

CLARVIT. Malo *candens* inquit Heinſius cum Iſingrini codice: ſed cur id malit non video. Immò videtur verbum *candens* oppoſitum Poetæ textui; nam candeſcere, ſeù candére eſt *luce* quidem *exornare*, ſed luce quadam candoribus inſigni, vt ea lux eſt, quæ viam in Cœlo conficit lacteam, & tamen ſanguineam potuit hanc lucem deſcribit Vates, dum eam ſanguineo Cometæ inferiùs aſſimilat. *Clareo* igitur idem eſt, ac *claritate exornor*; *clarior fio*; *lumine appareo circumfuſus*; *luce ſcateo*; ex quo habes, noua luce circumfuſum Cœlum apparuiſſe, quoquo pedem verterent Diuæ, ita tamen vt verbum præſcindat adhùc ab hoc quod illa lux vel candida ſit, vel rubenti, aut ſanguinea. Meritò autem clareſcens inducitur Cœlum, vbicumq; Dearum Numen adeſſet; nam cum Solem Hieroglyphicum Dei aſſeruerint antiqui, conſequens erat, vt lumen, ſeù lux expreſſum haberetur indicium diuinitatis.

DIVINO GRESSV. Diuinum dicitur quidquid ad Deum ſpectat, cum itaq; Deæ haberentur quæ ad Proſerpinam feſtinabant, iurè *Diuinus* dicitur illarum *greſſus*. Sicq; cauſam aſſignat Poeta, cur Cœlum noua luce corruſcauerit, quia videlicet Deæ incederent, quia *diuino* decorabantur *greſſu*. Greſſus autem ipſa dicitur ambulatio, inceſſus, ſeù motus ipſe, quo quis à loco ad locum progreditur. Nota autem hic obiter poeticæ locutionis proprietatem, quæ, ſemper ſibi ſimilis, morum ſemper imitationem mirifice ſectatur. Non itaq; inquit Vates, Cœlum claruiſſe *diuino curſu*, *diuina feſtinatione &c.* ſed *diuino greſſu*, in quo apparet modus diuinæ ambulationis, cum decoro, ac grauitate coniunctus; properata enim ambulatio, & in curſum effuſa indecens fuiſſet, ac Dearum maieſtate indigna.

QVALIS &c. Similitudinem a Cometarum forma, ac fulgoribus deducens obijcit iam oculis, quinam & quales fuerint fulgores, quibus Dearum ſemita ſtiparetur. Ideò per opportunè, ſimilitudinem inducere aggreſſus, nomine, qualitatem in memoriam reuocante, vtitur. Nam *Qualis* relatiuum eſt æqualitatis alicuius rei naturam declarans, vel per ſimilitudinem adamuſſim explicans, relatiuum ſimilitudinis ad qualitatem pertinens, vt hic.

COMETES. Stella quælibet crinita *Cometes* dicitur, à comis ſcilicet nomine deriuato. Quid autem Cometa, ſecundùm propriam ſubſtantiam ſit, non omnibus faciè conſtat; immò omnium ferè Phyloſophorum torſit ingenia, dum quærerent, verè ne Sydus aliquod ex concurſu plurium ſtellularum ſit efformatum, an potiùs verè ſtella vnica ſit, tot fulgoribus illuſtrata: an verè ſtella non ſit, ſed vapor accenſus. Hæc omnia enim inter Phyloſ. controuertuntur. Hoc certum, raros eſſe Cometas, eoſq; inſolitæ figuræ ignis ſpeciem referre; atque, vt plurimum, infortunia portendere, ſatis in confeſſo eſt. Quod itaque ad placita Phyloſ. ſpectat de Cometis differentium; antiquiſſima fuit Pythagoreorum ſententia, Cometem nempe vere, ac propriè ſydus eſſe, aſſerentium, vnumq; ex ijs, quæ erratia dicuntur; rationem autem, cur raro appareat, eſſe dixerunt, quia huiuſmodi ſydus ſolem ſequatur ſemper, cuius ſuperexcedenti ſplendore occupatum ita obſcuratur, vt videri non poſſit; poſt longa verò temporum interualla à ſole digredi, aſſeuerarunt, & tunc vtiq; ſe viſendum præbere. Confirmant exemplo Mercurij, cuius ſtella, ob eamdem rationem, raro admodum conſpicitur. Verum, ſi hoc eſſet, deberet Cometa certis, ac ſtatis, iiſdemq; ſemper temporum interuallis, ſe conſpiciendum præbere, quod tamen manifeſtè falſum experientia ipſa comprobatur; nam Cometes non ſeruant hanc apparendi, latendiq; temporum menſuram; ſed modò hoc, modò illo tempore apparent, modò diù perdurant viſendi; modò breues ducunt viſionis moras. Omitto alias rationes, & quidem validiſſimas, quæ afferuntur contra Pythagoreorum ſententiam; quia noſtrum non eſt hic phyloſophicam diſputationem inſtituere. Qui cupiat, adeat Commentaria in lib. Meteor. Ariſt. primum à Franciſco Vicomercato Mediolanenſi conſcripta, ibi enim ipſe fusè pariter, ac eruditiſſimè hanc Pythagoricam ſententiam recenſet, ac refellit; licet eamdem adſtruere conati fuerint, & Hippocrates Chius excellens ſui temporis mathematicus, (neq; enim idem eſt cum Hippocrate medicorum duce, & Æſchilus, ac tota olim Italorum Phyloſophantium ſecta Pythagoricis veſtigijs pertinaciter inhærens.

Secunda igitur ſententia, Cometem non ſtellam eſſe vnicam, putauit; ſed aggregationem quamdam plurium ſtellularum ita coeuntium, vt, licet ſe inuicem non tangant, eo tamen quod earum ſplendoribus ſpatium inter ſtellam, & ſtellam interpoſitum mirificè illuminetur, vnicum efficere corpus videantur. Huius autem ſententiæ Aſſertores dicuntur in primis Anaxagoras, Zeno, Artemidorus, Democritus, & alij. Sed hæc ſententia eamdem cum ſuperiori patitur difficultatem, cum ſtellæ illæ, ſi prius diſſitæ erant; & poſtea in vnum coaleſcere debeant, certò ex errantium

numero

numero cenſendæ ſint; atque adeò & ipſæ certis ſemper temporum interuallis congregari eodem modo, ac Cometem conficere profectò deberent. Inſuper magni adeò Cometas interdum viſuntur, vt quartam ferè Cœli occupent partem, vt ex Hiſtoricis anteactorum temporum, patet, & nos in lib. de Cœlo ſatis docuimus. Vndè ergo tot ſtellularum concurſus? Certè, ad tam ingens Cometæ corpus conſtruendum, infinitè propemodum videntur requiri. Vndè igitur confluant?

Tertio itaq; loco de Cometis differens Ariſtot. Meteor. pri. ait, materiam cometarum eſſe exhalationem calidam, & ſiccam, quæ, cum proxima Cœlo ſit, vnà cum aeris magna parte illi continuata, motione Cœli circumagitur, ac motu illo accenditur, ex eâque accenſione igneas illas ſtellas, quæ diſcurrentes dicuntur, autumat conflatas: quo poſito, ſic de crinitis loquitur ſtellis. *Cum igitur ignitum principium, ſuperiorum corporum motu, in huiuſmodi denſitatem inciderit, idque nec adeò exuberans fuerit, vt celeriter, & quamplurimum accendat; nec tam debile, vt citò extinguatur, ſed amplum, ac latè patens, ſimul atq; halitum aptè attemperatum ex infero loco aſcendere contigerit, Cometum Sydus exiſtit, pro halitus illius figura.* Ex his Ariſtot. verbis patet, Ariſtotelem non recenſuiſſe Cometas inter ſydera; ſed, tumultuarium quemdam ignem eſſe, exiſtimaſſe, qui ex halitu calido, & ſicco, quomodo & reliquæ imagines igneæ, quæ in aere cernuntur, accendatur; accenſionem ſcilicet operante ſuperiorum corporum motu. Sic optimè ſaluatur, quomodo Cometæ non ſtatis ſemper temporibus, nec eodem modo, appareant, quia regularis eſſe non poteſt hæc addenſatio vaporum, eorumdemq; accenſio, cum nec regularis, aut æqualis ſit ſemper exhalatio. Saluatur etiam quomodo Cometes diuerſæ appareant figuræ; nam hoc prouenit ex diuerſâ, quam addenſati ſortiuntur vapores figurâ. Item ſaluatur quomodo Cometes incrementum paulatim acquirant, ac decrementum pati paulatim videantur; nam materia, cum ſucceſſiuè accenditur, dum accenſio à parte ad partem extenditur, ignea illa ſpecies incrementum acquirit, donec tota materiæ maſſa in ignem conuertatur, & tunc habet ſtatum. Paulatim autem deficit, ſi pabulum ignis paulatim conſumptus deficiat &c.

Varias cometarum ſpecies enumerant Auctores: Alij enim Criniti dicuntur, qui ſcilicet, Comarum in morem, promiſſos decutiunt radios, & de quibus Marſilius hæc habet:

Nam modo ceu longi fluxerunt de vertice crines,
Diffuſos radijs ardentibus explicat ignes

Alij barbati dicuntur, eo quod barbæ, & quidem promiſſæ æmulentur effigiem, de quibus idem Marſil. ſic:

. . . . Ardentis ſequitur ſub imagine barba.

Sunt & Cometæ, quos *Acontias* nominant, euibrati iaculi in morem, emicantes, quos ita idem Marſilius deſcribit:

Cum vaga per nitidum ſcintillant lumina Mundum,
Exſurguntq; procul celeres imitata ſagittas,
Arida cum gracili tenuatur ſemita filo &c.

Sunt & Doliales vocati, eo quod dolij figuram repreſentent, propter concauitatem fumidæ exhalationis, de quibus Marſilius ſic:

Quando etiam tumidis exæquat dolia flammis
Procero diſtenta vtero, pronaſque capillos
Mentitur paruos ignes glomeratur in orbes.

Sunt & trabales, de quibus hæc habet idem Auctor.

Interdum, æquali laterum compage retuncto,
Quadratamue trabem fingit, teretemue columnam.

Sunt inſuper, qui Lampades, Hyppei, Ceratiæ, Xiphiæ, Pithetes dicantur, quorum ſi diuerſas ſpecies agnoſcere cupias, conſule Franciſcum Vicomercatum in Commentarijs ad primum Ariſt. Metheor. pag. mihi 78. verſ. 35. Cum enim hæc parum conferant ad inſtitutum noſtrum, nos, ad inſtar Niliaci canis, hæc delibaſſe contenti, ad ea, quæ ad rem noſtram magis faciant, ſedulò properamus.

Aſſimilat igitur Poeta fulgorem, à diuinis greſſibus Cœlo impreſſam, igneis illis impreſſionibus, quæ, cum aureas ſtellarum faces æmulari videantur, ſtellarum crinitarum nomina ſortiuntur. Quam ſimilitudinem, quam Vates aptè in rem ſuam excogitauerit patebit infra.

LATVRVS AVGVRIVM. Infortuniorum prænuncios eſſe Cometas, in confeſſo eſt apud omnes, & videtur experientia ipſa comprobatum. Quarè curioſus ille experientiarum indagator ait nunquam Cœlo ſpectatum impunè Cometem; quidquid de placido Comete adſtruxerit Calphurnius. Certè Iulij Cæſaris mortem, quæ bellum ciuile peperit, Cometæ antecæſſerunt, de quibus Virg. Georg. 1. hæc cecinit:

Non alias Cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.

& deducit.

Ergo inter ſe ſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

Certè & Lucanus Pharſal. 1. infauſtos agnoſcit Cometas, dum iure territam ab ijs Romam ciuilibus inuoluendam bellis teſtatur; hæc inſonans:

Ignota obſcuræ viderunt ſydera noctes
Ardentemq; Polum flammis, Cæloq; volantes
Obliquas per inane faces, crinemq; timendi
Syderis, & terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra ſereno:
Et varias ignis denſo dedit aere formas.
Nunc iaculum longo: nunc ſparſo lumine lampas
Emicuit Cælo &c.

Saracenis etiam Gallias vaſtantibus bis ſeptenis diebus geminos affulſiſſe Cometas teſtatur Venerabilis Beda illorum temporum Sacerdos, quos Cometas ſecutus Caroli Martelli Francorum tunc Principis acerrimus cum Saracenis conflictus, in quo ad trecenta ſeptuaginta quinque eorum millia, teſte Paulo Emilio ceciderunt. Videntur autem ſępè ſępius Cometæ coronatis capitibus mortem minitari, Principum ſtrages, ac Dynaſtarum excidia. Quod ſi quæras, cur potius nobilibus, ac Principibus, quam plebeis mortem prænuncient Cometæ; Reſpondet Vicomer. cit. ex eo quod cæteris delicatius viuant, ideòq; faciliores ſint ad recipiendas malignorum influxuum impreſſiones, quas Cometes, calore ſuo, ac ſiccitate intemperatâ annum extremè calidum, ac ſiccum efficiens, in aere relinquit; ipſorum enim humores ex nimio luxu redduntur maximè idonei ad hoc vt accendantur, & ideò Cometæ influxus eos facilè quatiunt, atque ægritudini ſubijciunt, ac morti. Controuertitur tamen, num verè Cometæ hanc de ſe vim habeant præſagiendi, an potiùs ex inani quadam vulgi opinione hæc illis virtus demandetur. Ratio dubitandi eſt, quia Cometes, non ea ſolum, de quibus naturalis ratio poteſt afferri, quia probentur ab eorumdem Cometarum influxu dependentia; ſed multos etiam alios dicuntur euentus portendere, qui per rationem naturalem oſtendi non poſſunt, vt à Cometis ipſis prouenientes. Non facilis ſolutionis eſt quæſtio. Sed cum experientia doceat infauſta ſemper cometarum apparitione portendi, facilè adducor, vt dicam, hæc ſigna ex arbitrio, ac pietate Dei habere, vt calamitates indicent, ad hoc vt nos à Deo irato ad Deum placatum confugientes, dum fulgura metuimus, fulmina euitare poſſimus moniti. Ideò igitur, & præſenti loco Poeta ſplendorem, quo Cœlum coruſcat ea Dearum inceſſu, Cometæ aſſimilat augurium ferenti; quaſi Cœlum ipſum Proſerpinæ, mox mox in mortuorum Regnum transferendæ, funeribus, lugubri hac face, præludens parentaret; & hoc quaſi Cometa monente, ad ſe ipſam tuendam Proſerpina excitaretur. Ideò enim ille fulgor quaſi Cometes apparuit *Laturus augurium*. *Laturus* enim à verbo fero eſt quod idem ſæpe ſignificat, ac *exprimo, oſtendo, patefacio*. Emicabat igitur fulgor ille, vt prænunciaret, oſtenderet, patefaceret, aliquod infortunium capiti, inter Principes recenſendo imminere, cuius ille infortunij ferret.

AVGVRIVM. Augurium propriè dicitur ab auibus, ex quarum volatu, geſtu &c. prædictiones rerum futurarum antiquitus deſumebantur, at, per translationem traducitur ad quodlibet prædictionis genus ſignificandum. Quarè vides quomodo ex præcedentibus ſignis moneretur, vt ſibi caueret, Proſerpina; ni cæca omninò fuiſſet.

DELABITVR PRÆCEPS. Immutat lectionem Heinſius, ac legendum hic aſſerit: *Præpes delabitur*, cum Moreti codice; nam Cometa non delabitur, inquit ipſe, ſed ſcintillans dilabi, ac diſpergi videtur. De ſtellis autem, quæ delabi quandoque videntur, alia eſt ratio &c. Verum, bona tanti Auctoris pace, videtur mihi ipſe nimiam ex vna parte vim facere in verbis, ex altera verò vim ipſam, & proprietatem negligere verborum. Et primo quidem quo ad hoc vltimum patet ipſi minimè cordi eſſet ſubtiliſſimam illam diſtinctionem, quam faciunt inter *præceps*, & *præpes*: dicunt enim vtrumque importare velocitatem, ſed ita vt præceps dicat velocitatem deſcendentis ex alto, *Præpes* verò velocitatem in altum aſcendentis, quam profectò ſignificationem ſequitur, facto comprobans Virg. Æn. 6. vbi de Dædalo adſcititijs ex cretenſi carcere pennis euolante ait

Dædalus, vt fama eſt, fugiens Minoia Regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere Cælo,
Inſuetum per iter gelidas enauit ad arctos &c.

ex

ex quo vides præpetem dici volatum Dædali, qui è terris Cœlum verſus euolabat. Sed eſto dicere poſſit Heinſius hanc anatomicam diſtinctionem non ab omnibus ſeruari; ſed promiſcuè interdum & *praceps*, & *præpes* vſurpari. Cur igitur Heinſium non faciens vim in nomine, ex eo quod nomen vtrumq; eandem poſſit habere ſignificationem, vim ſubindè velit facere in verbis & contendere, legendum eſſe *dilabitur*, non *delabetur*; cum tamen vtrumq; verbum, ſi non adeò ſtrictè ſumantur, idem tandem ſignificet? Quod ſi tantum in rigore verborum ſit, cur non viderit Heinſius verbum *dilabor* idem eſſe, ac euaneſco, & in nihilum reſoluor? vt patet ex Æn. 4. vbi de Didone mortis frigore occupata, ait Vates

Sic ait & dextra crinem ſecat; omnis & vna
Dilapſus calor; atq; in ventos vita receſsit.

Dicet Heinſius non ſumendum in hac ſignificatione verbum dilabi, ſed in eo ſenſu quo ſignificat *extendi*, eo modo quo vtitur eodem verbo Virg. idem Georg. 4. vbi de Protei mutationibus Cyrene admonens Ariſtæum, ait

Aut acrem ſonitum dabit, atq; ita vinclis
Excidet; aut in aquas tenues dilapſus abibit.

Fateor participium dilapſus poſſe in ſenſu Heinſij interpretari; ſed, re attentiùs conſiderata, *dilapſus* eo loco non erit idem, ac *extenſus* in aquam, ſed idem, ac *elapſus* è vinclis, vulgò *sfuggito da legami*. Sed eſto ſit ſumendum in ſenſu Heinſij. An non efficiat in caſu noſtro Amphibologicum ſenſum verbum illud *delabetur*, dum non ſatis patet, num pro extendi, aut pro euaneſcere accipiatur? Tutius igitur arbitror vulgatam ſequi, quæ naturam imitatur Cometarum, qui ita ſublimi aeris regioni affixi ſunt, vt iam iam lapſuri videantur, iuxta annotationem Dempſterij. Hanc igitur amplector, & explico. Proſequitur itaq; Poeta aſſumptam ſimilitudinem, & oſtendit, quomodò fulgor ille exortus ex Dearum veſtigijs, e Cœlo ad terram vſque protenderetur iiſdem ſemper inhærens, à quibus procedebat veſtigijs. Ex quo habes, ſignum illud perenne, ac notatu dignum fuiſſe, vt indè magis pateat non obſeruantis Proſerpinæ ſoccordia. Vt Cometes igitur ad augurium compoſitus *Delabitur*. Verbum eſt hoc compoſitum ex præpoſitione *de*, & verbo *labor*. atq; idem ſonat, ac deorſum feror. *Delabitur* itaque; ideſt *de* Cœlo, vbi initium duxerat, deorſum, per continuationem luminis ſe ſe diffundentis, fertur ita, vt continuato ductu à Cœlo ad terram vſq; pertingeret; eo ferè pacto, quo lux deſcribitur à prodigioſo ſydere relicta apud Virg. Æn. 2. *Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.*

Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram ſe condere ſylua,
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem &c.

Alluſiuum autem eſt verbum *delabitur* ad Cometas illos, quos diximus *Acontias* nominari, & ad Cometas etiam illos, qui *Lampadum* nomine deſignantur, vt magis appareat, fulgorem illum, dum *lampades* imitaretur, funereis rogis, quos prædicebat, accendi; &, dum Acontias æmularetur, ſagittas mortem aptare prædicendam. Et profectò mortem ſubitura dici poterat, quæ vitiorum ſepulchro addicebatur. *Præceps* autem ferri hic ſplendor dicitur non ad oſtendendam eius diffuſionis velocitatem, vt putauit Heinſius, qui ideo præpes potius legendum eſt arbitratus; ſed vt ſitus eiuſdem ſplendoris ſub oculis poneretur, qui, cum è ſummo deorſum protenderetur præcipitantis figuram præ ſe ferre videbatur. Ideò ingenioſe admodum dictum agnoueris *Delabitur præceps*

IN ORBEM. Hoc ipſum immutat Heinſius, & legit

. . . . . *Augurium qualis laturus iniquum.*

Hæc lectio confirmaret vtique ea, quæ diximus de huiuſmodi ſplendore infauſta Proſerpinæ portendente. Sed quia videretur hæc lectio inniti Calphurnij ſententiæ Placidos etiam dari Cometas aſſerenti, qua ſtante neceſſarium fuerit addere *iniquum*, vt diſtingueretur hic ſplendor à Cometis fauſta ominantibus, non placet, obſtante effato, alter iam communiter recepto, nunquam ſcilicet Cœlo ſpectatum impune cometem; quo poſito, iam illud adiunctum, nempè *iniquum* ſuperfluum omninò eſſet. Arbitror itaq; Poetam potiùs vel iuxta communem ſententiam hic loqui voluiſſe, vel certè præciſiuè, atq; adeò *in orbem*, non verò *iniquum* dixiſſe. *Orbes* itaq; dicitur hic terrarum globus à rotunditate, ac figura, qua pollet circulari; nam certè ex terra, & mari globus conficitur rotundus, non quidem Mathematicè, ſed Phyſicè, vt nos fusè probauimus in lib. de Cœlo, & Mundo; vbi etiam innuimus, eas, quæ immenſæ videntur, conuallium depreſſiones, ac montium conterminas ferè Cœlis ſublimitates, reſpectu tanti corporis, perindè ſe habere, ac ſe habeant paruulæ illæ, quas, in malo medico, cernimus, prominentiæ, ac depreſſiones, quæ certæ talis fructus rotunditati Phyſicæ non obſtant. Notat igitur Auctor hic terminum ad quem fulgor ille deduceretur, nempè ad terram vſque; & ſignatè ad Siciliam Inſulam, ac Proſerpinæ domum, poſito continente pro contento, & toto pro parte. Sicq; hoc eodem, & vnico contextu notat locum, cui Cometæ minitentur, nempè orbem, in quem, ſeù contra quem augurium ferunt, vt aptè facta, licet implicite, comparatione declaret, cui minitetur ſplendor Cometæ aſſimilatus, nempe Proſerpinæ. cui imminebat

SANGVINEO IGNE. Ideſt ſanguinis colorem referente. Inter cometas, qui ſanguinei apparent funeſtiores, vt plurimum, habentur. Quare Virg. Æn. 10. ſanguineos cometas lugubres appellat.

Non ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent &c.

ideò aptiſſimè Auctor funeſto huic fulgori Proſerpinæ tragœdijs præludenti ſanguineum colorem adſcribit. Dum autem dicit *ſanguineo igne*, videtur clarè oſtendere ſe Ariſtotelicam de cometis, quam innuimus, ſententiam ſectium, igneis exhalationibus conflatum deſcripſiſſe, licet reſpectu ſplendoris, de quo hic, *igne decoris* pro *igneo fulgore*, vt patet; nam aſſignat modum, quo fuerit ſplendor.

PRODIGIALE RVBENS. *Prodigiale* nomen eſt aduerbiatum, vt illud Virg. cit. *Lugubre rubent*, quod apud Poetas frequentiſſime inuenies vſurpatum; & per metaplaſmum erudite. *Prodigiale* autem dicitur, quidquid prodigium aliquod portendit; & quia tàm in bonam, quàm in malam partem prodigium accipi poteſt, addidit *Rubens*, vt ex igneo rubore intelligeremus malum eſſe prodigium, quod infauſto ſanguinis colore deferebatur.

NON ILLVM &c. Hucuſque ita Auctor noſter Cometæ eſt vſus ſimilitudine, vt non tantum ſimilitudinem, quam applicationem ſimilitudinis ſit ſecutus; nam cum ſimilitudinem innuerit illis verbis *Qualis Cometes*: reliquas Cometæ proprietates ita recenſet, vt eas quaſi proprias fulgoris, de quo agebatur, recenſeat, & dum de Cometa inſonare verba videntur, ſenſus verborum de fulgore procedit, vt vidimus, & verificatur. Nunc verò, vt ex varietate dicendi ſtylus exornetur, & maiorem, etiam in funereis, pariat delectationem, relicto fulgore per ſimilem Cometæ figuram explicato, ſolum id, quod ſimile dicebatur, proſequitur; applicationem ſubindè Lectoribus faciendam relinquens; quaſi ipſe ſtupore correptus, non audeat dicere Proſerpinam ad huiuſmodi ſplendoris aſpectum internitam extitiſſe; cum omnes terreat Cometarum fulgor, dubius ne crederetur impoſſibilia enarrare, ſi quæ tamen de facto fuerint memoret, ad oſtendendum itaque, ſed relicto fulgore, cui ſimilitudo applicabatur, iam de ſola re loqui in ſimilitudinem adducta, apte vtitur pronomine

ILLVM. Quod pronomen demonſtratiuum eſt, rem ſignans & a loquente, & ab audiente diſtinctam: ſed vlterius eſt etiam pronomen diſtinctiuum; nam quando gemina de re ſumus antecedenter locuti, ſi poſtea de remotiori, ideſt de primum obtinente, in locutione locum, loqui iterum velimus, deſignanda ea eſt per pronomen *illa*; ſi verò de proxima, hoc eſt vltimo loco poſita, loquendum ſit ea per pronomen *hæc* deſignatur. Duo præ manibus habebat Vates: Cometem, quem in ſimilitudinem adſciuit; & ſplendorem Deas comitantem, quem Cometæ coloribus delineabat: De hoc diſſeruerat vltimo loco, ſub allegoria Cometæ eum deſignans. Iam cum de vero, Comete, primo loco in gratiam ſimilitudinis collocato, loqui velit. *Illum* aptiſſime inquit ad diſtinguendum. Et *illum* emphaticè dixit ad augendam terribilitatem, quam ille terrores incutit videntibus, quæ videlicet tanta ſit, vt non audeat Vates Cometem proprio nomine iterum compellere.

NAVITA. Nautæ vel per epentheſim Nauitæ dicuntur nauium rectores a naui. Verum hic Nauita ponitur pro quocunq; vtente ad transfretandum nauibus; nam hi omnes Cometarum aſpectu, maxime terrentur ob rationem inferius attingendam.

NON VIDET TVTO. Appoſui hic verbum *videt*, nam licet per adiunctionem tàm Nauita, quàm Populi vnicum habeant in textu verbum, nempè videat, ordo verborum poſtulat, vt claritatis gratia vnicuiq; membro per disiunctionem proprium addendum eſt verbum. Porrò de particula negatiua *non* ſatis dictam alibi malignantis naturæ eſſe

quarè idem eſt dicere *Nauta non videt*; ac dicere *Nullus Nauta videt*. *Videre* autem eſt *oculorum ſenſu aliquid percipere*. Et optimè hoc verbo vtitur Vates, ad oſtendendum maximum terrorem, quem Cometes incutit videntibus potiùs, quam eum apparuiſſe ex aliorum ore audientibus; nam magis ex viſu, quam ex auditu animus mouetur, vt cecinit argutus ille:

Segnius irritant animum demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubdita fidelibus.

transfertur tamen interdum etiam ad animi conſiderationem; nam, quod eſt oculus in corpore, ideſt intellectus in anima; atq; hinc ſæpè ſumitur *video*, pro eodem, ac *conſidero*, *animo perpendo*, atq; *attenta cogitatione deprehendo*. Et in hac etiam ſignificatione ſumendum hic eſt hoc verbum; nam ſi quis aliquid per ſe quidem terrificum videat, ſed animo non aduertat, perinde eſt, ac ſi mortuo modo videret. Sic ſi apertis oculis dormienti ſpectra offerantur, imago quidem illorum oberrat oculis, ſpecies eorum in oculis recipiuntur, & quaſi in ſpeculo in oculo ipſo repreſentantur; ſed, cum animæ potentia ſomno conſopita non aduertat, nec terretur dormiens, immò nec videre dicitur. Quarè verbum *videt* hic poſitum à Poeta intelligendum eſt *vitali modo*, ideſt ex Organi exercitatione ſimul, & aduertentia Animæ; ita vt coniunctim, & oculus videat, & animus attentè res per viſionem repræſentatas conſideret; & tunc *Non videt tutò*, hoc eſt *ſine periculo*, hoc enim ſonat aduerbium *tutò*; quo oſtendit Vates, in periculo ſemper, ex apparitione Cometarum, Nautam conſtitui, licet non ſemper actualiter periclitetur; non enim ſemper regularis cauſa, quo ad effectum, Cometes eſt ſaltem reſpectu omnium, qui illum videant; ſed per hoc non tollitur, quin videas, ea apprehenſione imminentis, quod prænunciatur, periculi non exagitetur, cum certò ſcire non poſſit, num alteri potiùs, quam ſibi Cometa infauſtè præluceat.

POPVLI NON VIDENT IMPVNE. A particulari Nautarum ad generale, nempè ad cuiuſuis conditionis perſonas, in genere populari poſitas, gradatione habita tranſcendit, vt oſtendat, Cometas non nautis ſolum, ſed omnibus timendum eſſe, cum omnibus indiſcriminatim minitetur. *Populus* itaq; dicitur vnius Ciuitatis multitudo concordi communione aſſociata. Verum, quia Cometes non vni tantum ſignatè Ciuitati, ſed omnibus ſub eodem Climate conſtitutis indifferenter portendit infortunia: hinc eſt vt Vates, non *Populus* dixerit, ſed *Populi*; nam *Populus*, cum plurali numero effertur, diuerſarum Ciuitatum collectas multitudines indicat. Quarè ſic meliùs oſtendit Vates per omnes generaliter Cometarum terrorem diffundi, nec poſſe aliquem ſibi non infauſtum pro certo polliceri: ſicque indirectè probat, etiam Proſerpinam, ſi cordata fuiſſet, debuiſſe illum ſibi fulgorem præcauere, qui Cometæ ad inſtar prodigiale rubens affulſerat. De particula negatiua, ac verbo *vident*, recole iam dicta ad particulas: Nauita non videt. *Impunè* verò aduerb. eſt immunitatem a qualibet importans pœna. Quarè idem eſt, ac *ſine noxa*; *ſine detrimento*; *ſine punitione*; nam, licet non omnes ex populo, qui Cometam viderint, periclitentur actualiter, & pereant; tamen & nemo, ſe tutum fore, poteſt arbitrari; quarè ipſa mali expectatio, ac timor *malum* eſt, ſupplicium eſt, detrimentum eſt. Adde, quod, ſi aliqui ex Populo pereant, totus populus detrimentum pati dicitur; nam ſicuti quia ſinguli Ciues membra dicuntur Ciuitatis, ſi membrum vnum vulneribus exponatur in totius corporis detrimentum vulnera redundant; ſic, pereunte aliquo ex popularibus, populare corpus mutilatum dicatur, neceſſe eſt.

SED CRINE &c. Subijcit cauſam, cur & Nautæ, & Populi, Cometis terreantur. Et cauſa eſt, quia reſpectu nautarum ventos, ac naufragia; reſpectu verò populorum, penurias annonæ ſiccitates, bellorum ingruentias, cædes, ſtrageſq; minitatur.

SED. Quænam ſit hæc particula, & quatenus coniungentis, & quatenus tranſeuntis eſt, iam ſatis dictum.

NVNCIAT. Hoc eſt ſore ſignificat; nam pro *Prænunciat*, per aphereſim, ponitur, hoc eſt prædicit, & indicit.

AVT NAVTIS. Aut coniunctio ſeparatiua eſt, qua Poeta ea, quæ ſuperius coniuncta metum ſubire a Cometis incuſſum dictitauerat, ſeparans, vnicuique membro ex aſſignatis propriam timendi cauſam aſſignat; neque enim omnibus eadem infortunia timenda ſunt, cum, iuxta diuerſitatem conditionis, diuerſa vnicuiq; infortunia portendi poſſint. Et primo quid timendum nautis portendatur, exponit, ſicuti & ſuperius nautas primo loco recenſuerat. Cum autem nautis nil magis timendum, quam decertantium rabies ventorum, hanc ijs portendi memorat, dum ait *Nunciat Ventos*.

VENTOS. Maximam ventorum rabiem ex Cometarum apparitione portendi eruditiſſimè cecinit Pontanus

Quin etiam, quod ſe incedens nocte exiulis ignis,
Ille quidem, claro qua liquidum æthera tractus,
Inde ruet portis quam primum ventus apertis.

Ipſum Helenæ ſydus, cum accenditur, ſubmerſionis prænuncium eſſe teſtatur Franciſcus Vicomercatus in primum Ariſt. Meteor.; ac rationem reddit ex eo, quod non niſi in grauibus accendatur tempeſtatibus, nec, niſi craſſiſſimo ſpiritu, & magna ventorum vi, halitus ille cogi poſſit, & accendi: Quarè Horatius cum proſperam Virgilio precaretur nauigationem lib. Carm. 1. Ode 3. non Helenam, ſed fratres inuocat, nempè Caſtorem, ac Pollucem, qui ex diametro ſorori oppoſiti vim illius infringunt, & ſic ſalutem nauigantibus portendunt.

Sic te Diua potens Cypri
Sic fratres Helenæ lucida ſydera
Ventorumq; regat Pater
Obſtrictis omnibus præter Iapiga.

Idcircò itaq; Nautam ſalutis ſuæ dubium ſuſpenſoq; hærentem animo efficit prodigiale rubens Cometes conuulſiones minitans Oceani ex concitatorum ventorum rabie excitandas. Porrò quid ſit ventus iam dix. in præfatione ad hunc lib., ac plura de ventis diſſeruimus ad Carm.

Cum grauis armatus Boreas glacieq; niuali &c.

hic tantum notandum remanet, cur Vates *ventos* dixerit, non *ventum*. Ratio autem eſt, quia vnicum ventum eludere poſſunt facilè artis periti: at cum omnes agmine facto erumpunt Portis, ac vndique tranſuerſa fremunt, tunc

Rector in incerto eſt; nec quid fugiatue petatue
Inuenit: ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

vt inquit Ouidius, qui nauigationem prius ſuam decertantibus ventis deſcripſerat in ſummum diſcrimen adductam, ſic:

. . . . Nunc Eurus ab ortu
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt:
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto;
Nunc notus aduerſa prælia fronte gerit.

Sicq; Æolus Æn. 1. vt naues, iuxta placitum Iunonis Troianas perderet, omnes ex Antro emittit.

. . . . At venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumq; à ſedibus imis
Vnà Eurus, notuſq; ruunt, creberq; procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad ſydera fluctus.

tunc enim maximum, ac penè ineluctabile nautis imminet naufragium.

RATIBVS. Rates propriè loquendo *trabium compages* eſt, quæ, ante inuenta nauigia, nauium vicem ſupplebant; vulgò *Zatte*, ſeù *Zattere*, quæ in vſu adhuc ſunt in Anaſſo flumine ex Iulijs alpibus, per Bellunenſem agrum, in Adriaticum mare erumpente, vulgò *la Piaue*; atq; his ego ipſe vſus ſui Venetias per huiuſmodi flumen non ſemel aduectus. Hic pro nauibus ponitur, & naues pro nautis; ita vt per metalepſim à trabibus compactis ad nauim à naui ad nautas, vectoreſq; ſit procedendum.

AVT HOSTES VRBIBVS. Sic enim lego cum vulgata, & cum Heinſio, Barth., Clau., & alijs à Parrhaſio diſſentientibus, qui legerat *aut nubibus ignes*, quam benè, ac congruenter viderit ipſe. Sed iam ipſum audio Palinodiam decantantem, dum ait: *nonnullis tamen ex antiquis codicibus habent: aut vrbibus hoſtes; in quam lectionem tranſuerſus et magis agor, quo, nobis iſta perpendentibus, Italia bellis atteritur, quæ multo ante Cometa portenderunt*. Alterum itaque hoc membrum eſt ſub disiunctione poſitum, quo oſtendit, Cometem, non ſolum ea pericula prænunciare, quæ naturalem connexionem habere dici poſſunt cum eiuſdem Cometæ influentijs, ſed portendere etiam ea infortunia, quæ ex libero prorſus hominum arbitrio dependentia ſunt, vt bella, cædes &c. conatur tamen, & in his, naturalem connexionem cum influxibus Cometarum inuenire Vicomercat.; dicit enim igneam Cometæ naturam humana corpora exſiccare, & accendere, adeò vt bilis, quæ item ignea eſt in cæteros prædominetur humores, atq; adeò homines ad iram, bella, cædes, ac ſtrages concitari. Ingenioſa, vt fatear ratio eſt, & quæ multum habeat probabilitatis. An tamen certa ſit, & neceſſaria viderint alij: neq; enim meum eſt hic iſta diſcutere.

HOSTES. *Hoſtis* propriè dicitur iſte, cum quo bellum

publi-

publicum habetur; *Inimicus* verò cum quo priuatas rixas exercemus; & licet nunc promiſcuè hæc vocabula vſurpentur, proprietatem tamen ſecutus Poeta, hoc loco, dum de communi bello loquitur, *Hoſtem* vocat Aggreſſorem.

VRBIBVS. Quid nominis, & quid rei vrbis videas memoratum ad Carm. illud anteactum.

Vellitur & dubia nutant cum mœnibus vrbes.

hic tàm pro materiali ponitur, quàm pro formali, ſed præcipuè pro formali, ideſt pro incolentibus vrbes, vnáq; ſocietatis vnione gaudentibus: quarè dicetur cum populis ad conuertentiam.

CRINE MINACI. Crinitos iam diximus appellari Cometas, eo quod, comarum in morem, ſcintillantes radios diffundant: ideò & radios ipſos *crines* appellat Claud., eoſdemq; terrorum fontes, minarumq; ſcaturigines eſſe indicat, eo quod, vt dixit Aratus, ſtellæ

Crinita exſtunt multa ſquallentibus annis.

Inſuper in Leone, equo &c. villorum euibratio, vt in Leonibus Cybeles iam dix., ſignum iracundiæ eſt: itaq; & hìc euibrati Cometarum crines videntur in flagellum, propè dixerim, erigi, & minas acerrimè intentare, dum rutilant. *Crinis* verò dicitur capillus, e vertice ad humeros propendens. Crinem itaq; pro crinibus poſuit, nempè vnum pro pluribus; & Crinem dixit per ſimilitudinem translatiuè, non verò per proprietatem, *Et crine minaci* inquit; nam minax à minis dicitur, quaſi *minarum ferax*. Quarè dum Cometarum Crines *minaces* appellat, quanto euibrentur terrore, vno verbo, inſinuat.

Sed nos, terroribus iſtis admoniti, euitandi terroris ex terrore ipſo argumenta decerpamus ea quæ ad mores pertinent enucleantes.

Fruſtra Deum incuſat: fruſtra prædeterminationis, ac prædeſtinationis cogentia effugit decreta, qui præceps in mortem ruit, quia, neglectis ſalutaribus monitis, quæ ad ſalutem conferunt non ſectatur. En Iouem Dei ſimulacrum, in hoc poetico textu, exprimentem. Permittit Proſerpinam tentari, ſed auxilio non deſtituit, quo vincat, ſi velit, non vincatur. Præuidet, incurioſam illam, auxilijs non obſtantibus, lapſuram ſpontè? Deterrere conatur prodigijs ingruentibus. Et quis dixerit prædeterminaſſe ad id, à quo ipſe tanto prodigiorum deterret apparatu? Anne Deus in propriam pugnat ſententiam? Et decretum adſtruit contra decretum; vel quorum ſtatuerat, illicò ipſum pœnitet ſtatuentem? An ventis agitatæ frondis adinſtar habemus Deum? Immò certa ſemper illi ſententia, qua vult omnes homines ſaluos fieri. Ideò modis omnibus, vel prodigijs de Cœlo miſſis deterrere animam conatur, ne arbitrio illi ad ſalutem conceſſo in propriam abutatur perniciem. Quoties, dum actu peccas, per conſcientiæ ſynderesim animum pulſat, qui toties antequam actu peccares impedimenta opposuit obduratæ peccandi voluntati? Quoties flagellis inſonat, vt fugias à facie arcus? Et tamen in vtramq; aurem dormiens, quaſi nil te horum tangeret cura, lethali magis impiorum ſomno delectaris, quam Cœlorum monitis in tui ipſius cuſtodiam aſſurgas. Fidelis Paſtor Deus; ſed infidelis homo, ſe ouem ſummi negas eſſe Paſtoris, dum illius voces non audit, vel, quod peius eſt, auditas contemnit. Vox tonitrui eius in Rota. Minas obſerua, vt à pœnis animam ſerues. Fulgura metuas, vt euites fulmina. Sententiam ſalutis tuæ arbitrio tuo exares, auxilijs à Deo datis innixus per viam ſalutis incedens; ne aliquando illi dicendum ſit: Extendi manum meam, & renuiſti: ego quoq; in interitu tuo ridebo.

Et quoniam riſum attigimus, videamus obſecro, num Plectris noſtris Italica arrideat Muſa latinis Cytharis ad cantum excitata.

Prende, in forza d'impero, à ſuoi deſiri
 L'adorata da Cipro i grati accenti;
 E, già pronta laſciar del Cielo i giri,
 Brama poſte al ſuo piè l'ale de venti.
 Pallade; e, delle fiere infra tormenti,
 Quella, ch'hà nelle ſelue i ſuoi contenti,
 Gli s'addattan compagne; e così vuole
 L'alto Motor, ch'in Ciel gouerna il Sole.
Del Ternario diuin lucide l'orme,
 Moſſe il vano à ſolcar d'aerei campi,
 Par, che, con nuoue inuſitate forme,
 S'vniſcan, l'aria à ſeminar di lampi:
 Mà s'accoppian i lampi; e, d'vn conforme
 Soleo, ſembra, ch', in fiamme, il Ciel ſi ſtampi.
 Varcan le Diue: e per l'aperta ſtriſcia
 La fuocoſa impreſſion ſerpeggia, e ſtriſcia.
Par ſanguigna cometa, all'hor che porta
 Di funeſti preſſaggi armato il crine,
 (Se dal Ciel s'apre vn' infuocata porta)
 Che ſi ſcagli al varcar baſſo confine:
 Portentoſo terror nel Mondo apporta
 Meſſaggiera di ſtragi, e di rouine;
 E, del fuoco, ond'auuampa, entr' à i roſſori
 Del Genere mortal nutre i pallori.
Non la ſcuopre i Nocchier, che non ſi ſenta
 Scorrer per l'oſſa irrigidito il gelo;
 Non la ſcorge Nation, che non riſenta
 I flagelli nel cuor d'irato Cielo:
 Mà 'l minaccioſo crin nulla rallenta,
 Fiero, in vibrar de ſuoi portenti il telo;
 Per l'Eolie congiure, al Pin predice,
 Per martiali, alle rocche vrna infelice.

Carmina proueniunt animo deducta ſereno:

inquit Ouid. eruditè.

Diſſona nel mirum ſi dedit iſta Chelis.

Sed iam Vatem proſequamur.

Deuenere locum, Cereris qua tecta nitebant,
Cyclopum firmata manu ſtant ardua ferro
Mænia; ferrati poſtes; immenſaq; nectit
Clauſtra Calybs. Nullum tanto ſudore Pyracmon;
Nec Steropes conſtruxit opus: nec talibus vnquam
Spirauere notis animæ: nec flumine tanto
Incoctum maduit, laſſa fornace, metallum.
Atria cingit ebur; trabibus ſolidatur ahenis
Culmen; & in celſas ſurgunt Electra columnas.
Ipſa, domum tenero mulcens, Proſerpina, cantu,
Irrita texebat redditura munera Matri.

DEVENERE LOCVM &c. Secutus naturam motus localis, qui ſemper fit à termino à quo, ad terminum ad quem, & per interpoſitum deducitur medium; in anteactis innuerat Vates, terminum, à quo diſceſſerant Diuæ, Cœlum fuiſſe: Medium igneis effulgens vaporibus, Cometæ ad inſtar, deſcripſerat: Nunc Deas, terminum ad quem, tranſacto medio, attingentes notat, ac terminum ipſum, nempe Cereris domum graphicè deſcribit, & quid in ea ageret Proſerpina, attingit.

DEVENERE. *Deuenio* propriè eſt *e ſuperiori loco deſcendo, & ad locum inferiorem peruenio*. Ex quo liquet, Poetam terminum hìc à quo diſceſſerant in mentem reuocare, aptá vſum verbi proprietate.

LOCVM. Locus a Phyloſ. definitur *Superficies prima corporis ambientis immobilis*. Ex quo habes, locum dici quidquid cõtinet aliud, ita tamen, vt immobiliter, quo ad ſuperficiem ambientem conſiſtat. Ideò vas, continens aquam, nõ dicitur *locus* illius aquæ, quia vas illud moueri poteſt, & ſimul cum aqua ad alium locum transferri; *locus* autem *immobilis* eſſe debet. Hic nomine *Loci* Siciliam denotat, ac eam Siciliæ partem, quæ Domum Cereris continebat, vt ex ſubſequentibus patet. Optimè autem dicitur locus quia terra immobilis eſt, qua domus ſuſtinetur; & reſpectu aeris ambientis, licet ob continuum aeris fluxum mutetur aeris ſuperficies domum ipſam ambiens, tamen, cum ſemper ſuperficies aeris ambiens domum, quæcunq; tandem illa ſit, & quamtumuis mutari materialiter poſſit, ſemper inquam ſit æqualiter diſtans à certis punctis fixis; puta à polo artico, & antartico; nunquam dicitur mutari formaliter, ſeù in ratione loci, cum ſemper eadem im-

mobiliter ſeruetur diſtantia. Ad hunc ergo locum Deæ perueniſſe dicuntur; ſed, poetico more, per helleniſmum, præpoſitionem *ad*, quæ grammaticaliter requiri videbatur omiſit, Virgilium imitatus, qui pluribus in locis, ſed præcipuè Æn. 4. hoc ipſo vtitur locutionis modo, dum inquit:

Speluncam Dido, & dux Troianus eandem
Deueniunt &c.

& Æn. 6. de Sybilla Æneam ad Eliſios ducente

Deuenere locos lætos, & amæna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſq; beatas.

QVA. Hac ſpeciali nota, locum præciſum, ac particularem deſignat, qui terminus ad quem Dearum motui fuerit. nam particula *Qua* aduerb. loci eſt, idem ſignificans, ac *parte qua*. Quarè ſenſus poetici textus eſt *Deuenere locum*, & ad eam loci partem *in qua*, ſeù *vbi* Ceres tecta nitebant. Non enim hic aduerbium *motus per locum* eſt, ſed aduerbium ſtatus; in quo ſenſu Statio etiam familiariſſimum eſſe adnotat Parthal.

TECTA. *Tectum* à tegendo dicitur, eo quod totam contegat domum, eſtq; pars ſuprema eiuſdem domus. Ponit autem Poeta tectum pro tota domo, & plurali pro ſingulari numero vtitur iuxta figurarum per tropos loquendi modum, nempè per Synecd.

NITEBANT. *Virebant* legendum putat Heinſius, hoc eſt virore fœlicitatis efflorebant. Non nego optimam eſſe ſententiam, & correſpondere ijs, quæ dictura eſt Proſerpinæ nutrix in 3. *Florebat tranquilla domus &c.* ſed videtur locutio huiuſmodi aliquam pati ambiguitatem; nam ſunt & tecta virentia muſco, nempè viridi illa lanugine circa fontes, aliaq; loca humida enaſcente. Quare redargui poſſet Vates, ſi hanc ſuſpicionem talis lanuginis in tecto illo enaſcentis non euitaſſet, cum cæteroqui ſplendidam vndequaq; domum deſcribat. Alij legunt *manebant*; ſed vulgare nimis. Alij *latebant*, & fortaſſis non incongruè ad id, quod lib. 3. habetur: *Timeo ne fama latebras*

Prodiderit, longiſq; meum Trinacria celet
Depoſitum &c. ſic enim de domo ſua Ceres ibi.

Verum cum Vates hic ſplendorem cerealis habitationis ſit amplificaturus, videtur viam ſibi congruentiùs ſternere voluiſſe ad Amplificationem, Magnificentiam illius ædificij prima innuens fronte, per verbum illud *Nitebat*, quare à vulgata non arbitror recedendum. Alij legunt *Micabant*; ſed nobiſcum coincidunt, vt ex ſequenti explicatione patebit; nam *micare* eſt idem, ac *coruſcare*, & *fulgere*. *Nitebant* itaque, quia verbum *Niteo* idem eſt, ac *fulgeo*, *ſplendeo*, *coruſco*. Artefacta autem omnia accuratè, iuxta præcepta artis, fabrefacta, nitore quodam artis ſplendeſcere, omnibus in comperto eſt. Ideò & Cereris tecta *nitere* dicuntur, ideſt artis excellentia, & perpolitis artificum induſtrijs inſignia. *Nitere* etiam dici potuerunt ratione inhabitantium; nam, cum Domus Dearum eſſet, non potuit quin diuino illuſtraretur nitore, ac fulgorem quendam diuinitatis efflaret. Ideò *tecta nitebant*

FIRMATA. Reddit rationem, cur, ex artis induſtria, nitens diceretur hæc Cereris domus; & reddit à præſtantia artificum, qui illi ædificandæ deſudarunt: innuit enim Cyclopum induſtria extructum opus, vt ab artifice collaudet. Alij legunt *fundata*, nec abnuerem, niſi viderem maiorem perfectionem, atq; expolitionem importari per participium *Firmata*, quam per particip. *fundata*, vt ex explicatione patebit. *Firmata* igitur particip. præteriti temporis eſt à *Firmo*: *firmare* autem idem propriè eſt, ac *ſtabilire*, vocabulum ſcilicet ex ædificatoria arte deſumptum nam cæmentarij, cum ædificium aliquod ad vltimam deducunt perfectionem, illud ſe *ſtabilire* affirmant Poteſt tamen hic in multiplici ſignificatione deſumi: & primo ita vt dicat domum illam ſolidis adeò fundamentis obfirmatam fuiſſe, vt nec terræ motuum frequentibus, in ea Inſula, concuſſionibus quati poſſet, nec temporum iniurijs labefactari. Secundo mœnibus adeò validis roboratam fuiſſe, ac munitam, vt ab extrinſeco vim inferentibus inexpugnabilis redderetur. Tertio quia ex materia æternum duratura fuiſſet à Cyclopibus conſtructa, vtpotè quæ immortalibus Dearum auſpicijs dedicanda. Et hæc omnia amplexum fuiſſe Poetam non ambigo; nam ex ipſo deſcriptionis contextu hæc omnia attigiſſe ſatis conſtat.

MANV. *Manus* à manando dicitur, quia & ipſa extremo manat ex bracchio, & digiti ex ipſa promanare videantur, eſt enim membrum hominis bracchio immediatè adnexum, qua parte bracchium deſinit ipſum, & in latitudinem ſubinde extenditur, ac tandem in digitos diuiditur. Sed cur mentionem *manus* hic faciat Vates? Ecquis adeò peregrinus ab orbe eſt, vt neſciat, manum operationum omnium, quæ ab homine in alienam tranſeant materiam, inſtrumentum eſſe, ac mirificam operatricem? Porrò duplex, in arte ædificatoria conſiderari poteſt operatio, altera directiua, & præceptiua; altera verò executiua. Directiua, ſeù præceptiua propria eſt Architecti dirigentis, & præcipientis, quomodo hoc, & nunc ab inferioribus commentarijs operandum ſit: executiua verò propria manualium, ſeù ſubordinatorum cæmentariorum eſt, ad quos ſpectat mandatorum ab Architectis executio. Cum igitur Cyclopes tantæ excellentiæ eſſent, vt illis manus tantummodo præcipiendi videretur inniungendum; Noluit Poeta, vt in controuerſiam vocari poſſet, num ipſi præceptiuè tantum, an & ſimul operatiuè eam conſtruxerint domum. Ideò ait *firmata manu*, ſeù, vt alij legunt, *fabricata*; vel, vt alij *formata manu*, quas lectiones equidem non improbo, cum clariùs explicent Vatis intentum; ſed vulgatam ſequor, quia grandior aſſurgit, vt ex dictis patet *Firmata*, inquam, *manu* dixit Poeta, vt pateret, non dedignatos Cyclopes manu propria domum conſtruere, vt dignum diuinitate opus exurgeret. Inhæret autem, quo ad hoc, Vates vſui antiquo conſtruendi ſcilicet ex ferro ædes omnes Deorum, Dearumque, vt notat Dempſter, & quia Cyclopes Vulcanijs circa ferrum officinis exercebantur; ideò illis hæc etiam tribuitur ædes *firmata manu*.

CYCLOPVM. Cyclopes qui nam fuerint, vidimus fusè ad Carm. *Quod non Cyclopes tela &c.* vbi etiam eorum nomina, ac nominum ethymologiam adnotauimus. Pariter eos in Sicilia degiſſe, quæ ideò Cyclopum Inſula dicta fuerit, eoſdemq; giganteæ fuiſſe ſtaturæ, docuimus ad Carm.

Æthneos apices ſolo cognoſcere viſu &c.

quarè hic aliqua tantum, quæ ibi reticuimus veniunt aperienda. Cyclopes igitur centum numero fuere Cœli, & terræ filij, vt ait Heſiodus in Theogonia, citatus apud Mythol. Nat. Com. lib. 9. cap. 8. Alij tamen dicunt, cum Euripide ab eodem cit., omnes ex vno eorum Principe Polyphemo ortum duxiſſe, ac Polyphemi vxorem fuiſſe Latonomen, Herculis ſororem, Amphytrionis, & Alcmenæ filiam. Cyclopes monoculos fuiſſe, hoc eſt vnum tantum media in fronte oculum habentes teſtatur Apollodorus, cui inhæret Virg. Æn. 3. vbi de Polyphemo hæc habet:

. . . . . Et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua ſolum ſub fronte latebat.

& eodem lib. de cæteris Polyphemi filijs loquens, ſubdit:

Cernimus adſtantes, nequicquam lumine toruo
Æthneos fratres &c. vt alibi vidimus.

Nullis vtebantur legibus Cyclopes, vt ait Homerus in Odyſſea; qui ideò immanes, carniuori, homicidæ, humanis veſcentes cadaueribus, ac in Deos ipſos ſuperbi deſcribuntur. Hos tandem ædificatoriæ arti addictos, ſatis patet; nam Polyphemus ingens Galateæ templum dicitur extruxiſſe; & Tirynthen vrbem opus Cyclopum fuiſſe, celebrauit antiquitas; immò eius Vrbis muros extructos [illegible]runt rudibus lapidibus, tantæ magnitudinis, vt ne mini[illegible]s quidem illorum, vel iumentorum bigis, loco dimou[illegible]otuerit. Quidam ferunt, Mycenes etiam muros, vali[illegible]e profectò ſtructuræ opus, à Cyclopibus conſtructo[illegible], [illegible]os Argiui, fugatis prælio Mycenis, demoliri non potuerint. Vno verbo quidquid fabrilis operis mirata fuerit antiquitas e Cyclopum laboribus promanatum credidit. Ex horum numero tres habuit Vulcanus ſibi deſeruientes in officina ferraria exercenda, quos iam enumerauimus ad Carm. ſupra cit. *Quod non Cyclopes tela &c.* Hos autem, ſignatè monet Poeta, fuiſſe artifices, qui Cereris domum extruxerint, vt patet ex ſequenti contextu. Nec ſine myſterio hæc canit Vates, hoc loco; ſed extructam à Cyclopibus Cereris domum, in qua Proſerpina degebat effingit, vt ipſam domus ſtructuram, augurium fatale thori, indicaret: cum iiſdem manibus compacta extaret, quibus Inferorum portæ Proſerpinam excepturæ, dicuntur à Virg. fabrefactæ, Æn. 6., dum ſic inducit Sybillam cum Troianorum Duce colloquentem:

Acceleremus, ait; Cyclopum educta caminis
Mœnia conſpicio, atq; aduerſo fornice portas &c.

STANT ARDVA FERRO &c. Data ex anteactis occaſione, ſtructuram eiuſdem domus per hyppotipoſim deſcribit, ac deſcriptionem deducit à materia, à forma, à partium enumeratione, & adiunctis, vt ex ſequentibus patebit.

MÆNIA. Murorum hic ſtructura deſcribitur, quæ prima oculis obijcitur adeuntis: nam *Mœnia* à muniendo dicta (veteres enim ſæpè *œ* pro *u* ponebant) quarè mœnia propriè dicuntur, quæ continuato ductu vrbem aliquam cingunt,

gunt, & muniunt, ac hoſtiles impetus arcent, per translationem tamen extenditur hoc nomen ad quemlibet murum ſignificandum, præcipuè verò ſi ad defenſionem fuerit quoquomodo fabricatus. Cum igitur hic muri, quibus Proſerpina claudebatur, ad eamdem contutandam conſtructi fuiſſent, iure *Mænia* vocantur.

STANT. *Stare* ſignificat *erectum eſſe*, & *ſua mole conſiſtere*. Inſuper ad durationem refertur, ita vt *ſtantia mænia* dicantur, quæ & durant, & duratura in æuum ſunt. Denique ſtare pro eodem ſumitur, ac *horrere*, ſeù *horrorem incutere*; & accipitur etiam pro *denſum, ac ſolidum eſſe*, & *prominere*. Has autem ſignificationes omnes, quæ ab alijs ſeorſim diuerſimodè applicantur, hoc vno in verbulo eruditiſſimus Vates compilauit; nam certè cum ferrea eſſent mænia, non poterant, quin propria mole conſiſterent erecta, &, cum in defenſione extructa fuerint, altè prominentia; duratura verò fuiſſe ex ipſa eorum conſtat materia; eadem horrores incutere nemo negarit, qui nouerit, hoc proprium ferri leuigati eſſe, & in parietem efformati. Denſa tandem, ac ſolida fuiſſe ex eadem conſtat materia. Quarè vides quot vno verbo exprimat conceptus copioſiſſimus Vates. *Stant*

ARDVA. *Arduus* idem eſt, ac altus, & difficilè penetrabilis, ſeù ſuperabilis; ex quo factum, vt, per translationem, rem etiam indicet laborioſam, ac factu difficilem. Senſus autem tam proprius, quam translatus hic adeſt: iudicare enim voluit Poeta, præaltis munitam mænibus domum, ac per conſequens ſuperatu difficillimis, vt decebat hoſpitium ad ſecuritatem conſtructum; & inſuper ſignificare voluit, immenſo ferè Cyclopum labore, vt fuſiùs infra, ea mænia ſtetiſſe, quæ ardua dicuntur, hoc eſt difficillima factu, licet tandem facta.

FERRO. *Ferrum natare doces*, inquit Cic. 7. in Ver., de eo qui rem Impoſſibilem conetur ad actum reducere. Ad hoc ipſum, non planè quidem, ſed indirectè alludens Poeta, inſanum opus Cyclopum fuiſſe illud, oſtendit, quo ea mænia vt conſtruerent euicerunt. Ex materia enim rationem reddit, cur ardua dicta fuerint; nam primo, cum ea ex ferro conſtructa fuerint, certe non ſolum ſuperatu difficilia, ſed omninò inſuperabilia comprobantur; cum perpolitum ex ferro opus nullis rimis, nullis ſcrobibus, nullis cauitatibus anſas præbeat, vt quis ad muralem huiuſmodi coronam valeat adſpirare. Inſuper ferrum fundere, ac malleorum ſubindè vi extendere adeò, vt in altiſſimam exurgat proceritatem, latitudine non neglecta, certè laborioſiſſimum opus fuerit, neceſſe eſt, vt patet conſideranti.

FERRATI POSTES. Ferratum propriè dicitur id, cui ferrum ſuperinducitur, vt fieri ſolet in foribus, quibus ergaſtula illa, vbi captiuum detinent auari theſaurum; nam ligneæ tabulæ, quibus fores ipſæ compaginantur, ferro vtrinque ſuperinducto muniri ſolent. Hic tamen *Ferrati* pro eodem ſumitur, ac *ferrei facti*; nam incongruum fuiſſet, ferreis mænibus ferratos tantum, non ferreos, poſtes adaptaſſe; quod non eſt dicendum, vbi ſabrica extructa dicitur Cyclopum manibus; qui, vt ait Plin. lib. 7. ferream primi fabricam inuenère; quod idem eſt, ac dicere, eos ferreis omninò ſtructuris fuiſſe delectatos. Adde, voluiſſe Poetam hic, perfectiſſimam, ac vndequaq; munitam ſummè, habitationem delineare: quarè non eſt dicendus fortiſſimis hiſce mænibus inferiores Ianuas aptare voluiſſe. *Poſtes* verò in ædificijs dicuntur *latera Oſtiorum ex lapide, vel ligno extantia*, quorum alterum, cardinibus infixis, ſuſtinet fores; alterum ſeram recipit, & repagula, cum Oſtium clauditur; vulgò *le balaſtrate della porta*. Hic tamen pro *ipſis foribus* ponuntur *poſtes*; quod nouum non eſt apud Poetas, vt ex Virg. patet Æn. 2. *Poſtes* pariter pro *foribus* vſurpante, dum ait: *Limina perrumpit Poſteſque à Cardine vellit*.

nam, quæ cardinibus ſuſtinentur, *fores* ſunt, non *poſtes*; ſed, cum integrum Oſtium ex *poſtibus, foribus &c.* integretur, nomine propinquo abutitur, per cathacreſim; ſeù dixeris, partem ponere pro toto, per Synecd. quod frequentiſſimum eſt apud Poetas: ſeù etiam dixeris poſitum fuiſſe includens pro incluſo per Metonim. cum certè fores inter vtrumque poſtem includantur.

IMMENSAQVE NECTIT CLAVSTRA CALYBS. Ex hoc contextu ſatis probatur id, quod ſuperiùs diximus, nempe poſitos *Poſtes* ad ſignificandas *fores*; nam quæ ſupra *Poſtes* appellauit, hic *Clauſtra* vocat, & oſtendit vectibus ex Calybe fabrefactis roboratas fores, vt munitiſſimum conſtituat Oſtium tantæ domus.

CALYBS igitur ferrum eſt; ſed optimi generis ferrum, eo quod maximè purum, ac maximè durum ſit. Dictum eſt autem hoc ferrum *Calybs* à Populis Pontum incolentibus propè Thermodoontem fluuium, qui *Calybes* olim dicebantur, vt ait Callimachus, & primi huiuſmodi ferrum inuenère; ab Homero ſubindè *Alizones* dicti ſunt *Alybeſque*; ac tandem *Caldæi*, vt a Strabone refertur. Hi effodiendo ferro maximè addicti, ac perfectiſſimum ſeligendi in primis periti fuiſſe dicuntur, & confirmatur ex Virg. Georg. 1,

India mittit ebur; molles ſua thura Sabæi;
At Calybes nudi ferrum &c.

Ab his igitur populis perfectiſſimum ferrum Calybis nomen ſortitum eſſe non dubitant Auctores. Vel dixeris id nomen deductum a Calybe Hyſpaniæ fluuio, in quo ferrum optime temperatur, vel qui, vt ait Trogus, Populos ſui nominis alluit, qui cæteros ferri præſtantià longe ſuperent; nam hæc omnia ab eruditiſſimo Poeta alluſiuè attingi non ambigo, vt vno verbo, & optimam ferri, quo vectes efformabantur, qualitatem, & egregiam eiuſdem exprimeret temperaturam. Ferreas enim portas vectibus ex meliori ferro, illoque mirum in modum exactè temperato, muniri procul dubio conſonum fuit. Ponitur igitur hic *Calybs* pro *vectibus*, nempe *materia* pro *re ſignata*, & ſingulari numero pro plurali vtitur, more poetico, per Synecd.; nec enim vnico vecte tantæ molis valuæ ſatis poterant obfirmari, vt patet conſideranti.

NECTIT. *Nectere eſt ſimul vnire, atq; ita obfirmare quæ nectuntur, vt disiungi nequeant*. Cum igitur Oſtij valuæ, ingentes præcipuè, ita concinnari ſoleant, vt, vnitis ex vtràq; parte compagibus, cum clauduntur, vnica ex duabus valua fieri videatur, quæ ſubindè vectibus, introrſum appoſitis, firmetur adeò, vt disiungi, niſi remotis vectibus, non poſſit; hinc eſt, vt Poeta ad oſtendendam portarum firmitatem dixerit eas coniungi, & obfirmari vectibus ex Calybe factis, & *Calybs nectit*

CLAVSTRA. *Clauſtrum* à claudendo dicitur *id, quo aliquid clauditur*. Sic itaque & *fores clauſtra* dicuntur, vt ſupra notauimus, quia ipſis clauditur domus. Conſtat autem *Clauſtra fores* dici ex ipſo Poetarum Principe Æn. 7. vbi expreſsè habet: *portarum ingentia clauſtra*. Neque enim aſſentiri hic poſſum Parrhaſ. qui *Clauſtra* appellari *ſeras* à claui, hoc loco interpretatur; ſera enim firmat quidem id quod valuas nectit, nempè vectem, aut quidquid aliud vectis ſuſtinens vices; ſed non nectit ipſa, nec nectitur. Quarè repugnat textui, vt arbitror, eruditiſſimi alioquin Interpretis expoſitio.

IMMENSA. Hoc ipſum adiunctum Parrhaſianæ repugnat expoſitioni; nam, ſic nec valuæ quidem immenſæ dici poſſunt ſine hyperbole, quomodo immenſa dici poterit *ſera* valuis appoſita, quę vix cum illis habet proportionem vnius ad centum? Immenſa itaq; dicuntur *Clauſtra*, hoc eſt *fores*, ideſt *immenſi ponderis* per hyperbolem; nam immenſum dicitur quod nullà poteſt æquari menſura; clauſtra autem illa, cum à Cyclopibus fabricata fuiſſent, certè & quo ad molem commenſurabantur, cum ex vtroq; latere *poſtibus*; ex inferiori verò, ac ſuperiori parte liminibus inferiore, & ſuperiore, intercluderentur: & etiam quo ad pondus immenſa eſſe non poterant, cum finitas fabricantium vires non excederent. Hyperbolicè ergò dictum eſt, ad oſtendendum ea tantæ ſoliditatis, ac firmitatis fuiſſe, vt infiniti ponderis exiſtimari à non omnia perpendente potuerint. Inſuper vaſtitatem ſic adauget portarum, vt ex vngue leonem agnoſcas, hoc eſt, ex valuarum magnitudine colligas, quam immenſæ molis tota fuerit domus, cum certè Oſtium minimam ſemper, vel ferè minimam expleat domicilij partem.

NVLLVM TANTO SVDORE &c. Apertum hinc redditur, quod ſupra dicebamus, nempè mænia illa dicta fuiſſe *ardua*, hoc eſt *laborioſa*, & *factu difficillima*; nam ex Artificum ampliſſimo ſudore, tamquam à conſequenti amplificat antecedentem laborem copioſiſſimos huiuſmodi ſudores extorquentem à Cyclopibus in hoc opere perficiendo euigilantibus: Simul autem pretium addit domo, dum elaboratè, & non ſine ſumma artis induſtria factam oſtendit.

NVLLVM OPVS. *Nunquam* legit, vbi vulgata *Nullum* habet, Parrhaſius. Sed cum mox in textu iterum habeatur *nec vnquam*, quod idem eſt, ac *& nunquam*, non videtur conſona Poetæ delectationem ſectanti hæc tam immediata eiuſdem particulæ repetitio, cum nullam hic emphaſim habere poſſe videat. Quarè vulgatam ſequor cum Henſio, & alijs. Opus itaq; dicitur quodcumq; artefactum, ex labore, actione, atq; induſtria operantis artificis proueniens. Multa opera à Cyclopibus fabrefacta iam ſupra attigimus: ad ea igitur omnia reſpiciens Vates, tacita comparatione, in adig-

omnes, atq; hanc ex præfata Ceſte euenire, vt nos dicebamus confirmat apertè, nam relatiuum *Quibus* in mentem reuocat antecedentes dolos in Ceſte contentos.

SOLES. Ideſt *in more poſitum tuo eſt, vt efficias; ſeù aſſueſces facere &c.* cum autem ab aſſuetis non fiat paſſio, oſtendit hoc verbo Iupiter, nullam Veneri in huiuſmodi negotijs peragendis difficultatem adfuturam, cum ſemper victoriam in ſimilibus, immò & maioribus obtinuerit. Sic etiam Gotifridus Imperator, apud Torquatum, Hier. lib. Cantu 20. ab aſſuetudine vincendi milites incendit ſuos, vt ſtrenuè in hoſtes irruant, & vincant.

Chiedo ſolita coſa: ogn'vn qui ſembri
Quel medeſmo ch' altroue ò l'hò già viſto;
E l'vſato ſuo zelo habbia; e rimembri
L'honor ſuo, l'honor mio, l'honor di Chriſto.
Ite, abbattete gl' empi; e ò tronchi membri
Calcate, e ſtabilite il ſanto acquiſto.
Che più vi tengo à bada? Aſſai diſtinto
Ne gl' occhi voſtri il veggio: hauete vinto.

VRERE CVNCTA. Idem eſt *vrere*, ac *inflammare*, *incendere*, *cremare*. Cum autem Amor, quem ſuam præcipuè potentiam iactat Venus, vt iam ex Ouid. vidimus ad Carm. *Qua Lampade Diteem &c.* ignis ſit, vt alibi pariter probauimus ex Æn. 4. *Vritur infelix Dido &c.* nil mirum, ſi Amoris effectus Veneri matri tribuatur, adde quod & aliquibus placuit Venerem facibus armatam effingere. *Cuncta* autem, inquit, quod idem ſonat, ac *omnia*, ſed *quæ coniuncta ſunt*; vbi vice verſa *omnia* cuncta quidem ſignificat, ſed tàm coniuncta, quàm diſiuncta, vt notant verborum indagatores. Ex quo nota exactiſſimum Poetæ artificium, quo, hoc vnico verbo, comprobat, quod nos ſupra apertè docuimus, nempè Venerem nil aliud eſſe, quam occultum coitus deſiderium, quod, quia inſitum omnibus eſt, ideò omnia Veneri coniuncta dicuntur, atq; adeò *cuncta* dixit pro *omnia*.

ME QVOQVE SÆPE. Argumentum hic apertiùs, & fortiùs efformat à maiori ad minus, vt oſtendat Venerem, nullo negotio triumphum de Proſerpina reportaturam; nam, quæ mares vicit, cur non fœminam; quæ Deos vicit, cur non Deam; quæ Patrem vicit, cur non filiam; quæ Iouem deniq; vicit quid non vincat? Reſpexit autem hic Poeta ad ſententiam Theocriti in Europa, qui græcè quidem hæc, ſed latinitati donata à Nat. Com. cit. habet:

Perdomitus Veneris oculis, Iouibuſq; ſagittis
Quæ domuiſſe Iouem valet vna, Deoſq; ſuperbos.

omittit autem particulam *&* per aſyntheton, quia illa virtualiter latet in aduerb. *Quoque*, & quia non videbatur Iupiter cum inferioribus copulandus, licet paſſione æqualis.

ME emphaticè poſitum agnoueris, quaſi adhuc obſtupeſcat Iupiter, ſe toties Venere deuictum, eiuſdemq; admiretur potentiam. *Me* qui ſcilicet cuncta rego, nec vlli ſubiectus omnibus impero; *Me* qui extra teli iactum videor conſtitutus, dum omnia videns decipi nequaquam poſſum; *Me* qui prudentià excelſus, ſapientià ſublimis, viribus animi inſignis, & inuictus exiſto, *me vrere ſæpè ſoles*; me victum in triumphum adducere; *Me*

QVOQVE. Mirificè emphaſim adauget hoc aduerb.; quaſi Venus, Iouem vincens, poſſibile ſibi eſſe oſtendiſſet, quod, per ſe ipſum, futurum fuiſſet impoſſibile: nam *Quoque* pro *etiam*, & pro *ſimiliter* ponitur. Quatenus *etiam* dicit, habet emphaſim indicatam; quatenus *ſimiliter* ſonat, facilitatem oſtendit, qua inuincibilem Venus Iouem, nullo negotio, non minus ac viles alios deuicerit viuentes.

SÆPE idem eſt, ac *frequenter*. Cum autem ex frequentatis actibus fiat habitus, qui conſiſtit in qualitate facilitatem inducente, vt dix. in Præfatione ad hunc lib., magis oſtendit adhuc facilitatem, qua a Venere deuictus fuerit, dum frequenter. Et nota artificium dictionis; non enim inquit: *vrere ſolita fuiſti ſæpè*; ſed *vrere ſoles* de præſenti, vt doceat perſeuerare adhuc Veneris in eum præpotentiam, viresq; illas recidiuum Iouem adducat, & attrahat; atque adeò non ambigendum, quin & alia non ſolum, ſed & ſe ipſum iterum vincat, ne dum teneram, mollem, ac in eam proclinem Virginem. & alludit fortaſſis Poeta hic ad eorum ſententiam qui dixerunt à Ioue non ſolum adamatam fuiſſe Cererem Matrem, & compreſſam; ſed & Proſerpinam filiam. Ideò de præſenti loquitur *vrere ſæpè ſoles*. Certè, etiam ſi hoc de compreſſa Proſerpina falſum putauerit Vates, cum Proſerpinam Virginem appellet, potuit ad aliorum mentem reſpectiuè loqui. Et inſuper Iouis profectò amores quis enumeret. Vide dicta ad Carm. *Tibi ſancta creandi cupta &c.* nam ex eo loco tatis omnia noueris.

CVR VLTIMA &c. Depromptum ex Ouid. verbis Metam. 5. à nobis alibi citatis vbi Venus Cupidinem ſic affatur:

Tartara quid ceſſant? Cur non Matriſq; tuumque
Imperium profers &c.

Auidam his autem nouos ſemper triumphos aggerandi Venerem ſollicitat, ac ipſe propoſita, vel inferos debellandi accendit magis. Hinc per interrogationem eiibrat impulſum, vt oſtendens, nullam eſſe cauſam, cur Venus Inferorum Regnum ſuo non ſubdat imperio, eam excitat, vt Plutonem amoribus Proſerpinæ captum in raptum incitet. Sic enim à Ioue Proſerpina non dabatur, ſed rapiebatur, Ioue non renuente potiùs, quam volente, aut conſentiente. Hoc pacto Plutonis poſtulationi fiebat ſatis, cum iam non prohiberet illi thalamos Iupiter; immò cum, ipſe Pluto Nuptam raperet proprio genio indulgens, auferebatur cauſa conquerendi de Ioue, ſponſam fortaſſis tali non ſatis dignam toro præbente, conſequenter omnis nouæ indignationis occaſio diruebatur. Ita Pluto voti compos efficiebatur; quod in fatis fuerat ad effectum perducebatur; & Iupiter nec nuptam cogebat, nec extorquebat aſſenſum; cum res tota iam Veneris eſſet, ac Plutonis, Ioue nihil operante. Habetur igitur clarè hic explicata ſententia, quam nos ſupra innuimus inſediſſe animo requirentis, & qua, ſaluis omnibus, Proſerpina Plutoni traderetur. Sed dices ſi Iupiter Venerem excitat ad Plutonem incendendum, quomodò permiſſiuè, & non potius imperatiuè ſe habeat? Sed nota Venerem excitari in volentem; nam volebat Pluto & Vri, & Coniugem ducere; volenti autem non fit iniuria. Permiſſiuè ſe habuit Proſerpinam Veneri tradens: hac tradita Venerem incitat in volentem, nempè in Plutonem.

CVR. Aduerb. interrogantis eſt, quod implicitè oſtendit nullam eſſe cauſam omittendi negotium, de quo agitur. Emphaticum autem hic eſt; quaſi dicat Veneri Iupiter: ſi iam quidquid in terris eſt; quidquid in æquoreis ſpatiatur vadis; quidquid Cœlo clauditur; immò & me ipſum ditioni tuæ ſubegiſti; quænam eſſe cauſa poteſt, cur Plutonia regna tuis non ſubdantur arbitrijs? Nulla eſt: nulla eſſe poteſt.

VLTIMA REGNA. Inferorum ſedes *vltima* appellat *Regna*. Regna quidem congruenter ad ea quæ dixerat, Plutonem appellans Regem

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi &c.

nec enim Rex eſſe poteſt ſine Regno. *Vltima* autem dupliei appellat ratione: primo quidem vt conſentiat Plutoni, qui iam dixerat:

Tertia ſupprema patior diſpendia ſortis.

ſecundo reſpectu loci, deformitatis, ac ſitus. Locus enim centrum eſt terræ; ideò *vltima*, quia alta terrà, & caligine merſa, & vltima quia infimæ ſortis, nempe lurida, infœlicia, informia. Adde & tertiam rationem cur *vltima* vocentur, ideſt infirmiora, & debiliora, ac faciliùs ideò debellanda, ac quæ ſola vltimo loco ſubigenda remanerent, vt verè Venus totius orbis imperio potiretur.

QVIESCVNT. Quieſcere idem eſt, ac *nullo exerceri labore, nulla affici cura, ſumma perfrui pace, ac tranquillitate*; Quomodo igitur Inferorum regna quieſcere dicantur; cum Virg. Æn. 6.

Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi &c. dixerit; & ſubdat
Gnoſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna
Caſtigatque, auditq; dolos, ſubigitq; fateri. & ſubinde
Continuo ſontes vltrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans &c.

Anne quies dici poſſit, vbi aſſidua Pœnarum viget Tragœdia? Ita ſanè; nam, ſi queſtus audiamus Amantium, tranquilla inferorum ſedes eſt, pacata damnatorum tormenta, placidæ, furiales quamlibet, iræ, ſi cum amatorijs cruciatibus comparentur. Ideò quieſcere dicuntur Inferorum regna, poſito continente pro ijs qui continentur, dum flammas nondum experiuntur Amoris, vt egregiè innuit Marinus in Proſerpina:

Prouino homai l' Erinne
Se in Cocito è più cocente, e forte
L'ardor, della tua fiamma:
E dican lì giù poi
L' Anima tormentate,
Se tormento han gl' abbiſſi
Che le pene amoroſe in parte eguagli.

Iterum verbum illud quieſcunt, non abſolutè profertur, ſed comparatiuè, & ad ſubiectam materiam limitatiuè; hoc eſt quieſcunt ab hoc amatoriarum pœnarum experimento; nam,

licet

beat aliquis omni pœnarum genere exerceatur, ſi vna ſit pœna, quam non patiatur, dicitur ab illa quieſcere; atque hinc eſt, vt Inferorum Regna ab agitatione Venerei furoris aptiſſimè dicantur. Sed cur Regna in partem vocantur vbi de ſolo Rege Plutone ſubijciendo agitur? Facilis eſt reſponſio. Subacto enim Rege, quis non Veneri ſubijciatur cum Regis ad exemplum totus orbis componatur? Subacto itaq; Rege Plutone, omnes Inferorum Incolæ de conſequenti ſub iugum veniunt, ideò Regna. Videtur autem ſubſecutum effectum attigiſſe Virgilius Æn. 6. dum amores apud Inferos exerceri innuit:

Hic quos durus Amor crudelitate peredit
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit; curæ non ipſa in morte relinquunt.

Videtur etiam hoc loco ſe ipſum Iupiter redarguere, eo quod hæc prius Veneri non permiſerit, dum ait: *cur vltima regna quieſcunt?* ac ſubindè ea Veneri tradit inuadenda.

NVLLA SIT &c. Quod permiſſiuè, non præceptiuè dictum cenſendum eſt, vt ſupra in reliquis huiuſmodi dicendi modis animaduertimus, ne dicamus Poetam Fato cogenti adhæſiſſe. Quod ſi in ſententia fatalem neceſſitatem admittente loqueretur, non abſonum eſſet, & Iouem præceptiuè loqui. Sed, vt arbitror, non ſtat pro iudiciarijs Vates.

NVLLA REGIO. Ceteris à Venere edomitis ſola inferorum regio remanebat ſubigenda. Quarè dum hæc Veneris incurſui permittitur, iure per particulam vniuerſalem excluſiuam dicitur *Nulla regio*, propriè autem *Regio*, nam hæc a *Rege*, ſeù à rege dicitur; priuſquam enim prouinciæ fierent *regiones*, hoc eſt *Plagæ, fines, ſpatia, tractus* à regibus regerentur. Quarè hoc loco idem eſt regio, ac regnum.

SIT IMMVNIS. Immunis eſſe dicitur, qui aliquo priuilegio gaudens liber eſt ab oneribus publicis ſubeundis, quarè, cum oſtenderit Iupiter vniuerſaliter ab omnibus accepta Veneris onera fuiſſe, nil mirum ſi dicat immunem ab ijs eſſe non debere regionem Inferorum, iam ſubire volentem in Rege.

NVLLVMQVE SVB VMBRIS &c. Hic apertè declarat quod nos ſupra innuimus, nempè, ſuperato Plutone, futurum vt omnes Inferorum cultores ad partes Veneris tranſeant; atq; adeò, quæ ſupra generaliter complexus fuerat inquiens: *cur vltima regna quieſcunt*: & *nulla ſit immunis regio*: hic particulariter, per diſpoſitionem reſolutiuam de habitatoribus intelligendum eſſe iam explicat, dum dicit

NVLLVM PECTVS. De particula *Nullum* vniuerſaliter negatiua ſæpiùs diximus. *Pectus* verò anterior eſt pars animalis à gula vſq; ad venerem protenſa. Homini tantum datum eſt latum pectus, quod animalia cætera habeant carinatum. Dictum Pectus à compactis coſtis, quæ veluti firmamenta pectoris ſunt. In hoc ſedem cor habet ſuam; ideòq; pectus pro corde ponitur, nempè continens pro contento; ſeù etiam ponitur pro Anima, quam principaliter autumant in corde reſidere. Hic & pro corde, & pro anima, poſitum arbitror, ſed pro corde ſi ſumatur, translatus erit ſenſus; nam, cum regnum inferorum ſit regnum vmbrarum, vbi Æneam Sybilla comes edocet corpora non eſſe, iuxta illud Virg. Æn. 6.

Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Æneas ſtrictamq; aciem venientibus offert:
Et, ni docta comes, tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ,
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.

cum inquam ibi corpora non ſint, nec corda adeſſe poſſunt, niſi per quamdam ſimilitudinem, & proportionem, quatenus videlicet etiam in animabus Inferno addictis adeſt affectuum motio, cuius fons in viuentibus cor eſſe dicitur, & quatenus volitiuam potentiam, eiuſdemq; exercent actus, quam voluntatem in corde reſidere, Phyloſophi omnes teſtantur. At verò ſi pro Anima ſumatur, figurata quidem erit dictio, vt ſupra dicebamus, ſed proprietas in ſenſu ſeruabitur, quippe cum Amor, ac venerea cupiditas actus ſit voluntatis, & voluntas potentia animæ, quæ cum ab ipſa anima non diſtinguatur neque realiter, neque formaliter ex natura rei, vt nos fuſe docuimus in Animaſticis, dum hæc Veneri ſubditur, ipſa illi ſubditur Anima. Ideò *Nullum pectus ſit*; ab hoc enim verbo ſuprapoſito pendet, & hoc membrum per adiunctionem fig. *Nullum*, inquam, *ſit pectus*

INACCESSVM. Idem eſt *inacceſſum*, ac *inuerutum*, quaſi *non tribens acceſſum*. Ponitur autem hic pro conſequenti antecedens, nempè *acceſſum* pro *poſſeſſione* ad acceſſum conſequente. Memineris enim ſtatutum, per leges eſſe, vt ſi alicuius fundi vendenda alicui legitima poſſeſſio ſit, is qui debet Poſſeſſor inſtitui, Lictore præeunte, pedem inferat in fundum ſibi adiudicatum, herbas colligat &c. Ad hunc itaq; ritum alludit Vates, dum dicit, *Nullum ſit pectus Veneri inacceſſum*; ideſt: accedat Venus, pedem inferat in omnes animas, herbas ſuccreſcentium affectuum ſibi arripiat, permiſſione ſummi Iudicis, hoc eſt Iouis, obtenta, ac ſic poſſeſſionem accipiat animarum omnium, & nulla ſit adeò rigiditatibus obuallata, quæ ingreſſum in ſe ipſam, ac ſui poſſeſſionem Veneri non concedat. Alij, non *inacceſſum*, ſed *inaccenſum*, legendum arbitrantur; Inter quos videtur adfuiſſe Heinſius, nam, licet ipſe in textu *inacceſſum* legat; in annotationibus tamen ad textum, hæc habet: *Pectus inacceſſum*, immò *inaccenſum* cum melioribus. Male vulgatum tuetur Clauer. Apud Silium bene etiam lib. 1. Veteres libri *Inaccenſi flagrant altaribus ignes*. Hæc Heinſius. Parrhaſ. è contra aſſerit inaccenſum legi non poſſe, niſi perfracto ſenſu. Equidem, ſi aperiendum quod ſententiam ſit, diuerſim vtendum diſtinctione, ita vt videlicet, ſi præpoſitio *In* ex qua componitur *inaccenſum* ſumatur, vt particula negatiua, & ſit idem *inaccenſum*, ac *non accenſum*, vtique putauerim inaccenſum legi potuiſſe, abſq; vlla ſenſus perturbatione, contra Parrhaſ.; Si verò præpoſitio illa *in* ſit particula intenſiua, ita vt idem ſit *inaccenſum*, ac *valdè accenſum*, vt videtur importare Silij locus ab Heinſio citatus. Certe inaccenſum legi non poteſt, nam ſenſum efficeret omninò contrarium illi, quem Vates exprimere intendit, vt facilè conſideranti patebit. Contra Heinſium. Quod autem prædictus Silij locus importet intenſionem per particulam *in* additam participio *accenſi* patet, quia dicit *inaccenſi flagrant ignes*; *flagrare* autem *ardere* eſt. Quomodo autem ardeat ignis *non accenſus* ſi particula *in negatiua* eſſet in compoſitione hic? Dicenda igitur *intenſiua*, nam *valdè accenſi*, certe *flagrant ignes*. Verum abſolutè loquendo melius arbitror legi *inacceſſum*, etiam ſi negatiua eſſet in *inaccenſum*, nam & grandiori eruditione aſſurgit, & pleniori ſtylo decurrit. Attingit enim præter cætera etiam eam antiquorum opinionem, qui vt notat Barth. cenſebant neminem non mortalium ſubiacere Imperio Veneris, eamq; confictas ait dandum in omne etiam non mortalium pectus acceſſum.

VENERI. Emphaticè nomen Veneris hic ponitur, quaſi idem ſonat, ac *hera in morem venienti*; nam, vt vidimus credebatur Venus rerum omnium Domina, atq; ideò, quocumq; veniat Venus *veniens vt hera* dici poterit. Inſuper *Veneri* emphaticè; hoc eſt Veneri illi, quæ Terræ, Cœlis, Ponto dominatur, & cui conſequenter debetur etiam obſequium Inferorum? *Ideò nullum pectus &c.*

SVB VMBRIS. Superfluum videri fortaſſis poterit hoc additum *ſub vmbris*; nam eo ipſo quod dixerat *Vltima Regna*, de inferis loquens, nonne ſatis in comperto eſt, Regna illa in tenebris latitare? Nonne ſatis hoc incluſum fuerat in antecedenti? Sed caue, ne & tibi à Claudiano dicatur, quod contra carpentem cecinit: *Alter*

Quam carpas alios, corde, diſce prius?

Primò enim non ſolum hoc additum clariori inſeruit explicationi, dum locum ex inſeparabili adiuncto deſcriptum ſub oculis ponit, ſed etiam ex parte loci affert cauſam, qua poſſet Veneri acceſſus prohiberi; nam, cum oculi ſint in amore duces, locum Venus habere non poſſe videtur, vbi tenebrarum addenſatio perpetuam aggerans cæcitatem, viſum omnem adimat oculorum; atq; ideò ingens obijci vallum Veneri videbatur ex vmbris, ne in illi virium ſuarum, Amoris videlicet, faces euibraret. Ideò *ſub vmbris* addidit, vt innueret, hoc obſtaculo non obſtante, Venerem, ſi velit, triumphaturam. Et porrò quot interdum, viſione potius intellectuali, quam corporea, in ignotas ſæpè fœminas exardeſcunt? Secundò aliam affert cauſam, & quidem validiſſimam, qua tamen non obſtante, monet peruium futurum quodlibet Inferorum pectus. Cauſam autem quam hic attingit ea eſt, quam ſupra innuimus, nempè in Inferis, tantum eſſe tenues ſine corpore vitas, conſequenter venereæ cupiditatis incapaces; nam, cum dixerimus, Venerem nil aliud eſſe, quam occultum coitus deſiderium, a natura inſitum; certè coitus non poteſt exerceri inter res incorporeas, cum corporis actus ſit; ideòque etiam Poetæ hoc ipſum agnoſcentes, cum Iouem inducerent coitum exercentem, aliquod illi corpus, vt plurimum adaptarunt, V. G. Oloris cum Leda, Tauri cum Europa, Cuculi cum Iunone &c. Quare videbantur Inferorum habitatores, ex incapacitate naturæ, immunes ab inuaſione Veneris extare. Huic igitur, & ſuperiori obiectioni, quæ fieri poterant occurrit, per præoccupationem Rhetoricam, ore Iouis Poeta, vt tacitè

reſpondeat illi interrogationi eer quam ſupra expoſuerat; Quaſi hic dicat: non eſt cur ſub vmbris reſiſtant: ideſt cur ad ſe defendendos prætexant incapacitatem Inferi, eo quod vmbræ ſint; Sub hoc enim prætextu non debent, etiam ſi vmbræ ſint, immunes eſſe; nam, licet vmbræ ſint, Animæ ſunt, ac conſequenter affectuum capaces; & venerea quidem cupiditas affectus animæ, hoc eſt voluntatis eſt, licet miniſterio corporis educatur in actum. Amare poteſt, & ſine corpore Anima, licet ſine corpore coire non poſſit. Sub vmbrarum igitur laruis fruſtra, Venerem fallere conabuntur; nam, Venere incitante, eo modo, quo Dæmones incubi, ac ſuccubi, poterunt modum inuenire actus venereos exercendi. Adde quod iuxta Poetarum fabulas non ſine corpore Numina ipſa effingebantur. Sed corpus ex ſua natura habere non potuerunt; ergò iuxta fabulas ſemper in corpore aſſumpto ſunt: Quare ſi ratione naturæ incapaces ſunt vmbræ, ratione aſſumpti capaces fient venereæ ſuggeſtionis. Quod ſi Æneæ ſine corpore viſæ ſunt vmbræ, in puris tunc naturalibus, vt magis terrerent, ſeſe oſtentarunt; cum alioquin aſſumpto gaudeant corpore per Poetas, qui illis actiones omnes attribuunt corporeas. Ideò nullum pectus ſit Veneri inacceſſum ſub vmbris.

IAM TRISTIS ERYNNIS &c. Specificat adhuc magis obiectum in quod Veneris potentia poſt Plutonem exercetur deuictum; & nunc eandem potentiam amplificat, dum aptam denotat ad ea ſuperanda, quæ illi omnino oppoſita videntur ineluctabilem cum illa antitheſim ſecum ferre.

IAM. Aduerb. temporis eſt; atq; hic pro *tandem aliquando*, ſeù *nunc tandem* vſurpatur, vulgò *hormai*, vt denotet inſtandum operi, atq; illicò ſuſcipiendum perficiendumque negotium.

TRISTIS ERYNNIS. *Triſtis* propriè idem ſonat, ac *mæſtus*: ſed quia triſtitia in fronte hominis, ſeù mæſtitia, crudelitatis, grauitatis, iræ, minarum, ac difficultatis animi, vt plurimum, documentum eſt; ideò *Triſtes*, per tranſlationem ponitur pro eodem, ac *crudelis*, & *nimis eſſeratus tremendus*, vt certè hoc loco ſic accipi, ex ſubſequentibus patebit. Crudelitas autem, ira, odium videntur ex Diametro Veneri oppoſita, cum potiùs nimium ſemper indulgens, ſuauis, ac mollis, totuſq; amor ſit Veneris ſectator; & tamen ſuperandum hoc Veneri contrarium innuit Iupiter. *Erynnes* autem *Furiæ* dicuntur, ſeù Eumenides, vt patet ex Virg. Æn. 7. qui tali nomine eam, quæ Alecto dicitur nuncupauit.

Talibus Alecto dictis exarſit in iras,
At iuueni oranti ſubitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi; tot Erynnis ſibilat hydris.

& clariùs lib. eodem vnam pro pluribus, vt & noſter hic, ideſt pro toto ponens ternario, ait

Hic ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula Ditis
Monſtrantur, ruptoq; ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces quîs condita Erynnis
Inuiſum numen, terras, Cælumq; leuabat.

Cum igitur Furiæ ſint *Erynnes*, non hic repetendum, quæ aut quot ſint, quodnam earum officium, ac nomina, cum hæc vidertmus, ad Carm. *Contráq; Tonantem*

Conſtituant Furiæ, crinitaq; fontibus hydris &c.

tantum hic remanet indicandum, cur Erynnes appellentur, quod facile ex græco deducitur: nam Erynnis nomen eſt deriuatum à Græco verbo *ἐριννύω*, quod eſt *indignari*, ac *ſummopere commoueri*. Aptè igitur ſæuas inferorum ſorores non vocat Poeta hìc *Eumenides*, ſeù *furias*, ſed *Erynnes*, vt oſtendat, ipſum odium, in concreto furiali deſæuiens, & quod ex Diametro Amori opponitur, Veneri ſubdendum, ac in Amorem impellendum, vt ex hac inſuperabili, ſed ſuperanda tamen, anthitesi vires ipſius Veneris eximiæ amplificet, & robuſtiſſimas oſtentet. Porrò Erynnis ponitur hic, vt dicebamus pro toto Furiarum ternario, ſed vtitur numero ſingulari, vt inter illas ſpecialiter Tiſiphonem illam notet, quam vidimus inferorum caſtra incitantem, ac contra Iouem eorundem anteſignanam extitiſſe.

Tiſiphone quatiens infeſto lumine pinum
Armatos ad caſtra vocat pallentia manes.

quaſi Iupiter in pœnam odij, quod contra ipſum oſtentauerat Tiſiphone, eam Amori, ac Veneri tradendam peculiariter decernat, vt deteriores, ac ſæuiores inferno ipſo, ſi amantibus credimus pœnas infligeret rebellanti. Sed me parum memorem eorum, quæ loco cit. dixerim redarguit argutus quidam: quaſi non meminerim, me ibi dixiſſe Tiſiphonem amore Cytheronis captam, atq; ab eodem neglectam, contemptamq; fuiſſe; quod immò in cauſa fuerit, vt, auditis Plutonis deſerturet prohibitos ſibi thalamos conquerenti. Et ſi igitur (arguit ingenioſè mei operis cenſor) ſi igitur Tiſiphone iam ſenſerat amatorium vulnus, ad quid illam hic ſignate amoribus tradendam inſinuet Iupiter? Potiùs itaq; dicendum eſſet, eas deſignaſſe, quæ nondum Veneri indulſerant; nam hæ præcipue Veneri repugnabant, illiq; obijciebantur. Validiſſima, fateor, obiectio eſt, ſed quæ me tamen ab inſtituto non dimoueat. Fateor Tiſiphone Veneris ſtimulos ſenſiſſe, cum Cytheronis formam fuiſſet intuita, ſed amantem ſui potiùs, quam Cytheronis fuiſſe dicenda eſt, quippè quæ proprias voluptates expleri cuperet, ſed explentem, ſeù expleturum Cytheronem non deperiret, præciſa ſui ipſius voluptate. Argumentum huic aſſertioni ſuggerit efficaciſſimum *ipſum Eumenidis factum*, quæ cum Cytheronem flectere nequiuerit, illicò in naturam rediens odia, & ferina quidem, in illum exercere non erubuit; quod contra amantium naturam omninò eſt; Amantem enim immutari adeò ex Amore, inquit Terentius, vt non noſcas eundem hominem eſſe; cum igitur tam cito Tiſiphone redierit in naturam, dici non debet, amantem vere, ac penitùs fuiſſe, cum non acquieſcerit Amantis habitum, qui qualitas eſt difficilè mobilis; ſed fuit Amans denominatiuè potiùs, quàm formaliter; & ſe ipſam potiùs, quam Cytheronem amauit, ideò in furorem verſa eſt, cum ſe neglectam inſpiceret. Audi quid verè amans dicat apud Torquatum Hieroſ. lib. capo 16. Armidam, cum eam neglectam fugeret Amaſius.

Solo ch'io ſegua te mi ſi conceda,
Picciola, frà nemici anco richieſta.
Non laſcia in dietro il predator la preda;
Và 'l trionfante; il prigionier non reſta.
Me, frà l'altre tue ſpoglie, il campo veda,
Et all'altre tue lodi aggiunga queſta,
Che la tua ſchernitrice habbi ſchernito
Moſtrando me ſprezzata ancella à dito.

hæ ſunt veræ Amantis, licet neglectæ, voces, hi ſunt verè diligentis affectus; non verò ſtatim furialibus ſtimulis agi, & Amaſium interimere. Sed eſto verè Amans fuerit Tiſiphone. An neſcimus Amorem in odium conuerſum furorem fieri, & pectus adeò contra Veneris amoriſq; inuaſiones obuallare, vt eiuſdem pectoris expugnationem meritò Amor ipſe deſperet? Si igitur verè Amans fuerit Tiſiphone, (vt tecum loquar) eo ipſo quod Amor ipſius verſus fuerat in odium, inſuperabile eiuſdem pectus Venereis efficiebatur telis; ideòq; augetur potiùs, quam minuitur ſuperandæ anthiteſis vigor: atque adeò optimè, in ſenſu iam explicato, dictum à Ioue fuerit: *Iam triſtis Erynnis.*

SENTIAT ARDORES. *Sentio* propriè idem eſt, ac *ſenſu percipio*; cum autem amor, licet Animæ affectus ſit, adeò tamen redundet in corpus, vt ſenſibiles dolores, cruciatus, angoreſq; experiantur Amantes; hinc eſt, vt Poeta egregiè vſus fuerit verbo *ſentiat*, vt vim indicaret Amoris, animas non ſolum, ſed & corpora ſenſibiliter excruciantis. Senſibili autem cruciatu amantes affici ſatis teſtatur Virg. in Didone Æn. 4. dum illam, Amoris ſauciam ſpiculis, Ceruæ aſſimilat infixum à Venatore telum geſtantis; oſſaq; ac medullas exſiccari ab amatorijs flammis apertè monet his verbis:

Quid delubra iuuant? Eſt mollis flamma medullas.
Interea, & tacitum viuit ſub pectore vulnus.
Vritur infelix Dido, totaq; vagatur
Vrbe furens, qualis coniectâ cerua ſagittâ,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitq; volatile ferrum
Neſcius, illa fugâ ſyluas, ſaltuſq; peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Vides quam egregiè deſcribat ſenſibiles amoris dolores: nam illa flamma vrens medullas combuſtio, vulnus, ferrum vulneri infixum &c. dolores certè ſenſibiles in ipſum corpus eiaculantur. Hoc autem non in rationabilibus tantum, ſed etiam in brutis euenire deſcripſerat Georg. 3. vbi de equarum amoribus ſic:

Illas ducit Amor trans Gargara, tranſq; ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant;
Continuoque, auidis vbi ſubdita flamma medullis,
Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis
Exceptantq; leues auras &c.

quid his laboribus, ſic ſollicitudinibus, his medullis ambuſtis, ſenſibilius? Adde Iouem ipſum ſenſibiliter effractum, ita vt liqueſcere ſibi ipſi videretur, apud eundem Virg. Æn. 8. vbi de Venere Iouem amplexantem, loquens ait:

Dixerat; & niueis hinc, atq; hinc Diua lacertis
Cunctantem amplexu molli fouet: ille repente
Accepit ſolitam flammam, notuſq. medullas

Intranit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.

Experientiâ igitur propriâ edoctus Iupiter, Veneris vulnera ſenſibiliter percipi, nil mirum, ſi hoc ipſum dicat Tiſiphoni ſentiendum; cum, ſi illa vmbra ſit, ſeu ſpiritus, non minus talis ipſe Iupiter vtpotè ſupremum Numen, & tamen ſenſerat. Ideò *ſentiat*

ARDORES. *Ardor* vehemens calor, & incendium eſt; cupiditates autem venereas in incendia excreſcere, flammis comparari, & flammas antonomaſticè dici, adeò tritum apud Poetas, vt nulla indigeat explicatione. Vtitur autem hic Poeta numero multitudinis, vt ſciat Venus, non vnicum, ſed plures Eumenidi infligendos ardores, quo atrociùs in pœnam rebellantis animi torqueretur. Vnica ſupereſt difficultas, quam & ſupra attigimus: quomodo ſcilicet percipere per ſenſus potuerint & Iupiter, & Pluto, & furiæ, cum expertes corporis, ac ſenſuum ſint, & nos ipſi falſi ſimus, eos Venereæ voluptatis incapaces, ni aſſumpto corpore ad illas vtantur exercenda. Sed reſponſum eſt, & iterum reſpondeo, Nos locutos iuxta ſenſum veritatis, quæ Deum, ac Dæmones docet incorporeos eſſe. Quo veritatis ſenſu ſtante allegorica erunt hæc omnia. Verum attentis Poetarum fabulis, quæ Deos, Deaſq; omnes fecere corporeas, propria dictio erit *ſentiat ardores*. Ideò etiam ſupra Dijs Manibus pectora attribuit, & corda, dum inquit: *Nullumq; ſub vmbris*

Pectus inacceſſum Veneri.

Quod ſi in particula *ſub vmbris* oſtendit Manes incorporeos eſſe, vt dicebamus, loquitur iuxta ſenſum veritatis, vt notauimus, cum vmbras aſſerit, iuxta ſenſum Poetarum, dum capaces nihilominùs Venerei facit impulſus.

ACHERON. Quid ſit Acheron, nempè dolorum fluuius, iam vidimus ad illud Poetæ: *Taciteſq; Acheron obmutuit vndis*. Porrò fluuios ipſos Numinum cultus habuiſſe, patet, apud antiquos; quarè vnicuique fluuio proprium eiuſdem nominis Numen attributum fuiſſe ſatis conſtat. De hoc igitur Acheronte fabulantur Antiqui, miſſum illum ad inferos fuiſſe, eo quod potum Titanibus contra Iouem depræliantibus præbuiſſet. Quarè & hunc nominatim incendijs addicendum Venereis memorat Iupiter, vt nouo, in pœnam perduellionis, infernо, amatorio ſcilicet, cumularet.

ET FERREA CORDA &c. Hùc vſq; gradatim progreſſus Vates priùs inferorum vulgus ſubigendum notauit: *Nullum ſub vmbris &c.* Subindè validiores inferorum potentias: *ſentiat Erynnis &c.* mox Ditis propugnaculum, nempè Acherontem, qui priùs tranandus, & ſuperandus eſt, quam quis ad Ditem, Regem ſcilicet inferorum, deueniat. Hic in vltimo gradationis membro Ditem notat, qui primus, ac principalis fuerat ſcopus, in quem Iouis oratio collimaret. Sed Criticum hic iterum audio redarguentem memoriæ meæ labilitates. Et nonne inquies, memineris te dixiſſe facillimum futurum fuiſſe Veneri Regna inferorum, ſubacto rege, in ditionem vindicare, ergò priùs ſubigendus erat Pluto. Quomodo igitur hic gradationem inſtituis a vulgo ad potentias, à potentijs ad propugnaculum, à propugnaculo ad Regem, quaſi ea omnia priùs ſuperanda fuiſſent, quam Rex ipſe. Nonne eſt hæc aperta contradictio? Feſtina (quiſquis hoc pacto arguas) obſecro, feſtina lente; nam facilis eſt, & in promptu obiectionis ſolutio. Imitatur mores non ſolum Iouis oratio, ſed & expoſitio noſtra; nam quod vehementiùs cupimus, & ipſo ſtatim orationis initio, ex impulſu paſſionis exponere ſolemus, &, cum deindè ad ſuadendum motiua propoſuerimus, iterum ad illud idem inculcandum, in calce orationis regredimur. Propoſuit itaque Iupiter quod primum erat in intentione, & primum optabat in executione initio orationis, cum dixit:

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi
Iamdudum decreta dari; nunc, Matre remota,
Rem perage tempus &c.

Subindè motiua ſubdit excitantia ad opus, nempè triumphos, quos inde reportatura Venus eſſet, eaque ita artificioſè decurrit, vt ſenſim ſine ſenſu gradatim perducant orationem ad iterum inculcandum, quod initio propoſuerat. Quarè bene ſtat, quod ſubacto rege reliqua ventura eſſent in ditionem, & optimè inſtituta inter effectus ſubſecuturos talis gradatio, quæ iterum reduceret ad inculcandam regis debellationem. Itaque particula *Et* hoc loco non eſt copulatiua conſequentis accenſionis Plutonis cum antecedenti inflammatione Acherontis, ſed eſt particula expletiua Emphatica idem virtualiter dicens, ac ſi diceret *Et ante omnia*.

FERREA CORDA. Ferrum duriſſimum metallorum eſt, & quidem rude, impolitum, horridum viſu, ni igne repurgetur, expoliatur, atq; artificis manu, ignis beneficio, ad meliorem formam reducatur: inſuper ferrum inflexibile eſt, ita vt faciliùs diſrumpatur, quam flectatur, ni igne molleſcat, præcipuè ſi loquamur de ferro præſtantiori, quod calybs eſt, loquamur. Ferrea itaque Ditis corda appellat Claud. ad oſtendendam morum Plutonis indocilitatem, duritiem, intractabilitatem, inflexibilitatem; *Ferreus* enim, deducto nomine a ferro, dicitur per tranſlationem animus ſuauitati inacceſſus, moribus inflexibilis, inexorabilis &c. Ideò *ferrea corda*, pluribus pro vno poſitis, & poſito corde pro Anima, ſeù animæ potentia, nempè voluntate, quæ in corde reſidet, vt ſupra adnotauimus. Alludit autem hic Vates ad communem vulgi opinionem exiſtimantem, ex habitu cordis mores conformari; quæ etiam confirmari viſa fuit ex Ariſtomene bellatorum acerrimo, qui toties Lacedemonas fudit, proſtrauitque; nam eius demortui, ac diſſecti, ſetis obſitum cor inuentum fuiſſe, tradit Herodotus.

DITIS SEVERI. Ditis nomine Plutonem deſignat. De quo vide dicta ad Carm. huius lib 3. *Seuerus* autem idem eſt, ac *crudelis, toruus, humanitate prorſus exutus*, quibus omnibus conditionibus difficilis ad Amores redderetur, & quæ in cauſa fuere, vt obſtupeſcens Auctor, in inuocatione huic Poemati inſerta, & quaſi de re imperceptibili locuturus exclamarit:

Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum,
Et veſtri ſecreta Poli. Qua lampade Ditem
Flexit Amor. Quo ducta ferox Proſerpina raptu.

Quam tamen imperceptibilitatem abſtulit Iupiter, dum *ferrea* Plutonis corda nuncupauit: nam, ſicuti ferrum, vt innuimus, ardoris vi facilè inflectitur, & in formas extenditur omnes, ſic ferreum Ditis cor Venereis flecti flammis, atq; in amores omnes conformari poſſe oſtendit. Ideò

MOLLESCANT. *Molleſcere* enim eſt *duritiem, & inflexibilitatem exuere, & facilem ſe præbere tractanti, mollitie, ac flexibilitate indui*; quod per ignem aſſequitur, qui ferrum varios in artis vſus efformat induſtriâ.

LASCIVIS SAGITTIS. Ideſt ſagittis laſciuiam inducentibus. Laſciuia enim pro eodem, ac *mollities* ſumitur, vno verbo ſagittis Venereis, quæ ſcilicet hominem mollem, effœminatum, ac delicatum nimis efficiunt. *Sagitta* autem teli genus eſt, quod arcu euibratur; & igneas eſſe Amoris, ac Veneris ſagittas, iam eſt in Triuijs ipſis decantatum. Quare harum igne ſagittarum probe dixit emolliendum cor Ditis ferreum Iupiter, ſpectatâ naturâ ferri.

Nos itaq; ne iiſdem ardoribus conflagremus ad fontem ſalutaris doctrinæ, quæ ſcilicet ad inſtitutionem ſpectantia edocet morum, properemus, & quæ nobis ediſcenda hinc ſint ediſcamus.

Perditio tua ex te Iſrael. Nec eſt cur Deum prædeterminantem, aut Fatorum neceſſitatem incuſemus. Induratum fuit cor Pharaonis, & induratum à Deo: ſed hæc non fuit prædeterminatio, qua Deus illum in malum, ac perditionem cogeret; ſed pœna fuit anteactorum ſcelerum. Meritus fuit Pharao cumulata culparum ſerie, vt Deus gratiam ſubtraheret ſuam, illum relinquens in manu conſilij ſui: homo autem ſibi relictus ſemper in præceps ruit, naturâ, ſemper ad malum prona, turpiter impellente. An quia Pater, filium correctionibus recalcitrantem videns, laxas, vt dicitur, illi permittit habenas, dicendus eſt filium ad præcipitium cogere, & impellere? An impius dicendus Pater, quia filio prodigo portionem contingentem conceſſit, & quaſi à Patria poteſtate manumiſit volentem, cum ille hoc ipſum poſtulaſſet: Da mihi portionem quæ me contingit? Neminem puto dementem adeò, vt hæc auſus fuerit affirmare. Detrectat paterni onus imperij filius Peccator, dum peccatis addictus exclamare videtur ad Patrem Deum: *Liberum me creaſti: libertate datâ vti protinus volo; nec legibus paternis coercendam oſſeram conſeo*. Cedit Deus Peccatori ſui ipſius imperium volenti: Sed, ne Iuſtitiæ iniurius ſit, hoc ipſum in pœnam anteacti delicti meritò conuertit, & hoſtibus expoſitum derelinquit, permittens, vt eum hoſtes diripiant, ac miſerrimam in captiuitatem adducant. Hoc in Fatis fuiſſe dicitur, ideſt Decreto ipſius Dei ab æterno ſancitum; non quia Deus, per tale decretum prædeterminauerit peccatorem ad mala agendum; ſed quia ab æterno viderat, peccatorem libero abutentem arbitrio, ſpontè ſua à Patre diſceſſurum, ſtatuit eum relinquere in manibus conſilij ſui; & quia ex hoc præuidit peccatorem ſpontè in peius ruiturum, ſtatuit, vt pœna peccati mors eſſet, ac conſequenter peccatorem hoſtibus tradendum, ac denique æterno damnandum interitu. Sed decretum illud ex præuiſis procedit, non ex abſoluta Dei prædeterminantis voluntate, vt vides. Tu

ipſe, ò homo, viam diuinæ gratiæ peccatis obſtruis; tu ipſe peccatorum præuiſorum attramento nigrum huius decreti Theta tibi ipſi conſcripſiſti. Dele pœnitentiæ lacrymis Chyrographum, quem formaſti, & nouerit Deus mutare ſententiam, ſi noueris mutare vitam. Æthera deſeruiſti? Iter denuò Cœlum verſus arripias. Terram Cœlo prætuliſti? Spretà iterum terrà, Cœlum eligas præferendum. Terrenis indulgens cupiditatibus, Imperio ſenſuum, eliminata ratione, obſecutus es? Iterum clauumq; regat velaq; miniſtret Pars ſuperior, & inferiori aſſiſtens, eamq; cuſtodiens, ad rectam viuendi formam componat; & eam, quam ſtolidi potiùs, quam Stoici Fatorum adſtruunt neceſſitatem, diuina cooperante iam gratia, euitabis. Sed dicet fortaſſis aliquis: Proſerpina mea, ideſt Anima, à peccatis grauioribus immunis extat. Leuiora quis euitet? Cum laqueis plena ſint omnia. Ne decipiaris, quiſquis es, qui talia recogitas; nam & hæc ſedulò, ac toto animi conatu vitanda ſunt. Capite nobis (ait ſumma veritas humanis degens in artubus) capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Hæc peccata, quæ leuiora dicuntur, vt Deus paulatim ſuam ſubtrahat gratiam promerentur; & tu ipſe Deum excitas ad talem ſubtractionem, ex qua ſubinde fit, vt qui ſpernit modica paulatim decidat. Væ homini illi, quem Deus iuſtus ſcelerum vltor relinquit in ſui ipſius manu conſilij, atq; in pœnam, vel non cuſtoditi ſenſus, vel abſentiæ, hoc eſt, negligentiæ cuſtodientis rationis eum hoſtibus permittit inuadendum, ac præcipuè Venereis oblectationibus concedit diſcerpendum. Sed hanc permiſſionem nos, nos ipſi poſſumus euitare, ſi libertatem, quam, Dei dono, recepimus, vltrò Dei legibus ſubijciamus. Quod ſi datum donum in Deum ipſum conuertimus, iure in præceps, Deo permittente dilabimur; iure deſerimur, deſertores ipſi cum ſimus: nec eſt cur perditionem noſtram alijs, quam nobis ipſis imputemus.

Iamque ſatis indultum moribus. Et, vt morem geramus Italicis muſis, Cytharam expedientibus, ſuadet ſtylus, ac ſtudium vrget breuitatis. Quarè ad diſſonam iam Chelim noſtram properemus.

Con quell' occhio di Lince, à cui l'eterno
Non mai del grembo ſuo chiude gl' arcani,
Dalle Rocche ſupreme, onde l'interno
Scuopre quà giù de gl' andamenti humani,
Hauea non meno il Regnator ſuperno
Di tutto ciò ſcorta la ſerie, e vani
Delle Diue i contenti irne deluſi
Volti à figliargli il duol di Cloto i fuſi.
Quindi prend'ei de ſuoi conſegli à parte
Delle frodi d'Amor la Madre artiera;
E i ſecreti del ſen tutti comparte
A' chi vince ogni ſen nuda guerriera.
Ben sà quant' ella hà de gl' inganni ogn'arte;
Quant' à trionfi ſuoi ſe 'n voli altiera;
Onde, giuſta al deſir, mentr'ei l'impiega,
Tutto n'arrende; e così 'l cuor gli ſpiega.
Forz'è ch'i ſueli à te, Ciprigna, il cuore,
E le, ſtrigi del cuor, cure mordaci;
Che ſegreto non v'è, ch'al bel candore
Deua chiuſo reſtar delle tue faci.
Ne gl' eterni decreti, à quai l'honore
Sempre ſi diè di non vſcir mendaci,
Preſcritto fù, che ſpoſa il letto ingombre
Proſerpina la bella al Rè dell' Ombre.
Attropo così vuole; e, che s'affretti
De ſuoi voler l'effecutione, impera.
Così prediſſe; e n'accertò gl' effetti
Quella, del cui predir tutto s'auuera,
L'Antica Themi, in cui del Fato i detti
De gl' Oracoli ſuoi giran la sfera.
Si che non più dell' intrecciar dimore
Sono in noſtro poter libere l'hore.
Trà le ſelue dell'Ida, hor, che trattienſi
Longi la Madre, ed al ſuo mal s'appiglia,
Benche cieca no 'l vede, e pur mantienſi
Sorda à quel duol, ch' il ritornar conſiglia;
Opportuno gl'è 'l tempo, oue conuienſi
A Pluto eſpor l'incuſtodita figlia;
Siche, fattene il fier dolce rapina,
Sia lui preda, e di lui Donna, e Regina.
Vattene adunque, oue le rupi aduſte
Chiudon del tuo Vulcan l'alte fucine,
E, quando, al flagellar tenebre ingiuſte,
Ch' vſurpauan del ſol vaſto il confine,
Eſca dal mar la nuoua luce, onuſte
Rendendo à freggi d'or le balze alpine,
Tù Proſerpina inuoglia, e da ſue ſedi
La traggi al depredar fioriti arredi.
Gl'inganni tuoi, le tue luſinghe, i vezzi
Con che la terra, il mar, le sfere incendi;
Quei, con che, ad onta pur de miei ribrezzi,
Del tuo dolce me ſteſſo all' eſca prendi,
Ed, à goder de tuoi tormenti, auuezzi;
Opra ſagace, e quell' incauta accendi:
Mà ſcopo in vn dell' ardor tuo ſoccomba
Ferito il Rè della tartarea tomba.
E perche di trè Regni à tue corone
Due ſoli aggiungi, e reſta il terzo à ſdegno?
Perch' all' vltimo ſcettro hor ſi condone,
Quaſi ſia quel de tuoi trionfi indegno?
Scuotilo: e di tue forze alla tenzone
Ceda di Lethe à tue vittorie il Regno.
Angolo non vi ſia, ne di cui ſeggi
Non ſi ſcriuan da te d'Amor le leggi.
Non ſia, trà l'ombre, vn ſolo cuor, ch'a i dardi
Del tuo fuoco fatal reſiſter vaglia:
Vrta, incalza, feriſci, infiamma, & ardi
Qual dell' Erinni in crudeltà più ſaglia.
Le tue faci à ſentir non più ritardi
L'Acheronte; e di Pluto il ſen berſaglia;
Si ch'ogni ferreo cuor vinto del pari,
Frà tue laſciuie, ad ammollirſi impari.

At ſatis obſtrepuit chelis hæc. Iam Plectra ſequamur.

Accelerat præcepta Venus; iuſſuque Parentis
Pallas, & inflexo terret quæ Mænala cornu,
Addunt ſe comites. Diuino ſemita greſſu
Claruit; augurium qualis laturus in orbem
Præceps ſanguineo delabitur igne cometes,
Prodigiale rubens: non illum nauita tuto,
Non impune vident Populi; ſed, crine minaci,
Nunciat aut ratibus ventos, aut vrbibus hoſtes.

ACCELERAT &c. Occaſionem nacta Venus exſaturandæ indignationis ſuæ, cum illi Iupiter, quæ præoptabat, conceſſiſſet; illicò rem aggreditur conficiendam. Et, Pallade, ac Diana, in ſocietatem, ex ipſius Iouis nutu, aſſumptis, iter ad Proſerpinam arripit. Quarè iter ipſum breuibus Poeta deſcribit, atq; ex loco à ſimili præclarè nobilitat; cumq; de cometis, cui, ſemitæ Dearum impreſſam, lucem aſſimilauerit, mentionem feciſſet, aptè etiam, & Prodigia, & auguria, quæ à Cometis, omnia horrore complectibus, circumferuntur, obiter attingit, vt tacitè oſtendat Proſerpinæ funeribus potiùs, quam nuptijs dignam non defuiſſe portentoſi ominis, ac luminis effulgurationem.

ACCELERAT. *Accelerare eſt præproperè, ac feſtinantèr rem aliquam proſequi, & efficere.* Cur autem tanta celeritate accingitur Venus, ſi, vt vidimus, ex Iouis monitu, craſtina lux erat ad rei effectionem expectanda? Interpretatur Parrhaſ. hanc celeritatem prouenisse ex affectu Veneris obedientiali in Patrem: nam, qui prompto animo obedientiæ indulget, alas induere videtur,

ſeretur, quibus celeriùs ad obtemperandum deferatur; ſicq; (addit Auctor cit,) nos admonet officij Poeta, quo Parentibus alacres obſequamur. Non abnuerem ego, ſi Iouis verba in ſenſu prædeterminante fuiſſent intelligenda, & in ſenſu præceptiuo. Verum quia illa, in ſenſu potiùs permiſſiuo tantum, prolata fuiſſe, iuxta ſenſum Poetæ inſinuauimus, aliam illius celeritatis cauſam aſſignare tenemur. Hæc tamen in promptu eſt; nam vidimus Venerem indignatam, eo quod à Proſerpina ſe neglectam putaret, exoptaſſe Venereis eam cupiditatibus irretitam in triumphum adducere; ideò igitur properat, ne ſit poſt hæc occaſio calua. Arripit itaq; fortunæ crinem ſibi à Ioue oblatum; & quia, qui aliquid vehementi animo concupiſcit, feſtinato ſemper gradu ad arripiendum, quod deſideret, properat; Ideò *Venus accelerat*, & adeò accelerat, vt ne Ioui quidem reſponſum dare ſuſtinuerit; Quia huiuſmodi reſponſionis reticentiam, poterat prætextu obſequij cohoneſtare, cum Numinis inferioris non voce, ſed opere nutui Maioris reſpondere, *Accelerat*.

PRÆCEPTA. *Præceptum*, à verbo *præcipio* deriuatum, idem eſt, ac *iuſſum*, ſeù *aliquid ab habente poteſtatem imperatum*; cum præcipere pro eodem ſumatur, ac *Iubere*, quod proprium prædominantium eſt, qui ita imperant, vt ſubditi obedire, & exequi teneantur. Hæc particula videtur omninò auuerſari ijs, quæ ſuperiùs diximus, nempè Iouem non præceptiuè, ſed permiſſiuè locutum; nam, ſi præcepta impoſuit, certè eſt præceptiuè locutus: quarè hæc ſola particula omnia iam antedicta euertit, ac falſa planè demonſtrat. Verum attende, & penetra oculatiſſimi Poetæ conceptum, & intelliges, omnia nobis integra adhuc eſſe, nec quicquam ex dictis euerti; conſpicies enim Iouis permiſſiones, facultatemq; Veneri conceſſam, nomine *præcepti* deſignari, non iuxta mentem proferentis Iouis, aut referentis Vatis, ſed iuxta mentem Veneris acceptantis. Sic amico interdum dicere ſolemus: *Nutus mihi præcepta erunt tui; Legem habebo quidquid dixeris*. Anne ideò nutus amici, vel vox, etiam non præcipientis, ſed tantum indulgentis, vim præcepti, ac legis habere dicenda ſunt? Abſit à ſæculo. Præcepta de ſe non ſunt; ſed reſpectu cupientis illa arripere, & exequi loco, illi, præceptorum ſunt, & ideò *præcepta* ab illo appellantur. Sic igitur, in caſu, non præcipit Iupiter, ſed Veneri indulget indignanti, vt vidimus; aſt, quia Venus deſiderio flagrabat exequendi, quæ Iouis permittebat Oratio, habitum *præcepti* loco ab illa eſt quidquid Iupiter permittens diſſeruerat; ideò Poeta, quæ Iupiter permiſſiuè conceſſerat, *Præcepta* vocat, *iuxta Veneris acceptationem*, quæ ea in vim præcepti aſſumpſerit exequenda. Ad cuius expoſitionis confirmationem nota admirabile prorſus poetici textus artificium; nam cum dixiſſet *Accelerat Præcepta* ſtatim, ad mentis ſuæ explicationem, ſubijcit

VENVS. Venerem autem diximus eſſe *innatum coitus deſiderium*. Cur igitur non inquit Poeta: *accelerat præcepta Dea Paphi, Cypria, Cytherea &c.* ſed dixit: *Accelerat præcepta Venus*? Agnoſce ex Poetæ ſenſu expoſitionis noſtræ veritatem. *Accelerat*, inquit, *præcepta Venus*; quaſi diceret: *accelerat præcepta deſiderium illud, quod à Theologis fomes peccati dicitur, & cuius proprium eſt, id, in quo ipſi delinquerit, in Cælum ipſum refundere, quaſi à cæleſtibus præordinantibus prædeterminatus ita agat, vt non potuerit non agere, atq; adeò quod puræ permiſſionis effectus eſt, id præcepto attribuit, & coactioni. Iniquiſſimum ſcilicet genus peccandi, quod errores erroribus innectit, dum non ſat ſibi peccare eſt, niſi & peccatorum ſuorum Cælum, ac Deum ipſum faceret auctorem prædeterminantem.* Ideò dictum in ſenſu tantum exequentis *Accelerat præcepta &c.*

ET IVSSV PARENTIS. Magis explanat, ac detegit ſententiam ſuam Poeta, iuxta expoſitionem à nobis datam, procedere, nempè Iouem permiſſiuè, non præceptiuè locutum; nam ideò Iouem inducit Proſerpinæ non minus, quam Veneri, indulgentem, dum eodem tempore, quo Veneri facultatem concedit inuadendi, auxiliares etiam copias, ex certa, ac fauorabili Proſerpinæ ipſi, voluntate, Comites Veneri adijcit, quibus poſſit Proſerpina Venerem reijcere, ſi velit. Addit itaq; Iupiter Veneri comitem *Dianam*, hoc eſt *Virginitatis amorem*, vt Proſerpinæ, contra Veneris venena, inſtar Antidoti eſſet, ſi eo vti vellet. Addit & *Palladem*, hoc eſt *Sapientiam*, cuius monitu poſſit inſidias, dolos, ac fraudes Veneris detegere, ac eludere, ſi huic ſapientiæ inniti velit. Quarè, dum tentationem permittit, auxilijs, ad reſiſtendum, tentandam non deſtituit. Quaſi voluerit Poeta, in ipſo fabuloſo Ioue, veri, ac viui Dei ſimulachrum exprimere, de quo ait Apoſtolus: *Fidelis Deus, qui non permittit, vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Si itaq; Iupiter præceptiuè, ac prædeterminatiuè voluiſſet Proſerpinam Diti addictam, certè non iuſſiſſet, vt ad illam Pallas, ac Diana accederent, dum Venus ad ſeducendam properaret; nam hoc fuiſſet decretum contra decretum, dum eodem tempore, quo perdere aggreditur, adminiſtras ſalutis, ſi ijs vti patiens velit, lateri addicit. Decretum autem contra decretum non admittendum in Ioue, ne dicatur idem ſimul velle, & nolle; conſequenter dicendum eſt, permiſſiuè tantum ad Venerem locutum fuiſſe; atque, vt oſtenderet ſe ipſum à prædeterminando alienum, eodem tempore, quo facultatem permiſerit aggreſſori, aggreſſiones paſſuram neceſſarijs non deſtituiſſe auxilijs. Sed meliùs infrà.

ET IVSSV. Iuſſum ſecundæ declin. nomen, quod tamen frequentiùs, vt hic, per quartam inflectitur, propriè prædominium importat in iubente, coactionem in excipiente, ſeù obtemperante. Quarè ait Cic. pro Pompeio: *Lucullus veſtro iuſſu coactus abijt*. Iuſſus enim à verbo *Iubeo* deriuatur, quod apud peritos ſonat *Ius habens volo, cogens impero*, ex quo ſatis patet coactionem importari. In quo nota egregium Poetæ artificium; nam vbi loquitur de Iouis permiſſione, nomine præcepti à Venere deſignata, non eam *iuſſum* vocat; ſed *Præceptum* à Præcipio. Verbum autem *Præcipio* ſumitur ſæpè pro *præmoneo; ordinem ſuggero ſeruandum; Viam, qua incedendum ſit præmonſtro*, ex quibus vides nullam importari coactionem. Quando autem agitur de auxilijs ad Proſerpinam tranſmittendis, quia contra Veneris voluntatem futurum erat, vt tales haberet Comites, contra Virginum voluntatem, impudicæ Deæ aſſociari; tunc *iuſſu* opus eſt ad cogendum, ne inuicem ſocietatem detrectarent. Ideò *Et iuſſu*

PARENTIS. Cum de Proſerpina tradenda Tartareo Regi ageretur, ſententiam protulit Iupiter, non vt Pater, ſed vt Iudex, pœnam ex præuiſis præſcribens; aſt quando auxilia mittenda ſunt, vt Proſerpina euadere pœnam poſſit, ſi velit; tunc verè Patrem agit Iupiter, ideò hic, non ibi, ab eruditiſſimo Poeta Parentis nomine deſignatur; Parens itaque hic dicitur, quia Pater Proſerpinæ Patris verè vices, auxiliaturus, implebat: Parens reſpectu Veneris, quam vt filiam cogere poterat, vt Comites vel inuiſas aſſumeret: Pares denique reſpectu Palladis ex eius cerebro natæ, & reſpectu Dianæ eiuſdem ex Latona filiæ, quas vt Pater cogere poterat, vt Veneri viciſſim inuiſæ aſſociarentur. Et Parens deniq; dicitur, quia Proſerpinam filiam licet ex præuiſis meritis damnatam, quantum in ſe erat, cuperet non damnari, & ideò plura mitteret auxilia, quam tentationes permitteret.

PALLAS. Sapientiæ Dea eſt *Pallas*, alio nomine *Minerua*, quam ex Iouis cerebro ſine Matre progenitam effinxerunt Poetæ: eo quod, honeſtis omnibus diſciplinis, ac liberalibus artibus præeſſe crederetur, quarum artium, ac diſciplinarum inuentum, non ex humano ingenio, ſed ex inexhauſto diuinæ ſapientiæ fonte deriuatum affirmarunt. Dicta hæc *Pallas* eſt, quia *Pallantem*, vnum ſcilicet ex Gigantibus Cœlo infeſtis, Iaculo interfecerit, cum ipſa in armis ſtaret pro Ioue. Vel, vt alijs placet, dicta fuit *Pallas* à τοῦ πάλλειν, id eſt à vibrando, nam de ſummo Iouis capite, concutiens arma dicitur proſiluiſſe; & quia ideò ita pingi ſolet, & effingi, vt manu haſtam vibrare videatur. Dicta fuit etiam Tritonia à Tritonide palude, eo quod circa ipſam primò apparuerit, ex quo error illorum ſcatuit, qui Palladem Tritonide natam aſſeruerunt. Scio equidem, aliquos contendere, & conniti, vt Mineruam à Pallade diuerſam faciant, inter quos Apollodorus, qui immò dicit Palladem à Minerua vulneratam obiſſe. Verùm cum omnes conſentiant Auctores, armatam Palladem, bellorum Præſidem è Iouis cerebro (cranium vulcania diuidente ſecuri) proſiluiſſe; & cum ex altera parte videam Apollonium in Argonau. lib. 4. aſſerentem, Mineruam armatam è Cerebro natam Iouis, quod & ante Apollonium aſſeruit Steſichorus, quem ſequuntur Lucianus, & alij communiter; non video cur à communi opinione recedendum ſit aſſerente, eamdem cum Minerua Palladem eſſe. Poterit tamen inter has fortaſſis diſtinctio argui à diſtinctione munerum, eo quod ſcilicet Pallas bellatrix ſit, bellorum Præſes, ac bellico aſſiduè exercitio addicta, vt apertè cecinit Horatius lib. 1. Carm. Ode 15,

Iam galeam Pallas & Ægida
Curruſq; & rabiem parat.

Sic apud Virg. Æn. 11. Idem exprimunt Matres, Lauiniam ad templum Palladis proſecutæ, dum pro ſalute Vrbis, ac Dominæ, quam frequentes ſtipauerant, hæc fundunt vota.

Ar-

Armipotens belli Præſes Tritonia Virgo
Frange manu telum Phrygij latronis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo, portiſq; effunde ſub altis.

Quem Virgilij locum imitatus poſtea Torquatus Hieroſ. lib. Cantu 11. Turcarum Matres inducit à Surdo earundem Numinis opem ſic implorantes.

Deh ſpezza tu del Predator Franceſe
L'haſta, Signor, con la man giuſta, e forte;
E lui, che tanto il tuo gran nome offeſe,
Abbatti, e ſparge ſotto l'alte porte.

Sed nos reuocat ad inſtitutum Pallas. Hæc, inquam fortè, ex officio bellatricis, alia putari potuit à Minerua, cui colum, & fuſum attribuit Virg. Æn. 7. ac calathos ad lanificium exercendum, quæ ex diametro bellatoribus genijs opponi videantur, vt oſtendit idem Virg. cit., dum ſic Amazonem bellatricem à fœmineis moribus alienam deſcribit.

Hos ſuper aduenit Volſca de gente Camilla
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas,
Bellatrix. Non illa colo, calathiſue Mineruæ
Fœmineas aſſueta manus; ſed prælia Virgo
Dura pati, curſuq; pedum prævertere ventos.

Verum decidet, & hoc diſtinctionis, Palladem inter, & Mineruam, ponendæ fundamentum, ſi perpendantur ea, quæ græcè ſcripta ab Homero, latinè redduntur ex Mythol. Nat. Com. lib. 4. cap. 5.; videbimus enim tam artem bellatricem, quàm Lanificam, aliaſq; ad Virginem ſpectantes, Mineruæ attribui; dum Hymno in Venerem Homerus oſtendit Mineruam, nunquam Veneri ſuccumbentem, bellatricem ſimul, ac lanificem fuiſſe his verbis:

Sed tribus haud potuit ſuadere, & fallere mentes,
E Ioue prognatæ, cui lumina glauca Mineruæ.
Aurea non illi Veneris ſunt munera cordi;
Prælia ſed placuere, feri ſed munera Martis,
Sed cædes, ſed bella, ſed & certamina pugnæ.
Prima viros docuit currus, orbeſq; rotarum
Suppoſuiſſe, ligans quos poſſint robora ferri:
Virginibuſq; eadem monſtrauit prima domi quæ
Munera conueniant, animiſq; impreſſa notauit.

Ouid. autem Faſt. 3., apud eamdem Mythol. cit., Palladi apertè lanificium attribuit, dum hæc exarat.

Pallade placata, lanam mollire puellæ
Diſcant, & plenas exonerare colos.
Illa etiam ſtantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine denſat opus.
Hanc cole, qui maculas læſis de veſtibus aufers;
Hanc cole velleribus quiſquis ahena paras.

ex quibus Ouidij carminibus videtur ipſe idem Palladis, & Mineruæ diſtinctionem accidentalem tantummodò innuere, dum Mineruam lanificijs operam dantem eſſe *Palladem placatam* inſinuat; Mineruam iratam, armiſq; indulgentem eſſe *Palladem armatam*. Quod conſtat, ſi conſideremus illa verba: *Pallade placata*, quibus diſtinguere videtur inter Palladem placatam, & Palladem iratam. Hæc igitur Pallas ſemper Veneri auerſa, quippè, quæ ſemper tenax virginitatis ſeruatrix dicitur extitiſſe, atq; adeò non potuit, quin inuiſa Veneri eſſet. Immò & in hanc indignatione exarſiſſe Venerem oſtendit Ouid. cit. Metam. 5. vbi ore Veneris hæc habet ad filium.

Pallada nonne vides, iaculatricemq; Dianam
Abſceſſiſſe mihi? &c.

Quarè reiectura facilè fuiſſet Venus Palladis ſocietatem, vtpote ſuſpectam, quæ Veneris orſis impedimento eſſe poſſet, & vice verſa reſpuiſſet Pallas eam habere comitem, à qua ſemper abhorruiſſet, ideò Iouis iuſſu opus fuit, vt neutra reluctaret.

ET QVÆ TERRET MÆNALA INFLEXO CORNV. Per periphraſim hic Dianam deſcribit Poeta, quæ, & ipſa Virgo, Veneri conſequenter erat infenſa, vt ex cit. Ouid. mox loco patet. Quam tamen Venus comitem ſibi adſciſcere iuſſu Iouis, vnà cum Pallade, cogitur, & Diana eodem pacto, ac Pallas, cogitur non renuere; vt dum vnica Venus Proſerpinam ſeducere moliretur; dupplici immiſſo auxilio fulciretur, ne in ſubdolæ foueas incideret, ſi illis potiùs quam Veneri adhæſiſſet. Sed hæc Veneri potiùs, quam illis, indulgens cecidit.

QVÆ. Ideſt Dea illa, quæ venationibus addicta

TERRET. *Terrere* eſt vehementem alicui terrorem incutere; & quia venatorijs cornibus feræ per ſyluas aguntur, quæ præcipiti metu ab eorum ſonitu longè, latèq; diffugiunt; ideò & Diana venatrix *illa* dicitur *quæ terret*

INFLEXO CORNV. Ex ſigno venatricem oſtendit; nam buccina, qua venatores vtuntur, propriè eſt *recuruum cornu*, ſeù, quod idem eſt *inflexum*, & quod in modum tubæ inflatur, ac ſonum edit beluis omnibus terribilem, ex relicta ſpecie, quam retinent, inſectationis, ac vexationis, quam audito tali ſonitu paſſæ ſunt alias; præter quam quod ipſa ſoni raucitas ad terrendum compoſita, dum tympanum pulſat auditorium animum ferit in corde. Poteſt etiam cornu hic accipi pro arcu ipſo ex cornu fabrefacto, ſeù qui in cornua flectitur, ſed magis placet expoſitio iam data, quam hæc quæ Parrhaſij eſt.

MÆNALA; a ſingulari etheroclito Mænalus, mons eſt Arcadiæ, non procul ab Argis, altiſſimus, ac pinea ſylua inſignis Dianæ ſacer: ponitur autem hic pro quouis monte ſyluarum redimiculis onuſto; nam Diana, vtpote venatrix, ſyluas omnes terrebat cornu; & in ſyluis perpetuò degebat, vt viriles aſpectus, nedum hominum commercia effugeret; tantus ipſam incendebat virginitatis amor. De Dianæ natalibus ſatis dictum, vbi explicuimus *Latonia furta*. Dianam item fuiſſe venatricem innuimus ad Carm. *Ecce procul ternas Hecate &c.* Quarè ex ſigno venationis, quam exercebat, certum eſt Dianam hic Veneris comitem deſignari. Hanc auerſam à Venere fuiſſe, ex hoc vno patet, quod illa precibus à Ioue dicitur impetraſſe, vt virgo in æuum permaneret, vt teſtatur Græcus Callimachus latinitate tamen donatus apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. c. 18. Sic ore Dianæ

Da mihi perpetuo vt ſim virgo: da Pater alme.

Homerus etiam Hymno in Venerem teſtatur, Dianam Veneri nunquam adhæſiſſe, cuius græca carmina ſic vertit Mythol. cit.

Dianæ haud potuit mentem peruincere amore
Alma Venus, quam circumſtans reſuſque, ociique, &c.
Hæc arcus placuere, feras & cædere Syluis;
Huic Cythara, atq; Chori clamorconcinnus, & vrbes
Iuſtorum huic hominum; vmbroſa ſuper omnia ſyluæ.

ex quo etiam habes, quænam exercitia Dianam exercuerint; & illam iuſtorum, ac innocentium tantummodo in Cœtibus adiuiſſe, quando è ſyluis, quod tamen rarò, digreſſa Vrbes inuiſeret. Inuiſa igitur Dianæ Venus inuiſa Veneri Diana non niſi abſoluto Iouis iuſſu adduci poterant, vt ſimul, graderentur. Ex his autem comitibus Veneri additis vides venenum antidotis obuallatum, vt, ſi voluiſſet, Proſerpina antidotum potiùs hauriret, quam venenum. Video oppoſitionem, quæ nobis hic fieri poſſet ex Callimacho, qui Hymno in Lauacra Palladis oſtendit, quidquid Mineruæ (quam eamdem cum Pallade autumat) collibuerit Iouis nutu confirmari. Hæc autem ſunt Vatis carmina ex græco translata apud Mythol. cit. lib. 4. cap. 5.

Annuit hoc dictis Pallas, quodq; annuit illa
Perficitur. Natæ Iupiter hoc tribuit
Ipſa Mineruæ vni, quæ ſunt Patris, omnia ferre.

ex quo videtur inferri, Palladem; nempè *ſummam Iouis ſapientiam* Veneri comitem additam fuiſſe, vt intelligeret Venus, Decretum de Proſerpina ſeducenda firmatum ab ipſa Pallade, ac Iouis ideò nutu munitum, violari nequaquam poſſe; nec Veneri las eſſe a ſeducendo deſiſtere, ne præſentem Palladem, à qua ſancitum fuerat quid agendum, offenderet, ac violaret. Verum hæc oppoſitio plus habet oſtentationis, quam roboris. Suppono cum Callimacho, vt hoc largiar objicientibus, Iouem nihil decernere, niſi quod Palladi placuerit; atq; adeo dici poſſe, Palladem hic acceptam pro ipſa Iouis voluntate, nedum ſapientia. Quid inde? Sequitur ne ex hoc, diuinam voluntatem ſe Veneri aſſociaſſe, vt ei, in exequendis Venereis proditionibus, faueret, ac, vegente ſui ipſius præſentia, eam ad nefarium facinus cogeret, & impelleret? Faceſcant, medius fidius, ad vltimos vſque Erebi receſſus, qui hæc fuerint opinati. Eſt Pallas ipſa Dei voluntas. Nonne ita dicitis? Et ſit. Aſt Pallas iſta nonne auerſa, nonne Veneri aſſeritur contraria, dum virginitatis aſſerendæ cupidiſſima deſcribitur? Ergo, ſi hæc Iouis voluntas fuit, fuit voluntas contraria, & oppoſita Venereis machinamentis, qua ideo potiùs oſtenditur Iupiter in Votis habuiſſe, vt virgo Proſerpina remaneret; ideòq; hanc ſuam miſiſſe voluntatem, vt illa eam amplectens ſalua à raptoribus fieret, licet præuidiſſet hanc ſuam voluntatem ex deffectu Proſerpinæ negligendam, atq; adeò effectu carituram. Quarè in auxilium mittitur, vt recipi contra Venerem poſſit ab indigente, ſi velit; non autem pro Venere ſtat, quæ Veneri contraria ſemper extitit.

ADDVNT SE COMITES. Pallas ſcilicet, & Diana de quibus ſupra. Et *addunt* inquit Vates, quia licet Pallas, & Diana ſi ſeorſim ſumantur ſingularitatem habeant, coniu-

ctura

dum tamen ſumptæ, vt hic numerum multitudinis efficiunt. Ideò addunt, quod idem eſt, ac *adiungunt*. *Adiungunt* autem non *coniungunt*, quia aſſiſtunt quidem lateri, ſed voluntates ſuas Veneri non coniungunt voluntati, cum ſemper auerſæ. Pronomen verò *ſe*, a genitiuo *ſui*, reciprocum cum ſit, In idem à quo prodijt reuertitur, quarè hic in Deas ipſas reciprocatur, quæ iuſſu Iouis adduntur Veneri.

COMITES. *Addere ſe comites* idem eſt, ac *aſſociari*: Sed aduerte hic nominis proprietatem, noſtræ mirum in modum explicationi fauentem: non enim dixit Poeta: Addunt ſe *ſocias*, aut *ſodales*, ſed *addunt ſe comites*. Differentia igitur inter *comitem*, *ſodalem*, & *ſocium* eſſe dicitur ab indagatoribus proprietatis verborum; quod *Comes* dicatur is, qui quoquo modo alterius veſtigijs inhæret, laterique adhæret: aſt *ſocius* dicitur, qui alteri ſeſe adiungit, in negotijs vt plurimum peragendis, ſerijſq; rebus, ac fortunæ arbitrio ſubiectis pertractandis. *Sodalis* verò dicitur is, qui in leuioribus, & ſæpè voluptuoſis, alteri aſſociatur. Vel igitur negotium Veneris ſerium hic exiſtimetur; Deæ illæ *ſociæ* non vocantur, quia Veneri huius negotij cooperatrices nequaquam erant futuræ; vel opus quod Venus moliebatur, dicatur voluptuoſum, vt congruentiùs fuerit, attenta Veneris natura; Illæ non vocantur ſodales, quia huiuſcemodi operi immiſcendæ non erant. Ex quo clarè deducitur, Deas illas, non Veneri auxiliares, ſed Proſerpinæ, ex iuſſu Iouis adfuturas. Nec opus fuerat, vt Iupiter hanc illis ſuam exprimeret voluntatem; nam nouerat futurum, vt ex ſeſe Virgines Virgini adhæreſcerent potiùs, quam proſtitutæ. Ideò ſatis fuit iuſſiſſe, vt cum Venere ad Proſerpinam properarent; quod opus futurum fuiſſet, ſponte poſtea operaturæ. Carpit nihilominus Poetam hic Scalliger, quod Virgines det Veneri comites; ſed carpit, quia non vidit Myſterium à nobis ſupra patefactum. Sed dicet fortaſſis, faciendum fuiſſe, vt vel præcederent, vel à longè Venerem ſequerentur, vt opportuno tempore ſubinde adeſſent Proſerpinæ. Sed quærerem ego ex ipſo Scalligero, ſi debuerunt Proſerpinæ adeſſe, cum Venus dolos necteret, nonne, cum ipſa Venere, Domi Proſerpinæ, commorari debuerunt? Si itaq; indignum non fuerat eas Domi cum Venere eſſe, cur indecorum fuerit eaſdem comites itineris adiuiſſe? Adde quod, ſi præceſſiſſent, cum Venus eas Domi Proſerpinæ reperiſſet, potuiſſet ſe deceptam a Ioue arbitrari; cum videret Proſerpinam auxiliaribus copijs præmunitam, ac per conſequens à machinationibus deſiſtere. Si ſubſecutæ fuiſſent, videri potuiſſent miſſæ ad intercipiendas Veneris operationes, eo quod Iouem permiſſionis pænituerit: ac cum ſimul irent, potuit, & debuit potiùs arbitrari, eas miſſas à Ioue, ne Proſerpina dolos præſentiret ipſius Veneris, atq; adeo audaciùs proſequi, quæ in animo haberet, ſicque occaſionem præbere, vt Virgines Virginem tuerentur cognita Veneris perfidia. Quod ſi in ſenſu prædeterminante Iupiter deberet intelligi locutus, vt videtur ſenſiſſe Dempſterus; neceſſe fuit has addere comites inſcias rerum agendarum, vt Venus non ſuſpecta, quia virginibus aſſociata, faciliùs deciperet, ac ſeduceret. Tandem hoc ipſum vidit Vates; nam licet alij aſſuetas Proſerpinæ comites efficiant Dianam, & Palladem; noluit tamen vt Deæ illæ ſponte per occaſionem inuiſendæ Proſerpinæ ſe Veneri ad eam properanti addidiſſe; ſed *iuſſu* Parentis, ſub quo Myſterium latuiſſe poterat arbitrari, quo honeſta hæc ipſa concomitantia, ac non reſpuenda redderetur.

DIVINO SEMITA GRESSV &c. Incongruum fuiſſet, ſi, Dearum ternario iter faciente, nullum itineris apparuiſſet indicium; quandoquidem, vt ait Lucretius, quoties Dij Cœlitus aliquo ſe demittunt, manifeſta poſt ſe lucis veſtigia relinquunt. Sequitur itaq; hic naturam Vates, & Cœlum, qua Deæ pergunt, nouo exhillaratum fulgore deſcribit: ſed tamen hunc ipſum fulgorem, portentoſi adinſtar cometæ, indicat effulſiſſe vt congruum futuris euentis oſtentaret prodigium, quaſi, fatidicis ſymboſis, futura Cœlum ipſum loqueretur.

SEMITA. *Via anguſtior* eſt *ſemita*, vulgo *calle*, ſed *ſingere*. Semita igitur hic nomine deſignat Poeta totam illam tramitis latitudinem, quam Deæ incedentes occuparent, ita vt nec ſtrictior intelligi debeat, nec latior: quo verò ad longitudinem, integrum itineris tractum notat, quem Deæ ipſæ, e ſummo Cœlo ad terram vſq; incedentes delinearunt.

CLARVIT. Malo *candent* inquit Heinſius cum Bingeni codice: ſed cur id malit non video. Immò videtur verbum *candere* oppoſitum Poetæ textui; nam candeſcere, ſeù candere eſt *luce* quidem *exornari*, ſed luce quadam candoribus inſigni, vt ea lux eſt, quæ viam in Cœlo conficit lacteam, & tamen ſanguineam potius hanc lucem deſcribit Vates, dum eam ſanguineo Cometæ inferiùs aſſimilat. *Clarere* igitur idem eſt, ac *claritate exornari*; *clarere ſiue*; *lumine apparere circumfuſus*; *luce ſcatere*; ex quo habes, noua luce circumfuſum Cœlum apparuiſſe, quoquo pedem verterent Diuæ, ita tamen vt verbum præſcindat adhuc ab hoc quod illa lux vel candida ſit, vel rubenti, aut ſanguinea. Meritò autem clareſcens inducitur Cœlum, vbicumq; Dearum Numen adeſſet; nam cum Solem Hieroglyphicum Dei aſſeruerint antiqui, conſequens erat, vt lumen, ſeù lux expreſſum haberetur indicium diuinitatis.

DIVINO GRESSV. Diuinum dicitur quidquid ad Deum ſpectat, cum itaq; Deæ haberentur quæ ad Proſerpinam feſtinabant, iurè *Diuinus* dicitur illarum *greſſus*. Sicq; cauſam aſſignat Poeta, cur Cœlum noua luce coruſcauerit, quia videlicet Deæ incederent, quia *diuino* decorabantur *greſſu*. Greſſus autem ipſa dicitur ambulatio, inceſſus, ſeù motus ipſe, quo quis à loco ad locum progreditur. Nota autem hic obiter poeticæ locutionis proprietatem, quæ, ſemper ſibi ſimilis, morum ſemper imitationem mirificè ſectatur. Non itaq; inquit Vates, Cœlum claruiſſe *diuino curſu*, *diuina feſtinatione* &c. ſed *diuino greſſu*, in quo apparet modus diuinæ ambulationis, cum decoro, ac grauitate coniunctus; properata enim ambulatio, & in curſum effuſa indecens fuiſſet, ac Dearum maieſtate indigna.

QVALIS &c. Similitudinem a Cometarum forma, ac fulgoribus deducens obijcit iam oculis, quinam & quales fuerint fulgores, quibus Dearum ſemita ſtiparetur. Ideò per opportunè, ſimilitudinem inducere aggreſſus, nomine, qualitatem in memoriam reuocante, vtitur. Nam *Quales* relatiuum eſt æqualitatis alicuius rei naturam declarans, vel per ſimilitudinem adamuſſim explicans, relatiuum ſimilitudinis ad qualitatem pertinens, vt hic.

COMETES. Stella quælibet crinita *Cometes* dicitur, à comis ſcilicet nomine deriuato. Quid autem Cometa, ſecundùm propriam ſubſtantiam ſit, non omnibus facile conſtat; immò omnium ferè Phyloſophorum torſit ingenia, dum quærerent, vere ne Sydus aliquod ex concurſu plurium ſtellularum ſit efformatum, an potiùs verè ſtella vnica ſit, tot fulgoribus illuſtrata; an verè ſtella non ſit, ſed vapor accenſus. Hæc omnia enim inter Phyloſ. controuertuntur. Hoc certum, raros eſſe Cometas, eoſq; inſolitæ figuræ ignis ſpeciem referre; atque, vt plurimum, infortunia portendere, ſatis in confeſſo eſt. Quod itaque ad placita Phyloſ. ſpectat de Cometis differentium; antiquiſſima fuit Pythagoreorum ſententia, Cometem nempe verè, ac propriè ſydus eſſe, aſſerentium, vnumq; ex ijs, quæ errantia dicuntur; rationem autem, cur rarò appareat, eſſe dixerunt, quia huiuſmodi ſydus ſolem ſequatur ſemper, cuius ſuperexcedenti ſplendore occupatum ita obſcuratur, vt videri non poſſit; poſt longa verò temporum internalla à ſole digredi, aſſeuerarunt, & tunc vtiq; ſe viſendum præbere. Confirmant exemplo Mercurij, cuius ſtella, ob eamdem rationem, raro admodum conſpicitur. Verum, ſi hoc eſſet, deberet Cometa certis, ac ſtatis, iiſdemq; ſemper temporum interuallis, ſe conſpiciendum præbere, quod tamen manifeſtè falſum experientia ipſa comprobatur; nam Cometes non ſeruant hanc apparendi, latendiq; temporum menſuram; ſed modò hoc, modò illo tempore apparent, modò diù perdurant viſendi; modò breues ducunt viſionis moras. Omitto alias rationes, & quidem validiſſimas, quæ afferuntur contra Pythagoreorum ſententiam; quia noſtrum non eſt hic phyloſophicam diſputationem inſtituere. Qui cupiat, adeat Commentaria in lib. Meteor. Ariſt. primum à Franciſco Vicomercato Mediolanenſi conſcripta, ibi enim ipſe fusè pariter, ac eruditiſſimè hanc Pythagoricam ſententiam recenſet, ac refellit; licet eamdem adſtruere conati fuerint, & Hippocrates Chius excellens ſui temporis mathematicus, (neq; enim idem eſt cum Hippocrate medicorum duce, & Æſchilus, ac tota olim Italorum Phyloſophantium ſecta Pythagoricis veſtigijs pertinaciter inhærens.

Secunda igitur ſententia, Cometem non ſtellam eſſe vnicam, putauit; ſed aggregationem quamdam plurium ſtellularum ita coeuntium, vt, licet ſe inuicem non tangant, eo tamen quod earum ſplendoribus ſpatium inter ſtellam, & ſtellam interpoſitum mirificè illuminetur, vnicum efficere corpus videantur. Huius autem ſententiæ Aſſertores dicuntur in primis Anaxagoras, Zeno, Artemidorus, Democritus, & alij. Sed hæc ſententia eamdem cum ſuperiori patitur difficultatem, cum ſtellæ illæ, ſi prius diſſitæ erant; & poſtea in vnum coaleſcere debeant, certè ex errantium

numero cenſendæ ſint; atque adeò & ipſæ certis ſemper temporum interuallis congregari eodem modo, ac Cometam conficere profectò deberent. Inſuper magni adeò Cometes interdum viſuntur, vt quartam ferè Cœli occupent partem, vt ex Hiſtoricis anteactorum temporum, patet, & nos in lib. de Cœlo ſatis docuimus. Vndè ergo tot ſtellularum concurſus? Certè, ad tam ingens Cometæ corpus conſtruendum, infinitæ propemodum videntur requiri. Vndè igitur confluant?

Tertio itaq; loco de Cometis differens Ariſtot. Meteor. pri. ait, materiam cometarum eſſe exhalationem calidam, & ſiccam, quæ, cum proxima Cœlo fit, vnà cum aeris magna parte illi continuata, motione Cœli circumagitur, ac motu illo accenditur, ex eâque accenſione igneas illas ſtellas, quæ diſcurrentes dicuntur, autumat conflatas: quo poſito, ſic de crinitis loquitur ſtellis. *Cum igitur ignorum principium, ſuperiorum corporum motu, in huiuſmodi denſitatem inciderit, atque nec adeò exuberans fuerit, vt celeriter, & quamplurimum accendat; nec tam debile, vt citò extinguatur, ſed amplum, ac latè patens, ſimul atq; halitum aptè attemperatum ex infero loco aſcendere contigerit, Crinitum Sydus extiterit, pro habitus illius figura.* Ex his Ariſtot. verbis patet, Ariſtotelem non recenſuiſſe Cometas inter ſydera; ſed, tumultuarium quemdam ignem eſſe, exiſtimaſſe, qui ex halitu calido, & ſicco, quomodo & reliquæ imagines igneæ, quæ in aere cernuntur, accendatur; accenſionem ſcilicet operante ſuperiorum corporum motu. Sic optime ſaluatur, quomodo Cometæ non ſtatis ſemper temporibus, nec eodem modo, appareant, quia regularis eſſe non poteſt hæc addenſatio vaporum, eorumdemq; accenſio, cum nec regularis, aut æqualis ſit ſemper exhalatio. Saluatur etiam quomodo Cometes diuerſæ appareant figuræ; nam hoc prouenit ex diuerſâ, quam addenſati ſortiuntur vapores figurâ. Item ſaluatur quomodo Cometes incrementum paulatim acquirant, ac decrementum pati paulatim videantur; nam materia, cum ſucceſſiuè accenditur, dum accenſio à parte ad partem extenditur, ignea illa ſpecies incrementum acquirit, donec tota materiæ maſſa in ignem conuertatur, & tunc habet ſtatum. Paulatim autem deficit, ſi pabulum ignis paulatim conſumptus deficiat &c.

Varias cometarum ſpecies enumerant Auctores: Alijenim Criniti dicuntur, qui ſcilicet, Comarum in morem, promiſſos decutiunt radios, & de quibus Marſilius hæc habet:

Nam modo ceu longi fluitent de vertice crines,
Diffuſos radijs ardentibus explicat ignes

Alij barbati dicuntur, eo quod Barbæ, & quidem promiſſæ æmulentur effigiem, de quibus idem Marſil. ſic:

. . . . *Ardentis ſequitur ſub imagine barbæ.*

Sunt & Cometæ, quos *Acontias* nominant, euibrati iaculi in morem, emicantes, quos ita idem Marſilius deſcribit:

Cum vaga per nitidum ſcintillans lumina Mundum,
Exſurgunt; procul celeres mittata ſagittas,
Arida tum gracili tenuatur ſemita filo &c.

Sunt & Doliales vocati, eo quod dolij figuram repreſentent, propter concauitatem fumidæ exhalationis, de quibus Marſilius ſic:

Quando etiam tumidis exæquat dolia flammis
Procero diſtenta vtero, pronuſque capillos
Mentitur paruos ignis glomeratur in orbes.

Sunt & trabales, de quibus hæc habet idem Auctor.

Interdum, æqualis laterum compage reducta,
Quadratamue trabem fingit, teretemue columnam.

Sunt inſuper, qui Lampades, Hyppei, Ceratiæ, Xiphiæ, Pithetes dicantur, quorum ſi diuerſas ſpecies agnoſcere cupias, conſule Franciſcum Vicomercatum in Commentarijs ad primum Ariſt. Metheor. pag. mihi 78. verſ. 35. Cum enim hæc parum conferant ad inſtitutum noſtrum, nos, ad inſtar Niliaci canis, hæc delibaſſe contenti, ad ea, quæ ad rem noſtram magis faciant, ſedulò properamus.

Aſſimilat igitur Poeta fulgorem, à diuinis greſſibus Cœlo impreſſam, igneis illis impreſſionibus, quæ, cum aureas ſtellarum faces æmulari videantur, ſtellarum crinitarum nomina ſortiuntur. Quam ſimilitudinem, quam Vates aptè in rem ſuam excogitauerit patebit infra.

LATVRVS AVGVRIVM. Infortuniorum prænuncios eſſe Cometas, in confeſſo eſt apud omnes, & videtur experientia ipſa comprobatum. Quarè curioſus ille experientiarum indagator ait nunquam Cœlo ſpectatum impunè Cometem; quidquid de placido Comete adſtruxerit Calphurnius. Certè Iulij Cæſaris mortem, quæ bellum ciuile peperit, Cometæ anteceſſerunt, de quibus Virg. Georg. 1. hæc cecinit:

Non alias Cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.

& deducit.

Ergo inter ſe ſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

Certè & Lucanus Pharſal. 1. infauſtos agnoſcit Cometas, dum iure territam ab ijs Romam ciuilibus inuoluendam bellis teſtatur; hæc inſonans:

Ignota obſcuræ viderunt ſydera noctes
Ardentemq; Polum flammis, Cœloq; volantes
Obliquas per inane faces, crinemq; timendi
SydeSydeis, & terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra ſereno:
Et varias ignis denſo dedit aere formas.
Nunc Iaculum longo: nunc ſparſo lumine Lampas
Emicuit Cœlo &c.

Saracenis etiam Gallias vaſtantibus bis ſeptenis diebus geminos affulſiſſe Cometas teſtatur Venerabilis Beda illorum temporum Sacerdos, quos Cometas ſecutus Caroli Martelli Francorum tunc Principis acerrimus cum Saracenis conflictus, in quo ad trecenta ſeptuaginta quinque eorum millia, teſte Paulo Emilio ceciderunt. Videntur autem ſæpè ſæpius Cometæ coronatis capitibus mortem minitari, Principum ſtrages, ac Dynaſtarum excidia. Quod ſi quæras, cur potius nobilibus, ac Principibus, quam plebeis mortem prænuncient Cometæ; Reſpondet Vicomer. cit. ex eo quod cæteris delicatius viuant, ideòq; faciliores ſint ad recipiendas malignorum influxuum impreſſiones, quas Cometes, calore ſuo, ac ſiccitate intemperatâ annum extremè calidum, ac ſiccum efficiens, in aere relinquit; ipſorum enim humores ex nimio luxu redduntur maxime idonei ad hoc vt accendantur, & ideò Cometæ influxus eos facile quatiunt, atque ægritudini ſubijciunt, ac morti. Controuertitur tamen, num vere Cometæ hanc de ſe vim habeant præſagiendi, an potiùs ex inani quadam vulgi opinione hæc illis virtus demandetur. Ratio dubitandi eſt, quia Cometes, non ea ſolum, de quibus naturalis ratio poteſt afferri, quæ probentur ab eorumdem Cometarum influxu dependentia; ſed multos etiam alios dicantur euentus portendere, qui per rationem naturalem oſtendi non poſſunt, vt à Cometis ipſis prouenientes. Non facilis ſolutionis eſt quæſtio. Sed cum experientia doceat infauſta ſemper cometarum apparitione portendi, facile adducor, vt dicam, hæc ſigna ex arbitrio, ac pietate Dei habere, vt calamitates indicent, ad hoc vt nos à Deo irato ad Deum placatum confugientes, dum fulgura metuimus, fulmina euitare poſſimus moniti. Ideò igitur, & præſenti loco Poeta ſplendorem, quo Cœlum coruſcat ex Dearum inceſſu, Cometæ aſſimilat augurium ferenti; quaſi Cœlum ipſum Proſerpinæ, mox mox in mortuorum Regnum transferendæ, funeribus, lugubri hac face, præludens parentaret; & hoc quaſi Cometa monente, ad ſe ipſam tuendam Proſerpina excitaretur. Ideò enim ille fulgor quaſi Cometes apparuit *Laturus augurium*. *Laturus* enim à verbo fero eſt quod idem ſæpe ſignificat, ac *exprimo*, *oſtendo*, *patefacio*. Emicabat igitur fulgor ille, vt prænunciaret, oſtenderet, patefaceret, aliquod infortunium capiti, inter Principes recenſendo imminere, cuius ille infortunij ferret.

AVGVRIVM. Augurium proprie dicitur ab auibus, ex quarum volatu, geſtu &c. prædictiones rerum futurarum antiquitus deſumebantur, at, per tranſlationem traducitur ad quodlibet prædictionis genus ſignificandum. Quarè vides quomodo ex præcedentibus ſignis moneretur, vt ſibi caueret, Proſerpina, ni cæca omnino fuiſſet.

DELABITVR PRÆCEPS. Immutat lectionem Heinſius, ac legendum hic aſſerit: *Præpes delabitur*, cum Moreti codice; nam Cometa non delabitur, inquit ipſe, ſed ſcintillans dilabi, ac diſpergi videtur. De ſtellis autem, quæ delabi quandoque videntur, alia eſt ratio &c. Verum, bona tanti Auctoris pace, videtur mihi ipſe nimiam ex vna parte vim facere in verbis, ex altera verò vim ipſam, & proprietatem negligere verborum. Et primo quidem quo ad hoc vltimum patet ipſi minime cordi eſſet ſubtiliſſimam illam diſtinctionem, quam faciunt inter *præceps*, & *præpes* dicunt enim vtrumque importare velocitatem, ſed ita vt præceps dicat velocitatem deſcendentis ex alto, *Præpes* verò velocitatem in altum aſcendentis, quam profectò ſignificationem ſequitur, facto comprobans Virg. Æn. 6. vbi de Dædalo adſcititijs ex cretenſi carcere pennis euolante ait

Dædalus, vt fama eſt, fugiens Minoia Regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere Cœlo,
Inſuetum per iter gelidas enauit ad Arctos &c.

ex

ex quo vides præpetem dici volatum Dædali, qui è terris Cœlum verſus euolabat. Sed eſto dicere poſſit Heinſius hanc anatomicam diſtinctionem non ab omnibus ſeruari; ſed promiſcuè interdum & *præceps*, & *præpes* vſurpari. Cur igitur Heinſium non faciens vim in nomine, ex eo quod nomen vtrumq; eandem poſſit habere ſignificationem, vim ſubindè velit facere in verbis & contendere, legendum eſſe *dilabitur*, non *delabitur*; cum tamen vtrumq; verbum, ſi non adeò ſtrictè ſumantur, idem tandem ſignificet? Quod ſi ſtandum in rigore verborum ſit, cur non viderit Heinſius verbum *dilabor* idem eſſe, ac euaneſco, & in nihilum reſoluor? vt patet ex Æn. 4. vbi de Didone mortis frigore occupata, ait Vates

Sic ait & dextra crinem ſecat; omnis & vna
Dilapſus calor; atq; in ventos vita receſſit.

Dicet Heinſius non ſumendum in hac ſignificatione verbum dilabi, ſed in eo ſenſu quo ſignificat *extendi*, eo modo quo vtitur eodem verbo Virg. idem Georg. 4. vbi de Protei mutationibus Cyrene admonens Ariſtæum, ait

Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atq; ita vinclis
Excidet; aut in aquas tenues dilapſus abibit.

Fateor participium dilapſus poſſe in ſenſu Heinſij interpretari; ſed, re attentiùs conſiderata, *dilapſus* eo loco non erit idem, ac *extenſus* in aquam, ſed idem, ac *elapſus* è vinclis, vulgò *sfuggito da legami*. Sed eſto ſit ſumendum in ſenſu Heinſij. An non efficiat in caſu noſtro Amphibologicum ſenſum verbum illud *dilabetur*, dum non ſatis patet, cum pro extendi, aut pro euaneſcere accipiatur? Tutius igitur arbitror vulgatam ſequi, quæ naturam imitatur Cometarum, qui ita ſublimi aeris regioni affixi ſunt, vt iam iam lapſuri videantur, iuxta annotationem Dempſterij. Hanc igitur amplector, & explico. Proſequitur itaq; Poeta aſſumptam ſimilitudinem, & oſtendit, quomodò fulgor ille exortus ex Dearum veſtigijs, e Cœlo ad terram vſque protenderetur iiſdem ſemper inhærens, à quibus procedebat veſtigijs. Ex quo habes, ſignum illud perenne, ac notatu dignum fuiſſe, vt indè magis pateat non obſeruantis Proſerpinæ ſoccordia. Vt Cometes igitur ad augurium compoſitus *Delabitur*. Verbum eſt hoc compoſitum ex præpoſitione *de*, & verbo *labor*. atq; idem ſonat, ac deorſum feror. *Delabitur* itaque; ideſt *de* Cœlo, vbi initium duxerat, deorſum, per continuationem luminis ſe ſe diffundentis, fertur ita, vt continuato ductu à Cœlo ad terram vſq; pertingeret; eo ferè pacto, quo lux deſcribitur à prodigioſo ſydere relicta apud Virg. Æn. 2.

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram ſe condere ſylua,
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem &c.

Alluſiuum autem eſt verbum *delabitur* ad Cometas illos, quos diximus *Acontias* nominari, & ad Cometas etiam illos; qui *Lampadum* nomine deſignantur, vt magis appareat, fulgorem illum, dum *lampades* imitaretur, funereis togis, quos prædicebat, accendi; &, dum Acontias æmularetur, ſagittas mortem aptare prædicendam. Et profectò mortem ſubitura dici poterat, quæ virorum ſepulchro addicebatur. *Præceps* autem ferri hic ſplendor dicitur non ad oſtendendam eius diffuſionis velocitatem, vt putauit Heinſius, qui ideò præpes potius legendum eſt arbitratus; ſed vt ſitus eiuſdem ſplendoris ſub oculis poneretur, qui, cum è ſummo deorſum protenderetur præcipitantis figuram præ ſe ferre videbatur. Ideò ingenioſe admodum dictum agnoueris *Delabitur præceps*

IN ORBEM. Hoc ipſum immutat Heinſius, & legit

. . . . . *Augurium qualis laturus iniquum*.

Hæc lectio confirmaret vtique ea, quæ diximus de huiuſmodi ſplendore infauſta Proſerpinæ portendente. Sed quia videretur hæc lectio inniti Calphurnij ſententiæ Placidos etiam dari Cometas aſſerenti, qua ſtante neceſſarium fuerit addere *iniquum*, vt diſtingueretur hic ſplendor à Cometis fauſta ominantibus, non placet, obſtante effato, aliter iam communiter recepto, nunquam ſcilicet Cœlo ſpectatum impunè cometem; quo poſito, iam illud adiunctum, nempè *iniquum* ſuperfluum omninò eſſet. Arbitror itaq; Poetam potiùs vel iuxta communem ſententiam hic loqui voluiſſe, vel certè præciſiuè, atq; adeò *in orbem*, non verò *iniquum* dixiſſe. *Orbis* itaq; dicitur hic terrarum globus à rotunditate, ac figura, qua pollet circulari; nam certè ex terra, & mari globus conficitur rotundus, non quidem Mathematicè, ſed Phyſicè, vt nos fuſe probauimus in lib. de Cœlo, & Mundo; vbi etiam innuimus, eas, quæ immenſæ videntur, conuallium depreſſiones, ac montium conterminas ferè Cœlis ſublimitates, reſpectu tanti corporis, perindè ſe habere, ac ſe habeant paruulæ illæ, quas, in malo medico, cernimus, prominentiæ, ac depreſſiones, quæ certæ talis fructus rotunditati Phyſicæ non obſtant. Notat igitur Auctor hic terminum ad quem fulgor ille deduceretur, nempè ad terram vſque; & ſignatè ad Siciliam Inſulam, ac Proſerpinæ domum, poſito continente pro contento, & toto pro parte. Sicq; hoc eodem, & vnico contextu notat locum, cui Cometæ imminentur, nempè orbem, in quem, ſeu contra quem augurium ferunt, vt aptè facta, licet implicite, comparatione declaret, cui immineretur ſplendor Cometæ aſſimilatus, nempè Proſerpinæ, cui imminebat

SANGVINEO IGNE. Ideſt ſanguinis colorem referente. Inter cometas, qui ſanguinei apparent funeſtiores, vt plurimum, habentur. Quare Virg. Æn. 10. ſanguineos cometas lugubres appellat.

Non ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent &c.

ideò aptiſſimè Auctor funeſto huic fulgori Proſerpinæ tragœdijs præludenti ſanguineum colorem adſcribit. Dum autem dicit *ſanguineo igne*, videtur clarè oſtendere ſe Ariſtotelicam de cometis, quam innuimus, ſententiam ſecutum, igneis exhalationibus conflatum deſcripſiſſe, licet reſpectu ſplendoris, de quo hic, *igne dixerit* pro *igneo fulgore*, vt patet; nam aſſignat modum, quo fuerit ſplendor.

PRODIGIALE RVBENS. *Prodigiale* nomen eſt aduerbiatum, vt illud Virg. cit. *Lugubre rubent*, quod apud Poetas frequentiſſimè inuenies vſurpatum; & per metaplaſmum eruditè. *Prodigiale* autem dicitur, quidquid prodigium aliquod portendit; & quia tàm in bonam, quàm in malam partem prodigium accipi poteſt, addidit *Rubens*, vt ex igneo rubore intelligeremus malum eſſe prodigium, quod infauſto ſanguinis colore deferebatur.

NON ILLVM &c. Hucuſque ita Auctor noſter Cometæ eſt vſus ſimilitudine, vt non tantum ſimilitudinem, quàm applicationem ſimilitudinis ſit ſecutus; nam cum ſimilitudinem innuerit illis verbis *Qualis Cometes*: reliquas Cometæ proprietates ita recenſet, vt eas quaſi proprias fulgoris, de quo agebatur, recenſeat, & dum de Cometa inſonare verba videntur, ſenſus verborum de fulgore procedit, vt vidimus, & verificatur. Nunc verò, vt ex varietate dicendi ſtylus exornetur, & maiorem, etiam in funereis, pariat delectationem, relicto fulgore per ſimilem Cometæ figuram explicato, ſolum id, quod ſimile dicebatur, proſequitur; applicationem ſubindè Lectoribus faciendam relinquens; quaſi ipſe ſtupore correptus, non audeat dicere Proſerpinam ad huiuſmodi ſplendoris aſpectum interritam extitiſſe; cum omnes terreat Cometarum fulgor, dubius ne crederetur impoſſibilia enarrare, ſi quæ tamen de facto fuerint memoret, ad oſtendendum itaque, ſed relicto fulgore, cui ſimilitudo applicabatur, iam de ſola re loqui in ſimilitudinem adducta, aptè vtitur pronomine

ILLVM. Quod pronomen demonſtratiuum eſt, rem ſignans & à loquente, & ab audiente diſtinctam: ſed vlterius eſt etiam pronomen diſtinctiuum; nam quando gemina de re ſumus antecedenter locuti, ſi poſtea de remotiori, ideſt de primum obtinente, in locutione locum, loqui iterum velimus, deſignanda ea eſt per pronomen *illa*; ſi verò de proxima, hoc eſt vltimo loco poſita, loquendum ſit ea per pronomen *hæc* deſignatur. Duo præ manibus habebat Vates: Cometem, quem in ſimilitudinem adſciuiſſet & ſplendorem Deas comitantem, quem Cometæ coloribus delineabat: De hoc diſſeruerat vltimo loco, ſub allegoria Cometæ eum deſignans. Iam cum de vero, Comete, primo loco in gratiam ſimilitudinis collocato, loqui velit. *Illum* aptiſſimè inquit ad diſtinguendum. Et *illum* emphaticè dixit ad augendam terribilitatem, quam ille terrores incutit videntibus, quæ videlicet tanta ſit, vt non audeat Vates Cometem proprio nomine iterum compellere.

NAVITA. Nautæ vel per epenteſim Nauitæ dicuntur nauium rectores à naui. Verum hic Nauita ponitur pro quocunq; vtente ad transfretandum nauibus; nam hi omnes Cometarum aſpectu, maximè terrentur ob rationem inferius attingendam.

NON VIDET TVTO. Appoſui hic verbum *videt*, nam licet per adiunctionem tàm Nauta, quàm Populi vnicum habeant in textu verbum, nempè vident, ordo verborum poſtulat, vt claritatis gratia vnicuiq; membro per disiunctionem proprium addendum eſt verbum. Porrò de particula negatiua *non* ſatis dictam alibi malignantis naturæ eſſe quarè

quarè idem eſt dicere *Nauta non videt*; ac dicere *Nullus Nauta videt*. *Videre* autem eſt *oculorum ſenſu aliquid percipere*. Et optimè hoc verbo vtitur Vates, ad oſtendendum maximum terrorem, quem Cometes incutit videntibus potiùs, quam eum apparuiſſe ex aliorum ore audientibus; nam magis ex viſu, quam ex auditu animus mouetur, vt cecinit argutus ille:

Segnius irritant animum demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubdita fidelibus.

transfertur tamen interdum etiam ad animi conſiderationem; nam, quod eſt oculus in corpore, ideſt intellectus in anima; atq; hinc ſæpè ſumitur *video*, pro eodem, ac *conſidero*, *animo perpendo*, atq; *attenta cogitatione deprehendo*. Et in hac etiam ſignificatione ſumendum hic eſt hoc verbum; nam ſi quis aliquid per ſe quidem terrificum videat, ſed animo non aduertat, perinde eſt, ac ſi mortuo modo videret. Sic ſi apertis oculis dormienti ſpectra offerantur, imago quidem illorum oberrat oculis, ſpecies eorum in oculis recipiuntur, & quaſi in ſpeculo in oculo ipſo repreſentantur; ſed, cum animæ potentia ſomno conſopita non aduertat, nec terretur dormiens, immò nec videre dicitur. Quare verbum *videt* hic poſitum à Poeta intelligendum eſt *vitali modo*, ideſt ex Organi exercitatione ſimul, & aduertentia Animæ; ita vt coniunctim, & oculus videat, & animus attentè res per viſionem repræſentatas conſideret; & tunc *Non videt tutò*, hoc eſt *ſine periculo*, hoc enim ſonat aduerbium *tutò*; quo oſtendit Vates, in periculo ſemper, ex apparitione Cometarum, Nautam conſtitui, licet non ſemper actualiter periclitetur; non enim ſemper regularis cauſa, quo ad effectum, Cometes eſt ſaltem reſpectu omnium, qui illum videant; ſed per hoc non tollitur, quin videas, ex apprehenſione imminentis, quod prænunciatur, periculi non exagitetur, cum certò ſcire non poſſit, num alteri potiùs, quam ſibi Cometa infauſtè præluceat.

POPVLI NON VIDENT IMPVNE. A particulari Nautarum ad generale, nempe ad cuiuſuis conditionis perſonas, in genere populari poſitas, gradatione habita tranſcendit, vt oſtendat, Cometas non nautis ſolum, ſed omnibus timendum eſſe, cum omnibus indiſcriminatim minitetur. *Populus* itaq; dicitur vnius Ciuitatis multitudo concordi communione aſſociata. Verum, quia Cometes non vni tantum ſignatè Ciuitati, ſed omnibus ſub eodem Climate conſtitutis indifferenter portendit infortunia; hinc eſt vt Vates, non *Populus* dixerit, ſed *Populi*; nam *Populus*, cum plurali numero effertur, diuerſarum Ciuitatum collectas multitudines indicat. Quarè ſic meliùs oſtendit Vates per omnes generaliter Cometarum terrorem diffundi, nec poſſe aliquem ſibi non infauſtum pro certo polliceri: ſicque indirectè probat, etiam Proſerpinam, ſi cordata fuiſſet, debuiſſe illum ſibi fulgorem præcauere, qui Cometæ ad inſtar prodigiale rubens affulſerat. De particula negatiua, ac verbo *vident*, recole mox dicta ad particulas: Nauita non videt. *Impunè* verò aduerb. eſt immunitatem à qualibet importans pœna. Quarè idem eſt, ac *ſine noxa*; *ſine detrimento*; *ſine punitione*; nam, licet non omnes ex populo, qui Cometam viderint, periclitentur actualiter, & pereant; tamen & nemo, ſe tutum fore, poteſt arbitrari; quarè ipſa mali expectatio, ac timor *malum* eſt, ſupplicium eſt, detrimentum eſt. Adde, quod, ſi aliqui ex Populo pereant, totus populus detrimentum pati dicitur; nam ſicuti quia ſinguli Ciues membra dicuntur Ciuitatis, ſi membrum vnum vulneribus exponatur in totius corporis detrimentum vulnera redundant; ſic, pereunte aliquo ex popularibus, populare corpus mutilatum dicatur, neceſſe eſt.

SED CRINE &c. Subijcit cauſam, cur & Nautæ, & Populi, Cometis terreantur. Et cauſa eſt, quia reſpectu nautarum ventos, ac naufragia; reſpectu verò populorum, penurias annonæ ſiccitates, bellorum ingruentias, cædes, ſtrageſq; minitatur.

SED. Quænam ſit hæc particula, & quatenus coniungentis, & quatenus tranſeuntis eſt, iam ſatis dictum.

NVNCIAT. Hoc eſt fore ſignificat; nam pro *Prænunciat*, per aphereſim, ponitur, hoc eſt prædicit, & indicit.

AVT NAVTIS. Aut coniunctio ſeparatiua eſt, qua Poeta ea, quæ ſuperius coniuncta metum ſubire à Cometis incuſſum dictitauerat, ſeparans, vnicuique membro ex aſſignatis propriam timendi cauſam aſſignat; neque enim omnibus eadem infortunia timenda ſunt, cum, iuxta diuerſitatem conditionis, diuerſa vnicuiq; infortunia portendi poſſint. Et primò quid timendum nautis portendatur, exponit, ſicuti & ſuperius nautas primo loco recenſuerat.

Cum autem nautis nil magis timendum, quam decertantium rabies ventorum, hanc ijs portendi memorat, dum ait *Nunciat Ventos*.

VENTOS. Maximam ventorum rabiem ex Cometarum apparitione portendi eruditiſſimè cecinit Pontanus

Quin etiam, quod ſe incedens noctis extulit ignis,
Ille quidem, claro qua liquidum æera tractus,
Inde ruit portis quem primum ventus apertis.

Ipſum Helenæ ſydus, cum accenditur, ſubmerſionis prænuncium eſſe teſtatur Franciſcus Vicomercatus in primum Ariſt. Meteor.; ac rationem reddit ex eo, quod non niſi in grauibus accendatur tempeſtatibus, nec, niſi craſſiſſimo ſpiritu, & magna ventorum vi, halitus ille cogi poſſit, & accendi: Quare Horatius cum proſperam Virgilio precaretur nauigationem lib. Carm. 1. Ode 3. non Helenam, ſed fratres inuocat, nempè Caſtorem, ac Pollucem, qui ex diametro ſorori oppoſiti vim illius infringunt, & ſic ſalutem nauigantibus portendunt.

Sic te Diua potens Cypri
Sic fratres Helenæ lucida ſydera
Ventorumq; regat Pater
Obſtrictis omnibus præter Iapiga.

Idcircò itaq; Nautam ſalutis ſuæ dubium ſuſpenſoq; hærentem animo efficit prodigiale rubens Cometes conuulſiones minitans Oceani ex concitatorum ventorum rabie excitandas. Porrò quid ſit ventus iam dix. in præfatione ad hunc lib., ac plura de ventis diſſeruimus ad Carm.

Cum grauis armatus Boreas glacieq; niuali &c.

hic tantum notandum remanet, cur Vates *ventos* dixerit, non *ventum*. Ratio autem eſt, quia vnicum ventum eludere poſſunt facilè artis periti: at cum omnes agmine facto erumpunt Portis, ac vndique tranſuerſa fremunt, tunc

Rector in incerto eſt; nec quid fugiatue petatue
Inuenit: ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

vt inquit Ouidius, qui nauigationem prius ſuam decertantibus ventis deſcripſerat in ſummum diſcrimen adductam, ſic;

. . . . Nunc Eurus ab ortu
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt;
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto;
Nunc notus aduerſa prælia fronte gerit.

Sicq; Æolus Æn. 1. vt naues, iuxta placitum Iunonis Troianas perderet, omnes ex Antro emittit.

. . . . At venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumq; à ſedibus imis
Vnà Eurus, notuſq; ruunt, creberq; procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad ſydera fluctus.

tunc enim maximum, ac penè ineluctabile nautis imminet naufragium.

RATIBVS. Rates propriè loquendo *trabium compages* eſt, quæ, ante inuenta nauigia, nauium vicem ſupplebant: vulgò *Zatte*, ſeù *Zattare*, quæ in vſu adhuc ſunt in Anaſſo flumine ex Iulijs alpibus, per Bellunenſem agrum, in Adriaticum mare erumpente, vulgò *la Piaue*; atq; his ego ipſe vſus ſui Venetias per huiuſmodi flumen non ſemel aduectus. Hic pro nauibus ponitur, & naues pro nautis; ita vt per metalepſim à trabibus compactis ad nauim à naui ad nautas, vectoreſq; ſit procedendum.

AVT HOSTES VRBIBVS. Sic enim lego cum vulgata, & cum Heinſio, Barth., Clau., & alijs à Parrhaſio diſſentientibus, qui legerat *aut nubibus ignes*, quam benè, ac congruenter viderit ipſe. Sed iam ipſum audio Palinodiam decantantem, dum ait: *nonnulli tamen ex antiquis codicibus habent aut vrbibus hoſtes; in quam lectionem tranſuerſus eo magis agor, quo, nobis iſta perpendentibus, Italia bellis atteritur, quæ multo ante Cometæ portenderunt*. Alterum itaque hoc membrum eſt ſub diſiunctione poſitum, quo oſtendit, Cometem, non ſolum ea pericula prænunciare, quæ naturalem connexionem habere dici poſſunt cum eiuſdem Cometæ influentijs, ſed portendere etiam ea infortunia, quæ ex libero prorſus hominum arbitrio dependentia ſunt, vt bella, cædes &c. conatur tamen, & in his, naturalem connexionem cum influxibus Cometarum inuenire Vicomerc. cit.; dicit enim igneam Cometæ naturam humana corpora exſiccare, & accendere, adeò vt bilis, quæ item ignea eſt in cæteros prædominetur humores, atq; adeò homines ad iram, bella, cædes, ac ſtrages concitari. Ingenioſa, vt fatear ratio eſt, & quæ multum habeat probabilitatis. An tamen certa ſit, & neceſſaria viderint alij: neq; enim meum eſt hic iſta diſcutere.

HOSTES. *Hoſtis* propriè dicitur ille, cum quo bellum publi-

publicum habetur; *Inimicus* verò cum quo priuatas rixas exercemus; & licet nunc promiſcuè hæc vocabula vſurpentur, proprietatem tamen ſecutus Poeta, hoc loco, dum de communi bello loquitur, *Hoſtem* vocat Aggreſſorem.

VRBIBVS. Quid nominis, & quid rei vrbis videas memoratum ad Carm. illud anteactum.

Vellitur & dubia nutant cum mœnibus vrbes.

hic tàm pro materiali ponitur, quàm pro formali, ſed præcipuè pro formali, ideſt pro incolentibus vrbes, vnâq; ſocietatis vnione gaudentibus: quarè dicetur cum populis ad conuertentiam.

CRINE MINACI. Crinitos iam diximus appellari Cometas, eo quod, comarum in morem, ſcintillantes radios diffundant: ideo & radios ipſos *crines* appellat Claud., eoſdemq; terrorum fontes, minarumq; ſcaturigines eſſe indicat, eo quod, vt dixit Aratus, ſtellæ

Crinitæ exiſtunt multa ſqualentibus annis.

Inſuper in Leone, equo &c. villorum eiibratio, vt in Leonibus Cybeles iam dix., ſignum iracundiæ eſt: itaq; & hic euibrati Cometarum crines videntur in flagellum, propè dixerim, erigi, & minas acerrimè intentare, dum rutilant. *Crinis* verò dicitur capillus, e vertice ad humeros propendens. Crinem itaq; pro crinibus poſuit, nempè vnum pro pluribus; & Crinem dixit per ſimilitudinem translatiuè, non verò per proprietatem, *Et crine minaci* inquit; nam minax à minis dicitur, quaſi *minarum ferax*. Quarè dum Cometarum Crines *minaces* appellat, quanto euibrentur terrore, vno verbo, inſinuat.

Sed nos, terroribus iſtis admoniti, euitandi terroris ex terrore ipſo argumenta decerpamus ea quæ ad mores pertinent enucleantes.

Fruſtra Deum incuſat: fruſtra prædeterminationis, ac prædeſtinationis cogentia effingit decreta, qui præceps in mortem ruit, quia, neglectis ſalutaribus monitis, quæ ad ſalutem conferunt non ſectatur. En Iouem Dei ſimulacrum, in hoc poetico textu, exprimentem. Permittit Proſerpinam tentari, ſed auxilio non deſtituit, quo vincat, ſi velit, non vincatur. Præuidet, incurioſam illam, auxilijs non obſtantibus, lapſuram ſpontè? Deterrere conatur prodigijs ingruentibus. Et quis dixerit prædeterminaſſe ad id, à quo ipſe tanto prodigiorum deterret apparatu? Anne Deus in propriam pugnat ſententiam? Et decretum adſtruit contra decretum; vel quorum ſtatuerat, illicò ipſum pœnitet ſtatuentem? An ventis agitatæ frondis adinſtar habemus Deum? Immò certa ſemper illi ſententia, qua vult omnes homines ſaluos fieri. Ideò modis omnibus, vel prodigijs de Cœlo miſſis deterrere animam conatur, ne arbitrio illi ad ſalutem conceſſo in propriam abutatur perniciem. Quoties, dum actu peccas, per conſcientiæ ſynderesim animum pulſat, qui toties antequam actu peccares impedimenta opposuit obduratæ peccandi voluntati? Quoties flagellis intonat, vt fugias à facie arcus? Et tamen in vtramq; aurem dormiens, quaſi nil te horum tangeret cura, lethali magis impiorum ſomno delectaris, quam Cœlorum monitis in tui ipſius cuſtodiam aſſurgas. Fidelis Paſtor Deus; ſed infidelis homo, ſe ouem ſummi negat eſſe Paſtoris, dum illius voces non audit, vel, quod peius eſt, auditas contemnit. Vox tonitrui eius in Rota. Minas obſerua, vt à pœnis animam ſerues. Fulgura metuas, vt euites fulmina. Sententiam ſalutis tuæ arbitrio tuo exares, auxilijs à Deo datis innixus per viam ſalutis incedens; ne aliquando illi dicendum ſit: Extendi manum meam, & renuiſti: ego quoq; in interitu tuo ridebo.

Et quoniam riſum attigimus, videamus obſecro, num Plectris noſtris Italica arrideat Muſa latinis Cytharis ad cantum excitata.

Prende, in forza d'impero, à ſuoi deſiri
L'adorata da Cipro i grati accenti;
E, già pronta laſciar del Cielo i giri,
Brama poſte al ſuo piè l'ale de venti.
Pallade; e, delle fiere infra tormenti,
Quella, ch' hà nelle ſelue i ſuoi contenti,
Gli s'addattan compagne; e così vuole
L'alto Motor, ch' in Ciel gouerna il Sole.
Del Ternario diuin lucide l'orme,
Moſſe il vano à ſolcar d'aerei campi,
Par, che, con nuoue inuſitate forme,
S'vniſcan, l'aria à ſeminar di lampi:
Mà s'accoppian i lampi; e, d'vn conforme
Solco, ſembri, ch', in fiamme, il Ciel ſi ſtampi.
Varcan le Diue: e per l'aperta ſtriſcia
La fuocoſa impreſſion ſerpeggia, e ſtriſcia.
Par ſanguigna cometa, all' hor che porta
Di funeſti preſſaggi armato il crine,
(Se dal Ciel s'apre vn' infuocata porta)
Che ſi ſcagli al varcar baſſo confine;
Portentoſo terror nel Mondo apporta
Meſſaggiera di ſtragi, e di rouine;
E, del fuoco, ond'auuampa, entr' à i roſſori
Del Cenere mortal nutre i pallori.
Non la ſcuopre i Nocchier, che non ſi ſenta
Scorrer per l'oſſa irrigidito il gelo;
Non la ſcorge Nation, che non riſenta
I flagelli nel cuor d'irato Cielo:
Mà 'l minaccioſo crin nulla rallenta,
Fiero, in vibrar de ſuoi portenti il telo;
Per l'Eolie congiure, al Pin predice,
Per martiali, alle rocche vrna infelice.

Carmina proueniunt animo deducta ſereno:

inquit Ouid. eruditè.

Diſſona nil mirum ſi dedit iſta Chelis,

Sed iam Vatem proſequamur.

Deuenere locum, Cereris qua tecta nitebant,
Cyclopum firmata manu ſtant ardua ferro
Mænia; ferrati poſtes; immenſaq; nectit
Clauſtra Calybs. Nullum tanto ſudore Pyracmon;
Nec Steropes conſtruxit opus: nec talibus vnquam
Spirauere notis animæ: nec flumine tanto
Incoctum maduit, laſſa fornace, metallum.
Atria cingit ebur; trabibus ſolidatur ahenis
Culmen; & in celſas ſurgunt Electra columnas.
Ipſa, domum tenero mulcens, Proſerpina, cantu,
Irrita texebat redditura munera Matri.

DEVENERE LOCVM &c. Secutus naturam motus localis, qui ſemper fit à termino à quo, ad terminum ad quem, & per interpoſitum deducitur medium; in anteactis innuerat Vates, terminum, à quo diſceſſerant Diuæ, Cœlum fuiſſe: Medium igneis effulgens vaporibus, Cometæ ad inſtar, deſcripſerat: Nunc Deas, terminum ad quem, tranſacto medio, attingentes notat, ac terminum ipſum, nempe Cereris domum graphicè deſcribit, & quid in ea ageret Proſerpina, attingit.

DEVENERE. *Deuenio* propriè eſt *e ſuperiori loco deſcendo, & ad locum inferiorem peruenio*. Ex quo liquet, Poetam terminum hic à quo diſceſſerant in mentem reuocare, aptâ vſum verbi proprietate.

LOCVM. Locus a Phyloſ. definitur *Superficies prima corporis ambientis immobilis*. Ex quo habes, locum dici quidquid cōtinet aliud, ita tamen, vt immobiliter, quo ad ſuperficiem ambientem conſiſtat. Ideò vas, continens aquam, nō dicitur *locus* illius aquæ, quia vas illud moueri poteſt, & ſimul cum aqua ad alium locum transferri; *locus* autem *immobilis* eſſe debet. Hic nomine *Loci* Siciliam denotat, ac eam Siciliæ partem, quæ Domum Cereris continebat, vt ex ſubſequentibus patet. Optimè autem dicitur locus quia terra immobilis eſt, qua domus ſuſtinetur; & reſpectu aeris ambientis, licet ob continuum aeris fluxum mutetur aeris ſuperficies domum ipſam ambiens, tamen, cum ſemper ſuperficies aeris ambiens domum, quæcunq; tandem illa ſit, & quamtumuis mutari materialiter poſſit, ſemper inquam ſit æqualiter diſtans à certis punctis fixis; puta à polo artico, & antartico; nunquam dicitur mutari formaliter, ſed in ratione loci, cum ſemper eadem im-

mobiliter ſeruetur diſtantia. Ad hunc ergo locum Deæ perueniſſe dicuntur; ſed, poetico more, per helleniſmum, præpoſitionem *ad*, quæ grammaticaliter requiri videbatur omiſit, Virgilium imitatus, qui pluribus in locis, ſed præcipuè Æn. 4. hoc ipſo vtitur locutionis modo, dum inquit:

Speluncam Dido, & dux Troianus eandem
Deueniunt &c.

& Æn. 6. de Sybilla Æneam ad Eliſios ducente

Deuenere locos lætos, & amæna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſq; beatas.

QVA. Hac ſpeciali nota, locum præciſum, ac particularem deſignat, qui terminus ad quem Dearum motui fuerit. nam particula *Qua* aduerb. loci eſt, idem ſignificans, ac *parte quâ*. Quarè ſenſus poetici textus eſt *Deuenere locum*, & ad eam loci partem *in qua*, ſeù *vbi* Ceres tecta nitebant. Non enim hic aduerbium *motus per locum* eſt, ſed aduerbium ſtatus; in quo ſenſu Statio etiam familiariſſimum eſſe adnotat Parrhaſ.

TECTA. *Tectum* à tegendo dicitur, eò quod totam contegat domum, eſtq; pars ſuprema eiuſdem domus. Ponit autem Poeta tectum pro tota domo, & plurali pro ſingulari numero vtitur iuxta figurarum per tropos loquendi modum, nempè per Synecd.

NITEBANT. *Virebant* legendum putat Heinſius, hoc eſt virore fœlicitatis efflorebant. Non nego optimam eſſe ſententiam, & correſpondere ijs, quæ dicturæ eſt Proſerpinæ nutrix in 3. *Florebat tranquilla domus &c.* ſed videtur locutio huiuſmodi aliquam pati ambiguitatem; nam ſunt & tecta virentia muſco, nempè viridi illa lanugine circa fontes, aliaq; loca humida enaſcente. Quare redargui poſſet Vates, ſi hanc ſuſpicionem talis lanuginis in tecto illo enaſcentis non euitaſſet, cum cæteroqui ſplendidam vndequaq; domum deſcribat. Alij legunt *manebant*; ſed vulgare nimis. Alij *latebant*, & fortaſſis non incongruè ad id, quod lib. 3. habetur: *Tanto ne fama latebras*

Prodiderit, lonieiſq; meum Trinacria celat
Depoſitum &c. ſic enim de domo ſua Ceres ibi.

Verum cum Vates hic ſplendorem cerealis habitationis ſit amplificaturus, videtur viam ſibi congruentiùs ſternere voluiſſe ad Amplificationem, Magnificentiam illius ædificij prima ineuns fronte, per verbum illud *Nitebat*, quare à vulgata non arbitror recedendum. Alij legunt *Micabant*; ſed nobiſcum coincidunt, vt ex ſequenti explicatione patebit; nam *micare* eſt idem, ac *coruſcare*, & *fulgere*. *Nitebant* itaque, quia verbum *Niteo* idem eſt, ac *fulgeo*, *ſplendeo*, *coruſco*. Artefacta autem omnia accuratè, iuxta præcepta artis, fabrefacta, nitore quodam artis ſplendeſcere, omnibus in comperto eſt. Ideò & Cereris tecta *nitentia* dicuntur, ideſt artis excellentiæ, & perpolitis artificum induſtrijs inſignia. *Nitere* etiam dici potuerunt ratione inhabitantium; nam, cum Domus Dearum eſſet, non potuit quin diuino illuſtraretur nitore, ac fulgorem quemdam diuinitatis efflaret. Ideò *tecta nitebant*

FIRMATA. Reddit rationem, cur, ex artis induſtria, nitens diceretur hæc Cereris domus; & reddit à præſtantia artificum, qui illi ædificandæ deſudarunt: innuit enim Cyclopum induſtria extructum opus, vt ab artifice collaudet. Alij legunt *fundata*, nec abnuerem, niſi viderem maiorem perfectionem, atq; expolitionem importari per participium *Firmata*, quam per particip. *fundata*, vt ex explicatione patebit. *Firmata* igitur particip. præteriti temporis eſt à *Firmo*: *firmare* autem idem propriè eſt, ac *ſtabilire*, vocabulum ſcilicet ex ædificatoria arte deſumptum: nam cæmentarij, cum ædificium aliquod ad vltimam deducunt perfectionem, illud ſe *ſtabilire* affirmant. Poteſt tamen hic in multiplici ſignificatione deſumi: & primo ita vt dicat domum illam ſolidis adeò fundamentis obfirmatam fuiſſe, vt nec terræ motuum frequentibus, in ea Inſula, concuſſionibus quati poſſet, nec temporum iniurijs labefactari. Secundo mœnibus adeò validis roboratam fuiſſe, ac munitam, vt ab extrinſeco vim inferentibus inexpugnabilis redderetur. Tertio quia ex materia æternum duratura fuiſſet à Cyclopibus conſtructa, vtpotè quæ immortalibus Dearum auſpicijs dedicanda. Et hæc omnia amplexum fuiſſe Poetam non ambigo; nam ex ipſo deſcriptionis contextu hæc omnia attigiſſe ſatis conſtat.

MANV. *Manus* à manando dicitur, quia & ipſa extremo manat ex bracchio, & digiti ex ipſa promanare videantur, eſt enim membrum hominis bracchio immediatè adnexum, qua parte bracchium deſinit ipſum, & in latitudinem ſubinde extenditur, ac tandem in digitos diuiditur. Sed cur mentionem *manus* hic faciat Vates? Ecquis adeò peregrinus ab orbe eſt, vt neſciat, manum operationum omnium, quæ ab homine in alienam tranſeant materiam, inſtrumentum eſſe, ac mirificam operatricem? Porrò duplex, in arte ædificatoria conſiderari poteſt operatio, altera directiua, & præceptiua; altera verò executiua. Directiua, ſeù præceptiua propria eſt Architecti dirigentis, & præcipientis, quomodo hic, & nunc ab inferioribus cœmentarijs operandum ſit: executiua verò propria manualium, ſeù ſubordinatorum cæmentariorum eſt, ad quos ſpectat mandatorum ab Architectis executio. Cum igitur Cyclopes tantæ excellentiæ eſſent, vt illis munus tantummodo præcipiendi videretur iniungendum; Noluit Poeta, vt in controuerſiam vocari poſſet, num ipſi præceptiuè tantum, an & ſimul operatiuè eam conſtruxerint domum. Ideò ait *firmata manu*; ſeù, vt alij legunt, *fabricata*; vel, vt alij *formata manu*, quas lectiones equidem non improbo, cum clariùs explicent Vatis intentum; ſed vulgatam ſequor, quia grandior aſſurgit, vt ex dictis patet *Firmata*, inquam, *manu* dixit Poeta, vt pateret, non dedignatos Cyclopes manu propria domum conſtruere, vt dignum diuinitate opus exurgeret. Inhæret autem, quo ad hoc, Vates vſui antiquo conſtruendi ſcilicet ex ferro ædes omnes Deorum, Dearumque, vt notat Dempſter, & quia Cyclopes Vulcanijs circa ferrum officinis exercebantur; ideò illis hæc etiam tribuitur ædes *firmata manu*.

CYCLOPVM. Cyclopes qui nam fuerint, vidimus fusè ad Carm. *Quod non Cyclopea tela &c.* vbi etiam eorum nomina, ac nominum ethymologiam adnotauimus. Pariter eos in Sicilia degiſſe, quæ ideò Cyclopum Inſula dicta fuerit, eoſdemq; giganteæ fuiſſe ſtaturæ, docuimus ad Carm.

Æthneos apices ſolo cognoſcere viſu &c.

quarè hic aliqua tantum, quæ ibi reticuimus veniunt aperienda. Cyclopes igitur centum numero fuere Cœli, & terræ filij, vt ait Heſiodus in Theogonia, citatus apud Mythol. Nat. Com. lib. 9. cap. 8. Alij tamen dicunt, cum Euripide ab eodem cit., omnes ex vno eorum Principe Polyphemo ortum duxiſſe, ac Polyphemi vxorem fuiſſe Latonomen, Herculis ſororem. Amphytrionis, & Alcmenæ filiam. Cyclopes monoculos fuiſſe, hoc eſt vnum tantum media in fronte oculum habentes teſtatur Apollodorus, cui inhæret Virg. Æn. 3. vbi de Polyphemo hæc habet:

. . . . . Et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua ſolum ſub fronte latebat.

& eodem lib. de cæteris Polyphemi filijs loquens, ſubdit:

Cernimus adſtantes, nequicquam lumine toruo
Æthneos fratres &c. vt ibi vidimus.

Nullis vtebantur legibus Cyclopes, vt ait Homerus in Odyſſea; qui ideò immanes, carniuori, homicidæ, humanis veſcentes cadaueribus, ac in Deos ipſos ſuperbi deſcribuntur. Hos tandem ædificatoriæ arti addictos, ſatis patet; nam Polyphemus ingens Galateæ templum dicitur extruxiſſe; & Tirynthen vrbem opus Cyclopum fuiſſe, celebrauit antiquitas; immò eius Vrbis muros extructos ferunt rudibus lapidibus, tantæ magnitudinis, vt ne minimus quidem illorum, vel iumentorum bigis, loco dimoueri potuerit. Quidam ferunt, Mycenes etiam muros, validiſſimæ profectò ſtructuræ opus, à Cyclopibus conſtructos, quos Argiui, fugatis prælio Mycenis, demoliri non potuerint. Vno verbo quidquid fabrilis operis mirata fuerit antiquitas è Cyclopum laboribus promanarum credidit. Ex horum numero tres habuit Vulcanus ſibi deſeruientes in officina ferraria exercenda, quos iam enumerauimus ad Carm. ſupra cit. *Quod non Cyclopea tela &c.* Hos autem, ſignatè monet Poeta, fuiſſe artifices, qui Cereris domum extruxerint, vt patet ex ſequenti contextu. Nec ſine myſterio hæc canit Vates, hoc loco; ſed extructam à Cyclopibus Cereris domum, in qua Proſerpina degebat effingit, vt ipſam domus ſtructuram, augurium fatale thori, indicaret: cum iiſdem manibus compacta extaret, quibus Inferorum portæ Proſerpinam excepturæ, dicuntur à Virg. fabrefactæ, Æn. 6., dum ſic inducit Sybillam cum Troianorum Duce colloquentem:

Acceleremus, ait; Cyclopum educta caminis
Mœnia conſpicio, atq; aduerſo fornice portas &c.

STANT ARDVA FERRO &c. Data ex anteactis occaſione, ſtructuram eiuſdem domus per hypotipoſim deſcribit, ac deſcriptionem deducit à materia, à forma, à partium enumeratione, & adiunctis, vt ex ſequentibus patebit.

MÆNIA. Murorum hic ſtructura deſcribitur, quæ prima oculis obijcitur adeuntis: nam *Mœnia* à muniendo dicta (veteres enim ſæpè *œ* pro *u* ponebant) quarè mœnia propriè dicuntur, quæ continuato ductu vrbem aliquam cingunt,

gunt, & muniunt, ac hoſtiles impetus arcent, per translationem tamen extenditur hoc nomen ad quemlibet murum ſignificandum, præcipuè verò ſi ad defenſionem fuerit quoquemodo fabricatus. Cum igitur hic muri, quibus Proſerpina claudebatur, ad eamdem conſeruandam conſtructi fuiſſent, iure *Mænia* vocantur.

STANT. *Stare* ſignificat *erectum eſſe*, & *ſua mole conſiſtere*. Inſuper ad durationem refertur, ita vt *ſtantia mænia* dicantur, quæ & durant, & duratura in æuum ſunt. Denique ſtare pro eodem ſumitur, ac *horrere*, ſeù *horrorem incutere*; & accipitur etiam pro *denſum, ac ſolidum eſſe*, & *prominere*. Has autem ſignificationes omnes, quæ ab alijs ſeorſim diuerſimodè applicantur, hoc vno in verbulo eruditiſſimus Vates compilauit; nam certè cum ferrea eſſent mænia, non poterant, quin propria mole conſiſterent erecta, &, cum in defenſione extructa fuerint, altè prominentia; duratura verò fuiſſe ex ipſa eorum conſtat materia; eadem horrores incutere nemo negarit, qui nouerit, hoc proprium ferri lenigati eſſe, & in parietem efformari. Denſa tandem, ac ſolida fuiſſe ex eàdem conſtat materia. Quare vides quot vno verbo exprimat conceptus copioſiſſimus Vates. *Stant*

ARDVA. *Arduus* idem eſt, ac altus, & difficilè penetrabilis, ſeù ſuperabilis; ex quo factum, vt, per tranſlationem, rem etiam indicet laborioſam, ac factu difficilem. Senſus autem tàm proprius, quàm tranſlatus hic adeſt: indicare enim voluit Poeta, præaltis munitam mænibus domum, ac per conſequens ſuperatu difficillimis, vt decebat hoſpitium ad ſecuritatem conſtructum; & inſuper ſignificare voluit, immenſo ferè Cyclopum labore, vt fuſiùs infra, ea mænia ſtetiſſe, quæ ardua dicuntur, hoc eſt difficillima factu, licet tandem facta.

FERRO. *Ferrum natare doces*, inquit Cic. 7. in Ver., de eo qui rem impoſſibilem conetur ad actum reducere. Ad hoc ipſum, non planè quidem, ſed indirectè alludens Poeta, inſanum opus Cyclopum fuiſſe illud, oſtendit, quo ea mænia vt conſtruerent euicerunt. Ex materia enim rationem reddit, cur ardua dicta fuerint; nam primo, cum ea ex ferro conſtructa fuerint, certe non ſolum ſuperatu difficilia, ſed omninò inſuperabilia comprobantur; cum perpolitum ex ferro opus nullis rimis, nullis ſcrobibus, nullis cauitatibus anſas præbeat, vt quis ad muralem huiuſmodi coronam valeat adſpirare. Inſuper ferrum fundere, ac malleorum ſubindè vi extendere adeò, vt in altiſſimam exurgat proceritatem, latitudine non neglecta, certè laborioſiſſimum opus fuerit, neceſſe eſt, vt patet conſideranti.

FERRATI POSTES. Ferratum propriè dicitur id, cui ferrum ſuperinducitur, vt fieri ſolet in foribus, quibus ergaſtula illa, vbi captiuum detinent auari theſaurum; nam ligneæ tabulæ, quibus fores ipſæ compaginantur, ferro vtrinque ſuperinducto muniri ſolent. Hic tamen *Ferrati* pro eodem ſumitur, ac *ferro facti*; nam incongruum fuiſſet, ferreis mænibus ferratos tantum, non ferreos, poſtes adaptaſſe; quod non eſt dicendum, vbi fabrica extructa dicitur Cyclopum manibus; qui, vt ait Plin. lib. 7. ferream primi fabricam inuenère; quod idem eſt, ac dicere, eos ferreis omninò ſtructuris fuiſſe delectatos. Adde, voluiſſe Poetam hic, perfectiſſimam, ac vndequaq; munitam ſummè, habitationem delineare: quarè non eſt dicendus fortiſſimis hiſce mænibus inferiores Ianuas aptare voluiſſe. *Poſtes* verò in ædificijs dicuntur *latera Oſtiorum ex lapide, vel ligno extantia*, quorum alterum, cardinibus infixis, ſuſtinet fores; alterum ſeram recipit, & repagula, cum Oſtium clauditur; vulgò *le baleſtrate della porta*. Hic tamen pro *ipſis foribus* ponuntur *poſtes*; quod nouum non eſt apud Poetas, vt ex Virg. patet Æn. 2. *Poſtes* pariter pro *foribus* vſurpante, dum ait: *Limina perrumpit Poſtesque à Cardine vellit*. nam, quæ cardinibus ſuſtinentur, *fores* ſunt, non *poſtes*; ſed, cum integrum Oſtium ex *poſtibus*, *foribus &c.* integretur, nomine propinquo abutitur, per cathacreſim; ſeù dixeris, partem ponere pro toto, per Synecd. quod frequentiſſimum eſt apud Poetas: ſeù etiam dixeris poſitum fuiſſe includens pro incluſo per Metonim. cum certè fores inter vtrumque poſtem includantur.

IMMENSAQVE NECTIT CLAVSTRA CALYBS. Ex hoc contextu ſatis probatur id, quod ſuperiùs diximus, nempe poſitos *Poſtes* ad ſignificandas *fores*; nam quæ ſupra *Poſtes* appellauit, hic *Clauſtra* vocat, & oſtendit vectibus ex Calybe fabrefactis roboratas fores, vt munitiſſimum conſtituat Oſtium tantæ domus.

CALYBS igitur ferrum eſt; ſed optimi generis ferrum, eo quod maximè purum, ac maximè durum ſit. Dictum eſt autem hoc ferrum *Calybs* à Populis Pontum incolentibus propè Thermodoontem fluuium, qui *Calybes* olim dicebantur, vt ait Callimachus, & primi huiuſmodi ferrum inuenère; ab Homero ſubinde *Alizones* dicti ſunt *Alybesque*; ac tandem *Caldæi*, vt à Strabone refertur. Hi effodiendo ferro maximè addicti, ac perfectiſſimum ſeligendi in primis periti fuiſſe dicuntur, & confirmatur ex Virg. Georg. 1.

India mittit ebur; molles ſua thura Sabæi;
At Calybes nudi ferrum &c.

Ab his igitur populis perfectiſſimum ferrum Calybis nomen ſortitum eſſe non dubitant Auctores. Vel dixeris id nomen deductum à Calybe Hyſpaniæ fluuio, in quo ferrum optime temperatur, vel qui, vt ait Trogus, Populos ſui nominis alluit, qui cæteros ferri præſtantiâ longè ſuperent; nam hæc omnia ab eruditiſſimo Poeta alluſiuè attingi non ambigo, vt vno verbo, & optimam ferri, quo vectes efformabantur, qualitatem, & egregiam eiuſdem exprimeret temperaturam. Ferreas enim portas vectibus ex meliori ferro, illoque mirum in modum exactè temperato, muniri procul dubio conſonum fuit. Ponitur igitur hic *Calybs* pro *vectibus*, nempe *materia* pro *re ſignata*, & ſingulari numero pro plurali vtitur, more poetico, per Synecd.; nec enim vnico vecte tantæ molis valuæ ſatis poterant obfirmari, vt patet conſideranti.

NECTIT. *Nectere eſt ſimul vnire, atq; ita obfirmare quæ nectuntur, vt disiungi nequeant*. Cum igitur Oſtij valuæ, ingentes præcipuè, ita concinnari ſoleant, vt, vnitis ex vtràq; parte compagibus, cum clauduntur, vnica ex duabus valua fieri videatur, quæ ſubinde vectibus, introrſum appoſitis, firmetur adeò, vt diſiungi, niſi remotis vectibus, non poſſit; hinc eſt, vt Poeta ad oſtendendam portarum firmitatem dixerit eas coniungi, & obfirmari vectibus ex Calybe factis, & *Calybe necti*.

CLAVSTRA. *Clauſtrum* à claudendo dicitur *id, quo aliquid clauditur*. Sic itaque & *fores clauſtra* dicuntur, vt ſupra notauimus, quia ipſis clauditur domus. Conſtat autem *Clauſtra fores* dici ex ipſo Poetarum Principe Æn. 7. vbi expreſsè habet: *portarum ingentia clauſtra*. Neque enim aſſentiri hic poſſum Parrhaſ. qui *Clauſtra* appellari *feras* à claui, hoc loco interpretatur; ſera enim firmat quidem id quod valuas nectit, nempè vectem, aut quidquid aliud vectis ſuſtinens vices; ſed non nectit ipſa, nec nectitur. Quarè repugnat textui, vt arbitror, eruditiſſimi alioquin Interpretis expoſitio.

IMMENSA. Hoc ipſum adiunctum Parrhaſianæ repugnat expoſitioni; nam, ſic nec valuæ quidem immenſæ dici poſſunt ſine hyperbole, quomodo immenſa dici poterit *ſera* valuis appoſita, quę vix cum illis habet proportionem vnius ad centum? Immenſa itaq; dicuntur *Clauſtra*, hoc eſt *fores*, ideſt *immenſi ponderis* per hyperbolem; nam immenſum dicitur quod nullâ poteſt æquari menſurâ; clauſtra autem illa, cum à Cyclopibus fabricata fuiſſent, certè & quo ad molem commenſurabantur, cum ex vtroq; latere *poſtibus*; ex inferiori verò, ac ſuperiori parte liminibus inferiore, & ſuperiore, intercluderentur: & etiam quo ad pondus immenſa eſſe non poterant, cum finitas fabricantium vires non excederent. Hyperbolicè ergò dictum eſt, ad oſtendendum ea tantæ ſoliditatis, ac firmitatis fuiſſe, vt infiniti ponderis exiſtimari à non omnia perpendente potuerint. Inſuper vaſtitatem ſic adauget portarum, vt ex vngue leonem agnoſcas, hoc eſt, ex valuarum magnitudine colligas, quam immenſæ molis tota fuerit domus, cum certè Oſtium minimam ſemper, vel ferè minimam expleat domicilij partem.

NVLLVM TANTO SVDORE &c. Apertum hinc redditur, quod ſupra dicebamus, nempè mænia illa dicta fuiſſe *ardua*, hoc eſt *laborioſa*, & *factu difficillima*; nam ex Artificum ampliſſimo ſudore, tamquam à conſequenti amplificat antecedentem laborem copioſiſſimos huiuſmodi ſudores extorquentem à Cyclopibus in hoc opere perficiendo euigilantibus: Simul autem pretium addit domo, dum elaboratè, & non ſine ſumma artis induſtria factam oſtendit.

NVLLVM OPVS. *Nunquam* legit, vbi vulgata *Nullum* habet, Parrhaſius. Sed cum mox in textu iterum habeatur *nec vnquam*, quod idem eſt, ac *& nunquam*, non videtur conſona Poetæ delectationem ſectanti hæc tam immediata eiuſdem particulæ repetitio, cum nullam hic emphaſim habere poſſe videat. Quarè vulgatam ſequor cum Heinſio, & alijs. Opus itaq; dicitur quodcumq; artefactum, ex labore, actione, atq; induſtria operantis artificis proueniens. Multa opera à Cyclopibus fabrefacta iam ſupra attigimus: ad ea igitur omnia reſpiciens Vates, tacita comparatione, in adi-

adiectiuo *Nullum* incluſa, oſtendit, eximium hoc Cerealis domicilij opus cuncta eorumdem anteacta laborum monimenta longè lateq; ſuperaſſe. Ideò *nullum opus*

CONSTRVXIT; per præteritum enim tempus præſens opus cum præteritis conferens Poeta, atq; ad præterita per ampliationem referens, quod iam diximus apertè comprobat. *Conſtruere* autem idem eſt, ac *ſimul ſtruere*: quo verbo vtimur, ad ſignificandam plurium circa idem opus operantium ſocietatem. Cum igitur domum Cereris, vt opus Pyracmonis præcipuè, ac Steropis deſcribat, aptè vtitur verbo conſtruit. Codex Voſſianus apud Heinſium *Commiſit* pro *commiſſe*, dicitur repoſuiſſe loco verbi *conſtruxit*; ſed quia vulgata proprietatem actionis magis ſequitur, non recedo.

PYRACMON, NEC STEROPES. Qui nam fuerint Pyracmon, & Steropes iam vidimus ad cit. Carm. *Ignauoſq; putas quod non Cyclopea cola &c.* Ethymologiam etiam nominum ibidem attigimus, quæ, hoc loco, maximè conuenit ſtructuræ, quæ ab ipſis dicitur fabrefacta; nam, ſi *Pyracmon* idem eſt, ac *ignis multus*, certe non niſi multo igne ferrea hæc moles conſtrui poterat; & ſi Steropes *fulgur* interpretatur, certe ex percuſſo candenti tantæ molis ferro ſcintillæ copioſè adeò emicuerint neceſſe eſt, vt fulgura imitari viderentur. Inſuper cum fulgur à fulgore, quo ſplendeat, *fulgur* dicatur, nonne ea mænia, quæ ſpeculi adinſtar extarent perpolita ferreum emiſerint fulgorem vehementem adeò, vt merito compacta ex fulgure potuerint appellari? Iure igitur. Hi duo præcipuè tantæ domus artifices recenſentur.

TANTO SVDORE. Ex profuſis largè ſudoribus eam probat, quam ſupra innuerat, operis immenſitatem; *Tantus* enim idem eſt, ac *tam multus*: quarè per particulam *tanto*, ſupereffluentes abundantiſſime ſudores, denotat, è Cyclopibus effluxiſſe, dum hæc mænia conſtruerent. Particulæ *tanto* ſolet correlatiua *quanto* correſpondere; quæ tamen ſæpè, per Synecd. figuram, reticetur, cum facilè ex contextu, vt hic ſubintelligi poteſt. Sic Virg. Æn. 1. de Imperio Rom. ait:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

vbi ex contextu ſubaudias: *quanta colligi ex dictis poteſt*: Sic &, hoc loco, Claud. ait *nullum tanto ſudore &c.* ſubaudies enim *quanto* opus, de quo hic conſtructum eſt. *Sudor* itaq; excrementum eſt aqueum, per cutem exſudans, quia autem ſudor ſæpè ſæpiùs vi laboris elicitur, ideò ex ſudoris copia magnitudo continuati colligitur laboris; & hinc fit, vt ſudor ſæpè pro ipſo labore ponatur, effectus ſcilicet pro cauſa; nam quo magis augetur labor, augetur & ſudor.

NEC TALIBVS VNQVAM &c. Ex Artificum labore, ac ſudoribus amplificauerat Vates opus illud Cerealis domicilij: nunc ex ipſorum conatu inſtrumentorum idem amplificat; & ſenſim ſine ſenſu ad deſcriptionem follium in accenſas ferrariæ officynæ prunas exſufflantium attingendam delabitur. Quarè eſt hæc implicita, & tacita quaſi hyppotipoſis, qua modus operandi talis officinæ obiter inſinuetur.

NEC. Coniunctio diſcretiua hæc eſt, quæ aptè, hoc loco, apponitur cum a diſparato ad diſparatum, nempè ab artificibus ad inſtrumenta tranſitum faciat Vates; coniungenda enim hæc erant, quippe omnia ad eumdem finem conferentia, ſed coniunctione diſiunctiua, vt diſtinctè, ac ſine confuſione procederet Oratio, ſua vnicuiq; ex diſiunctis attribuens.

VNQVAM. Idem ſonat aduerb. huiuſmodi, ac *vllo tempore*, quod memoriæ innotuerit, & vltra memoriam tranſcendat; aduerbium enim temporis eſt: vulgò *Già mai*. Eſt autem idem dicere *nec vnquam*, ac *nunquam*, vt ſupra dicebamus.

ANIMÆ. *Anima* hic pro aere ponitur agitato. Ad cuius rei intelligentiam, reuocandum eſt hic in memoriam, quod alibi innuimus, nempè ventos ex opinione D. Auguſt. nil aliud eſſe, quam aerem agitatum: quem autem nos ventum dicimus, Græci *ἄνεμον* appellant, id eſt animum. Licet autem in rigore loquendo *Animus* ſit quid diſtinctum ab *Anima*, cum potiùs *Animus* ſit *ſpiritus vitales* ab *Anima Animus* dictus, quam ipſa *anima*; vſus tamen inualuit, vt tam *animus*, quam *anima* pro eodem vſurpentur: ſic & *efflare animam*, dicimus, & *agere animam* pro *mori*. Hoc poſito, memineris nos ſæpe dixiſſe Ventos *ſpiritus aereos* eſſe: Cum igitur *ſpiritus*, & *animus* idem ſint; & *animus*, ac *anima* pro eodem interdum vſurpentur; nil mirum ſi *animas* pro *animis* poſuerit Vates hic; id eſt pro *ventorum ſpiritibus* græca eruditione ſuffultus, quæ Ventum *ἄνεμον* vocat vt diximus; & Virgilium imitatus, apud quem in Æn. 8. ſic Venerem Vulcanus alloquitur,

Quidquid in arte mea poſſum promittere curæ

Quantum ignis, animæque valent &c.

vbi nomine Animarum certè Ventos e follibus in ignem afflantes apertiſſimè notat. Adde Ventum, ſeù ſpiritum huiuſmodi aereum apud latinos *flaminis* nomine deſignari; flamen autem Græcè *πνεῦμα* dicitur; hoc eſt, *ſpiritus*, *ventus*, *anima*, & *inſpiratio diuina*: hæc enim omnia, eadem voce, *πνεῦμα*, Græci exprimunt. Quare ex Virg. ac duplici græca eruditione firmum remanet, per vocem *animæ*, aerem vel ventos, ſpiritus ſcilicet aereos, denotari. Hoc firmato, vt clariùs Poetæ textum intelligas, recogites, opportet, modum, quo artificioſiſſima officinæ ferrariæ inſtrumenta illa, quæ folles appellantur, inſlatis nudis fornaculis deſeruiant: dum enim iſta ex latiori, ac pellibus circumclauſa parte extolluntur, aerem attrahunt per ferream cannam, eorumdem orificijs in anteriori anguſta parte inſertam; atque hoc pacto aere grauida, vt ita dicam, Æolium Antrum ventis vndequaq; confertum æmulari videntur. Dum vero, ſuperimpoſitis, poſteriori ex parte, ponderibus, iterum comprimuntur, conceptos in vtero ventos, per eamdem, quod attraxerant, cannam, maximo rejciunt impulſu, ita, vt, eorum flatibus, maximè excandeſcat appoſitus in rogo ignis. Hoc attigit egregiè Bracciolinus de Cruce lib. 3, in ſubiecta, prorſus artis ferrariæ materia, dum ſic habet:

Gran mantici per gli ſtretti fiati
Alternando à ſpirar mantengon roſſe
L'agitate fucine; ed infiammati
Son gl'acceſi carbon per mille ſcoſſe.

Nos verò hanc ipſam follium operationem reſpectu artificinæ deſcribentes, Italicis ſic metris luſimus.

Preſo à forza, e reſpinto
Per quella, onde fù tratto, anguſta canna,
Reſoluto prigione, Euro temprato
Freme ſciolto, ed incurua
Del mobil Otre; e co'l ſuo ſoffio affanna
L'oppoſto rogo: Et, di ſcintille armato,
Ferro ſtride adirato;
Ruota le ſcoſſe fiamme, indi l'inalza,
E, fatto d'Aria, Euro, nell'aria, s'inalza.

Animæ igitur appellantur hic à Poeta partes ipſę aeris, (ſed *aereos alios ſpiritus* eodem nomine notat) in follium vtero per attractionem addenſatæ, quæ ſubindè per eorumdem follium depreſſionem.

SPIRAVERE. *Spirare* enim eſt *flatus ex ore emittere*; cum autem & ventus dicatur *flatus*, vt vidimus in præfatione huius lib. ad Carm.

Quíbus auſus committere flatibus alnum &c.

aptè hic Vates hoc verbo vtitur *ſpiravére*, quaſi dixerit, aeris partes in folle collectæ, & addenſatæ, atq; ab eodem ſubindè compreſſæ efformatum ex ſe ipſis ventum impellentes, flatus, hoc eſt ventos ipſos ex ore follis emiſerunt.

TALIBVS NOTIS. *Tales* nota qualitatis eſt; hac enim aptè reſpondetur interroganti qualis res ſit; ex quo etiam patet, cur *talis*, & *qualis*, vt plurimum, correlatiuè ſibi inuicem reſpondeant. Quarè quæ dixi ſupra de relatione inter *Tantum*, & *quantum*, hic proportionaliter intelliges applicanda, tam quo ad comparationem, quam quo ad reticentiam correlatiui. Quod ad particulam *Notis* pertinet; fateor multum habere ambiguitatis præſentem Poetæ textum: quæ quidem ambiguitas ex illa tantum particula *notis* exoritur; cum enim hæc & deriuari poſſit à nomine *nota*, *notæ*, quod idem ſonat, ac *ſignum*, *argumentum*, *indicium*; & a nomine, ventum ſignificante, nempè *notus*, *noti*; non poteſt quin in ambiguo relinquat, quamnam ſibi voluerit Poeta ſignificationem aſſumere. Verum cum animaduerterim, hanc particulam vtroque modo deriuatam optimè conuenire contextui, facilè adducor, vt credam, data opera amphibologicum hoc nomen ab auctore aſſumptum, vt id ipſum, quod alijs vitium eſſet, in virtutem transferens, viuacitatem ſuorum conceptuum magis, magiſque redderet admirabilem. In vtráq; ergo ſignificatione, hanc particulam arbitror explicandam, vt videamus, quanto artificio amphibologiam eludens, elegantiſſimos aggeret, rudi ſub cortice, ſenſus; ſicuti rudi mehercule libro opobalſamum continet Myrrhæ. Sed rem ipſam diſcutiamus.

Nota primæ vtiq; declinationis, & fœminei generis nomen ſignificat ſignum aliquod, per quod res aliqua alteri innoteſcat; vulgò *contraſegno*. Quo poſito, ſic Poetæ intentionem expono, Deſcriptionem huius domicilij totam cernimus hyperbolicam, dum & immenſa vocat Clauſtra, & nunquam adeò inſudaſſe opera Cyclopes aſſerit, & laſſam

in-

inferius, gemuiſſe, dictitat, fornacem ipſam. Cur non ergo & hic, hyperbolicam proſequens locutionem, folles innuat ipſos numquam tanta edidiſſe *ſigna* laboris, ac defatigationis, quanta in hoc opere conſtruendo? Dum itaque dicit: *Nunquam animæ ſpirauere talibus notis*; idem eſt, ac ſi diceret: *nunquam animæ, hoc eſt venti è follibus ſpirantes tales dederunt unquam ſui laboris, atq; exagitationis notas.* Quod ſi quæras, quænam potuerint eſſe iſtiuſmodi laboris notæ, facilè reſpondetur, eas fuiſſe, *ſtrepitum*, quem alternantes elicerent folles, nimijs vtique alternationibus ſollicitati; *crebri* accedunt *flatus*, qui graues, & quaſi ad inſtar anhelitus, nimiam defatigationem oſtenderent; inſuper *ſtridor afflati rogi*, qui vehementius inſurgeret, crebris flatibus excandeſcens: Adde rotatas inceſſanti impetu flammas, quæ nimium ſe iam torqueri inſolito quodam murmure indignarentur &c. ex quibus vides, quot vnico attigerit verbo laboris notas, è vento follium prouenientes, eruditiſſimus Auctor, & quanta eruditione follium celerrimè agitatorum deſcriptionem, hoc vno in nomine compilauerit, quod per ablatiuum modi ſic effert: & facilè animaduertere potes hæc omnia adamuſſim contextui conuenire. In hoc eodem ſenſu videntur nomen hic *Notis* accepiſſe Parrhaſ. & Clauer. dum primus, *Notis*, inquit, hoc eſt *argumentis*: ſecundus verò *Notis*, ait, idest *indicijs*, *vt Celſus ſalutis, & morbi notæ*. Sed cum ex neutro exprimatur, quæ nam fuerint hæc argumenta, hæc indicia &c. aut cuius nam fuerint indicia, ſigna, argumenta, vel notæ; aperiendum mihi fuerat, quod ipſi reticuerint, vt planum haberemus primum ex indicatis ſenſibus huius nominis. Verum, tamen, vlteriùs eſt non incongruè ſumi poſſe nomen illud *Notis*, vt deriuatum, ſeù inflexum à nominatiuo *Notus* ventum ſignificante, vt dix. Et, vt fatear, perplacet mihi, quo ad hoc, Barthij ſententia, qui ait: *Notis, id eſt ingentibus flatibus, quos poſſis ipſis Notis æquiparare*; maximè enim, & ex primaria, vt arbitror, Vatis intentione hæc textui quadrat expoſitio. Quarè ad illud iam nomen in hoc ſenſum explicandum diuerto.

Notus ventus meridionalis eſt, quem & Auſtrum vocamus, quamuis, vt peritiores notant, verè Auſter non ſit ipſe, ſed de Auſtro quidem participans, cum ſit illi lateralis ad orientem; & *Notus* dicitur ab humore, qui Græcis *νοτὶ*, eo quod ventus humidus ſit. Hoc poſito, eum ſpirare, vt diximus, ſit flatum ex ore profundere; flatus autem ventus ipſe dicatur; cur non dixerim, ſenſum Poetæ eſſe, vt dicat: *nunquam Ætnæi folles tali impetu, ac celeritate ventorum flatus emiſere*; cum certè poni poſſit ſpecies pro genere, nempè notus pro quolibet ventorum afflatu? Immò proprietate verborum ſpectata, ac naturali rerum ordine ſeruato, hoc magis dicere Poetam voluiſſe patet, licet nec illud, quod iam diximus, neglexerit, vt mox dicemus. Dixi *ſpectata proprietate verborum, ac naturali ordine ſeruato*; quia dum dicit Poeta: *Spirauêre animæ*: certè nomen illud *Animæ* ponitur tamquam quid viuens, more poetico, qui iuxta fabulas ventos omnes viuentes efficit, ſeù admodum viuentis per tranſlationem vſurpat; conſequens igitur erat, vt, iuxta proprietatem, attribueretur illi actio vitalis, quam & attribuit Poeta, per verbum *ſpirauêre*: Ad actionem autem, ſpectato naturali ordine rerum, ſequi debuit effectus; & effectus ſpirantis non poteſt eſſe niſi flatus ſpiratus: Flatus verò ventus eſt, vt diximus; Quarè *ſpirauêre notis*, idem fuerit, ac *ſpirauere ventis*. Sed dices: *Animæ ex dictis, venti ſunt*; Ergò dixiſſet Poeta, *venti ſpirauere ventis*, quod ridiculum videtur. Reſpondeo tamen, quod, ſicuti non eſt ridiculum dicere: *ignis producit ignem*, ſic nec ridiculum eſt dicere; *ventus ventum producit*, nam hoc ipſum ſonat *ſpirauêre notis*, accuſatiuo in ablatiuum modi permutato: ratio eſt, quia per nomen *Animæ* importatur ventus per modum compoſiti animati, & aerem ſpirantis; per nomen verò Notus importatur aer ſpiratus tamquam quid mortuum ab ipſo ſpirante productum, quare non poteſt hic dici quod idem ſe ipſum ſpirare dicatur.

Vt igitur Poeta ſecundam ſignificationem, principaliter, & primariò; primam verò, primo loco explicatam, minùs principaliter, & ſecundariò, attingeret vnico verbo, aptiſſimè tali vſus eſt vocabulo, quod, duplici ex nomine deriuatum, duplicem, iuxta diuerſitatem deriuationis, ſignificationem haberet, vt in vtramque partem flecti poſſet. Sed dices, cur igitur addidit adiectiuum qualitatis, nempè *talibus notis*, ſi ventus, qui dicitur notus ſemper ſit idem, nec qualitates ſuas variet. Reſpondeo, notum ſemper eumdem ventum eſſe, quo ad eſſentiam, & qualitates eſſentiales caloris, & humiditatis; ſed non ſemper eumdem eſſe, quo ad intenſionem, ſeù violentiam ſpirandi; ideò addidit, *talibus* nunquam flatibus ex follibus ſpiraſſe Vulcanijs, vt oſtendat, vehementiſſimis flatibus ſpirauiſſe tunc, cum huic Cyclopes inſudarent ſtructuræ. Quod eſt in hoc ipſo hyperbolicè loqui; nam, vt notant ventorum naturæ indagatores, Notus non adeò violentus eſt, vt Euro non cedat: quarè videtur potiùs ex natura ſua mitis, quam vehemens, nam, ſi Ouidius Metam. 11. de Euri impetu cecinit:

> *Cum mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit*
> *Fluctibus, & præceps ſpirare valentius Eurus.*

Statius lib. 2. ſyluarum de Noto, vice verſa, ſub Auſtri nomine indicato, concinit

> . . . . . *Spirant clementius Auſtri.*

Hic igitur Claudianus indicat ex celeri, crebraq; follium agitatione ſuperatam noti clementiam ita, vt præter modum ſureret ſpirans, grauiſſima concitatione irritatus. Et quidem clementiùs, vt plurimum ex ferrarijs follibus ſpirant auræ; ne totum ſimul ſpirent quod intus habent, vt notat eruditiſſimus Abbas Picinellus ſui Mundi ſymbolici lib. 17. cap. 2. ad Impreſiam follium ſpirantium cum lemmate *Non totum ſimul*. Quarè ex ea ſuperata Clementia, cum, licet non totum ſimul vehementiſſimè tamen ſpiraret, maximo operi institiſſe arguuntur folles, ac follibus vtentes. Quæri vlteriùs poteſt, cur, ſi ventos voluit appellare Poeta per nomen *Notis*, ventum potiùs notum, quam alium, pro quouis vento poſuerit. Aptiſſimè, reſpondeo, in ſubiecta materia, dum de ferrarijs follibus agitur; nam *Notus*, vel Auſter ſit, vel Auſtri naturam participans, vt dicebamus, certè ventus calidus eſt, vt notat Ariſtoteles in Problem. ſec. 26. problem. 13., vbi ait: *Auſter autem calidus eſt: &, cum ex contrarijs in contrarium maximè commutari ſolitum ſit; oriumque canis prodromi nuncupati antecedunt, qui Aquilones dicuntur, meritò poſt eum Auſter ſpirat*. Reddit autem rationem Ariſtoteles hoc loco, cur Auſter Orientem Caniculam ſequatur, & rationem dicit eſſe, quod, cum mutationes fiant à contrarijs in contrarium, eo quod Caniculæ ortum præcedant Aquilones, qui vtiq; frigidiſſimi ſunt, quippè ſeptentrionales venti; vt, oriente canicula fiat in contrarium mutatio debet ſequi Auſter, qui omninò contrarius eſt, cum ſit ventus calidus quippè meridionalis. Sed Notus vel Auſter eſt, vel Auſtro affinis, & de Auſtro participans, & quidem & ipſe meridionalis; conſequenter calidus & ipſe ſit neceſſe eſt; licet interdum ex accidentibus vel locorum, vel imbrium frigidus poſſit apparere. Ex his cauſam habes, cur follium flatus, Noti potiùs, quam alterius venti, nomine compellauerit Poeta; nam cum *notus* calidus, & humidus ſit, aptior etiam videtur ad eliquanda metalla, quæ certe vi caloris, ac humido cooperante liquentur neceſſe eſt, vt mclius infra. Adde quod ventus qui à ferrarijs follibus ſpirat, dum feruenti opere exercentur, non poteſt quin calidus ſit; nam follis eumdem aerem emittit, quem attrahit: quod in cauſa fuit, vt folli, in impreſiæ corpus aſſumpto apud Abbatem Piccin. citatum, adderetur lemma *Spirat accepto*. Cumq; itaq; ferrarij folles attrahant aerem per medium ignem, quo circumtegitur follis orificium; ex igne, quem pertranſire cogitur, attractus aer certe alteratur, & calorem contrahit, Notus igitur dicatur, quia ventus calidus eſt. Sed, quia Notus, vt plurimum, clementiùs ſpirat, vt diximus, oẽ ab adſcititijs circumſtantijs concitetur; vt oſtendat Poeta hic ventum ipſum, in huiuſmodi opere, defatigatum, dicatur idem ventus nunquam, quantumuis concitatus, tanto impetu, erupiſſe; vt adamuſſim exprimitur, per illa verba: *Nec talibus vnquam ſpirauere notis Animæ*; vt videas vndequaque amplificatam tanti operis elaborationem.

NEC, Subintellige *vnquam* vt ſupra, quæ quia explicata ſunt, non adijcio.

METALLVM. Metallum dicitur quæuis materia durior conſiſtens, ac reſiſtens, quæ ex viſceribus terræ effodiatur, vt aurum, argentum, cuprum, ferrum, ſtannum, plumbum, & ſimilia; nam græcè verbum Μέταλλω, à quo Μέταλλον deducitur, idem eſt, ac *fodio*. Hic tamen pro ferro ponitur, poſito genere ſcilicet pro ſpecie, per Synecd.

INCOCTVM. Ne putes particulam *in*, ex qua componitur participium illud *incoctum*, negatiuam hic eſſe, & diſtrahentem participium ipſum à propria in oppoſitam ſignificationem, ita vt idem ſit *incoctum*, ac *non coctum*, ſicuti idem eſt *indoctus*, & *non doctus*; *inſuaue*, & *non ſuaue &c.* nam particula illa, hoc loco, vim habet veræ præpoſitionis, ſtatum indicantis in loco, & quæ, dempta nomini, verbo adiungitur; quare idem eſt dicere: *incoctum fornace*; ac dicere *coctum in fornace*. In hac eadem ſignificatione hoc ipſum

ſum

ſum participium inuenies à Virg. vſurpatum Georg. 3. dum ait: *Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.* Coctum autem dicitur metallum, cum ita, vi ignis, eliquatum, & expurgatum à ſcorijs eſt, vt fundi poſſit, & in deſtinatum opus conformari. De ferro igitur, ex quo Cereris mœnia conſtrui deberent, loquens Poeta dicit, *nunquam metallum coctum in fornace tanto maduiſſe flumine*, vt oſtendat, igneum, vt ita dixerim, mare ex liquato ferro conſtructum, atq; exſufflantibus, ſummo conatu, notis ex folle impulſis, agitatum igneas in vndas vndequaq; intumeſcens apparuiſſe.

TANTO FLVMINE. Vulgatam hic deſero non vulgari ductus ratione. Legit illa: *Nec flamine tanto.* Flamen verò ventus eſt; quare cum iam maximam fuiſſe ventorum vim, quibus hoc metallum mediante igne liquaretur expreſſerit, cur hic repetat *nec flamine tanto?* nonne idem, quod dixerat, per diuerſa repeteret Vates, & ſterilem lectaretur ſynonimiam? Cum itaq; animaduertam in cæteris Poetam ordinatim procedere, & gradationem inſtituere, dum à ſudoribus Cyclopum operi adſtantium, miniſtrantium, ac operantium, ad folles agitatos à follibus ad ventos ſpiratos, ignemq; irritantes; cur non ſeruet hic ordinem, & à cauſis ad effectum procedat? Certè iam hoc aſſequi cœpit, cum de metallo iam cocto loqui cœperit, de quo quidquid ſupererat dicendum, hoc vnum certe eſt vt liqueſceret, & igneum quaſi in flumen exundaret. Ideò *Nec flumine tanto* legendum putaui cum Parrhaſ. Heinſio, Barth., alijſq; melioris notæ Scriptoribus. Indicat igitur hic, quam ingens fuerit, ad opus conſtruendum, ferri vis congeſta, & eliquata, dum eam oſtendit vndantem ad modum fluminis; quo nullum vnquam ingentius fornaces ipſæ Vulcani ſuſtinuiſſent. Imitatus autem eſt Auctor noſter Virg. Æn. 8. vbi de Cyclopibus arma Æneæ effecturis hæc habet:

Ocyus incubuere omnes, pariterq; laborem
Sortiti; fluit æs riuis; aurique metallum;
Vulnificuſq; Calybs vaſta fornace liqueſcit.

imitatus, inquam eſt, ſed grandiùs aſſurgere voluit, nam qua Virg. riuos liquati æris agnoſcit, flumina Claudianus liquati expoſuit ferri: & iure quidem, nam maior hæc fabricæ moles ſine comparatione, quam arma Æneæ; Idem etiam Claud. ſemper ſibi ſimilis 3. de laudibus Stilic.

Pro donis armiſq; manum: ſi ſolueret ignis,
Quas dedit immanes vile pro pondere, meſſes;
Argenti poterere lacus, & flumina fundi.

quarè à paritate materiæ adducor, vt à vulgata recedam, hancq; arbitrer germanam eſſe Auctoris locutionem, & eo magis quod, vt aliqui volunt, *flumen* interdum accipi dicitur pro *fluctu*; ſecundùm quam acceptionem vides, quam altè aſſurgeret Vates fluctuantem illum liquati ferri lacum in fornace ebullientem deſcribens.

MADVIT. Adeò eruditè poſitum hoc verbum eſt, vt non niſi diffuſiori explicatione queat explanari. Sciendum igitur, metalla omnia, ex Ariſtot. doctrina meteor. 4., ad aquam pertinere, vt patet, eo quod liquari poſſint: ſic enim expreſsè habet Ariſt. ibi. *Aurum igitur, & argentum, & æs, & ſtannum, & plumbum, & vitrum, & lapides multi nomine vacantes ad aquam pertinent; omnia enim hæc calore liquantur.* Ex quo patet, metalla, per Ariſtotelem aliquid aquei humoris in ſe continere; non quod aqua ſit ſola materia metallorum, vel ex ſola aqua concreſcant; ſed quia, vt docet lib. meteor. 3. conflantur ex aqueo vapore, & ſiccâ, terreâque exhalatione, in ipſius terræ aluo compreſſis, ſtipatiſque: ideò non dixit Ariſtot. *aquea ſunt*; ſed *ad aquam pertinent*. Ea autem, ex eiuſdem Ariſt. ſententia, faciliùs liquabilia ſunt, quæ plus de humido, ſeù aqueo vapore participant. Ex his videri poſſet Ariſt. ferrum excluſiſſe, dum 4. meteor. apertè dixerit: *ferrum autem, & cornu, & vngues &c. magis terrea ſunt.* Sed perpende particulam *magis*, quæ non totaliter humorem excludit à ferro, ſed tantum dicit magis terreum eſſe, quam aqueum; vbi autem datur comparatio, reſpectu magis, & minùs, certè non datur excluſio comparatorum. Tantum igitur ex his Ariſt. verbis colligi poteſt, ferrum *ex terreo ad prædominium* conſtare, ſed tamen humido non carere, licet non tantum habeat, ac metalla cæteræ, ex quo fit, vt difficiliùs etiam liquabile ſit, cum liquatio ex humidi virtute proueniat, eiuſque defectu fiat vt adamas liquari non poſſit. Poſito igitur quod ferrum, in ſua compoſitione, humidos vapores admittat, ideoque, licet terreum magis ſit, ad aquas tamen aliquo modo pertineat, hinc eſt vt Poeta liqueſcens ferrum maduiſſe dixerit, ideſt ingenti humoris virtute, ignisq; ſumma vi cooperante, diſſolui, ſeù diſſolutum fuiſſe. Ideò maduit: *Madere* enim eſt liquore aliquo conſpergi; cum autem ferrum liqueſcens videatur in igneum quendam abire liquorem, dum & fluit, & fluitat; ideò *madere* dicitur: &, quia hoc vi efficitur ignis, *madere* etiam dicitur, quaſi ferri humiditas, cum liqueſcere incipit, ex vi caloris defluat in ſudores, quibus & madefiat ignitum ferrum, & magis ex madefactione ignitetur, cum propterea ſuccenſæ fornacis ſit mollitoris aſpergine accendi magis, magiſq; inflammari; quaſi dixerit Vates ex ferri humiditate liqueſcente magis ſuccenſas fuiſſe flammas, ideò acriùs ferrum agitatum, celeriuſq; liquatum. Ponitur igitur verbum *maduit*, vt ex eo dignoſcamus, humidum ferro ineſſe; ex humido, dignoſcamus cauſam liquabilitatis; atq; ex hac cauſa ipſam actualem liquationem. Quare à primo ad vltimum *maduit* ponitur pro liquatum eſt per Metalepſim, & quia modicum humidi ferro ineſt, dum dicit humidum illud nunquam tanto flumine exundaſſe, ſeù maduiſſe, vides quantam de conſequenti ferri copiam innuerit liquatam.

LASSA FORNACE. Videas, quam altè extremum iam hyperbolicæ dictionis aſſurgat. Sudantes artifices; intollerabili agitatione concuſſos folles, notos ſummo conatu exſufflantes; metallum in exſudatas, ignei adinſtar fluminis, vndas abiens deſcripſerat: Iam fornacem ipſam deſatigationibus grauatam, ac ferè tractam deſcribit. *Laſſus* enim adiectiuum nomen *feſſum, fractiſq; viribus languentem* ſignificat. *Laſſam* igitur fornacem dicit; & quia tantis ignibus exæſtuantem, & quia tanto preſſam pondere: certe enim immenſum ferri pondus exigebatur ad immenſa Clauſtra, mœnia &c. conſtruenda, quare non potuit quin laſſam pondere fornacem deſcriberet. *Fornax* verò dicitur machina illa circumquaq; muro obſtructa, ac luto oblinita, intus verò concaua, ac concamerata, quæ igne ſuccenditur ad concoquenda quæ immittuntur, nempe calcem, lateres, vitrum, metalla &c. nam fornax à fornice dicitur, quia fornice ſuffulciatur. Loquitur autem hic Vates de vaſta illa fornace, de qua Virgil. ſupra cit. & quam Ætnæo in ſpecu exercere Cyclopes dicebantur ſub directione Vulcani. Parrhaſ. legit hoc loco *Laſſa ceruice* pro *Laſſa fornace*, referens laſſam Ceruicem Cyclopum, ſed quid ad Cyclopes redeat è quibus diſceſſerat, cum modum habeat augendi, non repetendi? Ideò vulgatam cum Heinſio, & alijs ſequor.

ATRIA CINGIT EBVR. Deſcriptâ exteriori domus formâ, ad interiora domus deſcribenda iam tranſit; & ſicuti ferrea mœnia à Cyclopibus fabrefacta potuit in augurium thalami, qui Proſerpinam manebat, vt dix. ad Carm. *Cyclopum firmata manu &c.* ſic hieroglyphicis hieroglyphica innectens inquit: *Atria cingit ebur*, vt ex dicendis patebit.

EBVR. Merces *ebur* eſt, cui pretium addit, & fodina, ex qua eruitur, quippè quæ ſit ipſum giganteæ beluæ os efferatum; & regio in longinquo poſita, cum ex Indorum regionibus comportetur. Verum enim eſt, quod cecinit Italicorum facile Lyricorum Princeps Fuluius Teſtius cum ait:

Gradito è ciò che peregrino arriua;
Familiar teſoro
Scema di pregio, ou'è la copia vile.

Virg. autem loco citato, vnde ebur habeatur edocuit canens:

India mittit ebur; molles ſua thura Sabæi.

Vno verbo, barri, ſeù, notiori nomine, Elephantis dens ebur eſt; ex quo tam præclara ab artificibus opera elaborantur, vt interdum admirationem ipſam ſuſpenſo detineant ſupercilio. Eburnea autem ornamenta adeo in cultu erant apud Veteres, vt Attalicis tantum apparatibus conuenientia viderentur, atq; nequaquam vilis dici poſſet domus in quam Ebur candorem inferret ſuum. Quod in cauſa fuit vt Hor. lib. 2. Carm. ode 18. Domicilium ſuum non eſſe cultu regio conſpicuum, ſed vile, abiectumq; dixerit, quod in eo Ebur non eſſet.

Non ebur; neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

vbi vides, Ebur auro compoſitum, quaſi eiuſdem ſit exiſtimationis. Deæ igitur domum exornaturus Auctor, nil mirum, ſi Ebore nitentem effingat. Verùm non eſt hoc præcipuum Poetæ intentum; ſed Ebur hanc in Aulam induxit, vt illud in hieroglyphicum, auguriumq; erigeret, & quidem fatale thori. Pro intelligentia, reuoces in mentem hic geminas illas portas, ex quibus ad ſuperos ſomnia mittebant Manes, quarum altera cornea, altera eburnea eſſet; ita vt etiam vera ſomnia ex cornea, falſa autem ex eburnea porta prodirent, ex qua deinde exitum habuiſſe Æneam, cum ab inferis retrograderetur ad auras, teſtatur Virg. Æn. 6. his verbis:

Sunt

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens Elephanto;
Sed falſa ad Cœlum mittunt inſomnia Manes.
His vbi tum Natum Anchiſes, vnáq; Sybillam
Proſequitur dictis: portáq; emittit eburna &c. . . .

En augurium fatale thori. *Eburnea porta* porta inferorum eſt. Proſerpina igitur, quæ Inferorum Regina futura erat, Ebore n on excludatur profectò, vt Æneas ab Inferis rediens, ſed includatur, & circumſepta teneatur, vt futurum illi Regnum, intra Ebur repoſitum, portendat Ebur. Atq; hoc eſt arcanum illud, quod Eboris hieroglyphico expreſſit potiùs, quam occultauerit incluſum. Inſuper Ceres tutam, ea domo, Proſerpinam ſummoperè cupiebat, & quia *quæ cupit amans vigilans ſomniat*; ideò & ſomniabat, indemnem ibi filiam fore, raptoribus ignotam, ne dum imperuiam; ſed *vera futura* falſa ſomniabat; ideò niteat Domus ebore, ex quo falſa mittunt inſomnia Manes, vt hieroglyphicum fallacitatis ſomniorum Cereris eburnea erigatur Domo. Ideò *hunc* CINGIT. *Veſtit* cum Moreti codice legit Heinſius, imitatione videlicet Lucani, qui Pharſ. 10. deſcribens Cleopatræ domum omni vtique luxu, ac regia ſupellectile inſignem ait: *Ebur atria veſtit*

Et ſuffecta manu foribus teſtudinis Indæ
Terga ſedent &c. Vbi *ſuffixa* legunt alij pro *ſuffecta*.

Verum quia hæc Heinſij lectio cum vulgata tandem coincidit, vt ex explicandis patebit, non immuto. *Cingere* itaque non ſemper dicit tantum rem aliquam, in modum faſciæ, circumire, ita tamen, vt potior circumactæ rei pars detecta adhuc remaneat, eo modo, quo interdum videmus aureum circulum, in extremitate periſtilij columnam circumagere; ſed aliquando ſignificat idem, ac contegere ita, vt nulla pars ſuppoſitæ rei nuda remaneat: ſic Ouid. Faſt. 5. inquit . . . . *Cinxitq; decentibus armis*. Scimus autem, cataphractos equites armis cinctos appellari, eo quod ferreo integumento à capite muniantur ad calcem. Atqui & in hoc ſenſu aſſumitur in præſenti, ita vt innuat textus, foris ferrum, intus ebur parietis in morem extenſum emicuiſſe. Id autem artificioſiſſime profectò concinnauit Vates; nam, cum hanc domum Ceres duplici de cauſa conſtruendam curaſſet, nempè & vt hoſtes arcerentur, & vt delicias ibi ſuas aſſeruaret; ſicuti idoneum in rem fuerat horridam eam extrinſecus rigere, ad terrorem audacibus incutiendum; ſic incongruum fuiſſet deliciarum ſuarum ſedem eamdem intrinſecus ſeruaſſe rigiditatem. Delicatæ igitur virgini delicata vtique aptanda ſedes fuerat. Quarè morem gerens Poeta tenerrimis affectibus in filiam matris, cum videret ferream illam ſtructuram teneris nimium membris improportionatam, liniendam iure arbitratus, eburneis eam integumentis contegere optimum profectò duxit, Homerum ſecutus, qui Aulam Menelai Ebore, electroq; fulgentem deſcripſit.

ATRIA. Vide dicta ad Carm. *Silent dicente Tyranno Atria &c.* nec enim repetendum quod diximus, tantum nota Atria hic pro tota domo vſurpari.

TRABIBVS SOLIDATVR AHENIS CVLMEN. Deſcriptis parietibus extra ad terrorem, intus ad delicias compoſitis, æquum erat, vt tectum, ſeù Lacunaria, illis tandem imponeret; quod ſanè proſequitur hic exactam in omnibus ſeruans proportionem, ne ab Architectonica arte peregrinus videretur. Ideò

CVLMEN. Quid ſit *culmen* tàm propriè, quàm translatè iam vidimus ad Carmen illud.

. . . . . . *Et claram diſpergere culmina lucem.*

SOLIDATVR. *Solidare* eſt *ſolidum, firmum*, ac *ſtabile reddi*. Quarè, hoc vno in verbo, plures, more ſuó, colligit Poeta ſententias; nam primo quidem partem pro toto ponens, nempè *culmen* pro *tota domo* apertiſſimè oſtendit, trabes illas vices ſubijſſe retinaculorum illorum, ex ferro compactorum, quibus ædificiorum parietes colligantur, vt firmius inuicem cohærentes hiſcere, ac rimis fatiſcere nequaquam poſſint: vulgò *le chiaui di ferro*. Et quidem ferrei parietes non niſi æneis retinaculis debuerant colligari, vt firmiſſimi redderentur. Secundo ſolidus omninò fuiſſe trabes ipſas oſtendit, quibus ſolidi & parietes redderentur. Trabs autem ſolida dicitur, quæ trinam habens dimenſionem, latitudinis nempe, longitudinis, ac profunditatis, neque extremitate gracileſcit, neque ex partibus ſimul iunctis compacta eſt, & connexa, ſed vno, eoq; iugi, corpore conſtat: vulgò *trave maſſiccia*: ex ſuperimpoſito enim talium pondere trabium inconcuſſa magis mœnia ipſa redduntur, dum ſolidantur. Tertio *ſolidare* idem eſt, ac *perfectum reddi*, cum autem ſemper imperfecta ſit domus, donec tectum ſuperimponatur; & tectum ipſum perfectione careat ſua, ni firmius ſolidatur trabibus; ideò trabibus & culmen, & domum perfectam reddi, ac ſolidari aſſerit Vates.

TRABIBVS. Quid ſint trabes nulli arbitror ignotum; nempe ſulcimenta illa, quæ ad tectum ſuſtinendum à pariete ad parietem, vel à pariete ad ſummum tecti apicem protenduntur, & in quo ita inuicem conſtringuntur, vt mutua compreſſione firmentur, & detineantur à lapſu; ac certis, æqualibuſq; diſtantiæ ſpatijs tectum erigunt in accliue, ac ſuſtinent decliue, vt facilius decurrant imbres &c.

AHENIS. *Ahenus* idem eſt, ac *æneus*; ſed dyphtongus, per diæreſim, in geminam reſoluitur ſyllabam, & tunc prima ſyllaba vocalis ante vocalem gaudet beneficio. Notat autem Sergius, in tali caſu, melius ſcribi per interpoſitam aſpirationem Ahenus, vt ſcribit Virg. Æn. 2.

Veſtibulum ante ipſum, primoq; in Limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruſcus ahena.

Quarè licet Heinſius, & alij ſine aſpiratione ſcribant *aenis* non innouandum cenſui, hoc loco, ſicuti nec antea ad Carm.

Si forte aduerſus ahenos
Eolus obnixus poſtes &c.

cum itaq; *ahenus* idem ſit, ac *æneus*, & *æneus* ab *ære* deriuetur, certum eſt trabium hic materiam deſignari à Claud., eaſq; ex ære confectas affirmari. Quod ſi aliqua de ære, eiuſdemq; ſoliditate excupias, relege ad cit. Carm. iam dicta.

ET IN CELSAS SVRGVNT ELECTRA COLVMNAS. Immenſam ab initio deſcripſerat huius domicilij molem; nec immemor huius poſitæ immenſitatis eſſe debuerat. Cum igitur vidiſſet immenſæ molis lacunaria non poſſe per ſe ſubſiſtere, licet trabibus ſolidarentur ahenis, apte, ad fulciendas trabes ipſas, cenſuit columnas eſſe ſupponendas; quarum pulchritudinem, ac pretium à materia, ea qua conſtarent, data occaſione recenſet.

ELECTRA. Cauenda eſt huius nominis æquiuocatio; nam, licet Electrum genus bituminis ſit, quod à Poetis lacryma ex conuerſis in populeum nemus Phaetontis ſororibus profuſè manans eſſe aſſeritur; iuxta illud Ouid. Metam. 2.

Inde fluunt Lacrymæ, ſtillataq; ſole rigeſcunt
De ramis Electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & Nuribus mittit geſtanda Latinis.

apud Hiſtoricos verò non ex arboribus, ſed ex ſcopulis exſudans dicatur bitumen, quod liquidum quidem ſit, ſed è ſcopulis Inſulæ à Germanis eorum lingua *Sudanu* appellatæ, in Germanicum mare delapſum, maris, aeriſq; frigiditate obdureſcat adeò, vt in ſaxeam materiam commutari videatur, & apud Latinos *ſuccinum*, apud Italos *Ambra* dicatur vulgo, licet inquam Electrum hoc ſit, & ex eo columnas fieri poſſe non abnuerim, quamuis hoc neget apertè Parrhaſ.; non tamen tantæ ſoliditatis eſt, vt tanti ponderis trabibus ſuſtinendis valeat proportionari. Quare aduerte aliud eſſe Electrum, quod ex Primoribus metallis conſtruatur compoſitum, vt auctor eſt Plinius lib. 33. c. 4. vbi ſic habet: *Aurum in quo quinta Argenti portio eſt Electrum vocatur.* Et hæc ſunt Electra, quæ in columnas aſſurgere teſtatur Poeta hic: nam hæc & congruam ſuſtinendo ponderi habent ſoliditatem, & pretioſiora ſunt, quam *ſuccinum*, & magis fabricæ vndequaq; ex metallo compactæ correſpondent; atque eburneas etiam cruſtas, quibus interios domus exornatur, vt dix. hæc decent Electra. Fateor equidem, Electrum, quod bitumen, ſeù ſuccinum dicitur, magis aptum fore, ad exprimendum augurium infortuniorum, quæ Proſerpinam manerent: ſed neq. hac ratione moueor, vt crediderim, ſapientiſſimum Poetam ita hieroglyphicis indulgere voluiſſe, vt in architectonicam proportionem, perfectionemq; peccaret. Verum quid dixerim? Magis profectò hac ipſa ratione compellor, vt dicam, Electrum, à Poeta hic poſitum, non eſſe illud, quod ex Heliadum lacrymis conflatur: ſed potiùs metallum eſſe, vt dix. Aſſero itaque & ego, poſitum hic ab oculatiſſimo Vate Electrum, vt hieroglyphicum fatalis thori conſtrueret. Sed quis neſciat, in hieroglyphica aſſumi rerum imagines, non autem res ipſas, quæ per hieroglyphica exprimi debeant. Ad ſignificandam igitur Proſerpinam in lacrymarum regnum deducendam, non lacrymæ ipſæ, quæ, licet in Electrum coagulatæ, adhùc lacrymæ ſunt; ſed metallum illud, quod eumdem referat colorem, ac lucem, exactam vt in ipſius ſuccini imaginem transformetur, ex quo & Electrum dici iure potuerit. Quarè cum Electrum metallum imago ſuccini ſit, hoc eſt lacrymarum in electra coagulatarum, aptiùs ad efformandum intentum hieroglyphicum apparebit.

Itaq; illud ſic explico. Inferorum Regnum lacrymarum vtiq; ſedem eſſe patet, non nobis tantum, qui, lumine fidei, damnatorum angores perluſtramus, ſed ijs etiam qui, ſolo lumine naturæ, mortuorum illud ſedem ſtatuerunt. Et quidem Virg. Æn. 6. in ipſo Inferni veſtibulo luctum poſuit.

Veſtibulum ante ipſum, primiſq; in faucibus Orci,
Luctus, & vltrices poſuere cubilia curæ.

inſuper gemitibus inferna loca reſonare ibid. ſæpè reperit.

Infantumq; animæ flentes in limine primo,

& *Hinc exaudiri gemitus, & ſæua ſonare*
Verbera; tum ſtridor ferri, tractæq; catenæ &c.

Sed quid moror? Nonne inferna loca antonomaſticè vocat *lugentes campos* idem Virg. cit., vt ea lacrymis affluentia declaret?

Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi. Sic illos nomine dicunt &c.

Hoc poſito: memineris huic Regno addictam fuiſſe Proſerpinam, cum Plutoni Inferorum Regi fuerit addicta. *Iam dudum decreta dari.* Quo aptiori autem hieroglyphico poterat Poeta hoc illi regnum auſpicari, quam compoſitis ex Electro metallo columnis; obduratas videlicet lacrymas exprimentibus, dum ſuccinum ex lacrymis compactum, nitoribus, coloribuſq; initarentur? Iam noſtis Phaetontis ſorores, fulmine deiectum fratrem lugentes, in nigras populos fuiſſe, Deorum clementiâ commutatas, earumq; lacrymas adhuc profluentes in ſuccinum verti. Noſtis inquam quia peruium ex cit. ſuperiùs Ouidij loco. Hæ autem lacrimæ cur ex Helliadum oculis manarunt? Certè ex infœlici Phaetontis caſu. Aſt Phaeton cur fulmine ictus? certè quia Phœbi emulatorem ſe ipſum conſtituere voluit, currum ducens ſolarem &c. Recordare igitur Cererem non ſolum æqualem Phœbo Proſerpinam feciſſe ſuam, ſed immò ſuperiorem, dum decertante, pro Proſerpina, cum Marte Phœbo, vt iam vidimus. *Deſponſa vterumque*

Flaua Ceres &c.

quaſi tantis impares nuptijs. Ad Helliadum igitur lacrymas damnanda hieroglyphicum illarum, domi habeat, in electris; Inſuper Helliadum lacrymæ mortuorum lacrymæ profectò ſunt: mortuorum itaq; luctibus addicenda, in Inferis, Proſerpina ſymbolum domi habeat in electro mortuorum lacrymas refferente. Immò erigatur, propter hoc ipſum, in columnas Electrum, nam ſepulchralia ornamenta ex columnis conſtituit antiquitas, vt refert lib. Hierogl. 49. Pier. Fateor equidem, iuxta Cereris ædificantis intentionem, aliud earum columnarum hieroglyphicum extitiſſe, quod & Poetam attingere voluiſſe non ambigo. Noueris enim, ab aliquibus Electrum illud, quod ſuccinum eſt, compactum dici, non ex Helliadum lacrymis, ſed ex lacrymis ipſius Apollinis Eſculapij necem deflentis, vt auctor eſt Apollonius Argonaut. 4. Ceres igitur Phœbum lacrymis non temperaturum arbitrata, cum denegatam ſibi Proſerpinam recordaretur, columnas haſce triumphales Virgini erexerat Apollinis iterum lacrymas, per imaginem ſuccini, repreſentantes. Sed *Hei vaca fuiſti*; quæ non viderit eas in hieroglyphicum propriarum, ac ſilæ, lacrymarum conuerti. Hæc igitur omnia vno hoc columnarum ſymbolo ſolidiſſimus Vates expoſuit.

SVRGVNT. Surgere propriè dicuntur qui, virentes cum eſſent, eriguntur, & pedibus recti inſiſtunt; translatè autem & ad alia, quæ, per quamdam proportionem, erigi poſſe videantur, transfertur. Sic cum columnæ ad ædificium comparatæ toto prius corpore iaceant, ac ſubinde erectæ in baſibus firmentur, per analogiam ſurgere dicuntur, ideſt extolli, ita vt rectæ in altitudinem protendantur. Item *ſurgere* interdum pro eodem vſurpatur, ac *creſcere*: ſic *ſurgere*, hoc eſt, *creſcere* arbores dicuntur: quarè translatè de ijs omnibus dicitur, quæ in altitudinem protendi conſpiciuntur. Sic in ſubiecta columnarum materia ait Virg. Georg. 3. *Atq; hic vndantem bello, magnumq; fluentem*

Nilum, ac nauali ſurgentes ære columnas.

hoc eſt ex æreis nauium roſtris fabrefactas, nam ex ære roſtra nauium conſtruebantur, vt ex eodem Virg. Æn. 1.

Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant.

IN CELSAS COLVMNAS. Præpoſitio *In*, hoc loco, importat tranſmutationem artificialem, oſtendentem ſcilicet, electra illa ex rudi, & informi maſſa, artis beneficio, in perpolitas, ac fabrefactas columnas tranſmigraſſe, cum autem mutatio ſine motu non fiat, vt Phyloſ. patet; ideò ait *ſurgunt electra in*

CELSAS. Celſus idem eſt, ac *altus*, & *excellens*. Vt igitur oſtenderet Poeta, pro magnitudine fabricæ, in conſpicuam vtiq; proceritatem extenſas fuiſſe non ſolum columnas illas; ſed excellenti etiam artificio perpolitas; ideo inquit: *Surgunt Electra in celſas*

COLVMNAS. Columna a culmine dicitur, eo quod culmina ſuſtineat, & propriè ea eſt, quæ vnico ſcapo conſtat, ideſt vno lapide oblongo, ac perpetuo, nam quæ pluribus lapidibus, ſeù etiam cementitijs ſtructuris conſtarit, Pilæ potius dicuntur, quam columnæ, licet ſæpè in latiori dicendi modo confundantur, ac promiſcuè nomina vſurpentur. Aliæ porro columnæ teretes ſunt, aliæ quadrangulares, aliæ ſtriatæ, octangulares &c. Cuius nam generis fuerint, quo ad figuram artificialem, ſeù formam non meminit Poeta. Seu ſpectato pondere culminis ſuſtinendi, & attenta venuſtate, aptius credendum arbitror, teretes fuiſſe, nam ſtriatæ debiliores, quadrangulares verò, aut octangulares inuenuſtiores fuiſſent, vt patet conſideranti.

IPSA DOMVM TENERO &c. Domicilij deſcriptione, per hyppotipoſim ex enumeratione partium, peracta, inhabitantem ibi memorat Proſerpinam, & quibuſnam exercitijs detineretur, enumerat. Verùm dicet quiſpiam fortaſſis: Quomodò dici poteſt Poeta domum deſcripſiſſe, ſi vix atria per paucas eorum partes delineauit? Reſponſio tamen obuia erit; artificium hoc ſcilicet Vatis fuiſſe, vt ex viliorum præſtantia, ac magnificentia partium gradum faceret intellectus ad ea concipienda, quæ profectò maiora, quam exprimi potuerint, intima Dearum dicarent Penetralia: quaſi ipſe atrijs deſcriptis, tacitè in erectis columnis viuaciſſimum illud lemma reliquiſſet impreſſum: *Pulchriora latent.*

IPSA. Pronomen quidem tertiæ perſonæ demonſtratiuum, hoc loco, eſt iſtud; ſed emphaticè poſitum. Dum enim dicit *Ipſa Proſerpina* dicere videtur implicitè: *ipſa illa, quæ deliciarum matris fuerat, quæ Deos habuit Procos, quæ Deas omnes ſuperat venuſtate: ipſa illa, quæ cum præcipuum domicilij ſit ornamentum, ac quaſi viſcum in viuis concha margaritum, adeò mentis oculos abripit, vt, cum in animo eſſet reliqua domus deſcriptionem exactius exarare, dum in ipſam incido, cæteris omnibus neglectis, de ipſa exactius iam loquar. Ipſa, ad quam Dearum iter iam vidimus inſtitutum; ipſa nunc hilaris, mox deflenda &c.* Ipſa

PROSERPINA. Nomen pateticè repetit, vt, reuocatis ab hoc nomine in mentem omnibus, quæ in laudem ipſius ſparſim iam dicta fuerunt, miſerandum magis efficiat futurum tantæ virginis caſum.

MVLCENS DOMVM. *Mulcere* (à quo Partic. *mulcens*) idem eſt, ac *iucunda quadam dulcedine, ac ſuauitate perfundere, & delenire.* Tacitè autem alludit Poeta hic ad Threicij cantoris modulos, quibus rupes ipſæ molliri, ac ſuauiter attrahi dicebantur, vt fusiùs in Præfatione lib. 2.; dum non inferiorem facit Proſerpinam, cuius pariter cantu æneam illam domum molliri, ac mulceri dulcedine ſuperfuſa, profitetur. Nec mirum; nam cum Proſerpinæ Comites fuiſſe Syrenes, teſtetur Ouid. Metam. 5. facile ex ijs melleam hauſerit Proſerpina modulationem. Ideò *mulcens domum*. Domus autem propriè ædificium eſt conſtans parietibus, & tecto, ad inhabitandum accommodatum; cum igitur Poeta parietes, tectumq; columnis impoſitum compoſuiſſet, factam iam domum appellat, inhabitantemq; exprimit Proſerpinam, quæ & eam mulceat.

TENERO CANTV. Inter opus canere ſolent textrices, vt facilior, hilaritate animi cantu excitatâ, euaderet labor. Sic textricem ſuam canentem inducit & Virg. Georg. prima vbi habet:

Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto coniux percurrit pectine telas.

Ideò etiam Claudianus qui Proſerpinam textrinæ operam dantem inducit, canentem memorat; & tenero domum cantu mulcentem. Porrò *tener*, vt etiam vidimus ad Carm. *Tenerum iam pronuba flamma pudorem &c.* Idem eſt, ac *mollis, delicatus, ſuauis, minimè robuſtus, ac nulla aſperitate confractus.* Dum itaq; Vates tenerum fuiſſe autumat Proſerpinæ cantum plures reſpicit ad cauſas; Primo enim ætatem Virginis notat, quæ vtique tenera adhuc eſſet, quippè nondum annis obdurata, vt vidimus; ſicq; effectui attribuit, quod proprium cauſæ fuiſſet, vt in effectu cauſa ipſa innoteſcat: Secundo ante oculos ponit exilitatem vocis propriam quidem fœminæ cuiuſcumque, ſed multò magis tenerâ adhuc in ætate conſtitutæ, ex qua exilitate prouenires, vt cantus acutus quidem, argutuſque, ſed minimè robuſtus fieret. Tertio Diuinitatem intuens Proſerpinæ agnouit, vocem illi diuina quadam ſuauitate affluentem fuiſſe, tribuen-

dam

dam ideò tenerum, hoc eſt dulcem, ac ſuauem cantum eius appellat. Quarto animaduertit, peritiem muſicæ artis non eſſe denegandam illi, quæ non à Syrenibus tantum comitibus, ſed ab harmonicis Cœlorum motibus, concentum, ac modulos didiciſſet. Ideò *tenerum* dixit eius cantum, ideſt nulla perruptum aſperitate. Deniq; nouit, Periti in arte eſſe tales habere vocis inflexiones, vt mollis ſemper, ac delicatus procedat canentis ſonitus. Ideò *tenerum* vocat cantum, nempè mollem, delicatum, & inflexionibus ſuauem. *Cantus* autem, græcè *μέλος*, eſt *talis inflexio vocis*, quæ iuxta muſicales numeros decurrens ſuauiſſima afficit iucunditate. Sed aduerte hic obiter quæſo, quam ſui ipſius incurioſam, artificioſiſſimo more, Proſerpinam deſcribat Vates. Tot illi ante oculos obuerſabantur imminentis luctus hieroglyphica; & tamen vel nihili pendens, vel negligens, ſumma animi tranquillitate fruebatur, cuius & ſigna edebat cantu; nam cantus, & Carmina, quippè eodem cantus nomine denotata, inquit Ouid.

. . . . . . Proueniunt animo deducta ſereno.

Quid autem mirum, ſi *incurioſam adeò* inopinatum occupet malum? Eſt igitur hæc præparatio quædam ad infortunia ſubeunda, quæ ideò ingeritur hic, vt ſe reſpexiſſe oſtendat Vates ad veriſſimum illud axioma: *Extrema gaudij luctus occupat*, quod Italicus ille natiuo idiomate vertens, ait: *Se ſi vide el mattin la ſerà piangeſi*, vel vt Italus alter. *Del piacer in e confiut il duol s'allegna*. Proſerpinam igitur canentem deſcribit, vt noueris in proximo luctum eſſe.

IRRITA TEXEBAT &c. Licet incurioſam ex cantu denotaueris, non otioſam tamen effingit; labori igitur addictam indicat; ſed pernicioſo, vt inferiùs patebit, operi deditam notat: nam licet textilis labor de ſe malus non ſit, immò laudandus; malus tamen, reſpectu adiacentium fieri potuit. Sed de his in loco. Interim, ad intelligentiam huius loci, obſerua, antiquo in more poſitum fuiſſe, vt nobiliſſima quæque & Matronarum, & Virginum, textoriæ arti operam daret, vt latè docet Tiraq. xi. Connub., Ouid. 1. Amor., & Metam. xii. Tullius vi. Verr. & alij: Quarè Penelopem Icarij, & Peribææ Naiadis filiam, celeberrimam ſcilicet illam, de qua oraculum à Patre acceptum, antequam ipſa naſceretur, hæc cecinit curioſius ſciſcitanti.

Fœmineum Peribæa acciſ, Peribæa pudorem
Fert Vxore &c.

Penelopem hanc, inquam, reperies huic arti ſtuduiſſe; immò &, ea mediante, Procis, vt pudicitiam ſeruaret, illuſiſſe: pariter Andromachen reperies apud Virg. Æn. 3. huius artis operatricem, licet Æthonis Thebarum Regis hæc filia fuerit; dum enim textilibus donis Aſcanium cumulat, ea fatetur ſuis manibus elaborata, ideòque amoris ſui monimenta commendat Aſcanio ipſi futura.

Nec minus Andromache digreſſu mæſta ſupremo
Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes,
Et phrygiam Aſcanio clamydem: nec cedit honori;
Textilibuſque onerat donis, ac talia fatur
Accipe, & hæc manuum tibi quæ monimenta mearum
Sint puer: & longum Andromaches teſtentur amorem.

Auctor noſter Serenam ſuam Arcadij ſororem, Theodoſij Neptem &c. eiuſdem artis autumat ſectatricem: & primò quidem de Cingulo Equi Arcadij Arcadium alloquens ipſum ſic ait:

Accipe parua tuæ Princeps venerande ſororis
Munera, quæ manibus texuit illa ſuis &c.

& de muneribus ab eadem Serena Honorio Imper. miſſis itidem ait:

. . . . . Stilico mauortia confert
Munera, barbaricas ſtrages, Rheniq; triumphos:
Regina contenta modum ſeruare Serena
In tua ſollicitas vrget velamina telas.

& de Phaleris equi Regij à Serena ad Honor. miſſis equum alloquens ipſum hæc exarat.

Nobilis auratis iam purpura veſtiat armos
Et medium te Zona liget, variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ,
Perſarum gentile decus. Sic quippè laborat
Maternis ſtudijs, nec dedignatur equeſtres
Moliri phaleras genero latura decorem.

& profectò etiam Romanorum tempore maximè viguiſſe huius artis ſtudium apud Romanas Matronas teſtantur communiter Auctores. Sed, ne ab antiquiſſimis diſcedamus, Palladem ipſam Lanificij, vt alibi diximus, autumant inuentricem, eiuſdemq; artis magiſtram, atque illius zelantem adeò, vt gloriam ſuam ex hac arte promanantem nemini vnquam ceſſerit. Immò Aracnem Lydiam, quam ipſa edocuerat, quod ſe Palladi conferre auſa fuerit in opere, malè adeò mulctauit, vt in araneam commutata, euiſcerato corpore, telas ex proprijs conſtruere viſceribus cogeretur, vt teſtatur Ouid. Metam. 6. Quarè nil mirum, ſi diuinam hanc artem præcipue certatim Matres ediſcere conarentur, atque ideò & Proſerpina hac eadem delectaretur. Adde, hanc artem in Siculis præcipue regionibus floruiſſe, vt teſtari videtur Tullius Verr. 6. cit. vbi ait: *Nulla domus Siciliæ locupletior fuit, vbi iſti textrinam non inſtituerit*. Cum igitur Siciliam incoleret Proſerpina, nil mirum ſi Genitricis Patriæ morem gerens textilibus, & ipſa operibus oblectaretur. Aduerte tamen, non infimæ notæ textrinam illam fuiſſe, quam Principes huiuſcemodi fœminæ exercerent; ſed cultam maximè, atque in admirationes compoſitam, quippè quæ & Flandrobelgicis ſimul, & phrygijs laboribus deſudarent, picturatas ſcilicet Flandrobelgico panno, acuque phrygio inſignitas, telas conficientes. Quarè & ratione ingenij elaborantis, & ratione ſumptuum in opere inſumendorum, non gregariam quamque manum, ſed nobilem tantum, eamq; diuitem ars iſta decebat. Et Proſerpina igitur ad hæc incumbens non incongruè aſſeritur. Ideò

TEXEBAT. Ideſt ſplendidam illam, de qua diſſeruimus, textoriam artem exercebat, prudentis adinſtar Virginis, cui pudicitia maximè cordi ſit; nam argumentum Pudicitiæ habebatur olim id muneris exerceri à fœminis. *Ad inſtar* dixi, nam quod de ſe argumentum Pudicitiæ erat, ſectabatur; ſed non abſolutè prudens, aut pudica, cum ex circumſtantijs hoc ipſum opus in impudicæ mentis ſignum converteret, vt videbimus. Certè virgini ſemper indecorum fuit compreſſis ſedere manibus; nam otium facilè in laſciuientes adducit cogitationes, quas fugiunt, & euitant manibus operantes, ſi iuxta artis intentionem operentur. *Texebat* igitur Proſerpina, & in ipſo texendi actu hieroglyphicum habebat imminentis Thori; nam nouas olim nuptas Quaſillus ſequebatur, hoc eſt Ciſtula illa, qua textrices vterentur, in ea reponentes quidquid ad lanificium pertineret. Quos nos *Quaſillos* vocamus *καλάθος*, *ϑαλάσσιος* Græci vocant; ex quo Thalaſſij nomen in Nuptijs frequentabant antiqui nouam ad Lanificium nuptam inuitantes. Ex quo noueris omnia in Augurium Proſerpinæ tradendæ concinnata.

MVNERA Cauſam hic habes finalem, cur ſcilicet texeret Proſerpina: cùm enim altè memoria retineret, quantum ipſa amantiſſimæ Cereri deberet Genitrici, ea abſente, munera feſtinabat aliqua concinnare, quibus Matrem, poſt reditum, & oblectamento afficeret, & hoc ſui amoris pignore ſolaretur oſtendens falſum apud ſe eſſe vulgatum apud Italos effatum illud: *Lontan da gl' occhi lontan dal cuore*, cum ipſa immò ſemper abſenti ſtuduerit matri. Ideò *texebat munera*: ſed

IRRITA. Quod proprium deſiderij fuerat operantis, operi attribuit, dum dicit *texebat munera irrita*: ideſt *irrito texebat voto*; nam quod cupiebat contexens, nequaquam erat impletura. Ideò *munera irrita*, quæ nempe incaſſum texerentur, infecta tandem relinquenda, optatoque fine deſtituta.

MATRI. Emphaticè ponitur; nam ex hoc, quod *Matri* texeret, deducitur ſtudium præcipuum, mentis ſedula applicatio, ſolertia inſignis, & Amoris vehementia, qua operi, toto corde, deſudaret, cum texeret *Matri*, hoc eſt *Veſtem Matri tribuendam*.

REDITVRÆ. Idem quam breui ſperabat, ac pro certò haberet properatò rediturain ad natæ amplexus, & oſcula: ſed irrita ſpe, quia non reditura eſſet Ceres, antequam Proſerpina raperetur: Irritis votis, nam redeunti poſt Raptum Cereri attrata Veſtis non Phrygia illa eſſet tandem aſſumenda.

Diſce, quo ad mores, quam fallax ſit hominum ſpes, quam fallacia vota; cum carni potiùs, & ſanguini, quam Animæ propriæ, eiuſdemq; ſtudent ſaluti. Danaidum adſtruit opus quiſquis alteri ſtudens ſui ipſius negligit curam; omniſq; labor, qui animæ ſaluti non impenditur, vanus cadet, & irritus. Otium vitare optimum quidem eſt: ſed, vbi negotium ad carnem tantum, & ſanguinem ſpectat, pernicioſum magis negotium, quam otium eſt. Ideò ſumma Incarnatæ Sapientiæ veritas illi, qui, antequam eam ſequeretur, facultatem petijt Patrem iam vita functum ſepeliendi, acri quadam imperat reſponſione: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos: nam amor carnis, & ſanguinis animæ proprię ſpiritualis ſaluti ſemper poſtponendus; & quid-

quid ab huius indagandæ ſalutis ſolertia diſtrahat, viriliter amputandum. Collige etiam, quam vana ſint Mundi gaudia, quam fluxa terrenarum rerum fœlicitas, quæ contermiNos ſemper luctus habeat. Perpetuas Heracliti vices amplecteretur profectò, qui cerneret ſe ſemper millenis expoſitum infortunijs. Aſt quid, in hoc fluctuanti infortuniorum Oceano, poteſt eſſe tranquillitatis? Quæ tuta ſtatio, vbi vndique anguſtiæ, vbi laqueis plena ſunt omnia, vbi omnia complent calamitates? Inſanas ſubſtructionum moles, æternitati, vt arbitramur, dicatas comparamus; aurea tecta, argenteum pauimentum, gemmata aulæa congerere vnicam ſtudemus in domum; ac ſæpè domicilium noſtrum in Cœli imaginem adornamus, quaſi Mors non immineret irritum inſanientis animi votum redditura: &, licet occaſus noſtri apertanimis ante oculos, in alienis funeribus hieroglyphica habeamus, canimus tamen, ac multa, futuris adhuc temporibus peragenda, mente reuoluimus, quaſi nos fœdus cum morte pepigerimus. Ne vanis, quæſo, diſtrahatur Proſerpina, hoc eſt, Anima noſtra; anima illa quam è Cœlo ſortiti Cœlo ipſi debemus: ne ſubito præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & non inueniamus. Caueat ſibi Proſerpina, nam dum canit, dum inutilibus texendis detinetur, dum carmi tantum, & ſanguini ſtudet, in foribus luctus adeſt, & improuidam ferient minæ. Sibi ſtudeat, & conſulat, atq; hoc vnum ſalutis ſuæ procurandæ negotium negotijs omnibus præferat; nec terræ huius fidat illecebris, nam allicit, ſplendore, ignis, dum aſpicitur; ſed vrit ardens, dum tangitur. *Sedulò rem agat ſuam, &*

Obſtet principijs: ſerò medicina paratur
Cum morbi oblonga inualuere mora.

Verum, ne & nos in Heraclitum conuerſi videamur, fletibus immixti ſemper, dum ſapiens ait: tempus flendi, & tempus ridendi; accinenti Proſerpinæ concinnentes quid Muſa noſtra fidibus iam inſonet ſins, experiamur.

Per l'aereo ſentier, che de portenti
L'ardor preſſago al fiammeggiar differra,
Scendon le Diue ou', à ſudati ſtenti
Di que fabri, che l'Etna in grembo ſerra,
Sorge l'alta magion, che, con gl'algenti
Raggi del ferro, ogni pupilla atterra;
Quella, di cui tra le munite ſoglie
De! ſuo cuore il teſor Cerere accoglie.
Son di ferro le mura; e l'ampie porte,
Con le tempre più fine il ferro chiude;
E, con l'oppoſto acciar, più ſaldo, e forte
Si rende il ferro, ou'all'entrar ſi ſchiude.
Di chi l'ali impennar non hebbe in ſorte,
Del prender l'erte, ogni ſperar delude
Terſo il metallo, e fra le nubi aſcoſa
L'altezza immenſa, in ſicurtà, ripoſa.
Non mai di Lenno al flagellar l'incudi,
Con tanta fretta, affumicati i Fabri
Vibraro i colpi accelerati, e crudi;
Ne, per polir metalli horridi, e ſcabri,
In sì graue ſudor, le membra, ignudi,
Diſtillaro, al ſbuffar d'arſicci labri:
Qual, di Cerer le brame, all'hor ch'inteſe,
Le ferree rocche al fabricar s'atteſe.
Con si ſpeſſe vicende hor preſi, hor ſciolti
Dal mantice non mai ſpiràro i venti;
Ne con tal forza i ferri errar diſciolti
Dalle ſcorie, ondeggiando in fiamme ardēti;
Come pur quiui, al ſtabilir riuolti
L'altera mole, inſuperbir rouenti:
E la fornace, a manifeſti ſegni,
Parue, del più ſoffrir ſcoppiarſi in ſdegni.
Tanto ſudor, tanto d'affanni al fine
L'opra conduſſe, e raſſodolla in muri;
Muri, ch', ad ogni ardir poſto il confine,
Gl'affidati teſor rendean ſicuri:
Ma l'interne del ferro aſpre cortine
Cuopre vn'India d'auorio, e i lampi oſcuri
Sotto candida merce auuolge, e cela,
Mentre'l proprio candor ſol vibra, e ſuela.
Del graue tetto a ſoſtenere il peſo
Si ſtende il bronzo in groſſe traui eletto;
E, di que' bronzi à rinforzar l'eſteſo,
S'erge, e ſottentra, in gran colonne eretto,
(L'oro à gl'argenti, in vn ſol miſto, appreſo)
De terſi Eletri il biondeggiar perfetto.
Mà, quel che vince ogni più ricco fregio,
Di Proſerpina in ſe racchiude il pregio.
Queſta, con voci, ad ammutir baſtanti
Qual dolce è più Partenopea Sirena,
Scioglie al canto la lingua; e coglie i vanti
D'addolcirne nel ſuon la ferrea ſcena.
Opra in tanto la man co' fili erranti;
E di Frigia, e di Perſia in vn catena
Le ſudate fatiche; e non s'auuede,
Ch', alleſtirle alla madre, in van ſi crede.

Aſt, dum blandè canit Proſerpina, ne eam funeſtis vocibus deterreamus, tragicis intermiſſis, ad annuentem Poetam reuertamur.

Hic elementorum ſeriem, ſedeſque paternas
Inſignibat acu: Veterem qua lege tumultum
Diſcreuit natura parens; & ſemina iuſtis
Diſceſſere locis. Quidquid leue fertur in altum:
In medium grauiora cadunt. Incanduit æther:
Egit flamma Polum: fluxit mare: terra pependit.
Nec color vnus erat. Stellas accendit in auro:
Oſtro fundit aquas; attollit littora gemmis;
Filaque, mentitos ſubter cælantia fluctus,
Arte tument; credas illidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inſerpere murmur arenis.
Addit quinque plagas. Mediam, ſub tegmine rubro,
Obſeſſam feruore notat: ſqualleba adustus
Limes, & aſſiduo ſitiebant ſtamina ſole.
Vitales vtrinque duas, quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris: tum, fine ſupremo,
Torpentes traxit geminas; brumaq; perenni
Fædat, & æterno conſtringit frigore telas.
Nec non & Patrui pingit ſacraria ditis
Fataleſque ſibi Manes. Nec defuit omen;

HIC ELEMENTORVM SERIEM &c.

Proſerpinam Palladis patentam operibus dixerat vates; & non incongruum videbatur eiuſdem, in his, ingenij acumen, ac præſtantiam exprimere; cum enim tot inſignitam virtutibus, tantàque conſpicuam ingenij acie Proſerpinam aſſeruiſſet, vt, hac vna, Ceres cæteris altior Matribus extaret; conſentaneum fuit, vt ex aliqua Ipſius eiuſdem induſtria firmaretur aſſertum. Ex operis itaque, quod præ manibus haberet, excellentia, operantis virtutem amplificaturus, pulcherrimâ vtique, per hypotipoſim, deſcriptione, ab enumeratione partium deducta, opus ipſum, cui deſudaret Proſerpina, delineat. Et quidem, ipſo picturati operis initio, primam rerum omnium creationem, ſeù melius dixerim, ſpectatis Poetarum commentis, primam rerum eductionem, qua ſcilicet effingitur Iupiter ex confuſionis Chao res omnes, ſuo ordine, digeſtas extraxiſſe, recenſet picturatam; ſubindè expreſſum Proſerpinæ texturis inſinuat ordinem ipſum, quo cuncta fuerint, in tali eductione diſpoſita, ac ſecundùm vniuſcuiuſque rei exigentiam, & colores, & artis varietatem diſtribuit, nec telis defuiſſe aſſerit. Regalis Patrui Aulæ repreſentationem aſſi-

Præſcia nam ſubitis maduerunt fletibus ora.
Cæperat & vitreis ſummo iam margine texti
Oceanum ſinuare vadis. Sed cardine verſo
Senſit adeſſe Deas; imperfectumque laborem
Deſerit, & niueos infecit purpura vultus,
Per liquidas ſuccenſa genas, caſtique pudoris
Illuxere faces. Non ſic decus ardet eburnum,
Lydia Sydonio quod fœmina tinxerit oſtro.

affirmat; Cumque iam quod extrema textilis operis occupaturum fuerat, ac totius operis ſeriem impleturum inchoaſſet Proſerpina, eam diſtractam indicat, imperfectumque laborem relinquere coactam, aduento ſcilicet Dearum cognito, quibus aſſurgere, intermiſſis omnibus debuit, & obuiam ire, ac morem gerere, ne videretur inurbana, ac ſummi Iouis origine prorſus indigna. Notat tamen ſuffuſam rubore Proſerpinam hæc agentem, vt proprium modeſtæ Virginis eſt, quæ maiorum viſitationes excipiat, ac verecundiam ipſam erubeſcentis aptâ ſignat ſimilitudine. Tandem, vt morem ſeruet omnia captandi, dum telas deſcribit, omina non negligit; ſed has ipſas telas non ſine fatali augurio proceſſiſſe demonſtrat.

HIC. Aduerb. loci eſt iſtud: Verum hoc loco accipitur pro aduerbio indicatiuo; ex eo enim indicatur tela ipſa, quam Proſerpina texebat; & in qua ea, quæ ſubindè numeratim recenſentur, intexta viſebantur.

INSIGNIBAT ACV. *Inſignire* propriè eſt *ſignis notare*, ac *delineamentis diſtinguere*. Vulgò *ricamare*; præcipuè ſi inſtrumento, nempè *acu* notetur; nam ex hoc perſpicuum fit, quanam ſignorum ſpecie ſignatum opus effulgeat; cum alio quid hoc, quod eſt *ſignis notare, atque diſtinguere*, eſſe poſſit pluribus artibus commune, vt Perſpectiuæ, Picturæ &c. Aſt *inſignire acu* proprium eſt tantum artis phrygiæ, quæ picturam æmulata picturatas acu telas effingeret. Hanc artem a Semiramide primo inuentam, tradunt hiſtorici, atque adeò huius etiam artis opus babylonicum nuncupari; Eius tamen originem ad Palladem referunt Poetæ, vt vidimus. *Inſignibat* autem dixit, imperfecto ſcilicet vſus dicendi modo, primo quidem, vt oſtenderet Proſerpinæ ſenſum, cui non tantum inerat ſuperbiæ, vt opera ſua perfecta exiſtimaret, adeò vt, Aracnis in morem, vellet cum ipſa de primatu Pallade decertare, ſed immò modeſta quadam exiſtimatione imperfectum putaret quidquid ipſa elaboraſſet, ac propterea, & per imperfectum dicendi modum ea fuiſſet expreſſura, ſi ſenſus illi de ijs ſuus fuiſſet exprimendus: quapropter Poeta, texentis induens affectum, imperfecto vtitur: *Inſignibat acu*; ſicuti etiam Orator quantumuis peritus, cum vel eximiam confecerit orationem, vt oſtendat à ſe imperfectam exiſtimari, claudere ſolet verbo illo imperfectionem importante: *Dicebam*. Secundo adde Poetam hoc verbo imperfecti temporis vſum, quia, cum Proſerpinam deſcriberet in actu ipſo telam contexendi, certè perfectam notare non debuit; nam, quouſque artifex manum adhuc admouet rei perficiendæ, res illa ſemper *in fieri* dicitur: non *facta*, ſeù *in facto eſſe*: vel ſaltem partim dicitur *in facto eſſe*, partim *in fieri*, donec illi artifex colophonem impoſuerit, quo poſito tunc perfectum dicitur opus. Erat igitur adhuc imperfectum opus Proſerpinæ, cum illa adhuc actu operi manum admoueret; atq; ideò, per imperfectum, actio illa iure exprimitur, quæ nondum eſſet ad totalem deducta perfectionem: Denique nec abſolutum, nec abſoluendum erat Proſerpinæ opus, ſed imperfectum relinquendum ideò, per vocem imperfecti exprimitur. *Inſignibat acu*. Porrò acus ab acuta cuſpide dicitur, & eſt inſtrumentum illud tereti figura conſtructum, ex vna parte acuminatum, ex altera perforatum ita, vt inſertum foramini filum vel laneum, vel ſericum, vel aureum &c. ſecum trahat, dum ducitur, & ſuturas conficiat. Cum autem hoc præcipuè inſtrumento Phrygiæ mulieres vterentur ad picturata earum opera perficienda, hinc eſt, vt *acu pingere*, ac *telas acu inſignire* dicerentur: atque ideò aptiſſimè hic: *inſignibat acu*.

SERIEM ELEMENTORVM. Mentem diuinitatis participem, ac conſequenter eruditiſſimis quibuſq; cognitionibus inſignitam, non exilia, non gregaria, non minimi ponderis opera decebant. idcircò Poeta, optimus vtiq; morum imitator, non inducit Proſerpinam nugas inepis intexentem, aut aracnæis induſtrijs deſudantem; ſed ad ea incumbentem, quæ cum eximia artis præſtantia eleuatiſſimam conniungerent eruditionem; primam nempè Mundi originem ab ea delineatam oſtentans, tam mirabili artificio, vt, dum Proſerpinæ ingenium extollit, ſuum ipſius ingenium mirabiliter augeat, & amplificet. Dixeris profectò Poetam phrygij laboris peritiſſimum, ſi rectè perpendas, quam exactè omnia ponderet, libret, apter, ac ſumma viuacitate diſponat. Sed viteriùs, hic profectò, ſi vnquam alibi, altiſſimos, reconditoſque Auctoris ſenſus, par erit, admirari. Quarè attentiori iam eius explicatione aggredimur recenſere. Initium igitur elaborati a Proſerpina operis continebat, *Seriem elementorum*.

Prima vtique intellige; nam primam huius creatæ molis, iuxta fabulas, originem, ac totius ſubindè Vniuerſi diſpoſitionem, à Proſerpina his depictam in telis, proſequitur Poeta; ideoq; à prima origine incipiendum duxit, nempè ab elementorum ſerie. Porrò *Series* a *ſerendo*, quod idem eſt, ac *ordinando*, nil aliud quam *ordo* eſt. Quare per *ſeriem elementorum* intelligit hic Poeta primam eorum ab informi confuſione diſcretionem, eorumdemq; ordinationem, ex qua, quaſi ex ſemine, rerum omnium continuata progreſſio facile proceſſerit. Ad intelligentiam huius loci, reuocanteris hic in memoriam, quæ diximus ad Carm. *Poſſedit dotale Chaos &c.*, nempe, antè huius Mundi conſtitutionem, nil, niſi confuſum Chaos extitiſſe, iuxta antiquorum ſententiam Arcadum, & tunc temporis communem, quam confuſionem ab Ouid., ibidem etiam cit., deſcriptam recenſuimus, &, eiuſdem Carminibus ex primo Metam. decerptis, exarauimus. Ex hoc igitur Chao exordia Mundum duxiſſe, ex ſententia Heſiodi in Theogonia, aſſerit Ouid. cit., ſententiam videlicet Platonis, ac Stoicorum ſecutus, qui Mundum in tempore factum, atq; à Deo genitum, ſeù creatum, aſſeruerunt contra Ariſtotelem, qui Mundum poſuit ab æterno. De Mundi autem origine, quo ad modum, ſeù de modo, quo Mundus à prima illa, confuſa, ac indigeſta mole initium ſuæ pulchritudinis ſumpſerit, & extraxerit, variæ fuerunt Priſcorum opiniones, & placita. Verum, hoc loco, ſecutus eſt Vates veſtigia Ouid. cit. qui Heſiodo inhærens ait, Chaos illud præexiſtens primò in quatuor elementa diuiſum fuiſſe, cum antea, in eo, ita commiſcerentur, vt neq; terra ab aere, neq; aer ab aquis, neq; aquæ ab æthere, nec æther iterum à terra ſecernerentur. Itaque ex hac elementorum ſecretione, quæ facta fuit, cum in extracta ab illo elementa diuiſum dicitur Chaos, orta eſt illa prima coordinatio, ſeù *ſeries elementorum*, qua factum eſt, vt vnumquodq; elementorum, ab alio ſeparatum, proprium ſecederet in locum, atq; omnia elementa ex lite, quam habebant inuicem confuſa, ad amicitiam tranſirent ſeparata, ita vt mutuo ſocietatis fœdere coniuncta conſtitutioni huius tandem orbis vnanimiter deſeruirent. Quod in cauſa fuit vt aliqui ex antiquis Phyloſ. duo eſſe prima rerum omnium principia, nempè *litem*, & *amicitiam* aſſeruerint. Vide quę de hac elementorum ſecretione diximus ad Carm.

Penè volubilitas rerum pugnantes rebus
Rupiſſent elementa fidem &c.

Hanc itaq; elementorum ſecretionem, ordinationemq; primam intelligit Poeta hic, dum dicit: *Hic elementorum ſeriem &c.*; Idem enim eſt, ac ſi diceret: exprimebant imagines, initio operis impreſſæ prima Mundi huius exordia, ita vt ex illis cernere licuiſſet, quomodo indigeſta illa moles, quæ Chaos dicebatur, diſtingui cæperit, atq; ex illa diſtinctione quatuor emerſerint elementa, quæ ita ſubindè diſpoſita fuerint, vt ex eorumdem qualitatum communicatione amicabili omnia conſurrexerint mixta, quibus ingens hæc rerum machina abundat, & in qua ipſa prudens natura ſuis quæq; nectit ordinibus. Quod ſi quæras, cur illa quatuor, quæ iam enumerauimus, elementa dicantur; Reſpondet Parrhaſ. ab alendo dicta, eo quod omnia ex illis alantur non ſolum, ſed & ab initio coaleſcant.

SEDESQVE PATERNAS. Per ſedes paternas, intelligendum hic eſſe thronum ſummi Iouis, ex quo genitam iam vidimus Proſerpinam, indubitatum eſt. Verum quænam fuerint huiuſmodi ſedes, quas Proſerpina tunc acu pinxerit, ambiguum eſt. Ratio autem dubitandi eſt, quia, ante Mundi, hoc eſt Cœli, terræque conſtitutionem, nullam videtur habuiſſe ſedem Deus, niſi quatenus in ſe ipſo ſemper, ac ſua ſe contineret immenſitate, quæ profectò acu pingi non poterat. Quod ſi dicas cum Parrhaſ., per ſedes paternas Cœlum intelligi, quod a Ioue, cæteriſq; Dijs ſuperis teneri ve-

vetuſtas credidit; videtur obſtare textus eiuſdem Poetæ, qui ponit *ſedes paternas*, ideſt *Iouis ſedes*, ante ipſius Cœli conſtructionem, nam inferiùs Cœli ex profeſſo creationem attingit, dum ait: *Egit flamma Polum &c.* quaſi creationem Cœli poſteriorem faciat illis ſedibus, quas hic dicit à Proſerpina depictas. Quænam igitur iſtæ ſedes fuerint diſcutiendum. Pro ſolutione autem difficultatis; Aduerte, hanc eruditiſſimi Poetæ locutionem dupliciter conſiderari poſſe, vel ita ſcilicet, vt faciat ſenſum antecedentem, vel ita, vt faciat ſenſum ſubſequentem, ad ipſam vniuerſi conſtitutionem, ſeù, cum Poetis, eductiuam actionem. Si itaq; ſumatur in ſenſu antecedenti, difficiliùs erit, quænam fuerint hæ ſedes, ſtatuere, ob iam indicatam rationem, quod ſcilicet Deus in ſe ipſo, ac ſua immenſitate maneret, quæ certè acu pingi non potuit. Statuetur tamen, ſi priùs aliqua Antiquorum de Deo placita commemoremus. Deus igitur ex Stoicorum ſententia, vt Diogenis Laertij interpretes aſſerunt, ita definiebatur, vt eſſet, per ipſos, *Animal immortale, rationale, perfectum, ſiuè intellectuale, beatum, ab omni malo remotiſſimum, prouidentia ſua Mundum, & quæ in Mundo ſunt, diſponens omnia, ac non eſſe illi humana forma lineamenta dicebant*. Ex Apuleio autem, & ex veterum, vt ipſe ait, opinione innata, *Deus auctorem originis non habet. ſuæ; ſalus eſt, & perſeuerantia omnium, quæ fecerit; neq; vlla res ſine Dei auxilio naturâ ſuâ contenta eſſe poteſt*. Quam opinionem ſecuti ſubindè Vates omnes, *Ioue plena omnia eſſe* dictitarunt. Cicero, vt ſcribit Lactantius, ſic Deum definiuit: *Nec verò Deus ipſe, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, ac mouens*. Ex quo videtur iterum inferendum, *omnia Deo plena eſſe*. His præcognitis, ſic mihi, iuxta antiquorum præcipuè Poetarum, quoniam in poeticis verſamur, liceat phyloſophari. Ante Mundi conſtitutionem quid erat, per Poetas, & antiquos, in rerum natura? Certè dicunt, nil niſi Chaos, molem ſcilicet illam fuiſſe informem, indigeſtam, confuſam &c. quæ inſtar Vrſicini partus efformanda à Deo fuerat, vt, quam de præſenti habet, diſpoſitionem, ſimetriam, ac pulchritudinem aſſumeret. Bene eſt, iuxta eorum opinionem, & ſuppoſitis eorumdem principijs; nam, per nos, iuxta Catholicam fidem, & veritatem, confuſum illud *Chaos* nil aliud erat, quam ipſum *nihil*, ex quo, per creationem, educta ſunt omnia. Sed perſiſtendo in fabulis, cum & fabulæ explicationem proſequamur, ante Mundi conſtitutionem erat Chaos. Cum igitur poſt Mundi conſtitutionem Ioue plena ſint omnia, & tamen idem ſit, ac antea fuerit Iupiter, certè dicendum eſt, ab illo, & ante Mundi conſtitutionem, illam ipſam informem, indigeſtamq; molem fuiſſe occupatam, ac repletam; non quidem ita vt & ipſe Iupiter confuſum, & indiſtinctum quid eſſet, ſeù illius pars confuſionis, ſed tamquam Dominus, in confuſo regno, non confuſus. Quarè Iouis ſedem ipſum Chaos fuiſſe, ante Mundi conſtitutionem, dicere abſonum nequaquam fuerit. Si igitur, vt ad Poetam reuertamur, ſenſus iſtius locutionis in ſenſu antecedenti accipiatur, dixeris Poetam hic innuere, *ſedes Paternas* ipſum Chaos fuiſſe, ideòque à Proſerpina Chaos ipſum fuiſſe primo loco depictum, quod, per *paternas ſedes*, intelligat, ac ſubindè ſeriem elementorum, ex ipſo deductam Chao, vt principio principiata ſubnecteret congruenter. Si verò mauis, (& quidem, vt arbitror, congruentiùs, ac meliùs) hanc Poetæ locutionem intelligendam eſſe in ſenſu conſequenti, non quidem ad totam Mundi conſtitutionem, ſed ad eiuſdem conſtitutionem inchoatam; ita vt, cum Parrhaſ., per *ſedes paternas* Cœlum intelligere velis; memineris quænam de Cœlo fuerit Ariſtotelis ſententia lib. 1. de Cœlo, expreſſa, ac Meteor. pri. confirmata, qua nempè dixerit, Cœlum non conſtare ex quatuor vulgatis elementis, ſed eſſe quintum quoddam totius orbis elementum, cæteris purius, ac nobilius, quod ipſe *quintam* appellauit *eſſentiam*; hocq; cauſam fuiſſe omnium aliarum rerum, quæ toto Cœli ambitu continentur, cum earumdem materiam rerum quatuor vulgaria elementa Ariſtoteles idem ſtatuiſſet. Quo poſito, iuxta ſententiam Ariſtotelis; videtur ab admittentibus præexiſtens Chaos neceſſariò dicendum, primo loco eductum à conditore Deo ex illa confuſione primum illud elementum, quod *quintum* appellat Ariſtoteles, nempè Cœlum, quod, cum deberet eſſe cauſa efficiens cæterarum rerum omnium, certe & præexiſtere debuit, ſi non prioritate temporis, ſaltem prioritate naturæ; eoq; educto, Iouem eiuſdem ſibi pulchritudinem, peculiarem in ſedem, adſciuiſſe. ita vt qui priùs in ſe ſolo maneret, tunc primum cœperit habere ſedem à ſe diſtinctam. Atqui, cum multiplices in ſphœras Cœlum ipſum diuidatur, quæ tamen omnes Ioui ſubdantur in thronum, inde factum fuiſſe, vt *Paternas ſedes* numero multitudinis appellauerit Auctor. Nec obſtat, quod Poeta primo loco depictam dixerit *elementorum ſeriem*, ſubindè *Paternas ſedes*; nam cum dixerimus, *ſeriem illam* nil aliud ſonare, quam ordinem, nil mirum, ſi Poeta priùs *rerum* poſuerit, nempe *ſeriem generatim ſumptam*; ac ſubinde *illud ipſum rerum* ſubdiuidens primo loco poſuerit quintum illud elementum, quod, ordine, priùs fuerat eductum; quaſi diceret: *Inſignibat acu ſeriem elementorum; & ex hac ſerie primum in ordine Cœlum, in quo Iupiter ſederet, vt oſtenderetur ſedens, hoc eſt nullo ſuo labore Mundum integrum operare*. Congruit autem hæc explicatio cum ordine veræ primæ creationis à Deo vero; nam in illa ex Geneſis primo creatum primo loco Cœlum indicatur, dum ait ſcriptura: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*. Nec obſtat pariter, quod inferiùs Poeta iterum dixerit: *Egit flamma Polum*; vbi videtur efformationem Cœli attingere; nam tunc non deſcribit eductionem Cœli à Chao; ſed materiam, ex qua Cœlum conſtet, iuxta ſententiam Anaxagoræ, qui Cœlum ex igne conſtare docuit, obiter attingit, vt latiùs patebit inferiùs. Quodſi, de natura Cœli, ab Ariſtotele diſſentiens, non *quintum* velis *elementum* vocare; ſed *ſubſtantiam ex elementorum flore compoſitam*, iuxta aſſertum Platonis; Dixeris eductam, ac depictam, primo loco, dici elementorum ſeriem, ac ſubinde, ex eorumdem ſerie eductis floribus, conflatas ex ijs paternas illas ſedes, quas, in ſubſequenti, depictas oſtendit Vates, quaſi ex floribus ortas elementorum. Hæc ad eruditionem dicta ſatis oſtendunt, quot, & quantis eruditionibus Poeta noſter vnicum exornet Carmen, quas tamen quia ita attigit, vt ad illas alludens laſciuiat potiùs, quam accedat; ideò, vt arbitror illarum nulli proprium hic ſenſum voluit alligatum, vt latior interpreti pateret explicandi locus. Hoc itaque Carmine Vates acturus de prima Mundi creatione, quam depictam acu inſinuat à Proſerpina, Mundum diuidit, cum Ariſtot. primo Meteor. in Mundum inferiorem, ſeù elementarem, & Mundum ſuperiorem, ſeù Cœleſtem; oſtenditq; vtrumq; à Proſerpina delineatum, ac primum, nempè inferiorem, exprimit per *ſeriem elementorum*: ſecundum verò, ſeù Cœleſtem, per *ſedes paternas*. Aſt, quia, primo hoc intuitu, non ſatis explebat excellentiam delineantis, vtrumq; Mundum in ſuas diuidens partes, in vnaquaque parte, perfectionem ſubindè operatricis, admirandum prorſus, oculis ſubijcit. Nec videatur incongruum, tàm elementarem globum, quàm Cœleſtes ſphœras, Mundi nomine comprehendi; nam *Mundus* nomen genericum eſt, quod græce *κοσμος* dicitur, ideſt *ornatus*: quarè quidquid ornatu inſigne eſt, *Mundus* dicitur, ita vt etiam mulierum ornamenta, Mundi muliebris nomine comprehendantur. Quid autem ornatiùs Cœlo? Hoc autem ſedem Dei appellatum quis ignoret? ideò aptè per *ſedes paternas* videris expreſſum.

VETEREM QVA LEGE TVMVLTVM &c. Poſitâ integrâ quidem, ſed nullis inſignitâ diſtinctionibus, picturâ, quæ primo telæ initio conſideranda veniebat, vt imitaretur Poeta rem ipſam, de qua erat locuturus; ſicuti primo ponitur confuſum Chaos, ſubindè in elementa &c. diſtinctus adducitur Mundus; ſic ille primo poſuit picturam, confuſo quaſi quodam modo indicatam potiùs, quam expreſſam; at, poſitâ hac, inquam, quaſi in confuſo, iam ex illa progreditur hic ad dilucidandas, exprimendaſq; partes, ac parte ad partem admirabile textricis artificium deſcribit: & primo quidem naturam ipſam ſecutus oſtendit delineatum à Proſerpina fuiſſe quonam modo eam litem, quam vidimus in ipſo enutritam euomuerit Chaos; & à quonam auctore tot diſcordiarum implacabiles rixæ compoſitæ fuerint, qua lege, quo ordine &c. ita vt cerni potius, quam audiri videantur.

QVA LEGE. Quid nam lex ſit iam vidimus ad Carm.

Ne poſſe firmatas Pacis diſſoluere leges.

quarè hìc nil repeto. Tantum aduerte, nomen legis hic plura ſignificare; primo enim ſignificat iuſſum, ac placitum imperantis, quo iubente, coacta ſint ea, quæ in confuſo Chao inimicitias, ac rixas exercebant, lites omnes dirimere, ac communi ſocietatis fœdere inuicem conciliari. Secundo ſignificat ſeriem coordinationis, vim profectò legis habentem, qua ſcilicet omnia in diſtinctam ſeriem educta, atque in proprium adducta locum ibi permanere cogerentur, nec

fines

fines omninò ſuos pertranſire: Tertio ſignificat modum, quo hæc directa, & ordinata fuerunt, qui modus regula vnicuique rei inuiolabilis fuerit, ita vt ab illa declinandi vis a rebus fuerit omnibus ablata. Oſtendit igitur Vates hic depictum à Proſerpina Iouem, ſeù Naturam, de qua infra, ſedantem elementorum rixas, ac turbidam illam confuſionem tollere properantem, tantâ quidem colorum viuacitate, tantâ artis induſtriâ, vt, ſi oculo imagines illas inſpicienti crediderit, & iubere Iouem, dixeris, & agere, ac cætera omnia imperium exequi obſequentia, & in ordinatam redigi ſeriem, adeò vt picturato operi nec ſpiritus, nec motus deſit, ſi oculo credas. Ideò *qua lege*, inquit, hoc eſt *quo modo, quo pacto, quo fœdere*, ac *quo ordine*, & *qua immutabili ſorte* diſcretum fuerit illud confuſionis informe Chaos, exactè adeò expreſſum fuiſſe, notans, vt non ſolum res diſcretas iam, ſed ipſam diſcretionis actionem oculis ſubijci, non negaturus ſit quiſquis egregiam operis ſtructuram fuerit contemplatus.

NATVRA PARENS. Aliqui ex antiquis Phyloſ. neſcio qua ratione, falsâ certè, quæcumque illa ſit, adducti, aſſeruerunt quamdam dari Naturam Deo ipſo potentiorem, ac ſuperiorem, vt patet ex Ouid. Metam. 9. qui, iuxta hanc ſententiam, inducens Iphim Virginem puellam Ianthæ alterius virginis puellæ ardentiſſimo amore captam, ſecum ipsâ loquentem, ac proprium infortunium deplorantem, quod monſtroſo quodam detineretur amore, hæc habet.

Dÿque mihi faciles quidquid valuere dederunt;
Quodq. ego vult Genitor, vult ipſa, ſocerq; futurus
At non vult Natura, potentior omnibus iſtis.

idemque videtur aſſeruiſſe in ſubiecta materia de prima Mundi creatione Ouid. ipſe lib. Metam. primo, dum hæc habet ibi expreſsè.

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.

In hac eadem ſententia locutus & Claud. fuiſſe aliquibus videri poſſit fortaſſis, ex eo, quod *Naturam parentem* vocet; & quaſi diſtinctam ab eo, cuius paternas ſedes depinxerat, effingat. Verum allucinaretur egregiè qui hanc ſententiam, ſeù meliùs, dixerim, ineptiam oculatiſſimo Poetæ adaptaret. Quarè, ad hunc textum dilucidandum, memineris, Naturam à ſanis magè Phyloſ. in Naturam naturantem, & Naturam naturatam, diſtingui; vt iam nos iterum innuimus in præfatione ad hunc lib. Carm.

Quas Natura negat præbuit arte vias.

Naturata eſt, quæ vnicuiq; rei ineſt creatæ, & quæ definitur eſſe *principium motus, & quietis in eo, in quo eſt primò per ſe, & non ſecundùm accidens*: quod idem eſt, ac dicere *vniuſcuiuſque rei ſubſtantia*, à qua omnis eiuſdem rei motus, aut quies ab intrinſeco procedit: *Naturata* autem dicitur, quia non à ſe ipſa eſt, ſed recipit hanc Naturæ eſſentiam ab ipſa Nàtura naturante, ideſt dante illi, per creationem, hanc eſſentiam Naturæ. Ex quo facilè intelliges, quænam ſit Natura naturans, nempe ipſe auctor Naturæ Deus, nam vt ait Seneca, Natura nihil aliud eſt, quam Deus ipſe, & diuina quædam ratio toti Mundo, ac partibus ipſius inſita, & hoc ipſum Stoici ſenſerunt Deum ipſum appellantes *Naturam, Mentem, Fatum*, & *Iouem &c.* nam multis alijs etiam nominibus diuinitatem Numinis expreſsère. Cum igitur, hoc loco, Vates Naturam appellat, Naturam naturantem notat, nempè Deum ipſum, ſeù Iouem Naturæ auctorem; ideòq; conſultò addit epitetum *Parens*, ideſt omnia pariens, & ex confuſo Chao, diſtinctione adhibita, educens in lucem; quippè quæ hæc natura vnica illa ſit, quæ, cum à nullo ſit, ſed tantum à ſe ipſa, veram ſola habet rationem principij primi, de cuius ratione eſt, vt ait Ariſtotiles, vt ex nullo fiat alio, ſed ex hoc omnia, ſicuti verè ex hac Natura naturante facta ſunt omnia, cum illa à nullo ſit facta.

DISCREVIT. Diſcernere idem eſt, ac *ſeparare, ſegregare, diuidere*, ac *dirimere*. Separari autem dicuntur, quæ, inuicem commixta cum eſſent, ſegregantur, & ſuo quæque ordine diſponuntur. Diuidi verò, ac dirimi dicuntur, quæ, inter ſe rixantia, à rixis exercendis prohibentur, ac pacifico fœdere conſociantur, quæ omnia cum, in prima Mundi eductione ab illo confuſionis Barathro, effecta fuiſſent ab imperio potentiæ creatricis, ideſt Naturæ naturantis, vt dicebamus, optimè dictum *Diſcreuit Natura parens*.

VETEREM TVMVLTVM. *Tumultus* dicatur *ſeditioſum aliquod bellum*, quod ob periculi magnitudinem, hoſtiumque vicinitatem magnam incutit trepidationem. Dictus itaq; eſt *tumultus*, quaſi *timor multus*. Cum itaque confuſum Chaos concertationem perpetuam in ſe ipſo exiſtentium enutriret contrariorum, vt fabulantur Poetæ; nullum profectò ſeditioſum bellum horrendum magis; nulla crudelior hoſtium vicinitas, nulla vehementior perturbatio, nullæ atrociores rixæ, ideò aptè *tumultum* hanc ipſam appellat confuſionem; quam & iure *veterem* dixit, nam quid antiquius Cœlo, & Chao? Vetus autem certè dicitur qui longa eſt ætate penè confectus, quaſi à *ve* pro *valdè*, & *ætas*, deductum ſit nomen, & multæ ætatis labe oppreſſum ſignificet.

ET SEMINA IVSTIS &c. Sedato tumultu quid reliquum erat, niſi vt ſuis quæq; locis diſponeret? Hoc ipſum igitur proſequitur Vates conſequentia antecedentibus nectens per copulam *Et*

SEMINA. Semen, vt alibi diximus, à ferendo dicitur, quaſi ferimen. Eſt autem ſemen quidquid ſua virtute continet ea, quæ ex ſemine in fructum educuntur. Cum itaque elementa ea ſint principia, ex quibus omnia conſtant, reliquum eſt vt ſemina rerum omnium dicantur. Videtur autem Vates, hoc loco, tacitè reijcere ſententiam illorum, qui dicunt, remanere actu elementa in mixto ſecundùm propriam ſubſtantiam; & expreſsè adhærere dicentibus ea in mixto remanere tantum ſecundùm virtutem, nempè ſecundùm refractas eorum qualitates, videtur, inquam, his inhærere, dum elementa vocat *ſemina*, nam ſicuti proprium ſeminis eſt, vt corrumpatur, & ex ipſius corruptione id, quod fructus eſt ſeminis generetur; ita ad hoc vt mixta ex elementis generentur, debent ipſa elementa, ſi ſemina ſint, corrumpi, & tantum ſecundùm ſuas virtutes in mixto remanere. Nomine itaq; ſeminum elementa hic Vates deſignat, quorum vnicuiq; ex illa confuſa mole extracto, proprius attribuitur locus, ne iterum ſit illis ad inuicem decertandum.

DISCESSERE. *Diſcedere* eſt quaſi *loco inuicem ſibi cedere*; nam idem eſt, ac *vnum ab alio ſecedere*. Diſceſſere igitur elementa, nam tellus ab aqua, aqua ab aere, aer ab igne ſeparatus locum ceſſit alijs à quibus vnumquodque elementum fuerat ſegregatum, & proprium ſortita locum elementa ſingula mutuo inter ſe fœdere lites compeſuerant.

IVSTIS LOCIS. Quid ſit locus iam dix: ad Carm.

Deuenere locum, Cereris quæ tecta nitebant.

Iuſtus autem, qui à iuris præceptis non deflectat, dicitur. Quarè *Iuſtis locis* idem eſt, ac ſi dixiſſet, iuxta lectionem Heinſij, *Iuſſis locis*, imperatis videlicet ab ea inuiolabili lege, qua, cuncta ſummus Auctor componens, loca vnicuique propria ſtabilierat. *Iuſtis*, denique dixerit, hoc eſt aptis, conuenientibus, ac vniuſcuiuſque elementorum Naturæ proportionatis; nam iuſtum eſt quidquid iuxta exigentiam naturæ, æqua lege tribuitur, in quo Auctor noſter ſummam oſtendit conditoris prudentiam, ſapientiam, & æquanimitatem, quæ omnia ſuo loco diſponens, omnium Naturali ſatisfecerit exigentiæ, vt, pace tandem firmata, conquieſceret fabrefactus orbis. Hæc autem omnia graphicè adeò depicta acu à Proſerpina oſtendit Vates, vt certi, etiam quo ad motum, tam ſeparantium, quàm collocantium, ſi viſui credideris, videantur.

QVIDQVID LEVE &c. Dixerat immediatè ante proprium omnia ſortita locum fuiſſe, iuxta propriam Naturæ exigentiam. Hic iam locum ipſa diſtribuens eadem diſtributione inſignitas Proſerpinæ oſtendit telas: & quidem hanc locorum diſtributionem à leuioribus incipit.

QVIDQVID. Nomen eſt vniuerſale, ac copulatiuè complectens omnia, quæ illi adijciuntur. Quarè, dum ait *quidquid leue*, vniuerſaliter intelligendus eſt Vates, ita vt loquatur de omni, ac quocumque quod leuitate fruatur; nam, ſicut lex, ita & propoſitio generalis generaliter eſt intelligenda. *Quidquid* igitur, inquit, ſubintellige, *eſt*, nempe *quidquid eſt*

LEVE. Dicitur *leue* quidquid vel omni pondere, & grauitate caret, vel ſaltem tam minimi ponderis eſt, vt parum illud pro nihilo reputetur. Proprium autem leuitatis eſt, vt ſurſum ſponte, ac naturâ ſuâ feratur. Quarè, iuxta exigentiam leuitatis, ſummum in conſtitutione vniuerſi locum leuibus oſtendit attributum. Verùm quia leuitas latitudinem patitur graduum, nec enim conſiſtit in indiuiſibili, ſed, ſecundùm magis, & minus, in pluribus diuerſimodè reperitur, hinc eſt vt, quæ leuia abſolutè ſunt, vt ignis ſupremum obtineant locum; quod autem leue quidem eſt, ſed tamen aliquid ad mixtum grauitatis, ſi cum igne comparetur, poteſt dici, quod habeat, ſurſum quidem tendit, ſed demiſſiorem, ac ſecundum, poſt ignem, locum obtinet, vt

aer.

aer. Vice verſa quæ grauia ſunt, alia grauiora, alia minùs grauia eſſe poſſunt. Igitur elementum terræ, per ſe grauiſſimum, infimum occupat centrum; aqua verò, vtpotè leuior terrâ, ſed grauior aere, ſecundùm, ſupra terram, locum conſequitur. *Quidquid leue* igitur, nempè aer, & ignis, ſecundùm omnes ſui partes, ex Chao extractas, feruntur in altum; ideſt videntur, ac in tela, moueri, & in altum ferri, ac proprijs tandem excipi, ac contineri locis infra deſcribendis. Parrhaſ. in hunc locum, per *quidquid leue* dicit importari ſpiritum, eiuſdemq; igneam partem, qua ratione, inquit, Sol, & reliqua aſtra ſuos quæque curſus ſortita ſunt: quin & corpora, quibus caloris plus, humoris minus inerat, in auras ſe pennis ſuſtulerunt. Non negauerim ego, hanc Parrhaſij doctrinam, ea Diodoro deſumptam, veram eſſe præſcindendo ab hoc Poetæ contextu. Verum, quod ad textum pertinet, non video quomodo hæc intelligenda veniant per illas particulas. *Quidquid leue fertur in altum*. nam primo quidem Sol, & aſtra pertinent ad eas *ſedes ornatas*, de quibus iam ſupra diſerat, atq; ideò non hic ingerenda: reliqua verò corpora, nempe alites, & cætera eiuſdem naturæ miſta, non video cur hic veniant, vbi tantum deſcribitur quonam ordine proceſſerit ſeries illa elementorum, quam eductam diſerat e Chao. Si enim diſpoſitionem in loco proſequitur ſeminum, certè adhuc ab eorum fructibus præſcindit. Quarè iuxta noſtram potiùs explicationem intelligendum arbitror illud. *Quidquid leue*

FERTVR IN ALTVM. *Fertur* verbum eſt indicans motum quidem, ſed *motum tranſlatiuum*; atque ideò indicat, *Leuia* ea illa informi confuſionis ambage tranſlata ad propriam ſedem, nempè ad ſuperiorem Mundi partem obtinendam. Sed nota, quod, licet verbum *fertur* paſſiuæ ſignificationis ſit, & conſequenter videatur ab alio ferri, quod fertur, non autem à ſe ipſo: hinc tamen non ſequitur, non poſſe id, quod fertur, ab intrinſeco ferri, hoc eſt ab aliqua qualitate, in ſe ipſo, ab illo eodem, quod fertur producta. Sic igitur *Leuia* feruntur quidem ab aliquo à ſe diſtincto, cum ferantur à leuitate, quæ eſt qualitas diſtincta ab ipſa ſubſtantia *Leuium*, ſed cum hæc qualitas intrinſeca ſit, & ab ipſa profluens rerum natura, hinc eſt, vt ſpontè, & ab intrinſeco ferri, dicantur. Iterum quia hæc qualitas agebat tunc ex imperio Iouis ita diſponentis, iubentiſque, per verbum illud *fertur*, denotatur, ſeù importatur prima Cauſa, cuius nutu, ſecunda, nempè leuitas agebat, & leuia ex iuſſu ferebat.

IN ALTVM. Præpoſitio *in* propriè loquendo non appellat hic terminum motus leuium rigoroſè, ideſt terminum, in quo poſt motum quieſcere debeant; ſed terminum extrinſecum, quem verſus tendant quidem, ſed ita vt illum, non, niſi vicinitate, vel maiori, vel minori, aſſequantur. *Altum* enim, licet ſignificet quidquid excelſum, ac ſublime eſt, hic certè locum ſignificat. Sed quem locum inquies? *Altum* pro ipſo ponitur Cœlo, imitatione Virg., qui *Altum* pro Cœlo poſuit Æn. pri.

Hæc ait, & Maia genitum demittit ab Alto.

nempè Iupiter Mercurium e Cœlo. Dum igitur *Leuia in Altum* ferri dicuntur, non quidem in Cœlum ſimpliciter, & abſolutè, ſed Cœlum verſus ferri dicuntur. At de his fuſius infra.

IN MEDIVM GRAVIORA CADVNT. Supponit hic Poeta veram eſſe ſententiam de rotunditate Vniuerſi, & ſupponit, Cœli ſphœram, ſua ipſius curuitate, circumferentiam efformare, qua omnia claudantur: Denique ſupponit cuiuslibet ſphœræ, ac circuli, centrum dari, a quo omnes concauitatis eiuſdem circuli, aut ſphœræ, partes æqualiter diſtent, ac conſequenter huiuſmodi centrum in medio ſemper cuiuſcumq; circuli, ac ſphœræ eſſe conſtitutum. Quibus ſuppoſitis iuxta rectam rationem, ac mathematicas demonſtrationes de centro ſphœrarum; cum dixerit: *Leuia in altum*, hoc eſt ad ſublimem Cœleſtis ſphœræ concauitatem, in maximam ſcilicet a centro diſtantiam, efferri; Cætera aut grauiora *in medium*, hoc eſt *centrum* verſus eiuſdem ſphœræ, deſcendere; ita vt aer igne grauior, ſed leuior terra, & aqua, ſecundùm poſt ignem ſtatuatur, vt ſupra dicebamus, aqua verò aere, & igne grauior, ſed leuior terra tertiam à ſphœra diſtantiam centrum verſus deſcendens obtineat: Terra autem, vtpote omnium grauiſſima, *medium* ipſum ſortiatur, hoc eſt circa ipſum immediatè *centrum* agglutinetur. Ex quo vides, quam exactè Vates diſpoſitionem digerat elementorum. Igitur

GRAVIORA. Ideſt ea, quæ igne grauiora ſunt. Sed aduerte, nomen iſtud non eſſe ita abſolutè intelligendum, vt indicet, omnia, quæ quomodocumque grauiora igne ſunt, eumdem promiſcuè obtineant locum; ſed nomen eſt occultam in ſe continens gradationem, ita vt ſecundùm maiorem, & maiorem grauitatem, magis res, ac magis depreſſæ cadant in medium, iuxta ordinem iam à nobis ſupra explicatum; nam, ſi cadendi cauſa eſt grauitas, certè, quo maior, & maior erit grauitas, maior, & maior erit deſcenſus ab ipſa grauitate cauſatus, & proueniens. Quarè non abſolutè, ſed proportionaliter iuxta datam gradationem nomen ipſum *grauiora* accipiendum eſt.

CADVNT. *Cadere* idem eſt, ac *prolabi*, ſeù *deorſum deſcendere*. Sed nota occultam verbi vim; nam *cadere* propriè dicuntur quæ proprio pondere deorſum trahuntur: cum igitur grauitatis proprium ſit ſemper deorſum tendere, nil mirum, ſi grauia ſecum trahat: aſt, cum hæc qualitas ab ipſa grauium natura profluat, & intrinſeca rebus ipſis grauibus ſit; iure illa, proprio pondere, deſcendere, & ad centrum tendere dicuntur. Delrius, & alij legendum putant, non *cadunt*, ſed *ruunt*: aſt hoc verbum nimiam, arbitratu meo, importat præcipitationem, quam aſſerere incongruum eſt, vbi iam adeſt pacificata natura, & à nullo prohibent entia, quin pacatè locum adeant ſuum. Videtur etiam obſtare naturalis entium adhæreſcentia inter ſe, qua efficitur, vt ruere non poſſint; nam ruere proprium, & partis à reliquo deciſæ, ac ſibi omninò relictæ, quod non habetur in partibus vniuerſis, quæ ſemper toti adhæreſcunt, licet locum appetant ſuum, & in illum properent.

IN MEDIVM. *Medium* dicitur id, quod, menſuris adhibitis, æqualiter ab extremis diſtat. Quarè cum centrum vniuerſi, vt dicebamus, æqualiter vndequaq; diſtet à circumferentia, iure *centrum* iſtud *medij* nomine deſignat Vates.

INCANDVIT ÆTHER. Ita diſpoſitis, collocatiſque elementis, oſtendit iam Vates, viuis adeò coloribus, ea fuiſſe Proſerpinæ manu depicta, vt & ſedem vniuſcuiuſque propriam, & colorem, & effectum, ac ſtatum in eadem tela, te crederes intueri. Sicuti autem priùs è Cœlo per deſcenſum deuenit ad centrum; ita nunc, medius inter leuiora, & grauiora, priùs ſurſum graditur, vt ſubinde ad centrum vſq; regrediatur, vt clarè iam exprimat vniuſcuiuſque elementi diuerſam ſedem, quam ſupra ſubobſcurè tantum innuerat; & primo quidem ab aere incipit.

ÆTHER. *Aer* legendum eſſe contendit Gronouius, & rationem affert, quia quatuor hic elementa deſcribantur. Verum cum in idem recidat *æther* non cenſui immutandum. Licet itaq; *æther*, vt plurimum, pro ſphœra ignis accipiatur, ſiue pro ipſo, iuxta Anaxagoram, elemento ignis, ab alijs tamen, cum quibus & Claud. hic *æther* pro *aere* accipitur. Sic Virg. Æn. 4. fœmineos deſcribens in funere Didonis eiulatus, iſq; aerem repletum indicans, ait:

Tecta fremunt; reſonat magnis plangoribus æther.

vbi certè *æther* pro aere accipitur, nam fœmineæ voces, quantumuis acutæ certè ad ſphœram vſque ignis pertingere non potuerunt. Nec dicas dictum fuiſſe hyperbolicè, nam hyperboles debet quidem eſſe vltra fidem, ſed non vltra modum, pariter Æn. 5. de plauſibus in nauali certamine editis, ait:

Inſtigant ſtudijs, reſonatq; fragoribus æther.

ſiuè autem, per fragores intelligat mixtas plaudentium voces, ſiuè, vt alij malunt, ſtrepitus ridentium, ac remorum; certe Cœlum, aut ignis ſphœra affici his fragoribus non potuit. Quarè remanet vt *ætherem* pro *aere* vſurpauerit. Quo poſito perpende, primum Auctoris ſurſum tendentis gradum à deſcriptione aeris deſumi. Ideò *æther*

INCANDVIT. Verbum compoſitum ex præpoſitione *in*, & verbo *candeo*, ita vt ſit idem, ac dicere: *in ſe ipſo candens*. *Candeſcere* autem, ſeù *candere* non ſignificat hic *calorem, ardoremq; ignis induere*, ſicuti quando, ferrum candeſcere, dicimus cum ignem concipit; ſed ſignificat *Album fieri*, albedine tamen perlucido quodam perfuſâ nitore, ſicuti illa, quæ corpus omne Diaphanum, non coloratum, afficere conſpicitur. Vbi noueris quam concinne Poeta aerem, Proſerpinæ coloribus fabrefactum, ipſis naturalis aeris qualitatibus oſtendat imbutum: nam certè diaphani corporis prærogatiuâ inſignitur aer, ita vt, cum nullo inficiatur colore, albicans tamen, ob qualitatem Diaphani appareat, ſed albedine nitoribus pellucentibus inſigni; quam aeris qualitatem graphicè expreſſam Proſerpinæ acu, ac coloribus mire inſinuat, inquiens: *Incanduit æther*; quaſi naturalem ſtatum habuerit in tela.

FLAMMA EGIT POLVM. Ad diſtinctionem aeris de ſuperiori, iam ignis elemento locuturus noluit ætherem,

&

& iſtud appellare, ſed proprio flammæ nomine expreſſit. Duplicem itaque ſententiam tacitè hic attingit Auctor. Prima eſt eorum qui dicunt, ſupra vltimam aeris regionem dari ſphœram ignis, ſeù ignem, vt dicunt, elementarem, cuius flammæ non ſurſum tendant, vt ignis qui apud nos eſt, ſed in orbem, rapidiſſimo, ac vehementiſſimo nitantur motu, adeò vt eiuſdem circumrotatione ſphœræ ipſe ſuperiores circumrotentur, putauit enim Heraclitus, ignem & ſe ipſum mouere, & cæteris motum præſtare; vndè & aliqui, Animam ipſam igneam eſſe voluerunt. Alia ſententia eſt, quam protulit Anaxagoras, qui, teſte Ariſtotele primo de Cœlo, ac iterum Meteor. primo, cenſuit ſphœras ipſas, nempè totum Cœlum igneum eſſe, & ex igne conſtitui, quapropter etiam Cœlum *αἰθέρα* appellant, ethymologiam huius nominis ducens *ἀπὸ τοῦ αἴθειν*, quod latinis *ardere* eſt, quem tamen redarguit Ariſt. cit. Meteor. primo, ex eo quod *æther* non *ἀπὸ τοῦ αἴθειν*, ſed *ἀπὸ τοῦ θεῖν*, vt ipſe ait, deriuetur, quod eſt *ſempiterno decurrens tempore*. Anaxagoræ ſententiam ſecutus eſt nihilominùs & Cic. primo de natura Deorum, vbi ait: *Ardor Cœli, qui æther, vel Cœlum nominatur*. Ad vtramque igitur ſententiam Auctor alludens, vt dicebam, oſtendit hic elementum ignis non ſolum ſupra aerem eſſe ſphœris immediatum, eaſque in motum impellens, ſed & ſphœras omnes permeare, eaſque ex igne iuxta Anaxagoram componi: atque ob id ipſum data opera vſus eſt verbo *ago*, quod & *impellere* ſignificat, & *componere*, ſeù *conſtituere in eſſe*. Igneam itaque, quo ad hanc partem Proſerpinæ texturam oſtendit, ita vt, non efficta filis *flammæ*, ſed ipſa naturalis, ac vera videretur cernentibus in ſtamine elucеſcere. Ideò

FLAMMA. Purior ignis, immò ſola ignis eſt flamma. Nam prunæ *carbones ſunt* quidem *ignis*, ſed non *ignis*; atq; ideò & ſola flamma ad ignis euolat ſphœram.

EGIT. Agere, vt dicebamus, & *ad motum impellere* ſignificat, & *efformare*, ſeù conſtituere in eſſe per modum cauſæ intrinſecè componentis. Quare ad duplicem refertur ſententiam, de quibus iam ſupra diximus.

POLVM. Quid Poli ſint iam vidimus ad Carmen:

Et veſtri ſecreta Poli &c.

quarè non repeto: tantùm innuo partem poni pro toto Cœlo. Quare quo loco, & qua viuacitate colorum expreſſiſſet Proſerpina, & ſphœram ignis, & Cœlos igne conſtantes exprimit hic Poeta; ac viuacem adeò picturam fuiſſe oſtendit, vt ipſam efformatricem actionem, ac motum ipſum oculis repræſentaret illudens tela. Clauerius legendum hoc loco cenſuit: *Leges flamma Polum*. iuxta illud Ouidij Metam. primo.

Ignea conuexi, vis & ſine pondere Cœli
Emicuit, ſummáque locum ſibi legit in arce.

& profectò, quo ad locum elementi aſſignandum ſimpliciter, optima hæc lectio eſt; ſed quantum à plenitudine eruditionis recedat ex dictis iam patet.

MARE FLVXIT. Sicuti, data, in Mundo ſuperiori, elementorum diſtinctione, Cœlum, ſeù ignem, aeremque diſtinxit, ac proprias igni, & aeri ſedes attribuit; ita hìc, inferiorem iterum relegens Mundum, diſtinctam à terra aquam notat, atque quod earum eſt, vnicuique attribuit. Porrò quid ſit *Mare* iam fusè vidimus ad Carm.

Scis Mare ſulphureo ductum per viſcera montis.

Vno verbo nil aliud eſt Mare quam congregatio aquarum, iuxta illud Geneſ. *Congregationemque aquarum appellauit maria*. Hinc factum, vt à quibuſdam, vt ibidem dicebamus, Mare creditum fuerit ipſum aquæ elementum; ad quod alludens Poeta Mare hìc pro elemento ſumpſit aquarum, & oſtendit depictum in tela Proſerpinæ exactè adeò, vt vndis fluctuare, vel in flumina diuidi, vel terræ venas permeare, vel vndarum vorticibus agitari videatur, ni immota telæ fila manus oculum corrigens experiatur. Ideò

FLVXIT, à Fluo, quod propriè ſignificat liquidæ alicuius rei decurſum; &, quia, quæ fluunt, latiùs extenduntur, ideò & fluo ſumitur etiam prò eodem, ac *latiùs excreſco*. Hoc igitur verbo indicat Vates, & in maximam vaſtitatem aquas excreuiſſe, & ex iis flumina in curſum effuſa vndas euoluiſſe; & oceanum continuis æſtibus agitatum hac ipſa in tela diſtinctiſſimè apparuiſſe.

TERRA PEPENDIT. Terra grauiſſimum vtiq; elementorum eſt, atque ideò, vltimo loco, circa centrum, collocata, cum nullis videatur inniti fundamentis, medio videtur in aere pendere, ponderibus librata ſuis; quod etiam innuimus, vbi de Cybele, quam & terram eſſe, diximus, agebamus. Hoc autem prouenit ex eo, quod, cum omnia grauia tendant ad centrum, terra quæ grauiſſima eſt locum centro immediatum ſibi vindicat, &, cum elementa in proprio loco quieſcant, hinc eſt, vt terra, circa centrum poſita, & quieſcere debeat, & in æternum ſtet, vt ex Geneſ. habetur, nec poſſit dimoueri; nam, licet interdum terræmotibus quatiatur, & nutet, nunquam tamen è centro diuellitur tota, &, ſi aliqua pars à centro remoueatur, iterum proprio pondere ad centrum fertur, illiq; adhæret; ideóq; à nullo indiget ſuſtentari, cum ſatis illi centrum ſit, ne ab eo dimoueatur, & vt in eo ſubſiſtat: atq; hinc eſt, vt medio pendens in aere nulli appareat innixa; *Pendere* enim idem eſt, ac *ſuſpenſum eſſe*: verbum ſcilicet à pennis auium deductum: nam ſicuti aues ita interdum librantur pennis, vt medio in aere ſuſpenſi videantur, & immoti; ita & terra ponderibus librata ſuis, vt dixi, in medio aere immota *pendere* vtiq; iure dicitur, & conſonat hoc ſacris etiam litteris, nam Prouerb. 8. habetur: *quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram &c.* Ideò aptè: *Terra pependit*. Et hæc ſunt, quæ, quo ad ſui diſpoſitionem, elementorumq; diſtributionem, Proſerpinæ texturas occupabant. Iam ad colores, aliaſque præclariſſimæ artis induſtrias deueniendum.

NEC COLOR VNVS ERAT. Informis non minus, atq; ipſum Chaos, Proſerpinæ tela fuiſſet, ſi, inſtar primæ delineamentorum ſtructuræ, gipſo à pictoribus efformatæ, vnico tota colore pollens effluxiſſet; diſtinctione enim carens confuſionem potiùs, quam diſtinctas rerum formas protuliſſet. Ideò, ad oſtendendam eiuſdem telæ perfectionem, Poeta vniformitatem, in ea, coloris fuiſſe; ac ſubindè colorum varietatem illam proſequitur, quæ, quaſi picturati operis anima, perfectiſſimam redderet rerum ſeriem depictarum, ita vt idoneè res ipſas iuxta Idæam mentis exprimeret.

NEC. Coniunctio hæc eſt diſiunctiua, quæ oſtendit, quid rei non ſit, ad hoc, vt ex re ipſa remouens quod imperfectionis fuiſſet, viam ſternat, ad perfectiones ſubindè quæ in ea fuerint exponendas.

COLOR. Græcè *χρῶμα*, nempè ornamentum, ac lumen cuiuſcumq; artis, ac, magis propriè loquendo, vnicum picturæ decus, qualitas illa eſt, quæ ſola eſt obiectum viſiuæ potentiæ, & qua res omnes viſibiles, ab inuicem, reſpectu viſus, diſcriminantur. Colores igitur appellantur pigmenta illa, quibus Pictores rerum delineant imagines. Verùm hic non ſumitur color pro huiuſmodi pigmentis, ſed pro filis coloratis, quibus Proſerpina vtebatur, ad phrygium opus contexendum; & quæ dicit, non vnius fuiſſe coloris, ad denotandum graphicè diſtinctum opus. Porrò colores, ſi ſecundùm ſe ipſos conſiderentur, duo tantum principales ſunt, nempè *album*, & *nigrum*; reliqui verò omnes *colores medij* dicuntur, quia ex commixtione *albi*, & *nigri* reſultant, ac tertium quendam colorem efficiunt, vt flauum, cæruleum, purpureum, aureum &c. quatenus magis de hoc, vel de illo participanti, ſed hoc, parum ad inſtitutum, non nobis enucleandum.

VNVS ERAT. *Vnus ineſt* legunt Parthaſ., Heinſius, & meliores quique, nec arbitror immeritò, cum procedat lectio alluſiue ad illud Ouid.

Iam rebus color vnus ineſt; tenebriſque teguntur
Omnia &c.

& inſuper magis explicat verbum *ineſt* ſtatum eorumdem in tela colorum, ac magis tempus cum ſubſequentibus conſonat; ideò *ineſt* & ego legendum arbitror, licet textum ſcribens à vulgata non receſſerit, quæ quoquo tandem modo ſaluari etiam poſſet, licet ægrè. Porrò *vnus* ab vnitate dicitur: vnitas autem, per Phyloſophos, eſt *indiuiſio in ſe, & diuiſio à quocumq; alio*. Quare, in ſubiecta materia, color vnus diceretur, qui, ſecundùm ſe, non diuidatur in plures colores, ſed immò ab omni alio colore diſtinguatur, eiuſque, in ſe ipſo, reſpuat ſocietatem. Quare idem eſt dicere: *vnus color*, ac *vnicus*, & *ſolus color*, ſine alterius coloris admixtione. *Ineſſe* verò eſt *eſſe in*; verbum per ſe notum; ideò progredior. *Ineſt telis*, ideſt *in telis eſt*.

STELLAS ACCENDIT IN AVRO. Ex priùs poſita negatione vnius tantum coloris, in Proſerpinæ tela emicantis, conſequens erat, vt colorum aſſeueraretur multiplicitas, & diſtinctio, ac, eorumdem varietate operante, concinnitas operis deſcriberetur. Quare Poeta hic, quod priùs generalibus quibuſdam vocibus expreſſerat, per partes diſtribuens, vnicuiq; parti proprium, ac proportionatum colorem oſtendit attributum.

ACCENDIT. In vſu fuit apud antiquos verbum

cando: is; pro *candeo*; atq; ex eo (quamuis obſoletum iam ſit) componitur actiuum verbum *Accendo*, quod ex præpoſitione *ad*, & *cando* coaleſcit. Dixi, hoc componi ex verbo *cando*, non verò *candeo*, quia, cum verbum *candeo* neutrum ſit, & quidem intranſitiuum, fieri paſſiuum nequit, vt ſit verbum *accendo*; at verò *cando* vſurpabatur vt verbum actiuum, & tranſitiuum, quod ſignificabat, *ignem in aliquod inducere*, ſeù inflammare, vulgò *infuocare*; vbi candeo ſignificat vulgò *infiammarſi*, *infuocarſi*. Accendere itaque idem eſt, ac *inflammare*, ſeù *ignem in aliquid inducere*. Ideò expreſſurus Poeta, quantâ artis induſtriâ, ſtellas ſuas, ſeù ſuas ſtellarum imagines, effingeret Proſerpina; *Accendit*, inquit, *ſtellas*, vt innueret, tantâ arte extructas, vt ſcintillare, ex concepto quaſi igne viderentur. Inſuper *accendit*, inquit, perſiſtens in Anaxagoræ ſententia, quæ ſcilicet, ſtellas omnes igneas eſſe, & ex puro igne conſtare, dictitaret. Tam ſimiles igitur ſtellas ſuas effingit Proſerpina, vt veras Cœlorum ſtellas imitantes, & ignitæ appareant, & ſcintillas emittere credantur. Ideò *Accendit*

STELLAS. *Stella* à ſtando dicitur, eo, quod ſint aurea illa ornamenta, quæ, quaſi faces firmamento infixæ, ingens Noctis velum intexunt, & quaſi perlucentes oculi Cœlum ipſum, nocturnum ſere Argum, conſtituunt, inferioris orbis cuſtodiæ perpetuò aduigilantem. Inter Stellam, & Sydus eadem datur diſtinctio, quam vidimus agnoſci ab aliquibus inter *Aſtrum*, & *Aſtra*, vbi explicabamus Carmen illud

Vxor erat fatus erat: Iam Nuncius aſtra tenebat.

quod ſcilicet *Stella* vnamquamq; indiuidualiter, ac ſingilatim ſumptam Cœli lampadem ſignificet, *Sydus* verò ſignum ſit ex pluribus compactum ſtellis, vt Aries, Taurus, Cancer, Gemini &c. hic tamen promiſcuè ſumitur pro ſtellis omnibus cuiuſcunq; tandem naturæ, conſtitutionis, ac diſpoſitionis ſint: Stellas autem ardentes eſſe, confirmat Virg., qui Æn. 4. hæc habet:

Vltimus Æthyopum locus eſt, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Cum igitur ardere dicantur ſtellæ, vt ipſas adamuſſim imitaretur Proſerpina iure *ſtellas accendit*, & accendit

IN AVRO. Habita videlicet alluſionem ad eumdem Virg. Æn. 2., à quo aurea dicuntur ſydera his verbis.

. . . . *Ferit aurea ſydera clamor.*

Verum ſuperficialibus ingenijs poterit hic fortaſſis videri Vates in leges peccaſſe grammaticales; nam certè, hoc loco, materiam notat, ex qua texens ſtellas conſtruxerit ſuas: Videtur autem materia, ex qua aliquid ſit, per ſextum caſum, cui *ex* præpoſitio addatur, exprimenda: Vel ſi quis diceret, materiam quidem ſignari, ſed vt cauſam poni, ad hùc dicerent Grammatici, cauſam, ſexto caſu ſine præpoſitione, non cum præpoſitione *in*, efferendam. Sed quid cum Grammaticis Vati? Dicam & ego, Poetam, hoc loco, vt eruditè, ac ſcientificè, cum Phyloſ. loqueretur, Crucem grammaticis fixiſſe, qua ſe aſſiduè diſtorquerent. Apud ſcientificos igitur certum eſt materiam tripliciter diſtingui, nempe ita, vt alia ſit *materia ex qua*; alia verò *materia circa quam*; Tertiò *materia in qua*. *Materia ex qua* illa eſt, ſeù *ex qua educitur forma*, ſeù *ex qua ſimul cum forma ſit compoſitum*. *Materia circa quam*, ea eſt *circa quam*, *vel agens naturale inducens formam naturalem*, *vel artifex inducens formam artificialem*, *verſatur*. *Materia* verò *in qua* dicitur illa *in qua ſubiectatur forma informans*. His poſitis: Aurum quidem notat Poeta fuiſſe materiam ſtellarum à Proſerpina confictarum; ſed, arcano quodam ſenſu, illud ponit, tamquam materiam *in qua* ſtellarum forma ſubiectetur ab arte. Arcanus autem ſenſus iſte, qui nam fuerit breuiter, ſic explico. Voluit Vates oſtendere, tantâ viuacitate, ac venuſtate, depictas à Proſerpina ſtellas, vt non fictæ illæ dici poſſent; ſed potiùs videretur texens, artis ſuæ induſtriâ, ex ipſo Cœlo veram ſtellarum formam deduxiſſe, atque in auro, ab ipſa, tamquam apta materia, in telis diſpoſito, veram ſtellarum formam ſubiectaſſe. Ideò, inquit *Stellas accendit in auro*, ideſt veram, ac Cœleſtem ſtellarum flammam, ideſt formam, accendit, hoc eſt ſuſcitat, & producit in materiâ Auri à ſe diſpoſitâ, vt perfectiori ars eius modo naturæ fieret imitatrix. Aurum verò, pretioſiſſimum metallorum, maximè profectò aptum fuit, ad ſtellas effingendas; nam cum hoc, in viſceribus terræ, Principis planetarum virtute efformetur, tantam luminoſæ illius cauſæ virtutem, ac luminoſæ qualitatis affluentiam contrahit, vt *aurum ab aura*, nempè à *ſplendore* dicatur ab eiuſdem lucis admiratoribus. Splendor igitur auri eſt ſplendor à Sole participatus; at, cum ardor ſyderum nil aliud pariter ſit, quam ſplendor participatus à Sole, nil mirum, ſi, ad effingendas ſtellas artefactas, aurum prudentiſſimè delegerit Proſerpina.

OSTRO FVNDIT AQVAS. Animatis auri ſplendore ſyderibus, ad exprimendas proprijs coloribus aquas, gradum facit. Videri autem hic aliquibus poteſt Vates orationem inſtituiſſe, ad morem capræ ſaltantem; & quidem audaci nimis, ac præcipiti ſaltu, a Cœlis ad mare proſiliens, Icario more. Sed hæc non dixerit, qui ſcientificam nouerit Poetæ locutionem, atq; animaduerterit figuræ diſtributionis præcepta, quæ ſcilicet præſcribunt, vt, habita alicuius rei diuiſione in partes, vnicuiq; ſubindè parti propria ſubdatur ponderatio. Diuiſerat Poeta totam orbis machinam in ſuas partes; & primo quidem Cęlum innuerat igne efformatum, ſeù certè rotatum; ſubindè inſinuauerat aquis Oceanum redundaſſe, ac tertio denique loco terrarum conſtituerat molem.

Egit flamma polum: fluxit Mare: terra pependit.

Qua diuiſione facta, picturam deſcribens iam perficiendam, pictoris & ipſe morem ſeruauit, qui rudibus primo loco delineamentis rem adumbrat, ac ſubinde viuaciori colorum perficit varietate ſingulas ſingilatim partes, accuratiori penicillo relegens, & illuſtrans. Colores igitur & Vates ſingulis partibus, ſub diſtributione contentis, additurus æquum erat, vt, iuxta ordinem in diſtributione ſeruatum, in iiſdem partibus perficiendis decurreret; cum itaque primo loco igneum poſuerit Cęlum: *Egit flamma polum*, vt primæ huic parti perfectionem adderet *Stellas accendit in auro*: Secundo autem loco cum mare poſuiſſet, exigebat ordo diſtributionis, vt illud etiam immediatè poſt Cœlum exornaret, atq; ideò ſubdit: *Oſtro fundit aquas*, gradatim procedens per ordinem io prima habitum diſpoſitione, ſeù diſtributione totius. Nec dicas in ea ipſa diſtributione ſaltantem factam fuiſſe Orationem; nam Cęlum noueris intermediarum eſſe terris, & aquis, præcipuè in eorum ſententia, qui aerem inter Cęleſtes enumerant ſphęras, illum vocantes Cęlum aeręum. Vt itaq; oſtenderet, quo modo Proſerpina maris aquas expreſſiſſet, & quam aptè; inquit

FVNDIT AQVAS. *Fundere*, hoc loco, idem ſonat, ac *ſpergere*; quo verbo vtitur ad oſtendendam picturatæ imaginis viuacitatem, quæ talis, ac tanta fuerit, vt ſpargi, & fluere, aquæ illæ, licet immobiles, cęrnerentur; ideò *fundit*, quaſi motum ipſum rei, alioquin immobili, artificioſa textricis actio dediſſet. Aquarum verò elementum notiſſimum quidem eſt; ſed quantæ perfectioois ſit non omnibus fortaſſe notum: & tamen hoc vnum cæteris omnibus elementis videtur aliquibus imperitare: terras enim deuorant aquæ, flammas enecant, aerem tranſcendunt, & ipſum ſibi vindicant Cęlum, ſaltem in eorum ſententiâ, qui Cęlum aqueum aſſeruerunt, & ſtellas ſe habere dictitarunt, quo ad motum, in Cœlo, vt piſces in aqua natantes. Vides itaque, hic Poetam alludere ad ſententiam eorum, qui mare putant eſſe elementum aquæ, vt diximus; atque huiuſmodi inferiores aquas attingere; de quibus tamen, prout Oceanum conficiunt, iterum loquetur inferius, & propriam illis ſedem aſſignabit. Vnum aduerto: non ſolum ſcilicet Proſerpinæ domum fuiſſe hieroglyphicis, vt vidimus, refertam imminentia illi portendentibus infortunia; ſed ipſam quoque ſibi hieroglyphica in huiuſmodi telis contexuiſſe: dum enim ignem & aquam delineat, nuptialia conſtruit indicia; nam nouæ olim nuptæ aquam ſumebant, & ignem: immò, cum ignem, aquaiq; æthereas fictas ſibi operaretur, ſibi ipſi portendebat, futurum, vt his ipſis contenta a vero igni, ac vera Cœlorum aqua perpetuo interdiceretur ſubterraneis regnis addicenda.

OSTRO igitur *fundit aquas*. Vides, per nomen *Oſtro* ſignari hic materiam, *ex qua* mare illud artefactum fuerit conſtructum, ideò ſexto caſu ſine præpoſitione notatam, quia per modum *cauſæ*, ſeù *modi* ponitur, vt reſpectus ad verbum *fundit* habeatur. Sed quid, inquies, Oſtro cum aquis? Nonne Oſtrum ſanies illa eſt, ſeù liquor, qui ex Murice, ſeù Conchylio exprimitur ad pretioſiſſimas veſtes inficiendas, qui & viui adeò coloris eſt, vt puras ins tari videatur purpura flammas? Quomodò igitur flammea imago, ſeù Oſtrum, aut Purpura coloribus hiſce ſuis exprimat aquas? Hoc dictum reſpondet Barth. quia Mare a Poetis purpureum dicitur, cum Virg. Georg. 4. vbi ait:

In Mare purpureum violentior influit amnis.

loquitur autem ibi de Eridano in mare prolabente. Hanc ipſam reſponſionem protulit Parrhaſius: Sed profectò allegare auctoritatem, non eſt ſoluere difficultatem; nam de eodem Virg. quæri poteſt cur, & num bene mare dixerit

pur-

purpureum. Sed quia noſtrum hic non eſt Virgilium, ſed Claudianum explicare, videamus num Auctor noſter apte dixerit: *oſtro fundit aquas*. Verùm profectò eſt quidquid in obiectione afferebatur; eamq; confirmaturus accedere videtur Virg. Æn. 4. vbi Æneæ ornatum deſcribens, ait:

. . . . Illi ſtellatus Iaſpide fulua
Enſis erat, tyrioq; ardebat murice læna.

Ardens itaq; profectò *purpura oſtrum* eſt; ſed non omne oſtrum eſt *ardens purpura*. Immò Plin. videtur diuerſitatem ſpecificam conſtituere inter Muricem, Purpuram, & Conchilium, quæ tamen omnia *Oſtri* nomine deſignantur. Noueris igitur, *Oſtrum* coloris ſui viuacitatem ex ſolaribus radijs haurire; quare prout vnaquæq; regio ex ijs, in quibus Oſtrum progignitur, plus, minuſue Solis radios ſentit: ſic Oſtrum plus, minuſue ardentem gignit; ex quo fit, vt iuxta diuerſitatem regionis, in quibus naſcitur, diuerſitatem etiam coloris induat Oſtrum, vt peritiſſimi tradunt rerum naturalium indagatores. Quare quod in Ponto, & Gallia legitur non ardet, verùm Oſtrum: ſed plumbeum potiùs quendam habet colorem: quod propè plagas oritur æquinoctiales Violaceum refert, Sydonium verò ignem ſplendoribus æmulatur. De Oſtro itaq; quod ex Ponto tranſuectum fuerit, loquitur Poeta hic, dum inquit: *Oſtro fundit aquas*. nam Oſtrum illud, licet plumbeum referat colorem, illum tamen habet relucenti quodam nitore ſuperfuſum, ita vt non tetricum illum referat, qui abſolutè plumbeus eſt, ſed plumbeum, luce, ac ſplendoribus commixtum, adeò, vt mirum nitescat in modum; atq; ideò nullus color poterat aptior reperiri ad exemplandas aquas, præcipuè vbi de magna aquarum agitur mole, quæ quidem ſub fuſco colore appareat affecta, ita vt plumbeum, (præſertim ſi de liquato plumbo loquamur) referre colorem videatur. Apparet autem id præſertim vbi radijs Solis deſtituta ſub vmbris in opaco deliteſcit; ſed tamen perlucidum aliquid ita admixtum habet, vt verè *Oſtrum* effuſum videatur; atq; ideò etiam Ceruleus mari color attribuitur, qui, ſi rectè perpendatur, nil aliud eſt, quam plumbeus color nitenti quadam luce coruſcans. Appoſitè igitur, & mire dictum à Poeta *Oſtro fundit aquas*. Adde quod interdum, ex augmento lucis, cum ſcilicet, oriente Sole, aquæ radiorum ignibus tranſuerberantur, Oſtrum illud plumbeum aquarum videtur in ignitum oſtrum commutari, vt factum videbimus initio lib. 2 ſubſequentis, cum aquæ ipſæ ſuperfuſam reflectentes lucem igneſcere quaſi edicant, & ignem euibrare. *Oſtro* itaq; pingendæ fuerant aquæ; nam, cum ſymbolum facilè mutetur in ſymbolum, aptum erit ad hanc quoq; mutationem coloris exprimendam.

ATTOLLIT LITTORA GEMMIS. Clarè oſtendit hoc loco Vates, ſe loqui, hic, de aquis illius maris, quod, citra Herculis columnas, diffunditur. nam quod vltra columnas eſt, & Oceanus dicitur, nullus olim credebatur littoribus terminari; ad quam opinionem reſpiciens Torquatus Taſſus, Hieroſ. Liber. Can. 15., cecinit:

S'il Mar qui è vasto, ou'il terreno il ſerra,
Che ſia colà, dou'egli hà in ſen la terra?

cum igitur de hoc mari loquatur, congruè littoribus clauſum effingit, ad quæ etiam confingenda texentis Proſerpinæ manus.

ATTOLLIT. *Attollere* idem eſt, ac *eleuare*, ſeù *erigere*. Vt igitur ars naturam imitaretur, neceſſe fuit, vt depreſſis aquis altiùs appareret littus; ideò ars ipſa *attollit*, ideſt *altiori operis mirginatione* [?] *ſuellat aquas*; dum littora gemmis conſtruit, ex depreſſiori vtiq; textura emergentibus.

LITTORA. Littus terra dicitur mari adiacens, quæ fluctibus alluitur, à quo etiam *littoris* ſortita dicitur nomen; ſeù, vt aliqui malunt ab *allidendo*, eo quod littoribus allidantur fluctus. Aduerte autem, maris *margines* propriè *littora* dici, fluminum verò margines *ripas* meliùs appellari; ex quo conſtat, quam proprio vſus hic fuerit nomine Vates. Ex dictis item conſtat Poetam, ſuppoſita de Coelis aqueis ſententia, voluiſſe per *fuſas Oſtro aquas*, effigiatam fuiſſe primo ſuperiorem aquam, ac deindè inferiorem, de qua hic, eodem oſtro confictam ob ſimilitudinem, cum Coeli ſpeculum dicatur mare, ex eo quod ipſius Coeli referat imaginem, & colorem. Sed nota hoc alluſiuè dictum ad eam ſententiam, non verò iuxta illam aſſertiuè, nam quid de Coelo ſenſerit aſſertiuè, patet in verbis: *Ego flammæ Polum* cum Anaxagora. Mare hic igitur ex profeſſo deſcribit effigiatum, & littoribus circumſcriptum. Ideò *Attollit littora*

GEMMIS. Gemma, propriè loquendo, oculus vitis eſt; ſed transfertur, ob ſimilitudinem, ad ſignificandum quemlibet pretioſum lapillum: & in hoc poſtremo ſenſu *Gemmam* ſumit Auctor hic. Iure autem *attollit littora gemmis*, varijs ſcilicet, & verſicoloribus, vt naturalem littorum variationem imitaretur; nam, ſi littora deſerta ſint, tanta arenarum, & lapillorum varietate diſtincta ſunt, vt verſicolorata interdum videantur; ſi alicubi gemminent, herbarum, ac florum varietate diſtincta, nobili referta enchauſto conſpiciantur, & naturalibus Floræ gemmis conſperſa: ideò & gemmarum hic fulgeant varietate neceſſe eſt: *Attollit littora gemmis*. Adde Poetam ingenioſiſſimè locutum, alluſiuè ſcilicet ad Eritræum mare, cuius littora gemmis ab ipſo mare relectis nituiſſe dicuntur.

FILAQVE MENTITOS SVBTER CÆLANTIA FLVCTVS &c. Heinſius cum veteribus, vt ipſe ait, libris, & Barth. pariter legunt: *Filaque mentitos iam iam cælantia fluctus*. Ifingr. *Curuantia* legit pro *cælantia*, vel vt alij volunt *lectantia*. Heinſius ſecutus eſt, vt video Barth. cum particulam *ſubter* immutans in particulas *iam iam*, dicat: *meritò locum ſuſpectum habuit Barth.* Sed qua ratione meritò ſuſpectum habuerit, non dicitur. Ex Barth. hanc ipſam audiamus. *Quomodo fila cælauerint fluctus, inquit ipſe, aut quomodo fluctus in mare cælare poſſint, ego prorſus non aſſequor. Latere aliquid aliud ſemper ſuſpicatus ſum. Noſter liber, cum omnibus Belgicis; Iam iam cælantia; hoc eſt quaſi modo exulantes reuocantia velut, & reducentia.* Poſita Barthij lectione, non inficior, optimam eſſe eiuſdem expoſitionem. Sed cur immutari debeat particula ſubter probatum non video. *Non aſſequor*, inquit *Quomodo &c.* vt ſupra. An, quia tu non aſſequeris, errauerit Vates, vel vulgata lectio ad mentem Vatis non erit? Sed, quod ipſe non aſſequitur, videamus, num nos aſſequi imbecillitate noſtra poſſimus, nil de vulgata immutandum arbitrati. Magis itaque adhuc amplificat Poeta excellentiam artis, qua Proſerpina telas animauerit ſuas, quamue tantæ perfectionis fuiſſe inſinuat, vt facilè ſenſus ab ea decipi potuerit, & credere ea fluctuare, ac murmur edere, quæ tamen omninò muta, ac immobilia eſſent. Pulchriorem difficile arbitror hypotypoſim inuenies; ſed tanto dignam Auctore miraberis, ſanè

ET FILA. Filum dicitur quod ex lino, lana, aut quacumque alia ductibili re, trahendo, ducitur: & quoniam huiuſmodi filis vtuntur textrices omnes; ideò appoſitè hic fila poſuit Vates, nempe fila illa, quæ oſtro intecta, deſcriptum iam mare effingebant.

CÆLANTIA. Participium hoc eſt à verbo *Cælo*, quod propriè, & iuxta dicta à Barthio idem eſt, quod abſcondo. Sed, quod Barthius non animaduertit, ſignificat etiam *ſcalpro imprimere*, & translatè ſumitur ad ſignificandum quidquid cælati operis induſtriam imitatur. Dicuntur itaque *cælantia fila* duplici ex capite, primo quia veri non erant in tela fluctus, ſed ſub quaſi Anaglyptis, vulgò *rilieui*, filorum videbantur contegi, & abſcondi, ita vt vi occultatorum ſub ſe fluctuum fila ipſa intumeſcere viderentur coacta. Secundo quia eadem fila, anaglypticè diſpoſita, impreſſos in ſe ipſis deferre fluctus viderentur, atq; vndarum in vortices contorqueri, ac fluctuare, inſtabili ferè affecta fluctuum motu.

FLVCTVS. A fluendo dictus quidem eſt fluctus; ſed à fluxu quodam agitato, ita vt, dum in vnam partem vertitur, in ſe ipſum etiam retrogradus conuertatur, atq; ideò in altum, quaſi in ſe ipſo intumeſcens erigatur. Vno verbo moles aquæ eſt ventorum viribus concitatæ, qualem in mari ſæpe ſæpiùs vidimus nimis interdum extolli, ac nauium latera vndarum arietibus concutere.

SVBTER. Ideſt ſubter ſuorum metipſorum ſinus turgeſcentes quos Ars, fila ex compoſito ſinuans, effecerat, quaſi ſub illis iactantes venti cælarentur, qui fictarum oſtro aquarum ſinus intumeſcere cogerent, & fluctuare.

TVMENT. *Tumeo* idem eſt, ac *Protubero*, ſeù *inflor*, quo verbo propriè denotantur vndæ, ex immiſſis ventorum flatibus inflari, ac protuberantes inſurgere. Ex quo vides, quam propriè deſcribat Vates, hoc verbo, & prominentias, & depreſſiones vndarum, quibus procul dubio conſtat fluctuatio, quæ nihil aliud eſt, quam concitatarum aquarum notabilis inæqualitas. Tument igitur & fila fluctus imitantia; ſed, ne ventos ibi credas inflantes adeſſe, tamen

ARTE. Ars eſt recta ratio factibilium, & quidem multiplex, cum alia ſit actiua, alia factiua; & iterùm actiua ſubdiuidatur in tot ſpecies artium, quæ in ſola ſiſtunt actione, nec

opus factum relinquunt, vt ars ſaltatoria, cythariſtica, luctatoria &c. Et iterum factiua ſubdiuiditur in tot ſpecies artium, quot ſunt illæ, quæ relinquunt opus factum, vt pictura, ſculptura, ſutoria &c. Hic certè de arte factiua loquitur, nempe de arte phrygia, ſeù acu pingendi; cuius artis vi fluctus illos, per tumeſcentia fila, expreſſos, exactè adeò, oſtendit, vt veri fluctus eſſe, ac fluctuare, videantur, adeò vt neceſſe habeat videns, vt admoneatur eos mentitos eſſe, ne facilè recipiatur; & hac profectò de cauſa addit Auctor ipſe fluctus eſſe

MENTITOS. A verbo mentior, quod interdum ſignificat *fingere, ſimulare, & velle videri eſſe id, quod non eſt*. Simulatos igitur admonet eſſe fluctus illos, qui facile obiiceant, vt veri, videantur, licet non ſint; adeò veros adamuſſim fluctus imitantur.

CREDAS ILLIDI &c. Oſtendit hic Poeta cumulatum à Proſerpina opus ſuum illis accidentibus, ſeù eorum accidentium expreſſionibus, quæ circa mare ipſum, maximo interdum naturæ luſu, conſpiciuntur. Et, quia ſæpe, vbi vadoſum maximè mare eſt, iuxta littora, naſcitur Alga, quæ ſubindè, refluo mari agitata, in vicina ſaxa impellitur, & alliditur; hoc ipſum à Proſerpina graphice expreſſum, ſumma concinnitate, deſcribit.

CREDAS. Perſiſtit in eadem amplificatione excellentiæ artis, exactè adeò naturam imitantis, vt facile decipere poſſit incautos; ideò *credas*, inquit, nempè, ſi viſui fidem præbeas, & mente decipieris, vt *credas*.

ALGAM. Excrementum hanc vocat maris Parrhaſ, vulgò notum, quod tranſmarinis vitreis inſeruitur. Clarius herbæ genus eſt Alga, quod in aquis naſcitur maris; Alga dicta, quaſi *alliga*, quod pedes *alliget* eorum, qui vada, vbi ea ſit, pertentant. Herba autem eſt craſſa, folijs oblongis, & ex parte ſupernatantibus. Hanc etiam ficto Proſerpinæ mari additam, ac viuis adeò coloribus expreſſam inſinuat, vt & ſupernatare fluctibus videatur, & iiſdem ad cautes

ALLIDI. *Allidere eſt impingere, & contra aliquid iacere*, ſeù *impellere*, vt vere euenit Algæ, quæ, cum, vt plurimum, propè ſaxa, ac ſcopulos enaſcatur, vadis in ſaxa ipſa impellitur, & contunditur; quem motum Algæ ſuæ à Proſerpina datum credideris, inquit, Vates, ſi telam, in qua efficta eſt, inſpexeris.

CAVTIBVS. Cautes dicuntur ſaxa aſpera, & abrupta, vt propriè ea ſunt, quæ fluctibus maris obiecta, continua vndarum repercuſſione excauantur, & aſpera, abruptaque redduntur. Simulatis igitur, & cautibus, appoſite in tela diſpoſitis, Algam aquarum fluctibus allidi deſcribit, vt videas nil perfectionis deeſſe textrici, quæ res tam viuide repræſentet, vt actiones, motuſq; inſpicias.

ET RAVCVM BIBVLIS &c. Idoneum ad fallendos oculos Proſerpinæ deſcripſerat opus, iam & ad auditum extendit ſubdens: *Et*, ſubintellige *credas*, nam ab eodem verbo hoc quoq; membrum regitur orationis per fig. adiunctionem; Hoc autem idem eſt, ac ſi dixiſſet: *Egregiè adeò expreſſa eſt vndarum ad littus fluctuatio, vt, licet non audias, attentæ aures erigantur, quaſi obmurmurantes, alliſione, fluctus ſint percepturæ; nec facile ſibi perſuadere poſſint, cur non audiant, cum iam tam audire videantur.*

RAVCVM MVRMVR. Quid raucum ſit iam vidimus ad Carmen. . . . . *Cen turbine rauco &c. Murmur* verò nomen innouatum eſt, ſed ex genere illorum, quæ, longo vſu, obtinuerunt, vt iam non ampliùs, vt innouata, conſiderentur, ſicuti etiam eſt *mugitus, ſibilus &c.* propriè autem ſignificat *leuem aquæ ſtrepitum*, licet pro quocunque alio leui ſtrepitu vſurpari conſueuerit. Cum igitur maris vnda placidè littus adlambit, fluctuans tamen, ſubmiſſum, ac depreſſum quemdam efformat ſonitum, arenis ipſis refracta, quem murmur appellarunt; ſicuti, vice verſa, clariorem illum ſonitum, qui ab Alto tempeſtatibus concitato editur, *fremitum*, ſeù potiùs *fragorem* appellant. Hoc itaq; murmur audire te credas, inquit, ex mentitis his fluctibus Poeta. Et nota cum Barthio artificioſiſſimum Carmen, quod mirificè *inſerpentem arenis rivum*, exprimat ipſo murmure litterarum.

INSERPERE. Verbum id eſt compoſitum ex præpoſitione *In*, & verbo *ſerpo*, quod eſt *in ventrem gradior, more ſerpentium incedo*; tranſlate tamen etiam de rebus dicitur inanimatis, vt certè, vbi tamen tranſlatio talis eſt, vt nullum fortaſſis verbum aptiùs, aut efficaciùs inueniri potuiſſet, quo meliùs Poetæ exprimeretur conceptus; Vera enim vnda, per planitiem oppoſiti littoris, ad certum vſque ſpatium ita dilabitur, vt ſinuoſis fluctibus, ac flexibus videatur ſerpentum greſſus æmulari, &, ſicut ſerpens, per anguſtas quantumuis rimas, ac foramina ſe ſe lubricè inſinuare. Quarè & effictam à Proſerpina in telis vndam hoc verbo exprimit Vates per rimas intercedentes inter gemmas, quibus littora conficerentur, ita ſe inſinuantem, tortuoſis vtique flexibus, vt videatur ſerpentis induiſſe naturam. Aptiſſimè igitur *Murmur inſerpere*, inquit, quandoquidem *Murmur* poſuit pro vndis ipſis obmurmurantibus; effectum, nempè more poetico vſurpans pro cauſa.

ARENIS BIBVLIS. Præpoſitio, quæ huic caſui inſeruire deberet in verbo ineſt *inſerpere*, quod idem eſt, ac *ſerpere in*. Sed hic maior à Grammaticaſtris quibuſdam inſurgere poteſt difficultas; nam verbum *inſerpere* verbum *motus ad* profectò eſt, quarè debuiſſet Vates dicere *bibulas arenas*, non *bibulis arenis*, quandoquidem *motus ad* quartum, non ſextum poſtulet caſum. Proh quanta, & quot cum huiuſmodi Cicadis lites? Eſto verum ſit, quod de *motu ad* obiicitur, Nonne præpoſitio *In* & quarto, & ſexto caſui communis eſt? Aſt quoties ſuo more loquentes Poetæ, cum præpoſitio adeſt communis, vtroq; indiſcriminatim pro libito, vtuntur caſu, nullo habito ad motum reſpectu, Perlege Virg. & centenis hoc ipſum in locis videris vſurpatum. Sed demus Grammaticis (vide quantum largiar) demus hoc perperam ab alijs, & contra regulas grammaticales factum. An in eaſdem regulas peccauerit hic Claud.? Minimè: nequaquam. Ad intelligentiam memineris, non ſolum in loco ſtatum, ſed & motum haberi; nam ſi dicam *ambulat in Ciuitate* optima, per grammaticos ipſos dictio eſt, quia quantumuis *ambulans* à loco ad locum progrediatur, & per diuerſa loca agitetur; in Ciuitate tamen perſiſtit ſemper. Sic itaq; vnda, de qua hic, licet in diuerſa per arenam ſerpat, ſemper tamen ſuos agitat motus *in arenis* atque ideò optimè dici potuit: *Inſerpere murmur arenis*. Arenis vtiq; fictis ficto mari appoſitis, ſed quæ egregiè adeò ſint efformatæ, vt veras imitatæ abſoluto Arenarum nomine, iure meritò deſignentur. Arena autem ſcaber eſt, licet tenuiſſimus puluis, & ariditſſimus, ita vt ab ariditate ipſa ſua nomen ſortitus fuerit Arenæ; atque hic ideò puluis pluriſmum ebibit aquæ; & idcircò *Bibulam* vocat arenam Auctor; nam *Bibulus* dicitur, qui multum bibit, Deniq; bibulas Vates has vocauit arenas, vt oſtenderet, præſtantiam artis affabre adeò, in efformandis arenis ſuis imitatam eſſe naturam, vt, licet fictæ eſſent arenæ, ficti fluctus &c. hos tamen ebibere, & abſorbere viderentur arenæ illis eiſdem omnino madefactæ, ac imbutæ.

ADDIT QVINQVE PLAGAS &c. Poſt expreſſam maris fluctuationem, vltimo diſtributionis loco terram poſuerat: *flauet mare*; ac deniq; *terra pependit*. Quarè hic, quod proprium huius partis eſt, aggreditur delineare, ſeù potiùs delineatum à Proſerpina per partes exponere ſimul, ac expendere.

ADDIT. *Addere* idem eſt, ac *adiungere*, quod videtur importare paritatem, ſaltem quo ad locum, rei additæ, & rei, cui additur; nam *iungere ad* videtur importare æqualitatem quamdam contiguitatis inter res, quæ ad inuicem iunguntur, vt nec vni altera, nec alteri vna præſtet, quo ad locum, hoc eſt, ſit loco altior, licet altior eſſet dignitate. Ideò addi propriè dicitur de Comitibus, qui ſe alteri, vnione videlicet amicitiæ addunt Comiti, nam vera lex amicitiæ difficiliùs, niſi inter æquales, firmatur. Cum itaque, Poeta mare illud à texente effictum deſcripſiſſet, terram iam ab eadem confictam deſcribere aggreſſurus, optimo quidem iure, *Addit*, inquit, vt innueret, ita in Proſerpinæ telis diſpoſitum Mundi globum fuiſſe, vt mare, ſimul cum terra vnicum conficerent globum, non quidem mathematicè, ſed phyſicè rotundum, ex quo fieret, vt nec aqua depreſſior terra ſaltem notabiliter; nec terra depreſſior exiſteret aquis: atq; ideò de rebus, æquali in loco diſpoſitis, agens, *Addit*, inquit, efformato mari.

QVINQVE PLAGAS. Antequam explicationem proſequamur aliqua ſunt, ad intelligentiam, præmittenda. Aduertendum itaque, totam hanc creati machinam ſphæræ nomine deſignari; quæ maxima ſphœra tamen iterum in duas partes diuiditur, quarum altera *globus terreſtris*, ſeù ſphœra geographica dicitur, in qua totius terræ diuiſio, ſitus, climata &c. delineantur; altera eſt quæ *globus* dicitur *cæleſtis*, ſeù ſphœra aſtronomica, in qua Cœlorum delineamenta, circuli, conſtellationes, Aſteriſmi ſtellarum &c. exprimuntur exarata. Conſentaneè tamen adeò vtraque harum procedit ſphœrarum, vt *globus terreſtris* correſpondeat,

deat, quo ad totalem ſui diuiſionem, diuiſionibus *Cœleſtis globi*: ex quo fit, vt, ad dignoſcendam terreſtris globi diuiſionem, neceſſe ſit, Cœleſtis prius ſphœræ partitiones indagare. Sphœra igitur per varios diuiditur circulos, quorum alij *principales*, alij *minus principales* dicuntur. Hic ſatis ad inſtitutum erit principales indicare, quorum primus Horizon Mundum circumcingens, & tranſiens per quatuor puncta cardinalia, nempè Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, cuius centrum eſt centrum ſphæræ, circumferentia verò in conuexa ex Cœli parte, quæ ab oculo in orbem ducto circumquaq; cerni poſſit, niſi interpoſitum aliquod obſtaculum prohibeat: Secundus eſt Meridianus medium ſecans Horizontem per puncta Septentrionis, & Meridiei, ita vt Horizontem diuidens angulos cum ipſo rectos, in punctis diuiſionis efficiat: Tertius eſt Æquator, ſeù æquinoctialis, circulus maximus, mobilis, & ſingularis, ad quem cum Sol peruenit, efficit vbique terrarum æqualem nocti diem; ſecat Meridianum ad angulos rectos, Horizontem verò modò rectè, modò obliquè in punctis Orientis, & Occidentis; eius centrum eſt centrum terræ, Poli verò ſunt Poli ſphœræ, quorum vnus ab Arcto Arcticus, ſeù, à plaga Septentrionali, Septentrionalis, ſeù à Borea Borealis dicitur; alter verò Antarticus appellatur, quia directè ex diametro oppoſitus Arctico eſt. Duo inſuper alij circuli ſunt, qui Coluri dicuntur, tranſeuntes per quatuor puncta cardinalia Eclipticæ, ſeù Zodiaci (Zodiacum inter circulos non enumero, quia potius Zona eſt, vel Armilla, quam Circulus, qui non habet vt illa latitudinem.) Alter eſt Colurus ſolſtitialis tranſiens per initium Cancri, & Capricorni. Alter Colurus æquinoctialis, tranſiens per initium Arietis, & Libræ. Vlteriùs Tropici duo minùs principales Æquatori paralelli diſtantes ab æquatore vigintitres gradus, additis minutis vno, & triginta. Vnus autem vocatur Cancri, alter Tropicus Capricorni; ille tropicus æſtiuus, iſte hyemalis; centra eorum ſunt in plano circuli, ideſt extra centrum ſphœræ; Poli verò ſunt Poli ſphœræ. Alij duo circuli ſunt Polares dicti, æquatori, & tropicis paralelli, à Polis Mundi tantum diſtantes, quantum Tropici ab æquatore; Centra eorum ſunt in Plano circuli; Poli ſunt Poli ſphœræ, alter dicitur Arcticus, alter Antarticus, ſeù Borealis ille, hic verò Auſtralis. Innumeri propemodum ſunt & alij circuli in ſphœra; ſed hos tantum enumeraſſe ſatis ad inſtitutum eſt, vt patebit. Sciendum itaq; dari, præter hos circulos, in Aſtronomica ſphœra, Zonas quinque, quæ nil aliud ſunt quam faſciæ, ſeù lata cingula, quæ totum Cœlum, ac terram circundant. Vna earum vocatur *Torrida*, quæ ſcilicet continetur inter duos *Tropicos*, ſupra enumeratos; totum enim illud ſpatium, quod inter vtrumque Tropicum dilatatur, & protenditur, *Zona* dicitur, & quidem Torrida, eo quod nimio æſtu torrens, hoc eſt ardens, videatur; per hanc enim, bis in anno, Sol decurrens maximis eam complet ardoribus. Latitudines verò quæ ſunt inter *Tropicos*, & *Polares*, altera ſcilicet verſus Arcticum, altera verſus Antarticum, *Zonæ* dicuntur pariter, ſed *Temperatæ*, mediæ ſcilicet inter calorem, & frigus; cum enim mediæ ſint inter *Torridam*, & *Frigidam*, nil mirum ſi de extremis participantes fiant *Temperatæ*. Duæ denique ſunt *Zonæ frigidæ* à circulis polaribus comprehenſæ, ad quas cum aut nunquam, aut vix Sol pertingat, ideo frigidiſſimæ remanent. Hanc autem ipſam inter Zonas Cœleſtes diuiſionem expreſſit Virg. Georg. pri.

Quinq; tenent Cœlum Zonæ quarum vna coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextra, læuaq; trahuntur,
Cæruleæ glacie concretæ, atq; imbribus atris,
Has inter, mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Diuûm, & via ſecta per ambas
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.

Hoc poſito, cum iam diximus diuiſionem ſphœræ terreſtris correſpondere diuiſionibus ſphœræ Cœleſtis, conſequens eſt, vt terra ipſa in quinque plagas diuidatur, hoc eſt in quinque partes, ſeù regiones diuerſas, diuerſis Cœli Zonis ſubiectas, ac correſpondentes: atq; hanc ipſam diuiſionem, ac correſpondentiam attigit itidem egregiè Virg. Æn. 7. dum inquit:

. . . . *Et ſi quem extenta plagarum*
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.

Arbitrabantur itaq; Antiqui regiones ſub Zona torrida, ac ſub Zonis frigidis poſitas inhabitabiles eſſe; illa ob nimium ardoris æſtum; hæ verò ob nimiam frigidiſſimi Cœli inclementiam, quod videtur innuiſſe etiam Hor. lib. 1. Carm. Ode 22. ad Atticum, vbi hæc habet:

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreatur aura,
Quod latus Mundi nebulæ, maluſque
Iupiter vrget.
Pone, ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata &c.

Verum noſtris hiſce temporibus compertum eſt, vt notat eruditè Franciſcus Vicomer. in 2. Meteor., has etiam regiones non ſolum habitabiles eſſe, ſed de facto habitari, niſi vbi maria effuſa habitationes impediunt, ac prohibent. Sed quidquid de hoc ſit; nos ad plagas à Proſerpina contextas, ne nimium diuagemur, redeamus. Maribus itaq; expreſſis *Addit* illa, & rectè.

QVINQVE PLAGAS. Ideſt terram totam in quinque diuiſam partes; ita vt quinque Zonis, ab eâdem in Cœlo prius efformatis, ſubiectæ correſpondeant. *Plagæ* enim, prima ſyllabâ correptâ, dicuntur *ſpatioſiores quidam tractus*, qui, ſi conſiderentur reſpectu Cœli, *Climata*, ſeù *Zonæ* appellantur; ſi verò conſiderentur reſpectu terræ, Regiones ſunt ſub diuerſo Cœli Climate conſtitutæ. Et ita oſtendit Poeta eruditam texentis peritiem, quæ correſpondentiam diuiſionis terræ cum diuiſionibus Cœli comparatam, adæquatamq; non neglexerit, ſed immò exactiſſimis expreſſerit imaginibus.

MEDIAM SVBTEGMINE RVBRO &c. Poſita diuiſione terræ totius in plagas quinque; iam vnicuique Plagæ proprios attributos fuiſſe indicat colores, vt vniuſcuiuſque proprietas emicaret in telis. A regione autem Aduſta, nempè ab ea parte orbis, quæ ſub torrida Zona eſt, explicare aggreditur: Et hanc vocat *Mediam* imitatione Virg. ſupra cit. qui *mediam*, inter temperatam, ac frigidam vtrimq; poſitas, collocatam Zonam torridam appellauit; nam ſi illa medium obtinet ſphœræ Cœleſtis, & ideò media dicitur; ſic regio illi correſpondens in globo terreſtri, medium globi occupabit alijs vtrinque ſtipata regionibus ſub temperata, ac frigida collocatis, ideò iure Vates appellat *Mediam*

SVBTEGMINE RVBRO. Nil aptius rubro colore ad exprimendos ardores, ac præcipuè, ſi de ardore excellenti ſermo ſit; ex quo factum, vt etiam Ouid. fulminis flammas, ſeù fulmini ſimiles, rubras vocet, dum ait:

Fulmineas rubra ſuffuſus lumina flammas.

ideò Auctor ſcelectum à Proſerpina rubrum colorem inſinuat, ad exprimendum ardorem, quo regio illa aduſta, mirum in modum, obſidebatur. *Subtegmen* verò filum dicitur illud, quod inter ſtamen decurrit, vulgò *la trama*; ſubtegmen igitur intulit, vt materiam notaret, ſed rubrum effecit, vt Torridam referret Plagam. Alij disiungunt dictionem hanc, & legunt *ſub tegmine*; nec improbo; nam tegmen à tegendo dicitur, quaſi tegimen, Rubro ergo ſub tegmine dicetur Plaga ſub rubris vndiq; filis quaſi ſub flammis langueſcens; & *rubro* verum *ſub tegmine*, quia tegitur ſupernè ab ardoribus Zonæ Torridæ, cui correſpondet ſubiecta: ſed meliùs tamen duxi *ſubtegmine* legendum, nam explicatur modus, ſeù materia, quo effigiata, & ex qua conſtructa fuerit hæc Plaga, quam

NOTAT OBSESSAM FERVORE. *Notare* autem eſt *notam aliquam*, ſeù ſignum, *alicui rei apponere*; quarè idem eſt *notat*, ac *ſignat*, vt ſigno appoſito, ſubtegminis ſcilicet rubri, omnes Torridam eam eſſe plagam agnoſcerent. *Obſeſſam feruore*. Inter verbum *obſideo*, & verbum *obſido*, hoc intercedere dicitur quod *obſido* importet motum, quo obſidio inferatur, ſeù quo alicui obuiam itur, vt detineatur ab aliqua eruptione, & conatu; Obſideo autem importet ſtatum, & quietem, hoc eſt permanentiam obſidionis opprimentis. Deducit igitur Vates particip. illud *obſeſſam*, non ab *obſido*, ſed ab *obſideo*, vt denotet permanentiam caloris regionem huiuſmodi perpetuò obſidentis; &, quia obſidio, cum prohibeat ingreſſum annonæ ad obſeſſos, penuriam rerum omnium illis gignit, donec vel ad turpem eos deditionem, vel ad relinquendam, quoquo tandem modo poſſint, obſeſſam vrgeat vrbem, ſic ideò Vates regionem illam dicit obſeſſam à calore, vt eam oſtendat ſterilem, ac omnium inopia laborantem, ac conſequenter inhabitabilem, iuxta antiquorum opinionem; nam certè copia allicit, inopia eijcit incolas. *Feruor* autem, quo obſeſſa dicitur, nil aliud eſt quam nimius calor, ex nimio Solis æſtu proueniens. Quarè non potuit Proſerpina hanc regionem efferueſcentem effingere, & aduſtam, quin in ſupraposito Cœlo prius expreſſerit ardentem Zonam illam torridam, quæ ni-

nuo

mio Solis æſtu perpetuo aduritur, quod à Proſerpina peractum, oſtendit Vates, dum Plagam dicit *obſeſſam feruore*; *obſidere* enim dicit; *hoſtilem parte aliquam ab extrinſeco obſidente premittentem*; ergò mantis quæ regionem *obſeſſam* pinxerit, certè & hoſtem ab extrinſeco obſidentem, hoc eſt Zonam torridam debuit pinxiſſe. Ex quo vides non fuiſſe, ob hoc, cur diſtingueretur illa dictio *ſubtegmine* in *ſub tegmine*.

SQVALLEBAT ADVSTVS &c. Deſcribit, more ſuo, hanc partem torridæ ſubiectam Zonæ, per hypotipoſim, vtiq; egregiam, qua etiam mirè attollit excellentiam artis, ſeù potiùs artem exercentis.

LIMES. Non ſemper terminos ſignificat *Limes*, ſeù alicuius ſpatij confinia; ſed ſæpè ſæpiùs, vt hic viam ſignificat certis limitibus vtrinq; terminatam. Inſuper *limes* non quamcumq; viam ſignificat, ſed viam quamdam latiorem. Quarè cum Zonæ conſpicuam habeant latitudinem, & conſequenter hac latitudine carere non debeat regio Zonis commenſurata, hinc eſt, vt ſpatium illud terræ *Limes* à Poeta appelletur, tum vt deſcribat eius in longum protenſionem, eiuſdemq; latitudinem, tum vt oſtendat, eamdem latitudinem clauſam limitibus, nempè iis regionibus lateralibus, quæ Zonis temperatis hinc inde ſubijciuntur.

ADVSTVS. A verbo *aduro* partic. eſt, nil plus, quam *vſtus*, ſignificans, hoc eſt nimio ardore inflammatus, ita vt videretur vehementi combuſtione deuaſtatus: vulgò *Arſo*; ex quo patet, limitem illum, ſeù innitatam illam terræ partem, effectam à Proſerpina fuiſſe ſterilem, aridam, deſertam, inhabitabilem, iuxta antiquorum opinionem. Ideò

SQVALLEBAT. *Squalleo* verbum eſt à ſquammarum crebritate, & aſperitate deductum; olim ſiquidem de omnibus iis dicebatur, quæ dura eſſent, denſa, & rigida, ac ſquammarum ſimilitudinem imitantia; atq; hinc eſt, vt diceretur etiam de rebus, alioquin pretio fulgentibus, & in admirationem rapientibus, ob pretioſitatem, ſeù ob nimium, quo aſperarentur, aurum. Sic Virg. *Tunicam auro ſquallentem* dixit; & auro ſquallentem, alboq; Orichalco, circumdat loricam humeris &c. Poſteà tamen vſus inualuit, vt tantum in deteriorem partem vſurpetur, iiſq; applicetur rebus, quæ inculta ſunt, & deformia, atq; horrore quodam turpiter ſuperfuſa; & in hoc ſenſu vſurpatur hîc à Poeta; nam, cum terra nimio Solis æſtu aduritur, ex vehementi nimis calore, non ſolum viridi priuatur Enchauſto, & ſemina enecantur omnia, vt ſterilis omninò fiat; ſed etiam ſuprema terræ cutis, eâdem caloris vi, à cætero terræ corpore abſtrahitur, ita vt, per ſciſſuras, in varias fruſtatim cruſtas diuiſa, in ſquammas abiiſſe videatur, quibus tota aſperetur tellus, & rigida omninò appareat. Ideò itaque *ſquallebat*, inquit Vates, vt eximiam oſtendat texentis peritiem, quæ hæc omnia adeò nouerit imitari, vt vera cerni viderentur.

ET ASSIDVO SITIEBANT STAMINA SOLE. Vide quam altè aſſurgat Poeta hic, dum ſitis paſſionem rebus attribuit vtiq; incapacibus, vt ſic oſtendat, quam egregiè texens aduſtam hanc terræ partem expreſſerit.

STAMINA. Stamen dicitur quidquid in colu, vndè fila ducuntur, poſitum eſt, à ſtando; quod non moueatur niſi manu in fila ducatur. Verum ſequitur hic Poeta, vt video, opinionem Sipontini, qui ait, ſtamina etiam dici fila recta, in opere textorio, & ſtabilia, per pectinem tranſmiſſa, quibus, alia, quæ tranſuerſo intexuntur, ſubtegmina vocantur. *Sub tegmine rubro* textam fuiſſe aduſtam hanc plagam dixerat ſupra; hîc *ſtamina*, quæ *ſubtegmine rubro* obſidebantur, indicat arida, ac ſitientia cerni, ſi oculo credas; ac ſitim in cernentibus ipſis ariditate ſua producere.

SITIEBANT. Hyperbolicum profectò verbum eſt; ſed mirè oſtentans artis excellentiam, quæ non ſolum actiones, vt ſupra oſtendimus, ſed etiam paſſiones nouerit imitari; *Sitire* enim eſt *ſumma affici ſiccitate, ac humidum in tanta paſſione refrigerium vehementer appetere*. Sic terra, nimia ſiccitate hiſcens in rimas, ora dilatare videtur, quibus aquam è Cœlo appetat, & imploret; quem effectum, & affectum expreſſum à Proſerpina in torrida ſua Plaga mirè exprimit vnico hoc verbo Vates: *Stamina ſitiebant*

ASSIDVO SOLE. Notat hic Vates non ſolum effectum ſitis in terra, poſita ſub Zona torrida, expreſſum à texente fuiſſe, ſed etiam talis paſſionis cauſam, in ipſa extantem Zona, nempè aſſiduitatem Solis, hanc Zonam, ac ſubiecta illi omnia inflammantis: Aſſiduus enim dicitur qui frequens, qui continuus, qui diligens in aliquo eſt opere; & pro eodem accipitur, ac *iugis*, & *perennis*. Cum igitur Sol hanc maximè Zonam frequentet, ideò & illi aſſiduus dicitur. De *Sole* plura dix. ad Carm.

Tenuit ſeruent præcordia Phœbum.

Item ad Carm.

Quod mittebat Laciniæ furia &c.

& ad Carm.

Mero clypeo melior Phœbus præſtantior arcu.

nam Sol, & Phœbus, & Apollo, & Delius, & Cynthius appellatur. Quarè, ne fabuloſa de eo dicta iam repetam, Sol Planetarum omnium Princeps eſt, fons lucis, & caloris, ac primus poſt Deum Auctor, auctor cuiuſcumq; generationis, ita vt, eius ſpectata pulchritudine, aliqui, Deum ipſum eſſe, putauerint decepti. Eſt ille fax quidem Cœli, & luminare illud maius, à Deo, vt Diei præeſſet, creatum: & flammanti curru vehi per duodecim Zodiaci ſigna dicebatur: Immò Sol ipſe igneus Anaxagoræ eſt, cum illum candentis ferri maſſam appellauerit. Nil itaq; mirum, ſi, quemadmodum temperatis ignibus fauet, & recreat, ita iis exuberantibus areſaciat, vt de ſubiectis torridæ Zonæ regionibus ſatis iam dictum.

VITALES VTRINQVE DVAS &c. A deſcriptione Zonæ torridæ, ac regionis illi ſubiectæ, tranſit ad deſcriptionem earum, quæ, ex vtraq; parte laterali torridam claudentes, temperatæ dicuntur; & regiones pariter illis ſubiectas oſtendit à Proſerpina delineatas.

VTRINQVE. Hoc eſt *hinc*, *inde* ab vtroq; latere poſitas ſubintellige verbum ſuperius *Nonas*

DVAS. Intellige *Zonas* reſpectu Cœli; *plagas* reſpectu terræ ſubiectæ; nomen enim *Duas* ſatis notum.

VITALES. Vitale dici aliquid poteſt vel formaliter, vel quoquo modo cauſaliter. Vitale formaliter, eſt quidquid vitam habet in ſe, nempe formale principium actionis vitalis, & in hoc ſenſu vitale dicitur, & quod actu viuit, & quod diù viuere poſſe ſperatur: Sic dicimus partum octauo menſe editum non eſſe vitale, non quia actu non viuat, ſed quia futurum vt diù viuat non ſperamus: & in hoc ſenſu formali certè vitales, aut Zonæ, aut regiones eſſe nequeunt vt patet. Vitale cauſaliter eſt quidquid quomodocumque confert ad vitam vel producendam, vel conſeruandam &c. Sic Virg. Æn. 1. auras vitales vocat, quia ad conſeruandam conferunt vitam per reſpirationem.

Quiſquis es, haud credo inuiſus Cœleſtibus, auras
Vitales carpis &c.

Cum itaq; attemperata Solis vis maximè conferat ad rerum omnium, ac præcipuè vegetantium vitam, quibus terræ fœcunditas in vberrimam meſſem excreſcit; hinc eſt, vt eas plagas, quæ ex vtraq; parte torridæ terreſtrem orbem circumambientes Zonis temperatis ſubduntur, ac temperatæ dicuntur, & ipſæ *Vitales* appellet Vates, vt iuxta antiquorum opinionem has duas tantummodò plagas iudicet habitabiles, cum vitam foueant iſtæ, vbi e contra Torrida, & frigidæ vitam enecare credebantur.

QVAS MITIS &c. Sicuti torridam, proprio ſigno aduſtionis, notauerat Proſerpina, ſic has duas notaſſe, enarratur, proprio ſigno iucunditatis, ex miti illius Cœli temperie prouenientis. *Quas* igitur ad Zonas refertur reſpectu Cœli, ad Plagas verò reſpectu terræ.

OBERRAT: Ideſt per omnes partes diſcurrit ita, vt nulla pars ſit, quæ eadem temperie non fruatur, eiuſdemque ſentiat effectus. Sed verbum actionem ſignificat texentis virtutem amplificat, quæ hanc ipſam Soli amœnitatem, iucunditatemque, vel mentitis expreſſerit coloribus.

MITIS TEMPERIES. *Mitis* eſt idem, ac *placida*, *tranquilla*, *blanda*, atque *humanis vſibus apta maximè*. *Temperies* verò propriè Cœli *ſtatus*, ac *temperamentum* dicitur, & quidem, cum dixerimus duas haſce Zonas participare & de torrida, & de frigidis, nil mirum, ſi, ex commixtione earum qualitatum, ita attemperetur earum natura, earumque tractus, vt placidiſſimæ ſint, & ad vitam maximè conferentes. *Temperies* igitur à temperando dicta hunc mixtionis tranquillum explicat modum: & quia Plagæ talibus Zonis ſubiectæ Zonis ipſis correſpondent, nil mirum, ſi placidiſſima Cœli temperie influente, miti ipſæ etiam temperie fruantur, ideòq; omninò fertiles, ſuaues, iucundæ ſint.

HABITANDA VIRIS. Non vtiq; temperies habitanda fuerat, ſed locus, temperie illa fœlix redditus, quarè ponitur contentum pro continente. Si tamen hanc temperiem ad aerem referas, ita vt nil aliud ſit, quam aer temperatus, tunc locutio propria erit, nam verè cum aer ambiat corpus, conſequenter ſit eius locus, inhabitari etiam dici poterit; habitanda itaque, dixit, vt clarius exprimeret, has

tantum

tantum plagas datas eſſe, vt habitarentur ab hominibus, cum reliquæ feris tantum habitacula præbituræ viderentur. Ideò aperte inquit *habitanda viris*.

TVM FINE SVPREMO &c. Erraret qui, hoc loco, arbitraretur, per finem ſupremum, vel finem intelligi totius textorij operis, vel extremum telæ ad latus, marginem; conſtat enim certè non eſſe hic terminatum opus, quod vlterius protenditur vt infra: pariter, ſi per finem, ſupremum adlatus telæ marginem intellexiſſet, vel ineptum, vel ſuperfluum fuiſſet hoc ponere; nam ſatis liquet, pingentem acu ita vnamquamque figuram diſponere, vt ſecundùm varias totalis figuræ partes totam occupet telæ latitudinem; peccaret enim in artem, qui contra faceret, ni, marginem, dedita opera, relinqueret diuerſis exornandum pigmentis; quod tamen non habere hic locum conſtat ex eo, quod nil vlteriùs additum dicatur in margine. Videndum igitur quid intelligat, *per finem ſupremum*, quandoquidem opinionem Parrhaſ. de telæ margine explicantem non amplectimur, ob iam datas rationes. Sphœram tùm cœleſtem, tùm terreſtrem acu pictam à Proſerpina delineat Vates. Sicuti itaque ſuperiùs Zonas æquales in partes ſphœram ipſam diuidens *Medium* ſphœræ notabat *mediam* inter reliquas ipſa Zonas; Temperatæ verò reliquum dictæ ſunt ſpatium occupare inter mediam torridam, & poſtremas frigidas, ita *extremæ*, in ſphœra ipſa, Zonæ finem ſphœræ ſupremum occupabunt, & de hoc fine loquitur Vates hic. Sed quomodo inquies finem in ſphœra reperias, cum ſphœrica in ſe ipſam rediens figura principio vndequaque careat, & fine? Memineris admitti communiter ab omnibus geminos, de quibus alias diximus, in ſphœra cœleſti, Polos, quos circum tota dicitur ſphœra circumrotari, nam huiuſmodi Polis axem ſuſtineri decantant omnes. Igitur Poli ipſi extremum ſphœræ ipſius finem ex vtraque parte conſtituent deſignatum. Quare Zonæ polis immediatæ ſupremum ſphœræ finem occupaſſe iure meritò dicentur. His ſphœræ Polis correſpondent Puncta ſuppoſita terreſtris globi; quarè & hæc finem terreſtris ſphœræ ex vtraque parte deſignabunt, ac plagæ illis immediatè ſupremum globi finem occupare meritò dicentur. Finem itaque vtriuſque globi intelligit per *ſupremum finem* Poeta, & ſub his finibus poſitas Zonas ſimul, & Plagas deſcripturus ingreditur.

TVM. Idem, hoc loco, eſt, ac *tum demum*, ſeù *tum denique*, ideſt nouiſſimo quo ad ordinem loco. Poteſt etiam accipi pro eodem, ac *pariter*, ideſt pari artis induſtria.

FINE SVPREMO. Qui nam ſit huiuſmodi finis iam vidimus, cur finis dicatur facilè eſt explicare; nam *Finis*, ſi poſitiuè ſumatur, eſt extremitas, & terminus cuiuſcumque rei, ſi ſumatur autem negatiuè, eſt id vltra quod nihil rei datur illius. Et quia res omnes ſolent eſſe vtrinque terminatè, ideò geminus vniuſcuiuſque finis tàm poſitiuus, quàm negatiuus Poli ſphœræ certè ſunt extremitates ipſius ſphœræ puncta terræ Polis correſpondentia extremitates terræ: Vltra has nil terræ, aut ſphœræ datur, ergò iure fines dicuntur, & quidem *ſupremi*; nam ſupremum eſt, quod ita eſt vltimum, vt nil detur vltra, quarè adiectiuum, eſt hic explicatiuum ſui ſubſtantiui ſecundùm præcipuè id quod importat de negatiuo.

TRAXIT. Hoc eſt ſub vno, ac ſub altero, ex prædictis finibus, delineando circumduxit. Sed nota verbi proprietatem; nam *trahere* propriè dicit *violenter ducere*; nam, qui trahitur, inuitus trahitur; cum autem, quæ aſſiduo rigent gelu, non facilè circumducantur, cum ipſa glacialis natura repugnare videatur, dum torpentem reddit potentiam, attrahere conantem, & circumducere; ideò ad oſtendendam peragendi operis difficultatem, *Traxit*, inquit

GEMINAS TORPENTES. Nempè duas *Zonas* in Cœleſti, *plagas* in terreſtri globo expreſſas, quas geminas, hoc eſt duas eſſe diximus, cum vterque Polus ſuam ſibi vindicet Zonam frigidam; Vtrumque terræ punctum Polis correſpondens Plagam ſibi frigidam velit ſuam *Torpentes* autem a Torpeo deductum, ex vi ſui primitiui, idem eſt, ac *ſtupens*, *piger*, *ſegnis*, *languidus*, ac *remiſſus*. Duplici igitur in ſenſu intelligendum eſt illud particip. *torpentes*. Primo quidem in ſenſu formali; nam partes ſphœræ Cœleſtis, quæ Polo viciniores ſunt pigrè admodum moueri videntur, non quod eadem, qua totum Cœlum velocitate non moueantur, ſed quia cum minorem ſtatuant circulum, minorem etiam efficiunt ſuo motu circulationem eo temporis ſpatio, quo maximis clauſa circulis Zona maximam peragit circulationem: ideò & *Arcturus*, polare videlicet ſydus *piger* dicitur. Partes verò terræ viciniores punctis Polo correſpondentibus ineptę ad Germinationem credebantur; quarè formaliter ſegnes, pigræ, ac languidæ in ſe ipſis ſunt. Secundo intelligendum eſt in ſenſu cauſali, quia ſcilicet torpentia efficiunt, quæ in illis, vel ſub illis, poſita ſunt; nam certè terræ ſegnities ex rigore Polaris prouenit Cœli, & ex ſegnitiæ terræ prouenit torpor rerum in illis plagis poſitarum; atque vtrumque ſenſum amplexus eſt Vates hic.

ET FÆDAT. Proprietates, coloreſque ſuos Zonis hiſce frigidis, plagiſque attribuit, & coniungit per copulatiuam *&*. Verbum autem *Fædat* notabile quidem eſt; Fædare enim idem eſt, ac *maculatum reddere*, ſeù *coinquinare*, & *deformem reddere*. In quo, caue ne in æquiuocationem incidas, ita vt credas, Proſerpinam hic ab artis peritie declinaſſe, atque ob id dicatur telas imperito opere conſpurcaſſe; nam immò iſtud verbum mire exprimit texentis ſtudium, ac induſtriam, atque hoc loco idem ſignificat, ac, ſi diceret: Rigiditate hyemali, & horrore inficit telas; nam ſicuti quod coinquinatum eſt, à ſe auertit oculum non minus, quam animum inſpicientis; ita quod brumis, glacie, niuibuſque exaſperatur, rigorem ſuum ita inſpicientes transfundit, vt ab eo, tamquam à re profectò fœdiſſima abhorreat: ideò ad huiuſmodi effectum, promanantem ex niuibus, brumiſque, licet fictitijs, & tela tantum expreſſis, exagerandum, acutè, medius fidius, inquit Fœdat

TELAS. Tela dicitur quidquid, texendo, conficitur. Quarè apud Virg. Æn. 7. inuenies.

Vrit odoratam nocturna in lumina Cedrum
Arguto tenues percurrens pectine telas.

quod ſi cuperes phrygiatum opus, cuiuſmodi eſt, quod præ manibus habemus, telæ nomine nuncupatum adeas Virg. Æn. 10., & leges:

Ipſa ſuis quondam manibus Sydonia Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.

BRVMA PERENNI. Bruma hic ponitur pro hyeme, ſeù hyemis rigore; nam *Bruma*, propriè, dicitur ſolſtitium hyemale, ſeù dies ſolſtitij hyemalis, quod in Capricorno fit ad 18. kal. Ian. Cum autem hoc tempore breuiſſimam Sol trahat moram in Emiſphærio, rigor hyemalis frigoris intenſiſſimus fieri ſolet; vndè factum eſt, vt *Bruma* pro hyeme, & quidem rigente admodum ponatur, vt apud Virg. Æn. 2.

Qualis vbi in lucem coluber mala gramina paſtus
Frigida ſub terra tumidum quem Bruma tegebat &c.

Brumam igitur dixerim rigiditatem illam aeris, quæ hyemali tempore omnia videtur conglaciare, & horriditatis non minimum præ ſe ferre, aſſidua ferre nigreſcens caligine: atque hanc Brumam, licet delineatu difficillimam, delineatam tamen à Proſerpina oſtendit, & quidem extrema frigoris acerbitate intolerabilem, & ideò *Perennis* addidit; nam *Perennis* ex *per*, & *annus* dicitur, mutata vocali *A* in *E*, quaſi *per multos durans annos*, quod idem eſt, ac *perpetuò durans*, Tantum enim ars potuit, vt hanc ipſam exprimeret perennitatem.

ET CONSTRINGIT &c. Poſitâ iam cauſâ, nempè aeris rigiditate, ſeù inclementiâ Cœli frigidâ non ſolum, ſed frigoris effectiuâ, effectum delineat hic, eumque cauſæ copulat per particulam *Et*, vt habeas terram Zonis ſemper ſuis omninò correſpondentem. Cum itaq; proprium frigoris ſit *congregare homogenea, & etherogenea*, ac omnia ſimul actiuitate ſua conſtipare, hinc eſt, vt ad huiuſmodi effectum exprimendum dixerit Claud. *Conſtringit telas*; quod idem eſt, ac *glaciali compede ſtringit, arctat opprimit*; quaſi tam exactè expreſſus fuerit hyemalis rigor, vt telæ ipſe langueſcere, ac frigore torpeſcere viderentur.

FRIGORE ÆTERNO. Frigus qualitas poſitiua eſt calori contraria: nec enim audiendos arbitror, qui dicunt, frigus nil aliud eſſe, quam ceſſationem caloris; nam ceſſatio caloris in pura priuatione conſiſtit; priuatio autem, cum ſit quid merè negatiuum non poteſt habere gradum intenſionem, ſicuti habere frigus, experimur, quod gradatim augetur, & intenditur, ac ideò magis, magiſq; torquet, quod nec poteſt pura priuatio. Eſt igitur qualitas propriſſima hyemis; & quia ſub Zonis frigidis, perpetua, vt dicebamus, hyems eſt; Ideò *frigore*, inquit, *Æterno*; æternus enim ab æternitate deducitur; *æternitas* autem (præſcindendo ab æternitate indiuiſibili, & eſſentiali Summi Conditoris) idem eſt ac *annternitas*; & dicitur eſſe temporis perpetuitas, quæ

nulla

nulla temporis quantitate commenſurari, nullo temporis ſpatio præfiniri poſſit, cum omne contineat æuum, & contineatur a nullo. Hic tamen hyperbolicè dictum animaduertes, cum nil æternum in terris; ſed dicitur æternum frigus, hoc eſt nunquam ab ijs Regionibus abfuturum, quouſq; hæc Mundi ſteterit conſtitutio; cum Natura frigidæ Zonæ hoc exigat, & influat, vt latè deducitur etiam ex Virg. Georg. 3. Arctoas his verſibus regiones deſcribente

At non qua Scythiæ gentes Mæoticaq; vnda
Turbidus, & torquens flauentes Iſter arenas,
Quaq; redit medium Rhodope porrecta ſub axem
Illic clauſa tenent ſtabulis armenta neq; vlla
Aut herba campo apparent, aut arbore frondes;
Sed iacet aggeribus niueis informis, & alto
Terra gelu latè, ſeptemq; aſſurgit in vlnas.
Semper hyems ſemper ſpirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentes haud vnquam diſcutit vmbras;
Nec cum inuectus equis altum petit æthera; nec cum
præcipitem Oceani rubro lauit æquore currum &c.

Heinſius, Clauerius, & alij hoc loco, legunt

Tædas, & æterno conuerſitas frigore telas.

ſed, licet hæc Munefis Maroniana ſit Georg. 3. vbi ait: *Naſcitur & glacie concreſtae frigore plum.* Vulgata magis tamen arridet, nam ipſam frigoris naturam, ac proprietatem exprimit, dum ſequitur, vt vidimus, quare minus eſt *contr illa*, quam *contingit*, vt patet perpendenti.

NEC NON ET PATRVI &c. Peracta Mundi ſuperioris, ac graphice delineata, necnon effigiata coloribus mole, ne opus, tamquam imperfectum, adhùc perſtringeretur, æquum fuit vt & ſubterranei, ſeù depreſſioris Mundi, obductos penitùs, delinearet receſſus. Ideò hic huic etiam operi intentam facit Proſerpinam, atq; omen ex ſponte obortis lacrymis aptè inſerit.

NEC NON. Ex duplici negatiua coniunctio hæc alioqui diſiunctiua in copulatiuam conuertitur, quæ tamen ita copulet, vt ſeiungat.

ET pro etiam ponitur hic. Aduerb. addentis; hoc eſt præter Cælum, & terram in telis delineatam, inferorum *inſuper* Regnum delineat, ſeù meliùs

PINGIT. Id eſt *acu pingit*. Quid ſit autem *acu pingere*, iam vidimus, nempe exactas adeò rebus formas ſuas acu effingere, vt Pictoris penicillum videatur acus imitari, & æmulari, ſi etiam interdum non ſuperet. Sed dicet aliquis quomodò potuit pingere ſacraria Ditis, quæ in ipſo terræ centro ſita dicuntur? Anne terram corpore Diaphano dotatam effecit, at quaſi per ſuprapoſitum Criſtallum Regna intus clauſa cernerentur? Sed ſi hoc feciſſet peccaſſet procul dubio in Naturam terræ quæ opaca & eſt, & eſſe debuit. Quomodò igitur ſubijciat oculis, quæ obſtante terra, ſubijci nequaquam poſſunt? Facilis tamen erit reſponſio, ſi memineris ex antiquorum ſententia Regnum inferorum plura habuiſſe ad ſupremam vſq; terrarum ſuperficiem producta ſpiracula, ac præcipue Tænarias illas fauces, de quibus egimus ad Carm. 2. huius libri. Cur igitur non potuit Virgo, dum maris ſui littora effingeret; promontorium ipſum expreſſiſſe, quod Tænarum vocant, atq; eiuſdem ibi antrum aperuiſſe, in cuius profunditate, beneficio perſpectiuæ artis Plutonis Regnum offerret proſpiciendum? Hoc itaq; pacto, vt hanc etiam artem oſtenderet, Pingit

SACRARIA. Sacrarium græce *adyton* Locus eſt arcanus in templis, quem temerè adire nefas eſſet: Latinis adytum etiam dicitur; de cuius nominis ethim. ac ſignificatione iam diximus in explicatione ad Carmen

Submiſere tubas: adytis gemiſſe Cybelles &c.

Vnum hic noto Plutonis Regnum ſacrarium dici, primo quia cum Pluto Numen eſſe crederetur, rectè in ſacrario poſitus affirmatur, nam ſacrarium locus eſt, in quo Res ſacræ aſſeruantur: ſecundò quia, cum *ſacrarium* idem ſit, ac adytum, adytum verò ſit pars ſecretior Templi, & quaſi ab ipſo templo remota clauſis, nempe adyti portis ita, cum Plutonis Regnum ſit in remotiori à nobis parte, nempè in viſceribus terræ, altâ terrâ, & caligine merſum, *ſacrarium*; ideſt in ſecretiori parte poſitum dicitur. Sic, ſemper ſibi ſimilis, Claud. in inuocatione, initio huius libri poſita, dixerat:

Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum
Et Veſtri ſecreta Poli, Vide ibi dicta.

Quod ſi velis dignoſcere, quam alto vallo, quamue arctis cuſtodijs arceantur, qui temerè hoc eſt viuentes adhuc, (vt Hercules olim Theſeus, Pirithouſq; de quibus Charon Æn. 6.

Nec verò Alciden me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu, nec Theſea, Pirithoumq;
Diis quamquam geniti, atq; inuicti viribus eſſent.)

Regna ingredi mortuorum temerario vtiq; auſu conarentur, accipe quæ canat, ore Cumeæ Sybillæ, Virg. cit. Æn. 6. ad aures Æneæ.

Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & inſano iuuat indulgere labori &c.

Inſanum enim *laborem* vocat conatum inferos adeundi, reſpectu viuentium, nam reſpectu mortuorum paulo ante dixerat.

Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis.

& de difficultate a viuis ſuperanda, iterum notat.

. . . . . Tenent media omnia Syluæ
Cocytuſq; ſinu labens circumfluit atro &c.

Quid hoc loco remotius? quid ſecretius? Iure igitur ſacrarium, ſeù adytum dicitur. Sed plurali numero vſus Poeta eſt, vt & ipſe, iuxta Platonicam ſententiam, innueret binas eſſe Tartarorum cauernas, in quibus Manes torquerentur, nempe inferiorem, & ſuperiorem: Inferiorem, in qua torquerentur ij, quorum peccata execranda adeò eſſent, vt expurgari nequirent; Superiorem verò, in qua, ad tempus, torquerentur ij, quorum peccata expiabilia eſſent. Hæc enim docuit Plato, quæ vt fatear, mirum in modum, principijs fidei conſonant noſtræ, Infernum, ac Purgatorium agnoſcentis, vt, facilè conſideranti patebit.

DITIS PATRVI. De Plutone, Ditis nomine nuncupato, ſatis diximus ad Carm. huius lib. 3. Quare ne nimius ſim, illùc remitto, *Patruus* autem Proſerpinæ dicitur, quia frater Iouis Proſerpinæ Patris, vt alibi vidimus; nam Patris mei frater mihi Patruus eſt apud Iuris peritos, inquit Heſiodus.

ET MANES SIBI FATALES. Quid Manes ſint dix. ad Carm. *Armatos ad ſa[illegible]ra vocat pallentia Manes.* vidimus eum Dæmones eſſe, & Deos nocentes, ſeu genios malos &c. Verum aliam hoc loco habet ſignificationem, nam vſurpantur hic manes, non ſolum in prædicta ſignificatione, ſed etiam in ea, in qua vſurpantur à Virg. Æn. 6. vbi cum varias Inferorum pœnas enumeraſſet, claudit tandem: *Quiſq; ſuos patimur Manes*, vbi per Manes *pœnas*, quæ apud Manes exercent animas intelligit, licet eo in loco Purgatorij potiùs *pœnas*, iuxta Platonem, quam inferni exprimat Virg. Inſinuat itaq; Vates hic, Ditis Regna, exactè adeò Proſerpinæ manu expreſſa, vt, non ſolum in ijs Deos inferos, Dæmones, ac damnatorum animas inſpicere liceret, ſed etiam *pœnas* ipſas in ſontes exhibitas; Hos Manes igitur vocat, *Sibi*, hoc eſt ipſi Proſerpinæ texenti, *Fatales* Auctor, vt ſibi correſpondeat, memor, ſe antea Iouis ore enunciaſſe.

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi,
Iam dudum decreta dare ſic Atropos vrget &c.

fatale enim dicitur quidquid nobis, Fato, debetur. Quarè, ſicuti ibi, explicantes, in quo ſenſu fatorum decreta ſumeret Auctor, vidimus ea ſumi à Poeta, in ſenſu neceſſitatis conſequentis, non antecedentis, cum huiuſmodi decreta, ex præuiſis meritis emanantia, oſtenderimus; ita hic fatales dicuntur Manes, non Fato prædeterminante, ſed Fato conſequenti præuiſionem ipſam meritorum. Sed dices, qua tandem culpa Proſerpina merita eſt vt Tartaro traderetur? Multas enumerauimus ad Carm. *Curarum ſecreta tibi Cytherea fatebor.* Sed cum innuerimus, huius initio explicationis, hoc ipſum opus, quod à Proſerpina texebatur, non eſſe prorsùs à culpa immune, ideò aduertendum, quidnam ab ipſa, hoc opere, pingeretur, & ad quem finem pingeretur. Pingebat itaque Glorias Genitoris Iouis: *ſedeſq; paternas Inſignibat acu &c.* Finis ad quem texeret picturatum opus patet ex Verſu *Rediturae munera Matri*. Iam igitur memineris Proſerpinam Iouis filiam, ſed ex nefario cum Cerere concubitu; quarè dum his acu pingendis operam daret, gloriabatur profectò de ſui ipſius nefaria origine, & conſequenter Veneris indirectè delineabat triumphos, Veneri ſi non omninò addicta, ſaltem vt addiceretur, diſpoſita, tenerum præſertim ſollicitante pronubâ iam flammâ pudorem. Inſuper texebat *Rediturae munera Matri*, quod erat lætam ſe ipſam oſtendere ob illicitum Matris cum Ioue concubitum, & Matri anſam præbere, vt perpetratis delectaretur nefarijs, ac denique propenſionem ſuam in ſimiles actus peragendos oſtentare. Quarè Veneri adhærens meritò Veneri traditur, & à Venere meritò infernis addicitur Regnis. Sed nimis longè petitam fortaſſis hanc culpam profectò dixeris. Aſt memineris, Poetam contexiſſe, his libris, tragicum opus, & quod quidem Tragediam primi generis expleret. In præceptis igitur Tragicorum habetur præſcriptum, vt Protagoniſta errore aliquo maculatus, ſed

lem

cui tamen, ac condonabili oſtendatur: vel, ſi in eo formalis error non ſit, reperiatur tamen error interpretatiuus, ita vt videri error poſſit, licet vel error non ſit, vel admodum leuis, & in bonam partem ab excuſante interpretabilis, vt nos latè in Arte Poetica noſtra diſſeruimus. Tragicorum itaq; præcepta ſeruans Poeta errorem Proſerpinæ non apertè dicit; ſed interpretandum ex operatione relinquit, ex qua error certè deducitur euidens, & apertus, ſed, fateor, condonabilis; cum, vt filia, nil mirum eſſet, ſi Patris, Matriſq; actionibus, licet impueris adhæreſceret, intentione potiùs, & delectatione abſtracta, quam actuali earumdem imitatione. Non malum igitur erat textorium Proſerpinæ exercitium, per ſe ipſum; ſed malum ex intentione texentis, quæ videbatur eſſe, ſaltem indirectè, vt nefariis actionibus, tacito illo emblemate, plauſus ederet. Ideò iure, attentis maximè prioribus erratorum motiuis, quæ iam enumerauimus, decretum exijt, quo inferorum Regi traderetur, tamquam Deorum contemptrix, Cœlorum profuga, & Venereis delectata.

NEC DEFVIT OMEN. Perpende, quam acutè Vates oſtendat damnationem Proſerpinæ, inuito, ferè dixerim, Ioue ſecutam fuiſſe. Iuſtitiæ partes exequi ſtatuerat Iupiter; ſed adhùc Clementiæ indulget, dum, multiplicatis augurijs, filiam monet, vt reſipiſcere poſſit, & decretum damnationis eluderet, ſi vellet; dum ſcilicet ipſam operis ſui dulcedinem felle miſcet ſpontanei doloris, quo agnoſcere poſſet, non gratum Patri eſſe illud opus, quod cæteris additum erroribus vindicem Iuſtitiæ iram acueret, ac ſollicitaret. *Omen* itaq; augurium eſt, quod *ore* fit, *Omen* dictum quaſi *Oremen*, vt notat Feſtus. Pingenti igitur Manes Proſerpinæ effigies illæ, quaſi muto quidem, ſed nimis, in ipſa ſua taciturnitate, loquaci ore, perditionem imminentem prænunciabant, tacitè texenti ſuggerentes, vt quid faceret, caueret. Ideò *Nec omen defuit*, hoc eſt *abfuit*; nam præſens nimis profectò fuit, ſi illa animaduertere voluiſſet, dum ipſa ſibi illud conſtrueret; immò ex intimo eiuſdem pectore ad oculos ſpontaneas flueret in lacrymas.

PRÆSCIA NAM SVBITIS &c. Explicat quidnam fuerit hoc omen; nempè, ad texturam Tartarei Regni, obortas ſpontè lacrymas, quaſi ex effigie ſaucium cor texentis ſibi ipſi futura portenderet damna, & proprias anteiret lacrymis afflictiones.

NAM. Coniunctio hæc eſt cauſalis, quæ in Oratione primum ſemper ſortitur locum; cum igitur cauſam aſſignaturus ſit Auctor, cur dixerit: *nec defuit omen*, aptè particulam cauſalem immediatè ſubtexuit. *Nam*

ORA. Os pro facie ponitur, pars ſcilicet pro toto, nam in faciei conſtitutione ſuum os obtinet locum: vtitur autem plurali numero per Synecd. plura ponens pro vno.

PRÆSCIA. Præſcius deriuatur à verbo *Præſcio*, quod eſt *ante ſcio*; a quo & *Præſcientia* dicitur futurorum notitia: Cum autem hæc præſcientia ſit quid potiùs vel à Superis, vel à natura inditum, quam acquiſitum, hinc eſt, vt rebus etiam intellectione carentibus tribuatur. Ideò *Ora præſcia* dicuntur. Arbitror tamen Poetam metalepſi vſum hoc loco, ita ſcilicet, vt voluerit, nos gradum facere, ab *Ore* quod theatrum affectuum dici ſolet, ad *cor*, eorumdem affectuum ſedem; à *corde* ad *Animam*, quæ præcipuo quodam modo in corde reſidet; ab *Anima* ad *voluntatem*, animæ potentiam, quæ ſponte triſtes excitauerit fletus; à *voluntate* ad *intellectum*, ex cuius præſcientia manu ducta voluntas in timorem impendentium malorum, fletus ex corde expulerit, atq; ad oculos tranſmiſerit.

MADVERVNT. Nota dictionis efficaciam: non enim modicæ fuerint lacrymæ, neceſſe eſt, quæ ab oculis erumpentes, per totam faciem ad os vſq; & vltra decurrerent; ſed fletus abundantes, & ſponte ortos, quaſi ab exuberante fonte ſignificat, qui ad os ideò procurrerent vt potionem doloris propinarent, quo faciliùs, atque attentiùs aduerterentur triplici ſenſu deguſtari, nempe oculo emittente, tactu in genarum decurſu percipiente, ac ore tandem deguſtante. Ideò *Maduerunt*, quod eſt madida facta ſunt profluenti lacrymarum irrigatione.

SVBITIS FLETIBVS. *Subitus* à verbo *ſubeo*, vt volunt, deriuatur; quarè *ſubitus* idem eſt, ac *repentè, ex improuiſo ſubeuntibus, & quidem ſpontaneè lacrymis*; nam *ſubire* ſpontaneum actum importat ſubeuntis. Si plura, de his ſpontaneis motibus, qui omnia conficiunt; de lacrymis, earumq; cauſis excupias, vide dicta ad Carm. *Heù quoties præſaga mali &c.*

CÆPERAT ET VITREIS &c. Abſolutâ digreſſione ad augurium ſpectante, ea enarrare proſequitur, quæ texens ipſa in telis proſequeretur.

CÆPERAT. In vſu fuit apud antiquos verbum *cæpio* pro *incipio*, à quo deriuabatur præteritum *cæpi*, ac ſupinum *cæptum*. Nunc verò verbum effectum eſt defectiuum; nam, abiectis cæteris temporibus, voces tantum præteritorum *cæpi, cæperam &c.* in modis alijs, vt ſupinum ipſum in vſu ſunt. Appoſitè autem verbo inchoatiuo quo ad ſenſum, & ſimul defectiuo quo ad voces, & tempora vſus eſt Auctor hoc loco; nam, cum vellet deſcribere principium laboris huius, quo texens abſolutura telam fuerat, poſitum certè verbo vti debuit inchoatiuo; cum verò inchoatum opus, de facto, perficiendum non eſſet, vti debuit defectiuo, vt ipſo verbi defectu infectum opus innueret reſcindendum.

ET. Hæc particula aduerbium hic ordinantis eſt, idem ac *deindè*, vel *ſubindè*: in quo ſenſu vſurpatam fuiſſe ab ipſo Poetarum Principe, apertè patet Æn. 6. vbi ſic habet:

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpuſq; lauant frigentis, & vngunt.

nam illa additio: *Lauant, & vngunt*, certè non poteſt facere ſenſum copulatiuum, ita vt eodem ſimul tempore & *lauarent*, & *vngerent*, ergò tantum remanet, vt faciat ſenſum ordinatiuum, nempe *primò lauant, deindè vngunt*. Sic itaq; & Vates hic inquit *cæperat & vitreis &c.* quaſi diceret: His, quæ iam diximus, abſolutis, *cæperat ſubindè &c.*

SINVARE: Ideſt varios in ſinus circumflectere, & circumflectentes extendere Oceanum. Verùm poſſet quis incautus, hoc loco in æquiuocationem incidere. Quomodò enim vadis ſinuari poſſit Oceanus, qui nullis claudi terminis credebatur; cum in eo nauigantibus ſolum appareat *Pontus vndique, & vndiq; Cœlum*? Sed facilè errorem mentis euitabit, qui animaduertat vim illius verbi *cæperat*: nam denotat illud verbum, fuiſſe à Proſerpina delineatum Oceani principium, quo ſcilicet terræ coniungitur, ac ſubindè à terris ipſis paulatim recedens extenditur in immenſum. Cum itaq; primos Oceani fluctus terram adhùc ipſam alluentes delinearet, nil mirum, ſi, naturam ſecutus, Poeta Proſerpinam ipſam naturæ etiam faciat, in pingendo, ſectatricem, atq; adeò primos Oceani limites in ſinus contorquentem. Quid autem ſinus Maris ſint, à quibus verbum *ſinuare* deducimus, ſatis dictum in Præfatione ad hunc lib., & aliquid etiam, hoc circum, attigimus ad Carm. *Sinuoſa draconum membra regens*. Adeat explicationes illas qui plura hic cupiat.

OCEANVM. *Oceanus* Mare illud dicitur, quod vltra Herculeas columnas, immenſis adeò aquarum molibus, protenditur, vt, totam alluens terram, eam potiùs amplecti, quam ab ea littoribus contineri, crederetur. Quod Hetruſcorum Poetarum Princeps à vaſtitate maris inter terras æſtuantis, (quod à Proſerpina iam delineatum vidimus) ad ipſum Oceanum gradum faciens, ſic admirans expreſſit Hieroſ. lib. cantu 15. alibi citato.

Hor entra nello ſtretto, e paſſa il corto
Varco; e s'inuolua in Pelago infinito.
Se 'l Mar quì è tanto ou'il terreno il ſerra,
Che fia colà dou'egli hà in ſen la terra?
Più non ſi moſtra homai trà gl'alti flutti
La fertil Gade, e l'altre due vicine:
Fuggite ſon le terre, e i lidi tutti;
Dell'onda il Ciel, del Ciel l'onda è confine &c.

Hoc igitur mare delineare cæperat Proſerpina, & diuerſis vtique, vt dicemus, coloribus à mare priùs per ipſam delineato, de quo ſupra.

VITREIS VADIS. Vadum, vt alibi diximus, ſignificat propriè locum in fluminibus, lacubus, aut mari, tam modicæ profunditatis, vt pedibus tranſiri poſſit. Verum ampliatiuè, per Catachreſim, *Vadum* ſumitur pro ipſo mari, etiam quà maximam in profunditatem demergitur. Sic Rex Latinus apud Virg. Æn. 7. Troianos interrogans, quo caſu poſt tot emenſa maris ſpatia, ad eum tandem fuiſſent delati, ait: *Quid petitis? Quæ cauſa rates, aut cuius egentes*
Littus ad Auſonium, tot per vada cærulea, vexit?

Hic tamen in proprio ſenſu vſurpatum à Poeta arbitror nomen *vadi*; nam licet de Oceano ſermo ſit; initium tamen Oceani propè terram conſtituitur, vbi Oceanum ipſum modicam in altitudinem demergi, procùl dubiò dicendum eſt, in comparatione illius profunditatis, quo longiùs ab ipſa terra pollet Oceanus. Quod ſi quis contenderet Oceanum etiam propè terram profundiſſimè demergi, (quod tamen falſum regulariter eſſe exiſtimauerim expe-

rientia ipſa compertum) dixeris vadum poſitum pro toto mari, ex Virg cit. *Vitrea* autem hæc vada dicuntur, hoc eſt vitri colorem referentia, nam vitreus color, claritate quadam perlucidâ perſpicuitate admiratâ inſignis eſt adeò, vt, licet vitrum inter oculum, eiuſque obiectum interponatur, tamen viſionem non impediat. Vitreo igitur colore vſam Proſerpinam, in Oceano pingendo inquit Vates, vt oſtendat illius picturam tali perſpicuitate inſignitam, vt ad inſtar perlucidæ aquæ videretur, admittere in altum cernentes oculos, atque imi prodere ſecreta profundi. In quo maximum texentis emicat artificium. Sed dices; quarè ſuperius, dum Mare pingeret, oſtrum inducit fundentem, quod, vt dictum eſt, plumbeum habeat colorem, licet lucidum: dum autem pingeret Oceanum, vitreo vſam dicit colore? Facilis eſt reſponſio; nam Mare inter terras alluens facilius & vmbris interdum infuſcatur, &, terreis partibus admiſtis, aliquo modo, e pura ſua naturali perſpicuitate deturbatur: at verò Oceanus, quippè à terris remotiſſimus, vmbrarum infuſcationibus obnoxius eſſe non poteſt, nec tam facile admixtionem terrearum pati perturbationum, ideò, naturali qualitate ſeruata, aptius vitreo colore profectò exprimetur.

SVMMO IAM MARGINE TEXTI. Oſtendit hic Poeta Proſerpinæ telam in modum Coſmographicæ tabulæ elaboratam; nam, cum huiuſmodi tabulæ deſcriptionem terræ, mariſq; contineant, in extremis ſemper marginibus Oceani vaſtitatem habent inchoatam: ſic autem, & tela Proſerpinæ, cæteris, quæ enumerauimus, acu pictis, extremos margines Oceani inchoatione tribueret decorandos. Ideò *ſummo* nempè extremo, nam ſummitas cuiuſcumque rei ea eſt, quæ terminus altitudinis eiuſdem rei conſtituitur; atq; hinc factum, vt *ſummum* pro *extremum* cuiuſcumq; rei translatè vſurpetur: ſic Virg. Æn. 2.

Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ. Fuimus Troes; fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum &c.

IAM. Aduerbium temporis hoc eſt, de quo alibi ſæpè, & hic importat breue tempus inſumendum in opere perficiendo; emphaticè autem, ac patheticè hic ponitur, vt indè ſcilicet eruamus ſenſum occultum, quo Vates indicare voluit, quam miſeranda fuerit Proſerpinæ conditio, quæ cum iam terminum incæpti laboris attingeret, & vix non abſolutum haberet opus, non tamen abſoluere potuerit, verum, malo nimis ſuo, experta eſſe id, quod ſubinde locum obtinuit axiomatis, nempe

Multa cadunt inter poculum ſupremaq; labra.

Quod quam validum ſit ad permouendos affectus commiſerationis, nemo non nouerit.

MARGINE. Margines propriè dicuntur extremæ alicuius rei partes, in quibus aliquid collocari poſſit, ſed nondum fuerit collocatum: ſic librorum margines dicuntur extremæ paginarum partes, in quibus imprimi quidem poterant caracteres, ſed nondum cernuntur impreſſi. Pariter itaq; extremitas telæ, quam texens proſequebatur, apta recipere delineationem Oceani, ſed quæ tamen illam nondum receperat, *Margo* dicitur, & quidem *ſummus*, vt intelligas non de laterali margine ſermonem eſſe, ſed de extremo finem textorijs laboribus impoſituro; ad quod clariùs exprimendum addit Poeta ſummum eſſe

TEXTI MARGINEM. *Texti* enim particula differentialis eſt quam nomen marginis genericum contrahitur ad ſignificandum extremum terminum telæ non ſecundùm latitudinem, ſed ſecundùm longitudinem. Nam *textum* propriè dicitur quod, texendo, conficitur, ſed non conficitur textura, niſi cum ad prædictum longitudinis terminum deuenitur; ergò dicendum eſt hunc ſummi marginis nomine deſignari. Quarè nomen illud quamcumq; extremitatem circumquaq; ſignificans contrahitur additione huius particulæ *texti* ad hanc tantù extremitatem ſignificandam.

SED CARDINE VERSO &c. Interruptum Proſerpinæ opus ex Dearum aduentu adnotat Vates.

SED. Coniunctio hæc eſt aduerſatiua, qua Poeta tranſitum facit ad narranda ea, quæ, Proſerpinæ determinationibus aduerſantia, effecerunt, vt illa intermiſſum opus relinqueret adeò, vt nunquam poſtea incæptum perficere potuerit.

CARDINE VERSO. *Cardo* propriè firmamentum eſt, quo fores ſuſtentantur, & circa quod fores vertuntur. Verum hic ſumitur, non pro ipſo Cardine immobili, vulgò *Ganghero*, qui poſtibus affixus fores ſuſtinet: ſed pro cardine mobili, ideſt pro ferramento illo, quod foribus ipſis affixum, affixò poſtibus cardini inſeritur, ac circa illum circumuertitur cum fores clauduntur, vel aperiuntur, vulgo *lama da porta*; quæ lamina etiam ipſa mehercule cardo dici poteſt, cum ſimul cum fixo cardine, per modum vnius, fores ſuſtineat. Quod ſi quis obſtinatè contenderet talem laminam propriè dici cardinem non poſſe, dixeris Catacreſim intendere, qua nomine abutatur propinquo Auctor ad hanc laminam ſignificandam; non enim hic locus hæc diſcutiendi; quamuis eam exiſtimem, non impropriè, *cardinem* dici poſſe *mobilem*, ad diſtinctionem cardinis fixi, & immobilis, quam diſtinctionem eruditè inſinuaſſe Vates ipſe videtur, cum, non *cardine* ſimpliciter dixerit, ſed *Cardine verſo*, participio videlicet, quod à *verto* deriuatur; Vertere autem idem eſt, ac facere, vt aliquid vel locum mutet, vel a fronte in tergum, aut vice verſa detorqueatur, quod adamuſſim efficitur ab aperientibus Ianuam, reſpectu illius cardinis mobilis, de quo ſupra diſſerebamus. Geſtum autem certè Ianuas aperientis expreſſit hoc loco Vates, vt acutè notat Parrhaſ.

SENSIT. *Sentit* legit Heinſius cum quinto Vaticano, & ſic legendum aſſerit attenta congruentia verbi ſubſequentis, quod de præſenti loquitur *Deſerit opus &c.* Ego vulgatam quæ & Parrhaſij, & aliorum eſt non immuto: nam verbum *ſenſit*, magis congruit verbo præcedenti *cæperat & vitreis &c. cæperat cum ſenſit*, nam per proximum tempus magis quam per remotum certè tempori correſpondetur. Inſuper congruit cum ſequenti *vidit &c.* Quarè autem interpoſuerit illud præſens *deſerit* videbimus in loco. Nunc explicationem proſequamur. *Sentire* itaq; dicitur id omne, quod ſenſu percipitur. Quo poſito aduerte, quod notat Barth. in hunc locum, nempè Veterum cardines ita conſtructos, dedita opera fuiſſe, vt, cum verterentur ab aperientibus Ianuam, clarum ederent ſonitum. Proſerpina igitur cum auribus excepiſſet ſonitum verſorum cardinum, dum Ianua aperiretur, coniectis in eam partem oculis, vt naturale omnibus eſt, vidit adeſſe Deas, atq; adeò iam duplici ſenſu certior facta eſt de ingreſſu Dearum. Ex quo arguo imperitiam illorum, qui, pro *ſenſit*, *Cernit* legendum contendunt, non animaduertentes id ipſum in verbo *ſenſit* incluſum.

DEAS ADESSE. Venerem, Palladem, ac Cynthiam, notat, quas tamen *Deas* malluit compellare, quam vniuſcuiuſque nomen repetere, vt ex mentione Diuinitatis oſtenderetur neceſſitas, quam habuit Proſerpina opus ſuum obtruncandi, vt ijs in obſequium aſſurgeret. *Adeſſe* autem interdum ſumi pro *accedere* non ignoro. Sed emphaticè hic poſitum hoc verbum agnoſco, atque ideò vſurpatum à Poeta in propria ſua ſignificatione, qua verè ſignificet *præſentes eſſe*. Senſus enim Poetæ eſt, vt innuat, inſperatam adeò, & inexpectatam Proſerpinæ Dearum ad ipſam fuiſſe irruptionem, vt non priùs ſenſerit aduentantes, quam præſentes viderit.

ET DESERIT &c. Proprium, non ſolum modeſtæ, ac nobili ſanguine progenitæ, virginis eſt, ſed etiam cuiuſcumque, qui vrbanitatis titulo glorietur, maioribus ſemper aſſurgere; nec fas eſt opus, quod quis præ manibus haberet, proſequi, adſtante illo cui obſequium debetur; nam proſecutio incæpti operis indicat in operante inſitum contemptum, quo ad ſtantem floci faciat. Atque ideò Proſerpinæ ſtatim opus intermittendum fuit, ne videretur Deas ipſas, vt iam Procos Deos, ſuperbo quodam faſtu, ac ſupercilio deſpicere. Ideò

DESERIT. Nam ea loco ſurgens in quo telæ aſſidebat, vt obuiam Deabus iret, terga vertit operi, illudq; derelinquit abſcedens. Præſenti autem tempore vtitur hoc loco Vates, licet reliqua per præteritum efferat, vt præſentem indicet animum quo Proſerpina in obſequium Dearum nulla interpoſita proſilit mora. Ideò *Deſerit*.

LABOREM IMPERFECTVM. *Laborem* pro ipſo *elaborato opere* ſumptum vidimus, nec non pro ipſa *laborioſa actione* poſitum notauimus ad Carm.

Et charos vestro commendo labores. 12.

Hìc in vtroq; ſenſu locum habet, vt patet conſideranti, & ad vtrumque intermiſſum ſignificandum, inquit Vates *Deſerit laborem imperfectum*; dicitur enim imperfectum, quod debito ſibi fine caret; quarè textorium illud opus cum nondum ad, deſtinatum a texente, finem perductum eſſet, iure imperfectum dicitur remanſiſſe; & pariter imperfecta actio, quæ perfectionem quam addere ſtatuerat, non attingit. Legunt hoc loco alij: *Deſinit*, non *deſerit*. Non ambigo quin verbum *deſinere* habere poſſit ſignificationem

tionem actiuam, ita vt idem ſignificet, ac *terminum imponere*, vulgò *terminare*; ſed plus dicit certè *deſerere*, quam *deſinere*, vt ex dictis patet.

ET PVRPVRA &c. Modeſtæ Virginis affectionem, vt dicebamus, exponit Poeta hic; quæ cum ſe altiùs, quam pro meritis videat honoribus affectam verecundè erubeſcit, quaſi in aliquem inciderit errorem, eos recipiens honores, quos ſibi debitos non exiſtimat, licet ab impertientibus ſpontè tribuantur. Non tali itaq; ſe dignabatur honore Proſerpina, vt Deas illas excipere poſſet inuiſentes. Ideò

PVRPVRA. Translatum profectò hoc nomen eſt; nam verè, hoc loco, non ſignificat liquorem illum, quo, ex tyria concha extracto, veſtes inficiuntur; ſed ſanguinem ſignificat, qui, coloris viuacitate purpuram imitatus, *Purpura* etiam *vitalis* ab aliquibus dici ſolet. Translatum inquam nomen eſt. Sed cur *Purpurâ* potiùs, quam alio nomine vtatur Vates ad ſanguinem iſtum ſignificandum, non illicò in comperto eſt, niſi priùs & Phyloſ. placita, & Ægyptiorum hieroglyphica conſulamus. Dicunt itaque Phyloſophi, cauſam, cur quis erubeſcat, dum verecundiæ facibus accenditur, eſſe, quia, incaleſcente corde, ſanguis efferueſcit, atque ex ipſo exuberans corde in omnes diffunditur corporis partes, ita vt ſuperficiem occupet, atque ita ruborem gignat illum, qui verecundantis inficit vultum. Quarè rubor ille nil aliud eſt, quam color ſanguinis faciem, in ſuperficie, occupantis. Hoc poſito adſint iam Ægyptij, ac ſcientiarum ſuarum promant arcana. Purpura verecundiæ ſymbolum illi poſuere, ex quo factum notat Pier., lib. Gierog. 40., vt Romani ingenuos adoleſcentes ſuos prætextâ induerent purpureâ, vt ex Purpura admonerentur, verecundiam illis vbiq; ſeruandam eſſe, ac pudorem cuſtudiendum. His igitur vota Vates coniungens ſua, *Purpuram* vocat ſanguinem, quo verecundiæ rubor Proſerpinæ in vultu extiterit; minus enim dixiſſet, ſi quouis alio vocabulo vſus eſſet; nam alio pacto nec ſatis rationem phyloſophicam attigiſſet, nec Ægyptiaca eruditione floruiſſet. Ideò *Purpura*

SVCCENSA. *Succendere* enim eſt ignem *ſubijcere*, & *inflammare*, quo & oſtendit ruboris, ac ſanguinis, ſeù ſanguinei coloris viuacitatem flammas imitantem, & magis exprimit cauſam verecundi ruboris, ex accenſo videlicet corde prouenientis; nam pudor, & verecundia affectus ignei ſunt, nec poſſunt, quin igneam ſuam vim cordi ſubijciant, cum accenduntur, & conſequenter, quia ſanguinem ebullire faciunt, flammeo etiam inficiant colore.

PER LIQVIDAS GENAS. Præcipua verecundiæ ſedes, & ad explicanda ruboris vexilla idonea maxime facies eſt, quippè quæ theatrum affectuum ſit, vt alibi dicebamus; ideò hanc genarum nomine notat, per Synecd., Vates, & ſimul attingit modum, quo ſanguis excurrens per partes corporis ſuperficiem inficiat, iuxta Phyloſ. nam

PER. Præpoſitio eſt motui per locum deſeruiens, qua innuitur ſanguis per Genas excurrens, ac ruboris explicans inſignia.

LIQVIDAS. Ne putes nomen hoc à verbo deductum *liqueſco*; ſed deductum agnoueris à verbo *liqueo*, quod ſignificat *manifeſtum eſſe*, *in aperto eſſe*. Cum igitur Genæ ſemper patentes, ac manifeſtæ, ſemperq; in aperto ſint, præcipuè in fœminis, cum ne pilorum quidem integumento obuelentur; ideò *liquidas* illas à *liqueo*, non à *liqueſco*, appellauit; nam certè liquidæ, hoc eſt liqueſcentes eſſe non poterant Genæ Virginis primo iuuentutis flore conſpicuæ. Si quis tamen vellet hoc ipſum nomen à *liqueſco* deductum, dixeris Poetam, ideò *Liquidas* dixiſſe Genas, vt delicatas, molles, vulgò *morbide*, oſtenderet, ſimilitudinem ſcilicet deſumens à lacteo candore, cui rubor admixtus venuſtatem adaugeat; quaſi innuere voluerit Proſerpinæ Genas ex lacteo liquore efformatas, ac purpurea ſubindè cumulatas venuſtate. Verum, arbitratu meo, longè nimis deduceretur hæc explicatio; nam à *Liquido* ad *liquorem*; à *liquore* in genere ad *lacteum*; à *lacteo* ad *candorem*, & *mollitiem* gradus eſſet faciendus, quod abſtruſam nimis metalepſim importaret. Non improbo igitur hunc nominis ſenſum; ſed prima magis arridet explicatio, nam ea data emphaticum nomen *liquidas* agnoſco; indicat enim tacitè Vates tanta verecundia correptam Proſerpinam, vt toto penitus corpore erubuerit; aſt ruborem apparuiſſe in Genis tantum, quæ in aperto eſſent, cum, reliquo corpore veſtibus obtecto, rubor etiam corporis celaretur in Genis tantum conſpicuus. Adde liquidum interdum pro puro, ac pulchro accipi. In quo ſenſu liquida Virg. vocat electra, vt notat Parrhaſ. quæ etiam interpretatio abs re non eſſet procul dubio, & fortè Vates, more ſuo, hæc omnia voluit attingere; ideò inquit: *Et purpura ſuccenſa per liquidas*

GENAS. Quid Genæ ſint vidimus ad Carm.

Heù quoties præſaga mali violauit oborto
Rore genas . . . .

Hic tantum moneo *genas* ſumi in ſecunda ſignificatione ibi à nobis allata, nempe pro partibus faciei, quę malę dicuntur.

INFECIT. *Inficere* tingere eſt, ſeù *coloribus imbuere*; ex quo patet, quam pulchrè Poeta, metaphoris metaphoras innectens, allegoriam concinnè proſequatur à fœminis lanam purpura inficientibus deſumptam.

VVLTVS. Licet paſſim pro facie *vultus* ponatur, ſtrictè tamen, & in rigore loquendo, potiùs eſt *habitus*, ſeu *ſtatus faciei*, qui, pro animi affectibus, alius, atq; alius oſtenditur. Sic Cic. 3. de Orat. ait: *Imago animi vultus eſt, oculi indices*: quod idem eſt ac dicere, vultum variari iuxta animi variationem; quod certè non poteſt de ipſa facie verificari, quæ ſemper eadem eſt; ſed bene de faciei habitu, qui ſolus variari poteſt, immota facie. Ampliatiuè tamen ex mutatione habitus faciei facies ipſa mutari dicitur; nam dum habitus eſſentialiter mutatur, facies ipſa mutatur accidentaliter; vtrumque autem motum indicatum hic ab eruditiſſimo Poeta arbitror inhæſitanter.

NIVEOS. Oſtendit qui nam fuerit *habitus faciei*, antequam erubeſceret Proſerpina, nempe candidis adeò vigens coloribus, vt niuem æmulari videretur. In quo vides amplificatam, à candore, Virginis venuſtatem, quæ etiam excreuerit, cum mutatus habitus ille, vel, meliùs dixerim, alteratus niueis purpureum coloribus immiſcuit. Vtitur autem numero multitudinis per Synecd. plures pro vno ponens.

ET ILLVXERE. *Illuceo* idem eſt, ac *Luceo in*; quarè verbum illuxere idem dicit, ac ibi, ſeù in illo vultu eluxêre, emicuêre &c.

FACES. Fax propriè fuſtis inciſus eſt, & cerâ, vel oleo inunctus, ac compoſitus, ad lumen faciendum, vel etiam ad ardores conijciendos, fitq; præcipuè ex picei generis arboribus, vt eſt tæda arbor, Larix, Picea &c. Et fit etiam interdum ex arundinibus aridis: translatè tamen pro quacunque re ardores, aut lumen eiibrante fax ſumitur, vt certè hic, vbi, per facem, intelligit Vates igneum verecundiæ affectum, qui cordi ſubijciens ignem ſcintillas ſimul, ac fulgores ad Genas tranſmiſit, vt inibi eluceſceret ardor; ex quo patet, quam rectè de motu verecundiæ Phyloſophatus ſit Vates.

CASTI PVDORIS. *Faces caſti pudoris* igniculos verecundiæ appellat duplici de cauſa; ſicuti in duplici ſenſu poteſt accipi nomen *caſti*, de quo infra; primò, quia, vt alibi diximus, licet verecundia, in omnibus, cuſtos virtutum ſit, in Virginibus tamen præcipuè ſemper enitеſcere debet; caſta autem certè virgo eſt, ideò & eius verecundia *caſtus* dicitur *pudor*; ſecundò, quia hæc verecundia ex motiuo reuerentiæ, ac religioſi in Deas obſequij procedebat; ideò *caſtus pudor* iuxta ſecundam *caſti* ſignificationem mox explicandam. Ex quo colligere licet, Proſerpinam duplici hic virtute decoratam denotari, nempe & Virginitate, & Religione; ideòque non potuiſſe non erubeſcere, à Dearum aduentum. *Caſtus* itaque à caſtigando deducitur; & idem eſt, ac *purus*, *continens*, & *à libidinis labe immunis*; vt enim talis ſit, homo caſtigatione corporis aſſequitur; atque ideò inquit Apoſt. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*; ne ſcilicet impinguatus, dilatatus recalcitraret. Quarè nomen *caſti* idem erit, ac *virginalis*, ſeù *virginis proprij*. Iterum *Caſtus*, apud Poetas præcipuè, idem ſonat, ac *pius*, ſeù religioſus: Sic Virg. Æn. 3. ait

Hunc ſocij morem ſacrorum, hunc ipſe teneto;
Hac caſti maneant in religione Nepotes.

& Æn. 6. *Quiq; Sacerdotes caſti, dum vita manebat*
Quiq; pij Vates, & Phœbo digna locuti.

Vtrumque autem huius nominis ſenſum profectò amplectitur vna voce Claud. de more, vt Proſerpinam vtraque inſignitam denotet virtute; & geminam eodem tempore pudoris cauſam aſſignet, vt mox ſupra dicebamus. Ideò *Caſti*

PVDORIS. Diſtinguunt aliqui inter pudorem, & verecundiam; eo quod Pudor, iuxta Stoicorum ſententiam, ſit *metus infamiæ, qui animum reprimit, ne turpiter agat*; ex qua definitione deducunt, pudorem ex re turpiter acta induci; verecundiam verò etiam ex rectè factis, atque honeſtis interdum reſultare. Hæc tamen diſtinctio vel vana eſt, vel certè à grauiſſimis etiam auctoribus non ſeruatur; nam apud Cauſinum de Eloq. lib. 8. Cap. 34., video D.

Baſilium, ad lapſam Virginem litteras dantem, nomine pudoris vti ad indicandam virginalem verecundiam, qua ante lapſum virgo illa decorabatur, dum dicit; *Vbi honeſti mores; & honeſtus in pudore rubor; & decorus ex abſtinentia, & vigilijs efflorescens pallor?* Hinc ſatis, arbitror, patet pudorem tàm de rectè factis, quam de turpibus promiſcuè dici; & tàm poſſe ſignificare affectum animi ob conſcientiam malefactorum erubeſcentis, quàm animi ob nimium ſibi honoris attributum verecundantis. Quarè, dum Poeta *caſtum* Proſerpinæ *pudorem* appellat, non eſt ambigendum, quin in bonam partem acceperit nomen pudoris. Myſterioſiſſime tamen, dixerim, à Poeta adhibitum hic nomen *pudoris*; nempè ad hoc, vt quo ad litteram virtutem Proſerpinæ innueret, ſed eodem contextu, quo ad ſenſum, non omninò immunem à malefactis euſdem oſtenderet conſcientiam. Memineris itaque Proſerpinam, in ſuprapoſita telæ textura, maximè ad ditandas aquas incubuiſſe; nam *Oſtro fundit aquas; attollit littora gemmis &c.* Hoc prænotato, in memoriam pariter reuocaueris, Venerem ex Maris ſpuma originem, per Poetas traxiſſe: quarè, dùm tumuum aquis deſudaret, ſtuderetq; videbatur Veneri propenſiori quodam affectu adhæſiſſe. Quin immò, dum non ſatis illi fuerat, ſparſis aquas theſauris cumulaſſe, ſed, delineato Mari, terriſque additis &c. iterùm ad aquas, nempe ad Oceanum delineandum regreſſa eſt, adeò Veneri fauens apparet, vt ex euſdem incunabulis adorandis, nulla rerum interpoſitione, diuelli poſſit. Et conſultò, arbitror, Venerem inducit Poeta Proſerpinæ limina ingredientem eo temporis momento, quo ad aquas elaborandas regreſſa fuerat textrix: vt ſcilicet nactam tempus indicet peropportunum, quo propendenti in Venerem virgini faciliùs dolos imponeret ſuos. Viſa itaque Venere, cum conſcia ſui operis Proſerpina facilè coniectare potuerit, eam aduentaſſe quaſi eiuſdem operis ſtudio accita, nil mirum, ſi eam facti puduerit, & conſequenter infecerit vultus rubor, cum virginitas ſemper, ad præſentiam Veneris, pudibunda erubeſcat, licet abſentem viſa fuerit non odiſſe. Quarè & ex propria virginitatis motione, & ex religioſo in Deas obſequio, & ex internis malè patrati operis conſcientiæ ſtimulis a'ta Proſerpina ruborem miſcuit verecundiæ ſimul, & pudoris; admiſsâ ſuprapoſitâ diſtinctione. Et hoc dictum, vt videas, quomodo Vates in Protagoniſta errorem dignoſcat, et eruditè loquens non adeò patefacit, quin in bonam partem interpretandum, dedita opera, relinquat.

NON SIC DECVS &c. A ſimili amplificat Virginis erubeſcentiam, &, eodem contextu, adauctam erubeſcentis pulchritudinem ruborem ipſo deprædicat.

NON SIC. *Sic* aduerb. ſimilitudinis eſt, idem valens, ac *ita*, vel *tali modo*, cui cum præponatur particula negatiua *non*, oſtendit aſſumptam ſimilitudinem non eſſe adæquatam rei, ad quam repræſentandam aſſumitur, ſed viliorem, ſi comparetur, remanere. Simili autem comparandi modo vſus eſt etiam Virg. Æn. 2. vbi extollens violentiam, qua Pyrrhus Danaum copijs ſtipatus in Priami Regiam irrumperit, ait

Non ſic aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis
Exijt, oppoſitaſque euicit gurgite moles &c.

DECVS EBVRNVM. *Decus* nomen genericum eſt ſignificans *honorem*, *gloriam*, *fulgorem*, vel *ſpeciem laude dignam* cuiuſcumque rei: quarè, per vocabulum differentialem *eburnum* iure merito contrahitur ad ſpeciem, nempe ad ſignificandum tantummodò illibatum eburis candorem. Porrò *eburnum decus* dupliciter conſiderari poteſt, vel ſcilicet propriè, ita vt ſit ebur ipſum eximio præditum candore; vel ita, vt quamlibet rem, per translationem in ſimilitudine fundatam, ſignificet, quæ, inſito ſibi candore, eburneum decus æmuletur. Licet hic, ex gemina explicatione, cui malueris adhærere: nam certè, & *ebur* oſtro pingi ſolitum ab antiquis in comperto eſt; nam ideò Homerus, & poſt eum Virg. ac ſubindè Ouid. & Statius hac ipſa tincti eburis ſimilitudine vſi ſunt, & noſtris immò etiam temporibus in vſu fuit, apud Pectinarios præcipuè, qui pectines eburneos, oſtro diſtinctos, interlineatoſque ſummo habent in pretio.

ARDET. *Ardere* propriè eſt *ignem concipere*, & *in flammas verti*: translatè tamen, vt hic ponitur pro *ad inſtar ſuccenſi ignis ſplendeſcere*, vt certè purpura flammas æmulatur, ſic Virg. Æn. 4. Tyrioque ardebat murice lana.

QVOD FOEMINA LYDIA, Primus inuentor inficiendi collecto lanas oſtro, aliaque huiuſmodi, dicitur Herculeſ fuiſſe, vt ſcilicet amicam haberet Puellam, quæ *Tyro* diceretur: hæc enim, cum iuxtà maris littus vnà cum Hercule deambularet, accidit, vt canis, Purpuram è mari eiectam nactus, carnem eius depaſceretur, cuius pictum cum Tyro aſpiceret gratiſſimo infectum colore, negauit, quidpiam cum Hercule ſibi ſubindè futurum, niſi ille coloris huiuſmodi veſtem ſibi attuliſſet, cui morem gerens Hercules, primus concharum collegit cruorem, lanas infecit, ac veſtem Amicæ attulit optato infectam colore; temporis autem circumuolutione effectum eſt, vt ſicut Hercules in amaſiam Omphalem degenerauit, ſic iſtud eius laboris ſtudium ad fœminas præcipuè tandem deuolueretur; inter quas præcellebant Lydiæ, quæ ideò etiam ab aliquibus primæ dictæ ſunt purpurei coloris inuentrices. Ideò *quod fœmina Lydia*. Lydia enim minoris Aſiæ regio eſt, ſic denominata à Lydo Athios filio, ac Tyrrheni fratre, cum antea *Mæonia* diceretur; & cuius regionis fœminas, in lanificijs exercendis, præſtantiſſimas fuiſſe ex hoc ipſo conſtat, quod Mæonia fuerit etiam Arachnes illa, quæ auſa fuit cum Pallade, de ea artis præſtantia decertare. In ijs etiam ſumma inficiendarum perities vigebat lanarum; ideò Poeta ad oſtendendam perfectionem infecti purpurâ eburis illud inſinuat, quod a peritiſſima infectum fuerit fœmina Lydia, deducto hoc patrio nomine ab ipſa Lydia regione.

TINXERIT OSTRO SYDONIO. *Tinxerit*, hoc eſt immergens madefecerit, & madefactum imbuerit (hoc enim *tingere* ſonat) *Oſtro Sydonio*. Oſtrum quid ſit iam vidimus ad Carmina

Oſtro fundit aquas; attollit littora gemmis,

ſed ne illud Oſtrum, de quo ibi locuti ſumus, hic etiam vſurparemus, ſed perfectiſſimam vtique purpuram intelligeremus, addidit Vates diſtinctiuum *Sydonio*, nomen ſcilicet deductum à Sydòne, quæ vrbs Phænices, populi videlicet Syriæ, fuit, apud quos præſtantiſſima purpura enituit ſemper. Hæc autem vrbs cum Tyro, altera euſdem populi vrbe, venuſtate, ac claritate decertabat: & ipſa etiam Tyri Ora Conchylijs, ac purpurâ ſemper celeberrima extitit: quarè, cum perfectiſſimum Oſtrum indicare volumus Tyrium, aut Sydonium appellamus. Iam vide quam altè hic aſſurgat Vates Proſerpinæ pulchritudinem ex ipſa ſuperueniente erubeſcentia venuſtiorem deſcribens à ſimili, & imitatus Virg. qui Lauiniæ formam ex erubeſcentia pulchriorem deſcribens Æn. 12. ait

Accepit vocem lacrymis Lauinia Matris
Flagrantes perfuſa genas, cui plurimum ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit;
Indum ſanguineo veluti violauerit Oſtro
Si quis ebur &c.

Verum hæc ad explicationem ſatis. Iam moralem deducamus diſciplinam.

Conclamatum de ijs ſemper erit quos Inferni memoria non moueat. Sed & ſi quis ex Inferni conſideratione, quæ pœnas illas oculis ſubijciat, ita quidem moueatur, vt vel inuitis ex oculis erumpant lacrymæ; ſed tamen à via peccatorum lacrymans non deflectat, perindè eſt, ac ſi Margaritas proijceres ante Porcum. Lacrymæ pœnitentis profectò cordis vniones ſunt nullo pretio comparabiles; ſed ſi finem auertendi à deflendis cauſis non obtineant in caſſum cadunt. Horruit Proſerpina ad delineati aſpectum Inferni; ſed male cæptum opus non deſeruit: Lacrymis extinguere ignem cæpit, ſed cum ex alia parte illum accendere non deſierit, effectum fornacis, magis per inſperſas ſtillas accenſæ in ſe ipſam concitauit. Quoties rerum omnium Protoplaſtes per inſpirationes occultas animos peccantium pulſat; nec auditur? Quoties extendit manum, vt ſubleuet, dum ſigna quotidiè exhibet, quibus ad mala præcauenda nos moneat; & renuimus, dum, licet ſigna, & prodigia viderimus, non credimus? Veh Proſerpinæ illi, quæ vocationes negligit, admonitiones contemnit. Quid eſt ſpontaneus interdum qui nos occupat mæror; quid oborientes ſine cauſa fletus; niſi ſauciatæ conſcientiæ ſtimulis Animæ paſſiones? Quid aliorum pœnæ, qui ſæpiùs minori, quam nos, culpa torquentur obſtricti, quid inquam niſi voces ſunt Numinis nos à peccato reuocantes, dum verum nimis oſtendunt quod cecinit Vates: *Vigilans in extrema pœna?* Surdi tamen perſiſtimus, nec telam abrumpimus, qua fatales nobis ipſis Manes adſtruamus; fatales, inquam, quia nos ipſi fatalia in nos decreta prouocamus. Aſt ſub ſpecie boni malum ſequitur Proſerpina; ſub ſpecie pietatis delinquit. Bene eſt. Angelus tenebrarum ſe transfigurat in Angelum lucis. Bonum videbatur gloriam genitoris

toris phrygio operi commendare: Bonum genitrici morem gerere, ac, ea abſente, ſolatium redeunti præparare: & bonum, immò optimum laboribus otium fugare, pernicioſiſſimum vtique humani generis hoſtem. Aſt, ſub huius ſpecie boni dum decepta operatur Proſerpina, in ipſo opere otium amplectitur, dum nimium exornandis ijs, quæ ad Veneris natalia pertinebant, tempus terit; atque ideò ſubrepens delectatio mentem Virginis inficit, dum manus telas coloribus inf..t. Veneri dat manum qui non fugiat vel oblatæ Veneris vmbram. Quarè egregiè cecinit Vates ille,

Quod facies, facies Veneris cum Veneris ante?
Ne ſedeas; ſed eas, ne pereas per eas.

Periculoſè nimis venenum contrectatur, licet aureis vaſibus propinetur: & Sacra Veneri Myrtus, quamuis virore delectet, in funera tamen ſemper adornatur. Baſiliſcum neces ex oculis ſpirantem quis vel à longè, ac ſolius curioſitatis titulo audeat contemplari? Venus Myrtum amplectitur. Funerea eſt; & funera ex oculis euibrat, vt & Helenæ, & Sabinarum Raptum ſequentia facilè oſtentant. Quis in eam oculos tutò conijciat, cum oculi feneſtræ animæ ſint; & mors vtique intret per feneſtras? Errauit Proſerpina nimium Veneris tribuens incunabulis, ex quo, & factum, vt, nacta tempus, ad illam Venus tamquam ad iam ſuam feſtinaret. Erubuit quidem, viſa Venere Proſerpina, vt dicendum videretur; *Erubuit bene eſt: Salua res eſt.* Sed fallit indicium, cum a Venere obuiante ſemitam adhùc non detorqueat, ſed immò illi aſſurgat obuiam progreſſura. Optima pietas eſt: optima Religio eſt: ſed quæ Deo exhibeatur fauenti, non quæ Veneri impenditur inſidias meditanti. Nec ab inſidijs Venus abeſſe poteſt, quæ ſibi dolis ſuis omnia aueat deuincire. Principium Generationis Oceanum eſſe ſenſit Thales. Quid mirum, ſi dum Proſerpina cæperat vitreus Oceanum ſinuare vadis, ſenſit adeſſe Deam, nempe Venerem, cui ipſa vitrea iam fieret, vt faciliſ frangeretur impulſu? Mirum potius fuiſſet, ni naufragia Oceanus portendiſſet. Non ſenſit tamen adeſſe Deam, niſi cardine verſo, hoc eſt cum aditus pateſieret. Diſce tui ipſius cuſtodiam gerere qui Veneris inſidias fallere concupiſcis, ne vllum illi, quamuis perexiguum, aperiri aditum patiaris. Claude oculos tuos ne videant vanitates; nam per hos aditus intrat Venus: Aures claudè, nam verbis immixta laſciuis, per has, Venus in viſcera dilabitur, & corrumpunt bonos mores colloquia praua. Palatum ſobrietate munias, nam, ſicuti ſine Cerere, & Bacco friget Venus; ſic cum Cerere, & Bacco viget Venus, & inter vina, ac dapes præcordia aggreditur, oppugnatq; Obſtruas odoratum ipſum, nam inter fragrantes Adonidis hortos Venus ipſa triumphat. Tactum compeſce; nam maximus incendijs fomes ſimul, & igniarium Tactus Veneri extitit. Vno verbo cor tuum ſemper Veneri clauſum ſit, vt ne cogitatio quidem Venerea cordis limen ingrediatur: alioquin, verſo cardine, ſenties adeſſe vim Veneris inelucțabilem.

Alios itaque edocentes euitandæ Veneris modum, ne & nos nimium cum Venere, licet contra Venerem, commoremur, ad caſtam deflectentes Muſam, quid Italica conſonet Cheli perquiramus.

Intreccia i fili; e l'intrecciar confuſo
  Toglie di confuſion l'horride lingue:
  Del Chaos ſcioglie il tenebroſo abuſo;
  Gl'elementi n'adduce, e gli diſtingue
  Con giuſta ſerie; e, del creato ad vſo,
  Lieta pace gl'infonde, e gl'odij eſtingue;
  Si ch'in dolce concordia ogn'vn diſpoſto
  S'applichi, il Mondo à ſtabilir, compoſto.
Quì del gran Genitore eterni i ſeggi
  Trapunge l'ago, e nelle Frigie tele
  L'empireo ſtringe, e ne regiſtra i freggi
  Quì l'opra induſtre, ond'arricchì fedele
  Di ben ſtabile vnion del tutto i preggi:
  E la madre natura, à gonfie vele
  Spinge del non più oltre oltre à i confini
  Per vn mar di ſtupore i ſciolti lini.
Con qual ſua legge, entr'al tumulto antico,
  Pnote i ſdegni troncar, figger la pace;
  Con qual decreto, à nuoui germi amico,
  Seppe à ſemi aſſegnar luogo, che piace,
  Ond'il Mondo in giardin s'infiori aprico;
  Mentr'in ſuo luogo ogn'vn s'accheta, e tace;
  Tutto ne bei ricami accoglie vn'Ago,
  D'vn pennello eguagliar contento, e pago.
Ciò, che lieue s'inalza, al ſommo aſcende
  Della sfera, ch'in sfere il ſen riparte;
  Ciò ch'eccede nel graue al centro ſcende;
  E, quanto è graue più, più ſi diparte
  Da gl'alti gradi, ed inferior diſcende
  Del cupo fondo ad occupar la parte;
  Così di fuoco, e d'aria, e d'acqua, e ſuolo,
  Fà ſcala al centro ebro d'influſſi il Polo.
D'vn lucido candor l'aria ſi pinge;
  S'accende in fiamme il ſouraposto Cielo;
  Ondeggiante trà flutti il mar ſi ſpinge
  Della terra à ſpruzzar l'arido ſtelo;
  E, mentre queſta in fin tutta ſi ſtringe
  Al centro intorno, in amoroſo zelo,
  Pende ſoſpeſa; e 'l di lei pondo immoto
  Libra d'vn punto ſol lo sforzo ignoto.
Con dotta man la teſſitrice induſtre,
  Forme sì varie ad animare intenta,
  Addattati colori, all'opra illuſtre,
  Scieglie; ne vuol d'vn ſolo eſſer contenta,
  D'oro auuiua le ſtelle; e, del paluſtre
  Forco la regia al colorar, cimenta
  Del Ponto gl'oſtri (à quai natura infonde
  Piombata luce) e queſti in mar diffonde.
Freno de gl'Oſtri all'ondeggiante orgoglio,
  D'ogn'intorno, sù 'l mar fronteggia il lido,
  Che da mari, e da monti vn ricco ſpoglio
  Di gemme aduna, e ſe ne forma il nido,
  Ou'ei s'aſſida, e teſoreggi in ſoglio,
  Per hauer di ſuperbo i vanti, e 'l grido.
  Mà da ſuoi faſti in maggior faſto aſcende
  La man ch'il forma, e sì pretioſo il rende.
Le fila, vn mare ad atteggiar diſpoſte,
  Gonfianſi ad arte; e gl'artificij aſcoſi
  Scuopron nel curuo lor l'onde riposte,
  Che gl'increſpano in ſen finti i marroſi.
  Scherzo d'alghe sbattute in coti oppoſte
  Sembran prenderſi ogn'hor flutti ſpumoſi;
  E, frà l'arene al ſerpeggiar dell'onde,
  Par, ch'odi il ſuon, ch'il mormorio confonde.
Al mar la terra il nobil ago vniſce,
  Che tutta in cinque ſpiaggie appar diſtinta;
  Com'il Ciel ſouraposto anch'ei gioiſce
  D'hauer ſua sfera in cinque zone auuinta.
  Dalla Zona maggior, che gl'influiſce
  Vampa d'incendij, al dichiararſi vinta,
  De gl'ignei ſtami entr'al colore ardente
  Sembra la maggior ſpiaggia arder languente.
Ne gl'aduſti confini, horrido in viſta,
  Teatro eterno allo ſquallor ſi ſtende:
  Nel cinereo pallor, l'occhio s'attriſta,
  Ch'immortal rogo ogni ſuo ſguardo offende.
  Non l'oro quì di biondeggiante ariſta,
  Non fior, nô germe il pôpeggiare imprende,
  Brama, del Sol ſotto gl'eterni ardori,
  Lo ſtame ſteſſo i rugiadoſi humori.
Di queſta poſcia, al deſtro lato, al manco,
  Di due vitali il trionfar diſpone;
  E d'vn prodigo Ciel, che, non mai ſtanco,

Verſa

Verſa teſori, al lampegglar l'eſpone.
Di queſte, Fiora, ad arricchire il fianco,
Vago manto di fior lieta compone:
Ride placida l'aria, e l'huom beato
Quì ferma i ſeggi, ou'alle gioie è nato.
Indi del terreo globo à i poli eſtremi
Le due gelate infra le neui auuolge;
E là del verno, in agghiacciati emblemi,
Gl'oſtinati rigor tutti rauuolge.
Treman, non ch'altro, in Ciel gl'aſtri ſupremi,
Oue lento Boote il carro volge:
Morde il freddo le tele, e, la teſtura
Se non vedi tremante, il gel l'indura.
Così diſtinto all'ampia terra il manto,
Ne più chiuſi ſecreti ancor s'interna.
Gl'apre il grauido ventre; e'l centro in tanto
Scuopre del Zio Pluton la regia inferna.
Le palli d'ombre all'Acheronte à canto
Ping'ella, e i boſchi, ou'aſpro il duol s'interna,
E, nell'oprarſi i regni a ſe fatali,
Piange l'occhio preſago i proprij mali.
Non rallenta perciò l'impreſa ardita;
Mà più s'inoltra in tratteggiar la mano.
Già, sù'l confin di quella tela ordita,
Hauea preſo à curuar l'ampio Oceano,
Ch', in liquido criſtal d'onda mentita,
Ponea le mete all'ardimento humano.
Mà dal ſtrider de cardini compreſe,
Venir le Diue, e'l calpeſtio n'inteſe.
Toſto il ſubbio abbandona, ed imperfetti
Tronca dell'opra i principiati arredi;
Laſcia le fila d'or, pondi negletti,
Gl'aghi, e le ſete; e ſcompigliar le vedi;
E tal s'affretta al riuerir gl'aſpetti
Del Trino, accolto entr'alle ferree ſedi,
Ch', ogni cura minor poſta in non cale,
Solo à queſta il deſir gl'impenna l'ale.
Qual di candido auorio arde il decoro,
Se Lidia man d'oſtro Sidonio il tinge;
Del ſciolto crin ſotto le ſferze d'oro,
Grana d'oſtri più fini il volto attinge:
Spiegan le guancie vn virginal teſoro
D'vn modeſto roſſor mentre ſoſpinge
Nell'intatte lor neui il cuor deuoto
Faci d'ardore, alle trè Diue in voto.

Erubeſcente Proſerpina, erubeſcit profectò, & rudis noſtra Heliconidum ſoror, cum ſe imparem nimis agnoſcat ad æmulandum plectrum illud, quod, latinas inter laurus, Pollice threjcio nobile pulſat ebur; quarè ne noſtri cantus humilitate ſordeſcat, quod vndiq; gemmis ſcatet, ſilent inornata Carmina, vt nos ad Vatis metra regrediamur.

Merſerat vnda diem: ſparſo nox humida ſomno
Languida cæruleis inuexerat otia bigis.
Iamque viam Pluton Siculas molitur ad arces,
Germani monitu. Toruos inuiſa iugales
Alecto temone ligat, qui paſcua mandunt
Cocyti, pratiſq; Erebi nigrantibus errant.
Stagnaq; tranquillæ potantes marcida Lethes
Egra ſoporatis ſpargunt obliuia linguis.
Orphnœus crudele micans, Æthonq; ſagittâ
Ocyor, & ſtygiſ ſublimis gloria Nycteus.
Armenti, Ditiſq; nota ſignatus Alaſtor,
Stabant ante fores iuncti, ſænumq; fremebant,
Craſtina venturæ ſpectantes gaudia prædæ.

Finis Libri Primi.

MERSERAT VNDA DIEM &c. Poſitis ex aduentu Veneris circa Proſerpinam inſidijs, tantum ſupererat, vt in apertam vim erumperet inſidiarum apparatus. Quarè, notata prius opportunitate temporis, quam conſultò nacta fuerat Venus, vt ſcilicet nocturnis ingruentibus tenebris coacta ad diutiùs cum Proſerpina commorandum videretur, ſed, reverà, vt longiori conſuetudine deceptam faciliùs in perditionem induceret, ac tartareo prædam Regi præpararet, inducit Poeta Plutonem, ſtuis monitu iter adornantem ad rapiendam Virginem ſibi Fatorum ſerie deſtinatam. Data autem occaſione, fuſius per hyppotipoſim deſcribit ipſum Plutonis apparatum; tantum non factâ ab Inferis eruptione, vt ſubſequentis Solis ortus, tempus nempe, à Ioue rapturi non minus, quam raptori præſcriptum, ſedulò expectaretur.

MERSERAT &c. Tempus notat, quo Dearum Ternarium à Proſerpina exceptum in ſuis ædibus fuerit, vt tali annotatione geminum collineet in ſcopum. Primò enim, vt dicebamus, ex tempore Solis Veneris innoteſcit occaſionem captantis diutiùs immorandi, vt tutiùs falleret incautam: & quidem iure optimo nocturnum delegiſſe temporis inſinuatur Venus; nam hoc præcipuè tempus amatorijs furtis proportionatum, ac Veneris addictum triumphis notant Poetæ: *Notte de ladri, e de gl'amanti amica.* Inſuper Mortis ſymbolum nox eſſe cenſetur, quare Virg. 10. Æn. cecinit, & 12. repetit

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.

cum itaq; mortuorum regno. addicenda eſſet Proſerpina, iure nocturnum ſceligitur tempus, vt futuris eiuſdem nuptijs præludere non minus, quam primas extollere faces videatur illa; quæ lib. ſubinde 2. *Stat Pronuba iuxta*

Stellantes nox picta ſinus, tangenſq; cubile,
Omnia perpetuo genitalia fœdere ſanxit.

Secundus ſcopus, in quem hanc temporis annotationem collineaſſe, dicebamus, eſt ipſe raptoris apparatus; preparatis enim, ex parte Cœleſtium, conſenſu, ex parte terreſtrium, inconſideratione, & incuria ſtim Matris, quàm Virginis rapiendæ, ac tandem Veneris fraudibus, incautam circumſepientibus, tantum deerat, vt Raptor in facinus moueretur: Raptor autem vmbrarum Rector deſtinabatur, quarè cum Noctis arbiter deberet ea, quæ ad facinus adhibenda erant comparare, quid ni nocturnum præluderet tempus; noxq; in nuptias irruentis ſui ipſius dominatori pronuba fieret, ac præcurſatrix, eiuſque peragendi operis prænuncia? Itaque

VNDA MERSERAT DIEM. Non immemor Venus iniuriarum, quas à Sole acceperat, cum ſcilicet ipſius cum Marte adulterium non ſolum coniugi Vulcano detexit, ſed, plena luce illud cunctis manifeſtans Dijs, eam ſimul cum Marte Vulcanijs irretitam retibus Deorum cætui deridendam expoſuit; nil mirum, ſi nunc etiam ſibi à Sole præcauens eius expectarit occaſum; ne ſcilicet ab eodem eius in Proſerpinam fraudes detegerentur; licet enim non ante nouum Solis ortum perficiendæ, quo ad effectum, fraudes eſſent, nouerat tamen intempeſtiuè tunc Solem adfuturum, quippè validus non eſſet futurus ad retexendos dolos, quos ipſa per noctem vtiq; texuiſſet. Porrò quo ad intelligentiam periphraſticæ huius locutionis, qua dies ſignificatur extinctus, ſciendum eſt, pro certo habitum fuiſſe ab antiquis, Phœbi currum Oceano mergi, ac Solem in Thetidis gremio conquieſcere, peragrato per diem Cœlo. Quarè ad hanc antiquorum alludens, inclytum etiam illud Mantuæ lumen, ſic 2. Georg., de occaſu inſonat Solis.

Præcipitem Oceani rubro lauit æquore currum.

Conſonat igitur & Auctor noſter dum dicit: *Merſerat vnda Diem.* Vnda propriè eſt globus aquæ in vnum collectus, & fluctuans, quales in mari, ventis exagitato, maximè ſolent excitari: quarè vndam in genere ponit Vates pro vnda ſpecifica maris, & partem ponit pro toto mari occiduo; hæc enim vnda eſt, quæ merſerat diem; hoc eſt ſub

ſe

ſe receperat, & obruerat, ita vt non ampliùs cerneretur, vel cerneret, aut, quæ in noſtro Emiſpherio locata ſunt, lumine detegere, vel illuſtrare poſſet. Diem verò pro Sole poni, vt hic nouum profectò non eſt apud Poetas, effectum ſcilicet pro cauſa; Dies enim neceſſarius eſt Solis effectus, cum nil aliud ſit, quam diffuſio ſolaris lucis, quæ ita à ſuo fonte pendet, vt, illo præſente, non poſſit non diffundi lux; illo autem abſente, nulla lux, aut dies ſubſiſtere poſſit.

NOX HVMIDA &c. De noctè plura egimus ad Carm.

Non adeò tolleranda quies primordia noſter
Noctis, & horrenda ſlagna &c.

quarè hìc tantum noto, Poetam ab antecedentibus gradum facere ad conſequentia, ne quis credat idem repeti per diuerſa ab eruditiſſimo Vate; nam licet verè nil aliud ſit nox, quam priuatio lucis diurnæ, ſi rerum naturas phyloſophicè perpendamus; tamen, poeticè loquendo, fabulis inhærendum eſt, & antiquorum commentis, quæ, cum *Diem*, ac *Noctem* numina effingant diſtincta, hanc etiam ijs viciſſitudinem indidêre, vt altero in Cœlum euecto, alterum Oceano mergeretur, & vice verſa: quarè, cum Vates merſum Oceano Phœbum deſcripſiſſet, conſequens erat, vt emergentem, ſeù potiùs emerſam Noctem aſcendiſſe aſſeueraret ex eodem Oceano, qui Solem merſerat, iuxta illud à Virg. Æn. 2. ſic de ortu noctis prolatum.

Vertitur interea Cælum, & ruit Oceano Nox
Inuoluens vmbra magna, terramq; Polumque.

Humidam autem appellat noctem primò, quia ex Oceano emergit, ſecundò quia Nox de ſe humorem maximè fouet, vt patet ex roribus nocturno tempore decidentibus, quam naturalem noctis qualitatem indicat Virg. Æn. 2. vbi tamen ſequi videtur opinionem eorum, qui dicunt non ex Oceano, ſed ex Cœlo noctem ruere.

Et iam Nox humida Cælo
Præcipitat, ſuadentq; cadentia ſydera ſomnum.

Tertiò humidam vocat noctem Poeta, vt afferat cauſam ſomni, quem ſpargere Nox dicitur. Somnum enim ex humore noctis originem trahere decantatum eſt apud omnes; quia ſcilicet noctis humor ſtomachi vapores ad ſupremam corporis partem aſcendentes adaugeat, qui poſtea, frigidiores à cerebri frigiditate effecti, deſcendentes obſtruunt ſpirituum meatus, ac ſic ſenſus omnes ſuauiter conſopientes ſomnum gignunt. Hinc eſt, vt qui naturâ ſuâ ſiccitate magis, quam humiditate abundant, vigiles nullo negotio perſiſtant; hinc leo inſomnis dicitur &c.; qui verò humiditate affluunt ſomno magis indulgeant &c. Mater itaque ſomni cum nox communiter inſtituatur iure, & humida conſtituitur.

SPARSO SOMNO. Hoc eſt *longè, latèque diffuſo*. In quo aduertendum eſt, ſomnum certè ſpargi non poſſe, ſi de eo ſomno loquamur, quem Noctis filium innuimus, cum ipſe Deus à Poetis effingeretur, conſequenter incapax condenſationis, & rarefactionis, atque ideo & effuſionis; ſed applicari hic cauſæ, quod eſt proprium effectus. Ad intelligentiam nota, ſomnum alatum Deum fuiſſe apud Poetas, qui ideò celerrimè orbem totum peragraret leuiſſimus, ac taciturnus; quiue, cum Lethes frater eſſet, Ramum etiam Letheo Rore manantem, ac ſtygia ſoporatum vi, deferens continuo in cunctantes excutiebat, vt vel inuitos conſopiret. Audi Virg. Æn. 5.

Cum leuis æthereis delapſus ſomnus ab aſtris
Aera dimouit tenebroſum, & diſpulit vmbras
Te Palinure petens, tibi triſtia ſomnia portans
Inſonti: puppique Deus conſedit in alta.

& paulò inferiùs ea, quæ diximus proſequens ſubdit:

Ecce Deus Ramum Lætheo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygia, ſuper vtraque quaſſat
Tempora cunctantique natantia lumina ſoluit.

Virg. imitatus egregiè Braccyol. de Cruce lib. 17. Sic concinit in diuerſis adamuſſim vniformis.

Ivi tacito il ſonno, oue la guarda,
Già laſciate le menſe, il Vallo aſcende;
E'ntorno il pian con ogni ſludio guarda,
Dou' immobile, e muto il tutto intende;
Mezz' ombrato ſ' appreſſa, e con bugiarda
Lingua parlà, che, luſingando, offende:
Dunque deſti à queſt' hora? Ahi duri vffici,
Di voi ben puoco, e di ripoſo amici &c.

& inferius cum Amphionem deſcripſiſſet ſummò conatu reſiſtentem, ne ſomno cederet, ſubdit

Ma ſdegnoſſene il ſonno; e diſſe allhora:
Coſtui ſia dunque à contraſtrar ardito?
Her via d' vſi la forza; e ſia ſcco hora
Neceſſità quel, che fù prima inuito.
E traendo dal ſeno vn ramo fuora,
Di Lethe intrinto all' oblioſo lito,
Colui ne ſparge, e tutti gl' altri poi,
Ch' eran ſeco à vegliar compagni ſuoi.
Ced' egli all' hora, e cagion gl' altri auuolsi
Da non lieue catene il ſenſo, e 'l moto &c.

Cur autem ſomno Lætheum ramum attribuerint, facilè cognitu eſt; nam cum inſomnes ſemper, ac vigiles curæ adſint mordaces, neceſſe eſt, vt earum obliuio inducatur, ad hoc vt cor ſubinde conquieſcat; Lethe autem flumen eſt oblinionis, vt nouimus. Dum igitur Vates inquit *ſparſo ſomno* intelligendus eſt ita, vt dicat, ſparſo vbique Letheo illo rore, quo ſomni exuberat ramus, vt omnes animantium artus conquieſcerent; vel ſparſo liquore illo, quem ſomnus apud Statium in Cornu geſtat, & quo mortales omnes irrigati quietem capiunt. Ex his quid ſit, iuxta fabulas ſomnus, habes. Quod ſi, iuxta veritatem rei, inquiras, nil aliud ſomnus eſt, vt innuimus, quam ſopor, & quies, quæ fit ab humoribus ad cerebrum ſublatis, & recidentibus modo dicto. In quo ſenſu Virg. Georg. 3. Ruſticalis vitæ quietem amplificans hæc habet.

Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina, nec ſomnos abrumpit cura quietos.

INVEXERAT OTIA LANGIDA. Non ſumitur otium hìc pro vitio illo, quod orbis corruptela totius eſt; ſed ſumitur pro neceſſaria tantùm à laboribus ceſſatione diuturnis; neceſſaria, inquam, quia per noctis quietem vires reficiuntur, quæ continuis infractæ laboribus laſſabantur. Sic nos olim ad hæc luſimus reſpicientes.

Sorgea la notte, e con lugubre amante,
Tempeſtato di ſtelle, al Cielo intorno,
Spandea pompa funebre al morto giorno
De facelle tesſendo il nero manto,
Tacea l'alato ſtuol, taceano i venti;
E mentr' ardean nel Ciel lampade d'oro
Prendean in terra entr' all' vmil riſtoro
Dalle fatiche ſue ſtanche gl' armenti &c.

ideò non *marcida* vocauit Vates hæc otia; ſed *languida*, tum quia inducuntur ab ipſa nocte, quæ dum ſparſo artus reſoluit ſomno eos languentes, impotenteſq; efficit ad operandum, vt quietè reficiantur: tum quia hæc otia, ſeù quies profundior oritur ex languoribus à diurno labore inductis; tum denique quia hæc ipſa otia, ſi nimis protrahantur, in vitium degenerant, artuſq; langueſcere faciunt, ita vt naturæ obſint potiùs, quam proſint, quod cum nouiſſet Alexander Philippi filius, & Romanorum Princeps ille Iulianus, machinato ſtrepitu cauebat vterque, ne grauiore ſomno premerentur. Hæc itaq; otia, hoc eſt à laboribus ceſſationes, ac ſoporiferam quietem nox *inuexerat*; ideſt in ſubiectum vexerat orbem; nam inueho verbum eſt ex *in*, & *veho* compoſitum; & quia *veho* propriè dicitur qui curru circumfertur; ideò *inuexerat*

BIGIS CÆRVLEIS. *Biga* quaſi *biiuga*, ſeù *biiugis* eſſe dicitur currus, qui duorum iugo trahitur equorum. Cæruleus autem color ille eſt, qui puri Cœli, ac nubibus vacui, colorem imitatur, quaſi cæruleus; vulgò *azzurro*. Sed cur Poeta eiuſmodi coloris equos noctis currui adiungat? Scio equidem noctem ab antiquis curru dictam vehi, cuius rotas, & præcederent ſtellæ, & ſequerentur, iuxta Euripidem, cui conſonat Virg. Æn. 5. dicens;

Et Nox atra polum bigis ſubuecta tenebat.

Sed *atram*, ex hoc Virg. loco, video noctem, & *atratam* omnes effinxêre, dum nigris veſtibus, nigroq; capitis velamine pinxerunt inſignitam. Pro ſolutione, aduerte, dupliciter noctem conſiderari poſſe, iuxta duplicem ipſius Cœli affectionem: nam aliquando Cœli facies ita nubibus obtenebratur, vt, etiam præſente Sole, nedum in occaſum merſo, noctem videatur induere: & in tali caſu nox lugubris, ac tetrica prorſus eſt: aliquando verò ſerena eſt Cœli facies; & tunc ipſum Cœli colorem nox etiam videtur induere; nam, licet tenebroſa ſit, quadam tamen ſubobſcura luce permiſcetur, ita vt non omninò atrata conſpiciatur; quod tamen non repugnat nigris veſtibus, quæ nocti tribuuntur, vt illius propriæ; nam, vt ſcitis, color cæruleus eſt color medius, ex admixtione albi, & nigri conſurgens, ita tamen, vt niger albo prædominetur. Dum itaq; Poeta *cæruleos equos* nocti attribuit, conſentit profectò cum opinantibus noctem vehi ab equis nigris, ſeù nigricantibus; ſed addit qualitatem immixtæ lucis, vt oſtendat, ſerenam hanc

no-

noctem fuiſſe, ideòq; ipſo Cœli imbutam colore conſimiles agitaſſe Iugales, quibus & ipſa & ſomnus, & otia veherentur. Non ſatis igitur explicant hunc locum aut Parrhaſ., aut Clauer. dum dicunt *cæruleis*, hoc eſt *nigris*; nam licet color Cæruleus de nigro, & quidem ad prædominium participet; tamen non eſt ſimpliciter nigrum quod cæruleum eſt. Sed noſtra proſequamur.

IAMQVE VIAM PLVTON &c. Opportunitate noctis inſinuata, dum Venus apud Proſerpinam, eam ſem prođitura, moraretur; oſtendit Plutonem, non minori ſtudio rapiendæ Prædæ, ſibi a Cœlo permiſſæ, inhiantem, adornantemque, quæ ad iter, & facinus peragendum conducerent. In quo licet, perpendere, quam graui ſtylo infortunium adaugeat Virginis momentaneè periclitantis, dum locus inſidiarum propria facta eſt domus: Hoſpitio excepta Dea, iure hoſpitalitatis neglecto, proditiones molitur: Cœlum permiſſiuè: Infernus poſitiuè: Pater conniuens; Patruus inuadens in eiuſdem coniurant perniciem. Quid infœliciùs? Et quid hac narratione patheticum magis ad permouendos commiſerationis affectus haberi poſſit?

IAMQVE. Particula *que* pro *&* coniunctiua eſt, coniungens ſcilicet cum apparatu Veneris iam explicato, apparatum Plutonis explicandum. Particula vero *iam* aduerbium temporis erit immediationem temporis ſignificans, ſi referatur ad Iouis monitum, de quo infra; ſed ſi cum reſpectu ad apparatum Veneris ſumatur ſimultatem temporis ſignificabit; nam indicat eodem tempore Venerem dolos ſuos exercentem, & Plutonem iter adornantem.

PLVTON. Græcolatina hæc dictio eſt, quod innuo, ne putes dictum ſic per Paragogen, vbi nulla eſt neceſſitas, ſicuti fuit in illo Virg. Æn. 7.

Odit & ipſe Pater Pluton, odêre ſorores &c.

ſed dictum intelligas per helleniſmum, qui nil aliud eſt, quam græca dicendi forma ad latinum deducta; vtitur enim hic græcâ Vates declinatione, nam græce πλούτων. Hanc autem lectionem ſequor cum Clauer. licet vulgata habeat *Pluto*; nam fortiùs cadit, & rotundum magis aſſurgit Carmen. Quis verò ſit Pluto iam ex dictis ſparſim abundè nouimus: cur moueatur ad rapiendam Proſerpinam, dum Venus iuuaret, pariter iam dictum. Ideò prætereo.

MONITV. Miſſus à Plutone ad Iouem Mercurius fuerat cum mandatis: *Præcinde moras, & iuſſa ſuperbo. Redde Ioui: Audierat mandata Pater &c. Cerea ſiderei ſententia menti &c.* vt hæc omnia ſuis vidimus locis; ſed nulla vnquam facta mentio de tranſmiſſa per legatum reſponſione. Hanc autem iam hic habes; ſignificaſſe ſcilicet Plutoni Iouem, tacitè edocet Poeta, ſe votis eiuſdem non abnuere; raperet ipſæ Proſerpinam, ſi liberet, in coniugem, non enim futurum, vt reſiſteret Iupiter. Et hoc eſt monitum illud permiſſiuum, quod hic inſinuat Vates, Plutonem coniugis auidum excitaſſe, vt permiſſam irrueret in prædam. Quare nomen *Monitum* ſimplicis non renuentiæ ſignificationem importat, quæ tamen accepta fuerit à Plutone in vim inuitationis excitantis.

GERMANI. Iouis fratris; *Germanus* enim dicitur, qui ex eodem Patre, eademq; cum alio, Matre eſt natus, quaſi *Germen ab eodem ſtipite procedens*. Cur autem nomine Germani appelletur hic Iupiter, & non proprio eiuſdem nomine? Ad Carm.

I Celer præſcinde Moras, & Iuſſa ſuperbo
Redde Ioui,

diximus Plutonem noluiſſe tunc Iouem appellare fratrem, cum ſibi non videretur fratrem agere, dum coniugem negaret. Iam verò, cum hic petitam concedat coniugem fratrem agnoſcit. Ideò *Germani monitu*

MOLITVR VIAM. Ideſt & mente recogitat, & actu præparat, aggredi, & toto ipſius conatu accingitur ad facinus: *moliri* enim eſt *aliquid cum conatu vel moderari, vel aggredi, vel peragere*. Vtitur autem Poeta verbo conatum importante, vt indicet, qua animi vehementia moueretur Pluto, vt attingat difficultates itineris non ſine conatu ſuperandas, & vt deniq; innuat, proprium raptoris eſſe vim, & conatum intendere vt rapiat.

AD ARCES SICVLAS. Arx dicitur munitiſſimus quilibet locus, vt iam diximus ad Carm.

Viderat hæc dudum ſumma ſpeculatus ab arce &c.

hic tantum moneo, Montes ipſos, præruptis cautibus obuallatos, *arces* dici, quia facilè acceſſum arcent. Quarè in duplici ſenſu explicandus Poeta hic, iuxta diuerſum, quem ad diuerſa habet reſpectum; nempè ita, vt primò, & proximè, per *arces Siculas* Siciliæ montes intelligat, ac præcipue Ætnam, quam omnibus iam vidimus inacceſſam.

Ætnæos apices ſolo cognoſcere viſu
Non aditu tentare licet.

Secundò ita, vt vltimatè, per *arces Siculas* ferream ipſam Proſerpinæ domum deſignet, ex qua educenda eſſet à Venere virgo, vt extra munitos parietes facilis eſſet præda Raptori. Non itaque placet hoc locò Heinſius, qui legit *ſacredi moliur ad auras*, licet pro ſe citet Clauer. Iſingr., & alios: neque placent qui legunt *ſuneras ad arces*; nam remotè nimis terminum ad quem Plutonicæ aſſignant motus. Quod ſi cum Parrhaſ., & vulgata legamus *Siculas ad arces* determinatè, ſpeciatim, & explicitè vltimus huiuſmodi terminus ad quem aptiſſimè denotatur.

TORVOS INVISA IVGALES &c. Ea morum imitatio, quæ propria, & fortaſſis præcipua, Poetis virtus eſt, exigebat, vt iter facturo inferorum Regi propria famulantium obſequia exhiberentur; ideò inducit Poeta vnam ex Noctis filiabus equos currui adiungentem, vt Rex, non degeneri maieſtate, prodiret. Hinc data occaſione, deſcribit ſingulos Plutonis equos, nomina indicat, & naturam, paſcua, quibus alerentur notat, & tandem, parans omnibus, profectionis tempus inſinuat expectari.

ALECTO vna ex furijs auernalibus eſt, græcè ἀλήκτω dicta, quod latine ſonat *irrequietam, & non deſinens*. Hæc luctuum omnium, ac querelarum dicitur præcipua inter ſorores origo: quare & luctificam illam appellat Virg. Æn. 7. vbi etiam eius naturam, ac munia ſic deſcribit

Luctificam Alecto dirarum ab ſede ſororum
Infernisque ciet tenebris; cui triſtia bella,
Iræque inſidiæque, & crimina noxia cordi.

Cum igitur hic de Raptu virginis per inſidias perſequendo ageretur, aptiſſimè profectò, alias inter Eumenides, Alecto præcipuè ſelecta eſt, quæ currui Raptoris adornando applicaretur. Quæ enim inſidijs, niſi inſidiarum magiſtra deſeruiret? Quæ motum, niſi *irrequieta* acceleraret? Quæ Cererem luctibus, ac lamentationibus exſaturandæ luctificam appararet ſcenam, niſi ipſa luctuum origo, ac querelarum? Igitur *Alecto*

LIGAT TEMONE. Id eſt adiungit currui; nam Temo lignum oblongum eſt, quod ex curru protenditur, equoſque currum trahentes intermediat. Cum autem ab initio rudis adhùc, & impolita eſſet Rhedariorum ars, & nondum apud ipſos in vſu eſſent copulæ, vulgò *Bilancole*, quibus inuicem equi necterentur, iugis vtebantur ad iungendos equos, ex quo factum, vt biga, quaſi biiuga; Quadriga, quaſi quadriiuga diceretur currus: Iugum autem temone continebatur. Ideò inquit Poeta *ligat*; ideſt *ſimul iungit*, & *copulat Temone*, nempè *iugo*, quod temone continebatur, nomine propinquo per Catacreſim abutens, vt notet quo inſtrumento adiungerentur currui.

IVGALES. Ideſt equos vehendo currui addictos; Iugales enim dicuntur a Iugo, eo quod iugum ſubeant iuncti. Sic Virg. Æn. 7.

Abſenti Æneæ currum geminoſq; iugales
Semine ab æthereo ſpirantes naribus ignes &c.

QVI PASCVA MANDVNT COCYTI &c. Ex paſcuis incipit ingerere cognitionem naturæ, & qualitatis equorum, quibus Pluto vteretur; nam, certum cum ſit, ex diuerſa qualitate pabuli diuerſum effici paſcentis temperamentum, certum etiam remanet, ex paſcuis facile conijci poſſe, cuiuſnam temperamenti naturalis fuerint paſcentes equi.

QVI MANDVNT. *Qui* relatiuè dictum ad equos iam dictos: mandere autem, propriè loquendo idem eſt, ac cibum dentibus conficere quo nutriamur.

PASCVA. Paſcuum propriè locus eſt, in quo greges, & armenta paſcuntur; quarè & indicat hic Vates locum, in quo equi Plutonis ſtabularentur; &, poſito continente pro contento, quo pabulo nutriantur, oſtendit, nempe pabulo alienis luctibus ſuccreſcente, vt indè in crudelitatem obdurati efferaſcere ſemper aſſueſcant. Et optime quidem luctuoſa edentes pabula commemorantur equi, quorum incurſu tot, ac tanti in Cereris pectus effundendi erant luctus.

COCYTI. Vidimus iam abundè, explicantes Carm.

. . . . Et preſſo lacrymarum fonte reſedit
Cocytus &c.

Cocytum fluuium eſſe doloribus, gemitibus, lacrymiſque affluens. Conſequenter non degenerantia fuerint circa Cocytum paſcua, neceſſe eſt, eiuſdem fluminis humore ve-

gerantia iere optimo igitur è paſcuis Cocyti educuntur equi tot lacrymarum fluentas diſſeminatum i.

ET ERRANT PRATIS NIGRANTIBVS EREBI. Ampliat hic locum, quo equi diuagentur, & in quo paſcantur, nempè non ſolum Cocyti, ſed & Erebi prata pererrantes; vt, ex collecta vndique inferorum pabulorum natura, omnes in ſe ipſis inferorum furores indicent collegiſſe. Quid ſit Erebus iam vidimus ad Carm.

Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras.

Prata autem quid ſint notiſſimum eſt, nempè ex quibus fœnum colligitur, Prata dicta quaſi ſine opere parata. Tantum nota, in Pratis, vbi vim ſuam dies non exerceat, venenatiſſima vt plurimum germina concreſcere. Cum igitur afferat Poeta, Plutonis equos *errare*, hoc eſt hùc, illùcque diuagari paſcentes in Pratis Erebi, & Erebus à nocte non ſeiungatur, vt loco cit. vidimus, certè indicare voluit, eos equos venenis vberrimis ali, & conſequenter venenatorum rabiem continuò exercere. Ideò appoſitè addit *nigrantibus*; hoc eſt, Pratis aſſidua tenebrarum incubatione ſqualentibus, infectiſque. Immutat lectionem Heinſius, & legit hoc loco *Spatiiſque Erebi &c.* Sed non video, cur immutandum, cum certè *Prata* magis proximè importent loca equis apta, quam *ſpatia* genericum nimis nomen.

STAGNAQVE &c. Aſſignatis equorum paſcuis, æquum fuerat, vt potius etiam indicaretur ſ nam non minùs ex hoc, quam ex cibo, temperamentum viuentis alteratur. Ideò ſcitè ſubdit *Et*

POTANTES. Participium à poto deductum notæ ſatis ſignificationis, cum idem ſit, ac bibentes.

MARCIDA STAGNA. Marcidus in duplici ſignificatione accipi poteſt; primo vt idem ſit, ac *corruptus, putredine, ac ſanie ſcatens*: ſecundo vt idem ſonet, ac *languiſcens, ſtupidus, & torpore quodam correptus.* Vtramq; ſignificationem complectitur Vates, vt arbitror; naturam fluminis expoſiturus; nam cum fluuius Inferorum Lethe ſit, certè non poteſt habere aquas, niſi immundas, ac ſordibus plenas, cum, vt alibi vidimus, ſentina, ſeù Cloaca totius Orbis ſit locus, vbi regnum Plutonis demergitur: aqua autem ſordibus commixta facillimè computreſcit, præcipuè ſi nullo, aut ferè nullo, vndarum motu agitetur, vt certè de Letheis aquis & innuit Vates hic, dum ſtagna vocat, & affirmat apertè Lucretius lib. 8. vbi ſic habet:

Quam iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis
Infernis, (vt ſama) trahens obliuia venis.

licet enim *tacitus* etiam dicatur amnis, qui, altè ſe attollens, vndarum molem deuoluat, nullo edito inter ſaxa; imò in fundo iacentia ſtrepitu, ac fragore; *tacitus* tamen magis propriè dicitur fluuius, qui leni admodum, vel nullo motu curſu; in quo ſenſu locutum hic non ambigo Lucretium. Quarè, cum tacitus ſit Lethe, & immundus; nil mirum ſi eius aquæ putridæ ſint, & ſaniem imitantes. Inſuper *marcidas* vocat Auctor huiuſmodi aquas in ſecundo ſenſu, idest *languentes*, torpenteſq; alludens ad Euripidis ſententiam, qui dixit, Lethem Deum ſuauiſſimum, ſomnoque ſimillimum eſſe: Sicuti igitur ſomnus languens, ac torpens dicitur, quia languentes, ac torpentes facit; ſic Lethe, ſomno ſimilis, dum obliuia inducit, languens, ac torpens dicitur, quia tales facit haurientes. Verum objiciet aliquis, repugnare hanc expoſitionem expoſitioni ſupra traditæ, vbi dicebamus Plutonis equos efferatos reddi, ex hoc, quod mandere cogantur paſcua Cocyti. Aſt quomodo poteſt idem & efferatus eſſe, & torpens, quandoquidem efferatio ex iraſcibili prouenit, ira autem, quæ eſt ebullitio ſanguinis circa cor languentes excitat, ac torporem eliminat omnem? Et tamen languentes certè deberent eſſe marcida illa potantes ſtagna; cum, vt nos ipſi diximus, potus ipſe conferat ad temperamenti alterationem. Obiectionem vidi iampridem, ſed non moueor. Memineris enim, alimenta, quæ ab alendo viuentes ſumuntur, iuxta diuerſitatem ipſius viuentis, diuerſos ſortiri effectus adeò, vt ea interdum vni ſint animali nutritiua alimenta, quæ alteri mortifera eſſent venena. Sic Veratro nutritur Coturnix, ſturnus cicutâ, quæ nobis venena ſunt, &, vndè vitam accipiunt aues illæ, nos mortem procùl dubio deſumeremus. Sic pariter Lethes aquæ nobis eſſent cauſa languoris, ac torporis, Plutonicis verò equis fomenta erunt, quibus rabies nutriatur. Adde inſuper, memoria ſemper tenendum Phyloſophorum axioma, nempè *ab aſſuetis non fit paſſio*: ex cuius axiomatis obiectiua veritate efficitur interdum, vt, quod venenum eſt, alimentum ex conſuetudine fiat. Sic Mythridatem legimus apud Galenum lib. 1. de antidotis, adeò venenis alimendis aſſueuiſſe, vt, cum à Romanis obſideretur, captiuitatem metuens, non potuerit mortem, quam ſibi præoptaret, inferre venenis, cum tamen filius, ijs non aſſuetus veneno eodem interierit. Quid igitur mirum, ſi etiam Plutonis equi, *ſtagna potantes marcida Lethes* non torpeſcant, ſed potiùs illorum potu rabies enutriatur? Sic de forti animo, qui oppugnari quidem, non expugnari poſſit ab ingruentibus anguſtiarum preſſuris, dicere ſolemus, eum perturbationes ſuas omnes, agitationeſq; in pharmacum conuertere, & in cibum, quo nutriatur aſſumere.

STAGNA. Stagnum à ſtando dicitur; & aqua ſtagnans, quæ nullo fluxu agitatur; vulgò *aqua morta*. Ex quo vides confirmatum, quod innueramus, in nomine *Marcida*

LETHES. Plura de Lethe diſſeruimus ad Carm.

Debeturq; tibi certiſq; ambagibus æuum
Rurſus corporeos Animæ mittuntur in artus.

ideò hic prætereuehor breuitati conſulens.

SPVMANT ÆGRA OBLIVIA. *Spumare* eſt ſpumas ex ore emittere. Porrò ſpuma, vt etiam dix. ad Carm. *Humectant fræna vtramas*, tex eſt, quæ vel per ebullitionem, vel per vehementem agitationem rebus liquidis ſupernatat, vt in mari quotidiè cernitur, atq; ad huius imitationem ſpuma etiam dicitur excrementitio illud, quod vel è cerebro vehementia concurrentium ſpirituum calefacto diſtillans ad os deſcendit, & eijcitur; vel ex concoctione, ſeù ebullitione cibi in ſtomacho ad os aſcendit, & excreatur: ac de hujuſmodi excrementis intelligendus eſt hic Poeta, dum dicit ſpumas ex ore equorum Plutonis emitti. Sed vt internoſceremus cuiuſnam naturæ eſſent reiectatæ ſpumæ, addit *Spumant*

OBLIVIA. Obliuium (licet in ſingulari numero in vſu non ſit) nihil eſt aliud, quam memoriæ deffectus, quo ſcilicet res facile, ac ſubitò memoria excidunt. Et ſanè quid aliud, quam memoriæ deffectum ſpument, qui aquas letheas ebibunt omnia memoriæ arcana facilè obliterantes? Et cur Pluto equis obliuia ſpumantibus non vtatur, cum voti compos factus omnes anteactos furores debeat obliuioni demandare? Inſuper fortè ijs vtitur Pluto, iuxta ſenſum Auctoris, vt rapiendam Proſerpinam illis, poſt raptum, ſpumis cogeret & Matrem, & Siciliam, & Cœlum, & Patrem obliuiſci, quo mitior ſecum tartara ingrederetur.

SOPORATIS LINGVIS. Soporatus particip. eſt à verbo *ſopôro*, quod idem eſt, ac *ſtupefacio*, & *ſoporem induco*. Hoc autem vtitur Auctor, vt oſtendat ab effectis letheis immunes equos illos non eſſe quidem, ſed ita, vt non ſuo, ſed aliorum damno, ſoporatas habeant linguas; in ſenſu enim cauſali potiùs quam formali ſumendum eſt. *Lingua* autem à lingendo dicitur, quia eius miniſterio lingendo vtimur: & pars eſt nobiliſſima animantis, in qua ſcilicet reſideat ſenſus guſtus, ſapores omnes diſtinguens. Ex quo clare patet, quanam in ſignificatione Poeta adhibuerit partic. illud *ſoporatus*; ſignificat enim equos illos letheis aquis aſſuetos nullius vltra ſaporis capaces eſſe alludens ad Ital. axioma

Corrotto guſto ogni dolcezza abborre.

& ex hoc ipſo habes, cur *ægra* dixerit *obliuia*, quia ſcilicet ægrum faciant animum dulcedinis incapacem, fractumque, & languidum omninò.

ORPHNOEVS &c. Nomina iam ſingilatim recenſet equorum, & vnicuique propriam naturæ ſuæ qualitatem clariùs attribuit. Orphnœus enim græcè Ὀρφναῖος, quod latinè *nigredo, obſcuritas*, & *nox* interpretatur. Ex quo licet aduertere, quam meritò nos initio huius operis ad Carm. *Infernas raptoris equos &c.* Plutonis equos deſignantes dixerimus, eius currui adiungi *ſuperbiam, pertinaciam, inſolentiam, cæſpitationemque*, quibus veluti quatuor equis currus Ditis traheretur; Vides enim, hoc loco, ſub Orphnœi nomine, cæſpitationem deſignatam; nox enim cæca dicitur, & cæcus facilè cæſpitat: ſic qui in tenebrarum obſcuritate, in vmbrarum nigredine ambulant, facilè corruunt; ideòq; Orphnœus, qui nigredine obſcuratus, obſcuritate cæcus, vt nox ipſa deſcribitur, cæſpitationem de conſequenti delineat adamuſſim. Video apud Ouid. Metam. 5. Nympham auernalem, quæ Ὀρφνὴ dicatur Mater Aſcalaphi ſic enim ipſe ibi

Aſcalaphus vidit, quem quondam dicitur Orphne,
Inter auernales haud ignotiſſima Nymphas,
Ex Acheronte ſuo furuis peperiſſe ſub antris &c.

Sed fortaſſis ibidem Ouid. Aſcalaphum cæcitatis Auernalis filium innuere voluit; nam Ὀρφνὴ Græcis obſcuritas, & nigredo, & quidem malè & ipſe Aſcalaphus cæſpitauit, cum

Proſerpinam de comeſtione granorum mali punici accuſauit: nam ob id in bufonem, ranam ſcilicet terreſtrem venenatam ſe ſenſit commutatum. Sed iam noſtra proſequamur.

CRVDELE MICANS. *Crudele* nomen eſt aduerbiatum, idem ac crudeliter, more poetico, per helleniſmum. *Micare* autem eſt *ſubitò, & per interualla collucere*, ſicuti fulgura per nubium tenebras identidem coruſcant. Collucet igitur interdum equus iſte Plutonis, ſed flammis horridis, ac terrificis identidem ex eo emicantibus, ſicuti ex oppreſſo interdum igne inter vndantes, ac piceos fumorum vortices, tetri identidem erumpunt flammarum globi. Hoc autem propriiſſimum eſt ceſpitantis, ſed pertinacis naturæ, nam dum ceſpitat, & corruit, iram in ſe ipſa excitat flammas ita, vt ſæpè ſaxa ipſa ad quæ offenderit, feriat, maiori vtiq; ſuo quam ſaxorum malo, rabiem videlicet canis imitatus, qui ſaxum in ſe emiſſum mordet dentibus infrendens. Inſuper *micare* dicuntur equi, cum incondito motu iubas, & totum corpus excutiunt, & pedibus terram pulſant, ad quod ipſum reſpexiſſe Poetam non renuo. Ideò *crudele micans*.

ÆTHONQVE SAGITTA OCYOR. Æthon græcum potiùs nomen, quam latinum eſt: nam & græcè *αἴθων*. Latinè interpretantur *ardens*, *ſplendidus*, *niger*, *bellicoſus*; ex qua nominis interpretatione ſatis conſtat hunc eſſe ſecundùm illum Plutonis equum, quem loco cit. *Inſolentiam* eſſe commemorauimus: nam, etiam ſi rectiùs eſſet interpretandum Inſolentiæ nomen, ita vt rem tantum inſolitam, ac non vſitatam ſignificaret, certè quid inſolitum eſt ſplendorem, ardoremque, ſeù lucidum ardorem cum nigredine, ac tenebris coniungi, ita, vt idem ſit ſimul ſplendens, & obſcurum, vt ex ipſo nomine equus iſte deſignatur. Si verò *inſolentia* accipiatur in ſua magis propria ſignificatione, vt ſignificat execrabilem quamdam male agendi licentiam, & de ipſis malefactis exultationem; hoc ipſum habes in myſtica huius nominis ſignificatione: nam quid ſignificat *niger ſplendidus*, niſi eum qui proprias animi deformitates ſplendores eſſe ſibi ſuperadditos arbitretur? Cum igitur Æthon ſit in ſua nigredine, & obſcuritate ſplendidus ita, vt de ſua ipſa malefactorum nigredine, tamquam de contractis ſplendoribus exoltet, quid pingi potuit inſolentius? Hinc eſt vt ardens etiam ſit; ſed *ardens bellicoſus*; nam, ſicuti ardens flamma ſemper ad ſphæram tendit, ſic ardens iſte ſemper ad Cœlum fertur, ſed cupiditate oppugnandi, cum non ſit *ardens* ſimpliciter, ſed *ardens bellicoſus*. Anne maior reperiri poteſt inſolentia, quam in bellum contra ſphæras aſſiduè exardeſcere? *Ocyor* autem *ſagitta* dicitur; quod non ſolum equi, ſed inſolentiæ aptiſſimam explicat qualitatem, quæ ſemper præcipitanter agit, illud negligens Prudentiæ præceptum *Feſtina lente*; nam Ocyor à græco *ὠκύς*, quod idem ſignificat, ac *celer*, nam *ὠκύτης* celeritas dicitur, efformatur, cum autem ardentem illum nomen ipſum indicauerit, nil mirum ſi *Ocyor* dicatur *ſagitta*; quanta enim velocitate ferantur ab arcu ſcytico eiibrata tela, neminem arbitror ignorare. Quid autem ſagitta ſit, notum pariter exiſtimo, nempè teli genus, quod ab arcu eiaculatum dicto citiùs euolat in ſcopum. Hinc collige quam aptè *inſolentia ceſpitationi* iungatur; nam ideò præceps dicitur celeritas, & ſi loquamur de celeritate noctiuagi, vt ex nigredine, & obſcuritate innuitur eſſe Plutonis equi multò magis præceps euadit celeritas. Adde interpretationem Dempſterij, qui ait Orphnæum interpretari poſſe *neceſſitatem moriendi*; quæ nam maior nobis ceſpitatio? Et Æthon interpretari poſſe *vim vrendi*. Quid nobis inſolentiùs, quam Cœlo creatos æterno corripi ab igne? Pluto autem raptorum neceſſitati moriendi vim vrendi coniungit celerem adeò, vt inter mortem, & combuſtionem nil vnquam interponi permittat.

ET NYCTEVS. Tertius hic equus eſt, in quo illum, quem, item loco cit., Pertinaciam nuncupauimus, agnoſcos nam Nycteus dicitur à *νεύω*, nomine ſcilicet verbali à verbo *Neuo* deducto, quod eſt oculorum, aliorumue toto membrorum nutu conari; conatur enim ſemper in Cœlum inferorum perfidia, &, licet conatuum pœnas experiantur, conari tamen vel incaſſum non deſiſtit, in quo maximè eminet Pertinacia. Quod ſi cupias græcam addere eruditionem, deriuatum nomen agnoſcas ab aduerb. græco *νυκτὸς*, quod *de nocte* ſignificat, & videbis quam aptè ad *νυκτοπορίαν*, hoc eſt ad *nocturnum iter* Nycteus, nempè nocturnus equus adhibeatur, qui *νυκτὸς*, hoc eſt de nocte inferorum, in qua detinetur, conatus exerat in Cœlum omnes, qui, licet reſpectu Cœli irrito cadant ſemper labore, non ſemper tamen omninò irriti, nam creaturam ſaltem ad Cœlum creatam interdum deturbat, eiuſdem conatus aſſequi perniciem, vt hic in raptu perficiendo, efficaciter. Et

GLORIA ideò dicitur *ſublimis armenti ſtygij*, quia, gloriabundus incedere videtur Infernus, ex eo, quod pertinaci perduellione ſemper contra Cœlorum ſtimulos recalcitret, &, vt ex Bracciol. alibi cit. diximus fuerit ſemper.

E greda ancho non ſon mai forze ſtanche,
Nè mai ſaranno; e ſaran ſempre eterne
Oppugnatrici alle virtù ſuperne.

ideò maximam inferni gloriam in hac pertinacia ponit & Auctor noſter; *ſublimis* enim dicitur quidquid alia ſuperexcellit.

STYGII ARMENTI. *Stygius* à ſtygia deriuatur palude, de qua ſæpè egimus, & locum notat ſpecialem inferorum, partem illam pro toto ponens. Armenti autem nomine id animalium genus deſignatur maximè, quod ad opus armorum idoneum ſit, vt equi de quibus hic ſermo. Sed aduerte, Poetam indirectè ſignificare Armentorum naturam ab omnibus indui damnatis, & ad illud forſan reſpexit, quod ex ſacris litteris habetur, quæ hortantes, ne in viam abeamus impiorum, inquiunt: *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*.

ET ALASTOR. In hoc quarti nomine equi illum denique agnoſco, quem, loco item citato, ſuperbiam eſſe monuimus; nam græcum nomen *ἀλάστωρ* eſt, quod latinè *peſſimus dæmon* interpretatur; peſſimus autem dæmon certè *ſuperbia* eſt, cum ipſa dæmones omnes procreauerit, tunc cum Luciferum inflans eò adduxit, vt parem ſe Deo facere moliretur. Ad quod apertiùs declarandum ſubdit

SIGNATVS NOTA DITIS. *Signare* enim eſt ſignum imprimere, vulgò *bollare*, ſeù *marcare*; quapropter Barth. exiſtimauit, huiuſmodi equum fuiſſe inſignitum littera græca Π, quæ *Plutona* ſignificaret, deſumpto ab antiquis more, noſtra ad hæc vſq; tempora perdurante, armentis ſcilicet notas inurendi. Non inficior ingenioſam, ac veram eſſe hanc Barth. expoſitionem: Sed gregaria hæc non ſequitur Vates, niſi arcano quodam myſterio decorentur. Cur enim iſte potiùs equus, & non alij ea dicantur nota inſigniti? Signatus itaq; procul dubio dicetur, qui ſignum ſibi gerit impreſſum, vt dignoſcatur cuiuſnam domini ſit: & olim non armenta ſolum, ſed & ſerui iniuſtis fronti caracteribus ſignabantur apud Romanos; ſed quo ſigno ab alijs diſtingueretur *ἀλάστωρ* inquiramus. *Nota Ditis*, inquit Poeta; Ditis nomine inſignitum fuiſſe Plutonem, initio huius lib., vidimus; ab affluentia diuitiarum quarum exiſtimaretur Deus. Porrò inſeparabilis videtur à diuitibus ſuperbia, iuxta decantatum illud: *Superbia diuitis non ſinit eum dormire*, & præcipuè ſi de eo diuite loquamur, qui deteſtabili ſemper in ſummum rerum omnium opificem odio fuit exardeſcens, vt certè Pluto, & dæmones ſocij, de quibus Pſaltes ait: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*. Hæc itaq; eſt *nota Ditis*, & hac eadem nota ſignatum Alaſtorem Auctor aſſeuerat, vt ſuam, non noſtram, eſſe ſui ſenſus explicationem oſtentet. Notant Parrhaſ. & Dempſt. idem eſſe *ἀλάστωρ*, ac punitor, quarè Iouem etiam Alaſtoris cognomine inſignitum dicunt eo quod vlciſcatur, & puniat eos qui *ἄλαστα*, hoc eſt non obliuiſcenda nefaria commiſerunt. Quo poſito, noſce Plutonis ſuperbiam, qui equo ſuo Epithetum Iouis attribuat: agnoſce Myſterium, nam per huiuſmodi equum notat tacitè Vates Proſerpinam ex delicto Plutoni tradendam, dum Alaſtore in ipſam inuehitur Pluto.

STABANT IVNCTI &c. Indicat hic parata iam omnia ad profectionem, & tempus tantummodò ad eruptionem opportunum expectari.

STABANT. Nempè equi, de quibus ſupra. Stare autem ſæpè ſumitur pro *poſitum*, ſeù *collocatum eſſe*. In quo ſenſu Virg. Æn. 1.

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

Iunxerat igitur curtui iugales Alecto, & foribus appropinquauerat, ibiq; ad profectionem paratos conſtituerat: ideò *ſtabant*; nam *ſtandi actus* proprius illius eſt, qui ad aliquid, ac præcipuè ad iter agendum accingitur, ideò *ſtabant* equi Plutonis ad iter prompti, & *ſtabant*

IVNCTI. Hoc eſt ſimul inuicem nexi, & ad currum trahendum compoſiti; quod attexuit Poeta, vt cohærenter ad iam poſita procederet, & per actum, oſtenderet actionem, cui peragendæ Alecto edixerat addictam. Optimè enim ſibi inuicem correſpondent: *Alecto temone iugat*; & ſubindè *iuncti ſtabant*

ANTE FORES. *Ante* præpoſitio eſt denotans locum, in quo equi morabantur, nempè ſpatium foribus propinquum.

quam. *Fores* verò ſunt valuæ domorum, quæ foris aperiuntur; ſed hic pro Ianua ipſa, per quam ingreſſus, & egreſſus habetur, accipiuntur. Perpende autem, quam optimus morum imitator ſit Claud.; nam quem latet, Principis egreſſuri currus ante fores ſtatui dominum expectantes? Sic igitur & Plutoni currum aptat &c.

ET SÆVVM FREMEBANT. *Fremere eſt confuſum quemdam ſonitum edere*, qualis eſt à fluctibus maris ventorum impetu agitatis. Hic tamen ponitur pro *hinnire*; ſed ita, vt indicet Vates, ita diuerſos quatuor equorum hinnitus, eodem tempore commiſceri, vt ex confuſis hinnitibus ſonus reſultaret confuſus, ac frementi Oceano ſimilis. Ideò *Fremebant ſæuum*; quod nomen eſt hoc loco aduerbiatum, idem ſonans, ac *horrificè*, & crudelitèr. Ex hoc autem hinnituum horribili fremitu generoſitatem eorumdem inſinuat equorum pulcherrimè quidem Vates; nam equus melioris notæ, vt ait Virg. egregiè

Stare loco neſcit, impletq; hinnitibus aures.

SPECTANTES. Qui cum Clauerio diceret *ſpectantes* poſitum fuiſſe pro *expectantes* facilè ſe exſolueret ab expoſitione, nec facilè redargui poſſet. Sed altiùs ſe mihi videtur efferre Vatis ingenium, dum ſenſum non ſolum; ſed cognitionem, quaſi rationalem, video ab illo Plutonis hoc loco equis attributam. *Specto* igitur idem eſt, ac multum, & fixè intueor, quod tàm de intuitu ſenſitiuo, quàm de mentali, ideſt de cognitione, ac conſideratione intellectuali dici poteſt. Hic igitur *ſpectantes* poſitum arbitror pro *attentè, & quaſi geſtientes animo meditantes*. Nec videatur abſurdum Plutonicas tantum tribui equis ab Auctore; nam memineris, Alaſtorem peſſimum eſſe dæmonem, ac conſequenter omnes Plutonis equos dæmones fuiſſe, quorum non impropria meditatio, ac perpetrandorum malorum geſtiens contemplatio. Voluit igitur Poeta hoc verbo malam dæmonum naturam deſignare, qui impatientes ſemper cuiuſcumq; moræ, qua retardentur ab impijs exercendis, cogitatione aſſiduâ opus percurrunt; & mente perficiunt, quod opere complendum facilè exoptant.

GAVDIA. Gaudent ſemper dæmones quotieſcumque aliquem ſe deducturos ſperant in Barathrum. Ideò *ſpectantes gaudia*, cum in Proſerpinæ perditionem iuncti eſſent. Et *ſpectantes gaudia* proprij regis, quem iam voti compotem gaudijs procul dubio replendum meditabantur, geſtientes quod talibus & ipſi gaudijs eſſent cooperaturi.

CRASTINA. Craſtinum dicitur quod in proximè ſecuturum diem promittitur obtinendum. Præſcripſerat Iupiter, non ante craſtinam lucem educendam Proſerpinam.

Craſtina puniceos cum lux detexerit ortus &c.

ideò craſtina dicuntur gaudia, quæ in craſtinum dilata expectabantur, ſed meditatione præripiebantur.

VENTVRÆ PRÆDÆ. Præda, quaſi *Parida*, à pariendo dicitur, quod manu parta ſit: & propriè *præda* dicuntur corpora ipſa rerum, quæ in poteſtatem prædatoris deueniunt: pretium verò ex ipſarum rerum venditione coactum *Manubiæ* dicuntur. Congruit itaq; principio egregiè huius libri finis: nam primo initio cecinit:

Inferni raptoris equos afflatáq; curru &c.

Finis iiſdem clauditur curru, & equis, ac Præda Raptori reſpondet, quæ parta dicenda foret prædatoris manu, cum de Raptu Proſerpinæ, qui iam immineret, agatur. Ideò *Præda* inquit, *Ventura*; hoc enim vnico verbo recapitulat quidquid hoc libro continetur, de damnatione Proſerpinæ modo à nobis explicato. Proſerpina enim *Præda* erat, de qua hìc dicitur *ventura*; nempè *ventura*, quia eam Venus eſſet Proditura; *Ventura*, quia fatis addicta effugium non haberet; ſed ne cogentia innuat Fata, & inſontem damnari fateatur, *Ventura*, inquit, quod præ ſe fert ſpontaneum actum, nam, qui cogitur, non venit, ſed trahitur, ac violenter ducitur; at, qui venit, ſpontè videtur iter elegiſſe; ideò *Præda* erat *Ventura*, quia ſpontè Venerem ſecutura. Rapienda quidem erat Proſerpina; ſed tamen dicitur *Ventura*, quia propriæ neglectâ curâ ſalutis, meruerat, vt ex præuiſis meritis tali damnaretur excidio, atq; adeò videtur ſpontè damnari, ſpontè in Orcum ferri. Sed iam quid ad mores colligere ſtudeamus, ne & nos cùm ipſa feramur.

Veh' illis, qui in tenebris ambulant: Veh' illis, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent: Iudicium enim veniet ſicut fur in nocte. In tenebris autem ambulat, qui propriæ excutiens ſaluti propinquas prolabendi occaſiones ſedulus non euitat: In tenebris verò ſedet, qui erroribus ſcatens in vtramq; aurem dormit, nec, propriam licet agnoſcat perniciem, e ſomno vnquam ſurgit, vt ad ſalutis portum confugiat. Frater verè Mortis hic ſomnus eſt, ideò nil mirum, ſi repentè, ſæpiùs, ac facile in mortem ex huiuſmodi ſomno delabimur. Has noctes, has tenebras obſeruat tartareus vmbrarum Rector, vt inſidias ſtruat, vt rapiat, vt impunè dilaceret: & ſilenti, ac noctis caligine tecto, curru, nocturnos expediat equos, vt è tenebris tranſitorijs ad tenebras incautam rapiat animam æternas. Surge igitur, qui dormis, & ne illis te velis aſſociatum, qui dilexerunt magis tenebras, quam lucem. Tartareus eſt hoſtis ad portas; opportunitates explorat; ad rapiendum inhiat; caue, ne Veneri adhæreas hoſtibus ſuffraganti: caue, ne, dum confidentiùs agis, te ipſum ſpontaneam hoſtibus offeras in prædam.

Sed iam primum Claudiani cantum morulis admixtum, abſolutumq; ab ipſo librum Italicis quæſo cantibus abſoluamus, claudamuſque.

Ne gl' auelli del mar ſepolto il giorno,
Sorgean le ſtelle ad ingemmare i Cieli:
Già, sù 'l cocchio dell'ombre, al Polo intorno
Scorrea la notte in tenebroſi veli;
E, de gl'humidi lembi, il ſonno adorno
De papaueri il crin, laſciando i ſteli,
Cadea nel Mondo, e, frà ricetti ombroſi,
Godea d'intronizar pigri i riposi.
Quando dell' ombre il Regnator feroce,
Che d'vn cenno di Gioue i ſenſi inteſe,
Dal chiuſo ſen della tartarea foce
Bramato viaggio ad alleſtire impreſe.
Le rocche d'Etna al ſuo diſſegno atroce
Segna in teatro: il rio penſier le reſe
Meta d'auide brame; e colà vuole
Per ſua notte arricchir, rapire vn Sole.
Que sfrenati corſier, che d'Aconito
Paſcono i germi, in sù l'horrende ſponde,
Che de torbidi fumi empie Cocito;
E, dou' eterno horror l'Erebo infonde,
Spatian de prati in tenebroſo ſito:
Quei, che, di Lethe abbeuerati all' onde,
Spuman quell' obliuion, ch' ogn' alma vince,
L'odioſa Aletto al nero cocchio auuince.
Spira cieco terror mordendo i freni,
Tutto di crudeltà compoſto, Orfnéo:
Più veloce de ſtrali, e de baleni,
Ben pareggiarlo il fiero Ethon potêo:
Sbuffa, sù 'l morſo in vomitar veleni,
De gl' armenti di Stige honor, Nittêo:
Ed Alaſtore altier, che del gran Dite
Porta le marche, à ſuo fauor, ſcolpite.
Gl' aggiogati deſtrieri, alle gran porte,
Stauan già in pronto ad aſpettar l'incarco,
Sembra il fiero annitrir tuono ch'apporte
Del fulmineo fragor le ſcoſſe al varco:
Il deſio d'afferrar propitia ſorte
A lor non più, ch'al lor ſignore è parco;
E, per rapir di nuoua ſpoſa il ſaggio,
Del nuouo Sol ſolo s'attende il raggio.

Aſt dum ipſi expectantes, impatienti licet hinnitu, remorantur; quidni & nos remorantes, quæ in ſecundum ſeponuntur librum, libenter expectemus? Finis igitur laudi, donec, noui Solis aſpectu, rudis hæc Memnonis ſtatua nouos iterum in accentus excitetur.

Finis Commentariorum Libri Primi.

IN PRÆFATIONEM AD CLAVDII CLAVDIANI LIBRVM SECVNDVM DE RAPTV COMMENTARIA.

Argumentum Præfationis.

HAnc præfationem expungendam hinc prorſus arbitratur Heinſius, cum ad rem minimè illam facere aſſeueret, fretus, vt ipſe ait, Regio & Oxonienſi libris, qui hæc in rem habeant exarata. *Illud totum ab hoc verſu, (nempè* Otia ſopitis &c.) *vſq; ad illum locum* Impulit Ionias &c. *vitioſum inſertum eſſe, quia non eſt de hoc opere, ſed Præfatio cuiuſdam alterius, eiuſdem tamen Auctoris.* Verùm non video allegatam ab Heinſio cauſam, cur dixerit ad rem non eſſe; nec libri aut Regius, aut Oxonienſis ab ipſo citati nominatim aſſerere auſi ſunt, cuiuſnam alterius ſit operis hæc Præfatio; licet alterius eſſe operis aſſeuerent; quod ſemper gratis dictum putabitur, donec non conſtet, cui nam alteri ex Claud. Poematibus addicta fuerit ab Auctore. Certè ad rem eſſe oſtendit Parthaſ. & cauſam notat cur hic inſerta fuerit, dum ait: *Grauius agit Florentino, cuius veteris liberalitate prouocatus, ad carmen rediero Poeta, anguſtia rei familiaris intermiſſum.* Parrhaſio adſtipulatur Clauerius inquiens. *Præfatio hæc ſcripta eſt ad Florentinum virum pacis, belliq; artibus nobilem, cuius hortatu videtur Poeta intermiſſum opus proſecutus eſſe.* Quid plura? ex ipſo Præfationis contextu ſatis patet, Claudianum, peracto lib. 1. de Raptu, opus ſuum, alijs fortaſſe curis diſtractum, intermiſiſſe; cum enim progreſſum huius operis conferat cum reaſſumptione Cytharæ, facta ab Orpheo; & innuat Cytharedum illum diù ſepoſitum, neglectumq; opus reſumpſiſſe, Alcidis intuitu; certè & opus ſuum diù ſepoſitum indicat, ac ſubindè in Gratiam Florentini reaſſumptum. Cum itaque ab adiunctis, & effectibus amplificauerit damna, ex tanti cantoris taciturnitate Threicijs in oris prouenientia, mutatam rerum faciem oſtendit, cum nactus iterum Orpheus modulandi cauſam; glorias videlicet Alcidis, plectro pulſans ebur, aſſuetis denuò prodigijs patriam recreauit: quæ prodigia recenſet pariter Poeta noſter, vt in Alcidem ipſius Orphei gloriam refundat tamquam in cauſa, de qua dici poſſet; Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati. Hoc autem poſito, Florentinum Mæcenatem ſuum Alcidi aſſimilat, quo ad eam partem, qua proprijs meritis, licet ab Alcidis merito diuerſis, Poetæ taciturnitatem infringit, atq; ad reſumendum interceptum opus efficaciter excitat. Quænam autem fuerint hæc Florentini merita non exprimit; ſed facilè ex comparatione deduci poteſt; nam ſicuti Alcides virtute ſua amici plectrum excitauit Orphei; ſic Florentinus, qui dicitur Præfectus Vrbis fuiſſe, Anno 397. Cæſario, & Attico Coſs., virtutis amans, gratumq; gerens animum in Auctorem, ob primum librum ſibi dicatum merebatur profectò, vt Auctor cæptum proſequeretur, ac nouam melleæ poeſis dulcedinem auide haurienti propinaret. Quare ſola cupientis Amici recordatio, nedum collata ab illo beneficia, incitationeſq; ſtimulus ſe inſuper aderant Auctori, ne interceptum opus deſtitueret, donec tandem denuò Plectrum pulſans Auctor ſilentium, quo vſus fuerat, infringeret, ac in tanti Mæcenatis obſequium cæpta proſequens, ijſdem præluderet inſonans *Otia ſopitis ageret &c.*

CLAVDII CLAVDIANI

In ſecundum de Raptu Proſerpinæ librum.

PRÆFATIO.

OTia ſopitis ageret cum cantibus Orpheus,
Neglectumq; diù ſepoſuiſſet onus;
Lugebant erepta ſibi ſolatia Nymphæ:
Quærebant dulces flumina mæſta modos.
Sæua feris natura redit, metuenſq; Leonum
Implorat Cytharæ vacca tacentis opem.
Illius & duri fleuere ſilentia montes,
Syluaq; Byſtoniam ſæpè ſecuta chelim.
Sed poſtquam Inachijs Alcides miſſus ab Argis
Thracia pacifero contigit arua pede,
Diraq; ſanguinei verrit præſepia Regis,
Et Diomedeo ſanguine pauit equos:
Tum, Patriæ feſto lætatus tempore, Vates
Deſſuete repetit fila canora lyræ;
Et reſides leni modulatus pectine neruos
Pollice feſtiuo nobile duxit ebur.

OTIA SOPITIS &c. Initio huius præfationis, per enumerationem incommodorum, Orphei taciturnitatem ſubſequentium, oſtendit, quam ingrata, quam deplorabilis eſſet omnibus ipſa eadem taciturnitas, vt magis ſubindè emicet commune omnium gaudium, ea iterum concinnente lyra, quæ taciturnitate premebatur: neque enim ignorare poterat erudítiſſimus Vates, oppoſita iuxta ſe, poſita magis ſemper eluceſcere: quarè, dum glorias Alcidis, atque Orphei ſic exornat, ſe ipſum, in hac ſua Præfatione, miris vtique ditat luminibus. Sed inſuper optimè nouerat à contradictorio in contradictorium, non dari tranſitum, ſine aliqua mutatione; ideòq; optimum duxit indicare nouam cauſam immutantem Orphei voluntatem, ita vt de nolente in volentem tranſmigrarit, & depoſitam iam diù chelim iterum reſumeret pulſandam, ne videretur leuitate ductus, ſed efficaci cauſa motiua impulſus ad mutationem. Cauſam hanc itaq; refundit in communem Patriæ lætitiam, ob pacificum Alcidis aduentum, quem miſerat Euriſtæus ad liberandam à Diomedea tyrannide Thraciam. Et profectò æquum erat, vt Ciuis, Patriæ ſemper addictus, Patriæ eiuſdem gaudijs concineret, ne videretur Patriam vel odiſſe, vel aſpernari, ſi, in ipſius lætitijs, mærorem ipſe ſeruaſſet, & nullum edidiſſet ſignum participationis Patriæ gaudiorum.

CVM ORPHEVS. Aduerbium temporis hic eſt particula *cum*, idem ſignificans, ac *quando*; quod, licet indicatiuo iungi poſſit, perbellè tamen etiam coniunctiuo adhæret, vt in præſenti. Denotat autem tempus, quo incommoda, inferiùs deſcribenda, viguiſſent; ſcilicet *cum Orpheus &c.* Iuxta Aſclepiadem, Pindarum, Ouid., & alios, Apollinis ex Calliope muſa filius fuit Orpheus; & lyram vel à Mercurio, vt aliqui, vel ab ipſo Patre Apolline, vt alij, & quidem congruentiùs, dicitur accepiſſe, ac Thracias à Thracia, loco ſcilicet eiuſdem natalibus condecorato, dictus fuit. Hic, vt Zerſes, apud Mythol. Nat. Com. lib. 7., teſtatur, c. 18., Coetaneus Herculis, floruit centum annis ante Troianum bellum, ac tanta canendi peritiæ excelluit, vt ad eius cantum vel aues ad-

aduolarent; immò feræ mites iam factæ properarent, flumina curſum ſiſterent; ſaxa ipſa, rupes, ac Syluæ accurrerent; Veneti denique ipſi volatum compeſcerent aures præbituri. Sed nota iam Lippis, & tonſoribus ſunt, quæ de Orpheo canente decantantur; quarè non immoror. Tantum hic exarare non pigeat, quæ de illo cecinit Hor. lib. 1. Carm. Ode 12. ad Auguſtum.

Aut in vmbroſis Heliconis oris,
Aut ſuper Pindo, gelidoue in Hæmo;
Vndè vocalem temerè inſecutæ,
Orphea ſyluæ.
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus, celereſq; ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere Quercus.

Alij cum Apollonio, & Diodoro, volunt Orpheum Oeagrij & Polyhymniæ filium fuiſſe, & non vnico ante bellum Troianum ſæculo, ſed vndecim ante ipſum ſæculis floruiſſe, teſtatur Suidas. Sed hanc Auctorum diſcrepantiam arbitror ex eo prouenisſe, quod plures fuerint Orphei, quorum opera tamquam ab vnico prouenientia decantentur: Sic video ab aliquibus affirmatum, cum Argonautis Orpheum in Colchos profectum eſſe, & ſubinde Argonauticorum hiſtoriam conſcripſiſſe; quam tamen exaratam ab Orpheo Crotoniate, non à Thrace, autumat Parrhaſ. Sed quidquid de ijs ſit, certè non derogant excellentiæ illi, qua præſtantiſſimus extitit Orpheus noſter, ad quam alludens Virg. Ecl. 4. ait

Non me Carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus &c.

Quarè, contra communem omnium ſenſum cum clamitent Dionyſius, & Ariſtot., Orpheum numquam Poetam extitiſſe, audiendos vtique non arbitror. Quapropter appoſitè hic Auctor inſonat: *Cum Orpheus*

AGERET OTIA, quod idem eſt, ac *otiaretur*, ſeu, *vacatione à cantibus fruens, ſe ipſum quieti, ac tranquillitati componeret.* Nam *otium* idem eſt, vt vidimus lib. 1. in fine, ac *vacatio à labore*, quicunque tandem ſit ille labor, à quo ceſſamus. *Agere* autem, hoc loco, nil aliud eſt, quam *ducere*, ſeu *protrahere*. Senſus igitur eſt: Tunc temporis cum Orpheus nullas iam ederet cantiones, ſed à pulſandis fidibus vacaret &c.

SOPITIS CANTIBVS, *Sopitus* dicitur qui ſomno grauatus imaginem demortui præfert; ſicut autem, qui dormit, ne recogitat quidem, quæ ipſi peragenda ſint; ſic Orpheus adeò Poeſim poſthabuiſſe inſinuatur, vt ne cogitaret quidem de pulſanda iterum Cheli; ideò *ſopitis cantibus*, inquit Vates, effectui tribuens, quod cauſæ proprium fuerat. Cantus verò quædam eſt modulatio, & inflexio vocis, qua muſicalium alternationum varietate mirificè animi recreantur. Aſt quia Poeſes, metro, ac numero, non minus, quam muſici concentus cromis, alijſque notis, concinnantur ad delectationem; & inſuper ad Cytharam ſæpè ſæpiùs actualiter decantantur; hinc eſt, vt quælibet Poeſis *Cantus* nomine decoretur, vt lib. 1. initio adnotauimus; Quarè idem eſt hic *ſopitis cantibus*, ac *Poſthabitâ Poeſis melodiâ*, ac *Cythara neglectâ dulcedine*. Verum ſtatim inſurgit ſedula curioſi animi perquiſitio, cur ſcilicet Orpheus, quæ priùs auidè amplexabatur, neglexerit ſubinde adeò, vt ſuperbo quaſi quodam faſtu deſpiceret? Sed reſpondet facilè exulans Ouidius

Carmina proueniunt animo deducta ſereno
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.

Noſtis ductam ab Orpheo vxorem Euridicen, cuius amore cum incenſus fuiſſet Ariſtæus, Cyrenes ex Patre Apolline filius, eamque, vt vim inferret, quoniam placatam habere non poterat, inſequeretur, illa, per deuia velociſſimo diffugiens curſu, à ſerpente in herbis latente icta, interijt: Noſtis Orpheum, audita coniugis morte, tantùm fidibus confiſum ſuis, vt, ſumpta Cheli, auſus fuerit armonicis concertationibus tartareum aggredi regnum, vt flecteret, ſibique reſtituendam Euridicen non deſperaret,

Flectit Regemque tremendum,
Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda,

vt pariter noſtis ex Virg. Georg. 4. ac coniugem obtinuit reducendam: ſed ea lege, vt non, antequam mortalium exiliſſent in lucem, eam reſpiceret Orpheus. Iam ſuperum conuexa tenebant propemodum, cum geminatis inferorum fragoribus perterritus amans, metuens ne Euridices iterum, illo inſcio, raperetur, faciem conuertit reſpecturus num illa ducem adhuc ſequeretur: ſicque non ſeruatis inferorum legibus labor omnis euanuit, atque in ictu oculi Euridicem denuò amiſit ſuam. Hæc omnia fusè digerit Virg. Georg. 4. qui etiam luctuoſis poſtmodum ſemper indulſiſſe carminibus aſſerit Orpheum, donec & ipſe diſcerptus à Threijcijs, quas ſpreuerat, fœminis ad Euridicen ſub tartara mitteretur; ac Virgilium ſecutus Marinus noſter Idilio 1. Hæc ipſa Italicis fidibus decantat, & Orpheum inducit lamentationibus addictum, ac plectro ſuo ſilentium indicentem, nunquam in poſterum læta decantaturum. Ego non lætis tantum, ſed quocumque cantionum genere abſtinuiſſe Orpheum non incongruè arbitrarer; & quidem Naturam ſequerer, vt puto; nam fruſtrato Cytharæ labore, quid iterum tentanda Chelis, quæ quoties ad manum veniſſet ſumma vtique doloris vulnera exacerbaſſet, renouatâ luctuum memoria? Ceſſit igitur operi, vacationem à cantibus inſtituit, &, Chelim ipſam peroſus, fides, plectrum, ac cantum neglexit adeò; vt ne Poetam ſe quidem fuiſſe meminerit. Ideò *Sopitis cantibus &c.*

ET SEPOSVISSET OPVS &c. Legit Heinſius

Neglectumque diù ſepoſuiſſet ebur,

& eleganter vt fatear. Sed quia in eodem prorſus ſenſu paulò inferius idem nomen *ebur* exaratum video, non exiſtimaui hoc etiam loco admittendum, ne dicatur inops dicendi Vates idem repetiſſe inopia verborum coactus. Vulgata legit *Depoſuiſſet opus*. Ego vulgatam ſequor quo ad nomen; Heinſium verò cum Clauerіano, ac Voluſiano codice quo ad verbum. Non quidem quod vulgata æquè bene ſuſtineri non poſſit, ſed quia verbum *ſepoſuiſſet*, directè magis videtur affectum exprimere, & effectum operi vale dicentis. Nam *ſeponere* eſt *ſeorſum ponere*, vulgò *laſciar da canto*. Si quis tamen tueri cum Parrhaſ. vulgatam vellet, notet *deponere* idem eſſe, ac *deorſum ponere*, & *aliquid, quaſi ſarcinam, detrectare, & abijcere*; quod in idem recidit, cum eo quod ſignificatur per verbum *ſeponere*. Aliquando autem *deponere* idem ſonat, ac *deſperare*; & non incongruè in ſenſu aptaretur hic, quaſi deſperatione renouandæ conſolationis deperditæ actus Orpheus cytharam depoſuiſſet, & canendi opus ad vltimos vſque ſcythas relegaſſet, ideò & *depoſuiſſet*, ſeu *ſepoſuiſſet*, & quidem

DIV. Quod aduerb. eſt diuturnitatem temporis importans, quo ve vtitur Auctor, vt magis amplificet inueteratam iam Orphei deſuetudinem.

NEGLECTVM. Particip. eſt à *negligo* deductum: negligere autem idem eſt, ac *deſpicere, contemnere, poſthabere*; vulgo *mettere in non cale*; nam *negligo* idem quaſi eſt, ac *ne legere quidem dignor*, vulgò *no'l coglierei di terra*: ſicuti quis, incidens in quiſquilias, oculum auertit potiùs, quam luſtret, eaſq; legere dedignatur, cum Faſtu vtique deſpiciens. Sic, vt oſtendat Auctor, quantum iam Poeſi abhorreret Orpheus, eam appellat *neglectum*, ideſt *deſpectum, poſthabitum, faſtidioſum*.

OPVS. Quidquid operando perficitur *operis* nomine deſignatur: quidquid ſit, an illud ſit quid tranſiens, vel quid immanens; ſit aliquid vltra actionem remanens, an cum ipſa periens actione, quod nil aliud quam actio ſit. Pro intelligentia notandum, in hoc diſtingui notiones practicas à ſpeculatiuis, quod ſpeculatiua in ſola contemplatione obiecti conquieſcit; practica verò ſemper tendit ad *opus*; atque adeò ſicuti notiones ſimpliciter ſpeculatiuæ ſub ſcientiarum habitu continentur; ſic practicæ in artium ſeriem rediguntur. Porrò duplicem agnoſcunt artem Phyloſophi, aliam factiuam, aliam actiuam. Factiua eſt, quæ ſemper *opus* aliquod *factum* poſt ſe relinquit, vt ædificatoria, quæ conſtructum relinquit ædificium, frænifactoria frænum, ſtatuaria ſtatuam &c. At verò actiua nullum poſt ſe opus factum relinquit: ſic ſaltatoria, peractis choreis nil factum relinquit; Muſica, peractis harmonicis concentibus, nil factum oſtentat &c. non tamen ideò remanet quia verè opus dicatur id, quod vtraque ars operatur. Iure igitur Vates vocat hic *opus* cantum Orphei, nam ipſa cantus exercitatio certè aliqua eſt operatio, licet ceſſante cantu nil inſuper adſit. Qui autem *ebur* legunt, materiam pro re ſignata ponunt, nempè *ebur* pro *eburneo plectro*.

NYMPHÆ LVGEBANT. Nymphas Oceani, ac Thetyos filias memorant antiqui, quas etiam communi omnibus earum nomine Amadryadas vocitarunt, eaſdemque fluuiorum fuiſſe matres indicat Virg. Æn. 8.

Nymphæ Laurentes, Nymphæ, genus amnibus vnde eſt.

Porrò Nympharum cætus varias patitur diuiſiones, nam aliæ cœleſtes putantur, aliæ terreſtres, aliæ fluuiales, aliæ æquoreæ; aliæ ſtagnorum præſides &c. Nymphæ cæleſtes animæ dicebantur eſſe ſphœrarum, ac vires influxuum, qui

inde

Inde adiuos eis iraſcat, aliqui Muſas alij, alij Syrenes vocitarunt, vt forſan harmonicæ ſphærarum motus cauſam aſſignarent. Certe Muſas Nympharum nomine compellat Virg. Ecl. 7.

Nymphæ, noſter amor, Libethrides aut mihi carmen
Quale meo Codro concedite &c.

Dum Virg. de Nymphis cœleſtibus mentionem fecit Æn. 1., licet numerum excedens Muſarum videatur inferre non ſolas Muſas Nymphas eſſe cœleſtes, cum enim Iuno inducatur ſuppetens ab Æolo, vt ventos in Troianorum perniciem immittat, præmij alliciens, vt vidimus etiam lib. 1. ad Carm. 196, hæc habet

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili &c.

Nymphæ pariter terreſtres in varias claſſes ſubdiuiduntur; nam aliæ Deæ Montium præſides habebantur, & appellatæ fuerunt Oreades, aut Oreſtiades: aliæ Syluis credebantur addictæ, immò & ſingulis ſyluarum arboribus, quas Dryades, ſeu Amadryades dixerunt: aliæ paſcuis, & floribus, quas Napæas vocarunt: aliæ fluuiorum præſides, Naiades dictæ: aliæ fontium Ephydryades vocatæ: aliæ ſtagnantium aquarum, Limniades appellatæ: Aliæ tandem Maris, Nereidum nomine deſignatæ &c. Nymphas omnes Deitatis quidem titulo inſignitas recenſent, iiſdemque ſacra referunt inſtituta; ſed fuerunt qui eas, non omninò immortales, dixerint, licet innumerabilem annorum numerum iiſdem tranſigendum conceſſerint. Montanas Nymphas inuenies apud Virg. Æn. 1.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana Choros; quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades &c.

Ecl. 6. Montanarum ſimul, & Syluestrium meminit.

. . . . Claudite Nymphæ
Dictææ, Nymphæ nemorum iam claudite ſaltus.

Georg. 3. Syluestres proprio appellans nomine ait

Interea Dryadum Syluas, ſaltuſque ſequamur.

Nymphas paſcuis, ac floribus Præſides memorat Ecl. 2.

Huc ades, ò formoſe puer; tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis &c.

Georg. 4. Cyrenes, docens modum reparandi protritas apes, inſinuat filio, vt Deas florum Napeas placet.

Tu munera ſupplex
Tende petens pacem, & faciles venerare Napeas.

Fluuiales item Nymphas agnouiſſe liquet ex eiuſ. Georg. 4., vbi Virg. non ſolum in genere de iis loquitur, ſed particularia plurium nomina exprimit, dum circumſtantes Cyrenem ſingillatim recenſet

At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alto
Senſit: eam circum Mileſia vellera Nymphæ
Carpebant hyali ſaturo fucata colore
Drymoque, Xanthoque, Lygeaque, Phyllodoceq; &c.

& Ecl. 6. *Addit ſe ſociam, timidiſq; ſuperuenit Ægle,*
Ægle Naiadum pulcherrima &c.

Ephydryades verò, ac Limniades, cum omnes ad aquas pertineant, communi Naiadum nomine comprehenduntur; atque adeò nil mirum, ſi non tam facile proprio notatas nomine comperereris: eas tamen recenſet Mythol. Nat. Com. lib. 5. cap. 11. Nereidum autem marinis fluctibus præſidentium mentionem habes Virg. Æn. 5.

Dixit: eumque imis ſub fluctibus audijt omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panopeaq; Virgo.

Sed iam ab iſta Nympharum cognitione ad explicationem noſtram regrediamur. *Nymphæ*

LVGEBANT. *Lugere* exuberantem videtur luctum importare, quo adeò inceſſantes defluant lacrymarum fontes, vt vita breui appareat diſſoluenda: *Lugeo* enim aliqui putant deductum à Græco λύω, quod latinè eſt *ſoluo*, eo quod aſſiduo, luctu vitæ compages diſſoluatur; cum autem actiuè conſtruitur, vt hic, idem ſignificat ac deflere, ſeù deplorare. Sic Metamor. 11.

Orba ſororis Ceyx, illo qui tempore maſtus,
Diſſimileſque ſui, fratrem lugebat ademptum.

Interdum tamen *Lugere* pro eodem accipitur, ac *veſte lugubri conceptum dolorem teſtari*. Sic Liuius lib. ab vrbe condita 2. loquens de vltore pudicitiæ Bruto iam defuncto, inquit: Matronæ annum, vt parentem, eum luxerunt; idest pullis veſtibus eius funerum acerbam vtique memoriam teſtatæ ſunt. In vtroque ſenſu apprime hic conſonat; nam, ſi rores *Cæli lacrymas* appellarunt Poetæ, quid ni dicantur Cœleſtes Nymphæ quotidianis, vrgente cauſa, lacrymis indulgere? Si roribus gaudent flores, cur non dicantur lacrymis enutriri Napæas, ſeù potiùs lacrymis flores ſuos irrigare, cum ſuppetit doloris occaſio? Naiades, Ephydryades, ac Nereides, aquas ſemper ſtillantes, nonne videntur Marſyam imitari deflentes? Lugebant igitur Nymphæ; ſed, exſiccatis profluuio lacrymis, lugubri veſte, conceptum teſtabantur dolorem; ceſſante enim hilaritatis cauſa, non poterat quin mæror omnes earum animas inficeret; ac in ſolitos erumperet ſubſequentis effectus ſqualloris. Dum igitur mærentes Poeta inducit Nymphas, omnia mæroribus indicat circumfuſa, poſſeſſoribus ſcilicet adductis pro rebus ipſis poſſeſſis.

SOLATIA. Hoc eſt, quod Nymphæ lugebant, nempè mentis ſolamen, hilaritatem percipi ſolitam ex Orphei cantu; nam *ſolatium* propriè eſt *animi conſolatio, recreatio, & leuamen*. Fruebantur gaudijs Nymphæ, tripudia, canente Orpheo, peragebant; ſicque, eo ceſſante, mærent; & cum priuatio generet appetitum, appetitus deſiderium, & deſideria fruſtrata magis torqueant, nil mirum, ſi lugerent Nymphæ ſolatia.

EREPTA SIBI. Particulam reciprocantem nemo, arbitror, ignorauerit. *Erepta* partic. eſt à verbo *Eripio* denotante violentiam, qua quid ab alio diuellitur; ex quo magis in iam indicatam trahor ſententiam, qua ſcilicet innuebam, omnimodam ceſſationem Orphei à cantu ex amiſſa iterum Euridice ortum habuiſſe. Sic enim animo rem euoluo. Certè ſolatia hic memorata dupliciter conſiderari poſſunt; vel ſcilicet vt formalia gaudia ſunt; vel vt cauſatiua gaudiorum. Formale ſolatium eſt gaudium illud, quod animo percipitur, & in animo, tamquam forma accidentalis, ſubiectatur. Hoc gaudium, ſi cauſa remoueatur vel productiua, vel certè conſeruatiua, per ſe ipſum, nulla alia vi impellente, dilabitur; ideòque impropriè *erepta* diceretur. Gaudium cauſale eſt id, quod cauſa gaudij eſt: quarè cauſa ſolatij Nympharum, nempè Orphei cantus, earum erat *ſolatium cauſale*. Hoc reſpectu quidem Nympharum *erepta* profectò non poterat; nam eripere violentiam importat, vt vidimus, nec violenter agere dicitur, qui, quod ſuum eſt, ſponte detinet, licet, per prius, prodigè ſolitus fuerit elargiri: reſpectu verò Orphei, certè *erepta* poterat; nam qui volenti obnititur vim inferre profectò dicendus eſt. Sed quid voluntati Vatis vim intulit, & canendi facultatem eripuit? Id certè, quod ſecundo Euridicem ab eo diuellens in tartara iterum detruſit; ſecumque omnem amantis abſtulit lætitiam, & cantum. Video huic meæ ſententiæ opponi, quod cecinit Virg. Georg. 4. nempè Orpheum non ceſſaſſe à cantu poſt Euridicen ſecundò amiſſam, ſic enim habet ibi Poetarum Princeps.

Septem illum totos perhibent ex ordine menſes
Rupe ſub aeria deſerti ad Strymonis vndam
Fleſſe ſibi, & gelidis hæc euolniſſe ſub aſtris,
Mulcentem Tigres, & agentem carmine quercus.

quem Virgilij locum pulchrè imitatur Marinus in Idilijs, Idilio 1., licet hanc ipſe Orphei ſolitudinem, ad primam Euridices amiſſionem, indicet ſubſecutam, dum ſuauiter inſonat

Laſſo da indi in poi la notte, e'l giorno
Meſto viddelo il boſco, e meſto vdillo
Piangendo gir per ſolitarie valli
E per ſpelonche inoſpite &c.

poſt amiſſam verò ſecundò Euridicen idem Marinus cit. Orpheum inducit, iuxta Virg. ſupra, denuò cantibus indulgentem, luctuoſis quidem, ſed miris tamen, dum inquit

Pianſe gran tempo, e fù veduto poi
Trè meſi, e quattro intieri
Hor per gl' alpeſtri fianchi
Dell' Hemo; hor per la falda
Della Rupe Rifea;
Hor ſotto tempe; hor sù l'horribil foce
Del Tanai freddo; hor sù le rupe algenti
Dell' aggiacciato ſtrimone doleſi &c.

& paulò inferiùs prodigia cantum ingerit ſubſecuta hæc addens

E fù sì fatto il canto,
Ch' in ſpatioſo piano, oue non era,
Trà l'herbette minute, ombra d'arbuſto,
(O' miracol de carmi)
Dalle montagne tracie
Traſſe i boſchi ſeguaci &c.

recenſet enim ſubindè ibi flumina detenta, ventos ceſſantes, alites libratis alis conſiſtentes, rupes accurrentes, Dryades

des properantes &c. quæ fuſiùs videat apud eum curioſus, concinnè potiùs elaborata, quam congruè ad naturæ motuum, morumque imitationem, quæ tamen præcipua virtus Poeſis eſt: nam, ſi prima Euridices amiſſione, ſolitudines quæritat, per ipſum, Orpheus. & languidis vix indulget notis; quid eſſet facturus, amiſsâ iterum, & quidem proprio, licet excuſabili errore, coniugis vitâ? Certè exaſperatum vulnus, & refricatum, debuit & debilem illam, quam priùs habuerat vocem ſupprimere, & in immenſum adeò doloris excreſcere, vt fontem etiam lacrymarum vel penitùs exſiccaret, vel adeò in profluentes cogeret, vt quemlibet vocis vſum interciperet. Sed dato queſtubus indulgeret Orpheus ſaltem iuxta Virgilij moderationem, qui non aſſertiuè, de veritate dubitans, loqui voluit, ſed tantum relatiuè, dum ait; *Perhibent*. Dato hoc inquam ipſo certè ſolatia afferre non poſſunt querimoniæ, lamentationes, & threni, immò, dum compaſſiuis affectibus animos titillant auditorum, mærores potiùs incutiunt, quam ſolamen. Ideò iure dicitur otia egiſſe, ab ijs videlicet cantibus, quæ ſolatio eſſe ſolerent; & ideò lugebant erepta ſibi ſolatia Nymphæ: ita vt pronomen *ſibi* caſus ſit communis damni potiùs, quam verbi proprius, attenta ſuprapoſita explicatione.

QVÆREBANT DVLCES &c. Confirmat hoc, quæ nos ſupra innuebamus de Poetæ noſtri ſententia circa ea prodigia, quæ ab Orphei cantu promanantia, ab omnibus decantantur, nempè ea eueniſſe ante amiſſam primo Euridicen; cum ſcilicet Thracius Vates omnia ſibi læta, omnia ſibi fauſta circumſpiciens, lætabundus animo, carmina, vtique ad lætitias compoſita, ſuauiter concinnaret; ſcio equidem, Ouid. Metam. 10. hæc omnia prodigia, quæ Thracis cantibus attribuuntur, in modulationes ab ipſo habitas, occaſione defunctæ coniugis contuliſſe, dum locum, quo ſe receperit Orpheus, deſcribens ait:

Collis erat; collemque ſuper planiſſima campi
Area, quam viridem faciebant graminis herba.
Vmbra loco deerat: qua poſtquam parte reſedit
Dijs genitus Vates, & fila ſonantia mouit,
Vmbra loco venit: Non Chaonis abfuit arbor,
Non nemus Heliadum, non frondibus æſculus altis &c.

quæ apud ipſum in longam digeſta ſeriem poteris intueri; quem Ouid. locum Marino præbuiſſe fundamentum eadem decantandi, non ambigo. Nec meum hic eſt, quorumnam melior fuerit ſententia, decidere. Hoc vnum ab Ingenuo quæram, num melius fabuloſa ſit ſequi, an Naturæ moribus congruentia? Ouidius procùl dubio fabulas fabulis innectit: ideoque non naturam certè ſectatur, ſed Chimeras ingenij; quarè non illi admodum de veritate fidendum. Certè, ſi Naturæ morem ſpectemus, tempus, melodijs aptiſſimum, tempus lætitiæ eſt; & Gratiæ alliciunt profectò magis, & attrahunt, quam Gorgones. Mæroris æſtus ſerenitatem abripit, obnubilatum mentis coelum terroribus, atque horroribus complet; quarè nec ſuauitatem, nec dulcedinem præferendi compos fuerit, vt alliciat. Ideò ſubdit Auctor noſter: *Quærebant flumina*, non modos, ideſt modulationes, vtcumque, ſeù mæſtos; ſed *quærebant modos dulces*, quales ſcilicet ante funeſtatam morte Euridices Cytharam edere ſolebat. Quæ ſententia, licet vera non eſſet, ſpectata Ouidij, aliorumque auctoritate; certè veriſimilior erit ſpectato ordine naturæ. Quamuis autem Poetis liceat, narrationes pro libito fictas Poematum ſtructuris interſerere, debent tamen fundamento veriſimilitudinis inniti, vt nos in tractatu noſtro de Epigrammate fuſius ex Auctoribus docuimus. Immò veriſimilis licet ficta narratio maximum eſt Poeſis ornamentum, vt nos pariter fusè diſſeruimus in Poeticis noſtris, vbi de Epopeia, & Carminibus heroicis. Veriſimilitudinem autem ſecutus Claudianus indicat, non conſtitiſſe flumina ad lugubres Orphei Nænias, ſed ad priùs hilares canendi modos hauriendos. Sed eſto, poſt ſecundò amiſſam Euridicen, flebilibus diù Nænijs Orpheus inſonuerit (vt hoc detur ætatis maximæ, vt fatear, auctoritatis Scriptoribus) cum nil violentum durabile, certè dicendum eſt, Vatem tandem aſſiduo feſſum luctu, à lacrymis, Nænijſq; ceſſaſſe, atque adeò ab ipſa Cythara abhorruiſſe (quippè eam ne inſpicere quidem poſſet quem dolor refricaretur) vt omnimodum poſtea ſilentium tenuerit. Sic & nos olim diſſerebamus in Oda quadam de Muſico inſonti.

Poi, ch'à tartareo ſponde
Più vero alcun ſcender non valſe Amſanto,
Nè ruppe il lagrimar tenaceo ſcoglio;
Là dell' Ebro sù l'onde
Stancato, in diſtillar per gl'occhi il pianto,
Già del Thrace cantor ſ'ára il cordoglio;
Mentre del reo dolore,
Già Tiranno del cuore
Sedò ragion gl'inſulti, acquetò l'onde;
E frenò il cuor, che ſè'n fuggena in fonte.

Vtcumque igitur rem perpendas, certè ſilentium Orphei ex Euridice amiſſa proueniſſe in comperto erit, adeòq; prodigijs Cytharæ ceſſantibus, tunc tandem

FLVMINA. Inter flumen, & torrentem hoc intereſt, quod flumen perpetuis decurrit fontibus; torrens verò, quippè imbribus, vt plurimum, tumens, æſtate exſiccatur. Sicuti igitur, dulce Orpheo canente, curſum licet perpetuum frænabant flumina, vt cantus dulcedine fruerentur; ſic, eo tacente, fruitionis lætitiâ, in mærorem priuationis conuerſa, curſum velociùs accelerabant, quaſi fugientes Orphei voces inſequi, conarentur, &, longius delatas arbitrantia, vndarum velocitatem contorquebant, vt peruestigarent ea loca, quibus fortaſſis melos abriperetur.

MÆSTA. Ideſt mærore confecta; & perpende, quam altè aſſurgat Poeta hic primo ſenſum mæroris attribuens rebus inanimis, ſed quaſi ex neceſſitate antecedenti compulſus; nam, ſi huiuſmodi ſenſum iidem tribuerunt communia omnium vota, cum percipienda eſſet ex Orphei cantibus lætitia, conſequens ex neceſſe erat, vt ſenſum etiam mæroris ex priuatione perciperent; contrariorum enim eadem è conuerſo diſciplina. Secundo ſi per flumina intelligas ipſas fluminum Deitates, (nam, vt noſtis, præter fluuiales Nymphas, vnicuiq; fluuio proprium attribuebant Numen antiqui) quid magnificentiùs in Thracis laudem dici poterat, quam Deitates ipſas dulcedine ex cantu, mæroribus ex priuatione affectas? Quidquid cogites grande eſt, *Flumina mæſta*.

QVÆREBANT. Alij cum Parrhaſ. legunt *Lugebant*, iterantes videlicet verbum ſuperius poſitum, quæ procul dubio inconcinna repetitio non eſt, immò non parum habet venuſtatis, quam & Heinſius ſequitur in hunc locum. Verùm vulgatam non immuto, quia idem virtualiter includit, & nouum inquirendi affectum ſuperaddit: Quæritur itaque quod præſto non eſt, inquit Donatus; & quæ amiſſa ſentimus, facilè quærimus; atq; ideò verbum *Quæro*, quamdam indicat animi anxietatem, qua ſcilicet & inueſtigamus loca omnia, in quibus, ſomniari, nedum arbitrari poſſumus, amiſſam rem occultari; & vehementi afficimur perturbatione, &, ſi affectus vrgeat, etiam lacrymas fundimus non inuenientes, quod optamus, ex quo vides quam emphaſim hic habeat verbum *quærebant*.

DVLCES MODOS. Dulces à delicio nonnulli deducunt, eo quod maximè alliciant dulcia. Videtur nomen dulce importare qualitatem ſoli guſtui proportionatam; ſed, per translationem, *dulce* dicitur quod quomodocumq; ſuaue eſt, ſed ita ſuaue, vt ſenſum ferè, & animum inebriet. *Modus* verò pro aliqua rei menſura ponitur: at, quia cantores certis numeris, ac notis, quaſi menſuris, varias vocis modulationes dimetiuntur, hinc eſt, vt cantus ipſe *modus* dicatur. Quarè hoc loco *Quærebant dulces modos*; ideſt vocis modulationes, quæ nimia ſuauitate ſolitæ fuerant audientia flumina permulcere.

SÆVA REDIT &c. Naturam expellas furcâ tamen ipſa redibit: tritum apud omnes axioma, vel, axiomatis inſtar, dictum, circumfertur. Quod, ſi vnquam valeat, certè valet in feris manſuetudinem edoctis: nam nunquam cicures adeò reddi poſſunt, vt non interdum redeant in naturam. Inter prodigia, ex Orphei cantu prouenientia, hoc præcipuè recenſebatur, vt eius Vatis cantiones feras adeò delinirent, vt magicis quaſi notis immutatæ feritatem exuerent, ac mutuis poſthabitis ſimultatibus, quaſi inito pacis foedere, vnico eodemq; cotuli fruerentur, vt vocibus canentis Orphei hoc immutatæ naturæ præberent obſequium. Nec mirum; nam, cum Thracis cantus Syrenum etiam modulationes ſuperaſſe dicatur, ſi cantu Syrenes humanos ſenſus, delinientes, reddebant conſopitos, nil inquam mirum, ſi Thracis cantus ferarum ſenſus, & odia conſopierit. Et hoc cum fabulis dictum. Nam, ſi veritatem requiras hiſtoriæ, per feras denotari teſtatur Parrhaſ. efferatas barbarorum nationes, quas primus Orpheus ad mitiorem cultum dicitur adegiſſe; ex quo factum, vt bruta, & inanima Cytharæ ſono trahere dictus ſit. Aſt ſicuti ſemper remota cauſa remouetur effectus, ſic conſopita illa cantibus ferarum natura, ceſſantibus cantionum vinculis, ex neceſſe in

ſe

ſe ipſam redire debuerat expergefacta; & hoc profectò ſecutum fuiſſe, indicat Claud. dum ait *Saua redit &c.*

SÆVA. Licet adiectiuum *ſæuum* & *durum*, & *aſperum*, & *horridum*, ac *crudelem* ſignificet; hic propriè ponitur pro *crudele*; nam horribilitas non recedit à feris, etiam ſi manſueſcant, cum hæc conſiſtat in ipſa corporis, ac rictuum ſtructura, quæ certè non mutatur; at crudelitas, quæ effectus naturæ eſt, recedere videtur, dum eius locum occupat manſuetudo. Ea igitur crudelitas, quæ cantionibus in exilium acta manſuetudini ceſſerat, ceſſantibus illis, poſtliminio habito, ſedem iterum occupat ſuam.

NATVRA. Non ponitur hic *Natura* pro ipſa crudelitatis radice, ſeù pro ea Natura, quæ in vnaquaq; re definitur principium motus, & quietis in eo in quo eſt &c. cum enim nil aliud hæc ſit, quam ipſa rei eſſentia, certum eſt, eam non poſſe recedere à re, cuius eſt natura, ſine ipſius rei deſtructione; conſequenter nec redire poteſt, cum à priuatione ad habitum non detur regreſſus. Quarè remanet vt *Natura* ponatur hic pro proprietate ab ipſa natura profluente, ſeù pro conſuetudine, & habitu ſæuiendi, qui altera dicitur Natura, & præcipuè loquendo de habitu feritatis, ſeù crudelitatis, in feris, cum ille fundamentum habeat in ipſa ferarum eſſentia, & natura.

REDIT. *Redeo* eſt quaſi *reuerto*. Dulci cantionum violentiâ expulſa exulabat crudelitas; ſed, quia, vt diximus, ea in natura fundatur, remanente eadem natura, ſemper illa quodam quaſi filtro naturæ alligata detinebatur, & redeundi non ſolum ius, ſed & impulſum habere videbatur. Sic auis, filo caueæ alligatus, euolat quidem interdum, ſed retro ire cogitur filo retrahente; & globus ferreus, fune detentus, ſi à manu proijciatur, progreditur quidem quantum patitur funis, cui innectitur, ſed, diſtento tandem fune, eodem impulſu, quo proiectus fuerat, retrotrahitur, & ad manum redit. Sic & ferarum crudelitas eijciebatur, Orpheo canente, ſed naturæ ſemper alligata, nil mirum, ſi, eodem ceſſante retroiret in ſedem.

FERIS. Feræ à ferendo dicuntur, eo quod præcipiti impetu, & ſine ratione ferantur; Et feræ propriè dicuntur illæ, quæ ferocitate inſignes, ac crudelitate immanes irruunt, & dilaniant, vt Lupi, Leones, Pardi, Tygrides &c. quæ, ſi fortè manſueſiant, Cicures ſubinde dicuntur. Reliqua animalia, quæ ratione quidem carentia ſunt, ſed manſueta, aut ſaltem innoxia, communi brutorum nomine compellantur. Itaque *ſaua feris natura redit*, quia, quæ Cicures ex vi mulcentis cantus fuerant effectæ; dum, eo tacente, redit in præcordia crudelitas, iterum conuertuntur in feras; & ſic rapacitatis, ac voracitatis impulſum ſecutæ deſæuiendi redeunt in naturam.

ET VACCA METVENS &c. Ex præmiſſo antecedenti, quo ſcilicet redeuntes in naturam feræ deſcribuntur, neceſſariò ſequitur, vt alia animantia, proprijs malis, ferarum experti ſolita ferocitatem, redeant & ipſa in naturam; ita vt depoſitum, dum cythara caneret, timorem iterum induant; nam, ſicuti ex prædominio ferocitatis habent feræ vt terreant, ſic imbecilliora animalia ius tantùm habent, vt timeant; immò ijs natura affectus indidit Antipathiæ, & terroris, vt propriæ imbecillitati fugâ conſulant, quandoquidem ad reſiſtendum viribus deſtituuntur. Hæc itaque expoſiturus Claud. à Vacca incipit exemplificare terrorem animalium inferiorum, & Leonem indicat hoſtem, nimio vtique ferocitatis prædominio territantem. Sed cur inquies Vaccam potius aſſumit, quam aliud animal, cum certè æqualem omnibus Leo terrorem incutiat? Plures afferri profectò rationes poſſunt: & primò, quia nullum animal tanto videatur amore proſequi catulos ſuos, ſicuti vitulos proſequitur Vacca, quod etiam in cauſa fuit, vt Vates Cererem Proſerpinæ amantem cum tortua Vitulæ parente compararuerit lib. 1.

> *Hanc fouet, hanc ſequitur, Vitulam non blanda ſine ambit*
> *Torua parens pedibus, quæ nondum proterere arua.*

Hæc igitur non ſibi tantum, ſed Vitulis maxime timens ſuis, duplici terrore afficitur; ac conſequenter omnium maximè pauitat. Secundò noueris apud Ægyptios Vaccam Veneri dicatam; Veneri autem amicus minime cenſetur Leo; nam ſi ex neceſſitate naturæ ad ſpeciei conſeruationem impellentis, in coitum flectitur auuerſus coire dicitur, vt Elephas etiam, & Rinoceron, quaſi brutalem actum quantumlibet neceſſarium abominetur. Quare nil mirum ſi à Venere alienum animal in animal Veneri dicatum peculiari quadam feratur Antipatia, & ſic magis illi, quam alijs timendum ſit. Adde, proprium Leonis eſſe, vt referunt naturalium rerum indagatores, oculo prius terrorem cribrare, ac ſubinde terrificis in prælium rugitibus, quaſi tubæ ſonitu, ſe ipſum excitare. Bouem verò acerrimo, referunt, præſtantem eſſe auditu, ita vt vel Ceruum ſuperet, quo ad huius ſenſorij acuitatem; nam, licet acutiſſimo polleat auditu Ceruus, ſi arrectis auribus adſtet: eundem tamen, inquiunt, demiſſis auribus obſurdeſcere: Aſt bouis auriculæ ſemper erectæ, ſemper ad audiendum conſiſtunt expeditæ. Cum igitur adeò vigens auditu Vacca ſit, nil mirum, ſi, Leone rugiente, prima terreatur, licet longiſſime diſſita, & maxime hoc ipſo auditu conſternetur; talem enim terrorem ineſſe aſſerunt Leonis rugitui, vt illum audientia Animalia, quamuis longè ab vngue Leonis euaſerint metu, nihilominus intereant. Vide Pier lib. 1. & 3. Hieroglyphic. ideò *Vacca metuens*. Porrò *metuere* dicitur is, cuius mens id refugit, quod male caſurum putat, & affectio propria ſeruorum eſt, vt ait Tullius in Cato. Leo Rex quadrupedum communiter appellatur; igitur Bouum armenta ſeruilia ſunt, & conſequenter iure metuunt, & contremiſcunt, nam tremor metum ſubſequitur, vt proprietas, quæ ex rigore ſanguinem conſtringente prouenit, vt ſatis patet.

LEONVM. *Metuensq; Leonem*: Legit in hunc locum Parrhaſ. Sed non video, cur à vulgata, quam & Heinſius ſequitur, ſit recedendum. Certè huiuſmodi participia, vel cum caſu ſui verbi, vel cum ſecundo caſu conſtrui poſſunt, atque hoc loco ſonorum magis carmen efficitur, & aſſurgit ſi vulgatam ſequamur. Leones verò quid ſint ſatis nouimus ex lib. primo Carm. 210., eos enim vidimus eſſe animalia omnium ferociſſima ſimul, ac generoſiſſima: quod præcipuè locum habet cum colla, armoſq; veſtiunt Iubæ. Quare Virg. Æn. 12. Turni ferocitatem, ac generoſitatem decantaturus, eum Leoni aſſimilat inquiens.

> *Attolliſq; animos Pœnorum quales in aruis*
> *Saucius ille graui Venantum vulnere pectus,*
> *Tum demum mouet arma Leo, gaudetq; comantes*
> *Excutiens ceruice toros, fixumq; Latronis*
> *Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.*

Vno verbo Syluarum terror, armentorumq; excidium dicitur Leo. Armenta autem, vt & alibi innuimus, propriè dicuntur Animalia grandiora, ſicuti gregis nomine minora vtique deſignantur.

IMPLORAT. *Implorare eſt voce quadam miſerabili operam alicuius in ſubſidium expoſcere*. Hoc mugitu tantum aſſequi Bos poterat? Aſt quis neget irrationabilia ipſa interdum, quæ ſibi opus ſunt, eo, quo poſſunt meliori modo, natura ipſa impellente, expoſcere? Nonne apud Rauiſium legimus, Leonem, cuius pedem ſpina transfixerat, lamentabili rugitu ab Elpi Samio curationem expetiiſſe, & impetraſſe? certè hoc natura ipſa interdum edocet Bruta. Verùm, quod mirabile videri poſſet, hoc arbitror eſſe, quomodo ſcilicet Bos hanc potius, quam aliam, potuerit cytharam implorare; nam videtur hoc importare quamdam diſcretiui rationem iudicij, quæ certè in brutis, quippe rationis expertibus, reperiri non poteſt. Verùm ceſſabit admiratio, ſi meminerimus, dari etiam æſtimatiuam quamdam, quæ virtus animæ ſenſitiuæ ſit, qua ſcilicet, quæ ſibi proſint, aut obſint, internoſcant bruta; cognitiones autem huiuſmodi *ſenſitiuas ſpecies*, in ſenſu ipſo interno, *impreſſas* relinquere, quibus fit vt animalia facilè recordentur, quæ noxia, & quæ proficua, experta ſint: Sic Aſinus in foueam lapſus, ſi iterum illàc iter habeat, certè à fouea ſponte deflectet, &, ſi aliquod in ſtabulum diuertere ſolitus fuerit, ac inibi cibum ſumere, ſi illàc iter faciat, ſemper in ſtabulum deflectet, & vix impelli poterit, vt progrediatur impaſtus. Pari itaq; paſſu experta ſæpè bos illa, Thraciæ cytharæ ſonum fuiſſe ſibi proficuum, cum manſuetum ſibi leonem aſſociaret, nil mirum, ſi eius modulationis, ac commodi ex ea percepti ſpecies retinuerit, quibus ad eam iterum appetendam, ac ſuo modo implorandam excitetur.

OPEM. Hoc eſt *auxilium*, *præſidium*, *defenſionem* à malo, quod ſibi imminens metuit ex Leone, rugitu prælium indicente. Implorat ſcilicet, vt in præſidium ſui eas iterum exerat modulationes, quibus Leonis feritatem ſolita fuerat delinire, atq; innoxium reddere implorantì.

CYTHARÆ TACENTIS. Cythara inſtrumentum muſicum eſt, Poetis omnibus attributum, eo quod Apollini dicatum fuiſſe memorentur ab inuentore Mercurio. Hoc inſtrumentum in modum Δ concinnatum, viginti quatuor fidibus ſonorum conſtitiſſe, autumant aliqui. Cytharam tamen Virg. pro Muſica ipſa & harmonia, ſeu harmonico concentu, accepit Æn. 12. vbi ſic habet.

Iamq;

Iamq; adeo Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iaſides, acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Augurium Cytharamq; dabat &c.

ideſt vim diuinatiuam, & Muſicam; quid enim Cythara, ſine peritia concinnendi profuiſſet? Quintil. lib. 1. c. 8. ait: *vt Cythara, ita Oratio perfecta non eſt niſi ab imo ad ſummum omnibus intenta neruis conſentiat*. In ſenſu eodem cum Virg. cit. ſumitur Cythara hic a Claud., & ideò propriè, non translatè addit *Tacentis*: *Tacere* enim propriè dicitur de ijs quæ vocalia ſunt, nam *ceſſare à vocibus* tacere eſt. Quare cum Cythara pro harmonia, ideſt pro concentu non fidium tantummodo, ſed etiam ipſius Orphei concinnentis, optimè *tacentis*, inquit, Otia ſopitis ageret cum cantibus Orpheus. Non nego tamen, verbum *tacere* inanimatis etiam pulcherrimè attribui: Sic *arma tacentia* profectò dicuntur, in quibus nullus auditur ſtrepitus: Sed meum eſt hic indicare, quinam ſenſus Poetæ fuerit, quidquid de cæteris ſubinde ſit.

ILLIVS ET DVRI &c. *Illius aduri* legit Clauerius, ſed cum Heinſio, Parrhaſ., & alijs vulgatam ſequor, quæ magis aſſurgentis oſtentat gradationem orationis. In præcedentibus itaque carminibus, poſità, loco generis, ſpecie, oſtenderat Vates, feras omnes, natura immanes, ad propriam rediſſe feritatem; atque animalia omnia imbecilliora, item poſita ſpecie pro genere, timorem a natura inditum, Orpheo tacente reſumpſiſſe. Iam oſtendit, concinnatà admodum gradatione, non ſenſibilia ſolum; ſed etiam inſenſibilia ipſa ſenſu doloris perculſa ex Orphei taciturnitate, vt prodigijs cantui attributis correſpondeant adamuſſim prodigia ex ſilentio prouenientia. Ideò: *Et duri montes*. Quantum hic aſſurgat Poeta, ſenſum tribuens inanimis, non memoro; iam enim alibi innuimus, ac per ſe patet. De particula *&*, tam quatenus copulatiua, quam quatenus cumulatiua eſt, alibi pariter, lib. nempe antecacto ſatis ſuperq; diſſeruimus. Hic verumque munus emphaticè exercet, pro *etiam* poſita. Aſt cur

DVRI MONTES dicantur explicandum. Videtur autem prima fronte epitetum illud ſuperfluum; nam *Mons* eas importat gibboſæ terræ partes, ſeu prominentias, quæ, vt plurimum, rupibus aſperantur, ad diſtinctionem *collis*, qui à colendo dictus molles educat Cliuos Floræ, ac Vertumni theſauris laſciuientes. Hinc verò efficitur, vt *Mons* interdum pro integro, ſolido, aſperoq; ſaxo ponatur: ſicq; Palinurus, apud inferos repertus ab Ænea iter in Elíſios intendente, quomodò interierit recenſens ait Æn. 6.

Ni gens crudelis madida cum veſte grauatum,
Prenſantemq; vncis manibus capita aſpera montis
Ferro inuaſiſſent, prædamq; ignara putaſſet.

non enim *montem*, ſed *ſaxum montis* exporrectum in Mare prænſabat, extremitatibus inhærens Palinurus. Cur igitur duros montes appellet Claud., cum ſatis per ſe pateat, rupes, ac ſaxa duritie, per ſe ipſas, obuallari? Verùm aduerte, duritiem illam, quæ per adiectiuum *Durus* (quod idem eſt, ac habens duritiem) importatur, non ſemper ſumi pro qualitate illa, quæ corpus ſolidum, reſiſtens, infrangibile conſtituit; ſed poni interdum pro animi contumacis inflexibilitate, atque affectuum motionis incapacitate. Sic Dido apud Virg. Æn. 4. Æneam cautibus progenitum vocat, eo quòd, pietate ſaltem, non moueretur, cum ipſam ſummo affectam cerneret dolore.

Nec tibi Diua parens generis, nec Dardanus Auctor
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt vbera Tigres.

quem locum imitatus Torquatus Hieroſol. liber. Cantu 16. Armidam ſuam hæc Rinaldum probra iacientem inducit.

Nè Te Sofia produſſe, e non ſei nato
Dell' Azzo ſangue tu: te l'onda inſana
Del Mar produſſe, ò'l Caucaſo gelato,
E le mamme allattar di Tigre Hircana.

Hinc fortaſſis fuit, cur Clauerius non *& duri*; ſed *aduri* legere voluerit ſignificans, rupes ipſas *aduras*, hoc eſt *non amplius duras*, ſed interno emollitas affectu fleuiſſe &c. Aſt minus efficit, dum magis exprimere conatur. Aduertas igitur in Epiteto *duri* emphaticam contrapoſiti expreſſionem: quaſi dixerit, ipſa montium ſaxa, etiam ſi omnis doloris, atque amoris ſenſu carentia non ſolum, ſed incapacia, tamen non potuiſſe quin ſenſui amoris indulgerent optantia, ac ſenſu doloris ex fruſtrata cupiditate preuerentur. Hyperbolicum profectò dictum agnoſces, ſed non excedens modum, poſitis, vt ſupponuntur, montibus Threiciam Cytharam audientibus. Aſt, dum ſenſum montibus attribuit, propriæ dictionis efficaciam amplificat, rupibus, quaſi Obeliſcis, decoratam.

FLEVERE. Certum eſt, Claudianum, dum ait *Fleuere montes*, montium nomine Hæmum, ac Rhopem Thraciæ montes præcipuos deſignaſſe, nec non Oſſam de quo infra. Quid fuerint duo primi iam vidimus lib. 1. Carm. 135., quare hic lubens omitto. Quam viuide autem procedat ſtylus ſenſum tribuens inanimis iam patet pariter, & pariter prætereo. *Flere* itaque idem eſt ac lacrymas emittere; ex quo ſatis innoteſcit, quanta ſit, hoc loco, Threiciæ liræ virtutis amplificatio, quæ ſcilicet ſaxa ipſa potuerit ad fletum vſque emollire. Conſimili modo luſit & Virg. in Gallo Ecl. 10. dum ait.

Illum etiam Lauri, illum etiam fleuere Myricæ
Pinifer illum etiam ſola ſub rupe iacentem
Mænalus, & gelidi fleuerunt ſaxa Lycæi.

& Georg. 4. ſupra indicatis montibus fletum tribuit in morte Euridicis inquiens.

At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos
Implerunt montes, flerunt Rhodopeiæ arces &c.

flere autem potuerunt montes vel ſquallore induti, vt dicebamus in verbo *lugebant* mox ſupra; vel aquis guttatim ex rupe ſcaturientibus, ac decidentibus: primum quidem, nam certè ſicuti viriditas ſignum lætitiæ eſt, ac pratorum dicitur *riſus*; ſic ariditas mæſtitiæ ſignum, ac pratorum dicetur *fletus*. Indicat igitur Poeta hic germina ipſa montium, quæ antea vireſcere ſolerent lætitijs imbuta, nunc mæroribus confecta, languentibuſq; adſtitiſſe ſimilia; atque inſuper rupes ipſas vberiùs ſcaturientes aquarum guttas quaſi deflentes, expreſſiſſe.

SILENTIA ILLIVS: Cytharæ nempè, aut Vatis, cuius antea carminum ſuauitate oblectarentur. Silentium porrò idem eſt, ac taciturnitas, neq; enim audiendum hic Seruium puto, qui ait inter ſilentium, & taciturnitatem hoc intereſſe, quod *ſilentium* de eo dicatur, qui nunquam cæperit loqui; *taciturnitatem* verò de eo, qui iam loqui deſierit; certè enim *ſilentium* ponitur hic pro ceſſatione à cantibus, quos priùs perageret Orpheus.

SYLVAQVE. Fleuêre illius ſilentia non ſolum montes, ſed & Syluæ. Hic vnam pro pluribus ponit Vates. Sylua autem, vt dix. lib. 1. Carm. 207., non ſolum arborum, ſed etiam fructuum, herbarumq; aceruatam ſignificat congeriem; hic tamen pro arborum conferto ponitur numero, iuxta illud Virg. Georg. 4. qui, dum de Orpheo loqueretur, eum dixit

Mulcentem Tigres, & agentem carmine quercus.

Porrò arborum lacrymæ vel gummæ illæ ſunt, quæ corticibus exſudant, vel certe humor ille aqueus, qui ex arboris trunco, aliqua parte vulnerato, diffluens extillat. Hoc ſecundum quotidianam experientiam, vel mediocrem docet agricolam: primum autem innuit Ouid. Metam. 1. Electra ex Phaetontæis ſororibus in populos verſis extillantia *lacrymas* vocans

Inde fluunt lacrymæ, ſtillataq; Sole rigeſcunt
De ramis electra nouis &c.

SÆPE'. Aduerbium frequentatiuum temporis: idem, ac frequenter, ſeù frequentatis vicibus.

SECVTA a ſequor notiſſimæ ſignificationis verbo, quo Vates attingit prodigia ab harmonicis Orphei cantibus ante taciturnitatem perpetratam, de quibus iam ſatis ſuprà, & quæ inter hoc ipſum euenuiſſe iam vidimus, nempè vt mobiles factæ iam Syluæ ad cantû accurrerent delibandum.

CHELYM BISTONIAM. Chelys propriè teſtudo eſt *animal marinum*, videlicet ex cruſtaceorum numero; quamuis non negauerim Chelym aliquam dulcibus etiam aquis innatare, & aliquas etiam terreſtres eſſe; ſed *marinum* dixi quia, cum, hoc loco, Chelys pro Cythara ponatur, ad *Chelym marinum animal* refertur. Pro intelligentia, reuocandum in mentem eſt id, quod de prima Cytharæ inuentione commenti ſunt antiqui, ac nominatim Higinus. Inquiunt igitur illi, tantæ molis teſtudines in rubro mari inuentas, vt ex illarum cruſtis, carne vtiq; extracta, conſtructæ fuerint Cymbæ; ex his autem, minoris profectò molis, vnam, maris æſtu in littus eiectam, ibi contabuiſſe, ita vt exeſâ vel tempore, vel vermiculis deuorantibus carne, neruis tantum ex labro ad labrum excauatæ iam cruſtæ protenderentur. Hanc, vt aiunt, Mercurius inuenit, ac, leniter neruos pulſans cum reddentes ſonum animaduertiſſet, ipſe tandem perpoliens, & ad meliorem adducens formam, in Cytharam redêgit, ac ſubindè eam Apollini dicitur conceſſiſſe:

ceſſiſſe: ex quo factum, vt inſtrumentum illud muſicum, de quo ſupra, Chelys dicatur à prima ſcilicet eiuſdem inuentione, quam nos olim gregarijs vtiq; muſis animi gratia indulgentes, italicis ſic carminibus recenſebamus.

Delle ſpiagge Sabee
Si rifrange nel lembo il roſſo golfo,
Tratto forſe à goder gl' arabi odori,
Qui di Conche eritree,
Nè di coralli à peſcaggion m'ingolfo;
Mà partoriſce Nauo il ſen de Dori
A i ſudati teſori
Per non formare i tronchi, il mar produce
Teſtudini, ch' il volgo in Combe adduce.
Che più? D'vna di queſte
Picciola, e quindi al mormor negletta
La ſtruttura mirando il Dio de ſaggi,
Ch' in quell' alme foreſte
Dilettando ſe'n gia, la vidde eletta
Poſta del tempo, e diſtirati oſtaggi
Rimanere i neruaggi
Da vn labro all' altro, oue la Conca incurua
Del ſuo primo premier leggiera, e ſcarca,
Toccò la man maeſtra
Le teſe corde, e ne ritraſſe il ſuono,
Ond' harmonici vanti hebbe la cetra;
Di Cilleneo la deſtra
Sì ben reduria, e raſteggiarne il ſuono
Seppe, ch' i ſenſi molce, e ſaſſi [illegible]
Indi, ſpiegando all' Etra
Le penne, à Febo ei la conceſſe in dono,
Cagion, ch' in Pindo hoggi gl' Elisy ſono.

ex hoc autem facilè intelliges, eos, qui dicunt, Orpheum lyram à Mercurio accepiſſe, ab ijs non diſcrepare, qui dicunt illam accepiſſe à Phœbo; nam licet immediatè à Phœbo eam accepiſſet, adhuc à Mercurio, vtpote primo inuentore, ac donatore, dicetur accepiſſe. Sed ne à Chelv hic noſtra recedamus; decantatiſſimum eſt, Orphei Chelym tantæ ſuauitatis fuiſſe, vt animalia non ſolum, ſed & Syluas ad ſe traheret, & rupes; quarè à contrario, ea tacente, dum non ampliùs traherentur, immotæ manebant, & mærentes, eo quod delibata prius dulcedine priuarentur; atq; ideò iure à Poeta hic eædem Syluæ, ac rupes languentes inducit, ac flentes, quæ olim ſecutæ fuerant Chelym *Biſtoneam*, nempe lyram Thracis Orphei; nam Biſtonia regio Thraciæ eſt, ſic dicta à Biſtone lacu, ſeù, vt alij malunt, à Biſtone Rege, Martiſque ex Terpſychore filio. Ab hac regione tota Thracia *Biſtonia*, ac Thraces populi *Biſtones* appellantur, ideò & Threiciam Chelym *Biſtoneam* Vates appellat. Nota hic obiter enarrata hic à Claudiano prodigia montium, Syluarumq; deflentium, recenſeri etiam ab Ouid. Metam. 11. ſed non ſilenti ſimpliciter Orpheo hæc attributa recenſet ille, vt Claudianus hic; ſed in funere Orphei memorat perpetrata dicens

Te mœſtæ volucres, Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidi Silices, tua carmina ſæpè ſecutæ
Fleuerunt Syluæ, poſitis te frondibus arbos
Tonſa comas luxit; lacrymis quoq; flumina dicunt
Increuiſſe ſuis, obſcuraq; carbaſa pullo
Naiades, & Dryades, paſſoſq; habuere capillos &c.

SED POSTQVAM INACHIIS &c. Tranſitum à contrario in contrarium; hoc eſt à deſcriptâ Orphei taciturnitate, eiuſdemq; effectibus, ad renouatum eiuſdem Vatis cantum, effectuſq; inde ſecutos; aptè facturus, particula *Sed* aduerſatiuè ſcilicet, ac diſcretiuè coniunctiua aptiſſimè vtitur; & cauſam ſubinde renouati cantus aſſignat, nempè *percepiam ex aduentante Alcide lætitiam*, qua totam perfuſam aſpexeris Patriam.

POSTQVAM connexiua particula eſt, qua dicta ſequentibus connectuntur, denotans immediationem temporis, & ordinis, inter præcedentia, ac ſubſequentia, ita vt ſucceſſiuè ſubſequi intelligantur quæ ſequuntur.

ALCIDES. Hic ille monſtrorum domitor, monſtrum ipſe virtutis, ac fortitudinis, nullis iam Poetarum fidibus non decantatum. Alcmenæ hic filius ex Ioue fuit, vt iam omnibus notum; decepit enim, vt aiunt, Iupiter Alcmenam Amphitryonis Thebani regis vxorem, cum, (eiuſdem Amphitryonis aſſumpta forma, dum ille abſens aduerſus Teleboas bellum gereret) ſub ſpecie viri redeuntis ad illam ingreſſus cum eadem concubuerit: tres autem noctes in vnam à Ioue redactas referunt, vt Alcidem efformaret; quarè lepi flexu Alcidis ortui applicari poſſet id quod Virg. de Romanis ait *Tantæ molis erat Thirinthum condere Natum.* Cum autem verus Amphitryo, poſt Iouis Amphitrionem mentientis diſceſſum, redux ad Alcmenam ingrederetur, negligentiuſq; exciperetur, cauſam percunctatus audiuit ab vxore, priore nocte, ſui ſimilem domum adiuiſſe: conſuluit ille diuinationes, & à Tireſia edoctus, Iouis fraude vxorem ab ipſo Ioue compreſſam, non vlteriùs in vxorem ipſam iniectus eſt. Porrò, cum Alcides nonum in ventre matris menſem ageret, eodem tempore Mycenarum Regina Sthenali vxor Euryſthæum ſeptimo iam menſe geſtabat. Aiunt igitur, neſcio quo ductu, Iouem iuraſſe, quorum ex his duobus alter eodem illo die naſceretur alteri imperaturum. Iuno itaque, cum hoc reſciuiſſet, odio in adulterinum Alcmenæ fœtum, more ſuo, exardeſcens, Euryſthæum illicò ex ventre matris eiecit (nouimus enim Iunonem Lucinam etiam, vt credebatur, fuiſſe) at Alcidis ortum in primum vſque diem menſis decimi prorogauit; quare inſtinctu Iunonis dictus eſt Euryſthæus Herculi ſubinde aſperima quæque ſubeunda imperitaſſe. Detrectaſſet quidem Alcides, nec indomitum illius robur cogere potuiſſet Euryſthæus, quippe immò herculeæ virtutis fulgore perculſus adeò fuerit, vt æneum ſibi dolium ad latibulum comparauerit, nec paſſus tandem fuerit Herculem in Vrbem recipi, licet ille Euryſthæo ſemper, nunquam contra Euryſthæum decertauerit: Detrectaſſet inquam imperia, ſed & monitu Iouis Genitoris, & ex Delphici voce oraculi certior factus, in Fatis fuiſſe, vt Euryſthæo deſeruiret, Argos, ad peragenda illius mandata, obſequens profectus eſt; ac glorioſiſſimos vndequaque triumphos reportauit. Herculis ego nomine Alcidem poſtremò deſignaui, quia ab Apollinis Sacerdote, Pythia nomine, *Hercules*, quaſi *admirandus*, appellatus fuit, cum Oraculi reſponſa eidem ſciſcitanti explicaret: quaſi *[illegible]* dixi; nam ſicuti Hercules græce *ηρακλῆς* apud eoſdem *ηρακλῶς* aduerb. admirantis eſt. Poſt hanc itaque Oraculi vocem Hercules dictus, qui antea Alcides vocabatur ab Alceo auo eiuſdem paterno Andromedes, & Perſei filio, vt cecinit Herodotus, eadem ratione, qua Amphitryoniades eſt appellatus, cum Iouis fuerit filius, quòd ſcilicet Amphitryonis filius crederetur Patre non renuente. Eius labores innumeros fuiſſe, commemorant; ſed duodecim præcipui enumerantur, quos inferiùs à Claud. hic enumeratos, ſuo loco perpendemus.

MISSVS. à verbo mitto, quod imperandi poteſtatem importat in mittente, ſubiectionem verò, & quamdam obediendi neceſſitatem in miſſo; ſicuti de facto Hercules, vt vidimus, ex Iuramento Iouis ſubijcebatur Euryſthæo, à quo miſſus fuerat ad Diomedem, vt vel Thraciam ab eius feritate liberaret, vel ipſe Hercules Diomedis fraude interiret. Cum itaque hac occaſione Thraciam attigiſſet Alcides, gaudium toti illi regioni pacificus attuliſſe dicitur: ſicut enim metuendus vbique Hercules fuerat, cum hoſtis, & infeſtus aduentaret, ſic non potuit eius virtutis ſpecimen non eas exhilarare regiones, ad quas pacificus, ac liberaturus accederet; quis enim virtutem admiratus non amet, niſi inuidiæ liuore horreat ſuperfuſus?

AB ARGIS INACHIIS. Locum hic profectò deſignat, ex quo diſceſſerat Alcides, cum Thraciam appulit; vt ſatis ex præpoſitione *ab*, quæ motui de loco inſeruit innoteſcere poteſt. Sed, quia plures Argos ab auctoribus enumeratos inuenio, qui non diſtantiâ tantum, & diuerſitate locorum diſtinguuntur, ſed etiam diuerſas ſortiti ſunt cognominationes, accuratiùs inquirendum, quodnam fuerit Argos, ex quo miſſus dicatur Alcides. Argos itaque primo Acarnaniæ Ciuitas eſt, Amphilochicum cognominatum, quod Alcmæon, eiuſq; liberi condiderent: Argos item Apuliæ Oppidum à Diomede conditum, quod ſubinde Agrippinam, ac tandem Arpi nominarunt: Argos inſuper Oppidum Theſſaliæ eſt, quod & Pelaſgicum dicunt appellatum; immò tota Theſſalia Argos Pelaſgicum aliquandò dicta recenſetur: Ipſam præterea Peloponeſſum (vbi Ciuitates præcipuè emicant Argos, & Mycenæ) Argos, & Argos Achaicum, appellauere. Hæc poſtrema nominis *Argos* ſignificatio certè non videretur ab explicandis Claudiani ſenſibus aliena, cum Euryſthæus, à quo miſſus Hercules fuerat, Rex Mycenarum fuiſſe dicatur, vt vidimus. Verùm obſtat additum illud *Inachijs*. Inachia enim dicitur non tota Peloponeſſi Regio, quæ *Argos Achaicum* dicebatur; ſed ea pars tantum, quam Inachus interluit fluuius, dicta Inachia ab Inacho primo Argiuorum Rege, cuius ſedes Argos illud fuerat, quod Oppidum eſt non procul à Mycenis erectum, & quod antiquitùs Argos Hippium fuerat appellatum, quòd agrum haberet

beret paſcendis equis aptiſſimum. Quare hoc ipſum Oppidum indicare, vt arbitror, voluit Vates, nam licet vndecim Vrbium nomen *Argos* ſit, quas omnes exponit, præter enumeratas, Stephanus; immo & quælibet Vrbs littoralis *Argos* dici poſſit, vt notat Parrhaſ. attamen ambiguitatem nominis abſtulit epiteto appoſito Vates Homericam ſecutus methodum; nam Argos Inachium illud tantum eſſe poteſt, quod Inachiam dicat, & de quo Virg. Æn. 7. ait

Ecce autem Inachus ſe ſe referebat ab Argos
Sæua loncantemente, auraſq; innecta tenebat.

Statius autem Theb. 2. de eodem loquens ait

Palladus Inachijs, qua deſuper imminet Argis.

& Theb. 8. *Externus Inachys hùc aduentamus ab oris.*
Valerius Flaccus Argonaut. 1. aptiùs in rem noſtram.

Aduolat Inachijs vltrò Tirynthius Argis.

& lib. 3. *Atque iterum Inachys iam nocuimus vrget ab Argis &c.*
Hoc oppidum dictum etiam fuit olim *Dypſion* ab aquę, quam patitur, penuria, nam δίψος apud Græcos *ſitis* dicitur, & διψάω *ſitio*. Vocatum etiam Phoronicum inuenio à Phoroneo, qui primus Regiam ſibi ſedem Argos delegerit: & *Aptum dices equis Argos, Ditesq; Mycenas* Horat. Delrius lectionem hoc loco immutat, nam eius in codice legitur *Inachys miſſus ab oris* ſed non video cur genericè loquendum, vbi peculiaris aſſignandus eſt locus ex quo Alcides diſceſſerit; quod idem militat contra eos qui legunt: *Inachys miſſus ab aruis.*

CONTIGIT. *Contingere* idem, hoc loco, ac *tangere* eſt: *Pede autem tangere*, ſeù *contingere* idem eſt, ac *peruenire*, & *primo alicuius regionis ingredi confinia*: ſic etiam vulgò dicimus, cum è naui quis proſilijt in littus, *Toccò terra co'l piede*; & de eo, qui pedes progreditur in aliquem locum: *Poſe piede in tal luogo &c.* Statim itaq; ac Hercules ingreſſus fuit

PEDE PACIFERO. Hoc eſt pacem ferente (amicus enim non hoſtis aduenerat cum in Diomedem irrueret) hilaritatem excitauit, cum non poſſit, quin exhilaret beneficus virtutis ſplendor.

ARVA THRACIA. Aruum, vt alibi diximus, iuxta Var. id eſt quod aratum, nondum verò ſatum eſt. Quarè obijcies fortaſſe impropriam Poetæ locutionem; nam Thracia, Pomponio teſte, nec Cœlo, nec Solo tractabilis, nomen ab aſperitate ſortita eſt, τραχὺς enim græcè, latinè *aſper, durus, ſcaber*, intractabilis; ex quo conſtat Thraciam infœcundam eſſe, atq; adeò nullis ſubactam aratris. Verum aduerte Thraciam infœcundam quidem, & intractabilem eſſe, quo ad præcipuam ſui partem, ſed non tamen totam; quia immò ea Thraciæ pars, quæ Maritima eſt, & aratri patiens, & frugum fœcunda eſt; atq; hanc ipſam partem notat Poeta hìc; ex quo etiam deducitur facilè, Alcidem naui per Ægæum mare tranſuectum hùc appuliſſe, nam ex Argiuis agris in Thraciam Ægeum mare protendi, ſatis patet; ideo & ſuperiùs dixit: *Contigit arua pede*, cum priùs videlicet naui veheretur, ex qua proſiliens Thraciam attigit pede. Huius autem regionis incolæ *Gens Dolonei* dicebantur, cuius denominationis originem ſic deducit Andro Alicarnaſſeus: Oceanus, inquit, duas habuit vxores, Pompholygem nempè, & Parthenopen: ex hac Europen, & Thracen ſuſcepit puellas: ex priore Lybien, & Aſiam, quas omnes orbis regionibus nomen dediſſe autumant. Ideò à Thrace Thracia dicta; cum Thrace autem Saturnus concubuiſſe dicitur, vndè Doloneus natus eſt, ex quo Gens Dolonei appellati Thraces fuere.

DIRAQVE SANGVINEI VERRIT &c. Innumerabiles ex tot exantlatis laboribus triumphos reportauerat Hercules, quorum præcipuos inferiùs explicat Claud.; nam quo magis obijcitur virtus periculis, eo magis illa conſpicua redditur, & triumphat. Hic illum attigit tantum Poeta, qui cauſam præbuit proximam, vt eius aduentu Thracia lætaretur, & neglectum diù, iterum Orpheus ebur pulſaret. Poſſet fortaſſis aliquibus videri indicatus hìc ex vi verbi *verrit* labor ille, ac triumphus herculeus, quo expurgatum eſt Stabulum Augiæ Regis; quem laborem viſimo fuiſſe peractum ab Hercule, antequam in Thraciam ad Diomedem mitteretur, indicet Vates. Quod ſi quæras quinam hic fuerit labor, iam accipe. Augias, ſeù, vt alij, Augeas Solis filius ex Calypſo fuit, & Rex Elidis, immani celebris crudelitate, vt planè notaret epitetum illud *ſanguinei* à Poeta noſtro appoſitum, ſi in hoc ſenſu loqueretur. Hic ſtabulum tria millia boum dicitur habuiſſe, quod fimo refertiſſimum fuerit. Eo miſſus fuit ab Euryſthæo Ercules iuſſus vnica vnius diei periodo ſtabulum repurgare, vt vel in opere exercendo deficeret, vel infecto opere ab irato, ac deluſo Rege obtruncaretur. Perrexit itaq; Alcides, & immiſſo in Stabulum Alphœo flumine illud facili negotio repurgauit. Verùm non congrueret textui, quem præ manibus habemus, hæc explicatio; nam, vt innuimus, intendit hic Poeta, cauſam afferre, cur læta fuerit Thracia; cur Alcides dictus ſit illam pacifero pede attigiſſe: cur iure Orpheus lyram denuo pulſauerit; conſequenter debuit cauſam afferre ipſi Thraciæ proficuam, & labor, in cauſam ſumendus, in bonum ipſius Thraciæ verti debuit. Quid autem ad Thraciam expurgatio Stabuli Augiæ facta in Elide quæ ad Peloponeſſum ſpectat? Melius igitur dicendum, verùm, vt dicebamus, Herculis laborem attingi hic; ita vt integrum diſtichon ad Diomedem pertineat, & vno carmine cædes Diomedis explicetur, altero autem repurgata præſepia, ſanguinarijs ſcilicet equis vel abreptis, vel trucidatis, exponantur; licet per iſteron proteron priùs euacuatum ſtabulum poſuerit, poſtea Diomedem necatum; cum tamen inuerſo acciderint ordine. Diomedes igitur, non ille quidem Ætholiæ Rex Tydei & Deiphiles filius bello Troiano inclitus, & qui exciſâ Troiâ Argo profugus nouas in Apulia ſedes captauit; ſed alter, qui Rex Thraciæ fuit, tanta dicitur efferatus crudelitate extitiſſe, vt equos ſuos humanis carnibus vorandis coegerit aſſueſcere; ac ſubindè quotquot ad eum hoſpites acceſſiſſent crudeliter obtruncatos in eſum equis ipſis apponeret: ex quibus perpende obitèr quam acerbè ferret immanis adeò monſtri Imperium Thracia, vbi deteſtabilis illa exercebatur carnificina, cuius ſola mentio terrorem animo inijcit, rigorem producit in ſanguine; ac recogites, quam impensè optare potuerit Barbari necem, & quantâ perfundi lætitiâ, cum horridus ille tortor cecidiſſet. Ad Diomedem hunc itaq; debellandum miſſus Alcides, quamuis Abderitum puerum, quem in delicijs haberet, Diomedeis equis laceratum deflere coactus fuerit, in cuius etiam memoriam Abderam Oppidum condidit; pacem tamen, ac lætitiam attulit Thraciæ; nam obtruncatum Diomedem equis ipſis ſuis appoſuit deuorandum, eoq; iam vorato equos ipſos, vt aliqui aſſerunt cum Ouidio Metam. 9. ex Calabri ſententia, interemit, ſeù, vt alij autumant cum Diodoro, ad Euryſthæum adduxit; miſſiq; ab illo ad Paſcua Olympi à feris dilaniari dicuntur. Licet Diodorus afferat eos ab Euryſthæo Iunoni ſacratos progeniem ſuam ad Alexandrum vſq; Macedonem propagaſſe. Ex ſententia tamen Ouid. cit. non Diomedem tantum, & equos hercules dicitur interemiſſe, ſed & ſtabula ipſa euertiſſe, ac locum omninò ab infandis lanienis repurgaſſe; ſic enim apud ipſum loco cit. habet de ſe ipſo Alcides

Quid? Quod Thracis equos humano ſanguine pingues
Plenaq; corporibus laceris præſepia vidi;
Viſaq; deieci: dominumque, ipſoſq; peremi?

Sed nos, cognito iam facto, explicationem proſequamur.

ET VERRIT. *Verret* pro *verrit* legunt Parrhaſ. & Heinſius, licet poſtremus iſte Palinodiam cecinerit, cum inquit, *Alij libri verrit quod mihi quidem magis placet. Simili modo dictus Hercules Augiæ ſtabulum expurgaſſe.* Sed & coincidunt, qui *verret* legant cum vulgata, & alijs *verrit* legentibus, & minus ad rem tamen facit *verret*, quam *verrit*, vt ex mox dicendis patebit. Particula ergo *que* pro *Et*, hoc loco, explicatiua potiùs eſt, quam copulatiua, & idem ſonat atq; *hoc eſt*; reddit enim rationem cur dixerit, Alcidem pacifero pede aduentaſſe; quaſi dicat: *Poſtquam Alcides contigit Thracia arua pede Pacifero, hoc eſt poſtquam venit, vidit, ac vicit Diomedem, ac eius præſepia euertit, pacem ſic Thraciæ ferens; hoc in cauſa fuit vt Patria lætaretur, & Orpheus caneret.* Ideò *poſtquam attigit &c.* & *Verrit*. Verro ſæpè ſæpiùs pro *verto* ponitur, (ex quo patet coincidentia legentium *verret* cum legentibus *verrit*) patet autem hæc verbi *verro* acceptio ex Æn. 3.

Vela cadunt: remis inſurgunt; haud mora Nautæ
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

In eodem ſenſu habetur apud eundem Virg. Æn. 5. vbi ſic habet

Certatim ſocij feriunt mare, & æquora verrunt.

Inſuper Æn. 6., dum Animas partim reiectas à Charonte, partim nauj receptas, ac flumen tranantes miratur Æneas, his vocibus comitem Sybillam de cauſa diſcriminis interrogat.

Dic, ait, ò Virgo quid vult concurſus ad amnem?
Quidue petunt Animæ? Vel quo diſcrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada liuida verrunt.

clarius autem Æn. 1. vbi Æolus ventorum Arbiter, eorumdemq; cohibens furias aſſeritur, & cauſa his exponitur vocibus.

Ni faciat, maria, ac terras, cælumq; profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantq; per auras.

ideſt *conuellant, & conuulſa rotent, rotataque per aeris regiones aſportent aſsiduo vertentes motu*. Quare & in hoc eodem ſenſu aptè dixerit Claudianus *Et verrit*, ideſt *vertit*, ſeu *euertit*, nam ſtabula deijciens illa certè ſus deque Hercules vertit, demoliens, & euertit. Inſuper hoc verbo *verrit* aptè indicatur quædam vehementia furoris, quædam furens violentia, ac violenta quædam celeritas, qua Hercules dignam ſe ipſo vindictam de tam deteſtabili ſumpſerit laniena. In quo minus faciunt qui *vertit* legant. Aſt ſi malis verbum illud non pro *verto* poſitum, ſed in ſua propria ſignificatione vſurpatum, *verrere* propriè vulgò eſt *Nettare, ſgombrare, ſbrattare*; & apud latinos *expurgare*, ſeu vacuum reddere. Purgauit itaque Hercules locum à barbarie, à Cadauerum popinis, ab infami illa Lanienæ ſpecie, & vacuum reddidit equis humano ſanguini inhiantibus; Ideò *verrit*

DIRA PRÆSEPIA. Dirus, vt etiam lib. 1. nouimus, idem eſt, ac *crudelis, immitis, inhumanus*; & dicitur *dirus*, quaſi Dei ira immiſſus. In quo oſtenditur Diomedes non futurum fuiſſe, vt tantam eſſeret feritatem, niſi Deorum ira immiſſus fuiſſet, vt flagellum fieret Deorum, ſicuti de Atila Gothorum Rege iam dictum ſæpè audiuimus, nempe flagellum veri Dei iure ipſum cognominatum fuiſſe. Hoc itaque additamento ſummè extollit barbariem Tyranni, licet, quod debitum fuerat Regi, epitetum præſepibus attribuat per metonim. *Præſepia* autem dicuntur ſtabula, in quibus equi, muli, & cætera id genus animalia continentur; ſed, in ſtrictiori ſignificatione, *Præſepe* eſt linter ille concauus, in quo iumentis hordeum, auenam, aliudue pabulum apponimus. Vtrumque vnico verbo complectitur hic Poeta; nam & lintres appoſitis equorum eſui cadaueribus expurgauit Alcides, vt vnus ille Diomedes iam apponeretur edendus, & ſtabula ab equis ipſis, vel abductis, vel peremptis exſoluit. Ideò *Verrit Præſepia*

SANGVINEI REGIS. Diomedem per Antonomaſiam deſignat; nam Rex Thraciæ fuerat, vt dix.; & *Sanguinei* additione, quaſi nota diſtinguente, eum à cæteris omnibus ſeiungit. Porrò *Sanguineus* idem eſt, ac *ſanguinis auidus*, vel *ſanguinis effundendi auidus*. Sic Ouid. lib. 3. Triſt. Eleg. 9. inquit.

Palleneſq; manus, ſanguineumq; caput.

ET PAVIT, Dignam Diomedeis meritis pœnam eidem ab Hercule irrogatam attingit Vates, quæ profectò iuſtiſſimum illud implet axioma: *Per quæ quis peccat, per hæc & punietur*. *Paſco* aliquandò pro eodem ſumitur, ac *Veſcor*; ſed non in hoc ſenſu habetur hic. Aliquandò autem verbum eſt, vt hoc loco, actiuum, & ſignificat cibum alteri præbere: in quo ſenſu Virg. etiam Ecl. prima IX.

Tityre dum redeo (breuis eſt via) paſce capellas.

& Georg. 3. . . . . *Armentaq; paſcens*
Sole recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.

& ibid. *Veloces Spartæ catulos, acremq; moloſſum*
Paſce ſerò pingui &c.

En igitur culpa recidens in auctorem, dum incidit Diomedes in foueam quam fecit; quippe iuſtus Vindex Alcides occiſo Diomede *Pauit*

EQVOS; eoſdem illos ſcilicet, quos Tyrannus humano ſanguini aſſueſecerat ingurgitando.

SANGVINE DIOMEDEO. Sanguinem pro immediato humanæ vitæ alimento aſſignant Peripatetici, eo quòd anatomicis experimentis compertum ſit primo verti ſanguinem in quemdam humorem aliquantò albeſcentem, ſanguini tamen perſimilem, ſed viſcoſum, qui *ſecunda humiditas* vocatur, ad diſtinctionem humidi ſanguinis in venis, quod *prima humiditas* appellatur: & hæc ſanguinis mutatio in extremitate venarum fit: Rurſus in ſuperficie partium nutriendarum denſatur magis, & *ros* efficitur, ideſt in ſimilitudinem roris concreſcit: Iterum intra poros denſatur magis, & dicitur *Cambium*; ac denique in iiſdem poris adhuc magis denſitatem, & viſcoſitatem acquirit, & dicitur *Gluten*; quod tandem immediatè vertitur in carnem. Quare à primo ad vltimum tota caro ex ſanguine coaleſcit, & conſtat. Dum igitur inquit Poeta: *Pauit equos ſanguine Diomedeo*; Senſus eſt, ab Alcide appoſitum fuiſſe ipſum Diomedis corpus equis comedendum, ac de facto ab iiſdem fuiſſe equis deuoratum. Parrhal., Heinſius, & alij lectionem huius carminis immutant legentes

Et Diomedeis gramine pauit equos.

cuius lectionis rationem reddens, curis, vt Heinſius ait, ſecundis Barthius inquit: *Nam adſuetos ante hominum cadaueribus paſci; tunc etiam pro pabulo habere, dicit ab Hercule redactos in paſtum equinum gramini nimirum reſtitutos*. Refert Heinſius ſtantem pro noſtra, ac vulgata lectione Gebhardum, qui legens: *Et Diomedeo ſanguine &c.* ſubdit: *vt ipſe Diomedes equis ſuis obiectus deſignetur. Sed veram nos ſcripturam exhibuimus* ſuperaddit Heinſius. Verùm bona tanti Auctoris venia deficientem efficit Vatem Heinſiana lectio; nam nil profeciſſet Alcides, ſi Diomedem reliquiſſet impunitum; quarè, vt oſtenderetur Hercules numeros omnes iuſtiſſimi vindicis, ac liberatoris impleuiſſe, quænam Diomedi irrogata fuerit pœna, neceſſariò fuerat attingendum: hoc autem, in quo Heinſiana deficit, vulgata efficit cum Gebhardo. Quare non immutandam cenſui.

TVM PATRIÆ FESTO &c. Tempus magis adhùc ſpecialiter notat, & occaſionem, quam habuerit Vates iterùm ad cantus deflectendi. Tempus eſt enim cùm Patria de Diomedis nece iubilans lætaretur; occaſio lætitia ipſa euſdem Patriæ, quæ non poteſt, non in optimos Ciues redundare. *Tum* itaque hic idem ſonat, ac *ſimul*, ſeu eodem tempore, quo reſpirans Thracia lætaretur; *etiam*

VATES. Orpheum intellige per antonomaſiam deſignatum; nam *Vates* dicuntur Poetæ à *viendo*, ideſt *vincendo lege metrica carminibus*, vt ait Varro 4. de lingua latina; licet & *Vates* à Vaticinando dici poſſint, quia & plura per Vaticinium exprimunt, & fati dici videntur fieri afflatu Apollinis ipſos inſpirante, de quo vide initium lib. primi.

LÆTATVS. à verbo lætor, quod eſt *exulto, tripudio, lætitia afficior*, idem eſt, ac *lætitijs* ingruentibus ſuperfuſus; nam *lætor* ab intrinſeco, *Gaudeo* ab extrinſeco dicitur vim ſignificationis aſſumere, vt alibi fuſius.

FESTO TEMPORE. Non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri partim ſibi vindicat Patria, partim amici, inquit Tullius Offic. 1. Et Patriæ potiùs naſcimur, quàm gloriæ; immò non videndum, an gloriæ ſatis, ſed an Patriæ ſatis vixerimus, ex Apophteg. lib. habetur clarè. Nil itaque mirum, ſi optimi Ciuis Orpheus adimplens munus, Patriâ lætante, lætetur, ac proprio amiſſæ coniugis dolori patriæ lætitiam lætatus anteponat. Appoſitè igitur feſtum Patriæ tempus memorat Claud. hìc, vt efficacem exhilarando Orpheo cauſam ſuppeditet. Porrò *Feſtus dies*; *Feſtum tempus* dicebatur illud, quo vel ſacrificia Dijs offerebantur, vel epulationes celebrabantur, & triumphi, vel ludi in honorem pariter Numinum agebantur, vel Feriæ ſeruabantur &c. Hinc habes, cur Claud. non dixerit *Feſto die*, ſed *feſto tempore*, ad oſtendendum ſcilicet, non vnico die confectam Thraciæ lætitiam, ab execrata Diomedis crudelitate iam immunis; ſed diù perduraſſe, ſacrificiaq; ac ludos Dijs celebratos fuiſſe Ferias inſtitutas, Iuſtitiumq; indictum, ac epulationibus indultum, vt, triumphali more coronatis poculis, lætitia vndique diutiùs perſonaret, cui & Vates accineret.

REPETIT FILA &c. En conceptæ effectum lætitiæ ob Patriæ hilaritatem; cæteris enim omnibus in externa lætitiæ ſigna erumpentibus, indecens fuiſſet, ſi tot inter Democritos ſapientes ſolus Orpheus fuiſſet Heraclytus, vt hoſtis potius patriæ, quàm Ciuis diceretur; ideò & ipſe

REPETIT. *Repetere* eſt *iterum petere*; ſeu *denuo accipere* chelym iam antea poſthabitam, & denuò pulſare iam diù tacentes fides.

FILA. Filum propriè eſt, quod ex lino, vel lana, aut alio ſimili trahendo ducitur ex colu: hic per translationem pro Cytharæ fidibus ponitur; ni malis dicere poni genus pro ſpecie, eo quòd etiam Cytharæ fides trahendo, ac contorquendo in modum fili, non ex Colo quidem, ſed ex Rore perno ducantur, ſi ex animalium inteſtinis efformentur, at ſi ex Calybe conſtruantur, certè Calybs ipſe in modum fili attenuandus, ac deducendus eſt.

CANORA. Contrahit genus illud, hoc epiteto, ad ſpeciem, & de quibus loquatur filis, apertè declarat, iuxta noſtram ſcilicet expoſitionem: *Canorus* autem à *Cano* deducitur; & *canere* videtur proprium eſſe Muſici modulata voce canentis potiùs, quàm inſtrumenti reſonantis. Verùm, vt videre eſt apud probatiſſimos quoſque Auctores, *Cano* ſæpè pro *Sono* dicitur. Sic *canere receptui* dicamus tubam, vel *Bellicum canere*, cùm tamen certè tuba *reſonet*, non *canat*. Sed eſtò ſequamur rigoroſam verborum proprietatem; cur non dixerim, magis hoc pacto emicare ingenium Poetæ, qui per Cathacreſim loquens, dum verbo vtitur propinquo,

cum-

emphaticam reddit locutionem, *canora* ſcilicet vocans *Fila*, non eo quòd ipſa canant; ſed eo quòd, cantui conſonantia, vocem canentis comitentur non ſolum, ſed & dirigant; ita vt *canora* dixerit *fila*, vt intelligeremus non ſolum Cytharam pulſaſſe, ſed & cantum concentui Thracem accommodaſſe? Congruent certè huic expoſitioni, quæ inferiùs ſubdit Claud. *Vox audeins erat &c.*

LYRÆ. Lyra inſtrumentum muſicum eſt fidibus inſtructum, in quo, quot ſunt fides, tot reſonant voces, vt & varietate delectet, & concentuum recreet alternatione, pro eodem hic ponitur ac Cythara, de qua ſupra.

DESSVETÆ. Particip. hoc paſſiuum eſt, non à verbo *deſueſco*, quod, cum neutrum ſit, inflecti paſſiuè nequaquam poteſt; ſed ab antiquo verbo *deſueo*, quod idem erat ac *vſum alicuius rei omitto*; quo particip. vtitur Vates, vt ſibi ipſi correſpondeat in ijs, quæ initio dixerat inſonans

Otia ſopores ageret cum cantibus Orpheus
Neglectumq; diu ſepoſuiſſet opus.

eù vt alij legunt *ſepoſuiſſet ebur*.

ET MODVLATVS &c. *Modulari*, vt alibi innuimus, idem eſt, ac *cum numerorum ratione componere*: & quia Cytharedorum peritiſſimi harmonicorum ſeriem concentuum numeris exarant in membranis, vt certiori methodo Cytharam pulſent, donec, acquiſito habitu, etiam ſine membrana, eoſdem numeros valeant percurrere; ideò modulatus & Orpheus dicitur, ideſt ad numerorum rationem fides compoſuiſſe, relaxatas intendens, intentas nimis remittens, donec ad numeroſum reducerentur concentum, plectroq; leniter tangens, vt conſonantiam experiretur neruorum.

RESIDES NERVOS. Reſides idem eſt, ac *otioſos*, & *deſſuetos*. Quia verò Cytharæ fides vel ex ſola deſſuetudine in diſſonantiam compelluntur, vt apud Cythariſticæ artis peritos nimis in comperto eſt; hinc eſt, vt opus fuerit, eas iterum ad conſonantiam reuocari priùs, quam Orpheus numeroſam eliceret concentuum ſeriem. Adde Cytharedorum morem eſſe, vt Cytharæ peracta pulſatione chordas, ac præcipuè vltimam, quæ vulgò *il Cantino* ab intenſione relaxent, ne vel diſrumpantur fides, vel detrimentum patiatur Cythara ipſa, quare & hac de cauſa cum iterum pulſanda eſt Cythara, fides ſunt ad concentum reuocandæ. Hic itaq; Vates & ſuperioribus cohærens morem imitatur, & praxim indicat Cytharedorum inſtrumenta, ante cantum ad harmonicos concentus adaptandi. *Neruos* autem appellauit Cytharæ fides, quia, contortis in chordam Hircorum inteſtinis, admodum nerui fides ipſæ obdureſcunt, & intenduntur, ac tandem vim omnem ad ſonum Cytharæ attribuunt.

LENI PECTINE. Pecten, græcè *πλῆκτρον* inſtrumentum illud eſt, quo vtuntur Cytharedi ad pulſandam Cytharam, Plectrum apud nos dictum à plectendo, quia hoc plectuntur fides, vt reſonent. In hoc ſenſu adeſt & apud Virg. Æn. 6. *Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos*

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
Iamq; eadem digitis, iam pectine pulſat eburno.

Sed nota energiam dicendi, quam in epitetum *Leni*, quod addidit, conijecerit Claud. *Lenis* idem eſt, ac *mitis, facilis, clemens, ſuauis*; ex quo fit, vt translatè pro eodem, ac *delicatus* ponatur: ſic *lene* vinum appellant, quod delicatum ſit, nullâq; palatum offendat aſperitate. *Leni* igitur *pectine*, inquit Claud. hoc eſt *ſuaui, miti*, ac delicato: Sed inſuper ſic explicat artificioſè ſubmiſſas illas proluſiones, vulgò *le ricercate, ò paſſeggiate*, quas Cytharedi elicere ſolent ex Cytharis, antequam grauiori pectine in apertas erumpant modulationes; nam ſicuti Torquatus Taſſus Hier. lib. Cantu 17. de Muſicis inquit: *Qual Muſico gentil, prima che chiara*

Altamente la voce al canto ſnodi,
All' harmonia gl' animi altrui prepara
Con dolci ricercate in baſſi modi.

Sic Marinus noſter Idilio primo in Orpheum idem in Cytharedo obſeruat dicens:

Tirato in prima le chiauette eburne
Tende i nerui ſonori, e, ricercando
Con armonica man, le dolci fila
Prende con l'arco à riſuegliare alquanto &c.

& hoc ipſum eſt, quod hic inſinuat Claudianus, vnico id totum explicans carmine

Et reſides leni modulatus pectine neruos.

POLLICE FESTIVO &c. Pollex primus eſt digitus in manu, ſic dictus, quòd vi, & poteſtate polleat, vnde apud Græcos *ἀντίχειρ* vocatur, quaſi altera manus videatur. Hic igitur pro manu plectrum moderante ponitur, ſeu etiam pollex ipſe tamquam primus, ac præcipuus plectri motor exprimitur, licet enim Index cum Pollice ad plectrum mouendum concurrat: Feſtiuus autem dicitur, hoc eſt *hilaris, lætabundus*, ac *feſto patriæ iubilans tempore*

DVXIT NOBILE EBVR. Quod nunc ex alari vulturis penna conficiunt Cythariƶantes, ex ebore olim, apud antiquos, Plectrum conſtruebatur; ideò hic materiam ponens pro re ſignata, *Duxit ebur*, inquit Vates, pro *fides pulſauit*, & *ſonum ex lyra ſua expreſſit* poſita cauſa inſtrumentali, & principali pro effectu; nam dum Plectrum per fides excurrit, videtur feſtiuam quaſi deambulationem innectere, per quam manu ducitur a Cytharedo, ac iuxta varium plectri motum varius ſequitur ſonus, ac pulſatarum fidium concentus. Ideò *duxit ebur*, quod & *nobile* appellat, non tam ex ipſa materiæ pretioſitate, de qua nos lib. 1. ad Carm. *Aurea cingebat &c.* quam quia inſigne, & celebratum ex peritia lyricæ artis, qua illud moueret Orpheus, ac nobilitatem contraxerat ex prodigijs, quæ ab ipſo tantum elicita Orbi illud toti indixerant celebrandum, Legit Heinſius hic, ſed non libet à vulgata recedere, quamuis Heinſium non improbem. *Pollice feſtiuo mobile duxit ebur.*

Quo ad mores collige, Prudentis eſſe mutare conſilium in melius: vt meliùs certè eſt Patriæ, quam ſibi conſulere, & patriæ potiùs, quam ſibi morem gerere, in rebus tamen ab honeſtate morum non diſſonis; nam ſemper Publica priuatis anteponenda bonis; cum & Reipublicæ ſubleuandæ curis immori pulchrum ſit, vt ex Apophteg. lib. habetur, ex cuius etiam ſententia priuati affectus vtilitati publicæ poſthabendi ſunt, In hac eadem ſententia (vt Chriſtiano more loquamur) Nos edocet infallibilis Veritas, vt omnia Cœlo, Patriæ vtiq; noſtræ poſtponamus: melius eſt enim cæcum, vel claudum ad vitam ingredi, quam duos oculos, vel duos pedes habentem mitti in Gehennam ignis. Proprijs diſtracti affectibus otioſè viximus peccatis tantum, ac concupiſcentijs noſtris indulgentes? En Orbis, noſtrorumque Reparator triumphis nos excitat ſuis, lætantem Patriam noſtram, ſi nos pœniteat præteritorum, oſtendit: Gaudium in Cœlo ſuper vno peccatore penitentiam agente. Quid ni igitur Cytharam cum Regio Pſalte reſumamus in Cœlum clamantes, vt miſereatur noſtri Deus noſter? Solemnitates ideò, ac Feſti Sanctorum dies nobis proponuntur, vt imitari non pigeat, quos celebrare delectat. Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus, &, Patriæ ſic noſtræ conſonantes, nos ipſos Cytharas præbeamus. Sed inter Cytharas verſantibus liceat, quæ noſtra de expoſitis ſuggerat Muſa, ſtrictim recenſere.

Chete all' hor che, dell' otio in grembo auuinte,
  Della Thracia il Cantor chiudea le note;
  E, reſe homai, della ſua Cetra, ignote,
  Languian le Corde in lung' oblio reſpinte;
Gl' inuolati del cuor dolci conforti
  Piangean le Ninfe; e, d'aſpro duol frementi,
  Chiedean in darno i conſolanti accenti
  I fiumi, già reſi dal canto aſſorti.
Riede alle fiere il natural talento
  D'incrudelir, d'inſanguinar le Zanne;
  E, del Leon temendo aperte canne,
  La muta Cetra implora il pigro Armento.
I monti, i monti ſteſſi, in flebil onda
  Scioſſer le rupi; e diſtilloſſi in pianto
  La ſelua, che ſeguir pria ſi diè vanto
  Dell'aurea Cetra il ſuon di ſponda in ſponda.
Mà poi, ch' Alcide ad eſeguir gl' Imperi
  Dell' Argolico Rè dall' Apia ſciolſe:
  E che la Tracia apportatar l'accolſe
  D'aura di Pace infra trionfi alteri;
Poi, ch'ei del ſanguinario empio Diomede
  Diede in cibo à deſtrieri il buſto infame,
  E, ſatia con l'Attor l'horrida fame,
  N'eſtinſe i moſtri, e n'eſpurgò la ſede;
All'hora il Trace, ou'al brillar conſiglia
  La Patria tutta in mar di gioie immerſa,
  D'vn brio nouel la lieta fronte aſperſa,
  La diſuſata Cetra al fin ripiglia.

Argis Regnata Euriſteus Apia Peloponeſus olim dicebatur, in qua Inachia, & Argos.

Volge

Volge l'eburnee chiaui, ed al concento
Le corde accorda, e ne taſteggia i tuoni:
Lieue il Pletro le ſcorre, e i chiari ſuoni,
All'armonico, poi ne ſcuote, intento.

Et intentus adſtet fidibus Orpheus, dum nos in Claudiani Cytharam reflectentes emanantia ex Threicijs fidibus prodigia, auctore noſtro recenſente ſedulò perpendemus.

Vix auditus erat: venti frænantur & vndæ;
Pigrior adſtrictis torpuit Hebrus aquis.
Porrexit Rhodope ſitientes carmina montes;
Excuſſit gelidas pronior oſſa niues.
Ardua nudato deſcendit populus Æmo,
Et comitem quercum Pinus amica trahit;
Cirrhæique Dei quamuis deſpexerit artes
Orpheis Laurus vocibus acta venit.
Securum blandi leporem fouêre moloſſi,
Vicinumque lupo præbuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum Tigride Damæ
Maſſilam cerui non timuêre iubam.

VIX AVDITVS ERAT &c. In ſuperioribus cum oſtendiſſet & damna Thraciæ ex Orphei taciturnitate deducta, & vehemens in rebus omnibus deſiderium Cytharæ iterum reſonantis concentum audiendi; eumque, iam data cauſa, eam iterum in harmonicos concentus impulſam indicaſſet; æquum erat, vt, per oppoſita diſcurrens, oſtenderet, contrarios prioribus, ex taciturnitate naſcentibus, proueniſſe ex reſonante lyra effectus, & vtriq; prodigioſos. Hoc itaq; hic peragit eruditiſſimus Vates, ea arte, vt ſingula ſingulis ſuprapoſitis contrarijs contraria correſpondeat, vt facilè perpendenti patebit.

VIX AVDITVS &c. Oſtendit, hoc initio, efficaciam præſtantiſſimæ modulationis, quæ iuxta commune effatum *dictum factum*, nondum ferè plenis fidibus reddebatur, & iam tamen concurrentium obuallabatur ſerie prodigiorum ad quam celerem immediationem exprimendam, dum mora omnis in effectuum ſubſecutione proſcinditur, proſcindit etiam Poeta circuitionem omnem verborum, & conciſo dicendi genere vtitur, vt ex ipſo dicendi modo pateat, quam celeriter euenerint quæ ſubſequuntur.

VIX. Aduerbium temporis eſt idem ſonans, quod *ſtatim ac*, ſeù *ſtatim vbi*, aptiſſima mehercule particula, vt etiam lib. 1. adnotauimus, ad oſtendendam celeritatem, qua inuicem effectus cum ſuis cauſis connectantur, & immediationem temporis, qua res ſibi inuicem ſuccedant. Sic Virg. Æn. 1., oſtenſurus immediationem temporis, qua Iunoniæ iræ accenſio ſubſecuta fuerit Troianorum nauigationem, hac eadem particula appoſitè vtitur inquiens.

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant,
Cum Iuno æternum ſeruans ſub pectore vulnus &c.

AVDITVS ERAT. Audiendi ſenſum rebus etiam inanimis attribuit Virg. quoque, qui Georg. 1. Martis rabiem effrænatis aſſimilans quadrigis ait:

Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ
Addunt ſe in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens,
Fertur equis Auriga; neque audit currus habenas.

Sicq; pariter Claud. hic ſenſum inanimis adiudicare videtur inquiens *vix auditus erat*, nempe à ventis profectò, ab aquis, à fluminibus, à montibus, à ſyluis &c. cantum admirantibus. Verum, arbitratu meo, Vates, licet audax illud quidem, ſed pulcherrimum tranſlationis genus non neglexerit, ad fabulas tamen reſpiciens, quæ in his omnibus diuinitatem ſuam, vt alibi diximus, agnouêre, dici poteſt, iuxta verbi proprietatem, attentis fabulis, locutus; Nam Venti à Poetis pro Animis ſumuntur, vt ſæpe vidimus, in vndis adſtant Naiades, in Fluminibus Numina vrnas moderantia, in Montibus Oreades, in Syluis Dryades &c. Adde in Lauro Daphnin, in Pino Athyn, in Populis Heliades, in Hemum, ac Rhodopen Regiæ ſtirpis ſobolem conuerſam agnoſci &c. Quare potuit Vates in ijs ſingulis, iuxta fabulas veram auditionis ſenſum agnoſcere, atque adeò iure canere: *Vix auditus erat.* Inſuper clarè oſtendit hoc loco, concentui fidium vocis modulationem additam ab Orpheo fuiſſe; nam ipſe vtique vnà cum Cytharæ ſono auditus dicitur: tandem indicat quantùm effectus diſtantes fuerint à cauſis, nam tantùm vix interfuit, quantùm requireretur, vt à ſonante ſonus ad aures audientis, in quibus fit auditio, perueniret, quod idem eſt, ac factum dicere in ictu oculi, ita vt & cantus, & ſubſecuta prodigia videri potuerint effectus ſimultanei potiùs, quàm à ſe ipſis inuicem dependentes.

VENTI FRÆNANTVR. En primum admirabilis Cytharœdi prodigium, nam venti, quibus nil leuitate mobilius, nil agilitate velocius, nil impetu vehementius, vt per ſe patet, quaſi ſtupiditate contracta immobiles ſiunt, quaſi grauitate preſſi conſiſtunt, quaſi propriam obliti violentiam mites hærent, & mirabundi. Quid venti ſint, ac quænam eorum materia ſatis vidimus lib. 1. Carm. 70. & Carm. 172. nec non in Præfatione eiuſdem lib. 1. Quarè hic accelero. *Frænantur* itaque (verbum tranſlatum ab equis, qui fræno cohibentur) ſed non vi, non ferro, non loris, ſed voluntate, ac voluptate frænantur, ideſt à præcipiti volatu ſuſpenſi detinentur, vt vocibus fruantur harmonicis.

ET VNDÆ. Pendet hoc ex eodem verbo *frænantur*, & per conſequens eidem ſubijcitur explicationi. Vndarum autem nomen genericum eſt quamlibet includens fluentem, vel illa fluminis ſit, vel torrentis, vel riui, vel fontis &c. Reſpexit autem Vates hic ad duplicem Virgilij locum, nempè ad primum Æneid. à nobis alibi adductum, vbi ait

Luctantes ventos, tempeſtateſq; ſonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat,

& ad quartum Georg. vbi de aquis inſit

Et cum triſtis hyems etiam nunc frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frænaret aquarum.

Venti ſternuntur & vndæ, legit hoc loco Parrhaſ. ſed quam altiùs vulgata aſſurgat ſatis patet.

HEBRVS. A genere aquarum ad ſpeciem non ſolum fluuialem, ſed ad indiuiduum deſcendit Hebri fluminis admirationem deſcribens, qua ſcilicet à curſu detinetur. Hebrus autem fluuius eſt Thraciæ ex Rhodope naſcens, ac in Ægæum, influens mare, & aureis etiam celebratus arenis, Maximus fluuiorum Thraciæ dicitur, cuiuſque meminit Virg. Georg. 4. eum defuncti Orphei caput deportantem ſic deſcribens

Tum quoq; marmorea caput à ceruice reuulſum
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret, Eurydicen vox ipſa, & frigida lingua
Ah miſeram Eurydicen, anima fugiente, vocabat;
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Poetarum enim ſententia eſt obtruncati Orphei caput in Hebrum fuiſſe deiectum. Quarè & Ouid. Metam. 11. ſic cecinit

Membra iacent diuerſa locis: caput, Hebre, lyramque
Excipis, &, mirum, medio dum labitur amne
Flebile neſcio quid queritur lyra; flebile lingua
Murmurat exanimis; reſpondent flebile ripæ.

Ex Hebro igitur curſum remorante confirmat Vates id quod de reliquis dixerat fluentis; nam ſi fluuiorum maximus, ac rapidiſſimus retrotrahitur, ac frænatur vocibus modulantis, quid de minoribus dicendum? Certè totum aquæ elementum intentum muſicis vocibus fuiſſe demonſtrat futurum, ſi totum in propinquo adeò, vt audire vocem poſſet, extitiſſet. Sed vt ad Hebrum reuertamur tanti nominis, atq; exiſtimationis fuit Hebrus, vt filius Iouis dictus ſit ab Homero in Hymnis, cum cæteri fluuij Oceano progeniti dicantur. Hic autem Orphei modis intentus.

TORPVIT. *Torpere* eſt quodam veluti ſtupore corripi, & circumligari, ita vt ſenſata ipſa ſenſibus, ac motu priuari omninò videantur. Sic Piſcatores, in quorum rete Torpedo piſcis inciderit, neruis omnibus ſtupidi remanent ita, vt ſenſu omni carentes appareant: atram enim quamdam qualitatem tranſmittit per fila retium, ac funes piſcis ille, quæ neruos omnes piſcantis infringat, & colligatos reddat immobiles; atq; hinc *torpere* dicitur, qui ita hæreat adſtrictus, ac ſtupens, vt ſtatuæ ſimilis videatur. Vides quam optimè vnico verbo complectatur Poeta, & admirationem cantus percepti, & ceſſationem à motu vndarum, quam Hebrus experiatur, qui ideò dicitur

PIGRIOR. Piger enim idem eſt, ac *ſegnis*, *lentus*, *minimè velox*; à quo ſi *Pigrior* comparatiuum nomen efformetur, certè quid ad immobilitatem penè redactum ſignificabit.

ficabit. Hic tamen à Poeta deductum potiùs fuiſſe arbitror à verbo *Pigror*; nam *Pigrare* immorari eſt; adeò vt ſignificet remorantes Hebri aquas ſuauitate cantus detentas prorſus; quod etiam conſtare videtur, quia ſubdit,

ADSTRICTIS AQVIS. Adſtrictus enim dicitur qui compede, aut vinculo aliquo immobilis detinetur: Sic tunc aquæ adſtrictæ glaciali compede dicuntur, cum conglaciatæ fluxum deperdunt, & curſum. Sic Rutilius in Itinerario

. . . , Glacie riget horridus Iſter
Grandiaq; adſtricto flumine Plauſtra vehit,

quod & Ouid. apud Heinſium ſic attigit,

Et coit adſtrictis barbarus Iſter aquis,

de Hebro autem Hermanicus Cæſar in Epigram.

Thrax puer adſtricto glacie dum ludit in Hebro &c.

hic verò non conglaciantur quidem aquæ; ſed, perinde ac ſi conglaciatæ eſſent, ac ſolidæ, concepta voluptate detinentur; quod maximum eſt Orphei Encomium, & nil eſſe adeò immite oſtendit, quod muſicis modulis non capiatur, ac dulci quadam miteſcat ſuauitate. *Adſectis* pro *adſtrictis* Clauer. legit, ſed qua ineptè viderit ea ipſa verborum ſignificatione vel indoctus quiſque.

RHODOPE. Qui nam fuerint Rhodope ſoror, ac Hemus frater iam attigimus lib. 1. Carm. 135. Quomodo in montes conuerſi fuerint ibi pariter dicebamus. Quarè hic tantum moneo, actionem à Vate dari Reginæ, quæ Rhodope diceretur, antequam conuerteretur in ſui nominis montem, quaſi innuat eam adhùc, licet ſaxeam vires, ac ſpiritus exercere, ita vt montis ſui Iugum pro libito moueat, atque inclinet; ideò *Rhodope*

PORREXIT. *Porrigere* idem eſt, ac *admouere*; quarè ſenſus Poetæ eſt, Reginam Rhodopen, licet in montem conuerſam auditis Orphei cantibus exhilaratam adeò fuiſſe, vt geſtiens montes ſuos, hoc eſt ingentia montium ad inſtar ſaxa, & ſcopulos, quibus mons ipſe riget, ad cantorem propiùs admouerit, vt ſaxea ſua membra ſuaui illa modulatione pleniùs recrearet.

MONTES. Vel plures pro vno poſuit Poeta, vel plures abſolutè in ſenſu ſupra dato, quia ſcilicet Rhodope quaſi ea pluribus montibus conſtetur, vel plures facit, quia idem mons pluribus compellatus nominibus (cum & Valiza, & Rulla, & Coriorounicze appelletur) videatur in plures, reſpectu diuerſorum, diuidi montes. Congruentior tamen videtur ſecunda explicatio, cum ſermo ſit de Saxea Regina membra ſua ad cantum, vt ſupra dicebamus, admouente. *Rupes*, non *montes*, ideò fortaſſis legendum contendit Heinſius; ſed, vt vides, grandior aſſurgit, vulgata ideò non immutanda.

SITIENTES CARMINA. *Sitientes* partic. à *Sitio* eſt; *Sitire* autem, ſi ſecundùm propriam, ac litteralem conſiderationem ſpectetur, ſignificat idem, ac habere appetitum potionis. Verùm ſi translatè vſurpetur, vt hìc, ſicut *ſitis* ſumitur pro nimia alicuius rei auiditate, vndè Hor. Epiſt. 1. Epiſt. 18. inquit: *Quem tenet argenti ſitis importuna &c.* Sic *ſitire* accipitur pro *vehementer appetere*. Vt igitur oſtenderet Vates Rhodopen montes porrigentem ſumma & ipſos auiditate affectos audiendi cantoris melodiam, ideò dixit *Porrexit Rhodope ſitientes &c.* Ex quo vides quantus Poeta ſit in amplificationibus, dum vnico verbo adeò amplificat motionem ab Orphei cantu, vel ſaxis ipſis impreſſam, vt ſitum ſui generaſſe dictitauerit caotum, Sicuti enim ſitis eſt moleſta adeò interdum ſenſatio, vt langueſcat totum, penè & emoriatur, corpus, ni præſtita potione ſubleuetur, ſic angi oſtendit montes ipſos, ni pleniùs voces hauriant &c. Ideò *Sitientes Carmina*; carmen enim eſt quidquid Poeticè vel ſcribitur, vel decantatur, quaſi canimen à canendo dictum, vt lib. etiam primo explicuimus.

OSSA. In Theſſaliæ finibus Mons iſte eſt giganteis prælijs memorandus, ad quod alludens Ouid. inquit

Non ego putans ſi Pelion Oſſa tuliſſet
Clara meâ tangi ſydera poſſe manu.

hunc olim Olympo fuiſſe coniunctum autumat Seneca; Herculis autem opera abciſſum ab ea parte, vbi, per Tempe, fluit Peneus fluuius. Sed quæres quomodo Mons iſte, Theſſalus cùm ſit ad Thraciam, in qua Vates audiebatur, pertineat? Facilis tamen reſponſio eſt, cum, teſte Seneca, coniunctus Oſſa fuerit Olympo: Olympus enim Mons eſt inter Theſſaliam, & Macedoniam, conſequenter inter has, & Oſſa protenditur, Macedoniæ autem contermina & Thracia eſt, atque adeò inter fines Theſſaliæ & Thraciæ, ſeu à finibus Theſſaliæ, & Macedoniæ vſque ad fines Thraciæ radices extendiſſe indicatur hic Mons, vt arbitror, hoc loco; nam cùm omnes citatæ Regiones Europeæ ſint & conterminæ inter ſe, nil mirum ſi idem Mons ad plures pertinere Regiones dici poſſit tanquàm terminalis; & ideò ponitur hìc Oſſa, vt Mons Thraciæ terminalis, & ponitur, vt indicetur tota Thracia vſque ad vltimos eiuſdem fines Cantoris voce permota, in voces intenta, ac mobilis effecta, vt propiùs accederet, & pleniùs audiret

PRONIOR. A poſitiuo *Pronus* comparatiuum *Pronior* efformatur, *Pronus* autem idem eſt, ac *flexus*, & *habens cadentis inclinatus*. Quare, ſi *Pronior* ſumatur in rigoroſa ſua ſignificatione, certè talem inclinationem importabit, quæ rem ad terram ferè deducat; & aduerte inſuper, nomen *Pronus*, cum deriuatis, non quamcumque inflexionem, ſed voluntariam importare, propendente animi inclinatione; ex quo vides quomodo in allegorijs aptè ſibi cohæreat Vates ſenſum inanimis tribuens. Verùm hic dubitari poteſt, num illud comparatiuum *Pronior* ſit verè comparatiuum, an potiùs poſitum pro poſitiuo, vt mos eſt præcipuè apud Poetas frequens. Ratio dubitandi eſt, quia comparatio importat neceſſariò & id quod comparatur, & illud cui comparatur, hic autem nihil videtur adeſſe cui Oſſa, ſecundùm proclinitatem, comparetur. Sed nota poſſe etiam idem comparari cum ſe ipſo ſecundùm diuerſam ſui ipſius habitudinem; Cum igitur aliàs eoſdem effectus ſortita fuerit Orphei Chelys, antequam ſcilicet ageret otia &c. Pronus etiam nunc indicatur Oſſa cantibus adhuſſe, at nunc pronior quam vnquam ante, ita vt ferè ad carmen ſe ſe inclinans corrueret.

EXCVSSIT GELIDAS NIVES. *Excutere* propriè eſt *quatiendo deijcere*, quo verbo mirè exprimitur, quanto ſui ipſius motu ſe agitauerit Oſſa, vt ſe Cantorem versùs porrigeret, dum motu ſuo deijcit quatiendo Niues gelidas. Videtur hoc epiterum ſuperfluè appoſitum, nam eo ipſo quod nix eſt, gelida eſt, cùm non niſi ex frigore nix oriatur. Aptè tamen additur, ad oſtendendum conatum, quo Mons excutitur, & vehementiam, qua mouens ſe ipſum niues abijcit; Nix enim, quæ recenter deciderit, licet gelida ſit quo ad intenſionem frigoris, non tamen abſolutè gelida, ſeù conglaciata dici poteſt, vt patet ea facilitate, qua diſijcitur, & diſſipatur; cum autem eadem nix aliquandiù in montium iugis quieuit, conſtipatur in vnum, ita vt duram vertatur in glaciem, quæ ferro via ſcindi poteſt, In hoc ſenſu gelidas hic niues appellat Poeta, vt magis oſtendat, quanto motu ſe Oſſa excuſſerit, cum vel duriſſimum gelu ea gelidis compactum niuibus diſiecerit, & abiecerit. Niuem verò cœleſtium aquarum ſpumam eſſe autumat Plin. lib. 17. Cap. 2., ad quam ſententiam videtur alluſiſſe Claudianus, cum enim, vt dix. ex Seneca, Oſſa idem cum Olympo mons fuerit, & nubes excedat Olympus, vt fert communis Poetarum opinio, videtur Vates indicare voluiſſe altitudinem huius montis, quæ adeò protendatur in Cœlum, vt aquarum Cœleſtium ſpumis ſemper cernatur aſperſus. Sed, vt veritatem potiùs, quam Plinij auctoritatem ſequamur, de niue, Metheor. 1., ſic habet Ariſtotiles: *Cum nubes conglobata fuerit, nix eſt; cum autem vapor pruina*. Ex quo habetur, quod, quemadmodum pruina, ita & nix ea congelatione oriatur, illa quidem vaporis, hæc verò nubis; ex quo fieri, notant interpretes, vt nix in locis tantum frigidiſſimis, & hyberno tempore decidat: cum autem diximus Thraciam, quo ad eam partem, quæ, à mari recedens, interiùs ad montes extenditur, frigidiſſimam eſſe, ideòque nec Cœlo nec Solo tractabilem, nil mirum, ſi contermini montes perpetuis rigere niuibus dicantur: Sic Virg. Ecl. 10. in Thraciæ, ac Macedoniæ finibus, obſtinatum prorſus frigus, ac perpetuas cognoſcit niues, dum inquit.

Nec ſi frigoribus medijs, Hebrumq; bibamus,
Sithoniaſq. niues hyemis ſubeamus aquoſæ &c.

Sithonia enim Auctore Plinio extrema Thraciæ ora eſt, à qua olim tota Thracia ſithonia dicta, vt innuimus lib. 1. Carm. 135., & de Macedonia participat, atq. in eâ natus dicitur Orpheus, quod adamuſſim confirmat, quæ ſupra diximus, Oſſam in ijs ſcilicet finibus conſtitui, adeòq; ad Thraciam ſpectare. Sed adeſt obiectio diluenda circa effectionem illam niuium, quam nos ex Ariſtotile poſuimus. Certum eſt, nubes in pluuiam, niuem, grandines, ac pruinas diſſolui, & quidem hæc omnia ex frigore condenſante prouenire. Hoc igitur poſito, quæri poteſt, cur ea eadem nube tot varios effectus eliciat frigus, & non potiùs ſemper nubes diſſoluantur in aquam, nunquam verò in niuem, aut grandinem, Sed facilis reſponſio eſt; nam nubes, quo ad qualitatem non eiuſdem omnes temperamenti ſunt, ſed aliæ humidiores, aliæ ſicciores; quæ igitur, ob ſiccitatem, minus apta eſt, vt

in

in aquam diſſoluantur, illa ex vi frigoris in niuem diſſoluitur, quæ autem humidior in pluuiam liquatur. Patet hæc reſponſio ex ipſa niuium figura, quæ in modum lanæ extenſæ fruſtatim decidit, quod ſignum eſt, eam non adeò facilè eſſe terminabilem termino alieno, vt proprium ſiccitatis eſt; non omninò tamen humido carere, cum tandem aliquo modo, licet non adeò facilè, vt aqua, alieno termino terminetur. Sed hæc ad niuis efformationem delibaſſe ſufficiat: & intermiſſam proſequamur explicationem, ne diutiùs extra chorum ſaltantes arguamur. Dicitur itaq; à Poeta excuſſiſſe niues Oſſa, non ſolum ob rationem adductam, nempè, vt ſolutus impedimento faciliùs, ac promptiùs ad cantum pronus inclinaretur percipiendum, ſed etiam quia ſuperimpoſitis niuibus ſonus non adeò facile percipitur, vt patet, cum, decidente niue, campanæ pulſantur, earum enim ſonus hebetatus ferè videtur, & languidior. Oſſa igitur vt promptiùs audiret, ac pleniùs cantu frueretur, gelidas excuſſit niues, perpetuò alioquin ſibi adhærentes, vt proiectis impedimentis faciliùs voti compos exiſteret.

ARDVA NVDATO &c. En mobiles effectas ſyluas, ac propiùs ad cantorem accedentes; & quidem congruenter; nam ſi venti frænantur, & vndæ, ac montes ſuas porrigunt rupes, ac proni inclinantur, qui immobiles, eò quod terminales ſint, neceſſariò exiſtunt, vt de Oſſa diximus; quid ea facerent, quæ anima aliqua vegetatiua videlicet informantur? Certe à fortiori valet argumentum, vt hæc immota ad cantum non perſiſterent, dum illa quantum poſſunt mouentur, vt propiùs audiant: Vbi pulcherrimam nota eruditiſſimi Poetæ gradationem.

ARDVA. Arduus idem eſt ac *altus, elatus, ſublimis*, atq; *aſcenſu difficilis*; quod epitetum quam bene congruat populeæ arbori ſatis conſtat inſpicientibus. Hic *ardua* ponitur non ſolum ad exprimendum arboris proceritatem, ſed etiam ad indicandum ex proceritate difficultatem ad motum, quam ſuperatam oſtendat, vt prodigij maioris vim habeat motus ipſe; certe enim quo maior eſt moles, & ponderoſior, eo eſt & ad motum difficilior.

POPVLVS. Arbor notiſſima eſt vulgò *Pioppa*, ſeu *Albera*, cuius duo ſunt genera, Candidum alterum, alterum verò Nigrum, quorum profectò meminit Virg. Æn. 8. Populum Herculi dicatam innuens his verbis:

Dixerat: Herculea bicolor cum Populus vmbra
Velauitq; comas, folijſq; innexa pependit.

& candidè mentionem fecit expreſſe Ecl. 9. ſic:

Fundit humus flores; hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt vmbracula vites.

Herculi iterum dicatam, & gratiſſimam memorat Ecl. 7.

populus Alcidæ gratiſſima; vitis Iaccho.

Sacram autem populum Alcidi fuiſſe autumant, eo quod *Alcides* allegoricè *tempus* eſſe intelligatur, quod monſtra omnia vel domitat, vel deſtruit: Populus autem alba diem, nigra verò noctem repræſentent; vel, vt alij fabulantur, quia Hercules, cum ad inferos Theſeum liberaturus deſcendiſſet, huius arboris fronde comam cinxerit. Ex quo habes, cur Poeta hic inter arbores accurrentes, primam enumerauerit populum, quia ſcilicet Orpheus Alcidis glorias canebat, vt dicetur inferiùs: atq; adeò congruens fuerat, vt eius arbos accurreret omnium prima. In has arbores mutatas Phaetontis ſorores latè canit Ouid. Metam. 2., & nos attigimus lib. 1. Carm. 244. Ideò aquis gaudent, quaſi, ſepulto in aquis fratre, eius ſemper ad tumulum flere aueant, & cineres coronare.

ÆMO. Æmus, vel, vt alij ſcribunt Hæmus mons Thraciæ eſt ab Æmo Boreæ, & Orithiæ filio dictus, vt aliqui volunt; vel, vt alij, ab Hæmo Rodopeæ fratre, in hunc montem conuerſo, vt nos dicebamus lib. 5. Carm. 535. *In catena Mundi* appellatur apud Latinos, apud Turcas Batkan, apud Incolas Cumoniza, à finibus Macedoniæ vſq; ad Euxinum protenſus; atq; in hoc monte Martis domicilium poſuerunt antiqui. Sed occurrit obiectio: quomodo ſcilicet huiuſmodi arbores, quas fluminibus gaudere diximus, & certum eſt, in Hæmo monte tantæ proceritatis, ac magnitudinis reperiri poſſint? Verùm aduerte populeas arbores non ita fluminibus addictas, vt nullo alio in loco ſuccreſcant; nam etiam longè à fluminibus reperiunt. Sed eſto ita gauderent aquis, vt non niſi aquoſis in locis radices figerent: quantis aquarum venis, ac ſinuoſis fontium receptaculis, fluentiſq; vndiq; ſcaturientibus montes irrigantur? Sed eſto nullas Hemus haberet aquas. Memineris, populeas frondes Alcidi, (ideſt fortitudini, ac ferociæ; nam Alcides ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, hoc eſt à fortitudine, ac ferocitate dicitur) dedicatas, conſequenter non magis alibi vigere debuiſſe, quam eo in monte, vbi fortitudinis, ac ferocitatis numen, Mars ſcilicet, domicilium obtinens, eas vindicet in ſuas. Ideò iure *Populus* Hæmo inſidens dicitur, quæ iam Hæmo

NVDATO. Particip. hoc eſt paſſiuum à *Nudo*, quod eſt *nudum facio*; & appoſite quidem eo vtitur Vates, nam dum in Syluis arborum nectuntur rami, ac frondes inuicem denſantur, viridè quoddam contexitur indumentum, quo montium aſperitas contegatur, & deliciarum in ſpeciem exornetur; ideò *nudato*; quia ſicuti, qui nudus eſt, nullum habet integumentum, quo corporis deformitas, ſiqua in eo eſt, contegatur; ſic tanto conſenſu arbores ex Hæmo decurrebant, vt nudum prorſus relinquerent, ac rupibus horrendum ſuis, quibus ad ſex millia paſſuum celſitudinis euehi Mons ipſe dicitur. Nudato itaq; à vertice ad Calcem Hæmo populus

DESCENDIT. Ne putares Populeas arbores inclinari tantum, aut corpora porrigere cantum verſus, vt iam de montibus dixerat: *Deſcendit*, inquit, vt ſcires eas, ſicuti propriores naturæ ſunt ſenſitiuę, cum vegetatiuam habeant, quæ vno tantum gradu diſtant à ſenſitiua; ſic etiam maiori motu percelli, quam prorſus inanimata; ita vt non ſolum inclinentur, ſed errantes fiant Syluæ è montibus deſcendentes, vt ad Cantum accedant. Syluæ, inquam, populum pro Populea Sylua per Synecd. hic Vates poſuit, & ex Sylua Syluas innuit, ſicut ex monte montes per eamdem Synecd.

ET PINVS. Exprimit iam arborum, Syluarumq; concertationes in acceleratione ad propiùs accedendum ſitas, & nouum illis ſenſum tradit amicitiæ, dum ſe inuicem inuitant non ſolum, ſed trahunt ad cantum, quæ naturali quadam vniuntur ſympatia, vel reconciliantur ſe inuicem trahentes, quæ naturaliter diſſidebant. Quid verò, & cuiuſnam ſit Pinus naturæ, ac de Athy in illam commutato ſatis diximus lib. 1. Carm. 102. Tantum indico hic amplificatam mirificè excellentiam Orphei canentis, dum Pinum etiam, quæ tota funeſta eſt, ac funeribus ſemper addicta lugendis, ad vitæ ſenſum, & ad dulcedinem vſq, allicere dicitur potuiſſe; maxima enim vis eſſe debet, quæ inueteratam, ac connaturalem ex vi habitus factam, mæſtitiam ſuperet; ideoq; diuinitati propiùs accedat, quam humanitati, neceſſe eſt, qui tantum poſſe dicatur

AMICA. Amicus dicitur, qui honeſto amore aliquem complectitur; nam quando *amica* dicitur mulier, qua quis impudicè vtatur, Ironia potiùs eſt mordax, quam Sarcaſmum vocant, quam propria denominatio. Cur verò Pinus amica Quercui dicatur non ſatis liquet. Scio equidem, & Pinum, & Quercum eidem Deæ, nempè Cybeli, ſacratas extitiſſe, vt de Pinu nos ipſi dix. lib. 1. Carm. 102. cit., & de Quercu teſtatur ex Apollodoro Mythol. Nat. Com. lib. 19. cap. 5. ex quo Parrhaſ. deducit, eas etiam ſympatica quadam vnione coniungendas. Scio Pinum Cybeli ſacrum; Quercum Cereri, vt de Pinu iam dictum; ac de Quercu teſtatur Virg. in ſacrificijs Cerealibus, quæ ante meſſem fieri ſolebant deſcribendis Georg. 1. vbi habet

Et Cererem clamore vocent in tecta; neq; ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri tortâ redimitus tempora Quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

quarè, cum Cybelis filia ſit Ceres, vt dix. lib. 1. Carm. 180., probabile eſt Arbores ſibi congeneas delegiſſe, ideòq; mirum, ſi matris, ac filiæ arbores mutuo amore dicantur copulatæ: atq; ad hæc omnia alluſiuè, Poetam reſpexiſſe non ambigo. Sed obſtare in contrarium videtur id, quod de Quercu refert Plinius, eam videlicet inter Iuglandem, & Quercum Anthipatiam eſſe, ac tanto naturæ diſſidio diſiungi vtramque, vt ſi Quercus iuxta nucem iuglandem ſata ſit, prorsùs emoriatur. Si quidem inter Nuces Iuglandes Pinum inuenio; ac profectò, ſi *Iuglans* dicitur, quaſi *Iouis Glans*, eo quod dignum Ioue afferat fructum, quippè ſumma præditum inter nuces ſuauitate; quid ſuauius fructu pineis nucibus, ſeù conis incluſo? Hoc autem ſi verum eſſet, fruſtra profectò hunc locū Barthius interpretaretur dicens: *Quercus amicam dicit Pinum, quia nemora amantes ſolæ*; nam hæc vtriuſq; conditio, etiam poſito naturali diſſidio, haberi profectò potuit. Magis tamen, ſi verùm eſſet, aſſurgeret, hoc ipſo, Poetica virtutis Orphei amplificatio, quæ ſcilicet virtus talis, ac tanta fuiſſet, vt mortali odio diſſidentes plantas conciliauerit adeò, vt anthipatiæ ſtimulos oblitæ, quaſi nouo amicitiæ fœdere, iungerentur illicò, ſe ſe inuicem aſſociauerint, ac, data, vt ita dicam, manu, altera alteram attraheret ad fruitionem concentuum. Poeta igitur,

vt

vt arbitror, hic ab vtrâque de Pinu, ac Quercu ſententia præſcindens, cum non ſuum hic eſſet illarum diſcutere controuerſias; ad vtramque alludens, vtrumq; ſenſum complexus, lectoris iudicio relinquit, quid ex vtrâq; parte maluerit aſſumendum, ſeque ſic magis præbuit admirandum. Si igitur ſympaticam Quercui Pinum velis, ſenſus erit: *Pinus, amore, quo pollet, in Quercum affectu, illam ſecum trahit ad dulciſsimam harmoniam*. Si velis antipaticam eſſe, ſenſus erit: *Pinus, quamuis Quercus inimica, ſuauitate cantus quaſi in extaſim rapta, inimicitia obliia, ac Quercus iam reconciliata, eam trahit, vt amica amicam, ad fruendum cantu illo, quo ipſa delectabatur*.

TRAHIT. *Trahere* videtur violentiam importare: nam *inuiti trahimur; volentes ſequimur*. Sed & interdum, pro ſimplici *ducere* ponitur: & interdum violentiam quidem importat; ſed quæ ſuauiter vim inferat: *ſi. trahit ſua quemque voluptas*; & ſic amicarum interdum virginum chorus, dum iunctis cohærent manibus, ſi vna aliquem ſonum audierit ad choreas inuitantem, & alias incitat voce, & iam ſponte ſequentes, quia forſan, grauiore corporis mole, retardantes, manu trahit, vt accelerent: Sic Pinus &c.

QVERCVM. Cur Poeta Quercum potius à Pinu, quam Pinum à Quercu trahi dictitauerit? Pinus agilior eſt, ac leuior; Quercus ponderoſa maximè eſt, & inſuper ſummâ pollet ligni duritie; quarè, & tardior ad audiendum, & lentior ad motum futura, iure trahitur ab agiliori, ac própriori. Quid ſit Quercus non repeto, quia notiſſima &c.

COMITEM. Comes propriè dicitur, qui alterum, quaſi pediſſequus ſequitur; quarè, cum Quercus traheretur, optimè dicitur *comes* potius, quam *ſocia*: & *comitem* dixit; non amplius videlicet noxas timentem; ſi mortalem quercui Pinum dixeris.

ET LAVRVS. Laurus arbor eſt, perpetuâ virens comâ triumphis ſemper dicata, domibus Cæſarum, ac Pontificum gratiſſima; vno verbo arbor Apollinea eſt, & à Græcis *Δάφνη* dicitur, ex quo occaſionem ſumpſere Poetę aſſerendi, Daphnem Penei fluminis filiam in huiuſmodi arborem conuerſam fuiſſe, ne in amantis poteſtatem Apollinis deueniret. Rem totam enucleatè proſequitur Ouid. Metam. pri. ex quo habetur, Apollinem, Pythone interempto, indignatum Cupidini Veneris filio, eo quod arcum, ac pharetram, tractantem vidiſſet, eum obiurgaſſe, vt arma deponeret, Apollinem tantummodo decentia. Riſit Amor: &, vt vindictam de obiurgatione aſſumeret, Apollinem, aureo, ideſt Amorem inducente, iaculo, vulnerauit; Daphnem verò plumbeo, hoc eſt Amorem fugante, ſpiculo, traiecit. Quarè deperibat iam virginem Deus; Virgo vel Dei amantis nomen horrebat. Cum itaque Deus ille, aut blanditijs, aut pollicitationibus, obduratum Virginis animum flectere nequaquam poſſet, vim ſtatuit inferre; atque adeò virginem iam aggrediebatur, ſecum arrepturus, fugit illa ocyor aura; inſequitur velociſſimè Amator; *hic ſpe celer, illa timore*, ſed iam fugienti inſtabat inſequens; iam volitantem in crinem manus extendebat; cum illa, implorato Penei Patris auxilio, ſtatim in laurum verſa, Amantem eluſit immota, quem curſu effugere iam non vlterius potuerat. Amat tamen adhuc Apollo; & truncum amplexus; eâ, quâ pollebat, Numinis auctoritate, ea arbori beneficia, ac priuilegia impertitur, quæ latè recenſet Ouid. cit. his Carm.

Cui Deus: At quoniam coniux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, mea: ſemper habebunt
Te Coma, te Cythara, te noſtræ, Laure, pharetræ.
Tu Ducibus lætis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis; mediamq; tuebere Quercum,
Vtque meum intonſis caput eſt iuuenile capillis,
Tu quoq; perpetuos ſemper gere frondis honores.

Nil igitur mirum, ſi, quæ nunc *Laurus* dicitur, olim *Laudus* diceretur à *Laude*; cuius denominationis ethymologiam Bercorius, in ſuo Reductorio lib. 12. cap. 84. refundit in laudem, cum qua Victores in Capitolium, Lauro coronati, recipiebantur. Et quidem Bercorij opinio non videtur reijcienda, quia ex Apollineis deducta Oraculis.

Tu Ducibus lætis aderis, cum læta triumphum &c.

Verum, licet Auctoris ingenium iure collaudem, minus tamen feciſſe videtur, quam quod laus ipſa, per huiuſmodi nomen importata, requireret. Noui equidem mortem *pallidam* dici, non quia ipſa in ſe formaliter pallida ſit; ſed quod pallorem cauſet in cadauere; aſt cur *Laudi* denominationem ab effectu quæramus, cum in ipſa lauru formam intrinſecam inuenire facillimum ſit, qua maximis illam laudibus dignâ vtiq; efferamus? Memineris *Laurum*, ſeù *Laudū* Daphnem eſſe, quę caſtitatis amore in truncum malluit traſmutari, quam ſui copiam Amanti, & quidem Deorum pulcherrimo, permittere defloranda; atq; hinc facilè diſcernes ampliſſimam laudis ſegetem promeruiſſe: atq; ideò aptiſſimè denominatam à laude *Laudum* fuiſſe: quod in maximū puellarum quarundam noſtri temporis probrum cedit, quæ Procos alliciant potius, quam reijciant; ita vt anſam ſatyricis præbeant decantandi. *Caſta è ſol, chi non è chieſta*. fateor tamen, huiuſmodi cantionem iniurioſam omnibus immeritò eſſe; nam certè nec noſtra hæc tempora Penelopeis virtutibus omninò viduantur: ſed proprium ſatyrici eſt perfidiam ex paucis ad omnes inductionem facere, vt mordeat, & laceret.

Confirmatur autem hæc *Laudi* denominatio à forma intrinſeca ex inueterata antiquorum opinione, apud quos, vt refert Bercorius cit., tanto in honore fuerit Laurus, vt eam nefas eſſet in vſus expendere inhoneſtos; immò neq; in viles vſus dudum Laudus expendebatur, ne vileſcere cogeretur laus illa, quæ caſtitatis amore propiùs ad *diuinitatem* accederet, quam pati videretur humana fragilitas, nedum, tunc temporis, & ipſa inanium Deorum ſalacia, & procacitas.

Hinc non ſatis video, quam ſanæ mentis fuerint qui Lauro inſaniam attribuere non erubeſcant. Narrat enim Plinius lib. 17., iuxta tumulum Amici Regis prope Pontum extitiſſe olim Laurum, quæ *inſana* dicta fuerit, eo quod ſi quis ramum, ex ea decerptum, in naui collocaſſet, fœda illicò tempeſtas excitaretur, quæ nunquam naui parceret, niſi prius ramus ille in terram eijceretur; vel iurgia inſurgerent inter nautas, donec ex naui ramus aſportari contingeret. Quo poſito videtur quidem, prima fronte, denominatio *inſana* Lauro adaptanda, eo quod inſaniam cauſet in iurgia miſcentibus, vel in ipſo mari tumultuante &c. ſed hoc ipſum ego ad ſapientiam potiùs, quam ad inſaniam retulerim; nam, ſi opus naturæ eſt opus perfectiſſimæ intelligentię, profectò qui ducem ſequatur naturam, ſapientiſſimè ſemper operabitur, ſi de actibus ad virtutem ſpectantibus ſermo ſit. Cum itaque Daphnes à venereis adeò ſemper abhorruerit, vt mori potiùs, quam fœdari, voluerit, prudentiſſimo certè conatu Daphniticus ipſe ramus reluctat, ne cunas Veneris ingrediatur: & profectò optimè nouimus, Venerem ex maris ortam ſpumis dictitari.

Ex hac igitur potiùs prudenti ſapientia, ac ſapienti prudentia effectum arbitror, vt Cæſares Lauru redimiti incederent: ſemper nempè vt memores eſſent, qua prudentia præditus eſſe ille deberet, cui vniuerſi commiſſæ fuiſſent habenæ. Non igitur Victores, Duces, Cæſares; ideò laudibus excipiebantur, quia Lauro coronati: ſed quia Lauro coronari meruiſſent, ac præclariſſimis rebus geſtis eam in crines frondem allicere valuiſſent, quæ, per ſe ipſam laudabilis, laudabiles etiam redderet quos ipſa redimiret.

Firmat autem hanc noſtram interpretationem communis omnium opinio, qua ſcilicet, vt & alibi innuimus, aſſeritur, fabularum inuentores, non ad ſolam oblectationem, fabulas texuiſſe; ſed vt earum inuolucris ea tegerent dogmata veritatis, quibus longè, latèque mortalium mores ad rectam viuendi formam traducerent.

Inſuper, ſi vera eſt ſacrorum opinio Doctorum (quod vtiq; nullatenus negandum, nec in dubium vllatenus reuocandum) nempè ipſum ſæpè Principem tenebrarum, in quo nulla eſt veritas, Deo cogente, præconem fieri veritatis, vt inexcuſabiles magis reddantur peccantes; quidni dixerim eidem permiſſum, eamdem veritatem inuolucris tegere, *vt audientes non audirent, intelligentes non intelligerent &c.* vbi præcipuè de ſuperſtitioſa ageretur gentilitate? en obiter caſum, quem in rem noſtram *exarat* Plinius lib. 15. cap. 30. Spatiabatur olim ſub Imperatoria arbore, nempè Lauru, Auguſtus Cæſar, cum ſuperuolitans Iouis ales albiſſimam in eius gremium gallinam demiſit, quæ ramum Lauri baccis onuſtum ore geſtabat ſuo. Illicò acciti augures, atque de eorundem conſilio ſurculus ille plantatus in ingentem ſubindè excreuit ſyluam, ex qua poſtmodum inuiolabile fuit, vt Cæſares coronarentur in triumphis. Iam per tranſennam expende quæſo, quot, & quanta ſapientiæ dogmata portentum iſtud, tot hieroglyphicis compactum, inſinuet; & facilè diſcernes quam profundam edocerentur ſapientiam gentilium animi, ſi faciles præbere aures voluiſſent. Iouis armiger Ales ſine fulmine aduolat; nec enim ſtragem edere edocendi erant, qui ſuopte ingenio crudeles eſſent: alba gallina demittitur in regnantis gremium; vt ex illius can-

dore

dore inſinuaretur, quàm niuei eſſe, & quàm niueam integritatem referre deberent Regum mores, vt ijs quaſi pennis, ad gloriam euolarent. Sed *Gallina*, non *Columba*, non *Cycnus* demittitur: nam, Columbæ quidem pullis licet medica Laurus ſit, ſi quando in nidulis infirmentur, vt habetur ex eruditiſſimo Picinello Mundi ſymbolici lib. 4. cap. 21. num. 259.; attamen, cum, ex eodem, Columba ſine felle ſit, ſeù, ſaltem quo ad effectum, *neſcia fellis*, non aptum fuiſſet regnantis hieroglyphicum, quem neſcium fellis eſſe non decet, cum, in Regni ſui defenſione, interdum armis vtendum ſit; & ſine felle non ſatis, vt plurimum, iuſtitiæ iura ſeruentur: *Cycnus* verò, licet magnanimi cuiuſdam Auguſti ſymbolum eſſe potuiſſet, ex eo quod Cycnus nulli vnquam noxius ſit, niſi in quantum, ab Aquila laceſſitus, in vindictam aſſurgat; & hanc ipſam laudem Octauiano Auguſto, Aurelius Victor attribuerit inquiens: *nulli vnquam genti, niſi iuſtis de cauſis bellum intulit*; attamen cum Cycnus, quia ſub plumarum candore nigerrimam gerat cutim, vt notat Picinell. cit. lib. 4. cap. 38. n. 23., ſymbolum hipocritæ ſit, ſub candido ſimulatæ ſanctitatis velo teterrima vitia contegentis; non decuit huiuſmodi hieroglyphico Auguſtum ad ſimulatam hipocriſim inuitare, cum Auguſtum & extrinſecè, & intrinſecè Auguſtis exornari virtutibus conſentaneum ſit: ſed *gallina* demittitur, quam veri Principis ſymbolum agnouit poſtmodum Iacobus Scotiæ Rex Octauus, cum eam pullos ſub alarum remigio contegentem in emblemmatis corpus aſſumpſit, ac lemmate hoc dogmatico inſigniuit, *non dormit qui cuſtodit*; nam certè optimi regnantis eſt ſubditos reſpicere, vt filios, eoſq; vigilantiſſimo ſemper conatu defendere ſimul, ac ſummâ fouere ſemper induſtriâ; ex quo factum, vt etiam in aula Norimbergenſi, in ſymbolum veri regnantis, aſſumpta fuerit gallina congregans pullos ſuos ſub alas, addito lemmate *Alit, & protegit*. Itaque non *Columba*, non *Cycnus*, ſed *Gallina* in Auguſtiſſimum demittatur, & demittatur ab Aquila, vt prudentiſſimâ ratione demiſſam intelligas; cum Aquila, teſte eodem Picineil. lib. 4. cap. 7. n. 82., exactiſſimi prudentis exiſtat hieroglyphicum; demittatur gallina, quæ ſe ipſam ſtudio deditis ſymbolum præbet, *dum vtmanda pinguneſcens*; & demittatur ab Aquila, quæ nec filios fouet, niſi, aſpectu prius ſolaris luminis, probauerit non degeneres; vt edoceatur Auguſtus, & ſeipſum præclariſſimis ſtudijs, ſelectiſque prudentiæ diſciplinis imbuendum; & miniſtros non ſibi adſciſcendos, niſi aſſuetos irretortis oculis iuſtitiæ Solem aſpicere; ideoq; ſtudijs aſſiduos, virtute præclaros, ſapientiâ inſignes, prudentiâ, atq; animi integritate conſpicuos; Et inſuper internoſceret Auguſtus, vt talium habere poſſet copiam miniſtrorum, ſibi præeundum exemplo, ſicuti Aquila, circa nidum volitans ſuum, pullos ad volandum ſuos *prouocat exemplo*.

Sed cur gallina illa explicatum lauri ſurculum deferens, & non potius in coronam complicatum, conformatumque conſpicitur? profectò vt ex augurum conſulto noſceret Auguſtus, non dandas ante triumphos coronas; ſed priùs laurum laboribus colendam, ſudoribus irrigandam &c. vt ſubindè coronas promeritis Cæſarum capitibus fœliciter innecteret: idem autem eſt dicere, colendam Laurum &c. ac dicere, colendam virtutem temporis victricem; cum Laurus, nec hyemem, nec fulmen pertimeſcens, exactiſſimum eximiæ virtutis ſymbolum ſit.

Aſt (proh dolor!) apud ſurdas tunc aures præclariſſima hæc dogmata veritatis, licet ſecundùm ſe falſus, cecinit gentilium Iupiter; & quamitis, ſolari alite, ramoq; ſolari, regnantem, ſe alterum in terris Solem præbere, debuiſſe, clariſſimis notis decantaret; non niſi tenebras errorum in aulis ſemper proſpexit; ita vt de aulis gentilium aptiùs profectò ceciniſſet noſtri temporis Lyricus.

Vantiſi pur d'hauer ſchiuata la ſorte
Chi naufrago non reſta in mar di corte.

Verùm, non tamquam à falſo Ioue immiſſa, ſed tamquam diuinâ veri, ac ſummi numinis præordinante prouidentiâ demiſſa, hæc eadem dogmata noſtris hiſce temporibus apud Regnantes excepta vberiùs vndiq; ſuccreſcunt, ac ſanctè, laudabiliterq; ſeruantur.

Et, ne pluros congeram Regnantum aulas, in quibus vera ſemper nidificantur eruditiſſimæ dogmata ſapientiæ, vnicam liceat intueri MAGNI ÆTRVRIÆ DVCIS aulam SERENISSIMI, quæ, dum ſeptem ſphœras auido complectitur ſinu, armonicos profectò Cælorum motus imitata *serenum* in ſe ipſâ *Cælum* delineat, nihil coinquinatum admittens, atq; omnibus in ſe ipſo numeris perfectum, abſolutumque; in quo Planetarum Principis vices Sereniſſimo iubare ſuſtinet COSMVS, ex quo minora vtiq; luminaria omnia *mutuato lumine fulgent*, hic quot aulicos inſpexeris, tot dixeris, multiplicato numero, antiquæ Græciæ lumina adeſſe; quot miniſtros recenſueris, tot Licurgos appellaueris, quot Senatores ſuſpexeris, tot viua prudentiæ ſimulacra dictitaueris. Vno verbo Sereniſſimus ille Princeps omnia circumquaque perluſtrans, antequam ad deligendos quos foueat aduolet, *librat, & ponderat*; atque Accademiæ ſuæ monumenta reſpiciens. *Il più bel fior ne coglie.* Quod ſi quæras, quam vigeant hic litteratorum cætus? Hoc vno in Principe Mæcenatem experiuntur ſuum quotquot, litteraria in ſcena, præcipuam ſibi, cum plauſu, vindicant actionem. Teſtis vnicus ille, mira ſui eruditione toti Orbi conſpicuus Antonius Magliabecus, ex cuius capite Mineruam rurſus, ſed ſponte natam, non vi malleatoris excuſſam, facilè dixerim; qui libros, quotquot celebriores Bibliothecæ recenſent, diligentiſsimè perueſtigauerit, enucleatoſq;, ac quaſi in compendium redactos, mentis ſuæ penetralibus demandauerit aſſeruandos, ita vt, quiſquis cum illo quacúq; de re loquatur, plenſſimè audis ſatisfaciat; ideoq; Principi Sereniſſimo, in primis, meritò mehercule, carus. Sed nimis fortè cogente digredimur veritate, & nos iam reuocat.

Laurus, quæ ideò, quod Phœbo, vt diximus dicata ſit, Poetis coronas in Parnaſſum ſcandentibus innectit, atque adeò Parnaſſia dicitur apud Virg. Georg. 2.

Vt Ceraſi, Vlmiſq;, etiam Parnaſſia Laurus.

Deorum Penatium aris adſtabat, vt patet ex Virg. Æn. 2.

Ingens ara fuit; iuxtáq; veterrima laurus
Incumbens aræ, atq; vmbrâ complexa Penates.

Eâdem de causâ fatidica dicta eſt; quod experimento ipſo videtur comprobatum; fragorem enim ſi edat, dum comburitur, fœlicitatem portendere creditur, iuxta illud Tibulli lib. 2. Eleg. 6. *At Laurus bona ſigna dedit &c.* contra ſi tacitè conflagraſſet, infœlicitatis omen credebatur, iuxta Propert. *Et tacet extincto Laurus aduſta foco.*

Hæc vna, inter arbores omnes, fulmine non tangitur, quarè à Græcis *ἀκεραύνιος* dicitur, ideſt *auertens mala*; adeo enim fulminibus verenda dicitur Laurus, vt non ipſa ſolum intacta maneat, &, *neſcia fulminis*, fulgoribus potius illuſtretur, quam triſulcis ignibus denigretur; ſed etiam teſte Plin. lib. 15. cap. 30. Terra, vbi Laurus ſuccreſcat, vel domus cuius in ædificio conſerta fuerit, tuta ſemper à fulmine, ſeruetur innoxia; atq; hinc factum vt Cæſares ſub Lauru degerent, aſylum ſibi ab ingruentibus quærentes tempeſtatibus. Et profectò, ſi verum ſit, quod non pauci referunt cum Berc. cit, nempè laurum non tantum Apollini, ſed & magno Ioui ab initio fuiſſe conſecratam, quid mirum ſi Iupiter quod ſuum eſt ſeruet, atq; à fulminibus illæſum voluerit quidquid huius ſuæ arboris vmbra tueatur?

Ex eo inſuper, quod Apollini dicata fuerit laurus, nil pariter mirum ſi idem Apollo, medicus communiter decantatus, eam illi virtutem infuderit, vt de baccis ipſius oleum eliciatur, quod contra plurimas, & maximè frigidas paſſiones vim habeat ineluctabilem, vt docent Iſidorus, & Dioſcorus; immò ſi odor ipſe Daphnitici frondis ad euitandam peſtilentiam aptiſſimus Herodiano teſte dicatur.

Denique Lauri folia, ſub puluinari poſita, vera gignere ſomnia putabantur, eo, quod arbor fatidica ſit, vt diximus, & vaticinationem inſtillans; quæ Lauri proprietas adeò in opinione inualuit antiquorum, vt crederent, teſte Plin., plurimum conferre Laurum ad reſponſa diuinitus excipienda, & dicerent, Apollinem ipſum, ſine Lauri præſentiâ, nullatenus reſponſa reddere; quod confirmari videtur ex ſylua illa, quâ Delphici Oraculum Apollinis circumquaq; tegebatur. Sed de poetarum, antiquorumq; deliramentis iam ſatis.

Hęc etiam itaque arbor ad Orpheum properat audituras & quidem

QVAMVIS DESPEXERIT &c. *Quamuis* particula aduerſatiua eſt, ſed quæ ſuperatam oſtendat aduerſantis difficultatem; idem eſt enim, ac *non obſtante quod &c.*

DESPEXERIT. De verbo *deſpicio*, prout pro eodem, ac *contemno* ſumitur, vt certè hic, fuſiùs diſſeruimus in explicatione lib. pri. ad Carmen

Hunc poſcis Latona nurum. Deſpexit verumq; &c.

quarè ſuperſedeo; & ſatis pro *contemnere* poſitum dixiſſe arbitror. Quam obfirmato autem animo Daphnes Apollinem *contempſerit*, ac reſpuerit, patet, quia, vel in Laurum conuerſa, eiuſdem amplexus, & oſcula quantum poterat euitabat, vt notat Ouid. pri. Met. cit., Aduerſantem illam his deſcribens carminibus.

Hunc

Hanc quoq; Phœbus amat; poſtâq; in ſtipite dextra
Senſit adhuc trepidare nouo ſub cortice pectus:
Complexuſq; ſuis ramos, vt membra, lacertis
Oſcula dat ligno: refugit tamen oſcula lignum.

ARTES CYRRHÆI DEI. Ideſt muſicas artes, quibus Apollo eam demulcere conabatur, vt amanti ſe facilem præberet: *Cyrrhæus* enim dicitur Apollo à Cyrrha Vrbe in Phocide ad radicem Parnaſſi extructa, vbi muſicæ artes mirificè floruerunt. Deum autem habitum fuiſſe Apollinem, nemo, qui neſciat, extiterit. Heinſius Parrhaſium ſecutus *Cyrrhæaſq; Dei quamuis deſpexerit artes*, & legit, & legendum omninò contendit, ac male ſcriptum à Raphelengio, & alijs aſſerit, dum cum quibuſdam membranis, vt ipſe ait, ſcribunt: *Cyrrhæaſq; Dei &c.* Non video cur hæc nota vulgatæ imiratur ab Heinſio. Immò video neceſſarium fuiſſe, vt ſpeciali nota diſtingueret Deus, de quo Vates loquitur, à cæteris, qui importari poterant per nomen genericum *Dei*; & ideò additum illi arbitror epitetum Cyrrhæi, nam en ipſo quod Deus Cyrrhæus dicitur & Cyrrheorum, ars præcipua muſica ſit, ſatis patet quænam fuerint artes, quibus Daphnem Apollo ſollicitaret. Fateor minori hiatu Carmen decurrere, ſi legas *Cyrrhæaſq; Dei &c.* Sed deficit in nota ſpeciali neceſſario requiſita, vt ſciatur, quinam fuerit iſte Deus, cuius artes deſpexerit, qui error certè eſt peior priore. Quamuis igitur Laurus à muſicis tandiù cantionibus in Apollinis odium abhorruerit, victa tamen Orphei ceſſiſſe modulationibus dicitur, quaſi innuat Vates, ſi in morem Orphei ceciniſſet Apollo, futurum fuiſſe, vt Daphnis non reſiſteret. Ex quo vides quam altè amplificet Orphei virtutem, cum ipſi Muſarum Deo ſuperiorem deprædicet à conſequenti, ſeù ab effectu comprobans.

VENIT. Hoc eſt non fugit ampliùs, ſed accedit; non horret, ſed allicitur delectata, & ad cantus dulcedinem, mutato naturæ rigore venit; & venit

ACTA. *Apta* legit Parrhaſius, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, *facilis*. Lectionem non improbo; ſed meliùs cum Heinſio, & alijs *Acta* legendum duxi; nam ſic meliùs exprimitur impulſus ab auiditate audiendi impreſſus; *Acta* enim dicitur, quaſi *coacta*, & *violenter ducta*, ſed eâ violentiâ, quam ſupra expoſuimus, quæ ſcilicet voluptate trahit, non quæ inuitum cogens abripiat. *Acta* igitur *venit Laurus*, ſed internis deſiderij ſtimulis, ac fruendi auiditate, non autem æſtro aliquo extrinſeco, quo violentiam pateretur impulſa.

VOCIBVS ORPHEIS. Ideſt eiuſdem modulationibus. Alludit autem Vates hic ad vim illam, quam habere dicuntur muſicæ artes, ſi ſcitè, ac ſuauiter pertractentur; videntur enim eſſe inſtar veneficarum incantationum, quibus periti congregant audientes dicto vel ſerpentes ipſos, & pro libito tractant. *Orpheis* verò nomen hic adiectiuum eſt ab ipſo deductum Orpheo, vt particulari nota ſignetur, ex cuius ore virtus hæc attractiua prouenerit.

MOLOSSI &c. Alterum addit Threiciæ Cytharæ prodigium, & ſicuti gradatim priùs aſcenderat ab inanimis prorsùs ad viuentes vegetabiles; ſic & nunc gradationem proſequens à vegetabilibus ad ſenſitiua procedit viuentia. Iden

MOLOSSI. Poſuit enim hìc Vates ſpeciem pro genere, vt ſedatas inter hoſtiles naturas edoceret ſimultates, quo vnitim cantu fruerentur; *Moloſſus* itaq; canis quidem venaticus eſt, ſed qui maiores ferox in feras, in lepores, & alia huiuſmodi animalia irruere dedignetur, ideò poſitam ſpeciem pro genere, vt dicebamus, agnoſces per Synecd.; niſi mauis Cathacreſim eſſe, qua nomen Moloſſi venatico in lepores cani adaptetur: nam Moloſſus proprie loquendo canis eſt ex ijs, quos vulgus appellat *corſi*; ſic enim denominatur à Moloſſia Epiri regione; Epirus autem, noſtris hiſce temporibus, Albania nuncupatur; ex qua regione ferociſſimi ſimùl, ac generoſiſſimi canes dicuntur comportari; quod comprobatum etiam videtur ex ijs canibus, quos Epiri Rex olim ad Alexandrum miſit: nam, cum ex duobus, quos habebat, vnum Rex ille dono dederit Alexandro, exploraturus Macedo Animalis vigorem, iuſſit Vrſos, mox apros, ſubindè Damas emitti: at canis contemptu immobilis iacebat. Alexander, ſegnitie tanti corporis offenſus, canem interimi iuſſit. Quod vt audiuit Epirotarum Rex alterum ad Alexandrum canem miſit, monitione tamen addita, ne in paruas vellet belluas experiri. Imperator itaq; Leonem primò, mox Elephantum induxit, quos ſtatim canis ſumma ferocitate aggreſſus, in ictu ferè oculi, ſtrauit. Si igitur huiuſmodi canes tanta pollent generoſitate, vt ne aggredi quidem minores dignentur feras, certè dici debet nomen *Moloſſus* non in propria ſignificatione vſurpari hoc loco; ſed transferri ad ſignificandos canes venaticos, vel eos ſcilicet, qui *Odori* dicuntur, vulgò *bracchi*; vel eos, qui curſores mirâ velocitate dici poſſunt, vulgò *Leurieri*.

BLANDI. Blandus à blanditijs dicitur exercendis; qui autem adblanditur, certè odium, ac ferocitatem exuerit, neceſſe eſt. Quarè, dum blandos appellat venaticos canes, eos vſq; oſtendit anthipatiam oblitos, ac feritate depoſita, gelticulationibus, caudæ motione, ac ſtingentis linguæ officio blanditias exercere. Sed de hoc nomine *blando* vide dicta lib. 1. Carm. 210.

FOVERE. De ſignificatione huius verbi vide dicta lib. 1. Carm. 127. Tueri, Amplecti, cuſtodire, ac ſinu calefacere, vulgò *couare* ſignificat.

LEPOREM SECVRVM. Lepus animal notiſſimum eſt, *Lepus* dictum à velocitate, qua pollet in curſu, quaſi *Leuipes*. Tantæ hoc animal timiditatis eſt, vt, vel leui frondis motione, inhorreat. Hinc illud Cornificij Poetæ dictum memoratur, qui milites ſuos ciuili bello ſæpe fugientes *galeatos lepores* in opprobrium appellitabat; nam vere, vt in ſua Heroicomica Poeſi, inquit Taſſonus

Vn petto ſenza cuor, che l'aria teme
Non l'armeran cento Arſenali inſieme.

huiuſmodi igitur animal imbelle adeò, adeò pauitans eſt naturâ ſuâ, vt ſolum canis aſpectum, & vel vmbram, nedum inſectationem pertimeſcat, & fugiet, tamen hoc animal Canes *fouêre ſecurum*, ideſt iam impauidum factum, quaſi Orphei carmina, & timorem expellerent, & ſecuritatem inducerent. Quid autem ſignificet nomen *ſecurus*, noueris ex lib. prim. Carm. 167. & 179.

ET AGNA &c. Nouum inimicitiæ genus, & quidem acerrimæ ſedatum hic ingerit Poeta. Nouum, inquam, non ſecundùm ſe, nam hoc quidem antiquiſſimum eſt, ſed nouum quatenus noua prodigijs prodigia aggerat. Quanto diſſideant odio Luporum, agnorumque, ſpecies, quis ignoret? Pro impoſſibili certè ponitur talis diſſidij abrogatio, dum ait ingenioſus ille, vt quod non faciendum indicaret

Prìa pace inſieme hanran l'Agnella, e'l Lupo.

& Hor. lib. Epod. Od. 4. ad Menam Libertum Pompei, vt ſummum, quo eum proſequeretur, odium indicaret, ſic cecinit apertè.

Lupis & agnis quanta ſortito obtigit
Tecum mihi diſcordia eſt &c.

Quinimmò Ægyptij, ac Poetæ omnes eximiam morum diſſimilitudinem, ac ſummam vim diſcordiarum ſignificantes Lupum, & Agnum hieroglyphicè ponunt; tantam enim inter hæc animalia anthipatiæ vim eſſe tradunt, vt plerumque agni recenter nati, neq; vllius animalis extra caulas effigiem intuiti, audito repentè Luporum vlulatu, exanimes metu, ac mortui concidant: Inſuper rerum naturalium periti deprædicant, etiam mortuas horum animalium partes in eodem naturæ diſſidio perſeuerare, ita vt, ſi ex ouium inteſtinis fabrefactis fidibus contenta Cythara Cytharæ ex fidibus lupino ductis inteſtino aſſocietur, Ouillæ fides abſonæ non ſolum, ſed mutæ prorsùs reddantur, ſtatim ac lupinas pulſaueris. Idem dicunt de tympanis; ſimul enim ac tympanum lupina extructum pelle pulſatur, tympanum ex ouina pelle ſtructum conticeſcit, nec prorsùs, quantumuis pulſaueris, auditur. Tanta igitur, & tam obdurata diſſidia, canentis voce, compoſita, ac ſociali iuncta fœdere aſſerit Vates, vt pleniùs Cantoris virtutem ab effectibus, vt hùc vſq; peregit, amplificet.

AGNA igitur eſt fœtus ouis, qui nondum annum egreſſus ſit; *Agnam* autem potiùs poſuit, quam *agnum*, quia in ſexu fœmineo, quippè molliori altiùs inſideat timor ille, qui vel mares ad mortem vſq; exagitat, & perſtringit; nam ſemper mollior in affectibus fœmina.

PRÆBVIT LATVS. *Præbere* idem eſt, ac *exhibere*, quod dupliciter poteſt contingere, vel enim ex generoſitate proueniet exhibitio, vel ex aduerſariorum contemptu, & fiducia, ne ab ijs, quibus exhibetur, latus lœdatur. Ex generoſitate certè Agna lupo non præbuit latus; quarè tantum ſupereſt, vt fiducia quadam hoc faceret, cum ſcilicet videret feras manſueſcere cantibus &c. *Latus* autem pro toto hìc ponitur corpore per Synecd. Quarè idem eſt dicere *Præbuit latus*, ac *ſe aſſectanti lupo*, interrita, cum videret lupum ipſum cantibus manſuefactum ferinam depoſuiſſe naturam. Ideò *Præbuit latus*

LVPO. Rapaciſſimum eſt animal, ac nulli iam ignotum Lupus; in quod animal tranſmutatus dicitur Lycaon Arca-

dus Rex apud Ouid. Metam. 1., cuius etiam tranſmutationis cauſa, apud ipſum, in lumina, hæc ſunt. Iupiter cum multa de mortalium impietate audiuiſſet, nec omnia tamen credere vellet, certiùs rem exploraturus, relicto Cœlo, plures terrarum partes incognitus peragrauit, ac tandem ingruente nocte in Arcadiam ad Lycaonis Regiam peruenit. Ibi ſe Deum confeſſus vidit plura ſibi ſacrificia comparari; ac ſimul animaduertit Lycaonem cæterorum credulitati irridentem; qui etiam vt experiretur, an hoſpes ſuus Deus eſſet, conatus eſt eum interimere: ſed, cum hoc fruſtra tentaſſet, aliud experimentum aggreſſus eſt. Habebat Lycaon obſides quoſdam, ex deuictis Moloſſianis traditos; horum autem vnum necauit, & partim elixatum, partim aſſum hoſpiti in conuiuio appoſuit. Deteſtatus igitur execrabile facinus Iupiter, arrepto fulmine, Lycaonis regiam incendit, ac ipſum in Syluas fugientem in lupum commutauit, qui crudelitatem ſuam, qua in homines vti ſolitus fuerat, in pecudes conuertit: Eius verò tranſmigrationem in belluam ſic memorat Ouid. cit.

Territus ipſe fugit, nactuſq; ſilentia ruris
Exululat, fruſtraq; loqui conatur: ab ipſo
Colligit os rabiem, ſolitæq; cupidine cædis
Vertitur in pecudes, & nunc quoq; ſanguine gaudet.

quarè cum ex ſummo periculo aliquem liberatum oſtendere volumus, illud vſurpamus Ouid. Triſtium pri. de Agna, & Lupo prolatum.

Excuſſa eſt auidis dentibus Agna Lupi.

& ecce nunc periculum ſine periculo, dum Agna virtute harmonici cantus Threicij Vatis præbuit ſecura latus Lupo.

VICINO. Vicini dicuntur, qui eodem, vel ſaltem immediate propinquo iunguntur loco. Indicat itaq; Poeta vno, eodemq; in loco pacifice iunctam cum lupis agnam, ex quo prodigium creſcit, nam ſicuti locorum diſtantia ſedat interdum, vel ſaltem temperat odia; ſic hoſtis præſentia animum exaſperat, & præſentia prædæ raptorem allicit, iuxta Italicum illud commune effatum. *La commodità fà il ladro*: & tamen odio abſtinent feræ, naturali ſemper diſſidio diſcrepantes, & prædam, eſcamq; dentibus appoſitam Ieiunus non arripit Lupus

DAMÆ CONCORDES &c. Exemplum ſuperaddit exemplo, vt ab inductione magis comprobet pacificam Cytharedi efficaciam; nam *Dama* genus Capræ ſyluestris eſt, vulgò *il capriolo*, animal profectò cum timidiſſimis enumerandum. Non minùs Dama canes timet, quam lepus; ſed facile eludit; nam velocitate ſimul, ac ſaltu, cum ſumma polleat agilitate, per loca inuia montium, abruptaſque rupes deſertur, ita vt canes inſequentes vel ab inſequendo deſiſtere coacti ſint, vel præcipites ruere, ſi ſequantur. Hanc æqualem Leporis, ac Damæ cum canibus ſimultatem attigit Virg. Georg. 3. vbi ſic habet

Et canibus Leporem, canibus venabere Damas.

Aſt præcipuo eas afficit terrore Tigris, animal quippè aſſuetum viuere raptu, & quod tantæ velocitatis ſit, vt incaſſum ſibi fuga conſulere ſtuduerint Damæ, ſi in Tigridem inciderint: ferociſſimum autem pariter, ac crudeliſſimum animal Tigris Damas potiùs, quam Lepores inſectatur, quia, cum paruuli ſit Lepus corpuſculi, nihil reputatur à Tigridis voracitate, vt Damæ, grandioris admodum molis, Lautum illi præbent conuiuium. Adde Tigridem terrores gerere in vultu, quamuis reliquo corpore alliciat potiùs, quam terreat; Sed quodcunq; animal rictum viderit, non poteſt, quin expaueſcat: Et tamen, canente Orpheo, *Damæ concordes*; ideſt vnius animi, & cordis; poſito videlicet diſſidio, terrore, ac tremore, quaſi non hoſtilis generis, ſed eiuſdem eſſent ſpeciei, amicabili concordiæ vinculo aſſociatæ.

LVDVNT, *Ludere*, vulgò *ſcherzare*. Quam periculoſum ſit, cum præpotentibus hoſtibus, ac Tyrannis, præcipuè, ſi crudelis animi ſint, omnibus in comperto eſt; ſed hoc periculum pacifera Orphei voce tollitur, &, quaſi hæc animalia ſociali fœdere iungerentur, *Damæ ludunt*

CVM TIGRIDE VARIA. Societatem certè importatur à præpoſitione *cum* ſexto caſui adiuncta, vt intelligas mutuos inter animalia ludos, vt inter amicos fieri aſſolent. De Tigride, quantum ſpectat ad intelligentiam huius loci, ſatis diximus ſupra; ſed ſi quis ampliore quærat, adeat lib. 1. Carm. 18. *Varia* autem dicitur Tigris tum quia, quam poſſet, maculoſi tegminis varietate, tum quia, vt dicebamus, corpore allicit, rictu terreat &c.

CERVI. Miramira cumulat, vt continuata inductione virtutem Orphei amplificet. Porrò *ceruus ἀπὸ τοῦ κεράτων* dicitur, eo quod maxima gerat cornua, eaq; ramoſa, quæ, ne in curſu impediatur, elato capite per dorſum inflectit. Animal notiſſimum eſt, cuius & numerum annorum ex cornibus dicernimus; nam ſingulis annis ſingulum cornibus ramum ſuperaddit. Quantæ timiditatis Ceruus ſit, vel ex hoc ſatis conſtat, quod etiam plumas volitantes pertimeſcat; quarè venatores locum, in quo ceruos degentes nouerint, circumſepiunt virgis per quas traducto funiculo ſpatium illud ambiunt, ac plures punicearum penniculaꝛum faſciculos ex traducto per virgas funiculo appendunt. Septum ſubinde ingreditur venationis magiſter, cum paruis odoriſequis canibus, quorum latratu ceruorum greges exagitat. Illi fugam ex tempore capeſſunt; aſt, cum ad Licia, pennaſq; illas penſiles deuenere, ſubito pauore perculſi, vlterius progredi non audent, ſed curſum flectentes, quaſi muro incluſi circumaguntur. Subſequitur venationis magiſter, nomine quemque, ex ſtationarijs equitibus extra Licium, vocans, ac vnicuiq; ſuum numero ceruum, ſagittis interimendum aſſignat, futurum ſagittario dedecori, ſi alium præter deſtinatum transfixerit. Hoc animal adeò amans dicitur Symphoniæ, vt ſæpe paſtoralis fiſtula, vel aliquo alio modulantium concentu delinitus, æſtaticus quaſi, conſiſtat, ac nullo ſic negotio capiatur. Quarè immeritò ceruum Poeta ommiſiſſet, dum animalia Orphei cantibus intenta enumeraret. Porrò peculiarem ſimultatem eſſe inter Ceruum, & Leonem, (quam innuere Vates videtur hic) nil erit mirandum, ſi vtriuſq; naturam conſideremus; nam Leo, vt alibi vidimus, Animal ſolare eſt, ac calidiſſimi temperamenti; Ceruus verò Cynthiæ, ſeù Dianæ, quæ eadem, ac Luna eſt, Planetæ vtiq; frigido dicatus, frigidiſſimus etiam eſt; ex qua temperamentorum contrarietate nil mirum ſi naturalis oriatur anthipatia: Sicut autem Planeta diurnus in nocturnum prædominatur, ſic in Ceruum Leo; atq. hinc eſt, vt ille fugiat, hic perſequatur; ſed, harmonico Orphei cantu intercedente hic, feritatem iſte, timorem ille obliti iam ſimul cohabitant, & quieſcunt: ideò *Cerui*

NON TIMVERE. Timere idem, ac *horrere* eſt; *metuere, reformidare*: ceſſante cauſa, nempe Leonis feritate, ceſſat & effectus, nempè Ceruorum reformidatio; ideò *non timuere*

MASSYLAM IVBAM. Ponitur hic ſignum pro re ſignata, nempè Iuba, ornamentum Leonini colli, pro Leone ipſo. Quid ſit Iuba, quid Leo ipſe iam vidimus lib. 1. Carm. 210. & 251. Quare tantum remanet explicandum, cur Maſſylam Iubam appellet. Maſſyli dicuntur Africæ Populi; conſequenter, Maſſylam Iubam dum innuit, Africanam intelligit, quia Leones in Africa naſcentes ferociſſimos omnium eſſe dicunt Auctores; ideoq; hac nota ſpeciali Leonem hic ſuum inſigniuit Poeta, vt ferociſſimum legeret Orphei virtute edomitum.

Si verò iam quod ad mores pertinet, hinc aliquas exhaurire, breui hoc ipſum perſtringemus.

Orpheum inſigni virtute virum, ac præcipuè altiſſima cœlorum cognitione præditum, eorumdemq; naturam, atque harmonicos motus contemplantem, aſſerunt fuiſſe communiter; ex quo etiam dicitur Cytharam ſeptem Chordis reſonantem habuiſſe, quaſi in ipſa Cœlorum harmonia eius conſiſteret concentus; nam nonum Cœlum, quod Phyloſophi *Anaſtron* appellarunt, quia ſtellis careat, ſonum, vt dicitur, non habet: & item vltimum Cœlum verſus terram, eo quod nimis terreum ſit, ſonum dicitur non habere; Quarè ſeptem tantum harmonicos admittebant. Iſte igitur Orpheus hieroglyphicum virtutis eſt, ſed virtutis illius, quæ ſemper in Cœlum intenta harmonicis Cœlorum conſonat concentibus, quæ tantæ efficaciæ eſt, vt pariter ſub Orphei ſymbolo in Elyſijs ſtatuatur, maximum vtique ſolatium Beatorum, vt ait Virg. Æn. 6.

Nec non Threicius longa cum veſte Sacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum;
Iamq; eadem digitis, iam pectine pulſat eburno.

Virtus itaque iſta ſi taceat, ideſt niſi harmonicas ſuas exerceat operationes, vitia omnia deſæuiunt; & homines vertuntur in feras, ſe ſe inuicem perſequentes: at, virtute canente, emolliuntur ſaxa: hoc eſt obdurata in lapides obſtinatione peccandi ad bonam frugem corda reducuntur: Flumina ſiſtunt; dum qui in venereas voluptates aquarum in modum diſſoluebantur, ex ſalſo amaritudinum mare retrahuntur: Odia deponunt ſanguinarij; quieſcunt a perturbationibus, qui perſecutiones patiebantur &c. Virtutem igitur amplectamur, virtuti adhæreamus, vt ipſa quæ ſola nos in Elyſios campos, ideſt in beatorum ſedes inducat, &

co-

comitatur, nos ibidem, harmonico ſemper ritu, conſolatione afficiat perenni, ac beatifica fœlices reddat viſione: atq; hæc interim expectantes Italicam de prædictis Muſam conſulamus.

Vdiſſi à pena: e sì librâr sù l'ali,
Del dolce pletro inamorati i venti;
Frenâr dal corſo i liquefatti argenti,
D'ogni fonte al fuggir, ceppi fatali.
L'Hebro, già quaſi al mar, fatto rubelle,
Niega il tributo, incatenate l'onde,
Et, eſtatico quaſi infra le ſponde,
Del ſuaue Cantor le rende ancelle.
Scoſſe Rodope il giogo, e de dirupi
Sitibonde le membra al canto ſteſe,
Auide sì, che d'accoſtarſi appreſe,
Fatte mobili al ſuon l'horride rupi.
L'otia guerrier del ſuo neuoſo incareo
Sgraua l'ampie cernici; e, curuo il dorſo,
Moſtra, ch' il piè brami diſciolto al corſo,
Ou'il tragge al goder muſico vn' arco.
Gl' antichi tronchi, ond' ancor ſtilla in pianto
Delle Figlie del Sole eterno il duolo,
Spoglian d'Hemo le balze, e, 'n baſſo ſuolo,
S'addenſan toſto alla gran Cetra à canto.
Lubrico qui più, che nell' onde, il Pino
Si ſcorge errante, e ſeco ſcorge amico
L'elce campagna, oue, nel campo aprico,
Sito s'appreſti al ſuonator vicino.
Dafne, ſeben, nemica al Dio di Cinto,
Ne ſprezzò l'arte, e n'abborrì gl' accenti,
Pur del Trace alle voci i ſuoi contenti
Appender volle; e dir gli parue: hai vinto.
Di periglio non teme, e s'aſſicura
Sotto il Can vezzeggiante il Lepre imbelle:
S'vniſce il Lupo all' innocenti agnelle;
Queſte il terror, quello il sbranar non cura.
Con la Tigre, ch'vn Ciel pinge nel dorſo
Di concorde voler ſcherzan le Dame;
Ne ſi ſtimola in lei l'auida fame;
Ne temon queſte inſanguinarne il morſo.
Sicuro il Ceruo appo il Leon s'aſſide
Che dell' Africa tutta il ſuol ſgomenta;
Ne delle giubbe il ventilar pauenta,
Ou' in mente il Cantor gl' adduce Alcide.

Alcidem, itaque, & nos profectò noſtrum proſequentes, quæ ipſe concinat, proſequamur, vt quæ pleno cecinerit ore Orpheus, patulis & nos auribus hauriamus.

Ille nouercales ſtimulos, actuſq; canebat
Herculis, & forti monſtra ſubacta manu.
Qui timidæ matri preſſos oſtenderit angues,
Intrepiduſq; fero riſerit ore puer.
Te neq; Dictæas quatiens mugitibus vrbes
Taurus; non ſtygij terruit ira canis:
Non Leo ſydereos Cœli redditurus ad axes:
Non Erymanthæi gloria montis aper.
Soluis Amazonios, cinctus: Stymphalidas arcu
Appetis: occiduo ducis ab orbe greges;
Tergeminiq; Ducis numeroſos deijcis artus,
Et toties vno victor ab hoſte redis.
Non cadere Anthæo; non creſcere profuit Hydræ;
Non ceruam volucres eripuere pedes.
Caci flamma perit: rubuit Buſiride Nilus:
Proſtratis maduit Nubigenis Pholoe.
Te Lybici ſtupuere ſinus: te maximus Atlas
Horruit, impoſito eum premerêre polo.
Firmior Herculea Mundus ceruice pependit;
Luſtrarunt humeros Phœbus & aſtra tuos.

ILLE NOVERCALES &c. Canentem in antea ,iis deſcripſerat Orpheum; ac melodiæ excellentiam mirificè à conſequentibus amplificauerat, vt ex iam datis patet. Poſito itaque Orpheo canente, ex neceſſe conſecuturum videbatur, vt quid tandem caneret, exponeretur. Nouit hoc ipſum Vates; atq; ideò iam explicat, quidquid carmine Orpheus expreſſerit tunc, cum ſupra enarrata prodigia cernerentur. Cum autem Orphei cantus integram de Alcidis virtute adſtruat Panegirum, præcipuos hic labores, quos fœliciter exantlaſſe dicitur Hercules, enumerat, concinnè quidem, ſed carptim, ſtrictimque innuit potiùs, quam explicet, cum in rebus, vt ſupponitur, notis verſetur, exactè ſeruans id, quod ab arte præcipitur, vbi de narratione texenda. Laborum autem cauſam initio præmittit dictionis inſonans

ILLE NOVERCALES &c. Primum carminis huius Emiſtichium cauſam continet, cur Hercules tot laboribus addici coactus fuerit; nempe odium Iunonis aſſiduè in Herculis perniciem conſpirantis; Quam ingens autem, quam implacabile fuerit hoc Iunonis odium, & ſupra explicuimus, in verbo *Alcides*, & ſatis notum eſſe poteſt non ignorantibus, quantum in viri pellices excandeat coniux; ac ſpurios omnes quam deteſtabili odio proſequatur. Verùm vt magis innoteſcat contra Alcidem acerrimum extitiſſe odium Iunonis, pauca & hic ſubijcere, operæ pretium exiſtimauerim. De hoc itaque ſcriptum reliquit Pauſanias in Booticis, Iunonis odium adeò conflagraſſe, vt etiam in ventre degentem matris Alcidem, vnà cum matre ipſa perdere ſtuduerit; cum enim, inquit ille, inſtaret Alcmenæ tempus pariendi, mulieres veneficas immiſit, quæ partum impedirent. Verùm Hiſtoris Tireſiæ filia veneficas illas benefico aſtu dicitur eluſiſſe, nam à loco, vnde prætereuntes illæ audire poſſent, exclamauit Alcmenam peperiſſe; atque hac voce deceptæ veneficæ, infecto opere abierunt; atq; adeò Alcmena Partum fœliciter edidit in lucem. Ex eo tamen non deſtitit ab odijs Iuno, vt & ex dictis, & ex dicendis facilè patebit, ſed continuo ductu technas tricis innexuit, vt Alcidem perderet. Cauſam igitur periculorum in quæ Alcides aſſiduè coniectus fuit, in iram Iunonis refundit auctor communi de hoc profectò opinioni adhærens; atque hanc abs Thrace decantari primo animat loco, tamquam fontem omnium, quæ ſequuntur.

ILLE. Pronomen hoc eſt demonſtratiuum tertiam deſignans perſonam, tam a loquente, quam ab audiente, diuerſam, hoc loco Orpheum deſignat, qui

CANEBAT. De cantu Poetarum proprio ſparſim lib. 1. diſſeruimus, ac præcipuè ad Carm. 3. Hic egregiè *canebat*, inquit, ideſt compoſita vocis modulatione, vt & Vatem decet, & Muſicum, exprimebat

STIMVLOS. Stimulus idem eſt, atque Aculeus, ſeu incitamentum: & *ſtimulus* propriè fuſtis eſt acutè cuſpidis, quo Ruſtici boues ſuppungunt; per translationem verò ſtimuli nomine ſignificatur quidquid, nos vexando, ad aliquid incitat efficiendum: Sic ſtimulos appellamus carnis titillationes; ſic conſcientiæ vexationes; amoris æſtrum &c. Ouid. Metam. 2. Stimuli nomine appellat flagellum, quo Auriga vtitur ad concitandos equos, dum Solem Phaetonti inſinuantem normas regendi equos ſolaris currus inducens hæc Solis ore profatur.

Parce puer ſtimulis & fortius vtere loris.

& Virg. Georg. 3. Venereos Amoris impulſus ſtimulos vocat, dum ait

Sed non vlla magis vires induſtria firmat
Quam Venerem, & Caci ſtimulos auertere Amoris.

Et Æn. 6. ſtimulos vocat Phœbeos illos ſpiritus, quibus ad oracula reddenda incitabatur Sacerdos ille Numinis.

Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.

Pariter Poeta hic noſter ſtimulos appellat Iunonis furias, quibus aſſiduè Hercules vexabatur, & nouis ſemper obijcebatur periculis, vt periret. Sed quia Cotem virtuti dici-

tur efformare, qui eam infortunijs agitat; hinc fuit, vt his ſtimulis non in præceps, ſed ad gloriam Hercules actus fuerit.

NOVERCALES. *Nouercalis* nomen eſt à *Nouerca* deriuatum, quarè nouercale dicitur quidquid proprium Nouercæ eſt; vndè *nouercale odium* nuncupatur illud, quo Nouerca, vt plurimum, ne dicam ſemper, Priuignum proſequitur. Porrò ſicuti *Priuignus* filius ille dicitur, qui ex eo eſt genitus, qui filium cum ſuſceperit, repudiata vxore matre, vel defuncta, aliam ducit vxorem, ita vt filius ille iam ſit quidem viri filius, ſed non ex illa vxore, quæ loco veræ matris ſuccedit; ſic *Nouerca* dicitur vxor iſta, quæ, filium non genuit, ſed genitum ex viro quidem ſuo inuenit, aſt ex alterius mulieris commixtione, & loco matris ſuccedens, ſolum denominatur mater, quia Patris vxor ſit, & proprio nomine vulgò *Matrigna* compellatur, latinè autem *Nouerca*, quaſi νεαίρα, vt cum Græcis loquamur; hoc eſt *noua princeps*, *noua* infœlicis filij *Tyranna*, potius dixerim, quam *Domina*. Talis appellatur, reſpectu Alcidis, Iuno; nam, licet ex adulterino concubitu natus, filius tamen Iouis aſſeritur, cui cum coniux Iuno ſit *Priuignus*, ex permutata proportione, iure dicitur Iunonis; Nouerca autem illius Iuno, quia Nouerca illa ſit, quæ vigore tantum coniugali ſuppoſititia efficitur Mater. Odium itaque, per ſtimulos ſignificatum, odium Iunonis eſt, quod, vt acerrimum, inflexibile, implacabile oſtendatur, vno verbo *odium nouercale*, ſeù *ſtimulus* dicitur *Nouercalis*. Peſſimam autem eſſe conditionem eorum, qui Nouercæ ſubſunt, cum & Patrem, vt plurimum, ij habeant nouercalem, ſatis exprimit apud Virg. Mænalcas Ecl. 3. dicens:

De grege non auſim quicquam deponere tecum;
Eſt mihi namq; domi Pater, eſt iniuſta Nouerca:
Biſque die numerant ambo pecus &c.

Veneficas in Priuignos Nouercas oſtendit idem Virg. Georg. 2. vbi hæc habet

Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ
Miſcueruntq; Herbas, & non innoxia verba &c.

Idem verò apertiùs repetit Georg. 3. vbi ſic

. . . . *Lentum diſtillat ab inguine virus*
Hippomanes, quod ſæpè malæ legêre Nouercæ
Miſcueruntq; herbas, & non innoxia verba.

immò, in particulari, odio Nouercæ peremptum memorat Hippolitum (cuius latè Tragediam exequitur Seneca) Æn. 7. inquiens

Namq; ferunt famâ Hippolitum, poſtquā arte Nouercæ
Occiderit, patriaſq; explerit ſanguine pœnas &c.

Aptè igitur, vt implacabiles Iunonis in Alcidem iras oſtenderet, illas *nouercales* vtiq; *ſtimulos* appellat Poeta; ijs enim perpetuò Hercules agebatur, & à periculo in periculum impellebatur.

ACTVSQVE. Nempè & canebat *Actus*. Sicque iam clarus eſt textus; nam particula copulatiua quæ ſit, iam nouimus, & de verbo iam dix. *Actus* autem idem, ac *res geſta* eſt. Dicitur itaq; Orpheus res ab Hercule geſtas cecinìſſe; ex quo ſibi aperit aditum Poeta ad res ipſas geſtas enarrandas, quas nomine *actus* deſignat, quia vere *actus*, hoc eſt agitatus Iunonis æſtro, eas peregit Alcides, atque ideò *actuum*, hoc eſt *agitationum* ſortiuntur meritò. Inſuper actus pro eodem interdum accipitur, ac *Hiſtoria rerum geſtarum*; ſicut autem Hiſtoriæ munus eſt fideliter, ac veridicè res geſtas recenſere; ſic dum dicitur Orpheus *actus* cecinìſſe vera tantum, & hiſtorico digna promulgaſſe inſinuatur; quod & in laudem canentis, & ipſius etiam vergit Alcidis. Demiq; *actus* ſumitur pro parte aliqua Comicæ, vel Tragicæ, aut Tragicomicæ Poeſis: quia igitur ex Geſtis Herculeis, & Tragicum cum Seneca, & Tragicomicum, cum auctore opus intexi poterat, iure res eius geſtas *actuum* nomine circumſcripſit.

HERCVLIS. Eiuſdem videlicet Alcidis de quo ſupra, & qui quomodo Alcidis nomen mutauerit in Herculis nomen, iam diximus in verbo *Alcides maſſus &c.*

ET MONSTRA SVBACTA. Tripartito diuiſerat Poeta cantum Orphei, ita vt primo loco cauſas laborum poſuerit, vt vidimus; ſecundo labores ipſos, ſeù actus; tam tertio loco ponat effectus laborum, ſeù exitus eorumdem, nempè Herculis victorias ex ſubactis monſtris ſuccreſcentes. Ideò *canebat Nouercales* primo *ſtimulos*; ſecundo *actus*; tertio

MONSTRA SVBACTA. Quid ſit monſtrum, iam vidimus lib. 1. Carm. 37. & alibi; quarè non repeto: feras intelligit beluas, ac Tyrannorum furias, quibus nil certè monſtruoſiùs. *Subacta* verò particip. paſſiuum eſt a *ſubigo*; *ſubigere* autem *edomare* eſt, *vincere*, *proſternere*. Quare, *monſtra ſubacta* dum dixit, dixit edomita, deuicta, proſtrata; quod certè victorias, ac triumphos herculeos planè explicat.

FORTI MANV. Fortis vir aliquis à fortitudine, quæ virtus eſt, nominatur. Fortitudo autem multipliciter definitur; nam iuxta Cic. 2. de Inuen. *eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, laborumq; perpeſſio*; & *conſiderata* dicitur, vt diſtinguatur a temeritate, quæ omnia temerè aggreditur. Secundùm eumdem Tuſcul. 4., *eſt ſcientia rerum perferendarum*; vel *affectio animi in perferendo, legi ſummæ parens ſine timore*. Iuxta Macrobium verò, fortitudo virtus eſt, *quæ animum ſupra periculi metum agit*: ex quibus definitionibus ſatis conſtat, fortitudinem animi potiùs virtutem eſſe, quam corporis; quia tamen corporis membra ab ipſo mouentur animo, tunc fortiter agere, & fortia eſſe dicuntur, cum fortis animi imperia exequuntur. Fortis itaq; dicitur Herculis manus, quia, ab animi fortitudine roborata, inuincibilis ſemper fuit, ac nullum reformidans periculum, ſed omnia ſuperans, virtute duce, comite Prudentia. Adde inde hic alluſionem ad ſententiam Callimachi, qui præcipuam hominis vim in dextera manu ſitam agnoſcebat, ac indè inſtitutum affirmabat, vt dexteram fidei pignus porrigamus; certè enim manus hic pro dextera, quam etiam validam appellant, ponitur. Aſt nonne, & claua, & ferro, & igne vſus in prælijs eſt Hercules? Cur igitur hic de ſola manu ſit mentio? Cauſæ inſtrumentales, vt in prælijs ſunt Claua, enſis &c. dicuntur agere, non ſua ipſarum virtute, ſed virtute cauſæ vtentis, & principalis, quia nil ſecti ageret inſtrumentum, niſi a cauſa principali dirigeretur, & impelleretur ad opus; ideò manus hic laudatur, non inſtrumenta manu pertractata, cum, quidquid effecerit inſtrumentum, hoc totum manui illud mouenti debeatur. Adde Herculem nuda etiam manu monſtra interdum peremiſſe, vt de ſerpentibus a puero oppreſſis, mox patebit.

QVI. Aduerb. exiſtimat Parrhaſ. pro quomodo poſitum, ita vt ſenſus ſit: Canebat quomodo puer &c. Ego verò ſatius arbitror fieri, ſi relatiuum agnoſcamus; nam relatiuum hoc in mentem referens Herculem, de quo ſupra, tranſitum Auctori aperit noſtro ad enarranda prodigioſa Herculis geſta, quorum primum in ipſis ab Hercule incunabulis patratum dicitur. Sed, antequam huius, aliorumq; explicationem aggrediamur, memineris, nos dixiſſe ſuperius, Orphei cantum inſtructam herculeis laudibus eſſe Panegyrim, nempè in tertio illo Rhetoricorum dicendi genere, quod demonſtratiuum, ſeù magis exornatiuum, appellant. Quare inuenienda hic erunt præcepta huius generis propria, & ab Auctore in vſum redacta, ſtrictè tamen, ſicuti ſtrictum ampliſſimam colligit Panegyrim Auctor. Panegyris igitur, ſicuti quælibet alia generis exornatiui Oratio nihil eſt aliud, quam *continuata* exornata narratio; & quidem laudatiua, ſi de Panegyri tantum loquamur, nam Genus exornatiuum non ſolam continet laudationem, ſed etiam vituperationem. Panegyris autem artificialis diſpoſitio hæc olim fuit, vt ordinem ſequeremur naturalem, ita vt Heroem laudaturus à natiuitate initium ducens ſingulas, de gradu in gradum aſcendente ætate, peractas ſubindè actiones referret ordine, & exornaret. Noſtris tamen hiſce temporibus, cum Eloquentiæ concinnatio ſæpè ſæpiùs ad limam deuenerit, non ad modum prouecti, ac perfecti Oratoris proprius huiuſmodi videtur ſtylus: Immò Cauſinus de Eloquentia apertè ait, nimis olere ſcholam, qui hanc in Panegyri diſpoſitionem ſequatur; cum potiùs ad artificium ſpectet Oratoris aliquid ex laudandis, conſpicuum maximè, aſſumere, atq; ad illud tamquam ad præcipuum quæſtionis ſtatum alia omnia adducere, diſtinctis quidem temporibus, ſed non ſeruato puerili illo, de quo ſupra loquebamur, temporum ordine; ità ſcilicet, vt vnaquæq; actio, ex celebrandis, ſuo loco poſita innoteſcat; ſed ſtylus per gradationem illam temporis non decurrat; atq; eo pacto confundat actiones, ſeù, meliùs dicam, actionum diſpoſitionem, vt in ipſa confuſione, non confuſo tamen tempore, eluceſcant. Quod idem eſt, ac dicere ſtruendam eſſe ſine confuſione confuſionem, ac ſeruandum ſine tempore tempus, ſine ordine ordinem, vt magis varietate delectet Orator, &, tamquam acu pingens, colores quidem, & orationis miſceat flores, & intexat, ſed ita, vt ex mixtione illa colorum perfecta reſultet eloquens pictura, exactis ſimetriæ regulis concinnata, & florum vnuſquiſq; propriam habuiſſe ſedem conſpiciatur. Non tamen reprehendendus

Auctor

Auctor hic eſt, eo quod peritiſſimo eorum temporum Vati ordinem, in dicendo, illum attribuere videatur, qui nunc dicitur nimis olere ſcholam; immò collaudanda eſt Auctoris prudentia, qui mores imitatus eum Orpheo ſtylum attribuit, qui tunc temporum maximè in vſu fuerit; cum nondum tantum, quantum nunc habet ornamenti, ſortita fuiſſet Eloquentia. Mores autem imitari maxima vtique Poeſis virtus eſt. Aduerte tamen ab Orpheo exordium Panegyris ſuæ Cytharæ titillatione peractum, quo quantam captauerit beneuolentiam non minùs, quam attentionem patet ex dictis: Subinde enarrandos effectus in ipſa indicatos cauſa cognoueris, quæ quaſi ſemen præbeat totius orationis; ac tandem initium narrationis deduci quidem ex primo effectu, ſeù labore, quem vix natus ſuſceperit Alcides; ſed reliqua ſubinde non proſequitur Vates, vt videbis iuxta ordinem, quo ſucceſſiuè peracta recenſentur, ſed variato ordine labores illos diſponit, vel iuxta congruentiam, quam habent inter ſe, quo ad ſimilitudinem, & gradationem habendam, vel quo ad contrariorum conflictionem eliciendam, vt ornatior procedat oratio: quod ex infra dicendis in comperto erit. Primus igitur Herculis labor, ac triumphus cunas ipſius Herculis decorauit: & hoc pacto ex communi omnium ſenſu traditur proceſſiſſe. Iuno Alcidis Nouerca, vt Priuignum perderet, ſub mediam noctem, quæ ſecuta eſt primum eius natiuitatis diem, duos ferociſſimos angues in eum immiſit, vt ijs ictus nemine præſcio, interiret. Aſt dicitur Hercules eos ambabus manibus apprehenſos ita conſtrixiſſe, vt illæſus, ac ridens illos compreſſerit, & occiderit. Attigit primum hoc Herculis trophæum Ouid. in Deianira:

Tunc ferunt geminos preſſiſſe tenaciter angues
Cum tener in cunis iam Ioue dignus erat.

& apud eumdem Ouid. Metam 9. Alcides idem, cum Acheloum ex Tauro ſerpentem factum aſpiceret, cum quo inceptas antea pugnas proſequeretur.

Riſit, & illudens vanas Tirynthius artes
Cunarum labor eſt angues ſuperare mearum
Dixit &c.

Scio Pherecidem auctorem eſſe inſinuandi, eos angues non à Iunone: ſed ab Amphitriyone immiſſos, vt experiretur, num verè Iouis filius eſſet Alcides; ſed non liber ab opinione communiori recedere, cui certè innititur Auctor noſter, dum inter nouercales ſtimulos hanc ſerpentium immiſſionem enumerat

PVER. Infans profectò dici debuerat; nam infans propriè eſt, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram; & Pueritia procul dubio Infantiam ſubſequitur: ſed dixeris Cathacreſi vſum Poetam; ni mauis dicere, antiquitùs nomen Pueri, ac infantis promiſcuè vſurpatum à vulgò, ſicuti, & noſtris huiſce temporibus euenit. Emphatica autem hic eſt hæc dictio *Puer*, & idem eſt ac ſi diceret *quamuis puer, quamuis inermis, quamuis imbellis, & impotens* ad oſtendendum quid portentoſum fuiſſe factum quod dicitur peractum, ac omnem ferè excedens fidem. Sed Ioue nato quid nimium ſit?

OSTENDERIT. *Oſtendere* idem eſt, ac *Os tendere*, quarè pro eodem ſumitur, ac monſtrare, quia os tendere ſolemus, ideſt faciem extendere, cum aliquid alteri volumus oſtendere. Sic itaque de Hercule dicitur, qui linguæ adhùc vſu deſtitutus nutibus loqui fuerit coactus; ideòque oſtenderit, ideſt os extendendo ſpeciem diſcerptorum anguium matri exhibuerit conſpiciendam. Vt fatear, ſupra ætatis vires, hoc eſt, ſi palmaris molis infantulus conſideretur; ſed cum de eo agatur, qui futurus eſſet nouum orbis miraculum, quid mirum, ſi, naturæ maior facultate, impedimentum neſcierit ætatis? Quarè hoc actu, quem illi, præter morem, & ſupra ætatem, tribuit Poeta Leonem ex vngue oſtendit, & quantum futurus Hercules fuiſſet, apte præmonſtrat. Heinſius licet in textu lectionem habeat cum vulgata hac noſtra; in notis tamen quas addit: *Malim*, inquit, *oſtenderes*, & *referes*; vt hinc incipiat Apoſtrophe ad Herculem. Sententia Heinſij non auſim quo ad hoc profectò improbare, nam concinnè admodum procedit, iuxta enim hanc opinionem ab inuocatione, ſeù appellatione Antonomaſtica Herois laudandi laudationem ſuam exorſus Orpheus fuiſſet: in vulgata verò lectione, ab actu tantum primo notat, quis fuerit infans ille, de quo loquatur, vt ſubindè per apoſtrophen ad eumdem vertat Oratio. Tu, vt malueris, legas.

ANGVES PRESSOS. *Angues* nomen propriè ſerpentum eſt aquatilium; ſed tamen communiter pro omni reptilium genere ſumitur, quarè poſitam hic ſpeciem agnoueris pro genere. Serpentes autem immiſſos ad Alcidem perimendum Ceraſtas fuiſſe autumant aliqui: Quarè, ſi anguis ſumatur, vt Genus, erit, vice verſa, Genus pro ſpecie poſitum; ſed Genus non eſt niſi ampliatiue; immò ſpecies & anguis eſt; quarè Cathacreſim dixeris potiùs. Preſſos autem dixit, hoc eſt per compreſſionem ſuffocatos, ſeù diſtractione diſcerptos, & oppreſſos; nam ſæpè *premere* occidere eſt: ſic Virg. Æn. 9. cædem à Niſo factam deſcribens, ait

Tres iuxta famulos temerè inter tela iacentes,
Armigerumq. Rhemi premit Aurigamq; ſub ipſis
Nactus equis &c.

MATRI. Nempè Alcmenæ. Proprietatem hic ſequitur Puerorum, qui quidquid fecerint oſtendunt Matri. Verùm potiori iure dicitur Hercules hic matri angues oſtendiſſe; cum enim à Nouerca Iunone immiſſi angues fuiſſent in inſontem, cauendum matri erat, ne in ipſam maiori impetu Pellicum impatiens irrueret Iuno. Quia autem Pueri diuinare dicuntur, hoc geſtu inſinuatur Hercules ab ipſis incunabulis Ioue afflatus prudentiam ſupra ætatem, infantili geſtu illo prætuliſſe, ac matrem tacitè monuiſſe.

TIMIDÆ. Timidus dicitur qui nullius, vel ſaltem modiciſſimi animi eſt, ita vt vel ad minima quæque, vt ceruus, perhorreſcat. Verum, cum ſermo de matre ſit, connaturalis matri affectus eſt timor, ſemper de dilecta prole ſollicitus. Poterat quis hoc loco obijcere: ſi ſerpentes ſub mediam noctem, vt dix., immiſſi ſunt, & occiſi, quomodo matri, quæ forte obdormiſſet, vel, ſi non ceſſiſſet ſomno, per tenebras adhùc, hæc oſtendere potuiſſet filius? Obiectionem itaq; diluit vnico hoc addito *Timida*; anxia enim mater cæteris dormientibus in nati cuſtodiam euigilat, ac ſæpè ſæpiùs, diſiectis ſuccenſo lycno tenebris partum inuiſit, vt obſeruet, num bene ſe habeat, num ſuauiter quieſcat, num re aliqua indigeat. His curis itaq; mater ſollicita Herculem inuiſebat infantem timida ne quid illi obeſſet, ſed timida magis, cum ſerpentes viderit, licet enecatos, nempè timida, ne dentem infixerint, timida aſpectus horriditate, ac timida, ne omen hoc deterioris eſſet euentus; ſcire enim poterat, ſeq; prolemq; ſuam Iunoni inuiſam eſſe, cum nimis in comperto eſſet, Iunonis iras omnibus à Ioue compreſſis ſemper infeſtas extitiſſe. Parrhaſ. Timidam inquit appellatam Alcmenam per exprobrationem, eo quia illa Iunonis indignationem verita Herculem initio expoſuerit, vt ſe habere ex Diodoro profitetur. Quod ſi verum eſt, dicendus eſſet hoc actu Hercules matri ipſi indicare, nil matri timendum, quæ filium haberet Alcidem. Sed, etiam ab hoc præſcindendo, multiplici, vt videbamus, timore perculſa Alcmena iure timida dicitur.

ET INTREPIDVS PVER. Eximiam prorſus adnotare hic lubet Antitheſim, ſumma animi contentione emphaticis repletam ſpiritibus: *Puer intrepidus*; *Matri timidæ*. Quid præter Naturam magis? Pueros timoris dici incapaces, ſi de formali timore, qui ex apprehenſione periculi oritur, loquamur, profectò non abnuo; nam, cum ætas puerilis non ſit capax illius apprehenſionis, cum non diſcernat inter bonum, & malum, certe ne poteſt eſſe capax effectuum, qui ex tali apprehenſione oriuntur; ideò D. Aug. de Innocentium cæde ſermone primo ait: *Quantis modis infantem mater volebas abſcondere, & ipſe ſamſantulus publicabas? Neſciebat tacere, quia nunquam didicerat formidare*, ad quod alludens Eccleſia in Hymnis eorumdem canit: *Aram ſub ipſam ſimplices; Palma, & coronis luditis*. Verùm, etſi puer formaliter timidus dici non poſſit; tamen, Natura ipſa ſtimulante, quæ propriæ conſcia eſt imbecillitatis, videtur puer timorem quemdam innatum habere, ita vt minima quæque, etiam ſi noxia eſſe neſciat, naturaliter expaueſcat; Sic videmus pueros aſpectu perſonati exhorreſcere, licet, quid hoc ſit, neſciat. Quarè connaturalis puero videtur timor innatus adeò, vt eo nil poſſit excogitari timidiùs. E contra verò mater, ex ipſa conditione ſexus imbellis, videtur quidem, & profectò eſt timidiſſimum animal. Sed cui notum non eſt animi puſillanimitatem graui nimis timore oppreſſam in furorem verti, ita vt nihil timeat, qui omnia deſperet, Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem, Aſt quid ferociùs matre filij periculum extimeſcente? Vel catella mehercule vertitur in Leænam; amore enim fœtus timorem proprij ſuperante pericli, adeò in filij defenſionem exardeſcit mater, vt videatur ferociſſimum quodq; animal ſuperare. Hic tamen *mater trepida ſilens*, licet puer, *intrepidus*. Proh' quanta eſt emphaticæ

ſimus

huius locutionis energia! Quid eſt matrem trepidam eſſe, conſpecto nati periculo, quæ potiùs in vltiones debuerat efferaſcere? Oſtendit hoc profectò horribilitatem ſerpentium ab Hercule diſcerptorum, quæ tanta fuerit, vt, etiam mortui, vel *ipſam matrem* adeò perculerint, vt timor materni amoris faces ſuperaret, ac vinceret. Quid eſt Puerum fuiſſe intrepidum, cum, ſicuti incapax formalis timoris eſt Puer, ita & incapax formalis ſit intrepiditatis, cum hæc cognitionem ſupponat periculi, quod non timeatur, quæ in infantem cadere nequaquam poteſt? Quid eſt, inquam, niſi Herculem, quippe Ioue natum, ætatem cognitione ſuperaſſe, omenq; futuræ fortitudinis, vel faſcijs obſtrictum, edidiſſe? Inuertitur naturæ ordo, dum *Mater trepida, puer intrepidus* adſtat? Nil mirum; nam qui, vt miraculum naturæ foret, in lucem prodierat, legibus Naturæ obſtringi non poterat. Particula itaq; *At*, in textu poſita, diſcretiuè coniunctiua eſt, quæ ſcilicet contraria diſcernens connectit tamen, nempè matrem timidam, & puerum intrepidum. *Intrepidus* porrò idem eſt, ac *impauidus*, & *nihil timens*, quod proprium eorum eſt, qui pericula quidem norunt, ſed proprijs confiſi viribus, per prudentiam ponderatis, periculum floci faciunt.

RISERIT. Riſus ijs rebus adhibitus, quæ alijs horribiles, ac maximi ponderis videantur, ſignum contemnentis eſt. Hunc morem ab Hercule ſeruatum reſpectu conſimilis, adulta ætate, diſcriminis meminit, dum lib. Metam. 9., ſupra etiam cit. eumdem Herculem inducit cum riſu, vt vidimus, excipientem Acheloi in ſerpentem commutati hoſtiles ad luctam impetus, ac per Sarcaſmum irridentem, vt ipſe Achelous, ſe victum faſſus, ſic ibi enarrat; non enim grauabor, quæ ſupra modico flexu immutata iam retuli hic adūerbium exarare.

Cumq; fero moui linguam ſtridore biſulcam
Riſit, & , illudens noſtras Tirynthius artes,
Cunarum labor eſt angues ſuperare mearum
Dixit &c.

Sic igitur, & in præſenti, ridet Puer, vt ſe periculi contemptorem aſſerat; & ridet ob partam infantili manu tam facilè victoriam, quaſi ſibi hoc riſu plauſus, ac Peana concinat victor.

ORE FERO. Riſus incompus, & immoderatus leuitatis ſemper indicium eſt. Quarè, ad indicandam Herculis indolem, maximum vtiq; præ ſe omen ferentis, riſiſſe indicat quidem, ſed tali vultus admixtâ grauitate, vt ipſo io riſu animi ferocitatem oſtenderit; Os enim hic pro toto faciei, ac corporis habitu, & aſpectu ponitur, licet ſtrictè, ac propriè ſumptum, concauum illud ſit intra quod dentes, ac lingua concluduntur. Synecd. vtitur Auctor. Barthius legere maluit *feros* Epitetum referens ad angues; ſed qui Herculeis oculis feri non fuerant viui, minus potuerunt occiſi.

TE NEQVE DICTÆAS &c. Si cum Heinſio legas

Qui trepida matre preſſos oſtenderis angues &c.

Indè Apoſtrophe incipit, vt notauimus, & ordo verborum erit: Neque Taurus, quatiens mugitibus dictæas vrbes, terruit te, qui oſtenderis &c., & qui riſeris &c. Aſt ſi nobiſcum legas vulgatam ſecutus; Noneris hic tantum Apoſtrophem initium ſumere. A tertia autem perſona eleganter ad ſecundam traducit orationem Apoſtrophando, imitatus Virg. qui Æn. 8. conſimili vtitur methodo dicendi, dum ait

Hic iuuenum chorus, ille ſenum; qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt; vt prima Nouercæ
Monſtra manu, geminoſq; premens eliſerit angues;
Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes
Troiamq; Oechaliamque, vt duros mille labores
Rege ſub Euryſtheo, fatis Iunonis iniquæ
Pertulerit. Tu nubigenas inuicte bimembres
Hylæumq;, Pholumq; manu; tu Creſſia mactas
Prodigia, & Vaſtum nemea ſub rupe Leonem.

Vertit igitur hic Orpheus cantiones ad Herculem ſuas; eaſdemq; hoc pacto, quaſi denuo Orphei ore depromptas, refert per Proſopopeiam Auctor, reliquos Alcidis labores concinnè ſubnectens.

NEQVE TAVRVS. Aduertendum hic, quod alias etiam monuimus, nempe particulam negatiuam (vt *neque*) malignantis eſſe naturæ ita, vt neget quidquid inuenit poſt ſe: quare negat hic, vllum prorſus timorem incuti potuiſſe Herculi à Tauro, Gnoſiam vniuerſam terroribus implente, ac deuaſtante. De Tauro ab Hercule edomito duplicem inuenio opinionem: altera eſt, quæ aſſerit hunc fuiſſe *Acheloum fluuium*, qui, cum altercaretur cum Alcide de obtinenda in coniugem Deianira; ac tandem in prælium ambo deſcendiſſent, dicitur in Taurum mutatus, poſtquam ſerpentem, & alias formas induiſſet, ac ſub Tauri forma Herculem inuaſiſſe, quem Hercules, cornu abreptum, tali compreſſerit violentia, vt dexterum cornu euelleretur à fronte, cuius causâ euulſionis nimio affectus dolore, Alcidi palmam ceſſiſſe dicitur; vt, ex ore ipſius Acheloi, ſic per Proſopopeiam cecinit Ouid. cit. Metam. 9.

Sic quoq; deuicto reſtabat tertia Tauri
Forma trucis: Tauro mutatus membra rebello.
Induit ille toris à læua parte lacertos,
Admiſſumq; trahens ſequitur, depreſſaq; dura
Cornua figit humo; meq; alta ſternit arena.
Nec ſatis hoc fuerat: rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaq; à fronte reuellit.

Optimam fateor ingenioſorum hominum ſpeculationem; verum non video, quomodò *Achelous* ille Taurus dici poſſit, qui totam terreret, vaſtaretq; Cretenſis Inſulæ regionem. Scio equidem, flumina omnia ſub Tauri ſpecie ſignificari; & ſcio, Acheloum flumen infeſtiſſimum fuiſſe Calydonijs, in quorum gratiam Hercules, fluuium in alios diuertens curſus, Calydoniorum agrum reddidit ab ipſius hoſtilitate immunem. Sed quid hoc ad Cretenſes? Exiſtimo igitur Auctorem alteri adhæſiſſe opinioni, quæ de hoc Tauro talis eſt: Minos, qui Maris tenebat imperium, Neptuno ſacrificaturus, optauit Victimam tanta dignam maieſtate: cum nullam inueniret, obtulit ei Neptunus idem ingentis ſpeciei Taurum, quem cum vidiſſet Minos, auaritia ductus, immolare nequaquam voluit, ſed ſibi planè reſeruare. Quare indignatus Neptunus furorem in Taurum ipſum immiſit, quo vexatus, ac ferox totam Cretenſem Inſulam deuaſtabat. Hunc edomitum ab Hercule, & vinctum ad Euryſtheum deductum fuiſſe dicunt. Ideo Taurus Dictæas Vrbes

QVATIENS MVGITIBVS. Quatiens particip. à *Quatio* eſt; *quatere* autem *Infeſtare* profectò eſt: atque hoc ſatis eſſet ad explicationem vtrumque huius loci exhibendam. Verum, ſi vim verbi perpendamus, idem eſt *quatere*, ac *in tremorem, ex concuſſione progenitum, inducere*. Quarè emphaticè hic oſtendit Auctor, illius Tauri mugitum tantæ terribilitatis fuiſſe, vt vel, inſtar tonitruum, terreret, vel, quaſi ex bombo terræmotum efficeret, nutantes, vacillanteſq; redderet arces ipſas: quo quantum terroris ex Tauro emerſerit, ac quantum ferocitatis in Hercule fuerit, qui expauerit, ſatis patet amplificatum. Porrò *Mugitus* nomen per Onomatopeiam innouatum eſt, exprimens ſcilicet ipſam Tauri vocem, ad quam exprimendam vocabula ſatis apta deeſſent; ſed iam adeò in vſu eſt, vt pro vſitato vſurpetur, & proprio.

VRBES DICTÆAS. Quid ſit Vrbs iam vidimus lib. 1. Carm. 158., vbi etiam vidimus nomen Vrbis dupliciter ſumi poſſe, vel ſcilicet pro Vrbe formali, vel pro materiali; ſi pro formali accipiatur, hic totum collectiuè ponitur pro parte diſtributiuè componentibus idem totum, nempe pro ciuibus ſingillatim ſumptis. Si pro materiali ſumatur, hyperbolicum erit dictum *Quatiens Vrbes*, nempè ædificia ipſa, & turres, vt ſupra exponebamus. Vtrumque ſenſum attingi arbitror ab auctore: nam ſi iuxta dicta arces ipſas terruit, multo magis arcium incolas. Quaſnam autem Vrbes Taurus ille terruerit, expreſsè ſignat, dum Dictæas appellat; hoc eſt Cretenſes vrbes; nam *dicte*, iuxta Ptol. Mons Cretæ eſt, ſic appellatus à Dicte Nympha, quæ in eo monte colebatur; atq; ab hoc monte tota Inſula Dictæa fuit denominata.

TERRVIT TE. *Terrere* idem eſt, ac terrorem alicui incutere. Negat itaq; Auctor timorem vllum Herculi incuſſum à Tauro, vt dix., omnia territante; & cum Apoſtrophem ad eum habeat, induens Orphei perſonam, ideò *Te*, inquit, hoc eſt *Te Alcidem*, quem alloquor, & laudo.

NON IRA &c. Vnicuiq; membro peculiarem aliquam Alcidis gloriam continenti, & non ſubactum terroribus animum oſtentanti propriam præponit negationem; non quia non ſuffectura fuiſſet prima ad omnia, quibus applicata fuerat neganda; ſed, vt repetitione vſus figura, Emphaticam reddat locutionem; gradationem clariùs oſtendat, & inuincibilem Herculem demonſtret. Primum membrum Dictæi Tauri furores in Alcidem irritos continens explicuimus; ſecundum iram Stygij canis ſloci factam referens iam aggredimur: Duo enim hæc membra ſunt, licet vni tantum, per figuram adiunctionem, alligentur verbo terruit. *Non terruit* itaque

IRA

IRA STYGII CANIS. Quid ſit ira, & quarè hoc nomine deſignetur vidimus lib. 1. Carm. 32. hic ponitur pro efferata Cerberi rabie; ideò ſubdit *Canis Stygij*, quæ Cerberi periphraſis eſt; Stygius enim nullus, præter Cerberum, extat canis, qui *Stygius* à Styge Palude, circa quam incolere dicitur, appellatur. Quid verò Cerberus ſit fuſe habuimus lib. 1. Carm. 86., & pariter quid fuerit Styx ſatis nouimus eodem lib. Carm. 22. & Carm. 112., quarè hic tantummodo recenſendum eſt, qua occaſione Hercules Cerberum vel viderit, vel audierit, non ſine timore ſolum, ſed cum triumpho; nam ex antecedenti, quo ait Herculem non territum a Tauro, non a Cerbero, intelligendum nobis proponit Auctor triumphum, quem de vtroq; Alcides reportauerit. Non ampla ſatis herculeæ virtuti tellus erat, ni etiam ad inferos detruderetur, triumphos & indè relatura. Illum igitur, vt referunt, iuſſit Euryſtheus Inferos adire, & horrendum maximè inferorum canem ad ſe adducere. Hercules itaque, ſacrificijs priùs rite peractis in Tænaro Promontorio, antrum ſubijt, ac, traiecto Acheronte, cerberum inuaſit, qui, viſo Hercule, conſternatus adeò dicitur fuiſſe, vt ad ſolium Inferorum Regis effigij cauſa confugerit: cum tamen & inde abſtraxit Hercules, ac vinctum catenis ſecum ad Euryſtheum adduxit: atq; eodem tempore Theſeum, apud Inferos detentum, eo quod Pirithoum ad rapiendam Proſerpinam accinctum comitatus fuiſſet, liberauit, & in lucem iterum reduxit. Innuit hæc Charon apud Virg. Æn. 6. dum ſic Æneam alloquitur.

Nec verò Alciden me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu; nec Theſea, Pirithoumque,
Dis quamquam geniti, atq; inuicti viribus eſſent.
Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petiuit,
Ipſius à ſolio Regis traxitq; trementem
Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti &c.

aiunt enim Charontem, eo quod Herculem tranſuectaſſet, herois timore adductus, annum integrum compedibus irretitum in carcere apud Inferos fuiſſe. Sed hoc parum ad inſtitutum noſtrum, cui ſatis eſt ſcire, cur Hercules dicatur, Cerberum non timuiſſe; cum immò ſempe Cerberus Herculem timuerit, vt ex dictis patet, & confirmat Virg. cit. Æneid. 6.

Te Stygij tremuere lacus: te Ianitor Orci.
Oſſa ſuper recubans antro ſemiſa cruento.

NON LEO &c. Geminos Leones ab Hercule memorant occiſos, Cithæroneum ſcilicet à Cithærone monte ſic dictum, & Nemeum ſic a Sylua Nemea appellatum. De Cythæro leo igitur hæc commenti ſunt; nempe factum fuiſſe, vt Hercules annum decimum ſextum, vel, vt alij, decimum octauum agens miſſus fuerit ab Amphitryone ad armentorum cuſtodiam, cui ſedulò aduigilans adoleſcens Leonem ex Cithærone delapſum, qui armenta inuaſerat, ne bis peccaret in Magiſtrum, obtruncauit: nec illum iuuit inuulnerabilem eſſe, ex inſtinctu Iunonis, quæ eum immiſerat; nam Herculeis manibus ſuffocatus interijt: aiunt enim Iunonem, ſupplicium de Alcide ſumere volentem, magicis carminibus Lunam in auxilium acciuiſſe, quæ ideò ciſtam ſpuma impleuerit, a qua natus fuerit leo ille omninò inuulnerabilis, quem ſubinde Iris in gremio ſtringens in montem Opheltam deportauit, a quo & eodem ſuo natiuitatis die Apæſamptus Paſtor dicitur deuoratus. Secundum Leonem ab Hercule occiſum memorant nemeum fuiſſe, quem dicunt ex Lunæ concauo decidiſſe; fabulatur enim Anaxagoras, latam quamdam in Luna fuiſſe regionem, ex qua deciderit hic Leo; immò Pythagoras eiuſq; ſectæ Phyloſ. domos in Luna, campos, agros, ſyluas, ſaltuſq; eſſe dixerunt; atque in ijs quindecies maiora, quam quæ apud nos naſcuntur, animalia; ideòq; orbe medio Lunam maculoſo interdum apparere; atq; indè decidiſſe Leonem, de quo hic autumant quamplures, quem pariter inuulnerabilem voluere, ideòq; herculeis manibus ſuffocatum dictitant periſſe, cum imperatum Herculi fuiſſet ab Euryſtheo, vt leonem hunc, quem Nemeum appellant a Nemea, in qua degebat Sylua, occideret. Vt fatear quid ſentiam, vnicum arbitror fuiſſe leonem, qui iuxta diuerſitatem locorum, quæ ex eo damna patiebantur, diuerſimodè fuerit denominatus; nam, de cæteris, omnia coincidere video Citheroneum enim pariter, & Nemeum ortum habeo ex Luna, quidquid ſit de variatione modi, cum, in fabuloſis, fas ſit vnicuiq; pro libito fabulari. Conſentit modus, quo vterq. dicitur inuulnerabilis; conſentit cauſa; odium ſcilicet Iunonis Alcidem perdere volentis; conſentit mors ab herculeis manibus, per ſuffocationem, illata. quare nullam video rationem geminatum leonem effingendi. Et quidem Ouid. vidi Metam. 9. inducentem per Proſopopeiam Herculem res à ſe geſtas enarrantem, & vnicum memini recenſere Leonem, dum ait

His eliſa iacet moles Nemeæa lacertis.

Virg. etiam Æn. 8., herculeos recenſens, vt ſupra vidimus, labores, vnius tantum leonis meminit, vt patet ex ſupra exaratis vbi habet. *Tu Creſia mactas* (Taurum vid.)

Prodigia: & Vaſtum nemeæ ſub rupe leonem.

Seneca pariter in Hercule furente vnius tantum mentionem habet leonis: Quarè adducor vt credam & ego vnicum fuiſſe. Certè & Leonem Bembinitem memorat Parrhaſ, ab Hercule occiſum; ſed eumdem eſſe cum Nemeo profitetur, qui & Bembinites dictus fuerit a Bembio, vt ſcribit Hellanicus, vel a Bembina, vt ſcribunt alij Vrbe Nemeæ proxima Syluæ. Sed, quidquid ſit de hoc, quod diſcutere non eſt huius loci, certum videtur, non ignotam Vati noſtro fuiſſe hanc opinionum diuerſitatem, quarum lites cum nec ipſe dirimere voluerit, ita Carmen attemperauit, vt ſingulis diuerſa opinantibus congruere poſſet, dum nec Cithæroneum, nec Nemeum appellat leonem, ſed tantum ait *Non Leo &c.* vt vel de vno, vel de gemino poſſis explicare, iuxta eam, quam ſequi malueris opinionem; ita tamen vt ſi geminum velis, vnum pro pluribus poſitum intelligas. Leonis naturam ferocitatem &c. ſi cupias, habeas lib. 1. Carm. 210.

REDITVRVS AD AXES SYDEREOS COELI. Subintellige *terruit*, vt ſupra; tertium enim membrum hoc eſt, per adiunctionem figuram eidem illi verbo adiunctum. Quid ſibi velit particip. illud *rediturus* facile conſtat ex dictis; nam vidimus Leonem, ab Hercule occiſum, è Cœlo demiſſum Lunæ; & quia poſt mortem dicitur in Cœlum tranſlatus, ad exornandum ſuo vellere Zodiacum, vel beneficio Iunonis gratum in Leonem animum gerentis, vt volunt aliqui; vel Iouis in gratiam Herculis diſpoſitione, eo quod primus Herculis fuerit triumphus, vt refert Hyginus, & teſtari videtur Seneca Hercule furente; ideò *rediturus*, inquit Poeta; quaſi hoc in fatis fuiſſe innuat aperte, vt qui ex Cœlo deſcenderat, in Cœlum eſſet rediturus. Axes verò quid ſint videas lib. 1. Carm. 116. hos autem *ſydereos* vocat, vt, nota hac ſpeciali, cœleſtes ſignet epitєto à ſyderibus maximis vtiq; Cœli ornamentis deducto, quæ ſi quid ſint excupias vide dicta lib. 1. Carm. 117. & Carm. 253. Sed dices; ſi per *ſydereos axes*, cœleſtes ſatis exprimuntur, ad quid Vates addidit *Cœli*. *Cœli rediturus ad axes &c.*? Nonne hoc ſuperfluum prorſus redundat? Facilis tamen eſt reſponſio, nempè id Vatem addidiſſe ad tollendam æquiuocationem quæ haberi potuiſſet in epiteto *ſydereos*, quod ſæpè ſæpiùs pro eodem ſumitur, ac *Altus*, licet non tanta polleat altitudine, vt non maximo adhuc a Cœlis diſtet interuallo: Sic Mart. in Amphit. Epig. 2. dixit

Hic vbi ſydereus propius videt aſtra coloſſus &c.

ne igitur per *ſydereos axes* altiſſimos aliquos ſaltus intelligeres, ac præcipuè illos in India poſitos, in quibus degere dicuntur Axes, feræ ſcilicet Baccho ſacræ, quas Plinius Hinnuli pelle pluribus, candidioribuſq; maculis reſperſa decoratas deſcribit; ideò addidit *Cœli*, vt, non Axes feras, ſed Cœli Polos intelligeres appellatos. Adde, non ignotum Vati fuiſſe, Perſarum Regiam, à Cyro extructam, ſimilitudinem Cœli retuliſſe; ideoq; & ibi, quamuis in terris, ſydereos axes effulſiſſe; ideò, ad normam remouendam æquiuocationem, addidit parte: *Cœli*

NON APER &c. Inter præcipuos Herculis labores peremptus herculea manu Erymanti Aper enumeratur: ideò & hic recenſetur, & pro quarto membro eidem verbo *terruit* adiungitur. Ferunt itaq; Phocidis agrum vniuerſum, ob iram Dianæ, meritis victimarum honoribus fraudatæ, vaſtatum diutius fuiſſe ab inſignis magnitudinis, ac ferocitatis, Apro, qui in Erymantho monte natus fuiſſet. Ad hunc perimendum miſſus ab Euryſtheo dicitur Alcides, qui & eumdem edomitum, ac vinculis obſtrictum ad Euryſtheum duxerit. Hunc igitur Aprum, dicit Poeta, non potuiſſe terrorem Herculi inijcere, ita vt ab inijciendis manibus abſterreret. De iterata particula negatiua *Non* iam ſatis ſuperque dictum; ideò non immoror.

APER. Porcus ſylueſtris eſt, dictus *Aper*, quaſi *aſper*; nam ſetoſus, ſed aſperrimis ſetoſus eſt ſetis; & inſuper in aſperrimis, vt plurimum, locis habitat, & aſperrimæ crudelitatis eſt, vulgò *Cignale*. Ad exprimendam autem huius animalis fortitudinem, ac ferocitatem, dixiſſe, arbitror, ſufficit, cum leone comparatum ab Ægyptijs fuiſſe, qui, cum vnitum animi, & corporis, robur indicare vellent,

Aprum

Aprum Leoni iunctum in hieroglyphicum aſſumebant.

GLORIA MONTIS ERYMANTHÆI. *Gloria* ſubſtantiuum eſt per appoſitionem hic poſitum; ideſt *quo gloriabatur mons &c.* Porrò *gloria* idem eſt, ac *celebritas, claritas, ſplendor*; ex ingenti autem hac fera mons ille eam contraxit celebritatem, qua noſtris etiam hiſce temporibus inſignis eminet alioquin non memorandus. Erymanthæus itaque certè deducitur a ſubſtantiuo Erymanthus, quod proprium montis eſt nomen. Noluit tamen Vates ſimpliciter dicere *Gloria Erymanthi*; ſed *Erymanthæi montis*: quia in eadem Arcadia, vbi eſt mons Erymanthus eſt etiam Oppidum eiuſdem nominis; immo & fluuium adeſſe ſic dictum memorat Callimachus in hymnis, eumque calidiſſimum vocat. Quare, ne æquiuocationem pareret, *Gloria*, inquit, *Erymanthæi montis*. Recenſet & hunc Herculis laborem Ouid. Metam. 9.

Nec mihi Centauri potuere reſiſtere: nec mi
Arcadiæ vaſtator aper &c. Loquitur enim Alcidis ore. Et Virg. Æn. 6. cum ceruа æripede domita hunc aprum iungit, hæc habens

Fixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora: & Lernam tremefecerit arcu.

SOLVIS AMAZONIOS CINCTVS &c. Quatuor præcedentibus carminibus Herculis gloriam, per negationes, proſecutus Vates ita, vt ex antecedentibus, nempè ex remotione timoris, intelligendas proponeret victorias ab Hercule reportatas, iam, vt varietate delectet, per affirmationes proſequitur, &, quaſi per aggerationem, poſitiuè aſſerit plura eiuſdem trophæa, ac figura aſintheton aptè vtitur, vt celeriùs decurrat Oratio, quaſi metuat, ne tempus deficiat, ſi ſingulos labores enucleate ſtudeat exprimere. Sicuti tamen ſuperiùs adiunctione figura vſus eſt, ſic hoc loco diſiunctionem inſerit, vt grauiori methodo trophæa ipſa recenſeat. Incipit itaq; ab Amazonum prælio; ad cuius intelligentiam prænotandum hic, quid de Amazonum Regno ex Auctoribus habeamus; quid cum illis Herculi, & quomodo eas vicerit. Amazones igitur dictæ ſunt ab α Græcorum priuatiuo, & μαζὸς, quod latinè eſt *mamma*; ideſt *ſine mammis*. Fœminæ enim fuerunt tanta ſpirituum elatione gaudentes, vt vilem prorſus, ac miſerrimam omninò exiſtimantes eſſe conditionem illam, qua mulier naturaliter ſubditur viro, adeò alienis à virorum conſortio animis floruere, vt, conſtituta ex ſe ipſis Republica, omnem prorſus virum ab ea coegerint exulare. Plures pudicitiam, ac virginitatem coluére; omnes, arenam Martis aſſiduè frequentantes, ſumma bellorum virtute præcellebant; quod vtiq; illis neceſſarium fuit, vt conſtitutam Rempublicam a finitimis tuerentur, atq; homines ea ſuis finibus audacter arcerent. Verum, ne, ſublata prorſus generandi copia, interiret breui earum Reſpublica, hoc in vſu apud eas fuit, vt, ſiquos præſtantis formæ, ac bellicæ virtutis præcipuè ad eorum fines impelleret fortuna, iis ad commercium vterentur, eo duntaxat tempore, quo aliquæ inter illas ex fortioribus fœtum conciperent; nam voti compotes factæ ſtatim vel Procum interficiebant, vel iterum cogebant exulare: aliquando etiam ad exteros Principes belli gloria inſignes non erubeſcebant ipſæ diuertere, ac copiam ſui facere; ſicuti de earum Regina ad Alexandrum Macedonem progreſſa refert Curtius, non aliam ob cauſam, quam vt ex eo Martis fulmine conciperet. Fœtus qui mares in lucem prodirent mactabantur, fœminei verò omnes aſſeruabantur, & vix vſu pollentes rationis ſtatim bellicis ſtudiis exactiſſimè inſtruebantur; &, ne ſagittarum iactus, haſtarumq; euibratio impediretur, mammam illis dexteram inurere conſueuerunt, a quo Amazones dictæ ſunt. Primæ earum Reginæ Marpeſia, & Lampedo fuiſſe dicuntur, quæ Europâ, maiori ex parte, in ſuam ditionem redactâ, munitiſſimas etiam Aſiæ Ciuitates expugnarunt, inter quas Babylon. Iis in Regno ſucceſſit Orynthia, virginitate non minus, quam bellicis artibus inſignis, quæ ſimul cum ipſius ſorore Antiope auſæ ſunt vel ipſi Alcidi bellum, ad Themiſciram ipſarum vrbem, inferenti non ſolum armis reſiſtere, ſed, vt ait Diodorus Siculus, etiam de eodem victoriam reportare e finibus expellentes: Orynthiam ſubſecuta Penthesilea fœmineum obtinuit Regnum, & Troianis contra Græcorum arma non ſpernendum adtulit adiumentum; quare Virg. Æn. 1. in ipſius laudem cecinit

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediiſq; in millibus ardet,
Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix; audetq; viris concurrere virgo.

Inter eas verò, quæ fœmineam hanc Rempub. adminiſtrarunt, vltimæ adhæſerunt Hippolyta, & Menalippe, fruſtra viribus inclitæ, fruſtra belligeris artibus inſignes; nam, his imperantibus, totam Amazonum nationem ab Hercule funditus euerſam ferunt, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 7. Cap. 1. Res autem ſic fertur contigiſſe. Audierat Euryſtheus, Hyppoliten, Amazonum Reginam pulcherrimo, atq; immenſi ferè valoris Baltheo condecorari. (*Baltheum* cingulum militare dicebatur.) Huius itaq; adipiſcendi deſiderio inflammatus Herculem miſit, qui Reginæ Baltheum ad ſe afferret. Profectus Hercules, cum naui ad Themiſciram applicuiſſet, Amazones ad defenſionem comparatas obuias habuit; ſed breui fractas ſuperauit, partim occiſis, partim in captiuitatem addictis, inter quas Hyppoliten ipſam captam, ac Baltheo ſpoliatam Theſeo expeditionis comiti in Coniugem conceſſit, ac Baltheum ad Euryſth. exportauit. Hæc igitur, vnico Emiſtichio, memorans Vates inquit: *Soluis Amazonios cinctus*; quod vtiq; in non paruam cedit Herculis gloriam: nam, licet Victoriæ, ex fœminis reportatæ, nullius videantur conſiderationis eſſe; cum tamen ſermo ſit de fœminis, quæ, virilem ipſum ſexum ſupergreſſæ, inuictæ ſemper extiterint, ipſi etiam creditæ olim Herculi reſiſtentes, meritò inter præcipuos Herculis labores earum tandem peracta debellatio recenſetur. Quænam autem eſſet Amazonum præſtantia in armis non ſolum patet ex dictis, ſed innuit & Virg. cum Camillam Volſcorum Reginam cum armata Virginum manu Amazonum comparat turmis Æn. 11.

Quales Threiciæ, cum flumina Thermodontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis,
Seu circum Hyppoliten, ſeu cum ſe martia curru
Penthesilea refert, magnoq; vlulante tumultu,
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.

ex quo ſatis patet non indecorum Alcidi de huiuſmodi fœminis fuiſſe triumphum; vt fortaſſis putauit Parrhaſ. qui ideò textum immutans legere maluit.

Soluis Amazoneo cinctus ſtymphalidas arcu &c.

Amazoneo, inquiens, hoc eſt *ſcythico arcu*, nam Amazones ſcythicæ fuerunt: *cinctus*, hoc eſt *ex humeris ſuſpenſo arcu*: *Appetis*, hoc eſt *feris* ſtymphalidas &c. Verùm ex ipſa eiuſdem explicatione vides quam violenter textus huiuſmodi diſtrahatur, & inſuper contra ea, quæ de natura ſtymphalidum enarrantur, patebit inferiùs hanc explicationem extructam. Quarè cum Heinſio, & aliis vulgatam loqui ſatiùs exiſtimaui.

SOLVIS igitur inquit Vates; Nam Cingulum militare ita corpori adcingebant, vt non facile diſſolui poſſet, ſummum enim militis dedecus fuerat, ſi militiæ cingulum amiſiſſet. Quarè Virg. optimis connexionibus ſolidari huiuſmodi Cingulum aſſerit Æn. 5.

Alter Amazoniam pharetram, plenamq; ſagittis
Threyciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Per verbum itaq; *ſoluis* quid conſequens fuerit, oſtendit Vates; nam cum ſoluiſſet abſtraxit, & opimis quaſi ſpoliis potitus eſt; Detrahi autem non niſi victis potuit Baltheus, quare qui ſoluere, & abſtrahere dicitur victor conſtituitur.

CINCTVS. Ideſt cingula illa militaria, quæ & Balthea dicuntur, &, licet ſolum Hippolytes Baltheum ſibi aſſumpſerit, cum tamen omnes profligauerit, omnium cinctus ſoluiſſe dicitur; quia videlicet omnibus præliandi facultatem, quæ per traditionem militaris Cinguli conferebatur, inuicta manu ademit.

AMAZONIOS. Adiect. ab Amazone deriuatum, quod vtiq; ſignificat quidquid Amazonis ſit. Ideò Cinctus Amazonios ſoluiſſe dicitur, quia Amazones prælio profligauit.

APPETIS ARCV STYMPHALIDAS. Nouum hoc Emiſtichio Herculis laborem recenſet, qui, vt memorant, huiuſmodi eſt. Iuxta Stymphalum Arcadiæ lacum, à quo Stymphalides dictæ, excreuiſſe aues dicuntur tam vaſtæ molis, vt Solis radios præteruolantes adumbrarent. Hæ humanis veſcentes carnibus totam deuaſtabant Arcadiam. Quare, Iunonis inſtinctu, quæ apud eumdem lacum dicebatur educata, iuſſus ab Eryſtheo Hercules fuit ad eas occidendas, vel certè, vt alii dicunt, fugandas accedere. Fuerunt etiam qui dixerint, Stymphalidas non à Stymphalo lacu dictas, ſed ab Heroe quodam, cui nomen Stymphalus, & cuius filiæ fuerint, non aues, interemptas verò ab Hercule, quod ipſum recipere hoſpitem, aliis comitèr exceptis noluiſſent. Alii & Aues has fuiſſe memorant, & non cæcas ſagittis; ſed, cum iuſſus eas tantum abigere fuiſſet Hercules,

les ; ab eodem crepitaculorum æneorum, à Pallade acceptorum, tinnitu exterritas, fugataſq; ex Arcadia in Aretiam inſulam conuolaſſe. Huius autem fugæ oculatum ſe teſtem profitetur Apollonius Argonaut. 1., qui etiam huiuſmodi aues Ploidas vocat, & cuius græca carmina ſic transfert Mythol. Nat. Com. lib. 7. cit. Cap. 1.

Sed neq; vt Arcadiam prius vis Herculis arcu
Ploidas inde lacu volucres Stymphalidas vlla
Pellere vi potuit: namq; hæc ego lumine vidi.
Aſt, vbi versantibus crotalum pulſante, in alta
Exiſtens ſpecula proſpectans, protinùs illæ
Cum clamore procul linquentes littora tenent.

Ex ijs Apollonij carminibus clarè infertur ſtymphalidas ſagittis primo ab Hercule, ſed incaſſum, appetitas, deinde crotali ſtrepitu fugatas, ex quo confirmari videtur opinio Timageti, & Euripidis, quam & Parrhaſ. ſequitur, aſſerens videlicet Stymphalidas ferreis pennis protectas inuulnerabiles fuiſſe. Ideò ſuperiùs dixi Parrhaſ. expoſitionem, quam verbum *Appetit* pro eodem, ac *vulnerat* interpretatur, eſſe contra naturam Stymphalidum, non quidem abſolutè, nam aliqui ſagittis occiſas volunt; ſed ſpectata ſententia, quam ipſe Parrhaſ. veram profitetur de inuulnerabilitate earundem. Verùm, ne videretur ipſe ſibi ipſi contradicere, errorem refundit in Auctorem dicens: *Nemo autem Claudianus hiſtoriam, quo virtus Herculis amplior appareret; nam Stymphali volucres nullo accepto vulnere in Aretiadem, quam Martis inſulam poſſumus interpretari, migraſſe, teſtis eſt Apollonius, quippe quæ ferreas, vt aiunt, pennas, & telis imperuias haberent.* Sed meliùs arbitror Apollonij ſententiam Claudianus, quam Parrhaſ. nouit; nec tam modicæ virtutis Alcides fuit, vt ad eam amplificandam mendacijs vti Vates debuerit. Sed, vt ad Stymphalidas regrediamur; fertur Crotalum illud, quo eas Hercules terruit, à Vulcano factum, quod Pallas eo adeunti Herculi conceſſerit. Placet etiam hic referre, quod, ex Pauſania in Arcadicis, monet Mythol. cit., nempè fuiſſe procul dubio Aues, quæ Stymphalides vocarentur, in locis Arabiæ deſertis, non magis hominibus mites, quam leones, ac pardi; ſiquidem cataphractos homines adortæ, ærea integumenta roſtris effingentes, dilaniabant. Quarè inuentus fuit poſtea cortex, quo homines tecti, ſi percuterentur roſtris, illæ, defixo in cortice roſtro, tanquam viſco, aut alia tenaciſſima materia, caperentur. Auctor etiam eſt Timagoras Stymphalidas ab Hercule expulſas ex Arcadia alas & roſtra, & vngues habuiſſe ferreas, ideòq; nocentiſſimas fuiſſe; immò Timagnetus, & Eurypides ſupra citati dicunt ferreas Stymphalidum pennas ab iſdem Sagittarum ad inſtar eiaculatas fuiſſe in hoſtes inſequentes, quod alibi Claud., exemplo Hiſtricis, fabuloſum non eſſe confirmat inquiens

Audieram memorande tuas Stymphale volucres
Spicula vulnifico quondam ſparſiſſe volatu:
Nec mihi credibiles ferrata fabula penna
Viſa dein. Datur ecce fides &c.

ſed iam ad verborum explicationem deueniamus.

APPETIS. Appetere propriè importat animi voluntatem, quæ vehementi quodam deſiderio in aliquid feratur. Verùm quia ij, qui hoſtem inuaſuri arma parant, vehementi eiuſdem necis deſiderio feruntur, factum eſt, vt per tranſlationem *appetere* idem ſit, ac *inuadere, aggredi, vim inferre.* Perpende itaq; hic obiter prudentiam Poetæ, qui cum in ambiguis verſaretur inter, ſententiam ſcilicet aſſerentem ſtymphalidas ab Hercule occiſas, & ſententiam negantem occiſas, ac tantummodò fugatas concedentem, verbo indifferenti vſus, vtriq; ſe accomodat ſententiæ, ne videatur ipſe litem velle dirimere indeciſam. Qui enim occiſas dicunt, dum Vates inquit *Appetis arcu;* exponere poſſunt: debellas arcu, ac telorum ictibus perimis, poſito antecedenti, nempè aggreſſione pro conſequenti cæde, eo modo quo Parrhaſ. interpretatur. Qui nolunt occiſas, ſed tantùm fugatas interpretari poſſunt: *Appetis arcu;* hoc eſt arcu aggrederis, ſed fruſtra tentatas Crotalo vincis, ac fugas, iuxta ſententiam Apollonij, quam ideò dixi meliùs cognitam Vati, quam Parrhaſ. Sic itaque & geminam ſe vidiſſe ſententiam, & ſe ſe indifferentem ſeruaſſe oſtendit, ne Iudicis ſibi munus vſurpare in rem alienam videretur. Sed & aliam continet eruditionem illud *appetis arcu.* Arcus certè inſtrumentum eſt notum, ex quo ſagittæ emittuntur, dictus arcus ab arcendo, quod eminus hoſtem arceat. Voluerunt autem aliqui, Herculem nil aliud eſſe, quam Solem, qui duodecim labores exantlare dicatur, quia duodecim ſunt ſigna Zodiaci Solis curſu ſuperanda. Ideòq; Hercules ſagittis, & arcu dicitur vſus, quia ex Coeli arcu radiorum ſagittas emitteret, Planetarum princeps ad fuganda, perdendaque monſtra; vt ſenſiſſe videtur Lucretius, dum tela lucida diurnos radios appellauit.

Non radij Solis, neque lucida tela diei,

DVCIS GREGES OCCIDVO AB ORBE &c. Laboribus labores innectit, vt glorias cumulet glorijs; virtus enim ſemper in arduis. Dicitur itaq; Hercules iuſſus ab Eryſtheo, Gerionis Hiſpaniæ Regis puniceos, ideſt violæ flammeæ colorem referentes, boues, qui videlicet hoſpites ab eodem Rege acceptos, proditoſq; vorarent, abducere: quarè iter in Hiſpaniam ſuſcepit Alcides. Celebris eſt tricorporis fabula Gerionis. Verùm aliqui, veritatis, integumento fabularum latentis, indagatores inquiunt, Gerionem verè tria corpora non habuiſſe; ſed tres fuiſſe fratres Chryſaroe Patre, ac Matre Callirhoe Oceani filia natos, qui tanta animorum concordia in Regni defenſionem, adminiſtrationemq; conſpirarent, vt vnica Anima videretur tria illa corpora informare; ex quo datus fabulæ locus aſſeritur, qua triplex Gerioni corpus attribuitur. Regnauit itaq; Gerion in vltima Hiſpania, ea ſcilicet in regione, quæ vltima dicitur Heſperia ab Heſpero occidua ſtella, cui illa regio ſubſit. Dicitur Rex ille Canem habuiſſe, Orthrum nomine, Cerberi fratrem, ſed duobus tantum capitibus horrendum; ac inſuper ſeptem capitum draconem, qui armenta cuſtodirent, vna cum Erytione impio eiuſdem crudelitatis in hoſpites adminiſtro. Hercules igitur eo profectus, Gerione, Cane, Dracone, ac Eurytione interemptis, quæſita ab Euryſtheo armenta ad eum Mycenas deduxit.

DVCIS. à duco, quod cum ſit notiſſimæ verbum ſignificationis prætereo.

GREGES. Quinam fuerint hi greges, ac cuius naturæ, & ferocitatis iam diximus: tantùm innuo pulcherrimos vtiq; fuiſſe, atq; eximiæ magnitudinis boues, ac dignos verè, qui omnes Iunoni mactarentur, vt factum dicitur ab Euriſtheo, ſtatim ac in ipſius poteſtatem deuenere. Aliqui, attento *Gregis* nomine, quod ſolum de minoribus dici ſoleat, ſicuti de maioribus animalibus *Armentum* dicitur, iuxta illud Virg. Georg. 3.

Hæc ſatis Armentis: ſuperat pars altera curæ
Lanigeros agitare greges, hirtaſq; Capellas.

arbitrati ſunt, hoc Emiſtichium: *Occiduo ducis ab Orbe greges* nil habere cum ſubſequentibus connexionem; ſed importare laborem omninò diuerſum; nempè laborem illum quo Alcides, perempto dracone, dicitur mala aurea ex horto Heſperidum abſtuliſſe: quandoquidem non deſint Auctores aſſerentes, nomine malorum aureorum deſignatas fuiſſe oues aureo vellere fulgentes, quibus Heſperides ditarentur. Verum huic ſententiæ obſtare mihi videntur particulæ coniunctiuæ, quæ ſubſequentibus 10 carminibus apponuntur, quibus omnia profectò in vnum colligantur. Noto enim quod Vates reliquos labores, quos enarratos refert, per aſſyntheton aggerat, & diſtinguit. Quarè dum diſticho ſubſequenti contenta per polyſſintheton huic copulat Emiſtichio; dicendum eſt omnia ad vnum obtruncati Gerionis laborem ex ipſius intentione reduci. Nec obſtat, quod nomen Gregis bobus, ac ſimilibus armentis paſſim non tribuatur; nam è contra habemus Gregem interdum etiam de Armentis dici, & præſertim apud Cic. Philip. 3. vbi habetur: *Cædit greges Armentorum*; & 2. Ver. *Greges equarum abigendos curaſſe* dicitur. Quarè meliùs arbitror textum à nobis explicatum; præcipue cum plures ſint, qui aurea mala, non oues aureas, ſed verè mala ex arboribus pendentia fuiſſe profectò autument, de quo infra.

AB ORBE OCCIDVO. Notat locum, vndè Boues abuecti fuerint, vt vel ex ipſo itinere non leuem fuiſſe conſtet Herculis laborem. Notat autem Heſperiam vltimam, vt dicebamus, quæ *occidua* certè eſt; ideſt ad Occidentem ſita; & notat nomine *Orbis*, ad denotandam eius amplitudinem, quaſi illa alium à noſtro Orbe omninò diſtinctum efformet; ex quo innuitur potentia ſubacti Regis, vt magis eluceat Victoris ingens triumphus; nam & ideò ſubdit

ET DEIICIS ARTVS &c. Per iſteron proteron ponit hic poſteriori loco id, quod priùs dicendum fuerat; nam certè priùs debuit Regem obtruncare, quam eiuſdem Armenta, quæ illis temporibus ſolæ opes habebantur, ſibi prædam abducere poſſet; & tamen abuectam priùs prædam memorat, ac ſubindè Regem obtruncatum. Sed nota artificium locutionis, per verbum præſentis temporis; quaſi,

Ff vno,

vno, eodemq; tempore, ac temporis momento, hæc omnia confecerit, ac perfecerit Hercules; ideoq; nil referat, quodnam horum vel priùs, vel poſteriùs referatur. *Deijcere* igitur propriè eſt *deorſum iacere*: hic autem pro eodem ponitur, atq; *obtruncat*; nam qui membra ſuperiora hominis obtruncat, certè eodem ictu deorſum in terram abijcit. *Artus* autem, pluralis tantum numeri, *nodi* ſunt, in corpore animalis, ex duorum oſſium coeuntium extremitatibus reſultantes, *Artus* dicti ab arctandis, idest colligandis, & continendis oſſibus, qui ad motum animalis, neceſſariò enodaturam oſſium requirentis, maximè conferunt. Hic pro membris ipſis ponuntur, vt indicetur Hercules Gerionem membratim obtruncaſſe.

NVMEROSOS. Alij legunt *numeroſos*, quod non diſplicet; alij *nervoſos*: alij *immenſos*: ſed fruſtra, inquit Heinſius, nam & *Sæuæ Lernæ monſtra numeroſum malum*; Hydra Senecæ dicta in Hercule furente. *Numeroſus* itaq; idem eſt, ac *numero multiplex*. & profectò ſi tria Rex ille habuit corpora, multiplicata etiam, pro numero trium corporum, proportionaliter membra habere debuit, nempè tria capita, ſex manus &c.

DVCIS TERGEMINI. Dux dicitur quicumq; alteri ducatum præſtat: Sic Taurus dux Armenti dicitur; Paſtor Gregis, Imperator exercituum &c. Ducem Vates appellat Gerionem, indicans eorum opinionem, qui dixerant, non Erytione vſum cuſtode; ſed, per ſe ipſum, armentis ſuis aduigilaſſe Gerionem, ex quo factum, vt apud Ouid. *Paſtor Iberus* vocetur Gerion, vt videbimus infra. *Tergeminus* autem idem dicitur, quia triplici auctus corpore, vt ſupra diccebamus.

ET TOTIES &c. Ex pugna triumphus. Sicut autem triplex cum triplicati corporis Rege pugna fuerat; ſic triplicatus ex vno triumphus neceſſe eſt pugnam ſequatur. Ideò Poeta inquit: *& toties*; idest *toties, quoties* ille dicitur multiplicatus; hoc eſt triplicatò victor, qui cum triplicato pugnam inierit, ac vicerit: quod eſt per Epiphonema hic dictum.

VICTOR. Qui in certamine ſuperior euaſerit, victor à vincendo dicitur; Hercules itaq; tripliciter ſuperior tripliciter victor.

REDIS. Verbum notæ ſignificationis: nam miſſus ab Eurystheo in pugnam Alcides, victor ad eundem rediens prædam comportabat.

AB VNO HOSTE. Licet triplicatus Gerion, vnus tamen fuiſſe dicitur iuxta fabulas: ideò *vno ab hoſte*, cum in ſolo Gerione tres vicerit hoſtes. *Hoſtis* autem deductum nomen eſt ab antiquo verbo *Hoſtio*, quod eſt *comprimo*: & *hoſtis* propriè dicitur, cum quo bella publica gerimus; *inimicus* verò, cum quo priuatas ſimultates exercemus. Hercules autem cum Gerione congrediens, nomine Regis Eurysthei pugnauit, atq; ideò publici bellatoris vices ſuſtinuit. Ideo *victor ab hoſte &c.* Hanc Herculis victoriam comparat Ouid., perſonam ipſius Herculis aſſumens, cum Victoria de Cerbero reportata Metam. 9. ſic

. . . . Nec me i aſtoris Iberi
Forma triplex; nec forma triplex tua Cerbere mouit.

& de eãdem hæc habet Poetarum Princeps Æn. 8.

. . . . Nam maximus vltor
Tergemini nece Geryonis, ſpolijſq; ſuperbus
Alcides aderat; Tauroſq; hâc victor agebat
Ingentes; vallemq; boues, amnemq; tenebant.

NON CADERE ANTHÆO &c. Iterum negationes reſumit, &, contrariorum admixta conflictione, alios Herculis Labores attingit; quorum primus eſt lucta cum Anthæo, de qua hæc traduntur. Anthæus, ſeù, vt alij ſcribunt, Antæus ſine adſpiratione, (nam cum adſpiratione ſcriptum aiunt ſignificare filium quendam Antenoris, quem Paris adamauit, atque imprudens interfecit) Gigas Lybicus Neptuni, ac terræ filius dicitur fuiſſe, qui tantæ molis fuit, vt ad quinquaginta, vel, vt alij cum Pherecide, ad ſexaginta, vel vt alij ad ſexaginta quatuor cubitorum altitudinem proceſſerit. Quod diu fabuloſum viſum fuiſſe dicitur, antequam eiuſdem Oſſa Olympiam delata miraculo fidem fecisſent; ait enim Plutarc. Romanorum Ducem Sertorium, apud Tygenam Lybiæ oppidum, effoſſo ſepulchro, quod Incolæ Antæi dictitabant, eius, quam diximus, molis humanum cadauer inueniſſe. Is, in peregrinos omnes inhumanus, quotquot obuios habuiſſet, ad luctam cogebat, & enecabat; nam ipſe, ſi quandoq; viribus fractus eſſet, contactu terræ matris recreabatur ita, vt fortior in luctum aſſurgeret. Cum itaq. Hercules, Eurysthei iuſſu, ad decerpenda aurea Heſperidum mala properaret, ac è Pyreneis montibus per Illiricam Regionem iter faceret, & in Lybiam perueniſſet, Antæum hunc obuium habuit, qui cum ad luctam prouocaſſet, deſcendit Hercules in Arenam, cumq; ter, aut quater Antæum ſemianimem proſtraſſet, ac terræ vix non extinctum alliſiſſet; victoriam ſibi in inſtaurationem pugnæ conuerti animaduertit Alcides; nam quoties Gigas terram attingeret, fortior aſſurgebat in luctam. Re itaq; perſpecta nouum vincendi modum moliitus eſt Hercules, & aſſecutus, nam totis brachiorum viribus Antæum complexus, ac proprium ad pectus, forcipe tenaciùs, adſtringens, ſublimem à terra tandiù ſuſpenſum tenuit, donec vi adſtringentium nodorum exanimatus interierit. Huius luctæ meminit etiam Torquatus Taſſus Ieroſ. lib. Cantu 19. dum, per comparationem ad hanc, exprimens luctam inter Argantem, & Tancredum, ſic exagerat:

Nè con più forza dall'anguſta arena
Soſpeſe Alcide il gran Gigante, e ſtrinſe,
Di quella onde faccian tenaci nodi
Le nerboruti braccia in vary modi.

De hac ipſa triumphos canit Alcides ipſe Metam. 9. dicens.

. . . . . . Sæuoq; alimenta Parentis
Antæo eripuit &c. Itaque

CADERE. Verbum infiniti modi eſt loco nominis poſitum, ita vt pars hæc Orationis officio nominatiui fungatur reſpectu verbi *Non profuit*; etiam infinitum *creſcere*, quod inferius habebitur: conſultò cadebat, ſeu ſe ad terram proſterni patiebatur Antæus, vedix., vt caſu terram matrem attingens recrearetur, ac fortior euaderet: Sed hæc aſtutia cadendi

NON PROFVIT. De negatiua partic. ſatis dictum ſuprà: *Prodeſſe* autem eſt quaſi *pro aliquo eſſe*, ſeu *aliquem iuuare*. Non fuit itaq; pro Antæo, nec illum iuuit, aut ſufficiens illi adiumentum adtulit, ne periret, cadendi aſtus.

ANTÆO. Quis ille fuerit, quomodo cadens vinceret, à detentus ne caderet victus fuerit, ſatis iam explicatum remanet.

NON CRESCERE &c. Primo ſecundum, maioris certè admirationis, laborem, de perempta Hydra ſubnectit. Hydræ autem commentum tale eſt. Creuerat in Lerna Argiui, Mycenæiq; agri Palude, propè eiuſdem nominis lacum ſita, ingentis magnitudinis Hydra, Excetra Latinis dicta, quòd vno cæſo capite tria excreſcerent: & Echidnam vocat Ouidius lib. Metam. 9. vbi habet in contemptum Acheloi in ſerpentem verſi hæc verba Alcides.

. . . . . . Vt vinces alios Acheloe dracones
Pars quota Lernææ ſerpens eris vnus Echidnæ.

& paulò poſt eodem libro hæc habet Ouid. ipſe

Induiturq; humeris Lernææ virus Echidnæ.

& Faſt. pri. idem habet nomen, cum inquit

Sanguine Centauri Lernææ ſanguis Echidnæ
Mixtus &c.

Hæc Hydra, pluribus inſtructa capitibus, omnibus formidabilis reddebatur. Porro quid ſit Hydra in genere, cuius mas Hydrus dicitur, iam vidimus lib. pri. Carm. 39. ſed de Hydra Herculea aliter eſt profectò diſſerendum. Pluribus horridam fuiſſe capitibus, vt dicebamus, concordant auctores omnes: at quot numero fuerint hæc capita, non concordant; nam aliqui tricipitem tantum fecerant, alij nouem capitibus horrentem effinxerunt cum Zenodoto, Epheſio alij ad quinquageſimum vſq; numerum auxère cum Heraclide Pontico; alij cum Simonide nonaginta illi attribuunt capita. Communior tamen noſtris hiſce temporibus opinio eſt, quæ ſeptem illi capita cum Naucrate Erythreo attribuit: quamuis Virg. Æn. 6. videatur adhæſiſſe ijs, qui quinquaginta fuiſſe recenſent, dum ait:

Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.

Sed aduertendum eſt, Virg. non loqui ibi de Hydra Lernæa, ſed de alio monſtro, quod, ob ſimilitudinem, Hydram vocat, penuria forſan vocabulorum coactus. Obſeruo enim monſtrum hoc à Virg. in interiore parte Erebi collocatum, dum verſui citato ſubdit.

Sæuior intus habet ſedem &c.

cum vice verſa Hydram Lernæam in faucibus Orci paulò ante conſtituiſſet inquiens:

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæq; biformes,
Et Centumgeminus Briareus, ac belua Lernæ
Horrendum ſtridens &c.

quo in loco nullam facit de capitum numero mentionem, quòd notum ſupponat, Hydram in communi opinione ſeptem capitum fuiſſe, quæ vt ſupra dicebamus talis eſſent na-

turæ,

turæ, vt, ſi vnum præcideretur, alia, & alia, è veſtigio, ſuppullularent, quaſi ſanguinis guttæ, ex reciſo capite profluentes, ſemina tot eſſent, ex quibus illicò noua emergerent capita; voluerunt enim aliqui, à dicentibus tria ex vno capite cæſo exurgere capita poſitum fuiſſe numerum determinatum pro indeterminato. Quarè laborioſiſſimum Herculi cum hoc monſtro prælium fuit. Iuſſus tamen ab Euriſtheo, illud aſſumere, non renuit. Sunt qui dicant hanc etiam Lernææ paludis peſtem Iunonis in Herculem odio procreatam, ac in prædicta educatam palude, ſtationem habuiſſe ſub ampliſſima quadam Platano ibidem exiſtente ad fontem Amymones, apud quem etiam cæſa fuit: nam Hercules à Minerua edoctus, Hydram nunquam ferro interituram, niſi cæſis ferro capitibus ſtatim reliquo colli tyrſo ignis applicaretur adurens, ferro, & igne inſtructus in pugnam proceſſit, & dicit; ſuperatâ etiam vi teterrimi illius Hydræ veneni, quam violentam adeò fuiſſe dicunt, vt ſagittâ huius Hydræ veneno infectâ vulneratus Chiron ſtatim interierit, & Polenor Centaurus (quòd alij tradunt) ſimili ictu leuiter delibatus, tantam doloris vim expertus fuerit, vt, impatiens preſſuræ, in fluuium, e Lapitho monte Arcadiæ procurrentem, ſe ſe immerſerit, vt vulnus lauaret; vnde poſtea teterrimus odor fluminι diutius ex loto vulnere dicitur permanſiſſe. Quare præcipua fuit Herculis Victoria non ferocitatem Draconis tantum ſuperantis, ſed & veneni acerbitatem euitantis, ne læderetur. Hoc poſito.

CRESCERE. Verbum infiniti modi locum nominis tenens eſt, vt ſupra innuimus, & explicat augmentum illud, quod fiebat in Hydra, nouorum ſcilicet, ac multiplicatorum capitum, loco vnius cæſi, ſuccreſcentium; nam multiplicari tot hoſtes videbantur, quot capita enaſcerentur in infeſtum Alcidem exſibilantia, ni illam ſcaturiginem igne ſuccendiſſet tandem, & infæcundam reddidiſſet. Quia tamen hæc Hydræ virtus multiplicandi ſe ipſam, non ſatis fuit ad Herculem imperum ſuſtinendum. Ideò

NON PROFVIT HYDRÆ. Hæc verba vlteriùs non explico, nam ex ſupradictis ſatis in comperto ſunt. Tantùm addo hanc etiam Alcidis de Hydra Victoriam, ijſdem prorsùs verbis, indicatam fuiſſe ab Ouid. Metam. 9. vbi habet.

. . . . . . Nec profuit Hydræ
Creſcere per damnum, geminaſq; reſumere vires.

Verùm quia fabuloſis hiſce integumentis veritas tegitur, vt ſupra dicebamus, eam deuelare aliqui ſtuduere; dixeruntq; Hydram hanc ab Hercule ſuperatam nequaquam ſerpentem fuiſſe; ſed Antiquos, Ægyptiorum ritu, Hydræ hieroglyphico vſos, ad ſignificandum peritiſſimum quemdam ſophiſticæ artis diſputatorem, quem Alcides flammis ingenij ſui appetierit, ac ſuperauerit. Et profectò eæ ſunt ſophiſticæ mentis fallaciæ, vt ex vnius deciſione innumeræ ſtatim exurgant difficultates. Quarè & factus prouerbio locus *Hydram ſecas*, quod dicitur de eo, qui, cum difficultatem aliquam enodauerit, in plures incidit. Alij cum ijſdem Ægyptijs, dicunt, Hydram hieroglyphicum fuiſſe teterrimi illius monſtri, quod Inuidiæ nomine deſignatur, ac ideò dictum, nullibi magis Herculem deſudaſſe, quàm cum huic monſtro edomando inſudauerit. Et profectò quidquid facias, vt Inuidiæ reprimas monſtrum, ſemper illud repullulat, atq; ex ipſis heroicis actionibus augmentum ſumit, & capita multiplicat, cum reſcinditur: immò, vt innuit Ouid. Metam. 2. etiam poſt mortem viuida aſſurgit adhùc, ſui ſaltem veſtigia relinquendo: ibi enim dum inuidam Aglaurum, Cecropis filiam, deſcribit, à Mercurio in ſaxum mutatam, etiam in ſaxo liuorem pertinaciter inuidam remanſiſſe, ait his verbis.

. . . . Saxum iam colla tenebat;
Oraq; duruerant; ſignumq; exangue ſedebat;
Nec lapis albus erat: ſua mens infecerat illam.

Infeſtiſſimis venenis infectam hanc Inuidiæ Hydram, quæ vel receptatores ſuos miſerrimè diſtrahat; Sicuti Hydra Lernæ omnia agrorum, circa quos ſe ſe agitaret, ſata ſolo afflatu dicitur areſeciſſe; teſtatur Virg. Ecl. 7.

Paſtores, hederâ creſcentem ornate Poetam
Arcades; Inuidiâ rumpantur vt ilia Codro.

Conſonat Ouid. cit. qui eam deſcribit his verbis

Pallora felle virens: lingua eſt ſuffuſa veneno;
Afflatuq. ſuo populos, vrbeſq: domoſq;
Polluit &c.

ex quibus locis Inuidiam, & ſibi, & alijs, ſuo noxium venenum mittere licet, vt Ouid. cit. inquit

Succeſſus hominum carpitq; & carpitur vna;

Vnaq; tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit.

Pariter ſerpentem iniquiſſimum videtur agnouiſſe Inuidiam Virg. Æn. 11. dum eam obliquam vocat; ſerpentium enim eſt tortuoſum corpus obliquis ſemper ſpiris deducere.

Tu Drances idem infeſus, quem gloria Turni
Obliqua Inuidia, ſtimuliſq; agitabat amaris.

Hunc autem Serpentem, vt Hydra eſſe dignoſcatur, Ouid. cit. in imis vallibus latitare confinxit, inquiens:

Protinus Inuidiæ nigro ſqualentia tabo
Tecta petit. Domus eſt, imis in vallibus, antris
Abdita, ſole carens, non vlli peruia vento,
Triſtis, & ignaui pleniſſima frigoris: & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.

Ideò iure ignis fulgoribus, ardoribuſque perimendum hoc monſtrum cecinere, cui etiam Herycthonius additur cuſtos, nam Herycthonius ex græco compoſitum nomen eſt ex ἔρις quod *litem* ſonat; & χθὼν, quod eſt *terra*; quaſi perpetua terrarum lite, ac contentione tantum gaudeat, & enutriatur Inuidiæ monſtrum. Alij etiam hiſtoricè rem interpretantes dixerunt, Hydram ab Hercule occiſam nil aliud fuiſſe, quam aquarum ſcaturiginem quamdam in Lerna ſitam, quæ tanta exuberaret aquarum affluentia, vt agros non ſolum, ſed & vicinas mergeret vrbes, ac deuaſtaret, cuiuſque Ora huiuſmodi eſſent, vt, ſi vnum obſtrueretur, tumefacta circum terra multiplices aperiret aquarum violentijs aditus, tanti oneris, ac impetus impatiens; & quam aquarum ſcaturiginem Hercules igne tandem conſumpſerit: hoc autem probant ex ipſo Hydræ nomine, nam græcè Ὕδρια vas aquarium eſt, & Ὕδωρ aqua. Sed neque hoc ipſum à myſtica inuidiæ interpretatione abhorret; nam, cum ſit inuidia fons malorum omnium, vitiorumq; ſcaturigo; & vitia per Pſalm. Hieroglyphico aquarum exprimantur: *Bibunt iniquitatem ſicut aquam*: & *intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*: quid mirum, ſi Hydræ nomine Inuidia denotetur, in qua ſuperanda vel Hercules plurimum inſudauerit? Verùm nimis iam forte digredimur, & nos ad aliorum expoſitionem reuocat textus.

NON CERVAM &c. De cerua ab Hercule comprehenſa iam vidimus mentionem à Virg. factam Æn. 6., qui illam inter Herculeos labores commemorat, verſu ſupra exarato.

Fixerit æripedem ceruam licet; aut Æmanti &c.

Quarè tantum remanet, vt, quid iam hoc ſit, videamus. Cerua quædam dicitur in Mænalo, Arcadiæ monte, extitiſſe, quæ Dianæ ſacra, cornibus aureis inſignita, *æripes* dicebatur, ſeù, vt aliqui volunt, *aeripes* à velocitate, quaſi aereos habens pedes; ſeù, vt alij autumant, *æripes* verè dicta, quia æreos, ideſt ex ære ſolido pedum gereret vngues. Hanc iuſſit Euryſtheus ad ſe adduci, neſcio an cornibus aureis inhians, an vt Herculem, impoſſibilia ingerens, fatigaret. Cum itaque Hercules neque illam occidere vellet, quia Dianæ ſacram, neque illi vulnera infligere, integrum anni ſpatium eam currendo inſecutus, feſſam denique ad Ladonem amnem occupauit, & Mycænas, humeris impoſitam, ad Euryſtheum comportauit. Per hanc autem Ceruam, ait Heraclytus, apud Pier. Hierog. lib. 7., ſymbolicè ſignificari, pauorem, ac timorem ab humana vita ſublatum, quia ſcilicet, vt arbitror, tot monſtris ab Hercule oppreſſis, hominum vita à metu tandem reſpiraſſet. Videtur autem Heracliti expoſitio in ipſa fundari ceruorum natura, de quorum timiditate iam ſatis diximus ſupra Carm. 28. huius Præf. Alij, vt notat Heinſius, *Neſſum* pro *ceruam* legunt; ſed, vt idem notat, Neſſus non eſt inter herculeos labores enumerandus. Igitur

PEDES. *Pes* ea extrema viuentium pars dicitur, cui, tamquam baſi, tota corporis moles innititur, & qua ad gradiendum vtimur; atque in pedibus ideò agilitas maximè commendatur.

VOLVCRES. Quaſi volucrum volanti curſu non cedentes; ex quo vides Claud. adhæſiſſe hic illorum ſententiæ, qui dixerunt, Ceruum æripedem, quaſi aeripedem dici à velocitate; eam enim velociſſimam indicare voluit, vt magis herculeum ſub oculis poneret laborem, iuxta ea, quæ iam dix.

NON ERIPVERE. *Eripere* propriè eſt *è manibus apprehendentis rapere*. Non itaque pedum velocitas, quantumuis perniciſſimâ fugacitate, Ceruam deferret è manu inſequentis, ac tandem comprehendentis Herculis rapuit; cum capta tandem ſit.

CERVAM. Quæ hæc Cerua fuerit iam vidimus. Illud prodigij loco eſt, quod dicta fuerit aureis cornibus inſigni-

ta, vt apertè canit Pindarus; cum tamen in hoc genere animalium cornua fœminæ non habeant, vt notatit rerum naturalium indagatores. Verùm omnis regula patitur exceptionem: nec obſtat, quin pro diuerſo regionum ingenio diuerſum Cerui corporis habitum ſortiantur inquit Zenodotus. Poſſunt hic cornua tantum mares habere, alibi & fœminæ. Sic de Elephantum genere omnes tradunt, vtrumque ſexum dentibus armari; & tamen Amyntianus edentulas eſſe in India fœminas autumat. Certè Ceruas Callimachus Cornigeras appellat. Sed eſtò hoc ſibi iure ſuo effinxerint Poetæ; cur non dixerit hac Ceruam ex peculiari Dianæ, cui ſacra fuerit beneficio aureis cornibus inſignitam fuiſſe, vt, ſingulari hac nota, Dianæ animal eſſe dignoſceretur?

CACI FLAMMA PERIT. Cacus, inter latrones eximius, ignivomus fuiſſe dicitur, & ab Hercule domitus, ac vita infami priuatus. Retexenda itaque tela eſt, vt plenius, quid hic innuat Vates, percipiamus. Cacus, vt fabulantur, filius Vulcani fuit, & ideò, quaſi Patris fornacem hæres ſentiret in pectore, dictus eſt, fumum, ignemq; ex ore eructare, cædibus, ac latrocinijs, incendijſque totum latium vexaſſe, ac deuaſtaſſe. Secundùm vero hiſtoricam Liuij narrationem, lib. 1. peractam, Paſtor fuit Cacus, ferox viribus, qui latrocinijs viueret, & dictus ignem vomere, quia incendijs omnia vaſtaret. Hercules itaque, Gerione interempto, abductiſque, de quibus ſupra, armentis, cum ea ad Euryſtheum duceret, propè Tyberim, vt docet Liuius cit., quem, præ ſe armentum agens, ipſe nando traiecerat, herbido, lætoque loco, vt boues pabulo reficeret, conſedit, ac procubuit. Illum mox, cum feſſum itinere ſopor obruiſſet, ſuperuenit Cacus, qui, captus pulchritudine boum, optimas quaſque abducere ſtatuit; & ne veſtigia locum, quo abductæ fuiſſent, quærenti domino indicarent, raptas Caudis boues retrogradas traxit in ſpeluncam, quam Virg. Æn. 8. ſic deſcribit

Hic ſpelunca fuit vaſto ſubmota receſſu
Semihominis Caci, facies quam dira tegebat
Solis inacceſſam radijs; ſemperque recenti
Cæde tepebat humus, foribuſque affixa ſuperbis
Ora virum, triſti pendebant pallida tabo.
Huic monſtro Vulcanus pater erat: illius atros
Ora vomens ignes, magna ſe mole ferebat &c.

Hercules itaque primâ expergefactus Aurorâ cum gregem luſtraſſet, & partem abeſſe, numero, ſenſiſſet; Pergit ad proximam ſpeluncam, ſi fortè eo veſtigia ducerent; ſed cum vidiſſet veſtigia omnia foras verſa, nec alibi ducere, quam ad locum, vbi & armenta ſua eſſent, anceps animi ex infeſto loco armentum abigere cæpit. Porrò, cum boues actæ deſiderio abſentium mugiſſent, reddita vox ex ſpelunca eſt ab incluſis: quare, cognitâ, Hercules, prædonis aſtutiâ, in ſpecum illicò iratus vertitur; prædatorem obtruncat, boues abigit. Circa modum tamen, quo Hercules eum occiderit, variant Liuius, & Virg., cum, quæ habet Liuius huc vſque, eadem recenſeat Virg. Æn. 8. ſed Liuius aſſerit Cacum occiſum, dum venientem Herculem vi repellere conaretur; Virg. verò aſſerit, Cacum timore perculſum ſe ſe in ſpelunca occuluiſſe, ac ſaxea rupe hoſtium clauſiſſe, ne vindici pateret ingreſſus; quod tamen non profuit: nam Hercules, toto monte circumluſtrato, tandem ſupra Iugum aſcendit, ac claua viribuſque ſaxum ingens diuellens ſubiectum retexit antrum, euulſiſque arborum ramis, ſaxiſque latronem impetebat. Cacus itaque ingentem fumum, ignemque euomens, & ſe fumo occultare, & aduerſarium flammis expellere conabatur. At Alcides ſaltu ſe, per fumi, flammarumque globos, in ſpeluncam demittens Cacum manibus ſuffocatum reliquit, bouesq; recepit ſuas. Ideò

FLAMMA CACI. Cohæret enim hic Claud. & fabuloſæ hiſtoriæ, & Virgilianæ narrationi, quæ pugnam ſupra indicatam, Alcidiſque victoriam ſic canit.

Tum primum noſtri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculis; fugit ilicet ocyor Euro,
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
Vt ſe ſe incluſit, ruptiſque immane catenis
*Deiecit ſaxum, ferro, quod & arte paterna **
Pendebat, fultoſque emunijt obice poſtes;
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat, & illuc
Dentibus infrendens: ter totum feruidus ira
Luſtrat Auentini montem; ter ſaxea tentat
Limina nequicquam; ter feſſus valle reſedit.
Stabat acuta Silex præciſis vndique ſaxis,
Speluncæ dorſo inſurgens altiſſima viſu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, vt prona iugo læuum incumbebat ad amnem,
Dexter in aduerſum nitens concuſſit; & imis
Auulſam ſoluit radicibus; inde repentè
Impulit, impulſu quo maximus intonat æther;
Diſſultant Ripæ: refluitq; exterritus amnis.
At ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & vmbroſæ penitus patuere cauernæ.
Ergò inſperata deprenſum in luce repentè
Incluſumque cauo ſaxo, atque inſueta rudentem
Deſuper Alcides telis premit; omniaque arma
Aduocat, & ramis, vaſtiſque molaribus inſtat.
Ille autem (neq; enim fuga iam ſuper vlla pericli eſt)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Euomit, inuoluitque domum caligine cæca,
Proſpectum eripiens oculis, glomeratque ſub antro
Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis; ſeque ipſe per ignem
Præcipiti iecit ſaltu, qua plurimus vndam
Fumus agit, nebulâque ingens ſpecus æſtuat atrâ.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Eliſos oculos, & ſiccum ſanguine guttur.

* Vulcani ſcilicet.

proſequitur autem ibi Virg. extractum è ſpeluncis cadauer; eius horribilitatem deſcribit; honoreſq; ob id Herculi habitos &c. quæ, qui velit, adeat Auctorem. Nobis ſatis viſum eſt, cur Noſter dixerit: *Perit flamma Caci*; & ratio eſt, quia extincto fonte, ex quo flamma erumpebat, certè & flammam ceſſet, neceſſe eſt. Adde viſum fuiſſe Poetam hoc verbo *perit*; quia *perire* dicimus id, quod incaſſum operamur; cum igitur incaſſum flammam, nihil profuturam, quin ab Hercule obtruncaretur, euomuerit Cacus. Ideò flamma perit, & dum viget, & dum emoritur.

NILVS RVBVIT BVSIRIDE. Accedit & Buſiridis cruor ad triumphales Alcidi purpuras nouo fucandas fulgore. Buſiris Neptuni ex Lyſianaſſa, vel, vt alij dicunt, cum Agathone Samio, ex Anippa, ſeù, vt alij, ex Lybia ſuſceptus filius in Ægypti locis Nilo vicinis immaniſſimam exercuit Tyrannidem; atque ideò propria infamis barbarie per omnia adhuc ora dilabens laceratur meritò. Audi Virg. Georg. 3.

Omnia iam vulgata quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis Aras?

Hic aduenas, quotquot in Ægyptum ſors tranſtuliſſet, dolo captos, Neptuno, ſeù, vt alij volunt, mactabat Ioui. Attigit, neſcio quo fato, Hercules Ægyptum; cumque, quas cæteris hoſpitibus, etiam Amphytrioniadæ pararet inſidias Tyrannus, eam non vlterius crudelitatem exerceri paſſa eſt herculea virtus; nam, cognitis Tyranni dolis, & Buſiridem ipſum, & Aphydamantem eius filium, & Chalbim præconem, omneſq; impuræ illius Aræ miniſtros, apud quam immolare hoſpites conſueuerant, Alcides apud eamdem Aram obtruncauit. Hoc autem ornatè relegit hic Poeta, vt Herculeos efferat honores; ideò

NILVS. Flumen Ægypti eſt Nilus à Nileo Rege ſic dictus, ſeù, vt alij erudite magis aſſerunt, *Nilum*, quaſi νέαν ἰλὺν, dicitur, hoc eſt *nouum ferentem limum*; quo Ægyptum oblimet, & fœcundet: Nilus enim, ſole terga herculei leonis adeunte, exundat, atque, aquarum vi per totam Ægypti regionem diffuſa, ſolum ea fertilitate grauidum reddit, qua non ipſi tantùm indigenæ alimenta colligant, ſed magnam orbis partem fame leuent. Huius fluminis hieroglyphicum Aquila, in ſacris Ægyptiorum litteris, reperitur, & ea dicitur fuiſſe, quæ Promethei cor exederit, cum, Niliaci cauſam incrementi peruestigare, incaſſum niteretur. Et quidem Lucanus, licet lib. Pharſ. 10. varias de hoc Nili incremento, iuxta diuerſorum auctorum placita referat cauſas, nempè niues, aut pluuias cum Anaxagora, & Euripide; Zephyros inſtantes, augenteſq; vndas, vel Nimbos ab occiduo Cœlo incumbentes fluuio, cum Democrito; ventos à Mari Nilum repellentes ita, vt retrocedens intumeſcat, & ſupereffluat, cum Thalete; concurſum fluuiorum ex tota fere Mundi regione per ſubterraneos amphractus in Niliacos ſinus decurrentium, cum Memphiticis Sacerdotibus, & Diogene Apolloniate; Aquas à Sole, & ſyderibus à mari hauſtas, & in Nilum eructatas, cum Herodoto &c. fatetur tamen ignotas latere adhuc has cauſas, dum loco cit. ait, ... *Dare vobis ſuoque*

Tem-

Temperiem Cœlo, medijs æſtatibus exit:
Sub torrente plaga, ne terras, diſſipet ignis,
Nilus adeſt Mundo, contraq; incenſa Leonis
Ora tumet; Cancroq; ſuam torrente Syenem,
Imploratus adeſt; nec campos liberat vndis,
Donec in Autumnum declinet Phœbus, & vmbras
Extendat Meroe. Quis cauſas reddere poſſit?
Sic iuſsit Natura parens decurrere Nilum:
Sic opus eſt Mundo &c.

Et paulò infra apoſtrophe ad Cæſarem habita idem clariùs ſic habet

Quæ tibi noſcendi Nilum Romane cupido eſt
Et Pharijs, Perſiſq; fuit, Macedumq; Tyrannis;
Nullaq; non ætas voluit conferre futuris
Notitiam; ſed vincit adhuc natura latendi

Nili fontem aliqui in Monte quodam inferioris Mauritaniæ conſtituunt, alij in Lacu quodam Æthiopiæ vltra æquatorem ſito, alij ignotum adhuc arbitrantur, vbi nam locorum caput habeat Nilus, quod apertè cecinit Lucanus cit. inquiens

Et te terrarum neſcit cui debeat orbis.
Arcanum natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruum te, Nile videre;
Amouitq; ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari quam noſſe tuos &c.

Achoreas Ægyptius apud eumdem Luc. ibi ortum ab Axe Nilum fabulatur, & ſibi Soli Deum hoc iactat reuelaſſe, dum ait: *Tua flumina Prodam,*

Quæ Deus vndarum celator, Nile, tuarum
Te mihi noſſe dedit. Medio conſurgis ab axe,
Auſus in ardentem ripas attollere cancrum &c.

Nos ex Moyſi Geneſ. 2. habemus Nilum inter quatuor flumina, quæ ortum ex terreſtri Paradiſo habuerint, recenſeri: Nilum enim appellat Moyſes, cum Geon dicit: *Nomen fluuij ſecundi Geon: ipſe eſt, qui circumit totam terram Æthiopiæ*, in quem locum inquit Benedictus Fidelis, in ſuis Theorem. mor., Theorem. 9. *ex Paradiſo Nilus prætorfluit, quem Moyſes Geon appellat.* Et Nilum apertè deſignat circuitio Æthiopiæ, quam Geon conficere dicitur ex Sacr. Litteris. Vnus ex præcipuis terræ fluuijs eſt Nilus, ac tantæ vehit dulcedinis aquas, vt Romanorum ille Imperator, à Fideli cit. relatus, improperauerit militibus ſuis, in Ægypto caſtrametantibus, vinumq; poſcentibus, *Nilum habetis, & vinum quæritis?* Solſtitiali tempore Nilus Ægypti imbribus omnino deſtitutæ campos inundat, eiſq; imbrium exhibet vices fœcundantium, quapropter à priſcis Ægyptijs ſub Iouis appellatione, & Numine colebatur, ad quod alludens Tibul. in Genethl. Meſſalæ de Nilo ait:

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres
Arida nec Pluuio ſupplicat herba Ioui.

Septem in mare oſtijs erumpit, vt obiter innuit Virg. eius magnitudinem indicans Æn. 8.

Et ſeptemgemini turbant trepida Oſtia Nili.

Oſtiorum autem nomina ſi cupias hæc ſunt: Primo Canopicum, de quo Virg. Georg. 4.

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum.

Secundo Bolbiticum: Tertio Sebenniticum: Quarto Pharniticum: Quinto Mandeſicum: Sexto Taniticum: Septimo Peluſiacum nomen eſt inditum. Ægyptum cum attigit Nilus bifariam ita diuiditur, vt vndequaq; regionem circumcingens effecerit, vt aliqui inter inſulas Ægyptum conſcripſerint, & cum figuram illi, quaſi triangularem, exhibeat, factum eſt vt à nonnullis Δέλτα Ægyptus etiam diceretur, vt de Sicilia factum vidimus. Dum hic itaq; Nilus ponitur, ſuperficiali interpreti ſatis foret, continens pro contento poſitum innuiſſe. Sed altiùs, arbitratu meo, aſſurgit Claud.; nam Ægyptus, eo quod ſuâ triangulari figura ita diſponatur, vt duobus angulis inſtructa obtuſis in tertium deſinens acutum circumflectatur, videtur, mole ſua, cordis figuram conſtruere; quarè & inter ſacras Ægyptiorum litteras imaginem cordis, ad exprimendam Ægyptum, exaratam inuenimus apud Pier. lib. Hierogl. 34. Pariter, apud eumdem, loco cit., eamdem figuram cordis inſpicio, ad Nilum ipſum exprimendum concinnatam; eo quod, ſicuti vitalium omnium actionum fons, & principium ab Ægyptijs cenſebatur, ſic Nilum totius Ægyptiacæ regionis cor, ac vitale prorſus principium eſſe arbitrarentur, cum illum aquarum omnium fontem exiſtimauerit, ideoque Oceani etiam nomine condecorauerint. Cum itaque ex quorumdam Phyloſophorum opinione (licet falſa, vt arbitror, & in animaſticis ſatis oſtendo) crederetur cor vnica totius ſanguinis officina, ideò per cordis figuram Nilus exprimebatur, quippè fons creditus, & officina aquarum omnium, quæ quaſi terræ ſuccus ſunt, & ſanguis omninò vitalis. Hoc poſito. Cor, per Ægyptios, Ægyptus eſt; cor, per eoſdem, eſt Nilus; atque ideò ad conuertentiam dici poſſe hæc duo facilè deducitur; atque adeò eruditiſſimè Claud. Nilum pro Ægypto poſuit, ideſt cor pro corde. Adde aliud breui hoc incluſum cortice myſterium, dum enim ait *Rubuit Buſiride*; hoc eſt, Buſiridis ſanguine, *Nilus*; cum Nilus cor ſit, oſtendit, Buſiridem, cum in eum Hercules inſurrexerit, tanto pauore perculſum, vt pœnas daret ante pœnas, inter timoris anguſtias; proprium enim eſt vehementis timoris efficere, vt ſanguis, externas deſerens partes, (ex quo illæ palleſcunt adeò, vt cinereos inducant colores) ad ſubſidium cordis accederet. Illud igitur Buſiridis cor, quod Nilus fuerat Crocodillis repletus, ideſt affectibus, ſemper in perniciem hominum propenſis, & quod tot diſcerptorum ſanguine nunquam erubuerit, erubuit tandem proprio circumfuſum ſanguine, cum illum in cor percelleret timor: ac denique, cum Alcidis manu ab impio idem ſanguis corde propelleretur: Erubuit Nilus; ideſt Ægyptiacum cor, eo ſanguine infectum, quem ad crudelitatem fouiſſe iure poterat erubeſcere.

RVBVIT. Rubeo idem eſt, ac ruber fio: conſtat autem terram vndamque, ſi ſanguine inficiatur, rubram fieri. Sicque Ouid. Faſt. 2. ait

. . . . . Tuſco ſanguine terra rubet.

immò non ſanguine tantum hoc fieri; ſed rebus etiam alijs ſanguinem imitantibus, ſeù ſanguineum colorem referentibus, teſtatur Virg. Georg. 2.

Nec minus interea fœtu nemus omne graueſcit,
Sanguineiſq; inculta rubent aeuiaria baccis,

Vnum hoc nota, nempè hyperbolicam eſſe Vatis dictionem, ad oſtendendum plenas Buſiridem dediſſe pœnas, ac, cum ipſo, ſocios, fautoreſque, atque miniſtros crudelitatis, quorum ſanguis latè effuſus terram illam rubro colore infecerit, quam antea alieno innocentum ſanguine fœdauerant. Ponitur autem hic conſequens pro antecedenti; nempè infectam ſanguine terram pro trucidatione peracta.

BVSIRIDE. Impiæ crudelitatis Princeps pro aſſeclis ſecum omnibus, ac fœderatis hic ponitur; ſic dicitur Capuanis delicijs fractus Annibal, vt ſecum totus ſimul exercitus intelligatur. Negat Eratoſthenes, cui & Strabo videtur adhæſiſſe, vllum in Ægypto vnquam Buſiridem fuiſſe, idq; totum confictum ait ad indicandam Loci inhoſpitalitatem. Sed præter quam quod Ægyptus tanta pollens fertilitate, ac conſequenter optima Cœli fruens temperie inhoſpitalis dici non poteſt: eſt & in Ægypto Vrbs Buſiris dicta, vt Strabo ipſe fatetur, ad Nilum fluuium, & in qua magnum extat Iſidis Templum, quam à Buſiride, vt aiunt, conditam nomen ipſum comprobare videtur. Certè & Virg. loco cit. & Ouid., & Seneca de Buſiridis Tyrannide loquuntur, & Statius Syl. 4. Egyptiacum Buſiridem apertè notat, dum ait

Quem colerit ſanæ Mareoticus arbiter aræ.

ac Mantuanum addas, qui de Buſiride loquens ait: *Hæc quoq; Niliaco Regi &c.* Quare, omnium in idem opinione concurrente, vix poteſt à temeritate abeſſe negatio.

PHOLOE MADVIT &c. Sanguini inhæret ſanguis, & ſympatico fœdere punitæ crudelitati copulatur punita crudelitas; ideòq; commemoratâ Ægyptiaci Tyranni cœde, iure Centaurorum cœdem hic ſubnectit.

PHOLOE. Mons eſt Arcadiæ nomen ſortitus à Pholo inhabitante priùs, ac poſtea in eodem monte tumulatus, cum ſe ipſum caſu interemiſſet; miratus enim, quòd tam breuibus ſagittis Centauros Hercules occidiſſet, dicitur & ipſe Herculeum arcum tentare voluiſſe, ex quo imprudenter tractato lapſâ in pedem ipſius tractantis ſagittâ Hidræ conſperſâ felle miſer interijt. Ad hunc montem ſe receperant, poſt cladem illam, à Lapithis acceptam, quam ex Theſſaliæ finibus, ac eiuſdem, quem tenuerant, Oppido Amyro exulare coacti fuerant Centauri, alio olim nomine Amyrrei, mox Eordi, poſtea Leleges, ac tandem Centauri dicti. Verum, ad pleniorem huius loci intelligentiam, rem altius repetere, operæ pretium dixerim, vt quid, ac cuius naturæ Centauri fuerint, ſatius dignoſcamus. Reuocandus itaq; in memoriam decantatus ille Ixion, cuius nemo ferè Poetarum mentionem non fecit, inferni pœnis addictum commemorantes. Hic, cum Diam Deionei filiam vxorem ducere cuperet, multa ſe daturum munera ſocero pollici-

tus

tus eſt, ad quæ quidem accipienda, cum (factâ nuptiarum copia) perexiſſet Deioneus, Barathrum effodiens Ixion, fauilliſq; ac calido replens cinere illi mortem ſimul machinatus eſt, & ſepulchrum, ſubtiliſſimis enim lignis, ac puluere ſuperimpoſito operuit, vt incautam exciperet; in quod cum Deioneus incidiſſet, ac decidiſſet, miſerrimam, donorum loco, mortem ſubire coactus eſt. Tanti ſubinde ſceleris conſcientia tactus Ixion tabie correptus eſt; nec eum vllus hominum, Deorumq; expiare aggrediebatur, cum omnibus videretur, nec aquæ aſperſione, neq; ſuffitionibus, aut numero dierum tolli ea labes potuiſſe, quam impiè contraxerat, qui omnium primus hominem ſibi familiaritate coniunctum necauiſſet. Tandem miſericordia motus Iupiter (cuius filius fuiſſe ab aliquibus dicebatur) illum attraxit in Cœlum, ibiq; à ſcelere expiauit, ac eiuſdem pœnitentiâ prioris facti adductus eum diutiùs penes ſe habuit, ac liberaliſſimè proſequebatur: Ixion verò, pro tanta Iouis in ſe liberalitate, ac munificentia, Iunonem adamare cæpit, ac denique ſtuprum illi inferre conatus eſt. Rem Ioui detexit Iuno: at ille, ne leuiter vxori crederet, experimento vſus, nubem Ixioni in ſpeciem Iunonis obtulit, cum qua congreſſus Ixion Centauros genuit. Cum autem facinus iactaret, ſe cum Iunone concubuiſſe, vbique conteſtans, deiectus è Cœlo, & apud Inferos rota damnatus, anſam præbuit Ouid. Metam. 4. dicendi

Voluitur Ixion, & ſe ſequiturq; fugitq;

atq; ad illius ſimul ac Syſiphi pœnas reſpiciens Virg. Æn. 6. inquit:

Saxum ingens voluunt alij, radijſq; rotarum
Diſtricti pendent &c.

Interea naſcuntur ex nube Centauri, vt dicebamus, qui dicti ſunt in Pelio monte educati Theſſaliam incoluiſſe primò, deinde Pholoen, vt dix. & dicti Centauri à *κεντεῖν*, quod eſt *pungo*; quoniam hi, omnium mortalium primi, ex equis pugnare viſi ſunt; ex quo etiam datum fabulæ locum, inquiunt, qua dicuntur extrema parte ad collum vſque equinam formam habuiſſe, & ab equino ventre, pro collo, ventrem & formam hominis inſurrexiſſe, quia ſcilicet eos à tergo videntibus talis eorum videretur eſſe ſtructura. Alij tamen non fabulam eſſe, ſed hiſtoriam cenſent veritatem. Aſt, quidquid ſit de hoc, certum eſt Centauros crudeles admodum, & bellicoſos, ac fortes viribus fuiſſe, durumq; & agreſte in omnes exteros genus; quapropter, cum Hercules ad occidendum aprum Erymantheum iuſſus proficiſceretur, euenit, vt à Pholo quodam hoſpitio perbenignè acceptus cum hoſpite cœnaret. Hoſpes autem, vt, pro virili parte, honorem Alcidi exhiberet, optimi vini, quod à Patre Libero accepiſſet, dolium aperuerat: Centauri autem circumhabitantes, mirabili odore vini, cuius auidiſſimi ſunt, incitati, illicò procurrentes, in Pholi domum, vinum rapturi, impetum faciunt, piceis cum radice euulſis, quibus vterentur ad pugnam, ingentibuſque ſaxis inſtructi, facibus, ſecuribus, alijſque armorum generibus terribiles. Adſtitit hoſpiti ſuo Hercules, ac breui manu, quos non trucidauit, vertit in fugam; nam, ſociorum comperta ſtrage, aliqui conſultius habuere, ſolum vertendo, pugnæ ſe ſimul, ac cædi ſubtrahere. Hanc igitur victoriam memorans Vates hic à loco pugnæ exorditur inquiens *Pholoe*

MADVIT. *Rubuit* Heinſius legit concinna procul dubio vſus repetitione. Verùm magis propriè dictum videtur *Maduit*; nam *madere* eſt large humectari, vulgò *inzupparſi*, oſtendit non modicum ſanguinis ab Hercule, hoc prælio, fuſum, quo ſcilicet non ſuperficialiter ſolum rubuerit terra, ſed penitùs imbuta extiterit. Ideò *Pholoe maduit*

NVBIGENIS. Hoc eſt nube genitis, quod nomen Centauros antonomaſticè deſignat, vt ex dictis conſtat apertè.

PROSTRATIS. Ideſt peremptis; nam *proſtrare* eſt in terram deijcere, & certè, qui occiditur proſternitur; ponitur itaque conſequens pro antecedenti hic ſicut, & poſitum fuerat in verbo maduit &c. Hanc ipſam Herculis pugnam celebrat Latinus Homerus Æn. 8., atque aliqua Centaurorum nomina recenſet, inter quos, & Pholum video, non quidem hoſpitem illum Alcidis, ſed alium eiuſdem nominis ex Centaurorum turma.

. . . . Tu nubigenas inuicte bimembres
Hylæumque, Pholumque manu: tu Creſſia mactas
Prodigia &c. quæ iterum ſupra enarrauimus.

TE LYBICI STVPVERE FINES &c. Herculeos inter labores, nil decantatum magis profectò, quam quod, Atlantis loco, cœlorum ſuſtinendorum oneri, dum tantiſper quieſceret, ac recrearetur Atlas, humeros ſuppoſuiſſe. Sed, qua occaſione id factum fuerit, ex ipſa Auctorum diſſenſione ambiguum valde redditur, & obſcurum. Ad dilucidandam igitur huius textus intelligentiam, cum iam nouerimus Alcidem, quis fuerit Atlas remanet inueſtigandum, & quomodo vterq; conuenerint. Ouid. Met. 4. videtur in eorum eſſe ſententia, qui dicunt, Atlantem Heſperijs vtique regionibus imperaſſe, Heſperijs, inquam, illis, quæ ab Heſpero Atlantis fratre, vel, vt alij malunt, filio, in ſtellam ſui nominis commutato, nomen, vt alibi dix., ſortiuntur. Dicitur Atlas Iapeti filius, ac Promethei frater, primus ſphæræ inuentor, aſtrologicis ſcientijs exculitiſſimus, Cœlum humeris ſuſtinuiſſe; ait enim Ouid. cit. de Perſeo itinerante loquens

Iamque, cadente die, veritus ſe credere nocti
Conſtitit Heſperio Regnis Atlantis in orbe;
Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
Euocet Auroræ, curſuſque Aurora diurnos.
Hic hominum cunctis ingenti corpore præſtans
Iapetionides Atlas fuit. Vltima tellus
Rege ſub hoc, & pontus erat, qui ſolis anhelis
Æquora ſubdit equis, & feſſos excipit axes.

in eadem ſententia videtur eſſe Virg. Æn. 4. vbi ait

. . . . . Iacet extra ſydera tellus
Extra anni, ſoliſque vias vbi Cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

In eiuſdem poteſtate fuiſſe voluerunt aliqui mala illa aurea, quæ rapta ex Heſperidum hortis ab Hercule olim dicuntur: atque hoc teſtatur Ouid. idem loco cit. dum canit apertè.

Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant, & humum vicinia nulla premebat;
Arboreæ frondes auro radiante nitentes,
Ex auro ramos, ex auro poma ferebant.

Huic tamen Ouidij ſententiæ de malis aureis in Atlantis poteſtate effulgentibus videtur omninò repugnare id, quod Pherecides docet, & refertur in Mythol. Nat. Com. lib. 7. Cap. 1. de raptis ab Hercule Heſperidum theſauris, docet enim ipſe, de Nuptijs Iunonis lib. 10., Iunonem, cum nupſiſſet, multas Pomos, quæ aurea mala producerentur, Ioui in dotem obtuliſſe, quæ apud Heſperidas Nymphas, à peruigili Dracone cuſtodiebantur. Iuſſus ſubinde, vt idem teſtatur, Hercules ab Euryſtheo, ea ſibi poma afferre; ignarus, quonam locorum eſſent, Alcides ad Nymphas Iouis, & Themidis, in ſpelunca quadam apud Eridanum habitantes, contendit, quæ Nereum hac de re conſulendum reſponderunt. Adijt Nereum Heros, illoq; edocente adeundum eſſe Prometheum, iter ad Caucaſum adornauit, quo tandem deuectus, Prometheumque miſeratus ſupplicantem, Aquilam, illius cor excedentem, ſagittis confecit; quo, quidem ingenti, beneficio permotus Prometheus Alcidem monuit, ne ipſe ad rapienda aurea poma contenderet; ſed immò ſe ad Atlantem conferret, ſibique illa ipſum afferre iuberet, ac pro Atlante Cœlum tantiſper ſuſtineret, dum Atlas ab Heſperidum viridarijs aurea poma afferret. Perrexit itaque ad Atlantem Hercules, qui, cum Herculeis humeris Cœlum impoſuiſſet, ad Heſperidas profectus tria poma accepit, quæ cum ad Herculem attuliſſet, ne Cœli onus iterum ſubire cogeretur, dixit ſe illa ad Euryſtheum allaturum. Hercules verò, qui iam præmonitus à Prometheo fuiſſet, Atlantem rogauit, vt Cœlum ipſe ſuſtineret, donec ipſe peram capiti, ad faciliùs ſuſtinendum onus, imponeret: Quod credulus Atlas cum ſubijſſet, ab Hercule valere iuſſus eſt. Hæc Pherecidis opinio aſſignat profectò cauſam, ſeù occaſionem, qua Hercules, loco Atlantis, Cœlum rexerit; ſed repugnat tamen communi omnium ſententiæ aſſerenti, poma aurea non ab Atlante, ſed ab Hercule ipſo decerpta, Draconemque cuſtodem cæſum ab Hercule, non ab Atlante, conteſtanti. Sic Ouid. Metam. 9. Alcidem inducit propriarum manuum glorias pleno ore iactantem, ac talibus per apoſtrophen eas alloquentem

. . . . vеſtra virtute relatus
Thermodontiaco cælatus Balteus auro,
Pomaque ab inſomni non cuſtodita dracone.

ex quo patet, Herculem, proprijs manibus, non medio Atlante, poma decerpſiſſe. Sic Lucanus de horto Heſperidum inquit

Abſtulit arboribus pretium, nemoriſque laborem
Alcides; paſſuſque inopes ſine pondere ramos
Retulit Argolico fulgentia poma Tyranno.

Apol-

Apollonius de Dracone Heſperidum cæſo hæc græcè quidem habet; ſed Latino idiomate vertuntur ſic

Anguis terrigena hî &c. . . . .
. . . . . Truncum amplexus, ſed ab Hercule caſus
Is ſuit &c.

ſed quid plurium in re nota aggero auctoritates? Si itaque Hercules propria manu Heſperidum hortos depopulatus eſt, certè Atlantem non miſit, ac conſequenter falſo ingeritur occaſio illa, qua Hercules dicitur Cœlum, Atlantis vice, ſubijſſe. Quarè aſſerunt alij, Herculem aliquandò ab Atlante exceptum hoſpitio, atq; ab eodem rogatum fuiſſe, vt tantiſper Cœlorum oneri ſuſtinendo ſuccederet, vt poſſet ipſe Atlas humerum mutare, feſſumque ponderi ſubtrahens, integrum ſubijcere; cui Hercules propitius adfuerit, & Cœlum interim, inflexâ ceruice, ſuſtinuerit. Sed hoc ipſum Ouidio repugnat, qui, Metam. 4., aſſerit in more poſitum fuiſſe apud Atlantem, vt externum neminem hoſpitio exciperet.

Arcebatq; ſuis externos finibus omnes.

quod immò in cauſa fuit, vt Perſeus, negato, quod poſcebat, hoſpitio, indignatus, Atlanti horridum Meduſæ caput oſtenderit, eumq; in montem commutauerit, qui nunc etiam altus adeò erigitur, vt Cœlum ſuſtinere dicatur, ne, vel ſaxeus, quieſceret Atlas, atq; hæc ſic Ouid. cit.

. . . . . . Quoniam paruo tibi gratia noſtra eſt,
Accipe munus, ait; Lauâq; à parte Meduſæ
Ipſe retro verſus ſquallentia protulit ora.
Quantus erat mons factus Atlas; nam barba, comæq;
In Syluas abeunt; Iuga ſunt humeriq; manuſque;
Quod caput ante fuit, ſummo eſt in monte cacumen:
Oſſa lapis fiunt, tunc partes auctus in omnes
Creuit in immenſum (ſi Dij ſtatuiſtis) & omne
Cum tot ſyderibus Cælum requieuit in illo.

Virgilius pariter Æn. 4. Atlantem in montem conuerſum, (dum Mercurij iter ad Æneam, iuſſu Iouis, proſequitur) ſic memorat

Iamq; volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, Cælum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum aſſiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulſatur, & imbri.
Nix humeros infuſa tegit; tum flumina mento
Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.

Verum, ne vel auaritiæ, vel crudelitatis inſimularetur Atlas, quod neminem hoſpitio exciperet, eum hoc non ſine cauſa decreuiſſe, aſſerit Ouid., cit. Metam. 4.; nam Oraculo Themidis parnaſſiæ monitum fuiſſe dicit, vt caueret à Iouis filio, futurum enim vt Iouis filius poma eius aurea raperet &c. Quarè, ne ignotum hunc Iouis filium reciperet, omnes indiſcriminatim eijciebat. Quod cecinit Ouid. cit. memorans, cur Perſeum expuliſſet. . . *Memor ille vetuſtæ*

Sortis erat. Dederat Themis hanc parnaſſia ſortem:
Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor, & hunc prædæ titulum Ioue natus habebit.

Vides quot in fabularum contextibus adſint contrarietates. Primo quidem, ſi in poteſtate Atlantis mala aurea repe nebantur, quomodò miſſus ab Hercule Atlas, vt ea raperet? Secundo, ſi nullum Atlas excipiebat hoſpitio, quomodò Herculem excepit? Tertio, ſi Hercules omnium eſt Idea virtutum, quomodò exceptus hoſpitio ab Atlante hoſpitalia iura violaſſet, ei poma ſurripiens, cum immò, vt laſſitudinem ipſius aliquantiſper leuaret, Cœlum ipſe, vicem eius ſubiens ſuſtinuerit? Quid igitur in tantis rerum ambagibus dicendum? quid in tanta ſententiarum varietate ſtatuendum? Quod ad hiſtoricam veritatem fabulis contectam attinet; Atlantem Lybicum hominem, vel, vt alij volunt, Regem inuenio, qui primus Aſtrologiæ operam dederit, ac ſpheræ Machinationem, vſumq; inuenerit, quibus vt attentiùs, ac faciliùs animum adijceret, in montem illum ſolitus fuerit aſcendere, qui poſtmodum ab ipſo Atlante, per errorem ex monte delapſo, ac mortuo Atlas fuit appellatus: quod fabulæ Atlantis in montem conuerſi locum dedit; & dictus eſt Cœlum ſuſtinuiſſe, eo quod ſphæram ſuam quaqua vellet, & aſportaret, & verteret, ac ſuſtineret. Ab Atlante, vt refert Anaxagoras, ijſdem Aſtrologicis ſcientijs inſtructus Hercules ita ſecundas tulit, vt à primo non abeſſet: mox tamen grauioribus ſtudijs auocatus, Cœlum, ideſt Aſtrologiam ſuam Atlanti remiſit; ideòq; dictus eſt Hercules Cœlum Atlantis loco ſuſtinuiſſe, ac iterum Atlanti illud impoſuiſſe. Alij etiam dicunt Atlantem Regem in grauiſſimam ſemel regiminis difficultatem incidiſſe, ad quam enodandam, Herculis virtute, ac conſilio vſus facilè Regnum ſuſtinuerit; ideòq; dictum fuiſſe, Cœlum herculeis humeris impoſuiſſe. His præcognitis, ad enodandam iam difficultatem, ex ſententiarum contrarietate ortam, progredior. Certum eſt, aurea poma, ab Hercule rapta, in Heſperidum horto floruiſſe: certum eſt, Heſperidum hortos in vltima Africæ regione, in Æthyopum finibus, vbi & Atlas Cœlum ſuſtinuiſſe dicitur, extitiſſe, vt patet ex Virg. Æn. 4.

Oceani finem iuxta, ſolemque cadentem
Vltimus Æthyopum locus eſt, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata Sacerdos
Heſperidum templi cuſtos, epulaſque Draconi
Quæ dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos.

Certum deniq; eſt, Heſperides Heſperi Atlantis fratris filias fuiſſe, ex quo & nomen ſortitæ ſunt. Quare hinc certum remanet, aurea mala, duplici ex titulo, in poteſtate Atlantis fuiſſe: primo quia in regione ſita fuerint, eius ditioni ſubiecta; ſecundo quia, Heſpero in ſtellam conuerſo, ad Atlantem Nepotum cura certè fuerat deuoluta: quare nil mirum eſt, ſi ipſe, & tanquam Rex, & tanquam pupillarum cultos, Theſauros illos cuſtodire niteretur, ideòque & Oraculum conſuluiſſe, & hortos illos vallis, cuſtodijſq; munitos reddidiſſe dicatur, vt latè teſtatur Ouid. cit. Metam. 4.

Id metuens ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Montibus, & vaſto dederat ſeruanda Draconi,
Arcebatq; ſuis externos finibus omnes.

Certum inſuper ex dictis eſt, Herculem non ſurripuiſſe aurea poma, antequam Atlas a Perſeo in montem conuerteretur; nam ſi ante ſurripuiſſet, iam impletum fuiſſet Themidis Oraculum, de quo ſupra, & Hercules Iouis filius prædæ titulum habuiſſet; conſequenter nulla iam cauſa fuiſſet, cur Perſeus a finibus arceretur; cum tamen pro cauſa ponatur timor, ne ipſe eſſet ſurrepturus. Quare tantum remanet, vt Hercules, poſt mutatum in montem Mauritanum Regem, Poma aurea fuerit adeptus. Quo poſito fabuloſum prorſus exiſtimo, & erroneum, quod ait Pherecides de Atlante ab Hercule miſſo ad poma carpenda; nullamque iniuriam ab eo Atlanti illatam duco, cum poma raperet, quippe, Atlante iam mortuo, ea iam pleno iure in Heſperidum ſororum poteſtatem deueniſſent. Arbitror igitur probabiliùs, Herculem hoſpitio acceptum ab Atlante Cœlum, dum hoſpes recrearetur, ſuſtinuiſſe, cum ex ſententia ſupradelata, non ſolum hoſpitio exceptus fuerit, ſed & aſtrologicis ſcientijs inſtructus. Nec dici poteſt obſtare mos Atlantis neminem excipientis; nam primo pontit hoc euenire ante conſultum Themidis Oraculum; ſecundo autem, quod Hercules filius Amphytrionis citra dubium exiſtimaretur, non Iouis, & ſatis vt talis notus eſſet, & ab omni ſuſpicione omnino immunis. His poſitis, facilis iam remanet noſtri textus intelligentia. Ideo

SINVS LYBICI. Quid ſinus ſint iam vidimus in Præf. lib. 1. ad Carm. *Mox longus tentare ſinus &c.* *Lybicus* autem dicuntur per patronimicum à Lybia deductum, quæ tertia vtiq; pars eſt totius Orbis, quam *Africam* appellamus, Lybia nunc dicta, vt aiunt à Lybia Epaphi Iouis filij filia: Mauritaniam verò in Africa eſſe indubitatum eſt, vbi & Atlas, & Populi ab eo Atlantici nuncupati degentes dicuntur extremam Mauritaniæ, ac Lybiæ oram incolere: quarè etiam mare Atlanticum Mauritanis ſimul, ac Lybicis finibus excipitur. Ideò *Lybici ſinus*, hoc eſt Atlanticum, Lybicumque mare.

STVPVERE. Senſum admirationis ipſis cautibus circa mare, ipſiq; Oceano attribuit; nam Sinus tam Littoris intra montes interpoſiti curuaturam ſignificat, quàm æquor curuaturis interceptum. Stupere autem eſt proprium rationalis creaturæ, & idem ſignificat, ac *attonitus admirer*, quod hic ad inſenſibilia transfertur, grandi profectò orationis ſublimitate.

TE. Nempe te Alcidem, virtutem, ac vires tuas, neruoſque, animumque, quo tantum onus ferendum non abnueris.

MAXIMVS ATLAS. Quis Atlas fuerit iam vidimus: *maximus* autem dicitur primo, quia corpus vaſtiſſimæ molis habuerit; ſecundo, quia vires obtinuerit immenſas fere; tertio, quia Regno inclitus ampliſſimo; quarto, quia diuitijs præpotens; quinto quia ſapientiâ eximius. Aliqui legunt hoc loco *Te maxima Thetis &c.* Verum diſplicet hæc lectio, quia (eſtò maxima Thetys Atlanticum, Lybicumque mare dicatur) cum in antecedentibus dixerit *Te Lybici ſtupuere ſinus,*

ſinus, vbi vidimus eadem maria notari, iam hic idem repeteret per diuerſa, quod non eſt de oculatiſſimo Poeta dicendum.

HORRVIT TE. Ex litterali huius verbi ſignificatione ducti putarunt aliqui, etiam ſuperius legendum fuiſſe: *Te Lybici timuere ſinus*: Sed qui timeri poterat ille, qui actu beneficus cernebatur, dum in bonum totius Orbis ſuſtinendo Cœlo vtiq; deſudaret? *Horrere* itaq; eſt quidem, præ timore, pilos, comaſq; erectos exhibere; Sed, quia hoc ipſum euenit interdum, cum aliquid ingens, portentoſum, atq; incredibile cernentes obſtupeſcimus, transfertur verbum *horreo* ad ſignificandam, contractam ab aliquo, tanti ponderis admirationem, vt diriguiſſe videatur. Quarè ad exprimendum hic vehementem Atlantis ſtuporem, inquit Poeta, *Te maximus Atlas horruit &c.* atq; ideò optimè ſibi conſonat, qui ſuperiùs dixerit: *Te Lybici ſtupuere ſinus*. Nota autem emphaticam, hoc loco, repetitionem: *Te ſtupuere: Te horruit*: in ea enim ſenſus latet cauſam ingerens admirationis: nempe *Te*, quem non putabant Atlanti comparandum: Te, qui, non ſolum toto Cœlo, ſed minima etiam Cœli parte incumbente, opprimendum arbitrabantur: & nota Epitetum ſuperiùs Atlanti additum *maximus* emphaticum maximè dignoſci; nam admiratio ex ignorantia vt plurimum prouenit; miramur enim ea, quæ loco prodigij habentur, eo quod rerum cauſas, rationes, ac modos indagare neſciamus: at hìc miratur, & horret *maximus Atlas*, qui ſcilicet tantum ſcientia præſtaret, quantum corpore, ac viribus præpollebat; & tamen indagare neſciebat, quomodò tantum onus ſuſtinere poſſet Alcides, & portentoſum illi, horrendumq; videbatur. Ex quo vides quanta Herculeæ virtutis aſſurgat amplificatio, ac quanta fortitudinis exageratio.

CVM PREMERERE &c. Tempus, & occaſionem, quando, & cur tantoperè miraretur Atlas, ac Lybici obſtupeſcerent Sinus, iam ſubijcit; nempe quod Hercules premeretur quidem, ſed non opprimeretur, cum vix Atlas tanto oneri ſufficere poſſe videretur. Particula igitur *cum* aduerbij cauſalis ſimul, ac temporis vices explet, idemque, ac *tunc quando*, & *quoniam* ſignificans; in quo caſu notant Grammatici eam coniunctiuo iungi non minus, quam cum ex munere coniunctiuo deſeruiat. *Premo* autem, à quo paſſiuum *Premor*, idem propriè ſignificat, ac *calcare*, & *rei alicui toto pondere inniti*: quare ſenſus eſt: Lybici ſtupuere ſinus, & horruit Atlas tunc, quando viderunt, & quoniam viderunt, te Cœli pondere calcari quidem, ſed non deijci; & Cœlum toto ſui pondere humeris inniti tuis, premens, ſed non opprimens, cum ne flecteret quidem ceruices, ne dum frangeret; ita vt tibi non minùs, quam Atlanti Cœlum ferenti, addi poſſet Lemma illud, quod, noſtris ſubindè temporibus decantatum, ab Eruditiſſimo Picinello refertur Mundi ſui ſymbolici lib. 3. cap. 5. *Excedit robore pondus*. Vanum quidem, erroneum, ac prorſus commentitium eſt, Cœlum graue eſſe, ac ſuſtentaculis indigere, vt latè probat Ariſtot. 2. de Cœlo: Immò, & ſi graue eſſet, adhuc diutiùs ſuſtineri nequiret; nam deficeret aliquando, fractus aſſiduo labore, ſuſtinentis neruus, ac robur; attamen datus hinc locus prouerbio, quod græcè pronunciatur Ἄτλας τὸν οὐρανόν, prouerbium ſcilicet dici ſolitum de ijs, qui adeò ſibi fidunt, vt nullum ſit periculum, quantumuis ingens, nullus labor, quantumuis eximius, quod non ſubeant, & in quem non intrepido animo ſe ſe conijciant: ex quo deducendum, Alcidem Cœlos ſuſtinentem nil aliud ſignificare, quam ipſum periculoſiſſimam quamq; aleam forti animo ſubiſſe, ac propè contempſiſſe; vt ipſe de ſe ipſo, apud Senecam Herc. Oetæi actu 5. ſcena penultima teſtatur, inquiens. . . . *Perferam laudem inclitam*

Quod nulla peſtis vicit Alciden palam,

Omneſq; peſtes vicit Alcides palam.

ex quo poſtea factum, vt Alcidis conſtellationi Pater Dominicus Gambertus Lemma ex Statij Theb. 3. decerptum adiunxerit: *Nunquam ſuccumbens*: donec ſcilicet in Cœlum relatus, inter conſtellationes Boreales Alcidis conſtituerit Sydus viginti octo ſtellis conſpicuum, vt notauit Cleperus; & idem Hercules profitetur apud Senec. cit. actu 5. ſcena penult. inquiens.

. . . . *Nam versus mihi*

In aſtra, & ſuperos fecit ad ipſos via.

POLO IMPOSITO. De Polis egimus lib. 1. Carm. 26. hic tantum indico Polos duo eſſe puncta immobilia in Cœlo circa quæ, tamquam circa Cardines, totum circumuoluitur Cœlum; ideòque Poli dicuntur ἀπὸ τοῦ πολεῖν, ideſt à vertendo; hic Polus pro integro ponitur Cœlo, pars videlicet pro toto. *Imponere* autem, à quo partic. *Impoſitus*, eſt *ſuperponere*. Impoſitum itaq; hic dicitur Cœlum, nam poſitum in humeris adſtitit Alcidis, cum Atlas illud à ſe diuertiſſet, atq; Herculeo collo ſuſtinendum impoſuiſſet.

FIRMIOR HERCVLEA &c. Explicat adhuc magis cauſam cur Atlas, ac Lybici ſinus mirarentur; neq; enim ſine admiratione conſpici poterat, qui ita Cœlum ſuſtineret, vt ludere potiùs, quam laboribus affici videretur. Efficit itaq; Vates Herculem Atlante ipſo fortiorem: cum tamen dixerit Ouid. cit. 4. Metam.

. . . . *Quis enim par eſſet Atlantis*

Viribus &c.

Si igitur mirum fuiſſet parem viribus intueri, quantò magis ſuperiorem experiri? At ſuperior certè fuit Alcides, dum vix ſenſiſſe innuitur pondus illud, quod feſſum, curuum, ac ferè deficientem reddidiſſet Atlantem.

MVNDVS. Duplicem Mundum, inferiorem nempè, & ſuperiorem conſiderari poſſe innuimus lib. 1. Carm. 247. vbi etiam, cur *Mundus* Cœlum ipſum dicatur, aperuimus. Quare hic tantum indicaſſe ſufficiet, nomine Mundi, Mundum ſuperiorem, hoc eſt Cœlum, deſignari.

FIRMIOR. Firmus, à quo comparat. *Firmior*, idem eſt, ac *conſtans*, *immotus*, *inconcuſſus*. Alludit itaq; hic Vates, arbitratu meo, ad illorum Phyloſophorum ſententiam, qui motum trepidationis Cœlorum ſphœris attribuunt; quaſi diceret, trepidaſſe Cœlum Atlanticis humeris ſuffultum, ſed non trepidaſſe, cum Herculeis humeris ſuſtineretur. Ideò *firmior*

PEPENDIT. *Pendere* idem hoc loco eſt, ac *inniti* ex fulcientis vi ſuſtineri. *Pependit* itaque, ideſt ſuffultum, ne caderet, Alcidis humero ſtetit ſecuriùs, ac nullo trepidationis motu nutare potuit.

HERCVLEA CERVICE. Herculea poſſeſſiuum eſt ab Hercule deriuatum, ſatis notæ ex ſe ipſo ſignificationis. Quid autem ceruix ſit iam dix. lib. 1. Carm. 156., hic pro toto ponitur dorſo inter humeros ſito, & aſſignatur cauſa, cur firmior Mundus pependerit, firmitatem, ac immobilitatem ſuſtentantis; fulcro enim immobili permanente, non poteſt quin immobile perſiſtat, quod fulcitur. Ex conſequenti itaq; Cœlorum firmitate antecedentem Alcidis immobilitatem oſtentat; cui nec genua labant, nec pes tremiſcit, nec corpus vllo nutat vel minimo motu. Ex quo patet quanta hæc ſit Herculei roboris amplificatio. Inſuper inter fortitudinis indicia *latos humeros* enumerant Phyſiognomici. Quam lati autem fuerint herculei humeri, vel ex hoc vno indicatur, quod in ijs aptè adeò inſederit Cœlum, vt nullo motu quateretur: & quidem Alcides, qui, vt memorat Heraclides Ponticus, quatuor cubitis & pede altior fuerit, certè & latos proportionaliter humeros habere debuit. Quarè ex hoc ipſo maior viget fortitudinis amplificatio: ſicuti & Æneas apud Virg. Æn. 2. ab humerorum latitudine oſtendit, quo robore Patrem ijs impoſitum ex hoſte eripuerit inquiens,

. . . . . *Latos humeros ſubiectaq; colla*

Veſte ſuper, fuluiq. inſternor pelle leonis

Succedoq; oneri.

PHOEBVS, ET ASTRA. Phœbus Planetarum Princeps eſt, qui & Sol, & Apollo, & Cynthius, & Delius vocatur, diei fax, & luminare Cœlorum Maius Signa Zodiaci percurrens, oriens quotidiè, & occidens &c. Quoniam verò plura ſparſim lib. 1., ac præſertim Carm. 134., hic innuiſſe ſatis. Pariter quid Aſtra ſint ſæpè dix. quarè hic indicaſſe ſufficiet, aſtra pro omni ſtellarum numero, ſed præcipue pro ſtellis errantibus poſita.

LVSTRARVNT. Luſtrare duplicem habet ſignificationem, nempè & *circumire*, (quod ad Solem, & Planetas ſpectat) & *ambiendo circumcingere*, quod ad ſtellas fixas refertur, quæ de ſe immobiles ſunt; licet quatenus & iſtæ, quamuis non moueantur motu proprio, circumrotantur tamen, & quidem velociſſimè ab ipſo octaui Cœli motu, luſtrare dici poſſint etiam in primo ſenſu, nempè *circumire*, & *peruenire*. Iuuat itaq; hoc loco, Metalepſim agnoſcere: nam, ex hoc quod Sol circumeat aliquid, certè illud illuminat, & ex eo quod illuminet, decorum reddit, cum nulla ſit rebus ſine luce pulchritudo, nullus decor, nulla nobilitas: & quod de Sole dicimus aſtris etiam proportionaliter eſt applicandum. A primo igitur ad vltimum idem erit dixiſſe *Luſtrarunt*, ac ſi dixiſſet *condecorarunt*. Ex quo deducitur emphatica ſignificatio, qua dignoſcitur tantarum fuiſſe virium Alcides, vt immenſum Cœli pondus non

pondus

pondus illi, ſed ornamentum, non onus, ſed gloria, non preſſura, ſed decus extitiſſe, ac eximiæ Choragium pulchritudinis.

HVMEROS TVOS. Humeris pars illa corporis eſt, ex qua brachia dependent. quam & armum appellant, eo quod inde pendentia deferantur arma; pars quidem ſuſtinendis ponderibus aptiſſima, vt quotidiano vſu, & experientia comprobatur. Hic finem habet relatus Orphei cantus, atq; apoſtrophe ab eodem ad Alcidem habita. Quarè & nos, finem huic explicationi imponentes, quæ ad mores ſint, obiter recenſebimus.

Herculem pro virtutum omnium Idæa poſitum iam ſuperiùs innuimus; cum autem virtus ſemper in arduis ſit, nil mirum, ſi aſperima quæq; ſuperans Hercules, Cœlum dicatur ſuſtinuiſſe, ac conſequenter digna laude concelebretur. Sapiens dominabitur Aſtris; quod idem eſt ac Cœlum ſuſtinere, ac regere; ſed ſapiens ſolus eſt, qui Cœleſtis veſtigia ſequitur virtutis; nam, ſi inter Mundi ſapientes tantummodo locum habeat, ſapientia huius Mundi ſtultitia eſt apud Deum. Sola virtus, quæ è Cœlo eſt lætificat Patriam Orphei, ideſt Patriam Cœleſtem, quæ Patria eſt Cœlum aſſiduè contemplantis, ac æternas inter Cœlorum harmonias diuerſantis: Hæc ſola virtus beatiſſimos illos Ciues ad plauſus excitat; hæc ſola ad concelebrandam virtute præditi gloriam Cœleſtes conuocat Cytharas. Vis itaq; meritò collaudari? Virtuti ſtudeas, ac generoſo animi conatu omnia Mundi pericula deſpiciens, quidquid aduerſi iter tuum à proſequendis virtutis impedit veſtigijs, uel remoratur, ſuperes; & Cœlum ipſum ſuſtines: minitantem ſcilicet interdum, ac flagellorum pondere inſonantem Dei manum; nam tibi in exercitium patientiæ eam extendit quandoque & Deus; ſed vt ſuſtinendi virtus duplicetur ad coronam.

Aſt coronemus & nos opus noſtrum decerpitis ex Pindo floribus Italicè concinnentes.

Gl'acerbi ſdegni, ond' implacabil ſempre
Scoſſe l'empia Giunon d'Alcmena il figlio,
Cantaua il Trace; onde trà ſpine vn Giglio
Daua, può dirſi, al lui cantar le tempre.
Quindi del canto à gl'intrecciati modi
Ragruppaua d'Alcide i faſti, e gl'oſtri,
Che, tinti in ſangue d'atterrati moſtri,
Ergean immenſe al Domator le lodi.
Al Domator, che, mentr'à pena ei naſce,
Strozza con man di latte empie Ceraſte,
Che non hanno al morir ſchermio, che baſte
Contr'vn valor, che giganteggia in faſce.
Contr'vn valor, che le ſquarciate peſti
Volge in trofei di ſue vittorie, e ſgombra
Di rio terror dal ſen materno ogn'ombra;
Mentr'ei ride à ſchernir gl'angui funeſti.
Di quel Toro infuriato, à i cui mugiti
Tremò di Candia il pian, la ſelua, e'l monte,
Non temeſti, dicea, Tu, che formonte
D'ogni Prode quà giù gli ſpirti inuiti.
Del Triſauce Maſtin terror d'Auerno
Puote tua deſtra imprigionar le Zanne;
Ne gli valſe il latrar d'auide canne;
Ch'ogni ſforzo infernal prendeſti à ſcherno.
L'impenetrabil cuoio, il fiocco vanto
D'eſſer parto del Ciel, dal Cielo atteſo,
Nulla gioua al Leon, ſi che proſteſo
Non dia ſue ſpoglie à fabricarti il manto.
D'Erimantho il Cignal, che sì famoſa
Roſe la dianzi impratticabil ſelua,
Non ti ſcuote d'horror; mà ſi rinſelua;
E fugge indarno, e cimentar non oſa.
Sù 'l Termodonte all'agguerrito ſtuolo
Dell'Amazoni altiere il Cinto ſciogli;
E, del faſto guerrier mentre le ſpogli,
Di tue glorie la fama impenna il volo.
Le Stimfalidi horrende all'arco, à i ſtrali
Ceder non ſan; mà Tu d'vn bronzo il ſuono,
Formidabil viè più, ch'à Cerua il tuono,
Toſto gli ſcocchi: elle al fuggir dan l'ali.
Sin dalle ſpiaggie, ou'hà la tomba il Sole,
Gl'Armēti adduci, all'human sãgue auuezzi:
Ne, ſe ben triplicato, è che ſi ſprezzi
Quel crudo Rè, che sì gli paſce, e vuole.
Ben sì gli ſpirti alle vendette aduna;
Trè ſcudi imbraccia, e trè gran lācie arreſta;
Mà de tuoi colpi alla crudel tempeſta
Trè vittorie, in cader, t'accoglie in vna.
Ripigliar nuoue forze, in ſen cadendo
Della gran madre, in vàn ſtudioſſi Anteo:
In van dall'Hidra il germogliar ſi ſèo;
Ch'han forte eguale al tuo valor cedendo.
Habbia pronti, al fuggir, gl'Euri nel piede
Cerua ſacrata alla notturna Diua;
Che di Tirinto il Cacciator non ſchiua;
Mà preda reſta: e ne pur ei la ſiede.
L'eſalar fumi, il vomitare ardori
Caco, il fiero ladron, nulla diffende:
Nel traditor d'Egitto il braccio ſtende;
E ne tributa al Nilo i caldi humori.
Dell'Arcadico monte alle pendici,
Credeanſi d'inuolar di Folo i vini;
E, co'l lor ſangue abbeuerati i Pini,
Funeſtàro i Centauri i campi aprici.
Mà nulla è queſto à tuoi gran vanti, ò forte,
Se non ſotteutri ancor d'Atlante al peſo.
Veggio di Libia, ad ammirarti inteſo,
Il mar de ſuoi rifluſſi odiar la ſorte.
Inhorridì (non ch'altri) il curuo Atlante,
Poi ch'à gl'homeri tuoi ceſſe l'incarco,
Ne ti vidde incuruar più, che ſe ſcarco
Del ſuo pondo l'haueſſe il gran Tonante.
Più che mai ſalde in sù l'Herculeo collo
S'appoggiàr l'Orſe, e s'adaggiàr le ſfere;
E, nel correr la sù l'ampie carriere,
Non pauentàro i maggior lumi il crollo.
La diurna lampa, e le notturne faci,
Anzi del dorſo tuo gli ſpatij auguſti,
Del mobil pondo ornati più, che onuſti,
Reſer con gl'ori al fiammeggiar viuaci.

Aſt dum Herculeas Vires exornant Sydera, nos ad exornatiſſimum Auctoris cantum regrediamur.

Thracius hæc Vates. Sed tu Tyrinthius alter,
Florentine, mihi; nam mea plectra moues;
Antraq; Muſarum longo torpentia ſomno
Excutis; & placidos ducis ab ore ſonos.

THRACIVS HÆC &c. Præmiſſis quæ de Hercule, tanquam cauſas, Orphei animum mouentes ad cantum, recenſuerat, ad applicationem propoſiti iam deſcendit, ac Florentinum, Mæcenatem vtiq; ſuum, Alcidem ſibi alterum eſſe dictitat, eo quod Alcidis in morem excitet ad plectra Claudianum iam diù otio torpentem, atq; ad proſequendum alliciat, quod intermiſerat, opus.

THRACIVS HÆC VATES. Subintellige *canebat*, quod, per Synecd. fig., reticetur. Eſt hic autem aptiſſimus finem narratis imponendi modus, atque opportunus omninò tranſitus, quo ad diuerſa facilis delabatur Oratio. Verùm, quod ad explicationem ſpectat, *Thracius* nomen eſſe à *Thracia* deriuatum, facilè noueris; & quid ſit *Vates*, aut cur hoc nomine appelletur Poeta centies dix. *Thracius Vates* igitur antonomaſticè dicitur Orpheus; cum enim nullum Orpheo ſimilem Thracia emitterit, ſolus Orpheus per excellentiam *Vates* dicitur, & *Thracius* additur, vt à quocumq; alio, qui Thrax non fuerit

diſtinguatur. Pronomen verò demonſtratiuum *Hæc* digito quaſi ſignat ea omnia, quæ ſuperiùs ore Vatis prolata referebantur.

SED. Coniunctionem hanc eſſe diſcretiuam alibi diximus: hic addo, hanc particulam, licet abſolutè poſitam, accipiendam hic eſſe pro eodem, ac *ſed etiam*. Sic pariter Cic. pro Milone in eodem hanc ſenſu particulam poſuit, dum ait: *Obliti eſtis non modo inimicorum Milonis ſermones, ſed nonnullorum imperitorum &c.* idest *ſed etiam nonnullorum &c.* Eodem pacto Vates hic &c.

TV. Vnicum ſecundæ perſonæ pronomen demonſtratiuum, hic aptiſſimè poſitum, vt viam præbeat apoſtrophanti, hoc eſt carmina ad ipſum amicum, quaſi præſentem alloqueretur dirigenti.

FLORENTINE. *Florentinus* nomen patrium hic non eſt; ſed proprium, quo ſcilicet nomine appellaretur Claudiani Mæcenas, de quo ſupra dicebamus, præter ea, quæ de eodem in Præf. ad lib. 1. breuiter attigimus.

TYRINTHIVS ALTER. Subintellige *es*, quod item per Synecd. reticetur. *Tyrinthius alter* idem eſt, ac *nouus Alcides*; noſtis enim Tyrinthium Alciden fuiſſe appellatum ab Vrbe Tyrintha, quam prope Mycenas conſtructam diù incoluit, cum Iouis monitu inſeruire Eurystheo duodecim annos debuerit, ac totidem labores exantlare. Comparatur itaq; hic non ſolum, ſed omninò æquatur Alcidi Florentinus, vt, ſicuti dictus eſt Alcides virtutum omnium Idæa, talem intelligas fuiſſe Florentinum, atq; ideò iure eoſdem ſortiri effectus Vatum plectra excitandi; licet enim videatur adeſſe diſparitas in hoc, quod Alcides Orpheum in laudes proprias excitauerit, at Claudianum ad proſequendos de raptu libros, non de ſe ipſo, excitet Florentinus; nonetiam tamen, eximium eſſe laudandi genus hoc ipſum, quod ſcilicet illi operoſum ſuæ Cytharæ cantum dedicet Poeta: Neq. enim proijci ſolent Margaritæ ante Porcos. Quarè qui carmina ſua alicui addicit, maximè illum laudat, cui addicit, ſumma enim virtute inſignem declarat eum, cui labores ex virtute promanantes dicandas eſſe iam cenſuit, ac prudenter decreuit.

MIHI. Ne credideris, particulam hanc eſſe limitatiuam, ita vt dicat Vates, ſibi ita videri, licet non alijs: nam qui vnum dicit, alterum non excludit: immò emphaticam noueris ad comparationem validiùs aſſerendam: ſicuti enim Orpheus, beneficijs, quæ Patria ſua percepiſſet ab Hercule, & quæ in ipſum per conſequens, vt bonum Ciuem redundarent, motus fuit ad canendum: ſic, per illam particulam *mihi* fatetur hic Poeta, ſe beneficijs Florentini adſtrictum, quem, licet in omnes beneficum, in ſe tamen beneficentiſſimum expertus eſſet, potiori etiam iure motum fuiſſe ad canendum, illiq. opus dicandum &c. In alio etiam ſenſu, emphaticam illam eamdem particulam agnoſco: tacite enim remordet Vates, vbiq; iam ingrati animi prædominans vitium, quod, vt plurimum efficit, vt qui beneficia, quantumuis maxima, acceperint, ſæpe ſæpius in ipſum benefactorem rebellent, ne gratias agere teneantur, vel ne eo videantur indiguiſſe; beneficia libenter accipiunt, & auent ingrati. ſed benefactoris nomen in largiente oderunt. Se in horum numero non eſſe, proteſtatur Poeta; ideoq; virtualiter, inquit: Quidquid alij de beneficijs ſenſerint acceptis, certè ego ſemper benefactorem meum venerabor; atq; hinc eſt, vt *Tu Tyrinthius alter, Florentine mihi*. Inſuper nulla virtus inuidentibus, ac detractoribus caret: ideò ſenſus Poetæ eſt: Quidquid oblatrent detractores; quidquid inuidi, Iunonis morem ſecuti, in Idæam moliantur virtutis; *Mihi*, qui ſcilicet tantâ oblector virtute, *Tyrinthius* alter adſtas; nec Iunonis vnquam partes amplectar. Sed potiùs, in obſequij ſignum, cantus proſequar, & dicabo.

NAM MEA PLECTRA MOVES. Heinſius eliminatam ex hoc loco exoptat particulam illam *nam*, & legendum cum ſcriptis aſſerit; *Tu mea plectra moues*, adhibita ſcilicet non inconcinna repetitione pronominis *Tu*, quod & Curis, inquit ipſe, ſecundis, & Barthius approbat. Non auſim eruditiſſimorum virorum improbare lectionem, quam & emphaticam fateor, & ornatam; ſed nec damnandam arbitror vulgatam cum Parrhaſio. Quarè hanc ſequor, & explico. Reddit hic igitur rationem apertam, & eamdem, quam ex emphatico ſenſu deduci innuimus declarat; reddit inquam rationem apertam, cur Florentinus Herculi comparetur, nempè beneficus cum benefico, & mouens ad cantum, cum ad cantum mouente beneficijs collatis. Ideò

NAM. Coniunctio enim cauſalis hæc eſt, quæ ſcilicet cauſam cum effectu, & vice verſa, coniungens rationem effectus reddit, per cauſam, & cauſæ, per effectum; & idem ſonat ac quia, atq; ideò aptiſſimè hac vtitur Vates rationem reddens. *Nam*

MOVES. *Mouere* eſt aliquid, per efficacem impulſum ad aliud peragendum impellere; & quaſi quamdam illi neceſſitatem taliter operandi iniicere. Hanc igitur mouendi efficaciam attribuit Vates Florentino, reſpectu ſui, quaſi ex illius impulſu ad canendum ita excitetur, vt nequaquam reſiſtere valeat. Sed dicet fortaſſis Criticus quidam: *Mouere plectrum* actus illius eſt, qui actu Cytharam pulſat: at Florentinus, vel ſui expreſſione deſiderij, vel aperta ſuaſionis incitatione poterat quidem mouere animum Poetæ, ad hoc, vt ipſe plectrum moueret, & Cytharam pulſaret; non autem poterat ipſe Plectrum mouere, cum Cytharedus non eſſet; &, ſi fuiſſet, iam, non Claud., ſed Florentinus ipſe indicaretur cecinisse: ergo malè dictum: *mea Plectra moues*. Facilis eſſet reſponſio, ſi diceremus Claud. Metalepſi vſum; nam Plectrum à manu Cytharedi mouetur certe; manus autem à potentia motiua; hæc iterum à voluntate imperante mouetur; ac voluntas manuducitur ab intellectu. Cum itaq; intellectus, ex propoſita Florentini excitatione, conceperit, ac voluntati repræſentarit, vt bonum, Florentini deſiderijs obſecundare; voluntas imperat, potentia motiua obſequitur nutui, ac manus plectrum mouet, quo Cytharam pulſet: quarè à primo ad vltimum deducitur, Florentini impulſu animum Poetæ excitatum, & hinc Poetam adductum, vt Plectrum ipſe moueret in gratiam Florentini: ex quo iam patet Florentinum mouiſſe Plectrum Claud. non quidem vt cauſa efficiens, ſed vt obiectiua, & cuius in gratiam plectrum ab efficiente moueretur. Sed altiori fundamento innititur Claud.; inhæret enim Philoſ. axiomati, quo dicitur: *Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati*. Cum itaque Florentinus cauſa fuerit illius motionis animi, ex qua cauſatus eſt Plectri motus, iure dicitur cauſa motus ipſius plectri; atq; adeò aptiſſimè dictum: *Nam mea plectra moues*.

MEA PLECTRA. Plectrum quid ſit vidimus in anteactis ad Carm. 25., quare tantum addo, poni hic antecedens pro conſequenti: nempè motionem plectri pro ipſa Carminum modulatione ad Cytharam: & *mea* inquit *Plectra* per nomen poſſeſſiuum, cuius iam notiſſima vtique ſignificatio, & plura pro vno poſuit per Synecd. more poetico.

ET EXCVTIS ANTRA MVSARVM. Muſas Poetarum præſides eſſe nulli iam ignotum; quæ tandem, vt arbitror, nil aliud ſunt, quam varius canendi Genius, ſeù varia concinnandorum Carminum inclinatio; nam *μουσική canendi ratio*, ſiuè *ars Muſica* dicitur apud Græcos; & *μουσικός canendi arte* peritus. Apollinis muſicarum artium Principis ancillas eas conſtituerunt Antiqui, Iouis ex Mnemoſyne, ideſt ex memoria, filias, in Pierio monte iam natas. Quare Heſiodus in Theogonia, cuius græca Carmina in latinum tranſlata ſunt, apud Nat. Com. Mythol. lib. 7. cap. 9. hæc habet

Mnemoſynem pulchram dilexit Iupiter; ex qua
Inde nouem Muſæ claræ naſcuntur; & illis
Sunt ſemper cantus cordi, & conuiuia læta.

Ex quo habes Muſarum ortum, numerum, & officium. Noui equidem ab aliquibus, tres tantùm Muſas eſſe, dictitatum fuiſſe; ſed non libet, à recepta iam ab omnibus, opinione, nouem Muſas aſſerente, diſcedere. Mimnermus, Cœli filias fuiſſe Muſas, autumat, & Ioue ipſo antiquiores; ſed non differt ab Heſiodi opinione, niſi in hoc, quod Heſiodus Iouem myſticè ſumit; Mimnermus verò hiſtoricè; nam Iupiter pro Cœlo ipſo, & aere ponitur, quarè in hoc ſenſit Muſæ Cœli filiæ Iouis erunt filiæ non antiquiores. Si verò fabuloſa ſpectetur hiſtoria Cœlum Pater Saturni fuit, Saturnus Iouis; idcòq; Muſæ, quæ Cœli filiæ fuerint, Ioue antiquiores profectò eſſent dicendæ. Quarè ſi Iupiter pro Cœlo ipſo ſumatur filiæ Cœli ſunt filiæ Iouis; & coincidit ſententia prædictorum: Si fabuloſa ſpectetur Genealogia differunt Auctores citati; vt ex dictis patet Muſarum Nutricem Euphemen fuiſſe dixerunt, ideſt boni nominis laudem, ac gloriam; nam hæc Muſarum omnium altrix eſt. Muſas eſſe ſphœrarum animas alij docuere; ita vt Vrania ſit Anima Stelliferi Cœli; Polymnia Saturni; Terpſichore Iouis; Clio Martis; Melpomene Solis; Erato Veneris; Euterpe Mercurij; Thalia Lunæ; &, cum octo ſint Muſæ iam memoratæ, nonam ſubinde addiderunt Calliopem, ideſt bonum, ex ſphœrarum omnium concurſu, harmonicumq; concentum; ſphœras enim harmonicas eſſe omnibus iam antiquis decantatum, probatumque fuit. Si igitur Muſæ ſphœrarum animæ ſunt certè Iouis filiæ ſunt, cum Iouis opus Cœlum cenſeretur, vt vidimus telam Proſerpinæ ex-

plicantes lib. 1., & filiæ Iouis prout Iupiter Cœlum ipſum dicitur eſſe, quatenus Muſæ Syrenes dicuntur ex ipſo Cœlorum motu progenitæ; Niſi velimus, cum Muſæo, Muſarum duo genera celebrare alias nempè Cœlo genitas, & ſub Saturno fratre vigentes, alias minores natu Iouis filias, agnoſcentes. Si vniuſcuiuſq; Muſæ ſingillatim proprium exponere officium, hoc facilè exprimunt Carm. iam ferè in triuijs decantata, quæ tamen hic recenſere non renuo, & hæc ſunt.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit;
Melpomene tragico proclamat mæſta boatu:
Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia:
Dulciloquos calamos Euterpe flatibus vrget;
Terpſicore affectus Cytharis mouet, imperat, auget;
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu;
Carmina Calliope libris heroica mandat;
Vrania Cœli motus ſcrutatur, & aſtra;
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu
Mentis Apollineæ vis has mouet vndiq; Muſas;
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Muſis itaq; Apollo præeſt, Vatibus Muſæ; &, nil ſe profi-cere, Vates apertè profitentur, niſi propria cuiq; arrideat Muſa: quarè Muſas dicitur Vatis excitare, qui Vatem ad Carmina mittet concinnanda. Sed cur in Antris à Poeta noſtro Muſæ collocentur? Cur non potius in ſphœris, vndè ortum habuiſſe dicuntur; aut in Parnaſſi Iugis cum earum Principe Apolline collocantur? Sciendum Nymphis quidem omnibus; ſed Muſis præcipuè antra fuiſſe dicata, quaſi antris ſummopere delectarentur. Quod indè fortaſſis factum, quia ſolitudine gaudeant Muſæ, vt faciliùs, ſemotis diſtractionibus, ad erudiendos Vates incumbant, iuxta illud Ouid. *Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.*

Comprobat, hanc antrorum dedicationem Muſis fieri ſolitam non vnica Muſarum denominatio; nam primo Cythæriades dicuntur a Cythærone monte, in quo, vt aliqui aſſerunt, fuerit Antrum quoddam, quod *Sphraagium* nominarunt, ibiq; Muſas ſolitas dictitant vaticinari. Secundo dictæ ſunt Pimpleiades à Pimpla Macedoniæ fonte ad radicem Pimplæi montis, vbi Antrum Muſis addictum fuiſſe referunt. Tertio appellatæ fuerunt Corycides ab antro Corycio apud Delphos, vbi oraculorum etiam reſponſa ab ijs reddita dicuntur. Adde ſemper Muſarum domicilia in montibus ſolita collocari, & montium perſæpè latera antris vtriq; ſtipari. Quibus omnibus à Vate noſtro expenſis aptiſſimè Muſas collocat in antris.

ET EXCVTIS ANTRA MVSARVM. Particula coniunctiua *&* Plectri motionem iam dictam copulat cum excitatione Muſarum, vt Vati cantum Plectro ſuggerant conſonantem. Verbi autem *excutis* viuacitas non facilè intelligi poteſt, niſi in ea, quæ ſequuntur, oculos conijciamus. Aduerte igitur Poetam loqui hic de Muſis dormientibus, quæ impulſu Florentini expergiſcuntur. Sicuti igitur proprium illius, qui velit aliquem, graui ſopore detentum, excitare, eſt eum manu apprehenſum quatere, vt motu illo repentino, ac violento excitetur; ſic Poeta naturam imitatus, Florentinum Poetæ Muſas quatientem inducit, vt excitentur à ſomno. *Excutere* enim idem eſt, ac vehementer quatere, & *quatere ex*, ideſt ex ſomno deturbare; ex quo antecedenti conſequens nobis intelligendum relinquit, nempè Muſas excitatas ad cantum inuitari. Ideò *Excutis Antra*. Si ad ſuprapoſitam eruditionem de Muſarum antris reſpiciamus, continens hic poſitum agnoueris pro Muſis contentis; non enim *antra*; ſed antrorum certè Incolas excitat. Verùm, etiamſi vltrò conceſſerim ad datam eruditionem reſpexiſſe Poetam; attamen alium ſub eruditione latentem ſenſum habuiſſe non dubitauerim. Proprium eſt cuiuſcumq; probatæ notæ Auctoris ſua ſemper, ac ſe ipſum deprimere; quod cum optimè nouerit Claud., vt ſe humiliter de ſe ipſo ſentientem indicet, Antrorum Muſis addictorum nomine, proprium, vt arbitror, deſignat pectus; ſedem vtique Muſarum præclariſſimam, cuius tamen ipſe præſtantiam extenuans, *Antrum* appellat, poſito plurali numero pro ſingulari, quod per Synecd. vſitatiſſimum reperies. Nam ſicuti *Antrum*, quantumuis expolitum, ſaxeiſque deiectis ſcrobibus, leuigatum, ſemper tamen incommodam admodum ſuppeditat ſtationem; ſic ipſe pectus ſuum *antrum* appellans innuit incultum, incommodum, ac vile Muſis habitaculum præbere, adeòq; incondita tantum carmina prolaturum; nam licet illud Muſæ non dedignentur, tamen non niſi incommode, ex incommodo loco, ſic indicat, locituras. Et in hoc ſenſu propria erit acceptio verbi *Excutis antra*; certe enim pectus ſomni pariter, & excitationis eſt capax; &, cum ex concuſſione pectoris quidquid in pectore eſt, quatiatur; ſequitur, vt & Muſæ in illo degentes, & quatiantur, & excitentur. Ideò *excutis antra Muſarum*; hoc eſt Muſis inhabitantibus ſacra; id enim indicatur per poſſeſſiuum illud *Muſarum*.

TORPENTIA LONGO SOMNO. Indicat hic Vates apertè comparationem ſui ipſius cum Orpheo factam, quo ad diuturnitatem taciturnitatis, pari paſſu procedere; nam, ſicuti de Orphei taciturnitate initio dixerat

Otia ſopitis ageret cum cantibus Orpheus
Neglectumq; diù ſepoſuiſſet opus;

Sic, de ſui ipſius taciturnitate iam loquens, diù iam, ſepoſito opere, ſe conticuiſſe declarat, dum pectora ſua innuens, ait

Antraq; Muſarum longo torpentia ſomno
Excutis &c.

Quo ad hanc igitur partem exactè procedere oſtendit paritatem; licet, quo ad canendi peritiem, ſe longe faciat Orpheo inferiorem, dum de illo cum dixiſſet

Pollice feſtino nobile duxit ebur.

de ſe ipſo hic loquens *Antrum* ſe vocat neglectum. *Antraque Muſarum longo torpentia ſomno &c.* Quid ſit *torpêre*, à quo partic. eſt *Torquentia*, vidimus ſupra Carm. 18. ſed ſi vnquam verificatur illius verbi ſignificatio, maximè in dormientibus verificatur. Quid enim dormiente ſegnius, quid languidius, quid remiſſius? Torpedinis effectum ſortitur ſomnus in humano corpore ita, vt vires omnes debilitet, & infringat, ſenſum abripiat, potentias omnes, quaſi vinculis obſtrictas, detineat. Imago mortis ſomnus eſt, & vt Vates ait, quies ſimillima morti. Quid autem mortuo inutilius, quid magis torpens, & languidum? Nullam habet ad quamcumque vel minimam actionem mortuus potentiam: Dormiens habet quidem, ſed conſopitam adeò, vt periodè ſit, ac ſi nullam haberet. Quarè *torpentia ſomno* idem eſt, ac inhabilia, & ignauo quodam veterno colligata.

LONGO SOMNO. Longum quidem dicitur quod quantitatiuum eſt, ita vt commenſurari poſſit; cum autem quies nil aliud ſit, quam ceſſatio à laboribus, non videtur commenſurabilis, cum pura priuatio ſit: longa tamen dicitur, reſpectu durationis, hoc eſt diuturna. *Somnus* itaq; vt dicebamus, nil aliud quam quies eſt, & ceſſatio ab exercitationibus potentiarum in animantibus; ſicuti fuſiùs etiam diſſeruimus lib. 1. Carm. 275., vbi etiam de ſomno, qui Deus crederetur ſatis egimus. Hæc quies, vt ibi diximus, cauſatur ab humoribus ad Cerebrum ſublatis, qui cum ibi fuerint refrigerati (frigidiſſimum enim natura ſua cerebrum eſt) decidentes calorem cordis refrigerant, ac eodem tempore obſtruunt craſſitudine ſua ſpirituum meatus, quarè, cum nec refrigeratum cor ſpiritus, quorum fons eſt, tranſmittat, nec qui, iam membra peruagantes, neruos omnes in laborem excitabant, excurrere per obſtructos poſſint meatus, ſequitur, vt conſopitum Animal ab omni prorſus quieſcat actione, &, tamquam mortuum, inutile iam iaceat pondus. Sed ex ijs licet hic perpendere eximiam prorſus Poetæ noſtri eruditionem, quæ adhuc in hoc inſiſtit, vt ſe incondita prolaturum profiteatur. Facilis profectò explicationis eſt textus iſte, ſi dicamus, hæc per allegoriam dicta ſignificare Claudiani Muſas longa taciturnitate detentas, nam dormiens, pleno ſopore oppreſſus, non loquitur &c. ſed altiùs arbitror diſquirendum. Mihi certum eſt, quæſtionem de habitibus a Poeta noſtro hic eruditiſſimè attingi. Quæritur itaq; communiter à Phyloſophis, nùm in potentijs externis dentur habitus; v. g. in manu ad pulſandam Cytharam, in pede ad Choreas ducendas &c. Partem affirmatiuam ſequuntur alij, alij negatiuam. Nos, quæſtionem huiuſmodi in Phyloſophia noſtra diſcutientes, nullum diximus in huiuſmodi potentijs dari habitum ſuperadditum; ſed totam facilitatem, quam in his potentijs experimur per frequentatos actus augeri, prouenire, non ex habitu, ſed ex eo, quod aſſiduo membrorum exercitio extenuentur, & exſiccentur frigidi humores, qui, neruis adhæreſcentes, pigriores eos reddebant ad motum, quibus exſiccatis, & diſſipatis; quaſi vinculis ſoluti nerui, nulla difficultate, ſed immò tota naturali agilitate mouentur: ſic autem vice verſa exercitio neruorum ceſſante ſuccreſcere iterum, dicebamus, & addenſari humores frigidi circa neruos, eoſq; quaſi glutine, circumligantes tardiores ad motum reddere, ac difficiliores. Quod autem de manu plectrum exercentis, ac de pede ſaltantis diximus, proportionaliter dicendum de lingua canentis: & experiuntur profectò Muſici, clariori ſemper ſe voce canere, quo frequentiùs vocis organa exercent, quia illa, aſſiduo exercitio, à pituitis concurrentibus expurgantur: at, ſi diutiùs ab exercitio ceſſent canendi, ſuperaffluentibus iterum humoribus, qui è cerebro

ego decidunt, facilè raucedinem contrahunt. Quid igitur eſt *Ecce et antra Muſarum longo torpentia ſomno*? Certè nil aliud indicat, niſi ſe incondita daturum, cum iam ex longa deſuetudine, frigidis ex ſomno humoribus ſuccreſcentibus raucedinem ſua Muſa contraxerit; ita vt minus iam ſit ad cantum idonea. Neq; dixeris, Poetam ad hæc reſpicere non potuiſſe, quia, licet, poeticè loquens, & plectrum excitatum, & Muſam ad cantum indicet inuitatam; nil tamen horum erat peragendum; Sed tantùm carmina erat ille paginis demandaturus: ad conficienda autem hoc pacto Carmina, non requiri organorum vſum, ſed ſufficere ſolam animam intellectualiter agentem; atq; ideò fruſtra aſſeri, Poetam attingere voluiſſe difficultatem de habitibus in potentijs externis: facilè namq; hæc obiectio diluitur; dum enim allegoricè ſimul, & eruditè loquitur Poeta, nonne ad ea reſpicere debet, quæ ad ipſam allegoriam ſtabiliendam neceſſariò pertinent? Atqui Plectrum mouendum, Muſam inducit cantaturam, conſequenter debuit, & eas conditiones innuere, quæ huiuſmodi motui, vel cantui, facilitatem, aut difficultatem valeant attribuere. Sed eſto ex his figuris, ac parabolis ſola intellectualis operatio eſſet intelligenda: maiori adhuc eruditione aſſurgeret, hoc eodem textu, Claudianus; nam primo alluderet ad commune prouerbium, quo oſtenditur, etiam ſapientiſſimos quoſque inconditis interdum quibuſdam deturpari; hoc ipſo ſub figura ſomni adumbrato, dum dicitur; *Quandoque bonus dormitat Homerus*. Intellectum enim dormitare nil eſt aliud, quam ab exercitio perfectiſſimæ operationis vel omninò ceſſare, vel ſaltem illius intenſionem remittere, ex qua remiſſione facilè ſubindè inducitur omnimoda ceſſatio, atque ex ceſſatione acquiſiti iam habitus vel omnimoda corruptio, vel ſaltem talis ſuppreſſio, vt perinde ſit, ac ſi intellectus habitu priuaretur; nam ex ceſſatione actuum, ceſſat & ſpirituum concurſus, & recurſus, atque adeò ſuccreſcentibus humoribus frigidis obſtruuntur cerebri meatus, qui tranſitum ſpiritibus à ſinu in ſinum eiuſdem cerebri præbent, atque ideò habitus, qui in poſteriore parte cerebri aſſeruantur, langueſcunt inutiles, vel, vt alij volunt, frigidis illis humoribus obruti, deficiente ſpirituum concurſu omninò deſtruuntur; atque hinc eſt, vt per longam deſuetudinem facilitas ex intellectu ipſo tollatur; & conſequenter ad hoc, vt redeat ad actus, & difficultas aderit, & rudiori etiam minerua decurret, quaſi ex illa ceſſatione rubiginem contraxerit intellectus ipſe. Cum itaq; hæc ex humoribus frigidis, à quibus etiam ſomnus, procedant; iure dicuntur *antra Muſarum*, hoc eſt *Cerebri receſſus*, in quibus habitus concinnandi carmina aſſeruabatur, *longo torpentia ſomno*, excutienda quidem, ſed incommodè, atq; inconcinnè in actus proditura. Quarè vel figuras iam ſpectes, vel figuratum, ſemper Poetæ ſententia ad quæſt. de habitibus habebit relationem. Si figuram, ſeu ſimplicem ſpectes allegoriam, quæſtionem de habitibus in potentijs externis reſpicit: Si ſignificatum per allegoricas figuras indagaueris, quæſtionem de habitibus in intellectu non effugies. Quia autem illa facilitas operandi, quæ habitus dicitur, non corrumpitur niſi per longam ab actibus ceſſationem; ideò prudenter ait Poeta; *longo torpentia ſomno*. Aduerte autem ſententiam Poetæ de Muſis dormientibus alludere ad antiquorum ſententiam aſſerentem Muſis præcipuo amicitiæ fœdere ſomnum conſociari, ex quo etiam factum fuerit, vt apud Træzenios antiqua fuerit Ardali Ara, in qua Muſis ſimul, & ſomno coniunctiſſimo ſacrificabatur; facile eſt enim Muſas obdormire, niſi aſſiduo vigilent exercitio deſudantes.

ET DVCIS, *Ducere* idem hoc loco eſt, ac *attrahere*, ſed tali attractione, quæ non violentiam inferat, ſed ſuauiter alliciat, ita vt, non inuitas, ſed vltrò ſequentes extrahat voces. Alludit autem hic ad ſententiam de diuerſa Fatorum efficacitate in operando, quam fusè explicuimus lib. 1., atque in eo ſenſu, in quo, & Seneca ait: *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt*. Oſtendit igitur Poeta hic Florentini ſuaſionem, ſeu excitationem, per expreſſum peracta deſiderium, vim penes Vatem fati obtinuiſſe, ſed *dulcis Fati* volentem, ſcilicet ducentis; Ideoq; addidit

PLACIDOS SONOS. *Placidus* enim idem eſt, ac *mitis, ſedatus, tranquillus*. Placidus itaq; vocis dicitur ſonus qui ſpontè, ac lubens ex ore diffluit, nulla renuentis ſpiritus contentione exaſperatus, ac ſe facilem præbens excitanti. *Sonos* autem in duplici poſuit alluſione, ita vt ſcilicet & motis, Cytharamque pulſantibus correſpondeat Plectris, & ad vocem, quæ Cytharæ ſono conſonans exire debeat principaliter referatur. Atque, in hoc ſecundo ſenſu, noueris ſonum genericè poſitum, pro ſono ſpecifico vocis: principaliter autem ſic eſſe intelligendum nomen *ſonos* patet, quia, ad ſpecificationem, ſubdit

AB ORE. Ideſt ab Ore ipſius vatis excitati. *Os* autem hic ponitur in propria ſignificatione; ſed ita, vt nomine oris, veniant omnia illa, quæ ad vocis efformationem concurrunt, vt in ſimili dicebamus lib. 1. Carm. 14. vbi etiam aliqua innuimus ad efformationem vocis ſpectantia. Claver. & Raphelengius, apud Heinſium, legunt hoc loco *Excutis, & placido ducis ab ore ſonos*; quam lectionem fortaſſis ſecuti ſunt, vt melius exprimeretur ſpontanea illa vocis eruptio, de qua nos ſupra. Quarè non video cur eos redarguat Heinſius, qui & ipſe vulgatam deſerit legens *Excutis, & Placidos ducis in orbe Choros*; quam lectionem ſuam immeritò damnari à Barthio dictitans, ex varijs Auctorum locis nititur comprobare, & *ducere choros* eleganter dici notius omnibus contendit. Ego non negauerim profectò dictionis elegantiam; ſed an bene hic conſonet aduertendum; nam, & Margarita quidem, & Adamas gemmæ ſunt, & quidem magno pretio æſtimandæ, ſed non in vnoquoque metallorum genere eodem modo micant inſertæ. Profectò *ducere Choros* videtur importare actionem ipſius ducentis in Choros ipſos. Sic optimè dicuntur Muſæ ducere Choros, cum Cantus peragunt ſuos &c. Certè autem non cecinit hic Florentinus, ſed Claudianus; video Heinſium reſpondere, poſſe Florentinum duxiſſe choros, non vt actor ipſius Chori, ſed vt *Choragus*, Ideſt vt Magiſter, ac director Chori. Optima & erit fateor, interpretatio; ſed hoc ipſum oſtendit Amphibologicam eſſe lectionem, quæ explicatione, ac diſtinctione indiget, ne in contrariam partem ſenſum inclinet ſuum. Quarè ſatius exiſtimaui cum Barthio, Parthaſ. & alijs vulgatam ſequi, quam Barth. cæteris omnibus aſſerit præferendam.

Collige, quo ad mores, iniquiſſimum eſſe qui debitam virtuti deneget laudem; nam virtutem agnoſcere, eamque nihilominus fraudare laudibus, perinde eſt, ac ſi nos ipſos virtutis ipſius hoſtes fateamur. Dupliciter autem laudari profectò virtus poteſt, vel directè ipſius glorias extollendo, vt ab Orpheo factum cernimus, qui laudes Herculis, hoc eſt omnium Ideæ virtutum, decantauit; vel indirectè, ſed efficaciter tamen, nos ſcilicet, noſtraque omnia agnitæ virtuti libenter addicendo, vt facit Claud. hic, qui, morem Florentino gerens, heroicam ſuam Poeſim, excitantis eius intuitu virtutis, proſequitur, illique Plectri ſui laborem dedicat, & addicit. Vtroque modo ab ingenuis colenda virtus: nam, virtutis, hoc pacto, cum ſe ſe amantes oſtendant, proprias vtique laudes, alienis in laudibus, proferunt cumulatas, licet ſe laude haud quaquam dignos profiteantur. Inuidorum eſt, non ſe faciles impulſui præbere virtutis: & vitijs adhæreat neceſſe eſt, qui ſe difficilem præbeat virtuti. Humiliter, hercle, de ſe ipſo vnicuique ſentiendum; ſed non ideò detrectandum, quin, quidquid ſumus, virtutum glorijs addicamur.

Ne itaq; & nos virtutum gloriæ aduerſantes exiſtimemur, ſi quæ poſſumus, Poetæ noſtri tributa rependere, detrectemus; tanti licet oneri impares, noſtros, fluxos vtrumque, addicamus labores, italico pro viribus metro concinnentes.

Tali del Thrace al commendar quel Prode
 Dall' harmonica lingua vſcîr gl' accenti,
 Ma tù, nouello Alcide à miei talenti
 Sei, che, dar ſpirto al pletro mio, ſi gode.
Tu, che, nel grembo alla Città fiorita,
 Godi l'aure beate, i fiori, e'l nome,
 Tu riſpingi da me l'otioſe ſome;
 Tu rendi alla mia Cetra e ſuono, e vita.
Gl' antri di queſto petto, oue nel ſonno
 Già di gran tempo intorpidîr le Muſe,
 Scuoti ſuegliando, e, del ſognar confuſe,
 Queſte il caro tuo ſpron ſcuoter non ponno.
Sieguon gl' impulſi: e tu gl' addeſtri in tanto,
 Con la maeſtra man, del ſuono i moti,
 Sì, che placido n'eſca, e dolce ruoti
 Gia ſprigionato, in ſen dell' aria, il canto.

Ea, quæ Virtutis æquè omnibus conceditur facultate, effingitur hic Florentinus ex Vrbis præfectura, qua fungebatur, vt dix. Florentiam animi gratia diuertiſſe, licet hoc non habeatur ex Claudiani textu. Sed nulla ſine inuentione, ac fabula Poeſis.

IN SECVNDVM CLAVDII CLAVDIANI LIBRVM DE RAPTV COMMENTARIA.

Argumentum Libri ſecundi,

IN calce libri primi reliquerat Poeta Plutonem, inſtructo curru, præfinitum ad Proſerpinam rapiendam tempus expectantem, vt iter opportunè arriperet ad prædandum.
Initio itaque huius ſecundi libri, noui Solis ortum, expectatum ſcilicet à Plutone tempus, deſcribit: Subindè Venerem fraudes, lib. 1. inceptas, proſequentem inducit, quibus raptui Proſerpinam exponat. Exit igitur Proſerpina in agros Venerem ſecuta, ſpretis, quæ mater dederat, monitis; atque incaſſum edito ex ipſis cardinibus infauſti ominis prænuncio, quod, repentinis etiam fragoribus, mugitibuſque nequicquam cumulat Ætna. Prodit Ternario Diuarum comitata in Campos, quarum vna Venus conſcia furti, reliquas decipiens, ſoli technas tendebat Proſerpinæ. Hinc data occaſione, deſcribit Vates habitum, ornamenta, & adiuncta vniuſcuiuſq; Deæ, & Comites, quæ ſe Deabus addiderant Naiades. Tantarum hoſpitum inceſſu commotus Ætna Zephirum compellat, ac precatur, vt Cliuos floribus repentè fœcundet ſuos. Audiens dicto exponitur ventus; ideòq; & nouis Floræ gemmis ornata deſcribuntur Ætnæ viridaria. Populantur Deæ campos; Caniſtros implent: Coronas nectunt: tempora coronant &c. Interim accelerat Pluto; eiuſdemq; iter, atque ad auras eruptio, quam terræmotus præuenit, ingens horror comitatur, Cœliq; mutationes ſubſequuntur, accurato ſtylo in ordinem digeruntur. Rapitur denique Proſerpina, nec auxilijs omninò deſtituta; nam ad defenſionem Raptæ, vltionemque de Raptore ſumendam, inſurgunt Pallas, & Delia, ac Plutoni exprobrat illa facti indignitatem; iamq; in prælium ruentes obſiſtunt: Sed ſigno Iupiter dato arma, & impetus prohibet, atq; illæ nutui acquieſcere coguntur inuitæ, ac longum Proſerpinam valere iubent. Inſurgit hic Raptæ lamentatio, querelis vtiq; in Iouem ipſum referta, ſed præcipuè in Veneris fraudes excandeſcens, matremq; non audientem implorans. Solatur lacrymis indulgentem, ac queſtubus Pluto, atque in ſpem erigit melioris Cœli, imperium pollicitus, nec non obſequia exponens, quæ inferorum iam iam ſit acceptura Regina. Inter hæc equos in Tartara: mutatur Inferorum facies, vt Gaudia Regis induat &c. Ducitur in thalamum Virgo: Pronuba nox nuptiales peragit ceremonias, ac Reginam ſalutantium omnia ſubſequuntur.

Idem huius Libri ſecundi argumentum ſi cupias latinis expreſſum fidibus; accipe ex Marco Antonio Rubreno conſtructum, ſeù, meliùs dixerim, partim ex tertio ipſius Claudiani de Raptu, partim ex hoc ipſo ſecundo libro decerptum, referente Parrhaſio, qui argumentum huiuſmodi his obtulit exaratum.

Poſtera cum primo nituê.e crepuſcula Phœbo,
Fraude Dionæa, riguos Proſerpina ſaltus
(Sic Parcæ iuſsêre) petit, confiſa locorum
Præſidio: Famulæ longo poſt ordine Nymphæ,
Itur in æterno veſtitos gramine campos;
Et prima ſub luce legunt; cum rore ſereno
Albet ager, ſparſoſq; bibunt violaria ſuccos.
Sed, poſtquam medio Sol altior adſtitit orbe,
Ecce Polum nox atra rapit, tremefactaq; nutat
Inſula Cornipedum fremitu, curſuq; rotarum.
Diffugiunt Nymphæ; rapitur Proſerpina curru,
Imploratq; Deas. Verùm reuerentia Patris
Obſtitit auxilio; nam Iupiter æthere ſummo
Pacificas rubri contorſit fulminis alas
Confeſſus generum: Stygiaq; Hymeneus in Aula
Perſonat: & Læti peragunt conuiuia Manes.

CLAVDII CLAVDIANI
De Raptu Proſerpinæ
LIBER SECVNDVS.

IMpulit Ionios præmiſſo lumine fluctus,
Nondum pura dies; tremulis vibrauit in vndis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.
Iamq; audax animi, fidæq; oblita parentis,
Fraude Dionæa; riguos Proſerpina ſaltus
(Sic Parcæ voluêre) petit: ter cardine verſo
Præſagæ cecinere fores: ter conſcia Fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Ætna.
Nullis illa tamen monſtris, nulloq; mouetur
Prodigio Comites greſſum iunxêre ſorores.

IMPVLIT IONIOS &c. Ab effectibus orientem Solem deſcribit, vt, tempus raptui præfinitum aduenıaſſe, iam innuat, correſpondens ijs videlicet, quæ iuſſu Iouis præordinata cecinerat, & ad Veneris aures expreſſa, lib. 1. Carm. 222. Notatâ autem temporis opportunitate, diſpoſitiones attingit à Venere in Proſerpinam inductas, vt faciliùs raptui exponeretur, nempè nimiam de ſe ipſa fiduciam, liberam animi audaciam, quæ potiùs procacitas dici potuiſſet, ac procliuem ad relaxandos animos propenſionem, quibus factum, vt illa Matris præcepta negligeret, ac poſthaberet, in campos contra datam Matri fidem proceſſura; hoc ipſo digna, quæ etiam à Ioue Patre meritò deſtitueretur. Non deſtitutam tamen oſtendit Vates, dum immiſſis, Iouis certè iuſſu, prodigijs, futura illi ominantibus infortunia obuallatam Proſerpinæ deſcribit eruptionem. Hæc tamen incaſsum cecidiſſe notat, non quidem ex defectu prodigiorum, quæ certè apta fuerint ad effrenatiſſimum

mum quemque reuocandum ad mentem; ſed ex deffectu ipſius Proſerpinæ prodigiorum obſeruationem contemnentis, vel non ſibi infauſtum portendere interpretantis. Refundit tamen Poeta hanc ipſam Proſerpinæ ſocordiam in fatorum diſpoſitionem, vt innuat, errantem, cum, iam punitione premendum, a fatis decretum ſit, ab iiſdem obcæcari, ne videat; quæ ſibi ad ſalutem adſint, effugia. Proſerpinam itaq; Venus, Pallade, ac Delia comitantibus educit fraudolenter in campos.

IMPVLIT IONIOS &c. Tribus primis carminibus Orientem Solem, per hyppotipoſim ab effectibus deſcribit; ad quorum intelligentiam, & explicationem

Notandum primò, Mare illud, quod, vt alibi diximus, circumplectitur terram, Oceanum dici; hoc autem, ex quatuor partibus in continentem illapſum, varia nomina ſortiri: nam, qua ad Orientem vergit, Perſicum dicitur; qua ad Occidentem, Atlanticum. qua ad Meridiem, Arabicum, ſeù Rubrum Mare, vel Erithræum: qua ad Septentrionem, Caſpium. Aſt, vt clariùs procedamus, Oceanus dicitur mare illud, quod vltra Herculeas Columnas extenditur; quod verò citra columnas in continentem illabitur, Mediterraneum nuncupatur, quia mediam alluit terram, ſeù per medium ſe ſa terrarum inſinuat, & protenditur. Hoc autem iterum diuiditur in Mare ſuperum, & inferum. Mare ſuperum eſt illud, quod ab Italia noſtra Orientem verſus extenditur: Inferum verò, quod ab eadem Italia in Occidentem intumeſcit. Vtrumq; autem hoc mare varia ſortitur nomina, iuxta diuerſas, quas alluit, regiones; nam, de mari infero loquendo, qua Balearicam reſpicit, Balearicum nuncupatur; qua Galliam Gallicum, qua Liguriam Liguſticum &c. nam plures ſunt eiuſdem denominationes. Pariter Mare ſuperum, qua Siciliam alluit, Siculum dicitur; qua Cretam cingit, Creticum &c. nam plures ſunt & huius denominationes. Poſita autem hac de maribus cognitione;

Notandum ſecundo, pro certo habitum ab antiquis Solis currum, occidente Sole, in Oceanum demergi: quare Virg. Georg. 3. ait

Tum Sol pallentes, haud quaquam diſcutit vmbras,
Nec cum vectus equis altum petit æthera; nec cum
Præcipitem Oceani rubro lauit æquore currum.

Alij tamen credidere, Solem, cum ad Occaſum peruenerit, relicto curru, Amphitritis gremio excipi ad quietem; atq; ad Orientales plagas dormientem transferri; currum vero ab Horis ad eaſdem duci plagas, vt præſto ſit ad curſum excitato; quod ferè coincidit cum eorum opinione, qui dixerunt, Solem, vndis merſum, Oceanum tranſnatare, donec in orientalibus plagis iterum emergat. Hic nullam, pro irrefragabili, ſtatuit opinionem Poeta; ſed ea vſus eſt voce, quæ ſingulis proportionaliter ex prænarratis opinionibus aptari poſſit. Ideò

IMPVLIT. *Impellere* enim eſt *retrorſum pellere*, & *à ſe remouere*. Vel in curru igitur emergat; vel ſine curru ex Amphitritis gremio aſcendat expergefactus; vel natans ex imo Oceani ad ſupernas partes exſurgat, certe ad modum natantis hoc illi efficiendum eſt: Proprium itaque natantis eſt vndam diuidere, & à ſe, quantum poteſt, in anteriorem partem remouere: quod propriè eſt *vndas impellere*; cum enim nulla detur naturaliter corporum penetratio, non poteſt vrinator ex vndis emergere, niſi & vndas frangat, & eaſdem à ſe ipſo vtiq; remouens impellat. Quarè ad indicandum Solem ex vndis emergentem nulla aptiori dictione vti potuit, quam iſtâ: *Impulit Ionios fluctus*. Adde, Poetam, hoc pacto, dictionem ſuam naturalibus rerum euentibus accommodaſſe. nam, vt ſatis obſeruantibus patet, oriente Sole, ſuaues ex orientis partibus ſpirant auræ, quæ vndas in contrariam partem, nempè occaſum verſus impellunt; & quia hæc ventorum excitatio ipſi Soli, tamquam cauſæ excitanti, attribuitur, ideò & ipſa aquarum impulſio eidem adſcribitur, cum cauſa cauſæ, ſit cauſa cauſati, vt alias diximus. Ideò *Impulit*

IONIOS FLVCTVS. Quid fluctus ſit iam vidimus lib. 1. Carm. 255. quarè hic properans de Ionijs tantum iam loquar. Ionium itaque Mare, (quod, hoc loco, intelligitur, per *Ionios fluctus*) pars eſt maris Orientalis, quæ ſupra fauces Adriatici inter Siciliam, & Cretam expanditur: quarè Ionium mare in Siculum, & Creticum, Antiqui olim Græcorum diuidebant, vt innuimus ad Præf. lib. 1. Carm. *Ægæas hyemes, Ioniaſq; domat*.
dictum eſt autem Ionium ab Ionia Aſiæ minoris regione inter Cariam, & Æolidem ſita; cum pars maris ſuperi ſit Orientem verſus. Ponit autem hanc partem Vates, vt totum indicet, ſed totum per partem, quæ ad Siciliam etiam pertineat, ne longè a ſubiecta rerum materia diuagetur, ſi per partem remotiorem totum mare naſcentibus Phœbi radijs ſubiectum deſignaſſet. Huius itaque maris vndæ, oriente Sole, Euri afflati occaſum verſus detruduntur: ſicque *Impulit Ionios fluctus*

DIES. Ponitur hic effectus pro cauſa; nam Dies Solis effectus eſt; hic autem ponitur pro ipſo Sole, & quidem primo Oriente. Ideò *Dies*

NONDVM PVRA. *Nondum*, Aduerb. temporis, idem ſignificat, ac *nequadhuc tali tempore; nec dum*; ſeu *neque dum*: eoq; indicatur momentum hic illud, quo primo albeſcit dies: quo tempore videntur adhuc admixtæ phœbeis fulgoribus tenebræ; ideò nondum

PVRA DIES; nempe non adhuc tenebris expurgata. Hanc primam Solis lucem, quam noſtri Crepuſculum matutinum vocant, *lucem incertam*, *lucem dubiam* vocitarunt Antiqui; nam adhuc inter diei, noctiſq; confinia, ita obluctat tenebris lux, vt commiſceri videantur, ac tertium quid efficere, quod neque omninò dies, neq; omninò nox dici poſſit; atq; adeò dies impura dicitur, idest tenebris, nondum prorſus cedentibus, adhuc infuſcata; *Primos Albores* vulgò nuncupamus. Purificatur autem dies, cum, altiùs ſeſe promouentes, ſolares radij eam vmbrarum admixtionem euincunt, ac prorſus eliminant Cœlo, atque adeò clara iam lux Solis triumphat. Nondum igitur pura dies erat; idest, oriebatur quidem Phœbus, ſed primo quaſi vagiens ortu, ac debilem, adhuc infans deſpuens lucem: ita vt tempus inter noctis adhuc, & diei confinia ambiguum fluctuaret.

PRÆMISSO LVMINE. Alludit hic Poeta ad eam, quam refert Seruius, diſtinctionem inter lumen, & lucem: *Lumen enim*, inquit, *ſplendor eſt, ſed fumis admixtum: Lux* verò *purus ſplendor eſt abſque vlla fumi infuſcatione*: cum itaq; diem nondum puram ſtatuerit Poeta noſter, hinc eſt vt illi *lumen*, ſplendorem ſcilicet infuſcatum; non autem *lucem* attribuat. Ideò *præmiſſo lumine*. Præmittere eſt *ante ſe mittere*. Nitebatur itaq; Sol in ortum, ſed, nondum omninò emerſus vndis, miſerat ante ſe lucem illam, quæ tenebris reſiſtentibus immixta, impura adhuc fuiſſe dicitur. Quod ſi magis clarè hoc ipſum expreſſum cupias, vide dicta lib. 1. Carm. 222., eadem enim hora, quæ ibi ſtatuitur, hic exprimitur: primum enim auroram vtrobiq; indicatam, ac per periphraſim deſcriptam conijcies. Sed, vt clariùs percipiatur, quomodo dici poſſit Sol oriens *præmittere*, ſeù *ante ſe mittere* lumen, memineris, Solem eſſe corpus luminoſum, hoc eſt luminis, ac lucis productiuum; Lumen autem, ac lucem, eſſe qualitatem, quæ à corpore luminoſo promanans longè, lateq; diffunditur, adeòq; corpus luminoſum eſſe quaſi centrum illius ſphæræ, cuius circumferentiam efformant extremi lucis radij. Quo poſito: ſicuti, ſi centrum, in medio ſphæræ immobiliter ſitum, velis mouere, neceſſe eſt, vt tota ſphæra moueatur, ac circumferentia eiuſdem præmoueatur ad locum, ad quem centrum dirigas; ſic, dum Sol mouetur, neceſſe eſt, vt ſuæ lucis circumferentiam præmoueat, motu ſuo; *præmittere* autem dicitur, non quia aliquid à ſe ſeiunctum, & ſeparatum mittat ante ſe, ſed quia lucem, quam ad certam ex ſe emittit diſtantiam, ad nouum, dum ſe mouet, longè à ſe promouet ſpatium. Mediante autem lumine efficit diem; ideò, *præmiſſo lumine*, dieſcere incipit, ſed impure, donec, præſenti ſubindè corpore luminoſo, clarior, ac vegetior lux effulgeat: quo magis enim lumen a luminoſo producente elongatur, debilior fit, ac tenuior, vt patet in lumine facis; nam ſi fax, inter tenebras, ad cubiculum, in quo ſis, deferatur, certe priùs in cubiculo aderit lumen, quam fax; ac primo quidem lumen tenue admodum, ſed quod magis, magiſq; conualeſcet, & clareſcat; quo magis fax accedat; donec, comportata in cubiculum face, plenâ luce iam omnia colluſtrentur. Proportionaliter igitur ortui Solis experientiam applices, & agnoſces, quam apte dictum ſit;

Impulit Ionios præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies.

ARDOR. Ardorem pro ſplendoribus poni vſitatiſſimum reperies apud Poetas: Sic Virg. Æn. 10. luminam Troiani ducis Galeam fulgoribus coruſcantem expreſſurus, inquit:

Ardet apex capiti, Criſtiſq; à vertice flamma
Funditur, & vaſtos vmbo vomit aureus ignes.

Sic & Torquatus Hieroſ. Lib. cap. 1. luminoſa expreſſurus Chriſtiani exercitus arma, inquit

In tanto il Sol, che ne celeſte campo
Se va ſempre auanzando, e in alto aſcende,

L'armi

L'armi percuote, e ne trahe fiamme, e lampi
Tremoli, e chiari, onde la viſta offende.
L'aria par di fauille interne auuampi,
E, quaſi d'alto incendio in forma, ſplende &c.

Stellis etiam *ardor* tribuitur, cum ſplendentia ſignificantur, quod paſſim apud probatiſſimos Auctores inueneris. Hoc autem ex eo prouenit, quia adfuit antiquorum quorumdam Phyloſoph. opinio, quæ Solem, ac ſtellas, cum Anaxagora, igneas glebas, vel candentis ferri maſſas aſſeruit. Alij etiam vaſa eſſe igne plena dixerunt, quæ ſcilicet ſplendorem ſimul, & ardorem euibrarent. Alludit igitur & Auctor noſter ad iſtiuſmodi ſententias; ſed & vlteriùs Solem paulatim aſcendentem deſcribens, temporis motum metrica delineat menſura, ac varios gradus, quibus lux paulatim augetur gradatione ſua commenſuratos exponit: nam in primo gradu incertam poſuit lucem, nondum planè à tenebris depuratam; quod & poſtea imitatus Torquatus Hieroſol. Lib. Cantu 18. ait

Era nella ſtagion, ch' anco non cede
Libero ogni confin la notte al giorno;
Mà l'oriente roſſeggiar ſi vede,
Et anco è il Ciel d'alcuna ſtella adorno &c.

In ſecundo ſubindè gradu eleuationis eiuſdem Planetæ ardorem collocat; hoc eſt viuaciorem (nam certè ſummo manè æſtus non ardet) Solis lucem, quam nomine ardoris cum cit. Phyl. deſignat; prout ſubindè Torquatus, loco cit. Euripidem ſecutus, qui aureas glebas eſſe Solem aſſeruit, & ſydera omnia eadem vſus gradatione, ait

Così pregaua, e gli ſorgeua à fronte
Fatta già d'oro la vermiglia Aurora.

ardere enim, & aurum ſuis accenſum ſplendoribus dicitur. Verùm, non neglectis aliorum, quas hic certè attigit Auctor, opinionibus, aduertes, ab eo hic naturam, ſeù certè naturalium effectuum apparentias præ oculis habitas fuiſſe: cum enim recens emergit ex Oceano Sol, ita fulgoribus ſuis propinquos Orientalis Oceani fluctus inficit, & colorat, vt è longinquo intuentibus videatur æquor flammas concepiſſe, atq; ardoribus vndiq; conflagrare. Ideò *ardor*

VIBRAVIT. *Vibro* verbum vtique actiuum eſt, vt plurimum, actionem in aliud tranſeuntem importans, vt patet ex Virg. Æn. 11. vbi ſic

Aduerſi campo apparent; haſtaſq; reductis
Protendunt longè dextris, & ſpicula vibrant.

ex quo factum arbitror, vt Parrhaſ. legerit hoc loco: *tremulis vibratur in vndis &c.* ſcripta aliqua ſecutus, quæ innuit Heinſius, licet ipſe nobiſcum legere maluerit. Quarè obſeruandum nobis iam eſt, verbum illud *vibro* non ſemper actiuum eſſe; ſed neutraliter etiam ſæpè, atq; intranſitiuè vſurpari, pro *emico*, ſeù *exilio*, vt patet ex eodem Virg. Æn. 2. dicente

Sybila lambebant, linguis vibrantibus, ora,

vbi vides partic. *vibrantibus* pro micantibus poſitum: & Æn. 10.

Vibranti cuſpis medium tranſuerberat illu.

In hoc itaq; eodem ſenſu dicitur ab Auctore hic *vibrauit ardor*; hoc eſt *emicuit*; in quo item effectum ſequitur naturalem; *emicare* enim eſt, quaſi ſumma mobilitate, exilire, velociadeò motatione, vt vacillantibus omninò progreſſibus tremere videatur, qui dicitur exiliens emicare. Nota itaq; effectum illius ardoris, cuius ſpecie iam diximus, oriente Sole, aquas ſuffundi, & videbis ex vndarum motu factum, vt ille ardor, caprarum in morem laſciuientium, exiliens, ac tremulis vacillans motibus videatur. Ideò *vibrauit ardor*: & cauſam ſubdens, iuxta explicata, inquit

TREMVLIS IN VNDIS. *Vnda* propriè fluctus eſt, ideſt aquarum moles, ventis, vt alibi diximus, agitata. Verùm hic pro fluctu quidem accipitur; ſed fluctus eſt leni ventorum afflatu criſpatus potiùs, quam tumeſcens; videmus enim leues, vt ſupra dicebamus, auras, Orientis prænuncias Solis, incumbere mari, ac fluctus occaſum verſus impellere, atque ad eas alluſit Torquatus, loco ſupra citato, inquiens

E ventilar, nel petto, e nella fronte
Sentia gli ſpirti di piaceuol ora,
Che, ſoura il capo ſuo, ſcuotea dal grembo
Della bell' Alba vn rugiadoſo nembo.

Hæc autem aura, cum leuis, & placida ſit, agitat quidem, ſed laſciua quadam, ac leni agitatione Oceani aquas, ita vt potiùs videantur, crebro quidem, & inſtabili, ſed fracto, incuſſi adinſtar tremoris, motu concuti, quam altis, horrendiſq; procellarum verticibus agitari. Ideò *vndis tremulis*; ideſt leuiter vndantibus, criſpato in laſciuias potiùs, quam in terrorem fluctu. Obſeruaſtis ne, quæſo, vnquam effectum Solis aquas ferientis, ac per reflexionem, ex aquis factam, imaginem ſuæ lucis in circumpoſita opaca corpora euibrantis? Procul dubio, ſi aqua, ex qua fit reflexio, quieſcat, loco manet immota, & reflexa lucis imago; aſt ſi aqua parumper agitetur, hùc, illucque volitantem, trementemque, ac ſtare loco neſcientem reflexam lucis imaginem conſpicies. Idem effectus habetur ex reflexione radiorum Orientis Solis, in orientalibus aquis receptorum. Ardoris referunt imaginem, ſed vndarum motu fluctuantem, inſtabilem, volitantem &c., & hoc eſt *Vibrauit ardor tremulis in vndis*. Quod dictum ſit, vt dignoſcamus, quàm exactus ſit Auctor noſter imitator naturæ.

ET FLAMMÆ. Perſiſtit in allegorica ſua dictione, Claud., dum ex ardore gradatim flammas excitat, procedente Sole. *Flamma* itaque nihil aliud eſt, quam *fumus*, ſeù *vapor accenſus*. Cum itaque calore Solis vapores ex Oceano vndequaque eleuentur, hinc eſt, vt fumei vapores, Solis radio tranſuerberati, ignea Solis luce imbuantur adeò, vt accendi, & flammeſcere videantur. Ideò *Flamma*

LVDVNT. Ex eadem vndarum fluctuatione fluctuans prouenit extractorum aſcenſus vaporum; atq; hac de cauſa, cum etiam in ſpeciem flammarum effulgeant, adhùc tamen fluctuare non deſinunt, qua fluctuatione, cum, eodem pacto, ac de vmbratili Troianorum Equitum bello inquit Virg. Æneid. 5.

Inde alios ineunt curſus, alioſque recurſus
Aduerſis ſpatijs, alternoſq; orbibus orbes
Impediunt, pugnæq; cient ſimulacra &c.

videntur labyrinteas inter ſe ambages extruere, ac, ſolemni quodam ludo, oculum oblectare: *Ludere* enim eſt iocosè, vel bellantium, vel Choreas ducentium mores imitari. Ideò *ludunt*; & *ludunt*

ERRANTES; hoc eſt hùc, illùcq; incertis motibus vagantes: Sic Virg. Æn. 1. dum Venerem inducit ſimulantem, ſe ſocias venatrices, per ſaltus diuagantes quæritare: ait

Ac prior, Heus, inquit, Iuuenes monſtrate mearum
Vidiſtis ſi quam hic errantem forte ſororum.

PER CÆRVLA. *Per* præpoſitio eſt motum indicans per locum. *Cærula*, autem pluralis numeri nomen, idem ſonat, ac Maria: ſic enim antonomaſticè appellantur Maria à colore, quem ſibi Cæruleum connaturaliter aſſumunt. *Ludunt* igitur *per Cærula*, quia, licet à mari eleuentur, nondum tamen à mari ſeparantur, ſed, continuo ductu, illi adhæreſcentes, videntur ſuper vndas diuagari, ac choreas per vndas ducere. Adde aliam ſignificationem illius verbi *Ludunt*, quod ſæpè accipitur pro *illudunt*; cum autem vapores illi, qui flammæ dicuntur, verè flammæ non ſint, ſed tales exiſtimari poſſunt ab iis, qui ſenſui credant oculorum: Ideò *Ludunt per Cærula flammæ*; ac, dum ludunt, rudioribus illudunt.

IAMQVE &c. Deſcripto tempore, de quo innuerat lib. 1., & ad raptum præfinito; alias adnectit conditiones, quibus facilis raptori præda exponeretur Proſerpina: particula enim *Iam*, vt etiam alibi vidimus, eſt quaſi nodus quidam ſententias ſubſequentes cum antecedentibus connectens, quaſi omnes in eumdem tandem conſpirent finem. Quarè ſenſus Poetæ eſt. *Aderat iam tempus; & iam*; ideſt *& præterea* audacia inceſſerat Proſerpinam; ideoq; eo ipſo tempore

PROSERPINA. Illa ſcilicet filia Cereris, conſequenter Veneri addicta; illa, quæ gaudia matris erat, quæ iam matura viro, cuius pectoris iam pronuba flamma pudorem ſollicitabat; illa virgo, de qua multa ſparſim tradidimus, iam à virgineis moribus ſecedens, ſponte Venerem ſequebatur, Tartareo Regi iam dudum decreta dari, quia iam ſponte deſeruerat Cœlum; iamque

AVDAX ANIMI. Audacia, à qua Audax quis denominatur, eſt quædam perfricatæ frontis impudentia, quæ ferè ſemper in malam accipitur partem, licet interdum ad bonum etiam ſenſum detorqueatur: vno verbo eſt temeraria quædam ſecuritas, qua quis malum neque futurum, neque præſens horreſcit; quæ quantum virgineis moribus infenſa ſit, & aduerſans, ſatis colligi poteſt ex Homil. D. Ambr. lib. 2. in Lucam, vbi ait: *Diſce Virginem verecundiā: Sola in penetralibus, ſine comite, ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affectu:* Quibus attentis, ſatis conſtat, primum, ad amiſſionem pudicitiæ, ac virginitatis ducentem, gradum

ve-

Verecundi contemptum eſſe pudoris; Penelopem habeas: ſi periculum audax vel timere deſinat, vel effugere negligat, Frines illicò fiet. Sic D. Baſil., Virginem lapſam redarguens, primum ipſius perditionis gradum verecundiam indicat, neglectam, atq; animi pudorem valere iuſſum, dum ait *Vbi eſt ille reuerendus habitus tuus; vbi honeſtus ex pudore rubor?* Audax igitur facta: ideſt erubeſcentiæ, ac virginalis verecundiæ face depoſita, cur non facilis, ac in procinctu conſtituatur Proſerpina ad decus virginitatis amittendum? *Audax* igitur *animi*, per helleniſmum dicitur, ſicuti *fidens animi* pro fidens animo. *Animi* autem, dixit, non *Animæ*: nam *Anima* vitæ eſt, *Animus* conſilij: quarè idem eſt dicere *audax animi*, ac *conſilijs audacibus inſtructa*; ijs ſcilicet conſilijs, quibus, Catone teſte, *omnium rerum libertatem, ac licentiam ſumma deſiderant*; ad quod magis exprimendum ſubnectit Auctor.

FIDÆQVE OBLITA PARENTIS. *Oblita*, vox præteriti temporis eſt ab *obliuiſcor* efformata: *Obliuiſci* autem idem eſt, ac *aliquius rei memoriam amittere*. *Parens* verò à pariendo dicitur, quæ fœtum genuit: Quarè dum Auctor hic Proſerpinam *oblitam* dicit *Parentis*, eius vtiq; adauget impudentiam; qui enim fieri poteſt, niſi impudentiſſimè agatur, vt, qui vita fruitur, fontem, vnde vitam habuerit, obliuiſcatur? Emphaticum igitur, hoc loco, Parentis nomen agnoſces, & *Fidæ Parentis*; nam hoc ipſum emphaticè ponitur Epitetum; & idem eſt, ac ſi aperte diceret, Fidam Matrem à Proſerpina poſthabitam, vt infidæ ſe crederet Veneri: & hanc fidelitatis virtutem in matre commemorat, vt altiùs impudentiam obliuiſcentis perſtringat; nam, ſicuti amoris magnes eſt amor, ita fidei fides. *Fidus* itaq; dicitur, & qui fidem ſeruat, & cui fidendum eſt. Fidem erga filiam a Cerere ſeruatam habes ex lib. 1., nam raptus ibi timens

Æthera deſeruit, ſiculaſq; relegat in oras. Et
Hic vbi ſeruandum Mater fidiſſima pignus &c.

Adde curam, quam antecedenter eodem lib. expreſſerat Vates filiæ adhibitam a Cerere. (*ambit &c.*

Hanc fouet, hanc ſequitur: Vitulam non blandius

quibus omnibus patet, ſeruanti fidem fidem fuiſſe ſeruandam; & hanc attamen oblita Proſerpina eſt, debitam illi obedientiam, ac reuerentiam audacter nimis infringens; datis obliuioni præceptis, quibus ipſam inſtruxerat Mater, vt referet Nutrix lib. 3. vbi hæc habeas

Florebat tranquilla domus, nec limina virgo
Linquere, nec virides audebat viſere ſaltus
Præceptis obſtricta tuis &c.

Oblita parentis eſt, non recogitans quemnam dolorem Genitrix perceptura eſſet, ſi filia periclitaretur &c. Sed qui fieri potuit, vt Filia, quæ honor fuerat Matris, vt lib. 1., tam ſubito fuerit immutata, ita vt, monita ſpernens Matris, æternum illi luctum illaturam ſe non perpenderit? Audi appoſitam ab Auctore cauſam.

FRAVDE DIONÆA. Quid deceat non videt vllus amans; inquit eruditiſſimè Ouidius. Atque idem dici poteſt de Virgine, quæ licet non actu amoribus addicta, Veneri tamen Amoris Matri ſe credat. Obuelat filij Amoris oculos Mater; reliquos ſibi addictos non obuelare tantum, ſed excæcare valeat, neceſſe eſt. Iuxta igitur permiſſionem ſibi a Ioue factam, de qua lib. 1. Carm. 223. circumuenerat incautam Venus, ac fallacibus illam permulcens blanditijs, inſidijſque, patrocinantis affectu perſonatis, (vt fuſiùs lib. 3. digeret Electra nutrix) quoniam quæ placent, facilè in animum prolabentia inſinuantur; incautæ perſuaſerat Virgini, continuatam ſolitudinem Eremitarum eſſe, non Dearum: tuta Cœleſtibus Numinibus omnia; Nilque Iouis Proli timendum. Prodiret in Campos, ſe Veneri crederet ſorori. & non niſi ea, quæ ad ipſius iucunditatem ſpectarent, ſuadenti &c. Quis enim tricas Veneris, doloſque explicet omnes? Hac fraude igitur effectum eſt, vt Proſerpina obliuiſceretur, & ſtatus ſui virginalis, & verecundiæ, qua è publico virgines arcentur, & præceptorum à Genitrice indictorum, ac ſui tandem ipſius tuendæ incolumitatis. Fraus nempe eam decepit, quæ nil aliud eſt, quam fallacia doloſa, fallax dolus, malitioſæ inſidiæ, inſidioſa malitia, qua, ſub ſpecie boni, ad malum vtiq; inducimur. *Dionæam* porrò hanc fraudem appellat, vt Veneris inuentum indicet fuiſſe; nam Dionæa hic nomen eſt adiectiuum, deriuatum à Patronimico ſubſtantiuo *Dionæa*, quæ venus eſt, ſic, iuxta Homerum, atq; Heſiodum, appellata, quia filia Iouis, in eorum ſententia, ex Dione Matre ab ipſo Ioue effecta; ſeù, vt alij malunt, Dionæa dicta à *Dis*; nam aliqui ex Cœlo, & Dis natam Venerem ferunt. Hac ipſa denominatione Venerem deſignauit Anchiſiadis ore locutus Virg. Æn. 3. dicens:

Sacra Dionææ Matri, Diuiſq; ferebam.

Si plura cupis de fraudibus Veneris, vide dicta lib. 1. cit. Carm. 223. Immutat huius textus lectionem Parrhaſ. nam vbi nos, cum Heinſio, & alijs vulgatam ſecutis, legimus: *fidæq; oblita Parentis*: *fideiq; oblita Parentis*: legit ipſe. Verùm non poteſt, quin amphibologiæ ſubdatur Parrhaſ. lectio. nam dubitari poteſt, num de fide Matris filiæ data, an de fide a filia Matri reddenda loquatur. Quare latiùs duxi vulgatam, quæ eruditione non careat, vt vidimus, ſequi.

PETIT SALTVS. *Petere aliquem locum eſt illum adire.* Sed nota verbi efficaciam, hoc loco; nam *petere* non ſignificat ſimpliciter *ire*; ſed *ancio quodam animi* [illegible] *ita vt pedes præcurrat deſiderium*: cum enim *Peto* ſit propriè, iuxta Varonem, *aliquid ſupplicitur, ac precario* [illegible], quod vehemens indicat obtinendi deſiderium; etiam cum translatè vſurpatur, retinet ſignificationem animi, aude locum ipſum attingere exoptantis; licet non ſemper hæc latentis ſignificationis expreſſio ſeruetur ab omnibus; ſed oculatiſſimus Auctor hic eam apte inſerit, & obſeruat. Porrò *Saltus* propriè ſyluas, ac nemora ſignificat, nempè loca arboribus conſita; ſed in quibus paſci etiam, & æſtiuare pecora poſſint. Ex quo vides Auctorem tacite aſſimilare Proſerpinam petulcis, ac laſciuientibus hædis, qui paſcua in ſaltubus poſita quærentes pererrant; vt ſcilicet magis oſtentet auiditatem, per verbum *Petit*, iam expreſſam. Saltuum autem nomine certe notat hic imam Ætnæ montis partem, de qua iam dixerat lib. 1. *Pars cætera frondet Arboribus &c.* Scio, Proſerpinam, ſociaſq; flores legendi ſtudio, Vibonem vſq; in Agrum Brutium progreſſas, dici à Strabone: Verum, intercedente rapidiſſimo freto, Siciliam ab Italia dirimente, vt vidimus lib. 1., non video quomodo hæc opinio ſubſiſtere poſſit, niſi dicantur diuinitus aduolaſſe, quod certe gratis diceretur.

RIGVOS. Riguus in duplici ſignificatione, vel actiua ſcilicet, vel paſſiua, conſiderari poteſt. In paſſiua ſignificatione, *riguus* dicitur campus, ſeù Pratum, aut hortus, qui facile irrigari poſſit: ſic Ouid. Metam. 8. *Riguo collegerat horto*, inquit. In hac autem ſignificatione ſumptum hoc nomen hic ſignificabit, ſaltus, de quibus loquitur, campos fuiſſe, circa Ætnæ radices diffuſos, ac protenſos; nam hi facilius irrigari poſſunt, quam campi, per dorſum montis procliue aſcendentes, qui ſiccanei potiùs, quam rigui dicerentur, iuxta legalem camporum diuiſionem. Si verò ſumatur in ſignificatione actiua, oſtendet, ſaltus illos, recenti rore conſperſos, aptos fuiſſe ad rigandum, hoc eſt, humectandum deambulantis pedem: quæ ſignificatio congrueret tempori, quo dicitur Proſerpina in ſaltus proceſſiſſe, nam, matutino tempore, ſudo Cœlo decidunt rores. Quod autem actiuè ſumi poſſit nomen *riguus*, patet ex Virg. Georg. 2. *Rigui placeant in Vallibus Amnes*. Vtramque ſignificationem complexum hic Auctorem, ſuo more, non dubito, vt, vno verbo, & locum determinatè ſignaret, & conſperſum rore oſtenderet, vt tempori congrueret.

SIC PARCÆ VOLVERE. Hac parentheſi, poeticam ſuam narrationem interrumpit, quaſi rapiendæ motus commiſeratione, qua in Patheticum hunc dicendi modum erumpat.

SIC. Particula, hoc loco, demonſtratiua eſt; quaſi dicat: *Hæc omnia præordinata fuere*; & vt ait Virg. *Sic erat in Fatis*.

PARCÆ. Vide de his fusè dicta lib. 1. Carm. 48. hic ſumuntur in ea ſignificatione, qua & ibi diximus, Parcas nil aliud fuiſſe, per aliquos, quam Fatum ipſum, ſeù Fatorum coordinatrices; quippe quæ *ſeriem Fatorum pollicis ducunt*.

VOLVERE. Videtur hoc verbum admittere voluntatem Fati prædeterminantem; & eo magis, ſi pro *voluere* legeremus cum Parrhaſ. *Iuſſere*: Sed dixeris *voluere*, decreto, non antecedenti, ſed ſubſequenti præuiſionem meritorum: nam, cum Veneri ſe crediturâ ſponte eſſet Proſerpina, promerita fuit, vt infallibile decretum ſuæ perditionis ex præuiſis meritis emanaret, & firmaretur in Fatis, ac ſubinde ſequeretur, quæ ſecuta fuit, Fatorum coordinatio, ſeù ſeries, quæ tota in finem collimaret, relinquens ſcilicet Proſerpinam in manu conſilij ſui, vt periret.

TER CARDINE VERSO &c. Enarratis ijs diſpoſitionibus, quibus Proſerpina ad perditionem procliuis ferebatur;

tur; prodigia iam ſubnectit Vates; quibus paternè adhuc agens Iupiter filiam ab inceptis deterrere conatus ſit; nam licet, ex præuiſione ſeductæ voluntatis ipſius filiæ, iam nouerat eam non auſcultaturam, cum tamen ſciret, eam poſſe, ſi vellet, periculum euitare, noluit Pater, vt ſibi imputaretur, ſi Filiæ monita, ac ſufficientes ad reſipiſcentiam impulſus non dediſſet. Ideò, antequam domo egrederetur, à ſiſtat primò in foribus prodigium; nam

FORES. De ijs vide dicta lib. 1. Carm. 238. adeant locum, qui ſcire cupiant, quid ſint Fores, quæ

PRÆSAGÆ dicuntur. Quid autem hoc epitheto exprimatur, pariter vidimus lib. 1. Carm. 191. quare non repeto. Tantum noto hic, adeò viguiſſe Gentilium ſuperſtitionem in augurijs captandis, vt non ſolum victimarum exta ſcrutarentur; ſed & auium volatus, & paſcendi modus ab iiſdem obſeruaretur, immò, & quodlibet ſe ſe offerebat inſolitum, omnis loco, religioſa nimis ſuperſtitione, haberetur. Quidquid autem ominoſum eſſet, illud diuinitate quadam afflatum arbitrabantur, cuius vi oraculæ ederet, quidquid aliud fuerit, quod omen exprimere crederetur. Quare nil mirum, ſi, ad hæc reſpiciens Poeta, vim præſcientiæ quodammodo rebus etiam inanimis, nempe foribus ipſis attribuit, quæ ſcilicet *Præſaga* dicerentur, quod fecit & Tibullus, qui Fores pedis offenſu ventura prænunciantes cecinit. *Amboriſſa, dixit,*

Offenſum in portâ ſigna dediſſe pedem.

Aliqui codices, hoc loco legunt: *Præſagum cecinere Fores*, alij, per nomen adverbiatum, *Præſagum cecinere Fores*, eo pacto quo Virg. Æneid. 12. ait *Horrendumque intonat armis.* Tu, vt magis libet, legeris; nam optima eſt vnaquæque lectio, & ſenſus idem.

TER CECINERE. Ternarius numerus ſummopere in augurijs obſeruabatur: quarè Sinonis aſtus, vt augurium firmaret quod à Pallade datum effingebat, & ex quo Calchas deduxerat, vt ipſe aſſeuerabat, fugiendum omnino eſſe Danais, vt ſibi conſulerent; Nec poſſe Argolicis exſcindi Pergama telis; vt, inquam, augurium illud firmaret, ternario numero deprædicat inſignitum, apud Virg. Æn. 2.

Vix poſitum Caſtris ſimulacrum arſere coruſcæ
Luminibus flammæ arrectis: Salſuſque per artus
Sudor iit: terq; ipſa ſolo (mirabile dictu)
Emicuit &c.

& Troades Æn. 7. certiſſimam in ſpem condendæ vrbis, finemque inueniendi laborum, cum, vt ibi habetur

. . . Pater omnipotens ter Cælo clarus ab alto
Intonuit &c.

Omen certè infeliciſſimum reduci ab Inferis Orpheo, cum ter fragor ſtagnis auditus Auernis Raptam iterum Euridicen indicauit, vt apud Virg. Georg. 4. Quid igitur mirum ſi rapiendæ Proſerpinæ *Ter*, eodem verſu, *Præſaga cecinere Fores*? Inſuper ad indicandam Proſerpinam Venereis præſtigijs ad virum deductam, aptiſſimum fuit triplicatum augurium, cum ex Virg. Ecl. 8. amatoria præſtigia ternario numero conficiantur.

Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

(dicebat, eo in loco, amatorius præſtigiator Alpheſibeus)

Terna tibi hæc primum triplici diuerſa colore
Licia circundo: terque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos Amarylli colores &c.

Ternarius numerus in Cerealibus ſacris ſeruabatur, vt patet ex Virg. Georg. pri. hæc præcipiente.

Terque nouas circum felix eat hoſtia fruges.

quarè nil mirum, ſi Matris monita reuocaturæ in mentem Proſerpinæ Parentis oblitæ terno inſonent fores ſtrepitu. Adde ternarium numerum adhiberi ſolitum in Inferijs mortuorum, vt ex Virg. Æn. 6. in funere Miſeni.

Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,
Luſtrauitque viros, dixitque nouiſſima verba.

Cur igitur mirèris, ſi abducendam ad Inferos Proſerpinam terno ſtridore fores proſequantur. Sed non in his ſiſtit Claud. Ternarium numerum ab Ægyptijs Palladi, atque Aſtreæ dicatum inuenio apud Pier. lib. Hierog 39. Cum itaque Pallas, idest Sapientia, ex Iouis cerebro orta, Proſerpinam comitaretur, vt eius vti, ſi vellet, conſilijs poſſet; triplicato fragore iure inſonant fores omina, vt Palladem ſequendam potiùs indicent, quam Venerem. Iterum *ter fores cecinere*, vt Aſtream, vltricem videlicet Iouis Iuſtitiam, in foribus adeſſe præmonſtrarent, punituram, vtique temeritate exeuntis, contra id quod fidiſſima mater præcepiſſet. Adde ternarium numerum eſſe numerum perfectionis, & loco ſuperlatiui vſurpari ſolitum, ita vt *Ter felix*, *Ter beatus* idem ſit, ac *feliciſſimus*; non ſolum apud Latinos, ſed etiam præcipue apud Gallos: quare Virg. Æn. pri. ad ſummum vſq; euecturus ſelicitatem eorum, qui Troiæ ſub mœnibus ceciderant, ſic Æneę vocibus inclamat.

. . . . O ter quaterque beati
Queis ante ora Patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere &c.

Idcircò & Auctor noſter, oſtenſurus, primum iſtud prodigium, ſeù omen prodigioſum, efficaciſſimè, quantum erat ex parte ſui, intonuiſſe, Ternarium illi perfectionis numerum prudentiſſimè adſcribit: *Ter*, inquiens, *Cecinere*. *Canere* proprium fuiſſe vaticinantium, & cur *canere* dicerentur Vates dix. lib. 1. Carm. 219. cum itaque, & hoc loco, vaticinantium vires impleri à foribus dicantur, iure & fores ipſe *cecinisse* dicuntur: Cum autem præſagium, à foribus datum, de excidio eſſet exeuntis Dominæ, lugubrem ſanè, horrendum, ac feralem fuiſſe illarum cantum, dicamus, neceſſe eſt, atq; ideò non incongruè, per huiuſmodi cantum, deſignauit Vates ſtridorem quemdam, ferreis compagibus ſe inuicem collidentibus editum, qui aſſueto horridior, ac ſupra ipſam naturalem ferri attritionem acerbior inſonuerit, vt loco oraculi haberi non nequiret: & trina eiuſdem ſoaltus repetitio, cum præter morem fuerit, & vſum, non potuit, quin, obſeruata, verteretur in omen.

CARDINE VERSO. Satis de hoc dictum lib. 1. Carm. 269. tantum noto indicatam hic ab Auctore occaſionem, ob quam fores cecinerint; nempè cum, reuolutis cardinibus, aperirentur, aditum exeunti Proſerpinæ præbituræ; vt intelligas opportunum maximè fuiſſe prodigium, egreſſum eius præuertens, quaſi, elinguis illo ſtridore: *Caue ne exeas* inſonuerint. Quod ſi obſeruaſſet Virgo, ſicuti Imperator Ille, apud Tullium de Diuin., eum obſeruauit, qui, in Portu Cauno, aduectas caricas vendens, inclamabat; *Cauneas*; *Cauneas*; certè, vt ille; *Caue ne eas*: vocem illam interpretatus, ſiniſtrum belli omen, quod parabat, excepit; ſic illa, meliori ſorte, vt arbitror, ab egreſſu retroce dens periculum effugiſſet.

TER ÆTNA GEMVIT &c. Secundum ſubnectit portentum ex Ætna depromptum, vt, editis infœlicibus auſpicijs, & in termino, à quo erat progreſſura, & in termino, ad quem eſſet itura, facilè intelligere poſſet, totum itineris tramitem inſidijs, ſibi exitium ſtruentibus, circumuallari. Et ſanè non ſpernendi ominis Ætnæ motus erumpentes aſſeruere quamplurimi; quippè non ſemel & bella, & clades portenderint infallibiliter: Sic Virg. Georg. 1. inter prodigia Cæſaris mortem ſubſecuta, ac malum Reip. Rom. portendentia Ætnæ motum enumerat incendia vomentis ſua

Vidimus vndantem, ruptis fornacibus Ætnam
Flammarumq; globos, liquefactaq; voluere ſaxa.

aptiſſimè inſuper, terribiliori horrore, reddituum ex Ætna triplicatum indicat omen Vates, quia in eo via ad Inferos Proſerpinæ ſternebatur; ideòq; te foribus inſonat, vt ad ſe properantem arceat, ſi fieri poſſit. Geminantur autem prodigia, vt, ſi primum fortuitos inter caſus enumeraſſet, ſecundum obſeruare non negligeret; nam, etiam ſi hoc ipſum caſui attribuere voluiſſet, ſpernendus tamen, vllo pacto Ætnæ fragor non erat: nimis enim periculoſæ alex ab omnibus cenſebatur ad Ætnam accedere tonantem, cum non ſine flammarum eruptione Ætnæa illa moles vnquam tonitruis indulgeret: quarè certæ ſe erat exponere morti ad Ætnam reboantem properare. *Ter* itaque, ob rationes ſupra traditas de ternario numero, & montem tonuiſſe deſcribit

ÆTNA. *Henna* legendum putat Heinſius; de qua lectionis varietate cum ſatis diſſeruerimus lib. 1. Carm. 122. contentionibus omiſſis progredior. De Ætna pariter ſusè dix. lib. 1. Carm. 152. quare notandum tantummodo, hic Ætnam poni ſub *ratione termini, ad quem* acceſſura eſſet Proſerpina, vt ſupra innuimus.

CONSCIA FATI. *Venturi præſcia*, quod idem eſt, ac *præſaga* de quo ſupra: & *Fati*, dixit, hoc eſt rei ex Decreto Fatorum euenturæ, ni Proſerpina euitaret ſeſe à prodeundo in publicum tenaciter abſtinens.

FLEBILE GEMVIT. *Gemere* eſt præanimi anguſtia in ſonum erumpere lamentabilem. Ex quo patet, quam altè infortunij, Proſerpinæ impendentis, acerbitatem extollat Vates; dum Ætnæas ipſas Cautes coangustiatas oſtendit ex ſola tantæ calamitatis præſcientia: ſenſum autem Cautibus attribuit, in eo ſenſu, quo ſupra de *foribus* diſſerebamus;

mus; & ſenſum vehementem adeò vt ingemuerint, & *flebile* ingemuerint; ideſt ſonitu deplorando, & habili quam maximè ad fletus ea audientium oculis excutiendos. Fletus in funeribus magnatorum præcipuè adhibebatur; & quo maior erat defuncti nobilitas, eo largiores illi fletus impendebantur: quarè Virg. Æn. 6., vt Troianorum, quos apud Inferos inuiſit Æneas, nobilitatem oſtentaret, hac vſus notâ, inquit

Hic, multum fleti ad ſuperos, belloq; caduci
Dardanidæ &c.

In regnum mortuorum migratura adtentabat Proſerpina, Iouis vtiq; filia, ideòq; diuina inſignis nobilitate. Cur fletus non effluerent ex cautibus ipſis, quæ viam illi eſſent præbituræ? Non ſatis fuerat viuentium fletus, ni & ſaxorum durities fletum induceretur effundens, ac gemitibus indulgens: ideò *Gemuit flebile*, & *Gemuit*.

MVGITIBVS TERRIFICIS. Quid ſit mugitus, tam propriè, quàm translatè, vidimus lib. 1. Carm. 208., & in Præf. ad hunc lib. Carm. 33. Quarè tantum remanet indicandum non fruſtra additum fuiſſe Epitetum *Terrificis*; nam, licet mugitus, de ſe, ſit ſonus ad terrorem compoſitus, hoc tamen additum adauget maxime; oſtendit enim, non gregarijs, & aſſuetis, ſed inſolitis terrorum oſtentationibus, Antrum tunc obarmata tonitrua exibeaſſe; terrificis nempe terrorem cumulatis terroribus mirâ terribilitate incutientibus. At forſan alludit Vates ad Taurum Perilli, qui ſubiectis flammis voce in eo ad mortem deſtinatorum horrificis profectò mugitibus inſonabat.

NVLLIS ILLA TAMEN &c. Vt portenta inter Proſerpinæ diſpoſitiones, ad Raptorem attrahentes, & actum vltimo diſpoſitiuum, vt illa raperetur, interdendentia enarraret; reliquerat audaciæ ſuæ Proſerpinam Auctor: Iam ad eandem regreditur, & obfirmatam adeò in diuagandi determinatione oſtendit, vt nulla portentorum vi potuerit abſterrêri.

ILLA, Pronomen certè demonſtratiuum Proſerpinam indicans eſt: Sed nota artificium Poetæ, qui illam proprio nomine non appellat hic, vt ſupra; non Virginem dicit; non Prolem Cereris, vt alias; ſed ſimpliciter, *Illa*, inquit; quaſi illam agnoſcat, ſed non illam. Illam, quia de facto eadem, quo ad formam, & corpus, erat, quæ Cerere nata: ſed non illam, quia, degenerans a matre, oblita fuerat, quantum ſtudij à genitrice fuerit adhibitum, vt filia ſeruaretur; ideò non amplius *gaudia matris*, ſed *dolor* adfutura. Non *Virginem* vocat, quia iam Virginem non agnoſcit eam, quæ moribus virgineis contradicit, dum ſine pudore, Veneris effecta comes, laſciuienti ſimilis, prodit in publicum. Non *Proſerpinam* appellat, quia cum lib. 1. Proſerpinam deſcripſerit prudentem, obſequentem Matri, ac pleno probitatis numero inſignem; cum hic videat a Prudentia aberrantem, fraudibus ſe credentem Veneris, Matris monita negligentem, Proſerpinam in Proſerpina non agnoſcit. Ideò *illa* quæcumque tandem ſit tanta animi mutatione a ſe ipſa aberrans.

TAMEN, Particula aduerſatiua, vt alibi dix, idem, ac *nihilominus*, ſeù *his non obſtantibus*; nam *illa*, *his non obſtantibus*, pertinaciter perſiſtit in effrenata diuagandi voluntate, & petit ſaltus &c.

NVLLIS MONSTRIS. Non accipitur hic monſtrum ſecundùm quod eſt *Peccatum naturæ aberrantis à lege*: in quo ſenſu Virg. de Polyphemo Æn. 3.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
ademptum.

Neque accipitur pro ſpectro aliquo, aut vmbrâ territante, de quibus nos dix. lib. 1. Carm. 37., ſed accipitur pro eodem, ac *oſtentum*, ſeù *portentum*, quod *monſtrum* dicitur à demonſtrando, eo quod aliquid, ſignificando, demonſtret. Demonſtrabant profectò enumerata prodigia, fatalem Proſerpinæ eſſe euiſdem in agros exitum, terrebantque, ne exiret; ſed incaſſum, quia *monſtris* hiſce; & quidem *nullis* (vt particula negatiua omnia ſimul, & collectiuè, & diſtributiuè, neget) licet Cœlo iubente reſonantibus detinetur. *Nullis illa tamen monſtris*.

NVLLOQVE PRODIGIO. Quamuis *monſtrum*, & *prodigium* in idem tantem concidere videantur, cum etiam *prodigium* a prædicendo dicatur, eo quod aliquid futurum portendat; à *Monſtro* tamen *Prodigium* differre, facilè mihi perſuaſerim, ex eo quod *Monſtrum* poſſit etiam naturalibus ex cauſis euenire; ſic cometæ interdum ex igneis exhalationibus conflantur: aſt *Prodigium*, propriè loquendo, videtur importare *oſtenſum* tale, quod à viribus naturæ non proueniat: ſed tantum à ſupremo Numine ponatur, vt Cœli minas oſtentet, delinquentes admonens, vt fugiant à facie arcus. Quarè prodigiorum nomine Deorum minas, iraſq; deſignat Nonnus; & Virg. Æn. 3. inquit

Sola nouum, dictùq; nefas Harpya Celano,
Prodigium canit &c.

Quid autem Celæno canit ibi niſi minas? Audi.

Ibitis Italiam, portuſq; intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus Vrbem,
Quam vos dira fames, noſtræq; iniuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

Monſtra igitur erant, quæ Proſerpinam abſterrere debuiſſent, quia ex naturalibus cauſis potuiſſent exiſtere efformata: aſt eadem non *monſtra* tantum, ſed & *prodigia*, quia, ſecundùm exceſſum, quod habuerant, reſpectu multiplicatæ horribilitatis, naturæ vires ſuperabant, & minas in ſe Iouis exprimebant, quibus egredienti Proſerpinæ excidium minabatur. Sed quis moueat audacem Veneri addictum? Ideò *nullis monſtris*, *nullis prodigijs* mouetur Proſerpina. Nec placet diſtinctio, quam Parrhaſ. affert inter *monſtrum*, & *prodigium*, ita nempe vt monſtrum præſentis ſignificationis ſit: Prodigium verò futuræ; nam, licet hæc diſtinctio vera eſſet, vt & Seruio placet, non tamen habet hic locum, vbi omnia vel præſentis, vel futuræ ſunt ſignificationis; præſentis quidem, vt ſignificabant malum, quod Proſerpina actualiter amplectebatur: futuræ verò, quatenus ſignificabant excidium inde ſecuturum; ſed fruſtra, vt dicebamus: nullis enim monſtris, nullis prodigijs obcæcata Proſerpina

MOVETVR. Ideſt non ita afficitur, vt ſententiam mutet, atq; ab animi relaxatione recedat, aut à propoſito in agros progrediendi, vbi periculum inſonuerat, deterreatur. Nota autem, qua maxima amplificatione obfirmatam indicet Vates, quam ſupra innuerat, Proſerpinæ audaciam, quæ vel inuito, ac contradicente, nec non minas exibrante Cœlo, ſe ſe in periculum conijcit, atq; ad propriam properat perditionem, vt iure illi poſſit imputari; *Perditio tua ex te*. Immutat lectionem hic Heinſius, & legit: *Nulloque tenetur prodigio*. Non improbo Heinſianam ſententiam, nam ad eam tandem & lectio noſtra deducitur. Sed efficaciorem arbitror vulgatam noſtram, cum Parrhaſ., quia hæc magis oſtendit, quam fluxa fuerint penes Proſerpinam hæc prodigia, cum non ſolum eam retinere domi non potuerint: ſed ne quidem mouere animum illius, ita vt de non egrediendo cogitaret. Lectio itaque Heinſiana actum exeundi non impeditum ab his oſtendit: noſtra verò non ſolum actum non impeditum, ſed nec propenſionem ad actum extenuatam demonſtrat.

COMITES GRESSVM &c. Comitatum iam exeuntis recenſet, vt nondum omninò deſtitutam Proſerpinam deſignet.

SORORES. Sororum nomine Palladem, ac Dianam, nec non Venerem ipſam notat; nam omnes ex eodem, cum Proſerpina, Patre ortum ducebant; Pallas enim ex Ioue ſine Matre nata, cum ex illius cerebro prodiiſſe dicatur. Diana Iouis filia ex Latona: Venus ab eodem genita, vt lib. 1. vidimus Proſerpina euiſdem Proles ex Cerere progenita. Cum itaq; ex eodem Patre natæ *ſorores* dicantur, iure hoc nomine Deæ iſtæ nuncupantur. Sed nota eximiam Poetæ perſpicacitatem; qui nunquam antea, ſed, hoc loco tantum, ſorores eas Proſerpinæ nominauerit. Hæc autem in eo conſiſtit, quod *ſoror* quaſi *ſeorſum ab vna ſtirpe naſcens* dicatur, ſepareturq; ab ea domo, in qua naſcitur, vt transferatur in aliam. Deæ itaq; iſtæ ſeorſum natæ, nam à diuerſis matribus, licet ab eodem Patre, tunc veræ ſorores dici poterant, cum eſſent ſeorſim ſeparandæ. Proſerpina ex domo Iouis, nempè ex æthere, in domum matris transmigrauerat:

Æthera deſeruit ſiculaſq; relegat in oras. lib. 1.

ſed, quia *Ioue plena ſunt omnia*, adhuc in domo Patris perſtitiſſe videbatur. Nunc in Regnum Plutonis transuehenda ſeceſſura erat omninò ex Iouis domo, atq; à Cœlitum conſortio ſegreganda; quarè ſororem iam ſorores comitabantur.

COMITES. Si accipiamus hoc nomen Comes, non in rigoroſa, ſed in lata ſignificatione, ita vt dicat quemcumq; vna cum alio quomodocumq; gradiatur, ad omnes præcitatas Proſerpinæ ſorores, certè pertinet. Verùm hic etiam arbitror ſumendum in rigoroſa ſignificatione, quatenus ſcilicet *comes*, vt alibi vidimus, dicitur ille, qui, ſequendo, alterum comitatur; ita vt hoc additum *Comites* reſtringat

nomen

nomen illud *ſorores* ad deſignandam Palladem tantummodò, & Dianam, quæ ſolæ ſequerentur, cum Venus anteſignana potiùs, & Dux itineris præcederet, vt ex dicendis patebit. Quarè nomen illud ſorores, ſi reſpectu natalium, ac ſubſtantiæ conſiderentur, tres ſupranominatas appellat, vt ſupra dicebamus, ſi verò conſideretur reſpectu comitantium, duas tantum prædictas ſignat, quæ ſuſpenſo fortaſſis animo, eo quod prodigia animaduertiſſent, ibant cum Proſerpina quidem: ſed ita, vt comitati potiùs quam voluntati ſatisfacere viderentur, atq; ideò lentiori ſub initijs gradu properabant, atq; adeò Comites, quia ſequerentur, non verò præirent; licet tandem, ne viderentur Proſerpinæ deſiderijs aduerſari, ita greſſus attemperauerint, vt nec præcederent, nec ſequerentur, ſed pari procederent paſſu; ad quod indicandum addidit Vates

IVNXERE GRESSVM. *Iungere* enim *componere*, ſeù *ſimul ponere* eſt: & *Iungere greſſum* eſt *æquatis paſſibus ambulare*: vulgò *caminar del paro*. Quid autem greſſus ſit, & quomodo explicandus, videas lib. 1. Carm. 130. dum ego interim propero, quæ ad mores pertinent libaturus.

Proſerpinæ ſymbolo animam ſignificari, non ſemel lib. 1. innuimus, cui inſidias molitur Venus, & ad quam rapiendam, Veneris ductu, Tartareus hoſtis accelerat. Optimè igitur hic matutinum tempus proponitur huiuſmodi aptum inſidijs, animam vndique, vt pereat, ſtipantibus; nam matutinum tempus deliciarum tempus eſſe videtur; quarè &, vt deliciarum omnium aſſertorem, orientem Solem adorabant Antiqui; & ipſa Memnonis ſtatua orientem Solem ſalutabat; quaſi vel inanima ipſa, tunc temporis, lætitia inenarrabili exhillarentur: Teſtatur auium garritus, quo naſcenti plauditur Auroræ; riſus pratorum, florum ex rore viuida vegetatio; redditus rebus omnibus color; ac denique Oceani Conchæ, quæ non, niſi hoc tempore, gemmaſcunt; ex quo ſatis liquet, quam, hoc ipſo tempore, triumphet Venus, in Concha vtique geſtiens enauigare, vt lib. 1. iam dix. Hinc intelliges, cur Mundi illecebras, diuitias, deliciaſq; ſpinarum ſimbolo expreſſerit infallibilis Veritas, euangelicâ inſonans tubâ; nam, delicijs affluens, corporis vita mors animæ, ne dum ſpina, animam vulnerans, profectò eſt. Inter hos ipſos deliciarum flores inſidioſus ſerpens deliteſcit, qui incautam animam & dente feriat, &, ſpiris innectens, ſecum vtiq; trahat in tartara; ſicuti olim caudâ maximam Angelorum partem ſecum traxit: Venere autem vtitur ad pertrahendam in huiuſmodi inſidias animam; quia certè Veneris fomenta huiuſmodi deliciæ ſunt; nam corpus impinguatum, incraſſatumq; recalcitrat; & in deliciarum vino, quod vtiq; ſapientiſſimum quemq; inebriat, luxuries eſt. Chriſtus caput noſtrum, cuius nempè, per gratiam, membra ſumus, ſpinis coronatum præcedit: ac ſub capite ſpinoſo membrum non decet eſſe delicatum. Quarè toto Cœlo aberrabant à via veritatis profectò dementes Epicuri ſectatores, cum ſe inuicem hortarentur: Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum ſit Pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra: nam, in pratis luxurians, rapitur Proſerpina, &, dum flores complicat in coronas, in ſeruitutem Tartarei Regis abripitur. Caueas igitur ab illecebris Mundi, quæ, dum orientem tibi fœlicitatem auſpicari videntur, tenebras occidentis animæ moliuntur. Hæc ad patefacienda ea, quæ, ab extrinſeco obſidentia, facilè Animam adducunt in interitum. Sed ex hoc ipſo Poetæ textu intrinſecus etiam detegitur hoſtis, & eo ſanè ferocior, quo coniunctior, ac domeſtici, amicique larua perſonatus (quem, vt ex hoc facilè detegas) memineris, humanæ vitæ ætatem quadrifariam diuidi; nempe in Adoleſcentiam, Iuuentutem, Virilitatem, ac Senectutem; quæ partes quadripartiti anni partibus correſpondent, ita vt Adoleſcentia Ver ſit ætatis humanæ; Iuuentus Æſtas. Virilitas Autumnus: Hyems verò Senectus; nam floreſcere & homo adoleſcens dicitur caloribus vri, ebullientis, iuuentutis feruore, in venis ſanguine; & maturos edere prudentiæ fructus, cum ad virilitatem peruenerit: langueſcere autem, torpere, ac frigeſcere, cum hyemem ſenectutis attigerit. Quibus habitis. Sol Oriens erit Anima hominis in Adoleſcentia illius, floribus vtiq; vim adſpirans, ac nouum ver teneris impertiens annis: ſed *nondum pura dies*; quia adhuc tenebræ ex multarum rerum ignoratione, ac imperitiæ rectus rationis vſus infuſcatur, adhuc inquam tenebræ huius orientis Solis luci commiſcentur.

Nil itaque hæc ætas, niſi flores, delicias, illecebraſq; ſectatur; ex quo ſequitur, vt, Venere in inſidijs poſita, cum ex Adoleſcentia in Iuuentutem gradum faciat homo, *vibrat tremulis in vndis ardor*; nam, ſenſuum titillationibus obnoxia natura humana venereos facilè ardores concipit, atq; vt dixit de Herinta ſua Crucis Cycnus Cant. 22.

E così ſi conſuma, e non ſi crede
Ella prima d'amar, ch'arder s'auuede.

Sed *vibrat hic ardor tremulis in vndis*; nam, inter affectuum contrarietatem, agitatis animæ motibus, æſtuantis adinſtar maris facilè fluctuat animus, in quo amoris ardor accenditur; nam, vt ait recentior quidam,

Chi ama teme,
E dal timor lontana
Non fù già mai conſolatrice ſpeme.

Procedente ſubindè iuuentute, iamq; maturâ connubijs, *Ludunt per Cærula flammæ*; nam, vt ait de ſua Proſerpina auctor lib. 1.

Iam vicina toro plenis adoleuerat annis
Virginitas: tenerum iam pronuba flamma pudorem
Sollicitat: mixtâq; tremit formidine votum.

ardet, hoc tempore, humanum pectus, ac, creſcens in incendium, ardor vrens vrget, & vrgens vrit, atq; in venereos actus ardoribus impellit ſuis. Tota igitur hæc hominis ætas, per poeticam illam orientis Solis deſcriptionem, facilè deſignatur: ætas vtiq; venereis fraudibus peropportuna, ac Plutoni, ad Raptum animæ inhianti, aptiſſima; niſi ſummâ ſenſuum cuſtodiâ ab inſidijs animam tuemur, ne mors intret per feneſtras, aut incautos abripiat Pluto. Atque hæc omnia tum ex naturali, tum ex morali Phyloſophia facilè decerpi poſſunt. Quod ſi, altioribus ſuffulti diſciplinis, ex SS. PP. monitis erudiri potiùs exoptemus; libenter in animum reuocauerim præclariſſimas melliflui Bernardi, Hugoniſque Card. ſententias, ac doctiſſimi Origenis Placita: nam illi, communi vtique voto, interpretantes poſtulationem, à ſacra Sponſa peractam Cant. 1., dum ait: *Indica mihi vbi paſcas; vbi cubes in meridie: Meridiem* eſſe dicunt *æternæ ſtatum ſolicitatis*, quæ ita in meridie ſit, vt occaſum neſciat: & *hic ſtatus meridies* eſſe comprobatur, quia plenâ in eo Solis æterni luce perfruamur. Qua poſita ſententia; iam tota mortalis vita ad hunc erit *meridiem* via; atque adeò, per matutinum tempus, totus humanæ vitæ curſus facilè deſignabitur: in hoc enim *nondum pura dies*, cum Solem contemplemur diuinum, per ſpeculum, in ænigmate: in *Meridie* autem *Pura dies*; quia faciè ad faciem, & reuelata quidem facie contemplabimur, nam videbimus eum ſicuti eſt. Nondum hic pura dies; quia nulla boni luce effulgemus, quæ nullis ſit errorum tenebris admixta: ibi pura dies; nam nullus eo in meridie error admittitur. *Vibrat ardor in vndis*; nam, quidquid ardore animi appetimus, inſtabile, ac fluxum eſt: &, ſi ardores deſideriorum noſtrorum in Deum, ſummum vtique permanens bonum dirigamus, adhùc *Vibrat in vndis ardor*; fluctuet enim animus inter ſpem, ac timorem, neceſſe eſt; cum nemo vnquam ſciat amore, an odio dignus ſit. *Ludunt* inſuper *per cærula flammæ*; nam, apparentias, vt plurimum, coloreſq; ſectantes, eludimur: &, ſi ſummum bonum ſectemur, adhuc *Ludunt flammæ &c.* quia varijs paſſionum flatibus agitantur: &, quidquid amore Dei agimus, luſus eſt; cum non ſint condignæ paſſiones, aut actiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Toto igitur huius vitæ curſu cauendum è venereis ſuggeſtionibus eſt; nam Venus Syrenum canit in morem, vt perimat; & ſcorpionis ritu brachia expandit in amplexum, vt caudam vibret in ictum. Quos te ſolo Dæmon euincere non potuit, Comite ſuperat Venere; quam vt nos facilè ſuperemus, ventrem, & ea, quæ ſub ventre ſunt, coercenda, aptiſſimè præcipit Euſebius. Meminerimus, apud Lacedemonios, Venerem pedicis irretitam conſtitiſſe, vt diſcamus, Veneris amuletum fore, ſi à fœminarum homines, ab hominum fœminæ congreſſu, ac familiaritate abſtineant, ac Domi, Deo vacantes, orationis vinculo detineantur, vt faciendum innuit Dauid inquiens: *In matutinis meditabor in te.* Tyndarus etiam fertur Venerem in vincula coniecisse, forte, ne eam ducem ſequeretur. Et nos itaque exemplum imitemur, ne Deus nos cum peccatoribus puniat, qui dixit: *in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ*. Quod ſi Veneri te credas, tibi excidium imputes, non Fatis, tuum: nam Deus ſufficientia ſemper auxilia ſuppeditat, & minas interdum, ac prodigia intentat, vt reſipiſcas; ſed Venereis obcæcata vaporibus mens ne prodigia quidem obſeruat, vt ponderet; nec mirum, nam etiam antiqui Aruſpices auguria capturi lumine aperto vtebantur, & tranquillitatem temporis expectabant, vt immerent, ob-

tenebratam paſſionum caligine animam ſui compotem non eſſe, nec ad prodigia, ominaq; captanda idoneam. Sed quid de tenebris doleat, qui ſponte tenebris ſe ſe credat allicientibus? Ne modicum quidem Veneri fidendum; nam ex modicis ingens adeò excreſcit audacia, vt ne maximis quidem portentis exterreatur. Sed ſatis iam datum ſerijs; ideò, animi relaxandi gratia, non quidem ad Veneres, ſed ad rudem noſtram Italici metri conſuetricem Muſam diuertamus.

Dall'aureo ſtrato, in cui, ne regni ondoſi,
Culla, e naue da Theti al Sol s'appreſta,
Interrotti dall'hore i lei ripoſi,
Sorgea la luce: e, non ancor ben deſta,
S'inneſtaua di notte à i veli ombroſi.
Del Pianeta maggior già l'aurea teſta
(Vezzeggiandone il crin placida l'ora)
L'onda reſpinge, e 'l mar d'oriente indora.
Di ſquagliato criſtal, che trà gl'ardori
D'ampia fornace in viuo fuoco ondeggi,
Quel ſalſo humor ſembra veſtir gl'honori;
Ne fuoco v'è, ch'il lampeggiar pareggi.
D'vn' inſtabil Mercurio hauer gl'errori,
Dell'onde al tremolar, par che ſi preggi
Ed erranti le fiamme, in ſen dell'onde,
Ballo intrecciato, in ſciolta vnion, confonde.
Quindi, (quaſi dell'Alba il nuouo albore
L'inuiti al colle, ou'i colori ei pinge)
Colma il petto d'ardir, di brama il cuore,
Le ferree ſoglie abbandonar, s'accinge
Di Cerere la Figlia; e ninn timore
De materni diuieti il piè riſpinge;
Mà 'l volge baldanzoſa, ou'han laſciui
Vita i ſmeraldi, in ber d'argento i riui,

Aureo lectulo Solē Oceani va ſtratem. exsurgare dormientem. aſſeuerunt, & nauem illi attribuerat Ægypti.

L'inſidioſe luſinghe, i dolci inganni,
Ond'è, che Gnidia all'aſſediate menti
Il ſenſo abbagli, e la ragione appanni,
Coſì guidan l'incauta à ſuoi tormenti,
E 'n tazza di piacer porgon gl'affanni,
Naſcoſto in poco miele vn mar di ſtenti:
Coſì, del Fato ad euitar la ſorte,
Non val: Vener la ſcorge al ſuol di morte.
Ben ſcoſſe all'hor, ch'l ferreo varco apriſſi,
Portentoſo ſtridor d'infauſti audiſi
Le loggie intorno; e triplicato vdiſſi:
Con gemiti d'horror, nel duolo intriſi,
Mugîr trè volte i cauernoſi abiſſi
Dell'Etna; i marmi à nero Teta inciſi.
Mà che prò? Se non ode, ò ſe non cura
Quella i portenti, e 'l preſagir traſcura.
In darno il fiero ſuon, Cardini amici
Della Gioia; che dianzi à voi fidoſſi,
Vibraſte, ad atterrir ſenſi nemici.
In darno, per pietade, il Monte armoſſi,
Scoſſe con flebil tuon l'ampie radici;
Che non s'arretra, al vacillar de i doſſi,
L'ardita fronte; e delle ſuore amanti
Seco tragge vezzoſa i paſſi erranti.

Nigrum, ſiue damnationis nota apud antiquos.

Hæc de Proſerpinæ erroribus Italica decuſſit Chelis. At errantes dum proſequitur Diuas, ne & ipſa earum erroribus diſtrahatur, ſi periciorem, quam & ipſæ, ducem non habeat, depoſito vtique plectro conticeſcit; ac peropportuno prorſus ſilentio nos admonet, vt à terroribus, ac prodigijs ad intermiſſas Claudianici carminis delicias ſedulo reuertamur.

Prima dolo gaudens, &, tanti conſcia furti,
It Venus; & raptus metitur corde futuros;
Iam durum flexura Chaos, iam, Dite ſubacto,
Ingenti famulos Manes ductura triumpho.
Illi multifidos crinis ſinnatur in orbes
Idalia diuiſus acu: ſudata marito
Fibula purpureos gemmâ ſuſpendit amictus.
Candida Parrhaſij poſt hac Regina Lycæi;
Et Pandionias quæ cuſpide protegit arces,
Vtraq; Virgo ruunt: Hæc triſtibus aſpera bellis:
Hæc metuenda feris. Tritonia Caſſide fulua
Cælatum Typhona gerit, qui, ſumma peremptus,
Ima parte viget, moriens, & parte ſuperſtes;
Haſtaq; terribili ſurgens per nubila gyro
Inſtar habet Syluæ. Tantum ſtridentia Colla
Gorgonis obtentu pallæ fulgentis obumbrat.
At Triuiæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat; Phœbiq; genas, & lumina Phœbi
Eſſe putes; ſolumq; dabat diſcrimina ſexus.
Bracchia nuda nitent: leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas; arcuq; remiſſo
Otia neruus agit: Pendent poſt terga ſagittæ.
Criſpatur gemino veſtis gortynia cinctu
Poplite fuſa tenus; motoq; in ſtamine Delos
Errat, & aurato trahitur circumflua ponto.

PRIMA DOLO GAVDENS &c. In præcedentibus Proſerpinam, ſpreto non ſolum matris imperio, ſed & Cœleſtium Numinum, multiplicato expreſſis prodigiorum concurſu, neglectis minis, in agros, Venere ſtimulante, prodeuntem deſcripſerat, cæteraſque illi ſorores Deas Comites addideratq; Venerem nempè, Palladem, ac Dianam. Iam ordinem in pæſenti delineat, quo tectis egreſſæ in ſubiectos Ætnæ campos procederent Proſerpinam comitantes; ac data occaſione, habitum, ornamenta, ac geſtum vniuſcuiuſque graphicè deſcribit.

PRIMA DOLO GAVDENS &c. Venerem antesignanam deſignat, quippe quæ ante alias greſſum moueret, vt, quæ occultis irritamentis Proſerpinam incitauerat, iam firmaret exemplo. Et quidem æquum erat, vt, quæ in alias audaciam miniſerat, ipſa ſuperandax anteiret. Lætabundam autem effingit, & exultantem; ac cauſam lætitiæ exprimit deceptam iam eius fraude Proſerpinam, quæ ſponte ducem ſequebatur inſidiantem; ex quo fauſto ſibi ſucceſſu Venus meditaretur iam triumphos, quos ipſa de inſontis exitio, mox eſſet reportatura, iunctis, hoc ipſo, ad ſui triumphi currum deuictis pariter Tartaris, iuxta ea quæ illi dicta fuerant à Ioue lib. 1. vbi ait;

Nulla ſit immunis regio, nulliusque ſub umbris.
Pectus inacceſſum Veneri. Iam triſtis Erynnis
Sentiat ardores; Acheron ditiſq; ſeuerus
Ferrea laſciuis molleſcant corda ſagittis.

Ibat igitur læta, & ibat PRIMA. Referas intelligentiam, ac ſignificationem huius nominis ad ordinem numeralem, & locum, quem, ante alias, Venus occuparet, progrediens, ſed emphaticum latentem ſenſum ne poſthabeas: nam, qui anteuolat alios, maiori quodam ardore, ac impetu feratur, neceſſe eſt: quarè Virg. Æn. 2., cum vellet oſtendere Laocoontem ſummo præ alijs ardore exæſtuantem impediendi, ne ligneus equus a Græcis extructum in vrbem tranſuectaretur, veritum, ne, doloſè (vt erat) extructum, excidia in Patriam comportaret; cum ante omnes, quos ſecum adducebat præcurrentem myſterioſè inducit, dum ait

Primus ibi, ante omnes, magna comitante caterua
Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce:
Et procul, ò miſeri: quæ tanta inſania Ciues &c.

Venus itaq; inceptis læta, ſed inſuper deſiderio ardens fraudes

fraudes ſuas ad optatum tandem perducendi finem; præcurrit, iter vorans, vt ita dicam, potiùs, quam dimetiens; atque ideò *Prima*, ante alias, viam carpit, & locum arripit. Adde, proprium eorum eſſe, qui in inſidias alios adducere conantur, ſimulata ſecuritate, vt animos ab obſeruandis auertant inſidijs, anteire. Sic apud Bracciolinum lib. 5. Athemiſtus fortiſſimos Chriſtiani exercitus bellatores in inſidias adducturus præire dicitur; dum ſic ibi Vates

Quando, Triſate, e'l Caualier Romano
Seguendo il traditor per ſtrade ignote,
Et congiuntoſi à ſuoi per l'aer foſco
Gli ſmarriti guerrier laſcia nel boſco.

Inſuper, qui proditiones molitur, primus ſemper ad ea, quæ ad proditionem perficiendam conferunt, accelerat, iiſq; manum admouet Primus. Sic proditor ille Sinon apud Virg. cit. primus manum admouet operi, vt patet ex textu ibi; nam

Laxat clauſtra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus &c.

& primus accurrit ad incendium tectis inferendum.

Arduus armatos, medijs in manibus aſtans,
Fundit equus: victorq; Sinon incendia miſcet.

Venus itaque, cum in inſidias Proſerpinam adduceret, audaci quadam ſecuritate præcucurrit, & anteuolat *Prima*; ac *Prima* cum proditionem moliretur ad Raptorem properat, cui rapienda eſſet, prodita venereis fraudibus, Proſerpina. Aduerte etiam quam exactè Poeta virginalibus moribus ſe ſe accomodet. Virgines Pallas, & Diana, licet, nutu Iouis, ſe Veneri adiunxiſſent, ac ſimul, ac Proſerpinam deueniſſent; tamen, cum Proſerpinam Virginem comitarentur, ſecum Venerem proſtituti pudoris notâ deturpatam permiſceri non permittunt, atq; ideò locum cedunt, vt *Prima* anteuolet Venus; nec fortaſſis ſecuturæ, ni Proſerpinæ deſiderijs raperentur. Imitatur etiam proſtitutæ mores Poeta; nam audaciores ſemper huiuſmodi frontes ſunt, atq; adeò ad prodeundum, plenâ libertate, in publicum promptiores. Ideò *Prima*

IT VENVS. Ire verbum eſt notiſſimæ ſignificationis; iter enim facere, progredi, ambulare ſignificat. Ideò miſſum facio. Pariter quæ ſit Venus iam ſatis ſuperq; dix. lib. 1. præcipuè ad Carm. 228. Quarè hic prætereo

GAVDENS DOLO. Præcipuos Veneris triumphos illi ex dolis ſuis, quibus abundè vtitur, proueniſſe ſemper iam vid. lib. 1. Carm. 223. Quarè nil mirum, ſi, dolis ſemper lætata ſuis, in præſenti etiam eat *Gaudens*. Particip. porrò iſtud eſt à verbo *Gaudeo*, quod ſecum, & apud ſe lætari ſignificat, licet gaudium ad alios non diffundatur; *gaudere* enim dicimur, cum re aliqua animus exhillaratur, ſed ita tamen, vt nullum foris appareat indicium: *Lætamur* autem, cum, profuſis gaudijs ad extra, lætitia animi detegitur. Venus igitur *gaudens* ibat, ſed nullum, ſupra alias, lætitiæ ſignum edebat, ne fortè in ſuſpicionem doli, quem de facto conſtruxerat, deueniret. Non *Prudentes*, ſeù molliùs *verſutæ* dicam artificium.

DOLO. Quid ſit dolus, &, in quo ſenſu, in ſubiecta materia, intelligendus vidimus ad cit. Carm lib. 1. Hic tantum indico, non poni hoc nomen hic genericè, ſed in ſenſu indiuiduali exprimente peculiarem illam fraudem, ac ſingulare illud ſtratagema, quo in obliuionem materni imperij, contemptumq; prodigiorum Proſerpinam adduxerat, & iam propinquantem ducebat ad Raptorem.

ET CONSCIA TANTI FVRTI. Vulgatam noſtram ab ipſo eodem citatam non ſequitur Heinſius hic; ſed legit: *Et tanti callida voti*, immò, poſtquam ſic legerit in textu, ſubdit in notis, locum adhùc mendoſum eſſe, & legendum: *Et tanti callida voti*, eo, inquit pacto, quo quis dicitur *callidus temporum*; *callidus rei militaris &c.* Scio equidem *voti* nomine potuiſſe Proſerpinam indicari; quam ſcilicet Iupiter, &, ante ipſum, fata, vt lib. 1. dictum eſt, Plutoni deuouerant. Scio Venerem callidam dici potuiſſe; hoc eſt *ſcientem*, ſeù *conſciam*; nam *calliditas* ex Cic. Off. 30. ſcientia dicitur eſſe, quæ remota ſit à iuſtitia. Quæ ſcientia vtiq; Veneri tribuenda ſit in caſu; nam licet Iupiter iuſtè operaretur; operatio tamen Veneris, quatenus doloſa, iuſtitiæ nequaquam congruens eſſe poterat. Quarè primam Heinſij lectionem non abs re eſſe iudicauerim. Noui etiam Venerem potuiſſe dici *tanti callidam voti*; hoc eſt verſutam maximè, ac praxi vota ſua, ideſt deſideria ad finem adducendi apprimè inſtructam: quod vulgo diceremus *prattica de condur cantamente à fine i ſuoi diſegni*: & neq; hoc profectò alienum ab inſtituto dixerim, in quod recidunt etiam alij legentes *tanti callida voti*; *Arcani conſcia voti &c.* Verùm magis ad rem arbitror cum vulgata dictum: *Et tanti conſcia furti*; nam magis hoc congruit cum ſubſequenti; aptè enim, quia *conſcia furti*, *metitur corde raptus futuros*; hoc enim cum illo tamquam conſequens cum neceſſario antecedenti connectitur. Aſt *Tò conſcia non placet*, inquit Heinſius, *quia præceſſerat*. Fateor præceſſiſſe; nam mox ſupra *Ter conſcia fati, flebile terrificis &c.* Sed cur contraria relatiua, per idem nomen, artificiosè non explicentur? Emphatica immò, arbitratu meo, hæc aderit eiuſdem nominis geminatio: Ætna conſcia fati gemit; Venus conſcia furti gaudet, vtraq; profectò ob proximum, imminenſque Proſerpinæ infortunium. Ætna conſcia Fati terret, vt arceat: Venus conſcia furti præcurrit, vt alliciat: Ætna conſcia fati tonat, vt ſeruet, deterrendo: Venus conſcia furti allicit, vt perdat, adducendo. Quid hac conflictione contrariorum in geminatione eiuſdem nominis nobilius? Quarè hanc cum Parrhaſ. ſecutus iam explico. *Conſcius* videtur dici qui aliquid, non ſolus, ſed, ſimul cum altero, ſciat: verùm vſus inualuit, vt etiam pro ſimpliciter ſciente vſurpetur. Si igitur ſcientia Veneris conſideretur reſpectu Dearum, quæ eam ſequebantur ignaræ rerum, quas moliebatur; certè ſola Venus nouerat quid euenturum: atque ideò in hoc ſenſu *conſcia* idem erit, ac *ſciens*: Si verò conſideretur reſpectu præſcientiæ Iouis, qui lib. 1. Veneri mentis penetralia nudat, & rem cum illa peragendam communicat; iam non ſola *ſciens*, ſed *conſcia* iure dicitur, & in rigore *conſcia*. Item ſi conſideretur reſpectu Plutonis, qui lib. 1. viam Siculas molitur ad arces Germani monitu, vides quam propriè Venus dicatur *Conſcia*

TANTI FVRTI. *Tantus* idem eſt, ac *tàm magnus*, deducta à quantitate, procul dubio, translatione. Sed qui *furtum* dicatur, quod ſub oculis cœli palam eſſet faciendum? Furtum, vt vidimus lib. 1. Carm. 106., dicitur quod clam committitur, ideò etiam adulteria furta ibi ſunt dicta. Certè furtum eſt, ex legibus, *contrectatio rei alienæ, quæ neſciente domino, peragatur*. Proſerpina palam, & aperta vi rapienda erat: non verò ignorantibus, aut conſentientibus comitibus, quæ virginem cuſtodiebant: Inſuper neque hoc erat faciendum inuito Domino, nam Iupiter rapiendæ Pater, ac dominus annuerat. Quomodò igitur *furtum* dicatur? Verùm memineris Cererem matrem, in cuius poteſtate Proſerpina eſſet, abſentem fuiſſe, ac prorſus cæcam futuri, vt lib. 1. aſſerebatur; Quare, reſpectu Dominæ, hoc eſt matris, furtum propriè futurum erat. Adde, quod furtum dicitur quidquid dolosè, & fraudolenter agitur. Aſt hic fraude Veneris omnia peragebantur. Ideò *furtum*, quidquid agitur, adſtat.

ET METITVR CORDE. Ideſt *excogitat*, & expendit: *nam metiri animo*, vel *corde aliquid* eſt *illud attenta quadam cogitatione luſtrare, ac minutatim perpendere*. Sicut enim menſura commenſuratur, & adæquatur menſurato; ſic exacta alicuius cognitio cognitum adæquat, ac quaſi illi commenſuratur: atque ideò menſura obiecti dicitur cognitio. Metiebatur igitur corde Venus, ideſt excogitabat Plutonem aduentantem; aduentantis iter mente delineabat; itineris interualla diſcutiebat; rapientem animo effingebat, abuchentem conſiderabat &c. Hoc eſt metiri. Sic triumphos, ante victoriam, metiebatur Iccius ille apud Hor. lib. 2. Carm Ode 29. vbi hæc habentur;

Icce beatis nunc Arabum inuides
Gazis, & acrem militiam paras
Non ante deuictis Sabææ
Regibus; horribilique Medo
Nectis catenas. Quæ tibi virginum,
Sponſo necato, barbara ſeruiet.
Puer quis ex aula capillis
Ad Cyathum ſtatuetur vnctis.

Sed ſi hæc ad cogitationem pertinent, quæ operatio mentis in cerebro eſt, cur dicatur *metitur corde*? forſan vt alluderet ad Euangelicum effatum: *De corde exeunt cogitationes prauæ*. Sed nota huiuſmodi Veneris cogitationes non proceſſiſſe ſine determinata voluntate, vt hæc omnia fraude, & ope ſua peragerentur, & quia voluntas in corde reſidere ſtatutum eſt apud Phyl. ideò *metitur corde*

RAPTVS FVTVROS. Quod prius dixerat *furtum*, nunc *raptum* appellat, (poſito, per Synecd., numero multitudinis pro ſing.) primo quia, quod reſpectu matris furtum erat, reſpectu Comitum raptus erat futurus. Secundo quia qui quomodocumq; virginem ex ſuis abduxit Laribus, reus fit raptus per leges; & Raptor dicitur; & Virginem rapuiſ-

ſe

ſe decantatur, atque indictæ Raptoribus pœnæ obnoxius illicò eſt. *Futuros* autem dixit. Sed notandum per huiuſmodi participium futuri temporis importari hic quidem aliquid futurum, ſed *proximè futurum*, cum iam vltimæ adeſſent poſitæ diſpoſitiones.

IAM FLEXVRA. Aduerb. eſt *Iam* imminentis temporis, idem, atque *illicò*, ſignificans, ſeù *immediatè poſt hæc*, aut *mox mox* flexura, quod partic. futuri temporis eſt à verbo *flecto*. Flectere autem, hoc loco, in eodem ſumitur ſenſu, in quo vſurpatum vid. lib. 1. ad Carm. *Quo tomnade Ditem, Flexit amor &c.* Illùc curioſum remitto. Certè reſiſtentia ex parte Plutonis futura erat, non ad hoc, vt raperet, nam ad id veniebat, vt ex lib. 1.; ſed ad hoc, vt amoris ignibus accenderetur; ideò aptè vtitur Vates *flectendi* verbo. Tempus autem futurum ingerit, quia, licet Pluto deſiderio coniugis arderet, bella moturus Superis, ni daretur; nondum tamen *Amans erat*, nam, ſi amore percullus coniugem petiſſet, eam, quam deperiret, numero popoſciſſet: non autem indeterminatè hanc, vel illam, vt factum vidimus lib. 1., vbi ſolummodò petit coniugium; cum qua autem iungatur arbitrio Iouis relinquit, iuxta Parcarum monita: *Poſce Iouem: Dabitur coniux*. Qui verò in incertam fertur, certè nullius adhùc amans eſt. Accendendus itaq; erat Pluto tunc ſolum, cum ex Proſerpinæ oculis aurea Amor ſpicula embraſſet: quod & ita eueniſſe canit Ouid. Met. 5. vbi de raptu hoc agens, ait de Proſerpina.

> *Dumq; puellari ſtudio, calathoſque, ſinumque*
> *Implet, & æquales certat ſuperare legendo,*
> *Pene ſimul viſa eſt, dilectaque, raptaque Diti.*
> *Vſq; adeò eſt properatus amor.*

atque in hoc præcipuum Veneris opus erat impendendum; atque iam tempus imminebat, quo Venus pulcherrimam Proſerpinæ formam Plutonis ſubiiceret oculis ita, vt Cupidinis ignes oculis hauriret, nondum amori deditus, inferorum Tyrannus. Ideò *iam flexura*

DVRVM CHAOS. *Durus*, hoc loco idem ſonat, ac *immitis, crudelis, inflexibilis ad lenes amoris affectus*; vbi nota reſiſtentiam, quam ſupra memorabamus, ab ipſo Vate expreſſam, vt Victoriam, ad quam Venus inhiaret, ex conflictione contrariorum magis emicaret. *Chaos* autem quid fuerit vidimus lib. 1. Carm. 28. Videas itaque ibi dicta: nam & hic pro inferorum Regno certè ſumitur. Et quidem, Rege ſubacto, totum deuicti Regis regnum in ditionem victoris nullo diſcrimine tranſit. Ideò Vates flexuram Chaos Venerem dicit, quamuis pro præſenti ſolum aggrediatur Plutonem, quia nouit acceſſorium ſemper ſequi naturam ſui principalis; ac conſequenter indicare voluit, quod dum illa raptus ſuturos metiretur corde, & totum etiam inferorum Regnum ſe ſe ſubacturam metiebatur. Alij legunt hoc loco: *Iam durum flexura Chaos*, ſed in idem recidit, vt patet conſideranti.

IAM DITE SVBACTO. Particula *iam* eadem eſt quæ ſupra. Nota tantùm emphaticam repetitionem. Pariter de Dite ſatis ſuperq; dictum lib. 1. paſſim hic ſatis eſt innuere Plutonem nomine Ditis deſignari. *Subacto* autem, inquit, per partic. præteriti temporis paſſiu. à verbo *ſubigo*. Subigi autem dicitur, qui, bello fractus, ſub iugum mittitur; nam *ſubactus* eſt quaſi *ſub iugum actus*. Alludit itaq; ad antiquos Romanorum ritus, qui contumaces nimium hoſtes, cum aperta vi debellaſſent, ſub iugum mittebant, vt paſſim memorat Liuius. Aſſignat autem eodem tempore cauſam, quam ſibi ſpondeat pro certo Venus ſe flexuram Chaos, ſe de illo triumphaturam, iuxta explicata, nam cadit quodcumq; Regnum Rege ſubacto. Ideò

INGENTI FAMVLOS MANES DVCTVRA TRIVMPHO. In antecedentibus; inter cauſas gaudiorum Veneris enumerauerat Vates. Primo rem bene geſtam, fraudeſque, eiuſdem iuxta vota, procedentes: ſecundo exitum, quem fraudes obtenturas præmolcebat: tertio Victoriam de debellatis Inferis reportandam, quam meditabatur; hic quartò loco ſubdit ex Victoria triumphum, quem præguſtiebat de Tartareis Regnis peragendum. Sed, antequam textum explicemus; cum alludat Vates ad antiquum, celebratumq; Romanorum triumphandi morem; explicandum hic arbitror aliquid priùs de cauſis, ac ceremonijs triumphorum, vt facilius, ac pleniùs innoteſcat, cur Veneri, ex deuicto Plutone, triumphum cenſuerit decernendum. Duplex igitur triumphi genus, apud Romanos, fuiſſe notum omnibus non ambigo. Primum, licet inferioris notæ, ac minùs honoribus cumulatum, illud fuit, quod *ouationis* nomine præſignabant: & *ouatio* dicebatur ab *oue*, quam eo ouationis die ſacrificabant: ſeù, vt alij dicunt, à voce *Oh oh*, quæ in ouantis plauſum à circumfluente populo erumpebat. Hæc ouatio tunc victoribus tribuebatur, cum aliqua ex requiſitis ad maiorem obtinendum triumphum conditionibus, de quibus infra dicemus, deeſſet Victori: v. g. ſi Dux exercitus Victoris Conſul, aut Proconſul non fuiſſet, ijs enim tantùm triumphus concedebatur: ſi ſine certamine ſtetiſſet Victoria; ſi pauci hoſtium cæſi; ſi viles fuiſſent Nationes debellatæ, v. g. ſerui; ſi bellum, ſine Senatus decreto, & auctoritate, fuiſſet ſuſceptum, licet meriò ſuſceptum. Ouans igitur, non curru, ſed ſolo vectus equo, atque herbacea corona, quam Veneri dicabant, redimitus, ſine tubarum, tympanorumue ſtrepitu Vrbem ingrediebatur. Ibat tamen in occurſum Senatus, & ſummo omnium plauſu excipiebatur. Secundum triumphandi genus illud fuit, quod proprium triumphi nomen retinuit. Nullus autem, quamuis incliti, Ducis munere functus, ad triumphum admittebatur, qui non fuerit Conſul, Proconſul, aut Dictator: vltra quinq; millia hoſtium cæſa, ingenti vtiq; certamine, exigebantur; nec ſatis erat, hoſtem fuſum fuiſſe, ni tota in ditionem hoſtilis prouincia eſſet redacta; ac pacata omnia ſucceſſori relinqueretur. Quod prælio in ditionem redigebatur, neceſſe fuit, vt antè extra ditionem fuiſſet, & denuò ſubigeretur; nec ſatis erat proprios imperij fines defendiſſe. Cum itaque, purificatis conditionibus, triumphus alicui, in triduum duraturus (vt mos erat) decernebatur, toto illo triduo iuſtitium indicebatur; claudebantur Vrbis officinæ, nil, præter triumphum, agebatur. Templa, compitæ viarum parietes aureis, ſericiſq; aulæis contegebantur, aromata ſpargebantur; flores, viridantibus admixti ramis, pauimentum cooperiebant: triumphales erigebantur arcus; ac deniq; nec laboribus, nec ſumptibus parcebatur, vt ſummam triumphalis pompa laudem obtineret. Egrediebatur Vrbe Senatus triumphanti obuius: ac ille aureo inuectus curru, qui albis equis veheretur, comitante exercitu, laureis ſertis coronato, ſummo tubarum, tympanorumue ſtrepitu reſonante, inconditaq; in Ducis laudem carmina concinentibus militibus, Vrbem ingrediebatur. Præcedebant triumphantis currum, ſeruili habitu, ſubacti Reges, ac præcipui debellatorum hoſtium Duces; arma hoſtibus erepta, ac ligneæ Ciuitatum, oppidorumque, quibus potitus eſſet, imagines, ſpoliaq; omnia deuictis hoſtibus detracta; plauſibus vndequaq; reſonantibus, quibus ad Capitolium victor deducebatur. His præcognitis redeo iam ad triumphum, quem gaudens Venus corde metiebatur; ingenti famulos Manes ductura triumpho. Inſignis dignitate cum Filia Iouis fuerit, Bellatrix Venus, Paphi Regina, Cypri dominatrix, ac totius terreni Orbis tyranna non ſolum, ſed & Cœleſtium etiam Numinum; immò & ipſius Iouis iam domitrix inclita, bellum difficillimum aggreſſa fuerat; nam monſtrum, puro extructum odio, ac liuoribus, Amoris facibus inflammandum ſuſceperat, Regem ſcilicet Tartareum. Agebatur de ampliandis finibus imperij; cum, terra, Cœliſq; edomitis, infernum aggrederetur ſubigendum. Pacata omnia Ioui reddituras vires intenderat, cum bella moturus fuiſſet Pluto, ni Veneri ſubderetur. Cædes ad Veneris triumphum non requiritur, ni mortem dicamus ipſam amantis vitam; nam, hoc pacto, deuicto Plutone, omnia inferorum monſtra tributum Veneri rependebant; ideòq; cæſa dici poſſent; quandoquidem Amori Perenne Mori proprium, ſine amiſſione vitæ, videtur. Iure igitur Veneri triumphus decernitur; atque ideò: *Ingenti famulos manes &c.* Iamq; facilè intelliges, quid ſibi velit particip.

DVCTVRA, à verbo *Duco* deriuatum, nam, cum Victoriam ſibi certam de Tartareo iam Rege polliceretur Venus, tum ex ſuarum progreſſu fraudum, tum Ioue annuente, tum quia hoc eſſe in Fatis ab ipſo iam acceperat Ioue, optumè, ſe Tartara in Triumphum ducturam, moliebatur; hoc eſt ſeruos Inferos ante currum ſuum acturam.

FAMVLOS MANES. Qui Manes ſint vidimus fusè lib. 1. cap. 4. Adeat locum Curioſus: nam breuitatis ſtudio non repetam. Nos *famulos* nunc Plutonis, vt lib. 1. habuimus Carm. 20., mox *famulos* indicat Veneris futuros: nam iure belli Victoribus deſeruire tenentur victi; ideò & ſub haſta apud Romanos vendebantur; & rei capitalis delicti cenſebantur, ſi a dominis, non niſi manumiſſi, ſecedere ſatagiſſent. Serui ij dicebantur. Hìc nomen famuli, quod in idem recidit, ſubſtituitur. Et hos, inquit, Venerem ducturam

INGENTI TRIVMPHO. *Ingens* plus eſt, quam *magnus*, & ſibi penè immenſitatis titulum vſurpat: quo nomi-

ne

ne vitius Poeta, vt oſtendat quanti putauerit Venus, Plutonem deuiciſſe. Et profectò quam honorificum Victori fuerit debellatos Reges in triumphum adducere, ac quanti dedecoris victo eſſe, exiſtimaretur, vel ex hoc vno patet, quod Cleopatra mortem ſibi potiùs conſciuerit, quam pati vellet, vt in triumphum à Cæſare duceretur captiua: quod cecinit Hor. lib. 1. Carm. Ode 37.

. . . . Quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expauit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparauit oras.
Auſa & iacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes, vt atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberatâ morte ferocior,
Sæuis Liburnis ſcilicet inuidens,
Priuata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

triumphus autem cum quid ſit viderimus, ſpontè propero.

ILLI MVLTIFIDOS &c. Habitum hic, ornatumque Veneris deſcribit concinnè adeò, vt carmen ipſum laſciuiam ſpiret; & primo vibratos indicat Calamiſtro crines, ſubinde aptas accomodat Veſtes; per pronomen autem demonſtratiuum *Illi* Venerem vtiq; de qua ſermo eſt deſignat.

CRINIS, Plurali tantum numero videtur hoc nomen vſurpandum, cum Cæſariem ſignificat; ſed apud Poetas tamen frequentiſſimè reperies ſingulari etiam inflexum numero. Illud obſeruant Grammatici, vt arbitror, ad diſtinctionem inter *Crinem* vinculum, & Crines nempe Cæſariem. *Crinis* enim, teſte Plinio, vinculi genus eſt ex crinibus equinæ caudæ confectum. Sed quidni dixerim, data opera, Vatem ſingulari numero vſum, vt oſtenderet vincula eſſe Veneris Crines, quibus ipſa corda omnium irretiret? Immò ideò in orbes ſinuari traduntur, vt arbitror, quod labyrintheis nexibus incautos obuoluant.

SINVATVR. Hoc eſt *criſpatur*, ac, varios effingens ſinus, in annulatam quaſi catenam contorquetur. Vno verbo *in Cincinnos* diſponitur. *Variatur* pro *ſinuatur* legit Parrhaſ. nec improbarem, nam oſtendit diuerſitatem cincinnorum, ac eorumdem ordinis varietatem; niſi hoc ipſum in ſequenti epiteto *multifidos* expreſſum cernerem.

IN ORBES, id eſt in gyros, nam quidquid figuram habet circularem *orbis* dicitur; & quia in annulos contortus crinis cribratur, ideò ſinuatur in orbes.

MVLTIFIDOS, Multifidum dicitur quod multas finditur, hoc eſt diuiditur in partes: cum itaque Cincinnos ſuos multifariam diuidat vanitas muliebris, ita vt alij frontem coronent in radios diſtincti; alij per genas decidant; alij per colla in tergum diffluant &c. & ita inter ſe diſpertiantur, vt certa diſſideant lege, certis, commenſuratiſq; diſtantijs, ac breuibus ſeiungantur interuallis; hinc eſt, vt Poeta Orbes Veneris, hoc eſt eiuſdem Cincinnos multifidos vocet. Et quidem decebat luxuriantis comæ concinnitas Venerem; nam, vt ait Cauſinus lib. de eloq. 11., ſublucentes crinium nodi, & impoſturæ, ſummæ infamiæ ſcenam efficiunt; & effrenatam porrò animi luxuriem oſtentant cribrati in capitis catenam crines. Stultitiam fortaſſis etiam oſtendunt, cum dignum catenis caput eiſdem oſtentent onuſtum. Rotulas cribratos hos crines appellauit Barth., & ſpiras in Orbem flexas, atq; acubus ſuffixas reſpiciens cum Poeta noſtro ad illud Martialis,

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus, incerto non benè fixus acu.

Quarè ſi rotulæ ſunt Ixionea tormenta, ijs infeliciter adhærenti minitantur. Si ſpiræ ſunt Lunari motu contorqueri, & fœminas cribrantes, & amaſios per illas delirantes oſtendunt, hoc eſt ſtultitiæ inſimulant, nam ſtultus vt Luna mutatur. Sed noſtra proſequamur.

DIVISVS. Participium paſſiuum eſt à verbo *diuido*. Porrò *diuidere* idem eſt, ac *rem aliquam interſecare, ac in partes varias diſtribuere*: ſeù, ſi loquamur de Aceruo, *partes coaceruatas ſeparare, ac diuerſis in locis collocare*. Quanto autem ſtudio impexos, coaceruatoſq; diſcriminet Crines mulierum ſedulitas, mirè exprimit Cerchiarius de cultu corporis, vbi ad ſupracitatum Martialis locum & ipſe reſpiciens hæc habet: *Quot verberibus pleſtitur ornatrix, ſi vnus de toto Comarum orbe capillus peccauerit? Quot plagas vapulabit, ſi aliter ſuerit alio Cincinnus? Quot diras audiet, niſi diſtractas vtrinque Comas ad breue interſtitium diſtinxerit?* Sic itaq; & Venus Capillos accuratiſſimè prius diuiſos, ac diſcrimine æquali diſpertitos cribrauerat ferro, ac plures in cincinnorum ſeries diſtribuerat. Ideò *diuiſus*.

ACV IDALIA. Acus, ſic ab acumine dicta duplex eſt; alia eſt enim, qua ſuimus, alia qua crinem diuidimus, quæ & crinalis, & comatoria, & diſcriminalis dicitur, experta diceret mulier. Hic de crinali loquitur Vates; & non quacumq; acu vſam Venerem fuiſſe notat; ſed *Idalia*, nomen autem hoc eſt ab Idalio Cypri Oppido deductum. Noueris in Cypro Venerem præcipuè cultam fuiſſe; atq; ideò, in ea regione, quidquid ad cultum Veneris ſpectaret, diligentiſſime elaboratum. Cum itaq; & acus crinalis in Mundo muliebri reperiatur, conſequenter non ſpernendum Veneris inſtrumentum ſit, nil mirum ſi apud Idalios perfectiſſimæ huiuſmodi acus haberentur; ideòq; hanc Veneri tribuit Vates. Et profectò quo potiùs inſtrumento ad capitis ornatum vteretur Venus, quam quod à Venereis manibus ſibiq; ſacratis opificibus conſtrueretur? Hoc oppidum à Chalcenore conſtructum dicitur, cui cum datum fuiſſet, vt illic Vrbem conderet, vbi primo Orientem Solem conſpiceret; dum ipſe locum meditaretur eluceſcente vix die, vnus ex eiuſdem comitibus protinùs dicitur græca voce inclamaſſe, *τ' Ἥλιον*, nempe *eſt Sol*, ſeù *video Solem*: ſtatimq; arrepto Chalcenorem omine, eo ipſo in loco, Ciuitatem condidiſſe ferunt, atq; *Idalium* vocaſſe, nomine ex ipſa ominoſa voce deſumpto, quaſi *dignam Sole Ciuitatem*; ad quod etiam alludens Vates, hoc loco, innuere voluit, tam perfectâ Crinali acu vſam fuiſſe Venerem, vt aptiori Sol ipſe vti non potuerit, aureos crines diſcriminaturus, quaſi *digna Sole acu*; & quæ crines exactè adeo diſpoſuiſſet, vt inſtar radiorum Solis fulgurantes emicarent; vt ferè Sol nouus in terris Venus crinium ſuorum faſtu ſuperbiret. Tertiam, & quidem præcipuam eruditionem, quæ hoc epiteto attingitur deſumere licet ex eodem Claud. de Nuptijs Honorij, & Mariæ Epithalamium conſcribente; nam *Idalium oppidum* Gratiarum ibi indicat Patriam, Gratiaſq; ipſas Veneri ancillantes, comaſq; eiuſdem diſcriminantes inducit, his verbis

Cæſariem tum fortè Venus ſubnixa corusco
Fingebat Solio, dextrâ, læuâque ſorores
Stabant Idaliæ. Largos hæc nectaris imbres
Irrigat; hæc morſu numeroſi dentis eburno
Multifidum diſcrimen arat; Sed tertia retro
Dat varios nexus, & iuſto diuidit orbes
Ordine, neglectam partem ſtudioſa relinquens.

Sibi itaque conſonans Vates diuiſos & hic Veneris crines, *Idalia acu* deprædicat; hoc eſt acu *ab Idaliæ Charitibus manu pertractata*; vt ex hoc ipſo intelligas in ipſis Crinium orbibus Gratias luxuriantes effulſiſſe. Nec diſſonum videatur comites Veneri gratias, immò ancillantes, cum Virgines effingantur, addidiſſe; nam primo quidem hoc ipſum omnes ferè auctores aſſeuerant, & inſuper, ſuppoſita eorum ſententiá, qui Gratias Veneris filias eſſe dicunt, vt apud Mythol. Nat. Com. lib. 4. cap. 13. certè Matri non incongruum eſt filias ancillari.

FIBVLA &c. Dato capitis ornamento, habitum hic Veneris deſcribit, & quidem ad expeditiones comparatum: primo quia Bellatrix de Tartaro victoriam reportatura procedebat; atque adeo bellatricis morem imitari, æquum fuerat, quæ vt expeditior ſit ſuccinctis veſtibus incedit ſic deſcribit Ferrarienſis Poeta bellatricem Marphiſam.

In habito ſuccinto era Marfiſa
Qual ſi conuiene à Dama, & à guerriera.

Sic Palladem Deam Taſſonius in ſua Heroicomica canto 2.

Pallade ſdegnoſetta, e fiera in volto
Venne ſù vna Chinea di Biſignano;
Succinta à mezza gamba, in vn raccolto
Habito mezzo greco, e mezzo hiſpano.

Sic denique Venerem ipſam in feras bellatricem, hoc eſt venatricem delineat Poetarum Princeps Æn. 1.

Nuda genu, nodoq; ſinus collecta fluentes.

Secundo autem quia Veneri, laſciuiæ præſidi, laſciuus profectò habitus fuerat adaptandus. Sicuti itaq; modeſtæ Matronæ eſt, veſtes ad thalos vſq; demittere; Sic impudentis, laſciuæ, ac proſtitutæ è contra eſt, etiam abſq; neceſſitatis impulſu, veſtibus ſuccinctis vti, ſurarumq. teretem omnibus molem oſtentare: prætérquamquod ita ſuccinctæ videntur amatoribus oſtendere, ſe ad copiam ſui faciendam promptas, & expeditas impedimenta reieciſſe, quæ ad percipiendum amoris fructum, ſi non omnino obſtare, retardare ſaltem potuiſſent. Tertio deniq; quia, cum iter eſſet in campos maturinis roribus conſperſos, Veſtis de more, ſuccingitur, ne defluens deturpetur; ideo *Fibula ſuſpendit purpureos*

ami-

aptiſſime. *Fibula* verò circulus eſt ex auro, ferro, vel ære, notiſſimum vtique ornamentum cinguli ad veſtes ſubligandas concinnati. Ex hoc intelliges fibulam hic poni pro ipſo cingulo, ſola autem Fibulæ venuſtas deſcribitur, nam quid ſit cingulum Veneris (cæſtum alij appellant) ſatis notum ſupponitur, & nos explicuimus lib. 1. Carm. 223. Sic autem mordet, ac conſtringit cingulum Fibula, vt diſſolui non poſſit, niſi manus ad extrahendam è cingulo Fibulæ lingulam adhibeatur.

SVDATA MARITO. Veneris maritum fuiſſe, Vulcanum omnes decantant Poetarum auctoritates. Vulcanum aſſeratio ex Virg. Æn. 8., cùm enim ibi dicatur Venus Vulcanum obſecraſſe, vt arma Æneæ conſtrueret, ſecum in maritali thalamo iacuiſſe fertur, his verbis:

At Venus, haud animo nequicquam exterrita, mater
Laurentumque minis, & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoq; hæc coniugis aureo
Incipit: & dictis diuinum inſpirat amorem.

Cum itaque Vulcanus ferrariæ artifuerit, vt conſtat, addictus ac officinam in Ætna monte exercuerit: inferendum videtur, Fibulam illam, Vulcani opera elaboratam, ferream fuiſſe. Sed obſtat huic opinioni *Gemma* illa, qua diues eadem Fibula in conſequentibus aſſeritur, nec enim ferro, ſed auro gemmæ circumligantur, rigidum enim nimis ferrum, vt gemmarum pretioſitate decoretur; ac videlicet ferro gemma, non niteſceret. Aduerte igitur, Vulcanum, non ſolam Fabri ferrarij artem exercuiſſe, ſed omnium inuentorem artium dici, quæ, per ignem, exerceantur, cum Deus ille fuerit ignis. Cum igitur, & ars aurificia, per ignem, vigeat, potuit vtique & aurifex eſſe Vulcanus: atque ob id ipſum, opinor, aureum illi coniugalem thalamum attribuit Virg. cit., eiuſdem vtique manibus, atque induſtria fabrefactum. Inſuper, cum Vulcanus, Iunone natus, ſed eidem, ob deformitatem, inuiſus, ab ipſa Matre in Mare è Cœlo proiectus dicatur ab Homero, cuius græca Carm. ſic transfert Mythol. Nat. Com. lib. 2. c. 6.

Ipſe meus natus claudus Vulcanus: ego ipſa
Hunc peperi; manibus capiens, & in æquora ieci.

eum, apud Pauſaniam, inuenio, memorem acceptæ iniuriæ ſellam auream; cum occultis quibuſdam vinculis, dono Matri miſiſſe, quæ Deam, cum aſſediſſet, ſtatim implicauerunt, ac colligatam detinuerunt. Hæc ſella itaq; eâdem arte conſtructa, qua eiuſdem Vulcani rete, Venerem, ac Martem, in adulterio deprehenſos, colligantibus euinciens nodis, certè & ſe ipſam eiuſdem Vulcani opificio factam deprædicat. Quarè, & auream dicendam eſſe, hoc loco, Veneris Fibulam, à Vulcano fabrefactam, non dubitauerim; primo quia ſit aptior gemmis, quibus illuſtratur, vt dicebamus: ſecundo quia ferri aſperitas delicatam nimis Venerem offenderet: tertio quia bellatricem gerebat, & aureis Baltheis Amazones vtebantur, vt vidimus: quarto quia Reginam, ac Deam deliciarum aurum decebat, multo magis quam laſciuam deceret Didonem, cui, apud Virg. Æn. 4.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Ni forte dicendum eſſet, non auream, ſed ferream Fibulam à Venere aſſumptam, tamquam hieroglyphicum ferrei Plutonis ſuperandi, vel Martis olim ab eâdem Venere ſubacti. Sed magis arridet, auream fuiſſe, vt aptiori metallo gemma reniteret. *Sudata* autem *marito* dicitur, ideſt ſummo Vulcani ſtudio, labore, atque induſtria, non ſine effuſione ſudoris, ad perfectionem redacta; nam ſudor ex ingenti labore exprimi ſolet. Ex conſequenti itaque, nempè quod artificis ſudoribus conſperſa fuerit Fibula illa, colligendus eſt labor, quo fuerit elaborata.

SVSPENDIT AMICTVS. *Suſpendere*, hoc loco idem eſt, ac ſubleuatum detinere, ne inferius id, quod ſuſpenditur decidat: vulgò *tener alto*. *Amictus* vero *veſtis* eſt, quæ ſupponitur alijs veſtibus. Sed per Catacreſim, ponitur hic pro fœminea veſte, quam Cycladem appellant, vulgò *Gonna*. Et, ſi generice ſumatur, Amictus dicitur ab amiciendo quidquid nudas contegit carnes, vel illud interiùs, vel externis adhibeatur.

PVRPVREOS. Concha Veneri ſacra dicitur; ideò nil mirum, ſi Oſtro ex Conchis delibato eiuſdem inficiantur veſtes. Sed non obuia quæque arripit Poeta. Memineris igitur, Concham purpureos cælantem liquores, tam validâ, ac præacuta lingua præditam eſſe, vt eam gerens exertam, & Conchulas, & quaſcumque ſui generis teſtas terebret, ac terebratas prædetur. Venus, linguæ viſu, quamlibet, quantumuis pudicam, animam labefactare ſe poſſe, gloriatur; nam corrumpunt bonos mores colloquia praua: ideò purpurea induatur Veſta, vt ſcias, Conchæ in ipſa mores eſſe, ita vt laſciuæ linguæ miniſterio omnia in prædam Veneris adducantur. Inſuper, per exertam linguam à Piſcatore capitur purpura: ſicque humanæ Veneres, ſi linguam loquaciter exerant, à venereis Piſcatoribus facile capiuntur; idcircò Purpuram induat Venus. Adde, quod in calce lib. 1. iam diximus, nempè, Purpuram pro ſanguine poni: cum itaque, ferueſcente in Venis ſanguine, captiuos Venus homines in triumphum ducat, aptè purpureis circumdata veſtibus deſcribitur; præter quam quod Purpura, quippè immenſæ propemodum exiſtimationis, & Reginam decet, & Diuam. Quare & Perſonæ morem gerit Vates, & quæ mythicè ſignificantur myſticè attingit.

GEMMA. Non ſimplici auro: ſed gemmis conſito, ſeù vnica ingenti gemma condecorato Fibula illa ſignificatur extructa. Et quidem ſciò eſſe, qui gemmas omnes ornatui Veneris debitas eſſe putent; eo quod eam maximè comptam eſſe deceat. Quare dici poſſet, Poetam indeterminatè locutum, vt ad omnes reſpiceret, iuxta prælatam opinionem, à Pier. relatam, lib. Hierogl. 18. Verum, cum in Fibula non omnes gemmæ collocari poſſint, potiùs dicendum arbitror, vnica inſignitam Gemma fibulam illam à Poeta expreſſam. Quod ſi quæras, quanam gemma in particulari debuerit inſigniri, vel intelligatur à Vate inſignita; non facile dictu eſt. Quid ſentio tamen exponam. Smaragdum fortaſſis fuiſſe aliquis dixerit, quia, attenta eius viriditate, ſpei ſymbolum habetur: & Amator, licet repulſam paſſus, ſemper ſperat, facilem ſe ſibi Amaſiam redditurum. Inſuper Aſtronomi autumant, Smaragdum cæleſti Veneri ſacratum eſſe. Verum, experimento compertum eſſe, perlego, apud Pier. lib. Hierog. 41., ſi quis in patranda re Venerea Smaragdum attingat, gemmam illicò frangi: quod indicat antipatiam eſſe inter Smaragdum, & Venerem; ideoq; Veneri non aſſignandam huiuſmodi gemmam. Aptius fortaſſe dixerint alij eam Iaſpidem fuiſſe; nam, Iaſpidem pro gratia poni, Auctores tradunt, apud Pier. cit., quia compertum ſit, eâ gemmâ omnium gratiam erga geſtantem conciliari. Hoc autem magis Veneri congruum videtur, cum & Gratiæ illi addictæ ſint, vt dix., & omnium ſibi gratiam conciliet Venus: adde quod per id tempus gratiam ſibi Plutonis deuincire ſatagebat, vt ſponte Iugum ſubiret Amoris, ac efficere, vt Proſerpina gratiam in eiuſdem oculis inueniret. Poſſet hoc ipſum confirmari, quia Filius Veneris Æneas apud Virg. Æn. 4. hac ipſa viſus Gemma deſcribitur; fortaſſis quia Matri grata

. . . . . Illi ſtellatus Iaſpide fulua
Enſis erat: tyrioque ardebat murice læna.

iuxta veſtem, quam ſibi Venerem etiam vidimus aſſumpſiſſe. Alij vnionem potiùs fuiſſe dictitauerint, quòd ſymbolum ſit lacrymarum; nam lacrymis amantium exſaturata nunquam videtur Venus; præter quam quod lacrymis addiſcenda, tunc temporis, erat Proſerpina, quam Venus ſeduxerat. Verùm melius, bona omnium pace dicendum arbitror, *Alle&ctoriam* gemmam, ex Vatis intentione illi Veneris cingulo adaptari. Hæc enim Gemma illa eſt, quam in Galli ventriculo tradunt inueniri; *Alectoria* dicta, quaſi *alliciens victoriam*; nam dicitur eam geſtantibus victoriam comparare; afferuntque Milonis Crotoniatis exemplum, quem inuictum in certaminibus fuiſſe ferunt, & quod hanc gemmam aſſiduè geſtaret. Debellatura erat Tartareum Venus Regnum; quid ni gemma geſtaret victoriæ conciliatricem? Adde euiſceratum hac gemma Gallum oſtendi. Quid ni igitur eam geſtet Venus, in odium illius Galli, quo obdormiente, Sol Veneris cum Marte adulterium patefecerat, & in conſpectu Deorum omnium aperuerat? Denique hæc gemma Marti fuerat donum Vulcani. Quam autem gemmam aptiùs vxori donaſſet Vulcanus, qui ſciret, ſe non æquo animo à Venere aſpici ob deformitatem, quam quæ illi victoriam de Mulieris affectibus polliceretur quandocumque eam reſumeret geſtandam? Sed hæc de *Gemma* dicta ſufficiant, & in re incerta, liceat vnicuique pro libito, quam malit, ſententiam ſequi. Vnum ſcio Baltheum Amazonium à Virg. Æn. 5. non ſolum aureum, ſed & gemma Fibulæ inſerta conſtrictum exprimi his verbis

. . . . . Lato quam circum amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Amazonis vices, vt innuimus, implebat Venus Ditem in ditio-

ditionem redactura; conſequenter aptè, Amazonis in morem, gemmâ præcingitur.

CANDIDA PARRHASII &c. Deſcripta Venere, ſubſequentis Dearum cætus Anteſignana, iam ad Virgines tranſcendit, & quamnam vnaquæque obtineat locum, cultumque corporis, ſingillatim aperit. Primò itaque Dianam, eiuſdemque veſtes, ac ornamenta ſectatur, ſubindè Palladem, ac Palladis geſtamen, militariaq; arma proſequitur.

POST HANC. *Poſt* præpoſitio eſt, quæ, non compoſita, ſed ſeparatè præpoſita (vt certè hic) ordinem demonſtrat, ſiue loci, ſiue temporis, ſiue alicuius alterius rei. Hic ordinem importat loci, ac perſonarum in locis contentarum, vt per ſe patet. Pronomen verò *hanc* demonſtratiuum perſonæ eſt proximè commemoratæ. Quarè hic Venerem deſignat, poſt quam, ideſt ſecundo ab eadem Venere loco ſequebatur.

CANDIDA REGINA LYCEI PARRHASII. Anthonomaſtica periphraſi, Dianam deſignat, his verbis: Parrhaſia enim, à Parrhaſio monte nomen deducens, Regio eſt in Peloponeſſo, alio nomine Arcadia dicta; in qua, præter prædictum montem Parrhaſium, Mons alter eſt, quem Lyceum appellant, præcipuo Dianæ cultu inclitus, eiq; ob multitudinem ferarum, dicatus, & ea quo Diana ipſa denominata eſt olim Lycæa.

CANDIDA. *Candidum* dicitur, quod ita albe line fruitur, vt ſit ſulgenti quodam ſuperfuſum nitore, ad diſtinctionem *Albi coloris ſimpliciter*, quem conſtat vicinum eſſe *Palloris*. Non equidem negauerim, promiſcuè interdum vſurpari & candidum, & album, ſicuti in illo axiomate, ea Aſtronomicis deducto, Album videre eſt pro candido poſitum, dum hæc ex eo habentur.

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.

nam *Alba* ibi pro *candida* ponitur, ac *nitens quodam candore prælucens*. Verùm proprietatem, ac rigoroſam nominis acceptionem ſequitur Poeta hic; nam, cum de Diana loquatur, quæ tandem eadem, ac Luna eſt; & Lunam argenteum vocent Planetam; certè argenteus illi candor fuerat tribuendus. Inſuper *Candidus* pro eodem ſumitur, ac *purus, illibatus, incontaminatus*; cum itaque Diana perpetuam, illibatamque Virginitatem ſeruare credatur, iurè *Candida* dicitur, cum ne minimum quidem ea Veneris conſortio illius contaminetur Virginitas, & *Candida*, quia nullius Venereæ in Proſerpinam fraudis particeps. Item *Candidus* idem interdum ſignificat, ac ſincerus. Luna, ſecreta omnia, nocturnis tenebris occultata, reuelans, nihil ſe ſecreto machinari oſtentat, ſed ſemper in aperto eſſe. Ideò candida; hoc eſt *ſincera*; vt Vatem intelligamus, à Venere ad Dianam tranſilientem, ea oppoſito in oppoſitum tranſitum feciſſe, atque huiuſmodi epiteto indicaſſe.

REGINA. Quæ Regnum poſſidet Regina eſt. Et procul dubio ſi reſpectus haberetur ad nocturnum Cœlum, ſtellarum, ſeu nocturni Cœli Regina dici poſſet Diana; nam ſicuti Phœbus frater Princeps Planetarum dicitur, ita Diana ſoror Regnum in tenebris obtinebit; ſed cum reſpectus habeatur ad ſolam Parrhaſiæ partem, vt ea dictis patet, dicendum erit nomen Reginæ ſumptum pro eodem ac Domina, ſeù prædominante Hera.

LYCÆI PARRHASII. Quinam Lycæum mons ſit iam innuimus. Parrhaſium autem dicitur ad diſtinctionem alterius Lycæi in Attica, nempè loci illius, vbi Athenienſes Pericle præeunte Gymnaſium aperuerunt, Ariſtotelis poſtea doctrinis, ac præceptionibus celebratum, cultumque. Quem locum Lyceum à Lyco Pandionis filio denominatum, auctor eſt Pauſanias. Lycæi itaque inquit Parrhaſij; hoc eſt ad Parrhaſiam, vt ſupra dicebamus, pertinentis.

ET PANDIONIAS &c. Per circumlocutionem anthonomaſticam, hoc iam loco, Palladem deſcribit; ac parem cum Diana locum, immediatè ſcilicet poſt Venerem, ab ea indicat obtineri; nam particula *&* copulans vim habet oſtendendi perſonas, quæ ipſa mediante, copulantur, in paritate loci adeſſe.

QVÆ PROTEGIT. Palladem eamdem eſſe, ac Mineruam, ſcientiarum ſcilicet ſimul, armorumque Deam, complures ferunt Auctores. Cum itaque maximo cultu, apud Athenienſes veneraretur: hinc eſt, vt & ipſa grati animi non immemor, credita ſit Athenienſium vrbem non ſolum, ſed totam Atticæ Regionis latitudinem protectione quadam peculiari defendiſſe. Pandionia autem Attica Regio dicitur à Pandione Erichthei Athenarum Regis filio, qui Patri in Regno ſucceſſit, ac cuius filiæ fuere Prognes, & Phylomela in aues poſtea commutatæ. Ad relatiuum *quæ*, ne ſuo careat effectu, præintellige: Et *Dea illa*, quæ Protegit: *protegere* autem eſt quaſi *tegendo defendere*, *& tutari*. Tegit igitur Pallas clypeo ſuo ab infortunijs omnibus Atticam regionem; nec ſolum Clypeo tegit, ſed etiam

CVSPIDE DEFENDIT. Porrò *cuſpis* eſt *acuta* pars gladij, haſtæ, telorum &c. ea quo intelliges, partem hic pro toto poſitam, nempè *cuſpidem* pro tota Palladis haſta; nam, ad arcendos hoſtes, & infortunia omnia, & Clypeo, & haſta vtebatur ad Athenienſes tutandos Pallas; hoc eſt armis defenſiuis pro regione, offenſiuis in prementes. Scio Barth. nomine *cuſpidis* intelligendum hoc loco *ſceptrum* affirmaſſe, quandoquidem haſtæ pro ſceptris, apud antiquos Reges in vſu fuerint; nec auctoritati repugno, ſed immò eruditionem amplector, & ſenſum collaudo. Aſt potiùs locum, iuxta dicta, explicandum cenſui, vt efficaciam verbi *protegit* dignoſceremus, quæ non ſolum eam importat defenſionem, quæ ex, venerato ab omnibus, reſultet ſceptro, quæ defenſio prædominans dici poteſt; ſed etiam defenſionem operatricem, & actualem, qua Dea Præſes viribus, & armis, quatenus opus fuerit, ad defendendos vtatur Athenienſes. Ideò vtrumq; dicerim a Poeta indicatum; nam his omnibus Pallas *protegit*

PANDIONIAS ARCES. Ideſt Atticæ Ciuitates munitiſſimas, earumdemq; præcipuas munitiones nomine *Arcium* deſignatas; nam Arx ab arcendo dicitur, vt alibi præcipuè lib. 1. dix. Adde, quod Solino placet, nempè Arces dictas ſolidiſſimas quaſque munitiones, nomine ab Arcadibus deducto, qui primi muniſſimos quoſq; Colles ſub Euandro Rege tenuerint; & quo factum, vt Arces peculiare quodam titulo Palladi ſacræ cenſeantur; ideo iure Pallas *protegit Arces &c.*

VTRAQVE VIRGO RVVNT. Honorificam Dearum ingerit mentionem, dum ambas virgines appellat, & modum ſubindè, quo gradus mouerent, explicat. Porrò nomen *vtraque*, & nomen *Ambæ* idem prorſus eſſe videntur; Sed notant tamen diſtinctionem grammatici; Dicunt enim, *vtrumque* aliquam actionem peragere, quando vnuſquiſque ea importatis per nomen *vtrumque* eamdem ſeparatim agit actionem, v. g. vnus ædificat, alter ædificat: vnus currit, alter currit &c. ſed ita vt vnus ædificet ſibi, & alter pariter ſibi; vnus currat per ſe ipſum, alter pariter per ſe ipſum: nomine verò *amborum* vtimur, inquiunt, quandò duo ſimul ad eamdem numero actionem peragendam vnitim concurrunt, tamquam duæ cauſæ partiales vnicam integrantes cauſam totalem, efficientem illius actionis. Cum igitur, *vtraq;* dixerit Poeta, intelliges, & de vna, & de altera idem eſſe prædicatum, nempè & quod vna ſit Virgo, & altera ſit Virgo; & quod vna ruat, & altera ruat; ita tamen, vt propoſitio ſenſum faciat diſiunctiuum, ſeù diſtributiuum; non verò identicum in vtraque. *Virgo* autem nomen eſt à *viridiore*, hoc eſt *validiore* ætate deductum. Quarè & *Matres* aliquando Virgines appellatas inuenimus, vt profectò apud Virg. de Paſiphe, quæ trium puerorum mater erat, habetur Ecl. 6.

Ah Virgo infelix: quæ te dementia cepit!

noſtris tamen hiſce temporibus, iam vſus inualuit, vt *Virgines*, quaſi *virum abnegantes* dicamus eas tantùm, quæ incorruptæ ſunt, ac virum nondum expertæ, vt certè de Diana, ac Pallade communis inualuit opinio; quamuis Euphorion dixerit Tytium apud inferos vitiatæ Dianæ pęnas dare; Quamuis Hyginus Dianam plus nimio Orione dixerit delectatam; Quamuis aſſeruerit Pauſanias eam Endymioni copiam ſui feciſſe &c. Communis autem opinio, cum qua & Poeta hic, Homerum ſequitur, qui indubitanter tres tantum, in Hymnis Deas Virgines aſſeuerat illibatas, nempè Palladem, Veſtam, & Dianam. Præcipuam itaq; Dearum hanc laudem cum Homero celebrat Vates, vt, ex oppoſito, Veneris magis elucеſcant, & dignas oſtendat, quæ pari cum Proſerpina gradu iungerentur.

RVVNT. Ne putes Vatem in Grammaticam peccaſſe, cum dixerit *vtraq; virgo ruunt*; nam *vtraq;* ſingularis quamquam ſit numeri pluralitatem importat. Quare verbum pluralis numeri benè conſonat cum ſingulari pluralitatem ſignificante, licet quo ad vocem diſcordare videantur. Intranſitiuum hoc loco, non actiuum eſt verbum *Ruunt*, & idem ſonat, ac *feſtinanter, præcipitanter ire*: quarè deſcribit hic Vates ſollicitudinem Dearum in accelerandis greſſibus. Et profectò, cum Venus anteſignana thalares Mercurij alas aſſumpſiſſe videretur, vt ad optatam proprij triumphi metam citiùs aduolaret, alias feſtinare, ac præcipitanter ire con-

congruum fuerat, ne præeuntem deſererent, cum inter Comites lex ſit, ne, in itinere, longiùs diſſocientur, ſed attemperatis inuicem greſſibus procedant vnitim.

HÆC TRISTIBVS &c. Interrogatus ab Adriano Epictetus Phyloſ. quid Amor eſſet? *Otioſi pectoris cura*; Prudentiſſimè reſpondit. Cum itaq; Vates noſter Palladem, ac Dianam Virgines aſſeruerit, æquum etiam fuit, vt officia, quibus exercerentur, attingeret, vt cauſam tacitè oſtentaret, cur nulla eas tetigerit *otioſi pectoris cura*; ita vt Virgines permanſerint. Sciebat enim & ipſe, nullam prorſus conſiſtere otioſo in pectore virtutem, iuxta illud Petrar.

La gola, el ſonno, e l'otioſe piume
Hanno del Mondo ogni virtù sbandita.

Ideò, habitâ ſuperiùs diſtributione, qua ſingillatim, & vnam, & alteram Deam virginitate florentem dixerat, vnicuique diſtributionis membro proprium aſſignat exercitium, quaſi contra venereas peſtes amuletum.

HÆC pronomen Palladis demonſtratiuum eſt, In qua, primo loco, bellorum ſtudium commendat, cum enim vltimo eam loco in diſtributione poſuerit, à proximiori, in elocutione poſita, retexenda fuit Oratio, vt aptiori methodo decurreret.

ASPERA. *Aſperum* dicitur quidquid vel viſui, vel guſtui, vel tactui, vel alijs ſenſibus inſuauè, iniucundum eſt. Quarè *Aſpera* dicitur Pallas, nam, ferreis hiſpida loricis, certè viſu inſuauis eſſet, neceſſe erat. Secundo *Aſperum* dicitur, quod laborioſum eſt, & arduum. Ardua, nec facilis vinci armata Pallas, ideò *Aſpera* irritantibus. Tertio *Aſperum* dicitur, quaſi *aſperatum*, hoc eſt *laboribus obduratum*. Callum Palladis pectori induxerat armorum vſus, & obdurauerat illa terroribus: ideò *Aſpera*

TRISTIBVS BELLIS. *Triſtis* idem eſt, ac *mæſtus*, *mærore plenus*, ac *melancholicis ſcatens humoribus*; quod quidem bellis conuenit, ſi non formaliter; certè efficienter, quia mæroribus omnia complet bellum. Iterum *Triſtis* idem eſt, ac *terribilis*, *crudelis*, *funeſtus*? quid autem his bellum ſuperet? cum, vt fert vulgatum axioma.

Nulla fides pietaſq; viris, qui caſtra ſequuntur.

Ad hæc omnia reſpexiſſe Poetam, non dubito. *Bellum* autem per antiphraſim Bellum dicitur, quia minimè *bellum*. De cætero cum notiſſimę ſignificationis nomen ſit prętereo. Tantum indico, hoc nomen *Bellum* longam importare temporis continuationem in armis, licet interdum acie non decertent exercitus; *Prælium* verò dicitur quilibet armorum conflictus, & actualis hoſtium congreſſio, cum vtrimque ſcilicet ſigna inferuntur; hic tamen promiſcuè in vtrâque ſignificatione vſurpatur, & bellis aſpera, quia bellis, vnà cum Marte, Pallas præeſt, eaq; curat, & agitat.

HÆC METVENDA FERIS. Per pronomen *Hæc* Palladem, moa antè deſignauerat: nunc Dianam deſignat. Grammatici fortaſſis obſtrepent; nam pronomen *hoc*, ſeù *hæc* vſurpandum aſſerunt, cum proximiorem, ſeù vltimo poſitam loco, in elocutione, perſonam deſignamus; cum verò remotiorem, ſeù primo loco, in diſtributione, poſitam compellare velimus, pronomen *illa* clamitant adhibendum. Sed quid Poetæ cum Grammaticis, qui poeticam loquendi vim non agnoſcunt? Aduerte igitur, Poetam hic, quaſi digito, notare vnamquamq; Deam, de qua ſucceſſiuè ſermonem habet; ita vt, vnâ deſcriptâ, alteram digito notet, & Indicet: quarè ea, quæ remotior in elocutione fuerat, iam æquè proxima per deſignationem fit, atq; ideò per pronomen *hæc* etiam ipſa indicatur. Adde, in pari gradu poſitam vtramq; fuiſſe Deam à Poeta, quo ad locum: quarè neutra earum poteſt dici proximior, aut remotior reſpectu eius digito ſignantis. Quarè aptiſſimè diſtribuens: *Hæc*, & *Hæc*, inquit, vt æqua, per idem pronomen eſſet diſtributio.

METVENDA FERIS. Particip. hoc eſt paſſ. à verbo *metuo* deriuatum. Porrò *metuere* (quod idem eſt, ac *metu tremere*) deductum volunt à motu animi, cum id, quod malè caſurum putat, mens refugit: malum autem feræ ex Dianæ ſibi armis imminere, crebrâ nimis experientiâ, didicerunt: quare meritò motu animi quati debent, & metu tremere, ſi quando vel in eam incidant, vel eiuſdem armorum ſonitum auribus percipiant; ideò *metuenda*; vocabulum ſcilicet exprimens neceſſitatem in feris, vt Diana ab ipſis timeatur, hic aptiſſimè appoſuit Vates. *Feræ* autem ea bruta dicuntur, quæ in Syluis degentia, nec manſuetudinem hactenus edocta, ferocitatem exercent, vt latiùs vidimus in Præfatione ad hunc lib. Carm. 5. Ex quo nota, Dianam venationibus addictam ſignificari, vt & ipſa habeat, quo otioſi pectoris curam vitet, exercitium, & Virgo ex opere comprobetur. Ex hoc ipſo, emphaticum agnoſces vocabulum *metuenda*; nam non quibuslibet animalibus metuenda dicitur; ſed *feris*: quaſi ipſa ſagittis indignas ſuis eas reputet brutorum animas, quæ non magno impetu, ac ferocitate ferantur; ſed in maximè ſuperbas tantum, immaneſque pharetram exerceat, & arcum.

TRITONIA &c. Prænotata conditione, & exercitio vtriuſq; Deæ ad ornatum Palladis deſcribendum regreditur, quam Tritoniam appellat multiplici profectò fretus eruditione; nam primo Tritonia dicitur Pallas, quia tertia menſis die creditur nata, ac ideò dies ille in Deæ ſuæ honorem feſtus Athenis tranſigebatur. Et hanc eius nominis deriuationem aſſerit Caliſthenes. Secundo Tritonia denominatur ex eo, quod ex Iouis capite proſilierit, caput enim *τρίτω*, apud Bæotios, vocant eruditi. Tertio ex Tritonia Palude Triton oritur, qui fluuius Beotiæ, Theſſaliæ, Lybiæq; eſt; & ex eadem Palude ortam docet Palladem Herodotus, Patre Neptuno, qui cum filiæ neſcio quid aliquando ſuccenſuiſſet, adoptandam ſe Ioui illa dedit, eodem Herod. auctore. Quarto Tritonia dicitur, quia præeſſe aeri credita ſit, & quia aer triplicem habeat mutationem, Vere ſcilicet, Æſtate, & Hyeme; nam Autumnum antiquitas non recenſebat. Quinto mentem eſſe inquit Democritus Mineruam, ſeù Palladem, cuius munere bene conſulimus, rectè iudicamus, ac nihil omninò per iniuriam facimus: ideò ex triplici hoc munere *Tritonia*. Deniq; credita eſt Pallas Animorum noſtrorum moderatrix: & quia triplex eſt vis animi, nempè concupiſcibilis, iraſcibilis, & rationalis: ideò Tritonia eius dicitur Præſes. Nouit hæc ipſa Virg. ideò Æn. 10. cecinit.

Armipotens belli præſes Tritonia Virgo.

CASSIDE FVLVA. Armata profectò deſcribenda fuerat bellorum Dea; atque hinc eſt, vt Poeta à *Caſſide*, ferreo ſcilicet capitis integumento exordiatur. *Caſſis* idem, quod *Galea* eſt, græcè *κορυς*, quod vacua ſit, ad caput excipiendum. Galeatam itaque, vt Bellatricem decuit, Palladem facit. Fuluum autem caſſidi colorem attribuit; quod anſam Parrhaſio dedit, vt auream Palladi Caſſidem adaptatam exiſtimauerit; nec abs re eſſet, vt fatear, ſi Deam diceremus ex auro potiùs arma geſtare conſtructa, quam ex ferro; præcipuè cum Virg. Æn. 11. etiam Vatem Cybeles aureis inſtructum armis deſcribat, dum ait

Forte ſacer Cybele Chloreus, olimque ſacerdos,
Inſignis longè Phrygijs fulgebat in armis &c.
Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea Vati
Caſſida &c.

Verum aduertas obſecro, id quod in citatis carminibus ponderat Virg. ipſe, dum ait: *Phrygijs fulgebat in armis*; ac ſubindè memineris, Phrygios homines effœminatos maximè, ac molles fuiſſe, quod videtur innuere Virg. idem Æn. 12. vbi Turnus Æneam, per contemptum, ſemiuirum appellat Phrygium. . . . . . *Da ſternere corpus*

Semiuiri Phrygij, & fœdare in puluere crines.

nam, his adnotatis intelliges effœminati pectoris eſſe Luxum in armis quærere; adeoq; Palladi non eſſe aptanda ex auro fabrefacta Caſſis, quæ Phrygiam redolet mollitiem, ac Luxum oſtentat Sybaritarum. Hoc poſito. Ambiguum remanet, cur Vates fuluam Palladis Caſſidem appellauerit. Fuluum appellari Leonem paſſim, comperio, fuluum aurum, fuluam arenam, fuluam Aquilam, immò & fuluam Iaſpidem dici vidimus ex ſupra celato Virg. loco Æn. 4.

Æneam fundantem arces, ac tecta nouantem
Conſpicit, atq; illi ſtellatus Iaſpide fulua
Enſis erat &c.

Quid igitur ex tot, ac tàm diuerſis coloribus abſtrahi poſſit, in quo omnes prælati colores, ſub nomine fului, conueniant? Certè diuerſiſſimi ſunt colores præcitati, ac præcipuè Iaſpidis color quàm maximè ab alijs diſtat; viridanti enim fulget nitore. Sed in nitorem incidens ſolutam iam video ambiguitatem. Arbitror itaq; colorem fuluum hic poni pro nitenti quodam fulgore, quo effulgeant omnia, quæ de illius ratione participant, & ex qua participatione fulua eſſe dicantur. Quarè & Palladis arma, quippe leuigati ferri radiantia fulgoribus, *fulua*, hoc eſt fulgida nuncupantur; ideò aptiſſimè Vates: *Tritonia Caſſide fulua*.

GERIT CÆLATVM THYPHONA. Supremam Galeæ partem, quam Conum, ſeù Criſtas appellant, iam deſcribit, ornamentum nempè illud militare, quod vulgò dicitur *il Cimiero*. In more autem poſitum nouimus, apud Antiquos Bellatores, vt, ſi quando ingenti aliqua victoria potiti eſſent, imaginem deuicti hoſtis in Conum erigerent. Palladem verò inclitam giganteo bello fuiſſe tradunt Auctores,

ctores, ac multam Gigantum ſtragem edidiſſe; ita vt currum, equoſq; ſuos multo ſanguine, ac cæde conſperſos, opus illi fuerit, in Oceani vndis abluere. Quarè nil mirum, ſi proſtratum Thyphonem, præcipuum ſcilicet inter Gigantes, effigiatum erexerit in Conum. Reſpexit autem Claud. hic ad Peplum illud, quod Athenis, quinto quoque anno, maioribus Panathenaicis Mineruæ conſecrabatur intexta Deorum de Gigantibus Victoria, & expreſſa Thyphonis cæde, quem Pallas dicitur interemiſſe. Meminit hunc Athenarum ritum Virg. in Opuſc. ad Meſſalam ſic

Sed magno intexens (ſi fas eſt dicere) Peplo,
Qualis Erechthais olim portatur Athenis,
Debita cum caſta ſoluuntur vota Mineruæ;
Tardant conſecta redeunt quinquennia luſtro.

meminit, & eiuſdem Pepli ſtructuram ibidem, dum ait:

Magna giganteis ornantur Pepla trophæis;
Horrida ſanguinea pinguntur prælia cocco.
Additur aurata deiectus cuſpide Thypho,
Qui prius. Oſſæis conſternens æthera ſaxis
Æmathio celſum duplicabat vertice Olympum.

Sunt qui dicant, Typhonem, non hominem, ſed eximium fuiſſe Draconem, qui fulminibus ictus, dum latebras quæreret ad fugam, terram longis ſecuerit tractibus, peruſta trahens membra, *moriens ſimul, & ſuperſtes*. Alij cum Zenodoto Thyphonem, autumant, hominem Atticæ regionis fuiſſe, Phalangem nomine, cui ſoror fuerit Arachnes. Hunc, inquiunt, artem militarem à Pallade edoctum, eiuſq; ſororem artibus omnibus ad textoriam ſpectantibus ab eadem inſtructam Dea. Verùm, cum Phalanx cum ſorore concubuiſſet, adeò indignatam aſſerunt Deam, vt ambos conuerterit in ſerpentes. Ex his itaq; omnibus coniectare, licet, Palladis Conum in ſerpentem extructum indicari. Quod meliùs, explicantes, videbimus.

GERIT. *Gero* idem propriè eſt, ac *Porto*. Cum autem Criſtæ ornamentum Galeæ ſint; & Galeâ grauetur Armigeri caput, certè & portatur, quidquid Galeæ eſt, ab ipſo capite galeam circumferente.

CÆLATVM. Cælatum dicitur quidquid circumcidendo fit, atque inciſorium opus, ſeù cælaturæ opus dicitur eſſe: vulgò *opra d'intaglio*. Oſtendit igitur Poeta, Thyphonem, à Pallade, Criſtarum loco, geſtatum, opus cælaturæ fuiſſe, quo terribilior euaderet, atque horridior aſpectu. Talem in Solimani Caſſide ſerpentem adſtruit Taſſus Hieroſ. lib. Cantu 9.

Porta il Soldan, sù l'elmo horrido, e grande,
Serpe, che ſi dilunga, e 'l collo ſnoda;
Sù le zampe s'inalza, e l'ali ſpande;
E piega in arco la forcuta coda
Par che trè lingue vibri; e che fuor mande
Liuida ſpuma, e che 'l ſuo ſiſchio s'oda;
Et hor, ch'arda la pugna, anch'ei s'infiamma
Nel moto, e fumo verſa inſieme, e fiamma.

Quod ipſum decerptum noueris ex Virg. qui Æn. 7. Criſtas armati in Caſſide erectas Turni deſcribens, ait:

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Suſtinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.
Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.

THYPHONA. Thyphon (nam Græciſmus *Thyphona* eſt pro *Thyphonem*) ille idem (vt aſſerunt quamplures) eſt, cuius vaſtæ corporis moli Ætnam vidimus ſuperimpoſitam lib. s., omnes videlicet Gigantes terribilitate antecellens; dicunt enim hunc, vel crurum tenus, altiorem quocumq; montium vertice extitiſſe; caput aſtris inſeruiſſe. & alterâ Orientem manu, alterâ Occidentem, cum eas expanderet, tenuiſſe. Ex humeris centum capita draconum emicabant; in Cruribus maximas habebat viperarum ſpiras; Corpus totum pennis erat obtectum; crines impexi; barba prolixa, oculi ignei; ignique multus ex ore efferuebat: Hoc monſtrum, Dijs fugientibus, Iupiter inſecutus, ad Caucaſum Syriæ montem fulmine ſauciauit, iterùmque vulnerauit, ad Hæmum Montem, qui ita dictus fertur a copia ſanguinis, qui ibi ex vulnere defluxit, (nam *αἷμα cruentum*, apud Latinos, exponitur.) Mox illi in Siciliam adhùc fugienti Ætnam ſuperimpoſuit. Hanc autem ſibi iure Victoriam adſcripſit Pallas, Thyphonem in Criſta gerens, quia, è Cerebro Iouis orta, nil illa aliud eſt, quam bellica Iouis virtus, ac Prudentia; ideòq; ad hæc, quæ dix., reſpexiſſe Vatem non ambigo; immò & pro certo habeo, alluſiſſe etiam ad Thyphonem a Ioue ictum fulmine, ſed latebras adhuc quærentem, Draconem ſcilicet, de quo ſupra diſſerebamus; & ad Thyphonem etiam Arachnis fratrem, de quo pariter ſupra: non enim nouum eſt, plures vnico verbo eruditiones à Poeta noſtro attingi; quod maximè patet hic, vbi, vtcumque Thyphonis nomen interpretatus fueris, quadrat adamuſſim illi deſcriptio, quam immediate ſubdit Vates.

QVI, SVMMA PEREMPTVS &c. Deſcriptio hæc eſt, per hypotypoſim, quòd ars, imitatrix naturæ, exprimit, atque oculis ſubijcit reluctantem Typhonis animam, quæ, etiam in imagine, mordicus corpori exangui, ac partim interempto inhærere adhuc videatur, reliquam agitans partem non ſauciatam. *Qui* itaque relatiuum eſt, Thyphonem, de quo ſupra, referens, ac reuocans in memoriam. *Summa peremptus* græcanica, per Helleniſmum, locutio eſt, ſicuti *Incultas diſperſa comas* &c. huiuſmodi. *Perimere* autem, à quo partic. paſſiuum *Peremptus*, idem eſt, ac *interficere*, & particip. *Interfectus*. *Summa*, hoc eſt ſecundum totam ſui partem ſuperiorem. Porrò *pars ſuperior* in homine (ſi Thyphon vt compoſitum ſumatur humanum) ea eſt, quæ à lumbis ſurſum erigitur. Si verò Thyphon pro ſerpente accipiatur; pars ea, quæ in homine ſumma, & ſuperior dicitur, in brutis *pars anterior* vocatur: ſed cum deſcribatur hic ſerpens erectus in conum, eo pacto, quo ſupra deſcriptum vidimus Solimani ſerpentem à Torquato, iam ea *pars anterior*, cum Cælum verſus erigatur, ita vt recta effigie ſtare ſerpens in Cauda videatur, iure ſuperior, ac ſumma dici poteſt reſpectiuè ad partem poſteriorem, quæ cum terram verſus deſcendat, *inferior* dicetur. Diſtinguuntur itaque duæ partes, quibus totum Thyphonis corpus conſletur, ita vt dimidium corporis ſurſum ad caput extenſum, ac caput ipſum complectens, pars vtique præcipua corporis ſit; &, hac parte, confoſſus vulneribus, ac *peremptus* dicitur Thyphon; Qui tamen adhùc

VIGET. *Vigere* eſt *vigorem habere*; *Vegetum eſſe*; & *vigorem ſeruare vitalem*. Thyphon igitur, ſummâ parte peremptus, adhùc *Viget*

PARTE IMA. Ideſt viuit, & vigorem ſeruat, quo ad partem inferiorem, hoc eſt à lumbis deorſum, ſi hominem dixeris Thyphonem; à dimidio verò corporis ad extremum caudæ, ſi Draconem agnoſcas; nam hanc *partem imam*, ſeù *inferiorem* eſſe in erecto ſerpentis corpore iam vidimus. Perpende hic, quam exactè Poeta Thyphonem oſtendat dimidiatum, ita vt mediam eius partem, & quidem præcipuam, ac vitalibus organis præſtantiorem mors habeat; mediam autem inferiorem, atque ignobiliorem, vita adhùc foueat, & agitet; vt innoteſcat illa, quam ſupra inaudimus, anima reluctans, & in morte etiam terribilis. Sic videtur Torquatus Argantem, licet diſpari modo, deſcripſiſſe terribilem, etiam cum fato fungeretur.

Minacciaua morendo, e non languia
Superbi, formidabili, e feroci
Gl'vltimi moti fur, l'vltime voci.

Perpende etiam quam apte naturam hic animalium annulatorum, ac ſectibilium, in quo genere ſunt ſerpentes omnes, imitetur Poeta: nam cum iſta animam habeant materialem, ideoque diuiſibilem, quamuis ſerpens medius diuidatur, & pars adnexa capiti omnino contundatur, ac perimatur; altera tamen caudæ adnexa pars viuit adhùc, & terribilibus circumuoluitur ſpiris, quæritans, aculeo caudæ, venenum in vindictam euibrare, ſi vulnus, interfectorem nacta, poſſet infligere. Anguineum corpus fuiſſe Thyphoni (quomodocumque tandem conſideretur) ſatis patet; nam, ſi Gigas fuerit, Dracones à lumbis deorſum Gigantes fuiſſe dicuntur: ſi frater Arachnis fuerit in ſerpentem conuerſus affirmatur &c. Ideò ſerpentis naturam illi accomodat iure. Alluditur etiam ad commune effatum, quo dicitur *cauda deuorata difficillima*. Quarè hieroglyphicum hoc fuiſſe in Palladis caſſide erectum facilè dixerim, quo oſtendatur, difficiliùs bellorum exitus, quàm principia inueniri; & difficiliùs interdum eſſe bellorum reliquias interimere, quam validas, initio, manus profligare, ex quo fit, vt ancipites, ferè ſemper bellorum adſint euentus. Profligauerant ſæpè ſæpius Troiani Græcorum agmina: Reliquias Danaum non proſecuti, dum fugaces arbitrantur, & negligunt, venenatam Troianis inæuibus caudam infligentes experiuntur, & a peremptis ferè, miſerabiliter, perimuntur. Nunquam Bellatoribus dormiendum, ni priùs belli reliquias omnes profligauerint. Inſuper optime Virgini apponitur deuicti ſerpentis hieroglyphicum; nam, apud Ægyptios Venereæ voluptatis ſymbolum ſerpens fuit, & quidem iure, adeò enim Venereis addictus ſerpens, vt & Puellarum Amaſij ſerpentes

reperti ſint, Pier. teſte, lib. Hierog. 14.; & Vipera à coitu non abſtineat, licet eius ventrem viperei corrodant partus; & Aſpis à Vipera non declinet, licet in coitu caput illi à fœmina iniquo morſu diuellatur. Dignum igitur Virgine, quæ venereas voluptates conculcauerit, Hieroglyph. deuictus ſerpens. atq; ideò in Palladis Caſſide collocatur.

MORIENS ET PARTE SVPERSTES. Oſtendit hic imam, ſeu inferiorem, Thyphonis partem, adhùc viuam (vt repræſentabat effigies) agitari quidem, ſed iis agitari motibus, qui vt plurimum morienti accidunt, ſed furibundo. Ideò *Ima parte viget*, ſed *Moriens*; hoc eſt animam iam in extremis agens conſtitutus. Mortuus itaque nondum, quoad imam partem repræſentabatur Thyphon, ſed in actu ferociter morientis videbatur expreſſus. Quod aptè oſtendit Vates, dum ait *Moriens, & parte ſuperſtes*: nam particula & aduerbialiter hic pro *etiam* ponitur, quaſi dicat *moriens etiam ea ex parte*, qua ſuperſtes fuerat. Partes autem certè illæ ſunt, in quas diuiditur totum. Quare, cum viderimus *totum*, nempè Thyphonis corpus, in duas diuiſum partes æquales, huiuſmodi partes à *Pare* dictæ erunt, & quia pares inter ſe, & quia ſimul iunctæ ipſi pares toti inueniuntur. Hic de parte inferiori loquitur Vates, vt diximus; mortua enim parte ſuperiore, ſeu ſuperna, iam moriebatur, & inferior, ſeu ima, quæ ſolâ fuerat *ſuperſtes*. Porrò *ſuperſtes* dicitur, qui, ſuis iam fato functis, ſuperuiuat, quaſi *ſuper exiſtens morientes ſuos*. Summâ parte peremptus Thyphon expoſitus fuerat, ima verò parte vigens, quarè hæc pars ima iure ſuperſtes comparti dicitur demortuæ, & huius partis beneficio ſibi ipſi partim demortuo ſuperſtes Thyphon ipſe meritò aſſeritur: ſed, ita ſuperſtes, vt paulatim moreretur. Aptiſſimè profectò ad indicatum Virginis Hieroglyphicum; nam, cum Virgo libidinem extinxerit, quo ad partem ſuperiorem, quæ ad animam eiuſque ſpectet effectus, in inferiori etiam, idest ſenſuali corporis parte, licet vigeat adhùc, dum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, tamen moriens viuit, nam anima, quæ ſe ipſam ſuperauerit, facilè & ſubditum edomat ſenſum, eiuſque paſſiones in actu morientis deſpicit conſtitutas. Suſpectum tamen habuit hunc locum Barth. dum dixit: *Moriens, & parte ſuperſtes* ignauior omninò eſt, quam pro Claudiano locutio. Verum attenta arte, eruditione, ac proprietate, quæ ex explicatis reſultant: non video cur locum mordeat Barthius.

HASTAQVE &c. Caſſis inter arma enumeratur defenſiua; ſed quia Bellatricis eſt, non defenſiua tantum, ſed & offenſiua arma tractare, hinc eſt, vt & iſta hic Palladi tribuantur. Sed quæres, cur ex Caſſide ad arma cætera corpus ferreis protegentia integumentis gradum non faciat, ſed ex Caſſide raptim tranſuolet in haſtam, quaſi nullo Pallas thorace ferreo tegeretur? Facilis tamen reſponſio eſt, ſi animaduerteris Claudianum deſcriptionem ſuam deſumpſiſſe à ſtatua Palladis, quam Athenienſes erectam in Vrbe ſua colebant, vt patebit, ſi animo recenſeas ea, quæ præpoſuerit Vates, cum ſe deſcripturum Athenienſium Palladem profiteretur inquiens: *Et Pandionias quæ cuſpide protegit &c.* Porrò Palladis ſtatuam erectam Athenis fuiſſe, refert Pauſanias, thalari veſte indutam, Meduſæ capite eburno pectus protegente, haſtâque cubitorum quatuor in manu, iuxta quam Draco obuolutus cernebatur. Tantùm variat Poeta ab Athenienſibus in hoc, quod illi ſerpentem haſtæ appoſuerint extremitati, ipſe verò in Caſſide collocauerit. Cæterùm, ex ſubſequentibus explicandis, totam videbis cum Athenienſi ſtatua congruere deſcriptionem. Aliud etiam diſcutiendum de Palladis haſta quæſitum protinùs videtur; cur ſcilicet haſtâ potiùs, quam alio armorum genere armata Pallas effingatur? Conſule, vt ſoluas, Ægyptiacas litteras; & haſtam inuenies poſitam ad ſignificandam vim ingenij, ac Prudentiæ acumen, eo quod his maximè indigeant Bellatores, vt hoſtes ſubigant, & ſuos ſeruent: quare & apud Martianum legeris

Haſta etiam vibrans penetrabile monſtrat acumen.

Cum igitur eamdem faciant Palladem Bellorum Præſidem, ac Mineruam Sapientiæ Deam, nil mirum, ſi haſta, hoc eſt, ingenij vis, ac Prudentiæ acumen Palladi adaptetur. Non itaque cathaphracta deſcribitur Pallas, ſed Caſſide tantùm contecto capite, ac pectore Ægide protecto, eübrans haſtam; nam ſic expeditior illi habitus ad bellum. Sic Torquatus, Ierol. liber. Cantu 11. Gallicum Imperatorem leuibus inſtructum armis deſcribit, cum Ieroſolimam aggreſſurus ad muralem gloriam inhiaret.

Sorge il forte Gofredo, e già non piglia
La gran corazza vſata, ò le ſchinere;
Ne veſte vn' altra, & vn pedon ſomiglia
In armi ſpeditiſſime, e leggere &c.

Leuis enim armaturæ miles, ſicut expeditior eſt, ſic magis vſui eſt, vbi maximus bellorum feruet æſtus. Verùm ſi hic videas Ducem Chriſtiani exercitus aliqua tandem, leui licet, tectum armatura; Videris alibi apud eumdem Torquatum, Cantu nempè 20., in ſignum fortitudinis, inerme pectus in bellum acerrimum ruere, & in eo, paucis deflexis, deſcriptam adamuſſim Auctoris noſtri Palladem agnoſces. Aſpice igitur ibi virtutem Tancredi Ducis, ſolo Clypeo, enſeque contentam in confertiſſimos hoſtes irruentem.

Del grauiſſimo ſcudo arma la manca,
Che non par graue il peſo al braccio e ſangue:
Prende con l' altra man l' ignuda ſpada:
(Tanto baſta al buon forte) e più non bada &c.

Si igitur ſola virtus, vel ſimplicis bellatoris, inerme pectus ſatis armatum reddit; nonne imprudens fuiſſet, qui bellicam ipſam virtutem, bellatorumque magiſtram Palladem Cathaphractam oſtentare voluiſſet? Contenta itaque Clypeo, nec non Galeâ procedat, & haſtâ. Eſt itaque Haſta inſtrumentum bellicum ex tereti ligno, præferrata cuſpide, confectum, quo milites in bello vtebantur haſtati; vtebantur, inquam; nam poſt ferreos tubos inuentos, haſtarum vſus inoleuit.

SVRGENS. Magnitudinem haſtæ hyperbolicè deſcribit, non tamen vltra modum, ſi Deam armari memineris. Ideò *Haſta ſurgens*: ſurgere enim dicuntur ea, quæ paulatim è ſolo attolluntur in altum: tantùm itaque ſe attollere dicitur Palladis haſta, vt nubibus immiſceatur: quod ſi ad acumen ingenij referas, in mentem veniet decantatum illud *Sapiens dominabitur aſtris*; nam Haſta, apud antiquos, ſignum Imperij fuit, vt ſupra innuimus, & vnde illud Virg. Æn. 6.

Ille (vides?) qui pura Iuuenis innititur haſta,

vbi Syluius Albanorum Rex, Regumque Pater futurus oſtenditur.

PER NVBILA. *Per* idem hoc loco eſt, ac *inter*. *Nubila* autem ſunt ipſæ *nubes*, quæ Cœlum obuelant interdum; vapores ſcilicet humidi in ſublime elati, quorum denſitas, haud dubiè Solem obumbrat, vndè & *nubes*, & *nubila* à nubendo dicuntur. In infima aeris regione addenſantur nubes; ſed hoc non obſtat, quin mire altitudinem huius haſtæ exageret Vates, vt patet.

GYRO TERRIBILI: Haſtæ longitudini proportionanda fuerat teretis illius corporis craſſities; ideò *Gyro terribili*. *Gyrus* enim eſt idem, ac *circumuolutio in orbem, ambitus, circuitus, circulus*. Deſcripta itaque altitudine, ambitum rotunditatis attingit, quem *terribilem* vocat, quia *terribile* dicitur quidquid, per exceſſum ſolitæ magnitudinis inſtar monſtri habetur: nam terret animum quidquid monſtroſum eſt, & præcipue ſi de armis loquamur; ſemper enim terrent quos apperiunt Arma; ſed, ſi iuſtam excedant magnitudinem, altiùs terrent: ideò iure terribili gyro haſta Palladis dicitur aſſurgere, quæ tantæ magnitudinis ſit, vt integram, & quidem eximiæ molis arborem referat.

INSTAR HABET SYLVÆ. *Inſtar* nomen indeclinabile eſt, non autem præpoſitio, vt aliqui perperam putarunt: hoc autem ſatis patet, quia illi ſæpè additur præpoſitio *Ad*, & *ad inſtar* dicimus; nunquam autem præpoſitioni ſubſeruit præpoſitio. Significat autem *Inſtar* menſuram, æquiparationem, ſimilitudinem, ſeu ſpeciem. Quare *habet inſtar*, idem eſt, ac *habet ſpeciem, menſuram, æquiparationem Syluæ*, ideſt integræ arboris, ſylua enim hic ponitur pro Arbore ingenti; totum ſcilicet pro parte per Synecd., eo pacto quo apud Virgilium Æneas, Æn. 3., Myrtum, ad quam acceſſerat, vt ea arbore Veneri dicatâ, ſacrificaturus Matri altaria tegeret, Syluam vocat, dum ait:

Acceſſi: viridemque ab humo conuellere ſyluam
Conatus: &c.

Vbi Seruius: *Acceſſi* non ad Cornum (nam & ibi arbuſta cornea fuiſſe dicuntur) ſed ad Myrtum. Conſequenter & *Myrtum* Syluam vocat, quam diuellere conatus eſt: & licet plures ibi Myrtus adfuiſſe dicerentur, certum eſt Æneam non omnes ſimul tentaſſe, ſed vnam, ac ſubindè aliam ſingillatim, & tamen de prima, quam diuellere conatus eſt, ait *Conuellere ſyluam conatus*. Pariter de nominis *Inſtar* ſignificatione iam dicta teſtem habemus Ouidium, qui dixerit

Sed ſcelus hoc meriti pondus, & inſtar habet,

ideſt

Ideſt habet faciem, ac ſpeciem meriti hoc ſcelus. Et hoc ipſum notat, & ſentit in hunc locum Barthius, Parrhaſius, & alij. Conſimilem haſtam Ataloni ſuo, quem Gigantem aſſerit, tradidit ſubindè Bracciol. de Cruce lib. 30. vbi hæc habet:

Mobil torre raſſembra: vn Cerro alpeſtre
Gl'arma la deſtra, in cui confitta ſpunta
D'ogni rigido ſuo nodo ſilueſtre,
Di fronda in vece, vna ferrata punta:
Nell'è forza mortal, ne man terreſtre,
Quantunque fuſſe alla Compagna aggiunta,
Che pur, cotanto è poderoſa, e graue,
La remona dal ſuol, non che la leue.

TANTVM STRIDENTIA COLLA &c. Dexteram Palladis armatam indicauerat haſta, ad feriendum, reliquum erat, vt ſiniſtram congruenti clypeo, ad protegendum obarmaret: congruens autem eſſe non poterat, niſi haſtam ipſam, terribilitate æquaret non modo, ſed & ſuperaret. Quarè Poeta ſcutum illi adaptat gorgoneis horrendum ſpectris: ſed clauſum velamine effingit, ne vim conuertendi in ſaxeas ſtatuas eos, qui illud inſpicerent in inſontes etiam, ac Palladis amicos, exerceret. Vt faciliùs itaq; eruditiſſimi Poetæ textus explicetur, aliquid prænotandum cenſeo de Gorgone, ex cuius transformatione originem duxit id, quod de ſcuto Palladis hic aſſeritur. Gorgones igitur tres fuiſſe dicuntur ſorores Phorci filiæ, quæ Dorcadas Inſulas in Oceano poſitas Æthiopico, contra Heſperidum hortos, incoluerint. Earum diſcriminatim nomina fuere *Sthenyo*, *Euryale*, ac *Meduſa*; omnes vno nomine Gorgones dictæ, vel, vt aliqui volunt, à truculentia, qua mirè eſſent imbutæ, & quam Græci γοργότητα appellant, ſicut & *terribiles* γοργοὺς, & γοργότης terribilitas nuncupatur; vel, vt alijs, & mihi magis arridet, quia, quas nunc appellant Dorcadas Inſulas, olim Gorgadas appellauerint, atq; ex ijs quaſi patrio nomine ſorores illæ, inibi habitantes, dictæ fuerint Gorgones. Inter has præcipua fuit Meduſa, quam inquiunt ex Phorco, & Ceto marina belua procreatam. Hæc, cum eſſet inſignis formâ, crinibus præcipuè, ad auri colorem accedentibus ita gloriabatur, vt ſe ſe vel Pallade pulchriorem affirmaret, & auſa immò fuerit, de forma, cum Dea ipſa contendere. Comarum itaq; illius pulchritudine captus Neptunus, cum ea in ipſo Palladis Templo dicitur concubuiſſe: quibus iniurijs, ac præſertim ob violatum Templum excandeſcens bellorum Dea, ne illius arrogantia impunita, ac teterrimum facinus multum remaneret, eius primum comam in angues horridiſſimos conuertit; deindè hanc vultui vim dedit, vt quicumq; illam aſpiceret, lapis fieret. Hanc vim in ſaxa conuertentem ſic narrat Cæpheo Perſeus apud Ouid. Metam. 4.

. . . . Abdita longè
Deniq; in Syluis horrentia ſaxa fragoſis
Gorgoneas tetigiſſe domos; paſſimq; per agros
Perq; vias vidiſſe hominum ſimulacra, ferarumque
In Silicem ex ipſis viſâ conuerſa Meduſa.

Quærenti autem Cæpheo, cur Meduſæ tantum, non verò & alijs ſororibus hoc acciderit, ſic cauſam ſubdit, violationem Templi attingens

Accipe quæſiti cauſam. Clariſſima forma,
Multorumq; fuit ſpes inuidioſa Procorum
Illa; nec in tota conſpectior vlla capillis
Pars fuit. Inueni, qui ſe vidiſſe referrent.
Hanc Pelagi Rector templo vitiaſſe Mineruæ
Dicitur: auerſa eſt, & caſtas ægide vultus
Nata Iouis texit: neue hoc impune fuiſſet,
Gorgoneum crinem turpes mutauit in Hydros.

cum autem multos homines, & quidem inſontes, Meduſæ aſpectus verteret in lapides, atq; ingenti clade populos, iuxta Tritonidem Paludem inhabitantes, afficeret; mortalium calamitate commota, dicitur Pallas Perſeum ad illam obtruncandam demandaſſe: Aſt, quia Dij omnes, ijſdem moti calamitatibus, vnà cum Pallade in Meduſæ necem conſpirauerant, dicitur Perſeus thalares alas à Mercurio accepiſſe, Galeam à Plutone, adamantinam à Saturno falcem, & à Pallade ſpeculum, ſeù, vt alij dicunt, ſcutum ex calybe conſtructum, quod adeò leuigatum eſſet, vt ſpeculi munere fungeretur; atq; ſic inſtructus ad obtruncandam Gorgonem euolaſſe: quam cum dormientem inueniſſet, ne eius aſpectu lapideſceret, auerſus incedens Perſeus, ac Meduſæ caput in ſpeculo, à Pallade accepto, intuens, Pallade ipsa manum dirigente, teterrimum illud monſtrum obtruncauit; atq; amputatum caput in Peram, quam habebat, contectum ſuper humero à tergo ferens geſtauit ad Palladem: atq; ex meduſeo hoc capite ſerpentibus crinito efformatum autumant Palladis Clypeum. Sui autem Perſeus ingenij acumen, quo edoctus fuerat modum ad Meduſam accedendi, & obtruncandi caput eiuſdem, ita, vt ipſe in ſaxum non verteretur, enarrabat ipſemet Cæpheo apud Ouid. cit., vbi oſtendit etiam, non ſpeculum, ſed Clypeum munus ſpeculi obeuntem adhibuiſſe, dum ait:

Se tamen horrenda, Clypei, quem læua gerebat,
Ære repercuſſo, formam aſpexiſſe Meduſæ;
Dumque grauis ſomnus, colubroſq; ipſamq; tenebat;
Eripuiſſe caput . . . .

Hoc itaq; ſcutum, de quo diximus ſupra, Gorgoneis nempè aſperum crinibus illud eſt, quod Palladi attribuit Vates hic. Et, quia adhùc reciſum illud caput morem ſeruabat in lapidem conuertendi, qui illud intuerentur; ideò Pallas

INVMBRAT. Ideſt *tegit*, *velat*, *occultat*, ne videatur, niſi cum opus fuerit, & ab ijs tantùm, qui Palladis hoſtes fieri auderent, Parrhaſius *obumbrat* legit, quod idem eſt.

TANTVM. Aduerb. ſeparatiuum, & ſegregatiuum hoc eſt, quod rem, cui addicit, afficitur; omneſq; alios excludit: idem, ac *ſolummodò* eſt. Hoc autem aduerb. indicat Poeta omnia alia Palladis arma, & ornamenta ſub aſpectu oculorum fuiſſe, ac peruia viſui; vnum vero, & ſolum illud ſcutum obuelatum fuiſſe.

STRIDENTIA COLLA. Viuentes adhuc Meduſæi capitis angues indicat, hoc loco, Vates, duplicis innixus eruditionis; quarum prima fœmineos crines, etiam à capite, cui inhærerent, euulſos, facilè in ſerpentes tradit tranſmigrare: quod apud ſedulos naturæ indagatores dicitur in comperto eſſe. Altera verò eſt illa, qua aliqui ex Phyloſ. voluere, Crines eſſe animatos, non quidem anima totius, ſed anima eorum peculiari vegetatiua, ita vt inſtar herbarum, ſtirpium, aut arborum è ſolo ſuccreſcentium, creſcant humano in vertice crines; & comprobari hoc putant ex eo, quod etiam in mortuis creſcere videantur capilli. Hanc nos ſententiam falſam profectò eſſe, latè oſtendimus in animaſticis, cum Lectoris munere fungeremur in Almo huius noſtræ Ciuitatis Collegio Mariano: Sed hoc tamen non obſtat, quin potuerit Vates, ad eam alluſiuè reſpiciens, argumentum ducere à fortiori; nam ſi fœminci crines, iuxta eam ſententiam, eius naturæ ſunt, vt propria informentur anima, ab anima totius omninò diſtincta, ita vt, etiam poſt compoſiti deſtructionem, ſeù diſſolutionem vegetent, & creſcant, multò magis commutati iam in ſerpentes capilli propria informari anima dicendi ſunt, ita vt, etiam mortuo capite, cuius fuerant Crines, ſuperſtites viuant illi, & ſtridoribus adhuc, ideſt Oris ſibilo aerem compleant. Ideò *ſtridentia*: ideſt, *confuſo omnium murmure*, *exſibilantia*; nam & ſerpentium ſibila ſtridores dicuntur, vt patet ex Virg. Æn. 6 vbi Lernæam belluam exſibilantem *ſtridentem* vocat:

Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum ſtridens &c.

ſic itaq; & hic Vates ait *Stridentia colla*. Collum autem ea pars corporis eſt, quæ, caput ſuſtentans, eiuſdem quaſi efficitur columna. Oſtendit itaq; Poeta hic, Gorgonis caput, penes humeros, abſciſſum à Perſeo fuiſſe, ita vt collum capiti adnexum remanſerit. Quo poſito Synecd. agnoſces, qua plura pro vno ponuntur, & collum pro capite adnexo, Baſim ſcilicet pro Baſi ſuperimpoſito capite poſitam intelliges, quod caput Serpentibus Crinitum eorum ore omnium ſtrideret: ni malis dicere, per *colla* innueru Poetam voluiſſe ipſa ſerpentium Colla, circa Meduſæ caput, horrendum adhùc exſibilantia: nam, & in ſerpentibus collum dicitur pars illa, quæ immediatè adnexa capiti conſpicitur, licet minùs propriè; ſed non ſpernendâ tamen acceptione.

GORGONIS. Meduſæ videlicet, quæ Gorgonis nomine cur fuerit appellata, iam vidimus. Videtur hæc particula euincere, vt *colla*, ſuprapoſita, tantùm in primo ſenſu explicari nobiſcum poſſint. Verùm, ſi ſecundus magis, à quo nec diſſentio, arrideat ſenſus, dixeris, Genitiuum *Gorgonis* poſſeſſiuum eſſe, & explicandum textum eodem pacto, ac ſi diceret: *Colla, quæ poſſederat in Crines Meduſa*; vel *quæ Crinem Gorgonis componebant*. Iam verò ſi exactiorem cuperes huius Clypei ex Gorgone efformati deſcriptionem, adeas Virg. Æn. 8., vbi Cyclopes inducit illum conſtruentes ſic.

Ægidaq; horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim ſquammis ſerpentum, auroq; polibant,
Connexoſq; angues; ipſamq; in pectore Diuæ
Gorgona deſſecto vertentem lumina collo.

nam licet aliqui voluerint, Ægidem eſſe partem anteriorem

apud

gnei thoracis, qua ſcilicet pectus muniebatur; ex quo factum eſt, vt Gorgonis effigies in pectore Palladis pingeretur; certum tamen eſt, Ægidem vocari Clypeum Deorum, nam, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 4. cap. 5. Clypeus, qui antea vocaretur ſcutum Iouis, Ægis poſtea dictus eſt, quia ex Capræ pelle, quæ Græcis *αἶγες*, conſtructum fuerit: ex quo poſtea vſus inualuit, vt omnium Deorum ſcuta Ægides vocarentur. Certè, quod ad Palladem ſpectat, Ægidem eius Clypeum vocauit etiam Ouid. cit. ſupra, in illis verſibus

. . . . . Auerſa eſt, & caſtos Ægide vultus
Nata Iouis texit &c.

nec obſtat quod à Virg. cit. Ægis, & Gorgonis caput pectori Palladis adaptetur: *ipſamq; in pectore Diuæ*.
Gorgona deſſecto vertentem lumina collo.
nam etiam ſcutum protegendo pectori apponitur, & Bellatorum immò proprium eſt, brachio inſerto, ſcutum ante pectus, etiam extra bellum, geſtare.

OBTENTV PALLÆ FVLGENTIS. *Obtentus* idem eſt, ac *extenſio corporis opaci ante aliud facta*; deriuatur enim à verbo *obtendo*, hoc eſt aliquid ante aliud extendo, illique, ne videatur, oppono. Palla autem propriè muliebris eſt Veſtis, qua palam, & foris vtebantur ad veſtigia vſque deſcendens: hic tamen ponitur pro genere ſpecies, nempè *Palla* pro quocumque integumento, quod palam oculis ſubijciatur, ſed ſubtus celet aliquod corpus, ne videatur ab inſpicientibus. In quo decipitur Parrhaſ. qui Pallam pro ipſa Palladis veſte accipiendam duxit, dum ait: *Obtentu Pallæ fulgentis*, hoc eſt *prætenta nitida Veſte, nam furor ætheris, & ſumma pars Mineruæ effingetur eſſe.* Neq; enim Bellatricis geſtus eſſe poteſt ſcutum ſub proprijs veſtibus occultare. Eſt itaque, hoc loco *Palla* Pannus Oloſericus auro intextus, qui, extenſus ante Clypeum Palladis, illius orbem obtegebat. Fulgens verò hæc Palla dicitur ob fulgorem intexti auri; nam *fulgens* eſt quidquid lucem emittat, & ſplendorem, vt certè emittat aurum, lucidiſſimum metallorum.

AT TRIVIÆ &c. Palladem, Virginem quidem, ſed bellatricem, delineans non potuit, quin illam formidandam, ac terribilem effingeret, vt mores, per ethopeiam, imitaretur. Iam, eâdem vſus figurâ, placidam Dianæ formam expoſiturus, ſuauem omnino ſequitur aſpectum. Habes igitur iam Dianæ hic, per hypotypoſim, confectam graphice, deſcriptionem, qua non ſolum Deæ ſpeciem, ſed euſdem mitiora arma, ac veſtes, & ornatum oculis ſubijciat.

AT. Particula ſententiarum diſcretiua, & rerum differentiam denotans hæc eſt: quarè eâ aptè vtitur Vates, vt à deſcriptione Palladis ad deſcriptionem Dianæ commodum efficiat tranſitum.

SPECIES. Idem eſt *ſpecies*, ac *effigies*, *facies*, *pulchritudo*, & *aſpectus* Quæ omnia vnico nomine complectitur Vates. Sicut enim aſpectu terribilem Palladem effecerat; ſic è conuerſo Dianam aſpectu ſuauem delineat: ſicut infuſcatam armorum rigoribus Palladis pulchritudinem expoſuerat; ſic, vice verſa, Dianæ venuſtatem pura redolentem pingit ſuauitate: ac ſicuti faciem Palladis Caſſide aſperam notauerat; ſic, contra, Dianæ faciem lenitate notat inſignem.

LENIS ERAT. Hoc eſt facilis, mitis, clemens, delicata, placida, ſuauis. Et quidem mores optime imitatur; nam cum eadem ſit Diana, ac Luna, vt ſæpè diximus; Lunaque nocturnas euincat vmbras, terram influxibus fœcundet, blando fulgeat ſplendore &c. non poteſt, quin placida, atq; amabilis effingatur, cum omnibus benefica non parum exiſtat.

TRIVIÆ. Dianæ nomen eſt *Triuia*. Non tamen illi inditum dixero, quia eandem ſabulentur eſſe Lunam in Cœlo, Dianam in Syluis, Proſerpinam in Inferno; nam hoc falſum vidimus lib. pri. Carm. 15. Sed *Triuia* dicitur, eo quod Luna triceps eſſe videatur ex triplici ſui mutatione, quam loco cit. lib. pri. expoluimus; & quia Triuijs præeſt, eiq; in Triuijs ſacra peragebantur: propterea inquit etiam in Faſtis ſuis Ouid.

Ora vides Hecates in tres vergentia formas,
Seruet, vt internas compita ſecta vias.

ſi plura cupis adeas locum cit. lib. primi.

ET MVLTVS FRATER IN ORE. Relege hic verbum ſup rapoſitum *erat*. Porrò Dianam ſororem Phœbi fuiſſe, eod em conceptu ex Latona, in Delo progenitam vidimus lib. 1. Carm. 106. quarè Dianæ in vultu multum adeſſe fratrem nil aliud eſt, quam Dianam Phœbi effigiem eſſe, ac Phœbum vultu ipſum referre; non quidem totaliter, & ad vnguem; ſed quantum Naturæ Gemellos aſſimilandi vires patiuntur. Verùm triuialibus hiſce vocibus, quæ ludere videntur circa Gemellorum ſimilitudinem, altiores contegit ſenſus eruditiſſimus Vates, Sed, antequam eos aperiam, optimè in moribus fundatam Poetæ dictionem oſtendendam ratus, indico, ſatis ex continuata obſeruatione in comperto eſſe, eos, qui, eodem partu, in lucem emittuntur, ſimiles vt plurimum adeò inter ſe eſſe, vt ſæpe ſæpiùs vnus ab altero, ne à genitoribus quidem ipſis, diſtinguantur. Hæc autem Gemellorum exacta ſimilitudo in ipſa fundatur natura; nam cum ambo, vnâ, eâdemq; actione virtutis efformatricis in ventre matris elaborentur, nil mirum, ſi vna, eademq; actio eadem vtriq; imprimat delineamenta; immò, ex hac ipſa ratione, mirum eſſet, ſi diſſimiles exirent, cum vna, eademq; actio non poſſit diſſimiles notabiliter effectus producere. Quarè ad hoc ipſum reſpiciens Torquatus, Ieroſ. liber. Canto 9. de gemellis fratribus agens, inquit:

Romaneau venì ancor Pico, e Laurente,
Ond' arricchì ſon ſol parto il genitore;
Somiglianza copia, e che ſouuente
Eſſer ſolea cagion di dolce errore.

iure optimò igitur & Auctor noſter de Diana vno, eodemque partu edita, cum Apolline, naturam ſecutus, inquit

. . . . Et multus in ore
Frater erat, Phœbique genas, & lumina Phœbi
Eſſe putes; ſolusq; dabat diſcrimina ſexus.

nec dicas maximum eſſe diſcrimen hanc ſexuum diuerſitatem; ideoq; falſum videri quod ſupra dicebamus, nempè, vnam actionem non poſſe effectus notabiliter diuerſos producere; nam hæc notabilis diuerſitas non prouenit ab actione, ſed prouenit ex æquali ſeminis virtute; nam, ſicuti, prædominium ſi habeat ſemen maris, ſupra fœminæ ſemen mares exeant Gemelli neceſſe eſt, & ſi prædominetur ſemen mulieris fœminæ non mares generantur, ita ſi neutrum alteri prædominetur Gemellorum, alter mas erit, fœmina alter; ſicuti ſi vnicus eſſet fœtus tunc Ermaphroditum arbitror producendum; vnumquodq. enim ex commixtis in vtero ſeminibus ſuam ſibi propriam vindicat naturam. Sed iam altiores, quos innuimus, ſenſus exponamus. Memineris, Dianam Lunam eſſe, vt dicebamus, quæ etiam Triuia dicatur, quia nunc in cornua, & propè vacua ſurgit, nunc dimidia apparet: nunc totum contrahit orbem. Atque, hoc poſito, iam clarè noſces, attingi à Poeta hic celebrem illam Phyloſophorum quæſtionem, qua quæritur, num Luna, ac reliqua ſydera lumen habeant proprium, an verò aliena fulgeant luce, ideſt luce Solis, quam excipiant, & per reuerberationem reflectant. Tres itaque hac de re ſententias inuenio. Alij dicunt, Lunam, ac Sydera, proprium lumen habere, & non illud à Sole recipere: & profectò qui aſſerebant, corpora ſyderea ex igne conflata, (quos tamen latè confutat Ariſt. 1. Metheor., & etiam in lib. de Cœlo) dicere etiam neceſſariò debuerunt, ea proprio lumine fulgentia exiſtere. Alij ex oppoſito aſſeruêre, Lunam, & aſtra nullum prorsùs ex ſe lumen habere, ſed totum à Sole recipere lumen. Alij denique, media incedentes via, dicunt, Lunam, & Sydera, recipere lumen a Sole, cum auctoribus ſecundæ ſententiæ, contra primam; non tamen eſſe omninò ſine aliquo lumine proprio, contra Auctores ſecundæ ſententiæ, nec plenè tamen Auctoribus primæ adhærentes. Cum prima ſententia colluſiſſe videtur Hor. lib. 1. Carm. Ode 12.

Creſcit, occulto velut arbor æuo,
Fama Marcelli: micat inter omnes
Iulium Sydus, velut inter ignes
Luna minores.

In ſecunda ſententia videtur fuiſſe D. Hieronymus, qui Comment. in Marc. c. 14. hæc habet: *Luna Eccleſia meritò comparatur, quæ non habet ſplendorem, ſed à Sole certis modis accipit lumen; ideſt à Chriſto qui permanet in æternum.* Quarè Saauedra Lunam e regione Solis depictam ſic hiſpanico lemmate inducit loquentem. *Por ti me reſplandor*; vt notat eruditiſſimus Abbas Picinellus, Mundi ſui ſymbolici lib. 1. cap. 8. n. 200., & alij apud eundem Lunæ ſic pariter depictæ inſcripſère *Accepimus mutuo*; clariùs autem Gallina Lateranenſis Canonicus, dum Lunæ inſcripſit

Alla notte comparto i rai del Sole,

& quidem pro Auctoribus ſecundæ ſententiæ militare videtur ipſa nominis Ethimol. nam *Luna* quaſi *lux aliena* dicitur, ex quo facilè infertur, illam non habere propriam lucem,

ſed

ſed mutuatâ tantùm à radijs ſolaribus luce eniteſcere. Fauet Cic. in Som. Scip. dum ait: *Ex quibus ea erat minima, quæ vltima Cælo, citima terris, luce lucebat aliena.* Accedit Catullus Ethimol. approbans ſuprapoſitam, dum ſic Lunam alloquitur.

Tu potens Triuia, & notho
Dicta lumine Luna.

Virg. deniq; lumen videtur Lunæ denegare, dum 4. Æneid. eam vocat *obſcuram*.

Poſt vbi digreſsi, lumenq; obſcura viciſsim
Luna premit &c.

Nos tamen in lib. de Cœlo tertiam ſententiam, vt probabiliorem ſecuti, Lunam, ac Sydera aliquod proprium habere lumen aſſerimus; & ſuaderi videtur. Primo quia lux videtur eſſe perfectiſſimi corporis proprietas; & certum eſt, Lunam, & Stellas huiuſmodi eſſe. Secundo quia Luna cum Ecclipſatur adhùc aliquid retinet luminis, & ruboris. Huic autem ſententiæ manum dare videtur Areſius, qui Lunæ in quintadecima figuratæ Epigraphen addidit; *Obuella perficitur*, perfici autem ſupponit aliquid inchoatum in eo quod perficitur. Hanc etiam docent apertè Conimbr., ſecundo de Cœlo, c. 7. q. 4. art. 1. 2. & 3. Nec non Pererius in Geneſ. cap. 1. Quare Lunari corpori additum & Lemma fuit: *Externo lumine creſcit.* Fateor itaq; & ego plenum illud lumen, quo Luna nocturno tempore fulget, non eſſe proprium Lunæ, ſicuti & optimè aſſerunt auctores pro ſecunda ſtantes ſententia, ſed eſſe à Sole receptum; licet etiam preciſo lumine Solis, aliqua per ſe ipſam Luna gaudeat luce. In hanc ipſam ſententiam deſcendit, arbitratu meo Claud., vt ex contextu patebit explicando. Quarè ſcíueris Lunare corpus opacum quidem in ſe eſſe, ſed non omninò tenebricoſum; quin potiùs illud intelligas in modum lucidiſſimi ſpeculi compactum, in quod impingentes ſolares radij, per reflexionem retrocedunt. Sic ſpeculum Archimedis, exceptis à Sole ardoribus, flammas reflectens, hoſtiles incendit naues; & ſic ſpeculum illud Gerſami apud Bracciol. lib. de Cruce 23. ſic deſcriptum

D'vn gran concauo vetro è 'l magiſtero,
A cui, di fuor, tenaca piombo aggiunto;
Nel cauo ſpecchio il Sol battendo intero,
Riman per entro il ſuo ſplendor congiunto;
E d'ogni parte il lucido rimiſero
Suo refleſſo fulgor giunge in vn punto,
E ne fulmina fuor l'vnito lume,
Qual da mille ruſcelli accolto fiume.

Pari paſſu reflexionem radiorum Solis fieri à corpore lunari, veridica exiſtimatione, perpendas; cum ea tamen diuerſitate, quam opportunè ſuggerit Lemma Lunæ Solem inſpicienti adſcriptum, & quaſi ab ipſa prolatum.

Da te chiarezza, e non ardore e prendo.

atque his poſitis, ad Poetam redeo. Triuiæ igitur, per Poetam, lenis erat ſpecies, & erat inſuper *multus in ore frater. Multus*, ideſt magna infuſus copia; nam multum illud lumen, quod reflectit Luna à Sole accipit fratre. *Multus* tamen, dixit, non *Totus*: primo quia non totum lumen, quod in Luna eſt, ſolare eſt; cum & ipſa ſuum habeat peculiare lumen, vt dicebamus: ſecundo, quia non totum Solis lumen à Sole recipit Luna, cum interpoſita obſtet terra, ne pleno vultu Lunæ ſpeculum Sol ipſe contempletur: tertiò deniq; quia, ſicuti intuentes in ſpeculo rem aliquam, eam, licet à tergo poſitam, & quidem eam ipſam, videmus, vt fusè docuimus in Philoſ. noſtra, vbi de ſpeciebus intentionalibus à ſpeculo ad oculum reflexis; ſic, cum ſplendor Lunæ ſit ſplendor Solis, Solem videmus in Luna, ſed non *totum*, quia non omnimoda ibi ſua claritate fulgentem. Ideò non *totus*, ſed *multus* erat *frater*, nempè Sol, qui quomodo Lunæ frater dicatur, iam vidimus, *In ore*, hoc eſt in toto corpore; pars enim hic pro toto ponitur.

ET PVTES &c. Oſtendit Poeta hic errorem, quem ex Gemellis induci in animos poſſe, ob ſimilitudinem, inſinuauimus ſupra ex Torquato: & inſuper innuit, quam facilè ſit, vt à deceptis ſenſibus error in intellectum adducatur, præſertim cum ſenſuum deceptio in exacta fundatur ſimilitudine, & repreſentatione obiectiua. Sic Torquatus idem, de imaginibus agens ſculptis in argenteis Armidæ foribus, inquit

Le porte quì d'effigiato argento
Sù i cardini ſtridean di lucid'oro.
Fermâr nelle figure il guardo intento;
Che vinta la materia è dal lauoro.
Manca il parlar: di viuo altro non chiedi:
Nè manca queſto ancor, s'à gl'occhi credi.

Deniq; alludit hic Vates ad id, quod profeſſus eſt Tertullianus, nempè Lunam à multis. *Lunum*, virili genere, fuiſſe vocitatam; eo, quod alendis, generandiſq; inferioribus, humidum, quo pollet, diſpenſans, virilem præbere operam videretur. Certè Seuerus Phœben, epiteto maſculini generis adiecto, dixit, cum ait

Ignea tum Cælo lucebant ſydera: Phœbe
Fraternos ſucceſſor equos &c.

& inueteratum fuiſſe conſtat, apud Carenos Meſopotamiæ Populos, vt crederent, eum, qui Lunam, muliebri nomine, ac ſexu, nuncupandam putaſſet, eo ſupplicij genere damnatum iri à Natura, rerum omnium arbitra, vt is, mulieribus addictus, eis ſemper ſeruire cogeretur. Qui verò Marem credidiſſent, futurum vt vxori ſemper ſuæ dominaretur, nec vllas vnquam muliebres pateretur inſidias. Hanc quidem ſententiam erroneam indicat Vates, dum ſubdit

. . . . . . *Soluſq; dabat diſcrimina ſexus;*

ſed tamen poſſe nos, æquè, ac illos, in errorem induci autumat, ita vt & Marem illam, & Phœbum eſſe ipſum putemus, ſi fidem oculis adhibeamus.

ET PVTES, *Et* copulatiua quidem eſt, ſed, hoc loco emphaſim habet; nam idem ſonat, ac ſi diceret: ſit tanta Lunæ ſimilitudo cum Phœbo eſt, vt *Putes*: ideſt *credas deceptus, & exiſtimes*, ſi oculis fidas.

GENAS Dianæ ESSE GENAS PHOEBI; ET LVMINA Dianæ ESSE LVMINA PHOEBI. Clarus per ſe ipſum textus eſt: quarè notandum tantummodo remanet artificium. Per poliſſintheton itaque diſtributionem effert partium principalium, ex quibus humanorum attenditur ſimilitudo compoſitorum, vt vnamquamq; in Diana oſtentet, adeò phœbeis partibus ſingillatim ſimilem, vt Dianam Phœbum referat, tota ſimilis Phœbo. Per *Genas* vultum intelligit; per *Lumina* oculos, atq; emicantem ex toto corpore nitorem. Cum enim Dianam Deam, ac Phœbum fecerit Deum; Dijq; olim ſub humana vtiq; forma colerentur, æquum fuit has illis partes attribuere, ita vt, nil diſcrepans à fabulis, myſticum ſub fabulis ſenſum proſequeretur.

ET SOLVS SEXVS &c. Vnicam ponit diſſimilitudinem inter Phœbum, & Dianam, nempè *ſexum*; deceptos indicans eos, qui marem Lunam fuerint arbitrati; cum mas Phœbus tantum ſit, fœmina Phœbe. *Solus* itaq; *ſexus*, inquit: ideſt *ſexus*, & nil aliud eam diſtinguebat à fratre Phœbo. Porrò *ſexus* Natura ipſa eſt, quâ fœminæ à maribus diſtinguuntur. Verùm, quia hæc pars, pudenda cum ſit, obuelata celatur, vt cerni non poſſit; diuerſitatem ſexus à diuerſitate habituum colligi Feſtus aſſerit; ac conſequenter *ſexum* idem interdum ſignificare, quod *habitus*. Vtrumque, arbitror, complexus, more ſuo, Poeta hic eſt: nam vere & habitus, & natura ipſa, licet occulta,

DABANT DISCRIMINA. Diſtinguebant; *diſcrimen* enim idem eſt, ac *differentia diſtinguens*, à diſcriminando dictum eo, quod rem, cuius eſt differentia, ab alijs diſcriminet, & ſecernat.

BRACHIA NVDA NITENT &c. Nudam omninò incedere ſolitam fuiſſe Dianam commenti olim fuerant Græci; ac ſubindè effinxerunt, Iouem, id Virgini indecorum, ac turpe reputantem, Mercurio, vt ei Veſtem faceret, demandaſſe. Plures ei veſtes fecerat, & adaptare, vt dicitur, ſtuduerat Mercurius: Sed, cum Diana aſſiduò mutaretur, nullam illi, omninò aptam, adſtruere potuit. Quarè *Dianam tegere*, apud Græcos, idem erat, ac *opus Danaidum exercere*. Verùm longe aberrarunt Græci; nam vtcumq; mutetur Luna, quo ad augumentum, & decrementum luminis; Lunare tamen corpus idem remanet ſemper; ideòq; & aptum illi indumentum aptari potuit, vt probè aptat hic Poeta, Virginem denudari, indecens arbitratus. Sed, quod ad inſtitutum, ex prædictis Græcorum fabulis, attinet, hic obiter noto. Figura, quâ Mercurius Veſtem Virgini porrigens exprimebatur à Græcis, repræſentabat Mercurium porrigentem veſtes, manicâ breui adeò munitas, vt vix dimidium brachij poſſet contegere: puta decurtatas eo pacto, quo nunc communiter in vſu cernimus, apud noſtri huiuſce temporis fœminas, quæ Gallicis veſtiendi vſibus adhærent. Ad id igitur reſpiciens Poeta Dianam, nudis brachijs, deſcribit. Inſuper Fabulâ Endimionis, ex quo dormiente caſta delibaſſe oſcula dicitur Diana; & quæ fabula, vt myſtici interpretantur Theologi, caſtiſſima Canticorum Sponſæ oſcula repræſentat, in tabulam redacta apud Pier. lib. Hieroglyph. 59., Diana nudis brachijs incedens oſtentatur: & brachijs pariter denudata viſebatur venatricis Dianæ ſta-

tua,

tua, apud Caphyatas Arcadiæ populoſ,vt habet idem Pier. lib. 48. Quàre appoſitè Poeta hic, ad omnes Dianæ ſtatuas alludens, eam nudis brachijs incedentem deſcribit. Adde, brachium exertum potentiæ, facultatiſque, ad rem gerendam, conficiendamq; ſymbolum eſſe: ideò nudatis incedat brachijs Diana, quæ ſemper in actione eſt, quippè illa, ex cuius influxibus terrena omnia pendent aſſiduè. Hinc negotijs familiaribus operam daturæ mulieres brachia denudant, vt expeditiores ſint ad agendum. Tandem Diana *Lucina* fuit, apud aliquos, ſuſcipiendis infantibus præfecta; ideò iure denudatis pingitur brachijs, ad munus ſuum, obſtetricis in morem, promptiùs exequendum. Inſuper venatrix, ſyluas aſſiduè percurrens, eſt; atque adeò expeditis ad arcum non minùs, quam ad luctam cum feris, oſtendi debuit brachijs. Ideò *Brachia nuda &c.* *Brachium* notiſſimum hominis membrum eſt ab humero ad manum protenſum, ipſamq; interdum includens manum, vt hic, vbi poſitum principaliter arbitror *brachium* pro *lacerto*, parte videlicet brachij inferiore, quæ à cubito ad manum extenditur; cum pars à cubito ſurſum, quæ propriè *brachium* dicitur, non videatur in Dianæ ſtatuis nuda; ſed, parte propiùs humerum contecta, maiorem eiuſdem partem cubitum verſus denudatam, & à cubito ad manum, conſpicies. Quarè dimidium brachij, & lacertum totum denudatum arbitror à Poeta hic indicari; non autem totum ab humero ad manum. *Nuda* itaq; in hoc ſenſu *brachia*, hoc eſt *amictu* nullo obuelata, quo expeditior eſſet ad operandum Diana: non vt mollitiem oſtentaret, non vt luxum exerceret, non vt laſciuos excitaret; vt noſtri iam abuſus ſæculi aſſequitur. Sed vtinam iam ſola, nunc temporis, brachia in proſpectu eſſent. Iam & ſinus,& vbera latè deteguntur, vt noua Paradiſi poma, per multiplices oblata Euas, decepti filios Adami vlteriorem adducant in perniciem. Sed textum proſequamur. *Brachia nuda nitent*. Nitor corporis ex pinguedine, ac ſimetria exoritur partium, ac ſplendorem quendam imitatus aſpicientes delectat. Talia fuiſſe indicat Vates brachia Dianæ, dum, *nitent*, inquit. Sic etiam Virg. Æn. 6. equos *nitentes*, immò & campos *nitentes* appellauit, hoc eſt pingues, & venuſtos,ac florentes.

> . . . . *Quæ cura nitentes*
> *Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos,*

& *Dixit: & ante tulit greſſum campoſq; nitentes*
> *Deſuper oſtentat &c.*

LEVIBVS PROIECERAT AVRIS &c. Cum Venerem deſcriberet Vates, vt vere meretricio eam inſigniret ornatu, caput ipſius inſtruxit molli capillorum apparatu. nempè cribratis calamiſtro crinibus, idalia diſcriminatis acu, catenarum compoſitis in morem, vnguento delibutis, Arabiam ſpirantibus &c. implicitè ſaltem hæc poſtrema ſi non explicitè; nam acceſſoria omnia principali accedunt crinium culturæ: *Illa multifidas crines ſinuarat in orbes &c.* vt enim notat Eloquentiæ Princeps, eximiam hanc comarum culturam male ſemper olentem antiqui exiſtimarunt: Sicuti & de vnguento delibutis cecinit ille

> *Non bene ſemper olet, quæ bene ſemper olet.*

hacq; de cauſa Cic. in Conſulis comam vnguentis ſuperfuſam inuehitur: & Græci olim *comatum, cincinnatumq; puerum*, probri cauſa, dicebant: & deniq; Poetarum Princeps madentem vituperat Crinem Mæonia ſuffultum Mitra &c. Æn. 4., dum ait:

> *Et nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu*
> *Mæonia mentum mitra, crinemq; madentem*
> *Subnexus, rapto potitur &c.*

Fuerat itaq; profectò proprium illud Veneris comarum ornamentum. Aſt,dum Virginem deſcribit,procùl ea omnia, quæ Veneri attributa fuerant, capitis ornamenta eſſe debebant: quarè, vt oppoſitam Veneri Virginem deſcribat, incultam, iacentemq. per terga comam, nullo cultu, nulla diſcriminatione, nullis orbibus, vnguentiſq; conſpicuam capiti adiunxit. Et porrò optimè in terga proiectos Dianæ crines effingit; nam tradit Homerus, Abantem auctorem fuiſſe, vt bellatores comam enutrirent, prolixam quidem, ſed in tergum cadentem, omnem autem, in fronte, comam enutriri prohibuiſſe; nam, per promiſſam comam, fortitudo firmabatur, vt Sampſonis exemplo conſtat; ſed abijciebatur in tergum, ne aciem impediret oculorum, cum in pugnam irruerent; ſed ventus eam potiùs retroferentibus, ſcirent acriùs dimicandum, nec terga vertenda, ne hoſtes manum in crinem per terga dilabentem inijcerent, ac perimerent. Bellatrix in Venerem Diana cenſenda fuit, quippè Virgo, æternum Veneri reluctans; adeò crinem abijciat in tergum aduerſa pugnans, ne oculorum acies à percipiendis Gnidiæ dolis impediatur. Venatrix erat Diana: ideò coma eiuſdem in tergum abijcitur, ne in feras irruentis infuſcata, cadentibus in frontem crinibus, frontis ſudera venatricem feris obijciant perimendam; nam hac ipſa de cauſa Virginum venationi addictarum mos fuiſſe decantatur, vt promiſſam in tergum comam interludentibus Zephyris permitterent: quare etiam Virg. Æn. 1., Venerem Virginis venatricis habitum, moreſq; imitantem deſcribens, ſic ait:

> *Virginis os, habitumq; gerens, & Virginis arma*
> *Spartanæ: vel qualis equos Threiſſa fatigat*
> *Harpalice, volucremq; fuga præuertitur Hebrum:*
> *Namq; humeris de more habilem ſuſpenderat arcum*
> *Venatrix, dederatq; comas diffundere ventis.*

Adde, per huiuſmodi comas Lunares influxus commodè ſignificari, & quia hi liberaliter adeò diſpertiuntur, vt ferè videatur Luna quidquid ad ſe attinet, tanquam neglectum quid, poſthabere, vt terrenis impertiatur vtilitatibus; ideò in tergum, liberiùs vtiq; lapſuri proijciuntur.

PROIECERAT. (Triuia videlicet, de qua loquitur) *Proijcere* autem eſt *aliquid, vt contemptum, iacere*. Sic Virg. Æn 6. de ijs loquens, qui odio præſentis vitæ ſe ipſos interimunt, hoc vſus verbo, inquit

> *Proxima deinde tenent mæſti loca, qui ſibi lethum*
> *Inſontes peperere manu, lucemq; peroſi*
> *Proiecere animas &c.*

& Æn. 5. peroſus militares ludus, quaſi in cauſa fuiſſent, vt naues à matribus incenderentur, eo abſente;

> *Aſcanius galeam ante pedes proiecit inanem.*

Sic itaque, dum capillos proieciſſe in tergum dicitur Diana, intelligas, quo animi contemptu comam illam ſuam negligeret, muliebrem proterens vanitatem. Ex hoc ipſo conſtat, quam exactè Veneri Dianam opponat Vates. Illa comæ ſtudioſa omnis; hæc negligens: illa comptens coercens crines; hæc paſſis iiſdem, contemptiſque, atq; ideò in tergum abiectis oſtenditur: illa collectos ſericis, aureiſq; carceribus vinculatos obſtringens; hæc ſolutos, liberoſq; ſinens abire: ex quo vehementem, in ſententia, contrariorum conflictionem licet adnotare, quæ latens profectò magis emicet, quam aperta

INDOCILES COMAS. Quid ſit Indocile iam vidimus lib. 1. Carm. 69.; peculiari tamen ratione Poeta hic *indocilem* vocat Triuiæ comam, naturam ſcilicet imitatus; nam cum Lunæ coma nil aliud ſit, quam eiuſdem radiorum, ſeù ſplendorum diffuſio; vel, vt dicebamus, eiuſdem influxus, qui, ad terram dimiſſi, eam fæcundant; ex eo quod Luna in continua mutatione ſit, certè neceſſe eſt, vt & ſplendores,& influxus perpetua mutatione varientur, ideòq; non poſſint, certa lege, cultuq; vniformiter perſeuerante coerceri. Ideò comas vocat indociles, ideſt comptui non aſſuetas, ac nunquam vanis cultibus obſtringi edoctas. Sed perpende quæſo accuratiùs vituidam, hoc loco, poſitam in verbis anthitheſim. *Coma* à comptu, ideſt ab ornatu, dicitur; & idem dicere eſt *coma*; ac dicere *comptus capillus*. Quomodò igitur comptus erat Dianæ capillus, ſi comptui non aſſuetus, ſi in tergum proiectus? Quomodò ornatus, ſi neglectus errabat per armos? Quomodò cultus, ſi contemptus? Adeas quæſo Bracciol., de Cruce lib. 22., & quid de Herminta ſua loquatur attende, vt Poetę noſtri viuacitatem faciliùs internoſcas. Sic igitur, loco cit., Cygnus ille

> *La ſua beltà, che di ſe ſteſſa ornata*
> *Non vuole altro, che ſe, fregio, ò cultura,*
> *Schermenita d'ogn'arte, appar dotata*
> *Sol de i doni del Cielo, e di natura;*
> *E, magnanimamente accompagnata*
> *Da vna nobile ſua diſprezzatura,*
> *Par che dica: Ornamenti tiene à quelle,*
> *Che per voi ſolo, e non per ſe, ſon belle.*

Quid porrò pulchrior Diana, cui multus in ore frater erat, Phœbiq; genas, & lumina Phœbi, eſſe putes? Soror non minùs, quam pulchritudinis ſydere vtiq; radiato, æmula Solis, non potuit, quin & eiuſdem radiantem compoſitam auro, Cæſariem proprijs illa referret crinibus. Ideò ſatis per ſe ipſam ornata, ſatis culta, ſatis per ſe ipſam compta Dianæ cæſaries erat, & ideò coma dicitur, licet, ab ipſa Triuia alioquin neglecta, nihili facta, ac proiecta pendeat nullis adſcititijs ex muliebri vanitate ornamentis exculta. Ideò Indocilis ornari dicta: *Proiecerat indociles comas*

ERRARE. Hoc eſt diuagari, atq; in incertum ferri

LEVIBVS AVRIS. Ideſt arbitrio interludentium ſibi

ſia-

ſarſim. Quod ſi ad litteram conſideretur, naturam ſequitur; nam ſoluti in tergum capilli facili quâcumq; aurâ quatiuntur, & in diuerſa, iuxta diuerſum auræ motum, ventilantur, motanturque. Ex hoc ipſo ſub oculis ponitur comarum leuitas, quæ facilè adeò, leni quouis afflatu circumagitentur; nec non leuitas ipſa ventorum, quibus profectò nil mobiliùs, nil inconſtantiùs. Sed altiorem hic habet eruditionem Poeta; alludit enim ad antiquam Ægyptiorum ſententiam, qui, Lunam nauigio vehi per Cœlorum vndas obſequentibus ventis, dictitarent. Obſequentes igitur ventos hic etiam oſtendis, qui, in Comam leniter, tamquam in vellem aureum, ſpirantes, deoſculari potiùs, quam perturbare videantur errantem; *Leuis* enim dicitur ventus, non ſolum quod aereus ſit, ſed etiam quia leniter, ac ferè inſenſibiliter adſpiret; ideò, non *ventis*, inquit, ſed *auris*: *Aura* enim *lenior ventus* dicitur; *ventus* autem *grauior ille afflatus*, quo cuncta perturbantur, & euelluntur interdum. Sic Virg. Æn. 6., in conſimili materia loquens, ait:

Dulces compoſitas ſpirabat crinibus auras.

quaſi *leniter motus aer*; nam aura ab aere nuncupatur. Scio, *Armis*, non *auris*, ab aliquibus legi, eo, quod putent conceptum hic Poetæ eumdem eſſe, ac ille, quem de Alecto habet, lib. in Ruf. 1.

Aletto ſtetit in medijs, vulguſq; tacere
Iuſsit; & obſtantes in tergum repulit angues,
Perq; humeros errare dedit &c.

Sed præterquam quod epitetum *lenibus* minus propriè additum fuiſſet, amphibologicum etiam eſſet nomen *armis*, dubium ſcilicet in animos ingerens ab *Armus* ne, an ab *arma* deduceretur; licet, textu attentiùs conſiderato liqueat à nomine *Armus* inflecti, ac deriuari. Quarè nil arbitror immutandum.

ARCVQVE REMISSO &c. Venatrici non alia profectò, quam venatricis arma, aptari debuerunt, nempè Arcus, & ſagittæ, vt patet ex ſupracit. Virgilij loco Æn. 1. vbi venatricem ille Venerem deſcribens ait.

Namq; Humeris de more habilem ſuſpenderat arcum.

ſicuti & mox eodē lib. Tyrijs venatricibus ſagittas attribuit.

Virginibus Tyrijs mos eſt geſtare pharetram &c.

Verùm, ſub hac morum imitationis congruentià, eruditionem ſequitur Poeta: nam, vt notarunt Antiqui, arcus, & ſagittæ Apollinis, ac Dianæ, ſimulacris appoſitæ Vibratilem radiorum vim oſtenderunt: quarè aptiſſimo quidem ritu Dianam arcu, & ſagittis inſtructam deſcribit Auctor. Sed, ne à venatrice diſcedamus; quemadmodum *arcus intentus* belli erigitur in ſignum, ſic *relaxatus* ſublatam belli ferociam oſtendit. Metuendam feris, ſuperiùs, Triuiam dixerat: Sed, vt indicetur hic, non venationis, ſed tantùm oblectamenti, ac Proſerpinam comitandi gratia, in campos exijſſe, arcum illi remiſſum, pharetramq; à tergo otioſis pendentem ſagittis attribuit, vt pacificam feræ ipſæ ſentientes Triuiam non horreſcant, cum bellum ipſis inferri remiſſo ab arcu non poſſit. Particula igitur *que* pro *Et* copulatiua hic quidem eſt, ſed tranſitum pariter præbens ab ornatu Virginis prænotato ad arma venatricis, ſed venatricis otiantis exaranda. Arcus verò Inſtrumentum notiſſimum eſt, quo ſagittæ euibrantur, *arcus* ab *arcendo* dictus, eo, quod eminùs arceat hoſtes. Hic pro arcu ſumitur venatorio ad appetendas eminùs feras conſtructo. Sed *remiſſus* dicitur, quia ſitum ſeruet, illi ab arte effectrici attributum, nec violenter curuatur hic, vt, rediens in naturam in ictus reſiliat euibrandos: cum igitur Diana, Proſerpinam comitata, nil minùs excogitaret, quam vt arcu vteretur; ideò *Arcu remiſſo*

NERVVS. Quid nerui nomine intelligendum ſit, vidimus in Præf. ad hunc lib. Carm. 15. Ea hic reuocanda; nam *neruus* hic pro arcuum chorda ponitur, quæ ex fidibus fieri aſſolet, ideò *Neruus*, iuxta dicta loco cit.

AGIT OTIA. *Agere otium* dicitur quiſquis à labore aliquo ceſſat. Laborioſum profectò neruo eſt arcum intendere, nam ſummâ vi arcum detinet, ne redeat in naturam; quia autem omne agens agendo repatitur, dum arcum contrahit, & curuat Neruus, ipſe etiam procul dubio vim patitur ita, vt interdum diſrumpatur: quarè *otia agere* dicitur, cum à labore, ideſt ab arcu intendendo ceſſans ſegnis apparet, & languidus. De arcu vide lib. 1. Carm. 134.

SAGITTÆ. Breue teli genus ſagitta eſt, quod arcu emittitur. Hæ pharetris aſſeruari ſolebant, cum euibrandæ non eſſent; theca enim ſagittarum Pharetra fuit. Quare, contentum hic ponens pro continente, Pharetratam Poeta Triuiam deſcribit; ſed ita, vt pacifica appareat, dum nullam ad manum euocat ſagittam, ſed omnes in Pharetra iacentes.

PENDENT POST TERGA. *Pendere* ita eſt ad aliquid vergere, vt præter illud nihil agatur. Sic Virg. Æn. 6. Sybillam inducit Ænęę reuelantem Claſſis preſſuras, dum ipſe, Oraculis vacans, ab operibus ſummi ducis ceſſaret; his verbis.

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici
(Heù neſcis,) & totam inceſtat funere Claſſem,
Dum conſulta petis, noſtroq; in limine pendes.

Vacabant igitur quieti Triuiæ ſpicula in pharetris iacentia, vt ab omni eiaculationis ſuſpicione, nedum actione, ceſſantes iacērent: ideò *pendens* & *pendent* inquit poſt terga, vt morem imitaretur. nam ſuſpenſa humeris pharetra gerebatur. Quarè, ſi ſenſus litteralis attendatur, proprium notat pharetræ locum, ac ſitum, *poſt terga*: nam *tergum* idem ac *dorſum* eſt, licet hic, per Synecd. numero multitudinis pro numero vnitatis vtatur Vates. Verum, ſi ſignificationem potiùs, quam litteram attendamus, *poſthabere*, hoc eſt *poſt tergum habere* eſt *aliquid negligere, & obliuiſci*: quarè indicat Vates obliuioni demandatum Sagittarum vſum, pro eo tamen duntaxat tempore, quo animorum relaxationi vacaret, nullum venationis exercitium peractura.

VESTIS GORTYNIA &c. A venatorijs armis ad venatorium Triuiæ habitum innuendum potiùs, quam deſcribendum progreditur; ſed viuidè tamen adeò, vt breui illum manu ſub oculis ponat: Gortynia enim veſtis propriè veſtis eſt venatoria, cuius formam arbitror decerptam fuiſſe à Poeta ex ipſius eiuſdem Dianæ ſtatua, quam apud Caphyatas Arcadiæ Populos iam diximus extitiſſe. Hæc Dianæ ſtrangulatæ ſtatua dicebatur, propterea quod Pueri quidam, circa templum ludentes, funiculum repertum ſimulacri collo pueriliter iniecerint, ſe Dianam ſuſpendiſſe iactitantes. Repræſentabat autem hæc ſtatua Dianam, veſte quidem muliebri indutam, ſed non vltra poplites profluentem, nudatis brachijs, ac pectorali Zona præcinctam, arcuq; ac Pharetrâ munitam: vno verbo, eo habitu, quo Tyrias venatrices vſas fuiſſe teſtatur ore Veneris Virg. Æn. pri. ſupra cit.

Virginibus Tyrijs mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoq; altè ſuras vincire cothurno

ex quo patet, venatricis virginis Veſtem non vltra poplites deſcendiſſe, cum cothurnatas ſuras oſtentarent. Idq; in more poſitum erat, vt expeditiores eſſent ad curſum, ſi quando fugientes perſequi feras debuiſſent.

VESTIS. Nomen genericum hoc eſt, quoduis ſignificans indumentum, ſeu operimentum corporis, vel illud fuerit laneum, vel ſericum, vel lineum, vel bombycinum, ac cuiuſcumq; tandem generis texturæ. Verum hanc generalitatem contraxit Auctor per additam differentiam

GORTYNIA: nam veſtis Gortynia propriè Veſtis eſt, vt dicebamus venatoria; ſic dicta à Gortyna præclariſſima olim Cretæ vrbe, quam præterlabante Letheo flumine ferunt irrigatam, ac Patriam fuiſſe Britomartis, Virginis ſcilicet illius, quam Diana vnicè dicitur dilexiſſe, & de qua Virg. in Cyri Charmes ore ſic habet

Te erepta, ò Britomarti, mea ſpes vna ſalutis,
Te Britomarti diem potui producere vitæ?
Atq; vtinam Celſes nec tantum grata Dianæ
Venatus eſſes Virgo ſectata virorum;
Gnoſia neù Partho contendens ſpicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam tam obnixe fugiens Minois amores
Præceps aerijs ſpecula de montibus iſſes;
Vndè alij fugiſſe ferunt, & Numina Phœbæ
Virginis aſsignant; alij, quo notior eſſes,
Dictymnam dixere tuo de nomine Lunam.

ex quo patet, Dianam non abs re dici Gortynias ſumpſiſſe Veſtes, memoriam Britomartis ſuæ, quæ & eiuſdem nomen dedignata non fuerat amans. Circa hanc Britomartis Patriam Calami naſcebantur ſagittis conficiendis, quam maximè idonei. Quarè & Lucanus lib. 6. ad exprimendam validiorem quocumq; telo ſagittam, ait

Dictæa procul ecce manu Gortynis arundo
Tenditur in Sceuam, quæ voto certior omni,
In caput, atq; oculi læuum deſcendit in orbem &c.

cum autem hæc Ciuitas non procùl ab Ida Cretenſi Monte tunc floreret, occaſione data propinquitatis ferarum, & armorum ad venationem aptorum, plurimum ab Incolis, ac præſertim Virginibus indultum venationibus fuiſſe, traditur: atque ideò vſus obtinuit, vt Gortynia veſtis pro venatoria paſſim vſurpetur, cum huiuſmodi decurtatæ veſtes

maximè apud Gortynes in vſu fuerint. Noſtri fortaſſe huiuſce temporis Grammatici Poetam redarguent, eo, quod Gortynia ſcripſerit, non cum Parrhaſio Cortynia, vt ſcribendum videtur ex Virg. Æn. 10. thecam ſagittariam, Gortynios vtiq; apud Populos, fabrefactam *Corytum* non Gorythum appellat, dum ſic ait:

Quiq; vrbem liquere Coſas, queis tela, ſagittæ,
Corytique leues humeris, & letifer arcus.

Sed oblatrent, vt libet, qui, cenſoriam virgam exercentes, rudes tamen adeò ſunt, vt, cum in verbum græcum latina Carm. perlegentes inciderint, ſoleant: *Græcum eſt: non legitur*: dictitare; nam Poeta noſter græcam vtiq; lectionem ſecutus merito *Gortynia* ſcripſit; nam græcè γορτὺς dicitur, non κορτος, aut κορτος Gortinia dicitur. Fateor quidem conſuetudinem obtinuiſſe (quod & Seuerus tradit) vt, quæ græcè per γ ſcribuntur, per c latinè conſcribantur, quam conſuetudinem ſecutum fateor Virg. cit.; ſed cur iure optimo non potuerit Claud. puritatem græcæ linguæ, etiam latinè loquens, ſectari? Vtique & *Cortis* pro *Corytes* ſcriptum inuenio; ſed peccant in Græcam linguam, qui ita ſcribunt, quia γορτὺς per γ græcè ſcribitur. Alij eruditionem fortaſſis Gortyniæ veſtis ignorantes *Cortyna* ſcribendum dixere deducta nominis ethymol. à tenuiſſimo teli genere, quam vulgò Cortynam vocant, deducto, quaſi hac tela Dianæ veſtis fuerit conſtructa: ſed obuia nimis Auctores huiuſmodi ſectantur: Alij, pro *Gortynia*, *Corynthia* repoſuere non videntes ſe facturos, vt in legem metricam peccaret ſine vlla Auctor neceſſitate, cum breuis in *Corynthia* prima ſit, quod niſi obſtaret, laudarem vtique Corynthiæ veſtis mentionem, & eruditionem, quæ pretioſitatem veſtis indicaret. Præter Gortynam Cretæ Vrbem, aliam Pauſanias memorat, eiuſdem nominis Arcadiæ Ciuitatem, cui proximum ſtatuit Plinius Caryum Laconiæ oppidum, vbi Lacedemonij præcipuo Dianam cultu proſequebantur, & ideò dictam autumant aliqui *Gortyniam* Dianæ Veſtem, nempe *Caryatidem*; ſed longe nimis petita videtur hæc denominatio. Ideò prima magis adhuc arridet ſententia. Meminit & Gortynij teli Virg. Æn. 11. inquiens

Ipſe peregrina ferrugine clarus, & oſtro
Spicula torquebat lycio Gortynia cornu.

quamuis aliqui & hoc loco *Cortynia* ſcribant, ſed quidquid de telis ſit: nobis præ manibus eſt Veſtis

POPLITE FVSA TENVS. Præpoſitio eſt *tenus*, idem ſonans, ac *v. que ad*, & exigit ablatiuum cui poſtponatur, vt hic, & apud Virg. Æn. 1.

Dixit: & in menſa laticum libauit honorem;
Primaq; libato ſummo tenus attigit ore.

& Æn. 3. in Scyllæ deſcriptione, vbi ſic

Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus &c.

Iungitur tamen & cum genitiuo multitudinis, vt apud eundem Virg. Georg. 3. optimè bouis formam deſignantem, dum hæc ibi habet

Corpora præcipuè Matrum legat. Optima torua
Forma bouis; cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.

iure igitur & auctor *Poplite tenus* inquit. Poples pars eſt oppoſita genu, quæ curuatur; eo, quod plicetur; *poples* dicta: hic tamen, & communiter ab omnibus pro ipſo ponitur Genu. *Fuſa* verò partic. paſſ. eſt à verbo *fundo* deriuatum: *fundere* autem idem propriè eſt, ac liquare, liquatumque in præparatam formam metallum infundere, vt ſtatua, vel quid aliud, artis fuſoriæ proprium, conficiatur. Verùm, quia, quod funditur hoc pacto, extenditur, ac dilatatur; atq; in extenſione illa ſubinde, ac dilatatione conſiſtit, factum eſt, vt, per tranſlationem, *Fuſus* pro eodem accipiatur, ac *extenſus*, *dilatatus &c.* Veſtis itaq; Triuiæ ad genua vſque, & non vlteriùs, extenſa, Poplite fuſa dicitur tenus.

CRISPATVR. Oſtendit hic Triuiæ veſtem non arctam, eodem modo fuiſſe, ac breuem; ſed amplam, & ambitu diuitem: nam ſi arcta fuiſſet, certe non fuiſſet à conſtringentibus cingulis criſpata. Quarè ex hoc conſequenti antecedens illud colligendum obiectat Vates; *Criſpare* autem eſt *in Criſpas, ſeù minutias complicationes aliquod flectere*, quod vtiq; fieri non poteſt, niſi in ijs, quæ amplam habeant latitudinem coercendam.

GEMINO CINCTV. Nec bis Cincta Diana placet, nec nuda Cythere; inquit apud Auſonium Criticus Vates. Verùm videamus num bis cincta cæteris Diana placeat, vt certè placuit Claudiano. *Cinctus* à cingendo dicitur; ſic *Zona pectoralis*, inſigne olim Virginis ornamentum, cinctus dici potuit, quo ſcilicet pectus, & lumbi cingebantur. Sed cur geminus Triuiæ cinctus attribuitur? *Geminus* idem eſt, ac *duo*; quarè *gemini* dicuntur duo eodem partu editi. An non ſatis erat vnica Triuiæ Zona, ni & ſecunda adderetur: *Gemino cinctu?* Memineris, Dianam Virginem eſſe. Subindè Ægyptios conſulas, qui ſibi profectò ſuggerent, Zonam ſymbolum virginitatis eſſe ex eo, quod Virgines Zonam gererent, quam ſolui nefas eſſet, niſi cum, occaſione nuptiarum, ea Palladi Apaturiæ dicaretur. Primus igitur Dianæ Cinctus Zona Virginalis fuit, nunquam diſſoluenda. Inſuper, quia & venatricis habitum gerit cingulum additur venatorium, quod quidem, & aſſumi, & proijci, pro libito, poterat. Sed altiùs inſurgit Vates, aſtronomicis innixus cogitationibus. Curſum Lunæ per totam Zodiaci latitudinem dicunt euagantem Aſtronomi; & *Zona* certè dicitur Zodiacus; quarè interdum ſub Ecliptica eſt, interdum, ab ea diſcedens, per laterales Eclipticæ, Zodiaci latitudines diuagatur; cum è contra Sol nunquam ab Ecliptica, ne lato quidem vngue aberret. Quarè duplici cingulo, nempè Ecliptica, & Zodiaco vti Luna videtur, atq; eiuſdem ijs corpus conſtringi; atque ideò, non vno, ſed gemino criſpatur Cinctu hic Triuiæ Veſtis, nempè ſplendor, quo totum Lunæ corpus amicitur.

ET DELOS. Vt proportionatam Triuiæ Veſtem, licet venatoriam, adaptaret, phrygio opere contextam eam declarat, &, quonam opere picturata fuerit, oſtendit.

DELOS. Inſula hæc illa eſt Ægæi maris Cycladum omnium clariſſima, in qua Latona Dianam, & Apollinem peperit, vt lib. 1. diximus Carm. 106. Hæc & Ortygia, & Aſteria, vt ibi innuimus dicta eſt; immò & Cynthia, & Lagia, & Chamyda, & Cynethos, & Pyrpile ab alijs appellatur. Cum itaq; hæc errantes inter inſulas apparuiſſet mobilis, vt aliæ, & natans; immobili pondere fixam aiunt, cum Deorum ortu fuerit condecorata, ſeu, vt alijs cum Pindaro placet, quatuor ex ſolidiſſimo adamante columnis ſolidatam, affirmatamque. Iure igitur merito Delum inſulam natantem, aurea contextam in veſte, gerere dicitur Triuia; primo quia grati animi erat terram, quæ & Matris incolumitati fauiſſet, & prima Deos exceperit infantes, ſemper præ oculis habere: ſecundo quia prodigiorum ſic, Triuiæ natiuitatem condecorantium, imaginem referebat, ita vt trophæi adinſtar eſſet, hæc Triuiæ Veſtis. Sed vlteriùs aſtronomicis adhuc eruditionibus innititur ſententia, iuxta antiquiorum opinionem Phyloſophorum. Duplicem itaque tellurem ſtatuebat Ægyptiorum Phyloſophia, ſuperiorem vnam, inferiorem alteram; ſuperioremq; tellurem *Lunam* eſſe dicebant; inferiorem verò eam quam nos terimus pede. Tellurem ſuperiorem in Luna conſtituendi anſam Ægyptijs dedit antiqua Hebræorum Theologia, ex qua cum haberent, locum quemdam eſſe aſſignandum, in quem animæ corporibus ſolutæ tranſmigrarent, ibiq; Beatorum ſedes eſſe; non ſatis ea intelligentes myſteria, quæ, ſub nomine *terræ promiſſionis, cœleſtis Patriæ*, ac *ſupernæ Vrbis Ieruſalem*, exprimebantur; atque, in Plenilunio, maculas quaſdam Lunari in orbe cernentes, quæ nullo alio in ſydere cernerentur, (nam maculæ ſolares, poſtremis tantum temporibus, Galilei tuboſpicilium adinuenit) putarunt, ea omnia, quæ in ſacris litteris ieroglyphicè dicebantur, realiter adeſſe in Luna; atque ideò Cœleſtem eam tellurem appellarunt. Vlteriùs, quia terra inferior tota vndique Oceano alluitur circumambiente, ea merito quaſi Inſula dignoſcitur; & quia, deficientibus interdum terræ partibus, euidem ſæpè ſæpiùs telluris & Pontus, & æſtus mutauere ſitum. hinc eſt, vt tota terra inferior, quaſi *Cyclas*, id eſt *Inſula natans, & mobilis* conſideretur: quarè, cum ad ſimilitudinem terræ noſtræ tellus illa cœleſtis concipi debuerit, nil mirum, ſi Poeta, ad Ægyptiorum ſententiam alludens, alterum, in Luna, terrenum orbem repreſentaturus, *Delum inſulam errantem* totam terræ noſtræ molem efficiat, & *aureum mare* ipſius Lunæ autumet ſplendores: hoc enim pacto congruit aptiſſimè cum ijs, quæ, de ortu Lunæ in Inſula Delo, dicuntur; nam certè terræ noſtræ, non Cœlo, oritur, ſingulis noctibus, Luna, cum in Cœlo ſemper eſt, ideoq; illi non oritur. At ſi de primo ortu, nempe de illius Creatione loquamur, in Cœlo creata quidem eſt; ſed ſi iuxta Ægyptios altera tellus eſſet, iam *Delos iſta* emergeret ex vndis Cœli, aureo ſplendorum ſuorum innatans Oceano, ac per vaſtum mare earumdem aquarum cœleſtium diuagata; iuxta opinionem Cœlos aqueos aſſerentium. Hæc omnia in Veſte Triuiæ collocat Vates, quia veſtis ornamentum corporis eſt; & ea

ornata, ſi in corpore adeſſent Lunari, certè per modum ornatus in illo eſſent. Alij ex Antiquis, duplicem pariter Mundum conſtituentes, dixerunt, alium perfectum eſſe, quem nos ſcilicet incolimus, alium verò idealem, & hunc Lunam eſſe dictitabant. Sicut enim (aiebant iſti) Architectus, magnam ædificij machinam peracturus, paruulum priùs conficit modulum ligneum, (ſeù Ideam dicas) quod omnium peragendorum referat imaginem; ſic ſummus opifex Mundi, ingentem hanc molem fabricaturus, Ideam priùs efformauit in Luna. Hæc ſententia contra fidem eſt prorſus; cum nulla planè fuerit rerum Idea extra mentem Creatoris, quam ſolam ſcimus ampliſſimam, ac perfectiſſimam rerum omnium Ideam. Reijcienda igitur omninò ſententia. Verùm hoc non obſtat, quia potuerit Poeta alluſiuè, non aſſertiuè, hanc quoq; ſententiam attingere; nam huic etiam adaptantur omnia ea, quæ ſupra diximus de Cœleſti Mundo ab Ægyptijs in Luna poſito, cum hoc tantùm diſcrimine, quod per Ægyptios perfectè, ac realiter in Luna alter eſt Mundus; per alios verò tantum idealiter. Hanc ſecundam ſententiam tamen ad bonum ſenſum deduxerunt aliqui recentiores, vt refert approbans Pier. lib. 39., vbi conſiderans & ipſe id, quod & nos ſupra dicebamus, nempè Lunam ſe habere ad inſtar ſpeculi, ſumma terſitate pollentis, non abſurdum eſſe aſſerit, ſi dicamus, Mundi huius inferioris, omniumq; ſublunarium imaginem eſſe in Luna, ſicuti cernitur in ſpeculo effigies rerum omnium, quæ illi obijciuntur; non tamquam Idea deſeruiens opifici ad Mundum conſtruendum; ſed tamquam quid à ſpeculo repræſentatum, poſtquam iam fuerit in eſſe; atque ab hac Mundi imagine maculas effingi illas, quæ cernuntur in Luna; quod porrò videtur comprobari ex ipſa Lunaris orbis macularum diſpoſitione; nam, vt ex tam longinquo tractu perſpici potes, maculæ illæ præ ſe ferunt imaginem terrarum orbis, eo propemodum pacto, quo in tabulis cernitur Coſmographicis. Iis igitur omnibus innixus Poeta, dum veſtem Triuiæ exornat, maculas in Luna eruditiſſimè exprimit, orbem noſtrum, iuxta explicationem iam datam exprimentes.

ERRAT IN STAMINE MOTO. Filis ita compoſitis (inquit in hunc locum eruditiſſimè Parrhaſius) vt Inſula fluctibus pelli videretur. Quod maximè profectò confert ad excellentiam textorij operis exprimendam. Sed aliud etiam, hoc non neglecto, Vatis artificium mihi liceat contemplari. Cum Delum errantem inſulam Triuiæ effinxerit in Veſte, nil mirum ſi eam natantem faciat, atque hùc illùc diuagantem, nam hoc profectò exprimitur per verbum *Errat*, vt iam nouimus; ſed nota accuratam Poetæ ſolertiam, ſe ſe rerum naturæ accommodantem; neque enim abſolutè dixit, Inſulam errantem eſſe; ſed *errat moto in ſtamine*. Ratio eſt, quia, cum telæ affixa fuerit huius Inſulæ imago, certè per texturæ ſpatia errare non potuit: & error Poetæ fuiſſet, ſi mutantem in immoto ſtamine locum effinxiſſet: ideò errare quidem Inſulam dixit; ſed *moto in ſtamine*: quaſi dixerit: *Staminis affixa, ideòq; per ſe immota, Delos, ad motum ſtaminis, hoc eſt Veſtis, mouetur, & fluctuans errat*. Et certè ſi picturata Veſtis ſit, dum ad geſtantis motum fluctuat illa, etiam imagines, quæ in illa ſunt, cum ſtamine fluctuent, neceſſe eſt. Quod ſi ſenſum Myſticum reſpicias, & per Delum Inſulam, totum intelligas Orbem, maribus circumactum, in modum Inſulæ, cuius imago, in Luna, quaſi in ſpeculo; apparens, maculoſam efficiat Lunam; adhuc optimè dixerit: *Errat*: nam, ſicuti Cyclades Inſulæ, vt aliqui volunt, modò apparent, modò merguntur vndis, & locum mutant, ita maculæ in Luna (hoc eſt Orbis imago, in Luna apparens) modò extant integræ, modò nullæ videntur, modò maiores, modò minores viſuntur; ideò *errant*, & modò emergere, modò mergi, ac ſitum mutare videntur: nam maculæ in Luna, ſecundùm totam earum latitudinem tantùm in Plenilunio apparent; dimidiata verò Luna non integræ viſuntur; ſed ex parte celantur: at, Luna vel noua, vel deficiente, nullæ apparent; ideò errant, dum modò abſunt, modò adſunt &c. Inſuper *errans in ſtamine, & trahitur aurato Ponto*; quia, cùm Veſtis Lunæ nil ſit aliud, quam ſplendor ipſius Lunæ, cùmq; ſplendor, ad motum corporis aſſiduè circumagatur, etiam maculas ſecum ferri, ac vnà diuagari, neceſſe eſt, licet per ſe fixæ efficiat, & immobiles. Ideò *Errat Delos*, non ſimpliciter, ſed *moto in ſtamine*; ideſt ad motum continentis. Comprobatur autem hæc expoſitio ex ipſa, qua vtitur Vates, præpoſitione *In*, quæ certè ſtatum denotat in loco, & clarè ideò indicat imaginem inſulæ affixam de ſe, & immobilem, ſtatum habere in ipſo opere textorio; ſed ſimul cum ſtamine moueri. *Stamen* verò, ſeù rectiùs, *Stamina* propriè dicuntur fila illa recta, quæ per pectinem textorium tranſmiſſa, ſtabilia ſemper in opere textorio remanent, & quibus alia, quæ ſubtegmina dicuntur, intexunt Opifices; vulgò *l'ordeimra*. Hic tamen pro tota ponitur tela, ſeu Veſte de qua ſupra per ſynecd. Participium *moto*, quod additur, non explico; nam à moueo eſt, verbo vtique notiſſimæ ſignificationis.

ET TRAHITVR. Ideſt Delos de qua ſupra, & in ſenſu vt ſupra; nam particula copulatiua *Et* vim habet huiuſmodi. Magis clarè verò hic explicat, Delum iſtam per ſe non moueri, dum *trahitur* inquit: nam, quæ trahuntur, ab extrinſeco, non ab intrinſeco mouentur: *trahere* enim eſt *per vim ducere*, licet aliquandò, vt hic, ſimpliciter *ducere* ſignificet; nullum enim violentiæ conatum experitur, qui Veſtem, & quæ Veſti inhæreant, circumferat indutus: atq; ex hoc planè confirmatur explicatio de Maculis in Luna, quæ ad motum ſcilicet corporis circumferantur.

CIRCVMFLVA. Circumfluum in duplici aſſumitur ſignificatione, nempè & pro aqua, quæ circum aliquid fluat; & pro eo, circum quod aqua fluit. Hic in ſecunda effertur ſignificatione, eo pacto, quo & videris vſurpatum ab Ouid. Met. 15. *Pandite nunc Muſæ præſentia Numina Vatum &c.*

Vnde Coronidem circumflua Tybridis alui
Inſula Romuleæ ſacris adſciuerit Vrbis.

quæcumque igitur Inſula *Circumflua* iure dicitur, quia circa eam fluant vndæ. Hæc autem *Circumflua* eſt

AVRATO PONTO. Hoc eſt circa eam Mare aureum extenditur. Si ad veſtem reſpicias, vides quàm pretioſam efficiat, nam aureis in vndis Delos emergit; quod eſt dicere, veſtem totam aureis filis in modum aurei maris fluctuare; atque in hoc mari phrygio ſudore elatam Delum emerſiſſe. Si myſtica ſpectes videas, quàm bene Orbis imaginem, ſub nomine Deli, ideſt maculas effingat in Luna, cum eas circum vndequaque aureum Lunæ corpus, ceù aureum mare circa terram exprimente circumagatur. Maculæ igitur imago terræ, per Delum, ſignificatæ: Oceanus terram, vel terræ imaginem ambiens Lunæ ſplendor aurum referens: ideò *Delos trahitur circumflua aurato ponto*. Vide quid eruditè magis, quid poeticè magis dignum metro, dici potuerit; ac mireris tanti, hoc loco, Vatis, non imparem rebus, magniloquentiam. Perpende obiter etiam, quomodo, hac deſcriptione, confirmet, quæ ſupra diximus, nempe Lunam, in ſenſu Poetæ noſtri, non eſſe prorſùs ſine lumine in ſe, dum ait *Brachia* nuda nitent; ſed adſcititium eſſe tamen aureum illum ſplendorem, quem habet in tenebris: nam Veſtis ad inſtar aureus ille ſplendor conſideratur; & certè Veſtis innata corpori non eſt, ſed adſcititia.

Venerem ex Maris progenitam ſpuma (vt ad mores deflectamus), quæ ſequitur, Anima ſciat, venereas voluptates, non diutius, quam ſpuma maris, conſiſtere: immò in ipſis citiſſimè maris amaritudines diſſolui. Breuis voluptas infinitam ſæpè iacturam parturit, &, cum anima, ſecundis, vt ſibi videtur, Zephyris, in concha enauigat Veneris; tunc ſibi naufragia nouerit imminere. Fugienda igitur Venus, ne eius obijciamur inſidijs. Hic itaq; documenta exhibet Vates, quibus facilè internoſcamus, quænam ſint Veneris, ac Veneri addictorum indicia, vt ab ea non ſolum, ſed etiam ab eiuſdem ſectatoribus, eadem pice inquinatis, facilè declinare poſſimus; qui enim, effœminato nimis luxu, mollibus veſtiuntur; qui totam redolent Arabiam; qui crines nunquam ſatis habent comptos; qui nullis, præterquam corporis cultui, laboribus vacant, otioſè ſemper ſpeculo indulgentes, ac ventri; hos porrò in Veneris ditione detentos arbitrari poſſumus iure, atq; ab ijs ſemper abſtinendum, ne eaſdem, quos ipſi, labes contrahamus: nec ad hos prorſus accedendum eſt, quamuis adſcriptricem habeamus ſapientiæ Palladem, atque incorruptæ cuſtodem virginitatis, Deliam; virtutem ſcilicet continentiæ: nam amare, & ſapere vix Deo conceditur, inquit moraliſſimus Seneca. Qui autem Veneri adhæreat Matri, quomodo Amorem filium euitabit? Proſerpina, Venerem ſequens, ne à Sapientiæ quidem Dea remoratur; ſed immò ipſa, impetu ſuo, ac Venerem ſequendi ardore, ſecum trahit & Palladem, & Cynthiam, ita vt *vtraq; Virgo ruat*. Et ruet profectò virtus omnis vbi Imperium animæ Venus obtinuerit: & licet Comites Animæ virtutes, ipſo corporis habitu, oſtentent, militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, in Typhonem exercendam; licet arma ſuggerant non deponenda, quamuis ſemianimis languęſcat noſtis; licet terroribus expolitam ſemper oſtentent Annam, quæ Oceano, dum Oceano natam ſequitur, ſe committat;

mittat; fruſtra tamen tenendum præmonent littus, fruſtra laboribus ſuadent incumbendum; fruſtra ab otijs, laſciuijſque fugiendum exhortantur: nam ſuperat Veneris maleſuada voluptas ita, vt non anima ſolum, Venereis addicta, trahatur; ſed ipſa ſecum virtutes ipſas in perniciem adducat; vel, vt tandem ab ijs, fruſtra interitum ab anima auertere conantibus, rapienda deſeratur, efficit ipſa. Ne deſeramus nos interim Muſam noſtram, quamuis diſſono obſtrepet clamore; nam, dum & hæc Veneres fugit, exultante alienis Venerem malis patefaciet.

Lieta nel cuor, che di ſue frodi il laccio
 Gl' habbi nuoua Colomba al carro auuinta,
 Gode, ch', ad infiammar l'Alme di giaccio
 Non ſia ſua face, ancor del tutto, eſtinta;
 E, la gran Preda al Predatore in braccio
 Al por di breue, occultamente accinta,
 Prima dell'altre tutte, affretta il piede
 D'Amor la Madre, oue l'inſidie han ſede.
Del vicino rapir gl'aguati, e 'l modo
 Diuiſando la mente, il tempo libra,
 Con che dal centro à penetrare il ſodo
 Del noſtro ſuolo il Rapitor ſi vibra:
 Del cinto virginal ſcioglierſi il nodo,
 Finge; e i moti del cuor ventila, e cribra:
 E, vinto il Prence, in vn trionfo eterno,
 Guidar, già pargli, il catenato inferno.
Catene intreccia, e ſi rauuolge in ſpire,
 Labirinti d'Amor formando in oro,
 Quel crin fatale; ond'all' imperio aſpire
 D'ogni cuor più ritroſo, aureo teſoro,
 Degl' error, ſenz'errori, al comparire
 Feſſi Dedalo vn' Ago, al bel lauoro;
 Ago crinal, che dall'Idalio lido
 Recâr le Gratie alla gran Dea di Gnido.
Gl'oſtri di Tiro in ſericana veſte,
 Che del fianco le neui aſconder goda,
 Fiammeggian tributarij: e le tempeſte
 D'vn roſſo mar la fibia d'oro annoda;
 Perch', in alto ſoſpeſo, iui s'arreſte,
 Ou'il ginocchio, al riuerir, ſi ſnoda:
 Opra e fù di Vulcan, che da i ſudori
 Hebbe del Fabro in don le gemme, e gl'ori,
Senza induggiar, ſenza frapor dimore,
 Sieguon poſcia le traccie, e van del pari
Erigone è il ſegno della Vergine nel Zodiaco. Lycaus Arcadiæ Mons olim Olympus dictus.
 Di Parrhaſia, e d'Athene ambe le Suore,
 D'Erigone, al candor, fregi più rari.
 Dell'Arcadico Olimpo hebbe l'honore
 D'eſſer quella Regina; ed à ripari
 Queſta d'Attiche rocche il manto ſpiega,
 L'Egide, il ferro, e'l ſuo valor v'impiega.
Queſta, di Marte, in perigli oſi agoni,
 Allori, e Palme alle ſue tempia inteſſe:
 Quella, del monte in horridi burroni,
 Coglie d'orſi, e pantere horribil meſſe,
 Armanſi entrambi; e l'vna, e l'altra, à i ſuoni
 Di tromba, e corno i guerrier ſpirti ereſſe;
 Queſta in martiali arringi; e quella in ſelue;
 L'vna in caccia d'Heroi, l'altra di Belue,
Chiude, nel terſo acciar d'elmo guerriero,
 La Dea dell'Armi attorcigliato il crine;
 E dell'empio Thifone il buſto altero,
 Di piume in vece, al lucido confine
 Del temuto metal s'erge in Cimiero,
 L'alta parte anterior gelide brine
 Strinſer di morte; e di lui l'altra, in ruote,
 Viua, ancor nel morir, s'agita, e ſcuote.
L'haſta, che di gran ſelua i tronchi accolti
 Vibrar raſſembra in vn ſol tronco vniti,
 S'inalza sì, che lacerati, e ſciolti Alluſio ad Nauticam. Vapor addenſatus nubes eſt.
 Gl'addenſati vapor reſtan ſcherniti.
 Lo ſcudo imbraccia, e di Meduſa i volti,
 Di ſtridenti Ceraſte ancor gueriti,
 (Perch'à volger in ſaſſo hor non s'adopre)
 Con ſopraneſte d'oro adombra, e copre.
Con più dolci ſembianze à i verdi ſmalti
 Onta ſà il piè; mà gli riſtora il volto
 Di quella Triuia, il cui decoro eſſalti
 In lei del maggior lume il faſto accolto:
 Febo in fronte gli ride, & à riſalti
 Di ſua luce l'adorna; indi, à quel molto,
 Che d'imago fraterna in lei ſi ſcorge,
 Se s'adori per Febo, il dubio inſorge.
L'occhio è d'Apol, d'Apol le guancie, e 'l viſo;
 Se non quanto più dolce i raggi ſcocca,
 Per aprir di delicie vn Paradiſo,
 Di donde, à nembi, ampio gioir trabocca.
 La rimiri ch'il vuol: gl' è à tutti auuiſo,
 Che ſia del biondo nume argentea cocca
 A raggi d'oro; e, che non ſia lo ſteſſo
 Del giorno apportator, ſul manca il ſeſſo.
Non dell'indica belua il dente è tale,
 Non d'arabico monte il bianco figlio, L'alabaſtro.
 Qual ſuela Triuia il ſuo candor fatale,
 Oue laſcia la veſte adito il ciglio:
 Ne al nudo braccio in morbidezza eguale
 Crebbe già mai nella via Lattea il giglio.
 Onde, s'il Sol con gl'ori ſuoi l'abbiglia,
 Non è ſtupor. Così 'l douer conſiglia.
Qual di Danae la pioggia, il crin, ſenz'arte,
 Reſo d'Aure ſcherzanti aureo diletto,
 Scende, del tergo ad innondar la parte;
 Qual, per cure maggior, pondo negletto,
 Pende ſcarico l'arco, e ſi riparte
 Con la corda fedel l'otioſo aſpetto;
 E da gl'homeri pur, racchiuſe l'ali
 In bel Turcaſſo d'or, pendon gli ſtrali.
Gortinia gonna vn duplicato cinto
 Gl'accoglie in falde, e la riſtringe al ſeno;
 Ne più, oltre al ginocchio, il lembo ſpinto
 Porge à Cothurne il campeggiar ben pieno,
 Ma, mentr'è, in moto, ad ondeggiar ſoſpinto
 L'Attalico lauor, ſcorgi non meno,
 Fatta, trà l'onde ſue, Delo vagante
 Nuotar faſtoſa, in vn mar d'oro, errante;

Sed ne, quæſo, & nos errabundam ſtylo ſequamur Delum; nam, licet aureis verſetur in vndis, periculis non caret ſuis. Et nollem equidem, vt aurum, in Midæ morem ſectantes, euſdem Midæ fortunam infœliciter aſſequeremur. Vela itaque contorquentes ad Cynoſuram reuertamur.

QVAS INTER &c. Deſcripto Dianæ, ac Palladis cultu, cum eas vinctis greſſibus incedentes expoſuerit; Mediam inter eas proceſſiſſe Proſerpinam h ſinuat; atque, ſicut cæterarum Dearum veſtes, & ornamenta deſcripſerat, ſic in præſenti euſdem Proſerpinæ Pompas, nec non ſuperbam veſtium ſupellectilem de-

Quas inter Cereris Proles, nunc gloria matris
Mox dolor, æquali tendit per gramina paſſu,
Nec membris, nec honore minor; potuitq; videri
Pallas, ſi clypeum ferret; ſi ſpicula Phœbe,
Collecta tereti nodantur Iaſpide veſtes,

Pectinis ingenio nunquam fœlicior arti
Contigit euentus: nulli ſic conſona telæ
Fila: nec in tantum veri duxêre figuram.
Hic Hyperionio Solem de ſemine naſci
Fecerat, & pariter Lunam, ſed diſpare forma,
Auroræ, noctiſq; duces: Cunabula Tethys
Præbet, & infantes gremio ſolatur anhelos;
Cæruleuſq; ſinus roſeis radiatur alumnis.
Inualidum dextro portat Titana lacerto,
Nondū luce grauem, nec pubeſcentibus altè
Criſtatum radijs. Primo clementior æuo
Fingitur, & tenerum vagitu deſpicit ignem.
Læua parte ſoror vitrei libamina potat
Vberis, & paruo ſignantur tempora cornu.

deſcribit, per hypotypoſim ingenioſiſſimam vtique; illamque, nulla ex parte, vel ſi pulchritudinem ſpectes, vel ſi decorum, maieſtatemque intuearis, vel ſi ornatum reſpicias, Deabus ipſam comitantibus cedentem oſtentat.

QVAS INTER &c. Mediam inter Dianam, ac Palladem, inceſſu graui procedentem, decore, ac maieſtate conſpicuam, & Deabus parem honore deſcripſerat Proſerpinam, eiuſdem quoque notans futuras calamitates;

QVAS. Relatiuum hoc eſt, Deas, de quibus in anteactis egerat, reuocans in mentem, nempè Palladem, ac Dianam.

INTER. Præpoſitio hæc eſt, quæ medium quoddam importat: & dicitur tàm de loco, quàm de tempore, immò & de Perſona. Hic denotat medium locum inter vtramque Deam a Proſerpina occupatum. Debuit præpoſitio certè caſui, cui deſeruit, præferri; ſed per Anaſtrophen poſtponitur metris, & elegantiæ gratia, ſic etiam Virg. Georg. 2.

Si non tanta quies iret friguſque, caloremque
Inter & exciperet Cæli indulgentia terras.

& Æn. 1. vbi ſic habet:

Miſcet agens telis nemora inter frondea Turbam
Spemque, metumq; inter dubij, ſeu viuere credant &c.

Sed in re nota non immorandum.

PROLES CERERIS. Quid Proles ſit, vidimus lib. pri. Carm. 122. Quæ etiam Ceres fuerit, eodem loco & alibi ſparſim docuimus. Vno verbo hic Proſerpinam deſignat.

NVNC. Aduerbium temporis eſt, idem hic ſonans, ac *ſecundùm præſentem conſiderationem; ſecundùm præſentem rerum ſtatum*; hoc eſt *ante raptum*.

GLORIA. Effectum attribuit cauſæ; nam *Gloria* eſt *iactantia* quædam, qua de benè à nobis, ac præclarè geſtis iure gloriamur. Proſerpina itaque dicitur *nunc gloria Matris*, idest cauſa, cur Mater gloriabunda exultet, iuxta dicta lib. 1. *Infecunda quidem; ſed cunctis altior extat*
Matribus, & numeroſi damnum Proſerpina penſat.
Ideò *gloria, decus, ornamentum, gaudium, corona*.

MATRIS. hoc eſt Cereris, ex qua progenitam nouimus Proſerpinam loco cit. lib. 1. Alludit igitur hic Poeta ad commune illud effatum: *Gloria Patris eſt Filius ſapiens*: Sic enim *Gloria* fuit Matris Proſerpina, dum *Superis* fuit; & *nunc* etiam, licet Venerem ſequens deſipere cœperit, cum hoc gloriabundæ Matri nondum innoteſceret. Sed

MOX DOLOR. Pulcherrima, mehercule, contrariorum expreſſio ſuccedentium, qua ad aliud effatum illud; *Extrema gaudij luctus occupat*; opportunè alluditur; & fugacitas terrenæ oſtenditur Gloriæ. *Mox*, hoc eſt *momentanea* temporis circumuolutione, breuiſſimâ vtique periodo, tranſiturâ, nam inſtabat Capiti periculum, ex quo Matris *Dolor*; Subintellige *mox futura*, vt replicatum aduerbium *mox* inſtantem exprimat Cladem, & partic. futura denotet euentus certitudinem. Hæc autem per ſynecd. reticentur, vt ex ipſa interciſione locutionis intercidendas noueris ad raptum moras. Porrò *Dolor* hic ſumitur in eodem ſenſu, quo accipiendum diximus nomen *Gloria*, ſed per oppoſitum. Vtrumque autem emphaticum agnoſces; nam ſumma Gloria, ſummus Dolor Proſerpina dicitur Matris, quaſi antonomaſticè, vt ſcias parem Gloriæ futurum dolorem, ita vt ſicuti Gloriâ Mater omnibus extabat fęlicior, ſic dolore miſerrima omnium eſſet adfutura. Per hæc autem correſpondet ijs, quæ dixerat lib. 1.

.... Raptuſq; ominis (heu cæca futuri!)

Eſt enim etiam hæc pathetica prorſus interiectio, ad mouendos affectus efficaciter euibrata. *Dolor* autem eſt, hoc loco, vehemens animi paſſio, angor, ac cruciatus ob malum præſens, ſeu ob infortunium acceptum grauiter excrucians.

TENDIT PER GRAMINA. *Tendere* eſt *iter habere*, &, in hoc ipſo ſenſu, ſcimus, vſurpatum fuiſſe à Virg. Æn. 1, vbi ait: *Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum*
Tendimus in Latium &c.

Motus autem per locum, ad locum ex præpoſitione *per* indicatur. At *Gramen* herba notiſſima eſt à gradiendo dicta, eo quòd geniculatis internodijs mirificè ſerpat, ac nouas identidem radices ſpargat, ac figat humi; quare, ea ſuccreſcente, campi mirum addenſantur in modum: vulgò *la Gramigna*. Ponuntur hic tamen Gramina pro herbis omnibus, quibus refertum eſſe Pratum poteſt, poſita ſcilicet, pro genere, ſpecie: & ponitur Gramen, pro Pratis ipſis, in quibus gramina vireſcerent, contentum ſcilicet pro continenti. Poteſt tamen & aliquo modo propria dici locutio; nam certè qui per prata deambulat, per eorum herbas pedem ducat, neceſſe eſt. Correſpondet autem per hæc Vates ijs, quæ de Ætna lib. 1. dixerat, viridantes ſcilicet Ætnæ radices eſſe, ex quo ſequitur, vt & vicina arua virore hic referta, pleno ore, deſignentur.

PASSV ÆQVALI. *Paſſus* propriè *menſura* eſt *illa motus*, quæ à pede, ante alium progrediente, delineatur; nam intercapedo illa, quæ, quaſi protracta linea, extenditur inter pedem remanentem, & pedem præeuntem *Paſſus* dicitur. Æqualitas autem, vnde deriuatiuum *æqualis*, & *æquale* ducitur, eſt propriè paſſio duarum quantitatum, quarum vna nec minor alia ſit, nec aliam excedat: hic non propriè ſolum, ſed & tranſlatè ſumitur. Propriè quatenus Proſerpinæ greſſus æqualem cum greſſibus aliarum Dearum ſeruaſſe dicitur menſuram. Tranſlatè quatenus hic oſtendere nititur Vates ſimilitudinem, ac parem omninò Maieſtatem, & Decus incedentis Proſerpinæ, ac cæterarum Dearum cum illa incedentium. Oſtendit enim, Proſerpinam, inceſſus maieſtate, licet non minori celeritatis contentione, Deas comites æquaſſe. Proprium namque Dearum erat, grauitatem in incedendo maximam, quantumuis properaſſent, ſeruare; ita vt perſonatam habitu Venatricis Venerem ex inceſſu cognitam fuiſſe aſſerat Virg. Æn. 1. vbi hæc habet,

Dixit; & auertens roſea ceruice refulſit;
Ambroſiæq; comæ diuinum vertice odorem
Spirauere: pedes Veſtis defluxit ad imos;
Et vera inceſſu patuit Dea.

Aptè igitur & Vates hic, per æthopeiam, mores imitatur; nam, cum Proſerpina, non minùs ac comites, ex Ioue nata eſſet, non debuit ſororibus, ac comitibus minor fieri, ſed, in ipſa acceleratione, Dearum morem, ac maieſtatem ſeruare.

NEC MINOR. Æthopeiam proſequitur, qua Proſerpinam, nec corpore, nec membrorum ſimetria, nitore, ac maieſtate, nec ornamentorum pompa, cæteris inferiorem oſtendat Dearum. Particula enim *Nec* coniunctio eſt, per negationem diſiunctiua, & ferè ſemper geminatur, vt hic, *nec membris, nec honore minor*. Si autem Minoritas remouetur, certè æqualitas remanet; vt ſupra de greſſu dixerat; *Minor* autem idem, hoc loco, eſt ac inferior.

MEMBRIS. Membrum, propriè loquendo, nil aliud eſt, quam ipſa caro artus tegens; vnde & *Membrana* dicitur eius ſuprema ſuperficies, nempe *Pellis*. Verùm *Membra* etiam pro ſingulis corporis partibus ſumuntur, vt eſt manus, pes, brachium, crura &c. Hic igitur membra ſumuntur prout partes ſunt totum componentes corpus: & aduerte, plura hoc ſolo nomine indicari, nempe ſimetriam, ac proportionem partium, tàm inter ſe, quàm reſpectu totius; Venuſtatem ſingularum partium; atque, hinc emergentem, totius corporis indolem, ac pulchritudinem, cutis videlicet nitorem, luminum viuacitatem, oris ſpeciem, vtique lectiſſimam, labiorum conchyliatos colores &c. Dum enim omnia membra diſtributiuè ſumenda indicat, in vnoquoque propriam illius ſuggerit perpendendam venuſtatem; atque his omnibus æqualem facit ſororibus Proſerpinam.

NEC HONORE. Particulam *nec* geminatam iam vides; & alterum ea effert hic membrum diſiunctionis; ita vt, ſicuti æqualem venuſtate corporis fecit, ſic iam faciat *Honore*. Honor in triplici ſignificatione ſumi poteſt; vel ſcilicet ita, vt idem ſit, ac *ſpecies, forma, pulchritudo*; &, ſi in hoc ſenſu ſumatur, explicitè gradum facit Poeta à venuſtate partium ad venuſtatem totius per diſpoſitionem, quam Rhetores vocant compoſitiuam. Vel ſecundò ita, vt idem

ſonet,

ſonet, ac *ornamentum*, quo ſub nomine, & veſtes, & mundus muliebris totus continetur: &, ſi in hoc ſenſu accipiatur, ſternit ſibi viam Vates, ad veſtium, ornamentorumq; deſcriptionem, quam mox eſſet peracturus: Vel denique tertio ſumitur pro decoro, ac compoſitione quadam morum, in qua nobilitas eluceat, & qua nobis honorem, hoc eſt reuerentiam, & obſeruantiam conciliamus; &, ſi ita ſumatur, non ſolum quo ad corpus, ſed etiam quo ad animi dotes, ritè adeò compoſitam aſſerit Proſerpinam, vt in ea nobilitas eluceat diuinitatis, qua ſibi, non minus, quam cæteræ Deæ omnium obſequia facilè concilliet. Hos, ego, ſenſus omnes complexum, arbitror, more ſuo, vt ad omnia vno reſpiceret intuitu eruditiſſimum Vatem.

ET POTVIT &c. Exactam adeò ſimilitudinem cum Deabus cæteris Proſerpinam præ ſe geſſiſſe, iam indicat, vt facilè in errorem inducere potuerit aſpicientes, ſi modò earum illi adiecta fuiſſent inſignia. Supra, aſſignans diſtinctionem inter ſimilia Dianæ, & Apollinis ora inquit.

. . . . Soluſq; dabat diſcrimina ſexus.

quæ tandem differentia eſſentialis eſt, licet non omnibus obuia. Hic, cum non adeſſet differentia ſexus, differentiam tantùm accidentalem, & quidem per extrinſecum accidens aſſignat. Quarè ſimiliorem, quam geminos fecerat, illam facit ſororibus, vt faciliùs, qui inſpexerit, decipiendum inſinuet fuiſſe. Particula igitur *Quo* pro *Et* explicatiua hoc loco eſt, idemque, atque *hoc eſt* ſonat: vt & alibi factum vidimus.

POTVIT. *Poſſum*, quaſi *Potens ſum* dicitur. Quarè, verbo *Potuit*, indicat Poeta, tantâ ſimilitudine cum cæteris cumulatam fuiſſe Proſerpinam, vt in proximâ potentiâ fuerit, ac diſpoſitione, vt crederetur Pallas, vel Diana, ſi alterutrius geſtaſſet inſignia.

VIDERI. Ideſt *exiſtimari, reputari*; nam verbum *videor* pro eodem ſumitur, ac verbum *appareo*: quod autem apparet tale, tale & facilè creditur ab ijs, qui apparentiæ fidentes decipiuntur.

PALLAS; Armorum ſcilicet, ſcientiarumque Dea, de qua ſupra ſatis, ac plura lib. 1. Carm. 229.

SI FERRET CLYPEVM. Conditio hæc eſt, quæ vna deficiebat, ne Pallas appareret Proſerpina; Pallas enim ſemper clypeata incedit, atque ideò nullam Palladis ſtatuam Clypeo carentem inuenies. Itaque particula *ſi* conditionalis eſt, quæ conditionalem efficiens propoſitionem, facit etiam, vt nihil affirmet, niſi purificata conditione. *Ferret* verbum eſt notiſſimæ ſignificationis, idemque eſt, ac *geſtaret* Clypeum. Clypeus maſc. vel Clypeum neut. generis (nam vtroq; modo in vſu eſt) in defenſiuis armis præcipuis enumeratur; & *ſcutum* propriè *maius* eſt, quo totum obtegitur corpus; eoq; pedites vtebantur, ſicuti equites minori: ex quo factum eſt, vt *ſcutum* ſimpliciter dicatur, quod equitibus deſeruiebat; *Clypeus* verò ſcutum illud, quod pedites geſtare ſolebant: Confunduntur tamen ſæpè Clypeum, & Scutum, ac promiſcue a Poetis præſertim vſurpantur. Aſt hic certè pro minori ſcuto aſſumitur; nam cum de Palladis Clypeo agatur, ſub cuius integumento Ciuitates, Prouincias, ac Regna protegi integra, Veteres dictitabant, certè de minori ſcuto hæc intelligi non poſſunt. Clypeus autem dicitur à *Clependo*, hoc eſt *ab ictibus furando* quem protegit: ſeù, vt alij malunt à *Cælando*, quia cælatis clypeos operibus exornare ſoliti fuerint antiqui, vt clare denotat Torquatus Hieroſ. Lib. Cantu 17. vbi, qui Clypeum Reginaldo comparauerat, ſic accepturum alloquitur.

> *In queſto ſcudo affiſa gl'occhi homai;*
> *Ch'iui da vooi Maggior l'opre vedrai.*
> *Vedrai degl' Avi il diuulgato honore*
> *Lunge preceſſo in lungo orto, e ſolongo;*
> *Tu dietro anco rimori, lento curſore,*
> *Per queſto della gloria illuſtre arringo.*
> *Sù tu te ſteſſo incita, al tuo valore*
> *Sia sferza, e ſpron quel, ch'io colà depengo &c.*

quæ autem cælato opere expreſſerit Faber, ſic ſubdit Torq.

> *Con ſottil magiſtero in campo anguſto*
> *Forme infinite eſpreſſe il Fabro dotto;*
> *Del ſangue d'Atio glorioſo anguſto*
> *L'ordin vi ſi vedea nulla interrotto;*
> *Vedeaſi dal Roman fonte vetuſto*
> *I ſuoi riui dedur puro, incorrotto;*
> *Stan coronati i Principi d'allore:*
> *Moſtra il vecchio le guerre, e i proſi loro &c.*

Sed hoc ipſum videamus in praxi obſeruatum in ipſa, omnium antiquiſſima, Vulcani officina; vbi, Veneris precibus, Fabrum emulcentibus, fabrefactum fuit Æneæ ſcutum; quod talibus deſcribit Poetarum Princeps Æneid. 8.

> *. . . . . Et Clypei non enarrabile textum.*
> *Illic res Italas, Romanorumq; triumphos,*
> *Haud Vatum ignarus, venturiq; inſcius æui*
> *Fecerat Ignipotens: illic genus omne futuræ*
> *Stirpis ab Aſcanio, pugnataq; in ordine bella.*
> *Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro*
> *Procubuiſſe Lupam; geminos huic vbera circum*
> *Ludere pendentes pueros, & lambere matrem*
> *Impauidos: illa, tereti ceruice reflexa,*
> *Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.*
> *Nec procul hinc Romam, & raptas ſine more Sabinas,*
> *Conſeſſu caueæ magnis circenſibus actis,*
> *Addiderat; ſubitoq; nouum conſurgere bellum*
> *Romulidis, Tatioq; ſeni Curibuſq; ſeueris &c.*

nam longum nimis eſſet hic omnia recenſere; cum totam Romanæ Hiſtoriæ ſeriem, eo effictam in Clypeo deſcribat Virg. *Ab hac itaq; cælatura Clypeum*, quaſi *cælatum*, aliqui dictum aſſerunt iſtud corporis munimentum. Clypeum igitur Proſerpina non gerebat, nam mollis erat nimis, ac delicata, vt tali pondere premeretur, ſicuti Proſerpinæ Nutrix latiùs aperiet lib. 3., vbi alumnam deſcribet laborantem, vt impari brachio Palladis clypeum ferret. Non inquam Clypeum geſtabat, cætera Pallas erat, non rigido armorum aſpectu aſperata. In quo laudes potiùs emicant Proſerpinæ, quam deprimantur; nam quæ Palladem æquaret ſpecie, ſuperabat lenitate. Myſticum tamen hic Poetæ ſenſum admiror. Quid enim eſt Clypeum à Pallade, non à Proſerpina geſtari? *Clypeus* ſapientiæ Ieroglyphicum, ac Prudentiæ fuit; ideoq; ab Antiquis Palladi ſcientiarum Deæ attributus. Proſerpina *ſine Clypeo*, hoc eſt *ſine ſapientiæ munimine* Venereis dolis exponebatur improtecta, cum ipſa, Charæ oblita Parentis, iam Venerem ſecuta Sapientiam, ac Prudentiam abiecisſet. Pallas itaque videri potuit Proſerpina, ſi *Clypeum geſtaſſet*, hoc eſt ſi Sapientiam, ac Prudentiam habuiſſet; ſed Virgo inſipiens à Pallade deficiebat.

PHOEBE, SI SPICVLA. Relege *Phœbe videri potuit, ſi ſpicula ferret*. Eadem igitur explicatio, quo ad illas particulas, relegenda hic. Quarè ſolum remanent explicandæ voces *Phœbe*, & *Spicula*. Phœbes nomine Diana inſignitur, eo quod *Phœbe* nil aliud ſonet, quam *ſoror Phœbi*. Hic igitur & Dianæ ſimilem omninò Proſerpinam facit, ſi accedat ſpiculorum geſtatio. *Spicula* verò dicuntur Lanceæ quædam breues, ſeù miſſilia tela: hic tamen pro eodem, ac *ſagitta* ſumuntur, de quibus ſupra. . . . . *Pendens poſt terga ſagitta*. . . nam *ſpicula* dicuntur etiam Mucrones ſagittarum. Quare ſi in primo ſenſu accipiatur, Genus pro ſpecie poſitum agnoſces; ſi in ſecundo, partem noueris poſitam pro toto per Synecd. Sed cur leuia hæc, & venatoria arma Proſerpinæ non tradantur, cum venatricis Deæ comes procederet? Sagitta ex *calamis*, paluſtribus videlicet arundinibus conficitur; quia autem ex ijſdem, & fiſtulæ fiebant, quibus tanta vis ineſſe dicebatur, vt furibundum hominem, compoſita modulatione, poſſent meliorem ad mentem reſtituere, poſuerunt Ægyptij arundinem pro reſipiſcentiæ Hieroglyphico. Sine ſpiculis itaque, hoc eſt ſine ſagittis incedat Proſerpina, vt ſine ea arundine progredi indicetur, qua in fiſtulam compoſita potuiſſet ipſa ad mentem reuocari, ac cuius mucrone infernus eminùs hoſtis potuiſſet arceri; Vno verbo ſine reſipiſcentia, nam, cum hæc improbè egiſſet, maternâ exiens, ſpretis augurijs, ac maternis monitis, domo, ac delirans ſe ipſam periculo expoſuiſſet, ne cumulatis quidem iterum ab Ætna prodigijs remorata, aut reſipiſcens; ſine ſpiculis procedat neceſſe eſt, vtpote ſola ex ſocijs peritura.

COLLECTÆ VESTES &c. Hic iam veſtes, & ornamenta Proſerpinæ deſcribit, vt comprobet, quæ ſupra dixerat, nempè neq; his inferiorem cæteris eam eſſe

VESTES. Quid Veſtis nomine importetur, iam vidimus ſupra, Carm. 33. quare hic tantum Ethymol. indico: Veſtis enim à velando dicitur, eo quod corpus velet, & obtegat: ſeù, vt alij volunt, a vellere deriuatur, nempè ab ouili lana, qua ſcilicet vterentur vniuerſaliter antiqui ad Veſtes conficiendas. Nec ideo viliores erant huiuſmodi veſtes; nam, antequam frequens adeò in vſu eſſet Bombix, ideſt ſerici elaborator vermiculus, Veſtes tamen ſericæ in vſu erant: immò ſericum dicitur id, quod ab hoc verme elaboratur, quia ſerica, quæ olim apud Seres Populos habebantur, vellera nitebant. Non ex ouili igitur tantùm lana Veſtes antiquitus

quitus

quitus conficiebantur; licet vt plurimum illa adhiberetur; ſed, apud Seres, Scythiæ Aſiaticæ Populos, quædam arbores fuiſſe dicuntur, quæ non folia tantum, ſed lanam etiam vtiq; tenuiſſimam, proferrent, ex qua Veſtes, ſericæ dictæ, contexerentur: immò, apud Æthyopes, ſyluas integras eiuſmodi arborum tenuiſſimas producentium lanas, extitiſſe ferunt, quas lanas *arborum canentem* appellarunt. Vtrumque autem attigit Virg. Georg. 2. his verſibus

Quid nemora Æthyopum molli canentia lana?
Velleraq; vt folijs depectant tenuia Seres?

Erant igitur ob hanc lanarum precioſitatem, ac tenuitatem precioſiores tunc veſtes, quam nunc ex Bombyceis viſceribus elaboratæ. Quarè, nil mirum, ſi & ipſæ Deæ ijs veſtibus vterentur.

COLLECTÆ, Gemmâ ſuſpenderat Veneris amictum; ideò vt altera Venus, quo ad pulchritudinem non ſolum, ſed etiam quo ad ornatus imitationem, eſſet, quæ Venerem ſequebatur, Proſerpina, ſuſpenſis gemmâ veſtibus incedens deſcribitur; vt, quæ animo Veneri cæperat adhærere, eam imitaretur & cultu. Criſpabatur gemino cinctu Dianæ Veſtis Gortynia; & criſpari collecta debuit Proſerpinæ veſtis, ne ſoror ſorori cederet; quod quam aptè expoſuerit Auctor, cognoſcas ex hoc vnico *collecta* verbo: nam *collecta* particip. vtiq; paſſ. eſt à verbo *colligo* deductum; *Colligere* autem eſt quaſi *in vnum redigere, & conſtringere*; ex quo ſatis declaratur, amplam alioquin, Proſerpinæ veſtem fuiſſe criſpatam cingulo, atque in complicationes vnitim redactam, vt corpori adhæreret; ſicuti & de Diana iam dix. Inſuper *veſtes colligere* dicimus, cum veſtem ad thalos vſque deſcendentem cingulo ſuſpendimus, & coarctamus ſuſpenſam, ne cruribus impedimento ſit ad celeritatem motus, quem peragere intendimus; vt item ſupra de Venere diximus. Quarè eruditiſſimè hoc verbo vſus eſt Vates, vt geminum complecteretur ſenſum ſuprapoſitum. Numero autem multitudinis pro numero vtitur vnitatis per Synecd. vt ex infraponendis patebit, vbi vnica tantum veſtis deſcribitur, non vero plures.

NODANTVR. Nodari idem eſt, ac nodis perſtringi, & colligari. Sic Virg. Æn. 4. ait

Cui pharetra ex humero; crines nodantur in aurum.

colligabantur itaque Proſerpinæ Veſtes, vt dictum eſt, ſuccinctæ.

IASPIDE TERETI, Partem ponit cinguli præcingentis pro toto cingulo, ſicuti ſuperius dixerat: *Gemmâ ſuſpenderat amictum*. Indicat enim etiam hic nodum, quo cingulum Proſerpinæ nectebatur, ſeù fibulam, vnica conſtantem gemma, quæ Iaſpis fuerit, Romanorum mores imitatus, apud quos hæc gemma maximè in vſu fuit, vt ex ea fibulæ conficerentur, vt Barthius teſtatur. Porrò Iaſpidis variæ ſunt ſpecies, adeoq; & varijs coloribus inſignitur. Iaſpis orientalis Smaragdo ſimilis eſt, ſed alba interſecatur linea, & mirum in modum memoriæ, ac eloquentiæ fauens dicitur. Hanc certè Iaſpidem non habuit Proſerpina, cum Charæ oblita parentis dicatur. Alia in Cypro conſpicua Iaſpis fuit, praſſino colore perlucens, hoc eſt viridi, croceoque admixta, dura admodum, & ingens. Apud Perſas in pretio fuit, aereo colore fulgens, Iaſpis &c. quæ fusè videre poteris apud Plinium lib. 37. Si tamen vim græci nominis, vniuerſaliter loquendo, obſerues, *ἴασπις* gemmam viridi coloris ſignificat; quarè Iaſpis erit, generaliter loquendo, gemma illa, quam nos Smaragdum vocamus, ſed pleno quodam, ac ſe ſe infuſcante referta colore, qualis illa fuiſſe dicitur, quam Nero, centum erogatis emit, talentis, eiuſdem effigie inſignitam. Sed cur altiùs ex Græco Poetæ eruditionem perſcrutari non libeat? ἡ adſpiratum apud Græcos, articulus præpoſitiuus fœminei generis eſt; vel, ſi adſpirationi accentum addideris circumflexum, ἦ aduerbium erit confirmandi, idem ſonans, ac *certè*. Cur igitur, ſub gemmæ vmbra, anagrammaticè locutum non dixerim Poetam, ita vt *Iaſpis*, ſeù *ἴασπις*, ab ipſo anagrammaticè ſumpta, idem ſit, mutata littera ι in η, ac ſi dixiſſet *ἡ ἀσπίς*, ſeu *ἦ ἀσπίς*, quod eſt *certè aſpis*, viperei ſcilicet generis ſerpens, vt tam inſigni Hieroglyphico, oſtenderet, *Aſpidem* certè ſinu exceptam fuiſſe à Proſerpina, cum, ſe Veneri credens, eiuſdem excepit conſilia; atq; exceptam hanc Aſpidem ab ea *gemmam* exiſtimari, quam gremio foueret dignam. atq; ideò eiuſdem exiſtimationi ſe ſe accommodans Vates gemmæ nomine hanc aſpidem appellauerit? Profectò, cum, fraude Dionæa, per viridantes gramine campos, ad Raptorem, Regemq; mortuorum deduceretur Proſerpina, vt Poeta ipſe aſſeruit; cumq; in omnibus Hieroglyphica perditionis ipſius, & auguria Vates adinuenerit, vt lib. 1. vidimus Cerealis domus ſtructuram explicantes, ac ſubinde telam Proſerpinæ diſcutientes, ac tandem hoc 2. lib.

Ter cardine verſo.
Præſaga cecinere fores: ter conſcia Fati &c.

Cur non & hic ſibi ipſi cohæreat auctor, per Iaſpidem indicans *ſerpentem*, ſinu exceptum à Proſerpina, cum Venereis ſinum illecebris aperuerit; & quidem *ſerpentem Aſpidem*, incantationibus, quæ à maternis monitis haberi poterant, aures obturantem, vt, infixo tandem dente, Proſerpinam *primam* efficeret *Cleopatram*? Non ambigendum arbitror, attenta eruditione Poetæ: Sed hanc immò ſententiam aſſerendam, atq; hoc in cauſa fuiſſe, cur Iaſpidem potiùs, quàm aliam adaptauerit gemmam, non dubito. Verùm ſi ſpreta eruditione, veram malueris Iaſpidem appoſuiſſe, aliud inſpice Ieroglyphicum. Viridis quidem Iaſpis eſt, ſed infuſcato colore nigreſcit, Symbolum profectò ſpei, quæ in viridi repreſentatur, ſed breui admodum perituræ, cum iam lugubria induere incipiat Syrmata. Sperabat Proſerpina, futurum vt Cælos digito attingeret, Ducem Venerem ſecuta: Sed breui ſpes erat interitura, cùm, ſe ad Tartara vehi, breui eſſet cognitura. Quaqua igitur circumſpexeris, plenam myſterijs gemmam agnoſces, plenam ſelectis eruditionibus Vatis elocutionem. *Teretem* autem gemmam dixit; nam Iaſpides, ſicuti etiam vniones, præcipuam, in perpolita rotunditate, laudem habent. Quare gemmam Dea dignam adſtruit, qui teretem faciat. *Teres* propriè dicitur quod longum, & rotundum eſt, ac quaſi Cylindri formam præferens; ex quo, & magnitudinem, & formam, atq; perpolitionem gemmæ non ſolum agnoſcere licet, ſed & aliud in his emicat Ieroglyphicum. Cylindrus enim paruulæ formam gerit columnæ: at quis neſciat columnas ſepulcris apponi ſolitas. Præſignificat igitur Gemma illa Teres, Proſerpinam ad ſepulcrum deducendam, dum, è viuentium theatro ad mortuorum Barathrum rapienda, ad commune mortuorum ſepulcrum properabat. Inſuper locum Athenis fuiſſe, referunt auctores Græci, *Ceramicum* appellatum, columnis vndequaq; frequentem, quæ in eorum memoriam erigebantur, qui pro Patria cecidiſſent. Patria Proſerpinæ Cælum fuerat, ipſaq; ſacrata inferis hoſtia, ne bello illi Cælum deuaſtarent; ideò Cylindrus illi ex Iaſpide congruè efformatus, vt ſciat ſe pro Patria immolari. Verum hæc ipſa non obſtant expoſitioni ſuprapoſitæ de ſerpente per Iaſpidem ſignificato; nam, & teres eſt ſerpentis corpus, & ſerpens ſphœras ipſas in mentem reuocat: cum, & in ijs Draco reperiatur.

PECTINIS INGENIO &c. Iam textoriæ artis, quæ memorata excelleret in veſte, induſtria exprimitur, atq; amplificatione exornatur. Ideò

EVENTVS. Quod caſu, & fortunâ euenit, propriè *euentus* dicitur. Sed interdum ſumitur pro eo etiam, quod quomodocumq; factum eſt, ſeù pro ipſo rerum exitu, vulgò *la riuſcita*. Et, quia, vt communiter dicitur, *exitus acta probat*, hinc eſt, vt Poeta ab exitu textorij operis, ideſt ab opere iam facto, quod nomine *euentum* exprimit, induſtriam collaudet texentis, *euentus* autem opus factum nominat, &, virtute duce, comite fortuna, operatam fuiſſe, ſic indicat, textricem.

NVNQVAM FÆLICIOR, *Nunquam* aduerbium eſt anteacti totius temporis excluſiuum, ſi præterito iungatur, vt hic; venturi autem, ſi cum futuro copuletur; idem enim eſt *nunquam*, ac *nullo* vnquam tempore. *Fælicior* verò comparatiuum, à poſitiuo *fælix* deductum, comparat opus textorium, quod præ manibus habetur, cùm omnibus, ſingillatim, ac diſtributiuè ſumptis, operibus eiuſdem generis, & nullum aſſerit præſtantiæ huius æquale; nam fælix dicitur, quod in ſuo genere, nil habet quod vlteriùs optet.

CONTIGIT ARTI. *Contingere* eſt *fortuitò euenire*, vt aptè verbum appoſitum nomine euentus correſpondeat: & ex his agnoſcamus, quam ſubtiliter, inſinuet, Poeta, proprijs viribus, tantum, aſſequi artem non potuiſſe, niſi obſecundaſſet, præcipuis fauens influxibus, Fortuna, quæ etiam in artefactis, vt in cæteris omnibus locum habeat. *Artem* autem pro artifice poſuit artem adhibente. Ars verò, hoc loco, eſt *habitus cum recta ratione factiuus*, hoc eſt aggregatum quoddam præceptorum ad vnum, idemq; opus exactè peragendum infallibiliter ducentium, & quibus artifex vtitur in operando.

INGENIO PECTINIS. Ablatiuum hunc eſſe cauſalem quis ignoret? Porrò *ingenium* à gignendo dictum *Natura* eſt vnicuiq. rerum ingenita: & quia à Natura vires cuiuſcumq;

eumq; rei perficiſcuntur, *Ingenium* hic pro viribus, & induſtria ponitur pectinis textorij; *Pecten* enim inſtrumentum illud textorium eſt, quo ſubtegmina ſtamini immittuntur; vel inſtrumentum illud, per quod deducta ſtamina diſtinguuntur à texentibus, ne illis error irrepat, & ſtantia ſuo quæq; loco ſtamina ipſa conſtituuntur. Ponitur hic tamen Pecten pro vtente, ſeu artifice, cui Pecten deſeruit: & ſic *Pectinis ingenium* nil aliud eſt, quam naturalis induſtria, præceptiuâ arte inſtructa, ac totis operans viribus.

NVLLI SIC CONSONA TELÆ &c. Explicat hic in quo conſiſtat textorij huius operis excellentia, & perfectio; & primum eam extollit à ſtaminis, ac ſubtegminis æqualitate: cum enim, quæ ex colo ducuntur ferè impoſſibile ſit, vt ſemper æquali ductu deducantur, ita vt, nulla ex parte, vel craſſiorem, vel tenuiorem ſortiantur flexuram; hinc eſt, vt, quæ æquali ductu protrahuntur ſemper, mirabilia ſint. Fila igitur illa, quæ modò tenuiori, modò craſſiori ductu, nentur, cum texuntur, telam quibuſdam quaſi ſcrobibus aſperatam reddunt; vulgo *ſpelata*; cum quæ craſſiora ſunt, præ cæteris, emineant, quæ tenuiora, præ cæteris deprimantur, & maxima telæ fiat inæqualitas. Splendorem itaq; primo loco, huius telæ deſumit Vates ab æqualitate, qua ſcilicet fila omnia ſibi inuicem correſpondeant, nullatenus diſcrepantia. *Nulli telæ*. Qui totum dicit nihil excludit. *Nullus* terminus eſt ſincategorematicus vniuerſalis negatiuus, qui ſcilicet negat omnia, & ſingula ea quibus apponitur. Cum itaq; hic *telæ* apponatur de omnibus, ac ſingulis telis, hac vna exceptâ, prænotatam negat æqualitatem fuiſſe in illis reperiendam, atq; adeò hanc ſuper omnes telam extollit. *Tela* autem dicitur quidquid, texendo, conficitur, præſcindendo à diuerſitate materiæ, quæ contexatur, vel enim linea, vel lanea ſit, aut ſerica, ſeu aurea, *tela* eſt quidquid opus textorium eſt. Quare ponitur hic genus pro ſpecie, cum certè comparatio fieri debeat cum telis eiuſdem ſpeciei, cum ea quam Diua geſtaret. *Nulli* itaq; *telæ*

FILA SIC CONSONA. Subintellige *fuêre vnquam*, quod per Synecd. fig. reticetur, nam ſatis ex contextu patet, quid ſubaudias. Filum eſt quidquid, trahendo, ducitur ex colo, & contorquetur in vſum textoriæ artis. Ideò *fila* quibus hæc tela conflatur, vel his ſaltem ſimilia nulli vnquam fuere telæ, aut *ſic conſona*. *Sic* aduerb. ſimilitudinis eſt, idem ac *ita* adeò &c. *conſona* idem ſonat, ac *congruentia, ſimul concordantia, & æqualia*: Vulgo *confacenole*, quaſi *inuicem copulata vnum quid perfectiſſimum efficientia*. Translatio eſt à Conſonantia fidium in Cytharis deducta. Heinſius legendum hoc loco eſſe contendit. *Nulla ſic conſona telæ Fila duxere &c.* Non video, cur à vulgata recedamus.

NEC DVXERE &c. Phrygio more picturatam fuiſſe Proſerpinæ veſtem hic præmonſtrat fuſiùs in ſequenti explicaturus; nam, hoc loco, viam tantummodo ſibi aperit ad deſcriptionem figurarum.

NEC, Sub antepoſita particula *Nulli* primum poſuerat membrum diſiunctionis, qua partes telæ accuratiùs eſſet inſpecturus. Iam verò mediante particula diſiunctiuè copulatiua *Nec* ſecundum ſubijcit membrum ad picturam ſpectans.

DVXERE. Fila nempè ſupraposita, queis hic tela phrygio opere conſtructa dicitur, *Duxêre*. Verbum hoc eſt notiſſimæ ſignificationis; ſed ex additis transfertur, hoc loco, a propria ſignificatione in alienam; ijs enim efficitur, vt ſignificet idem, ac *exprimere*: nam *ducere figuras in verum*, eſt ita figuras exprimere, vt viuentes, operanteſq; eſſe videantur in telis.

IN TANTVM VERI. Modum ſequitur nominis partitiui; ideò adiectiuo *tantum*, ad modum ſubſtantiui, vtitur, cuius dependens genitiuus fiat ſubſtantiuum illud *veri*, quod idem, ac *veracitatis* eſt. Senſus itaq; eſt ea Fila figuram expreſſiſſe tanta pollentem viuacitate, ac ſimilitudine cum rebus expreſſis, vt nec vita, nec actio figuris ipſis deeſſe videretur in telis: vt autem in metaphorica perſiſtat locutione, & verbo *duxere* ſequentia reſpondeant, præpoſitione vtitur *In* motui ad locum deſeruiente iuxta exigentiam verbi.

FIGVRAM. Plures figuras, in deſcriptione telæ, perlegemus appoſitas, Quare, *figuras*, non *figuram* legendum eſſe, clamitat Heinſius. Verum non video, cur non potuerit Vates numero vnitatis vti per Synecd, loco numeri multitudinis, ideo non altercandum arbitror. Porrò *figura*, ſi propriè ſumatur, eſt ipſa ſpecies, ac forma humana, à fingendo dicta, atq; vt notat Auſonius, *figura* eſt circa geſtum, & ſitum membrorum potiùs, quam circa aliud corporis ornamentum. Ex hoc tamen ſumpta proportione *figura* etiam dicitur repreſentatio illa, quæ per picturatas imagines habetur, quia ſcilicet humana corpora v. g. iuxta proprium membrorum ſitum, immò & eorum geſtus, actioneſq; exprimuntur. Et in hoc ſenſu profectò hic.

HIC HYPERIONIO &c. Patefacta iam ad deſcriptionem via, eam, per hyppotipoſim aggreditur, ac figuras omnes, quæ graphicè in veſte illa expreſſæ fuerint, delineat, & oculis ſubijcit, fælicior ille ſtylo, quam textrix acu.

HIC. Aduerb. ſtatus in loco, quòd idem, hoc loco, ſonat, ac *telâ*, ſeu *veſte in iſta* qua Proſerp. induitur.

FECERAT NASCI SOLEM. Proſerpinam peritiſſimam textoriæ artis, ac præcipuè vbi de phrygijs operibus perficiendis ageretur, iam vidimus, lib. 1. circa finem, vbi, inſignibus dantem operam telis, eam contemplabamur: dum itaq; *Fecerat*, inquit Vates, nullo alio agente memorato, ſatis apertè opus manuum Proſerpinæ hanc ipſam aſſerit Veſtem. Ideo ipſa *fecerat naſci*; hoc eſt *naſcentem expreſſerat Solem*. Naſci autem eſt ex vtero matris primò in lucem prodire. Effinxerat ergò illa, ſeù hac ſua in veſte acu pinxerat Solem naſcentem, ac languida adhùc vagientem Luce. Aſt *creatum* inquies, non *natum* ex ſacra nos Geneſi habemus Solem. Optimè profectò; ſed hoc non obſtat, quin Poeta, poeticis cum fabulis loquens, Solem naſci faciat. Quid autem ſit Sol, nullus ignorat; eſt enim Cæli Luminare maius, Planetarum Princeps, temporum diſpenſator, diei, noctiſq; Auctor, & dictus *Sol* quaſi *ſolus*; primò quòd vnus ſit, non plures; ſecundò, quia, eo apparente reliqua omnia ſydera deliteſcunt, vt ſolus ille imperet Cælo. Verum, quia multa de hoc Sole à fabulis ingeruntur, quas attinget Poeta, Nos, quæ ipſe attigerit, explicabimus in progreſſu. Hunc *fecerat naſci*

DE SEMINE HYPERIONIO. Solem, & Lunam, ſeu, quod idem eſt Cynthium, & Cynthiam natos, iuxta quorundam opinionem, ex compreſſa à Ioue Latona, lib. pri. iam vidimus, Carm. 106. Quia tamen error eſt *Solem* dicere *natum*, vt mox vidimus, nil mirum, ſi & errent, & diſcrepent inter ſe Fabularum inuentores, dum in aſſignandis eorum parentibus non concordant. Sicuti igitur Claudianus vnam ex fabulis, natiuitatem Solis, ac Lunæ enarrantibus, attigit lib. pri. ſic aliam in præſenti attingit de eadem origine fabulam. Dicunt itaque aliqui, inter quos Heſiodus in Theogonia, Solem, ac Lunam ex Thia matre, Hyperione Patre, ortum duxiſſe. Heſiodi autem carmina, de hoc ortu, græcè conſcripta ſic transfert Mythologia Nat. Com. lib. 5. Cap. 17.

> *Thia parit Solem magnum, Lunamq; nitentem,*
> *Auroram, quæ fert lucem mortalibus almam,*
> *Calicolesq; Deis cunctis, Hyperionis almi*
> *Semine concepit, namq; illos Thia decora.*

Homerus tamen Solem, Lunam, & Auroram ex eodem quidem natos autumat Hyperione, ſed matrem variat; non enim Thiam, ſed Euryanaſſam Hyperionis ſororem eorum facit matrem. Fuit autem Hyperion, vt Diodoro placuit, Cæli, Opiſq; filius, Saturni frater, qui, eo quòd primus Solis, ac Lunæ cæterorumq; ſyderum motus obſeruauerit, alioſq; edocuerit, eorum eſt parens creditus, ac deprædicatus. Alij tamen dicunt Hyperionem terræ filium, & ex Gigantum numero fuiſſe: Alij Cælo natum dictitant: Alij Titanis, à quo Titanes omnes nominati fuerint, Prolem aſſeuerant; qui tamen cum cæteris Titanibus, aduersùs Iouis Imperium, minimè conſenſerit, ſed potiùs Iouis ſecutus fuerit partes; ideoq; ab ipſo Ioue, poſt partam de Titanibus Victoriam, corona, curru, alijſq; honoribus inſignitus, donatuſq; ex hoc itaq; natum ferunt Solem, qui ideò & ipſe *Titan* patronimico nomine appelletur. Sic interiùs Auctor noſter.

> *Iunalidum dextro porta Titana lacerto.*

ſic Virg. Æneid. 4. eodem nomine Solem appellans ait.

> *. . . . . . . Vbi primos Craſtinus Ortus*
> *Extulerit Titan, radijſq; retexerit orbem.*

Sed & Hyperion, & Hyperionides à Patre etiam Sol ipſe vocatur, ſicuti ab Auo Titan.

DE SEMINE, *De* præpoſitio ponitur, hoc loco pro *ex*; nam, Phyloſophico more, loquitur hic Vates: cùm enim triplicem Phyloſophi aſſignent materiam, nempè *In qua*, *ex qua*; & *circa quam*; Semen in vtero receptum à matre, ſi conſideretur reſpectu actionis efformatiuæ virtutis, erit *materia in qua* ipſa actio efformans ſubiectetur: Si conſideretur reſpectu virtutis efformatricis eiuſdem Matris, erit *Materia circa quam* illa operatur: Si verò conſideretur reſpectu fetus, *materia* erit *ex qua primò* fætus ipſe conſtituitur, & in hoc vltimo ſenſu certè ſemen conſiderare hic debuit

Poeta

Poeta. Quid verò ſit ſemen vidimus lib. pri. Carm. 249. Aſt hic ſemen præciſè viuentium importatur, quod græcè *σπέρμα* à verbo *σπερμαίνω*, quod eſt ſemen emitto, ac genero; vnde & *σπερματῖτις* vena ſeminalis dicitur; & *σπερματίζω*, ideſt ſemen efficio. Eſt autem hoc ſemen purior ſanguis, qui in venis genitalibus candorem, & viſcoſitatem, dum concoquitur, ac depuratur, acquirit, & in ſemen commutatur aptum ad propagandam ſpeciem. Ideò *naſci fecerat de ſemine*

HYPERIONIO. Nomen hoc poſſeſſiuum eſt ab Hyperione, ex quo deciſum fuerat, & cuius fuerat ſemen, ex quo Solem ferunt ortum duxiſſe: quare idem eſt, ac ſi dixiſſet *de ſemine* Hyperionis. Alludit autem hic ad ſententiam Diogenis, & Hyponis Metapontini, qui liberos ex ſolo Patris ſemine concipi aſſeuerabant, matremq; paſſiuè tantùm concurrere opinabantur.

ET PARITER LVNAM. *Et* copulat; ac *pariter* aduerbium ſimilitudinis, & æquiparantiæ eſt. Quare ſenſus erit: *Pari modo, ſeu eodem modo, effinxeras naſcentium Lunam ex eodem ſemine Hyperionis ortam, & quidem primo Phœbi lumine vix vnidam.* Scias itaq; aliquos fuiſſe, qui crediderint, quoddam fuiſſe tempus, quo nondum nata eſſet Luna, poſt Orbis conſtitutionem; immò eam, longè poſt Solem, natam fuiſſe arbitrati ſint. Quin immò Arcades ſe ipſos, Luna antiquiores, iactitabant, vt clarè inquit Apollonius, cuius græca Carm. latinitate donata, hæc ſunt.

Arcades at Sole fuerant olim; Arcades illi
Qui, Lunam ſuperare, ferunt, ſe, tempore, & annis.

quapropter Arcades illos etiam Ariſtot. *Proſelenos*, quaſi *antelunares*, nominauit. Hoc poſito, certè neceſſe fuit, Lunæ tandem apparentis origo indagaretur. Quare aliqui dixerunt, eam non Solis ſororem, ſed filiam eſſe, ideòq; & *Phœben* patronimico nomine dictam. Alij cum Homero Filiam Pallantis cuiuſdam autumant: Alij Iouis ex Latona, vt lib. pri. cit. vidimus; & dictam *Phœben*; non patronimico nomine, ſed fraterno, eo quod à Phœbo fratre lumen accipiat; ex quo factum etiam, aſſerunt, vt Lunæ currus, ſicuti & Soli, tribuatur, iuxta Virg. Æn. 10. vbi habet.

Iamq; dies Cælo concesserat; almaq; curru
Noctiuago Phœbe medium pulſabat Olympum.

licet, ob ſexus inferioritatem, bigis vectam ferant, vbi Sol quadrigis vtatur, vt habet Manilius lib. 5. rerum aſtronomicarum, vbi ſic

Quadriiugis & Phœbus equis, & Delia bigis.

Alij verò, cum Heſiodo cit., Lunam Hyperionis filiam, ſicuti & Solem, faciunt: atq; ad hanc ſententiam reſpiciens Auctor hic: *Lunam Hyperionio de ſemine naſci fecerat*: inquit. Quæ omnia per aduerb. *Pariter* ad vnguem importantur; cum, vt dix., parem eſſe dicat Solis, ac Lunæ natiuitatem, & quo ad originem, & quo ad originis auctorem: non diuerſam, vt alij.

LVNAM. Luminare illud minus eſt Luna, quod vnà cum maiori creauit Deus ab initio Mundi; cum ſcilicet, vt ex ſacra Geneſ. habemus, fecit Luminare maius, vt præeſſet diei; & Luminare minus, vt præeſſet nocti. Primum itaque inter Planetas, poſt Solem, locum obtinet Luna, noctis præſes, quare & Noctiluca dicitur. Hæc, ſeptenarijs ſui luminis diſpenſationibus, vices, ſempiterna lege, variando, diſponit; nam primis ſeptem diebus dimidiata ſemiorbem oſtentat; ſecundis autem ſeptem diebus orbem complet, & Plenilunium fit: tertio ſeptenario iterum in dimidiatum orbem reducitur: quarto deniq; interlunium fit, & Luna ſilens, ſeù dies ſilentis Lunæ appellatur; cum ſcilicet totius fit Lunæ cum Sole coniunctio. De hac igitur poeticis obtecta inuolucribus, loquitur Vates, iuxta explicationes iam datas.

SED DISPARE FORMA. Congruere cum ortu Solis ortum Lunæ, quo ad originem ab eodem Hyperione, ſupra inſinuauerat Vates. Iam verò, licet ex eodem ſemine naſcantur & frater, & ſoror, diuerſam ſortitos indicat ſpeciem; & quidem iure: nam primo Sol lumen ex ſe ipſo habet, & à ſe productum diffundit: Luna verò, vt dix. ex ſe lumen, non niſi modiciſſimum, habere poteſt, ſed illud à Sole recipit, &, receptum à fratre lumen reflectens, impertitur: ſecundo in lumine Lunæ non habetur manifeſtus, vt in Sole calor, ſed occultus quidam potiùs tepor eſt, vt notat ex Macrobio Parrhaſ. tertio Globus ſolaris ſemper eamdem ſeruat formam, luminibus vndequaq; coruſcantibus; Luna verò modò exilis inſtar lineæ, modò dimidiata, modò plena apparet, modò omni prorsùs carens luce, vt iam vidimus: ex quo anſam arripuit Homerus dicendi Lunam Veſtes aliquandò ſplendidas induere; aliquandò exuere, & ſordidatas aſſumere; ita vt, veſtibus hiſce ſordidatis quaſi polluta, neceſſe ſubindè ſit, vt in Oceano lauetur; antequam ſplendidas iterum aſſumat Veſtes. Quod ipſum apertè teſtatus videtur etiam Ouid. Metam. 15. ſic:

Nec par, aut eadem, nocturnæ forma Dianæ
Eſſe poteſt vnquam: ſemperq; hodierna ſequente,
Si creſcit, minor eſt, maior ſi contrahit orbem.

Adde, Lumen Solis ſemper viuaciori ornatum ſplendore; Lumen verò Lunæ remiſſius, ac lenius eſſe, vt ſatis patet conſideranti. Itaque *Sed* coniunctio ex aduerſo diſcretiuam diſtinctionem notat, & diſparitatem. *Diſpar* autem dicitur quidquid inæquale, vel diſſimile ab altero eſt: quarè, cum Luna, tot, ſupra enarratis, conditionibus, differat à Sole, ideò diſparem dicitur habere formam: *Forma* enim figura eſt, ſeù facies vniuſcuiuſque: & ex facie præſertim attenditur ſimilitudo, vel diſſimilitudo. Quod ſi *formam* ſumas phyloſophycè pro *ipſa eſſentia*, ſeù *quod quid erat eſſe rei*; etiam quo ad eſſentialia differre Lunam ſenties a Sole; nam Lumen habere ex ſe ipſo, & non habere ex ſe ipſo, ſed ab alio participatum, differentia eſt eſſentialis. Sed dices: Si ſola ſpecies, ſeù facies attendatur iam ſibi contradiceret Vates, qui ſuperiùs dixerit

. . . . Phœbiq; genas & lumina Phœbi
Eſſe putes. . . . . . .

Verum attende, Poetam non dixiſſe *eſſe noſces*, ſed *eſſe putes*, quod apparentiam tantùm non realitatem importat eſſendi; atque ideò cum ſimilitudine omninò apparenti optimè ſtare poterit differentia, & differentia eſſentialis, licet non adeò obuia obiter conſiderantibus. Inſuper aliqui Lunam Hermaphroditum cenſuere, Solem verò marem, quæ altera erit, iuxta ſabulas diſtinctio per eſſentiam. Sed quid vlteriùs protendor? Differentias inferiùs declarabit Auctor ipſe, ac nos, explicantes, ea, quæ hic prætermittuntur, opportunè recenſebimus.

AVRORÆ NOCTISQVE DVCES. Heinſius, ſicuti in ſuperiori carmine lectionem immutauit, & legit

Fecerat, & pariter, forma, ſed diſpare, Lunam.

ſic in præſenti carmine legendum aſſerit *Vices*, non *Duces*. Verùm ſicuti prima mutatio nihil innouat: niſi fortaſſis quo ad pleniorem carminis ſonum: ſic ſecunda hæc immutatio non video cur adſtruenda ſit, cum potiùs vulgata importet officium tàm Solis, quàm Lunæ, & vices ſatis habeantur expreſsè in verbis *Auroræ, noctiſq;* Præcipuum itaque Solis, ac Lunæ munus, & finem ad quem conſtituti fuerint iſtiuſmodi Planetæ, iuxta præcitatum Geneſ. tex. attingit Poeta. Sed videri fortaſſis poteſt incongruè locutus Poeta, cum dicat Solem Auroræ ducem, vbi tota Poetarum claſſis, Auroram Solis ducem, ac prænunciam eſſe teſtantur: Aurora enim ex communi Poetarum Dea eſt Tithonis coniux, quæ, quia virum habeat ſenem, relicto cubili, ortum Solis anteuertit. Verum non accipit Auroram Poeta, ſecundùm quod iuxta fabulas eſt; ſed ſecundùm veram eiuſdem Auroræ eſſentiam; Aurora enim nihil eſt aliud, ſecundùm ſe, quam prima diei lux, qua ſub Solis ortum aer illuſtratur; & ideò Filia Solis ab aliquibus Aurora dicitur, quia verè lux diurna, quæcumq; tandem illa ſit, a Sole prouenit. A quo autem lux ducatur ad illuſtrandum orbem, niſi ab ipſo fonte, à quo inſeparabiliter emanat, ita vt ſine ipſo conſeruari nequaquam poſſit, & ſubſiſtere? Adde Auroram primam verè eſſe diei partem: quarè hic per Synecdochen Aurora pro tota ponitur diei ita vt idem ſit dicere *Dux Auroræ*, ac dicere *Diei Dux*: in quo nulla eſt difficultas; cum præſertim apud Græcos Ἠὼς, hoc eſt prima Lux, & Ἡμέρα, hoc eſt dies, pro eodem promiſcuè ſumantur. Auroræ itaque

NOCTISQVE. Quid ſit nox iam vidimus lib. 1. Carm. 112., & fuſiùs etiam Carm. 275. Hic etiam nox ipſa, non iuxta fabulas, locis cit. explicatas; ſed iuxta veram eius eſſentiam aſſumitur. Nox itaque, hoc pacto ſumpta, nil aliud eſt, quam terreæ molis vmbra, quam tellus, deſcendente infra Horizontem Sole, proijcit vndequaq; omnia infuſcans, & obtenebrans; cum autem non aſcendat ſupra Horizontem Luna, quin Sol infra Horizontem deſcendat, factum eſt, vt terræ vmbra Lunam dicatur ſequi aſcendentem, atque ideò Noctis dux eſſe dicitur Luna: & inſuper quia ſolùm lucet in nocte, ita vt ſemper ſecum tenebras adducat, neceſſe ſit

DVCES. Ducis nomen communis generis eſt; idcircò & Soli, & Lunæ potuit accomodari; cum autem duo ſingularia pluralitatem faciant, plurali numero effertur: ſed

iæ, vt quæ maſculei generis eſt ad Solem referatur, quæ generis fœminei, ad Lunam; ita vt idem ſit, ac ſi dixiſſet: Iuſſerat naſci Solem Diei ducem, & Ducem noctis Lunam. Ex quo etiam vides quam meritò *diſpari forma* & Solem, & Lunam dixerit efformari. Porrò dux eſt qui, vel quæ ducit, ac quaſi prædem ſe viæ alteri præſtat.

CVNABVLA TETHYS &c. Naſcentibus incunabula certè erant adaptanda. Quarè Poeta Tethym, hoc munus, exequentem, expreſſam memorat in telis. Sed cauſa huius figuræ remanet indaganda; nec enim, ſine fundamento eruditionis, hoc poſuiſſe dicendus eſt eruditiſſimus Vates. Quarè, vt cauſam huiuſmodi aſſequamur, indagandum primo quænam ſit

TETHYS. Heſiodus, in Theogonia, eam Terræ filiam facit; nam, terræ ſobolem enumerans, inter alios fœtus, *Χρυσορρόαν, καὶ Τηθὺν* recenſet. Alij verò eam Cælo, & Veſta progenitam, ſororem Saturni annunant. Alij, cum Ouid. Faſt. 5., eam Titani filiam fuiſſe, tradunt: & ſic cecinit Ouid. cit.

Duxerat Oceanus quondam Tytanida Tethym.

Sed, quibuſcumq; tandem parentibus ortam, eam certè Oceani coniugem, Fluuiorum, Nympharumq; matrem, communis aſſerit opinio; immò Deorum omnium creditam fuiſſe Nutricem, teſtatur Barth. Quo poſito, habes iam, cur Vates Tethym inducat, ad præſtanda Soli, ac Lunæ incunabula. Et primò quidem, (præſcindendo etiam ab eo, quod fuerit Deorum omnium Nutrix) ſi hæc Titania fuerit, ad quam Nympharum magis, quam ad Titaniam ſpectaret Titaniæ ſtirpi incunabula præparare? Congruentiſſimè profectò conſanguineorum moribus morem gerit Poeta. Et ideò fortaſſis Inſula Delus Aſylum infantibus præbuit, cum Iuno & ipſos perſequeretur, & Matrem, quia, in Titaniæ poſita ditione, violari nequaquam potuit. Si Titania Tethys non fuerit; memineris, Solem, & Lunam in Delo inſula ortum habuiſſe, vt dix. lib. pri, nam ex hoc conſtat, nullius magis proprium fuiſſe, quam Deæ maris, munus incunabula ſuppeditandi. Adde, Poetam hic, iuxta communem vulgi opinionem, locutum; nam, cum Sol quotidiè & oriatur, & occidat, & pariter ſingulis noctibus Luna; dicitur Sol mergi in Oceano, cum occidit; emergere, cum oritur; & idem dicitur de Luna, quæ eumdem ſucceſſiuè cum fratre peragat curſum. Cum itaque ex Oceano naſci quotidiano ortu, Sol, & Luna dicantur, aptè Tethydem, Oceani vxorem, illis incunabula præbentem inducit. Et hæc iuxta fabulas, & communem loquendi modum. Sed altiora reſpicit Vates, & phyloſophicis innititur fundamentis, eorum ad opinionem reflectens, qui Cælum aqueum poſuêre, ac ſydera, inſtar Piſcium, natantia, in hoc cæleſti Oceano, diuagari aſſeruerunt; cum enim Tethya nil tandem aliud ſit, quam aqua elementaris, ſeù ipſa aquei moles elementi, fabuloſâ Deitatis laruâ in ſcenam prodiens perſonata. Certe in prima ſui creatione & Sol, & Luna ex hac Tethyde Incunabula aquea receperunt, ſi Cælum, in quo creati fuerint, aqueum ſit: atq; adeò eruditiſſimè inquit Vates: *Tethys*

PRÆBET CVNABVLA. Præbeo verbum ex *præ*, & *habeo* compoſitum, idem eſt, ac *do*, & exhibeo; nam, qui aliquid *præbet*, certè illud præhabeat neceſſe eſt; nemo enim dat quod non habet. *Cunabula* verò lectuli illi dicuntur, in quibus iacêre, & ſubdormire ſolent infantes, notiori nomine cunæ. Scio equidem, aliquos, inter *cunas*, & *cunabula* diſtinctionem agnoſcere; dicunt enim *Cunas* eatum illud eſſe lignum, & nudè ſumptum, in quo lectuli infantiles ſternuntur: *Cunabula* verò eſſe, quæ ad cunas inſtruendas, exornandaſq; pertinent. Verùm hanc diſtinctionem iam neglectam cerno, cum promiſcuè *cunabula* pro *cunis*, & vice verſa, viderim communiter vſurpari. Quandoq; etiam *Cunabula* vocamus puerilem educationem; vnde locum cunabulorum appellamus eum, in quo ſumus educati. Interdum etiam ſumuntur pro origine, ac primordijs deſcendentiæ, aut pro viuendi principio: quarè apud Virg. Æn. 4. legimus.

Mons Idæus vbi, & Gentis cunabula noſtræ.

omnes autem huiuſmodi ſignificationes vnico *cunabulorum* vocabulo, de more complexus eſt Vates: nam, ſi *cunabula* ſumantur pro loco, in quo ortum habuimus, cum Delus inſula, patrius natalium locus, Phœbo, ac Dianæ aſſignetur ſorori; atque hæc inſula ex Oceano emerſerit, vt lib. pri. Carm. 106. iam vidimus, infantes exceptura; certè *præbuit Cunabula Tethys*; cum hæc vxor Oceani fuerit, ac per conſequens Maris arbitra. Si pro origine adſtent *cunabula*, certè Sol, & Luna, vtpotè Titanij Hyperionis filij, non niſi in Titanio regno originem habere debuerunt: aſt Tethys, vt vidimus Titania eſt, ergo decuit eos in Tethydis regno originem ex Titanibus habuiſſe. Si pro ferculo ex lignis, vel alia pretioſiori materia excauato *cunabula* vſurpentur; memineris aureum torum à Vulcano fabrefactum, vt nonnulli fabulantur, in quo dormiens, cum ad Oceanum defeſſus diurno itineris labore Phœbus diuertiſſet, ab occidente in ortum enauigaret; quod Lunæ etiam accomodatum intelligere debemus, nam illo, *noctu*, Phœbus; *interdiu*, vtitur Phœbe. Quo poſito, adhuc *Tethys cunabula præbet*. Si pro rebus ad Cunas inſtruendas, aptandaſque *cunabula* ponantur; Ex Oceano Purpuras, corallia, vniones colligit Tethys, immò & aurum ipſum Planetarum Oceani vadis dicitur expurgari. Si pro puerili nutritione, ſeù educatione ponatur; ex humido Planetæ, & reliqua ſydera enutriri dicebantur, vt inferius explicabimus, ergo, & quo ad hoc, vtrique *præbuit cunabula Tethys*, aquarum ſcilicet aggregatio.

ET SOLATVR &c. Affectum Nutricis exprimit; *Solor* enim, verbum commune, ponitur hic pro eodem, ac *recreo*, actiuæ ſcilicet ſignificationis. Sequitur autem naturam Poeta; nam infantes, in lucem ex vtero Matris prodeuntes, certè ab ipſa exeundi difficultate, quam ſuperare, prorſus nituntur, eximiè fatigantur; quarè obſtetrices, ac nutrices electæ eos adhibitis ſtatim recreant fomentis, ne teneri adhuc artus exantlato labore relaxentur. Fouere igitur & Tethys, obſtetricis, ac ſedulæ Nutricis more, Planetas dicitur infantes; ideò *ſolatur*, hoc eſt *recreat*, iuxta ſenſum, in quo idem verbum nouimus à Virg. vſurpatum Georg. pri. vbi ait:

Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto coniux percurrit pectine telas.

& clariùs Æn. 5. Aceſten Troianorum hoſpitem inducens inquit: *Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.*

GREMIO. Quid Gremium ſit, habes lib. pri. Carm. 104. quarè hic tantum remanet indagandum, quid Gremij nomine, hoc loco, intelligi debeat. Tethys ipſa aquarum, ſeù Maris moles eſt, vt ſupra dicebamus, quarè *gremium* ipſius nil certe erit aliud, quam ſumma vndarum ſuperficies: & profectò, ſicuti terræ *gremium* ſupremam terræ partem, ſeminum receptiuam. & *Gremium* dicimus Littoralem maritimæ oræ curuaturam, ſic & *Gremium* dici poteſt vndarum ſleauoſus æſtus, curuatis vndiq; fluctibus, varios efformantes ſinus. Et vere vndis incidentes Sol, & Luna videntur cum ex Horizonte emergunt. Ideoq; & Vates initio huius lib. dixerat

Impulit Ionios præmiſſa lumina fluctus
Nondum pura Dies &c.

Quod ſi iuxta ſententiam indicatam, Cælos aqueos aſſerentem, loquamur, multò magis hæc *Tethys gremio ſolatur infantes*; cum nullum maius ſolamen rebus afferri poſſit, quam cum in loco vnicuiq; naturali res ipſæ ſtatuuntur. Connaturale Planetis Cælum eſt, illiſq; quaſi gremium eſt, in quo quieſcant, cum corpora cæleſtia quietem habeant in ipſo motu, iuxta ſaniorem phyloſ. ſententiam, *quietem* pro ſtatu connaturali accipientem, vt nos in lib. de Cælo fusè docebamus.

INFANTES ANHELOS. Infans, quaſi *fari non potens*, dicitur puer, qui nondum fari cæperit; communiter tamen pro quocunq; Partu accipitur recenter nato, & *paruulum* ſignificat. Cum itaq; de primo hic Planetarum ortu loquatur Vates, meritò eos *paruulos recenter natos*, ac *paruulos* appellat infantes: *anhelos* autem dixit, quia *anhelus* ab *anhelitu*, ſeù *anhelatione* dicitur. Eſt autem *anhelatus*, ſeù *anhelatio*, difficultas quædam reſpirationis, quarè idem erit *anhelus*, ac difficulter ſpirans; cum itaq: Sol, & Luna lucem ſpirent, & luce reſpirent, ac infantes pingantur vix nati; nil mirum, ſi dicatur Sol difficulter ſpirans lucem, & Luna difficulter reſpirans, hoc eſt lucem accipiens, & reflectens, cum imbecilles adhuc admodum vires habuiſſe ſingantur. Immò congruenter ad hanc difficultatem reſpirationis, inquit Vates ſuperiùs: *ſolatur gremio*; nam hæc ipſa difficultas non parum laboris in ſpirantibus adeſſe demonſtrat, quæ ſcilicet vrgente, recreari, ſummopere indigeant. Quare meritò *infantes ſolatur anhelos*. Variandum putat Heinſius, & legendum hoc loco

. . . . Et infantes gremio ſolatur anili.

Non dubito, quin epitetum *Anile* Tethyos additum gremio eruditum ſit, cum antiquitatem Maritimæ exprimat Deæ, quæ Mater Deorum omnium aſſeritur ex Homero.

Sed

Sed magis ad rem videtur eruditio illa, quam importatam vidimus per nomen *anhelos* in vulgata noſtra exaratam. Ideò lubens proſequor.

ET SINVS &c. Nutricem ſuam, quaſi vt par pari refe-ratur, exornantes deſcribit infantes. Quid autem, ad di-ſtinctionem Gremij, ſinus ſit, latis dix. loco cit. lib. pri., & Carm. ibid. 106. Hic pro tota maris extenſione, & amplitudine ponitur, ſi iuxta prænotatas fabulas loquamur. Et hoc ipſum eſt quod initio huius lib. innuit Vates cum dixit:

Tremulis vibrantes en vndis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.

oſtendit itaque hoc loco Vates, non ingrati animi, licet infantes, Solem, ac Lunam eſſe; nam pro incunabulis, ac recreatione, quam ex Tethyde percipiunt, vſuram beneficij rependunt, totum mare purpureum, immò aureum ſplendoribus efficientes ſuis. Sic mutuam fluuij irrigantis, ac plantarum vmbras fluuio ſuppeditantium mutuam viciſſitudinem deſcripſit elegantiſſimè Torquatus Hieroſ. liber. Canto 18. inquiens

Bagnaegli el boſco, e'l boſco il fiume adombra
Con bel cambio trà lor d'humore, e d'ombra.

& ſic mutuas aeris influentis, ac Viridarij halantis compenſationes deſcripſit Crucis Cycnus lib. 8. dicens

L'herba ſempre è nouella, e l'aura eſtiua
Mai non creſce ſouuerchio, e mai non tace;
I fior nutr'ella, e prende odor da i fiori;
E ſi parton trà lor freſco, & odore.

quod ſi, per Tethym Cælum aqueum intelligas, multò magis, iuxta Phyloſ. ſententiam emicat eruditio: nam, ſi cæleſtes aquæ nutriant Solem, ac Lunam, eoſq; foueant, vſuram & ipſæ beneficiorum recipiunt, cum magnis hiſce luminaribus Cælum colluſtretur, tenebroſum, ſine his, nulliſq; conſpicuum mortalibus remanſurum. Tunc autem huius Tethydis ſinus tota erit ſphœrarum concaua latitudo, ac totum ſubiecti aeris ſpatium,

CÆRVLEVS. Cæruleum dicitur, quod colorem Cælo, Mariq; congruentem habeat: quare idem eſt dicere *Cæruleum*, ac dicere: *Maris colore*, vel *Cæli colore imbutum*. Ex quo ſatis conſtat, Poetam vtrique ſententiæ, nempè & fabuloſæ, & ſcientificæ, vt ſupra dicebamus, ſtuduiſſe.

RADIATVR. Ideſt *emiſſis radijs*, aut potiùs *emmiſſis*, condecoratur, ita vt ſplendoribus ab vtroq; alumno receptis, mirum effulgeat in modum.

ROSEIS ALVMNIS. Roſeum dicitur quod Roſæ colorem, ac venuſtatem imitatur. Iure autem roſeos Planetas, ſibi ipſi conſonans, appellauit Poeta: nam ſicuti eos effecerat infantes; ita & lumen infans pingi debuit, & languidius, ac minoris vtiq; viuacitatis eo lumine, quod Gigas exibat, in meridie, Phœbus, atq; noctis tenebras alta diſgregat Luna. Imitatur etiam naturam; cum enim primo Horizontem aſcendit Sol languida quadam luce ſcintillare videtur, quæ ſubindè magis, ac magis & colorem, & viuacitatem, ac calorem adaugeat, quo altiùs, & altiùs prouehitur: quod item de Luna patet inſpicientibus. Ideò roſeum illis colorem attribuit, qui igneus quidem eſt, ſed dulcis, remiſſus, ac lenis; lumen vtique, vt dixeram infans. Alumnus autem dicitur, qui ab aliquo alitur, ſiuè victu, ſiuè moribus, ſiuè doctrina. Hinc apertè vides, nutricem ijs Planetis Tethydem aſſignari, quomodo autem ab ea nutriantur, & cur ipſa eorum Nutrix, patebit ex infra dicendis; quarè hic ſuperſedeo.

INVALIDVM DEXTRO &c. Tethydis Alumnos Solem, Lunamq. vocauerat Claud., conſequenter, Tethyde eorum nutrice conſtitutâ, eamdem Nutricis munera obeuntem certe debuit oſtendere: hoc autem exequi cæperat, cum ab ea inſtructa illis cunabula præmiſiſſet; iam verò idem proſequitur, dum & geſtationem in vlnis, & vberum exhibitionem, quæ præcipua Nutricis munera ſunt, eidem attribuit. Ideò

PORTAT. *Portare*, vt noueris, non eſt ſimpliciter *ferre*, ſed *gerere*; ſed eſt *corpore, & animo ferre*; hoc eſt *peculiari quodam, & quaſi materno affectu, quo geſtamus, ferre*, quod proprium vtiq; Nutricis eſt, alumnos inter vlnas geſtantis. Sic Virg. vt peculiarem animi affectum, quo Æneas Troianorum reliquias, ac Deos Penates ſecum duceret in Italiam, facile exprimeret, Æn. 1. ait:

Ilium in Italiam portans, victoſq; Penates

quarè aptiſſimè hoc verbo, alioqin vulgari, vtitur Poeta ad expreſſionem affectus.

DEXTRO LACERTO. Gemini erant alumni, nutricio autem, à Dea maris educandi: quarè, cum nec impares in participatione affectuum eſſe deberent, quippè qui in eodem conſanguinitatis gradu Deæ adhærerent; nec tamen ſedibus pares, quippè impares ſexu eſſent, & mas ſemper fœminæ præponendus, Tethys eodem ambos ſinu; hoc eſt eodem affectu fouens, ſedibus ſecernit; nam Soli vt digniori dexterum ſupponit brachium, læuum verò Lunæ. Facilis eſt hæc explicatio, & quidem Nutricis moribus, Geminos alentis, quam maximè adaptata; ſed imbecillis admodum, vt fatear, ad eruditiſſimos Poetæ ſenſus explicandos, qui hic ſcientificè omninò loquitur. Memineris igitur, Solem duplici motu circumuolui; nempè motu naturali, & motu raptus. Motus naturalis eſt ille, quo Sol ab occidente in Orientem annuo prouehitur curſu: motus verò raptus ille eſt, quo à primo mobili, ſphœras omnes inferiores ſecum trahente, velociſſima, & quotidiana circumlatione, ab oriente rapitur in occidente. Quo poſito; ſi iam de Luna, prout de Solis ſpeculo, loquamur, certè in parte oppoſita conſtitui debuit parti illi, vbi primo Sol fuerit conſtitutus. His firmatis. Memineris, ſecundo loco, dexteras, læuaſq; partes, in ipſa Mundi mole, conſtitutas, ex communi omnium opinione cenſeri. Verum, in læuis, dextriſq; Mundi partibus aſſignandis, non leue inter Auctores diſſidium eſt. Empedocles, cum Ægyptijs, dexteras Mundi partes *ſolſtitiales partes* eſſe, nempè *partem meridionalem*; *brumales* verò ſiniſtras, nempè *partem ſeptentrionalem*. Plato, & Ariſtot., vnà cum Græcis omnibus, ac Barbaris, alia ratione orbem diuidentes, orientales partes *dexteras*: occidentales verò *ſiniſtras* conſtituunt. Ex his non defuerunt, qui dixerint, maſculorum genituram à partium Orientalium, ac Meridionalium influxibus pendere; fœminarum verò ab occiduis, & ſeptentrionalibus. Ex quo etiam iam haberes, cur Sol, quippè maſculus, in dextera parte collocetur, nempè vt locum habeat in illa parte, quæ maſculorum fœtibus addicta eſt; & Luna pariter in ſiniſtra, vt locum genituræ ſuæ congruum poſſideat. Sed ad Mundi diuiſionem redeamus. Varo è contra, lib. latinæ linguæ 6., Cælum, ait, in quatuor diuidi partes, & *dexteram* ab occidente deſumi; *ſiniſtram* ab Oriente: *Anticam* à Meridie, *poſticam* à Septentrione. Hetruſci Cælum in ſexdecim partes diuiſum aſſeruere, quarum octo Orientem versùs *ſiniſtras*, cum Varone appellarunt, octo verò occidentem verſus *dexteras*, cum eodem dixerunt. Ex harum diuerſitate ſententiarum oritur, vt, quia Auſpicia, quæ ex Oriente haberentur, Fauſta credebantur, ab alijs *dextera*, ab alijs *ſiniſtra* dicerentur. *Dextera* appellauit, cum Græcis, Homerus, dum Agittacem inducit dicentem

Proſpera Iupiter his dexteris fulgoribus edit.

hæc enim eius ſententia eſt ex Græco textu tranſlata. *Læua*, ſeù *ſiniſtra* nuncupauit Virg. cum latinis Hetruſcis, dum Æneid. 2. ait

Vix ea fatus erat ſenior: ſubitoq; fragore
Intonuit læuum, & de Cælo lapſa per vmbras
Stella, facem ducens, multa cum luce cucurrit.

Quod ipſum repetit etiam, ſibi ipſi conſonus Æn. 9.

Audijt & Cæli Genitor de parte ſerena
Intonuit læuum &c.

Sed iam ſatis abundè digredimur; noſq; dexter reuocat Vates, qui Phœbum in dextro Tethyos collocat brachio: nempè in parte Maris dextera, ſi cum fabulis loquamur, vel in parte Cæli dextera, ſi cum ſcientificis cælum aqueum aſſerentibus, nam, ſi de Tethyde Oceani vxore ſermo ſit, cum hæc ſit ipſa maris aqua, vt dix., eius certe brachia nil aliud erunt, quam ſinuoſi aquarum receſſus, qui, quaſi à cætero oceani corpore, elongantur, & brachia conſtituunt, iuxta illud Ouid. Metam. 1.

Nec circumfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphytrite.

Si verò de Tethyde Cæleſti diſſeramus eiuſdem brachia erunt partes illæ, quæ brachijs inferioris Tethydis correſpondent. Cum itaque agatur hic *de primo Solis ortu*; vel placeat Solem intueri, ſecundùm primam ſui creationem, in occidente poſito, vt naturali curſu ad orientem vergeret, in dextera Cæli parte erit, ac in dextera Oceani parte fulgebit, quia partes Mundi occidentales *dextera Mundi eſt*, iuxta Latinos cit. Vel placeat, Solem conſiderare, iuxta diurnum eiuſdem ortum; ita vt motu raptus ab Oriente, vbi naſcitur; in Occidentem feratur; adhuc in dexterâ erit Cæli parte, & in dexterâ fulgebit Oceani; quia partes Mundi orientales *dexteram conſtituunt Mundi*, iuxta Græcos, cum Homero citatos. Nullis itaque repugnantibus

tentijs procedit Poeta; immò ſecundùm diuerſas Solis, quo ad ortum conſiderationes, ſententias Græcam ſimul, & Latinam in ſuo ſenſu verificatas amplectitur. Quid autem Lacerti, quid brachij nomine intelligatur, ſi vocum inquiras proprietatem, vide dicta in antecedentis Carm. 30. *Vorsus* itaque *Tethys dextro lacerto*

INVALIDVM TITANA. Patronimicum Solis nomen eſt *Titan* ab Auo, Hyperionis ſcilicet patre, deductum, de quo ſupra Carm. 45. Et Titana pro Titanem dixit per Helleniſmum. Infantem autem Solem deſcripſit; ideò *Inualidum*, ideſt *non validum*; ſed immò exiguis adhuc munitum viribus; modicum enim efficaciæ, ac feruoris Sol obtinent oriens primò, vt patet experientia: ſed & vulgari ſermone vires non habere dicimus orientem Solem.

NONDVM LVCE GRAVEM &c. Videtur hic, prima fronte, auctor Infantis amplificare imbecillitatem à negationibus earum virium, quæ ſimul cum corpore, poſtmodum adoleſcunt; & naturæ optimus profectò videtur imitator. Sed altiùs verè aſſurgit ſolita ſui ipſius eruditione ſuffultus. Refert Speuſippus, aliquos eorum, qui Solem ignis maſſam eſſe aſſeruerunt, ſic eiuſdem compactionem efformari effinxiſſe: tradunt nempè ſparſos ignes à media nocte ſparſim micare; atque, vt lux appropinquat, ita eos coire, ac ſe coniungere, donec magis, magiſq; collecti, pauciores ſubinde, ac vnà ad poſtremum ardeant flammâ: ea, cum diù clara, ac incendio ſimilis effulſerit, cogit ſe, ac rotundat, & fit ingens globus: diù is quoque grandis, & terris adnexus apparet; deindè paulatim decreſcens; & quantò decreſcit eo clarior, fugat nouiſſimè noctem, &, cum die, iam Sol factus attollitur: Idemq; quotidiè fieri aſſeuerant: atq; ita videri ex ſumma ſpeculantibus Ida, refert Mela Pomponius. Quarè ex multorum ignium concurſu paulatim, ac ſucceſſiuè facto ſubſtantiam Solis conflari autumant iſti. Et hanc commentitiam conflandi Solis Hiſtoriam ſubobſcurè hic Auctor deſignat noſter; ideò *inualidum* primò dicit: *nondum luce grauem &c.* per negationes, hoc loco attingens ipſe, ea quæ per poſitionem eidem adiunxit Soli Lucretius, iuxta datam ſententiam, lib. 5. inquiens

Aut quia conueniunt ignes, & ſemina multa
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quæ faciunt Solis noua ſemper lumina gigni.

Explicat igitur hic Auctor quid, per *Inualidum*, intellexerit, ne fortè æquiuocatione decipiamur; quaſi dixerit *Inualidum*; hoc eſt *nondum luce grauem &c.* Porrò de aduerb. *Nondum* vide dicta hoc lib. Carm. 2. *Graue* autem, propriè loquendo, dicitur id, quod ponderoſum eſt, & natura ſua deorſum fertur; quod certè corporibus, ſe mouentibus circulariter, ſicuti Sol eſt, conuenire nequaquam poteſt: quare tantùm remanet, vt tranſlatiuè ſumatur. Verùm multa, per tranſlationem, ſignificat nomen *Grauis*: primò enim ſumitur pro eodem, ac *fortis & robuſtus*; In quo ſenſu, *Grauem* Imperij hoſtem appellauit Cicero de officijs 3., & apud Virg. Æn. 5. pariter legere eſt

Prima pares ineunt grauibus certamina remis.

nam ſicuti quod graue eſt, nempè ponderoſum difficilè mouetur; ita quod robuſtum eſt, difficilè euincitur. Et in hoc ſenſu optimè quadrat textui noſtro; nam ex eo quod *inualidum* dixerit Titana, optimè ſequitur, vt rationem reddat inualiditatis, ex negatione oppoſiti, nempè roboris, & fortitudinis; vbi, ſe inuicem excludentia, notes obiter contrapoſita, nempe *inualidum*, *robur luminis* excludentem. Secundò ſignificat idem, ac *Plenum*; nam ſicuti vaſa vacua leuiora ſunt, ſic, quidquid plenum eſt, graue dicendum videtur. Ita Virg. Æn. 1., cum inquit

Tum pietate Grauem, & meritis ſi fortè virum quem
Conſpexère, ſilent, arrectiſq; auribus adſtant.

& hunc etiam ſenſum complectitur Poeta; nam cauſa, cur Sol inualidus videatur, eſt, quia, nondum circumambientibus vaporibus depuratus ſatis, lucem euibrat remiſſam, nec pleno iubare incendit, ſicuti, diſſipatis vaporibus, flagrat in meridie; ſeù, iuxta datam commentitiam hiſtoriam, quia nondum tota congeſta ignium maſſa modicis adhùc facibus illuceſcit, nondum pleno ardore contracta. Tertiò ſignificat idem, ac moleſtus; nam ſicuti pondus, quod graue eſt, vectanti, ſeù humeris ferenti, moleſtiam infert; ita & Sol, feruentioribus Mundo incumbens radijs, moleſtam in rebus ſuppoſitis efficit ſenſationem, & *Grauis* illis eſt: ſuauis verò, vice verſa, ac dulcis, cum ex oriente lenibus aſſurgit ſplendoribus: quarè huic etiam ſenſui adhæret Auctor, vt vides. Quartò idem ſignificat, ac *Grandæuus* & ſic directè infanti opponitur. Patet ſignificatio hæc ex Virg. Æn. 5. vbi

. . . . *Grauis Entellum dictis caſtigat Aceſtes*,

& hanc ipſam ſequitur Auctor, qui cum infantem deſcripſerit Solem, ab eo, quidquid Grandæui eſt, remouet. Neque his omnibus repugnat; ſed immò congruit additum illud, quod, appoſito immediatè effertur ablatiuo cauſali *Luce*, nam *Lux* prout diſtingui dicitur à Lumine, propria Solis eſt, iam alta cæli peragrantis: vt patet ex dictis initio huius lib. Carm. 1. Quomodò autem congruat cum vnaquaque ex datis explicationibus illius nominis *Grauis* facilè applicanti patebit; ideò, ne nimius ſim, progredior lubens.

NEC PVBESCENTIBVS ALTE' CRISTATVM RADIIS. Criſtatos bellatores incedere ſolitos iam vidimus ſupra armatam Palladem perpendentes Carm. 22. ex quo clarè infertur, Solem armatum, ac bellatorem agnoſci à Claudiano, tunc temporis, quo exultauerit, vt gigas ad currendas Cælorum vias; quam tamen bellatoris ſpeciem ab infante remouet Sole. Ad intelligentiam itaque huius textus, ſcieris Solem ab Homero *ἑκατόγχειρα* vocatum, ideſt centimanum Briareum. Quis autem eſſet Centimanus iſte, quam addictum bellicis artibus, iam dix lib. 1. Carm. 47. Ex hac Homeri locutione anſam arripuerunt Ægyptij, vt, in Hieroglyphicum Solis, Centimani effigiem aſſumerent Briarei, vt videre eſt apud Pier. lib. Hierogl. 35. Ratio autem, cur Centimanus dictus Sol fuerit, ea eſt, quia manus ſymbolum operationis fuit, & liberalitatis. Ac quid liberalius, quid munificentius Sole? Et quam innumerabilia eius officia, ob beneficia impertienda recenſentur? Bellatorem verò Solem videntur agnouiſſe Lacedemonij, & ante ipſos Perſæ, qui equum Soli, ſicut & Marti, ſacrificabant; vt habetur ex Pauſania apud Pier. cit. lib. 5. Sed clariùs Bellatorem conſtituit Solem Homerus, qui ſtragem in Græcos immiſſam ab Apollinis partam autumat ſagittis, quæ Hieroglyphice ſolares indicant radios corrupto cæli tractu peſtem diſpergentes, vt notat idem Pier. lib. 42. idcircò & Vates noſter his Hieroglyphicis innixus, atq; Homericam reſpiciens ſententiam, bellatorem armatum efficit adultum Solem. *Nec* igitur particula negatiua eſt remouens a Sole Criſtas, vt infantem firmet imbellem. Criſtatum verò à Criſta deriuatur, quæ quid fuerit, vidimus in præcitato Palladis ornatu.

ALTE'. Aduerb. hoc eſt quantitatis commenſuratiuum, & quantitatis quidem in ſublime tendentis, licet etiam reſpectu deorſum tendentis vſurpetur: quam altè autem ſeſe diffundant Solis radij, ſatis patet, dum è Cælo ad terram vſq; pertingunt. Et hæc ad mentem Parrhaſij procedit explicatio. Verùm ſenſum Poetæ potiùs arbitror eſſe, vt aduerbium iſtud *Altè* ad locum referatur; ita vt idem ſit, ac ſi diceret, Solem infantem, non gerere ardentes illas radiorum Criſtas, quas gerit, cum Altè inſidet terris, nempè cum, in altiori parte Cæli, emicat in meridie; hoc autem intellige, quo ad effectum calefaciendi, non quo ad eſſentiam radiorum, qui ſemper ijdem ſunt (niſi mauis dicere Poetam locutum iuxta ſententiam ſupra cit. aſſerentium ignes paulatim congregari ad corpus Solis efficiendum) cauſa autem cur magis ardeat Sol in meridie, quam in ortu eſt diuerſitas linearum: nam in meridie perpendiculari lineâ deſcendunt Solis radij, & feruent; in ortu verò inclinata, & quaſi tranſuerſa lineâ feruntur; ideòq; minorem ſortiuntur efficaciam. Inſuper linea ab oriente protenſa, interiectis terræ vaporibus, hebetatur, vt iam innuimus: Linea verò meridiana, diſſipatis iam vaporibus, toto virium impetit neruo.

PVBESCENTIBVS RADIIS. Quamuis totum ſolare corpus vndequaq; radios emittat; attamen capiti tantùm præbet emanationem ſplendoris Auctor, vt antiquorum fabulis, ac ſtatuis morem gerat, quibus Apollinis imagines exprimebantur; nam, in ijs, & à pictoribus, & à ſtatuarijs ſeruatum ſemper, vt ſolum Apollinis caput radiorum diademate cingeretur, innuentibus fortaſſis, capiti omnia deberi, quæ a toto geruntur corpore; cum, iuxta diligentiores Anatomiſtas, & Phyloſ. fons neruorum, ac conſequenter operationum omnium, ſit caput. Inſuper radij ſolares crines eſſe eiuſdem Solis, ſeù, quod idem eſt, Apollinis fingebantur, vt notat eruditiſſimè Barth. Ideò iure *Criſtatum radijs caput* exponitur. Radius autem nihil eſt aliud, quam ſplendor ipſius Solis, qui radij ſunt illi inſtar Criſtæ, ſed Parthicæ, aut Scythicæ Criſtæ, quæ ſagittis videlicet conficiebantur infixis, cum & ſagittæ radiorum Solis Hieroglyphicum fuerint, vt dicebamus: hoc ſeruato tantum diſcrimine, quod Solis ſagittæ in ſtragem non euibrentur, niſi

pro-

prouocatæ ſceleribus, ſed innoxie potiùs ſemper ſint, & beneficæ; Parthorum verò, ac Scytharum veneno ſemper infectæ, ſemper lethales exhibeantur. Antiquorum fuit opinio, quam refert Barth. cit., duodecim tantum radijs Phœbi caput coronari, iuxta numerum menſium, quibus annus conſtituitur, ac iuxta numerum horarum, quæ diem à nocte æquali diſtinguunt. Verùm quis Solis radios enumeret, cum Phaeton ipſe, qui Solis creditus eſt filius irretorto Patrem oculo ſuſtinere non poſſit apud Ouid. Metam. 2.

Conſiſtitq; procul, neq; enim propiora ferebat
Lumina &c.

Vnum hoc tantùm & Ouid. cit. aſſerit, nempè Criſtatum radijs Solem eſſe, dum, vt Phaetonti aditum ad amplexus præberet ſuos, eum inducit radiorum ex capite coronam auferentem, ſeponentemq; his verbis

. . . . . At Genitor circum caput omne micantes
Depoſuit radios, propiuſq; accedere iuſſit.

Pubeſcentibus autem, inquit Vates, *radijs*; nam Pubes, (à qua *pubeſco*, & partic. huius verbi *pubeſcens*) ætatem denotat adultam, & ſignum maturitatis eſt. Quarè idem eſt dicere *pubeſcentibus*, ac dicere *maturis* iam, pleniſq; radijs. Iterum pubeſcere idem eſt, ac abundare, ſeù exuberare, vt patet ex Virg. Georg. 2. vbi ait

Hinc omnis largo pubeſcit vinea fœtu,

ideſt *exuberat*, vt communiter explicant interpretes, quarè idem eſt dicere *pubeſcentibus*, ac plenis, atq; exuberantibus radijs.

FINGITVR CLEMENTIOR &c. Hæc omnia, quæ diximus, in Proſerpinæ veſtibus expreſſa, iterum confirmat, & rationem reddit, cur tàm mitis, ac lenis Sol hiſce in telis exprimatur; nempè quia infantilis ætatis maximè propria ſit lenitas, & clementia, vt quotidiana experientia comprobatur.

FINGITVR. Fingi propriè dicuntur ea, quæ manu figuli effinguntur; & ideò fictilia etiam vaſa dicuntur, quæ ex argilla Plaſtici manu fabri efformantur; translatè tamen rei cuicumq; applicatur, quæ quoquo modo componi contingat. *Fingitur* itaque Sol in his telis, quia ex textricis manu effigiem, & compoſitionem picturati operis habet; &, quia opus iſtud naturam imitatur; *fingitur* in ſe ipſo Sol, ideſt à propria natura talis efformatur, qualis exprimitur in telis; ita nempè, vt totum ex ſolius clementiæ affectibus compoſitum iure meritò arbitreris. Ex quo licet intelligere, quam graphycè depictus Sol fuerit in hoc opere phrygio, cum in eo cerni poſſit, quaſi actualiter operans Natura; adeò efficaciter, ac viuidè prænarrata omnia repræſentantur.

CLEMENTIOR. Comparatiuum hoc eſt à poſitiuo Clemens, fit enim comparatio inter infantiam, & virilitatem, vt ita dicam Solis; & clementiorem eſſe virilitate infantiam deprædicat comparatio. Porrò *Clemens* idem eſt, ac *mitis*, *lenis*, *manſuetus*, & *ſuauis*, iuxta fusè iam explicata.

QVO PRIMO. Hoc eſt infantiæ tempore; nam *æuum* idem eſt, ac ætas; & prima viuentis ætas infantia eſt. Aſſignatur itaque hìc cauſa maioris Clementiæ efflorescentiæ; atque inſuper mores imitatur Poeta; nam quid Infante mitius? Omnia largitur, omnia cedit, nec iraſci, nec ſuccenſere profectò nouit infans. Ideò *clementior quo primo*.

ET DESPVIT. Hoc eſt: tam viuida, ac naturæ proxima effigies eſt, vt, ſi oculo credas, deſpuere dixeris teneros ignes, atque vagitum ipſum tibi videberis audire. *Deſpuere* autem eſt *deorſum ſpuere*; ideſt ſaliuam ex ore eijcere, ſed languide adeò, vt decidere potiùs, quam expelli ex ore videatur humor ille excrementalis, qui ferè ſpontè defluens per mentum ex vtroq; oris angulo, vel etiam ex media anteriori parte, lenta quadam rigatione deſcendit, vt paſſim in infantibus videmus. Scruteris, quæſo, num exactiori hyppoteſi rem oculis ſubijcere potuerit.

VAGITV. Vagitus propriè eſt puerorum fletus, quia verò, præcipue cum fletibus indulgent pueri, euenit illis languida ea puerilis ſaliuæ ex labris emanatio; ideò vagiens Sol infans deſcribitur, vt cauſa deſpuendi ignem attingatur; & ſimul, ex enumeratis infantium adiunctis, infans Sol ipſe ſtatuatur; &, cur *tumuloſus* dictus fuerit, oſtendatur; dum puer nulla, præter vagitus, arma, quibus ſe tueatur, obtineat.

IGNEM. Deſpuere ignem non potuit, niſi qui ex igne conſlaret. Loquitur itaque hic Vates in eorum ſententia, qui, ſolare corpus igne conſlari, aſſeruerunt, ponens ſcilicet *ignem* pro effectibus ignis, calore vid. ac ſplendore, quos ſolum deſpuere poterit infans Phœbus.

TENERVM. De huius adiectiui ſignificatione vide dicta lib. 1. Carm. 131. Tenerum hic dixit, hoc eſt *debilem*, *facilè ſuperandum*, *facilè ſuſtinendum*; delicatum enim, ac mollem ſemper orientis Solis fulgorem, caloremue experimur. Alludit autem Poeta ad id, quod vulgò dicitur, à pro certo ex aſſiduis habetur experientijs, nempè omnia, quantumlibet magnarum rerum, exordia infirma eſſe, ac debilia.

LÆVA PARTE SOROR &c. Peractâ orientis Solis deſcriptione, iuxta actiones, ſtatum, ac ſitum, quæ illi, in Proſerpinæ veſtibus, ab arte Phrygia fuerant attributa, pergit ad deſcriptionem Lunæ, ex aduerſo Solis, in iiſdem veſtibus, conſtitutæ. Ideò

SOROR. Lunam ex eadem Thia Matre, ac Patre Hyperione, cum Sole, natam iam vidimus, iuxta Heſiodum cit. Cum itaque *ſoror* dicatur, quæ ex eodem, cum Mari, ſemine ortum duxerit, iure ſororis nomine Lunam indicat.

LÆVA PARTE. Quæ ſupra de Sole diximus in dexterâ collocato, hic è conuerſo proportionaliter aptanda Lunæ; nam ſi Sol in parte orientali ſit, Lunam circa occidentales verſari, neceſſe eſt; cum ſemper è regione Solis eſſe debeat, vt lumen recipiat; occidentales autem partes *Læuas*, ſeù *ſiniſtras* Mundi *partes* appellarunt Plato, Ariſt. ac Græci omnes, apud quos dextera Cæli pars eſt orientalis, vt vidimus. Si Sole in occidente poſito, Luna ſit orientalis, adhùc in *læua*, ſeù *ſiniſtra* Cæli *parte* dicetur, iuxta ſententiam Varonis, & Hetruſcorum, iam relatam. Nam ſemper Luna occidentalis erit, & ad ſiniſtram Cæli partem conſtitutam, ſi diuerſi Solis ortus conſiderentur; nam ſi Solis ortum reſpectu motus naturalis conſideres, Luna in oriente poſita, in partibus occiduis reſpectu talis aderit motus, nam vt diximus ob occidente oritur, & in orientem, quaſi naturalem ſui occaſum defertur hoc motu Phœbus. Si verò conſideretur Sol reſpectu motus raptus, ab oriente dùm naſcitur, Lunam habebit occidentalem, ideòq; ſemper in *Læua* Mundi parte conſtitutam, reliqua videas ſupra.

VITREI LIBAMINA POTAT &c. Infantem vt conſtitueret & Lunam, non meliùs effingere potuit, quam lactentem; lac enim primum vtiq; paruulorum nutrimentum eſt. Ideò

POTAT. *Poto* Græcè πίνω, idem eſt, ac *Bibo* verbum vtiq; genericum, à diuerſis potationum præſcindens differentijs; ſed hic pro ſpecifico ponitur potionem exſugendi. Sed nota Vatis artificium. Lunam naſcentem, ſeù vix natam ſtatuerat; atque ideò, quod proprium vix nati infantis eſt, Lunæ tribuendum, prudentiſſimè duxit. Nouit itaque pueros, recenter natos ſolâ exſuctione vel lactis, vel alicuius alterius humoris lacteam habentis qualitatem, ac naturam, vel ſaltem ſimilitudinem, & æquiualentiam enutriri poſſe; nam, ſi mandendis cibis infulciretur, obrueretur potiùs, quam aleretur Puer; nondum enim viribus confirmatus adeſt ventriculus, ita vt poſſit, quæcumq; ingeruntur, in maſſam illam candidam, ac lacti ſimilem, quam Chilum vocant, tranſmutare, quamobrem ingeſtis cibis nullam poſſet concoctionem exhibere, ac ſic Paruulus ex indigeſta opprimeretur repletione. Cum itaque liquidis tantum, ac potionis ſimilitudinem habentibus, enutriri infans poſſit; Prouida Natura matribus attribuit vbera, quibus lactea elaboraretur potio, ac propinaretur infantibus; & quidem paruulis papillis inſtruxit vbera, vt Infantis ore faciliùs exciperentur, minutis inſuper foraminibus, attrahendo aperiendis eaſdem cribrauit papillas, vt paulatim emunctum lac in potionem extillaret, non verò nimia ſuffocaret ingurgitatione. Potat igitur & Luna, inquit ideò Vates, quippè nondum apta ad ſolidiorem nutritionem, cum vix natà effingatur; & indigens, vt à Tethyde Nutrice vberibus admota recreetur. *Et potat*

LIBAMINA. Libamen à verbo *libo* nomen deductum eſt; *Libare* autem eſt *leuiter deguſtare*, vel *ſummis attingere labijs*, quod vtiq; propriſſimum, recenter nati, infantis eſt; nam, cum nimiâ lactis potatione ſuperari facile, & extingui poſſe exiguum illud caloris naturalis, quod vix infantem fouet, præuiderit Natura, proinde etiam inſtituit, vt puerilesmandibulæ, ac ſpiritus quibus lac exſuggeret, debiles eſſent, ac tenues, vt, fatigatus facilè ex attractione, puer vix guttatim alimentum exciperet, & breui ab exſuctione deſiſteret; quarè *libare*, hoc eſt *leuiter deguſtare* alimentum iure merito dicitur. Sic itaque Poeta, naturam imitatus, *Potat*, inquit, *infans Luna*; ſed, ne quis opinaretur de largis potationibus dictum, cum præſertim Tethyos, hoc eſt Maris

vbere

vbere enutriri dicatur; ſtatim ſubdit: Libamina, ideſt deguſtat libans, & guttatim ebibit, ac breui, modicaq; potatione nutritur potans *libamina*.

VBERIS VITREI. Vber interdum ſumitur, vt adiectiuum affluentiæ, vnde vberes campi, vberes ſegetes dicuntur. Sæpius verò ſubſtantiuum neut. gen. eſt; & ſignificat vbertatem ipſam, ac fertilitatem vel terræ, vel cuiuſcumque alterius rei. Quarè Virg. Æn. 3.

Dardanidæ duri, quæ vos à ſtirpe parentum
Prima tulit tellus eadem vos, vbere læto,
Accipiet reduces; Antiquam exquirite Matrem.

Eodem nomine mamma muliebris ſignificatur; Vber, vt arbitror, dicta & ipſa ab vbertate lactis, qua infantes alere debeat. Et in hoc ſenſu accipitur ab Auctore hic; ſed ne mireris quod ſingulari vtatur numero, cum fortè vſitatior videri poſſit numerus multitudinis in hoc ſenſu; memineris hoc idem à Virg. factum; primo quidem Æn. 5. vbi ait

Olli ſerua datur, operis haud ignara Mineruæ,
Creſſa genus, Pholoe, geminiq; ſub vbere nati.

iterum autem Æn. 7. eodem in ſenſu nomen repetens

Ceruus erat, forma præſtanti, & cornibus ingens
Tyrrhidæ pueri, quem Matris ab vbere raptum
Nutribant &c.

Hic igitur vberis nomine mammam Tethydis intelligit etiam Claudianus, quam vitream appellat iure; nam *vitreum* dicitur, non ſolum quidquid ex vitro conflatum eſt, ſed etiã quidquid vitri colorem imitatur. Quare & vnda, quæ clara, & perlucida ſit, vitrea dicitur, vitrei fontes, vitreum mare &c. ſic Virg. Æn. 7., vt alibi etiam adnotauimus, inquit

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus &c.

immò Numina ipſa maris *vitrea* communiter nuncupantur, vt notat eruditè Parrhaſ. Ex hoc aperta, & facilis videtur explicatio, nam cum Deam maris nutricem inſtituerit certè cum illa *vitrea* dicatur, & *vitrea* illi vbera fuere tribuenda; & cum illa nil aliud, ex dictis, ſit, quam ipſa aquarum moles, quænam illi, niſi *vitrea*, hoc eſt *aquea vbera* aptarentur? Et quidem proprietatem ſequeretur huiuſmodi explicatio, ſed poeticam eruditionem contegeret, non detegeret qui eam ſequeretur. Scias igitur, Lunam Planetam eſſe, natura ſua maximè humidum, ita vt, ad huius humiditatem exprimendam, fabulati fuerint aliqui, cum Alcmanio, Lunam eſſe aeris vxorem, quæ rorem conceperit, & genuerit; nam, ſi filius, hæreditario quodam iure, maternas ſecum trahit qualitates, cum proprietas roris ſit humiditas, humidam maximè Lunam eſſe, neceſſe eſt, iuxta vulgatum axioma, *Propter quod vnumquodq; tale & illud magis*. Hoc poſito extat aliud axioma phyloſophicum, nempè *ex nutrimur, quibus conſtamus*. Cum itaque Luna ex humido, ad prædominium, conſtet; non niſi aqueo, ideſt ſummè humido humore nutriri debuit. Ideò, iure quidem maximo, vitreis Tethyos vberibus enutritam fingit Poeta. Conſtantiſſima etiam fuit antiquorum opinio, qua Solem, & ſydera omnia, ac præcipuè Lunam aquarum exhalationibus ali, exiſtimarunt. Quæ opinio adeò Ægyptiorum ſapientum temporibus inualuerat, vt illi Solem, & Lunam, non curru, ſed nauigijs vehi, conſtantiſſimè dictitarint; immò & Lunæ maritimi æſtus efficientiam attribuerint; dicebant enim, Luna oceani aquas attrahente, fieri, vt aquæ in medio mari altiſſimè, per huiuſmodi attractionem, attollerentur; atq; adeò, à littoribus refugientes, in medium congregarentur; ceſſante verò, ſeù remittente attractione, ſeù, vt alij dicunt, congregatâ tantâ aquarum mole, vt inferior eſſet ſuſtinendo earum ponderi attractio, iterum deſilirent, ad littora iterum operienda reſilientes. Hanc Lunam rerum omnium parentem exiſtimarunt, eo, quod Ægyptij, quos ſecutus eſt Thales Mileſius, omnia ex humore aqueo exoriri, & conſtare arbitrarentur. Immò Pindarus, inter elementa, Principem ſtatuit aquam; quod eius munere, vt idem aſſerit, Dij ipſi conſtarent, decerptâ, vt arbitror ſententiâ ex Homero, qui Iouem, cæteroſq; Deos, Deaſq; omnes; hoc eſt, vt Parrhaſius interpretatur, *Solem, & ſydera omnia* Oceani conuiuas eſſe dixit, atq; Oceanum Deorum Patrem, Matremque Tethyn conſtituit. Ex hoc habes, cur Soli, ac Lunæ nutricem eruditiſſimè Tethyn aſſignauerit Vates; nempè aquarum molem; & cur Lunam præcipuè vitreis vberibus aſſeruerit enutriri.

ET PARVO SIGNANTVR TEMPORA CORNV. Lunam a Deo creatam, vt diſtinctionem temporum, vnà cum Sole, ac ſtellis, notaret, clarum ex ſacra Geneſi eſt, Cap. 1. *Dixit autem Deus; fiant luminaria in firmamento, & diuidant diem, ac noctem; & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos*. Verùm hoc munus Lunæ præſertim demandatum arbitrati ſunt Antiqui; ideòq; & eam *Trinam* appellauerunt, ob triplicem, quam ſignat, temporum diuiſionem, dum tempus præſens, præteritum, ac futurum notat, iuxta incrementum, ſtatum, ac decrementum, quibus ipſa Luna mutatur: vel, vt alij, *Trinam*, vocitarunt, ob triplicem menſis diuiſionem in Nonas, Idus, & Kalendas, quæ pariter iuxta Lunæ mutationem effecta eſt. Profectò Numa ille Pompilius, qui Romæ primus à Romulo regnauit, annum in duodecim menſes, iuxta Lunæ curſum, inſtituens, ac diuidens, apprimè oſtendit, quantam ad ſignanda tempora vim habeat Luna. Itaque, dum Lunæ cornua hic memorat Vates, eiuſdem munus diſtinguendi attigit tempora.

ET PARVO CORNV. Lunam vix natam indicauerat; ideò paruum cornu eidem attribuit; nam, vt videmus, ſemicircularem figuram induit Luna, cum naſcitur, primo nempè poſt coitum tempore, ſemicirculi extremitatibus in tenuiſſima cornua deſinentibus, quæ ſubindè creſcunt, ac maiora apparent, quo magis & ipſa incrementum accipit Luna. Naturam itaque ſecutus Auctor, paruo, inquit, cornu &c. Inſuper, quod ad fabulas ſpectat, Lunam ipſam, pro Dea habitam, cornutam Antiqui, vt & Bacchus, & nemorum Pan cuſtos fingebatur, effinxere; inter quos Orpheus præcipuè: immò, huic ſententiæ inhærentes, Ægyptij Lunam, quam & Iſidem eſſe ſuam putauerunt, hoc Hieroglyphico expoſuere, videlicet, vt cornua taurina geſtet, &c, nullis amicta veſtibus, Solem per vmbras quæritet. Sed, vt, omiſſis fabulis, in ipſâ Lunæ naturâ perſiſtamus, adſunt Carmina quædam, ex Græco tranſlata, apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 17. quibus omnis Lunæ mutatio deſcribitur, non incongruè hic recenſenda.

Eſt Vda primum donec illa cæperit
Infantibus prorſuſq; fit ſimillima
Tepens at inde plena curſum perficit;
Vigore tum videtur, eſſe & florida.
Decreſcere at capit deinde, mox die
Vigeſima remiſſus adſit vigor,
Areſq; ſenſim. Longa nec fit huius mora;
Seneſcat illa, mox videtur emori
Deformis, algens, atq; operta nubibus.
Rurſuſq; fit noua hæc, priùs quæ nulla erat;
Vultu decoro prodit; & repletur &c.

Experientia igitur patet nouam Lunam luminoſam ſui partem circularem, ſed apertam, ad modum cornutæ frontis oſtentare, atq; eius ampliari lumen, dum creſcit, ſed ſeruare ſemper eamdem figuram, donec dimidiata figuram mutet, & ad plenilunium tendat. In Plenilunio rotunda eſt: atque in decremento paulatim iterum dimidiatur, & ad cornutam tandem redit figuram. Si autem harum mutationum cauſam quæras; aliquid priùs ſupponendum, nempè rotundum eſſe globum Lunarem, ac Solem in Emiſphærio inferiori eſſe, cum Luna in ſuperiori reperitur, ideſt in oppoſita ſemper parte: ac demq; Lunam corpus eſſe diaphanum, ad inſtar ſpeculi, quod lumen a Sole recipiat, ac reflectat. Supponendum ſecundo, ſemper Lunæ dimidium à Sole illuſtrari; ſed, iuxta variam Lunæ poſitionem, modò videri, modò non videri à nobis partem illuminatam. nam interdum in tali poſitione eſt Luna, vt tantum dimidia ea pars illuſtretur a Sole, quæ ſuperior eſt vel lateralis, ſed alta adeò, vt nobis conſpicua non reddatur, ſed cæleſtibus tantùm luceat, & ſic habetur *Luna ſilens*, cum nulla nobis Luna eſſe videatur. Interdum dimidia ea pars inferior, quæ nobis tota obijcitur, illuſtratur; & tunc Plenilunium eſt, nam tota Lunæ rotunditas, ſecundùm ſemiorbem nobis obiectum, cernitur illuſtrata. Inter hæc autem extrema, nempè inter totalem, reſpectu noſtri, illuminationem Lunæ, ac totalem eiuſdem opacitatem, datur medium, ſeù datur magis, & minus, non quidem illuminationis, ſed apparentiæ partis illuminatæ. Cum itaque ea dimidia pars illuminata, quæ altior erat, & noſtris ideò oculis imperuia, ſilentis Lunæ diebus, paulatim ſe ſe demittente ſplendore, incipit apparere; tunc *noua Luna* dicitur, quæ priùs in modum curuæ lineæ videtur, ſubindè, dum magis demittitur illuminatio, creſcit Luna, & ſic ſubindè dimidium integrum partis appareat illuminatæ. Primo autem linea circulari, ſeù potiùs ſemicirculari terminatur lumen, quia, cum Lunæ corpus circulare ſit, non niſi per lineam circularem poteſt ſplendorem terminare; ſed, cum dimidia tantum ſphæræ Lunaris pars appareat, in cornua, tamquam

ſemi-

ſemicirculus, deſinet, neceſſe eſt: Cum verò dimidiata Luna; ex vnâ parte ipsâ globi rotunditate terminatur ſplendor; ex alterâ verò, per lineam, quæ globum ſecat, & quæ nobis recta apparet, & diametralis, cum partes, quibus ſurſum, ac deorſum inflectitur, non appareant nobis; Gibboſa autem, cum magis adhuc creſcit, vtrinq; videtur, quia, ex vtraq; parte, iam aliqua globi rotunditate terminatur, donec ad Plenilunium deueniat. Idem dic proportionaliter de decremento, ex oppoſito applicans doctrinam. Hæc autem omnia eueniunt ex diuerſa Solis, ac Lunæ poſitione; ſecundùm quam ſcilicet magis, vel minus Soli appropinquat, vel à Sole recedit Luna. Sed de his ſatis, ſuperque, ne in alienam meſſem ſalcem mittamus, maiori, quam ad inſtitutum pertineat, digreſſione. *Paruo itaque cornu ſignantur tempora*; hoc eſt ætas, quam habet infantilis deſignatur. Sed creſcente ſubindè cornu alia ſubſequentia notat tempora, & menſium diuiſiones, vt ſupra fusè iam diximus.

ET TEMPORA. Tempus *eſt numerus motus ſecundùm prius & poſterius*, vt alibi dix. Hic verò tempora dicta ſunt, vt reſpectus habeatur, non ſolum ad infantilem ætatem, quam ſibi notat ineſſe, ſed ad quodcumq; aliud tempus vel præſens, vel futurum, vel præteritum, quæ à Lunæ variatione, vt diximus, indicantur.

SIGNANTVR. *Signari* eſt *expreſſis indicijs denotari, ac patefieri*. Signantur autem tempora Lunæ cornu, quia totius anni moderatrix eſt Luna, cum, iuxta curſum ipſius menſium diuiſio fuerit conſtituta. Heinſius *ſignatur* legit, ac legendum præcipit, elegantiſſimo, vt ipſe ait, græciſmo. Nobiſcum legunt Parrhaſ. & alij, & quia rationem à vulgata diſcedendi non video, lubens proſequor.

PARVO CORNV. Modus, ſeu inſtrumentum, ſexto hoc caſu effertur, quo tempora deſignet Luna. Cornu autem dicitur cuiuſcumq; rei extremitas, quæ ad cornuum ſimilitudinem inflectatur: hic ponitur pro inflexo, eam in ſpeciem Lunæ ſplendore: & *Paruo*, inquit, quia & paruam, infantemq; dixerat Lunam. Aſt ne & nos, vt Luna, mutemur, ad morales iam ſenſus, non obliquato tramite, diuertamus.

Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; Tuba inſonat Doctoris Gentium. Fidelis Deus, qui cum in varias tentationes inciderimus, ſuis nunquam nos deſtituit auxilijs. En Animæ ſymbolum Proſerpinam: en tentantis, in Venere, Hieroglyphicum: en, ex Pallade, ac Diana aſſiſtentibus, Auxiliorum Choragium. Media incedit anima, & diuinis vndiq; ſtipatur auxilijs. Fidelis Deus, per Iouis Patris imaginem, expreſſus. Sed proh nimium infidelis anima, quæ tentantem potiùs ſequitur, quam porrigenti Deo manum aſſentiatur. Beneficia in nos diuina ſemper præ oculis habemus, dum Solis, ac Lunæ viciſſitudines, dum Cælum, ac totum terrarum orbem noſtris vtilitatibus addictum conſpicimus; & tamen Largitoris monita paruipendimus! Non trahit violenter: non cogit in inſidias Tentator; ſed tantum allicit, inuitat, præcurrit, excitat: At nos, ſalutis noſtræ parum memores, nos ipſos in inſidias ſponté conijcimus, dum, inuito, vt ita dixerim, Cælo, pellaciam ſequimur Tentatoris. Signant tempora Solis radij, ſignant Lunæ cornua, & videntur aureis exarare characteribus effatum illud: *Volat irreparabile tempus*; & nos tempus terimus nugis indulgentes, & ſpe deluſi, futurum vt tempus pœnitendi non effugiat, nobis ipſis pollicentes, præſentem ad ſepulchra ſequimur ſenſum. Quid proderit munitiſſimum militi vallum, ſi ſe ipſe hoſtibus dedat? Aggrauant defectionem noſtram, neglecta à nobis, miſerentis Dei auxilia; &, quæ data fuerant ad ſalutem, ad perniciem ruentes comitantur. Indignus profectò qui viuetur, eſt ille, qui auxilia deſpicit, vt, qui per abrupta in præceps allicit, ſequatur. Verum quid ex abrupto Italica concinat Muſa, præcipitia remouentes attendamus; ne diutiùs in præruptis hærentes, abruptum omninò Plectrum indicemus noſtrum, illum licet infirmum dignoſcamus.

Della bionda Thermeſia vnica ſpeme,
La bella figlia, egual nel faſto, il piede
Muoue tra queſte: hor del diuin ſuo ſeme
Inclita Gloria; e ſia, che acuto ſpiede
Toſto ſi renda, al far d'angoſcie eſtreme

Ceres Thermeſia dicta à Thermis Siciliæ Vrbe.

Materno il cuore, in trapaſſarlo, herede:
La Fenice dell'armi, al deſtro fianco;
Delle ſelue l'honor gl'aſſiſte, al manco.
Già lor non cede; ò delle membra il grande
L'occhio confronti, ò 'l portamento altero:
E, del par, maeſtoſi i lampi ſpande,
In vn, quel volto, e placido, e ſeuero:
Siede in fronte il decoro, onde tramande,
Miſto al graue, il leggiadro; al dolce, il fiero:
E, ſe lo ſcudo imbracci, ò 'l dardo incocchi
Può, Palla, e può, ſẽbrar Cinthia, che ſcocchi.
Verdeggiante Diaſpro; e troppo, al certo,
D'vn *dì* ben' *aſpro*, ahi, non inteſo Araldo,
Che, ſe trà l'ombre il verdeggiare incerto
Chiude ſcarſo di luce, ardito, e baldo
L'inſidie ſcuopre, e 'l marital ſconcerto;
Si rauuolge in Cilindro, e morde il ſaldo
De gl'ori oppoſti; onde con lor s'indonne,
Succiote al fianco, ad annodar le gonne.
A ſodori dell'arte vnqua non diede
Eſito sì gentil Pettine induſtre;
Ne mai ſue trame, in sì congiunta ſede,
Sciolſe, de ſtami in ſeo canna paluſtre;
O' sì viue figure, in morta ſede,
Dipinſe l'Ago, in tratteggiar, più illuſtre:
Come vanta, in ſe ſteſſo inſuperbito,
Di Proſerpina il drappo, irne guernito.
Dal ſeme quì d'Hiperion naſcente
Del giorno apportator s'ammira il Sole:
E trar ne vedi il ſuo notturno oriente
La Luna, ad arricchir ſiderea mole:
Varij aſpetti gl'addatta arte ſaccente,
Ch'emula di Natura oprar ſi ſuole:
Nel fonte l'vn de i proprij raggi accampa
L'altra, gl'accolti in riflettendo, auuampa.
Tethi appreſta le culle; ed anhelanti,
Fatta Nodrice, à riſtorargli intenta,
S'addaggia in grembo i pargoletti infanti.
Con gl'ondoſi Zafirri ella fomenta,
Nate à ſcettri del Ciel, le man tremanti;
Ne, i cari pegni in vezzeggiar, rallenta:
Ma coglie raggi, à ricambiar ſollieui,
Dal roſeo crin de luminoſi allieui.
Sù 'l deſtro braccio il Sol bambino appoggia,
Non tutto ancor di piena luce onuſto,
Che non graua d'ardor, ne in alto poggia
Ancor, de raggi ſuoi Cimiero auguſto:
Mà di luce innocente vn'aurea pioggia
Segna di prima etade il giro anguſto:
Vagiſce; e, nel vagir, ſquagliate in ori
Cadon dal labro al ſen ſpume d'ardori.
La ſorella, sù 'l manco, indi ſoſtiene,
Che di ſe ſteſſa al ſuo fratel fa ſpecchio;
E da poppa di vetro à ſugger viene
D'vn vital fonte il limpido apparecchio;
Non ſcaltra ancor del patticar le ſcene
Ou' in giouin ſi cangi Eſone il vecchio:
Mà ſegna ſol di qualche luce adorno
Le vicende del tempo il picciol corno.

Saphyrus gemma geſtantes promouet ad Imperium. Pier.

Noſq; interim à Proſerpinæ veſtibus, tempus nacti, ad comitatum diuertamus.

Tali

Tali luxuriat cultu. Comitantur euntem
Naiades; & ſocia ſtipant vtrimque corona.
Quæ fontes, Crimniſe, tuos, & ſaxa rotantem
Pantagiam, nomenq; Gelan, qui præbuit vrbi,
Concelebrant: quas pigra vado Camarina paluſtri,
Quas Arethuſæi latices; quas aduena nutrit
Alpheus; Cyane totum ſupereminet agmen.
Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis
Pulchra cohors, quoties Arcton populata virago
Hippolyte niueas ducit poſt prælia turmas;
Seu flauos ſtrauere Getas. ſeu forte rigentem
Thermodoontiaca Tanaim fregêre ſecuri.
Aut quales referunt Baccho ſolemnia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus alit, ripaſq; paternas
Percurrunt auro grauidas. Lætatur in antro
Amnis, & vndantem declinat prodigus vrnam.

TALI LVXVRIAT CVLTV &c. Cum Proſerpinę venuſtatem, tàm ex ipſa eius ſpecie, quàm ex eiuſdem decoro reſultantem expreſſiſſet; nec non mirandam prorſus veſtium texturam deſcripſiſſet; deſcriptionem iam claudens, quaſi per Epiphonema, gloriabundam idcircò Proſerpinam inceſſiſſe oſtendit: ac ſubindè Nymphas inducit Dearum agmen comitantes, quas etiam in Choros, per enumerationem diſtinguens Lætabundas, exultanteſq; deſcribit, dupplici appoſita ſimilitudine, alterâ ex Amazonum Triumphis, alterâ ex Bacchantium deſumptâ tripudijs, vt ſcilicet magis earum exprimat iubilationes.

TALI &c. Iactantiam, qua ſe circumſpiceret Proſerpina, ac fimbrias, & filacteria dilataret, oſtendit; eamq; tantam fuiſſe exprimit, vt iure illi aptari poſſit, quod de Armida ſua inquit Torquatus Hieroſ. lib. Cantu 16.

Nel ſuperbo Pauon ſi vago in moſtra
Spiega la pompa dell'occhiute piume;
Ne l'Iride ſi bella indora, e moſtra
Il curuo grembo, e rugiadoſo al lume,

Sed etiam vlteriùs laſciuientem pompis oſtentat, quippè Veneris ſectatricem.

TALI. Tale, & quale ſibi inuicem, vt plurimum, vel apertè, vel tacitè correſpondent. Hic, non expreſſa quidem, ſed virtualis ineſt correſpondentia; nam idem eſt, ac ſi diceret: *Tali*, quale iam audiſtis, *culeu*; nam *Tale* idem ſonat, ac *huius modi*, ſeù *huius generis*, correlatiuè ſcilicet ad iam enarrata correſpondens.

CVLTV. Totus Mundus muliebris nomine cultus comprehenditur; idem enim eſt *cultus*, ac *ornatus* hic ad ea tantum refertur ornamenta, quibus inſtructa ſuperiùs vidimus Proſerpinam; ac per ſextum cauſalem effertur caſum, vt cauſa attingatur, cur vanæ Gloriæ pennis elata laſciuiret Proſerpina.

LVXVRIAT. *Luxuriare*, ſeu *luxuriari*, (nam & neutrum, & deponens idem reperitur verbum) à Luxurie deriuationem agnoſcit ſuam. Luxuries autem eſt immodicus voluptatum, deliciarumq; vſus, nimiaque, non modò in rem veneream, ſed etiam in molliorem veſtitum, lautioreſque epulas profuſio, qua ſępè triumphat Venus, ideoq; nil mirum, ſi ex hac, tamquam ex ineluctabili fomite, venereæ diſſolutiones exiliant: atque ideò monebat Apoſtolus abſtinendum à vino, in quo eſt luxuries. Itaque vt Veneri addictam, iamq; ab illa ſub iugum miſſam indicet Proſerpinam Vates, eam luxuriantem in veſtibus deſcribit.

COMITANTVR EVNTEM &c. Comitatum iam Proſerpinæ deſcribere aggreditur, vt pateat quanta in exiſtimatione apud Nymphas omnes eſſet illa.

NAIADES. Quænam ſint Naiades Nymphæ iam vidimus in Præfatione ad hunc lib. Carm. 3. quarè hic tantum reddenda ratio, cur Naiades potiùs, quam alias vel Cæli, vel terræ Nymphas, in comitatum adduxerit. Primum itaque memineris, Proſerpinam in Siculis degiſſe aruis, Siciliam autem fluuialibus aquis vberrimè affluentem eſſe; ex hoc enim facile noueris, Naiades ibi, nempè fluuiatiles Nymphas frequentes eſſe; atq; intelliges, quam bene ſibi ipſi ſemper cohæreat Vates; nam, cum, ad loci naturam reſpiciens, initio huius libri, riguos dixerit Siciliæ ſaltus, Naiades hic riguorum præſides, coherenter maximè, in comites adſciuit. Secundo memineris, Ductricem his eſſe Venerem ex aquis vtiq; progenitam, ac triumphos meditantem, ideòq; congruum fuiſſe, vt adijcerentur Naiades, Proſerpinæ ſequaci plaudentes, cum Nymphæ aquarum ſint. Tertio, ſi aquei, vt in ſupra relatâ ſententiâ, ſint Cæli, quæ vnquam melius, quam aquarum Nymphæ, cæleſtes Deas comitentur? Certè, in hoc ſenſu, Cæleſtes etiam ipſæ aquarum Nymphæ, Naiades videlicet declarantur, quarè cauſam ſuam agebant ipſæ dum Proſerpinam ſequerentur. Denique, cum Proſerpina nil aliud ſit, quam *vt fœminam*, cui humor vtiq; vigorem miniſtrat ad vegetandum, erumpendumque in germen, & fructum; iure aſſociata, ac ſtipata Naiadum Choro deſcribitur illa, quæ etiam Naiades, quaſi parum de Deabus cæteris curantes, ſic reliquas comitentur, iiſq; obſequium ſic præbeant, vt tamen vni Proſerpinæ ſuæ ancillari videantur; nam ideò ſtatim poſt mentionem de Proſerpina factam ſubditur *comitantur euntem*, non autem dicitur euntes, & iure profectò, nam hæ ſunt eius miniſtræ illæ, de quibus lib. 3. habebimus: *Quo melle miniſtræ &c. Naides* legendum contendit, & ſic de facto legit Heinſius: & rationem reddit; nam Naiades à Naia, inquit ipſe, Quadriſillabum eſt. Non inficior, quadriſillabum inueniri apud Virg. Ecl. 6. vbi hæc habentur

Ægle Naiadum pulcherrima: iamq; videnti &c.

Sed cur triſillabum fieri non poſſit, ita vt ſecunda vocalis in conſonantem tranſeat, non video; immò apud eumdem Poetarum Principem illud Triſillabum lego Ecl. 10.

Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuere, puellæ
Naiades, indigno cum Gallus amore periret?

Certè Ouid. Metam. 2. triſillabum facit, dum ſic ibi

Naiades Heſperiæ trifida fumantia flamma
Corpora dant tumulo; ſignant quoq; Carmine ſaxum.

& Metam. 14. de Nauibus Troianorum in Nymphas verſis ſic habet

Naiades æquoreæ, duriſq; in montibus ortæ,
Molle fretum celebrant, nec eas ſua tangit origo.

Statius pariter in Achil. ſic triſillabum pronunciat

Naiades atnaas inter Diana, feroxq;
Pallas &c. Idemq; Syl. pri.
Nec ſibi ſulphureis Lucrinæ Naiades antris &c.
& *Naiades vndarum Dominæ, regemq; coruſci*
Ignis &c.

Vel igitur & his omnibus error irrepſit; vel certè hallucinatur Heinſius, quamuis cæteroqui erudítiſſimus.

COMITANTVR. *Comitari* idem eſt, ac *ſe comitem exhibere*, & propriè importat Minorum erga Maiores obſequium, vt alibi vidimus. Ex quo patet, quam ſedulò Poeta mores ſeruet, ac dignitatum gradus diſtinguat, & maiorum, minorumque, iuxta vniuſcuiuſq; conditiones, rationem habeat: dum Naiades inferiores ſuperioribus obſequentes inducit Deabus, dum *Comites* ſubſequuntur, ac quaſi pediſſequæ comitantur.

EVNTEM. Particip. præſentis temporis, à verbo *eo*, hoc eſt. *Ire* autem, licet ampliatiuè ſignificet *quomodocumque iter facere*, ſi tamen preſsè ſumatur, *pedibus itinerantem pergere* ſignificat: & certè pedes ibat Proſerpina, non longè à proprijs ſedibus, relaxandi animi gratia, cum in ſubiectos Campos diuagaretur.

ET STIPANT. Particulam coniunctiuam omitto, de qua ſæpè iam dixi. *Stipare* autem, in rigoroſa loquendi proprietate, eſt *obturamentis aliquid, tu rimas fatiſcunt, implere, & condenſare; ita vt nulla remaneat rima*. Verùm, quia is, qui, conferto agmine circumſeptus, incedit, videtur ne rimam quidem inuenire, qua ex circumſepientibus elabatur, hinc factum, vt *ſtipare*, per tranſlationem, idem ſignificet, ac *frequenti facto concurſu, aliquem comitari*. *Stipant* itaque, inquit Poeta, vt & numeroſum aſſerat Naiadum agmen, & vniuſcuiuſq; ſtudium exprimat, quo vnaquæque propius ad Proſerpinam accedere conaretur, ex quo factum fuerit, vt & ſe inuicem ſtiparent concurrentes, & ipſi Proſerpinæ, conferto agmine, viam penè præcluderent ad reditum, ſi redire voluiſſet.

VTRIMQVE *ab vtroq; latere*: ſed *vtrimq;* hic ponitur ad exprimendas omnes partes tàm ſcilicet laterales, quàm à tergo relictas, vt ex ſequenti patebit: ſic ſtipatores, qui & corporis cuſtodes dicuntur Principibus adſtant, quibus deſeruiunt.

CORONA. A Choro, abiecta aſpiratione, hoc præſertum

tim loco, coronæ nomen deducitur; vt oſtendat Naiades Proſerpinam cingentes, rotundo cœtu, à lateribus eam pariter, atq; à tergo ſtipantes. In hoc eodem ſenſu *verbum* à corona deriuatum vſurpatum vidimus lib. 1. Cann. 108., vbi etiam quid nomine Coronæ intelligatur, explicauimus, quantum ad rem etiam præſentem faciat. In hoc eodem ſenſu locutum nouimus Virg. Æn. 10, vbi ſic habet

Quærunt pars aditum, & ſcalis aſcendere muros
Qua rara eſt acies, interlucetq; corona
Non tàm foſſa viros &c. & paulò poſt
Vt fera, quæ denſa venantum ſepta corona
Contra tela furit &c.

Pariter Crucis Cycnus lib. 26. in fine, & ad rem aptiùs.

E quella egl' hà d'intorno à ſe raccolta
De più ſani guerrier lieta corona &c.

Cum videlicet Chriſtianus Imperator Coſroæ Legatos exciperet, & quid peterent exponere iuberet.

SOCIA. Exprimit hic affectum quo Nymphæ Proſerpinam ſectarentur, nempè omnem, cum illa fortunam, omne periculum ſubituræ; nam ſocius dicitur, qui fortunarum, infortuniorumq; alterius ſe ſe participem præbet. Talem itaque & Nympharum eſſe oſtendit Vates affectum; hoc vno ſeruato diſcrimine, quod ſocius præſupponitur conſcius rerum agendarum; atq; adeò ad omnia, ex conſultò paratus: Nymphæ, ignaræ futurorum, in proſperis conniuentes, videbantur, affectu ſuo polliceri, ſe extrema omnia, cum illa ſubituras. Ideò *ſocia*, hoc eſt amicabili, *corona*.

QVÆ FONTES &c. Ex enumeratione aquarum diuerſis locis erumpentium, vel diuerſis itineribus elabentium, varios circa Proſerpinam Naiadum Choros adſtitiſſe, oſtendit; eoſque ſingillatim diſtinguit: ſed, in vnicum cur facilè coaluerint Chorum, inſinuat, non ſolum quia omnes Naiades dicantur, & ſint; ſed quia omnes Siculorum Præſides fontium eſſent; nam communis Patria animos facilè omnium conciliat. Incipit autem enumerationem à Nymphis Crimniſi fluuij, quem & præſertim, per apoſtrophem, alloquitur, vt illi primatum inter cæteros attribuat, non ſolum quia proprium fluminis haberet Numen; ſed etiam quia, Troianorum propagine, inter omnes, Celebris emineret, cum Aceſtis Genitor ex Egeſta Hippotæ Troiani filia dictus fuerit, vt mox fuſiùs explicabimus.

QVÆ. Relatiuum quidem hoc eſt, Naiades antecedenter memoratas in memoriam reuocans; ſed inſuper vim habet partitiui, & diſtributiui; nam, hoc loco, Naiades ab inuicem diſtinguit; per Choros diſtribuit, atq; vnicuique Choro proprium attribuit diſtinctiuum.

CONCELEBRANT. Verbum eſt compoſitum ex præpoſitione *cum*, & verbo *celebro*; eam habet vim, vt notet multorum, in vnius honorem conſpirantes, animos: nam *concelebrare* eſt *cunctos ſimul animis votis celebrem facere*, ſeù *honoribus cumulare*. Primus itaque Nympharum, Proſerpinam comitantium Chorus ille erat, qui Naiades illas complectebatur, quæ, circa Crimniſum amnem incolentes, illius vndas celebres efficiebant, honoribuſq; augebant.

CRIMNISE. Crimniſus, alijs, cum Heinſio, Criniſus, & Crinillus; ſeù Crimiſus alijs, celebris Siciliæ fluuius eſt, vulgò *el Freddo, ò Fiume di S. Bartolomeo*. Sed, quia innuimus, hunc Troianorum progenie clarum fuiſſe, referendum eſt quod, id circum, recenſeat Seruius. Cum Laomedon Neptuno, & Apollini mercedem, pro ædificatione murorum Ilij iam pactam, denegaret, iratus Neptunus Troiæ Cetum immiſit, vt eam deuaſtaret. Conſultus Apollo, malis auibus, reſpondit, Puellas beluæ obijciendas. Iamque funeſtabantur nobiliſſimæ Troianorum familiæ, execranda nimis, Puellarum Litatione; cum Hippotes nobilis Troianus, Egeſtæ Pater, metuens, ne & Filia ſua Ceto exponeretur, naui impoſitam ventorum arbitrijs commiſit, vt potiùs, ſe non vidente, mergeretur, quam, ſe inſpectante, voraretur. Egeſta autem, caſu, à ventis in Siciliam delata, Crimniſo, ſiculi ſcilicet illius fluuij Deo, ſic placuit, vt ille, in Canem, ſeù, vt alij malunt, in Vrſum conuerſus, ſibi eam arripuerit, ac compreſſerit, filiumq; ex eo concubitu Aceſtem, qui poſtea Siciliæ tenuit imperium, mox ſuſceperit. Quæ etiam omnia ab Alicarnaſſæo, ac Licophronis interprete traduntur; eaq; attigit Virg. Æn. 5. vbi habet

At procul excelſo miratus vertice montis
Aduentum, ſociaſq; rates, occurrit Aceſtes
Horridus in iaculis, & pelle Lybiſtidis vrſæ;
Troia Crimiſo conceptum flumine Mater
Quem genuit &c.

Benignè itaque conceptus ſubindè, vt Virg. cit. refert, ab Aceſte Æneas, procellis in Siciliam actus, nouam, ipſo concedente Aceſte, in Siculis oris vrbem condidit, eamq;, ex nomine Matris, quæ Aceſtem genuerat, Egeſtam nominauit. Hanc vrbem Crimniſus alluebat, quaſi & ipſa dilectæ ſuæ monumenta geſtientibus complectens vndis lætaretur. Cum itaque tantis inſignitus trophæis, ac decoramentis Crimniſus fuerit, nil mirum, ſi etiam, primo loco, Naiades illi ancillantes numerentur; atque ad ipſum, quaſi præ alijs omnibus conſpicuum, conuertatur oratio.

FONTES TVOS. Fons à fundendo dicitur, eo quod aquas fundat: quarè nil aliud eſt fons, quam prima aquarum erumpentium ſcaturigo. Verùm, cum Naiades, non ſolum originarijs aquis, ſed & longè præterlabentibus præſint, cur fontem hic potiùs, quam totum flumen à Nymphis aſſerat concelebratum? Diceret ſuperficialis Interpres, partem pro toto poſitam, per ſynecd., ſicuti & numero plurali vtitur hic Vates pro ſingulari. Et veriſſima vtiq; diceret; nam fontes certè pro toto hìc poſuit Vates fluuio. Sed cur potiùs fontes, quam alueum, ripam, vndam dixerit; nam, & hoc pacto, partem pro toto poſuiſſet? Aduerte igitur, artificiosè ſumptos à Poeta fontes; nam, cum Nymphis, aquarum ſcilicet Deabus, ſedes eſſet aptanda, certè ibi aptari debuit, vbi puriores, defæcatioreſq; ac dulciores exiſterent aquæ; vt tales profectò ſunt, vbi primo ex fonte erumpentes, nondum ſordes terræ, quam ſubinde defluentes alluunt, contraxerint: quod in cauſa fuit, vt, apud Poetas, ſumma inter oblectamenta *Dulcis aquæ ſaliente ſitim extinguere riuo* meritò enumeretur. Adde dictionem Poetæ non carere eruditione: nam in Nympharum olim poteſtate præcipuè poſiti cenſebantur fontes; adeò vt, ſi quem fontem Antiqui, excauantes, reperiſſent, munus eſſe Nympharum arbitrarentur; pro quo etiam ſacrificia illis offerre conſueuerint. Ideò fontes potiùs, quam aliam fluminis partem Nymphis aſſignat eruditè Claud.

ET QVÆ CONCELEBRANT &c. Secundum aſſignat, in comitatu Proſerpinæ, Nympharum agmen, ex Pantagia aduectum. Primæ autem hic appoſitæ particulæ, nempe *& quæ concelebrant*, ſatis iam explicatæ ex dictis, feſtinantem non remorantur.

PANTAGIAM. Siciliæ item fluuius Pantagia eſt, alijs Hippatis, vel etiam Pantacus, & Pantacius. Paruulus hic quidem fluuius eſſe dicitur, cum à fonte ad oſtium ſex tantum millibus paſſuum protendatur. Quò tamen minor aquarum ductu, quo ad extenſionem, eò maior, ſtrepitu quo, aquis tumidus, totam ſonitu complet Siciliam, vnde etiam Seruius nomen putat accepiſſe, & *Pantagiam*, quaſi *Partagiam* dictum autumat; nam παταγὸς ſonitus interpretatur. Verùm non inde nomen deducit Claudianus, vt ex contextu patet, ſed ἀπὸ τοῦ πάντα ἄγειν, ideſt *cuncta obuia ſecum rapiens*: & quidem radicalior hæc eſt Ethimol. nam cauſa, cur tantopere obſtreperet erat, quia, confertum ſaxis alueum habens, ſaxa decurrens, ſumma vi, emoliebatur, ac inuicem decuſſantia toto impetu euoluebat. Incolæ autem, vt ea ſe ſtrepitus vexatione liberarent, extracta ſaxorum congerie, placidum, ac ſilentem fluuium reddiderunt: Quod ipſum ſubinde anſam dedit Poetis hoc flumen Fabulis exornandi: dixerunt enim, illud ſummo decurrentem fragore ante raptum Proſerpinæ; poſt raptum verò Deorum iuſſu conticuiſſe, ne Cererem quærenti filiam obſtreperet. Ex quo vides, quam aptè huius fluuij Nymphas Proſerpinam comitantes induxerit, quaſi ad Cataſtrophem pertinentes. Huius Fluuij meminit & Virg. Æn. 3. vbi habet

Ecce autem Boreas anguſta à ſede Pelori
Miſſus adeſt: viuo prætervehor oſtia ſaxo
Pantagiæ, Megaroſque ſinus, Tapſumque iacentem.

ROTANTEM SAXA. His, ſatis mox ſupra explicatis, aperit Poeta fontem, vnde ipſe Ethimologiam nominis deduxerit. *Rotare* enim, à quo particip. *rotantem*, idem eſt, ac *circumagere*, atque *in modum rotæ verſare*. Saxum verò maius, aſperius, duriuſue, quam lapis, eſt; licet interdum pro lapide ponatur. En cauſam, cur, tanto ſtrepitu, iuxta explicata, decurreret.

ET QVÆ CONCELEBRANT GELAN. Ne mireris ſi tertio idem repertum verbum, nam tria hæc membra ſunt vni, eidemque verbo per adiunctionem figuram alligata. Tertium igitur hic notat Chorum, in comitatu euſdem Proſerpinæ exiſtentem, atque ex Fluuio Gela progreſſum. Primæ, vt ſupra, parent particulæ. Iam *Gelan* explicemus. *Gelas*, ſeu *Gela* à pruinis gelidis, vt plurimum, ſtipatur, vt ferunt, ex iiſque nomen deſumpſit. Flumen & iſtud Si-

gelæ eſt, cuius meminit Io. Barclaius initio Argenidis ſuæ inquiens *Nondum Orbis adorauerat Romam, nondum Oceano decedebat Tybris, cum ad oram Siciliæ, qua flumius Gelas maria ſubit, ingentis ſpeciei iuuenem peregrina naues expoſuit.* Alij tamen Gelam dictum autumant, cum Stephano ab atrâ, nimiâque nebula, quam exhalat, quippe *gelidiorem* barbaro quodam nomine *Gelan* Siculi appellant: Hellanicus verò, & Proxenus Gelan teſtantur dictum à Gelono quodam filio Hymnari ex Ætna ſuſcepto. Ariſtænetus, & Phaſelides tradunt Lacium, & Antiphemum conſuluiſſe Apollinis Oraculum, quod Antiphemus riſu acceperit, indeque coloniam ab eo conſtitutam circa id flumen Gelan fuiſſe appellatam, & ex ea Flumen ipſum. Nam γελᾶ latine *Riſit*. Sed quidquid ſit de hoc antiquo fluminis nomine, certè illud notiori vocabulo *Himera* nominatur, cæcis, crebriſque vorticibus difficilis, & tranſitu nunquam tutò, quare de eo Ouid. Faſt. 5. ait

Et te vorticibus non adeunde Gela.

& immanem eum, eadem de cauſa, appellat Virg. Æn. 3. vbi memorat Ciuitatem ab eodem flumine dictam.

Immaniſque Gelas fluuij cognomine dicta.

Videtur contra nos apertè ſtare Parrhaſius, qui Himeram ab ipſo Gela diſtinguit, dum in hunc locum ait, cunctas ferè Siciliæ ciuitates nomen à præterfluentibus traxiſſe. Duris, Himeram, Syracuſas, Selinunta, Phœnicuntem, Æricum, Camicum, Alycum, Thermum, Camerinum, Gelam. Vbi vides Himeram ab Himera flumio. Gelan à Gela item flumio nominatur. Sed aduerte, hunc fluuium de quo agimus, in duas diuiſum eſſe, vt aſſerunt partes, quarum altera dulcem, altera ſalſum retineat ſaporem. Ex Nebrodide monte ortum aſſerit Plin. lib. 3. & Geminum inde factum, ita vt alterum cornu in Auſtrum, alterum in Occaſum, & Boream diffluat: Illud vulgò *ſalſo*, ſeu *ſalſe*, ex maximis totius inſulæ eſt: iſtud vulgò *Fiume grande*. Illud ad Gelan Vrbem, quam ex antiquo ſuo nomine denominat, iſtud, ad Thermas Himeræ, Pelago excipitur Himera dictus, & Himeram denominans vrbem. Cum tamen denominatio deſumenda ſit à potiori, ex illo maximè cornu totius fluminis denominationem deſumit Claudianus; ex illo, inquam, cornu, quo Vrbi Gelæ nomen attribuit, vulgò *Alicata*, quæ vrbs olim fuerit celebris, nunc exciſa.

QVI PRÆBVIT NOMEN VRBI. Explicata iam hæc ſunt; ideò paucis rem abſoluo. *Qui* relatiuum eſt Gelan ipſum reuocans in mentem. *Præbere*, vt alibi diximus eſt *prabehere*: quare nomen, quod ante habuit, fluuius impertitus eſt Vrbi, iuxta dicta ex Virg. ſupra.

QVAS PIGRA VADO &c. Quartum recenſet Chorum. Eſt ne figura repetitio, qua, in ſuperioribus, vſus eſt, frequentata nimis, obſoleſcat Traductione interſecat, & exornat.

QVAS. Itaque in eodem ſenſu intelliges, quo ſupra particulam *qua* explicuimus, ita vt ad Nympharum ſpectet diſtributionem.

NVTRIT. Verbum eſt, ea omnia vnicâ exprimens dictione, quæ perita, atq; amans Nutrix, in alumnis educandis exercere ſolita eſt, dum illos, vt ſuos amplectitur, fouet, alit &c. Et profectò aquatiles Nymphæ quodnam aptius, quàm ex aquis, deſumant alimentum? Quo gratiori fruantur gremio, quibus magis delectentur amplexibus? Ideò *Nutrit*, ideſt *educat, fouet, & ſuas agnoſcit effectu non minus, quàm affectu*.

VADO PALVSTRI. Hoc eſt aqua Paludem efformante. Quid enim *Vadum* ſit, iam vid. lib. pr. Carm. 23.

CAMARINA. *Camerina*, non *Camarina* legit, & legendum eſſe contendit Heinſius tam hic, quam apud Virg. ac Ouid. vbicumque huius nomen Paludis reperiatur. Miror profectò tantæ eruditionis virum, in hac de nomine quæſtione, lectionem ſuam enixè ſuſtinentem, cum, vt idem ipſe eodem fatetur loco, καμαρίνα apud Græcos auctores certè legatur. Hæc igitur inſignis illa Siciliæ Palus, ex qua prouerbium emanauit: *Camarinam mouere* pro *ſibi malum accerſere*. Scio & herbam eſſe, Camarinam nomine, peſſimi odoris adeò, vt concuſſa nauſeam faciat, ex quo Suidas prouerbium deduxerit: *Caue moueas Camarinam*. Hic certè de Palude ſermo eſt, cum de Naiadum ex ipſa deducto agatur Choro; Naiades enim Aquarum Nymphæ ſunt, vt vidimus. Hæc apud Vrbem, eodem ab ipſa nomine nuncupatam, inter Gelam Vrbem, ac Pachinum Promontorium, aquis graueolentibus adeò ſtagnabat, vt peſtem fœtore generaret. Conſuluerunt itaque Apollinem Vrbis incolæ adiacentis, expediretne ipſis Camarinam exſiccare ac reſponſum tulerunt, *Camarinam non eſſe mouendam*: quod aptè memorat Virg. Æn. 3.

Et fatis nunquam conceſſa moueri

Apparet Camerina procul, campique Geloi.

Neglecto tamen illi Oraculo Paludem, peſtis fontem, exſiccarunt: ex quo factum, vt per exſiccatam Paludem, ingreſſis hoſtibus, captâ, & direptâ Ciuitate, neglecti Oraculi pœnas dederint Ciues. Sed nota hic obiter emphaticum ſententiæ, in verbo contrapoſitum. *Camarina nutrit*, quod idem eſt, ac dicere: *Peſtis procreatrix valetudinem bonam impertitur: Mortis pharetra vitam largitur; Virus alimentum eſt non venenum*: vt intelligas haſce Nymphas, licet non omninò immortales, vt in præfatione diximus, tantæ tamen perfectionis habuiſſe naturam, vt, quod alijs mors eſſet, illis cederet in alimentum, & nutritionem. Et nota, quam acutè alludat ad vim Naturæ inclementiam natalis loci in fælicitatem inibi naſcentium conuertentem. Sed quod caput eſt, nota, quàm exactè, dum Proſerpinam, Veneris ſequacem proſequitur, omnia in Hieroglyphicum, atque imminentis preſſuræ omina conuertat Vates. Laſpidis veſtes colligentis præſagium vidimus: at veſtes ipſæ malo nequaquam omine caruerunt. Solem geſtabant, ſed inualidum: Lunam, ſed vix apparentem; vt indicarent, ad locum, quo Proſerpina raperetur, Solem, vt penetret, vires non habere; Lunamque ijs tenebris expellendis incerto ſemper lumine langueſcere. Solem denique, ac Lunam Planetas ſcilicet maximè optandos, quia protinùs amiſſura, cum viſura ampliùs, niſi per ſpecialem Iouis diſpenſationem, non eſſet, effigiatos portat in veſtibus: eaq; ipſa futura erat Tethys, ideſt inceſſantis Oceanus amaritudinis, cuius lacrymis, vitrei, quaſi vberis libamine conclamatis ſibi ſideribus propinaretur. Comitantur Naiades, & primum obtinent locum, quæ Crimniſum colunt, comites videlicet Ægeſtæ à Numine quidem, ſed monſtroſo, vt ſupra, raptæ, ac compreſſæ; vt exitium Proſerpinæ, dum comites fiunt, vaticinentur. Sequuntur Pantagiæ, fluminis ſcilicet ſaxa rotantis, ac fragore omnia complentis Nymphæ, vt ex ijs omen haberet Proſerpina, ſe mox à Syſipho ſaxum perpetuò rotante comitandam, qua Cocytus æternis Inſonat fletibus, qua Acheron aſſiduis complet fragoribus Orcum. Succedunt Gelaniæ Perpetuis addicendam Inferorum pruinis, ac Caliginum tenebris, comitantes, mixtumque Dominæ, quam ſequuntur, imperium præſagientes; nam dulcibus Gelæ humoribus Elyſiorum portendebantur dulcedines; ſalſis verò eiuſdem fluctibus tartareorum amaritudines præfigurabantur. Sed parum tandem hoc ipſum erat, ni & ſibi Camarinam moueret infælix Proſerpina. Ideò quas nutrit Camarina

PIGRA. Vt ipſam Cocyti tarditatem, ac flebile illud ſtagnum in mentem reuocaret; nam *Piger* idem eſt, hoc loco, ac *minimè fluidus*, conſequenter *impurus, fœtens &c.* vt aquas eſſe ſtagnantes experimur.

QVAS ARETHVSÆI LATICES. Quintum ex Arethuſa Chorum iam indicat; Arethuſæus enim poſſeſſiuum nomen eſt, ab Arethuſa deductum. Porrò Arethuſa, ſi fabulas reſpiciamus, Nympha venatrix fuit, Dianæ comes, quæ, cum fortè ſe in Alpheo fluuio lauaret, ita fluminis Numen in amorem pellexit, vt ipſam retinere conatus ſit; quod illa vt animaduertit, celeri elapſa curſu amatorem fugere conabatur: Verum, cum velociorem in curſu Alpheum effugere non poſſet, implorato Dianæ ſuæ auxilio, eiuſdem miſeratione, in fontem ſui nominis dicitur conuerſa. Viguit tamen ipſis in vndis odium ab ipſa in amatorem conceptum, ac ne ex cognitione Alphei fluminis, qui, vel in vndas elabentem, ſequebatur, effoſſis ſub terras cauernis ſubterraneo curſu in Siciliam vſq; aufugit, ibiq; è terra tandem, vberrimo aquarum fonte, apud Syracuſas emerſit, vnde & Syracuſæ Arethuſides dictæ ſunt ab Ouid. Faſt. 4. *Vtq; Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis &c.* quaſi natiuus Syracuſis humor, natiuo ibi egurgitet fonte, vnde & Pindarus Arethuſam Siciliæ fontem celebrat. Verùm, ſi, omiſſis fabulis, veritatem ſequamur hiſtoricam; geminos eſſe fontes ferunt in Arcadia, Piſis ſcilicet vnum, Elide alterum, Arcadiæ vrbibus: Illum Alpheum, hunc Arethuſam vocatos. Aliqui dicunt vtrumq; in *Elide* natum, ſed diſtinctis locis, quod & Poetarum ſententijs congruere videtur, nam Ouid. Metam. 5., ore eiuſdem loquens Arethuſæ, eam ex *Elide* oriundam apertè nominat, licet & Piſam eius indicet Patriam; nam ſic, ipſam induens, loquitur ibi

Piſa mihi Patria eſt, & ab Elide ducimus ortus.

Verùm

Verùm aduertendum eſt, aliud eſſe *Elidem vrbem*, aliud *Elidem vrbis regionem*; nam tota regio, vbi & Elis, & Piſa Ciuitates ſunt, *Elides* nomine nuncupatur. Dicit itaque ibi Arethuſa, ſe ex *Elide* eſſe; non quidem ex *Elide vrbe*, ſed ex *Elide regione*, in qua Piſa ſita eſt; hoc autem dixit ad diſtinctionem; nam altera etiam Piſa fuerat in Theſſalia: & Piſæ iterum in Hetruria; atq; ideò opus fuit, vt, addita regione, Piſam ſuam à cæteris diſtingueret. Propè autem Alpheum fluuium hæc Piſa eſt; idcircò, & quia Arethuſa ſub terram mergitur, fugere dicta eſt ab Alpheo, qui certè ortum habet in Elide ciuitate, vt habetur ex Virg. Æn. 3. vbi clarè ſic

. . . . . . Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis.

nam, quia etiam Alpheus ſubterraneis hiatibus mergitur, amore captus dicitur Arethuſæ, eamq; in Siciliam vſque ſecutus: & quidem, Arethuſæ ſe, ſubterraneis clauſtris, immiſcere videtur, ex eo, quod ferant, res, quæ ab Incolis Elidis in Alpheum, ibi, proijciuntur, in Sicilia ab Arethuſa reiectari, & vice verſa, iacta in Arethuſam Siciliæ alibi ab Alpheo reiectari; quæ inter naturæ miracula retulit Ariſtoteles. Quarè aliqui filiam Alphei faciunt Arethuſam, ideſt ex eodem tamquam primo originario fonte progenitam, atque ex eo promanantem. Alium Arethuſæ fontem in Eubœa referunt reperiri, cuius aquas qui potant, à virtute bellica commendantur, Apollinis oraculo; alium etiam Beotiæ propè Thebas extare memorat Solinus: Octo Arethuſæ fontes diuerſis in locis erumpentes enumerat Dydimus in Homeri commentarijs. Hic certè Vates de ea loquitur Arethuſa, quæ Siculis emergit in oris. Nympha igitur Syracuſani fontis Arethuſa nunc eſt; & Syracuſam ſuam ſibi vindicat Patriam, vt ait apud Ouid. cit. his verbis

Sicaniam Peregrina colo; ſed gratior omni
Hæc mihi terra ſolo eſt: hos nunc Arethuſa penates
Hanc habeo ſedem &c.

Quarè dum Arethuſæas Nymphas in Proſerpinæ comitatum adducit Poeta, expreſſum illius eiuſdem ſubterraneis addictæ, quas fugerat, nuptijs, Hieroglyphicum viuis hiſce erexit figuris.

QVAS. Subintellige *nutriunt*, per Synecd. omiſſum, *Arethuſai*, hoc eſt ex eliquata in fontem venatrice Arethuſa, de qua Virg. Georg. 4. ait

Et tandem poſito velox Arethuſa ſagittis.

ad auras, Siculo in ſolo, longè, latèq; effuſi.

LATICES. *Latex* à latendo dicitur humor intra aliquid latens; quarè argutè admodum, & emphaticè, humores Arethuſæ *Latices* dicuntur, cum, per tot ſpatia terrarum, ſubterraneis lateant in Clauſtris: vt de ſe ipſa inquit illa apud Ouid. cit.

. . . . Mihi peruia tellus
Præbet iter, ſubterq; imas ablata cauernas
Hic caput extollo, deſuetaq; ſydera cerno.

QVAS NVTRIT ALPHÆVS ADVENA. Sextum notat comitantium agmen Nympharum, ex Alpheo fluuio, peregrinis vndis Siciliam abluente, demandatum. Primæ particulæ, ex dictis, in aperto ſunt. *Alpheus* quis ſit; &, quomodò Siciliam alluat, pariter dictum: nam adeò implexus Arethuſæ eſt, vt non potuerit Arethuſa explicari, quia explicaretur Alpheus, quem Dionyſius Apher ex eodem cum Eurota flumine aſſerit natum fonte, & fontem *Aſeam* appellauit. Alpheus autem dicitur à vitiliginibus, quas emendat, nam Græcis vitiligo ἀλφὸς eſt. Verùm ſi huius nominis Ethymologiam inquiras magis facientem ad rem noſtram, dixeris, Alpheum dictum à græco verbo ἀλφεῖν quod Latinis eſt *inquiro*; inquirens enim Arethuſam iure *Alpheus* dicitur. Vnica in textu igitur iam remanet difficultas, nempè, cur Alpheus Aduena Siciliæ dicatur, non verò Arethuſa, cum & ipſa peregrina ſit, ex Ouidio cit. Aduena ex *ad*, & *venio* compoſitis deriuatur, quaſi *adueniens incola*: ex quo patet, aduenam dici debere, & eſſe quemcumq;, qui ex longinquo aliquo loco, vbi natus ſit, ad aliquam venit Ciuitatem, vel locum, ibiq; ſibi domicilium elegit. Hoc tam in Arethuſa, quàm in Alpheo, ex dictis, reperitur. Quarè vterque fons *aduena* certè, reſpectu Siciliæ, eſt; ideſt aliundè veniens. Verùm, quia, vt diximus, proprium ibi habet fontem Arethuſa, ita vt videatur è Sicilia ipſa exoriri; Alpheus verò non habet proprium fontem ibi; ſed tantum, mutuato quaſi, Arethuſæ profluit ex fonte; hinc eſt, vt illi potiùs, quam Arethuſæ, nomen aduenæ conueniat; ille non ſolum aliundè veniat, ſed nec ibi proprium habeat domicilium, ſeù fontem; ita vt, transfugarum more tantum, adeſſe videatur.

Nota & hic ſymbolum inſidiantis, & perſequentis, vt comprimat inuitam, dum Alphei Naiades Proſerpinam comitantur.

CYANE TOTVM &c. Ducem Nympharum omnium Proſerpinam conſtituerat, cum eiuſdem veſtigijs inhærere omnes affirmauerit: *Comitantur euntem*: eaſdem, quaſi in aciem educturus, inſtruxerat in corona, Lunata ſcilicet acie explicata: *ſtipant vtrimq; corona*. Iam verò ludibundi huius exercitus, Legati munere fungentem, vulgò *Tenente generale*, Cyanem oſtendit, quæ ſcilicet, & pulchritudine, & dignitate, reliquas antecellens, ſoli cederet Proſerpinæ. Cur autem hanc tali dignetur honore, facilè patebit, ſi quænam ipſa fuerit, & cur inter Deas, perſpiciamus. Fuit itaque

Cyane, vt ſcribit Plutar., ex ſententia Doſithei, Puella, inter Syracuſanas, pulcherrima, Cyanippi filia, quæ peſte Syracuſis graſſante, oraculi monitu, Patrem, ac ſe ipſam, cum Patris deſiderium ferre non poſſet, interemit. Cum autem, talibus hoſtijs, peſtis ſedata fuerit, Syracuſani diuinos liberatrici ſuæ honores decreuere, ac perennem, maximumque fontem, ex eiuſdem nomine appellantes, illi ſacrum fecère, in quo & ipſa, vt iam Dea, credita eſt habitaſſe. Cum itaque & ſola ſui fontis Nympha ſit; & Patriæ fuerit, propriæ vitæ diſpendio, liberatrix, meritò *ſupereminet omnes*, & dignitate cæteris anteponitur. Cyaneum fontem Anapi Siciliæ fluuio admixtum Mare excipit: ex quo datus fabulæ locus, quia Anapis Cyanem adamaſſe, eiuſdemq; amplexibus, fœlix dicitur extitiſſe. Infœlicem tamen, poſt raptam Proſerpinam, eam facit Ouid. Metam. 5. nam, Plutoni aduerſantem rapienti, eam ipſam in vndas conuerſam dicit, ex nimia doloris vehementia; cum incaſſum impedire conata fuerit abuectantem; quod & Auctor noſter lib. ſubindè 3. memorabit. Interim quid canat de ea Ouid. accipiamus.

Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas,
Gurgite, quæ medio ſumma tenus extitit aluo,
Agnouitq; Deam. Nec longiùs ibitis, inquit:
Non potes inuitæ Cereris gener eſſe: roganda,
Non rapienda fuit: quod ſi componere magnis
Parua mihi fas eſt; & me dilexit Anapis:
Exorata tamen, nec, vt hæc, exterrita nupſi.
Dixit; & in partes diuerſas brachia tendens
Obſtitit. Haud vltra tenuit Saturnius iram;
Terribileſq; hortatus equos, in Gurgitis ima
Contortum valido ſceptrum regale lacerto
Condidit: icta viam tellus in Tartara fecit,
Et pronos currus medio cratere recepit.
At Cyane, raptamq; Deam, contemptaq; fontis
Iura ſui mærens, inconſolabile vulnus
Mente gerit tacitâ, lachrymiſq; abſumitur omnis;
Et, quarum fuerat magnum modo Numen, in illas
Extenuatur aquas &c.

Hæc itaque toties deplorabilis Nympha Proſerpinam, quaſi agmen claudens, ſequebatur: omen profectò futuri excidij; nam quid Tragica Nympha, niſi tragicos portenderet euentus?

SVPEREMINET. Verbum ex præpoſitione *ſuper*, ac verbo *emineo* compoſitum eſt, idem ſonans, ac ſe ſuper alios extollere: quod non ſolum de magnitudine corporis, ſed de animi dotibus; immò & de honoribus, dignitatibus, ac ipſis interdum infortunijs, atq; ominoſis indicijs, dicitur; ex quo licet agnoſcere, quam multa hoc verbo, iuxta explicata, Vates complectatur.

TOTVM AGMEN. *Totum* dicitur ad diſtinctionem ab omni, nam, vt notant Grammatici, *Totum*, & *omne* in hoc differunt, quod *Totum* ad quantitatem refertur; *omne* verò ad numerum: *Totum* denotat plenitudinem partium, *omne* verò plenitudinem numeri. Cum itaque hic Nymphæ omnes, in vnum confluerent Chorum, qui per modum vnius, ex plenitudine partium compoſitus, ſumatur; hinc eſt, vt *totum* dixerit *ſupereminet agmen*. Porrò *agmen* propriè importare videtur inſtructum ordinibus exercitum. Verùm & pro quacunq; multitudine, ac copia coeuntium ſumitur: Agminis tamen nomine eſt vſus, vt indicaret, quæ, ſupra, nos de ludibundo exercitu innuimus *in Cyane*.

QVALIS AMAZONIDVM &c. Duplici ſimilitudine, & incedentium ordinem, & lætitiam, exultationemq; Nympharum, Proſerpinam comitantium, amplificat. Et primam quidem, hoc loco, ſimilitudinem deſumit ab Amazonum

zonum cohortibus ; & Proſerpinam Hippolytæ Ductrici aſſimilat , reliquas verò Nymphas reliquis Amazonum, triumphantem, cum plauſu, Ducem ſecutis .

QVALIS. Relatiuum qualitatis eſt, alicuius rei naturam declarans , & quo aptè , in ſimilitudinibus adſciſcendis , & in concinnandis comparationibus vtimur. Sic Virg. Orpheum lamentantem Phylomelæ comparat , hac particulà indice vſus Georg. 24. vbi ait

Qualis populea mærens Phylomela ſub vmbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus Arator
Obſeruans nido implumes detraxit: at illa &c.

Sic pariter Æn. pri. Tyrios , condendæ Vrbi inſtantes , apibus comparans , in laboribus exercendis , hac eadem vſus particula, ſic ſimilitudinem effert :

Qualis apes æſtate nouâ per florea rura
Exercet ſub Sole labor &c.

PVLCHRA COHORS. Cum hac cohorte , per relatiuum *Qualis* , Proſerpinæ agmen confert Auctor. Quarè, ex huius qualitatibus , qualitates illius dignoſcendæ ſunt. *Cohors* ex pluribus peditum manipulis conflatur , & propriè pars Legionis erat , quam alij ex viris ſeptingentis conſtare dixerunt armatis, iuxta Caliſthenem ; alij ex ducentis, cum Æcophoro ; alij ad Centenarium tantummodò numerum eam extendi aſſeruere , cum Plutarco. Sed quidquid de hoc ſit , quod noſtra non intereſt : certe cohors à cohortando dicta fuit, eo , quod ſe mutuo hortarentur in pugnam milites . Quare cum de Amazonum acie agatur hic , ex qua ſimilitudo deſumitur , aptè vtitur cohortis nomine Vates ; nam belligeræ Amazones fuere. *Pulchra* autem hæc dicitur *cohors* , idest *formoſa* , *venuſta* , ac *delectationem afferens inſpicientibus* . Sed contradictionem inuoluere videtur hæc dictio ; nam armatæ acies terrorem , non delectationem , inſpicientibus ingerunt . Aſt memineris , Acies hic , non bellum inferentes , induci , ſed , partis victorijs exultantes : perpendes Amazones eſſe , quæ in armis ſunt; quod idem eſt ac dicere *Veneres armatas* , de quarum vnaquaque dici poſſit, quod de Rinaldo ſuo inquit Taſſus Hier. liber. cantu 1.

Se 'l vedi fulminar , nell' arme accolto ,
Marte lo ſtimi ; Amor , ſe ſcuopre il volto .

Deniq; in mentem adduces , ornamenta ipſa militaria , ex ipſo etiam terrore , delectationem interdum elicere ; quod apertè aſſerit Taſſus idem Hier. liber. Cantu 20. , vbi, cum eductos in pugnam Fidelium , Infideliumq; exercitus, vt de rerum ſumma, plena tandem dimicatione decernerent , deſcripſiſſet , & iam iam irruentes conſtituiſſet , ſubdit

Bello , in sì bella viſta , anco è l'horrore ,
E di mezzo la tema eſce il diletto ,
Nè men le trombe , horribile , e ſonore
Sono à gl' orecchi e lieto , e fiero oggetto &c.

Sicq; prudenter hoc antiteto vſum agnoſces Vatem , ad explicandam ſcilicet Amazonum venuſtatem inter armorum terrores effulgentem , præcipuè cum triumphos , non bellum, peragant .

AMAZONIDVM. Amazones bellatrices , earumq; mares , ac regnum vidimus fusè in præfatione ad hunc lib. Carm. 37. Adeat locum curioſus , ne Crambe hic repetita fatigemur .

EXVLTAT. *Exulto* ab *ex* , & *ſalto* compoſitum verbum idem eſt , ac *præ lætitia geſtiens ſalto* ; & ſignificat *vehementem animi alacritatem, motibus , verbis , alijſq; ſignis , oſtendere* . Verùm , dum militari more loquitur Vates , quid militari more ſignificet *Peltis exultare* , animaduertendum eſt. Scias itaque , ex colliſis ſcutis , & pugnæ, & triumphi ſignum dari ſolitum fuiſſe ; nam , ſicuti moris erat , cum primum hoſtes , collatis ſignis , in propinquum ita proceſſiſſent , vt iam iam pugna eſſet ineunda , ad excitandos militum animos, vno, eodemq; tempore , ſub datum ſignum , ſcuta haſtis percutere ; ita , in triumphis , ob partam victoriam peragendis , ſcutorum colliſione , plauſibus initium dari ſolitum fuit à militibus , qui , ad augendam triumphorum gloriam , vmbratiles bellorum , quæ geſſerant , imagines exercebant, & ad eorum oblectamentum, qui triumphi pompas circumſpectarent . Simili itaq; modo in plauſus effuſas denotat Auctor Amazones , dum ait : Pulchra Cohors Amazonidum exultat .

PELTIS. Pelta exiguum ſcutum eſt , quod Nonnius Amazonium ſcutum appellat , eo, quod apud Amazonas præcipuè in vſu fuerit . Quoniam verò Pelta , apud Virg. lunata dicitur Æn. pri. alibi cit.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis

Penthesilea furens , medijſq; in millibus ardet.

ad quod & Papinius reſpiciens *Lunatum* vocat Amazonidum agmen ; & hoc etiam loco , apud Claudianum adunca dicitur Pelta: *Peltis exultat aduncis* ; non abs re futurum arbitror , ſi huiuſmodi ſcuti formam referamus, quam ſic , apud Pier. lib. Hierogl. 42. deſcriptam inuenimus . Circularis figuræ Clypeum imagineris : circulus autem huiuſmodi lineâ diametrali , ſecus quam , armillis in interiore parte poſitis , brachium inſeratur , bifariam diſtinguatur . Hinc pars circuli , quæ cubitum versùs extenditur, intacto , integroq; orbe circumacta relinquatur : pars verò anterior , qua manus inſerta armillam ſtringit , relictâ tantùm obicis latitudine , quanta , ad tuendam manum , ac brachij partem, ſatis abundè ſit , ita interſecetur , vt circulus vmbonis hinc indè , hoc eſt , ex vtraq; inſertæ manus parte excauetur in modum ſemilunæ , ac cornua, hinc indè interrupta, ſe inuicem in Lunę morem reſpiciat, vt in appoſita figura ex ipſo Pier. deſumpta : ſic enim Luna inferior inſertandæ haſtæ adaptatur ; ſuperior verò commode ad inſpectandum ſinuatur . Ideò Peltis



ADVNCIS. Aduncus enim idem eſt , ac *curuus, tortuoſus* , atque *in cornua deflexus* , vt vides Lunaria in Peltis cornua ex ſupra poſita figura .

QVOTIES &c. Exultationis cauſam notat , abuectam ſcilicet hoſtilibus ex campis prædam , prælio fœliciter geſto . *Quoties* autem aduerbium relatiuum eſt correſpondens alteri aduerbio *toties* , quod hic tacitè ſubintelligitur, omiſſum per ſynecd. figuram : quarè ſenſus eſt : *toties quoties &c.* ſeù *quotieſcumq; &c.* vulgò *ogni qual volta* . Ex quo oſtenditur conſuetudo , qua frequentes aderant Amazones, in huiuſmodi agrorum populationibus ; non enim *ſemel* , aut *iterato* ; ſed *ſæpius* , & *ſæpius* eſt *quoties* .

HIPPOLYTE. Regina illa ſcilicet Amazonum , de qua dix. in præfatione ad hunc lib. Carm. 37.

VIRAGO. Viraginis titulo Hippolytæ meritò condecoratur ex facto : nam *Virago* mulier fortis eſt , quæ , viro ſimilis cum ſit , virilia opera perficiat . Quid autem virilius, quam arma tractare, victorijs inſigniri, triumphis condecorari ?

POPVLATA. Effertur hæc vox actiuè , & idem eſt , ac *quæ diripuerit, vaſtaueritq; hoſtium caſtra, campoſq; populari* enim vulgo *dar il ſacco : ſaccheggiare* .

ARCTON. Hoc eſt Regionem ſeptentrionalem , quam *Arcton* dicunt ab Vrſa , ſeù à conſtellationibus , quas Vrſas vocant, & de quibus nos fuse in præfatione ad lib. 1. Carm. 11. Sed cur Amazones infeſtas potiùs ſeptentrionalibus plagis, quam alijs regionibus aſſeuerer ? Præcipuo profectò iure ; nam Amazones Scythiam primò , ſeptentrionalem vtique plagam, ſibi vindicarunt ; atque , vt ibi longè , lateq; dominarentur ſolæ , regionem armis ſubegerunt , maribus interemptis : Subindè Imperij fines ampliaturæ ſe ſe ad Thermodontem extendêre, tota regione dominantes, eamque imperio parêre armorum viribus coegentes ; ac magnam Aſiæ partem occupauere . Cum igitur , vel vt proprios fines tuerentur , partaſq; bello victorias fruerentur; vel vt Imperij pomeria dilatarent , ac protenderent , ſemper cum finitimis bellum aliquod eſſet illis ineundum; more bellico populabantur , ac deuaſtabant hoſtiles circum agros, qui certè ad ſeptentrionales ſpectarent plagas .

DVCIT. Ideſt ſpontè ſequentibus , Ducis more , præit, atq; ad prædæ diuiſionem , ad Patrias domos , ad quietem trahit , non vi , ſed amore , ſequentes , ac victoriæ fructum percepturas ; hæc enim vis eſt illius verbi *Ducere* , vt alibi vidimus, illud recenſentes : *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt* ; quod tamen quo ad ſecundam partem falſum vidimus .

POST PRÆLIA. Subintellige *proſperè geſta* , *ac fœliciter confecta* . Quid autem prælium ſit , & in quo differat à bello, explicuimus iam ſupra ſatis Carm. 20. Hæ particulæ. vt arbitror, adduxerunt Parrhaſium , & alios , vt, vbi ſupra nos legebamus : *Peltis exultat aduncis* , legerent ipſi : *Peltis exultat ademptis* ; & clariùs Scaliger : *Qualis Amazonidum poſitis agit agmine peltis* . Cum enim poſt prælia ducantur, quid non , poſitis armis proceſſiſſe cenſeantur . Verum aduerte , in more poſitum fuiſſe , vt Milites armati ad triumphum procedentem ducem comitarentur , vt ſupra diximus , quarè perperam , poſitis armis , inceſſiſſe Amazones, dum triumphos agerent, arbitrati ſunt præcitati auctores .

TVRMAS. Hoc eſt, militares ſuos Amazonum ordines; nam Turma ordo militaris eſt , tres equitum decurias , ac

to-

totidem continens Decuriones. Optimè autem Turmarum nomine Amazonum ordines nuncupantur; nam ipſæ poſt hominum memoriam primæ, ni Lyſias Rhetor referens decipiatur, equos conſcenderunt, atq; equeſtri certamine in hoſtes irruerunt.

NIVEAS. Candidas interpretatur Parrhaſ. & formoſas. Ego non æquiualenter, & translatè, ſed formalitèr dictas arbitror Niueas, hoc eſt Niue conſperſas; nam ſeptentrionales Plagæ perpetuis, vt plurimum niuibus rigeſcunt; atq; adeò, ea in regione, belligerantes, nil mirum, ſi, niuibus conſperſæ cadentibus, *niueæ* merito dici poſſint. Noto autem, acutiſſimè à Poeta Amazonum virtutem in armis, hoc addito amplificari; nam laboribus non temperant; itinerum difficultatibus non terrentur; cælorum inclementias paruipendunt, quaſi earum peculiare ſolatium ſit *in Galea potare niues*, vt de Heroe ſuo alibi dixit Claud. idem. Ideò, partâ his omnibus victoriâ, ne excuſsâ quidem ex Galeis niue, alacres Reginam ſuam in triumphum comitantur; ac triumphali plauſu, quaſi nullis vnquam fractæ laboribus, exultantes proſequuntur. Naturam igitur loci, ac virtutem Amazonum indicare, opinor, hic voluit prudétiſſimè Vates.

SEV STRAVERE &c. Cauſam exultationis enarrauit; iam cauſam addit triumphorum ſub diſiunctione, vt, non ſemel triumphaſſe Amazonas innoteſcat. *Seu* enim diſiunctiua particula eſt, qua, ſub diſiunctione, ea iungimus, quorum alterum, non vtrumq; affirmamus: Strauère autem præteritum eſt à verbo ſterno, quod eſt *humi deijcio*, & quaſi *ad terram extendo*. Quia autem, bellorum impetu, vel hoſtes trucidantur, & ſic ad terram, ferreo oppreſſi ſomno, deijciuntur; vel ad deditionem coguntur, qua hoſtes ad victoris pedem procumbentes arma ſubmittere, ac terram ſæpè lingere coacti ſunt; hinc factum, vt *ſternere* pro eodem ſumatur, ac *debellare*, *domitare*, ac *victos in ditionem redigere*. *Siuè* ergo Amazones *ſtrauerunt*; hoc eſt debellatos in ditionem redegerint, mos illis perpetuò vt fuit,

GETAS. Getæ Populi Scythiæ Europeæ pugnaciſſimi ſunt. Quarè vides, quam benè ſibi correſpondeat Vates; nam ſuperiùs dixerat, Hippolytem Arcton depopulatam; hic proſtratam, deuictam, direptamq; Scythiam oſtendit, quæ certe ſeptentrionalis eſt plaga: ferunt enim, Hippolytem Amazonum, de qua ſupra, Reginam, collectis Imperij viribus magnam Europæ partem deuaſtaſſe; ſed Scythis præcipuè infeſtam fuiſſe. Inter Scythicas verò nationes, feras quamtumlibet omnes, nullam eſſe Getis truculentiorem, ait Ouid. de Ponto

Nulla Getis toto gens eſt truculentior orbe.

& tamen Amazonijs ſæpè viribus cedere coacti ſunt Getæ. Ideò ſi quando Hippolyte eos ſtrauerit, maxima vtique triumphandi aderat occaſio.

FLAVOS. Videtur Natura ipſa ſignatis Getas indicijs patefacere; nam paſſim flauos illis indidit crines, qui profectò iracundæ non parùm, crudelis, ac truculentæ naturæ indicium eſſe obſeruantur. Quarè etiam Martial. in Zoilum, quod fuſcus eſſet ore, crine ruber, & lumine luſcus; ait: *Rem magnam praſtas, Zoile, ſi bonus es.*

Ideò igitur, hac ſpeciali nota, ſignat Getas & Auctor, vt ſcilicet ex indicio eorum truculentiam dignoſcamus, quæ quantò maior apparet, tantò magis emicat, eorum domitrix, virtus

SEV FORTE RIGENTEM &c. Alterum hic ſubdit diuiſionis membrum, vt alteram, ſub diſiunctione, triumphorum cauſam oculis ſubijciat; quam vt & nos clarè internoſcamus, ſciendum, Amazonas, vt dicebamus, ad Tanaim primò incolentes, cum ad Thermodonteum vſque imperium dilataſſent, Regiam ibi ſedem ſibi Themiſcytam delegiſſe. Verum anguſtis adhùc, vt ſibi videbantur, finibus detineri ſe nequaquam patientes, ex Scythia Europæa in Scythiam Aſiaticam ſe transferentes magnam Aſiæ partem ſuam in ditionem redegerunt; ac primò Sarmatas, ad Tanaim, in Aſiaticæ ripæ parte, incolentes, prælijs fatigarunt, domueruntque. Verum, ne, ex congenitate nominum, errore decipiaris, ſciueris, geminam diſtingui Sarmatiam, ita vt altera ſit Europæa, à ſeptentrione oceano terminata; à meridie Paxidibus Metaniſtis, & ab occaſu aliqua Germaniæ parte; & de hac Sarmatia non eſt, in præſenti, diſſerendum. Altera Sarmatia ad Aſiam pertinet, eaq; continetur, terminaturq; à ſeptentrione Terra incognita; ab occaſu Sarmatia Europæa, & Tanai fluuio: atq; de hac loquimur, cum Sarmatis bellum intuliſſe dicimus Amazonas. Vt itaque Amazones ex Europæis, quibus imperabant, regionibus in Sarmatas, Aſiamq; traijcerent, Tanais, intermedius vtiq; fluuius fuerat ſuperandus, adeòq; & ex fluuio, & ex fluuium circumſidentibus populis victoria fuerat reportanda, quam hic inſinuat Vates, & cauſam, ſub diſiunctione aſſerit triumphorum. His poſitis; agnoſcenda eſt Tanais fluminis Natura, quam attigit Virg. Georg. 4. rigiditatem ſeptentrionalium regionum deſcribens, ac præcipuè perpetuas earum niues, glacieſque, cum inquit

Solus Hyperboreas glacies, Tanaimq; niualem
Arvaq; Riphæis nunquam viduata pruinis
Luſtrabat &c.

ex quo patet, nimio, quo regiones illæ vtuntur, frigore, Tanaim obdurato adeò interdum gelu conſtringi, vt ad ſuſtinendum pondus ſuperincumbentium è Cælo niuium habilis reddatur; immò & ad ſuſtinenda equorum, plauſtrorumq; pondera obdurari ferunt interdum, ita vt ne ſecuribus quidem cedat, aut vix cedat Glacies. Vno verbo, cum ſub eâdem Poli regione ſit, eamdemq; Cæli experiatur inclementiam, eas etiam ſortitur qualitates, quas Iſtro attribuit Ouid. 1. de Ponto. *Vbi frigore conſtitit Iſter*

Dura meant celeri terga per amnis equo.

nec mirum, in ea regione, in qua vinum ipſum concreſcere, & conglaciari, teſtatur Ouid. idem.

His itaque præcognitis ad explicationem deueniamus. Omiſſa autem particula *ſeu*, de qua ſatis ſupra, & particula *fortè*, quam pro *forſitan* poſuit, vt magis, ſe ambigere, indicaret, vtranam cauſa verior fuerit, verbum explicandum aſſumo.

FREGERE. Multiplicem hoc habere poteſt ſignificationem: primò enim *frangere* idem eſt, ac *perrumpere*, vt ſatis notum eſt: ſecundò idem ſonat, ac *deprimere*, *deijcere*, ac *meticuloſum reddere* ſic hoſtis audaciam frangere, inquit Liu. lib. 5., & ſæpè alibi: tertiò idem ſignificat, ac *debellare*, *vincere*, *ſuperare*: *Turpe vero dolore frangi*; ait Cic. de finibus. Si igitur in prima ſignificatione ſumatur verbum, ſenſus erit; Amazones, abuecta ab vlterioribus Tanais ripis præda, ex Sarmatis decerpta, ſolitas fuiſſe ſecuribus Glaciem fluminis proſcindere, ne hoſtibus tranſitum ad repetendam præberet: Vel ſenſus erit: ſecuribus tentare ſolitas fluminis duritiem, vt experirentur, num ſatis ad ferendas armatas Virgines obduruiſſet; ſed hunc ſenſum nimis obuium arbitror, nec ſublimi Vatis ſtylo adaptandum. Meliùs itaque in ſecundo, & tertio ſenſu accipiendum, non ambigo, ita vt ſenſus ſit, eas, ſecuribus armatas, non hoſtibus ſolum, ſed & ipſi fluuio terrorem intuliſſe, ita vt maius ex terrore gelu, quam ex inclementia Cæli contraheret flumen; nam proprium terroris eſt rigidum in venia ſangus producere, vt aptè cecinit Taſſus Hieroſ. liber. Cantu 7. Rambaldi ſic exprimens terrorem:

Fugge dal colpo, e 'l colpo à cader viene,
Dou' vn pilaſtro è contr' il ponte eretto.
Ne van le ſchegge, e le ſcintille al Celo,
E paſſa al cuor del Traditore vn Gelo.

in hoc autem ſenſu noueris facilè, quam altè, more ſuo aſſurgat Vates, ſenſum vel rebus inanimis attribuens. Vbi primus ſenſus, & vileſceret nimis, & minus ad textum aptus remaneret: nam, ſi, triumphatis hoſtibus, redeant, quid opus eſt Tanaim frangere, vt via perſequentibus præcludatur? Hoc fugientis eſſet non victoris; & vincentes profectò deſcribit Amazones Poeta; quarè ineptum fuiſſet ad textum, *frangere* in eo ſenſu vſurpari. Pariter, ſi dixeris tentatum ſecuribus flumen, aliud eſt *tentare*, aliud *frangere*; ſi autem fregiſſent, ſibi ipſæ viam ad victorias intercidiſſent. Quare, primo reiecto ſenſu, ſecundùm arbitror Germanum. Tertius etiam ſenſus aptiſſimus vtiq; erit; nam, qui aliquem territat, certè ſuperat, vincit, ac proſternit. Territum itaque ſecuribus, ideſt Amazonum armis Tanaim illæ calcant edomitum, pedibus deuictum premunt, ac ſuſtinere obdurato traijcientes tergo compellunt. Adde, Tanaim poſitum pro tota, quam alluit regione Aſiaticæ, Sarmatiæ, quam territam, ſuperatam, deuictamq, innuit, per Tanaim Vates. Quarè in vtroq; poſtremo ſenſu eruditiſſimè, ac ſummâ elocutionis oſtentatione, *fregere* inquit

TANAIM. Tanais, vt dicebamus, fluuius eſt Aſiam ab Europa diuidens, & per Scythas, ac Sarmatas decurrens in Mæotin deſinit, vt concinnè Carminibus expreſſit ſuis Dionyſius in Periegeſi.

Europam, atq; Aſiam Tanais diſterminat amnis.
Hic ſe Sarmaticus euoluens finibus, alto
(Seſſus arenæ prius æquore) non ſuus, vnde
Effluit in Scythiam; procul hinc Mæotide Thethyn
Intrat, & inferto freto peſſit vaſta fluento.

Tanais

Tanais originem incertam aliqui putant. Certè incertis diſtractam ſententijs non abnuerim. Aliqui cum Herodoto ex quadam Palude ortum habere aſſerunt, quæ ſtadijs circiter ſeptuaginta diſtet à Mæotide, in quam Tanais ingreditur: Alij cum Dionyſio ex Caucaſeis montibus ortum ducunt: Alij ex Riphæis prodire autumant, quibus aſſentiri videtur Lucanus, qui lib. Pharſ. 3. ſic habet.

Qua Cœrſo fatalis Halys, qua vertice lapſus
Riphæo Tanais diuerſi nomina Mundi
Impoſuit ripis, Aſiæque, & terminus idem
Europæ media dirimens confinia terræ.

Sed hæc parum ad inſtitutum, niſi in quantum patefaciunt, ex Europa in Aſiam traiecturis certè tranandum Tanaim, vt dicebamus.

RIGENTEM. Particip. hoc, à rigeo deductum, in duplici hic poſitum ſignificatione animaduerto, propriâ nempè primò, ſubinde tranſlatâ *rigêre* enim proprie eſt ex contracto frigore obdurari. Cum itaque Aſiæ magna pars, ac Sarmatia præcipuè, expoſita ſeptentrioni, iniuriâ Syderis rigeat conglaciantis, ita vt Incolæ, ob ſæuitiam hyemis, demerſis in humum ſedibus, ſuffoſſiſq;, ferarum more, lateant ſpecubus; &, ſi quando exire cogantur, etiam ora, niſi qua videant parte, veſtiti procedant; etiam illius regionis aquæ perpetuo arctantur gelu, rigentque; nam, ſi aqua frigida, ex natura ſua, eſt, ita vt antonomaſtice *Gelida* dicatur, accedente vi frigoris ambientis, quomodò fluat? Cum inquam res ita ſit, certè participium illud propriam fluminis notat qualitatem, nempè ſummam, ex inclementia Cæli concretionem. Tranſlatè verò *rigêre* idem eſt, ac *perterreſieri*, vt iam ſupra diximus. Quarè, ſi explicueris verbum *frigêre* pro *terrêre*, ſeu *domuêre*, vt non incongruè diximus explicandum, idem erit dicere *rigentem*, ac dicere *Amazonum armis perterrefactum*; atque hoc ipſo verbo, in eodem ſenſu, vſum reperies Virg., qui rigentem, in venis, Troianorum ſanguinem deſcribit ob metum à Cæleno incuſſum. Æneid. 3.

At ſociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Diriguit: cecidere animi &c.

Quod ſi ad Populus Tanais accolas referre malis, eodem Virg. ductore vti poteris, applicata proportionaliter explicatione.

SECVRI. Ablatiuus inſtrumentalis eſſet, ſi, in primo expoſito ſenſu, accipiendum eſſet verbum *frigere*: ſed, iuxta explicationem noſtram, quantum ad terrorem incutiendum ſpectat, ablatiuus erit cauſalis; quà verò ad victoriam refertur inſtrumentalis. Porrò ſecuris belligerum inſtrumentum fuit, quale & nunc adhibent collecti ex Dalmatia milites, vulgò *I Capelletti*; pinnas nempè ferreas, acie, in ſemilunæ modum, inflexa, inſertis euibrans haſtulis, Pinnaſque vel ex vtraq; parte habens, vel certè ex vna parte pinnas, ex aduerſa verò malleum, ſeù præacutum, in modum cunei, habens Mucronem. Huius inuentricem Pentheſilæam Amazonum Reginam faciunt, vnde & ſecurigeræ Amazones à Poetis dictæ ſunt; quippè propria hæc earum arma, licet ſubinde & Lydiæ Populi, & Græcorum Gentes iiſdem vſi ſint; & tandem Romanorum ipſum Imperium inter faſces aſſiduè geſtauerint.

THERMODOONTIACA. Eo quod dixerimus huiuſce generis armorum inuentricem adduci Pentheſilæam, habes iam cur Thermodoontiaca dicatur ſecuris; nam nomen eſt iſtud efformatum, & deriuatum à Thermodoonte flumine, ad Themiſcıram Regiam Amazonum ſedem; à qua etiam ſubiecta circumquaq; regio Themiſciræ nomen ſortita eſt, in finibus Capadociæ ſita. Ideò ſecuris ad Thermodontem fabrefacta, nomen duxit à flumine, vt & originem patriam, & inuentricem vnico ferret in nomine. Audio Heinſium tota vocis contentione reclamantem, ac lectionem noſtram redarguentem, & non *Thermodoontiaca*, ſed *Thermodontiaca* legendum eſſe clamitantem, Peccat enim in proſodiacum ius, inquit ipſe, dictio *Thermodoontiaca*; nam ſecunda in hac dictione per *ωμέγα* ſcribitur, quod ſemper natura ſua longum eſt. *Producito O magnum*, quod *ω* eſt; inquit Proſodiacum ius. Fateor apud Græcos *Θερμώδων* ſcribi citati fluuij nomen, quarè, ſpectata Regula, iure optimo reclamat Heinſius, cum, ſtante *ω*, non ſolum ſecunda, ſed & tertia omnino longa ſit, quarè ex Thermodoonte verſus Adonius fieri nequaquam poſſit, prædicta vigente regula. Aſt miror Heinſium, qui Græcam adeò calleat linguam, non vidiſſe, *ω* commutari in *οι* ſi Doricè loquamur, & *ο* paruum in Græcis breuiari notiſſimum eſt. Iuxta hanc Doricæ linguæ tranſmutationem, breuem, ſecundam, ac tertiam in Thermodoontiaco apud Ouid. video Metam. 9. vbi habet

Thermodoontiaco cælatus Baltheus auro.

& ſi idem cupias in primitiuo fluminis nomine ab eodem Ouid. ſeruatum adeas ſecundum Metam. vbi ſic

Arſit & Euphrates, Babylonius arſit Orontes,
Thermodoonq; citus, Gangeſq; & Phaſis, & Iſter.

& Valer. Flaccus lib. 5. (quem vidit, & fallitur, inquit, Heinſius) Doricum ſecutus morem & ipſe ſic habet

Saxaq; Thermodoon medio ſale murmura voluens
Gradiuo ſacer, & ſpoliis ditiſſimus amnis.

immò, apud Principem ipſum Poetarum, doricum hunc morem ſeruatum video Æn. 11. vbi ait

Quales Threyciæ cum flumina Thermodoontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.

quidquid obſtrepant aliqui, qui *Thermodontis* legendum, non verò *Thermodoontis*, ita vt ſpondaicum ſit illud Carmen Virgilij; nam ibi nulla eſt neceſſitas Carmen hoc ſpondaicum effingendi. Non video itaque cur vulgata lectio iuxta Doricum morem procedens immutanda ſit, vel cur ſubſiſtere non poſſit. Hæc in gratiam Heinſij. Porrò Thermodoon, vt de rebus Tigranis primo, ſcribit Metrodorus, fluuius ille eſt, qui priùs *Araxes* dicebatur; *Sylos* etiam *Laxartes*, & *Ameſines* ab indigenis appellatus.

AVT QVALES &c. Secundam iam aggreditur ſimilitudinem à Nymphis Baccho dedicatis aſſumptam; vt hac etiam tripudia exprimat Proſerpinam comitantium. *Aut* particula disiunctiua eſt, vt per ſe patet. Vim huius relatiui *Quales* iam vidimus, initio ſimilitudinis ſupra explicatæ, ideò non immoror.

NYMPHÆ. De Nymphis plura diximus tùm in anteactis, tùm in præfatione ad hunc lib. habita. Verùm quia Nymphæ, de quibus peculiaris hic ſermo, ad certam ſpeciem reſtringi, & contrahi videntur, cum de Nymphis Baccho ſacris loquatur Vates, aliquid ſuperaddendum cenſeo. Et primò ſciendum, Nymphas Baccho adfuiſſe nutrices, vt multi affirmant, licet varient circa loci, ac Nympharum aſſignationem. Lucianus dicit, Bacchum vix natum, ſeu ex Iouis femore eductum, in Nyſam Arabiæ vrbem à Mercurio deportatum, Nymphis ibidem educandum. Orpheus educatum dicit in Ægypto à Nymphis Nilıacis: alij in Naxo Inſula: Alij apud Patrenſes &c. Bacchum autumant enutritum. Meleager, ab omnibus differentijs, & loci, & indiuiduorum præſcindens, ait, illum, cinefacta fulminis vi Semele Matre, ſtatim è cineribus ereptum à Nymphis fuiſſe, & educatum. Et profectò cum Bacchus Numen vini ſit; immò pro vino ipſo ſumatur, certè non niſi ab aquarum Nymphis potuit enutriri, vbicumq; tandem locorum putes eſſe; cum vitis certè aqueo humore nutriatur, ac fructibus fæcundetur. Hinc eſt vt Nymphæ omnes Baccho ſacræ putentur, & Sacerdotes eiuſdem fuerint exiſtimatæ, & ideò Liberi Patris Miniſtri Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ, Thyiæ, Mimallones, Naiades, Tytiri, denique Nymphæ omnes ſunt: inquit Strabo. Quæ vites repreſentant, vt docet Euſtathius. Verùm, inter Nymphas omnes, Mæonias hic ſceligit Poeta, dum dicit: Aut quales Nymphæ

MÆONIÆ. Et quidem peculiari ratione; nam primò Mæonia Regio Minoris Aſiæ, alio nomine Lydia dicta, exuſta fere eſt, ac nullius rei ferax, vitis tantummodò luxurians copia, ex qua generoſiſſima promuntur vina. Ideò præcipua hæc Bacchi ſedes credita fuit, & Bacchus ipſe Mæonius appellatus. Certè Mæonij, Mæoniaq; præcipuo Bacchum cultu proſequebantur, vt teſtatur Euripides, apud quos Liber ipſe, arcana quadam ſacrorum ſuorum ratione, Maſſares appellabatur à quadam Cybeles famula, vt aiunt, cui nomen Ma, & Græco *ἄρει*, qui latinis Mars eſt; nam cum Ma nutriendum Liberum ſuſcepiſſet, ac Iunonem celare cuperet Martis eſſe filium ſimulauit: cum autem vna Mæonijs ipſa eſſet *μᾶ*, iure Mæoniæ Nymphæ, præ omnibus electæ, ad nutritionem, ac ſacerdotium Bacchi videntur aſſumendæ. Secundò autem Mæonias diligit, ne videatur de ſimili ad ſimile, nulla habita proportionis ratione, ſaltitare; nam, cum ex bellatricibus prima ſimilitudo ſumpta fuerit, ſi aliam ex Bacchantibus ſimpliciter conſideratis deſumpſiſſet, nulla ſeruaretur proportio: quid enim ebrijs cum armigeris? Sumantur ergo, Bacchantes quidem, ſed Mæoniæ Nymphæ; nam & illæ, vt aſſerunt complures, bellatrices fuere, adeòq; non dabitur tranſitus de genere in genus. Bacchus itaque, vt aiunt, Indos, & intimas Aſiæ regiones ſubacturus, relicto Anthæo Lybiæ præfecto, ex mulieribus incolis coacto exercitu, ad Indos dicitur penetraſſe,

eruiſſe, eoſque breui admodum manu ſubegiſſe. Quod ſi mulieres in aciem eduxit, certè Nymphas ſibi peculiari titulo addictas reliquiſſe, non eſt dicendus: atq; ideò prudenter Auctor, vt ſimilitudines, ſeruata proportione cohæreant, Mæonias vocat in Theatrum Nymphas.

REFERVNT SOLEMNIA. *Referre* eſt *retrorſum ferre.* Cum itaque Bacchus inuentor fuerit ſacrificiorum, vt dix. lib. 1. Carm. 16., acutè eius illi Sacerdotes ſacrificia *referre* dicuntur, vtpote quæ, quos ritos acceperint, ei, à quo acceperint, ſacrificantes redderent. Inſuper *referre* idem eſt, ac *imitando, exercere, & exprimere*: ſic Baccho ſacrificantes, pompas, & ritus, ab eo acceptos, exercentes imitantur Nymphæ, & iuxta eiuſdem peragunt præcepta. *Solemnia* verò dicuntur feſta, ac ceremoniæ in feſtis adhibitæ, ac ſacrificia tandem ipſa maxima, quæ quia tertio quoq; anno celebrabantur, Trieterica dicta ſunt.

BACCHO. De Baccho ſatis ſuperque dictum videbis loco mox. cit. libri primi. Quantis autem tripudijs eius peragerentur ſolemnitates à Nymphis ſacerdotiſſis, & nos alibi attigimus, & magis notum eſt, quam indigeat explicatione.

QVAS HERMVS ALIT. Per notam ſpecialem magis adhuc deſignat, quænam, etiam inter Mæonias, ſint illæ Nymphæ, de quibus loquatur, nam *Quas* relatiuum eſt in mentem iam adducens Nymphas, de quibus ſupra. Hermus verò fluuius Lydiæ eſt, qui, teſte Herodoto, Smirnæ campos interſecat in Ionia delapſus à monte Doryleo, & Phrygiam ſcindit à Caria, aureas habens arenas auctoritate Strabonis, & aliorum notiſſima. Hic Pactolo ex Tmoli Lydiæ montis altiſſima rupe profluenti, atq; aureas pariter arenas trahenti commiſcetur, illiq; commixtus paribus vndis in Ægeum mare, cum eodem, prolabitur. Quarè poſitum hic Hermum arbitror pro vtroq; fluuio. Quomodò autem alantur, nutrianturq; fluuijs Nymphæ vidimus ſupra. Sed cur aureorum fluminum Nymphas Poeta peculiariter addicit Baccho? Quia ſcilicet aureo nectare grauidari nequeant vites, niſi à Lymphis auream ex fonte naturam trahentibus, & communicantibus: ideò huiuſmodi Nymphis maximè delectatur Bacchus, & gaudet.

ET PERCVRRVNT &c. Indicat hic modum, quo Baccho ſolemnia referrentur à Nymphis: iam enim noſtis, quid Orgia ſint, quid in Orgijs ſeruaretur; fiebant enim hæc ſacra, ſeu Ludi ſacri, per aſſiduam ſaltationem, atq; in curſum effuſionem, ita vt phrænesim patientes potiùs, quam Numen, viderentur ſacrificantes.

ET. Non eſt hoc loco particula hæc coniunctiua, ſed explicatiua antecedentis, quæ ponitur pro *ideſt*, ſeu *hoc eſt*; ita vt ſenſus ſit: *referunt ſolemnia Baccho*; hoc eſt Bacchantium more, ac ritu.

PERCVRRVNT. *Percurrere* non tantùm importat curſum quomodocumque, ſed vehementem & aſſiduum; ea enim vis eſt illius particulæ *per* in compoſitione, vt idem ſit, ac *currendo, perſeuerare*, ſeu *valde currere*: talis enim curſus in Orgijs exhibebatur, vt noſtis.

RIPAS. Quid *ripa* ſit, vnicuiq; iam notum; margines enim, quibus vtrimq; flumina in alueo coercentur, ripæ communiter dicuntur.

PATERNAS. Nomen eſt à Patre deriuatum, per quod indicat Nymphas, de quibus loquitur filias Hermi, hoc eſt Numinis illius fluuij fuiſſe, vt communiter de Nymphis fluuiorum omnibus cenſebant antiqui.

GRAVIDAS AVRO. Grauida dicuntur viuentia, quæ conceptum in ſe continent fœtum, ſuo tempore, in lucem emittendum. Per tranſlationem tamen grauidum dicitur, quidquid in ſe aliud abundè continet, quo quaſi, ob nimiam copiam, grauetur, & quod vel extrahendum ſit, vel extrahi poſſit. Cum itaque Hermum, ac Pactolum auream deuoluentes viderimus arenam; & certè arena ex ripis, vel lateribus fontium, à fluminibus cornu arietantibus excauetur; iure profectò Hermi ripæ *grauida* dicuntur *auro* extrahendo. Ex quo vides Aurifodinas Hermi eiuſdem, quibus ditetur, ripas conſtitui. Reclamant, agmine facto, Parrhaſ., Heinſ., Barth., & alij, qui omninò immutandam lectionem aſſerunt, &, iuxta meliores antiquos codices, legendum: *Percurrunt auro madida*, ita vt adiunctum illud, non ad ripas, ſed ad Nymphas referatur. Laudo ingenium, ſententiam approbo, & lectionem amplector, ſi tamen verum eſſe cenſendum ſit, quod notat Barth., dum rationem lectionis reddens ſuæ ait: *quia Totus Hermus χρυσοῦς fingitur*, hoc eſt Latinis *aureus*; nam ſi totus Hermus auro liquato fluat, certè madidæ auro eiuſdem Nymphæ poterunt decantari. Verum quia probabiliorem exiſtimo ſententiam aſſerentem, aureis tantum arenis Hermum ditari; ideò ne lato quidem vngue à meo codice diſcedendum exiſtimaui.

AMNIS. Nomine amnis non intelligitur hic ea aquarum moles, quæ, vndis defluentibus, continuum à fonte ad Mare flumen producit. Sed intelligendum eſt fluminis Numen Nympharum Pater; vnicuiq; enim fluuio proprium aſſignarunt Numen Poetæ, in cuius cuſtodia eſſent ea, quæ ad fluuium ipſum pertinerent, quod perennes ſuppeditaret vndarum vortices, quod fluctibus moderaretur &c.

LÆTATVR. Mores imitatur naturæ Vates; nam certè proprium genitoris eſt, & inditum a Natura, vt natorum hilaritate exhilaretur & Pater; geſtit enim inſtinctu naturæ parens, quotieſcumq; filium hilarem, tripudiantem, ludentem cernat; præcipuè ſi hæc omnia cum Dei cultu componantur. Ideò Lætantem Auctor inducit Hermum, cum filias, in Bacchi honorem, hilares curſitare conſpexerit. *Lætari* autem eſt *lætitia perfundi, exultatione geſtire, edere extrinſecè ſignis.*

IN ANTRO. Locum deſignat habitationis, ac ſtatus, eiuſdem Numinis genitoris. Antrum itaque eſt ſubterranea cauitas introrſum recedens, atque, vt plurimum, in montium lateribus, rupibuſque, excauata. Cum igitur fluuiorum fontes in concauis paſſim, excelſiſq; montium rupibus ortum habeant, hinc eſt, vt antra, hoc eſt concaui ſinus illi, ex quibus prima aquarum emergit origo, Domicilia Præſidum Numinum ſtatuantur; nam ex fonte totum deriuatur flumen, & in fonte totum regitur. *In antro* itaque *Lætatur Amnis*: primo quia non niſi grauibus de cauſis, à ſede regiminis fluuiale Numen recedere fas eſt ne curam ſibi commiſſam negligat, deſtituens: ſecundo *In antro lætatur*, nec proſilit, ne aduentantis reuerentia Patris filiarum hilaritates perturbentur, ac conſequenter ſuam ipſe ſibi lætitiam inuideat.

ET PRODIGVS. *Prodigus* dicitur, qui plena manu profundit theſauros, ita vt, nulla ſui habita ratione, nil de reſeruanda ſibi, in poſteriores, euenturoſq; vſus, ſubſtantia recogitet; ad differentiam *Liberalis*, qui largè donat quidem, ſed cum pondere, & menſura, habita ratione ſui, ratione temporum, ac ratione perſonarum. Ne tamen exiſtimes amnem carpi à Poeta, *Prodigus* dum dicitur; nam proprium lætitiæ eſt in profuſas lætantem impellere largitiones; nec peccat; imminò prudens eſt, qui tempori ſeruit, & moribus, ac naturæ inſtinctui ſe ſe accommodat. Ideò Prodigus

DECLINAT. *Declinare* eſt *Deorſum inclinare*; ex quo antecedenti conſequens intelligendum exhibet Poeta, nempè aquarum profuſionem; nam certe qui vrnam inclinat deorſum, aſſeruatum in eo liquorem certè profundat neceſſe eſt; ſi præcipuè aperta ſemper ſit vena, vt certè aquarum fontes.

VRNAM. *Vrna*, vt notum eſt, vas eſt ad attingendam aquam idoneum, dictum *vrna*, quia vrinantis ſpeciem referat, dum demergitur vndis, & emergit, vrinantium more. Hic pro vaſe, aquam aſſeruante non ſolum, ſed indeficienti fonte egerere non ceſſante, aſſumitur. Et ſanè fontium, ſimulacra, ac flumina cum vrnis dedicari ſolita, obuium vnicuiq; eſt; vt cauſam ſcilicet haberemus, cur fluuiatiles aquæ nunquam deficiant; cum enim immortalia ſint Numina fluuiorum, per Poetas; indeficientem etiam habuerint aquarum vrnam, neceſſe eſt, ex qua perpetuò fluant aquæ. Huic autem antiquorum ritui ad recentiores vſq; perennato vrnas fluuiorum Numinibus adaptandi, Virgilius etiam artifex Æn. 7. vbi ait

Cælatâq; amnem fundens Pater Inachus vrnam.

VNDANTEM. Ideſt vndis cumulatam, ac ſuperaffluenter effundentem. Senſus igitur Poetæ eſt, Elatum lætitijs Amnem gaudij ſigna protuliſſe, pronis vrnis nouas alueo fluentas ſubminiſtrans, vt turgidis ſpumarent aquis, atque abundantiori hinc auro littora diteſcerent.

Nos autem, ne exundantis impetu rapiamur fluminis, tutam, in morum conformatione, ſtationem perquiramus.

Bis peccant Principes, cum ſemel peccant; nam & re peccant, & exemplo. cum enim nimis verum ſit decantatum illud: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*; Principem peccantem vniuerſus ſequitur Populus; nec peccatum exiſtimant, quod à Principe perpetratum obſeruant. Veh vobis qui dignitate conſpicui, Dominatu potentes cæteros antecellitis, ſi, denigratis moribus anſam inferioribus, vt deprauatos in vobis mores imitentur, præbueritis. Peccat Luxurians cultu, adeundi licentia, per..

gandi

gandi libertate Proſerpina, & ſtatim innumeram Nympharum cateruam ſecum trahit in eamdem exultandi, ac laſciuiendi licentiam. Perpendant huiuſmodi euentum nobiliores Ciuitatum Nurus, quibus omnia ſibi licere perſuaſum videtur, eo, quod nobilitate procedant inſignes. Quo maior eſt nobilitas, eo cautior profectò eſſe debet. Luxuriet ſi nobilis mulier, nec laſciuientis notam pertimeſcat Solem propriæ nobilitatis deturpantem; Quænam inferioris fœmina conditionis, ſe eàdem licentià maculandam arbitretur? Leuis in Sole macula monſtrum eſt: in nube nihil eſt. Conſiderent Matres: nam quomodo, ſi matrem turpibus addictam videant, continentes, ac modeſtæ ſint filiæ? Aduertant Patres: nam, ſi Pater vanus, luſor, iracundus ſit, quomodò filij graues, prudentes, mites, à ludo fuerint abſtinentes? Recogitent Sacerdotes, qui, quaſi lucernæ ardentes, in monte poſiti, ab omnibus ſuſpiciuntur, &, quod ſibi licitum faciunt, alij multo ſibi magis licitum arbitrantur. Animo hæc conferant Animarum Rectores; nam, ſi morbida facta pecus totum corrumpit ouile, quid ſi rector ipſe, morum ſuorum graueolentià, peſtem ingerat? Videant omnes ij, qui ſal terræ dicuntur: ſi enim ſal euanuerit, in quo ſalietur? Corruptio profectò omnium ſequetur, vbi ſal fuerit infatuatum. Sed, dum ſale condimur, ad ſales Italicæ Muſæ aurem deflectamus.

Ella, in sì vaghi arredi, in acqueo Cielo
  Theti ſe ſteſſa, e de maggior Pianeti
  Arbitra, pauoneggia; e'l verde ſtelo
  Preme del campo in giri aperti, e lieti.
  Cento Naiadi amiche, il caro hoſtelo
  Poſtergato dell'onde, à Platanetl
  L'accompagnan vezzoſe, e 'n garre amate
  Corona à fianchi ſuoi forman ſchierate.
Cane già fido al nudo Arcier, Criniſo
  Di ſue Diue la ſquadra hoggi non gode:
  Reſta ſolingo, intrà ſuoi ſcogli aſſiſo,
  Quel, cui dieron le Ninfe eterna lode,
  E che i ſaſſi ruotar, fremer colliſo
  Trà ſuolti marmi, in fiero ſuon, pur s'ode;
  Ch', oue vna Dea maggior gl'homaggi attende,
  E Pantagia, e Criniſo à vil ſi prende.
GELA, che dal rigor d'horride brine
  Il nome traſſe, ond'ei, qual Nume antico,
  Porta mai ſempre incanutito il Crine;
  E di ſue foci alla Cittade, amico,
  Dona, co'l nome vn gelido confine,
  Manda le figlie à paſſeggiar l'aprico,
  Trà l'altre in ſchiera, oue honorar ſi vuole
  Di Cerer nato, intorn' all' Etna, vn Sole.

Di Camerina alla fatal Palude
  Più non ſiedono in grembo; e d'Arethuſa
  Laſcian del Choro lor le ſponde ignude;
  Che quì corre ogni Ninfa, oue traſfuſa
  Saba i balſami ſuoi par che traſude:
  Ne dell'eſtero Alfeo l'onda ricuſa
  Quì le ſue tramandar, Chiude le turme
  Roſa Ciane, infra dei fior le Ciurme.
Qual d'Amazoni armate il vago ſtuolo,
  Se dalle guerre al trionfar ſi guida,
  Saccheggiato talhor dell'Orſe il ſuolo,
  Con gl'applauſi al valor, che maſchio annida
  D'Hippolita nel petto, aſſorda il Polo:
  Cozzan le ferree Lune, onde s'affida
  Dal ferro hoſtil la ricoperta parte,
  E porgon lodi, in ſuon di ſquille, à Marte.
O pur, qual hor del Thermodonte all'armi
  Vinto il barbaro Scitha il ſangue diede
  E, ſotto 'l giaccio, emulator de marmi,
  Vidde 'l Tanai tremar l'ondoſa ſede;
  Se le ſquadre neuoſe al fin diſarmi,
  Domati i Geti, e s'alle palme riede.
  La guerriera Regina, e i vanti miete:
  Tali le Ninfe hor quì feſteggian liete.
Ne più di Baccho alle meonie ancelle,
  Ninfe dall'Hermo ſuo nodrite in oro,
  Di tripudio intrecciar, dieron le ſtelle;
  All'hor, ch'al proprio Nume almo decoro
  Di ſacre pompe ergon leggiadre, e ſnelle,
  Rendendo i culti à chi donònne à loro
  Solenni i riti; e le paterne arene
  Del natiuo theſor ſcorron ripiene.
Mentr' in tanto, il gioir delle ſue care,
  Là nell'humide grotte, oue del fiume
  Fà che dall'onde ad obbedir s'impare,
  Piacer ſi prende, in oſſeruando, il Nume;
  E, del giubilo in ſegno, al riuerſare
  Gonfie le ſue correnti oltr' il coſtume,
  Dalla prodiga man l'vrna s'abbaſſa.
  Porta gl'ori alle Ninfe il flutto, e paſſa.

Et prætereat profectò fluuius, dum vndis traditur vndas, nam prætereundum certè haud nobis eſt quid tandem de Nymphis hiſce ſit actum.

VIDERAT &c. Cum lib. 1., Venere, ac comitibus, è Cælo deſcendentibus, vt morem Religioni gereret, ac Deitati, colluſtratum nouis aerem ſplendoribus oſtendiſſet, Indecorum erat futurum, ſi, multiplicatis iam hic Numinibus, & ad Numinis ſedem accedentibus otioſa tellus, & quaſi rerum inſcia, nullo Dearum agmina florum ſaltem apparatu excepiſſet; quarè, vt decorum ſeruet Poeta, *Ætnam*, hoc eſt Ætnæ Numen inducit, viſis Deabus, ac Nymphis, ad Zephyrum compellandum, vt, eius fauore, noua florum cumulatione, iter ſterneret incedentibus: ita tamen, vt, non aſſuetà, aut gregarià contentus pompa videatur, ſed lectiſſimam quamq; ac diuinis congruam honoribus expoſcat; vt, & crinibus, & manibus Dearum,

Viderat herboſo ſacrum de vertice vulgus
Ætna parens florum, curuâq; in valle ſedentem
Compellat Zephyrum. Pater ò gratiſſime veris,
Qui mea laſciuo regnas per prata volatu
Semper, & aſſiduis irroras flatibus annum,
Reſpice Nympharum cætus, & celſa Tonantis
Germina, per noſtros dignantia ludere campos.
Nunc adſis; faucaſq; precor; nunc omnia fœtu
Pubeſcant virgulta velis, vt fertilis Hybla
Inuideat, vinciq; ſuos non abnuat hortos.
Quidquid thuriferis ſpirat Panchaia ſyluis,
Quidquid odoratus longè blanditur Hydaſpes,
Quidquid ab externis Ales longæua colonis
Colligit, optati referens exordia ſæcli,
In venas diſperge meas, & flamine largo
Rura foue, vt merear diuino pollice carpi;
Et noſtris cupiant ornari Numina ſertis.

Nympharumque, non indigna proferens germina, acceſſibus plaudere videretur.

VIDERAT. *Videre*, propriè ſumptum, *eſt aliquid oculorum ſenſu percipere*: ſi verò ſumatur translatè, ad animum transfertur, ita vt idem ſit, ac *cognoſcere*, vel *animo perpendere*; quæ certè reſpectu montis omnino impoſſibilia ſunt. Verum ſi meminerimus, eam Proſopopeiæ partem, quæ vt ait Cauſinus de Eloq. lib. 7., perſonas in rebus conſtituit, quæ ſine perſonis ſunt, maximum eſſe lumen Orationis, non erit difficile intelligere, quam altè aſſurgat Poeta, ſenſum rupibus, ac monti attribuens; nec, cum Parrhaſ., dicendum erit, *duram hanc eſſe translationem*; cum præcipuè, reſpectu diuinitatis colendæ ſenſum & terra ipſa habere videatur: ex ſacris

ſacris enim litteris certè habetur: *Audiat terra verba oris mei*. Scio equidem, eruditione intercedente, hunc textum explicari poſſe, itaut, non translatè, ſed in ſenſu proprio vſurpetur verbum; nam, cum Antiquorum Religio, non ſolum vnicuique fonti, ac flumini, ſed etiam vnicuiq; vegetabili, immò & vni vegetabili, per nodos, creſcenti tot Numina, quot eſſent nodi, aſſignaret, ſic etiam montibus proprium dedêre Numen Antiqui, in cuius cuſtodia Mons eſſet. Quarè, ſi diceretur Claud., non de rupium mole, ſed de Numine præſide, locutus, non facilè euinci poſſet, qui id aſſereret; nam, etiamſi particulare cuiuſcumq; montis Numen non adeſſet, certè omnium montium Præſidem Pana conſtituerunt antiqui; adeòq; de illo, vt Ætnæ Præſide, verificari poſſet locutio. His tamen non obſtantibus, de ipſa rupium mole, de ipſo montis corpore locutum non ambigo Claudianum; nam certè flores non prodeunt ex Veris Numinis, ſed ex terra ipſa. Poeta autem Ætnam inducit precantem, vt *venas ſuas* Zephyrus fœcundet, vt ex contextu patebit. Inſuper figuratum ſtylum, ac grandibus ſemper elatum figuris proprium Auctoris eſſe iam nouimus. Si itaque Ætnam conſciam fati dixit, in anteactis; cur hic & notitiam accedentium non attribuat? ſi ibi Mugitum triplicem edidiſſe præſagam aſſeuerat; cur non & hic inducat precantem Zephyros &c. vt Deabus accedentibus obſequatur? Eſto itaque ad eruditionem reſpexerit, ſed ita tamen, vt dictionis magniloquentiam non negligat alia hic præcipuè, cum non ſpernanda eruditione, quam attigimus coniunctam.

DE VERTICE HERBOSO. Sic enim ſcribo in obſequium Parrhaſij, Heinſij, Barth., & aliorum, quos ſic legentes intueor, quamuis, vt fatear, mihi magis arrideat lectio, quam in meo, alijſq; exemplaribus exaratam video, in quibus apertè legitur

Viderat herboſa ſacrum de vertice vulgus &c.

attentâ enim Vatis eruditione, hanc Germanam Auctoris arbitror Lectionem eſſe. Noui maſculei generis *verticem* eſſe vbicumque, & in quacumq; ſignificatione apud latinos reperiatur. Sed legant græcas litteras, qui norunt, & facilè intelligent, non ſolum ſine errore, ſed acutiſſimè ſimul, ac eruditiſſimè locutionem procedere; nam Græci, pro varia *verticis* ſignificatione, ſub diuerſo *verticem* ponunt genere. In triplici igitur ſignificatione, *verticem* vſurpatum video, apud Græcos: primo quidem ita, vt *vertex* Procellam, ſeù turbinem, omnia in gyrum voluentem, ſignificet; & in hoc ſenſu, apud ipſos Στρόβιλος dicitur: ſecundo vt ſignificet aquarum in ſe recurrentium vorticem, ſeù circuitum, & ſic ab ipſis Στρόβος appellatur: vtriq; autem nomini maſculei notam Generis præponunt: O': tertio vt ſignificet ſummam humani capitis partem inter ſincipur, & occiput; & per tranſlationem transferatur ad montium cacumina, cæterarumque rerum ſummas extremitates, & tunc a Græcis dicitur: H'. κορυφὴ, præpoſita ſcilicet fœminei generis nota. Hoc poſito. Cum ſuperius Poeta dixerit, riguos Ætnæ ſaltus fuiſſe; & vertex etiam aquarum vortices ſignificet, æquiuocationi potuit obnoxium eſſe verticis nomen, ſi ſub maſculeo genere poneretur; nam ambiguum fuiſſet, num locum concurrentium, verticemq; efformantium ſignaret aquarum, an vero caput, ſeù partem montis ſupremam; quarè, ad hanc tollendam æquiuocationem, ſubtiliſſimo diſtinguendum cenſuiſſe arbitror, ita vt cum Græcis fœminco vſus genere latinam vocem inflecteret, græcorum more per helleniſmum concordans, vt diſtingueret inter verticem, & verticem. *De vertice herboſa*. Locum itaque editiorem notat, vt diximus, nempè ſummum montis cacumen, quod H. κορυφὴ à Græcis dicitur, ex quo ſubiectos accedentium Choros proſpiciat Ætna. Verùm rupibus adhærentes nil mirum ſi ex ſcopulo in ſcopulum impingamus. Videtur manifeſta adeſſe hic contradictio, qua Vates ſe ipſum oppugnet: nam niuibus, flammiſq; obſitam Ætnæ verticem lib. 1. deſcripſeras, & inacceſſibilem inquiens

Ætnaei apices ſolo cognoſcere viſu
Non aditu temerare licet; Pars cætera frondes
Arboribus; teritur nullo cultore cacumen &c.

Quomodo igitur hic herboſam verticem faciat? *De vertice herboſa*. Enodaſti difficultatem, dum innectere ſtuduiſti. *Pars cætera frondes arboribus?* De hac parte, non de toto, loquitur Poeta hic; ideòq; addidit *herboſa*, vt ſcires, eam ab ipſo ſummitatem deſignari, quæ extrema, & ſumma eſt, reſpectu partis viridantis, atq; ad ſuperioris niuis accedens confinia, non verò partem illam denotari, quæ abſolutè totius montis vertex eſt, ac cuicumq; cuſtori inacceſſibilis; nam ſi ſumma extremitas vniuſcuiuſq; rei κορυφὴ dicitur, certè ſuprema viridantis Enchauſti pars *vertex* vtique dici potuit *herboſa*; hoc eſt *herbis abundans*, *herbis conſita*; nam, quo ad hanc partem ſemper viret Ætna, vt vidimus.

ÆTNA PARENS FLORVM. *Henna parens florum*, non *Ætna* legendum contendit Heinſius, qui & Barthium pro ſe citat, & Parrhaſium, & certè Barth. hæc habet: *Scribe Enna, quota enim pars Ætnæ florida? Et quo nam pacto, tam horribiles maximam partem, Mons Pater florum?* Parrhaſ. autem hæc habet. *Ætna, vel Enna non oppidum, ſed locus Genius Parens florum. Ennenſis campus in floribus ſemper eſt, & nullo non die vernus, vt ait Solinus, & Cic. ſed vtroq; prior Ariſtot., inter naturæ miracula, flores illic tanta copia, tantoq; odore prouenire, ſcribit, vt neque canes ſagire, neque niſi per vim abducti inde poſsint.* Clauer. e contra, cum vulgata noſtra, Ætna legendum acerrimè tuetur, quod Ætna Auſonio *floricoma* dicta ſit; ex quo facilis patet reſponſio ad id, quod rogat Barth., nempè quota pars Ætnæ florida? Tota ea ſcilicet, reſpondetur, de qua dictum lib. 1. *Pars cætera frondes*. Ad auctoritatem Parrhaſ. facilis item patet reſponſio: nam eſtò veriſſimum ſit, quod ipſe recitat ex Solino: cum lib. pri. ad Carm. 122. viderimus *Hennam*, ſeu, vt alij ſcribunt Ennam non procul eſſe a Monte Ætna, cum tàm oppidum, quàm mons in vmbilico Siciliæ ſituetur, cur non dixerim floridos illos Ennenſes campos, campos itidem Ætnenſes eſſe? Certè in his campis flores legens Proſerpina rapitur à Plutone. Pluto autem ex Ætna erumpens deſcribitur, conſequenter circa Ætnam campi fuiſſe intelliguntur, ex quibus raptor prædam abuexit, nempè inter Ætnam, & Ennam extenſi. Quo poſito non repugnat Lectioni noſtræ, quod ait Arnobius lib. 5. inquiens: *In nemore Ennenſi flores Proſerpina virago quondam legebat*. Nec repugnat pariter Iulius Firmicus, de errore profan. Relig, dicens *Petunt autem Lacus in Ennæ Ciuitatis finibus, cuius amœnitas ex florum varietatibus naſcitur, nam per omnem annum, ſibi viciſsim ſuccedentibus floribus coronatur*, non repugnat inquam, nam fines Ennæ fines & Ætnæ ſunt. Vt itaq; vulgatam noſtram ſequamur, cum Clauerio, Siciliam omnem feracem adeò ſciueris, vt non ſolum ferax fuerit, iuxta dicta lib. pri., omnium ad vitam alendam pertinentium hæc de ea ſcripſerit eruditus quidam

Hordea, frumentum, vites, quæ mollia vina
Producunt, augetq; Iouis gratiſsimus imber.

ſed floribus etiam adeo abundaſſe, vt meritò Floræ ſedes perpetua cenſeretur. Cum itaque Ætnam in medio Inſulæ collocatam, viderimus lib pri.

In medio ſcopulos ſe porrigit Ætna perustis.

iure quaſi totius cor inſulæ videtur eſſe cenſenda. Si autem totus inſulæ corpus floridum ſit, & Floræ ſedes, cur partes cordi viciniores non floribus abundent magis? Immò ſi fons operationum omnium cor eſt vitalium, cur non omnes Siciliæ flores, ex eius cordis virtute prouenire non dicantur, atq; adeò iure Ætna parens florum dicatur. Inſuper ſi fœcunditas ex vi ſpirituum igneorum prouenit, vt lib. pri. vidimus; & noſtris hiſce temporibus rigente hyeme viridaria floreſcunt ſubditis ab arte fornaculis attemperato igne vegetantibus, cur circa Ætnam campi non floreant? cur Ætna parens florum non dicatur? Cur non florida Auſonio Ætna recenſeatur. Tandem ſi Enna non longè ſita adeò floreſcit, cur non Ætna, quæ eadem Cæli fruatur temperie eoſdem ebibat fontes &c. Prata itaque Circum Ætnam profectò florida, & quia quæ montem circumſtant ad montem pertinent, & montis eſſe dicuntur. Ideò viderat *Ætna parens florum*.

SACRVM VVLGVS. Quid propriè vulgus ſit vidimus lib. pri. Carm. 21. ſed caue, ne *vulgus* hic in eadem ſignificatione ſumendum putes; nam *vulgus*, hoc loco dicitur Dearum cætus, eo quod *vagus*, & quia, cum ſupremis Numinibus comparatus, pars inferior eſt, cum ſemper fœminarum cedat nobilitate; & *vulgus* communiter *pars populi inferior* dicitur. Sed addit

SACRVM; vt diſtinguatur à vulgo populari, ac verendum omnibus oſtendatur; nam quæ in *ſacris* infima, longè adhuc maxima ſunt, ſi cum profanis comparentur: *ſacrum* itaque, hoc loco, idem, ac venerabile eſt, & diuinum; nam Deas, Nymphaſq; diuagantes notat, & indicat.

CVRVAQVE IN VALLE SEDENTEM &c. Vt vidit igitur Ætna, ſe, ex Dearum acceſſu, honoribus auctum, illico mouetur animo, ac viles arbitratus eas quibus, in ſubiectis campis, efflorcſcebat pompas, ad inſignes adeò peregrinantium Choros Dearum, Nympharumq; excipien-

dos nouis appetit pompis cumulari: quod vt, dictò citiùs, aſſequatur, veris miniſtrum accitum rogat, vt venas ſuas noua germinum fœcundet copia. Quod ideò perbellè effingitur ab Auctore, vt aditum ſibi adaperiat ad deſcribendam Ætnæi ruris amœnitatem.

QVE pro *&* aduerb. hic ordinandi eſt, ſed vim copulatiuæ non amittit; nam copulat cum prænarrata viſione, tamquam cauſâ effectus illicò ſubſequentis: ex viſione enim ſtudium exoritur montis, quo, amplioris ornatus flagret deſiderio; ex ſtudio autem electio, ac poſitio mediorum ſequitur ad finem obtinendum; atq; has proſequitur Vates in præſenti. *Et*

COMPELLAT: ideſt alloquitur; nam *compellare* eſt *alloqui*, vt ex pluribus Virg. locis, ſed præſertim Æn. 10.

Iunonem interea compellat Iupiter vltrò
O' Germana mihi, atq; eadem gratiſſima coniux &c.

eodem autem pacto alloquendi facultatem attribuit monti, quo ſupra diximus de facultate videndi.

ZEPHYRVM. Quis Zephyrus ſit, iam vidimus lib. pri. Carm. 85. Videat locum ſtudioſus, nam maximè confert ad præſentium intelligentiam. Tantum hic refero Plinij de Zephyro ſententiam; ait enim lib. 6. *Hic eſt genitalis ſpiritus Mundi, Fauonius à fouendo dictus.* Hunc, fabulati ſunt antiqui, Floræ, quæ florum Dea cenſebatur, coniugem eſſe, quod floribus gignendis ſpiret aptiſſimus; atq; huius virtutem mitis terram floribus fœcundantem, attigit etiam Virg. Georg. pri., vbi Zephyrum veris indicat Auctorem.

Vere nouo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.

& Georg. 2. idem clariùs repetit, inquiens

...Parturit almus ager; Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua ſinus; ſuperat tener omnibus humor.

ex quo ſatis liquet, quam aptè Zephyrum compellans Ætna induatur, vt noua ditetur germinum copia.

SEDENTEM. Partic. eſt à ſedeo ſatis notum. Cum autem, qui ſedet, ſtatum habere dicatur quietis, *ſedentem*, hoc eſt *otioſum* appellat Zephyrum, eo, quod ſcilicet tunc non verreret aerios campos, ſed quieſceret, ac domi ſuæ ſederet otioſus.

IN VALLE CVRVA. Vallis dicitur Planities montibus ſubiecta, iiſdemq; vtrimq; incluſa, & obuallata: Sed accipitur etiam, pro adiacenti montium radicibus ſolo, ab iis, qui ſuperiora incolunt. Hic tamen verè ſumitur pro planitie montibus incluſa; nam, vt noſtis, præter Ætnam alij ſunt in Sicilia montes, Pachinus nempè, Pelorus, Lylibeus &c. quarè tota Siciliæ Planities montibus incluſa, ſuis verè vallis potuit nuncupari. Sed cur in valle domicilium Zephyro ſtatuitur? Primò quidem, quia experientia patet ex his montium intercapedinibus, quas *Gullas* noſtri vulgò appellant, ventos, vt plurimum, frequentes exoriri; atque aſſiduè adeò in illis agitari, vt proprium ibi habitationis locum delegiſſe videantur. Secundò quia, vt aliqui voluerunt, venti ortum habere dicuntur ex maritimis exhalationibus; ideòq; nullus, ex tota Sicilia, aptior ventis locus, quam Inſulæ valles, quippè aptiores ad huiuſmodi exhalationes participandas, emittendaſque, cum viciniores pelago ſint, ac obuiæ magis quam montium latera, vel culmina. Tertiò deniq; quia de iactu flores & herbæ, quas aura parturit Fauonij, teſte Heſiodo, vberiùs in Vallis proueniunt, quare non fruſtra in iis Zephyri ſita dicitur ſedes. *Curua* autem dicitur vallis per adiunctum à figura deſumptum, nam, in Curuæ modum, inflexas cernimus valles, & arcuatas.

PATER O' &c. Oratio hæc eſt, quam ad Zephyrum habet Ætna, vt illum auxiliarium, ac voti adminiſtrum, ſibi conciliet, pulchrè admodum per Proſopopeiam concinnata. Alloquitur itaq; Zephyrum Ætna, per Apoſtroph. atq; ab inuocatione exorditur.

O'. Aduerb. enim vocandi eſt O', & inſuper optati ſignum aduentus eſt, quo deſiderium exprimitur aduocantis. Sic Æneas apud Virg. Æn. 4. Numen nauigationi ſuæ propitium implorans, ait

Adſis ò, placidusq; iuues, & ſydera Cælo
Dextra feras &c.

Oculis Ætnæ opportunus occurrit Zephyrus, dum eum ſibi Fauonium, hoc eſt fauentem optaret, ideò & deſiderium exprimit ſuum, & attentum facit, dum aduocat per partic. O'

PATER GRATISSIME VERIS. Patrem à patefaciendo ſemine dictum, autumat Varro. Quare, cum Zephyrus, arua omnia fœcundans, ſemina patefaciat, & in flores educat, ac fructus, iure *Pater* appellatur. Inſuper, cum, in petitoriis, honeſtâ ſemper ab amico, ac poſſibilia petere debeamus; vt, iuxta artem, procedat Auctor, quæ petenda ſunt, in poteſtate Zephyri prænotat eſſe, cum ab eo, tamquam à cauſa generante pendeant optati affectus, nec ſint aliundè, quam ab ipſo deſumendi. *Gratiſſimum* autem appellat, vt beneuolentiam conciliet, nam, qui alterius affectum poſſidet, tenetur affectum affectu ſimul, ac effectu ſedulò compenſare. Gratiſſimus autem à poſitiuo Gratus certè dicitur, qui vel alteri placet, vel ab altero, in primis, ac ſummè charus habetur. Porrò *ver*, cuius, ob iam datas rationes, *Pater* dicitur Zephyrus, *veris* à virore nomen ſortitur, & principem, ac florentiſſimam anni partem denominat, nempè vt ait Virg. in Culice

Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat pulchris diſtincta coloribus arua,

& de qua Comicus ille Italus encomiaſticè inquit

O' Primauera Gouentù dell' anno,
Bella madre de fiori,
D'herbe nouelle, e di nouelli amori.

hic tamen poſitum *ver* eſt, vt arbitror, pro ipſo *veris* effectu, nempè pro florum copia, aeris temperie &c.

QVI. Ad Zephyrum refertur, vt patet, cui facilè id fore, quod petatur oſtendit, ex eo, quod inſolita nequaquam petat.

REGNAS. Rex peperit verbum *regnare*, inquit Priſcianus; & *regnare eſt imperium aliquod obtinere, dominium poſſidere, ac potentia* prædominari. Confirmat igitur hoc verbo Poeta, quod nos ſupra dicebamus, nempè ſedem, ac Regiam Zephyri Siciliam eſſe, ſpectata vbertate Soli, quam ex hoc vento prouenire concordant paſſim Auctores. Et, quia Regnum non capit duos, oſtendit etiam indirectè Siciliam, licet maritimam ſæuioribus ventis non ſolitam infeſtari.

VOLATV SEMPER LASCIVO. *Motu* repoſuit Parrhaſ. & *Motu* legendum omninò eſſe neruis omnibus contendit Heinſius. Horum profectò ego lectionem non improbo: ſed, cur vulgata noſtra ſubſiſtere non debeat, non video. Quia, inquit Heinſius, vulgata lectio merum Gloſſema eſt. Miror quod non dixerit mera γλωσσαλγία eſt; hoc eſt meræ nugæ. Gloſſema nil tandem eſt aliud, quam vox indigens explicatione. An ne omnia dicere ſine alluſione, ſine eruditione, debeant Poetæ, ne aliqua indigeant explicatione? Vulgatam igitur amplexus iam explico. *Volatus* actus volandi eſt: & propriè de auibus dicitur, quæ remigio alarum liquidos aeris tranant, ſinus, atq; eodem, ne decidant ſuſtentantur. Verùm transfertur etiam ad ſignificandum quidquid celerrimè fertur; ita volare dicitur *nauis*, & *telum* arcu emiſſum &c. eodem modo de ventis dicitur; ideòq; paſſim alas ventis Poetæ attribuunt, vt & noſter mox inferius, nam nil ocyus ventis per aerem defertur. *Volatum* itaque & hic Zephyro congruenter attribuit Claud., ſed, vt eius lenitatem, ac fœcunditatem indicaret, quibus ille in cauſa eſt, vt luxurient omninò germina, addidit adiunctum *Laſciuo*, ideſt quo laſciuire, & luxuriare terram faciat &c: Hinc Alcmæon Cupidinem Chloridos, & Zephyri filium dixit, quia ſcilicet, Zephyro ſpirante, non plantis ſolum, & ſatis, ſed cunctis animantibus, ac ipſis etiam hominibus, Veneris maior adſit titillatio. *Laſciuus* etiam dicitur, hoc eſt leſtanti, placidoque afflatu ſpirans, ac iocanti ſimilis per aerem diſcurrens

SEMPER. Duplicem habet hæc particola relationem, nempe & ad verbum *Regnas*, & ad nomen *Laſciuo*. Quatenus ad verbum refertur, indicat Zephyrum perpetuum, in Sicilia, imperium exercentem: quatenùs refertur ad nomen, oſtendit æqualem, omni tempore, Zephyri naturam, qui ſcilicet ſemper placidus, ſemper beneficus Siciliæ ſit. Et quidem, ſi Zephyrus filius Auroræ ſit, vt & Apollodorus, & Heſiodus teſtantur, quid ex tam benefica, ex tam miti luce ortus potuit non mite, non beneficum? Si roſea illa ſemper eſt, ac liliis permixta, cur filius ab ea progenitus *Pater veris* non ſit? Et cur non ſemper naturæ ſeruet æqualitatem à natura inditam Matris?

PER MEA PRATA. Experientiâ ſe compertum habere, teſtatur, id, quod de Zephyri amænitate dixerat, ac fœcunditate, & motum ſe ex hac inſinuat, vt, cum ſolitam exoptet, audacter petat: Eodem autem contextu tacitè occurrit obiectioni, quæ fieri poterat; nam Zephyrus interdum, ab occiduis, cum Euro, ab ortu ſpirante, concurrens fœdas excitat tempeſtates, vt teſtari videtur Ouid. de Triſt. ..... *Nunc Eurus ab ortu*

Nunc

Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.

ex qua ventorum concertatione fœdas illas tempeſtates notat exortas, quibus Nautas, inquit,

Iam iam tacturos ſydera ſumma putes:
Iam iam tacturos Tartara nigra putes.

Quidquid igitur ſit, inquit virtualiter Ætna, num alibi terribilis Zephyrus ſit, & procelloſus, certè *per mea prata* ſemper ridens, ſemper placidus eſt. *Per* itaque præpoſitio eſt locum denotans, per quem Zephyrus ſemper placidus ſpatietur, & cui beneficus maxime exiſtat. *Mea* nomen poſſeſſiuum notiſſimæ eſt ſignificationis; *Prata* verò quid ſint, & notum per ſe eſt, & nos de Pratis Ætnam circumambientibus multa in anteactis, & aliqua etiam in ſubſequentibus addemus.

ET IRRORAS. Roribus præcipuè, ac minutis, roremq; imitantibus, pluuijs certè vegetantium omnium vita coaleſcit. Ideò Zephyrus, qui, vt ſuo loco diximus, ipſo nomine, ſonat *vitam ferens*, ſuauiter humidus deſcribitur, roreſque, ac minutas huiuſmodi ſpargere pluuias affirmatur. Hic tamen de rore tantum fit mentio; primo quia, vt ait Solinus, Ennenſes, qui & Ætnenſes campi ſunt, vt dicebamus, cum & Enna, & Ætna vmbilicum dicantur Inſulæ eſformare, ſereno ſemper Cælo fruuntur, conſequenter à nubibus, ac pluuijs ſunt immunes, quod & Syracuſanis tractibus euenire, idem aſſerit Solinus. Secundo quia inopportunè cecidiſſent tunc, licet minuatim pluuiæ, cum Deæ incedentes obſequium ſereni Cæli exigere viderentur; ideò rores tantum ad intentum petiturus Ætna de ijs tantum mentionem facit: *Irroras*, quod eſt *rore conſperges, et fecundas*. *Irroras* igitur poſitum hic agnoſces pro fœcundas, antecedens ſcilicet pro conſequenti, nam ad huiuſmodi irrorationem fœcunditas ſequitur ipſa tamquam effectus ſubſequens ad poſitionem ſuæ cauſæ.

ANNVM. *Annus* ſpatium, ſeù tempus duodecim menſium eſt. Verùm hic non ponitur pro tempore; ſed pro rebus tempori ſubiectis, ſiuè in tempore exiſtentibus, ea enim tantùm quæ fœcunditatem recipere apta ſunt, irrorantur; non tempus: Quarè continens ponitur pro contento, ſeu menſura pro menſuratis. Aptè tamen hic anni ingeritur mentio, vt indicetur, toto anni tempore conſeruatum Zephyro Ætnæis in Campis ver nouum efloreſcere.

FLATIBVS ASSIDVIS. *Flatus* ventus, & ſpiritus, & flamen, eſt: ſed ponitur hic quaſi effectus Zephyrei oris, vt pictoribus congruat dictio, qui ventos pingunt inflatis efflantes buccis, vt alibi dix.; & quia iſtiuſmodi afflatus cauſa ſunt roris, ac reliquæ humiditatis ad fœcunditatem conferentis. *Aſsiduis* autem inquit, ideſt continuatis, & diligentibus, vtrumq; enim ſonat nomen *aſsiduum*, ex quo oſtenditur Zephyrus nunquam ſatigatus in beneficijs Siciliæ impertiendis, vt nouerit ea, quæ petuntur, non eſſe extra inclinationem, ac naturam eiuſdem, à quo petantur. Artificioſiſſimè igitur agnoſcas appoſitum, vt facilitas indicetur concedendi, & exequendi.

RESPICE &c. Antequam poſtulata exponat, ſubijcit eiuſdem Zephyri oculis motiuum efficax, & efficaciter alliciens ad obſequia impertienda, nempè aduentum Dearum, ac concomitantium agminis Nympharum, quibus profectò & Zephyrus ipſe, nullo etiam aliundè habito impulſu, obſequi debuiſſet; ideò, vt ad concedendum, impellat facilius, ait

RESPICE. *Reſpicere* propriè eſt oculos vel corporis, vel mentis (nam ad mentem etiam transfertur) in aliquid conijcere. Sed nota verbi efficaciam: nam *reſpice* idem eſt, ac *rurſus aſpice*; quaſi dicat: *Aſpice, & rurſus aſpice*: hoc eſt *attentis oculis, & iterum attentâ conſideratione*; nam vtrumq; amplectitur Vates, emphaticè ingerens conatum applicationis in vtroq; requiſitum.

CÆTVS NYMPHARVM. Quid Nymphæ ſint ſæpiùs diximus in anteactis, *Cætus* autem à coeundo dicitur, eo, quod plures in vnam ſocietatem, congregationem, conuentum, ſeù locum coeant. Quam autem efficax motiuum deſumatur ex hac Nympharum obiecta conſideratione, atq; aſpectu, facilè patet, ſi meminerimus, Nymphis mel offerri ſolitum in ſacris, quod vtiq; ex floribus conficitur: immò hoc inſtitutum fuiſſe, aſſerunt non pauci, eo, quod Nymphæ floribus ſummoperè delectentur, vt confirmaſſe videtur Virg. Ecl. 2, dicens

Huc ades, ò formoſe puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas, & ſumma papauera carpens,
Narciſſum, & florem iungit bene olentis Anethi,

Æquum erat Nymphas, quippè diuinitatem participantes, peculiari obſequio, venerari accedentes. Quo autem magis peculiari tributo poſſent condecorari, quam eo, quo maximè delectantur, & quod in Zephyri poteſtate eſſet; copiâ videlicet florum? Ritè igitur, & ad perſuadendum aptiſſimè dictum Reſpice Nympharum cætus.

ET CELSA GERMINA TONANTIS. Gradationem hic licet animaduertere, qua, per particulam copulatiuam *&* gradus ſuperior inferiori ſuperadditur, illiq; coniungitur, vt, ſi quo caſu Zephyrus Nympharum non moueretur aſpectu, Dearum certe reuerentiâ percelleretur, & quidem Dearum ſupremi ordinis, dum *celſa Tonantis Germina* dicuntur, vt earum dignitas exprimatur, à qua deſumitur ratio ad debitum illis honorem ſuadendum: nam *celſa* idem eſt, ac *ſublimia*, atq; *in excellenti honore, in ter Deas, gradu conſtituta*, & meritò quidem, nam Deæ prædictæ inter Iouis filias maximè cenſentur, atq; in Dijs ſelectis computatæ, vt ex Ennio habetur. *Germina* verò dicuntur, quia, quamuis Germen propriè ſit, quod ex arborum oculis in gemmam erumpit; transfertur tamen ad ſignificandum quidquid ex altero per actionem generatiuam enaſcitur. Quarè & filiæ iure *Germina* dicuntur. Quomodò autem Iouis filiæ ſint Venus, Pallas, Diana, ac Proſerpina, ſæpè iam vidimus.

TONANTIS. Tonantem à tonitru Iouem antonomaſticè appellant, vt ſatis innuit & Auctor lib. pri. dum ore Tartarei fratris inſit

Ignauaſq; putas, quod non Cyclopea tela;
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus auras?

vide locum, ſi plura cupias; nos enim temporis agimur ſtimulis.

DIGNANTIA LVDERE. Dignantia particip. eſt ab antiquo verbo *Digno*, quod actiuum erat, & cuius nunc locum occupauit deponens verbum dignor: ſed idem hoc loco ſignificat, ac aliquid de maieſtate, ac decoro demittere, vt, non ſeruato ſaltu, ſibi quis complaceat in aliqua re, quæ non omninò agentis merito congruat, peragendâ: vulgo *degnarſi*, *compiacerſi*, quod vtiq; proprium ſemper magni animi eſt, iuxtà italicum effatum *ch'il degnarſi è grandezza*. *Ludere* autem, hoc loco, eſt blandè, &, ad delicias captandas, voluptuosè moueri. Sic Virg. Æn. 9. de conditoribus Romanis, ait

Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro.
Procubuiſſe Lupam: geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impauidos, &c.

Hæc itaque laſciuiens motio, ad relaxationem animi conquiſita, cum ſeuero maieſtatis ſupercilio non ſatis congruit. Qua de Cenſoria aliquid auſteritate remittendum, vt mollibus hiſce relaxationibus indulgeamus. Ideò optimè hæc omnia exprimens cecinit oculatiſſimus Auctor *Dignantia ludere*

PER CAMPOS NOSTROS. Præpoſitionem *per*, vtpotè notiſſimam, ac ſupra explicatam omitto. *Campus* verò à capiendo dicitur ampla quælibet planities, ad capiendam multitudinem longè, lateq; protenſa: hic ponitur pro pratis, de quibus ſupra. Sed nota artificium, quæſo, Ætnæ perorantis in poſſeſſiuo *Noſtros* appoſitè latens. Cum de Zephyri in ſe beneficijs loqueretur Ætna in anteactis, poſſeſſiuo *Meus* eſt vſus: *Qui mea laſciua regnas &c.*: nam, vt ſibi Zephyrum conciliaret, ſtuduit ſe oſtendere memorem beneficiorum, quæ ſibi ita collata profitetur, vt nil ex ipſis participaret largitor, præter largiendi munificentiam: aſt verò, cum de honoribus, quibus à Dearum acceſſu cumularetur, agendum fuerit, vt oſtendat eos communes etiam Zephyro eſſe, ideoq; teneri & ipſum ad grati animi oſtentationem expromendam, & conſequenter prompte ab eo, quæ Ætna petierit, fuiſſe concedenda, noluit dicere *per meos campos*; ſed *per noſtros*, ſibi ſcilicet Zephyrum æquiparans, in poſſeſſione agrorum, vt intelligeret ea ſuaſurum ſe, quæ non ad Zephyrum minus, quam ad ſe ipſum ſpectarent; nam, ſi communes erant honores, ex aduentu Dearum percepti, communia etiam eſſe debuerant, quæ rependerentur, obſequia, & grati animi ſigna.

NVNC ADSIS &c. Adeſt iam petitio paucis expreſſa verbis, nam tota his clauditur vocibus

Nunc adſis, faueaſq; precor. . . . . .

Nunc aduerb. & nota præſentis temporis eſt; ſed emphaticè hic correſpondens aduerbio temporis continuati *ſemper*, quod ſupra poſuerat: ſenſus enim iſte eſt: ſemper quidem adfuiſti, ſed nunc maximè fauendum; & ſi vnquam

ante prodigus in me beneficiorum fuiſti, nunc profuſum maximè, ne dum prodigum expoſco. Nunc tempus adſtat, quo præcipuè auxiliarijs tuis afflatibus indigeo, ne Ruſticus videar Dearum exceptor: *nunc*, quando honorandus Dearum cœtus: *nunc*, quando Gratia in me Numinum exundat, vt par pari, pro viribus referam: *Nunc*, dum Venus adeſt cuius Nuncius dicitur Zephyrus: *Nunc*, ne tibi ipſi deſis, iam mihi *Adſis*. *Adeſſe* eſt *præſens alicui eſſe*: ſed, quia, qui actualem auxilij operam præſtat, præſens eſt, transfertur etiam ad ſignificandum hoc, quod eſt auxilium, protectionem, ſubſidium impertiri. *Adſis* itaque, hoc loco idem eſt, ac *Auxiliare*; *operam mihi tuam præſtes*.

PRECOR. Verbum hoc eſt notiſſimæ ſignificationis. Tantum aduerte actum precandi proprium illius eſſe, qui indiget: quarè, qui precantur, ſemper ſe inferiores profitentur, reſpectu illius, quem precantur. Hoc autem ſeſe humiliantis actu beneuolentiam captat Ætna, quo faciliùs Zephyrum exoret, & promptum habeat.

ET FAVEAS. Videtur hic copulare idem cum eodem; nam idem ſonare videtur *adſis*, & *faueas*, vt ex iam dictis patet. Verùm aduerte, verbum *faueas* explicatiuum neceſſarium eſſe prioris; nam cum verbum *Adeſſe*, in rigore propriæ locutionis, tantùm ſignificet *præſens eſſe*, potuiſſet æquiuocatio irrepere, ita vt videretur tantum Zephyrus accitus, vt lenes auras Dearum vultibus adſpiraret: ideò explicat: *adſis fauore*; *adſis beneficijs*, quibus me ſoles afficere; *& faueas*. Adde quod verbum adſum, ſolet & in malam partem interdum accipi. Sic Dido minas euibrans in Æneam Æn. 4. ait

. . . . Sequar atris ignibus abſens.
Et cum frigida Mors anima ſeduxerit artus.
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.

quem locum imitatus Torquatus Hieroſ. lib. Cantu 16. ore Armidæ ſuæ in Rinaldum ſic inſonat

Me ſempre eguado ſpirto ombra ſeguace
Indiuiſibilmente al fianco hauraie
Nuoua furia co' ſerpi, e con la face,
Tanto t'agiterò quanto t'amai &c.

neceſſariò igitur, ne in reprobum ſenſum detorqueri poſſet, explicandum fuit verbum *adſis* per ſubſequens *& faueas*. Copulat itaque Vates explicationem cum explicando: ſeù potiùs particula ipſa *Et* explicatiua erit: *adſis, & faueas*, idest *adſis, hoc eſt faueas*, in quo ſenſu aliàs vſurpatam à Vate hanc particulam vidimus.

NVNC OMNIA FÆTV &c. Poſtulata, ſuperiori iam propoſitione ſub vniuerſaliſſimo quaſi genere comprehenſa, per diſpoſitionem reſolutiuam, qua ſcilicet à toto ad partes progredimur, in ſubiectas diuidit ſpecies ſubalternatas, vt, dum particulariter ſingillatim omnia, quæ deſideret, explicat, eodem contextu amplificet, deſumpta ab optatis effectibus amplificatione.

NVNC. Habes emphaticam temporis repetitionem figuratè factam, cuius ſenſum iam vidimus

VELIS. Facilitatem iterum oſtendit ea, quæ optet, concedendi; nam, dum verbo vtitur *velis*, quod propriè denotat actum voluntatis aſſentientis, clarè denotat, ad omnia præſtanda ſufficere actum voluntatis à Zephyro elicitum. Quarè prudenter Parrhaſ. *velis*, hoc eſt *iubeas* exponit. Sed intellige tamen dictum de voluntate efficaci, non de velleitate. Porrò voluntas efficax, per abſolutum *volo* exprimitur: velleitas verò effertur, per modum optatiuum *vellem*, quo importatur voluntas imperfecta, qua velle, & nolle, dici poſſit talem actum eliciens, iuxta dictum in ſacris litteris: *vult, & non vult piger*. Cum itaque hic *velis* abſolutè ponatur voluntatem importat efficacem. Vides quam acutè hic obiter efficaciam attingat Vates Diuinæ voluntatis, cui nil profectò reſiſtit. Zephyrus Numen eſſe credebatur diuinum, ideòq; diuina hæc illi proprietas attribuitur, nempè operatiua voluntas; nam certè Deo ſatis eſt velle, vt ſecutum videat effectum. *Ipſe dixit, & facta ſunt*. Hoc quidem Zephyro fabuloſè attribuitur; ſed, ſuppoſita fabula, diuinitatem illi attribuente, ex neceſſitate Naturæ, altera hæc conſequitur fabula, alluſiuè tamen, non veraciter affirmatiuè intelligenda.

PVBESCANT VIRGVLTA OMNIA. Virgulta ceſpites illi ſunt, qui ex aggregata virgularum multitudine ſuccreſcentium ſtipantur, vulgò *Ceſpugli*; & propriè de ſcrobibus terræ, denſa herbarum, vel florum ſtipatis caterua, id nomen dicitur; licet transferatur etiam ad aggregatum ſinium, ſpinarum, ſentium &c. Hìc in ſignificatione ſumitur propria; rogat enim Ætna, vt herbæ omnes ſurgentibus turgeſcant gemmis, floribuſq; niteſcant. Ideò *virgulta omnia*, addito ſcilicet termino ſincategorematico vniuerſali, vt nullum ab optata excludat efflореſcendi fælicitate. *Pubeſcant*, autem inquit, quod verbum eſt à *Pubeo* frequentatiuum, idem ſignificans, ac *primam emittere lanuginem*; quod quia, in flore ætatis, iuuentute videlicet vigente, contingit; pro eodem translatiuè ſumitur, ac iuuentutem induere: vulgò *ringiouanire*: & quia fæcunditas iuuentutis Comes videtur eſſe, ſicuti ſterilitas ſenectutis; ideò Zephyrum orat Ætna, vt vigorem iuuentæ herbis inſtillet ſuis, vt fæcunditate iam graues ſillicò turgeſcant in flores; nam, vno verbo, quæ nouo germine luxuriant, *Pubeſcere* dicuntur, vt notat acutiſſimè Barth.

FÆTV. Generale nomen eſt *fætus*, ad omnia ferè, quæ naſcuntur, ſignificanda concinnatum: nam *fætus* à fouendo dicitur, eo, quod conceptum gremio ſuo foueat Natura. Sic Virg. etiam ſurculos nemoroſæ arboris, ac fructus, *fætus* appellat Georg. 2.

Nec minus interea fœtu nemus omne graueſcit.

hic pro floribus, quos naſci optat Ætna iam ſumitur. Adnotat hic Heinſius ex Vaticano vno, melioris, vt ipſe inquit, notæ lectionem variari, vt dicat

Nunc adſis, faueaſq; precor nunc omnia fœtu
Pubeſcant virgulta nouo &c.

Sed non video cur melioris notæ dicatur, dum ſuperflua profectò ingerit; nam certè id, quod ſignificatur per adiunctum *nouo*, habetur ſatis ex verbo *pubeſcant*, vt ex dictis conſtat; quarè ſuperfluum fuerat addere *nouo*. Non autem ſuperfluum remanet verbum *velis*, vt ex iam explicatis innoteſcit. Quarè non innouandum cenſui.

VT FERTILIS HYBLA. Vt coniunctio cauſatiua eſt finalem indicans cauſam; atq; eodem tempore modum fertilitatis, quem optet, præſcribens, tantam enim expoſcit, vt Hyblam ſuperet: vulgò ſonat *ſi che, à ſegno che*, finis enim Ætnæ fuerat, vt Hyblâ ſuauius halarent campi &c. Porrò Hybla Vrbs Siciliæ fuit, & Mons ibidem eiuſdem nominis, apum frequentiâ celebris, thymi copia inſignis adeò, vt nullis iam Poetarum Cytharis non decantatum. Statio hic gratiſſima veris videtur efflореſcere, & thymi fragrantia, longè per aereos campos euecta, apes non ſolum allicit auidiſſimas, ſed & circumquaq; incolentes mirâ recreat ſuauitate. Certat itaq; Hybla cum Peſtanis hortis, cum Adonidis viridarijs &c.: nam, licet diuerſos nutriat flores, terreſtrem tamen Paradiſum, fragrantiæ noris, ſe indicat poſſidere. Ideò *fertilis*, fæcunditate ſcilicet inſignis, feracitate vnicus Mons ille credebatur: & idem ſunt *fertilis, fæcundus, ferax*. Ætna igitur, Hybleas auens ſuperare delicias, Zephyrum precatur, vt ſe Hyblâ venuſtiorem, fæcundioremque efficiat, vt tantæ fæcunditati, vel Hybla

INVIDEAT. *Inuidêre eſt ex ſecundis aliorum rebus dolore affici*. Inuidêre autem quis alteri non poteſt, quin ſe inferiorem, facto ipſo, fateatur: nam inuidia teterrima eſt animi peſtis, qua tunc affligimur, cum in alijs ea efflореſcere cernimus, quæ toto nos conatu aſſequi nequaquam poſſumus. Quare dum Ætna inquit: *Inuideat Hybla*, optare ſe, apertè dicit, vt ſua adeò fæcunditas augeatur, vt Hyblæa fæcunditate maior dolorem iſtum Hyblæ inurat, atq; hanc inferioritatis iniſciat paſſionem.

ET NON ABNVAT. *Abnuere* eſt *ſigno capitis aliquid negare*: licet & oculis, & manibus id ipſum fieri poſſit. Verbum eſt compoſitum ex *ab*, & *nuo*: & *non abnuere* idem eſt, ac *fateri* Ex hoc vides, quam ſibi cohæreat Vates; nam, ſicuti Ætnæ ſenſum tribuerat, ſic etiam attribuit Hyblæ & perſonam, & ſenſum inuidioſum, & arbitrium aſſentiendi, vel diſſentiendi; atq. ideò orat Ætna, vt fateri ex effectu cogatur mons ille.

VINCI SVOS HORTOS. Notiſſimæ hæc ſunt ſignificationis; nam Hyblæus Mons totus eſt hortus; quandoquidem hortus nil aliud eſt, quam conſitus floribus, arboribuſque frugiferis, locus: ſed *hortos* dixit, non hortum, quia, iuxta diuerſas vnius montis partes, vnicus etiam hortus ille in plures videtur hortos diſtingui.

QVIDQVID THVRRIFERIS &c, Enumerat, magis adhuc particulariter, quæ optet, vt modum ſuggerat amplificatam impertiendi fæcunditatem, Et primo ſuggerit Panchaiam, in campos transferendam ſuos, non quidem quo ad ſolum ipſum, ſed quo ad ſimilitudinem deliciarum, odorumq; fragrantiam. Porrò *Quidquid* nomen collectiuum eſt generaliter omnia includens, ac nihil excludens, ex quo quanta Orator augeat, habes.

PAN-

PANCHAIA. Regio hæc eſt Arabiæ fœlicis, in qua arbores ſpontè natæ thus emittunt. Quamuis autem Columella, Romæ etiam, ſuis temporibus, educatam ſcribat thuris arborem: communis tamen, ac conſtans opinio eſt, eam arborem, hac tantùm in regione naſci, ac perdurare; immò in vnica huius regionis ſylua, quæ triginta habet milliaria longitudinis, quindecim verò latitudinis. In hanc eamdem regionem, quæ tota Soli ſacra eſt, propè vrbem Solis, quæ Sabæis eſt proxima à Rediniuo phœnice nidum deferri autumant non pauci. Fœlicis autem huius regionis, meminit etiam Ouid. Metam. 10.

Gratulor huic terræ, quod abeſt regionibus illis,
Quæ tantum genuere nefas; ſit diues amomo,
Cinnamoq; coſtumq; ſuum, ſudataq; ligno
Thura ferat, floreſq; ſuos Panchæca tellus.

Nec non & Virg. Georg. 2. de laudibus Italiæ agens hanc memorat, Italiæ cedentem aſſerens

Sed neq; Medorum Syluæ diteſsima terra,
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent: non Bactra neq; Indi,
Totaq; thuriferis Panchaia pinguis arenis.

SPIRAT. *Spirare* propriè eſt *ſpiritum emittere*: ſed tranſlatè idem ſignificat, ac *exhalare*; nam cum etiam exhalationes nil aliud ſint, quam ſpiritus, ſeù vapores ſpiritoſi à corporibus emiſſi, iure exhalatio ipſa ſpiratio dicitur, & *exhalare* idem, ac *ſpirare*. In hoc ſenſu vidimus verbum *ſpirare* vſurpatum etiam à Virg. Æn. 1.

Ambroſiaq; comæ diuinum vertice odorem
Spirauere: pedes veſtes defluxit ad imos &c.

Hìc multa de odoribus eſſent ingerenda. Num ſcilicet odor ſit purum accidens, an ſit exhalatio, ſeù euaporatio: an verò, iuxta Ariſtotelem, ſit in exhalatione quidem, & euaporatione, ſed non ſit euaporatio ipſa: An odoriferum corpus odorem diffundens ſolum accidens diffundat, an verò ſubtiliores ſubſtantiæ partes ex illo decidantur, & euaporent: quomodò afficiant organum olfactus: num immediatè, per ipſam ſubſtantiam, vel accidens emiſſum, an per ſpecies intentionales &c. ſed quia Phyloſophorum hæc ſunt, & nos fusè in animaſticis pertractauimus, libens omitto. Certum eſt (quod ad rem ſpectat) odorem non poſſe dici ſimpliciter ſubſtantiam. Eſto enim flos aliquos emittere poſſit ſpiritus viuaciores, ac ſubtiliores, erit quidem in iis odor, tamquam accidens in ſubiecto, ſed ipſi formaliter odor non erunt: & patet, quia vonus interdum floſculi, quamuis minimi, odor à longe diſtantibus percipitur; cum autem omne agens, in ſphœram, agat, ad totam illam ſphœram actiuitatis complendam, quomodò ſpiritus habeat ille floſculus ſufficientes? Satiùs igitur eſt dicere, odores, vt plurimum, per ſpecies intentionales ad olfactum vſq; propagari. Dicitur tamen odor *exhalatio*, vel dicitur, *in exhalatione eſſe*, quia certè corpus odoriferum, dum odorem ſpirat, vel partes ſui ſubtiliſſimas, vel qualitatem emittit, quæ in circumambienti aere receptæ propagantur ſubindè per ſpecies ad longiſſimam interdum diſtantiam. Sic de fœlici referunt Arabia, eſſe illam tanti odoris feracem, vt prænternauigantes, longiſſimo licet diſſiti maris tractu, Panchaiæ tamen ſuaueolentiam percipiant. Quod ſi quæras, cur Arabico Solo tanta inſit odoramentorum copia? Ex Sole reſpondent Theophraſtus, ac Plutarchus prouenire; Flagrantiſsimo enim Solis Syderi ſubeſt Arabia, propterea gignit ea odoramenta, quæ tunc præſtantia, & plurima proueniunt, cum Solis ardoribus, in terræ venis, humor excoquitur. Dum itaque Ætna omnes Panchaiæ fragrantias exoptat, certè ſummum, quod in hoc genere haberi poſsit, ſibi tribuendum precatur.

SYLVIS THVRRIFERIS. Quid ſyluæ ſint, ſæpiùs vidimus, & præcipuè lib. pri. Carm. 207. ideò prætereo. Alij legunt roriferis, vel floriferis, quos non reſpuo, ſed vulgata magis arridet. Thurriferas autem dicit has ſyluas, hoc eſt thura ferentes, ac Thuris odore fragrantes; quæ vbi ſint, iam vidimus. Si autem quæras, quid ſit Thus? Lacryma eſt Libani arbuſculæ ſoli, vt dicebamus, Arabiæ conceſſa, Thus dicta à *τὸ τῦ θύειν*, quod eſt ſacrificare, eo, quod hâc lacrymâ, quæ vulgo *incenſum* dicitur, in ſacrificijs vtamur. Ex quo obiter nota, quam aptè Ætna thurrifera ſibi munera depoſcat, eo tempore, quo Dearum acceſſus debito illi eſſet honore excipiendas. Porrò ex Thuris arbore duplex colligitur vindemia: prima fit circa canis ortum; altera verno tempore, ita vt inciſis effluat corticibus. Probatur autem Thus candore, & igne, quem ſtatim concipit, ac denique fragilitate, qua infrietur potiùs, quam dentem recipiat.

QVIDQVID ODORATVS &c. Non contentus Panchaicis delicijs, Hydaſpeis inſuper quæritat cumulari, & quidem plenis, ac omnimodis; ideòq; repetit particulam *quidquid* in ſenſu iam dato.

HYDASPES. Duplicem Hydaſpem inuenio, Indicum alterum, qui per Parthos, ac Medos tranſiens dicitur in Indum flumen influere, de quo Virg. Georg. 4.

Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſeruant &c.

Hydaſpes dictus hoc flumen, vt aiunt, eſt ab Hydaſpe antiquiſſimo Medorum Rege. Alterum inuenio Hydaſpem, qui iuxta antiquam Perſarum decurrens regiam, in Tygrim excipi fluuium dicitur, & tantæ fuiſſe ſuauitatis, vt eum ſoli potarent Reges. De Hydaſpe Indico hæc habet in hunc locum Parthaſ. *fragrans odor aromatum, quæ naſcuntur ad eius ripas, etiam ab ijs, qui procul abſunt, ſumma cum voluptate ſentitur.* Hæc Herclè contra naturam fluminis videntur eſſe; nam, cum vnus ex Auriferis Hydaſpes ſit, non videtur aptus ad tot nutrienda viridaria, ad tot flores alendos, ad tot aromata producenda; nam, vt noſtis, aurum deſertis, vt plurimum naſcitur in locis, quaſi natura ipſa decernente, vt, vbi pretioſiſſimum effundit munus, auara inferiorum munerum ſit manus. Verùm, ne probatiſſimis auctoribus denegare fidem videamur, facilè dicemus hoc ipſum priuilegium eſſe naturæ, quæ flumen illud ſpecialibus proſequens muneribus, & aurum illi dederit, & floribus ripas exornauerit, vt molliùs, inter flores, & aromata, aurum laſciuiet. Si verò de Perſico Hydaſpe loquamur, ſatis ſuperq; conſtat, antiquam Perſarum Regiam fuiſſe Suſis conſtitutam. Suſorum autem nomine inclita illa, ac nobiliſſima Vrbs deſignatur, inter Perſidem, & Babyloniam ſita, quæ à florum, ac præcipuè liliorum frequentiſſimo apparatu nomen dicitur ſortita; & in qua nobilis illa Cyri Regia, candido, varioq; marmore, columnis aureis, magnaq; gemmarum copia inſignis, Cæli, in lacunaribus, habens ſimulacrum, ſtellis vndiq. micantibus conſperſum &c. Cum itaque tantam hic florum, ac regij præcipuè floris copiam habeamus, cur non iure floridiſſimus etiam Perſicus Hydaſpes cenſeatur. Ad vtrumq; igitur reſpexiſſe Poetam facilè dixerim; nam & hìc certè Floram, habemus ſtationariam; & Indicas etiam regiones inter florentiſsimas recenſitam apud Virg. perleges Georg. 2. Ideò *Hydaſpes*

ODORATVS. Quamuis interdum *odoratus* pro *odorifero*, hoc eſt odorem exhalante ponatur, vt patet apertè ex Virg. Georg. 3. vbi habet:

Diſce & odoratam ſtabulis accendere Cedrum.

propriè tamen loquendo, *odoratum* dicitur id, quod aliundè odores deſumit, quaſi *odoribus perfuſum, odoribus auctum.* *Odoratus* itaque dicitur Hydaſpes, non quia ex ſe ipſo odorem ſpiret; cum immò puritas aquæ hoc exigat, vt nullo vitietur odore; ſed quia ex circumſtipantibus viridarijs odorem contrahat, ac deſumat; ſicuti mòx dicebamus de Arabico mari odorem fœlicis plagæ deportante.

LONGE', Dupliciter conſiderari poteſt aduerb. Longè; vel ita vt intelligatur abſolutè poſitum; vel ita vt aut ad verbum *blanditur*, aut ad nomen odoratus referatur. Si abſolutè poſitum velis, idem erit, ac ſi dixiſſet, *longo regionis tractu*. Si cum verbo, aut nomine componas, aduerbium augendi eſt, idem ſonans, ac *maximè*. Tù prout libet, explicabis. Heinſius notat ex vaticano vno haberi *Largè*, non *longè blanditur*. Sed quia idem ferè quo ad ſignificationem eſſentialem ſunt hæc aduerbia, non altercandum arbitror; differunt enim ſolum ſecundùm diuerſam, quam important commenſurationem.

BLANDITVR. Hoc eſt aquis blandè alluit, nutrit, fouetque; certum eſt enim, vegetantia omnia aquis maximè indigere vt alantur. Nec dicas Claudianum hic in linguam peccaſſe latinam, cum quartum huic verbo caſum attribuat, cui tertius fuiſſet addendum; nam potuit optimè Vates per Helleniſmum caſum aſſumere ſignificato huius verbi congruentem, ita vt ſignificato, non voci deſeruiret. Inſuper potuit per Synecdoc. ommitti tertius caſus *cui* tacitè ſubintelligendus, ita vt particula *quidquid* ſit caſus illius verbi *In venas diſperge* meas, non verò caſus illius verbi *blanditur*.

QVIDQVID AB EXTERNIS &c. Figura vſus repetitione, tertiò iam repetit collectiuum *quidquid* in ſenſu ſupraposito, vt, quoniam ternus numerus perfectionis numerus eſt, & locum ſæpè ſæpiùs gerit ſuperlatiui, vt alibi monuimus, ex hac repetitione innoteſcat, perfectionem omni abſolutam numero ab Ætna vtiq; exoptatam fuiſſe; ideò,

ideò, vltra dicta, tertiam addit de aromatibus à Phœnice collectis expreſſam perfectionem, vt videlicet viuat, vnicamq; ſe optari vetuſtatem, ſicuti vnicus in Mundo, vt dicitur, Phœnix eſt. Itaque

ALES LONGÆVA. Phœnix eſt ſic antonomaſticè dictus, quia alitum nullus diuturnè adeò viuat, vt Phœnix, qui, vt ait Ouid. Metam. 15. ad quintum vſq; ſæculum vitam protrahit; ſic enim ipſe de Phœnice loquens ait ibi:

Hæc vbi quinq; ſuæ complenit ſæcula vitæ &c.

vt fuſiùs inferiùs: iuxta verò Auctorem noſtrum ad decimum vſq; ſæculum ſenectutem perducit, ſic enim de Phœnice ait

Namq; vbi mille vias longinqua retorſerit æſtas
Tot furtiue Hyemes, totiens Ver curſibus actum,
Quas colit Autumnus, dederit cultoribus vmbras;
Tunc multis grauior tandem ſubiungitur annis
Luſtrorum numero victus &c.

quamuis Manilius aſſerat, Phœnicem ad ſexageſimum tantum vſque, ſupra ſextum ſæculum, ætatis annum perdurare. Certe Auctor ſibi ipſi coheret, dum *longæuam alitem* phœnicem hic dicit; nam *Longæua* eſt quaſi longo durans æuo, ni potiùs dicere malueris *longæua* hic pro *æterna*, ſeù *æuiterna* poni, cum ſemper reuiuiſcat, atq; occaſus illi vitæ in nouum vitæ orientem commutetur. Eſt itaq; *Ales* genericum nomen, quo omnis volantium turba ab alis gerendis denominatur, contrahitur verò ad Phœnicem, per differentiam additam *Longæua* ob iam dictas rationes. Plinius, longæuam hanc alitem dictam, autumat, Phœnicem à Phœnice arbore, quæ Romanis Palma eſt, ob id, quod ex Syagrorum genere vna, quæ in Chora fuerit, emoreretur, atq; ex ſe ipſa renaſceretur, vt etiam Phœnix, auis ſcilicet de qua agimus. Sed non video datam ab eo rationem, cur potiùs ales ab arbore, quam arbor ab alite, dicta fuerit Phœnix. Si autem ſcire cupias, qualis nam Phœnix ſit, accipe ab eodem auctore noſtro Eidyllio cit. de Phœnice his verſibus exaratam illius deſcriptionem.

Arcanum radiant oculi iubar: igneus ora
Cingit honos; rutilo cognatum vertice ſydus
Attollit Criſtatus apex; tenebraſq; ſerena
Luce ſecat: Tyrio pinguntur crura veneno.
Antevolant Zephyros pennæ, quas cæruleus ambit
Flore color, ſparſoq; ſuper diteſcit in auro.

Phœnicem, quo ad molem corporis, magnitudinem Aquilæ emulari, licet cæteroqui ſuperior emineat, conſtans adeò opinio eſt, vt Pier. in Hierogl. de eo, immediatè poſt Aquilam, agat, & inſtar Aquilæ delineet. Eius ortum ſibi vindicant Ægyptij, vt habet Athenæus, qui eam in Heliopoli Ægyptiaca vrbe naſci, ac ibidem emori aſſeuerat. Aſt vereor, ne æquiuocatio ex Heliopolis nomine irrepſerit; nam, ſi Heliopolis in Ægypto ſit, eſt etiam Heliopolis in Panchaiæ finibus, vt ſupra, quandoquidem Heliopolis, nil aliud, quam Solis Vrbs interpretetur. Eſt profectò ex communi Auctorum ſententia ſolius Arabiæ propriùs Phœnix eſt, atq; orientales habitare ſolitudines dicitur; Inuenio autem Arabiam fœlicem, quo ad maximum ſui ipſius Emporium, vrbem ſcilicet, quem olim Arabiæ Emporium diceretur, nunc *Aden* extra fauces Arabici maris poſitam, in Homeritarum finibus; Homeritas autem inuenio populos eſſe Orientali oræ conterminos. Quapropter facile adducor, vt credam, veram eſſe ſententiam, quam ſupra retulimus, nempe non Ægyptiacam, ſed Arabicam auem eſſe Phœnicem; cum certe orientalem aſſerit, & Auctor noſter Eidyl. cit. dum ait.

Oceani ſummo circumfluus æquore lucus
Trans Indos, Eurumq; viret, qui primum anhelis
Sollicitatur equis, vicinaq; verbera ſentit,
Humida roranti reſonant cum limina curru,
Vnde rubet ventura Dies, longèq; coruſcis
Nox afflata rotis refugo palleſcit amictu.
Hæc fortunatus nemorum Titanius Ales.
Regna colit; ſoluſq; Plaga defenſus iniqua
Poſsidet intactas ægris animalibus oras.

vbi vides, quam bellè confirmet id, quod de Phœnice pariter, ex communi, refert Pier. lib. Hierogl. 20., nempè Auem eſſe Orientalem, atq; orientales ſolitudines, ab omni hominum commercio, viſuq; ſegregatam habitare. Hæc cum poſt iam præfata ſæcula tempus ſibi inſtare præſenſerit moriendi lectiſſimas herbas, ac maxime odoriferos ſurculos colligere ex lectiſſimis dicitur collibus; extructoq; in Palmæ vertice ex Caſſia, Nardo, Cinnamo, ac Myrrha, nidulo, ſeù rogo, finire in odoribus æuum, Sole pyram ſplendoribus inflammante. Ex cineribus autem exurgere vermiculus dicitur, qui paulatim excreſcens plumas induit, ac nouum denuò euolat in Phœnicem. Quare Cauſinus lib. 2. ait

Sic Phœnix Pater eſt, & Patri ſimillimus filius.

Poſt hæc, filius ipſe, cum ſatis virium, per ætatem, adeptus fuerit, vt oneri ferendo ſufficiat, dicitur nidum è ramis auellere, ac ſepulchrum Patris, cunabula pariter ſua Heliopolim Panchaiæ deferre, atq; ante ipſius Solis fores deponere. Claud. de Phœn. cum ait nidum ad Heliopolim Ægypti deferre, vbi templum pariter Solis &c. non tamen ibi dicit Auem Ægyptiacam eſſe, immò non eſſe notat, dum ait: *Alienum tendit in orbem &c.* Quod ſi vlteriùs quæras, quibuſnam alimonijs victitet Phœnix? Reſpondet Auctor noſter Eidyllio cit.

Non epulis ſaturare famem, non fontibus vllis
Aſſuetus prohibere ſitim: ſed purior illum
Solis feruor alit; ventoſaq; pabula libat,
Tethyos innocuos carpens alimenta vapores.

Nec mirum hoc videri debet: nam ſi de Cameleonte fertur, eum aura veſci: Sic de Paradiſiaca aui, vulgò *Manucodiata*, eam Solis e Cælo roribus ali: Pyrauſtamq; igne ſerunt enutriri; cur non Solis auis alimenta libet iam poſita, iiſque victitet? Ouid. tamen Metam. 15. materialia illi tribuit alimenta, quorum inſpiciendorum data occaſione, audiamus, quo pacto totam de Phœnice hiſtoriam, ſeù fabula illa ſit, contexat ipſe

Vna eſt, quæ reparet, ſeq; ipſa reſeminet Ales,
Aſſyrij Phœnica vocant; nec fruge, nec herbis,
Sed Thuris lacrymis, & ſucco viuit Amomi.
Hæc, vbi quinq; ſuæ compleuit ſæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine Palmæ,
Vnguibus, & duro nidum ſibi conſtruit ore.
Quo ſimul ac Caſias, & Nardi lenis ariſtas,
Quaſſaq; cum fulua ſubſtrauit Cinnama Myrrha,
Se ſuper imponit, finitq; in odoribus æuum.
Inde ferunt, totidem qui viuere debeat annos,
Corpore de Patrio paruum Phœnica renaſci.
Cum dedit huic ætas vires, oneriq; ferendo eſt,
Ponderibus nidi ramos leuat arboris altæ,
Fertq; pius cunaſq; ſuas, patriumq; ſepulchrum,
Perq; leues auras Hyperionis vrbe potitus
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.

Hac iam habitâ de Phœnice notitiâ, ad intermiſſam redeo explicationem. Quærit Ætna ſibi quidquid Longæua hæc ales

COLLIGIT. *Colligere eſt quæ diſperſa ſunt coniungere, atq; unicum in acervum redigere;* quod fieri à Phœnice iam vidimus, qui pretioſiſsima quæque, ad combuſtionem apta, varijſq; in collibus ſparſim reperta, decerpens coniungit, atq; vnam ſibi extruit in Pyram. Non abiecta itaq; poſcit Ætna; ſed quidquid pretioſiſsimum apud totam ſit ditiſsimam Indorum regionem, dum ea quæritat, & poſcit, quæ ſibi Phœnix colligit.

AB EXTERNIS COLONIS. *Colonos* hic poni pro *locis, quæ incoluntur*, indubitatum eſt, contentum ſcilicet pro continente, vno verbo pro ipſa orientali plaga ponitur id, quod Poetæ ſubeſt pronunciationi; ſed non pro Plaga illa, quæ ſolitudinem habet, & in qua diximus ſolum degere Phœnicem; aſt pro Plaga Orientali finitima mitiori animantibus vtiq; Cælo ſubiecta, quæ incolarum capax ſit, qui ſcilicet aromatibus incumbant colligendis; hæc enim India arbores habere dicitur ſemper frondentes, bis fruges ad maturitatem perducere, Piper, Calamum aromaticum, & cinnama ad nos mittere; vno verbo adeò fertilis, adeò florida, adeò fragrans, & diues eſſe perhibetur, vt nunquam incolæ è finibus educi poſsint ſuis; & quia hæc India terminus quondam cenſebatur eſſe totius Aſiæ Orientalis, hinc eſt, quod aliqui lectionem huius textus immutantes legerint

Quidquid ab extremis ales longæua colonis,

quam lectionem ſecutus Parrhaſ. *ab extremis, inquit hoc eſt, ab iis qui colunt vltimos orbis fines.* Verùm cum poſtea compertum fuerit, vltra Indos, Ginas habitare, vt notauit Ptolem. ſatiùs arbitror vulgatam ſequi. Apte autem dixit Vates. *Quidquid* colligit ab eſternis colonis, colonos pro culto ponens ſolo, nam quidquid ex illo ſolo Phœnix colligit ſibi certè colonis ſurripit. Heinſius cum Iſingrino legit *Quidquid ab extremis Ales longæua Sabæis.* Sed non video quomodo Sabæi, qui Arabiæ fœlicis Populi ſint *extremi*, dici poſsint, cum certe fœlix licet orientalis, non tamen vltima omninò ſub oriente ſit, vt conſtat ex dictis. Multò minus *extremi* reſpectu Phœnicis dici poſſunt Sabæi, cum eamdem incolant Arabiam, in qua Phœnicem vidimus ortum

habuiſſe.

habuiſſe; Adde Sabæa odoramenta iam ab Æma petita fuiſſe, cum ait: *Quidquid Panchaia &c.* nam Arabica, & hæc regio eſt vt Saba. Alij etiam, hoc loco, legunt.

Quidquid ab externis Ales longæuus arenis.

Quam lectionem non improbo, nam cum Parrhaſio tandem coincidit: Sed & hæc habet exceptionem ſuam; nam extremæ iſtæ arenæ potiùs viderentur deſignare ſolitarias illas arenas, in quibus Phoenicem longè ab hominum aſpectu diximus vitam ducere, & quæ, vt ait Auctor noſter Eidyl. cit. *Trans Indos Eurumq; virens &c.* quæ dato etiam plenis Floræ, theſauris redundarent, ac nouam fouerent in ſinu Sabæam; minùs tamen latè patent, quam tota ſimul orientalis plaga, quarè minùs poſceret Ætna, quam poſcat ſi dixerit: *ab externis colonis.* In duplici itaque ſenſu poteſt intelligi adiectiuum *externis*, vel reſpectu ipſius Ætnæ, vel reſpectu ipſius Phoenicis. Reſpectu Ætnæ (cum *externus* idem ſit, ac *extra nostros, extra poſitus*) certè Plaga illa orientalis, de qua ſupra, extra; & valdè extra Siciliam eſt; & quia externæ merces maiori ſemper in pretio ſunt: nam, vt cecinit Italicorum facilè Princeps Lyricorum Fuluius Eques Teſtius, Ode ad Mantuanum.

Gradito è ciò, che peregrino arriua;
E familiar teſoro
Scema di pregio, e nella copia è vile.

Ideò *quidquid ab externis ales longæua colonis. Colligit* ſuos deferri in campos poſtulat Ætna. Reſpectu Phoenicis, extra Plagam, ſeù ſolitudinem, in qua ipſa degeret, extrè erant Coloni, de quibus ſupra, nam, vt vidimus ex eodem Claud. noſtro, terra, vbi Phoenix degit inhoſpita cæteris eſt animantibus.

Poſſidet intactas agris animalibus oras;
Sæua, nec humanis pariter conſortia Mundi
Par volucer ſuperis &c.

Coloni autem à Colendo propriè dicuntur, qui agros colunt, ſed & transfertur nomen ad ſignificandos omnes aliquem locum inhabitantes; & hic, vt dix., ex poſſeſſore tellus poſſeſſa ſubijcitur intelligenda, ſeù ex contento continens vt ſupra.

REFERENS EXORDIA. *Referre* eſt *retrorſum ferre*. Benè igitur Phoenix dicitur *referens exordia ſæcli*; nam, cum idem ex ſe ipſo naſcatur, & moriens reuiuiſcat, videtur, in ipſis rogis, retexere vetuſtatem, ac nouam exordiri Iuuentam, qua iterum per tot, quot ante vixerit, ſæcula vegetus viuat; ideòq; *retrorſum fert* exordia ſæculorum, quæ elapſa iam, nunc iterum veniunt reſumenda, vt denuò recurrant; fit enim quaſi circulus vitæ finem cum exordio coniungens; atq; ita *retrorſum ferre* dicitur initium, quia ibi retrotrahitur, vbi finis iam aderat, & iterum à fine deſumit *exordia*. Portò Exordium nomen eſt a textoribus deductum, vt alibi innuimus, & idem eſt, ac initium, ſeù principium alicuius rei. Ponitur autem hic numerus multitudinis pro numero vnitatis per Synecd.

OPTATI SÆCLI. Sæculi, per ſincopem ſæcli. Sæculum autem ſpatium centum ſtatuitur annorum: ſed ponitur hic numerus ſing. pro plurali, nempè pro pluribus ſæculis, quibus viuit Phoenix, vt vidimus. *Optati*, paſſiuum ab opto particip., idem ſonat, ac *deſiderio expetiti, auidè conquiſiti &c.* Ex quo aduerte, naturalem hic exprimi inclinationem; nam qui ſeneſcit, optat ſemper, vt, ſi fieri poſſet, ad iuuentutem iterùm daretur regreſſus. Itaque pari paſſu Phoenix; immò magis, quia illi connaturalis eſt iſte regreſſus, cum ſeneſcit, ex inſtinctu naturæ, ſibi hoc non impoſſibile agnoſcentis, exuere ætatem renouari, atq; in iuuentutem redire; ideò *Optati ſæculi*, ideſt ſæculi primi ætatis renouatæ, quod ætas ipſi iuuentutis eſt, ac ſubindè aliorum, qui totam alitis conſtituunt ætatem. Heinſius cum Iſingr. lectionem immutans legit

. . . . *Optato repetens exordia buſto,*

ita vt ablatiuum cauſalem faciant *optato buſto*, & buſtum optatum dicant, quia mori cupiat Phoenix vt renouetur, iuxta dictum ab Auctore noſtro Eidyl. cit.

. . . . *Gaudetq; mori feſtinus in ortum.*

Alij legunt *optato repetens exordia ſæclo*: ita vt optato ſæclo ablatiuus ſit temporis; & optatum ſit illud tempus ob datam rationem. Alij etiam legunt: *optato repetens exordia Fato*, vel *leto*: alij verò *exordia partu*; partus enim illius ipſa habetur in morte. Non improbo lectiones; nam tandem per diuerſa in idem recidunt cum vulgata noſtra. Alij legunt *Exacto repetens exordia ſæclo*; Verum hęc lectio videtur ætatem Phoenicis in vnicum ſæculum coanguſtare, ideò cum Heinſio non admittendam cenſeo. Sed iam noſtra proſequamur.

DISPERGE. Vt ea, quæ depoſcat, Ætna oſtendat non impoſſibilia eſſe, ſed immò faciliima factu; ea omnia, quæ popoſcerit, in poteſtate Zephyri, quem exoraret, exiſtere, hoc vnico innuit verbo, *Diſperge*, nam *diſpergere* idem eſt, ac *in diuerſas partes ſpargere*, qui autem ſpargit, certè in ſua poteſtate præhabere, quæ ſpargat, intelligitur. Ex quo licet agnoſcere orationem Ætnæ in nullo à præceptis petitoriæ omninò deficere.

IN VENAS MEAS. *Diſperge* actionem importat, quæ *motum ad*, reſpectu eorum, quæ diſperguntur, importat. Ideo aptè *in venas*, venæ autem receptacula ſanguinis ſunt ſpiritibus admixti, & quem eſſe vehiculum animæ, alimentum vitæ, ac ſpirituum ſedem, ſatis ex Phyloſophis conſtat. Sed Mons eſt, inquies, qui loquitur incapax venarum, & ſanguinis. Optimè quidem, ſed memineris, perſonam illi, per Proſopopeiam fuiſſe adaptatam; quarè congruenter hæc omnia illi, per allegoriam, debebantur. Adde, & Montes, & terram totam ſuas proportionaliter venas habere; Venæ enim Montis, aut terræ, communiter dicuntur meatus illi ſubterranei, per quos, veluti per venas cruor, vnda, vel alius permeat liquor, aut ſuccus humidi, terræ fæcunditati deſeruiens. Sic venas aquæ dulcis dicimus in terræ ſinu a nobis repertas; venas ſulphuris, venas argenti, venas auri &c. Quarè venas ſuas appoſitè memorat Ætna, quas nouo vitali ſucco, quaſi ſanguine repleri, Phoenicis adinſtar renaſcentis exoptat: *Meas* autem, per poſſeſſiuum notiſsimæ ſignificationis nomen, dixit artificioſiſsimè; Ne enim nimia videretur expetere, tacitè, per huiuſmodi poſſeſsiuum, oſtendit, modicum quid ab ſe expoſci, habita conſideratione eorum, quæ à Zephyro profundi potuiſſent; Zephyro enim, eiuſdem ſpectata virtute, nullius difficultatis, ac laboris fuiſſet, totam ſuo afflatu Siciliam, ſummis Floræ theſauris ditare. Sed non tantùm expoſcit Ætna; immò modiciſsimam theſaurorum partem exoptat, quæ ſcilicet ſibi tantum, pratiſq; ſibi adiacentibus, quæ quodammodò eiuſdem partes dici poterant, non verò, quæ toti Inſulæ ſufficiat; vt hac vſus modeſtia plus impetret, quam expoſcat. Ideò non *alibi*, inquit, non *vbiq;*, ſed *In venas diſperge meas*.

ET FLAMINE LARGO. Flamen dicitur ipſe ventorum afflatus: *Largus* autem idem eſt, hoc loco, ac liberalis, ſplendidus, prodigus, atq; in gratias impertiendas profuſus; nam *Largus* à largior dicitur, qui multa largitur: & quia terræ fæcunditas, vt vidimus, ex Zephyri dependet afflatu, ideò, facilitatem innuens fauendi, ait, *Et flamine largo*.

RVRA FOVE. *Fouere* quid ſignificet, iam vidimus lib. pr. Carm. 127. Hic propriè ſignificat *tepefacere*, & *recreare*, ac *floribus grauidare, vt flatim in partus erumpant rura*. Et optimè *rura* dixit, non agros, non campos, non prædia; Rus enim dicitur Ruſticum prædium, ex eo, quod rurſus quot annis in eo eadem fiant, vt fructus capiatur. Optabat Ætna Plagam ſuam, iam ex ſe floridam, noua rurſus amænitate cumulari: Ideò *foue rura*; ideſt fouendo, rura efficias, quæ modò prata ſunt; hoc eſt rurſus noua repleas fæcunditate.

VT. Hanc particulam expungit Heinſius; & cum melioribus vt ait libris, expungendam innuit. Verùm non omittendam cenſui, cum Parrhaſ. legens, quia cauſam finalem exponit, & quidem aptiſſimè, qua ad id, quod petat exoptandum moueatur Ætna.

MEREAR. Profitetur hoc verbo, ſe agnouiſſe, non vilia rerum analecta, ſed primitias rerum omnium intactas Dijs deberi, atque adeò indignam ſe fuiſſe futuram, vt diuino pollice carperetur, quandoquidem gregarios, conſuetos, omnibuſque iam peruios, tantùm aleret flores. Quare vt digna fieret (quod per verbum *merear* exprimitur) nouos flores, nouas exoptat delicias, & quidem in eo pretioſitatis gradu conſtitutas, vt Deas decerent precatur, vt primitias offerat, ac debito proſequatur honore.

CARPI. Hoc eſt floribus ſpoliari libenter: *carpere* enim eſt *aliquid ex varijs partibus rapiens colligere, & ſurripere; ſed ſine violentia, aut exhibentis carpenda, aut excipientis.* Optabat igitur Ætna habere gemmas, quas offerret dignas, vt libenti animo à Deabus lubens ipſa ſpoliaretur vltronea.

POLLICE DIVINO. De pollice ſatis dicta in Præfatione ad hunc lib. carm. 16. Hic pollicis nomen ponitur ad ſignificandum, & Pollicem ſimul, & Indicem; nam duobus hiſce digitis carpi ſolent flores, vno ſcilicet digito pro pluribus poſito, ac principali pro acceſſorijs nominato. *Diuinum* autem dicitur quidquid Dei eſt, vel ad Deum pertinet;

tinet: cum itaque Dearum digiti hic memorentur, iure diuinitatis titulo decorantur. Et aduerte non ideò excludi Nymphas, nam licet inferiores eſſent Dearum Ternario, ac Proſerpinæ ipſi cederent; attamen & ipſæ diuinitatis participes credebantur, & ſacris, vt Deæ fruebantur.

ET NVMINA CVPIANT &c. Aliam ſuggerit finalem cauſam, quæ gradatim motiua auget, ſicuti gradatim creſcit oratio. Nam, ſicuti manus capiti comparata ignobilior eſt, ſic minus eſt manum, quàm caput, floribus exornari; conſequenter, iuxta partium dignitatem, vt proportio ſeruetur, digniora germina capiti debentur, quàm manibus. Finis igitur Ætnæ erat quidem, vt Dearum manibus carperentur; ſed finis præcipuus accedebat, nempè vt diuinis capitibus flores necterentur coronæ: ideòque eximia è Zephyro germina expoſcebat. *Numinum* itaque nomen propriè deducitur à *Nuo*, verbo olim pro eodem nuo accepto, ac *volo*. Quare nomen *Numinis*, propriè loquendo, diuinæ actui aptabatur voluntatis. Ex quo nota Perorantis artificium; tales enim quæritat florum gemmas, vt Numina, hoc eſt Dearum voluntates alliciantur ita, vt vltrò *cupiant: cupere* autem eſt *ardenter exoptare*. quo magis etiam exprimitur, cuius valoris germina perquirat; cum ijs ditari velit, quibus voluntas Dearum incendi poſſit ad vehementer, ardenterque optandum.

ORNARI SERTIS NOSTRIS. Quonam munere ornari poſſit Diuinitas, à qua ſcilicet vna rerum omnium ornamenta procedant, & ſine qua informe prorſus, & inornatum remanſiſſet, quidquid eius ope effulget? Nihil profectò ipſa diuinitate minor eam poterit illuſtrare, quod idem, ac ornare eſt. Sed, quod Naturæ non fuit, dignatio effecit. Non dedignatur Diuinitas ea à nobis, vt ornamenta ſui aſſumere, quæ, de ſe nullum ei poſſunt afferre ornamentum. Ideò præmiſit Vates *cupiant Numina*, vt ex mentione diuinæ voluntatis, per nomen *Numinis* importatæ, eam ingereret dignationem, qua ornamenta fierent, quæ naturâ ornare nequaquam potuiſſent. *Ornare* verbum eſt notiſſimæ ſignificationis; ideò prætereo. *Serta* verò propriè dicuntur corollæ, ex herbarum frondibus, floribuſque contextæ, quibus crines circumambiuntur; ponitur autem hic res ſignata pro materia ex qua res ipſa conficiatur, nempè pro floribus aptis ad ſerta concinnanda. Sed nota artificium in poſſeſſiuo *Noſtris* incluſum, eo pacto, quo ſupra explicuimus, ad verba *per noſtros &c.* vult enim Zephyrum ipſum comparticipem honoris compellare: vt & ſua intereſſe innuat, quod Ætna depoſcat, exequi. Aſt, dum Zephyrus accelerat in Nutum pronus, Nos ex Ætneis hiſce ſenſibus morales obſecro flores colligamus.

Coarguunt profectò rationalem creaturam inſenſatarum erga Deum obſequia: nam vbi exactè Deo creatura omnis deſeruit, vt Sap. 16. habetur, rationales creaturæ creaturis potiùs quam Creatori deſeruiunt, vt teſtatur Apoſtolus ad Rom. pr., & experientia ipſa comprobatur. Mare, & venti obediunt ei, vt ex Math. 8. declaratur, homines non obediunt voci tuæ plorans exclamat 35. Ieremias, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; beneuolo inuitat affectu Redemptor; ipſi verò abierunt retrorſum, & poſt peccata ſua. Animæ vicem gerit, vt ſæpè diximus Proſerpina. Animam igitur edocet Ætna, quam impensè colendus ſit omnium Auctor, &, nullum ingens adeò obſequium eſſe, quod ſatis Deo dignum valeat exiſtimari. Ætna, dum accedentes ad ſe Deas intuetur, ſinum ditеſcere exoptat ſuum, Panchaiam in ſe transferri, Hydaſpem æmulari, Hyblam ſuperare &c. vt quanto fieri poſſet aptiori apparatu Deas excipiat; nos verò toties Deum veraciter in Animæ noſtræ domicilium excepturi, ne Lazari quidem ſcopas quærimus, vt domicilium à ſordibus abſtergamus: Primitias, quas Deabus offerat, emendicat: Nos ne analecta quidem interdum Deo deferimus; ſed totum Mundo, totum carni, & ſanguini, totum tartareo dicamus hoſti. Verè filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet, ſi deliciæ eius ſint (vt ipſe palam teſtatur) eſſe cum filijs hominum. Liber apertus, atque eruditiſſimus eſt totus Orbis, quo debita in Deum edocemur obſequia: ſed patentes has rerum Ægyptiacas literas ignoramus non ignorantes. Vtinam Proſerpina Ætnæ refloreſcentis intellexiſſet documenta; nam ſciuiſſet profectò, & ſe, & Matrem redargui, eo quòd Cœlum deſeruerint; cum Ætna terreum ſe cupiat in Cœlum transformari, vt digna fiat Dearum receptatrix, quaſi dicat, res ad Cœlum creatas ſolo decenter excipi poſſe Cœlo. Vtinam inquam, intellexiſſet; nam pedem certè retorſiſſet, non ad ferreum limen, ſed ad ea, quæ deſeruerat aſtra; ſicque raptorem inferum deuitaſſet. Aperi itaque oculos tuos, & ſaturare, non Mundi ſiliquis, ſed panibus Cœli: Exora Zephyrum, diuini ſcilicet Spiritus lenes auras, vt te cælitùs exornet, ac Deo dignum efficiat, ne Mundi illecebrâ decipiaris; ſola enim hæc aura Mundum efficere poteſt de immundo conceptum ſemine, atque infimas terrarum glebas in ſydera transformare; nam hæc mutatio dexteræ excelſi. Verùm, cum iam mutationum meminerimus, Muſam noſtram Auctoris carmina immutantem, ſine mutatione, ſequamur, inſtituti.

Hauea dall'erto, ou', in fioriti odori,
  Delle neui al candor confina il verde,
  Oſſeruato il venir de ſacri Chori
  L'Etna, che mai di Flora i fregi perde;
  Quindi deito, à ragion, Padre de fiori;
  E, quaſi in ſen nulla di pregio ei ſerbe,
  Brama, ch'vn nuouo April gliel graui, e rõpa;
  Perche all'almo ſquadron s'addaggi in põpa.
Volge cupido l'occhio; e, di ſua valle
  Nel più cupo, ſeder Zefiro mira,
  Che volge auerſo al faticar le ſpalle,
  Sonnacchioſo trattienſi; e pur non ſpira:
  Queſt'egli appella, e per l'aereo calle,
  Oue pur di ſouente egli s'aggira,
  Mentr'i vanni à ſpiegar l'inuita, e ſprona,
  Quaſi in ſupplice ſtil, così ragiona.
O' Padre tù, che Primauera eterna
  Fai che tua Clori e concepiſce, e figlia;
  Tù, per cui mai ne campi miei non verna; Chloris eram quæ Flora vocor &c.
  Ne l'Euro, ò l'Oſtro i germi miei ſcompiglia;
  Tù, che placido ſpiri, e che l'interna
  Virtù gl'inſtilli, ond'il mio ſuol s'abbiglia;
  Mira di qual honor degni ci renda
  Lo ſtuol, che viene: e 'l ſauorirmi imprenda.
Tu, che, ſolo regnante, in queſti Prati,
  Gratiſſimo cultor, che ſolo attendi
  Ad auuiuargli in rugiadoſi fiati,
  Sci quel, che ſolo i miei biſogni intendi,
  Mira trà l'herbe mie ſcherzar ſchierati
  Delle Ninfe i drapelli, e meco prendi
  Ad honorar del Gran Tonante i Parti
  Che non ſdegnan dell'Etna ermi i riparti.
Hor mi ſoccorri; hor di tue gratie à pieno
  Diſſerra i fonti; e da tue piume hor ſcoſſo
  Il nettare gentil m'ingombri il ſeno.
  Ogni ſterpo, ogni bronco (ah' quanto poſſo,
  Tanto ti priego) ad infiorar non meno,
  Che ne Roſai di Peſto, hoggi ſia moſſo:
  Ogni ceſpuglio, à ſoffij tuoi, di gemme
  Turgido reſti; e, nel fiorir, s'ingemme.
Prodigo in me del tuo teſor trasfondi
  Tanto, ch', in inuidiar le mie fortune,
  Del fertil Hibla ogni gioir s'affondi:
  Non veggia ei del ſuo Thimo, in parti alcune,
  Pompa, ch'à me pareggi; e ſi confondi,
  Che men florida meſſe in lui s'addune:
  Mal ſuo grado confeſſi, à miei diporti
  Ceder del ſeggio ſuo le ſpiaggie, e gl'horti.
Ciò, che l'Arabe ſelue, all'hor, ch'inciſe,
  Spiran d'odori à profumare i Mari
  Ciò, che Nutre l'Hidaſpe; e ciò ch'affiſe
  S'vſa trà Gigli, ad olleggiare impari:
  Ciò, che l'eterno Angel dalle diuiſe

Spiag-

Spiaggie dal noſtrò Mondo accoglie i cari;
Roghi formando, ou'il morir gl'è vita,
Stilli nelle mie vene aura gradita.
Se mai, de tuoi fauori, oltre l'vſato,
Fauonio, liberal, meco t'vniſti;
Se mai, ſcorrendo i noſtri poggi alato,
Dell'Erario maggior le gioie apriſti;
Hor copioſo le ſpargi; e dal tuo fiato
Nuouo vigore ogni mia ſponda acquiſti:
Tu le viſcere mie lieto feconda;
Tu di ſucco vital tutte l'innonda.
Riſioriſcan le Zolle: vn Ciel raſſembri
Sceſo dall'Etra ad ammantarmi il dorſo:
Fiori di Ciel, ſtelle di ſuolo, aſſembri,
Veſtir, tuo dono, à ſi bei Numi il corſo:
Degno ſia, che da me toſto ſi ſmembri
Ogni bel germe, ad arricchirmi accorſo,
Da man diuina; e coronarne il crine
Bramin le Diue noſtre, e pellegrine.

Ne & nos itaque longiùs peregrinemur, quam res ipſa expoſcat, quid Ætna hac oratione obtinuerit attendamus, & quanto ſtudio, ac quam amplis muneribus, poſtulationibus montis ſatisfecerit Zephyrus ex ornatiſsimo Vatis noſtri contextu perſpiciamus.

Dixerat. Ille nouo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fæcundo rore maritat;
Quàq; volat, vernus ſequitur color: omnis in herbas
Turget humus, medioq; patent conuexa ſereno.
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales iunctura ſinus? Quæ vellera tantum
Diuibus Aſſirij ſpumis fucantur aheni?
Non tales volucer pandit Iunonius alas:
Non ſic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hyems, cum, tramite flexo,
Semita diſcretis interuiret humida nymbis.

DIXERAT &c. Expoſita iam Ætnæ deprecatione, Zephyrum dicto illicò audientem deſcribit: Eumque mandata exequentem per hyppotipoſim oculis ſubijcit. Subinde Zephyri operationem ab enumeratione effectuum amplificat, dum per aggerationem eos percurrit; ac tandem, vt magis fæcunditatem illam, qua vere nouo, illoque admirabili ſuper induitur Ætna, ex Zephyri motione, exageret, a multiplici ſimilitudine illam exornat ita, vt non magis floreat Ætna, quam floridus inter flores Vatis ſtylus appareat.

DIXERAT. Modus hic eſt vſitatiſſimus dicendi, quo finis imponitur, ſeu potiùs impoſitus oſtenditur orationi alicuius, per Proſopopeiam, in antecedentibus, habitæ; & tranſitus ad vlteriora inſtruitur. Sic Virg. Æn. 2. vt tranſitum faceret ab interrogatione habita à Duce Troiano, vt ſciret, quo ſe loco res Græcorum haberet, ac ſubinde reſponſionem ſubtexeret ſinonis hoc eodem vſus eſt tranſitu. *Dixerat. Ille dolis instructus & arte Pelaſga &c.* Itaque & Auctor noſter, vt ab Ætnæ prænarrata poſtulatione tranſitum faciat ad deſcriptionem executionis, hoc eodem vtitur modo. *Dixerat*

ILLE NOVO &c. Zephyrum dicto obſequentem inducit, ac modum exequendi, per hyppotipoſim deſcribit, & enucleat.

ILLE. Pronomen tertiæ perſonæ demonſtratiuum eſt, vt alibi diximus, quo Zephyrus ſupradictus quaſi digito ſignatur. Sed nota hic carminis artificium. *Dixerat*, inquit, ac ſtatim, nulla interpoſita coniunctionis mora, ſubnectit: *Ille &c.* vt ipſa verſus intercitione, ac celeritate, dicto citius obſequentem Zephyrum oſtendat, nulla, niſi facto, habita reſponſione.

CONCVTIT PENNAS. *Concutere* idem eſt, ac *commouere*: quarè facilè prima fronte, explicatu hoc Poeticum dictum videtur; nam *concutere Pennas* idem erit, ac *volas*. Verùm non adeò ſuperficialis Poeta eſt; ſed immò exprimit quidem volatum, ſed & peculiarem volatus modum, vno, eodemque tempore declarat. Aduerte igitur verbum *concutere* compoſitum eſſe ex præpoſitione *cum*, quæ ſimultatem importat, & Verbo *Quatere*: *Quatere* autem non eſt ſimpliciter *mouere*, ſed *motu quodam decuſſante commouere*, vulgò *ſcuotere*. Volantem igitur Zephyrum deſcribit, ſed volatu quodam pennas decuſſante, vt inde ſcilicet excutiat nectaris rorem, quo Ætnæ viſcera fæcundentur; Ideò *concutere pennas*. Pennæ autem ſunt, quibus auium corpora eleuentur in altum: quare, cum Zephyrus volans conſtituatur, neceſſe etiam fuit, vt remigium illi adderetur alarum, iuxta modum a Poetis omnibus, Pictoribuſq; obſeruatum. Ideò *pennas*; nam *penna*, in volantium corporibus, propriè dicitur illa quæ maior, & durior eſt, quales illæ ex quibus conſtantur alæ, ac cauda, cæteræ verò molliores, quibus reliquum contegitur corporis, *plumæ* potiùs, quam *pennæ* dicuntur à verborum ſectantibus proprietatem. Ponit igitur hic materiam pro re ſignata, nempè *pennas*, quibus alæ conficiuntur pro alis ipſis. Ideò *concutere pennas*.

MADIDANTES NECTARE NOVO. *Madidare*, à quo verbo Madidantes partic. præſentis temporis deriuatur, idem eſt, ac *madefacere*, ſeu humectare. Pennas igitur Zephyri Ætnea humectantes, ac madefacientes inducit rura, vt ſemper in ſententia perſiſtat, qua conſtat, vegetantia ex humido maximè generari, atque enutriri. Inſuper ex hoc conſequenti connexum antecedens deducendum obijcit nobis, nempè pennas ipſas cætera omnia madeſacientes, magis, ex hoc ipſo, in ſe madidas fuiſſe, cum nemo det, quod non præhabeat; ex quo naturam Zephyri oſtendit roribus ſemper fæcundam, ideòq; ad grauidandas terras quam maximè idoneam. *Pennas* itaque *concutit*, & *madidantem* efficit terram *Nectare*. Nectar Deorum eſſe potionem fabulati ſunt antiqui, quæ omni vtiq; affluens ſuauitate, omniq; pollens eſſet generoſitate; vno verbo, digna Dijs potio. Transfertur tamen *nectaris* nomen ad ſignificandum quemlibet liquorem, qui ſupra alios inſigni quadam emineat prærogatiua. Sic Virg. dulciora quædam vina nectaris nomine inſigniuit, in Daphni.

Vina nouum fundam calathis Aruiſia Nectar,

& mella itidem Nectaris titulo condecorauit Æn. 1. vbi ſic

Qualis apes æſtate noua per florea rura
Exercet ſub Sole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus; aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

maximè tamen *Nectar* iure dici poteſt liquor aliquis, qui ſit virtute viuificus; nam, vt aiunt, nomen *nectar* componitur ex particula grecè negatiua *ne*, & verbo *κτείνω*, quod eſt occido: quare donum eſt *nectar*, ne occidas, ſeù ne moriaris datum, cum potio immortalis ſit, & *perennis vitæ*. Optimè itaque iure Vates rorem illum viuificum è Zephyri pennis excuſſum nectar appellat, cum ad noua in vitam educenda germina inſtilletur; ac nil aliud ſit, quam arcana vis vbertatis vitam, ac fœcunditatem vegetantibus omnibus infundens. *Nouum* autem hoc nectar appellat non reſpectu Zephyri, cum ipſe ſemper ex eo Zephyrus dicatur, quod vitam ferat, vt alibi ex græco docuimus, ideòq; antiquum illi eſſet huiuſmodi nectare madidari non ſolum, ſed imbutum omninò eſſe, illudq; diffundere: ſed *nouum* dixit reſpectu terræ recipientis, quæ licet ſæpè ſæpiùs Zephyri recepiſſet influxus vtiq; rorantes, nunquam tamen tam ſuaues, tàm efficaces, tàm vitales, tamq; abundantes ex ipſius deguſtauerat pennis. Ideò *Nectare nouo*. Nouum enim dicitur quod, vel nullo modo priùs fuerat, vel in vſu non fuerat: inſuper Nouum etiam dicitur interdum, quod mirandum eſt; quid autem hoc nectare mirabilius, quo, in ictu oculi, Ceſpites, corculi, gemmæ, ac flores in apertum erumperent?

ET MARITAT. Copulatiua & ſatis patet: *Maritare* autem eſt *viro fæminam tradere in ordine ad procreationem ſobolis*. Et, quia maritalis vnio quoddam vinculum eſt, quod ita & corpora diuerſi ſexus, & animas diuerſi compoſiti connectit, vt fiant duo in carne vna; hinc eſt, vt quidquid adeo commiſcetur alteri, vt in vnum in ordine ad generationem, cum illo coaleſcat, maritari dicatur: immò ali-

quæ etiam ſi non ita vniantur, vt in vnum miſceantur, ſed tantummodò vnum ſuſtentet aliud, vt faciliùs erumpat in fructus, adhuc illa maritari ad inuicem dicuntur: ſic vites vlmis maritari aſſeruntur &c. iuxta communem Poetarum elocutionem. Sic Horatius

. . . . Adulta vitium propagine
Altas maritat Populos &c. vt notat hic Barth.

Cum itaque ros ex Zephyri decuſſus pennis telluris gremio, ferè maritali quodam affectu, ita excipiatur, vt, mixtione intercedente, vnum fiat cum excipiente exceptum; atq; ex hoc fœcunditas inſurgat terræ, optimo iure dicitur tellus rore maritari; nam & ſexus varietas apta ad generationem, apud latines, præſertim, & apta ad generandum inſurgit coniunctio; atq; effectus ipſe ſubſequitur procreationis. Zephyrus itaque, roris genitor, filium terræ admiſcet; ideòq; terram *rore maritat*. Vel, ſi Pater florum dicatur, vt certè ſupra, Zephyrus, erit ros quaſi ſemen ab ipſo Zephyro deciſum, quod terræ viſceribus exceptum, vnà cum virtute efformatiua Matris floreos fœtus progenerat, & educit ad vitam: atq; ideò, aptiſſima translatione, maritandi verbum hic profectò accedit: *Maritat*

GLEBAS. *Gleba*, propriè loquendo, eſt fruſtum aliquod terræ, ab ipſa terra, vel aratro, vel ligone, aut alio ruſticali inſtrumento, abſciſſum, ſole concoctum ſubindè, atq; ad recipiendum ſemen iam ſatis diſpoſitum. *Gleba* dicitur, quaſi *Globus*, ſed *Globus imperfectus*; videlicet non rotundus; nam fœmineum genus imperfectionem importat, vt noſtis. Memineris, quo nam pacto, aratro ſulcum ducente, verſetur terra; nam ex vtraq; parte aratri ſciſſa terræ decidunt fruſtra, & inæqualiter prominent. Illa fruſta ea ſunt, quæ Glebæ dicuntur; vulgò *le Zolle*. Hic tamen *Glebas* ponit pro toto telluris illius gremio, quam ſatis ad recipiendam fœcunditatem indicat diſpoſitam.

RORE FOECVNDO. Vxorem glebam ad recipiendam fœcunditatem adaptatam vidiſtis; Iam virum cui illa traditur agnoſcetis: nam ſi *ros* vt filius Zephyri ſumatur, ille vir erit: ſi ſumatur vt ſemen à Zephyro deciſum, vir erit Zephyrus ipſe, vt dicebamus, ſeminis fœcundantis copiam vxoris gremio ſuppeditans, quod magis aptè ad Poetæ mentem procedere videtur: Ros itaque humor eſt, qui ſereno tempore, ſerena nocte, de Cælo fluit, vt alibi etiam vidimus, &, vt ait Ariſtot. pri. Metheor., ex modicis euaporationibus concreſcens, aptiſſimus vtiq; ad terram fœcundandam; ideò *Fecundo*, inquit Vates. *Fecundus* autem à fœcunditate dicitur, quæ dupliciter poteſt conſiderari, vel formaliter ſcilicet, vel cauſatiuè: Fœcunditas formalis eſt ipſum exercitium potentiæ generatiuæ proprios erumpentis in actus, ſi in actu ſecundo ſumatur; ſi verò ſumatur in actu primo, erit ipſa generatiua potentia ad actus exercendos facilis, ac propenſa. In hoc ſenſu ſumpta fœcunditas formalis, ſi rigoroſam ad trutinam reuocetur, propria tantum erit virtutis efformatricis, quæ in matrice fœminea reperitur, ſi de viuentibus ſenſitiuis, & per commixtionem naturalem generantibus loquamur: ſi verò loquamur de vegetabilibus fœcunditas formalis illorum erit virtus, ſeù potentia ex humido vegetans, ac producens, ex qua, tamquam ex matrice ſurculi emittuntur in lucem. Fœcunditas verò cauſalis, ſi ſumatur in actu primo, erit illud quod cauſa eſt, vt virtus efformatiua matris ad exercendos actus ſibi proprios efficaciter impellatur; ſi verò ſumatur in actu ſecundo erit ipſa actio agentis, ſeù cauſæ, qua ſcilicet actione virtus matris actu in generationem adducitur, Fecundo itaque rore, inquit Poeta, ideſt fœcunditatem cauſante; & quia hæc cauſa adhùc dupliciter poteſt conſiderari, nempè vel vt mediata, vel vt immediata; ſi ros accipiatur vt ſemen à Zephyro deciſum, erit cauſa immediata fœcunditatis, & id quo Zephyrus fœcunditatem cauſat; Zephyrus autem ipſe erit cauſa mediata, licet principalis, hoc eſt is erit, qui mediante infuſo ſemine fœcunditatem cauſat, vt quod. Si verò ros vt filius Zephyri ſumatur, erit cauſa mediata principalis, quæ mediantibus terræ ſeminibus, quæ ros fouet, atq; ad actionem efformatiuam matris recipiendam diſponit, virtutem matris excitans ad operandum fœcunditatem cauſat; ipſe enim Zephyrus, aut ros non parturit, atq; ideò fœcundi formaliter eſſe non poſſunt, ſed tantum cauſatiuè, quatenùs ſcilicet efficiunt, vt tellus formaliter fœcunda in actu ſecundo efficiatur.

QVAQVE VOLAT &c. A cauſis ad effectus procedit deſcribendos; quos, per particulam copulatiuam *que*, pro *&* vſurpatam, cum ſuis cauſis connectit.

QVA aduerb. locale eſt idem ſonans, ac *quemcumq; per locum*; ex quo indicatur nullum fuiſſe locum, per quem volatus Zephyri pertranſiret, qui beneficas non ſenſerit irrorationes, aut non eruperit in fœtus. Quaque

VOLAT &c. Oſtendit hic igitur Vates effectum ſemper ſubſequi, vbi cauſa actu influens præceſſerit. Quid ſit volare, aut cur volare dicatur Zephyrus iam ſupra explicuimus, quarè non immoror.

VERNVS COLOR SEQVITVR. Vernus à Vere deducitur, &, quidquid veris eſt, Vernum dicitur, vt verna temperies, æquinoctium vernum &c. ſic itaque & hic *color vernus*. Color, vt alibi dix., obiectum viſus eſt, corpora nobis omnia conſpicua reddens. Duo ſunt colores, quos vocant principales; nempè *Albus*, & *Niger*; Reliqui verò, non, niſi per participationem ex his, colores dicuntur. Sed hæc parum conferunt ad dignoſcendum, quinam ſit *vernus*, de quo hic color; nam certè ſi de viridi, aut alio florum, herbarumq; proprio colore, id putes, cum Parrhaſio, dictum, falleris profectò; nam herbarum, ac florum colores diſcriminatim, ſingillatimq; recenſitos in ſtatim ſubſequentibus carminibus reperies, atq; ab Auctore luculenter exaratos. Quarè ſi iidem colores importarentur hic, iam in ſubſequentibus explicaret idem per idem, quod vtiq; vitioſum eſt, nec de eruditiſſimo, atq; oculatiſſimo Vate dicendum. Ad intelligentiam igitur aduerte, *colores* appellari etiam *pigmenta illa*, quibus à pictoribus rerum imagines delineantur. Quo poſito, *vernus color* hic nil aliud erit, quam veris expreſſa effigies reſultantis; immò non effigies, ſed viuus veris vultus, hillaritate propria depictus, illicò conſurgens; qui vultus quoſnam colores, quamnam habeat effigiem, ſeù ſpeciem potiùs, faciliùs eſt mente concipere, atque annua praxi perluſtrare, quam verbis exprimere. Ne tamen videamur difficultatem ſubterfugere potiùs, quam ſoluere; memineris, Ver tripartitum agnoſci, ita vt aliud ſit Ver nouum, ſeù primum; aliud adultum; aliud verò præceps. Ver nouum, menſe Martio, inſurgit; Adultum, Aprili, floreſcit; Præceps, Maio menſe, declinat, æſtiuis accedentibus ardoribus, quibus Ver langueat neceſſe eſt. Menſe Martio, Aries cæleſte ſignum Solem excipit, & annum dicitur aperire: Menſe verò Aprilis Phœbus in Taurum progreditur, qui floribus, aperto iam tempore triumphat coronatus: Maio autem Gemini Solem amplectuntur, ſed mæſtitias induere non deſinunt, quia retrogradum mox Cancer Phœbum acturus iam inſtat. Quare ſub Arietis ſigno ver incipit, ſub Tauro dominatur, ſub Geminis ad occaſum vergit. His præcognitis, certum eſt, Poetam de *vere nouo* hic loqui: nam & ſupra dixerat Ætna.

Nunc adſis, famulaſq; precor nunc omnia ſurſum
Pubeſcant virgulta velis.

quæ omnia certè ad Ver nouum ſpectant, illiuſq; effectus, ac proprietates ſunt, vt ſatis patet conſideranti. Inſuper Zephyrum Ætnæ mandata exequentem concinnaturus pariter inquit,

. . . . Ille nouo madidantes nectare pennas
Concuſſit &c.

vt ſcilicet *vere nouo* Siculam exornaret tellurem. Quibus infallibiliter firmatis; audiamus iam, quomodo *veris noui* faciem innuat potiùs, quam depingat, aut exprimat Virg. Georg. 2. cum ait

Optima vinetis ſatio eſt, cum vere rubenti
Candida venit auis longis inuiſa colubris.

Rubentem certè hic veris faciem indicat Virg. Malè autem, arbitratu meo, hunc locum interpretatur Virgilij commentator Fabrinus, dum inquit rubentem dici veris faciem ratione florum, quibus conſpergitur. Florum enim tunc efloreſcentium quota quæſo pars rubra eſt? Scio equidem, ab aliquibus initium Veris ab apparitione roſarum fuiſſe deſumptum; atq; adeò ex ijs ver purpureum dici poſſe. Attamen cum & ante ortum Roſarum, & ſimul cum ipſa roſa, plures, & plures ver habeat diuerſorum flores colorum, non ſatis explicari videtur, quomodò rubicundum abſolute, & ſimpliciter ver dici debeat, quaſi nullos alios initio flores nutriat, & alat. Satiùs igitur arbitror, ver rubicundum dici ex eo, quod, *vere nouo*, & tellus, & aer tepidiori, ac rubicundiore Solis luce purpuraſcere videantur; nam Sol, præcedentibus temporibus, bruma, geluque, nimbiſq; langueſcens cum decolorem quaſi lucem emitteret; aperiente annum Ariete, quaſi & ipſe redditus iuuentuti, vegetiori luce niteſcit, ac dulci quodam rubore omnia, quæ luce afficit, perfundit, ita vt tunc vera fieri videantur, quæ habet Ouid. Faſt. 6.

Lætaq; purpurea luce refulges humus.

tem-

temperati autem hoc pacto Solis radij maximam ad floreæ familiæ fœcunditatem vim conferunt, nam, cum flammeſcere æſtiuis Sol incipit ardoribus, tunc langueſcere germina coguntur Floræ, & ver præceps conſtituitur. Verè itaque nouo tepidus exultat purpurea luce imbutus aer, ridens obſequitur tellus purpureis tepefacta radijs, roribus perfuſa geminaſcit, atq; hilaritatem quandam induit, qua etiam in ipſos animantes ſui ipſius ingerat iucunditatem. Hoc eſt veris initium; hæc noui veris facies; hic vultus, cuius Poeta, ſub integumento coloris effigiem delineat, dum ait: *Quaq; volat vernus ſequitur color*. Quod ſi ampliorem huius noui veris deſcriptionem cuperes, ex qua, quaſi in effectibus, quinam ſint noui veris vultus agnoſcas, accipe ex Virg. exaratam Georg. 2.

Ver adeò frondi nemorum, ver vtile ſyluis;
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.
Auia tum reſonant auibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua ſinus, ſuperat tener omnibus humor;
Inq; nouos Soles audent ſe gramina tutè
Credere, nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,
Aut actum Cœlo magnis Aquilonibus imbrem;
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

Ex his facilè colligere potes, quænam ſit ſpecies, quis decor, qui vultus noui veris, & conſequenter quinam ſit vernus color, de quo Vates hic, & quem alij ad ſententiam Virgilij reſpicientes vt latiùs exprimerent, legendum, cum Heinſio, hìc cenſuerunt, *vernus ſequitur rubor*, vt ex antiquis manuſcriptis ſe habere affirmarunt. Et quidem noſter ipſe Auctor in Epith. Palladij, & Celerinæ, non *floribus ver rubens*; ſed *vere rubentes flores* appellat, dum inquit:

Vt thalami tetigere fores, tunc vere rubentes
Deſuper inuertunt calathos &c.

ex quo patet Auctorem noſtrum in ſupracitata Virgilij locutum ſententia. Quarè licet vulgatam lectionem optimam fuerim arbitratus, non tamen hanc ſecundam, vt magis explicatiuam auſus fuerim improbare.

OMNIS IN HERBAS &c. Ne videretur Vates, mediante ſupra poſita particula *Qua volat* reſtrinxiſſe, & coarctaſſe gratias à Zephyro profuſas ad aliquod breue tramitis ſpatium, declarat hìc, nullam partem, Ætnæ adiacentem, theſauris caruiſſe, vt ex hoc conſequenti intelligamus antecedens, nempè Zephyrum circumquaq; loca omnia peruolaſſe. Ideo

OMNIS HVMVS. Alibi vidimus diſtinctionem inter nomen *omnis*, & nomen *totus*; quod ſcilicet *omnis* ad quantitatem diſcretam, ſeù numerum pertineat; totus verò ad quantitatem continuam, ſeù ad molem. Quo ſpectato, iam in rigore loquendo, cum hic de *humo* agatur, videri poteſt dicendum fuiſſe: *tota humus*; non *omnis humus*. Sed aduerte accuratam Poetæ ſubtilitatem, qui, in ipſo terrei corporis continuo, diſcretionem partium intueatur, & numerum; non quidem quod ipſe partes ponat actu diſtinctas in compoſitione continui exiſtentes; ſed quia continuum, quod de facto nullas habet partes actu diſtinctas, ac diſtinctè inexiſtentes, per deſignationem extrinſecam, in partes deſignatas diſtingui poteſt. Aduertit itaque Vates, hoc continuum terræ (ſi tamen demus corpus illud homogeneum, & non heterogeneum fuiſſe, vt ſuppono) Animaduertit inquam illud alibi planitie extenſum, alibi in Cliuos eleuatum, alibi ſyluis opacum, alibi apertis ſolibus apricum &c. Ideò, cum ex varia hac deſignatione variæ taxarentur partes, & quaſi ad numerum diſcretum redigerentur, *omnis*, inquit, *humus*, quod ad numerum ſpectat, vt, quomodocumque, per deſignationem, diſpertita fuerit tellus, fœcunditate repleta, ſecundùm omnes partes deſignatas, indicaretur. *Humus* autem, vt omnibus notum, terra eſt; Quam *Humum* aliqui autumant appellatam ab *humando*, hoc eſt *ſepeliendo*: & quidem, vt fatear, congrueret textui hæc explicatio nominis; nam tunc humus fœcunda fit, cum ſemina ſuo humat in gremio. Verùm arbitror ego potiùs verbum *humare* ab *humo* deductum, quam nomen à verbo; nam certè *humare* eſt humo condere, quarè priùs videtur fuiſſe nomen *humus*, quam verbum efformaretur. *Humus* ergo hic dicitur, vt opinor, quaſi *humoris habens munus*, quod ſola cauſa eſt, qua terra fœcunda fiat. Ideo *Nectare Zephyri omnis humus*

TVRGET IN HERBAS. *Turgêre* eſt *in tumorem excreſcere, inflari, exuberaſcere*. Naturale autem eſt, quod obſeruantibus patet, vt quotieſcunque aliquod germen ex terra erupturum ſuccreſcit, terra illa, ſupra, & circa germen erupturum, altiùs attollatur, & parui ad inſtar tumoris excreſcat; ſicuti prægnantis venter, poſt conceptum fœtum, intumeſcit, ac ſenſim tumor ille magis, ac magis augetur, donec, diſrupto tandem paruulæ, ſe ſeque laxantis, concamerationis repagulo emergat germen, & apertis fruatur auris. Hoc itaque adamuſſim exprimit Vates hic, dum ait: *omnis turget humus*. Quare licet non abnuerim, verbum turget, per translationem à mulieribus deſumptum, dici, non tamen, omninò abeſſe à vera proprietate loquendi, facilè aſſeruerim. *In herbas*, autem dixit, hoc eſt, *ad edendos flores*; nam herbarum nomen, non modo gregarijs herbis, ſed & floridis, ac floribus ipſis conuenit, tanquam genus has omnes continens ſpecies, ſi ita lata ſignificatione ſumatur.

MEDIOQVE PATENT CONVEXA SERENO. Totum, quod inter Cælum & Terram eſt ſerenari dicit: inquit in hunc locum Barthius. Idem dixerat Parrhaſ., atque hoc ipſum confirmat Heinſius, addens adeſſe hic alluſiuam ad regiones Ægypti eruditionem; attento eo, quod idem Auctor noſter alibi de Nilo canens aſſeruit, nempè

Ægyptus ſine nube ferax, imbreſq; ſerenos
Sola tenet.

quare alij legunt, *Madidoque patent conuexa ſereno*, quaſi voluerit Vates hoc quod proprium Ægyptio eſt in Ætneos campos, Zephyri virtute, translatum innuere, vel ad eorum reſpexerit ſententiam, qui Ennæos campos æterna frui ſerenitate dictitarunt, licet circumquaque totum nubibus Cælum abripiatur. Eruditionem non ſperno; alluſiones non diſplicent; proprietati Siculæ regionis non reluctor. Sed videtur mihi hæc explicatio ſuperflua prorsùs, ac ſuperuacanea ingerere, atque idem, quod antea dictum fuerit, inaniter, exiliterque repetere. Nonne dixerat mox Vates: *Glebas fœcundo rore maritat*; Ros certè, vt dicebamus, ſereno cælo, ſerena defluit nocte; ergo iam Cælum vndique ſerenum, ex hoc ipſo fuerat indicatum. Ad quid igitur hic repetat, Cæli, & aeris adfuiſſe ſerenitatem? Nonne hoc eſſet ludere verbis, & nil dicere, quod dictum non fuerit? Aliam igitur ineundam arbitror viam ad enodandam Poetici ſenſus eruditionem: atque ideò ſic eam exordior.

ET CONVEXA. Supra oſtenderat ſparſim per totum terræ corpus, ſereno vtique Cælo rorem diffuſum, cuius munere ſuccreſcentes adfuerint tumores illi, de quibus mox loquebamur; iam partem eorundem tumorum conuexam hiſcere, ac ridentes promere gemmas, ingenioſè admodum ſubdit. Et quidem, pulchriori hyppotipoſi, germinantem terram potuiſſe deſcribi non arbitror. Et mecum ſenties, haud dubito, ſi cuncta exactè conſideres. Nota in primis gradationem, Zephyrus auxiliarius vocatur. *Nunc adſis, faueaſq; precor*: ille volat: volans *pennas concutit*: nectar diſtillat: *glebas rore maritat*, & fœcundat: His grauida *turget humus*: tumor diſrumpitur, ac parturit, quod vltimum his poſtremis particulis referédum aſſumpſit; ac ideò vſus eſt particula *&* copulatiua, qua ſcilicet conſequens hoc cum antecedentibus ritè connectat; ſed ita, vt eadem particula, vim habeat aduerbij gradationem efferentis, atque idem ſonans, ac *vlterius*. *Conuexum*. Quidquid arcuato more compoſitum Globi figuram imitatur, in medio ſcilicet eleuatum, cæterum vndequaque declinatum in ſphæram, *Conuexum* dicitur. Et quia iſtiuſmodi figuram gerunt terræ illa tubercula, quæ circa, ac ſupra ſuccreſcentes gemmas intumeſcunt, ideò & *conuexa* hic appellantur. Sed accuratiùs adhùc ſenſus accuratiſſimi Poetæ eſt indagandus. Nota igitur in qualibet re arcuata, atque in concamerationis morem conficta, duplicem conſiderari partem, nempè partem concauam, & partem conuexam. Pars concaua eſt pars interior arcus, ſeu ſemicirculi, intra cornuum inflexionibus, ſurſum ſinuata. Pars conuexa ea eſt, quæ exterior eſt, & concauæ oppoſita. Sic pars concamerationis interior, quæ cubiculi obtecti pauimentum reſpicit alio nomine *lacunar*, pars concaua eſt; ea verò pars, quæ ſuperior eſt, atque arcus fornice, ſuperiora reſpicit tecta, *Pars conuexa* eſt (quidquid oblatrent Grammatici, qui ſæpè ſæpiùs hæc promiſcue vſurpant.) Has igitur partes in ſupra poſitis tuberculis Poeta conſiderat. Pars eorum concaua erit, quæ interius eſt, terram verſus, & excauatur in arcum, dum tuber-

cula intumeſcunt, vt locus detur germini ſuccreſcenti: eſtque hoc à Natura prouiſum, ne tenera illa germina, tellure non cedente, opprimantur. Pars conuexa eſt, quæ ſurſum arcuatè erigitur, ac noſtris oculis inuerſum arcum, reclinatis ad terram cornibus, oſtentat. Hoc poſito: *conuexa*, ait, *patent*, hoc eſt laxantur, & aperiuntur, ſuperiori in parte, tubercula, aditum tandem gemmis aperientia. Quid quæſo, accuratius, quid aptius ad naturam exprimendum; & quonam clariori modo potuit repentina fœcunditas illa oculis ſubijci?

PATENT. Iam verbum explicuimus. Tantum addo, oſtendi hic, naturalem, atque vltroneam fuiſſe tuberculorum aperitiones, Natura ſcilicet inſtituente.

MEDIO SERENO. Tripliciter hoc, ad rem noſtram, intelligi poteſt. Primò quidem vt ſit ablatiuus cauſalis: & idem ſonet, ac *mediante*, ſeu *opitulante ſerenitate*; ſerenitatem accipiendo pro tempore ipſo ad fœcunditatem fouendam adaptato Zephyri fauoribus. Secundo, vt ſi ablatiuus ſtatus in loco, omiſſa more Poetico præpoſitione, & idem ſonet, ac in aperto aere, quo iam circumaguntur, ac ſerena fronte excipiuntur germina enaſcentia. Tertio vt ſit ablatiuus modi, quo tubercula illa ſe ſe aperientia mediam ſui partem ſerenam, hoc eſt, expoſitis lætam gemmis oſtentent, ac gemmis ipſis geſtientis lætitiam induant, quæ ſæpe ſæpius à Poetis ſerenitatis nomine deſignatur. Atque hæc omnia complexum nequaquam ambigo Poetam.

SANGVINEO SPLENDORE ROSAS &c. Enumerat iam flores aliquos ex communicata Telluri virtute productos, vt quod generaliter innuerat, per indiuidua ſpecierum, ſeu per ſpecies ipſas diſtribuens, & re clariùs oculis ſubijciat, & cæptam amplificationem latiùs exornet.

INDVIT. Præintellige: *Zephyrus*, vel eius virtus, infuſo fœcundans nectare terras; ſeu etiam humus ipſa prout tali affecta virtute, ſeù nectare infuſo. Porrò *induo* idem eſt, ac *veſtio*; hoc eſt *indumentis, ſeu veſtibus aliquid circumtego*. Quia verò Accidentia indumenta quædam, ac veſtes videntur eſſe ſubſtantiæ; ideò ritè transfertur etiam ad ſignificandum modum, quo accidentibus ſubſtantia ipſa operitur. Nota eſt accidentium definitio à Phyloſophis tradita, ita ſcilicet, vt accidens illud ſit, quod poteſt adeſſe, & abeſſe abſque ſubiecti corruptione. Quarè ritè diximus, accidentia ſe, inſtar veſtium, habere reſpectu ſubſtantiæ; nam & veſtis poteſt apponi, & detrahi abſque Geſtantis corruptione; colorem autem accidens eſſe, reſpectu illius, quod coloratur, nemo eſt qui dubitet: & quidem de ſanguineo ſpeciatim roſæ colore apertè patebit ex infra explicandis. Iure itaque optimo vſus hac translatione Vates: *Induit*, ait, vt denotaret ſubſtantiam, accidentis videlicet ſubiectum, ſaltem in priori ſigno naturæ, priùs quam accidens, quo induitur, productam intelligi debere, cum iſtud ſit quaſi veſtis, & ornamentum ſubſtantiæ, conſequenter acceſſorium, quod ſequitur naturam principalis. Alij tamen legunt *imbuit*, quod non improbo: ſed non adeò eruditè procedit.

ROSAS. Roſa flos eſt ex ſpinis naſcens, vt ſatis in comperto eſt. Ab initio tamen floribus teneris immixta, ſine ſpinis ſurrexiſſe dicitur, & pulcherrimus ideò flos ſine fraude vernabat, vt teſtatur D. Ambroſ. apud Cauſ. de eloq. lib. 11. Sepſit ſpina ſubinde gratiam floris, forſan vt eſſet ſpeculum humanæ vitæ, quæ ſuauitatem perfunctionis ſuæ, finitimis curarum ſtimulis, ſæpe compungat; ſeu, vt ait Pier. lib. Hierogl. 55., vt Hieroglyphicum eſſet illius, qui bonitatis ope, mala omnia ſuperans, illis ſemper ſuperior exultat, & ſupereminet. Ideò etiam fortaſſis florum hæc dicitur Regina, auro coronata, purpureis induta veſtibus, viridi ſuffulta Smaragdo, quaſi maieſtatis ſuæ thono, haſtatos vndique vigiles, ſpinis ipſis ad ſolium præferentibus. Adde inſuper, quod nullus ex florum agmine Roſâ venuſtior, nullus ſuauius halans, nullus viſu pulchrior, nullus delectabilior. Aſt cur Roſam primo loco, tot inter flores ex compoſito emergentes enumeret Vates? Anne rationem habuit dignitatis? Habuit profectò: ſed, ſi hanc ſolam ſpectaſſet, lis erat cum Rege florum Lilio contexenda; & tamen Lilium ne commemorat quidem. Cur itaque? Lilium perennis fœlicitatis, atque optimæ ſpei ſymbolum ſemper eſt habitum: nam Lilia, etiam ſucciſa, licet areſcere videantur, ſuccum ſeruant vegetantem, adeò vt interdum, poſt longum etiam tempus, refloreſcant, & nouos pullulent in calices: cum autem Poeta hic, floribus ſuis, tragicam exornet ſcenam, longè relegandum fuerat Lilium, fœlicitatis argumentum perdurantis; vel ſi admittendum, vt de facto admiſſum videbimus infra Carm. 428., admittendum fuerat tantummodò, vt ibi, tamquam tragico expoſitum euentui, non tamquam tragicum componens theatrum: Atque eos tantum hic flores ſerere Vates debuit, qui ſubſecutam quaſi præ ſe ferrent cataſtrophem. Primo loco ponitur roſa, quippe quæ fluxæ humanæ fœlicitatis fuerit Hieroglyphicum, ac boni cuiuſcumque momentanei ſignum, cum quo die florens, vigenſque enituerit, eodem ipſo die defloreat, & langueſcat, vt optimè cecinit, quicumq; tandem ille fuerit, cuius Eleg. Virg. adſcribitur

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam;
Et, dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas. &
Quam longa vna dies, ætas tam longa roſarum
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.

Summum fœlicitatis apicem videbatur ſibi attigiſſe Proſerpina, tragici huius vtiq; Protagoniſta Theatri, cum inter Dearum cœtus tali luxuriaret cultu &c. eius itaq; primum Hieroglyphicum roſa extollatur, vt tamquam in imagine ſe ipſam videat breui admodum perituram, dum mutis roſa caducitatis ſuæ caracteribus inclamat: verumtamen in imagine pertranſit homo. Inſuper, primo loco, hic ponitur Roſa, vt terra mox ſepulchrum Proſerpinæ adfutura ſepulchrali flore, antiquorum in morem, ſterneretur. Scitus enim, antiquorum aliquos teſtamento cautum voluiſſe, vt ſua roſis ſepulchra, non ſolum ipſo humationis die, ſed anniuerſario quotannis redeunte, cumulari, vt apud Pier. cit., quod admirans idem Poeta, qui mox ſupra, apud ipſum, ait:

Quid Cineri ingrato ſeruas beneuolentia ſerta?
Anne coronato vult lapide iſta legi?

Tertio denique Roſa, primo hic loco, ponitur; nam flos ille eſt Veneri dicatus, & fortaſſis non immeritò; nam fluxas, & momentaneas Veneris exprimit voluptates; ex quo eſt, vt Venerem antiqui roſeâ coronâ effinxerint inſignitam, vt teſtatur Pherecides. Cum itaque prima dolo gaudens extet Venus; prima etiam, inter flores, emerſerit roſa congruum quam maximè eſt, vt ea, quæ, ſub fœlicitatis ſpecie, ſepulchralis machinamenta excidij moliretur, ordine deſignaretur prima, eiuſdem flore ſe ſe in Hieroglyphicum erigente. *Induit roſas*

SPLENDORE SANGVINEO. Splendor ſanguineus pro colore purpureo hic ponitur, ſed tali, qui luce quadam niteat immixta, ac mirum effulgeat in modum. Quarè ſplendoris nomine exprimit hic Vates non modo nitentem in purpuris roſæ colorem, ſed & decus, gloriam, nobilitatem, quam roſæ diuinus ex pede Veneris cruor extractus iniecerit, vt mox infra. Sanguineum itaque dicitur, non ſolum quod colorem ſanguinis imitatur, ſed etiam & magis propriè, id, quod ſanguine conſtat. Sic *imbrem ſanguineum* legimus, apud Cic. lib. pri. de Diu. pro ſanguine in pluuias decidente. Atque in hoc ipſo ſenſu eſt apud Poetam hic. Quod vt latius intelligas, Noueris quod de roſa fabulantur, nempè eam, ab initio, albam è ſpinis prodijſſe, ac nitido quodam candore floreſcentem enituiſſe; ſed cum poſtea Veneris ſanguine infecta fuerit, album colorem in purpureum commutaſſe, ac ſanguineum induiſſe ſplendorem. Sic autem rem geſtam ferunt. Deperibat Adonidem Venus adeò, vt nihil ſibi iam dulce eſſet, quod Adonidem non redoleret, vt teſtatur Ouid. Metam. 10. vbi ſic

Capta viri forma, non iam Cytherea curat
Littora, non alto repetit Paphon æquore cinctam,
Piſcoſamq; Gnidon, grauidamq; Amathunta metallis.
Abſtinet & Cælo; Cælo præfertur Adonis.

Cumq; ipſe venator eſſet, Venus etiam ipſa venatrix cum ipſo effecta eſt: monuit ſæpè ſæpiùs tamen dilectum, ne in ſæuiores feras irrueret, ſed molliores tantum, ſecuritatis gratia, inſequeretur, vt habet idem Ouid. ibid., ſic

Per iuga, per ſyluas, dumoſa, & ſaxa vagatur
Nuda genu, veſtem ritu ſuccincta Dianæ
Hortaturq; canes; tutæq; animalia prædæ;
Aut pronos lepores, aut celſum in cornua Ceruum,
Aut agitat Damas: at fortibus abſtinet Apris,
Raptoreſq; Lupos, armatoſq; vnguibus vrſos
Vitat, & armenti ſaturatos cæde Leones,
Te quoq; vt hos timeas, ſi quid prodeſſe monendo
Poſſet, Adoni, monet &c.

Verùm cum Venus tantiſper ab Adonide receſſiſſet, ille Amaſiæ monitis, propriâ reluctante virtute, non ſtetit; ſed, in ferocem inuectus Vrſum, pœnas audaciæ ſoluit, nam eius dentes ictus interijt, vt refert ibidem Ouid. his verſibus

Ille

Illa quidem monuit; iunctiſq; per aera Cycnis
Carpit iter; ſed ſtat monitis contraria virtus.
Forte ſuum latebris, veſtigia certa ſecuti,
Excitauere canes, ſylueſq; exire parantem
Fixerat obliquo iuuenis Cinyreius ictu.
Protinus excuſſit pando venabula roſtro
Sanguine tincta ſuo, trepidumq;, & tuta petentem
Trux aper inſequitur, totoſq; ſub inguine dentes
Abdidit, & fulua moribundum extendit arena.

Audijt Venus morientis gemitus, & Amens accurrit: ſed, iam fato functus, venator reuocari non potuit. Quarè guttas eiuſdem ſanguinis, æternum doloris ſui monimentum, in flores, quos nos italicè *Anemone* nominamus conuertit; vt fusè proſequitur Ouid. cit. Fuerunt tamen, qui dixerint, non caſu factum, vt Aper canibus excitus impetum in Adonidem fecerit, ſed, conſultò, immiſſum, aiunt, a Marte, riualitatis ſtimulis concitato; Imnò Græci tradunt Auctores, Martem ipſum ſe ſe in aprum conuertiſſe, vt Adonidem perderet; cum enim Mars Venerem deperiret, Venus Adonidem, Mars riualitatis impatiens, atque arbitratus, totam ſibi Venerem addicendam, ſi Adonidem de medio, ea inſcia, ſuſtuliſſet, hanc viam nactus dicitur, qua Adonidem perderet. Cum itaque Venus, vt dicebamus, nudo, ac præcipiti pede ad morientis gemitum properaret, factum eſt, vt in roſæ ſpinam impingeret; ita vt, pede ſauciato, ſanguine ex vulnere profluente infecta roſa niues ſuas ſanguineam commutarit in purpuram. Ideò Poeta hic *Sanguineo ſplendore roſas &c.*

VACCINIA NIGRO. Hoc eſt *induit ſplendore*. Arborem *vaccinium* eſſe, autumat Parrhaſ. in hunc locum, qua Galli tingendis ſeruorum veſtibus vtuntur. Optimum profectò hæc Arbor futurorum hic eſſet Hieroglyphicum; nam mox Mancipium Plutonis futura erat Proſerpina. Verùm ne Parrhaſio adhæream, cogit textus ipſe, dum enim ait: *omnis in herbas turget humus*; certum eſt flores, non arbores, hoc loco collocandos. Sed dixerit fortaſſis Parrhaſ. roſam etiam Arbuſtum eſſe: atque adeò non incongruum, ſi arbuſtum arbuſto copuletur. Sed recole, quæ ſupra diximus, nempè ab initio roſam, teſte D. Ambroſ. teneris immixtam floribus ſine ſpinis ſurrexiſſe; nam ex hoc intelliges, roſam à Vate hic poſitam iuxta primum eiuſdem naſcendi modum, vt oſtenderet ſingulari quadam veris venuſtate ornatos à Zephyro Ætnæos campos, ita vt & roſam ibi purpureo ſplendore imbueret, & naſcentem priſco more teneros inter flores obijceret Zephyrus contemplandam. Quarè non vt arbuſtum hic ponitur, ſed vt flos teneros inter flores emergens. Vaccinium itaq; flos eſſe debet, hoc loco; ſed quinam ſit flos, vt fatear, non ſatis ex lingua noſtra conſtat; ſed tantùm dicitur eſſe flos purpurei coloris, nec obſtare, quod vaccinia *nigra* dicantur; nam & fuſcioris purpuræ colorem Galli vaccietum appellant, hoc eſt vacciniorum colorem imitantem, & ad nigredines vergentem. Verum non incongruè Seruius, vt arbitror, interpretans illud Virgilij Ecl. 2.

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur,

ait, vaccinium eum eſſe florem, qui Romania, Latiniſque omnibus Hyacintus dicitur; hoc enim planè dictioni græcè conſentit; nam *vaccinium* græcè Ὑάκινθος dicitur, quod latinè ſonat Hyacintus. Hyacintus autem (ait Dioſcorides, & Suidas) genus violæ vernæ eſt obſcuræ purpuræ colorem præferens: flos tamen ipſe nigris interſecantibus venis ita diſtinguitur, vt illæ lineæ inter ſe concurrentes videantur, in illo, duas efformare litteras græcas, nempè α, ι. Ex his litteris anſam arripuere Poetæ duplicem de hoc flore fabulam contexendi. Prima eſt, quam recenſet Ouid. Metam. 10. nempè Hyacintum, Amyclidis, Amyclæ, vrbis Laconiæ, conditoris, ac Regis filium, formoſiſſimum puerum extitiſſe, quem adeò adamauerit Apollo, vt Cælum deſerere ſuſtinuerit, quo diutiùs, ac familiariùs pueri pulchritudine frueretur in terris. Hunc ipſum à Zephyro adamatum ferunt; ſed in Apollinis magis, quam in Zephyri amorem inclinaſſe. quod in cauſa fuerit, vt Zephyri, Zelotypiam in ſe ipſum armauerit. Cum itaque puer diſco ſe cum Apolline exerceret, Zephyrus afflare cæpit vehementiùs, ac diſcum, ab Apolline altiùs in aerem coniectum, ita repercuſſit in Hyacintum, vt ipſum interemerit. Apollo autem, ne tam formoſi pueri memoria interiret, ipſum in ſui nominis florem commutauit, notâ proprij doloris inſignitum, αι, quæ apud Græcos nota indolentis eſt. Alteram enarrat idem Ouid. Metam. 13., quæ ita ſe habet. Achille ab Alexandro occiſo, petebantur eius arma ab Aiace, quia frater patruelis eſſet: eadem petebantur ab Vliſſe. Quarè, magnâ inter ipſos exorta contentione, res ad Principes defertur iudicanda. Perorarunt ambo: ſed Vliſſis facundia præualuit adeò, vt illi arma fuerint adiudicata. Tunc dolor Aiacis exardens oſſibus ingens cum adegit ad proprium in ſe enſem conuertendum, ita vt vitam præciderit ſuam: ex eius autem cruore decidente florem ortum fuiſſe dictitant Hyacinto omninò ſimilem, iiſdemque notis inſignitum; quaſi principium nominis proferant flores, ex quo ipſi ortum habuerint: atque ad hæc alludens Virg. in Palemone Ecl. 3. ait

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcentur flores.

Vt autem vtramq; fabulam vnico contextu attingeret Ouid. lib. Metam. 13. cit. de Aiace loquens hæc habet:

Qua patuit ferro letalem condidit enſem;
Nec valuere manus infixum educere telum;
Expulit ipſe cruor: rubefactaq; ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis medijs pueroq; viroq;
Inſcripta eſt folijs; hæc nominis; illa querelæ.

Hæc ſunt igitur vaccinia, quæ, ſecundo loco, effloruiſſe, dictitat Poeta, inter vernantes, beneficio Zephyri, Ætnæis in campis, flores. Aſt, ſi, vt diximus, flores huiuſmodi purpurei ſunt, cur Nigri dicantur? Vel errat Poeta in aſſignatione coloris: vel nos erramus in explicatione floris; nam ipſe apertè dicit: *Vaccinia nigro induit ſplendore*. Vt difficultatem enodemus, præter ea quæ ſupra innuimus de fuſciori purpura, reuocandum hic in memoriam id, quod libro primo diximus ad Carmen *Oſtro fundis aquas &c.* triplicem enim ibi purpuram eſſe vidimus, ſeù triplicis Oſtrum generis, nempè Plumbeum in Ponto, violaceum apud Plagas æquinoctiales, igneum, ſeù ſanguineum, apud Sydonios. Hoc poſito: conſideremus iam Hyacinti noſtri colorem, eumq; vel Thalaſſinum reperiemus, vulgò *Turchino*, vel (quod idem eſt) Cyaneum, hoc eſt Cyani gemmæ, (vulgò *la Turchina, ò Turcheſa*) coloribus imbutum: vel, ſi magis ſubfuſcum ſit ad violaceum accedere conſpiciemus, nitore tamen reſperſum viuido ita, vt conſpicua niteat claritate, quaſi lucis fulgoribus irradiatum. Quarè optimo iure purpureus dicetur Hyacintus, nempè vel purpura illa plumbea, ſed nitenti, vel violacea, ſed luce conſperſa, probè imbutus, ac coloratus. à purpura enim certè, quæcumq; tandem illa ſit, purpureus dicitur color. Hoc autem firmato, nempè purpureum iure dici Hyacintum, eo quod Cyaneus, vel thalaſſinus ſit; remanet explicandum, quomodò nigro dicatur infectus colore, non tantum hic, ſed etiam apud Virg., non ſolum Ecl. 2. cit.

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur,

ſed etiam Ecloga 10. vbi pleno ore repetit

Et nigra viola; ſunt & vaccinia nigra.

quod pronunciatum videtur manifeſtè repugnans experientiæ oculorum. Memineris itaque, quod nos paulò ante de coloribus dicebamus, nempè duos tantum eſſe colores principales, *Album* videlicet, & *Nigrum*, ex quorum commixtione reliqui omnes reſultent colores, qui medij dicuntur. Hoc poſito: ſatis ex Phyloſophicis conſtat axioma illud: *Denominatio deſumitur a potiori*; ex quo fit, vt res ſemper denominetur ab ea qualitate, quæ in illa eſt ad prædominium: ſic homo in quo melancholia prædominatur cæteris humoribus melancholicus dicitur; non quod cæteris careat humoribus; ſed quia melancholicus humor in illo ad prædominium ſit: ſic terra dicitur antonomaſticè *Arida*, non quod in ea nil omninò ſit aliarum qualitatum: ſed quia ſit ſicca ad prædominium. His habitis: certè & color hyacintinus ex albi, & nigri commixtione inſurget: ſed quia niger color albo, in his floribus, prædominatur, vt patet ex ea, quam habent infuſcatione; ideò *nigra* dicuntur *vaccinia*, non quidem ſimpliciter, ità vt omne album excludatur; ſed *nigra ad prædominium*. Ex quo vides nec nos erraſſe in deſignatione floris; nec Poetas erraſſe vaccinia nigra appellantes; neque erraſſe, qui dixerint purpureum florem *vaccinium* eſſe; nam hæc omnia facilè conſonant, & concordant, ſi adhuſq; explicata reſpiciamus, ac diſtinctionibus vtamur indicatis. Inſuper *Nigra* ſymbolicè dicuntur *vaccinia*; nam cum flores funerei ſint, vt ex enarratis fabulis patet, & niger funera color deceat; Iure optimo à nigro colore in illis prædominante *nigra*, hoc eſt *feralia*, denominantur. Et profectò, poſt roſam, venereæ voluptatis fugacitates oſtentantem, nullum aptiùs hieroglyphi-

cum

cum apponi potuit, quam nigris confectum vaccinijs, vt videlicet mortuorum Regno addicendam Proſerpinam indicaret, atq; vmbris ſuis æternas illi vmbras portenderet.

ET PINGIT VIOLAS. Prænintellige, quæ ſupra ad verbum induit. Pingere autem eſt *formam alicuius rei duſtu lineæ repræſentare* quod proprium pictoriæ artis tantummodo eſt. Verum quia Pictores, dum pingunt, ea certe, quæ pingunt, coloribus exornant; ideò *pingere*, per tranſlationem, ſignificat *exornare*, ſeù *ornatum reddere*: & in hoc ſenſu ſumitur a Poeta hic, ſtylum ſecuto videlicet ſuum, quo Accidentia ornamenta ſubſtantiæ, eamq; accidentibus natura priorem oſtendere, iam vidimus. Itaque *Pingit violas* nil aliud, hoc loco, eſt, quam *facit vt violæ ferrugineo colore exornatæ oriantur illicò*. *Viola* autem flos eſt & ipſa, vt plurimum, purpurei coloris, qui ſcilicet purpuram illam, circa æquinoctiales plagas inuentam, æmuletur; nam ex permutata proportione etiam purpura illa violacea dicitur, vt dicebamus. Quarè & *nigra* dicitur viola ob traditam de Hyacinto rationem. Vt plurimum tamen dixi, quia ſunt etiam violæ albæ, luteæ, cerulæ &c. hic de ferruginea loquitur Poeta, cuius coloris qualitatem videbimus infra. *Viola*, indiſcriminatim ſumpta, flos eſt, cuius Planta folium, hæderæ non diſſimile; nigrius tamen, ac tenuius, profert; cauliculus verò media ex radice prouenìens florem gerit, qui dicitur à terra expulſus in pabulum Ius puellæ in Iuuencam conuerſæ, vnde a Græcis Ἴον appellatum ferunt: Aptiſſimum profecto futuri euentus hieroglyphicum; nam ſicuti Inachi filiam Iupiter tenebris obuallatam a fuga retinuit, illiq; pudorem inter vmbras eripuit; ſic rapienda erat Proſerpina, vmbris tumulantibus, ac Rectori vmbrarum conceſſura pudorem; ideò flos, rapti in ſolatium pudoris emerſus, nil mirum ſi pudori hic præludat rapiendo. Quod ſi cupias Inachiæ Virginis deflorationem, in vmbris, conſpicere, Ouid. legas Metam. pri.

Ne me fuge, fugiebat enim; Iam paſcua Lernæ
Conſitaq; arboribus lyrcæa reliquerat arua;
Cum Deus inductâ latas caligine terras
Occuluit, tenuitq; fugam; rapuitq; pudorem.

Hæc ipſa Proſerpinæ, ſed deteriori ſorte, imminebant, aduolante in Crinem Plutone. Ideò viola præludit: atque adeò optimè *Pingit violas*.

FERRVGINE DVLCI. Cuiuſnam coloris fuerint ſuccreſcentes violæ iam refert; nam *Ferrugo* dicitur color quidam rufus, ſed nigriori infectus rubedine, ad ſimilitudinem coloris ferri, rubigine exeſi, vnde & pallens viola dicitur. *Color itaque ferrugineus* ex rufo, & nigro commixtus color eſt, vt ex dictis patet, & quales maculæ ſunt, viridis terga lacertæ conſpergentes. Hic tamen vſurpari arbitror pro plumbeo, ſiue ametyſtino violæ colore, nam & eiuſdem coloris, de quibus ſupra, Hyacintos *ferrugineos* vocat Virg. Georg. 4.

Et pinguem Tiliam, & ferrugineos Hyacintos.

hoc eſt nigriori purpura infectos, interpretatur Seruius. Quinimmò Solis eclipſari in Cæſaris funere colorem rubiginem vocat idem Virg. Georg. pri.

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam
Cum caput obſcura nitidum ferrugine tinxit.

In quem locum eruditè Seruius. *Ferrugo purpura nigrior eſt*, de qua idem Virg. Æn. 9. ait

Stabat in egregijs Arcentis filius armis
Pictus acu clamydem, & ferrugine clarus Ibera.

Vbi Seruius interpres ait: *Ferrugo coloris genus eſt vicinus purpuræ ſubnigræ; Ibera autem modò, non Hiſpana; ſed Pontica; Nam Iberia pars Ponti eſt.* Cum itaque ex Ponto aduehatur purpura plumbea, vt vidimus, habes à primo ad vltimum ferruginem pro plumbeo oſtro poſitam a Virgilio: Quarè non abſonum eſt ſi eam in eodem ſenſu Auctor vſurpauerit. Et profectò cum plumbeus color (præcipuè ſi de plumbo non expurgato a fæcibus loquamur) valde accedat ad colorem rubiginoſi ferri, nil mirum ſi per catacreſim, plumbeo colori rubiginis nomen adaptent Poetæ, vocabulorum inopia ſæpè coacti. Video Nonnium ferruginem pro violacea purpura accipientem, cui profectò non refragamur, ſed tandem in idem recidit, quod nos ſupra de Hyacinto, ac Violis explicuimus, cur hæc nigra dicantur indicantes. Certè non ſine myſterio ferrugineum colorem violæ ſuæ indidit Vates, nam, cum infælicibus Proſerpinæ nuptijs præluderet, opus fuit, vt colorem Regni, ad quod rapienda eſſet, indueret. Perpende autem, quæ dixerit Virg. de Cymba Animas apud inferos ad turbida Regna tranſuectante Æn. 6., vbi *varium colorem*, vulgò *la lontrâ*, facilè dignoſces inferorum *ferrugineum* eſſe, dum ait:

Et ferruginea tranſuectat corpora cymba.

ferruginea itaque tranſuehendam cymba, ferrugineo abuehendam curru, eam deſignat Vates, cui ferrugineus in viola præluderet color. Adde, ferrugineum colorem lugubrem eſſe, ac feralem, nam & ferruginea veſte, in ſuorum funere vtebantur Hiſpani, vt notat Seruius in primum Georg. cit.; ideò non immerito tragicas ad has pompas à Vate noſtro traducitur exornandas. Sed, quia Veneris aſtu occultabantur hæc omnia, profuſis, etiam in funere diplomate, gratijs, quo faciliùs deciperetur incauta, & floreis inuectum quadrigis exitium non aduerteret, ferrugine depictæ quidem exſurgunt violæ, ſed ferrugine, gratijs intermicantibus *Dulci*, quod nomen aliqui a delicio deducunt, eo, quod delicijs affluere videatur quidquid dulce eſt. *Ferrugine* igitur imbuebantur violæ, ſed *ferrugine dulci*, ideſt ad delicias apparenter compoſitâ, vt meliùs falleret alliciens, dolo vtiq; Veneris, quæ dolo gaudens ibat, ſed intus Ætnæ, ac Zephyri venerantis obſequio, ſe his delicijs Deas magis veneraturum arbitrantis. Alluſiua autem Auctoris dictio, quo ad hoc nomen, eſt ad illud, quod protulit de Hyacinto Virg. Ecl. 3.

Munera ſunt, Lauri, & ſuaue rubens Hyacintus.

PARTHICA QVÆ TANTIS &c. Ne protractâ per ſingulos flores longiùs, quam par eſſet, enumeratione legentem fatigaret, locum fælicitèr immutat, atq; a ſimili totius floridi apparatus pompam amplificat, redditionem videlicet ſecutus, qua ad Genus quod iam ſupra innuerat regrediatur. Similitudinem autem decerpit à Cingulis, infinita propemodum varietate gemmarum, theſſelato opere, coruſcantibus, quibus Parthorum Reges ornari conſueuerunt. Verum vt ſcias, quam altè vigeat amplificatio, aliquid de Parthis obiter adnotandum. Parthi populi Scythiæ olim fuere, vt refert Iuſtinus lib. 12., qui ex ſcythicis tandem transfugæ regionibus ad Medos confugére; quapropter *Parthi* ſubinde dicti ſunt; nam *Parthus*, ſcythica lingua, idem ſonat, ac *exul*. Hi in tantam deueniſſe dicuntur potentiam, vt duodeuiginti eorum Regna, & à Solino enumerentur, & à Plinio lib. 6. cap. 15., eorumq; primus Rex Seleucus fuiſſe memoratur ex additione ad officinam hiſtoricam Aſtulphi pag. 583. Parthorum nationem bellicoſiſſimam aſſerunt communiter Auctores, adeò vt reportatam de ea victoriam, quaſi Romanæ virtutis prodigium, memoret Virg. Georg. 3.

Addam Vrbes Aſiæ domitas, pulſumq; Nyphatem,
Fidentemq; fuga Parthum, verſiſq; ſagittis &c.

Noſtis enim in more poſitum, apud Parthos, vt fugam ſimulantes, conuerſo in tergum arcu, venenatas in inſequentem hoſtem ſagittas euibrarent; vnde ortum habuit Prouerbium: *Parthorum ludere fuga*. Sic Virg. Æn. 12. ſagittas veneno infectas Parthis attribuit his

Non ſecus ac neruo per nubem impulſa ſagitta
Armatam ſæuis Parthus quam felle veneni
Parthus, ſiue Cydon telum immedicabile torſit.

Cum itaque bellis adeò addicti Parthorum eſſent Reges, certe & cingula illis militaria debebantur, ſed ijs ſuperba diuitijs, quæ tantos vtique decerent Reges, rerum ſcilicet omnium opulentia luxuriantes: nam Parthia Aſſyriæ regio eſt; Pars autem Aſiæ Aſſyria, qua in Aſia & Attali, & Craſſi inexpletæ opulentiarum Carybdes floruère. Adde, quod ex Trogo notat eruditè Parthaſ. in hunc locum, nempè Parthiæ in propinquo Babylonicas opes extitiſſe, ex quibus Parthorum Cingula Regum deprompta exiſtimantur. Erant autem Babilonicæ Zonæ, vt ex D. Hieron. habetur, in modum Anguineæ vernationis, hoc eſt exuuiarum, quibus ſenectutem coluber exuit. Has nouo illi nomine *Hemias* vocabant, ita tereti textu, vt marſyppia putes oblonga: coccineo ſubtegmine, purpureo, & hyacintino conſtantes ſtamine verò ad firmitatem, & decorem biſſino: ſic arte polymitaria diſtincti, vt varios in ijs flores, & gemmas, artificum manu, non textas, ſed inſertas arbitreris. Hæc cingulorum extat apud Parthaſium deſcriptio, ex qua conſtant, quam conſpicua, quam pretioſa huiuſmodi eſſent Cingula Parthorum Regum. Hac itaque habita de Parthis notitia, ad explicationem iam textus libens deuenio.

QVÆ CINGVLA. Reſpexit, hoc loco, Auctor ad ſententiam Marci Tul. in Somn. Scip. vbi ait; *Cernis autem terram, quaſi quibuſdam redimitam, & circumdatam cingulis? &c.* ac ideò terram & ipſe floreis hic cingulis redimitam repræſentat, vt eodem tempore ſphæricam phyſice rotunditatem terreſtris innuat orbis; nam certe Cingula hominis

latus

lanis circumſtringentia in ſphœricam figuram conuoluuntur, non mathematicè quidem, ſed phyſicè rotundam. Quarè dum floridam terræ Zonam cingulis aſſimilat Regum, certè & ſphœricam facit modo dicto. A ſimili itaq; amplificat Ætnæi veris venuſtatem. Particula autem *Quæ* certè interrogantis, hoc loco eſt; ſed ita tamen, vt & affectum oſtentet admirantis: & nota, relatiuum hoc, quotieſcumq; interroganti deſeruit, vel admiranti, ſemper antecedentibus præponi ſuis, vt hic: *Quæ cingula &c.* Porrò Cingulum, vt fatear, proprium mulieris potiùs ornamentum videtur, quam virorum: duplicis tamen generis Cingula reperio, vt alibi vidimus, nempè militare vnum, quod proprium virorum eſt: Virginale alterum, ſeù nuptiale, quod proprium fœminarum eſt: nam etiam nouæ nuptæ cingulo præcingebantur, quod à ſolo viro ſoluendum eſſet, cum thoro iunxus virum iam ageret. Quod itaque ad intelligentiam Poetæ ſpectat, perpende mirum, in extruendis hieroglyphicis, Claudiani ingenium; Cingulis namque floreis præcinctam deſcribit terram, vt imaginem efferat Proſerpinæ nuptiale iam cingulum, quamuis inopinato, gerentis: ſicuti enim flores illa cingula, vix vergente ad meridiem Sole, ipſa eorum caducitate diſſoluenda cernebantur, ſic diſſoluendum, opinione citiùs, Proſerpinæ cingulum virgineum portendebant & ſicuti, vix vitæ, ac lætitiæ in partem exorta, florum cingula in occaſum properant interitus; ſic Proſerpinam ex momentanea, qua fruebatur lætitia, ad mortuorum Regnum, Raptore Cingula diſſoluente Plutone, tranſuehendam illicò exprimebant: nam ſi *Dis* fuerit dictus Pluto, vt lib. pri. vidimus, eo, quod terram ditet, ſeminibus tribuens fœcunditatem, ea ipſa ex floribus cingula, Plutonis manu breuiter rapienda, ſuccreſcebant, nam quidquid ex Ditis theſauro educitur ad Ditem reuertitur, vt cecinit apud Auctorem noſtrum Lacheſis lib. pri. Quarè, ad vnguem, hoc hieroglyphico hic, & Proſerpinæ raptum, & Nuptias, & raptorem indicat ingenioſiſſimè Vates. Quod autem ſpectat ad Parthorum Reges, ex quorum Cingulis ſimilitudo deſumitur, Cingula, hic poſita, in duplici ſenſu, conſiderari poſſunt, nempè vel vt Cingula militaria, vel potiùs vt muliebre quoddam ornamentum ab effœminatis viris aſſumptum: atq; ad vtrumque ſenſum Poetam arbitror reſpexiſſe. Verùm interpellanti reſpondenduo: ait enim argutus quidam, contrarium huic noſtræ aſſertioni eſſe & textum ipſum Poetæ, & quod nos ipſi ſupra de Parthis diximus, dum belligeros deſcripſimus, & feroces; nam Bellona, & Venus: Martialis vigor, & luxus non ſimul conſentiunt: *Parthica cingula* appellat Poeta, ergò militaria, non muliebria, vt modo dicebamus, ornamenta. Ingenioſè procedit obiectio. Sed memineris, quæſo, quis fuerit Capuæ Annibal, terror ille fortitudinis Romanæ, quo tota nutaret Roma, cum Annibal ad portas diceretur; & noſces, bellicoſiſſimos quoſq; luxu interdum molleſcere non ſolum, ſed marceſcere. Bellicoſiſſima fuit Parthorum Natio, vt ait etiam Hor. lib. pri. Carm. Od. 12. vbi Parthos, Latio imminentes armis, commemorat, vt Auguſtum repellentem maximis exornet laudibus.

> *Ille ſeu Parthos Latio imminentes*
> *Egerit iuſto domitos triumpho &c.*

Sufficit enim, ad eorum pugnacitatem exprimendam, dicere, eos Romanam auſos, & Cæſaris fortunam laceſcere. Sed, cum ab externis quieſcerent bellis, quis effæminatior Parthis, luxui ſcilicet quam maximo ſemper indulgentibus? Quod ſi apertè eorum luxum deſideras intueri, perlege officinam Aſtulphi pag. mihi 353. ſed priùs memineris Parthiam Aſſyriæ regionem eſſe, ibi enim ſubindè reperies Aſſyriæ incolas inter ſummè laſciuientes, ac fœmineis ornatibus indulgentes, enumeratos fuiſſe. Ad Cingula itaque bellica reſpexit Vates, quia bellicus in Proſerpinam erat futurus hic florum apparatus: & Parthico more, rapiendo, ac fugiendo bellum erat ab infero exercendum Raptore. Ad Cingula autem mollitiem, ac luxum indicantia reſpexit, quia floribus contexebantur, animatis vtiq; pratorum gemmis, ea cingula, quæ cum Parthorum cingulis regum gemmeo luxu efflореſcentibus comparabat.

VARIANTVR. *Variare* idem eſt, ac intermixtis coloribus aliquid diſtinguere, ac diuerſum facere, eo modo, quo diuerſitas colorum pictoriæ artis opus diſtinguit, & internectit: ſic ipſum *acu pingere*, vulgò *il recamare*, Martialis *variare* dixit, lib. 8. Epig. 26. de toga, ſibi à Parthenio donata, inquiens

> *Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbè*
> *Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.*

Notum eſt etiam opus illud, quod theſſelatum dicitur, vulgò *à Moſaico*, quod in hoc conſiſtit, vt artifex, interſectis lapillis, & quidem pretioſis, ac vario colore fulgentibus, eos ita variè connectat, ac diſponat, vt picturatum ſine pictura opus efficiat. Ad vtrumq; reſpexit Auctor; nam, verè picturatum opus acu imitari prata videntur, dum in extensâ, ad modum ſtaminis, viriditate herbarum varios, intermixtoſque florum exhibent colores; & cum flores animatæ telluris gemmæ dicantur, theſſelatum pariter opus viridi in Enchauſto elaboratum oſtentant, ſicuti cingula illa Parthorum, theſſelato opere confecta, picturatum etiam opus vario gemmarum nitore referebant. Iddeò *variantur*.

TANTIS GEMMIS. *Tantus* verè ad quantitatem pertinet, non ad numerum, vt alibi diximus, quarè impropriè fortaſſis videri poſſet vſurpatum hoc nomen hic à Poeta, qui potiùs *tot gemmis* dicere debuiſſet, numero enim, non magnitudine, ac mole theſſelatum opus diſtinguitur, & variatur; immò, vt etiam dix., lapillis, non lapidibus, theſſelatum opus conſtare debet, vt egregium ſit. Sed nota egregium prorsùs Vatis artificium. Duo erant, in his Cingulis, conſideranda: numerus gemmarum propemodum innumerabilis; & magnitudo; non quidem quo ad molem, ſed quo ad pretioſitatem; non enim, vt noſtis, gemmæ pretium in magnitudine molis, ſed in perfectione conſiſtit nitoris; quare magna dicitur gemma, quæ magni pretij ſit, licet non magnæ molis. Vt itaque hæc duo vnico complecteretur verbo; *tantis*, inquit, *gemmis*; nam *tantus* ad quantitatem, ſeù magnitudinem valoris refertur, & dum numero vtitur multitudinis innumerabilem propè gemmarum indicat numerum. *Gemma* verò propriè loquendo eſt *oculus, quem primò emittit vitis; & quodlibet germen florum erumpens primò*. Sed, per translationem, & ob ſimilitudinem gemma dicitur quilibet pretioſus lapis. Quarè Poeta hìc vnico hoc nomine & ſimilitudinem, & vtrumq; extremum, inter quæ comparatio à ſimili efformatur, amplectitur. Sed cur Parthorum cingulis tot gemmas attribuat Vates, tantumque eorumdem ſtatuat pretium, vt ea potiùs, quam alteriùs Nationis Cingula in comparationem aſſumat? Ex dictis facilè patet reſponſio; Sed adde vlterius Parthiam, vt diximus, regionem Aſſyriæ eſſe; Aſſyriam partem Syriæ, vt aliqui aſſerunt, vel potiùs Syriam ipſam, vt alij exiſtimant: atque hanc partem Aſiæ proculdubio eſſe, vt ſupra dicebamus. Quantæ autem opulentiæ viribus efflоſceret Aſia, vel ex hoc vno conſtat, quod Sabæi, Arabiam Aſiæ regionem incolentes, auctore Strabone, multam ex auro, argentoq; ſupellectilem habeant, nempè vaſa, lectos, tripodes, &c. immò portas ipſas domorum, parietes, ac tecta ipſa, auro, argento, ebore, ac lapidibus pretioſis diſtincta fabrefecerint; Quarè Hor. lib. pri. Carm. Od. 12. inquit,

> *Icci beatis nunc Arabum inuides*
> *Gazis, & acrem militiam paras;*
> *Non ante deuictis Sabææ*
> *Regibus, horribiliq; Medo*
> *Nectis catenas &c.*

Quot autem Gemmis abundet Aſia, vel ex hoc vno dignoſci poteſt, quod refert in Officina ſua Aſtulphus cit., lib. 3. cap. 8., nempè Turqueſtæ, olim Aſiæ dictæ, vulgò *Decan*, regionis, Parthorum Regno conterminæ, Regem Seruos habuiſſe, qui in Calceis aureis Pyropos, Adamantes, alioſq; pretioſiſſimos lapides deferrent. Quod ſi tantus in Seruis luxus, & tanta diuitiarum oſtentatio, quid Regibus tribuendum ipſis? Arbitror itaque Poetam Parthica Cingula commemorantem, metalepſi vſum, qua ſcilicet ex Parthia Aſſyria; ex Aſſyria Syriam (ſi tamen diſtinguatur; nam non eſt hic diſputandi locus) ex Syria totam Aſiam proponeret intelligendam. Ideò meritò Parthorum, hoc eſt Aſiæ Regum, Cingula ſcelegit, vt lectiſſima lectiſſimis compararet.

IVNCTVRA. Partic. hoc eſt, vt patet, à verbo Iungo. Iungere autem idem eſt, ac *connectere*, quod eſt *aliqua ſimul nectere*. Porrò cingula regale pectus circueuntia, certè præcinctum pectus cum alio non connectunt; ſed tantùm cinguli extremitates gemmeo ſe inuicem connectunt morſu. Quare immutant lectionem Parth., Heinſius, & alij, non *iunctura*; ſed *vinctura* legentes. Parthaſ. tamen vtramque approbat dictionem; nam & *iunctura*, & *vinctura* æquè bene legi poſſe aſſeuerat hunc locum interpretatus. Ideo & ego Heinſianam lectionem optimam eſſe non inficior; ſed vulgatam ratus non ſpernendam ſic explico. *Iungo* eſt apud Græcos *Ζεύγνυμι*, quaſi *Ζεῦγμα Νέω*, hoc eſt latinè ligationem conſtruo; nam *Ζεῦγμα ligamen* eſt, *Νέω* autem *conſtruo*. Quare, ſeruata Græcorum ethymol.

Idem

idem erit *Iungo*, ac *ligo*, ſeu *vincio*, ideoque in idem recident *Iunctura*, & *vinctura*. Adde nomen *ſinus*, & pectora regum ſignificare poſſe, & veſtes. Quare etiam ſi accipias verbum Iungo, vt ſonat idem, ac *ſimul nectere*, adhùc optimè congruit rebus; nam certè cingulum vaſtis amplas circumuolutionibus Veſtes Regum pectoribus adſtringit: atq; adeò ſimul nectit & pectora, & Veſtes, quorum vtrumq; per nomen ſinus exprimitur. Ideò *Iunctura*

SINVS. Pro pectore *ſinum* aſſumi vidimus lib. pri.

Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Iuno ſinu.

ſed & pro veſtibus accipi; immò pro ipſis veſtium laxitatibus in plicas collectis conſtat ex Virg. Æn. pri.

Nuda genu, nodoq; ſinus collecta fluentes,

Quarè in his explicandis non vlteriùs immoror.

REGALES. *Regale* dicitur *quidquid Regis eſt; quidquid ad Regem pertinet; quidquid Rege dignum eſt.* Quarè vnico hoc nomine Vates, dum Regium memorat pectus, dum regias innuit Veſtes; Rege dignum indicat Cingulum, quo conſtringi debeant; conſequenter non gregarium, ſed pretioſiſſimum ſe denotat Cingulum ſcelegiſſe, ex quo comparationem à ſimili deduxerit. Per interrogationem autem totam effert ſimilitudinem, inſtandi gratia; cum nouerit, non, niſi ad votum ipſius, reſponderi poſſe; nam hæc Regum Cingula, quantumuis pretioſiſſima ſint, attamen cedent ſemper naturalibus in luſtrijs, ac gemmeis pratorum Cingulis; viua enim hæc ſunt, illa mortua, hæc Naturæ opus, illa verò Artis naturam pro viribus æmulantis.

QVÆ VELLERA &c. Ex theſſelatoria, atque pingente, arte, ex quibus ſuperiorem deſumpſerat ſimilitudinem comparatiuam, progreſſus aliam deſumit iam ab Arte fullonica; lanas ſcilicet inficiente, vt oſtendat, viuaces adeò colores nulla exprimi arte poſſe, qui naturales florum colores æquiparent. De particula illa *Quæ* ſatis mox ſuperius dictum, ideò non repetò.

VELLERA. *Vellus* à vellendo dicitur, nam, ante inuentam tondendi rationem; vellebatur ex dorſo Lanati gregis lana: quarè *vellus* nil aliud eſt, quàm *lana auulſa*, nunc *lana tonſa*, & *conglobata*: hìc pro lana artificioſè ad colores recipiendos concinnata velleris nomen vſurpatur, vt ex contextu patet.

TANTVM. Ponitur, hoc loco, *Tantum* pro *tantundem*; ita vt ſit adu erb. æqualitatis, quam haberi non poſſe, in his velleribus, indicat, dum, per interrogationem, inſtantiam effert vt ſupra.

FVSCANTVR. *Fucantur* legendum contendit, ex antiquis (vt ipſe ait) exemplaribus, Parrhaſ. ab herba fuco marino, qua veſtes tinguntur in Creta, *fucare* enim eſt *colorare*, & inde fucatæ mulieres dicuntur, quæ vitia corporum inductis tegunt coloribus. *Fucantur* itidem legit Heinſius, & ſic legendum confirmat auctoritatibus plurimorum Poetarum, qui hoc eodem verbo vtuntur in ſenſu colorandi, & præcipuè citat Virg. Georg. 2. vbi ait.

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,

& Georg. 4. *Mileſia vellera Nymphæ*

Carpebant Hyali ſaturo fucata colore &c.

alios etiam adducit, quos longum nimis eſſet recenſere. Collaudo lectionem eruditè poſitam ſcitè confirmatam, auctoritatibus roboratam. Verum cum non minus eleganter efferri putauerim verbum illud *fuſcantur*, quod tandem in idem recidit, quo ad ſignificationem, cum verbo *Fucantur*, ideò non immutandum cenſui. *Fuſcare* igitur eſt *ſubnigrum facere*, ſeù *fuſco aliquid colore imbuere*; hìc tamen accipitur pro eodem, ac *coloribus*, quibuſcumq; tandem, lanas inficere. Sed, vt clariùs intelligas, cur quibuslibet, apertis vtcumque, coloribus lanas inficere ſit *illas infuſcare*, fullones, obſecro, conſulas: & facilè reſpondebunt, lanas omnes, priuſquam coloribus imbuantur, repurgandas per artem eſſe, ita vt ad, quam maximum fieri poſſit, candorem reducantur, vt ſubinde faciliùs colorem induant, quem ipſi maluerint. Hoc poſito. Certè quemcumque, leuem quantumuis, albedini colorem inijcias, certe inquam illa infuſcabitur, & ſubfuſca fiet: noſti autem, quemcumq; colorem medium, vt ſupra diximus, ex mixtione albi, & nigri conſtare: quarè naturalis lanæ albedo, quæ perfectionem candoris arte obſtetricante adepta fuerit (nam nigra non inficitur niſi nigro) ad hoc, vt colorem induat alium, quantumuis apertum, certè ſubnigreſcere debet: ideò *fuſcantur*, hoc eſt colore imbuuntur candida, ac repurgata vellera. Adde ſermonem hic eſſe de Lanis, quæ Oſtrum apud Aſſyrios induant. Vidimus autem, Purpuram & ſubnigram & fu- ſubfuſcam dici, & eo magis, quo magis oſtro ipſo ſaturantur & lanæ. Ideò appoſitè *fuſcantur*.

SPVMIS. Rara quædam fex eſt, quæ, vel per ebullitionem, vel per vehementem agitationem, rebus liquidis ſupernatat, ſpuma. Sic Venus ſpumam maris dicitur procreata, ideſt albâ illâ fæce, quæ mari agitare ſupernatat. Certe autem fullones lanas, ebullientibus in aheno coloribus, inficiunt; ebullitione autem efferueſcente, ſupernatat colorum ſpuma, ex cuius viuacitate dignoſcunt ipſi tempus, quo lanarum infectio perfectiſſima haberi poſſit; & inſuper præcipuam in ſpumis ipſis inficiendi vim ineſſe, arbitrantur. Ideò *fuſcantur vellera ſpumis.*

DITIBVS. Non ſemper ſubſtantiuè, ſed adiectiuorum interdum more *Dis* inflectitur, & ſignificat idem ac *diuitijs graue*, vulgò *ricca, ò di prezzo aſſai*; nam quod pretioſum eſt *dives* dicitur, hoc eſt *faciens diuitem habentem*: & in hoc ipſo ſenſu ſumitur à Poeta hic, vt ſcias non loqui eum de coloribus gregarijs, ſed de ijs, qui maximo in pretio ſunt, vt purpura ignea, vel plumbea, vel violacea, vt Conchyliatus color, fuluus, Amethyſtinus, Cianeus Orientalis &c. quos, vt cedant; in comparationem adducit florum, de quibus ſupra.

AHENI ASSYRII. *Ahenum* ab ære dicitur, diphtongo per Diæreſim diuiſâ, & aſpiratione, ob clariorem diſtinctionem, interpoſitâ. Eſt autem Ahenum genus vaſis ex ære, quod vulgò *Caldara* dicitur; quibus, magnis vtique, ad inficiendum vtuntur Fullones. *Aſſyrij* autem, inquit, vt nota hac ſpeciali, indicaret, quibus nam ahenis maximè præſtet ars infectoria, nempè ahenis Aſſyrijs, quod adiunctum profectò nomen eſt ab Aſſyria deductum: nam inter Aſſyriæ, ſeu Syriæ (confuſa enim hæc eſſe nomina, ſeu potius ſynonima cum Herodoto aliqui arbitrantur, vt vidimus) Regiones Phœnice enumeratur, in qua Lydia eſt; atque vrbes inter Præcipuas recenſentur Sydon, Tyrus, & aliæ. Vidimus autem lib. pr. Carm. 274. Lydias mulieres inficiendarum arte lanarum fuiſſe peritiſſimas, ex quo neceſſariò ſequitur, artem apud Aſſyrios iſtam maximopere efflorniſſe. Hinc celebrata adeò extitere opera Aſſyrij aheni, vt nullum illi æquari potuerit, quo ad perfectionem artis aſſequendum, lanaſque colorum viuacitate, ac pretioſitate inficiendas. Hinc Tyriæ Conchæ, Sydoniæ purpuræ &c. in ore iam omnium circumferuntur. Ideo iure, non quolibet infecta aheno, vellera in comparationem adducit Vates, ſed tantum quæ aheno fuſcantur Aſſyrio, vt ſumma conferat ſummis.

NON TALES VOLVCER &c. Naturalia cum artefactis hucuſque comparauit, ac ſuperiorem arti Naturam conſtituit. Iam ſecum ipsâ decertantem Naturam induit, vt ſe ipsâ excellentiorem, nouis hiſce naturæ prodigijs, oſtendat ipsâ ſeipſam. Comparat igitur iam floridum Ætnæ apparatum cum admirabili caudæ Pauonis varietate, ipſiq; Ætnæam præfert iucunditatem.

VOLVCER IVNONIVS. Ales hìc eſt vario pennarum colore conſpicuus, oculatam præcipuè explicans caudam, Iunoni ſacer aſſeritur Poetarum omnium conſenſu, omnibus autem notiſſimus; nam ille eſt, quem communiori nomine, Pauonem appellant, & Iunoni dilectum autumant adeò, vt his tantum auibus currum ſuum trahentibus delectetur, vt clarè docet Mythol. Nat. Com. lib. 2. cap. 4. hæc relegens ex Ouidio.

. . . . Habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum Pauonibus æthera pictis.

Cauſam, cur Pauonem ſibi ſacrum adſciuerit Iuno, hanc memorat ex Athenæo Pier. Valer. lib. Hierogl. 24. quod ſcilicet huiuſmodi aues in Samo, primùm, inſula repertæ fuerint; & ſacra non ſolum, apud veteres, fuit Iunoni Samos; ſed in Samo natam, educatamque Iunonem fabulantur, vt habet Mythol. cit. Cauſam autem, cur huiuſmodi Auis ſtellatam oculis caudam explicet, hanc recenſet Ouid. Metam. pr.; Quòd ſcilicet Argi oculos in Caudam Pauonis tranſtulerit Iuno, cum illa cuſtodem Argum Inachiæ Iuuencæ à ſe appoſitum viderit à Mercurio, iuſſu Iouis, peremptum. Meminimus ſupra, Ium, Inachi filiam, à Ioue compreſſam, in Iuuencam ab eodem conuerſam, vt eius Iunonem laterent amores. Iuno eam ſibi dono dari poſtulauit, conceſſamque à Ioue, ſub Argi centoculi cuſtodia eamdem poſuit, a quo cum diriſſimis modis ageretur, indignatus Iupiter Mercurium miſit ad Argum obtruncandum. Somnifera cum virgâ in ſomnum Mercurius impulit, & conſopitum obtruncauit. Quare Iuno in ſignum grati animi, eius oculis, Auis ſuæ cauda ſubinde exornauit, vt canit Ouid. cit. vbi hæc habet;

Arge

Argo iaces; quodque in tot lumina lumine habebas
Extinctum eſt; centumq; oculos nox occupat vna.
Excepit hos, volucriſq; ſuæ Saturnia pennis
Collocat; & gemmis caudam ſtellantibus implet.

Idcirco Hadrianus Imperator, in eo Iunonis templo, quod fuit in planiori Æubææ parte, Pauonem ex auro, ac pretioſiſſimis contextum lapillis, prodigium artis habitum, dedicauit; & eo maximè quod in Ægyptijs litteris Deam Ipſam per Pauonis ſymbolum, exprimi fortaſſis non ignorauit. Ex illis itaque ſtellantibus gemmis, quæ in cauda pauonis elucent, eamque mira varietate diſtinguunt, comparationem deducit Poeta, ad exprimendas Ætnæi veris pompas, atque naturæ illud (ſi iuxta veritatem loquamur) prodigium, Iunonis verò prodigioſum opus, ſi cum fabulis diſſeramus, naturæ ſuperadditum, hoc Ætnæ prodigioſo vero, vel hoc Zephyri prodigioſo opere ſuperatum oſtendit. *Volucer* itaque nomen genericum eſt, à *volando* deductum, & quod quidquid volat comprehendit; ſed contrahitur hæc ratio generica ad rationem ſpecificam Pauonis per additam differentiam *Iunonius*, quod nomen poſſeſſiuum eſt à Iunone, cui ſacra hæc auis, vt diximus

NON PANDIT TALES ALAS. Immutat lectionem Parrhaſ. difficultate, vt arbitror, deterritus, quam mox inferius explicabimus enodantes, & legit

Non tales volucres pandit Iunonia pennas.

nobiſcum tamen legunt Heinſius, Clauer., Barth., & alij communiter. Lectionem Parrhaſij planam magis, minuſq; expoſitam obiectionibus fateor, ſed vulgatam non deſero, ne videar difficultatem effugere. De particula igitur negatiua *non* alibi ſæpè diximus, ideò non repeto *Pandere* verò idem eſt ac *aperire, manifeſtum reddere*: Sic Virg. Æn. 2.

Anchiſen facio certum, remq; ordine Pando.

Verum quia qui aliquid aperit & patefacit, videtur illud ſub oculis explicatum, extenſumque ponere, factum eſt, vt pando etiam pro extendo, dilato, explico ſumatur, vt hic, & apud Virg. Georg. 4., vbi de apibus enutriendis diſſerens hæc habet

Pontibus vt crebris poſsint conſiſtere, & alas
Pandere ad æſtiuum ſolem &c.

TALES ALAS. Subintellige; quales ſunt Ætnæ in floribus pompæ; nam *Talis*, & *qualis* ſibi inuicem ſemper correſpondent: Talis enim nomen eſt comparationis in qualitatibus, & ideò ſemper illi, vel tacitè, vel expreſsè correſpondet correlatiuum *Qualis*. Sed quid pulchri habeant Pauonis alæ, vt cum Ætnæo vere valeant comparari? Pauonis pompa, decor, ac pulchritudo in Cauda eſt, non in alis, quomodo ergo locum hic habeant alæ? Certè non poteſt dici de Pauone, quod fortaſſe diceretur de alijs auibus, nempe caudam conferre ad volatum, vel promouendum, vel dirigendum, ideòque ſaltem indirectè alæ nomen ſortiri aliquo modo caudam potuiſſe, nam Cauda Pauonis, vt notat Pier. cit. neque illi ad volatum, neque ad motum vtilis eſt. Quarè iure iam merito videtur Parrhaſ. lectionem immutaſſe *pennas* vt ſupra legens non *alas*; nam penna dicitur propriè, non ſolum quæ alas, ſed etiam, quæ caudam conflat, vt alibi vidimus. Hæc ea eſt difficultas, quam ſupra innui diſſoluendam. Et porrò, ſi auem ſimpliciter ſpectemus, inſolubilis ferè prima fronte videtur: aſt ſymbolicas eiuſdem ſignificationes attendamus, & nulla profectò erit allata difficultas. Et primo quidem, dixerim non reſpexiſſe Vatem ad viuum Pauonem, ſed potius ad gemmeum illum Hadriani cenſu fabrefactum de quo ſupra, & cuius non cauda ſolum, ſed totum vtique corpus auro, gemmiſq; coruſcaret: Inſuper dicere quis poſſet Vatem locutum hoc loco alluſiue ad ſententiam eorum, qui dicunt, Argum ipſum ex homine Pauonem factum; ita vt ſicuti Argus oculis conſperſum habuerit totum corpus; ſic etiam in auem conuerſus, oculatas habuerit pennas omnes, ideoque Vatem non dixiſſe ſimpliciter *Pauo*, ſed *Iunonius Ales*, idest Pauo ille, in quem Iuno Argum transformauerit, vt ſuus etiam poſt mortem eſſet, atque huic ſententiæ fauere videretur Martialis, dum ait:

Nunc Iunonis auis: ſed prius Argus erat.

quo poſito certè, & Alas potuiſſet Vates in comparationem accire. Sed leuia hæc, vt arbitror, non curat Auctor; & eo minus, quia *Iunonius ales* Argo ipſo videtur antiquior; nam & ante peremptum Argum Iunoni ſacrum fuiſſe Pauonem indicat apertè Ouid. cit. Aliam itaque viam ineundam nobis exiſtimo, vt præfatam enodemus difficultatem. Memineris itaque *Caudam Pauonis*, in orbem ſurrectam, aſſumptam ab Antiquis fuiſſe in Hieroglyphicum ſtellati Cæli, vt teſtatur Pier. cit. lib. 24., Cælo autem Alas inditas cenſuerunt antiqui illi Phyloſophi, qui teſte eodem Pier. lib. 42., exiſtimarunt Amorem alatum, nil aliud tandem eſſe quam Cælum. Dicam igitur, Vatem, ſpectato ſenſu litterali de Pauone locutum, ſed ſpectato ſenſu ſymbolico locutum de Cælo, ſub nomine Pauonis hieroglyphicè expreſſo, nam Græcis per Pauonem Ἀργὸς oſtendit, & Ἀργὸς, apud eoſdem Græcos, Cælum eſt, ſic ab ipſis appellatum, ob ſplendorem, & velocitatem, cum & *velox*, & *ſplendens* Ἀργὸς ab ipſis compelletur. Quare floridas Ætnei veris pompas cum ipſo Cælo Syderibus comparat exornato; nec immeritò cum flores Sydera telluris dicantur per translationem; innuitque iucundiorem ſydereis ornatibus aſpectum Ætnei veris extitiſſe, licet Alatum Cælum alas ſyderibus pandat intextas. Ideò *pandit alas &c.* Verum peroptas, vt video, ne à ſenſu litterali diſcedamus, Adſum quacumque velis. Noueris Pauonem nunquam caudæ pennas explicare quin alas pandat, eas ad pedes vſque demittens, vt eorum contegat deformitatem. Ab explicatione igitur alarum explicationem gemmatæ caudæ colligendam ſubijcit oculis Vates. Et hæc dicta in gratiam Parrhaſij, atque vt vulgatam cum Heinſio, alijſque lectionem tueamur.

NEC SIC INNVMEROS &c. Confirmat hæc noua comparatio, ab Iride deſumpta, Vatem ſupra de Cælo ſyderibus, vt ita dicam, oculato, ſub Pauonis ſymbolo locutum; nam cum ibi Nocturni Cæli pulchritudines in comparationem adduxerit, hic Cæli Diurni emicantes in Iride venuſtates aſſumit comparandas; eaſque Ætneis inferiores autumat venuſtatibus. Quod ſi litteram ſequaris à comparatione Iunonij alitis ad comparationem Iridis, quam nunc aggreditur, gradationem agnoſces.

NEC particula negantis eſt iam ſæpiùs explicata.

Sic eſt particula comparationis oſtenſiua idem valens ac *pari modo*.

HYEMS. Frigidiſſima anni pars, media inter Autumnum, & ver, *Hyems* communiter dicitur à ἀπὸ τοῦ ὕω, quod latinè eſt *Pluo*, eo, quòd id tempus anni pluuioſum maximè ſit. Hinc autem fit, vt *hyems* pro pluuio tempore, in quamcumque tandem anni partem inciderit, ſumatur, ſic Virg. Georg. pr. cum dixiſſet

. . . . . Nunquam imprudentibus, Imber
Obfuit &c.

inter ſigna ſubinde futurum imbrem portendentia fungos enumerans ex lucernæ lychno enaſcentes ſubdit:

Ne nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſciuêre hyemem; teſtâ cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

Vbi clarè vides *hyemem* pro pluuio tempore vſurpatam. Interdum verò *Hyems* tempeſtatem, ac procellam maribus incumbentem ſignificat, quæ certe, ſine pluuia item, ac grandine, raro fit: Sic Virg. Æn. pri.

Interea magno miſceri murmure Pontum
Emiſſamq; hyemem ſenſit Neptunus &c.

ex quo noueris nomine hyemis procellas, turbines, ac pluuias inuolui. Imbrem autem ab hyeme non ſeparari, quocumq; accidat tempore, clarè deducitur ex pluribus eiuſdem Virg. locis, & pri. Æn. 3.

Tum mihi cæruleus ſupra caput adſtitit imber
Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Secundo idem in eodem ſenſu reperit Æn. 5. vbi ſic habet:

Olli cæruleus ſupra caput aſtitit imber
Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Clarius Æn. 9. . . . , *cum Iupiter horridus Auſtris*
Torquet aquoſam hyemem, & Cæloque nubila rumpit.

Ad vtrumq; hic reſpexiſſe Auctorem noſtrum non dubito; nam cum Arcus cæleſtis, de quo hic loquitur Vates, ex aquoſa nube conficiatur, vt inferius videbimus, certè crebriùs apparebit, ineunte illa anni parte, quæ tempus aduehit pluuium; atq; adeò illa pars incipiens arcu dicitur redimita in orbis theatrum prodire: *Incipiens*, inquam, nam adhùc, tunc temporis, Sol magis viget, & nubes flagellat radijs, quam cum, adultâ iam hyeme hebetatur obduratione nubium ipſa Solis vis adeò, vt nubes ne penetrare quidem, ne dum euincere poſſit, & tranſuerberare. Cum autem non nubes ſimpliciter, ſed & Sol nubes tranſuerberans neceſſariò requiratur ad efformationem arcus cæleſtis; hinc eſt, vt, vigente adhuc, initio hyemis, Sole, facilior ſit arcus in nubibus apparitio; ideò notat erudite Ariſtot. Metheor. 3. poſt Autumnale Æquinoctium, qualibet hora diei, arcum fieri, Æſtate autem non fieri, niſi incipiente, vel

inclinato iam die. Cuius rei ratio facilè ex dictis innoteſcit; quia videlicet æſtate feruidis Phœbi radijs; vapores, nubeſq; attenuantur, & diſſoluuntur potiùs, ac citiùs, quam tranſuerberentur; quarè tunc tantùm Iris fieri poteſt, cum vel nondum totas exerit vires enaſcens Phœbus, vel tunc cum languiduſcula iam luce in occaſum vergit. Sed de his videant Metheorum Interpretes. Certè experientiâ patet crebrius Iridem apparere poſt æquinoctium autumnale, vt notat Ariſtoteles, quam alijs vnquam temporibus. Verum quia non id ſolum tempus, vt diximus, Iridem nouit: ideò, per *incipientem Hyemem* indicatam à Poeta ſecundo loco arbitror Pluuij cuiuſcumq; temporis inchoationem, cum ſcilicet, erupturis in pluuiam nubibus, ex ijs ſibi ſpeculum efformat Phœbus, atq; ex ijs Iridem educit, ac conficit. Ideò *Hyems*

INCIPIENS. *Incipere*, à partic. præſentis temporis *Incipiens*, idem eſt, ac *initium facere*; *exordia ſui aſſumere*; & ortum ſortiri. Quod ſi ad initium hyemalis partis referatur, ſatis per ſe explicitum eſt particip. illud *Incipiens*. Si autem ad pluuium referas tempus, dicitur iſtud initium ſui Iride coronatum gerere; nam Iris, licet aliquando ſerenitatis ſignum eſſe poſſit, ſi videlicet poſt pluuias appareat, vt ait apertè Valer. Flac. Argonaut. lib. pri.

Emicuit reſerata dies: calumq; reſoluit
Arcus: & in ſummos redeunt nubila montes.

Attamen, ſi, non poſt pluuias, ſed ipſo pluuij temporis appareat initio, cum ſcilicet primo nubes inſurgunt, indicium certè eſt pluuiæ mox ſecuturæ; atq; ideò Virg. Georg. pri. Arcum inter certiſſima imbrium enumerat ſigna, dum ait

Sæpius & tectis penetralibus extulit oua
Anguſtum formica terens iter: & bibit ingens
Arcus, & è paſtu decedens agmine magno
Coruorum increpuit denſus exercitus alis.

Immò Iunonis ideò, hoc eſt aeris, prænuncia dicitur Iris, quia, poſt pluuias, ſerenitatem; ante pluuias, pluuiam, mutationes ſcilicet aeris prænunciat. Hic ante pluuiam conſideratur, & aſſumitur, vt & textu ipſo patet: *Incipiens hyems.*

REDIMITVR. *Redimere* idem eſt, ac *cingere*, ſeù *coronare*, aut *exornare*. Noſtis Iridem arcuata figura aerem cingere, & quaſi coronam nubibus imponere, varijſq; ſui ipſius coloribus exornare; quæ omnia, vnico hoc verbo, expreſſurus Poeta inquit *Hyems redimitur*

ARCV. De arcu cæleſti loquitur, vt diximus, quam Iridem vocamus. Arcu autem illo nil notius; & nil, ferè dixerim, ignotius. Nil notius, quia vel pueris innoteſcit: nil ignotius, quia difficillimum explicatu eſt, quid in rei veritate ſit, quænam eius eſſentia, & num verè coloratus ſit, an apparentibus tantum ſpeciebus aſpectum fallat. Attingam itaque priùs quæ de Iride dicta ſint fabuloſe: ſubindè eius efformationem, atq; eſſentiam naturalem explicabo. Irim Thaumantis, & Electræ filiam, Harpyarumq; ſororem, fuiſſe fabulantur, Iunonis Nympham, ac eiuſdem miniſtram, nutui ſemper exactiſſimè obtemperantem: nam ſicuti Nuncius Iouis Mercurius dicitur, ita Iunonis Prænuncia Iris habita fuit antiquitus. Hæc omnia attigit Callimachus, in Lauacrum Deli, græcis illis carminibus, quæ Natalis Comes latinitati donata ſic recenſet in Mythol. ſua lib. 8. cap. 20. *Subq; throno ſedet hanc ſimilis Thaumante Puella*

Edita, quæ ſedem nonnunquam deſerit illam,
Non vbi lethæos ſomnus circumtacet alas.
Aſt, vbi deflectens ceruicem flexa parumper,
Illa throno magno fulcris accumbit inhærens.
Soluitur haud Zona hinc volucris, nec calceos vnquam;
Ni Dea fortè ſibi tradat mandata repente.

Huic iniunctum ferunt munus, vt lectum Iunoni ſterneret; quod ait Theocritus, cuius græca carmina ſic ab Auctore Mythol. cit. vertuntur.

Iunoni, atq; Ioui, lectum ſubſternere Virgo
Vnguentis perfuſa manus ſolet Iris odoris.

Eamdem inducit Ouid. Metam. 4. Iunonis ex Tartaro redeuntis luſtrationi incumbentem, ne Cælum polluta ingrederetur; dum ſic habet

Læta redit Iuno: quam Cælum intrare parantem
Roratis luſtrauit aquis Thaumantias Iris.

Alatam, Mercurij in morem effinxère, vt patet ex Callimacho cit., & ex Virg. mox citando; nam, Virgilij opinione, hæc ipſa mittitur à Iunone ad exſoluendam à corpore Didonem Æn. 4., vbi hæc habentur

Tunc Iuno omnipotens longum miſerata dolorem,
Difficileſq; obitus, Irim demiſit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexoſq; reſolueret artus.

& inferiùs executionem proſequens mandatorum Vates ſubdit:

Ergò iris croceis per Cælum roſcida pennis
Mille trahens varios aduerſo Sole colores,
Deuolat, & ſupra caput adſtitit. Hunc ego Diti
Sacrum iuſſa fero; teq; iſto corpore ſoluo.

nam Iridem muliebribus animabus è corpore ſoluendis præſidem conſtitutam exiſtimarunt antiqui, vt animabus hominum præeſſe credebatur Mercurius. Sed, vt quæ ſub fabulis latent, referemus, atq; ad explicandam veram Iridis naturam aditum aperiamus; dicta eſt illa Thaumantis, & Electræ filia; nam Thaumas Ponti filius, hoc eſt humor aqueus fuit; Electra verò, Cæli, ſiue Solis filia credita, ſerenitas eſt, vt ex ipſo nomine patet; eſt enim Ἥλιος Sol, αἴθριος ſerenus: quarè Solis erit ſerenitas Electra, cuius nomen eſt ex vtroq; ſuprapoſito græco compoſitum. Naſcitur autem Iris ex aqua, & ſerenitate Solis, vt dicemus. Inſuper Thaumantis dicitur filia, ideſt *admirabilis*, nam θαυμάσιος latinè *admirabilis*, & θαυμασμός *admiratio*. Et ſanè quid Iride admirabilius, quæ ſibi ipſi triumphalem erigitur in arcum, vt humana ſupercilia in arcus admirationi triumphales conuertat? Harpyarum, ventorumq; Sororem fecerunt, quia hæc Iridem ſemper ſequi conſueuerunt, nempè ventorum, ac rapientium ſæpe turbinum furiæ; atq; ob id ipſum, quod, vel pluuias vel ſerenitatem indicet, vt dicebamus Iunonis nunciam ſtatuerunt, eamq; ad ſoluendas animas deſtinatam, quia plurimum ad id muneris aeris intemperies cooperatur; & inſuper ferunt naturalium arcanorum indagatores compertum eſſe, emori arbores, virgulta, flores &c. ſupra quæ arcus cæleſtis, quaſi ſupra baſim, cornua reclinauerit inflexa.

Iam vero naturam Iridis perueſtigemus. Impreſſionem aeream illam eſſe, ſatis patet ex dictis, cum ex aquoſa nube, ac nubem Sole tranſuerberante oriatur. Modus autem, quo hæc fiat impreſſio, ſic facilè explicatur. Si nubes, è regione Solis, oriatur, ita conſtituta, vt paulatim in aquam conuertatur, vnde & nubes roſcida dicitur, ideſt rore, ſeù guttis aqueis, rorem imitantibus, grauidata; Sol, ex oppoſito, ſerenitate radiorum ſuorum effulgens, ſplendores in oppoſitam immittit Nubem, quæ, cum concaua ſit, & partes alias habeat craſſiores, ac denſiores, ita vt Solem tranſmittere non valeat, ſicuti per corpus diaphanum tranſmittitur; alias verò habeat rariores partes, atq; imbecilliores, quam vt Solem omninò excludere poſſint; illa in ſpeculum Solis efformatur, in quod impingentes ſolares radij reflectuntur, & refranguntur; atq; adeò ex hac reflexione, ac refractione ſolarium radiorum Iris reſultat, formam referens arcus, quia in arcum flectitur, & Nubes, in qua, & ex qua reflexio fit, ac refractio. Verùm reſtat adhùc difficultas de Iridis coloribus; nam ſi nubes inſtar ſpeculi eſt, lumen receptum reflectentis, deberet illud reflectere eo modo, quo recipit, vt fieri à ſpeculis videmus, non autem coloribus, & quidem varijs infectum. Hæc difficultas adeò perculit aliquos, vt, ab Ariſtot. deſciſcentes, putarint veros eſſe, ac reales in Iride colores, à quatuor, vt ipſi aiunt, elementis deſumptos, purpureum videlicet ab igne, in ſuperiori parte exiſtentem; viridem in inferiori à terra; Cæruleum ab aqua, ſuperiorem à viridi locum obtinentem; Hyacintinum autem ab aere, locum inferiorem ab igne, ſuperiorem à cæteris, occupantem. Verum erroneam hanc eſſe ſententiam, manifeſta comprobat experientia; nam ſi plures paruulæ ampullæ ex vitro, vel criſtallo confectæ impleantur aqua &, per paruulum diſpoſitæ funiculum, ita artificioſè ſuſpendantur, vt oppoſiti Solis radios recipiant, ac reflectant, certè ex illis, per reflexionem, ac refractionem ſolarium radiorum, Iris reſultat artificialis, verè Iridis colores imitata; & tamen nullus in aqua, nullus in ampullis ipſis color ineſt: pariter quænam colorum varietas in collo columbæ eſt? quæ tamen

Mille trahit varios aduerſo Sole colores,

vt de Iride ipſa paſſim iam ab omnibus decantatur. Maneat igitur Ariſtot. ſententia, in Metheorologicis cit., quæ non reales, & veros, ſed apparentes tantùm Iridis colores eſſe teſtatur, ex ſola reflexione, ac refractione luminis reſultantes. Quomodo autem hi colores appareant, mox explico. Speculi vicem gerere reflectentis nubem illam iam vidimus; ſed ſpeculum infectum eſt. Noſtris autem, lumen quod à ſpeculo infecto reflectitur, colorem ſpeculi reflectentis induere, non purum quidem, ſed alteratum, & permixtum. Sic v.g. ſi ſpeculum viride ſit, ex quo ſit luminis

re-

reflexio, conſpicies lumen reflexum, in oppoſito, v.g. pariete, viridi quidem colore imbutum, ſed viriditate quadam præfulgenti, quæ clarior, & illuſtrior viriditate ſpeculi ſit, ſed ſplendore tamen ipſo luminis obſcurior, & deterior. Quod idem cæteris coloribus, quibus ſpeculum inſici poſſet, experiemur. Neque hinc inferas; ergo ipſa in nube colores realiter reperiuntur; nam aliud eſt nubem illam ſpeculum eſſe infectum; aliud eſt eſſe infectum coloribus iis, qui in Iride cernuntur. Paulatim omnia explicabimus, & clarè, vt arbitror. Infecta itaque nubes eſt, & quidem variè infectam, ſed non varietate, diuerſitatem colorum importante: aſt ſolum varietate quadam diuerſos importante gradus eiuſdem coloris, ſecundùm magis, & minus. Infuſcatur itaque Nubes nigro quodam colore, quem *fuſcum* potius, quam omninò nigrum appellauerim; at non ſecundùm omnes ſui partes æqualiter; nam qua denſior eſt, magis etiam fuſca eſt, qua verò rarior eſt, & minus habet fuſci coloris; ſicque gradatim iuxta maiorem, & maiorem denſitatem creſcit infuſcatio, iuxta maiorem verò, & maiorem raritatem minuitur. Memineris hic, nos dixiſſe, nubem illam, ex qua Iris, aliquibus ſui partibus denſiorem eſſe, quam vt Solem tranſmittat; aliquibus verò rariorem eſſe, quam vt excludat. His autem firmatis: memineris pariter, nos alibi dixiſſe medios colores ex ſola commixtione Albi, & Nigri reſultare; ita vt iuxta maiorem, vel minorem Nigri, aut Albi participationem diuerſas ſortiantur denominationes, ac ſpecies. Ad hæc, memineris nubem nigram, modo iam explicato adeſſe, lumen verò ſereni Solis candidum exiſtere, vt apparet in puro Lunæ ſpeculo, lumen Solis, vt in ſe eſt, reuerberante. Ideò enim ab Auctore noſtro candida dicta fuit Luna: *Candida Parrhaſij, poſt hanc Regina Lycei*. Candor itaque Solis nigram, ſed non ſecundùm omnes æqualiter partes, impingit in nubem, ac ſe ſe per rariores nubis partes immittit, inſinuat, & commiſcet; cum autem in denſas omninò partes impingit, reflectitur, & retrocedit. Hoc poſito. Cum lumen denſioribus, & tetro conſequenter colore infectis partibus ſe immiſcet nubis, Albus Luminis candor nigro nubis admixtus *viridis ſpeciem* ad oculum tranſmittit, hoc eſt commixtas, & refractas tum obſtaculi, tum luminis in obſtaculum impingentis ſpecies intentionales, quæ ſic commixtæ, & refractæ tertiam quandam in ſpeciem coaleſcunt, quæ viridem ex commixtione colorem repreſentet, cum *viride* nil aliud ſit, quam *candidum obſcurum*; vt notant peritiores naturæ indagatores: Sic minori nubis nigredini immixtum lumen ſpeciem puniceì, ſeù Hyacinthini tranſmittit, hoc eſt ſpecies albi, ac nigri commixtas, ſed minoris, quam prius eiuſdem nigri intenſionis, & modo iam explicato. Quod idem ſic de ſingulis Iridis coloribus proportionaliter diſſeras. Hinc eſt, vt licet tres tantum, iuxta aliquos, ſint Iridis colores, nempè purpureus, viridis, & puniceus, iuxta alios verò quatuor ſupra enumerati: attamen quia nulla eſt aſſignabilis pars nubis reflectentis, quæ adeò obſcura ſit, vt nil habeat admixtum claritatis, & nulla adeò clara, quæ nil habeat admixtum obſcuritatis; ſed per modum intenſionis per partes extenſas, ſeù meliùs per continuum extenſum vel augeatur ſemper in quacumq; parte aſſignabili, vel minuatur; hinc eſt, vt, ſicuti innumerabiles aſſignari poſſunt partes maioris, vel minoris intenſionis, ita innumerabilis ſit, iuxta innumerabilem commixtionis diuerſitatem, colorum diuerſitas in Iride apparentium, quam nullus ideò Pictor valeat imitari, vt patet. Ideò ad hanc admirandam varietatem explicandam, ſubdidit Auctor

MVTANTE INNVMEROS COLORES: Nam, per ſingulas, quamuis minimas, partes aſſignabiles nubis reflectentis, mutatur reflexio, & conſequenter commixtio ſpecierum intentionalium, per reflexionem, & refractionem tranſmiſſarum; ac ſic innumeri apparent in Iride colores, vt inſpicienti iam patet. *Mutante* igitur partic. eſt à verbo *Muto*, quod idem eſt, commuto, tranſmuto, diuerſum facio: vulgò *cangiare*. *Colores*, apparentes intellige, vt ſupra, nam reales ibi non ſunt, vt diximus. Hoſq; *innumeros* dixit, quia nullo aritmetico ſtudio diſtingui ſatis, aut ſupputari poſſunt, cum nec cognitione ſatis diſtinguantur. Aſt dices: ſi ſit in nube commixtio candidæ lucis cum nigredine nubis, ergò in nube aderunt verè colores ex tali commixtione reſultantes. Sed facilè reſpondeo, argumentum nimis probare: probaret enim etiam, colores actuales eſſe debere in collo columbæ, atq; in Iride artificiali, per paruulas ampullas, vt dix. concinnata; quod patet experientia falſum. Quarè reſpondeo iam directè, talem in nube commixtionem non fieri, qua lumen & tenebræ in aliquid tertium coaleſcant, id impediente vniuſcuiuſq; indiuiduatione, ſed talem tantummodò fieri qualis ſufficiat ad confundendas, commiſcendaſq; vtriuſq; ſpecies, ita vt reflectentes factum repreſentent tertium illud quid, quod verè non eſt factum. Sic remus ex refractione ſpecierum fractus apparet in aqua, licet non ſit fractus: ſic turris apud aquas apparet in illis inuerſa, & tamen inuerſa non eſt: ſic in triangulari criſtallo plures cernimus colores, qui de facto non obijciuntur, niſi per refractionem ſpecierum, earumdemque commixtionem criſtallo mediante factam, vt iam multiplicatis experientijs notum vnicuiq; eſt.

CVM SEMITA HVMIDA. Vt explicet Vates, nos iuxta ipſius intentionem nomen hyemis ſupra explicaſſe, tempus hoc loco notat, quo mirabiles Iridis inſurgant effectus, nempè tempus ad pluuias comparatum. Particula enim *Cum* aduerbium temporis, hoc loco, eſt idem ſignificans, ac *tunc temporis quando*, vel *eo tempore, quo ſemita &c.* quid autem ſemita ſit vidimus lib. pri. Carm. 130. Hic tantum noto, cum poeticis fabulis, locutum eſſe Poetam; nam illi Arcum cæleſtem, non Iridem ipſam, eſſe cenſuerunt; ſed *viam* Iridis illius, quæ Nympha Iunonis dicta fuit vt ſupra; In quo ſenſu etiam Virg. Æn. 5. *Iridem* inuiſibilem facit; *viam* verò Iridis viſibilem, quam Iris ipſa percurrat &c. dum ait ibi

Illa viam celerans per mille coloribus arcum
Nulli viſa, citò decurrit tramite virgo.

Humida autem via Iridis arcus dicitur, nam cum aquea ex dictis ſit, certè aqueis humoribus referta erit, & humida.

FLEXO TRAMITE. *Flexus* idem eſt, ac *curuatus*, & *arcuato more conſtructus*. Quarè figuram huius ſemitæ deſcribit, quæ ita ſe habet ex forma nubis in modum arcus deflexæ. *Trames* verò propriè dicitur *callis obliquus*; cum autem, quod curuatur in arcum, certè obliquari dicatur; ideò inquit: *tramite flexo*: quod addidit, ne intelligeres Iridis tramitem ad arcus latera obliquari, ſed obliquari per ipſam arcus flexuoſitatem à cornu ad cornu. Aſt dices nonne hoc ſatis expreſſum fuerat in ijs verbis: *innumeros arcu mutante colores?* Ad quid igitur hic repetit, quæ iam dixerat Vates? ſecundùm diuerſam arcus conſiderationem id factum, reſpondeo, nam, in verbis præcitatis, Iridem ipſum eſſe arcum conſiderauit, iuxta naturam rei locutus: hic conſiderat Iridem iuxta fabulas vt nympham ab arcuata, quam percurrat via diſtinctam, & ideò via ipſa Iridis iterum, quoad formam, neceſſariò fuerat deſcribenda.

INTERVIRET. Verbum compoſitum ab *inter*, & *vireo*; *virere* autem eſt *viriditatem induere*; quod licet Irim deceat, quæ certè alios inter colores & viridem expromit, vt ait Parrhaſ. tranſlatè tamen ſumendum arbitror; nam ex eo, quod tunc plantæ vireant, cum vigeant, factum eſt vt *vireſcere* pro *vigere* tranſlatiuè ſumatur; quare ſenſus Auctoris erit: *Cum ſemita viget nimbis interpoſita*; nam certè nubibus interponitur, illaſque interſecat vigens coloribus Iris.

NIMBIS DISCRETIS. *Nimbus* interdum pro *nubibus aqua pragnantibus*; interdum pro *repentina decidente Pluuia*; interdum pro *vento*, & *turbine* vſurpatur. Pro hoc vltimo ſenſu ſtat illud Virg. Æn. pr.

Nimborum in Patriam loca fœta furentibus auſtris
Æoliam venit . . . .

pro ſecunda acceptione ſtat illud eiuſdem Virg. Æn. 4.

Interea magno miſceri murmure Cælum
Incipit: inſequitur, commixta grandine, nimbus.

pro prima verò acceptione aderit illud eiuſdem Virg. Æn. 3.

Inuoluêre diem Nimbi, & nox humida Cælum
Abſtulit &c.

Ad hæc omnia reſpexiſſe Auctorem, non dubito; nam Irim, vt diximus ſequuntur venti, ſequuntur pluuiæ, & roſcidas inter nubes illa certè apparet: interdum etiam poſt pluuias emicat; ideò & nubes ſecat, & ventis afflat aſſurgentibus; & pluuias interdum diuidit ipſas. Ideò *Nimbis diſcretis*, hoc eſt, diuiſis, ſeparatis, interſectis, dum media interuiret Iris. Videtur autem Vates, conſiderata prius Iride in vniuerſali, iuxta ortum, effectus, & apparentias eiuſdem, poſtremo hic eandem aſſumere comparandam, quatenus poſt pluuias emicat ſerenitatis prænuncia; nam tunc clarior oculis apparet. Nec ideò diſcordat ab eo, quod ſupra dixerat *Interea redimitur hyems*; nam etiam tunc, cum eâ incipiens redimitur hyems, pulcherrima vtique Iris eſt inter ipſos emicans imbres. Aſt ſi, inter imbres effulgens, poſtquam ſignum pluuiæ fuerit, ſignum perſiſtat, vel

denuò emergat ſerenitatis, adhùc pulchrior, ſi tantùm dici poſſit, exiſtit, quare vtroque modo comparandam Vates aſſumpſit, vt eam, licet pulchritudine ſemper admirabilem, Ætnæa tamen amænitate, ac viuacitate colorum indicet ſuperatam.

Sed, ne & nos apparentibus deuincamur oblectationibus, morales ſenſus, his vtique amænitatibus inuolutos obiter detegamus.

Nil pulchrius mundo Talez inquit Laertius, & ideò à Græcis *κόσμος* dicitur, quod latinè ornamentum ſonat: ſed mundi pulchritudinem *mutam* ait eſſe *deceptionem* Theophraſtus. Fallaces itaque mundi pulchritudines nobis ex Ætneo Viridario repreſentantur, quæ, dum Proſerpinam noſtram, animam videlicet, alliciunt, turpiter decipiunt; ideò optimè comparantur Iunoniæ aui, aſpectu quidem pulchertimæ, ſed nullius ſubindè vtilitatis. Faſtu tumet mundus, ſed picturato faſtu (quod nil præter colores, poſſideat ſoliditatis. Immò ſi pedes ſuos, terreos videlicet, aſpiciat, tot ſordibus circumſpicit inquinatos, vt detumeſcere, faſtu depoſito, non nequeat. Quidquid pulchri in mundo eſt ſola forma decipiens eſt: & merito Iridi comparatur, quæ coloribus tantummodò emicat apparentibus, cum nihil tandem aliud ſit, quam nubes quæ in pluuiam vertitur; nam & mundi pulchritudinum ſectatores in aquarum tandem ſtillicidia conuertantur, neceſſe eſt, cum pulchritudine decipiente, à delicijs ad lacrymas conuertuntur. Breui duratura Iris exoritur: & quidquid pulchri in mundo eſt, oritur ſimul, & moritur; & tamen mentes adeò interdum captiuas hominum torquet, vt iure *breuem tyrannam* orbis pulchritudinem dixerit Socrates; & eiuſdem mundi Amorem *dulcem tyrannum* dixerit Nazianzenus. Melle allicit; ſed felle inficit, vt extrema gaudij luctus occupet. Perpende Ætnæum ver amæniſſimum; ſed quod, quot habeat flores, tot explicet tragicorum euentuum portenta. Male fidimus, ſi fallacibus hiſce illecebris fidimus. Floreo tramite ad Auernales deducitur Plagas Proſerpina; per deliciarum ſemitas ad tormentorum barathrum deducitur Anima. Nos vt fluxas potiùs, ac forma tantùm vigentes mundi illecebras euitemus, quomodo eas Italica noſtra exprimat Chelys conſpiciamus.

Tant'Etna diſse: e'l terminar gl'accenti
 Fù del vento gentil principio all'opra.
 Batte ei l'ali tantoſto, ond'obbedienti
 Al caro Amico i voli ſuoi diſcuopra;
 E, riſerbato à prodigioſi euenti,
 Ne ſcuote il ſucco; e qui fedel l'adopra;
 Si ch'ogni Zolla, a quel liquor fecondo
 Spoſa, di nuoui parti accoglie il pondo.
Douunque i vanni ei volge; e ne diſtilla
 Il nettare nouel; s'apre nel ſuolo
 Lieto il color, che Primauera inſtilla:
 E, perche ſcorre in ogni parte il volo,
 In ogni parte almo liquor ſi ſtilla,
 La terra tutta in mille borchij vn ſolo
 Seno rigonfia; e da conueſſi aperti
 Eſcon, trà l'herbe, i già fioriti inſerti.
Di ſanguigno ſplendor ratta s'inoſtra
 Roſa colà, che d'improuiſo è ſorta:
 Qui dalle ſpiaggie equinotiali in moſtra
 Colte porpore Aiace in campo porta:
 Ne 'l fior ritarda à comparire in gioſtra,
 Che d'Inacho alla figlia il cibo apporta;
 Anzi, à dolce ferrugine dipinto,
 Nel verde arringo è gioſtrator non vinto.
Non tante gemme in ricca Zona accoglie,
 Ne tanti intreccia, ad abbagliar, colori
 Parthico cinto, all'hor, ch'al ſen le ſpoglie
 Deue de Regi incatenar frà gl'ori.
 Non s'affanni l'Aſſiria, ò non s'inuoglie,
 D'emular l'Etna, in partorir ſplendori;
 Ch'in ſpumanti douitie intinte lane
 Fian dal vago di queſti ogn'hor lontane.
Superbo sì, ch'ad ogni altier ſouraſti,
 All'hor che di ſua Diua al cocchio, aſſume
 Sottentrando, ſolcar del Cielo i vaſti,
 Non così vaghi al meridiano lume
 Spiega l'Augel di Giuno accolti i faſti
 D'vn'Argo occhiuto ad arricchir le pinme:
 Com'auuien, che vezzoſo hormai ſormonte
 Ogni vanto d'honor fiorito il monte.
Ne, benche vanti innumerabil ſerie
 Di colori variar l'arco celeſte,
 Quando, del Ciel trà l'humida temperie,
 Ruggiadoſe le nubi il Sole inueſte,
 De principiati nembi alla congerie
 Sì pregiata corona è ch'egli appreſte:
 Mà vince l'Etna, in ruggiadoſo ſtelo,
 Con l'Iride de fior quella del Cielo.

Verum ne & nos admirabili huius Iridis oblectatione rapiamur, ad loci formam peruestigandam cum Vate progrediamur.

Forma loci ſuperat flores: curuata tumore
Paruo planities, & mollibus edita cliuis,
Creuerat in Collem. Vino de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina riuis;
Syluaq; torrentes ramorum frigore Soles
Temperat & modico brumâ ſibi vindicat æſtu.
Apta fretis Abies; bellis accommoda Cornus;
Quercus amica Ioui; tumulos tectura cupreſſus;
Ilex plena fauis; venturi præſcia Laurus:
Fluctuat hic dēſo criſpata cacumine Buxus;
Hic hederæ ſerpunt; hic pāpinus induit Vlmos.
Haud procul inde Lacus (Pergū dixêre Sicani)
Panditur, & nemorum frōdoſo margine cinctus
Vicinis palleſcit aquis; admittit in altum
Cernentes oculos, & late peruius humor
Ducit inoffenſos liquido ſub gurgite viſus,
Imaq; perſpicui prodit ſecreta profundi,

FORMA LOCI &c. Effloreſcentis familiæ, per amplificatam, comparationibusque illuſtratam deſcriptionem, obiectâ oculis venuſtate, ad ipſam iam, ex natura ſua inſitam loco, pulchritudinem exarandam progreditur: &, quoniam florum decus ceſſiſſe venuſtati locorum prima inſinuat propoſitione, ad hanc probandam, ex enumeratione partium, amplificatam deducit deſcriptionem, quæ facilè oſtendat, quanta eius loci, fuerit dignitas. Aduerte autem, hoc loco prudentiam Vatis eximiam, qui aptiſſima gradatione, dum Ætnæ adauget pulchritudines, ſeipſum præclariſſimo dicendi genere adauctum oſtentat. Flores gemmæ ſunt telluris ornamenta; atq; adeò quaſi accidentia quædam, ſubſtantiæ ſuperaddita, conſiderantur: ideòq; colluſtratis, floridiſſimo vtiq; ſtylo, accidentibus, certè, quæ præſtantiora cenſerentur, tribuenda ſubſtantiæ iam remanſerant. Itaque iure Vates formâ loci florum pulchritudinem indicat ſuperatam; ſed & aliud viuaciſsimum profectò ingenij lumen hic agnoſco. Ornamenta rerum, quantumuis præcellentia ſint, ſi ſordido, ac turpi in corpore collocentur, vileſcunt vtique, & potiùs ornati detegunt deformitates, quam celent; aſt ſi ornamentorum venuſtas venuſtati corporis copuletur, nullum, mehercule, in admirationem non attrahunt. Itaque, vt oſtendat Poeta Ætnæi viridarij venuſtatem vndequaq; fuiſſe perfectam, ornamentorum pulchritudinem, pulchriori ex natura ſua corpori ſuperadditam, oſtentat. Ne igitur putes, deprimi à Poeta hic, quæ prius extulerat, dum inferiora loci venuſtate iam facit; nam immò, miro quodam artificio, magis adhùc extollit, cum certè, quæ pulchra ex ſe ſunt, ſi pulchris aſſocientur, magis emicant, & delectant. Hoc autem patet maximè in floribus, nam viridariorum amænitas cæli maximè temperie, ac ſitu terræ gaudet amæniori, vt amæniſſima erumpat in germina. Sed

alcius

altiùs adhùc aſſurgit poeticum Claud. acumen, quod vt penitus introſpiciamus, aduerte, ea, quæ in anteactis deſcripſerat, nempè hilaritatem terræ infuſam, madidatas rore glebas, vigentem flatibus apparatum, &c. conſiderata fuiſſe ab Auctore noſtro, tamquam artefacta; nam, licet florum germinatio ſit opus naturale, attamen, cum, hoc loco, præter naturam, ſeù vltra modum naturæ dicatur erupiſſe, aliud huius productionis principium eſt, ex neceſſe, aſſignandum; hoc autem principium non, niſi ars, eſſe potuit, quæ vires ſuppleuerit naturæ, applicando actiua paſſiuis, iuxta commune illud effatum *Oue natura manca arte ſupplisce*. Cum itaque Zephyrum operantem induxerit, eum, artificis more operantem, ingenioſiſſimè induxit, nempe applicantem actiua paſſiuis, dum nectare nouo perfudit glebas &c. qui modus operandi proprius eſt artis, vt dicebamus. Quarè quæ hoc pacto fiunt, licet operante fiant naturâ, per applicationem diſpoſitâ, adhùc tamen opera artis dicuntur, quia ex arte applicatore dependent in fieri: ſic aurum fieri poſſe ex arte, quamplurimis innixi auctoribus, ac rationi edocuimus nos ipſi in Phyſicis: Sic Scorpiones, Serpentes &c., arte obſtetricante, naſci in comperto eſt: non quidem ex eo, quod Ars immediatè influat in eſſentiam eorum viuentium; ſed quia ita applicat actiua paſſiuis, vt, ex ea applicatione, conſtituatur in eſſe operantis Natura ipſa, quæ, non data tali applicatione, per artem poſitâ, nullo modo potuiſſet operari. Ex deſcripto igitur operandi modo ſatis conſtat, floridum Ætnæ apparatum, vt exactiſſimum artis opus, fuiſſe ab oculatiſſimo Auctore propoſitum. Hoc habito: vt in ſummo ſubindè conſtitueret gradu montis amænitatem, oſtendit naturam pariter, & artem ſimul conſpirantes ad apparatum huiuſmodi perficiendum; ſed ita, vt nec ars ſine miniſterio, & concurſu naturæ fuerit operata; nec natura, ſine ſuperaddito artis ſtudio, in inſolitam irruperit hilaritatem. Et Naturam igitur hic perficit Ars, & Arte ſuffulta Natura Artem ſolitariè acceptam facile ſuperat. Ideò *forma loci ſuperat flores*. Memineritis profectò, quibus præconijs Italicorum Princeps Poetarum Hieroſ. liber. Cantu 16. Artem naturæ modos induentem proſequatur, dum ait

E quel, ch' el bello, e'l caro accreſce all'opre,
L'arte, ch' el tutto fà, nulla ſi ſcuopre.
Stimi, ſi miſto el culto è co 'l negletto,
Sol naturale e gl' ornamenti, e i ſiti.
Di Natura Arte par, che, per diletto,
L'imitatrice ſua ſcherzando imiti &c.

Quod ſi delicijs adeò affluit ex ſe ipſa Ars, cum propius ad naturam accedit operando, quanto magis, ſi non fictè, ſed vere, & realiter vnitur naturæ, & naturâ ipsâ cooperante ars vigeat, ac, vice verſa, arte perficiente, natura ipſa ſe ipſam adaugens exultet? Hæc itaque omnia, arcano quidem, ſed veriſſimo intelligentiæ ſenſu, perpendens eruditiſſimus Vates, poſt laudata artis opera, naturæ, per artem perfectæ, inſigniorem formam deſcribit; *forma loci ſuperat flores*; vt ex gemino principio venuſtiora, quam ex vnico, effici declararet ea ipſa, quæ naturâ donante non inuenuſta ex ſe ipſis extitiſſent.

FORMA LOCI. *Forma* idem hoc loco eſt, ac *habitudo, ſitus*, ſeù *venuſtas quædam ex apta partium diſtributione, ac collocatione reſultans*; vno verbo, *venuſta eſt illa rerum ſpecies, quæ oculos intuentium delectabiliter obuertur*. Et quidem, cum, nomine formæ, ſola ſæpius intelligatur pulchritudo, ſatis patet, quam venuſta fuerit, ex natura ſua, ac nunc magis, arte, vt dicebamus, exhilarante, ſpecies Montis Diuarum iam veſtigia excipientis; dum eam primo ſtatim orationis initio *formam* appellat *loci*. Locus autem ille intelligitur eſſe, vbi quid conſiſtit. Quarè, nomine *loci*, intelligit hic Vates totum illud ſpatium, vbi germinans florum conſtiterat familia, nempe totam inferioris Ætnæ, atq; adiacentium agrorum ſuperficiem.

SVPERAT FLORES. *Superare* eſt *ſuper ire*, hoc eſt ſe ſe ſupra aliud extollere, tranſcendere illud, ac vincere. *Flos* autem notiſſimæ ſignificationis nomen eſt, ſignificat enim animatas, ac molles viridariorum gemmas, quæ colorum viuacitate, ac ſuauitate odorum fragrantes, micanteſque, mirum oblectant in modum. Flores hæ gemmæ dicuntur à græco nomine φλὸξ, latinè *flamma*, eo, quod inſtar flammæ emicent, ac ſcintillent; vt, in ſuperioribus, ſplendorem illis inditum à Poeta, iam vidimus. Translatè ornamenta ſignificat: hìc & flores verè ſunt, & noua ſunt montis, pratorumque adiacentium ornamenta; adeòq; ad vtrumque ſenſum arbitror alluſionem Poeticam procedere, eo præcipuè quod intendat Vates Ætnam oſtendere ſimplici, ac naturali ſituum venuſtate nouis non ceſſiſſe ornamentis, licet his iiſdem adaucta iam ſe ipſa extiterit maior.

CVRVATA TVMORE PARVO PLANITIES &c. Vt aſſumptum probet, quod poſuerat dicens; *Forma loci ſuperat flores*: deſcriptionem loci ab enumeratione partium condecorantium aggreditur, vt, poſitâ, per hypotip., ſub oculis venuſtate, ſatis per ſe probatum oſtendat, quod probandum aſſumit: hic enim omnia congerit ea, quæ ad locum, omni amænitate refertum, ampiè faciant, vt ex contextu patebit; nam enumerat fontium ludos, ſyluarum vmbracula, colles molliter ſuccreſcentes, arborum diuerſitates, vitium luxuriantium copiam, lacuum, nemorumq; oblectationes &c.; quibus omnibus vſus eſt etiam Italicorum Princeps Taſſus, vt amæniſſimum Armidæ ſuæ viridarium conficeret, Hieroſ. liber. Cantu 16.

Fior varij, e varie piante, herbe diuerſe,
Apriche collinette, ombroſe valli,
Selue, e ſpelonche in vna viſta offerſe &c.

pari etiam vtitur methodo Bracciolinus, lib. 8. de Cruce, Coſroæ Perſarum Regis viridarium, in eiuſdem Villa, *Dager* nomine nuncupata diſpoſitum, deſcribens

Nella gran villa e verde poggi in vno
Stendon le piante à meſcoler le fronde,
Chiuſo palco teſſendo al luogo bruno,
Che da raggi del Sol tutto s'aſconde:
Grotte varie, e ſpelonche, e ſaſſo alcuno
Non v'è, cui manchi il zampillar dell'onde:
Son aſpre, e rozze, e quell' horror non vero
Tanto diletta più quanto è più fiero.
Trà le bozze difforme alta ſerpeggia
L'hedera, che s'attien con cento braccia;
E'l Muſco, e'l Capeluenere verdeggia,
Che le coſe ſgrugnoſe humide allaccia.
Cade, e mormora l'acqua, e'l fin negreggia
Raccolta in Lago &c.

Conferas hæc cum Auctoris noſtri deſcriptione, & cernes, quam exactè conſonent ijs, quæ hic à Poeta exarantur.

PLANITIES. Dicitur Planities quilibet locus planus, & æqualis, nulliſq; ſcrobibus aſperatus, qualis in apertis campis, longè à montium radicibus, ſæpe cernitur, & interdum etiam, in ipſis montium iugis dilatatur, vt memorat Virg. Æneid. 11.

Hanc ſuper in ſpeculis, ſummoq; in vertice montis
Planities ignota iacet, tutiq; receptus &c.

& hic igitur Planities adfuiſſe deſcribitur, & quidem eo admirabilior, quo Monti propior: & quæ tandem in montem aſſurgat, ſed leniter adeo, vt, ſenſim ſine ſenſu, ſe ſe extollens vis, dum montem efficit, à planitiei natura recedere videatur. In quo ſubtilitatem Vatis libet aduertere, qui & montis, & plani Soli delicias ſimul coniunxerit, vt maior inde aſſurgeret oblectatio. Ideo non quamlibet planitiem expoſuit; ſed planitiem leniter aſcendentem, ac ſe ſe extollentem in iugum.

CVRVATA. *Curuare*, à quo partic. *curuata* deducitur, eſt *à recta linea diſcedere*, & vel ſurſum, vel deorſum, vel ad latera declinare. Curuata hic recta planitiei linea ſurſum verſus oſtenditur, dum dicitur creuiſſe in collem, ſed inſenſibiliter ſe ſe erigens deſcribitur, dum additur

TVMORE PARVO. *Tumor* propriè dicitur alicuius partis inflatio, vulgò *Gonfiatura*, qua ſcilicet fit, vt pars, de ſe æqualis, ſecundùm aliquid intumeſcat, & altiùs aſſurgat: ſic tubercula, ſanie intus ſuccreſcente, in viuentium partibus aſſurgunt: & ſic Gibbus ex dorſalis extrorſum ſpinæ flexu curuatur in arcum, eiuſque dorſum in promontorij ſpeciem eleuatur. Huiuſmodi tumores, reſpectu terreni corporis, ſunt altiores, vbicumque reperiantur, terræ partes; ideò & hic cum planities ſenſim attollatur, dicitur tumore curuari, & quaſi gibboſæ in morem inflecti, ſed *tumore paruo*; *paruus* enim idem eſt, ac *exiguus*, ſeù *tenuis*, & propriæ ad quantitatem, & molem refertur; cum vice verſa *pronus* referatur ad numerum; ſed, cum agatur hic de mole ipſius telluris, inſenſibili, ſere dixerim aſcenſu ſe extollentis, propriſſimè dictum intelliges: *curuata tumore paruo Planities*. Ex hoc noueris, quam male Iunianus codex, quem citat, ſed non ſequitur, Heinſius, legere maluerit *Curuata tumore prono Planities*; nam Pronum dicitur quod inclinatur in præceps: quare contrarium omninò adſtrueret ijs, quæ hic Vates ſtuduit inſinuare.

ET MOLLIBVS EDITA CLIVIS. Ad maiorem ſupradictorum explicationem hoc additur; ideò per particulam

& explicatiuam potiùs, quam copulatiuam proſequitur.

CLIVIS. *Cliuus* propriè locus eſt molliter arduus; & dicitur de loco, vt inquit Virg. Ecl. 9.

. . . . Qua ſe ſubducere colles
Incipiunt molloque iugum demittere Cliuo.

vulgò *altura lieue*, ſeù *aſceſa di poca fatica*, quæ facili greſſu ſcandi poſſet, diceret Barthius.

MOLLIBVS. Molle dicitur quidquid ad delicias, luxumque comparatum videtur; & interdum pro eodem ſumitur, ac *facile*, vt apud Virg. Georg. 3.

Raptat Amor: iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo.

atque in hoc eodem ſenſu vſurpatum hic à Poeta, non ambigo, iuxta explicationem, quam ſupra ex Barth. innuimus; nam talem aſcenſum fuiſſe ad delicias comparatum ſatis exprimebatur per nomen *Cliuis*, vt ex dictis conſtat: ideò ſuperuacaneum fuiſſet epitetum *mollibus*, niſi faciles aſcenſu cliuos innuere voluiſſet.

EDITA. Cum participium *curuata* eſſet indifferens, vt innuimus, ad curuaturam vel ſurſum, vel deorſum &c. determinatiuo indigebat, vt, de qua curuaturo loqueretur Vates, innoteſceret; hoc autem determinatiuum prudenter adiecit Claud., dum inquit: *edita*; nam *editum* idem eſt, ac *eleuatum*, participium enim eſt à verbo *edo*, quod propriè eſt *extra do*, ſeu *extra mitto*: & quia aſſurgentes ex planitie colles videntur *extra* ipſam *emiſſi* planitiem, ideò & *edita* dicitur in collem excreſcens planities, dum ſe quaſi extra ſeipſam erigitur, & extollitur. Ex his obiter aduerte, quam concinnè Poeta ex forma loci Ætnæas augeat delicias. Quis enim neſciat quantæ ſit oblectationis planiei, ac montis coniunctio, & talis coniunctio, quæ ex planitie in montem, tantâ vtique facilitate, viatorem ducat, vt prius aſcendat, quam ſe aſcendere animaduerterit. Audi hoc ipſum interrius delicias recenſentem Crucis Cycnum lib. 8.

Freſca tenda è la foglie, e l'herba lotta
Sparſe dal mormorar de lucid' onde.
Saleſcon eſſo à piccol paſſo: e l'erta
Facile è sì; ch'è la ſalita incerta.

profectò nil magis ad animi oblectationem conferre poteſt, præcipuè ſi herboſum ſimul, ac floridum ſit iter, vt ſupra indicatum vidimus Ætneam fuiſſe accliuitatem.

CREVERAT IN COLLEM. *Creſcere* idem eſt, ac ſeu per nutritionem, augmentari; ſeù per additionem partium ad partes, augeri. Quia verò, quæ per nutritionem creſcunt, vt Plantæ, in altum eleuantur: ideò creuiſſe dicitur hæc planities, quæ ſe ſe in altum euexerat adeò, vt conformaretur in collem. Sed vlterius perpende, quæſo, Vatis ſolertiam. Dixerat planitiem *editam*, dum paulatim aſſurgeret in tumorem: nùnc quia tumores naſci videntur, atque exire a corpore intumeſcente, ex quo fit vt *edo* pro *pario* interdum ſumatur; tumorem ex planitie natum, aſſurgentemque creuiſſe iam dictitat, vt congruenter procedat, ac ſibi ſemper conſonus loquatur. Ideò *creuerat in collem*. Præpoſitio autem *In*, hoc loco idem eſt, ac *vſque ad* collem conſtituendum: *Collis* verò minor mons eſt à colendo dictus, eo, quod cultus amænitate vigeat vndequaq; Hic pro inferiori Ætnæ parte aſſumitur, eâ ſcilicet de qua dictum *Pers caetera frondes* libro primo, & *videras herboſo ſacrum de vertice vulgus*, hoc ipſo lib. 2.

VIVO DE PVMICE FONTES &c. Riguos ſupra notauerat Ætnæos ſaltus, vt vidimus initio huius lib. Carm. 9. Quare congruenter hic ſontes aperit; ſed ſontes itidem ad oblectationem compoſitos, vt patebit.

FONTES. *Fons* à fundendo dicitur, eo, quod perenniter aquas fundat; & propriè prima illa aquarum ſcaturigo eſt, ex qua enaſcentes aquæ indeficienter ſcaturiunt, atque in riuulos ſeiunctæ ſubiectas irrigant terras. Quantum verò conferant huiuſmodi fontes ad viridariorum amænitatem, vel ex eo licet intelligere, quod ſummus ipſe rerum Auctor Paradiſum voluptatis, non ſine irriguo fonte procreauerit: Fons autem (ex Sac. Gen. 2. habetur) aſcendebat è terra irrigans vniuerſam terram &c. Noſtris autem hiſce temporibus, nullas reputari viridariorum delicias, vbi aquarum è fontibus erumpentium luſus non interſit, locupletiſſimè teſtatur Roma, tot Principum viridarijs, Orbi iam vniuerſo admirabilis. Aptiſſimè igitur Poeta fontes inducit Montis amænitatem locupletantes, primo quia, ſi Diodoro credamus, non omninò ficta eſt hæc deſcriptio, ſed iuxta realem loci amænitatem concinnata ſecundo, quia maximè conferunt ad augendas loci delicias. Sic Taſſus loco ſupra cit. Armidæ Viridarium fontibus exornat.

Poiche laſciar gl' auuiluppati calli;
In lieto aſpetto il bel giardin s'aperſe:
Acque ſtagnanti, e mobili criſtalli &c.

quod etiam Bracciolin. cit. peragit, vt ſupra videre eſt. Immò & antiqua Numina fontibus delectabantur, vt patet, cum habeatur Fons Solis apud Trogloditas; Fons Iouis Ammonis in Lybia &c. certè Dianæ fontes innumerabiles ferè, vbique locorum, celebrantur. Cum itaque Dearum cultui apparatus Ætna extruxerit ſuos, iure redundans fontibus eſſe debuit. Adde, vt perſpicacitatem Poetæ diſcernas, florum mollitiem, accliuitatum facilitates ad Venerem, ac conſequenter Proſerpinam Veneris ſequacem oblectandam extitiſſe compoſitas; opus autem fuiſſe, vt vnicuique ex comitibus Deæ aliquid pariter proprium tribueretur. Ideò ad Palladis oblectationem inſurgent ſyluæ haſtilibus concinnandis accomodæ, ad oblectationem verò, Veneris non modò, ex vndis natæ, ſed & Dianæ vndarum ſpeculo, lauacriſque, ſæpiùs vtentis, immò & Nympharum omnium, quæ vndis profectò præſident, fontes hic neceſſe fuerat aperiri. Ideò *fontes*

DE PVMICE VIVO. Præintellige *ſcaturientes*, ſeù *erumpentes*; nam præpoſitio *De* motum de loco importat, reticetur autem particip. illud per Synecd. fig. nam ſatis ex contextu deprehenditur, quid intelligendum ſit. Pumex itaque (qui hic ponitur tanquam ſcaturiginis locus) lapis aridiſſimus eſt, & aquis ineptus adeò, vt, ſi quando aliquem, fruſtra conatus ſuos impendentem, ſignificare voluerint Auctores, eum aquas ex pumice quærere dictitauerint. Cur itaque, & quam congruenter Poeta hic aquam de pumice educit, ne dum quæritet? Non quærit profectò aquam de pumice, qui, hoc loco, aquam de pumice educit. Immo congruentiſſimè loquitur, nec improprio vtitur dicendi genere; ſed prodigia prodigijs innectens prodigioſam omninò conſtruit amænitatem; adeò enim procliue Montis Numen oſtendit in aduentantium Dearum honores, vt etiam, quæ impoſſibilia videri potuiſſent, poſſibilia redderet, vt magis nouitate prodigij, atq; ex inſperato rerum euentu pareret oblectationem. Sic, in theatralibus pompis, ea maximè delectant, quæ ex contrarijs deduci videantur, vt ſi ignis ex vndis emicet; vnda ex ignibus effluat; grauia ſurſum aſcendant, leuia inferiorem appetant locum &c. Pari itaque paſſu, cum theatrali more pompas egereret ſuas, vt dignè Deas exciperet, Ætna, nil mirum, ſi vel ipſi naturæ viſus fuerit vim inferre, aquas de pumice educens, vt nouo rei miraculo delectaret. Atque hæc dicta ſint in gratiam eorum, qui, litteram omninò ſectantes, vellent, præpoſitionem illam *de* importare rigoroſum omninò locum, de quo, tamquam ex emanatiua vndarum ſcaturigine, præcitati iam ſontes promanarent; quaſi ipſum pumicis ſaxum productiuum ex ſe dicatur aquarum. Quod ſi, non ad litteram, ſed congruentiùs iuxta ſenſum Poetæ, & veritatem, dictum iſtud ſit explicandum, iam innui quid dicendum, cum ſupra dixerim, poſitum Pumicem, *tamquam ſcaturiginis locum*; vbi aduerte me non dixiſſe poſitum Pumicem pro *fonte ipſo*, ſeù pro ipſa ſcaturigine aquarum productiua; ſed pro loco in quo eſſet ſcaturigo, quæ per pumicem ſubindè aquam tranſmitteret. Dico itaque rurſus Vatem non locutum hic iuxta realitatem rei, ſed iuxta apparentiam, ita vt *De pumice* non importet locum, in quo aqua primò tandem enaſcatur, vt profluat; Sed importet tantummodò locum immediatum, ex quo videmus effluere aquam illam, quæ tamen non ibi, vnde immediate effluit, enaſcatur; ſed in loco remotiori, hoc eſt in intimo terræ ſinu ortum habeat, ex quo ſubindè effluens, ſe ſeque per terebratas pumicis venas inſinuans, qua data porta ruit, ita vt ex ipſo pumice enaſci videatur: ſic in familiari ſermone dicimus, fontanas aquas ex aſperrimis montium rupibus emergere, non eo, quod credamus, è ſaxea ipſa rupe aquas generari; ſed quia remotiùs orta per ſaxeas tandem rupium venas transfuſa, ex ijs vnda effluat tamquam ex loco immediatè, ex quo in apertum erumpit. Dicimus itaque ex rupibus oriri aquam ſic effluentem, quia nullum aliud illius principium oculis appareat noſtris, rupe ipſa principium obtegente, quod trans rupem latet, vel ſub rupe. In hoc itaque eodem ſenſu locutus eſt Claud. dum ait *viuo de pumice fontes &c.* locum appellans *emergentis*, non *enaſcentis* aquæ. In quo ſenſu, nullum profectò potuit aptiorem intentui lapidem ſeligere, cum pumex anfractuoſus admodum, multicauus, ac latebroſus, &, ferè in ſpongiæ morem, terebratus, excipiendis, tranſmittendiſq; aquis aptiſſi-

mus

mus exiſtat; ac præcipuè ſi de aquis loquamur, quas, per plura quaſi ſtillicidia, ex fonte in riuulos diuaricari contingit, vt certè dicendum de aquis ex Ætnæis fontibus, ad ſubiectos flores irrigandos, proſilientibus. Adde huc optimo iure pumicem adduci, nam hoc, vt ferunt, lapide abundat, & maximè circa Ætnam, Sicilia, & quidem attenta montis natura de ſe amphractuoſa, vt ſuo loco dix. non poteſt, quin & pumiceas circumquaque cautes, ſui videlicet ipſius radices longiùs protendat Ætna. Inſuper fontium, ac fluuiorum Numina hoc maximè lapide delectari viſa ſunt ſemper; quod & Virg. agnouiſſe ſe docuit Georg. 4. cum Cyrenis thalamos ſub vndis poſitos pumice concameratos deſcripſit.

Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta
Peruentum; & nati fletus cognouit inanes &c.

Ideò & hic Vates, loci naturam, Numinumque aquarum propenſionem, moremque ſecutus, ex pumice fontes memorat exilientes, & de *Pumice viuo*; non quidem quod vitam habeat Pumex; ſed quod naturaliter ſit in loco, non autem ibi arte elaborante collocatus, aut ab arte fabrefactus. *Viuus* enim interdum pro eodem, ac naturalis vſurpatur, vt patet ex illo Virgilij Æn. pr. vbi habetur.

Intus aquæ dulces, viuoq; ſedilia ſaxo.

ita & Ouid. Metam. 2. fontem Dianæ, ſeù eius deſcribens lauacrum, vbi ab Actæonem deprehenſa fuerit, ſic habet

. . . . . . *Nam pumice viuo*
Et leuibus tophis natiuum duxerat arcum &c.

quare & in hoc ſenſu aptè Claud. *Viuo de Pumice fontes &c.* Aliqui primum in ſuperiori expoſitione indicatum litteralem ſenſum ſecuti, præſentem lectionem immutarunt, non *Viuo de pumice fontes*; ſed *miſſo de Pumice fontes* legendum omninò exiſtimarunt. Ideò ne mireris ſi in gratiam illorum quomodo hæc ipſa lectio, quam Parrhaſ. refert, defendi poſſit innuerim; licet germanam eſſe noſtram fuerim arbitratus, quam cum Heinſio, alijſque communiter ſum ſecutus. Alij, quos inter Barthius, non *viuo de Pumice*, ſed *imo de Pumice* legendum contendunt, inquiens ille *Nouum pumicem das laxis fontibus, vt negentur ſpiracula Diti*, innuitque Parrhaſ., vt arbitror, qui pariter *imo* legit *de pumice*. Fateor non ſpernendam eſſe lectionem eruditè admodum ab his prolatam Auctoribus. Quarè liberum erit, vel *imo*, vel *viuo* legere, vt libuerit, ſpectata non ſolum eruditione, quam ingerit Barth.; ſed etiam ſpectata natura Ætnæi pumicis, qui à ſubterraneo montis igne concoctus, expurgatuſq; non poteſt quin candidus exiſtat. Ex tali itaque Pumice & *viuo*, & *imo* profluentes fontes

LAMBEBANT ROSCIDA GRAMINA. Vt omnia ſint ad delicias compoſita, non ſtrepentes rauco murmure, non ſaxis eliſos fontes adſciſcit; ſed fontes placidè decurrentes, atq; ad blanditias potiùs, quam ad ſonantes rixas compoſitos deſcribit: ideò *lambebant*; nam *lambere* idem eſt, ac *lingere*; hoc eſt *lingua aliquid leniter attingere*, quod canis adblandientis proprium eſt; translatè autem, vt hic, pro *placidè alluere* vſurpatur, ita vt vnda littoribus adblandiri videantur. Atque in hoc eodem ſenſu vſurpatum hoc verbum reperies apud Hor. lib. pri. Carm. ode 22, vbi ait

. . . . . *Vel quæ loca fabuloſus*
Lambit Hydaſpes.

Gramina verò quid ſint, alibi dix., notiſſima enim herbæ ſpecies eſt, ſed quæ hic pro toto herbarum genere ponatur, nam totum aquis huiuſmodi nutriebatur. Roſcida autem dicuntur, ideſt rore conſperſa, hoc eſt rore illo, quem vidimus ſupra ab alis excuſſum Zephyri, vel etiam leuibus, roris in morem, guttis, ex ipſis fontibus partialiter, dum deciderent, conſperſa.

MOBILIBVS RIVIS. Riuus propriè eſt aqua è fonte deducta, quæ in ſubiectos defluit campos, modico detenta alueo; ſi tamen Aluum, & non potius alueolos habeat plures, vt diſtinguatur à fluuijs, qui ampliori alueo intumeſcunt. *Mobile* autem dicitur, quod inſtabile eſt, & lubrico ſemper incertum pede, vt facillimè, ac continuo moueatur. Quid autem mobilius aqua præterlabenti, quæ ſemper aſſiduo in fluxu eſt. Adde vndam, dum defluit, tortuosè fluentem permeare, vniuſq. impatientem loci ſatis apparere per ſe ipſam; & inſuper, tremulo quaſi quodam motu, decurrere, ita vt in ſe ipſa conſiſtere non poſſe videatur. Quæ omnia certè ſunt ad oblectamentum compoſita.

SYLVAQVE &c. Quam conferant ad relaxationem animi non ſolum, ſed etiam ad valetudinis interdum tuendæ ſtudium, ſyluæ viridarijs adnexæ, atque, implexis ramorum vmbraculis, ſubiecti fontis liquida obtegentes criſtalla, nulli, vt arbitror, ignotum eſt. Certè Poetarum Princeps vtile admodum duxit huiuſmodi Syluas etiam in agris habere, ad tuenda ab æſtiuis caloribus armenta, ne nimio ſoluantur æſtu, dum Georg. 3. ea præcipit ad Syluas deduci his verbis

Inde vbi quarta ſitim Cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta Cicadæ,
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus vndam;
Æſtibus at medijs vmbroſam exquirere vallem &c.

& profectò reſpirare videntur non armenta ſolum, ſed, & paſtores ipſi, cum, inter ſyluarum vmbras ab æſtu meridiano recedentes, feſſos anteactis laboribus artus reficiunt, ac Zephyris circumludentibus, vndarumq; præterlabentium algore recreantur. Quod ſi olentia gramina ſtratum illis ad quietem conſternant; ſumma vtiq; illa animi oblectatio eſt. Ne itaque hoc ipſum deſit oblectamentum aduentantibus Dearum, Nympharumq; cætibus, optimè inter cæteras Ætnæi ruris delicias, memorat Poeta appoſitum ſylueſtre vmbraculum meridianos arcens calores. Sylua quid ſit iam nouimus lib. pri. Carm. 207. hic tamen pro nemore arboribus conſito ponitur; ſed arboribus nobilitate præcipuis, vt ex ſtatim ſuppoſita conſtabit enumeratione.

TEMPERAT SOLES TORRENTES. *Temperare* eſt *modum alicui imponere*, ac aliquid illi ex inordinatis viribus detrahere, vt ſuauior fiat, & moderatior in operando: ſic, qui aquâ vinum temperat, illud cogit à propria generoſitate decedere, ne fumoſis cerebrum vaporibus lædat

SOLES. Sol Planetarum omnium Princeps, ac temporum diſpenſator eſt, vt qui aduentu ſuo diem, receſſu noctem efficiat &c. Verum cum vnicus ille ſit non videtur notandus, per numerum multitudinis; *Sol* enim quaſi *ſolus* dicitur. Soles itaque iterum video pro diebus ipſis vſurpatos, vt apud Virg. Æn. 3.

Tres adeò incertos cæca caligine Soles
Erramus Pelago &c.

& Libanius præcipit iram in multos Soles non eſſe producendam. Hic noueris, *Soles torrentes*, neq; pro Sole ipſo poſitos, neq; pro diebus; ſed potiùs pro caloribus æſtiuis meridiano tempore efferueſcentibus, vt interpretatur Parrhaſ. ex ſententia Hor. apud ipſum citati; & quidem, cum huiuſmodi calores effectus Solis ſint, *Soles* dici poterunt, ſicuti *Soles* dicuntur dies ob id ipſum, quod à Sole producantur: ſicq; erit idem dixiſſe *Soles torrentes*, ac dixiſſe *torridos ardores à Sole prouenientes*. Vel dixeris, & quidem arbitratu meo congruentiùs, *Soles* eſſe, hoc loco, radios ipſos ſolares, quibus æſtiuo, ac præcipuè meridiano tempore, torretur, & exſiccatur humus; nam hos Sylua, dum frangit, temperat, nec vehementes adeò ſinit euibrare ardores.

TORRENTES. *Torrere*, à quo particip. eſt *Torrentes* idem eſt, ac *exſiccare*, *aduſtum*, *aſſatum reddere*, ſeù *ardere*: Torreo enim propriè eſt *ad ignem, vel Solem aliquid arefacere* ex quo importatur proprius radiorum Solis effectus, nam illis, æſtiuo tẽpore, omnia areſcunt, ac miſerrimè aduruntur.

FRIGORE RAMORVM. Modus hic exprimitur, quo Sylua temperet torrentes Soles, nempe ramorum vmbris ſubiectum frigus protegentibus, vel etiam producentibus. In quo reſpexit Vates ad illud Virg. inter ruris delicias hanc ipſam enumerantis Ecl. pri. dum ait

Fortunate ſenex, hic inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.

Nota tamen non attribui hic frigus arborum ramis, eo, quod ipſi de ſe formaliter frigidi ſint, & frigus formaliter ex ſe diffundant producentes; ſed ex eo, quod arcentes influxum potentiæ calefactiuæ, hoc eſt *Soles*, ſeù *Solis radios* efficiant, vt ſubiectus aer propriam frigoris conſeruet qualitatem; atq; adeò videantur quodammodò, vmbris ſuis, ipſum aeri frigus impertiri. Maxima fuit inter Phyloſophos de eſſentia frigoris altercatio, dum ſcilicet quid frigus eſſet perueſtigarent. Aliqui poſitiuam eſſe qualitatem, & in poſitiuo conſiſtere aſſeuerabant; alij verò in negatiuo conſiſtens aſſerebant frigus, & puram eſſe priuationem, ſeù negationem caloris. Huic poſtremæ opinioni videtur alluſiſſe ſaltem multum detuliſſe Vates, hoc loco: dum enim ait, ramos, calorem arcentes, *frigore*, Soles temperare, videtur innuere, induci frigus, per *ceſſationem caloris*, non ſolum de conſequenti, ſed immò de formali, dum ipſam caloris priuationem à ramis Soles arcentibus prouenientem *ramorum frigus* appellat. Si tamen velis Poetam explicare cum aſſerentibus, frigus eſſe qualitatem poſitiuam (vt veriùs

ar-

arbitror affirmari) dixeris, Poetam non de formali locutum, ſed de conſequenti; atque aſſertionem ſic facilè explicabis: aer eſt de ſe frigidus, vt conſtat, quia ſibi ipſi relictus, ſemoto calefactiuo ambiente, ſe ſe ad priſtinum ſponte reducit frigus; quidquid dixerint qui aerem natura ſua calidum exiſtimarunt: quo poſito: dum Sylua arcet ambiens calefactiuum, nempe *Soles* facultatem aeri ſubiecto concedit, vt proprium reparet frigus, atque ex hoc ſequitur, vt Sylua arcens calores, cauſa de conſequenti dicatur reparati ab aere frigoris. Ideo temperat Soles frigore ramorum, ideſt frigore illo, quod ramorum protegentium beneficio, in ſe ipſo, ſubiectus reparat aer, ex quo fit, vt qui ſub ramis ipſis ſpatietur, aerem ſentiat refrigerantem; nec eos patiatur æſtus, quos pateretur, remoto ramorum vmbraculo. Porrò *ramus* ea dicitur arboris pars, quæ quaſi brachium, à trunco extenditur, & dilatatur: in Syluis autem, huiuſmodi arborum brachia, vndequaque extenſa, folijs denſantibus, connectuntur, ita vt, facto vmbraculo, dum Solem arcent vmbra contegunt ſubiectum aerem, ſolumque & ab ardoribus protegunt. Hinc arbitror factum, vt Parrhaſ. in hunc locum dixerit *frigus* pro *vmbra* poſitum fuiſſe; dum ait: *Ramorum frigore: expreſſit illud Maronis: frigus captabis opacum: ideſt vmbram.* Hoc innuit, arbitror, Parrhaſ. quia cum videret duram admodum videri poſſe interpretationem, quæ *frigus* ad ſignificandam detorqueat *vmbram*: voluit auctoritate Principis Poetarum aſſertum ſuum comprobare, quaſi & Virg. ipſe *frigus* pro *vmbra* dixerit ibi. Citauimus & nos locum ſupra. Sed miror non vidiſſe Parrhaſium, quid Virg. ſibi voluerit eo in loco; tam clarè enim loquitur, vt nullo modo Parrhaſij admittere valeat interpretationem. Nonne nouit Interpres, quid dicat epitetum illud *Opacum*? certè Opacus idem eſt, ac vmbroſus, & *opacare*, & *obumbrare*, *vmbram facere*, *vmbris tegere*. Quare ſi Virg. ibi *frigus* pro *vmbra* poſuiſſet; iam dixiſſet *vmbram captabis vmbroſam*. Nonne hoc eſſet ludere in verbis, ac pueriliter iocari? Fateor quidem vmbras frigori fauentes, atque in vmbris frigus concreſcere. Sed aliud eſt frigus ad vmbras conſequi, aliud verò idem eſſe, ſeu pro eodem haberi frigus & vmbras. Primum & noſtra admittit explicatio, ſecundum, vt abſonum reſpuit.

ET VINDICAT SIBI BRVMAM. De particula copulatiua & ſæpè iam diximus. *Vindicare* autem idem, hoc loco eſt ac defendere, in quo ſenſu vſurpatum vidimus hoc verbum à Cic. dum de ſenectute ſic ait: *eſt & ſenectus natura loquacior, ne ab omnibus eam vitijs videar vindicare*, ſic itaque amplexu ramorum, & Sylua dum *Soles* arcet, vindicat, ideſt *defendit ſibi*, hoc eſt; ſibi fauentem (nam tertius commodi caſus eſt *illud ſibi* quod ad eamdem Syluam refertur) *Brumam*, nempè frigidam aeris temperiem, quæ neceſſariò ſequitur ad opacitatem loci, vt ſupra ex Virg. dicebamus, atque ex decurrentibus ſub vmbra riuulis mirum iuuatur in modum.

MODICO ÆSTV. Sic legit cum Parrhaſio vulgata noſtra. Heinſius verò cum Iſingr. ac plerisque alijs, longè admodum, iudicio meo, melius, *medio*, legunt *æſtu*. Verum, ne videar difficultatem effugere à vulgata deflectens, ita facile difficultatem euoluo, quæ in adiectiuo *Modico* videtur excellere. *Sibi vindicat brumam modico æſtu*; ideſt modica frondium agitatione, Zephyris interludentibus fluctuantium; ita vt *modico æſtu* ablatiuus ſit cauſalis, indicans, quo adminiculo brumam ſibi vindicet Sylua; neque enim nouum eſt, reciprocantem maris fluxum exprimi per nomen *æſtus*: nec nouum pariter eſt, reciprocam maris fluctuationem à fluctuantibus hinc inde arborum frondibus referri. Quare iure optimo potuerit Vates *æſtum* pro huiuſmodi agitatione poſuiſſe. Vel dixeris cum Parrhaſ. *modico æſtu*, nempè *modificato æſtu*; ideſt repreſſo, & imminuto calore, qui penitus excludi non potuit. Sed quamuis non diſſona hæc à Poetico ſenſu fuerit explicatio; non diſſona lectio; tamen, iterum repeto, melius cum Heinſio legendum arbitror: *medio æſtu*; nam præterquam quod Heinſius hunc modum dicendi familiarem Vati noſtro oſtendit, cuius loca in comprobationem adducit pr. ex 4. Honor. Conſul. vbi habet.

Qui medios Lybiæ ſub caſſide pertulit æſtus.

ſubinde Bello Gild. . . . *Solis medios obiecerit æſtus*, ac denique ex Epithal. Palladij iterum habeatur

. . . *Quod medio textum modularer in æſtu.*

præter hoc, inquam, magis etiam videtur Heinſiana lectio ad mentem Auctoris; nam cum ornatiſſimo ſemper ſtylo Claud. decurrat Poeſis, non videtur negligendum fuiſſe hìc ab oculatiſſimo Auctore pulcherrimum Anthiteſis ornamentum, quod apud ſupra citatum Georg. 3. Virg. facile ante oculos habuerit exaratum, cum ait

Æſtibus at medijs vmbroſam exquirere vallem &c.

elegantiſſimam enim immò dicendus eſt Auctor anthiteſim ſecutus, qua brumam æſtui, hoc eſt frigidam aeris temperiem, torrenti æſtatis opponeret calori. Adde quod ſic congruentiùs procedit ad ea, quæ dixerat: nam cum immediate ante dixerit: *temperat torrentes Soles*; neceſſariò ſequitur, vt *brumam medio ſibi vindicet æſtu*; quæ correlationes cauſæ, & effectus certè ab oculatiſſimo Vate non fuerant negligendæ; *æſtus* enim pro vehementiſſimo ſumitur calore, & *medius æſtus* meridianum exprimit calorem, illius videlicet temporis, cum maximè feruet æſtus. Quare Heinſium dum ſequor mentem Vatis attigiſſe non dubito.

APTA FRETIS ABIES &c. Per enumerationem recenſet iam plantas, quibus Sylua illa denſaretur, atque vnicuique, quod proprium illius eſt, attribuit, vt oſtendat, ſcelectis tantum, non tumultuariè natis, arboribus Syluam ipſam adoleuiſſe.

ABIES. Arbor pulcherrima eſt inferiori parte enodis, ſuperiori verò nodoſa, ac duriori; difficillimè hæc diſrumpitur, quare trabibus, remiſque conficiendis aptiſſima eſt; immò & naues ipſe aſſeribus abiegnis compaginari conſueuerunt, vt tutius vndis reſiſterent. Ideò nata mari dicitur Abies ex Virg. Georg. 2.

Naſcitur & caſus abies viſura marinos.

& Æn. 8. in nauem compacta ſalum ſulcans deſcribitur

Labitur vncta vadis abies: mirantur & vnda &c.

dicta autem eſt Abies, quaſi *Abeuns*, quia ſupra procerrimas quaſque arbores in altitudinem abit altiuſque protenditur.

APTA. Idem eſt *aptus*, ac *congruens*, *idoneus accommodatus*, dicitur autem *Abies apta fretis*, quia maximè accommodata eſt ad conſtruendas naues, & remos, vt diximus, & adeò idonea, vt, præter Virg. cit., etiam Cycnus Crucis, nauium conſtructores inducens, lib. 14., ad ſceligendas materias conſentaneas, Abietem pri. poſuit loco.

Cento, e cento à due man moſſe ſecure
Fanno à gl' arbori antichi acerbi oltraggi;
Tendon gl' horridi tronchi e ferri duri;
E ne caggion ſuenati Abeti, e Faggi.

Iure itaque optimo hoc Abieti attribuit Vates, vt ſit apta

FRETIS. Mare *fretum* dicitur à feruendo, eo, quia in ſimilitudinem feruentis aquæ videatur ebullire, quod maximè in *fretis* euenit; nam *freta* propriè ſunt loca maris arctiores inter littorum anguſtias poſita, in quibus maximè feruet æſtus: hic tamen pro toto ponitur Mari *fretum*; pars ſcilicet pro toto per Synecdochen. Poſuit autem Poeta hanc arborem in Ætnæa Sylua, quia, vt teſtatur Virg. Ecl. 7., montibus illa gaudet

Fraxinus in Syluis, pulcherrima Pinus in hortis;
Populus in fluuijs: Abies in montibus altis.

cum igitur Poeta noſter planitiem Ætnæ in collem creuiſſe dictitauerit, nil mirum, ſi, opportunitatem loci nactus, illo in loco Abietem collocauerit. Adde quod, cum initio lib. pri. Poeta innuerit Bacchum accedentem, vt Generationis Auctorem, cum de Nuptijs Proſerpinæ agendum eſſet; nunc non immemor ſui, dum præludentem Nuptijs apparatum inſtruit, iure, primo loco, abietem poſuit, arborem videlicet Lyæo Patri ſacratam.

CORNVS. Arbor hæc eſt ramos habens duritie, ac rigiditate inſignes, vulgò *il Cornuolo*, fructum circa ſolſtitia ferens, primo album, poſtea ſanguineum: ex ligni autem duritie efficitur, vt eo vtantur ad haſtilia conficienda; ideoque dicitur hic Cornus

ACCOMMODA BELLIS: hoc eſt *apta*, *idonea*, *congruens*, *conſentanea gerendis bellis*: datiuus enim commodi eſt *Bellis*; licet & proprius ſit adiuncti caſus. Quod autem non impropriè dicatur *bellis accommoda cornus* teſtatur Virg., qui hanc ipſam illi proprietatem attribuit Georg. 2. vbi ait

Viminibus ſalices fecundæ, frondibus vlmi;
At Myrtus validis haſtilibus, & bona bello
Cornus: Ithyræos Taxus torquentur in arcus;

confirmat autem, haſtilia ex cornu fieri, Æneid. 9. vbi ait

. . . . *Volat Itala cornus*
Aëra per tenerum, ſtomachoque infixa, ſub altum
Pectus abit &c. Et Æn. 12.
Dixit: & aduerſos telum contorſit in hoſtes
Procurrens: ſonitum dat ſtridula cornus, & auras
Certa ſecat &c.

Quod

Quod ſi noſce cupias, cur hic ponatur arbor bellica; vbi oblectatio quærebatur: memineris in aduentantium cætu Dearum Palladem adſtitiſſe, eamq; bellicis procul dubio artibus, inſtrumentiſque delectatam.

QVERCVS. De quercu plura egimus lib. pri. Cam. 31. ex quo etiam loco ſatis patet, cur hic *amica* Ioui dicatur: nam & illi ſacra eſt, atq; ex ea oracula reddere ſolitus Iupiter fuit. Porrò Quercus arbor notiſſima eſt, lignum ferens duriſſimum, ex quo etiam roboris nomen conſecuta eſt, quaſi viribus præſtans; & hinc fortaſſis effectum eſt, vt apud antiquos Celtas altiſſima quercus deligeretur, quæ Iouis ſignum eſſet; nam quid meliùs Iouem ſignaret, ideſt primam virium omnium originem, quam *robur*, cuius nomine *Quercus* deſignatur? Adde ex quercu ciuicam coronam conferri ſolitam, qua ſcilicet ſeruator ciuium donaretur: cum itaque ingens Ioui ſeruatori dicatum templum laтè oſtenderit ſummum omnium ciuium ſeruatorem fuiſſe Iouem, quercus illi meritò debebatur. Inſuper ſceptrum, ex querno trunco confectum, firmitatem Imperij deſignabat, apud Antiquos; cum itaq; Imperium Iupiter æternum, imperturbabile, immutabile obtinuerit, vt aſſerebant Deorum indagatores, nil mirum ſi Ioui quercus addicta.

AMICA. Quod idem eſt, ac quam quis amat, atq; in delicijs habet, vt certè, ex dictis, Iupiter quercum habuit. His adde fabulam ab Ouid. enarratam Metam. 8. Phylemonem ſcilicet, eo, quod Iouem in Phrygiam profectum, cæteris hoſpitio arcentibus, humaniſſima excepiſſet hoſpitalitate, Antiſtitem à Ioue conſtitutum, propriæq; domui, quam Iupiter in templum ſibi ſacrauerat, præfectum, ea lege, vt ſenectute ſolutus Phylemon in quercum conuerteretur, vt factum fuiſſe dicitur, ne coniugis mortem conſpicere cogeretur, vt Iouem orauerat.

IOVI. De Ioue plura diſſeruimus paſſim lib. pri. Hic tantum nota, *Quercum amica Ioui* appoſitè collocatam à Poeta inter plantas Ætnæi nemoris; nam primo aderat Iouis filia Proſerpina, quæ rebus à Patre geſtis mirificè oblectaretur, vt diximus lib. pri. textile eiuſdem opus explicantes, quod Iouis opera referebat. Hic elementorum ſeriem, ſedeſq; paternas &c. Secundo euenturum non ſine Numine Iouis erat Proſerpinæ Connubium; Ideò quercus adeſſe debuerat in ſignum non diſſentientis, ſed adſtantis Numinis.

TVMVLOS TECTVRA CVPRESSVS. Poſt Quercum, Cupreſſum ponit Poeta nuptiales, neſcio, an ferales potiùs dixerim ſyluas exornantem. Quidquid autem idcircum dicendum ſit; certè non immeritò in huiuſmodi Sylua collocatur; nam, cum Plantas ad oblectationem Palladis, atq; ad ſolamen Proſerpinæ concinnatas, vt vidimus poſuiſſet, æquum erat, vt & Cynthiæ comiti, quam & Dianam vocant, propria exiberetur inter plantas oblectatio: ideò Cypariſſum hic collocat, nam lucos Dianæ ſacros ex cupreſſu conſeri ſolitos autumant quamplures, ac teſtari videtur Virg. Æneid. 3. dum ait

Aeriæ Quercus, aut coniferæ cypariſſi
Conſtiterant, Sylua alta Iouis, Lucuſue Dianæ.

quo loco interpretes volunt, *Syluam Iouis* ad *quercum*; *lucum* vero *Dianæ* ad *Coniferam cypariſſum* referri, ob allatam rationem. Nec vacat myſterio, quod media ponatur inter arbores recti haſtilis cupreſſus, vt obſeruantibus patet; nam ante illam ponitur Abies, Cornus, Quercus; poſt illam verò Ilex, Laurus, & Buxus. Ad hoc autem explicandum, ſuppono priùs, quod notiſſimum eſt, nempè medium, inter alios, locum honoris, ac præeminentiæ ſedem eſſe; ex quo factum, vt etiam Poetarum Princeps, Æneæ ſuo Principem locum daturus, medium illi aſſignet Æn. 5. vbi habet

Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.

Secundo ſuppono, quod pariter notiſſimum eſt, in theatralibus ſpectaculis, ſemper *medium*, hoc eſt *principem locum* attribui Illi, in cuius præcipuè gratiam eduntur ludi: ſic Virg. cit. Æn. 5. Æneam in medio collocat Circi theatralis, dum ait

Circus erat, quo ſe multis cum millibus Heros
Conſeſſu medium tulit, extructoq; reſedit &c.

& ſic deniq; in tragicis edendis *medium*, ideſt *principem* ſemper obtinet *locum*, qui partes agit præcipuas. Hoc poſito: animaduertes ex Mythol. Nat. Com. lib. 1. cap. 9. Cupreſſum Plutoni eſſe dedicatam, ac ſacram: & ex Pier. in hieroglyphicis lib. 12. habebis, eſſe in Ditis tutela cupreſſum, eiuſdemq; ramis, defunctos Dijs manibus commendari: quibus prænotatis; memineris, aſtu Veneris eductam in campos Proſerpinam fuiſſe, vt Plutoni concederetur Raptori: quare totus Ætnæ apparatus præparatorium opus ad tragicum euentum dici poterat; Scena autem, ex conſenſu Iouis, in gratiam Plutonis apparabatur; ideò arbor Plutoni dicata, tamquam tutelaris ſui numinis vicem gerens, in medio, ad ſpectaculum, collocatur: inſuper præcipuas partes actura erat in hoc tragico theatro Cupreſſus, quippè, quæ rapiendam Proſerpinam Dijs Manibus commendatura; ideò principem teneat locum, atq; in medio theatro ſtatuatur: denique in tælicis tragediæ Protagoniſta futurus erat Pluto rapiens, ac Proſerpina rapienda, & in inferis tumulanda; ideò arbor Plutonis medium occupare debuerat locum, & tumulos tectura cupreſſus in medio adeſſe, futuri vtiq; euentus hieroglyphicum. Sed & aliud arcanum latet, non negligendum, in ordine diſpoſitionis, quod omittere nefas duxerim. Cur immediatè poſt Iouis quercum Plutonis arbor collocatur? Cur non Quercus in medio, ſed cupreſſus ſtatuitur, quaſi neceſſe fuerit vt cederet Plutoni Iupiter? Habes, in ipſa quæſiti expoſitione, ſolutionem. Ceſſerat vtiq; Iupiter Imperium Plutoni, dum illi filiam permiſerat rapiendam; ideò & Quercus Iouis Cupreſſui Plutonis locum cedit: inſuper Prælium à Plutone in Iouem parabatur, ni coniux daretur: Fœdera ſanciendа erant per permiſſum Proſerpinæ raptum: ideò in ſignum conciliati diſſidij vtriuſq; arbores ſimul appareant; ſed cedat arbor Iouis, ſicuti ceſſit Iupiter Plutoni Filiam tradens ne bello confligeret. Iam explicationem proſequamur.

CVPRESSVS. Arbor eſt cupreſſus, vt dicebamus, funerea, inſignis admodum proceritatis, & rectitudinis, quæ ſemper in conum attollitur, & quæ in funeris ſignum ante ædes defunctorum ponebatur. Quod ſi quæras, cur hæc arbor funerea ſemper habita fuerit? facilis eſt, iuxta fabulas, reſponſio, ideò videlicet funeream fuiſſe, quia ex funere natam, & ea funere pueri formoſi adeò, vt vel Apollinem ipſum ſui captum amore detinuerit. Fuit autem hic puer Cypariſſus nomine, qui, cum Ceruum, quem in delicijs habebat, imprudens occidiſſet, tanto eſt affectus dolore, vt & in lacrymas ſolueretur, &, conſumptis tandem lacrymis, violentam ſibi tandem inijceret manum: aſt, ne tam impio fato periret, ab Amaſio Apolline dicitur in cupreſſum arborem transformatus, eiuſdemq; transformationem memorat Ouid. Metam. 10. dum Cupreſſum inter arbores ad Thracis cantum accurrentes enumerans ait

Affuit huic turba, metas imitata, cupreſſus,
Nunc arbor, Puer ante, Deo dilectus ab illo
Qui Cytharam neruis, & neruis temperat arcum.

Quod ſi potiùs ex hiſtorijs, quam ex fabulis ſolutionem exquiras quæſiti; ferunt, Aſclepiadis grauiſſimi Auctoris teſtimonio, Boream Celtarum Regem filiam habuiſſe Cypariſſam nomine, quam, immaturo omnis functam fato, cum tumulaſſet, dicitur hanc arborem in eius tumulo ſeuiſſe, à qua ſubindè ſatione arbor & ſemper funerea habita eſt, & nomen illi inditum cypariſſus. Sic itaque, qua tumulanda erat Proſerpina, funerea conſurgit arbor, & quidem, inter cæteras, media, quæ ad animi relaxationem fuerant concinnatæ, vt apertiſſimè indicaret, medijs è gaudijs funus emerſurum.

TECTVRA TVMVLOS. Videtur hoc ſatis explicatum ex dictis: *Tectura* enim particip. futuri temporis eſt à verbo tego, notiſſimæ ſignificationis. Sed notanda adhùc Vatis ſolertia eſt, qui non dixerit *tegere ſolita tumulos*; vel *quæ tumulis ſolent circumtegi*; Sed, præteritis poſthabitis, de futuro loquitur; *tumulos tectura*, vt oſtendat, cupreſſum ibi conſultò appoſitam, quia vid. Proſerpinæ connubium mortis inſtar illi adfuturum eſſet, atque à viuis viuens ſublata eodem loco eſſet in ictu oculi tumulanda. *Tumulus* autem dicitur quaſi *tumens humus*; nam *tumulus* propriè dicitur *terra elator, quæ compoſitam terram arte, ſupra altam excreuerit*: quare tumulus & paruum ſignificat collem, & ſepulchrum; ſed ſepulchrum tumultuarium, quale ſolet exhiberi militibus, in acie decedentibus, nam excauatâ tumultuariæ terrâ defuncti corpus humatur, &, terrâ iterum ſuperimpoſitâ, in modum tumoris conſpicitur eleuari ſupra corpus humatum telluris concameratio. Sic ſepulchrum Polidori deſcribens Virg. Æn. 3. ait:

Forte fuit iuxta tumulus quo cornea ſummo
Virgulta, & denſis haſtilibus horrida myrtus.

Cum igitur, Ætnæis in campis, mortuorum Regno addicenda eſſet Proſerpina, tumulos ibi habitura vbi luxurians ſpatiabatur, iure ad funus adfuit compoſita, ac *tumulos tectura Cupreſſus.*

ILEX PLENA FAVIS. Hieroglyphicum hic, arbitror, Proſerpinæ poſuit Poeta. Ducor in hanc ſententiam, ex eo quod legerim apud Virg. Æn. 6. Ilicem Proſerpinæ in delicijs fuiſſe, vt ex Moronis textu ibi apertè deducitur; nam, cum Sybilla, Æneam ad inferos ductura, de prius peragendis admoneat, hæc habet

Accipe quæ peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus & folijs, & lento vimine, ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer &c. & inferius
Sed non ante datur telluris operta ſubire
Auricomos, quam quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: primo auulſo, non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

tandem, quænam fuerit & hæc arbor aureorum fœcunda ramorum, tam dilecta Proſerpina &c. ore aperiens rotundo ait: *Talis erat ſpecies auri frondentis opacâ*
Ilice: ſic leni crepitabant bractea vento.

cum itaque tanto munere ditanda fuerit Ilex à Proſerpina, meritò ſibi in prædilectam arborem ab eâdem dicetur aſſumpta: atque ideo Poeta, prophetico Apollinis ſpiritu, de quo initio lib. primi dixerat, afflatus, quæ futura erant de Ilice, quaſi præſentia videns Ilicem fauis plenam, in Proſerpinæ ſymbolum hic erexit. Et quidem ad iam poſita congruenter; nam, ſi *Quercus amica Ioui* eſt; Proſerpinam ex Ioue natam Ilex deceat, neceſſe eſt, quæ in genere quercuum ponitur, & arbor glandifera eſt, robore, magnitudine, pondere, ac duritie inſignis, licet folijs acuminatis à quercu diſtinguatur, tanquam ſpecies à ſpecie. Ponitur autem plena fauis, non ex eo, quod naturâ ſui fauis abundet Ilex, aut melleos ipſa de ſe rores producat; ſed eo, quod aliunde, per prodigium, adſeitis, ſortem Proſerpinæ meliùs indicaret, quæ dum dulcedine deliciarum extrinſecus aduenientium, nec ſibi debitarum frueretur, breui pœnitentiæ aculeos, per aculeata Ilicis folia expreſſos, ſubitura accedebat. Nouum profectò non eſt hieroglyphicum illud, quo, de ſummo mellis fauo abſynthium pullulans pingebatur ab eo, qui vellet amaritudinem aliquam, aut infortunium, quod anteactæ vitæ ſuauiſſimum otium, ac tranquillitatem abſrumperet, exprimere: & quidem idipſum ſapere videtur Lucretianum illud apud Pier. lib. Hierogl. 26. . . *Medio de fonte leporum*
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angit.

Quare nil mirum, ſi eodem Hieroglyphico vſus ſit, modico flexu, Vates aculeata nempe Ilicis folia adhibens, abſynthij loco, quaſi his acuminibus, melleo liquore conſperſis, adſcribere lemma illud voluiſſet *Tranſit dum allicit*; in memoriam enim adducit hæc plena fauis Ilex infelicis Ionathæ infortunium, qui voce lamentabili coactus fuerit inclamare: *Guſtans paululum mellis, & ecce morior*. Apes mellis operatrices ſymbolum caſtitatis illibatæ teſtatur fuiſſe ſemper Eucherius: & conſentit Virg. Georg. 4. earum deſcribens pudicitiam ſemper illibatam his verſibus

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt;
Verum ipſæ folijs natos, & ſuauibus herbis
Ore legunt &c.

Quare & muta huius Ilicis Oracula videbantur Proſerpinæ inſinuare, ſtatum virginitatis melle quidem abundare, ſed mella huiuſmodi concedentibus aliena, vt libentur lingua, violentur attactu, aculeos tantummodo ſupereſſe; nam experientiâ compertum fuerunt, male ab apibus accipi, earumque aculeis male torqueri eos, qui Veneri indulſerint; ideò ne omina, ad finem vſque, deficiant, portentum Ilicis plenæ fauis opportuniſſimis temporibus oſtentat, in prodigium. *Ilex* itaque quid ſit, iam patet, & cur hic ponatur *Plena*, hoc eſt, referta, frequens, redundans, affluens, *Fauis*, hoc eſt melleis liquoribus, nam *Faui* à fouendo dicuntur Ceree apum cellulæ, ex quibus mella exprimuntur, ideò continens hic pro contento ponitur, ideſt pro melle fauus. Huic noſtræ expoſitioni videbitur fortaſſis refragari Parrhaſ., præcipue quà diximus, Ilicem non ex natura ſua fauis abundare, dum ait ipſe in hunc locum: *robora ferunt mel, vt Heſiodus auctor eſt*, ſed aduertite quid ſubdat Heſiodi aſſertionem comprobaturus, & nobiſcum profectò ſentire videbitur; ſubdit enim: *& conſtat rores melleos è Cælo cadentes, non alijs magis inſidere frondibus*, ex quo patet mella extrinſecus Ilici aduenire, non verò ab ea produci: ideò prudenter Parrhaſ. non dixit *robora producunt*, ſed *ferunt mella*, hoc eſt frondibus gerunt melleos è Cælo cadentes rores; quæ fuit ipſa eadem Heſiodi ſententia, vt notat Raphael in primum Metam. fab. 3. vbi Ouidius ait.

Flauaque de viridi ſtillabant Ilice mella.

nec obſtat, quod Virg. Ecl. 4. exarat, inquiens

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella;

nam primo quidem eamdem patitur interpretationem, ſecundo verò Virgil. id loco prodigij ſæculum aureum renouantis attigit, neque ideò aſſeruit, Quercum natura mellifluam. Idem dici ad locum Tibulli *Ipſæ mella dabant quercus &c.* ſed in re nota quid immoror, Nos cætera vocant.

VENTVRI PRÆSCIA LAVRVS. De Lauru plura egimus in præfatione ad hunc lib. Carm. 24. Non igitur hic repeto, quæ ibi ſatis abundè tractauimus, breuitati ſtudens. Tantum remanet inquirendum, cur hic Laurus ponatur, cum hæc arbor læti ſemper ominis eſſe videatur, non autem ad conſtruendos Tragedarum apparatus concinnata. Verùm memineris apollineam arborem Laurum eſſe, & facilè myſterium enodabis, ſi eodem tempore reuocaueris in memoriam Apollinem inter Proſerpinæ Procos adſtitiſſe lib. pr. Carm. 134.; & memineris deſpectum à Cerere ibid. Carm. 137. Præſcia itaque venturi; ideſt Proſerpinam præuidens rapiendam, & a Plutone rapiendam, adſtat Laurus, ac ſua in Lauru Phœbus, vt iniuriarum ſuarum vltionem ſpectet victorem forte Plutonem triumphalibus, in vindictam, folijs coronaturus. Vel adſtat Laurus, vt tacitè Proſerpinam moneat, malum ſemper Apollinem fugientibus euenturum; eamque quæ tanti Numinis lucem aufugerit, perpetua meritò cæcitate damnandam: nam ſolum qui malè agit, odit lucem: & vigilant in crimina pœnæ, ſemper vtique delicto æquiparandæ. Cur etiam *Præſcia* venturi Laurus dicatur In eadem præfatione loco cit. ſatis explicuimus. Quare temporis aſtus ſtimulis prætereuehor, ijs adde, quod notat in hunc locum Parrhaſius, Daphni, quæ Laurus iam eſt, Fanum decretum à Spartanis fuiſſe, vnde certiſſima reddebantur Oracula, quapropter eamdem mutato nomine Paſiphen dixere, vt refert apud ipſum Plutarchus.

HIC FLVCTVAT BVXVS. Hic aduerb. locale eſt, idem ſonans, ac *in hoc loco*, vbi ſcilicet prænominatæ excreuerant arbores. *Buxus* verò arbor exigua eſt, & ſemper virens, quæ producit ex ſe viſcum, & ſemen, ſeù granum omnibus animalibus inuiſum. Lignum habet durum adeò, vt cariem non patiatur, & graue adeò, vt in aquis ſubſidat, ad ſupernatandum inhabile. Adeò tamen gratum eſt Viridariorum cultoribus, vt vix Viridarium videris, vbi hanc arborem non conſpexeris in varias animalium, fontium, ac rerum ſimilium figuras conformatam. Hic ſoluta ponitur; nam apparatus Syluestris Viridarij hanc delicatiorem artis culturam reſpuebat, ideò *Fluctuat*: *fluctuare* enim *hinc inde flecti*, & more fluctuum maris agitari, contrarijs ſcilicet ventis eludentibus, ac, leni afflatu, modò inclinantibus, modò in priſtinum redire permittentibus, vt in ſolutis arborum faſtigijs ſæpè conſpicitur. Ideò

CRISPATA CACVMINE DENSO. Criſpata proprium vtique Buxui epitetum eſt: nam *criſpatus* particip. paſſiuum eſt à Criſpo, quod *criſpum*, ſeù *corrugatum reddere* ſignificat: & porrò buxus folia corrugat omnia, vt ſatis inſpicienti patet: & fortè hic oſtentabat, corrugandam eſſe Proſerpinæ frontem, atque in mærorem æternum conijciendam *Criſpata*; hoc eſt *inibrata*, interpretatur Parrhaſius ventis nempè, vt dixeram, agitantibus. Sed quia hoc ſatis expreſſum in verbo *fluctuat*; potiùs hic arbitror naturam, & formam arboris à Vate deſcribi iuxta explicationem noſtram, ad quem etiam facit, quod addidit nempè: *Cacumine denſo*. *Cacumen* enim ſummitas cuiuſcumque rei appellatur, & *Denſum* hic dicitur, quia adeò conferta, & ſtipata folijs, etiam in ipſa ſummitate, buxus eſt, vt vix parem repereris. Sed *fluctuat* tamen cacumine, quia ea pars quippè gracilior faciliùs inflectitur, inferiori corpore tenaciùs reſiſtente.

HIC HEDERÆ SERPVNT. De aduerb. locali *Hic* iam diximus, figuram tantum adnotaueris repetitionem, qua plura diſponuntur in loco: *hic hedera*, hic Buxus, hic Pampinus &c.

De hederis etiam abundè diximus lib. pr. Carm. 67. Hic tantum nota, hederam dici ab adhærendo, quia, cum per ſe ſtare non poſſit, arboribus, parietibuſque adhæret, ac tortuosè ſemper, colubri ad inſtar, procedit; quarè etiam Ouid. Metam. 10. hederas *flexipedes* appellat.

Vos quoque flexipedes Hederæ veniſtis, & vna

Pam-

Dd

Pampineæ vites, & amiƈta vitibus vlmi.

Porrò hederam hic ſtatuens Poeta omen omini ſuperaddit. Ominoſam vidimus Ilicem fauis plenam, ominoſam & Laurum; nec caruiſſet omine buxus, quandoquidem (præter id quod iam innuimus, in voce *criſpata*) ex buxo inſtrumenta compoſita ferale, vt plurimum, reſonant: ſupereſt, vt non ſine omine, & quidem Proſerpinæ infauſto hederam adſtitiſſe conſpiciamus. Memineris itaq; nos lib. pr. in explicatione habita ad Carm.

Ebria Mæonijs fulcit veſtigia Thyrſis.

ſatis indicaſſe Thyrſum haſtam eſſe præacuto munitam ad feriendum ferro, quæ hederis contegeretur, ex quo factum dicebamus, vt vulnus delicijs obtectum ſignificauerit. Hedera igitur Tyrſis ornamentum, integumentumq. præbere ſolita hic aſſurgit, vt Proſerpinam moneat, ne delicijs vndequaque circumfluentibus fidat; nam telum ſub deliciarum ſpecie eiubrabatur in vulnus. Inſuper ex hederæ tenacitate, qua indiſſolubilibus nexuum preſſuris, omnia, quibus adhæreat conſtringit, effectum eſt, vt captiuitatis in ſymbolum aſſumeretur hedera ab Antiquis. Quid igitur hic portendat hedera, niſi Proſerpinam, luctuoſa mox cataſtrophe, vitali hac luce, ac libertate priuandam? Mirari autem quis poſſet hederam à Vate vitibus prælatam, dum primo loco, *hic hederæ ſerpunt*, inquit; ac ſubinde adiecit *Hic pampinus induit vlmos*. Sed neque hoc vacat ſapientiſſimæ eruditionis arcano; nam, vt legere eſt apud Pier. lib. Hierog. 51., tanto in honore habita eſt hedera apud Ægyptios, arbitrantes, Plantam eam eſſe Oſiridis ſui, vt etiam vitibus ipſis præhaberetur in ſacris. Ideò Ægyptiorum ſenſum ſecutus Vates hederam vitibus eruditiſſime prætulit; quod fecit & Ouid. loco mox ſupracit. *Serpere* autem dictæ ſunt hederæ, quia tortuoſo tramite, vt diximus, hærentes alteri attolluntur.

HIC PAMPINVS INDVIT VLMOS. Pampinus idem eſt, ac Palmes, vulgò *il tralcio della vite*; eſt enim tener, frondoſuſq; in vite colliculus fructus fouens eiuſdem vitis, eoſq; ab æſtus vindicans iniuria. Sic Virg. Georg. 3. vitis propitiam ex verè fortunam deſcribens, hæc habet in rem noſtram.

. . . . Nec metuunt ſurgentes Pampinus Auſtros,
Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem;
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

& primo Georg. grandinis flagella exagerans, ex prænotatis ſignis, eiubranda hæc habet

Heù malè tunc mites defendet Pampinus vuas;
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.

Hic tamen Pampinus pro tota vitis ponitur Planta; pars ſcilicet pro toto per Synecd. Sed quid hic vitis, inquies, quæ ſignum libertatis eſt, Ægyptiorum omnium calculo comprobatum: vbi, de vincienda, vt ſupra dicebamus, Proſerpina, Proſcenium agitur? Quid vitibus cum Tragicis? Nonne vitis, iuxta Ægyptios non ſolum, ſed iuxta Phyloſ. omnes, ac Poetas tam Græcos, quàm Latinos ſymbolum lætitiæ fuit, pleniis vocibus celebratum? Quomodò infortunijs præludere potuit vitis, quæ ſemper in argumentum fœlicitatis viguit aſſumpta? Profectò vitis, quæ ab Aſtiage, per quietem viſa eſt de Mandanes gnatæ ſuæ genitalibus oboriri, vniuerſamq; Aſiam palmitibus obumbrare, Cyro Nepoti terrarum præſagiuit imperium, non excidium. Quid hic igitur vbi luctus imminent efflorеſcat? Vera mehercule hæc omnia. Sed quæ Poetæ perſpicacitatem non retundant. Nouerat & ipſe vitis laudes, nouerat ſuauitates, nouerat delicias; ſed nouerat etiam acerbitatem vitibus non deeſſe; immò vitem in nocumenti abſconditi hieroglyphicum fuiſſe aſſumptam non ignorauerat; hoc enim illi, & ſapientiſſimis omnibus portendere viſa eſt vitis illa ſupra caput Hecates prætendi ſolita, & quæ oſtenderit Fauni Patris inſidias, quas vini opera extruxerat in Gnatæ Virginis corruptelam, ac de quibus inſidijs fusè nos dix. lib. pri. Carm. 15. Sicuti igitur Hecates palmites inſidias illi extructas à Fauno Patre virginitatem illius violaturo, portendebant; ſic vitis, hoc loco, nocumentum delicijs abſconditum, ac mox ferali nimis impetu erupturum: nampè Plutonis Patrui inſidias ad Proſerpinam rapiendam, violandamque inſtructas præfigurat. Ideò iure, hoc ipſo in loco vitis *induit*; hoc eſt, in modum veſtis operit, & circumtegit *vlmos*; Vlmus enim arbor eſt, ob raritatem foliorum, maritandis vitibus maximè idonea. Quare etiam Virg. Georg. pri. ait

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſydere terram
Vertere, Mæcenas, vlmiſq; adiungere vites
Conueniat &c.

ex quo ſatis conſtat, naturalem aliquam interuenire inter vitem, & vlmum ſympathiam, qua fit, vt vites, vlmis copulatæ, mirum creſcant in modum, ac, per ramos arboris ſerpentes, altiùs vndoquaq; luxurient. Hanc autem ſympathicam vnionem attigit etiam Hetruſcorum Princeps Poetarum Hieroſ. liber. Cantu 20. his verbis

Com' olmo, à cui la pampinoſa vite
Cupida s'auuiticchi, è ſi marite &c.

naturam igitur ſecutus & Auctor noſter profectò eſt: ſed, dum mores imitatur Naturæ, myſticas, ac ſymbolicas affectiones non negligit, vt ex dictis iam conſtat.

HAVD PROCVL INDE LACVS &c. Ne vlla deeſſent Ætnæ deliciarum oblectamenta, viridantibus Floræ Hencauſtis, laſciuientibus riuulis, fontibus ex pumice ſcatentibus, Syluis in vmbracula compoſitis, ac melle manantibus, vltimam deliciarum ſuperaddit, nempe placidam criſtallini lacus vndam, quæ, ſe ſe in ſpeculum conformans, vnita referat in imagine, quidquid ſparſim Ætneas condecoret delicias.

HAVD PROCVL INDE. Haud aduerb. negantis idem ſonat, ac *Non*: *Procul* aduerb. diſtantiæ eſt, idem ſonans, ac remotè, ſeù longè. *Inde* verò aduerb. locale, idem importans, ac *ex loco*, ſeù *à loco*: quare *haud procul inde* idem erit, ac *non longè à loco*, de quo dicebamus.

LACVS. Eſt *Lacus* cauitas terræ in profundum depreſſa, atq. ex ſuperiori parte patens vndequaq;, aquis perpetuis affluens, quibus exuberantibus, riuos efficit, & fluuios. Diſtinguitur autem lacus à ſtagno, quod hoc temporaneam habeat aquam ſtagnantem, quæ plerumq. hyeme colligi ſolet, æſtate verò exſiccari: cum lacus aquas habeat inibi naſcentes perpetuas, ac perennes. Quantam verò venuſtatem lacus ijs, in quibus excreſcunt, locis, vel ex hoc vno diſcerni poteſt, quod Virg. Italiam delicijs omnibus affluentem deſcribens non immemor lacuum fuit: Georg. 2.

An mare, quod ſupra, memorem, quodq; alluit infra?
Anne Lacus tantos? Te Lari maxime? teq;
Fluctibus, et fremitu aſſurgens Benace marino?

&, eodem lib., fœlicitates amplificans ruſticalis vitæ, inter maxima eiuſdem oblectamenta Lacuum collocat amænitates, dum ait

Speluncæ, viuiq; lacus, & frigida Tempe,
Mugituſq; boum, molleſq. ſub arbore ſomni?
Non abſunt illic ſaltus, ac luſtra ferarum &c.

Sed nec omine caret hoc loco Lacus, & myſterio. Æneæ ad Inferos deſcenſuro ſpelunca oſtenditur, tuta lacu nigro, qua ſcilicet aditus pateret in tartara, vt clarè patet ex Æneid. 6. vbi ſic

Spelunca alta fuit, vaſtoq; immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq; tenebris &c.

Quidni igitur Proſerpinæ in Tartara rapiendæ lacus pande（retur? non quidem nigricantium, & graueolentium aquarum, nam nimis ſic inſidiatoris patefeciſſet inſidias; ſed, ſerena fronte, ad dolos, iuxta Veneris fraudem, compoſitus.

PERGVM DIXERE SICANI. Interponit, per parentheſim, lacus nomen, & quidem iuxta ſiculam nuncupationem, vt clarius innoteſcat, de quo Lacu loquatur; quem ſcilicet *Sicani*, hoc eſt *Siciliæ Populi*; nam *Sicani* nomen patrium eſt à Sicania deductum, quæ pars Siciliæ fuit, in finibus Agrigentinis, tantæ celebritatis, vt Sicania ab ea dicta fuerit tota Inſula, quale idem ſonat nomen *Sicani*, ac Siculi *dixere*; ideſt appellauere, eorum lingua, *Pergum*. Video hunc lacum apud Ouid. *Perguſam* dici, & à Firmico *Percum*. Sed nil mirum, nam, iuxta diuerſitatem ſermonis diuerſorum, diuerſimodè idem potuit appellari. Innixus tamen græcis eruditionibus Claud. eum Pergi potiùs nomine indicare voluit, quia ſic ex ipſo nomine importabatur lacus natura, quam ſubinde explicat; nam *πέργος*, Herodoto teſte, idem eſt, ac Latinis *meabiles*. Cum itaq; Lacus iſte admittat in altum cernentes oculos, certè meabilem ſe præbet oculis, ita vt ad ſundum vſque vndam permeet viſio; imiq; prodat lacus ipſe ſecreta profundi. Inſuper Pergi nomine vſum arbitror Poetam, eo, quod ipſe ethymologiam huius nominis modica vocabuli inflexione, deduxerit à *περάω*, quod verbum viderit idem ſignificare, ac latinum verbum transfigo. Cum enim Proſerpina ſummo, iuxta Lacum, dolore eſſet transfigenda; ideò quaſi prænuncio nomine lacum ipſum *Pergum dixere Sicani*, inquit Vates, vt portenta portentis adderet, ac Hieroglyphicis omnia compleret, ſibi ipſi à capite ad calcem, more ſuo cohærens.

PANDITVR; hoc eſt extenditur, & dilatatur, iuxta di-

cta de hoc ipſo verbo in anteactis Carm. 97., quod inquit Vates, vt oſtenderet lacum non arctis interclusum anguſtijs, ſed protenſum, & ad multum ſpatij dilatatum, vt aptior ad oblectationem inſinuaretur.

ET CINCTVS MARGINE FRONDOSO NEMORVM. *Cinctus*, ſi rigoroſè ſumatur, idem eſt, ac comprehenſus, coercitus &c. nam cingo, à quo deriuatur, id ſignificat, hic translatè, ac lato ſumitur modo pro *circumdatus*. *Margines* autem dicuntur quæcumq; rerum extremitates, & quia fluminum, & lacuum ripæ extremitates terræ videntur eſſe, quæ terminos imponant aquis, ideò & ipſæ margines dicuntur, vt hic. Frondoſum verò dicitur, quod frondibus abundat. Porrò tellus in tantum frondibus abundat; in quantum conſita arboribus earum vegetat frondes, quarè dicitur hic *abundans frondibus* pro arboribus, parte ſcilicet pro toto poſita; vt ſcilicet oſtendatur Lacus, *nemoroſo margine cinctus*. Ideò addidit *Nemorum*, quod non explico, nam quid ſit nemus, vidimus lib. pri. Carm. 107.

Quod ſi aliam cuperes conſimilem eiuſdem lacus deſcriptionem audi Ouid. Metam. 5.

Haud procul Ænnæis Lacus eſt à mænibus altis;
Nomine Pergusa. Non illo plura Cayſter
Carmina Cycnorum labentibus audit vndis
Sylua coronat aquas cingens latus omne, ſuisq;
Frondibus, vt velo, Phœbeos ſubmouet ignes:
Frigora dant rami, varios humus humida flores &c.

Conferas hanc Ouid. deſcriptionem cum textu noſtro; & videbis, Claud. eodem viſum eſſe principio, dum ait: *Haud procul inde Lacus &c.* Item in antecedentibus Syluam deſcribens dixerat: *Syluaq; torrentes ramorum frigore Soles temperat &c.* Vbi Ouid. *Frigora dant rami &c.* Atque vbi Ouid. ait: *Sylua coronat aquas*: *Nemorum frondoſo margine cinctus*: inquit Auctor &c.

PALLESCIT. *Palleſcere* idem eſt, ac *pallidum fieri*, ſeù *pallore ſuperfundi*. Pallor autem color ille eſt, qui inſurgit in cute hominis tunc, cum ſanguis ſe ad interiora recipit præcordia, qui color luteus etiam, & oxitonus dicitur. Verùm, quia pallor, in facie, videtur ſortiri effectum vmbrarum locum lucidi coloris occupantium: ideò, quæ vmbris inficiuntur, palleſcere, per translationem, dicuntur; & quia verè quod vmbris tegitur, præſertim ſi corpus lucidum ſit, videtur aliquid de própria luce deperdere, & colorem pallori perſimilem contrahere; pallorem vmbris paſſim attributum, apud Poetas primi nominis reperies. Sic Virg. Georg. 3. ait

Tum Sol pallentes haud vnquam diſcutit vmbras,

& Æn. 4.

Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam.

Sed in re nota non diutiùs arbitror immorandum. Igitur *palleſcit*, hoc loco, idem eſt, ac *vmbris circumtegitur*, & *ſpeculi vicem gerens vmbrarum refert pallorem repercuſſum.*

AQVIS VICINIS. Rationem, quam immediatè ſupra attingebamus, nempè Lacum palleſcere dictum, quia ſpeculi vicem gerat vmbrarum pallorem reuerberantis, roborat, hoc loco, Vates, tacitè enim huius reuerberati palloris cauſam aſſignat aquam, quæ, cum corpus aptum ſit, ad ſpeculi vicem ſuſtinendam, effectum etiam ſortitur reuerberandi; eaſque vt in debita approximatione conſtituat, addit epitetum *Vicinis*; hoc eſt proximis Syluæ, vmbram proijcienti, ita vt vmbras ipſas excipere, ac reflectere poſſent. Cum autem certè pallor aptiſſimus ad dolentis imaginem exprimendam ſit color; Hieroglyphicum & hic arbitror à Vate erectum Proſerpinæ, quæ vicinis iam excidijs expalleſcere, ex ſumma dolentis cordis anguſtia, mox deberet.

ADMITTIT IN ALTVM &c. Deeſt hic, per aſſintheton, copula *Et*, quæ fuerat adiungenda. Porrò *admittit*, verbum ex *ad*, & *mitto* compoſitum, idem ſignificat, ac *intromittit*, ſeu *intra recipit*, & *aditum ad interiora præbet*. Ideò *in altum*, hoc eſt *in profundum*, nam altitudo tam dicitur de rebus ſurſum aſſurgentibus, quam de rebus in profundum depreſſis. Vbi nota quàm perueniuſtè inſinuet non ſpernendam Lacus profunditatem; profundum enim ſuiſſe dolet, licet profundum expreſſe non dicat. Igitur *admittit in altum*; hoc eſt, *permittit* vt penetrent oculi ad inſpiciendas vltimas ſui cauitates.

OCVLOS CERNENTES. Ponit hic cauſam pro effectu; nam certè oculi, qui organa viſionis ſunt, non recedunt a fronte intuentis, vt penetrent ſubiectas aquas; ſed viſio, quæ ab oculis elicitur, ea percipit interiores Lacus partes, & ſic admitti dicitur in altum. Aſt ſuperfluens hic, & ſupernacaneè appoſitum videri poterit fortaſſis, particip. illud *Cernentes*, quod à *cerno*, quod eſt *video*, deriuatum, idem eſt ac *videntes*; certum eſt enim, quod, ſi lacus admittat oculos in altum, cæcos profectò, vel alio reſpicientes non admittat: quare, ex neceſſario conſequenti, *cernentes* eſſe debent oculi, qui admittuntur: ergo ſuperfluè additur particip. *cernentes*, quippe quod, de ſe, ineſt oculis in altum admiſſis. Verùm ſuperfluum dici non poteſt, quod ſubtiliſſimæ doctrinæ ingerit lumen. Sciendum itaque celebrem de ſenſitiuis potentijs inter Phyloſophos quæſtionem agitari; dum ſcilicet quærunt, an ſenſitiuæ potentiæ actiuæ ſint, an merè paſſiuæ? v. g., in ſubiecta materia viſionis, quæritur, num viſio ſit mera paſſio, hoc eſt pura receptio ſpecierum ab obiecto tranſmiſſarum; an verò, præter receptionem ſpecierum in organo, requiratur, vt ipſa potentia viſiua actiuè producat ſpeciem expreſſam, ideſt actum vitalem ipſius viſionis. Nos in animaſticis, cum Phyloſophorum Principe, latè probauimus, viſiuam potentiam non poſſe eſſe purè paſſiuam: ſed debere eſſe actiuam, & vitaliter producere actum viſionis vitalem; nam ſi viſio eſſet pura receptio ſpecierum paſſiua, ſequeretur, quod etiam ſi quis, apertis oculis, dormiat, adhùc videret obiecta circumquaque poſita (ſi meridiano tempore accidat caſus) quia certè etiam tunc ſpecies ab obiectis emiſſæ apertum in oculum paſſiuè recipiuntur, quod tamen manifeſta experientia falſum eſſe comprobatur. Immò multoties experimur, quod, quamuis obiecta ſub oculis præſentia habeamus, ea tamen non videmus, quia diſtracta potentia, vel vehementi ad alia intellectus conuerſione, vel aliquo alio diuerſiuo abſtrahente, in viſionem non incumbit; & tamen certè ſpecies illius obiecti, quippè præſentis, & ſub oculo conſtituti recipiuntur in organum; ergò dicendum eſt, viſionem non conſiſtere formaliter in ſola receptione ſpecierum, ſed requiri vlterius, vt actiuè potentia concurrat, vitalem viſionis actum vitaliter eliciens. Hoc ipſum itaque docet hoc loco, & aſſerit Vates; dum ait: *admittit in altum cernentes oculos*; hoc eſt, admittit non quoſcumq; oculos, in quibus ſpecies, mortuo quaſi modo, recipiantur; ſed *cernentes*; hoc eſt, qui, receptis ſpeciebus impreſſis, ſpeciem obiecti expreſſam, hoc eſt actum ipſum viſionis vitalem vitaliter eliciant producentes: Non itaque ſuperfluum eſt adiunctum illud *cernentes*, cum modum importet procedendi ipſius viſiuæ potentiæ, atq; actiuam eam eſſe, non verò purè paſſiuam inſinuet. Sed, vt pleniùs Vatis eruditionem intuearis, aduerte obiter, aliam ex hoc eodem contextu importari celebrem non minus, & arduam apud Phyloſophos, quæſtionem; & illa eſt, qua quæritur, num viſio fiat, per introſuſceptionem ſpecierum; an verò, per extramiſſionem radiorum? Qui primum aſſerunt, dicunt etiam, ſpeciem ſui à quolibet obiecto emitti, quæ, à baſe obiecti, per medium propagata, ac conformata in conum, ad potentiam vſque perueniat viſiuam, ita vt eà in organo recepta potentia ſubindè viſionem eliciat. Qui dicunt viſionem fieri per extramiſſionem, negant hanc ſpecierum ab obiectis emiſſionem, propagationem &c. ſed aſſerunt, ab oculo radium quemdam emitti, quem viſualem appellant, qui à potentia ad obiectum vſq; protendatur, & ſic reddat obiectum viſum. Hanc ſententiam nos latè in animaſticis confutauimus, cum Lectoris munere fungeremur in Almo huius noſtræ Ciuitatis Mariano Collegio. Ratio autem confutandi, inter alias plures, vna deſumebatur ex eo, quod ſi viſio fieret per extramiſſionem radij viſualis; iam radius ille inſtar luminis eſſe deberet, quo obiectum redderetur viſibile; ergo etiam in tenebris videre deberemus. Quod ſi dicas radium illum quippè admodum tenuem à tenebris obrui, ita vt eas euincere non poſſit: Contra eas manifeſtè; nam, hoc poſito, neq; per diem videre poſſemus, & quidem tunc præcipuè cum maximè Sol emicat, & illuminat, quia ſi radius ille opprimitur à tenebris, multo magis opprimeretur à Sole; Vbi enim maius ceſſat minus; ideo & Sydera ipſa, quæ a tenebris opprimi non poſſunt, præſente Sole euaneſcunt; quanto igitur magis radius ille viſualis, qui minor adeò eſt ſyderum luminibus, vt ne tenebras quidem euincere poſſit, opprimetur a Sole? His tamen non obſtantibus, videtur, vt fatear, prima fronte, Vates in ſententiam hic, a nobis confutatam deſcendere, dum ait: *Admittit in altum cernentes oculos*: nam certè, vt nos ipſi dicebamus, cauſam ponit pro effectu, hoc eſt *oculos* pro ipſo *viſionis actu*, ab oculis elicito; qui actus, dum admitti dicitur, neceſſariò a potentia ad obiectum deriuari, per radium viſualem, ab

organo

organo emiſſum, affirmatur. Verùm quis fuerit Poetæ ſenſus, nequit hic, ſine erroris periculo dijudicari; ſed perpendendum prius id, quod in ſequentibus exarat Auctor; ideò, libratis iudicij lancibus, reliquum expoſitionis excipiamus.

ET LATE PERVIVS HVMOR &c. Copulat per coniunctiuam particulam cum antecedenti ſententia *admittit in altum* &c. Sententiam ſubſequentem, nempe *latè peruius humor &c.* *Humor* verò dicitur aqua ſuprapoſiti lacus, poſito genere, quod tamen à ſubiecta materia limitatur, pro ſpecie, ſeu ſpecie pro indiuiduo; nam *humor* appellatur quælibet aqua, vel ab humo, qua continetur, vel ab humido, quo maximè pollet. *Latè* autem aduerb. dimenſionis ponitur hic, pro *abundè*, vel pro *vndequaque*, verumq; enim ſenſum amplectitur, & peruium dicitur id per quod ire poteſt, ſed per translationem *peruius* pro eodem ſumitur, ac *penetrabilis*: ex quo vides, quam altè attollat hic Vates perſpicuitatem illius aquæ; quæ ſcilicet cryſtallo lucidior vndequaque fuiſſe dicatur, ideoque nil viſui obſtaſſe quin ad fundum vſque penetrans, demerſa in profundo, omnia videret aperta; quia videlicet *Humor peruius*

DVCIT. Ducere eſt quaſi *alicui viam neſcienti praire, atque ad metam vſque ſe prædem præbere*. Itaque vt videtis, actionem viuentis propriam, & actiuam Lacui, vel lacus vndis attribuit, cum mere paſſiuè ſe habere potuerint: id autem præſtat Auctor, vt altiùs aſſurgat oratio, & quidem non ſine pondere eruditionis; nam cum antiqui vndis omnibus, vt ſæpè innuimus ſuum attribuerent Numen, nil mirum ſi etiam lacubus, hoc eſt eorum Numinibus virtus præbeatur actiua, immò & vitalis, poſita, quoad nomen, re poſſeſſa pro ipſo Numine poſſeſſore, quaſi Numen illud propria virtute aquarum ſuarum corpus diaphanum omninò redderet, ac manuduceret viſionem intuentium ad intimas quaſque partes inſpiciendas. Audio hic Auctores, aſſerentes, viſionem fieri, per extramiſſionem radiorum, litem ſibi adiudicatam clamitantes. Et ratio in promptu eſt, quia non ducitur, niſi qui *volens ſequatur à termino à quo ad terminum ad quem*: ſed clarè inquit Poeta *ducit viſus &c.* ergò viſio fit, per radium ab oculo prouenientem, & ad obiectum pergentem ex ipſa Vatis ſententia. Verùm ne cantant, quæſo, ante victoriam, triumphos; nam quod dicimus de verbo *admittit in altum*, idem dicendum erit de verbo *Ducit ſub Gurgite &c.* Interim proſequamur.

VISVS IN OFFENSOS. Viſus & actum videndi, ſignificat, & potentiam ipſam viſiuam. Si pro actu ſumendus hic eſſet, fauerer certè aſſerentibus viſionem fieri per extramiſſionem; ſi verò ſumatur pro potentia viſiua, fauet aſſerentibus fieri per introſuſceptionem ſpecierum, quæ ſola reddit potentiam immediatam obiecto, immediatione virtutis, vt dicemus infra, in verbo *Prodit*. Quare non ſine arte hoc vſum nomine *Viſus* Auctorem arbitror, vt neutri tandem litem adiudicaret. Sed fuſiùs infra. Inoffenſus participiale nomen eſt compoſitum ex particula *in*, quæ naturam induit negatiuæ, & *offenſus*, ita vt idem ſit inoffenſus, ac *non* offenſus, ideſt nullo præpeditus impedimento; nam offendere eſt in aliquod obſtaculum impingere, & detineri.

SVB GVRGITE. *Sub* præpoſitio eſt, quæ idem ſignificat, ac *ſubter*, & modò ſexto caſui, modò adiungitur quarto, pro ratione vel ſtatus, ac quietis, vel motus, quem ſignificet verbum, cui addicitur. Videtur itaq. hic primo intuitu hallucinatus Claud.; nam *Ducit* eſt verbum importans motum; atq; adeò non *ſub gurgite*, ſed *ſub gurgitem* dicendum fuiſſe, hic dicerent Grammatici. Reſpondet Parthaſius; *ſub gurgitem*, procul dubio dicendum fuiſſe, ſed Auctorem inhæſiſſe Virgilio, qui hac elocutione indifferenter vſus deprehenditur, & loca eiuſdem Virg. notat, quæ id comprobent apertè. Optima eſt, non inficior Parthaſij reſponſio quo ad Grammaticos refellendos; ſed non attingit, vt arbitror, Poetæ acumen. Quarè, attenta Vatis prudentia, quam nullus iure redarguere poſſit, ſic ego aliter reſpondeo. Dixerat in antecedenti Vates: *admittit in altum cernentes oculos*; quo poſito, ſi addidiſſet hic *& ducit ſub gurgitem*, idem per diuerſa dixiſſet, & in peryſſologiam incidiſſet; ideircò non *ſub gurgitem* dixit; ſed *ſub gurgite*; nam qui admiſſus fuerat in altum oculus iam eſſe in loco, ideſt *ſub gurgite* intelligebatur, ac ſubindè *ſub gurgite degens* ducebatur circumquaq; ad inſpicienda circa fundum omnia, quæ ipſo ſub gurgite eſſent. Quarè *ſub gurgite* & ſtatum in loco indicat reſpectu iam in altum admiſſi, & partes notat ſub gurgite poſitas, ad quas motus, per verbum ducit, importatur ſub eodem Gurgite; conſequenter verbum illud *ducit*, ita importat motum, vt tamen non diſcedat à ſtatu; nam viſus ſub Gurgite admiſſus ad diuerſas ſub gurgite partes ducebatur *inoffenſus*; hoc eſt *medio non reſiſtente*, quippè Diaphano, &

LIQVIDO. Liquidus enim idem eſt, ac fluens, ideſt nulla, vel ferè nulla præditus conſiſtentia, vt certè Gurges eſt, qui hoc loco deſcribitur, & pro ipſa aquarum ponitur congerie, ad imitationem Virgilij, qui in eodem ſenſu Gurgitem aſſumpſit Æn. pri. dicens

Apparent rari nantes in Gurgite vaſto.

licet rigoroſè loquendo Gurges non ſit ipſa aqua, ſed locus, ad modum voraginis, profundus, in quo aqua vertitur, & circumflectitur. Sed non eſt nouum Poetis, immò & oratoribus continens pro contento vſurpatum.

IMAQVE PERSPICVI &c. Per copulatiuam *que* pro *&*, adhùc antecedenti ſententiæ ſubſequentem nectit, nempè, *& prodit ſecreta &c.*

PRODIT. *Prodere* idem ſæpè eſt, ac *detegere*, & *patefacere*, ſeu *aperire*, vt patet ex Virg. Æn. 2. vbi ſic

Prodere voce ſua quemquam, aut opponere morti.

in quo ſenſu optimè conſonat cum ſuperioribus; ad indicandum Poetæ ſenſum cum ijs eſſe, qui viſionem aſſerunt fieri per extramiſſionem, nam, dum lacus radium viſualem inſpicientis admittit, certè ſinum reſerat, & aperit ſecreta profundi. Poſſet quidem obijci, fore vt ſuperfluum eſſet hoc membrum in oratione, ſi in hoc ſenſu verbum *prodere* acciperetur; nam explicaret idem, per idem; idem enim eſt *admittere oculos in altum*, & *prodere*, ſeu *detegere*, aut *aperire ſecreta* profundi, cum viderimus ſupra *Altum* pro ipſo *profundo* vſurpatum. Sed facilis adſtat ſolutio, ſi dicamus, *Altum* idem profectò eſſe, ac *profundum*, ſed non ſemper omnimodam importare profunditatem; quarè potuiſſe fieri, vt oculus admitteretur *in altum*, ideſt in aliquam lacus profunditatem; puta ad dimidium vſq; illius aqueæ molis, ſecundùm menſuram profunditatis; nec tamen admitteretur in totam omninò profunditatem, nempè ad fundum vſque; ideòq; neceſſarium fuiſſe, ad oſtendendam hanc vſq; ad imum admiſſionem, adijcere: *Imaq; perſpicui prodit ſecreta profundi*. Quamuis tamen hoc veriſſimum, atq; indubitabile ſit; aduerto adhùc vlteriùs, verbum *prodo* accipi ſæpe ſæpiùs pro eodem, ac *projicio*, *excludo*, *propello*, in quo ſenſu vſurpatur ab eodem Virg. Æn. pri. dum Venerem inducens Ioui Genitori verba facientem, ſic ait ipſius ore

Nos, tua Progenies, Cæli quibus annuis arcem;
Nauibus (infandum!) amiſſis, vnius ob iram,
Prodimur, atq; Italis longè disiungimur oris.

vbi Interpretes communiter locum explicant, vt dicat; *Prodimur*; hoc eſt, *excludimur, ac propellimur non ſolum ab oris Italiæ; ſed etiam longè ſemouemur ab illis, ac disiungimur.* Quod ſi in hoc ſenſu accipiatur verbum *Prodo*, hic poſitum ab Auctore, iam tota perit ratio aſſerendi, viſionem fieri per extramiſſionem; immò apertè infertur eam fieri per introſuſceptionem ſpecierum: nam quid ſibi vult: *Lacus prodit*, hoc eſt *excludit, propellit*, ac *projicit* (nam & hanc habet ſignificationem *Prodo*) *ſecreta profundi*? Certè ſenſus non eſt, quod, quæ in fundo habeat ſecreta lacus, hæc à ſe excludat, projciat, & ad ſuperficiem vſque propellat aquarum. Ergò ſenſus tantummodo eſſe poteſt, quod ea, quæ in imo ſunt, producant ſpecies, quibus, cum fuerint *viſibilia potentia*, reddantur *viſibilia actu*; & quæ ſpecies emiſſæ ab obiectis, in fundo demerſis, ab ijſdem projciantur, ac propellantur, ita, vt, per tranſmeabilitatem vndarum, propagatæ ad oculum vſq; pertingant. Dicuntur autem prodi, ideſt *projici ad oculum* ſecreta profundi, non quidem in ſe ipſis, ſed in ipſorum imagine virtuali, quæ ſpecies ipſa emiſſa eſt. Obijci tamen & hic poteſt, hoc non ſolum fore diſſonum ab ijs, quæ Vates immediatè ante dixerit, ſed fore contradictoriè oppoſitum (quę nota nequaquam tanto Vati eſt inurenda) ratio eſt, quia immediatè ante dixerat: *Admittit in altum cernentes oculos*. Ait, ſi tranſmittit ſpecies ad oculum, iam non admittit oculos ipſos in altum; ſed ſpecies ex alto emittit: ſicq; iam admitteret, & non admitteret oculos, quod iuxta ſententiam tanti Vatis eſſe, non eſt omninò dicendum. Hæc tamen obiectio nil prorſus roboris habebit, ſi animaduerterimus, quamnam vnionem importent ſpecies inter videntem, & obiectum viſum; important enim vnionem immediationis; nam Potentia viſiua, dum actu videt, obiectum præſens, ita debet eſſe conſtituta, vt obiectum fiat illi immediatum, non quidem immedia-

mediatione ſuppoſiti, ſed immediatione virtutis: dum autem obiectum fit hoc pacto immediatum Potentiæ, implicat quod Potentia ipſa non dicatur eodem modo facta immediata obiecto. Quarè, quod emittit ſpeciem ad oculum, oculum ipſum ad ſe admittit, vt fiat immediatus ſibi immediatione virtutis: atq; ideò aptè, ac congruentiſſimo dicendi modo vſus eſt Vates, dum dixit: *admittit in altum cernentes oculos*; & *prodit ſecreta*, ideſt proijcit ſpecies profundi, quibus mediantibus oculum admittat, quod eſt & admiſſionem affirmare, & modum admiſſionis aſtruere. Cum enim hæc relatiua ſint; non potuit vno ſine altero explicari, cum ſemper relatiua ſint ſimul cognitione. Quid igitur, inquies, ſenſit Vates de viſione hoc loco? Artificiosè arbitror locutum fuiſſe Poetam, ita vt ad vtramq; ſententiam reſpexerit, ſed ita in medio poſitus, vt neutri litem adiudicare voluerit; ideòq; vſum eſſe verbo ambiguo *Prodit*, quod pro vtràq; ſententia explicari aptiſſimè poſſet; cum ſuum non eſſet, hoc loco, de tam controuerſa quæſtione aliquid definire, ſatiſq; illi eſſet, ſe in vtràq; ſententiâ verſatum obiter oſtendere, aliorum iudicio litis deciſione relicta.

IMA SECRETA. *Imum* dicitur quod infimum eſt, atq; in infima parte collocatum. *Secreta* verò quid ſint, vidimus lib. pri. Carm. 16. Hic tantum innuo *ſecreta* poni pro eodem, ac *ſegregata*, *ſeparata*, ac *diſiuta* ab oculo inſpiciente, ſeù ab vndarum ſuperficie.

PERSPICVI PROFVNDI. Perſpicuitas propria eſt puræ aquæ proprietas, ex quo factum, vt aquæ, & vitreæ, & criſtallinæ dictæ fuerint, atq; ex hac proprietate prouenit, vt oculos in altum admittant, vt prodant ſecreta &c. Quarè cauſam aſsignat Vates, & rationem per cauſam hic reddit eorum, quæ antea dixerat. Profundum verò dicitur quidquid altum eſt, ex eo, quod *Porrò fundum*; hoc eſt *longè* habeat *fundum*. Ideò antonomaſticè *Profundum* dicitur mare, quod nulla aquarum congeries, tam diſsitum à ſuperficie, fundum habeat. Hic ponitur pro ipſo lacu, quem tam procul à ſuperficie fundum indicat habuiſſe, vt meritò Profundi nomine potuerit deſignari.

Sed è Profundo tandem emergentes viſum intendamus, vt, quæ pulchriora latent, ad morum inſtructionem decernamus.

Ne fidas rebus nimium ſecundis: adulatur enim fortuna; atq; adulatoris proprium eſt, vt mordeat, dum adblanditur. Brachia cum Scorpius tendit in amplexus, caudam cuibrat in vulnus; nec meliùs quis decipit, quam qui ſe amicum ſimulat. Sic Plutonis aſtus plena omnia, ac delicijs affluentia oſtentat, vt animam rapiat ad Inferos ſeductam, Venere fraudes connectente. Quæ non oſtentat Auerni ſerpens; quæ non pollicetur; quot modis non adblanditur, vt Animam decipiat, deceptam rapiat, ac raptam diſcerpat? Perpende quid molitus fuerit, cum Incarnatum Patris Verbum duxerit in montem excelſum. Oſtendit illi, inquit ſcriptura, omnia Regna Mundi. En quam maximis deliciarum illecebris viſum recreet, ſenſum attrahat, appetitum ſollicitet, intellectum alliciat, voluntatem vellicet! Adijcit promiſſiones. *Hæc omnia tibi dabo*. Quanta iam in Prædone liberalitas! Sed reſpice finem. *Si cadens adoraueris me*. Proh! infandam inſidiatoris temeritatem! ſceptra offert, vt ſub iugum mittat; diademata oſtentat, & exhibet, vt in captiuitatem adducat, vt compedes inijciat; omnia pollicetur, vt Animam, rerum omnium pretioſiſſimam, ſibi arripiat in prædam. Sed quid in Dæmonem culpam refundimus, ſi nos vtique nos ipſos ſeducimus, ac ſpontè nos hoſti diripiendos obijcimus? Inſidias ſtruit ille quidem, ſed in floribus latitat, inter melliſluas frondes deliteſcit; hoc eſt, inter Mundi delicias, ac dulcedines, locum deligit inſidiarum. Aſt, niſi fueris imprudens, Proſerpina, quæ nihil enucleatè diſquirat, facilè animaduertes ex ipſis inſidiarum latebris, inſidiantis indicia denunciari, ac, mutis quaſi caracteribus, vt caueas, enunciari; ſi tantùm memineris, Ephimeras camporum flores eſſe, dum flos egreditur, & conteritur, quaſi te certiorem facere exoptet, delicijs non fidendum, quia eas mors ſequitur; & flores ſimul opprimit, & cultores: ſi memineris, vere tranſacto, torridam æſtatem ſubſequi; hoc eſt Ver huius Mundi torridis Tartarorum æſtibus occupari: ſi memineris caducitatem frondium, labentem ſemper aquarum curſum, ac denique cliuos in præceps ſemper erectos, quaſi in memoriam ſtudeant reuocare fluxas Mundi illecebras, labentes blanditias, fugaces delicias ad ſolum tandem præcipitium; nempe ad barathrum deducere ſempiternum. Liber ſcriptus intus, & foris, ad erudiendos homines, Mundus eſt; vt, quot res creatas intuemur, tot hieroglyphicis, ad tuendam ſalutem noſtram deducamur inſtructi. Sed quid prodeſt, ſi nos ea negligimus, quæ proficere, amplectimur, quæ officere, poſſunt; & delicijs vtimur, vt nunquam perituris, ac nunquam in abſynthium degeneraturis? Nos ipſi vmbras quærimus, in quibus ſerpentes inſidientur, nos ad lacus, quibus obruamur inſipientes properamus. Nos papilionum ad inſtar, dum fallacem ſequimur lucem, in flammatum globos irrumpimus deuorantes. Sed monet Papilionum fatuitas, vt & nos alas ex luce contrahamus, ne, dum fruitur oculus, alarum incendatur remigium, fœliciter quamuis, ſi accideret, intempeſtiuè tamen ad opus, quod proſequimur. Ideò iam ex hac limpidiſsima veritatis luce volatum diuertamus, ne, licet extra ardoris perniciem, ita eiuſdem ſplendore detineamur, vt incœpti operis immemores, quod Muſa noſtra concinat, negligamus.

Del nobil ſito, à cui Natura imparte
 Prodiga di ſue gratie ampio teſoro,
 La vaghezza gentil traſcende ogn'arte,
 Vezzoſa più, che de ſuoi fiori il choro.
 L'alma pianura al proprio ſen comparte
 Del colle, in cui s'inalza, erto il decoro,
 Mà facil ſì guida sù l'erta i paſſi,
 Ch', in ſalir, del ſalire in dubio ſtaſſi.
Mobili argenti al diramare in riui
 Mille concaui aperſe; e mille fonti
 Sgorga Pomice viua, onde s'auuiui
 Ciò, che di Chlori al crin lieto ſormonti: Chloris eſt, quæ Flora vocat Ouid. Faſt. 4.
 Forman, nel zampillar, ſcherzi laſciui
 L'acque cadenti; e, nel fuggir da monti,
 Gl'amoroſi ruſcelli, all'herbe in grembo,
 Ruggiadoſo de i fior bacciano il lembo.
Frondoſa ſelua, al biondo Arciero oppoſta,
 Intreccia i rami, al rigettar gl'ardori;
 E, d'ombre amiche in freſca ſede aſcoſta,
 Quì la terra del Sol ſpreggia i calori;
 Ne, perch' arda il Leon, già mai ſi ſcoſta
 Però dal grembo i cuſtoditi algori;
 Ma, temprati in vn miſto ardori, e gelo,
 Gode ne ſmalti ſuoi di Gioue vn Cielo. Iupiter à Iuuando.
Nati al domar dell'Ocean profondo
 Gl'orgogli immenſi, e flagellarne i flutti,
 Quì frondeggian gl'Abeti; e quì, fecondo
 Di ſtrali, e d'haſte, i troppo acerbi frutti
 Porge il Corniolo all'altercar del Mondo;
 E i rami ſuoi l'annoſa Quercia, inſtrutti
 D'vn Gioue amico ad annidar gl'arcani,
 Stende, i ſuoi vanti ad additar ſourani.
Chioma ferale, onde le tombe honori,
 Di Piramide in guiſa, erge il Cipreſſo,
 Pompa maggior de ſepolchrali horrori,
 Elce, onuſta de faui, il miele eſpreſſo Permeſſus flumius Heliconis. Laurus.
 Verſa da tronchi ad addolcire i fiori;
 E la gloria del colle, ou'il Permeſſo,
 Sacrati al Dio di Delo, i Cigni accoglie,
 Spiega, vietate al fulminar, le foglie.
Scielto all'honor di Berecinthia, increſpa Vide lib. Pri. nec buxus ab aea [illegible] &c.
 Fronda ondeggiante all'addenſate cime,
 Quel duro legno, in cui s'il tarlo inceſpa, Carmen neſcit Buxus
 Roder no'l può con l'addentate lime;
 S'auuiticchia alle piante, e vi s'acceſpa Tres tantum vite racemos nouit Anacharſis; prima [illegible] ebrietatis, tertium [illegible]
 L'Hedera ſerpeggiante; e l'vue prime,
 Onde tutto di gioia il cuor s'incolmi
 Sorgon le viti à partorir sù gl'olmi.
Della Sicilia il communal diſcorſo
 Di Pergo il nome al chiaro Lago impoſe,
 Che,

Che, qui non lungi, imprigionato il corſo,
Stende l'onde tranquille; e, frà l'ombroſe
Scene del Boſco à deliciar traſcorſo,
In dolce calma il fluttuar compoſe;
Che, ſe d'ombre al pallor l'onda s'imbruna,
Lieta, l'ombre à nodrir, gl'humori adduna.
Quel limpido criſtal, ch' iui comparte
Le ſquagliate ſue tempre al Patrio nido,
Lucido traſparente, in ogni parte,
Non cura farſi à ſuoi ſecreti infido;
Anzi ſembra ſuelar del centro, ad arte,
I ripoſtigli à chi dal curuo lido
L'occhio v'affiſſa, e pe'l vallon profondo
Guida lo ſguardo à penetrar sù'l fondo.

Ducat itaque & nos ad centrum ſtudioſa enucleandi curioſitas, quidquid in propoſito Vates diſſeruerit.

Hùc elapſa cohors gaudet per florea rura:
Hortatur Cytheræa legant. Nunc ite ſorores,
Dum matutinis præſudat ſolibus aer;
Dum meus humectat flauentes Lucifer agros
Roranti prouectus equo. Sic fata doloris
Carpit ſigna ſui: varios tum cætera ſaltus
Inuaſêre Cohors. Credas examina fundi,
Hyblæum raptura thymum, cum cerea reges
Caſtra mouent, fagiq; cauo demiſſus ab aluo,
Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis.

HVC ELAPSA COHORS &c. Peracta loci deſcriptione, eiuſdemque delicijs, floridam prorſus per hyppotipoſim, ab enumeratione partium, effectuum, adiunctorumq; decerptam, ſub oculo poſitis; ad gradientes iam Deas, Nympharumq; cætus aptiſſimè regreditur; & quid ab ipſis, tanta amænitate permotis actum fuerit, non deſcribit ſolum; ſed noua ſuperinducta Hyppotipoſi ſpectandum nobis proponit, ac ducta à ſimili comparatione latiùs explicat, exornatque. Hortatricem agendorum indicat Venerem, quam, per Proſopopeiam, loquentem inducit, vt, quæ dolos inſtruxerat, eadem proſequatur ad finem vſque deceptura.

HVC. Aduerb. eſt motum importans ad locum, & idem ſonans, ac ſi diceres ad hunc locum; quem ſcilicet in anteactis deſcriptum habes.

ELAPSA. Particip. à verbo *elabor*, quod, compoſitum ex præpoſitione *e*, & verbo *labor*, propriè ſignificat idem, ac *velociſsimè è loco ad locum feror*. Verbum vtiq; deſumptum ab vndis, quæ, dum in decliue feruntur, *elabi*, ideſt *fugere* videntur, ac velociſsimè ferri: quod ſanè correſpondet adamuſsim ijs, quæ dixerat, initio huius lib. cum ait: *vtraq; virgo vocauit*, quod innuero volui, vt videas, quam congruenter ſibi ipſi reſpondeat non immemor ſui, Vates. E domo igitur *elapſa*; ideſt, *fuga* è domibus arreptâ, atque *hùc*, nempè *ad* hunc locum velociſsimè progreſſa Dearum copia, vnico hoc particip. indicatur. Sed inſuper nota latentem in hoc verbo eruditionem. *Elabi* velociſsimum quidem importat motum, ſed tanta agilitate peractum, vt ne veſtigium quidem prætérlabentis appareat in loco; ſed talis enitet, vt de curſu Atalantæ, atq; Hypomenes ſcripſit Ouid. Metam. 10. cum ſic ait

Signa tubæ dederant, cum carcere pronus vterq;
Emicat, & ſummam celeri pede libat arenam.
Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu,
Et ſegetes canæ ſtantes percurrere ariſtas.

Ad hæc igitur alludens Poeta Dearum agilitatem enarratis non diſsimilem expreſsit vnico hoc verbo *elapſa* cohors; & quidem non ſine maximo fundamento, ab antiquorum omnium Theologia deſumpto; nam certè, in omnium ſententia, Numinibus diuinitate conſpicuis dos etiam agilitatis meritò concedebatur. Denique *elabi* eſt inuitis quibuſcumque obſiſtentibus, ac coercere conantibus, fugam ex eorum manibus arripere, atq; ad ſtatutam metam feſtinare. Obſtare Proſerpinæ debuiſſent Matris monita, ſed aſtu Veneris immemor eorum effecta, elapſa eſt, velut auis è cuſtodia, inquit Barthius: obſiſtebant vlteriùs multiplicata prodigia, deterrebant omina, coercêre conabantur portenta, quæ, procul dubio, & cæteras exterruiſſent, ſi progredi illa recuſaſſet: Aſt illa, inuitis omnibus, ad metam contendit, ac ſecum reliquas adducit. Ideò *hùc elapſa*

COHORS GAVDET. Cohors propriè ſignificat peditum turmam, vulgò *Squadra di Fanteria*: ampliatiuè tamen ſumitur etiam pro quocumque virorum, vel mulierum cætu; atq; adeò, cum agatur hic de cætu Dearum, ac Nympharum turba per Ætnæos campos ſimul deambulantium, optimè cohortis nomine deſignantur. Verùm, ne temerè vocabulum vſurpaſſe videatur Poeta, memineris, *cohortem à cohortando* dictam, eo quod tribunus eam, vt ſequatur, hortari ſoleat. Quo poſito: cum inferiùs inducatur Venus hortantis Tribuni munere fungens: *Hortatur Cytheræa legant &c.* congruentiſsimo dicendi modo, reliquas cohortis nomine compellauit. Ideò *Cohors gaudet*: *gaudere* autem *delectari*, *exhilarari*, ac *delectatione vrgente*, *exultare* eſt.

Heinſius legit, hoc loco: *Hùc elapſa cohors gaudens*: & quidem congruentèr ad ea, quæ ſequuntur, dum ait: *Hortatur legant*: *Inuaſère cohors &c.* Sed, quia vtraq; lectio æquè bene defendi poteſt, vulgatam non deſero.

PER FLOREA RVRA. Emiſtichium Virgilij eſt ex pri. Æn. deſumptum, vbi habet

Quales Apes æſtate noua per florea rura &c.
Exercet ſub Sole labor &c.

vbi vides præpoſitionem *per* pro eodem poſitam, ac *inter*. Quare & hic *per florea rura* idem erit, ac *inter flores diuagata illius ruris*. Quid verò rus ſit, & cur ſic dictum vidimus in anteactis Carm. 86. Quo verò ad adiunctum floreas Diſtinguunt aliqui, & fortaſsis non immeritò, inter *floreum*, & *floridum*; floridum enim dici volunt, quod floribus abundat: floreum verò quod floribus conſtat; licet ex cit. Virg. loco videatur floreum, pro florido poſitum. Sed, admiſſâ diſtinctione, videri poſſet impropriè locutus Vates, nam iuxta verborum proprietatem *florida*, non *florea rura* dicendum fuerat. Verùm, præterquam quod Virgilio inhæret; accedit, quod ſi *florida rura* dixiſſet, vix cohærenter ad ſua principia locutus fuiſſet Vates; nam, in anteactis, efflorеſcentes Ætnæ campos per ſimilitudines exprimens, ſuperata innuit Parthorum regum contexta cingula gemmis: *Parthica quæ tantos &c.* ſuperatas Aſſyriorum lanas exquiſitiſsimis infectas ſpumis: *Quæ vellera tantum &c.* ſuperatum Iunonis alitem gemmea cauda inſignitum quinimmò & Iridem ipſam: *Non tales volucer &c.* Quæ omnia tot floribus refertum rus illud indicant, vt intextum potiùs, quam conſperſum floribus iure fuerit dicendum. Ne itaque quod dixerat, imminueret Vates *florea*, cum Virgilio, inquit, non florida.

HORTATVR CYTHERÆA LEGANT. En Venerem dolos proſequentem, quæ cur Cytheræa dicta fuerit, vidimus lib. pri. Carm. 219. Hæc igitur iuſſa ibi, ſeu potiùs permiſſa, dolos nectere, & fraudes; hic moris non immemor *Hortatur*. *Hortari* eſt, quempiam verbis ad aliquid peragendum vrgere; atque, vt plurimum, verbis adblandientibus fieri ſolet: immò huiuſcemodi hortationem, non ſine ſuſpicione doli, procedere, innuere videtur Virg. Æn. 2., vbi a ſuſpicione doli Tymætem non liberat hortantem, vt equus à Græcis relictus duceretur in vrbem; dum ait

Et molem mirantur equi: primuſq; Tymætes
Duci intra muros hortatur, & arce locari;
Siue dolo; ſeu iam Troiæ ſic fata ferebant,

optimè igitur & Venus hortari dicitur, vel quia inſtructa dolis decipere ſub ſpecie boni molliebatur, vel quia ſic Parcæ voluere, ſic fata ferebant; vt in anteactis, hortari, inquam, dicitur, hortatione videlicet ſubdola, & captioſa. Porrò adhortandi munus ad æqualem erga æquales ſpectare maximè videtur; ſicuti imperium ad ſuperiores, ad inferiores verò pertinet deprecatio. Cum igitur Oratio hic Veneris ad æquales habeatur, nempè ad ſorores Deas, iure *hortari*, non iubere dicitur, aut deprecari.

LEGANT. De hoc verbo ſatis abundè diximus lib. pri. Carm. 6. præfationis ad eumdem lib. Tantum noto, pro eodem hic ſumi, ac *cum delectu colligere*; vt, ſcilicet, hortatu Veneris, ſceligentes, quæ colligerent, diutiùs tererent tempus, atq; in propriam morarentur perniciem, ſaltem de Proſerpina loquendo, quo ad damnum, de cæteris verò quo ad terrorem, mærorem que ex erepta Virgine percipiendum. Aduerte autem eleganter omiſſam à Vate particulam *vt*, quæ præcedere verbum legant debuiſſet, & omiſſum pariter quid legerent, nempè flores; nam hæc ſatis ex contextu patent.

NVNC

NVNC ITE SORORES &c. Habes iam hic aptiſſimam Proſopopeiam, qua Venus loquens inducitur, & cuius alloquentis iam ex his incipit Oratio.

NVNC. Aduerb. præſentis temporis eſt illud: ſed & illud vſurpatum video pro eodem, ac *tandem aliquando*: vulgò *Pur finalmente*. Sic Virg. Ecl. 8. inquit

Nunc ſcio quid ſit amor. Duris in cotibus illum
Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec noſtri generis puerum, nec ſanguinis edunt.

Vbi interpretes *Nunc* exponunt illud pro *Tandem aliquando ſcio &c.* Atq; in hoc eodem ſenſu hic ponitur, ex quo noueris emphaticum omninò eſſe. Sed nota artificioſiſſimum, licet ex abrupto, Veneris ſuadentis initium orationis. Cauſinus lib. de Eloq. 12. c. 8. primum ſuaſionis caput eſſe docet, ſi venæ hominum teneantur, intimiq; eorum delibentur ſenſus, cum quibus res agenda eſt; neq; ſolum (vt idem ait) Natura, ingenium, inſtitutio, conditio; ſed etiam affectus, & priuata quæq; adiuncta perquirenda ſunt; vt, his præcognitis, atq; in hæc ipſa collineans, inclinatis iam animis incumbat toto pondere Orator Orationis, ac propendentes impellat. Nouerat itaq; Venus Proſerpinæ, aliarumq; propenſam ad relaxandos animos, inclinationé: nouerat, (ex prænotata feſtinatione) eas incenſas deſiderio ad floridos Ætnæ agros perueniendi: & nouerat, fœmineum eſſe floribus delectari non ſolum, ſed angi deſiderio ſe ipſas floribus coronandi. Quarè quaſi earum corda legiſſet, ac deſideriorum caracteribus exaratam in frontibus perlegiſſet interrogationem, qua dicerent: ecquando dabitur hortos ingredi, flores decerpere, comas redimire? Nacta temporis opportunitatem, inclinatis incumbit, ac propenſos, per conceſſionem, vrget affectus: *Nunc ite*: hoc eſt *ite tandem, ac flores tandiù exoptatos aliquandò tandem decerpite*. Hæc enim emphaticè importat particula *Nunc* pro tandem poſita, quia optanti quælibet minima mora maxima videtur temporis periodus, atq; adeò, cum, quod optabat, aſſequitur, *tandem aliquandò*, erumpit, voti compos adſum. Ideò Venus, vehementem naturæ motum imitata; *Ite tandem* inclamat: Sciebat enim facilè vnicuiq; ſuaderi quod optat.

ITE. Conceſſiuus hic modus loquendi eſt; ſed more imperatiuo exprimitur, quia hortatiuus eſt, vi ſuaſionis impellere ad id, quod ſuadet. Eodem modo Æneas loquitur apud Virg. Æn. 11., cum milites ſuos, quos ſemper ſocios ſuos appellare conſueuerat, hortaretur, ad iuſta defunctis commilitonibus perſoluenda; nam

Ite, ait, egregias animas, quæ ſanguine nobis
Hanc Patriam peperere ſuo; decorate ſupremis
Muneribus &c.

Sed quo eant, inquies, quæ iam ad locum peruenerant? *Huc ſe lapſa cohors gaudet &c.* Facilis eſt reſponſio, ſi quæ diximus, adnotaueris; diximus enim Venerem reſpondêre ſuppoſitæ ſororum interrogationi cupiditatum notis expreſſæ: quarè, dum *Ite*, inquit, idem eſt, ac ſi dixiſſet: *Ite tandem poſt deſideria veſtra; implete quæ tandiù optaſtis*. Sed ſi locum velis ad litteram intelligere; & materialiter aſſumere verbum *Ite*; æquè facilis adeſt explicatio, nempè Ite per diuerſas viridarij partes, vt varios, iuxta ingenium, & genia, flores ſparſim enatos colligatis: Ite in flores populabundæ, ſed varias percurrite partes, vt decerpendorum delectum habeatis.

SORORES. Quænam ſint ſorores iam vidimus, Carm. huius lib. decimo. Hic tantum noto, quod, licet, in rigore loquendo, ſorores tantum dici poſſent Pallas, Diana, Venus, & Proſerpina, quippè omnes ex eodem Ioue patre progenitas, Veneris tamen adhortatio ad omnes etiam Nympharum turmas dirigitur, quas ipſas *Sorores* appellat Venus ad captandam beneuolentiam, quaſi ſororio affectu moueatur ad hortandum; ſicq; facilius appellat, & acriùs, quæ laruam induit benignitatis, dum ſe æqualem etiam Nymphis, licet inferioribus, facit. Adde, quod, cum omnes ex Deorum ſanguine aliquo tandem eſſent modo, *Sorores*, lato more, dici poterant, nam vſus inualuit, vt fœminæ omnes eodem ſanguine ſatæ, *Sorores*, latè ſumpto vocabulo, dicantur. Deniq; nomen familiaritatis, & confidentiale eſt, amorem denotans inter appellantes, & appellatas intercedere, qualis in ſororibus, ordinatia ex lege Naturæ, reperitur; ideò aptiſſimum ad beneuolentiam, vt ſupra dicebamus captandam; & etiam ad captandam attentionem, primo quia vocandi caſu inflectitur, ſecundo quia ſororio affectu ſuadens creditur ſuaſura quod bonum alteri ſorori futurum profectò ſit.

DVM AER &c. Ab opportunitate temporis ſuaſionem ſuam non intempeſtiuam comprobat eſſe; ideoq; executioni mandandam, moris omnibus relegatis. *Dum* aduerb. temporis eſt, quo indicatur tempus actionis alicuius ita conneax cum alia, vt eodem tempore & alia illa commenſuranda ſit actio. Vulgò *mentre che, in tanto che*. Aer elementum illud eſt, quod, medium inter ignem, & terram, ſpatium occupat, iuxta Ariſtotelicum Siſtema, de ſitu partium Mundi conſtructum: quod ſi demeretur ſphœra ignis, ita vt illa nulla eſſe diceretur in ſublimi, præter ipſum ſolare corpus, vt alij exiſtimarunt; iam aer totum ſpatium à terra ad Cœlum vſq; Lunæ occuparet. Aer, inquam, non quidem, qui purum elementum ſit, nam vt vidimus alibi, purum omninò, & ſine aliqua aliorum admixtione, nullum apud nos reperitur elementum, vt conſtat ex tranſmutatione, quæ interdum ſit vnius elementi in aliud, ac præcipuè ſi de aere loquamur, quem facillimè in aquam conuerti & docet Ariſtot., & experientia ſatis ipſa compertum eſt: ſed aeris elementum appellauimus corpus illud, quod communi vocabulo aer dicitur, præſignatum occupans ſpatium, nam, licet iuxta Ariſtot. Metheor. pri. non ſit purum aeris, & immixtum elementum, certè ad prædominium aer eſt, & iure aer dicitur, cum denominationes à potiori ſumantur apud Phyloſ. omnes. Quod ſi quæras cuiuſnam naturæ ſit aer; reſpondet Ariſtot. cum Peripateticis omnibus, aerem elementum eſſe calidum, & humidum. At Stoici aerem natura ſua ſummè frigidum, & humidum, ſed citra ſummum aſſeruerunt. Nos in Phyloſophia noſtra tractatu de Elementis ſec. 6. docuimus, cum Galeno probabilius eſſe, aerem, & humidum, & frigidum eſſe citra ſummum. Quæſtionem decidere non eſt huius loci. Certè Vates conſentire videtur cum communi aſſerente aerem humidum eſſe, dum eum roribus affirmat exſudantem, quaſi aſſerat, quod nos docuimus affirmatum fuiſſe ab Alcmanio, & alijs, dum explicaremus huius lib. Carm. 53.; nempe rorem filium eſſe aeris, & Lunæ; cum enim roris proprietas, procùl dubio, humiditas ſit, certè & roris genitor, nempe aer, humidus ex neceſſe dicendus eſt. Pariter quod aſſeratur frigidus citra ſummum, iuxta Vatis ſententiam, facilè hinc deduci videtur, nam vt lib. pri. vidimus Carm. 192., ros ex Ariſtot. concreſcit ex aqueis exhalationibus, in altum vi caloris attractis, quas ſubindè aer refrigerat, ſed ita, vt, ſi nimis refrigerentur, in pruinas concreſcant, ſin autem modicè, in rores deſluant; ex quo patet ex frigore, citra ſummum, rorem confieri: cum itaque filium aeris Auctor rorem faciat, certe aerem citra ſummum eſſe frigidum aſſeuerat, nam qualitatem, quam habet certe filio communicat, & ſi ſummam communicaret, iam non eſſet aptus rori efficiendo. Video tamen quid reſponderi poſſit; nempè immò ex hoc probari, aerem eſſe frigidum in ſummo, nam etiam glacies, nempè grando ex frigiditate aeris generatur; ſed euinci ad ſummum à ratione ſuperpoſita hoc ſolum, nempè aerem non agere ſecundùm omnes ſuæ frigiditatis vires cum rorem concreat. Verùm caue deceptionem; nam grando non concreſcit in glaciem ex ſola vi frigiditatis aeris; ſed etiam ex propria aquei humoris frigiditate, & per antiperiſtaſim caloris; quarè ex grandinis efformatione ſummum in aere frigus deduci non poteſt: item neq; deduci poteſt ex pruina, nam tantùm ad hanc requiritur maior frigoris vis, quam ad rorem conficiendum; non autem frigus in ſummo. Sed benè ex rore colligi poteſt aerem eſſe non in ſummo frigidum, cum ex effectu cauſa dignoſcatur, & idem dic de pruina, quæ non ex ſummo frigore oritur, ſed ex frigore citra ſummum: alioquin in duriſſimam concreſceret glaciem, quod conſtat experientiâ falſum. Aſt iam incepta proſequamur.

PRÆSVDAT SOLIBVS MATVTINIS. Quid *Soles* ſint iam vidimus hoc eodem lib. Carm. 105. hic pro ſolaribus radijs vſurpantur, *Matutinis* dictis, vel à Matuta Dea, quæ diem reſerare putabatur, ſeù à ſummo mane, nam tunc primi emicare ſolis radij intelliguntur, Aurora tenebras impellente. *Præſudo* autem verbum eſt à *præ*, & *ſudo* compoſitum, & idem ſignificat, quod *Ante ſudo*: nam præpoſitio *præ* idem ſonat, ac *Ante*: cum autem verbis ex præpoſitione compoſitis, iuxta regulas grammaticales, adiungi poſſint caſus præpoſitionum componentium, hinc eſt vt Poeta huic verbo ſextum adiunxerit caſum, cui ſcilicet præpoſitio *præ* ritè deſeruit. Idem igitur eſt dicere *Præſudat matutinis Solibus*, ac dicere: *Sudat ante matutinos Soles*: quibus verbis Vates & roris cadentis adſtruit deſcriptionem, & tempus ſignatè notat, quo ros decidat, nem-

pe

pè ſub diem, ſed ante ortum Solis, immò & ante auroram, nam tunc verè copioſior decidit ros, quam poſt Auroræ ortum; hoc enim poſtremum tempus notans Cic. de diuin. ait; Cum primum gelidos rores Aurora remittit; ideſt reſoluit, & diſſipat, quod tamen non intelligendum eſt de *Aurora alba*, ſeù *prima*; vulgò *primi Albori*; ſed de Aurora iam adulta, quæ pro primo Solis ortu accipitur; nam *Aurora alba* ea eſſe creditur, de qua ſupra diximus *Matuta*, qua Cælum aperiente, ros copioſè decidit, ſuccreſcente autem *adulta aurorâ*, ſeù Sole primum oriente ros diſſoluitur potiùs, & exſiccatur. Miror Parrhaſ. hic ex Matutinis Solibus *Orientem Solem* intelligere, cum ipſe idem ex Lucretio dicat Matutinum à Matuta deriuari, & Matutam ductricem eſſe Auroræ; ſic enim Lucr. apud ipſum:

> *Tempore item certo roſeam Matuta per oras*
> *Ætheris auroram defert, & lumina pandit.*

Si igitur matuta Auroram defert, & lumina pandit, certè Auroram præcurrit adultam; nam tunc pandere lumina dicitur dies cum Albicans aurora primos diffundit Albores, & vt vulgò dicitur *el ſonno ſcuote, ed apre gl' occhi al giorno.* Quare tempus roris ante ortum Solis, non oriente Sole ſatis iam eſſe euincitur. Hoc ipſum tempus adnotatum etiam ab ipſo Auctore fuerat noſtro, cum, initio huius lib., illud innuit eſſe, quo Proſerpina petijt Ætnæos ſaltus rore vtique madentes, dum ait:

> *Impulit Ionios præmiſſo lumine fluctus*
> *Nondum pura Dies &c.*

ideſt aurora prima, vt ibi expoſuimus. Sed dices: Quomodò, ſi prima luce petijt Ætnæos ſaltus Proſerpina, hoc eſt, iter Ætnam verſus arripuit; eàdem primà luce dicitur fuiſſe in termino, in Ætnæis ſcilicet iam campis conſtituta? Anne iter in ictu oculi emenſa eſt? Facile tamen reſpondeo, tempus Auroræ primæ non conſiſtere in indiuiſibili; ſed habere latitudinem, & dimenſionem: quarè cum Cereris domus non longe abeſſet ab huiuſmodi campis, nil mirum, ſi, ſecundùm diuerſas temporis partes aſſignabiles Auroræ primæ, & in via fuerit, & in termino; in via quidem primo Auroræ primæ initio; in termino autem tunc temporis, cum Aurora prima albeſceret quidem magis; ſed nondum ex confinijs Auroræ primæ exceſſiſſet. Verùm, ne, nimium tempori indulgentes, tempus ipſum teramus, altiùs iam ipſum verbum *Præſudat* perſcrutemur. Rorem diximus filium aeris a Poeta declaratum: & hoc mirificè patet hoc ipſo in verbo; nam ſi aer *ſudat*, ideſt *ſudorem emittit*, certè nil aliud eſt ſudor aeris, quam ros guttatim extillans; ſicut enim *ſudor* humor eſt ex corporum poris effluens in guttas, ſic ros, guttatim decidens ex aeris corpore, ſudor per ſimilitudinem dici poteſt: cum igitur quidquid gignitur ab alio, latè ſumpto vocabulo, filius dicatur illius; & certè ſudor ex ſudante gignatur, ſequitur vt ros, qui eſt ſudor aeris, filius eiuſdem aeris iure ſtatuatur. Sic vniones Cæli partus dicuntur, licet in mari efformentur, quia, vt fert communis opinio, ex ſudoribus Cæli, ideſt ex roribus in guttas ex Cælo aeris decidentibus, & Conchæ ſinu acceptis, concreſcunt vniones.

DVM MEVS LVCIFER &c. Periphraſticè tempus adhùc illud diluculum magis explicat, & deſignat. De particula *Dum* vide dicta mea ſupra. *Lucifer* autem ſtella eſt inter errantes enumerata, & *Lucifer* dicitur, quaſi lucem ferens; nam hæc ſemper Solem comitatur, nec longè admodum ab eo abeſt; ſed, infra Solem ambiens ſphœram, modo præcedit, modo ſubſequitur Solem: mane enim præcedit ſub ipſum Solis ortum exoriens, & Lucifer, quia lucem ferre videatur, ſic dicitur: Veſpere autem ſubſequitur poſt occaſum Solis emicans prænuncia noctis, & ſic Heſperus appellatur. Vt prænuncia Solis conſideratur hic ſtella iſta, quæ ſtella Veneris eſt; ideò inquit hic Venus: dum *meus Lucifer*, per nomen ſcilicet poſſeſſiuo, quo ſuam indicet ſtellam.

PROVECTVS EQVO RORANTI. Prouectus particip. paſſiuum eſt à proueho, quod eſt *longè veho*, ſeù *vlteriùs veho*, ex quo adnotatur *Aurora adulta* iam in proximo fuiſſe; nam ſi Lucifer (græcè *Ἑωσφόρος*) altum iam Cæli tenebat, longe vectus ab Horizonte, certe Sol iam iam erat Horizontem aſcenſurus. Heinſius *præuectus* legit, & ſic legendum contendit; ſed cum *præuectus* idem ſit, ac *ante vectus*, in idem tandem cum explicatis recidet. Ideò vulgatam non cenſui immutandam, quæ certè Parrhaſium ſequitur legentem: *roranti prouectus equo*. Fabulæ Quadrigas Soli, bigas Lunæ; Auroræ verò, ac Lucifero equum attribuunt; quæ omnia commenta ſunt antiqua ad motum, curſumque eorum exprimendum; ideò aptè & Venus Lucifero ſuo, de quo nempè cum aurora contentionem habuerat, euiceratque, vt tradit Erathoſtenes, equum addit, quo proueheatur, quem & *rorantem* aſſerit, rores videlicet effundentem, ſeù ex ipſo aeris corpore exprimentem; Equo enim Luciferi attribuit Venus effectum ſudoris ab aere expreſſi, nam ſub hac ſtella decidunt rores: ſicuti igitur Solis equis adſcribitur efflatio luminis, ſic huic equo roris diffuſio. Quid autem rorare, ſeù irrorare ſit, iam vidimus hoc eodem lib. Carm. 75.

HVMECTAT FLAVENTES AGROS. *Humectare* eſt *humidum reddere*, vt vidimus & lib. pri. Carm. 282. In comperto autem eſt, terram certè roribus humectari, & madefieri, nam id ipſum ſignificat verbum humecto, vt ex Virg. Georg. 4.

> *Namq; ſub Oebaliæ memini me turribus altis,*
> *Qua niger, humectat flauentia culta Galeſus*
> *Corycium vidiſſe ſenem &c.* & Æn. 1.
> *Sic ait, atq; animum pictura paſcit inani*
> *Multa gemens; largoq; humectat flumine vultum.*

Agri verò quinam ſint vidimus lib. pri. Carm. 298. quarè tantum remanet explicandum participium illud *flauentes*, quod, cum ſit deductum à verbo *flaueo*; hoc eſt *auri colorem induo*: idem erit, ac *auri colorem referentes*. Quarè oritur hic difficultas, quomodò flauentes agros appellare hic potuerit Vates: nam ſi agri Ætnei tot, quot in Iride, quot in Cauda Pauonis, habuere colores quomodò *flauentes*; hoc eſt aureum referentes colorem, appellet? Adde, inter flores ab ipſo enumeratos, nullum flaui coloris extitiſſe. Quod ſi quis diceret, non omnes Ætnæ flores fuiſſe ab ipſo recenſitos, ſed plurimos ſilentio prætérijſſe Vatem, qui tacitè ſubintelligerentur, ex vi additarum ſimilitudinum, &, inter quos, etiam aurei coloris flores eſſe potuerint: hoc vtique veriſſimum eſt: ſed qui fieri poterat, vt ab accuratiſſimo Poeta denominatio à paucioribus, non à potiori parte, deſumeretur? Nonne in ipſum omnis reclamaret Phyloſophorum ſchola, denominationem à potiori ſumendam? & certè flaui illi coloris, quos ſupponis flores minimam ſibi partem vſurpaſſent, inter innumeras diuerſicolorum ſpecies florum inibi efflorеſcentes. Dixerint fortaſſis alij, *flauentes* dictos fuiſſe ex eo, quod iam adulta Aurora, quæ & aurea dicitur, colores ſuos agris ipſis impertiretur, nam Auroræ tempus tripliciter diſtinguitur; ita vt cum primum illuceſcit, *Alba* dicatur Aurora, cum ſubindè paulatim creſcit, roſeum induit colorem, & *purpurea* dicitur; cum demum adulta eſt, auro collucet propter Solem immediatè ſequentem, & aurea dicitur. Quam profectò diſtinctionem, ac effectum nouit, ac docuit Hetruſcorum Princeps Poetarum Hieroſ. liber. Cantu 18. dum ait: *Egli ſorgeua à fronte,*

> *Fatta già d'oro la vermiglia Aurora,*
> *Che l'elmo, e l'arme, e 'ntorno à lui del monte*
> *Le verdi cime illuminando indora.*

Et eſſet, vt fatear non ſpernenda huiuſmodi explicatio, nam immò videretur congruere cum eo tempore, quod præſcripſerat Veneri Iupiter, lib. pri., ad dolos nectendos, dum ait:

> *Craſtina puniceo cum lux detexerit ortus*
> *Cogo tuis armata dolos &c.*

Verùm nec huic explicationi acquieſcere omninò poſſum: nec enim ſatis video, quomodo congruat tempori, quod hìc actu deſignat Vates, dum, ore Veneris locutus, ait

> *Dum meus humectat flauentes Lucifer agros.*

cum enim inaurantur cacumina montium, atq; huius terræ planities, iam ſtellæ omnes receſſiſſe intelliguntur: quarè tunc temporis non humectaſſet Lucifer agros, ſed humectatos reliquiſſet; vt videtur apertè comprobari ex contextu præcitati Hetruſcorum Principis, qui cum paulò ante, Auroram Albam, ſeù etiam purpuream deſcribens, dixiſſet

> *Era nella ſtagion, ch' anco non cede*
> *Libero ogni confin la notte al giorno;*
> *Mà l'Oriente roſſeggiar ſi vede,*
> *Et anco è il Ciel d'alcuna ſtella adorno*
> *Quand'ei drizzò ver l'Oliueto il piede &c.*

loquitur enim de Reginaldo, quem cum ſubinde in montem oliuarum deduxiſſet, ac preces ibi fundentem deſcripſiſſet (quæ non ſine temporis interuallo fieri potuerunt) ſubdit ſubindè quod ſupra dictum eſt

> *Così pregaua; e gli ſorgeua à fronte,*
> *Fatta già d'oro, la vermiglia aurora &c.*

quod idem eſt, ac dicere: fugatis iam omninò ſtellis, quæ adhùc in Cælis emicabant, cum iter ille arripuerit, Phœbus primorum penicillo radiorum (hoc enim per auream intel-

ligitur Auroram) montis culmen aureis coloribus exornabat. Sed eſto dici poſſet, adhùc tunc in aliqua Cæli parte Luciferum extitiſſe; quia cum montium inaurantur culmina vix ex Horizonte Sol emergit, quare, reſpectu humilis Soli, adhuc viget Aurora purpurea, & Lucifer euocat ipſe. Eſto, inquam, hoc dici poſſit, adhùc non ſoluit difficultatem; nam dicit Poeta *flauentes agros*: quarè iam Sol, non ſolum Ætnei montis apicem, ſed & ſubiecta arua, in quibus Deæ erant, poſita tali explicatione inauraſſet, conſequenter tàm altè ſupra Horizontem extitiſſet, vt iam nullus Lucifero fuiſſet locus; nec correſponderet iam lectio Carmini ex lib. pri. citati:

Craſtina puniceos cum lux detexerit ortus;

nam ſi punicea debuit eſſe aurora, non notatur tempus Auroræ profectò Aureæ; ſed notatur tempus illud, quod *auream* antecedit, iuxta datam diuiſionem. Præterquam quod, vt in anteactis adnotauimus, Aurora adulta, quæ & aurea dicitur, nihil eſt aliud, quam primus Solis ortus, atq; eiuſdem radiorum prima diffuſio, qua certè habita, oullæ iam Cælis emicant ſtellæ. Adde, futurum, vt, per huiuſmodi explicationem, implicantia reſultaret, in hoc ipſo poetico contextu: nam dixerat paulò ante Venus, diluculum notans:

Dum matutinis præſudat Solibus aer.

ideſt ante primos Solis radios, vt late oſtendimus, ergò non poteſt hic dici, agros aureum inducere colorem ob primos, quos exciperent Solis radios; nam fuiſſet, & non fuiſſet ante ortum Solis, fuiſſet, quia *præſudat matutinis Solibus aer*: non fuiſſet, quia flauentes exorto iam Sole eſſent agri. Altiùs igitur inueſtigandum arbitror huius poeticæ elocutionis arcanum, quod, meo iudicio ſubtiliſſimum peroratis Veneris importat artificium. Memineris Venerem fraudibus, ac dolis ſuis armatam proceſſiſſe, vt Cereris filiam Plutoni proderet. Hinc factum enim, vt Venus, ſimulationis laruâ, animum proditorem contegere ſemper ſtuduerit: idcircò & ſe ducem præbuit itineris; & ſorores appellat, vt affectum oſtentet; & Luciferum nominat expreſsè ſuum, vt propitium ſibi ſydus ſorores opinentur &c. Sic itaque, & hoc loco, ſydus ipſum, etiam præſcindendo ab hoc, quod ſuum ſit ſydus, conatur Proſerpinæ amicum oſtendere, vt aptiùs credula decipiatur. Cum igitur *flauentes agros* dixerit à ſuo ſydere Venus irrorari; dixerim ego, Venerem non locutam fuiſſe de agris, in quibus actu degerent Nymphæ Deas ipſas comitantes, & qui floribus vndequaq; contegerentur, ſed alios ſpecial, hac nota deſignatos ab ipſa fuiſſe, in quibus maturæ iam ad falcem ſegetes fluctuarent: quaſi innueret, Luciferum irrorare quidem agros Siciliæ omnes; ſed præcipua cura, & affectu eos, in quibus flaua Ceres dona ſua exponeret ſuccidenda; vt ſic oſtenderet, Luciferum peculiari affectu Cereri, ac conſequenter Proſerpinæ filiæ addictum; atq; ideò nihil, eo auſpice, non audendum; ſed ſumma libertate vagandum, ſummaq; hilaritate animum ab ijs relaxandum, quas propitijs Lucifer tueretur influxibus. Refragatur apertè, nec inficior, huic expoſitioni Parrhaſius eâ maximè fretus ratione, quod ſcilicet, res per hyemem geratur, quando nondum maturæ ſunt ſegetes, ad quas reſpiciat epitetum flauentes. Vnde verò habeat quod per hyemem res agatur, hoc eſt Proſerpina rapiatur, non dicit profectò ibi. ſed ego ex eodem referre deducens non grauabor. Proſerpinam virtutem eſſe ſeminalem, ſeù ſemen frugum, ex communi omnium calculo, aſſeruit ipſe, nec nos aliàs negauimus, & raptam dici ſub terras à Plutone, in cuius poteſtate omnia ſint ſemina, quia certè ſemen terræ gremio excipitur, vt exurgat in frugem: Sed ſerendi tempus, vel per hyemem, vel initio hyemis tantùm conſtat eſſe opportunum; ergò dicendum raptam fuiſſe hyemis tempore Proſerpinam. Hoc totum vtique ego vltrò facile conceſſerim. Sed, ſi perpetui flores in Siculis fuiſſe regionibus dicebantur, quia in ipſis ſedes eſſet Zephyri, ac flores; cur non perpetuæ ſegetes viguerint Domi Cereris, quæ Sicilia eſt? Sed hoc ipſum falſum eſſe, ſupponamus. An non meminit Parrhaſius, nouis frugibus, per Poetam noſtrum, Siciliam abundaſſe, cum illa iter arriperet in Phrygiam? Certè inquit Vates lib. primo

Sulcatam fæcundat humum. Flaueſcit ariſtis
Orbitaq; ſurgentes condunt veſtigia fruges.

En igitur *flauentes agros*, quos à ſydere ſuo Venus innuerit irrorari. Nec dicat diſceſſum Cereris ſignificaſſe meſſem iam reciſam, ablatamq; ex agris, ex quo tempore, ad ſattonem vſque plures decurrant menſes: nam primo quidem, Veneris acceſſus ad Proſerpinam, eiuſdemq; in Campos eruptio ſubſequitur, vt ex contextu patet, illicò poſt Cereris abſentiam. Secundò verò dato etiam, quod duo, tres, aut quatuor menſes interceſſerint, haberetur ex his aptum tempus, ad hoc vt fruges, quæ tunc dictæ ſunt ſurgentes condere veſtigia, ſuccreſcere potuerint, ac nunc in ſegetem flaueſcere: quarè ſemper manet inconcuſſa explicatio, quam nos contra Parrhaſium attulimus. Et ſanè, artificioſiſſimo planè aſtu, *flauentes agros*, ideſt aureis, quos diximus, ſpicis refertos, potiùs quam floridos memorat; nam hoc pacto oſtendit amicum adeò Cereri Luciferum, vt prima illi cura ſit irrorandi aureas Cereris meſſes: aliaque ſubindè, tantum ſecundariò, & quaſi per accidens reſpiciat, & irroret. Adde Ætnæos hortos, iam à Zephyro irroratos, non potuiſſe pronunciari irroratos a Lucifero præcipuè ore Veneris, quæ, conſcia furti, hæc omnia prænoſceiſſet; quarè ad alios reſpexiſſe dicendum eſt. Hæc autem noſtra explicatio, nec inuertit tempus, nec textui repugnat; immò cum anteactis cohæret omninò, atq; aptiſſimè aſtui Veneris congruit, & artificioſæ hortandi methodo; atq; ideò germanam arbitror, ſolamq; ab intelligente aſſerendam.

SIC FATA &c. Verba mouent, exempla cogunt. Ideò Venus, omnibus ſuadendi, impellendiq; artibus apprimè calens, præciſis verborum ambagibus, exemplo præit, prima flores carpens, vt, eo excitante exemplo, omnes, agmine facto, Ætneos ſaltus inuaderent, ac floream decerperent meſſem.

SIC. Ideſt *hoc pacto*, ſeù *tali modo*, iuxtà à nobis explicata lib. pri. Carm. 200.

FATA. Particip. hoc eſt à verbo defectiuo *Faris*, vel *fare*, fatur, quod loqui ſignificat. Verbum defectiuum dixi, quia caret perſonâ primâ, quæ, iuxta Priſcianum, *For* eſſe deberet; ſed in vſu nullatenus eſt. Nota autem differentiam, quæ à Varone adſtruitur inter *Fari*, & *Loqui*; *Fari* enim inquit ipſe, minus eſt quam *loqui*: pueri enim, cum primum voces emittunt, quæ intelligi poſſint *fari* dicuntur, nondum ſcilicet habiles ad ſenſatam locutionem contexendam: antecedenter autem *Infantes*, quaſi *non fantes*, dicuntur. Hæc differentia, vt fatear, in praxi non obſeruatur; nam *fari* dicuntur etiam adulti, apud probos Auctores; & certè Virg. Æn. 6.

Sic fatur lacrymans, claſſiq; immittit habenas.

inquit de ſuo Ænea Palinuri caſum deplorante. Claudianus tamen, vt video, hanc, aliquo modo, differentiam amplexus eſt; non quidem in ſententiam iurans Varonis; ſed ex dato fonte, quantum ſibi opus eſſet exhauriens; nam, *ſic fata*, inquit de Venere; non ex eo, quia integram, ſenſatamque orationem non ediderit; ſed quia, breuibus ſe expediens, *fari* potiùs, quam eloqui viſa ſit, attentâ comparatione breuitatis Laconicæ cum prolixitate illa, qua vti potuiſſet Aſiaticum adhibens ſtylum. Quarè *ſic fata* idem hic erit, ac *ſic breuibus allocuta*.

CARPIT SIGNA DOLORIS SVI. Roſas intelligit. Cur autem roſa ſignum dicatur doloris Idaliæ Deæ, ſatis habes ex antedictis ad Carm. 92. vidimus enim ibi Venerem ex dolore morientis Adonidis impotem ſui ſpinam, dum accurreret roſeam offendiſſe, qua ſauciata florem ſanguine infecerit ſuo, *Carpit* itaque; nam *carpere* idem ſonat, ac *ſine violentia abripere*; ſed & interdum pro eodem accipitur, ac ſceligere: Hic arbitror pro vtroq; poſitum à Poeta; ita vt ſit idem dicere *carpit*, ac dicere *cum delectu*, *ac lepidè*, *ſine violentia impetu aſſumit ſibi*. Cum enim alias hortata fuerit ad colligendos cum delectu flores, ipſa prima & ſceligit, & ſibi aſſumit, vt exemplum reliquæ ſequantur. *Signa* autem, iuxta definitionem, à Diuo traditam Auguſtino, ea ſunt, quæ præter cognitionem ſui, quam ingerunt ſenſibus, aliquid aliud faciunt in cognitionem venire. Signa igitur Roſæ dicuntur, quia præter ſpeciem ſanguinis, quo, imbutæ a Venere, purpuram induerant, quam oculis offerebant, Veneris dolorem ex Adonidis morte perceptum in aſpicientis memoriam reuocabant. Ideò *ſigna doloris ſui*. Poſtremum hoc poſſeſſiuum nomen notiſſimum eſt. Quid ſit dolor, alibi vidimus, ideò prætereuehor, alij legunt *cruoris*, ſed perperam, nam cruor ipſius roſæ color eſt.

TVM CÆTERA SALTVS &c. Exempli efficacitatem oſtendit Vates: dum, per ipſum, immutæ verbis, Deæ, ac Nymphæ, ſtatim ac Venerem exemplo præeuntem vident, ſequuntur illicò, & quod hortata fuerat Venus, præciſis moris exequuntur.

TVM. Interdum aduerb. temporis hoc eſt, idem ac *Tunc*; & in hoc ſenſu vſurpatur a Virg. Æn. 8. vbi habet

Tum primum noſtri Cacum videre tremendum.

Interdum verò aduerb. eſt ſucceſſiuæ continuationis, idem ſonans, ac poſtea. In quo ſenſu Virg. Æn. 6. ait

Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras.

& in hoc eodem ſenſu habetur hic; indicat enim ordinem ſubſecutionis in legendis floribus, ita vt cum prima legerit Venus; *poſtea* inuaſerit ſaltus.

CÆTERA COHORS. Collectiuè adnotatas hic noueris Deas comites, Nymphaſq; ſequaces; nam cætera idem eſt, ac *reliqua*, ſeù alia; nam enim à τέρος Latinis *alius*. Quid autem Cohors ſit, iam vidimus ſupra. Hic tamen peculiari nomine *cohors* dicitur, quia ſcilicet cohortata Cythereæ verbis, & exemplis, hortantis monita raptum exequitur.

INVASERE SALTVS VARIOS. Vtitur numero multitudinis, quia, licet ſingularis numeri ſit *cætera cohors*; multitudinem tamen importat, ideò cum ſignificato concordat, quamuis non in voce. *Inuadere* autem eſt *vadere in*; ideſt *impetum facere, irruere, irrumpere in aliquod*, vel ad debellandum, vel ad rapiendum; quarè ſenſus erit: *ad deripiendum, raſere impetu in ſaltus*, vt notetur qua deſideriorum vehementia irruperint. Sicut verò *cohors* translatum à militia nomen eſt, ſic apte vtitur verbo militari *inuaſere*, vt metaphoræ inuicem cohæreant. De ſaltubus ſatis dictum initio huius lib. Carm. 5. *Varios* autem hic dixit, hoc eſt diuerſos. Vbi nota, adiectiuum *varius* idem eſſe quidem, ac *diuerſus*; ſed in triplici ſignificatione adhiberi poſſe; primò ſcilicet ita, vt dicat diuerſum reſpectu loci, hoc eſt diuerſis in locis diſtributum: ſecundò vt dicat diuerſitatem quo ad ſitum, vel formam ſitam vt multiforme ſit, de quo loquimur: tertiò vt dicat diuerſitatem colorum, & idem ſit, ac verſicoloratum. Hæc omnia vnico hoc verbo arbitror à Vate hunc in locum ingeſtá. Primum quidem vt oſtenderet Deas, Nymphaſq; ſparſim diuagatas, ac diſpertitas irrupiſſe in flores, ita vt alia in hanc partem, alia in aliam deflecteret, ad flores iuxta genium legendos, licet nulla à deſcripto iam campo elongaretur; ſecundum verò, vt reſponderet deſcriptioni, in antecedentibus habitæ, qua Ætneam terram multiformem deſcripſerat, nempè in planitiem, in colles, in ſyluas &c. diſtinctam; atq; ita ſignificaret, alias per planitiem, alias per colles, alias per ſyluam diuertiſſe vagantes: Tertium denique, quia iam verſicoloratos, Pauonis, atque Iridis inſtar Æmeos deſcripſerat agros; quarè, quocumq; tandem irruerent, in varios, hoc eſt, verſicoloratos ſaltus incidebant.

CREDAS EXAMINA FVNDI &c. A ſimili amplificat iam ſupra indicatam cupiditatem, qua cætus illi ferebantur; mobilitatem, qua hùc, illùcq; curſitarent; atq; auiditatem legendi, qua modò in hunc, modò in illum florem aduolarent. Similitudinem deſumit ab apibus, quæ ex Aluearijs emiſſæ, ad pabulum, & ad mella aduolent colligenda. *Credas*: ideſt *credere poſſes*, vel *tibi perſuadere poſſes ſi videas*: *Credere* enim idem eſt, ac ſibi perſuadere, aliquid verum eſſe, licet non ſit, ſed tantum eſſe videatur per ſimilitudinem, vel per hallucinationem &c. Hic autem Apum diſcurſiones, auiditatemq; expreſſas adeò, in imagine, autumat Vates; vt ſi videas imaginem iſtam, nempe curſitantes, & florum in meſſem aduolantes Nymphas, credas, te videre, non in imagine tantùm, ſed in re ipſa, Apes volitantes, atq; in flores impetum, ſumma auiditate, facientes. Tali etiam vſus eſt loquendi modo Virg. Æn. 8. vbi hæc habet: *Alta petunt pelago. Credas innare reuulſas*

Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.

EXAMINA. *Examen*, rigoroſè loquendo, dicitur *noua Apum ſoboles*, quam parentes ex ſuis aluearibus; ad nouas ſedes quærendas, exire, cogunt. Verùm, quia hæc noua ſoboles, multitudinem continet, hinc factum, vt quælibet Apum multitudo *examen* dicatur: vulgò *ſchiera, ò ſciame d'Api*: atque in hoc ſenſu aſſumitur à Vate hic.

FVNDI. *Magna vtrimque ſpargi celeritate*, cum ex aluearibus exierint, ad colligendam mellis materiam; nam vt lib. pri. Carm. 49. iam vidimus *Fundo* idem eſt, ac *ſpargo*; & *fundi* idem, ac *ſpargi*. Paſſiuè autem ponitur, quia, vt latè docet Virg. Georg. 4., habent & Apes regem ſuum, quem miro colant obſequio, & cuius ad nutum propria officia libentiſſimè exequantur. *Fundi* itaque dicuntur, hoc eſt ab aluearibus effundi, ac ſpargi per agros, quia iuſſu Regis emittuntur, cui tantâ obediunt alacritate, vt, accepto nutu, certatim aluearibus proſiliant, ac certatim hùc, illùcque dilabantur per flores, melleam vtiq; meſſem collecturæ. Ponitur tamen abſolutè verbum *fundo* ſine caſu agente:

vt oſtendatur Apum eruptio ſpontanea, licet nutu Regis imperata; nam adeò audent Apes imperio ſui obſequi regis, vt ſpontè confluant ad nutus excipiendos, & ſponte executionem accelerent, vt clarè docet Virg. cit. vbi de Rege loquens earum, ait

Ille operum cuſtos; illum admirantur, & omnes

Circumſtant fremitu denſo, ſtipantq; frequentes.

Clariùs autem Plinius (vt apud Pier. video) *cum populus inquit in labore eſt, rex opera intus circuit, ſimilis exhortanti; & ſe quaque proximum illi eſſe cupit, & in officio conſpici gaudet*. Cum itaque ad laborem exierint Apes, de ijs ſic ſcribit Virg. cit.

Illa continuò ſaltus, ſyluaſq; peragrant,

Purpureoſq; metunt flores, & flumina libant.

ex quo vides, quam exactè procedat hæc poetica comparatio. Nam etiam Nymphæ, hortante Venere, ac nutu eius excepto, in flores irruunt, ſed ſpontè quia deſiderant &c.

RAPTVRA THYMVM HYBLÆVM. *Rapere*, (à quo particip. futuri temp. *raptura*) eſt *impetu quodam, ex auiditate progenito, ac properante celeritate, aliquid carpere, ac ſibi aſſumere*. Quam Apum ſollicitudinem, atque colligendi mellis auiditatem exprimit Virg. cit. his verbis

Mane ruunt portis; nuſquam mora &c. Et

Sæpè etiam, duris errando in cotibus alas

Attriuere: vltroq; animam ſub faſce dedere.

Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Quod ipſum indicauit Leonardus Vellus relatus ab erudiſſimo Abbate Picinello lib. Mundi ſymb. 8. cap. pri., qui expreſſurus, viros induſtria præpollentes, omnibus aduigilare opportunitatibus, ac nil intentatum relinquere, vt proficiant. Apibus in impreſiæ corpus adſcitis inſcripſit Lemma, quod à Virgilio decerpſit Georg. 4. *Amor vrget habendi*. Thymus autem maſc. gen. vel Thymum neut. gen. frutex humilis eſt, odoratui, apibuſq. gratiſſimus: quare de mellificio ab apibus conſtruentibus elaborato inquit cit. Virg. *Feruet opus, redolentq; thymo fragrantia mella*. Hyblæus autem dicitur thymus ab Hybla monte, in quo maximè efflorecit; & cuius montis notitiam nos tradidimus ſupra Carm. 79. quare non repeto.

CVM REGES &c. Notat tempus, quo maximè ferueat Apum opus mella colligentium, nempe, vt ſupra dicebamus, tunc quando earum Rex examina in labores educit; vnaquæq; enim tunc de populo gaudet in officio videri prima; atq; ideò tunc maximè feruet opus. Ad quod reſpiciens eruditiſſimus Abbas cit. vt exprimeret, quantum valeat ſuperioris exemplum ad ſubditos impellendos nedum excitandos ad opus. Apum Regem ante Aluearium in corpus aſſumpſit impreſiæ, ac lemmate animauit *Examina ducit*. Licet itaque, etiam immoto in caſtris Rege, Apes, eius nutu excepto, ad opus auidè, ac celeriter exeant, nunquam tamen, aut tantâ frequentia, aut tanto ſtudio operantur, quam cum Rex operi adſtat. Quarè optimè Vates, vt ſollicitudinem exprimat, Nympharum flores colligentium, eas apibus aſſimilat, præſente Rege, agros depopulantibus. Ideò *cum Reges &c.* *Cum* aduerb. temporis eſt, & pro *quando* ponitur. Sicut autem ſupra *Examina* dixerat, plurali vſus numero per Synecd., ſic & *Reges* nunc ait, quia vnumquodq; examen ſuum habeat Regem, quem adeò obſeruant apes, vt, teſte Virg. cit., ab ipſo Rege tota examinis fides, & incolumitas pendeat.

. . . . . . Rege incolumi mens omnibus vna eſt;

Amiſſo, rupêre fidem, conſtructaq; mella

Diripuêre ipſi, & crates ſoluêre fauorum.

Ille operum cuſtos &c. vt ſupra vidimus.

Quod adeò in comperto eſt apud omnes, vt, ſi quis antiquitus oſtendere vellet Regem, vnanimi ſibi populos beneuolentiâ deuincientem, examen Apum proponere conſueuerit, vt refert Pier. in hierog.

MOVENT CASTRA CEREA. Militari more loquitur Poeta, quia verè apes militari quadam diſciplina videntur aluearia ſua tueri; nam & excubias ducunt aliquæ, & in agmen aliæ coeunt, & contra hoſtes depræliantur, dum cæteræ mellis opificio deſudant. Vno verbo paruam Rempublicam videntur Apes efformare, quæ & ciuilibus, & militaribus exercitijs inſtructa, certis legibus regatur, vt cecinit idem Virg. cit. inquiens

Solæ communes natos conſortia tecta

Vrbis habent: magniſq; agitant ſub legibus æuum;

Et patriam ſolæ, & certos nouêre penates;

Venturæq; hyemis memores, æſtate laborem

Experiuntur, & in medium quæſita reponunt;
Namq; aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina; deindè tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ, ſpem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant; & dulci diſtendunt nectare cellas:
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti;
Inq; vices ſpeculantur aquas, & nubila Cœli:
Aut onera accipiunt venientum; aut, agmine facto,
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Quid igitur mirum, ſi *caſtra* Apibus tribuat Poeta, quæ, caſtrorum more, ac legibus vitam degant. Porrò *mouere caſtra* eſt *exercitum ex loco, in quo tentoria fixerant, ad alium locum traducere*. Cum itaque Apum Reges, à regendo dicti, examina ducunt extra aluearia ſua, iure *mouere caſtra dicuntur*; nam Rex in medio examinis conſtitutus, quaſi dux, & anima exercitus procedit, vt de iiſdem apum Regibus in bellum irruentibus, ait Virg. cit.

Ipſi per medias acies inſignibus alis
Ingentes animos anguſto in pectore verſant.

Hic caſtrorum nomine (quatenùs caſtra locum dicunt, in quo milites tentoria fixerint) aluearia intelligit, per tranſlationem, Poeta, &, ne errandi anſa daretur, addidit Epitetum *cerea*; nam cellulæ, quibus apes vtuntur, ab iiſdem ex cera conſtruuntur, à qua certè *cerea* denominantur *caſtra*. Sed noueris tamen, continens pro contento hic poſitum, nempè *caſtra cerea* pro *apibus* caſtra ipſa incolentibus, per metonym.

ET MELLIFER EXERCITVS &c. Allegoriam ſuam proſequitur Vates; nam cum *caſtra* vocauerit aluearia, & certè caſtrorum munimenta incolant exercituum turmæ, congruens erat, vt Apes, exercitus nomine, denotaret: hocq; eo magis, quod inſtrui interdum ad bellum apes, aſſerat Virg. cit., iiſdem militaribus vtens vocabulis, qua ſic habet:

Et circa regem, atq; ipſa prætoria denſæ
Miſcentur, magniſq; vocant clamoribus hoſtem.

Particula verò *Et* copulat tempus cum tempore, actionem cum actione, nempè tempus, quo Reges caſtra mouent, cum tempore, quo exercitus ſubſecutus obſtrepit &c. atq; eductionem ipſam cum obſtrepentibus copulat apibus, quæ exercitum conſtituunt. *Exercitus* autem, propriè loquendo, eſt magna militum multitudo ſub eodem duce collecta ad bellum: ſed non in hoc ſenſu vſurpatur hic; ſed ſolum quatenus *exercitus ab exercendo eſt dictus*: atq; ideò, dum ſe exercent apes in colligendis ex florum varietate melliſluis liquoribus, exercitus nomine, ingenioſiſſime deſignantur: atq; vnico ſic contextu, & proprietatem, & allegoriam ſequitur Vates, *Mellifer* verò diſtinctiuum ſpecificum eſt, quo exercitus, de quo hic ſermo, ab exercitu bellatorum diſtinguatur, ſicuti, per adiunctum *cerea* diſtincta à caſtris caſtra fuere. *Mellifer* itaque dicitur apum exercitus, hoc eſt *mella ferens*: primò quidem quia mellis materiam, à floribus delibatam, cruribus comportant apes, vt ait Virg. ſæpè cit. Georg. 4.

At feſſæ multâ referunt ſub nocte minores
Crura thymo plenæ &c.

Secundò quia apes mel ipſum nobis ferunt, dum illud efficiunt, iuxta tritum illud iam in triuijs omnibus decantatum.

Sic vos non vobis mellificatis apes.

DEMISSVS AB ALVO CAVA FAGI. *Demitto*, à quo particip. demiſſus, idem eſt, ac *Deorſum mitto*. Et iure quidem mellifer exercitus, cum ex cereis caſtris, ad populandos agros, egreditur *demiſſus* dicitur: nam apum aluearia eleuata à terris collocantur, & altior inſuper extat aluearium exitus, cum circa medium aluearij aperiatur, quarè, vt in ſubiectam deuolent terram, floribus conſitam, certè *demiſſi*, vel *deorſum* ab ipſo Rege *duci* debent *ab Aluo*. Aluus verò, ſiuè (quod idem eſt) Alueus propriè dicitur receptaculum illud, in quo apes mellificant: ſic dicta, vt Varoni placet, à mellis alimonia. Aluus etiam *venter* eſt, & quia venter, cauitate intus facta, efformatur; ideò quidquid cauitatem, ad aliquid recipiendum, habeat, ventrem habere, translatè, dicitur, & cauitas ipſa *Aluus* nuncupatur. Hic & metaphora, & proprietate vſum, arbitror, Auctorem, nam & proprio nomine apum receptacula ſignat, & ventrem, ſeù cauitatem arboris, quo excipiuntur, per aluei nomen intelligendam ſupponit, quod, vt magis innoteſcat, addidit adiectiuum *Caua* proprietatem importans, quia *Aluus* dicitur quidquid cauitatem habet ad aliud recipiendum, vt dicebamus. *Fagus* denique, quam in aluearij vſum excauatam indicat Vates, arbor glandifera eſt φάγος dicta à τὸ τῦ φάγειν, hoc eſt à comedendo, quod ante inuentas fruges; vt dix. lib. pri. Carm. 31., homines glandibus veſcerentur, vt Poetæ fabulati ſunt. Firmat autem hic Poeta quæ ſupra diximus, nempè aluum pro ventre poſitam, & metaphoricè vſurpatam, dum *Aluum cauam fagi* deſignat, quaſi excauatæ arboris ventrem, aluearium efficiat. Virg. Geor. 4. aptiſſima ea duxit eſſe aluearia, quæ ex arborum corticibus hærent, vel ex viminibus contextis.

Ipſa autem ſeù corticibus tibi ſuta cauatis,
Seù lento fuerint aluearia vimine texta.

Quem ſecutus Vates fagineas aluos optimas inſinuat, niſi mauis ſpeciem pro genere poſuiſſe, hoc eſt fagum pro quauis arbore: ſed vtcumq; ſumpſeris, optimo iure fagi meminit; nam cum in aluearium arbor quælibet conformata fuerit φάγος potiori iure à τὸ τῦ φάγειν dici poterit, cum certè potiores deferat dapes, quam olim fagus ipſa.

OBSTREPIT ELECTIS HERBIS. Nota artificioſiſſimam huius carminis ſtructuram: ſonus enim verborum, vt ſcitè aduertit Barth., Apum herbis obſtrepentium ſonos imitatur. *Obſtrepere eſt in aliquod*, ſeù *in aliquem cum ſtrepitu aſſurgere*; vel ſtrepitus ille iurgioſus ſit, vel ad plauſum compoſitus; licet, vt plurimum, & ferè ſemper in malam ſumatur partem. Hic in vtraq; ſignificatione vſurpatum arbitror, iuxta diuerſum ad diuerſa reſpectum; nam ſtrepitus, qui ab apibus editur, dum flores inuadunt, reſpectu florum iniurioſus profectò eſt, cum bellum, quo ab apibus diripiantur, illis indicat: reſpectu verò apum erit ad plauſum compoſitus, quæ ſcilicet, ſecum inuicem partam gratulari prædam videntur. Exprimit autem mirificè hoc verbum ipſam apum naturam, quæ dum, agmine facto, flores aggrediuntur, & alis, & ore non exiguum murmur, ac continuum edunt ſtrepitum. Ideo *exercitus obſtrepere Herbis electis*. Quid nomine herbarum veniat, iam vidimus hoc eodem lib. Carm. 9., adeat locum curioſus. Eligo autem, à quo partic. paſſ. *Electis*, idem eſt, atque *ex omni conſortio electionem facio*, vulgò *ſcegliere*, *far ſcelta*. Appoſitè autem addidit hoc partic. Vates, vt intelligeremus, eam eſſe apum naturam, vt non quibuſlibet herbis inſideant, aut floribus, ſed ſcelectis tantùm, ac melioribus: ad quod reſpiciens eruditus ille apud Picinellum cit., cum Apem in viridario conſtitutam pinxiſſet epigraphe decorauit *Meliora legit*. Immò hunc ipſum Claudiani locum in Impreſiæ animam aſſumpſit Ferrus, cum laudaturus Vrbani VIII. Pontificis Maximi ſedulitatem, in eligendis Principibus Eccleſiæ, apibus in Campo depictis eruditè inſcripſit *Electis herbis*. His habitis aduerte iam parallellam huius comparationis æquiparantiam. Apes in iuſſu Regis non erumpunt; Proſerpina, ac cæteræ non, niſi ductrice Paphos Regina, amorum Dea, è clauſtris erupiſſent: Apes in flores non aduolant, niſi ex nutu, atq; hortatu Regis. Nymphæ floribus abſtinent, donec hortatu, exemploq; Veneris moueantur. Curſitant per varios ſaltus, ac flores cum delectu aggrediuntur plaudentes: ſummâ animi alacritate, ac ſollicitudine Apes libant: & paribus feruntur affectibus, & effectibus Veneri obtemperantes Dearum, Nympharumq; cætus. Nec videatur diſſita nimis comparatio eo, quia minima ſummis conferantur; nam hoc idem facit Virg. Georg. 4. Apes cum Ætnæis Cyclopibus, quo ad laborem conferens his verbis.

At veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis &c.
Non aliter (ſi parua licet componere magnis)
Cecropias innatus apes Amor vrget habendi.

Quod ſi Virg. comparationem modificauit ijs verbis, *ſi parua licet componere magnis*; non caret Auctor modificatione, dum non dixit ita eſſe; ſed *credas*, ſi compares, rem ita ſe habere.

Verùm, ne apes & nos æterno circa flores murmure obſtrepentes imitemur, his omiſsis, apes tantùm in delectu imitabimur, electos flores ſectantes, ſi ad moralitatis ſenſum tantiſper deflectamus.

Quod exemplo fit præeunte, id etiam iure fieri putant homines; inquit ad Seru. Sulp. Tullius. Quare nil mirum, ſi deprauata peccantium exempla totius orbis corruptelam meritò duxerim compellanda. Veneris maleſuadam voluptatem ſectantes facilè elabuntur in præceps: ſed, ſi præeat aliquis exemplo, quis improbum putet, quod ab alijs videat exerceri? Et tamen quam longè fallimur! totus enim Mundus, cum poſitus ſit in maligno, non niſi exempla exhibere poterit prauitatis, quæ ſi ſequamur, nobis ipſis

per-

pernicies comparamus. Epycureorum more loqui videtur Venus; ede, bibe, ludo; poſt mortem nulla voluptas: & profectò in hoc non decipit, non hæreticam, ſed, euangelico more, nudam exprimit veritatem, ſi quod loquitur percipiamus. Ede, bibe, lude: poſt mortem nulla voluptas ijs ſcilicet, qui præcepta ſeruauerint huiuſmodi; nam hos manet infinita jactura, æternumque, procul dubio ſupplicium; nam ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt; quia eſca veneri, & venter eſcis; Deus autem hunc, & has deſtruet. Nos verò, quaſi nullæ vigilent in crimina poenæ, præcepta hæc, ſeu potiùs veneream ſequemur adhortationem, vtiq; illudentem? Coronemus nos roſis antequam marceſcant; Veneris ſuaſio eſt. Suaſionem audiuimus: ſed non attendimus, quod hieroglyphicè additur, quod nempè ſigna eius doloris roſa ſit. Carpe roſas; ſed memineris ſigna eſſe doloris ex venerea voluptate ſuccreſcentis. Hæc omnia nouimus: ſed quis exemplo reſiſtat ſuadenti, immò ferè dixerim cogenti, præcipuè ſi exemplum huiuſmodi ex deificatis procedat, hoc eſt ex perſonis in ſacro Eccleſiaſticæ dignitatis ordine conſtitutis, Veh' Mundo à ſcandalis. Vnum Luciferi exemplum maximam ſtellarum partem ſecum traxit in præceps. Ideò euangelica inſonat tuba: Noceſſe eſt, vt veniant ſcandala: verumtamen veh' homini illi, per quem ſcandalum venit. Si ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Cauete ne vos, qui ſal terræ eſtis, quo cæterorum error auferri debet, in errorem conſultò labentes, errandi cæteris exemplum præbeatis; nam quod exemplo faciunt veſtro, iure etiam fieri homines arbitrantur. Et profectò, vbi venerea ſuaſio eſt, ſi ſacratæ gentis exemplum accendat in Venerem, omni penitùs contagioſo morbo Peſtis deterior eſt; nam, cum fomitem inueniat naturę inſitum, accenditur latè, ac per omnium viſcera, blando quidem, ſed tyrannico progreſſu, graſſatur morbus ita, vt nullus violentiæ ſit qui reſiſtat. Prætexit quidem excuſationes Venus ſuadens ex opportunitate temporis; dum ſcilicet præſudat Solibus aer; dum Lucifer humectat roribus, nempè dum prima diei hora eſt, quod idem eſt, ac dicere, dum primus iuuentutis enicat ardor; nam prima diei hora prima eſt hominis ætas, apud eos, qui tripartitò humanam diuidunt vitam, nempe in iuuentutem, virilitatem, & ſenectutem. Quaſi dixerit: Iuuenile eſt Veneri indulgere: ſenectutis ſubindè fuerit erratorum poenitere. Sed proh' quam fallaci dogmate procedit referta fraudibus adhortatio! Hac fortaſſis nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti, quo te ducent? Proſerpinam profectò tuam, nempè Animam, rapienti tradent inferorum Regi; nam qui poenitenti, vt aliàs dix., veniam ſpopondit, peccanti craſtinam diem non promiſit. Deus ſtat ad hoſtium, & pulſat, dum, florum, quos legis, caducitate, tuæ ipſius vitæ fugacitatem præfigurat; dum, elabentibus iniquitatum aquis, quas ebibis, fugacem oſtendit ſeriem deliciarum, quibus vteris, ex arido tandem pumice prouenientibus; vt nihil in terris ſolidum, nihil permanens eſſe facilè perſpicias. Si tot Ægyptiacis caracteribus audiens fueris vitam profectò afferent tibi; ſin ea, quæ ſuggerunt, percipere abnueris, Mors tibi vita aderit ipſa, atq; æternæ mortis mancipium extas, antequam actu ad locum raptus æternæ perditionis deuenias.

Verùm, e perditione tandem emergentes, quæ propiùs ad perditionem ducunt, ponderatum, paulìſper à periculorum incuſſis metu anxietatibus reſpiremus, vt ea, quæ Chelys Itala ſuggerat, excipiamus.

A queſta di delicie vnica ſede,
Cui cedon vinti al fin gl' horti d'Adone,
Giunto il drapello, al lieto cuor richiede
Se di Flora ſia quì l'aurea magione:
Già che del ſecol d'or l'aura vi ſiede.
Di Cithêra la Dea, figlia d'Ammone
Del ſuol le gemme al depredar l'innita;
E, già pronte, del cuor le brame irrita.
Gitene hormai, dicea, gitene, ò care
Suore, al rapir ciò, ch'il diletto alletta;
Mentre di perle, e pellegrine, e rare
Stilla l'aria in ſudor; ne 'l Sol s'affretta
Del rapir voſtro al diſturbar le gare.
Scorta vi ſia la ſtella à me diletta,
Mentre ſcuote dal crine ampio teſoro,
Per ſpruzzarne d'argento i campi d'oro.
Così diſs'ella, e, delle ſpine ad onta,
Non ſpenti ancor del piè ferito i ſdegni,
La man ſoſpinge, e'l verde ſtelo affronta,
Dell'antico ſuo duol cogliendo i pegni.
La ſchiera all'hor, ch'à proprio ſcorno accòrta
L'eſſer più lenta al dar d'acceſa i ſegni,
Ratta ſi ſcaglia; e, quaſi tratte à volo,
Scorron le predatrici à ſtuolo à ſtuolo.
S'all' hor, ch'l Rè natio muoue al lauoro
Del libar fiori, e 'l miel ſucchiarne aſcoſo,
Fuor de cerei ripari il popol d'oro,
Da caui faggi, ad aſſalire anſioſo
Di vaga Tempe il più fiorito choro
E ſi ſcaglia; e s'aggira; e ſtrepitoſo
Coglie da i più bei fior le ſpoglie opime;
Non men d'ardor quiui ogni Diua imprime.
Sponda non v'è, non v'è pendice, ò piano,
Oue il piè non s'inoltri, oue non giunga
Di qualche Ninfa à depredar la mano,
Tal che l'ape, direſti, a cui s'ingiunga
Dalle moſſe del Rè ſtimol ſourano,
Girne men pronta, ou' al lei piè s'aggiunga
Del Thimo d'Hibla il dolce peſo, e rieda
Carca di glorie in riportar la preda.

Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis: ſed vulnerum amaritudinem, non mellis dulcedinem afferens floribus. Quarè nil mirum, ſi apis ad inſtar Italica etiam Muſa, Claudianicis obſtrepens floribus, amaritudinem illis ingeſſerit, Quarè, ne diuturniori amaritudine afficiat, ad melleos eam iterum Poetæ fontes reuocemus,

Pratorum ſpoliatur honos; hæc Lilia fuſcis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat;
Hæc graditur ſtellata roſis: hæc alba liguſtris.
Te quoq; flebilibus mærens Hyacinte figuris,
Narciſſumq; metuunt, nunc inclita germina veris,
Præſtantes olim pueri; tu natus Amyclis,
Hunc Helicon genuit: Te diſci perculit error;
Hunc fontis decepit amor; te fronte retuſa
Delius; hunc fractâ Cephiſſus arundine luget.

PRATORVM SPOLIATVR HONOS &c. Amplificatâ celeritate, nec non & auiditate, qua Venus, & cætera cohors inuaſere ſaltus florentes, vt germina veris decerperent; reliquum erat, vt ipſam ſaltuum deſpoliationem deſcriberet, quod præſentibus hiſce carminibus graphicè peragit Vates. Vſus itaque analitica, quam & reſolutiuam vocant, diſpoſitione, primò, per generalem propoſitionem, ipſum deſpoliationis exprimit actum, ac ſubindè, in ſubiectas actuum ſpecies reſoluens Propoſitum, enumerationem proſequitur, ac datâ ex florum genio, quem efformat, occaſione, nonnullorum origines, ac transformationes recenſet, vt exornatior procedat Oratio, Epiſodijs ſcilicet interſecta.

PRATORVM SPOLIATVR HONOS. Hæc propoſitio illa generalis eſt, qua, vt diximus, oſtendit, nullum Ætnæi locum viridarij à Diuarum populatione immunem extitiſſe, quaſi ſibi pro lege ſtatuiſſent impium illud effatum: Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra; ſicque amplificat quam maximè auidiſſimum legendi ſtudium, quod paucis non exſaturatum fuerit floribus, ni plena camporum deuaſtatione geſtiret. *Honos*, idem eſt, ac *honor*, & pro ornamento, ſeu pro ipſa venuſtate hic ponitur pratorum, quæ in floreo tandem conſiſteret ornatu. Sed, vt apertè intelligeremus, Vatem non de quocumq; ornamento, ſed de floreo tantùm, verba facere, *Honos*, inquit, *pratorum*, antonomaſticè ſcilicet flores

res ipſos, hoc nomine, deſignans; nam, apud Priſcos, Prata dicebantur, quæ nunc viridaria, ex quo etiam pratenſes dicti fuerunt flores, vt notant antiquarum rerum indagatores. Quarè licet *Prata* nunc appellentur ea tantum, ex quibus fœnum colligitur, quaſi *Parata*, cum ſine opera vireſcant; Claud. tamen in ſupradicta antiquorum ſignificatione *Pratum* vſurpauit, non neglecta nihilominus noſtra: appoſitè enim Æthneum hoc viridarium *pratum*, hoc eſt *nulla humani cultoris induſtria paratum* dicitur, ſed quaſi *ex ſe ipſo paratum*.

SPOLIATVR. Figuratam hìc alij quis adſtrueret fortaſſis locutionem; nam, iuxta Grammaticos, dicendum fuiſſe videtur *Prata ſpoliantur honore*: quarè, cum inuerſo ordine loquatur Vates, *Pratorum*, inquiens, *ſpoliatur honos*, figuratè locutum quis diceret. Verùm, vt fatear, nullam ego hìc figuratam locutionem agnoſco, ſi à puris translationibus præſcindamus; noui enim, verbum *ſpolio* pro eodem non ſemel vſurpari, ac *rapio*, & *ſpolior* pro eodem, ac *rapior*. Quare ſenſus Vatis erit: *rapitur*, ſeù *diripitur Pratorum Honos*. Hoc ſanè dixerim, nec errauero, non locutum ſcilicet ſine eruditionis pondere Claud., nam, vt arbitror, verbum iſtud ſuum *ſpoliatur* ad *ſpolium* refertur, quod, quidquid ab hoſte eripiatur, ſignificat; cum autem quiſquis rapiat, in eum, à quo rapiat, certè hoſtiliter agat, hinc eſt vt iure dici poſſit ex illo ſpolium reportare, vulgò *il bottino, la rappreſaglia*. Quarè ad ſpolium reſpiciens Auctor, *Pratorum*, inquit, *ſpoliatur honos*, ideſt in ſpolium erigitur ſimul, & eripitur.

HÆC LILIA FVSCIS &c. Quæ ſupra vnicâ generali propoſitione implicita propoſuerat, iam per varias diſtribuens propoſitiones euoluit, & enucleat, explicitè ea ſub oculis exponens. De pronomine verò *Hæc* ſatis dix. ſupra, Carm. 10. videat locum curioſus.

INTEXIT LILIA. Ex conſequenti antecedens intelligas; nempè carpit priùs, ſubinde *intexit*, quod verbum eſt ab arte deductum textoria, quaſi *intus texit*; nam texentes, poſtq; ſtantia extenderint ſtamina, ſubtegmina *intus texunt*, vt nouimus ex lib. pri. Carm. 160. Cum itaque quod *intus texitur* non poſſit non connecti, innectique cum eo, Intus quod texitur, hinc factum, vt *intexo* pro eodem accipiatur, ac *intrando inſero*; translatè autem acceptum, vt certè hìc, idem eſt, ac *alternatim coniungo, innectoq;*, vulgò *intrecciaro*. In qua ſignificatione vſus hoc verbo eſt etiam Virg. Ecl. 2. *Tu Caſia, atq; alijs intexens ſuauibus herbis*

Mollia Luteola &c.

Lilium autem flos eſt notiſſimus, viridariorum, florumque omnium Rex vnâ omnium voce conſalutatus, ſicuti Roſa florum ab omnibus dicitur Regina. Flos itaque eximij candoris eſt, ſtriatis folijs, & ab anguſtijs, in infimo poſitis, paulatim in latitudinem ſe laxantibus ſupernè; calathi effigiem habet, reſupinis per ambitum labris; tenuiq; filo, ac ſemine croceo, ſtantibus in medio, coronatur. Meritò igitur, cum dixerit Poeta: *Pratorum ſpoliatur honos*; Lilio primatum conceſſit, vt præcipuo viridariorum ornamento, quippè quod ſuam tàm altè extollat pulchritudinem, vt ab antiquis Ægyptijs in hieroglyphicum pulchritudinis fuerit aſſumptum. Sed non hæret, in ſuperficialibus, eruditiſſimus Auctor; immò eius, hoc loco, elocutionem, eruditionibus, myſterijſq; refertam intueor. Memineris itaque, Venerem præcitatæ cohortis ductricem eſſe, atq; eiuſdem, ad flores legendos incitatricem; & facilè, noueris cur, primo loco, ſucciſum à Nymphis Lilium dictitauerit; nam Lilium, quantumuis tanta polleat pulchritudine, ac maieſtate propemodum regia, inuiſum tamen Veneri eſſe dicitur, quod olim de candore auſus cum Dea fuerit decertare, vt teſtatur Nicander Alexipharm., quarè nil mirum, ſi à ſequacibus Veneris primum ſuccidatur. Subindè ſymbolum pudicitiæ, ac virginalis candoris extitit Lilium, vel ipſarum ſacrarum monitu ſcripturarum, ex quibus de Virginum Coryphæo habetur in Canticis: *Qui paſcitur inter Lilia*. In quem locum D. Hieron. interpres *inter Virgines* interpretatur. De perdenda hìc Proſerpinæ pudicitia, ac virginitate agebatur: ideò primum è viridario Lilium ſuccidatur. Inſuper Nymphæ erant, quæ flores colligebant; &, quamuis, vt alibi dix., flores omnes in Nympharum ſacrificijs aggerarentur, Lilio tamen præcipuè delectari videbantur; quarè & Lilijs præcipuè litabant Nymphis antiqui, vt habet Tarpeia apud Propertium à Pier. relatum lib. Hierogl. 55.

Sæpè tulit blandis argentea lilia Nymphis.

Quarè nil mirum, ſi primo in Lilium ardore, earumdem vtiq. delicium, ferantur Nymphæ. Ex quo vides quantâ ſedulitate Vates, & naturam imitetur, & myſtica, ac erudita vnico ſectetur conceptu. Denique, licet flores omnes ſymbolum ſpei fuerint, (quarè inſtituta, hoc in loco, florum direptio ſpem omnem Proſerpinæ, de aura vlteriùs vitali delibanda, præcidendas ſignificat) Lilium tamen, vt docet Pier. cit. primatum in huiuſmodi ſymbolis ſemper tenuit; quod antiqua teſtantur numiſmata Lilij imagine inſignita, cum inſcriptione *ſpes publica*; ideò, primò etiam loco, Lilium præciditur, vt in eo ſpes Proſerpinæ exſcindatur: quinimmo Proſerpina, hac in imagine, ipſa materno è ſolo ſuſtollatur, quæ, vt inferiùs ex Auctore habebitur, *Frugiferæ ſpes vna Deæ* hucuſq; fuerat. Sed ſucciſa hæc lilia intexit Nympha

VIOLIS FVSCIS. Quid violæ ſint; & quænam, ad rem noſtram ſymbola ingerant vidimus ſupra Carm 93. Pariter cur Fuſcæ dicantur violæ facilè ex eodem cit. loco deduces, modo memineris, *fuſca* ea dici, quæ colorem habent ſubnigrum, ſed non planè nigrum. tantùm noto nouum in hoc fuſco colore hieroglyphicum futuros mox Proſerpinæ exprimentis caſus. Tartareis præcincta tenebris, ac nigris Tartarorum lacubus futura erat Proſerpina, ideò *Nigra*, quippè terris illis obſita fuliginibus: ſed non planè nigra; quia Elyſiorum luce identidem ſuperfundenda, ſi credendum Plutoni; qui ſerenos inferiùs promittet Soles, clariora ſydera &c. vel, ſi reſpiciamus Ouid. Metam. 5. aſſerentem, Cererem tandem ex indulto Iouis obtinuiſſe, vt Proſerpina ſex menſes apud Plutonem, ſex verò apud matrem degeret; *non planè nigra*, quia futurum erat vt alternatim poſt tenebras candida cæli luce perfunderetur; ideò *fuſca*, & ipſa dici potuit. Poſt ſucciſum igitur Lilium, hoc eſt poſt ablatam materno è ſolo, in imagine, Proſerpinam; qualis ſubindè ipſa eadem futura eſſet, fuſcarum hieroglyphico violarum deſignetur, quæ lilijs innectantur.

HANC ORNAT &c. Secundum notat, per pronomen *hanc*, diſtributionis membrum, dum diuerſam denotat Nympham. De pronomine *hanc* diximus loco cit. §. hæc Lilia &c. Item cur non *illam* dicat, ſed *hanc*; idem inflectens pronomen, per traductionem figuram; eodem vidimus loco, quarè libens omitto. *Ornare* autem, hoc loco, eſt *ſe ipſum in alicuius ornamentum tribuere*. Verbum vtique notiſſimum, ideò non vlteriùs explicandum; tantùm noto conſequens & hìc poſitum, vt ex illo antecedens innoteſcat; nempè decerptum priùs amaracum fuiſſe, qui ſubinde raptricem exornat ſuam.

AMARACVS MOLLIS. Puer fuit *Amaracus* Cynaræ Cypri Regis filius, qui vnguentariæ artis ſtudio mirificè delectabatur, vt refert Plin. lib. 21. cap. 22. Hic, dum vnguenta quædam defferret, caſu quodam lapſus cecidit, ac omnia quæ ferebat, profudit vnguenta, ex quorum commixtione maior, quam ex ſingulis, odor, & excellens adeò exiluit, vt ſubindè pretioſiſſima quæq; vnguenta Amaracina dicerentur. Puer autem Amaracus, vel ob iacturam, vel ob lapſus confuſionem, vel alia iquauis, animum opprimente, cauſa, mærore, ac dolore dictur contabuiſſe, ac Deorum pietate in herbam, quam Ægyptij à Syri Sampſuchum vocant, Siculi verò ex Pueri nomine Amaracum dicitur fuiſſe conuerſus; quæ herba etiam nunc & mirificis halat odoribus, & floribus eximie olentibus dicatur, vulgò *Maggiorana* dicta eſt. His igitur Amaraci floribus decerptis ornatur Nympha, vt ſicut ex lapſu, atq; interitu ortum habuit Amaracus, ſic mox lapſuræ, ac mortuorum in Regnum transferendæ præluderet Proſerpinæ. Et porrò, cum in more poſitum fuerit, vt demortui cadauer vnguentis optimis delibutum conderetur, iuxta illud Virg. Æn. 6. *Corpuſq. lauant frigentis & vngunt*; optimo iure aromatarij flores condendæ in inferis Proſerpinæ ſucciduntur. *Mollis* autem dicitur Amaracus, primo quia herba ipſa plumei tactus eſt: ſecundo quia mollis pro eodem, translatè, ſumitur, ac *delicatus*, ideſt in delicijs viuere aſſuetus; nam qui in delicijs viuit, iiſdem eneruatur, ac mollis redditur, ac tener ita, vt cuicumque cedens tactui facilè contabeſcat. Certè autem in delicijs vixerat Amaracus Puer vnguentis vtpotè ſemper delibutus. Ideò mollis Amaracus, præferente denominationem Virgilio Æn. pri. vbi ſic

At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos; vbi mollis Amaracus illum
Floribus, & dulci adſpirans complectitur vmbra.

HÆC GRADITVR &c. Tertium diſtributionis membrum proſequitur, & pariter ex conſequenti antecedens ſubijcit intelligendum; nam *quæ graditur ſtellata roſis*, certè an-

antecedenter roſas decerpſit, atque in coronas ſtuduit inflectere. Hæc, per repetitionem dicitur, quam etiam ſequenti membro proſequitur, De pronomine autem ſatis diximus ſupra. *Gradior* verò idem eſt, ac *inceſſu quodam graui progredior*, vt mos eorum eſt, qui decorem, ac maieſtatem, in inceſſu ipſo affectant; vulgò *Andar co'l paſſo della Pocca*. Vnde etiam Mars Gradiuus dicitur, eo quod gradatim, ac ſeruato ordine, more militari, procedat. Cum itaque ſtellatam dicat Nympham Poeta, nil mirum, ſi oſtendatur, ſtellan adinſtar Cæli, ſuperbè tumens, faſtumq; ambulationis grauitate, ac maieſtate, præſeferens, vt regio non ſe indignam præbeat ornatu.

STELLATA ROSIS. Quid roſa ſit, latè vidimus, hoc eodem lib. Carm. 92. quod verò pertinet ad particulam *ſtellata*, maiorem hæc habere videtur difficultatem; nam quæ proportio roſarum ad ſtellas? Stellæ incorruptibiles ſunt, ſi Ariſtoteli credamus corpora cæleſtia incorruptibilia aſſerenti; & incorruptibiles per accidens ſunt, etiam in ſententia noſtra, eo quod nullum detur de facto agens naturale, quod eas valeat labefactare: roſa verò momentanea eſt, vixq; oritur, cum moritur; nam

Vna dies aperit, conficit vna dies,

vt inquit Auſonius; qui Roſam vitæ imaginem ſtatuens ſubdit

Collige virgo roſas, dum flos nouus, & noua pubes;
Et memor eſto æuum ſic properare tuum.

Verùm memineris ſemper, exempla, & ſimilitudines, in quibus profectò cum virtute fundantur translationes, non debere, pari omninò paſſu, procedere; nam iam eſſent omninò idem, non ſimilia. Sicuti igitur *ſtellæ* flores Cæli dici poſſunt; ſic viceverſa *Roſæ* ſtellæ terreni orbis non incongruè nuncupantur; immò non roſæ ſolum, ſed flores omnes hoc titulo decorantur. Sed hæc iam in Triuijs nota non reſpicit Vates altiori ſuffultus eruditione. Veteres illi antiquorum Phyloſophorum Anteſignani, qui rerum omnium originem altiùs perſcrutari dicuntur, tantam, teſte Pier. hieroglyph. lib. 55., ſimpathicæ vnionis virtutem cum ſtella Veneris adinuenerunt in roſa, vt roſæ odorem, coloremq; ab ipſa Veneris ſtella deriuatum aſſerere non dubitauerint: Quibus inhærens Auctor opuſculi de roſa, quod Chariſius Virg. adſcribit, hæc cecinit in Laudem roſæ

Ambigeres, raperet ne roſis Aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies.
Ros vnus, color vnus, & vnum mane, duorum;
Syderis, & floris eſt Domina vna Venus.
Forſan & vnus odor; ſed Celſior ille per auras
Difflatur, ſpirat proximus iſte magis,
Communis Paphiæ Dea ſyderis, & Dea floris,
Præcipit vnius muricis eſſe habitum.

Cum itaque adeò congruant inter ſe flos Veneris, & Veneris ſydus, vt videatur ſydus ipſum, vel ſe ſe in roſam tranſtuliſſe, vel roſam in ſe ipſum tranſmutaſſe, dum ſuas roſæ communicat qualitates. cur non poteſt ſydus *cœlica Veneris roſa* nuncupari; roſa verò *terreſtre eiuſdem Veneris ſydus?* Antiquiſſimæ igitur ſapientiſſimorum eruditioni prænotatæ inhærens Claud, Nympham ſuam, non redimitam, ſed *ſtellatam roſis* eruditiſſimè deprædicat; nam *ſtellata*, ſi, vt adiectiuum, ſumatur, idem eſt, ac *ſtellis plena*: ſicq; *ſtellatum* dicitur Cælum, id eſt *ſtellis vndique refertum*, & propriiſſimum eſt Cæli Epitetum. Si verò ſumatur *ſtellata*, vt particip. à *ſtello*, verbo apud antiquos neutro; idem eſt *ſtellare*, ac *in modum ſyderis coruſcare*; ſicq; idem erit *ſtellata roſis*, ac *coruſcans ſplendore roſarum, ſtellas nitore referentium*. Neq; dixeris, ex verbo neutro deriuari non poſſe Particip. paſſiuum, vt eſt illud *ſtellata*; nam hoc vtiq; de puris neutris concedo: ſed à neutris verbis, quæ & interdum actiua fiunt (cuiuſmodi eſt verbum *ſtello*, quod & paſſiuum reperitur apud Plinium lib. 37. vbi ait: Stellarum Eliadum numero, & diſpoſitione ſtellantur) certè particip. paſſ. deduci poteſt. Verùm, vt opinor, vt purum adiectiuum hic ſumitur *ſtellata*; nam ſic magis facit ad ſenſum præcitatæ eruditionis.

HÆC ALBA LIGVSTRIS. Ad quartum procedit diſtributionis ſuæ membrum Poeta, ex conſequentibus antecedentia indicans, vt ſupra; nam, quæ, liguſtris albicat, prius decerpſerit, ſeq; ijs ornauerit neceſſe eſt. Repetitionem pariter proſequitur figuram, in Pronomine *Hæc*, de cuius vi, & efficacia ſatis dix. loco ſupra cit. Tantum agnoſce hic, præter repetitionem, etiam figuram adiunctionem, qua plura membra ad idem verbum referuntur; nam hìc quoq; transferendum eſt verbum ſuperius poſitum, nempè *Graditur hæc alba liguſtris*. Album dicitur quid à colore albo, quem induit: *Albus* autem *color* notiſſimus eſt, & à *candido* differt per hoc, quod *candidus* albedinem importet prælucido ſuffuſam ſplendore, vt in Lilio cernitur, aut in Argentea ſuppellectile: *Albus* verò albedinem importat pallori cuidam languido admixtam; vnde & albeſcere dicimus faciem, quæ refugiente ad præcordia ſanguine expalleſcit. *Liguſtrum* porrò inter arbores potiùs, quam inter flores, enumerandum cenſuit Plin & verè Arbuſcula eſt, ex cuius ligno theſſeræ fiunt aptiſſimæ, oliuæ ſimilis folio, ſed molliori, ſemen inſtar coriandri producit, ac flores albos, & ſuauiter odoratos. Quarè, licet inter arbuſculas numeretur, non tollitur, quin ex ea flores decerpi poſſint, cum florea ſit. Albam igitur liguſtris Nympham hanc Vates appellat, vt indicet, tot Liguſtri flores collegiſſe in comæ, frontis, ac pectoris ornamentum, vt tota iam liguſtris compacta videretur; ideò *Alba* colore ſcilicet Liguſtri cæteros opprimente; idcircò enim *Liguſtris* inquit, vt cauſam cur *Alba* incederet, aſſignaret. Tantum noto liguſtrum hic poni, non pro arbore, ſed pro arboris flore, poſita cauſa pro effectu per metonym., quod fecit & Virg. cum inquit Ecl. 2. *Alba liguſtra cadunt &c.* Liguſtrum ex Cypro in Italiam comportatum aſſerit Plinius, & eamdem eſſe arborem cum ea, quæ, deriuato ab Inſula nomine, à Græcis κυπρὶς dicitur, & cuius acini contra Phthiriaſim, id eſt contra morbum pedicularem efficaciſſimi dicuntur. Alij tamen è contra, vt ſcripſit Euſtathius, Inſulam Cypriæ ſacram Deæ ab vberta Cyprorum, ſeu Liguſtrorum inibi enaſcentium Cyprum autumant dictam; adduntq; ex huius arboris floribus oleo coctis, exprimi vnguentum illud quod Cyprinum vocatur. Maſſarius verò contendit, Liguſtrum diuerſam eſſe arborem à Cypero ſupra dicto. Sed cum omnes ferè interpretes Cyperum pro Liguſtro accipiant, vix auſerim Maſſario aſſentiri. Et profectò Auctorem noſtrum arbitror cum communi interpretum ſenſiſſe; nam Nympham, Veneris exhortatione incitatam ad legendos flores, cum induxiſſet, quomodo melius eam Veneri obſequentem oſtenderet, quam ad eos flores inducens legendos, qui ex Veneris Inſula, ex Cypro videlicet ortum ducerent?

TE QVOQVE FLEBILIBVS &c. Quintum iam adſtruit membrum diſtributionis; ſed, ne ſatietatem pariat, figurarum varietate delectat, &, de floribus agens, floream, figurarum implexione, conſtruit orationem. Itaque, poſt Traductionem, Repetitionem, & Adiunctionem, Apoſtrophe, hoc loco, vtitur, vt figuras figuris innectat, ſicuti flores floribus carpentes intexebant.

QVOQVE. Coniunctio hæc copulatiua eſt, atq; in earum claſſe, quæ ſemper alteri voci poſtponuntur, quod quidem ſeruatum vides ab Auctore, dum dixit: *Te quoq; &c*, idem ſonat, ac etiam, additionem importans.

METVNT TE. *Metere* propriè eſt *meſſes ſecare*, & fructus colligere; ſed tamen, per translationem, traducitur ad ſignificandum id, quod ſimplex *ſeco*, quidquid tandem ſit id, quod ſecatur. Sic, non ſolum de meſſibus loquens, ſed etiam de ſuccifis hominum corporibus agens vſus eſt hoc verbo Virg. Æn. 10. dum ait

Proxima quæq; metit gladio, latumq; per agmen
Ardens limitem agit ferro &c.

ideò & Vates hìc, translatè, vtitur verbo metunt, ita vt ſecare, ac colligere flores iam ſignificet. Caſus autem Accuſandi *Te* à recto *tu* deriuatur, quod pronomen vnicum eſt ſecundæ demonſtratiuum perſonæ: & quia Hyacinthus etiam olim habuerat perſonam, vt in anteactis innuimus, iure eum alloquens Poeta per pronomen huiuſmodi notat, ac ſignat.

HYACINTHE. Vocandi caſu vtimur, cum interpellantes perſonam, quam alloquimur, eam attentam facere nitimur, & teſtem eorum, quæ diximus, veritatiſq; aſſertricem exoptamus, ac volumus. Sic itaque Poeta Hyacinthum puerum, quaſi adhùc in ſuo viuentem flore, interpellat, per caſum vocandi, vt teſtem faciat veritatis illius, quam profert, de iniuria ſcilicet, quam illi inurerent illius florem carpentes breuiter locutus. Quis verò fuerit Hyacinthus, videas in anteactis Carmine 92. vbi etiam, cur, & quomodo conuerſus in florem fuerit, attigimus. Eſt autem Hyacinthus Prudentiæ, ac Sapientiæ ſymbolum apud Ægyptios, ideò ſucciditur, quia Proſerpinam fidæ Parentis oblitam Prudentia ſimul, ac Sapientia deſeruerant.

MÆRENS. Mæreo, à quo particip. Mærens, propriè ſignificat *triſtari*, ac *mæſtitia cauſa contabeſcere*. Immò ali-

qui putant deductum hoc verbum per græciſmum à *τὰ τῆς μοίρας*, quod eſt apud Latinos *Parca*, ſeu *Mors*. Mærens igitur dicitur Hyacinthus, quia à parca priùs ſuccifus è viuis, nunc iterum in flore à Nymphis ſuccidatur, & iteratæ morti ſubdatur: & mærens, quia mæſtitiæ caracteribus extat inſignitus, vt vidimus loco ſupra citato.

FIGVRIS FLEBILIBVS. Figura forma eſt, & ſtatura corporis noſtri à fingendo dicta, vt alibi innuimus. Vno verbo, eſt ſpecies hominis, ſeù alicuius alteriùs rei, vulgò *l'aſpetto, la ſembianza di qualche coſa*. *Mærens* itaque eſt Hyacinthus *figuris*, primo quia figuras mutauerat, cùm ex homine in florem deſijt: ſecundo *mærens ſub figura floris*, quia hæc ipſa ſuccidebatur: tertio deniq; *mærens figuris*, nempè aſpectibus ad mærorem compoſitis, tum ob colorem Hyacinthi feralem, tum ob funereas, quas ſupra loco cit. recenſuimus notas. Ideò *figuris flebilibus*; *flebile* enim dicitur, quod dignum vt defleatur eſt. Et, proculdubio, fletu ab omnibus impertiendo dignæ videatur Hyacinthi figuræ calamitatibus vndique obuallatæ: nam ſi conſideretur, vt Puer immaturâ morte peremptus, & ab Amante Apolline, per errorem, peremptus, quid flebilius; ſi conſideretur vt flos atratus, lamentationum notis conpunctus, ita vt, etiam poſt mortem, immortalis eius dolor appareat, quis à lacrymis temperet? Si conſideretur demùm in flore ſuccifus, iteratam coniectus in mortem, quis tanta non imbueatur calamitate?

NARCISSVMQVE. Hoc eſt *& mærens Narciſſum*, qui flos vtiq; noſtris hiſce temporibus notiſſimus eſt, & quem Ouid. Metam. 3. ſic deſcribit

. . . . Croceum pro corpore florem
Inueniunt, folijs medium cingentibus albis.

certè enim medium Narciſſi corculum, illud ſcilicet, quod in coronamenti ſpeciem erigitur *croceum* eſt, ſeù *aureum*; folia autem, quæ circumquaque ſparguntur circa illud, alba profectò ſunt. Ex Liliorum genere huiuſmodi florem eſſe dicunt, qui radice ſuccreſcit carnoſa, & odora adeò, vt floris ſubinde odor, acutus nimis cùm ſit, grauedine caput opprimit; ſed vereor, ne auctores iſti Narciſſum noſtrum non planè nouerint; nam immò experientia patet Narciſſum ſuauiter halare, nec caput vnquam offendere. Florem autem huiuſmodi Puerum fuiſſe olim, eximium formâ, fabulantur Poetarum commenta, filium Cephiſſi amnis ex Liriope Nympha, vt præcipuè ſcribit Ouid. cit. Metam. 3.

Prima fidem, vocisq; ratæ tentamina ſumpſit
Cærula Liriope; quam quondam flumine curuo
Implicuit, clauſaq; ſuis Cephiſus in vndis
Vim tulit: enixa eſt, vtero pulcherrima pleno,
Infantem Nymphe, iam tunc qui poſſet amari,
Narciſſumq; vocat; de quo conſulene, an eſſet
Tempora matura viſurus longa ſenectæ,
*Fatidicus Vates *; ſi ſe non nouerit; inquit.*

* Tyreſiam intellige.

venatorijs itaque artibus addictus Puer, fuit etiam à vocali Nympha, quæ Eccho dicitur, adamatus: ſed vel neglexit, vel ſpreuit amorem Puer, ita vt Nympha deſperati amoris impatientiâ contabuerit, eiuſq; ſola vox remanſerit in cautibus, & ſyluis. Accidit autem, vt puer, quodam die, venationis labore, æſtuq; fatigatus, ad fontem, limpidiſſimis ſcatentem aquis, deuenerit, cumq; in genua bibiturus procubuiſſet, firmatis in fontis margine manibus, iam pronus, ſui ipſius imaginem in vndis conſpexit. Tunc primum ſe, formamq; ſuam cognouit infœlix: nam imaginis ſuæ amore captus vehementer adeò exarſit, vt, interno igne conſumptus, eodem perierit in loco, Deorum miſerationem in florem ſui nominis ſubinde conuerſus; qui tamen etiam in ſtygijs aquis ſe ipſum poſtea perquirere non deſtitit, vt canit cit. Ouidius, hæc memorans

Lumina Mors clauſit domini mirantia formam.
Tum quoq; ſe, poſtquam eſt inferna ſede receptus,
In Stygia ſpectabat aqua. Planxere ſorores &c.

Et hunc itaque florem à Nymphis decerptum, ingerit Claud.: quàm aptè autem ex prænarratis faciliimè deduci poteſt; nam florem huiuſmodi expreſſam Proſerpinæ imaginem fuiſſe perſpicies. Adamata hæc fuerat & à Phœbo, & à Marte, vt vidimus lib. pri.

Perſonat Aula Procis; pariter pro virgine certant
Mars Clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu.

Deſpexit tamen vtrumq; flaua Ceres, raptuſq; timens, vt ibi Æthera deſeruit, ac in Siciliam deuecta

Inſidis natam Laribus commiſit alendam.

Rapiendæ itaque Proſerpinæ, nil mirum, ſi raptus præluſerit Narciſſus, qui & ipſe amantem fugerat, Narciſſus perijt, imaginem ſuam inquirens, vt ſtringeret amplexu. Proſerpinam Imaginem ſui Narciſſum ſcilicet carpens perijt, nam vt refert Sophocles apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 16., Narciſſum colligens, quo & antea delectabatur, rapta eſt à Plutone. Adde florem huiuſmodi fuiſſe Eumenidibus ſacratum, quo in coronam implexo vtebantur Deabus illis ſacrificantes, vt notat eadem Mythol. lib. 9. cap. 16. Proſerpina inter Eumenides conſtituenda erat Regina; ideò Nymphæ Narciſſum demetant in Coronas futura Proſerpinæ ſacra, quantumuis inſciæ, præſagientes. Denique Iactantiam formæ breui duraturam oſtentat Narciſſus: & Proſerpina tali luxurians cultus, vt vidimus in anteactis breui aderat interitura.

NVNC INCLITA GERMINA VERIS &c. Fabulas attingens Poeta, qui ſint pro præſenti ſtatu, quiue fuerint iampridem & Hyacinthus, & Narciſſus commemorat; & concinnè adeò, vt Scalliger lib. poet. 5. cap. 16. comparans Claud. cum Ouid. de iiſdem floribus agente dixerit: *vterq; ſpecioſè; tamen laxior Ouid., compoſitior Claud.*, neque enim prata floribus, ſed & flores pingit coloribus fabularum. *Nunc* itaque aduerb. præſentis temporis tempus ipſum, quo hæc cecinit Poeta, deſignat *Germina* quid ſint vidimus hoc eodem lib. Carm. 77. Hic certè floreos fœtus è terris prouenientes important. Alij *Gramina* legunt cum Parrhaſio; ſed genus, arbitratu meo, remotum nimis aſſumunt. *Inclita* autem dicuntur, hoc eſt *præclara, celeberrima*, ac fulgore quodam formæ ſplendentia: tum ob mollitiem, odorem, ac venuſtatem florum; tum etiam ob fabularum commenta illos concelebrantia. *Veris* cognitionem habuimus hoc eodem lib. Carm. 90., hic autem ponitur pro temperatiſſima illa anni parte, quæ à Virore *Ver* dicitur, quia tunc incipiant vireſcere virgulta omnia: ſeu, vt alij malunt, dictum Ver à vertendo, quia tunc anni tempus ſe vertere incipiat, & à ſenectute hyemali in Iuuentam tranſiliat. Incipit veris tempus, iuxta Aſtronomos, cum Sol primo Arietem ingreditur; iuxta Cic., cum roſa primum efflореſcit; iuxta Virg. Georg. pri., cum gelidus humor canis montibus reſoluitur. Hæc autem anni pars Mater dicitur herbarum, ac florum; ſic enim de ea inquit Vates ille

Bella Madre de' fiori
D'herbe nouelle, e di nouelli amori.

huius igitur Matris germina, nempè filios eſſe dicit Claud. flores recenſitos, prout de facto ſunt.

PRÆSTANTES OLIM PVEROS. Enarrato quid ſint; Quid fuerint explicaturus, aduerbio vtitur *Olim*, quod ex diametro opponitur aduerbio *Nunc* ſuprapoſito. *Olim* namq; aduerb. præteriti temporis eſt idem ſonans, ac iampridem. Pueri quod fuerint vidimus, de Narciſſo quidem mox ſupra; de Hyacintho autem in anteactis Carm. 92. Puer verò dicitur, per contrapoſitum ad Puellas, qui Mas eſt, & fortaſſis Pueros appoſitè meminit fuiſſe Vates, vt cauſam innueret, cur auidiùs à puellis Nymphis appeterentur. *Præſtantes* verò dixit, hoc eſt *ante* alios ſtantes, pulchritudine videlicet illa, cuius præſtantiæ indicium fuerit, quod Hyacinthum deperiret Apollo, Narciſſum Eccho. Prætereunda hic videbatur grammaticalis difficultas, quippè obuiæ ſolutionis; cur ſcilicet cum flores ipſos deſignaret decerptos ſingulari numero ſit vſus; poſtea verò plurali vtatur: *Inclita*, inquiens, *germina*: *præſtantes Pueros*. Attamen & hoc dicendum in gratiam rudiorum. *Mærens*, dixerat, *Te Hyacinthum, & Narciſſum*, ſingillatim ſcilicet vnicuiq. ſuum tribuens: cum verò, in ſubſequentibus, communem vtriq; ſortem attribuere, & explicare vellet, vnitim de ambobus loquitur; & quia duo pluralitatem faciunt, plurali vtitur numero, vt cum vtroque iunctim concordet dictio.

TV NATVS AMYCLIS &c. A nobilitate generis, ſeù originis Hyacinthum priùs, ſubindè Narciſſum cur præſtantes dixerit pueros, oſtendit, & probat. In apoſtrophen autem iterum voces inflectit, vt intelligamus, continuatam Apoſtrophen ad Hyacinthum eſſe quidquid de ipſo, ac de Narciſſo dixerit, & dicturus ſit. Ideò *Tu*, inquit, vt correſpondeat caſui ſuprapoſito accuſandi *Te*, de quo ſupra, atq; vt noueris iterum hic de Hyacintho inſtitui ſermo, dum eiuſdem nomen demonſtratiuum per traductionem figuram inflectit. *Natus* à Naſcor eſt, notiſſimæ ſignificationis verbo. Quarè tantùm noto, Poetam innuere voluiſſe hic, nobilitatem generis à Genitore in pueros vnà cum ſanguine tranſmitti, & communicari: nec paruì faciendam hanc nobilitatem, quaſi non noſtram, ſed hæreditario quo-

quodam iura in nos deriuatam: cum nobilitas, quæ noſtra tantum ſit, in actionibus heroicis, quæ à nobis ipſis proueniant, omninò conſiſtat: non paruifaciendam, inquam, hanc generis nobilitatem, quia, cum veluti cum nobilium Progenitorum ſanguine in nos profluat à fonte, generoſos etiam ſpiritus, vt plurimum infundit, quibus, ab Auorum nobilitate ne degeneres ſimus, ad heroicas actiones incitamur, & degenerare dicuntur, qui ab his declinent ſpiritibus. Ideò *Tu natus Amyclis*. *Amyclæ* Vrbs illa eſt, de qua latiùs lib. pri. Carm. 135. ſed, dum oppidum, in quo natus ſit Hyacinthus memorat Vates, regium etiam illius ortum in memoriam adducit; nam filius fuit Amyclidis Amyclarum conditoris, à quo & nomen ciuitas ipſa deſumpſit. Vide quæ dicta in antedictis Carm. 92. Et ideò Ouid. Metam. 10. patronimico nomine Hyacinthum vocat Amycliden, id. Amyclidis filium.

Te quoq. Amyclide poſuiſſet in æthere Phœbus
Triſtia ſi ſpatium ponendi Fata dediſſent.

HVNC HELICON GENVIT. Vt implexa incundè fluat oratio, natalibus Hyacinthi natalia ſubteait Narciſſi, vt apta diſtributione vnicuiq; expoſitis reſpondeat. *Hunc* igitur, nempè Narciſſum; nam pronomen huiuſmodi, ex perſonis diſtributim enarratis, vltimam deſignat. *Helicon* verò locus eſt, in quo ortum habuit Narciſſus, cuius mentio hic habetur, vt ex loci nobilitate, qui & Parentis decoroſam propaginem in mentem reuocet, huius etiam celebritas deſumatur. *Helicon* itaque mons Beotiæ eſt iuxta Thebas Phocidi vicinus, vt Strabo retulit: nec procul à Parnaſſo poſitus, eiq; & altitudine, & circuitu non impar; immò Sacer & ipſe Muſis eſt, vnde & Heliconides dictæ. Locus igitur vndequaq; inſignis, & conſpicuus eſt Helicon. Cum itaque & Cephiſus fluuius, cuius Numinis filium ex Liriope Nympha Narciſſum diximus, flumen Beotiæ ſit, nil mirum, ſi ex Heliconia Patria profectus dicatur Narciſſus. Nec item mirum videatur, quod ſubditur, *Genuit*, quaſi actionem generatiuam patrio attribuat ſolo; quod enim proprium eſt Poſſeſſoris, interdum rei poſſeſſæ attribuitur per Metonym. Adde, quod, vt inquit Cic. pri. de officijs, non nobis ſolum nati ſumus, ſed partem ortus noſtri ſibi vindicat Patria, partem parentes &c. quod ideò dictum arbitror, quia, dum Genitores de patrio ſolo viuunt, ex eodem videntur aſſumere potentiam generandi; quarè videtur patrium ſolum genitali affectu in filios remotè ſaltem influere. Inſuper, vt ait Phyloſ., Sol, & homo generant hominem; quarè etiam patrium Cælum influit in filiorum generationem à parentibus peragendam. Ideò proprio quodam iure actio generatiua videtur Patrio ſolo attribui poſſe. Sanè in hoc eodem ſenſu locutus eſt Poetarum Princeps, cum, vitæ ſuæ ſeriem deſcribens, ait

Mantua me genuit; Calabri rapuere; tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Verbum autem, eiuſq; vim non explico, ſatis enim nota iam ſunt.

TE DISCI &c. Ad Hyacinthum redit, &, quo cecidit, infortunium attingit. Vbi nota commixtas inuicem traductionis, & repetitionis figuras: *Te natum; te mersum; te diſci* &c., & inferius: *Te fronte retuſa*. De pronomine non loquor, ſat enim ſupra. Te igitur, nempè Hyacinthum

ERROR DISCI. *Error* peccatum, & flagitium ſignificat. Errorem igitur ideò fuiſſe dicit Hyacinthum perdere, quia flagitioſum omninò, atq; acerrimâ puniendum pœnâ fuiſſet, ſi in ſubiecto capaci crimen extitiſſet, quod formoſiſſimum puerum, atq; Apollini in primis carum perdidiſſet. Qui nam autem hic error fuerit, vide dicta in anteactis Carm. 91. Inſuper error dicitur id etiam, quod præter, aut contra intentionem accidit operantis, & quia contra intentionem Apollinis Diſcum iuuentis occidit, vt puerum Diſcus occideret; ideò *Error Diſci*. Diſcus rotunda quædam, & plana moles eſt, vel ſaxea, vel plumbea, vel etiam ferrea, cuius iactu Iuuenes inter ſe decertabant; victorque euadebat, qui aut altiùs in ſublime, aut longiùs in tractu, vltra deſignatum ſpatium proijceret. Quo autem pacto occiſus diſco fuerit puer, de quo hic vide locum mox citatum. Tantùm nota artificium in verbis error diſci; quatenùs enim error flagitium dicit, Diſci errorem fuiſſe, non Apollinis apertè hic profitetur Poeta; nam cum non ſit peccatum, niſi voluntarium, liberandus hoc crimine fuerat Apollo, qui, licet diſcum in ſublime proiecerit, præter intentionem tamen, & inuito voluntatis affectu, vidit exindè in dilecti pueri caput recidentem. Quarè reſpectu Apollinis error tantum fuit; quatenùs error in ſecundo ſuppoſito ſenſu accipitur. Nec obſtare potuit Apollo recidenti diſco; nam ferebatur à Zephyro: & Deorum lege cautum erat, ne quis Deus alterius Dei licet inferioris facta infringere poſſet. Quarè nec fuit in Apollinis poteſtate ictum à puero diuertere, quem æternum, & immortalem eſſe voluiſſet, iuxta Ouid. Carm. cit. §. *Amyclides certè*, quantum potuit, etiam poſt funus, immortalem effecit, vt ibidem ſubdit cit. Auctor Metam. inquiens

Qua licet, æternus tamen es: quotieſq; repellit
Ver hyemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo
Tu toties oreris, viridiq; in ceſpite flores.

PERCVLIT. Ideſt percutiendo, in mortem impulit &c.

HVNC FONTIS &c. Ad Narciſſum iterum diuertit. Et nota repetitionem: *hunc genuit*: *hunc decepit*; & conflictionem contrariorum, tàm reſpectu Narciſſi, quàm reſpectu Hyacinthi, dum natalibus occaſum opponit. *Hunc* itaq; nempè Narciſſum vltimo loco iam ſupra nominatum.

AMOR FONTIS. Cauſam demortui aperit Narciſſi, eamq; in amorem fontis refundit, ideſt in amorem, quo fontem proſequebatur. Verum aduerſari hoc videtur ijs, quæ ſupra diximus: aſſeruimus enim, Narciſſum, non amore fontis captum fuiſſe, ſed amore imaginis ſuæ, quam in fonte, quaſi in ſpeculo, intuebatur. Si tamen in memoriam reuocaueris, quæ ſupra diximus, nulla erit in textu, nec quidem quo ad litteram, difficultas. Diximus igitur Narciſſum labore venationis, æſtuq; fatigatum ad fontem deueniſſe, atq; in genua, vt biberet procubuiſſe. Quæras iam à Phyloſophis quid ſit *ſitis*, qua Narciſſus ad fontem adactus eſt: & reſpondebunt, eſſe *appetitum frigidi, & humidi ad prædominium*; nam primariò exigit humidum, ſecundariò frigidum. Quæras iterum quid ſit *appetitus*: & dicent verborum interpretes, eſſe *animi motum ad aliquid, quæ cupiditas dicitur*: &, ſi *appetitus* huiuſmodi effrænatus fuerit, *Libidinem* appellant. Iam quæras quid ſit amor: & ſuggeret Auguſtinus lib. de Amicitia: *Amor eſt animæ rationalis affectus, per quem ipſa aliquid cum deſiderio quærit, & appetit ad fruendum*. Quod ſi præcipuè de venereo, aut alio effrænato amore loquamur, libido ab eodem dicitur Auguſtino. Motus itaque animæ, cupiditas, appetitus deſiderium eſt amor. Sed ſitis itidem appetitus eſt, quo fontem auidè appetimus, ergo appetitus ille & auiditas bibendi ex fonte, qua ad fontem ipſum ductus eſt Narciſſus, fontis amor appellari poteſt, & iure. Atq; hoc pacto explicatus Poetæ textus nil officit aſſertioni noſtræ, vt ſatis patet conſideranti; nam hic Amor aquæ ingurgitandæ Narciſſum, ſub ſpecie deſiderabilis boni, decepit, eo illum adducens, vbi Amore ſuæ imaginis caperetur, eamq; miſerrimè deperiret. Sed ſit hæc litteralis nimium explicatio in gratiam materialium omnis hominum facta: & dicamus iam, de Amore, quo correptus fuerit, fontem inſpiciens, intelligendum eſſe Poetam, cum dixit: *Hunc fontis decepit amor*: adhùc enim aſſertionem noſtram nec deſtruit, nec porrò quatit. Sed eſt iterum ad Phyloſophorum ſcholas redeundum, vt Poetæ ſenſum explicemus. Quærunt igitur Phyloſophi quid ſit illud, quod à nobis in ſpeculo cernitur, vel in aquis vicem ſpeculi obeuntibus, cum ſcilicet in ijs imaginem noſtram cernimus intuentes? Et nos quidem hanc quæſt. in Animaſticis diſcutientes dicebamus, nihil in ſpeculo, vel in aquis eſſe, quod cernamus; ſed imaginem noſtram in tantum ſolummodo oculis noſtris, per ſpeculum, vel aquam, repræſentari, in quantum ſpecies à nobis ipſis emiſſæ impingentes in ſpeculum retrocedunt, atq; ad oculum retrocedentes feruntur; ex quo fit, vt noſmetipſos, per ſpecies noſtras, à ſpeculo, vel aquis reflexas, videamus, cum verè in ſpeculo, vel vndis nihil adſit, quod videamus, præter ſpeculum ipſum, aut vndas. Narciſſus itaque, cum amaret id, quod, extra ſe ipſum, in fonte credebat exiſtere, nil, præter fontem, amabat; nam, ſi per oculos ingreditur Amor, certè id amatur, quod oculis cernitur: cum itaque nil ille à ſe diſtinctum videret, præter fontem, iure nil dicitur amaſſe, præter fontem. Ideò *Amor fontis*, inquit Poeta, ſubtiliſſimè hanc præcitatæ quæſtionis deciſionem, iuxta ſententiam noſtram attingens. Neq; dixeris, à Narciſſo nil amatum fuiſſe, quod eſſet à ſe diſtinctum, vel crederet à ſe eſſe diſtinctum, in fonte exiſtens: nam redarguet apertiſſimè aſſertionem tuam Ouid. Metam. 3. apertè docens Narciſſum credidiſſe corpus à ſe diſtinctum, atq; in vndis exiſtens, illam ſui imaginem, quam cernebat, & amabat in vndis:

Dumq; bibit, viſæ correptus imagine formæ
*Spem ſine corpore amat: corpus putat eſſe, quod vmbra eſt.**

*Spondiazit pro ſpecimen per ſincop.

quibus verbis apertè Ouid, ipſe declarat, nil tandem in fonte fuiſſe, quod amaret, præter fontem ipſum: quaſi dicat fontem amat, reflectentem ſpecies: putans in eo eſſe corpus id, quod pura erat reflexio. Immò inferiùs ibidem Ouid., ne dicatur ſe ipſum Narciſſus in fonte dilexiſſe, oſtendit amantis actus, non in ſe ipſum ab eo, ſed in fontem directos, dum ſubdit;

Irrita fallaci quoties dedit oſcula fonti;
In medias quoties viſum captantia collum
Brachia merſit aquis! &c.

Sicut igitur, ſe oſcula figere credens in Imagine ſui, ſolum fontem oſculabatur; credens, amplexibus imaginem ſtringere ſolas fontis aquas amplexabatur; ſic credens, ſe amare viuum in vndis corpus, ſolas tandem vndas amabat. Ideò *Amor fontis*. Neque id obſtat ijs, quæ diximus, nempè eum amore imaginis tandem ſuæ correptum fuiſſe, nam procedebat illa ipſa explicatio iuxta conceptum, quem ille ipſe deceptus efformauerat, credens, imaginem illam verè in fonte eſſe, & corpus à ſe diſtinctum eſſe; quod niſi credidiſſet, certè ſe ipſum non optaſſet acquirere, quem tenebat. Nec mirum eſt, deceptum adeò fuiſſe Narciſſum; nam, vt ait Seneca, *amor formæ rationis oblitus eſt, & inſaniæ proximus*. Prima itaque aſſertio noſtra, ſecundùm Amantis conceptum, & iuxta communem de Amante Narciſſo pronunciatum, proceſſit; Poſtrema verò, iuxta ſenſum veritatis ad Phyloſophicam trutinam reuocatæ; necnon, iuxta mentem Poetæ, eſt, qui eamdem veritatem phyloſophicam ſuffultus ſubtilitate proſequitur. Non immoror in explicatione *fontis*; nam quid ſit fons vidimus ſupra Carm. 105.

DECEPIT. *Decipere eſt aliquem, fraude, doloque malo circumuentum capere, ſiuè, & in errorem inducere*. Quomodò autem Narciſſum deceperit, atq; in errorem induxerit fons, & fontis amor, videtur ſatis ſuperq; in comperto eſſe ex dictis: Verùm in altiorem adhùc eruditionis medullam penetraſſe arbitror Poetam, ac, per verbum *decepit*, attigiſſe. Voluerunt antiqui ſomniorum, atq; imaginationum Interpretes, Amorem in pectus aduolaturum, quoties quis, ætate floridâ, pectus ſibi transfixum ſomniaſſet, vel imaginatus fuiſſet; quod ſi hoc idem imaginatus fuiſſet quis iam grandæuus, & ſenior, mortem illi portendere, dictitabant. Imaginatus itaque fuit Narciſſus, ſibi pectus transfixum fuiſſe à forma, quam contemplabatur in fonte, &, quia ſæpe imaginatio facit caſum, huiuſmodi imaginationem ſecutus eſt amor verè pectus transfigens: quare expletus videri poterat, florente eiuſdem ætate, imaginationis effectus: ſed deceptus eſt Narciſſus, nam ſe, licet ætate florentem, illicò ſenem vidit, dum illi transfixum pectus portentum Mortis, quæ ſtatim ſubſecuta eſt, ex inſperato affulſerit. Quarè verbum *decepit*, antecedentia importans, conſequentia ingerit, ita vt pro *peremerit* accipi hic iure poſſit, ac debeat.

TE, FRONTE RETVSA &c. Iterum ad Hyacinthum conuertitur, eiuſq; merita, atque inſignes eiuſdem prærogatiuas amplificat à ſubſequentibus Apollineis lacrymis, quæ, Hyacinthi funus ſubſecutæ, tot gemmis orientalibus, quot guttas extillarunt oculi, buſtum defuncti pueri mirabiliter exornarunt; ideò *Te*, nempè, Hyacinthe; ſuperioribus enim correſpondet, per repetitionem, de qua vt etiam de Pronomine iam diximus.

FRONTE RETVSA. Ablatiuus cauſalis eſſe poteſt, cauſam ſcilicet aſſignans, quæ Apollinis oculos in fontes conuerterit, cum amatum vidiſſet puerum diſci ictu peremptum: *Frons* ea pars capitis eſt, quæ à dextera, & à ſiniſtra temporibus terminatur, à ſuperiori verò parte capillorum radicibus, atque ab inferiori ſupercilijs circumſcribitur, dicta *frons* à ferendo, eo, quod indicia animi præ ſe ferat. *Retundo* autem, à quo particip. *retuſa*, propriè ſignificat aciem ferri, vel cuiuſpiam alterius rei percutiendo hebetare: aſt quia ſic ferrum, aliud percutiens, & hebetans, illud infringit; *retundo* ſæpe, per translationem, pro eodem, ac *perfringo* vſurpatur. Iurè itaque erumpit Delius in lacrymas, *perfracta in delicijs parte*, quæ toties illi indicia oſtenderat animi in Apollinem magis, quam in Zephyrum propenſi, vt ſupra dicebamus. Quamuis tamen hoc veriſſimum ſit, magis mihi, quo ad hoc, arridet ſententia Parrhaſij aſſerentis particulas illas *Fronte retuſa* potiùs ad Deum ipſum referenda; ita vt importent modum Lugentis, qui ſcilicet, Luctum exornans, radiorum ſuorum aciem retundere voluerit, ac ſuam radijs ipſis frontem exarmare; nam & idem factum ab Apolline, ob Phaetontis filij funus refert Ouid. 2. Metam. inquiens

At pater obductos luctu miſerabilis ægro
Condiderat vultus; &, ſi modo credimus, vnum
Iſſe diem ſine ſole ferunt &c.

& magis congruit cum ſubſequentibus, in quibus Vates & Cephyſſum Lugentem in funere Narciſſi inducit, ac luctuum exprimens modum, *fractâ*, inquit, *arundine luget*.

DELIVS, Cognomen hoc Apollinis eſt à Patria inditum; nam Apollo, ac Cynthia ſoror, quæ & Delia, ob eamdem rationem, dicitur, nati ex Latona dicuntur in inſula Delo. Vide dicta lib. pri. Carm. 106., & Carm. 136., & hoc ſecundo lib. in veſtibus Proſerpinæ à Carm. 40. vſque ad 74. Vel cognomen eiuſdem eſt, vt notat erudite Parrhaſ., à Delo Laconiæ monte propè Tegyram, ad cuius radices Apollinis olim Fanum, quod ad Perſicum vſq; bellum oraculis dicitur illuſtratum, duobus iuxta fontibus, mira ſuauitate, copia, ac frigore aquarum emanantibus, quorum alterum *Palmam*, alterum *Oliuam*, Plutarchus, ad ſua vſq; tempora, vocatum, refert.

LVGET, *Lugere* idem eſt, ac *lacrymas fundere*, ſed profuſas, & continuatione non areſcentes; Volunt enim aliqui, deductum eſſe verbum *lugeo* à græco λύω, quod latine eſt *ſoluo*, quia per fletus continuationem vita hominis ſoluitur facilè, antequam lacrymæ finem inuenerint. Hanc autem continuationem Apollinei fletus mire exprimit Vates, dum voce præſentis temporis vtitur, cum de Amantis fletu loquatur, vſus præteriti voce, cum de morte Amati loqueretur: *Te deſcis periculis error*: *Te luget Delius*, quaſi dixerit *Te*, iam dici defunctum adhùc luget Delius. Quod ſi nomen *Delius* à Delo monte deduxis, iuxta adnotationem Parrhaſ., forſan & innuere, per Lugentis cognomen, voluit Vates, fontes, ad illius montis radicem emergentes, ex Delij lacrymis conflatos, quandoquidem alter *Palma*, hoc eſt *fractis cerebro emerſens* dicitur, vt Hyacinti fatum portet in nomine: nam Palma, vt refert Pier. Hierog. lib. 60., habet in ſuperiori parte quaſi cerebrum, quod Hebræi Halulab, Arabes verò Chedar, vel Gemar appellant, quo corrupto moritur arbor, alter autem Oliua nuncupatur, ſed oliua fluens eſt, & à ſuo abiens principio; quaſi hoc fonte indicet Apollo, pacem, cuius ſymbolum oliua eſt, ſemper ab ipſius oculis in lacrymas abituram, ob fracto demortuum cerebro Hyacinthum.

HVNC LVGET CEPHISSVS, vel CEPHISVS, vt alij cum Parrhaſio ſcribunt; quod parum refert, cum de cætero quo ad rem concordent. Narciſſus ſecundum obtinuit locum in comparatione parallela, quam iniit Vates inter Hyacintum, & Narciſſum, & quam hùc vſque produxit; æquum ideò fuit, vt & poſtremum obtineret in fine comparationis; quarè ad Narciſſum rediens claudit. De repetitione habita per pronomen *Hunc*, & de pronomine ipſo ſatis dictum ſupra. Item de verbo *Luget*, cui, per adiunctionem figuram, hoc membrum vnà cum ſuperiori adiungitur, nuper diximus. Et Cephiſſus deniq; quis fuerit, iam ex ſupra dictis innotuit, nempè Numen Cephiſſi fluuij, qui natus, ad Lilæan, fontem, per Bæotiam lapſus in mare deuoluitur.

FRACTA ARVNDINE. Immoderatas Cephiſſi lacrymas, ob Narciſſi obitum filij aliundè inſinuat Poeta, hoc vno ablatiuo modum importante, quo Genitor luctum fuerit proſecutus, nempè *Arundine fracta*. Quod vt intelligamus, reuocandum in mentem hic, ſemper in more poſitum fuiſſe, vt ſcinderentur, ſupremo in luctu, veſtes, ac proijcerentur à Regibus, repentino cordis impetu actis, regalia inſignia, vt ſcilicet indicarent, nil ſibi, tantis ingruentibus calamitatibus, charum ſupereſſe. Sic Virg. naturalium affectuum imitator egregius, cum, in direptione Vrbis, cui præſidebant Latinus Rex, atq; Amata Regina Latini coniux, extremum vtriuſq; luctum eſſet delineaturus, ſciſſas in ſignum ingerit veſtes Æn. 12. vbi ſic habet

Regina, vt tectis venientem proſpicit hoſtem &c.
Purpureos, moritura, manu diſcindit amictus;
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta &c.

& inferiùs ob demortuam Amatam Latini Luctum deſcribens *Hinc etiam inſœlix vulgatur fama per vrbem.*

Demittunt mentes: It ſciſſa veſte Latinus &c.

Quarè & Claud. noſter lib. in Rufinum pri., vt oſtenderet hoc ſemper, in acerbiſsimis luctibus fieri ſolitum, luctum ipſum, apud inferos degentem deſcribens, eum mærore confectum, ac ſciſsis veſtibus gementem ſic notat

Impatiensq; ſui morbus; Liuorq; ſecundis
Anxius; & ſciſſa mærens velamine Luctus.

quod verò ſpectat ad ornamenta, atq; inſignia Regni proijcienda, conſpice Æn. 5. Aſcanium incenſarum nauium dolore,

ſore, vt alibi dicebamus, Galeam regijs ornatam inſignibus proijcientem, atq; Æneam ipſum regale paludamentum ex humeris fruſtatim detrahentem, cum ſic ibi Virg. eruditiſſimè concinat

Aſcanius galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli ſimulacra ciebat &c.
Tum pius Æneas humeris abſcindere veſtes
Auxilioq; vocare Deos, & tendere palmas.

Sed quid habeant, inquies, quid habeant veſtes, & regalia inſignia cum Cephiſsi arundine, quæ hic fracta dicitur? Reſpondeo, immò aptiſsimè, hoc vno *arundinis* nomine, & ad veſtes, & ad regalia fluuiorum inſignia reſpectum à Vate habitum fuiſse: quandoquidem iam pro ſtatuto habitum eſt, apud Poetas, vt aquoſa illa, quæ ſingulis aquis præeſse dicebantur, Numina arundineis veſtibus, ſceptriſq; condecorata recenſerentur. Sic videbis Mincium ſuum à Virg. deſcriptum arundinea veſte contectum Æn. 10.

Quos, patre Benaco, velatus arundine glaucâ
Mincius infeſtâ ducebat in æquora Pinu.

Quarè, cum de Cephiſſi fluuij Numine, ac Narciſſi Genitore, agat Poeta, nil mirum ſi illud vndarum regem ſuarum conſiderans, arundinea contectum veſte, arundineo condecoratum ſceptro, morum imitator adfuiſſe ſupponat; ſicque ſubindè idem Numen inducat, *fractâ arundine*, hoc eſt, *ſciſſa veſte arundinea*, filij funera deflens; immò, infœlici nuncio perculſum, ſceptrum ipſum arundineum proieciſſe indicet, tanto animi contemptu, vt impetu, vt ad terram eliſerit, ac confregerit. Ideò *Arundine fracta*, hoc eſt proſciſſa, vt expenebamus, arundinea veſte, ſceptroq; ex arundine pariter confracto. Iure autem fluuiorum ornamenta omnia ex arundine confecta fingebantur; nam frutex aqueus arundo eſt, & conſequenter aquoſo maximè congruens Numini. Sed hæc pictoribus, atq; poetis ex elegantiſſimi Vatis ſenſu conceſſa ſufficiant. Iam videamus quid ex floridiſſimis Ægyptiacæ ſapientiæ emporijs decerptum incluſerit Vates in hoc laconico dicendi modo: *Arundine fracta*. Arundo, apud Ægyptios non ſolum, ſed etiam apud ſacrarum ſcripturarum interpretes ſymbolum ſemper fuit humanæ fragilitatis: ex quo etiam factum, vt confracta, ac deiecta in terram arundo hieroglyphicum fuerit ærumnarum, infortuniorumq; miſeram humanitatem deprimentium. Quod hieroglyphicum inualuit adeò, vt ex illo *calamitatum* nomen ſortitæ fuerint ærumnæ, infortunia, & cætera huiuſmodi, quia ſcilicet, & *Calamus* vocetur *arundo*, & à *calamo calamitas*. Senſus itaque eruditiſſimi Vatis eſt: Luget Cephiſſus *arundine fracta*, ideſt fractus ipſe ingruenti, ob mortem filij calamitate, non minus, ac ſi mortaliſ homo factus eſſet, & vltimis oppreſſus iam excidijs iaceret. Quo altiùs Cephiſſi dolorem, ac luctum euehere potuiſſet, quam longiſſima Epicedium ſtruentis declamatio?

Sed ne vlteriùs protraham, quod longiùs per ſe protrahitur, quod ex his inſtruere mores poſſit, obiter decerpamus. Caue ne Regina potentiarum Animæ voluntas Venereis hortationibus inficiatur: immò caue, ne, quamuis eminùs, Venerem illa ſequatur, licet fixâ non adhærendi mente, nam *Cytherea* Venus eſt; hoc eſt, *vim omnem continens amatoriam*, quæ tunc magis illecebris, doliſq; decipit ſuis, quando, magis alienus ab illa eſſe cum velis, incautus tamen ſequeris, nimium fidens. De Venereis criminibus præcipue dictum, licet vniuerſaliter dictum ſit, exiſtimauerim, *velut à facie colubri fuge peccatum*. Memini enim, inter Serpentes, Stellionem eſſe, quem hoc, inquiunt, nomine appellatum, quod, corporis ſui ſtructurâ, ſtellæ prorſus figuram imitetur, ac pellem habeat, paruis quibuſdam ocellis intermicantibus, variegatam, ita vt ſtella prorsùs ſcintillans videri poſſit. Rore viuere eum, dicunt, & pulchritudine ſua hominem allicere, vt eum propiùs attente contempletur: ſed tali contemplatione detentum morſu ferit, vt ferunt, &, licet, vitam vulnerato non adimat, infatuat tamen. En profectò, in hoc ſerpente, expreſſam Veneris figuram: Stella enim Venus eſt, ſeu potiùs ſtellio eſt, & Veneris figura ſtella eſt. Pulchritudine allicit, oculis emicantibus attrahit, at, cum contemplari aggrederis, licet non tangas, licet non amplectaris, venenum ſuum euibrat illa: vulnerat, non morſu, ſed oculis, & infatuat. Quarè, ſi ei quoquo modò ſubdatur, voluntas, ſtatim ex imperio deiecta rationis, tumultuantem adeò internorum affectuum turbam euagare permittit non ſolum, ſed amens cogit, vt non tanto Apes tumultu in flores aduolent, quanto interni affectus in voluptatum flores impetum faciunt, vt arripiant, Nec tunc homini curæ eſt, vel Cælum prodigijs terrens animaduertere, vel caducitatem, quam amplectitur, contemplari; ſed vix cum impijs non dicit: Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas; immò & hoc operibus dicit, dum ita viuit, quaſi nil de æterna vita recogitet, quam nec eſſe videtur affirmare, dum Deum ipſum non ſibi exiſtimat flagellis imminere; ſed dicit inſipiens: *non eſt Deus*, atq; adeò nec vita, quæ à Deo eſt. Dicit inſipiens: non eſt Deus; quia Deum ſuum, Numen ſuum veneream tantùm appellat voluptatem, ſeu Venerem, qua fruitur, impudicam. Compeſce, Compeſce, qui ſapis, hanc tumultuantem affectuum turbam; frænum inijce, ne tanta ardoris licentia funereos decerpat flores; ne floridam hoſti viam præparet ad inuadendum, ad rapiendum, atq; ad æternos tranſuehendum cruciatus venereæ voluptatis captatorem. Verùm ne & nos capti voluptate dicendi videamur, his tandem præciſis, Italicam, quæſo, Chelym conſulamus.

Del decoro maggiore, in cui faſtoſi
Giuan d'vn'Iri emulatori i prati,
Si rapiſcon le pompe; e gl'odoroſi
Germi, in trofei di chi rapiſce alzati,
Non ſan moſtrarſi al lor deſtin cruccioſi,
Perche del verde ſtel gli renda orbati;
Che, ſe la man, predando, il ſuol gl'hà tolto,
Gli ſolleua la ſteſſa al Ciel d'vn volto.
Là de Gigli al candor vezzoſa inteſſe
Altra le viole ad infoſcarne il chiaro:
Altra gl'odor, che da profumi eſpreſſe
(Cifra funeſta al di lui caſo amaro)
L'Amaraco gentile, e'l fior n'impreſſe,
Quì coglie, e n'arricchiſſe il crine auaro.
Altra frà roſee ſtelle il capo aſcoſa;
Altra in bianchi liguſtri appar pomposa.
Tu, ſe ben meſto, in flebili ſembianti,
Porti, Giacinto, ancor ſquallido il volto,
Schiuar nõ puoi, ch' il tuo bel fior nõ ſchianti
Quel turbine rapace: e, non più ſtolto,
Se ben Narciſſo, ad atterrir gl'amanti,
Di ſciagure vn teatro hà in ſen raccolto,
Soggetto alle rapine, amar ſi ſcorge;
E d'vn ſeno alle brine i baci porge.
Faſto voi de giardini, all'hor che torna
L'aure più dolci à diſſerrare il Toro;
Ne gia l'opre di Flora il gel diſtorna,
O violento il ſoffiar d'Africo, e Choro;
Pur ſiete (hai duol) di Primauera adorna
Freggi regali; e già, dall'Indo al Moro,
Celebrati Garzon fuſte: ed ammiro,
Ch'in voi le gratie ad albergar s'vnîro.
Quel, che d'Apollo incatenò gl'affetti
Nacque in Amicla, e gli fù culla il trono:
Queſto, ſchiuo d'amor, de proprij aſpetti
Amante al fin, ch', oue rimbomba il ſuono
Dell'Heliconie ſuore, i primi effetti
Prouò di vita, e ne godette il dono,
Da fatidico fiume hebbe i natali,
Quanto ſuperbi più, tanto più frali.
Quello, d'vn Diſco al ricader percoſſo,
Queſto, d'vn fonte al rimirar conquiſo,
Reſtâro eſſangui. A quel, ch'infranto hà l'oſſo
D'amata fronte, ottenebrato il viſo,
Delio i ſinguiti à tributar fù moſſo;
Di queſto a i caſi il Genitor Ceſiſo
Squarciò le veſti, e ſi diſciolſe in pianto.
Quì nuoua Cloto, e pur gli miete in tanto.

In meſſem & nos interim nouam immittentes falcem, quæ Auctor noſter ſpeciatim de Proſerpina, Pallade, ac Diana, ſuggerit, proſequamur.

Æſtuat ante alias auido feruore legendi
Frugiferæ ſpes vna Deæ: nunc vimine textos
Ridentes calathos folijs agreſtibus implet:
Nunc ſociat flores; ſe ſeq; ignara coronat;
Augurium fatale tori. Quippè ipſa tubarum,
Armorumq; potens, dextram, qua fortia turbat
Agmina, qua ſtabiles portas, & mænia vellit,
Iam leuibus laxat ſtudijs, haſtamq; reponit;
Inſolitiſq; docet galeam miteſcere ſertis.
Ferratus laſciuit apex, horrorq; receſſit
Martius; & Criſtæ, placato fulgure, vernant.
Nec, quæ Parthenium canibus ſcrutatur odoris,
Aſpernata choros, libertatemq; comarum
Iniectâ voluit tandem frænare corona.

ÆSTVAT ANTE ALIAS &c. Hucúſq; de Nymphis, earumq; in colligendis floribus ſollicitudine, locutus, ad Deas tandem reſpiciens, harum quoque auidam legendi curam deſcribit. In hunc autem (poſtremum videlicet) hanc diſtulit locum, vel vt, præmiſſo Nympharum Choragio, ſuperioribus Principatum Diuis fideliter aſſeruaret, Principum videlicet ordinem ſecutus, qui, Aulicis præmiſſis, poſtremum ſibi vindicant locum: vel quia, cum in florea irruentes germina Apibus comparaſſet, ſpecimen ingenij ſui præbere voluit Auctor, quo ſcilicet nouerit apes obſequentium Regi populorum ſymbola præ ſe ferre; atq; ideò, Principes Deas non fuiſſe immiſcendas ſequacibus Nympharum turbis, quæ per apes exprimerentur; ſed aptiori vtiq; poſt ipſas, loco ſtatuendas: vel denique quia, quæ difficiliùs aguntur, extremum ſemper in locum ſunt conijcienda, ipſa edocente natura, ea tardiùs moueri, quæ difficiliùs aguntur. Cum itaque ſtimulos ad legendos flores Veneris hortatio addiderit, mores imitaturus Poeta accuratiſſimus, Deas vltimo in loco collocauit, vt innueret, eas priùs moueri, quæ faciliùs imperio Veneris aguntur: & quia, vt plurimùm faciliùs, liberiùs, ac licentiùs in Venerem ruunt muliebres animi ex plebeiorum grege decerpti, quibus non adeò honoris cura frænum inijcit; ideò & Vates primas Veneri obſequentes Nymphas oſtendit, vltimas verò Deas ſuperiores: nam quæ nobilitate inſignes, natalibus illuſtres, dignitatibus præcellentes fœminæ ſunt, ſui ſemper memores, non facile adeo boni nominis curam negligunt: atq; ideò, venereis licet ſtimulis concitentur, difficiliùs tamen ſeſe imperio ſubijciunt; nam dedecoris metu remorantur; quamuis, cum morum arripuerint, majori ſæpè effrænatione ferantur; vt exemplatum in Proſerpina mox videbimus.

ÆSTVAT &c. Ardorem Proſerpinæ, in expilandis viridarijs, per hypotipoſim, deſcribit, & ab effectis amplificat.

ANTE ALIAS. Non quo ad locum, ſeù tempus, ſed quo ad affectum, hoc eſt *maximè omnium æſtuat*: nam qui ante omnes eſt, certe omnes ſuperat in eo, in quo *eſſe* dicitur *ante*. Ideò *Ante alias*, id eſt & Nymphas, de quibus dixerat, & Deas, de quibus mox dicet, vt duplicem, nempè & ad inferiores, & ad pares, reſpectum facile attingat.

SPES VNA FRVGIFERÆ DEÆ. *Spes eſt opinio*, ſeù (quod potius arbitror) *expectatio futuri boni*. Hic tamen effectus pro cauſa ponitur; nam Proſerpina, quę, per has particulas, antonomaſticè deſignatur, non erat formaliter ipſa expectatio boni; ſed ea, ex qua, tamquam ex cauſa, Ceres omne ſibi, ac perenne bonum, fœlicitatemq; pollicebatur adfuturum. In eodem autem ſenſu Æneas apud Virg. Æn. 2. ſpem fidiſſimam Teucrorum Hectorem appellauit, cum inquit:

O lux Dardaniæ, ſpes ò fidiſſima Teucrum.

Sed inſuper *ſpes* ſæpe ſæpius pro eodem ſumitur, ac *lætitia*, effectum ſcilicet, vt è poſitâ cauſâ dignoſcamus; nam ſpes cauſa lætitiæ eſt. Sic Virg. Ænęam immenſis propemodum curis agitatum deſcribit lætitiam nihilominus vultu oſtentantem, dum feſſos ſuorum animos ſolaretur Æn. pri., & ſic habet

Spem vultu ſimulat; premit altum corde dolorem.

& neq; hunc ſenſum negligit Poeta, ſed vtrumq; effectum explicat, per cauſam, dum ait: *ſpes vna &c.*; nam & expectatio bonorum, ac fœlicitatis, quæ à Proſerpina pendebat, tamquam à cauſa, & lætitia expectationis huiuſmodi ſocia effectus ſimultanei ſunt, ab eadem Proſerpinæ incolumitate reſultantia in Cerere matre. Idipſum autem innuit hoc eodem lib. auctor oculatiſſimus, cum de Proſerpina inquit

Quæ inter Cereris proles nunc gloria matris &c.

de quo vide quæ ibi diximus. *Vna* autem dicitur, hoc eſt *vnica*, & *ſola* iuxta dicta lib. pri. Carm. 122. & ſeq. Per *frugiferam* verò *Deam* Cererem deſignat, quæ fuerit frugum inuentrix, ac diſpenſatrix, agrorum colendorum magiſtra &c. vt vidimus lib. 1. Carm. 12. & 30. frugifer enim ex *fruge*, & *fero* componitur, quaſi *fruges ferens*; quod ſoli conuenit

Cereri: & ideò ea hic antonomaſticè his verbis deſignatur.

ÆSTVAT. Sedes affectuum cor eſt, vehiculum ſanguis, vt alibi dicebamus. Hinc fit, vt, cum vehementi aliquo affectu cor ipſum redundat, & quatitur, caloribus accendatur inſolitis, ita vt igneam vim habere videatur affectus ille, qui cordis intima inflammat: atque excurrens ſubinde, vehiculo ſanguinis, per venas omnes affectus idem, adeò vitalem alterat ſuccum, vt ebullire videatur in venis, ac, quaſi ſuppoſitis fornaculis, efferueſcere: quod accidit in omnium ferè vehementiorum affectuum commotione, præterquàm in incurſione timoris, aliorumq; affectuum, qui vel cum illo connexi, vel ab illo dependentes ſint. Sic inflammari dicimur irâ, amore, cupiditate &c. Eodem itaque modo Poeta hic, vt oſtenderet, ſummam fuiſſe Proſerpinæ cupiditatem, Veneris præcipue ſuccenſam adhortationibus, & auiditate legendi flores, vſus eſt verbo *æſtuat*; nam *æſtuare* idem eſt, ac *nimio æſtu vrgeri*, ac *nimio ſuccendi calore vri*, ita vt præcordia ipſa, & ſanguis intrinſecus ebullire videantur. Eodem vſus eſt verbo Virg. Æn. 12. cum exprimere vellet maximam affectuum in Mezentio, commotionem, qua, filio Anchiſiadis enſe perempto, ferebatur, in prælium, Æneam interfectorem quoquo verſum perquirens, vt filij mortem vlciſceretur: hæc enim habet Virg. ibi

Sic curſum in medios rapidus dedit: æſtuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoq; inſania luctu,
Et furijs agitatus amor.

AVIDO FERVORE LEGENDI. Pulcherrimam Auxeſim nota: non enim Vati ſatis fuit verbum *æſtuat*, quaſi non ſatis æquaret intentum, quamuis vehemens verbum ſit, atq; acri ſignificatione conſpicuus; ſed auget, addita cauſâ, *feruore*; nec ſatis adhuc viſum, ni adderet *auido*: poteſt enim quid nimio calore æſtuare, & ebullire, ſed temperata quadam ebullitione (quamuis in rigore loquendo verbum *æſtuat* ebullitionem fluctibus maris ſimilem importet, qui pariter æſtus dicuntur) quarè hæc ipſa comparatio minor viſa eſt, quam vt exprimeret ardorem Proſerpinæ; ideòq; addidit *feruore*: *Feruor* enim *vehementiſſimus calor eſt*, qualis a Syrio cane æſtiuis temporibus accenditur, vel qualis in ſuccenſa fornace reperitur; ſed & leuior adhuc hic feruor viſus eſt, quam par eſſet; ideò, per Epitetum *auido*, ad ſummum vſque deuehitur: *Auidus* enim dicitur ab *auiditate*, quæ anxium quoddam importat deſiderium, tanta effrænatione concitatum, vt inferorum flammas videatur, in pectore coacervatas, excitare, ni deſiderium impleat, quo tam anxiè ardet. Potuit ne, maiori vi, atq; vbertate dicendi, magis, per amplificationem ab adiunctis, extolli Proſerpinæ ardor legendi? Hæc autem poſtrema particula explicat quid illud ſit, circa quod verſaretur vehemens illud Proſerpinæ deſiderium, nempè illud ipſum, quod Venus ſuaſerat: *Hortatur Cytherea legant*. Quare in explicatione Gerundij non immoror, cum ex dictis innoteſcat. Tantùm nota, iure Proſerpinam oſtendi doloſa Veneris hortatione omnium maximè ſuccenſam, primo quidem quia Proſerpina maximè etiam omnium procliuis in Venerem fuit, vt alibi edocuimus: ſecundo etiam, quia in eam præcipuè, immò in eam ſolam iam armabatur Venus, facultate illi à Ioue conceſſa: *Coge tuis armata dolis*, vt lib. pri.

NVNC VIMINE TEXTOS &c. Effectus hic enumerat, qui à prænotato ardore ortum habuerint, vt ardorem ipſum oculis ſubijciat in effectibus, & ab illorum loco amplificet magis

NVNC. Aduerbium hoc temporis ne putes eſſe, quod tempus, de more, præſens abſolutè ſignificet: ſed enim aduerbium quidem temporis eſt, ſed diſtributiuum temporis, ac diſtinctiuum diuerſarum per tempora operationum; hanc enim vim habet, cum pluribus, per repetitionem, membris applicatur, vt hic; & idem valet, ac *modò*, & *modò*; id eſt modo hoc facit, modo illud &c.

IMPLET. *Implere* eſt *plenum facere*, *& cumulare*, quod indicat, non paucis contentam floribus Proſerpinam, quippè

pè quæ non moderato ferretur affectu, ſed menſuras voluiſſe confertas, nempe

CALATHOS. Calathus, Porphyrione auctore, fiſcella viminea eſt, ex quo patet, cur *vimine textos* dixerit (vulgò *ceſta di vimeglie*) in qua mulieres teſentes penſa, vel tramas ſoleant aſſeruare, vel in qua Subpaganæ hortorum curatrices flores, fructus, aliaue huius deferunt generis: Latini Quaſillos, vel Quaſilla vocant, quos Græci calathos, vt notat Feſtus. Perpende, quam ſibi ſemper adamuſſim conſonet Auctor. Textricem vidimus Proſerpinam, lib. pri., quæ *longa texebat ſedula munera Matri*; ideò & proprias hic illi fiſcellas attribuit: aſt, dum ſibi ipſi conſentit, proprietatem præſentis tamen non negligit actionis; nam calathus, qui fuerat expenſis, tramiſque, in eo aſſeruatis; iam ex floribus in ipſo congeſtis dupliciter Calathus dici poteſt. Hinc noueris, cur iure ſupra diximus Proſerpinam omnium maximè in Venerem fuiſſe propenſam; nam nulla ex alijs Calathos ſecum detulit implendos; atq; hinc arguitur Proſerpinam floridos petiiſſe agros peculiari quadam propenſione in Venerem, quæ prius florum mentionem, quam domo diſcederent, iniecerat, vt habebitur lib. 3. Carm. 22^. ex quo factum, vt inclinatam iam, & accenſam, altè adeò, Veneris adhortatio impelleret, atq; æſtuantem efficeret.

RIDENTES. Rideo, à quo particip. ridentes, actum importat humanum, ex hilaritate, ac iucunditate animi prouenientem. Transfertur tamen ſæpè ſæpius ab animato ad inanimatum per metaphoram, ita vt & prata, & plantæ, & flores ridère dicantur: atq; hoc etiam pacto *ridentes calathos* appellat Poeta hic. Quod ſi quæras, quem ſenſum habeat verbum rideo, ſi ſic translatum vſurpetur? Senſus eſt, rem, quæ ridère dicitur, habere in ſe aliquid, quod intuentium animos oblectet, ac lætitia exhilarante perfundat. Aptè igitur *ridentes* hos vocat calathos Poeta, hoc eſt Proſerpinam exhilarantes, ea meſſe, quam ipſa eadem ingerebat, in ſe ipſis excepta. Sed & inſuper, poetico, eoq; ſublimi prorſus, dicendi more ſenſum calathis attribuit Vates, quaſi ſcilicet ijdem ipſi geſtirent gaudio, dum flores implerentur ornatibus, ac delicata Proſerpinæ contrectarentur manu: ideò *ridentes*

FOLIIS AGGRESTIBVS. Sic enim cum vulgata legit Parrhaſ. Vbi Heinſius concinnè, vt fatear, & eruditè, repoſuit *ſpolijs agreſtibus*, vt correſpondeat Vates ijs, quæ ſupra dixerat Carm. 128. *Pectoris & ſoluatur honos*. Optimam itaque Heinſij lectionem non inficior, immò & collaudo, & approbo, & vt germanam amplector. Sed ne videar difficultatem effugere, ex vulgata reſultantem, hanc ipſam explicare non renuo. Folia itaque idem eſſe videntur cum frondibus, ſed differunt tamen, quia frondes propriæ tantummodò arborum ſunt; folia verò ſunt quaſi genus ad frondes, nam foliorum nomen, & ad arboreas frondes, & ad campeſtres herbas, & ad flores etiam pertinet ipſos, vt notant verborum interpretes. Difficultas eſſe poteſt, num hic pro herbaceis tantum folijs ponatur, an verò pro floribus: nam, de arboreis, certum eſt ex ipſo contextu, Poetam non loqui. Pro herbaceis ſtare poteſt diſtinctio, quæ videtur inferri ex ipſo poetico textu, nam cum immediatè poſt de floribus mentionem faciat, per particulam *Nunc*, quam diximus diſtributiuam actionum, videtur dicendum, in primo membro aliquid diuerſum importari ab eo, quod importatur in ſecundo: ſed in ſecundo habentur flores: *Nunc ſociat flores &c.* ergò in primo herbacea videntur folia congerenda. Pro floribus ſtare videtur præſumptio, quæ ex antecedenti colligitur; nam, ſi Proſerpina adeò erat auida legendi flores, quid tempus terat in herbaceis colligendis? certè videtur dicendum ſcelectis tantum floribus calathos impleſſe. Pro herbaceis iterum ſtat conſuetudo, nam qui flores legunt aſportandos, vt diutius conſeruentur, herbaceis folijs fiſcellas ſternere priùs ſolent, quam floribus impleant. Pro floribus militat verbum *implet*, nam aliud eſt ſternere fiſcellas folijs, ad hoc vt ſubindè floribus impleantur, aliud eſt eas implere; nam ſi herbaceis impleſſet, iam flores excluderentur. Mihi itaque pro floribus ſtare fixum eſt; nam & euincunt rationes pro floribus traditæ, & facilis eſt ſolutio, ad oppoſitam rationem, quæ ſola adhùc viget, à diſtributione, & diſtinctione actionum deſumptam. Veriſſimum igitur eſt *modò*, & *modo*, ſeù *Nunc*, & *Nunc* eſſe diſtributiuum, & diſtinctiuum diuerſarum actionum; ſed ad diſtribuendam hoc pacto actionem, ſufficit, ſi diuerſificetur modus agendi. Sic qui modo ſubridet, modo in cachinnos erumpit, diuerſimodè ridere dicitur, licet idem ſit riſus, & ſolus modus ridendi diuerſus ſit; quia primo conſideratur riſus, vt moderatus, ſubindè vt immoderatus, quarè non ſolum diuerſus, ſed penè dixerim oppoſitus dici poteſt. Sic à pari eadem collectio florum quatenus connotat collocationem eorumdem in Calathis, diſtinguitur à ſe ipſa, prout connotante eorumdem in coronas aſſociationem, atq; implexionem. Quarè diuerſificata hoc pacto actione, aptè poteſt in diuerſa membra diſtribui. Si quis tamen diceret, primo loco collectos cum folijs flores innui aſſeruandos in calathis: ſecundo autem alios ſine folijs flores adtexendas, vt mos eſt, coronas; non abnuerem. Videtur tamen adhùc repugnare adiunctum illud *agreſtibus*, quod ab *Agreſteo*, quod eſt *vileſco* deriuatum floribus adaptari non poteſt; nam ij, & præſertim ſcelecti, de quibus hic non vileſcunt, quarè videtur Epitetum proprium potiùs herbaceorum. Sed aduerte, nomen agreſtibus non deduci hic ab Agreſteo, in ſenſu explicato; ſed à græco *ἄγριον*, quod latinè ſonat, *quidquid ad agrum pertinet*. Cum itaque Ætnæi flores, non in cuſtoditis viridarijs, ſed campeſtribus in agris effloruerit, ideò agreſtes dicuntur, non verò quod agreſteant, ſeu vileſcant.

NVNC SOCIAT FLORES. Alterum ex membris, in quæ actionem Proſerpinæ diſtribuit, iam proſequitur, oſtendens quid, impletis iam calathis, egerit Proſerpina: ijs enim coronatis, coronas ſibi ipſi dicitur intexuiſſe. De aduerb. *Nunc* ſatis dictum ſupra. Sociare autem idem eſt, ac *coniungere*, & *ſocium ſocio apponere*. In quo Poetæ ſedulitatem aduertas: nam *ſocius* à ſocietate dicitur: *ſocietas* verò eſt *fortunæ, ac periculi participatio*, quæ fit cum aliquis alteri, ad aliquid peragendum, adiungitur, ita vt parem ambo fortunæ aleam ſubeant. *Sociari* itaque dicuntur flores à Proſerpina ſcelecti, quia eandem participant fortunam, nempè vt à Diua colligantur; atq; in eandem fortunæ aleam vocantur, & periculi: fortunæ quidem, quatenùs fauorabile illis eſſe videbatur ex humili humo ad Diuæ caput coronandum aſſurgere: periculi verò, quia, vnà cum ab ipſis redimita Proſerpina, vrentes Tartarei currus vmbras, afflatumq; fuerant ſubituri. Ideò optimè ſocios innuit fuiſſe flores. Inſuper ſocij fuerant omnes, cum omnes, eodem ſolo nati, eundem agrum exornaſſent: ideò *ſociat*: hoc eſt ſocium ſocio adiungit, & quidem ad idem negotium, nempè ad Coronam Proſerpinæ contexendam. Sed ſubtiliori adhùc acumine rem penetrat Vates, & maxima ipſe loquendi diligentiâ, & proprietate, diligentiam Proſerpinæ in ſceligendis floribus, hoc vno verbo *ſociat*, oſtendit. In ſocietatem non coaleſcunt, niſi, qui naturæ congeneitate copulantur, aut qui, licet diſpares, ob qualitates, quas habent, diuerſas, tales tamen ſunt, vt alter alterius qualitates vt magis enitent, efficere poſſit, & vice verſa, ita vt ſibi inuicem adiumento ſint. Dum itaque flores ſociantem inducit Proſerpinam, ſatis oſtendit, eam, ſummâ diligentiâ, eos tantum ad texendam coronam delegiſſe, qui, in ipſâ colorum, odorumq; varietate, tales fuerint, vt inuicem ſibi adiumento eſſe poſſent, quo pulchrior, ac fragrantior, ex omnium commixtione, fieret corona. Flores quinam fuerint ſatis ex ſuperiùs enarratis conſtat, ideò pertranſeo.

ET CORONAT SE SE. Non eſt, hoc loco, coniunctio copulatiua particula *Et*, ſed aduerbium ordinis rerum, ſecundùm quod poſterius fit, ad id, quod priùs factum fuerat, idemque ſonat, ac *ſubindè*, ſeù poſtea, vt alibi de eadem particula, in hoc eodem ſenſu vſurpata, iam diximus. *Coronare* autem eſt *tempora, ac totam ſupremo capitis partem circulo quodam conſpicua, vel dignitatis, vel elegantiæ, vel mollitiei causâ circumcingere*. Circulum huiuſmodi, nempè coronam ex floribus, cum eos aſſociaſſet contexuerat Proſerpina: Iam elegantiæ gratia, & mollis in ſignum animi ſe ſe ipſa coronat. De reciproco *ſe ſe* nil addo, ſatis enim per ſe notum.

IGNARA. Idem eſt *ignarus*, *imprudens*, & *inſcius*; in primo ſenſu vſus eſt hoc adiectiuo Virg. Æn. 6., vbi turbam imprudentem dicit Palinurus, quæ, naufragum cum vidiſſet, prædam aduecturum putauit.

Ni gens crudelis madida cum veſte grauatum,
Prenſantemq; vncis manibus capita aſpera montis
Ferro inuaſiſſet, prædamq; ignara putaſſet.

In ſecundo pariter ſenſu vſus eſt, Æn. 9., vbi Euryalus, Matrem domi relinquens, ea neſciente, abiturus hæc habet.

Hanc ego nunc ignaram huius quodcumq; pericli eſt,
Inq; ſalutatam linquo (nox & tua teſtis
Dextera) quod nequeam lacrymas perferre parentis.

Vtrumq; ſenſum complectitur Poeta hic. Et *imprudens*

quidem

quidem Proſerpina dici debuit, quia *fide oblita parentis*; quia Dioneæ fraudi ſe expoſuerat: & quia Venereis hortationibus morem gereret: munus enim Prudentiæ eſt perſpicere, quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur; quæ omnia imprudens neglexit Proſerpina: quæ enim fuerint hortantis voces, non perpendit; quæ faciat ipſa, non aduertit, nempe modeſtam parum Virginem decentia: quæ fuerint Matris monita non meminit; fugam à Procis ob metum raptus, ac munitiſſimam, ad arcendos raptores, conſtructam arcem poſthabuit: immò omina, portenta &c. quæ malum præmonſtraſſent, flocci fecit: Quæ ſint ventura, nempe ſe a Venere decipiendam, raptori exponendam, ad inferos aſportandam non putauit, licet augurijs vndique præcinentibus. Hinc ignara etiam in ſecundo ſenſu, hoc eſt inſcia rerum, quas ageret, inſcia infortuniorum, ad quæ Venus ipſa ducebat. & neſciens eam ipſam, qua ſe ſe ornabat, coronam eſſe ſibi

AVGVRIVM FATALE TORI. Augurium propriè omen erat, ex auium cantu, volatu, ac diſpoſitione decerptum: hic tamen, per Catachr., pro omine ſumitur in eo ſenſu, quo iam omen explicuimus lib. pri. Carm. 266. Sed cur Auctor Coronam Proſerpinæ floream augurium tori fuiſſe aſſerat? Memineris, vſum inoleuiſſe apud Antiquos, vt nouæ nuptæ coronas ex Verbenis, floribuſq; ſibi contexerent: quod adeò inuiolabiliter ſeruatum fuit, vt in hieroglyphicum nouæ nuptæ puellam pingerent, coronam ex Verbenæ floribus ſub amiculo geſtantem. Quid ni igitur & florea Proſerpinæ corona augurium tori diceretur? Sed huiuſmodi augurium, non ad ſolam coronam refertur, ſed ad totum, quod in duobus præcedentibus continetur carminibus, nempè & ad coronam, qua caput exornat, & ad Calathos, quos floribus implet; noueris enim Calathos, ſeù Quaſillos vocatos olim à Romanis *Thallaſsiones*, ex quibus ſubindè ſortitum eſt Thallaſſij nomen augurium illud, quo plena voce nouam nuptam proſequebantur Plaudentes, eamq; ad lanificium per Calathi oblationem inuitantes. Cum itaque ſecum calathos detuliſſet Proſerpina, ſecum profectò ignara detulit *Augurium fatale tori*. Quid verò ſignificet adiunctum *fatale* vidimus loco modo cit. libri primi hic idem ſonat, ac ineluctabile, ineuitabile, quia lata iam fuerat ſententia, ex præuiſa pereuntis libertate, ſe vltrò in interitum conijciente, Venerem ſecutâ. Pariter, quid torus, & cur pro nuptijs accipiatur, vidimus lib. pri. Carm. 85. Adeas locum, ſi cupias.

QVIPPE IPSA TVBARVM &c. Ab ijs, quæ à Proſerpina gerebantur, tranſitum facit ad Palladem, quam ijſdem ferè detineri ſtudijs, oſtendit. Tranſitum autem Vati præbet particula *quippè*, qua ſcilicet, videtur in vſu eſſe, vt rationem reddamus de anteactis, nempè, cur, quæ ante facta dicuntur facta fuerint. At ſi in hoc ſenſu accipienda eſſet particula *quippè*, hoc loco poſita, certè dicendum eſſet, voluiſſe Poetam excuſationem Proſerpinæ aliquam prætexere: & ſenſus eſſet, non mirum fuiſſe, ſi Proſerpina efferbuerit adeò in florum collectione, quippè quæ id ipſum videret effici à grauiſſima Dearum omnium Pallade: nam quæ maiorem non dedecet, multò minus incongrua minoribus dici poſſunt, vbi de iocoſis ſermo ſit: & veniret hùc, quod ſupra dicebamus, nempè homines, cum ratione fieri exiſtimare, quod fiat, exemplo aliorum præeunte. Quarè hunc nequaquam eſſe potuiſſe Poetæ ſenſum, facilè euincitur; nam cum nuper Proſerpinam Vates de inſcitia, & imprudentia redarguerit, vt ſupra adnotauimus, improbabile omninò eſt eam ſubindè ab ipſo immediatè prudentem declarari, ita vt Palladis expectaret exemplum ſubſecutura, quæ ante alias æſtuaret feruore legendi. Hac ipſa ratione permotus, vt arbitror, Heinſius Aldum ſecutus lectionem inuertit, & *Quin ipſa tubarum &c.* legendum docet; cum quo tamen coincideret Parrhaſium, qui legens: *Quippè ipſa &c.* particulam *quippè* pro *quinimmò* poſitam interpretatur. In alio tamen ego ſenſu vſurpatam à Plauto cum viderim particulam *quippe*; arbitror eodem modo hic, & aptiſſimè quidem à Vate noſtro vſurpatam. Eam itaque ita vſurpat cit. Auctor, vt ſignificet idem, ac *certè* aduerbium ſcilicet affirmandi. In quo ſenſu ſi dicatur & hic vſurpata, acutiſſimam profectò Poetæ ſolertiam importat, qui, licet non minùs affirmaſſet, ſi ſolummodò dixiſſet: *Pallas ipſa laxat dextram &c.*, non tamen ſimplici hac contentus affirmatione, aliam inſuper affirmandi aggerat particulam, quaſi affirmationi affirmationem ſuperaddere conetur. Cur autem? Viderat oculatiſſimus Auctor, Palladia grauitate, auctoritate, & a leuioribus auerſione attentis, adeò admirationi omnibus futurum, ſi eam leuibus ipſam hiſce detentam ſtudijs audirent, vt futurum eſſet, vt vix, videntes, ſibi ipſis crederent, ne dum audientes ab alio, fidem vellent exhibere; ideò ad ſuperandam difficultatem inueniendi apud auditores fidem, iterato affirmat: *Quippè*: hoc eſt *certè Pallas ipſa laxat dextram &c.*

IPSA. Pronomen hoc eſt demonſtratiuum, & Palladem quaſi ſignans; ſed emphaticè, eo modo, quo poſitum fuit à Virg. Æn. 2., vbi, quaſi mirandum quid, & incredibile exponat, dum Iouem excidium Troiæ inducit vrgentem, ore Veneris loquens, inquit

Ipſe Pater Danais animos, vireſq; ſecundas
Sufficit: ipſe Deos in Dardana ſuſcitat arma.

ſic namq; & Poeta hic, incredibile quid de Pallade enarraturus, *ipſa*, inquit emphaticè: quaſi diceret: *ipſa Pallas*, quæ armorum tantummodò rigiditate gaudet, quæ laureis non floreis inhiat ſertis, quæ martiales aſperitates, non venereas ſequitur voluptates, *ipſa* rigorem demittit animi, aſperitatem abijcit vultus, ac mollibus delectatur. Hinc nota, quantum addiderit ponderis ſuaſoriæ Veneris orationi, quantùm adaugeat Ætnæi veris delicias, & quantum virium exemplis, à Pallade perſpectis attribuat Vates, dum Palladem ipſam ijs tandem delinitam à naturali rigore deceſſiſſe confirmat.

POTENS TVBARVM &c. Per peryphraſticam circumlocutionem, antonomaſticè Palladem deſignat. Quarè particula *Potens* à *poſſum* quidem deriuatur, ſed non eſt hoc loco particip. præſentis temporis, primò quia, vt patet, Pallas non eſt *potens armis*, pro præſenti tantùm tempore: ſed vbique locorum, ac temporum: ſecundò quia, vt periti obſeruarunt, *potens*, cum partic. eſt accuſatiuo iungitur, aut infinitiuo: ſic dicitur *multa potens*, *frenare potens &c.*, non autem cum genitiuo conſtruitur, vt hic. Eſt itaque hoc loco nomen, & quidem tale, vt induat naturam ſubſtantiui, cum pro ipſa ſtet Pallade; & patet quia genitiuo iungitur, vt faciendum notant Grammatici, cum *potens* nomen eſt, ſicut & fecit Horat., lib. Carm. pri., Ode 3., vbi ait

Sic te Diua potens Cypri &c.

Non video quidem hanc regulam à Poetis communiter obſeruatam; nam Virg. Æn. pri., vbi certè Potens nomen eſt adiectiuum, ait: *Terra antiqua potens armis &c.* attamen nec video cur hac regula Vates vti non potuerit, aut cur, ſi ad modum ſubſtantiui ponatur, Genitiuo iungi non poſſit, nec enim hoc quod eſt poni ad modum ſubſtantiui, naturam deſtruit adiectiui, ſed tantùm modificat; nam vere ſubſtantiuum non fit, ſed loco ſubſtantiui ſubſtituitur. Ideò *potens Tubarum*. Notiſſimum autem eſt inſtrumentum *tuba* ex ære, aut argento confectum, cuius ſonitu milites, immò & equi ipſi in prælium accenduntur, atq; à *Tubo*, hoc eſt canalis concauitate nomen ducens. Eius inuentionem Piſco Tyrrhæo aſſignat Plinius. Fuerunt itaque tubæ Marti ſemper dicatæ; in acie enim Mas eſt cum Miſeno apud Virg. Æn. 6.

Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu;

cum itaque & Pallas Martis æmula ſit, nec bellorum illi palmam cedere vllo modo velit; cum immò vtriq; curam bellorum demandatam crediderint antiqui. Ideò Tubarum & ipſa potens dicitur, quaſi ipſa, inter tubarum ſonitus enutrita, aſſueuerit, earumdem ſonitu, & ſe ipſam in prælium acuere, & turbas ferali æris clangore territare, ac proſternere. Inſuper *Tuba* famam, & celebritatem nominis ſymbolicè reperitur expreſſiſſe: Ideò Pallas vbiq; terrarum, famæ tubis, conſpicua, ac celebris, quippè ſexum ſuperans bellatrix, *Potens* hic dicitur *tubarum*, quaſi potens ſe ipſam atq; omne belligerum genus, immortalitati tradendum, famæ tubis commendare. Deniq; *tuba*, etiam in ſacris, erectionem mentis ſignificat. Ideo Pallas *potens tubarum*, quia, inter tubarum ſonitus, erectâ ſemper mente conſiſtens, leuia, ac ludicra omnia, faſtidioſo quodam faſtu deſpiciat & tamen hic ad puerilia huiuſmodi animum flexiſſe viſa eſt, quod incredibile cenſeretur. Ideò Emphaticè. *Quippe ipſa potens tubarum.*

ARMORVMQVE. Tubarum clangorem, non ſolitariè ſumptum, ſed vnà cum armis, ad quæ capeſcenda concitat tuba, proprium fuiſſe Palladis oblectamentum, eamq; in vtroq; potentem fuiſſe declarat; vt magis naturam bellatricis oſtendat, & Antonomaſia, per circumlocutionem concinnata, nulli ab ipſa poſſit conuenire: nam, cum tubis, non in prælio tantùm, ſed etiam in ſacris, & tripudijs vtantur, ſi tantùm dixiſſet: *potens tubarum*, non ſatis exprimebatur belligera Pallas, ni additum fuiſſet: *& potens Armorum*,

rum,

uam, ita vt particula copulatiua *que* pro *&* vtrumq; connexum in Pallade oſtentaret. Porrò duplex armorum genus eſt, vt etiam in anteactis innuimus, vbi armatam Palladem deſcripſit Vates, nempè offenſiuum, & defenſiuum. In genere offenſiuo ſunt Gladij, tela, ſariſſæ, haſtæ, ſagittæ, & cætera huiuſmodi, quæ ad hoſtium offenſionem comparantur. Sub genere autem defenſiuo ſunt Clypei, Ænei thoraces, Galeæ, & cætera ſimilia, quæ ad defenſionem belligerantis aſſumuntur: hæc autem omnia generico hoc armorum nomine continentur, & arma dicta autumant ab *Armis*, ideſt humeris geſtantium, à quibus illa pendent, hæc induuntur. Vt itaque Deam armis omnibus aſſuetam, obduratamq; indicet, Potentem vocat armorum. Hoc vnum iam nota, ſigna hic tantum poni pro reſignata, nempe tubas, & arma, quibus in prælijs vtimur, pro ipſo eodem bello; quare hæc circumlocutio *Tubarum, armorumq; potens* nil aliud tandem dicit, quam *Bellipotens*.

IAM LAXAT. Aduerb. temporis eſt *iam*, idem hic ſignificans, ac *nunc; quod nunquam ante*, laxat &c. *Laxare* autem propriè idem eſt, ac *laxum facere*, & *quod tenſum erat remittere*. Sic dicimus: *laxare arcum*, *laxare fides cytharæ &c.*, & in hoc ſenſu Virg. Æneid. 3. de Anchiſe

. . . . Tum littore funem

Deripere, excuſſoſq; iubet laxare rudentes.

Hunc ſenſum à Poeta neglectum dicere non auſim, præſertim cum videam à Parrhaſio approbatum, qui in hunc locum ait; *Laxat: hoc eſt mollit, ac remittit*. Et certè Palladis dextra, in bellum ſemper intenta, aptè dici poteſt bellico intenſam rigore detineri; atq; ideò, dum mollibus applicatur, *laxari*, hoc eſt *remitti* intenſionem rigoris, qua dextra ipſa detinebatur. Verùm, non vnico contentum ſenſu, intenſiſſimum in ſtudijs Vatem, ſuſpicio ſemper. *Laxare* itaque idem etiam eſt ac *aperire*, & *dilatare*. Sic Virg. Æn. 2. de Simone Latebras Troiani equi aperiente, ait

Laxat Clauſtra Sinon &c.

& Georg. 2. dilatationem terræ ad producendos foetus, per idem exprimit verbum

Laxant arua ſinus: ſuperat tener omnibus humor.

& hoc præcipuè locutum in ſenſu Auctorem noſtrum, non ambigo, ponentem ſcilicet antecedens, vt ex eo conſequentia intelligamus; deſcribitur enim hic Pallas flores decerpens; cum autem, qui manum ad flores extendit decerpturus, certè manum aperiat, & dilatet, vt, ſubindè ſtringens, flores digitis ſuccidat; ex eo quod dicit, dexteram à Pallade laxari, conſequens intelligendum ſubijcit, nempè & ipſam flores decerpſiſſe. *Laxat* itaque *dexteram leuibus ſtudijs*; ideſt aperit dexteram, vt flores colligat; immò & priùs, vt haſtam deponat, vt mox ſubditur, quam clauſâ ſtringebat manu. Vbi nota, quam bellè ad Annibalem, Capuanis fractum delicijs, reſpiciens, inſinuet, inhabilem ad arma reddi, qui delicias huiuſmodi ſectetur. Hæc omnia ex contextu ipſo vel patent, vel facile deduci poſſunt. Sed, ante alios, tertius arridet mihi, hoc loco, ſenſus, in quo vſurpatum video *laxandi* verbum, nempè vt idem ſonet, ac *recreare*. Sic quies, aut ſomnus, quæ hominum membra à laboribus recreant, ac reficiunt *laxare* dicuntur apud Virg. Æn. 5. *Vix primos inopina quies laxauerat artus &c.*

& clariùs Æn. 9. vbi & in ſenſu remittendi, & in ſenſu recreandi idem aſſumitur verbum, dum hæc habet ibi Virg. cit.

Cætera per terras omnes animalia ſomno

Laxabant curas, & corda oblita laborum.

Pallas itaque & ipſa, *laxat dexteram*, ideſt armorum pondere, ac præliorum labore, fatigatam iam recreat leuibus ſtudijs. Vbi præclaram aduertas inter bellicum rigorem, ac recreandi voluptates antitheſim. Ideò *laxat*, &

STVDIIS LEVIBVS LAXAT. Studium dicitur quælibet vehemens animi applicatio ad aliquid peragendum: ex quo fit, vt interdum pro ipſa exercitatione operationis ſumatur, cum videlicet vehementi aliqua animi applicatione, ac voluptate operamur. In hoc vltimo ſenſu vſurpatur, procul dubio, hic ab Auctore, qui per antitheſim oſtendere nititur, ſeria Palladis exercitia, in pueriles exercitationes conuerſa. Ideò *laxat, ſtudijs leuibus*, leue enim dicitur, quidquid minimè ponderoſum eſt: aſt, quia quod ponderoſum non eſt, leui qualibet aura circumfertur, factum eſt, vt *leue* ad ſignificandam etiam animi inſtabilitatem transfertur; &, quia iterum hæc propria iuuenilis animi eſſe ſolet, pro iuuenilibus nugis *leuia ſtudia* ponuntur. Et in hoc ſenſu inquit Auctor, leuibus à Pallade ſtudijs laxari.

DEXTRAM. *Dexteram* dicendum fuit, ſed ſincopa de medio vellit, & dextram facit. Quid autem ſit dextera, magis notius eſt, quam indigeat explicatione.

QVA TVRBAT. *Qua* relatiuum eſt, dextram antè memoratam reuocans in memoriam, & ablatiuus inſtrumentalis eſt; nam certè manus inſtrumento potens Pallas *turbat &c.* *Turbare* idem eſt, ac efficere, vt hoſtium turmæ, laxatis ordinibus diſſipentur, proſternanturque, vulgò *ſcompigliare*. Quo verbo oſtendit innatum Palladis vigorem, animiq; præſtantiam, ex quibus tantum roboris diffunderetur in dextram, vt nulla, quamuis confertiſſima, bellantium acies poſſet inuictæ Palladis dexteræ reſiſtere, eamq; indicat, belligeris aſſuetam exercitijs nihili prorsùs facere ſolitam, quidquid bellici furoris formidandum maximè videatur.

FORTIA AGMINA. *Fortis* tàm de animo dicitur, quàm de corpore, & idem eſt, ac *viribus corporis, animique præſtantia eminens*: vtrumq; enim in milite requiritur ad hoc, vt *fortis* nomen mereatur. *Agmina* verò dicuntur militum copiæ, exercitum conſtantes, ordinibus confertæ, & ad præliandum inſtructæ; quarè *fortia agmina* dicentur, quæ & militandi peritia, & animi præſtantia, & virium robore munita inuincibilia ferè videri poſſint, quæ tamen Palladis dextra turbari facilè ſolita, Vates affirmat, vt noueris, mollibus nunquam antea Palladem aſſueuiſſe armorum conſuetudine obduratam.

QVA VELLIT. Nota in relatiuo *Qua*, de quo ſupra, emphaticam repetitionem, qua ſcilicet admirationem magis adaugeat, quæ ex præſenti Palladis exercitio exoritur, ſi cum præcedentibus eiuſdem operibus comparetur. Verbum verò *vellit*, duplicem habet relationem, alteram ad portas, alteram ad mœnia, de quibus mox dicetur. Et *vellere* idem, hoc loco, eſt, ac diruere, atq; ad terram deijcere.

STABILES PORTAS. Stabiles, inquit, à ſtando, ideſt inconcuſſas, firmatas, immobiles, ac nullo ferè impetu quatiendas. *Portæ* verò propriè dicuntur vrbium aditus, alteriuſue loci, foſſa, valloq; muniti. Portæ dictæ à porta-ndo: vel quia, per huiuſmodi aditus omnia & importentur in vrbem, & ex vrbe exportentur: vel vt alijs placet, ex eo quia, vt alibi diximus, Vrbis circuitum cum aratro deſignarent Antiqui, deducto ad locum ſulco, vbi aditus eſſet in vrbem relinquendus, ſuſpendebant aratrum, ne ſulcus produceretur vlteriùs, illudq; ad vlteriorem Portæ partem comportabant, ibiq; rurſus demittebant, ſulcum iterum effodientes: atq; ita à portando aratro Portæ nomen inditum fuerit. Hic tamen, non pro ipſo aditu, ſed pro valuis, ab aditu prohibentibus ponuntur; vt fecit & Virg. Æn. 7. vbi de recludendis Iani portis hæc cecinit.

Tu Regina Deum, cælo delapſa, morantes

Impulit ipſa manu portas, &, cardine verſo,

Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.

& Æn. 9. Teucros inducens hoſtibus aditum claudentes

Ergo etſi conferre manum pudor, iraq; monſtrat,

Obijciunt Portas tamen, & præcepta faceſſunt.

Has igitur ad terram proijcere, & Palladis fuiſſe indicat Vates.

ET MOENIA. Particula *Et* non eſt hic ſolum copulatiua, ſed inſuper Emphatica eſt, & gradationem promouens; nam minus eſt, connexas, & compaginatas, valuas infringere, quam ſolida vrbis mœnia. Ideò *&*; quaſi dixerit: *& quod difficiliùs, ac maximi laboris eſt vellit mœnia ipſa.* Quid autem mœnia ſint, vidimus lib. pri. Carm. 238. Aliqui per mœnia integras hìc venire ciuitates aſſirmant, quod non improbo. Tantùm igitur nota, quam emphatico decurſu turgeat Antitheſis; & quanta contrariorum conflictione, ſed ſine faſtu, ac ſtrepitu verborum, decurrat, ac, quaſi aliud agens, aſſurgat. Dextera, quæ armatos tantum ſuccidere dignabatur, nunc metit flores: quæ bellicis ſtudijs agmina proſternebat, iam iruit in tenera florum germina: quæ hoſtiles, licet ferro ſolidatas, portas ſubruebat, iam floribus molleſcit: quæ mœnia, armatis conferta, diruere gloriabatur, iam floribus exornata, fœmineam ſe tandem eſſe, confeſſa eſt. Vide quantam præ ſe ferat facti indignitatem, & artificum Vatis artem ipſam regentis obſtupeſce. Inſuper quam vim haberet, inſinuentur exempla hic perpende, cum vel ipſam à ſe ipſa deflectere dicantur naturam: Naturam dixi: nam, vt Phyloſophi conteſtantur, habitus tranſeunt in naturam. Ideò igitur deſcripta fuit Pallas bellicis artibus aſſueta, vt indicaretur bellatricis iam habitum aſſiduo adepta fuiſſe annorum vſu, & tamen exemplo mouente, ad contrarias prorsùs delicias deflexiſſe. Si quæras ab Alexandri Magni hiſtorico Encomiaſte,

quid

quid ad bellatorem ſpectet: reſpondebit ille: *Membra ferro armare; frontem Galea obſcurare; tempora ſomno arctiora facere, quam noctes; humi cubare; ſoles, hyemeſq; perferre; ac Martis tantùm horroribus, terroribuſque delectari.* Aſt quam iis contraria ſunt in viridarijs degere; Nymphis admiſceri; fœmineis operibus operam dare: flores colligere; floribus coronari? Maxima profectò vis exempli: maxima Veneris hortantis ſuadela, quæ tam arduas mutationes tam facilè aſſequatur.

ET REPONIT HASTAM. Deſijt profectò Miles eſſe, qui arma deponat. Ideò Vates, vt oſtendat, vel ipſam Palladem, e propriæ mentis arce, Veneris, aliarumq; exemplo, deturbatam, iam non amplius Palladem agere, ſed Floram: *reponit haſtam* inquit, vt ex hoc extrinſeco ſigno mutationem affectuum intrinſecè factam colligamus. *Reponere* autem *deponere* eſt, & quaſi *re ponere*: ideſt quaſi diceret: actualiter haſtam deponit, & humi collocat, inter herbas, & flores, ita vt iam floreo haſta ipſa in lectulo quieſceret. Impedimento ea erat legenti flores futura: Ideò eam Pallas reponit, quod idem eſt ac Bellicis vale dicere, vt floribus indulgeat. Quæ fuerit haſta Palladis vide dicta carm. 24. ne occidat miſerum crambe repetita Magiſtrum.

ET DOCET &c. Gradationem adhùc proſequitur; nam parum fuiſſet haſtam inter flores repoſuiſſe, ni flores in Galeæ coronamentum aſſumpſiſſet: quod vt inſuetum fuiſſe notet, *Et Docet*, inquit, *docere* enim eſt cognitionem alicui tradere, quam antea de re aliqua non habuerit, ſicuti certè rude illud ferrum Thyphonis horrendum imagine, & ad terrorem prorsùs compoſitum, vt notauimus in anteactis carm. 22. & 23. non nouerat vnquam laſciuientem induere venuſtatem; Sed iam Pallas docet.

GALEAM; quæ ſcilicet inſtrumentum eſt ferreum ad capitis munimen inuentum, idem cum Caſſide, de qua loco ex anteactis citato: & cuius inuentionem, ſicut & haſtæ, & gladij Lacedemonijs attribuunt.

MITESCERE, SERTIS INSOLITIS. Hoc eſt quod Galeam Pallas docet. *Miteſcere* autem eſt *mitem*, *manſuetum*, *tranquillum fieri*; quod omninò contra naturam bellici eſt inſtrumenti, & ideò Galeam, quod neſciebat Pallas docet. Nota egregiam, quæſo, tranſlationem. *Docet galeam miteſcere ſertis*. *Serta* corollæ ex floribus contextæ ſunt, ſi proprietatem ſpectes loquendi, licet interdum pro coronis in genere vſurpentur. Hic rigoroſa viget ſignificatio: ideò *ſertis inſolitis*; ideſt quibus nunquam aſſueuerat galea illa, palmis quidem ac lauru, ſed nunquam floribus præcingi ſolita. Vides itaque quam aptè à contrarijs, & à nouitate rei Palladis mutationem amplificet, præter hyppotipoſim, qua eiuſdem actiones exactè adeò deſcribit, vt cerni videantur potiùs quam audiri.

FERRATVS LASCIVIT APEX &c. Deſcribit iam, Hyppotipoſim proſequens, miteſcentem Galeam, & à ferrato incipit Apice. *Ferratus* pro eodem hic ponitur, ac *ferreus*: ſicuti lib. pri. pariter dixerat *ferrato Poſtes &c.* Apex verò faſtigium propriè eſt, in ſummo Flaminis pileo erigi ſolitum, & quod ex lana alba fieri, præcepiſſe fertur Aſcanius, cum primus Albæ Flamines inſtituiſſet. Transfertur tamen ad ſignificandum cuiuſcumq; rei faſtigium, ſed potiori quodam iure ad ſummum galeæ ſignificandum; quippè illa eſt & ipſa capitis integumentum, & in hac ſignificatione aſſumitur a Poeta hic, & dicitur laſciuire: *Ferratus laſciuit apex*. Porrò *laſciuire* dicuntur homines, cum ſecundis otiantes rebus petulantia quadam exultant: & *laſciuire* arua ipſa dicuntur, cum exuberanti pabulorum eſſloreſcunt vbertate, quaſi ad laſciuiam componantur, & laſciuorum more iam geſtiant. Pari paſſu laſciuiendi affectum tribuit Galeæ Palladis, floribus redimitæ Auctor, quam ſic declarat, non amplius in militaris obſequium rigoris, ſed in laſciuiæ Veneris morem concinnatam.

ET HORROR MARTIVS. Conſequentibus antecedentia ſubnectit: &, vt arbitror, reſpexit ad naturalem modum cuiuſcumq; mutationis; nam ſicuti, in mutationibus, vel ſubſtantialibus, vel accidentalibus, quotieſcumq; noua intelligitur aduenire forma ea etiam, quæ prius fuerat receſſiſſe intelligitur; ſic Poeta, naturam ſecutus, cum formam laſciuientis induci dixerit, immediatè ſubdit, & formam, quæ priùs aderat, terroris receſſiſſe; aptè vſus tempore præſenti reſpectu formæ aduenientis, præterito autem reſpectu recedentis; nam, vt dix., quoties noua forma primò eſt in materia, vetus receſſiſſe neceſſe eſt, cum ad vltimo eſſe veteris formæ ſequatur primo eſſe nouæ formæ. Itaque particula *que* pro *&* copulatiua quidem eſt, ſed ita vt importet reſpectum formæ recedentis ad formam aduenientem. *Horror* verò certè in Galea, aut quouis alio armorum genere, eſſe formaliter non poteſt, ſed tantum cauſaliter, quatenùs ſcilicet aſpicientibus, malumque inde ſibi metuentibus terrorem ingerunt, qui affectus animæ timentis eſt ex cauſa iam dicta inſurgens. Quare dicendum eſt, poſitum hoc loco effectum pro cauſa. Ni malis dicere cum Parrhaſio, horrorem hic accipi pro terribilitate, aſperitate, ac rigiditate armorum propria, quod non abnuerem; ſed magis mihi apta videtur ſuprapoſita explicatio; nam arma tantum iis tandem terribilia ſunt, in quos aſſumuntur, & qui ſibi ab iis timent. *Martius* autem a Marte dicitur, &, quia Mars ſæpè ſæpiùs pro ipſo aſſumitur bello, idem eſt *Martius*, ac *bellicus*, ſeù *ad bellum ſpectans*, & quo bella verè minime bella ſunt, immò aſpectu horrida, & facie omninò feralia.

RECESSIT. *Recedere* eſt *retrò cedere*, ſeù *abire*, vt locus alteri ſuperuenienti relinquatur; ideò propriſſimè hoc verbo vtitur Vates, quod interdum etiam pro eodem ſumitur, ac *mutari*; quæ acceptio optimè etiam congruit textui, nam quod horridum erat, in venuſtum mutatur.

ET CRISTÆ. Quid propriè Criſta ſit, vidimus lib. pri. Carm. 14., & 183., verùm hic translatè aſſumitur Criſta, quatenùs ſcilicet conum galeæ ſignificat, vulgò *il Cimiero*, qui & Criſta dicitur ob ſimilitudinem, quam cum auium Criſtis habet, ac ſerpentium. Cum autem ſupra dictum fuerit, in Palladis Galeæ conum Thyphona erigi, quem vidimus horrendum viſu deſcriptum; *Cælatum Thyphona gerit &c.* hunc ipſum mutatum deſcribit, ita vt, depoſita terribilitate, floream mollitiem induerit. Ideò *Criſtæ*

VERNANT. *Vernare* idem eſt, ac lætitiam, iucunditatemque induere, ſeù floribus infarcinari; verbum enim à Vere deductum eſt; & Veris tempore omnia floribus ſtipantur, omnia in lætitiam, iucunditatemq; effunduntur. Itaque & Vernus dicitur ager, cum floribus abundat, & vernare aues, cum ſuauiter concinunt, & vernare ſerpentes ipſi, cum hyberno ſitu, obducta corporis membrana, exuuntur, aliamq; induunt nitidiorem &c. ſic itaque & Palladis Criſtæ *vernant* floribus conſperſæ, horrore in iucunditatem mutato, atq; omninò ad lætitiam, & hilaritatem compoſitæ, Ver integrum circumferentes.

PLACATO FVLGVRE. Vim emphaticam, in hoc ſexto caſu modi rationem importante, libet aduocare, qua placatum oſtendit, quod implacabile eſt, & certè non poterant miteſcere Criſtæ, niſi, per priùs, bellicus ille fulgor, quo oculos tranſuerberarent retunderetur, nec, niſi eo placato vernare poterant, & ad delicias componi. *Fulgor* itaque nil aliud hic eſt, quam terribilis ille fulgor, quo coruſcans ferrum, & oculos perſtringit, & metum cordi iniicit, vulgò *il lampeggiar del ferro*; ſicut enim fulgur fulmineos portendit ictus; ſic ferri fulgor ferrea in ictum euibranda præſignat fulmina, atque ideò fulgor ille per translationem *fulgur* dicitur, ſicuti hæc omnia breuiter attingens Taſſus Hieroſ. liber. Canto 6. ait:

Lampo nel fiammeggiar, nel romor tuono
Fulmini nel ferir le ſpade ſono.

& ſic fulgurantia Æneæ deſcribit arma Virg. Æn. 10.

Ardet apex capiti; criſtiſq; à vertice flamma
Funditur; & vaſtos vmbo vomit aureus ignes.

huiuſmodi autem fulgura ex Deæ criſtis euomi ſolita innuit & Vates, ſed iam floribus hebetata langueſcere. Ideò *fulgore placato*. *Pacato* non *placato* legendum contendit Heinſius, ſed immeritò, vt arbitror, nam licet *pacatus* idem ſit, ac *pacificatus*, *tranquillus redditus &c.* attamen *pacatus* etiam dici, & quidem propriſſimè dici poteſt, animus, v.g. qui natura ſua placidus pacem ſectetur, & pace fruatur, ita vt ne iraſci quidem nouerit: quarè minùs exprimit vocabulum *pacatus*, quam *placatus*; nam hoc oſtendit alicuum à placiditate fuiſſe id, quod iam placidum redditur, & tranquillum. Ideò cum vulgata, & Parrhaſio libentiùs legimus *Placato fulgure*. Porrò martiale fulgur implacabile ſuperius diximus, quia vt fert vulgatum illud.

Nulla fides, pietaſq; viris qui caſtra ſequuntur.

quod tamen ſemper reſpectu hoſtium arbitror intelligendum; nam cæteroqui, etiam in armis, & fidem, & pietatem viguiſſe, experientiâ conſtat. Implacabile itaque dicitur reſpectu hoſtium, quia, niſi hoſtili ſanguine retundatur, ferale emicat ſemper. Aſt illud placatum hic indicat Vates, hebetantibus micantia fulgura floribus, vel ita, dum tegerent, ſupprimentibus, vt langueſcere viderentur. Cum enim non poſſent flores omninò contegere, & occultare

ſplen-

ſplendores ferri, ita vt, dato inter florem, & florem aditu, ſcintillas adhuc non emitterent; cogebant tamen placidiores tranſpirare, ideò *placata*, inquit, *fulgere*, non verò *pacata*, vt contendebat Heinſius, hoc eſt *paci prorſus reddita*, & *inermia fulgere*, quod videtur importari per nomen *Pacata*.

NEC QVÆ PARTHENIVM &c. A Pallade ad Cynthiam diuertit, &, hanc etiam ab huiuſmodi nugis non immunem fuiſſe, profitetur. Sed nota præclariſſimum Poetæ artificium, in hac gradatione ſimul, ac degradatione contexenda: gradatio enim eſt, quia obſequentes Veneris hortationi dum enumerat, gradatim aſcendit, à Nymphis inferioribus ad Deas procedens; ac Deas ſubindè enumerans à Proſerpina incipit, quæ inferior ſaltem ratione ætatis cenſenda fuit, inde ad Palladem belligeram deuenit, ac demque ad Cynthiam pacificam, quaſi voluerit, & ipſe, vt in gradatione ſua cederent arma, (quæ belli inſignia ſunt) togæ, nempè Paci per Cynthiam repræſentatæ. Sed, in ipſa gradatione, degradationem ſeruat, dum in Dearum deſcriptionem, vniuſcuiuſq; ſemper, legendi flores affectum, deſcendens, imminuit: prout magis, & minus, Veneri addicebantur. Proſerpinam quidem ſumma auiditate, ac æſtuanti quodam feruore legentem deſcribit; quia hæc maximè in Veneris obſequium propendebat, vt vidimus lib. pri. cum de Pallade agendum fuit, quæ Virgo & ipſa eſt, atq; à Venere aliena magis, quam Proſerpina, licet non omninò Venerem reſpuant arma, cum Martis Amaſia fuerit Venus, minoriuam affectu, & auiditate colligentem indicat; nam, *Leuat*, inquit, *dexteram*, quaſi animi gratia potiùs, & ne videretur cæteras, ipſa abſtinens, redarguere, quam vt Veneri morem gereret, ad flores ipſa deſcendiſſet. Cum tandem de Cynthia agitur, quæ à Venere omninò aliena virgo eſt. Quarè & Nos in Prologo ad Tragicam noſtram *Aimarante* inſcriptam, eam ſic cum Venere loquentem inducebamus

Qual, trà canna paluſtre, e l'indefeſſa
Del velenoſo ſtuol folco nemico,
Vera nutro il mio core diſcordia eterna,
Eſtremento del mar, feccia del Cielo,
Ch'e ſol naſceſti ad infeſtar la terra.

tunc, inquam, *Nec aſpernata*, inquit; quaſi dicat, legiſſe, & eam quidem flores, ſed potiùs non renuenti ſimilis, quam iubenti. Iam ad textum.

NEC ASPERNATA. *Nec* coniunctio diſiunctiua eſt, quæ coniungit hic quidem actionem colligendi flores à Cynthia peractam cum actionibus prædictarum, ſed, & perſonas diſiungit, & modum, vt iam innuimus. *Aſpernata* (ſubintelligere eſt) *Aſpernari* verò, à quo *Aſpernata*, contemnere eſt, *recuſare*, & *aduerſari*. Quarè dum dicit *Nec aſpernata eſt*, idem eſt, ac ſi diceret, eam non recuſantis, non aduerſanti, non contemnenti animo aliarum ſecutam exemplum fuiſſe.

CHOROS. Si vim latinæ linguæ ſpectemus, eſt *Chorus* propriè multitudo canentium, & ſaltantium: ſed quid hoc ad Poetæ textum, vbi nuſquam ſaltantes, aut canentes deſcriptæ fuerint, aut Deæ, aut Nymphæ: nec de ſaltationibus vnquam, aut cantibus facta fuerit mentio? Et quid Choris huiuſmodi cum exercitio flores colligendi eſt? Arbitror itaque Poetam voce quidem latinâ vſum, ſed græcam pœnè vocis ſignificationem reſpexiſſe, χορὸς enim græcè idem eſt, ac latinè *cætus*, vel *tripudium*. Nec inficiari poſſunt Latini illi (ſi in hoc ſenſu chorus explicetur) qui dicunt nomen *Chorus* deduci à græco χαρὰ; nam χαρὰ lætitia eſt, & conſequenter *chorus* lætus cætus, ac lætum erit tripudium. Quo poſito, ſenſus huius loci erit: *Non aſpernata*, hoc eſt, nolens ſe læti cætus contemptricem cum faſtu oſtentare, fecit & ipſa, quod ab alijs fieri, proſpiciebat, ſi enim non feciſſet, certe contemni ſe cæteræ exiſtimaſſent, & iure. Quarè conuerſationis ergo tripudium ſecuta eſt.

QVÆ. In explicatione huius relatiui, abſoluto modo poſiti non immoror; nam trita in praxi eſt, vt ſic ponatur præintellecto antecedenti *illa*. Per periphraſim autem Dianam, de qua ſupra, hic notat.

SCRVTATVR PARTHENIVM. *Scrutari* idem eſt, ac *diligenter inquirere, & perueſtigare*, ita vt nullum, quantumuis ſecretum, remaneat latibulum, quod inueſtigantem fallat, & lateat. Et hoc certè proprium venatoris eſt, qualem iam alibi Dianam eſſe vidimus. *Parthenius* verò Mons Arcadiæ eſt, in quo Virgines Veneri ſacra facere conſueuerant. Ponitur, haud ambigo, pro quocumq; monte, aut loco ad venationem apto: ſed Parthenio monte potiùs, quam alio, vſus eſt Vates, vt indicaret, Dianam ſolitam animo fuiſſe, venatorijs ſuis exercitijs, Veneri ſacrificantes interturbare, ſtrepitu ſcilicet venatorio, ac canum latratu, ferarumq; vlulatu omnia permiſcentem, nullâ in Venerem obſequij habitâ ratione. Quare & hæc, tantùm *non aſpernata choros*, vt de more ſolebat, aſpernari, reliquarum exempla ſequitur, non renuenti potiùs, quam lubenti animo, vt dicebamus.

CANIBVS ODORIS. *Odorus canis* canis venaticus eſt, ex ijs, qui olfactu feras inueſtigant, & quorum meminit Virg. Æn. 4. cum apparatum Didonis ad venationem proficiſcentis deſcribens ait

Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylique ruunt equites & odora canum vis.

vulgò, apud nos, *Bracchi*, qui, quo maximè pollent, odoratu, feram, licet interdum diſtantem ſentiunt, odore duce inueniunt, e cubili excitant, ac venatori exponunt; ſequuntur que, quoad capta ſuccumbat. Vidimus in anteactis Ætnæi veris flores canibus huiuſmodi odoris olfactum adimere ſolitos, ita vt inhabiles, ad feras reddantur indagandas. Hoc profectò ignorare Dianæ non potuit venatorum omnium magiſtra, locorumq; omnium peritiſſima, ideò nil mirum, ſi ad hos flores ſibi aſſumendos non admodum procliuis fuerit. Et hac profectò de cauſa, canum mentionem odorum intulit Vates, vt cauſam redderet, cur Diana, non ex animo, ſed tantùm non aſpernata flores legerit. Immutat & hic lectionem Heinſius, & legit

Nec quæ Parthenium canibus ſcrutatur odorem.

quod explicans ait *Parthenium odorem, dixit; vt Pratum odoratum Nemeſianus*; profitetur autem ibi Heinſius, ſe antiquam lectionem reuocaſſe, vt apertè dicit. Verùm non aſſentior, quia certè canes non ſcrutantur odorem, niſi vt medium ad finem, nempe ſcrutantur odorem, vt odore mediante feram ſcrutentur. Nec ſcrutantur odorem loci, aut locum odoratum, ſed odorem feræ, ac feram ipſam per locum. Quarè meliùs, arbitror, vulgata noſtra, ac congruentiùs procedit, iuxta naturæ proprietatem.

ET VOLVIT TANDEM &c. Vide quam multis orationem diſtrahat Vates, vt ex ipſo diſtractu carminis labore intelligas, quam arduum fuerit Veneri non ſolum, ſed & alijs, exemplo excitantibus Cynthiam trahere in ſententiam, & ad legendos flores adducere. Nam primò per polyſyntheton coniunctionibus abundat: ſecundo Deam deſcribit periphraſticè, nec tam citò ſe expedit; motiua ingerit retardantia; ac deniq; per particulam *tandem*, quam diu expectata fuerit, vt morem gereret, oſtendit. *Et voluit tandem*. *Et* particula quidem hoc loco copulatiua eſt: *non aſpernata eſt, & voluit*; ſed naturam ſapit indignantis, ea enim, & innuit Vates, quam propè ad indignationem acceſſerint aliæ renuentem tandiù Dianam indignantes; & ſui ipſius affectum Vates oſtendit, indignantis Cynthiam *tandem & ipſam* in huiuſmodi nugas deſcendiſſe. In eodem ſenſu Iuno apud Virg. Æn. pri. indignata ait

. . . . Et quiſquam Numen Iunonis adoret?

Voluit autem idem, hoc loco, eſt ac in conſenſum deuenit, manum dedit; & placuit etiam illi flores decerpere. Sed voluit *tandem*; quæ particula ſi pro aduerbio temporis ſumatur, denotat, expectatum diù, aliquod temporis momentum veniſſe ad vltimum, quod certè indicat, quam difficulter faſtum demiſerit, quæ ſe ad vltimum reſeruauit, & poſtrema tandem ad flores manum extendit. Sed nota, particulam *tandem* pro eodem interdum etiam aſſumi, ac *vix*, in quo ſenſu ad hìc magis oſtentat renitentiam Virginis, ac animi alienationem a ſuſcipiendis Idaliæ Imperijs, licet hortatione incitata fuerit, exemplo compulſa; nam voluit tandem, ſed vix voluit, etiam cum voluit.

FRÆNARE. Verbum ab equeſtri exercitatione tranſlatum, quod idem ſonat, ac cohibere, retinere, & quaſi quibuſdam vinculis coercere.

LIBERT TEM COMARVM. Libertas eſt facultas, qua quidquid magis libeat, operemur: opponitur ſeruituti; quæ ex aliorum nutu cogitur dependere, non ex operantis arbitrio: theſaurus ingens exiſtimatur, vt tritum de ea ſit illud *Non bene pro toto libertas venditur auro*.

Transfertur nomen libertatis etiam ad ſignificandam licentiam quandam, quæ in arbitrio carentibus eſſe poteſt: ſic frui libertatis munere comas dicimus, cum nullis coercitæ nodis, interdum pro libito, non quidem ſuo, ſed auræ ventilantis, diuagantur. Hac libertate donatam Triuiæ crinem dixerat Vates, in anteactis, vbi ait

Braghea quoda nigrant; Leuibus proiecerat auris

Indociles errare comas &c.

& hanc libertatem ex oppoſito coercet hic, nempè licentiam Comarum. Quid comæ ſint vidimus ibi, hic tantum addo, Comas propriiſſimè dici quia iam comptas.

INIECTA CORONA. Nota emphaticum in verbo *iniectâ* contemptum; nam *iniectâ* particip. præteriti temporis paſſiuum eſt, à verbo *iniicio*, quod ſcilicet ex *In*, & *iacio* componitur. Quæ autem iacimus, de ijs admodum non curamus; quæ enim magni facimus, diligenter collocamus, ne iacientes, contemptum exprimamus. Triuia igitur vix tandem voluit, & cum voluit textam ex floribus coronam, *iacit*, quaſi per contemptum *in crinem*; ideò *iniectâ*. Perpende, num exactius deſcribi potuerit actio illa, quæ non inuita, ſed quaſi inuita; volens, ſed quaſi nolens operatur. Quid deniq; *corona* ſit, patet ex hoc eodem lib. Carm. 140. Hic tantum aduerte, hanc ipſam coronam, cum in ſubiecta ſimus materia, certe ex floribus fuiſſe contextam: noſq; interim, ad morales flores ſecedendo, quid ex his ſceligendum, obiter inueſtigemus.

Moueant vtcumq; verba; cogant magis, quam exprimi poſſit, exempla: difficillimè, qui habitu munitus adſit virtutis, flecti poterit. Conatur quidem barbarus tartarorum Tyrannus, vt inducantur, ſi fieri poſſit, in perniciem etiam electi. & quod ex ſe ipſo bellum euincere, ac ſuperare non poteſt, Veneri illud committit peragendum. Decumanus profecto Acherontis fluctus hic eſt, quo ſe ſperet merſurum facilè eas etiam turres, quæ, in monte poſitæ, deſpiciunt imo ex loco ſubeuntem hoſtem; ſed incaſſum furit, vbi virtutis habitus vallum obijcit. Definitur habitus, vt *ſit qualitas difficilè mobilis*; &, quam difficilè mobilis ſit, ex Triuiæ luctâ, inuincibili ferè, iam perſpicis. Nymphæ, quippè mollibus aſſuetæ, vix primam ſuſtinent titillationem, quam Veneris adhortatio auribus ingerit. Proſerpina ante alias æſtuat, quia iam ſollicitauerat pronuba flamma pudorem &c. nullo itaque negotio ſubuertitur, quæ iam poſita in præceps eſt. Aſt vbi de Pallade agitur, virginitatis ſtudio durandis armorum pondere addicta membris, mirum eſt ſi trahatur, ſed trahitur tamen, quia non omninò à Veneris conſortio abhorreat Pallas, quippe Martis in armis ſocia. Verum cum ad Triuiam deueneris, quæ perpetuò degit in ſyluis, vt hominum deuitet conſortium, & fœdus pepigit cum oculis ſuis, vt ne cogitet quidem de homine: quam difficilè eſt eam venereis fraudibus irretiri! Irretitur tamen interdum, ſed eo ferè pacto, quo auium regina, ſi accidat, vt in retia incidat ad minores capiendas aues extenſa; nam vix in laqueos incidit, cum illos diſrumpit, ac proſciſſum rete ſecum trahit, ad æthera tranſcendentes. Cadit & Iuſtus, & ſepties in die (non inficior) cadit Iuſtus. Sed leuiſſimos tantùm incidet in lapſus, & ſtatim è lapſu erigitur, ita vt nolens voluiſſe videatur. Ideò inquit humani generis inſtitutor: Induite armaturam fidei, & galeam ſalutis aſſumite, vt poſſitis ſtare aduersùs inſidias Diaboli. Quod ſi adhùc, licet ornata Palladis inſtar, hoſtem pertimeſcas; tunc, ſi in Iudæa es, fugias ad montes. Triuiam imiteris ſectatricem ferarum, ideſt & cominùs, & eminùs in vitia irruens debellaturus: fuge illecebras: fuge huius ſæculi vanitates, atq; incedas, non mollibus veſtitus, ſed nudus brachia cum hoſtibus luctaturus; nam ſic demum talem virtutis habitum acquires, vt vitia ſollicitare poterint quidem, labefactare, vel vix, vel nullo poterint modo. Sollicitemus & nos interim Muſas noſtras, vt quæ Auctor Heroicis tubis inſonuit, nos gracili modulemur auena.

Scuote ogni Ninfa; in ogni cuor s'accampa
Il deſio di raccôr meſſe fiorita;
Mà fuocoſa impreſſion vie più riſtampa
Di quella in ſen, cui è la frode ordita:
D'ogn'altra più l'vnica ſpeme auuampa
Di quella Dea ferace, ond'arricchita
La terra i campi ammira, e i ſolchi tutti
Porger di meſſe d'or maturi i frutti.
Hor di vincaglie à gl'inteſciuti ordigni
Graua il lembo ridente, e, recolmati,
Delle gemme gentil gl'addatta in ſcrigni.
Altri germi hor riparte; ed i più grati
Ricompone, al formar ghirlande inſigni,
Se ne cinge la fronte, e, de ſuoi Fati
Ignorante preſaga, il vero adombra,
Mentre di nuttial pegno il crin s'ingombra.
Anzi è quella, che pure armata nacque,
Cui, de corni, de timpani, e taballi,
Erger gli ſpirti, al rauco ſuon, non ſpiacque;
Quella, che ſol de concaui metalli
Nel guerriero fragor già ſi compiacque,
Anima del valore; e i piedeſtalli
A gl'Obeliſchi ſuoi, bieca, non volſe,
S'in fargli; Bronte altro, che l'armi, accolſe.
La formidabil deſtra, onde ſcompiglia
Le più indomite ſquadre, e i duci atterra;
Onde le ferree porte, oue s'appiglia,
Scuote da bronzi, e le dirocca à terra;
Ne sì ſaldo baſtion, ſe l'arronciglia,
V'è che reſiſta al fulmine di guerra;
Imbelle hor quaſi, in lieui cure impiega;
Ed inſegne fiorite all'aura ſpiega.
L'haſta fatal, ch'ogni riparo auuerſo,
Qual vetro fral, lieue trapaſſa, e sforza,
Sù 'l verde ſmalto, à vaghi fior conſperſo,
Poſa languente; e della ferrea ſcorza,
Ch'auuolge il crin, di tante palme aſperſo
Primauera gentil gl'horrori ammorza;
Tal che laſciuo il gran Cimiere ondeggia;
E, di delicie in nuouo mar galleggia.
Che più? La ſchiua, infra le ſelue auuezza
L'Arcade fiere à trarappar da i monti;
Ou'i ſuoi veltri, in ſingolar preſtezza,
Ne fiutar l'orme, alle cauerne, à i fonti.
E dalle macchie alla ſublime altezza
Le cacciar della rupe agili, e pronti;
Non diſprezza il gioir; mà con amena
Ghirlanda al fin le ſciolte chiome affrena.

Frænet & Muſa noſtra floreis hiſce loris Pegaſum, cui vix inſidet, ne præceps decidat infelix: noſq; Auctoris noſtri ſeriem, omiſſis nugis, proſequamur.

TALIA VIRGINEO PASSIM &c. Deſcripſerat Poeta lib. pri. circa finem Apparatus illos, quibus Pluto accinctus, ornabat ad ſuperos iter erupturus.

Iamq; viam Pluto Siculas moliebar ad arces &c.

Ibiq; iunctos temone Iugales ante fores conſtituerat frementes, & *Craſtina venturæ ſpectantes gaudia prædæ*. Hic eorumdem iter proſequitur, ac maturo iam tempore aduentantes ſequitur, eo quod iam, vt initio huius lib. dictum, *Impulit Ionios, præmiſſo lumine, fluctus Nondum pura dies &c.*, & conſequenter iam tempus inſtabat, Raptori à Ioue præfixum lib. pri. vbi ait

Craſtina puniceos cum lux detexerit ortus &c.

quo ſcilicet exponenda erat, per Venerem præda, mox ab ipſo Plutone, cui deſtinabatur rapienda, & quod, ne incaſſum preteriret, ab auido præripiebatur Prædone. Dum itaque, legendis floribus, tempus tererent Virgines,

Talia virgineo paſſim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor; confligere turres;
Pronaq; vibratis radicibus oppida verti.
Cauſa latet. Dubios agnouit ſola tumultus
Diua Paphi, miſtoq; metu perterrita gaudet.
Iamq; per amfractus Animarum Rector opacos
Sub terris quærebat iter, grauibuſq; gementem
Enceladum calcabat equis. Immania findunt
Membra rotæ, preſſâq; Gigas ceruice laborat,
Sicaniam cum Dite ferens; tentatq; moueri
Debilis, & feſſis ſerpentibus impedit axem.
Fumida ſulphureo prælabitur orbita dorſo.

Ac, velut occultus ſecurum prodit in hoſtem
Miles, & effoſſi ſubter fundamina campi
Tranſilit, eluſos arcano lim te, muros;
Turbaq; deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros: ſic tertius hæres
Saturni tenebroſa vagis rimatur habenis
Deuia, fraternum cupiens exire ſub orbem.

nes, nempè & rapienda, & rapiendæ comites, tempus à Plutone non neglectum indicat; ſed dum hæc ab illis geruntur cum citatis equis aduentantem inſinuat. Iter qua ad metam ſit proximum per hyppotipoſim deſcribit; ab adiunctis amplificat; ac ſimilitudine à pari deducta, illuſtrat magis, & explicat. Primo autem loco, horrorem, terribilitatemq; aduentantis ab Antecedentibus amplificat: *Ecce repens mugire fragor &c.*

TALIA VIRGINEO &c. Pueriles Virginum nugas, quibus ſatiùs, quam par eſſet, detentæ, nil aliud, quam præſentem animi oblectationem cogitarent, exaratos in antea-ctis iam vidimus. Ex his verò tranſitum facturus Vates, ad deſcribendum prædatoris aduentum, aptè vtitur pulcherrima hac tranſeundi methodo. *Talia virgineo &c.* nam profectò particula illa

DVM. Aduerb. temporis eſt, eodem modo intelligendum, hoc loco, quo etiam ſuperiùs diximus, ad Carm.

Dum mens humectat flauentes [illegible] agros:

atq; adeò ab actione ad actionem aptiſſimum vtique ſemper tranſitum præbet. Vide ibi dicta.

TALIA. Hoc eſt *Qualia* iam enarrauimus, iuxta à nobis de hoc nomine ſæpè dicta.

PASSIM GERVNTVR. Sumitur *Paſſim*, quod aduerb. locale eſt, pro eodem interdum, ac *vbique*. Notant tamen ſubtiliores latinæ linguæ interpretes inter prædicta aduerbia diſtinctionem; nam (vt ipſi aiunt) *vbique* dicitur de eo loco, vbi nullum eſt inter res locatas interuallum: ſic, inquiunt, herba in prato eſt, triticum in pleno horreo &c. Aſt *Paſſim* dicitur, vt aſſerunt, de ijs, inter quæ aliquid interualli reperitur. ſic, inquiunt, Grex *paſſim* in campo paſcitur, quia inter pecudem, & pecudem paſcentes interuallum adeſt. Ex quo facilè dignoſcas, quam ſibi ſemper conſentanee loquatur Vates. Dixerat ſupra, Nymphas, Deaſq; per varios ſaltus diſpertitas, in flores irruiſſe colligendos. *Varios tùm cætera ſaltus inuaſere cohors &c.* Cum itaque ſparſim Virgines diuagarentur, optimè, ſeruato rigore loquendi ait:

Talia Virgineo paſſim dum more geruntur.

nam certè, inter diſperſas, interuallum adeſſet, neceſſe fuerat, vt ſupra de gregibus dicebatur. Verùm, licet aduerb. *Paſſim* hanc importet intercapedinem inter exiſtentes in loco, in quo dicuntur operari, importat tamen inſuper etiam frequentationem actionis: nam *paſſim* à *paſſu* dicitur, ita vt idem ſignificet, ac *per ſingulos paſſus*: ex quo egregiè indicatur legentium ſollicitudo, dum, nullum ab eis paſſum fieri, autumat, quin florea germina decerpant. Hæc autem actio florum collectiua exprimitur ſatis abundè, per verbum, *Geruntur* præcedente nomine *Talia*, de quo ſupra; nam *Gero*, à quo paſſiuum *Geruntur*, pro *facio*, *operor*, *perago* hoc loco ponitur, eo pacto, quo & Virg. Æn. 7. in eodem ſenſu ait:

Atq; ea per campos æquo dum Marte geruntur &c.

Vbi etiam adnotare licet, Poetarum Principem eodem tranſitionis modo, quo Auctor hic, vſum fuiſſe, vt ex actionibus bellicis tranſitum faceret, per particulas *dum ea geruntur*, ad deſcribendum, quid, interim, Venus pro Teucris fuerit operata. Pariter Æn. 9.

Atq; ea diuerſa penitus dum parte geruntur &c.

vbi idem verbum, eumdem tranſitum, libeat, adnotare.

MORE VIRGINEO. Oſtenditur hic, per huiuſmodi ſextum modi caſum, modus actionum, quæ à præcitatis Virginibus gerebantur, non abhorruiſſe ab vſu, ac conſuetudine Virginum, quarum propria ſolet eſſe ſimplicitas, nullo ſagacitatis munita præſidio. *Mos* itaque idem eſt, ac *ritus*, *vſus*, *praxis*, & *conſuetudo*, quæ ab omnibus, quorum eſſe dicitur, ſeruatur regulariter. Vno verbo, *Mos* eſt *inſtitutum vitæ, conſuetudine firmatum*. Et tantam huiuſmodi *Mos* vim obtinet ex firmata conſuetudine, vt & inſtar legis habeatur, & alteram ſæpè tranſeat in Naturam, vt de habitu dicebamus. Sic Dido Æn. 4. ſe ipſam redarguens ob violatam Sicheo fidem dicebat.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ &c.

forſan ad Naturam turturis alludens, quæ, amiſſo coniuge, viduitatem ad finem vſque protrahit vitæ. Hoc poſito: Vides, quam ingenioſè Poeta, & crimen in Virginibus adſtruat, dum nimio feruore (præſertim de Proſerpina loquendo, quæ fidæ oblita parentis, nimia hæc animi licentiâ peragebat) legendi detinerentur; & crimen ipſum, excuſabile tamen inſinuet, cum moribus, ac conſuetudini innixum oſtendat virginali: Quod procul dubio efficit Vates, vt Protagoniſtæ perſonam exactiſſime confictam habeat, iuxta Tragicorum præcepta; cum & in Tragicis verſemur. Ideò *more Virgineo*. Virgineum enim dicitur quidquid virginis eſt, aut virginem decet, vel quomodocumque ad virginem ſpectat; a virgine enim denominationem deſumit, quod *virgineum* dicitur. Cum autem virgo à viridiori ætate dicatur, hinc eſt, vt, nomine virginis, non ſolum intelligamus eam, quæ nondum nouerit virum; ſed eas etiam, quæ, primo iuuentutis flore, viridi fruuntur ætate, quibus quam alte inſideat florum auiditas, nemo neſcit. Cum igitur quaſi ex lege Naturæ inditum illis ſit hoc deſiderium colligendi flores, ita vt ferè connaturalis auiditas dici poſſit, excuſabilis profectò Nympharum error, Dearumq; fuerat error tamen, quia temporis iactura nullo eſt vnquam pretio redimibilis; præcipuè verò ſi hæc temporis iactura fiat Venere adhortante. Quarè, dum errorem detegit, ſed excuſabilem, quoquo tandem modo ſit, tetur præcipuam Proſerpinæ ſuæ Protagoniſtæ conditionem attribuit; vt diximus.

ECCE REPENS FRAGOR. De aduerb. demonſtrandi *Ecce* ſatis dix. lib. pri. Carm. 13. Quarè videas, ſi libet, ibi dicta: nam hùc, adamuſſim transferenda. Repens verò idem eſt, ac *ſubitus*, *repentinus*, *improuiſus*, & præter expectationem erumpens. Alij *recens* legere maluerunt; hoc eſt *nouus*, & *inauditus antea* ſonus. Sed *repens* magis correſpondet aduerbio *Ecce*, quod quid ſemper inopinum videtur demonſtrare. *Fragor* autem ſonitus ille eſt, qui ex aliqua re, dum frangitur, redditur. Quarè & *fragor* à ſimili dicitur *maris ſtrepitus*, cum, ventorum impetu, fluctus inuicem colliduntur: & ideò Virg. Æn. pri.

Sæ conſectur. pelago [illegible] fragor &c.

Immò ſic etiam à ſimili *fragor* dicitur cælorum tinnitus, cum ſcilicet vel tonitru, vel alio, tonitrum imitante, ſonitu, terribiliter inſonat, vt apud Virg. deſcribitur, Æn. 8. vbi ſic.

Namq; improuiſo vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit; & ruere omnia viſa repente,
Tyrrhenuſq; tubæ mugire per æthera clangor.
Suſpiciunt: iterum atq; iterum fragor intonat ingens &c.

& verè *fragor* dici *tonitrus* poteſt, quippè ex colliſione, ac confractione nubium exortus. Hic itaque ponitur *fragor* pro horrendo, ac terribili quodam ſonitu, & tumultuantis mugitui maris, & tonitruum tinnitibus, ſimili, ita vt, ex vtroque participans, terribiliùs inſonaret. Vno verbo, *fragor* fuit *infernalis*; de quo Virg. Georg. 4. cum ait

[illegible] immitis rupta Tyranni
Fœdera: terq; fragor ſtagnis auditus Auernis.

MVGIRE. Præintellige *cœpit*, per Synecd. figuram omiſſum. Vel dicas, poetico more, poſitum *mugire* pro *mugit* per enalagem, quod frequentiſſimum apud Poetas non ſolum eſt; ſed etiam apud Liuium in hiſtoria Romana centies adnotaueris. Quid ſit mugire, ſatis vidimus, lib. pri. Carm. 208. quarè non repetam; quod enim ibi de nomine Mugitus dix. verbo hic applicanda.

CONFLIGERE TVRRES. Ex hoc effectu, à prænotatis fragoribus proueniente, apertè noueris terribilem illum, de quo ſupra ſonitum, fragoremq; nil aliud tandem, quam terræmotum fuiſſe, inferni raptoris motibus excitatum, & quem periphraſticè deſcribit Vates. Ex hoc loco decerpſit, arbitror, Hieronim. Vidas Albæ Epiſc. deſcriptionem terræmotus in funere Chriſti, quam habet ipſe lib. ſuæ Chriſteidos 5. dum illum ſic exprimit.

Sub pedibus mugire ſolum: ſola vaſta mouentur.
Tecta labant: nutant ſuccuſſa vertice turres &c.

Quid *turres* ſint notiſſimum cenſeo; erecta ſcilicet altiſſima vrbium propugnacula, ex cæmentis, ſaxiſq; extructa, ad vim incurſantium hoſtium propulſandam; dictæ *turres* à terrendo, vel quia ſubeuntes terrent, vel quia, aſpectu terribiles vel à longè territant hoſtes. Sed cur *turres* potiùs, quam alia hic poſuerit Vates ædificia, patebit ex verbi *confligere* explicatione. *Confligere* igitur, (quod hic eodem pacto ſe habet, ac mox ſupra *Mugire*) propriè eſt *colliſis in acie*

ſignis decertare, cum ſcilicet, vt ait Vates ille: *Piede à piè, ſcudo à ſcudo, elmo elmo cozza*. Quare hic *confligere* pro *ſe inuicem affligere per colliſionem mutuam, vehementis cauſa nutationis*, aſſumitur. Lib. pri. cum de terræmotu, ex Enceladi motationibus prouenientedifferet, ait Poeta

Et quoties detrectat onus ceruice rebelli
In dexteram, læuamq; latus, tunc inſula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus vrbes.

hic verò de terræmotu eadem pariter habet, dum inſonat

Ecce repens mugire fragor; confligere turres:
Pronaq; vibratis radicibus oppida verti.

tantùm vbi lib. pri. mœnia nutantia poſuit, hic terrorem augere videtur, & iure, dum ait: *Confligere turres*. Iure inquam, quia huius terræmotus cauſa Pluto eſt, non Enceladus; quarè ex terribiliori cauſa terribilior exilire debuit & effectus. Sed cur *turres confligere* dicit hic? ibi non, *confligere Mœnia*, dixit; ſed *nutare*? Secutus eſt profectò Vates naturalem terræmotus effectum, quem ego ipſe, pluribus experientijs conſultò factis, agnoui, cum itaq; terræmotibus quatitur tellus, ſi in inferiori ædium parte fueris, vix modicam, ſi te applicueris, parietum vacillationem dignoſces: at verò ſi in altiori parte extiteris, adacto pariter ad parietem corpore, maiorem experieris profectò nutationem: &, quo altius aſcendes, maiori impetu concuti parietes, attactu ipſo, comperies. Itaque *turres*, quæ in procêram maximè altitudinem eriguntur, vehementer adeò ſummo quatiuntur in vertice, vt ſe ipſas in præceps inclinare videantur: ex quo fit, vt, ſi geminæ turres non admodum diſtantes ſint, vehementi illâ nutatione altera ab altera modo retrorſum abſcedant; modo in contrariam partem, vt nutantes ſolent, ad inuicem conuerſæ, inclinentur adeò, vt, repercuſſis inuicem frontibus, collidantur. Vidi equidem trabes interdum, parieti infixas, impetu parietem quatiente, à parietibus ipſis, cubito amplius, reſilire, & iterum in parietem impingere, eo modo, quo bellici Arietes, cum inimicis ferratis frontibus, pulſant; ideò nil mirum duco, ſi, in ſublimi turrium altitudine, vehementes adeò motus deſcribantur. Ideò igitur *turres* hic poſuit Poeta, quia, ſpectata altitudine, vehementiùs poſſunt, quam minora ædificia contorqueri; atq; ideò *turres*, non minora ædificia concurrere poſſe videntur, & confligere, ni tantum interſit intervallum, vt concurrere non poſſint, quin priùs decidant. Inſuper *turrium* meminit, ad augendam terroris formam; nam cum illæ firmiſſima mole conſiſtant, horribiliores aſpectu fiunt, ſi vehementer adeò concutiantur. Non negauerim tamen, hoc hyperbolicè dictum; nam in vrbibus, raro, adeò vicinæ ſunt turres, vt poſſint inuicem confligere: ſed prudens eſt hyperbolica dictio, quæ in ipſo naturali effectu fundata, vires auget.

ET OPPIDA &c. Proſequitur ab effectibus amplificationem, quam iniji, ad explicandam huius terræmotus horribilitatem; ac per copulam *que* pro *&* gradationi emphaticè deſeruientem, (vt alibi etiam vidimus) effectum effectui adnectit. Porrò *Oppidum* ab *Vrbe* diſtinguunt aliqui, eo, quod hæc maior, illud minus eſſe, in comperto eſſe, dicant. Verum, cum, vt aiunt Philoſ., maius, & minus non varient ſpeciem, nullatenus hæc diſtinctio ſeruatur: ſed paſſim *oppidum* ab auctoribus pro vrbe vſurpatur; &, licet Virg. diſtinctionem approbare videatur Georg. 2. dum ait

Adde tot egregias vrbes, operumq; laborem;
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis;
Fluminaq; antiquos ſubter labentia muros.

attamen, eodem lib. diſtinctione reiecta, Oppida pro vrbibus poſuit, cum inquit

Aſcræumq; cano Romana per oppida carmen.

vbi patet, Oppidum pro vrbe poſitum; nam immediatè ante Cæſarem Romæ degentem per apoſtrophem alloquitur ſic.

Hæc Decios, Marios, magnoſq; Camillos,
Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæſar,
Qui nunc extremis Aſiæ iam victor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.

Oppidum itaque locus eſt, mœnibus concluſus, in quem homines habitationis cauſa conueniunt; quod cum & vrbibus conueniat; hic certè Oppida pro vrbibus Siculis ponuntur, quæ tunc temporis ingenti terræmotu concuſſa dicuntur. Quidquid dicant, qui, nomine oppidorum, minores tantùm munitiones venire contendunt, vulgò *Caſtelli*.

PRONA VERTI. Quid nomen *pronus* ſignificet, vidimus in Præfatione ad hunc lib. Carm. 20. videas locum ibi, aduertens tamen non ſumi hic *Pronus* in ſenſu, importante, de connotato, voluntariam quamdam inclinationem, ſed ſumi in latiori ſignificatione, prout ſcilicet præſcindere poteſt, & à voluntaria, & à coacta inclinatione; nam coactam hanc ſubindè oſtendit, per verbum *verti*, quod hic poſitum pro *euerti* certum eſt, & ponitur eodem pacto, ac, ſupra, *Mugire*, & confligere. *Euerti* autem eſt *funditus euelli, ac diruí*. Vbi nota Poetæ congruentiam; nam, de turribus agens, eas confligere tantùm, non decidere, dixit; nam, cum validioribus ſubſtructionibus conſtent turres, validioribus etiam reſiſtunt concuſſionibus. at vbi de inferioribus ædificijs, ciuitatem conſtituentibus agendum fuit, ea ſubrui indicat: vbi enim fortiora vix non decidunt, imbecilliora, ſi eodem impetu, vel etiam minori quatiantur, ruere procul dubio compellentur. Neque Hyperbolicum hoc videatur: nam ſi ſolitos terræmotuum effectus perpendamus, ac ſubinde meminerimus, inſolitum hic, atque tartarea cribratum vi, terræmotum deſcribi, citra hyperbolicam aſſertionem hæc affirmari potuiſſe facile comperiemus; atq; ad ſummum terrorem exprimendum ſumma certè ſemper in promptu eſſe debent: ideò *& oppida verti*.

VIBRATIS RADICIbVS. *Vibratis* à vibro eſt particip. præter. temp. paſs. *Vibrare* autem, hoc loco, eſt *vi in altum impellere, ac de loco eijcere*. *Radix* verò propriè pars ima plantæ eſt, quæ ſub terram deſcendit in profundum, & qua plantæ humorem ex terris attrahunt, quo vegetentur. Verum quia etiam fundamenta ædificiorum, altiùs defoſſâ, latent, ſub terrâ, per translationem, & ipſa radicum nomine deſignantur.

CAVSA LATET. Secutus eſt Auctorem noſtrum Vidas citatus, qui, poſt exaratam ſupra deſcriptionem, ſubdit & ipſe

Cauſa latet, Cunctis magnum, ac mirabile viſum &c.

Sed quomodò cauſam latuiſſe aſſerat Poeta hic, cum lib. pri. obnoxiam terræmotibus Siciliam dixerit, & cauſam etiam, quaſi omnibus notam, attigerit, eam in Ætnæos ignes refundens, ſeù in Enceladum, onus detrectare connitentem? Ex hoc ipſo reſponſum adeſt; nam vtcumq. exiſtimare potuerint mortales, terræmotum illum ex ſolita Ætnæ commotione originem traxiſſe, decipiebantur tamen, atq; adeò quo magis, ſe cauſam noſce, putabant; eo magis cauſa latebat. Inſuper non inſoliti quidem erant ea in Inſula terræmotus; ſed inſolitum tamen erat, eos tam acri, tàmq; præcipiti concuſſione vrgeri; atq; ideò cauſa huius extraordinariæ conuulſionis non poterat in aſſuetos Ætnæi impetus mores refundi. Et hinc *cauſa latet*; quia rectè omnia perpendentibus innoteſcere non poterat, vnde nam tam altè tunc temporis Sicilia quateretur. Sed in alio etiam veriſſimo ſenſu cauſam latuiſſe dictitat Vates, de quo mox infra. Igitur cauſa idem eſt, ac fons, origo, & principium à quo, inſuetus adeò, motus proficiſceretur, & hæc ignota perſcrutantibus remanebat ex dictis; nam cauſa illa eſſe dicitur, vnde aliquid, & vnde tàm vehemens haberetur concuſſio, neſciebatur. Ideò latet. Porrò *latêre* in duplici ſignificatione vſurpatum reperio, nempè ita vt primo idem ſit, ac *clam deliteſcere, & in occulto eſſe*: ſecundò vt idem ſit, ac ignorari, nam quæ in abdito ſunt, certè ignorentur, neceſſe eſt, vtramq; ſignificationem amplexum fuiſſe hic video Poetam; nam primò quidem cauſam aperit, dum, eam clam deliteſcere, & in occulto dictitat eſſe: eſt enim hoc dicere, terræmotum illum originem habuiſſe ab aduentante Plutone, qui cum nondum in lucem emerſiſſet, ſed adhuc montis inter latebras detineretur, iure adhùc latuiſſe dicitur: & ideò *Cauſa latet*, nempè Pluto talis cauſa concuſſionis: & hinc ignoratur cauſa (vt ſecundum iam ſenſum adeſſe monſtremus) quia, cum in occulto ſit, & aliundè inexcogitabile fuerit, Plutonem tantùm auſum tentare nefas; iure ignota excogitantibus cauſa remanebat. Sic vtroq; modo *cauſa latet*, nempe & in ſe conſiderata, & reſpectu cognitionis, quæ circa illam extrinſecè verſari potuiſſet.

DVBIOS AGNOVIT SOLA TVMVLTVS &c. Ex hoc conſequenti enucleandum nobis porrigit Vates id, quod anteceſſerit; nempè erectas quidem omnium Virginum, Nympharum videlicet, Dearumq; mentes, tàm vehementi, ac inſolito motu extitiſſe; nec parum hæſiſſe animis, in inquirendâ, tam repentinæ, ac inſolitæ cauſâ concuſſionis; ſed cum neſcirent, illam ingruentis portenti rationem peruestigarent, quam quæ ab aſſuetis Ætnæ furoribus peteretur, ideòq; quam longiſſimè aberrarent à vero; *cauſa*, ait, *latet*: & *ſola Deus Paphie agnouit*. Vbi nota quam adamuſſim ſe naturæ moribus accommodet Vates, egregius eorumdem imitator; certè enim naturale eſt, vt, quotieſcumque

que aliquid repentinum, inopinatum, ac præter expectationem, ita accidit, vt aurem feriat, ſtatim & animus, & caput erigatur, atque, attonitis ſimiles, illicò, quid hoc ſit, quærimus: quare nil mirum, ſi hoc ipſum Nymphæ, Deæq; ſinorem exercuerint, inſolitis perculſæ prodigijs; ſed quantumuis, de cauſa recogitent; illa latet, ob rationes iam ſupra traditas. Sequitur & quo ad hoc Auctorem noſtrum Vidas cit., licet à via Auctoris deflectat; innuens & ipſe cauſam latuiſſe, vt ſupra, & omnes quidem latuiſſe: ſed tamen cuiuſque mentem conſciam ſibi criminis fuiſſe, ita vt cauſam moralem dignoſcerent, ſi non phyſicam; dum hæc ſubdit:

. . . . . . Sceleris mens conſcia cuiq; eſt.

SOLA. Adiectiuum exponibile hoc eſſe dicerent Summuliſtæ; nam per ipſos idem eſt dicere *ſola Dea &c.* ac dicere *Dea agnouit*, & *nulla alia præter Deam agnouit &c.*, & quidem cum *ſola* idem ſonet, ac incomitata, nempè ſine ſocijs, ſine teſtibus &c. in eo, in quo dicitur *ſola*, certe expoſitio nominis reijci nullo modo poteſt. Sed quarè ea ſola agnouit? Diua Paphi Venus eſt, vt latiùs patebit inferius; illa autem ſola, vt vidimus libri huius initio conſcia eorum erat quæ futura eſſent: nam ibi

Prima dolo gaudens, & tanti conſcia furti
Iit Venus, & raptus meditur corde futuros,

Soli Veneri arcana patefecerat Iupiter lib. pri.

Curarum ſecreta tibi Cytherea fatebor,

immò ſoli Veneri demandata fuerat cura Proſerpinæ per fraudem, decipiendæ, ac raptori exponendæ lib. item pri.

. . . . . . Fines inuade Sicanos
Et Cereris prolem patulis illudere campis &c.
Coge tuis armata dolis &c.

Cum itaque Venus, quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahent ex participatione arcanorum Iouis, agnouerit, nil mirum, ſi & ſtatim tumultus deprehenderit.

DIVA PAPHI. *Diua* idem, ac *Dea* eſt; nam Diuus à diuinitate dicitur, ſiuè potiùs ab ipſo Deo; veteres enim *Diuum* dixerunt, quem nos *Deum*; & à *Deo* factus eſt *Diuus*, ac *Diua*. Quod ſi, prout in rigore eſt, velis, *Diuam* importare diuinitatem participatam, talis adhùc erit Veneris diuinitas, quippè illi à Ioue genitore participata, ex quo etiam factum, vt Venus inferior Ioue ipſo cenſeatur, & diuinitate, & potentia, & maieſtate; ideòq; ſæpiùs, apud Virg., orans ad conſpectum genitoris inducitur, vt, compreſſa Iunonis licentia, propitiùs tandem Teucris adſit. *Diua* autem *Paphi* antonomaſticè Venus appellatur, nam Veneris cultum, quem Aſſyrij primum inſtituiſſe dicuntur, apud Parrhaſ., Paphij in Cypro imitati ſunt, ac Phœnices, qui Aſcalonem in Paleſtina tenuerint; à Phœnicibus autem Cytherij edocti eadem ſacra ſuſceperunt: ex quo Paphia, Venus, & Cytheræa dicta. *Paphi* itaque nomine duæ, olim inclitæ, nunc exciſæ, vrbes in ora Cypri collocatæ deſignabantur, Vetus ſcilicet, & noua Paphos, in qua celeberrimum Veneris templum extitiſſe plures referunt Auctores; atque ideò etiam Virg. Æn. pri. hanc illi adſtruit ſedem, vbi ait

Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſq; reuiſit
Læta ſuas, vbi templum illi, centumq; Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſq; recentibus halant.

AGNOVIT DVBIOS TVMVLTVS. *Agnoſcere*, vt notant exactiores verborum interpretes, propriè eſt *id noſcere, quod nobis olim aut viſum fuerit, aut alia quauis ratione præcognitum*: ex cuius verbi proprietate, ſatis, quæ ſupra diximus, ad mentem Vatis eſſe comprobantur. Quid pariter ſit *tumultus*, nempè *timor multus*, vidimus lib. pri. Carm. 148. hic ponitur pro iam dicta turrium, oppidorumq; concuſſione, ex qua timor multus incutiebatur. Epitetum autem *dubios* duplicem habet reſpectum, alterum ad res ipſas, quæ eueniebant, alterum ad eos, qui res ipſas, attonitis animis perpendebant. Per primam relationem *dubij* dicuntur tumultus in eo ſenſo, quo diximus *dubias* vrbes lib. pri. Carm. 158. Per ſecundam verò relationem *dubios* dicitur tumultus, per metonym. hoc eſt *facientes dubios*, & incertos animos peruestigantium, quid tandem afferrent portenti tot rerum nouationes: & *dubios*, in ipſa cauſa, dicitur *tumultus*, quia incertum eſſet cernentibus effectum, quænam cauſa illius eſſet, dum cauſa lateret, vt iam dictum.

ET GAVDET. Ex prædicta Veneris cognitione, quid conſequens ſit, patefacturus Poeta, per copulam *&*, antecedenti conſequens ſubnectit, nempe ex cognitione pullulans gaudium. Quid autem ſit *Gaudere* vidimus, initio huius lib. Carm. 11. Tantum hic nota, deprauati animi eſſe, etiam in excidijs orbem totum inuoluentibus, lætari, dummodò ad votum conferant, quod gaudens ipſe conceperat, implendum. Quarè, peruerſi mores ingenij imitatus Vates, Venerem communi excidio gaudentem inducit.

MIXTO METV PERTERRITA. Gaudet profectò Venus, ſed more maculatæ conſcientiæ gaudet, quæ, quantumuis in riſum, gaudens, effundatur, ſardonicum ſemper riſum deguſtat. Ideò *gaudet* Venus, quia Proſerpinæ illi raptus iucundus aderat, cum eius dilataturus eſſet imperium; ſed *gaudet mixto metu*, quia Plutonis aduentum ſine horrore expectare non poterat; quod profectò proprium eſt Proditorum, ac dolosè agentium, ipſa ſceleris conſcientia ſtimulante. Vide quam Religioſus morum imitator, in omnibus, adſtet Vates. Porrò Metus quid ſit, abunde vidimus in Præfatione ad lib. primum Carm. 10. Pariter quid ſignificet nomen *mixtus* habes lib. pri. Carm. 132. Modum igitur, per ſextum modi caſum, explicat Vates, quem tenuerit Veneris gaudium; illud ſcilicet tale gaudium fuiſſe indicans, vt non ſine amaritudine eſſet, quippè animi perturbationibus agitatum, felle timoris infectum ita, vt non ſatis diſtinxeris, num gaudium, an metus, quo permiſcebatur, ad prædominium præualuerit. Ideò *gaudet, mixto metu, perterrita*. *Perterreo*, vnde partic. paſſ. *perterrita*, eſt *vehementer terreo*, ſeù *terrore compleo*. Quo videtur oſtendere Vates, terrorem Veneri iniectum, gaudio, quod conceperat, exæquatum, ita vt ſicuti valdè gaudebat de raptu, ita valde exhorreſceret ob raptoris aduentum imminens. Ex hoc efformandum nobis à fortiori argumentum reliquit Vates, quo de aſſeclarum Virginum conſternatione dignoſcamus; nam ſi adeò pauet Venus conſcia furti, dolo gaudens, & non ſibi has minas intendi ſatis liquido intelligens; Quid omnium, quæ agerentur ignaræ, ſibiq; ſingillatim metuentes?

IAMQVE PER ANFRACTVS &c. Deſcriptis antecedentibus, quæ ſcilicet Plutonis aduentui præludia efformarunt; iter iam ipſum Plutonis ſubterraneum, per hyppotipoſim, deſcribit, ab adiunctis deſumptam, vt non ſine amplificatione decurrat.

IAMQVE. Particula *que*, pro *&*, copulatiua quidem hic eſt antecedentium cum re ipſa, quam antecedebant; ſed emphatica eſt: ſenſus enim incluſus eſt huiuſmodi: Et mirum non eſt, ſi tot terrores præceſſerint, quia iam maximus aduentabat de ſub terris terror. Sic Vates aditum præparat ad terrorum cauſam enarrandam. Ideò *iamq;* Aduerb. verò temporis *iam* indicat, hoc loco, celeritatem qua Pluto iter vorauerit, ne dicam arripuerit, & proſecutus ſit; nam hoc aduerb. ſumitur ſæpè vt aduerb. moras damnantis, & ideò exprimit hic aptè affectum, ſeù auiditatem, qua Pluto iter ingreſſus, moras damnans, lentam videbatur ſibi ipſi effingere, vel ipſam velocitatem, ne dum præcipitem equorum ſuorum pernicitatem.

RECTOR ANIMARVM. Antonomaſticè Pluto deſignatur. Quarè autem ille *Rector* dicatur, hoc eſt moderator, & Arbiter (nam Rector à regendo dicitur) Animarum, & pariter quid Animæ ſint, ne repeti hic optes; nam ſatis ſuperq; hæc omnia explicuimus lib. pri. Carm. 58. & 62. Videas, quæ ibi dix., dum nos ad vlteriora properamus.

QVÆREBAT ITER. Non reperitur, inquit Donatus, niſi quod quæritur; nec quæritur, niſi quod præſtò non ſit. Ex hoc habes, quænam ſit vis, & intelligentia huius verbi *quæro*, quod quidem maximè, hoc loco, congruit rei, de qua agitur; agitur enim de ſuſcepta à Plutone ad ſuperos via: cum autem terra corpus ſit vndequaq; ſolidum, niſi in quantum cauitates, anfractuſq; habeat, hinc, inde, patentes; immò ne patentes quidem, cum & vndequaque ſuperimpoſito circumambientis terræ pondere obuallentur, & tot ambagibus in ſe recurrentes mirificè confundantur; certè imperuium redditur corpus illud, nullas habens, in ſuis viſceribus, patentes ad hanc auram vias: & ſi quæ, iuxta fabularum inuentores, adeſſent vt Trinacriæ fauces, Amſancti valles &c., tot illæ ambagibus implexæ ſunt, vt faciliùs fuerit ex Cretenſi labyrintho exitum inuenire, quam ex inferis ad ſuperos tramitem, ſine Ariadnæ filo, non errare. Ideò Poeta, vt huius difficultates itineris immenſas ferè denotaret, ait, Plutoni ipſi opus fuiſſe, vt *quæreret iter*, hoc eſt ſcrutaretur qua per tot ambages progrediendum eſſet tandem, & ſibi. *Quærebat iter*, nam *iter* idem ſæpiùs, ac *via* eſt. Sed & alium Poetæ ſenſum, liceat, in his verbis latentem aperire. *Iter* ſæpè ſumitur pro ipſa profectione, ſeù actu ipſo in via progrediendi: & *Quæro* interdum pro *acquiro* vſurpatur: vulgò *acquiſtare, auuanzarſi*. Quo poſito;

poſito: *quærebat iter* Pluto; hoc eſt iam in itinere proficiebat: vulgò *s'auuanzaua nel viaggio*, ita vt iam Enceladum premeret in Ætneis viſceribus conſtitutus. Poſtremum hunc ſenſum directè intentum arbitror à Poeta, vt ex contextu patet; primum verò indirectè, licet data occaſione non neglexerit.

SVB TERRIS. Locum notat, per quem iter Plutoni habendum eſſet, vt ex hac ipſa notatione difficultatem percipias progrediendi, & quam anxiè promouere motum, in huiuſmodi itinere debuerit. Locus itaque dicitur fuiſſe *ſub terris*, hoc eſt ſub ſolido illo corpore, quod iam ſupra innuimus, dum videlicet ab illius centro, in quo Regia Plutonis conſtituitur, iter moliretur ad ſuperos erupturus. Quo in loco certè & denſitas ipſa terrarum oppoſita, & anfractuum implexio, & tenebrarum addenſatio difficultates augebant progrediendi. *Sub terris* autem, non *ſub terra*, dixit; ideſt ſub pluribus terræ partibus itineri obſiſtentes, nam ſi *ſub terra* dixiſſet, anſam dediſſet addubitandi, num eſſet ſub totum terræ corpus, ea ſcilicet in parte, quæ ex diametro opponitur emiſphærio noſtro, & communi nobiſcum cælo fruitur; cum itaque *terræ* in numero multitudinis, propriè ſignificent varias terræ partes varijs nominibus deſignatas, ideò *ſub terris* dixit, vt has partes intelligeres.

PER ANFRACTVS OPACOS. *Anfractus* propriè ſunt obliqui, & in ſe recurrentes viarum flexus: & ſi addas, eo magis anfractus dici, quo magis vndique anguſtijs obſidentur, & coarctantur huiuſmodi viarum tortuoſitates, certè non erraueris: *Anfractus* enim ab *Am*, & *fractus* componitur, quaſi *ambitus fractus*; eo, quod non ſolum recta via crebris paſſim Meandris, vt dicebamus, intercidatur; ſed etiam frangatur anguſtijs, qui per anfractus procedere conetur. *Opacos* autem dixit; quia *opacum* eſt, quidquid vmbris obtenebrante, quidquid tenebris obſidentibus cæcum redditur ex hoc vides adauctas, vt diximus, deſcripti itineris difficultates, nam difficilè eſt *ſub terris meare*; difficiliùs *per anfractus*; difficillimè, *ſi tenebris ingruentibus* anfractuum circumuolutiones operiantur. Et nota, quam exactè, ex gradatione in verbis, ſententiarum Vates extollat gradationem. Quod ſi impoſſibilè videatur, vt viator ſe tot viarum difficultatibus expediat, memineris, vmbratum Regem eſſe, qui vias huiuſmodi accelerat emetiri, &, ſuperabiles ab illo, vltrò fateberis, cum Regnum ipſe nouerit ſuum.

ET CALCABAT. Subintellige particulam ſuprapoſitam, ideſt, *& iam calcabat*, & videbis quam rectè explicuerim verbum *Quærebat*, ita vt eſſet, & in ſenſu perueſtigandi, & in ſenſu acquirendi, ideſt promouendi itineris, intelligendum; cum Vates, per huiuſmodi itineris quæſitionem, iam ad Ætnei montis viſcera Plutonem deduxerit: *Et calcabat iam Enceladum &c*. Qui enim calcat, certè calcato ſuperior eſt: cum autem viderimus lib. pri. Enceladum ſub Ætnæ radicibus collocatum, dum Pluto calcare Enceladum dicitur, certè conſequens eſt, vt in viſceribus iam Montis eſſet Pluto; Ideò calcabat. *Calcare* enim eſt *pede aliquid comprimere*; Pluto autem non ſuis vtique, ſed equorum ſuorum pedibus, cum veheretur curru, Enceladum premebat, cui conſequenti ex neceſſe correſpondet antecedens, ex quo ipſum ſequitur conſequens, nempè Plutonem ſupra ipſum Enceladi corpus extitiſſe, hoc eſt in viſceribus montis.

GRAVIBVS EQVIS. Dupliciter conſiderari poteſt facta hæc ab equis Plutonicis Enceladi compreſſio; ita ſcilicet, vt, vel conſideretur, vt mediata; vel vt immediata: ſi de hac poſtrema loquamur, certè equi, pedibus tantùm, infixis, Enceladum premebant: quare in hoc ſenſu dicendum eſſet totum pro parte poſitum fuiſſe per Synecd. Si verò de prima ſermo ſit, qua ſcilicet, mediante pedum baſe, tota equorum moles incumbat oppreſſo, propria erit locutio, & in hoc ſenſu locutum arbitror Poetam, vt vtramq; compreſſionem vno attingeret verbo. Sicq; etiam in duplici ſignificatione vſurpatum non ambigo adiectiuum *Grauibus*. *Graue* enim dicitur, quod ponderoſum eſt, ac ſuaptè naturâ deorſum tendit; ſed quia omne ponderoſum moleſtia afficit humeros, quibus innititur, factum eſt etiam vt *graue*, per tranſlationem, pro eodem ſumatur, ac *moleſtum*. Graues itaque ſecundùm ſe dicuntur Plutonis equi, quia cum magnæ molis ſint, & à proprio centro recedentes in altum properent, eo magis ponderant, quo magis ad ſuperos accedunt, nam quo magis à centro res graues diſtant, & ſeiunguntur, eo magis grauitant, quod in cauſa eſt, vt nos adeò proprio pondere fatigemur, in aſcenſu montis, quia ſcilicet per ſingulos paſſus magis, ac magis à centro remouemur contra naturam grauium, quæ etiam ideò natura grauitatem intendit magis, vt ad centrum regredi conetur fortiùs. Sed dices: Si Plutonis equi non niſi dæmones eſſe queant, quomodò ponderoſi eſſe poſſint, cum Dæmones puri ſpiritus ſint, quorum propria eſt leuitas, non grauitas? Reſpondeo tamen, à fabularum inuentoribus veros, ac materiales equos attributos fuiſſe Plutoni, nec indecorum Poetæ eſſe, ſi iuxta poeticas fabulas loquatur. Si verò quo ad rei veritatem loquamur, dixerim, hoc loco, Vatem graues Plutonis equos dictitaſſe non quo ad eſſentiam, ſed quo ad effectum, reſpiciens ad ea, quæ à Dæmone experiuntur, qui malum Dæmonem noctu incubantem perferre coguntur; nam videntur ſibi ipſis ingrauoſo adeò premi pondere, vt vix ſpiritum valeant attrahere. Ideò *grauibus equis*. Sed vlteriùs *grauibus*. hoc eſt *moleſtis*, *infeſtiſq;* reſpectu Enceladi eorum pedibus proculcati. Quid enim illi moleſtius accidere potuit, quam talibus equis ſubijci? Quinam verò fuerint Plutonis equi late diximus lib. pri. Carm. pri., & in calce eiuſdem lib. primi, vbi & nomina recenſentur equorum. Locum adeas: & dignoſces, quam graues, ideſt moleſti Encelado eſſe potuerint.

ENCELADVM GEMENTEM. Quis fuerit Enceladus, & quomodo ſub Ætnæa iaceat mole, vidimus lib. pri. vbi Ætnæ ipſius deſcriptio explicabatur. Hunc *gementem* memorat Vates à *Gemo*, quod eſt *præ dolore, atq; animi anguſtia in querulum ſonum erumpo*, & iure quidem ingemiſcere dicitur Enceladus, quippè *grauibus calcatus equis* præter intolerabile illud, quo premebatur, totius montis pondus; & vt inferius dicetur *Sicaniam cum Dite ferens*.

ROTÆ FINDVNT &c. Ab effectibus, quos in ſe recipiens patitur Enceladus, cauſam cur gemeret amplificat. Ideò *rotæ findunt*. Curru vectum Plutonem iam diximus: quarè quænam hæ ſint rotæ ſatis in comperto eſt. *Findere* autem idem eſt, ac *ſcindere*, *& diuidere*: ex quo rotarum tormenta in memoriam rediguntur. Et forſan reſpexit ad impietatem Romanæ Tulliæ, quæ per iacentis exangue corpus genitoris carpentum crudeliter egit.

IMMANIA MEMBRA. *Immania*, ideſt vaſtiſſimæ molis; nam *immane* in hoc etiam ſenſu vſurpatum vidimus lib. pri. Carm. 80., & quid membra ſint ſatis iam per ſe notum.

ET GIGAS. Emphaticam hic agnoſcas locutionem; nam ſenſus eſt: Et quamuis ſit Gigas, robuſtiſſimarum ſcilicet virium, tamen laborat &c. De gigantibus plura diximus lib. pri. Carm. 153. Ideò prætergredior.

FERENS SICANIAM CVM DITE. Cauſam affert, & cumulatiuam cauſarum, ex quibus gemitum Enceladi proceſſiſſe dicebamus, & originariam laboris, de quo mox infra. Porrò fero hic, à quo partic. *ferens*, idem eſt, ac *ferendo patior*; nam *ferre* dicitur, qui impoſitum portat onus; & onus pati dicitur, qui moleſtiam oneris grauem exceperit; quod vtrumq; cum de Encelado verificetur, ſic vnico complexus eſt verbo Vates *ferens* Sicaniam cum Dite. *Sicania* Sicilia ipſa eſt, vt vidimus lib. pri. Carm. 220., & hoc eodem lib. Carm. 122. dicitur autem Enceladum Sicaniam ferre, quia ſub Ætnæa mole iacens cum vmbilicum Siciliæ ſuſtineat, totum Siciliæ corpus ſuſtinere videtur; nam qui centrum rei alicuius ſuſtinet, certè & quidquid illi centro adhæret, eodem ſuſtinet actum. *Cum Dite* maximum profectò inditur additamentum, cum Inſulæ ponderi Tartarorum pondus accedat. De Dite autem plura lib. pri. ſub initium egimus, videat locum curioſus.

PRESSA CERVICE. Ablatiuus cauſæ eſt reſpectu laboris, ac gemitus augendi, licet effectum importet, reſpectu ponderis opprimentis. Preſſum à *premo* deriuatur, premi autem *conculcari* eſt, ſeù ex vi impoſiti ponderis terræ affigi, ita vt dimoueri non poſſit, qui ſic prematur; ideò *Preſſa Ceruice*. Quid ſit Ceruix vide lib. pri. Carm. 156. vnum noto, quod nempè, licet huſuſq; textum de ſolo, & iure, explicuerim Encelado, cum verè de eodem verificari poſſit, & membra findi rotis, & ceruice preſſa laborare &c. vt explicuimus; arbitrari tamen quis poſſet veriorem Poetæ ſenſum eſſe, vt ad Geminum Gigantem reſpiciat, atque vtrumq; attingat hic, nempè Enceladum, cuius totum corpus Ætna grauatum vidimus & Typhæum, quem ſecundùm caput Ætnæ ſubijci voluere, vt lib. pri. Carm. cit. adnotauimus; ita vt particula & Gigas Antonomaſticè ponatur ad Typhæum maioris, immò maximæ molis gigantem exprimendum, quaſi ſolus dignus, ob vaſtitatem corporis, qui Gigantum Gigas appelletur. Motiuum deſumi poteſt ad hanc ſententiam aſſerendam ab illis particulis *preſſa*

cer-

ceruice. Dixerat enim Vates totum oppreſſum, & concul-catum Enceladum, illis verbis: *Enceladum calcabat equis.* Quid igitur hic repetat eundem quo ad ceruicem oppreſ-ſum, cum ſemel totum innuerit calcatum? Inſuper Ty-phæum toto inſulæ premi pondere, non Enceladum ferunt fabulæ, licet ſolum eius caput Ætnâ grauetur, vt vidimus loco cit. lib. primi; quarè Enceladus non poteſt verè dici *Sicaniam cum Dite ferens*; igitur Vates ad duplicem hic fa-bulam reſpexit, & geminum gigantem Tartareo preſſum pondere ſignificauit; ita vt per copulam *&*, cum *& Gigas* dixit, Encelado Typhæum copulauerit, cuius *prægrauat Ætna caput*. Verùm à prima noſtra huius textus explica-tione, quidquid alij dixerint, ne lato quidem vngue, di-ſceſſerim: nam, quo ad repetitionem eiuſdem, ſpectata verborum ſignificatione, facilis eſt ſolutio, nam inſinuato omnium membrorum dolore, ac totius corporis preſſura, per particulas illas *Enceladum calcabat equis*, & *immania findens membra rota*, ne caput immune cenſeretur, reliquo afflicto corpore addere nominatim voluit preſſuram capi-tis, vt eodem etiam tempore, vbi intenſior viguerit dolor, oſtenderet: ſicque, diſtributis partibus, intenſionem dolo-ris per gradationem aſſequi ſtuduit. Quam falſum autem ſit, quod non potuerit Enceladus dici *Sicaniam cum Dite ferens*, patet ex iam dictis ſupra. Sed inſuper, ne ſecundæ explicationi acquieſcam, exigit textus ipſe; nam ſubdit: *& feſſis ſerpentibus impedit axem*. Gigantes autem anguineos habuiſſe crines, nunquam, quod meminerim legi: ſicuti an-guinea illis fuiſſe crura, omnes, vno ore, fatentur. Aſt Ty-phæus ſolum caput, non crura, ſub Ætna habuit, vt ex dictis, ergò ſerpentibus impedire axem, qui in ventre mon-tis lateret, non potuit. Sed benè id potuit Enceladus, quippè totus ſubiacens monti; quarè & de eo ſolo totus intelligendus eſt textus, & ipſe idem eſt, de quo à Vate dicitur *Et preſſa Gigas ceruice*

LABORAT. *Laborare* idem interdum eſt, ac *fatigari*, vulgò *ſtancarſi*; ſed & ſæpiùs ſumitur pro *Angi*, & *affligi*, vulgò *affannarſi*; & in hoc præcipuè ſenſu vſurpatum hic arbitror à Poeta. *Præcipuè* dixi, nam nec primum reſpuit ſenſum, vt ex contextu patet, ſed vtrumq; amplectitur: nam tanto impar oneri Gigas contranitebatur ſe ſe oneri ſubtra-cturus, licet incaſſum, ex quo & defatigatio emergit, & afflictio: ideò *Laborat*.

TENTATQVE MOVERI DEBILIS. Particula *que* pro *&* non eſt hoc loco ſimpliciter copulatiua, ſed eſt etiam explicatiua, oſtendens ſcilicet, quo pacto laboraret Gigas, & angeretur. *Debilis* nomen eſt compoſitum ex *de*, & *ha-bilis*, quaſi *parum habilis*, *inualidus*, & *imbecillis*. Ideò autem debilis dicitur Enceladus, quia & pondere Ætnæo fatigatus, & Dite ſuperincumbente eneruatus langueſcere cogebatur; ſed tamen *Tentat moueri*. *Tentare* eſt *conari, vt experiamur, num aliquid ad votum ſuccedere poſſit*. Ideò *tentat*, hoc eſt *conatur moueri*, nempè *reluctare*, *vt pondus diuelleret*, *& detrimentis exoneretur*. Vbi perpende, quam latè amplificet Vates immenſam Ditis ponderoſitatem, quæ fixum adeò Gigantem detineat, vt quamuis totis viribus reluctet, ne moueri quidem poſſit, vel vix ſe ipſum excute-re: Gigantem inquam illum, qui ſub Ætna facilè adeò ſe in vtrumque volueret latus, & totam motus ſuo Siciliam tre-mere cogeret, vt lib. pri.

ET FESSIS SERPENTIBVS &c. Cum voti compos fieri non poſſet, ita vt oneri ſubtraheretur, ad minorandum ſaltem damnum conuerſus effingitur; atque ideò ſeriem attentatuum, ſecundùm præcedentia, & conſequentia, per copulam *&* connectit Vates, ac ſexto inſtrumenti ſimul, & modi addito caſu nouum hunc exprimit conatum. Ideò *feſſis ſerpentibus*, quibus ſcilicet Gigantis crura conſtabant, ac vipereo more contorquebantur, vt ſupra dix., ſed ijs *feſſis* hoc eſt fatigatis, & perpeſſione iam languidis, conſe-quenter & ipſis ad remorandum inualidis.

IMPEDIT AXEM. *Implicat* legit Parrhaſ. ſed in idem recidit; nam *impedire* hoc loco non ſumitur abſolutè, ſed reſpectiuè, hoc eſt *quantum in ſe eſt impedire*. Quod idem eſt ac dicere: tentat impedire implicando; anguibus enim, flexibilibus, ac tortuoſis, in ſpiras vtiq; contortis innecte-bat quidem axem Gigas, & detinere conabatur; ſed fruſtra, quia feſſis nitebatur ſerpentibus, remorari ſcilicet axem non valentibus. Porrò axis quid ſit vid. lib. pri. Carm. 116. hic pro toto ponitur curru, pars ſcilicet pro toto per Synecdoch., & reſpexit ad ſerpentium naturam, qui ſtatim ac ſe calcari ſentiunt, eriguntur, ac contum quo ab aggre-diente premuntur ſpiris ſuis terribiliter innectunt.

FVMIDA SVLPHVREO &c. Ex his conſtat, verbum *impedire* non vſurpatum abſolutè, ſed reſpectiuè, vt dixi-mus; nam, niſu Gigantis non obſtante.

ORBITA FVMIDA PRÆLABITVR. Orbita pro rota ponitur, iuxta dicta lib. pri. Carm. 188., & vna pro pluri-bus, per Synecd. vſurpatur, vt patet. *Fumida* autem dici-tur, hoc eſt *fumo infecta*, & *fumum ſpirans*; quod iure pro-fectò attribuitur rotæ tartareis ſemper ignibus addictæ. *Prælabi* verò eſt *ante*, ſeù *vltra labi*, vulgò *traſcorrere*; in quo ſenſu, vſurpatum hoc verbum nouimus ab ipſo Poeta-rum Principe Georg. 3. vbi ait

Aut Alphæa rotis prælabi flumina Piſæ,
Et lenes in Lucos currus agitare volantes.

DORSO SVLPHVREO. *Dorſum* tota poſterior cor-poris pars eſt, à collo vſq; ad os ſacrum extenſa, quam an-tiqui *Deſſum* dicebant; & de Gigantis Dorſo certè loquitur Vates congruenter ad iam dicta. Quia verò, lib. pri., in Ætnæ deſcriptione expoſuerat Enceladum ſulphur aſſiduè ſpirantem, dum de eo inquit

Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur;

aptè hic & eius dorſum eiuſdem indicat qualitatis; nam *ſulphureum* dicitur, quod ex ſulphure eſt, vel ſulphuris na-turam refert. Cur autem ex ſulphure compactum dicatur Enceladi corpus, vide locum mox cit. lib. pri., nam ibi de hoc fusè diſſeruimus. Vnum noto, quod ſcilicet, quamuis hæc particula ſextus caſus exiſtimari poſſit, quo efferatur talis Plutonis motus per locum, qui tamen nondum recedat à loco, per quem præterlabitur, vt moris eſt apud Gram-maticos, nedum apud Poetas; Ego tamen exiſtimauerim potiùs, datiuum damni eſſe, cuilibet verbo commune. Sed obijcies: quid igitur conaretur Enceladus, vt currum detineret, cum detrectare onus nequiret? Nonne hoc fuerat perenne ſibi ipſi ſtatuere tormentum? Verum eſt; ſed cum non poſſet onus reijcere, optabile ſaltem fuerat, ne onus ipſum moueretur, ne fracturam vlteriùs protenderet mem-brorum, dum rota finderet membra, vt vidimus.

AC VELVT OCCVLTVS &c. A ſimili, præfatum iam Plutonis iter illuſtrat, vt exactiùs adhùc ſub oculis ponat. Similitudinem ſuam ab arte militari deſumit Vates: nam interdum milites arcem, quam vi expugnare, nequaquam ſe poſſe, animaduerterunt, effoſſis ſub terram cuniculis, pene-trant; &, quaſi Cadmæa meſſis è ſolo erumpat, priùs ſe ho-ſtes ſentiunt occupatos, quam, ad repellendos è terra emergentes, arma valeant induere. Hincque factum, vt in prouerb. adierit: (*cuniculis oppugnare*) quoties dolo, & fraude aliquid peragi contigerit. Primò itaque dolo, ac fraude circumuentam occupare Proſerpinam Pluto aggre-diebatur; nam

Fraude Dionæa riguos Proſerpina ſaltus. Petijt &c.

& raptor ipſe ni latitaſſet, fruſtra forſan opus inſumpſiſſet; ſibi enim certè conſuluiſſet Proſerpina, ſi raptorem aduen-tantem agnouiſſet. Ideò per cuniculum Raptor dicitur tranſmeare. Secundò verè ſubterraneum erat Plutonis iter, nec poterat, quin tale eſſet, cum ab Inferis ad ſuperos per-geret; Regnum enim Inferorum, alta terra, & caligine merſum vidimus lib. pri.; Quarè, ex neceſſe, inſidiatori per cuniculos in prædam irruenti aſſimilatur, & difficulta-tes per cuniculum oppoſitas ſuperanti.

AC. Coniunctio hæc copulatiua eſt, quæ & ſubſequens Plutonis iter cum antecedenti coniungit, & aſſimilatum cum ſimili connectit.

VELVT. Aduerb. ſimilitudinis iſtud eſt, idem ſonans, ac *quemadmodum*, aptiſſimum vtiq; ad ſimilia comparanda; præcipuè ſi à pari ducatur comparatio, vt hic.

MILES. A militando *miles* dicitur quicumq; militiam ſequitur. Vnum hic poni pro pluribus in comperto eſt, cum Auctor ipſe ſubdat: *Turbaq; deceptas &c.* Non quem-cumque tamen militem hic poſitum pro pluribus noueris, ſed cunicularioruum ductorem, quem reliqui ſequantur: nam certè cuniculi non ampli adeò fiunt, vt plures ſimul, turma-tim, procedere per ipſos poſſint: ſed arctiori tramite du-cuntur, ne terra effoſſa decidat, & obruat: quarè interdum vix ſinguli procedere poſſunt ſubeuntes; ideò in ſingulari *Miles*.

OCCVLTVS. Abditus videlicet, abſconditus; nempè ſubterraneis clauſus cuniculis, vt occultum lateat: nam idem eſt occultus, ac occultum latens.

PRODIT. Non à *Prodo*; ſed à *Prodeo Prodit* inflectitur, quod verbum eſt compoſitum ex *Pro*, & *eo*, & idem ſigni-ficat, ac progredior; quaſi *Porrò eo*, ſeù *vltra eo*. Ex quo vides, quam exactè ſibi ipſi correſpondeat Vates, vt paral-

lelam

lelam habere ſimilitudinem, quoad fieri poſſit. Supra de Plutone dixerat: *Prælabitur orbita &c.* hic de Militibus tunc te per cuniculos: *occultus prodit &c.* vtrobiq; enim verba poſita ſignificant, quod vulgò *[illegible]*. Nec placet Parrhaſ. qui *prodire*, inquit, hoc eſt *[illegible] emergere*; nam adhuc conſiderat militem occultum, & in cuniculis latentem, progredientemq́; cuius vero improuiſam emerſionem inferius deſcribit, vt videbimus. Alij legunt *Pergit in hoſtem*, ſed in idem recidit, vt videtur.

IN HOSTEM SECVRVM. Præpoſitio in idem hoc loco eſt, ac *aduerſus*, vt ex contextu patet. Hoſtis verò quis dicatur, & quam propriè hic vſurpetur nomen hoſtis, habebis ex præfatione ad hunc lib. Carm. 40. Pariter, quid ſignificet nomen ſecurus, habes lib. pri. Carm. 167. hic *ſecurum* dixit, hoc eſt *nil tale metuentem*, aut ſuſpicantem.

ET EFFOSSI SVBTER &c. Per coniunctionem copulatiuam *Et* difficultati itineris, per cuniculum peragendi, aliam connectit difficultatem, ad eas ſcilicet oppoſitiones ſpectantem, quæ progredienti interdum impedimento eſſe poſſunt, nempe oppoſitos arcis muros terebrandos &c.

SVBTER. Præpoſitio eſt locum denotans inferiorem, ſicuti è contra *ſuper* locum indicat ſuperiorem. Hic locum ſub terra effoſſum ſignat, vt ex ſequentibus patet.

FVNDAMINA. *Fundamen* pro fundamento vſurpatur *fundamentum* autem, ideſt, ſuper quo quid fundatur, vt conſiſtat, & firmetur immobile: at verò quia terra ædificiorum omnium ſolida baſis, & fundamentum eſt, eam fundaminis hic nomine deſignat Vates. vel dicas poſitum *fundamen* pro *fundo*; nam *fundus* dicitur quæuis poſſeſſio ruſtica, ex eo, quod omnia fundet ad vitam neceſſaria, vel ex eo quod fundamentum ſit rei familiaris; & hoc tandem, ſi bene perpendatur, cum ſuperiori coincidet explicatione, & ideo ſubdit

CAMPI EFFOSSI. Quaſi terra ſub campo poſita, & in eum depreſſa intelligenda ſit, vt vera eſt, fundamentum campi ſuperius extenſi, ideò ſubter fundamina, quia ſub hac depreſſiori terra cuniculus agitur. Campus itaque eſt ampla terræ planities; ex eius mentione iam vt [illegible] nuari hic à Poeta locum cuniculis aptum, immò aptiſſimum, cuiuſmodi certè planities eſt, quæ faciliùs ſemper terebratur, quam montium radices, nam, in his, ſæpè foſſoribus obſtat ſaxorum, ac rupium impenetrabilis oppoſitio. Effodio autem, à quo particip. paſſ. *effoſſus*, idem eſt, ac *excauo*, *fodiendo eruo*, & *foueam facio*: Quarè effoſſi idem erit, ac *excauati*, atq; *in fouea*[illegible] *conformati*, quæ in longum deducta cuniculum efformet; ex quo vides habitam hic exactam cuniculi deſcriptionem.

TRANSILIT MVROS ELVSOS. Sic enim legendum arbitror cum Heinſio, & vulgatis omnibus potiùs, quam cum Parrhaſ. *incluſos*. Fateor Parrhaſ. lectionem clariùs exprimere difficultatem muri terebrandi, in ipſo cuniculo, dum muros, ſeù murorum fundamenta in illo obijci progredientibus inſinuat. Sed in idem tandem recidet Epitetum eluſos; quarè vulgatam ſequor, & explico.

TRANSILIT. Verbum eſt iſtud compoſitum ex *Trans*, & *Salio*, quod eſt *ſaltu vltra progredior*. Emphaticam autem habet vim exprimendi anxiam quamdam motus celeritatem, quæ mente aptiùs concipi, quam verbis exprimi poſſit; qui enim per cuniculos ad prædam, ac victoriam fertur, impatienti quadam celeritate accelerat ita, vt, momento temporis, ſi fieri poſſit, confectum iter exoptet.

MVROS ELVSOS. *Murus* à muniendo dictus propriè eſt *lapideus vrbis ambitus*; cum è contra *paries* propriè dicantur *domorum clauſtra*. *Eludo* autem, à quo particip. *Eluſos*, idem eſt, ac *derideo*, vulgò *eſſer ſchernito*; iure enim *eludi* Mœnia dicuntur, dum, iis non obſtantibus per ſubterraneum iter, quod vel ſubtus fundamenta, dilabatur, vel per fundamentorum terebrationem tranſiliat, in arcem euadimus. Hoc ſecundum videtur innuiſſe Parrhaſ., vt dicebamus, dum legit incluſos, nam ſi muri reperiantur in cuniculo tranſuerſaliter incluſi, certe terebrandi ſunt, vt tranſiliamus. Noſtra autem lectio ad vtrumq; reſpicit modum, quo Mœnia eludi potuerint.

ARCANO LIMITE. *Limes* propriè loquendo, *ſemita tranſuerſa* eſt; & ideò limite eludi muros, innuit; quia tranſuerſam per murum ſemitam ducit cuniculus, vt viam in vrbem aperiat, vel terebratione adhibita, vt dicebamus, vel murum fallens, dum ſubtus fundamina tranſuersè fertur in arcem. Et dicitur *Limes arcanus*, quia abſconditus, & occultus ſub terra effoſſus latet cuniculus; Arcanus enim ab Arca dicitur, quaſi arca abſconditus, licet abſolute pro quomodocumque [illegible] vſurpetur, vt hic. Heinſius autem Arcanos limites conſtruere didicerunt milites imitati [illegible] ab animali, quod cuniculum appellant, vulgò *[illegible]*; nam & huiuſmodi animal per quam longiſſimos tractus terræ [illegible], ac terebrant, è domibus, vbi degit [illegible], incluſum effugit cuniculis ſortitum eſt occultos iſte limes militum.

ET TVRBA VICTRIX. Copulat iam per coniunctionem [illegible] effectum cum ſua cauſa, nam ex quibus effectus, hoc muros eludunt cauſæ ſunt, in communi modo loquendi, vt vrbe potiatur [illegible]. Vel dicas, finem quem vidimus ſemper in executione [illegible], licet primus in intentione, connecti cum his [illegible] expoſitis, quæ fuerunt præuia in executione, ſi enim cuniculus ad illos, & muros terebrandos fuere media, ad hoc vt miles in arcem erumpat. Vel dixeris conſequentia cum antecedentibus coniungi. Porrò nomen *turba* duplicem habet ſignificationem, nam & multitudinem dicit, & ex [illegible] perturbatione m illatam, nam turba à turbando dicitur; [illegible] itaque cuniculorum milites, erumpentes è cuniculo in hoſtilem arcem, eam maximis compleant perturbationibus, aptiſſime huiuſmodi milites *turbæ* nomine deſignantur; & *turba victrix*; nam victrix à vincendo dicitur: & victrix profectò dici poteſt, quæ armato milite hoſtilem iam complet vrbem. quamuis enim reſiſtere adhuc aliquandiù poſſint hoſtes, ſi in turmas cogant; quid tandem faciant vallo, ac mœnibus deſtituti, vbi cuncta ferro, ac flammis expoſita remanent; & cuncta fœmineis eiulatibus, profligatam patriam conclamantibus, complentur? Porrò in morte ij fuent victi, non in victoriam. Sed eſto, bellum integrare, valeant hoſtes, & cuniculos, emerſos, iterum deturbare, [illegible] reijcere: adhuc victrix dicetur turba illa per cuniculum ingreſſa; nam victrix ſæpe ſonat, ac *voti compos facta*, vt patet ex Virg. Æn. 7., vbi de Alecto, quæ Iunoni, arma ſe vndiq; in Troianos concitaturam promiſerat non ſolum, ſed & iam promiſſis ſteterat, hæc habet

[illegible] en tibi per campos æquo dum marte geruntur,
Promiſſis Dea facta potens, vbi ſanguine bellum
Imbuit, & primæ commiſit funera pugnæ,
Deſerit Heſperiam, & cæli conuerſa per auras
Iunonem victrix affatur voce ſuperba.

Certè Alecto nullam ex hoſte victoriam retulerat, cum nec hoſtem habuiſſet; ſed tantum concitans in arma Heſperiam non minùs quam Troades, promiſſis ſteterat & ideò victrix, hoc eſt perfuncto munere voti compos dicitur. Vtramque ſignificationem amplexum arbitror Claudianum, vt, quomodocunque tandem res ceciderit, victricem potuiſſe dici turbam, non ignores.

IMITATA VIROS TERRIGENAS. *Vir* à virtute dicitur; & ſine virtute Bellatores eſſe non poſſunt; ideò armatos homines aptè *viros* appellat Vates; hoſq; *terrigenas* vocat, quod idem eſt, ac *natos ex terra*, ſeù *terrâ genitos*, vt per hanc notam differentialem apertè oſtendat ſe loqui hic, non de Titanorum turba, aut Gigantum, aliorumque, quos è terra natos referunt fabulæ; ſed de ijs terræ filijs, quos armatos, & ad bellum inſtructos è terræ gremio proſiluiſſe, fabuloſa Iaſonis, & Cadmi teſtatur Hiſtoria; & de Cadmeis quidem, ſulcis ſeminatis draconis, à Cadmo occiſi dentibus è terra armati emerſiſſe dicuntur. Ita cecinit Ouid. Metam. 3. fab. pri.

Spargit humo iuſſos, mortalia ſemina, dentes.
Inde (fide maius) gleba cæpere moueri:
Primaq; de ſulcis acies apparuit haſtæ:
Tegmina mox capitum picto nutantia cono,
Mox humeri, pectuſque, onerataq; brachia telis
Exiſtunt, creſcitq; ſeges clypeata virorum.

aſſerit autem Pherecydes partem tantùm iſtorum draconis dentium à Cadmo terræ commiſſam, alteram verò partem Aeetæ Colchorum Regi delatam, quæ poſtea à Iaſone ſeminata, iterum in armatam exiluit meſſem, vt memorat idem Ouid. Metam. 7. vbi ait

. . . . . Galea tum ſumit ahena
Vipereos dentes, & aratos ſpargit in agros.
Semina mollit humus valido prætincta veneno;
Et creſcunt, fiuntq; ſata noua corpora dentes &c.
Quodq; magis mirum eſt ſimul edita concutit arma.

Verum has ipſas fabulas voluerunt aliqui ex Græcis deductas, & efformatas fuiſſe ex ipſa Cunicularorum militum ex terris inſueta olim emerſione; cum enim nil antea ſimile vidiſſent homines; armatos è terra gigni dictitarunt. Quarè vides quam aptè dixerit Vates: Terrigenas imitata virorum

nam imitari eſt mores alterius induere, eoſdemq; referre: & terrigenas vocat etiam Ouid. armatos è terra emergentes, dum ait in Iaſonis fab. loco cit.

Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres.

& in Cadmo loco pariter cit. inquiens

Atq; ita terrigenis rigido de fratribus vnum
Cominus enſe ferit &c.

quarè & imitati terrigenas iure dicuntur Cunicularij milites è cuniculo in arcem emergentes.

ERVMPIT IN ARCES DECEPTAS. *Erumpere* eſt *cum impetu egredi*, quod proprium maximè eſt militis è cuniculo emergentis, ad victoriam inflammati, atq; omnia terrore complentis. *Arces* quænam ſint vidimus lib. pri. Carm. 153., & hoc eodem lib. carm. 19. ideò non repeto. *Deceptas* denique dixit à Verbo *decipio*, & idem eſt, ac *eluſas*, de quo ſupra, ſeu *deluſas*, quod idem eſt ac dolo, ac fraude expugnatas, captaſque.

Si autem ſubterraneæ viæ cuniculi ad inſtar fabrefactæ, non quidem ad perdendam, ſed ad tuendam ciuitatem exoptes deſcriptionem habes apud Poet. Hetruſc. Principem Hieroſ. lib. cantu 10. vbi ſic deſcribit.

Caua grotta s'apria nel duro ſaſſo
Di lunghiſſimi tempi auanti fatta:
Mà, diſuſando, hor ritoraua il paſſo
Fra trà e prune, e l'herbe, oue s'appiatta.
Sgombra il mago gl'intoppi, e curuo, e baſſo
Per l'anguſto ſentiero à gir s'addatta;
E l'vna man precede, e'l varco tenta,
L'altra per guida al Prencipe appreſenta.

Et inferiùs, quæ hic orſus fuerat proſequens ait:

Così diſs'egli: e'l Caualliero all'hotta
Co'l gran corpo ingombrò l'humil cauerna;
E per le vie, doue mai ſempre annotta,
Segue colui, ch'il ſuo camin gouerna:
Chini pria ſe n'andar; mà quella grotta
Più ſi dilata, quanto più s'interna;
Sì ch'aſceſer con agio, e reſta fuor
A mezzo quaſi di quell'antro oſcuro &c.

neque enim opus eſt, vt omnia hic exaremus, quæ curioſus ex ipſo fonte decerpere poſsit. Conſimilem habet Cycnus Crucis deſcriptionem lib. 5., vbi etiam inſuper Regiam Coſroæ vrbem, ab irrumpentibus per cuniculum ducibus Chriſtiani exercitus impletam turbationibus, ac terroribus, ac captam breui deſcribit ſic.

Ed ecco, onde partì l'inique ſtuolo,
Entrano i due guerrier nel varco oſcuro;
Van per lo vuoto viſcere del ſuolo, *
Rumoreggia sù'l dorſo il ferro duro:
E ben sì par, ch'il ferro uà, mà ſolo
Fà l'vno, e l'altro il gran valor ſicuro.
Daboi, vicino alla ſegreta Porta,
Colui fà'l ſegno, ond'è la guardia accorta.
Mà l'vſcier, che diſſerra, in tanto accorto
Di chi foco venia ſi reſta eſſangue,
Qual peſcator, che trahe la rete, e ſcorto
V'habbia, in vece di peſce, horribil angue:
Giunge Batran lo ſtupefatto, e ſmorto;
E gli ſcuote dal cuor la vita, e'l ſangue:
Nè men Trifaci il falſo filo incide
Dell'empia vita, e'l traditore vccide.
Duols'egli in darno, e grida à lui: d'hauerti
Quì tratto, ohimè, la mia mercede è queſta?
Ei ei: ei ben; che non ſon altri i merti
D'huom che tradiſce; e'l ſen co'l piè gli peſta.
Paſſano i Caualier d'armi coperti
Doue la guardia alla gran porta è deſta,
Alla gran porta, ond'è racchiuſo il muro,
Che fà dell'Aſia il Regnator ſicuro.
L'armi incognite à lor, l'armi ſoſpette,
L'armi nemiche hà già ſcoperte, e grida:
E chiama, ò Perſian, più non s'aſpette:
Quì quì dentro alle porte è gente infida.
La gran copia à quel dir nulla riſtette;
Mà ſcagliosſi frà lor fiera homicida.
La guardia in tanto, impaurita, e ſmorta
Parte fugge tremante, e parte è morta.
Apre le porte, e ſopra l'alto muro
Faccola vincitrice erge Batrano &c.

Vides, quæ Auctor noſter, quaſi nota, prætteriens vnico vix innuit verbo, a Bracciolino amplificata; nam habes ſubterraneum Cuniculum: *Ed ecco onde partì &c.* habes quanta animi generoſitate pollere debeant cunicularij: *E ben sì par &c.* habes quomodo iidem progrediantur, & prodeant in hoſtem ſecurum: *Paſſano i Caualier &c.* habes quomodò perturbatione omnia compleat: *L'armi incognite à lor &c.* & habes denique quomodò turba victrix iure dicatur manus è cuniculo egreſſa: *Faccola vincitrice &c.* ſed nos ad intermiſſam Claudianici textus explicationem redeamus.

* Subtus fundamenta terræ.

SIC TERTIVS HÆRES &c. Propoſitâ ſimilitudine, ad eiuſdem deuenit applicationem, per particulam aſſimilatiuam *ſic*, de qua dix. ſupra Carm. 98. Et pari paſſu oſtendit Plutonem per ſubterraneum iter ad ſuperos progredi.

TERTIVS HÆRES SATVRNI. Antonomaſia eſt Plutonem deſignans, qui cur *tertius hæres Saturni* dicatur, habes lib. pri. Carm. 100. vbi etiam plura de Saturno, ſicut & alibi ſparſim: Ideò prætereuehor. Sic itaque Pluto per ſubterraneos terræ anfractus, ſubter fundamina effoſſæ Ætnæ occultus prodit, non in hoſtem (cum in coniugem optatam irrueret) ſed quaſi in hoſtem, quia Prædator hoſtiliter ſemper agere cenſetur: & tranſilit eluſum Enceladum retinere conantem, vt diximus; ac tandem prodit in Arcem, hoc eſt in ſuperiora montis viſcera, nam & montes Arces dici conſueuerunt, vt loco cit. iam vidimus: quarè adamuſſim quadrat ſimilitudo.

RIMATVR. Duplicem huius verbi ſignificationem agnoſco; nam primo pro eodem ſumitur *rimari*, ac diligentiſſima aliquid perquiſitione ſcrutari, & peruestigare; quaſi rimulas qualcumq; perquirat, qui ita peruestigat: ſic aues cibum quærentes omnes terræ, rimulos perſcrutantur, vt ait Virg. Georg. pri. vbi ingruentis ſigna referens tempeſtatis, ait

Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri
Certatim largos humeris infundere rores &c.

ſecundò ſumitur *rimari* pro eodem, ac *findere*, ita vt rimari ſit quaſi *in rimas agere*, vt apud eundem Virg. Georg. 3.

Ergo ægrè raſtris terram rimantur, & ipſis
Vnguibus infodiunt fruges &c.

Vtramque autem ſignificationem, vnico hoc comprehenſam verbo, in noſtro hoc textu, Intueor: primam quidem, quia, cum iam dixerit Plutonem quærere iter; per ſubterraneos anfractus, tenebris vtiq; refertos, varijsq; quaſi meandris inflexos, interſectoſque, certè diligentiſſima perquiſitione opus fuerat, ne, ipſo in itinere, à tramite, quem ſecuturus erat, aberraret: ideo *rimatur*, nempè rimas omnes anfractuum accuratiſſimè peruestigat, vt tutiorem ſcilicet, ac breuiorem eligat viam: ſecundam verò ſignificationem, quia, cum Plutonem cunicularijs aſsimilet militibus, quorum proprium eſt, non ſolum per iam apertum ſe inſinuare cuniculum; ſed etiam, quia opus fuerit excauare cuniculum ipſum, ac terram findere obſiſtentem; ſic etiam debuit Pluto, vbi terræ anfractus deficerent, vel anguſtarentur, ſibi ipſi viam aperire, atq; vt aperiret, terram ſcindere, vt & factum ab ipſo videbimus inferius ad Carm. *Ianua nulla patet &c.* Ideò *rimatur*.

TENEBROSA DEVIA. Alij cum Heinſio legunt: *latebroſa deuia*; nec lectionem improbo; nam certè quidquid latebras habet, in quibus quis lateat, *latebroſum* dicitur: & vidimus Plutonem in his ſubterraneis anfractibus latentem, cum de eo dixerit ſupra *cauſa latet*. Verùm, quia quidquid in tenebris eſt, latere dicitur, arbitror in idem recidere vulgatam, quæ habet *tenebroſa Deuia*, vt patet conſideranti. In tenebris autem fuerit ſubterraneum iter, certè neceſſe eſt, vt per ſe patet. Deuium verò dicitur, quidquid à rectitudine deflectit: cum itaque viderimus loca quæ Pluto peragrauerit, Meandri in morem inflexa, ideò *Deuia* appellauit adiectiuo vſus ſubſtantiuato.

VAGIS HABENIS. Notatur modus, quo iter vaganti ſimilis peregerit Pluto; *vagus* enim dicitur, qui hùc, illùcq; oberrat incertus, & inſtabilis: quod ſequitur neceſſariò, poſita tortuoſitate viæ tot, vt ſupra vidimus, ambagibus implexæ per quam Pluto incederet, & qua cogebatur hùc, illùcque diuertere, atq; in caput iterum ſæpe Meandri more contorqueri. *Vagis* autem *habenis* inquit, vt ex habenis equos, & currum, quibus vehebatur intelligas. Quarè Metalepſis hic adeſt, qua ex habenis ad equos, ab equis ad currum, à curru ad Aurigam, nempè Plutonem equorum moderatorem intelligentia procedat. Sunt enim habenæ retinacula, & lora illa, quibus ab Auriga reguntur equi, & cohibentur, prout vſus poſtulat.

CVPIENS EXIRE &c. Cauſam notat, quæ impelle-

retur Pluto ad tam diligentem itineris perueſtigationem; eamq; in deſiderium effundit emergendi ad prædam; nam deſiderij ſtimulis cor anxium ſemper redditur, donec voti compos fiat, qui deſideret. Ideò *cupiens* à cupio, quod eſt *deſiderio vrgeor, cupiditate ardeo*. Cum igitur qui vehementi detinetur cupiditate, *ardore deſiderio* dicatur, certè deſiderium, & cupiditas igni aſsimilantur ardenti: & cum nil mobile magis eſſe conſtet, quam flamma, aptè huic flammæ attribuitur, tamquam cauſæ, effectus inſtabilis, ac vagi Plutonis, qui ideò *vagis habenis* loca ſub terris deuia, ac tenebroſa timari dictus fuerat *cupiens exire*. Exeo autem verbum compoſitum ab *ex*, & *eo* idem ſonat, ac *exirareo*. Incluſus enim ſubterraneis clauſtris ex illis ſe expedire cupiebat Pluto, vt euaderet tandem.

SVB ORBEM FRATERNVM. Omnis motus localis eſt à termino à quo, ad terminum ad quem. Plutonici motus terminum, à quo ſe expedire cuperet, & properaret, iam prænotauimus: hic notatur terminus, ad quem exiens peruenire cupiebat, & moliebatur, nempè *ſub fraternum orbem*. Vbi nota, per particulam *ſub*, exprimi, hoc loco, *vicinitatem ad orbem fraternum*, ſeù locum ſub aperto aſpectu fraterni orbis collocatum. Pro intelligentia, noueris, Plutonem, Iouem, vel Deum terreſtrem fuiſſe nominatum, eo, quod in partitione Regni, de qua loco cit. libri primi iam egimus, cum ei ſors apud Inferos regnandi contigerit, illi etiam totius terreni globi obtigerit imperium: ideòq; & ſemina, & frugum vbertatem in poteſtate Plutonis eſſe teſtabatur Lacheſis lib. pri.: & Euripides in Phœniſsis, cuius græca Carm. ſic transfert Myth. Nat. Com. lib. 2. cap. 9.

Cum iuſta ſoluis mortuis viuus, decet
Deum ſimul terreſtrem honore proſequi.

quoadusq; igitur Pluto in terris degit, *Orbem*, ideſt Imperium Iouis fratris non ingreditur (ſpectata interpretatione, quam Pluto Pomeria Imperij ſui ampliaturus adhiberet non ſatis explicatæ Lacheſis ſententiæ) ſed confinia proprij peragrat Imperij, quæ confinia ſub ipſum fratris orbem adſtant, ideſt iuxta orbem fratris, eidemq; vicina, ac contigua, cum illis immediatè adhæreat Cælum aereum, ac ſubinde tota ſphærarum, cui Iupiter inſidet moles. Cum itaque ad calcandam terræ ſuperficiem properaret Pluto, non dicitur cupiens *ire in orbem*; ſed *ſub orbem*, ideſt iuxta orbem, & in conſpectu orbis fraterni. Quid autem ſit *orbis* ſæpè vidimus alibi: hic pro toto ponitur Iouis Imperio, tot ſphæris videlicet compacto, quot à terra ad ſummum vſq; Cælum enumerant Aſtronomi, nempe ſphærà aeris circa terram immediatè conſtitutà, ac ſphærà ignis ſupra aerem, ad quas ſequitur Cælum Lunæ, ſubinde Cælum Mercurij, tertio Cælum Veneris, quarto Cælum Solis, quinto Cælum Martis, ſexto Cælum Iouis, ſeptimo Cælum Saturni, octauo denique Cælum ſtellatum, iuxta Ariſtotelici ſiſtematis conſtitutionem. Licet autem hi omnes Cæli diuerſa ſortiantur nomina, iuxta diuerſitatem Planetarum, qui in ijs locum habent, omnes tamen vni Deorum Regi, Ioui videlicet ſubduntur; ideò omnes ſub nomine fraterni orbis hìc veniunt. Fraternum autem dicitur quidquid fratris eſt, vel ad fratrem ſpectat, & certè Plutonis fratrem fuiſſe Iouem vidimus loco cit. lib. primi. Quare, præciſis ſuperfluis ad ſenſum moralem extrahendum iam propero, nam arcana hic latent profectò non temnenda.

Si ſciret Pater familias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non ſineret, perfodi domum ſuam, inquit 24. Matthæus: atque, Euangeliſtæ textum explicans, Hilarius Epiſc., Furem, inquit, eſſe oſtendit Zabulon, ad detrahenda ex nobis ſpolia peruigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem, vt ea, incurioſis nobis, & ſomno deditis, conſiliorum ſuorum, atq. illecebrarum iaculis perfodiat. Duplicem à præcitata Euangelica tuba aduentum prænonſtratum animaduerto: alterum Furis inſidiantis, ac domum perfodientis; alterum Domini Dei noſtri ad iudicium properantis: primum attigit citatis verbis: ſecundum explicat, dum mox ſubdit: Eſtote parati, quia, qua neſcitis hora, Dominus veſter venturus eſt. Quæ licet dicta de vniuerſalis iudicij die, non dubitem, tamen & de particularis cuiuſcumque iudicij die, quo ſcilicet vnaquæq; anima redditura eſt rationem villicationis ſuæ, iam mortis falce ab vnito corpore ſeparanda, eſſe etiam intelligenda non ambigo: tunc enim Dominus poſiturus rationem cum ſeruis ſuis adueniet; & Tartareus aderit inſidiator, animam ſibi obnoxiam rapturus. Sed quando hæc erunt? Non eſt noſtrum noſce tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Qua hora non putamus: incurioſis nobis, ac ſomno deditis, vt ait Hilarius. Sed, ne videamur è SS. PP., atq; euangelicis ſolummodò doctrinis, omiſſo Poetæ textu, regulam perficiendorum morum aſſumere, textum iam ipſum perpendamus: & agnoſcemus, ab Auctore noſtro, quamquam gentili, pijſsima tamen ſcribere aſſueto, Sanctorum Patrum auctoritatibus, atq; euangelicæ veritati, quas conſultò præmiſimus, inhærente acerbiſsimum iudicij diem, adamuſsim, ſub Poeticis inuolucris, fuiſſe propoſitum, ac geminum, de quo dicebamus aduentum prænotari. Veniet Dominus itaque, ſicut fur in nocte; non quia fur eſſe poſsit, qui Dominus animæ eſt, ab ergaſtulo corporis eripiendæ; ſua enim repetit, non rapit aliena: ſed quia veniat, qua hora non putamus (quod fures aſſolent) incurioſiſque nobis, ac ſomno deditis. Iouem, Diuorum, hominumque Regem, ac Dominum, ex fabulis ſuppoſitum, in iudicium, ac damnationem Proſerpinæ aduentantem iam vidimus, cum latam ex præmiſsis demeritis ſententiam declarauit lib. pri., vbi, Venerem alloquens, inquit:

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi
Iamdudum decreta dari &c.

Decretum confirmantem videbimus inferiùs, cum, Pallade, ac Cynthia, ad Raptorem compeſcendum, irruentibus, librata iam in ictum Palladis haſta deſcribetur, quæ

Miſſaq; pene foret; ni Iupiter æthere ſummo
Pacificas rubro torſiſſet fulmine alas
Confiſſus &c.

hoc autem loco, inſidiantis Raptoris, ac verè furis aduentum, Animæ prædam abuecturi, iuxta euangelicas prorsùs deſcribit tubas. Proſerpinam eſſe, ſæpe diximus, Animam, mortuis tradendam Regnis: quarè hic etiam vicem Proſerpina gerit Animæ, mox vitali ex hoc orbe migraturæ. Fur, & raptor Pluto eſt, inſidias ſubterraneis è cuniculis ſtruens, vt domum perfodiat, atq; ad rapiendam, hoc pacto, Animam acceleret. Aſt quando accelerat? Cum incurioſa Proſerpina, ſalutis curâ ſuæ poſthabita, floribus inaniter legendis tempus terit, ſe ſeq; ignara coronat. Venit in nocte: nam licet Sol Oriens Cælum equis afflaret anhelis, tamen ferrea iam nox Proſerpinæ, nil minus cogitanti, ingruebat æterna. Inexpectatus venit; quia per cuniculos opacos ſub terris occultus; & ideò victor erumpit in arcem, ac præda potitur optata: quia imparatam inuenit Proſerpinam alia omnia meditantem, &

Talia Virgineo paſsim dum more geruntur.

Proh! inſanam prorſus Animæ dementiam! Hæc rationis lumine inſignita, intellectus acumine conſpicua, memoriæ erarijs ditata, hæc omnia ſibi euentura, ex euangelicis percipit tubis; & tamen, leuioribus detenta ſtudijs, fluxos mundanæ lætitiæ flores colligit, ſe ſeq; inſana coronat? Hæc, hæc, dum geruntur, imprudentum Virginum more, clamor fiet in nocte: *Ecce ſponſus venit*, non tam vt ſponſus, ſed vt Iudex, ac iuſtiſſimus repudiator, quia ſecum illa Oleum Sapientiæ, ac Charitatis, imprudens habere noluit. Ecce raptor venit Tartareus; ſed ſine clamore irrumpit, ad detrahendam ad inferos Proſerpinam vigilans. In præcipiti igitur inferorum verſaris limine, infœlix Proſerpina; & ludicris indulges; & Veneri adhæres: & floribus coronaris? Quæ te dementia cæpit! Expergiſcere tandem; &, dum, adhuc, vox tonitrui in rota eſt, monitis, quæ ex illa exprimuntur, acquieſce. Cardines, non priuatæ Domus, ſed ipſius Cæli, inſolito reſonantes fragore, audias tandem. Vt fugias, monent, à ventura ira. Flores proijce, Venerem fuge, illecebras mundani veris conculca, antequam, deſperata die, Dominus adueniat; antequam Raptori facultas diripiendi concedatur. Ne differas pœnitentiam in craſtinum, nam *pænitentia ſera rarò vera*. Bonus eſt Dominus, & præſtabilis ſuper malitiam: ſed caue, ne fiat fuga tua Hyeme, vel Sabbato; nam vitia quæ cum homine conſeneſcunt, rarò vtiq; ex corde deſeruntur. Fuge à Iudea ad montes, nempè à concilio impiorum ad culmina ſanctitatis: nec prætendas humanæ excuſationem conſuetudinis, dicens: humano paſſim hæc more geruntur: nam, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt; atq; hæc Virgineo paſſim dum more geruntur.

Ecce per anfractus animarum Raptor opacos
Irruit optatæ capturus gaudia Prædæ.
Diffugiunt Nymphæ: rapitur Proſerpina curru.

Sed ne diutius & nos, veritate alliciente, rapiamur, ventis data vela ſecundis contrahamus, nobis vigilandum, ne incautos opprimat hoſtis, innuiſſe contenti; iamq; nunc diſſonantes Cytharæ fides Italica, queat muſa ad modulationem aliquam deducere experiamur.

Di Vergini donzelle, al genio, all' *vſo*;
Che dell'età più verde i voti accende,
Mentre coſì dal vago ſtuol deluſo,
Per ogni parte, à ſodisfar s'attende;
Ecco d'alto fragor mugge confuſo
Suon, ch'aſſorda l'orecchio, e'l cuore offende:
Scoppia improuiſo in mille ſuoni vn ſuono:
Scuoteſi l'Etna, e ne vacilla al tuono.
Crollar le torri, e le marmoree cime
(Quaſi trà loro al battagliar ſoſpinte)
Vedi al cozzo piegar; ne ſi reprime
L'impeto, à gl'vrti; anzi, in tornar, reſpinte,
Forza maggiore al rio furor s'imprime.
Suelte dal fondo, al diroccarſi accinte,
Dell'intiere Città balzan le moli:
E del ſuolo, al terror, ſcuotonſi i Poli.
L'aſpra cagion de portentoſi effetti
D'alte tenebre in ſeno occulta giace:
Sol del cieco tumulto à i fieri oggetti
Qual s'apre il fonte; à qual furor ſoggiace
L'agitata Sicilia, in veri aſpetti,
Scorge la Dea di Paſo; anzi gli piace
Ciò, ch'al tutto è d'horror; mà, ſe ben gode,
Non và in tutto d'horror ſceura la frode.
E già ſotterra, ou'alle morte ſtrade
Raggio non giunge, ond'il ſquallor ſi ſgõbre,
Per le cupe di Notte erme contrade,
Affrettaua le ruote il Rè dell'ombre:
Ne, per chiuder il varco all'impietade,
Baſta, ch', à labirinti, il ſuol s'ingombre;
Che i confuſi Meandri, i ſtretti varchi
Rendonſi, à forza, à i poderoſi incarchi.
Già, ſotto à piè de ſuoi corſier, proſteſo,
Calpeſtato mirar, godea quel crudo,
D'Encelado infelice il corpo offeſo.
Langue il miſero, e geme; e non v'hà ſcudo,
Ch'il renda vn punto, al trangoſciar, diffeſo;
Ch'il rio Tiran, d'ogni pietade ignudo,
Più s'inoltra co'l cocchio; e le gran membra
Con la ruota fatal diuide, e ſmembra.
Dal graue pondo il gran Gigante oppreſſo,
Per ſottraherne il collo, in van s'affanna;
Che gl'è pur forza, hor più, che mai, depreſſo
Ceder languente alla violenza eſtranna:
Ch'oltre l'Iſola, hor quì, l'Inferno appreſſo
S'aggiunge, e'l preme; ed ei, qual fragil cãna,
Spezzate l'oſſa, à vani sforzi inteſo,
Ne può sfuggir; ne può ſoffrirne il peſo.
Scuoterſi pur, muouerſi almen, procura,
Per dar lieue riſtoro al fianco infermo;
Mà più s'inaſpra, all'affannoſa cura,
L'aſpro duol, cui non val forza, ne ſchermo:
Attorciglia le ſerpi; e non traſcura
Legar le ruote, onde s'arreſti, e fermo
Rimanga il nero cocchio; e pur pe'l dorſo
Vie più traſcore accelerato il corſo.
Come ſquadra guerriera occulta muoue,
Per ſecreto ſentier, furtiui i paſſi;
Poſcia ch'apprir le militari proue
Della terra nel ſen ciechi trapaſſi;
E, penetrando à fondamenti, e doue
Non giungan quelli à catenare i ſaſſi,
Cheta s'auuanza; e, nel ſchernito muro,
Porta gl'aſſalti à chi dorm[i]a ſicuro.
Com'anzi in grembo all'ingannata rocca
Quel vittorioſo ſtuol sbocca, e s'accampa,
Quaſi nato dal ſuol; (come la ſciocca
Gente ſi finſe;) e là nell'odio auuampa;
E tanto ſol frena lo ſtrale in cocca,
Quanto al ferir no'l ſuegli amica vampa:
Mà, ſe quella ſi vibri à ſquarciar l'ombra,
Di ſtrage, e di furor tutto s'ingombra.
Tal non men di Saturno il terzo herede,
Frà ſotterranei chioſtri ancor vagante,
Scuote le briglie in tenebroſa ſede;
E gl'aſcoſti ſentier traualca errante.
Poſto poi d'Etna entr'alle rocche il piede,
Trionfando calpeſta il fier gigante,
Del varco in traccia, ond'al predare vſcito
Sotto al fraterno ciel rida Cocito.

Sed dum exitum quæritat ipſe, exitum & nos tandem inuenıamus; & qua ipſe denique porta ruat, nos ex Auctore noſtro, Diopætra quæſo adhibita, perquiramus.

Ianua nulla patet. Prohibebãt vndiq; rupes
Oppoſitæ, duráq; Deum compagæ tenebant.
Non tulit ille moras; indignatuſque trabali
Saxa ferit ſceptro. Siculæ ſonuere cauernæ;
Turbatur Lipare; ſtupuit, fornace relicta,
Mulciber; & trepidus deiecit fulmina Cyclops.
Audijt & ſi quem glacies alpina coercet,
Et qui te, latis nondum præcinctę trophœis,
Tibri, natat; mæſtamq; Pado qui remigat Alnũ.
Sic cum Theſſaliam, ſcopulis incluſa, teneret,
Penẽo ſtagnante, palus, & merſa negaret
Arua coli, trifida Neptunus cuſpide montes
Impulit aduerſos. Tum forti ſaucius ictu
Diſſiluit gelido vertex Oſſæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractuque meatu,
Redduntur fluuijq; mari, telluſq; colonis.

IANVA NVLLA PATET &c. Expoſita, atq; per hypotipoſim amplificata, nec non, per locum ſimilitudinis exornata ſollicitudine, qua Pluto, per ſubterraneos anfractus, iter ageret, educendus tandem erat in lucem. Verum, vt cauſam, quam ſupra dixerat latentem, ingentis illius, quem deſcripſerat, terræmotus iam aperiat, clauſum vndequaq. obſeſſumque fuiſſe rupibus iter, oſtentat, ita vt nullus Plutoni pateret exitus, ac ſubindè, indignatum ideò, Plutonem memorat, qui, vt ſibi aditum, viribus, patefaciat, trabali ſceptro ſaxa ferit quatiens, ac dirumpens; atque, hinc data occaſione, ictus eiuſdem vehementiam, ſaxorumque, dum diſrumperentur, à conſequentibus effectis, fragores amplificat; eoſq; à ſimili mirabiliter exprimit, ſimilitudine à pari deſumpta; dum terræmotum hunc comparat cum terræmotu illo, quo, contractis olim, ac diſiectis Theſſaliæ montibus, a Neptuno effectum eſt, vt, eliminatis, quibus tota tegebatur, aquis Æmonia emergeret, atq; in admirabilem proſus, ac fertiliſſima exuberantem amænitate planitiem extenderetur, quæ, *Tempe*, ad hunc vſq; diem, nuncupata, nomen locis omnibus amænitate florentibus indixerit ſuum.
IANVA NVLLA PATET &c. Dixerat ſuperiùs, Plutonem tenebroſa illa Domia hùc, illucque diſcurrentem peragraſſe, vt tandem fraternum illi ſub orbem exire daretur. Hic oſtendit fruſtaneum fuiſſe hunc perueſtigandi aditus laborem, oſtendens montem vndequaq; viuis obuallatum parietibus, nulloſq; aditus aperientem. *Ianua nulla patet*. Primus ad interiora domus patens ingreſſus *Iana* dicitur à *Iano*, eo, quod huic Deo omne olim ſacraretur prin-

principium. Sicut itaque primus introeuntibus ingreſſus *Ianua* eſt, ſic eadem eſt exeuntibus egreſſus vltimus; nam cubiculorum, ac reliquarum domus partium aditus *Oſtia* potiùs, quam *Ianua* dicuntur: licet exacta hæc diſtinctio iam obſoleuerit, & promiſcuè pro eodem hæc nomina vſurpentur. Sic etiam, in rigore loquendo, *Ianua* diſtinguitur à *Porta*; quia *Ianua* domus eſt, vt diximus propriè; *Porta* verò munitionum, caſtrorumq; eſt. Cum itaque, dum in ſubterraneis adhùc degeret Pluto, ſuæ adhùc domi eſſe dici potuerit, cum Regis domus Regnum totum, per ampliationem, dicatur; eo modo, quo, de priuato quoque, dicimus, extra domum exiſſe ſuam, qui Patriâ exceſſit; aptè Ianuam dicitur non reperire, ideſt vltimum è Domo ſua egreſſum, qui iam Oſtia quamplurima pertranſiſſet, per anfractus procedens. Et *nulla* dicitur per particulam vniuerſalem negatiuam, quæ ad vnam omnes excludat, iuxta malignantem vniuerſalis negationis naturam. *Patere* autem idem eſt, ac *apertum eſſe*; quarè, dum dicitur *Ianua nulla patet*, ſatis declaratur, per deductionem à contrario, Montem vndequaq; clauſum fuiſſe; quarè ſequitur.

PROHIBEBANT VNDIQVE RVPES. Reddit enim rationem hìc, cur Ianuam nullam inuenerit patentem Pluto, atq; obices oſtendit, quibus clauſus Mons ipſe obſiſteret egreſſuro. *Rupes* quænam ſint, vidimus lib. pri. Carm. 148. *Vndiq;* aduerbium loci eſt, idem ſonans, ac ex omni circumquaq; parte, vt ſic indicet, Plutonem omnia interius per gyrum montis clauſtra luſtraſſe, ad egreſſum, ſi qua ex parte pateret, inquirendum. Sed dices, nonne aderat cacumen montis, vnde ignes eructantur, apertum? Verum quidem eſt. Sed memineris, Plutonem in inferiori montis radice conſtitutum, dum calcaſſe Enceladum dicitur, & breuiorem, non longiorem viam ab eodem inquiri, dum maximè accelerat, fraternum cupiens exire ſub orbem. Adde quod etiam ſupra caput Plutonis impendentes aderant rupes illæ, quas nondum omninò excuſſerat ignis, nondum montis ſinu profundè adeò excauato: quare iure: *prohibebant vndiq; rupes*. *Prohibere* verbum notiſſimæ ſignificationis eſt, ideò non immoror: *Impediebant ne exiret*.

ET TENEBANT DEVM &c. Per coniunctionem copulatiuam modum ſubnectit, quo rupes prohiberent, & conſequens explicat, nempè detentum hoc obice Plutonem, ne in campos irrumperet. *Tenere* enim pro eodem vſurpatur, ac *remorari*, vulgò *ritardare*, ſeu *trattenere*: ſic Virg. Æn. pri.

Hunc Phœniſſa tenet Dido, blandiſq; moratur
Vocibus: & vereor, quo ſe Iunonia vertant
Hoſpitia &c.

Iterum *tenere* pro eodem ſumitur, ac *coercere*, *includere*, *conſtringere*, *continere*, vulgò *ſerrare*, in quo ſenſu Virg. Georg. 2.

Tenenda ſpes etiam, & pecus omne tenendum eſt.

Vtrumq; amplectitur ſenſum Poeta, vnus enim ex alio neceſſario ſequitur, nempè ex eo, quod rupibus includatur, ſequitur vt iiſdem remoretur Pluto: ſed, quia ſunt effectus adeò connexi, vt ſimultanei iure dici poſſint, vno etiam verbo ab oculatiſſimo Poeta ſimul exprimuntur: *tenebant Deum*, nempè *Deum terreſtrem*, Plutonem ſcilicet de quo ſupra, quod emphaticè dictum, & quaſi indignanter agnoueris.

DVRA COMPAGE. *Durum* dicitur quidquid *ſolidum*, firmumq; eſt. Ex quo vides, quo ad hanc partem, cum vulgata coincidere eos, qui hic legunt: *Solidâq; Deum compage tenebant*. Certe vtrumq; nomen in eadem ſignificatione vſurpat Luc. lib. 9.

Sic ſolida Lybiæ compage, & pondere duro
Clauderet exeſis Auſtrum ſcopuloſa cauernis &c.

Sed maiorem profectò habet energiam vulgata noſtra, cum qua & Parthaſ. & Heinſius, & alij communiter legunt; nam *durum*, per translationem, appellatur quidquid, reſiſtendo, aſperum alteri, noxiumq; ac crudele ſit: cum itaq; rupium compages Plutoni obſiſtens, eius exeundi deſiderijs obſtaret, aſpera certè illi, noxia, ac crudelis eſſe videbatur, dum optatis eiuſdem gaudijs impedimento eſſet. Ideò *durâ*, inquit, *compage*, vt ad vtrumq; ſenſum, vnico, more ſuo, reſpiceret nomine. Compages verò quid ſit iam vidimus lib. pri. Carm. 115. Hic pro Ætneæ rupis continuata circumuallatione vſurpatur.

NON TVLIT ILLE MORAS &c. Mores Plutonis hic, per Ethopeiam egregiè imitatur, & ſequitur. Superbiſſimum fuiſſe Plutonem vidimus lib. pri. Carm. 92. Superbi autem proprium eſt nihil libenter ferre, quod ſibi, ad aliquid, impedimento eſſe videatur; nam, cum omnia ſibi eſſe debere præſumat obſequentia, qualibet, vel leui, obſtantis vmbrâ, nedum reali corpore offenditur, & excandeſcit; ac ſuum eſſe, arbitratur obſtacula omnia infringere, comminuere, ac conculcare. Sic itaq; Pluto, quas ſibi ſponte ceſſuras, ex debito, rebatur rupes, ſolâ ipſius aſpectus reuerentia permotas, cum cerneret obſiſtentes, diſrumpendas illicò, conterendas, ac proculcandas aggreditur, vt infernis viribus obſequi, proprijs ruinis, ediſcere cogerentur. Ideò *non tulit &c.* De coniunctione negatiua, atq; ex oppoſito diſcretiua *Non*, quæ hic ponitur, ſatis dix. lib. pri. Carm. 160. Verbum autem *fero*, à quo præter. *Tuli*, pro eodem, ac *Tolero* vſurpatum, nulli, arbitror, ignotum eſt. Sic Virg. Æn. 2., cum Priameiam Virginem à templo trahi captiuam, paſſiſq; crinibus, ac lumina erigentem in Cælum deſcripſiſſet, ſubdit

Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorœbus;
Et ſe ſe medium iniecit periturus in agmen.

atq; in eodem ſenſu vſurpatur à Poeta hic, vt ex textu patet. *Ille*, hoc eſt *ille Deus*, ſeu Pluto, de quo ſupra: ſed emphaticè poſitum agnoueris pronomen; ſenſus enim inclusus erit: Ille ſuperborum Deus: ille non aſſuetus repulſam pati, & detineri: Ille, cui innumerum vacui famulatur Auerni vulgus iners; cui ſtamina Parcarum laborant, cui debetur quidquid materias gignit &c. vt dictum lib. pri. vno verbo, ille cui cuncta parêre debeant terreſtria; ille non tulit, rebellantes voto rupes adſtaſſe; non *tulit moras*. Moræ enim propriè dicuntur, vel obſtacula remorantia, vel temporis dilationes, quibus ab aliqua re perficienda, ex vi oppoſiti impedimenti diſtrahimur; atq; vtramq; ſignificationem, vnico hoc nomine, amplectitur Vates.

INDIGNATVSQVE. Deo Indignum prorsùs fuerat, oppoſitis rupibus, circumacto quaſi carcere, Prædonis in morem, detineri: &, quia quod nobis indignum videtur, non poſſumus, quin grauiter, & cum ſthomaco feramus; ex quo facilè ſuccenditur iracundia; hinc eſt, vt Vates cum cauſis indignationis indignationem ipſam, quæ effectus earum fuerit, per coniunctionem connectat copulatiuam *que* pro *Et indignatus*. Indignor autem, à quo *indignatus*, idem eſt, ac *ſthomachor*, *grauiter fero*, atq; indignationem exardeo.

FERIT SAXA. Ira, ſi formaliter definiatur, *eſt appetitus vindictæ*: &, quia quotieſcumq; cauſa requiſitis adſtat munita diſpoſitionibus, ac debitè applicata, neceſſario ſtatim erumpit in effectum; ideò poſita irarum accenſione, in pectore Plutonis ſuccreſcente, cum Plutoni, nec voluntas, nec vires in vltionem erumpendi deeſſent, atq; in proximo eſſet vltionis capax obiectum, hinc eſt, vt Vates, poſita cauſa, vltionem ſubnectat: *Indignatus ferit*. Porrò *ferire* idem, ac *pulſare*, ſeu *percutere*, eſt, ſed tali percuſſione, qua vulnus vtiq: inſtigatur, quod eſt fractio, ac ſciſſio rei, quam vulneramus: quia igitur, Plutonis ictâ manu, ſaxa hiſcere, atq; in Ianuas aperiri, coacta fuere ot, vt inferius patebit; ideò *indignatus ferit ſaxa*. Inſuper, quia, dum irarum æſtu feruet pectus, ſine moderamine vllo, euibrantur in vltionem ictus, hinc eſt vt Poeta, ad indicandum, Plutonem ſummo impetu rupes percuſſiſſe, ac conſequenter vaſtis eas hiatibus diſſeciſſe, aptiſsimè ait: *Indignatus ferit ſaxa*, poſito genere pro ſpecie, nam ſaxa dicuntur duriores quædam, maiores, atq; aſperiores moles, quam quæ vulgo lapides dicuntur. Hic rupes notant, de quibus iam ſupra.

SCEPTRO TRABALI. Inſtrumentum notat, quo ad diſijciendas rupes vſus ſit Pluto, illudq; ſceptrum ipſum illius fuiſſe profitetur, de quo nos plura egimus lib. pri. Carm. 81, vbi quia, ſatis abundè quid fuerit, declarauimus, iam prætereo: nam quid ſit *trabale*, ſatis notum eſt, nempe quod inſtar trabis ingens, magnum, ac ponderoſum eſt. Vnum noto, ſceptro videlicet vſum, hoc eſt *poteſtate*; nam regiæ poteſtatis inſigne ſceptrum fuit; & hoc vſum ad indicandum, ſe, vt Dominatorem, agere, ac proprio vti iure, vt iam lib. pri. diſſeruimus. Inſuper noto, in more poſitum fuiſſe, apud antiquos, vt regium ſceptrum conſtruerent, ad formam illius ferri, quod Aratro deſeruit, vt notat Pier. lib. 48. Hieroglyph., vbi de Aratro; aratrum autem, ſeu aratri ferrum, non ſolum condendis vrbibus ſignum dedit; ſed etiam è contra, demolitionis vrbium hieroglyphicum fuit: ad quod reſpexit Horatianum illud apud Pier. cit.

Imprimeretq; muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Itaque cum de demoliendis Ætnæ rupibus ageretur, optimè indu-

inducitur Pluto, ad eam, ſceptro, peragendam, vt eodem contextu ſceptrum ipſum Plutonis, in demolitionem extructum inſinuaretur.

SICVLÆ SONVERE CAVERNÆ. Ab effectibus vehementiam illius amplificat ictus, quo A mœas Pluto impulit rupes: Et primo loco omnes totius Siciliæ cauitates Eccho reſonantes inducit; nam *Cauerna ſpecus* propriè, ſeù *antrum ſubterraneum* eſt: *ſicula* autem patrio nomine dicuntur, quæ frequentes in ipſa Sicilia cauernæ ſunt. Vide dicta lib. pri. Carm. 170. *Sonare* itaque idem eſt, ac *ſonum edere*; ſed hic pro eodem ſumitur, ac *ſonum reddere*, vulgò *Rechoggiar al ſuono*. Verùm quidem eſt, poſſe accipi etiam, pro *ſimpliciter ſonum edere*; ſi ſermo ſit de ipſa Ætnæi montis cauitate, quæ eiuſdem rupibus efformata, ac Plutonem coercens ſenſit immediatè indignantis ictum. Sed & minùs propria eſſet locutio; & dicendum eſſet poſitum fuiſſe incluſum pro includente: nam propriè ſonum non effeciſſent cauernæ, ſed rupes cauernas circumambientes; immò nec ſolæ rupes, ſed etiam ſceptrum illud trabale, rupes feriens ipſas, immò & aer ipſe interceptus inter ſceptrum pulſans, ac rupes ipſas pulſatas, quod vt melius innoteſcat, aduerte, tria ſemper corpora ad edendum ſonum concurrere efficienter, duo nempe ad ſe inuicem ordinem habentia, vt ait Ariſtot. in ſubiecta materia tex. 78., quæ ſcilicet ſe habeant, vt verberans, & verberatum, vel etiam ſe mutuo verberantia: & inſuper, cum ſonus ex percuſſione fiat, & percuſſio non fiat certè niſi per motum, requiritur medium, nempè aer interceptus, qui ſcilicet alliditur, & reſilit: quarè duo motus locales, in ſono edendo, conueniunt; alter corporum ſe inuicem collidentium, alter verò aeris intercepti, ac, dum alliditur, reſilientis. Ne tamen putes aliquem iſtorum motuum eſſe formaliter ipſum ſonum: nam ſonus formaliter acceptus eſt qualitas quædam tertia ex his duobus motibus reſultans, & ſuperaddita; vt nos fuſe docuimus in Animaſticis. Quod ſi aliquando Ariſtot. videtur *ſonum* definire per *motum*, definit tunc ſonum, definitione cauſali, non formali; ſicuti Ecclypſis Lunæ, quæ formaliter eſt *deffectus luminis in Luna*, ſi definiatur cauſaliter dicitur eſſe *interpoſitio terræ inter Solem, & Lunam*: quia ſcilicet illa interpoſitio cauſa eſt illius deffectus luminis in Luna. His autem poſitis; certè ab eo editur ſonus, à quo efficitur, ſed efficitur à tribus iam dictis corporibus, ergò ab iiſdem, non ab alijs editur ſonus. At ſic eſt, quod ſceptrum Plutonis fuit corpus percutiens, rupes percuſſum, & aer inter vtrumque interceptus ab iiſdem reſiliit: ergò ſequitur, quod hæc ipſa ſonum ediderint: non cauernæ, quæ tantum ſonum reddere potuerint, Eccho interueniente. Quomodo autem à cauernis reddatur ſonus; ſeu, quod idem eſt, quomodò fiat Eccho, iam accipe. Sonus à ſonante emiſſus, atq; in aere receptus propagatur per ſpecies intentionales ab ipſo ſono emiſſas, ac longiùs per aerem ſic defertur; neque enim veriſimile arbitror, quod aliqui dicunt, nempè vocem, vel ſonum ipſum realem, à loquente, vel ſonante, productum, tanto impetu reſilire, vt, quaſi emiſſa ab arcu ſagitta, quod dicebat Auicenna, totum aerem oppoſitum perrumpat, & ad myringam vſq;, ſeu tympanum, vt vocant, auditorium, longo interdum quamlibet diſtans interuallo, perueniat; nam, ſi hoc eſſet, iam vox concionatoris, v. g., quæ vnica eſt, non poſſet eodem temporis momento innumeras afficere aures, prout de facto afficit; ſed, vnica exiſtens, vnicam poſſet aurem vellicare. Aſt, ne quæſtionibus diſtrahamur, quas fuſe in Animaſticis agitauimus, ad modum, quo Eccho fiat regrediamur. Sonus itaque, per ſpecies intentionales, per aerem delatus, eundem ſortitur effectum, quem ſortiuntur ſpecies intentionales, viſionis ſenſui deſeruientes: ſicut enim iſtæ, impingentes in ſpeculum, ab eodem ad oculum reflectuntur, ita vt, in ſpeculum intuens, ſe ipſum quaſi duplicatum videat, nempè & in ſpeculo, & extra ſpeculum: ſic ſpecies vocis, aut ſonitus, in aptum aliquod obſtaculum impingentes reſiliunt, atq; ab obſtaculo ad aurem reflectuntur, ita vt duplicatus quaſi audiatur ſonus, nempè & à ſonante editus, & ab obſtaculo redditus: Immò ſæpè & triplicatus, & quadruplicatus audiatur, iuxta multiplicationem obſtaculorum reuerberantium. Hinc interdum Eccho ſeptuplicatum, & ampliùs, ſonum reddit. Dixi, ſi impingat in *obſtaculum aptum*: nam ſicuti non omne corpus eſt aptum ad claram reuerberationem ſpecierum viſualium, & vt in ſpeculum adaptetur; ſed illud ſolum, quod habeat terſitatem; ita non omne obſtaculum aptum eſt ad reddendas vocis ſpecies, aut ſonitus: ſed tantum illa, quæ minùs terrea ſunt, vel magis cauernoſa, anfractuoſa &c. Ex quo factum, vt Eccho in antris tantùm, ac cauernis, ab Ouid., qui eam vocat vocalem Nympham, Metam. 3. dicatur inhabitans, licet cauſam refundat ipſe, fabulam ſecutus, in ruborem, quem ex repulſa contraxerit illa, cum Narciſſum, quem deperibat, inſequeretur.

> *Spreta latet ſyluis, pudibundaq; frondibus ora*
> *Protegit, & Solis, ex illo, viuit in antris.*

Cum itaque & Poeta noſter dixerit: *ſonnere cauernæ*; procul dubio, ita intelligendus eſt, vt dixerit: *ſonitum reddidere cauernæ*, per Eccham ſcilicet in cauernis inhabitantem, iuxta fabulas, per reuerberationem verò ſpecierum intentionalium ſoni, à ſonante emiſſi, à cauernoſis obſtaculis procedentem, ſi veritatem ſectemur. Vidimus autem Siciliam ex Iuſtino cit. lib. pri. Carm. 155. cauernis vndiq; refertam, ac fiſtuloſis meatibus, anfractibuſq; copioſam; ideoq; ad reddendum ſonum aptiſſimam. Ideò, Plutonis ſceptro rupes feriente, *ſonnere* cauernæ; hoc eſt totum cauernoſæ Siciliæ corpus horribili inſonuit Eccho.

TVRBATVR LIPARE. Amplificat adhùc magis huius terrifici fragoris tonitrum potiùs, quam ſonum. Quod in cauſa fuit, arbitror, vt Heinſius expùncto verbo *ſonnêre*, legere maluerit *tonnêre*, quam profectò lectionem prudentiſſimam duxi, licet à vulgata non diſceſſerim, quia, ex addito, quod nunc explicaturi ſumus, ſatis in ea ipſa patet verbum ſuprapoſitum *ſonnêre* non eſſe intelligendum de quocunq; ſono, ſed de vehementi, ac terrifico tonitrua videlicet imitante. Amplificat inquam ex eo, quod non ſolum tota Inſula, in qua hæc gerebantur horrificè inſonuerit, ſed adiacentes etiam regiones contremuerint: Ideò *Turbatur*, quod idem eſt, *ac terrore, & confuſione repletur*. *Turbatur* itaq; *Lipare*, nam Inſula hæc tota terræmotu, ſeu tremitu concuſſa ex vehementia auditi nutauit fragoris: & *Turbatur Lipare*, nempè habitatores Inſulæ, poſito continente pro contento, ſummo animi horrore commoti, ac ſibi vtriq; excidia timentes, contremuere. Ex hoc loco decerpſit, vt arbitror Vidas lib. Chriſt. 5. effectus illos, quos angelicæ attribuit tubæ, cum ait

> *Signa canit belli. Late diſſultat Olympus*
> *Vndique, & inſolito tremuerunt ſydera motu.*

Sicuti ex ſuperioribus, eodem lib., decerpſit ſonitum Eccho redditum, cum Chriſtus Dominus cruci ab impijs affigeretur; ſic enim ait

> *Inſtant vi multa, ferro ardua robora adacto*
> *Dant gemitum vehoat diro ſtridore ſupremus*
> *Mons circum ingeminans, ictuſq; reſultat imago.*

Sed vt ad noſtra reuertamur; *Lipare* græcè Λιπάρα, (ex quo vltima producitur, quamuis Parrhaſ. *Liparis* legere maluerit) vna, & præcipua, ac maxima eſt ex Æolijs Inſulis, quæ licet ſeptem numero ſint, diuerſiſq; appellatæ nominibus; earum tamen Incolæ omnes Liparæi dicuntur, vt tradit Stephanus, addito tantum peculiaris loci vocabulo, v. g. Lipareus è Phœnicuſſa; Liparæus ex Erycuſſa &c. Hæc Lipare dicitur appellata à Liparo Rege, Auſonis Regis filio, cui Æolus ſucceſſit, ſi Euſthathio credimus, cum antea Meligunis vocaretur. Ad latus ea fertur eſſe Siciliæ, ſed inter hanc tamen, & Siciliam alia dicitur Inſula intermediaſſe Vulcano ſacra, quam totam ſaxoſam, deſertam, atq; igniferam tradunt, ita vt tres illa voragines habuerit, ex quarum hiatibus ignis erumperet, atq; ex eorum maximo flammæ ignitas euomerent maſſas. Obſtructi tandem huiuſmodi hiatus dicuntur; ſed nihilominùs ex illorum obſeruatione cognitum referunt, flammas, quæ & ibi, & in Ætna ſuſcitarentur, excitatas à ventis extitiſſe. Hanc verò Inſulam, intermediam inter Siciliam, & Liparen, ſtatutam Vulcano ſedem fuiſſe, patet ex Virg. Æn. 8.

> *Inſula, Sicanium iuxta latus, Æoliamq;*
> *Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis &c.*

vt vidimus lib. pri. Carm. 128. Alij tamen, cum Apollonio Rhodio Argonautic. 4., Liparen ipſam, & Strongilam vulcanijs incudibus, armamentarijſq: artibus celebres fecere. Alij in ipſo Ætnæ monte officinam Vulcani ſtatuerunt: quarè Prudentius in Simmachum, relatus a Parrhaſ. hic, de Vulcano ait: *Regnare camenis*

> *Fertur & Æoliæ ſummus, faber eſſe vel Ætnæ,*

& Callias de rebus Agathoclis, 10. fabril. operum, quæ Vulcanus illic exercet, ſonitum tradit quinquaginta circum ſtadijs audiri: proximum verò mare, non aliter quam ſubiectis olla ignibus efferueſcere, Pythæas in orbis ambitu refert. Miraris, vt video, in vnica Vulcani ſede ſtatuenda, tam varias opiniones extitiſſe: ſed nil mirum profectò; nam cum creditus fuerit Vulcanus *Deus ignis*, atq; omnium, quæ per ignem conficiuntur, Inuentor; immò & ipſe ignis

ſit

ſit habitus, vt dix. loco cit. lib. pri., nil mirandum, ſi vbicumque repertæ ſunt igneæ voragines, ibi ſedes, & officina Vulcani poſita fuerit, & conſtituta: quid igitur & Inſula illa deſerta, de qua ſupra, & Sicilia contermina, & Lipare, ex altera adiacens parte, & inſuper Hiera, ac Strongila, omnes ignivomæ fuerint Inſulæ, omnes, tamquam vulcaniæ ſedes, fuerunt à Poetis diverſimodè celebratæ, atq; ideò modo in hac, modo in illa dicitur Vulcani ſedes, & officina extitiſſe. Porrò Lipare, vt dicebamus præpotens inter Æolias adfuit Inſulas, latumque habuit ditionis Imperium, quippè quæ Cnidiorum coloniam acceperit, & plura In Delphis opima ſpolia depoſuerit; Ideoq; celebris adhùc apud Auctores extat, & memorabilis. Hæc ipſa terram habuit aluminis feracem, aquas calidas quamplures, ac ignes, ſicut ex Ætna, erumpentes; idcircò & hanc Vulcano in ſedem erexerunt: ni, vt, meliùs, arbitror, dicendum ſit, omnes ignivomas inſulas vnicam Vulcani ſedem confeciſſe, ita vt in omnibus eadem viguiſſe diceretur officina Vulcani: ſic enim nulla iam eſſet de Vulcani ſede opinionum diſſonantia, niſi quo ad nomen, vel quo ad diverſam eiuſdem officinæ, per varias partes, deſignationem. Scio & Liparem appellari Siciliæ fluvium à græco Λιπαρὸν, quod Latinè ſonat *vnguen*, ſeù *oleum*, ex eo quod natantes in hoc fluvio, vel ſe eo lavantes non minus vngantur ab aqua ipſa, quam ſi adipe, vel oleo lavarentur. Sed, licet non dubitaverim, hoc quoq; flumen turbatum fuiſſe, motis ſcilicet terræmotus impetu aquis, cum tamen hoc in ipſo Siciliæ corpore ſit, & Vates iam totam Siciliam dixerit inſonuiſſe: *Sicula ſonuere caverna*; non dixerim illum hìc de hoc fluvio locutum, nam, qui totum iam dixerat, nihil excluſerat: immò arbitror, ſequi Vatem voluiſſe fragoris naturam, ſeù naturalem propagationem; ideòq; deſcriptionis ſuæ filum extendiſſe iuxta extenſionem fragoris: cum itaque priùs ſonus ſit, vbi ſit; inde per ſpecies ad proxima, ac ſubindè ad remotiora loca deferatur: ſic Vates pri. dicit inſonuiſſe Siciliam, vbi fragor factus eſt, inde ad loca progreditur adiacentia, ſubinde ad remotiora, de quibus mox inferiùs: atq; ideò de Lipari Inſula locutum non ambigo, non de fluvio cum ait: *Turbatur Lipare*

MVLCIBER. Dictus eſt à *mulcendo*. *Mulciber* Vulcanus, quia ferrum mulceat; vel, vt alij malunt, cum Donato, dictus *Mulciber* à *mutilando*, eo quod Claudus à Poetis, & mutilatus dicatur: fuit enim, vt fabulantur, Iovis ex Iunone filius, quem cum parentes, ob deformitatem, è Cælo in Lemnum Inſulam præcipitaſſent, intorto ex ruina pede, dicitur claudicaſſe. Hic itaque

STVPVIT. Eximiam in verbo Auxeſim liceat adnotare; maximus enim fuerit fragoris bombus, neceſſe eſt, quo vel *Mulciber* obſtupuerit; nam, ſi circa Nili Oſtia, ex vndarum ſtrepitu obſurdeſcere dicuntur Incolæ, certè Vulcanus, aſſiduo Incudium ſuarum tonitru, ſurdis maximè auribus eſſe debuit, quandoquidem inquit Virg. Æn. 8.

> *Antra Ætnæa tonant, validiq; incudibus ictus*
> *Auditi referunt gemitum &c.*

quarè, cum ab aſſuetis paſſio non fiat, vix advertere debuiſſet Vulcanus, niſi modum omnem exceſſiſſet tonitrus, ictu Plutonici ſceptri progenitus: Aſt non ſolum advertit, inquit Vates; ſed *ſtupuit*: ſtupor autem, à quo verbum ſtupeo, quædam eſt admirationis ſpecies, & magnitudine miraculi proveniens, quæ ſenſus abalienatos reddit, ita vt ſui impotem reddat obſtupentem. *Stupuit* itaque Vulcanus; ideſt, tanta, ac tali, ex novitate terroris, correptus eſt admiratione, vt, ſui impos factus, videretur à ſenſibus abalienatus. Quod ſi hæc Vulcano, aſſiduis tonitruum fragoribus detento, obtigit, quid cæteris contingere, opus fuerit? Hyperbolicum hunc dicendi modum quis ſanus non admiretur? & tamen non hyperbolicus dici poteſt. nam vbi agitur de effectu à potentia Deitatis proveniente, nil hyperbolicum vnquam dici poteſt. Quæret autem hìc aliquis; num Vates videatur inhærere ſententiæ illorum, qui dixerint, Vulcani officinam eſſe in Inſula Lipara extructam, an verò aſſerentibus, eam ſitam fuiſſe in ea, quam diximus, Inſula inter Liparen, ac Siciliam conſtituta? Verùm, vt fatear, nil certi de intentione Poetæ hìc ſtatui, quo ad hoc, poteſt; nam, licet, cum, immediatè ante de Inſula Lipara locutus, ſtatim mentionem obſtupeſcentis Vulcani, videatur in ea Inſula ſedem Vulcani ſtatuiſſe: cum tamen fragoris bombus non potuerit in Liparen ex Sicula Inſula deferri, quin intermediam Inſulam concureret, potuit Vates, cum, quid in termino evenerit, indicaſſet, nempè turbatam Liparen, ad ea regredi attingenda, quæ in ipſo evenerint medio, nempè Vulcani admirationem, & ab operibus ſuſpenſionem. Potiùs itaque arbitrarer, Poetam id innuiſſe, quod ſupra dicebamus, nempè vnam, eamdemq; Vulcani officinam, per eas Inſulas, extenſam eſſe; ideòque, ſine diſtinctione locutum, non vni magis, quam alteri vulcaniam addixiſſe ſedem.

FORNACE RELICTA. Vel conſideratur hìc Mulciber, prout a Poetis Faber, ac fabrilia tractans deſcribitur: vel vt pro ipſo igne Vulcani nomen vſurpatur. Ad vtrumque reſpexiſſe Poetam non ambigo: nam primo proprium eſt hominis, improviſo vehementis alicuius fragoris terrore correpti, opus, quod præ manibus habebat intermittere, & fugam è loco, in quo erat, licet quo fugiat, neſciat, ſubita celeritate moliri, dum timet, ne in caput decidat, quod frangi percipitur, & incautum opprimat: ex quo ſæpe fit, vt in ruinas incidat, qui ruinas evitaturus ſtare neſcit loco. Quarè, ſi Mulciber, vt faber, conſideretur, ſubito conſternatus fragore, morem naturæ ſequitur, aufugiens, *fornace relictâ*, ideſt intercepto, infectoq; opere, quod ad fornacem peragebat. Si conſideretur, vt ignis, adhùc viget ablativus modi, *fornace relicta*; nam ex terræmotu concuſſæ voragines Inſularum, quæ, quaſi fornaces, igne ſuccenſæ ſunt, ſtatim ignem eructant: ideò ignis videtur fornacem perterrefactus relinquere, dum erumpit. Indicavit igitur Poeta, & fabrum, interrupto opere fabrili, aufugiſſe, & ignem ex concuſſis voraginibus erupiſſe, vt, ex vna parte, cum fabulis, ex altera, cum natura, ac veritate congrueret. Quid fornax ſit vidimus lib. pri. Carm. 142. Et quantùm pro præſenti, in ſecundo ſenſu, ſufficit, hìc diximus. *Relicta*, à relinquo, particip. notiſſimæ ſignificationis eſt; ideò progredior.

ET CYCLOPS. Amiſſo duce, perit exercitus; atque, excuſſo navis rectore, arte deſtituuntur, ac vigore cæteri nautæ. Quarè nil mirum, ſi, abalienato à ſenſibus, ſibique fugâ conſulente Vulcano, Cyclopes ſubiecerit Vates, non diſſimili terrore correptos, licet ſingulari numero vtatur per Synecd. pro plurali. Qui nam verò Cyclopes fuerint iam vidimus lib. pri. loco cit., & memoravimus etiam lib. eodem in recenſenda Cerealis Domus ſtructura; ideò non repeto.

TREPIDVS. *Trepidare*, à quo *trepidus*, infirmitatis eſt, timoris, atq. formidinis: & propriè *trepido* idem eſt, ac *præ timore loco ſubſiſtere non poſſum*. Quarè dum trepidus dicitur Cyclops, oſtenditur tali, ac tanto, correptus terrore, vt nec ſtare loco poſſet, nec manibus operari. Ideò *Trepidus*

DEIECIT FVLMINA. En quantum adaugeat Cyclopum terrorem, dum ne ſe quidem tutari poſſe, arbitrati fuerint, fulminibus, quæ præ manibus habebant, ac proindè abijciunt, vt fugiant, quaſi, abiectis impedimentis (nam impedimenta cenſentur, & arma militi conſternato, ac fugitivo) celeriùs evolaturi. Pari paſſu videtur mihi ignaviſſimum Turcarum timorem, per abiectionem armorum, indicaſſe Hetruſcorum Princeps Poetarum Hieroſ. liber. Cantu 9. vbi ait

> *Mà che dà legge al volgo, ed ammaeſtra*
> *La viltade, e'l timor? La fuga è preſa:*
> *Altri gitta lo ſcudo; altri la deſtra*
> *Diſarma; Impaccio è 'l ferro, e non difeſa.*

Sic igitur & Cyclopes hìc fulmina deijcere dicuntur, quaſi impedimenta eſſent conſternatis ea ipſa, quibus Iupiter orbem terret, ac diſijcit, tela

> . . . . *Vn tuor che tutti*
> *Non l'armerian tutt' Arſenali inſieme.*

porrò *deijcere* idem eſt, ac *deorſum iacere*. Fulmina quæ ſint, & cur à Cyclopibus fabrefieri dicantur, abundè vidimus lib. pri. cit. Carm. 127. Quarè iam accelero.

AVDIIT ET SIQVEM &c. Auget adhùc magis fragorem, terroremque, ab ictu Plutonis illatum: & auget à diſtantia locorum, in quibus auditum refert, & quovis tonitruum maiorem facit, cum in maiori diſtantia, quam tonitrua quælibet audiantur, dictitet reſonaſſe: ab enumeratione autem locorum, non ampliùs Siciliæ adiacentium, ſed remotiſſimis diſſitorum ſpatijs, oſtendit, quam longe fragor ille permeaverit, vt, ex tam vaſta ſonitus propagatione, immenſum fuiſſe, intelligas fragorem, quo Sicilia tota contremuit. Conſimili autem amplificandi modo vſus eſt Virg. Æn. 7. cum terribilitatem Tartareæ vocis, cornu vtq; paſtoralis in bellum excitantis arma deſcriberet: ſic enim de Alecto loquens ait

> *At ſæva è ſpeculis tempus Dea nacta nocendi*
> *Ardua tecta petit ſtabuli, & de culmine ſummo*
> *Paſtorale canit ſignum; cornuq; recurvo*

Tar-

Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & Sylua insonuere profunda.
Audijt & Triuia longè lacus; audijt amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fonteſq; Velini &c.

Imitationem verò euiſdem loci cernes apud Vidam cit. Chriſtiad. 5. ſic

Audijt & ſonitum, ſi quem procùl orbe remoto
Deſtinet incedens humili Luna humida greſſu;
Audiuêre quibus generis cuſtodia noſtri
In terris olim ſorti data, vaſtaq; tellus
Protinus ingenti tremuit concuſſa fragore.

Itaq; particula *Et* aduerbialiter hic ponitur pro *etiam*, aduerb. ſcilicet addendi, ſeù ordinis, ſed ordinis ſuperaddentis. De verbo *Audijt* non loquor, notiſſimæ enim ſignificationis eſt; tantùm noto propriiſſimam vtiq; locutionem eſſe, cum ſonitus vnicum auditiuæ potentiæ obiectum ſit.

SIQVEM. *Siquis* relatiuum compoſitum eſt ex *ſi*, & *quis*, idemq; ſonans, ac *ſi aliquis*: Quarè, licet dictionem diſiungat Heinſius *ſi quem* legens, immutandam non cenſui vulgatam noſtram, cum eadem in vtraq; tandem ſignificatio ſit. Ex hoc autem ſatis oſtenditur is, qui hoc pacto loquatur, in incerto eſſe, an aliquis ſit, vel non ſit in loco, de quo ipſe loquatur; ſic itaq; dum Auctor hic *ſiquem*, inquit, *Glacies alpina coercet*, manifeſtè oſtendit, ſe in incerto eſſe, num aliquis ijs degat in niuibus, an non. Cum autem pateat, nomen *ſiquis* relatiuum eſſe, vides ſubintelligendum antecedens, nempe *ſiquem glacies alpina coercet, audijt & ille* diſiectarum rupium fragorem.

GLACIES ALPINA. Quid ſit glacies iam vidimus lib. pri. Carm. 167.; *Alpina* verò adiectiuum eſt ab Alpibus deriuatum, efformatumque. Quarè idem eſt dicere *Glacies alpina*, ac Glacies, quæ in Alpium iugis perpetuò obdureſcit. Porrò Alpes perpetuis damnatas niuibus, nemo eſt, qui ignoret; eum immò, vt aliqui voluerunt, niuis, quæ perpetuo premuntur, candorem ferant in nomine, nam, quod nos *Album* dicimus, *Alpum* Sabini dixerunt, ex quo *Alpes* dictæ: quod apertè teſtatur Mant. Alphonſi lib. pri. inquiens

Hic Alba dicta à niuium candoribus Alpes.

alij tamen malunt, Alpes dici à ſublimitate, qua in maximam erigantur altitudinem; nam altiſſimos quoſq; montes Galli, eorum lingua, *Alpes* nominarunt. Sed quidquid ſit de hoc, ad quod certè alluſiſſe videtur Virg. Georg. 3. vbi Alpes aerias, ideſt in immenſurabilem protenſas altitudinem, dum ait *Tum ſciat aerias Alpes, & norica ſiquis Caſtella in tumulis &c.*

certum eſt, inhoſpitas Alpes communiter cenſeri; nam, vbi perpetuæ rigent niues, ac glacies obduratur, quis permanentia vnquam figere audeat tentoria? Certè militaris loco prodigij habitus ſemper fuit Cæſaris per Alpes tranſitus, cuius meminit Lucanus lib. pri. inquiens

Iam gelidas Cæſar curſu ſuperauerat Alpes.

Inſuper *hyperborea* dicuntur; ideò frigidæ non minus, quam regio ipſa hyperboreis hiſcens rigoribus: quarè Cantalycius inquit

Pars vel hyperboreas forſan remeauit ad Alpes.

conſequenter glacie adeò obduratæ, vt inhabitabiles iure credi potuerint. Ideò & loco prodigij decantatur Annibalis labor, qui, alpinis rupibus igne, & aceto perfractis, non ſibi ſolum, ac militibus viam ſuis, per altiſſimas, prærupta ſque rupes, ſed etiam alijs in poſterum, illac iter acturis, complanauerit; ad quod alludens Virg. ore Iouis Æn. 10. ait

Adueniet iuſtum pugnæ (ne arceſſite) tempus
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atq; Alpes immittet apertas.

Verùm non inhoſpitas adeò exiſtimauerim Alpes, vt interdum habitatores, ad tempus ſaltem, non habuerint; nam &, cum Annibal Alpes ſubijt, eum ab exploratoribus audiſſe, comperio, ea montium iuga interdiù cuſtodibus muniri, qui noctu, cuſtodia omiſſa, in habitacula ad quietem ſecederent. Certè & viatores ante Annibalem Alpes peragrarunt; nam, teſte Rauiſio, Galli, ante Annibalem, quinquies traiecerunt Alpes: Ello ipſe fuerit primus, qui viam commodiorem, ad ea tranſilienda iuga, aperuerit. Arbitror itaque locutum eſſe hic Claudianum, eo pacto, quo locutum vidimus lib. pri., cum terras Zonis frigidis ſubiectas inhabitabiles aſſerere viſus eſt; nempè in Antiquorum ſenſu, qui cum tantùm notitiam haberent de aſperitate Alpium, de niuibus illic perpetuò degentibus, de impoſſibilitate, propè dixerim, iuga ſuperandi, nedum incolendi, Alpes deſertas prorsùs, ac nullo cultore tritas cenſuerunt. Quod tamen non omninò affirmare voluit Vates, ne in cenſuram incideret apud eos, qui Apes ſubinde cognouerunt ſuperatu quidem difficiles; ſed non imperuias; deſertas quidem, ſed non adeò, vt ſaltem interdum in ijs aliquod non fuerit habitaculum; ideò ſub dubio loquitur: *Siquem glacies alpina coercet*. Quæ propoſitio, vt noſtis, conditionalis eſt, & duo quidem includens, ſed vnum tantum ſub alterius affirmans conditione; & affirmans etiam connexionem, quam habeat conditionatum cum conditione ipſa caſu, quo illa purificetur. Sunt itaque Alpes, vt dicebamus, altiſſima montium iuga perpetuis obſita niuibus, quibus & difficillimè permeabiles eorum redduntur rupes, vt aptè aduocauit Silius, cum eas diait

Et clauſas niuibus rupes, ſuppoſtaq; Cælo
Saxa.

Hi montes Galliam tranſalpinam à ciſalpina olim diuidebant, ſed poſtea, dilatatis Italiæ finibus, ipſius Italiæ termini fuere: & mœnia dicuntur quibus Italia ab exterorum hoſtium incurſibus tutaretur, eam à Gallis vtiq; dirimentia. Scio, Alpes interdum pro ipſa Gallia poſitas, vt notant Virgiliani, cum Seruio interpretes in cit. à nobis locum: ex quo facilè quiſpiam fortaſſis anſam arripuerit dicendi, Claudianum ita intelligendum, vt dicat, Plutonici fragores ictus, ad perturbandam ipſam Galliæ, trans Alpes, regionem, perueniſſe; locutum autem ſub dubio, quaſi incertus eſſet, num Incolas trans Alpes eſſe, an non eſſe affirmaret, vt alluſio ex ea emergeret dubitatione ad eam Peſtilentiæ vim, quæ olim, vt enarrat Lucretius, Tranſalpinam adeò regionem deuaſtauit, vt deſertam reddiderit; atq; ideò Poetam dixiſſe: *ſiquem Glacies Alpina coercet*. Et facere vim poſſet in verbo; nam *coercere* idem eſt, ac *detinere*, & *impedire*; Alpibus autem detentos à tranſitu in Italiam nouimus Tranſalpinos. Fateor, per huiuſmodi explicationem, forè, vt magis amplificaretur fragor ex Plutonico proueniens ictu; ſed neſcio, an ſatis benè cum reliquo Claudiani contextu eſſet componenda: nam video Poetam non exceſſiſſe, in ſubſequentibus, partes, ac fines Italiæ: quarè euidenter concludendum cenſeo, Poetam voluiſſe tantùm aſſerere fragorem illum à tota auditum Italia, quam ita ſubindè per partes ſignat, vt indicet nullam ab eo Italiæ partem immunem fuiſſe. Quapropter & hic dicendum erit Alpes, tamquam Italiæ terminos, in huiuſmodi amplificationem acciri. *Glacies* igitur *alpina* pro ipſis formaliter Alpibus ponitur, contentum videlicet pro continente, ſeù potiùs ſignum pro re ſignata. Remanet tamen adhùc diluenda præſumptio, quæ ex vi verbi *coercet* deſumi poſſit, vt ſupra dicebamus. Ideò verbum proſequor.

COERCET. Fateor hoc eſſe verbum compoſitum ex *con*, & *arceo*; quaſi *connector*, & *arceo*, ſeù *contra*, vel *contrarios arceo*. Verùm non ſemper in hac ſignificatione vſurpatum video hoc verbum; quod, verè quidem, aliquam ſemper importat violentiæ oſtentationem, ſed non ſemper *arcere* ſignificat; immò ſæpè idem ſonat, ac ſimpliciter *circundare, circumamplecti*. Sic Ouid. Metam. 2, ait

Vitta coercebat neglectos alba capillos.

ſeù vt alij legunt, & forſan elegantiùs hoc eodem loco

Vitta coercebat poſitos ſine lege capillos.

Sic itaque, ſiquis in Alpibus degat, & ingruente niue cingatur, dum ea montes obteguntur, certè hunc niues dicentur *coercere*, ideſt *circumplecti*, ita vt vel intùs antro, ne dixerim habitaculo, clauſus egredi non poſſit: Inſuper *coercere* idem eſt, ac *conſtringere*: at certè corpora conſtringit frigus, nam & terram ipſam conſtipat, & adurit, vt ait Virg. Georg. pri.

Ne tenues pluuiæ, rapidiue potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

quarè & in hoc ſenſu optimè dictum fuerit: *ſiquem Glacies alpina coercet*; hoc eſt conſtringit, conſtipat, adurit.

ET QVI &c. Subintellige *& ille audijt qui &c.* Per coniunctionem autem à termino ad terminum fragoris iam gradum facit, & oſtendit, non Alpes ſolum, de quibus ſupra, ſed etiam Apenninum Hetruſcorum, vulgò *l'Alpi di Toſcana*, fragoris bombum percepiſſe. Has autem Alpes per Tybrim, ab illis oriundum, deſignat, vt arbitror, & mox videbimus. Porrò Hetruria, quæ etiam Tuſcia dicta ſuit, & Tyrrhenia, certe intra fines Italiæ continetur, quod in mentem reuoco, vt innoteſcat, quod ſupra diximus, nempe, Vatem, hac ſua amplificatione, fines Italiæ non excedere, cuius & partem, auulſam nunc, olim coniunctam vidimus fuiſſe Siciliam lib. pri. Carm. 141.

NA-

NATAT. *Nato* verbum eſt frequentatiuum à *Nando*; nare autem proprium eſt piſcium, ac illis connaturale; nam, vt ait Cic. Tuſcul. 5., Naturæ beſtias nantes aquarum incolas eſſe voluit: natant tamen & homines, induſtria, & arte adhibita: quarè Ouid. pri. de re am. ait:

Pugnat in aduerſas ire natator aquas,

& clarius Virg. Æn. pri. hoc ipſum expreſſit dicens

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Hic itaque *Qui natat* ita intelligendum eſt, vt dicatur de hominibus, ad ipſum Tybridis fontem, incolentibus, qui ſcilicet, aquarum placiditate inuitante ſæpius natatui indulgeant. Ponitur ergò hic conſequens pro antecedenti, nempè *aquas natare* pro *circa aquas incolere*; nam ad hoc illud facilè ſequitur, & connaturale quaſi videtur eſſe ijs, qui circa aquas inhabitent.

TE. Apoſtrophem hic ad Tybrim à Poeta inſtitutam ſatis liquet: dum enim vnico ſecundæ perſonæ vtitur pronomine demonſtratiuo, certè ad eum, quem, pronomine ipſo, appellat ſermonem, conuertit, ipſumq; alloquitur.

TYBRI. Vocandi græco vtitur caſu, vt fluuium, quem alloquitur, de veritate interpellet, & quaſi in teſtem aſſertionis aſſumat; ex quo clariùs etiam patet Apoſtrophe. Verùm, quia ſupra diximus, Hetruſcas Alpes, hoc flumine deſignari, inquirendum iam eſt, quo id fundamento aſſeruerimus, & de qua fluuij parte locutus fuerit Vates, quomodo ex ipſo eius contextu deduxerimus. Tybris itaque celeberrimus Italiæ fluuius eſt è media ferè longitudine Apennini, atq; Aretinorum (ſic ab Aretio Hetruriæ vrbe dicuntur) finibus defluens: quarè Ouid. Metam. 15. ait:

Nunc quoq; Dardaniam fama eſt conſurgere Romam,
Apenninigenæ quæ proxima Tybridis vndis,
Mole ſub ingenti rerum fundamina ponit.

nec obſtat quod Virg. Æn. 10. Tybrim appellet Lydium;

Ad terram Heſperiam venies; vbi Lydius arua
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.

nam ex hoc non deducitur, Tybrim ex Lydia oriundum fuiſſe, ſed tantùm Lydij nomen ſortitum fuiſſe a Lydo Thyrreni Hetruſcorum Regis fratre; cum enim Lydus, ac Thyrrenus fratres non potuerint eodem in regno conſiſtere, iactis ſortitionibus, Lydia Lydo, a quo etiam denominata eſt, obtigit: Thyrrhenus autem abiens Hetruſcorum, ſubindè rexit Imperium, atque, in relicti fratris monimentum, cognominationem Lydij impoſuit Tybridi: de cætero enim ipſo eodem cit. textu Tybrim Italiæ fluuium certè agnouit, aſſeruitq; Virg., dum, citato carmine, ait *Ad terram Heſperiam venies &c.*, & priùs origine Tuſcum faſſus fuerat Georg. pri., vbi hæc habet

Dij patrij indigetes, & Romule, veſtaq; mater
Quæ Tuſcum Tyberim, & Romana palatia ſeruas &c.

Hoc igitur flumen Italiæ, ab Hetruſcis Alpibus originem trahens, ipſo ſui initio (vt omnium ferè fluminum eſt) non admodum ingens, multis ſubindè fluminibus auctus, tumidoque iam cornu decurrens, Latium ab Hetruria, & Ianiculum ipſum ab Vrbe dirimens Romana, in mare, propè Oſtiam, deuoluitur. Vnde verò nomen traxerit Tybris variant Auctores. Liuius à Tyberino Albanorum Rege, in huius traiectu fluminis, abſorto, Tyberim dictum autumat, cum priùs *Albula* diceretur: idemq; affirmat Ouid. Metam. 14. vbi enumerans Albanorum Reges, ait

Epitus ex illo; regnum Tyberinus ab illis
Cepit; & in Tuſco demerſus fluminis vndis
Nomina fecit aquæ.

Seruius verò hoc fluminis nomen ipſo Albanorum Regno antiquius eſſe contendit; ideoq; nominis originem refert ad Tybrim potius Hetruſcorum Regem, & idem teſtatur Virg. apud quem Euander Æn. 8. ait

Tum Reges, aſperq; immani corpore Tybris
A quo poſt Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.

Verum, quia nil pertinet ad inſtitutum hanc de nomine, ſententiarum varietatem, ac veritatem indagare, prætereuhor, & ad inſtitutum redeo, comprobandi videlicet, per huiuſmodi fluuium, Hetruſcas Alpes deſignari. Sufficeret fortaſſis aliquibus, eum oſtendiſſe a prædictis alpibus ortum; ſed longè deciperentur profectò; nam niſi aliquid addatur, quod ad ipſius fluuij principium neceſſariò ſit referendum, non eſſet, cur potiùs Tybris poſitus diceretur pro Alpibus, à quibus oritur, quam pro Roma, quam alluit, aut pro Oſtia, apud quam in mare deuoluitur; nam vbicumque eſt Tybris ibi eſſe potuit, qui Tybrim enataret: Quod cum vidiſſet oculatiſſimus Vates, ne anſam daret errandi, circa textus interpretationem, addidit prudens: *nondum latis præcinctæ tropheis*; ſeù, vt clariùs ad rem noſtram legunt Heinſius, ac Barthius: *nondum Latijs præcinctæ tropheis* ex quorum explicatione quia, luce clarior emerget veritas aſſertionis noſtræ, ad eam lubens progredior.

NONDVM. Aduerb. eſt compoſitum ex negatiua *non*, & aduerbio *dum*, idem ſonans, ac *non adhùc*, & ita hic ſumitur, vt relationem dicat ad locum, & ſit diſtinctiuum fluminis in partes, ac partem trophœis nudam deſignet, & diſtinguat à parte, quæ trophęis eſſet inſignis. Ideò *Nondum*

PRÆCINCTE: ideſt ſecundùm eam partem, ad quam non adhùc ſe extenderint Romanorum trophœa gloriam fluminis extollentia: nam *præcinctus* particip. præter. temporis paſſiuum eſt à verbo *præcingo*, quod ſcilicet ex *præ*, & *cingo* componitur. Præpoſitio autem *Præ*, in compoſitione ſæpè ſæpiùs idem ſignificat, ac *valdè*: ſic *præclarus* eſt *valdè clarus*, & *præfulgens* eſt *valdè fulgens &c.* atq; hoc loco pariter *præcinctus* eſt *valdè cinctus*, hoc eſt plurimis trophœorum decoramentis circumquaq; ſtipatus. Ideò *Nondum præcincte*.

LATIS TROPHOEIS. *Latijs* legunt, vt diximus, Barthius, & Heinſius, quorum tamen lectionem non ſequor, quia licet clariùs, vt innui, non tamen efficacius concludunt aſſertum, vt ex infra dicendis patebit. *Latus* itaque adiectiuum eſt idem ſonans, ac *amplus*, *inſignis*, *anguſtus*. Trophœum verò proprie eſt monimentum erectum à Victore eo in loco, vbi is hoſtes profligauerit. Prima trophœa ex arboribus confecta ſunt, quas, amputatis ramis, hoſtium ſpolijs condecorabant: deindè etiam cæpta ſunt fieri ex lapide, ac Parijs, Lunenſibuſq; montium viſceribus in Pyramides, ſtatuaſq; expolitis. Inſuper ſpolia ipſa, quæ profligato ex hoſte reportabantur ſtipitibus affixa ante victorem circumferri conſueuerunt; atque hæc ipſa *trophæa* dicebantur. Itaque iuxta hanc duplicem tropheorum intelligentiam, duplici modo virtualiter incluſo in illa dictione *nondum latis præcinctæ tropheis*, primam Tyberinæ fluentæ originem notat, ac deſignat Vates. Ad cuius rei intelligentiam reuocandum eſt hic in memoriam, quot, quantiſq; trophœorum decoramentis conſpicua ſemper fuerit Roma, quæ vniuerſa ferè Orbis amplitudine in ditionem redacta, innumeris propemodum opimis regum ſpolijs, Templum Capitolini Iouis adauxit: nullus enim triumphator Vrbem ingrediebatur, quin hoſtium ſpolia præmitteret, quæ ſibi ipſi ſtatueret in trophœum, ritu Æneæ, à quo originem traherent Romani, ſeruato, qui Æn. 11.

Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo; fulgentiaq; induit arma
Mezenti Ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaq; trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumq; locis; clypeumq; ex ære ſiniſtræ
Subligat; atq; enſem collo ſuſpendit eburnum.

Cum igitur tot ſuperbiret Roma trophœis, quam profectò interluit Tybris; flumen ipſum, qua Romanis arcibus præcinctum extollitur, *latis præcinctum trophæis* iure meritò appellatur. Quarè, cum dixerit Vates: *nondum latis præcinctæ tropheis*, idem fuit, ac ſi apertè dixiſſet: *qua parte nondum Romanos fines attingis*, ſeù *nondum Latij fines ingrederis*; ſi Heinſianam ſpectemus lectionem; ideoq; *nondum Latijs*, ſeù *Romanis circum trophæis exornatus incedis*. Hæc autem illa certè pars eſt, quæ fontem verſus per Hetruriam protenditur, ita vt cum ipſo fonte, a quo originem trahit connectatur: atq; adeò, cum ex Hetruſcis Alpibus fontem habeat Tybris, certè, per hanc partem, ipſe Hetruſcorum Alpes deſignantur. Video repugnantem huic noſtræ expoſitioni Parrhaſ. qui in hunc locum ſic habet. *Et qui te natat ô Tybri. Romanorum periphraſis, quorum antiquis moribus, iuuentus, in campo Martio armis exercitata, ſudorem, pulueremque in proximo Tyberis amne abluebat, Auctore Vegetio.* Inferiùs verò eas particulas *latis nondum præcinctæ trophæis*, interpretatus ſubdit: *Qui nondum fines Imperij tam latè propagaras: nam ſeruius poſtea temporibus Tybridis accolæ Romani vniuerſo ferè orbe imperauerunt.* Exactiſſima videtur prima fronte Parrhaſiana explicatio; ſed vereor ne ſatis ſolida ſeduliùs introſpicienti appareat: & ratio eſt, quia vel Vates Tybrim alloquitur conſideratum ſecundùm ſtatum illius temporis, quo Vates ipſe, hæc canens, loquebatur: vel conſideratum pro eo tempore, quo præſupponitur reboantem ex ictu fragorem audiſſe? Si dicatur primum, tunc certè Tybris latis erat præcinctus trophœis, atque adeo non potuit dici *nondum præcinctus &c.* Si verò dicatur ſecundum

cundum

cundum; tunc quidem cum Ætneas rupes inducitur diſijciens Pluto aderat in orbe procùl dubio Tybris, ſed neq; hoc nomine vocabatur, nec Romam, quæ nondum eſſet, alluebat, nec Romanos accolas habuerat, cum longè ante conditam Vrbem adfuerit Agriculturæ ſtudium, quod tamen poſt raptam Proſerpinam dicitur à Triptolemo diſſeminatum. Ergò non potuit hæc eſſe, pro eo tempore peryphraſis Romanorum; nec potuit, pro tunc, dici Tybris arctiora imperij habuiſſe pomeria; quæ poſtea dilatauerit &c. cum immò, pro eo tempore nullum haberet Imperium, nulla adhùc extante Roma. Nec dixeris prophetico quaſi afflatos ſpiritu Vates futura habere præſentia, ac ideò de futuris loqui, perindè, ac ſi præſentia eſſent; nam, ſi hoc eſſet, iam Vates de Tybri loqueretur ſecundùm conſiderationem illius temporis, quo ipſe Romanam iam ſpectabat celſitudinem; cui conſiderationi obſtat particula *nondum*, quæ virtualiter dicit nunc temporis, quo audis fragorem ò Tybri non es adhùc præcinctus trophæis &c. ergo conſiderat Tybrim pro tempore fragoris, quo nondum Roma erat; non pro tempore, quo poſt Vrbem conditam trophęis floruit. Quarè potiùs dicendum fuiſſet Vatem locutum de Tybri, prout erat ante Vrbem conditam; & ideò dixiſſe *nondum Latijs*, (non *latis*, vt legit Parrhaſ.) *præcincte trophæis*, hoc eſt *nondum Romanis arcibus inſignis*. Sed tunc nullam peculiarem partem Tyberis deſignaſſet, vt deſignare voluiſſe videtur per illas particulas, *& qui te natat*. Quamobrem adhùc ſytubus rates adhæreret. Verùm dixerit aliquis, has eaſdem rationes contra noſtram militare expoſitionem; nam pro tunc Tybris nullibi latis erat præcinctus trophœis. Sed facilis eſt reſponſio; nempè hoc quidem dici potuiſſe, quaſi per præditionem verſantem circa futura diſtinctionis ſigna, vt poſteri ex prænotatis prædictiuæ ſignis intelligere poſſent, qua parte Tybris reboantem tunc audierit fragorem. Arbitror igitur Vatem, patriç originis memorem, eam quam ſupra diximus Tyberis partem deſignare, ac per eam Hetruſcorum Alpes, vt Alpes Alpibus congruè reſponderent in amplificatione fragoris. Sed rationes rationibus addo. Tybris, vt ſupra diximus, non admodum vaſtus initio, ſed varijs ſubindè fluminibus, cum à fonte receſſerit auctus, videtur quaſi, detracta ex concurrentibus fluminibus, vndarum ſpolia ſibi ipſi in trophæum, quo ſuperbior decurrat, adſciſcere. *Nondum* itaque *Latis præcincte trophæis*; hoc eſt nondum fluuiorum ſpolijs, vndis videlicet, quibus cæteri expoliantur fluuij, magnificè auctus, inquit Vates, quod non niſi ad eam Tyberis partem, quæ propè fontem eſt, referri profectò poteſt: atq; ideò, etiam in hoc ſenſu, per Tybrim, nondum trophœis præcinctum, prima Tyberis origo deſignatur. Ideò aptè legendum cum vulgata potiùs *latis*, quam cum Heinſio *latijs*, duxi, cum moris ſit Claudiani noſtri plures vnico ſæpè vocabulo ſenſus attingere, ac coniungere, vt aliàs vidimus, ex quo facilè deducitur, morem & hic ſeruaſſe ſuum vtrumq; ſenſum amplectendo.

ET QVI REMIGAT &c. Totam hìc Italiam conclu dit ingenti territam fragore, cum Pluto Ætnæas percuſſerit rupes: ſicut enim in anteactis ab Alpibus ad Apes ſonitum perduxit; ſic, in præſenti, totam peragraſſe Italiam, atq; ad maria vſq; adiacentia perueniſſe aſſeuerat; nam hæc omnia, per Padum, hic emphaticè poſitum, exprimit Vates, vt ex explicandis patebit.

ET QVI. De his particulis ſatis ſupra §. *Et qui natat &c.*

REMIGAT ALNVM. *Remigare eſt remis agere*. Verbum vtique notiſſimæ ſignificationis, cum, quid ſit naues remis vrgere, atq; impellere, nemo iam neſciat. Alnus autem arbor eſt aquoſis gaudens locis, & ex qua, quippè nauigationi aptiſſima, primùm factæ ſunt lyntres; *alnus* dicta, quod amne alatur; naſcitur enim, vt plurimum, iuxta fluuios; &, quia adeò apta eſt ad naues conficiendas, ponitur ſæpè ſæpiùs pro ipſa naui; materies videlicet pro re ſignata, vt hìc; & eo pacto quo Virg. Georg. pri. inquit

Tunc alnos primum fluuij ſenſere cauatas.

MÆSTAM. Parrhaſ., Heinſius, & alij *Miſſam* legunt

. . . . . . Miſſamq; Pado qui remigat Alnum,

& profectò optimam eſſe eorum lectionem non inficior; nam Maronianam induit phraſim, qui Georg. 2. ait

Nec non & torrentem vndam leuis innatat Alnus
Miſſa Pado.

Quarè lubens dixerim, typographorum errore, *mæſtamq;* in hunc locum irrepſiſſe. Verùm, quia non ſine eruditione decurrit epitetum *Mæſtam*, fœlicem propè dixerim errorem (ſi tamen error eſt) qui nouam gemmeæ Vatis elocutioni gemmam ſuperinducit: quarè non reijcere auſus, (non refutata, immò comprobata aliorum lectione) ſic explico, Mæſtus idem eſt, ac *triſtis, dolore, mæſtitiaq; confectus*. Mæſtam itaque textus appellat Alnum, vt ad fabulam reſpiciat, quæ de huiuſmodi conſtruitur arbore: fabulantur enim, Solis filias, Phaetontis ſorores, quarum nomina ſunt Phaetuſa, Lampeties, Phœbe, in Alnos arbores fuiſſe conuerſas, cum aſſiduo trimeſtri luctu Phaetontem fulmine deiectum defleſſent, ac mærore tabeſcentes reſoluerentur. Scio equidem ab alijs dictum, eas in Populos arbores fuiſſe commutatas: ſed hoc non obſtat, quin alij ſentire potuerint cum Apollonio, ac cæteris auctoribus Græcis, aſſerentibus, eas in alnos commutatas; cum præcipuè ab aliquibus idem eſſe credantur *nigra, Populus, & Alnus*. Certè in Alnos conuerſas, cum Græcis, expreſsè affirmat etiam Virg. Ecl. 6. dum ait

Tum Phaetontiades muſco circundat amaræ
Corticis; atq; ſolo proceras erigit alnos.

mæſta itaque Alnus dicitur, quaſi & ſub arboreis formis mærores adhùc ſeruent Heliades lugentes, cum inter lacrymas Alnus enata lacrymis perpetuò indulgens cenſeri meritò poſſit.

PADO. Antiquum hoc nomen eſt celeberrimi illius Italiæ fluminis, quod Phaetontis caſu, neſcio, an funeſtatum magis dixerim, an celebratum, nomen mutauit, atq; Eridanus ab eo, quem cadentem excepit, dictus eſt, nam Phaeton non eſt nomen proprium illius filij Solis, qui, fulmine deiectus dicitur; ſed eius nomen fuit Eridanus, qui, Apollinis, & Clymeneus filius cum fuerit, accenſus paterni currus agendi deſiderio, illum diù à Patre expetitum, mala aui, obtinuit tandem; inſolito enim, inexpertoq; rectore perterriti ſolares equi, ab eccliptica aberrantes, totum iam terrarum orbem incendebant, vt latè deſcribit Ouid., qui totam Phaetontis fabulam proſequitur Metam. 2.; ſic enim ipſe.

Sed leue pondus erat, nec quod cognoſcere poſſent
Solis equi; ſolitâq; iugum grauitate carebat.
Vtq; labant curuæ, iuſto ſine pondere, naues*
Perq; mare inſtabiles nimia leuitate feruntur;
Sic onere aſſueto vacuus dat in aëre ſaltus,
Succutiturq; altè, ſimiliſq; eſt currus inani.
Quod ſimul ac ſenſere, ruunt, tritumq; relinquunt
Quadrijuges ſpatium, nec, quo priùs, ordine currunt.
Ipſe pauet: nec quà commiſſas flectat habenas,
Nec ſcit quà ſit iter; nec, ſi ſciat, imperet illis.
Tum primùm radijs gelidi caluere Triones,
Et vetito fruſtra tentarunt æquore mergi &c.

* Saburra nautæ dicerent. vulgò la Santina.

ex hoc itaque ardore, quem in terrarum orbem imperitus immiſit Eridanus, currum agens paternum, cognominatus fuit *Phaeton*; nam φαέθων græcè apud latinos eſt *ardor*. Cum autem, toto terrarum orbe conflagrante, Iupiter excandeſceret in auctorem, immiſſo in eum fulmine, è curru in Padum deiecit, qui ideò poſtea ab eo Eridanus dictus eſt. Mortem autem Eridani Solis filij, eiuſdemq; in fluuio, cui nomen fecit ſepulchrum, ſic canit idem Ouid. cit.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Miſit in Aurigam, pariterq; Animæq;, rotiſq;
Expulit; & ſæuis compeſcuit ignibus ignes.
At Phaeton, rutilos flamma populante capillos,
Voluitur in præceps, longoq; per aëra tractu &c.

quibus addit

Quem procùl à Patria diuerſo maximus orbe
Excipit Eridanus fumantiaq; abluit ora.

prudentiſſimè tamen Auctor noſter *Padi* potiùs, quam Eridani nomine vſus eſt; nam teſte Pauſania alius adſtat Eridanus Atticæ fluuius in Illiſſum immittens, à quo vt Eridanum diſtingueret noſtrum, antiquo Padi nomine deſignauit. Padus itaque fluuius Italiæ eſt, vt dicebamus, inſignis adeò, vt fluuiorum Rex aperto ore dicatur apud Virg. Georg. pri.

Proluit inſano contorquens vortice ſyluas
Fluuiorum Rex Eridanus; campoſq; per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit &c.

&, ne putes Eridanum fluuiorum Regem appellatum reſpectu ſolius Italiæ: audi (& generaliter dictum intelliges) audi, inquam quid de hoc eodem Pado dixerit Lucan. lib. 2.

Non minor hic Nilo, ſi non per plana iacentis
Ægypti Lybicas ſtagnaret Nilus arenas;
Non minor hic Iſtro, niſi quod, dum permeat orbem,
Iſter caſuros in qualibet æquora fontes
Accipit, & ſcythicas exit non ſolus in vndas.

Hoc flumen, vt teſtatur Serra, in ſuo ſynonimorum apparatu, ex Apenninis montibus oritur, in gremio Veſuli montis, in finibus Ligurum Gabentiorum, ſiue, ſecundùm aliquos,

Vagiennorum, viſendo fonte: ac primò quidem anguſtis alueis detinetur, quippè quod, per anguſtas, ac confrageſas rupes, arctaſq; ſcopuloſi montes conualles, præcipitar, tandq; vi erumpit, vt pariat admirationem: in ſaxa autem hinc delabens, fragore, ſtrepituq; maximo, reſonat; mox in planitiem effuſum, aquæ copiâ, quæ verſandæ molæ frumentariæ ſufficiat, temere, latèque, nullo certo diſcurrit in alueo, ſpatio trium fermè milliarium, vſq; ad Paſſanam; vbi quaſi cuniculis abſorbetur, ita, vt exigua planè ſupra terram veſtigia relinquat; donec poſt alterum milliare rurſus emergens exoritur ad Paracolum; vndè pergens varios colligit torrentes, quibus mirum in modum auctus Longobardiam, & Romandiolæ partem permeat, quouſque, triginta, quos excipit, expletus fluuijs, ſeſe in Adriaticum mare, ſeptenis oſtijs, & quidem ingentibus effundit. Cum itaque dixerit Auctor noſter: *Audijt & qui remigat Padus*; aduertendum eſt, Vatem certè non locutum de ea Padi parte, quæ fontem verſus expanditur, ſicuti de Tybri ſupra, in hoc ſenſu, locutum aſſerebamus; primò quia, cum ortum ex Alpibus trahat Eridanus, ſi de hac parte fluminis loqueretur Auctor, idem per diuerſa repeteret, quod ſupra dixerat: *Audijt & ſi quem glacies &c.* ſecundò quia, ſecundùm eam partem, liquet ex prænarratis, Padum, Auctore Serra cit., non eſſe nauigabilem, cum & per confrageſas decidat rupes; & per ſcopulos montium deuoluatur anguſtus; & frangatur ſaxis, in quæ dilabitur: ac tandem in planitie vix aquis dicatur habere ſubterraneis abſortus cuniculis: Vates autem expreſsè Padum hic ponit ſecundùm partem nauigabilem, dum ait: *Pado qui remigat Alumnus*: quæ pars Padi nauigabilis ea tantum erit, quæ receptis aucta torrentibus per Longobardiam permeans in Adriacum effunditur mare. Hinc patet, quomodo *qui Pado remigat Alumnus*, ſeù Padus ipſe, quem remiges pulſant, pro toto Italiæ corpore ponatur; nam primò quidem Italiæ corpus interſecat Eridanus, vt ex dictis conſtat; ſecundò autem Padus, ex eo quod fluuiorum Rex adſtet, maximum eſt totius Italiæ decoramentum; conſequenter potuit ex nobiliori hac parte totum indicari, per Synecd. ſicuti eodem pacto vnum pro pluribus poſuit, cum ait, *quos natat, qui remigat &c.*

SIC CVM THESSALIAM &c. A ſimilitudine, atq; in re diſpari repertâ paritate, magis adhùc exprimit, ac ſub oculis, ſi non ſub auribus, ponit ingentem Plutonici impetus fragorem. Similitudinem autem deſumit à fragore, qui auditus eſt, cum Neptunus Oſſam, olim Olympi partem, ab ipſo Olympo, Tridentis ictu diuiſerit, ac ſeparauerit, vt Theſſaliam ab aquis liberaret. Comparat itaque Vates impetum cum impetu; ictum cum ictu; ſceptrum cum ſceptro; Numen cum Numine; effectum cum effectu, vt ex explicandis patebit. Sed antequam explicationem aggrediamur, aperiendum eſt, (vt illa faciliùs innoteſcat) quid de Theſſalia ab Hiſtoricis memoretur. Sciendum itaque eam terræ partem, quæ nunc amœnis culta viretis terreſtrem quaſi Paradiſum efformat, iuxta ea quæ de Tempe ab omnibus enarrantur, Lacum olim fuiſſe, prælatis vndique montibus concluſum: nam Theſſalia ad Orientem, Pelion, & Oſſam, iunctis inter ſe radicibus, habet: ad Aquilonem, Olympum: ad Heſperum, Pindum; ad Auſtrum verò, Othrim. Atq; inter hos montes media fuit Theſſalia, ſeù potius Theſſalus Lacus: nam ita deuexa fuit inter hos montes terra, vt, coeuntibus in eam amnibus, tota aquis confluentibus mergeretur; cumq; nullus eſſet aditus, quo è montium carceribus viam inuenirent, collectæ in conuallibus, aquæ, lacum vtiq ingentem efficiebant; vberrimâ enim aquarum copiâ ſcatens Theſſalia dicitur. Sed, cum frequentes alij in eam defluant amnes, tum præcipuè, inter eos, quinque, alijs omnibus maiores, influunt, nempè Peneus, Apidanus, Onochonus, Epineus, & Pamiſus, qui è montibus in vnum confluentes, nunc, per vnicum anfractum, eumq; arctum, in mare euadunt, Penei retento nomine. Olim verò, cum nondum eſſet anfractus ille, in conuallibus montium vtiq; ſtagnabant, carceribus vndique montium detenti. Accedebat inſuper his ipſis lacus, quem nunc *Bemberdem* appellant; ſed tunc, commixtis omnibus aquis, nulla aderat diſtinctio nominum, atq; vna omnium aqua cenſebatur. Accidit autem, vt, ingenti terræmotu facto, montes, etiam tunc *Tempe* vocati, concuſſi, ac confracti fuerint; ita vt, diſiunctis radicibus, interuallum aperuerint, quo ſtagni erumpentes aquæ, alueum, qui & nunc *Peneus* dicitur, nactæ, inde effluxerint in mare; ac regionem omnem, quæ prius ſtagnum fuerat, denudatam relinquentes, admirabilem prorſus, & pulchritudine, & magnitudine, atq; vbertate, planitiem longè, latèq; detexerint. Hinc datus eſt fabulæ locus, qua ſcilicet fabulati ſunt, ortam olim, inter Iunonem, ac Neptunum, fuiſſe contentionem de agro argiuo (in cuius gremio Theſſalia eſt) cum & Iuno illum in ſuam vindicare percuperet ditionem, & Neptunus, ob aquarum redundantiam, ſibi deberi, exiſtimaret. Poſitâ itaque, vt aiunt, ſub Iudicibus (qui Inachus, Phoroneus, Cephiſſus, & Aſterion fuere) controuerſiâ, litem ipſi eam Iunoni adiudicarunt: quarè indignatus Neptunus, vt ſciretur iam, num plus Iuno, an Neptunus regioni nocere poſſet, tantam vim dicitur aquarum immiſiſſe, vt maxima pars agri illius ſub aquis delituerit: Poſtea tamen, exorante Neptunum Iunone, fertur tandem Neptunus ipſe, impulſis ſceptro montibus, lacunam effeciſſe, per quam, inundantes effluerent aquæ. Quo nam autem loco facta fuerit Lacuna illa, docet Herodotus, qui ſcriptum reliquit in Polymnia, Theſſalos dicere ſolitos, lacunam, per quam fluat Peneus, à Neptuno confectam. Ratio autem, cur Fabula Neptuno attribuerit, quod terræmotui adſcribit Hiſtoria, ex eo deſumitur, quod Herodotus, & alij, cum Democrito, ſenſerint; terræmotum ab aquis effici, vt iam innuimus lib. pri. Carm. 176.; atq; ad huius ſententiæ ſenſum reſpiciens & Auctor noſter cum fabulis locutus eſt. Porrò de particula aſſimilatiua *ſic* ſatis dictum ſupra Carm. 90. *Cum* aduerb. temporis eſt idem ſonans, ac *tunc quando*

PALVS. De diſtinctione inter Paludem, & Lacum diximus ſupra Carm. 112. Verùm cum & Palus aqua ſit ſtagnans, pro Lacu hic ponitur ſupra tradito, per cathacreſim, quæ nomine propinquo abutitur.

PENEO STAGNANTE. Subintellige *effecta*, vel *collecta*. *Peneus* autem fluuius ille Theſſaliæ eſt, quem ſupra diximus, per anfractum, inter Oſſam, Olympumque, apertum defluxiſſe tandem. Hic ex Pindo oritur monte, ac per Tempe decurrens in Pagaſicum elabitur ſinum: eiuſq; Numen Daphnes puellæ in Laurum transmutatæ Patrem fuiſſe, decantant Poetarum commenta. Nota tamen, Peneum hic poni, non quaſi ſolitariè ſumptum, ſed prout omnibus, de quibus ſupra diximus, aquis commixtum; nam ſicuti omnes aquæ illæ, poſt apertum anfractum, dum vnitæ in pelagus effunduntur, ſolius Penei retinent nomen; ſic, ante anfractum, eodem pacto nominatas à Præcipuo ſcilicet flumine ſupponit Vates, ex conſequenti colligens quid anteceſſerit; & quidem denominatio certè ſemper à potiori deſumitur. Ideò *Peneo ſtagnante*. *Stagnare* autem eſt vndis opprimere immobilibus, ex eo quod nullus ad exitum aditus aperiatur, ex quo fit vt lacum efforment vno in loco collectum.

INCLVSA SCOPVLIS. Ad Paludem, de qua ſupra, refertur adiectiuum *incluſa*, quod idem eſt, ac *intus clauſa*. Dumq; addit *ſcopulis* obices notat, quibus *intus clauſa* obſideretur Palus; *ſcopuli* autem nil aliud ſunt, quàm montes ipſi, aut montium rupes. Vide lib. pri. Carm. 152.

TENERET THESSALIAM. *Teneo* pro eodem ſæpè ſumitur, ac *tego*, *occupo*, *opprimo*: Sic Virg. Georg. pri., de aquis pariter loquens, ait: *Quiq; Paludis*

Collectum humorem bibula deducit arena.
Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit, & obducto latè tenet omnia limo &c.

Theſſalia verò Græciæ regio eſt, ex vna parte Beotiam, ex altera Macedoniam habens; olim ab Æmone Rege Æmonia dicta; immò & Pelaſgicon Argos, & Hellas, & Dryopis, quondam fuit appellata. In hac genitus eſt Rex nomine Græcus, à quo Græcia: ibique natus eſt Hellen, à quo Hellenes vocata; eiuſque Incolas Homerus tribus appellat nominibus, nempè Myrmidonas, Hellenas, & Achæos. Dictam & Pyrrhæam inuenio à Pyrrha Deucalionis vxore, cuius tempore ingens illa aquarum contigit illuuies, quæ Theſſaliam abſumpſit totam, ſolique Deucalion, & Pyrrha coniuges, in Parnaſſi iugis ſeruati, populorum reliquias, illùc quoquo modo confugientes fruiſſe dicuntur: vnde datus fabulæ locus, qua confictum fuit, ex Themidis eos oraculo, antiquæ Matris oſſa poſt tergum iacientes, reparatores orbis extitiſſe. Illuuiem huiuſmodi, cauſam, effectuſque illius, atq; orbis, per ſupradictos coniuges, reparationem latè proſequitur Ouid. Metam. pri. Sed, ne longiùs euagemur, ad Theſſaliam noſtram regrediamur. Hæc viginti quatuor montes dicitur continere, inter quos, præcipui ſunt, quos ſupra recenſuimus; & ab Aleuaro Pyrrhæ filio in quatuor partes diuiſa eſt, nempè in Theſſalioten, Pelaſgioten, Phthioten, & Eſtioten, vt notat Parrh. ex Ariſtotele de communi Theſſalorum Republica ſcribente, eius ab

Aquis,

Aquis, eam in lacum efformantibus, exſiccationem Diodorus, Catullus, ac Tragædus Seneca inter Herculis opera commemorant. Certè tamen Auctor noſter cum ijs ſentit, qui eam Neptuno attribuunt, vt ſatis ex contextu patet. Cum itaque Lacus totam ſub vndis merſam detineret Theſſaliam.

ET NEGARET, COLI ARVA MERSA. Ab antecedentibus ad conſequentia enarranda progreditur Vates; nam ex eo, quod *Palus*, hoc eſt aquæ, Lacum efficientes, Theſſaliam tegerent, certè ſequebatur, vt inculta prorſus illa remaneret. Dat itaque prohibentis actum ipſis aquis in Lacum coactis, ac per nomen *Palus*, ſignificatis, vt notet connexionem cauſæ cum effectu, neceſſariò conſequenti, atq; eiuſdem influxum cauſæ in eumdem effectum; ideòq; per copulam *Et* cauſam cum effectu coniungit: *Et negaret* (nempè Palus iam poſita) *coli arua*; hoc eſt, *negaret facultatem colendi arua*, ſeù *arua coli non pateretur*; nam *negare* idem interdum eſt, ac *interdicere*, & *prohibere*. Videtur tamen hoc verbum importare actionem prohibitiuam ab agente intellectuali, ac voluntario promanantem: nam affirmatio, & negatio ad ſecundam pertinent intellectus operationem. Quarè Poeta hic vel ſenſum tribuit inanimatis: vel *Paludem* poſuit pro ipſo Paludis Numine; nam vt ſæpè vidimus vnicuiq; aquarum congregationi proprium Numen antiquitus præponebatur: ideòq; iure illi intelligentis adſcribit actionem. Heinſius legendum cenſuit, *negarent arua coli*; hoc eſt *recuſarent*. Verùm *recuſare* dicit actum *voluntarium*, vel ſaltem *ex ipſa recuſantis natura promanantem*. Arua autem Theſſaliæ, quibus actum recuſandi attribuit Heinſius, certè non reſpuebant culturam ex natura ſua; cum à poſteriori pateat, ea immò culturæ amantia, ac grata fuiſſe cultoribus, larga laborum præmia cum reddiderint incolentibus. Quarè non ipſa recuſabant de ſe culturam, ſed palus cultores arcens ea coli prohibebat. Dixerit fortaſſis Heinſius, dictum fuiſſe, quod arua coli recuſarent, quia arua ipſa earum effunderet ſcaturigines aquarum, quibus arcerentur cultores. Sed eſto hoc verum eſſet; adhùc congruentiùs diceretur *Palus negaret*, quàm *arua negarent*; nam per vulgatam noſtram, cum Parrhaſio legentem cauſa immediata connectitur cum effectu; vbi Heinſiana lectio effectum cum cauſa remota, & mediata tantum coniungeret, ſeù cum cauſa cauſæ. Porrò *Coli* & idem eſt, ac inhabitari; & etiam ſignificat omnibus ad agriculturam pertinentibus munijs exerceri. In ſenſu inhabitandi habetur verbum *colo*, (à quo infinitum paſſiuum coli) apud Virg. Ecl. 2. vbi ſic

Quem fugis ah' demens? habitarunt Dij quoq; ſyluas,
Dardaniuſq; Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipſa colat; nobis placeant ante omnia ſyluæ.

in eodem ſenſu, Georg. 3. de Calabri angue, ſic ait

Stagna colit, ripiſq; habitans hic piſcibus atram
Improbus ingluuiem, ranisq; loquacibus explet.

In ſecundo autem ſenſu, habetur apud eumdem Virg. Georg. pri. vbi ſic. . . . . *Pater ipſe colendi*
Haud facilem eſſe viam voluit; primuſq; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda.

& Georg. 4. in eodem ſenſu vſurpatur reſpectu hortorum

Forſitan &, pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferiq; roſaria Pæſti.

Vtrumque autem ſenſum complectitur Auctor hic; nam vtrumq; prohibebat Palus, nempè & habitari ab hominibus, & ruſticis exerceri inſtrumentis Theſſaliam. Sed cur *arua* igitur dixerit Vates? *Arua* ea eſſe vidimus, lib. pri. Carm. 128, quæ aratro ſubacta ad frugem comparantur, & exercentur: quomodò igitur *Arua* dicat illa, quæ nullo poſſe aratro exerceri dictitauerat? Diſtingue, & concordabis. Quæ enim non arua eſſent per accidens ex ſuppoſito impedimento, *arua* erant ex natura ſua culturam non reſpuentia, & *arua* de facto erant, ſemoto impedimento futura; quarè non ea Vates appellat *arua*, in ſenſu compoſito, cum tali ſcilicet impedimento, ſed in ſenſu diuiſo, hoc eſt prout à tali ſeiuncta impedimento, quod per particip. *Merſa* exprimitur, prout merſa non erat *arua*, ſed prout non merſa iam arua ſunt, & exercentur &c. Merſa autem dicuntur, quæ ſub aquis poſita, ijſdem obruuntur. Credes fortaſſis, hoc ipſum participium ſuperuacaneum hic eſſe; nam ſufficienter merſam indicarat Theſſaliam Auctor, dum dixerat: *negaret Palus arua coli*. Verùm, te melius introſpectâ, agnoſces profectò, omitti hoc participium non potuiſſe; nam ſi indefinitè locutus fuiſſet Poeta, dicens tantum *iam Palus negaret arua coli*: videretur apertè innuere, totam omninò, ac ſecundùm omnes ſui partes, Theſſaliam, Peneo ſtagnante ſuperfuſam, ita vt nullibi prorsùs inhabitari, coliq; potuerit; quod fuiſſet oppidò manifeſtè falſum; nam, vt vidimus, Theſſalia plures habuit montes, ad quos mergendos certè palus illa non extendebatur, ſed planitiem tantum Theſſaliæ montibus incluſam obruebat. Quarè addenda neceſſariò fuit particula limitatiua, & quodammodo diſſerentialis, vt ſciremus, Vatem non de tota ſimpliciter Theſſalia locutum; ſed tantum de tota Theſſalia in planum extensâ, quæ ſola inhabitari, colique non potuit, cum Lacus eſſet; nam cæteroqui etiam tunc Theſſalia, ſecundùm montanam partem cultoribus non caruiſſe in comperto eſt, ideòq; Vates ſecundùm partem merſam coli non potuiſſe dictitat, vt oſtendat, ſecundùm partem non merſam, & habitabilem fuiſſe, & cultam. Inſuper, niſi illud appoſuiſſet diſtinctiuum, alteri æquiuocationi obnoxius fuiſſet textus; potuiſſet enim quis, totam intelligens ſimpliciter obrutam aquis Theſſaliam, arbitrari, textum hunc intelligendum eſſe de illa aquarum illuuie, qua diximus, Phyrrhæ tempore, non planiciem ſolum, ſed & montes obrutos fuiſſe Theſſaliæ: vt itaque & ſe, non de illa locutum, ſed de lacu, oſtentaret; & vt lacum ipſum in Planitiem tantummodò tyrannidem exercuiſſe declararet; non generaliter, & abſolutè dixit, Paludem negaſſe, ſeu prohibuiſſe, ne arua colerentur, ſed ne colerentur eæ terræ partes, quæ, in Planitiem extenſæ, ſub vndis merſæ detinebantur, cæteris è lacu emergentibus, cultore, cæteroq; non deſtitutis.

NEPTVNVS. Cum ſe ad ſimilitudinem inducendam comparaſſet Vates, per particulam *ſic* antequam ſimilitudinem ipſam exponeret, cauſam adnotare voluit, cur ſimilis modus montium diſijciendorum adhibitus à Neptuno fuerit; ideòq; & amplificauit, ab opportunitate temporis, ab adiunctis incommodorum, quæ patiebatur Theſſalia &c. cauſam ipſam, vt in comperto eſſet, tantis motum cauſis, Neptunum, non leui ictu, montes impuliſſe; vt exindè aptior, & congruentior euaderet parallela, quam inſtituerat comparatio. Hic autem ipſam aggreditur comparationem. Quarè particula illa *ſic*, initio poſita, hùc, procul dubio, eſt transferenda; nam *ſic Neptunus &c.* Qui ſit Neptunus iam vidimus lib. pri. Carm. 104 &c, cur illi hæc montium attribuatur diſruptio, vidimus pariter mox in antea ctis. Ideò prætereo.

TRIFIDA CVSPIDE: Inſtrumentum hic notat, quo vſus fuerit Neptunus, ad impellendos montes, illudque ipſum Neptuni ſceptrum indicat fuiſſe, quod, per antonomaſticam circumlocutionem, *Trifidam* cuſpidem appellat; *trifidum* enim dicitur, quod in tres partes aut finditur, aut findi poteſt: & profectò, cum Neptuni ſceptrum ſit *Tridens*, ideſt ferrum, triplici diſtinctâ cuſpide inſignitum, certè *trifidum*, ſeu *trifida cuſpis* dici debuit. Vel dicas, trifidum dictum Neptuni ſceptrum, quaſi *ter fidum*; nam ſi *fidum* dicitur id, cui fidendum; procul dubio *ter fidum* erit Neptuni ſceptrum, cui videlicet à Neptuno tripliciter fidendum ſit; cum *Tridens* nil aliud ſignificet, quam triplicem Neptuni poteſtatem, quam ſcilicet habet *attollendi, placandi, conſeruandique* maris, quæ facultates nunquam certè Neptunum fallant. Alij etiam dicunt, trifidum efformari Neptuni ſceptrum, ob triplicem, quam habet, poteſtatem, ſeù triplex imperium, nempè in aquas dulces, ſalſas, & medias, in quibus & Paluſtres ſunt aquæ nec ſalſæ ſcilicet, nec guſtui gratæ: &, etiam in hoc ſenſu, trifidum, ſeù ter fidum dici eius poteſt ſceptrum, nam infallibiliter illi obediunt vni, ſoli, ac ſemper aquæ illæ, ideòque, fideli Imperio, voluntati imperantis obſequitur ſemper. Alij *trifidum* dici aſſerunt, ob tres, quos effundit Oceanus, Mediterranei ſinus: & ſic etiam ter fidum dici poteſt, quia & Oceanus, & tres ab illo emergentes prædicti ſinus nunquam ſui Numinis nutui reluctant. Certè huiuſmodi figuræ ſceptrum Neptuno attribuerunt antiqui, vt æqualis eum cum Ioue poteſtatis deſignarent, cum enim Ioui fratri Triſulcum dediſſent fulmen, æquum fuit, vt in argumentum paritatis Trifidum Neptuno ſceptrum adaptarent. Sed cur vſus Tridente, ad quatiendos montes dictus eſt à Vate Neptunus? Terræmotu concuſſos, confractoſq; iam vidimus Theſſaliæ montes; terræmotum ex aquis excitari, iuxta opinionem Democriti pariter vidimus; atque, ad hoc indicandum, neceſſe fuit, vt Poeta non ſolum terræmotus effectum Neptuno tribueret, ſed etiam innueret factum inſtrumento aquarum; ideòque Tridente vſum effinxit; nam Tridens, vt ait Plutarchus, ſymbolum tertiæ ab igne regionis eſt, nempè regionis aquarum maria conficientium. Inſuper apertam vim qui-

ties ſignificare vellent Antiqui, Tridentem in hieroglyphicum adſciuère: vtigitur oſtenderet Vates, apertâ vſum vi, ad diſijciendos montes, vſum fuiſſe Neptunum, Tridentem dictitat adhibuiſſe. Ideò *triſida cuſpide*. Quid autem cuſpis ſit, vidimus hoc eodem lib. Carm. 19. ideò non repetam.

IMPVLIT ADVERSOS MONTES. *Impellere* idem eſt, ac vrgere, & *ad cedendum*, ſeù *ad cadendum cogere*. Prout ſignificat cogere aliquid, vt cedat, habetur apud Virg. Æn. pri. vbi Æolus, Iunoni obtemperaturus, rupes, quibus venti claudebantur, cuibrata cuſpide cogit, vt cedant, ac liberum ventis aditum relinquant. *Cauum conuerſa cuſpide montem*
Impulit in latus. ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta ruunt &c.
& in hoc eodem ſenſu ab Auctore noſtro ſumitur hic. *Montes* autem, quaſi *eminentes*, dicuntur. Hic tamen poſitum arbitror montis nomen in ea ſignificatione, quam alibi huic nomini traditam vidimus à Virg. verba citantes Palinuri Æn. 6. exarata, vbi pro montium rupibus *montes* poſitos adnotauimus.
Prenſantemq; vncis manibus capita aſpera montis.
Montes autem *aduerſos* dixit: & profectò in duplici ſignificatione vſurpatum video *aduerſi* nomen: primò quidem ita, vt idem ſignificet, ac *obſtans*, ſeù *repugnans*: ſecundò ita, vt idem ſonet, ac *oppoſitus*, ſiuè *e regione poſitus*, vulgò *poſto à dirimpetto*. Vtrumque ſenſum amplectitur Auctor: nam certè non impulit Neptunus omnes circumquaq; adiacentium montium rupes, ſed eas tantùm, quas poſitas è regione vibratæ cuſpidis inuenit; ſed quia illæ ipſæ rupes obſiſtebant Paludi, ne deflueret; ideò etiam aduerſos vocat: ideſt è regione cuſpidis poſitos, & Paludi obſtantes &c.

TVM FORTI SAVCIVS ICTV &c. Ab effectibus, & conſequentibus amplificat vehementiam ictus, quo montes impulit Neptunus. Porrò *Tum* aduerb. temporis eſt, idem ſonans, ac *tunc, illicò, ſtatim*.

VERTEX OSSÆVS. De vertice vide dicta in anteactis Carm. 91. Hic tantum noto partem pro toto poſitam per Synecd., nempè montis cacumen pro toto Monte Oſſa, quem impulit, & ab Olympo ſeiunxit; ad quem clariùs denotandum, ne fieret æquiuocatio, addidit vertici particulam differentialem *Oſſæus*, adiectiuum videlicet poſſeſſiuum ab Oſſa efformatum. Erat itaque Oſſa idem olim, vt dicebamus, cum Olympo monte nunc ab eodem Olympo ſegregatus montem efficit diſtinctum. Alibi vidimus Oſſam diuiſum ab Olympo, vt plures aſſerunt Alcidis operâ. Verùm hoc non obſtat poeticæ, quæ hic habetur locutioni; nam, cum diuerſæ adſint de eadem re opiniones, non incongruum eſt, vt Poeta, qui ad lites dirimendas non accingitur, modò ad vnam, modò ad alteram de eadem re opinionem reſpiciens dicat. Cum itaque Theſſali, vt diximus, hanc diuiſionem à Neptuno factam aſſerant, non incongruum duxeris, ſi Vates de Theſſalia loquens, Theſſalum agat, & Theſſalorum adhereat opinionibus.

SAVCIVS FORTI ICTV. Idem eſt *ſaucius*, ac *vulneratus*; nam *ſauciare*, *vulnerare* eſt: aptè autem ſauciatum aſſerit montem, quem *triſida cuſpide*, ac *forti* tranſuerberatum *ictu* deſcribit. *Fortis* porrò dicitur, qui magnis viribus vel corporis pollet, vel animi, quod certè nullo modo competit ictui: ſed, quod proprium eſt cauſæ, effectui, per Metonym., attribuit Vates. Immò hoc pacto indicat, vt arbitror, vires cauſæ, in effectum tranſmiſſas, & alludit ad ſententiam, quam nos de motu proiectorum in Phyloſ. ſuſtinemus, nempe qualitatem docentes imprimi ſuperadditam in proiecto ab ipſo proijciente, quo fortiùs ad motum fiat, & conſequenter ad ictum, quem, per motum, efficit, validius. Quarè & *fortis* dicitur *ictus*, validis nempè viribus contortus, & euibratus. Ictus autem eſt ipſa formalis percuſſio, à re, quæ icitur, peracta: & licet non proiecerit Neptunus Tridentis cuſpides, ita vt illas è manu fineret elabi; ſe tamen ad modum habent proiectorum inſtrumenta, quæ valida in aliud manu compelluntur. Ideò *forti ictu*; hoc eſt valida, ac vehementi percuſſione.

DISSILVIT. Nota ex ipſo verbo impetum, vehementiam, ac celeritatem fractionis, quæ facta dicitur montium ſeiunctio, ac ſeparatio: nam *Diſſilio* verbum eſt compoſitum ex *dis*, & *ſalio*, quod idem eſt, ac *ſalio in diuerſam ab altera partem ſecedo*. Scio equidem, & pro *frangor*, accipi ſolitum; nam Virg. Æn. 12. ait
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Diſſiluit; fulua reſplendent fragmina arena.
quem locum ſecutus Hieroſ. liber. cantu 7. Torquatus ſic concinit.
Frangeſi il ferro all'hor, che non reſiſte
Di fucina mortal tempra terrena
Ad armi incorruttibile, & immiſte
D'eterno fabro: e cade in sù l'arena.
nemo tamen negauerit, per verbum *Diſſilio*, talem importari fractionem, quæ ſummo impetu, ac celeritate fiat, vt iam nos expoſuimus; licet & fractionem ſimul, & impetum, ſeù celeritatem illius importet verbum, vt hic.

GELIDO OLYMPO. De Olympo, & ſatis ſupra, quo ad rem præſentem diximus, dum inter Theſſaliæ montes enumeratum, atq; Oſſæ coniunctum diximus, & ſparſim alibi plura enarrauimus. Hic tantum ethymologiam nominis adnoto; Olympus enim græcè *ὁλόλαμπος*, quaſi *ὅλος λάμπος*, ideſt *totus ſplendens*. nam tantæ dicitur eſſe altitudinis, vt, nubes excedens, clariſſimo ſemper Sole fruatur, in vertice quod innuit Luc. lib. 2. inquiens. . . *Nubes excedit Olympus*. Cur autem *gelidus* dicatur, patet ex dictis in præfatione ad hunc lib. Carm. 20. cum enim idem cum Oſſa, de quo ibi agebamus, mons fuerit, eadem de vtroque ratio eſt; ideòq; & Olympus obdurato rigens gelu indicatur: quod tamen intellige ſecundùm partem inferiorem, à qua diuulſus eſt Oſſa, non verò ſecundùm ſuperiorem, quæ nubibus altior perpetua fruitur Solis facie. Vel ſi de toto Olympo malis id intelligere, dixeris cum Parrhaſio, *Gelido* poſitum pro frigido. Sed congruentiùs addicta iam de Oſſa monte in Præfatione cit. procedit explicatio noſtra.

CARCERIBVS LAXANTVR AQVÆ &c. Ad apertum anfractum, quæ conſequantur proſequens, enumerat Vates: ac primò aquarum deſcribit eruptionem. Ideò *aquæ* dixit, numero vſus multitudinis, vt innueret complures, vt dix., aquas confluere in lacum ſolitas. *Laxare* autem pro eodem non ſemel accipitur, ac *Liberare*, ſeù *exſoluere*: Sic Lucetus ad Cic. Epiſt. 5. *Vt te, inquit, his moleſtijs laxes*: & propriè dicitur de ijs, qui, carceribus detenti, liberantur tandem; quare & liberantis vox Iudicis eſſe ſolet *relaxetur*. Ideò & hic *laxantur*, hoc eſt *liberantur, ſoluuntur* aquæ: vbi allegoricam adnotare licet elocutionem, *laxantur carceribus*. Carcer dicitur locus, in quo ſontes aſſeruantur, vel ex quo, vndecumque, quis exire prohibeatur: dictus *Carcer* à coercendo, eo quod incluſos ita coerceat, vt exitum nequaquam valeant inuenire. Sic itaque aquæ Paludis, de qua ſupra, montibus circumquaque claudentibus prohibebantur ab exitu; ideò quodam quaſi carcere detentæ *laxari* dicuntur, cum anfractus efficitur, per quem elabantur. Vſus eſt autem numero multitudinis, dum *carceribus* inquit more poetico per Synecd.

ET FLVVII &c. Ad aquarum eruptionem, aliud ſubſequitur conſequens, quod alteri ſuprapoſito connectit Vates, per particulam *que* pro *&* copulatiuam: nempè quod ad mare flumina reuertantur. *Fluuij* verò à *fluendo* dicuntur, eo, quod ſemper fluant ad diſtinctionem torrentium, qui ſæpe ſæpiùs exſiccantur. *Fluuij* autem dixit, non *flumen*; quia plures fluuij concurrebant, & plures commixti egreſſi ſunt, licet vnico recepti alueo, atq; vnico Penei nomine retento, vt ſupra dicebamus. Quarè minùs placet Heinſiana lectio, quæ *flumina* pro fluuij repoſuit: nam licet, & hæc ſubſiſtere poſſit, quia tandem fluuij cum commixti ſunt, vnoq. potiuntur alueo &c. vnum integrant fluuium; non tamen adeò clarè realitatem exprimit fluuiorum, in vnum coeuntium, vt vulgata noſtra. Non ita diſplicent, qui, vbi nos ſupra legebamus: *Tum forti ſaucius ictu*, legere maluerunt: *Ter forti &c.* nam *ter forti* idem eſt, ac *fortiſſimo ictu*, iuxta Gallicam linguam, quæ ternarium numerum collocat loco ſuperlatiui. Fracto meatu, hoc eſt aperto per fractionem aditu. Alij legunt tacto; ſed perperam, vt notant Parrhaſ., & Heinſius.

REDDVNTVR MARI. Reddi propriè dicitur, quod ablatum fuerat, & reſtituitur. Ablata fuerant à mari flumina; nam omnia ex mari flumina exeunt, & in mare redeunt, vt ſacræ ipſæ teſtantur litteræ; in quibus Eccleſiaſtes cap. pri. apertè habet. *Omnia flumina intrant in mare; & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, quibus adhærent non pauci ex Phyl. id ipſum cum Seneca aſſeuerantes; licet recentiores etiam non pauci impoſſibilem hanc fluuiorum è mari tranſmiſſionem vſurpentur. Certè ad ſuprapoſitam ſententiam Vates accedit, dum inquit *redduntur mari*. Redire autem ad mare ea nequibant flumina, Montium carceribus detenta; ideoq; ablata, rapta, ſurrepta è mari videbantur: iamq; fractis carceribus, dum in mare elabi iiſdem permittitur, *reddi*, hoc eſt *reſtitui* dicuntur mari, cui profectò debebantur. In quo

nota,

nota, Neptunum montes infringentem, ſibi, quod ſuum erat vindicaſſe: in quo non videtur quodammodo differre Pluto, non quidem quo ad veritatem facti; nam falſo raptor diceretur, ſi ſua quæreret; ſed ſecundùm ipſius Plutonis exiſtimationem, qui, ſibi deberi coniugem iure, exiſtimabat, atque iniuria denegatam arbitrabatur, vt vidimus lib. pri. Ideò & ipſe, quaſi ad ſibi vindicandum, quod ſuum ipſo iure eſſe, cenſebat, impulit aduerſos montes. Sed flumina in Mare delabentia proſequamur. Quid ſit Mare, iam nouimus lib. pri. Carm. 176., quarè nil immoror. Hic pro principio, ac fine fluuiorum ponitur.

TELLVSQVE COLONIS. Subintellige: *redditur*; nam vis copulatiuæ *Et* efficit, vt ad idem verbum referatur membrum ſubſequens, ad quod referebatur antecedens: in quo figuram adiunctionem facilè animaduertes. Tellus itaque propriè Dea terræ eſt, nempè Cybeles, de qua plura lib. pri. Carm. 180., ſed ſæpè pro ipſa terra, ſicut Ceres pro frugibus, accipitur; & in hoc ſenſu vſurpatum hic noſces ab Auctore nomen *tellus*. Videri poſſet fortaſſis Vates, totum pro parte poſuiſſe; ſed falſo, nam, loquens in ſubiecta materia, totam tellurem, olim ab aquis oppreſſam, redditam colonis affirmat: neque enim nomen *tellus* poteſt hic relationem habere ad totam, qua orbis infimus conſtat, terram; ſed ſolum ad totam illam terram, quæ, in antecedentibus, & deſcribitur, & circumſcribitur; quæ tota *colonis redditur*. Colonus verò & habitatorem ſignificat, & cultorem, ſeù agricolam. Quarè pari paſſu differendum hic, ac diſſeruimus in verbo *Colo*, cui colonus hic adamuſſim correſpondet. Inſuper *Coloni* etiam propriè dicebantur, qui à Metropoli vrbe (ſic enim dicebatur, quæ Coloniam emittebat) in alium locum habitandi cauſa deducebantur. Cum itaque ex montibus in Theſſaliæ planitiem deducendi eſſent, qui eam & habitarent, & colerent, ideò etiam peculiari alluſione Coloni iure dici potuerunt, & ſunt.

Sed dum iſti redditam ſibi planitiem colunt, nos animorum culturam ex dictis iam dogmaticè deducamus.

Nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum, inquit Veritas illa, quæ infallibilis eſt, cum, carnem, quam induerat, mortalem depoſitura, in ſatellitum incidit manus. Tradere huiuſmodi oportet Satanæ in interitum carnis: inquit gentium Doctor, cum de homine ſceleribus addicto loqueretur. Quid eſt igitur Plutonem, trabali ſceptro, obſtantes Ætnæ rupes diſieciſſe? Hoſtis procùl dubio humani generis eſt Pluto Animæ, in ſcelere deprehenſæ, ex inſidijs inhians, cui ſi annuat Olympi Rex, procul dubio reſiſtentes quaslibet humanæ naturæ vires confringet ille, & vſq. ad interitum carnis excruciabit. Cum itaque morbis adeò affligitur corpus, vt Anima iam nutet diſſoluenda ab eiuſdem ſocietate, faxit Deus, ne tunc ſit hoſtium hora infernalium, ac poteſtas in nos tenebrarum. Adſit ſtrenuo, ac forti vtcumq; animo, qui iam cum morte colluctatur; trabali ſceptro, obſtantes diſijciet rupes hoſtis ille proteruus; &, quaſi ſibi vindicans ſuam, vias ad rapiendam, extremis ictibus, patefaciet. Adſint Eccleſiaſtica munimenta, quæ, inconcuſſis vtq; clauſtris, animam circumambiant, atq; ab incurſu Dæmonum tueantur; trabali ille ſceptro, noſtris ſanè ſceleribus fabrefacto, munimenta omnia, confringens, ſuperabit, Animam inuaſurus; vt non mentiatur tritum illud axioma: *Qui male viuit, male moritur: & qualis vita, finis ita*. Pius quidem, ac miſericors ſemper eſt Deus, cuius miſericordiæ non eſt finis; ſed impœnitenti peccantium duritie eo interdum adducitur, vt dicere iure poſſit, & debeat. *Extendi manum meam, & renuiſtis; ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos*. Extenderat & Iupiter manum, tot refertam prodigijs, vt Proſerpinam ab hoſte auerteret filiam: aſt, poſtquam illa renuit, iam neq; Ætnæ rupes eam ſatis queunt defendere. Sic Proſerpina noſtra, hoc eſt Anima, tot monitis, tot terroribus, tot interdum etiam flagellis à peccato deterrita, ſi renuerit, meretur profectò, vt, ne munimentis quidem Eccleſiaſticis, tuta ſit ſatis, cum e corpore ſeparanda æterni eſt ſæculi ſeriem ingreſſura. Triſtia à nobis hæc, precor, auertat omnia Deus: ac nos interim ad Italicam Chelym diuertamus.

Mà pure in van s'aggira; in van rintraccia,
 Dal cauo monte onde ſi varchi al Sole;
 Ch' adito non vi ſcuopre; e ſolo, in faccia,
 Vedeſi torreggiar marmorea mole,
 Che, d'aſpre rupi entr' à robuſte braccia,
 Stringe 'l ſuo carro, e prigioniero il vuole,
 Cinge quella ogni lato; e, d'vn ſol ponto,
 Non hà de maſſi il curuo ſen diſgiunto.
Impatiente al veder, che contumace
 Reſiſta vn ſaſſo al valicar d'vn Nume;
 Arde di nuouo ſdegno il cuor ferace;
 Ch' oſſequente à ſuoi cenni hauer preſume
 Anche ciò, che non rode il tempo edace:
 E con tal fretta il vendicarſi aſſume,
 Che ſtima i ſpirti ſuoi ſpirti codardi,
 Degni di ſcorno, ou' vn momento ei tardi;
Del vaſto ſcettro, à cui d'eccelſa traue
 Forma, e vigor più forte, il ferro diede,
 Da quella deſtra, à cui niun pondo è graue,
 La machina mural s'addatta, e fiede.
 Fiede le rupi: e ne rintrona, e paue
 Ciò, che del monte al più riposto ſiede:
 E dell' Iſola tutta à ſcuoter viene
 Eccho d'horror le cauernoſe vene.
Meligune dall' Etna il mar diſgiunge;
 E pur vacilla al fiero bombo, e trema.
 Lo ſtordito Vulcan, ſe ben da lunge,
 D'altre fucine in ſen, s'affanni, e frema,
 Stolido reſta, allo ſtupor, ch' il giunge;
 E sì lo ſtringe al cuor gelida tema;
 Che gl' incudi abbandona; e la fornace
 Non cura più; tanto il terror lo sface.
Ne, più intrepido all' opra, hormai reſiſte,
 Smarrito il ſuo ſignor Sterope, ò Bronte:
 Mà, foſche notte ad improntar, perſiſte,
 D'ambi, il pallor, nella ſuperba fronte:
 Torpe ogni neruo: e già languir ſon viſte
 Le forze loro, al titubar del fonte:
 E, perſe dalla man d'oprar le ſtrade,
 Il fulmine imperfetto al ſuol ſe 'n cade.
S'vdìr del colpo i tuoni anche là, doue
 S'induran l'Alpi in vn perpetuo gelo;
 Se pure alcuno è, che colà s'attrone,
 Prigion del Verno entr' al neuoſo hoſtelo:
 E da chi sfida in natatrici proue,
 Tebro, i tuoi peſci, ou', al natio tuo Cielo,
 Sorgi chiaro bensì; mà non adorno
 Ti fregi ancor d'opime ſpoglie il corno.
Di quegl' ondoſi auelli, oue, cadendo
 Fulminato Fetonte eſtinto giace,
 Della ſcoſſa crudel lo ſcoppio horrendo
 Scorſe, in vn ponto, à perturbar la pace.
 Gl' Alni, che, di quell' onde il ſeno aprendo,
 Spinge il nocchier, sù 'l regio dorſo, audace,
 Pauentan, pronto à nuoui danni, il Cielo;
 E paſſa al cuor del remigante vn gelo.
Con forza egual, con ſimil bombo, i monti
 Crollar già puote il Regnator dell' onde;
 All' hor, che di Theſſaglia vniti i fonti,
 Stagnauan l'acque in trarupate ſponde;
 E fean de campi all' annegate fronti
 Corona i giunchi, in ſtrato d'alghe immonde;
 Sì ch' in Driope l'antica, ou' hora appare
 Fiorita Tempe, era, frà ſcogli vn mare.
Era frà ſcogli vn mar, quando dal mare,
 Della Prole di Pirrha (oue negoſſi
 Del campo il coltiuar dall' onde auare)
 Vdì Netunno i voti; e toſto armoſſi
 Del gran Tridente, à cui dell' onde amare
 Sempre l'orgoglio adorator proſtroſſi

[illegible] habere ſimilitudinem, quoad fieri poſſit. Supra de Plutone dixerat: *Praelabitur orbita &c.* hic de Militum itinere per cuniculos: *occultum prodit &c.* vtrobiq; enim verba poſita ſignificant, quod vulgò *annunzarſi*. Nec placet Parrhaſ. qui *prodit*, inquit, hoc eſt *improuiſus emergit*; nam adhùc conſiderat militem occultum, & in cuniculo latentem, progredientemq́; eius verò improuiſam emerſionem inferiùs deſcribit, vt videbimus. Alij legunt *Pergit in hoſtem*, ſed in idem recidit, vt videtur.

IN HOSTEM SECVRVM. Præpoſitio in idem hoc loco eſt, ac *aduerſus*, vt ex contextu patet. Hoſtis verò quis dicatur, & quam propriè hic vſurpetur nomen hoſtis, habebis ex præfatione ad hunc lib. Carm. 40. Pariter, quid ſignificet nomen ſecurus, habes lib. pri. Carm. 167. hic *ſecurum* dixit, hoc eſt *nil tale metuentem*, aut ſuſpicantem.

ET EFFOSSI SVBTER &c. Per coniunctionem copulatiuam *Et* difficultati itineris, per cuniculum peragendi, aliam connectit difficultatem, ad eas ſcilicet oppoſitiones ſpectantem, quæ progredienti interdum impedimento eſſe poſſunt, nempe oppoſitos arcis muros terebrandos &c.

SVBTER. Præpoſitio eſt locum denotans inferiorem, ſicuti è contra *ſuper* locum indicat ſuperiorem. Hic locum ſub terra effoſſum ſignat, vt ex ſequentibus patet.

FVNDAMINA. *Fundamen* pro *fundamento* neutro vſurpatum *fundamentum* autem, idest, ſuper quo quid fundatur, vt conſiſtat, & firmetur immobile: aſt verò quia terra ædificiorum omnium ſolida baſis, & fundamentum eſt, eam fundaminis hic nomine deſignat Vates; vel, dicas poſitum *fundamen* pro *fundo*; nam *fundus* dicitur quæuis poſſeſſio ruſtica, ex eo, quod omnia fundet ad vitam neceſſaria, vel ex eo quod fundamentum ſit rei familiaris; & hoc tandem, ſi benè perpendatur, cum ſuperiori coincidet explicatione. Et ideò ſubdit,

CAMPI EFFOSSI. Quaſi terra ſub campo poſita, & in vnum depreſſa dicenda ſit, vt verè eſt, fundamentum campi ſuperius extenſi, ideò ſubter fundamina, quia ſub hac depreſſiori terra cuniculus agitur. Campus itaque eſt ampla terræ planities; ex cuius mentione iam vt [illegible] nuari hic à Poeta locum cuniculis aptum, immò aptiſſimum, cuiuſmodi certè planities eſt, quæ faciliùs, temporè terebratur, quàm montium radices, nam, in his, ſæpè foſſoribus obſtat ſaxorum, ac rupium impenetrabilis oppoſitio. Effodio autem, à quo particip. paſſ. *effoſſi*, idem eſt, ac *terram effodiendo eruo*, & *foueam facio*: Quarè effoſſi idem erit, ac *excauati*, atq; *in foueæ morem conformati*, quæ in longum deducta cuniculum efformet; ex quo vides habitam iteratam cuniculi deſcriptionem.

TRANSILIT MVROS ELVSOS. Sic enim legendum arbitror cum Heinſio, & vulgatis omnibus potiùs, quam cum Parrhaſ. *incluſos*. Fateor Parrhaſ. lectionem clariùs exprimere difficultatem muri terebrandi, in ipſo cuniculo, dum muros, ſeu murorum fundamenta in illo obijci progredientibus inſinuat. Sed in idem tandem recidet Epitetum eluſos; quarè vulgatam ſequor, & explico.

TRANSILIT. Verbum eſt iſtud compoſitum ex *Trans*, & *Salio*, quod eſt *ſaltu vltra progredior*. Emphaticam autem habet vim exprimendi anxiam quandam motus celeritatem, quæ mente aptiùs concipi, quam verbis exprimi poſſit; qui enim per cuniculos ad prædam, ac victoriam fertur, impatienti quadam celeritate accelerat ita, vt, momento temporis, ſi fieri poſſit, confectum iter exoptet.

MVROS ELVSOS. *Murus* à muniendo dictus propriè eſt *lapideus vrbis ambitus*; cùm è contra *paries* propriè dicantur *domorum clauſtra*. *Eludi* autem, à quo particip. *eluſos*, idem eſt, ac *deridere*, vulgò *eſſer ſchernito*; iure enim *eludi* Mœnia dicuntur, dum, ijs non obſtantibus per ſubterraneum iter, quod vel ſubtus fundamenta, dilabatur, vel per fundamentorum terebrationem tranſiliat, in arcem euadimus. Hoc ſecundum videtur innuiſſe Parrhaſ., vt dicebamus, dum legit incluſos, nam ſi muri reperiantur in cuniculo tranſuerſaliter incluſi, certè terebrandi ſunt, vt tranſiliamus. Noſtra autem lectio ad vtrumq; reſpicit modum, quo Mœnia eludi potuerint.

ARCANO LIMITE. *Limes* propriè loquendo, *ſemita tranſuerſa* eſt; & ideò limite eludi muros, innuit; quia tranſuerſam per murum ſemitam ducit cuniculus, vt viam in vrbem aperiat, vel terebratione adhibita, vt dicebamus, vel murum fallens, dum ſubtus fundamina tranſuerſè fertur in arcem. Et dicitur *Limes arcanus*, quia abſconditus, & occultus ſub terra effoſſus latet cuniculus; Arcanus enim ab Arca dicitur, quaſi arca abſconditus, licet abſolutè pro quomodocumque abſconditus vſurpetur, vt hic. Huiuſmodi autem Arcanos limites conſtruere didicerunt milites *inuaſſigatores* ab animali, quod cuniculum appellant; vulgò *coniglio*; nam eſt huiuſmodi animal per quam longiſſimos tractus terram effodiens, ac terebrans, è domibus, vbi detinentur, incluſum effugit cuniculi ſoramine; eſt occultus iſte limes militans.

ET TVRBA VICTRIX. Copulat iam per coniunctionem effectum cum ſua cauſa, nam victrix hic effectus, hoc mutuo eluſo cauſa ſunt, in communi modo loquendi, vt vrbs [illegible]. Vel dicas, ſicut qui victurus ſemper in executione eſt, licet aſſumpta in intentione, connectit enim hic [illegible] ſimilitudine, ex præcedentibus, quæ fuerunt prius in executione, ſiue cuniculus, eiuſque, & muros, terebratis ſunt media, ad hoc vt militis in arcem erumpat. Vel dixeris conſequentia cum antecedentibus coniungi. Porrò nomen *turba* duplicem habet ſignificationem: militum multitudinem dicit, & [illegible] perturbationem illatam; nam turba à turbando dicitur. Milites itaque cuniculum ingreſſi, erumpentes è cuniculo in hoſtilem arcem, eam maximè compleant perturbationibus; aptiſſimè huiuſmodi milites *turbæ* nomine deſignantur; & *turba* victrix; nam victrix à vincendo dicitur. Et vicíſſe profectò dici poteſt, qui armato milite hoſtilem iam complet vrbem: quamuis enim reſiſtere adhuc aliquandiu poſſint hoſtes, ſi in turmas cogant; quid tandem faciant vallo, ac mœnibus deſtituti, vbi cuncta ferro, ac flammis expoſita remanent; & cuncta frementis eiulatibus, profligatam patriam conclamantibus complentur? Porrò in morte ruent victi, non in victoriam. Sed eſto, bellum integrare, valeant hoſtes, & cuniculares, cineres, iterum deturbare, [illegible] ſupercro: adhuc victrix diceretur turba illa per cuniculum ingreſſa: nam victrix idem ſæpè ſonat, ac *voti compos factus*, vt patet ex Virg. Æn. 7., vbi de Alecto, quæ Iunoni, arma ſe vtriuſq; in Troianos concitaturam promiſerat non ſolum, ſed & iam promiſſis ſteterat, hæc habet

... Atque ea per campos æquo dum marte geruntur,
Promiſſi Dea facta potens, vbi ſanguine bellum
Imbuit, & primæ commiſit funera pugnæ,
Deſerit Heſperiam, & cœli conuerſa per auras
Iunonem victrix affatur voce ſuperba.

Certè Alecto nullam ex hoſte victoriam retulerat, cum nec hoſtem habuiſſet; ſed tantum concitans in arma Heſperiam non minùs quam Troades, promiſſis ſteterat & ideò victrix, hoc eſt perfuncto munere voti compos dicitur. Vtramque ſignificationem amplexum arbitror Claudianum, vt, quomodocunque tandem res cecideris, victricem potuiſſe dici turbam, non ignores.

IMITATA VIROS TERRIGENAS. *Vir* à virtute dicitur; & ſine virtute bellatores eſſe non poſſunt; ideò armatos homines aptè *viros* appellat Vates; hoſq; *terrigenas* vocat, quod idem eſt, ac *natos ex terra*, ſeù *terrâ genitos*, vt per hanc notam differentialem apertè oſtendat ſe loqui hic, non de Titanorum turba, aut Gigantum, aliorumque, quos è terra natos referunt fabulæ: ſed de ijs terræ filijs, quos armatos, & ad bellum inſtructos è terræ gremio proſiluiſſe, fabuloſa Iaſonis, & Cadmi teſtatur Hiſtoria; & de Cadmæis quidem, ſiue ex ſeminatis draconis, à Cadmo occiſi dentibus è terra armati emerſiſſe dicuntur. Ita cecinit Ouid. Metam. 3. fab. pri.

Spargit humo iuſſos, mortalia ſemina, dentes,
Inde (fide maius) glebæ capêre moueri:
Primaq; de ſulcis acies apparuit haſtæ:
Tegmina mox capitum picto nutantia cono,
Mox humeri, pectuſque, oneratq; brachia telis
Exiſtunt, creſcitq; ſeges clypeata virorum.

aſſerit autem Pherecydes partem tantùm iſtorum draconis dentium à Cadmo terræ commiſſam, alteram verò partem Aeetæ Colchorum Regi delatam, quæ poſtea à Iaſone ſeminata, iterum in armatam exiluit meſſem, vt memorat idem Ouid. Metam. 7. vbi ait

. . . . . Galea tum ſumit ahena
Vipereos dentes, & aratos ſpargit in agros.
Semina mollit humus valido prætincta veneno;
Et creſcunt, fiuntq; ſata noua corpora dentes &c.
Quodq; magis mirum eſt ſimul edita concutit arma.

Verum has ipſas fabulas voluerunt aliqui ex Græcis deductas, & efformatas fuiſſe ex ipſa Cunicularium militum ex terris inſueta olim emerſione; cum enim nil antea ſimile vidiſſent homines; armatos è terra gigni dictitarunt. Quarè vides quam aptè dixerit Vates: Terrigenas imitata viros

nam imitari eſt mores alterius induere, eoſdemq; referre: & terrigenas vocat etiam Ouid. armatos è terra emergentes, dum ait in Iaſonis fab. loco cit.

Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres.

& in Cadmo loco pariter cit. inquiens

Atq; ita terrigenis rigido de fratribus vnum
Cominus enſe ferit &c.

quarè & imitati terrigenas iure dicuntur Cunicularij milites è cuniculo in arcem emergentes.

ERVMPIT IN ARCES DECEPTAS. *Erumpere* eſt *cum impetu egredi*, quod proprium maximè eſt militis è cuniculo emergentis, ad victoriam inflammati, atq; omnia terrore complentis. *Arces* quænam ſint vidimus lib. pri. Carm. 213., & hoc eodem lib. carm. 19. ideò non repeto. *Deceptas* denique dixit à verbo *decipio*, & idem eſt, ac *eluſas*, de quo ſupra, ſeu *deluſas*, quod idem eſt ac dolo, ac fraude expugnatas, captaſque.

Si autem ſubterraneæ viæ cuniculi ad inſtar fabrefactæ, non quidem ad perdendam, ſed ad tuendam ciuitatem exoptes deſcriptionem habes apud Poet. Hetruſc. Principem Hieroſ. lib. cantu 10. vbi ſic deſcribit.

Caua grotta s'apria nel puro ſaſſo
Di longhiſſimi tempi auanti fatta;
Mà, diſuſando, hor ritrouato il paſſo
Era trà i pruni, e l'herbe, oue s'appiatta.
Sgombra il mago gl'intoppi, e curuo, e baſſo
Per l'anguſto ſentiero à gir s'addatta;
E l'vna man precede, e'l varco tenta,
L'altra per guida al Prencipe appreſenta.

Et inferiùs, quæ hic orſus fuerat proſequens ait:

Così diſs'egli: e'l Caualliero allhotta
Co'l gran corpo ingombrò l'humil cauerna;
E per le vie, doue mai ſempre annotta,
Seguì colui, ch'il ſuo camin gouerna:
Chinò poca fù n'andar; mà quella grotta
Più ſi dilata, quanto più s'interna;
Sì ch'aſceſer con aggio, e toſta fuora
A mezzo quaſi di quell'antro aſcuro &c.

neque enim opus eſt, vt omnia hic exaremus, quæ curioſus ex ipſo fonte decerpere poſsit. Conſimilem habet Cycnus Crucis deſcriptionem lib. 5., vbi etiam inſuper Regiam Coſroæ vrbem, ab irrumpentibus per cuniculum ducibus Chriſtiani exercitus impletam turbationibus, ac terroribus, ac captam breui deſcribit ſic.

Ed ecco, onde partì l'antique ſtuolo,
Entrano i due guerrier nel varco oſcuro;
*Van per lo vuoto oſcuro del ſuolo, **
Rumoreggia ſù'l dorſo il ferro duro;
E ben ſì par, ch'il ferro nò, mà ſolo
Ed l'vno, e l'altro il gran valor ſicuro.
Dabei, vicino alla ſegreta Porta,
Colui fà'l ſegno, ond'è la guardia accorta.
Mà l'vſcier, che diſſerra, in tanto accorto
Di che foco venia ſi reſta eſſangue,
Qual peſcator, che trahe la rete, e ſcorto
V'habbia, in vece di peſce, horribil angue:
Giunge Batran lo ſtupefatto, e ſmorto;
E gli ſcuote dal cuor la vita, e'l ſangue:
Nè men Teſace il falſo ſtile inciſe
Dell'empia vita, e'l traditore vcciſe.
Riuolſ'egli in darno, e grida à lui: d'hauerti
Quì tratto, ohimè, la mia mercede è queſta?
Et ei: sì ben: che non ſon altri i merti
D'huom che tradiſce; e'l ſen co'l piè gli peſta.
Paſſano i Caualier d'armi coperti
Doue la guardia alle gran porte è deſta,
Alle gran porte, ond'è racchiuſo il muro,
Che fà dell'Aſia il Regnator ſicuro.
L'armi incognite à lei, l'armi ſoſpette,
L'armi nemiche hà già ſcoperte, e grida:
E chiama, ò Perſiani, più non s'aſpette:
Quà quà dentro alle porte è gente infida.
La gran copia à quel dir nulla riſtette;
Mà ſcaglioſſi frà lor fiera homicida.
La guardia in tanto, impaurita, e ſmorta
Perta fugge tremante, e parte è morta.
Apre le porte, e ſopra l'alte mura
Fiaccola vincitrice erge Batrane &c.

Vides, quæ Auctor noſter, quaſi nota, præteriens vnico vix innuit verbo, à Bracciolino amplificata; nam habes ſubterraneum Cuniculum: *Ed ecco onde partì &c.* habes quanta animi generoſitate pollere debeant cunicularij: *E ben ſì par &c.* habes quomodo iidem progrediantur, & prodeant in hoſtem ſecurum: *Paſſano i Caualier &c.* habes quomodò perturbatione omnia compleat: *L'armi incognite à lei &c.* & habes denique quomodò turba victrix iure dicatur manus è cuniculo egreſſa: *Fiaccola vincitrice &c.* ſed nos ad intermiſſam Claudianici textus explicationem redeamus.

* ſubter fundamina.

SIC TERTIVS HÆRES &c. Propoſitâ ſimilitudine, ad eiuſdem deuenit applicationem, per particulam aſſimilatiuam *ſic*, de qua dix. ſupra Carm. 98. Et pari paſſu oſtendit Plutonem per ſubterraneum iter ad ſuperos progredi.

TERTIVS HÆRES SATVRNI. Antonomaſia eſt Plutonem deſignans, qui cur *tertius hæres Saturni* dicatur, habes lib. pri. Carm. 100. vbi etiam plura de Saturno, ſicut & alibi ſparſim: Ideò prætereuehor. Sic itaque Pluto per ſubterraneos terræ anfractus, ſubter fundamina effoſſæ Ætnæ occultus prodit, non in hoſtem (cum in coniugem optatam irrueret) ſed quaſi in hoſtem, quia Prædator hoſtiliter ſemper agere cenſetur: & tranſilit eluſum Enceladum retinere conantem, vt diximus; ac tandem prodit in Arcem, hoc eſt in ſuperiora montis viſcera, nam & montes Arces dici conſueuerunt, vt loco cit. iam vidimus: quarè adamuſſim quadrat ſimilitudo.

RIMATVR. Duplicem huius verbi ſignificationem agnoſco; nam primo pro eodem ſumitur *rimari*, ac diligentiſſima aliquid perquiſitione ſcrutari, & perueſtigare; quaſi rimulas qualcunq; perquirat, qui ita perueſtigat: ſic aues cibum quærentes omnes terræ, rimulos perſcrutantur, vt ait Virg. Georg. pri. vbi ingruentis ſigna referens tempeſtatis, ait

Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Caÿſtri
Certatim largos humeris infundere rores &c.

ſecundo ſumitur *rimari* pro eodem, ac *findere*, ita vt rimari ſit quaſi *in rimas agere*, vt apud eundem Virg. Georg. 3.

Ergo ægrè raſtris terram rimantur, & ipſis
Vnguibus infodiunt fruges &c.

Vtramque autem ſignificationem, vnico hoc comprehenſam verbo, in noſtro hoc textu, intueor: primam quidem, quia, cum iam dixerit Plutonem quærere iter; per ſubterraneos anfractus, tenebris vtiq; refertos, varijſq; quaſi meandris inflexos, interſectoſque, certè diligentiſſima perquiſitione opus fuerat, ne, ipſo in itinere, à tramite, quem ſecuturus erat, aberraret: ideo *rimatur*, nempè rimas omnes anfractuum accuratiſſimè perueſtigat, vt tutiorem ſcilicet, ac breuiorem eligat viam: ſecundam verò ſignificationem, quia, cum Plutonem cunicularijs aſsimilet militibus, quorum proprium eſt, non ſolum per iam apertum ſe inſinuare cuniculum; ſed etiam, quà opus fuerit excauare cuniculum ipſum, ac terram findere obſiſtentem; ſic etiam debuit Pluto, vbi terræ anfractus deficerent, vel anguſtarentur, ſibi ipſi viam aperire, atq; vt aperiret, terram ſcindere, vt & factum ab ipſo videbimus inferius ad Carm. *Ianua nulla patet &c.* Ideò *rimatur*.

TENEBROSA DEVIA. Alij cum Heinſio legunt: *latebroſa deuia*; nec lectionem improbo; nam certè quidquid latebras habet, in quibus quis lateat, *latebroſum* dicitur: & vidimus Plutonem in his ſubterraneis anfractibus latentem, cum de eo dixerit ſupra cauſa latet. Verùm, quia quidquid in tenebris eſt, latere dicitur, arbitror in idem recidere vulgatam, quæ habet *tenebroſa Deuia*, vt patet conſideranti. In tenebris autem fuerit ſubterraneum iter, certe neceſſe eſt, vt per ſe patet. Deuium verò dicitur, quidquid à rectitudine deflectit: cum itaque viderimus loca quæ Pluto peragrauerit, Meandri in morem inflexa, ideò *Deuia* appellauit adiectiuo vſus ſubſtantiuato.

VAGIS HABENIS. Notatur modus, quo iter vaganti ſimilis peregerit Pluto; *vagus* enim dicitur, qui hùc, illùcq; oberrat incertus, & inſtabilis: quod ſequitur neceſſariò, poſita tortuoſitate viæ tot, vt ſupra vidimus, ambagibus implexæ per quam Pluto incederet, & qua cogebatur hùc, illùcque diuertere, atq; in caput iterum ſæpe Meandri more contorqueri. *Vagis* autem *habenis* inquit, vt ex habenis equos, & currum, quibus vehebatur intelligas. Quarè Metalepſis hìc adeſt, qua ex habenis ad equos, ab equis ad currum, à curru ad Aurigam, nempè Plutonem equorum moderatorem intelligentia procedat. Sunt enim habenæ retinacula, & lora illa, quibus ab Auriga reguntur equi, & cohibentur, prout vſus poſtulat.

CVPIENS EXIRE &c. Cauſam notat, quæ impelle-

Vu ... retus

tetur Pluto ad tam diligentem itineris perueſtigationem; eamq; in deſiderium effundit emergendi ad prædam; nam deſiderij ſtimulis cor anxium ſemper redditur, donec voti compos fiat, qui deſideret. Ideò *cupiens* à cupio, quod eſt *deſiderio vrgeor, cupiditate ardeo.* Cum igitur qui vehementi detinetur cupiditate, *ardere deſiderio* dicatur, certè deſiderium, & cupiditas igni aſsimilatur ardenti: & cum nil mobile magis eſſe conſtet, quam flamma, aptè huic flammæ attribuitur, tamquam cauſæ, effectus inſtabilis, ac vagi Plutonis, qui ideò *vagis habenis* loca ſub terris deuia, ac tenebroſa rimari dutus fuerat *cupiens exire*. Exeo autem verbum compoſitum ab *ex*, & *eo* idem ſonat, ac *extraeo*. Incluſus enim ſubterraneis clauſtris ex illis ſe expedire cupiebat Pluto, vt euaderet tandem.

SVB ORBEM FRATERNVM. Omnis motus localis eſt à termino à quo, ad terminum ad quem. Plutonici motus terminum, à quo ſe expedire cuperet, & properaret, iam prænotauimus: hic notatur terminus, ad quem exiens peruenire cupiebat, & moliebatur, nempè *ſub fraternum orbem*. Vbi nota, per particulam *ſub*, exprimi, hoc loco, *vicinitatem ad orbem fraternum*, ſeù locum ſub aperto aſpectu fraterni orbis collocatum. Pro intelligentia, noueris, Plutonem, Iouem, vel Deum terreſtrem fuiſſe nominatum, eo, quod in partitione Regni, de qua loco cit. libri primi iam egimus, cum ei ſors apud Inferos regnandi contigerit, illi etiam totius terreni globi obtigerit imperium; ideoq; & femina, & frugum vberiatem in poteſtate Plutonis eſſe teſtabatur Lacheſis lib. pri.: & Euripides in Phoeniſsis, cuius græca Carm. ſic transfert Myth. Nat. Com. lib. 2. cap. 9.

Cum iuſta ſoluit mortuis viuus, docet
Deum ſimul terreſtrem honore proſequi.

quo adusq. igitur Pluto in terris degit, *Orbem*, ideſt Imperium Iouis fratris non ingreditur (ſpectata interpretatione, quam Pluto Pomeria Imperij ſui ampliaturus adhiberet non ſatis explicatæ Lacheſis ſententiæ) ſed confinia proprij peragrat Imperij, quæ confinia ſub ipſum fratris orbem adſtant, ideſt iuxta orbem fratris, eidemq; vicina, ac contigua, cum illis immediatè adhærcat Cælum aereum, ac ſubinde tota ſphoerarum, cui Iupiter inſidet moles. Cum itaque ad calcandam terræ ſuperficiem properaret Pluto, non dicitur cupiens *ire in orbem*; ſed *ſub orbem*, ideſt iuxta orbem, & in conſpectu orbis fraterni. Quid autem ſit *orbes* ſæpè vidimus alibi: hic pro toto ponitur Iouis Imperio, tot ſphoeris videlicet compacto, quot à terra ad ſummum vſq; Cælum enumerant Aſtronomi, nempe ſphoerà aeris circa terram immediatè conſtitutà, ac ſphoerà ignis ſupra aerem, ad quas ſequitur Cælum Lunæ, ſubinde Cælum Mercurij, tertio Cælum Veneris, quarto Cælum Solis, quinto Cælum Martis, ſexto Cælum Iouis, ſeptimo Cælum Saturni, octauo denique Cælum ſtellatum, iuxta Ariſtotelici ſiſtematis conſtitutionem. Licet autem hi omnes Cæli diuerſa ſortiantur nomina, iuxta diuerſitatem Planetarum, qui in ijs locum habent, omnes tamen vni Deorum Regi, Ioui videlicet ſubdentur; ideò omnes ſub nomine fraterni orbis hùc veniunt. Fraternum autem dicitur quidquid fratris eſt, vel ad fratrem ſpectat, & certè Plutonis fratrem fuiſſe Iouem vidimus loco cit. lib. primi. Quarè, præciſis ſuperfluis ad ſenſum moralem extrahendum iam propero, nam arcana hìc latent profectò non temnenda.

Si ſciret Pater ſamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non fineret, perfodi domum ſuam, inquit 24. Matthæus: atque, Euangeliſta textum explicans, Hilarius Epiſc., Furem, inquit, eſſe oſtendit Zabulon, ad detrahenda ex nobis ſpolia peruigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem, vt ea, incurioſis nobis, & ſomno deditis, conſiliorum ſuorum, atq; illecebrarum iaculis perfodiat. Duplicem à præcitata Euangelica tuba aduentum præmonſtratum animaduerto, alterum Furis inſidiantis, ac domum perfodientis; alterum Domini Dei noſtri ad iudicium properantis: primum attigit citatis verbis: ſecundum explicat, dum mox ſubdit: Eſtote parati, quia, qua neſcitis hora, Dominus veller venturus eſt. Quæ licet dicta de vniuerſalis iudicij die, non dubitem, tamen & de particularis cuiuſcumque iudicij die, quo ſcilicet vnaquæq; anima redditura eſt rationem villicationis ſuæ, iam mortis falce ab vnito corpore ſeparanda, eſſe etiam intelligenda non ambigo: tunc enim Dominus poſiturus rationem cum ſeruis ſuis aduenict; & Tartareus aderit inſidiator, animam ſibi obnoxiam rapiturus. Sed quando hæc erunt? Non eſt noſtrum noſce tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Qua hora non putamus: incurioſis nobis, ac ſomno deditis, vt ait Hilarius. Sed, ne videamur è SS. PP., atq; euangelicis ſolummodò doctrinis, omiſſo Poetæ textu, regulam perficiendorum morum aſſumere, textum iam ipſum perpendamus: & agnoſcemus, ab Auctore noſtro, quamquam gentili, pijſsima tamen ſcribere aſſueto, Sanctorum Patrum auctoritatibus, atq; euangelicæ veritati, quas conſultò præmiſimus, inhærente acerbiſsimum iudicij diem, adamuſsim, ſub Poeticis inuolucris, fuiſſe propoſitum, ac geminum, de quo dicebamus aduentum prænotari. Veniet Dominus itaque, ſicut fur in nocte; non quia fur eſſe poſsit, qui Dominus animæ eſt, ab ergaſtulo corporis eripiendæ; ſua enim repetit, non rapit aliena: ſed quia veniet, qua hora non putamus (quod fures aſſolent) incurioſiſque nobis, ac ſomno deditis. Iouem, Diuorum, hominumque Regem, ac Dominum, ex fabulis ſuppoſitum, in iudicium, ac damnationem Proſerpinæ aduentantem iam vidimus, cum latam ex præuiſis demeritis ſententiam declarauit lib. pri., vbi, Venerem alloquens, inquit:

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi
Iamdudum decreta dari &c.

Decretum confirmantem videbimus inferiùs, cum, Pallade, ac Cynthia, ad Raptorem compeſcendum, irruentibus, librata iam in ictum Palladis haſta deſcribetur, quæ

Miſſaq; pene foret; ne Iupiter æthere ſummo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas
Confeſſus &c.

hoc autem loco, inſidiantis Raptoris, ac verè furis aduentum, Animæ prædam abuecturi, iuxta euangelicas promulx deſcribit tubas. Proſerpinam eſſe, ſæpe diximus, Animam, mortuis tradendam Regnis: quarè hic etiam vicem Proſerpina gerit Animæ, mox vitali ex hoc orbe migraturæ. Fur, & raptor Pluto eſt, inſidias ſubterraneis è cuniculis ſtruens, vt domum perfodiat, atq; ad rapiendam, hoc pacto, Animam acceleret. Aſt quando accelerat? Cum incurioſa Proſerpina, ſalutis curâ ſuæ poſthabita, floribus inaniter legendis tempus terit, ſe ſeq; ignara coronat. Venit in nocte: nam licet Sol Oriens Cælum equis afflaret anhelis, tamen ferrea iam nox Proſerpinæ, nil minus cogitanti, ingruebat æterna. Inexpectatus venit; quia per cuniculos opacos ſub terris occultus; & ideò victor erumpit in arcem, ac præda potitur optata; quia imparatam inuenit Proſerpinam alia omnia meditantem, &

Talia Virgineo paſſim dum more geruntur.

Proh' inſanam prorſus Animæ dementiam! Hæc rationis lumine inſignita, intellectus acumine conſpicua, memoriæ erarijs ditata, hæc omnia ſibi euentura, ex euangelicis percipit tubis; & tamen, leuioribus detenta ſtudijs, fluxos mundanæ lætitiæ flores colligit, ſe ſeq; inſana coronat? Hæc, hæc, dum geruntur, imprudentum Virginum more, clamor fiet in nocte: *Ecce ſponſus venit*, non tam vt ſponſus, ſed vt Iudex, ac iuſtiſsimus repudiator, quia ſecum illa Oleum Sapientiæ, ac Charitatis, imprudens habere noluit. Ecce raptor venit Tartareus; ſed ſine clamore irrumpit, ad detrahendam ad inferos Proſerpinam vigilans. In præcipiti igitur inferorum verſaris limine, infoelix Proſerpina; & ludicris indulges; & Veneri adhæres: & floribus coronaris? Quæ te dementia cæpit! Expergiſcere tandem; &, dum, adhuc, vox tonitrui in rota eſt, monitis, quæ ex illa exprimuntur, acquieſce. Cardines, non priuatæ Domus, ſed ipſius Cæli, inſolito reſonantes fragore; audias tandem. Vt fugias, monent, à ventura ira. Flores proijce, Venerem fuge, illecebras mundani veris conculca, antequam, deſperata die, Dominus aduentiat; antequam Raptori facultas diripiendi concedatur. Ne differas poenitentiam in craſtinum, nam *pœnitentia ſera rarò vera*. Bonus eſt Dominus, & præſtabilis ſuper malitiam: ſed caue, ne fiat fuga tua Hyeme, vel Sabbato; nam vitia quæ cum homine conſeneſcunt, tarò vtiq; ex corde deſeruntur. Fuge à Iudea ad montes, nempè à concilio impiorum ad culmina ſanctitatis: nec prætendas humanæ excuſationem conſuetudinis, dicens: humano paſſim hæc more geruntur: nam, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt; atq; hæc Virgineo paſſim dum more geruntur.

Ecce per anfractus animarum Raptor opacos
Irruit optatæ capturus gaudia Prædæ.
Diffugiunt Nymphæ: rapitur Proſerpina curru.

Sed ne diutius & nos, veritate alliciente, capiamur, ventis data vela ſecundis contrahamus, nobis vigilandum, ne incautos opprimat hoſtis, innuiſſe contenti; iamq; num diſſonantes Cytharæ fides Italica, queat muſa ad modulationem aliquam deducere experiamur.

Di

Di Vergini donzelle, al genio, all' *vſo*,
Che dell'età più verde i voti accende,
Mentre coſi dal vago ſtuol deluſo,
Per ogni parte, à ſodisfar s'attende;
Ecco d'alto fragor mugge confuſo
Suon, ch'aſſorda l'orecchio, e'l cuore offende:
Scoppia improuiſo in mille ſuoni vn ſuono:
Scuoteſi l'Etna, e ne vacilla al tuono.
Crollar le torri, e le marmoree cime
(Quaſi trà loro al battagliar ſoſpinte)
Vedi al cozzo piegar; ne ſi reprime
L'impeto, à gl'vrti; anzi, in tornar, reſpinte,
Forza maggiore al rio furor s'imprime.
Snelte dal fondo, al diroccarſi accinte,
Dell'intiere Città balzan le moli:
E del ſuolo, al terror, ſcuotonſi i Poli.
L'aſpra cagion de portentoſi effetti
D'alte tenebre in ſeno occulta giace:
Sol del cieco tumulto à i fieri oggetti
Qual s'apre il fonte; à qual furor ſoggiace
L'agitata Sicilia, in veri aſpetti,
Scorge la Dea di Paſo; anzi gli piace
Ciò, ch'al tutto è d'horror; mà, ſe ben gode,
Non và in tutto d'horror ſceura la frode.
E gia ſotterra, on' alle morte ſtrade
Raggio non giunge, ond'il ſquallor ſi ſgõbre,
Per le cupe di Notte erme contrade,
Affrettaua le ruote il Rè dell'ombre:
Ne, per chiuder il varco all'impietade,
Baſta, ch', à labirinti, il ſuol s'ingombre;
Che i confuſi Meandri, i ſtretti varchi
Rendonſi, à forza, à i poderoſi incarchi.
Già, ſotto à piè de ſuoi corſier, proſteſo,
Calpeſtato mirar, godea quel crudo,
D'Encelado infelice il corpo offeſo.
Langue il miſero, e geme; e non v'hà ſcudo,
Ch'il renda vn punto, al trangoſciar, diffeſo;
Ch'il rio Tiran, d'ogni pietade ignudo,
Più s'inoltra co'l cocchio; e le gran membra
Con la ruota fatal diuide, e ſmembra.
Dal graue pondo il gran Gigante oppreſſo,
Per ſottraherne il collo, in van s'affanna;
Che gl'è pur forza, hor più, che mai, depreſſo
Ceder languente alla violenza eſtranna:
Ch'oltre l'Iſola, hor quì, l'Inferno appreſſo
S'aggiunge, e'l preme; ed ei, qual fragil cãna,
Spezzate l'oſſa, à vani sforzi inteſo,
Ne può sfuggir; ne può ſoffrirne il peſo.
Scuoterſi pur, muouerſi almen, procura,
Per dar lieue riſtoro al fianco infermo;
Mà più s'inaſpra, all' affannoſa cura,
L'aſpro duol, cui non val forza, ne ſchermo:
Attorciglia le ſerpi; e non traſcura
Legar le ruote, onde s'arreſti, e fermo
Rimanga il nero cocchio; e pur pe'l dorſo
Vie più traſcore accelerato il corſo.
Come ſquadra guerriera occulta muoue,
Per ſecreto ſentier, furtiui i paſſi;
Poſcia ch'apprir le militari proue
Della terra nel ſen ciechi trapaſſi;
E, penetrando à fondamenti, e doue
Non giungan quelli à catenare i ſaſſi,
Cheta s'auuanza; e, nel ſchernito muro,
Porta gl'aſſalti à chi dormia ſicuro.
Com'anzi in grembo all'ingannata rocca
Quel vittorioſo ſtuol sbocca, e s'accampa,
Quaſi nato dal ſuol; (come la ſciocca
Gente ſi finſe;) e là nell'odio auuampa;
E tanto ſol frena lo ſtrale in cocca,
Quanto al ferir no'l ſuegli amica vampa:
Mà, ſe quella ſi vibri à ſquarciar l'ombra,
Di ſtrage, e di furor tutto s'ingombra.
Tal non men di Saturno il terzo herede,
Frà ſotterranei chioſtri ancor vagante,
Scuote le briglie in tenebroſa ſede;
E gl'aſcoſti ſentier traualca errante.
Poſto poi d'Etna entr'alle rocche il piede,
Trionfando calpeſta il fier gigante,
Del varco in traccia, ond'al predare vſcito
Sotto al fraterno ciel rida Cocito.

Sed dum exitum quæritat ipſe, exitum & nos tandem inueniamus; & qua ipſe denique porta ruat, nos ex Auctore noſtro, Diopetra quæſo adhibita, perquiramus.

Ianua nulla patet. Prohibebãt vndiq; rupes
Oppoſitæ, duràq; Deum compagæ tenebant.
Non tulit ille moras; indignatuſque trabali
Saxa ferit ſceptro. Siculæ ſonnere cauernæ;
Turbatur Lipare; ſtupuit, fornace relicta,
Mulciber; & trepidus deiecit fulmina Cyclops.
Audijt & ſi quem glacies alpina coercet,
Et qui te, latis nondum præcincte trophœis,
Tibri, natat; mæſtamq; Pado qui remigat Alnũ.
Sic cum Theſſaliam, ſcopulis incluſa, teneret,
Penẽo ſtagnante, palus, & merſa negaret
Arua coli, trifida Neptunus cuſpide montes
Impulit aduerſos. Tum forti ſaucius ictu
Diſſiluit gelido vertex Oſſæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractoque meatu,
Redduntur fluuijq; mari, telluſq; colonis.

IANVA NVLLA PATET &c. Expoſita, atq; per hypotipoſim amplificata, nec non, per locum ſimilitudinis exornata ſollicitudine, qua Pluto, per ſubterraneos anfractus, iter ageret, educendus tandem erat in lucem. Verum, vt cauſam, quam ſupra dixerat latentem, ingentis illius, quem deſcripſerat, terræmotus iam aperiat, clauſum vndequaq. obſeſſumque fuiſſe rupibus iter, oſtentat, ita vt nullus Plutoni pateret exitus, ac ſubindè, indignatum ideò, Plutonem memorat, qui, vt ſibi aditum, viribus, patefaciat, trabali ſceptro ſaxa ferit quatiens, ac diſrumpens; atque, hinc data occaſione, ictus eiuſdem vehementiam, ſaxorumque, dum diſrumperentur, à conſequentibus effectis, fragores amplificat; eoſq; à ſimili mirabiliter exprimit, ſimilitudine à pari deſumpta; dum terræmotum hunc comparat cum terræmotu illo, quo, confractis olim, ac diſiectis Theſſaliæ montibus, à Neptuno effectum eſt, vt, eliminatis, quibus tota tegebatur, aquis Æmonia emergeret, atq; in admirabilem proſiſus, ac fertiliſſima exuberantem amænitate planitiem extenderetur, quæ, *Tempe*, ad hunc vſq; diem, nuncupata, nomen locis omnibus amænitate florentibus indiderit ſuum.

IANVA NVLLA PATET &c. Dixerat ſuperiùs, Plutonem tenebroſa illa Deuia huc, illucque diſcurrentem peragraſſe, vtcunde fraternum illi ſub orbem exire daretur. Hic oſtendit fruſtraneum fuiſſe hunc peruestigandi aditus laborem, oſtendens montem vndequaq; viuis obuallatum parietibus, nulloſq; aditus aperientem. *Ianua nulla patet*. Primus ad interiora domus patens ingreſſus *Ianua* dicitur à *Iano*, eo, quod huic Deo omne olim ſacraretur

principium. Sicut itaque primus introeuntibus ingreſſus *Ianua* eſt, ſic eadem eſt exeuntibus egreſſus vltimus; nam cubiculorum, ac reliquarum domus partium aditus *Oſtia* potiùs, quam *Ianuæ* dicuntur: licet exacta hæc diſtinctio iam obſoleuerit, & promiſcuè pro eodem hæc nomina vſurpentur. Sic etiam, in rigore loquendo, *Ianua* diſtinguitur à *Porta*: quia *Ianua* domus eſt, vt diximus propriè; *Porta* verò munitionum, caſtrorumq; eſt. Cum itaque, dum in ſubterraneis adhùc degeret Pluto, ſuæ adhùc domi eſſe dici potuerit, cum Regis domus Regnum totum, per amplificationem, dicatur; eo modo, quo, de priuato quoque, dicimus, extra domum exiſſe ſuam, qui Patriâ exceſſit; aptè Ianuam dicitur non reperire, ideſt vltimum è Domo ſua egreſſum, qui iam Oſtia quamplurima pertranſiſſet, per anfractus procedens. Et *nulla* dicitur per particulam vniuerſalem negatiuam, quæ ad vnam omnes excludat, iuxta malignantem vniuerſalis negationis naturam. *Patêre* autem idem eſt, ac *apertum eſſe*; quarè, dum dicitur *Ianua nulla patet*, ſatis declaratur, per deductionem à contrario, Montem vndequaq; clauſum fuiſſe; quarè ſequitur.

PROHIBEBANT VNDIQVE RVPES. Reddit enim rationem hic, cur Ianuam nullam inuenerit patentem Pluto, atq; obices oſtendit, quibus clauſus Mons ipſe obſiſteret egreſſuro. *Rupes* quænam ſint, vidimus lib. pri. Carm. 148. *Vndiq;* aduerbium loci eſt, idem ſonans, ac ex omni circumquaq; parte, vt ſic indicet, Plutonem omnia interius per gyrum montis clauſtra luſtraſſe, ad egreſſum, ſi qua ex parte pateret, inquirendum. Sed dices, nonne aderat cacumen montis, vnde ignes eructantur, apertum? Verum quidem eſt. Sed memineris, Plutonem in inferiori montis radice conſtitutum, dum calcaſſe Enceladum dicitur, & breuiorem, non longiorem viam ab eodem inquiri, dum maximè accelerat, fraternum cupiens exire ſub orbem. Adde quod etiam ſupra caput Plutonis impendentes àderant rupes illæ, quas nondum omninò excuſſerat ignis, nondum montis ſinu profundè adeò excauato: quare iure: *prohibebant vndiq; rupes*. *Prohibere* verbum notiſſimæ ſignificationis eſt, ideò non immoror: *Impediebant ne exiret*.

ET TENEBANT DEVM &c. Per coniunctionem copulatiuam modum ſubnectit, quo rupes prohiberent, & conſequens explicat, nempè detentum hoc obice Plutonem, ne in campos irrumperet. *Tenere* enim pro eodem vſurpatur, ac *remorari*, vulgò *ritardare*, ſeu *trattenere*: ſic Virg. Æn. pri.

Hunc Phœniſſa tenet Dido, blandiſq; moratur
Vocibus: & vereor, quo ſe Iunonia vertant
Hoſpitia &c.

Iterum *tenere* pro eodem ſumitur, ac *coercere*, *includere*, *conſtringere*, *continere*, vulgò *ſerrare*, in quo ſenſu Virg. Georg. 2.

Tarentia opes etiam, & pecus omne tenendum eſt.

Vtrumq amplectitur ſenſum Poeta, vnus enim ex alio neceſſario ſequitur, nempè ex eo, quod rupibus includatur, ſequitur vt iiſdem remoretur Pluto: ſed, quia ſunt effectus adeò connexi, vt ſimultanei iure dici poſſint, vno etiam verbo ab oculatiſſimo Poeta ſimul exprimuntur: *tenebant Deum*, nempè *Deum terreſtrem*, Plutonem ſcilicet de quo ſupra, quod emphaticè dictum, & quaſi indignanter agnoueris.

DVRA COMPAGE. *Durum* dicitur quidquid *ſolidum*, firmumq; eſt. Ex quo vides, quo ad hanc partem, cum vulgata coincidere eos, qui hic legunt: *Solidaq; Deum compage tenebant*. Certè vtrumq; nomen in eadem ſignificatione vſurpat Luc. lib. 9.

Si ſolida Lybiæ compage, & pondere duro
Clauderet exeſis Auſtrum ſcopuloſa cauernis &c.

Sed maiorem profectò habet energiam vulgata noſtra, cum qua & Parrhaſ. & Heinſius, & alij communiter legunt; nam *durum*, per translationem, appellatur quidquid, reſiſtendo, aſperum alteri, noxiumq; ac crudele ſit: cum itaq; rupium compages Plutoni obſiſtens, eius exeundi deſiderijs obſtaret, aſpera certè illi, noxia, ac crudelis eſſe videbatur, dum optatis eiuſdem gaudijs impedimento eſſet. Ideò *durâ*, inquit, *compage*, vt ad vtrumq; ſenſum, vnico, more ſuo, reſpiceret nomine. Compages verò quid ſit iam vidimus lib. pri. Carm. 115. Hìc pro Ætneæ rupis continuata circumuallatione vſurpatur.

NON TVLIT ILLE MORAS &c. Mores Plutonis hic, per Ethopeiam egregiè imitatur, & ſequitur. Superbiſſimum fuiſſe Plutonem vidimus lib. pri. Carm. 92. Superbi autem proprium eſt nihil libenter ferre, quod ſibi, ad aliquid, impedimento eſſe videatur; nam, cum omnia ſibi eſſe debere præſumat obſequentia, qualibet, vel leui, obſtantis vmbra, nedum reali corpore offenditur, & excandeſcit: ac ſuum eſſe, arbitratur obſtacula omnia infringere, comminuere, ac conculcare. Sic itaq; Pluto, quas ſibi ſpontè ceſſuras, ex debito, rebatur rupes, ſolâ ipſius aſpectus reuerentia permotas, cum cerneret obſiſtentes, diſrumpendas illicò, conterendas, ac proculcandas aggreditur, vt infernis viribus obſequi, proprijs ruinis, ediſcere cogerentur. Ideò *non tulit &c.* De coniunctione negatiua, atq; ex oppoſito diſcretiua *Non*, quæ hìc ponitur, ſatis dix. lib. pri. Carm. 160. Verbum autem *fero*, à quo præter, *Tuli*, pro eodem, ac *Tolero* vſurpatum, nulli, arbitror, ignotum eſt. Sic Virg. Æn. 2., cum Priameiam Virginem à templo trahi captiuam, paſſiſq; crinibus, ac lumina erigentem in Cælum deſcripſiſſet, ſubdit

Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorebus;
Et ſe ſe medium iniecit moriturus in agmen.

atq; in eodem ſenſu vſurpatur à Poeta hic, vt ex textu patet. *Ille*, hoc eſt *ille Deus*, ſeu Pluto, de quo ſupra: ſed emphaticè poſitum agnoueris pronomen; ſenſus enim inclуſus erit: Ille ſuperborum Deus: ille non aſſuetus repulſam pati, & detineri: Ille, cui innumerum vacui famulatur Auerni vulgus iners; cui ſtamina Parcarum laborant, cui debetur quidquid materias gignit &c. vt dictum lib. pri. vno verbo, ille cui cuncta parêre debeant terreſtria; ille non tulit, rebellantes voto rupes adſtaſſe; non *tulit moras*. Moræ enim propriè dicuntur, vel obſtacula remorantia, vel temporis dilationes, quibus ab aliqua re perficienda, ea vi oppoſiti impedimenti diſtrahimur; atq; vtramq; ſignificationem, vnico hoc nomine, amplectitur Vates.

INDIGNATVSQVE. Deo indignum protsùs fuerat, oppoſitis rupibus, circumacto quaſi carcere, Prædonis in morem, detineri: &, quia quod nobis indignum videtur, non poſſumus, quin grauiter, & cum ſthomaco feramus; ex quo facile ſuccenditur iracundia; hinc eſt, vt Vates cum cauſis indignationis indignationem ipſam, quæ effectus earum fuerit, per coniunctionem connectat copulatiuam *que* pro *Et indignatus*. Indignor autem, à quo *indignatus*, idem eſt, ac *ſthoma-cor*, *grauiter fero*, atq; indignationem exardeo.

FERIT SAXA. Ira, ſi formaliter definiatur, *eſt appetitus vindictæ*: &, quia quotieſcumq; cauſa requiſitis adſtat munita diſpoſitionibus, ac debite applicata, neceſſario ſtatim erumpit in effectum; ideò poſita irarum accenſione, in pectore Plutonis ſuccreſcente, cum Plutoni, nec voluntas, nec vires in vltionem erumpendi deeſſent, atq; in proximo eſſet vltionis capax obiectum, hinc eſt, vt Vates, poſita cauſa, vltionem ſubnectat: *Indignatus ferit*. Porrò *ferire* idem, ac *pulſare*, ſeu *percutere*, eſt, ſed tali percuſſione, qua vulnus vtiq; infligatur, quod eſt fractio, ac ſciſſio rei, quam vulneramus: quia igitur, Plutonis icta manu, ſaxa hiſcere, atq; in Ianuas aperiri, coacta fuerant, vt inferiùs patebit; ideò *indignatus ferit ſaxa*. Inſuper, quia, dum irarum æſtu feruet pectus, ſine moderamine vllo, eiibrantur in vltionem ictus, hinc eſt vt Poeta, ad indicandum, Plutonem ſummo impetu rupes percuſſiſſe, ac conſequenter vaſtis eas hiatibus diſieciſſe, aptiſſime ait: *Indignatus ferit ſaxa*, poſito genere pro ſpecie, nam ſaxa dicuntur duriores quædam, maiores, atq; aſperiores moles, quam quæ vulgo lapides dicuntur. Hic rupes notant, de quibus iam ſupra.

SCEPTRO TRABALI. Inſtrumentum notat, quo ad diſijciendas rupes vſus ſit Pluto, illudq; ſceptrum ipſum illius fuiſſe profitetur, de quo nos plura egimus lib. pri. Carm. 81, vbi quia, ſatis abundè quid fuerit, declarauimus, iam prætereo: nam quid ſit *trabale*, ſatis notum eſt, nempe quod inſtar trabis ingens, magnum, ac ponderoſum eſt. Vnum noto, ſceptro videlicet vſum, hoc eſt *poteſtate*; nam regiæ poteſtatis inſigne ſceptrum fuit; & hoc vſum ad indicandum, ſe, vt Dominatorem, agere, ac proprio vti iure, vt iam lib. pri. diſſeruimus. Inſuper noto, in more poſitum fuiſſe, apud antiquos, vt regium ſceptrum conſtruerent, ad formam illius ferri, quod Aratro deſeruit, vt notat Pier. lib. 48. Hieroglyph., vbi de Aratro; aratrum autem, ſeu aratri ferrum, non ſolum condendis vrbibus ſignum dedit: ſed etiam è contra, demolitionis vrbium hieroglyphicum fuit: ad quod reſpexit Horatianum illud apud Pier. cit.

Imprimeretq; muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Itaque cum de demoliendis Ætnæ rupibus ageretur, optimè

indu-

inducitur Pluto, ad eam, ſceptro, peragendam, vt eodem coętextu ſceptrum ipſum Plutonis, in demolitionem extructum inſinuaretur.

SICVLÆ SONVERE CAVERNÆ. Ab effectibus vehementiam illius amplificat ictus, quo Æmæas Pluto impulit rupes: Et primo loco omnes totius Siciliæ cauitates Eccho reſonantes inducit; nam *Cauerna ſpecus* propriè, ſeù *antrum ſubterraneum* eſt: *ſcala* autem patrio nomine dicantur, quæ frequentes in ipſa Sicilia cauernæ ſunt. Vide dicta lib. pri. Carm. 170. *Sonare* itaque idem eſt, ac *ſonum edere*; ſed hic pro eodem ſumitur, ac *ſonum reddere*, vulgò *Recheggiar al ſuono.* Verùm quidem eſt, poſſe accipi etiam, pro *ſimpliciter ſonum edere*; ſi ſermo ſit de ipſa Ætnæi montis cauitate, quæ eiuſdem rupibus efformata, ac Plutonem coercens ſenſit immediatè indignantis ictum. Sed & minùs propria eſſet locutio; & dicendum eſſet poſitum fuiſſe inclulum pro includente; nam propriè ſonum non effeciſſent cauernæ, ſed rupes cauernas circumambientes; immò nec ſolæ rupes, ſed etiam ſceptrum illud trabale, rupes feriens ipſas, immò & aer ipſe interceptus inter ſceptrum pulſans, ac rupes ipſas pulſatas, quod vt melius innoteſcat, aduerte, tria ſemper corpora ad edendum ſonum concurrere efficienter, duo nempe ad ſe inuicem ordinem habentia, vt ait Ariſtot. in ſubiecta materia tex. 78., quæ ſcilicet ſe habeant, vt verberans, & verberatum, vel etiam ſe mutuo verberantia: & inſuper, cum ſonus ex percuſſione fiat, & percuſſio non fiat certè niſi per motum, requiritur medium, nempè aer interceptus, qui ſcilicet alliditur, & reſilit: quarè duo motus locales, in ſono edendo, conueniunt; alter corporum ſe inuicem collidentium, alter verò aeris intercepti, ac, dum alliditur, reſilientis. Ne tamen putes aliquem iſtorum motuum eſſe formaliter ipſum ſonum: nam ſonus formaliter acceptus eſt qualitas quædam tertia ex his duobus motibus reſultans, & ſuperaddita; vt nos fuſe docuimus in Animaſticis. Quod ſi aliquando Ariſtot. videtur *ſonum* definire per *motum*, definit tunc ſonum, definitione cauſali, non formali; ſicuti Ecclypſis Lunæ, quæ formaliter eſt *defectus luminis in Luna*, ſi definiatur cauſaliter dicitur eſſe *interpoſitio terræ inter Solem, & Lunam*; quia ſcilicet illa interpoſitio cauſa eſt illius deffectus luminis in Luna. His autem poſitis, certè ab eo editur ſonus, à quo efficitur, ſed efficitur à tribus iam dictis corporibus, ergò ab iiſdem, non ab alijs editur ſonus. At ſic eſt, quod ſceptrum Plutonis fuit corpus percutiens, rupes percuſſum, & aer inter vtrumque interceptus ab iiſdem reſilijt: ergò ſequitur, quod hæc ipſa ſonum ediderint: non cauernæ, quæ tantùm ſonum reddere potuerint, Eccho interueniente. Quomodo autem à cauernis reddatur ſonus; ſeù, quod idem eſt, quomodò fiat Eccho, iam accipe. Sonus à ſonante emiſſus, atq; in aere receptus propagatur per ſpecies intentionales ab ipſo ſono emiſſas, ac longiùs per aerem ſic defertur; neque enim veriſimile arbitror, quod aliqui dicunt, nempè vocem, vel ſonum ipſum realem, à loquente, vel ſonante, productum, tanto impetu reſilire, vt, quaſi emiſſa ab arcu ſagitta, quod dicebat Auicenna, totum aerem oppoſitum perrumpat, & ad myringam vſq;, ſeu tympanum, vt vocant, auditorium, longe interdum quamſlibet diſtans interuallo, perueniat; nam, ſi hoc eſſet, iam vox concionatoris, v. g., quæ vnica eſt, non poſſet eodem temporis momento innumeras afficere aures, prout de facto afficit; ſed, vnica exiſtens, vnicam poſſet aurem vellicare. Aſt, ne quæſtionibus diſtrahamur, quas fuſe in Animaſticis agitauimus, ad modum, quo Eccho fiat regrediamur. Sonus itaque, per ſpecies intentionales, per aerem delatus, eumdem ſortitur effectum, quem ſortiuntur ſpecies intentionales, viſionis ſenſui deſeruientes: ſicut enim iſtæ, impingentes in ſpeculum, ab eodem ad oculum reflectuntur, ita vt, in ſpeculum intuens, ſe ipſum quaſi duplicatum videat, nempè & in ſpeculo, & extra ſpeculum: ſic ſpecies vocis, aut ſonitus, in aptum aliquod obſtaculum impingentes reſiliunt, atq; ab obſtaculo ad aurem reflectuntur, ita vt duplicatus quaſi audiatur ſonus, nempè & à ſonante editus, & ab obſtaculo redditus: Immò ſæpè & triplicatus, & quadruplicatus audiatur, iuxta multiplicationem obſtaculorum reuerberantium. Hinc interdum Eccho ſeptuplicatum, & ampliùs, ſonum reddit. Dixi, ſi impingat in *obſtaculum aptum*: nam ſicuti non omne corpus eſt aptum ad claram reuerberationem ſpecierum viſualium, & vt in ſpeculum adaptetur; ſed illud ſolum, quod habeat terſitatem; ita non omne obſtaculum aptum eſt ad reddendas vocis ſpecies, aut ſonitus; ſed tantum illa, quæ minùs terrea ſunt, vel magis cauernoſa, anfractuoſa &c. Ex quo factùm, vt Eccho in antris tantùm, ac cauernis, ab Ouid., qui eam vocat vocalem Nympham, Metam. 3. dicatur inhabitans, licet cauſam refundat ipſe, fabulam ſecutus, in ruborem, quem ex repulſa contraxerit illa, cum Narciſſum, quem deperibat, inſequeretur.

Spreta latet ſyluis, pudibundaq; frondibus ora
Protegit, & Solis, ex illo, viuit in antris.

Cum itaque & Poeta noſter dixerit: *ſonuere cauernæ*; procul dubio, ita intelligendus eſt, vt dixerit: *ſonitum reddidère cauernæ*, per Ecchum ſcilicet in cauernis inhabitantem, iuxta fabulas, per reuerberationem verò ſpecierum intentionalium ſoni, à ſonante emiſſi, à cauernoſis obſtaculis procedentem, ſi veritatem ſectemur. Vidimus autem Siciliam ex Iuſtino cit. lib. pri. Carm. 155. cauernis vndiq; refertam, ac fiſtuloſis meatibus, anfractibuſq; copioſam; ideoq; ad reddendum ſonum aptiſſimam. Ideò, Plutonis ſceptro rupes feriente, *ſonuere* cauernæ; hoc eſt totum cauernoſæ Siciliæ corpus horribili inſonuit Eccho.

TVRBATVR LIPARE. Amplificat adhùc magis huius terrifici fragoris tonitrum potiùs, quam ſonum. Quod in cauſa fuit, arbitror, vt Heinſius expuncto verbo *ſonuère*, legere maluerit *tonuère*, quam profectò lectionem prudentiſſimam duxi, licet à vulgata non diſceſſerim, quia, ex addito, quod nunc explicaturi ſumus, ſatis in ea ipſa patet verbum ſuprapoſitum *ſonuère* non eſſe intelligendum de quocumq; ſono, ſed de vehementi, ac terrifico tonitrua videlicet imitante. Amplificat inquam ex eo, quod non ſolum tota Inſula, in qua hæc gerebantur horrificè inſonuerit, ſed adiacentes etiam regiones contremuerint: Ideò *Turbatur*, quod idem eſt, *ac terrore, & confuſione repletur*. *Turbatur* itaq; *Lipare*, nam Inſula hæc tota terræmotu, ſeu tremitu concuſſa ex vehementia auditi nutauit fragoris: & *Turbatur Lipare*, nempè habitatores Inſulæ, poſito continente pro contento, ſummo animi horrore commoti, ac ſibi vtiq; excidia timentes, contremuere. Ex hoc loco decerpſit, vt arbitror Vidas lib. Chriſt. 5. effectus illos, quos angelicæ attribuit tubæ, cum ait

Signa canit belli. Latnu diſſultat Olympus
Vndique, & inſolito tremuerunt ſydera motu.

Sicuti ex ſuperioribus, eodem lib., decerpſit ſonitum Eccho redditum, cum Chriſtus Dominus cruci ab impijs affigeretur; ſic enim ait

Inſtant vt multa, ferro ardua robora adeſſe
Dant gemitum robora diro ſtridore ſuprema
Mons circum ingeminans, ictuſq; reſultat imago.

Sed vt ad noſtra reuertamur; *Lipare* græce Λιπάρη, (ex quo vltima producitur, quamuis Parrhaſ. *Liparis* legere maluerit) vna, & præcipua, ac maxima eſt ex Æolijs Inſulis, quæ licet ſeptem numero ſint, diuerſiſq; appellatæ nominibus; earum tamen Incolæ omnes Liparæi dicuntur, vt tradit Stephanus, addito tantum peculiaris loci vocabulo, v. g. Lipareus è Phœnicuſſa: Liparæus ex Erycuſſa &c. Hæc Lipare dicitur appellata à Liparo Rege, Auſonis Regis filio, cui Æolus ſucceſſit, ſi Euſthathio credimus, cum antea Meligunis vocaretur. Ad latus ea fertur eſſe Siciliæ, ſed inter hanc tamen, & Siciliam alia dicitur Inſula intermediaſſe Vulcano ſacra, quam totam ſaxoſam, deſertam, atq; igniferam tradunt, ita vt tres illa voragines habuerit, ex quarum hiatibus ignis erumperet, atq; ex eorum maximo flammæ ignitas euomerent maſſas. Obſtructi tandem huiuſmodi hiatus dicuntur; ſed nihilominùs ex illorum obſeruatione cognitum referunt, flammas, quæ & ibi, & in Ætna ſuſcitarentur, excitatas à ventis exarſiſſe. Hanc verò Inſulam, intermediam inter Siciliam, & Liparen, ſtatutam Vulcano ſedem fuiſſe, patet ex Virg. Æn. 8.

Inſula, Sicanium iuxta latus, Æoliamq;
Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis &c.

vt vidimus lib. pri. Carm. 128. Alij tamen, cum Apollonio Rhodio Argonautic. 4., Liparen ipſam, & Strongilam vulcanijs incudibus, armamentarijſq; artibus celebres fecere. Alij in ipſo Ætnæ monte officinam Vulcani ſtatuerunt: quarè Prudentius in Simmachum, relatus à Parrhaſ. hic, de Vulcano ait: *Regnare caminis*

Fertur & Æoliæ ſummus, faber ipſe vel Ætnæ,

& Callias de rebus Agathoclis, 10. fabril. operum, quæ Vulcanus illic exercet, ſonitum tradit quinquaginta circum ſtadijs audiri: proximum verò mare, non aliter quam ſubiectis olla ignibus efferueſcere, Pythæas in orbis ambitu refert. Miraris, vt video, in vnica Vulcani ſede ſtatuenda, tam varias opiniones extitiſſe: ſed nil mirum profectò; nam cum creditus fuerit Vulcanus *Deus ignis*, atq; omnium, quæ per ignem conficiuntur, Inuentor; immò & ipſe ignis

ſui

ſit habitus, vt dix. loco cit. lib. pri., nil mirandum, ſi vbicumque repertæ ſunt igneæ voragines, ibi ſedes, & officina Vulcani poſita fuerit, & conſtituta: quid igitur & Inſula illa deſerta, de qua ſupra, & Sicilia contermina, & Lipare, ex altera adiacens parte, & inſuper Hiera, ac Strongila, omnes ignluomæ fuerint Inſulæ, omnes, tamquam vulcaniæ ſedes, fuerunt à Poetis diuerſimodè celebratæ, atq; ideò modo in hac, modo in illa dicitur Vulcani ſedes, & officina extitiſſe. Porrò Lipare, vt dicebamus præpotens inter Æolias adfuit Inſulas, latumque habuit ditionis Imperium, quippè quæ Cnidiorum coloniam acceperit, & plura in Delphis opima ſpolia depoſuerit; Ideoq; celebris adhùc apud Auctores extat, & memorabilis. Hæc ipſa terram habuit aluminis feracem, aquas calidas quamplures, ac ignes, ſicut ex Ætna, erumpentes; idcircò & hanc Vulcano in ſedem ercaerunt: ni, vt, meliùs, arbitror, dicendum ſit, omnes ignluomas inſulas vnicam Vulcani ſedem confeciſſe, ita vt in omnibus eadem viguiſſe diceretur officina Vulcani: ſic enim nulla iam eſſet de Vulcani ſede opinionum diſſonantia, niſi quo ad nomen, vel quo ad diuerſam eiuſdem officinæ, per varias partes, deſignationem. Scio & Liparem appellari Siciliæ fluuium à græco *λιπαρὸν*, quod Latinè ſonat *pingue*, ſeù *oleum*, ex eo quod natantes in hoc fluuio, vel ſe eo lauantes non minus vngantur ab aqua ipſa, quam ſi adipe, vel oleo lauarentur. Sed, licet non dubitauerim, hoc quoq; flumen turbatum fuiſſe, motis ſcilicet terræmotus impetu aquis, cum tamen hoc in ipſo Siciliæ corpore ſit, & Vates iam totam Siciliam dixerit inſonuiſſe: *Sicula ſonuere cauernæ*; non dixerim illum hic de hoc fluuio locutum, nam, qui totum iam dixerat, nihil excluſerat: immò arbitror, ſequi Vatem voluiſſe fragoris naturam, ſeù naturalem propagationem; ideòq; deſcriptionis ſuæ filum extendiſſe iuxta extenſionem fragoris: cum itaque priùs ſonus ſit, vbi fit; inde per ſpecies ad proxima, ac ſubindè ad remotiora loca deferatur: ſic Vates pri. dicit inſonuiſſe Siciliam, vbi fragor factus eſt, inde ad loca progreditur adiacentia, ſubinde ad remotiora, de quibus mox inferiùs: atq; ideò de Lipari Inſula locutum non ambigo, non de fluuio cum ait: *Turbatur Lipare*

MVLCIBER. Dictus eſt à *mulcendo*. *Mulciber* Vulcanus, quia ferrum mulceat; vel, vt alij malunt, cum Donato, dictus *Mulciber* à *mutilando*, eo quod Claudus à Poetis, & mutilatus dicatur: fuit enim, vt fabulantur, Iouis ex Iunone filius, quem cum parentes, ob deformitatem, è Cælo in Lemnum Inſulam præcipitaſſent, intorto ex ruina pede, dicitur claudicaſſe. Hic itaque

STVPVIT. Eximiam in verbo Auxeſim liceat adnotare; maximus enim fuerit fragoris bombus, neceſſe eſt, quo vel *Mulciber* obſtupuerit; nam, ſi circa Nili Oſtia, ex vndarum ſtrepitu obſurdeſcere dicuntur Incolæ, certè Vulcanus, aſſiduo Incudium ſuarum tonitru, ſurdis maximè auribus eſſe debuit, quandoquidem inquit Virg. Æn. 8.

> *Antra Ætnæa tonant, validiq; incudibus ictus*
> *Auditi referunt gemitum &c.*

quarè, cum ab aſſueta paſſio non fiat, vix aduertere debuiſſet Vulcanus, niſi modum omnem exceſſiſſet tonitrua, ictu Plutonici ſceptri progenitus: Aſt non ſolum aduertit, inquit Vates; ſed *ſtupuit*: ſtupor autem, à quo verbum ſtupeo, quædam eſt admirationis ſpecies, & magnitudine miraculi proueniens, quæ ſenſus abalienatos reddit, ita vt ſui impotem reddat obſtupentem. *Stupuit* itaque Vulcanus; ideſt, tanta, ac tali, ex nouitate terroris, correptus eſt admiratione, vt, ſui impos factus, videretur à ſenſibus abalienatus. Quod ſi hæc Vulcano, aſſiduis tonitruum fragoribus detento, obtigit, quid cæteris contingere, opus fuerit? Hyperbolicum hunc dicendi modum quis ſanus non admiretur? & tamen non hyperbolicus dici poteſt. nam vbi agitur de effectu à potentia Deitatis proueniente, nil hyperbolicum vnquam dici poteſt. Quæret autem hic aliquis; num Vates videatur inhærere ſententiæ illorum, qui dixerint, Vulcani officinam eſſe in Inſula Lipara extructam, an verò aſſerentibus, eam ſitam fuiſſe in ea, quam diximus, Inſula inter Liparen, ac Siciliam conſtituta? Verùm, vt fatear, nil certi de intentione Poetæ hic ſtatui, quo ad hoc, poteſt; nam, licet, cum, immediatè ante de Inſula Lipara locutus, ſtatim mentionem obſtupeſcentis Vulcani, videatur in ea Inſula ſedem Vulcani ſtatuiſſe: cum tamen fragoris bombus non potuerit in Liparen ex Sicula Inſula deferri, quin intermediam Inſulam concureret, potuit Vates, cum, quid in termino euenerit, indicaſſet, nempè turbatam Liparen, ad ea regredi attingenda, quæ in ipſo euenerint medio, nempè Vulcani admirationem, & ab operibus ſuſpenſionem. Potiùs itaque arbitrarer, Poetam id innuiſſe, quod ſupra dicebamus, nempe vnam, eamdemq; Vulcani officinam, per eas Inſulas, extenſam eſſe; ideòque, ſine diſtinctione locutum, non vni magis, quam alteri vulcaniam addixiſſe ſedem.

FORNACE RELICTA. Vel conſideratur hic Mulciber, prout à Poetis Faber, ac fabrilia tractans deſcribitur: vel vt pro ipſo igne Vulcani nomen vſurpatur. Ad vtrumque reſpexiſſe Poetam non ambigo: nam primò proprium eſt hominis, improuiſo vehementis alicuius fragoris terrore correpti, opus, quod præ manibus habebat intermittere, & fugam è loco, in quo erat, licet quo fugiat, neſciat, ſubita celeritate moliri, dum timet, ne in caput decidat, quod frangi percipitur, & incautum opprimat: ex quo ſæpe fit, vt in ruinas incidat, qui ruinas euitaturus ſtare neſcit loco. Quarè, ſi Mulciber, vt faber, conſideretur, ſubito conſternatus fragore, morem naturæ ſequitur, aufugiens, *fornace relicta*, ideſt intercepto, infectoq; opere, quod ad fornacem peragebat. Si conſideretur, vt ignis, adhùc viget ablatiuus modi, *fornace relicta*; nam ex terræmotu concuſſæ voragines Inſularum, quæ, quaſi fornaces, igne ſuccenſæ ſunt, ſtatim ignem eructant; ideò ignis videtur fornacem perterrefactus relinquere, dum erumpit. Indicauit igitur Poeta, & fabrum, interrupto opere fabrili, aufugiſſe, & ignem ex concuſſis voraginibus erupiſſe, vt, ex vna parte, cum fabulis, ex altera, cum natura, ac veritate congrueret. Quid fornax ſit vidimus lib. pri. Carm. 142. & quantum pro præſenti, in ſecundo ſenſu, ſufficit, hic diximus. *Relicta*, à relinquo, particip. notiſſimæ ſignificationis eſt; ideò progredior.

ET CYCLOPS. Amiſſo duce, perit exercitus; atque, excuſſo nauis rectore, arte deſtituuntur, ac vigore cæteri nautæ. Quarè nil mirum, ſi, abalienato à ſenſibus, ſibique fugâ conſulente Vulcano, Cyclopes ſubiecerit Vates, non diſſimili terrore correptos, licet ſingulari numero vtatur per Synecd. pro plurali. Qui nam verò Cyclopes fuerint iam vidimus lib. pri. loco cit., & memorauimus etiam lib. eodem in recenſenda Cerealis Domus ſtructura; ideò non repeto.

TREPIDVS. *Trepidare*, à quo *trepidus*, infirmitatis eſt, timoris, atq; formidinis: & propriè *trepido* idem eſt, ac *præ timore loco ſubſiſtere non poſſum*. Quarè dum trepidus dicitur Cyclops, oſtenditur tali, ac tanto, correptus terrore, vt nec ſtare loco poſſet, nec manibus operari. Ideò *Trepidus*

DEIECIT FVLMINA. En quantum adaugeat Cyclopum terrorem, dum ne ſe quidem tutari poſſe, arbitrati fuerint, fulminibus, quæ præ manibus habebant, ac proindè abijciunt, vt fugiant, quaſi, abiectis impedimentis (nam impedimenta cenſentur, & arma militi conſternato, ac fugitiuo) celeriùs euolaturi. Pari paſſu videtur mihi ignauiſſimum Turcarum timorem, per abiectionem armorum, indicaſſe Hetruſcorum Princeps Poetarum Hieroſ. liber. Cantu 9. vbi ait

> *Mà che dà legge al volgo, ed ammorſa*
> *La volontà, e'l timor? La fuga è preſa:*
> *Altri getta lo ſcudo; altri la deſtra*
> *Diſarma; Impaccio è 'l ferro, e non difeſa.*

Sic igitur & Cyclopes hìc fulmina deijcere dicuntur, quaſi impedimenta eſſent conſternatis ea ipſa, quibus Iupiter orbem territat, ac diſijcit, tela

> *. . . . . Vn cuor che teme*
> *Non l'armerian tutte l'Arſenali inſieme.*

porrò *deijcere* idem eſt, ac *deorſum iacere*. Fulmina quæ ſint, & cur à Cyclopibus fabrefieri dicantur, abunde vidimus lib. pri. cit. Carm. 127. Quarè iam accelero.

AVDIIT ET SIQVEM &c. Auget adhùc magis fragorem, terroremque, ab ictu Plutonis illatum: & auget à diſtantia locorum, in quibus auditum refert, & quouis tonitru maiorem facit, cum in maiori diſtantia; quam tonitrua quælibet audiantur, dicitur reſonaſſe: ab enumeratione autem locorum, non ampliùs Siciliæ adiacentium, ſed remotiſſimis diſſitorum ſpatijs, oſtendit, quam longe fragor ille permeauerit, vt, ex tam vaſta ſonitus propagatione, immenſum fuiſſe, intelligas fragorem, quo Sicilia tota contremuit. Conſimili autem amplificandi modo vſus eſt Virg. Æn. 7. cum terribilitatem Tartareæ vocis, cornu vtiq; paſtoralia in bellum excitantis arma deſcriberet: ſic enim de Alecto loquens ait

> *At ſæua è ſpeculis tempus Dea nacta nocendi*
> *Ardua tecta petit ſtabuli, & de culmine ſummo*
> *Paſtorale canit ſignum; cornuq; recuruo*

Ter-

Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & Sylua inſonuere profundæ.
Audijt & Triuia longè lacus; audijt amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fonteſq; Velini &c.

imitationem verò eiuſdem loci cernes apud Vidam eit. Chriſtiad. 5. ſic

Audijt & ſonitum, ſi quem procul orbe remoto
Diſtans incedens humili Luna humida greſſu,
Audiuêre quibus generis cuſtodia noſtri
In terris olim ſorti data, vaſtaq; tellus
Protinus ingenti tremuit concuſſa fragore.

Itaq; particula *Et* aduerbialiter hìc ponitur pro *etiam*, aduerb. ſcilicet addendi, ſeù ordinis, ſed ordinis ſuperaddentis. De verbo *Audijt* non loquor, notiſſimæ enim ſignificationis eſt; tantùm noto propriſſimam vtiq; locutionem eſſe, cum ſonitus vnicum auditiuæ potentiæ obiectum ſit.

SIQVEM. *Siquis* relatiuum compoſitum eſt ex *ſi*, & *quis*, idemq; ſonans, ac *ſi aliquis*: Quarè, licet dictionem diſiungat Heinſius *ſi quem* legens, immutandam non cenſui vulgatam noſtram, cum eadem in vtraq; tandem ſignificatio ſit. Ex hoc autem ſatis oſtenditur is, qui hoc pacto loquatur, in incerto eſſe, an aliquis ſit, vel non ſit in loco, de quo ipſe loquatur; ſic itaq; dum Auctor hic *ſiquem*, inquit, *Glacies alpina coercet*, manifeſtè oſtendit, ſe in incerto eſſe, num aliquis ijs degat in niuibus, an non. Cum autem pateat, nomen *ſiquis* relatiuum eſſe, vides ſubintelligendum antecedens, nempè *ſiquem glacies alpina coercet, audijt & ille* diſiectarum rupium fragorem.

GLACIES ALPINA. Quid ſit glacies iam vidimus lib. pri. Carm. 167.; *Alpina* verò adiectiuum eſt ab Alpibus deriuatum, efformatumque. Quare idem eſt dicere *Glacies alpina*, ac Glacies, quæ in Alpium iugis perpetuò obdureſcit. Porrò Alpes perpetuis damnatas niuibus, nemo eſt, qui ignoret; cum immò, vt aliqui voluerunt, niuis, quā perpetuo premuntur, candorem ferant in nomine, nam, quod nos *Album* dicimus, *Alpum* Sabini dixerunt, ex quo *Alpes* dictæ: quod apertè teſtatur Mant. Alphonſi lib. pri. inquiens

Hìc Albæ dictæ à niuium candoribus Alpes.

alij tamen malunt, Alpes dici à ſublimitate, quā in maximam erigantur altitudinem; nam altiſſimos quoſq; montes Galli, eorum lingua, *Alpes* nominarunt. Sed quidquid ſit de hoc, ad quod certè alluſiſſe videtur Virg. Georg. 3. vbi Alpes aerias, ideſt in immenſurabilem protenſas altitudinem, dum ait

Tum ſciat aerias Alpes, & norica ſiquis
Caſtella in tumulis &c.

certum eſt, inhoſpitas Alpes communiter cenſeri: nam, vbi perpetuæ rigent niues, ac glacies obduratur, quis permanentia vnquam figere audeat tentoria? Certè militaris loco prodigij habitus ſemper fuit Cæſaris per Alpes tranſitus, cuius meminit Lucanus lib. pri. inquiens

Iam gelidas Cæſar curſu ſuperauerat Alpes.

Inſuper *hyperboreæ* dicuntur; ideò frigidæ non minus, quam regio ipſa hyperboreis hiſcens rigoribus: quarè Cantalycius inquit

Pars vel hyperboreas forſan remeauit ad Alpes.

conſequenter glacie adeò obduratæ, vt inhabitabiles iure credi potuerint. Ideò & loco prodigij decantatur Annibalis labor, qui, alpinis rupibus igne, & aceto perfractis, non ſibi ſolum, ac militibus viam ſuis, per altiſſimas, præruptaſque rupes, ſed etiam alijs in poſterum, illac iter acturis, complanauerit; ad quod alludens Virg. ore Iouis Æn. 10. ait

Adueniet iuſtum pugnæ (ne arceſſite) tempus
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atq; Alpes immittet apertas.

Verùm non inhoſpitas adeò exiſtimauerim Alpes, vt interdum habitatores, ad tempus ſaltem, non habuerint: nam &, cum Annibal Alpes ſubijt, eum ab exploratoribus audiſſe, comperio, ea montium iuga interdiù cuſtodibus muniri, qui noctu, cuſtodia omiſſa, in habitacula ad quietem ſecederent. Certè & viatores ante Annibalem Alpes peragrarunt; nam, teſte Rauiſio, Galli, ante Annibalem, quinquies traiecerunt Alpes: Eſto ipſe fuerit primus, qui viam commodiorem, ad ea tranſilienda iuga, aperuerit. Arbitror itaque locutum eſſe hic Claudianum, eo pacto, quo locutum vidimus lib. pri., cum terras Zonis frigidis ſubiectas inhabitabiles aſſerere viſus eſt; nempè in Antiquorum ſenſu, qui cum tantùm notitiam haberent de aſperitate Alpium, de niuibus illic perpetuò degentibus, de impoſſibilitate, propè dixerim, iuga ſuperandi, nedum incolendi, Alpes deſertas prorsùs, ac nullo cultore tritas cenſuerunt. Quod tamen non omninò affirmare voluit Vates, ne in cenſuram incideret apud eos, qui Apes ſubindè cognouerunt ſuperatu quidem difficiles; ſed non imperuias; deſertas quidem, ſed non adeò, vt ſaltem interdum in ijs aliquod non fuerit habitaculum; ideò ſub dubio loquitur, *Siquem glacies alpina coercet*. Quæ propoſitio, vt noſtis, conditionalis eſt, & duo quidem includens, ſed vnum tantum ſub alterius affirmans conditione; & affirmans etiam connexionem, quam habeat conditionatum cum conditione ipſā caſu, quo illa purificetur. Sunt itaque Alpes, vt dicebamus, altiſſima montium iuga perpetuis obſita niuibus, quibus & difficillimè permeabiles eorum redduntur rupes, vt aptè adnotauit Silius, cum eas dixit

Et clauſas niuibus rupes, ſuppoſitaq; Cælo
Saxa.

Hi montes Galliam tranſalpinam à ciſalpina olim diuidebant, ſed poſtea, dilatatis Italiæ finibus, ipſius Italiæ termini fuere: & mœnia dicuntur quibus Italia ab exterorum hoſtium incurſibus tutaretur, eam à Gallis vtiq; dirimentia. Scio, Alpes interdum pro ipſa Gallia poſitas, vt notant Virgiliani, cum Seruio interpretes in cit. à nobis locum: ex quo facilè quiſpiam fortaſſis anſam arripuerit dicendi, Claudianum ita intelligendum, vt dicat, Plutonici fragores ictus, ad perturbandam ipſam Galliæ, trans Alpes, regionem, perueniſſe; locutum autem ſub dubio, quaſi incertus eſſet, num Incolas trans Alpes eſſe, an non eſſe affirmaret, vt alluſio ex ea emergeret dubitatione ad eam Peſtilentiæ vim, quæ olim, vt enarrat Lucretius, Tranſalpinam adeò regionem deuaſtauit, vt deſertam reddiderit; atq; ideò Poetam dixiſſe: *ſiquem Glacies Alpina coercet*. Et facere vim poſſet in verbo; nam *coercere* idem eſt, ac *detinere*, & *impedire*; Alpibus autem detentos à tranſitu in Italiam nouimus Tranſalpinos. Fateor, per huiuſmodi explicationem, forè, vt magis amplificaretur fragor ex Plutonico proueniens ictu; ſed neſcio, an ſatis benè cum reliquo Claudiani contextu eſſet componenda: nam video Poetam non exceſſiſſe, in ſubſequentibus, partes, ac fines Italiæ: quarè euidenter concludendum cenſeo, Poetam voluiſſe tantùm aſſerere fragorem illum à tota auditum Italia, quam ita ſubindè per partes ſignat, vt indicet nullam ab eo Italiæ partem immunem fuiſſe. Quapropter & hic dicendum erit Alpes, tanquam Italiæ terminos, in huiuſmodi amplificationem acciri. *Glacies* igitur *alpina* pro ipſis formaliter Alpibus ponitur, contentum videlicet pro continente, ſeù potiùs ſignum pro re ſignata. Remanet tamen adhùc diluenda præſumptio, quæ ex vi verbi *coercet* deſumi poſſit, vt ſupra dicebamus. Ideò verbum proſequor.

COERCET. Fateor hoc eſſe verbum compoſitum ex *con*, & *arceo*; quaſi *connitor*, & *arceo*, ſeù *contra*, vel *contrarios arceo*. Verùm non ſemper in hac ſignificatione vſurpatum video hoc verbum; quod, verè quidem, aliquam ſemper importat violentiæ oſtentationem, ſed non ſemper *arcere* ſignificat; immò ſæpè idem ſonat, ac ſimpliciter *circundare*, *circumamplecti*. Sic Ouid. Metam. 2, ait

Vitta coercebat neglectos alba capillos.

ſeù vt alij legunt, & forſan elegantiùs hoc eodem loco

Vitta coercebat poſitos ſine lege capillos:

Sic itaque, ſiquis in Alpibus degat, & ingruentibus niuibus cingatur, dum ea montes obteguntur, certè hunc niues dicentur *coercere*, ideſt *circumplecti*, ita vt vel inuitus antro, ne dixerim habitaculo, clauſus egredi non poſſit: Inſuper *coercere* idem eſt, ac *conſtringere*: at certè corpora conſtringit frigus, nam & terram ipſam conſtipat, & adurit, vt ait Virg. Georg. pri.

Nec tenues pluuiæ, rapidiue potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

quarè & in hoc ſenſu optimè dictum fuerit: *ſiquem Glacies alpina coercet*; hoc eſt conſtringit, conſtipat, adurit.

ET QVI &c. Subintellige *& ille audijt qui &c.* Per coniunctionem autem à termino ad terminum fragoris iam gradum facit, & oſtendit, non Alpes ſolum, de quibus ſupra, ſed etiam Apenninum Hetruſcorum, vulgò *l'Alpi di Toſcana*, fragoris bombum percepiſſe. Has autem Alpes per Tybrim, ab illis oriundum, deſignat, vt arbitror, & mox videbimus. Porrò Hetruria, quæ etiam Tuſcia dicta fuit, & Tyrrhenia, certè intra fines Italiæ continetur, quod in mentem reuoco, vt innoteſcat, quod ſupra diximus, nempè, Vatem, hac ſua amplificatione, fines Italiæ non excedere, cuius & partem, auulſam nunc, olim coniunctam vidimus fuiſſe Siciliam lib. pri. Carm. 141.

NA-

NATAT. *Nato* verbum eſt frequentatiuum à *Nando*: nare autem proprium eſt piſcium, ac illis connaturale; nam, vt ait Cic. Tuſcul. 5., Natura beſtias nantes aquarum incolas eſſe voluit: natant tamen & homines, induſtria, & arte adhibita: quarè Ouid. pri. de re am. ait:

Pugnat in aduerſas ire natator aquas,

& clarius Virg. Æn. pri. hoc ipſum expreſſit dicens

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Hic itaque *Qui natas* ita intelligendum eſt, vt dicatur de hominibus, ad ipſum Tybridis fontem, incolentibus, qui ſcilicet, aquarum placiditate Inuitante ſæpius natatui indulgeant. Ponitur ergò hic conſequens pro antecedenti, nempè *aquas natare* pro *circa aquas incolere*; nam ad hoc illud facilè ſequitur, & connaturale quaſi videtur eſſe ijs, qui circa aquas inhabitent.

TE. Apoſtrophem hic ad Tybrim à Poeta inſtitutam ſatis liquet: dum enim vnico ſecundæ perſonæ vtitur pronomine demonſtratiuo, certè ad eum, quem, pronomine ipſo, appellat ſermonem, conuertit, ipſumq; alloquitur.

TYBRI. Vocandi græco vtitur caſu, vt fluuium, quem alloquitur, de veritate interpellet, & quaſi in teſtem aſſertionis aſſumat; ex quo clariùs etiam patet Apoſtrophe. Verùm, quia ſupra diximus, Hetruſcas Alpes, hoc flumine deſignari, inquirendum iam eſt, quo id fundamento aſſeruerimus, & de qua fluuij parte locutus fuerit Vates, quomodo ex ipſo eius contextu deduxerimus. Tybris itaque celeberrimus Italiæ fluuius eſt è media ferè longitudine Apennini, atq; Aretinorum (ſic ab Aretio Hetruriæ vrbe dicuntur) finibus defluens: quarè Ouid. Metam. 15. ait:

Nunc quoq; Dardaniam fama eſt conſurgere Romam,
Apenninigenæ quæ proxima Tybridis vndis,
Mole ſub ingenti rerum fundamina ponit.

nec obſtat quod Virg. Æn. 10. Tybrim appellet Lydium;

Ad terram Heſperiam venies; vbi Lydius arua
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.

nam ex hoc non deducitur, Tybrim ex Lydia oriundum fuiſſe, ſed tantùm Lydij nomen ſortitum fuiſſe a Lydo Thyrreni Hetruſcorum Regis fratre; cum enim Lydus, ac Thyrrenus fratres non potuerint eodem in regno conſiſtere, iactis ſortitionibus, Lydia Lydo, à quo etiam denominata eſt, obtigit; Thyrrhenus autem abiens Hetruſcorum, ſubindè rexit Imperium, atque, in relicti fratris monimentum, cognominationem Lydij impoſuit Tybridi: de cætero enim ipſo eodem cit. textu Tybrim Italiæ fluuium certè agnouit, aſſeruitq; Virg., dum, citato carmine, ait *Ad terram Heſperiam venies &c.*, & priùs origine Tuſcum faſſus fuerat Georg. pri., vbi hæc habet

Dij patrij indigetes, & Romule, veſtaq; mater
Quæ Tuſcum Tyberim, & Romana palatia ſeruas &c.

Hoc igitur flumen Italiæ, ab Hetruſcis Alpibus originem trahens, ipſo ſui initio (vt omnium ferè fluminum eſt) non admodum ingens, multis ſubindè fluminibus auctus, tumidoque iam cornu decurrens, Latium ab Hetruria, & Ianiculum ipſum ab Vrbe dirimens Romana, in mare, propè Oſtiam, deuoluitur. Vnde verò nomen traxerit Tybris variant Auctores. Liuius à Tyberino Albanorum Rege, in huius traiectu fluminis, abſorto, Tyberim dictum autumat, cum priùs *Albula* diceretur: idemq; affirmat Ouid. Metam. 14. vbi enumerans Albanorum Reges, ait

Epitus ex illo; regnum Tyberinus ab illo
Cepit; & in Tuſci demerſus fluminis vndis
Nomina fecit aquæ.

Seruius verò hoc fluminis nomen ipſo Albanorum Regno antiquius eſſe contendit; ideoq; nominis originem refert ad Tybrim potius Hetruſcorum Regem, & idem teſtatur Virg. apud quem Euander Æn. 8. ait

Tum Reges, aſperq; immani corpore Tybris
A quo poſt Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.

Verum, quia nil pertinet ad inſtitutum hanc de nomine ſententiarum varietatem, ac veritatem indagare, prætereo hoc, & ad inſtitutum redeo, comprobandi videlicet, per huiuſmodi fluuium, Hetruſcas Alpes deſignari. Sufficeret fortaſſis aliquibus, eum oſtendiſſe a prædictis alpibus ortum; ſed longe deciperentur profectò; nam niſi aliquid addatur, quod ad ipſius fluuij principium neceſſariò ſit referendum, non eſſet, cur potiùs Tybris poſitus diceretur pro Alpibus, à quibus oritur, quam pro Roma, quam alluit, aut pro Oſtia, apud quam in mare deuoluitur; nam vbicumque eſt Tybris ibi eſſe potuit, qui Tybrim enataret: Quod cum vidiſſet oculatiſſimus Vates, ne anſam daret errandi, circa textus interpretationem, addidit prudens: *nondum latis præcinctæ trophæis*; ſeù, vt clariùs ad rem noſtram legunt Heinſius, ac Barthius: *nondum latijs præcinctæ trophæis*: ex quorum explicatione quia, luce clarior emerget veritas aſſertionis noſtræ, ad eam lubens progredior.

NONDVM. Aduerb. eſt compoſitum ex negatiua *non*, & aduerbio *dum*, idem ſonans, ac *non adhùc*, & ita hic ſumitur, vt relationem dicat ad locum, & ſit diſtinctiuum fluminis in partes, ac partem trophœis nudam deſignet, & diſtinguat à parte, quæ trophęis eſſet inſignis. Ideò *Nondum*

PRÆCINCTE: ideſt ſecundùm eam partem, ad quam non adhùc ſe extenderint Romanorum trophœa gloriam fluminis extollentia: nam *præcinctus* particip. præter. temporis paſſiuum eſt à verbo *præcingo*, quod ſcilicet ex *præ*, & *cingo* componitur. Præpoſitio autem *Præ*, in compoſitione ſæpè ſæpiùs idem ſignificat, ac *valdè*: ſic *præclarus* eſt *valdè clarus*, & *præfulgens* eſt *valdè fulgens &c.* atq; hoc loco pariter *præcinctus* eſt *valdè cinctus*, hoc eſt plurimis trophœorum decoramentis circumquaq; ſtipatus. Ideò *Nondum præcinctæ*.

LATIS TROPHOEIS. *Latijs* legunt, vt diximus, Barthius, & Heinſius, quorum tamen lectionem non ſequor, quia licet clariùs, vt innui, non tamen efficacius concludunt aſſertum, vt ex infra dicendis patebit. *Latus* itaque adiectiuum eſt idem ſonans, ac *amplus*, *inſignis*, *auguſtus*. Trophœum verò proprie eſt monimentum erectum à Victore eo in loco, vbi is hoſtes profligauerit. Prima trophœa ex arboribus confecta ſunt, quas, amputatis ramis, hoſtium ſpolijs condecorabant: deindè etiam cæpta ſunt fieri ex lapide, ac Parijs, Lunenſibuſq; montium viſceribus in Pyramides, ſtatuaſq; expolitis. Inſuper ſpolia ipſa, quæ profligato ex hoſte reportabantur ſtipitibus affixa ante victorem circumferri conſueuerunt; atque hæc ipſa *trophæa* dicebantur. Itaque iuxta hanc duplicem trophęorum intelligentiam, duplici modo virtualiter incluſo in illa dictione *nondum latis præcinctæ trophæis*, primam Tyberinæ fluentæ originem notat, ac deſignat Vates. Ad cuius rei intelligentiam reuocandum eſt hic in memoriam, quot, quantiſq; trophœorum decoramentis conſpicua ſemper fuerit Roma, quæ vniuerſa ferè Orbis amplitudine in ditionem redacta, innumeris propemodum opimis regum ſpolijs, Templum Capitolini Iouis adauxit; nullus enim triumphator Vrbem ingrediebatur, quin hoſtium ſpolia præmitteret, quæ ſibi ipſi ſtatueret in trophœum, ritu Æneæ, à quo originem traherent Romani, ſeruato, qui Æn. 11.

Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo; fulgentiaq; induit arma
Mezenti Ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaq; trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumq; locis; clypeumq; ex ære ſiniſtræ
Subligat; atq; enſem collo ſuſpendit eburnum.

Cum igitur tot ſuperbiret Roma trophœis, quam profectò interluit Tybris; flumen ipſum, qua Romanis arcibus præcinctum extollitur, *latis præcinctum trophæis* iure meritò appellatur. Quarè, cum dixerit Vates: *nondum latis præcinctæ trophæis*, idem fuit, ac ſi apertè dixiſſet: *qua parte nondum Romanos fines attingis*, ſeù *nondum Latij fines ingrederis*; ſi Heinſianam ſpectemus lectionem; ideoq; *nondum Latijs*, ſeù *Romanis circum trophæis exornatus incedis*. Hæc autem illa certè pars eſt, quæ fontem verſus per Hetruriam protenditur, ita vt cum ipſo fonte, à quo originem trahit connectatur; atq; adeò, cum ex Hetruſcis Alpibus fontem habeat Tybris, certè, per hanc partem, ipſæ Hetruſcorum Alpes deſignantur. Video repugnantem huic noſtræ expoſitioni Parrhaſ. qui in hunc locum ſic habet. *Et qui te natat ò Tybri. Romanorum periphraſis, quorum antiquis moribus, iuuentus, in campo Martio armis exercitata, ſudorem, pulueremque in proximo Tyberis amne abluebat, Auctore Vegetio.* Inferiùs verò eas particulas *latis nondum præcinctæ trophæis*, interpretatus ſubdit: *Qui nondum fines Imperij tam latè propagarat; nam ſecutis poſtea temporibus Tybridis accola Romani vniuerſo ferè orbe imperauerunt.* Exactiſſima videtur prima fronte Parrhaſiana explicatio; ſed vereor ne ſatis ſolida ſeduliùs introſpicienti appareat: & ratio eſt, quia vel Vates Tybrim alloquitur conſideratum ſecundùm ſtatum illius temporis, quo Vates ipſe, hæc canens, loquebatur; vel conſideratum pro eo tempore, quo præſupponitur reboantem ex ictu fragorem audijſſe? Si dicatur primum, tunc certè Tybris latis erat præcinctus trophœis, atque adeo non potuit dici *nondum præcinctus &c.* Si verò dicatur ſe-

cundum:

cundum; tunc quidem cum Ætneas rupes inducitur diſſiciens Pluto aderat in orbe procùl dubio Tybris, ſed neq; hoc nomine vocabatur, nec Romam, quæ nondum eſſet, alluebat, nec Romanos accolas habuerat, cum longè ante conditam Vrbem aduenerit Agriculturæ ſtudium, quod tamen poſt raptam Proſerpinam dicitur à Triptolemo diſſeminatum. Ergò non potuit hæc eſſe, pro eo tempore periphraſis Romanorum; nec potuit, pro tunc, dici Tybris arctiora imperij habuiſſe pomeria; quæ poſtea dilatauerit &c. cum immò, pro eo tempore nullum haberet Imperium, nulla adhùc extante Roma. Nec dixeris prophetico quaſi afflatos ſpiritu Vates futura habere præſentia, ac ideò de futuris loqui, perindè, ac ſi præſentia eſſent; nam, ſi hoc eſſet, iam Vates de Tybri loqueretur ſecundùm conſiderationem illius temporis, quo ipſe Romanam iam ſpectabat celſitudinem; cui conſiderationi obſtat particula *nondum*, quæ virtualiter dicit nunc temporis, quo audis fragorem ò Tybri non es adhùc præcinctus trophæis &c. ergo conſiderat Tybrim pro tempore fragoris, quo nondum Roma erat; non pro tempore, quo poſt Vrbem conditam trophæis floruit. Quarè potiùs dicendum fuiſſet Vatem locutum de Tybri, prout erat ante Vrbem conditam; & ideò dixiſſe *nondum Latijs*, (non *latus*, vt legit Parrhaſ.) *præcinctus trophæis*, hoc eſt *nondum Romanis arcibus inſignis*. Sed tunc nullam peculiarem partem Tyberis deſignaſſet, vt deſignare voluiſſe videtur per illas particulas, *& qui te natat*. Quamobrem adhuc ſyrtibus rates adhæreret. Verùm dixerit aliquis, has eaſdem rationes contra noſtram militare expoſitionem; nam pro tunc Tybris nullibi latus erat præcinctus trophœis. Sed facilis eſt reſponſio; nempè hoc quidem dici potuiſſe, quaſi per prædictionem verſantem circa futura diſtinctionis ſigna, vt poſteri ex prænotatis prædictiuæ ſignis intelligere poſſent, qua parte Tybris rebombantem tunc audierit fragorem. Arbitror igitur Vatem, patriæ originis memorem, eam quam ſupra diximus Tyberis partem deſignare, ac per eam Hetruſcorum Alpes, vt Alpes Alpibus congruè reſponderent in amplificatione fragoris. Sed rationes rationibus addo. Tybris, vt ſupra diximus, non admodum vaſtus initio, ſed varijs ſubindè fluminibus, cum à fonte receſſerit auctus, videtur quaſi, detracta ex concurrentibus fluminibus, vndarum ſpolia ſibi ipſi in trophæum, quo ſuperbior decurrat, adſciſcere. *Nondum* itaque *Latis præcinctus trophæis*; hoc eſt nondum fluuiorum ſpolijs, vndis videlicet, quibus cæteri expoliantur fluuij, magnificè auctus, inquit Vates, quod non niſi ad eam Tyberis partem, quæ propè fontem eſt, referri profectò poteſt: atq; ideò, etiam in hoc ſenſu, per Tybrim, nondum trophœis præcinctum, prima Tyberis origo deſignatur. Ideò aptè legendum cum vulgata potiùs *latis*, quam cum Heinſio *latijs*, duxi, cum moris ſit Claudiani noſtri plures vnico ſæpè vocabulo ſenſus attingere, ac coniungere, vt alias vidimus, ex quo facilè deducitur, morem & hic ſeruaſſe ſuum vtrumq; ſenſum amplectendo.

ET QVI REMIGAT &c. Totam hìc Italiam concludit ingenti territam fragore, cum Pluto Ætnæas percuſſerit rupes: ſicut enim in anteactis ab Alpibus ad Apes ſonitum perduxit; ſic, in præſenti, totam peragraſſe Italiam, atq; ad maria vſq; adiacentia perueniſſe aſſeuerat; nam hæc omnia, per Padum, hic emphaticè poſitum, exprimit Vates, vt ex explicandis patebit.

ET QVI. De his particulis ſatis ſupra §. *Et qui natat &c.*

REMIGAT ALNVM. *Remigare* eſt *remis agere*. Verbum vtique notiſſimæ ſignificationis, cum, quid ſit naues remis vrgere, atq; impellere, nemo iam neſciat. Alnus autem arbor eſt aquoſis gaudens locis, & ex qua, quippè nauigationi aptiſſima, primùm factæ ſunt lyntres; *alnus* dicta, quod amne alatur; naſcitur enim, vt plurimum, iuxta fluuios; &, quia adeò apta eſt ad naues conficiendas, ponitur ſæpè ſæpiùs pro ipſa naui; materies videlicet pro re ſignata, vt hìc; & eo pacto quo Virg. Georg. pri. inquit

Tunc alnos primum fluuij ſenſere cauatas.

MÆSTAM. Parrhaſ., Heinſius, & alij *Miſſam* legunt

. . . . . . Miſſamq; Pado qui remigat Alnum,

& profectò optimam eſſe eorum lectionem non inficior; nam Maronianam induit phraſim, qui Georg. 2. ait

Nec non & torrentem vndam leuis innatat Alnus
Miſſa Pado.

Quarè lubens dixerim, typographorum errore, *mæſtamq;* in hunc locum irrepſiſſe. Verùm, quia non ſine eruditione decurrit epitetum *Mæſtam*, fœlicem propè dixerim errorem (ſi tamen error eſt) qui nouam gemmeæ Vatis elocutioni gemmam ſuperinducit: quarè non reijcere auſus, (non refutata, immò comprobata aliorum lectione) ſic explico. Mæſtus idem eſt, ac *triſtis, dolore, mæſtitiaq; confectus*. Mæſtam itaque textus appellat Alnum, vt ad fabulam reſpiciat, quæ de huiuſmodi conſtruitur arbore: fabulantur enim, Solis filias, Phaetontis ſorores, quarum nomina ſunt Phaetuſa, Lampeties, Phœbe, in Alnos arbores fuiſſe conuerſas, cum aſſiduo trimeſtri luctu Phaetontem fulmine deiectum defleſſent, ac mærore tabeſcentes reſoluerentur. Scio equidem ab alijs dictum, eas in Populos arbores fuiſſe commutatas: ſed hoc non obſtat, quin alij ſentire potuerint cum Apollonio, ac cæteris auctoribus Græcis, aſſerentibus, eas in alnos commutatas; cum præcipuè ab aliquibus idem eſſe credantur *nigra, Populus*, & *Alnus*. Certè in Alnos conuerſas, cum Græcis, expreſsè affirmat etiam Virg. Ecl. 6. dum ait

Tum Phaetontiades muſco circundat amaræ
Corticis; atq; ſolo proceras erigit alnos.

mæſta itaque Alnus dicitur, quaſi & ſub arboreis formis mærores adhùc ſeruent Heliades lugentes, cum inter lacrymas Alnus enata lacrymis perpetuò indulgens cenſeri meritò poſſit.

PADO. Antiquum hoc nomen eſt celeberrimi illius Italiæ fluminis, quod Phaetontis caſu, neſcio, an funeſtatum magis dixerim, an celebratum, nomen mutauit, atq; Eridanus ab eo, quem cadentem excepit, dictus eſt, nam Phaeton non eſt nomen proprium illius filij Solis, qui, fulmine deiectus dicitur; ſed eius nomen fuit Eridanus, qui, Apollinis, & Clymeneus filius cum fuerit, accenſus paterni currus agendi deſiderio, illum diù à Patre expetitum, mala aui, obtinuit tandem; inſolito enim, inexpertoq; rectore perterriti ſolares equi, ab ecclíptica aberrantes, totum iam terrarum orbem incendebant, vt latè deſcribit Ouid., qui totam Phaetontis fabulam proſequitur Metam. 2.; ſic enim ipſe.

Sed leue pondus erat, nec quod cognoſcere poſſent
Solis equi; ſolitâq; iugum grauitate carebat.
*Vtq; labant curuæ, iuſto ſine * pondere, naues* * Saburra nautis dicens. vulgò la Saurra.
Perq; mare inſtabiles nimia leuitate feruntur;
Succutiturq; aliè, ſimiliſq; eſt currus inani.
Quod ſimul ac ſenſere, ruunt, tritumq; relinquunt
Quadriiugi ſpatium, nec, quo priùs, ordine currunt.
Ipſe pauet: nec qua commiſſas flectat habenas,
Nec ſcit qua ſit iter; nec, ſi ſciat, imperet illis.
Tum primum radijs gelidi caluere Triones,
Et vetito fruſtra tentarunt æquore mergi &c.

ex hoc itaque ardore, quem in terrarum orbem imperitus immiſit Eridanus, currum agens paternum, cognominatus fuit *Phaeton*: nam φαίθω græcè apud latinos eſt *ardeo*. Cum autem, toto terrarum orbe conflagrante, Iupiter excandeſceret in auctorem, immiſſo in eum fulmine, è curru in Padum deiecit, qui ideò poſtea ab eo Eridanus dictus eſt. Mortem autem Eridani Solis filij, eiuſdemq; in fluuio, cui nomen fecit ſepulchrum, ſic canit idem Ouid. cit.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Miſit in Aurigam, pariterq; Animaq;, rotiſq;
Expulit; & ſæuis compeſcuit ignibus ignes.
At Phaeton, rutilos flamma populante capillos,
Voluitur in præceps, longoq; per aera tractu &c.

quibus addit

Quem procùl à Patria diuerſo maximus orbe
Excipit Eridanus fumantiaq; abluit ora.

prudentiſſimè tamen Auctor noſter *Padi* potiùs, quam Eridani nomine vſus eſt; nam teſte Pauſania alius adſtat Eridanus Atticæ fluuius in Iliſſum immittens, à quo vt Eridanum diſtingueret noſtrum, antiquo Padi nomine deſignauit. Padus itaque fluuius Italiæ eſt, vt dicebamus, inſignis adeò, vt fluuiorum Rex aperto ore dicatur apud Virg. Georg. pri.

Proluit inſano contorquens vortice ſyluas
Fluuiorum Rex Eridanus; campoſq; per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit &c.

&, ne putes Eridanum fluuiorum Regem appellatum reſpectu ſolius Italiæ: audi (& generaliter dictum intelliges) audi, inquam quid de hoc eodem Pado dixerit Lucan. lib. 2.

Non minor hic Nilo, ſi non per plana iacentis
Ægypti Lybicas ſtagnaret Nilus arenas;
Non minor hic Iſtro, niſi quod, dum permeat orbem,
Iſter caſuros in qualibet æquora fontes
Accipit, & Scythicas exit non ſolus in vndas.

Hoc flumen, vt teſtatur Serra, in ſuo ſynonimorum apparatu, ex Apenninis montibus oritur, in gremio Veſuli montis, in finibus Ligurum Gabenniorum, ſiue, ſecundùm aliquos,

Vagiennorum, viſendo fonte: ac primò quidem anguſtis alueis detinetur, quippè quod, per anguſtas, ac confragoſas rupes, arctaſq; ſcopuloſi montes conualles, præcipitat, tantiq; vi erumpit, vt pariat admirationem: in ſaxa autem hinc delabens, fragore, ſtrepituq; maximo, reſonat; mox in planitiem effuſum, aquæ copiâ, quæ verſandæ molæ frumentariæ ſufficiat, temerè, latèque, nullo certo diſcurrit in alueo, ſpatio trium fermè milliarium, vſq; ad Paſſanam; vbi quaſi cuniculis abſorbetur, ita, vt exigua planè ſupra terram veſtigia relinquat; donec poſt alterum milliare rursùs emergens exoritur ad Paracolam; vndè pergens varios colligit torrentes, quibus mirum in modum auctus Longobardiam, & Romandiolæ partem permeat, quouſque, triginta, quos excipit, expletus fluuijs, ſe ſe in Adriaticum mare, ſeptenis oſtijs, & quidem ingentibus effundit. Cum itaque dixerit Auctor noſter: *Andijs & quos remiges Pado;* aduertendum eſt, Vatem certè non locutum de ea Padi parte, quæ fontem verſus expanditur, ſicuti de Tybri ſupra, in hoc ſenſu, locutum aſſerebamus; primò quia, cum ortum ex Alpibus trahat Eridanus, ſi de hac parte fluminis loqueretur Auctor, idem per diuerſa repeteret, quod ſupra dixerat: *Andijs & ſi quem glacies &c.* ſecundò quia, ſecundùm eam partem, liquet ex prænarratis, Padum, Auctore Serra cit., non eſſe nauigabilem, cum & per confragoſas decidat rupes; & per ſcopulos montium deuoluatur anguſtius; & frangatur ſaxis, in quæ dilabitur: ac tandem in planitie vix aquas dicatur habere ſubterraneis abſortus cuniculis: Vates autem expreſsè Padum hic ponit ſecundùm partem nauigabilem, dum ait: *Pado quos remiges Alnum:* quæ pars Padi nauigabilis ea tantum erit, quæ receptis aucta torrentibus per Longobardiam permeans in Adriaticum effunditur mare. Hinc patet, quomodo *quos Pado remiges Alnum,* ſeù Padus ipſe, quem remiges pulſant, pro toto Italiæ corpore ponatur; tum primò quidem Italiæ corpus interſecat Eridanus, vt ex dictis conſtat: ſecundò autem Padus, ex eo quod fluuiorum Rex adſtet, maximum eſt totius Italiæ decoramentum; conſequenter potuit ex nobiliori hac parte totum indicari, per Synecd. ſicuti eodem pacto vnum pro pluribus poſuit, cum ait, *quos natas, quos remiges &c.*

SIC CVM THESSALIAM &c. A ſimilitudine, atq; in re diſpari repertâ paritate, magis adhùc exprimit, ac ſub oculis, ſi non ſub auribus, ponit ingentem Plutonici impetus fragorem. Similitudinem autem deſumit à fragore, qui auditus eſt, cum Neptunus Oſſam, olim Olympi partem, ab ipſo Olympo, Tridentis ictu diuiſerit, ac ſeparauerit, vt Theſſaliam ab aquis liberaret. Comparat itaque Vates impetum cum impetu; ictum cum ictu; ſceptrum cum ſceptro; Numen cum Numine; effectum cum effectu, vt ex explicandis patebit. Sed antequam explicationem aggrediamur, aperiendum eſt, (vt illa faciliùs innoteſcat) quid de Theſſaliæ ab Hiſtoricis memoretur. Sciendum itaque eam terræ partem, quæ nunc amænis culta viretis terreſtrem quaſi Paradiſum efformat, iuxta ea quæ de Tempe ab omnibus enarrantur, Lacum olim fuiſſe, prælatis vndique montibus concluſum: nam Theſſaliæ ad Orientem, Pelion, & Oſſam, iunctis inter ſe radicibus, habet: ad Aquilonem, Olympum: ad Heſperum, Pindum: ad Auſtrum verò, Othrim. Atq; inter hos montes media fuit Theſſaliæ, ſeù potius Theſſalus Lacus: nam ita deuexa fuit inter hos montes terra, vt, coeuntibus in eam amnibus, tota aquis confluentibus mergeretur; cumq; nullus eſſet aditus, quo è montium carceribus viam inuenirent, collectæ in conuallibus, aquæ, lacum vtiq ingentem efficiebant; vberrimâ enim aquarum copiâ ſcatens Theſſaliæ dicitur. Sed, cum frequentes alij in eam defluant amnes, tum præcipuè, inter eos, quinque, alijs omnibus maiores, influunt, nempè Peneus, Apidanus, Onochonus, Epineus, & Pamiſus, qui è montibus in vnum confluentes, nunc, per vnicum anfractum, cumq; arctum, in mare euadunt, Penei retento nomine. Olim verò, cum nondum eſſet anfractus ille, in conuallibus montium vtiq; ſtagnabant, carceribus vndique montium detenti. Accedebat inſuper his ipſis lacus, quem nunc *Bambordum* appellant; ſed tunc, commixtis omnibus aquis, nulla aderat diſtinctio nominum, atq; vna omnium aqua cenſebatur. Accidit autem, vt, ingenti terræmotu facto, montes, etiam tunc *Tempe* vocati, concuſſi, ac confracti fuerint; ita vt, diſiunctis radicibus, interuallum aperuerint, quo ſtagni erumpentes aquæ, alueum, qui & nunc *Peneus* dicitur, nactæ, inde effluxerint in mare; ac regionem omnem, quæ prius ſtagnum fuerat, denudatam relinquentes, admirabilem prorsùs, & pulchritudine, & magnitudine, atq; vbertate, planitiem longè, latèq; detexerint. Hinc datus eſt fabulæ locus, qua ſcilicet fabulati ſunt, ortam olim, inter Iunonem, ac Neptunum, fuiſſe contentionem de agro argiuo (io cuius gremio Theſſalia eſt) cum & Iuno illum in ſuam vindicare percuperet ditionem, & Neptunus, ob aquarum redundantiam, ſibi deberi, exiſtimaret. Poſitâ itaque, vt aiunt, ſub Iudicibus (qui Inachus, Phoroneus, Cephiſſus, & Aſterion fuere) controuerſiâ, litem ipſi eam Iunoni adiudicarunt: quarè indignatus Neptunus, vt ſciretur iam, num plus Iuno, an Neptunus regioni nocere poſſet, tantam vim dicitur aquarum immiſiſſe, vt maxima pars agri illius ſub aquis delituerit: Poſtea tamen, exorante Neptunum Iunone, fertur tandem Neptunus ipſe, impulſis ſceptro montibus, lacunam effeciſſe, per quam, inundantes effluerent aquæ. Quo nam autem loco facta fuerit Lacuna illa, docet Herodotus, qui ſcriptum reliquit in Polymnia, Theſſalos dicere ſolitos, lacunam, per quam fluat Peneus, à Neptuno confectam. Ratio autem, cur Fabula Neptuno attribuerit, quod terræmotui adſcribit Hiſtoria, ex eo deſumitur, quod Herodotus, & alij, cum Democrito, ſenſerint; terræmotum ab aquis effici, vt iam innuimus lib. pri. Carm. 176.; atq; ad huius ſententiæ ſenſum reſpiciens & Auctor noſter cum fabulis locutus eſt. Porrò de particula aſſimilatiua *ſic* ſatis dictum ſupra Carm. 90. *Cum* aduerb. temporis eſt idem ſonans, ac *tunc quando*

PALVS. De diſtinctione inter Paludem, & Lacum diximus ſupra Carm. 115. Verùm cum & Palus aqua ſit ſtagnans, pro Lacu hic ponitur ſupra tradito, per cathacreſim, quæ nomine propinquo abutitur.

PENEO STAGNANTE. Subintellige *effecta*, vel *collecta*. *Peneus* autem fluuius ille Theſſaliæ eſt, quem ſupra diximus, per anfractum, inter Oſſam, Olympumque, apertum defluxiſſe tandem. Hic ex Pindo oritur monte, ac per Tempe decurrens in Pagaſicum elabitur ſinum: eiuſq; Numen Daphnes puellæ in Laurum transmutatæ Patrem fuiſſe, decantant Poetarum commenta. Nota tamen, Peneum hic poni, non quaſi ſolitariè ſumptum, ſed prout omnibus, de quibus ſupra diximus, aquis commixtum; nam ſicuti omnes aquæ illæ, poſt apertum anfractum, dum vnitæ in pelagus effunduntur, ſolius Penei retinent nomen; ſic, ante anfractum, eodem pacto nominatas à Præcipuo ſcilicet flumine ſupponit Vates, ex conſequenti colligens quid anteceſſerit: & quidem denominatio certè ſemper à potiori deſumitur. Ideò *Peneo ſtagnante*. *Stagnare* autem eſt vndis opprimere immobilibus, ex eo quod nullus ad exitum aditus aperiatur, ex quo ſit vt lacum efforment vno in loco collectum.

INCLVSA SCOPVLIS. Ad Paludem, de qua ſupra, refertur adiectiuum *incluſa*, quod idem eſt, ac *intus* clauſa. Dumq; addit *ſcopulis* obices notat, quibus *intus clauſa* obſideretur Palus; *ſcopuli* autem nil aliud ſunt, quàm montes ipſi, aut montium rupes. Vide lib. pri. Carm. 152.

TENERET THESSALIAM. *Teneo* pro eodem ſæpè ſumitur, ac *urgeo*, *occupo*, *opprimo*: Sic Virg. Georg. pri., de aquis pariter loquens, ait: *Quiq; Paludis*

Collectum humorem bibula deducit arena.
Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit, & obducto latè tenet omnia limo &c.

Theſſalia verò Græciæ regio eſt, ex vna parte Beotiam, ex altera Macedoniam habens; olim ab Æmone Rege Æmonia dicta; immò & Pelaſgicon Argos, & Hellas, & Dryopis, quondam fuit appellata. In hac genitus eſt Rex nomine Græcus, à quo Græcia: ibique natus eſt Hellen, à quo Hellenes vocati: eiuſque Incolas Homerus tribus appellat nominibus, nempè Myrmidonas, Hellenas, & Achæos. Dictam & Pyrrhæam inuenio à Pyrrha Deucalionis vxore, cuius tempore ingens illa aquarum contigit illuuies, quæ Theſſaliam abſumpſit totam, ſolique Deucalion, & Pyrrha coniuges, in Parnaſſi iugis ſeruati, populorum reliquias, illùc quoquo modo confugientes fuiſſe dicuntur: vnde datus fabulæ locus, qua confictum fuit, ex Themidis eos oraculo, antiquæ Matris oſſa poſt tergum iacientes, reparatores orbis extitiſſe. Illuuiem huiuſmodi, cauſam, effectuſque illius, atq; orbis, per ſupradictos coniuges, reparationem latè proſequitur Ouid. Metam. pri. Sed, ne longiùs euagemur, ad Theſſaliam noſtram regrediamur. Hæc viginti quatuor montes dicitur continere, inter quos, præcipui ſunt, quos ſupra recenſuimus; & ab Aleuaro Pyrrhæ filio in quatuor partes diuiſa eſt, nempè in Theſſalioten, Pelaſgioten, Phthioten, & Eſtioten, vt notat Parrh. ex Ariſtotele de communi Theſſalorum Republica ſcribente, eius ab

Aquis,

Aquis, eam in lacum efformantibus, exſiccationem Diodorus, Catullus, ac Tragædus Seneca inter Herculis opera commemorant. Certè tamen Auctor noſter cum iis ſentit, qui eam Neptuno attribuunt, vt ſatis ex contextu patet. Cum itaque Lacus totam ſub vndis merſam detineret Theſſaliam.

ET NEGARET, COLI ARVA MERSA. Ab antecedentibus ad conſequentia enarranda progreditur Vates; nam ex eo, quod *Palus*, hoc eſt aquæ, Lacum efficientes, Theſſaliam tegerent, certè ſequebatur, vt inculta prorſus illa remaneret. Dat itaque prohibentis actum ipſis aquis in Lacum coactis, ac per nomen *Palus*, ſignificatis, vt notet connexionem cauſæ cum effectu, neceſſariò conſequenti, atq; eiuſdem influxum cauſæ in eumdem effectum; ideòq; per copulam *Et* cauſam cum effectu coniungit: *Et negaret* (nempè Palus iam poſita) *coli arua*; hoc eſt, *negaret facultatem colendi arua*, ſeù *arua coli non pateretur*; nam *negare* idem interdum eſt, ac *interdicere*, & *prohibere*. Videtur tamen hoc verbum importare actionem prohibitiuam ab agente intellectuali, ac voluntario promanantem: nam affirmatio, & negatio ad ſecundam pertinent intellectus operationem. Quarè Poeta hic vel ſenſum tribuit inanimatis: vel *Paludem* poſuit pro ipſo Paludis Numine; nam vt ſæpè vidimus vnicuiq; aquarum congregationi proprium Numen antiquitus præponebatur: ideòq; iure illi intelligentis adſcribit actionem. Heinſius legendum cenſuit: *negarent arua coli*; hoc eſt *recuſarent*. Verùm *recuſare* dicit actum *voluntarium*, vel ſaltem *ex ipſa recuſantis natura promanentem*. Arua autem Theſſaliæ, quibus actum recuſandi attribuit Heinſius, certè non reſpuebant culturam ex natura ſua; cum à poſteriori pateat, ea immò culturæ amantia, ac grata fuiſſe cultoribus, larga laborum præmia cum reddiderint incolentibus. Quarè non ipſa recuſabant de ſe culturam, ſed palus cultores arcens ea coli prohibebat. Dixerit fortaſſis Heinſius, dictum fuiſſe, quod arua coli recuſarent, quia arua ipſa earum effunderet ſcaturigines aquarum, quibus arcerentur cultores. Sed eſto hoc verum eſſet; adhùc congruentiùs diceretur *Palus negaret*, quam *arua negarent*; nam per vulgatam noſtram, cum Parrhaſio legentem cauſa immediata connectitur cum effectu; vbi Heinſiana lectio effectum cum cauſa remota, & mediata tantum coniungeret, ſeù cum cauſa cauſæ. Porrò *Coli* & idem eſt, ac inhabitari; & etiam ſignificat omnibus ad agriculturam pertinentibus munijs exerceri. In ſenſu inhabitandi habetur verbum *colo*, (à quo infinitum paſſiuum coli) apud Virg. Ecl. x. vbi ſic

> *Quem fugis ah' demens? habitarunt Dij quoq; ſyluas,*
> *Dardaniuſq; Paris. Pallas, quas condidit, arces.*
> *Ipſa colat: nobis placeant ante omnia ſylua.*

in eodem ſenſu, Georg. 3. de Calabri angue, ſic ait

> *Stagna colit, ripiſq; habitans hic piſcibus atram*
> *Improbus ingluuiem, ranisq; loquacibus explet.*

In ſecundo autem ſenſu, habetur apud eumdem Virg. Georg. pri. vbi ſic. . . . . *Pater ipſe colendi*

> *Haud facilem eſſe viam voluit; primuſq; per artem*
> *Mouit agros, curis acuens mortalia corda.*

& Georg. 4. in eodem ſenſu vſurpatur reſpectu hortorum

> *Forſitan &, pingues hortos quæ cura colendi*
> *Ornaret, canerem, biferiq; roſaria Pæſti.*

Verumque autem ſenſum complectitur Auctor hic; nam vtrumq; prohibebat Palus, nempè & habitari ab hominibus, & ruſticis exerceri inſtrumentis Theſſaliam. Sed cur *arua* igitur dixerit Vates? *Arua* ea eſſe vidimus, lib. pri. Carm. 128., quæ aratro ſubacta ad frugem comparantur, & exercentur: quomodò igitur *Arua* dicat illa, quæ nullo poſſe aratro exerceri dictitauerat? Diſtingue, & concordabis. Quæ enim non arua eſſent per accidens ex ſuppoſito impedimento, *arua* erant ex natura ſua culturam non reſpuentia, & *arua* de facto erant, ſemoto impedimento futura; quarè non ea Vates appellat *arua*, in ſenſu compoſito, cum tali ſcilicet impedimento, ſed in ſenſu diuiſo, hoc eſt prout a tali ſeiuncta impedimento, quod per particip. *Merſa* exprimitur, prout merſa non erat *arua*, ſed prout non merſa iam arua ſunt, & exercentur &c. Merſa autem dicuntur, quæ ſub aquis poſita, iiſdem obruuntur. Credes fortaſſis, hoc ipſum participium ſuperuacaneum hic eſſe; nam ſufficienter merſam indicarat Theſſaliam Auctor, dum dixerat: *negaret Palus arua coli*. Verùm, ſe melius introſpectâ, agnoſces profectò, omitti hoc participium non potuiſſe; nam ſi indefinitè locutus fuiſſet Poeta, dicens tantum *Palus negaret arua coli*; videretur apertè innuere, totam omninò, ac ſecundùm omnes ſui partes, Theſſaliam, Peneo ſtagnante ſuperfuſam, ita vt nullibi prorsùs inhabitari, coliq; potuerit; quod fuiſſet oppidò manifeſtè falſum; nam, vt vidimus, Theſſalia plures habuit montes, ad quos mergendos certè palus illa non extendebatur, ſed planitiem tantum Theſſaliæ montibus incluſam obruebat. Quarè addenda neceſſariò fuit particula limitatiua, & quodammodo differentialis, vt ſciremus, Vatem non de tota ſimpliciter Theſſalia locutum; ſed tantum de tota Theſſalia in planum extensâ, quæ ſola inhabitari, colique non potuit, cum Lacus eſſet; nam cæteroqui etiam tunc Theſſalia, ſecundùm montanam partem cultoribus non caruiſſe in comperto eſt, ideòq; Vates ſecundùm partem merſam coli non potuiſſe dictitat, vt oſtendat, ſecundùm partem non merſam, & habitabilem fuiſſe, & cultam. Inſuper, niſi illud appoſuiſſet diſtinctiuum, alteri æquiuocationi obnoxius fuiſſet textus: potuiſſet enim quis, totam intelligens ſimpliciter obrutam aquis Theſſaliam, arbitrari, textum hunc intelligendum eſſe de illa aquarum illuuie, qua diximus, Phyrrhæ tempore, non planiciem ſolum, ſed & montes obrutos fuiſſe Theſſaliæ: vt itaque & ſe, non de illa locutum, ſed de lacu, oſtentaret; & vt lacum ipſum in Planitiem tantummodò tyrannidem exercuiſſe declararet: non generaliter, & abſolutè dixit, Paludem negaſſe, ſeu prohibuiſſe, ne arua colerentur, ſed ne colerentur eæ terræ partes, quæ, in Planitiem extenſæ, ſub vndis merſæ detinebantur, cæteris è lacu emergentibus, cultore, cæteroq; non deſtitutis.

NEPTVNVS. Cum ſe ad ſimilitudinem inducendam comparaſſet Vates, per particulam *Sic* antequam ſimilitudinem ipſam exponeret, cauſam adnotare voluit, cur ſimilia modus montium diſijcendorum adhibitus à Neptuno fuerit; ideòq; & amplificauit, ab opportunitate temporis, ab adiunctis incommodorum, quæ patiebatur Theſſalia &c. cauſam ipſam, vt in comperto eſſet, tantis motum cauſis, Neptunum, non leui ictu, montes impuliſſe; vt exindè aptior, & congruentior euaderet parallela, quam inſtituerat comparatio. Hic autem ipſam aggreditur comparationem. Quarè particula illa *Sic*, initio poſita, hùc, procul dubio, eſt transferenda; nam *Sic Neptunus &c.* Qui ſit Neptunus iam vidimus lib. pri. Carm. 104 &, cur illi hæc montium attribuatur diſruptio, vidimus pariter mox 10 anteactis. Ideò prætereuolo.

TRIFIDA CVSPIDE: Inſtrumentum hic notat, quo vſus fuerit Neptunus, ad impellendos montes, illudque ipſum Neptuni ſceptrum indicat fuiſſe, quod, per antonomaſticam circumlocutionem, *Trifidam* cuſpidem appellat: *trifidum* enim dicitur, quod in tres partes aut ſinditur, aut ſindi poteſt: & profectò, cum Neptuni ſceptrum ſit *Tridens*; ideſt ferrum, triplici diſtinctâ cuſpide inſignitum, certè *trifidum*, ſeu *trifida cuſpis* dici debuit. Vel dicas, trifidum dictum Neptuni ſceptrum, quaſi *ter fidum*; nam ſi *fidum* dicitur id, cui fidendum; procul dubio *ter fidum* erit Neptuni ſceptrum, cui videlicet à Neptuno tripliciter fidendum ſit; cum *Tridens* nil aliud ſignificet, quam triplicem Neptuni poteſtatem, quam ſcilicet habet *attollendi*, *placandi*, *conſeruandique* maris, quæ facultates nunquam certè Neptunum fallant. Alij etiam dicunt, trifidum efformari Neptuni ſceptrum, ob triplicem, quam habet, poteſtatem, ſeù triplex imperium, nempè in aquas dulces, ſalſas, & medias, in quibus & Paluſtres ſunt aquæ nec ſalſæ ſcilicet, nec guſtui gratæ: &, etiam in hoc ſenſu, trifidum, ſeù ter fidum dici eius poteſt ſceptrum, nam infallibiliter illi obediunt vni, ſoli, ac ſemper aquæ illæ, ideòque, fideli Imperio, voluntati imperantis obſequitur ſemper. Alij *trifidum* dici aſſerunt, ob tres, quos effundit Oceanus, Mediterranei ſinus: & ſic etiam ter fidum dici poteſt, quia & Oceanus, & tres ab illo emergentes prædicti ſinus nunquam ſui Numinis nutui reluctant. Certè huiuſmodi figuræ ſceptrum Neptuno attribuerunt antiqui, vt æqualis eum cum Ioue poteſtatis deſignarent, cum enim Ioui fratri Triſulcum dediſſent fulmen, æquum fuit, vt in argumentum paritatis Trifidum Neptuno ſceptrum adaptarent. Sed cur vſus Tridente, ad quatiendos montes dictus eſt à Vate Neptunus? Terræmotu concuſſos, confractoſq; iam vidimus Theſſaliæ montes; terræmotum ex aquis excitari, iuxta opinionem Democriti pariter vidimus; atque, ad hoc indicandum, neceſſe fuit, vt Poeta non ſolum terræmotus effectum Neptuno tribueret, ſed etiam innueret factum inſtrumento aquarum; ideòque Tridente vſum effinxit; nam Tridens, vt ait Plutarchus, ſymbolum tertiæ ab igne regionis eſt, nempè regionis aquarum maria conficientium. Inſuper apertam vim quo-

ties ſignificare vellent Antiqui, Tridentem in hieroglyphicum adſciuère: vt igitur oſtenderet Vates, apertâ vſum vi, ad diſijciendos montes, vſum fuiſſe Neptunum, Tridentem dictitat adhibuiſſe. Ideò *trifida cuſpide*. Quid autem cuſpis ſit, vidimus hoc eodem lib. Carm. 19. Ideò non repetam.

IMPVLIT ADVERSOS MONTES. *Impellere* idem eſt, ac vrgere, & *ad cedendum*, ſeù *ad cadendum cogere*. Prout ſignificat cogere aliquid, vt cedat, habetur apud Virg. Æn. pri. vbi Æolus, Iunoni obtemperaturus, rupes, quibus venti claudebantur, eiubrata cuſpide cogit, vt cedant, ac liberum ventis aditum relinquant. *Cauum conuerſa cuſpide montem*

Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,

Qua data porta ruunt &c.

& in hoc eodem ſenſo ab Auctore noſtro ſumitur hic. *Montes* autem, quaſi *eminentes*, dicuntur. Hic tamen poſitum arbitror montis nomen in ea ſignificatione, quam alibi huic nomini traditam vidimus à Virg. verba citantes Palinuri Æn. 6. exarata, vbi pro montium rupibus *montes* poſitos adnotauimus.

Prenſantemq; vncis manibus capita aſpera montis.

Montes autem *aduerſos* dixit: & profectò in duplici ſignificatione vſurpatum video *aduerſi* nomen: primò quidem ita, vt idem ſignificet, ac *obſtans*, ſeù *repugnans*: ſecundò ita, vt idem ſonet, ac *oppoſitus*, ſiuè *e regione poſitus*, vulgò *poſto di dirimpetto*. Vtrumque ſenſum amplectitur Auctor: nam certè non impulit Neptunus omnes circumquaq; adiacentium montium rupes, ſed eas tantùm, quas poſitas è regione vibratæ cuſpidis inuenit; ſed quia illæ ipſæ rupes obſiſtebant Paludi, ne deflueret; ideò etiam aduerſos vocat: ideſt è regione cuſpidis poſitos, & Paludi obſtantes &c.

TVM FORTI SAVCIVS ICTV &c. Ab effectibus, & conſequentibus amplificat vehementiam ictus, quo montes impulit Neptunus. Porrò *Tum* aduerb. temporis eſt, idem ſonans, ac *tunc*, *illicò*, *ſtatim*.

VERTEX OSSÆVS. De vertice vide dicta in anteactis Carm. 91. Hic tantum noto partem pro toto poſitam per Synecd., nempè montis cacumen pro toto Monte Oſſa, quem impulit, & ab Olympo ſeiunxit; ad quem clariùs denotandum, ne fieret æquiuocatio, addidit vertici particulam differentialem *Oſſæus*, adiectiuum videlicet poſſeſſiuum ab Oſſa efformatum. Erat itaque Oſſa idem olim, vt dicebamus, cum Olympo monte nunc ab eodem Olympo ſegregatus montem efficit diſtinctum. Alibi vidimus Oſſam diuiſum ab Olympo, vt plures aſſerunt Alcidis operâ. Verùm hoc non obſtat poeticæ, quæ hic habetur locutioni; nam, cum diuerſæ adſint de eadem re opiniones, non incongruum eſt, vt Poeta, qui ad lites dirimendas non accingitur, modò ad vnam, modò ad alteram de eadem re opinionem reſpiciens dicat. Cum itaque Theſſali, vt diximus, hanc diuiſionem à Neptuno factam aſſerant, non incongruum duxeris, ſi Vates de Theſſalia loquens, Theſſalum agat, & Theſſalorum adhereat opinionibus.

SAVCIVS FORTI ICTV. Idem eſt *ſaucius*, ac *vulneratus*; nam *ſauciare*, *vulnerare* eſt: aptè autem ſauciatum aſſerit montem, quem *trifida cuſpide*, ac *forti* tranſuerberatum *ictu* deſcribit. *Fortis* porrò dicitur, qui magnis viribus vel corporis pollet, vel animi, quod certè nullo modo competit ictui: ſed, quod proprium eſt cauſæ, effectui, per Metonym., attribuit Vates. Immò hoc pacto indicat, vt arbitror, vires cauſæ, in effectum tranſmiſſas, & alludit ad ſententiam, quam nos de motu proiectorum in Phyloſ. ſuſtinemus, nempè qualitatem docentes imprimi ſuperadditam in proiecto ab ipſo proijciente, quo fortiùs ad motum fiat, & conſequenter ad ictum, quem, per motum, efficit, validius. Quarè & *fortis* dicitur *ictus*, validis nempè viribus contortus, & euibratus. Ictus autem eſt ipſa formalis percuſſio, à re, quæ icitur, peracta: & licet non proiecerit Neptunus Tridentis cuſpides, ita vt illas è manu fineret elabi; ſe tamen ad modum habent proiectorum inſtrumenta, quæ valida in aliud manu compelluntur. Ideò *forti ictu*; hoc eſt valida, ac vehementi percuſſione.

DISSILVIT. Nota ex ipſo verbo impetum, vehementiam, ac celeritatem fractionis, qua facta dicitur montium ſeiunctio, ac ſeparatio: nam *Diſſilio* verbum eſt compoſitum ex *dis*, & *ſalio*, quod idem eſt, ac *ſaltu in diuerſam ob aliorum fixum ſcindo*. Scio equidem, & pro *frangor*, accipi ſolitum; nam Virg. Æn. 12. ait

Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu

Diſſiluit: fulua reſplendent fragmina arena.

quem locum ſecutus Hieroſ. liber. cantu 7. Torquatus ſic concinit.

Frangeſi il ferro allhor, che non reſiſte

Di ſuctina mortal tempra terrena

Ad arme incorruttibile, & immiſte

D'eterno fabro; e cade in sù l'arena.

nemo tamen negauerit, per verbum *Diſſilio*, talem importari fractionem, quæ ſummo impetu, ac celeritate fiat, vt iam nos expoſuimus; licet & fractionem ſimul, & impetum, ſeù celeritatem illius importet verbum, vt hic.

GELIDO OLYMPO. De Olympo, & ſatis ſupra, quo ad rem præſentem diximus, dum inter Theſſaliæ montes enumeratum, atq; Oſſæ coniunctum diximus, & ſparſim alibi plura enarrauimus. Hic tantum ethymologiam nominis adnoto; Olympus enim græcè ὄλυμπος, quaſi ὅλος λάμπων, ideſt *totus ſplendens*: nam tantæ dicitur eſſe altitudinis, vt, nubes excedens, clariſſimo ſemper Sole fruatur, in vertice quod innuit Luc. lib. 2. inquiens . . . *Nubes excedit Olympus*. Cur autem *gelidus* dicatur, paret ex dictis in præfatione ad hunc lib. Carm. 20. cum enim idem cum Oſſa, de quo ibi agebamus, mons fuerit, eadem de vtroque ratio eſt; ideòq; & Olympus obdurato rigens gelu indicatur: quod tamen intellige ſecundùm partem inferiorem, à qua diuulſus eſt Oſſa, non verò ſecundùm ſuperiorem, quæ nubibus altior perpetua fruitur Solis facie. Vel ſi de toto Olympo malis id intelligere, dixeris cum Parrhaſio, *Gelidus* poſitum pro frigido. Sed congruentiùs addicta tam de Oſſa monte in Præfatione cit. procedit explicatio noſtra.

CARCERIBVS LAXANTVR AQVÆ &c. Ad apertum anfractum, quæ conſequantur proſequens, enumerat Vates: ac primò aquarum deſcribit eruptionem. Ideò *aquæ* dixit, numero vſus multitudinis, vt innueret complures, vt dix., aquas confluere in lacum ſolitas. *Laxare* autem pro eodem non ſemel accipitur, ac *Liberare*, ſeù *exſoluere*. Sic Lucceius ad Cic. Epiſt. 7. *Vt te, inquit, his moleſtijs laxes*: & propriè dicitur de ijs, qui, carceribus detenti, liberantur tandem; quare & liberantis vox Iudicis eſſe ſolet: *relaxetur*. Ideò & hic *laxantur*, hoc eſt *liberantur*, *ſoluuntur* aquæ: vbi allegoricam adnotare licet elocutionem, *laxantur carceribus*. Carcer dicitur locus, in quo ſontes aſſeruantur, vel ex quo, vndecumque, quis exire prohibeatur: dictus *Carcer* à coercendo, eo quod incluſos ita coerceat, vt exitum nequaquam valeant inuenire. Sic itaque aquæ Paludis, de qua ſupra, montibus circumquaque claudentibus prohibebantur ab exitu; ideò quodam quaſi carcere detentæ *laxari* dicuntur, cum anfractus efficitur, per quem elabantur. Vſus eſt autem numero multitudinis, dum *carceribus* inquit more poetico per Synecd.

ET FLVVII &c. Ad aquarum eruptionem, aliud ſubſequitur conſequens, quod alteri ſuprapoſito connectit Vates, per particulam *que* pro *&* copulatiuam: nempè quod ad mare flumina reuertantur. *Fluuij* verò à *fluendo* dicuntur, eo, quod ſemper fluant ad diſtinctionem torrentium, qui ſæpe ſæpiùs exſiccantur. *Fluuij* autem dixit, non *flumina*; quia plures fluuij concurrebant, & plures commixti egreſſi ſunt, licet vnico recepti alueo, atq; vnico Penei nomine retento, vt ſupra dicebamus. Quarè minùs placet Heinſiana lectio, quæ *flumina* pro fluuij repoſuit: nam licet, & hæc ſubſiſtere poſſit, quia tandem fluuij cum commixti ſunt, vnoq. potiuntur alueo &c. vnum integrant fluuium; non tamen adeo clarè realitatem exprimit fluuiorum, in vnum coeuntium, vt vulgata noſtra. Non ita diſplicent, qui, vbi nos ſupra legebamus: *Tum forti ſaucius ictu*, legere maluerunt: *Ter forti &c.* nam *ter fortis* idem eſt, ac *fortiſſimo ictu*, iuxta Gallicam linguam, quæ ternarium numerum collocat loco ſuperlatiui. Fracto meatu, hoc eſt aperto per fractionem aditu. Alij legunt tacto; ſed perperam, vt notant Parrhaſ., & Heinſius.

REDDVNTVR MARI. Reddi propriè dicitur, quod ablatum fuerat, & reſtituitur. Ablata fuerant à mari flumina; nam omnia ex mari flumina exeunt, & in mare redeunt, vt ſacræ ipſæ teſtantur litteræ; in quibus Eccleſiaſtes cap. pri. apertè habet. *Omnia flumina intrant in mare; & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, quibus adhærent non pauci ex Phyl. id ipſum cum Seneca aſſeuerantes: licet recentiores etiam non pauci impoſſibilem hanc fluuiorum è mari tranſmiſſionem vſurpentur. Certè ad ſuprapoſitam ſententiam Vates accedit, dum inquit *redduntur mari*. Redire autem ad mare ea nequibant flumina, Montium carceribus detenta; ideoq; ablata, rapta, ſurrepta e mari videbantur: iamq; fractis carceribus, dum in mare elabi iiſdem permittitur, *reddi*, hoc eſt *reſtitui* dicuntur mari, cui profectò debebantur. In quo

nota,

nota, Neptunum montes infringentem, ſibi, quod ſuum erat vindicaſſe: in quo non videtur quodammodo differre Pluto, non quidem quo ad veritatem facti; nam falſo raptor diceretur, ſi ſua quæreret; ſed ſecundùm ipſius Plutonis exiſtimationem, qui, ſibi deberi coniugem iure, exiſtimabat, atque iniuria denegatam arbitrabatur, vt vidimus lib. pri. Ideò & ipſe, quaſi ad ſibi vindicandum, quod ſuum ipſo iure eſſe, cenſebat, impulit aduerſos montes. Sed flumina in Mare delabentia proſequamur. Quid ſit Mare, iam nouimus lib. pri. Carm. 176., quarè nil immoror. Hic pro principio, ac fine fluuiorum ponitur.

TELLVSQVE COLONIS. Subintellige: *redditur*; nam vis copulatiuæ *Et* efficit, vt ad idem verbum referatur membrum ſubſequens, ad quod referebatur antecedens: in quo figuram adiunctionem facilè animaduertes. Tellus itaque propriè Dea terræ eſt, nempè Cybeles, de qua plura lib. pri. Carm. 180., ſed ſæpè pro ipſa terra, ſicut Ceres pro frugibus, accipitur; & in hoc ſenſu vſurpatum hic noſces ab Auctore nomen *tellus*. Videri poſſet fortaſſis Vates, totum pro parte poſuiſſe; ſed falſo, nam, loquens in ſubiecta materia, totam tellurem, olim ab aquis oppreſſam, redditam colonis affirmat: neque enim nomen *tellus* poteſt hic relationem habere ad totam, qua orbis infimus conſtat, terram; ſed ſolum ad totam illam terram, quæ, in antecedentibus, & deſcribitur, & circumſcribitur; quæ tota *colonis redditur*. Colonus verò & habitatorem ſignificat, & cultorem, ſcù agricolam. Quarè pari paſſu diſſerendum hic, ac diſſeruimus in verbo *Colo*, cui colonus hic adamuſsim correſpondet. Inſuper *Coloni* etiam propriè dicebantur, qui à Metropoli vrbe (ſic enim dicebatur, quæ Coloniam emittebat) in alium locum habitandi cauſa deducebantur. Cum itaque ex montibus in Theſſaliæ planitiem deducendi eſſent, qui eam & habitarent, & colerent, ideò etiam peculiari alluſione Coloni iure dici potuerunt, & ſunt.

Sed dum iſti redditam ſibi planitiem colunt, nos animorum culturam ex dictis iam dogmaticè deducamus.

Nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum, inquit Veritas illa, quæ infallibilis eſt, cum, carnem, quam induerat, mortalem depoſitura, in ſatellitum incidit manus. Tradere huiuſmodi oportet Satanæ in interitum carnis: inquit gentium Doctor, cum de homine ſceleribus addicto loqueretur. Quid eſt igitur Plutonem, trabali ſceptro, obſtantes Ætnæ rupes diſieciſſe? Hoſtis procùl dubio humani generis eſt Pluto Animæ, in ſcelere deprehenſæ, ex inſidijs inhians, cui ſi annuat Olympi Rex, procul dubio reſiſtentes quaslibet humanæ naturæ vires confringet ille, & vſq. ad interitum carnis excruciabit. Cum itaque morbis adeò affligitur corpus, vt Anima iam mox diſſoluenda ab eiuſdem ſocietate, faxit Deus, ne tunc ſit hoſtium hora infernalium, ac poteſtas in nos tenebrarum. Adſit ſtrenuo, ac forti vtcumq; animo, qui iam cum morte colluctatur, trabali ſceptro, obſtantes diſijciet rupes hoſtis ille proteruus; &, quaſi ſibi vindicans ſuam, vias ad rapiendam, extremis ictibus, patefaciet. Adſint Eccleſiaſtica munimenta, quæ, inconcuſſis vtiq: clauſtris, animam circumambiant, atq; ab incurſu Dæmonum tueantur; trabali ille ſceptro, noſtris ſanè ſceleribus fabrefacto, munimenta omnia, confringens, ſuperabit, Animam inuaſurus; vt non mentiatur tritum illud axioma: *Qui male viuit, male moritur*: & *qualis vita, finis ita*. Pius quidem, ac miſericors ſemper eſt Deus, cuius miſericordiæ non eſt finis: ſed impœnitenti peccantium duritie eo interdum adducitur, vt dicere iure poſſit, & debeat. *Extendi manum meam, & renuiſtis: ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos*. Extenderat & Iupiter manum, tot refertam prodigijs, vt Proſerpinam ab hoſte auerteret filiam: aſt, poſtquam illa renuit, iam neq: Ætnææ rupes eam ſatis queunt defendere. Sic Proſerpina noſtra, hoc eſt Anima, tot monitis, tot terroribus, tot interdum etiam flagellis a peccato deterrita, ſi renuerit, meretur profectò, vt, ne munimentis quidem Eccleſiaſticis, tuta ſit ſatis, cum e corpore ſeparanda æterni eſt ſæculi ſeriem ingreſſura. Triſtia à nobis hæc, precor, auertat omina Deus: ac nos interim ad Italicam Chelym diuertamus.

Mà pure in van s'aggira; in van rintraccia,
Dal cauo monte onde ſi varchi al Sole;
Ch' adito non vi ſcuopre; e ſolo, in faccia,
Vedeſi torreggiar marmorea mole,
Che, d'aſpre rupi entr' à robuſte braccia,
Stringe 'l ſuo carro, e prigioniero il vuole,
Cinge quella ogni lato; e, d'vn ſol ponto,
Non hà de maſſi il curuo ſen diſgiunto.
Impatiente al veder, che contumace
Reſiſta vn ſaſſo al valicar d'vn Nume;
Arde di nuouo ſdegno il cuor ferace;
Ch' oſſequente à ſuoi cenni hauer preſume
Anche ciò, che non rode il tempo edace:
E con tal fretta il vendicarſi aſſume,
Che ſtima i ſpirti ſuoi ſpirti codardi,
Degni di ſcorno, ou' vn momento ei tardi:
Del vaſto ſcettro, à cui d'eccelſa traue
Forma, e vigor più forte, il ferro diede,
Da quella deſtra, à cui niun pondo è graue,
La machina mural s'addatta, e fiede.
Fiede le rupi: e ne rintrona, e paue
Ciò, che del monte al più ripoſto ſiede:
E dell' Iſola tutta à ſcuorer viene
Eccho d'horror le cauernoſe vene.
Meligune dall' Etna il mar diſgiunge,
E pur vacilla al fiero bombo, e trema.
Lo ſtordito Vulcan, ſe ben da lunge,
D'altre fucine in ſen, s'affanni, e frema,
Stolido reſta, allo ſtupor, ch' il giunge;
E sì lo ſtringe al cuor gelida tema;
Che gl' incudi abbandona; e la fornace
Non cura più; tanto il terror lo sface.
Ne, più intrepido all' opra, hormai reſiſte,
Smarrito il ſuo ſignor Sterope, ò Bronte:
Mà, foſche notte ad improntar, perſiſte,
D'ambi, il pallor, nella ſuperba fronte:
Torpe ogni neruo: e già languir ſon viſte
Le forze loro, al titubar del fonte:
E, perſe dalla man d'oprar le ſtrade,
Il fulmine imperfetto al ſuol ſe 'n cade.
S'vdìr del colpo i tuoni anche là, doue
S'induran l'Alpi in vn perpetuo gelo;
Se pure alcuno è, che colà s'attroue,
Prigion del Verno entr' al neuoſo hoſtelo;
E da chi sfida in natatrici proue,
Tebro, i tuoi peſci, ou', al natio tuo Cielo,
Sorgi chiaro bensì; mà non adorno
Tì fregi ancor d'opime ſpoglie il corno.
Di quegl' ondoſi auelli, oue, cadendo
Fulminato Fetonte eſtinto giace,
Della ſcoſſa crudel lo ſcoppio horrendo
Scorſe, in vn ponto, à perturbar la pace.
Gl' Alni, che, di quell' onde il ſeno aprendo,
Spinge il nocchier, sù 'l regio dorſo, audace,
Pauentan, pronto à nuoui danni, il Cielo;
E paſſa al cuor del remigante vn gelo,
Con forza egual, con ſimil bombo, i monti
Crollar già puote il Regnator dell' onde;
All' hor, che di Theſſaglia vniti i fonti,
Stagnauan l'acque in trarupate ſponde;
E fean de campi all' annegate fronti
Corona i giunchi, in ſtrato d'alghe immonde;
Sì ch' in Driope l'antica, ou' hora appare
Fiorita Tempe, era, frà ſcogli vn mare.
Era frà ſcogli vn mar, quando dal mare,
Della Prole di Pirrha (oue negoſſi
Del campo il coltiuar dall' onde auare)
Vdì Netunno i voti; e toſto armoſſi
Del gran Tridente, à cui dell' onde amare
Sempre l'orgoglio adorator proſtroſſi

Ne

Ne men ratto, ch' in Ciel ſcorra il baleno,
Ferì con quello alla gran Concha il ſeno.
Ferito il monte, all' arietar furioſo
Squarciato in vaſte piaghe il fianco aperſe;
E, dal gelido Olimpo Oſſa neuoſo
Suelto, due monti vn monte ſolo offerſe.
Nel varco entrar, trà que' dirupi, ombroſo
Dal carcer l'acque allo sboccar conuerſe.
Rendonſi à Theti l'onde; al Sole il ſuolo;
E 'l fendon già gl' agricoltori à ſtuolo.

Sed nos, Auctorem noſtrum ſecuturi, à Peneijs tandem fluentis ſecedamus.

Poſtquam victa manu duros Trinacria nexus
Soluit, & immenſo late diſceſſit hiatu;
Apparet ſubitus Cælo timor: aſtra viarum
Mutauere fidem: vetito ſe proluit Arctos
Æquore: præcipitat pigrũ formido Booten:
Horruit Orion: audito palluit Atlas
Hinnitu: rutilos obſcurat anhelitus axes
Diſcolor; &, longa ſolitos caligine paſci,
Terruit orbis equos: preſſis hæſere lupatis
Attoniti meliore polo, rurſuſq; verendum
In Chaos obliquo certant temone reuerti.

POSTQVAM VICTA MANV &c. Peractâ ſimilitudine, quam parallelis vndique paſſibus procedentem iam vidimus, & cuius explicatio ſatis, ſuperq; in aduerſis *ſic* continebatur; vnum, quod nobis deducendum ex calce ſimilitudinis relictum artificioſè fuerat; nempè ex ictu Plutonis proſciſſam, apertamq; fuiſſe Ætnæam rupem, ſicuti ex ictu Neptuni fractum deſcripſerat Olympum; recenſet hic Vates; ſed ita, vt peractum ſupponere videatur potiùs, quam deſcribere quod peragitur, dum peractum deſcribit, ne quod nobis deducendum reliquerat, ipſe iterum recenſeat deducens. Hoc itaque, vt peractum, exponens, tranſit ſubindè ad eruptionem Plutonis deſcribendam; terroremque ab illa illatum amplificat ab effectibus; ac tandem, vt ſe ſe axiomati Phyloſophorum accommodet, aſſerentium, *omne agens agendo repatit*, Plutonis equos ab inſolita ijs luce repaſſos vtiq; deſcribit, & reſides, ac contumaces, nec non reuerti certantes oculis, per hypotipoſim præclariſſimam ſubijcit.

POSTQVAM VICTA MANV &c. Quid factum ſit oſtendit; nam fieri dicendum non fuit, quod fieri procul dubio ex vi ſimilitudinis ſatis, vt ſupra diximus, exprimebatur.

POSTQVAM. Connexiua particula hæc eſt, qua prædictis ſequentia connectuntur; nam licet priùs non expreſsè dixerit perfractum Siciliæ montem; dixit tamen implicitè; nam cum dixerit, ſic operatum Neptunum in rebus Æmoniæ, vt Pluto in rebus Siculis; cum fractos à Neptuno montes, aſſeruerit, in Theſſalia, ſequitur neceſſariò, vt ſicà Plutone fractos, in Sicilia, intelligere debeamus. Ideò, iure, rebus virtualiter expreſſis iam, ſequentia connectit per particulam poſtquam, quæ conſequentium ordinationi deſeruit.

TRINACRIA. Quid Trinacria ſit, & cur hoc nomine vocetur, vidimus lib. pri. Carm. 141. locum adeas curioſus.

VICTA MANV. Victus dicitur, qui ſuperatus eſt prælio, ſubactuſque, ac cedere coactus. Ideò itaque victa dicitur Trinacria, quia coacta eſt cedere, fractiſq; repagulis, quæ montis ſui rupibus conſtructa, oppoſuerat, coacta eſt Plutonem excipere. Victa autem dicitur *manu*; quia manus hieroglíphycum potentiæ eſt; atq; ideò & hic ponitur manus, notiſſimum vtiq; hominis membrum, pro viribus, ac potentia illius, cuius hæc manus eſt, nempè Plutonis, cuius Trinacria ceſsit Potentiæ. Sed perpende latentem in his verbis poeticum ſenſum, ſummâ profectò inſignitum perſpicacitate. Commendauerat lib. pri. Trinacriæ Ceres vnicum ſuorum viſcerum pignus, vnicum ſanè matris delicium, cum ait

. . . . Salue grati ſſima tellus,
Quam nos prætulimus Cælo. Tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & charos vteri commendo labores.

Promiſerat præmia, ſi intactum depoſitum reddidiſſet ſuum. *Præmia digna manent &c.* Indignum autem fuerat, ſi tellus illa Deæ, ſibi ſemper arridenti, audiens non fuiſſet; ſed, proditâ ſuâ in Deam fide, rapiendam ſponte Proſerpinam ceſsiſſet; ac iure excandeſcens Ceres ingratam mulctaſset Inſulam. Vt igitur Trinacriam Vates ab inuidia vindicaret, atq; ab animaduerſione Cereris immunem debere eam eſſe oſtenderet; non ſponte illam ceſſiſſe indicat; ſed vi ſubactam ineluctabili, fractiſq; munimentis, coactam pati, quod & ipſi Inſulæ fuerit intolerabile. Ideò *victa manu*

SOLVIT DVROS NEXVS: Hoc eſt paſſa eſt ſolui, licet inuita; Non enim ipſa, ſed Pluto diſſoluit, & diſiecit ſceptro oppoſitas rupes. Verùm actio patienti actionem attribuitur, vt fortaſsis innuat Vates id, quod nos latè in Phyſicis docuimus, nempè actionem, & paſsionem, non niſi formaliter per intellectum; immò & vix etiam per intellectum diſtingui inter ſe poſſe. Inſuper, cum actio tranſiens ab agente eliciatur, & recipiatur, ac ſubiectetur in Paſſo, videtur ipſum paſſum concurrere tamquam cauſa ſuſtentatiua ad efficientiam ipſam actionis; atq; adeò & illi aliquo modo, licet paſsiuè tantum tribuitur actio; ideò *ſoluit Trinacria nexus duros*. *Nexus* hoc loco nil aliud ſunt, quam compages illa, de qua ſupra, Carm. 171. vbi, & cur *duros* dixerit *nexus* reperies explicatum, dum & ibi dura dicitur compages.

ET DISCESSIT LATE'. Paſſionem paſſioni copulat per particulam coniunctiuam *Et*: atque, vt ſibi congruat, hanc ipſam paſſionem, per actionem, exprimit, *diſceſſit*, inquiens; quod verbum videtur actionem importare, & tamen puram dicit paſſionem; nam *diſcedere* non ſignificat hic de loco in locum abire, & ſecedere; ſed idem eſt ac *dehiſcere*: in quo ſenſu vſurpatum etiam hoc idem verbum ſcimus ab Oratorum Principe, offic. pr., vbi ait: *cum terra diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus &c.* Latè autem aduerb. eſt quantitatis, ſeù menſuræ, ſed indeterminatæ; nec enim ſtatuit, quanta præcisè ſit latitudo, de qua loquimur; eius tamen talis eſt vis, vt non modicam ſemper videatur importare latitudinem: quare apte ſubditur

IMMENSO HIATV. *Immenſum* enim dicitur, quod præ magnitudine menſurari non poteſt; nam nomen huiuſmodi compoſitum eſt ex præpoſitione *In*, quæ naturam inducit negationis, & participio *Menſus*, à verbo *Metior* deducto; quare idem eſt, ac *nunquam metiendum*: quo nomine, eam vaſtitatem, quæ in vi aduerbij *Latè* latitauerat, diuulgat. Fateor hyperbolicè dictum: Sed hoc ipſum poeticæ orationis lumen exiſtit, vt vel mediocri patet Proſodiaco. *Hiatus* verò, nomen ab Hio, quod eſt *os aperio* deductum, propriè ſignificat ſummam labiorum deductionem, quæ græcè χάσμα dicitur: ſed translatè ſumitur pro quocumque terræ chaſmate, aliarumq; qualibet rerum immodica aperitione. Hic certè pro ipſa rupium Ætnei Montis aperitione vſurpatur, quam immenſam hyperbolicè appellauit. Parrhaſ. vt quaſi digito oſtendat hiatum huiuſmodi inquit in hunc locum. *Et immenſo latè diſceſſit hiatu. Amplißimo, & in profundum demerſo ore patuit. Enna mediterranea Siciliæ Ciuitas eſt; & ab ea non longe nemus, quod in media inſula ſitum vmbilicum Siciliæ nominatur, vbi amœna agri planities, & aqua perennis. Tota verò omni aditu circumciſa, atque directa eſt, quam circa lacus lucique ſunt plurimi, & lætiſsimi flores omni tempore anni. Prope eſt ſpelunca quædam conuerſa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem Patrem ferunt repente cum curru extiſſe, abreptamq; ab eo loco Proſerpinam ſecum aſportaſſe &c.* Clauer. item Parrhaſ. æmulatus in hunc locum inquit: *Cicero ait circa Ennam ſpeluncam tradi, infinita altitudine, ad Aquilonem conuerſam, qua Ditem ferunt cum curru aſcendiſſe &c.* Verùm ſi huiuſmodi explicationes, quamuis faueant ſententiæ noſtræ, qua ſcilicet alibi dicebamus Ennam eandem fuiſſe ac Ætnam, alioquin textui, de Ætna aperte loquente, dum ait, *Enceladum calcabat equis &c* non congruerent, non tamen mihi videntur conſonæ adhuc eidem textui; nam textus apertè Plutonem in Ætnæi montis ſinu conſtituit, vt patet ex præcitatis Poetæ verbis; conſequenter in ipſo Ætnæ monte apertus dicitur hiatus, non autem circa Ennam, vel Ætnam Ciuitatem. Quare in ipſo monte conſtitui debuit, iuxta Vatis aſſertum, hiatus vnde emerſerit Pluto, non verò alibi; aut, ſi non in latere montis, certè in montis radicibus ſiſti debuit; quapropter, cum dixerint antiqui auctores ſpelun-

cam

eam prope Ænnam adſtitiſſe non de Ciuitate locutos dixe-rim, ſed de Monte, ita vt Ænnam, pro Ætnam vſurpauerint, in cuius radicibus apertus fuerit hiatus de quo ſupra; Si Vati inhæreamus

APPARET SVBITVS &c. Plutonis è ſubterraneo cuniculo eruptionem indicat, eamq; ab effectibus amplificat, vt ex ijs cauſam dignoſcamus.

TIMOR. Adeſt præcipuus præcitatæ eruptionis effectus, qui & pro cauſa ponitur, & cauſa eſt omnium effectuum, quos ſubinde exarat Vates. Timor itaque propriè loquendo, *metus mali appropinquantis eſt*. Sed quia & interdum à Poetis effectus pro cauſa ponitur per metonym.; &, quod eſt excellens cauſa alicuius effectus, eiuſdem effectus nomine antonomaſticè deſignatur; vt v. g. Leo, qui à natura ipſa videtur ad incutiendum terrorem conformatus, antonomaſticè dicitur *Sylvarum terror*; Ideò arbitror, Poetam à triplici ſenſu, vnico extante in verbo, non alienum. *Timor* itaque *apparet*, inquit; hoc eſt cauſa illa timorem, terroremq; incutiens, de qua, in anteactis, terrores, ac Siciliæ commiſſiones deſcribens, dixerat: *Cauſa latet &c.* nam, quæ latuerat, iam in conſpectu detegitur, aperto monte; & talis cauſa apparet, vt iure *Timor ipſe* antonomaſticè dici poſſit: & quia, adſtante cauſa in debitis diſpoſitionibus conſtituta, neceſſe eſt, vt illicò ſequatur effectus; ex hoc timore cauſali timor reſultat formalis; ideò *apparet ſubitus Cælo timor*. Vnico itaque nomine Vates more ſuo & timorem formalem, & timorem cauſalem, attingit, & cauſam ipſam timoris antonomaſticè deſignat: Huiuſmodi enim effectum perturbandi Cælum aſpectus inferni Numinis attribuunt Poetæ communiter: inter quos Papinius à Parrhaſ. citatus de Charonte loquens ait:

. . . . *Qualis ſi puppe relicta*
Exeſus Manes nigri ſulcator Auerni
Exeat ad Superos; Solemq; & pallida turbet
Aſtra; nec ipſe ferens, patienſq; ſuperni
Aeris &c.

SVBITVS. hoc eſt *repentinus*, ac *præter expectationem inopinatò emergens*: Porrò *inopinatò emergens* ad Timorem refertur cauſalem, qui præter expectationem affertur in lucem; *Repentinus* verò ad timorem refertur formalem, qui Cælum ex data concurit cauſa.

APPARET CÆLO. *Appareo* idem eſt ac *videor*, & *adſum*. Quatenùs itaque idem eſt *apparet*, ac *videtur*, ſeu *conſpectui offertur*, ad timorem refertur cauſalem, qui è cuniculis repentè erumpens cælorum oculis objicitur: quatenùs verò idem eſt, ac *adeſt*, ad timorem refertur formalem, quo Cælum intuens perſtringitur. Ex quo vides, quàm congruenter ſibi ipſi conſonet Vates, & quod ſupra dicebamus, idem ipſe aperiat, dum, poſito primo multiplicis ſignificationis vocabulo, alijs ſubinde, ad finem vſque, vocabulis vtitur, quæ & ipſa, multiplici ſignificatione, qua pollent, ſignificationibus primi adamuſſim, ac ſingillatim correſpondeant, vt totus ſibi inuicem cohæreat textus. Tertius autem incommodi, ſeù damni Caſus eſt *Cælo*, quo exprimitur, quomodo timor ille, vel accipiatur vt cauſalis, vel accipiatur vt formalis, Cælo damnum illaturus emerſerit, atq; adueſit. Damna autem, quæ paſſum ſit ab huiuſmodi timoribus Cælum, habebis enarrata inferiùs, per enumerationem. *Cælum* verò hic ponitur pro toto eo, quod a terra ad Firmamentum vſque protenditur; dictum Cælum a cælando, eo, quod terram in ſui concauitate continens cælare videatur. Probè autem, dum adhùc cauſa lateret, ſola tellus contremuit, ſola Sicilia concuſſa eſt; at, cum cauſa emergit, & apparet, ac pernicioſos ex aperto chaſmate influxus eiibrat, Cælum ipſum terribilibus motibus contorquetur. Ideò

ASTRA MVTAVERE FIDEM VIARVM. Quid *aſtra* ſint; quid Aſter; quid Sydus; & quomodò inter ſe diſtinguantur, iam vidimus lib. pr. carm. 117. Hic aſtrorum nomine errantia deſignat Sydera, Planetas ſcilicet, qui aſſiduo, & regulari motu Cælum circumeunt, vt ex ipſo contextu patet. Sunt autem Planetæ numero ſeptem, inter quos ſupremum obtinet locum Saturnus, proximum Iupiter, tertium Mars, quem deinde Sol ordine ſubſequitur, Solem Venus, Venerem Mercurius, ac tandem Luna infimum, terriſq; proximum ſibi vindicat locum, ex quo factum, vt Lunari corpori lemma adderetur: *Non maior, ſed propior*, vt oſtenderetur etiam mole inferior cæteris, licet ob vicinitatem maior appareat inſpicienti. Hæ ſeptem ſtellæ *errantes* dicuntur, eo, quòd ab aliarum ſtellarum motu aberrare videantur; nam cum reliquæ motu tantùm primi mobilis deferantur ab ortu in occaſum, hæ ſeptem proprium habent motum, quo, contra motum primi mobilis, ab occaſu in orientem accelerent. Verùm, licet ex hoc errantes dicantur, non tamen errant errando; nam regulari adeò procedunt motu, vt ne lato quidem vngue à linea, ſeu circulo ſui motus diſcedant, ſed æquali ſemper vel celeritate, vel tarditate motuum deferantur: quare pepigiſſe cum ſphœris pactum videntur, vt irreuocabili eas fulgore colluſtrent, nec vnquam ab illis diſcedere ſibi licitum arbitrentur. Aſt hic abactæ metu *mutauere fidem viarum*: hoc eſt, ab aſſueto eorum itinerum tramite, cui infrangibilem ſeruare ſoleant fidem, illi ſemper inhærentes, aberrarunt: *mutare* enim idem eſt, ac *inuertere*, ſeù *peruertere*, & *alium pro alio aſſumere ordinem, ac curſum*. Fidei verò nomine quid hic veniat iam ex dictis patet, & latiùs explicuimus lib. pr. carm. 43. ſed ad maiorem claritatem addidit particulam *Viarum*, qua magis exprimitur, de qua fide intelligendus ſit ſermo; nempè de fide illa inuiolabili, qua diximus ſeruari ſemper eumdem à ſtellis motum, ac tramitem; nam *Via* eſt, qua incedimus, ſed lata adeò, vt per eam vehiculum duci poſſit; quod innui, vt agnoſcas, quàm ſedulò omnia perpendat Poeta, qui, cum de pedeſtri itinere Dearum ad Proſerpinam properantium ageret lib. pr. vſus eſt *ſemita* nomine, ad indicandum tramitem ab ijs calcatum, dum ait:

. . . . *Deuinno ſemita greſſu*
Claruit &c.

Aſt verò cum de ſtellis agatur hic, eo, quod ex plurium fabulantium Poetarum ſenſu vehiculis vehi ſydera dicantur, iure circulos, per quos incedunt, *viarum* nomine deſignat, vt eorum reſpiciens opinionem, tacitè attingat. Sed liceat aliam inſuper Poetæ eruditionem indicare. Actionem vitalem attribuit Vates aſtris, vt patet: nam metum concipere, à concepto imminenti malo refugere, & conſternari proprium viuentis eſt. Cur autem hæc tribuat ſtellis? Facilè, obuioque ſubterfugio diceret quis fortaſſis, grandiloqui Poetæ proprium eſſe ſenſum, vel rebus inanimis attribuere, vt nos ipſi ſæpè diximus. Veriſſimum fateor reſponſum; ſed altiùs reſpicit Vates, alludens nimirum ad antiquorum opinionem, qui & *aſtra*, & Deos inter animalia recenſebant; ex quo factum, vt in antiqua hominis definitione differentia appoſita fuerit mortalitatis, hoc pacto: *Homo eſt animal rationale mortale*, vt diſtingueretur ab immortalibus, nempè ab *aſtris*, ac Dijs, quæ eſſent animalia, vt ipſi aiebant immortalia. Loquitur itaque, iuxta eorum ſententiam Vates, cum *aſtris* actionem viuentium propriam attribuit. Ideò *Mutauere fidem viarum*. Apprime autem naturæ mores imitatur hoc loco; nam connaturale eſt conſternato ab ingruente terrore in incertum abſtrahi, ac in diuerſa diſtrahi, ita vt nec tenor ſeruetur in motu, nec certus in actionibus ordo; ſed omnia perturbentur; omnia confuſo ordine miſceantur.

ARCTOS. A Planetis ad ſydera, ſeu ſigna cœleſtia, conſtellationum nomine inſignita, gradum iam facit; atq; ad hæc quoq; diffuſum terrorem oſtendit; nec non, vt terrorem ipſum adaugeat, ea, quæ minus terrori obnoxia cenſeri potuiſſent, enumerat, ſubijcitq; terroribus. Porrò ab Arcto incipit, imitatus, vt arbitror, Ouid. qui Metam. 2. deſcribens terrorem, corporibus cœleſtibus illatum ab exorbitatione ſolaris currus, qui Phaetonti fuerat conceſſus, à ſeptentrionalibus pariter initium duxit, cum ait

Tum primùm radijs gelidi caluere Triones
Et vetito fruſtra tentarunt æquore tingi.

Vel ab Arcto incipit, vt tacitè oſtendat, hiatum à Plutone apertum, vt ex Ætnæ ſinu prodiret, in ea apertum montis parte fuiſſe, quæ vergit ad Aquilonem, ad illud fortè reſpiciens, quod ex ſacris habetur litteris, nempè *ab Aquilone pandetur malum*; conſequenter ſigna ſeptentrionalia afflatibus prima patuiſſe exeuntis terroris: in quod collineare videntur & Parrhaſ., & Clauer. ſupracitati, licet quo ad locum hiatui aſſignandum textui congruere non ſatis videantur, vt ibi dicebamus. *Arctos* autem quid, & quotuplex ſit abundè vidimus in Præfatione ad lib. pri. Carm. 11. ideò accelero.

PROLVIT SE. Ex conſequenti antecedens hic objicitur intelligendum: nam ex eo, quod æquore merſæ fuerint polares ſtellæ, certè ex neceſſe infertur, quod occaſum priùs inuenerint; occidentes enim ſtellæ in Oceanum properare credebantur, vt alibi diximus, ſicuti & ex Oceano orientes emergere; quod vtrumq; attigit & Auctor noſter, In de Laudibus Serenæ, cum ait

. . . . *Prima lauat æquore Solem*

Indi ſi

India: Tu feſſos exalta luce iugales

Proluis &c. Vbi Hiſpaniam alloquitur per Apoſtroph. Porrò *proluere* verbum eſt compoſitum ex *Pro*, præpoſitione, & verbo *Luo*, quod licet in eodem ſenſu ab aliquibus expliceutr, ac ſimplex verbum, à quo componitur; tamen emphaticam quamdam vim ego in ipſa compoſitione agnoſco, ita vt *proluere* non ſit *ſimpliciter lauare*; ſed *abunde, & affatim lauare*, vt patet ex tex. cit. Auctoris; & deducitur ex Virg. Georg. pri., vbi exundantem Eridanum deſcribens, hoc eodem vtitur verbo inquiens

Proluit inſano contorquens vertice ſyluas
Fluuiorum Rex Eridanus.

certè autem non modicè, ſed immoderatorer immò lauit campos Eridanus exundans, vt patet ex ibidem adiunctis. Cum itaque Arctos proluiſſe ſe dicitur, terrore abactam, ſe præcipitem in Oceanum dediſſe, & altè quidem ſe vndis merſiſſe ſignificatur. De reciproco autem *Se*, & alibi diximus, & ſatis notæ eſt ſignificationis, ideò miſſum facio.

VETITO ÆQVORE. Nunquam occidunt Vrſæ, ſeu ſydera Arctos dicta, vt vidimus loco ſupra citato; ex quo ſatis conſtat, cur vetitum illis mare dicatur, ſi aſtronomicam ſpectemus veritatem: ſed ſi ad fabulas, vt poeticum eſt, reſpiciamus: habebis aliam ex Ouid. cauſam Metam. 2. Meminit enim ibi ipſe, Caliſtum, eo, quod à Ioue compreſſa fuerit, indignatione Iunonis in Vrſam fuiſſe commutatam, eamq; ſubinde vna cum Arcade filio in ſydus conuerſam, iuxta polum Arcticum collocatam; quod cum ægrè ferret Iuno a Thetyde impetrauit, vt hæc ſydera æquore ſaltem perpetuò prohiberentur; ſic enim alloquitur Iuno apud Ouid. cit. maris Numina obſecrans.

At vos ſi læſæ tangit contemptus alumnæ

(Alumna Thetydis Iuno dicebatur)

Gurgite cæruleo ſeptem prohibete Triones;
Syderaq; in Cælum ſtupri mercede recepta,
Pellite, ne puro tingatur in æquore Pellex.

quibus Iunonis precibus annuentes maris Deos oſtendit ibi idem Ouid. dum ſubdit

Dÿ maris annuerant; habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pauonibus æthera pictis.

Quo poſito, perpende adhùc magis ſedulitatem Poetæ conſternatæ naturæ mores imitantem. Quotieſcumq; aliquis ſubito, ingentiq; terrore corripitur, ita vt nil peius ſibi accidere poſſe arbitretur, quam quod à terrorem incutiente conſpexerit imminere, adeò concitatur in fugam, vt, ad euitandum malum illud maximum impendens, vel in hoſtiles ædes irrumpere, vel in hoſtiles manus incidere non perhorreſcat: ſic Lepus interdum, vt inſectantes eludat canes, in gremium venatoris effugere non detrectat: ſic itaque & Vrſæ hic tanto terrore correptæ deſcribuntur, vt, ad effugiendum Plutonis aſpectum, in ſinum vetiti maris prolabi dicantur, quamquam maris Numina in ſe ipſas à Iunone concitata non ignorauerint, quaſi & ipſis innotuerit, de duobus malis minus eligendum. Ideò *vetito ſe proluit Arctos æquore*. Æquor, vt alibi dix., ab æqualitate dicitur; & propriè planitiem ſonat, nullis tumoribus exaſperatam; ſed, per translationem, vt hic transfertur ad ſignificandum Oceanum, qui, inſtar immenſæ planitiei, cum placatum eſt, extenditur. Vetitum autem Mare dicitur ſyderibus prædictis, hoc eſt prohibitum, quod quid ſignificet, iam ſatis habetur ex explicatis.

FORMIDO PRÆCIPITAT &c. Primo enumerationis membro perſoluto ſecundum adnectit, coniunctione tamen per Aſſintheton, omiſſa, (quod & in alijs ſubſequentibus ſeruat) vt &, celeriùs decurrens, Oratio celeritatem, qua ſydera in fugam conuertantur, comitetur, &, quaſi interciſa, dum nulla connexiua iungitur particula, interciſos terrore ſpiritus imitetur. Eſt itaque *Formido* vehementior metus; nam *formidare* eſt *vehementer timere*; quarè *Formido* pauor eſt potiùs ingens, quam metus: Et hæc *ſemipeſtes &c.* Anima, ſicuti non graditur pedibus, ſed affectibus; ſic affectibus impellitur, & attrahitur. Cum itaque, & ſupra viderimus Aſtra, in animantium genere ab antiquis collocata, & hic ſermo de Aſtris ſit, quæ, iuxta fabularum inuentores, humanis priùs formis decorabantur, licet ſub formam ſubinde cœleſtium corporum tranſierint; his etiam, & generali quodam, & potiori iure ſenſus animatorum tribuuntur: quare nil mirum, ſi & affectum formidinis Booti indiderit Vates, & effectum illius affectus eidem adaptauerit. Nemini ignotum eſt, ingenti pauore correptum facilè in præceps agi; nam, dum totis animi, ac corporis viribus, effugere nititur id, quod timet, ad quod timor addidit alas; perturbatur adeò mens ipſa, & ipſe immò interdum oculus corporis, vt, quæ obuia habeat, præcipitia non videat, ideòq; in illa facilè deuoluatur, ex quo factum, vt *cæcus*, hoc eſt *cæcos efficiens* dicatur timor. Iure igitur *Formido præcipitat*, hoc eſt *præcipitem impellit*, dum in fugam compellit, & talem in fugam, quæ ab altitudine Poli ruentem in Oceanum Bootem, vnà cum Vrſa, cui datus adhæret cuſtos, detrudat: nam *præcipitare* eſt *ex loco ſuperiori in profundum deÿcere*.

BOOTEN PIGRVM. *Bootes* à bobus dicitur, latinè *bubulcus*. Eſt autem *Bootes* cœleſte ſydus, quod & Arctophylax vocatur, & more bubulci plauſtrum cœleſte ſequi videtur. *Plauſtrum* autem illud *ſydus* eſt, quod idem cum maiore vrſa eſſe putatur: ſeptem namq; ſunt ſtellæ ita diſpoſitæ, vt duæ, quæ pariles ſunt, & maximæ vno in loco videntur, pro bobus habeantur; reliquæ verò quinque plauſtri figuram ſimulare videantur. Cic. tamen, ſecundo de natura Deorum, Bootem deſcribit, non quaſi boues, ſed quaſi vrſam ipſam ſub iugo ſubigentem, agentemq, dum ait

Arctophylax, vulgò qui dicitur eſſe Bootes;
Quod, quaſi temone adiunctam, præ ſe quatit Vrſam.

fuit autem Bootes, ſi fabulas ſpectemus, Arcas ille, (quem ſupra innuimus, atq; in præfatione ad lib. pri. agnouimus) Iouis ex Caliſto filius, Nepos Lycaonis Arcadiæ Regis; qui quindecim annos natu, cum in Matrem, quæ in Vrſam conuerſa fuerat, incidiſſet, vere Vrſam arbitratus, eam iaculis confodere meditabatur; quod facinus vt euitaret, Iupiter eum cum Matre in ſydus mutauit, atq; in Cælum tranſtulit; vt late recenſet Ouid. Metam. 2. vbi, cum transformatam Caliſtum dixiſſet in Vrſam, eamque diuas per ſyluas aberrantem indicaſſet, hæc ſubdit

Ecce Lycaonia proles ignara parente
Arcas adeſt ter quinque fere natalibus annos
Dumq; feras ſequitur, dum ſaltus eligit aptos,
Nexilibuſq; plagis ſyluas Erymanthidos ambit,
Incidit in Matrem, quæ reſtitit, Arcade viſo,
Et cognoſcenti ſimilis fuit: ille refugit,
Immotoſq; oculos in ſe ſine fine tenentem
Neſcius extimuit, propiuſq; accedere fugit.
Vulnifico fuerat fixurus pectora telo.
Arcuit omnipotens; pariterq; ipſoſq; nefaſq;
Suſtulit, & celeri raptos per inania vento
Impoſuit Cælo vicinaq; Sydera fecit.

ſicuti itaque & mater, & filius Iouis beneficio ad Cælum euecti fuerant, ita nunc ambo Plutonis terrore deiecti, ita, vt in Oceano mergerentur, præcipites deſcribuntur. Simili fugâ abactum Bootem ſcribit pariter Ouid. Metam. 2. cum Phaeton gelidos Triones incenderet; & ſic ait:

Te quoque turbatum memorant fugiſſe Boote
Quamuis tardus eras, & te tua plauſtra tenerent.

Nota autem in Auctoris noſtri textu anthiteſim illam præcipitat Pigrum, quæ auxeſim profectò continet emphaticè maximam. Sed cur *Pigrum* dixerit Bootem explicemus. *Pigrum* aliqui dictum putant, hoc eſt frigore torpentem, cùm certè glaciali ſemper adhæreat Polo: ad quod reſpiciens Iuuen. Satyra 5. ait:

Frigida circumeunt pigri ſarraca Boota.

Verùm ego *pigrum* vocatum dixerim comparatiuè ad motum reliquarum ſtellarum: nam cum hoc ſydus proximum maxime Polo ſit, ita vt & ſydus dictum fuerit polare, ſequitur, vt circa Polum infimæ magnitudinis circulum habeat conficiendum, quem cum eodem percurrat temporis ſpatio, quo reliquæ ſtellæ maximos circumeant circulos, certè neceſſe eſt, vt tardiſſimi motus ſit ſydus: ideoq tardum, ac pigrum iure merito dicendum ſit. *Piger* enim eſt, qui tardè, ac lente mouetur; quare & *tardum* illud appellauit Ouid. cit., licet cauſam ipſe non in connaturalem ipſius motum refundat, ſed, fabulas, more ſuo, fabulis intexens, cauſam tarditatis ex impedimento Plauſtri, à quo bubulcus detineatur deſumat. Hoc totum hyperbolicè dictum ne dubites; ſed ita, vt, ſpectato tumultuum actore, vix hyperbolici naturam retineat: nam quid vltra vires Tartarei Numinis eſſe poſſit? Etiam quæ alioquin impoſſibilia videntur poſſibilia fiunt, ſpectata operantis facultate.

HORRVIT ORION. Aliud adnectit hic membrum enumerationis; oſtenditq; ex ſigno Orionis, maximam Cæli partem fuiſſe terroribus correptam; ſicq; gradatim terrorem ipſum ab effectibus amplificat, vt ex dicendis patebit.

ORION. In antecedentibus, perculſam timore oſtenderat Vrſam, &, qui eidem additur cuſtos, Bootem. Sed, quia, vt innuimus, modicam Cæli partem polaria hæc occupant

cupant ſydera, ne mendacij redargueretur id, quod ſupra dixerat, cùm ait: *apparet ſubitus Cælo timor*, extendendus timor ipſe fuit, ita vt gradatim totum occupaſſe Cælum cerneretur. Ideò ex ſeptentrionalibus aſtris gradum facit & Vates ad ſydus, quod Orionis nomine deſignatur, & quod tam vaſtæ molis eſſe ferunt Aſtronomi, vt mediam ferè Cæli occupet partem: eſt autem ſydus turbulentum, procellarum, tempeſtatumq. excitator, atque ideò Nautis, nauibuſq; timendum ſemper: Quare Virg. Æn. primo.

Cum ſubitò aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit, penituſq; procacibus Auſtris,
Perq; vndas, ſuperante ſalo, perq; inuia ſaxa
Diſpulit. Huc pauci veſtris adnauimus oris.

Enſifer etiam dicitur Orion, nam, vt ferunt Aſtronomi, figuram hoc ſydus hominis habet diſtricto gladio irruentis: quare Ouid. Faſt. 4. ait:

Enſifer Orion æquore merſus erit.

tali autem motu Orionis circulatio defertur, vt ſemper, oriente Scorpione, occidat Orion: ex quo datus fabulæ locus, quâ Orion, quem prius hominem fuiſſe autumant, à Scorpione peremptus traditur. Sed, quoniam in fabulas incidimus, quæ de Orione dicantur à fabularum inuentoribus, breuiter attingamus. Ferunt itaque Orionem dictum, quaſi *Vrionem*, eo, quòd ex Vrina Deorum natus fuerit. Fabulam autem ſic contexunt. Hyrieus quidam fuit Neptuni, & Alcyones, quæ vna ex Atlantis dicitur filiabus, filius, qui aliquando in Tanagra Ciuitate Bœotiæ habitans benigniſſimus ſemper in hoſpites extitit; quo factum, vt Dij quoque, cum terram peragrarent, ad ipſius diuerterent hoſpitium. Cum itaque ad eum diuertiſſent aliquando Iupiter, Neptunus, ac Mercurius, vel, vt alij malunt, Apollo Mercurij loco, eos ille, hilari, vt ſolebat, animo exceptos, liberaliter pro viribus eſt proſecutus, hoſpitalibus officijs, legibuſq hoſpitij amplè ſeruatis. Immo, cum Deos eſſe animaduertiſſet, occiſo boue eiſdem obtulit ſacrificium. Eius igitur humaniſſima liberalitate delectati admodum Dij iuſſere, vt aliquid muneris expoſceret, voti ſtatim compos adfuturus; qui nihil ſe magis cupere reſpondit, quam filium, coniugem tamen ſe non habere, nec velle ducere, quod morienti vxori fidem dediſſet, ſe aliam non ducturum. Tum Dij corium immolati bouis accepiſſe dicuntur, in quod cum Vrinam emiſiſſent iuſſerunt, vt terra obrutum occultaret Hyrieus, nec ante decimum menſem aperiret. Peractis itaque nouem menſibus, ex aperto corio puer proſiluit, quem Hyrieus *Vrionem* vocauit: poſtea, corrupto nomine Orionem dixere, vt canit Ouid. faſt. 5.

Hunc Hyrieus, quia ſic natus, vocat Vriona:
Perdidit antiquum littera prima ſonum.

Alij tamen cum Euphorione, quem citat, & ſequitur Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 12., aiunt, Deos non Vrinam, ſed ſemen proprium in corium bouis immiſiſſe; ſed natum *Vrionem* vocatum fuiſſe, ad euitandam turpitudinem vocis, quaſi minxerint, non verò ſemen effuderint Dij, atq; adeò, licet ab Vrina denominatum, è ſpermate natum ferunt. Cum autem adoleuerit Puer, venatui addictus, tantùm dicitur profeciſſe, vt cum ipſa Diana venatoriæ artis magiſtra facilè contenderet, tantumq; habuiſſe corporis molem, vt nulla in mari eſſet tanta profunditas, ex qua non eius ſaltem humeri emergerent, ſi mare pedibus ingrederetur: quam ſententiam ſecutus Virg., Æn. 11., eſt; vbi magnitudinem Mezentij in bellum irruentis cum Orione ſic comparat.

At verò ingentem quatiens Mezentius haſtam
Turbidus ingreditur campo. Quam Magnus Orion,
Cum pedes inceditur, medij per maxima Nerei
Stagna viam ſcindens, humero ſupereminet vndas.

eum etiam bellatorem, & ſanè acerrimum ſenſit Oenopion, contra quem cum arma ſumpſiſſet Orion, audito eius ille aduentu tanto terrore correptus dicitur, vt eum Ciues ſubterranea cauerna incluſum occultauerint: quarè nil mirum ſi vel in Cælo ſpecimen belligerantis gerat, vt ſupra dicebamus. De morte Orionis varij variè fabulantur. Dicunt aliqui, Orionem Dianæ, cum vnà venaretur, vim inferre voluiſſe; ideoq; ab irata Dea iaculo confoſſum interiiſſe; quam ſententiam ſequitur Hor. lib. Carm. 3. Od. 4.

Teſtis mearum Centimanus gyges
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ
Virgineâ domitus ſagitta.

Alij ob eamdem cauſam interemptum ferunt, ſed non ipſius Dianæ manu; aſt ab irata Dea Scorpium è terra dicunt excitatum, qui illius talum percutiens interemit. Alij Orionem, inſigni formâ præcellentem adamatum immò fuiſſe fabulantur à Diana, quæ etiam illi nubere decreuiſſet, cum illum Aurora ob formam raptum in Delum aſportaſſet: quod grauiter cum ferret Apollo, ſororemq. ſæpiùs fruſtra redarguiſſet, nactus tandem eſt opportunitatem Orionis occidendi; nam, cum, aduertentis medios per fluctus, Orionis caput, ex vndis prominens è longinquo vidiſſet Apollo, propoſito præmio artis, cum ſorore contendit, quod ſignum illud ſagittis non attingeret. At illa oſtentandæ artis incenſa ſtudio, ac quid feriret ignara Orionis frontem ſagitta traiecit. Qua re poſtea cognita, acerrimo perculſa dolore, impetrauit à Ioue, vt ille inter ſydera referretur. Corinnus autem Delius, qui Tanacræum aſſerit Orionem, & venenatis animalibus loca expurgaſſe, quam plurima, idcircò peremptum memorat, quia inter venandum cum Latona, ac Diana, iactabundus gloriaretur, nullum animal eſſe tam ferum, quod ipſum vitare poſſet: quam ſuperbi animi elationem indignantes Deæ dicuntur Scorpium excitaſſe, à quo occideretur. Latuit Scorpius, inquit ille, ſub ſaxo, donec forte Orion accedens pedem ſaxo appropinquauerit; ac tunc, occaſionem nactus, pedi caudam infixit, & occidit. Demum, ipſius Dianæ commiſeratione, & ipſum, & Scorpium, inter ſydera relatos referunt: vbi adhùc ſimultates exercere videntur, nam, cum Scorpius oritur, occidit Orion, vt ſupra dicebamus. Alij alia dicunt de hac Orionis morte. Sed nos iam ſatis ſuperq; fabulis indulſimus. Vt itaque ad Vatis noſtri inſigne prorſus artificium regrediamur: liceat hoc loco adnotare, quanta ingenij acie, gradientem toto paulatim Cælo timorem, viuaciſſima & ipſe gradatione, proſequatur. Parum fuerat errantes ſtellas, timore abactas, mutaſſe fidem viarum? Addidit, quod impoſſibile videretur, præcipites actas in Oceanum Vrſas, & Booten. Verùm, vt idipſum fines impoſſibilitatis attingat, nondum adeò, vt par erat, amplificare terrorem videri potuit fortaſſis; nam quid mirum, ſi ſeptentrionalia ſydera, facilè terrorem concipiant, & conſternentur, ita vt in præceps agantur? Vidimus, in Præfatione ad hunc lib., Carm. 28., timorem connaturalem ceruis eſſe, eo, quod animal, natura ſua, frigidum Ceruus ſit: eſt enim temperamentum huiuſmodi frigidum aptiſſima timoris ſedes, vt clarè teſtatur Lucretius, Phyloſophus non minus, quam Vates eximius, citatus à Pier. lib Hierogl. 7. his verbis

Eſt & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem membris, & concitat artus.

& inferiùs, præcipuè de timiditate cerui rationem reddens, ait

At ventoſa magis Ceruorum frigida mens eſt,
Et gelidas citiùs per viſcera concitat auras,
Quæ tremulum faciunt membris exiſtere motum.

cum itaque ſydera ſeptentrionalia frigidiſſima ſint, & conſequenter ad concipiendum terrorem aptiſſima, parum hoc ipſum videri potuit, quod ea dicantur conſternata, licet magis profectò ſit, quod inoccidua occidant, quam quod aberrent errantia: gradationem igitur adauget adhùc ſolertiſſimus Vates; &, non ſolum frigida ſydera, ſed ea etiam quæ bellatoris ſpeciem gerunt, ac conſequenter, martiali ſuccenſa igne, funeſtis ſemper fulgoribus exardeſcunt, horruiſſe oſtendit; vt quemadmodum oppoſita iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt, ita, per tranſitum ab oppoſito in oppoſitum, eius eluceſcat ingenioſiſſima gradatio. Eſt inſuper Emphaſis in verbo *Orion*: nam idem eſt, ac ſi diceret: qui procellarum eſt auctor, licet viſendis aſſuetus procellis, viſo tamen Siciliæ pauet tumultu: ille, qui armata manu orbem territat, viſa Plutonis acie, contremiſcit: ille, qui totus ignis eſt, gelidus timore efficitur. Ideò *horruit*. Horrere enim tali eſt pauore, ac formidine concuti, vt crines, ac pili, ſetæq; omnes in animante erigantur. Quoniam verò hæc pilorum erectio ex frigore etiam fit, factum eſt, vt *horror* aliquando pro *frigore* accipiatur; &, quia frigus effectus, ac proprietas timoris eſt, *horrere* pro eodem ſumitur, ac *metu frigeſcere, contremiſcere*, erectiſq; ob timorem pilis expaueſcere. Vide dicta in Præf. cit. Carm. 46.

ATLAS PALLVIT &c. Dimidium iam Cælum, per vaſtitatem Orionis deſignatum, terroribus concuſſum, vt vidimus, indicauit, ſeu potiùs viuidè, per hyppotipoſim ab enumeratione partium deductum, expreſſit, in antèactis; dum methodo vſus reſolutiua, quod in genere dixerat, inquiens, *apparet ſubitus Cælo timor*, in partes ſubindè diſtribuit: iam verò, per redditionem, à partibus ad totum, diſpoſitione vſus compoſitiua regreditur, dum partes iterum refert in totum, ne omnes ſingillatim cogatur enumerare. Ideò

ATLAS. Quis, & quantus, quid fuerit, cur Cælum ſuſtinere dictus ſit Atlas, iam vidimus, in præfatione ad hunc lib., Carm. 45., quarè non hæc iterum repetenda. Tantùm noto, Atlantem hic ſumi pro ipſa Cæli baſe, qua ſcilicet Cælum ipſum, & cæleſtia corpora, ſydera nempè omnia fulciantur, ac ſphœræ: ad hoc vt Vates oſtendat, totum tandem Cælum contremuiſſe, ac ſere caſurum, horribili nutatione, vacillaſſe: nam ſicuti, concuſsà baſi, tota, quæ ſuperimponitur machina quatiatur, neceſſe eſt; ſic, nutante Atlantis firmitate, totum collo eius ſuperimpoſitum Cælum contremuerit, opus eſt profectò. Quarè ex ſuſtinentis affecto, totius ſuſtentati affectum nobis hic deducenduꝫ, apertè proponit.

PALLVIT. *Pallere* idem eſt, ac *palleſcere* eſt; de quo verbo iam egimus hoc eodem lib. Carm. 114. Non tamen in eo prorſus ſenſu accipitur hic; ſed ex ſigno res, ſeù ex effectu cauſa, aut ex conſequenti antecedens exprimitur. *Pallere* itaque eſt *pallore ſuffundi*; & quid ſit Pallor, vidimus ibi. Cuius autem cauſæ effectus ſit *pallor*, accipe ex Oratorum Principe, qui Tuſcul. 4. ſic habet: *vt pudorem rubor; terrorem pallor, & tremor conſequuntur*. Pingit igitur in fronte Atlantis pallorem Vates, vt ex eo perterrefactum, trementemq; Atlantem dignoſcamus, atq; ex illius tremore totius Cæli trepidationem colligamus: quod totum mihi adeò oculis ſubijcitur, vt meam in mentem reuocet picturam quamdam à Ferrarienſi quodam telis impreſſam, in qua cernebatur Atlas, habitu ſe cælorum ponderi ſubducentis, è cuius ore hæc verba prodire, ferrarienſi idiomate prolata viſebantur *A' t' las*, quæ concinniori ſermone ſonant *Ioss laſcio*. Hoc ipſo habitu, & hæc ipſa proferentem videor mihi cernere Atlantem, cum terrifico illo metu concuteretur, & expalleſceret.

AVDITO HINNITV. Cauſam Atlantici terroris exponit: ſed cur Atlantem ex audito, non potiùs ex viſu territum declarat? Certè maiorem expreſſiſſet ex viſu, quam ex auditu terrorem, quandoquidem

Segnius irritant animum demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubdita fidelibus.

An fortaſſis Mauritania, in qua reſidet Atlas, cum longiſſimè à Sicilia diſtet, efficit, vt extra ſphœram Atlanticæ viſionis currus verſaretur Plutonis? Hoc ſane dici non poteſt; nam, cum viſio noſtra ad firmamentum vſq; pertingat, etiam viſio Atlantis, quæ ab oculo, cælis immediato, elicitur, potuiſſet orbem totum, ac conſequenter Siciliam attingere, & quæ in ea gererentur proſpicere. An dicendum, Atlantem eo ſitu corporis tunc fuiſſe, vt verſo ad Siciliam tergo, quæ ibi agerentur, conſpicere nequiret? Aſt vnde hoc probatur? Certe efficium videretur, merè ad tuendum poſitum. Quid igitur? Memineris Atlantem à Perſeo Iouis filio, quem hoſpitio prohibuerat, in montem, aſpectu reuelatæ Gorgonis, conuerſum; atq; adeò viſionis impotem effectum. Sed dicet quis fortaſſis: Si hæc ratio valeret, militaret etiam contra auditum; atq; ideò, cum nimis probet, nihil probat. Verùm memineris, in montibus Nympham, quæ Eccho dicitur, in ſaxum conuerſam latitare, vt ait Ouid. Metam. 3.

Vox manet. Oſſa ferunt lapidis traxiſſe figuram:
Inde latet Syluis, nulloq; in monte videtur,
Omnibus auditur: ſonus eſt qui viuit in illa.

Cum itaque Eccho, quæ nihil aliud tandem, quam ſaxum, eſt, ſoleat audire, & reddere voces, vt Poetæ aſſerunt, validiſſimum hinc Vati aſſurgit fundamentum, vt monti auditum præbeat non incongruè, quod nuſquam de viſu dici potuit. Immò Politianus auritam ſimul facit, & vocalem Nympham in ſaxum conuerſam, dum eam, noſtras captantem voces, ſic deſcribit:

Iam dudum noſtri captatrix carminis Eccho.

certè enim carmen, quod tandem ſonus eſt, ſola aure captari poteſt, quæ organum auditus eſt. Ideò probe *palluit*, inquit Auctor, audito hinnitu. Porrò *audito* particip. paſſiuum eſt ab *audire*, quod eſt *auribus percipere*, quod à Poetis ad inanima etiam transfertur. Potiori tamen id facit iure Claud. hic, cum de eo ſermo ſit monte, qui olim vir fuerit, ac conſequenter aliquem, etiam poſt conuerſionem, retinuiſſe ſenſum dici poſſit, vt Poetarum in ſimilibus effingere mos eſt. Hinnitus autem propriè dicitur vox ab equis emiſſa, cum vel aliqua alacritate perfunduntur, vel aliquo timore pulſantur, vel fœminam acuunt in amores. Imitatur itaque hic naturam Vates equorum, dùm ex conſequenti, nempe ex auditione hinnitus, antecedens exponit intelligendum, nempè *magno Plutonis equos*; nam ſi ſonus auditur, certe priùs neceſſe eſt, vt editus fuerit; nam organum auditus afficere, cum operari ſit, ſequitur adeſſe. Proprium autem equorum eſt, & eorum præcipuè, qui generoſiores ſunt, & emiſſarij, vt, quoties ex clauſtris, quibus detinebantur, in apertum campum educuntur, ingruentis alacritatis ſignum edant hinnitibus. Cum igitur Plutonis equi ad prædam properarent, vt vidimus ex calce libri primi; & inſuper ætnæis rupibus, detenti diutiùs, emergerent tandem, vehementes in hinnitus erupiſſe merito à Vate inſinuantur; & vehementes adeò, vt in Mauritaniam vſque ad percellendum Atlantis verticem deuenerint.

RVTILOS OBSCVRAT &c. Quid aſpectus Infernalium equorum; quid eorumdem effecerit hinnitus, cum dixerit, iam ad malignam deuenit impreſſionem ab ipſorum afflatu in Cælum euibratam. Ideò

ANHELITVS. Quid ſit anhelitus, iam vidimus ſupra Carm. 47. Verùm non in eo ſenſu accipitur hic; ſed ponitur pro vehementi, craſſaq; reſpiratione, quæ, reſpectu equorum propriè dicitur *Proflatio*: contingit autem in equis vel inſolito aliquo labore fatigatis, vel nimium à seſſore agitatis, vel aliquo improuiſo terrore conſternatis; in his enim caſibus, generoſiores equi, & erigunt aures, & latè adeò proflant, vt videantur fumum, ignemque è naribus ſpirare. Sic Bracciol. hanc equorum proflationem innuens, cum iam prope mergerentur equites Heraclij Imperatoris ab exundantis Euphratis fluctibus, hæc habet lib. pri. de Croce *Sbuffano e rotedor, che ſoura 'l dorſo*
Scorrer ſentonſi homai l'onde ſonante &c.

pati itaque paſſu Plutonis equi, & itineris labore fatigati, & ob ſuperatam rupium oppoſitionem alacres, & noua luce (vt inferiùs dicetur) conſternati, latiſſimis proflare naribus indicantur, ac fumum, ignemque, ex iiſdem tranſpirare; ita vt afflatus ipſe tam copiose erumpat, vt, fumi ad inſtar, ex vaſtiſſima fornace eructati, ad Cælum vſq. perturbandum extollatur, glomeratim aſcendens. Hoc tamen conſequens tantùm attigit Vates, vt ex illo antecedens introſpiciatur, vt ſuperiùs de hinnitu dictum eſt. Ideò *Anhelitus*

DISCOLOR. Nomen diſcolor apud Virg. Æn. 6. reperitur vſurpatum ad ſignificandam bracteam quandam, duplici permixto colore fulgentem, dum aureum Proſerpinæ ramum deſcribens, ſic ait

Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit.

& quidem, ſi in hoc eodem ſenſu accipiendum, hoc loco eſſet, facilis eius eſſet explicatio, nam, vt diximus, quid eſſent equi Tartarei, ni fumum, ignemque, ex Tartareis ipſis hauſtum regnis? Quo dato certè diſcolor erit afflatus, ex lucido ſcilicet ignis, atque atrato fumi colore permixtus. Verùm hic ego nomen *Diſcolor*, vt precise, ac tantummodo, atratum colorem ſignificans accipiendum puto; nam etiam dato (quod vltrò vtiq; conceſſerim) quod Ignem, ac fumum ſpirent Plutonis equi; memini tamen ignem huiuſmodi, ex tartareis depromptum incendijs, ardere quidem, ſed nullo lucis fulgore coruſcare, cum immò piceis ſemper flammis ſordeſcat atractus. Nec videatur hæc contra vim nominis explicatio; nam nomen *diſcolor* non ſemper varios ſignificat colores in eodem ſubiecto exiſtentes, ſed ſæpè ſignificat, id, quod *diſcolor* dicitur, diuerſi ab alio coloris eſſe, nam tunc dicitur *diſcolor*, quaſi *colore diſsimilis*. Moueor ad hanc explicationem ex ipſo Poetæ contextu, cum enim Axem vocet rutilum, non potuit ille obſcurari niſi à contrario, ab atro videlicet colore; cum iuxta Phyloſ. nunquam ſimile agat in ſimile, cuius effati memor Poeta diſſimilem à colore cæli rutilantis, nempè atrato infectum colore, afflatum obſcurantem deſcribit, ac præclara antitheſi dictionem illuſtrat.

OBSCVRAT. *Obſcurare* idem eſt, ac *obſcurum facere*, *tenebris inficere*, *atratis vmbris inuoluere*: quod expreſsè; quæ mox ſupra diximus, confirmat.

AXES RVTILOS. Quid ſit *Axis*, & quomodo pro Cælo ponatur videas, lib. pri., Carm. 116., plurali autem hic vtitur numero, quia, cum Cælum in plures diuidatur ſphœras, & vnaquæq; ſphœra axem ſuum habere intelligatur, nullam ab huiuſmodi obſcuratione ſphœram immunem fuiſſe profitetur; ex quo vides continuatam per totum hyperbolicam locutionem, ſi tamen hyperbolica eſt, vt diximus, Vatemque ſibi ſemper congruere. *Rutilos* autem dixit *axes* hoc eſt rutilo fulgentes colore: rutilus verò color ex flauo rubeſcenti, cum quadam ſplendoris exuberantia conficitur, quare idem eſt *rutilus*, ac rutilè ſplendens.

Lux rutilat ſuperum tenebris fuſcatur Auernus.

ET LONGA SOLITOS &c. Quia omne agens agendo repatitur, vt dicebamus; eo ipſo quod Plutonis equi in

Cælum

Cælum agunt, aſpectu terrentes, hinnitu pulſantes, afflatuq; obtenebrantes, æquum fuit, vt & ipſi aliquantiſper ſaltem ab ipſo Orbe repaterentur. Quarè, dum Cæli ambitus deliquium lucis ex eorum afflatu perculſus patitur, in eoſdem vi eiuſdem lucis, reagit, terrorem terroribus, ac tenebras hallucinationibus compenſans. Pari paſſu reagens Cælum in Charontem inducit Papinius, vt vidimus §. *Timor*. Nota autem hic artificium Poetæ, qui dum effectus agentis Plutonis, eorumque, quæ ad ipſum ſpectarent, enumeraret, coniunctiones, per aſſindeton reiecit: aſt, cum tranſitum facturus ſit ad contrarium, nempè ad reactionem Cæli in eoſdem equos, coniunctiua vtitur *Et*, quæ hoc loco, & coniunctiua eſt, & diſcretiua contrarij à contrario, ſeù agentis à reagente: quia, cum magis diſtantia ſint, quæ non ſolum à diuerſis, ſed contrarijs etiam agentibus ſunt, quam quæ ab eodem, expreſſâ exigunt coniunctione copulari: ne temere videatur Oratio hinc inde inconnexa ſaltitare. Et

ORBIS. Quid nomine *Orbis* intelligatur, ſæpè vidimus: hic ponitur pro Cælo, quod ſupra *Axis* nomine deſignanetat, & quod hic ob iniuriam tenebrarum, quibus, ex afflatu equorum, perfundebatur, vindictam, quantum poterat, ſumpturum ex equis, eoſdem, viceuerſa, lucis ſuæ fulgoribus perſtringit, ac ferit territans, ne omninò patiatur inultum. *Orbis* autem iure dicitur Cælum, à circulari figura, quam habet: Parrhaſ. nomine Orbis Solem, ſeu lucem, qua nos terrarum incolæ fruimur, ſignificari arbitratur; ſed non diſſonat explicatio noſtra: nam certè de Cælo loquimur Solis fulgoribus illuſtrato; quod non fuit repetendum; nam initio huius libri Cælum iam oriente illuminatum Sole deſcripſerat. Verùm non exprimit Parrhaſiana expoſitio illam, de qua nos ſupra, ad mentem Poetæ, egimus reactionem; ideòq; vt minùs conferens intelligentiæ, eam non aſſerimus. Hic audio Neotericos quoſdam cenſorio aſſurgentes ſupercilio, ac ſerio clamitates apertam ſibi Vatem conſtruxiſſe contradictionem; nam ſi iam Sol Horizontem aſcenderat; Iam certè occaſum inuenerant ſtellæ omnes: Quomodò igitur *aſtra viarum mutauere fidem*: quomodò *Arctos ſe proluit æquore*: quomodo *præceps* actus dicitur *Bootes*: quomodò *palluit Orion &c.* ſi nulla in Cælo tunc temporis huiuſmodi ſigna extitere, quippè orto iam Sole? Facilis tamen eſt inanibus huiuſmodi declamationibus reſponſio. Iuxta fabulas fugantur ab aduentante ſydera Sole: iuxta veritatem, ac realitatem rei non fugantur: ſed tantùm eorum ſupprimitur fulgor, quia vbi maior, ceſſat minor; ſtellis tamen ſuo vtique in ſitu permanentibus. Vates igitur hanc ſequitur hoc loco veritatem, atq; adeò ſtellas adhùc in Emiſphærio hærentes licet maiori ſuppreſſas lumine, cognoſcens, eas ijs motibus aſſerit agitatas; non quidem ita vt percipi oculis poſſent mortalibus: ſed immortalibus tamen, quales oculi Plutonis, Dearum, Nympharumq; fuere Æmcis tunc in campis diuagantium, peruias. Quod ſi etiam reſpectu mortalium hæc dicta velis; memineris irrepſiſſe Cælo noctem, confirmatis Plutonicis equis, iterq; ſubindè proſequentibus, vt habebitur lib. 3. *Ecce polum nox alta rapit*: qua in nocte cum nulla cernerentur ſydera iure argui potuit eas à præcedentibus terroribus è Cælo abacta. Sed explicationem iam proſequamur, & lucem quam *Orbis*

TERRVIT EQVOS. *Terrere* quid ſit, iam vidimus in Præfatione ad hunc lib. Carm. 34. Hic tantum noto, exactiſſimum naturæ imitatorem fuiſſe Claud.; nam certè terror incutitur, vel à cauſis intrinſecis, vel ab extrinſecis. Inter intrinſecas cauſas enumeratur vehemens mali imminentis apprehenſio: inter extrinſecas enumeratur etiam aſpectus monſtri alicuius, quod vel verè monſtrum ſit, vel loco monſtri habeatur ab inſpiciente, eo, quod talia videre non aſſueuerit. Qui aſpectus, oculum dum ferit, animum pulſat, & territat. Cum igitur Plutonis equi, vt mox addetur, aſſueti tenebris tantum fuerint, nil mirum, ſi in lucem emergentes inſolitum illis fulgorem loco monſtri habuerint, ac terrorem conceperint. De equis, quos hic memorat, Plutonis, vide dicta in calce lib. pri. Carm. 278. & ſequentibus, atq; eiuſdem libri Carm. pri. Inferni raptoris equos.

SOLITOS PASCI &c. Clara hæc remanent ex dictis in calce libri primi cit. Quarè breuibus expediam. *Solitus* idem eſt, ac *aſſuetus*. *Paſco*, à quo paſſiuum *Paſci*, vt alibi vidimus, nempè in Præfatione ad hunc lib. Carm. 12. aliquandò actiue ſignificationis eſſe poteſt: & tunc non ſemper ſignificat *cibum alteri præbere*; ſed interdum pro eodem ſumitur, ac *delectare*; nam ſicuti cibo, quo paſcitur, impinguatur corpus, ſic delectatione, qua fruitur, impinguatur animus; ideòq; & *paſci*, per tranſlationem, obiecto delectabili dicitur animus, obiecta pulchritudine oculus &c. ſic Virg. Æn. pri. Æneam, cum imaginibus Troianorum, quas depictas in templo Didonis contemplabatur, colloquentem cum induxerit, eumdem delectatione affectum indicans, hæc ſubdit:

Sic ait: atq; animum pictura paſcit inani.

& in hoc eodem ſenſu vſurpatur a Poeta hic; ideòq; equos *paſci*, hoc eſt *delectari* tantummodo ſolitos caligine, territos fulgore dicitat lucis: nam contrariorum eadem eſt è conuerſo diſciplina: quare ſi illud, quod delectat, alacritatem, iucunditatemq; parit, quod illi contrarium eſt, nempè quod faſtidium affert, non poteſt quin moleſtiam pariat, & mærorem; atq; ideò, cum malum ſit illi, cui moleſtum eſt, ſequitur, vt & ſui terrorem incutiat: ſed certe lux eſt caligini contradictoriæ oppoſita; conſequenter qui caligine delectatur, non poteſt, quin à claritate luminis ſubitò fulgurantis terreatur.

LONGA CALIGINE. *Longus* idem ſæpè ſignificat, ac *diuturnus*; hoc eſt *longo perdurans tempore*. In quo ſenſu reperitur apud Virg. Æn. 3. vbi Andromaches munera deferens Aſcanio, eiuſdem digreſſu mæſta ſupremo, ſic ait

Accipe & hæc, manuum quæ tibi monumenta mearum
Sint, Puer, & longum Andromaches teſtentur amorem.

In hoc itaque eodem ſenſu aſſumitur à Vate hic; immò non diuturnâ ſolum, ſed æternâ caligine paſci equos, procul dubio voluit, indicare; nam nomen *longus* nomen eſt indefinitæ longitudinis, quod nullum longitudini, quam ſignificat, terminum præſcribens, vel ipſi æternitati, quæ nullum habet longitudinis terminum adaptari merito poteſt. Quarè etiam Bartolus in æternitate ſua inquit

Æternitas, æternitas, quam longa es æternitas.

Caligo autem idem eſt, ac aer craſſior, tenebroſus, ac denſus, atq; adeò pro ipſis formaliter tenebris ponitur, vt certè hic. Aliqui *ferrugine* legunt pro *caligine*, ſed nil cenſeo immutandum.

PRESSIS HÆSERE LVPATIS. Sicuti, indicato Cæli terrore effectus eiuſdem terroris enumerauerat; ſic, in præſenti, equorum recenſito terrore, eiuſdem terroris effectus enumerat; ac, primo loco, reſides, ac contumaces effectos denotat equos, qui ideò

ATTONITI MELIORE POLO &c. *Attonitus* idem hoc loco eſt, ac *repentino aliquo fulgore hallucinatus*, ita, vt, perſtrictis oculis, atq; obſtupefacta propemodum mente, quid faciat, qui ita percellitur, ignoret, atq; inſenſato ſimilis idcircò conſiſtat. Sequitur naturam Vates: nam experientia patet, eorum, qui, iam diù tenebricoſis detenti carceribus, Cæli lumen videre nequiuerint, ſi tandem educantur, ac totâ repente Cæli luce fruantur, adeò perſtringi oculos, vt portenti loco habeatur, ſi non omninò cæcutiant: quarè ſtatim accurrit manus, atq; oculos, obtegens, ſtringit, perfricatque, vt, excitatis ſpiritibus viſualibus, lumen ſuſtinere paulatim aſſueſcant: ſed interim dementi ſimilis adſtat, cum id euenit donec Solem pati diſcat. Hinc eſt, vt ab educentibus de tenebricoſa aliquem cuſtodia hoc ſeruetur, ne ſtatim ſcilicet plenam educatur in lucem; ſed priùs in loco, vbi incerta lux effulgeat, ſtatuatur: ſubinde in locum, aliqua claritate illuſtratum, & ſic gradatim in clariorem, ac clariorem deducatur, vt pedetentim luci aſſueſcens apertum tandem tutiùs prodeat in Solem. Non autem ita Plutonis equi, nam ij æternis aſſueti tenebris, ac, tenebroſis itineribus, per ſubterranea deducti, proſciſſis repentè rupibus, totum, in ictu oculi, Solem oculis excepere: quarè nil mirum, ſi reſides deſcribantur, ſi attoniti, conſternati, ac dementibus ſimiles ſtatuantur; nam hæc omnia, per nomen *Attoniti* importata iam nouimus.

POLO MELIORE. Tranſitus ab extremo in extremum, ſi proportionato careat medio, non ſine maxima tranſeuntis mutatione, concuſſione, ac periculo, fieri poteſt, etiam ſi à malo ad bonum tranſitus fiat, vt patet ex ſupra dictis. Quarè etiam ſi Plutonis equi ex tenebris in lucem, ex infœlici ſitu ad fœlicem irradiati aeris claritatem educantur, iure id vt cauſa ponitur concuſſionis, conſternationiſque equorum, poſito *Polo meliore*, hoc eſt illuminato pro ipſa luce equorum oculos feriente; continente videlicet pro contento. Quid Polus ſit, & quomodo pro toto Cælo ponatur, vidimus lib. pri. Carm. 26. Ideò non repeto. Melior autem dicitur Polus, quem nunc equi Plutonis aſpiciunt, comparatiuè ad Polum quo antea fruebantur, nempe ad Plutonici Cælum Imperij, de quo iam dix. lib. pri. Carm. cit. Melior tamen, ſecundùm ſe, dicitur, non iuxta phantaſiam equorum, quæ certè non potuit, niſi vt malum ſibi, di-

indicare id, quod ipſius naturæ, in vmbris ſemper enutritæ, auerſari videbatur. Sic aues noctiuagæ interdiù delitecunt, quia bonum ſibi tenebris frui; malum verò in lucem educi pertinaciter reputant. Hincq; ortum habuit Italicum illud Prouerbium: *Infelice l'angello, che naſce in cattiua valle*; nam ſi ad bonam tranſeat, ſibi noxium experitur, quod alijs vitale eſt. Itaque, ſi meliorem ſibi Polum agnouiſſent equi, certè non conſternati fuiſſent; nam conſternatio ex apprehenſione oritur imminentis mali, non verò boni ſuperuenientis. Quare melior, non illis, ſed ſecundùm ſe, dicitur Polus. Ideò illi malam ſibi lucem experti, ab eaque inſolito fulgore perculſi.

HÆSERE: Hoc eſt reſides facti interciſo repente curſu conſiſtere; quod propriſſimum eſt equi improuiſo aliquo pauore perculſi, nam ſtatim ille ſubſiſtit, atq; illicò vel retrocedit, vel, ſaltibus in tranſuerſum euibratis, ſe ſe terrorem incutienti ſubducere conatur.

PRESSIS LVPATIS. Modum hic explicat Vates, quo attoniti equi reſides ſubſtiterint, nempè *preſſis lupatis*. Poſſent hæ particulæ facilè explicari, ſi videlicet, per circumlocutionem ſubintelligendam explicarentur ita, vt idem eſſent, ac ſi dicerent: *hæſere non ſecus, ac ſi Auriga preſſis frænaſſet lupatis*. Sed nec adeò puerilis eſt poeticus Claudiani ſtilus; nec textui congrueret explicatio; nam cum Vates effectum conſternatorum equorum, iuxta modum operandi ipſius naturæ, deſcribat, non debuit hæſitationem ab extrinſeco frænante prouenientem, in ſimilitudinem adducere, cum, contraria huic ſimilitudini, repugnet experientia, qua conſtat, equum, ſi, contractis à ſeſſore loris, detineatur, minori quadam corporis remotatione ſubſiſtere; at, ſi, non loris deductis, ſed, conſternatione impulſus, ſubſiſtat equus, eum experimur, toto quaſi impetu, ſe ſuſtinantem, motu repente, ac concuſſione quadam membrorum interciſo. Vt itaque in cæteris, ſic in huiuſmodi conſternationis effectu exprimendo equorum naturam, ſequitur Vates. Naturale eſt enim, vt experientia patet, equorum, ac præcipuè generoſiorum, vt, ſi repentino pauore conſternentur, eodem, quo reſides ſubſiſtunt actu, ferreum, quod mandunt, frænum acri morſu perſtringere, quaſi frendere dentibus conentur, dum arrectis auribus, afflatu concitato, ignitis oculis, cauſam attentiùs hauriunt terroris. Hunc itaque conſternati effectum equi expreſſurum Vates, de Plutoneis loquens, *Hæsêre*, inquit, *preſſis*; hoc eſt *aſtrictis morſu*, ſeù *compreſſis dente lupatis*. Lupatum dicitur frænum quoddam, dentatis ordinibus exaſperatum, quo vtuntur equorum domitores, ad ferociores equos edomandos: dictum autem Lupatum inquit Seruius, à lupinis dentibus, qui inæquales ſunt, & ideò eorum morſus maximè obeſt. Vides, quomodo, habita huius fræni mentione, ferociſſimos per conſequens Plutonis indicet equos, iuxta ea, quæ dixerat, in calce libri primi eoſdem equos deſcribens.

RVRSVSQVE VERENDVM &c. Conſternationis ſupra traditæ effectus, adhuc moribus eximiæ inherens naturæ, proſequitur Vates: & quidem, vt ſupra dicebamus, connaturaliſſimus conſternati equi effectus eſt, vt, cum attonitus ſubſtiterit, illicò retrocedere conetur, vt cauſam terroris euitet; prout cuilibet ſeſſori, experientiâ ipſa ſæpè ſæpiùs innoteſcit. His igitur naturæ moribus obſecundans Auctor, Plutonis equos, repentinam in deflexionem irruentes, retrocedere, atq; ad tenebras reuerti ſuas, conantes deſcribit.

ET CERTANT. Effectum effectibus adnectit particula copulatiua *Et*: *certare* autem non prælium hic indicat conſertum, ſed idem eſt, ac *viribus omnibus contendere, & conniti*. Heinſius *Et pugnant* legit; ſed non immoror; nam in idem recidit.

REVERTI RVRSVS. Idem eſt *reuerti*, ac *retrò verti*: nam verò *iterum verti*; nam, ſi hoc vltimum ſonaret, ſuperflua eſſet illa, quæ additur, particula *rurſus*, quippè quæ iam contineretur in verbo. *Rurſus* itaque aduerbium iterandi eſt, idem, ac *iterùm*, ſeù *denuò*.

OBLIQVO TEMONE. Modus exprimitur, quo reuerti certauerint equi, Plutonis currum trahentes, nempè *Temone*, de quo vide dicta lib. pri. Carm. 279., *Obliquo*; hoc eſt *obliquato* poſito adiectiuo nomine pro particip. paſſ. à verbo *obliquare*, quod eſt *inflectere*, ſeù *à recto tramite ad læuam, vel ad dexteram deflectere*, quarè ſenſus hic eſt: Temone à recto tramite ad latus deflexo, & conuerſo.

IN CHAOS VERENDVM: Vnde ſcilicet exierant: quid verò Chaos fuerit, vide dicta lib. pri. Carm. 28. & quid ſit *verendum* vide eodem lib. Carm. 79. Vnum noto, nempe Vatem naturam non ſolum imitatum fuiſſe equorum in genere, vt ſupra vidimus; ſed talium in indiuiduo equorum, quandoquidem Manes inferorum habitatores, ex natura ſua, Solis noſtri aſpectum non ferunt: quarè Anchiſes, ſeù Anchiſæ vmbra Æneam alloquens Æn. 5. vt ſe coactam tedire profiteatur ad Elyſias ſedes, orientem memorat Solem *Et me ſæuus equis Oriens afflauit anhelis*.
quarè nil mirum, ſi & Plutonis equi, viſo iam Sole
In Chaos obliquo certent temone reuerti.
Sed nos interim dogmatica ex prædictis obiter delibemus.

POSTQVAM VICTA MANV &c. Muro, & antemurali Vrbem fortitudinis noſtræ munitam poſuit Deus Eſai. 26., cum videlicet Animam Eccleſiaſticis munimentis obuallauerit. Verùm, ſi hæc, oblita Domini Dei ſui, conuerſa fuerit ad Baalim, & Aſtarot; illumq; in ſui principem, abiecto Domino, delegerit; ſceptero ille ſibi tradito, & trabali quidem, dum trabibus, quas in oculis geſtamus, alienas videntes feſtucas, trabem noſtram non conſiderantes, ſolidatur; munimenta, vitio potiùs armatus noſtro, quam poteſtate illi conceſſa, confringet illicò, vt in anteactis dicebamus; &, dum à Domino exercituum, iuxta Eſai. 29. viſitabitur Vrbs Ariel, in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, ac tempeſtatis, & flamma ignis deuorantis, in raptum emerget raptor, Proſerpinam in inferorum captiuitatem adducturus. Viſitat Dominus exercituum, vltionum Deus Vrbem ſuam; Animam ſcilicet, nobis ab eo traditam, illiq; iure reſtituendam, in tonitru, & commotione terræ, cum, terribili voce illa, de qua dicitur *vox tonitrui tui in rota*, in iudicium vocat inclamans: *redde, redde rationem villicationis tuæ*: tunc autem terra huius corporis acerrimè concutitur: & cauſa latet; nam medici morborum diuexantium originem non agnoſcunt, peccatum videlicet, quod & Iudicem in vltionem prouocat, & tartareum armat Regem, vt rapiat: Viſitat in voce turbinis, & tempeſtatis, dum potentiæ Animi aſſiduo quodam veluti maris æſtu, fluentibus, ac refluentibus angoribus, agitantur, & naufragium iam patientes abſorbentur; ſed augetur ab inferorum potentijs terror, prædæ, mox rapiendæ, terribiliter inſultantibus: Viſitat in flamma ignis deuorantis, cum ſcilicet ardor febrilis, oſſa, ac medullas adurens, humidum radicale depaſcens, vnionem cum corpore deſtruit Animæ; ſed vlteriùs terret ignis ille Auernalis futurus nocentis Animæ æternale tormentum. Quod ſi interrogemus, cum diſcipulis Iudicem: Dic nobis: quando hæc erunt? Diſtrictæ vltionis tempus ab antecedentibus indicabit Lucæ 21. inquiens: *Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium*. Quod ſi & vlteriùs quæramus, quænam illhæc ſigna ſint quæ futura in Sole Luna, & ſtellis prædicuntur; & quænam hæc preſſura gentium? Terremotus magni erunt per loca reſpondet Lucas cit., quibus preſſura gentium concitetur: Sol obſcurabitur; & Luna non dabit lumen ſuum: ſtellæ cadent de Cælo: & virtutes Cælorum commouebuntur. Hæc omnia de finali Iudicio procùl dubio, in ſacris litteris exarata verificantur: verùm quis in dubium audeat reuocare, futurum, vt hæc omnia, proportionali quodam modo, in cuiuſcumq; animæ particulari Iudicio compleantur? Microcoſmus eſt homo, ideò conſtans ex parte terrea inferiori, & ex parte cæleſti ſuperiori; hoc eſt ex corpore, & anima. Terræmotus (qui nil aliud tandem ſunt, quam vehementes terræ concuſſiones) iam vidimus, reſpectu terreæ partis euenturos. Remanet de Cæleſti diſſerendum. Pars Cæleſtis, ſeù Cælum huius Microcoſmi Anima eſt; Sol huius Cæli intellectus eſt; Luna voluntas, quæ, cum potentia de ſe cæca ſit, lumen recipit ab intellectu; ſtellæ cognitiones, quæ lumine intellectus viuunt, & coruſcant; virtutes Cælorum Potentiæ illæ Animæ ſunt, quæ organicæ appellantur, atq; in hæc corporis organa actum omnem vitalem influunt; ſeù affectus eſſe dixeris, ac paſſiones, quibus, tamquam pedibus, mouetur Anima, & ſolidatur. Sol itaque obſcurabitur: nam mortis ingruentibus tenebris euaneſcit, quo ad exercitium illuminandi, intellectus: Luna non dabit lumen: nam deficiente Sole intellectuali, cæca remanet ad rectè operandum voluntas: Stellæ cadent de Cælo: nam cognitiones ipſæ deturbantur, & occidunt: virtutes Cælorum mouebuntur; quia Potentiæ organicæ, de ſede deturbatæ, ab influendo ceſſabunt; atq; affectus omnes langueſcent inhabiles. Quod ſi hæc ſigna ciperes extrinſeca, non intrinſeca homini morienti: Sol obſcurabitur; quia, deficiente potentia viſiua, tenebroſus illi Sol ipſe apparebit: Luna non dabit lumen, ex cuius ſci-

licet

licet influentijs humidum radicale, quod extinguitur, conualidetur: Stellæ cadent de Cælo; nam, cum hæc ſint in ſigna, & tempora, non vlteriùs ſignanda ſunt ab illis tempora morientis, atq; ideò perinde ſe habent, ac ſi illi de Cælo caderent: Virtutes Cælorum commouebuntur, negantes ſcilicet morienti influxus illos, quibus antea in conſeruationem illius viuentis influebant: Eruntq; terræmotus per loca; quia, ex vi morbi concuſſa periclitantis mente, omnia concuti, omnia nutare videntur illi, cum tamen ſola illius mens nutet, & vacillet. Myſtica forſan optas? Sol obſcurabitur; nam Sol iuſtitiæ Chriſtus, depoſitis miſericordiæ radijs, rigoris vultus accipiens, obtenebrata quaſi facie, adſtabit iratus: Luna, hoc eſt Virgo illa, quæ pulchra, vt Luna, dicitur, cuius propitio fruebamur fulgoris patrocinio, non dabit lumen; cum iam rigoris tempus aduenerit, patrocinandi tempus tranſierit: Stellæ cadent de Cælo; nempè Sanctorum cætus, tamquam ſtellæ, fulgentium in perpetuas æternitates, perinde ſe habebunt, ac ſi morienti occidant, omiſſo munere intercedendi, ac pietatem implorandi: denique virtutes Cælorum commouebuntur, in vltionem, cum irato Iudice conſpirantes. Sed quid vlteriùs in reclata iam prouehor? Hæc, prolixe nimis forſan, ingeſſi, vt clariùs proſpicias, hæc omnia à Vate noſtro, in funere Proſerpinæ, eruditiſſime expreſſa fuiſſe, vt Diem Dorum, Diem furoris, Diem inferni, ac Poteſtatis tenebrarum, quam in anteactis explicare aggreſſus fuerat, in præſenti ab effectibus, & ſignis proſequeretur. *Obſcurat anhelitus Axes:* ecce Solem obtenebratum. *Aſtra viarum mutauere fidem.* En Luna lumen negans, dum exorbitat, nam inter errantes ſtellas profectò eſt Luna. *Vetita ſe proluit Arctos æquore:* En ſtellas de Cælo cadentes. *Horruit Orion: Atlas palluit:* en vt Cælorum virtutes commouentur. Sed his omnibus non commouetur Raptor: &, licet eius potentia, per quadrigam, & equos, ſignificata, perſtringatur, hallucinetur, ac retrorſum impellatur à luce ſacerdotali, circa morientem euigilante, cum hæc tamen ſit hora eius, & poteſtas tenebrarum, non retrocedit; ſed immò vehementiùs in raptum proſilit, vt ex ſequentibus conſpiciemus. Conſuluiſſet, mehercle, ſibi Proſerpina, ſi, tot ſignis admonita, pedem vertiſſet in fugam; ſed iners perſtitit, deſidioſa conſtitit; ideò & perijt. Fugiendum itaque à Raptore eſt: ſed orate, ne fiat fuga veſtra hyeme, vel Sabbato, vt alibi diximus; immò potiùs hoſtis aduentum anteuertere connitentes, dum lucem habemus, in luce & feſtinemus perfectionis montem aſcendere. Aſt, quoniam in montes incidimus, italicam è monte Muſam prouocemus.

Mà, poi, che vinta all'arietar, ſpietato
Di quella man, ch'al cieco mondo impera,
Sciolſe de marmi ſuoi l'aſpro ſteccato
L'Iſola, madre al bipartito Himêra;
E, nel rotto ſuo fianco, vn ſmiſurato
Varco s'aperſe à Deità guerriera;
Improuiſo il terror ne sbocca, e tutto

Himera biſidus fluuius, de quo vide Carm. 18.

Il giubilo del Ciel trauolge in lutto.
Scompigliate le ſtelle altri ſentieri,
Fuor dell'vſato, ou'il timor le caccia,
Solcar ſon viſte: ed vna ſol non ſperi,
Intrepida ſeguir l'vſata traccia.
D'attuffarſi nel mar più non diſperi
L'Orſa, ch'hor ſua ſalnezza in mar procaccia.
Poſto in non cal del carro ſuo le ruote
Precipita il fuggir pigro Boote.
Il bellicoſo, il truce, il già temuto
Orion, di nembi, e di procelle armato,
Inhorridiſce anch'egli; e ſproueduto
Sente d'ardir, di forze il cuor gelato;
Trà pallori di morte, il già canuto
Atlante, il Cielo à ſoſtenere vſato,
Tremebondo s'immerge hor, che ferito
Dal feroce annitrir romba l'vdito.
Gonfie de corridor sbuffan le nari
Torbidi fumi in Flegetonte accolti;
E da gl'haliti oſcuri homai, del pari,
Rendonſi i Poli in cieca notte auuolti.
Mà pria, ch', in tutto, ad annerirſi impari,
La gran luce del Ciel vibra diſciolti
Del crine i raggi; e ſaettando offende
Gl'auuerſi moſtri; e vendicarſi intende.
Dell'eterne caligini profonde
Quegl'occhi auuezzi all'Auernal ſoggiorno
Feriſce il Cielo; e i ſpirti lor confonde
Con gl'aurei lampi il folgorar del giorno.
E già nel petto alto terror s'infonde
De fuocoſi deſtrier, ch'il guardo intorno
Ruotan furioſi, e rinculando il dorſo
Rodon co'l dente, à denti armato, il morſo.
Di miglior sfera al non ſperato aſpetto,
S'arreſta il piè, palpita il cuore, e ſchiua
L'arrabiato liuor l'odiato oggetto:
Anzi là, doue, in tenebroſa riua,
Hebber, trà l'ombre ſue, cieco diletto,
Volto il timone, all'ombra lor natiua
Sforzanſi ritornare; e quaſi il Duce
L'impeto de i corſier ſeco n'adduce.

Iam quomodo ſiſtantur non ſolùm, ſed in curſum iterùm effundantur audiamus.

MOX VBI PVLSATO &c. Contumaciam deponere coactos, Plutonis indicat equos; eoſq; iterum in deſtinatum iter impulſos, amplificatione à comparationibus deducta proſequitur; perniciosos ex ijſdem effectus, in orbis vtiq; perniciem emanantes deſcribens; ac ſubindè ſocialibus Nympharum Choris deſtitutam, raptamque Proſerpinam oſtendit, Deabus, quæ illi adhùc aderant, incaſſum reclamantibus, & concurrentibus ad arma. Qua data occaſione, & Dearum motus deſcribit, & Plutonem minus inconcuſſum aptiſsima comparatione delineat, & amplificat.

MOX VBI &c. Quos contumaces innuerat, equos progredi iam coactos deſcribit, ac, per ſimilitudines mirabiliter amplificat, eorumdem in deſtinatum iter concitatum denuò curſum oculis ſubijciens.

Mox, vbi pulſato ſenſerunt verbera tergo,
Et ſolem didicere pati; torrentius amne
Hyberno, tortâq; ruunt pernicius haſta.
Quantum non iaculũ Parthi, nõ impetus Auſtri,
Non leue ſollicitæ mentis diſcurrit acumen.
Sanguine fræna calent: corrumpit ſpiritus auras
Lethifer: infectæ ſpumis vitiantur arenæ.
Diffugiunt Nymphæ: rapitur Proſerpina curru;
Imploratq; Deas. Iam Gorgonis ora reuelat
Pallas; & intento feſtinat Delia cornu;
Nec Patruo cedunt: ſtimulat communis in arma
Virginitas; crimenq; feri Raptoris acerbat.
Ille, velut ſtabuli decus, armentique, Iuuencam
Cum Leo poſſedit, nudataq; pectora fodit
Vnguibus, & rabiem totos exegit in armos;
Stat craſſa turpis ſanie, nodoſq; iubarum
Excutit, & viles Paſtorum deſpicit iras.

MOX. Aduerbium temporis illicò ſubſequentis hoc eſt, idem ſonans, ac *ſubindè ſtatim*. Vide de hoc dicta in anteactis Carm. 37.

VBI. Aduerb. hic temporis eſt idem ſonans, ac *poſtquam*: in quo ſenſu idem vſurpatum reperies apud Virg. Æn. 1.

Hæc vbi dicta dedit lacrymantem, & multa volentem
Dicere deſeruit &c.

PVLSATO TERGO. Per ſextum hunc caſum, abſolutè poſitum, indicat, quid egerit Pluto, cum contumaces equos conſpexerit, ac reſides; eorum enim terga verberibus feriens officij admonuit. Ideò *pulſato*, quod partic. paſſ. eſt à Pulſo; Pulſare autem idem ſæpè eſt,

ac

ac *percutere*, & *verberare*, nam verbum frequentatiuum eſt à *pello*, quarè *pulſare* idem eſt, ac *frequenti verberatione exagitare*. Volunt quidem aliqui, *pulſare* minoris incommodi eſſe, quam verberare. Sed iis non plane aſſentior, quia paternæ pulſationis delictum video apud Virg. Tartarea punitum pœna, quod ſatis oſtendit etiam ab ipſo Virg. verbum *pulſare* pro *verberare* vſurpatum immò, & pro *grauiter verberare*, cum ait

Hic, quibus inuiſi fratres dum vita manebat
Pulſatusue parens, & fraus innexa clienti.

Tergum verò quid ſit, videas lib. pri. Carm. 184. Tantùm aduerte hic non ſumi figuratè, ſeù translatè, ſed propriè.

SENSERVNT VERBERA. Quid ſit ſentire, habes pariter lib. pri. Carm. 270. tantùm moneo hic ad ſenſum tactus afflictiuè referri, & idem eſſe, ac paſſi ſunt. *Verbera* autem propriè dicuntur inſtrumenta quædam ad verberandum concinnata, exilia videlicet, & oblonga, vt virgæ, fuſtes, lora, flagella &c. huiuſmodi. In quo ſenſu & Virg. Georg. 3. deſcribens aurigas equorum celeritatem concitantes, in curruum certamine, inquit

. . . . . . *Illi inſtant verbere torto*
Et proni dant lora &c.

Verùm, cum ſæpè cauſa pro effectu ponatur, factum etiam fuit, vt *verbera* pro ipſis verberationibus ponerentur, vt ſatis notum eſt. Ad vtrumq; autem ſenſum reſpexiſſe hoc loco Vatem non ambigo.

ET DIDICERE. Antecedentibus conſequentia adnectit, per partic. *Et* copulatiuam; nam poſt verbera *didicere*: quare præintelligenda etiam hic eſt particula *vbi* ſupra poſita, vt ſenſus ſit: *Et vbi didicere &c.* Porrò diſcere, verbum eſt notiſſimæ ſignificationis, idem enim eſt, ac cognitionem, quam de aliqua re non habebamus, acquirere. Tantùm moneo, ex eo, quod duplicis ſint generis cognitiones, ita vt alia ſit practica, ſeù experimentalis; alia ſpeculatiua, & ſcientifica; non intelligendum eſſe textum de cognitione ſpeculatiua, ſed de practica, ſeù experimentali, & quidem de practica rigorosè ſumpta, quæ ſcilicet in actione ipſa conſiſtat: In actione dixi, non quidem ad excluſionem, ſed ad incluſionem paſſionis; nam hic de praxi paſſionis rigorosè loquendo, ſermo eſt; non actionis, ſi ad antedicta reſpiciamus, nempè *Terruit orbis equos*: quamuis, ſi ad actum ſuſtinendi, irretortis oculis, lucem reflectamus, actio formaliter erit, cum actus viſionis ſit. Inſuper aduerte, non eſſe intelligendum textum ita, vt loquatur de cognitione practica perfecta, quæ ſola intellectualis eſt, ſed de imperfecta, quæ per ſenſum habetur, & phantaſmata, & quæ ſola etiam brutis conuenit.

PATI SOLEM. Confirmat verbum *Pati*, quæ ſupra diximus, nempè locutum de praxi paſſionis Vatem; nam *Pati* idem eſt, ac *tolerare*, ac, quod moleſtum eſt, ſufficienti validitate ſuſtinere. De Sole vide dicta hoc eodem lib., Carm. 44. Hic tantum noto, cauſam pro effectu poſitam, nempe Solem pro luce Solis, equorum oculos perſtringente. Vbi metonym. agnoſces.

RVVNT. Vide de hoc verbo dicta in anteactis carm. 20.

TORRENTIVS &c. Certant de palma ſummi nominis Poetæ omnes in celeritate deſcribenda: Et Statius quidem Theb. 6. miris eam exprimit modis, dum ait

. . . . *Quæ tantum nubila Cælo,*
Quæ bella ſic Pila volant, quæ carbaſa Ponto?
Amnibus hybernis minor eſt; minor impetus igni
Tardius aſtra cadunt &c.

Ouid. verò Metam. 10. fab. 5. Atalantæ velocitatem ſic exprimit

. . . . . . *Paſſu volat alite virgo*
Quæ quamquam Scythicâ non ſegnius ire ſagitta
Aonio viſa eſt Iuueni &c.

& inferiùs velocitatem eiuſdem ſimul, atq; Hippomenis exarans ait

. . . . . . *Cum carcere pronus vterq;*
Emicat & ſummam celeri pede libat arenam.
Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu,
Et ſegetis canæ ſtantes percurrere ariſtas.

Virg. deniq; agilitatem Camillæ ſuæ Æn. 7. deſcribens, inquit

. . . . *Sed prælia virgo*
Dura pati, curſuq; pedum præuertere ventos.
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas,
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter; celeres nec tingeret æquore plantas.

Quod ſi equorum ſpeciatim cuperes amplificatam celeritatem, vide ſemper ſibi ſimilem Auctorem noſtrum, de tertio Honorij conſulatu circa finem, hæc grandiloquis muſis exarantem.

Vobis Ionia virides Neptunus in alga
Nutrit equos, qui ſumma freti per cærula poſſint
Ferre viam, ſegetemq; leui percurrere motu,
Neſciat vt ſpumas, nec proterat vngula culmos.

A comparatis itaq; & hic præcipitem Plutonis equorum amplificat curſum; nam *torrentiùs* aduerb. comparationis, à *torrente* deductum. Eſt autem *torrens* riuus, fluuiuſue temporarius, non è fonte, ſed ex ingruentibus, collectiſue pluuijs enaſcens, æſtate, vt plurimum ſiccus, hyeme verò turgens, ac magno defluens impetu: ex quo factum eſt, vt, quæ præcipiti aguntur velocitate, *torrentia*, per epitetum à torrente deductum, compellentur, quod epitetum idem ſonat, ac *rapidus*, *vehemens*, *concitatus*, ac *praeceps*. Quarè Virg., ſimilitudine à torrente deſumpta, Æneæ celeritatem, in vrgendis exprimit prælijs Æn. 11. vbi ait:

Talia per campos edebat funera Ductor
Dardanius, torrentis aquæ, vel turbinis atri
More furens &c.

& clariùs, Georg. 2. alibi à nobis cit., præcipitem vndæ lapſum *torrentem* vocauerat inquiens

Nec non torrentem vndam leuis innatat Alnus
Miſſa Pado &c.

Sic itaque & Claud. aduerb. ſuum *Torrentiùs* ab adiectiuo *torrente*, alluſiuè ad ſubſtantiuum Torrens, facilè deduxit, vt præcipitem magis curſum innueret equorum, quam amnis hyberni decurſum, lapſumq; torrentem; cum hac enim velocitate comparat, eaque ſuperiorem facit, equorum curſum. Ideò torrentiùs

AMNE HYBERNO. *Amnis* nomen eſt compoſitum ab *Am* (quod idem eſt, ac *circum*) & verbo *No*, quod ex ſuo quaſi *Am nans*, hoc eſt *circum fluens*; & propriè fluuium ſignificat, qui, flexuoſis meatibus, terras circum delabitur. Vnde Virg. Georg. pri. ait

Atq; alius latum funda iam verberat amnem.

Per Cathacreſim tamen transfertur *Amnis* ad torrentem etiam, de quo iam diximus, exprimendum, vt patet ex Virg. Æn. 4. vbi deſcribens ingruentem pluuiæ, ac grandinis tempeſtatem à Venere excitatam, vt Dido, atq; Æneas vnam cogerentur in ſpeluncam; ac tumefactos ex illa torrentes indicans magno impetu decurrentes ait: *Ruunt de montibus amnes*. Ex quo etiam licet adnotare, quam prudenter, hoc loco, Claud. vſus ſit eodem verbo *ruunt*, dum concitatos equos concitatis comparat torrentibus, ac efficit velociores. Ne tamen æquiuocationis anſam tribueret nomen *Amne* ſimpliciter prolatum, addidit notam differentialem *Hyberno*, qua ſcilicet expreſsè declaratur, nomen *Amnis* pro Torrente poſitum; per hanc enim diſtinguitur torrens extemporaneus à cæteris fluuijs, qui, perenni ex fonte promanantes, neque æſtiuo tempore, exſiccantur, vt torrentes, de quibus ſupra. Hybernus nempè adiectiuum eſt ab hyeme deductum, & idem ſonat, ac *tempore hyemis vigens*, vt ſupra de torrente iam dictum, ad diſtinctionem &c. Nec placet Parrhaſ. qui *hybernum* dixit ab *hymbre*, hoc eſt à pluuia deductum; nam gratis effingitur, imbrem per aſpirationem ſcribendum eſſe, vt ſupponit, *hymber* ſcribens, Parrhaſius: Ethymologia autem noſtra certè & ex ipſa aſpiratione conſtat, & ex Virg. comprobatur, qui 2. Georg. ait

Quid tantùm oceano properent ſe tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

vbi per *Soles hybernos* hyemales procùl dubio intelligit.

TORTAQVE PERNICIVS HASTA. Similitudinem ſimilitudini, ſeù potiùs comparationem comparationi adnectit, per coniunctiuam *que* pro *&*. *Perniciùs* pariter aduerb. comparationis eſt, cuius poſitiuum aduerb. eſt *perniciter*, à *pernicitate*; hoc eſt *præcipiti velocitate* deductum; quarè *perniciùs* idem erit, ac præcipitata magis velocitate, ſeù velociùs tortâ haſta. *Torta* particip. paſſ. eſt à verbo *Torqueo*, quod idem eſt, ac *torquendo*, *iacto*, vt patet ex Virg. Æn. 5., vbi hæc habentur

In medios telum torſiſſe primus Achiuos.

quod vt magis innoteſcat, noueris, antiquos bellatores, haſtis vti amentatis, ſolitos fuiſſe. Haſtæ autem amentatæ dicebantur, quæ amentis circa medium alligabantur, vt, euibratæ, maiori impetu, ac velocitate deferrentur; loris enim quibuſdam, quæ *amenta* dicebantur circa medium ligatæ haſtæ, iiſdem ad calcem vſq; circumuoluebantur, iiſq; Lanceatores vtebantur ad euibrandam maiori haſtam impulſu. Quod totum annuit idem Virg. Æn. 9. cum inquit

In-

Intendunt acres arcus, amentaq; vibrant.

atq; ex iis, propriè loquendo *torta* dicitur *haſta*, quæ, ſcilicet iis loris munita acriùs contorquebatur. Quid autem haſta ſit, vide, hoc eodem lib. carm. 24.

QVANTVM NON IACVLVM PARTHI &c. Alias hìc aggerat comparationes, vt magis adhùc equorum gradatim adaugeat velocitatem. *Quantùm* commenſurationis aduerbium eſt, ab adiectiuo *quantus*, quod ad correlatiuam menſuram refertur, atq; hoc habet, vt ſibi ſemper correſpondeat correlatiuè *Tantum*: quarè ſenſus, hoc loco eſt: tantùm diſcurrunt equi, quantum non diſcurrat Iaculum &c., licet enim particula *tantùm* reticeatur, facilè tamen, & per neceſſe, ex contextu deducitur ſubintelligenda; io quo Synecd. figura.

NON DISCVRRIT. De particula negatiua, & malignantis quidem naturæ non ſæpè alibi diximus. *Diſcurro* autem, verbum vtiq; compoſitum ex *Dis*, & *curro*, idem eſt, ac *in diuerſas partes curro*. Sic Virg. Georg. 4. de Nilo loquens, ait

Et diuerſa ruens ſeptem diſcurrit in ora.

vel idem eſt, ac *ex diuerſis partibus in vnum confluere locum*. In quo ſenſu idem Virg., Æn. 12. inquit:

Diſcurrunt alij ad portas primoſq; trucidant.

Verùm hic pro ſimplici ponitur, ita vt idem ſit, ac ſimplex *curris*; quod quidem, reſpectu equorum, ſenſum habet proprium; reſpectu verò comparatorum, ſenſum habet translatum, ita vt idem ſonet, ac *impetu maximo, ac ſumma celeritate ſpatium emetiuntur, quod inter terminum à quo, & ad quem intercedit*.

IACVLVM PARTHI. Iaculum propriè, telum miſſile eſt, ſeù haſtile, quod manibus euibretur; *iaculum* à iaciendo dictum. Hic tamen, cathacreſi vſus, Poeta iaculum, manu euibrabile, poſuit pro *ſagitta*, quæ arcu euibratur. Patet autem hoc primò, quia alioquin hæc comparatio concideret cum ſuperiori ab amentatis haſtis deſumptâ; nam & *iaculum* haſta miſſilis eſt manu, nec differt, niſi ſecundùm maiorem, vel minorem corporis molem: quare eſſet hæc puerilis repetitio, non autem comparationis ad comparationes acceſſio. Secundò, quia Vates, dum *Iaculum Parthi* ſiguate nominat, iaculum arcu euibrandum apertè deſignat; nam vt Priſcianus ait

Martia gens Parthi, telis arcuq; potentes.

& quidem ſagittariorum peritiſſimi recenſentur Parthi, de quibus ſi plura cupias, vide ſuperiùs dicta carm. 94. hic vnum poſuit Vatea pro omnibus per ſynecd. Sed, ne videatur exilis hæc comparatio, ac non tanti momenti, vt non nihil addere poſſit comparationibus ſuprapoſitis; ſciſciteris à Virg., quanta nam velocitate emiſſa ab arcu ſagitta deferatur; & reſpondebit Æn. 4., eam volatu deferri.

. . . . . . Qualis coniecta ceruo ſagitta,
Quam procul incautam, nemora inter Creſsia, fixit
Paſtor agens telis, liquitq; volatile ferrum &c.

quo poſito, non ſolum volantes Plutonis equos efficit Vates; ſed maiori, quam ex volatu, celeritate ruentes: atque ideò valde creſcit ab antedictis oratio, & gradationem ſuperiùs initam egregiè proſequitur.

NON IMPETVS AVSTRI. Præintellige particulas prænotatas, hoc eſt *Quantum non diſcurrit torrens &c.* quæ non repetuntur, tum quia optima ea eſt locutio, quæ per fig. Adiunctionem exornatur; tuo etiam quia concitatio orationis ipſam equorum concitationem debuit comitari, ac conſequenter omnia præſcindere, quibus à celeritate dicendi retardari potuiſſet: atq; hac eadem de cauſa tota per Aſintheton decurrit coniunctionibus carens. Addit itaque hic nouam comparationem, à velocitate ventorum deſumptam. De impetu ventorum plura diximus lib. pri. carm. 75. hic ponitur *impetus* pro vehementiſſima illa vi, qua rapidiſſimè, per aereos campos, feruntur venti. Auſter verò ventus eſt meridionalis, alio nomine Notus, qui leniter interdum ſpirat, cum primò videlicet oritur, vt adnotauimus in Præfatione ad lib. pri. carm. 8., Aſt, cum inualeſcit, rapidus adeò excurrit, vt eum præcipitem vocet Sabellicus

Hic plaga præcipites, qua torrida verget ad Auſtros,

atque, cum huiuſmodi Auſtri præcipitatione, præcipites Plutonis equos comparat Vates. Sed occulta comparationis fundamenta latere in huiuſmodi venti mentione, non ambigo; nam, quo ad celeritatem euolandi, etiam Boreas præceps dicitur ab Ouid. Metam. 2. vbi delatum per ſpheras Phaetontem cum naui à Borea impellente acta ſubtiliſſimè comparat, ſic

Iam Meropis dici cupiens, ita fertur, vt acta
Præcipiti pinus Borea &c.

cur itaque Vates Auſtrum hic potiùs in comparationem vocet, quam Boream? Non incongruè profectò ſpectatâ huius venti natura; nam *Auſter*, naturâ ſuâ, ventus eſt exitialis, eumq; auditum hebetere, caliginem inducere, corpora diffundere, capiti grauedinem inferre; affirmant Hyppocrates, & Galenus. Exitiales profectò erant Plutonis equi, vt patet ex commotione orbis, iis in lucem emergentibus, & patebit magis ex eorumdem effectibus mox infra enumerandis: inſuper exitiales, quia in exitium Proſerpinæ ferebantur: Denique auditus eorum hinnitus offenſam exibrauit: *audito palluit Atlas hinnitu*: tenebras induxêre: *Rutilos obſcurat anhelitus axes*: corporaque ipſa cæleſtia diſſoluerunt: *Aſtra virtum mutauere fidem*. Igitur Auſtrum potiùs, quam alium aliquem ventorum, licet velocitate inſignem, in comparationem vocari, neceſſe fuit omninò, vt meliùs & ſibi Vates, & inter ſe congruerent comparata. Creſcit autem & hic oratio; nam certè quacumque ſagitta, licet volante, ocyor ſemper eſt ventus.

NON LEVE SOLLICITÆ &c. Hoc eſt *quantum non diſcurrit leue &c.* Quarè cum ſumma hic omnium velocitate pernicitatem eorumdem comparat equorum, & maiorem facit, hyperbolicè quidem; ſed ita vt vix hyperbolicum appareat, immò & ne vix quidem, ſpectatâ naturâ equorum, quos dæmonis eſſe nouimus ex calce libri primi. Ex quo licet artificium Vatis aduertere, qui ipſas hyperbolicas dictiones integumento obtegit veritatis.

LEVE ACVMEN. Extrema alicuius rei ſubtilitas *acumen* eſt; ſed, per translationem, intellectus etiam, io intelligendo, perſpicacitatem ſignificat; & quidem io hoc ſenſu erat hic: acutiſſimè tamen *Acumen* dixit; nam haſta acuminata mentis acumen ſymbolicè ſignificat, ideòq; & Palladi datam teſtatur Martianus Capella. *Leue* autem dicitur quidquid ſine pondere eſt, & naturâ ſuâ ſurſum faciliùs, quam deorſum mouetur; nam *leue* dicitur à *leuitate*, quæ eſt qualitas grauitati contraria; vbi enim hæc deorſum, illa ſurſum impellit ea, in quibus reperitur: & quia quod leue eſt, facillimè mouetur, ideò *leuis* pro eodem ſumitur, ac agilis. *Leue* igitur *mentis acumen* eſt, quia, cum nil aliud ſit, quam ipſius perſpicacitas intellectus, qui eſt cognoſcitiua animæ potentia, certè ſine pondere erit, conſequenter & *leue* erit, ideſt agile, acumen illud, ita vt facillimè, ac celerrimè moueatur: ſicq; in vtroq; ſenſu *leue* iure merito à Poeta nuncupatur. Quod ſi ſcire cupias, quam agilis ſit intellectus, audi Thaletem Mileſium: velociſſimum enim omnium, quæ ſunt, inquit ille, eſt mens; nam tantæ celeritatis eſt, vt, vno temporis puncto & Cælum, & maria, & terras peruolet. Arrogat Tullius prima Tuſcul. vbi ait: *nulla eſt celeritas, quæ poſſit cum animi celeritate comparari*. Hoc ipſum innuere voluerunt, vt arbitror, qui, non ſolum Ægyptiacis, ſed etiam Græcorum diſciplinis, ac ſymbolica imbuti Theologia, pro ſymbolo humani ingenij, ſeù eiuſdem intelligentiæ perſpicacibus viribus, Herculem pinxêre, qui tricuſpidem arcu ſagittam euibraret; quod ſc. licet humani ingenij acumen, vnica eiaculatione, ac dicto citiùs cæleſtia, terrena, infernaq; perſcrutetur. Vides itaque & quam altè aſſurgat Vatis gradatio, & quam hyperbolice ſibi ſemper ſimilis decurrat, dum ſupra id ipſum, quod velociſſimum omnium meritò cenſetur, Plutonici currus velocitatem extollit. Sed ne mireris; nam ſi dæmones ſunt illi equi, vt diximus, ſpiritus ſunt certè, & cum exuti corpore ſint, licet aſſumptis aereis interdum corporibus circumagantur, certè velociores erunt ſpiritu illo, qui humanis præpeditus ligaminibus, licet velociſſimus, vix plenè ſua hac velocitate vti poteſt. Ad quæ omnia reſpexiſſe Poetam non dubitauerim.

SOLLICITÆ MENTIS; Hoc eſt anxiis agitatæ curis; tunc enim præcipuè, in ictu oculi, millenis cogitationibus aduolantibus, & euolantibus, agitatur mens, quæ quid ſit, & ſatis patet ex dictis, & fuſiùs diximus initio libri primi, carm. 4.

SANGVINE FRÆNA CALENT &c. Amplificata celeritate, qua Plutonici agerentur equi, effectus iam, ex citatiſſimo illo, ac violento motu prouenientes enumerat; &, quid ad ipſos eoſdem conſequetur effectus, in ordinem digerit. De frænis, quantum ſatis eſt, diximus lib. pri. carm. 182., vbi etiam fusè egimus de connexione motus cum reiectatione ſpumarum, ex ore animalis, motu nimio concitati prouenientium. Vide ibi dicta, atq; hic proportionaliter noueris applicanda, dum, ſpumarum loco, *ſanguine fræna calent*. *Caleo* idem eſt, ac calidus fio; ex quo conſe-

quenti

quenti intelligendum proponitur antecedens; nam fræna, calida fieri, nequeunt, niſi præintelligantur equorum ora ſanguineis redundantia ſpumis, quibus fræna humectauerint non modò, ſed & abunde abluerint; ita vt ex calore ſanguinis naturali (nam calidus, & humidus ſanguis eſt) ferrum ipſum calorem contrahere, ſaltem quo ad partes extimas potuerit. Equorum autem ſpumas *ſanguine* congeſtas indicat, vt violentiam concitati curſus amplificet, cum enim, vt dix. lib. pri. cit., ſpumæ excitentur, atq; ad ora tranſmittantur vi agitationis ſpirituum, qui nimio calore, per motum excitato, ebullientes, excrementitiam ex humoribus partem ſegregant, ac reiectant; ſequitur, vt, cum motus omnem excedit modum, efferueſcant adeò ſpiritus, vt, exſiccata parte excrementitia, eius loco ſanguinem ipſum è venis eijciant, & reijciant: quod præcipue in generoſioribus euenit, vt innuit citatus a Parrhaſ. ſedulius inquiens: *Nec terga ſ[illegible]*

Aréna preſſit equus phalleris qui pictus & oſtro
Ore cruentatum mandens concutit aurum.

Inſuper *ſanguine fræna calent*, quia ſupra vidimus equos huiuſmodi Lupatis frænatos: cum itaque contumaces fræna morſu perſtrinxiſſent; & rector ideò lora vehementi concuſſione flexiſſet, ac contorſiſſet, vt in deſtinatum iter cogeret renuentes, effectum fuit, vt dentibus ferreis, quibus lupatum aſperari iam nouimus, equorum ora perſtringerentur, atq; vt ideò ſanguine defluente calerent fræna. Adde horrendum eſſe ferocitatis, ac crudelitatis ſignum, ora gerere infecta ſanguine, quaſi ſanguine paſcatur, qui ſanguinem eructat: Sicq; Virg. Æn. 3., Paſtum humanis carnibus Cyclopem, eructantemq; deſcribens, ait

Ceruicem inflexam poſuit, iacuitq; per antrum
Immenſum, ſaniem eructans, & fruſtra cruento
Per ſomnum commixta mero.

ideò & Auctor noſter, ad oſtendendam immanem equorum crudelitatem, quam vix attigerat lib. pri. inquiens *Terret emiſſa iugales &c.* hic ſanguine ſpumantes deſcribit: *ſanguine fræna calent.*

SPIRITVS LETHIFER CORRVMPIT AVRAS. Auctor lib. in Ruf. peſtes omnes Auerni incolas indicat, dum ait . . . . *Glomerantur in vnum*
Innumeræ Peſtes Erebi &c.

Ex loco itaque in quem omnes ſe ſe ingerunt Peſtes, quid ſecum ferrent equi, iiſdem peſtibus enutriti, quam peſtem? Iure igitur eos halitu corrumpentes aerem deſcribit Vates? Sed eodem tempore alluſinè attingit, immò apertè, arbitror, declarat Peſtilentiæ cauſam validiorem, ad eam reſpiciens, qua inductam fuiſſe in orbem recenſent miſerrimam illam luem, quam & nos ſupra memorauimus ad Carm. 176., cuius originem hanc fuiſſe ferunt. Exundans more ſolito, Ægyptum Nilus operuit; ſed non, more ſolito, in alueum rurſus ſeceſſit; immò diutiùs in campis commoratus, in cauſa fuit, vt ex humido aquarum cœno, & regionis calore, quamplurima animalia cœperint procreari: recedente autem ſubinde Nilo, animalia illa, quæ partim iam perfecta, partim imperfecta, & ſemiproducta tantùm extabant, mortua ſunt, & corrupta; atq; ex eorum cadauerum corruptione fœtidiſſimæ prodeuntes exhalationes infectum aerem reddidere, ex cuius infectione peſtis emerſit totam deuaſtans Ægyptum; ac ſubindè, flante Auſtro, in Græciam comportata, hincque in Italiam, & Illiricum omnes longè, lateq. populata regiones eſt. Quod ſi ex fœtido inſepultorum cadauerum halitu aer corrumpitur, ac peſtis indè graſſatur, quid dicendum fuit de halitu equorum Plutonis, non fœtoribus tantùm tartareis affecto, ſed cerbereis infecto venenis &c. vt in calce libri primi iam vidimus? Dicendum profectò, huiuſmodi halitum non cauſam tantummodò peſtis, ſed peſtem ipſam formaliter extitiſſe. Ideò iure dicuntur aerem ſpiritu corrumpere, hoc eſt peſtibus replere; cum ſatis notum ſit, ex aere corrupto miſerandam gigni luem, ac propagari, vt ex Virg. teſtatur Æn. 3. inquiens

Iura, domoſq; dabam, ſubito cum tabida membris,
Corrupto Cœli tractu, miſerandaq; venit
Arboribuſq; ſatiſq; lues, & lethifer annus.

Ex effectu igitur corruptionis aeris, quam validis imbuta eſſet venenis equorum natura, indicat Vates, & vnam ex peſtilentiæ cauſis, & quidem validiſſimam aperit; ac quam iure cœleſtia corpora exhorruerint, declarat. *Spiritus* itaque interdum quidem pro anima ponitur; ſed & ſæpe ſæpius pro reſpiratione, afflatu, halituq; vſurpatur: atq; in hoc ſecundo ſenſu viget hic certè. *Lethifer* autem dicitur, hoc eſt *Lethum ferens*, quod idem eſt, ac *Peſtilentialis*.

Corrumpere verò idem eſt, ac *vitiare*, ſed *contaminare*, ita vt bona, ac benè conſtituta ſubſtantia in malam, ac deprauatam commutetur: hic idem eſt, ac *Peſte inficere*, quod Virg. ſexto illo cauſali caſu expreſſit, loco cit. *corrupto Cœli tractu &c.* Quid tandem ſit *aura*, ſatis vidimus ſupra carm. 30. hic pro aere ponitur, ex cuius leni agitatione fit aura, quæ lenis ventus propriè eſt. Sunt tamen & qui dicant *Auram* dici aerem ipſum lucido quodam auri fulgore nitentem; quod ſi dixeris, non abnuo; licet potiùs arbitrer effectum hic pro cauſa poſitum.

INFECTÆ SPVMIS VITIANTVR ARENÆ. Effectui corruptionis aeris effectum corruptæ ſubnectit terræ. Hæc autem effecta, licet non niſi ordine ſucceſſiuo exprimi poſſint ab enarrante, vt tamen vno, eodemque temporis momento eueniſſe indicet Vates, per aſyntheton ita digerit, vt coaceruet, quaſi coniunctiua copulatione non indigeant, quæ ſimultanea ſunt natura, licet narratione ſucceſſiua exprimantur: ex quo nota ſubtiliſſimum Vatis artificium. Porrò quid ſint *arenæ* iam vidimus lib. pri. carm. 257. Verùm non in ea ſenſus proprietate accipiuntur hìc, ſed pro terra ipſa vſurpantur, poſita pro genere ſpecie, ſicuti in eodem ſenſu locutum ſcimus Virg. Georg. pri., vbi de exſiccandis ab aqua exundanti agris ſic habet

Collectum humorem bibula deducit arena.

Sed, ne videatur Vates, merè ad libitum, hoc dicendi genere vſum fuiſſe, memineris Arenam vocari etiam campum, in quo Gladiatores decertent, & erudirè locutum inſpicies Poetam; nam Gladiator crudelis Pluto bellum, vel Superis moliebatur, atq; ideò campus, in quem modo, prædam acturus, irrumpit *arena* dicitur, huic Gladiatori expoſita, ac propoſita ad hoſtiles actus exercendos. Inſuper futurum erat, vt irruerent in arma Pallas, & Diana, vt infra videbimus Proſerpinæ ſtudentes defenſioni; ideò iam gladiatorius locus in promptu erat, arenæ nomine deſignandus. Notant aliqui, hoc nomen arenæ rarò plurali numero gaudere. Sed miror, vt fateor; nam ſæpiſſimè plurali numero hoc ipſum nomen à Virg. vſurpatum nouimus, & primo quidem Georg. 2.

. . . . *Lybici velit æquoris idem*
Diſcere quam multæ Zephyro turbentur arenæ.

Et paulò inferiùs ſubdit:

Rurſus humum & pedibus ſummas æqualis arenas.

& eodem lib.

Totaq; thurriferis Panchaia pinguis arenis.

ex quo poſtremo Virg. loco videris *arenas* pro terra poſitas, & tamen plurali numero vſurpatum nomen, vt etiam ab Auctore noſtro hìc, & loco cit. lib. pri., licet ibi de arena maris loquatur. *Arenæ* igitur *infectæ* dicuntur *ſpumis*; nam *infectus* idem eſt, ac *tinctus*, *maculatus*, *venenatus*, quæ omnia vnico Vates incluſit verbo: tingebantur enim arenæ equorum ſpumis, cum illæ eſſent ſanguineæ, vt dix. maculabantur, quia atro, non verò purpureo ſanguine, aut oſtro inficiebantur; & venenis imbuebantur, quia venenum erat quidquid ex monſtris illis in ſpumas reiectabatur, vt ſupra innuimus. Ideò *vitiantur*: hoc eſt deteriores redduntur, atq; in corruptionem inclinantur. Quid autem ſint *ſpumæ* iam ſatis ea dictis patet.

DIFFVGIVNT NYMPHÆ. Deſtitutam à Nymphis omnibus, quæ eam comitabantur Proſerpinam oſtendit ad tritum, vt arbitror, Poetæ adagium reſpiciens.

Tempore fœlici multi numerantur amici
Si fortuna perit, nullus amicus erit.

quod ipſum profectò innuere voluerunt antiqui, cum infallacis animi hieroglyphicum Hirundinem erexere, quæ ſcilicet Veris tempore adeſt, nos inuiſit, & quaſi in officio futura præſto eſt: hyeme verò, hoc eſt turbido inſtante Cœlo, ſeù aduerſâ ingruente fortuna, refugit, & longè profugit. Verùm aduerte hic Vatis ſolertiam, qui carpit quidem modicam Nympharum fidem in Proſerpinam: ſed non adeò, vt non reliquerit nobis locum earumdem fugam excuſandi; cum immò idem Poeta latam prius ſtrauerit viam, ad huiuſmodi excuſationem expromendam; nam cum indicauerit fugitantia ſydera Vrſas, Bootem &c. Quid mirum ſi eodem terrore abigantur in fugam imbelles Nymphæ, ex natura vtique ſua non minùs, quam ceruæ, pauitantes? Excuſauit igitur tacitè, quod tamen ſugillat, & iure ſugillat, quia vera amicitiæ fides infirma quælibet pectora ſolidare, atq; obuallare debuiſſet, ne cederent: Et tamen diffugiunt illæ. Diffugio idem eſt, ac in diuerſas partes, vel ex diuerſis partibus fugio: Cum itaque iam dixiſſet Vates

. . . . *Verùm tum cætera ſolent*

In-

Innaſere cohors &c.
optimè inquit hìc *diffugiunt*; nam, cum in diuerſis partibus eſſent Ætnæi ruris non niſi ex diuerſis partibus aufugiunt. Inſuper conſternati animi eſt mentem adeò deturbatam experiri, vt, nullo habito delectu, quoquo via pateat, in fugam ſe proripere acceleret, nec, quo ſocij pergant ſtudeat animaduertere; atq; ideò & in diuerſas partes arripitur fuga. Profectò hoc eodem verbo ad indicandam Troianarum conſternationem Matronarum, poſtquam, nauibus incenſis, Æneam cum exercitu properantem conſpexere, vſus eſt Virg. Æn. 5. vbi ſic habet:

Aſt illæ diuerſa metu per littora paſsim
Diffugiunt; ſyluaſq; & ſicubi concaua furtim
Saxa petunt &c.

quarè & Auctor noſter, vt & iam dictis congrueret, & cæcam conſternationem exprimeret, *diffugiunt*, inquit, *Nymphæ*: hoc eſt Naiades illæ, de quibus hoc eodem lib. à Carm. 46. Locum videat, qui cupiat. Et quid ſint Nymphæ videris in præfatione ad hunc lib. carm. 3. Quare hic non immoror. Nymphas autem diffugiſſe memorat, non Deas, quæ è Cælo deuenerant, & Proſerpinam comitabantur; primò quidem, quia, quod ad Venerem ſpectat, non erat, cur fugeret, quæ conſcia furti, & particeps, immò operatrix fuerat doli: quod verò ad Palladem, & Dianam ſpectat, quippè cæleſtes Deæ vigore ipſo animi à cæteris inferioribus diſtingui iure debuerunt: ideò fugitent vtcumq; Nymphæ, intrepidè adſtare Diuæ debuerunt: ſecundò, quia, vt vidimus lib. pri. carm. 129. caræ iſtæ fuerant Proſerpinæ, tamquam auxiliares copiæ; ideòq; indecorum, atq; incongruum fuiſſet, ſi eam ſummo in rerum diſcrimine deſtituiſſent: tertiò vidimus ibi Palladem ſapientiam eſſe, Deliam verò virginitatis amorem, quibus iuuantibus certè poterat Proſerpina euitare, ſi voluiſſet, Veneris aſtus inſidiantis; cum autem hæ virtutes ex ipſa natura (vt ait Cic. offic. pri.) radices in humano pectore habeant, æquum fuit, vt Proſerpinæ ad interitum vſque adſtarent, licet neglectæ.

RAPITVR &c. En tanto, ac tàm terribili apparatu appetitam Proſerpinam pœnas iam ſpreti fidiſſimæ Matris Imperij luentem: En voti compotem effectum Plutonem: & miſeram lætitiarum cataſtrophem. Inquirunt autem aliqui, quid ageret Proſerpina, tot circumfluentibus terroribus, ac diffugientibus Nymphis, vt non & ipſa fugeret, vel ſaltem ſororibus ſtrictiùs adhæreret Deabus, vt earum patrocinio contra quodlibet ingruens infortunium vteretur. In promptu tamen ex ijs ipſis, quæ diximus, immò quæ Vates ipſe dixit, eſt reſponſio. Dea erat Proſerpina, *poteratq; videri*

Pallas ſi Clypeum ferret, ſi ſpicula Phœbe.

Cum igitur timor Deas non inceſſerit, nec debuit illa timorem admittere cum ijs, nec membris, nec honore minor adſtaret: obfirmato aderat animo, quia ſe Iouis filiam meminerat, ideò quidquid ageret, nequaquam ſe perituram arbitrabatur. Adeò itaque detinebatur auido de quo ſupra feruore legendi, vt magis illi curæ fuerit, ne floreo, quod texebat, ſtemmati flos deeſſet, quam vt propriam tueretur ſalutem. Scribit igitur Phanodemus lib. 5. rerum Atticarum, Proſerpinam raptam fuiſſe, dum Narciſſum florem Eumenidibus ſacratum legeret: ex quo coronæ ex Narciſſo ipſi ſacræ fuerunt Proſerpinæ, vt refert Mythol. Nat. Com. lib. 9. cap. 14. Itaque

PROSERPINA. Quæ hæc fuerit ex ſæpè dictis patet: quæ ſit, iam ex textu innoteſcit: quæ futura ſit, facilè & ex Raptore, & ex horribilitate apparatus, & ex crudeli celeritate rapiendi planè colligitur. Proſerpina, *iam gloria Matris*, *nunc dolor* cauſalis, licet effectum non habitura, antequam iacturam ſuam reſciuerit Mater. Proſerpina, iam cæteris æquanda Deabus, cum æquali tenderet per gramina paſſu; nunc in captiuitatem redacta infęliciſſimarum omnium infęlix maximè: Proſerpina, pro qua olim Mars decertarent, & Phœbus, nunc ſine certamine miſerrima Plutoni Præda: Proſerpina, quæ mox, tot Nympharum ſtipata cætibus, hilaris, & iactabunda procedebat, nunc, ab omnibus deſtituta, tartareis addicta mæroribus. Vides quam luctuoſam cathaſtrophem, vno verbo, exprimat Vates, raptam, proprio nomine compellans, quod vtiq; & emphaticum maximè, & maximè patheticum eſt, ac vix explicabile, quod menti ingerit luctuoſiſſimorum affectuum hæc nominis eiuſdem commemoratio.

RAPITVR. Equidem, ſi vnquam antea Vatis artem ſum admiratus, hìc maximè admiror, ac veneror. Connaturale eſt, vt, qui luctuoſiſſima cogitur enarrare, paucis ſe expediat, ne, concepto doloris, ac commiſerationis ſenſu, vox in faucibus hæreat, & ſuffocetur, ſi longiori verborum ambitu vellet vti, ad tragicum nimis facinus exponendum. Quomodò igitur aptiùs naturæ moribus obſequi potuit Vates, quam triplici tantum voce luctuoſiſſimam Proſerpinæ Tragediam recenſere: *Rapitur Proſerpina curru?* Porrò emphaticum non minus, ac patheticum eſt verbum *rapitur*, quam ſit ex dictis recenſitum Proſerpinæ nomen. *Rapitur* ad Inferos, quæ Superos neglexerat: *Rapitur*, quæ, ne raptui ſubeſſet, *æthera deſeruit*: *rapitur* amplius Matrem non viſura, quæ irrita texebat redditura munera matri, & quæ ſpes vnica Matris erat: rapitur è conſpectu Solis, quæ Solem ipſum in pulchritudinis certamen prouocare potuiſſet & rapitur è medio Dearum, quæ vera inceſſu patuit Dea; ac nullum illi in comitatu præſidium; nullum ex Ioue Patre ſubſidium; nullum ex ſororibus munimen, vt inferiùs patebit! Quid magis emphaticum, ac patheticum efferri potuit? *Rape* inſuper eſt *hoſtile quodam impetu, ac barbara celeritate auferre*: quo etiam magis augetur infęlicitas. Ideò aptiſſimè ad Tragediam Proſerpinæ exprimendam. Rapitur inquit

CVRRV. *hoc eſt in currum*: inquit huius loci interpres Parrhaſius. Verùm ſi nil aliud, quam quod innuit Parrhaſ. ſignificaret textus hìc inſtrumenti, ſeù modi, caſus, ſuperfluè prorsùs, opinione mea, adderetur: nam ſatis ex anteactis conſtat, quod ſi curru aduenit raptor, certè prædam in currum arripit, procùl dubio enim noluit onuſtus præda pedes aufugere, qui curru ad prædam conualuerit. Emphaticè igitur arbitror appoſitam particulam *curru*, vt ſcilicet dicto citiùs ſublatam, ablatamq; Proſerpinam indicaret Vates: quaſi *rapi*, & *abuehi*, vno, eodemque momento emicuerit, & vix rapi viderint reliquæ Proſerpinam Deæ, cum iam curru abuehi conſpexerunt. Non dixit autem Vates *rapitur à Plutone, & curruì impoſita abducitur*; ſed *Rapitur curru*: vt celeritate ipſa, & concitatione dicendi, impetum, ac celeritatem rapiendi mirabiliter exprimeret. Quid verò ſit currus, & quarè ad huiuſmodi raptum adhibitus, iam ſatis abundè vidimus, initio lib. pri. ipſo Carm. pri.

IMPLORATQVE DEAS. Conſequentia iam ad raptum recenſere aggreditur Vates: & primò quidem luctuoſas Proſerpinæ voces commemorat, ſorores Deas in ſui defenſionem exorantes. Itaque particula *que* pro *&*, licet, hoc loco, ſenſum habere poſſit ſucceſſionis, ita vt ſit idem, ac dicere: *poſt quam ſe rapi animaduertit, implorat &c.*; tamen verè particula coniunctiua eſt, qua oſtenditur, eodem tempore, & raptum, & eiulatum Proſerpinæ extitiſſe, licet verè dici poſſit conſequens eiulatus, ſaltem poſterioritate naturæ, cum effectus fuerit raptus, quem Proſerpina patiebatur. *Implorare* autem idem eſt, ac *miſerabili eiulatione alicuius opem perditis expoſcere rebus*. Et profectò quid faceret infęlix Proſerpina, Plutonis iam lacerto, adamantinâ fortiùs catenâ ineluctabiliter conſtricta, niſi ſydera vocibus ferret, eiulatibus aerem impleret, ac præſentes Deas ad opem conferendam miſerabiliter depoſceret? Aptè igitur naturam, mores, conditioneſq; captiuæ, hoc vno verbo *implorat*, expreſſit Poeta. Naturam quidem, vt patet ex dictis, quia connaturale eſt, vt, qui ſe ipſum è malis ingruentibus expedire non valeat, aliorum imploret auxilium: Mores; quia maximè proprium fœminei ſexus eſt lacrymis decertare, vt animos flectat: Conditiones; quia, vt diximus, captiuæ nil ſupererat, niſi vox, & eiulatus, quibus auxilium depoſceret. Ideò *implorat Deas*; illas vtique, quas propitias ſibi rebatur adfuturas, quia ſorores, vt in anteactis vidimus eſſent; ſecundò quia amicitiæ pignus dediſſe videbantur, cum è Cælo Siculas in oras deſcendiſſent ad eam inuiſendam: tertiò quia, reliquis in fugam abactis, illæ tantum ſupererant, ad quas imploratio dirigeretur: & denique quia in Deum inferorum non niſi cæleſtes Deæ poterant & certamen aſſumere, & vires exercere, & periclitanti præſto eſſe. Quarè & hoc emphaticum eſt, vt vides. In explicatione autem nominis non immoror, quia de hoc dictum alibi.

IAM GORGONIS ORA REVELAT &c. Muneris non immemores ſui; ſed, & vlteriùs, communi omnium offenſione concitatas, ac Proſerpinæ doloribus, eiulatuque permotas Deas, quaſi ſigno dato, ad arma iam procurrentes deſcribit.

IAM. Aduerbium hoc temporis eſt, idem ſonans, ac *ſtatim, illicò, ſine mora*: ſed temporis, hoc loco, futuritionem importat, immediatam tamen adeò, vt vix non factum

ſit, quod illicò faciendum inſinuatur. Nec difficultatem ingerat particulam *iam*, cum tempore præſenti copulata, *iam reuelat*; nam hic ſumitur ſimplex *iam* pro repetito *iam iam*, quod cum præſenti ponitur, etiam ſi futuritionem importet, vt patet ex Virg. Æn. 2. vbi hæc habentur.

Inſequitur iam iamq; manu tenet, & premit haſta,

ideſt mox tenebit, & iam tenere videtur nunc; adeò imminet, & vrget. Sic itaque & Pallas *iam reuelat*; ideſt nodos ſoluit, pallam expedit, & in procinctu ponitur, vt reuelet: mox reuelabit; ſed actu iam nunc reuelare videtur, quod reuelabit tamen illicò infra, vt ex dicendis patebit

PALLAS. De Pallade ſatis ſuperq; diximus lib. pri. Carm. 229. Hic tantum, primo loco aptè poni animaduerto, eo quod, cum de ineundo agatur bello, bellatrici Deæ primatus iure fuerat deferendus.

REVELAT. Verbum hoc compoſitum eſt ex *re*, & *velo*; ſed contrariam habet ſignificationem, *velare* enim *operire*, ac *tegere* eſt; *reuelare* autem *aperire* eſt, & *detegere*. *Reuelat* igitur Pallas; hoc eſt *in procinctu eſt vt reuelet* Gorgonis ora, quæ ſcilicet obuelata ſemper aſſeruare conſueuerat, nec detegebat, niſi vbi de ſummo rerum diſcrimine ageretur, vt vidimus hoc eodem lib. carm. 26.; nunc autem reuelare aggreditur, quia extremis morbis, extrema ſunt adhibenda remedia. Cum igitur iam contra tyrannicam Tartarei ducis efferatam potentiam bellum eſſet ineundum; & cum celeritas raptoris vincendi moras non admitteret, cumque aſſuetis via in armis ſpes eſſe poſſet, contra adamantinum Plutonis pectus iure Gorgonis reuelare properat ora, quod vltimum erat bellici furoris experimentum. Vide Areoſtum de Clypeo Atlantis, atque imaginem huius Gorgonei Clypei, quo ad effectum fortiſſimos quoſq; debellandi hoſtes, perſpicies.

ORA GORGONIS. Vide de his dicta loco, & carm. mox ſupra cit. Tantùm noto, *Ora* hic poni pro facie, facies pro capite, caput pro anguineis crinibus horrente ſpectro, per metalepſicam gradationem,

ET DELIA &c. Sicut vnitim Proſerpinam inuiſerant Deæ, vnitim comitatæ fuerant, cum prodiret in campos; ſic vnitis viribus ad eius defenſionem accurrentes, per particulam coniunctiuam *Et*, oſtendit Vates; hoc tantum ordine ſeruato, vt Delia Palladis, vtpotè maioris, exemplum ſecuta videatur. Delia autem dicitur Diana ab Inſula Delo, in qua nata refertur; ſicuti & frater ipſius, nempe Apollo *Delius* ab eadem Inſula compellatur. De hoc vero plura diximus, &, quantum ſatis eſt, notauimus, lib. pri. carm. 229. atq; inſuper hoc eodem lib. ſub titulo Reginæ Parrhaſij Licæ., ac ſub titulo Triuiæ de eadem diſſeruimus.

FESTINAT. Summa celeritate adferendam opem accurrit.

INTENTO CORNV. Signat modum, quo Diana in vltionem irruerit, nempè, vt Italus quis diceret Vates,

Con l'arco teſo, e con lo ſtrale in cocca.

nam *intendo*, à quo partic. paſſ. *intentus*, idem eſt, ac vehementer tendo, ſicuti eum, obducto ad pectus neruo, in maximam, quam ferre poſſit curuaturam adducitur arcus, qui hic, per nomen *cornu* deſignatur, poſita ſcilicet materia pro re ſignata, antiquitus enim periti Venatorum ex ferarum cornibus ſimul iunctis arcum conficiebant: quem morem egregiè attigit Bracciolinus lib. 3. venatricis Eliſæ laudes ſic extollens:

Et ella, vn giorno, inſidiando, aggiunto
D'vn ſeluatico capro il correr leue,
Lui ferì dall'agguato, e, 'l fianco punto,
Paſce il ferro la vita, e 'l ſangue beue;
E, l'vn poi delle corna all'altro aggiunto,
Ne compone il grand'arco, ond'ella in breue
Diuenne arciera, e ſagittaria tale,
Che ne'l Partho, ne'l Perſe hà forſe eguale.

Simili itaque arcu inſignitam Vates oſtendit Dianam, eoq; intento ad defenſionem Proſerpinæ properantem.

NEC PATRVO CEDVNT. Non indecorum quidem fuerat pro ſorore ſorores arma vel in Patruum, capeſcere, cum aperta extaret iniuria. Sed tamen ſuperatu difficilis videtur verecundia illa, ſeù timor ille reuerentialis, quem minores erga maiores natu conſanguineos ſemper ſeruare debent obſequentes, illiſq; exhibere. Verùm id ipſum non obſtitiſſe, quia in prælium irruerent, profitetur Poeta: eo quia atrocitas criminis animos exacerbaſſet nimis, &, cauſam ſe propriam agere, arbitrarentur, vt inferiùs dicetur: ideò non dixit Vates *Nec cedunt Diti*; ſed ſignatè *Nec Patruo cedunt*, vt notet, eas nulla habita conſanguinitatis ratione, nulla debitæ in Patruum reuerentiæ, obfirmato in vltionem animo, in bellum irruiſſe. De diſiunctiua coniunctione *Nec* iam diximus ſupra carm. 148.

CEDVNT. *Cedere* plures habet, vt fatear, ſignificationes, quas longum nimis eſſet recenſere. Sumitur, hoc loco, pro *abire, & locum victori dare*. Victor erat Pluto, cum Prædam ex orbe abueheret Iouis, & quidem Iouis filiam, obſtantibus ſororum armis &c. Nouerant itaque Victorem, & Patruum illum nouerant, ſed & contra Patruum vim vi repellere licere non ignorabant: ideò, nec terroribus conſternatæ, nec victoriâ, qua ſuperbiret raptor, deterritæ, nec reuerentia in Patruum motæ, reſiſtunt prædam agenti neq; vt Nymphæ, abire, & campum victori concedere, aut locum dare, vt impunè victoriam aſportaret, ſuſtinuerunt. Ideò *Nec cedunt*

PATRVO. Qui ſit Patruus, noueris ex lib. pri. carm. 265. Quomodo Pluto Patruus ſit & Palladis, & Dianæ item patet ex dictis ibi, cum illæ Iouis filiæ fuerint, ille frater eiuſdem Iouis.

STIMVLAT COMMVNIS &c. Cauſas notat, cur Patruo non ceſſerint Deæ, ne videantur alicui, temere, ſcelerate, ac ſacrilege egiſſe, quod contra decus eſſet externum Diuinitatis.

VIRGINITAS. Quid virginitas ſit, videas lib. pri. carm. 231. Aduerte hic tantùm, non accipiendam eſſe virginitatem, ſecundùm ſe ſimpliciter conſideratam; ſed ſub ratione *læſa*, quarè idem eſt, ac ſi dixiſſet *læſa virginitas*; ſeù *virginitas, cui iniuriam inferre perſpiciebant*, quæ tamen reticet per Synecd. Vates, cum ſatis ex ipſo emicent contextu.

COMMVNIS. *Commune* dicitur quod multorum eſt, ſeù quod ad plures pertinet, aut in pluribus eſt; quarè *commune* dicitur, quaſi *vſdem plures addicunt munus*. Et aduerte abſtractum hic poſitum pro concreto; nam Pluto non violabat virginitatem in communi, ſed virginem, nempè Proſerpinam, in qua eſſet forma virginitatis. Sed ponitur tamen *virginitas* in abſtracto, vt iure poſſit dici *communis*. Quaſi innuat Poeta, graue quidem Deabus, ac moleſtum fuiſſe crimen, quod ab illis amicam, ſociam, ac ſororem diuelleret; ſed, etiam præſcindendo ab hoc, quod crimen eſſet contra talem numero perſonam, non fuiſſe illud ferendum, eo quod vim inferret virginitati, quæ, quocumq; tandem in ſubiecto reperiatur, veneranda eſt, atq; aduerſus violatores acriter defendenda. Ratio igitur iam præcisa, & abſtracta virginitatis, læſa a Plutone, oberrabat ante oculos mentis, ita vt poſthabita ratione indiuiduali, quam a ſubiecto deſumeret, ſecundùm rationem ſui præciſam, & animos incitabat ad iracundiam, & vires ad vltionem, in violatorem ſui exercenda concitabat. At quia virginitas ſic abſtracta induit rationem generis vniuerſalis, in quo omnes, ac ſingulæ virginitatis formæ continentur, quæ in vnaquaq; virgine reperiuntur: ideò & *communis* iure dicitur, & *vniuerſalis*, cum de ratione vniuerſalis ſit, vt ſit *vnum in pluribus*; *vnum* per abſtractionem; *in pluribus* per realitatem, vt nos fuſe docuimus in Logicis. Quoniam autem quod prædicatur de includente, prædicatur & de quocumq; incluſo in ipſo genere includente, iuxta Phyloſoph. effatum *dictum de omni*; hinc eſt vt, læsâ virginitatis ratione abſtractâ, iniuria in illam collata redundaret quodammodo in omnes partes generis, nempè in omnes virginitatis formas, quæ in vnoquoq. indiuiduo reperirentur. Cum itaque & Pallas, & Delia Virgines eſſent, ea intacta, qua decorabantur, forma virginitatis, certè iniuria Proſerpinæ illata, in illas ipſas redundabat, ſecundùm rationem violatæ virginitatis in abſtracto: licet propria earum in concreto non violaretur. Ideò virginitas communis communem reddebat iniuriam; atq; ideò iure, quaſi in defenſionem propriæ cauſæ virgines obarmauit, ne pudicitiam raptorum inſidijs impunè expoſitam æquo ferentes animo viderentur in eamdem violandam conſentire. Ideò *Communis virginitas*

STIMVLAT IN ARMA. *Stimulare* idem eſt, ac *ſtimulis*, ſeù *ſubditis calcaribus concitare*; ſimilitudine ab equeſtri arte deprompta; quia, dum calcaribus aguntur equi, toto illi feruntur impetu, ac, ſpretis periculis, quæ forte curſui obijciantur, quo aguntur, præcipitant. Stimulat itaq; communis virginitas, quia præacutis quaſi acuminibus cor ipſum lancinat, & vrgens cogit, vt non deſeratur inulta, & *ſtimulat in arma*; hoc eſt in prælium armis gerendum. Quod ſi plura de armis cupias, relege dicta in antea ctis carm. 142.

ET CRIMEN &c. Cauſam cauſæ ſuperaddit copulans per partic. *Que* pro *Et*. Crimen verò propriè dicitur delictum aliquod, quod contra ius, vel diuinum, vel humanum

per-

perpetretur. Alia itaque ſunt crimina priuata, alia publica, & certe priuata publicis minora. Iterum crimina priuata alia ſine infamia ſunt, alia cum infamia, & hæc illis maiora. Publica pariter alia ſunt capitalia, alia non; & ſecunda primis minora. Perpendendum igitur, quodnam fuerit Plutonis crimen, de quo hic; & quod adeò Dearum animos concitauerit. Inter crimina capitalia publica hæc præcipuè fuerunt, recenſita: Inceſtus, & vis duplex, nempe & ea quæ in Rempublicam exercebatur, & ea, quæ in priuatum Ciuem graſſaretur. Quo poſito. Cum, quæ Veneri, ac Plutoni Iupiter permiſiſſet, Virgines Diuæ ignorarent, iuxta earum exiſtimationem, crimen publicum capitale perpetrauerat Pluto: primò quidem quia vim intulit Virgini, dum rapuit: ſecundo quia rapuiſſe cenſebatur inceſtuoſus: tertiò quia, cum in Iouis filiam auſus fuiſſet, crimen erat læſæ maieſtatis, quod maxime, inter crimina publica capitale erat. Augebatur ex circumſtantijs crimen, quia in conſpectu totius Orbis, peſſimo exemplo, & cum infamiæ nota, vt putabant, gerebatur; ideo crimen abominandum prorsùs, deteſtandum, ac capitali ſupplicio, earum exiſtimatione puniendum, nil mirum ſi tantas meritò ſuſcitauerit iras.

FERI RAPTORIS. Indicans cuius fuerit crimen, quod etiam, & cuius generis fuerit, hic explicat; nempe raptus virginis ad inceſtum per vim, vt putabatur &c. ideo *Feri*. Sicut fera, ſic *ferus* a *feritate* dicitur; & idem ſonat, ac *immitis, immanis, atrox, crudelis*. Quarè ex adiuncto crudelitatis crimen adauget. *Raptor* autem anthonomaſticè hic dicitur Pluto: nam de raptoris nomine ſatis dictum initio lib. primi.

ACERBAT. Subintellige *Dearum animos, & iras*. *Acerbare* autem idem eſt, ac *acerbum reddere*, ideſt *exaſperare*, & *immitem, ac crudelem efficere*: nam quo pluris illæ pudicitiam faciebant, eo magis indignitate rei mouebantur, atq; atrociùs crimen videbatur; ideoq; acerbat adeò, vt nec Patruo cedant &c.

ILLE VELVT STABVLI &c. Quo contemptu Dearum iras exceperit Pluto, exarat iam Vates: & à ſimili ducta amplificat hyppotipoſi.

ILLE. Pronomen hoc, tertiæ demonſtratiuum perſonæ, emphaticè hic ponitur ad Plutonem deſignandum, quaſi dixerit. Ille tot criminum infimulatus, tantis iracundiæ incendijs expoſitus, tot armis laceſſitus; ille ferox; ille virginitatis violator, ac virginis raptor, eodem ſe pacto habet, eumdem gerit morem, eo vultu, eo habitu conſpicitur.

VELVT. De hac particula aſſimilatiua diximus ſupra Carm. 163.

LEO. Similitudinem, qua oſtendat imperturbabilitatem Plutonici animi, atq; eiuſdem in irruentes Deas contemptum, à Leone deſumit, qui, rapta, voratáq; Iuuenca, accurrentium in vltionem paſtorum iras, non intrepidus modò, ſed etiam cum faſtu contemnit. Porrò de Leonibus, eorumdemque natura, feritate, atque animi magnitudine ſatis dictum lib. pri. carm. 210.

CVM POSSEDIT IVVENCAM. Aduerb. temporis *est cum*, idem ſonans, ac *quando*. De verbo *Poſſideo* diximus ſatis lib. pri. carm. 28. Hic idem ſonat, ac potitus eſt, ſuáq; habuit in poteſtate, cum ex armento violentus rapuerit &c. Pariter quæ ſit Iuuenca, iam vidimus lib. pri. carm. 198. quod enim ibi de maſculo dicimus, proportionaliter & fœminæ applicandum. Sed, vt cernas, quam bene ſibi cohæreat, hac ſua ſimilitudine, Vates, memineris, inferorum raptorem paſſim, in ſacris etiam litteris, leonis nomine denotari, & videbis optimam illius eſſe cum leone comparationem. *Cum poſſedit*, inquit, ſupponens ſcilicet raptam, vt dicebamus, quam in ſua jam habeat poteſtate, ſic enim & Pluto raptam in ſua poteſtate habebat Proſerpinam, cum Dearum iras deſpiceret. Ex Iuuenca autem ſimilitudinem Proſerpinæ deſumit, quia iam illam vitulæ comparauerat lib. pri. carm. 127. Et quam iure videas ibi. Num magis parallela decurrere potuit comparatio?

DECVS STABVLI, ET ARMENTI. A pulchritudine Iuuencæ, quam hic memorat, cauſam attingit, cur & leo, præda ſua contentus, iras, minaſq; negligat paſtorum, & etiam ab eadem cauſa iras inſequentium non leues indicat: quæ omnia certe etiam Plutoni rapienti, ac Deabus raptæ in ſubſidium accurrentibus quadrant aptiſſimæ, permutatâ tantummodo rerum proportione: Nam Proſerpina pulchritudine inſignis erat, cum fuerit in anteactis Deliæ, ac Palladi æquiparata.

Nec membris, nec honore minor, potuitq; videri
Pallas ſi Clypeum ferret; ſi ſpicula Phœbe.

immò etiam lib. pri. eiuſdem pulchritudinis excellentiam oſtendit Vates, cum Deos illius amore inflammatos, ac decertantes oſtendit.

Perſonat Aula procis: pariter pro Virgine certant &c.

quarè cum Pluto, quam Leonem eſſe vidimus; rapientem, tam venuſta præda potitus fuiſſet, nil mirum, ſi territantes, minitanteſque flocci faciat Deas, quas paſtorum ſymbolo aptiſſimè deſignat Vates, cum viderimus, eas, lib. pri. nuper cit., ad Proſerpinæ cuſtodiam, quatenùs tali illa non ignoraſſet, aut renuiſſet vti cuſtodiâ, ab ipſo Ioue Patre iam datas; Paſtoris enim eſt gregem à graſſatoribus immunem tueri.

DECVS. Idem id eſt, ac honor, ſplendor, pulchritudo, venuſtas. Eſt autem ſubſtantiuum Iuuencæ appoſitum, quam, quaſi anthonomaſticè, *Decus ſtabuli* vocat, *& armenti*; vt indicet omnium pulcherrimam à Leone raptam eam eſſe, de qua loquitur, & ex qua ad Proſerpinam deducitur comparatio, quæ pulcherrima item eſſet &c.

STABVLI. *Stabulum* a ſtando dicitur. Quarè, ſi reſpectu animalium loquamur, *ſtabula* ſunt loca omnia, in quibus armenta, gregeſque conſiſtunt, veluti quædam ſtationes animalium. Si enim ſpecialiter loquendum ſit, locus in quo equi aſſeruantur, *Equile* dicitur; in quo Boues, *bouile*; in quo oues, *ouile &c.* Si verò loquamur, præſcindendo a brutis, ac rationabilibus; ſtabulum, vt diximus, a ſtando dicitur quilibet locus vbi ſtatio collocetur; atq; adeò ſtabulum dicitur etiam locus, in quem longo itinere defeſſi ſuccedere ſolent, qui & *diuerſorium*, & *hoſpitium* ſolet appellari. Artificioſe igitur Vates vſus eſt nomine *ſtabuli*, quippè, cum illud ſit in vtramq. partem communicabile, aptum etiam eſt, vt in vtramq; comparationis partem deflectatur: nam, ſi *ſtabulum* raptæ a Leone iuuencæ applicetur, eam fuiſſe *Bouilis decus* indicabit, idem enim ac Bouile erit: ſi ad Proſerpinam deflectatur, veniet nomine *ſtabuli* tota Siciliæ inſula, quæ diuerſorium illud fuit, in quod cum Cerere Matre Proſerpina ſucceſſit tunc cum Æthera deſeruit &c. vt vidimus lib. pri. Iuuenca igitur *decus ſtabuli*, hoc eſt *Bouilis*; Proſerpina verò *Decus ſtabuli*, hoc eſt Siciliæ, in qua ſtationem poſuerat, & pulcherrima omnium adſuit Incolarum.

ET ARMENTI. Armentum, vt Feſto placet, id genus animalium dicitur, quod eſt idoneum ad armorum opus: in quo ſenſu equi tantum, ac boues armenta dici poſſent: Equi ſanè, quia equis in bellum deferuntur armati; Boues verò, quia eorum corio Clypei muniebantur. Varonis autem ſententia fuit, Boues armenta vocari, quaſi *Aramenta*, tertia littera per ſyncopen ſublata; quod eorum præcipuè opera vtantur in arandis aruis agricolæ. Hæ tamen acceptiones huius nominis *Armentum* ita intelligendæ ſunt, vt, in toto rigore loquendi, proprietatem nominis ſectentur; nam, minùs rigoroſè loquendo, inter armenta enumerantur animalia omnia, quæ grandiori corporis mole prædita cernuntur. inter Greges verò, quæ minora ſunt: licet & *Grex* interdum de omnibus cum aliquo tamen addito dicatur, quaſi Grex nomen genericum ſit, ac per differentias contrahendum ad ſpecies: Armentum autem ſpecificum ſit, ſub *Grege* contentum. Hic Vates *Armentum* accipit iuxta Varonis interpretationem. Sed dicet quis fortaſsis, deturpatam hic à Poeta comparationem ſuam, quæ cum parallela huſuſq;, vt vidimus, decurrat, deficit tandem, vbi nil habeant Armenta cum cæteris fœminis, quarum decus Proſerpina dicatur. Memineris tamen, exempla non debere pari omninò paſſu procedere, alioquin non exempla eſſent, ſed idem; atque adeò nulla eſſet comparatio, cum nihil ſibi ipſi comparetur; nulla ſimilitudo; cum ſimilitudo ea ſit, quæ aliquid ad rem quampiam traducit ex re diſpari ſimile, vt loquitur Suar. Rhetor. pri. Appoſitè igitur Vates hanc particulam, *& Armenti* appoſuit, quæ Proſerpinæ congruere non poſſet, vt oſtenderet, ſe, ex re diſpari ſimilia traducentem, per ſimilitudinem loqui, non autem per identitatem; nam certè Iuuencam non facit Proſerpinam, ſed a Iuuenca quid ſimile ad Proſerpinam, vtiq; diſparem, traducit. Quod ſi quis mordicùs vellet, & huic nomini applicationem impertiri (quod tamen ad rem non eſſet) memineris, Spadonum, fœminarumque, ac puerorum cætus ab auctoribus ſæpè Gregis nomine deſignari, dum dicunt: *Spadonum greges; fœminarum greges &c.* in contemptum ſcilicet eorumdem imbecillitatis; gregem autem, vt dix., genericum nomen eſſe, cui ſubſit armenti ſpecies; atque adeò potuiſſe, hoc nomine, Vatem etiam Siculas fœminas deſignare. Improprium tamen, repeto, eſſet; & tanto nequaquam dignum auctore.

ET FODIT. Aliam, per particulam coniunctiuam *Et*, priori ſubnectit cauſam, cur Leo, licet hoſtiles ingruant impetus, prædam non deſtituat, etiam ſi nondum penitus vorauerit; ſed intrepidus minas negligat; vt, ſimili de cauſa, oſtendat Dearum minas à Plutone neglectas. Cauſa autem quæ ſubnectitur hæc eſt, Iuuencæ nempè ſanguis, à Leone deguſtatus: eam enim Leonis naturam eſſe ferunt, vt quoadusque ſanguinem non guſtauerit, facile poſſit à deſæuiendo abſtinere: at verò, ſi ſanguinem guſtauerit, eius dulcedine, ita in illius amorem exardeſcat, vt nulla vi ab eo, ad extremas vſque guttas, hauriendo diuelli poſſit. Ideò cauendum ſedulò, inquiunt, illi, qui Leonem edomuerit, ſibiq; habeat obſequentem, ne nudas manus Leoni adblandienti lingendas permittat; nam Leonis lingua, cum ſcabra admodum ſit, lingendo, facile ſanguinem eliciet, cuius ſi vel minimam guttulam deguſtet Leo, actum eſt de domitore; tanto enim ſanguinis guſtu impellitur huiuſmodi animal, vt nulli cedat, cum ſanguinem guſtauerit. Ideò *& fodit*. *Fodere* idem eſt, ac, vt alibi diximus, *excauare*. Hic ponitur pro eodem ac *ferio*. Sed quia ingentis oris eſt Leo, &, cum efferaſcit in prædam, ore ſimul, & vnguibus (qui item illi ingentes ſunt) dilaniat; ferire non poteſt, quin ingentes morſu, atque vnguibus, excauet cauitates: & eſto ſolis vnguibus feriret, adhùc eadem militat ratio, vt infra; ideò *fodere* dicitur; ex quo antecedenti intelligendum eſt conſequens, nempe ſanguinis libatio, quæ certè ex ipſa ſequitur foſſione. Quod autem ad ſimilitudinem, in textu adductam, pertinet, aduerte, non comparari hic lanienam cum laniena: neque enim dicitur Pluto Proſerpinam dilaniaſſe; ſed tantùm captæ prædæ dulcedinem cum dulcedine comparari; ſicuti enim Leoni dulciſſimum eſt raptæ Iuuencæ ſanguinem, laniatis è viſceribus, ingurgitare; Sic Plutoni, feruidiſſimo iam raptæ Proſerpinæ amatori, dulciſſimum erat, ſtricto amplexibus amato pectore, præambulas nuptijs dulcedines delibare.

PECTORA NVDATA. *Viſcera*, non *Pectora* legit Heinſius. Sed nil immutandum cenſui; cùm immò plures ſenſus lectio hæc noſtra amplectatur, quam Heinſiana, & hæc ipſa tandem nobiſcum coincidat. *Pectus* itaque *anterior pars* animalis eſt à gula ad ventrem vſque. Et *pectus* dicitur, quaſi *compectus*, nam coſtis, quæ firmamenta pectoris ſunt, quaſi oſſea compage circummunitur. Hoc hominibus tantùm latum eſt; cæteris verò animalibus carinatum. In hoc præcipua vitæ ſedes; ideòq; Leones, cum, rapta ab ipſis, animalia dilaniant, hanc præcipuè appetunt partem; tùm quia ſic citiùs perimunt reſiſtentia; tùm quia in hac parte dulciores, ac delicatiores epulas reperiunt, cum ibi ſit cor, iecur, pulmo &c. Ideò *fodit pectora nudata*. *Nudatus* particip. præt. temp. paſſ. eſt à verbo *Nudo*, quod eſt *nudum facio*, ſpolijs ſcilicet detractis. Quo poſito: tunc nudari dicetur pectus Bouis, cum corium, quo tegebatur, detrahitur. Quare ſi *pectus* ſumatur in hac poſita ſignificatione, *nudata* idem erit, ac *diſrupto, detractoq; corio* laniatui iam patentia. Dixi, ſi ſumatur in poſita ſignificatione; nam non inficior nomen illud *Pectora* poſſe vſurpari, in ſenſu etiam translato; ita vt continens pro contento ſumatur; & ſenſus ſit: *fodit pectora*, ideſt *extrahit è pectore iam aperta viſcera*, iuxta intelligentiam Heinſij cit.; quæ explicatio, & acceptio non modò non eſt à Poetico ſenſu aliena, ſed immò magis, ac magis oſtendit, quàm altè inſederit Leoni, in raptam Iuuencam, poſſeſſio illa, quam ſupra innuerat Vates, per verbum *Poſſedit*. Quod ſi in hoc ſenſu ſumatur nomen *Pectora*; tunc particip. *nudata* idem erit, ac *diſcerpta*, ideſt, detracta iam carne, ac fractis oſſibus patentia: ſicuti eodem verbo *nudandi*, in hoc eodem ſenſu vſum nouimus Virg. Æn. primo, vbi ait:

Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.

vbi verbum *nudant*, pro *diſcerpto pectoris munimento extrahunt* patentia iam viſcera, interpretes communiter accipiunt. Vtramq; autem ego explicationem innuere volui, vt, cùm vtraque textui conſonet, liberum ſit vnicuique, quam maluerit, ſequi. Inſuper *Nudatus* interdum accipitur pro *indefenſus*. Atque hunc ipſum ſenſum iomente Vatis extitiſſe, non ambigo; nam, licet paſtores accurrant, nihilo ſeciùs interim Leo vorat, & poſſidet; atque adeò nulla vi præda defenditur à Leone poſſidente: quod optimè per ſimilitudinem ad infortunium Proſerpinæ transfertur, quæ indefenſa abripitur à Plutone, & licet accurrant Diuæ, non eam tamen Dearum arma vindicant in libertatem.

VNGVIBVS. Ea vngue Leonem agnoſcendum, præcepit communem effatum; vt ſcilicet intelligamus, Leonem, ſuper omnia animalia, vngues habere inſignes, & qui, ſi in plagas euibrentur, latiſſimum profectò vulnus aperiant. Ideò *fodit vnguibus*.

ET EXEGIT RABIEM. Tertiam adnectit cauſam, cur Leo, qui prædam, quam rapuit, vorauerit, Paſtorum negligat iras, licet armis inſonent illi; quia videlicet, voti compos factus, nouit, prædam, quam vorauerit ſibi eripi non poſſe: poſſedit enim, & exegit &c. Verbum eſt *exegit* compoſitum ab *ex*, & *ago*, idem ſignificans, ac *extra ago*, & *alio ire compello*. *Exegit* itaque rabiem, vulgò *sfogare*, ideſt eiecit à ſe rabiem, &, carnibus Iuuencæ ſaturatus, non ampliùs fame affligitur; immò vires inde aſſumpſit, ad debellandos, ſi opus fuerit, paſtores. Nota autem hic obiter gradationem: *Poſſedit: fodit vnguibus pectora: & exegit rabiem &c.* ex cuius additi nominis intelligentia, exactior illius verbi *exegit* perceptio dependet; neque enim ſatis explicari potuit verbum *exegit*, niſi, quid exegerit, adderetur. Eſt itaque *rabies* quidam veluti furor, quo animantia ea ardeſcunt, atque ad aliquid crudeliter agendum compelluntur. In rabiem autem feræ pluribus de cauſis concitantur. Sed hic non ſumitur *rabies* pro morbo illo, quo canes affici ſolent, ardente Syrio: nec pro vemehenti aliqua irarum concitatione, quæ feras in rabiem agat; ſed ſumitur pro *fame*, quæ cum apertè *rabida* vocetur a Virg. Æn. 6. vbi de Cerbero, cui offam obtulerit Æneas, inquit:

Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam
Obijcit: ille, fame rabida, tria guttura pandens &c.

ſequitur, vt in rabiem agat eos, quos ſua exagitet macie. Inſuper *rabiem* diximus furorem quemdam eſſe, & furialem deſcribit famem Ouid. Metam. 2, vbi, Eriſichthonis famem delineans, ſic ait:

Vt verò eſt expulſa quies, furit ardor edendi
Perq; auidas fauces, immenſaq; viſcera regnat.

Sed optas videre famem, in rabiem formalem conuerſam, & tabidum, & furioſum efficere, quem premit? Audi Ouid. de eodem ibidem.

Vis tamen illa mali, poſtquam conſumpſerat omnem
Materiam, dederatq; graui noua pabula morbo,
Ipſe ſuos artus lacero diuellere morſu
Cœpit, & infelix, minuendo, corpus alebat.

Quamnam rabiem fame iam deteriorem expectas? Scio equidem, Ouid. loqui ibi de fame prodigioſa, non de naturali; atque inter prodigioſam, & naturalem hoc intereſſe, quòd prodigioſa inexplebilis ſit; naturalis verò explebilis: Sed hoc non officit, quia fames naturalis *rabies* dici poſſit, ideſt furor quidam, quo famelicus ad conquirendum impellitur cibum, ſi præcipuè longa fuerit inedia maceratus; nam tunc, quo ad impetum, & vellicationem, ſeu corrugationem ventriculi à fame conſtricti, etiam naturalis interdum ad prodigioſam accedit. Sed quid in re nota iam immoror? Nonne etiam in communi ſermone, cum ingentem in aliquo appetitum cibi oſtentare, intendimus, nos Itali dicimus paſſim; *Egl' è rabbioſo di fame?* Iure igitur Vates leoninam famem anthonomaſticè *rabiem* appellat, quam exegiſſe dicitur Leo, quia, dum cibo repletur, & extenditur ventriculus à fame antea corrugatus, dicitur fames foras exegi, quia ceſſat illa, in ventriculo, moleſta ſenſatio, quæ ex eiuſdem corrugatione oriebatur, & quæ ipſa formaliter fames eſt, atque adeò diſceſſiſſe, atque aliò abijſſe videtur.

IN TOTOS ARMOS. Voracem appellat famem Quintianus. *Au ſemper Orci faucius vorax fames &c.* ideò Poeta hic, Leonem ait famem exegiſſe in totos armos, quia raptam vorans Iuuencam eieciſſe, cum dictus ſit ex proprijs viſceribus famem, aſſignandus erat locus, in quem fames ipſa tranſmigrauerit: *Armos* itaque Iuuencæ aſſignat; quaſi fames, ex Leone in Iuuencæ cadauer tranſmiſſa, ipſa eadem, non Leo, vorauerit quidquid carnis aderat, ita vt vix oſſa, & quidem craſſiora, ac duriora remanſerint, in quibus ea ſaturata iam manſerit fames, Leonem à vexatione liberum relinquens. Alludit autem Vates, per huiuſmodi locutionem, ad fabulas Poetarum, qui famem dixerunt animal eſſe Erebi, & noctis filiam: quo poſito, nil mirum, ſi & de loco ad locum tranſmigrare, atque epulas illa eadem vorare dicatur, non ille qui famem patitur; nam ille iam non ſibi vorat, ſed fami in ſe ipſo reſidenti, ſeu potiùs à ſe eijcit famelicus in eſcas famem, vt in illis detineatur, expleaturque. Hic autem modus loquendi maximè comprobat famem rabiem eſſe; nam, ſi quis rabidus, vel furioſus aliquid crudeliter agat, v. g. vel filium, vel ſe ipſum dilaniando; dicere ſolemus, ignoſcendum illi eſſe, quia non ipſe, ſed furor, & rabies lanienam fecerit. Sic itaque & Claud., famem a

Leone

Leone in armos Iuuencæ immiſſam dicit, quaſi non Leo, ſed fames Iuuencam exſſauerit, ideò *exegit in totos armos*. *Totus* adiectiuum eſt quantitatis, quod integram, vniuerſamque alicuius rei quantitatem notat, & quaſi menſitatione quadam claudit, & adæquat, ideo *totos*, quanti ſcilicet erant, Armos. Porrò *armus* ea pars eſt, quæ *humerus* dicitur: ſed *armus* ab *humero* differt ex eo, quod *humerus*, propriè loquendo, hominis tantum ſit, Armus verò brutorum. Hic ponitur pars pro toto, nempe armus pro partibus omnibus ſolidioribus corporis, ita vt vix oſſa, vt dicebamus, remanſerint; nam certè Leonis fames, quæ rabies fuerit, nedum rabida, dimidiatâ Iuuencâ ſaturari non potuit. Sed quoniam de fame tanquam animata, ac voracitatem exercente hic agitur, non incongruum duxerim eiuſdem hoc loco deſcriptionem exarare ex Ouid. cit. Metam. 8. decerptam, quò magis pateat, quàm iure rabies dici poſſit:

Quæſitam Famem lapidoſo vidit in agro,
Vnguibus & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Oſſa ſub incuruis extabant arida lumbis;
Ventris erat, pro ventre, locus. Pendere putares
Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri;
Auxerat articulos macies: genuumq; tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

ſed nos abdicata iam fame ad Leonem interitum regrediamur, vt ex illo infernum proſequamur raptorem.

STAT TVRPIS SANIE CRASSA. *Stare* propriè ſignificat *pedibus ſolidari, & ſua ipſa mole conſiſtere*: habitus autem *ſtantis* habitus illius eſt, qui ad aliquid agendum accingitur, ſed opportunitatem expectat agendi. Sic Virg. Equum Didonis, ad Reginam excipiendam paratum, deſcribens ſic ait Æn. 4.

Stat ſonipes; ac fræna ferox ſpumantia mandit.

immò *ſtantis habitum* pro ſolo habitu in operationem intenti, occaſionemq; captantis operandi, ponit idem Virg. Æn. 2. vbi ſtricto in ictum ferro habitum ſtantis attribuit, hæc dicens:

. . . . . . *Stat ferri acies mucrone coruſco*
Stricta parata neci.

Huiuſmodi itaque habitum & Leoni ſuo Vates attribuit, vt oſtendat eum, nec terrore compulſum, nec fugas meditantem; ſed potiùs, contemnenti ſimilem, aggreſſores expectantem, vt data occaſione

Sol di ſe ſteſſo, e non d'altr' armi armato.

irruat, & diſſipet, ſi pugnam auſi fuerint conſerere; dum autem addit *turpis ſanie &c.* horribilitatem leonini rictus adauget ab adiuncto accidentali, quo ſcilicet, recenti ſtrage ferox adhùc, mortem ſpirare videatur: *Turpis* enim hic idem eſt, ac *turpitate deformatus, horrens, aſpectuq; terribilis*. *Sanies* autem *ſanguis* propriè *corruptus eſt, nec dum ad Puris albedinem, craſſitudinemq; coactus*; ſed, quia ſanguis huiuſmodi corruptus atro admodum colore inficitur, transfertur *sanies* ad ſignificandum atrum quemcumque ſanguinem, licet non omnino corruptum, & in hoc ſenſu vſurpatur à Vate hic: & additur *craſſa*: nam craſſum dicitur quidquid quaſi coagulatum conſpicitur denſitate: quare idem eſt hic *craſſa*, ac *circa oſſium* concreta. Ex quo vides quantum augeatur horriditas.

ET EXCVTIT NODOS IVBARVM. Signum iraſcentis Leonis hoc eſt, vt vidimus lib. 1. carm. 511. quare ex hoc ſigno magis adhùc terribilitatem Leonis amplificat; nam ignem ſpirare, ſi ira æſtuent, Leones videntur. Sanguineo itaque mortis vexillo, quod ore referebat Leo, vt diximus, aliud concitatæ in ſtragem iracundiæ vexillum copulat per coniunctiuam *Et*; quod vexillum Leo ipſe ferociter explicaret: *Et excutit*. *Excutio* verbum compoſitum ab *ex*, & *quatio*, idem ſonat, ac *vehementer quatio*, quo verbo vtitur etiam Virg. Æn. 12. in iraſcentis Leonis deſcriptione.

Tum demum mouet arma leo, gaudetq; comantes
Excutiens ceruice toros &c.

vt vidimus loco cit. lib. 1. Imitatur itaque Vates leoninos mores; nam proprium Leonis ſeſe ad iram prouocantis eſt iubas excutere, ac villoſo verbere caudæ latera hinc inde, quaſi ſtimulis perpulſare: *Excutit nodos Iubarum*. *Nodus* non hic ſignificat *vinculum*, aut *ligationem* aliquam; ſed tantùm Leonis iubas impexas, connexaſque, ac varia quaſi in flagella cribratas. *Nodus* itaque *Iubarum* ille eſt, quem vulgò dicimus *chiocca di capelli*, *ò capelli* reſpectu hominis; nam reſpectu Leonis, quid ſint Iubæ, iam vidimus loco cit. lib. primi.

ET DESPICIT VILES IRAS PASTORVM. Sicuti, in anteactis, celeritatem, per aſſintheton, ſecutus expreſſit Vates; ſic, in præſentaneis, per polyſſintheton, quæ coniunctionibus abundat, orationem deducit, vt grauitatem, & cunctationem deſcriptæ feræ grauitate, & cunctatione dicendi comitetur. Porrò quid ſit *deſpicere* vidimus lib. 1. carm. 137. quare non repeto. Heinſius notat legi hic ab aliquibus: *Et deſpuit*, ſeù *& reſpuit*. Non renuo; ſed nil de vulgata arbitror immutandum. *Deſpicere* enim *contemnere* eſt, *& flocci facere*, quod maxime congruit feræ, quam præ manibus habemus; & cuius generoſitas talis eſt, vt Leonis corpori vilia in animalia nequaquam irruenti inſcriptum fuerit lemma: *Puſilla negligit*. Quid inſuper *ira* ſit, nouimus lib. 1. carm. 32. hic per hyppalagen pro *minis* ponitur, & *viles* eas nominat; hoc eſt *abiectas*, & *contemnendas*, quaſi nullius ponderis; nullius momenti ſint: quod tamen intellige, non ſimpliciter, ſed reſpectiuè; nam quamuis ingentes fuerint paſtorum iræ, ingentique apparatu cæteris quibuſque feris formidandæ irruerent in prælium, ideòq; iræ fuerint ſecundùm ſe terribiles; Leoni tamen viles, ac nullius momenti eſſe viſæ ſunt, quia minæ Paſtorum Regem belluarum nequaquam territare potuerint. Paſtores verò à paſcendo dicuntur, qui curam habent armentorum; ideò appoſite raptam Iuuencam vlciſci meditantur Paſtores.

Deſiderari hic fortaſſis videbitur ſimilitudinis applicatio. Verùm memineris, eam, quantum ſatis eſt, contineri in illis primis particulis: *Ille velut*; vt ſupra explicuimus. Sed dicet quis fortaſſis: Correſpondent quidem ſibi inuicem comparata vſque ad locum, vbi Leo rabiem dicitur exegiſſe in totos armos; ſed non deinceps; nam Proſerpinæ raptor exegiſſe rabiem in Proſerpinam dici non poteſt, cum nec famelicus eam vorauerit: nec odio incenſus, ſed amore rapuerit, conſeruandam ſibi, nuptam, non laniandam. Verùm hæc ipſa facile diſſolues, & concordabis, ſi memineris, & famem *amorem* eſſe, nempe *amorem cibi*; & amorem maris in fœminam *furorem* dici à Seneca, & rabiem nimiò in medullis accenſam igne efferueſcente.

Labitur totas furor in medullas
Igne furtiuo populante venas.

Quod ſi clariùs cupias agnoſcere cuiuſnam generis furor Amor ſit; ad furorem, ac rabiem, de qua, in ſua ſimilitudine, meminit Vates, nempe ad famem inexpletam reuocandum, minime dubitaueris, ſi ea Cauſino de Eloquentia lib. 8. cap. 18. noueris, Amorem nil aliud eſſe, quam *Appetitum boni pulchri*: ad quod alludens Statius lib. 3. ait:

Ardet inexpleto ſaui Mauortis amore.

Inexpletus itaque *appetitus boni pulchri* eſt amor: & *inexpletus appetitus cibi* eſt fames. Quare ſicuti *fames inexpletus epularum amor eſt*; ſic *Amor inexpleta boni pulchri fames* dici propemodum poteſt, quæ ſi nimium excreuerit, & exarſerit, breui furorem induit, & rabiem. Amans igitur ſi Amaſiam rapuit Pluto, eamq; ſtrictis poſſidet amplexibus, iam totos amatoriam famem exegit in armos, vt dictum de Leone eſt, licet Leo vorauerit, non Pluto; ex eo quia *expletus amor* non vlteriùs appetit, cum iam, quod appetebat, poſſideat. Stat itaque & ipſe, vt Leo, poſſeſſione gaudens Iuuencæ, quam ſibi non metuit eripiendam: & ſi turpis ſanie dicitur Leo, tantummodo ad augendam dicitur rictuum terribilitatem: Quarè iam & terribilitas terribilitati comparatur, nam de Plutone legimus lib. pri.

Aſperat & diræ riges inclementia formæ.

quapropter non fuit hic iterum eius terribilitas amplificanda, cum iam nota ſupponatur; quæ procul dubio, cum hoſtilibus armis impetitur, magis adhùc riguiſſe credenda eſt. Vlteriùs. Leo in ſignum feritatis non minus, quam contemptus in hoſtiles turbas concepti, excutit nodos Iubarum? Pluto, contumelioſa capitis motatione, incultam quatiens cæſariem, & ruentes contemnit Deas, & concepti furoris erigit ſignum: nam, motatione capitis hæc duo innui, ſatis experientiâ ipſa compertum eſt. Viles habet Leo Paſtorum iras? Viles, ſibi ſi comparentur, exiſtimat Pluto minas Dearum, & arma, quæ cur paſtoribus aſſimilentur iam dix. ſupra.

Sed, ne tot irarum fluctibus deturbemur, quid nobis hæc myſticè innuant, perueſtigemus morales.

Diffugiunt Nymphæ rapitur Proſerpina curru,

(antecedentia enim carmina quid portendant, in præcedenti lectione, ſatis explicuimus) diffugiunt, inquam, Nym-

Nymphæ. Proh' infęlix morientium ſtatus, ſi ab infero rapienda leone Proſerpina, anima videlicet ſit. Terroribus Cælum Animæ completur; exorbitant potentiarum aſtra &c. vt in præcedenti vidimus; terra corporis peſtifero mortis halitu inficitur; Aer, nempè ſpiritus intercluſus, peſtilentiori aduenientis raptoris halitu imbuitur; ac totus tandem infęlix patiens hoſtili funeſtatur aduentu, millies moriens, antequam ſemel animam exhalet. Et diffugiunt Nymphæ; nam mundi illecebræ longè fugiunt; adulatrices turmæ recedunt longè; ſecedunt &, quos chariſſimos habuit moriens; amiciſſimi quiq; fidem viarum imnant, & quem priùs ſecuti fuerant, ſummo in agone conſlitutum, deſtitutum relinquunt. Remanent quidem Paſtores, & adſtant, Sacerdotes nempè, quibus cura demandata eſt animarum, & probè Dij in terris dici poſſunt, cum ipſa infallibilis veritas Deos illos nuncupauerit: *Ego dixi Dij eſtis*: adſtat Angelus animæ addictus cuſtos; adſtat Diuus tutelaris: ſed rapitur Proſerpina curru. Concurrunt Sacerdotes ad arma Eccleſiæ; & totis viribus raptori obſiſtere conantur: nititur cuſtos Angelus: nititur tutelaris Diuus, vt raptorem arceant à Præda: ſed viles Paſtorum deſpicit iras Raptor; non quia viles ſint in ſe ipſis; nam immò Tartareis ſemper potentijs ſunt formidandæ; ſed viles, quia eas nos ipſi eneruauimus, dum vitam agentes, Eccleſiaſticos ritus paruipendentes, cuſtodes noſtros deſpicientes, ſacra contemnentes auxilia, ac monita poſthabentes, ſpernenda hæc omni raptori nos ipſi effecimus; ideoq; quidquid nunc in defenſionem Proſerpinæ noſtræ moliantur, incaſſum, culpâ noſtrâ moliuntur, &, fluxos, quos maledilexit, flores etiam tum colligens, rapitur Proſerpina curru; motatq; caput raptor, non eripiendam ſibi prædam, quam iam poſſideat, & in quam totam exegit rabiem, certò ſciens, cum rebus, Eumenidibus tantùm ſacris, operam dantem inuenerit. Faxit: Faxit Deus, vt, ad hæc reſpicientes, fugam, non in Sabbatho, à tam atroci raptore meditemur; ne quando rapiat, vt leo animam noſtram, & non ſit qui eripiat. Verùm, ne, in morte recenſendâ, mortui prorsùs ſtylo videamur, acerba hæc funera Italicis lugenda, ſi fieri poſſit, Muſis commendemus.

Mà 'l fiero, i moſtri à flagellar s'incurua;
E le briglie la man rauuolge, e ſcuote.
L'aſpra ſpina dorſale all'hor s'acerba
De l'empie belue al carreggiar le ruote:
Ne da lampi del Sol più ſi ricurua
L'abbagliata pupilla; ou'ei percuote:
Onde, quaſi balen, s'auuenta, e riede
Nel ſentier primo impetuoſo il piede.
Non così dalle balze al Ciel vicine
Gonfio torrente al pian rapido ſcende
All' hor, che, ſouuerchiando ogni confine,
L'vrne d'Acquario à ſoſtenere, apprende:
Non così vola ad apportar rouine,
L'haſta lanciata à chi da lungi offende:
Ne sì ratto, sù l'ali eſce dall'arco
Parthico ſtrale, à far di morte il varco.
Lento de gl'Auſtri, à paragon, rimane
L'impeto, vſato ad oſcurar le ſtelle,
Quel, che, de mari in mezz' all' onde inſane,
S'auuolge in giro, à ſcaricar procelle;
E, mouendo al nocchier guerre inhumane,
Spezza ſarte, ed antenne, arbori ſuelle;
E, fra turbini ſuoi, la naue inuolta,
S'alza; e ripiomba in ſen del mar ſepolta.
D'vna mente ſollecita, indefeſſa
Speditiſſimo pur corra il penſiero:
Precorra in mar le vele, e chi non ceſſa
Gonfiarne i lini; ò ſia del Sol foriero:
Varchi l'agilitade à lui conceſſa,
Con momentaneo vol doppio emisfero:
Che non ſia mai, ch'ei pareggiar s'affidi
Gl'anhelanti corſier dell'Etna a i lidi.
Ebri di caldo ſangue i ferrei morſi,
Sgorgan le ſpume ad infettar l'arene:
Appeſtan l'aria i fiati; e, poſta in forſi,
Vede ſua vita ogni volante; e ſuiene:
Ogni vezzo del ſuol, quaſi trà morſi
Di peſtifero drago in ſeggia viene:
Che di morte il terror ſtringe ogni vena,
Fatta l'Iſola hormai tragica ſcena.
Fuggon le Ninfe à vol, l'horrida balza,
Ch'i fieri moſtri à partorir s'aperſe,
Chi quà, chi là, doue l'horror l'incalza,
Senza legge, ne fren ſuggon diſperſe.
Sol, rapita, Proſerpina traballa
Nel nero cocchio; e, le pupille immerſe
Di pianto in Mar, mentr'ella ſtrugge; e plora
Le Diue ſuore al ſuo ſoccorſo implora.
Già la Gorgone appreſta, e l'haſta impugna
La pronta ſempre alle guerriere impreſe:
Già, teſo l'arco, in ſanguinoſa pugna
Delia s'affretta alle maggior conteſe:
S'attrauerſa già 'l paſſo; e ſi ripugna
Dalla gran copia al Predator ſcorteſe:
E i ſacrilegi ampleſſi, i baci immondi,
Voglion, ch'l ſangue à cancellare inondi.
Eſca, e focile, al rinfiammar gli ſdegni,
Il virgineo candor macchiato appreſta:
Che, ſe commune, è, che lor gloria ei ſegni,
L'onta commune, e le vendette atteſta.
L'atrocità compagna à i fatti indegni,
Le furie vltrici ed auualora, e deſta.
Ei crolla il capo: e delle Diue à i sforzi
Non è, ch'vn punto il cieco ardir s'ammorzi.
Qual poſſente Leon, che delle ſtalle
Spirò gl' honori, e di più graſſi armenti
Predò la gloria; e le carnoſe ſpalle
Di Giouenca gentil ſtringe frà denti;
Snuda il ſen, rode l'oſſa, e prouar fàlle
D'eſquiſito martir gl'aſpri tormenti;
Mentr'egli, intento al ſatollar le brame
Sbrama, ne branni ſuoi l'auida fame.
Che, s'egl'auuien, ch', à vendicarla accinti,
Dian i Guardiani, in vn momento all'armi;
Intrepido il Leone i non mai vinti
Lumi rauuolge, ond'ogn'ardir diſarmi:
Scuote l'horride giubbe; e, frà raccinti
Del ferro hoſtil, par, ch'ei ſol frema, e s'armi;
E con le Zanne ancor del ſangue horrende
L'impeto de Paſtori à vil ſi prende.

Sed, ne, cum Paſtorum audaciâ, vileſcat & noſtræ ſtylus auenæ, ad generoſiores auſus regrediamur.

Ignaui domitor Mundi, teterrime fratrum,
Pallas ait, quæ te ſtimulis, facibuſq; profanis,
Eumenides mouêre? Tua, cur, ſede relicta,
Audes tartareis mundum inceſſare quadrigis?
Sunt tibi deformes Diræ: ſunt altera Lethes
Flumina: ſunt triſtes furiæ, te coniuge dignæ.

IGNAVI DOMITOR &c. Nullis præcedentibus verbis, quæ monitorij locum obtineant, in aliquem, licet delinquentem, irruere, ac diſtrictis armis oppugnare, alienum ab ijs videtur, qui, equeſtris gloriam virtutis aucupantes, non, niſi legitimo iure belli, agendum arbitrantur. Latis igitur belli legibus cautum erat antiquitus, vt ex Liuio, alijſq, iam patet, ne cuiq; bellum inferretur, niſi priùs legitimè denunciatum:

Fratris linque domos: alienam deſere ſortē;
Nocte tua contentus abi. Quid viua ſepultis
Admiſces? Noſtrū quid proteris aduena mundū.

tum: ad legitimam autem denunciationem requirebatur, vt illi, quo cum bellum gerendum eſſet, cauſæ, ad bellum prouocantes indueuerentur. ac, ſi ꝛo Prædatores præcipuè bellum fuiſſet gerendum, erant res priùs repetendæ: quod ſi hoſtis monitus, reſipiſcere, aut res repetitas reſtituere detrectaſſet, tunc bellum illi inferri iure optimo poterat. Immò, vbi etiam inter priuatos ſimultates de præſenti exerceantur, mos idem obſeruandus, quotidiana edocente praxi, iam venit: nam & cauſæ indicandæ ſunt; &, ſi quis offenſum ſe exiſtimauerit, exprimendum, vt, qui hoſtiliter fortaſſis egit, congrua exhibita ſatisfactione, in gratiam redire poſſit. vel, ſi aliquid ſibi ex alieno vſurpauerit, reſtitutione in integrum facta, belli ſubeundi aleam euitare. Quodſi, nullis dictis, ac, non ſeruatis ritibus, bellum inferatur, Proditoris notam ſortietur, qui imparatum, hoc pacto, hoſtem, ac nil minus cogitantem aggrediatur. Ne itaque Equitis muneri deeſſet, Pallas, antequam eius in ictum libretur fraxinus, ad ſanguinem Raptoris hauriendum, ſeuera illum excitat increpatione, vt ab inceptis deſiſtens, ac prædam reſtituens, minitantem à Iugulo prohibeat haſtam. Hanc itaque, à Pallade habitam, increpationem exarat, hoc loco, Claud., ac per proſopopeiam effert elegantiſſimè.

IGNAVI DOMITOR MVNDI &c. Ex abrupto exorditur; nam in altercatione, vellicatione, & pugna, aptiſſima ex abrupto initia, præciſis exordijs, eſſe ſolent, vt docent communiter Rhetores: & ratio eſt, quia prærupta affectuum concitatio moras reſpuit omnes. Sic Cic. in Catil. ex abrupto inuehitur: *Quouſq; tandem abutere Catilina patientia noſtra?* &c. Et ſic apud Hetruſcorum Principem Poetarum exibratur Tancredi in Argantem inuectiua, Cantu 6.

Faſſi innanzi gridando: Anima vile,
Ch' anco nelle vittorie infame ſei,
Qual titolo di lode alto, e gentile,
Da modi attendi, sì ſcorteſi, e rei?
Frà i ladroni d' Arabia, ò frà ſimile
Barbara turba auuezzo eſſer tu dei.
Fuggi la luce; e và con l'altre belue,
A incrudelir ne i monti, e trà le ſelue.

non piguit integram referre inuectiuam, vt in ea videas, & adnotes imitationem Auctoris noſtri ab Hetruſco habitam paucis in rem ſua vel mutatis, vel omiſſis. Sic etiam, apud Latinorum Principem, Numanus Remulus, Æn. 9., in Troianos, his ex abrupto verbis inuehitur:

Non pudet obſidione iterum, valloq; teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En qui noſtra ſibi bello connubia poſcunt.
Quis Deus Italiam? Quæ vos dementia adegit? &c.

Sic itaque & auctor noſter affectuum motionem ſecutus, Palladis inuectiuam, ex abrupto, concinnè exorditur.

PALLAS AIT. De Pallade vide dicta lib. pri. carm. 229. Eadem autem ratione, qua primatum tenuit ſupra, cum arma capeſcerent Deæ; hic etiam loquens inducitur: *Ait*. Verbum autem eſt hoc deffectiuum, de quo vide plura apud Grammaticos: idem eſt, ac *dixit*, ſeu *inquit*; & in hoc ſenſu habetur etiam apud Virg., vt alibi ſæpè ſic Æneid. 12.

Non lacrymis hoc tempus ait, Saturnia Iuno.

DOMITOR IGNAVI MVNDI. De vi huius vocandi caſus alibi diximus; quarè vim tantùm nominis hic exprimo. *Domitor* itaque à verbo deducitur, frequentatiuo *Domito*, quod eſt *contumaces aſſiduè ſubigere, & quaſi fræno impoſito, coercere*, vel *pænas plectere, vt rebellantes non audeant ceruices erigere*: Anthonomaſticè autem, per huiuſmodi nomen, Pluto hìc deſignatur, qui cum aſſiduis pœnis, rebellantes cælo torqueat Animas, iure *Domitor* dicitur *ignaui Mundi* poſito continente pro contento. Mundus verò, græcis κοσμος, quod apud ipſos *ornamentum* ſonat, ab ornatu, quo pollet, vniuerſa hæc Mundi machina dicitur, vt alibi diſſeruimus. Sed cum hoc nomen repugnare videatur ijs, quibus inferorum regnum obuallatum vidimus, tenebris, ſitu, ſquallore &c. ideò ad diſtinctionem addidit *Ignaui*. Quid porrò ſignificet hoc nomen, videas lib. pri. carm. 97., & inde dignoſces, *mundum* hìc Ironicè appellatum fuiſſe Plutonis Regnum, additamque, in contemptum, *ignaui* differentiam; vt eo magis redarguatur Plutonis temeritas; qui loco cit. *non ignauos* dixerat inferorum cultores: ex quo etiam licet obiter animaduertere, hanc Palladis inuectiuam correſpondere ex oppoſito, legationi Plutonicæ lib. pri. cit. exaratæ. Inſuper *Domitor Mundi* loquit Pallas, non in ſenſu proprio, ſed in ſenſu Plutonis, qui alium orbem ſe poſſidere, hunc noſtro non inferiorem, gloriatur, vt vidimus lib. pri. carm. 26., & latius patebit carm. 283., ſed addit *ignaui*, vt Plutonem oſtendat vana iactantem, ac ſic magis contemptu dignum notet, ſugilletque. Licet enim Elyſios campos in Plutonis ditione collocatos aſſeruerint Poetæ; non tamen in Elyſijs, ſed in Tartaris Pluto reſidebat Domitor ignaui mundi, nocentium tortor aſſiduus. *Domitor vulgi* legit Heinſius, nec improbo, ſed nec vulgata reijcienda.

TETERRIME FRATRVM; vt correſpondeat dictis in legatione præcitata: *Tertia paruor diſpendia ſortis*. Inſuper *Teterrimus* ſuperlatiuum nomen eſt à poſitiuo *teter*, quod idem ſonat, ac *dirus, fædus, crudelis*; quæ omnia quam apte Plutoni conueniant, ex iam ſæpiùs dictis latiſſimè patet: ſed præcipuè ex hac rapiendæ Proſerpinæ actione, quæ longè, lateq; eius deprædicat feritatem, fæditatem, ac crudelitatem, quæ ne Virgini quidem, ac Iouis filiæ, ſibiq; neptæ pepercerit, ſed violandam, ac perdendam rapuerit, ita vt ne amaro quidem nouerit, quin iniurijs afficeret. Ideò *teterrimus Fratrum*, nempè Iouis, ac Neptuni, qui quomodo fratres ſint Plutonis, vidimus initio lib. primi. Sciebat autem Pallas etiam Iouem potuiſſe de inceſtuoſis connubijs inſimulari, vt de facto inſimulauerat Pluto, in ſua legatione, lib. pri. carm. 105. & ſeq. nec non de crudelitate in Saturnum Patrem; vt diximus lib. pri. carm. 114 Neptunum pariter ſimilibus notis ſignari potuiſſe, vt ex dictis de Cerere à Neptuno compreſſa lib. pri. & quia mare nauigijs ſemper infeſtum extat &c. ſed quæ Fratribus opponi poſſent, tacitè extenuat, & leuia indicat, ſi cum Plutonis fæditate, ac crudelitate comparentur. Ideò *Teterrime Fratrum*.

QVÆ EVMENIDES &c. Exagerat crudelitatem, quam in Epiteto *teterrime* incluſam prænotauimus; ac per interrogationem effert, inſtandi gratia; maximè enim vrget interrogatio illa, cui reſponſum dari nequit, quin interrogationem ipſam fateatur veritatem continere. Furialem igitur oſtendit eſſe eam animi ſæuitiem, quæ ad raptum impulerit; qua quid crudelius?

QVÆ. Cum præponitur hoc relatiuum, ita vt interrogantis ſit, pro eodem habetur, ac *Quales*; vulgò *che, ò qual furia &c.*

EVMENIDES. De Eumenidibus vide, quæ diximus lib. pri. carm. 39. breuiter Furiæ ipſæ ſunt infernales, quæ apud inferos *Canes* etiam dicuntur; ad quod reſpexiſſe videtur Virg. Æn. 6. dum ait:

Ecce autem primi ſub lumine Solis, & ortus,
Sub pedibus mugire ſolum, & iuga capta moueri
Syluarum, viſæq; Canes vlulare per vmbram,
Aduentante Dea.

apud mortales verò *Furiæ* ab effectu dicuntur, quia furoribus agitent: Sic nos in Tragica noſtra, quæ inſcribitur *Il Rimarano*, Rodericum, proditoris agitationes, dum expenderet, hæc loquentem inducebamus:

Ammorſcaſi el ſangue; ò gli c'muoli,
Che già le ſparſi, ou' è più ignoto el Clima;
Sempre ha le furie al fianco, e da ſe ſteſſe
Carnefice crudel porta ſe ſteſſe.

apud Superos verò dicuntur Diræ, ad quod alludens Virg. Æn. 12., cum ijs vti Iupiter ad terrendam ſtatueret Iuturnam, ſuperorum vſus vocabulo, ait:

Dicuntur geminæ Peſtes cognomine Diræ &c.

ſed cur eas auctor, hìc, nec Canes, nec Furias, nec Diras appellet; ſed nouo Eumenidum nomine deſignet? In promptu reſponſio eſt, nempè, vt per veritatem rei

Conueniant rebus nomina quæq; ſuis.

Eumenides enim dicuntur Furiæ ex Greco εὐμενής, quod eſt, *mites*, ac *beneuolos*; per antiphraſim autem hinc deducitur Eumenidum nomen, & nomine beneuolentiam importante deſignantur, quia minimè ſint beneuolæ, minimè mites; ſicut bellum dicitur, quod minimè bellum. Hoc poſito, perpende quæſo acutiſſimum poetici acumen ingenij: *Eumenides*, inquit, non *Furiæ*, non *Diræ*, vt magis exageret Plutonis crudelitatem, qui etiam, dum beneuolo ducitur affectu, effectu minimè beneuolo deſæuiat. Amore ductus Pluto ad rapiendam feſtinauit Proſerpinam; nam *Lampade Diram flexit amor*, vt lib. pri. innuitur. Sed Amorem, æternam Amatæ captiuitatem allaturum, Amorem quis dixerit? Amorem, Amatæ è mundo exilium inferentem, eamq; mortuorum

tuorum barathro addicentem, quis Amoris nomine dignetur? Ideò minimè beneuolus Pluto, dum maximè beneuolus efficitur; atq; ideò Eumenides eum mouere dicantur, non *Canes*, non Furiæ, aut Diræ; Aduerte tamen poſitam hìc à Poeta fuiſſe cauſam pro effectu, nempè furias, pro furore à Furijs immiſſo in Plutonis pectus, & qui furor nil aliud eſſet, quam amor ipſe immodicus, inordinatus, ac crudelis, vno verbo Eumenidum filius. Hic iterum nota mirabile prorſus Vatis artificium. Vocauerat Plutonem Pallas ignauum Mundi domitorem; nunc, ad id comprobandum, quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis, ignauum Plutonem aſſerit ipſum, qui ſe ſinat agitari, ijs furijs, quas edomitas, ſibique obtemperantes habere debuiſſet: ſicq; facilè agnoſces, Vatem, non ſine maxima eruditione metonimiâ vſum, Palladis inuectiuam exornaſſe.

MOVERE TE. Conſonat verbum *mouêre* explicationi, quam poſtremò afferebamus: nam *mouere*, inter alias, quas habet, ſignificationes, hanc etiam amplectitur, vt ſignificet *aliquem è iure ſuo deijcere*; vt patet ex Cic. offic. 2. ſic dicente: *Quo quodam quaſi veneno perficiat, vt veros heredes moueat, & in eorum locum ſuccedat*. Et in hoc eodem ſenſu vſurpatur ab Auctore hic: Mouerunt enim furię Plutonem, ideſt iure deiecerunt ſuo, cum illæ imperarent Plutoni furiarum, inferorumque domitori. Debuerat ille, iure ſuo, edomitas in triumphum Furias adducere; at illæ Dominantis ius aripuêre, & de Plutone edomito triumpharunt. Exprobratur itaque à Pallade, dum ait: *Quæ te mouere Eumenides &c.* Emphaticè autem vtitur pronomine demonſtratiuo *Te*, quaſi dixerit: *Te*, qui tuo in inferos gloriaris imperio, ſubditum fecere: *Te*, qui Deus cum ſis, ſe ipſis inferiorem Furiæ reddiderunt: *Te*, qui vel in Iouem auſus es bellum moliri, rebellantes tuæ vires ſubigere potuerunt: *Te* ferreum, *Te* inflexibilem, *Te* adamantino corde obduratum Furiæ tuæ mollem, fractum, effœminatum, laſciuientem fecerunt, & teterrimum, impium, execrandum ad facinus impulerunt.

STIMVLIS, FACIBVSQ; PROFANIS. Stimulos, flagella, faces attribui furijs, iam omnibus, vel leuiter eruditis in comperto eſt. Porrò *Stimulus fuſtis eſt acuta cuſpide*, quo ruſtici boues ſuppungunt. Hìc accipitur, translatè, pro incitatione, irritamento, & concitatione paſſionis amatoriæ, ſed inordinatè furentis. Aſt vide, quàm altè Plutonem deprimat Pallas, dum eum, quaſi bouem, adactum ſtimulis profitetur. Quænam acrior inuectiua potuit excogitari? Sed vlteriùs tamen *ſtimulis faces* copulat per coniunctiuam *que* pro *&*: *fax* autem fuſtis eſt inciſus, & cera, oleo, vel adipe inunctus, aut pice: ſicq; ad lumen faciendum, ſeù ad comburendum compoſitus; fiebatq; præcipuè ex piceis arboribus, cuiuſmodi eſt Carix, & Tæda. Aptiſſimè autem *facibus* ſuccenſum notat Plutonem, nam, cum Proſerpinam raperet ad connubium, ac nouis nuptis tęda præferri ſoleret, iure facibus accenſus dici poteſt, qui nuptam aſſumit ſibi; ſed cum modus eam aſſumendi ſceleratus, iuxta perorantis exiſtimationem, inceſtuoſus, ſacrilegus fuerit; ideò additur *Profanis*; hoc eſt rogalibus potiùs, quàm nuptialibus, impijs, ſceleratis, inceſtuoſis, ac Deo prorsùs indignis; in hoc enim ſenſu accipitur hic nomen *profanus*; de cuius nominis exacta intelligentia iam alibi plura attigimus lib. 2. carm. 4. Conſimili inuectiua aſſurgit Iuuen. Sat. 6. apud Barth. cum ait:

Dic quæ Tiſiphone, quibus exagitare colubris &c.

TVA CVR SEDE RELICTA &c. Primæ interrogationi, de ſcelere inexpiabili, ſecundam ſubdit, qua illi crimen perturbatæ obijcit Iuriſdictionis, eumq; ſugillat vt fœderum violatorem, & reum læſæ Maieſtatis ſupremi Numinis conſtituit.

CVR. Aduerb. hoc eſt interrogandi, cui ſemper per cauſam reſpondendum eſt; nam cauſam rei, de qua interrogamus, inquirit. Vt igitur oſtendat Pallas, nullam Plutoni legitimam fuiſſe cauſam alienos fines inuadendi, inſtat vrgens per aduerb. *cur*.

SEDE. Quid ſedes ſit, vidimus lib. 1. carm. 201. correſpondet autem Vates ijs, quæ de Plutone dixerat lib. 1.

Ipſe rudi fultus ſolio, nigraq; verendus
Maieſtate ſedet.

Hìc ponitur *ſedes* & pro regio ſolio, & pro domicilio, ſeu Regno, ac pro ſtatu quietis, ideſt ceſſatione ab armis, iniurijſq; in alios inferendis. Vide loca ſupra cit. Carpit itaq; Plutonem Pallas, vt fœderum violatorem, nam, vt vidimus, lib. 1. carm. 91., quieſcendum Plutoni fuerat in regno, quod illi obtigerat ſorte, nec licitum illi erat in fratris fines pedem inferre: & licet Pluto terram peragrans confinia imperij ſui non excederet opinione ſua, vt in anteactis diximus carm. 169. non poterat tamen curru ſublimis ferri, etiam ſpectata ea opinione, quem aerem in confinio Iouis poſitum interſecaret: ſicque iam fraternos per fines gradiebatur. Adde quod peſtibus ex tartaro eductis aerem non ſolum, ſed & ſuperiores inceſtauerat ſphœras, vt ex dictis patet: quare ſaltem quo ad effectum iam fines inuaſerat fraterni imperij; ideoq; Pallas diſrupta exprobrat fœdera illa, de quibus Lacheſis lib. primo ait:

Ne pete firmatas pacis diſſoluere leges
Quas dedimus nevimusq; colus, neu fœdera fratrum
Ciuili conuerte tuba &c.

Sed dices: volenti non fit iniuria. Si itaque Pluto ex conſenſu Iouis ad raptum properauerat; nam, vt ex lib. primo habetur, *Viam Pluto Siculas moliatur ad arces*
Germanus monitu.

Quid Pallas exprobat? Memineris Palladem non fuiſſe conſciam arcanorum, quæ ſoli Veneri patefecerat Iupiter, vt ex lib. 1. carm. 215., & intelliges Palladem hæc Plutoni imputare, ratam facinus ab eo perpetratum, ex ſola eiuſdem temeritate prouenifſe. Iure igitur, ex dato ſuppoſito, Pallas inquietum, ac ſemper rebellantem Superis, Plutonis animum carpit. Ideò *cur relicta tua ſede*, in qua ſcilicet tibi quieſcendum fuerat, ex qua excedere non licuit tibi, qua contentus eſſe debueras, patiens diſpendia tertiæ ſortis &c. hæc enim omnia emphaticè continentur in ijs emphaticè particulis *ſede tua*. Cur inquam in conſpectu Solis accelotas; Aliena rapis &c. cur ſede tua &c. De poſſeſſiuo *tuus* diximus lib. 1. carm. 198. Emphaticè tantùm hic poni animaduertas, vt diximus; nam idem eſt, ac ſi dixiſſet: *cur relicta ſede illa tua*, quæ ſcilicet & tua eſt ſorte, & tua permittitur eſſe, dùm nullus fratrum ad tuam illam ditionem perturbandam aliquid molitur vnquam. Sic enim magis oſtendit Plutonis temeritatem, odio, ac punitione dignam, dum, cæteris fratribus vtique quieſcentibus, ſe ſeq; intra limites ditionum ſuarum continentibus; ipſe, nulla laceſſitus iniuria, audet in fratrum fines populabundus irrumpere, immemor naturalis præcepti: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ideò *tua cur ſede relicta*. Hoc ipſum participium *relicta*, à verbo *relinquo*, quod idem eſt, ac *deſero*, & *deſtituo*, emphaticè hìc poſitum libet agnoſcere; hoc enim Pallas Plutonem redarguit de iniuria regnandi, & ſceptro ineptum indicat; nam, ſi Rex *anima Regni* dicitur, quid Regnum ſit, Rege diſcedente, ſatis conſtat, ſi conſideremus, quid remaneat corpus ab anima deſtitutum: ideò Ægyptij *tutelare Regni Numen* appellabant Regem, vt ſciret nunquàm illi deſerendum Regnum, ne, tutelari ſuo priuatum, vt ſine Rectore nauis, fluctibus periclitaretur. Imnò ad ſignificandam, neceſſariam Regno, Regis præſentiam perpetuò eſſe, in Regis hieroglyphicum, Serpentem erigebant, in ſpiras collectum, ac in eius voluminum medio effigiem palatij cuiuſdam ſtatuebant; indicantes hoc pacto, Regem ſemper in centro Regni ſui conſiſtere debere, vt, omnibus æquè Regni ſui partibus applicatus, omnium ſaluti conſuleret. Perniciosiſſimum itaque Regi eſt Regnum ſuum, præſentia ſui ipſius deſtitutum relinquere; nam tunc Regnum nauis ſpoliata magiſtro eſt, fluctibuſq; expoſita: aut equus eſt, ſine ſeſſore, indomitus, ita vt non ſemel, vel rebelliones in ipſum Regem moliatur, vel hoſtium inſidijs pateat, vel inteſtinis diſcordijs obruatur. Quare Pallas Plutonem de regnandi inſcitia redarguens *cur*, inquit, *tua ſede relicta*

AVDES INCESTARE MVNDVM. *Audêre eſt impudenti quodam confidentia ad aliquid accingi*: ex quo vides, quàm altè inuehat in Plutonem Pallas. *Inceſtare* eſt *polluere, violare, funeſtare*. Polluit autem Mundum Pluto, dum eius ornatum deturpauit, vt vidimus factum, cum aſtra viarum mutauere fidem &c. Violauit, quia illi vim intulit, montis rupes diſrumpens, Arctoa in præceps impellens ſydera; prædam ex terris abuehens &c. funeſtauit autem tot, de quibus ante, terroribus, ereptæ matoribus prædæ luctibus &c. Gyraldinus, & alij legunt *infeſtare*. Sed grandiori profectò aſſurgit ſtylo vulgata noſtra, cui Parrhaſ. Heinſius, Barth. & alij conſentiunt. Sic eſt Statius Theb. 12. ait: *Illas vt ſummo vidit Pater altus Olympo*
Inceſtare Diem &c.

conſentit ſibi & Auctor noſter in Eutrop. 2. dicens:

Ac veluti caueant, ne quo conſiſtere virtus
Poſſet pura loco, cunctas hoc ore laborant
Inceſtare vias &c.

Item de Bello Get. inquit:

Nec credunt vetito fraudatam Sole ſororem
Telluris ſubeunte globo: ſed caſtra ſecutas
Barbara Theſſalidas patrio lunare veneno
Inceſtare iubar &c. Et de Manlij Conſul. ait:
. . . . . . Non hic violata curulis
Turpia non laeti maeſtant nomina faſtos.

quare temerarium ferè dixerim vulgatam noſtram immutare, quæ legat *inceſtare Mundum*. Quid verò ſit Mundus, iam vidimus ſupra carm. 214. Heinſius, & alij *Cælum*, non *Mundum* legunt: & cur ad ſic legendum moueatur, aperit Heinſius inquiens: *Alij Mundum, quod minus placet, quia mox ſequitur*. Verùm cur quod hic ſimpliciter ponitur, mox emphaticè repeti non poſſit. Certè Heinſiana lectio minus facit: nam non Cælum tantummodò inceſtauerat Pluto, ſed & terram, vt ex dictis, atque ex ipſo patet contextu: quare debuit Vates eo vti nomine, quod vtrumque complecteretur: *Mundus* autem, vt eruditè notat Parrhaſ. hic, & *Cælum* vnius quidem rei duo nomina ſunt; ſed nomine Mundi, addam ego apertiùs Cælum ſimul veniunt, & terra. Cum vice verſa Cæli nomen non adeo facilè ad denotandam terram detorqueatur.

QVADRIGIS TARTAREIS. Currus *quadriga* eſt quatuor iunctus equis, *quadrÿuga*, ſeu *quadriiuga*; cuiuſmodi vidimus eſſe currum Plutonis, tùm in calce lib. primi, vbi & nomina equorum recenſentur; tùm initio eiuſdem lib. fusè. Adiectiuum verò *Tartareis* ſuſtinet hic vices & Patrij nominis, & poſſeſſiui, à ſubſtantiuo *Tartarus*, vel plurali *Tartara* deducti. Quid autem Tartara ſint, vt hoc intelligas, vide lib. 1. carm. 114. Notat igitur hic locum ex quo educti fuerint Plutonis currus, in quo geniti, & enutriti fuerint equi &c. Vtitur autem numero multitudinis pro numero vnitatis per ſynecd. more poetico, & ſextus eſt inſtrumenti, aut potiùs cauſæ caſus.

SVNT TIBI DEFORMES DIRÆ &c. Vrgebat in antecactis Plutonem Pallas, vt cauſam promeret, cur Mundum quadrigis inceſtaret: & vrgebat, per interrogationem, vt oſtenderet, vt diximus, nullam a Plutone rationabilem afferri poſſe. Præuidit tamen reſponſionem, quæ à Plutone cauſam afferente potuiſſet adduci, nempè non prohibendos illi Thalamos, aut dulce Patris cognoſcere nomen. Quare per præoccupationem Rhetoricam occurrit iam reſponſioni, quæ obiectionis vim habitura videretur, ita vt Palladis inuectiuam eneruaret: occurrit inquam reſponſioni, eamq; diluit, nullam aſſerens hanc eſſe cauſam, vel certè inſufficientem eſſe, idq; oſtendens ab inductione aliarum, quas ſibi in Nuptas deligere potuiſſet, abſque eo quod alienam perturbaret ditionem, ac Mundum inceſtaret, ad rapiendam Proſerpinam erumpens. Indirectè autem, hoc pacto, raptam repetit Proſerpinam, ac ſibi reſtitui expoſcit, vt, non reſtituta, bellum iuridice inferatur Raptori. Eas itaque enumerat primo loco, quæ Plutoni potuiſſent adduci, & à Diris incipit: *Sunt tibi deformes Diræ*.

SVNT. *Sum* verbum eſt à Grammaticis ſubſtantiuum appellatum, ſiue quòd ſolum per ſe ſe ſubſiſtat, ac nullius alterius verbi adminiculo fulciatur, cùm contra cætera omnia in hoc tandem reſoluantur, & pleraque ſine huius ope coniugari non poſſint; ſiue quòd, cum cætera omnia actionem ſignificent, aut paſſionem, iſtud ſolum ſubſtantiam rei notet, importetque. Variam autem hoc verbum in oratione habet conſtructionem; ſed ſingulas recenſere, & nimis longum eſſet, & parum ad inſtituti rationem: certè pro *habeo* ſumitur, quotieſcumque cum datiuo conſtruitur, vt Grammaticis liquet: quare cum hoc pacto hic conſtructum habeatur, eiuſdem patet ſignificatio.

TIBI. emphaticè ponitur: ideſt *tibi* amoribus delinito; *tibi* libidine conflagranti; *tibi* nuptam efflagitanti; *tibi* inceſtum meditanti &c. De pronomine enim ſileo, cum alibi dixerimus. Senſus itaque eſt: Si cauſa, qua in facinus huiuſmodi impelleris, nuptiarum ſit appetitus, nulla hæc eſt, vel certè inſufficiens, cùm, in regno tuo, nuptiarum copiam habere potueris: & primo adſunt

DIRÆ. Diximus, §. Eumenides, nuper explicato, Eumenides, Furias, ac Diras, ſolo nomine differre. Quare videtur hìc Poetam ſynonimiam ſententiam ſectari, ac profectò ludere in verbis, idem, per diuerſa, repetens; dum ait: *Sunt tibi deformes Diræ*; Moxq; ſubdit: *Sunt triſtes furiæ tuo coniuge dignæ*. Fateor ſynonimiam ſententiarum inter orationis lumina computari, & plurimum prodeſſe, vbi inculcandum quid eſt, quod memoriæ impreſſum maximè volumus. Verùm non adeò facilè ſynonimiam huiuſmodi hic adeſſe, concedderim: cum enim triplici membro munus impoſuerit Vates exponendi, quas in thalamum adſciſcere Pluto potuiſſet, ſi per ſynonimiam loqui voluiſſet, omnia illa membra ſynonima effeciſſet: aſt video, per ſecundum membrum, quid prorsùs à primo diuerſum importari; ex quo ducor ad aſſerendam, etiam in tertio, diuerſitatem, ita vt quid, diſtinctum à primo, & ſecundo, importet. Ad quod explicandum, reuocanda in mentem hic ſunt, quæ diximus, lib. 1. carm. 39., nempè diſcrepare auctores, de Furiarum natiuitate agentes: nam Eſchylus in Eumenid., apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 10. Furias ſolius Noctis filias autumat, his verbis, latina lingua expreſſis ab auctore cit. cum græca fuerint.

Nos filiæ Noctis ſumus grauiſſimæ.

Heſiodus natas è ſanguine Saturni aſſerit, vt diximus lib. 1. cit. Eumenides Saturni ex Euonyme filias dixit, vt item ibi vidimus. Sophocles Terræ, & tenebrarum filias notat, vt Mythol. cit. Heſiodus ipſe eas iterum Rixa progenitas ſcribit. Immò de ijs, iam natis, & adultis, contraria exarat Virg. nam, Æn. 6., eas Tartarei Veſtibuli cuſtodes deprædicat, & conſtituit.

Tum conſanguineus lethi ſopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumq; aduerſo in limine bellum
Ferreiq; Eumenidum thalami &c.

Æn. autem 12., eas Iouis ſolio aſſiſtentes in Cælo collocauit.

Dicuntur Geminæ Peſtes cognomine Diræ &c.
Hæ Iouis ad ſolium, ſæuiq; in limine Regis
Apparent, acuuntq; metum mortalibus ægris.

Anne illud idem Ternarium, quod ex ſororibus Alecto, Tiſiphone, ac Megera conſtituitur, potuit, vno, eodemq; tempore, in inferis degere, & in Cælis? Idem ex tot diuerſis progenitoribus ortum ducere? Profectò, qui hoc aſſereret, non vnciolam quidem, ſed maximum fatuitatis pondus haberet. Vnde igitur tanta ſcriptorum de Eumenidibus diſcrepantia? Non niſi ex eo, mehercule, quod plures extra prædictum Ternarium Furiæ fuerint, ex diuerſis ortæ parentibus, quarum tamen omnium actiones primo illi Ternario, tamquam magis noto, ac conſpicuo adſcribuntur: Sicuti plures fuiſſe Hercules dicuntur, quorum tamen omnium actiones vni Alcmenæ filio tribuuntur: atque hinc eſt, vt ex diuerſis dicantur natæ parentibus, ac modò Plutoni adſtantes in Inferis, modò Ioui aſſiſtentes in Cælis perſiſtere dicantur ſtationariæ. Hoc poſito ad inſtitutum regredior, & dico, Poetam ſecutum potius ethimologiam nominis, quam eiuſdem, iuxta communem ſenſum, ſignificationem. Nam Diræ dicuntur, quaſi *Deorum iræ*. Sic Virg. Æn. 3. eas vocat nomen interpretatus, cùm de Celæno, harpijsq; loquens inquit: *Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla*
Peſtis, & ira Deûm ſtygijs ſeſe extulit vndis.

Deorum autem iræ certè in vnico ternario conſiſtere non potuerunt: nam quot commenta Deos eſt Antiquorum ſuperſtitio, tot Deorum etiam iras debuit agnoſcere: cùm autem innumeros propemodum Deos agnouerint Gentes, innumeras etiam Deorum iras poſuerint neceſſe eſt. quæ, quia in Inferis potiſſimum exercentur, puniendis videlicet damnatorum ſceleribus, quorum, vt ait Virg. Æneid. 6. *Quiſque ſuos patitur Manes*: hinc eſt vt in inferis ſtationem habere dicantur. Ideò Vates hic: *Sunt tibi deformes Diræ* nam quæ in inferis degunt in Plutonis poteſtate eſſe intelliguntur: eas autem, quaſi inferorum Deas, deſignat Auctor, vt altiſſimam Theologorum doctrinam obiter attingat; Theologicis enim luminibus edocemur, quod, quidquid in Deo eſt, eſt ipſe Deus; &, quòd à Deo procedens intrinſecè, per viam voluntatis, eſt idem cum Deo ipſo in eſſentia, licet perſonâ diſtinctus: hancq; eſſe eſſentiam, & naturam diuinam infallibiliter iam nouimus. Si igitur, vt aſſeuerabant, ac pro infallibili, licet ſtultè ſupponebant Gentiles, eorum Dij veram habuerint Diuinitatis naturam, certè, cum Dearum iræ actus ſint immanentes à voluntate Deorum procedentes; eas iure merito Vates Deas facit, ac Plutonis connubio dignas appellat, quia, cum iam illi copulentur, officio puniendi damnatos, facilè, & in connubio acciri poſſunt, & debent, iuxta commune effatum: *Si vis nubere, nube pari*. Non itaq; Dirarum nomine Alecto, Tiſiphonem, ac Megeram deſignat auctor, hoc loco; Sed Deorum iras, ex quibus tres illæ Diræ nominantur, quia Deorum iræ ſubſeruiunt, in damnatis excruciandis.

DEFORMES. *Deforme* dicitur, quod turpe, fœdum, aſpectuq; horridum eſt: Sed inſuper poteſt aliquid *Deforme* dici, quaſi *difforme*; hoc eſt *diuerſa* à fonte ſuo originario *forma*. Vtrumque Diris, hoc eſt *Deorum iris* optimè conuenit;

uenit; nam cum tortorum munere in reprobos fungantur, certè ijs horridæ, turpes, aſpectuq; terribiles apparent ſemper: &, cum natura Deorum benefica ſemper ſit, atque ad beneficia impertienda procliuis, cum ſcelerum vi cogitur iras parere, videtur difformem à ſe ipſa partum edere, atque adeo *Diræ*, hoc eſt *Deorum iræ* deformes meritò appellantur. Perpende autem quam altè aſſurgat artificium Poetæ in huiuſmodi Palladis inuectiua. *Si vis nubere, nube pari* inquit axioma præcis. Pares autem magis nullæ Dearum propagines Plutoni eſſe poterant, quam *Deorum iræ*; nam, cum Pluto Inferorum Tyrannus ſit, cuius & animus odium ſit, ac furor, cui meliùs nuberet, quàm *Deorum iræ*? Deformis ipſe, qui *teterrimus fratrum* ſit & *dira vigeat inclementiâ formæ*, cui meliùs nuberet quam deformibus Diris? Quaſi diceret Pallas: Quid Mundum inceſtas, vt Nuptam quærites? Parem tibi exoptas? Sunt tibi Diræ. Cæleſtem habere contendis? Sunt tibi Diræ; hoc eſt Deorum iræ, quę cæleſtem habent originem, ſed in inferis degunt, vt tibi iam iure dicatæ. Nube pari: Dirus cum Diris, Deformis cum deformibus; ac Proſerpinam noſtram, quæ nimis diſpar eſt, atque à conditionibus, ac ſortibus aliena tuis, intactam nobis reſtitue. *Sunt tibi deformes Diræ*

SVNT ALTERA LETHES FLVMINA. Nota emphaticam, in verbo *ſunt*, repetitionem, qua, quanta ſit illi, in inferis, connubij copia, multiplicatis connubiorum occaſionibus exagerat. *Sunt altera flumina*. Multiplicem habet hic locus eruditionem, ad quam enucleandam, opus eſt aliqua de Lethæo hic flumine prænoſcenda enarrare. Primò itaque *Lethe* pro eodem ſumitur, ac obliuio; immò ipſa rerum omnium obliuio eſt, vt patet ex Virg. Æn. 6. vbi Anchiſes Pater ſic, Æneam filium edocens, alloquitur:

. . . . . . Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur Lethæi ad fluminis vndam
Securos latices, & longa obliuia potant.

cùm itaque in more poſitum fuerit, vt ſingulis fluminibus ſua ab antiquis Numina tribuerentur, Lethæi fluminis Numen ipſam fuiſſe obliuionem ſatis conſtat. Inſuper quæritur ab aliquibus, num Lethæus fluuius vnus ex nouem ſit, qui Plutonis regnum circumagere dicuntur, & amplecti; & negant complures in eorum numero computari; ſed immo alium eſſe fluuium, ab illis nouem diuerſum, in ſubitanter affirmant, atque imaginem ſenectutis, ſed potius *ſenectutem* ipſam autumant eſſe, quæ, procul dubio, apud inferos degere dicitur à Virg. Æn 6. vbi hæc habet:

Pallentesq; habitant morbi, triſtiſq. ſenectus.

Immò & *mortem* ipſam volunt hoc fluminis nomine importari; nam, cum homines ſemper viuidi, ac memoria præteritarum rerum apprime pollentes ſint, cum ad ſenectutem, & mortem appropinquant, dicuntur ad Lethæum fluuium accedere, quia obliuione ſuperfunduntur, hebetata ſcilicet, ac deficiente potentia memoratiua. Quare etiam Virg., Æn. 6., vt oſtenderet Æneam longe a morte diſtare, licet inter mortuos peregrinaretur viuens, eum longè à Lethæo ſtatuit fluuio, per aduerbium *porrò*, quod apud Græcos *à longe* ſignificat, vt notant Vatis Interpretes communiter.

Horreſcit viſu ſubito, cauſaſq; requirit
Inſcius Æneas: quæ ſint ea flumina porrò,
Quiue viri tanto complerint agmine ripas.

Quo poſito: iam huius fluminis Numina ſtatuentur Obliuio, Senectus, & Mors. Vlterius dicitur Lethæus fluuius ampliſſimam Somni Ciuitatem interluere, quam ſic deſcribit, verarum hiſtoriarum lib. 2. Lucianus, apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 14. In ampliſſima, inquit, planitie ſita vrbs eſt, circa quam Syluæ frequentiſſimus, proceribuſq; arboribus, quæ papauera ſunt, altiſſimæq; Mandragoræ, atque herbæ ibidem complures, quarum ſucci inducant ſoporem, florent vbique; Magna Veſpertilionum copia eſt, huc, illùc ad arbores volitantium, & noctuarum, & bubonum, aliarumq; nocturnarum auium: nec vllæ aliæ præterea aues illic eſſe conſueuerunt. Fluuius hanc vrbem alluit placidiſſimus, Lethe nomine, quem alij Nycti potum appellant, cuius curſus tacitus eſt, & oleo perſimilis. Naſcitur is e duobus fontibus, in obſcuro, & nulli cognito, loco ſcatentibus, quorum alter Panlychnis, alter Negretus appellatur. Habet hæc Ciuitas duas portas, alteram corneam, miro quodam artificio conſtructam, in qua omnia prope expreſſa ſunt, tamquam in pictura, quæ dormientibus vera inſomnia occurrunt; alteram ex ebore candidiſſimo, in qua & ipſa, ſunt inſomnia; ſed non expreſſa, at adumbrata tantùm, & falſa. In hac Ciuitate templum eſt Noctis auguſtiſſimum, quod eximia colitur religione: tùm aliud eſt Apates Deæ, & aliud Alethiæ Delubrum &c. quæ fusè proſequitur Lucianus ibi. Cùm itaque Nox apud Lethæum fluuium ſedem habeat, & Fluuius Ciuitatem alluat Somni, qui Mortis frater eſt, vnà ſcilicet cum Morte ab eadem Matre Nocte progenitus, ſequitur, vt Numina Lethæi fluminis ſint Obliuio, Senectus, Mors, Somnus, Nox &c. quibus prænotatis ſic poeticum iam textum breuibus explico. *Altera flumina*. Pro fluminis Numinibus *Flumina* ponuntur per metonym. Quare immeritò vulgatam improbat Barth., ac cum eo Heinſius. qui *Numina* legendum contendunt; nam eorum lectio nil differt à vulgata, niſi quo ad hoc, quòd illa per tropum effertur, illa apertiori ſtylo decurrit. *Altera* verò nomen eſt hoc loco, quaſi diſtributiuum, quod ex pluribus alterum ab altero fecernit, atque vno pro libito eligit: *Sunt* itaque *tibi altera Flumina*, inquit Pallas; hoc eſt, ex Deabus Lethæo flumini præſidentibus, aut vnam, aut alteram deligere potes in coniugem, nempè aut Mortem, aut Noctem, aut Senectutem, vel Obliuionem. Quod ſi malueris has omnes ſimul, ne copia tibi deſit liberos procreandi, adhùc erunt *Altera flumina Lethes*; nam cùm duplicis generis Numina Lethæi fluminis ſint, nempe maſculei, ac fœminei, Somno, qui maſculei generis eſt, omiſſo, potes *altera flumina*, ideſt Numina fœminei generis tuæ coniuges aſſumere. Et porrò quæ aptior Mortuorum Regi coniux, quam Mors, quæ ſola vniuerſam morientium claſſem in Plutonis regnum adducens dotali munere, vaſtiſſimum dilatare poteſt Imperium? Quæ melior tenebrarum Imperatori coniux, quàm Nox, qua ſcilicet *Vmbrarum potens* conſtituitur, ac Noctis arbiter Pluto? Quæ dignior Plutoni coniux, quàm Obliuio, cuius munere totum Plutonis regnum eundem ſuſtinet tyrannidem? &c. Sed, cum de Obliuione loquamur, ne obliuiſcaris, alterum te compellari quem cariſſimum habeas. Altera itaque Plutonis perſona Plutoni ſint hæc flumina; hoc eſt illi cariſſima, quippe quæ arbitrum eum conſtituant animarum, atque eiuſdem quaſi altera, & maxime potentes ſint. Itaque non reſpuendum fuerat connubium, quod vnum poterat regnum ipſius Plutonis ſolidare. Et ideò *Sunt altera tibi flumina Lethes*. Quid Lethe ſit iam ſatis conſtat ex dictis hic; ſed plura habebis lib. primo carm. 61.

SVNT TRISTES FVRIÆ. Emphaticè iterum repetit verbum, vt ſupra; & copiam adhuc aggerat coniugij, Furiaſq; indicat dignas Plutone coniuge adfuturas. Quid ſint Furiæ, iam vidimus, & quot ſint lib. primo carm. 39., & dicuntur *triſtes*, quia *triſtis* ſæpè ſumitur, vt hic, pro *crudeli*, *ſæuo*, ac *implacabili*. Sic Virg. Æn. 6

Pr digitum canit, & triſtes denunciat iras.

aliquandò etiam ponitur pro eodem ac *iratus*. Sic Virg. Æn. 2. *In flammas, & in arma feror, quò triſtis Erynnis,*

Quò fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.

aliquandò pro *minaci* vſurpatur *triſtis*. Sic Virg. Æn. 2.

Suſpenſi Eurypylum ſciſcitatum oracula Phœbi
Mittimus; iſque adytis hæc triſtia dicta reportat,
Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quærendi reditus &c.

En minas, quibus triſtia dicta, hoc eſt minacia inſonuere. Interdum etiam pro *horribili* ponitur. Sic Virg. Æn. 11.

Labere Nympha polo; fineſque inuiſe Latinos,
Triſtis vbi infauſto committitur omine pugna.

Ad quæ omnia reſpexiſſe Poetam non ambigo, cum *triſtes* dixerit Furias, nam hæc omnia Furijs adamuſſim competunt, vt ex dictis paſſim de Furijs patet.

TE CONIVGE DIGNAE. Dignus dicitur, cui aliquid meritò debetur: vt *dignus laude* is, cui meritò debetur laus, Sic Virg. Ecl. 4. ſub initium.

Si canimus Syluas, Syluæ ſint conſule dignæ.

oſtendit itaque Pallas hic Plutonis connubia iure deberi Furijs, Lethæis Deabus, ac Diris; nam adiectiuum *Dignæ* ad omnes, ante recenſitas, Deitates Auerni refertur applicandum. Sic autem Iuris violatorem deſignat Plutonem, qui debita illis connubia in aliam, cui non debeantur, per vim, transferre conetur. Hinc emphaticè poſitam agnoſces pronomen illud demonſtratiuum *Te*: nam tacitè exprimit: *Te*, qui conſimilis illis es; *Te*, qui iam illis te totum debes, cum earum munere tuum extet imperium: *Te*, cui ſine illis viuere non liceat, nedum liceat imperare. Hæ dignæ *Te coniuge*. Coniux nomen communis generis eſt, a coniungendo deriuatum; nam ita coniuges coniunguntur, vt duo ſiant in carne vna per copulam maritalem. Iure igitur Furijs

con-

coniux debetur Pluto, qui totus Furijs conſtet, & Diris.

FRATRIS LINQVE DOMOS &c. De perturbata Iuriſdictione Plutonem indirectè accuſat Pallas: directè autem imperat, vt violatum fœdus in integrum reſtituat recedens.

LINQVE. Imperandi vtitur modo, vt, ſe non petere, niſi quod ex debito iuſtitiæ negari non poſſit, noſcat aduerſarius, atque intelligat, bellum iure inferendum, ni pareat legitimè præcipienti. Quid verbum iſtud ſignificet innuimus ſupra in verbo *relicta*. Hic tantùm energiam verbi licet adnotare. Non linquitur, niſi id, quod prius fuerat apprehenſum, ac tanquam propriæ ditionis vſurpatum; Vſurpauerat ſibi Pluto auctoritatem irrumpendi, per fas (vt credebatur) in fraternos fines, ac fines ipſos, tanquam ſuæ ditionis eſſent, ingreſſus populabatur, Proſerpinam rapiens. Vel itaque abdicare ſe debuerat indebita, quam ſibi aſſumpſerat, auctoritate: vel vi pellendus fuerat, vt rebellis: ideo Pallas, ne videatur bellum pro libito inferre, ſed iure, ac titulo paternos fines à prædonibus immunes reddendi; offert non ſolum, ſed præcipit modum euitandi aleam belli; nempe, ſi, ſponte ſecedens, ad propria redeat, reſtituta tamen prius præda, vt fines linqueret eo modo, quo repererat intactos, non autem rapinis fœdatos. Ideò *Linque*.

DOMOS FRATRIS. *Domus* propriè ædificium eſt ad commodum alicuius habitationem concinnatum. Verùm & pro patria ponitur, & pro regno: nam integrum regnum *Regis Domus* profectò dicitur. Cum itaque Iupiter Diuum Pater, atque hominum Rex habeatur, ſequitur, vt quatenùs Deorum Pater eſt, Cælum pro Domo habeat, quod, aduentante funeſtatum Plutone, iam vidimus; quatenùs verò hominum Rex, terram ſibi in regiam vindicat domum, quam pariter tartareis quadrigis inceſtatam vidimus. Ideò *Fratris linque Domos*. Dices: Nonne in anteactis diximus Plutonem appellatum fuiſſe Deum, ſeu Iouem terreſtrem, eo quòd ei vna cum tartaris totus etiam obtigerit terræ globus? certe hoc ex Euripide deducimus hoc lib. 2. carm. 169. Quomodò igitur hic terra Domus Iouis dicatur? Aduerte orbem terræ Plutoni obtigiſſe quidem, ſed ita, vt ille eſſet tantummodò ſemper Noctis arbiter, Vmbrarumq; potens, vt dictus fuit lib. primo à Lacheſi perorante. Quare potuit ille quidem imperium in Globum terræ exercere, ſed ad eam vſque partem tantummodo, quæ è tenebris exempta lucis frueretur intuitù. Declarauit hoc ipſum ore ſuo idem Pluto lib. 1. dum conqueſtus apud Iouem de diſpendijs ſuæ ſortis ait:

Nonne ſatis viſum eſt grate quod luminis expers
Tertia ſupremæ patior diſpendia ſortis?

Qui igitur Deum terreſtrem, ſeu Iouem terreſtrem appellarunt Plutonem, Ioui non derogant; nam Imperium Plutonis extenditur per totum terræ Globum vſq; ad ſupremam, & extimam excluſiue ſuperficiem, & non vlteriùs, licet ille ſubinde de facto hanc etiam ſuperficiem ſibi addictam præſumpſerit, atque, in illam Poteſtate vti poſſe, arrogauerit ſibi toleratus. Locis itaque in obiectione citatis, iuxta ſibi arrogatoriam Plutonis opinionem loquebamur: hìc, iuxta veriorem diuiſionem, partes ſuſtinens Iouis, loquitur Pallas; inquiens *Fratris linque Domos*: hoc eſt liberas peſte tua eſſe ſinas, nec Mundum aut ſuperiorem, aut inferiorem, quò ad ſuperficiem noſtram, immundum reddas, tua ipſa fœditate contaminatum. Inſuper *Domus* formaliter (nam primus ſenſus materialis eſt) accipitur pro familia, ac Gente ab vno, eodemq; ſtipite originem ducente: Quare Pallas: *Fratris*, inquit, *linque Domos*. Hoc eſt *linque*; *reſtitue* Proſerpinam, quam abuehis raptam, & quæ de Domo eſt Iouis, eoſq; intactam relinque, nec totam Iouis Domum funeſtare contendas.

DESERE ALIENAM SORTEM. Apertiùs declarat Pallas non eſſe, cur Pluto ſibi arroget Imperium illius extimæ partis terræ, quæ Sole fruitur, eo, quod Deus ac Iupiter dicatur terreſtris, neque ex eo, quod Globus illi adiudicatus fuerit terræ; nam & ſatis ſaluatur denominatio per hoc, quod in totam luce carentem terram dominetur, & ſupremam, illuminatamq; eiuſdem terræ partem ad Iouem pertinuiſſe, ſatis conſtat, ex eo, quòd Rex hominum, quorum hæc terræ pars eſt, Iupiter ſit. Licet enim verum eſſet, quod Lacheſis dixerat lib. primo, nempè Plutonis imperium aliquo tandem pacto, & ad homines extendi, dum per ipſum

Rurſus corporeos animæ mittentur in artus.

certum etiam eſt Imperium Plutonis, qui Regnum poſſideat Mortuorum, in Mortuos tantum homines extendi; non in Viuos, qui terram incolunt, ac ſub Iouis ſunt poteſtate. Ideò *Alienam deſere ſortem*, inquit, Sapientiæ Dea, aliud ſcilicet Plutoni crimen indirectè obijciens: directè verò imperans, vt abſtineat, ac res in integrum reſtituat. Crimen porrò, quod obijcit, eſt, quòd Pluto ſe in Iouis hæreditatem intruſerit, ac ſibi partialiter ſaltem eam vſurpauerit in prædam. Et quidem quod ſpectat ad fines alieni, quos inuaſerat, Imperij ſatis crimen patet ex dictis. Sed inſuper aduerte, quod cum Diuûm cæleſtium Pater eſſet, idemq; Rex, Iupiter, Regno vtique in ipſum, vt legitimum Saturni hæredem, deuoluto, iam omnes iure cæleſtes Dij in Iouis hæreditate computabantur. Quare, cum Proſerpinam rapuiſſet Pluto, partem ſibi fraternæ hæreditatis, in quam ſe per vim intruſerat, vſurpabat, etiam præſcindendo ab hoc, quod illa peculiari modo eiuſdem filia Iouis eſſet, per veram nempe generationem: Ideò *Deſere*. Imperio vtitur Pallas ijſdem de cauſis, quas ſupra recenſuimus. Verbum notiſſimæ ſignificationis eſt: & propriè, in ſubiecta materia, idem ſonat, atque occupata relinquere, vſurpata dimittere, ac ſuo intacta loco reſtituens deponere. Sic Victor exercitus captam vrbem, quam defendere contra vim ingruentium rurſus hoſtilium armorum non poſſit, deſerere dicitur, cum eam iterum relinquit hoſtibus poſſidendam. Inſinuat itaq; Pallas, non futurum, vt Pluto poſſit prædam ſuam contra vim cæleſtium armorum defendere, atque ideò, vt deſerat, præcipit *alienam ſortem*. *Sors* enim hic ponitur pro hæreditate, quæ beneficio Sortis Ioui iam ceſſerat: iuxta ea, quæ fusè dix. lib. 1. carm. 100. *Alienam* autem dixit, quia alienum eſt quid alterius eſt, vel ad alium pertinet; qua voce redarguit Pallas iniuſtitiam Plutonis, qui, aliena inuadens, in Iuſtitiæ iura peccauerit; aliena enim erat hæreditas, quam inuaſerat, aliena Proſerpina, quam rapiebat, cùm non Plutonis eſſet, ſed Iouis. Ideò, ne læſa Iuſtitia vindictas in lædentem obarmaret; *Alienam*, inquit, *deſere ſortem*.

NOCTE TVA CONTENTVS ABI. Nemo ſua ſorte contentus: attamen ſumma eorum infelicitas eſt, qui; non contenti ſorte ſua, aliena rapere, ſi poſſint, concupiſcere, ſi non poſſint, ſumma animi contentione, per fas, & nefas, exquirunt. Execrandam igitur illam carpit libidinem Imperij pomeria dilatandi, quæ Plutonem adegiſſet ad alienam hæreditatem occupandam. Et præcipit, vt ſuo contentus ſit Regno.

ABI. Imperio, vt ſupra, ijſdemq; de cauſis, vtitur: *Abi*: hoc eſt, recede, faceſſe, apage; & te iterum vſurpatà abdices hæreditate. *Abire* enim, verbum ex *Ab*, & *ire* compoſitum, eſt quaſi *longe ire* ab aliqua re, quam detinebamus, ſeù à loco, quem occupabamus. Iterum *abire* ſæpè idem ſonat, ac *ſe abdicare*, &, *per renunciationem, aliquid alteri reſignare*: ſic dicimus *abire magiſtratu* eos, qui *ſe abdicant magiſtratu*. Igitur *Abi*, inquit Pallas; ſed *Abi*

CONTENTVS NOCTE TVA. Hoc eſt *Abi*, faceſſe, ſed prædam ante, quam rapuiſti, deponas *contentus*, expletus, nempè ſatis, ſatiatus ſatis ea ſorte, qua, fatis concedentibus, frueris; abſq; eo quod vlteriùs inſatiabilem velis auiditatem extendere, alienam inuadens ſortem, aliena pignora rapiens. *Abi contentus nocte tua*. Iam lib. pri. vidimus Regnum æterna obſitum nocte Plutoni obtigiſſe; quare & dictus fuit à Lacheſi *Maximus noctis arbiter, vmbrarumq; potens*: *Nocte* igitur hic ponit Vates pro *Regno* Nocturnis tenebris addicto; ſicq; explicat aperte, in quo ſenſu dictus Pluto fuerit Deus terreſtris, nempe in ſenſu modo ſupra à nobis explicato; non verò iuxta ampliatiuam interpretationem, qua vſus Pluto ipſe ad Lacheſis Orationem Imperium ampliaret ſuum. Idem enim hic eſt, dicere *Nocte tua contentus abi*; ac dicere *Sorte tua contentus abi*. *Nocte*, tamen potiùs dixit, quam *Sorte*, vt Noctis, cui Pluto addictus fuiſſet, Deitatem dignam præcipuè Plutonis indicaret connubio, iuxta iam à nobis dicta in anteactis, eâq; coniuge contentum, reſtinctâ Proſerpinâ, Plutonem abire iubet. De Nocte plura vidimus lib. pri. carm. 55. & carm. 112. quarè hic non repetam. De poſſeſſiuo pariter *Tuus* ſatis alibi dictum, & per ſe notum eſt; ideò accelero.

QVID VIVA SEPVLTIS &c. Iterum in exprobrationes excurrit; atq; iterum iurium violatorem inſinuat Plutonem, cum vt ait Virg. Æn. 6. Charontis ore

Corpora viua nefas Stygiâ vectare carinâ.

atq; eodem tempore inſignem Plutonis crudelitatem cum ſtomacho ſugillat.

QVID ADMISCES &c. *Quid* aduerb. interrogandi eſt, idem, ac *cur*, de quo ſupra. *Admiſcere* autem eſt *vnum alienum cum alio miſcere*; ita vt vel vnione, vel ſaltem ſocie-

tate in vnum coaleſcant. Hic in ſecundo ſenſu videtur vſurpari: *quid miſces*; hoc eſt, *quid affectas*; *quid ſimul iungis &c.* ſed & altior ſubeſt ſenſus, vt ex dicendis patebit.

VIVA SEPVLTIS. Præclariſſimam in primis anthiteſim nota. *Viuus* autem adiectiuum a *viuo*, vel à *vita* deriuatum, idem ſonat, ac *vita fruens*, ſeù *Animatum*, ac *vitales adhuc ſpirans auras*; hoc loco Neutrum ſubſtantiuatum eſt *viua*, idem ſignificans, ac *res viuas*, *& vitâ fruentes*; Vbi vides poſitum pro ſpecie genus, & numerum multitudinis pro numero vnitatis; nam per res viuas Proſerpinam, quam abuehebat intelligit. *Quid admiſces viua ſepultis*. Sepultus dicitur a ſepulcro; nam idem eſt *ſepultus*, ac *ſepulcro conditus*. Ponitur autem hic conſequens pro antecedenti, nempè *ſepultus* pro *mortuus*, priùs enim mortuus ſit, neceſſe eſt, quam ſepultus, qui ſepulcro clauditur; Regnum autem Plutonis, regnum mortuorum eſſe, iam noſtis: quarè, dum viuam Proſerpinam ad Inferos detraheret, viuam mortuis admiſcebat. Adde, verè ſepultas dici poſſe inferorum turmas; nam cum ſepulta dicantur, quibus terræ tumulus ingeritur, multò magis inferorum cateruæ, quæ, tota ſuperimpoſita terræ mole conduntur: ijs autem viuam admiſcens Proſerpinam, iam ex tunc, exemplum exquiſitiſſimæ crudelitatis Mezentio præferebat, de cuius tyrannica ſæuitie decantaturus tandem eſſet Virg. Æn. 8.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora,
(Tormenti genus) & ſanie, taboq; fluentes
Complexu in miſero longâ ſic morte necabat.

Sed & vlteriùs extenditur Vatis ſenſus, vt ſupra innuimus; atq; in ſenſu magis rigoroſo, ac vero, ait: *quid viua ſepultis admiſces*; dum de Nuptijs Proſerpinæ ageretur; commiſceri enim profectò corpora coniugatorum, per copulam maritalem, ita vt fiant duo in carne vna, vt dicebamus, notiſſimum eſt, non ſolum iuxta ſanam Theologorum, ac Phyloſ., tum noſtri temporis, tum antiquorum doctrinam; ſed etiam ex communi Poetarum ſenſu, ad quem reſpiciens Virg., ore Iouis locutus Æn. 12. inquit

Sermonem Auſonij patrium, moresq; tenebunt;
Vtq; eſt, nomen erit: commixta corpora tantum
Subſidens Teucri: morem, ritusq; ſacrorum
Adyciam, faciamq; omnes vno ore Latinos.
Hinc genus, Auſonio mixtum quod ſanguine ſurget,
Supra homines, ſupra ire Deos pietate, videbis.

cum itaque Proſerpinam ſibi raperet in Nuptam Pluto; aptiſſimè inquit Vates: *Quid viua ſepultis admiſces?* plurali vſus numero pro ſingulari per Synecd.; nam viua Proſerpina ſepulto admiſcebatur Plutoni, iuxta ſuperius explicata.

QVID PROTERIS &c. Nota emphaticam repetitionem in particula interrogantis *Quid*; qua indignitatem, acerbitatem, ac fœditatem facti exagerat Pallas, & crimina criminibus aggerat, erumpente impetu animi, ideoq; per aſſintheton omnia euibrante. De ſignificatione autem verbi *Proteris* ſatis egimus lib. pri. carm. 128. Hic ſignificat: *cum faſtu, ac contemptu legum, fœderis, ac fratris; denique; Deorum, Dearumq; omnium vilipendio conculcare, peragrando, funeſtando, rapiendo*; & facinus aggrauat adijciens

ADVENA. De huius nominis ſignificatione ſatis dictum hoc eodem lib. carm. 60. Hic tantum nota, emphaticè poſitum, atq; in contemptum Plutonis prolatum. Emphaticè quidem, quia, cum Aduena nullis locorum, in quibus eſt, priuilegijs, nullis exemptionibus frui poſſit, omni prorsùs iure priuatus; oſtendit procùl dubio Pallas, non adeò audendum fuiſſe Plutoni, vt ſibi *aduena* Ciuium iura, ac priuilegia vſurparet. In contemptum autem, quia, vt nouimus, ſemper *aduenæ* contemptibiles redduntur ciuibus, apud quos degunt, præcipuè ſi aliquid ab eorum legibus alienum moliantur. Ideò *quid proteris aduena*

NOSTRVM MVNDVM. Emphaticè hoc ipſum ponitur, nam *noſtrum* inquiens *mundum* implicitè dicit: *in quem nullum tibi ius, nulla auctoritas, nulla poteſtas; cum noſtrum, non tuum, ſit quod proteris noſtræ huius ditionis ornamentum.* Sicq; per anthiteſim correſpondet finis inuectiuæ ſibi ipſi ab initio cauſas ſciſcitanti: *tuacur ſede relicta &c.* dicit ibi: *Hic noſtrum quod proteris aduena mundum.* Huic autem inuectiuæ inherere ea videtur, quam habet Cycnus Crucis lib. pri. vbi Angelus Copiarum Catholicarum cuſtos ſic in Dæmonem hoſtem infernali face nubes liquantem, qua Euphrates intumeſceret inuehitur.

. . . . Tù dunque, tù del Sole
Gl' vfficij vſurpi infame noſtro &c. & inferius
Tù ſuggi tremendo al tuo fangoſo letto,
O' nell' inferno, à te degno ricetto.

Sed iam quæ ad mores ſpectent obiter delibemus.

Palladis Plutoni obſiſtentis hieroglyphico Sacerdotes morienti adſtantes deſignari innuimus ſupra. Et hic quidem eorumdem exprimitur contentio, dum, diuina inſtructi ſapientia, Proſerpinæ, hoc eſt Animæ noſtræ, raptorem compeſcere, atq; ad prædam deſerendam compellere, conantur; cum ſcilicet ſacris vocibus in commendatione animæ intonant: *Cedat teterrimus ſatanas, atq; in æternum noctis chaos immane diffugiat: confundantur, & erubeſcant tartareæ legiones omnes &c.* Sed quid hæc proſunt, ſi Anima flores Plutoni addictos colligens, præteritorum ſcilicet delictorum delectationem mente occupans deprehendatur? Fluxa profectò cadunt hæc omnia, & rapitur Proſerpina curru. Caue, ne his immorans deprehendaris, infelix Anima; nam, ſi hæc agens deprehenderis, licet ſacris horreſcat vocibus raptor, a raptu tamen non deſiſtit; nam, latâ Iudicis ſententiâ, non iam alienam, ſed ſuam rapere exorſus, prædam deſerere non cogetur, quantumuis eccleſiaſtica obſiſtat Poteſtas; non quidem defectu Poteſtatis, ſed defectu tui, quæ, Eccleſiaſticam hanc poteſtatem negligere aſſueta, eneruatam illam, validumq; in te hoſtem effeciſti. Qualis vita, finis ita: nam tanta eſt vis habitus peccandi, quem multiplicatis, toto vitæ tempore, actibus auxiſti, vt etiam moriens peccare non deſiſtas; atq adeò Plutonis colligens flores indignam te ipſam efficis, quæ efficacibus Eccleſiaſticæ poteſtatis viribus muniaris; atq; ideò, quibuſuis licet obuallata præſidijs, Prædatori patens adſtas; &, nullis auxiliantium laboribus iam obſtantibus, rapitur Proſerpina curru. Fuge flores, dum tempus habes: delicias decipientes, inſipienteſq; amputa, dum vegetant vires adhuc vitales ſpiritus, vt non incaſſos, in morte veræ ſapientiæ labores experiaris: habitus exue ſceleratos, eoſq; infelices vtiq. exuuias, Eccleſiaſticæ poteſtati tradas diſcerpendos, antequam adeò roborentur, vt, tuis Animæ Potentijs labefactatis, impotens ad cauendos reperiaris; ſi auxiliaria eiuſdem Poteſtatis munia efficaciſſima tibi exoptas in morte: alioquin fruſtra illa tunc inſumuntur; atq; in peccato ſuo moriens rapitur Proſerpina curru. Sed, ne & nos vlterius, veritate alliciente, rapiamur, Italis Pindi rupibus alligemur.

Scioperato Rettor d'vn Mondo inſano,
De tuoi ſaggi Fratelli vnico ſcorno,
Pallade diſſe, e qual furor profano
Sferza il ſen, sforza il piè, t'arruota il corno?
Qual ſtimolo, qual face (empio, inhumano)
Di tue Furie t'aggira; ò qual vibrorno,
Suelta dal crin, l'abominande ſuore
Empia ceraſta, ad addentarti il cuore?
Perche de Regni tuoi, delle tue ſoglie,
Senza ritegno, abbandonati i freni,
Traſandare i confini, è, che t'inuoglie;
Laſciar tuoi ſeggi, ed vſurpar gl'alieni?
Perche del Mondo al depredar le ſpoglie,
Rotte le leggi, empio ladron, te 'n vieni?
Come tant' oſi? E co'l tartareo cocchio
Perch' offuſchi del Sol limpido l'occhio?
Che, s'hai deſio di nozze; e, ſe t'alletta
Di cara ſpoſa il vezzeggiar gradito;
Vattene à Lidi tuoi, che là t'aſpetta,
Trà le ſponde di Stige, e di Cocito,
Schiera d'Amaſie, al tuo poter ſoggetta.
Colà l'ire de Dei, ch'à mal partito
Guidan l'alme rubelli, al tuo furore
Se dan la mano, habbian del cuor l'amore.
Colà di Lethe hai le funeree Diue,
Colà le Furie al ſodisfarti intente:
Ne giuſto è già, che traſandate, e priue
Sian da te del tuo letto; anzi contente
Queſte far denſi, à tuoi piacer non ſchiue.
Laſcia di tue rapine il Mondo eſente;
Laſcia del tuo Germano intatti i chioſtri:

De-

Degni ampleſſi d'vn moſtro han ſolo i moſtri,
Non t'vſurpar ciò, ch' eſſer tuo, non lice;
Poich'il diede del Fato altrui la ſorte,
Di tua Notte contento, onde s'elice,
Tuo douuto rettaggio, ombra di morte,
Vanne; ſgombra la terra, e d'infelice
Peſo la ſgraua, A che vuoi far conſorte
De ſepolti chi viue? A' che calpeſti,
Straniero, il ſuolo, e'l noſtro Mondo infeſti?

Sed, ne infeſti & nos ſimus, ad noſtri Vatis dulcedinem reuehamur.

Talia vociferans auidos tranſire minaci
Cornipedes vmbone ferit, clypeiq; retardat
Obice, gorgoneiſq; fremens aſſibilat hydris,
Prætentaſq; aperit criſtas: libratur in ictum
Fraxinus, & nigros illuminat obuia currus:
Miſſaq; pene foret, ni Iupiter æthere ſummo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas
Conſeſſus ſocerû. Nymphis Hymenæus hiulcis
Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ.
Inuictæ ceſsêre Deæ: compeſcuit arcum
Cum gemitu; taleſq; dedit Latonia voces.

TALIA VOCIFERANS &c. Conuenienter Dearum adhùc minas Plutone, dictiſq; obtemperare detrectante; cum immò, ne reſponſione quidem, aut auſcultatione, dignatus Palladem iter proſequi auſus fuerit; à minaci Deam oratione ad vim apertâ vi propulſandam conuerſam deſcribit, per hyppotipoſim, ita vt, eodem, quo loqueretur, tempore, bellicos etiam auſus in non morantem exerceret; eoq; rem indicat redactam, vt, libratâ iam in vulnus haſtâ contra contumacem Plutonis audaciam, ſanguine litandum iam eſſet. Prohibitam tamen ab ictu oſtendit, ſigno de Cælis à Ioue immiſſo, quo, non ſine ſui Numine, raptam à Plutone Proſerpinam, innuerit Iupiter; ne, pietati ſe indulgere, exiſtimantes, Deæ in ipſam Iouis ſententiam militarent, atque impia potiùs, quam pia earum euaderent arma. Obtemperantes hinc Deas ſupremo efficit nutui, licet non ſine mærore ceſſerint, ad quem exprimendum locuturæ viam præparat Deliæ.

TALIA VOCIFERANS &c. Vbi periculum eſt in mora, terere tempus verbis, ac nil interim agere imprudentis animi eſt. Quæ nota cum nullo modo inuri poſſit, natæ ex Iouis cerebro, Sapientiæ (quam diximus Palladem eſſe) nil mirum, ſi, ad omnia oculatus Vates ſupremæ huic ſapientiæ morem gerat, ita vt, & legibus de bello legitimè inferendo, per præuiam denunciationem, acterum repetitionem, vt ſupra dicebamus, non deroget; immò eas adamuſſim exequatur, & interim non omittat, quæ, ad euitandum in mora periculum, videbantur neceſſariò obeunda. Superiùs itaque Palladem legibus belli obſecundantem inducit, dum eâ, quam vidimus, inuectiuâ, & res repetentem, & bellum, ni redderentur indicentem, prænotauit. Hinc autem, eam interim non, preſſis manibus, ſediſſe, dum loqueretur, oſtendit; ſed immò conatus, citra ſanguinem tamen, exercuiſſe, vt Latronem detineret, qui ſuperbo nimis faſtu progredi velle, ne aurem quidem increpanti dignatus præbere, videretur. Ideò

TALIA VOCIFERANS. De natura huius vocis *Talia* egimus hoc eodem lib. carm. 151. *Vociferans* verò participium præſentis temporis eſt à verbo deponenti *vociferor*, ſeu ab actiuo (quod olim in vſu fuit, & habetur etiam apud Tullium 4. in Verrem) *vocifero*, quod idem eſt, ac *voce effero*, ideſt *clamo*, & *magna voce contendo*: & ſic Virg. Æn. 2. inquit;

Talia vociferans gemitu tectum omne replebat.

Vtitur autem participio præſentis temporis, ad indicandas Palladis actiones mox deſcribendas, comites fuiſſe vocis, & eodem, quo loqueretur, tempore peractas; nam ſenſum eſt: *dùm talia loqueretur* ſumma vtique vocis contentione, eodem tempore

FERIT VMBONE MINACI &c. De verbo *ferio* latè egimus hoc eodem lib. carm. 173. Hic tamen non in tanto rigore ſumitur, vt ibi, ſed in latiori ſignificatione vſurpatur, pro eodem ſcilicet, ac ſimpliciter *percutere*, & quoquo modo, licet ſine vulnere offendere. *Vmbo* propriè eſt media ea Clypei pars, quæ cæteris extat eminentior, & quaſi centrum eſt, ad quod omnes ex eiuſdem Clypei circumferentia lineæ ducuntur: Sumitur tamen hic prò toto Clypeo per ſynecd. pars ſcilicet pro toto. Sic Statius:

Iam Clypeus clypeis Vmbone repellitur vmbo,

quod ita egregiè vertit Italicorum Princeps Taſſus Cant. 9.

S'affronta inſieme, horribilmente vrtando
Scudo a ſcudo, elmo ad elmo, e brando à brando.

Minax denique dicitur, qui frequenter minatur; à minis enim *Minax* deducitur: ex quo duo licet de Poetæ ſenſu deducere, nempe Palladem non ſtatim in vulnera irruiſſe, ſed, ſimplici percuſſione Clypei contentam fuiſſe, non quidem Plutonem ipſum, ſed equos aggredi, vt minis terreret, & ab itinere abſterreret; ad hoc vt, morâ iniectâ, tempus Plutoni concederetur ad raptam Virginem reſtituendam. Ideò ferit equos, ſed armis defenſiuis, nempè Clypeo, non offenſiuis: *vmbone minaci*. Secundò eam non priùs ad haſtam deuenire voluiſſe, quàm obfirmatam cerneret Plutonis contumaciam, vt ſe oſtenderet, medijs etiam in armis, generoſiſſimæ virtutis non immemorem.

CORNIPEDES AVIDOS TRANSIRE. *Cornipedes* dicuntur equi, eo, quòd corneas habeant vngulas. Verùm quidem eſt genericum eſſe huiuſmodi nomen reſpectu omnium animalium, quæ corneos habeant pedes, vt Ceruus, Capra, & cætera huiuſmodi: Sed ponitur hic genus pro ſpecie, & limitatur à ſubiecta materia, circa quam hoc loco verſamur. Quid importetur per nomen *Auidos*, quod adiungitur, habes hoc eodem lib. carm. 137. Nota hic tantùm artificium Poetæ, qui, ex vna parte culpam Raptoris refundit in equos, vt Palladi liberum ſit, benignitate adhùc potiùs vti, quam vltione, in quam irruere illicò debuiſſet, ſi ſe ſpretam exiſtimaſſet: inſinuat enim hoc pacto, non tribuiſſe Deam Plutoni contumaciam iter proſequendi, quamuis obuerſantem itineri Palladem videret; ſed exiſtimaſſe id equis imputandum, qui, iam in curſum effuſi, non facilè adeò pedem cohibere ſuſtinerent; atque adeò non dirigit in Plutonem impetum, ſed in equos, & minis tantummodò territare aggreditur, ac leui punit percuſſione, cum equeſtri virtute indignum videatur in irrationabilia deſæuire. Ex altera verò parte, quantùm Palladis, licet odia exercentis, humanitatem extollit; tantùm Plutonis hic barbariem tacitè carpit, qui videretur, vel per proſtratæ Palladis oppoſitum pectus, carpentum agere conatus; eo pacto quo poſtea Cycnus Crucis lib. 23., barbariem exagerauit Vrbantis, qui equum in Battanum, pedeſtri pugna detentum, concitauerit; hæc Hetruſca inſonans tuba

E con atto barbareſco, e villano
Vuol coglier d'vrto il Caualier Romano,

quod procùl dubio efficit Auctor noſter, vt graphicè vtriuſque mores imitetur; nam ſic & Palladis equeſtri generoſitate deprælíantis, & Plutonis, ex oppoſito, barbarè, temerè, impiè agentis ruſticitatem ſub oculis ponit; nam ſi ipſe habenas, vt debuerat, collegiſſet, certè equos ſubſidere coegiſſet ideòque, reuera, culpa Plutonis fuit, non equorum, licet benigna Palladis interpretatione in equos refundatur *auidos tranſire*. *Tranſeundi auidos* diceret Grammaticus; ſed græcolatina hæc dictio eſt, quæ more poetico, per metaplaſmum, græcorum vtitur modo, ac conſtructione dicendi. Porrò *tranſire*, verbum compoſitum ex *Trans*, & *ire*, idem eſt, ac *aliquam ſuperare oppoſitionem, quæ itineri obuerſatur, & vltra ire*. Oppoſuerat ſe ipſam Pallas iter impediens; ergò Palladem ſuperatam relinquere, atq; vlteriùs iter protendere conabantur. Ideò *Auidos tranſire &c.*

ET RETARDAT &c. Actionem percutiendi equos à Pallade promanantem, ſeù potiùs effectum ipſum actionis, nempè percuſſionem ab equis acceptam, cum ſimultaneo eiuſdem effectu, tamquam ab eadem actione deriuato, nempè cum equorum retardatione, copulat Vates hic per copulatiuam *Que* pro *&*. Per verbum autem *Retardat*, impetum, ac vim Palladis obſiſtentis oſtendit inſignem, dum vix Vmbone feriens equos, indomitos quamuis, potuit retardare. Verbo autem actiuo vtitur, cuius agens eadem, de qua ſupra Pallas ſit, vt eadem intelligatur, & actionem feriendi, & actionem effeciſſe retardandi equos, nullâ inter

vtramq;

vtramq; interpoſita mora. *Retardare* autem eſt *moras properanti iniicere*, vt paret ex oppoſito, apud Virg. Æn. 3.

Ac neq; eos iam frena virûm, nec verbera ſæua
Non ſcopuli, rupeſq; cauæ, atq; obiecta retardant
Flumina &c.

OBICE CLYPEI. *Obex*, ab objicio deductum, idem eſt, ac *obiectum*, ſeu obſtaculum: quarè idem eſt dicere: *Obice clypei*, ac dicere: *obiecto clypeo*; ſexto ſcilicet caſu inſtrumentum efferente. Sic Virg. Georg. 4.

Immane ſe vaſti Proteus tegit obice ſaxi.

Corripiendam, cum Silio in quarto, primam in *obice* contendunt quamplurimi: & quidem, cum *obex* ab objicio deriuetur, & conſequenter ſit compoſitum ex *ob*, & *iacio*, non inficior, primam in *obice* breuem eſſe, niſi per interiectum *i* ſcribatur, vt contendit Gelius, qui *obiex*, non *obex*, aſſerit ſcribendum, vt producatur; eumq; ſecuti profectò ſunt Parrhal., Heinſ. & alij in hunc locum, *objice*, non *obice* ſcribentes. Verùm hæc ſententia, bona Auctorum, quos veneror, pace,

incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim.

cupiens enim euitare primæ ſyllabæ breuitatem incidit in amphibologiam; nec enim ſatis in aperto erit, num vox illa *objice* pro ſexto nominis caſu ponatur, an pro imperandi tempore præſenti, quod item ex *objicio* coniugatum vocem habet *objice*, quæ pariter dactilum efficiet. Melius itaque arbitror ſcribendum per ſimplex *I* & *obice*, non *objice* exarandum; nam concedo vtiq; ſyllabam tunc *ob* breuem fore, iuxta præceptum proſodiacum de præpoſitionibus.

Corripe ab, & ſelinunt, obſtet niſi conſona bina.

ſed memini etiam produci poſſe in gratiam carminis, per aliud proſodiacum præceptum de figuris, per Ectaſim, nam

Ectaſis extendet: rapiet ſed Syſtole vocem.

Satiùs autem eſt figuratè loqui, quam in amphibologiam impingere. *Clypeus* porrò militare ſcutum maius eſt, quod tantum peditibus olim in vſu fuit: *ſcutum* verò minor clypeus fuit, ab equitibus adhiberi ſolitus; licet nunc promiſcuè pro eodem & ſcutum ſumatur, & clypeus, ita vt ad conuerſionem dici videantur. Clypeum autem à *τοῦ γλύφειν*, hoc eſt à ſculpendo deductum, autumant, quaſi *γλυπτὸς*, id eſt *ſculptus* dicatur; eo quod in eo præclara militum geſta exararentur, vel ſculptis, vel pictis imaginibus; vnde, qui nihil adhùc ſtrenuè geſſiſſent in bello, parmâ vtebantur alba. Sic Helènor ille, apud Virg. Æn. 9. tyrocinia belli exercet

Enſe leuis nudo, parmâq; inglorius alba.

At verò vice verſa Batranus, apud Braecciolinum, cum quinquennium præclariſſimis militiæ geſtis impleuiſſet, quinq; purpureis orbibus clypeum decorauerat, & ſextum deniq; angelica manu additum deſcribit eit. Auctor, lib. 33. poſt victoriam de Armallo reportatam, his verbis:

Tronca il teſchio Batrano, ond'ei ne faccia
Poſcia all' Imperador bramato dono;
E quel moſtrando à Perſiani agghiaccia
I cuor di quanti à rimirar vi ſono.
Inuiſibile in tanto à lui la faccia
L'Angelo aſciuga del ſupremo trono:
Et hà di propria man tolto dal Cielo,
Sparſo di ſtelle d'oro, azzurro vn velo.
E, poich' egl' hà dal glorioſo volto
Del vincitor magnanimo il ſudore
Con la benda celeſte aſciutto, e tolto,
E riſtorato il natural vigore,
Alle Palle vermiglie onde riuolto,
Che fanno à lui nell' ampio ſcudo honore,
Co'l velo ancor, che nella man gli reſta
Bagnato di ſudor, ſegna la ſeſta.
Et ecco appar l'vltimo globo impreſſo
Dal Miniſtro diuin del ſommo coro;
E 'l celeſte color ſi ſcorge in eſſo,
Qual era il velo, e delle ſtelle l'oro;
E riman nell' azzurro in tanto eſpreſſo
In ſembianza di Gigle il lume loro,
Gigli vittorioſi, ed immortali,
Che, quanto gira, il Sol non vede eguali.

Hùc veniunt etiam imagines, quas ſculptas in Clypeo, quem ſapiens ille Rinaldo, ex Armidæ tecnis in bellum reduci, deferebat, deſcripſit Taſſus Hieroſ. liber. cantu 17. & aliæ plures, de quibus Nos in tractatu noſtro de Militari Emblemmate diſſeruimus. Sed nos iam nimium Clypeus remoratur.

ET PREMENS. Contra pertinacem cornipedum contumaciam, maiori ſemper conatu inſurgentem Palladem gradatim oſtendit: quantò enim pertinaciùs tranſire nituntur equi, tantò maiori Pallas innitens pondere reſiſtit. Premo itaque, à quo *premens*, *vrgere* ſignificat, ac *toto conatu deorſum mouere*: ex quo vides, quàm viuidè hypotipoſis aſſurgat; iam enim videmur habere ante oculos ipſum Palladis conatum reſiſtentis, vrgentiſq; à fronte equos toto & Clypei, & corporis niſu, atque vmbonem eorum frontibus iterùm, iterùmq. imprimentis, vt ſiſtere cogeret contumaces.

ASSIBILAT HYDRIS GORGONEIS. *Aſſibilo* verbum compoſitum eſt ex *Ad*, & *Sibilo*. Porrò præpoſitio *ad* duplicem, inter alias, ſignificationem habet: interdum enim eſt particula intenſiua, idem ſonans, ac *admodum*, & *valdè*; interdum autem eſt particula aduerſatiua, idem ſonans, ac *contra*. *Ad illum mihi pugna eſt &c.* Probatiſſimi inquiunt auctores. Vtramque ſignificationem amplexum fuiſſe hic Poetam, non ambigo, ita vt ſenſus ſit: *valdè contra equos ſibilat*: *Sibilare* autem idem eſt, ac *ſibilum edere*: quod ſerpentibus attribui ſatis iam in comperto eſt. Ideo *aſſibilat hydris*; hoc eſt *hydros irritat adeò, vt aſſibilent*. Palladem tamen aſſibilare, inquit, ad phyloſophicum illud reſpiciens *cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati*, vel ad illud legale: *Qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur*; nam ſic & Pallas cum per hydros à ſe ipſa irritatos aſſibilaret, aſſibilaſſe dicitur ipſa. Quid ſit hydrus, iam vidimus lib. primo carm. 39.; hi autem *Gorgonei* dicuntur, Patronimico à Gorgone deriuato, de qua vide dicta hoc eodem lib. carm. 26.

PRÆTENTASQ; APERIT CRISTAS. Nota pulcherrimam in actionibus Palladis gradationem: ſupra expedierat Gorgonem citiſſimè reuelandam: hic ferit equos vmbone; retardat obices; aſſibilat hydris. &, cum his nihil proficeret, aperit tandem criſtas. Nota & artificium: Sicuti enim, in præambula Palladis inuectiua, vſus eſt Vates diſſolutione coniunctiones omnes reijciente, vt moras omnes, eubratis diſcurſuum acu nimbus, diſrumperet; ſic, in gradatione actionum, gradibus per Poliſintheton coniunctis, moras videtur innectere, vt ſpatium reſipiſcendi detur Plutoni, qui cum nihil adhùc flecteretur, illa, vltimum belli experimentum exertura, morulis abiectis, *aperit criſtas; vibrat haſtam &c.*

ET APERIT. Actionem actioni copulat, vt ſupra dicebamus, per coniunctiuam *que* pro *&*. *Aperire* verò idem eſt ac *detegere*, & *quod in occulto erat palam facere, atque in conſpectum educere*. Detractâ itaq; iam Palla, qua Clypeus obtegebatur Gorgonem conſpiciendam hic objicit Pallas, quam, vt ſupra vidimus, in procinctù fuerat, vt detegeret: & aperit, vt extremis malis extrema iam remedia adhibeat, vt item ſupra indicatum.

CRISTAS PRÆTENTAS. Quid Criſtæ ſint vidimus lib. 1. carm. 14. Hic de criſtatis ceraſtis, quibus Gorgonis horreret caput, ſermo eſt; & *criſta* pro integris ponuntur ceraſtis; pars ſcilicet pro toto, per ſynecd. Aptè tamen *criſtas* potiùs, quam aliam, ad totum ſignificandum, delegit partem: quia, cum capitis decoramentum Criſta ſit, & caput præcipua ſedes ſit horroris, ac veneni, in anguibus, ſequitur, vt hæc maximè pars ad horrorem compoſita videatur. Adde quòd angues iſti omnes, in ſibilum erecti, vere Gorgonei capitis criſtæ dici potuerint profectò. Has *prætentas* dixit, per participium præter. temp. paſſiuum, à verbo *prætendo*, quod idem eſt, ac *exporrigo*, idest *ante tendo*, vel *ante porrigo*: ex quo *prætentas* idem erit, ac *exporrectas*, idest *ante ſe porrectas, atque in hoſtes ſacrem intentatas*; quia hoc geſtu Pallas Gorgonem obiecerat. Vbi vides, quam viuidè prælliantis actum deſcribat Vates, oculiſq; ſubjiciat: nam certè qui prælium init, ipſo ſtatim initio Clypeum, quanta eſt ab humero ad cubitum brachij longitudo, a proprio ſubmouet pectore, & hoſtem verſum exporrigit, vt faciliùs totum corpus Clypei munimine protegat, ac ſubinde eubrato, quaſi ex abditis, mucrone terreat andagoniſtam. Sic itaque & Pallas hic *prætentas aperit Criſtas*. Declamant contra hanc noſtram, cum Parrhaſio exaratam, lectionem Heinſius, qui legendum contendit *Prætentaq; aperit Criſta*: atque his præciſè verbis Parrhaſianam, noſtramq; inſectatur lectionem. *Hic denuo vetuſtam omnium librorum damus lectionem: vt Clauerum mirer* (nobiſcum legit Clauer.) *in contrarium euntem. Quid enim eſt prætentas aperire criſtas? &c.* Equidem, vt ad hoc vltimum reſpondeam, quid ſit *prætentas aperire criſtas*, abundè ſupra dilucidatum iam arbitror: immò vice verſa fateor imbecillitatem ingenij mei, qua nunquam percipere potui, quid

ſibi

ſibi velit Heinſius, dum legit *Prætentaq; operit Criſta*. Explicare nititur Heinſius ſubdens: *Velare lib. 3. in Stilmonem dixit, vt hic: operire*. Iam noſco Interpretis æquiuocationem. Viderat dictum ab Auctore in anteactis: *iam Gorgonis ora reuelat*: quare quod in procinctu dicitur fuiſſe, vt faceret Pallas, factum credidit Heinſius; & ideò hic operientem denuo detectos hydros induci Palladem eſt arbitratus. Verùm facilè crediderim quod Parrhaſ. in hunc locum aſſerit inquiens: *emendati codices legunt Prætentaq; aperit Criſta, nullo ·annuente ſenſu*. Nam procùl dubio imprudentiſſimè egiſſet Pallas, ſi ipſo belli initium vltimum belli præſidium exerere voluiſſet gorgoneas detegens ceraſtas, vt tunc iterum operiret, cùm extrema belli aleâ ingruente maxime fuerant detegendæ: eas enim iam detectas iterum operire ſignum fuiſſet cedentis, ac bellum vlteriùs protendere nolentis; quod eſt expreſsè contra textum Poetæ, qui immò bellum maximè à Pallade iam vrgeri demonſtrat ſubdens

LIBRATVR IN ICTVM FRAXINVS. Haſtis conficiendis præſtant, inter arbores, Fraxinus, & Cerrus; Ideo Fraxinum poſuit Vates pro haſta Palladis ex Fraxino; materiem ſcilicet pro re ſignata. Ideò *Fraxinus libratur*, hoc eſt *vibratur in ictum*. Sed nota proprietatem verbi. *Librare* enim, hoc loco, idem eſt, ac arreptam lanceam ad trutinam reuocare, vt eam, ea parte, manus arripiat, ex qua in vtramq; partem haſta, æquo pondere moderetur: nam hoc pacto, certiori ictu, in aduerſum hoſtem dirigitur, quod maximè, in miſſilibus haſtis, locum habet: ut Palladem haſtâ ſuâ, miſſilium more, vſam fuiſſe, hoc loco, patet ex eo, quod mox addetur: *Miſſaque penè foret*. Ideò aptè: *Libratur in ictum*; ideſt vt in ictum euibretur. *Ictus* autem ſubſtantiuum hic nomen eſt ab *Iciendo*, ideſt *feriendo* deductum; quare idem eſt dicere *in ictum*, ac dicere in *Vulnus infligendum*. Nota autem iterum Vatis artificium, qui, cum ageretur de oſtentanda Palladis generoſitate, tempus dantis Raptori ad reſtituendam prædam, omnia, per poliſſintheton, remoratur; cum, ſuperante patientiam Raptoris contumaciâ, in vindictas viſum eſt irruendum, iterum moras, per aſſintheton, præcipitat: *Prætentas aperit Criſtas*; libratur in ictum fraxinus &c.

Duas tamen poſſet quis fortaſſis incongruentias ſomniari, ac celeberimum Vatis ingenium carpere: nam primò, per hiſteron proteron, ideſt, aduerſante rerum natura, contra naturæ ordinem videri potuit proceſſiſſe: priùs enim exſibilantem deſcribit hydros, quam detecti fuerint, atque in pugnam excitati: vbi priùs videtur debuiſſe ponere, *aperit Criſtas*, ac ſubinde *aſſibilat hydros*; ea enim inuerſi ordinis ab Auctore adhibita Naturæ certè ordini repugnat, quæ per prius excitatum vult anguem, quam aſſibilet. Secundo, ſpectatâ Gorgonis Naturâ, quæ in lapidem verteret aſpicientes, detectis Gorgoneis hydris, vel lapideſcere debuerat Pluto, vel ſaltem Proſerpina; atque adeò fruſtrato iam prædatore, ſuperuacaneum futurum erat, vt Pallas fraxinum libraret in ictum. Nec dicas Gorgonis virtutem nullam fuiſſe reſpectu Deorum, vel eorum, qui ex Deorum ſemine ortum duxiſſent; nam & Perſeus, qui Gorgonem obtruncauit, filius Iouis ex Danae fuit; & tamen, ne lapideſceret intuitù Gorgonis, aduerſus inceſſit, cum ad obtruncandam acceſſit, vt nos ipſi in anteactis diximus. Peccat igitur in Gorgonis naturam Vates, dum, eius aſpectù, nec Plutonem, nec Proſerpinam lapideſcere, ex eiuſdem patet contextù, vbi, nil proficiente Gorgone, ad euibrandam haſtam ventum fuiſſe commemorat. Verùm ne acceleremus, quæro accuſationes huiuſmodi contorquere, ne cæcutire videamur in Sole. Dicat mihi, qui ſic oblatret, ex quonam Serpentium ſibili proueniant? Certè & ſibilus ſerpentibus datus, ad internas eorum affectiones, quoquomodo, exprimendas: ideò vel ſibilant ſerpentes, cùm amore perciti fœminam accire conantur; vel cum fame vexati cibos quærunt exſibilantes; vel cum ira accenſi in vindictam ſe ſe quaſi oris excitant tuba &c. Iam quandonam magis ſerpentes in iram concitantur, quàm cum, eorum corpora, vel percutiuntur, vel compreſſione aliqua, aut colliſione læduntur? Colliſos cum equorum frontibus Gorgoneos hydros, cum Pallas cornipedes vmbone ferijt, quis dubitet? At, ex huiuſmodi colliſionis offenſione, quantas in iras excandeſcere potuerint, quis ignoret? Cùm itaque ex irarum æſtu ſerpentium ſibilus proſiliat, quis neget, ſub ipſo pallæ integumento licet latentes, offenſos tamen hydros fuiſſe aſſibilaturos? Immò, cùm fiat ſibilo horridior ſerpens, aptè non ante ſibilum detegit hydros Pallas, vt horridioribus poſt ſibilum, formis in hoſtem vibrarentur: Naturæ igitur ordinem ſequitur potiùs Vates, quàm inuertat, vt patet; atque arcus Palladis oſtentat irritantis priùs hydra, quàm detegentis, vt ſcilicet illi, validiori horrore obduratum percellerent hoſtem. Quo ad ſecundum, Meminit profectò Vates Gorgoneæ frontis naturam; ſed & meminit veritatem illius effati: *ab aſſuetis non fit paſſio*. Quare, cum ſciret, familiares Plutoni in inferis Gorgones eſſe, iuxta illud Virg., Inferorum monſtra, Æn. 6, enumerantis

Gorgones, Harpyæq;, & forma tricorporis vmbra,

nouit etiam, Plutonem lapideſcere non potuiſſe ijs aſpectibus, quibus familiariter in inferis vteretur. Sed inſtabis; hoc dato, imprudenter Pallas ora Gorgonis reuelaſſet, quibus ſciret, non afficiendum Plutonem. Sed facile reſpondetur, non ita afficiendum, vt lapideſceret, nouiſſe profectò Palladem; non tamen arbitratam fuiſſe, non omninò afficiendum, nam etiam interdum ab aſſuetis paſſio fit, etſi fit non tanta. Ad terrendum itaque, non ad conuertendum in lapidem Plutonem Gorgonis ora reuelauit, quaſi illi monſtra ipſa obijciens ſua, atque eiuſdem facinori oſtentans obuerſantia. Quod ad Proſerpinam ſpectat; nec illa quidem lapideſcere potuit, habita ratione rerum, quæ tunc agebantur; & modi, quo agebantur; atque attento Auctore cuius nutu agebantur. *Rapitur* itaque *Proſerpina curru*, ſed a Raptore amoris flamma ſuccenſo: quare, ſi amantium mores intueamur, dicendum erit, Plutonis amplexibus ita adſtrictam fuiſſe Proſerpinam, vt cogeretur vultum Plutoni contemplanti exhibere, atque horrida oubentis oſcula in faciem pati: Cum itaque Pallas ante currum ſtaret, fronteſq; equorum vmbone feriret detentura; & Pluto lora equorum regens conuerſam in equorum capita faciem haberet, ſequitur vt Proſerpina, facie in Plutonem, licet inuitis animis, conuerſa, ab obiecta Gorgone aduerſa conſtitueretur, atque adeò immunis ab imminenti Gorgonis effectu exiſteret. Inſuper, cum, ex Iouis lata ſententia, ad Gorgones perpetuò aſpiciendas duceretur, debuit congruenter, eodem Ioue Auctore obfirmati adeò, vt, etiam ſi reſpexiſſet, earum aſpectu verti in lapidem nequaquam poſſet. Quibus omnibus perſpectis, nil mirum, ſi ambos Poeta immunes fecerit; Ita vt à Pallade, Raptorem aggrediente, ad haſtam tandem fuerit deueniendum: *Libratur in ictum fraxinus*

ET OBVIA ILLVMINAT &c. Arma euibrata martialem emittere fulgorem, nemini imperuium eſt; &, qui huiuſmodi fulgorem non decantet, nullus eſt fere Vates. Sic Virg. Æn. 10. de haſta Æneæ manu euibrata inquit:

Ille auidus pugnæ ſuras incluſerat auro
Hinc, atque hinc; odit q; moras, haſtamq; coruſcat.

Sic eodem lib. de Ænea, Turnum exagitante, ait:

Æneas inſtat contra, telumq; coruſcat.

immò tantum fulgoris attribuit Pamphilus Saxius euibrantis telis, vt ignea ea dixerit: *Ignea tela ruunt &c.* Et haſtam, aperto ore, flammantem appellat Pontanus

Mox flammantem haſtam, & calos tela horrida Iule,

ad hæc itaque alludens Auctor criſpatam à Pallade haſtam, ingenti adeò fulgore autumat coruſcaſſe, vt nigros Plutonis currus illuminare potuerit; atque euibratis quaſi flammis illuſtrare.

ET OBVIA ILLVMINAT. Libratæ in ictum haſtæ proprium, per copulam *&*, ſubnectit coruſcationis effectum. *Obuium* autem dicitur quidquid alteri occurrit, quaſi *ob viam occurrens*. Cùm igitur haſta Palladis in Plutonem dirigeretur, illi dicitur *obuia* fieri, de quo vide etiam dicta lib. 1, carm. 47. Porrò *illuminare* idem eſt, ac *lumine illuſtrare*. Dupliciter itaque alicui tribuitur actio illuminandi; vel ita ſcilicet, vt ſumatur tamquam pura actio ab agente procedens, vel prout recipitur in paſſo, quod illa actione illuſtratur. Vtrumque attigit vno verbo hìc Vates; nam, ſi currus illuminatur, ex neceſſario antecedenti habetur quod haſta lumen emiſerit, quo currus illuminaretur. Illuminat itaque haſta Palladis; hoc eſt lumen, & fulgorem emittit; & illuminat currus; hoc eſt, fulgor ille in curru recipitur, & colluſtratur recepto currus fulgore. Atq; ideò *illuminat*

NIGROS CVRRVS. De hoc curru vide, quæ diximus initio lib. primi; ac tantum nota plurali vſum hic numero Poetam pro ſingul. per ſynecd.; triplici autem ratione *nigrum* dici aliquid poteſt, vt dix. etiam lib. 1. carm. 79. Videas locum, atque ibi dicta huc transferas; *niger* erat enim currus Plutonis colore, ſcelere rapiendi, ac funere Virginis raptæ, quæ in regnum rapiebatur mortuorum, ac denique quia *Nox ſua proſequitur currum*, vt dicetur lib. 3. carm. 243.

MIS-

MISSAQ; PENE FORET &c. Animaduerte ex dictis pulcherrimam ſuſtentationem, quæ in inſperatum tandem quid, aptiſſimè, deuoluitur. Quid enim ſuſpenſius huiuſq; expectatione animus expectare poterat ex tanto armorum apparatu, ex Palladis inuectiua, ex inita bellandi ratione, niſi bellum atrociter gerendum? Aſt, quia multa cadunt inter poculum, ſupremaq; labra, en habitam repentè ab armis ceſſationem, cum iam in ictum Fraxinus exiliret, *Miſſaq; penè foret &c.*

ET PENE. Interruptam repentino euentu Palladis actionem, factumq; infectum copulat cum ipſa actione iam iam faciente, hoc eſt iam iam vulnera infligente, per particulam coniunctiuam *que* pro *&*: atq; quod, & cur factum non ſit, oſtendit. De aduerb. *Penè* vide lib. pri, carm. 42.

MISSA FORET. *Miſſa* à mitto idem hic eſt, ac euibrata, eiaculata, & contorta in hoſtem. *Foret* à defectiuo *Forem* idem eſt, ac *eſſet*, vel *fuiſſet*; quarè idem hic eſt, ac miſſa fuiſſet.

NI IVPITER &c. *Ni* pro *niſi*, per apocopen, vſurpatur; & particula, ſeu dictio exceptiua eſt, qua Vates ponit exceptionem, quam paſſa eſt, ne perficeretur, Palladis actio in Plutonem. De Ioue plurima habes lib. pri. carm, 93. & 114. & 118. & alibi paſſim. Ideò reticeo.

ÆTHERE SVMMO. Quid ſit æther videas lib. pri. carm. 140. Hic pro Iouis ſede ſuprema ponitur, vt ſatis patet; ſeù pro toto Cælo, cum ſit totum Cælum ſupremi Numinis ſedes. Aptè tamen *Æthere* ſummo dixit; hoc eſt & ex ſummo Cælo, & ex ſumma eiuſdem Iouis voluntate decernente; nam, *Ætherem* ipſum fuiſſe Iouem, ſenſerunt nonnulli apud Mythol. Nat Com. lib. 2, cap pri. De *ſummo* pariter vide dicta lib. pri, carm. 213.

TORSISSET ALAS PACIFICAS. De verbo *torqueo* vide dicta hoc eodem lib. carm. 199.; nam & hic pro *torquendo iactu* aſſumitur, vt celeritas euibrati fulminis connotetur, ob quam etiam Alas fulmini attribuit, cum alioquin *Ala* ea ſit, qua aues volant, ac citiſſimè feruntur: *pacificas* autem dixit; hoc eſt Paci ſtudens, ac pacem ferens, pacemq; ſuadens. Sed quomodò Pacem ferat fulmen, ad bella potius conſtructum, mox habebis inferiùs, ſi patiaris.

FVLMINIS RVBRI. Quid fulmen ſit, latè diſſeruimus lib. pri. carm. 97. Hic tantùm innuo, duplex ex fulminibus augurium deſumi, ſolitum fuiſſe iuxta diuerſam, ex qua contorquerentur, cæli partem: nam ſi ex læua fuerint, hoc eſt ex ſiniſtra cæli parte, quæ orientalis eſt, euibrata, proſpera, ac pacifica coruſcare credebantur; ſi a dextera cæli parte, hoc eſt ab occidente, fuerint emiſſa, infauſta, ac metuenda omnibus cenſebantur, vt alibi iam diximus. Adde quod de Iouis manubijs (hoc eſt fulminum emiſſionibus; nam & Iactus fulminum Manubiæ dicuntur) docet Seneca lib. 2. quæſtionum nempè Tres Ioui Manubias dari; quarum prima monet, ſecunda prodeſt, tertia conſilio emittitur Dijs adhibitis; Primam & ſecundam itaque, ex his habes, ſolo Iouis conſilio, emitti, cum Iouis prodeſſe ſit; ad tertiam verò euibrandam concilium adhiberi Deorum; cum Iupiter, quaſi inuitus, pœnam irroget, & plectat. Cum itaque hic Iupiter dicitur pacificas torſiſſe fulminis alas, ſenſus eſt eum è regione cæli orientali fulmen coruſcaſſe, & quidem primarum fulmen manubiarum, quo, pacis ſignum Deabus iam prælium inferentibus, oſtentans, ac pacis monitorium denuncians, initum dirimeret bellum; atq; earum odia tranquilla ſtatim pace componeret. Hinc aliam deſumere potes rationem, cur huic fulmini alas addiderit Vates; nam, cum ignea ſint fulmina, pennas ex altera tantum parte habere dicebantur apud antiquos, eo quod ignis crederetur ſub ſpecie alitis a Ioue mitti, quoties monere quid vellet: hic autem maximè alatum huiuſmodi ignem eſſe decuit, cum periculum eſſet in mora. Sed cur igitur rubeum dixit hoc fulmen, cum rubrum colorem mali ominis fuiſſe diximus lib. pri. carm. 233. Aduerte, quod omnis regula patitur exceptionem, nec abſurdum eſſe, quod idem in diuerſis ſubiectis, ac circumſtantijs diuerſas habeat ſignificationes, ac ſymbola. In cometis, de quibus loco cit. agebamus, certè infauſtus adeſt rubeus color; ſed & eumdem colorem in diuerſis ſubiectis, ac circumſtantijs fœlicitatis interdum indicium eſſe ſatis patet ex eo, quod rubor, quo genæ iuuentutis ſuffunduntur, & ſignum optimæ valetudinis eſt, ſi connaturalis ſit. &, ſi ex verecundia inſurgat, ſignum optimæ indolis eſſe decernitur; quarè ait doctiſſimus ille: *Erubuit: bene eſt: ſalua res eſt*. Rubeus item ex Ouid. dicitur hortorum Deus, cum fructibus fœcundat hortos &c. Rubrum itaque hic ait Vates fuiſſe fulmen à Ioue immiſſum, vt vtramq; ſimul comprehenderet ſignificationem, illudq; oſtenderet ex infœlici ſimul, ac fœlici commixtum omine, fœlici quidem Plutoni, dum prælia in eum inita dirimit, infœlici autem reſpectu Proſerpinæ, ac ferali, quia eam ſepultis admiſcendam confirmabat: rubrum, ideſt fauens Plutoni fulmen, quia illi prædam aſſeuerabat: rubrum, ſed ferale Proſerpinæ, quia ineuitabilia illi funera portendebat in regnum mortuorum transferendæ.

CONFESSVS SOCERVM. Quod ſecretò Veneri filiæ indulſerat Iupiter lib. pri. inquiens

Curarum ſecreta tibi Cytheræa fatebor.

hic tandem palam, atq; in totius Orbis conſpectu, profitetur fauorabili fulminis prodigio debitam Plutoni Proſerpinam declarans. Ideò

CONFESSVS. Nempè Iupiter, de quo ſupra, *confeſſus ſocerum ſe*, non hoſtem; proteſtatus ſcilicet, eo fulminis ſigno, conceſſam fuiſſe Plutoni in Proſerpinam poteſtatem eamq; nuptam dari; non rapi, licet rapinæ ſpeciem oſtentaret modus, quo vſus eſt Pluto, vt permiſsâ ſibi Proſerpinâ poriretur: immò eo ſigno confeſſus, hoc eſt approbans, Nuptiali iure factum, vt a Plutone Proſerpina raperetur: cum & apud Romanos in more poſitum fuerit, vt mulier, cum ad virum traheretur, de matris gremio, vel alicuius alterius Matronæ, quæ proxima illi neceſſitudine eſſet, raperetur. Ad quod alludens Poeta Iouem ipſum inducit ad approbandum Proſerpinæ raptum, tanquam iure maritali peractum. Sed dices: cur ad huiuſmodi approbationem Iupiter vſus fulmine dicitur? Quid habeat cum nuptialibus fulmen? Lingua quidem ignea eſt: ſed quid hæc ad tedam peragendam? Summa profectò eruditione id munus fulmini attributum ab Auctore dignoſces; ſi memineris, fulmen nil aliud eſſe, quam ignem, flammamq; vt nos latè dix lib pri. cit.; nec oblitus fueris, facem nouæ nuptæ præferri ſolitam, vt alibi & nos iam diximus. Faces ſummi Iouis ſunt fulmina; ideò, ad nuptias approbandas, fulmineis præludendum fuerat alis. Quin immò nuptiales faces præferre matris erat, apud Græcos, vt teſtatur Euripides, cuius græca carmina ſic transfert Pier lib. hierogl. 46.

Atqui nec ignis præxuli lumen tibi,
Nempè vt beatam in nuptijs leges mouens
Decere matrem &c.

Mater hic Proſerpinæ non aderat. Prætulit tædas Pater, pacificas fulminis prætendens alas; ideò optimè dicitur Iupiter confeſſus

SOCERVM. *Generum* legit Parrhaſ., non Socerum. Sed de hac lectione contendere lis de lana eſset caprina; nam cum hæc relatiuè ſe habeant, non potuit Iupiter ſe ſocerum fateri, quin Plutonem generum ſibi fateretur: nec potuit vice verſa Generum ſibi fateri Plutonem, quin ſe ſocerum profiteretur; ideò à vulgata nequaquam arbitror diſcedendum. Fatetur itaque Iupiter ſocerum ſe eſse, ac ſponte Proſerpinam Plutoni in Generum adſcito conceſſiſse; Socer enim illi, qui vxorem ducit, Pater vxoris eiuſdem eſt. Hoc autem faſſus eſt Iupiter, ne Deæ, quæ arma ſumpſerant ad propulſandam à Ioue iniuriam, quam inferri à Plutone arbitrabantur, vlteriùs progrederentur offendentes potius ſocerum, quam defendentes. Cur autem fulmine ad hoc ipſum vſus fuerit, & ex dictis patet, & latiùs patebit inferius.

HYMENÆVS INTONAT &c. Prodigium roborat prodigio; vt, ſicuti Romano ritui adhæſit, Iouem inducens filiæ in nuptam traditæ faces præferentem; ſic à Romanis ritibus in prodigiorum obſeruatione non recedat: mos enim Romanis fuit, vt primo non ſatis augurio acquieſcerent, ni & ſecundum accederet; nam, etiam habito primo augurio fauorabili, verebantur ſemper, ne ſecundum ſubſequeretur aduerſum: quod ſi eueniſset, poſteriora derogare prioribus cenſebantur. Quarè, apud Virg., Anchiſes etiam, cum flammam vidiſset è cælo delapſam Pueri Iuli crinibus innocuè adlambentem, optima quæque auſpicatus, attamen Iouem orat, vt prima hæc auguria nouo prodigij ſigno rata velit, his verbis

Da deinde auxilium Pater atq; hæc omnia firma.

quibus annuens Iupiter ſignum tonitru ex læua dedit, & fulgure, vt ſubdit Virg. idem

Vix ea fatus erat ſenior: ſubitoq; fragore
Intonuit læuum, & de Cælo lapſa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

ſic itaque & Auctor noſter, cum læuum fulmen in auſpicationem nuptiarum Proſerpinæ induxerit à Ioue immiſſum ſecundo ſubſequenti augurio primi firmat fœlicitatem. Secun

cun

cundum autem augurium ab Hymeneo deſumit inter Nymbos reſonante, ac pluuias decutiente. Sed inquirendum, hoc loco videtur, vt faciliùs erudiſſimum Poetæ textum percipiamus, quænam in ratione augurij, proportio ſit inter fulmina, & imbres cadentes; nam inter fulmina, & tonitrua, quæ ſemper ferè cohærent, hæc proportio ſatis in comperto eſſe poteſt. Noueris igitur, in ſacris nuptialibus ignem, & aquam præferri ſolitam, vt refert Pier. hierogl. lib. 46.; immò ignem, & aquam donaria quædam fuiſſe nuptialia, quæ nouis nuptis apponi ſolita fuerint: de quibus, qui iſtiuſmodi instituti rationem altiùs rimari contendunt, dicunt, ignem, quippè elementorum omnium maximè actiuum, vim actionis obtinuiſſe, aquam verò paſſionis: ex quo non debere Phyloſophi, qui rerum formas omnes ex permixtione ignis, & aquæ confieri affirmauerint; atq; ideò auſpicatiſſime aquæ, & ignis ſacramento nuptiarum fœdera ſanciri: quippe Nuptiæ ad procreationem ordinentur; ac coniugatorum omnium munus in actione præſertim, ac tolerantia inuicem exercenda conſiſtat. Apponebantur autem ignis, & aqua in limine domus, qua Sponſus, & Sponſa eſſent ingreſſuri, vt ea ſpecies oblata memores eos redderet iniuncti miniſterij. Itaque, vt auſpicatiſſimæ declararentur Nuptiæ inter Plutonem, ac Proſerpinam, igne fulminis à Ioue Patre, ac diuinarum, iure ſuo, aſſertore Nuptiarum; aqua verò imbrium decidentium ab Hymeneo Nuptiarum Numine firmantur; atq; vtrumque ponitur in limine, quà Sponſus, ac Sponſa ingreſſuri erę ſcerentur, nempe in Æmeis campis, ante ianuam ab ipſo Plutone ætnæis in rupibus, vt vidimus, patefactam. Simili pacto mehercule ignibus, tonitruis, ac pluuijs pollicetur Veneri Iuno firmaturam ſe inter Æneam, ac Didonem, quas meditabatur, nuptias, apud Virg. Æneid. 4.

His ego Nigrantem commixta grandine nymbum,
Dum trepidant alæ, ſaltuſq; indagine cingunt,
Deſuper infundam, & tonitru cælum omne ciebo &c.
Hic Hymeneus erit &c.

Cum autem promiſſa exequeretur, hæc ab eodem ſubduntur

Interea magno miſceri murmure Cælum
Incipit; inſequitur, commixta grandine, nymbus &c.
. . . . Tellus & Pronuba Iuno
Dant ſignum; fulſere ignes, & conſcius æther
Connubij &c.

ex quo vides, tonitru, aqua, & igne ſancitas Didonis nuptias. Quapropter non poſſum non mirari, quod Dempſterus aſſerat, Claudianum hoc loco contra vulgarem opinionem locutum, ex eo, quod, vt ipſe ait, ſponſalia tonitru impedirentur, non ſancirentur. Sed forſan non animaduertit Dempſt. Sponſalia potuiſſe quidem impediri à tonitru ex dextra cæli parte reboante, a læua verò tonitru ſanciri; qua habita diſtinctione, non dicetur Claud. contra communem loqui, cum hæc de tonitru procedat dextero, aſſertio autem Auctoris, cum Virg. ſupracit. de læuo tonitru ſit intelligenda. Per ignem inſuper, & aqua, (præter ea quæ dix.) *neceſſitatem nubendi* interpretatur, & exponit Pier. cit. ex eo, quod ignis, & aqua maximè omnium, atq; ad omnia ferè humanæ vitæ munia, neceſſaria videantur elementa. Neceſſitas itaque cum cogeret, vt Proſerpina Plutoni in nuptam cederet Iupiter, tum ex Themidis oraculo, tum ex Fatorum decreto &c. quorum meminit Iupiter ipſe lib. pri. Venerem alloquens carm. 516. & ſeq., æquum fuit, vt in huiuſmodi neceſſitatis hieroglyphicum ignis pariter, & aqua properarent, vt repugnantes Deæ, neceſſarias ex ijs eſſe has nuptias, clariſſimè intelligentes, faciliùs acquieſcerent, nec fatali obſiſterent neceſſitati. Ideò, dum Iupiter, facem præferens, fulminis pacifici ignibus arridet, miſcet Hymeneus aquas, vt pleno, atq; integro nuptiæ firmentur auſpicio.

HYMENEVS. Creditus eſt iſte Præſes Nuptiarum Deus, quem filium Veneris, ac Liberi Patris autumant complures, & Hymeneum dictum putant à παρὰ τὸν ὑμένα, hoc eſt à membrana, quæ clauſtrum virginitatis eſſe perhibetur, ac maritali iure à viro diſrumpi dicitur. Alij dicunt eum, ex Vrania natum, primum fuiſſe, qui certas, ac legitimas nuptias inſtituerit; ideòq; nuptiarum Numen habitum fuiſſe. Alij ex Calliopede, atq; Apolline genitum aſſeuerant. Sed quiſquis fuerit Hymeneus (nam alij alia dicunt) certè ab omnibus nuptiarum Deus aſſeritur; ideòq; iure inducitur ad nuptias firmandas.

INTONAT. Errorem hùc irrepſiſſe putat Heinſius, dum ait: *Mirum eſt Hymeneum intonare, & Iouem Tonantis officio fungi: quarè Hymenæon legendum puto, vt ad Iouem referatur, intonat Hymenæum &c. vt dicitur ſonare omnia, & ſimilia.* Equidem optimam fateor Heinſij ad hunc ipſum locum exceptionem: ſed non diſplicet ſolutio, quam offert Parrhaſ. cum inquit: *Hæc dixit Claud. vt Iuno Virgil. Æn. 10.*

Tu potes Æneam manibus ſubducere Graium
Proq; viro nebulam, & ventos obtendere inanes:
Et potes in totidem Claſſem conuertere Nymphas.

hæc omnia Iuno Veneri attribuit, quæ per alios egiſſe Venerem conſtat; ſed ei, cuius gratia data ſunt, imputantur. Ita nunc tonitrum, quo matrimonium Iupiter approbauit, Hymenæo Vates attribuit. Certè Troianorum naues in Nymphas à Cybele, non à Venere conuerſas habemus Æn. 9. Æneam à Neptuno non à Venere ſubductum ex Achilleis furoribus &c. tamen hoc totum Veneri datur, quia in eius gratiam factum, cur itaque quod a Ioue in gratiam Hymenei peragitur ipſi tribui non poſſit Hymeneo. Inſuper, licet Tonantis officio fungatur Iupiter, vt ait Heinſius, non tamen in ſolius Iouis poteſtate tonitrua eſſe comperio: nam & ſupra ex cit. Virg. loco id ſibi arrogat etiam Iuno: *Tonitru cælum omne ciebo:* & Mythologi Phyloſophi etiam Soli tonitruum euibrationem aſſerunt tribuendam, quia verè calor Solis in nubes illapſus, earumq; rigore coarctatus ſimul, ac de fractis nubibus erumpit, eos ciere mugitus conſueuerit, vt notat Pier. hierogl. lib. 3. Si igitur ex calore a Sole progenito cientur tonitrua; Cur non eadem moueat filius Apollinis (qui idem cum Sole eſt) Hymeneus, qui nil aliud, tandem ſit, quam calor ille, quo, vt aiunt Phyloſophi, Sol, & homo generat hominem? Non video profectò abſurdum. Deniq; dato etiam quod ſolius eſſet Iouis tonitrua ex officio euibrare; cur non potuit ex ipſius diſpenſatione id muneris Nuptiarum Deo attribui, cum de ſingularibus adeò, atq; omni exceptione maioribus ageretur nuptijs? *Intonat* itaque *Hymeneus*, & intonat læuum, ideſt ex eadem Cæli parte, qua Iupiter fulminis contorſerat ignes, vt proſperum iungat auſpicium, ac primum obfirmet ſecundo. *Intonare* autem idem ſonat, ac ſimplex *tonare*, ſeù tonitrua permiſcere, vt patet ex Ouid. cit. Metam. 3. vbi ait:

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Miſit in aurigam &c.

Intonat itaque, inſuper, vt cæleſti quaſi tonitruum tuba Epitalamium concinat nubentibus; cum immò aliqui Hymeneum vocent, & hymnum in virginalibus nuptijs ſolitum decantari: atq; ex hoc ipſo moueor ad credendum duplicem haberi hoc in poetico textu alluſionem, alteram ad Deum nuptiarum nuptijs auſpicia concinnantem; alteram verò ad hymnum nuptialem, tonitruum voce modulatum; cum vtrumq; Hymenei nomine comprehendatur. Sed quarè tonitru epitalamium canat Hymeneus, ſeù Hymeneus ipſe (ſi pro nuptiali carmine ſumatur) tonitru decantetur? Antiqui Ægyptiorum Sacerdotes, alicuius præclari facinoris famam, gloriæq; amplitudinem exprimere volentes, vocem (vt ipſi dicunt) aeris, nempe *tonitrum*, hoc eſt ipſius fulminis imaginem, deſcribebant, famam longè, latèq; diffuſam, gloriamq; vbiq; terrarum reſonantem ſic oſtentantes, vt apud Pier. hierogl. lib. 43. Proſerpina Inferorum Regina conſtituebatur: futurum erat, vt facti memoria plenis famæ tubis ad poſteros promanaret: ideò, dum Iupiter fulmen (quod item celebritatis, & gloriæ hieroglyphicum fuit apud Ægyptios, vt ex eodem Pier. cit.) euibrat; Hymeneus pariter *intonat* dignum profectò talibus plauſum nuptijs; quibus ne quid deeſſet, accedunt *Pluuiæ*; nam *intonat*

NYMBIS HIVLCIS. *Nymbus* & pro præcipiti ponitur pluuia, & etiam pro ipſis nubibus interdum ſumitur. Ad vtramq; ſignificationem alluſiſſe Vatem, certum eſt; nam primò tonitrus ex colliſis, fractiſq; nubibus oritur: ideò *intonat nymbis hiulcis*; hoc eſt proſciſſis, apertiſq; nubibus, quibus tonitrus efficitur. Secundo autem, quia proſcindi in pluuias dicuntur nubes, *nymbis hiulcis* idem erit, ac pluuijs aperta nube decidentibus; nam *hiulcus* idem eſt, ac hians, apertus, proſciſſus.

ET TESTES FLAMMÆ &c. Nymbis, ac Fulmini accedunt fulgura, quæ hic flammæ nomine deſignantur, vt multiplicatis prodigijs magis, ac magis connubialia fœdera firmentur. Sed dices, præpoſtera methodo Poetam decurrere, dum omnia, inuerſo ordine properantia deſcribit; certum eſt enim fulgura tonitruus præcedere; tonitrua verò fulminibus, Vates autem primo eminuſum aſſerit fulmen, ſubindè tonitrum ſuccedere facit; ac tandem fulgura ingerit euibrata. Anne hoc non eſt naturæ ordinem inuertere? Eſt profectò. Sed non obſtat hæc naturalis ordinis inuerſio, quin, rectiſſimo ordine, atq; artificioſiſſima methodo

procedat Vates, qui meminit quidem naturæ ordinis; ſed meminit etiam, ſe in prodigijs augutalibus verſari, & prodigia, nouit ordini naturæ conſentanea eſſe non debere, ne prodigij vim, ac nomen, nedum eſſentiam amittant. Vt igitur & prodigia ſint, &, vt prodigia, dignoſcantur, ſeruent prodigiorum eſſentiam, quæ in hoc conſiſtit, vt ſint extra ordinem, vel ſupra ordinem naturæ; atq; adeò, inuerſo ordine naturæ, procedant, quæ ordini naturæ non ſubiacent; Immò neceſſe eſt, vt ordinem naturæ peruertant, vt prodigia ſint. Mireris potiùs itaque, quam carpas accuratiſſimam Vatis artem.

ET FLAMMÆ. Quæ fuerint flammæ iſtæ, iam dictum. Flammam autem proſperi euentus ſignum vbiq. legas; ita vt etiam Romani, in auſpicium proſperitatis bellicæ, inter alia ſigna militaria, flammulas quaſdam rufas geſtare conſueuerint. Quod verò ad nuptias pertinet, iam vidimus, in nuptijs, flammarum auſpicium ſemper adſciſci ſolitum: quarè optimo iure Vates flammas hic aduocat, & quidem cæleſtes, quia cæleſtis Diua Plutoni nupta dabatur.

TESTES. *Teſtis* dicitur, quo præſente aliquid fit; & præcipue adhiberi ſolent teſtes in contractibus, teſtamentis, inſtrumentis, publicis tranſactionibus &c. nam iuxta leges, ex defectu teſtium, nullius conſiderationis eſſent hæc omnia; atq; ideò teſtes ad roborationem, & conualidationem cuiuſcumq; contractus adhibentur. Connubia inter contractus recenſenda nemo dubitat; per conſenſum enim nubentium transfertur dominium corporis ſponſæ in ſponſum, & vice verſa inuiolabiliter adeò, vt, niſi morte intercedente, quod Deus coniunxit, homo non ſeparat. Verùm quidem eſt, non conſentire hic in nuptias Plutoni Proſerpinam, cum potiùs reclamet, vt ex dictis patet, & ex dicendis patebit etiam magis. Sed adeſt tamen contractus inter Iouem tradentem, & inter Plutonem acceptantem Iouis filiam in nuptam: immò, et ſi voce diſſentiat, terrore ſcilicet concuſſa, Proſerpina, facto tamen conſenſerat, dum ſe Veneri addictam comprobarit, ac floribus Eumenidum choro lacratis ſe ipſam exornauerat, vt etiam ex dictis conſtat. Adde, quod, ſi verum eſt effatum, *Prox. mo ortingendus habetur pro accepto*. Iupiter, qui nouerat Proſerpinam mox Plutonis deliniendam blanditijs, conſenſum mox eliciendum ab ipſa pto iam elicito habuit, ideò *teſtes firmant connubia flamma*. *Firmare* enim idem eſt, ac conualidare, ſtabilire, immotum facere, vt patet ex cit. Virg.

Da deinde auxilium Pater, atq. hæc omnia firma.

hinc *teſtes flamma*, de quibus ſupra, & in dato iam ſenſu.

FIRMANT CONNVBIA. *Connubium* propriè dicitur lex maritalis, cui vterque addicitur nubentium, & ſubditur: ſeu legitimum illud ius Matrimonij, quod inuicem acquirunt nubentes. *Firmant* itaque *connubia flamma*; nempè ratam faciunt legem illam maritalem, quam inter Plutonem, & Proſerpinam Fata decreuerant interceſſuram, quam Themis cecinerat, quam Atropos vrgeret &c. vt lib. primo carm 216.

INVITÆ CESSERE DEÆ &c. Deos ipſos Fatorum voluntati ſubiectos, nec, contra eam, vim vllam repugnandi, immò nec audaciam reſiſtendi, habuiſſe, ſæpiùs diximus lib. 1. Cum itaque hic, tot ſignis è cælo fulgentibus, certiores fierent Deæ de Fatorum voluntate Proſerpinam Plutoni aſſerente; quid vltra iam decertarent? Inſuper cautum fuerat lege, in Deorum Senatu ſancitâ, ne quis Deus deſtrueret, quod Deus alter firmaſſet: niſi obtentâ prius ab ipſo Deo firmante facultate. Quare & Iupiter ipſe, apud Virg. Aen. 12., cupiens bella tandem dirimere, quæ Teucris repugnabant, ne pacifica Italiæ poſſeſſione fruerentur; cùm vidiſſet, ea bella Iunonis voluntate perſiſtere, non auſus eſt, illa, abſolutâ auctoritate, dirimere; ſed Iunonem precatur, vt, ſe voti compotem fieri, patiatur, his verbis,

Deſine iam tandem, precibuſq; inflectere noſtris.

Cognitâ igitur & hic Iouis voluntate raptam Plutoni Proſerpinam concedentis, reliquum erat, vt Deæ, in raptæ defenſionem, Raptoriſque perniciem conſpirantes, cederent Numini, ſe ſocerum conſtienti; ac, depoſitis armis, pacificè conquieſcerent, vt factum hic aſſerit Vates. *Deæ*, nempe Pallas, & Diana, de quibus ſupra. *Inuitæ ceſſere*. *Inuitus* dicitur, qui contra propriam voluntatem, vulgò *ſuo mal grado*, coactus aliquid vel facit, vel à faciendo deſiſtit. Videri itaque poteſt incongruè additum Deabus Epitetum illud *Inuitæ*: nam cùm Dea à Diuinitate dicatur, & Diuinitatis proprium ſit virtutibus omnibus condecorari, ſequitur, vt cognito iure, qui Deitate gloriatur, libenti, non autem inuito animo, debeat acquieſcere. Verùm memineris primò, Antiquorum Deos non fuiſſe adeò virtutibus ob ſe natos, vt non in multis deficerent: immò eos ſæpè paſſionibus agitatos, ſuperatoſq; effinxerunt antiqui: nam & impotentes, timidoſq; faſſi ſunt Deos ſuos, cum à Gigantum furijs effugiſſe eos fateantur, ac ſub ferinis ſpolijs latitaſſe: immundos, cum adulteros, inceſtuoſos, atq; omni libidinum genere inquinatos aſſeruere; iniuſtos, cum raptores deſcripsêre, ac latronum effecêre protectores &c. immò non nouum eſt, odia eos inter ſe ſe exercuiſſe, ſimultateſque, ac proditiones ab iiſdem alienas non fuiſſe, vt ea innumeris antiquorum conſtat commentis, quorum multa & nos in progreſſu commemorauimus. Quare nil mirum, ſi, etiam cognito iure, inuitæ ceſſerint Deæ. Sed finge, has Deas immunes prorsùs ab imperfectionibus fuiſſe, vt par eſſe videtur, cùm de Pallade ſermo ſit, quæ ipſa Deorum, hominumq; Sapientia eſt; ac de Delia, quæ Solis puritatem imitari dicta eſt; adeòq; maculis offuſcari indecens videatur: nam, ſi hoc ſuppoſitas, magis emicat Poetæ acumen, eas inuitas ceſſiſſe deſcribentis; nam *virtus in arduis*: nec virtutis eſt nullam pati repugnantiam; ſed immò illius eſt *repugnantiam pati, & patiendo ſuperare*: in hoc enim virtus vera conſiſtit, vt noſmet ipſos abnegemus, paſſionum repugnantiam ſuperantes, vt, quod bonum eſt, proſequamur. *Inuitæ* itaque *ceſſere Deæ*, ſed ceſſere tamen, ſe ipſas ſuperantes, ne contra ius, ac ſupremi Numinis voluntatem decertarent, ac ne quid contra Fatorum decreta non ſolum facerent, ſed ne molirentur quidem. *Inuitæ*: nam, quamuis præſto eſſent, vt Iouis nutibus, ac Fatorum legibus obtemperarent; amor tamen in Proſerpinam, quam ad æternas abuehi videbant vmbras, extimulabat ad eripiendam è manibus Raptoris prædam; quare, vigente affectu, vigebat obtemperandi difficultas, qua ta nen non obſtante ceſſere *Inuitæ*, hoc eſt *quamuis inuitæ*, nempe malo, ac mæſto animo perniciem Virginis vtique deflentes. Porrò *cedere* eſt *ius, quod habebamus alteri permittere*: vel *in ius alterius venire*. Ius habebant Virgines Deæ, vt Virginem Deam è Raptoris potentia, ſeù magis tyrannide vindicarent: Ius habebant Sorores Sororem Plutonis captiuam in libertatem aſſerendi. Sed, cognitâ voluntate Patris, in ius paternum deueniunt, ac iuri paterno proprium ius reſignantes, tradenteſq. cedunt. Inſuper *cedere* idem ſæpè eſt, ac concedere, obſequi, vel non repugnare. *Ceſſere* itaque, nam concedente Plutoni raptam Virginem Genitore, etiam ipſæ Genitori obſequentes concedunt; nec vlteriùs repugnant; ſicq; non Patruo, ſed Patri, cedunt &c. Ideò

LATONIA. Delia Latonæ filia, per patronimicum *Latonia* dicta, de quo vide dicta lib. 1. carm. 206. De ceſſatione autem Deliæ tantùm ab armis mentionem hic habet Vates; nam ex eius ceſſatione, ceſſaſſe & Palladem, reſultat: ſicut enim, cum irruerent in arma, Palladis, primò in bellum prorumpentis, Deliam exemplum vidimus ſecutam, hoc eodem lib. carm. 205. & 206. ſic ſupponitur hoc loco Delia ſe ſe ad euiſdem Palladis exemplum compoſuiſſe. Ideò & ipſa

COMPESCVIT ARCVM. *Compeſcere* idem eſt, ac cohibere, vel, quaſi iniecto fræno, detinere: Sed quia, qui cohibet, & frænat equum, illum à motu detinet, & prohibet; ſic, qui intentum arcum laxat, & deponit, dicitur eum prohibere à motu eiibrandæ, qua onerabatur, ſagittæ: quare hic *compeſcuit* pro eodem ſumendum, ac laxauit, depoſuitque. In quo agnoſcere licet Vatis ſolertiam, qui, licet nihil dixerit de impetu Deliæ in prælium, oſtendit hic à conſequenti, eam non preſſis manibus ſediſſe, nec otioſum tenuiſſe quem intenderat arcum; ſed immò, ſicuti in ſumendis, aptandiſq; in prælium armis, exemplum Palladis fuerat ſecuta, ſic, Palladem haſtam in ictum librante, Deliam quoque arcum, ad eiibrandam ſagittam extuliſſe, neruumq; ad pectus traxiſſe: atque ideò à motu ſubinde eiibrandæ compeſcuit ſagittæ, cum & firmatas à Ioue nuptias vidiſſet, & Palladem ab inceptis ceſſare conſpexiſſet: hæc enim eſt energia, ac vis illius verbi *compeſcuit arcum*, vt ex dictis patet. De arcu verò vide dicta hoc eodem lib. carm. 31.

CVM GEMITV. Actum obedientiæ, quo Duæ Iouis nutibus obſequuntur, cum actu commiſerationis erga Proſerpinam coniungit, atque hanc expreſſo denotat ſigno, vt ex eo maximè pateat, cur inuitæ dicantur ceſſiſſe Deæ. Itaque præpoſitio *cum* ſocietatem importat, qua ceſſatio à defenſione Proſerpinæ, opem implorantis, atque in eamdem commiſeratio, ex effectu indicata copulantur. *Gemitus* eſt ipſe actus gemendi, de quo vide dicta hoc eodem lib. carm. 157. Hic ponitur pro expreſſione doloris interni, externis

figuris,

ſignis, nempe vel lacrymis, vel ſuſpirijs, patefacta.

ET DEDIT TALES VOCES. Subitam vocis eruptionem repentina, vt plurimum, ac vehemens affectuum commotio efflagitat. Quare, cum vehementi commiſerationis affectu motam iam Deliam Vates innuerit, nil mirum ſi in voces dictiter erupiſſe ſtatim, lamentabiles videlicet, ac ſignificationes plenas doloris, vt ex ipſa peroratione, inferius explicanda, patebit. In vocabulis explicandis non immoror; nam ſatis iam nota ſunt.

Sed, dum gemit puritatis amans Delia, congruum erit, vt & nos ad gemitum diuertamus, Proſerpinam, hoc eſt Animam ab infero raptam tyranno, iuſtis vtique lacrymis, deflentes, eiuſdemq; deſolationem, his adumbratam carminibus, perpendentes, vt ex alienis perditionibus ediſcentes mores noſtros, ad euitandam huiuſmodi perniciem, præproperè componamus.

His Dearum imaginibus Sacerdotes morienti adſtantes repræſentari nobis, iam vidimus in anteactis. Hi, dum, ex ante præuiſis meritis, & nunc ad ſupremi Iudicis trutinam reuocatis operibus, Anima Raptori traditur; & rapitur Proſerpina curru, quia ſententiam a Iudice latam ignorant adhuc, Eccleſiaſticis vtuntur armis, vt Raptorem arceant: & licet ex conuulſione morientis, vel alijs etiam indicantibus circumſtantijs ſuſpicentur non ſolum, ſed fere videant, inferi eam Leonis vnguibus premi, attamen ab incæpto, eiſq; demandato munere non deſiſtunt: immò vehementius inconant ore, ſacris in dæmonem vtentes inuectiuis, de quibus iam ſupra dix.; arma vibrant, dum aqua luſtrali morientem protegentes Satanam territant: Vmbone ferunt, dum Sacras Sanctorum imagines, ac reliquias opponunt hoſti: Gorgonem, ſemper inferis metuendam, reuelant, cum, detecta pendentis in Cruce Redemptoris imagine, hoſtem gorgoneo illi clypeo aggrediuntur. Nec videatur abſona nimis, aut indecens comparatio: nam, ſi Gorgoneus Clypeus ſerpentium ſtipetur ſibilis, nouimus & Redemptorem noſtrum, ipſo Deo Patre indicante per ſerpentis hieroglyphicum fuiſſe præmonſtratum, ipſa Dei Sapientia ad declarante, cum in Sacris litteris dixit: *quemadmodum exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*. Gorgoneus Diabolo igitur, & in Diabolum Clypeus eſt Crucifixi Redemptoris imago: Sed inefficax efficitur illud ipſum, alioquin efficaciſſimum belli experimentum; quia, cum à ſupremo iam Iudice lata ſit perdendæ Proſerpinæ ſententia, adſtat hoſtis intrepidus, ſibiq; prædam auferri nequaquam poſſe, gloriatur. Itaque, dum haſtam librant animæ defenſores, hoc eſt, dum Paſſionis eiuſdem Chriſti merita Tyranno objiciunt, & nigros illa illuminat obuia currus, iam expiraſſe morientem cernunt, ac diuinis ſæpè monitis illuſtrantur, ita vt apertè nouerint, actum iam de redemptione Proſerpinæ, atque ideò ab armis ceſſant inuiti, ac perditam cum gemitu proſequuntur. Quia verò diſtrictum cuiuſcumque Animæ particulare Iudicium, Iudicio tandem vniuerſali patefit, ac latæ ſententiæ Iuſtitia, ac neceſſitas declaratur, & tempus omne, quod à Iudicio particulari ad Iudicium vſque Vniuerſale protendi poſſit, vix momenti rationem habeat apud Deum; aptè coniunctum hic vtrumque Iudicium objicere licuit conſideranti, ac viſis, quæ in particulari eueniunt Iudicio, quæ in declaratorio Vniuerſali ſuccedant, congruum eſt intueri. Tunc enim, ſi adhuc extent, qui Animam aliquam Cælo dignam exiſtimauerint, licet ad inferos raptam: certiores vtique fient, & de eiuſdem damnatione, & de damnantis Iuſtitia: tunc enim meritò copulatam Plutoni Proſerpinam declarabit palam Iudex incorruptus, in totius Orbis conſpectu reſerans damnationis cauſam. Tunc fulminum, tonitruum, flammarum, pluuiarumq; prodigijs: tunc fulgurum, ac terræmotuum portentis, rerumque omnium conuulſionibus, Summi Numinis iuſtiſſima voluntate conceſſam Plutoni Proſerpinam, longè, lateq; conſtabit. Ex eo ipſo iudicio teſtes firmant connubia flammæ, quibus infælix Anima exſorbetur; nec prodeſt, aditantes eſſe Diuos tutelares; nam inuiti, immò ne inuiti quidem, cognità cauſâ, cedent, ne participes fiant criminis, criminum defenſores ſi efficiantur. Proh infæliciſſima delinquentis Animæ dies! Quibus te proſequar gemitibus? Quibus lacrymis ſententiam delere conaber? Sed quid deplorationibus indulgeamus? Nouit Deus mutare ſententiam, ſi noueris mutare vitam. Tu, ſi non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris. Flores fuge voluptatum; Spinas ſequere pœnitentium, ſi cupias capitis ſpinoſi membrum eſſe non delicatum, vt ſtellis tandem cum ipſo Capite coroneris. Sed, quoniam in ſtellas incidimus, quæ, ſphœris inhærentes, ſphœrarum ſuggerunt harmoniam, nobis ad Muſas noſtras (quoniam à ſphœris longè nimiſ diſtamus) diuertere conceſſum ſit, vt & illæ tandem Dearum conſonent pietati.

Così dic' ella: e i fieri Moſtri affronta,
Che co'l corno del piè tritan la terra,
E, farſi ſtrada, anche dell'armi ad onta,
Voglion bramoſi, al valicar ſotterra.
Gl'oppon lo ſcudo; e gl'vrti, à ſcoſſe, impronta
Ne ceffi auuerſi; e gli rincalza, e ſerra;
Si che ritarda almen, ſe non l'arreſta,
L'empia, mal grado lor, fuga funeſta.
Già d'atroce battaglia aperti i ſegni
Dan di Meduſa inuiperiti gl'angui;
E, co' fibili horrendi, à gl'aſpri ſdegni,
In que' Moſtri, ſacrar vittime eſſangui,
Par che voglian, di Stige interi i Regni;
E farſi del Regnante i Suggiſangui. Alludit ad hæmorroidas ſerpētes ſanguinem è venis euacuantes, ſicq; necantes, tecte Luc. lib. 9. &c.
Ed ella all'hor le ſollenate creſte
Suela, di toſco ad apportar tempeſte.
Del Fraſſino guerriero à vn tempo ſteſſo
Libra le punte al fulminar ferite.
Lampeggia il ferro, al nero cocchio appreſſo,
Inſtromento fatal d'ire agguerrite;
E'l carro auuolge in vn' incendio eſpreſſo
La de folgori ſuoi nouella Dite:
E poco men, che non ſcaglioſſi a' danni
Del rio Motor de ſempiterni affanni.
Mà dall'alto ſuo ſeggio il gran Tonante
Vibrar ſi vidde, apportator di Pace,
Fulmine amico, e, di ſua fè zelante,
Nuttial, trà gl'aſtri, inalberar la face,
Che ſacra, in ſpoſa, al Rè dell'ombre amante
L'infelice rapita; e gl'odij ſface:
Mentre, Suocero, e Padre, ei ſi confeſſa
D'hauer la figlia al ſuo German conceſſa.
Rimbombar fè de maritaggi il Dio
Con la voce del tuono allegri i carmi:
E de nembi ſonori il ſeno aprio
Al verſar le rugiade, al placar l'armi:
Folgoreggiò di chiare fiamme il brio,
Aſſertor de ſponſali; acciò diſarmi
Ogni Diua la deſtra; e, 'n ſpoſa atteſa,
Non ſia la Preda al Predator conteſa.
Ceſſar le Diue: e, benche mal s'acqueti
Alla pace del Ciel lo ſdegno in loro,
Riuerenti accettâr gl'alti diuieti
Del Genitore, e n'inchinar l'alloro.
Di Latona la Figlia à i gran decreti
Soggetta l'arco; e le rallenta: e, 'l coro
De ſoſpiri ſciogliendo, i ſuoi lamenti
Spiegò doglioſa: e tali fur gl'accenti.

Obſoleſcerent autem accentus, ore licet prolati Diuæ, ſi noſtris tantum inniterentur: quarè ex Vate prius audiamus.

Sis memor, ò, longumq; vale. Reuerentia Patris
Obſtitit auxilio: nec nos defendere contra
Poſſumus: imperio vinci maiore fatemur.
In te coniurat Genitor; populoq; ſilenti
Traderis, heu, cupidas non adſpectura ſorores,

SIS MEMOR, O' &c. Apriſſimam intexuit hic Vates ethopeiam, quæ eſt alienorum affectuum, dictorumue imitatio: nam prohibitæ ab armis Deæ, quibus tantum, Proſerpinam in libertatem poterant vindicare, quid agerent inſuper, niſi eam lamentationibus proſequerentur, atq. affectuum vio-

Æqualeſq; choros. Quæ te Fortuna Supernis
Abſtulit, & tanto damnauit Sydera luctu?
Iam neque Parthenijs innectere retia luſtris,
Nec pharetram geſtare libet. Securus vbique
Spumet aper, ſæuiq; fremant impunè Leones.
Te iuga Taygeti, poſito te Mænala flebunt
Venatu, mæſtoq; diù lugebere Cyntho.
Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.
Interea volucri fertur Proſerpina curru
Cæſariem diffuſa noto, planctuq; lacertos
Verberat, & quæſtus ad nubila fundit inanes.

lentiam, quam paterentur, exprimerent? Probè autem huiuſmodi expreſſionis munus Deliæ potiùs, quam Palladi iniungitur; nam primò Pallas vt vidimus, Dea ſapientiæ, atq; ipſa ſapientia eſt: nec ſapientis eſt ægritudines animi in ſe ipſum admittere, vt enim ait Cic. Tuſc. 3., abeſt omnis à ſapiente ægritudo: ac certè animi dolor ægritudo eſt. Adde, Palladem in armis enutritam, ac militaribus obduratam, aſperatamque artibus, non facilè; immò nullo modo in lenes debuiſſe affectus erumpere, & lacrymis, ac queſtubus indulgere: cum fortis animi ſit ſeſe omnibus fortunę vrgentis impulſibus inuictum, immotumq; præbere: quod in cauſa fuit, vt Princeps Italicorum Poetarum Soliinani mollitiem redarguerit, Hieroſ. liber. Cantu 9., qui videlicet, inter armorum ſtrepitus, Leſbinum defleret interemptum.

Tu piangi Solimano; tu che diſtrutto
Mirasti il Regno tuo con ciglio aſciutto?

idcircò etiam Bracciol. lib. 5., Theodori, Heraclium fratrem, in prælium contra Perſas ſecuti, ac Chriſtianæ militiæ Ducis inuictiſſimi, intrepidum, aduerſiſq; omnibus inconcuſſum animum expreſſurus, ſic eum, auditâ filiorum fortunâ, quorum alter occiſus, alter captiuus nunciabatur, loquentem inducit.

Non ſapeu'io d'hauer condotti all'armi
Non à conuiti i miei figliuoli; ond'hora,
Cò ſentendo de lor, nuouo non parmi
Ragione è ben, che chi guerreggia mora.
Ma tu contami il tutto, e non priuarmi,
Ch'à pieno ſappia ogni accidente ancora,
Nò tanto amor, che può capir non ſolo,
Che paſsi in lui; mà vi ſi ſpatij il duolo.

licuit igitur quidem, & Palladi pietatis ſenſum ſororijs attribuere infortunijs; ſed non licuit ſenſum huiuſmodi illi adeò prędominari, vt ad fœmineos eam impelleret eiulatus. Ideò Vates motionem affectuum in vtraq; Dea potuit quidem innuere, cum dixit: *Immota reſiſtere Deæ*: Aſt, cum gemitibus, atq; eiulationibus indulgendum fuit, non hoc Palladi, ſed Deliæ tantùm fuerat tribuendum; quippe quæ mollior, non quidem ſexu, ſed conditione, ac profeſſione cenſeri iure potuerit, conſequenter ad queſtus promptior. His prænotatis, ea quibus artificium pateat Vatis; argumentum præſentis ethopeiæ totum in hoc eſt, vt deſertæ à Deabus defenſionis cauſa exponatur, ea Iouis ſcilicet decreto prouenięns, vtq; earum, quæ ceſſare coguntur, dolor exprimatur, atq; vt æternum ſui ipſius mærorem Delia ſe ſe ſpondeat, funereis apparatibus, expreſſuram, omniaq; ſuæ ditionis loca mærori ſuo conſonantia ſemper adſutura polliceatur; ac non ſua ſolum, ſed etiam, quæ Apollini ſubſunt fratri, eodem corripienda mærore non obſcurè promittat. Ethopeiâ autem abſolutâ, abuectam celeri curſu Proſerpinam ſubnectit Vates, eamdemq; deſperatis rebus, ſibi ipſi conclamantem inducit.

SIS MEMOR &c. In Patheticis (cuiuſmodi, procùl dubio, præſens eſt ethopeia) abruptus incipiendi modus aptiſſimus cenſetur, communi omnium Rhetorum calculo, qui etiam, per intercisa, ſubindè orationem ſtatuunt proſequendam; quod ad amuſſim ſeruatum hìc ab Auctore noſtro, ex ipſo licet inſpicere contextu: ex abrupto enim, ſubito erumpente affectu, exorditur Delia, atq; vltimum Vale deſerendæ dicit ſorori; nec non vt memoriam ſeruet ſororum, toto cordis impetu, exorat. Imperandi itaque vtitur modo, qui vim, hoc loco, tamen obtinet obſecrandi; ſicuti & in ſuperioribus ſeruatum vidimus ab Ætna Zephyrum obſecrante carm. 78. Nota autem interruptum dicendi modum: vehemens enim doloris affectus verba intercidit ita, vt non niſi mutilata prodeant, & obtruncata. Ideò Delia hic ſis memor, inquit; & nec perſonam nominat, ad quam verba dirigat; nec perſonas exprimit, quarum eam memorem eſſe velit: artificioſiſſimè quidem, nam exundantis ſemper doloris eſt ab ijs abſtinere nominibus, quibus dolor ipſe augeri adeò poſſit, vt linguæ vel interruptæ vocis adimat vſum; ad quod euitandum impedimentum, & Delia nomina reticet, ac tantùm *ſis memor* emphaticè profectò profert. Emphaticè inquam, nam modus imperandi menti ſuggerit debitum, quo quis adſtringitur, vt imperata exequatur; & quamuis hic vim obtineat obſecrandi, vt diximus, tamen obſecrationi ipſi vis additur ex motiuo obligationis, ac debiti, dum oſtendit obſecrans, ſe ea exigere, quæ iure ſibi naturæ debeantur, nempè vt ſororum non immemor ſit ſoror. Inſuper animus ad ſubſidium, beneficiumq; conferendum comparatus, licet de facto non conferat, ineluctabili detentus impedimento, obſtringit adeò eum, in quem erat beneficium collaturus, vt ſine ingrati animi nota memoriam illius oblitterate non poſſit: & tandem angores animi, quos ab amicorum, quibus opitulari non poſſumus, infortunijs experimur, meretur profectò ne vnquam decidat mente, ni ſenſu humanitatis careat is, quem tali angore proſequimur. Ideò iure id exigit Delia *Sis memor* inclamans; nempè ſoror ſororum, deſleta deſlentium, rapta vindicantium affectu, licet irrito effectu, non ea defectu volentium, ſed ex imperio ſuperioris Numinis prohibentis. Sed cur Delia memoriam tantùm exigat, & non potiùs, vt, data occaſione, beneficium rependat, & gratias potiùs referat, quam agat? Viderat, captiuam duci Proſerpinam, & nouerat, à captiuis nil ſperandum, cum, in aliena poteſtate poſitis nil liberum ſupereſſe noſceret, præter affectum, ac beneuolentiam; ideò, ne videretur à Proſerpina exigere, quod illius non eſſet, quod liberum ſemper futurum erat, nempè affectum expoſcit memorem.

O'. Interiectio hæc optantis eſt, dolentis, atq; exclamantis, quos omnes affectus hac ſola particula comprehendit Vates, vt ex dictis deducitur. Sic pariter Æneas apud Virg. exclamat:

Quiſquis es; Imperioq; iterum paremus ouantes:
Adſis, ô, placiduſq; iuues, & ſydera Cælo
Dextra feras &c.

LONGVMQ; VALE. Memoriâ ſororum Proſerpinæ commendatâ ſalutationibus eam proſequitur, ac perennem illi ſalutem inauguratur. Vſitatiſſimum porrò inter amicos, nedum inter ſorores officium eſt, vt, cum ab inuicem ſeparantur, qui remanet diſcedentem valere iubeat; videtur enim huiuſmodi officium, ſi cordis affectu peragatur, beneuolentiam diſcedentis maximè obſtringere remanenti; & ſæpè efficaciſſimum eſt, vt valedicentis memoria in abſente diutiùs firmetur, ac roboretur: ſic Menalcas, apud Virg. Ecl. 3. ſe amare Phyllidem profitetur, ante alias, quia illa diſcedente fletu fuerit, ac ſalutatione proſecuta; dum ſic ibi habet ille

Phyllida amo, ante alias, nam me diſcedere fleuit,
Et longum formoſe vale; vale inquit, Iola.

cum itaque memoriam ſeruari ſui poſtulauerit, & Delia, memoriale ſalutationibus firmatum imprimit in mente ipſius Proſerpinæ, dum veræ amicitiæ, ac conſanguinitatis mores ſummo proſequitur ſtudio. Ideò aptè copulat Vates cum petitione ſalutationem per particulam illam coniunctiuam. Adde, hunc modum ſalutationis *longum vale* ſolemne olim fuiſſe parentantibus; his enim vocibus mortuos, tamquam non amplius viſuri, veteres dimittebant: Sic, apud Virg. Æneas, Æn. 11., Pallantis inferias proſecutus, quaſi abeuntem ea Buſto ad Inferos animam conſpiceret, inclamauit

. . . . Salue æternum, mihi maxime Palla
Æternumque vale &c.

Ideò & Delia raptæ ad mortuorum Regnum Proſerpinæ has ipſas adhibet voces *longum vale*, quod idem eſt, ac æternùm, ſis ſoſpes, & incolumis; vulgò *à Dio per ſempre à Dio*.

REVERENTIA PATRIS &c. Per anteoccupationem Rhetoricam, occurrit obiectioni, quam fieri poſſe à Proſerpina animaduerterat: Potuiſſet enim illa exprobrare ſororibus infidelitatem, quæ ſcilicet, eam valere, iuberent, cum tamen valere noluiſſent, cum imploratis eam deſtituiſſent auxilijs. Reſpondet itaque & crimen diluit Delia, nomine etiam Palladis locuta, dum cauſam indicat, qua coactæ arma depoſuerint, quæ ad ipſius defenſionem iam

ſicu-

ſtrimerant. Titulo itaque *reuerentia* venit in hunc locum ingenuus quidam pudor, cum obſeruantia quadam coniunctus, & proprius minorum natu erga maiores, & inferiorum erga ſuperiores: vulgò *Il douuto riſpetto*. *Patris*; hoc eſt *erga Patrem*; cuius nominis vl anthonomaſticè Iupiter deſignatur, qui quomodo Pater harum fuerit Dearum, alibi fusè diximus.

OBSTITIT AVXILIO. Obſtare idem eſt, ac *contra ſtare*, & aliquid peragendum impedire, ne peragatur. Hoc autem pluribus fieri modis poteſt: nam primò ſui ipſius interpoſitione impediens, quaſi obice facto, impedit alterius actionem, eo pacto, quo Myrtum, poſſeſſæ à Dæmonibus, Syluæ facilè principem, enſe ſtricto aggredienti Rinaldo Dæmon, Armidæ referens formam, opponitur apud Taſſum Hieroſ. liber. cant. 18. vbi hæc habet ille:

Vaſſene al Mirto: all' hor colei s'abbraccia
Al caro tronco; e s'interpone: e grida;
Ah non ſarà mai ver, che tu mi faccia
Oltraggio tal, che l' arbor mio recida,
Depons il ferro; ò diſpietato, ò 'l caccia
Pria nelle vene all' infelice Armida;
Per queſto ſen, per queſto cor la ſpada
Solo al bel Mirto mio trouar può ſtrada.

& in hoc ſenſu certè Iupiter non obſtitit auxilio Proſerpinæ, vt ex dictis patet. Secundò obſtare quis poteſt, ſola viuæ vocis interpoſitione: Et ſic ſingulare certamen diriminit, inter Batranum, & Adamaſtum, Heraclius apud Bracciol. de Cruce lib. 13. vbi hæc habentur:

Mà leuatoſi già dall' aureo ſeggio
L' Imperadore à quella roſſa volto;
Che, dico, à queſto? O Caualier, che veggio?
Così dunque v' accieca impeto ſtolto?
Vilipeſo da voi dunque eſſer deggio;
E lo ſcorno ſoffrir in 'l proprio volto?
Poſate l' armi. E quella ſpada, e queſta,
Vbbidiente al ſuo Signor s' arreſta,

& neque hoc pacto Iupiter obſtitit, vt item patet. Tertiò ſæpè obſtitit quis ſolo ſui aſpectu. Sic apud Virg. Æn. 1.

Ac veluti magno in populo cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile vulgus;
Iamq; faces, & ſaxa volant; furor arma miniſtrat;
Tum, pietate grauem, ac meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere ſilent; arrectiſq; auribus adſtant.

non tamen Iouem ſe oſtendiſſe Deabus, in prælium irruentibus, meminit Vates. Sed, ne longiùs, quàm par ſit, euagemur, ſignis tandem, quibus voluntas efficax exprimatur, atque imperium ipſum, hieroglyphicè quaſi, deportetur, ſolent ſæpè ſæpiùs Principes, lites, contentioneſq; dirimere. Sic litem Charontis Aeneam à tranſitu fluminis arcere conantis abſtulit aureus ramus, Proſerpinæ, Inferorum Reginæ, voluntatis interpres, apud Virg. Aen. 6.

At ramum hunc (aperit ramum, qui ſub veſte latebat)
Agnoſcas. Tumida ex ira tùm corda reſidunt &c.

Sic pariter, tubâ receptui canente, cohibet Coſroas, Perſarum Rex, victrices ſub duce Armallo copias, ad internecionem totius Chriſtiani exercitus conſpirantes, irruenteſq; apud Bracciol, cit. lib. 25.

Suona à raccolta, e fà, che ſi ſoſpenda
Ogni conteſa il Regnator Pagano &c.

& hoc pacto, vt vidimus etiam Iupiter hic Dearum iras compeſcuit, lætum, pro aureo ramo, fulmen obijciens, ac tonitruum clangore ceſſationem imperans ab armis. Ideò *Reuerentia Patris obſtitit auxilio*, hoc eſt opem Raptæ ferentibus contra Raptorem; ne vlteriùs adiumento eſſent; *auxilium* enim ab augendo dicitur, eò, quod eorum, quibus accidit, vires augeat. Signatè autem dixit, obſtitiſſe Patris reuerentiam, vt innueret, ſe nullam fuiſſe rationem habituram Hymenei reſonantis; niſi ſigna ab Hymeneo data fuiſſent auctoritate Patris roborata.

NEC NOS DEFENDERE CONTRA &c. Refellit inſtantiam, quæ fieri à Proſerpina potuiſſet, nempe non obediendum Patri fuiſſe, vbi de ſororis ageretur excidio. Iniuſta quidem videri potuiſſet hæc inſtantia, ſed tamen poſſibilis fieri ab ea, quæ proprium potiùs auxilium, quam in Patrem reuerentiam exoptaſſet; ideò occurrit Delia, & oſtendit, non potuiſſe auxiliaria earum arma bellum vlteriùs proſequi, etiam ſi id maximè voluiſſent, ex dicta inter Deos ſanctione, & inſuper, quia vbi maior ceſſat minor, atque ideò, Imperio Iouis obſiſtente, cedere cogebantur inferiores Deæ. Sicq; ex capite impotentiæ, iure ceſſationem ab armis excuſat Delia, dum per coniunctionem diſiunctiuam *Nec* gradum facit ab affectu reuerentiæ ad effectum neceſſitatis, & coactionis, ex quo earum ortum duxerit impotentia, quem allegat. Ideò *Nec poſſumus Nos*; quod demonſtratiuum pronomen emphaticè poſitum agnoſces; quaſi dixerit: *Nos*, quæ ſi tibi ſorores ſumus, Ioui tamen, vtpote filiæ, nos ipſas debemus; quare, licet toto animo tibi faueamus, non vltra tamen, quàm Iupiter concedat, valemus *Defendere*, hoc eſt optatam nobis ſororem aſſerere ab iniquo eam raptore in libertatem vindicantes. Ideò addidit *Contra*, nempe contra ſummi Imperium Numinis, contra expreſſam iam Patris voluntatem, contra Faterum decreta &c. vt dictum eſt.

IMPERIO VINCI MAIORE FATEMVR. De verbo *Fateor* vide dicta lib. 1. carm. 215., tantùm aduerte non importari hic culpam, ſed puram virium imbecillitatem, & quidem non abſolutè, ſed comparatiuè ad maiores vires reſiſtentes, vt ſupra: ideò inquit *fatemur vinci*; hoc eſt ingenuè profitemur, *nos, vireſq; noſtras infringi Imperio maiore*: & aptè *Imperio*, dixit, quod non quodlibet iuſſum, aut præceptum ſignificat; ſed præceptum cum auctoritate, potentia, ac iuriſdictione coniunctum, quale profectò illud fuit à Summo Deorum Rege proueniens, ideòq; cæterorum omnium placitis longè maius. In quo *Ουσίαν* agnoſce, ideſt virtutem, vimq; Dei, cui nemo reſiſtat.

IN TE CONIVRAT GENITOR. Imperium illud maius, quod mox expoſuerat, ſine imperantis mentione, ne crederetur alterius Numinis eſſe, nempe Hymenei, in cuius gratiam Iupiter defenſioni obſtitiſſet, ſpeciatim hic aperit, & ſummo eiuſdem Iouis independenti decreto rapi Proſerpinam profitetur, vt magis à ſe inuidiam non peractæ defenſionis auertat. *Genitor* à generando dicitur qui genuit; atque emphaticè hic ponitur; nam, ſi, qui genuit, damnet, quis abſoluat? Si genitor non ignoſcat, quis miſereatur? Si genitor cædat, quis viuificet? Suprema autem damnari Proſerpinam poteſtate, ſic declarat, vt mirari ea tandem deſinat, quòd inultam deſerant Deæ. Quid verò ſit *coniurare* videas lib. 1. carm. 39. Coniurat itaque Genitor, hoc eſt ſimul iurat cum Plutone rapiente, cum Themi prædicente non minus, quam ſanciente, cum fatis decernentibus &c. & manum ijs dat Iupiter *in te*, hoc eſt in exitium tui, quod emphaticè ponitur, quaſi dixerit *in te* filiam ſuam, Syderum decus, Deorum progeniem, Cerealis hæredem facultatis, ac denique è manibus ereptam noſtris.

POPVLOQ; SILENTI &c. Effectum damnationis exponit, & quo tendat, aperit Genitoris coniuratio; ideo hunc ipſum effectum cum explicata in præcedentibus cauſa, opportuniſſimè copulat. Et

HEV TRADERIS. De interiectione dolentis *Heu* vide dicta lib. 1. carm. 238. *Tradere* eſt alterius poteſtati aliquid ſubijcere, vt de eo, quod traditur pro libito diſponat; ideò *traderis*, hoc eſt trans Patris ditionem aſportaris, ac Plutonicæ poteſtati ſubderis. Quid miſerius? Quid luctuoſius? Quid patheticum magis ad commiſerationem potuit concinnari?

POPVLO SILENTI. Populus propriè dicitur vnius Ciuitatis collecta multitudo, concordi communione aſſociata. Populus itaque ſilens dicitur tota mortuorum collectio in horrida Ditis Ciuitate congregata: Sed duplicem, vt arbitror, ſenſum his Vates incluſit; nempe Proſerpinam, & populo ſilenti admiſcendam, iuxta dicta ſuperius à Pallade: *Quid vmbra populis admiſces*; & tradi, hoc eſt ſubijci Rectori eiuſdem Populi ſilentis. Sed cur mortuorum Populus, cui Pluto imperet, *Silens* dicatur? *Silere* dicitur, qui, (nedum verba faciat) ne hiſcere quidem audet, vel, ſi audeat, nequit; ex quo multiplicem hic Vatis eruditionem liceat adnotare. Primò enim Populus ille certè ex ſpoliatis corpore animabus conſtatur. Porrò animæ cuiuſcunque operationes in duplici differentia ſunt; nam aliæ ſunt adeò eſſentialiter dependentes à corpore, vt non ſine miniſterio organorum effici poſſint: aliæ verò tales ſunt, vt, licet de facto, dum eſt vnita corpori anima, dependenter ab ipſis ſemper organis fiant, attamen poſſunt etiam fieri independenter ab organis; ideòq; potentiæ ab has operationes *inorganica* dicuntur, potentiæ verò ad illas *organica*. Inter organicas habetur Potentia ad tactum, ad guſtum, ad olfactum &c. & ipſa etiam ad loquendum potentia. Inorganicæ verò ſunt Intellectus, Memoria, & Voluntas. Cum itaq; Anima, morte intercedente, ſine corpore remanet, potentijs omnibus, neceſſariò affixis organo corporeo, priuatur; & tantum retinet non affixas. Ideò Anima ſeparata poteſt quidem intelligere, poteſt meminiſſe, amare, vel odiſſe poteſt;

aſt

aſt olfacere, deguſtare, ac loqui minime poteſt: atque hinc *populus ſilens* dicitur mortuorum aggregatio. Inſuper, vt fabulantur Poetæ, cùm quatit Vrnam Minos, animaſq; in Iudicium vocat, ſubeunt illæ Iudicium, ſententiam tolerant, pœnas adeunt, eo vultu, ac geſtu, vt videantur ne quidem hiſcere auſæ, etiam ſi loqui illis datum eſſet; nam conſcientia malefactorum ita eas vrget, vt nouerint rectum Iudicium, iuſtam ſententiam, meritas pœnas; atque adeò ſilentes ſubeunt præ confuſione, ac terrore. Vlteriùs *ſilens* dicitur, quod nullius eſt frugis. Sic Vineæ ſilentes dicuntur, cùm nondum cæperint germinare: quare Colum. de re ruſtica lib. 4. ait, foſſorem protinùs, adhùc ſilentibus Vineis, inducendum eſſe; ideſt nondum germinantibus. Cum itaq; ex dictis a Pallade ignauus, nempe nullius frugis, ſit Mundus ille Plutonis, & Populus ipſe mortuorum, iſte *Populus* dicitur *ſilens*: iuxta illud quod habet etiam Virg. Æn. 6.

Dij quibus Imperium eſt animarum, vmbræq; ſilentes
Et Chaos, & Phlegeton loca nocte ſilentia latè &c.

Denique dum memorat Delia, Proſerpinam tradi populo ſilenti, tacite eam monet, non eſſe cur quæratur, cum viderit, ſorores Deas tam citò monitis è cælo datis acquieuiſſe, & Raptam deſtituiſſe; nam breui futurum erat, vt & ipſa, ſilenti Populo admixta, cogeretur ſilens ſententiam pati, ac Iouis decreta, digito ori impoſito venerari, licet ſibi ipſi extremum ingeſſerint infortuniorum. Conqueri quidem potuit in itinere, vt factum videbimus; aſt inter ſilentes excepta actum erat vt contra ſententiam loqueretur.

CVPIDAS NON ADSPECTVRA &c. Diuelli ab ijs, quos charos in primis habemus, quorum ſolamur aſpectu, quorum lætamur conſuetudine, amariſſimum profectò venenum animæ eſt. Ideò Euridice, apud Virg. Geor. 4., cum, ſemel Orphæo coniugi donata, ob non ſeruatas leges a Plutone indictas, iterum raperetur in orcum, nil magis plorat, quam amiſſi iterum coniugis infortunium,

. . . . En iterum crudelia retro
Fata vocant, conditq; natantia lumina ſomnus.
Iamq; Vale. Feror ingenti circumdata nocte
Inualidas tibi tendens, heù non tua, palmas.

vbi nota interiectionem dolentis nullibi appoſitam, niſi cum ſe ab amato coniuge diuelli memorat coniux: vt ex hoc pateat, quàm acerbum ſit ab amatis abripi, ſi præcipuè nulla ſpes adſit eos iterum viſendi. Certè Æneas, Æn. 2., morte ipſa deteriùs exiſtimat a dilecto genitore diuelli; Patri enim ſuadenti, vt, eo relicto, ſibi fuga conſuleret filius, quaſi monitum audiſſet horridius ſibi morte indictum, ſic reſpondet,

Me ne efferre pedem, genitor, te poſſe relicto
Sperasti? tantumq; nefas patrio excidit ore? &c.

Et iam, Patrem abduci poſſe, deſperans, in mortem ruit.

Rurſus in arma feror, mortemq; miſerrimus opto.

Sed & ipſum à ſe diſcedentem, vt prælio redderetur, pati ſe non poſſe Creuſa proteſtatur, & mori potiùs velle ſe, quam a coniuge diuelli.

Ecce autem, complexa pedes, in limine coniux
Hærebat; paruumq; Patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, & nos trahe in omnia tecum.

Talibus, & apud Hetruſcorum Principem Poetarum Hieroſ. lib. cantu 17. exclamabat Armida, ne ab Amaſio diſcedente ſeiungeretur,

Forſennata gridaua: ò tù, che porte
Parte teco di me, parte ne laſci,
O prendi l'vna; ò rendi l'altra; ò morte
Dà inſieme ad ambo: arreſta, arreſta i paſſi.

Sic, apud Bracciol. de Cruce lib. 24., Eliſa, cum vita functum cerneret Alceſtem coniugem, recogitans futurum, vt cum nunquam ampliùs viſura eſſet, exanguis redditur, & vix non prorsùs extinguitur.

La donna all'hor, che fatto terra il vede,
Per non più riuederlo in terra mai,
Straccia i biondi capelli, e'l volto fiede,
Che non hà colpa, e da begl'occhi i rai;
E'l dolor tanto impetuoſo eccede,
Che, capir ne'l potendo il petto homai,
L'Anima ne ſoſpinge, ond'ella ſuiene,
Dal ſuo breue morir tolta alle pene.

Sed quid in re continuatis euidenter experientijs comprobata iam immoror. Iure, vt ex dictis patet, ſummè patheticam effecturus Deliæ Næniam Vates mentionem facit acerbiſſimi illius doloris, quo Chari efficiuntur, cùm inuicem ſeparantur, præciſà præſertim ſpe iterum conueniendi. *Cupidas non adſpectura ſorores.* *Adſpectura* particip. futuri temporis eſt, à verbo *adſpecio*, compoſito ſcilicet ex *Ad* & antiquo verbo *Specio*, quod ſignificat *oculos in aliquem intendere*; & importare videtur auiditatem quamdam in aſpiciente ſuccenſam, quaſi oculus non ſatietur aſpectu: quo poſito, miſerabilior euadit priuatio, quam patimur, eo, quod cupimus intueri, intercluſo obiecto. *Sorores* verò quomodo fuerint Pallas, Delia, ac Proſerpina, diximus in anteactis. Tantùm noto, patheticè hic vſurpatum Sororis nomen, ad amplificandam ſcilicet miſeriam illius, quæ aſpectu ſororum interdicebatur: *Cupidas* autem Sorores dixit, vt in eadem naui ſeque, & Palladem eſſe profiteretur; *Cupidus* enim idem, ac auidus eſt: quare par ſuum, ac Proſerpinæ deſiderium, paremq; faciens priuationem, idem tormenta genus omnibus exprimit ſubeundum. Sed nota mirandum prorsùs vatis artificium, qui, breuiſſima hac dictione, ſed ſummè quidem emphatica, quàm plurimos cumulet affectus; nam primò oſtendit Delia, ſe, proprio experimento dignoſcere, quantus dolor obſeſſurus Proſerpinæ pectus fuerit, cùm ſe à ſororibus abreptam non amplius eas viſuram animaduerterit; cuius hercle doloris conſideratione Sororum augeri quàm maxime dolorem, apertè declarat: ſecundò vehementem commiſerationis affectum remanentibus indicat iniunctum: tertiò dolorem Sororum exprimit, ob ſororis amiſſionem, eumq; adauget ex deſperata ſpe reuiſendi: quartò amorem earum in Proſerpinam nou emoriturum declarat, licet illa ſemper abſens futura ſit, contra id, quod de Amoris vulnere cecinit Italicus ille:

La lontananza ogni gran piaga ſalda.

quintò ex ſuperſtite Amore eam iterum videndi auiditatem teſtatur perennandam; atque ex auiditate futurum, vt magis earum animus torqueatur; cùm deſideria dilata magis creſcant; & creſcentia torqueant: ſextò ex titulo Sororum dolorem amplificat; nam, cùm ſoror alterius ſororis ſanguis ſit, dùm vna perit, altera ſecum perire partialiter ſaltem videtur: ſeptimò attingit vim ſimpathiæ naturalis, quę maximè inter conſanguineos efficere dicitur, vt alter dolores experiatur alterius, licet longiſſimis interdum regionum tractibus ſeparentur, ita vt neſciat alter vexationem alterius; ea qua denique à fortiori arguendum aperte relinquit, quinam ſenſus doloris futurus ſit in Sororibus, quæ mutua nouerint infortunia, cùm videlicet, quæ relinquuntur, ſciant, quibus addicantur calamitatibus, quæ rapitur: rapta verò mærorem noſcat relictarum, eodemq; & ipſa quàm mirificè angatur. Magna profectò affectuum conflictio anguſtiſſimis hiſce carceribus coarctatur; & tamen, ampliſſimo quaſi in theatro, longè, latèq; ſpatiatur. Sed omnis affectibus iam datum: Noſq; reuocant æquales chori.

ÆQVALESQ; CHOROS. Secundum, poſt conſanguineos, locum obtinent Amici, ac præcipuè qui eiuſdem conditionis ſunt, eiuſdemq; genij, ac profeſſionis. Ideò in additamentum doloris, quam in Proſerpina regnaturum conſiderat Delia, eam non viſuram ampliùs æquales memorat Choros; quod ipſum tandem in additamentum proprij cedat doloris, angoribus dilectæ adaucti; & inſuper, quia futurum fuerit, vt, quoties aliquam ex æqualibus choris viderint Pallas, & Delia, illa monumentum doloris extitura ſit, ac vulneris refricatio. *Æqualemq; chorum* legit hic, & legendum contendit Heinſius. Verum cum Proſerpinæ comitatum in varios diuiſerit Choros Vates hoc eodem lib. carm. 57. & ſeq. non video, cur à vulgata recedendum, cum qua & Parrhaſius. Quid Chorus ſit vide in anteactis carm. 149., & pariter de nomine *æquales* vide carm. 37. Tantum nota tacitè hic deflorandam Proſerpinam deplorari: nam Chori Proſerpinæ æquales erant quidem Dearum cætus, æquales videlicet diuinitate: Sed, præcipuo quodam iure, cætus virginum *æquales* appellantur Virgini; certè enim *æquales* dicuntur, qui eiuſdem profeſſionis ſunt, licet alioquio diſpares. Dicitur itaque Proſerpina non amplius viſura *choros æquales*; quia, etiam ſi aliquando in poſterum danda foret illi facultas, Deas Sorores, ac cæteros Nympharum cætus inuiſendi, non tamen viſura erat *æquales*; nam viſura quidem Virgines fuiſſet; ſed ipſa iam non Virgo. Apertè autem huius mentionem non facit iacturæ, quæ præcipua eſt, ne magis animum & Raptæ, & relictarum exulceret, & ne iterum in arma, contra Iouis imperium concitentur Virgines Deæ; quandoquidem & primum gerendi belli motiuum hoc fuerat: *Stimulat communis in arma Virginitas &c.* Id autem innuere hic volui, ne videatur Vates in gradationem peccaſſe, ita vt potiùs decreſcere, quàm creſcere fecerit orationem; dùm priùs ſorores poſuit, ſubinde amicas, & æquales: per emphaſim enim tanti ponderis

deris iactura imperatur, per nomen *æquales*, vt maxima omnium illa ſit, nempe Virginitatis iactura; ideòq; creſcit, non decreſcit oratio,

QVÆ TE FORTVNA &c. Apoſtrophen, quam ab initio dicendi cæperat, proſequitur: &, per interrogationem, ignotas tanti exitij cauſas efflagitat ab eâdem ipsâ, quæ rapiebatur. Sed quomodo ſciret illa ea, quæ cæteris ignota omnibus, ſoli fuiſſent Veneri reuelata? An non imperſcrutabilia ſunt Numinis Iudicia? Sunt ſanè: ideòq; parcè de Deorum operibus loquendum præcipiebant antiqui; ne in errorem facilè incidamus imperſcrutabilia ſcrutantes. Verùm nemini potiùs nota eſſe poſſunt, quam illi ipſi, qui propriam malefactorum teſtem habeat conſcientiam; nam non ſolum, cum digna factis recipit, optimè nouit, conſcientia teſte, cur plectatur; ſed etiam, antequam pœnas ſubeat, ſibi ipſi conſcientia tortor adeſt, ac terrorem incutit, licet extra aleam adhuc pœnæ ſit, vt diſertiſſimè docet Cic. pro Mil. in his verbis: *Magna eſt vis conſcientiæ in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiſerint; & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccauerint.* Sic & Virg. Aen. 11. Aruntem trepidum deſcribit, ex ſola, quam patrauerat, occiſionis Camillæ conſcientia, adhibito lupi exemplo, qui poſt direptum ouile, occiſumq; paſtorem fugitat, licet nullus adhùc inſequatur, aut telis à tergo inſtet,

Ac velut ille prius, quàm tela inimica ſequantur,
Continuò in montes ſe ſe auius abdidit altos,
Occiſo paſtore, lupus, magnoq; iuuenco,
Conſcius audacis facti; caudamq; remulcens
Subiecit pauitantem vtero, ſyluasq; petiuit;
Haud ſecus ex oculis ſe turbidus abſtulit Aruns &c.

quod ita ad Dometem ſuum, Heraclio cæleſtibus armis ſpoliato, ad Perſas deficientem tranſtulit Cygnus Crucis lib. 17.

E poi, qual Lupo, all'hor, ch'egl' haue eſtinto
Dentr' al ſonno el Paſtor, ſe ne dilegua.
Mirand' al petto, on' ei di ſangue à tinto,
Soſpettoſo ne và, ch' altri no'l ſegua;
La coda ſerra, e pargli ogn' hor, che ſpinto
Sia dal fiero Maſtin che lo perſegua;
E ingombro el ſen di timida paura,
Muoue il trepido piè per l'ombra oſcura,
Così fugge Domete, e ſi raggira
Là ve'l boſco maggior ſerra el terreno &c.

Iure igitur Deliam adducit Vates, vt ab ipſa Proſerpina occulti quærat cauſas Iudicij. Verum, ne videatur ex infortunio ream exiſtimare Proſerpinam, ita interrogat, vt oſtentet creditam à ſe innocentem, ac ſine culpa damnatam: nam, vt noſtis, interrogatione vtimur ijs in rebus, quibus ſcimus reſponſum non habere, qui interrogatur. Quaſi dixerit: cur innocens hæc pateris? vt magis in commiſerationem reuocet infortunatam. Ideò *Quæ te fortuna &c.* per particulam interrogantis effert, quæ idem ſonat, ac *Qualis*. De Fortuna verò nil repeto, nam ſatis de ea dictum lib. 1. carm. 95. hic pro inopinato ponitur, & exitiali infortunio,

ABSTVLIT TE SVPERNIS. De verbo item *Abſtulit* vide dicta carm. immediatè ante cit. lib. 1. Eſt compoſitum ex *Abs*, & *fero*, atque idem eſt, ac ex aliquo loco, ab aliquo cætu aliquem quaſi abripere, atque aliò transferre. Pronomen *Te* emphaticè poſitum agnoſces, vt ſupra, nempe Te ſyderum Gaudium; Te Cælo maxime dignam; Te Dearum ſolatium, Deorum deſiderium, Paternæ ſedis triumphum &c. *Supernos* idem eſt, ac Cæleſtium cætibus; vt noſtis ex dictis initio lib. primi.

[illegible] ET DAMNAVIT SYDERA TANTO LVCTV. Rapuiſſe, ſeù è Superis abſtuliſſe Proſerpinam; & damnaſſe ſydera luctu, conſiderat hic Vates, ac per particulam coniunctiuam copulat, tamquam effectus ſimultaneos ab eadem cauſa prouenientes. *Damnauit*, hoc eſt damnum intulit; damno, ac pœnæ dedit: quod ſemper ſupponit delictum; atque adeò carpit hic acerrimè Raptorem Delia, ſeu inſolentiam ſupra nominatæ fortunæ, quòd ſydera, & ſyderum ſedem inhabitantes Deitates, in quibus nullum valeat reperiri crimen, tam atroci impietate mulctauerit *tanto luctu*. *Luctus* eſt dolor extrinſecus apparens, ex aſpectù videlicet, geſtù, lacrymis, clamore, veſtibus &c. & præcipuè, vt ait Cic. 4. Tuſc. Luctus ægritudo eſt, eius, qui charus fuerit, interitu acerbo. Iure itaque oſtendit Delia vniuerſalem Deorum luctum in funere chariſſimæ illis Proſerpinæ adfuturum, ita vt Sydera ipſa atrata lugeant; Cælum mæroribus compleatur,

IAM NEQVE PARTHENIIS &c. Vniuerſalis Deorum luctus, de quo ſupra, maximam ſibi partem vindicandam Delia profitetur, vt, quæ memorem popoſcerat Proſerpinam, memorem ſe, vice verſa, ſpondeat remanſuram: ex ſignis autem dolorem animi patefacturam ſe totius in conſpectù Orbis pollicetur.

IAM NEQVE LIBET. Aduerb. futuri temporis *iam* eſt, hoc loco, idem ſonans, ac *ex nunc in poſterum*; ſi determinantis animi effectum reſpicias ſecuturum: Si verò ad ipſum animi decretum referas, aduerb. præſentis temporis eſt, idem ac *nunc illicò* ſonans: Senſus enim eſt; Nunc illicò, te amiſſa, ſancitam fert animus legem, vt ex nunc in poſterum non ampliùs libeat innectere retia &c. *Neque* autem coniunctio diſiunctiua eſt, quæ hoc membrum à ſubſequenti diſtinguit, dum negatiuè copulat. *Libet* verò idem eſt, ac *placet*, & à labendo deriuatum volunt, quia ea, quæ placent, in animum facile delabantur: Senſus itaque eſt: Statuo, ne in animum meum delabatur delectatio tendendi retia, venationibus indulgendi &c.

INNECTERE RETIA. Tractant fabrilia fabri, ideò venatrix Dea de venationibus agit, ſed de venationibus abijciendis: quod profectò, in Venatrice, ſummum mæroris indicium eſt; nam delicias ſuas abijcere maximum eſt certè mæroris documentum: Venatorum autem delicias eſſe venationem, vel ex eo patet, quòd etiam dormiens venationes ſomniet, ſi non exerceat: vt innuit Auctor in præfatione ad Paneg. de 6. Honor. Conſ.

Venator defeſſa toro cum membra repoſuit,
Mens tamen ad ſyluas, ad ſua luſtra redit.

Innectere idem ſæpe eſt, ac *nexibus tenere*; ſed ſæpiùs etiam pro *cingere*, *circumligare*, atque ambire nexibus ſumitur: ſic de Angue ab Alecto in Amatam Reginam euibrato inquit Virg. Æn. 7.

Voluitur attactu nullo; fallitq; furentem,
Vipeream inſpirans animam. Fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ;
Innectitq; comas, & membris lubricus errat;

hìc pro circumcingere vſurpatum non dubito. Sed, non ſine myſterio, vſum verbo *innectere* potiùs, quam *circumdare*, Poetam arbitror; vt videlicet alluſiuè forſan loqueretur ad morem venatorum, quorum aliqui accuratè adeò retia conſiderant, vt vix inueniatur artifex, qui ea iuxta eorum mentem conficiat: quarè, vt ea habeant omni perfectionis numero abſolutas, ipſi manu ſua, cum cælorum inclementiâ ab exercitio venationis prohibeatur, retia ſibi conficiunt, quæ, quia continuis nexibus coaleſcunt, innecti ritè dicuntur, dum fiunt. Quid ni igitur innuere voluerit Vates ſtudioſam huius etiam artis Deliam ipſam? Quod ſi dicatur duplicem, vt vides, ſenſum habebit verbum *innectere*, nempe & *tenere nexibus* retia; & ſic contextis retibus circundare ſaltus ad feras in laqueos compellendas. *Retia* autem notiſſima ſunt inſtrumenta, quibus feræ, vel piſces, aut aues capiuntur, à retinendo dicta, vel, vt alijs placet, à raritate nexuum, quibus conficiuntur.

LVSTRIS PARTHENIIS. *Luſtrum* dicitur ferarum habitaculum, per antiphraſim, eo, quod minimè luſtretur, ſeù illuſtretur: ſicuti lucus, quia minimè lucet; ſiuè, vt alij malunt, *Luſtrum* à Luto dicitur, quia Apri, aliæq; huiuſmodi feræ ſyluestres in lutuoſis ferè locis, vel certè ſordidis, immundiſq; ſua habeant in ſyluis habitacula, quæ etiam Virg. *luſtra* vocat Æn. 3.

Tertia iam Lunæ ſe cornua lumine complent,
Cum vitam, in ſyluis, inter deſerta ferarum
Luſtra, domosq; traho &c.

hic tamen *luſtra* pro ſyluis ipſis, quas retibus cingunt venatores, ponuntur; contentum ſcilicet pro continente; ſi verbum *innectere* pro *cingere* ſumatur; quod ſi vſurpatum velis in ſecunda ſignificatione, *luſtra* poſita pro feris inhabitantibus agnoſces, in quarum damnum retia contexuntur, & erit continens pro contento. *Partheniis* autem dixit, vt per adiectiuum à Parthenio monte deriuatum, eiuſdem montis ſyluas Deliæ venationibus inſignes innueret: de quo vide plura hoc eodem lib. carm. 148. licet non negauerim ſpeciem hic pro genere poſitam.

NEC PHARETRAM GESTARE. Alterum ex diſiunctis membrum proſequitur, quod per adiunctionem figuram vides eidem verbo *libet*, cum ſuperiori copulatum. Porrò pharetram Delia, ne otioſa quidem, deponere vnquam aſſueuit, vt patet ex Virg. Æn. pri. vbi eam animi relaxationibus indulgentem deſcribit, & tamen ſignatè notat. . . . . *Illa pharetram*

Fert

Fert humero, gradienſq; Deas ſupereminet omnes.

quarè ex inſolito pharetræ faſtidio, inſolitum animi ſui mærorem iure aſſerit arguendum. Cauſam inſuper tacitè notat, cur iam tanto amantis Deliæ faſtidio pharetra plectenda ſit, quippè quæ videlicet cum Deam ſuam nil iuuerit ad defenſionem ſororis, perpetua iam abiectione, ac ocio plectenda iure cenſeretur. *Pharetra*, vt noſtis, theca eſt, in qua ſpicula arcui imponenda aſſeruabantur dicta *Pharetra*, quaſi *ferens tetra*, cum tela in tetrum ſunus gerat aptata, hæc ſuſpendi ex humero aſſueuit, vt dix. in anteactis carm. 32. quod hic aptè innuitur per verbum *Geſtare*, quod frequentatiuum á Gero eſt; appoſitè ad iam explicata.

SECVRVS VBIQ; &c. Ex abiecta pharetra, ex ceſſatione venatoriæ artis, quæ ſecutura fuerint præuidens, vltrò per figuram conceſſionem, & quidem amaram, impunitatem feris ſe daturam oſtentat, vt libere pro libito graſſentur, atq; orbem totum lanienis compleant ſuis: quaſi innuere velucrit, nil iam ſibi, amiſsâ Proſerpina, cordi eſſe, totumque perire orbem, ea pereunte, nil iam referat.

APER SECVRVS. De apro vide dicta in Præfatione ad hunc lib. carm. 36. & de Epiteto *ſecurus* vide lib. 1. carm. 367 tantùm nota vnum pro omnibus poni per ſynecd.

SPVMET VBIQ. De hoc verbo vide dicta lib. pri. carm. 282., tantùm nota ſpumarum emiſſionem indicium eſſe furoris intrinſecus exardeſcentis; ideoq; antecedens hic poſitum pro conſequenti, nempè *ſpumet* pro *deſæuiat*. Naturam autem exprimit apri, qui ſpumam frendens emittit: ex quo illud Virg. Æn. pri.

Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.

Aduerb. *vbiq;* locale eſt, idé, ac in omni loco, quamuis ſcilicet alioquin, ipſa Deliæ tutelâ, verendo feris alias, ac metuendo.

SÆVIQ; LEONES &c. Apris Leones copulat, vt intelligamus, præcipuis, ac ſæuioribus feris facultate conceſsâ deſæuiendi, feras omnes alias ab ipſius Deliæ legibus, metuque ſolutas iri. De Leonibus vide dicta lib. pri. carm. 250. Certe terror ſyluarum Leo dicitur, ignem ex oculis ſpirare cenſetur, cùm iraſcitur &c. ideò *ſæui* dicuntur, hoc eſt horridi, crudeles, diri. Sed & interdum *ſæuus* pro eodem ſumitur, ac *iratus*, *iraruumq; æſtu in ſtrages concitatus*. Sic Virg. Æn. 1. inquit:

Atridas, Priamumq;, & ſæuum ambobus Achillem.

&, in hoc maxime ſenſu, a Vate ſumitur hic, licet & primum ſeſpui non dixerim: quare nec Heinſium improbo, qui hoc loco legat *Sæuumq; fremant &c.*

FREMANT IMPVNE. Fremunt, ac dentibus frendent Leones, cum ira perciti in hoſtem, vel prædam irruunt. *Fremere* autem eſt confuſo quodam, vehementiq; murmure, ſeu concito vocis ſono indignationem oſtendere: quod in Leonibus maximæ ſecuritatis indicium eſt, vt notat Parrhaſ. nam in periculis, & timore tacent; vt idem teſtatur: ideò & Vates ſubd.: *Impunè*, hoc eſt ſine pœnæ timore. Nota autem quam bene naturam, ac proprietates ferarum attingat Auctor, eius tàm Aprum perpendens, quàm Leonē.

TE IVGA TAYGETI &c. Ingenti Deæ ſuæ affecta dolore, loca ipſa, quæ in eius ditione ſint, Proſerpinæ infortunium deploratura, pollicetur: atque, hoc pacto, & caſum Proſerpinæ acerbiſſimum notat, quippè ab inanimis lugendum ipſis; & mærorem ſuum, ob eam amiſſam, ſummè amplificat, dum, eius participatione, inſenſata ipſa ad lacrymas præmonet cogenda. Quo poſito; nobis deducendum relinquit, quid futurum de incolis locorum fuerit, concludendum enim venit apertè, omnes Deliæ cultores non, niſi atratos in poſterum, ſacrificia offerre auſuros, virgineſq; eidem dicatas mærentes ſemper adfuturas &c. vt non Delia ſolùm, ſed & omnia, quæ ad Deliam ſpectent, acerbiſſimi luctus inſignia deferant, omnia complentis. *Iuga* verò *ſumma montium culmina* dici patet ex Virg., apud quem Ecl. 5. leges:

Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit &c.

Taygetus autem, teſte Strab., Mons Licaoniæ eſt, non quidem ingens admodum, ſed tamen excelſus, & erectus, à Spartæ, & Amyclis imminens. Hunc Taygetum dictum fuiſſe autumant aliqui a Taygeto quodam, quem filium ferunt fuiſſe Iouis ex Taygete, vnâ videlicet Pleiadum. Atlantis, & Pleionis filiâ, ab ipſo Ioue compreſsâ. In eiuſdem montis radicibus, natos, inquiunt, Caſtorem, & Pollucem Iouis eiuſdem ex Leda filios: ideoq; illis etiam ſacrum fuiſſe aſſerunt montem, in eoq; denſiſſimos extitiſſe ſaltus Lacenarum venationibus celebres, ſcribit Stephanus. Nil igitur mirum, ſi Delia montem hunc præcipuè prædilectum in delicijs haberet, cum & aptiſſimus ille venatui, & fraternis inſuper iuris eſſet; nam licet Taygetus, Caſtor, & Pollux, ex diuerſis matribus eſſent, Fratres tamen erant Deliæ, quippe ex eodem, cum ipſa, Ioue Patre progeniti. Adde, montem hunc Amyclis, vt diximus, imminere: Amyclas autem in Apollinis fuiſſe ditione, iam vidimus lib. pri. carm. 135. quarè vterino etiam, atq; ex eodem Patre genito, Fratri, in Taygeti iugis degens adhærebat. Hanc igitur ſibi delectam, venationibuſq; ſedem ſuis lugubrem Proſerpinæ memoriam promittit ſeruaturam. *Iuga Taygeti*

FLEBVNT TE. *Flere* eſt lacrymas effundere, illiſq; infortunium aliquod proſequi; quod maximè proprium amantis eſt iuxta illud Ouidij:

Vt flerent oculos erudijre ſuos.

quarè, ex ſubſecuturo effectu, dilectam non ſibi tantùm, ſed & ſedibus etiam ſuis, Proſerpinam fuiſſe declarat. Ideò *flebunt te*: nempè te raptam, Populo ſilenti traditam &c. quæ per emphaticum illud pronomen ingeruntur.

TE FLEBVNT MÆNALA. Nota emphaticam repetitionem; nam reliqua in aperto ſunt ex dictis. Habes etiam hic adiunctionem figuram, vt ſatis patet ex ſimili §. *Nec pharetram*. Mænala verò ſatis perueſtigauimus lib. pri. carm. 229., cum enim ibi Virgines ſacra facerent, eæque in Deliæ tutela ſint, conſequens eſt, vt eum ſibi montem lectiſſimam in ſedem Delia vindicauerit.

POSITO VENATV. Aſſignat cauſam, cur futurum ſit, vt ea loca ereptam lugeant Proſerpinam, quia ſcilicet, ex illius amiſſionis dolore, depoſitis Delia venationibus, non ampliùs eorum ſit ſaltus frequentatura, ac conſequenter ſuo loca Numine deſtituta, ac feris ideò impunè graſſantibus deuaſtata alienis in malis cogenda ſint, propriam deflere, ex orbitate, infælicitatem. Ideò *Poſito venatu*, hoc eſt *ceſſante venatoria Deæ exercitio*, ac per conſequens locorum, ab ipſius haberi ſolitâ greſſibus frequentatione: nam *ponere*, á quo partic. *poſito* pro *ceſſare* reperies etiam apud Virg. Æn. 7. vbi, ceſſantes indicans ventos, ait:

Cum venti poſuêre, omniſq; repente reſedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonſæ.

ET DIV LVGEBERE. Effectum effectibus mæſtitiæ connectit, per particulam coniunctiuam: atque ſic tandem enumerationem claudit, paucis, pro omnibus, poſitis, & enumeratis. *Diù* Aduerb. temporis eſt, idem ſonans, ac *longo tempore*: ſed, quia hic ponitur indefinitè, indefinitam etiam, hoc eſt infinitam temporis diuturnitatem importat. De verbo *Lugebere* vide dicta in Præf. ad hunc lib. carm. 3.

MAESTO CYNTHO. De epiteto hic addito vide dicta in eit. Præf. carm. 4. Cynthus verò Mons Deli Inſulæ eſt, editus adeò, vt totam, vmbris proiectis, Inſulam dicatur occupare. In hoc Monte Apollo, ac Diana nati dicuntur; quare ſicuti ille Delius: hæc Delia ab Inſula tota vocantur; ſic a Monte Cynthius ille; hæc Cynthia nuncupatur. Montem tamen pro tota Inſula hic poſuit Vates, quandoquidem & totam Inſulam Cynthum appellatam ſcribit Stephanus á quodam Cyntho Oceani filio, vel ab ipſo etiam Monte, vt alij arbitrantur.

QVIN ETIAM &c. Non ſibi tantum; ſed, quod maximi ponderis ſit, Fratri, nempe Phœbo, communem luctum adfuturum promittit, ſilentibus eiuſdem Phœbi oraculis promulgandum. Ideò *quin etiam*, quod aduerb. augendi eſt, idem ſonans, ac *Præterea, quod maius eſt*. Ex quo apertè vides, Deliæ promiſſiones gradatim, per ſingula iam data, creſcentes, hic, ſupremo quaſi obtento gradu, terminari.

DELPHICA DELVBRA FRATRIS. De Delubris vide dicta lib. 1. carm. 7. Deliæ autem Frater Apollo fuit, vt dix. lib. 1. explicantes Latonia furta. Conſequenter frater ille ipſe erat Proſerpinæ ex parte Patris, nempe Iouis, licet ex diuerſa matre progenitus; ideòq; & ad ipſum pertinebat raptæ Proſerpinæ infortunium, ac dolor. Pluribus autem, vbique locorum, templis ditatus fuerat Apollo: Sed præcipuo in honore habebatur illud, quod Delphis extructum erat, Bœotiæ Ciuitate apud Parnaſſum, quæ Delphi dicta eſt, vt ſcribit Interpres Lycophronis á Delpho Neptuni filio, ex Melantho Deucalionis filia ſuſcepto, quam Neptunus in Delphynem mutatus compreſſit, vnde & Puero nomen. Attigit hanc etiam Neptuni ad amores transformationem, inter alias, Ouid. Metam. 6. vbi ait:

Et te flaua comas frugum mitiſſima Mater
Senſit equum: te ſenſit equum crinita colubris
Mater equi volucris: Senſit Delphyna Melantho.

Ex Delphis igitur partium nomen, quo & ipſe Apollo cognominatur, *Delphicus* deriuatur, & ideò Delphicum dicnan,

tum, & illud templum inibi conſtructum, in quo celeberrimum extaret toti terrarum Orbi Oraculum, quo reſponſa dabantur omnibus ex omni illùc regione Orbis, ad oracula expoſcenda confluentibus. Hoc templum Dædalea ædificatum arte meminit Virg. Aen. 6. poſtquam videlicet Dædalus ex Cretenſi effugiſſet Labyrinto.

Dædalus (vt fama eſt) fugiens Minoia regna
Præpetibus pennis auſus ſe credere Cælo,
Inſuetum per iter, gelidas enauit ad Arctos;
Chalcidicâq; leuis tandem ſuper aſtitit arce.
Redditus his primùm terris tibi, Phœbe, ſacrauit
Remigium alarum, poſuitq; immania templa.

Secretiorem autem locum, ex quo Oracula reddebantur ſic ibidem deſcribit. *Poſcas alta in templa Sacerdos*

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum;
Vnde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.

Delphica itaque hæc delubra ſilentium, in ſignum mœroris, actura, ob amiſſam Proſerpinam, deprædicat Delia.

TACEBVNT. Verbum notiſſimæ eſt ſignificationis. Tantùm noto diſtinctionem, quæ fieri ſolet inter verbum *ſileo*, & verbum *taceo*, illud enim propriè dici aſſerunt de eo, qui nec loqui cœperit; hoc verò de eo dici, qui, loqui cum cœpiſſet, à verbis tandem ceſſat. Iure itaque *tacebunt* Delubra (dicitur) Delphica, quæ ſcilicet tunc temporis, ac multo etiam ante illud tempus aſſiduis perſonaſſent oraculis: quod dictum volui in gratiam eorum, qui, vt Heinſius refert, *ſilebunt* legere maluerunt, minus profectò aptè, ni me mea fallat opinio. Delubra autem taciturna dicuntur, pro ipſo Numine delubris inſonante, atque oraculorum carmina reddente. Sed efflagitare hic poſſet curioſus quidam, nùm mendax fuerit, quo ad hanc partem, Delia, promiſſorum: nam certe, poſt raptam Proſerpinam, Delphica delubra non tacuiſſe teſtatur Virg. Æn. 6. cit. cùm enim Sibylla Aeneæ dixerit, inquirendum priùs, decerpendumq; aureum ramum, inferæ ſacrum Iunoni, certe de Proſerpina Inferorum Reginâ iam conſtitutâ intelligi debet; nam hoc ipſum explicat Virg. ibi dum ait:

Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit &c.

Rapta ergo fuerat Proſerpina: & tamen adhùc delphica vigebant oracula, vt ex ſupracitatis patet carminibus.

Adeunt centum oſtia centum &c.

& Sibylla ipſa, voces ſuas non ſuas eſſe, ſed Phœbi teſtatur.

Ventum erat ad limen: cum Virgo poſcere Fata
Tempus ait: Deus ecce Deus &c.

Poſſet quis fortè reſpondere, nil mirandum, etiam ſi, quo ad hanc partem, Delia mendax extitiſſet; nam cum promittitur id, quod ab alieno dependet arbitrio, id promittitur, quod piè, ac probabiliter efficiendum creditur; ſed non tenetur ſubindè promittens pro ſuorum ſtare veritate dictorum, ſi is, ex cuius arbitrio pendet, quod promiſſum fuerat, ſtare nolit promiſſis. Optima profectò eſſet ſolutio, & facilè difficultatem eludens. Sed in memoriam reuocandum eſt, Deam eſſe, quæ loquatur, cuius, ex ratione diuinitatis, ſit, optimè futura prænoſcere, conſequenter non promiſſuram fuiſſe, quod non euenturum prænouiſſet. Quare adhuc ſyrtibus adhæret nauis. Dicent itaq; fortaſſis alij, aduertendum eſſe, Deliæ propoſitionem nulli eſſe alligatam tempori; ita vt ſtatim, poſt Proſerpinam raptam, taciturnitati oracula ſacranda fuerint. Quare ſufficere, ad verificandam Deliæ propoſitionem, ſi aliquo tandem tempore, poſt raptum, oracula conticuerint. Quod certè euênit, poſt aduentum veri Numinis in Mundum, cùm ſcilicet ex Virgine naſci dignatus Filius, ante tempora, ex Patre generatus; nam, Hadriano, poſt Chriſtum natum, imperante, muta prorſus oracula extitere, non ſolum Delphica, ſed & Iouis Ammonis, aliorumq; Deorum omnium. Immò Tullius 2. de diuin. aſſerit, ſuis ipſis temporibus (quæ multò ante aduentum Chriſti fuere) cœpiſſe oracula ſenſim obmuteſcere. Quare, hæc tempora, per prædictionem, innuiſſe, inquient, Deliam. Non reprehendendam profectò duxerim reſponſionem, immò laudandam facilè exiſtimauerim: in cuius etiam confirmationem adduci poſſet, appellatam à Delia fuiſſe Proſerpinam, *Numinibus dilectam*, dum ait, luctu, ob eam raptam damnatum cum Syderibus Cælum &c.; ex quo deduci fortaſſis poſſet, Proſerpinam, in conceptu Deliæ, perſonam geſſiſſe illius fidei, qua Gentiles Numinibus adhærerent ſuis (quid enim eſt Dijs illis charius?) quæ cum æthera deſeruerit ad Inferos rapta eſt: cum vera fides illuxit, atque oracula conticuere. Arguta, inquam, expoſitio eſt, & quam à Vatis mente alienam non omninò fore, mihi facile perſuadeam. Sed adhùc aliquid ſupereſſe videtur difficultatis: nam, cùm in fabuloſis verſemur, non ſolum cohærere inuicem debent, quæ per fabulas ſignificantur, ſed debent etiam cohærere fabulis fabulæ. Quare, cum luctus dicatur ex amiſſione ortus ſororis, ſtatim, poſt eam amiſſam, ſequi debuit Fratris luctus, atque Oraculorum per conſequens taciturnitas, vt figuris figuræ cohærentes procederent, eodem modo quo figuratum figurato cohæret, nempe deperditio falſæ fidei, & omnimoda oraculorum ceſſatio, ſtatim, ac vera fides effulſit. Dicam itaque, obſeruandum eſſe, Deliam de Oraculo præcisè, Delphico locutam, quod, poſt raptum Proſerpinæ, non omninò quidem, ſed ad tempus certe conticuit; nam, vbi tunc Apollo, *Solis, ac ſemper Delphis* aderat, oracula fundens, poſtea, Delum abiens, ibiq; oracula pandens, morabatur, ita vt ſex apud Delum menſes reſponſa daturus extiterit; ſex alios apud Delphos iterùm reſonaret; vt notant Virgilij Interpretes ad Carm.

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.

vbi dicunt Aeneam à Sibylla reprehendi, quòd contemplandis templi celaturis tempus tereret; nec perpenderet, Phœbum, non ſemper adfuturum, inſtante tempore, quo Delum protinus aduolaret. Ad hæc itaque alludens Auctor Deliam ad dicendum inducit, *Delphica tacebunt delubra*; non æternum, ſed ad tempus; nempe ſex integros menſes, quos in Inſula Delo eſſet commoraturus.

INTEREA VOLVCRI &c. Detinebatur vix Pluto obiectis Dearum armis, vt ſupra videbamus: quare, ceſſante, ex Iouis imperio, armorum oppoſitione, quid expectandum, niſi vt, præcipiti rotâ, abuehentis prædam, raptoris deferretur currus? Fundas embraret vtcumque querelas Delia, apud ſurdas profectò canebat aures; nam inexorabilis Pluto, nec lacrymis flectitur, nec queſtubus demulcetur. Eum itaque iter ſuum celerrime proſequentem indicat Vates, & quidem eo ipſo tempore, quo queſtus funderet inanes Delia: hæc enim vis eſt illius vis aduerbij *interea*, quod compoſitum ex *Inter*, & *ea*, idem ſonat, ac dum hæc à Delia iactantur verba.

FERTVR PROSERPINA VOLVCRI CVRRV. *Fertur*, hoc eſt abuehitur; nam ferre *portare* eſt. Currum verò Plutonis iam ſæpè nouimus; hic vt inſtrumentum effertur aſportantis. Et Volucris dicitur, hoc eſt auium volatus celeritatis impetu æmulatus: vide dicta de hoc adiect. lib. 1. carm. 181. ſeù etiam volucris dicitur, quaſi *rotas celerrimè voluens*.

CÆSARIEM DIFFVSA NOTO. Deſperantem de ſua ſalute Proſerpinam ab adiunctis, ſeù ſignis, & effectibus deſcribit. Vtitur autem particip. paſſiuo *diffuſa*, quod tamen, quaſi actiuam, hic habeat ſignificationem. nam perindè eſt, ac ſi diceret: *cum primi diffunderet cæſariem venti*. Et eſt locutio per helleniſmum, nempè *diffuſa cæſariem* pro *diffuſa cæſarie*. Non tamen mere pro libito ita effertur, ſed, vt ipſa Proſerpina talem agens diffuſionem intelligatur: ſi enim *diffuſâ cæſarie* dixiſſet, in dubium reuocari poterat, num conſultò, ipſa videlicet Proſerpina lacerante; an potiùs, fortuitò ſoluta, cæſaries diffuſa fuerit: ſed, cum dicitur *diffuſa cæſariem*, iam actio diſcerptiua crinium ipſi tribuitur Proſerpinæ, & voluntaria apparet. Porro *diffundere*, à quo *diffuſa*, idem eſt, ac diuerſas effundere in partes, atq; hinc inde ſpargere; ex quo conſequenti colligitur facile antecedens; nempè Proſerpinæ manum crinibus iniurioſam fuiſſe, eoſq; diſcerpſiſſe, ac dilacerаſſe. Cæſaries enim *coma* eſt, ſic à cædendo dicta, quia crines, moderatâ tonſurâ, certis quoq; temporibus, caſtigati, excreſcunt magis, ac protenduntur. Sicut autem nil impenſius colunt, quam crinem fœminæ, ac præcipue cum, florente ætate, luxuriant: ſic crinem non modo negligere, ſed lacerare manibus, ac diſpergere, ſummum vtiq; doloris, ac deſperantis, in fœmina, animi monimentum eſt. Quare & Virg. Æn. 12. ſummam Iuturnæ deſolationem, dolorem eximium, ac deſperati animi conſternationem delineaturus, ex comarum euulſione, oriſque, ac pectoris verberatione amplificat, his verbis:

At procul vt Diræ ſtridorem agnouit, & alas
Infelix crines ſcindit Iuturna ſolutos,
Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis.

Pari igitur hic paſſu Auctor conſimiles affectus in Proſerpina expreſſurus, ex conſimilibus effectibus argumenta iure deducit: *Cæſariem diffuſa Noto*. De hoc vento, qui Notus dicitur vide dicta in Præfatione ad lib. pri. carm. 8 Hic

tantùm nota ſpeciem pro genere poni, ſeù vnum determinatè, pro omnibus indeterminatè, immò & pro quacumq; leni aura ventilante.

PLANCTVQ; VERBERAT LACERTOS. Doloris, ac deſperationis effectui ſuprapoſito effectum adnectit, & copulat, nempè ſui ipſius contuſionem; *verberare* enim eſt *verberibus cædere*, ſeù vim, manuſq; inferre. Quid autem verbera ſint dix. in anteactis carm. 197. Item quid *Lacerti* ſint vidimus carm. 30. hic pro iotis ponuntur brachijs, de quibus ibidem. *Planctus* deniq; dicitur ea lamentatio, quæ cum percuſſione pectoris, alteriuſue corporis partis coniuncta eſt: Aſt propriè eſt ipſa percuſſio, quam ſummo in luctu pectus, aut aliam noſtri corporis tundimus partem; & ſic dicitur a verbo *plango*, quod *percutio* eſt.

ET FVNDIT INANES QVESTVS AD NVBILA. Poſtremum iam ſummi, quo Proſerpina afficiebatur, doloris effectum, nempe eiulatum ingentem cæteris effectibus per copulam adiungit: ſicq; viam ſibi aperit ad Etopeiam Proſopopeiæ admixtam, quam inferiùs fuerat de Proſerpina contexturus. De verbo *Fundit*, vide præhabita ad carm. 124. hic ponitur pro *effundit*, per apheresim, vt arbitror. *Queſtus* idem eſt, ac *lamentatio*, *querela*, *eiulatus*, à verbo *queror*, quod idem eſt, ac lamentationibus, querelis, eiulatibus indulgeo. Inane verò dicitur, quod vacuum eſt, & nullius ponderis, ac conſiderationis: quarè, translatè, & queſtus inanis dicitur, qui apud ſurdas aures, nil profuturus, effunditur: atq. adeò omni vacuus efficacia nullius momenti eſt; & tales profectò erant Proſerpinæ queſtus, vt ſatis ex dictis iam patet: quatenùs autem eos dixit ad *nubila fundi* oſtendit acres, vehementes, ac toto Proſerpinæ vlulantis effuſos conatu, vt magis affectum moueat commiſerationis, dum eiulatus innuit ad nubes vſq; aſcendentes. Sed & eodem tempore, ac pari paſſu inualiditatem eorum, inanitatemq; oſtendidit, qui licet toto impetu eiubrati nubes non tranſcenderent, ideòq; ad Iouis aures feriendas, haud quaquam peruenirent. Sed quemadmodum vento agitantur nubes, diſgregantur, ac diſſoluuntur, ſic queſtus Proſerpinæ ventorum ludibria effecti eorumdem afflatu diſſipabantur. *Rumpit* pro *fundit* legit Heinſ.; alij *tendit*, alij *tollit*. Sed vulgata magis placet. De Nubilis ſi plura cupis vide dicta lib. pri. carm. 181.

Sed ex his nubibus ſalutares nos iam pluuias hauriamus, morales tandem ſenſus educentes.

Sis memor, ò, longumq; vale. Decedente Anima, quæ, populo ſilenti vt traderetur, promeruit, conclamant quidem Sacerdotes, ac pacem implorant æternam: Sed, heu, reſpondere illa poſſet: Ecce in Pace amaritudo mea amariſſima. Quod ſi omnipotens Pater, ac iuſtiſſimus Proſerpinæ, hoc eſt Animæ, Iudex aperiret tunc oculos Sacerdotum, qui viribus omnibus nitebantur Prædatori obſiſtere, ita vt raptam a Plutone illam abuehi cernerent, ingemiſcerent quidem; ſed & dicere cogerentur: *Reuerentia Patris obſtitit auxilio*; ideò, Sacerdotali non obſtante conatu, inferno raperis curru. Aptantur profectò in luctum omnia ob infœlicis illius amiſſionem, cuius Proſerpina inferno rapitur curru; Lugent amici, deplorant conſanguinei, atrata mæret familia; loca ipſa, quæ ab Amicis demortui frequentantur, eorum eiulatibus reſonantia, ſenſum videntur doloris induere: Sed quid hæc proſunt, dum *Interea volucre fertur Proſerpina curru*? inuerſis armis, ac deiecto terram mucrone ſulcantibus, funeream adſtruant pompam Palladis ſectatores: vexilla puluere ſordidata terram verere non detrectent; tympana diſſonis tinnitibus ferale gemiſcant: tubæ mæſtis vlulent clangoribus: vnà voce, languentibus armis, conceſſa iam hoſtilibus turmis videatur facultas impunè graſſandi. Quid tum? dum *Interea volucri fertur Proſerpina curru*. Montes, hoc eſt, altiſſima quæq; nobilitatis culmina defleant; Syluæ, hoc eſt, infimæ Plebis promiſcua turba lacrymis proſequatur; longiſſimus præficarum non deſit apparatus: oracula ipſa legum, foris tacentibus conticeſcant: quid tandem? Si *Interea volucri rapitur Proſerpina curru*. Proh' quantus in infelicis ore terror oberrat, dum rapitur? Quam fœdè crines lacerat, ora diſcerpit, pectora tundit, eiulatibus, nequaquam profuturis Cælum complet, & ad nubila fundit inanes! Profectò, ſi hæc inſpicere, nec non audire liceret, nullum vnquam, tragicum magis theatrum exhiberi oculis poſſe fateremur. Aſt quid, quæſo, tantas excitat tragædias? *Breuis voluptas infinita cultura*. Flores colligendi auiditas acerrimos dolorum vepres produxit: paululum mellis deguſtatum immortalem peperit mortem; ac momentaneum gaudium æternam tormentorum ſeriem enixum fuit. Momentum, momentum eſt, à quo pendet æternitas; & tamen momentum hoc parui adeò facimus, vt illud Inferno hoſti facremus, oblationem noſtram, æternitate pœnarum compenſaturo. Verùm, ne & nos in æternitatem redacti, finem non inuenientes videamur, his tandem omiſſis, quam raucum ſtridêre nouerit Italica noſtra Chelys experiamur.

O del duol, che dal petto il cuor ne ſchianta,
  Sola cagion, bench'innocente, à Dio.
  De noſtri affetti, onde bramata, e pianta
  Sei, le memorie almen, ſecure d'obblio,
  Conſerua, ò Cara, e, ſe trà i fior, ſi vanta
  Di rapirci il più bel d'Auerno il Dio,
  Non s'incolpin queſt'armi. Al ſol riſpetto
  Cedon del Padre il lor douuto effetto.
Ei rintuzza gli ſtrali; ei le difeſe
  Tronca, che n'vſcian pronte, al darti aita;
  Ne potiam Noi, contro le voglie inteſe
  Del Sommo Nume hauer la fronte ardita,
  Dalla forza maggior cagion proſteſe
  Le forze noſtre; e quel deſio, ch'inuita
  Al punir l'Empio, il Predatore, il Fiero,
  Vinto s'arrende al più ſourano Impero.
Con gl'Abiſſi congiura, e t'abbandona,
  Lor preda eterna, il Genitor ſeuerò:
  Ei da ſe ti sbandiſce; e t'imprigiona
  All'Ombre mute, in ſuol, di pene altiero;
  Ahi che d'indi non mai d'vſcir condona
  Rigido il Fato: e più ſeguir non ſpero,
  Che el riuegga tu; che ti rincôri
  In mirar di tue pari amici i Cori.
Qual ſciagura t'opprime? ò qual dal Cielo
  Sorte iniqua t'inuola; e l'auree ſtelle
  Danna al veſtir d'atre gramaglie il velo!
  A Dio, per ſempre, à Dio. Meco rubelle
  Reſterà del mio cuore il duol, ch'io celo.
  Mà nò, no'l celo. In torbide facelle
  Sueliſi, ouunque, pur, frutto di fede
  S'appreſti à Delia, in boſcareccia ſede.
Più non s'odan le glorie, à me dilette;
  Tutto nel pianto il mio gioir tramonti.
  Infracidite pur reti neglette;
  Che più cinger non curo Arcadi Monti.
  Gitene ò freccie in bando: e non s'aſpette,
  Che più da voi Tigre crudel s'affronti
  Baldanzoſo, e ſicuro, in ogni lato,
  Spumi'l Cingial, frema il Leone irato.
Tributarie di lutto à tuoi Deſtini
  Vedranſi ogn'hor le Taigetane rupi;
  E del Menalo hauran gl'alti confini
  Pianto, che baſti ad ammollir dirupi.
  Dell'eſtinte mie caccie i fonti, i fini
  Paleſeran con gl'vrli al boſco i Lupi.
  Piangerà Cintho: e Cinthio, à i Fati acerbi,
  Fia, ch', in Delfo tacendo, al duol ſi ſerbi.
Sordo frà tanto à sì doglioſi accenti,
  Vola il Cocchio funeſto; e ſeco porta
  L'infelice rapita: e'n preda a' venti
  Scarmigliati del crin gl'ori traſporta
  L'horror, ch'atroci al ſen vibra i tormenti.
  Batte le braccia; e già, trà viua, e morta,
  Languir la vedi: indi le ſtrida inalza;
  E'n van le nubi ad inueſtir le incalza.

Stridoribus autem dum ipſa interim detinetur, nos apud Vatem illos ſedulò perpendamus.

Cur non torſiſti manibus fabricata Cyclopum
In Nos tela, Pater? Sic me crudelibus vmbris
Tradere; ſic toto placuit depellere mundo?
Nulla ne te flectit pietas? Nihilumne paternæ
Mentis ineſt? Tantas quo crimine mouimus iras?
Non ego, cum rapido ſæuiret Flegra tumultu,
Signa Deis aduerſa tuli: non robore noſtro
Oſſa pruinoſum vexit glacialis Olympum.
Quod conata nefas; aut cuius conſcia culpæ
Exul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
O' fortunatas, alij quaſcumque tulere
Raptores! Saltem communi luce fruuntur.
Sed mihi Virginitas pariter, Cælumq; negatur:
Eripitur, cum Sole, pudor; terriſq; relictis,
Infælix Stygio ducor captiua Tyranno.
O' male dilecti flores; deſpectaq; Matris
Conſilia! O' Veneris, deprenſæ ſeriùs, artes!
Mater iô; ſeu te, Phrygijs in vallibus Idæ,
Mygdonio buxus circumſonat horrida cantu;
Seu tù ſanguineis vlulantia Dindyma Gallis
Incolis, & ſtrictos Curetum reſpicis enſes;
Exitio ſuccurre meo: compeſce furentem:
Comprime ferales torui Prædonis habenas.
Talibus ille ferox dictis, fletuque decoro
Vincitur; & primi ſuſpiria ſenſit amoris.
Tunc ferrugineo lacrymas deterſit amictu;
Et placidâ mæſtum ſolatur voce dolorem.

CVR NON TORSISTI &c. Cæteris, ob amiſſam Proſerpinam dolentibus, magis ipſa, procul dubio, quæ ſe perditam cernebat, ingemiſcere debuit. Proſerpinæ igitur lamentationes, per Proſopopeiam Etopeia mixtam proſequitur Vates, hoc loco; eamque, loco præmij, habituram fuiſſe oſtendit, ſi potiùs ictu fulminis fuiſſet in nihilum redacta, quam Plutoni tradita. Incuſat itaque Nata Genitorem nimiæ in illam rigiditatis: Se innocuam damnari, lamentatur: atq; vt hoc probet, varia enumerat crimina, quibus meruiſſe poterat acerbam adeò animaduerſionem; iſtaq; per negationem à ſe remouens iniuſtam Iudicis ſententiam conatur oſtendere. Fatetur tandem ſe non omninò inculpabilem fuiſſe; ſed errorem tandem ſuum non tanti fuiſſe ponderis profitetur, vt acerbè adeò plectendus fuerit. Quarè concludit inſtans, vt noxa tantis digna ſupplicijs ſibi tandem imputetur, quaſi de Iudicio cum Iudice contendens. Deplorat ſubindè, per exclamationem infortunium ſuum, ſeq; cum alijs comparans raptis, ſolam ſe omnium infęlciſſimam oſtendit. Tandem Matris auxilium implorat, precaturque, vt filiam à tyrannica prædonis vindicet poteſtate. Quibus habitis inducit ſubindè Vates Plutonem, amoris affectu delinitum, conſolatoris munus obeuntem, ac lacrymas tergentem effingit; ſicq; viam ſternit, ad eius tandem conſolatoriam orationem ſubnectendam.

CVR NON TORSISTI &c. Ex abrupto incipit ex rationibus ſupra traditis, cum de inuectiua Palladis, ac Deliæ threnis ageremus. Suppoſito itaque Fatorum decreto, quod ne à Genitore quidem infringi potuerit: vel potiùs, ſtata ipſius Genitoris voluntate, qua irreuocabiliter ſancitum fuerit, vt Proſerpina perderetur; conqueritur illa, mitiorem viam non ingreſſum fuiſſe Genitorem, ita vt Patrem ſe, etiam in filiæ ſuæ punitione, clementem oſtendiſſet. Ex quo vides quam altè extollat Iouis ſeueritatem, qui filiam, nullius, vel ſaltem leuiſſimæ conſciam culpæ maiori, quam rebelles ipſos, ſupplicio afficiat. In quo maximè naturæ mores imitatur; connaturale enim eſt, vt qui grauiſſimum aliquid patiuntur, ſtatim aliorum pœnas animo reuoluant, ac quæ alijs grauiſſima viſa ſunt ſibi leuiora recenſeant futurum fuiſſe, vt acciderent, dummodo in locum tormenti illius, quod patiuntur, ſucceſſiſſent: nam atrociſſima quæque, ſi cum illis, quæ atrociora nobis ſunt, comparentur, iam induunt rationem minoris mali, atq; ideò, vt comparatiuè bona, appetuntur. Quærimoniam autem effert per apoſtrophem, & interrogationem, Proſerpina, cauſam cur non mitiùs egerit Iupiter inquirens, quaſi nullum illi reſponſum præſto futurum ſit, niſi quod iure conqueri filiam aſſeueret. De aduerb. itaque interrogantis *Cur* vide dicta ſuperius carm. 216. ac de verbo *torſiſti* vide item dicta hoc eodem lib. carm. 199.

PATER. Aduerte non eſſe hoc loco τὸ πατὴρ caſum vocandi; nominatiuus enim emphaticus eſt, idem ſonans, ac *ſic oſtenderes te eſſe patrem, vel vt Pater facere debuiſſes*: quandoquidem πατὴρ latinè & *filios feruans*, & ſeruatam ſe exiſtimaſſet, licet icta fulmine Proſerpina, dummodo in Plutonis manus non incidiſſet. Ideò cur non torſiſti Pater; mitiùs ſcilicet, vt Patrem decebat agendo.

IN NOS. Plurali vtitur numero pro ſingulari, vt aſſolent Principes; & quidem non abs re, cum Filia Regis hominum, Deorumq; ſit quæ loquatur.

TELA FABRICATA MANIBVS CYCLOPVM. Hoc eſt fulmina, de quibus, eorumq; per Cyclopes efformatione, vide dicta lib. pri. carm. 97. Adeſt autem πάθος à minori; nam, cum de Cœlo tangi maximum per ſe ſit, minùs tamen eſſe contendit, quam ſic rapi, vt ex dictis patet.

SIC PLACVIT TRADERE ME &c. *Sic* aduerb. hoc loco intenſionis eſt, idem ſonans, ac *valdè adeò*, ſeù *impensè adeò*: atq; inſuper, cum interrogationi deſeruiat pro eodem accipitur, ac *ſiccine*; quarè ſenſus eſt: *tantane crudelitas tuos potuit mouere, vt impensè adeò placuerit &c.* ex quo vides quantam in emphaſim aſſurgat. Placuit: hoc verbum, cum impersonaliter vſurpatur, pro eodem ſumi ſolet, ac *videtur*: Sic Cic. lib. ad Lent. pri. *Poſtrid è placuit (idest viſum eſt) vt breuiter ſententias diceremus*. In eodem autem ſenſu hic ſumitur, ſed emphaticè; occultè enim Iouem carpit, quaſi, non ex motiuo Iuſtitiæ, ſed merè ad libitum, ac ſine cauſa, tam atroci ſupplicio filiam damnare voluerit. Ideò *ſic placuit tradere me &c.* De verbo *Trado* vide nuper dicta carm. 238. Alij legunt *credere*. Sed vulgata aptiùs, nam correſpondet ijs, quæ Delia protulerat *Populoque ſilenti traderis &c.* Sed nota perſpicaciſſimum Poetæ acumen. Cum Proſerpina, quid Patri faciendum potiùs fuiſſet, cum punitionibus, quæ adhùc filia eſſet, addicturo, more principum locuta eſt.

Quid non torſiſti manibus fabricata Cyclopum
In nos tela pater.

nunc verò, cum, ex effectu, ſe iam ex filiarum albo expunctam, exhæredatam, proiectamque, atq; inferorum traditam poteſtati, & ſentiat, & recenſeat; iam non ampliùs filiam actura, faſtum vtique deponit, ſeque vt captiuam, vilem, abiectam per ſimplex pronomen demonſtratiuum perſonæ deſignat: *Sic me tradere placuit*

VMBRIS CRVDELIBVS. Quid vmbrarum nomine intelligendum ſit, vide dicta lib. pri. carm. 56. & carm. 41. Inferorum autem vmbras, ſeù poteſtates tartareas, immani prorſùs crudelitate inſignes eſſe, vel ex eo patet, quod Virg. pœnas damnatis illatas crudeles vocet Æn. 6.

Vidi & crudeles dantem ſalmonea pænas &c.

ſi enim verum eſt effatum: *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*, certè, ex crudelitate pœnarum, crudeliſſimos eſſe, qui eas infligunt, facilè deducitur. Porrò *crudelis* idem eſt, ac *immitis, aſper, inhumanus*, quid igitur crudelius, quam inferorum tyrannidem experiamur?

SIC TOTO PLACVIT DEPELLERE MVNDO. Habes adiunctionem duorum membrorum eidem verbo *Placuit*, atq; emphaticam habes repetitionem particulæ *Sic*. Alij legunt *deſcendere* pro *depellere*. Vulgata tamen magis arridet, quia magis iniuriam exprimit, quam ſibi irrogari lamentabatur Proſerpina actionem Filiæ expulſiuam attribuens Patri. Depellere igitur eſt deorſum pellere ex ſuperiori abactum loco; ſed quamdam importat violentiam impulſus, qua barbarico potiùs, ac tyrannico more, quam humano vtatur, qui abigit, & depellit, vt notant verborum interpretes; ideò *ſic placuit*, inquit, *me depellere toto mundo*. Nota ex his poſtremis particulis importatam exilij acerbitatem, tanta profectò Emphaſi, vt nil vlteriùs addi poſſit. Durum eſt exulare apud Scythas, vt toties deplorat Ouid., apud Thraces, Trogloditas, Antropophagos &c. ſed tamen extremis ſaltem mundi finibus fruuntur adhùc exules huiuſmodi. Aſt exulare toto mundo; viuamq; ſepultis admiſceri, populoq; adſcribi ſilenti acerbiùs profectò acerbitate ipſa videtur.

NVLLA NE TE FLECTIT PIETAS &c. Pietatis, ac paternitatis affectum quod exuerit, Iouem acriter inſimulat,

atque, vrgendi gratia, inſtat interrogans, atque emphatica ſemper oratione decurrens.

Iupiter pie, Iupiter benigne
Mitis, ſancte, precor, Iupiter huc ades.

inſonat plenis tybijs Marullus Vates, cui conſonans Quintianus ait:

Iupiter eſt hominis mitis, Pater omnibus æquus.

Adde, Aſtronomorum omnium calculo, Iouis ſydus propitium ſemper, beneficum, gratiarumq; profuſam omnibus vrnam, decantari. Quare prodigij loco eſt, Iouem pietate denudatum inſpicere, immitem experiri, exitij auctorem pati. Ideò emphaticè, per particulas *Nulla ne*, omnem excludens pietatem interrogat, & de eo interrogat, quod, cum nimium experiatur, impoſſibile adhuc tamen cenſeatur; ſicq; tantæ antitheſis nouitatem, portentumq; exagerat Proſerpina. Porrò *Pietas* eſt lenis quidam affectus, quo aliorum miſerias moleſte feramus, &, quantum in nobis eſt, immunem ab illis eum, qui affligitur, exoptemus non ſolum, ſed & reddere conitamur; qui affectus cum maximè connaturalis ſit Patribus erga filios, pro parentum etiam amore non ſemel vſurpatur. Hic itaque, cum Iupiter omnium pater æquus dicatur, Pietatis nomine intelligendus eſt amor ille, beneuolentia, ac clementia illa generalis, qua Iupiter omnes, ne dum ſanguinis propaginem ſui, proſequi dicitur, & quam cauiſſe obijcit illi Proſerpina, dum ait: *nulla ne te flectis pietas*. Auſterum hominem ſi aſpexeris, erectum ſemper, & quaſi æneis membris inflexibilem adſpicies: contra verò, ſi benignum, ac pium intuearis, pronum ſemper in honorem, auxiliumq; alijs impertiendum obſeruabis: ex quo factum, vt Pietatis affectus animum flectere, & inclinare dicatur. Ideò *nulla ne te flectis &c.*

NIHILVM NE PATERNÆ MENTIS INEST. A generali illa pietate ad propriam ſanguinis charitatem gradum iam facit, vt gradatim & emphaſis augeatur. *Nihilum* nomen eſt ſignificans quantitatis priuationem, & compoſitum creditur ex *Non*, & *hilum*, quod, vt ait Feſtus, illud pigrum eſt, quod grano fabæ adhæret, quaſi *ne hilum quidem ineſt*; nempe *eſt in te*, per interrogationem emphaticam, vt ſupra: *Mentis Paternæ*. De mente ſatis amplè diſſeruimus ſupra, carm. 201.; verùm in eo ſenſu non habetur hic: ſed *mens* pro voluntate, ſeù potiùs pro affectu voluntatis ad beneficia impertienda procliuis. in quo ſenſu etiam a Virg. vſurpatum mentis nomen habemus, vbi Mercurij operâ, ſed Iouis mandato, conciliatos Teucris Pœnos, ac Reginam in primis deſcribit Æn. pri.

Et iam iuſſa facit: ponuntq; feroxia Pœni
Corda volente Deo. In primis Regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemq; benignam.

ſi autem vlla vnquam voluntas prodeſſe alteri cupiat, maximè voluntas parentum in filios, vt innuimus: ideò emphaticè adiectiuum *Paterna*, à Patre videlicet deriuatum Iouis addidit menti; &, loco prodigij ponitur, hac ipſa Iouem caruiſſe. Videas quam pathetica ſit, quam vehemens querimonia. Parrhaſ. *Nullum ne paterna &c.* legunt melius arbitror cũ vulgata ſentimus, ita enim Clauer., Heinſ. & alij.

TANTAS QVO CRIMINE &c. Iniuſtitiam hic Iudici obijcit apertam, cum ſe nullius criminis conſciam profiteatur; vel, ſi quid peccauerit, leue adeò eſſe contendat, vt tanta rigoris acerbitate plecti, nequaquam mereatur. Ipſum itaque Iudicem excitat, per interrogationem, ad aperiendam damnationis cauſam, vt ab iniuſtitiæ nota immunis euadat. Alludit autem ad praxim, in criminalibus ſeruari ſolitam; nempè vt, damnato capitis ſententiâ reo, non ante ille plectatur, quam crimen, de quo conuictus ſit, eidem, ore rotundo, ex reſultantibus ab efformato proceſſu comprobatum, perlegatur. Cum itaque, non ſeruatâ hac formâ iuris, ſe traditam innuat tortori; aperte Iouis redarguit iniuſtitiam, quaſi neſciat idem ipſe, cur damnet. Ideò

QVO CRIMINE. Quaſi dixerit: Indictâ cauſâ aliquem damnare iniquum profectò eſt. Proceſſum itaque noxarum aperi, crimen obijcias, ac tempus defenſioni præſcribas, vt videas, num, quæ obijciuntur, diluere poſſim; alioquin iniuſti notam non effugies. *Quo crimine*. Relatiuum illud cum præponitur, & vim habet interrogantis ad qualitatem pertinet, & idem ac *quale* eſt; vel cuiuſnam qualitatis eſt crimen &c. De criminibus fusè diximus in anteactis, carm. 208. Hic profectò de capitali crimine inquirit Proſerpina, quo tantummodo tantas potuerit iras excitare.

MOVIMVS TANTAS IRAS. Hoc eſt tàm ingentes, tàm vaſtas, tàm exitiales non minùs, quàm implacabiles. Ira, ſi cauſaliter ſumatur, eſt, vt ſæpe dix., ebullitio ſanguinis circa cor: ſi verò formaliter conſideretur, eſt Appetitus vindictæ. Vtro modo accipiatur, motum ſemper importare videtur, nam mouetur ſanguis cum ebullit: mouetur anima cum appetit, quippè quæ non graditur pedibus, ſed affectibus: Ideò aptè inquit: *mouimus*; hoc eſt concitauimus, & flammis ſubiectis ad ebullitionem coegimus, atq; in vindictam animum properare compulimus. Nota, quam acutè plurali iterum, more Principum, numero vtatur per ſynecd. Cum enim Crimen prærequiratur ad pœnam, dum, quo crimine mouerit iras quæritat, ſe ipſam in eo ſtatu conſtitutam conſiderat, quo ſe haberet, antequam traderetur Plutoni, & in quo crimen patratum fuiſſe, neceſſe fuerat; ideò conſiderat ſe ipſam, vt adhùc filiam Iouis, non repudiatam, non exhæredatam, non abiectam, atq; idcircò more Principum loquitur memor ſui.

NON EGO CVM RAPIDO &c. Comparat negatiuè ſe ipſam cum Phlegræis monſtris, in cælum, rebelli ceruice auſis, deprædari; noxam ſuam, ſiqua obijci poſſit, cum eorum crimine conferens, ac pœnam cum pœna, vt oſtendat, ſe, leuiſſimis detentam, ſi tamen detentam, erroribus, grauiora pati, quàm qui horrendo prorsùs flagitio cælum euertere conati ſuit: vt atrocem ſic nimis, atque ab omni alienam iuſtitia, crudelitatem in ſe Iudicis declaret, atque indignam Ioue, ſententiam comprobet. Iterùm autem hic ſingulari vtitur numero, quia modò non ſe conſiderat vt dilectam filiam, ſed vt abiectam, ac pœnis, ob crimen, quod ipſa ignoraſſe profitetur, addictam, Plutoniſq; captiuam &c. ex quo vides, quantus in Proſerpina oſtendatur paſſionum æſtus, reciprocantibus Animæ affectibus. Imitatio autem hic adeſt Virgilianæ Didonis Aen. 4., quæ vt oſtenderet nullam eſſe cauſam, cur perpetuis ab Aenea diſcedente luctibus addiceretur; ſic ibi effata eſt:

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui, claſſemue ad Pergama miſi:
Nec Patris Anchiſæ cineres, Maneſq; reuelli &c.

Sic itaque & Proſerpina hic patheticè admodum. *Non ego*

TVLI SIGNA. Modus hic loquendi Militaris eſt; & plus exprimit, quàm ſi dixiſſet: *Arma tuli*; ferre enim Signa, antiquo Romanorum more ſtrenuiſſimis tantum dabatur: nam pro eodem habebatur *ferre ſigna*, ac *ſe militibus prælientibus ducem præbere*: Milites namque omnes vexilla obſeruant, & ſequuntur: quare Vexillifer eſt, qui ordines in prælium dirigit, animoſque, ac ſtimulos addit adeò, vt, quoadusque Milites vexillum obſeruant integrum, pedem referre non audeant: quod ſi cadat vexillum, aut illo hoſtes potiantur, actum de ordinibus eſt: & pariter, ſi vexillifer vertatur in fugam, cunctas ſecum abſtrahit copias. Ideò, qui Vexillum fert, Anima exercitus iure dici poteſt, quia, licet Dux de facto non ſit, perſonam tamen ſuſtinet Ducis, eumq; pro Duce, Milites ſequuntur. Ideò fugientem Vexilliferum ſuum acerbè increpat Emirenus apud Hetruſcorum Principem Poetarum Hieroſ. lib. cantu 20. cum tamen omnes fugam inierint, quaſi ſolus ipſe peccaſſet, qui omnes ſecum in fugam conuertiſſet. Textum autem exarare hic non grauabor.

Fugge, non ch'altri, hormai la regia ſchiera,
Ou'è dell'Oriente accolto il nerbo:
Già fù detta immortale; hor vien che pera,
Ad onta di quel titolo ſuperbo.
Emireno à colui, ch'hà la bandiera
Tronca la fuga, e parla in modo acerbo:
Hor ſè' tu quel ch'è ſoſtener gl'eccelſi
Segni del mio Signor trà mille i ſcelſi?
Rimedon, queſt'inſegna à te non diedi,
Accio ch'in dietro tu la riportaſſi.
Dunque, codardo, il Capitan tuo vedi
In zuffa co' nemici; e ſolo il laſci?
Che brami? Di ſaluarti? Hor meco riedi;
Che per la ſtrada preſa à morte vaſſi
Combatta quì chi di campar deſia:
La via d'honor della ſalute è via.

Sic igitur Proſerpina argumentum exponit ſuum: Si ego ſigna tuliſſem, cum phlegræis in Cælum, merita fuiſſem pœnas profectò quam illi atrociores: Sed non tuli: ergo non debui atrocius plecti: immò nec æqualiter, cum ne me illis quidem immiſcuerim: ex quo tacitè deducit, crudelem, iniuſtam, impiam eſſe Iouis ſententiam, atque ab eo ipſo, qui illam tulerat reſcindendam; quod vtique feciſſet, ſi iterum ab hoſte filiâ eripuiſſet, vt ipſa indirectè precatur.

ADVERSA DEIS. Vt magis phlegræum aggrauet crimen, publicum illud memorat fuiſſe, atque in totam Deo-

rum

tum Rempublicam attentatum: ex quo certè motiuo Iupiter acerbioribus pœnis adijcere delinquentes debuiſſet; & tamen eos fulminibus proſtrauit, antequàm in Inferos detruderet: ex quo argumentum Proſerpinæ à fortiori procedit, cum ipſa viuens adhùc trudatur in Barathrum, licet nil ſimile auſa fuerit; nec ſigna tulerit *Aduerſa*, hoc eſt hoſtilia, rebellantia, ac temerè repugnantia ſummis Cæleſtium cætibus.

CVM PHLEGRA SÆVIRET &c. *Cum* idem, ac *tunc quando*, Phlegra verò Theſſaliæ Vallis fuit, iuxta Pallenem, Gigantum Patria eorum, qui ex terra orti Cælum inualere, Et hæc pro phlegreis ponitur ipſis. *Sæuire* autem eſt *crudeliter* aliquid agere.

TVMVLTV RAPIDO. Ideſt tumultuario bello, inconſultè, ac temerè excitato, quod *rapidum* dicitur, nempè *feſtinanter accelerato*, vt ex hoc oſtendatur maximo irarum æſtu concitatum fuiſſe bellum illud, quod tanta feſtinatione, armorumq; ſtrepitu arripiebatur. Ex qua explicatione vides vulgatam noſtram coincidere cum Heinſio, qui, textum corrigens, inquit: *lege rabido*; nam rabidè actum bellum ex ſigno hic feſtinationis declaratur.

Parrhaſ. totum ferè textum immutat: Sic enim legit ipſe.

Nym egat ſe contra quateret cum Phlegra tumultus
Signa Deis aduerſa tuli. . . . .

Lectionem non improbo; ſed non video cur à vulgata recedendum, quæ non minus explicat, vt arbitror.

OSSA GLACIALIS. De hoc Monte, ac perpetua eiuſdem glacie, ex qua *glacialis* dicatur, ſatis egimus in Præfatione ad hunc lib. carm. 20. & inſuper hoc eodem lib. carm. 183. Ideò prætereuehor.

NON VEXIT PRVINOSVM OLYMPVM. *Vexit* pro *euexit*, per aphereſim; ideſt ſuperimpoſitum tulit, atque in altum euexit; iuxta illud Virg. in Ætna.

Conſtruitur magnis ad prælia Montibus agger
Pelion Oſſa creat, ſummus premit Oſſam Olympus &c.

negat itaque Proſerpina Montes à ſe congeſtos, vt olim à Gigantibus, cum iter affectarent in Cælum, vt non ſolùm ſe non intentaſſe innuat actuale bellum, de quo ſupra, ſed ne attentaſſe quidem remotè machinamenta bellica, cum ſe neget conſtruxiſſe. De Olympo egimus ſupra cit. carm. 183. Quod ſi ſcire cupias, cur, & quando Oſſæ ſuperimpoſitus fuerit, vide dicta lib. 1. carm. 153. ibi enim Gigantum auſus; ibi eorundem ortum, temeraria facinora, atq; interitum perleges; atque hoc ipſum de quo hic.

ROBORE NOSTRO. Quid propriè ſit *robur* vide lib. 1. carm. 95. Hic tamen in latiori ſignificatione, nempe pro viribus ſumitur corporis. Quid enim obijci forſan Proſerpinæ potuiſſet; Feciſſes fortaſſe, quod feciſſe negas, ſi ſufficientes tibi vires natura imbellis ſuppeditaſſet; licet, quia fœminæ molli defuit vigor, non feceris: Diluit illa obiectionem, non defuiſſe innuens vires, ſed viribus vtendi voluntatem. Et certè Iouis filia cùm fuerit, ac conſequenter particeps diuinitatis, Potentiam, & Vires Numini pares habuiſſe dicenda eſt, atque adeò humanis, licet Giganteis, valde etiam præſtantiores. Ideò *robore noſtro non vexi &c.* Iterumq; more Principum loquitur pro eo ſe conſiderans ſtatu, in quo adhùc Iouis filia, non verò captiua vti viribus potuiſſet.

QVOD CONATA NEFAS &c. Cum longè ſe à perduellionis crimine abſuiſſe, oſtenderit; cur perduellium pœna, immò & maiori plectatur, iterum quærit, atque vrgendi gratia, interrogans inſtat, vt crimen, ſi quod eſt in propatulo ponatur: ſic iam cum Iudice de Iudicio contendens. *Nefas*, quaſi *non fas* dicitur quidquid impium factu eſt: *Conari* autem, à quo *conata*, idem eſt, ac operam dare, ac neruis omnibus contendere, vt aliquid peragamus, licet effectus de facto non ſequatur interdum. Quare oſtendit hic Proſerpina, ſe, non ſolum factu, ſed ne auſu quidem ad factum, talibus nunquam damnari pœnis promeruiſſe.

AVT CVIVS CONSCIA CVLPAE. Coniunctio ſeparatiua *Aut* (vt obſeruant religioſiores Verborum interpretes) ſi non repetatur, ſed ſemel tantum ſententiæ iam poſitæ ſubdatur, diminutiua eſt. Quare cum dixerit Proſerpina, ſe non peccaſſe actu, immò nec, deliberato aſcenſu, peccatum concepiſſe, ſubijcit, per particulam hanc diminutiuam, ſibi ne in mentem quidem veniſſe, vt ſcelus tanta dignum punitione perpetraret, quod tandem ſciat. Nec certè peccatum eſt niſi voluntarium, & nil eſt volitum quin præcognitum. *Cuius conſcia noxæ* legit Heinſius, iuxta illud Senecæ: *Non vides noxa conſcium noſtræ diem.*

Verùm non libet à vulgata recedere, nam vt ex Caio Iuriſconſulto aduertere licet nomen noxæ & pœnam ſignificare poteſt, & culpam. Nam ille, in l. 1. ff. de noxal. act., noxales actiones, inquit, appellantur, quæ non ex contractu, ſed ex noxa, atque maleficio ſeruorum aduerſus nos inferuntur; ex quo vides *noxales*, quaſi *nocentes*, ſeu *punientes* dici actiones, quibus nocentes ſerui plectuntur; ſicq; apud probos auctores *noxa eximere* pro eodem ſumitur, ac *pœna liberare*. Idem verò Caius, l. Plebis ff. de verb. ſignifi., ſcribit: *Noxæ appellatione omne delictum continetur.* Quare eſto bona ſit Heinſij lectio dum *noxæ* legit, cuius gloſſema eſt Tò *culpæ*, vt ipſe ait; adhùc melior erit vulgata, quæ nullam patitur ſenſuum ambiguitatem. *Culpa* itaque hic ponitur pro quocumque vel leuiſſimo delicto, cuius ſe *conſciam* negat, ideſt participem ex certa animi ſcientia, ſine qua nec delictum eſt, Proſerpina, ideoq; vrget, vt, ſi quis error ſit, proferatur; quaſi dixerit nullus error mihi imputari poteſt; & tamen

DETRVDOR EXVL. *Detrudi* idem eſt, ac deorſum trudi; ſed violentiam importat, vt ſupra dix. in verbo *depellere*. Proprijſſimè hic verbum ponitur, nam è ſupernis ſedibus detruditur in Tartara, locum vtique profundiſſimè demerſum, vt nos dicebamus lib. 1. carm. 25. *Exul* autem dicitur, qui è patrio eiectus ſolo, degere apud externas cogitur nationes. Quare Nonnius *Exul*, inquit, dicitur, quaſi *extra ſolum eiectus*. Notandum autem, apud Iuriſconſultos, exules eos tantum dici ſolitos fuiſſe, quibus aqua, & igni interdicebatur; cæteros *relegatione mulctatos*, non *exules* fuiſſe appellatos. Iure igitur ſe exulem vocat Proſerpina, cum illi aqua, & igni interdictum fuerit, vt patet, cum ne ſororibus quidem permiſſum fuerit eam tueri, atque ab hoſte rapiente in libertatem vindicare. Extra ſolum itaque, nempe extra Cælum non modò, quod illi, vt Deæ iure patrio debebatur; ſed etiam extra ſolum peregrinantibus conceſſum hominibus eijciebatur, atque omni ſpe hanc lucem reuiſendi priuabatur eiecta.

AD HIATVS IMMANES EREBI. De Erebo videas lib. 1. carm. 32. De hiatu hoc eodem lib. carm. 187. Epitetum autem *immanes* non refertur hìc ad quantitatem; ſed *immanes* dicuntur, quaſi inhumani, crudeles, ac teterrima tormentorum officina. Quàm patheticè autem id procedat, nemo non nouerit.

O' FORTVNATAS ALII &c. Per exclamationem, quæ maximam habet vim doloris expreſſiuam, atque ad excitandos aptiſſimam affectus, infælicitatem Proſerpina deplorat ſuam, ſeq; cum alijs omnibus comparans, quæ à raptoribus abuectæ fuerint, miſerrimam ſui ipſius, ſupra omnes, fortunam amplificat, & rationem reddit, cur ſe omnium infæliciſſimam iure aſſerat.

O' FORTVNATAS. *Fortunatus* dicitur, qui proſpera vtitur fortuna: quare Virg. Georg. 2. de fælicitate eorum, qui vitam in agris degant fortuna contenti ſua ait:

O' fortunatos nimium, ſua ſi bona norint
Agricolas &c.

Proſerpina verò, aliarum Raptarum infortunia proſperam fortunam appellari poſſe exclamat, ſi illæ ſibi comparentur. Sic etiam Andromache apud Virg. Æn. 3., in poteſtatem Achilææ ſtirpis redacta, Infortunium ſuum, morte deterius rem, profitetur exclamans:

O' fælix vna ante alias Priameia Virgo
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori; quæ ſortitus non pertulit vllos,
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.
Nos, patria incenſa, diuerſa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ faſtus, iuuenemq; ſuperbum
Seruitio enixæ tulimus: qui deinde ſecutus
Ledæam Hermionem, Lacedæmonioſq; hymenæos,
Me famulam, famuloq; Heleno tranſmiſit habendam,

ſic Iris, ſub ſpecie Berois, infælicitatum Troianarum mulierum deplorans, quod vita functæ non fuerint exclamat Æn. 5. *O' miſeræ, quas non manus, inquit, Achaica bello Traxerit ad lethum, Patria ſub mœnibus! O' gens Infælix, cui te exitio fortuna reſeruat!*

QVASCVMQVE ALII RAPTORES TVLERE. *Quaſcumque* nomen vniuerſale eſt, neminem excludens, ex ijs, quibus applicatur: Sed vim tamen habet diſtributiuam, ita vt vnuſquiſque ex comprehenſis in illa generalitate, ſingillatim quaſi notetur. Ideò idem, ac *omnes, & ſingulas*. *Alij*, hoc eſt à raptore meo Plutone diuerſi. Raptores verò qui ſint, & quid de ijs vide lib. 1. carm. 1. *Tulêre*: ideſt *rapuêre*, *ac ſecum abduxêre*. Puta Europam à Ioue in Taurum transformato, cui illa incautè inſidens, anſam præbuit,

vt

vt prædam faceret ſuam, vt cecinit Ouid. Metam. 2.

. . . . . Auſa eſt quoque regia Virgo,
Neſcia quem premeret, tergo conſidere Tauri.
Tu Deus à terra, ſiccoq; à littore ſenſim,
Falſa pedum primis veſtigia ponit in vndis:
Inde abit vlterius, mediqq; per æquora ponti
Fert prædam &c.

ex quibus poſtremis Ouid. verbis habes apertè, ad hanc præſertim alluſiſſe Auctorem noſtrum, ac ſubinde ad cæteras ab alijs Dijs raptas abuectas, & compreſſas. Immò arbitror etiam reſpexiſſe cum ad raptum Helenæ à Paride factum, ad raptas a Romanis Sabinas &c. quas inuitam a Proſerpina voluerit, vt oſtenderet, diuinæ menti nil eſſe futurum, aut præteritum, niſi quo ad denominationem noſtram; ſed omnia illi præſentia eſſe; ideoq; potuiſſe Proſerpinam, vtpote Iouis filiam, Deamq; has omnes tanquam præſentes, atque actualiter raptas memorare; vt & per Prolepſim figuram idem Vatibus efficere licitum perſæpè eſt.

SALTEM FRVVNTVR COMMVNI SOLE. En tandem ratio, cur eas, de quibus ſupra, fortunatas dixerit. *Saltem* itaq; *coniunctio per adſeſſionem* dicitur; quaſi ſenſus ſit: Si nil aliud habeant, hoc ſaltem habent &c. quaſi vltimum, & minimum quidem hæc notet particula; ſed quod, rebus perditis, maximum ad ſalutem momentum ſit. *Frui* autem eſt *fructum, voluptatemq; percipere ex Sole communi*; ideſt ex Solis, quam intueri non prohibentur, luce: & hæc communis dicitur, quia omnium eſt, & omnibus æquo modo ſplendeſcit. Leuiſſimum profectò ſolatium dixeris, cum eo vel vilia quæque, ac ſordidiſſima fruantur animalia: tamen ſolatium eſt; & quæ hoc non careat, non poteſt ex omni parte deſtituta ſolatijs dici.

SED MIHI &c. Per coniunctionem aduerſatiuam *Sed* ſuam iam, ex aduerſo, fortunam oſtendit cæteris immaniorem. Et pronomen *Mihi* emphaticè ponitur; nempe *Mihi*, in quam coniurat Genitor nullius conſciam culpæ: *Mihi* Iouis filiæ, cui Deorum Amores decertabant; *Mihi*, cui potiori iure Cælum debebatur &c.

NEGATVR VIRGINITAS PARITER, ET CÆLVM. Negatur aufert facultas ſeruandi, ſeu non datur mihi vt Virginitas in me conſiſtat, vt Cælo ſaltem, amiſsâ, fruar, Virginitate. Quid ſit hæc Virginitas vidimus lib. 1. carm. 134. & quanta ſit eius iactura, mox ſupra carm. 139. De Aduerb. pariter vide lib. 1. carm 133. Hic vero ponitur pro aduerb. temporis ſimultanei; idem enim, ac ſimul eſt; atque eodem tempore, & modo. De Cælo item vide dicta Lib. 1. carm 95. Hic ponitur & pro ſphœris, quæ Proſerpinæ debebantur: & pro Orbe noſtro, ex quo liceret Cælum aſpicere, & in quo, actu, illa morabatur: ideſt & Cælum, & Cæli aſpectus.

ERIPITVR, CVM SOLE, PVDOR. In periſologiam, hoc eſt ſuperuacaneam prorsùs locutionem, videri fortaſſis aliquibus hic poterit Vates; cum idem per diuerſa repetere videatur; idem enim eſſe profectò dicent, quò ad rem, licet varientur voces, *Virginitas pariter, cælumq; negatur*, ac ſit iſtud *Eripitur cum Sole pudor*. Sed eſto idem prorsus in vtraque propoſitione diceretur. An non aderit Paltlogia ſententiarum, hoc eſt Emphatica eiuſdem ſententiæ repetitio? Quis, quæſo, audeat, etiam ſi idem repetat, reprehendere celebratiſſimum illud Ouidij dictum, quod & alibi notauimus.

Militat omnis amans; habet & ſua caſtra Cupido:
Attice crede mihi; militat omnis Amans.

certè non reprehendendum dixeris, quia emphaticum eſt, ad inculcandum, nullam in amatorijs artibus quietem, nullam reperiri tranquillitatem. Cur itaque non, à pari, idem dixeris de repetita, hoc loco, Vatis ſententia? Emphatica enim vtraque erit & iſta, ad oſtendendam vehementiſſimam dolentis, & immeritò patientis, paſſionem non minus, quam dolorem. Immò optima hæc eſſet morum imitatio: nam connaturale eſt illi, qui, ob rem maximi ponderis amiſſam, impenſe affligitur, infortunium ſuum iterato repetere, & inculcare: Sic ſi quis Aulicus, amiſſa Principis Gratia, qua in primis antea frueretur, eijciatur ex Aula, infortunium ſuum recogitans, naturali impetu, in has ſæpe erumpit repetitiones: Ego eiectus ex Aula, qui maximum in ea ſydus effulſerim! Ego eiectus ex Aula! Quanto itaque magis Proſerpina, quæ quod maximum erat, amitteret, repetere debuit: *Virginitas pariter, cælumq; negatur: Eripitur cum Sole pudor?* Verùm hæc in Neotericorum gratiam dicta: alioquin enim falſum eſſe, conſtat, idem a Vate repetitum fuiſſe, vt proprietatem verborum perpendenti paullo patebit negotio. Primo itaque loco ait: *Virginitas pariter, cælumq; negatur*. Quis, quæſo, negare potuit Cælum? Certe ille tantùm, qui dare potuit, & debuit; nam, cum Proſerpinam ipſe genuiſſet, in partem etiam hæreditatis ſuæ eamdem, hæreditario iure, adſciſcere debuit. Quo poſito; per hanc primam ſententiam, de Ioue patre conqueritur Proſerpina, qui filiæ debitam hæreditatis partem immeritò denegauerit; non autem de Plutone, qui negare non potuit, quod nec dare poterat, cùm in illius non eſſet poteſtate. Pariter, de Virginitate loquendo, Iouis fuerat, qui Virginem genuiſſet, eidem concedere Virginitatis ſeruandæ facultatem, nulli eam deſpondens, nulliq; violandam permittens: quare & quo ad hanc partem crudelitatem Iouis exagerat, qui quam tueri debuiſſet, Virginem ſeruare, negaſſet. Cum autem dixit, ſecundo loco, *Eripitur cum Sole pudor*; Raptoris inclementiam exagerat; nam ille eripiebat Virginitatem, qui Virginem rapiebat; ille eripiebat pudorem, qui violandam rapuerat. Primâ itaque ſententiâ cauſam exitij ſui remotam exprimit, quæ propriè ſit cauſa cauſati, cum ſit cauſa cauſæ, nempe ſententiam Genitoris filiam Plutoni tradentis, eamq; ſilentem in populum detrudentis: ſecundâ verò ſententiâ cauſam exprimit proximam, & immediatam, ex præcedenti cauſa emergentem, nempe Plutonis violentiam rapientis. Ne igitur Periſologiam, aut Palilogiam dixeris, quæ immò antecedentium, ac conſequentium cauſarum perſpicaciſſima coniunctio eſt. Inſuper ſe raptarum omnium infælicíſſimam dixerat; quia, vbi aliæ, ſi Virginitatem amiſerint, Sole ſaltem communi fruebantur; illa & Virginitate, & Sole priuabatur: hic autem loquendi modus videbatur indicare, Proſerpinam pro nihilo habituram, ſi, vt cæteræ virginitatem tantum amiſiſſet, dummodo frui ſaltem liceret Cælo: quare per correctionem emendat ſtatim, & reuocat, quod dixerat, ſubdens: *Eripitur cum Sole pudor*: quod eſt dicere: *Si Cælum tantum, & Solem amiſiſſerem, infælicíſſimam non auderem, ſaluâ, me dicere, virginitate: ſed cum Sole eripitur Virginitas, quâ deperditâ, nil mihi remanet, vbicumque ſim, felicitatis.* Et hanc Periſologiam vocabis? Abſit, vt tam male audeat apud prudentes Poeta. *Eripitur cum luce pudor*, legit Heinſius, quia Tò Sole habetur ſuperius, mihi magis arridet idem nomen repetitum ad corrigendam, vt dix. ſententiam. Adde iterum, Pudorem, pro pudicitia, accipi; pudicitiam verò, pro integritate morum, ac puritate: Sic pura Sacerdotum veſtimenta, denominatione à puritate deſumpta, dicebantur, quæ nulla prorsùs labe fuiſſent inquinata. Hæc autem puritas morum Proſerpinæ, illam, vt profitebatur, habenti, eripiebatur, dum, latâ damnationis ſententiâ, rea criminum declarabatur. Porrò *Eripere* eſt vi, ac violentia adhibita, & per raptum aliquid, quod alterius ſit auferre. quod certè a Patre ſententiam ferente, à Plutone verò exequente, ſe paſſuram Proſerpina lamentabatur, & quaſi peractum deflet, per verba de præſenti, quia iam inter raptoris amplexus detinebatur. Sed iam nimis forte prouehimur, & nos reuocant infælicíſſimæ lamentantis protractæ adhùc querelæ.

ET, RELICTIS TERRIS, INFÆLIX. Vim patheticæ interiectionis obtinet nomen *infælix*, cuius ſignificatio ex iam dictis abundè patet. Cum autem, ſe damnatam, ſuperiùs indicaſſet: exul ad immanes &c. nunc ſententiæ executionem, ſe iam ſubire deplorat, per ablatiuum abſolutè poſitum: *vel Ictis terris*. *Terris* autem vtitur, plurali numero expreſſis, vt Cælum, & terram ſimul amplectatur, iuxta eorum ſententiam, quam alibi attigimus, qui dixerunt, præter hanc, quam pede terimus, terram, aliam in Luna dari, quæ ſedes Beatorum ſit; & cæleſtem appellant terram.

. DVCOR CAPTIVA. Nota, quod non dixerit Vxor, aut Pellex, quæ nomina voluptatis ſunt; ſed, quo Pathos augeat *captiua ducor*, inquit. Verbum itaque *ducor* notiſſimæ eſt vtrique ſignificationis; ſed latentem hic habet ſenſum, quo Proſerpina indicet, ſuorum titulo ſponſalium veram obtegi captiuitatem. Qui enim nubit, *vxorem ducere* dicitur; ideo Proſerpina *Ducor*, inquit, vxor, nomine, re verò, captiua: ſed ducor, vt nupta, vt ſciam, eo modo, quo, indiſſolubile coniugium eſt, ita indiſſolubile futurum meæ vinculum captiuitatis. *Ducor captiua*. *Captiuus* dicitur, qui bello captus victori ſubditur, vt eius ditionis ſit, ac poteſtatis, ita vt, omni prorsùs libertate priuatus, acerrima quæque perpeti cogatur. Ideò aptè captiuam ſe dicit Proſerpina: nam, licet bello capta actuali non ſit, traditur tamen captiua ad euitandum bellum, quod in Superos moliebatur Pluto, vt lib. 1. carm. 32. & ſeq, & ideò, quaſi iure belli captam habebat ille, quæ tradita fuerat, Proſerpinam

Capti-

captiuam igitur ſe deplorat, &, quod infælicius eſt, non cuiuſcumque conditionis captiuam; ſed tyrannicæ ſubditam poteſtati.

STYGIO TYRANNO. *Stygius* Patrium nomen eſt deductum à Styge inferorum palude, de qua lib. 1. carm. 22. Tyrannus autem nomen tortoris potiùs, quam Regis eſt. Vide dicta lib. 1. carm. 84.

Immutat hunc Heinſius textum, ac legendum omninò cenſet *Seruitium Stygio ducor captiua tyranno.* Lectionem non improbo: ſed perplacet mihi vulgata cum Parrhaſ. & alijs; nam patheticè magis procedere videtur.

O' MALE DILECTI FLORES &c. En miſeram reorum conditionem, qui putantes poſſe tandem expugnari Iudicum voluntates, quoaduſque hoc ſperant, inſontes ſe, ac nullius culpæ conſcios profitentur; aſt cum, incaſſum prætendi innocentiam culpæ, animaduerterint, pœnas latæ iam ſubeuntes ſententiæ, culpas tandem, ſtimulante conſcientia, inuito quamuis ore, fatentur; & crimina, quæ coram Iudicibus aperire, nequaquam voluerunt, collum denique laqueo inſerentes, ſponte promulgant, & ediſſerunt. Contendebat de Iudicio cum Iudice Proſerpina: nullam damnationis cauſam à damnante afferri poſſe, gloriabatur: vrgebat, vt afferret: iniuſtam declamabat ſententiam: pœnam, non modò ſupra delictum, ſed ſine delicto, irrogari lamentabatur: aſt, cùm apud ſurdas aures iactari hæc omnia proſpexerit, ſeq; interim ad pœnam irreparabiliter rapi; aduerſo tandem à Iudice ad actiones proprias ſermone, culpam ſe iam nouiſſe fatetur, qua effectum ſit, vt durani adeò ſubeat ſententiam. Duplicem itaq; maxima cum expreſſione doloris, culpam fatetur, nempe contemptum maternarum admonitionum, & nimium legendi flores ardorem. Sed, quia pariter peccantium eſt, etiam dum crimina fatentur, excuſationem criminibus prætexere, vt, vel peccando, inſontes appareant; ita etiam Proſerpina, ſe, in ipſo peccandi actu, inculpabilem oſtenſura, cauſam erroris ſui in venereas transfundit artes, eaſq; erratuum ſontes aſſeuerat ſuorum. Per exclamationem itaque dolentis propriam, hoc eſt ſummo doloris impetu euibratam conuertitur ad expreſſionem culparum; & quam acriter animum feriant, oſtenſura exclamat: *O' male dilecti flores: Male*, ideſt prauè, nequiter, vitioſè, improbè, quod aduerbium eſt culparum exprimens modum: & *male*, hoc eſt *mea cum pernicie*, quod aduerb. damni eſt pœnam è culpis indicans progenitam. *Male dilecti* à *diligo*, quod pro eodem ſumitur, ac *amore proſequor*; ideò *male dilecti*, ideſt amore immoderato, cùm magis *flores*, quam propriam adamauerit ſalutem. *Flores* autem qui ſint, videas in antecactis hoc eodem lib. carm. 101.

Sed dices, quidnam mali eſt floribus delectari, flores diligere, & amplecti, iiſdemq; coronari? Nonne aſſueta hæc ſunt iuuentutis deliramenta, quæ tamen inculpabilia cenſentur? Quid igitur in hoc culpæ? Memineris, flores Floræ gemmas, hoc eſt meretricias eſſe; nam *Flora*, quæ Dea dicitur florum, fuit, vt referunt, inſignis meretrix, quæ, cum magnas opes, infami corporis quæſtu, adepta fuiſſet, Populum Romanum ſcripſit hæredem; ſtatuitq; certam pecuniæ ſortem, ex cuius annuo fænore, eius natalis dies, quot annis, celebraretur, editione ludorum, quos *florales* appellant: quod cum flagitioſum videretur, vt pietatem flagitijs prætenderent, effinxerunt, Floram eſſe Deam, quæ floribus præſit, eamdemq; placandam, vt fruges cum arboribus, ac vitibus proſperè floreſcerent. Quid igitur eſt flores amare, floribus delectari, floribus coronari; quid, inquam, aliud eſt, quam floralibus ludis immiſceri: quid aliud, quam inſignia meretricis geſtare, quaſi, Floræ in morem, venale corpus exponat, quæ ſigna meretricis extollat? O' vtinam hoc perpenderent noſtræ ætatis puellæ, & nullam arbitror futuram, quæ talibus vnquam vteretur decoramentis. Proſerpina igitur *male dilectos flores* appellat, quia, dum flores diligeret, Floræ, ac Veneri animus adhærebat. Ideò ſuperiùs Vates

Nunc ſocias flores, ſe ſeq; ignara coronat.

non enim vidit huiuſmodi coronamentum ſignum fuiſſe raptoribus, vt Floræ imitatricem Floram facerent. Se autem periculo peccandi exponere peccatum eſt; & iuſtè qui amat periculum, peribit in illo. Secundò *male dilectos* appellat flores, quia ex hac dilectione ortum habuit appetitus, & ardor legendi, atque ex eo maternorum contemptus mandatorum.

DESPECTAQ; MATRIS CONSILIA. Secunda hæc enim eſt Proſerpinæ culpa; & quidem non leuis, vt patet ſcienti, quid nati debeant parentibus; licet eam extenuet Proſerpina, dum conſiliorum nomine appellat ea, quæ verò præcepta fuerint à Matre tradita, vt habebitur lib. 3. carm. 204. Certè nil deterius iuueni accidere poteſt, quam ſi ſeniorum, ac parentum præcipuè monita paruipendat; eſt enim hoc malæ indolis indicium, ſignum peruicaciæ, vitiorum ſeminarium, inuerecundiæ fomes, & criminum. Ideò per copulam coniunctiuam ſecundum hunc errorem, gradatim culpas adaugens, ſubnectit primò, *Deſpecto*, à quo partic. paſſ. deſpecta, ſatis innotuit lib. 1. carm. 137. *Conſilia* verò *adhortationes* ſunt, monitaq; ſalutaria, rationeſq; de modo tenendo expreſſas. Præceptorum, hic, loco ſubſtituuntur, vt diximus; nam præceperat Mater, vt ſe Domi contineret, nulli externo ſe crederet, ab inſidijs caueret &c. Nomen *Matris* emphaticè ponitur, nempè fidæ matris, amantiſq;, quæ filiam fouit ſemper ſecuta eſt, ac protexit &c. ex quo fit, vt minimè ſpernenda forent eius conſilia, nedum præcepta.

O' VENERIS &c. Ex duobus prædictis, nempè ex auiditate legendi flores, ac maternorum contemptu conſiliorum tertium oritur delictum, Veneri ſcilicet adhærendi, ac ſe ipſam venereis credendi fraudibus; quod licet illa in excuſationem adducat, vt notauimus, delictum tamen eſt, & tale, vt vltimum illi tandem exitium attulerit; atq; ideò renouata exclamatione, poſtremum illud maximè luget.

O' ARTES VENERIS. Quid ſit ars, iam vidimus, lib. pri. carm. 256. Verùm non in eo ſenſu vſurpantur hic artes; ſed in malam partem deflectitur nomen, ad ſignificandas fraudes, dolos, aſtus, de quibus fuſè lib. pri. carm. 223. vulgò *le furberie di Venere*. In eodem ſenſu *artes* habemus vſurpatas à Virg. Æn. pri., vbi de Venere, dolos meditante, quibus Didonem in amorem Æneæ compelleret, ait

At Cytherea nouas artes, noua pectore verſat
Conſilia; vt faciem mutatus, & ora Cupido,
Pro dulci Aſcanio, veniat, donisq; furentem
Incendat Reginam; atq; oſsibus implicet ignem.

De Venere fuſè egimus lib. pri. carm. 214. In hanc igitur, eiuſq; dolos perditionis ſuæ cauſam refundit Proſerpina, & ſe venereis deceptam fraudibus peccaſſe in Matrem fatetur: ac dolos tunc tantùm agnouiſſe, cum iacta iam eſſet alea; ideò

SERIVS DEPRENSÆ. Pro deprehenſæ, per Sincopen, à verbo deprehendo, quod eſt cognoſco, ſed cognitionem apertam, claramq; importat, & quam nihil lateat obiecti. *Seriùs* autem idem eſt, ac *tarde nimis*, iuxta ſuper à nobis explicata.

MATER IO &c. Ad Matrem poſtremò ſermonem conuertit, per apoſtrophen, eiuſdemque, licet abſentis, auxilium implorat; & quid ſcitiſſimè, vt notat Barth., in ſolo matris auxilio omnem ſpem habet ſimpliciſſima virguncula. Sed longè nimis aberat Mater, vt audiret. Optimè tamen deſtituti animi motus imitatur Poeta: nam qui extrema patiuntur, nec ſibi auxilium, à præſentibus exoptatum, iam ſperant, abſentes etiam, irritis licet vocibus, inuocant; immò &, quæ non ſunt, interdum in auxilium ſibi præſto adfutura dementi ferè animo pollicentur. Emphaticè autem hic ponitur nomen Matris; nam ea eſt Matris natura; is eſt Matris affectus, vt, quamuis contumacem experta fuerit Prolem; quamuis ſpretam ſe viderit, ſemper tamen, ſe matrem eſſe meminerit, ac nunquam maternum exuat affectum, ita vt vel per tela, per ignes, natis accurrere non recuſet, licet ingratis, licet perfidis. Ideò, quamuis Proſerpina deſpectam à ſe matrem nouerit, & faſſa ſit, adhùc autem ſibi auxiliaturam implorare, & nomine Matris appellat, per quintum vocandi caſum, vt ſuggerat, Matris eſſe, non condonare ſolum, Gnatæ, ſed & ab illa pœnam protinùs auertere; etiamſi Genitoris iuſſu illa iuſtiſſimè torqueatur. Idcircò: *Mater*: quæ, licet deſpecta, Mater es; licet offenſa, benigna es; licet conculcata, amans es, ac Natam ærumnis premi non ſuſtines. *Io* interiectio propria plangentis eſt, & in planctu vociferantis, vt patet ex Tibullo dicente;

Vror Io, remoue ſæua puella faces.

Idem ſonat ac *heu*; ſed vehementiorem habet affectum. Interdum etiam exultantis eſt; quare canere ſolebant triumphantes: *Victor Io, date ſeſta chori, date ſydera plauſus.* Sed à ſubiecta contrahitur materia, vel ad mærorem, vel ad lætitiam. In ſenſu autem tragicæ exclamationis hanc ipſam interiectionem habemus ab Amata furente, ac tumultus excitante, luctuoſis ſuæ regiæ afflicta caſibus, apud Virg. Æn. 7.

Sanguineam torquens aciem, ſtrauitq; repente

Cls·

Clamat: Io Matres audite vbi quaq; Latinæ,
Si qua pijs animis manet infelicis Amatæ
Gratia; ſi iuris materni cura remordet &c.

SEV TE PHRYGIIS &c. Incerta erat Proſerpina, quonam, præciſe, loco degeret Mater; nam licet nouerit, eam ad Cybelem inuiſendam contendiſſe; cum pluribus in locis Cybelem venerarentur Phrygiæ populi, incertum erat, quo præcipuè loco inuiſenda fuerit à Cerere; ideò particula vtens disiunctiua *ſeu*, qua ſcilicet ea coniungimus, quorum alterum, non vtrumq; affirmamus, celebrata maximè loca commemorat; illùcq; vocem dirigit implorantem. Geminum verò tandem notat locum, quæ pro omnibus poſuit ita vt ſenſus fiat: *quocumque tandem loco ſis &c. Seu*

HORRIDA BVXVS. De horrore, quo Cybeles ſacra perficiebantur, & quæ hic in mentem reducuntur, vide dicta lib. pri. carm. 205. Et, quod ad buxum ſpectat, ſeu tibiam ex buxo contectam, vide item lib. pri. carm. 210. materies enim & hic ponitur pro re ſignata, vt ibi etiam poſita fuerat.

CIRCVMSONAT TE. Ideſt *ſonat circum te*, notiſſimæ verba ſignificationis, ſed quæ magis etiam innoteſcent, ſi citata adeas loca libri primi.

MYGDONIO CANTV. De cantu, in ſacris adhibito eiuſdem Deæ, vide quæ dix. eodem lib. pri. carm. 205. cit. & ſequentibus. Dicitur autem cantus *Mygdonius*, ideſt Mygdoniorum (quod idem eſt, ac Lydorum, ſeù Phrygiorum, de quorum communicatione nominum, vide dicta lib. pri. carm. 179.) ideſt Mygdoniorum inquam ritu concinnatus. Mygdonij autem hanc ſuam deſumunt denominationem à Mygdonia, quam incolunt, Regione. Porrò duplex Mygdonia eſt: Altera regio eſt littoralis Macedoniæ, in qua Niobe Tantali filia in ſaxum dicitur conuerſa, Auct. Ouid. Met. 6. Altera Mygdonia eſt Aſiæ Regio, in ea Phrygiæ parte, qua Troadi ſuperiacet: & hanc notat Pie Proſerpina, dum ait *Mygdonio cantu*. Quod ſi primum huiuſmodi cantus inſtitutorem noſcere percuperes; accipe ex Parthaſ. *Carius*, inquit ipſe, *Iouis & Torrebia Nymphæ filius, cum forte vagus erraret, incidit in Paludem, cui cum nondum nomen eſſet, ab eius Matre Torrebiam vocarunt. Ibi Nympharum, quas Lydi Muſas appellant, auditos cantus edidicit, auctorq; Lydia extitit modulationis.* Immò Parthaſ. idem, ex teſtimonio Martiani Capellæ in 9. ſubdit: *In Lydia Nympharum Inſulas eſſe dicunt (quas etiam, recentior aſſerentium Varro, ſe vidiſſe, teſtatur) quæ in medium ſtagnum à continenti procedentes, cantu tibiarum primò in circulum motæ, dehinc ad littora reuertuntur.* Ex quibus habes primam Lydij cantus inſtitutionem, quaſi diuinitus exortam Cario illo mediante Lydis traditam, ac ſubinde phrygijs communicatam, cum adeò immixtæ ſint Phrygia, & Lydia, vt vix ab aliquibus diſtinguantur; iuxta dicta cit. nuper carm. libri primi, ex quo habes etiam nominum communicationem, ita vt Lydia pro ipſa interdùm Phrygia ponatur.

PHRYGIIS IN VALLIBVS IDÆ. Notat, ſpeciali hac nota, locum, vbi matrem eſſe potuiſſe, arbitrabatur. De quo loco vide dicta lib. pri. carm. 200. reliqua enim per ſe patent; nam valles quæ ſint, aut vnde Phrygiæ dicantur, ſatis nouimus.

SEV TV INCOLIS DINDYMA. Alterum disiuncti membrum proſequitur, ſub eadem disiunctiua *ſeu*. *Incola* autem dicitur, qui in alienis vrbibus habitat, vt Ciuis, vel Municeps: atq; adeò *Incolere* idem eſt, ac *more ciuium inhabitare*. Ex quo habes, filiam de matre hic conqueri virtualiter, quæ, natæ immemor, ita Phrygiam, vel aliam Cybelis domum incoleret, quaſi totam ibi haberet familiam, ac ſubſtantiam, ne recordaretur, ſe gnatam in Siciliæ oris degentem reliquiſſe. Iure tamen *incolere* dicitur; nam quæ domi maternæ eſſet, licet in ditione non ſua, tamquam Ciuis meritò haberi potuit. *Dindyma* nomen eſt Etheroclitum, nam ſingulari numero Dindymus; plurali vero Dindyma, effertur. Hoc nomine duo ſignificari animaduerto: primò quidem ſignificat ipſa Idæ montis iuga, vt patet ex Virg. Æn. 9. alibi cit. vbi hæc;

O' verè Phrygiæ (neq; enim Phryges) ite per alta
Dindyma, vbi aſſuetis biforem dat Tibia cantum.

Secundò ſignificat montes magnæ Phrygiæ, ex quibus Sangaris, & Hermus profluunt amnes. Duplicem enim faciunt Phrygiam, illam diuidentes in Maiorem, & Minorem. Minorem illam dicunt, in qua Ida mons extollitur altiſſimus, cuius latus ſeptentrionale ex anguſtijs Abydi vſq; ad Æſapum, & Cyzicenum agrum, ad Propontidem pertinet: Occidentale ad Helleſpontum reſpicit: Auſtrale promontorium facit, quod *Lectum* appellatur: Orientalia Idæ ad Myſos declinant. Maiorem verò Phrygiam, vergentem faciunt in Galatiam. Si itaque in prima ſignificatione ſumatur Dindymorum nomen, non ideò ſtatim redarguendus eſt Vates, quaſi eumdem locum ſub disiunctione poſuerit; nam disiunctio illa non disiungit Phrygiam à Phrygia; Idam ab Ida: ſed conualles Idæ ab ipſo montis vertice, qui Dindyma appellentur: quarè optima adhùc extat disiunctio. Non placet aliquibus, *Dindyma* propriè appellari Iuga Idæ montis; ideòq; in eorum ſententia venirent hic tantum montes Phrygiæ maioris. Sed contra eorum opinionem ſtat primò auctoritas Virg. Æn. 10., qui *Dindyma* Idæos vertices appellauit; nam agens ibi de nauibus, quarum materies ex Ida monte fuerat deuexa, in Nymphas poſtea Matris à Cybele conuerſis, eas ſic Æneam alloquentes inducit:

Nos ſumus Idææ ſacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, Claſſis tua: perfidus vt nos
Præcipites ferro Rutulus, flammaq; premebat &c.

ijsq, auditis Æneas ibi Deam inuocans ſubdit:

Alma Parens Idæa Deum, cui Dindyma cordi &c.

cordi autem ſibi eſſe Dindyma, haud clarius oſtendere, potuit Cybele, quam Pinus ex Dindymis aduectas in Nymphas conuertens, ne ferrum, flammaſq; paterentur. Militat contra eoſdem ſecundò ipſius Cybeles denominatio, quam Dindymenes nomine antonomaſticè deſignant omnes, cum Martiali lib. Epig. 9.: à loco videlicet, in quo maximum habuerit templum, celeberrima ſacra, honores præcipuos; quod in minori tantum Phrygia, in ipſo Ida monte obtinuiſſe, ſatis conſtat ex ijs, quæ dix. lib. pri. carm. 201., & ſequentibus. Quarè primam potiùs, quam ſecundam huius nominis ſignificationem, lubens amplector. Certè hanc ipſam noſtram opinionem ſequitur manifeſtè Parthaſ., dum inquit: *Dindyma Deum Matris ſacer mons Cyzico imminens*; quod ſupra vidimus Idæ monti conuenire, quà vergit ad ſeptentrionem. Quod ſi cupis internoſcere, vnde hæc monti denominatio. Dindyma dici aſſerunt aliqui, quia duobus aſſurgeat Iugis: Phyloſtephanus verò ſic dictum autumat, quia in eo duo vbera ſint, quæ Græci *διδύμα* vocent. Horus inditum monti nomen, ait à *δια των διννων*, hoc eſt capillorum rotatione, quam illic Fanatici exercebant Coribantes. Alij tandem dicunt, Dianæ comitem Puellam, cui nomen Aura, Liberi Patris vim paſſam, cum Dianam vereretur, in eum locum confugiſſe, ibiq; geminos peperiſſe appellationis cauſam, nam Græcis *διδύμοι* gemini Latinis eſt. Sed nos vlteriùs procedamus.

VLVLANTIA GALLIS SANGVINEIS. Pro intelligentia huius participij *vlulantia*, vide quæ dix lib. pri carm. 206.; nam ea hùc transferenda. Eodem lib. pri. carm. 209. vidimus, *Gallos* dictos fuiſſe Cybeles Deæ Sacerdotes, à Gallo Phrygiæ fluuio, cuius epotâ aquâ in furorem vertebantur. Sed quoniam, eumdem fluuium, quem nunc Gallum vocant, Terian olim vocatum reperio, altius huius origo denominationis videtur indaganda. Gallus itaque, & Atys, (de quo lib. pri. egimus carm. 202. Adoleſcentes fuiſſe dicuntur officij, formæq; gratia Deorum Matri, ante omnes, dilecti; ſed cum fortè Numinis offenſam contraxiſſent furore acti ſe ipſos euirarunt; quorum Gallus ad Feriam conſedit, ex quo Amni, ac Sacerdotibus ſubindè inditum nomen, vt autumat Polyhiſtor Alexander de Phrygibus lib. 3. Naturam autem fluminis attigit Ouid. in Faſtis,

Inter ait viridem Cybelen, altaſq; Celenas
Amnis it, inſanâ, nomine Gallus, aqua.
Qui bibit inde furit &c.

Sanguinei autem Galli dicuntur, ideſt ſanguinolenti, quippe qui ſua diſſecant membra, vt locis citatis innuimus; quorum mores inſectatus Papinius ait:

. . . . Pinigeri rapiunt Simoentis ad vndam
Dux veſana chori: cuius Dea ſanguine lecto
Ipſa dedit ferrum &c.

ET RESPICIS STRICTOS ENSES CVRETVM. De verbo *reſpicis* vide dicta hoc eodem lib. carm. 76. Et de ſtrictis Curetum enſibus vide lib. 1. carminibus ſupra cit.

EXITIO SVCCVRRE MEO. Breuis, ſed emphatica admodum petitionis expoſitio. *Mater ſuccurre*: ideſt quæ Mater es, licet deſpecta, offenſionis obliuiſcaris, matrem te eſſe memineris, & matrem geras ſuccurrens *Exitio meo*. Exitio nam actum de Proſerpina eſt, ni ſuccurras: exitio; nam viua mortuis, non viſura te ampliùs adiungor: *Meo*, inquam; nec enim natæ dicam exitio, quandoquidem me indignam hoc nomine ipſa effecerim. Sed *ſuccurre exitio meo*; & me, quamcumque velis, arbitreris, tu, quæ vel hoſtibus aureas meſſes diſtribuis. Succurre itaque eſt ſub-

ſidio-

ſidio venire, opem ferre, auxilium præbere. Et Vimi deprecantis habet, hoc loco, impetrandi modus. Exitium autem ab exeundo dictum autumant. quare idem dixerunt eſſe *exitium*, ac *peſſimum exitum*. Iure itaque exitum ſuum e Mundo, & Cælo, vt in inferna properaret loca, *Exitium*, hoc eſt *peſſimum exitum* appellat Proſerpina: inſuper peſſimum rerum ſuarum exitum innuit; nam quæ initium habuerant fæliciſſimum, nempè natalia ex Ioue: educationem ex affluentia Dea; Amoras in Nubilam Deorum, ita vt pro ipſa decertarent: deiunctam ſibi Dearum ſocietatem; ſummam animi hilaritatem &c.; tandem infæliciſſimum exitum ſortiebantur, dum ſtygio illa ducitur captiua Tyranno.

COMPESCE FVRENTEM &c. Per Epexegeſin figuram, explicat, quæ breui ſuprapoſitâ petierit propoſitione; &, quonam modo auxiliari poſſit Mater diſtinctiùs ſuggerit. De verbo *compeſce* vide dicta hoc eodem lib. carm. 232. Et *furentem* dixit, hoc eſt Furijs agitatum, iuxta dicta ſuperiùs a Pallada carm. 215. & 216. quæ videas ſi placet.

COMPRIME FERALES HABENAS TORVI PRÆDONIS. *Comprimere* idem eſt, ac *premendo ſtringere*. Et quia, qui ita alicuius audaciæ, ac temeritati obſiſtit, vt retundat, infringatque, ne vlteriùs procedat, videtur illam ſtringere, ac premere, ne motum edere poſſit, dicitur audaciam illam, ac temeritatem comprimere. Ideò *comprime habenas*; nam, ſi fabulam ſpectes, & litteram, optimè profectò loquitur, ac congruenter; curru enim abuehebatur Proſerpina: quare qui habenas compreſſiſſet; hoc eſt manu premens ſtrinxiſſet, certe & Iugales à motu retraxiſſet, & currum ſiſtere coegiſſet; nam *habenæ* ſunt lora illa, quibus reguntur equi; & coercentur; vnde & Virg. Æn. 12. de Turno currum in prælia agente ſic ait:

Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltuq; ſuperbo
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.

Quod ſi allegoricum ſenſum, ſub hac littera latentem conſideres, vt certè debes, ad altiora euehi Proſerpinæ petitionem agnoſces. *Habenæ* itaque, per translationem, conſiderata accipitur, communiter pro auctoritate: & in hoc ſenſu Virg. Æn. 1. agens de Æolo, cui data fuerat à Ioue auctoritas concedendi, vel negandi ventis poteſtatem illam, qua omnia perturbant, ait:

. . . . Regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret dare iuſſus habenas.

clariùs autem Æn. 7. cum Rex Latinus, diù reluctatus contra poſcentes in Teucros prælium, non poſſet ceſſationem ab armis obtinere; inducitur ad ſe ab dicandum poteſtata, eamq; Turno, vel cuicumque maluerit, relinquendam his verbis:

Sæpſit, ſe tectis; rerumq; reliquit habenas.

ex quo Saauedra, apud Mundum Symbol. Abbatis Picinel., lib. 25., Principem expreſſurus, qui imperio, & auctoritate Populos in officio contineat, frænum in Impreſiæ corpus aſſumpſit, addito lemmate *Regit, & Corrigit*. Poſcit itaq; Proſerpina hic; vt non equorum habenas tantùm, ſed Plutonis habenas; nempe tyrannicam ipſius auctoritatem, poteſtatemq; reprimat, & comprimat Mater. Aptiſſimè ideò *ferales* addidit Vates, vt noſtram inueret explicationem. *Ferales* enim dicitur, quaſi *funera ferens*; quippe nomen deductum à feralibus diebus, quibus epulæ in mortuorum ſepulchra inferebantur. Viua mehercule, vel in Inferis futura erat Proſerpina, quippe ob diuinitatem, à Genitore impertitam, immortalis eſſet; nec funera illi inferre poterant habenæ, quibus equi Plutonici regerentur, quod innuit & Pallas cum inquit: *Quod viua ſepultis admiſces*. Sed vitam morte deteriorem arbitrabatur, ſi Plutonis eſſet ſubdita poteſtati. Ideò *ferales comprime habenas*: ideſt Poteſtatem illam, quæ mihi mortem morte ipſa infert deteriorem: *habenas*, inquam, *torui prædonis*. *Toruus* idem hic eſt, ac dirus, crudelis, inexorabilis; *Prædonis* verò nomine Plutonem antonomaſticè deſignat; nec *Patruum* nominat; nec Regem; nec *Raptorem*: ſed *Prædonem*, vt indicet, nulla ſanguinis affinitate, nulla in maiorem reuerentiâ, nullo in Regem obſequio detinendam eſſe Matrem à Filiæ defenſione, cum contra Prædones magis, quam contra contumaces omnia iura clament: *Prædones* enim dicuntur, qui iniuſtè, nequitèr, impiè prædam agunt, ac iter facientes terra, mariq: vel ſpoliant, vel miſeram in ſeruitutem adducunt.

TALIBVS ILLE FEROX DICTIS &c. Conſumptis Proſerpinæ vocibus, ac fletu demerſis: ideòq; non vltra ſerum; entibus, tranſitum facit Vates ad deſcribendum Plutonem iam a Venere triumphatum, iuxta id, quod ipſa ſibi ipſi geſtiens pollicebatur initio huius lib.

Ingentes famulos Manes ductura triumphos.

De nomine *talibus* vide dicta hoc eodem lib. carm. 151. *Dictum* verò, licet nomen ſit, idem ſonat, ac particip. à verbo *dico*: quare idem eſt *talibus dictis*; ac *his, quæ dixerat verbis*.

FLETVQVE DECORO. *Fletus* eſt ipſe effectus flendi, nempè lacrymæ actù ex oculis cadentes; de quarum origine, & efficacia videas lib. 1. carm. 192. *Decorus* autem idem ſonat, ac *pulcher, decens, honeſtus*. Et profectò, ſi lacrymæ margaritis communiter aſſimilantur, quid dicendum de venuſtate lacrymarum ex oculis filiæ Iouis prodeuntium? *Decentes* erant; nam pudicitiam amiſſam deflere maximè puellam decet: & *honeſtæ* erant; cum, honeſtate vrgente, propriam illa defleret deflorationem: quæ omnia innuit Barth., cum in hunc locum ait: *Decoro quia ex Virgine*. Adde decorum dici poſſe fletum cauſatiue, qui ſcilicet decorum reddat, quem irrigat vultum. nam licet ſæpiùs lugentium deprauentur ora, & gratiam, ſi quam habent, amittant: nonnullæ tamen formoſiores in luctu videntur: vt in Tecmeſſa notauit Ouid. quæ mærens Aiaci placuit, & Virg. in Euryalo Æn. 5. dum ait:

Tutatur fauor Euryalum lacrymæq; decoræ.

ideò cum formoſiorem efficerent lacrymæ Proſerpinam, ſue, nil mirum, ſi eius dictis, ac ſlatu

VINCITVR ILLE FEROX. Et en tandem *qua lampada Ditem flexit Amor*; quod vt ſciret, ac referre poſſet Vates, exorauit in inuocatione ſua Tartareos Deos, lib. 1., vt ſui panderent ſecreta Poli. Exponit igitur hic, vndam lacrymarum, ex Rapta ſua profluentium, virtutem Athamantia fluminis induiſſe, cuius aquis incendia ſuſcitantur, dum, his lacrymis, Amoris incendium, ipſo in Plutonis corde dicitur conflagraſſe. Folles autem, continuatis afflatibus incendium excitantes, caldam auras fuiſſe, oſtendit, quibus lamentabiles conſtarent Proſerpinæ voces; ideòq; vtramq; cauſam copulatiuè coniunxit, vt lampadem, qua Ditem flexit, Amor oſtenderat; & qua *ille Ferox*, hoc eſt *vim Raptæ inferens, vincitur*; hoc eſt flectitur, quamuis indocilis flecti, vt lib. dixerat primo. Quare notanda hic eſt antitheſis, & quidem pulcherrima inter Tò *vincitur*, & Tò *ferox*: ideſt domatur indomitus: placatur implacabilis: flectitur inflexibilis, inexorabilis exoratur: quibus omnibus vim præclariſſimam lacrymarum oſtendit, quæ interdum ea ipſa, quæ impoſſibilia videantur, facilè aſſequatur. Ideò *ille* inquit emphaticè, & *ferocem* antonomaſticè Plutonem appellauit, vt, loco prodigij poneret, ferocitatem illam, quæ congenita naturæ fuerit, emolliri breui lacrymarum riuulo potuiſſe.

ET SENTIT SVSPIRIA PRIMI AMORIS. Epexegeſis hæc iterum eſt, qua explicat Vates, quid, per verbum *vincitur*, intellexerit; declarat nempe victoriam, per illud verbum importatam, non penes Proſerpinam fuiſſe; ſed penes Venerem, quæ lacrymis Proſerpinæ vtens, ac querelis, quaſi inſtrumentis bellicis, arcem Plutonici cordis expugnauerit, ac vexillum in illa erexerit amoris, *ingentes ſic famulos Manes ductura triumphos*: nam, quod ad Proſerpinam ſpectat, hæc victoria captiuitatis illi potiùs adfuit confirmatio; quò enim magis amoris face Pluto incendebatur, eò magis auferebatur à Proſerpina ſpes ſe ipſam iterum in libertatem aſſerendi: qui enim prædam impensè amat, impenſiùs etiam cuſtodit, ne illa ſibi iterum eripiatur. Victoria itaque penes Venerem fuit: & ideò virtus *ille ferox ſentit*: hoc eſt experitur, quod nunquam antea expertus fuerat, vt diſceret ſcilicet in ſuſpiria erumpere, qui, corde ſemper obdurato, nunquam alienas doluit ærumnas, ac clades. *Sentit ſuſpiria*. *Suſpirium* nomen eſt deductum à verbo *Suſpiro*, quod eſt *ſurſum ſpiro*; ideſt *ſpiritum ab imo pectore ſurſum traho*; quod fit, cùm, aut mærore, aut commiſeratione, aut aliquo alio vehementi affectu, ita interna viſcera coarctantur, vt, interclufus ferè ſpiritus egeat, vt altè admodum trahatur, &, quaſi adhibito conatu, ex imo pectore educatur. Quare *ſuſpirium* ipſa eſt *ſuſpiratio*, ideſt *ex pectoris intimo attracta ſpiratio*. Facilè autem adeò in ſuſpiria erumpunt, qui, amoris igne ſucccenſi, exhalatione indigent frequenti, vt non ſolum, viſo obiecto amoris ſui, ſed etiam eius tantummodo audito nomine, ſuſpirijs cor refrigerare conentur, nouis aduſtum flammis; ex quo ſæpè fit, vt amorem conceptum ſentiant etiam, qui ſecreta cordium minimè nouerint. Sic Ouid. Metam. 10. infandum Myrrhæ amorem, quo in Patrem exarſerat, ſuſpirijs indicatum exarat Nutrici; nil mindis ſuſpicantis, dum ſic habet:

Myrrha, Patre audito, ſuſpiria duxit ab imo
Pectore; nec Nutrix ſignamina concipit vllum
Mente nefas; aliquemq; tamen præſenſit amorem.

Si itaque & Vates hic, Plutonem priùs ſe amantem ſenſiſſe, quam, ſe amare, animaduerteret, edocet: quare nil mirum, ſi amorem, ſuſpirijs, & ſibi patefaciat, & Proſerpinæ. Cur autem *Primo*, hoc eſt *primò illabentis in viſcera* amoris dixerit ſuſpiria, ſatis ea dictis patet, quia ſcilicet nulla priùs lampade Ditem fleæerat Amor: & Amor, hic, pro amatorio ponitur affectu, qui repentè adeò irrepſit, vt potuerit Pluto iam ex tunc eas ſibi accini voces præſentire, quas poſtmodum edidit de Herinta ſua Bracc. de Cruce lib. 22.

E così ſi conſuma, e non ſi crede
Ella prima d'amar, ch'arder s'auuede.

TVNC FERRVGINEO &c. Adblandientem (officio ſubito, prout res præſens expoſcebat) Proſerpinæ, in pignus amoris, Plutonem deſcribit Vates, dum abſtergentem decoras, ſudariolo, ea veſtibus facto, lacrymas effingit, vt ſubinde conſolantem inducat. *Tunc*, nempe eo ipſo tempore, nulla interpoſita mora.

DETERSIT LACRYMAS. *Detergit*, non *deterſit*, legit Heinſius, quem non auſus fuerim improbare, nam ſic meliùs congruit cum ſequenti *& ſolatur &c.* Ne mireris autem ſi non ita Heinſius ſecutus ſim ſupra, vbi admonet, pro *fletuq; decoro* ab aliquibus reponi, *planctuq; decoro*, nam hanc ſuam annotationem ipſe idem non ſequitur in textu: arbitror, quia parum congrueret cum præſenti, *detergit lacrymas*. *Detergere* itaque eſt *de vultu tergere, & exſiccare* cadentes lacrymas. Lacrymæ autem humores ſunt, ex oculis flentium promanantes, quæ, quia ex laceratione animi proueniunt, *Lacrymæ*, quaſi *lacerimæ*, vt nonnullis placet, dicuntur; quorum ſententiam ſecutus, vt arbitror, Vates, non *fletum* ſimpliciter dixit hic, vt ſupra, ſed *lacrymas*; vt oſtenderet, compertum fuiſſe Plutoni, eas ex laceratione animi prouenire: ex quo factum fuerit, vt, amore compulſus, lacrymas tergendo, lacerationem animi ſe etiam ſanaturum, polliceretur; ijs videlicet admonitus ſymbolis, quæ inter amantes vigent, decantante Poeta:

Oue aperto per gl'occhi il cuor ſi vede
Più diſtinta fauella Amor non chiede.

quod enim de oculorum hierogl. dicitur, intelligendum etiam de quocunque alio nutu, vel ſigno, actionibus quibuſcumque expreſſo.

AMICTV FERRVGINEO. Quid ſit amictus, iam vidimus, initio huius lib. carm. 17. Aſt, malo, hic, ſanè omine, ac falſæ prorsùs indicio ſpei, ſanandam ab angoribus Proſerpinam, ſignis ſuis, oſtendere, aggreditur Pluto: nam quid amiſſi loco cæli rependere poterat mærenti, qui ne ſudariolum quidem haberet ad tergendas lacrymas Infelicis illius, niſi illud ea pallio conficeretur? Profectò verum præfigurabat eſſe, quod ſubinde promulgaturus eſſet Virg. egeſtatem in Inferorum veſtibulo inferni adeſſe dictitans, quæ omnes caciperet adeuntes.

Et metus, & malè ſuada fames, & triſtis egeſtas.

Amictu tamen vtitur, hoc eſt regio paludamento, vt, prædominijs regalibus inſigniri eam, oſtenderet, quæ regio paludamento, vili quaſi lineo, à lacrymis tergeretur: &, dum regium ornatum ante oculos ponit, non dolendum, inſinuat, illi, cui regia, quæcumque tandem illa ſit, obuienit fortuna. Sed ferrugineus erat Amictus, ferruginis nempe colorem referens, qui proprius vtique Inferorum eſt; & de quo nos plura hoc eodem lib. carm. 43. Vbi etiam hieroglyphicum huius coloris, reſpectu nuptiarum Proſerpinæ expoſuimus. Hoc tamen addam hìc, nempe, per paludamentum ferruginei coloris, Proſerpinæ deſeruiens, procul dubio, ferreum illi regnum portendi. Quare, dum mærorem ſedare conatur Pluto, auxiſſet profectò, ſi infælix illa animaduertiſſet, ferreum Regnum malè ſyderibus æquiparari, adeòq; deterrimam ſibi permutationem promitti. Animaduertit hoc quidem Pluto; ideò, dum hæc peragit, eodem tempore ſuadere conatur, melioribus eam aſtris ferreo hoc in regno frituram, vt ex dicendis patebit. Arbitratus eſt Clauerius (Heinſio teſte) Plutonem hìc flentem deſcriptum fuiſſe, qui, & proprias deterſerit lacrymas, ideòq; & miratum fuiſſe, tradit Heinſius idem, qui hæc poſtea ſubdit: *Non certè Plutonis; ſed Proſerpinæ hæ lacrymæ erant. Quare miror vbi Commentatoris mens fuerit, cum hæc ſcriberet; nam nulla flendi cauſa ei erat, ſed potiùs ridendi, & triumphandi.* Itaque lacrymas Proſerpinæ, vt dicebamus, detergit Pluto.

ET SOLATVR PLACIDA VOCE MÆSTVM DOLOREM. Conſolationem iam exhibet; ſolamen adſtruit, vt mulceat; hoc enim ſonat verbum *ſolatur*. Lenitiuum autem medicamentum à Plutone adhibitum, vt dolori, iam dicto, mederetur, exprimitur, dum vſus dicitur *placida* voce; nam *placida* dicitur, quia placeat, vt vocem decet, ad ſolandum compoſitam, quæ vtique mitis eſſe debet, quieta, dulcis, pacata, ſuauis &c. *Vox* tamen propriè dicitur ſonus ab ore cuiuſcumque animalis progrediens; ſed hic ponitur pro ſpecie genus, nempe *Vox* pro ſono more hominum articulato: quare idem eſt, ac ſi dixiſſet *Verbis ſolatur dolorem*. *Dolor* eſt motus aſper, à ſenſibus alienus, vel in corpore, vel in animo ſedem habens: hic pro angore animi ſumitur: & *mæſtus* dicitur, hoc eſt faciens mæſtum per metonim. Alij legunt hic *timorem*, ſeu *pudorem*, non *dolorem*. Sed meliùs, arbitror, procedit vulgata cum Heinſio, Parth. & alijs: & ſi quid mutandum eſſet de vulgata potiùs *timorem* legerem, quam *pudorem*, nam correſponderet Plutoni inferiùs dicenti:

Deſine funeſtis animum, Proſerpina curis
Et vano vexare metu &c.

Verùm poterat ſedari timor, non ſedato dolore, non verò potuit auferri dolor quin ſecum auferretur timor. Ideò rectiùs *Solatur placida voce dolorem*.

Ne tamen & nobis placeat mentientis vox ſemper inſida; ad veritatis dogmaticæ cognitionem ſedulò conuertamur.

CVR NON TORSISTI MANIBVS &c. Ea eſt peccantium peruerſitas, vt, in quo ipſi deliquerint, reum criminis Deum ipſum facere, impiâ omnis conentur impudentiâ. Ideò hunc ritum ſeruantes, immò & cumulatâ augentes malitiâ, cum meritas damnationis ſubeunt poenas, inſontes ſe audent profiteri; iniuſtum Iudicem, impiam proclamare ſententiam, cùm maximè impij ſint ipſi, qui peccando diuinam in ſe ipſos vindictam prouocarunt. Ad prætexendam tamen innocentiam culpas ſuas refundunt in Fatum; hoc eſt in Phyſicam Prædeterminationem, qua à Deo prædeterminante, & quidem voluntate antecedenti, ad peccandum adigantur; ſicque liberum de medio tollunt arbitrium, dum aſſerunt, ſtante tali prædeterminatione, non potuiſſe ſe aliter operari: quare, à primo ad vltimum, criminum ſuorum Deum faciunt auctorem, & quidem cogentem, quippe ineluctabiliter ad peccandum prædeterminantem. Prædem ſe habere iactitant D. Thomam, ac Thomiſtas communiter, vt ſpecioſa debaccentur ſub vmbra, cùm tamen nec Diuum nouerint Thomam, nec doctiſſimorum doctrinam Aſſeclarum intelligant: ij enim, licet prædeterminationem ponant, non tamen voluntatem noſtram, liberè agentem, negant; ſed dicunt, eam agere prædeterminatam ſimul, & liberam; nam Deus, qui ad ſubſtantiam operationis prædeterminat, prædeterminat etiam ad modum libertatis; ea enim, vt inquiunt, eſt Dei potentia, vt poſſit vtrumque coniungere. Quare, antequam ſe muniant peccantes Thomiſtarum vmbrâ, nouerint, quæſo, quid Thomiſtæ dicant, nec eos in ſententiam Caluini turpiter detorqueant, aſſerentis, voluntatem hominis ita à Deo prædeterminari, vt nullo modo libera ad operandum remaneat; & contra quem anathematis fulmen euibrat Sacroſanctum Conc. Trid. ſec. 6. Can. 4. inquiens: *Si quis dixerit, hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti, quod ad obtinendam gratiam præparet, ita vt non poſſit diſſentire, ſi velit; Anathema ſit.* Liber es, ſolutus es, non ligatus; quo ad Arbitrij libertatem, infælix peccator, tui iuris omninò es; nec te ita prædeterminat Deus ad peccandum, etiam datâ Thomiſt. ſententiâ, vt liberè adhùc non agas, teq; peccato, ac Dæmoni tradas. Quod ſi iuxta ſententiam loquamur, vt rectiùs arbitror, quàm Nos, cum communi Scriptorum Soc. Ieſu, in Phyſicis docuimus; nullo modo prædeterminat Deus, voluntate antecedenti hominem, aut ad peccandum, aut ad benè operandum. Sed ignem, & aquam appoſuit tibi, vt ad quod volueris porrigas manum. Potentiam ſuam, ſine qua nihil operari potes (cum hæc debeat concurſu ſuo ſimultaneo ad omnes creaturarum operationes neceſſariò concurrere) liberaliter in manu tua poſuit Deus, vt illâ tu, pro libito, vtaris. Et tu, impiè peccando, ipſas, à Deo acceptas, gratias in arma conuertis, quibus in Cælum, in Deum, in te ipſum liberè pugnes, ac miſerrimè deprælieris. Quare, cum peccaueris, iure inclamat Deus: *Perditio tua in te Iſrael.* Sed non eſt hic diſputationum locus. Vnum ſcias, impium te eſſe, ſi culpam tuam Deo attribuere mediteris. Quare non eſt, cur intres in Iudicium cum Deo

tuo,

tuo, & velis de Iudicio contendere cum Iudice infallibili, incorrupto, quærens, cur non potiùs fulmine te oppreſſerit, quam pœnam delicto æternam irrogauerit. Citra condignum punit, etiam cum æternis peccantem addicit pœnis; & tu audes Deum redarguere, quaſi atrociùs puniat, cum mitiùs potuerit? Dementia eſt, perfidia eſt, temeritas eſt hæc tua, qua Deum laceſſis, vt acerbiùs puniat. Nec eſt cur dicas; *cur libuit, cur placuit, ſic me crudelibus vmbris tradere?* Non placuit, non libuit: ſed tu, multiplicatis criminibus, Deum alioqui amantem, alioqui benignum, ac ſalutis tuæ maximè cupidum, ad pronunciandam damnationis ſententiam coegiſti. Patrem Deum ignoras, dum vita frueris, dum eiuſdem tolerantiâ, peccans, abuteris; & Patrem velles experiri in peccato decedens? Falleris, heù, longe falleris. Qui Patrem non agnouerit viuens, æquum eſt, vt, in morte, iuſtiſſimum Iudicem, ſeuerumq; criminis vltorem experiatur. Sed in quo tandem peccauimus? (inquiunt Impij, qui trabes ſuas, quaſi feſtucas conſiderant) Leuia ſunt, quæ commiſimus, ſi cum cæteris peccantium turmis comparentur.

Non ego cum rabido ſæuiret Phlegra tumultu &c.

En teterrimum Euangelij Phariſeum. *Non ſum ſicut cæteri hominum raptores, adulteri &c.* O' quam meliùs tibi eſſet, ſi Publicanus fores, qui, criminum pondera ſentiens, nec audebat oculos in Cælum attollere. Deſcenderes & tu vtique iuſtificatus ab illo. Hæc ipſa abſolutiſſima ſuperbia eſt, qua te Iudicem Iudicis efficere conaris: &, quaſi agnus Innocens eſſes, verba patientiſſimi vſurpas Prophetæ: *Vtinam appenderentur peccata mea, & pœnam, quam patior, in ſtatera.* Noſce, noſce te ipſum; & ſtulta hæc mehercule abiurabis. Quòd ſi pertinaciter Inſiſtas, noueris tandem, cum tua rapietur curru Proſerpina, cum iam Pluto eam, hoc eſt animam, arripueris, noueris tandem peccata tua, & velis nolis fatebere, ſummo exclamas eiulatu,

O' male dilecti flores, & ſpreta Tonantis
Imperia: ò Veneris deprenſæ ſeriùs artes.

Sed ſerò ſapiunt Phryges; cum enim, peracto Iudicio, iam tradita Tartareo Regi Proſerpina eſt, nullus Raptæ ſupereſt pœnitentiæ locus, nullum redimendæ captiuitatis effugium. Serò agnouit, ſerò defleuit Cereris Proſerpina, vt ipſa eadem fatetur, culpas, quibus damnationi fuerat addicta, vt nos doceat pœnitere, dum adhùc expectat Clementiſſimus omnium ad pœnitentiam Pater, &, prodigijs etiam è Cælo datis, monet interdum, adeſſe ad portas raptorem, vt captiuitatem effugere poſſit, qui velit. Iam enim rapta Proſerpina incaſſum Matris implorat auxilium abſentis. Matrem habemus Eccleſiam: Matrem habemus Deiparam: ſed, ſi viuentes Matrem contemnimus, eiuſdemq; monita ſalutaria reſpuimus, fruſtra eam raptoribus inferis iam traditis imploramus; nam longè toto cælo abeſt illa ab ijs, qui in inferorum ſunt, poſt latam Iudicis ſententiam, poteſtate. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata: dum viuis, monita ne ſpernas; & ſperes dum ſpiras; nam, deſperata die, cùm ſpiraueris, nil remanet ſperandum. Aliqua ſupereſſent dicenda de blanditijs, falſoque Tyranni rapientis amore; ſed hæc aptiùs in ſequentibus exponentur. Quare iam nos ipſos amicis ſolemur Muſis, dum Proſerpinam ſuam Pluto placidis vocibus conſolatur.

Forſennata gridaua: E perche almeno
(Padre, in vn punto, e feritor gagliardo)
Ad auuamparmi, à ſuiſcerarmi il ſeno,
Non vibraſti dal Ciel fulmineo dardo?
Perche così trà l'ombre, oue il veleno
Delle Furie trionfa; e queſto Pardo,
Maſtro crudel di feritade, impera,
Mi vuoi viua ſepolta, e prigioniera!
Perche così dal Mondo tutto in bando
Diſcacciarmi ti piacque; e'n Flegetonte
Deſtinarmi al ſoffrir letto eſſecrando?
Dunque fia ver, che di pietade al fonte
(Che ſei tu, ſe ben anche impugni il brando)
Scintilla di pietà non ſorga in fronte?
Dunque fia ver, che niun ſi ſuegli al petto,
Contro vn tanto rigor, paterno affetto?
Qual delitto sì enorme, ò qual misfatto
Commiſi io mai, che di sì graui ſdegni
Al grand' incendio eſca, e focil, fia fatto?
Non già di Flegra à i barbari diſſegni
Di violar delle ſtelle il volto intatto
Died' io la mano; ò ne promoſſi i ſegni:
Ne s'impiegò del braccio mio la poſſa
In ſourapor rubelle Olimpo ad Oſſa.
Qual nefario attentato, ò qual mi ſtringe
Colpa sì graue: ond' à crudeli affanni
D'Erebo il tuo furor m'affretta, e ſpinge?
Qual error mi produce eterni i danni?
O' quanto inuidio à chiunque il Ciel ſoſpinge
D'altrui rapine à ſottentrar gl'inganni!
Quanto ſon elle, e fortunate, e liete;
Che non le toglie al Sol Tartareo Lete.
A me ſola, ahi deſtino! A me ſi niega,
Co'l candor virginal, de Cieli il lume.
A me ſol ſi rapiſce (e niun ſi piega
A miei lamenti, ò mie difeſe aſſume)
Co'l virgineo teſor, quanto diſpiega
De gl'ori il Sol dall'argentate ſpume.
E ſepolta di Notte in fondo eterno
Sol mi rimane ad habitar l'Inferno.
I ſola, i ſola all'infernal Tiranno,
Più d'ogn'altra infelice, in preda, ahi, reſto.
Maledetto piacer, che co'l tuo inganno
Al coglier fior mi trabbalzaſti infeſto.
Della Madre i penſieri e quai ſaranno,
S'io de gl'auuiſi ſuoi ſprezzai l'honeſto?
O dell'empia Ciprigna, ahi, troppo tardi
Conoſciute luſinghe, occulti dardi.
O Madre: ah Madre, al maggior vopo abſente,
O ſi trattenga infra l'Idalie Valli
Del cauo buſſo il riſuonar frequente;
O ſe trà gl'vrli i ſanguinoſi Galli
Labirinto al tuo piè formin recente;
O pur t'alletti infra Dindimee calli
Il Coribante, in tratteggiar le ſpade;
Ogni tua gioia hor quì ſi tronca, e cade.
Deh, ſe pietà nel ſen materno alberga,
Soccorri à mie ruine; ed al crudele,
Che mi t'inuola, ogni tuo sforzo atterga.
Frena di chi mi porge amaro il fiele
Temerarie le furie; e'l duol poſterga
De falli miei, più, che già mai, fedele,
Togli'l tuo ſangue alla mortal tempeſta;
E del Stigio Ladron le briglie arreſta.
A sì meſte querele; al pianto amaro,
Ch'ingemmò delle guancie il bel decoro,
Ammolliſſi quel crudo; e'l petto auaro
D'ogni pietà de tormentati al Coro,
Vinto da vn volto, impietoſir, gl'è caro.
Già di quel ſciolto crin biondo il teſoro
(Coſa inſolita à lui) gl'allaccia il cuore
Già tributa i ſoſpir ſchiauo d'Amore.
Le falde all'hor del ferrugineo manto,
Sciugatoio à formarne, in vn raccoglie;
E le perle del cuor, ſquagliate in pianto,
Tolte dal volto in regal lembo accoglie:
Terge l'arciere luci; ed egli in tanto
Da terſi rai le fiamme, auido, coglie:
E con voci d'Amor ſtrugger s'ingegna
La, ſpiegata dal duol, lugubre Inſegna.

Quæ autem dixerit, vt raptæ ſuæ fieret conſolator Pluto, Nos ex grandiori Auctoris ſtylo decerpamus.

Deſine funeſtis animum, Proſerpina, curis
Et vano vexare metu. Maiora dabuntur
Sceptra; nec indigni tedas patiere Mariti.
Ille ego Saturni proles, cui Machina rerum
Seruit, & immenſum tendit per inane poteſtas.
Amiſſum ne crede diem. Sunt altera nobis
Sydera; ſunt orbes alij: lumenque videbis
Purius, Elyſiumq; magis mirabere Solem,
Cultoreſq; pios. Illic pretioſior ætas
Aurea progenies habitat; ſemperq; tenemus,
Quod Superi meruere ſemel: nec mollia deſunt
Prata tibi; zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Ætna.
Eſt etiam lucis arbor prædiues opacis
Fulgentes viridi ramos curuata metallo.
Hæc tibi ſacra datur, fortunatumq; tenebis
Autumnum, & fuluis ſemper ditabere pomis.
Parua loquor. Quidquid liquidus complectitur aer,
Quidquid alit tellus; quidquid maris æquora verrũt;
Quod fluuij voluunt, quod nutriuere paludes;
Cuncta tuis pariter cedent animalia Regnis
Lunari ſubiecta globo, qui ſeptimus auras
Ambit, & æternis mortalia ſeparat aſtris.
Sub tua purpurei venient veſtigia Reges,
Depoſito luxu, turba cũm paupere mixti.
Omnia Mors æquat. Tu damnatura nocentes:
Tu requiem latura pijs: te Iudice ſontes
Improba cogentur vitæ commiſſa fateri.
Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas.
Sit Fatum quodcumque velis. Hæc fatus ouantes
Exortatur equos; & Tænara mitior intrat.

DESINE FVNESTIS &c. Per Proſopopeiam, conſolatoriam Plutonis ad Proſerpinam orationem contexit, quæ, cum ſuaſoria ſit, ad deliberatiuum genus procul dubio ſpectat. Initio itaque timorem expellit, dum nullum paſſuram detrimentum Proſerpinam, nititur oſtentare; vt, expurgato ab affectibus contrarijs animo, faciliùs ſubindè ſpes inſideat, quam melioris inſinuat boni; & propoſitis vtilitatibus, quas vtiq; inſignes edocet, conſolationis medicamen ſuadeat admittendum. Hoc autem innuere volui, vt cernas, quam accurate, ac religioſe artis præcepta ad vnguem ſeruauerit Vates. Sed & artificium tenendæ orationis, exactiſſimum profectò, iuuat perpendere; nam omnibus, & ſingulis partibus lamentationis à Proſerpina peractæ adamuſſim adeò reſpondet, vt ſingula ea, quæ obijciebantur; ne apice quidem poſthabito, refutet, ac diluat, vt ſubindè, quæ ipſe ingerat, latius confirmentur. Et primo quidem lamentabatur Proſerpina, traditam ſe crudelibus vmbris; quod ingentem tormentorum, quæ ſibi apparari ſuſpicaretur metum indicabat incuſſum; quarè hunc primò diluit timorem, dum vana eſſe hæc deluſæ mentis terriculamenta profitetur. Secundò lamentabatur, ſe toto eiectam mundo, quod ſibi maximum arbitrabatur detrimentum. Nullum autem illud eſſe oſtendit, dum regno, terrenis omnibus maiore excipiendam illam aſſerit reginam; ideòq; permutationem in meliùs, non in deteriùs eſſe oſtendit. Tertiò lamentabatur, ſe tyrannicæ traditam poteſtati. Et hoc ipſum diluit Pluto, ſe legitimum Saturni hæredem oſtentans; ad quem latiſſimum illud, de quo loquebatur, Imperium, hæreditario iure deuenerit; ac datâ occaſione diuitias, ac ditias Imperij ſui amplificat ab adiunctis; &, propoſito regali ſtatu, qui Proſerpinam manebat, quanta illi accedant Imperia, dignitates, voluptateſq; enumerat; ac ſic latè comprobat, vanos eſſe eiuſdem terrores, vanas querelas; atq; hoc pacto ſuadet, ne illi curæ ſit cælum; ne Iouem Patrem, aut Cererem innocet matrem, dum leuibus, de quibus queritur, ſpoliata, melioribus vtiq; breui potitura ducatur. Peracta autem Plutonis Proſopopeia, eumdem Vates in Tænarias fauces ouantem ducit.

DESINE, PROSERPINA &c. Perturbatus animus inhabilis redditur, ad excipiendas conſolantium ſyrenum harmonicas quamuis, cantiones; ideò Pluto, perfectiſſimi Oratoris munus adimplens, ipſo ſtatim initio perturbatæ Proſerpinæ tempeſtates, auris, ſedare, placidis, connititur; ac prima vtitur ſuadentis voce *Deſine*. *Deſine* idem eſt, ac *ceſſo ab incæpto, finem operi impono*; ac *quæ incæperam, omitto*. Turbauerat mentem Proſerpina, angorum, terrorum, ac deſperantis animi tempeſtatibus; ideò ſuadet, vt pacato tandem animo ſit, quæ dicturus eſſet, mitiùs exceptura. Sic apud Virg. Æneas Didonem conſolatorio proſequens ritu Æn. 4. inquit;

Deſine meq; tuis incendere, teq; querelis.

ſicq; & Pluto hic *Deſine, Proſerpina &c.* De huiuſmodi vocandi caſibus, præcipuam attentionem captantibus, dum proprio auditorem nomine compellant, ſatis alibi diximus. Artificioſe hic Raptor raptam ſuam proprio compellat nomine, vt indicet, eam ſatis ſibi cognitam eſſe, eius ſe conditiones, eius merita non ignorare; atq; adeò nil illi timendum eſſe, cum non minoris facienda ſit, quam merita ipſa depoſcant.

VEXARE ANIMVM. *Vexare* idem eſt, ac ſollicitare, perturbare, affligere, ac proprijs paſſionibus, quaſi tortoribus, tradere diripiendum. *Animus* verò in hoc differt ab Anima, quod hæc vitæ, ille conſilij ſit; quarè *animus* potiùs hic erit potentia animæ diſcurſiua, quam anima ipſa. Itaque idem erit dicere *animum*, ac dicere *fontem cogitationum*, quæ, quia, vt ſacræ ferunt paginæ, de corde exeunt; idem erit *vexare animum*, ac cor ipsũ cruciatibus ſubijcere.

CVRIS FVNESTIS, ET METV VANO. Curam anxietate animi metum copulans, per particulam coniunctiuam, geminas attingit deſperantis Proſerpinæ cauſas, eaſq; irritas monet eſſe. *Cura* itaque idem eſt, ac ſollicitudo, vel anxia cogitationum tempeſtas, quæ cor edat, & excruciet. Sic Dido apud Virg. Æn. 4. anxiam animi molem, morte intercedente, depoſitura, poſtquam ſe ab Ænea deceptam vidiſſet, exuuias Sychei alloquens inquit:

Accipite hanc animam; meq; his abſoluite curis.

Funeſtæ verò dicuntur curæ, quaſi *funere mæſtæ*, hoc eſt perniciosæ, exitiales, ac citò ad funera ducentes. Metus tandem *eſt de inſtanti, vel futuro periculo mentis trepidatio*; atq; hic profectò de inſtanti eſt, vt ſatis patet conſideranti. Sed *Vanus* dicitur; hoc eſt irritus, vacuus, inanis, ſuperuacaneus, cum nulla eſſet, aſſerente Plutone, timendi occaſio: ſicq; viam ſibi aperit Pluto ad metum ipſum diluendum ſequentibus, quas ipſe adducit, probationibus, quibus, ſe vera dixiſſe, confirmat.

MAIORA DABVNTVR SCEPTRA. En ratio, cur vanus dictus fuerit metus, vana Proſerpinæ cura, quia ſcilicet in meliorem, non in deteriorem tranſeat fortunam. De ſceptro vide dicta lib. pri. carm. 81 hic ſceptrum pro regno ponitur, & pluralis numerus pro ſingulari; id per Synecd., illud per Metonym. Sed qui hæc ſceptra *Maiora* dicantur? Vt intelligas quomodo hæc procedat, hoc loco, comparatio, memineris, quæ de Proſerpinæ Procis dicta fuerint lib. 1.

Perſonat aula procis; pariter pro virgine certant
Mars clypeo melior; Phœbus præſtantior arcu &c.

His ſi nupſiſſet Proſerpina, certe cum Marte in Rhodope, ideſt Thracibus omnibus imperitaſſet; aut cum Phœbo Amyclarum, Deli, ac Clariorum Larium ſceptra rexiſſet, vt ibidem habetur.

Mars donat Rhodopem; Phœbus largitur Amyclas &c.

Inſuper cæleſtis etiam ſceptri particeps fuiſſet primò quidem, vt Iouis filia, paterni ſcilicet regni in partem vocanda; ſecundò quia, ſi Marti nupſiſſet, ſphœræ Martis præfuiſſet; ſi verò iuncta Phœbo fuiſſet phœbeum pariter rexiſſet orbem. Sed hæc tandem ſceptra erant minora, quippè partialia, atq. a ſummo Iouis ſceptro dependentia, illiq; ſubordinata; cum itaq; hic tradatur illi ſceptrum abſoluti, ac totius imperij, maiora vtiq; ſceptra concedebantur, quo ad latitudinem, atq; independentiam Imperij; nam quo ad honorem eorumdem ſceptrorum oſtendet inferiùs, adhùc minora non eſſe, ſed maiora. Verbum deniq; *dabuntur* notiſſimæ ſignificationis eſt, cum pro *concedo*, ac *tribuo* verbum *Do* communiter ſumatur; ſed altiorem ſequitur ſenſum, hoc loco, Vates, vt arbitror. Inuenio itaque verbum *Do* pro eodem acceptum, ac *pareo*, ſeù *obedio*. Sic Terentius *Do te,* inquit,

inquit, *mihi*; hoc eſt *mea te accommodes voluntati obtemperatorem*: ſeu *obedias mihi*. Quatenùs igitur ſceptrum puram ſignificat poteſtatem, atq; imperandi facultatem, vt ſupra dicebamus, certè verbum *dabuntur* idem ſonat, ac *tradentur*; *concedentur tibi*. Sed aduertendum eſt, ſceptrum, non pro regno tantùm, ſed interdum, ac ſæpiùs, pro ipſo regnante poni. Per ſceptra igitur; non regnum tantummodò, ſed & ſe ipſum notat hic Pluto, ac ſe obtemperaturum Proſerpinæ pollicetur, quam ex nunc in dominam eligat, vt captiuitatis ab ea timorem expellat. Ideò *Mariti dabuntur ſceptra*. Hunc autem fuiſſe ſenſum Auctoris, patet ex ſubſequentibus, vbi inquit Pluto: *Sit Fatum quodcumq; voles*: noſtis enim, Fato ſubijci Deos ipſos, immò & ipſum Deorum Regem, vt lib. pri. dicebamus: Quarè, dum Pluto voluntatem Proſerpinæ *Fatum* conſtituit *Inferorum*, illi ſe ipſum ſubijcit, atq; obtemperaturum nutibus pollicetur.

NEC PATIERE TEDAS &c. Diſerat Proſerpina fælices alias, quaſcumq; tulere Raptores; quaſi durior conditio eſſet illa ſua, qua indigno ſe prorsùs dederetur. Erroneam igitur hanc Raptæ ſententiam aſſerit, ac refellit Pluto. *Nec patiere &c.* coniunctio hæc diſiunctiua promiſſionem antecedentem maioris regni cum conſequenti connectit declaratione, qua ſe Proſerpina non indignum profitetur Raptor, ita tamen, vt per oppoſitum diſtinguat hoc, quod ex regno iam poſito ſequitur neceſſario. De verbo *patiere* vide dicta lib. pri. carm. 196 Tyrannum dixerat Plutonem Proſerpina; ideò, vt eam ipſe à ſubeundæ tyrannidis metu liberaret, coniugem eam futuram, non captiuam, pronunciat apertè. *Nec patiere tedas*. De tedis, earumq; in nuptijs vſu ſæpiùs diximus. Hic ſignum pro re ponitur, per metonym: nempè pro coniugio tedis.

MARITI INDIGNI. *Maritus*, quaſi *mas ſcitus*, ſeù *aſſcitus* in vxoris virum. Eſt igitur *maritus* Mas quicumque à fœmina ſcitur, ideſt cognoſcitur, (theologico more loquendo) in brutis quidem quoquo modo; in hominibus autem legitimè tantùm, intercedente videlicet coniugio. Vides mariti nomen genericum eſſe; ſed contrahi hic à ſubiecta materia ad legitimè coniugatum. *Indignus* autem non ſolum hic ponitur pro *non dignus*; ſed etiam pro eodem ſumitur, ac *miſerabilis*, aut *fœdus*, aut crudelis. Sic Virg. Æn. 6. miſerabilem, fœdam, crudelem Miſeni mortem fuiſſe notat, dum *indignam* appellat:

. . . . Atq; illi Miſenum in Littore ſicco,
Vt venêre, vident indignâ morte peremptum.

non acceptum autem ibi à Virg. nomen *indigna* pro *non digna*, patet ex cauſa mortis, quam ſubdit:

Sed tum forte caua dum perſonat æquora concha,
Demens & cantu vocat in certamina Diuos,
Æmulus exceptum Triton (ſi credere fas eſt)
Inter ſaxa virum ſpumoſa immerſerat vnda.

dignè itaque profectò morte mulctatur, qui temerario auſu in Deos ipſos audeat decertare. Quamobrem, dum Vates ait: *indigna morte peremptum*; ita intelligendus vt dicat: morte miſerabili, crudeli, fœda, ac prorsùs deflenda. Atq; in hoc eodem ſenſu nomen *indignus* accipit Auctor hic, ita vt neget Pluto, ſe futurum eſſe maritum *indignum*, hoc eſt *miſerabilem*, quia talis eſſe non poteſt Rex Ioui æqualis, diuitiarum Deus &c. non fore aſſerit *indignum*, ideſt crudelem, ac fœdè ſæuientem, quia talis eſſe nequit, qui iam ſit amans, & tyrannidis metum ſtudeat ex animo dolentis diuellere. Non tamen negauerim, ſe dignum etiam talibus nuptijs aſſerere voluiſſe, vt innuat, pari parem nubere. Sed immo, vtrumq; ſenſum, more ſuo, tenuiſſe Auctorem non dubito.

ILLE EGO SATVRNI PROLES &c. Comprobat iam dicta, atque, eodem contextu, extenuat rapiendi culpam, commemoratione propriæ dignitatis, quam amplificat emphaſis geminati pronominis: & quæ geminatio vtique gloriantis eſt, vt illa Radirobanis, à nobis alibi cit., apud Io: Barchlaium in ſua Argen.

Si qua Radirobanis peruenit fama ſub vmbras
Ille ego &c.

De nomine *proles* vide dicta lib. pri. carm. 122. Et de Saturno pariter, cuius filius ſit Pluto, Iupiter, & Neptunus vide lib. pri. vbi de diuiſione Regni inter hos fratres, & alibi ſparſim fusè dicta.

CVI MACHINA RERVM SERVIT. Ideſt tota mundi inferioris moles, ſeu elementa, ex quibus omnia conſtituuntur, nam quidquid ex terra eſt in terram vertitur, & à Plutone quod datum eſt, ad ipſum reuertitur, vt aiebat Lacheſis lib. pri. *Machina* autem ea moles dicitur, eo, quod *Machina* dicatur quidquid ſumma arte, ac conſilio fabrefactum apparet, prout profectò talis extat Mundus inferior, nempè terreus globus, quem mirabili arte ponderibus libratum ſuis ſtetiſſe iam ſatis conſtat. Aduerte tamen, non ſibi hic à Plutone vſurpari ſceptra, vel ſaltem titulos regnorum, ad Neptunum, ac Iouem fratres ſpectantium; nam licet propoſitio indefinita indefinitè intelligenda ſit, ita vt æquiualeat vniuerſali; & ideò idem videatur eſſe *Machina rerum*, ac *Machina rerum omnium*; tamen ea coarctatur à ſubiecta materia, de qua diſſerit Pluto; nempè contrahitur ad illum Mundum ſubterraneum, quem Pallas Ignauum Mundum appellauerat ſupra, & non ignauum eſſe exagerat iam Pluto. Innuit itaque hic, alterum eſſe in poteſtate ſua Mundum, qui nec cæleſtibus careat ſphœris, nec vacuus ſit ab ijs, quæ Maris ſinu obteguntur, diuitijs, nec terrenis primatus affluentijs, cum vitam, lethumq; regat: cum quidquid gignit materies, ipſo donante creetur; cui Parcarum laborent ſtamina, qui finem cunctis & ſemina præbeat &c. quæ fuſiùs Lacheſis cit. diſerat, & Pluto ipſe inferiùs amplificabit. Ideòq; abſq; Fratrum inuidia, licet ſuperbè admodum, gloriari potuit de integra ſibi ſubſeruiente machina rerum. *Seruire* autem eſt *in ſeruitute eſſe; alterius ſubeſſe ditioni; Miniſterium ſuum domino exhibere; dictis audientem eſſe*: ac *nutibus obtemperare*. Præſcindunt autem hæc omnia a voluntario, & coacto; nam captiui quidem coacti ſeruiunt; ſed & ſeruire dicuntur, qui ſpontè aliquem in dominum elegerunt; ſponte mandata exequuntur &c. In ſenſu Plutonis voluntarium importare hoc verbum effingitur, vt nota tyrannidis euitetur; licet re vera coactionem connotet, cum omnes Tartarorum Greges in vera ſint, ac deplorabili captiuitate. Ideò Vates ambiguo vſus eſt verbo, vt & ad mentem Plutonis, & ad rei veritatem ſenſus deflecti poſſet.

ET POTESTAS TENDIT PER IMMENSVM INANE. Poteſtatis nomine, cùm de Principibus ſermo eſt, Regia venit auctoritas, atq; imperandi facultas. Hæc mea, inquit Pluto tendit per immenſum &c. *Tendit*: ideſt *extenditſe*, per aphereſim in verbo, diceret ſuperficialis interpres; ſed altiorem ſignificationem ſecutus eſt Vates: ad cuius intelligentiam, nota, *Tendere* non ſemel accipi pro eodem, ac *Tentoria figere*, vt patet ex Virg. Æn. 2. dum Troianos, notantes locum, vbi caſtra poſuiſſent Achiui, ſic loquentes inducit: *Hic Dolopum manus; hic ſæuus tendebat Achilles.*

Claſſibus hic locus; hic acies certare ſolebant.

Fixa autem tentoria non ſolùm ſtationarios indicant milites, prælij tempus expectantes; ſed etiam ſæpè ſæpiùs ſtationariam quietem, ac pacificam alicuius rei poſſeſſionem oſtentant; nam tentorijs vti non ſolùm ſolebant milites, vt ab iniurijs cæli ſe ipſos tutantes, hoſti ſemper inſtarent terribiles; ſed ijs etiam vſi ſunt ad quietem antiqui; nam, etiam ſemota belli occaſione, in tentorijs cubabant; in tentorijs conuiuia peragebant; in tentorijs delicias exercebant ſuas. Sic Filotes, dux olim, ſub Alexandro, bellicæ artis peritiſſimus, fertur ſubindè mollis, ac delicatus adeò effectus, vt, in venationem profecturus, tentoria, quæ ad centeſimum vſq; ſtadium protenderentur, fixiſſe, ſerico, aureoq; contexta, mirum in modum, elaborata. Sic ex ſacris litteris, Hiſter. pri., celeberrimum illud habemus conuiuium à Regio Aſſuero, ac Vaſthi Regina celebratum, vt oſtenderet Rex diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, & iactantiam potentiæ ſuæ, habemus, inquam illud in tentorijs peractum. *Iuſſit conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu conſitum erat. & pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbaſini, ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atq; purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur*; cum itaque tentoria fixa, & regni magnificentiam, & poſſeſſionem eiuſdem imperturbabilem, ac pacificam oſtentent quietem; nil mirum, ſi poteſtatem ſuam, *tendiſſe*, hoc eſt *tentoria fixiſſe*, dixerit, per immenſum Pluto, vt oſtenderet ſibi omnia eſſe pacata: & magnificentiam regni ſui immenſam eſſe, & poſſeſſionem imperturbabilem; quia, iiſdem tentorijs milites in armis ſignificantur adſtantes ad præſidium, quo oſtendit ſibi vires pariter ſuppeditatas, quibus regnum ſuum, vel ab ipſa Fratrum potentia tueatur immune; immò quibus & fratres ſuis ſpoliare poſſet regnis, ſi vellet: Ideò *ſceptra mariti dabuntur*, quorum *poteſtas tendit per immenſum inane*, ideſt per immenſurabilem, hoc eſt infinitam regni vaſtitatem, quaſi ſors dederit Plutoni Imperium nullis finibus coarctatum. Quod regnum cur *inane*, hoc eſt vacuum antonomaſticè dicatur, vide dicta lib. pri. carm. 20.

AMISSVM NE CREDE DIEM &c. Solem ſibi ereptum lugebat Proſerpina. Ideò oſtendit Pluto, vanum hunc

etiam

etiam dolorem eſſe, dum clariorem ſolem meliora ſydera ſpondet. Ideò per particulam prohibitiuam *ne*, vetat Proſerpinam ea, quæ falſa ſint de regno, cui præficitur opinari. *Ne crede. Credere* enim hic pro *mente concipere*, ac *ſibi ſuadere* vſurpatur, *Diem* verò poſuit pro *luce*, quandoquidem nil aliud *Dies* eſt, quam lux Solis ſuper Orbem diffuſa; cuius iacturam non timendam Proſerpinæ ſuadet. *Amiſſum ne crede Diem*, & rationem reddens, cur huiuſmodi iacturam à ſe factam exiſtimare non debeat Rapta, illicò ſubdit

SVNT ALTERA NOBIS SYDERA &c. Et aduerte, Plutonem hic non vti numero plurali *Nobis*, vt more Principum loquatur, licet id poſſet, cum Noctis arbiter ſit, vmbrarumq; potens &c. ſed conſultò plurali vſum fuiſſe numero *Nobis*, vt iam Proſerpinam coniugem ſibi adſcitam participem regni ſui fateatur. Ideo *Nobis*, nempe & mihi, & tibi, quæ iam mea, omnia mea tua facis. *Sunt nobis altera ſydera*. De adiect. *Altero* vide ſupra carm. 218. hic pro *alia* ponitur; ſed cara, præclara, conſpicua, atque hoc vocabulo non inferiora ijs, quibus comparantur, nempe cæleſtibus ſyderibus, oſtenduntur. De ſyderibus ſæpe pariter locuti, prætergredimur. Tantum noto, deſcriptionem hinc incipi Elyſiorum, & ſubinde produci, eo pacto quo Virg. Æn. 6. de Elyſijs loquens ait;

Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, ſolemq; ſuum, ſua ſydera norunt.

Vide quæ fuſiùs habuimus lib. 1. carm. 26.

SVNT ORBES ALII. Nota emphaticam in verbo *ſunt* repetitionem: ac ſubinde nota, ſydera ſua ita aſſeri à Plutone, vt non apparentia tantùm ſydera ſint, aut ignea Phænomena circumuolitantia, vt credendum de igneo regno videri potuit: neque aereas eſſe impreſſiones, aut ſtellas cadentes, autumat idem aſſertor; ſed vera, ac realia ſydera, quippe ſuos, vt notat, habeant orbes, nempe ſphoeras, quibus innexa, tamquam in tabulis nodi, deferantur, ac per Epiciclos, & Excentricos circumuoluta eoſdem, quos cæleſtium ſphoerarum ſydera, motus habeant. Vno verbo, alium aſſerit Orbem in Inferis eſſe, aliud Cælum, & alia ſydera, diuerſa quidem ab ijs, quæ nobis eluceſcunt, ſed plenioris fœcunditatis, clarioris luminis, delicatioris influxus &c. vt ex ſequentibus.

ET VIDEBIS LVMEN PVRIVS. Experientiâ oculari promiſſa ea firmat, quæ forſan efficta, atque impoſſibilia Proſerpinæ videri poterant: nam *videre* eſt *oculorum ſenſu percipere*. Ideò *videbis lumen purius*. *Lumen* pro *Die* hic ponitur, ſeu, quod idem eſt, pro aere illuminato. Sed videtur clare hic adſtruere ſententiam aſſerentem, Lumen eſſe obiectum potentiæ viſiuæ, & immediatè, etiam ſine colore videri, vt nos in Animaſticis docebamus. Ideò *videbis lumen*: & *purius*, inquit, hoc eſt, comparatiuè ad lumen, quo Proſerpina ſe priuari lamentabatur, maiori affulgens claritate, magis à vaporibus, vmbris, ac maculis ſegregatum. Vbi videtur attingere ſententiam Galilei, maculas in Sole aſſerentis, & praxim, quam de luce noſtra habemus, quæ ſæpè ſæpiùs terreis, aut aqueis infulcatur vaporibus, in ſublime eleuatis; quas labes Elyſiorum lumen nequaquam pati aſſeuerat.

ET MIRABERE MAGIS ELYSIVM SOLEM. *Mirari* eſt *alicuius rei nouitate, vel inſueto ſplendore, ac perfectione obſtupeſcere*. Sic Virg. Æn. primo de Ænea Didonis templum perluſtrante, ac rebus attonito,

Artificumq; manus inter ſe, operumq; laborem
Miratur, inquit, &c.

item *mirari* pro eodem ſumitur, ac *cum voluptate intueri*; ſic Virg. Georg. 3. inquit:

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ
Paſcit equos &c.

in vtroque itaque ſenſu ponitur à Plutone hic, vbi dum comparatione vtitur, concedit quidem Solem noſtrum dignum eſſe, & quem admirantes ſuſpiciamus, & quem cum voluptate intueamur: aſt Elyſiorum Solem præſtantiorem eſſe, ac præſtantioris fontem voluptatis affirmat. Quid ſit Sol, ſæpe diximus, & per ſe notum eſt; Elyſium autem appellat, vt ſuum diſtinguat à noſtro, & beatitudinis oculum faciat; nam *Elyſium* dicitur ab *Elyſijs campis*, vbi beatorum ſedes conſtituebantur, canente Virg. 6. Æn. cit.

His demum exactis, perfecto munere Diuæ
Deuenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſq; beatas.

CVLTORESQVE PIOS. Cultorem a colendo dictum, & habitatorem ſignificare iam nouimus lib. 1. carm. 161. *Pius* autem à pietate dicitur, qui Deum, Patriam, parentes; aut quos loco parentum habere debuit, iuſto cultu, honore, ac reuerentia proſequitur, quales fuiſſe Troianos declarat Anchiſes Æn. 3.

Dij prohibete minas: Dij talem auertite peſtem,
Et placidi ſeruate Pios.

cultores autem *pios* appellat Elyſiorum habitatores, quia ductrice illuc pietate peruenerunt. Quod ſi cupias ſcire quinam hi fuerint; accipe ex Virg. Æn. 6. breuiter enumeratos. *Hic manus ob Patriam, pugnando, vulnera paſſi:*

Quiq; Sacerdotes caſti, dum vita manebat:
Quiq; pij Vates, & Phœbo digna locuti:
Inuentas aut qui vitam excoluere per artes:
Quiq; ſui memores alios fecêre merendo.

vno verbo omnes Deum venerantes, ac proximis, benefico ſemper animo, ſtudentes; nam hi beatitudinem aſſequuntur. Hos itaque etiam admiraturam Proſerpinam, docet Pluto, in ſenſu, quo iam ſupra verbum *miror* acceptum diximus.

ILLIC PRETIOSIOR ÆTAS &c. Elyſiorum, quos per aduerb. *Illic* deſignat, fælicitates ab adiunctis amplificat: & primò aureum ibi ſæculum adeſſe dictitat. Sed quia dupliciter Auctores hunc textum legunt, duplex etiam habenda eſt explicatio: aliqui enim, cum Parthaſ., ſententiam, per interpunctionem diuidunt, & ſeparant hoc pacto: *Illic pretioſior ætas: aurea progenies habitat*, quaſi legendum ſit: *Illic habitat progenies aurea: atque ætas pretioſior*. Cum quibus coincidere videtur Heinſius, quamuis ſine interpunctione legat, dum ſic habet in textu: *Illic pretioſior ætas aurea progenies habitant*: Verbum enim *habitant*, indicat duo eſſe, quæ importentur per ætatem pretioſiorem, & progeniem auream. Alij, cum textu noſtro legunt, nulla interpunctione, vel ſola ſaltem interpoſita coma: *Illic pretioſior ætas aurea progenies*; ita illud *aurea progenies* ſit additum, per appoſitionem, ad ætatem, de qua dixerat *pretioſior ætas*; & ſenſus ſit *ætas pretioſior*, quam quæ Cælo arridet, quippe quæ ſit *aurea progenies*. Quia autem vtraque lectio & congrue ad rem cadit, & non ſpernenda eruditione fulcitur, primam priùs, ac ſubinde ſecundam explicabimus, vt liberum ſit vnicuique, quam malit, ſequi, & explicare.

ILLIC PROGENIES AVREA. Reddit rationem, cur futurum ſit, vt Pios Proſerpina miretur cultores, nempe quia *aurea progenies ſunt*; Animæ videlicet, quæ, tamquam aurum obryzum, ſine ſcorijs, ſine macula ſcintillant, ac miro pulchritudinis fulgore decorantur. Iterum *aurea progenies* ibi dicitur eſſe, quaſi aurea ſeries progignenda; eo, quod vt dixerat Lacheſis lib. 1., ibi aſſeruentur Animæ, quæ progignendis corporibus adnecti, ſuo quæq; tempore debeant, eaq; informare, vt continuata *progenie*, hoc eſt *progignendarum ſerie* diteſcat Mundus: auream autem progeniem vocat, nam, ſicut aurum terræ viſceribus intercluditur, & montium tamen pars nobilior eſt; Sic Anima *aurum humanæ terræ*, ac *terrei huius compoſiti pars nobilior eſt*, quæ organis corporeis intercluditur, & Anima eorum eſt. Hoc ipſum videtur attigiſſe Virg. Æn. 6., apud quem Anchiſes auream eſſe Cæſaris animam à conſequentibus aſſerere videatur, dum dicit futurum, illa aurea condat ſæcula &c. Scimus enim vigere Phyloſ. axioma: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, ſi non in ſenſu formali, certè ſaltem in ſenſu virtuali. Sic autem ille.

Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſæpiùs audis
Auguſtus Cæſar, Diuum genus; aurea condet
Sæcula qui rurſus, Latio regnata per arua
Saturno quondam &c.

ILLIC PRETIOSIOR ÆTAS. nempe *pretioſior* ea progenie, quam mox dixerat auream. Quare ſi *auream* dixit *progeniem*, pluſquam auream indicat ætatem, qua illa viuat Progenies, hoc eſt magno nimis pretio æſtimandam, omnique fælicitate affluentem: Sicq; ad ſæculum alludit aureum, vt notat Barth., de quo nos plura lib. 1. carm. 198. Ætas verò ſpatium eſt centum annorum iuxta Ouid. ſententiam, qui Metam. 12. ætatem hoc annorum numero circumſcribit, dum apud ipſum ſic Neſtor Achillem alloquitur: . , . . . *Si quem potuit ſpatioſa ſenectus*

Spectatorem operum multorum reddere: vixi
Annos bis centum; nunc tertia viuitur ætas,

Sæculum autem appellamus nos ſpatium illud, quod Vates, cum Neſtore Ouidij, ætatis nomine deſignauit. Aduerte tamen poni hic numerum determinatum pro indeterminato, & finitum pro infinito; nam perpetuum, æternumq; hoc ſæculum in Elyſijs aureum à Plutone affirmari patebit ex ſequentibus. Quare ætatem poſuit pro ſpatio centum an-

no-

norum, alluſiuè loquendo, pro æternitate verò, quo ad realitatem ſpectandam.

HABITAT. Stationem habet, ac tentoria fixit. Sed iam ad alterius lectionis explicationem deueniamus, in qua non erit comparatio importata per comparatiuum *pretioſior*, inter ætatem, & animas aureas, illa ætate fruentes; ſed inter ætatem Elyſijs efflorèſcentem, & eam, quæ Cælis arrideat. Aetas autem ipſa Elyſiorum ideò per appoſitionem aptiſſimè dicetur

PROGENIES, quia ætas nil aliud tandem eſt, quàm certa quædam temporis menſura; tempus autem eſt menſura motus ſecundùm prius, & poſterius; & hæc menſura ab ipſis cælorum circulationibus deſumitur: quare ætas, quæ & ipſa tandem erit menſura motus, cum tempus ſit, iure dici poteſt Progenies Cæli; hoc eſt ab ipſo Cælo progenita; nam, hac ipſa de cauſa, Saturnum, quem nil aliud eſſe, quàm tempus aſſeruerunt Antiqui, Cæli filium eſſe dixerunt; vt nos etiam lib. 1. innuimus. Illam itaque ætatem progeniem cæli ſui aſſerit Pluto; quod tam benignum, ac clemens ſit, vt ætatem à ſe progenitam auream faciat. Ideò *Progenies*

AVREA; ideſt omnibus propitij Cæli influxibus ditata, ita vt aureum in Elyſijs ſæculum perpetuò foueat, omniq; fælicitate affluentes faciat cultores. Hanc autem Elyſiorum fælicitatem ſic deſcripſit Hetruſcorum Princeps Poetarum de Inſulis agens Fortunatis, in quibus Elyſios campos ſtatuerant aliqui, dum Hieroſ. lib. cantu 15. ſic habet.

Ecco altr' Iſole inſieme, altre pendici
Scopriàn al fin men erte, & eleuate:
Et eran queſte l'Iſole felici,
Così le nomò la priſca etate,
A cui tanto ſtimaua i Cieli amici,
Che credea, volontarie, e non arate,
Quiui produr le terre; e'n più graditi
Frutti, non culte, germogliar le viti.
Qui non fallaci mai fiorir gl'oliui;
E'l mel dicea ſtillar dall' Elci caue;
E ſcender giù da lor montagne i riui,
Con acque dolci, e mormorio ſoaue;
E zefiri, e rugiade i raggi eſtiui
Temprarui, sì che nullo ardor v'è graue;
E qui gl' Eliſij campi, e le famoſe
Stanze delle beate anime poſe.

Hæc ipſa innuerat Tibullus, apud Mythol. Nat. Com. lib. 2. cap. 2., de Saturni tempore hæc habens.

Ille non validus ſubijt iuga tempore Taurus;
Non domito frænos ore momordit Equus;
Non domus vlla fores habuit; non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arua lapis.
Ipſæ mella dabant quercus, vltròq; ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis oues.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec enſes
Immitis ſæuus preſſerat arte faber.

quam auream quietem ortam innuit Ouid. Metam. 1. ex aurea eorum temporum Progenie: *Quæ vindice nullo*
Sponte ſua, ſine lege, fidem, rectumq; colebat. tunc enim
Ipſa quoque immunis, raſtroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus.

Virg. pariter Georg. 1., prædictas omnes fælicitates, per ætatem auream, innui, & importari, ſatis declarat à contrario, nempè à priuationibus, quas paſſus eſt orbis poſt eiectum à Ioue Saturnum, cum inquit:

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædariq; lupos iuſſit, pontumq; moueri;
Melliaq; decuſſit folijs, ignemq; remouit;
Et paſſim riuis currentia vina repreſſit.

nomine igitur ætatis, quæ aurea ſit Cæli ſui progenies, indicata, & Pluto, regionis ſuæ fælicitate, eamdem ab æterna amplificat duratione, vt ſic oſtendat, quàm pretioſior ſit aurea illius ætas, eâ ipſâ, quæ ſub Saturno effloruerit, vel ei etiam, quæ à cæleſtibus nobis donetur ad tempus; ideòq; ſic amplificationem ipſe proſequitur ſuam.

ET HABEMVS SEMPER. Habere idem eſt, ac *poſſidere*, atque *in poteſtate, & ſub ditione tenere*, vt patet ex Virg. Aen. 2. vbi habet.

Hoſtis habet muros; ruit alto à culmine Troia.

Semper Idem ſonat, ac *omni tempore*, ea quo videtur æternam importare durationem, & pro *perpetuò* accipi.

QVOD SVPERI MERVERE SEMEL. Nomine Superum, Terrigenas hic notat, qui profectò, reſpectu inferioris Tartari, Superi & ſunt, & iure dicuntur. Relatiuum verò *Quod* ad aureum, de quo ſupra, ſæculum refertur. *Merere* autem eſt aliquid agere propter quod præmium operanti debeatur. Ex quo oſtendit Pluto diſtinctionem inter Superos, & ſe ipſum, quæ in hoc conſiſtat, vt ſibi hæreditario iure contigerit ætatem illam poſſidere, ideòq; ſibi æternam eſſe; Superos verò illam habuiſſe innuit loco præmij à Saturno, vel loco gratuiti doni remunerantis, atque adeò tranſitoriam, limitatam &c. ac pro vna vice tantùm, vt ſonat aperte aduerbium illud *ſemel*.

NEC DESVNT TIBI PRATA MOLLIA. *Nec deerunt*, legendum eſſe contendit Heinſius; cuius ego lectionem non improbo; ſed aptior adhuc videtur vulgata cum Parrhaſ.; Ideò enim de præſenti loquitur, vt ſciat Proſerpina ditionem iam ſibi traditam Inferorum. Coniunctio itaque diſiunctiua *Nec* ita copulat publicam ætatis aureæ felicitatem, cum fælicitate particulari, quæ Proſerpinam ipſam manebat, vt diſtinctam faciat, & diuerſam. De Pratis ſatis dictum hoc eodem libro carm. 128., ac de adiuncto *Mollia* carm. 102. *Deeſſe* verò idem eſt, ac *non eſſe*, quare ex duplici illa negatiua, nempe explicitâ *nec*, & implicitâ, ac virtuali in verbo latente ſenſus efficitur affirmatiuus, ac ſi diceret: *Sunt etiam tibi mollia prata*. Fælix eſt, cui nihil deeſt, inquit Seneca. Fælicem igitur futuram proteſtatur Pluto Proſerpinam, dum nil illi defuturum deprædicat, ne mollia quidem Prata, hoc eſt viridaria delitijs affluentia. Vbi aduerte perſpicaciſſimum conſolantis artificium; ea enim præcipua eſt ars conſolatoris, vt, cognito illius, quem conſolatur, genio, ea non defutura deſpondeat, quæ genium ipſum alliciant, & titillent, quod optimè exequitur hic Pluto ſpectatâ Proſerpinæ in florum rus propenſione.

ILLIC FLORES PERPETVI &c. Explicat, in quo conſiſtat tanta ea viridariorum, quæ promittuntur amænitas; &, comparans cum Ætneis, vilia hæc eſſe, affirmat, atque ab illis quam longiſſimè ſuperata. De aduerb. *illic* nuper dia. De floribus in anteactis carm. 101. *Perpetui* autem hi dicuntur ad differentiam, & quidem inſignem, qua Elyſiorum flores à noſtris in infinitum diſtent, explicandam; nam noſtri ephymeræ camporum, ſunt; illi *perpetuitate*, hoc eſt *perpetua* ætate ditati, conſequenter incorruptibiles &c.

QVOS NEC TVA PROTVLIT ÆTNA. *Quos* idem hic ſonat, ac *Quales*, & qualitatem notat perfectionis. *Nec* idem, hoc loco, eſt, ac *ne tua quidem Ætna*, de qua nos iam ſatis hoc eodem lib. carm. 71. Et *tua* dicitur, reſpectu Proſerpinæ, quia, vt alibi dix., Cereri dicata etiam Filiæ ſubdebatur, cum Filiæ præſertim vnicæ, ſit quidquid eſt Matris, vt ſatis patet. *Protulit*, hoc eſt *parturijt*, & gignit, ac publicam emittit in lucem. *Henna* ſcribit Heinſius. Sed de hac diuerſitate nos alibi fuſius dix.

HALANT MELIORIBVS ZEPHYRIS. *Halare* idem eſt, ac *odorem ſpirare*. Quare vide dicta ſuperiùs, carm. 81. oſtendit enim flores ſuos gemmas eſſe, non ſolum viſionis ſenſum, venuſtate; ſed &, fragantiâ, olfactum oblectantes; cuius rei cauſam refundit in zephyros meliores; comparatiuè videlicet ad zephyrum Ætneis fauentem floribus, de quo vide dicta in anteactis carm. 72. Vtitur autem hic numero multitudinis, vt oſtendat, quamlibet auram inibi volitantem zephyri ſuauitatem, ac lenitatem habere.

EST ETIAM LVCIS ARBOR &c. A viridarijs ad Lucos tranſitum facit, quos, non minori non ſolum venuſtate, indicat, fæcundari; ſed immò ampliori ditatos aſſerit theſauro; ſicq; ea iam ſpondet, quæ maximè fœmineam attrahant auiditatem; nam cum vniuerſaliter dixerit Virg. Aen. 3. . . . . . . *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames?
quantùm hæc fœmineum ſubigat pectus, & victa declarat Atalanta; & nimis comprobauit Dearum diſcordia, Iudice tandem Paride, dirempta. Ideò aptè Pluto aureos Proſerpinæ fœtus obiectat, vt, fæliciorem ſe futuram, dijudicans, faciliùs & conſolationem admittat, & concilietur conſolatori. *Etiam* aduerb. hic additionis eſt, idem ac *præterea*. De *Lucis* vide dicta lib. 1. carm. 203. Lucos autem in Elyſijs eſſe teſtatur Virg. Aen. 6. his verbis:

Conſpicit ecce alios, dextrâ, læuâq; per herbam
Veſcentes, lætumq; choro Pæana canentes
Inter odoratum Lauri nemus &c.

& inferiùs interrogatus à Sybilla Muſæus, quæ regio Anchiſen, quis locus haberet, reſpondet:

Nulli certa domus: Lucis habitamus opacis
Riparumq; toros, & prata recentia riuis.

ex quo vides epitetum idem à Virg. Lucis additum Auernis.

OPACIS, vt & Auctor noſter hic Virg. ſecutus. *Opacus* autem *umbroſum* ſonat, atque ad temperandos æſtus compo-

poſitum: quare minus placent, qui legunt *Amænis*, aut cum Heinſ. *Auernus*, nam hoc ſatis habetur ex aduerb. *illic*; illud vero virtualiter dicitur hoc ipſo, quod aureis ramis ditari dicantur.

ARBOR PRÆDIVES. Hæc arbor illa eſt, cuius inſititius ramus fuerit ille, quem decerpendum ab Aenea præcipit Sybilla Aen. 6.

Accipe quæ peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus & folijs, & lento vimine ramus
Iunoni infernæ dictus ſacer &c.

quod autem inſititius fuerit ille ramus, non proprius arboris, à qua fuerat euellendus, apertè docet ibidem Virg. dum paulò inferiùs ſubdit:

Sedibus optatis gemina ſuper arbore ſidunt
Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit
Quale ſolet ſyluis brumali frigore Viſcum
Fronde virere noua, quod non ſua ſeminat arbos.

cum itaque inſititius fuerit ille ramus, ſequitur ex neceſſe, vt alibi eſfloreſcere debuerit arbor, Proſerpinæ ſacra, ac tota aurea, ramiſque aureis, non aliunde adſcitis, frondeſcens, ſed ſuis. Et hanc Pluto ſuis in regnis effloreſcentem hic docet; nec mirum: nam cum Pluto *Dis* à diuitijs vocetur, æquum etiam fuit, vt, ſe theſaurum habere radicatum, gloriaretur, ac perpetuò ſuccreſcentibus ſurculis auctum. Porrò *arboris* appellatione, vt noſtis, plantæ tantùm maiores veniunt, quæ ſimplici caudice, ramiſq; brachiorum more, exporrectis, aſſurgunt, vt Pinus, Olea, Palma, Cedrus &c. Ex quo intelliges, quantum auri pondus raptæ ſuæ Pluto polliceatur. Ideò *Arbor prædiues*, hoc eſt valdè diues.

CVRVATA RAMOS. De hoc loquendi modo per hellenismum vide dicta ſuperiùs carm. 248. *Curuare* autem eſt *deprimere, in burim demare*, ſeu *in formam arcus inflectere*. Ex quo deducas quanti pretij fuerit arbor, quæ ramos ex auro haberet, ponderoſos adeò, vt deprimerentur, ac flecterentur in arcum. Quid verò rami ſint, ex mox dictis iam patet.

FVLGENTES VIRIDI METALLO. *Fulgentes*; nam & auri ſplendor *fulgor* dicitur, hoc eſt *fulgens ſplendor*. *Viride* verò *metallum* ramum aureum vocat, inquit Heinſius; *Viridi*, hoc eſt fuluo exponit Parthaſ. Verum Viride dictum, arbitror ego, hoc eſt ſemper vigens, ac ſuppullulans: nam virides dicantur arbores, etiam ſi actu non vireſcant, dummodò vigorem, hoc eſt vigorem habeant, quo nutriantur, & creſcant; nam *viride*, per translationem, pro *vegeto* vſurpatur. Metallum autem genericè dixit; nam genus a ſubiecta materia ad ſpeciem metalli primi contrahitur. Hoc ipſo probat indirectè Pluto, & Solem in Elyſijs eſſe, cum inibi aurum ſuccreſcens adſit, quod metallum vtique ſolare eſt.

HÆC TIBI SACRA DATVR. Sacer eſt ramus aureus Proſerpinæ, inquit Dempſter, quod Auaritia in Infernum ducat. Laudo ingenium. Sed vlteriùs notat hic Vates, quando, & à quo illa arbor ſacrata Proſerpinæ fuerit, quod nec Virg. meminit cit. Aen. 6., nempe ſacratam fuiſſe recenſetur à Plutone, qui eam, occaſione nuptiarum, opulentiſſimo hoc ditauerit donario: Mos enim antiquorum fuit, vt nouas nuptas ſponſi, non ſolum annulo maritali, ſed præuijs etiam donationibus cumularent, quem ritum & nunc quoque ſeruant nubentes, ac præcipuè ſi amantes fuerint.

ET TENEBIS AVTVMNVM FORTVNATVM. Aeterni veris delicias pollicitus; iam non inferioris, immò & potioris notæ Autumnum promittit. Nec de æſtate, aut hyeme mentionem facit: nam cum æſtas, & hyems moleſtiam ſecum nimij vel caloris, vel frigoris afferant, tacitè innuere voluit nullis Elyſium affici moleſtijs, ſed omnia ibi ſerena, iucunda omnia, ac puris fælicitatibus æternum condecorata. Ideò *tenebis*, quod poſſeſſionem indicat irreuocabilem, atq; abſolutum rei denotat imperium, *tenebis autumnum fortunatum*. Autumnus ab augendo dictus, quaſi *auctus annus*, eo quod tunc temporis agricolarum maximè opes augeantur; ea eſt anni pars fælicisſima, quæ media inter Æſtatem, & Hyemem, Bacchi, ac Pomonæ fructibus abunde luxuriat. Incipit ſtatim, ac Sol initium ingreditur Libræ, quod menſe Septembris aſſolet euenire, & producitur vſq; ad ingreſſum Solis in Tropicum Cancri, qui in menſem Decembris incidit. Hic tamen non ponitur Autumnus pro prædicta anni parte, ſed pro fructuum vbertate, Autumni propria, ac pro ſuaui illius temporis temperie, exuberantiq; fælicitate, ideoq; *Autumnum* dixit *fortunatum*, quippè aureis ditatum fructibus, de quibus infra; nam quid ſit alioqui *fortunatum* vidimus ſupra carm. 280.

ET SEMPER DITABERE FVLVIS POMIS. De aduerb. ſemper vide nuper dicta carm. 286. *Ditari* eſt ditem fieri *pomis fuluis*, hoc eſt *aureis*; nam aurum ipſum *fuluum* dicitur, & *color fuluus* pro eodem, ac *fulgor irradians* ſumitur. Poma verò fructus dicuntur, qui ex arboribus, ad eſum apti producuntur; ſed hic, dum aurea recenſet poma, fructus innuit aptos ad ditandum; nam vile munus fuiſſet, ſi ſedandam ijs fructibus famem obiectaſſet. Sed fallor, nam etiam auri auiditas *ſacra fames* appellatur; quarè ad hanc explendam, quam in fœminis auidiſſimam ſciret eſſe, aureos fructus præſto futuros oſtendit. Alludit autem ad pomum Veneri à Paride adiudicatum; ad poma Atalantæ obiecta, ac præcipuè ad Heſperidum poma, tanto Herculis labore conquiſita, quæ ſponte iam Proſerpinæ aſſeuerat cedentia, vt facilem ſibi conciliet, dum conſolatur. Alij legunt *dotabere*. Sed obſtat quod lib. pri. Poſſedit dotale Chaos.

PARVA LOQVOR. Gradatione in antea ctis vſus, & quidem in immenſum ſuccreſcente, vt videre eſt; correctione iam vtitur; &, quaſi nullius momenti eſſent, quæ ſpoponderit, ad longe maiora promittenda tranſitum exornat. Virg. Ecl. 3. *Non parua* poſuit pro *maximi momenti re*, dum ait:

Senſibus hæc imis (res eſt non parua) reponas.

& Æn. 11. maximam futuram Ducum gloriam proteſtatus ait:

Tot populo miſêre duces; nec parua ſequatur
Gloria; delectos Latio, & Laurentibus agros.

cum itaque contrariorum eadem ſit e conuerſo diſciplina, quandoquidem *non parua* pro eodem habetur, ac *maxima*, certè *parua* hic idem erit, ac *minima*, & nullius momenti: *loquor* autem pro *Dico* ponitur, vt poſuit & Virg. Æn. 2.

. . . . Inuidia poſtquam pellacis Vlyſſei
(Haud ignota loquor) ſuperis conceſſit ab oris.

ſenſus itaque Vatis noſtri Plutonico loquentis ore hic eſt: Nil reputes quæ dixi, nam nihil ſunt, ſi cum ijs, quæ dicenda ſunt, comparentur: & nota quam benè, his verbis, rurſum ſibi (vt in maximis fieri aſſolet) attentionem Proſerpinæ conciliet, vt altiùs inſideant animis quæ ſequuntur.

QVIDQVID LIQVIDVS AER COMPLECTITVR &c. Hæc ſunt, quæ maximi ponderis acceſſum ſuperaddunt Proſerpinæ regnis, & iam de facto Plutonicum exornantia regnum oſtentantur. *Quidquid* vniuerſale eſt omnia comprehendens, ac nihil excludens, ex ijs, quibus applicatur. *Aer* ponitur pro tota aeris regione, nempè pro tota illa ſphœra, quæ ex elemento aeris, medio inter ignem, & terram conſtatur, & totam ipſam ambit terram; ea autem eſt volatilium omnium ſedes, Lucis receptaculum, reſpirationis, ac vitæ fomes, cæleſtium influentiarum vehiculum &c. ex quo colligas, quanta ſint quæ promittuntur. *Liquidus* autem dicitur *aer*; hoc eſt mollis, fluxus, purus, ac defæcatus, ex quo naturalis proprietas exprimitur aeris.

QVIDQVID TELLVS ALIT. Nota emphaticam in ly *quidquid* repetitionem; nam de Tellure ſatis iam dictum lib. pri. carm. 193., hic pro tota terrei huius globi Machina ponitur. *Alere* autem idem eſt, ac *nutrire*, ſeù, exhibitis nutrimento neceſſarijs ſuſtentare. Quæ verò, & quanta nutriat terra, quantaq; ſuſtentet, quis enumeret? Innumerabilia igitur Proſerpinæ promittuntur.

QVIDQVID MARIS ÆQVORA VERRVNT. *Salis* non maris, legit Clauer. ſed nil magis dicit, quam vulgata, ideò hanc ſequor cum Heinſ., Parrh & alijs. Æquor planitiem eſſe alibi vidimus: quare *maris æquora* planitiem ipſam denotant vndarum; non quod de facto plana ſit; cum, vt nos, in lib. de Cælo, & Mundo, docuimus, atq; experientia oculari comprobauimus, aqua maris ſimul cum terra vnicum conſtet globum phyſicè, licet non mathematicè, rotundum; ſed planities dicitur, quia ex littore aſpicientibus appareat plana. Cæterùm de Mari vide dicta lib. pri. carm. 176. *Verrere* tandem idem eſt, ac trahere, & circumuoluere, vt ex alibi cit. Virg. de ventis Æn. pri.

Ni faciat; maria, ac terras, cælumq; profundum
Quippè ferant rapidi ſecum, verrantq; per auras.

quæ autem in mari ſunt, certè continuo maris æſtu agitata circumferuntur. Ideò *quidquid maris æquora verrunt*; hoc eſt quidquid maris gremio continetur, eiuſdemq; fluctibus agitatur, nempè conchas, vniones, purpuras, coralia &c. ſed & alium hic locus ſenſum habet, nempe *quidquid maris æquora verrunt*; exoneratis ſcilicet, quas tempeſtate exagitat, nauibus, nam ex ijs immenſas ferè diuitias euerrunt æquora. Ex quo vides quanta, & hic ingeruntur donanda.

QVOD

QVOD FLVVII VOLVVNT. Recenſeas hic Gangem, Hermum, Hydaſpem, Pactolum, Tagum, Sangareum, Gallum, Marſyam, Lecher, Iunnam, Attribunium, aliaq; huiuſmodi flumina, quæ aureas euoluere feruntur arenas; atq; alia, quæ gemmis ſuperba gloriam ſibi vindicant theſaurizandi; & facilè noſces, quam altè hæc Plutonis aſſurgat promiſſio. De fluuijs, eorumq; à torrentibus differentia egimus in anteactis; ideò prouehimur; nam cætera nota ſunt.

QVOD PALVDES NVTRIVERE. Hoc eſt *ſinu ſouere ſuo, atq; in lucem ed dere*: & nota emphaticam in particu. *Quod* repetitionem. De Paludibus, earumq; a lacubus diſtinctione egimus hoc eodem lib. carm. 212. Hic pro quacum ꝗ̃e aqua ſtagnante Paludes aſſumuntur; ac præcipuè eas indicat, in quas flumina dilabuntur; nam, ſi flumina diuitijs affluant, ditiſſima erit Palus, in quam plura huiuſmodi confluant flumina, nam illi ſuarum tributa deferunt diuitiarum. Celebres, inter Paludes, recenſentur Mæotica, in Sarmatia Europea: Arſiſſa, & Mantiana, in Armeniæ finibus; Oxiane, in confinijs Sogdianæ, & Bactrianæ: Aria Ariæ. Aſcania Bithyniæ; Coloe Æthiopiæ; ac aliæ, quas omnes longè nimis eſſet operis recenſere. Sed licet nulla palus ſit, ex qua aliquid vtilitatis non decerpant Accolæ; præcipuè tamen arbitror alluſiſſe Vatem ad ſtagnantes Arabiæ vndas, quas aureas ferunt eſſe, vt teſtatur etiam in ſuo Muſæo metallico Aldrouandus lib. pri. pag. 45., vbi ſic habet: *Arabia, propè Abileos ingens auri pelagus habet*. Scio equidem, & ab eodem ibi alias recenſeri regiones, in quibus, ſi vel puteos fodiant, aurum, aquarum loco, effodiant: Scio, in Zunæ regionibus, vt ab eodem narratur, homines adeſſe Auri piſcatores, qui ex aquis aurum retibus extrahant, vt è fluuijs piſces: ac ſcio, in Pæoniæ partibus, ea agris, poſt diuturnuo imbrem, aurum effundi; quæ omnia licet depreſſis, ac paluſtribus in locis eueniant, neceſſe ſit, tamen nil magis conſpicuum, ac Poetico conſonum textui ſecerno quam aureum, de quo ſupra Arabiæ pelagus; neq; enim hic de piſcibus agitur, qui ex huiuſmodi aquis extrahantur, cum hos in ſubſequenti diſtinguens attingat Vates.

CEDENT PARITER &c. Huic verbo, per adiunctionem figuram addicuntur omnia antè enumerata, & inſuper, quæ hic habentur, animalia omnia. Porrò verbum *cedo*, quatenùs ſignificat obedientiam præſtare, vt hic ſatis perpendimus ſupra, carm. 232.; ni malis dixiſſe *cedent*, pro accedent, per apheresim: quod tandem in idem recidit. Aduerb. verò *pariter* idem eſt, ac *pari paſſu*, eodemq; modo. Vbi obiter nota, per aſſintheton, hæc omnia, dedito ſtudio ſic arcinari, vt vno, eodemq; tempore, ac ſine diſtinctione, ad regnum Proſerpinæ ditandum confluentia, ſignificentur. Ideò *cedent pariter*

REGNIS TVIS. *Regnum*, & pro ipſa regione ponitur, in qua Rex imperat; & pro ipſo etiam Regnantis dominatu; nam in vtroq; ſenſu ſupponuntur vera ea, quæ narrantur à Plutone. Vtitur autem numero multitudinis, non per ſynecd., ſed per emphaſim, qua oſtendit, ingens adeò futurum Proſerpinæ Regnum, vt pluribus æquiualeat diſpertitis, vt patet ex ſerie narrationis; ideòq; non *Regni*, ſed *Regnorum* nomine compellandum.

ANIMALIA CVNCTA. *Animantia* legit Iunianus; nec improbo: rectiùs tamen, arbitror vulgata; nam de animantibus, quæ animalia, hoc eſt *ſenſu prædita* non ſint, dictum eſt ſupra, dum Prata, lucos, flores &c. adeſſe meminit. *Cuncta*, inquit, hoc eſt nullo excepto ex ijs, quæ aerem, aquam, ac terram incolunt. Quot autem, & quanta ſint: nempè vel ſuperbè oculata, vt Pauo; vel ſimplicia, vt Columbæ; vel vnica, vt Phœnix; vel canora, vt Luſciniæ; vel picta, vt Phœnicopterus; vel loquacia, vt Pſytacus; vel indomita, vt Leo; vel ſæuiſſima, vt Tygris, vel horrida, vt Dracones; vel callidiſſima, vt Sphynges; vel immania, vt Phorci armenta; vel velocia, vt Delphinus; vel muſica vocalia, vt Syren: &c. cuncta in obſequium aderunt, cuncta dicto audientia &c. De rationabilibus hic non loquitur; nam de ijs inferiùs.

SVBIECTA LVNARI GLOBO. Animalia in ipſis cælorum Orbibus, iuxta fabuloſam hiſtoriam, adeſſe non ignorabat Pluto, nempè in Zodiaco Arietem, Taurum, Cancrum, Leonem, Scorpium, Caprum, ac Piſces; extra Zodiacum verò Aquilam, Draconem &c. Ab his itaque abſtinet Pluto, ne videatur ſibi arrogare, quæ alterius ditionis ſunt, atq; adeò mendax, & in cæteris videatur: & inſuper ijs ſimilia ſe habere, & quidem melioris notæ iam dixerat, dum ait: *ſunt alij orbes, alia ſydera &c.* Et de ſublunaribus loquitur, quia hæc, licet, in ditione vel Iouis ſint, vel Neptuni, tamen non eorum ſunt; nam viuentia omnia, vt inquit Lacheſis lib. pri., Plutoni debentur, quod in cauſa fuit, vt Pythagoras exiſtimauerit Ditis Imperium à Lacteo circulo deinceps incipere, quia videlicet animæ inde lapſæ videantur iam à ſuperis receſſiſſe. *Subiecta* itaque hic non ſumitur vt particip. à verbo *ſubijcio* deductum, ſed vt nomen idem ſonans, ac *expoſita*, in quo ſenſu habetur etiam apud Cic. 5. Tuſc., vbi ait: *Sed autem virtus, ſubiecta ſub varios caſus, mortesq;, famula fortuna eſt &c.* De globo autem Lunari; ideſt de rotunditate corporis, ob quam Luna *Globus* dicitur, fusè alibi diximus. Verùm de ipſo Lunæ corpore non loquitur hic Pluto: ſed *Globi lunaris* nomine Cælum Lunæ intelligit, ac degentia ſub eo animalia ſibi facit obſequentia.

QVI SEPTIMVS AMBIT AVRAS &c. Proprium Lunaris Orbis ſitum deſcribit, vt magis innoteſcat, ſe de cæleſtibus animalibus hic non loqui. Cælum itaque Lunæ *ſeptimum* dicit, ideſt ordine qui ſeptimus ſit, poſt Cælum ſtellatum; nam poſt illud primum eſt Cælum Saturni; ſecundum Iouis; tertium Martis; quartum Solis; quintum Veneris; ſextum Mercurij; ſeptimum verò Cælum Lunæ. Hoc vtiq; *ambit auras*; nam regionem ignis ſibi immediatam, ac regionem aeris, quæ immediatum, poſt ſphœram ignis obtinet locum, circumquaq; cingit, & includit: Vtraque autem ſphœra, nempe ignis, & aeris optimè, per nomen *auras* deſignatur; ignem enim æthereum nil aliud eſſe dicunt, quam *aerem accenſum*; atq; ideò *ſimplicem* appellant, ad diſtinctionem ignis terreſtris, qui ea lignis, & aere ſuccreſcit. Et in hac ſententia videtur fuiſſe Virg. Æn. 6. dum inquit

. . . . *Purumq; relinquit*:
Æthereum ſenſum; atq; auras ſimplicis ignem

ET SEPARAT MORTALIA ASTRIS ÆTERNIS. Muneri ſuprapoſito auras ambiendi; quod proprium Lunaris ſit Cæli, aliud adnectit munus ſegregandi mortalia ab immortalibus. Ideò *ſeparat*, quod eſt *diuidit*, & *ſeiungit mortalia*, hoc eſt *corruptibilia omnia* ab *Aſtris æternis*. De Aſtris ſæpè dix. ideò non repeto. Hic tamen Aſtra ponuntur, & pro ipſis ſyderibus, & ampliatiuè pro ſphœris, quibus aſtra inſunt, & pro ijs, quorum ſedes ſunt, nempe pro Dijs cæleſtibus: Quæ omnia *æterna* nominat, hoc eſt nunquam interitura. Et quidem, quod ad Deos ſpectat, vniuerſa eos Gentilium ſuperſtitio immortales aſſeruit: corpora verò Cæleſtia certè incorruptibilia abſolutè non ſunt: nam Cælum, & terra tranſibunt, vt ex ſacris litteris edocemur. ſed loquitur Vates iuxta Ariſtotelis ſententiam, qui Cælos, & cæleſtia corpora aſſeruit incorruptibilia, & æterna.

SVB TVA PVRPVREI &c. Sicuti ſuperiùs regnantem in fœminis auaritiam dignoſcens, Pluto Raptam ſuam, propoſitâ rerum omnium, diuitiarumq; affluentiâ, demulcere non deſtitit; ſic iam nunc, noſcens muliebrem animum ambitionis maximè fumo circumuolui, regium illi faſtigium exhibet; ſuper Reges omnes elatum, ac toto ſibi humano genere ſubdito, ſuperbum.

REGES PVRPVREI. Indefinitè loquitur, ideò vniuerſaliter; ideſt *reges omnes*. Nomen autem Regis, inquit Epiſc. Zamorenſis, in ſuo ſpeculo humanæ vitæ, ductum eſt a regendo; & græcè *Baſileus* dicitur Rex à ſuſtinendo; nam hi ſunt, qui portant orbem, vt inquit Iob cap. 9., ideſt qui cunctos regunt, ac, regendo, ad libitum, ferunt. Quare, vt idem Zamorenſis, ſuper omnes humanas dignitates, ac ſublimes eminentias, regalis ſtatus culmen obtinet, & excellentiam. Nomine autem Regum hîc veniunt quotquot regendi habent facultatem, & caput aureis inſignitum coronamentis extollunt, nempe Tetrarcharum ſuperbia, Dinaſtarum ambitio, Ducum armata pectora, Imperatorum potentia &c. Quæ omnia in ſcabellum pedum Proſerpinæ aptanda recenſet Raptor.

VENIENT SVB VESTIGIA TVA. *Venio* notiſſimæ ſignificationis vtiq; verbum eſt: ſed nota vaferrimam Oratoris ſolertiam. Tyrannum illum dixerat Proſerpina: notam diluerat ille ſuperiùs: hic autem nouit, ſe iterùm in tyrannidis ſuſpicionem adduci potuiſſe; cum reges, qui nulli cedunt, niſi coacti, in poteſtate inuenerit futuros. ideò, vt notam rurſùs euitet, vtitur verbo *venient*, quod videtur importare voluntariam acceſſionem, quaſi ſponte acceſſuri ſint, qui tamen certè non, niſi fatis vrgentibus accedent, nam raro admodum quis mortem non inuitus. *Venient ſub veſtigia tua*. Vide quam altè extollat futuram Proſerpinæ maieſtatem, dum pedibus regales calcaturam ceruices proteſtatur. Quare non facilè aſſentior Barth. qui *faſtigia*, non *veſtigia* legendum ſuſpicatur. Quid veſtigia ſint ſatis patet ex dictis lib. pri. carm. 188 ſed hic ſignum pon...

pro re ſignata, nempè ſignum à pede in arena relinqui ſolitum pro ipſa pedis extremitate huiuſmodi ſignum imprimere aſſueta.

DEPOSITO LVXV. Purpureos ſupra dixerat Reges, ad oſtentandum dignitatis faſtum; nam purpura ſolis olim regibus, aut regalem habentibus poteſtatem concedebatur, vt notat Barthius. Hic modum indicat, quo acceſſuri ſint, nempè ſeruilem in morem, depoſito priùs luxu. Luxus autem propriè dicitur omnis pompa ſuperflui ornatus; nimia, in colendis corporibus, profuſio; ac ſumptuoſior gemmarum, aliarumq; rerum ſupellex; quibus omnibus abiectis, Reges iam priuatos Reginam edocet veneraturos. Hanc rerum, quibus viuentes inhiauimus, depoſitionem, abiectionemq; in Acheronteis faciendam ripis antequam ea tranetur vnda, latè deſcripſit Crucis Cycnus lib. 11. ſic;

Nudo laſcia, e mendico, all'ermo ſponde
L'inſatiabile auaro il ſuo teſoro;
E le piume oteoſe, e l'eſca immonda
Quei, ch'al ſonno, alla gola, in preda ſoro;
E la femmina rea l'humida, e bionda,
Suelta di propria man ſua chioma d'oro;
E'l ſuperbo i ſuoi titoli diſgombra,
Ch'all'errante diſio fur ſogni, & ombra.
Quiui l'empio tiranno il proprio ſeno,
Ch'ingiuſtitia macchiò, ſparge di pianto;
E, trà'l ſangue rauuolto, e trà'l veleno
Depon lo ſcettro, e la corona, e'l manto.
Qui l'Hipocrita reo, d'inganni pieno,
Con la menzogna, e'l tradimento à canto,
Giunge anhelante, e qui depon ſue larue,
Diuiſo hor più quanto miglior già parue.
Quiui'l Giudice ingiuſto in darno plora
La mal preſa moneta, e là diſchiude
L'arca infame sù'l Lido, e ſcuopre all'hora
La vil cagion dell'opre inique, e crude.
E, quai teneri giunchi eſpoſti all'ora,
Tremando l'alme addolorate, e nude
Ferocemente il conduttier le mena
Nell'eterno ſupplicio all'altra arena.

Pari itaque paſſu, & Auctor noſter, ore loquens Plutonis, Reges omnes, depoſito luxu, ſubituros iugum ſeruitutis ſub Proſerpinæ pedibus proſtratos profitetur: quod profectò in mentem redigit infælicitatem Baiazetthi Turcarum Imperatoris, qui a Tamerlano captus in prælio, ac ferrea incluſus cauea, quotieſcumq; victor equum eſſet conſcenſurus, cogebatur captiuus Imperator terga pedibus ſubdere triumphantis, quo faciliùs ipſe in equum exiliret. Sed quo maior erat captiui infælicitas, eo magis ſuperba victoris maieſtas, talibus ſuffulta humeris, eminebat. Ex quo licet, animaduertere, quantis obſequiorum pollicitationibus fœmineam hic Proſerpinæ ambitionem alliceret Pluto.

MIXTI CVM PAVPERE TVRBA. Regium adhùc magis deprimit faſtum, & maiore Reginæ oſtentat maieſtatem, cui, quaſi ad pedes, ſeù à pedibus ſerui, Reges ſe cogentur oſtendere, nulla diſtinctione inſigniti, indiſcriminatim, promiſcuè &, quaſi æquales infimis accepti, ideò *mixti cum paupere turba* Quid Turba ſit, vidimus ſupra carm. 266. hic pro infima ponitur Plebe: Vbi antitheſis notanda, quæ ima ſummis permiſcens, Regum maximè miſeriam auget, plebeam in claſſem redactorum. Hanc autem indiſcriminatam commixtionem omnium, æqualibus fatis, ad Acherontis ripas coeuntium, ſic deſcribit Virg. Æn. 6.

Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat
Matres, atq; viri defunctaq; corpora vitâ
Magnanimum heroum, pueri, innuptæq; puellæ;
Impoſitiq; rogis iuuenes ante ora parentum.
Quam multa in Syluis, Autumni frigore primo,
Lapſa cadunt folia; at terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.

& nota Auctorem noſtrum non poſuiſſe reges cum turba vtcumq; commixtos, ſed cum *Paupere Turba*. *Pauper* autem dicitur, à paruo lare, qui vix angulum mapalis habeat, vbi degat: vno verbo miſerrimum quemq; indicat, ac proſsùs abiectum.

OMNIA MORS ÆQVAT. Hoc ipſum eſt, quod ait Horatius lib. pri. Carm. Od. 5.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumq; turres &c.

& quod clariùs explicat lib. 2. od. 3. inquiens:

Diues ne Priſco natus ab Inacho,
Nil intereſt, an pauper, & infima
De gente, ſub Dio moreris,
Victima nil miſerantis orci.
Omnes eodem cogimur omnium
Verſatur vrna, ſeriùs, ocyùs
Sors exitura &c.

ex quo lemma illud ſuum, quod ſuprapoſuit depictis latrunculis, qui, perfecto eorum ludo, omnes permixtim detruderentur in ſacculum, decerpſit Engelgrauis, ad idem indicandum, apud Picinel. lib. 18. c. 8. eos inclamantes inducens *Omnes eodem cogimur*. Rationem itaque propoſitæ iam æqualitatis in Mortem refundit Pluto, quæ omnia in vnum, eumdemq; ordinem redigat: Mors enim ideò potentiſſima inferorum ſatelles dicitur. Hanc, ſi rei veritatem attendamus, nil aliud eſſe conſtat, quam viuentis compoſiti diſſolutionem, hoc eſt animæ a corpore ſeparationem. Si verò ad fabulas reſpiciamus, Dea hæc habebatur ab antiquis, Noctis, atq; Erebi filia, Somniq; ſoror, quæ immortales omnes vitæ, neciſque haberet poteſtatem. Quarè memoriæ prodidit Pauſanias, in Eliacis, apud Eleos, in templo quodam, fœminam expreſſam fuiſſe, quæ pueros geminos vlnis ſuſtineret conſopitos; alterum quidem dexterâ album; alterum verò, leua, nigrum, quorum inſcriptiones indicabant, alterum ſomnum eſſe, alteram verò mortem; ac fœminam, quæ illos alebat, Noctem eſſe. Mors inſuper nigris alis inſignita effingebatur, quia citò nimis ſemper in crinem aduolare exiſtimatur, & quia niger maximè color mæſtitiæ luctibus eſt aptiſſimus: rurſùm ſine auribus effingebatur; nam duriſſima Dearum omnium eſt habita, quæ precibus non flecteretur, lacrymis non cederet, queſtubus non mulceretur, quaſi, his omnibus, nullam habeat, quam præbeat, aurem inexorabilis ſemper. Quarè Orpheus in Hymnis, latinitati donatus, hæc habet:

Nel giuoco de ſcacchi.

Nec prece, muneribus, nec tu placabilis vlli.

Hæc itaque inexorabilis Dea *æquat omnia*; hoc eſt omnia excelſa, omnia ſublimia æquiparat imis; ac ſuperba quælibet, humilitate, confundit, dum omnes homines æquales facit, quos, dum viuerent, Fortuna diſtinxerat, alios cum Creſo diuites efficiens, alios Patacione miſeriores; alios imperantes, alios ſubſeruientes &c. Mors, inquam, omnes eodem cogit: nam ſi partem inferiorem hominis corpus videlicet, reſpiciamus, omnia æquat, cum in perexiguum æqualiter cinerem diſſoluat: his autem diſſolutis, certè & Animæ æquales remanent, omnes ab eodem conditore æquales creatæ, omneſq; in eadem exiſtentes ſpecie, vt pluſimorum ſententia ſatis confirmat, ſolâ bonorum, aut malorum operum diſtinctione ſeiunctæ. Ideò mixto omnes, ſine vllo diſcrimine, Regnum ingredimur mortuorum, neq. Rex ſibi a Plebe diſtinguitur &c.

TV DAMNATVRA NOCENTES &c. Subintellige *ſedibus Regnis*: amplificat enim adhùc futuram Raptæ ſuæ dignitatem ex pœnis, præmiiſq;, quibus vel ſontes plectere, vel inſontes donare in eiuſdem poteſtate futurum pollicetur. Sed nota, quam acutè, dum eam Iudiciorum arbitram conſtituit, ſimul & ſemel Iuſtitiæ eam colendæ memorem faciat, dum inquit damnandos ſontes, Pios præmio afficiendos; quaſi dixerit non ex arbitrio, ſed ex Iuſtitia iudicandum. Porrò pronomen illud demonſtratiuum *Tu* Emphaticè hic ponitur: quaſi dixerit: Tu, quæ Ioui ſubdita fueris, quæ, tanquam amiſſam, luges poteſtatem, libertatemque, quæ tedas vereris indignas; Tu iam mea coniux, Inferorum Regina, necis, ac vitæ arbitra, pro meritis nocentium, & innocentium ſedebis &c. Nocentes verò dicuntur omnes, qui vel iniuriam alteri inferunt, vel quoquo modo in Iuſtitiam peccant: virtuti valedicunt, atq; oppoſitum ſequuntur vitium. vt benè notat Tullius offic. pri. Vbi ait; *Hinc eſt, vt nocentes amplectendo ſumatur pro quocumque tandem modo delinquentes; ac conſummat culpa reos amplectatur.*

TV LATVRA REQVIEM PIIS. In vtrumq; fertur ex æquo iudiciaria facultas, nempe & ad puniendum, & ad præmium pro meritis impertiendum. Primum dixerat: ſecundum exequitur. Tu emphaticè ponitur, vt ſupra, & notanda tantùm remanet repetitio. Pij quinam dicantur, vidimus ſupra carm. 285. Requies eſt ceſſatio à laboribus, angoribus, curiſque &c. quare *requies* iure hìc ponitur pro tranquillo fœlicis vitæ, ac beatæ ſtatu. Particip. Latura ſatis patet, nam a *fero* eſt, quod eſt *do, exhibeo, concedo*. Quarè citiùs progredior.

TE IVDICE SONTES &c. Occurrit, per præoccupationem figuram, obiectioni, quæ a Proſerpina hìc fieri potuiſſet; quomodò ſcilicet futurum eſſet, vt poſſet ipſa ſontes,

pro

pro merito, damnare, cui ij crimina ſummo ſtudio conentur tegere, nec Iudici ea patiantur innoteſcere. Diluit autem obiectionem oſtendens futurum, vt, ea iudicante, non poſſint ſontes animi labes abſcondere, ſed pandere coactos fore eos, ac reuelare. Ideò *Te iudice*; ideſt, cum reos tu in Iudicium, ſedens pro tribunali vocaueris, nullo expectato tortore, ſolo iudicantis aſpectu territi.

COGENTVR FATERI. Conſcientia ipſa ſtimulante compelleatur &c. De verbo *fateor* vide dicta lib. pri. carm. 215.

IMPROBA COMMISSA VITÆ. Hoc eſt impia, quæ viuentes commiſerint ſcelera. *Commiſſum* enim pro eodem communiter ſumitur, ac peccatum, delictum, ſcelus, a verbo *committere*, quod interdum *peccare* ſignificat, vt apud Virg. ore Veneris loquentem Æn. pri.

Quid meus Aeneas in te committere tantùm
Quid Troes potuere.

ACCIPE FAMVLAS PARCAS. Poteſtatem vitæ, ac necis Proſerpinæ hic tradit Pluto, ex qua ſcilicet omnes ſecuturi ſint effectus, quos ſupra enumerauerat. Ideò *Accipe*, quæ formula conſueta eſt, qua vtuntur ij, qui aliquam alteri impertiuntur facultatem, ac prædominij iura communicant. Sic Ægyptius Rex, cum Emirenum exercitus ſui Imperatorem conſtitueret apud Taſſum Hieroſ. lib. cantu 17. hac formula pariter vtitur, *Tè* inquiens, hoc eſt *tiene*, latine Accipe.

Tè queſto ſcettro. A te Emirren commetto
Le genti; e en ſoſtener tu lor mia vece
E porta, liberando il Rè ſoggetto,
Sù Franchi l'ira mia vendicatrice.
Và, vedi, e vinci; e non laſciar de vinti
Auanzo; e mena preſi i non eſtinti.

Eudem itaque pacto ius ſuum Proſerpinæ communicat, ac tradit Pluto: *Accipe Parcas famulas*. De Parcis vide dicta lib. pri. carm. 48. *famulas*, hoc eſt ſeruas tibi, auctoritate mea, addictas. Quomodò autem Pluto ita in poteſtate parcas habuerit, vt in eas ipſas plenum ius potuerit vxori demandare; vide dicta lib. pri. vbi Lacheſis fatetur Parcas Plutoni deſeruire, carm. 56. & ſequentibus. Vno verbo; Proſerpinæ tradit Pluto, his verbis, totam, quam ipſe haberet, & vitæ, & necis poteſtatem; ideòq; famulas addicit Parcas, quia earum fuerit munus, & nere, & producere, & obtruncare ſtamina, vt ibi diximus, vitalia.

CVM GVRGITE LETHAEO. Vnà cum Parcis famulum aſſociat Lethæum flumen Proſerpinæ poteſtatem ampliaturus; nam licet *gurges* locus ſit in flumine profundior, in quo vertitur, & circumuoluitur aqua; vulgò etiam *Gorgo*, generaliter tamen, & figuratè, pro tota ponitur aquarum fluminis congerie. Sed quid flumini Lethæo cum Parcis, vt inuicem in eodem iungantur famulatu? Vide dicta hoc eodem lib. de Numinibus Lethæi fluminis carm. 218. 219. vbi videbis mortem ea inter enumerari. Subindè videas dicta, lib. pri. carm. 62., de eodem flumine, & videbis illud fuiſſe, quaſi Ianuam nouæ vitæ, reſpectu animarum, quæ rurſus in noua corpora tranſmittendæ, Lethæum priùs vocabantur ad fluuium, iuxta antiquorum deliramenta, quæ ibi recenſuimus. Quarè dum Pluto Lethæi gurgitis habenas tradit Proſerpinæ eam vitæ, necisq; arbitram conſtituit, vt dicebamus. Vide iam de Parcis dicta ſuperiùs, &, quid illis cum Lethæo flumine, noueris.

SIT FATVM QVODCVMQ; VELIS. Nil maius optare Proſerpina, niſi maius offerre cælum, nil maius Iupiter ipſe pater poterat elargiri. Immò maiora ſe Nuptæ dantem oſtendit Pluto, quam dare Iupiter Filiæ potuiſſet; nam Iupiter eam Fatis ſubditam genuit, vt patet ex lib. pri., vbi fatetur Iupiter dandam Plutoni Proſerpinam, ex inuiolabili Fatorum decreto: *Sic Atropos vrget: ſic cecinit longæua Themis &c.* Immò de facto eam ſubdi Fatis, vidimus initio huius lib. *ſic Parcæ voluere &c.* Pluto autem & Parcas illi ſubditas facit, & *Fatum ipſum* ſupra *Fatum* conſtituit. *Sit Fatum quodcumq; velis*. Modus enim hic eſt conceſſiuus, quo libera Proſerpinæ voluntas vim *Fati*, nempè legis inuiolabilis, ineluctabilis obtineat: Ampliatiuè autem dixit *quodcumque velis*, vt indicaret, expreſſa non ſolùm Proſerpinæ imperia, ſed & nutus, & ipſos etiam internos volendi actus, nondum quamuis apertos ſignis in vim Fati aſſumendos. Quid plura? Ampliora promitti ab ipſo Plutone non poterant. Ideò finem facit loquendi, *voles* legit Heinſius, ſed quid ni dixerim *velis* pro volueris poſitum? Alij legunt *ſitq; ratum*. Alij ſit ſanctum: Alij ſit factum quodcumq; velis. Magis aſſurgit vulgata.

HÆC FATVS. Vide dicta in ſimili lib. pri. carm. 117.

EXORTATVR EQVOS OVANTES. Aurigarum mos eſt, vt voce ſæpiùs, quam verbere equos excitent, vt velociùs progrediantur. Ea autem vox exhortatio dicitur equis adhibita; nam ſicuti, diſertis decurrens verbis, exhortatio animum acuit audientium, & incitat ad aliquid peragendum; ita vox aurigæ animos addit equis &c. Itaq; Pluto, proprij currus auriga, vt dicitur lib 3. carm. 237; vt captam ſuam ad promiſſæ tandem fælicitatis fruitionem aduexit *exhortatur equos*, voce videlicet, atq; habenarum concuſſione: & dixit: *equos ouantes*, ideſt triumphali Domitoris ſui ſentientes ouationi, præda læti &c. Quid autem fuerit Ouatio vide carm. huius lib. 14.

ET MITIOR INTRAT TÆNARA. *Mitior* comparatiuum eſt per imminutionem, non per augmentum, nam numquam mitis Pluto: ſed *mitior* dicitur, hoc eſt ſolito minùs aſper, ac ſæuus. *Intrare* eſt *intrò ire*, & bene; nam ingredi ſubterranea Clauſtra debuit Pluto, vt regium intraret ſuam. De Tænarijs Auerni faucibus vide dicta lib. pri. carm. x. Sed dices; ſi in Ætneis campis, ante Ianuam ab ipſo Plutone ætnæis adapertam in rupibus ignis appoſitus fuit, & aqua, vt in anteactis diximus, quæ apponi ſolerent in limine, qua ingreſſuri eſſent ſponſus, & ſponſa; cur Pluto Ætnæas, vnde venerat, declinat fauces, atq; ad tænarias, longo magis itinere diuertit? Reſpondeo, dedito hoc factum ſtudio, & primo ne Proſerpina, animaduertens, quam longo itineris interuallo à tergo relinqueret ignem, & aquam, facilè intelligeret igne ſibi, & aqua interdictum; atq; ideò deſperantis iterum prolaberetur in luctum: ſecundò ne iterum Enceladi vires haberet obſtantes, ac currum ſerpentibus implicantes, quibus, nouis, Proſerpina, terroribus, impleretur: tertiò vt bonæ ſpei ſymbolum obijceret, in primis Auerni faucibus, nam, vt ferunt, ex hoc Licaoniæ promontorio, circa medium regionis poſito, quà meridionale latus Licaoniæ extenditur, & inde quam longiſſimè in mare protenſo, ingens viridi marmoris copia effodiebatur. Color autem viridis optimæ ſemper ſpei ſymbolum fuit; & marmori inhærens, irrefragabilis ſpei excitat hieroglyphicum.

Sed ſpem nos deſperantium deſeramus: atque ex deſperatis rebus, validius bene ſperandi argumentū decerpamus.

DESINE FVNESTIS &c. Iſterologia hic habetur, ſenſum præpoſterans moralem, vt à fabula Proſerpinæ non abhorreat; nam quæ hic, iuxta fabuloſam, habentur, hiſtoriam, non efficiuntur profectò ab Inferorum Tyranno, poſt traditam illi, per latam Iudicis ſententiam, Proſerpinæ, hoc eſt Animæ, prædam: ſed hæc peragit, cùm, animam in captiuitatem peccati impellere, ſtudens, eam, vere vt Raptor, ſuæ conatur addicere poteſtati: Vel hæc ipſa peragit, cùm, impoſito Animæ duriſſimo peccati iugo, eamdem vt ſub ditione detineat, enixè ſtudet, ne, per pœnitentiam, reſipiſcens & iugum excutiat, & ſe iterum aſſerat in libertatem. Dupliciter igitur conſiderari poteſt vaferrimus Animæ hoſtis, nempe vel vt Tentator animam alliciens, vt ſponte ſe dedat, ac tyrannicam ſubeat ſeruitutem: vel, vt vere actu Raptor, qui Animam per peccatum, a Deo auerſam iam rapiens in ſuam, à cæleſtium cura eamdem per fallaces nimium blanditias, oblationesq; diuertit. Si primo modo conſideretur; quanta Dæmon offerat; quantas in ſpes erigere ſtudeat; quantis pollicitationibus alliciat, facilè patet ex oblationibus, ab eodem factis humani generis Redemptori, cum tentans eum, in monte excelſo, oſtendit ei omnia regna Mundi, & ait: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Hic, cum omni calleat aſtu, & optimè nouerit ad quænam vitia procliuis ſit vniuſcuiuſque hominis animus, ea pollicetur, quæ maximè animum titillent, & vrgeant: ſic ad auaritiam pronis Attali diuitias, per latrocinia, ſuggerit congerendas; Aut ſi vſuris addicantur, ſi extorſionibus pauperum immiſceantur, ſi ſubſidia egenis denegent &c. Et ſæpè etiam theſauros promittit abſconditos, ſi ipſi animæ aurum prodant, illiq; reſignent. Ventri deditis, vt eorum Deus venter ſit, depopulanda exponit maria; exhaurienda elementa omnia, vt, eorum expilatione diuitis menſa repleatur: dummodò ijs contenti ad Cælum non aſpirent. Superbis dignitatum culmina, honorum faſtigia, Gloriæ immenſitatem expandit, dummodò humilem Redemptoris crucem non ſequantur &c. Si vero conſideretur, vt animam abuehens ſub Iugo peccati, tunc ſi ea in ſe ipſam tedeat; pœnas quas ſubierit recogitet; tyrannidem rapientis perpendat; cælum amiſſum conſideret, æterni Solis priuationem, turbata mente reuoluat; Ipſe, ne fortè ingemiſcat, ac pœnitentiæ gladio vincula tyranni diſrumpat, quæ non

aggerat blandimenta? quas non ingerit promiſſiones? quibus non aggreditur lenocinijs? Si illa captum Solem inuocatur, alium ille obijcit Solem inquiens *Lumenq; videbis purius*, ac vultum Veneris cuiuſdam illi obijcit terreſtris, quem maioribus, quam Sol ipſe, radijs fulgentem effingit: Si ſydera recenſeat; ſunt altera nobis ſydera, inquit, oculi ſcilicet Amaſiæ, qui bipartitum in fronte referant Solem: Si tenebras ſibi illa queratur ingeſtas; Amiſſum ne crede diem, ſuggerit ille, & noctes luce ſimulat clariores, dummodò Amaſiæ luminibus colluſtrentur: ſi tyrannidem horreat Anima; Ille ego, inquit hoſtis, cui machina rerum ſeruit, & immenſum tendit per inane poteſtas: Et hæc omnia tibi dabo inclamat, ſi cadens adoraueris me. Si ipſa, Cælo priuata, pauperiem vereatur; Se ille theſaurorum oſtentans arbitrum, poma proijcit aurea, heſperios pollicetur hortos &c. Si mentis ſpiritus ariditates, ac conſcientiæ ſpinas; æternum ver, delitiarum in promptu exhibet flores: Si ſeruitutem memoret; Immò hanc veram eſſe ſuggerit libertatem, qua ſcilicet nobis ipſis viuimus, & voluntate libera vtentes, nulli rationem redituri hoc aſſequimur, vt ſit pro ratione voluntas, & ſit Fatum quodcumq; velimus &c. ſed interim fertur Proſerpina curru, & teterrimus auriga prædam auehit, donec tandem & Tartara Lætior intret, quod Animam è cælo arripuerit, ſecumq; in Tartara detrudat. Agnoſce, agnoſce, ò homo, inſidias Dæmonis, fallacias hoſtis, fraudolentes Raptoris blanditias: agnoſce dignitatem tuam, atque, ad Cælum natus, ne patiaris, vt fallacijs ſuis Cælum tibi eripiat, & Solem, tenebrarum Princeps. Intret Tartara ſolus, qui ſine te illinc egreſſus eſt, vt te quæreret, vt deciperet, vt raperet. Et nos interim, ad Laurum confugientes, quid Muſa ſuggerat Italica, ad relaxandum animum, percipiamus.

Tempra, dicea (già diuenuto amante
 Quel, che non pria giamai conobbe Amore)
 Tempra l'aſpro cordoglio; e l'alma errante
 Dall' ingannato cuor ſuella il timore:
 Ne ti penſar, benche dal Sol diſtante
 Queſto cocchio ti guidi, hauer d' horrore
 Cieca tomba al tuo bello. Ah troppo erraſti
 Nel diſtorto penſier: già'l frena: e baſti,
Regno maggior, aura miglior t' attende,
 Proſerpina gentil, fatta Regina.
 Ne d' indegno conſorte à te s' arrende
 Nutial la face; ed il tuo merto inchina:
 Mà di Saturno ad ingrandirti imprende
 L'alma (che ſon quell' Io) Prole diuina:
 E ſon quell' Io, che, co'l potere immenſo,
 Teſori al tutto, à mio piacer, diſpenſo,
Tributaria fedele à noſtri ſcettri
 La machina ſe'n vien, ch'il tutto annida:
 Ne s' albergan là giù d' horridi ſpetri,
 Sol ch' à ſtrage de rei, turba homicida.
 Là d' altre ſfere haurai canori i metri:
 Là d' altre ſtelle in paragon disfida
 L' aureo ſplendor di queſte voſtre i raggi;
 E, vinte queſte, al fin, rendon gl' omaggi.
Colà riſplende, in viè più chiara luce,
 Dell' Eliſia magion purgato il Sole,
 E gl' influſſi più rari in proua adduce.
 Ciò, che l'occhio di vago ammirar ſuole
 Del ſuol sù'l dorſo, il chiuſo ſen produce,
 D'immenſe ſpiaggie ad arricchir le zole.
 E dell' Alme, beate in caſti albori,
 Vedrai le glorie, ammirerai gl' honori.
Iui del ſecol d' oro eterni i fregi
 Godon l'aure tranquille, i piani, e i monti.
 Vn tempo ſol voi ne godeſte i pregi;
 Mà non fia mai, ch' al noſtro Ciel tramonti,
 Verſan, nel zampillar, gl' humori egregi
 In prati di ſmeraldo argentei fonti;
 E, co'l zefiro eterno, eterna Flora
 Più, che mai d' Etna, i noſtri campi infiora.
Con gl' Heſperij giardini, al noſtro clima,
 Douitioſe del par creſcon le ſelue:
 Tronco d' or, rami d' oro, e d' or la cima,
 Pianta v'è, che nodriſca, à cui di belue
 Guardia non ſerue, e predator non ſtima.
 Queſta à te ſi conſacra: e, ſe t' inſelue,
 Sempre d' vn biond' Autunno il bel teſoro
 Verſeratti nel grembo i pomi d' oro.
Mà ciò, che diſſi, è del tuo trono inſigne
 Solo, e negletto all' altro glorie, il ſaggio,
 Ciò, ch', al dolce alternar d'aure benigne,
 Nell' aerea region, fugge al diſaggio;
 Ciò, che s'accolga in mar; nel ſuol s'alligne;
 Ciò, ch'auuolgono i fiumi; ò, per rettaggio,
 L'acque ſtagnanti han di pretioſo in grembo,
 Cadrà bramoſo ad arricchirti il lembo.
Settima delle ſfere, e che diuide
 Da gl' aſtri eterni ogni mortal ſoggetto,
 E quella, in cui l' ombre notturne incide
 Dell' argenteo pianeta il vario aſpetto:
 E, ſotto queſta, ogn' animal, ch' annide,
 Fia pur tuoi cenni ad obedir coſtretto.
 Ne v'è alcun di chi goda il vital pegno,
 Che non s'arrenda al fin de Morti al Regno.
Sotto'l tuo piè, nel Vaſſallaggio humili,
 Porran, proſtrati, i Rè le teſte altere;
 Ed, eguali alle turbe, anche più vili,
 Non oſeranno alzar fronti guerriere:
 I Camauri depoſti, ed i Moniſi,
 Le gemme accolte, e d' ogni luſſo artiere,
 Spogliate, là dell' Acheronte à i lidi,
 Fia, ch' ogni grande al tuo poter s'affidi.
Quella Morte, ch' il tutto eguaglia al ſuolo,
 Con la falce i ſuperbi adegua à gl' Imi;
 Ne del ſuo ſtral l' ineuitabil volo
 Schiuan d' eccelſo honor poſti ſublimi.
 Non v'è Fenice; e non v'è ſotto al Polo
 Fiore immortal, ch' ella mortal non ſtimi;
 E tutto fere; e tutto fura; e porta
 Tutto in tributo alla Tartarea porta.
Hor d' Impero sì grande à te ſi dona
 Da queſta man, da queſto cuore amante,
 Caro pegno d' Amor, l' aurea corona.
 Tu corteſe la prendi; e di diamante
 Entra le porte; e'l mio rapir perdona,
 Prendi lo ſcettro, in cui ſeruit coſtante
 Haurai di Lethe oſſequioſo il fiume,
 Delle Parche Regina, arbitra, e Nume.
Tu de ſpirti maluaggi all' empie frodi,
 Giudice giuſta, aſſegnerai le pene:
 Ne fia, che d' occultarſi alcun ſi godi
 Al tuo, più ver, ch' il Tribunal d' Athene.
 Paleſerà l' interna forza i nodi
 Di que' misfatti, ond' alle ſtigie arene
 Carca ogn' Alma ſe'n venne; e di ſua vita
 Scialacquata laſciò l' aura gradita.
Tu dell' Alme innocenti alle fatiche
 Darai riſtoro; e de gl' Eliſij campi
 Popolate rendrai le ſpiagge apriche.
 Douunque immenſo il mio poter s'accampi,
 Sian decreto fatale all' ombre amiche

De

De tuoi voler, delle tue brame i lampi.
Coſì Pluto commanda; e coſì vuole
Meco chi, sù nel Ciel, gouerna il Sole.
Coſì diſs'egli; e, del trionfo à parte,
Gl'animoſi corſier la voce accende,
Ch'indi à loro s'indrizza, e gli comparte
Spirto, e vigor, ch'ogni vigor tranſcende.
Vola il Cocchio fatale, e giunge in parte,
D'onde dal noſtro al cieco ſuol ſi ſcende.
Lieto, contro l'vſato, il Rè conſorte
Entra'l confin delle Tenaree Porte.

Ingrediatur autem ille, vt libet; noſq; ad Auctorem regrediamur.

CONVENIVNT ANIMÆ &c. Occurſantes, concurſanteſq; Manes in aduentum deſcribit Plutonis; eorumdemq; frequentiam innumerabilem explicat, à comparatis amplificans; ac ſubindè intrantis Regis mutatum naturæ morem deſcribit in meliùs. Denique aſſurgentia Dominis indicat Inferorum flumina, ac ſpecialiter Phlegetontem, quem, data occaſione, deſcribit; ac varia miniſtrantium munera, per hyppotipoſim, à diſtributione deſumptam ſubijcit oculis.

Conueniunt Animæ, quantas truculentior Auſter
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas;
Cunctaq; præcipiti ſtipantur Tartara curſu
Inſignem viſura Nurum. Mox ipſe ſerenus
Ingreditur, facili paſſus molleſcere riſu.
Diſſimiliſq; ſui, Dominis intrantibus ingens
Aſſurgit Phlegeton: flagrantibus hiſpida riuis
Barba madet; totoq; fluunt incendia vultu.
Occurrunt propere lecta de Plebe miniſtri.
Pars altos reuocant currus, fræniſq; ſolutis,
Vertunt emeritos ad paſcua nota iugales:
Pars Aulæa tenent: alij prætexere ramis
Limina, & in thalamis cultas extollere veſtes.

docet experientia. Sicut igitur innumerabiles frondes ſunt, ex arboribus decidentes; ita & Animæ &c. ſic eàdem ſimilitudine vtitur Virg. Æn. 6. cit. ad exprimendas innumeras, quæ ad Acherontem defluunt, animas.

Quam multa in Syluis Autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia &c.

De Auſtro ſi plura cupias, vide dicta in anteactis carm. 200. Comparatiuum verò *truculentior* poſitum hic pro ſuperlatiuo agnoſcas, nempè cum crudelis maximè ſpirat; nam tunc omnes

CONVENIVNT ANIMÆ &c. *Conuenire* idem eſt, ac *ſimul venire, & congregari*. Sic Virg. Aen. 2. ait:

Iam Pater Aeneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt; ſtratoq; ſuper diſcumbitur Oſtro.

ANIMÆ. Si genericè ſumatur *Anima* forma eſt corporum viuentium, hoc eſt ſtirpium, & animalium, tàm brutorum, quam rationabilium, eorumdemque pars nobilior, qua vnumquodq; illorum viuit, alitur, ſentit, ac ratiocinatur. In ſtirpibus vna ſimplex eſt, eamdemq; appellant *Altricem*, qua ſcilicet alimenta exſugunt è terris, eadem retinent, atq; in omnes ſui corporis partes diſtribuunt, & in propriam conuertunt ſubſtantiam. In Brutis duplex eſt virtute, licet ſubſtantiâ ſimplex; nam & virtutem habet Altricis, & inſuper ſenſitiua pollet virtute. Anima autem hominis longè nobiliſſima eſt; nam hæc à Deo ſolo creatur, nec educitur de potentia materiæ: ſimplex eſt, indiuiſibilis, ſpiritualis, immortalis; ſed ex triplici, qua inſignitur virtute operatiua, tria etiam ſortitur nomina, & modò *Altrix*, ſeù *vegetatiua*, modò *ſenſitiua*, modò *rationalis* appellatur. Hæc autem ab Ariſtotile dupliciter definitur 3. de Anima cap. pri. tex. 6., & tex. 24.; ac primò ſic: *Anima eſt actus corporis potentia vitam habentis*. Secundò verò ſic: *Anima eſt id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus*. Prima definitio eſſentiam Animæ explicat, quatenùs informans eſt: ſecunda autem, quatenùs ordinem habet ad iam dictas operationes, vt nos latè in animaſticis docebamus. Hic de animabus rationabilibus loquitur Poeta; quæ ſcilicet, exactæ corporibus, omnes credebantur, iuxta Poetarum commenta, à nobis alibi explicata, in Plutonis ditionem deſcendere; ac, Iudicibus Eaco, Radamanto, & Minoe, diſcuſſæ, vel in Elyſium mitti, ſi piæ fuerint, vel in locum tormentorum, quem Barathrum dixere, ſi noxis extiterint inquinatæ. Quarè *Animæ* nil aliud, hoc loco, ſunt, quam Manes, de quibus lib. pri. carm. 41.

QVANTAS AVSTER TRVCVLENTIOR &c. A comparatis multitudinem animarum innumerabilem in Tartaris eſſe, aggreditur, demonſtrare: & primo in comparationem adſciſcit frondes ab auſtro decuſſas. Sed cur *Auſter* potiùs, quam alius ventorum ſpiritus, frondes inducitur decutiens? Auſter ſæpè numero, ac plerumq flare ſolet Autumni tempore, &, cum frigidus admodum ſit, plantarum humorem vel exſiccat, vel in intimas trudit arborum partes, atq; adeò, vegetanti humore deſtitutæ, partes extremæ ſurſùm verſus, nempè frondes, langueſcunt ita, vt facilè eiuſdem venti concuſſione decidant, latè terram ſternentes. Autumnalem Auſtrum eſſe, teſtatur Hor. 2. carm. Od. 14. vbi ait:

Fruſtra, per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

Frigidum autem eſſe docet apertè Virg. Georg. 4. cum ait:

Frigidus vt quondam ſyluis immurmurat Auſter.

Ideò itaque frondes decutit omnes, quot annis, vt manifeſta

DECVTIT ARBORIBVS FRONDES. *Decutere* eſt *quatiendo deijcere*. Sic Virg. Æn. 10. Mezentium, miſſilibus vndiq; in eum eiibratis, horrentem, imperterritum tamen vt deſcriberet, haſtas dixit decutientem.

Ille autem impauidus partes cunctatur in omnes
Dentibus infrendens, & tergo decutit haſtas.

De arboribus nuper diximus. De frondibus verò lib. pri. carm. 160.

QVANTAS autem dixit, vt aptè procederet comparatio; nam, licet nomen *quantus* tam continuam, quàm diſcretam reſpiciat quantitatem; hic tamen ſumitur in ſenſu ad diſcretam, ſeù ad numerum ſpectante, vt in eodem ſenſu Virg. Æn. 6. inquit:

Heù quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ,
Attigerint, quantas acies, ſtragemq; ciebunt.

cum autem nomini *Quantus* ſemper, vel tacitè, vel expreſſè, correſpondeat correlatiuum *tantus*: ſic, dum hoc loco, pro *Quot* vſurpatur, tacite illi reſpondet correlatiuum *tot*; ideſt tot conueniunt animæ, quot frondes &c.

AVT COLLIGIT IMBRES NVBIBVS. Aliam agglomerat ex Auſtro pluuias congregante, ſimilitudinem. Quis enim guttas pluuiarum enumeret decidentium? Quis ſtipatam earumdem frequentiam? Hanc autem ab Auſtro maximè conflari conſtat ex D. Hieronymo, qui Auſtrum vocat Pincernam pluuiarum; eumdemq; Imbriferum vocat Ouid. Met. 13.

E quibus Imbriferos verſa eſt Pachinus ad Auſtros.

Aut certe coniunctio eſt ſeparatiua, quæ ita diuerſa coniungit, vt tamen notet eſſe diuerſa, & vnum ab altero per oppoſitum diſtinguat. Hic tamen coniunctiuam potiùs dixerim, quam ſeparatiuam; Vates enim non numerum numero, ſed numeros numero voluit comparare, nempè & numerum frondium decidentium, & ſimul numerum guttarum depluentium, cum vnico prædictarum numero animarum. Non tamen negauerim adhùc eam eſſe ſeparatiuam, ſi ad varios Auſtri effectus referatur. Quarè coniunctiua erit reſpectu comparatorum, ſeparatiua verò reſpectu actionum eiuſdem Auſtri. Eodem autem modo hac vtitur particula Virg. Æn. 9. vbi Euryali Mater, audita filij morte, ipſa etiam mortem orat & à Rutulis, & à Ioue; ſed, dum deſideria moriendi copulat, occiſores diſtinguit, & ſeparat.

Figite me, ſi qua eſt pietas, in me omnia tela
Conijcite, ô Rutuli; me primam abſumite ferro:
Aut tu, magne Pater Diuum miſerere, tuoq;
Inuiſum hoc detrude caput ſub tartara telo.

Colligere, idem hoc loco, eſt, ac *conſarcinare, addenſare*, atq; *in vnum congregare*. Aduerte tamen, poſitum hic eſſe antecedens pro conſequenti; nempè apparatum pluuiarum pro ipſis pluuijs decidentibus. *Imber* tandem agmen aquarum eſt, largiùs ex concretis effuſum nubibus, de quibus vide dicta lib. pri. carm. 163. Sed nota hic plurali vſum numero

Vatem,

Vatem, vt innoteſcat, imbres poſitos pro innumeris àquarum guttis, quibus agmen illud conſtat aquarum.

AVT FRANGIT FLVCTVS. Tertiam aggerat, modo dicto, ſimilitudinem. Quarè de particula, *aut*, eadem hic ratio; licet hæc ab agitato mari ſimilitudo deſumatur. Porrò elati, altiſſimorum ad inſtar montium, ventorum viribus indignantis Oceani fluctus, ab ijſdem ſæpe, confracta vndarum mole, minutiſſimas in aſpergines diſijciuntur; & hoc eſt, quod Vates Auſtro attribuit, dum ait: *aut quot frangit fluctus*. Quis itaque, tempeſtate furente, aut fluctus enumeret Oceani; aut eorum item fractorum aſpergines guttatim recenſeat? Vide quam altè hic aſſurgat Poetæ à comparatis amplificatio.

AVT TORQVET ARENAS. Quartam ſuperinducit comparationem, quam poſſet quis, nec incongruè, ſuſpicari ab eodem mari, Auſtris furentibus agitato deductam; nam certè, ventis mari incumbentibus, æquora ex imo fundo conuelli, arenas ex imo attolli, ac longè, latèq; circumuolui, ac permiſceri, conſtat ex Virg. æſtuantem Carybdim deſcribente Æn. 3. dum ait:

Exultantq; vado: atq; æſtu miſcentur arenæ.

Hæc autem crebriùs fieri, Auſtro deſæuiente, certum eſt; nam Auſter Orionis eſt comes, quem alibi diximus, ſæuiſſimum eſſe tempeſtatũ excitatorem, ex Virg. Æn. pri. dicente:

Cum ſubitò aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit, penituſq; procacibus Auſtris &c.

Verùm obuia nimis hæc omnia ſunt, & diuerſam vt arbitror ſequitur Vates eruditionem: ad quam enucleandam memineris, Auſtrum Lybicas maximè per oras peragrare, cum, & ea ex Mundi parte ortum trahens, ad nos inde deueniat. Innuit hoc idem Virg. Georg. pri., vbi altitudinem, ac depreſſionem deſcribit Polorum, his verbis:

Mundus, vt ad Scythiam, Riphæaſq; arduus arces
Conſurgit; premitur Lybiæ deuexus in Auſtros.

Ad hæc, memineris, vaſtiſſimos deſertæ Lybiæ tractus ineſſe, qui Oceani facilè adæquent vaſtitatem, atq; arenis vndique cumulati non minores, quas Oceanus ipſe, patiuntur à furentibus ventis tempeſtates: non minora parum emetientibus naufragia: nam minutiſſimæ illæ arenæ, & turbinibus agitantur, &, puluereos ſe ſe extollentes in nymbos, cælum in pugnam laceſſere videntur; In vortices dehiſcunt, ſe ſe ipſos collidentes nymbi iam ſursùm elati, vires infringunt, ac recidunt, & montes alibi conſtruunt arenoſos, tumulantes, ſi quem fortunoſus ille tractus exceperit; alibi verò ingentes relinquunt excauatas valles, ſepulchralibus iterùm obruendas. Ideò vaſtiſſimum etiam huiuſmodi arenarum æquor *arenoſum Mare* communiter appellatur, cuius teterrimas tempeſtates ſic eleganter exarat Bracciol. de Cruce lib. 14.

Della poluere il mar, quantunque beſſa,
Toccar non voll e, e giacer queto il veggia,
Tranquillamente in monticelli addutti
Gl'arenι ſuoi pericoloſi flutti.
Che ſe ſi deſta, e raro dorme, il vento,
Sollenaruer del mare turbo al Cielo,
Del commoſſo Sabion del tutto ſpento
Rimanſi il dì nel polueroſa vela;
E nell' horrida notte alto ſpauento
Nel cuor diſtringe al peregrino vn gelo;
E non arve più, e'l nembo il ſerra,
Paſſando ingiotto, al reſpirar, mà terra.
Chiuſo il meſſore anhelo, e'n van s'atta,
Cò'l tergo appoſto alla ſtridente arena.
Sovra l'endica pietra, in via ſmarrita,
Tien fiſſo il ciglio, ella il conduce, e mena.
Trà la poluere, al fin, perde la vita,
Se quel turbine rei non perde lena,
Sommerſo in terra, a ſepellire vino,
E dall' aura vitol de vita prine.

ad has itaque puluereas tempeſtates alludit Poeta, & hinc deſumit comparationem, dum ait, tot conueniſſe animas, quot Auſter torquet arenas, arenoſum videlicet mare commouens turbine.

Stipantur ſæcula, legit Heinſius id: Animæ omnium ſæculorum Nō improbo ſed cl. eius vulgata.

CVNCTAQ; PRÆCIPITI &c. Peractâ amplificatione numeri coeuntium animarum, ſequentia iam exprimit, ac cum antecedentibus aptè copulat.

TARTARA CVNCTA STIPANTVR, CVRSV PRÆCIPITI. De Tartaris vide fuſiùs dicta lib. pri. carm. 214. Cuncta idem ſonat, ac *omnia*, & præcipuè dicitur de ijs, quæ coniuncta ſunt, vt hic, vbi ſermo habetur de tartareis incolis, expreſſis, per nomen *Tartara*, poſito videlicet continenti pro contento, vt pariter dix. lib pri. carm. cit. Nam illæ hic *ſtipantur*, hoc eſt addenſantur in vnum locum, ac ſumma frequentia coeunt, & adhæreſcunt vnita *Curſu præcipiti*, quibus verbis modus accelerationis explicatur, quo coeunt raptæ in curſum ab ipſa obtuendi auiditate.

VISVRA NVRVM INSIGNEM. Finalem tanti concurſus exprimit cauſam, nempè, vt viderent Nurum. *Nurus* propriè *Sponſa filij* eſt, vt vidimus lib. pri. carm. 137. Attamen hoc nomen video ab Ouid. vſurpatum, ſecundo Metam., ad ſignificandas quaſcumq; fœminas, ita vt potiùs nota ſit ſexus, quam conditionis, vel affinitatis; Ibi enim Ouid., cum Sorores Phaetontis enarraſſet in populos conuerſas; ſubdit:

Inde fluunt Lacrymæ, ſtillataq; Sole rigeſcunt
De ramis electra nouis, quæ lucidus Amnis
Excipit, & Nuribus mittit geſtanda latinis.

Hic itaque Auctor neq; in latiſſima hac ſignificatione, neq; in illa ſtrictiori *Nurum* accipit, ſed, media incedens via, pro *Sponſa* ſimpliciter poſuit, quam & *inſignem* vocat; hoc eſt nobilem, ac decorum maximè, eo præcipuè titulo, quod nempè Plutoni placuiſſet.

MOX IPSE &c. Ingreſſum iam ipſius deſcribit Plutonis, breui quidem, ſed excellenti manu, quo vultu incedat obiter depingens. *Mox* idem, hoc loco eſt, ac *ſubindè*, ſeù *hac inter*, aut *interim*. *Ipſe* nempè ſponſæ ductor Pluto, iam voti compos, & ouans. Ideò

SERENVS INGREDITVR. *Serenus* enim translatè ponitur pro *lætus*; hoc eſt ſuppreſſo aſſuetæ rigiditatis ſqualore. *Ingreditur*, hoc eſt *intrat Tartara*, *medias inter turbas gradiens ſuperbus*. Occurrit autem hic prima fronte difficultas: nam iam ſupra dixerat Vates Plutonem ingreſſum fuiſſe, cum ait:

Exhortatur equos, & Tænara mitior intrat.

Quomodo itaque hic iterum deſcribat ingredientem; iterùm mitiorem delineet? Nonne hoc eſt actum agere; &, decantata ſemel, iterum concinere? Verum, ſicuti duplex conſideranda Ianua Ditis eſt; ita duplex iure deſcribitur ingreſſus. Ianua itaque prima illa eſt, quæ in ſuperficie terræ aperta aditum præbet, vt primos Plutonis fines ingrediatur, qui ad Inferos iter faciat: & hæc illa eſt, de qua ſupra loquebatur Poeta, vt patet ex carmine ipſo, in quo habetur *& Tænara intrat*; hoc eſt Tænarias fauces; non Tartara ipſa, vt malè, arbitratu meo, repoſuit Parrhaſ. Ab his autem faucibus ad regiam vſque ipſius Plutonis non modicum adhùc iter protendebatur, vt in ſimili patet ex Virg. Æn. 6. Ibi enim, Æneam ducturus ad Inferos, primo Auernas fauces Cumæis in agris ſitas ſic deſcribit:

Spelunca alta fuit, vaſtoq; immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq; tenebris;
Quam ſuper haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis; talis ſeſe halitus, atris
Faucibus effundens, ſupera ad conuexa ferebat:
Vnde locum Graij dixerunt nomine Aornon.

ſubindè ingredientem cum Sybilla Æneam ſic notat

Tantum effata, furens antro ſe immiſit aperto.
Illa ducem haud timidis vadentem paſſibus æquat.

Hinc eorumdem iter ad Acherontem proſequitur, ſubdens:

Ibant obſcuri ſola ſub Nocte per vmbras.

Et ne putares, eos regiam iam Plutonis ingreſſos; poſt longam itineris narrationem, eos tandem ad aſpectum Regiæ Ditis adducit, cum ſic habeat:

Reſpicit Æneas ſubitò, & ſub rupe ſiniſtra
Mœnia lata videt triplici circumdata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegeton, torquetq; ſonantia ſaxa.
Porta aduerſa ingens, ſolidoq; adamante columnæ,
Vis vt nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Cælicolæ valeant &c.

Idem verò quod hic recenſet Virg. de Auerni faucibus, earumque à Regia Ditis diſtantia, innuerat priùs Georg. 4., vbi de Orpheo ad inferos tendente, vt Eurydicen ſuam ad ſuperos reuocaret, ſic ait:

Tænarias etiam fauces, alta Oſtia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus, Maneſq; adijt, Regemq; tremendum.

vbi nota verba illa *alta Oſtia Ditis*; quæ tacitè quidem, ſed apertè innuunt, alia eſſe in infimis depreſſa: ſecundò nota verba illa *Ingreſſus adijt*, ex quibus infertur, iter adhùc faciendum, ſuperatis Tænarijs faucibus, vt ad Ditis Regiam perueniat Tænarum ingreſſus, conſequenter alia Oſtia in fine itineris penetranda. Iure igitur Pluto iam Tænara ingreſſus,

greſſus, quæ Tartara ab auctore noſtro ingredi dicitur; nam hic ſecunda iam adeſt Ianua Ditis.

PASSVS MOLLESCERE. *Se ipſum* ſubintellige, aut innatum naturæ ſuæ rigorem: nam *Pati* dicimur, cum aliquid naturæ noſtræ contrarium, ac repugnans peragimus, licet id ſponte, cum nobis ipſis facientes, ac Naturæ inclinationem ſuperantes peragamus. *Molleſcere* autem eſt mollem fieri, ac tractabilem; ſic ferrum molleſcere dicimus, cum ignis vi ferri rigor infringitur, & facile tractabilis, ac partem flexibilis in omnem facilè redditur. Quid autem ferreo Plutonis pectori contrarium magis quam flecti, ac ſe tractabilem oſtentare?

RISV FACILI. Riſus, vt noſtis, eſt ipſe actus ridendi; &, quia ab exhilarato hic corde prouenit, ſignum lætitiæ eſt: & *facilis* dicitur, hoc eſt *benignus*, atque ad gratias compoſitus impertiendas, quaſi ſpem facere tartareis incolis voluerit Pluto gratiarum, in Nuptijs obtinendarum.

DISSIMILISQ; SVI PHLEGETON &c. Obſequium ab inferis exhibitum intrantibus explicat Heris. De Phlegetonte inferorum fluuio vide lib. 1. carm. 24. Hic pro Numine habetur fluuij; quod cur dicatur *diſsimilis ſui* non ſtatim liquet; nam *diſsimilis* importat diuerſitatem, ac ſæpe oppoſitionem, vel formæ ſubſtantialis, vel ſaltem formarum accidentalium. Quò ad ſubſtantialem *diſsimilis* non erat Phlegeton, cum immò idem prorsùs eſſet Numen. Quò ad accidentales verò, nempe quò ad igneum aſpectum, igneamq; vndarum ſuppellectilem *diſsimilis* pariter nec fuit; nam inferiùs habetur ex eodem noſtro Auctore

. . . . . . flagrantibus hiſpida riuis
Barba madet, totoq; fluunt incendia vultu,

Quare non debuiſſet Phlegeton differens *à ſe ipſo*, quod tamen per particulam illam *ſui* reciprocam importatur, delineari. Parrhaſ. & Heinſius difficultate forſan deterriti, vt eam eludant, interpunctionem à vulgata diuerſam faciunt; & legunt:

Ingreditur facili paſſus molleſcere riſu,
Diſsimiliſq; ſui. Dominis intrantibus ingens &c.

Sicq; Epitetum *diſsimilis ſui* in ipſum referunt Plutonem. Verùm, Plutonem à ſe ipſo diſſimilem ingreſſum Tartareos limites, ſatis expreſſum fuit, vbi dixerat Vates: *& Tenara mitior intras*, ac cumulatè magis dum ſubdit: *Facili paſſus molleſcere riſu*; quod inſolitum Plutoni iam vidimus. Quare à vulgata interpunctione non arbitror recedendum, ne ſuperuacaneè ingeratur illud *Diſsimiliſq; ſui*. Ad enodandam igitur difficultatem, quæ inſurgere videtur, ſi illud Phlegetonti tribuatur, aduerte, non neceſſe eſſe ad hoc, vt aliquis dicatur diſſimilis, ſeu differens à ſe ipſo, vt in omnibus accidentibus mutatio fiat ad diuerſa, aut oppoſita; ſed ſufficere, ſi in aliquo notabiliter alteretur; & diuerſum à primo, ſeu etiam oppoſitum induat accidens. Memineris itaque dictum fuiſſe lib. 1. carm. ſupra cit., & etiam carm. 88, Phlegetontem fluuium eſſe, ſummo ſemper ſtrepitu, ac fragore decurrentem. Verùm idem hic fluuius, mutatam Plutonis naturam, atque ex implacabili in benignitatem verſam admiratus, ſilentio vndis ſuis impoſito, mitis & ipſe indicatur apparuiſſe: ideò *diſsimilis ſui*. Secundò memineris Phlegetontem, quippè igneum, certè aſpectu ſemper horribilem extitiſſe: at verò nunc, licet igneam ſeruet formam, vt læto adularetur Plutoni, eam ad hilaritatem potiùs, quam ad terrorem compoſuiſſe, inſinuatur; ſicuti, ſi quando ignes artefacti, lætitiæ cauſa, circumrotantur, delectant, procul dubio, non territant. Ideò *Diſsimilis ſui* Phlegeton, nempè ex horrido iam lætis affulgens ignibus. Tertio Phlegeton nomen habet deriuatū à Græco φλεγέθω, latinè *comburo*; hic autem non comburens adeſt, ſed feſtiue illuminans *diſsimilis ſui*. Tandem igneus fluuius bellum portendere debuerat, cum ignis ſymbolum belli habeatur, vt patet ex Virg. Æn. 7. vbi, cum, ad altaria adſtantem, cum Genitore, Lauiniam, ſubito igne correptam deſcripſiſſet, dicens:

Viſa (nefas) longis comprendere crinibus ignem;
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari;
Regales accenſa comas, accenſa coronam &c.

ſtatim ſubdit, conſultos Aruſpices reſpondiſſe, Lauiniam fore illuſtrem famâ, ſed bellorum originem nimio, herculè, luctu deplorandam.

Namq; fore illuſtrem famâ, fatiſq;, canebant
Ipſam; ſed populo magnum portendere bellum.

Cùm itaque igneus fluuius hìc, non ad bellum, ſed ad obſequium aſſurgat, iure *diſsimilis* dicitur *ſui*.

ASSVRGIT DOMINIS INTRANTIBVS. *Aſſurgere* eſt honoris, & reuerentiæ cauſa, ex loco, in quo ſederimus ſurgere, vt debitis aliquem proſequamur obſequijs; quod factum à Phlegetonte dicitur, vt ex illo, quid omnes fecerint Manes, intelligamus: quaſi *ab Vno diſce omnes* dixerit Vates: Per *Dominos* autem intrantes Plutonem, ac Proſerpinam deſignat; illum quidem iam antea Tartarei Mundi Rectorem, hanc verò eiuſdem Reginam denuo conſtitutam.

BARBA HISPIDA &c. Breuiſſima, obiter, hyppotipoſi Phlegetontis faciem deſcribit, vt ex ea totius corporis compoſitionem dignoſcamus: ac primò quidem *barbatum* effingit; quod myſterio non vacat: duplicem enim, hac effigie, Ægyptiorum more, delineat eruditionem. In prima eſt Antiquitas dierum, quæ, per promiſſam barbam, exprimi conſueuit; nam ideò Veteres barbatum Eſculapium effinxerunt, vt indicarent, eum, Medicâ, qua polleret, arte, & alios, & ſe ipſum, ante alios, ad prouectam quàm maximè ſenectutem adducere potuiſſe. Per *Barbam*, itaque antiquitatem fluminis denotat & Auctor, quod ſcilicet antiquiorem (ſi tantum dici poſſit) ipſo Chao effinxerint fabulæ, vel ſaltem certè æquè antiquum. Secundò loco, *Barbam* virilis virtutis ſymbolum, ac Maris generatiuam exprimens facultatem, vſurparunt. Cùm itaque lib. primo, loco ſupra cit., viderimus Phlegetontem poſitum pro ignea illa vi, quæ terram fæcundat, vt fœtus in lucem egerat ſuos, iure barbatus effingitur. Sic Diogenes, barbam ſe nutrire, dictitabat, vt *virum* ſe eſſe recordaretur. *Hiſpida* autem hæc effingitur; hoc eſt *hirſuta*, *incompta*, *impexa*, vt magis oſtendatur fluminis virilitas. nam qui nimis barbam pectunt, calamiſtriſq; componunt, atque vnguentis perfundunt, ac liniunt, effœminari dicuntur, quia fœmineos tranſeant in mores, vanitatibus huiuſmodi indulgentes.

MADET RIVIS FLAGRANTIBVS. *Madere* eſt *humido liquore aliquo ſuperfundi*; quod, hoc loco, videtur importare contradictionem; nam, ſi totus igneus fluuius eſt, ſi ſcatet ignibus barba, quomodò madet? Ignis qualitas ſiccitas eſt, non humiditas. Obuia tamen ſolutio eſſet, ſi ſuperficialibus contenti abiremus; ignis enim Phlegetontis, ignis quidem eſt; ſed vndarum modo decurrens; quare nil mirum, ſi, in allegoricis perſiſtens, Vates vndarum etiam huic igni effectum tribuat. Sed non hæret in ſuperficie Vates, &, licet allegoricè loquatur, proprietates tamen rerum non negligit. Sciendum itaque calorem certè, & ſiccitatem eſſe qualitates proprias ignis. Aſt altercantur adhuc Phyloſ., inquirentes, num, ſicut calor in ſummo conuenit igni, ità etiam illi conueniat ſiccitas in ſummo. Et quidem aſſerit communior ſententia. Verùm Nos agentes de qualitatibus elementorum, in Phyloſophicis apertè docuimus, cum D. Thoma, ſiccitatem igni non conuenire in ſummo. Et, quamuis ſententiam poſuerimus, præſcindentes ab auctoritate Ariſt., videtur tamen Ariſt. ipſe nouis fauiſſe, 2. de Gener. tex. 23. vbi ſic habet expreſsè: *Ignis autem calidi magis, quam ſicci*. Et videtur comprobari ſententia ex eo, quòd ignis facillimè terminetur termino alieno, cum eum videamus ſe ſe inſinuantem per omnes, ac quaſcumq; rerum cauitates, quod fieri non poſſet, ſi eſſet ſummè ſiccus; nam ſiccitas huic conformationi repugnat. Secundò ignis plus habet fluiditatis, quam conſiſtentiæ; ſumma autem ſiccitas ſummam etiam induceret conſiſtentiam. Tertiò ignis ex humido pingui nutritur, & conſeruatur: ijs autem nutrimur, quibus conſtamus. Quæ omnia ſatis probant, ignem non omninò expertem humiditatis. Quare ad hanc ipſam ſententiam reſpiciens Vates, optimè dixit, Phlegetontis barbam madere ignibus, nam madefactio eſt humectatio, & hæc ab humido habetur, quod licet modicum valdè adſit in igne, tamen, ad indicandam huiuſmodi qualitatem in igne, non abſonum fuit talis qualitatis effectum eidem igni Poeticè attribuere. Ideò *madet flagrantibus riuis*; hoc eſt *flamma ardentibus* fluentis, & numero vtitur multitudinis, quia plures ſæpe fluentæ in vnum alueum confluentes fluuium efficiunt.

ET INCENDIA FLVVNT TOTO VVLTV. *Incendium* eſt ingens flammarum excitatio: fluere idem eſt ac *decurrere*, & propriè dicitur de rebus liquidis, vt fluuiatiles ignes eſſe debuerant: *Vultus* habitus verè faciei eſt; hic tamen poſitum arbitror pro integro fluminis corpore, ex quo toto tamquam ex originario fonte incendia fluerent.

OCCVRRVNT PROPERE &c. *Properi* legit Heinſius; ſed non video cur immutandum. Concurſum itaque, atq; ignaui obſequium Mundi in Principes cum huc vſq. deſcripſerit Vates, iam munia exequitur deſeruientium, & varia inter eoſdem, partitus, diſtribuit officia. *Occurrere*

idem

idem eſt, ac *celeriùs curſu abduci non ire*; quod aptè facit ad exprimendum Tartareæ turbæ in dominantes efficax ſtudium; ſed addidit nihilominùs *properè*, quod eſt *feſtinanter*, vt augeat celeritatem incluſam in verbo nouum ſuperaddens modum celeritatis.

MINISTRI; qui ſcilicet à miniſtrando dicuntur. *Miniſtrare* autem eſt *miniſterium exhibere ſuum*, quod tandem *ſeruire* eſt.

LECTA DE PLEBE. *Huic officio deſtinatâ*, interpretatur in hunc locum Barth. ſed, vt arbitror, non ſatis attigit perſpicaciſſimi Vatis acumen, qui voluit, hoc loco, ex miniſtrorum ſelecta conditione ſuperbum Plutonis faſtum oſtentare. Eſt itaque procul dubio *Plebs* infima pars populi, & quæ à natura ipſa, vt Principibus deſeruiat, videtur inſtituta. Sed, quo maiori Principes euehuntur faſtigio, magis etiam elonganiur ab eligendis ex infima plebe miniſtris. Ne igitur putes plebeios quoſque à Plutone in miniſterium aſſumptos, *lecta de Plebe* adſcitos, inquit Vates; ſic Plebem à Plebe, in Inferis, ſelectam indicans, nempè partem plebis præſtantiorem ad id munus electam, reiecta viliori; atque ex eadem ſubinde ſelecta Plebe, præſtantiores Manes ad miniſterium electos; vt bene notat Parthaſ.; nec de quocumque intelligas miniſterio; ſed de eo, quod pertinet ad Ephebos, anteambulones, circumpedes &c. ex quo magis emicat Plutonis faſtus.

PARS REVOCANT ALTOS CVRRVS. Agmen variè diſtribuit miniſtrantium. Quid ſit *Pars* vide lib. primo carm. 160. Sed quia hic ad numerum pertinet; ideò cum multitudinis numero conſtruitur; *Pars reuocant*: idest *reducunt*, ſeu *retrò ducunt*. Quo verbo optimè exprimit conſuetudinem Circumpedum, & Rhedariorum, qui, ſtatim ac limina attigerit Dominorum currus, aduolant in fræna, &, compoſitis vocibus, ac manuum blanditijs, equos detinent, dum deſcendunt heri; iiſq; ex curru egreſſis, lora detorquent equorum, ac currum retrò conuertunt, vt in aſſuetum Rhedarium locum ſeponatur. Quæ omnia aptiſſime explicat Vates hoc vno verbo *reuocant currus*. De curru Plutonis locuti ſæpè tranſuehimur: eſt enim currus notiſſimum vehiculi genus, ſub quo & bigæ, & quadrigæ continentur, hic pro quadriga ponitur, vt notum ex dictis, & numero multitudinis vtitur per ſynec. *Altos* autem dixit, nempe ſublimes, excelſos, atque omni ornatu, quod Inferos Reges deceat, inſignes. Vno verbo *Altos* pro eodem poſuit, ac *Regios*, nam ex dignitate Vectorum excellentiam ſuam currus ipſe ſortitur.

ET SOLVTIS FRÆNIS &c. Rhedariorum adhùc mores proſequitur, & imitatur. Solent enim ij, conuerſo ſtatutum in locum curru, phaleras ex equis detrahere, frænum ex ore eorumdem extrahere, equoſq; ſubinde ipſos, vel ad equile, vel ad paſcua conuertere; quæ omnia, a tartareis peracta miniſtris, recenſet Vates; ne ſuo muneri deeſſent; ideo *ſolutis frænis*, poſito antecedenti pro conſequenti nempe, *ſolutis* à verbo *ſoluo* pro *detractis frænis*; nam prius lupatorum lora ſolui debent, quam detrahantur; & fræna poſuit pro phaleris omnibus, partem ſcilicet pro toto, vt mos Poetarum eſt. De frænis autem vide fusè dicta lib. primo carm. 182.

VERTVNT IVGALES EMERITOS AD PASCVA NOTA. *Vertunt*, hoc eſt vertendo emittunt. *Iugales*; nempe equos à iugo, quod ſubierint, ſic dictos. *Emeritos* autem dicuntur, quia ſtrenue officio ſuo functi eſſent, ideòq; meriti fuiſſent, vt iam bene haberentur. De eorum Paſcuis vide dicta lib. 1. carm. 279. quæ hic *nota* dicuntur, ideſt *cognita* illis, quippe quibus diù aſſueuerant.

PARS AVLÆA TENENT. Circumpedum exercitijs, iam ſupra exaratis, cubiculariorum munera, qui alteram miniſtrorum partem explebat, oculis ſubijcit. De voce *Pars* vide iam dicta. Aulæa verò dicuntur peristromata, acu phrygio picturata, ac verſicoloribus texturis ſpectabilia, vulgò *Arazzi*, quibus ſcilicet in aliquo ſplendidiſſimo apparatu vti ſolerent Principes ad tegendos parietes. Horum vſus primò viguiſſe dicitur in Attali aula, à qua etiam Aulæorum nomen deſumpſerint. Vſus tamen inualuit, vt iam quodcumque parietum integumentum, dummodò luxum, ac regiam propemodum magnificentiam præſeferat, cuiuſcumque tandem generis ſit, aulæorum nomine denotetur. Noui, apud Virg. *Aulæa* pro veſtibus vſurpata, eiuſdem operis texturâ confectis; dum Georg. 3. attingens triumphum Auguſti, qui, ſubactâ Britanniâ, captiuis veſtes dedit geſtandas, in quibus victoriarum ſuarum ſeries intexta fuerat; ſic enim ait Virg. ibi;

Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Sed de veſtibus non agit Auctor hic, de iiſdem mox dicturus. Ponuntur itaque Aulæa hic, pro parietum integumentis, vt bene aduertit etiam Parthaſ. Non mihi tamen videtur in ſcopum collineaſſe Barthius, qui in hunc locum hæc habet: *Aulæa tenent ad ornandam regiam nuptialem, quod fiebat intùs & foris. Publicum præterea gaudium, ad quod hæc vſurpabantur.* Maximam enim profectò incongruentiam inducit hæc Barth. explicatio. Quis enim credat Plutonem, qui occidente nobis Sole Germani monitu iter ornauerat ad Nuptam è Sicilia abuehendam, vt lib. 1. circa finem, adeò ſocordem fuiſſe, vt non meminerit Aulam ante aduentum nuptæ veſtiendam, & exornandam? Nonne maximum fuiſſet inconueniens eò rem fuiſſe deductam, vt aduentante ſponſa, immò iam regiam ingrediente Aulici tumultus inſiſtere in ornandis parietibus, loco obuiandi, ac honorificè nuptam excipiendi? Arbitror igitur potiùs, totum hic poſitum ab Auctore noſtro pro parte per ſynecd., nempe *Aulæa* pro ea aulæorum parte, quæ ante oſtia regalium cubiculorum pendentia obijci ſolent, ne qui intus ſunt aſpectui pateant aulicorum, aliorumq; in veſtibulo commorantium. Vulgò *le Portiere*. Officium nempe cubiculariorum eſt huiuſmodi aulæa eleuare, atque eleuata detinere dominis, vel ingreſſuris, vel egreſſuris. Quod factum hic à Poeta ritè innuitur.

ALII PRÆTEXERE LIMINA RAMIS. *Alij*, nempè à primis quidem diuerſi, ſed eodem cubiculariorum fungentes officio. *Prætexere* pro *prætexunt*, per enalagen. *Prætexere* autem eſt *ante texere*, quod idem ſonat, ac *texendo obtegere*. Sed vlteriùs innuit Vates, ramos, quibus limina obtegebantur, diuerſi generis fuiſſe, atque intermixtos adeò, vt picturatam quaſi texturam conficere viderentur. Ideo *prætexere limina ramis*, arborum ſcilicet frondoſis brachijs, ad vſum reciſis. Dices, adeſſe & hic incongruentiam, quam nos ſupra Barthio obiecimus. Sed falleris; nam illa fieri & potuerunt, & debuerunt ante aduentum nuptæ, vt illa Regiam ingrederetur, quaſi aſſuetis cultam ornamentis; hæc verò ante illius aduentum fieri nequaquàm potuerunt, ne frondes, humido deſtitutæ langueſcerent, & mæſtum potiùs, quam vegeto virore lætum præberent aſpectum. Adde in more poſitum fuiſſe, vt ad obſequium triumphantibus impertiendum, flores, ac virides paſſim rami ante ipſius pedes dum gradatim ſuccederet, proijcerentur; quare nil mirum, ſi id ipſum hic præſtare inſinuentur Inferorum Aulici ouantem exceptiri Plutonem, Reginam veneraturi. *Limina* quid ſint, vidimus lib. 1. carm. 90. Hic ponitur non ſolum pro infima parte ianuæ, quæ pedibus teritur, ſed pro toto adiuncto liminibus pauimento, quod frondibus, floribuſq; ſternebatur.

ET (ſubintellige *alij*) EXTOLLERE CVLTAS VESTES IN THALAMIS. Officia iam Veſtiariorum attingit hic Auctor, quorum munus eſt, veſtes ex Veſtiario extractas deferre, quibus Principes induantur ſimul, & exornentur. Deferebant itaque iſti veſtes nuptiales, quibus Sponſi induti ſubinde nuptias peragerent; ſeu potiùs in thalamis morabantur, veſtes ipſas extenſis vlnis ſuſtinentes, ita aptatas, vt ſine mora membris inijci poſſent Dominorum, quos veſtiendos præſtolabantur. Ideò *extollere* pro extollunt, vt ſupra. Hoc autem verbum plura ſignificat; nam accipitur ſæpe pro *efferre*, hoc eſt extra ferre; ſæpe pro *eleuare*. & *eleuata ſuſtinere*; quæ omnia complectitur Vates, quaſi dixerit: alij efferebant ex Veſtiario veſtes, aptabantq; in expanſis aliorum vlnis. hi autem alij eas altè eleuatas ſuſtinebant &c. eo putes pacto, quo fieri videmus quotidiè, etiam in publicis templis, cum Antiſtites ſacri Sacris ad miniſterium veſtibus induuntur. Veſtes quid ſint, iam ſatis notum ex alibi dictis. & *cultas* dixit, nempe diuites ornatibus, ac ſuperbe compoſitis, quales eſſe decebat in nuptijs, & quidem regijs: &, dum addit *In thalamis*, locum notat, vbi Veſtiarij munus exercent ſuum. Quare male repoſitum ab Heinſio *in Thalamum*. Quid autem Thalamus ſit vide fusè dictum lib. primo carm. 133.

Aſt, dum ipſi nuptialibus intenti detinentur, Nos, vt infauſtas huiuſmodi nuptias euitemus, fallacias Inferorum perſcrutemur.

Lata via eſt, quæ ducit ad perditionem. Ideò

Conueniunt Animæ quantas truculentior Auſter
Decutit arboribus frondes &c.

Hac nos Animarum frequentiâ, quoties Pluto allicere ſtudet, ne grauiſſimum eius iugum detrectemus. Totum oſtendit Mundum poſitum in maligno, innumeras, ſibi obſequen-

quentes, turbas oculis noſtræ obijcit mentis, vt aliorum & nos exempla ſequamur: gaudentes eas oſtendit, dum, blanditijs ſenſuum indulgentes, Ditis Imperio famulantur; vt nos earundem gaudio detineamur. Sed fallax profectò eſt quidquid ab hoſte offertur, vt rectè nouit Troes ille, qui apud Virg. inclamabat: *Timeo Danaos, & dona ferentes.* O' vtinam & tali ſemper timore corriperemur, quoties Tartareus hoſtis adblanditur: nec eò adduceremur, vt quis interdum dicere non perhorreſcat: nec ſoli erimus in Inferno, nec ſolos eſſe vellemus nos in Empyreo! Vidimus quàm lætè omnia obtulerit Proſerpinæ Pluto. Sed quid tandem? Aſſurgentem ſibi igneum cernit fluuium. Quis ignem adblandientem ſecurus amplectatur? Quatuor equis, nempè quatuor, quibus conſtamus, elementis deferimur, ſuperbiæ curru inuecti, ac triumphi ſpeciem cernere, nobis arridentem, nobis ipſis videmur: ſed tandem aſſurgit Phlegeton excepturus. An putas ſenſus illos, quibus decipimur, dum allicimur, ex iiſdem elementis conſtantes, præmia tandem ab hoſte, cuius miniſtri, & aduectores fuere, habituros?

Verſuns emeritos ad paſcua nota iugales.

Ad quænam, obſecro, paſcua Dæmones ſenſus noſtros impellunt tandem? Ad paſcua, vt lib. 1. vidimus, cuncta Cocyti ad Marcida flumina, quibus ſitim leuient, conuertuntur. Floribus, ac frondibus conſtratur peccantis iter: Sed quorſum? Ad nuptiales Plutonis thalamos, ad barathrum tormentorum. Nec cernimus *flores, & frondes* eſſe; hoc eſt breui admodum duraturas, Mundi illecebras, quæ animam ducunt in interitum. Mundus deficit; caro inficit: Diabolus autem decipit. Gloriarum ſpondet ſeriem, vt ſuperbire non deſinas: innumeros ſequaces oſtentat, vt & nos, more pecudum, ſequamur: triumphos offert, vt ſanguini effundendo aſſueſcamus. Veſtes, aulæa &c. ideſt diuitias in conſpectu ponit, vt auaritiâ inſanias; obſequia ſuggerit, vt tu in illius obſequium adducaris captiuus. Sed clamat, vt auertamur Redemptor: Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: Contendite intrare: Arcta porta eſt; & ſub capite ſpinoſo membrum non decet eſſe delicatum. Crux ſubeunda, non fercula triumphorum: ſi ad culmen illud contendere aueamus, vbi ſydera pedibus ſcabellum præbeant, vepres calcandi, non flores ſunt. Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Sed Domine quò vadis? Ad eum qui miſit me; reſpondet ipſe: & vtinam non ſubdat: Quo ego vado, vos non poteſtis venire; quia lux venit in Mundum, & dilexiſtis magis tenebras, quam lucem. Itaque dum lucem habemus, in luce ambulemus, vt filij lucis ſimus, nec mancipia efficiamur tenebrarum. Atque interim Italicam in hac Muſam excitemus.

Alſ incontrar del gran trionfo vnite
S'affollan l'Alme, ad ingombrar le ſtrade:
Reſtan là giù d'habitator sfornite
Nere grotte, antri ciechi, erme contrade:
E ſol colà, d'ond'alla Regia Dite
S'apre corſo maggior, vien, che s'inſtrade
La folta turba: ogn'vn s'affretta, e ſpigne
Dal deſio di veder la ſpoſa inſigne.
Non tante mai da gl'orni aride foglie
Scuote l'Auſtro crudele al boſeo in grembo;
Ne di Nettunno entr' all'ondoſe foglie
Tanti flutti rifrange horrido nembo:
Ne tante mai dell'arenoſe ſpoglie
Ruota, di Libia al depredato lembo;
Quante s'addenſan quì, portate à volo,
L'Alme d'Auerno ad iſchierarſi in ſtuolo.
In tanto il Rè della Tartarea corte,
Di ſue nubi d'horror ſgombrato il volto,
Lieto ſe n'entra; e, frà le turbe, inſorte
De gl'Omaggi al tributo, al popol folto
Con l'occhio arride; indi la man più corte
Stringe le briglie; e più non ſembra incolto
Nel labro altier; già che benigno il riſo
Pur vi s'accoglie, opra fatal d'vn viſo.
Del ſuo tragico aſpetto i neri fumi
Depoſti, hor quì di Flegetonte il fiume
Veſte di chiare faci acceſi i lumi,
Ch', allo ſpirar d'interna gioia, aſſume,
Così l'ingreſſo ei de tartarei Numi,
Corteſiſſimo in atto, oltre il coſtume,
Ad honorar, dal ſeggio ſorge; e chioa
Quell'ignea fronte i nuoui ſpoſi inchina.
Riui di fuoco, à ſerpeggiar sù'l petto,
Verſa l'hiſpida barba; e ſi diffonde
L'ondoſo incendio ad allagarne il letto.
Mà fuocoſe non men dal volto l'onde
Sboccan perenni; e ſon del fonte effetto,
Che, chiuſo in ſen, fuori l'ardor traſfonde.
E pur, quaſi brillanti, all'allegrezze
Sgorgan le fiamme, al tormentare auuezze.
Dalla Plebe più ſcielta, à chiare note,
Quei, ch'il valor portan in fronte eſpreſſo,
Scielti miniſtri, ad incontrar le ruote,
Ch'alla regia ſuperba hormai ſon preſſo,
Corron veloci: e non ſi reſtan vuote
Però le loggie; ò i gabinetti, u' ſpeſſo
Pluton s'accoglie; anzi, con forme immiſte,
De ſergenti lo ſtuol per tutto aſſiſte.
Parte girano il cocchio; e i freni ſciolti
Traggon di bocca à que corſieri arditi,
Che meritàro, al depredar riuolti,
D'eſſer più ſempre al ſuo Signor graditi:
Indi à paſcoli vſati, oue raccolti
Habbian dell'herbe al ſuo riſtor gl'inuiti,
Volgongli toſto, al ſatollar le brame
Nate, in longo digiun, d'auida fame,
Altri, de gl'atrij, alla cuſtodia intenti,
Stendon gli ſtrati, oue ſi poſi il piede;
Altri inſioran del ferro i pauimenti,
Perche con lor ſembri vna Flora in ſede;
E là, del duol ne i torbidi tormenti,
Sforzan molli delitij hauer la ſede:
Altri, ſuelto da boſchi il crin fronzuto,
N'intreccian fregi al limitar di Pluto.
Le pendenti cortine, oue riſplende
D'Attalo il luſſo, e della Perſia il vanto,
Altri raccoglie, e con la man ſoſpende.
S'apre l'ingreſſo, e'l curios'occhio in tanto
Della pompa interior pago ſi rende:
E vede là, d'altri sù'l braccio, il manto,
Con le veſti alleſtir, che ſi deſtina,
Prezzo d'vn mondo, all'infernal Regina.

Proſerpinæ vid. attribuitur.

Obſtupeſcit, his viſis, & Muſa noſtra: ideò ſilens proſequentem ſequitur Vatem.

REGINAM CASTO &c. Argumentum carminum, quæ iam præ manibus habemus, breuiter ſuggerit Apuleius lib. 5. dum ait: *Iam feralium Nuptiarum miſerrimæ Virgini Choragium ſtruitur.* Cum enim Vates, ſubſeruientes Plutoni Aulicos deſcripſiſſet, æquum fuit, vt & Proſerpinæ tandem, Reginæ vid. Inferorum electæ, ancillantium Matronarum inſtrueret chorum. Primis itaq; quatuor carminibus, Matronas adſtantes, excipienteſq; ac munia earumdem

Reginam caſto cinxerunt agmine Matres
Elyſiæ, teneroſq; leuant ſermone dolores;
Et ſparſos religant crines, & vultibus addunt
Flammea ſollicitum præuelatura pudorem.
Pallida lætatur regio, genteſq; ſepultæ
Luxuriant; epuliſq; vacant genialibus vmbræ;
Grata coronati peragunt conuiuia Manes.

Rumpunt inſoliti tenebroſa ſilentia cantus:
Sedantur gemitus Erebi: ſe ſpontè relaxat
Squallor, & æternam patitur rareſcere noctem:
Vrna nec incertas verſat Minoia ſortes.
Verbera nulla ſonant, nulloq; frementia luctu,
Impia dilatis reſpirant Tartara pœnis.
Non rota ſuſpenſum præceps Ixiona torquet:
Non aqua Tantaleis ſubducitur inuida labris.
Soluitur Ixion: inuênit Tantalus vndas:
Et Tytius tandem ſpatioſos erigit artus,
Squallentiſq; nouem detexit iugera campi,
Tantus erat: lateriſq; piger ſulcator opaci
Inuitus trahitur laſſo de pectore vultur,
Abreptaſq; dolet iam non ſibi creſcere fibras.

dem in Proſerpinam deſcribit. Subindè verò profuſa in hilaritatem Tartara, eorumdemq; conuiuia, cantiones, atq; à gemitibus quietem, diſtributionis ope, enumerat: ac deniq; ab effectibus, & conſequentibus eamdem amplificat hilaritatem; priùs quidem per negationes feralium effectuum, omnes numeratim ſuſpenſos indicans; deinde, per affirmationes, poſitiuas recenſens vtilitates, quæ ex illorum negationibus poſitiuè ſequuntur.

REGINAM CASTO &c. En igitur Matronarum Miniſtrantium prona in Proſerpinam obſequia.

MATRES ELYSIÆ. *Mater* nomen honoris eſt idem significans, ac Mulier ætate grauis, nobilitate inſignis, virtutibus conſpicua, vt, lib. pri. carm. 126., ex Virg. deduximus. Indicat itaque Vates, non gregarias, neq; ex plebe decerptas fuiſſe mulieres illas, quæ Proſerpinam eſſent excepturæ; ſed ex inſignibus ſelectas, quo pacto mores optime imitatur. Nam, in Reginæ famulatum, huiuſmodi tantùm mulieres, vbiq; terrarum, profectò deliguntur. Quarè etiam, Virg. Æn. 5., vt Pyrgum, ex matribus Troianis vnum, nobilitate, auctoritate, ac meritis inſignem deprædicaret, eum Natorum Priami Regis nutricem fuiſſe commemorauit. . . . . *Hic vna è multis, quæ, maxima natu,*
Pyrgo, tot Priami Natorum regia Nutrix &c.

Ideò iure & Auctor noſter in Proſerpinæ famulatum *Matres* memorat accitas, & quidem *Elyſias*, nempè ex Elyſijs vocatas: hoc eſt virtute duce beatas iam in ſedes adductas: de quo vide dicta ſuperius carm. 184. Inſuper, cum ex Elyſijs mæror omnis exularet, aptè ex illis euocatas Poeta indicat Matres, quibus negotium erat futurum, vt Proſerpinam conſolarentur; nam maximè idoneus ad alienum dolorem leuandum exiſtimatur, & eſt, qui lætitiam, & vultu præferat, & corde, præſertim, ſi in iiſdem conditionibus ſit, cum eo, cui inferenda eſt conſolatio, vt ſanè erant illæ Matres, nempè apud Inferos, cum Proſerpina, conſepultæ; earum enim hilaritas, nullos ſibi cruciatus adeſſe: immò perpetuam attigiſſe fælicitatem, oſtentans, certiſſimam Proſerpinæ ſpem facere poterant pacatiſſimæ tranquillitatis.

CINXERVNT REGINAM. *Cingere*, per translationem, idem ſonat, ac *circumſiſtere*. Elyſiæ itaque Matres Reginam excipientes, caſto circumſeptam agmine venerabantur. In hoc ipſo, Regium morem Vates imitatur; nam etiam Virg. Æn. 5. Æneam ſuum militum agmine circumſeptum, dum ad Sacra deduceretur, deſcribit his verbis:
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magnâ medius comitante cateruâ.

Nota autem, quod Proſerpinam hic primo *Reginam* iure nominat, quod profectò nomen eſt Imperij, non Perſonæ; nam *Regina* dicitur, quæ vel Regis vxor eſt, vel alio quouis titulo, legitimo tamen, Regnum poſſidet. Vtrumq; autem nunc tantùm obtinuerat Proſerpina: nam licet in anteactis Pluto, & eam vxorio affectu rapuerit, vt patet ex carm. 279., & eam per verba de præſenti Reginam inſtituerit, vt ex carm. 305, attamen Regina nondum abſolutè dici poterat, quia nondum fuerat in actuali poſſeſſione regnorum conſtituta: in qua de præſenti dum conſtituitur, iure, primò, ac verè *Regina* conſalutatur.

AGMINE CASTO. *Agmen* propriè dicitur militum acies in ordines diſtributa; ſed per translationem, effectum eſt, vt quamcumq. adglomeratam multitudinem ſignificet. Oſtendit itaque hoc nomine Vates, ingenti, adinſtar exercitus, Matrum numero exceptam fuiſſe Proſerpinam. *Caſtum* autem *Agmen* dixit, hoc eſt *Pium*, ſeù *religioſum*, iuxta illud Virg. Aen. 6, alibi recenſitum,
Quiq; ſacerdotes caſti dum vita manebat,

ſicq; dum notat pietatem, ac religioſitatem, quarum merito, Matres illæ Elyſijs fruerentur, correſpondet ijs, quæ Pluto dixerat; *Elyſiumq; magis mirabere Solem. Cultoreſq; pios &c.* Nuptialem, hoc eodem textu, ritum attingit, quem & innuit Statius Theb. 2., de puellis Adraſti agens nubentibus, cum dixit; . . . . *Caſta Matres cinxere corona*

Argolidas: Pars virginibus circum vndiq; fuſa Fœdera conciliant noua, ſolanturq; timorem.

ET LEVANT SERMONE TENEROS DOLORES. Sic enim cum Parrhaſ. vulgata legit, quam inuertit Heinſius legens:
. . . . *Teneroſq; leuant ſermone timores.*

Nec diſplicet Heinſius, quippe correſpondens ijs, quæ de Plutone dixerat Vates:
Et placida mæſtum ſolatur voce dolorem.

vel, vt ipſe legit *timorem*. Sed video nec vulgatam Heinſio diſplicere, dum immò eam collaudat ipſe, exemplo Statij, Theb. 2., hæc habentis de Polynice.
. . . . *Teneroſq; dolorem*
Coniugis amplexu ſolatur &c.

Particula igitur *que* pro *&* aduerb., hoc loco, ordinis eſt, idem, ac ſubindè, & ſucceſſionem importat inter actum circumſtandi, & actum conſolandi. *Leuare* idem hic eſt, ac *delinire*, *minuere*, ac *paulatim delere*. Sic Virg. Æn. 7. de Tyrride ceruo:
Hunc procùl errantem rabidæ venantis Iuli
Commouere canes, fluuio cum forte ſecundo
Defluerct, ripâq; æſtus viridante leuaret.

Per ſextum verò illum caſum *ſermone* modum notat, quo *teneros dolores* leuent, nempè locutione in idipſum melleis verbis vtiq; compoſita. Dolor tandem pro angore, hìc, animi ponitur, & numero vtitur multitudinis, quia non vnicus dolor Proſerpinam angebat, vt ex eiuſdem eiulatu, fuſe ſuperiùs expreſſo: *teneros* autem eos dixit eo in ſenſu, in quo hoc nomen acceptum vidimus lib. pri. carm. 131. nam facilem fuiſſe indicat Proſerpinam ad admittendas conſolantium voces.

ET RELIGANT CRINES SPARSOS. Incomptos, ſparſoſq;, in luctu, Proſerpinæ crines iam vidimus, carm. 248. Quare *religant* idem iam eſt, ac *iterum ligant*, ex quo manifeſtè apparet, ſedatum facilè dolorem fuiſſe Proſerpinæ, quæ tam citò paſſa fuerit, vt doloris ſui argumenta tollerentur: ſicuti enim diſſipatio crinium efferati doloris indicium eſt; ſic eoſdem recomponi, ac compoſitos pati inditium ſedati extat doloris. De ſparſis autem crinibus vide dicta loco immediatè ſupra cit.

ET ADDVNT &c. In more poſitum fuit olim, vt faciem nouæ nuptæ obnuberent velo quodam, quod *flammeum* appellarent, quodq; crocei coloris fuiſſe, colligitur ex Virg., vbi, de Cyri ad Meſſalam, Charmem inducit, his verbis, dolorem ex abrepta filia, exprimentem.
Sæpè tuo dulci nequicquam capta ſopore,
Cum premeret natura, mori me velle negaui,
Vt tibi Corycio glomerarem flammea luto.

Corycium enim patronimicum nomen eſt, deductum à Coryco monte, in Cilicia poſito, optimum ferente crocum. Hunc morem deriuatum putant à Penelope Icarij filia, Vlyſſis vxore, cuius hiſtoriam Græci ſic recenſent. Cum Icarius, inquiunt, ab Vliſſe fruſtra efflagitaſſet, vt Lacedemone mallet habitare, id demum filiæ perſuadere conatus eſt: cumque acrius inſtaret, arbitrium vxori fecit Vlyſſes, vt, quod mallet, eligeret, & ſpontè vel virum ſequeretur, vel cum Patre Lacedemona rediret. Quibus auditis Penelope, facie velo obtectâ, nihil eſt auſa reſpondere. Quarè Pater, intellectâ filiæ ſententiâ, quam, pudore ingraueſcente, exprimere, non auſa eſſet, eam dimiſit, atq;, in facti monimentum, eodem in loco, ſtatuam pudori, obuelatâ facie delineatam erexit. Inde ſeruatum arbitrantur complures, vt, cum noua Nupta duceretur ad virum, *flammeo* cooperiretur, vt pudicitiam, nondum ſibi ereptam, præ ſe ferret. Vel vt pudor, ignitas in vultu explicans faces, tegeretur, cum importunus aſſurgeret, eo, quod, quæ viro traditur, in eiuſdem iam ſit poteſtate, & fruſtra pudorem prætendat, vbi iuris ſui iam non eſt. Huiuſmodi velum, quod à Læda matre receperat, ſecum tulit & Helena cum ſe ipſam Paridi conceſſit, vt teſtatur Virg. Aen. pri.
Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre iubet, Palſam ſignis, auroq; rigentem,

Et

Et circumtextum croceo vellamen acantho,
Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconceſſoſq; Hymenæos,
Extulerat Matris Ledæ mirabile donum.

Tertullianus non tantum vocat hoc velum armaturam pudoris, verecundiæ vallum, ſexus fœminei murum; ſed etiam modum præſcribit, ad quem velaminis huius forma produci debeat: *Quantum enim*, inquit, *reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, vt ceruices quoque ambiantur; ipſæ enim ſunt, quas ſubiectas eſſe, oportet, propter quas, poteſtas ſupra caput haberi debet. Velamen iugum illarum eſt*. Denique, bonum eſſe, ait, vt mulier vſque ad lumbos à capite veletur. Hinc eſt, vt flammeum deſcribentes varijs appellent nominibus nam alij velum, alij veſtem, alij tegmen vocitarunt. Dictum autem *flammeum* volunt, à *Flaminia*, hoc eſt Flaminis vxore, cui adeò iniuncta erat pudicitia, vt viri illi diuortium facere non liceret. Ex quo conſtat, non ſolum *non ereptæ pudicitiæ* ſymbolum fuiſſe hoc flammeum, ſed etiam ſeruandæ maritalis pudicitiæ hieroglyphicum; velato enim capite ad virum nupta ducebatur, ne à quoquam, præterquam à marito conſpiceretur, vt notat in hunc locum Barth. Hoc igitur obnubunt velo Proſerpinam Elyſiæ, vt nouæ nuptæ ritibus initiarent, vt pudorem vel tegerent, vel extinguerent; atq; vt eam monerent nullum fore concedendum à tali viro diuortium; ſed perpetuam illi pudicitiæ fidem ſeruandam. Quod quidem nimius caſtum maximè profectò agmen decebat. Vtitur autem Vates numero multitudinis in *Tèvulisbus*, & *flammea* per ſynecd. cætera ex dictis patent.

PRAEVELATVRA SOLLICITVM PVDOREM. Finem vnicum ex pluribus iam dictis attingit, vt reliquos ex hoc vno intelligamus, cur ſcilicet hoc velum impoſitum Proſerpinæ fuerit. Quid ſit pudor patet ex lib. primo carm. 131. cit.; & ſollicitum dixit, hoc eſt anxium, inquietum, & curis affectum, vim nempe dum metuit, qua pudicitiæ gemina priuetur; vt in Virgine mos eſt. Alij legunt *Præmollitura*, quod non ſpernendum.

PALLIDA LÆTATVR REGIO &c. Perfuncti ſ officio Matribus, reliquum erat, vt, nuptiarum occaſione, hilaris efficeretur ipſa inalterabilis mæſtitiæ domus, quod & factum oſtendit Poeta hic. *Pallida* enim *Regio* antonomaſticè Tartareum dicitur Regnum; nam licet *Regio* ampliſſimam aliquam ſignificet Orbis partem, attamen quia *Regio* dicitur à regendo, optimè pro *Regno* poni potuit, quod in immenſam latitudinem protendatur, vt ſupra de ſuo iactauerat Pluto. *Pallida* autem dicitur, vt ſpeciali hac nota differentiali ab alijs omnibus diſtinguatur; nam ſi *pallor* viridi coloris carentia ſit, vt aliqui voluerunt; ſiq; nullus ſine luce ſit color, vt plurimi aſſeuerant; cur non meritò *pallida* dicatur regio, quæ perpetuis addicta tenebris, lucem ne nouit quidem? Et aduerte, non poſitum hic continens pro contento, nempè regionem pro incolentibus; nam de his mòx ſubdet, ſed datum fuiſſe ſenſum Regioni ipſi, quo altior aſſurgeret Oratio, qua ea lætari dicitur, hoc eſt exhilarari, ac faciem geſtientis aſſumere.

GENTESQ; SEPVLTÆ LVXVRIANT. *Gens*, vt aliqui autumant, idem, ac Genus eſt, litterà *V* detractâ, & ſignificat idem, ac Natio. Verùm, vt ſubtiliores alij notant, potiùs nomen *Gentes* multitudinem ſignificat, ex pluribus nationibus aggregatam. Et hanc ſententiam, vt arbitror, ſecutus Vates Inferorum incolas hoc nomine deſignauit, quia ex omni omnium nationum concurſu mortuorum regnum vtiq; repleatur. Cur autem *Gentes* dicantur *ſepultæ*, vide dicta hoc eodem lib. carm. 221. *Luxuriant* autem, hoc eſt in luxum, atq; animi relaxationem effunduntur; de quo vide dicta hoc eodem lib. carm. 55.

ET VMBRÆ &c. Primum nuptialis lætitiæ ſignum ex ipſo Tartaro geſtiente deſumpſerat: ſecundum à luxu, ac relaxatione incolarum: Tertium hic à peractis inter eos conuiuijs exprimit. Notus eſt ritus antiquorum, in defunctorum ſepulchra epulas inferentium, quaſi extra orbem peregrinantibus viaticum, aut apud inferos ipſos conuiuium præbituras. Et profectò ſtolidam hanc Gentilium ſuperſtitionem roborauit interdum Satanas illudens, & dapes, conſumptas animalium ore, relinquens, vt eas à mortuis depaſtas facili eorum credulitati ſuaderet. Sic apud Virg. Æn. 5. immitium habemus ſerpentem, qui Dapes in exequijs Anchiſi peractis præparatas abſumpſerit, quem cum deſcripſiſſet Vates ſubdit:

Obſtupuit viſu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula ſerpens
Libauitq; dapes, rurſuſq; innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.

Hanc itaque, (vt puto) fatuam ſuperſtitionem deridet Poeta hic, dum Manes innuit conuiuantes in Proſerpinæ Nuptijs. Vel dixerim Inferorum conuiuium eſſe, cum vorat Orcus animas, ad Cælum creatas, quæ per Proſerpinam ſymbolicè exprimuntur, nec alijs Tartara dapibus indigere. Cur Inferorum Incolæ dictæ ſint *vmbræ*, habes ex lib. pri. carm. 56., & carm. 41.

VACANT EPVLIS GENIALIBVS. *Vacare*, vt noſtis, ſi cum tertio, vt hic, caſu conſtruatur, idem eſt, ac *operam dare*; ſed quamdam indicat quietem, & otium ipſius *operam dantis*, ita vt nempè liceat illi quantumcumque velit temporis inſumere in re peragenda; nec ſtimulos in agendo patiatur, nec infarcinare cogatur. *Epulæ* autem dicuntur cibi, ad vſum comedentium in menſis comparati. Sed nota, *epulas* propriè dici *cibos vſuales, gregarios, ac facilè parabiles*, quibus quis quotidiè vtitur ad victum, non ad luxum; licet ampliatiuè etiam pro conuiuijs, omni luxu affluentibus, ſumantur. Hoc autem innuit, ne videatur Poeta in periſſologiam incidiſſe; cum & hic conuiuantes faciat Inferorum Incolas; & verſu ſtatim ſequenti iterum repetat, vt videbimus; immò idem ſub diuerſis exprimat nominibus, dum *Gentes ſepultas*, *Vmbras*, *Manes* eoſdem Inferorum Incolas, in eodem tripudio memoratos compellet; nomina enim ſynonima videri poſſunt aliquibus, ac ideò Vates idem per idem dicere cenſeri poterit, niſi eiuſdem acutiſſimum perſcrutemur artificium. *Gens* itaque, vt dicebamus, vniuerſum indicat populum ex pluribus nationibus, ex diuerſis conditionibus collectum. Et quidem vidimus ſupra, diuerſos hoc ipſo in populo ordines, ab ipſo Vate indicatos; nempe Plebem infimam, Plebem ſelectam, atq; ordines ſuperiores, qui certe, Plebeio poſito conſequuntur; quæ omnia ex dictis patent. Poſita itaque, per Poetam, propoſitione vniuerſali, & generica, *Gentes ſepultæ luxuriant*; per diſpoſitionem ſubinde reſolutiuam, id, quod ſub genere perſtrinxerat, ſubdiuidit in partes, vt ſuum vnicuiq; attribuat: infimam autem Plebem, ſeù potiùs ordinem plebeum, ſecundùm totam ſuam latitudinem, obſcuro *Vmbrarum* nomine deſignat: ordines verò ſuperiores, notiori, ac digniori nomine, appellat *Manes*, Omnes peragunt conuiuia; ſed gregaria gregarij; ſplendidiora Nobiliores: ideo illis epulas apponit geniales; hos conuiuia efficit coronantes. Quod igitur ſolertiæ, & artificio dandum, periſſologiam ne dixeris. Dices commentitium euinci, quod diximus, ex eo, quod Vates, ſi per *vmbras* plebem notare voluiſſet, eas poſtremo conuiuantem, vt minus decorum eſt, deſcripſiſſet, non autem ante ipſos Principes epulis indulgentes promulgaſſet. Sed facilè cadit oppoſitio; nam non omnes Plebei ordines actu deſeruiebant in conuiuio Principum, quare, qui ab hoc ſoluti munere eſſent, plebeio more citiùs, quam Principes, menſis indulſere. Quod ſi de Plebe loquamur actu inſeruiente; Quis neſciat Catillonum ritus, qui culinam ſæpius inuiſentes centies vorant antequam prandium apponatur? Mores itaque ſequitur; non præpoſterat Vates. Geniales verò huiuſmodi Epulæ dicuntur à Genio, quaſi *Genio habiles*. *Genium* autem, & *ingenium* idem eſſe voluerunt complures, aſſerentes, *Genium* vniuſcuiuſque *Animam* illius eſſe: immò Genium ſæpè pro ipſa natura vſurpatum reperies; nam *Genio indulgere* eſt propriè *inclinationem Naturæ proſequi*. *Vacabant* igitur *epulis genialibus*, hoc eſt ingenio, ac naturæ earum habitibus *vmbræ*; nempè quæ facilè quidem parabiles eſſent, ſed tamen ad voluptatem talis naturæ inſtructæ ſatis: ad voluptatem, inquam, nam voluptatum Deus habitus eſt Genius, à quo, quidquid geniale dicitur denominatur. Inſuper, in nuptijs, ſtratum Deo Genio aptare conſueuerunt antiqui, vt Generationi faueret, qui Genij nomen à Gignendo ſortitus fuerit: ideò Epulæ nuptiales *Geniales* dictæ, quod tamen non obſtat, quin naturæ conſentientes eſſe poſſint; nam etiam infimi Plebeiorum voluptatibus, ac nuptijs indulgent, & tamen ſphæram ſuam non excedunt conuiuantes. Ideò Virg. Georg. 4. de ruſticalibus conuiuijs, ait:

Mutua inter ſe læti conuiuia curant.
Inuitat genialis hyems, curaſq; reſoluit.

Quarè hæc omnia eruditè amplexum Vatem non ambigo.

MANES CORONATI. Manes appellari Deos inferos iam vidimus lib. pri. carm. 41. Quare, per *Manes* ſuperiorem hìc Inferorum ordinem deſignari, vt dicebamus, abundè conſtat; qui videlicet, proculdubio, in ipſa ſummi Regis, ac ſponſi, aula, vna cum ipſo conuiuia peregiſſe cenſendi

ſunt. *Coronarij* autem dicuntur, more nuptiali ſeruato, qui etiam apud Romanos ſubindè viguit: atq; vt alluſio habeatur ad antiquorum omnium mores, qui, non in nuptijs tantùm, ſed in lætiſſimis quibuſuis conuiuijs, ornare ſe coronis vtique conſueuerunt, Athenæo teſte qui titus, non ad luxum, ab initio, inuectus eſt; ſed ad euitandam offenſionem, quæ ex vaporibus hauſti vini in caput ſæpe redundat. Vtebantur igitur primo ſimplici diademate ex faſciolis complicato, vt eâ faſciâ potiùs adſtringerent caput, quam ornarent; cum enim conuiuiorum ſemper mos fuerit, vt ſe ſe ad bibendum largiùs inuitarent, conuiuæ, experimento compertum fuiſſe aſſerunt, prodeſſe admodum illam frontis colligationem, ne vinum, æquo largiùs ſumptum, vapores ad caput extolleret. Verùm, quod, in ino, inuentum fuit ſalubritatis cauſa, ſucceſſiuis ſubinde temporibus, poſteritas in luxum conuertit, & quidem largè nimis profuſum. Quarè Hor. lib. pri. carm. od. vlt. redarguit elegantiam pueri ſui, qui nimium laboris, ac pecuniæ impenderet, vt coronas ad huiuſmodi luxum compoſitas, hero, in conuiuijs, appararet, inquiens, hoc conditioni ſuæ conſonum non eſſe.

Perſicos odi, puer, apparatus
Diſplicent nexæ phyllyra coronæ:
Mitte ſectari, roſa quo locorum
Sera moretur.
Simplici Myrto nihil allabores
Sedulus curæ. Neque te miniſtrum
Dedecet Myrtus, neque me, ſub arcta
Vite bibentem.

PERAGVNT CONVIVIA GRATA. *Peragere* eſt *diuturne agere*, ſeù *in longum protrahere*; hæc enim eſt vis illius particulæ *per* in compoſitione. Verum idem ſignificat inſuper, ac *perficere*, hoc eſt *perfecto agere modo*. Quid ſit autem perfecto modo agere conuiuia, facilè deſumemus ex conuiuio, Æneæ, regiâ Didonis munificentiâ, conſtructo, apud Virg. Æn. pri., vbi hæc habentur.

Iam pater Aeneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt, ſtratoq; ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli Manibus lymphas, cereremq; caniſtris
Expediunt; tonſiſq; ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates;
Centum aliæ, totidemq; pares ætate, miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

Sed hæc non ea ſunt, in quibus elucet, licet maxima ſint, conuiuij luxus. Proſequitur itaque Virg.

Poſtquam prima quies epulis, menſæq; remotæ,
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

ex quibus colligitur primo, ſolitum in regijs conuiuijs fuiſſe, vt ea in duas diuiderentur partes, ita vt, primis conſumptis epulis, menſæ, tanquam perfecto iam conuiuio, auferrentur, &, quieſcentibus interim a commeſtione conuiuis, aliæ item menſæ inſtruerentur, ac ſi nouum ineundum eſſet conuiuium. Primam itaque conuiuij partem obtinebant lectiſſima queq; obſonia; ſecundam vero ſolis fructibus vberem fuiſſe commemorant. Secundo colligitur, in more poſitum fuiſſe, vt, inter vtramq; conuiuij partem, dum tempus famulis daretur menſas inſtaurandi, pocula coronarent; quod duobus modis fieri conſueuiſſe comperio: vel enim floreis vere coronis pocula, quibus ad bibendum vterentur exornabant: vel dignior aſſidens, accepto poculo, meris ſpumantibus repleto, libabat; ac ſubindè cæteri omnes, per gyrum ſequebantur; quod & appellabant *Pocula coronare*, vt item factum ait Virg. ibi:

Hic Regina grauem gemmis, auroq; popoſcit,
Impleuitq; mero pateram, quam Belus, & omnis
A Belo ſoliti &c. & mox ſubdit:
Dixit; & in menſa laticum libauit honorem;
Primaq; libato ſummo tenus attigit ore:
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hauſit
Spumantem pateram; & pleno ſe proluit auro
Poſt alij proceres &c.

Hæc autem omnia eruditiſſimus Auctor vnico concluſit in verbo, inquiens, *Peragunt conuiuia grata*; Vtitur enim plurali numero, vt geminas illas partes, conuiuium integrantes, lautè adeò inſtructas innuat, vt, *non conuiuium*, ſed *conuiuia* dici potuerint geminata. *Conuiuium* verò à conuiuendo dictum, apertè declarat Cic., de Senect., inquiens: *Bene maiores noſtri accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt.* Atque hæc *Grata* dicuntur, quia gratum eſt quidquid afferat iucunditatem.

RVMPVNT INSOLITI &c. *Populus ſilens* dictus eſt ſupra Populus inferorum, ob rationes a nobis in loco traditas. Quomodo igitur & mox ſupra Elyſiæ Matres loquuntur Proſerpinam conſolantes; & hic rumpunt ſilentia cantus? Facilis eſt reſponſio, ex epiteto, quod hic addit Vates, dum dicit: *Cantus inſoliti*: quod idem eſt, ac ſi dixiſſet: Populus quidem ille ſilens eſt, & ne hiſcere quidem poteſt; ſed in re inſolita, qualis erat, quæ viuam ſepultis admiſcebat Proſerpinam, vt illa, quæ in corpore eſſet, corporalibus non careret oblectamentis diſpenſatum fuit à Plutone, vt Matres Elyſiæ cantores, ac cæteri Inferorum cultores in corpore aſſumpto adeſſent, quò mediante inſolita hæc peragere potuerint. Adde quòd ſupra locutus eſt Vates iuxta rei veritatem, hìc vero loquitur iuxta fabulas, quæ docent vnumquemque in inferis eadem exercere, quibus dum vitam duceret, delectabatur; iuxta illud Virg. Æn. 6.

. . . . *Quæ gratia currum*
Armorumq; fuit viuis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Sed iam textum proſequamur. Regijs conuiuijs, vt plurimum, cantiones muſicæ peritiſſimis vocibus modulatæ adhibebant, vt teſtatur Virg. cit. Aen. 1. qui Didonis conuiuiũ, huiuſmodi modulationibus conditum, talibus aſſerit verbis:

. . . . *Cythara crinitus Iopas*
Perſonat aurata; docuit quem maximus Atlas
Hic canit, errantem Lunam, Soliſq; labores &c.

Hoc idem cecinit Brac. de Cruce lib. 12., vbi, cum Heraclij conuiuium deſcripſiſſet, hæc ſubdit:

E i diletti accreſcendo altri percuote
L'argentee corde alla canora cetra;
Altri ſoauemente i nerui ſcuote
D'angelic' arpa, e i duri cuor penetra;
E s'accorda tal' vn ſi dolci note,
Ch'i ſenſi inuola, e le ſembianze impietra;
Nè pur il ſuono à quel cantar s'vniſa;
Mà l'harmonia frà lor fan harmonia.

Ne igitur regali Plutonis conuiuio aliquid deeſſet, & muſicas non defuiſſe notas aſſerit Auctor. Ideò *Cantus inſoliti*. De cantu vide lib. 1. carm. 3. Melos eſt, & melodiæ modulatio. Cur *inſoliti* dicantur, iam vidimus. Sed inſuper duplicem hic ſenſum importare per huiuſmodi epitetum, non dubito, alterum reſpectiuum ad melodiæ perfectionem, quæ tanta fuerit, vt nulla vnquam æquanda cenſeatur; alterum ad locum, vbi melodia haberetur; nam certe in Regno, luctibus ſemper reſonante inſolitum prorſus fuerit neceſſe eſt, angelicam audiri modulationem. Sed dices: vnde apud inferos tunc muſicæ artis periti? Ex Elyſijs reſpondeo cum Virg. Aen. 6. Threyciũ cantorem in Elyſijs recenſente.

Quin & Threycius longa cum veſte Sacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
Iamq; eadem digitis, iam pectine pulſat eburno.

Inſtabis Orpheum, poſt raptam Proſerpinam, ad Elyſios campos deſcendiſſe. Eſto. Ex hoc tamen facile deducitur muſicæ artis peritos in ditione Plutonis non defuiſſe, nempe in Elyſijs; nam ſicuti Orpheus, ita & plurimi, eadem arte pollentes, ab Orbe condito, vita functi, Elyſios campos adijſſe, iuxta antiquorum opiniones, dicendi ſunt. Vrgebis: ergò non eſt cur, reſpectu loci, inſoliti dicantur cantus, ſi hæc vera ſint, & ſpectata Virg. ſententia ex Aen. 6. ſupra allegata. Verùm memineris conuiuium Plutonis peractum fuiſſe in Aulis regiæ Ditis, quæ iuxta eumdem Virg. cit. longè diſtat ab Elyſijs, ideòq; ea, quæ in illis aguntur Ditem non recreant; nec enim Beatorum in illa audiuntur voces. Ideò *Cantus &c.*

RVMPVNT TENEBROSA SILENTIA. Cauſa, cur Populus tartareus dictus fuerit *ſilens*, eſt etiam cauſa, cur ſilentia dicantur apud Inferos regnantia: quare videas ibi dicta. Tenebroſa verò dicuntur, quia in Regno noctis degunt æternæ, conſequenter perpetuis obſita tenebris detinentur. Ideò *ſilentia tenebroſa*, hoc eſt tenebricoſi Regni ſilentia rumpunt, frangunt, violant, ne continuationem, ac perpetuitatem ſuam ſeruent intactam, ſed cedere cogantur ad tempus.

SEDANTVR GEMITVS EREBI &c. Quidquid horridum in Inferis degit, ab ijſdem ſemouet, hac data nuptiarum occaſione, atq; à remotione incipit gemituum. Dices: adhùc hæremus ſyrtibus. Populus ſilens eſt: ergò & à gemitibus alienus; ſi vera ſunt quæ iam diximus. Sed aduerte ſermonem hic eſſe de Damnatis in Tartarum detruſis, quorum plurimos ibi extare, durante adhuc vnione Animæ cum corpore, fabuloſa recenſet hiſtoria, vt patebit ex Indiuidus

uidus infra recolendis. Quare poterant hic & gemere, & vlulare &c. Quid porrò ſint gemitus diximus ſupra carm. 333. Hic tamen ponitur *gemitus* pro quacumque expreſſione doloris, vel gemitibus ſcilicet, vel vlulatibus, vel rabidis quibuſcumque vocibus facta. Gemitus autem, apud Inferos fieri teſtatur Virg. Aen. 6. vbi, cum Aeneam ad Ditis conſpectum adduxiſſet Vates, illicò ſubdit:

Hinc exaudiri gemitus, & ſæua ſonare
Verbera; tum ſtridor ferri, tractæq; catenæ.

De Erebo vide dicta lib. 1. carm. 32. Et *ſedantur*, inquit, hoc eſt inducias patiuntur, & ſilent interim, ne lætitiarum ſeries perturbetur.

SQVALLOR SPONTE RELAXAT SE. Idem eſt *ſqualllor*, ac deformitas; ſed propriè obſcura quædam, ac tetra admodum deformitas eſt: & hæc quidem propria inferorum, fædo ſemper ſitu ſquallentium, vt lib. primo nouimus: atque hæc ipſa denſitatem, ac intenſionem remittere ſuam dicitur, adeò vt non obſtinatè adeò reſiſtat, atque ad omnem prorsùs excludendam lucem non, vt antea ſemper, condenſetur. Id enim exprimitur per verbum *relaxat ſe*: & quidem ſpontè, ideſt *vltrò, voluntariè*, vt Plutonicis videlicet lætitijs adularetur.

ET PATITVR RARESCERE ÆTERNAM NOCTEM. De verbo *Pati* vide nuper dicta carm. 313. & fuſiùs carm. 598. Idem hic eſt, ac *permittit*. De nocte, vt Dea eſſe aſſerebatur, vide dicta lib. pri. carm. 112. Hic ponitur cauſa pro effectu, nempè pro tenebris Nox: atq; *æterna* dicitur, hoc eſt alioqui inuincibilis, ineluctabilis, conſequenter nullum vnquam finem habitura. Quarè & inter prodigia iure ponitur Nuptialia hoc, quod eſt ipſam *rareſcere*, nempè cæpiſſe quidem rareſieri, ſed modiciſſimam tamen rarefactionem admiſiſſe: puta qualem deſcripſit Virg. Æn. 6. dum ait:

Quale per incertam Lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſyluis; vbi Cælum condidit vmbrâ
Iupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.

hæc enim eſt vis illius verbi *rareſcere*, eo quod inchoatiuum ſit imperfectiſſimam denotans actionem. Quibus Auctor noſter mirum in modum amplificat obduratas illas inferorum tenebras, quæ ne à tedis quidem hiſce nuptialibus lucem receperint, niſi modiciſſimam, & quæ nihilominus ipſa prodigij loco haberetur.

NEC VRNA MINOIA &c. Tres, apud Inferos fuiſſe Iudices Animarum conſtitutos, nempè Minoem, Eacum, & Rhadamantum, alibi innuimus. Hi, vt ſcripſit Plato, poſtquam mortuorum Animæ eo acceſſiſſent, vbi via ad inferos ducens in duas ſindebatur, quarum altera ad Tartarum, altera ad Elyſium duceret; vt meminit Sybilla Virg. Æn. 6.

Hic locus eſt, partes vbi ſe via ſindit in ambas;
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit;
Hac iter Elyſium nobis. At læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Hi, inquam, Iudices in hoc biuio tribunal erigentes iudicare dicuntur Animas, atq; hic, vniuſcuiuſque cognitâ cauſâ, eas, pro meritis, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram deflectere cogebant. Eacus quidem, & Rhadamantus cauſas diſcutiebant, ſententias ferebant, ſed, ſi quid ambiguum in ipſorum mentem irrepſiſſet, Minos diſcutiebat, ac dilucidabat, vt iuſtiſſimum procederet Iudicium. Nota his iudicibus arcana omnia vniuſcuiuſq; conſcientiæ eſſe antiqui prodiderunt; ideòq; nulla fuit vnquam ſpes reis, vt Iudices fallere, vel delictum aliquod occultare poſſent, & non fateri. Quod totum inuentum eſt, ad inſtruendos homines, edocendoſque, omnia aperta eſſe diuinæ cognitioni, ac Iudicium ſupremi Iudicis incorruptibile, iuſtiſſimum æquè, ac ineuitabile eſſe. Modum autem, quo hoc Iudicium à præfatis iudicibus fieret, ſic recenſent, vt decerptus manifeſte appareat ex ritu tribunalium Athenienſium, & Romanorum, in quibus ſcilicet nulla audiebatur, aut diſcutiebatur cauſa, quæ priùs non fuiſſet extracta ordinatim ex vrna: ſingula enim nomina eorum, qui in Iudicio adſtabant in vrnam ſchedulis conſignata ingerebant; inde ſchedulas, inſerta in vrnam manu, ſingillatim extrahentes, nomen, quod extraxerant, pronunciabant; ſicq; cuius nomen, primo loco, eductum fuiſſet, illius, primo loco, cauſa dicebatur; & ſic de ſingulis ſucceſſiuè exeuntibus. Hunc autem ipſum morem, ab Inferis ſeruatum Iudicibus, ſatis innuunt, qui vrnam & illis attribuunt. Inſuper, ſi plures pro tribunali iudices eiuſdem ſederent cauſæ, auditâ eiuſdem diſcuſſione ſententiam quiſq; ſuam, per litteram, vel condemnatoriam, nigris exaratam lapillis, vel abſolutoriam albis, ſecretò in vrnam pariter mittebant, quibus inde extractis, ſi plures in condemnationem concurriſſent, reus damnationi addicebatur, ſi plures in abſolutionem, abſolutus dimittebatur. Et hunc ipſum ritum apud Inferos iudices viguiſſe, aſſeuerabant vrnam illis tradentes; ita tamen, vt, cum Eacus, & Rhadamantus ſententiam tuliſſent, Minos eas ex vrna extraheret, ac, ſi quid non ſincerum agnoſceret irrepſiſſe, ita vt in aliquo diſcordes cerneret, addito ipſe iudicij ſui calculo, vel pœnas, vel præmia ſtatueret irroganda. Hoc Minoi datum aſſerunt, vtpotè qui Rex Cretæ, cum viueret, incorruptibilem ſemper ſeruauerit Iuſtitiam, quod inde factum arbitrantur complures, quod Minos Iouis fuerit filius ex Europa progenitus, atq; ab eodem Ioue præcepta de recto regimine acceperit. Primus itaque inter inferorum Iudices electus Minos, & Animas, ſortitione facta, in Iudicium vocabat, & ſententias ponderabat &c. quod innuit & Virg. Æn. 6.

Quæſitor Minos vrnam mouet; ille ſilentum
Conciliumq; vocat, vitaſq;, & crimina diſcit.

Ad hæc itaque reſpiciens Auctor, cum ſciret, nefas eſſe, vt in Principum nuptijs forum obſtrepat, vel criminalia exerceantur iudicia, hæc ipſa apud Inferos, interim, ſiluiſſe deſcribit. Ideò *Nec vrna Minoia* ſic dicta à Minoe, de quo ſupra, nempe vas illud, quo Iudicium ſuffragia colligerêtur.

VERSAT INCERTAS SORTES. Iudicis ſcilicet concuſſa manu agitat ſchedulas incluſas, vt magis, magiſq; commixtis, quæ intùs laterent, nominibus extrahendis, ſortis arbitrio daretur eductio, atque in Iudicium euocatio: & iterum *verſat*, hoc eſt *inuerſa effundit* aliorum Iudicum recepta vota, vt à Minoe ponderentur, vt ſupra dicebamus, Quæ cum actiones Iudiciariæ ſint, iſtis ceſſantibus, iudicium omne ceſſaſſe facilè intelligitur. Quare periphraſis hic adeſt intermiſſam iudiciorum ſeriem deſcribens, De Sortibus nonnulla dix. lib. 1. carm. 130. Sed in alio hic ſenſu ponuntur *ſortes incertæ*, nempe pro ſucceſſiuo ordinis euentu, qui ab extractis priùs, vel poſteriùs ex vrna ſchedulis præſcribendus eſſet. Atque hoc dixeris, ſi ad primam Iudicandorum ſortitionem Vatis referas ſententiam. Si verò ad ſententias iterum referas ponderandas, memineris, *ſortem* pro iudicio non ſemel vſurpari, vt patet ex Virg. Aen. 6. cùm ait:

Nec verò hæ, ſine ſorte, datæ, ſine iudice ſedes.
Quæſitor Minos vrnam mouet &c.

incertæ autem erant & huiuſmodi ſententiæ, non quidem reſpectu ferentium, ſed reſpectu expectantium quid de ſe in iudicio ſtatueretur.

VERBERA NVLLA SONANT. A ceſſatione Iudiciorum ad ceſſationem graditur tormentorum, quæ omnia, poſita pro genere ſpecie, vnico verberum nomine comprehendit. De verberibus vide ſuperiùs dicta carm. 197. ijs autem damnatorũ animas torqueri teſtatur & Virg. Aen. 6.

Continuò ſontes vltrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans &c.

quæ hic, in nuptiarum obſequium, iam *nulla ſonant*, hoc eſt ſonum, ſtrepitum, fragorem edunt: quod duplicem poteſt habere relationem: primò ad flagella ipſa, quæ, dum euibrantur in ictum, perfracto exſibillent aere; ſecundò ad ictus ipſos, qui, damnatos dùm obtundunt, ſonum edant, eo pacto, quo ex colliſione duorum corporum fieri ſonum iam diximus carm. 173.

NVLLOQ; FREMENTIA LVCTV &c. Luctus verbera, præcipuè grauiſſima, neceſſariò ſequitur. Quare antecedentibus conſequentia ſubnectit aptiſſimè Vates. Luctus verò & plorationem, & eiulatum, & fremitum doloris includit. Vide dicta carm. 240. Sed memineris ibi luctum amoris importari, hic verò doloris, ex quo *frementia* dicuntur Tartara; nam *fremere* eſt ingens murmur, ad inſtar Irati maris edere, quod maximam indicat doloris in patiente acerbitatem.

IMPIA TARTARA RESPIRANT. Vide de Tartaris dicta lib. 1. carm. 114. hic continens ponitur pro contento, nempe, pro damnatis, *Tartara*, quæ & *Impia* dicuntur ad diſtinctionem illius partis Inferorum, qua Piorum ſedes continentur, vbi nulla oberrant tormenta, quæ *Impia* tantùm, hoc eſt iniqua, ſcelerata, ac pœnas omnes promerita plenis depluunt manibus vltores ſcelerum. *Reſpirare* autem eſt *ſpiritum attrahere*, quod ponitur pro *tantiſper à laboribus, vel paſſionibus recreari*: connaturale enim eſt, vt, qui grauiſſimo laborum pondere premitur, ſi interdum leuetur pondus liberiùs ſpiritum attrahat, ac ſi recreetur. Similiter, ſi paſſionum æſtu ſpiritus penè interclusus, vix ægrè meandi habeat facultatem, ſi paſſiones tantiſper remittant impetum, liberiùs attrahit ſpiritum, qui cruciabatur, Quarè Virg.

cum

cum indicare voluerit, peſſimo ſe res Turni loco habuiſſe, tunc, quando innumeris pene Troianorum telis, ad anguſtias redactus obruebatur, cum ne reſpirandi quidem facultatem dictitat habuiſſe Æn. 9.

. . . . . Tum toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit: feſſos quatit æger anhelitus artus.

vt itaque & Vates noſter oſtendat, meliori ſe iam loco habere damnatos omnes, reſpiraſſe eos, aptiſſime dixit;

DILATIS POENIS: Cauſam enim reſpirandi aſſignat ceſſationem pœnarum. Sed, ne quis crederet ceſſationem illam perpetuam fuiſſe futuram, *dilatis*, inquit, non *ablatis*, hoc eſt ſemotis quidem ad tempus, ſed iterum, & breui reddituris; nam quod differtur, non aufertur, vt vel vulgus ſæpè decantat

NON ROTA &c. Quod ſub generali propoſitione, *Dilatis reſpirant crimina pœnis* incluſerat, iam, per diſpoſitionem reſolutiuam, diſtribuit in partes, & ſingillatim enumerat, celebriores tamen tantummodo pœnas memorans, ne abeat in infinitum.

ROTA PRÆCEPS NON TORQVET SVSPENSVM IXIONA. Rota tormenti genus eſt, cui addictus dicitur in Inferis Ixion, qua de re vide dicta in Præfatione ad hunc lib. carm 44. Hæc autem *præceps* dicitur, quia præcipiti rotatu agebatur, quo atrociùs Ixion torqueretur. Sed, iam hæc *non torquet*, hoc eſt nec circumrotatione, nec membrorum excrucia confractione, *Ixiona ſuſpenſum*. Quis fuerit Ixion vide loco mox cit. tantùm hic nota græcanicam locutionem *Ixiona* pro *Ixionem*, per helleniſmum, proferentem, & *ſuſpenſum* dixit, hoc eſt illi alligatum, ita vt ab eadem rota & penderet, & torqueretur.

Voluitur Ixion, & ſe ſequiturque, fugitque; Ouid. Met. 4.

NON AQVA TANTALEIS &c. Poſt Ixionem, Tantalum memorat reſpirantem; ac, ſicuti ſub Ixionis fabula Impudorum, atque amatorum hominum, (quos Ixion repræſentat, qui Nubem compreſſit, loco Iunonis, quam appetierat, vt Ioui æquaretur, nec illi vxorem inuideret) pœnam oblater attigit; ſic exprimit, hoc loco, tormentum Auaritiæ; nam Tantalus auarorum vtique typus eſt. Fuit itaque, vt narratur ab Euſebio, Tantalus Iouis, ac Plotæ Nymphæ filius, vel, vt alij volunt, cum Luciano, filius Æthonis cuiuſdam fuit. ſed, quacumque tandem fuerit origine Cretus, certe Rex Corinthiorum fuiſſe dicitur, ac ſane Dijs olim amicus adeò, vt eos ſæpe etiam hoſpitio exciperet. Verum auaritia ſubinde obcæcatus, cum ſemel Dij ad ipſum diuertiſſent, nec haberet in promptu, quid guſtandum apponeret, ne ſumptibus crumenam exagitaret, maluit filium ſuum mori, quam marſupium euacuari. Itaque Pelopem filium elixatum Dijs appoſuit comedendum. At illi, crudelitatis non inſcij, ab epulis impiè appoſitis abſtinuere, vna Cerere excepta, quæ inconſultò humerum Pelopis dicitur deuoraſſe. Tunc itaque Dij, humerum ex ebore elaboratum Pelopi ſuperaddentes, eiuſq. anima per Mercurium ab inferis reuocata, eum vitæ reddidere: Tantalum verò, impij ſceleris auctorem, ad Inferos detruſum, hac pœna mulctarunt, vt ſcilicet rabida, ſemper fame eſuriens, ac ſiti exæſtuans inextinguibili, in aquis ad mentum vſque degeret, ac, ſupra caput, inuitantia ad labrum vſq. deſcenderent poma. ſed ea lege, vt, quoties mentum inclinaret hauſturus, deprimerentur lymphæ adeò, vt ſemper mentum attingerent nunquam labrum; quoties verò caput attolleret, poma decerpturus, in altum illa euolarent. ita vt inter epulas, & potus miſerrima ſemper fame, ac ſiti inextinguibiliter necaretur. Quarè Homerus, cuius græca carmina latinitate donauit Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 13. Tantalum in inferis ſic deſcripſit:

Tantalon hic vidi duros perferre labores;
Namque erat in ſtagno mentum tangente, ſitiſque
Aſsidua vrgebat; potandi at nulla facultas;
Nam quoties in aquam deflecteret labra, refugit
Vnda leuis totics abſorta, ac terra videtur
Sub pedibus: rurſuſque leuem Deus euocat vndam.
Hic ſunt, arbores fætæ, præſtantia mala
Punica, ſunt olea, ſunt ficus, pomaque forma
Inſigne, ſenis allectans quæ cuncta palatum;
Sed quoties manibus tentat decerpere fructus,
Proximùs hos ventus referet in nubila portas.

Tibullus lib. pri. breuiter, ſed acutè Tantaleam ſic ſitim deſcribit eluſam:

Tantalus eſt illic; & circum ſtagna; ſed acrem
Iam iam poturum deſerit vnda ſitim.

Ouid. Metam. 4. . . . *Tibi, Tantale, nulla*
Deprehenduntur aquæ, quæque imminet effugit arbor.

& alibi hac pœna damnatum recenſet, quod Deorum ſecreta mortalibus reuelaſſet, cum ait:

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

Nec dicas Tantalum fuiſſe in Inferos detruſum poſt raptam Proſerpinam, cum dicant Pelopem à Cerere voratum, quid ageret neſciente ob amiſſæ dolorem filiæ; nam non defuerunt in Inferis etiam ante Proſerpinam auari, quos ſub Tantali parabola deſignaret Vates. Alij putarunt ſaxum ingens Tantaleo capiti imminere, quod quoties bibere, aut poma carpere conaretur, totiès illius caput percuteret. Et in hac ſententia videtur fuiſſe Virg. Aen. 6. cum ait:

Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque;
Quos ſuper atra ſilex iam iam lapſura cadentique
Imminet aſsimilis &c.

Vates tamen noſter, priorem ſecutus ſententiam, inquit *Aqua innoxia non ſubducitur*. Quid ſit aqua, notiſſimum profectò eſt. ſed nota acutiſſimum Vatis in hac voce acumen: *Aqua* enim dixit, non *Lympha*, *vada*, aut *humor*; quia *aqua* dicitur, quaſi compoſita ab *ἄλφα* græcorum voce priuatiua, & *qua*, ita vt dicatur illa eſſe *ſine qua* vitam ducere nequeamus. Non poterat itaque Ixion ſine hac viuere aqua; & tamen viuebat, atque ideo eius vita *continuata mors* erat; & hic ſenſus eſt, ab eruditiſſimo Poeta incluſus in illa vnica voce *aqua*, vt & Tantali pœnam immenſam, & induciarum gratiam oſtenderet ampliſſimam. Dupliciter autem Aqua illa dicitur *innoxia*, nempe & pro ſtatu antecedenti ceſſationem pœnæ, quia de ipſius Tantali infelicitate lætari, ac geſtire illudens videretur; & *innoxia* poſt ceſſationem cruciatuum, quia recreatum Tantalum doleret, dum *non ſubducitur*; ideſt non ſubtrahitur, non eripitur à labris ſitientibus. Aduerte tamen, hic tantùm dici, quid factum non fuerit; nam quid factum fuerit dicet inferiùs; interim *non ſubducitur*

LABRIS TANTALEIS. Labra quid ſint, notius eſt quàm explicetur. hic pro toto ſitientis gutture ponuntur; & Tantalea per poſſeſſiuum nomen ab ipſo dicuntur Tantalo.

SOLVITVR IXION. Ab enumeratione effectuum, habita hucuſque per negationes, tranſit ad enumerationem, per poſitiones, contexendam; vt duplici correſpondeat gratiarum generi; nam, vt notum eſt, aliæ dantur gratiæ negatiuæ, per quas ſcilicet priuatur aliquis incommodo, ac pœna, vt hucuſque factum aſſeruit Poeta: aliæ dantur gratiæ poſitiuæ, per quas commoda, atque vtilitates in aliquem conferuntur. Vt itaque omnium gratiarum fontem apertum, in his nuptijs, fuiſſe, oſtendat ab enarratis gratijs negatiuis ad poſitiuas ex eodem fonte prouenientes dilabitur enarrandas. Ideò *Ixion* iam imperfectè, vt ſupra, recreatus, ex remorato rotæ curſu, perfectè recreatur, dum *ſoluitur*. Rotæ alligatum inter mortiferos ſerpentes fuiſſe Ixionem, iam multorum eſt ſententiâ decantatum; Sed & hoc expreſsè innuit Virg. Georg. 3. cùm ait:

Inuidia infelix furias, amnemque ſeuerum
Cocyti metuet, tortoſque Ixionis angues
Immanemque rotam &c.

Ceſſaſſe huius rotæ circumuolutionem, ac, per conſequens, tormentum innuerat Vates ſupra: Sed quia animaduertit, factum, affirmari, hanc ipſam rotæ ceſſationem, a Virgilio, tunc etiam, cum Orpheus Euridicen repetens ſuam, plectro Tartara deliniuit; dum Georg. 4. hæc referens Mantuanus Homerus inquit:

Atque Ixionij vento rota conſtitit orbis.

vidit etiam oculatiſſimus Auctor, non futurum fuiſſe quid ſingulare, ac nulli alteri conceſſum, vel concedendum, id, quod ſingulari nuptiarum fieret occaſione, ſi eodem pacto factum, gratia ſui, vel ante, vel poſt ipſas nuptias, gloriari quis poſſet: quare poſita ceſſatione circumlationis huius rotæ cum Virg., addit ſolutum Ixionem: quod Virg. factum non aſſeruit in gratiam Thracis canentis, ac ſic perfectè recreatum oſtendit Ixionem, quod nunquam erat euenturum, niſi imperfectè, aliâ quacumque data occaſione. Ex his conſtat, quam immeritò Heinſius, qui accuratiſſimam hanc Poetæ ſolertiam non viderit. Hoc carmen ex albo, vel inutis, vt ipſe ait libeus, dixerit omninò expungendum, quippe ex ſuperioribus conflatum; miratus id eruditos Interpretes fugiſſe. Miror enim ego potiùs, tantæ eruditionis virum hoc vnum latuiſſe.

INVENIT TANTALVS VNDAS. *Inuenire* hic ponitur pro *adipiſci*, obtinere, ac *bibendo potiri*. Sed nota vim, hoc loco, huius verbi: nam inuenire dicimur, cum præter expecta-

pectationem, & inſperatò, in aliquid, quod optabamus, incidimus. Sic itaque Tantalus, præter expectationem, aqua potitus eſt, ac labra proluit fonte, vt optabat quidem, ſed non ſperabat. Ideò aptiſſimè *immenis vndas*. Quælibet *vnda* aqua eſt; ſed non quælibet aqua *vnda* dicitur; nam vt alibi diximus, *vnda* molem aquæ ingentem propriè ſignificat. Vt igitur oſtenderet Vates, pleno ſe Tantalum fonte proluiſſe, *lumenes*, inquit, non *aquam*, quia ad hoc ſatis fuiſſet, ſi modiciſſimam adeptus vix ſummis libaſſet labris: ſed *vndas*, & quidem plurali numero, vt, creſcente aquarum copia, eum ſitim abundanter extinguere potuiſſe affirmaret, ac ſic perfectè & ipſum recreatum oſtenderet, quod antea non expreſſerat ex eo, quod dixerit Aqua non ſubducitur, non potuit non ſubduci per fugam aqua, & adhùc impediri Tantalus, ne biberet, aut ne ad ſatietatem biberet, quod hic conceſſum, & factum declaratur.

ET TYTIVS &c. Notam arbitror Tytij fabulam. Sed, ſi quis à fabulis alienus in hunc locum incideret, in huius gratiam non ſuperfluum duxerim plenam Tytij notitiam ingerere. Pherecides itaque ſcribit, Elaram Orchomêni filiam a Ioue compreſſam, & ab eodem, Iunonis zelotypiam timente, intra terram, cum vterum geſtaſſet occultatam, ibi Tytium genuiſſe, quem ſubinde, cum obierit Mater, tellus ipſa educauerit; ex quo factum, vt Tytius Terræ alumnus diceretur. Hoc ipſum autem confirmatur ex Strabone, qui refert Specum in Bæotia eſſe Elaram à re geſta denominatum. Cum iam Tytius adoleuiſſet, quibuslibet improbitatis, ac libidinum ſordibus inquinatus, dicitur eò dementię perueniſſe, vt Latonam, vt aliqui dicunt, de ſtupro interpellare, auſus fuerit; vel, vt alij malunt, Dianam ipſam; quare ab ipſa Diana, vel, ſecundùm alios, ab Apolline fratre, confoſſus ſagittis, interijt. Immò recenſent alij, ambos, nempe & Dianam, & Apollinem, vnitis in illius cædem ſagittis conſpiraſſe. Et certè refert Pauſanias in Laconicis templum olim extitiſſe, in quo Apollinis, & Dianæ imagines eſſent, à quibus vnitim Tytius telis conficeretur. Hunc, poſt acceptam cladem, detruſum ad inferos memorant: atque ibi proſtratum, ligatumq;, vt mouere, nullo pacto, ſe poſset, iecur expoſuiſse, laniandum vnguibus, ac roſtris Vulturis; & quidem gemini, vt aliqui volunt, deuorantis, ea lege, vt, ſemel abſumptum, iecur iterum repullulaſcens ſuccreſceret, vt nunquam cibus auibus, nunquam tormentum Tytio deeſset. Ex quibus patet, Tytium, ſicuti & Ixionem, & Tantalum, non modo quò ad animam, ſed etiam quò ad corpus, in Inferis detruſum; vt habeas, quomodo in Populo ſilenti ſtridor, luctus, & eiulatus, etiam à puris vmbris præſcindendo, haberi potuerit. Tytij tormentum deſcripſit Homerus, cuius carmina, latinitati donata, apud Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 19. hæc ſunt.

Hinc Tytium vidi terræ omniparentis alumnum
Proſtratum: tenet ille nouem nam iugera terræ:
Hinc, atque hinc, Vultur iecur immortale vorabat,
Vmentem ingreſſus. Manibus non ille repellet &c.

ex quo vides, ab Homero duos aſseri Vultures torquentes. Virg. verò Aen. 6. eamdem deſcribens pœnam, vnicum Vulturem appoſuit, ita rem luculenter exponens.

Nec non & Tytium terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur; roſtroq; immanis Vultur adunco
Immortale iecur tondens, fœcundaq; pœnis
Viſcera, rimaturq; epulis; habitatq; ſub alto
Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.

Ouid. etiam Metam. 4. rem ita obiter attingit.

Viſcera præbebat Tytius lanianda, nouemq;
Iugeribus diſtractus erat.

ex quibus habes, Tytium giganteæ molis corpus habuiſſe, cum nouem terræ iugera, proſtratus, occuparet. Et

TANDEM ERIGIT ARTVS SPATIOSOS. De aduer. *Tandem* vide ſuperiùs carm. 119. Verbum verò, ex *e*, & *rego* compoſitum, dicitur de eo, qui ex humo, vbi ſtratus iacebat, ſemetipſum extollit, & iam pedibus ſe ipſum regit eleuatum: quare optimè de Tytio dicitur iam ſe ſe pœnis eripiente, vt patet ex dictis. Quid pariter artus ſint, videas lib. 1. carm. 62. hic certè pro membris, & toto corpore ponuntur artus, quos *ſpatioſos* dixit, hoc eſt vaſtos, atque magno ſpatio commenſuratos. Quam vaſta verò corporis mole inſignitus fuerit Tytius, & patet ex dictis, & ſic vlteriùs explicare aggreditur Vates.

ET DETEXIT NOVEM IVGERA CAMPI. Conſequentia ad erectionem Tytij cum antecedenti erectione copulat, & connectit. *Detegere* eſt *id, quod tectum erat aperire*: ex eo itaque ſpatio, quod detegitur à Titio, ſe ipſum erigente, deducit Vates, quantum ſpatij occupauerit, & taxauerit ſibi; atque ex hoc molem corporis conſpiciendam ſubijcit oculis. Porrò Iugerum, vt ait Quintil., à iugo dicitur, nam tantum terræ ſpatium indicat, quantum, vno boum iugo, vna die, arari poſſit: quod ſpatium idem Quintil., ad menſuram redigens, ait continere ducentos quadraginta in longitudinem pedes, centum verò, ac viginti in latitudinem. Iugeri itaque ſpatium, per *nouem* multiplicatum, conficiet ſpatium, bis mille, centum, ſexaginta pedibus longum; mille autem octoginta latum: & hoc eſt ſpatium, ſtrato Tytij corpore commenſuratum. Quid ſubindè *campus* ſit, vide dicta ſuperiùs carm. 77. Hic locum notat, vbi Tytius pœnas lueret, qui cum tantæ molis eſſet, vt nullo clauſo loco detineri poſſet, in campo detinebatur.

TANTVS ERAT. Ex tantæ molis admiratione non potuit Vates, quin in exclamationem per modum epiphonematis erumperet. *Tantus erat*: ideſt tam ingens, tam vaſtus &c.

ET PIGER SVLCATOR &c. Euulſum à pectore Tytij, vna cum pœna, carnificem periſraſtice deſcribit; atq; hoc ipſum conſequens cum antecedentibus connectit. Antonomaſticè autem *piger ſulcator lateris* dicitur *vultur deuorans*. Auis hæc rapax, vt noſtis eſt, & carniuora, *vultur* dicta à tardo, quo circumuolat, corporis motu, quaſi *tarde ſe voluens* propter magnam, ac grauem corporis molem. Et quia mortuorum cadaueribus paſcuntur opipare vultures, ideò ab aliquibus animata ſepulchra compellantur. Hæc auis Iuſtitiæ ſymbolum credita fuit ab Antiquis: idcircò &, pro diuina iuſtitia, poſitam arbitror, quæ ſeueriſſimè punit delinquentes. *Sulcator* nomen eſt efformatum à verbo *ſulco*, quod eſt *proſcindo, ac proſcindens ſulcum facio arantis more*. Ideò itaque & vultur *ſulcator* dicitur, quod iecur abrodens ſulcos, aratri in morem, proſciſſos relinqueret, & apertos. Epitetum *Piger*, ſi ad vulturino naturam referatur, ſatis ex dictis conſtat, quid ſignificet. Verùm quia marem, inter vulnerum cætus, nullum reperiri autumant complures, qui eas vento fæcundari tradiderunt, vt refert Pier. Valer. in hierogl., Epitetum *piger* potiùs adaptandum arbitror illi ſubſtantiuo *ſulcator*; ita vt modum dicat actionis deuoratiuæ, non verò potentiæ motiuæ, ſeu modum volatus. Hoc itaque adiuncto Vates pœnæ intenſionem adauget; nam, quò pigrior eſt tortor, diuturniùs, & atrociùs tormentum eſt. Ideò *Sulcator piger*

LATERIS OPACI. *Latus* tota ea pars dicitur, quæ ab ala inferiùs protenditur, vel ab eo quod alæ locum tenet: quarè & pectoris dimidium ex vtraq; parte ad *latus* pertinet. Cum itaque iecur in laterali pectoris parte reſideat, hanc ſulcare, ac proſcindere, vultur debuit, vt appoſitum voraret iecur. Ideò *ſulcator lateris opaci*, tempe *cauernoſi*, ſiuè, *in antri modum*, excauati; nam ex concauitate efficitur, vt ibi reſideant vmbræ, ideòq; *opacum* fiat id, quod ita excauatum eſt.

INVITVS TRAHITVR LASSO DE PECTORE. Quid ſignificet additum *inuitus* habes ſupra carm. 231. *Trahitur* pro abſtrahitur, per apherefim, additur; ideſt vi eripitur, & diuellitur *de pectore*, ex quo vid., eſcam iucundiſſimam captans, non niſi inuitus diuelli potuit. Et *laſſo* additur, hoc eſt tormentis fracto, ac ſemper morienti, nunquam mortuo, licet mortuo ſimilis fieret, ſed verè nunquam mortuo, cum ſemper nouum gigneret vorandum iecur.

ET DOLET, ABREPTAS FIBRAS IAM NON SIBI CRESCERE. Proprium cuiuſq; animantis eſt, vt dolore afficiatur, ſi optata, qua potiebatur, eſca priuetur: & proprium efferati tortoris eſt, deficiente materia, in quam carnificinam exerceat, mærore affici. Ex vtroq. capite Vates dolentem memorat auem; atq;, hoc eodem verbo, illum ſigna doloris edentem inſinuat, ſtridoribus videlicet, circumuolitationibus &c. & dolet *abreptas fibras &c.* *Fibræ* dicuntur rerum omnium extremitates; vnde & iecoris, & cordis, & quorumcumq; viſcerum extremitates *fibræ* vocantur. Hic pro toto ponuntur Iecore per ſynecd. *Abreptas* autem dixit; nam *abripere*, à quo participium *abreptas* inflectitur, eſt *rapere ab*. Dolet itaque Vultur, fibras, ab aperto pectore ſua raptas voracitate, iam non ſibi &c. Mallet Heinſius *abruptas* dici, quam *abreptas*, & clarior quidem lectio eſſet, ſed, vt vides, cum vulgata tandem conuenit. Quarè *dolet abreptas fibras iam non ſibi creſcere*. *Iam* adiectum hic temporis eſt, idem, ac *modò*. Tantùm aduertendum particulam negatiuam non cadere hic ſupra verbum *creſcere*, ſed ſupra reciprocum *ſibi*; ſenſus enim eſt, fibras renaſcendi

quidem vſum ſeruaſſe, in bonum Tytij, quatenùs ſcilicet laniatas illas partes recuperaret; ſed non creuiſſe, in bonum præſentaneum Vulturis, qui iam roſtrum inferre prohibebatur; ideò dolet *fibras creſcere*, & *non ſibi creſcere*; hoc eſt ſe ſe in priſtinum integræ ſanitatis ſtatum reſtituere.

Sed dum reſtaurantur exeſæ Tytij partes, & nos mores inſtauremus, quid documenti ex his nobis inſinuetur, perquirentes. Præcipuum Tartarei hoſtis ſtudium eſt, vt, cum animam in captiuitatem peccati adduxerit, ſibiq; in ſuam adiecerit, in cæcam pœnarum, quas peccans meruit, obliuionem inducat. Ideò ſæpè ante mentis oculos delinitas inferorum obijcit pœnas; immò damnatorum tormenta nulla eſſe ſuggerit interdum: ſed terriculamenta eſſe puerorum hyperbolicas concionatorum nugas; ac ſenſim adducit quò, cum Epicuro dicamus: *poſt mortem nulla voluptas*, vt inde inferamus, *nec vlla poſt mortem pœna*: nam, cum dixerit inſipiens *non eſt Deus*, ſcelerum ſcilicet vltor, nil ſibi non licuiſſe facillimè arbitrabitur. Cum itaque, vt ſupra vidimus, Satanas illecebris ſeducat, floribus decipiat latam, ac patentem ad Inferos viam, ſenſualibus refertam delicijs aperiat, vt facili per eam paſſu gradiatur anima; nec finem huius viæ recogitet: ſic eius præcipua cura eſt, vt & obliuionem Cœli inducat, inquiens *Accipe lethæe famulas cum gurgite parcas*; & mortis memoriam auferat, dum Parcas nobis obſequentes effingit. Rotam Ixionis compeſcit, vel compeſcere ſimulat, cum præcipitium peccatori imminens cerni ab ipſo peccante non permittat; nec enim nouum eſt, Rotam in ſacris literis pro impiorum poſitam præcipitatione: nam & ipſe Pſalmographus, Deum orans, vt peccatores tandem præcipitijs obrueret, inquit: *Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti*. Rota quippè, poſteriore parte attollitur, anteriore decidit. Poſteriora autem rotæ noſtræ bona temporalia ſunt, opes, commoda, voluptates &c. quibus in hac vita extollimur; ſed interim anteriora decidunt, nempe bona æterna nos deſtituunt, atq; in æternum barathrum poſteriora rotæ aſſurgentia, præcipitant rotæ alligatum ſuæ. Sed hanc rotam ſtetiſſe, inſinuat nobis Pluto, dum, quaſi æternum victuris præſentia tantum, tamquam ſtabilia obijcit menti, ab anterioribus interim auertens. Tytij tormentum ſedat; cum videlicet conſcientiæ ſynderesim, quo quaſi aſſiduo vulture, nouus Tytius, Peccator, cor ſuum laniari, querebatur, auellit è pectore, vt non vlteriùs conſcientiæ morſus experiatur, qui vitijs omnibus deditur: quod prouenit ex eo, quod ab aſſuetis non fiat paſſio: quarè, cum iam vſus peccandi callum ſtomacho obduxerit, ſynderesis ſilet: ſed euidens hoc ſignum eſt nuptiarum, inter Plutonem, & Animam peractarum; & quidem ſtrictè adeò, vt vix ſperandum appareat diuortium. Tantaleam extinguit fontibus ſitim; nam, dum bibunt peccantes iniquitatem ſicut aquam, inebriatur adeò his aquis Anima, vt ſitim, quæ illi à natura ipſius indita eſt, fontis videlicet illius, qui deberet in ea eſſe fons aquæ ſalientis in vitam æternam, miſerabiliter poſthabeat, ac, quaſi extinctam, negligat, ad eam tantummodo intenta ſitim ſecundariam, qua efficitur, vt quo plùs ſunt, potæ plus ſitiantur aquæ. Sed, quo paſſu, ad hæc tandem deueniat Satanas, inſpiciamus. Nouit ille veritatem illius effati: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*: ideò pœnas obtegere, &, melle oblitis poculis, venena ſatagit propinare. Nouit etiam verum aliud effatum. *Oderunt peccare boni virtutis amore*: atq; ideò à virtutis amore priùs auertere conatur, quam pęnas non eſſe ſuadeat: &, quia virtutis, ac præcipuè pudicitiæ, vallum rubor ille ingenuus eſt, quem natura ipſa, à ſceleribus ſemper abhorrens vnicuiq; ingenitum tribuit: ideo, primo hoſtis initio, ruborem iſtum, verecundiamq; expellere nititur, vel ſaltem obducto velo contegere, vt nullius effecti compos, ac conſopito ſimilis, deliteſcat: & vultibus addit flammea ſolicitum præuelatura pudorem. Sed quodnam velum eſt iſtud? Larua eſt profectè ex mundi ritibus mutuata: nam Ambitioſum velo honoris tuendi, ac familiæ magnificentiam conſeruandi, obnubit: Auarum velo continentiæ, ac parſimoniæ; immò & ſolertis prouidentiæ obumbrat. Iracundum, & homicidam velo fortitudinis, ac zeli obtegit: Laſciuum velo humanæ conſuetudinis obcæcat &c. Verùm à quibus velum hoc infælici animæ curat imponendum? A Matribus (proh' dolor!) Elyſijs, nempè ab ijs animabus, quæ æterna fruuntur fælicitate, cum tamen, in hoc Orbe degentes diu vixerunt effrænatæ. Sic Raptoribus, curat, vt, exemplo ſuo, velum imponat latro ille, qui è cruce cælum rapuit: Adulteris, ac homicidis regius Propheta Dauid: Veneree voluptatum cano deſertis Magdala, atq; Ægyptiaca Maria &c. dum, peccaſſe & illos, inſinuat, ac voluptatibus indulſiſſe, & nihilominùs Elyſium, hoc eſt Cælum, obtinuiſſe: ſed nunquam ſuggerit ſaluberrimum illud *Quos ſecutus es errantes ſequere pœnitentes*. Nos itaque cognita hoſtili fraude, falſas eius illecebras euitemus, & pœnitentiam potiùs, quam errata eorum, qui cælum rapuere, perpendamus; ne, obuelata facie, nuptam Satanæ animam concedamus: momentaneas enim voluptates æternum ſubſequitur tormentum; &, ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Vigilemus igitur, ac velum cæcitatis, quod hoſtis imponere nititur, reijciamus, ne, mundum ſecuti, & nos cum hoc mundo damnemur. Sed reuocat iam Italam metrum Chelis; atq; ideò, omiſſis barathris, in iugum Pindi abrepere conitamur.

La regia ſpoſa ad incontrar riuolte
 Dell' Eliſio giardin dal ſito adorno,
 Le ſaggie Madri, in caſta ſchiera accolte,
 Forman corona alla lor Diua intorno:
 E ſon le lingue, al fauellar diſciolte,
 Plettri del Ciel, ch', in lucido contorno
 D'animati rubin, tolta dall'Etra,
 Per più dolce arpeggiar, batton la cetra.
L'armoniche dolcezze, in varij modi,
 Diſſerran queſte, ad ammollir del duolo,
 Al lei cuor già tiranno, i ferrei nodi:
 D'altre, (ſe ſcherzo fù dell'aure al volo
 La ſparſa chioma) è, che la man l'annodi;
 Che non ne ſperi altre rapine il Polo:
 Altra al volto gl'addatta i crocei veli; S'alluda alla Chioma di Berenice.
 Onde il caſto roſſor s'auuolga, e celi.
Della ſquallida regia ogni confine
 D'vn'inſolita gioia in mar veleggia:
 E, frà l'ombre ſepolte accolto al fine,
 Peregrino il piacer lieto ſerpeggia,
 Menſe al Genio ſacrate, ou', in diuine
 Falde del ſuo liquor, Bromio ſpumeggia,
 Riſtoran l'ombre: e ſon, nell'atrio interno,
 Coronati à conuito i Dei d'Auerno.
Ad onta del ſilentio, in que' feroci
 Muti ſeggi del duol, ſempre regnante,
 Odonſi raddolcir muſiche voci
 Ogni cuor di là giù, benche diamante.
 Non più ſtridon colà gemiti atroci:
 Non più freme, alle pene, il volgo errante:
 Ne più l'horrida notte à i ciechi horrori
 Schiua di frammiſchiar nouelli albori.
Ventilator delle più aſcoſte colpe,
 Tace nel Biuio il Tribunal ſeuero:
 Ne, che ſouuerchio il ſuo rigor s'incolpe
 (S'al brio commune il cuor non preſti intero)
 Vuol di Stige il Fiſcal, cui le diſcolpe
 Prender non ponno à falſeggiar sù'l vero.
 Quindi l'Vrna non ſcuote, onde le ſorti
 N'eſcan incerte, al rio terror de Morti.
Là del vindice ſdegno aſpra tempeſta,
 Dentro à turbini ſuoi chiuſa s'acqueta;
 E de flagelli il fulminar s'arreſta;
 Ch'vn nuouo Fato incrudelir gli vieta.
 Niuna del pianto à fiumi onda s'appreſta,
 Sciolta in piacer la tormentoſa Dieta:
 E, ſoſpeſo il penar, lieta reſpira
 L'empia turba, del Ciel ſoggetta all'ira.
Da precipitij ſuoi ceſſando immota,
 Non più, ſpietata in lacerar, le membra
 Del ſoſpeſo Iſſion volge la ruota;
 Mà, fermo il perno, inſtupidir raſſembra
 Ne più, lungi dal labro, in parte ignota.

L'a-

L'antico ſtil del ſuo fuggir rimembra
Tantalea l'onda; ò l'affamato dente
Si ricorda ſchernir ſrutto pendente.
Sciolto Iſſion da gl'affannoſi giri
Proua repente vn'inſperata pace;
E l'ordigno fatal de ſuoi martiri
Mirar da lungi, e motteggiar, gli piace.
L'onde nel tracannar, brieui reſpiri
Tantalo tragge, e'l ſuo deſir compiace
Auido ſi, che s'interrompe à pena,
Per reſpirar, del ſuo goder la piena.
De noue campi il tormentoſo letto,
Che già tutto ingombrò (quando proſteſo
Colà lo ſpinſe il ſaettante aſpetto
Del Dio di Cinto, e della ſuora offeſo)
Scuopre Titio ſorgendo; e l'ampio petto
Gode, in reſtar da ſuoi tormenti illeſo;
Che più non ſolca il cauernoſo chioſtro
D'Auuoltoio vorace ò l'vngia, ò'l roſtro.
Suo mal grado, dal cuor, ehe, rinaſcendo,
Gl'appreſtaua pur dianzi eſca inceſſante,
Pur ſi ſuelle, e s'apparta il moſtro horrendo;
E le, ſuelte da lui, viſcere infrante
Bieco rimira inuigorir creſcendo;
Perch'ei non può, qual pria, lento ſolcante
Afferrarle in artiglio, e d'empia fame,
Obbligato al digiun, ſciogliér le brame.

At nos, ne ieiunis verſibus atteramur ex plenioribus potiora iam fontibus hauriamus.

Oblitæ ſcelerum, formidatiq; furoris
Eumenides cratera parant; & vina feroci
Crine bibunt, flexiſq; minis, iam lene canentes
Extendunt ſocios ad pocula plena ceraſtas;
Ac feſtas alio ſuccendunt lumine tedas.
Tunc & peſtiferi pacatum limen Auerni
Innocuæ tranſiſtis aues, flatumq; repreſſit
Amſanctus: tacuit, fixo torrente, vorago.
Tunc Acheronteos, mutato gurgite, fontes
Lacte nouo tumuiſſe ferunt, hederiſq; virentem
Cocyton dulci perhibent ſtagnaſſe Lyæo.
Stamina non rupit Lacheſis; nec turbida ſacris
Obſtrepitant lamenta choris. Mors nulla vagatur
In terris, nullæq; rogum planxere Parentes.
Nauita non moritur fluctu, non cuſpide miles;
Oppida funerei pollent immunia lethi.
Impexoſq; ſenex velauit arundine crines
Portitor, & vacuos egit cum carmine remos.

OBLITÆ SCELERVM &c. Prænarratâ tormentorum ceſſatione, qua recreatas damnatorum recenſuit Animas, Eumenides ipſas manſuetudinem, edocet, induiſſe, vt fontem aperiat, ex quo tanta in damnatos effluxerit Indulgentia. Cum enim, vt alibi diximus, Eumenides *Diræ*, quaſi *Deorum iræ* dicantur, certè, Inferorum Dijs in gaudium effuſis, conſequens ſint, vt & Deorum miteſcerent iræ atq; ab aſſueta immanitate recederent: neq; enim locus eſt iræ, vbi gaudia confluunt aceruata. Inſuper, cum *Diræ* ſint tormentorum in damnatos miniſtræ, ijs miteſcentibus, conſequens profectò fuerat, vt tormenta ab ipſis prouenientia ſuſpenderentur, nec reis inſligerentur. Iure igitur rationem hic ceſſationis tormentorum, per cauſam, reddit, ne conficta illa prorſus, ac commentitia videatur. Subinde amplificationem Tartarei proſequens gaudij, eam ab effectibus, & interne, & externè, productis egregie promouet, eorum partem ingerens per poſitiones, partem per negationes, vt ex varietate profluat delectatio: eâdemq; de cauſa varias innectit figuras, vt, iuxta variationē rerum, implexa ornatibus decurrat Oratio.

Cauſam itaque primo, cur *dilatis reſpirent Tartara pœnis*, refundit in hoc, quod *Eumenides*, de quibus dix. ſupra carm. 316., ſcelerum vtiq; vltrices *oblitæ* muneris ſui, & criminum ad vltionem excitantium; atq; innati pariter furoris immemores, officium poſthabuerint puniendi, hilares iam in lætitias profusè. Ideò

EVMENIDES OBLITÆ SCELERVM &c. *Scelus* impium facinus eſt, atrox, ac deteſtabile flagitium, ſeueriſſimis vtique puniendum poenis. Reliqua autem ex dictis patent.

FORMIDATIQ; FVRORIS. *Formidandiq;* legunt alij ſed minus placet: nam notanda eſt differentia inter *formidatum*, & *formidandum*; illud etiam enim *formidandum* dicitur, quod, de ſe, natum aptum eſt, ad formidinem, terroremq; incutiendum, licet actu nondum incuſſerit, eo quod V. G. occaſio non adfuerit: Aſt vero *formidatum* illud tantum dicitur, quod actu metum incuſſerit, & terrorem. Quia ergo Damnati, nimio ſui ipſorum malo, furorem Eumenidum experti, & ſola illius recordatione, totis artubus contremiſcunt, ac vehementiſſimo ſemper rigeſcunt metu; ideò Eumenidum furor, apud Inferos maximè, iure dicitur formidatus. Dixi *apud Inferos maximè*, ne excluderem mortales adhùc hoc noſtro in Orbe vitam trahentes, qui interdum Oreſteas experiuntur calamitates; nam certè, vt refert Pauſanias in Achaicis, apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 10., templum Eumenides habuere in Cerynea Achaiæ oppido, in quod ſi quis ſpectandi cauſa intraſſet, cæde pollutus, vel inceſti labe, aut alteriùs cuiuſuis generis impietate, continuò mente captus fieret, dirisq; exagitaretur terroribus, vt earum eſſet & orbi furor formidatus. Quid ſit furor, nouimus lib. pri. carm. 5. ſed in alia longe ſignificatione hic ponitur; nempè pro *inſanâ quadam earum rabie*, quæ nunquam alieno malo valeat exſaturari. Hunc autem furorem Eumenidibus inſitum eſſe à Natura, ſatis conſtat ex eo, quod *Furiæ* nominentur. Naturam itaque Eumenides exuiſſe, geſtiente gaudio, indicat Vates, quaſi, ebrias lætitiæ vinis, vel ſe ipſas neſciſſe, dictitauerit. Ex quo vides, quam altè aſſurgat gaudiorum amplificatio.

PARANT CRATERA. Ideſt expediunt, & implent, ad bibendum, vt iam hilares, magis adhùc, vinum exhilaret. *Crater* verò vas ingens vinarium eſt, quo in ſolemnioribus epulis vtebantur olim. Ingentem ego potiùs Hydriam, quam poculum, vt alij, appellauerim; nam poculum *cratera* dicitur, & per primam declinationem inflectitur; non verò *Crater*, per tertiam, vt hic, declinationem. Quod ſi quæras, quanta fuerit crateris magnitudo, conſule Virg. Æn. 9., & iudies, ingens adeò fuiſſe huiuſmodi vas vinarium, vt poſt ipſum hòmo latitare non dubitauerit: ſic enim canit ipſe, Rhæti deſcribens timorem, ob graſſantem nocturna cæde in hoſtes Eurialum.

. . . . . Rhœtum vigilantem, & cuncta videntem:
Sed magnum, metuens, ſe poſt cratera tegebat &c.

cratera autem dixit, iuxta Græcorum inflexionem, pro *craterem*: & numero vnitatis, pro numero vtitur multitudinis, per ſynecd. Vides itaque quam largis potationibus indulgentes deſcribat Furias, quæ crateribus vterentur; nam facilè ex antecedenti *cratera parant* modus exprimitur conſequentis, nempe

ET BIBVNT VINA. Verbum notum eſt, & notius etiam quid vinum ſit. Tantum nota *vinum* dici, vt plurimi volunt, quod vim inferat menti, ac præcipue in Venerem impellat, quarè Ouid pri. de arte ait:

Et Venus in vinis ignis in igne fuit.

licet alij lectionem inuertant, pro libito legentes:

Et Venus in Venis ignis in igne fuit.

ex quo habes cur largior in nuptijs vini vſus.

CRINE FEROCI. Crinitas ſerpentibus Furias iam vidimus lib. pri. carm. 39. Modum itaque notat hic Vates bibentium Eumenidum, ac earum quaſi picturam in actu bibendi efformatam ſubijcit oculis: idem enim fuit dicere *crine feroci*, ac dicere *erectis, elatiſq; in ſignum auiditatis anguibus, pro crine, capiti intumeſcentibus bibebant Eumenides*; nam cum ferocitatem inditit ſerpens erigitur in caudam, & ad vim inhiat inferendam.

ET FLEXIS MINIS. Hoc eſt remiſſis, fractiſue, ſeù prorſus abire compulſis: ex quo vides modum hic modo ſubnecti, vt viuaciùs experimantur. Porrò *minæ* nil aliud

ſunt, quam vel ſigna, vel verba metum alteri inferentia: mitesque itaque adeò, dum in vina proſilirent, euaſiſſe Furias, inſinuat, vt ne ſignum quidem, aut veſtigium ſeruauerint innati furoris, quod quid maius eſt, quam eiuſdem furoris obliuiſci; nam poteſt quis furoris obliuiſci, & tamen adhùc enata iam in fronte furoris ſigna non ſtatim adeò delere.

IAM LENE CANENTES. *Iam* idem hic ſonat, ac *illicò* ſtatim, *ſine mora*; aduerb. nempè temporis immediati vt noſtis. *Lene* nomen aduerbiatum more poetico idem ſonat, ac placidè, ſuauiter, & ſine admiratione aſperitatis, in quod tandem coincidere mihi videntur, qui legunt *læta canentes*, quos non improbo. Certe Plautus triſti, ac perturbato homini propinandum monet, vt bilem diluat. Quarè nil mirum, ſi inter iteratas potationes lenes deſcripſerit Furias Vates, & lene canentes, cum nouerit muſicam, ad hilaritates comparatam, non alio magis ſtimulo, quam ſuauis vini guſtu concitari canente Tibullo in Synepeia.

Illo liquor docuit voces inflectere cantu;
Mouit, & ad certos neſcia membra modos.

canere autem eſt compoſitis ad numerum vocibus modulari. Quod ſi quæras, quid tandem canerent Furiæ? In promptu reſponſio eſt, ſi memineris, in more poſitum apud antiquos, vt ante cubiculum nuptiale, quod græcè θάλαμος dicitur Epithalamium, nempè carmen, quo laudes celebrarentur viri, nuptæq;, Virgines concinerent. Virginibus itaque Eumenides ſubrogat Vates, cum in rebus Inferorum verſetur, ac per conſequens non niſi ad inferorum poteſtates ſpectantibus. Adde & Furias credi Virgines potuiſſe, non quidem virtute, & affectu; ſed neceſſitate, nam earum deformitas, omnes profectò ab earum congreſſu abſterruiſſe, cenſenda omninò eſt.

EXTENDVNT CERASTAS &c. *Extendere* idem eſt, ac *porrigere*. Oſtendit itaque Vates, Eumenidum Serpentes erectos, vt dicebamus, ad vina inhiaſſe; ſed non auſos fuiſſe attingere, niſi ipſæ Furiæ, quarum crines erant, imperio monuiſſent, vel fortè etiam manu admouiſſent ad hauſtum. Vinis itaque cum ſe proluiſſent Eumenides, dum lene interim ipſe canerent, *extendunt ſocios ad pocula plena Ceraſtas*; ex quo vides, quam magnam deſumant amplificationem Inferorum, hiſce in nuptijs lætitiæ, quæ non ſolum Furiarum naturam, ſed etiam ſerpentium à vino prorſùs abhorrentium ſuperauerint. Et profectò Eumenides, à vino alienas adeò, crediderunt antiqui, vt vinum ex earum ſacris penitus arceretur. Quod autem ad Serpentes ſpectat, ſatis notum arbitror, quod ait D. Bernardus ſerm. 60. in Cant., nempè Serpentes vel ab ipſis florentium Vinearum odoribus longè effugere; nam *hic odor*, inquit, *Serpentes fugat*: ex quo facilè colligi poteſt, quam Serpentes abhorreant ab eo liquore, cuius vel flores auerſentur, & fugiant: & tamen hic vina bibunt, quaſi in aliam, præ lætitia, tranſmigrantes naturam. Scio equidem, vina hic ſymbolicè poſita, ad ſignificandam lætitiarum affluentiam, quibus inebriarentur & Furiæ, & Serpentes, adeòq; miteſcere cogerentur. Teſtatur hoc quidem illud, quod in ſacris litteris parabolicè ſcribitur; nempe, accitam aliquando ad aliarum arborum Imperium, vitem reſpondiſſe, non poſſe ſe deſerere vinum ſuum, quo Deus, atq; homines læti redderentur: quare Socrates, apud Xenofontem, ait, vinum non aliter mæroribus mederi, quam Mandragora hominibus; lætitiamq; non aliter excitare, quam oleum inſperſum igni flammas adaugeat. Accedunt coniectores communiter, qui aſſerunt, vel modico vini hauſtu in ſomnij attentari viſo, læti alicuius euentus ſignum afferri. Scio inquam ad hæc omnia Poetam facilè reſpexiſſe; atq; ideò vina hic, pro lætitijs, poſuiſſe. Sed non minus repugnat Furijs, ac furialibus hydris, in hilaritatem ſolui, quam vina bibere, quorum hieroglyphico vſus eſt Vates, vt congruenter procederet ad ea, quæ de conuiuijs, apud Manes, prænarrauerat. Quare ſemper remanet, vt loco prodigij, Nuptiarum occaſione, peracti, Furiarum, ac furialium, immutationem aptè propoſuerit amplificaturus. Ideò & bibunt Furiæ, & extendunt

CERASTAS SOCIOS. Ceraſtes genus ſerpentis eſt perniciosiſſimum, quatuor gerens in capite cornua, quibus reliquo inter herbas deliteſcente corpore, fraudolenter ludentibus, incautas allicit aues, vt voret. Ceraſtes igitur Furijs attribuitur, vt noueris, incautos tantùm facilem illarum prædam fieri; ſed, qui meminerit latere anguem in herbis, nunquam furiarum venena pertimeſcet. Porrò *Socius* dicitur, qui pari, cum altero, ſpe conſilio, ac periculo rem aliquam aggreditur. Ideò aptè Furiarum *ſocios* ceraſtas appellat Vates, nam, quod earum ſemper capitibus inhæreant, eiuſdem etiam, cum illis, conſilij ſunt, eiuſdemq; crudelitatis, & nunc, data occaſione nuptiarum, lætitiæ participes fiunt, atq; eadem ſpe, conſilio, ac periculo, cum illis, extenduntur.

AD POCVLA PLENA. Poculum eſt vas, quo bibentes vtimur, à potione ſic dictum; hic poſitum noueris, pro cratere, de quo ſupra, per cathacreſim. *Plena* autem, inquit, hoc eſt, redundantia mero, & affluentia; nomen vtiq; opulentiſſimæ ſignificationis.

AC SVCCENDVNT ALIO LVMINE FESTAS TEDAS. Vltrices ſcelerum faces ab Eumenidibus geſtari, decantatum, vel in Triuijs eſt, & teſtatur Virg. Æn. 6.

. . . . *Furiarum maxima iuxta*
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas;
Exurgitq; facem attollens; atq; intonat ore.

Sed licet, ad has Furiarum aſſuetas faces reſpexiſſe hic Vatem, non abnuerim; attamen & ad illas certe reſpexit faces, & quidem principaliter, quas aſſumptas à Furijs, cum, bella moturus ſuperis. Pluto deſæuiret, dixerat lib. pri. carm. 40. oſtendit enim, hoc loco, mutatis rerum vicibus, mutatas & à Furijs fuiſſe faces; quæ enim ibi, furore Regis, ac proprio, circumactæ faces irarum, vltionisq; belligeras arripuere ſuccenſas, hic nuptiales aſſumunt tedas, & vibrant. Sed nota proprietatem verbi *ſuccendunt*, quod exprimit adamuſſim actionem, qua faces, alia ſubiecta face, accenduntur. Et *alio*, dixit, nempè diuerſo ab illis, *lumine*; nam illud ferale fuerat, hoc nuptiale; illud belligerum, hoc pacificum; illud furoris, hoc autem amoris; ex quo etiam factum, vt *feſtas* dixerit tedas, hoc eſt feſtiuo lumine micantes: & alludit ad ſuperſtitionem antiquorum, qui, faces nuptiales rogali igne ſuccendi, omnino vetabant, triſtiſſimum, quod inde captabant, omen euitaturi.

TVNC ET PESTIFERI &c. Non ingens admodum, quantumuis eatet inſignis, cenſetur lætitia illa, quæ cancellis contenta ſit detineri. Ideò Poeta, vt, amplificatam hucuſque, inferorum lætitiam ad ſummum euehat, eam, extra clauſtra etiam Tartarea diffuſam, vſque ad ſuperficiem terræ non ſolum; ſed ad ipſam aeris regionem, ſigna hilaritatis promouiſſe recenſet, atq; ab effectibus in beneficium orbis noſtri productis iterum amplificat. Incipit autem per apoſtroph. ad Aues, quas primo loco huiuſmodi beneficia expertas ritè inſinuat, ex eo, quod, ad ſpiracula Ditis, ex quibus, ſi tranſpirare debuerat, certè tranſpiraſſet lætitia Inferorum, non niſi aues, incautè prætervolantes accederent reliquis animalibus ab eorumdem horribilitate refugientibus.

TVNC AVES. De aduerb. temporis *tunc* alibi diximus; idem eſt ac *eo tempore*. *Aues* volucres omnes oua parientes, pennisq; inſtructas ſignificat; nomen vtique deductum ab auijs, ideſt locis ſecretioribus, quibus aues delectantur, ex quo patet, cur aues primo lætitiam ſenſerint inferorum; nam ſpiracula, ex quibus illa exilire potuit, Ditis, vbicumq; tandem conſtituantur, ſemper reperies ſyluis obuallata, ac ſecretiſſimis in locis ſepoſita. Vocandi autem vtitur caſu, vt conuerſum ad illas apertè oſtentet ſermonem: *tunc aues*

TRANSISTIS INNOCVÆ. *Tranſire* idem eſt, ac *traicere*, à *trans*, & *ire* compoſitum. *Innocuus* verò & actiuè ſumitur à Poetis, & paſſiuè. Si actiuè ſumatur, idem eſt, ac *neminem nocens*; ſi paſſiuè, idem eſt, ac *cui nemo nocuit*: & in hoc ſecundo ſenſu hic ponitur, eo pacto, quo etiam Virg. Æn. 10. vbi ſic habet. . . . . *& ſedêre carinæ*

Omnes innocuæ.

hoc eſt nullum, vt alias paſſæ detrimentum.

PACATVM LIMEN AVERNI PESTIFERI. Pacatum idem eſt, ac *pace donatum*, ſeù *tranquillitati reſtitutum*; mortiferum enim ſemper fuerat auibus prætervolantibus Auerni venenum, vt iam diximus lib. pri. carm. pri. vbi etiam habebis, quid ſit Auernus, & cur peſtiferi, hoc eſt peſtem exhalantis nomine deſignetur. Limen verò pro confinio ponitur, de quo vide dicta lib. pri. carm. 90. Heinſius *flumen* legit, non *limen*: ſed minus propriè, vt arbitror; nam Auernus lacus eſt, non *flumen*; præterquam quod aptiſſimè *limen* dicitur ſpiraculum illud, quod primum ad inferas ſedes aperit ingreſſum.

FLATVMQ; REPRESSIT AMSANCTVS. Alij legere voluerunt *confractus*. Sed errarunt, nam alias inferni fauces ſubnectit Poeta, vt diffuſior appareat lætitia. De Amſancto vide dicta lib. pri. cit. carm. pri., vbi etiam aliqua de eiuſdem peſtiferis afflatibus, ſeù, quod idem eſt, exhalationibus; *reprimere* verò flatum, & cohibere eum, ac detinere ne erumpat, ac proſiliat.

VORAGO TACVIT. Immenſæ propemodum profunditatis

ditatis locus *vorago* eſt, quidquid in illam inciderit ingurgitans, ac, ferè dixerim, inexplebilis; quales ſunt aquarum, in mari, aut etiam interdum in fluminibus gurgites. Verùm de quanam voragine loquatur Poeta hic, vt faciliùs dignoſcamus, aliqua iterum de Amſancto reſumenda ſunt. Eſt itaque Amſanctus, vt lib. pri. dicebamus, in vmbilico Italiæ, apud Arpinates, locus, quem *Valles Amſancti* appellat Virg. Æn. 7. Habet hic locus aquas ſulphureas, graueolentes adeò, vt accedentes, licet ad aquas ipſas non dum peruenerint, ſuffocatos interimant: quarè victimæ, circa hunc locum, ſacrandæ, non ferro pereunt, ſed fœtore. Hos itaque halitus peſtiferos cum repreſſos innuerit Vates, voraginem inſuper tacuiſſe, adiecit: nam in his Amſancti vallibus voraginem fuiſſe, meminit Virg. cit., profundam adeò, vt ad Acheronteos vſq; latices demergatur. Perennis ex ea fons aquarum, circumuolutis vorticibus, ac colliſis, per amfractuoſas vndiq; ripas, vndis tanto fragore dicitur emergere, vt torrentis nomine, à fragoris proportione Virg. appellauerit.

Eſt locus Italiæ in medio, ſub montibus altis,
Nobilis, & famâ multis memoratus in oris,
Amſancti Valles: denſis hunc frondibus atrum
Vrget, vtrimq; latus nemoris; medioq; fragoſus
Dat ſonitum ſaxis, & torto vortice torrens.
Hic ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula Ditis
Monſtrantur, ruptoq; ingens Acheronte vorago.

De hac ipſa loquitur Auctor noſter, ab eâq; compreſſum aſſerit fragorem. Nam *tacere* eſt *ab incepto vocis, vel alterius cuiuſquam ſoni concitatione deſiſtere*: dixi *vel alterius ſoni*; nam tacere dicuntur etiam res illæ, quæ ſine voce ſunt. Sic mare ſilens dicitur, cum nullo iactatum fremitu quieſcit, apud Virg. Æn. pri. *Geminiq; minantur*
In Cælum ſcopuli quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent.

ſic & agri ipſi tacere dicuntur apud eundem Æn. 4. cum nullo pedum pulſantur attritu, nempè
. . . Cum medio voluuntur ſydera lapſu
Cum tacet omnis ager &c.

& in hoc ſenſu: *Tacuit vorago*, inquit Auctor, ideſt ſtrepitum, ac fragorem compreſſit.

FIXO TORRENTE. De quo torrente hic loquatur, patet ex dictis, nempè de aquarum eruptionibus torrentis in morem vehementibus, quarum ceſſationem, tamquam cauſam, aſſignat ceſſationis illius fremitus, axiomati Ariſtotelico innixus: *remota cauſa remouetur effectus*; *figere* enim, à quo particip. *fixo*, idem eſt, ac immobilem *reddere*.

TVNC FERVNT &c. Quæ, licet modum excedant, fidem excedere non videbantur aſſertiuè poſuit Vates. Iam verò aliquid enarraturus, quod & fidem videtur excedere, tamquam ex auditu illud exarat; & *ferunt*, inquit, hoc eſt *dicunt*, ne ipſe rei Auctor fiat, quæ incredibilis videri poſſit. Nota emphaticam repetitionem in aduerb. *Tunc*, de quo iam ſatis ſupra.

FONTES ACHERONTEOS. Acherontem fluuium eſſe mæroris, ac doloris iam vidimus lib. pri. carm. 87. Incredibile igitur videri potuit, dolorem ipſum, ac mærorem in lætitiam mutatum iri: cum ex Phyloſ. quod ſemel eſt idem, ſemper ſit idem, præcipuè ſi de eſſentialibus loquamur, vt hic; nec mutari poſſit, indeſtructâ illius naturâ. Sic ex eo, quod homo ſit animal eſſentialiter rationale, ne per diuinam quidem potentiam, poteſt, ſaluâ eius natura, non eſſe animal rationale: quarè, à pari, ex eo quod Acheron ſit eſſentialiter luctus, mæror, ac dolor, non poteſt oppoſitam induere naturam, ſalua Acherontis eſſentia. Quæ cum aduertiſſet oculatiſſimus Vates noluit aſſertiuè huiuſmodi flumen in dulcedinem lætitiæ conuerſum aſſeuerare: ſed *ferunt*, ait, alludens ad metamorphoſes, quas fabularum inuentores vltrò admitterent. Alluſit inſuper ad id, quod aliqui de Acheronte hiſtoricè ſe ſcripſiſſe profeſſi ſunt, nempè aquam Acherontis fluuij, de ſe, inſuauiſſimam fuiſſe, vt ſcribit Pauſanias, & venenis propemodum comparandam, ſi prope fontem, ex quo oritur, deguſtetur; verùm eamdem aquam, longiùs à fonte procedentem, multis fluminibus hinc, inde acceptis, miteſcere, & dulcem fieri adeò, vt, in Sinum Ambracium defluens, ipſum mare dulcedinem cogat præ ſe ferre, vt ſcripſit etiam Strabo. Mutationem itaque huius fluminis, iuxta prænarrata, attingit Poeta hic; &, per hiſterologiam, quod proprium dicitur Acherontis, in mare defluentis, ipſe ad fontem transfert: licet enim nouerim, fontem ſæpè, pro totius fluuij fluentis accipi; non tamen, in hoc ſenſu, acceptos hic à Poeta fontes Acherontis auſus fuerim affirmare: Et ratio eſt, quia, cum ſuperiùs ſeriem inierit prodigiorum, quæ, extra Inferni clauſtra, in conſpectu Solis apparentia, inferorum lætitiam teſtari debuerant, vt vidimus, incongruum fuiſſet, ſi à ſuperficie terræ, quam attigerat ad centrum, atq; iterum à centro, vt, quæ ſequentur, proſequeretur, ad ſuperficiem ſaltitaſſet Poeta. Quare, vt cohærentiam orationis, ſemper apud Claud. illibatam, ſeruet, dicendus eſt neceſſariò, non loqui hic de Acheronte, in inferis conſtituto, niſi quatenùs ex antecedenti infertur conſequens, nempè ex mutatione fontis mutatio totius; ſed loqui preſsè, ac peculiariter de ipſo fonte, nempè de ipſa prima Acherontis origine, vt ex ea per conſequens intelligas, qualis fuerit, etiam in Inferis, Acheron. Sciendum itaque, ad textus intelligentiam, duplicem recenſeri ab aliquibus Acherontem, quorum alter fuerit in agro Brutio, iuxta Pandoſiam, vbi Moloſſorum Rex Alexander, ab Oraculo Dodoneo deceptus, trucidatus fuit, vt Strabo teſtatur lib. 6., cum iuſſus fuiſſet Acherontem, atq; Pandoſiam deuitare; iſq; arbitratus eſſet, hæc ea eſſe loca, quæ in agro Theſprotio erant, eodem nomine, per id tempus, celebrata. Alter itaque fuit Acheron Epyri fluuius ex Acheruſia defluens palude, iuxta eiuſdem regionis ciuitatem, nomine pariter Pandoſiam. De primo Acheronte ſcripſit Plato in Phædone, eum in Acheruſiam paludem (aliam ſcilicet à ſupracitata, ſed eodem nomine appellatam, in agro Brutio poſitam) illabi. De ſecundo, egredi eum ex Acheruſia Epyri docuit Strabo lib. 8. Et hic ſecundus Acheron, ex opinione antiquiorum, ille eſt, qui fluuius dicitur inferorum, vt refert Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. pri. Hunc itaque Acheruſiam Epyri, quæ fons dicitur infernalis Acherontis, Pauſanias in Atticis, ac Strabo lib. 5. aſſerunt proximam fuiſſe Miſeno promontorio, quæ deindè reducta profundum littus in ſinu Baiano aperiebat: atq; inferorum fluuium, ex ea fluentem, ſub terras merſum, ad Inferos vſq; protendi, ibiq; paludem altiſſimam efficere, traditum ab antiquis fuiſſe, teſtatur Samius, eundemq; mox, per quamdam ſpeluncam, vallemq; emergere, quaſi ab inferis reducem, atq; in mare deuolui. De hac autem Acheruſia referunt complures, eam eſſe eius naturam, vt viua corpora nulla ſuſtineat, mortua verò, quæ plurima iniiciuntur, ſupernatantia ſponte ad vlteriorem tranſuehat ripam, ex quo datus eſt fabulæ locus, de Charonte animas trans Acherontem tranſuectante. Acheronteos igitur fontes habes; nam *Fons* perennis eſt aquarum origo, vt dix. ſupra carm. 103. Iam videndũ quid ſibi velit ſextus ille caſus abſolutus.

MVTATO GVRGITE. De mutatione iam diximus §. præcedenti. Gurges autem propriè profunditas quædam eſt fluminis, in qua aqua rotatim vertitur in gyrum, vt & ſupra attigimus § *vorago tacuit*. Iure itaque *gurgitem* vocat Vates profunditatem illam, in quam Acherontei fontes deprimuntur, cum ad infernas vſq; regiones deiiciantur; nec enim maior profunditas excogitari poteſt, quam illa, quæ careat fundo: ſicuti de quadam palude, apud Lemnum ſita, ſcripſit Solinus, quæ vid., quinquaginta tantum paſſuum ambitu circumſcripta, adeò in altitudinem deprimitur, vt nequicquam profunditatis finem exquiſierint curioſi; inter quos & Nero Imperator recenſetur, qui, plumbea ingenti maſſa ad funis extremitatem alligata, cum funem demitteret, defecere & funes, & funarij, nec vnquam extrema profunditas reperta. Talis procul dubio credi poteſt & profunditas Gurgitis Acherontæi, qui dicitur ad inferos vſq; deſcendiſſe. Itaque dum ait Vates *mutato gurgite* certè explicat, mutatis fontibus totam aquarum, de conſequenti, congeriem ad inferos vſq; mutatam fuiſſe, ita vt Gurges, qui alioquin lacrymis fluebat, lacte nouo ditaretur, vt videbimus. Quod ſi dixeris, iam non ſaltitat oratio; ſed eodem gurgite defertur, quem mutatum decantat.

TVMVISSE LACTE NOVO. *Tumuiſſe* dicitur per tranſlationem: nam ſicuti, quæ tumore inflantur, protuberantia ſuccreſcunt, & attolluntur, ita & flumina, cum nimia lympharum exuberant copia, protuberantia videntur, ſupra ſere ſe ipſa, extolli, & excreſcere. Quare verbum hic iſtud exuberantiam exprimit liquoris, quo, occaſione nuptiarum ditatus fuerit Acheron. Inſuper tumuiſſe dicitur quiſquis ſuperbiâ elatus faſtum vultu præfert, ac geſtu: atq; hunc etiam ſenſum complexus eſt Vates; nam certè ſuperbus ierit Acheron delicijs iam affluens, ac, ſuper omnia flumina, ſingulari auctus priuilegio, cum non iam lacrymis; non iam aquis affluens deflueret; ſed *Lacte nouo*. Quid *lac* ſit, notiſſimum profectò eſt, ſanguis ſcilicet purior, qui, maiori concoctione, in mamillarum venis candorem induit, & ſuccus vitalis, alendis pueris, materno profluit ex fonte. Sed cur *lacte*, & *lacte nouo*, Acheron tumuiſſe dicatur, in nuptijs

Proſerpinæ? Primo quidem lac iucunditatis, delectationis, ac ſuauiſſimæ lætitiæ ſymbolum eſt: quare cum vellet Vates, Inferorum dolorem in amœniſſimam iucunditatem, lætitiamque conuerſum oſtendere, aptè amariſſimos Acherontis fluctus, doloris ſcilicet latices, in lacteas vndas abiiſſe commemorat: hocq; decerptum fuiſſe ex ſacris literis, Barth. opinatur, vbi ſcilicet Iſraeliticus populus in terram ducitur lacte, & melle manantem. Sed altiùs etiam reſpexit Vates, vt arbitror. Dixerat ſuperius Pluto, adeſſe, apud ipſum etiam, ſydereas domos, puriores Cælos, clariorem Solem &c. ſed quia, anteactis temporibus, nulla Iuno ignauum illum condecorauerat Mundum; nec vlla in illo eſſe potuit lactea via: aſt, poſtquam Proſerpina Iuno eſt Inferorum conſtituta, vt meminit Vates lib. pri. carm. 3., conſonum fuit, vt via lactea, & regnum ditaretur Plutonis. Sed, quia nondum hæc, lacte Iunonis Infernæ, poterat confieri, lacteam hanc viam præbuit Acheron, in augurium fœcunditatis conſtitutæ nuper Reginæ, vt, arrepto omine, Elyſiorum cultores ritè poſſent, Iunonis ſuæ fœcunditatem præſtari, vt factum videbis inferiùs, vbi canentes audies.

Iam ſoles oritur proles; iam læta futuros
Expectat natura Deos &c.

In nuptiis enim mos erat, vt vigilantiſſimè auguria obſeruarent, & boni, vel mali ominis prænuntia inde captarent. Tertiò nouit eruditiſſimus Vates, ſanctum ſemper apud antiquos fuiſſe, vt in inferiis mortuorum peragendis lacte vterentur. Sic Æneas apud Virg. Æn. 5. Iuſta annualia Genitori perſoluens.

Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi; duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro.

quod ipſum ſeruatum in funereis Polydoro dicatis teſtatus fuerat idem Æneas, dum Funeris ordinem recenſens Æn. 3. dixerat:

Inferimus tepido ſpumantia Cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras; animamq; ſepulchro
Condimus; & magna ſupremum voce ciemus.

Quæ cum meminerit auctor, mente etiam retinuit id, quod tradidit Euripides, in Oreſte, nempè obtinuiſſe Proſerpinam, poſtquam Regina Inferorum fuerat conſtituta, vt funera omnia, quæ ſubindè fuiſſent peragenda, in ipſius omnia honorem ederentur; ita vt, quæ diſpertito priùs diſpertiebantur, iam in ſolas Proſerpinæ confluerent manus. Hæc enim græcè ab Euripide pronunciata, ſic latino idiomate refert Mythol. Nat Com. lib. 3. cap. 16.

Capitiſq; plaga, pulchra, ſubterranea,
Sortita quas olim Dea eſt Proſerpina.

quod clariùs explicans ſubindè Lyricorum Princeps Hor. lib. pri. carm. od. 28., ſic Architam inducit loquentem

Mixta ſenum, ac Iuuenum denſantur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.

Cum itaque quolibet in funere lacte vterentur, & quodlibet funus iam eſſet ad Proſerpinam referendum; meritò Acheron, qui fluuius mortuorum tranſuectandorum eſt, tot funereis lactis, iam in vnum confluentis, colligens vndas, plenis lacte vorticibus, ad ferendum Proſerpinæ tributum, mutato Gurgite, deuoluitur in hieroglyphicum erectus. Hinc etiam facilè intelliges, cur idem Acheron non ſolum tumuiſſe dicatur lacte, ſed lacte *nouo*. Primò enim *nouum* dicitur a *nouando*, ſeù *mutando*, vt ex dictis conſtat, &, quia ex nouitate admiratio, ideò nouum dicitur, hoc eſt admirandum. Secundò non quocumque lacte in funereis vtebantur, ſed *lacte nouo*, vt patet ex 5. Æn. cit., nempè lacte recenter expreſſo ab vberibus, ita vt adhùc calens effunderetur in Inferiis, vt clarè explicatur 3. Æn. cit., vbi, pro *nouo*, *tepido*, inquit, lacte Cymbia ſpumantia. Tertiò *nouo lacte* litabatur, quia lacte vtebantur expreſſo ab vberibus, enixæ nuper, Iuuencæ, immò & primò enixæ, vt aliqui volunt, ita vt nulli priùs, quam ſacris libatum fuiſſet Inferiis. Ad quæ omnia reſpiciens Auctor, *lacte nouo* Acheronten innuit intumuiſſe, vt explicatis congrueret.

ET PERHIBENT &c. Mira miris; incredibilia incredibilibus ſubnectit, ſed ita vt, loco prodigii cum habeat, ex aliorum ſententia depromptum inſinuet, quod referat, vt etiam ſupra factum vidimus. *Perhibere*, verbum vtique compoſitum ex *Per*, & *habeo*, vim duplicis habet verbi, & idem eſt, ac *aſſerere*, & *affirmare*.

COCYTON VIRENTEM HEDERIS. De Cocyto, quatenus Inferorum eſſe dicitur flumen, aliqua attigimus lib. pri. carm 17. ſed hic, eo modo, conſideratur, quo ſupra de Acheronte diximus; quatenùs ſcilicet originem apud nos habere dicitur, non apud Inferos, ad quos dilabitur, Cocytum autem ex terra noſtra ortum ducere, clarè deducitur ex iis, quæ ſcripſit Plato, in Phædone, cuius græca verba ſic transfert Mythol. Nat. Com. lib 3. cap. 3. *Hoc verò hoc delatus, magnaſq; vires ab aqua aſſumens, terramq; ingreſſus, ac circumuolutus contrarius fluit Pyriphlegetonti, illuque fit obuius in ſtagno Acheruſia; neq; huius aqua cum alia commiſcetur; ſed in gyrum circumuolutus in Tartarum erumpit, Pyriphlegetonti aduerſus; ipſius autem nomen eſt, vt Poetæ aiunt, Cocytus.* Cum itaque in Acheruſiam paludem (quæ vbi nam ſit locorum iam vidimus) influere dicatur Cocytus, certe conſtat, apud nos eum primo fluere, quam in Tartara demergatur. De hoc igitur, vt apud nos eſt, ob rationes ſupra traditas, de Acheronte, loquitur Vates, dum ait: *Et perhibent Cocytum virentem hederis &c.* *Virens* idem eſt, ac *virorem induens* (vulgò *verdeggiante*) *hederis* nempè circumſurgentibus, quibus Cocyti margines ſtipentur. Sed cur *hederis* potiùs, quam verbenis, ac ſimilibus herbis? Aptè profectò, ſi, quæ ſequuntur, perpenderis. Interim, quid ſit hedera, videas lib. pri. carm. 17. vbi etiam habebis, cur Baccho illa ſacra ſit.

STAGNASSE DVLCI LYEO. *Vndaſſe* ſcribit Heinſius, quem non improbo, ſed vulgatam ſequor, quia in idem tandem coincidit, vt ex explicandis patebit. *Stagnare* itaq; propriè, & rigoroſè loquendo, idem eſt, ac *ſtagnum efficere*, quod euenit, cum in deuexum locum, atq; vndique circumſeptum, aquæ defluxerint, ibique, nullo dato erumpendi aditu, conquieſcere coguntur, & permanere, in altiſſimam deuexæ profunditatem. Verùm, quia & ſæpè ſæpiùs ex ſuperaffluenti fluminum exundatione, ſuperatis flumina ripis, in ſubiectos campos decidentia, in iiſdem minora quædam efficiunt ſtagna; hinc eſt, vt per tranſlationem interdum *ſtagnare* pro eodem, ac *exundare* ſumatur, poſito ſcilicet conſequenti, pro antecedenti, & in hoc ſenſu inquit hic Vates *Cocytum ſtagnaſſe dulci Lyæo*. Quid ſignificet nomen *dulce*, & notum eſt, & alibi innuimus. Hic optimi vini ſuauiſſimam notat, omnibuſq; expetibilem qualitatem. *Lyæus* verò cognomen Bacchi eſt, qui dictus fuit *Lyæus*, eo, quod immoderatus vini vſus *Λυαν* pariat, hoc eſt, rixam, & ſeditionem. Bacchum autem, pro vino ipſo, accipi, nempè inuentorem, pro re inuenta, notiſſimum eſt. Aptè igitur Vates Cocytum ſtagnaſſe inquit, non *Baccho*, non *Liberi patris liquore*, ſed *Lyæo*, id eſt vino ſupereffluenti, immoderato, atq; ad *Λυαν* pariendam idoneo; ita vt non ſolum vino tumuerit Cocytus, ſed, ſummas egreſſus ripas, vina fuderit in ſubiectos campos, ibiq; ſtagnum vndiq; effecerit. Sed quid Baccho cum nuptiis Proſerpinæ, vt tàm affluenter theſauros effunderet ſuos, & flumina à fonte, apud ſuperos poſito, vſq; ad Inferorum centrum decurrentia, repleret adeò, vt exundarent? Vide dicta lib. pri. carm. 16. Inſuper ex ſupra cit. Virg. locis, ſanctum fuiſſe noueris apud Antiquos, vt lacte non ſolum, ſed & vino vterentur in Inferiis peragendis. Quarè, ſicut, tributum Proſerpinæ debitum laturus, lacte opimo intumuit Acheron, ita æquum fuit, vt Cocytus vino redundaret, quo Inferiæ, pleno vtiq; ritu, Inferorum Reginæ ſacrarentur. Ex hoc ipſo habes, cur viruiſſe hederis dicatur Cocytus. nam Lyæo fluens debuit, & Lyæi frondibus coronari. Sed & aliam, hac vini affluentiâ, attigit, ni fallor, eruditionem Auctor. Memineris, Plutonem ſupra, cum iudicem Inferorum Proſerpinam conſtitueret, promiſiſſe, futurum, vt ſontes cogerentur, ſpontè piacula fateri.

. . . . Te Iudice ſontes
Improba cogentur vitæ commiſſa fateri.

Hoc poſito, ait Plato, de legibus, nullum tormentum, ad veritatem eliciendam, excogitari poſſe vino efficacius: atq; hoc ipſum pluribus ibi comprobat rationibus, ad quod etiam fortaſſis reſpicit commune illud effatum: *In vino veritas*; & Horatianum illud vel in Triuiis decantatum ab omnibus.

Fœcundi calices quem non fecere diſertum.

Quapropter & Pica, loquacitatis ſymbolum Baccho dicatur, nec illa vnquam adeò loquax eſt, quam cum vino imbuitur. Ad hoc ipſum reſpexiſſe, arbitror, Bracciol. lib. 3. de Cruce, vbi quemdam inducens ad ſcelus proprium, quo occideretur, detegendum, ſic ait;

Quand' al fin della cena ogni penſiero
Con poca guardia è via dal cuor venuto &c.

cum itaque veritas ex imperſcrutabili cordium labyrintho extrahenda eſſet, iudice Proſerpina, hieroglyphicum conceſſæ libertatis, poteſtatiſq; erigitur Cocytus, vino exundans, vt eam vim deferat in tributum, qua, per Platonem, nulla, ad extorquendam veritatem, efficacior.

LA-

LACHESIS NON RVPIT STAMINA. Subintellige repetitum *Tunc*; idest nuptiarum tempore perdurante. Et tranſit Vates ad beneficia extranda, quæ ſenſerint ex his nuptijs Animalia ipſa rationabilia. Quæ ſit Lacheſis videas lib. pri. carm. 54. Eius munus eſt ſtamina de Colo detrahere, ac nendo producere, vt ibidem vidimus carm. 48. Atropos autem, non Lacheſis eſt, quæ ſtamina obtruncat, & dirumpit. Quare opinatus eſt Parrhaſius, in hunc locum ſcribens, poſitam Lacheſim à Poeta hic, pro quacumq; Parca, ſeu ſororem pro ſorore, eo pacto quo Virg., inquit ipſe, Pollucem pro Caſtore ſemel poſuit; Androgeum pro Glauco Propertius &c. Verùm hallucinatus egregiè eſt, meo iudicio Parrhaſ. qui altiorem Auctoris noſtri ſenſum non introſpexerit. Ad cuius intelligentiam, memineris Lacheſim primam, ac principalem cenſeri inter Parcas, vt nos innuimus, cit. carm. 54. lib. pri.; alias verò duas eiuſdem quaſi cooperatrices, ac ſubſeruientes eſſe: ex quo ſequitur, ſororem eam, quæ Atropos dicitur, non potuiſſe, ſtamina, quæ Lacheſis produceret, reſcindere, niſi ex eiuſdem nentis voluntate. Quo poſito, licet Atropos eſſet cauſa immediata fractionis vitalium ſtaminum, tamen ſubordinata ex nutu Lacheſis pendebat iubentis. Cum itaque qui per alium facit per ſe ipſum facere cenſeatur; ideo diruptio ſtaminum Lacheſi attribuitur à Poeta. Sic in ſacris etiam litteris David Vriam dicitur obtruncaſſe; non quia ipſe ſtricto ferro in Vriam irruiſſet; ſed quia ex iuſſu, ac voluntate ipſius, eo in loco poſitus eſt Vrias, vbi hoſtium gladijs obtruncaretur. Hic itaque Lacheſis quatenùs non permiſit, vt Atropos ſtamina dirumperet, iure dicitur ceſſaſſe ab ijs reſcindendis *non rupit ſtamina*, quid autem ſit, ſtamina rumpere reſpectu Parcarum, vide cit. carm. 48. lib. pri.; & de ſtaminibus vide dicta lib. pri. carm. 57.

NEC TVRBIDA SACRIS OBSTREPITANT LAMENTA CHORIS. Parrhaſ. cit. Inuertit huius textus lectionem, quam ſequuntur Heinſius, Barth. & alij, atq; legendum aſſerit: *Ne turbida ſacris obſtrepitent lamenta choris*: dicit enim, afferri hic à Vate rationem, cur Lacheſis non ruperit ſtamina, ne ſcilicet morientium gemitus feſta nuptiarum gaudia interturbarent. Verùm in hoc ipſo decipi Parrhaſ. arbitror, qui, dum cautum, & cautè probantem omnia, Vatem oſtendere nititur, eum in periſſologiam incautè adducat. Cur enim Poeta rationem ſubderet, cur ſtamina non ruperit Lacheſis, eamdem, quam emphaticè incluſerat in illa ſupra poſita particula *tunc*, quam diximus idem eſſe, ac *durante nuptiarum tempore*, quod imperturbari, nefas vtiq; duceretur à Parcis? Nonne eſſet decantatum ſemel inutiliter iterum recantare? Igitur nil ex textu immutandum puto. Sed, quia hic modus loquendi *Nec turbida &c.* altiorem exquirit indaginem; ideò nonnulla cenſeo ad intelligentiam præmittenda. Pro certo itaque habendum primò, ſtatutam eſſe vnicuiq; ſui obitus diem, iuxta effatum patientiſſimi Prophetæ cap. 14. *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt*: quod & apud Poetas, necis poteſtatem Parcarum muneri tribuentes, certum eſt; nam & Virg. Æn. 10. ait:

> *Stat ſua cuiq; dies; breue, & irreparabile tempus*
> *Omnibus eſt vitæ.*

Qui igitur ad præfixam vſq; ſui interitus diem vitam produxit ſuam, hic, moriens, naturali morte dicitur occumbere, &, naturali Fato, ſtamen illius vitæ ab Atropo obtruncari; nam eius durationem proſcindere, munus earum eſt ipſarum, quæ durationis filum fatali ex Colo, iuxta fabulas, trahentes producunt. Pro certo ſtatuendum ſecundo huius vitæ terminum, licet præteriri non poſſit, poſſe tamen præueniri; quod vtique in ijs accidit, qui violenta morte rapiuntur, cum, ſpectato naturæ curſu, multum illis adhùc viuendum fuiſſet. Sic Dido, quæ, ſubito accenſa furore, ſibi ipſi violentas intulit manus, Æn. 4., dicitur ante diem ſuum obiiſſe, & non *Fato*, aut *merita morte*, idest *non naturali*, ſeu *non ad exigentiam naturæ, ac Fatorum periiſſe*.

> *Nam, quia, nec Fato, nec merita morte peribat;*
> *Sed miſera ante diem, ſubitoq; accenſa furore &c.*

Cum autem huiuſmodi Mors, non ab exigentia naturæ; ſed per accidens, irrueret; crediderunt antiqui, huiuſmodi obitus ſemper difficiles eſſe, & diù reluctantem animam detineri, donec vi exceſſiui doloris abſumeretur id, quod vitæ ſuperfuiſſet longiori duratione abſumendum. Ideò difficilis oſtenditur Didonis obitus, cit. Æn. 4.

> *Tum Iuno omnipotens longum miſerata dolorem,*
> *Difficileſq; obitus, Irim demiſit Olympo,*
> *Quæ luctantem animam, nexoſq; reſolueret artus.*

Ad explicandam autem talis obitus difficultatem; &, ad reddendam rationem, cur qui per marcorem, & reſolutionem, moriuntur inſenſibili ferè halitu expirent; qui verò, ante diem, per accidens pereunt, agonem producant, & diù moriantur, duplicem iniere viam antiqui. Dixerunt aliqui, homines, vt ab accidentali mortis impetu, perferendo ante diem, præcauerent, ſolitos fuiſſe, certis vti conſecrationibus, quibus aduerſus fortunæ impetus muniretur; ex quo factum, vt mori non poſſent, niſi illa exauctorati conſecratione. Alij verò dixerunt, hanc conſecrationem non fuiſſe artefactam, ſed inditam à natura, ſeu Fato ipſorum Fatorum, inquiunt, diſpenſatione factum, vt vnicuiq; crinis quidam tribueretur aurei coloris (vt nos de Niſo dix. in Scylla lib. pri.) cuius hæc eſſet virtus, vt homo, eo crine inſignitus, mori non poſſet, niſi priùs crinis ille à capite diuelleretur, vel abraderetur. Hunc crinem Proſerpinæ dicatum eſſe dictitabant; atque eiuſdem Proſerpinæ munus eſſe, crinem huiuſmodi auferre ex eorum capite, quos in regnum mortuorum accire deſtinauerat; & hinc fortaſſis originem habuit id, quod, de ramo aureo ab arbore decerpendo, commenti ſunt, antequam quis ad Inferos iter aggrederetur. Hanc ipſam cauſam, cur Didonis obitus fuerint difficiles, aſſignat Virg. cit.

> *Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem*
> *Abſtulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.*

Munus autem huiuſmodi crinem auferendi, antequam Proſerpinæ demandatum fuerit, Plutonis fuiſſe, ſatis ex eo deducitur, quod Pluto etiam *Orcus* diceretur ab vrgendo, quòd omnes in interitum vrgeret, vt ex lib. 1. vbi Lacheſis ait: *Qui vitam letumq; regis &c.* Quod munus tandem ſuum Proſerpinæ conceſſit Pluto, cùm in anteactis dixerit

> *Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas &c.*

Ex his patet, duplicem conſiderari mortem poſſe; alteram *fatalem, naturalemque*; aliam verò accidentalem, quæ & *Fatalis accidentalis* dici poteſt; nam certe nullum accidens, ſine Fatorum diſpoſitione accidere poteſt, iuxta mentem eorum, qui Fatum omnibus præeſſe voluerunt: vel certè, religiosè, & iuxta veritatem loquendo, ſine permiſſione diuinæ voluntatis. Cum itaque etiam caſus accidentales ex Fatorum ſerie, & coordinatione dependeant iuxta dicta; vbi Vates primo loco expreſſiſſet, peculiari factum diſpenſatione, vt Lacheſis (quæ iam Plutoni nuptias promiſerat lib. 1. *Poſt Iouem, debitur coniux*) iam voti compos facta, vt lætitiam oſtenderet, ab obtruncandis eorum ſtaminibus, qui, iuxta exigentiam naturæ occumbere debuiſſent, abſtinuerit: *Stamina non rupit Lacheſis &c.* Subdit immediatè, mortem etiam accidentalem, & violentam ab hominibus arcere, eam voluiſſe. Quare vt a prima illa ad hanc ſecundam mortem repreſſam aptum efficeret tranſitum, vſus eſt particula *Nec*, quæ coniunctio eſt, vt noſtis, diſiunctiua, ita ſeriem effectuum coniungens, vt diſparatos tamen eſſe oſtendat. Hunc autem effectum repreſſæ mortis accidentalis, à conſequentibus deſcribit, vt, dum conſequentia negat, antecedens, neceſſariò coniunctum, negaſſe intelligatur. Quod vt clariùs innoteſcat, quid in huiuſmodi caſibus eueniat, nempe, cum diù quis moritur, perpende. Certè enim primò connaturale eſt, vt, qui extremos patitur dolores, ijs, vel morte, finem optet imponere; quare, enixis votis, ſe diſſolui tandem efflagitat, ac ſic pœnæ terminum inuenire. Inſuper adſtantes conſanguinei, amici &c. diù morientis tormenta commiſerantes lamentationibus, & eiulatibus cælum complent; & credentes, vt olim, munus Proſerpinæ eſſe, in crinem aduolare, illi moras improperantes, excitabant, vt adeſſet tandem, & luctantem ſolueret animam. De his itaque lamentationibus tam patientis, quam adſtantium, quæ tunc ad Plutonem deferri debuiſſent, loquitur Vates, vt ex remotione effectuum, remotam à Lacheſi cauſam intelligamus. Porro lamenta ipſa ſunt actus lamentationis; lamentatio autem, vt definit Cic. 4. Tuſc. eſt ægritudo animi cum eiulatu: nomen enim deductum eſt a verbo *Lamentor*, quod eſt querula, triſtiq; oratione damnum teſtor, ac dolorem. Hæc autem *Turbida* dicuntur, hoc eſt tumultuariè erumpentia, more turbidi, commotiq; maris æſtuantia, confuſa, perturbata, ac ſine lege, ſine methodo, ſine interruptione decurrentia. Audi Virg. Æn. 4. quomodo lamentationes, agonem Didonis proſequentes deſcribat.

> *Collapſam aſpiciunt comites, enſemq; cruore*
> *Spumantem, ſparſaſq; manus: it clamor ad alta*
> *Atria, concuſſam bacchatur fama per Vrbem.*
> *Lamentis, gemituq;, & fœmineo vlulatu*
> *Tecta fremunt; reſonat magnis plangoribus æther;*

Non

Non aliter, quàm ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros &c.

quid turbidum magis? quid magis efferri potuit confuſum? Itaque vt totâ nuptiæ lætitiâ procederent in Inferis, *Nec lamenta* huiuſmodi *obſtreperent ſacris choris*. *Obſtrepere* verbum frequentatiuum eſt ab *obſtrepo*, quod ſignificat *contra aliquem ſtrepitum facere*. Negat igitur Vates vel contra Plutonem, vel contra Proſerpinam, qui in crimen diù morientis non aduolarent, improperia tunc euibrata fuiſſe; & hoc, beneficio Lacheſis cauſam remouentis &c. *Sacrum* dicitur quidquid Deo dicatum; quare cum tripudia illa, quæ nomine *chori* huc veniunt, Plutoni, ac Proſerpinæ, Inferorum Dijs, dicarentur, iure ſacra dicuntur.

MORS NVLLA VAGATVR &c. Per diſpoſitionem compoſitiuam a ſpeciebus ad genus progreditur Vates, & cum geminam mortem, vt ſupra, ſeorſim a mundo excluſerit; iam, vniuerſaliter loquens, quamcumq; mortis ſpeciem, ſi alia ab aſſignatis excogitari poſſit, per propoſitionem generalem eliminat. Ideò *Nulla mors &c.* De morte, prout Dea aſſeritur Inferorum ex fabulis, plura diſſeruimus in anteactis, carm. 218., ac fuſiùs carm. 302. Iuxta veritatem nil aliud mors eſt, quam ſeparatio animæ informantis à corpore informato. Quarè, iuxta fabulas, vnica mors eſt omnia perimens viuentia; iuxta veritatem tot ſunt mortes, quot animarum ſeparationes. Sed, quoniam Poetis, iuxta fabulas loquendum eſt, licet non abeſſe debeat ad rei veritatem reſpectus; aduerte mortem, quæ vnicum ſtatuitur Inferorum Numen, vt vidimus, non vno tamen modo vnumquodque viuens abſumere, ſed plurimis, varijsq; modis: quarè cum innumeri fere hi modi ſint, totidem, vſus inualuit, vt mortes dignoſceremus, quaſi, ad multiplicationem effectuum, cauſa ipſa multiplex, ſi non realiter, certè virtualiter dicenda ſit. Ideò Poeta has omnes excludit *Nulla mors*, inquiens, hoc eſt nullus mortis impetus, poſita pro effectu cauſa, *vagatur* hoc eſt hùc illùc incerto quidem pede, ſed certis ictibus, diſcurrit. Nam mortis proprium eſt iſtud, cum ex ſortibus ab vrna Minois prodeuntibus dependeat, in vocandis ad Inferos viuentibus, quos tamen certè ferit, nec vnquam graditur, quin feriat. Nota tamen differentiam, quam aliqui ponunt inter *errare*, & *vagari*: *errare* enim, inquiunt, dicitur, qui ad aliena diuertit; *vagari* qui per diuerſa quidem, ſed non aliena, diſcurrit. Prudentiſſimè igitur, *vagari* mortem, innuit Vates; nam, cum totus orbis ditioni mortis ſubijciatur, quocumq; pedem ferat, licet in diuerſa, ſemper ſuam peragrat ditionem, nec ad aliena diuertere dici poteſt.

IN TERRIS. Vnica, procul dubio, terra eſt: ſed, quia, per geographicas, dimenſiones, in plures diuiditur partes, quarum vnaquæq; terra eſt, cum Vates motum mortis ad diuerſas, negatiuè, deſcripſerit, terrarum iure nomine deſignauit.

NVLLÆQ; PARENTES &c. Attigit in antecedentibus lamentationes, quæ *diu morientium* agones comitantur, nunc eas refert, & excludit, quæ mortuorum funera quæcumque ſubſequuntur, vt ex eo, quod nulla mors vagaretur in terris, gradum faciat ad exprimendam, copulandamq; conſequentem totius orbis quietem. Parentes verò præcipuè hoc eſt matres ſignat, vtpotè quæ liberorum funera copioſioribus lacrymis, ac eiulatibus proſequi ſoleant, vt ex ceſſatione maioris luctus ceſſationem tacitè inferat cæterorum.

PLANXERE ROGVM. De planctu vide dicta in anteactis carm. 248., nam & hic *Plangere* eſt eiulatu, planctuq; proſequi. *Rogus* pro morte ponitur, conſequens ſcilicet pro antecedenti: nam *rogus* ſtrues erat lignorum, ad cremanda defunctorum cadauera coactorum, vt moris erat apud antiquos: &, vt ſcribit Cic., de legibus, Romæ Corneliorum primus Sylla cremari voluit. Dictus eſt autem rogus, eo quod in illo Dij Manes rogarentur in ſubſidium defuncti, qui cremabatur. Quod ſi cupias agnoſcere, quonam pacto rogus conſtrueretur, quibus excreſceret lignis, qui ritus circa rogum ſeruarentur &c. adeas Virg. Æn. 6. vbi exequias Miſeno perſolutas exarat ſic:

Principio pinguem tædis, & robore ſecto
Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantq; ſuper fulgentibus armis &c.

quæ, cùm facile quiſquis ex Virg. ipſo decerpere poſſit, libens prætereo. Tantum nota, officium incendendi prædictam lignorum ſtruem eorum fuiſſe, qui arctiori conſanguinitatis gradu iuncti cum cremando fuiſſent, vt ait Virg. ibi: . . . . *Pars ingenti ſubiêre feretro*
Triſte miniſterium, & ſubiectam, more parentum,
Auerſi tenuere facem.

Quare propriſſimè inquit Claud. *Nullaq; rogum planxere parentes*; vt ex ritu habes iam dicto.

NAVITA NON MORITVR FLVCTV &c. Quod vniuerſali illa propoſitione *Mors nulla vagatur* complexus fuerat Auctor, iam, per diſpoſitionem reſolutiuam, quam & analiticam vocant, hic enucleat, & ſectam in partes, quatenùs etiam ea complectitur funera, quæ lamentationibus careant, ſubijcit, vt ex partium excluſione pateant, & roboretur excluſio, quam poſuerat totius. Nauita pro Nauta per epentheſim dicitur, qui nauem agit; ſed hic ponitur pro quocumque nauibus vtente, ad ſulcandam æquoris inſtabilitatem. Nauitam tamen principaliùs appellat, vt alludat ad tritum illud apud Italos prouerbium *Ogn' vn mastro sa'l suo meſtiere*; quod idem reſpicit, dum de milite mox ſubdit; eo paſſu quo Hor. lib. carm. 1. hæc eadem memorat Od. 28. dicens:

Dant alios Furiæ toruo ſpectacula Marti
Exitio eſt auidis mare nautis &c.

Dicere igitur *nauita non moritur* per æquipollentiam propoſitionum, vt cum longiùs loquar, idem eſt ac dicere *Nullus nauita moritur*. Quare propoſitio hæc vniuerſalis vniuerſaliter à nautis mortem excludit. Verba non explico, nam clara ſunt. Tantum nota *fluctu* pro fluctibus poſitum per ſynecd., & accipi tanquam inſtrumentum, quo mors vtatur ad nauitas ſuffocandos, ac perimendos.

MILES NON MORITVR CVSPIDE. Propoſitio vniuerſalis, vt ſupra, vniuerſaliter intelligenda. *Cuſpis* quid ſit, ſæpe dix., hic ponitur pro quocumque armorum offendentium genere; nam arma offenſiua inſtrumenta ſunt, quibus vtitur mors, vt plurimum, ad milites in acie ſuccidendos.

OPPIDA FVNEREI &c. Ex eo quod nullus Nauta moriatur fluctibus ſequitur, vt, ſecundis vſi nauigationibus, Mercatores merces tutò aduehant, quibus oppida ditentur: pariter ex eo, quod nullus miles moriatur cuſpide, ſequitur orbem totum pacifica induciarum frui tranquillitate; quare nil mirum, ſi Vates ex poſitis antecedentibus deducta ſubnectat conſequentia. Inſuper licet mors nautarum, ac militum non ſtatim habeat funeris lamentatores, audito tamen mortis nuncio, mæret patria Ciuitas vel ex defenſorum amiſſione, vel ex mercium iactura, vel ex chariſſimorum pignorum internecione. Eo ipſo autem, quod nulla mors vagaretur in terris nullum etiam ferale deferri potuit Nuncium; ideò floreſcens hic iure oppidorum gaudium ſubnectitur. De oppido ſatis iam dix. ſupra carm. 153. hic ponitur continens pro contento, nempe oppida pro oppidanis. Niſi mauis, ſenſum hic tribui inanimatis; quaſi oppida ipſa ex ciuium fælicitate geſtire quodammodo viderentur, quod eſſet nobile admodum dicendi genus.

POLLENT IMMANIA LETHI FVNEREI. *Pollere* eſt *in meliorem frugem efflorescere*, quod profectò oppidis euenit, cum læta mortis triumphant eliminatis. *Immania*, ideſt *ſine munijs*, hoc eſt oneribus *Lethi*. Mors *lethi* omnine deſignatur à ἀπὸ τῆς λήθης, hoc eſt ab obliuione, quam rerum omnium inducit, & *funerei* additur; nam ferens funera mors eſt. Immunis igitur à letho, & conſequenter ab exequijs lethum ſubſequentibus Ciuitas certè hilaris, floreſcens, ac fælix eſt.

IMPEXOSQ; SENEX &c. Ex eo, quod Parca non rumperit ſtamina, conſequenter Mors poſitis quieſceret armis, ita vt nullus moreretur, ſequitur neceſſariò, vt nullus fieret concurſus animarum, ad Acherontem fluuium tranſmeandum; cum enim nullus orbe excederet, certè nullus littora petebat tranſuectandus. Quarè otioſo licuit eſſe Charonti. Ideò Vates ad hunc deſcribendum opportunè tranſitum facit, & comptum, mollem, atq; ad relaxationem laboris compoſitum effingit. Sicq; paulatim ad relictam in Inferis redit nuptiarum proſecutionem.

ET PORTITOR SENEX. Portitores dicuntur qui portus, ac flumina ſeruant, atq; omnia excutiunt, vt vectigalia rigoroſiſſime exigant. Et Portitores dicuntur etiam vectores, qui Cymba trans flumen mercede portant accepta. Itaque Auctor noſter, dum *Portitor ſenex* ait, Charontem Antonomaſtice deſignat, qui & ſolus eſt, qui flumina ſeruat inferorum, qui ſubuectat animas Cymba, & qui vectigal, ac naulum exigit à tranſuehendis, vt fabulæ aſſeruerunt. Eſt itaque Charon Erebi, & Noctis filius, vt ſenſit Heſiodus, qui omnia ferè inferorum monſtra ex ijs orta parentibus affirmauit, in Theogonia. Hic Portitor Animarum, ac Nauta Acherontis, Stygis, & Cocyti, quæ flumina deſcendentibus

ad

ad inferos obijciebantur tranandæ, fuiſſe dicitur; eumq; deſcribit Virg. Æn. 6. hæc munia exequentem, his verbis:

Portitor has horrendus aquas, & flumina ſeruat
Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet; ſtant lumina flammâ;
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipſe ratem conto ſubigit, veliſq; miniſtrat,
Et ferrugineâ ſubuectat corpora cymbâ.

ab eo & vectigal exigi, & naulum, ab animabus tranſuehendis, opinio fuit antiquorum; teſtatur enim Lucianus, in Dialogo de luctu mortis, ſanctum fuiſſe apud ipſos, vt obolum, numiſma perexiguum, in os cuiuslibet ingererent demortui, quod naulum eſſe Charontis arbitrabantur: Ariſtophanes autem, in Ranis, duos obolos poſtea eiuſdem naulum fuiſſe ſcripſit, his verſibus, latino metro exaratis à Nat. Com. in Mythol. lib. 3. cap. 4.

Mercede capta, Nauta te ſenex vehet
Binos obolos in naue parua proteruus.

nec paruâ eâ mercede contentus ſemper fuit; ſed auctum eſt Charonti ſtipendium, ad triobolum vſq; ab Athenienſium Imperatoribus, vt refert Mythol. cit. ne æquari multitudini cogerentur; ſed fruſtra: nam is implacidus pariter omnibus, quos tranſuehebat, ſemper fuit; ideòq; dictus creditur *Charon* per antiphraſim, quia minime Charon; nam Charon nomen, vt inquiunt aliqui, deductum eſt à græco *χάρις*, quod feſtiuitas, beneficium, munus, remuneratio, voluptas, illectamentum latinè eſt; hic verò ſemper horridus, ſemper ſquallidus, ſemper terribilis, vt ex Virg. cit. ſatis patet. Ego quidem hoc Portitoris Inferni nomen deductum potiùs dicerem à Verbo græco *Καρόω*, quod latinè *perimo*, mutatâ tantum primâ per accidens litterâ, ſi tamen mutata omninò dici debeat, dum apud aliquos adhùc *Caron* ſine aſpiratione ſcribatur; ſic enim propriſſimo nomine appellabitur, qui, omnibus crudelis, omnes perturbat, dum preces non audit, vt patet, ex cit. Æn 6.

Stabant orantes primi tranſmittere curſum,
Tendebantq; manus ripæ vlterioris amore.
Nauita ſed triſtis nunc hos, nunc accipit illos;
Aſt alios longe ſummotos arcet arenâ.

Sarbaraſium tamen huius crudelitati illuſiſſe cecinit Cycnus Criticis lib. 11. dum illum, nec naulo ſoluto, nec Cymbâ adhibitâ inferorum aquas tranantem ſic deſcripſit.

Hor veggendo lo ſtuol coperto d'arme
Sù'l graue remo il fier Charon ſi poſa;
E al duce lor con diſpettoſi carmi
Che farò grida, che tardi, alma ſdegnoſa?
Folgore ardendo ancor, che ti diſarmi?
Et ella, altieramente empia, e cruccioſa,
Tienti pur, diſſe, il tuo Vaſſel; ch'io voglio
Paſſar ſenz'eſſo; e fiammeggiò d'orgoglio.
E ſi getta nell'onde, e la palude
Tutta, graue dell'arme, à nuoto varca;
Ne più gli cal, che s'affatichi, e ſude
Rimenando Charon l'antica barca &c.

Id tamen non obſtat, quin, iuxta antiquorum opinionem, poſſit antonomaſticè Charon Portitor Inferorum nominari. *Senex* autem dicitur; quia *ſenex* appellatur, qui ætate confectus morti adſtrictior iam videtur, quam vitæ; nam *ſenex* quaſi *ſemmor*, hoc eſt ſemimortuus dicitur. At in hoc ſenſu non ſumitur hic, ſed tantum, prout ſignificat aliquem grandiori ætate prouectum: & porrò antiquiſſimus dierum dicendus Charon, cum Coæuus fuerit Inferorum conſtitutioni; nullus enim ferè mentionem habuit de Inferis animas recipientibus, quin Charontem meminerit; ſed cum Deitatis titulo dotaretur ab antiquis immortalis etiam creditus nunquam *ſemmor* dici potuit. Immò, vt ait Virg. cit. Æn. 6.

Iam ſenior ſed cruda Deo viridiſq; ſenectus.

VELAVIT CRINES IMPEXOS ARVNDINE. *Velare* tranſlatè hic ponitur pro *coronare*; nam *velare* eſt *leui quodam integumento operire, & contegere*; certè autem qui caput frondibus coronat, leui contegit tegumento. Coronari autem mos erat in lætis peragendis, vt ſupra vid., de coronatis Inferorum conuiuijs diſſerentes, ideò & Charon *velauit Impexos crines &c. Impexam frontem* legit Heinſius: *Implexam frontem* perlegunt alij: nec ijs quidem ego reluctor; ſed clarior, & expeditior videtur vulgata noſtra. Quid crines ſint, ſæpè diximus, & notiſſimum per ſe eſt. Hic Crinis pro capite ponitur; nam corona crinibus immediatè imponitur, capiti autem mediantibus crinibus; quos impexos dixit, hoc eſt nullo pectine cultos, nullis delibutos vnguentis; nam hiſpidus crinis hiſpidam decebat naturam.

Ideò & Virg. ſupra. . . . . . . *Cui plurima mento*
Canities inculta iacet.

Arundineis autem folijs aptè velatum indicat Charontem, quippè fluuiatile Numen, vt ex dictis conſtat, & hoc eodem lib. carm. 136. vidimus quo pacto huiuſmodi Numina decceat arundo.

ET EGIT REMOS VACVOS CVM CARMINE. Delicias captantis eſt, lento quodam, ac laſciuienti motu, remis nauem impellere placidas per vndas. Ideò Poeta, ceſſante Charontis aſſiduo nuper labore animas tranſuectandi, eum deſcribit laſciuienti ſimilem, nempe arundine redimitum, ac molliter remos impellentem, ad auram potiùs captandam, quam ad laborem exercendum. *Et egit*: hoc eſt leni motu impulit *Remos*. Eſt *Remus* inſtrumentum notiſſimum, quo naues aguntur; quarè Ianus Parrhaſ. *Remos* hic poſitos arbitratur pro ipſa Cymba, quæ vacua eſſet, cum nullas Mors demitteret animas tranſuehendas. Nec inconcinna, vt fatear, interpretatio eſt; ſi litteram ſpectemus potiùs, quam ſenſum; nam certè vacuus remus dici non poteſt, ſed ſanè Cymba, quæ ſola etiam impleri potuit; ni dicamus partem poſitam, poetico more, pro toto, nempe *remos* pro Cymba. Aſt nos ſenſum potiùs, quam litteram ſequamur. *Vacuus* itaque, ſi bene meminerimus ſæpè ſæpiùs accipitur pro *Otioſus*: ſic *vacuos tranſigere dies* dicimus eos, qui dies integros otiantur. Sic *animo vacuo eſſe* fatemur eos, qui otioſi ſpatiantur, & quidem auctore Tullio. Atq; in hoc ipſo ſenſu dictum à Vate, arbitror *Egit vacuos remos*, hoc eſt *nullo tum addictos labori*, ſed ad relaxationem animi conducentes, quod confirmatur ex ipſo addito *Cum carmine*; Carmen enim eſt, vt alibi dix. quaſi *canimen* dicitur à canendo. Canere autem tunc ſolent nautæ, cum in naui otiantur, vel remos agunt, ad auras delicatè captandas, non verò cum labori incumbunt, ac ſedulæ ſtudent nauigationi; Quarè morum imitator Vates Charontem inducit muſicos numeros Remorum motibus adaptantem; dum otio fruitur, animique indulget relaxationibus.

Sed, ne, his detenti cantibus, in Syrenes incidiſſe videamur, nos autem obturantes oculos aperiamus, quid ad morum compoſitionem hæc faciant, peruestigantes.

OBLITAE SCELERVM &c. Pœnam ſemper ante oculos verſari putant, qui peccauerint, inquit Cic. pro Mil.; atq; hoc idem teſtatur exemplo ſuo Oreſtes ille, qui furijs agitari dicebatur, eo, quod conſcientiæ malefactorum ſtimulis agitatus furioſo ſemper ſimilis appareret: quarè & apud Virg. Aen. 3. legitur *Furijs agitatus Oreſtes*. Nam verè nulla, crinita ſonitibus hydris, Tiſiphone crudeliùs in delinquentes inſurgit, quam conſcientia malefactorum. Teſtis aderit, & Caim Fratricida Gen. 4., cui cum Deus, in pœnam delicti, futurum annunciaſſet tantum, vt vagus, & profugus eſſet ſuper terram; ipſe vltrò maiorem ſibi adſciſcit pœnam, inclamans: Omnis, qui inuenerit me, occidet me. Fatue (hic libenter ſucclamarem) Quis te occidat, ſi nullus adhùc in Orbe eſt? Adam Pater eſt: &, licet alterum illi filium ademeris, ſacrilegum non ſecuturus exemplum, ne ſanguinem ebibat ſuum. Abel mortuus eſt: tu ſolus, poſt Adam ſuperſtes es: quis igitur occidat? Maxima profectò vis conſcientiæ eſt. En primum Furijs agitatum Oreſtem, non quidem Matris, ſed fratris interfectorem. Proprium furentis eſt, etiam vbi muta omnia, ac deſerta ſunt, integras meditari phalanges, in ſui perniciem obarmatas; plantas ipſas in Briareos conuerſas ſomniat, vltionem appetentes; ſaxeos montes in gigantes, horrendum minitantes; creaturas omnes, vel ſenſatas, vel inſenſatas, conſpirantes in ſui pertimeſcit exitium; Cometas vndique cernit, ferale rubentes, licet nullus ſuccendat aereus vapor. Ideò Furijs actus Caim, omnis, ait, qui inuenerit me, occidet me, licet ſolus eſſet in Mundo. Accedit in teſtem Lamech qui ait: Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum, ſeptuplum vltio dabitur de Caim; de Lamech verò ſeptuagies ſepties. Pœnam itaque ſemper ante oculos verſari putant, qui peccauerint. Saxum Siſiphi conſcientia eſt, de qua 3. de Nat. Deor. ait Cic. *Conſcientia graue pondus*. Tytij Vultur eſt continuò cor exedens: Serpens oſſa deuorans, & medullas, nam vermis eorum non moritur; ſed ſerpens poſitus ad ſalutem, dum viuimus. nam optimum eſt morſus conſcientiæ pati, poſt commiſſum facinus, vt inquit Tullius 2. Tuſcul. Nouit hanc animæ vtilitatem Satanas; atq; ideò, cum eam, per peccatum, rapuerit in ſuam, nuptias celebrat, conuiuia exhibet, lacte, & melle manantia omnia repræſentat, vt, adhibitis tranſeuntium diuerſionibus deliciarum, conſcientiæ morſus ab Anima

diuellat; ita vt oblitæ videantur ſcelerum Furiæ, hoc eſt conſcientiæ ſtimuli peccantis. Nuptiæ factæ ſunt inter Dæmonem, & Animam tunc, cum

Oblitæ ſcelerum, formidatiq; furoris
Eumenides cratera parant.

Satanæ iungeris vinculo delictorum; Et conuiuijs, potationibus, Tripudijs lætus indulges? Feſtas tedas ſuccendunt, quæ olim Furiæ animum tormentis vellicabant? Diuortium Animæ à Dæmone vix ſperandum. Efficit inſuper Satanas, vt carnis fætores, vt Amſancti, peſtiferè olentes Valles non ſentiamus, vt facidis aquis, tamquam vitalibus riuis delectemur, vt lacte ſcatere videantur, quas gurgites inferni eructant, aquæ &c. Mortis obliuionem inducit, dum Charontem ad ſabulam compoſitum, otiantemq; ſuggerit; ideſt ex hac vita tranſitum, quam longiſſime a peccatoribus abeſſe ſuadet, ne memoriâ mortis, ac ſepulchri reſipiſcant excitati, ac teterrimum peccati veternum exuat, fracto Dæmonis viriliter iugo. Fallacias igitur agnoſcamus; nam conſcientiæ ſtimulis, poſt peccatum, non agitari, pœna eſt, non ablatio pœnæ: Tranſire abſq; offenſione fætidas Amſancti Valles eſt celeri, ac tuto gradu ad inferos accedere. Vina deliciarum fragrantia vineam animæ obruunt, vt nullum immortalitatis fructum afferat vinitori. Lac mundanæ ſuauitatis exundans, in gurgites rotatur, vt incautam mortalitatis noſtræ paleam, ac fænum detrahat in profundum; & mortem nobis otiantem effingere eſt irriſionis in nos anſam præbere Plutoni, in interitu noſtro tripudianti. Sed ne Inferorum conniuere tripudijs videamur, nimium in ijs exagerandis immorantes, Amſanctum dum fugimus, italicas ad Pindum Muſas, gracili quamuis pede, iterum proſequamur.

De falli altrui la rimembranza in bando,
Per non punirne il condannato errore,
Pongon le Furie; e, di Giuſtitia il brando
Già rintuzzato, hor del natio furore
Non più gli ſerpe in ſen fuoco eſſecrando;
Ne più s'inaſpra il lor temuto horrore:
Mà, le tazze appreſtando in menſa lieta,
Tutte affondan le cure in vin di Creta.
De gl'ondoſi rubin brillante il ſalto
Già del petto s'accoglie in ampie foci;
Gl'angui e tutti del crin vibrati in alto
Sol ſan contro il criſtallo eſſer feroci,
Sol di Baccho al liquor muouer l'aſſalto
E, mentr'a' ſdegni, alle minaccie atroci..
Sottentra il canto, eſſe de vetri al pondo
Stendon le ſerpi, à farne aſciutto il fondo.
Se pria guerriere al Ciel, ferali al centro
Fer di ſue faci inalberar le fiamme;
Hor, ch'è pace nel Ciel, pace nel centro,
Fan, che le tede ardor più lieto infiamme.
Sol feſtoſe lumiere hor colà dentro
L'eterna Notte, è, che l'Amor rinfiamme;
E di vampe concordi ergon corteſi,
Non più Furie, le Furie i torchij acceſi.
Varcaſte all'hor, ſenza temer di morte
Innocenti colombe il lago auerno:
Che, ſe ſchiuder le peſti egl'hebbe in ſorte,
In tal punto, i vapor chiuſe l'Inferno.
Del cupo Amſanto, all'auerpal conſorte,
Frenâr le Valli il micidial Veterno: *Veterno è morbo freddo ch'induce ſonno, e morte. Volgarmente Letargo detto.*
Arreſtoſſi 'l torrente; e, muta l'onda,
Tacque l'ampia voragine profonda.
Gl'è fama ancor, che d'Acheronte i gorghi
Fiume di latte à tributar l'arene
Tramandaſſer d'Abbiſſo, ou'ei s'ingorghi:
E, gonfie di Lilêo, prodighe vene
Verſaſſer l'vrne, ond'vn Cocito ſgorghi;
Si che, nel dolce, l'vn morto alle pene,
L'altro viuo, ne moſti, in pellegrine
Hedre, n'andaſſe, inghirlandato il crine.
Niun de ſtami vitali al fuſo auuolti
Troncò la Parca; e non s'vdir penoſi
Strepiti di lamento, in Stige accolti,
L'allegre nozze in diſturbar cruccioſi:
Siede otioſa la Morte: e vanno aſſolti
Da tributi del pianto, in ver, gioioſi
Materni gl'occhi; e viè più i cuor conſola,
Che più niun rogo i cari pegni inuola.
D'orgoglioſo Nettun ſpianati i monti,
Non s'appreſta dal mar tomba al nocchiero;
Ne, frà riſchi di Marte, è che s'incontri
Nella falce fatal prode guerriero.
Del funereo ſquallor chiuſe le fonti,
Ride delle Cittadi ogni ſentiero;
Ed in bando, di Morte atra foriera,
D'ogni morbo crudel fugge la ſchiera.
De neri fiumi al porteggiar, sù'l varco,
Sempre vegliante, il fier Charon ripoſa;
Che niun s'accoſta à ſupplicar l'imbarco.
Cinge canna crinal di fronte annoſa
L'hirſuta chioma, in delicioſo incarco:
E, con remo ſcherzante, in ſpiaggia ondoſa
Vuoto ſoſpinge il galeggiante legno,
Mentr'eccheggia al ſuo canto il muto Regno.

Cantus itaque cantum allicit: atq; adeò nos, relicto Charontis cantu, dulciorem Vatis cantum proſequamur.

Iam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi.
Ducitur in thalamum Virgo: ſtat Pronuba iuxta
Stellantes Nox picta ſinus, tangenſq; cubile,
Omnia perpetuo genitalia fœdere ſanxit.
Exultant cum voce Pij: Ditiſq; ſub aula
Talia peruigili ducunt exordia plauſu.
Noſtra Parens Iuno, tuq; ò Germane Tonantis,
Et Gener, vnanimi conſortia ducite ſomni;
Mutuaq; alternis innectite colla lacertis.
Iam fælix oritur Proles: iam læta futuros
Expectat Natura Deos. Noua Numina rebus
Addite; & optatos Cereri proferte Nepotes.

IAM SVVS INFERNO &c. Peractis nuptialibus conuiuijs, ac feſtis, lætiſq; vndiq; iam collucentibus tedis, reliquum tantummodo fuerat, vt connubia ad perfectam deducerentur abſolutionem. Ideò hæc peragens Vates, iam & tempus notat opportunum, & ſubinde ceremonias nuptiales, quibus noua Nupta in thalamum duceretur, exponit; ac tandem Epithalamium carmen ab Elyſiorum cultoribus decantatum, quo, & ſponſæ, & viri, laudes, atq; auguria Prolis futuræ, breuibus attinguntur, collectimq; exponuntur.

IAM SVVS HESPERVS &c. Sicuti ſanctum fuit apud antiquos; vt noua Nupta tantùm ſub noctis ortum duceretur, & virum, & tantum noctu viro liceret Zonam ſoluere virginalem; ſic nefas eſſe ducebant, ante Solis occaſum ducere, atque, ante viſam Heſperi ſtellam, virum ſponsâ potiri. Ad implendas igitur has coniugij leges, opportunitatem temporis expectaſſe dicitur Pluto, ne, ſi coniugij fructus præripere voluiſſet, videretur Proſerpinam rapuiſſe, non vt tantummodo dulce patris cognoſcere nomen poſſet, vt ſib. pri. fuerat proteſtatus, ſed effrænatæ potius libidinis impetu compulſus. Ideò aptiſſimè opportunitas hic temporis notatur, & exprimitur. Aduerb. itaq; temporis *Iam* idem hoc loco ſonat, ac *interea*. De Heſpero aliqua attigimus in anteactis carm. 121. vbi eandem ſtellam eſſe diximus, quæ & Lucifer, & Heſperus appellatur: Lucifer, quatenus Solem præcedit; Heſperus, prout ſubſequitur, cum tamen ſit eadem *ſtella Veneris*. Iam videndum quid de hoc Heſpero fabulæ

lo-

loquantur. Secundùm igitur aliquos, *frater*; ſecundùm alios, *filius* Atlantis fuit Heſperus, qui, cum montem, ex nomine fratris, aut patris, Atlantem dictum, conſcendiſſet, ad ſydera ſpeculanda; neq; ampliùs apparuiſſet, creditus eſt in ſtellam lucidiſſimam commutatus; atq; adeò, quaſi morem adhùc ſeruans ſuum, primus, occidente Sole, apparet in Cælo, ſydera contemplaturus, & vltimus, cadentibus ſyderibus Cælo emicat, quaſi nondum exſaturatus ſyderum contemplatione. Sed quia Heſperus dicitur, ſolum quatenus Solem ſubſequitur occidentem, notat hæc, ſub tali nomine, ſtella ſerotinum tempus, ideòq; & *ſtella* dicitur *ſerotina*, *veſper*, & *veſperugo*. Cum autem nocturnum tempus maximè idoneum ſit Raptoribus, & Amatoribus, iuxta id quod cecinit Italico metro ingenioſus ille

Notte de ladri, e degl' Amanti amica.

iure Heſperi tempus aptum notatur, quo Raptor, & Amans Pluto Præda frueretur amata; ne in ijs tantum, quæ ſupra diximus perſiſtamus. Inſuper Heſperus ſtella Veneris eſt, vt vidimus, ideò aptiſſimè ad Veneris triumphale theatrum aperiendum Heſperi tempus expectatur; Vt ſicuti Venus prædam Plutoni obtulit; ſic ſtella Veneris duce in Amoris ſui fructus aduolet Raptor. Odit Solem Venus, ex quo, indice Sole, inter Martis amplexus deprehenſa abs Deorum fuit Concilio; ideòq; & ipſa ab aliquibus Noctis nomine deſignatur, & Amor ipſe Noctis dicitur filius, Ariſtophane facem præferente. Ideò Venereis ſignum præbeat oblectamentis Deæ ſuæ obſequens Heſperus. Tandem modeſtia edocet ipſa, vt ea in tenebris peragantur, quæ licet reprobari non poſſint, quia conceſſa, exerceri tamen palam ab ingenuo, ſine rubore non poſſunt. Ideò ſerotinum tempus expectatur. *Iam Heſperus ſuus &c.* Poſſeſſiuum hoc nomen *ſuus* ad orbem, in quo ſtella dicitur emicaſſe, refertur, nempè ad orbem Plutonicum. Nec videatur Vates incongruè procedere, ſtellas dum apud Inferos affulſiſſe profitetur; nam immò congruentiſſimè procedit ad ea reſpiciens, quæ Pluto dixerat:

Amiſſum ne crede Diem. Sunt altera nobis
Sydera; ſunt orbes alij &c.

PROCESSERAT. *Procedere* idem eſt, ac paſſibus iter faciendum emetiri, ac pertranſire. Quare *proceſſerat* idem eſt, ac *magnam itineris ſui partem fuerat emenſus*: &, quia, quo magis in itinere procedunt ſydera, eo magis ab Horizonte eleuantur: *proceſſerat Heſperus* idem eſt, ac altè fuerat prouectus equo, qua periphraſi, vides deſcriptum tempus iam nocturnum Cælo inſediſſe, atq; in ſecundam ſaltem noctis horam tripudia protracta fuiſſe nuptialia, antequam Virgo in thalamum duceretur, vt noueris non primo ſtatim, ſed alto iam veſpere Plutonem raptam ſuam duxiſſe in thalamum, quo magis ea confirmarentur, quæ nos ſupra aſſeruimus.

ORBI INFERNO. Tertius commodi caſus eſt cætera clara, ex ijs, quæ de infernis orbibus dictum ſupra ad locum cit.

DVCITVR IN THALAMVM VIRGO. Notato tempore, quid factum, per id tempus, indicat. *Virgo* antonomaſtice Proſerpinam deſignat, ex notabiliori ſcilicet virtute, ac qualitate, cum præcipuum ſit puellarum decoramentum virginitas. Inſuper virginis nomine eâm appoſitè notat ad permouendos affectus commiſerationis erga Proſerpinam nunc virginem, mox mulierem futuram, & (quod miſerabiliùs eſt) Plutone Zonam diſſoluente. Et *ducitur* inquit, quia impudentiæ notam ſubiſſet Virgo, quæ ſpontè in thalamum properaſſet, quaſi virginitatis pertæſa virum vltrò appeteret: ideò ſeruatum ſemper in nuptijs fuit, vt ſponſa duceretur; quaſi erubeſcendum non eſſet id, ad quod duces adducerent, atq; adhortatores exiſterent: ex quo factum, vt verbum *ducere* nuptiale profectò ſit. Nota tamen vlteriùs Proſerpinam iam non *rapi*, ſed *duci*; vt intelligas, mitigatam ex parte Proſerpinam, conſenſu ſuo, concedere iam incipientem, quod priùs, rapta, ſe cogi ad deperdendum, lamentaretur: nam *duci* volentis eſt, non vim patientis, vt alibi diximus. De thalamo vide dicta lib. pri. carm. 103. Hic certè pro nuptiali ponitur cubiculo.

STAT PRONVBA IVXTA &c. Ducebatur, more Romano, noua Nupta in Thalamum à Patrimo, & Matrimo, tedam præferentibus, ac duobus alijs eiuſdem ordinis, ac conditionis, hora prima, aut ſecunda noctis, quam & nos ſupra ideò innuimus; nam auſpice Heſpero, cuius influxu fæcunda fieri omnia putabantur, fæcundiſſimam ſic fore ſponſam, ſibi pollicebantur. Subindè Pronuba, cui ſcilicet nuptiarum incumbebat cura, & de cuius officio alibi ſæpè dix., quibuſdam adhibitis ſupplicationibus, nuptialem torum conſecrabat, ac fæcunditatem ſponſis precabatur. Ideò & hic

PRONVBA. Pronubæ munus erat auſpicari ex parte ſponſæ; Aſpex verò, ſeù Auſpex dicebatur, qui ex parte ſponſi auſpicaretur. Hic, ex parte Plutonis, opus Auſpice non fuerat; cum Iupiter ipſe iam Auſpicis vicem impleſſet, læua de Cælo auſpicia cum demiſerit, vt vidimus in antea-ctis carm. 228. Quarè ſponſæ tantùm Pronuba adijcitur, quæ torum conſecret, ac fæcunditatem precetur, ne inauſpicato ex parte lui torum iungeret.

NOX. Quænam fuerit hæc Pronuba, iam notat, & Noctem fuiſſe aſſerit. Alibi diximus Pronubæ munus exerceri ſolitum fuiſſe à coniunctiſſimis ſponſæ, & interdum ab ipſa matre. Rursùs lib. pri. carm. 111. vidimus Noctem Deam non ſolum, ſed Deorum omnium parentem exiſtimatam: ideò Proſerpinæ, quæ Iouis filia eſſet coniunctiſſima, & matrem immò appellari poſſe iam conſtat; in eo videlicet ſenſu, quo *Mater* non ſolum immediatam ſignificat Genitricem, ſed etiam matris matrem, aut patris. Ideò Nocti iure merito officium Pronubæ demandatum aſſerit Vates.

PICTA SINVS STELLANTES. Veſtem habens ſtellis diſtinctam, & theſſelato quaſi opere, picturatam. Eſt Græcanicus dicendi modus, de quo vide dicta ſuperius carm. 148. Nuptiarum Præſes nuptiali veſte induta certè debuit adeſſe: ideò iure ſtellata veſtis Nocti Pronubæ attribuitur; nam, ſi atri tantum coloris veſtes, nullis intermicantibus ſtellis, ſumpſiſſet, aptior ad funera, quam ad nuptias apparuiſſet. Inſuper nihil æquè ad ſecundam fortunam conferre, quam beneuolentiam à cæleſti cauſa profectam, fuit antiquorum opinio. Ideò, cum Pronubæ munus eſſet, coniugatorum animos mutua deuincire beneuolentia, ſtellas præfert omnes, vt ex earum influxibus beneuolentia in ſponſos deriuatur. Deniq; ex influxu Horoſcopi pendere naſcentium fælicitatem, mordicùs aſſeuerauere Caldæi; idcircò ſtellas omnes in thalamum Nox ducit, vt indicet, nullum ſydus futurum, niſi propitium Proli, cum omnia ſydera coniugalibus parentum tedis adfuerint. Ideò Nox *picta*, hoc eſt *ornata &c.* De ſinu reſpectu veſtium vide dicta hoc eodem lib. ad carm. 95. Et *ſtellantes* dixit, hoc eſt ſtellarum nitore coruſcantes, vt nos fusè docuimus in antea-ctis carm. 130.

STAT IVXTA. Subintellige: iuxta *ſponſam*, qui caſus per ſynecdochen reticetur, cum ſatis ex contextu habeatur: ſtare autem erectam corporis figuram importat, vt alibi diximus, quarè *ſtat* idem eſt, ac *pedibus innixa ſiſtitur*.

ET TANGENS CVBILE. Solemnis conſecrantium ritus fuit ſemper, & nunc etiam eſt, vt rem conſecrandam ſuperimpoſitâ attingerent manu; quod etiam in Sacris Ritibus ſeruatur, nam & Primitiuæ Eccleſiæ germina, per impoſitionem manuum Apoſtolicarum, in Spiritus Sancti templa conuertebantur, dicabanturq;; & per impoſitionem manus Epiſcopalis etiam nunc Sacerdotes conſecrantur. Immò, in profanis antiquorum ſacrificijs, nulla offerebatur victima, quæ priùs, impoſitâ ſacrificuli manu, Dijs ſuis non dicaretur. Pariter ſupplicantium Ritus fuit, aras tangere non ſolùm, ſed amplecti; ſic cum Æneas ad Sybillam ſupplex acceſſiſſet, vt ipſe fatetur Æn. 6.

Quem vt te ſupplex peterem, & tua limina adirem &c

aras tenuiſſe dicitur, dum orans vota conciperet

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

Deniq; & fœdera ſancientium ritus fuit, vt aras tenerent: ſic apud Virg. Æn. 12. Rex Latinus fœdera ſanciens cum Troianis tangit aras, & iurat

Tango aras, medioſq; ignes, & Numina teſtor.

Iam pari itaque paſſu Nox Pronuba nuptialem Proſerpinæ torum conſecratura, ſeruato id peragit ritu, *Tangenſq; cubile &c.* Iterum vota Pronubæ facienda erant, & ſupplex à toto Deorum cætu Prolis erat fæcunditatem imploratura; ideò *tangens cubile*, quod noua Plutoni, ac Proſerpinæ ara erigebatur, ſupplicationibus indulget. Deniq; fœdus ibi coniugale ſanciendum fuerat; ideò, *tangens cubile*, opus aggreditur, quaſi aram, vt dixi, Numinibus dicatam. Verba iam nota per ſe ſunt: ideò prætereuehor; *cubile* enim à cubando dictum quis ignoret?

SANXIT GENITALIA OMNIA. *Sancit* non *ſanxit* legit Parthaſ. & cum eo Heinſ. Perplacet vulgata, quam & Dempſt. ſequitur; nam ſenſus eſt *ſtat Pronuba; &, cum ſteterit, ſanxit*. *Sancire* autem plures habet ſignificationes; nam primo quidem eſt *firmum aliquod, ac ſtabile facere*: ſic Cic. de Aruſp. ait: *Nec, ſi minus iure ciuili præſcriptum, lo-*

go tamen natura, ac communi gentium iure ſancitum eſt. Item ſignificat *ratum facere*, ac *firmare*, ſeù *ſanctum facere*, vel, quod idem eſt *conſecrare*, vt patet ex Virg. Æn. 12., vbi Rex Latinus Iouem inuocat, vt auctoritate ſua fœderibus pondus addat: *Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit*. In quem locum Sergius *ſancit, idest confirmat, & ſanctum eſſe facit: ſancire autem propriè eſt ſanctum facere; idest conſecratum aliquid facere, fuſo hoſtiæ ſanguine: ſanctum enim quid dicitur, quaſi ſanguine conſecratum*. Quod vtiq; Ritibus aptè conuenit nuptialibus. nam antiquitus, ad Nuptiarum fœdera ſancienda, Iunoni nuptiali Porca feriebatur, quam τέλειαν vocabant, & quæ etiam iugalis dicta eſt, vt nos, ex Cælio, docuimus, in præceptiua noſtra Poeſi, vbi de Epithalamijs. Supponit itaque Vates ritum huiuſmodi adimpletum etiam in nuptijs Proſerpinæ, ideo loquit: *Pronuba nox ſanxit*; idest *ſancta*, ſeù conſecrata reddidit hoſtiæ ſanguine *Genitalia omina*. *Omina* non *omnia* legit Parthaſ., Heinſ., Dempſt., & alij communiter; nec diſplicet lectio; nam quis neſciat, omina in nuptijs adhiberi ſolita, quibus numeroſam, fælicemque prolem augurabatur Pronuba coniugatis? Verùm vulgata lectio congruentior mihi videtur ſpectata ſignificatione illius verbi *ſanxit*, de qua diximus: quarè eam ſequor, & explico. *Genitale* dicitur quidquid ad generationem ſpectat: ſicq; etiam ſolum, in quo quis naſcitur, *genitale*, & dies ipſe, quo naſcimur, *genitalis* dicitur dies. Sed, ſi ſtrictiùs ſumatur, ipſa ſemina, ac vaſa ſeminalia, in quibus vel elaboratur, vel recipitur ſemen, & efformatur, *genitalia* potiori quodam iure nuncupantur. Ideò hæc ſanxit Pronuba, perpetuo fœdere, primò, ac alia omnia ſubindè, ad generationem quomodolibet pertinentia. Quod autem fiebat antiquitùs, more profano, ac ſuperſtitioſo, per victimarum ſanguinis aſperſionem, nunc ſanctè, ac legitimè fit, primò per benedictionem ſacram ſponſis à Sacerdote impertitam; at per formalem ſecundò ipſius Matrimonij Sacramentum peragitur; nec ad Pronubam hæc pertinent, ſed ad Sacerdotem, legitime ſponſos in matrimonium coniungentem, per illa verba *Coniungo vos in matrimonium &c.*

FOEDERE PERPETVO. De fœderibus vide dicta lib. pri. carm. 64. Hic pro iure, ſeù lege, fide, & amicitia ponitur coniugali, quam fœdus dixit perpetuum, hoc eſt æternum, indiſſolubile, ac nulla interruptione violandum. In quo refellit tacitè Vates antiquorum opinionem Romanorum, qui putarent, matrimonia toties quoties diſſolui poſſe, per libellum repudij, quo quiſquis vxorem manumittere poſſe cenſebatur; ita vt, eo pacto, matrimonium diſſolui putarent, & ad ſecundas, ac tertias ſæpè nuptias, primis repudiatis, tranſitum pro libito dari. Tripliciter, apud Romanos, (quoniam in hæc obiter incidimus) connubia diſſoluebantur, *vſurpatione, diffarreatione*, & *remancipatione*. *Vſurpatione*, quia mulieres in poteſtate parentum, aut tutorum erant; atq; idcirco vxor nondum vſucapta, ante annum à marito recedens, *vſurpabatur*; hoc eſt a parentibus, vel, iis deficientibus, à Tutore, ſolemni quadam ratione apprehendebatur, & à viri poteſtate liberabatur, ſi ab eo trinoctium abfuiſſet. *Diffarreatione*, cum, ſacrificio adhibito, in quo farreo libo vtebantur, (ex quo *diffarreatio*) connubia diſſoluebantur. Remancipatione, cum vir vxorem manu apprehenſam tutoribus, aut parentibus reddebat: dicebatur autem *Remancipatio*, quia cum quaſi coemptione quadam, in matrimonio contrahendo, mulier emanciparetur à parentibus, aut Tutoribus, & in mariti manum, ac poteſtatem traderetur, iterum emancipari à viro, atq; in poteſtatem denuo Tutorum tradi videbatur. Porrò repudium, & diuortium fiebant ab vnoquoq; pro libito, & qualibet data cauſa ex recenſitis l. conſenſu Cod. de diuortijs; ſed leues fuiſſe conſtat; nam Sempronius Sophus vxorem repudiauit, nil aliud cauſatus, quam quod viro inſciente, ludis Circenſibus illa interfuiſſet. Diremptio autem matrimoniorum ſententiâ Iudicum fiebat, cum ſcilicet iudicialiter matrimonium per ſententiam iudicis dirimebatur. Formula verò, qua vtebantur in diuortijs faciendis, hæc erat, vt teſtatur Iuris Conſultus ff. de diuor., *Conditione tua non vtor*: vel *Res tuas tibi habeto*: vel *Res tuas tibi agito*: quod Cic. ſignificauit, Oratione ſecunda in Antonium, agens de Mima ab ipſo repudiata: *Mimam illi ſuam ſuas ſibi res habere iuſſit*. Huius formulæ meminit & Martial:

Menſe nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deſeris atq; iubes res ſibi habere ſuas.

& Apuleius lib. 5. Aſini aurei, Cupidinem a Pſiche laceſſitum ſic dixiſſe, autumat: *Conſeſtim iure meo diuerte; res tuas tibi habeto*. Alia etiam erat formula diuortiorum apud Carthagienſes, relata à Petro Gregorio, in Syntagmate Iuris par. 2. lib. 9. cap. 5. ſoliti erant Sacerdotes mariti ædes adire, vbi, vxore conueniente, ignis accendebatur, qui ſi extingueretur, antequam ſimul quadraginta annos vixiſſent coniugati, fiebat diuortium. Extinguebat itaque ignem, qui vxori repudium daret; indeq; prouerbij loco, vſurpatum eſt illud, *Aquam igni iniicere*, cum, repudium dari, innuere vellent. Has itaque impias vel conſuetudines, vel leges refellit tacitè Vates, dum Pronubam Noctem perpetuo fœdere genitalia ſanxiſſe declarat; Iuri enim naturæ aduerſatur hæc conſummati diſſolutio matrimonij; iuxta quod ius naturale, indiſſolubile matrimonium eſt; atq; idcirco opus fuit diuina diſpenſatione, in ipſo iure naturæ diſpenſante, tunc cum, apud Hebreos, licitum factum fuit repudium, & cuius diſpenſationis tenor Deuter. 24. habetur in his verbis: *Si acceperit vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius &c. ſcribat libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua*, quæ tamen diſpenſatio tunc data ad euitandum maius malum, penitùs verò ſublata, poſt latam euangelicam legem, ex qua expreſſe habetur, *quæ Deus coniunxit homo non ſeparet*. Sed Romanorum de Repudio leges carpit Poeta, qui licitum, ſine alia diſpenſatione, repudium, ac diuortium arbitrabantur, ac legibus firmabant ſuis; dum perpetuo ſeruandam innuit matrimonij fidem.

EXVLTANT CVM VOCE PII. Plauſus hic refert ab Elyſiorum cultoribus concinnatos, vt nil intactum relinquat ex ritibus antiquorum, in nuptijs ſeruari ſolitis. Tres erant, apud antiquos, legitimi nuptiarum dies; Primus, quo Virgo deſponſabatur: Secundus, quo nuptiæ fiebant, &, apud latinos, *Decubatio* dicitur; Tertius denique, quo ſponſi affines, de ſuo conuiuium exornabant, thalamus inſtruebatur, & veſtes in ſponſæ ornatum afferebantur. Hæc omnia, vnica die, ſed diuerſis temporibus, peracta, ad amuſſim, oſtendit Poeta. Sponſalia habentur, vbi ait Pluto: *Nec indigno ſubdas patientia marito*. Conuiuia exornata à propinquis ſponſi, vbi *Grata coronati peragunt conuiuia Manes*. Et Decubatio adfuit: *Ducitur in thalamum virgo &c.* Antequam ducerentur noua in thalamum nupta obnubebatur, vt dix. Et Proſerpinæ item *Addunt*

Flammea ſollicitum prævelatura pudorem

dum hæc antiquitùs peragerentur, ſedulò cauebatur, ne quid turbatum adeſſet; & id cautum in Inferis, apud quos occaſione Nuptiarum, vt vidimus:

Verbera nulla ſonent, nulloq; frementia luctu &c.

Tandem, ductis in thalamum ſponſis, epithalamium carmen ante thalamum, exultationes, ac tripudia ducentes concinnebant propinqui: atq; nec defuiſſe hoc ipſum, memorat Vates; nam *Exultant cum voce pii*, idest Elyſiorum cultores, de quibus ſupra carm. 285. Attigerat ſupra Damnatorum Plauſus, dum Furias dulce induxerat canentes. Ideò iam alteram notat Inferorum partem, vt totum innuat Tartareum Imperium exultaſſe. Verùm *Pios* hùc ſpecialiter aduocat, quia eorum præcipuè fuerat Reginæ ſuæ fælicitatem auſpicari: & quia breues damnatis illuxerant pœnarum induciæ, tormento iterum addicendis: At Pij cultores, perenni fælicitate ſuffulti, latiùs poterant tripudijs indulgere exultantes. *Exulto* autem verbum, ab *ex*, & *ſalto* compoſitum, ſignificat *ſupra modum exilire*, atq; efferri, & geſtibus, ſaltibuſq;, lætitiam animi oſtendere. Sed ne putemus eiuſmodi ſaltationes mutas, ac ſilentes fuiſſe, eas oſtendit cantibus aſſociatas, dum addit *cum voce*.

ET SVB AVLA DITIS &c. Explicatiua hoc loco eſt particula *Et*, nempè eadem, ac *videlicet*, de qua & alibi dix. & tranſitum præbet ad explicandum, quinam fuerint cantus editi. *Sub* præpoſitio hic eſt, poſita pro *in* eo pacto, quo apud Virg. Æn. pri.

Namq; ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo.

Aulam pro Regia ſede poſitam ſæpè vidimus; & *Ditis Regiam* Plutonis regiam eſſe certum eſt; nam *Dis* Pluto dicitur, vt nouimus ex initio lib. primi.

DVCVNT, PLAVSV PERVIGILI. *Ducere* hoc loco ponitur pro eodem, ac *producere*, idest in *longum protrahere*, vt noueris non facile defatigatos Manes, dum Plauſus concinerent: atq; ob id ipſum addidit cantionis modum, dum ſubdit; *Plauſu peruigili*. *Plauſus* enim, à *Plaudo* deriuatum nomen, idem eſt, ac expreſſa, ob rem bene geſtam, cum gaudio gratulatio: nam *Plaudere* eſt ob rem huiuſmodi gratulari cum expreſſione lætitiæ: *Peruigil* autem idem eſt, ac *diu vigil*, atq; ideò ignis Veſtalis inextinguibilis *peruigil* dicitur apud Lucan.; & hinc effectum eſt, vt totam vigilans

noctem

noctem *peruigil* dicatur. In hoc autem eodem ſenſu aſſumitur à Poeta hic. & denominatio cauſæ effectui tribuitur; ſicq; indicare voluit Vates, totam ferè noctem à Manibus in huiuſmodi plauſibus inſumptam, dum canerent

EXORDIA TALIA. *Exordia* ab exordiendo dicunt, apud Rhetores, prima cuiuſcumq; orationis initia, quorum munus præcipuè verſatur in hoc, vt, præter attentionem, ac docilitatem, beneuolentiam enixè aucupentur, ex quo factum vt Vates, partem ponens pro toto, totas piorum cantiones exordiorum nomine deſignauerit: & *Talia*, inquit, hoc eſt qualia mox refferemus, & iiſdem ſimilia, hoc enim importari per nomen *talis* ſæpè innuimus. Henſio non placet verbum ſuprapoſitum *Ducunt*; ſed legit, & legendum præcipit *ſomnum exordia plauſu*. Non libuit à vulgata recedere ob rationes ex explicatis reſultantes, ſed iam cantionum tenorem exquiramus.

· NOSTRA PARENS IVNO &c. Proſopopeia hæc eſt Elyſiorum cultores inducens ad Epithalamium ritè concinnendum. Tria continet Epithalamium carmen: primo oſtentationem lætitiæ: ſecundo laudes ſponſi, ac ſponſæ: tertio vaticinia, & auguria. Quoniam verò lætitia ſatis exprimebatur, per ſaltationes cantibus adnexas, primam Auctor partem prætermiſit; præterquam quod etiam iuxta Epithalamij leges, vt nos in præceptiua noſtra Poeſi docebamus, duplici tantum capite abſolui poteſt hoc carminum genus, ſi ex abrupto à laudibus incipiamus. Apoſtrophe igitur vtuntur canentes ad Proſerpinam primo, & ſummas eiuſdem laudes breuibus percurrunt. *Noſtra parens Iuno*. *Noſtra* nomen affectus eſt, atq; ad affectum conciliandum maximè accomodatum. Nam ſicuti quod noſtrum eſt, peculiari quadam affectione proſequimur; ſic, cum magnes ſit amoris amor, qui noſtri ſunt, par debent pari referre, & nos ipſos peculiari afficere dilectione. Ex quo vides, quam bene, ipſo initio, Manes beneuolentiam captent, dum ſuam vocant Proſerpinam, & non quomodocumq; ſuam; ſed Parentem ſuam. *Noſtra Parens*. A pariendo *Parens* propriè dicitur, vt alibi innuimus. Hic à pariendo certè Piorum Parens non dicitur Proſerpina, cum illos nequaquam genuerit. Cur itaque, & quo iure Parens dicatur? Innuimus alibi, Plutonem *Iouem terreſtrem*, ſeù *Infernum* dici conſueuiſſe: ſicuti itaque *Iupiter Cæleſtis Diuum Pater* appellatur, non eo, quod ipſe Deos omnes pepererit, ſed quia Deos omnes paterno proſequatur affectu; ita vt ſit nomen honoris, & amoris, non verò actionis: ita pariter Iupiter infernus *Pater* dicitur Animarum in Elyſijs degentium. Cum itaque Proſerpina Iouis inferni vxor iam eſſet; per communicationem idiomatum, cum ea, quæ viri ſunt, vxoris pariter ſint, vocatur & ipſa Parens, ſicuti Parens Pluto dicebatur, per nomen amoris, non actionis. Cur autem Proſerpina Iunonis nomine condecoretur, ſatis vidimus lib. pri. carm. 3., ideò prætereuehor.

TVQ; O &c. A laudibus ſponſæ ad laudes progreditur ſponſi, eaſq; breuibus complectitur, vt & laudes complexus fuerat ſponſæ; ita vt dici poſſit, ampliſſimam vtriuſq; Panegyrim, vnico carmine, concinnaſſe, meliùs profectò, quam peritiſſimus ille compilator, qui dicitur totam Homericam Illiadem in nucis nucleo deſcripſiſſe, dum paucis multa explicat Auctor. Quæ enim maior attribui potuit Proſerpinæ laus, quam eam cæleſti æquiparare Iunoni; Elyſiorum Reginam conſalutare; Piorumq. ſtatuere parentem? Quæ maior Plutoni, quam Germanum Iouis, ac Generum decantare? *Tuq; ò &c.* Particula *que* pro *&* hic verè, & artificioſè ponitur copulatiua; vt, ſicuti Pluto, ac Proſerpina vinculo coniugali in vnum coaluerant; ita amborum laudes copulatim concinnandæ indicarentur. Sed nota artificium Vatis, Mulier certè ſemper inferior viro eſt nam vxor dicitur, nec ferre viro nobilitatem, nec ab illo ſplendorem auferre, ſi aut nobilis mulier viro ignobili, aut ignobilis viro nobili nubat. Quarè, quæcumq; ſit mulier, ſplendorem illa quidem recipere poteſt ab homine, ſed nunquam viro afferre. Quarè ſeruato ordine claritatis, ac nobilitatis videbatur præponendus à laudantibus Pluto, ex quo Proſerpina acciperet quidquid in ea laudatur: & tamen laudes Proſerpinæ primo loco explicat Vates. Iure id tamen peragit profectò; nam primò Sponſæ omnia ſua, ac ſe ipſum, deferre Sponſus videtur, atq; ideò & locum in laudationibus cedit. Secundò Amans Amatæ magis gaudet laudibus, quam ſuis. Cum itaque Pluto tunc Proſerpinam duxiſſet, cum *primi ſuſpirio ſenſit amoris* gratiores illi futuræ erant Amatæ laudes, quam ſuæ. Tertiò quo nobiliores ſunt, ac nobiliorum moribus inſigniti magis ſunt viri, eo vtique ſemper ducunt fœminis locum cedere, ac præcipuè nouis præcedentiam Nuptis concedere. Ideò primo loco Sponſæ, ſecundo Sponſi mentio à Laudatoribus facta. De interiectione *o* alibi egimus, hic tamen exultantis eſt, non mærentis. Cur autem Sponſi, ac Sponſæ nomen, per antonomaſiam, vt vides, connotatum, efferatur per caſum vocandi alibi pariter diximus: tantùm memoro huiuſmodi compellationes maximâ pollere vi ad captandam ex vocatis attentionem.

GERMANE TONANTIS, ET GENER. Quid ſignificet nomen *Germanus*, & quomodo idem ſit, ac frater vidimus in calce lib. pri. carm. 278. Tonantis pariter nomine Iouem deſignari, & cur, vidimus lib. pri. carm. 38. Hic per nomen deſignatur à potentia vtiq; deductum, vt magis eluceſcat Plutonicæ originis laus, à nobilitate deſumpta. *Gener* autem dicitur reſpectu alteriùs, qui illius, cuius Gener dicitur Filiam in matrimonium duxit, quaſi generis propagator. Cum itaque Pluto, vxorio nomine, Tonantis filiam poſſideret, ex quo Iupiter *Confeſſus* ſe fuerat *Socerum* iure Tonantis dicitur *Gener* ad augendam nobilitatis laudem, eo pacto, quo Iuno propriam exagerans nobilitatem, apud Virg. Æn. pri. inquit:

> *Aſt ego, quæ Diuum inceda Regina Iouiſq;*
> *Et ſoror, & coniux &c.*

DVCITE VNANIMI &c. Non imperantis; ſed bene precantis hic modus loquendi eſt, hoc loco. Quid ſit autem *ducere*. Vide ſuper dicta §. ducunt. In verbo *vnanimi* varias habeo lectiones; nam textus, quem præ manibus habeo, *vnanimi* exarat cum Henſio: Parrhaſ. cum alijs legit *vnanimis*: apud alios verò *vnanimes* reperitur. Ego, vt fatear, libentiùs *vnanimes* legerem; nam vnanimus dicitur, qui eiuſdem cum alio animi, eiuſdemq; ſententiæ ſit, quod maximè Iugales decet; nec illis quid fælicius, quam hæc animorum concordia, optari ſolet: cum nemo lites vxorias, quas lectus non ſedet, ſedare vnquam poſſit, vt ſcribit ad Politianum Plutarchus. Cum itaque hic Vates, peracta, in Epithalamio ſuo, laudum parte, ad auguria deſcendat, certè precari debuit ſponſis, quod maximè illis cenſendum fuerat optabile; nempe vt *vnanimes* dormirent, hoc eſt quieſcerent; nam ſumma quies alitur ex ſumma coniugatorum concordia; denìq; *vnanimes eſſe* proprium amantium eſt; & nil optari gratiùs coniugatis poteſt, quam vt ſe inuicem perpetuò ament. Quare in hac ipſa voce occultè lateret ad Proſerpinam adhortatio, vt ſcilicet Raptorem oblita amantem coniugem complecteretur, & nullam iniuriæ, quam antea ſibi illatam lamentabatur, reminiſcentiam foueret, nullumq; ex hac occaſione diſſidium. Non ideò tamen improbare auſus fuerim, qui legunt *vnanimes ſomnos*; nam licet hoc non ſit adeò proprium, vt patet ex dictis, tamen nouum non eſt, Vates, tranſlationibus vtentes, ſæpè cauſarum proprietates effectibus tribuere, vt alibi innuimus. Inſuper, inter ea, quæ maximè amorem conciliant, menſa, & lectulus præſertim enumerantur: quarè, ſi quies in eodem lectulo ſumpta vnanimitatem parere poteſt, cur non poterit ſomnus vnanimis dici, hoc eſt faciens vnanimes? Tandem nec improbandi, qui legunt *vnanimi*: nam primò quidem ſatis ex textu ſubintelligitur *voluntate*, vel *ſenſu* vnanimi, licet per Synecd. figuram reticeatur. Inſuper cur non poſſit dici poſitum *vnanimi* pro *vnanimiter*, ita vt vel ſit nomen, poetico more, aduerbiatum, vel ſit ipſum aduerbium, metri gratia per Apocopen mutilatum? Certe Apocope demit finem &c. vt apud proſodiacos. Quarè, vtcumq; legas, facilis eſt eadem, ex diuerſis, explicatio.

CONSORTIA SOMNI. *Conſortium* idem eſt, ac *ſocietas eiuſdem ſortis participes efficiens ſocios*; ex quo & Coniugati *Conſortes* dicuntur. Ideò dum dicit *Conſortia ducite ſomni*, idem eſt, ac ſi dixiſſet: *maritali affectu in vnanimem quietem conſpirate*. Quid ſit ſomnus alibi diximus. Hic & pro ipſa ſocietate dormitionis, & pro aſſociatorum ponitur quiete; ac modeſtè, & tacitè includit ea oblectamenta omnia, quorum inter coniugatos teſtis eſt lectulus communis, & quæ vnanimitatem pariunt; ad quod ſubindè magis explicandum addidit

MVTVAQ; ALTERNIS INNECTITE COLLA LACERTIS. *Iunonem ſuam* appellauerant Manes Proſerpinam: cum itaque iugalium vinculorum cura Iunoni ab antiquis fuerit demandata, nil mirum, ſi eandem curam Iunoni ſuæ deferant Inferi; ſed curam talium vinculorum, quibus vel ipſam cæleſtem Iunonem, ſi non ſuperaret, ſaltem æquaret. De Iunone itaque cæleſti curam Iugalium habente vinculorum, ſic Virg. Æn. 4.

> *Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.*

Quodſi quæras ex Pierio, quænam eſſent iſta vincula iugalia, quæ curæ eſſent Iunoni; reſpondet ille, lib. hierogl. 36., Digitum annulo inſignem hieroglyphicum fuiſſe connubij; atq; ideò & Pronubum dictum; & ad huiuſmodi annulum, qui quaſi quoddam digiti ligamentum eſt, reſpexiſſe Virg. loco cit., & vincula iugalia pro connubijs ipſis poſuiſſe. Inſuper nomine iugalium vinculorum venit Zona illa, ex lana ouilla, qua noua Nupta præcingebatur, & quam vir prima nocte, ſponſæ accubans in lecto diſſoluebat; ſed cum hæc ipſa *Zona virginalis* diceretur, illius profectò diſſolutio ſolutionem potiùs virginis à virginitatis indicat legibus, ac pudore, quam ipſa formalia connubij vincula. Validiora igitur, & quidem ſtringenda, non ſoluenda vincula Iunoni ſuæ attribuere Inferi voluére, ideò, ea ex mutuis Iugalium amplexibus confieri dictitantes, Iunonem hortantur ſuam, vt hæc ſibi curæ vincula Iugalia ſint. Denique irarum cauſa inter Plutonem efferueſcentium, ac Iouem, vt lib. pri. habetur, fuerat, quia Pluto

> *Impatiens neſcire torum, nulloſq; mariti*
> *Illecebras &c.*

ſe neglectum, ac poſthabitum lamentabatur, cum Iupiter amplexibus Iunonis frueretur, ſibique pares negarentur amplexus.

> *Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum*
> *Iuno ſinu &c.*

Itaque, cum iam a prohibendis Plutoni thalamis Iupiter ceſſaſſet, tonum, ac Nuptam conceſſiſſet; reliquum erat, vt ſicuti cæleſtis Iuno Iouem cæleſtem, ita & Iuno Inferna Iouem infernum conſanguineo foueret ſinu, vt tranquillitas pacis, inter vtrumq; Iouem, perpetuò firmaretur; Quod ſi Proſerpina renuiſſet, iam ſe deluſum à Fratre ſuſpicari Pluto potuiſſet, atq; in bellum iterum exardeſcere: ideò hortantur Manes Iunonem ſuam, vt Iouem Inferum amplexibus foueat, ne vlla ampliùs illi iraſcendi facultas concedatur; ſic enim futurum erat, vt ipſa non ſolùm æqualis cæleſti foret Iunoni, ſed ſuperior, cum firmaret illa inter cælites, & inferos pacem, quam nunquam profectò cæleſtis Iuno conciliare potuiſſet. Ideò *innectite*, quod idem eſt, ac circumligare, prout ſonat etiam apud Virg. Æn. 8., vbi hæc habentur:

> *Aurea cæſaries ollis, atq; aurea veſtis:*
> *Virgatis lucent ſagulis: & lactea colla*
> *Auro innectuntur &c.*

quarè pari paſſu hic *innectite colla mutua*. Collum pars illa corporis teres eſt, quæ inſtar columnæ, baſim inter humeros figit, ac caput ſublime erigit. Præcipuum autem amoris pignus eſt, ſi hanc partem amplectamur: ſic Virg. Æn. pri. Cupidinem, Aſcanij ſpecie aſſumpta, ac parentis Æneæ ſe filium ſimulantem in collum irruiſſe deſcribit, ex eoq; mutuos inter pendentem amplexus.

> *Ille vbi complexu Æneæ colloq; pependit*
> *Et magnum falſi impleuit Genitoris amorem &c.*

Colla itaque & Vates hic potiùs, quam alias corporis partes innuit amplexandas, vt indicaret, ſummi partes amoris, inter coniugatos, viciſſim adimplendas: nec ideo alios quoſcumque amplexus excludit; iuxta enim commune effatum, qui vnum dicit, alterum non excludit. *Mutua* autem *colla*, dixit; hoc eſt mutuo affectu, eademq; voluntate, in alternas blanditias propendentia; nam mutua dicuntur, quæ ſibi viciſſim pari munere correſpondent, ſecundum *dare*, & *accipere*, vt teſtatur Tullius in Epiſtolis famil. mutuum ſic deſcribens amorem: *Quid tu exiſtimes eſſe in amicitiam mutuum neſcio; equidem hoc arbitror cum par voluntas accipitur, & redditur.* *Collum* inſuper ea pars corporis eſt, cui iugum imponitur; & Iugales dicuntur, qui matrimonium iniere, à Iugo, quod inuicem, & vnitim ſubeunt: atq; ex hoc ipſo Iugalia vincula dicuntur, quæ virum colligent cum vxore, &, vice verſa. Quarè *Iugum* ſemper hieroglyphicum fuit vitæ coniugalis; ad indicandum, connubio copulatos, pari amore inter ſe, pari ſtudio, conatu, ac cura, debere, in educandis liberis, conniti. Vt itaque indicarent Manes, connubiale iugum leue eſſe, ac ſuaue, oſtendunt, huiuſmodi iugum, non ferreum eſſe, non æneum, ſed molle; cum ex alternis complectentium brachiorum vinculis faciendum dictitent. Ideò *Innectite colla mutua*

ALTERNIS LACERTIS. Alternus adiectiuum eſt nomen, à verbo deriuatum *Alterno*, quod eſt *viciſſim alterum alterum ponere* quo innuitur, alteri alterum viciſſim amplexandum. Quid verò lacertus ſit alibi vidimus; hic pro brachio ponitur. Simili autem pacto, conſtructa extat adhortatio Gallieni Cæſaris ad Nepotes.

> . . . . *Non murmura veſtra columbæ*
> *Brachia non hederæ, non vincant oſcula Conchæ.*

IAM FÆLIX ORITVR PROLES &c. Ad vaticinium deſcendit, quæ poſtremum obtinent, in Epithalamijs, locum; Fæcunditatem enim Nuptæ, per vaticinium, exponit futuram, atq; augendum numerum pollicetur Deorum. Ideò & prophetico loquitur more, quaſi præſentia videat, quæ futura ſunt, afflatus Numine Plaudentium Chorus: *Iam oritur &c.* *Proles* quid ſignificet, habes lib. pri. carm. 122; *Fælix* pariter notiſſimæ ſignificationis eſt. Hic non minus ad ſecundam, qua polleant, fortunam, quam ad fertilitatem, ſeu numeroſitatem filiorum refertur.

IAM NATVRA. Nota emphaticam, in aduerbio *Iam*, repetitionem, ad oſtendendum deſiderium, quo natura ipſa afficeretur, huiuſmodi prolem venerandi, fouendique. De natura plura diximus lib. pri. carm. 249. Hic pro ipſa Deorum Natura ponitur primariò, quæ incrementum ſui ex mox naſcituris expectaret; Secundariò autem pro Natura creata, quæ nouis augenda eſſet Præſidum aſſiſtentijs.

LÆTA EXPECTAT DEOS FVTVROS. *Læta*, hoc eſt geſtiens ex concepta ſpe, & expectatione. *Expectare* autem hic ponitur pro eodem, ac *ſummo deſiderio aliquid venturum ſpectare*; nam ſæpe *expecto* idem eſt, ac *vehementer exopto*. Item *expectare* ſæpe eſt *anxia deſiderijs expectatione ſperare* & vtrumq; Vates complectitur ſenſum, dum dicit à Natura expectari *Deos futuros*. Omne agens agit ad aſſimilandum ſibi paſſum: ſed id præcipua quadam ratione militat, in actione generatiua viuentium, cum generatio nil aliud ſit, quam *origo viuentis à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem Naturæ*. Cum itaque Dij eſſent coniuges, de quibus vaticinium procedit, quid niſi Deos generarent? Ideo iure *expectat natura Deos &c.*

ADDITE NOVA NVMINA REBVS. Regreditur, vt finem cantibus imponat, ad exhortationem, qua ſponſos ad explendum excitat Naturæ deſiderium. Ideò *Addite* quaſi *date ad*; *addere* enim dicimur, cum ad alicuius rei molem, vel numerum, aliquid, quod non habebat, adijcimus. Ideò *Addite*, hoc eſt *adijcite* ad Deorum numerum *noua* (hoc eſt quæ nec antea fuerint, nec, de præſenti, ſint, niſi munere veſtro adijciantur) *Numina*. *Numen* & Deum ipſum, & Dei nutum, voluntatemque, ac potentiam ſignificat. Hic pro Dijs quidem ponitur, ſed non ſimpliciter ſpectatâ Deorum eſſentiâ; nam hæc ſupra adfuit, cum ait; *expectat Natura Deos*; ſpectatâ tamen in ordine ad potentiam, ac nutum eorumdem, quibus, hereditario iure, debuerint ad rerum omnium regimen incumbere. Hereditario, inquam, iure, nam, vt ait Lacheſis lib. pri., omnia viuentia, cæteraq; vtcumq; corruptibilia, ad nutum Plutonis, agebantur: quare eadem facultas tranſmittenda certe erat in filios. Ideo, *addite*, inquit, *noua Numina*; ſed non ſubdit *antiquis Numinibus*, niſi virtualiter, quam tamen virtualitatem nos ſupra item attigimus. Sed *addite* inquit *Rebus*. Mundum Deum eſſe, ac totum Dijs repletum, exiſtimarunt antiqui, multiplicati, vt in infinitum ferè, Deorum numeri aſſertores. Ideo non corpora tantùm naturalia, nempè Solem, Lunam, ſtellas, terram, ignem, aquam, aerem, ventos omnes &c. tamquam Deos, coluére; ſed etiam ſingulos propè animorum noſtrorum motus Diuinitate ſacrarunt: ſic templa fuére conſtructa Fidei, Pietati, Virtuti, Pauori, Timori, Spei &c. ſic & Pudori, Famæ, Alacritati, Miſeriæ, Querelæ &c. Multiplicatis itaque hunc in modum Numinibus, nihil, quamuis exiguum, vile, ac contemptibile, in Mundo eſſe arbitrabantur, quod non eſſet ſub alicuius Numinis tutela. Cum igitur, iuxta horum opiniones, Numinibus plena omnia eſſent; & nil, ſine Numinis ope, ſupereſſet, ſuperfluum videbatur noua rebus addere Numina; atq; adeò vanum vaticinium illud futurum, quo Deorum Prolem Plutoni acceſſuram Manes præcinebant; cum enim Deus, & Natura nihil faciant fruſtra, occupatis iam rerum omnium præfecturis à præexiſtente Deorum numero, quid agerent Numina de nouo producenda? Porrò, ſi non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; multo minus Numina. Quæ autem neceſſitas in pleno iam Numinibus orbe? Scio reſponderi ab aliquibus poſſe, neceſſitatem adeſſe, ad conſeruandum fœdus inter Iouem, ac Plutonem; ad quod conſeruandum requiſitum à Plutone fuerat lib. pri. vt poſſet *dulce patris cognoſcere nomen*. Sed hæc reſponſio non eſſet ad mentem Epithalamij; nam canentes dicunt; *Addite Numina rebus*; quaſi res ipſæ hanc Numinum multiplicationem exigerent; ſicuti etiam ſupra dictum fuerat; *expectat Natura Deos*. Quarè in rebus ipſis, non extra res aſſignanda venit neceſſitas; ne otioſa futura ſit noua Deorum propagatio. Duplex igitur conſiderari

poteſt

poteſt neceſſitas, alia ſimpliciter, alia verò ad bene eſſe. Neceſſitas ſimpliciter eſt, quando res nullo pacto poteſt ſe aliter habere: ſic oculus neceſſarius ſimpliciter eſt, ad videndum; nam, ſine oculo, nullo pacto, elici viſio poteſt. Neceſſitas ad bene eſſe eſt, cum res poteſt quidem aliter ſe habere: ſed commodiùs, & aptiùs ita, vel ita ſe habet. Sic Argus videre potuiſſet, & cuſtodire Iouis Pellicem, etiam duobus tantum oculis prædıtus; ſed non adeò benè, & commodè, ac cum centoculus fuerit. Prima itaque neceſſitas in rebus non fuit; cum iam ſatis ſingula ſingulis Numinibus regerentur: ſed, ſi loquamur de neceſſitate ad bene eſſe, certè, multiplicatis Numinibus, commodiùs, & aptiùs futurum erat, vt regerentur; Deorum enim antiquorum infinita non cenſebatur perfectio, vt alibi vidimus, & conſtat, quia ſi aliquem Deum infinitæ perfectionis eſſe cenſuiſſent, iam vnicus ille fuiſſet omnibus abundè ſufficiens; adeòque multiplicitatem non admiſiſſent Deorum. Itaque ad bene eſſe neceſſaria *rebus* fuit hæc Deorum propagatio. Ex his patet tertium commodi caſum eſſe, non verò ſocietatis, vocem illam *rebus*: & ſenſus eſt Dijs iam rebus præfectis nouos Deos aſſociatè, vt additi; hoc eſt ſimul cum illis aſſociati res meliùs regantur, ac meliùs res ipſe ſe habeant.

ET PROFERTE CERERI OPTATOS NEPOTES. Dum fælicem Plutoni, ac Proſerpinæ filiorum, diuinitate pollentium, ſucceſſionem ominantur, tacitè occurrunt Manes obiectioni, quæ fieri ex parte poterat Proſerpinæ, hoc pacto: Qui fieri poteſt, vt fælicem Prolem habeamus, quandoquidem Cereri, Genitrici meæ inuiſam ſemper ſobolem ego pariam? Quæ Matrimonium non approbauit, certè, nec prolem gratam habebit: quarè hoc ſaltem ſemper titulo infelix mea proles erit, quod Cereri inuiſa ſemper futura ſit; nam Pignora connubij ſemper in memoriam reuocabunt, & Raptum, & Raptoris iniuriam, atq; adeò ſemper animum exulcerantia implacabile ſibi odium concitabunt. Huic, inquam, obiectioni occurrunt Epithalamij concinnatores, atq; oſtendunt, non dubitandum, quin Ceres pro rato habitura ſit connubium, charoſq; nepotes, cum eos viderit ſua vtiq; ſtirpe non indignos. Multiplici autem fundamento innititur hæc obiectionis confutatio: & primò quidem fundatur in ipſa iracundiæ natura, cuius præcipuum lenitiuum ſit tempus: quarè eruditiſſimus ille docebat, optimum futurum, ne aliquid incompoſitè agamus, ſi quotieſcumque ira corripimur, antequam quidquam deliberemus, integrum Græcorum alphabetarium recitemus; nam, hac, breui licet, interpoſitâ morâ, iræ furor detumeſcet, ac nos recta ab indirectis ſecernere, rationis ope, permittet. Sic itaque, morâ interpoſitâ, innuunt, & Cereris iram ceſſaturam, ita vt ratum habeat, quod priùs iniurioſum detrectaſſet. Secundò fundatur eadem confutatio in praxi, qua ſæpè vidimus, acerbiſſima conſanguineorum diſſidia, intercedente Prole alterutrius partis, facillimè ſedari: & ignem, quem diſertiſſimi Oratores extinguere non potuerint, immò nec effuſi interdum ſanguinis flumina, mutâ naſcentium innocentiâ, nullo negotio, conſopiri. Tertiò fundatur in ipſâ ratiocinantium naturâ, quorum appetitus ſemper debet eſſe rationalis: cum itaque quis odio accenſus vindictam appetit; ideò appetit, quia ſe iniuria affectum exiſtimat, vel ſe aliquo, quod optauerat, bono priuatum lamentatur. Quod ſi ex malo, quod ſibi inferri, arbitrabatur, videat non modo non ſpoliatum ſe bono, quod intenderat, ſed potiùs voti ſe compotem factum; rationabile eſt, vt potiùs diligat, quam oderit boni cauſam adeptı. Sic itaque virtualiter diſſerunt Manes: quid poterat tandem ex Proſerpina Ceres optare? Certè non aliud, quam vt, digno Nupta propagationem ſui, ac matris, per digniſſimam prolem, ſuſcitaret: ſed & Digno Nupta eſt, & Prolem enitetur fælicıſſimam; ergo vnde ſe offenſam exiſtimabat, voti ſe compotem factam admirabitur Ceres; ac conſequenter non poterit, quin odium deponat, & amorem induat. Denique qui beneficijs vel nolentem proſequatur, eum cogit, ſi rationabilis ſit, ad agnoſcenda tandem beneficia, gratiaſq; illi habendas, qui, vt bene ſe haberet, coegerit: Ceres, ſi illi datum fuiſſet, vt ſuis vteretur conſilijs, nunquam profectò filiæ nuptijs acquieuiſſet; nam quæ Apollinem, Martemq. deſpexerat, vt lib. pri., quaſi indignos, qui Proſerpinam ducerent, cui nam Procorum adhæſiſſet? Mehercule nulli; adeòq; nunquam fuiſſet Nepotes habitura, quos tamen optaſſet. Quare beneficij locum raptus obtinuit, qui Cererem voti compotem faceret. Ideò vaticinantur Manes, futurum, vt Ceres & iram deponat, & charos habeat Nepotes. Ideò &

PROFERTE, *Proferre* eſt, quod in abſcondito erat, in apertum educere. Et profectò, cum omnis effectus latere videatur in cauſa, proferri dicitur, cum producitur. Effectus in potentia eſt, cum nondum extra cauſas eſt; educitur autem in actum, cum producitur, quaſi ex abſcondito, nempe ex continentia cauſæ (quandoquidem omnis cauſa continet effectum vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter) in apertum prodeat extra cauſam. Hoc autem præcipuè militat in ijs viuentibus, quæ per actionem producuntur generatiuam; nam, cum huiuſmodi viuentia ex ſemine ab efformatiua matris virtute concrecentur, & ſemen certè ſit quid deciſum ab ipſo generante, filius in venis ſemen elaborantibus in ipſo ſemine latitat, antequàm genitor deciſum illud tranſmittat in matricem: ſubinde latitat fœtus in vtero prægnantis nouem menſium ſpatio, antequam in lucem editur. Ideo iure *Proferte* inquiunt, hoc eſt ex abdito in lucem educite

NEPOTES OPTATOS. Nepotes filij filiæ dicuntur, auctore Feſto. Sed de acceptione nominis vide dicta lib. 1, carm. 89. Sed cur dixerit *Optatos*? Dummodo quis voti compos fiat, videtur parum referre, vnde nam compos fiat. Cererem ex Proſerpina promeritos exoptaſſe clarum videtur ex eo, quòd lib. 1. permiſerit, vt Aula Procis perſonaret. Quod ſi Proſerpinam raptui ſubducere conata eſt, cum *æthera deſeruit &c.*, hoc non fecit, ne filia innupta remaneret, ſed ne minùs digno nuberet. Diſtulit itaq; non abſtulit deſiderium Prolis ex Filia procreandæ, vt dignior ſoboles conſequeretur. Inſuper etiam ſi aliunde non conſtaret hoc Cereris deſiderium, ſatis deducitur ex materno affectu ſemper in filiæ bonum propendente: bonum autem nubere filiabus, præcipuè in Venerem pronis, vt Proſerpina fuit, de qua lib. 1. habuimus: *Sollicitat tene non iam pronuba flamma pudorem*: nam his certè melius eſt nubere, quam vri: atque de ijs noſtrum illud vulgare militat prouerbium, nempè huiuſmodi fœminis alterutrum eſſe neceſſarium,

O d'vn'huomo, ò una s' abbracchi,

O di Forca, che l' impicchi.

Matris igitur erat, cognita Filiæ inclinatione, eiuſdem bono conſulere, & virum non indignum tedis exquirere, ex quo dignos ſuſciperet nepotes. Licet igitur ex Plutone noluiſſet, nec per raptum, Ceres; cognita tamen proceſſu temporis Nepotum præſtantiâ, futurum, inquiunt Manes, vt voti compos facta, parum de modo futura eſſet ſolicita, atq; adeò gratos *optatos* habitura *Nepotes*.

CERERI. Quæ ſit Ceres iam notum ex paſſim alibi dictis. Ponitur autem hic tertius commodi caſus emphaticè: *Proferte Cereri*; hoc eſt in bonum, in ſolamen, in fælicitatem, naſcentes Cereris Nepotes: quæ licet initio, loco iniuriæ habitura ſit beneficium, eo tandem ex fructibus agnito, delinienda ſit, ita vt depoſito luctu, ac poſthabita indignatione, gaudens ſit Nepotes exceptura. Hic finem Epithalamio impoſitum habes, ac libro ſimul, quem præ manibus habebamus. Nos itaq; ſilentibus iam Inferis, facilius, quid ad ſuperos ſpectet, perpendamus, moralia reſpicientes.

IAM SVVS INFERNO &c. Deliciarũ perennes, quamuis offerat ſpecies raptor Animæ Satanas; illa tamen verè ſemper in Inferno eſt; nam ſicuti vbicumq; Deus eſt, ibi immarceſſibilium deliciarum Paradiſus eſt: ſic vbicumq; Satanas eſt, ibi Infernus eſt: & certè vbicumq; peccatum reſidet, ſuam ibi regiam ſtatuit Lucifer. Et licet connubia peragat cum Anima peccante, dum adhùc illa hac luce fruitur noſtra, tamen Infernum illa portatilem ſecum ducit; & quaſi limax, ac teſtudo, oſſeam ſecum ferentes domum, Inferno ſuo incluſa procedit, licet pondus, aſſuetudine ferendi, non ſentiat; immò, quaſi ad epulas inuitata, continuò geſtiat, occaſione peccandi; dum Satanas fluxis adblandiens oblectamentis eam detinet, ne recogitet, peccati ſtipendia mortem eſſe, & mortem æternam. Sed, dum inſipiens anima præſentibus indulget, futura negligit, en ſubitò ſuus inferno (hoc eſt Animæ peccanti) procedit Heſperus orbi; & iam in Satanæ hærere debet amplexibus, æternum interitura. Quod ſi aliquando vicinos, conſcientia ſtimulante, huiuſmodi Satanæ amplexus anima pertimeſcat, Epithalamium Satanas inducit canentes, homines, pietate quidem perſonatos, ſed verè inferis addictos, eos ſcilicet, de quibus ait Saluator: Cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis: hi enim Hypocritæ triſtes, qui exterminant faciem ſulphure, vt videantur hominibus ieiunantes, & veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces. Hi, inquam, venereas diſſolutiones Naturæ appellans tributa ab eiuſdem exacta fragilitate, vindictas,

Pe

ac ſanguinis effuſiones deberi ſuadent nobilitatis inſignibus luxum conuiuiorum decere hominem ſplendidum: auaritiam Parſimoniæ attribuunt &c. Exponunt plauſus ab hæredibus faciendos, ſi pingues, vel per fas, vel per nefas, facultates adierint: famâ præcincte, euolaturos immortales, qui, iniuſtas contra gentilitium decus, ſanguine detexerint notas &c. ſicque, dum bonum ſuadere videntur, ad complexus nuptiales cum Satana miſcendos adhortantur: Impij profectò, atq; impiè agentibus impiores conſiliarij. Ideo inquit Diuina Sapientia: Cauete, cauete à fermento Phariſæorum. Aſt, ſi quando diuina illuceſcente gratia ſtudeat Anima ex Plutonicis amplexibus effugere, aliam ſubdolus hoſtis init viam, qua eam in amplexus ſedulò alliciat, ac tute; &, quam rapere non potuit venereis oblectationibus, auaritiæ vinculis, irarum impulſibus &c. eam ſuperbiæ afflatibus aggreditur, & vanæ gloriæ decutit Auſtris. Vel igitur inſinuat Animæ licitos Plutonis amplexus, dummodò nocte pronubâ ſanciantur, hoc eſt in occulto fiant, ita vt in conſpectu hominum non appareant; ſed immò ſanctitatis laruâ occultentur; nec enim peccatum eſſe, quod ſine ſcandalo fiat, nec puniendum, iuxta veritatis aſſertum, quæ dixerit: *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala; verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit*: quaſi ſcandala ſolùm punienda dixerit, non verò peccata ſine ſcandalo perpetrata; vt vaferrimus hoſtis teterrimâ ſuadere nititur malitia, & quo pacto facilè plures inducit, vt, laruam ſanctitatis ſectantes, occultè in omnia vitia prolabantur, atq; in ijs obfirmentur, eo quod plaudi ſibi ſentiant, dum imperitum vulgus eorum deprædicet ſanctitatem apparentem, vitia autem non carpant vlli, quæ non nouerint; ideoq;, celatos huiuſmodi cum Plutone amplexus, licitos aſſerere videantur. Vel, ſin minus hæc valeat inſinuare, eo quod timetur vndequaq; anima, & recedere à celatis etiam laqueis ſtudeat; curat Satanas, vt ſibi ipſi illa complaceat de perfectione, ita vt dicat: non ſum ſicut cæteri homines: & manus noſtra, & non Deus, fecit hæc omnia. Addit ſuperbiſſimæ huic inflationi folles, ex plauſu, à Pijs edito, dum illam ſuſpiciunt, argenteis columbæ pennis euolantem, & plaudunt; eamq; Diuorum numerum aucturam deprædicant; Filios ſpirituales, Matri Eccleſiæ dignos vtiq; Nepotes producturam, Deum ipſum illi debere, parum abeſt, quin dicant, ſanctè adeò vitam ducenti, ac mirabilia prorſus operanti. Atq; hoc pacto infelix Anima decepta ſtrictiùs hæret, Plutonis in amplexibus, donec ſuus Inferno procedat Heſperus orbi; ſeq; indiſſolubiliter Satanæ aſſociatam conſpiciat. Contra huiuſmodi inſidias munire animam ſtuduit animarum Redemptor, cum ait; In abſcondito ora Patrem tuum; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi; cum facis eleemoſinam, noli tuba canere, ſed neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: Cùm ieiunaueris, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Quod ſi aliquando hæc in lucem educi optimum arbitremur, vt exemplo noſtro incendantur, & alij, meminerimus ſemper, quid de hoc ipſo eadem ſuggerat Sapientia: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. *Patrem veſtrum*; inquit, non *vos ipſos*; nam ſi gloriam tuam ſectaris, eamq; obtineas, recepiſti mercedem tuam, ideòq; nulla remanet ſperanda tibi merces in Cælis. Fuge itaque iactantiam, Hypocriſim fuge, plauſus ſectantem humanos; & fugies Epithalamium, quo amplexus tibi Satanæ gratulentur, qui perniciem tuam, tamquam fœlicitatem ſuſpiciunt.

Sed, quoniam Epithalamium carmine conficitur, nos ad carmina redeamus, Italam excitantes Muſam, vt finem hiſce tandem imponat nuptijs.

Gia del Mondo infernal sù l'Horizonte
Vſcito, à paſſeggiar notturno il Cielo,
L'Heſpero ſuo, con luminoſa fronte,
Ingemmaua dell'ombre oſcuro il velo,
Ne raccolſe il Regnante in Flegetonte
Toſto gl'auſpicij; e, d'amoroſo zelo
In viuo ardor, mentr'ei le brame impenna
Ver la ſua Diua, à i Paraninfi accenna.
Nel thalamo nuttial quindi s'adduce
L'intatta ancor, benche rapita, Spoſa.
Eſtinta ogni lumiera, in chiara luce
Sol d'Himeneo la face arde gioioſa.
NOTTE gl'aſſiſte, e nel camin gl'è duce,
Pronuba fatta; e tutta appar pompoſa;
Che toglie al noſtro Ciel ſereno il vanto
Tempeſtato di ſtelle il nero manto.
Queſta de ſacri riti, onde ſi ſtringe
D'affetto coniugal tenace il nodo,
Scaltra gl'officij ad eſſeguir s'accinge,
D'orante in atto, e d'imperioſa in modo,
La ſteſa deſtra, al conſecrar ſoſpinge.
Toccando, il letto; e l carmi meſce, e'n ſodo
Tenor, ſue leggi à i nuoui ſpoſi annoncia;
Indi eterna frà lor l'vnion prononcia.
Al gioir del ſuo Rè ſue gioie in dono
Sacran le de gl'Eliſij habitatrici
Alme concorſe; e, frà le danze, e'l ſuono,
Odonſi rintrecciar carmi felici,
Guidan longhe le veglie: e frà lor ſono
Atteggianti à vicenda, e ſpettatrici.
Mà s'vniſcon le voci, e, 'n ſuon concorde,
Tali del metro lor toccan le chorde.
Noſtra Giuno, alma Regina,
Noſtra gioia, e noſtro cuor,
Apri à Pluto, che t'inchina,
Di tue gratie il bel teſor:
Lieto e tù di tua rapina,
Godi in braccio del tuo ardor;
E Genero, e Fratello al gran Tonante,
Stringi la tua fedel, felice amante.
Quel nodo v'annoda,
Che Morte ſol ſnoda.
Voi, che ſiete immortali,
Godete, in ripoſi,
Concordi, amoroſi
D'vn'eterno gioir l'aure fatali.
Lieta prole, e numeroſa
D'eſſer voſtra haurà l'honor:
Già ſi ſcorge luminoſa
Trar da voi l'oriente d'or.
Di Natura ambitioſa
Già l'attende anſioſo il cor.
E de Numi adorati alle gran ſoglie
Tutte s'accinge à tributar ſue ſpoglie.
Quel nodo v'annoda &c.
Sù sù ſpoſi v'affrettate
Nuoui Pluti à generar:
Nuoue Diue accumulate:
Ergeranſi i nuoui Altar.
Nuoui Numi procreate,
Del Creato al riguardar:
De Nepoti e la ſerie a voi s'aſcriua
Ond'adempia i deſir la bionda Diua.
Quel nodo v'annoda &c.

Hic mores antiquorum ſecutus Vates, qui, poſt cantiones fieri ſolitas ſilentium accerſebant, ne decubantium ſponſorum quies interturbaretur, viriliter & ipſe Inferorum cantiones abrumpit ſimul, & librum, vt facto, non voce tantum, ſilentium indicet adfuiſſe. Liceat itaque & nos ſilentio indulgere, donec noua Iouis decreta percipiamus, ad carmen iterum excitantia.

Finis Commentariorum Libri Secundi.

IN TERTIVM CLAVDII CLAVDIANI LIBRVM DE RAPTV COMMENTARIA.

CVM præhabitis, de Raptu, libris, primo videlicet, & ſecundo, Præfationes appoſuerit Vates; etiam huic pariter libro tertio præmittendam cenſuerunt nonnulli; ideóq; apud aliquos Impreſſores, videbis huic libro aſſutam præfationem illam, qua Vates Panegyri ſuæ de ſexto Honorij Conſulatu præluſerat, cuius initium eſt: *Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno &c.* Verùm, ſi ea ritè perpendantur, optimè quidem conuenire Panegyri reperietur, ſed ad præludendum huic libro prorsùs inepta, vt, facile, legenti ex contextu ipſo patebit. Nam, licet liber iſte, eueniſſe Cereri, deſcribat, quod, illâ præfatione, euenire ſolitum aſſeruit; nempe, vt, iuxta affectuum motionem, quæ, per diem, excitatur, & multiplicatis actibus roboratur, nocturna ſuccedant ſomnia; dum Cererem, præſagam mali, deſcribit, vel inſomnem, ne dum ſomniantem, veras Proſerpinæ ſuæ calamitates animo concipientem; attamen, in illa præfatione, id ſibi eueniſſe, non Cereri, clarè explicat Vates, dum ait; *Me quoq; Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti &c.* Et quid ſomniauerit ſubdit, dum inquit; *En Princeps: En Orbis apex æquatus Olympo &c.* quod nihil habet cum præſentis lib. argumento, vt patebit ex infra dicendis. Quarè hunc librum, nulla præhabita Præfatione conſtructum fuiſſe, & præcedenti immediatè adnexum à Vate, non ambigo; & bene procedere impreſſiones, quæ, ſine Præfatione, hunc librum exordiuntur, pro certo habeo: nam Præfationes, præcedentibus libris additæ, non ſine occaſione fuére; immò illas addere neceſſe fuit; reſpectu quidem lib. primi, quia, initio rerum, ſemper in vſu fuit, aliquid præfari, vt, vnde proueniat exordiendi impulſus, eruditè innuatur: reſpectu ſecundi pariter, neceſſe fuit præfationem præponere, vt aliqua redderetur ratio, cur tandiù intermiſſum opus reaſſumeret tandem; ac præcipue, vt gratum animum erga Florentinum oſtenderet, cuius liberalitate Auctor ab inopia rei familiaris extractus, ad ſerenitatem animi redierat, quæ carminum concinnatria eſt; nàm, vt ait Ouid., *Carmina proueniunt animo deducta ſereno.* Aſt, cum tertium librum immediatè, & ſine vlla interpolatione, alteri connectat, per particulam *Interea*, quæ continuationem operis non interruptam, licet diſtinctam, ſignat, nulla opus fuit præfatione; cum hic liber à Præfatione præcedentis, ob continuatam, dependeat, connexionem. Quarè ceſſat ratio præfationis addendæ, ideòq; & ipſa iure ommittitur Præfatio.

Argumentum Libri Tertij.

RAptâ Proſerpinâ, Deorum cogit Concilium Iupiter; &, ne cui liceat Raptorem Cereri prodere, grauiſſimis indictis pœnis, edicit. Verum, ne videatur crudeliter in Matrem agere, dum non ſolum, Filiâ orbari eam, permiſerit; ſed etiam à ſolatio, quamuis leui, eamdem prohibeat Fata dignoſcendi ſua, rationem reddit ornatè, cur ad huiuſmodi edictum ſanciendum impellatur; nempe motum ſe naturæ lamentationibus, quæ, aurei ſæculi priuata delicijs, Iouem de tyrannide redargueri t, graui nimis iugo opprimentem eiuſdem naturæ vires; quibus quæſtubus, vt finem imponeret, ac ſe tam indigna abſolueret nota, oſtendit, ſe vti ſtatuiſſe Cereris opera ad læſæ conſulendum naturæ; ideòque priuandam cognitione Raptoris Cererem, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia magis Cererem diſtorquerent, vt, cum tandem voti compos fieret, exuberann gaudio caultans, Triptolemum mitteret ad ditandas ſegetum vbertate terras omnes frugum rationem mortalibus oſtenſurum, atq; annonam longè, latèq; diſſeminaturum, Ceres interim de Fatis Filiæ per quietem admonita, Phrygia relicta, in Siciliam regreditur, viduatam luſtrat optato pignore domum, luctibus infrendens; ac cognitâ tandem, licet in enigmate, ex Electra, nutrice Filiæ, iam clade, in Cælum toto impetu fertur; atque, vt fatales ſibi euentus innoteſcant, omnem profectò lapidem mouet; ſed, votis fruſtrata, faces in Ætnæis ſuccendens incendijs diuturnam auſpicatur peregrinationem, Filiam, quoquo rapta fuerit, quæſituram.

Quod ſi argumentum huiuſmodi carminibus concinnatum exoptes, accipe ex Theophylo Chalcodyle appoſitum, apud Ianum Parrhaſium, hoc eodem loco, ſic.

Iupiter, vt, ſuperum iam conſediſſe ſenatum,
Conſpicit, accitu Thaumantidos; orſus ab alto
Exponit ſolio, cur vitæ larga prioris
Commoda ſuſtulerit, regnataq; ſæcula Patri.
Scilicet, vt curis acuat mortalia corda.
Nunc (ne ſe toties queſtu Natura fatiget)
Chaonio ſtatuiſſe homines auertere victu:
Atq; ideò, Cererem longo diſcurrere luctu,
Decretum; Natæ, donec, lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges; pœnaſq; minatur,
Si quiſquam Cereri Raptorem prodere Diuum
Audeat. Illa, diù Phrygijs bacchata ſub antris,
Nocturno tandem monitu ſua tecta reuiſit;
Agnoſcitq; domus cladem; petit illicet amens
Æthera; cumq; nihil miſeram lamenta iuuarent,
Cælicolum patuere doli. Tum faucibus Ætnæ
Succenſas quatiens pinus, erroribus aptas
Noctiuagis, oras Siculas accincta peragrat,

Sed nos iam inſtitutum proſequamur erudiciſſimam Auctoris noſtri Poeſim ſummatim primo recenſentes,

Pro-

Propoſuerat Poeta, in totius Poematis argumento, quod, initio lib. primi, expoſuerat, ſeeductorum in lucem Inferni Orbis arcana; atque ad hunc finem aſſequendum, implorauerat Inferorum opem Deorum.

Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum &c.

Hæc autem ſecreta partim recenſenda erant, vt anteceden-tia, partim, vt conſequenti ad Raptum. Quarè, lib. pri., antecedentia attigit omnia; nempe iram Plutonis prælia in Superos molientis.

Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras
Prælia moturus ſuperis &c.

Cauſam tanti tumultus ritè pariter expreſſit

Impatiens noſtrae torrum, nullaſq; mariti
Illecebras &c.

Intercedentes induxit Parcas, ne deſæuiret.

Sed Parcæ vetuere minas; orbiq; timentes &c.

Legationem ad Iouem miſſam, per Mercurium internuncium retulit.

I ſeler profcinde notos, & iuſſa ſuperbo
Redde Ioui &c.

Ancipitem Iouis mentem deſcripſerat; firmatamq; ſubindè ſententiam, quâ Plutoni Proſerpina addiceretur; & datum Veneri executionis munus indicauerat; ac Venerem ipſam dolos parantem, properantemq; induxerat. His poſitis, vt, quod in argumento adiecerat dicendum, proſequeretur; nempè. . . . *Qua Lampade Ditem*

Flexit amor; quo ducta ferox Proſerpina curru
Poſſedit dotale Chaos.

Secundo libro Venerem dolos proſequentem deſcripſit; Plutonem Germani monitu properantem, ad auras erumpentem è ſubterraneis, rapientem deniq., ac prima ſentientem amoris ſuſpiria, ſub oculis poſuit, vt iure oſtenderetur gauiſa Venus.

Iam durum flexura Chaos, iam Dite ſubacto
Ingentes famulos Menci ductura triumpho.

Data autem occaſione, iterum ad pandenda inferi orbis ſecreta, Raptum vtiq; ſubſequentia, regreditur; nam, dum Plutonem Tænara intrantem deſcribit, mox occurſum ab Inferis, ſummâ vtiq; frequentiâ aduentantibus, adornatum commemorat.

Conueniunt animæ, quantas truculentior Auſter
Decutit arboribus frondes &c.

Seruorum miniſteria recenſet, ac diſtribuit:

Occurrunt propere lecta de Plebe Miniſtri &c.

Nuptiales innuit apparatus.

Pars Auiga tenens &c.

Elyſias Matres nouæ Nuptæ addicit obſequentes.

Reginam caſto cinxerunt agmine Matres &c.

Nuptias ipſas, ac nuptialia peragit conuiuia; Muſicas addit voces: ſedatas Erebi decantat pœnas; Tartara omnia in lætitiam effuſa denotat, & amplificat; ac tandem Proſerpinam in thalamum adducit, Elyſiorumq; cultores Epythalamium inducit concinnentes. Solum itaque ſuperfuerat implenda poſtrema iam pars argumenti, lib. primo propoſiti, nempè . . . . . . *Quantaſq; per oras*

Sollicito Genitrix errauerit anxia curſu.

atq; huiuſmodi Cereris errores, hoc tertio libro auſpicatur. Verùm quidem eſt, non exhiberi hic a Poeta, quod poſtremis eiuſdem argumenti carminibus dicendum promiſerat; nempè *Vnde data Populis fruges, &, glande relicta,*

Ceſſerit inuentis Dodonia Quercus ariſtis

ſicet id obiter attingat hoc eodem lib. Iupiter. Sed quanta interdum nouis emergentibus interciduntur. Multa cadunt inter poculum. ſupremaq; labra. Et ſæpe ſæpiùs aliter, ac homo propoſuerat, diſponit Deus. Imperfectum igitur cum & librum hunc, & opus ipſum abruperit potiùs, quam abſoluerit Vates, nil mirum, ſi omnia adamuſſim non impleuerit; cum cæteroqui videamus, Poetam, nulla ex parte, in iis, quæ tractauerit, defuiſſe muneri, aut inſtituto. Et vtinam, quidquid propoſuerat, abſoluere potuiſſet, ne tantis ars poetica careret luminibus. Porrò hæc dicta ſint, vt noſcas, quanto ordine procedat, quam exactè Propoſiti memor, quam concinnus ornamenti ſectator fuerit, ſibique cohærens Auctor; inuitis iis, qui eum non ſibi ſatis cohærentem dictitarunt: dum nos interim huius tertij libri explicationem aggredimur.

Iupiter interea cinctam Thaumantida nimbis
Ire iubet; totoq; Deos acceſſere Mundo.
Illa, colorato Zephyris illapſa volatu,
Numina conclamat pelagi, Nymphaſq; morantes
Increpat; & fluuios humentibus euocat antris.
Ancipites, trepidiq; ruunt, quæ cauſa quietos
Excierit, tanto quæ res agitanda tumultu.
Vt patuit ſtellata domus, conſidere iuſſi.
Nec confuſus honor Cæleſtibus ordine ſedes
Prima datur: tractum Proceres tenuêre ſecundū
Æquorei; placidus Nereus, & lucida Phorci
Canities, Glaucum ſeries extrema biformem
Accipit, & certo manſurum Prothea vultu.
Nec non & ſenibus fluuiis conceſſa ſedendi
Gloria: plebeio ſtat cætera more iuuentus
Mille amnes: liquidis incumbunt Patribus vdæ
Naiades; & taciti mirantur ſydera Fauni.

IVPITER INTEREA &c. Apim, nempè Bouem illum ſuum, quem Ægyptij, vt noſtis, ſub *Oſiridis* nomine, impensè adeò, pro Numine, coluerunt, Iouem, Ægyptiis Patrem, Iuſtum, Ducem, ac conſultorem fuiſſe, teſtatur Diodorus, in ſacris Ægyptiorum litteris: quod fortaſſis inde ortum habuit, quod nouerint, Iouem Bouis ſpeciem aſſumpſiſſe, cum, Europam rapturus, ſe ſe armentis immiſcuit, vt alibi vidimus. Ea itaque hieroglyphica, quibus vſi ſunt Ægyptiorū Sacerdotes, ad Oſiridem ſuum exprimendum, eadem Ioui aptanda, iuxta eorumdem ſenſum facilè intelligemus. Oſiridem igitur hieroglyphicè expreſſuri, oculum, & ſceptrum, ſeù ſceptrum oculatum, pingere conſueuerunt, vt ex Pier. lib. hierog. 33. deducitur. Interdum etiam in ſceptro ipſo ramuſculos complicare, ſoliti fuerant, ita, vt, in complexum coeuntes, oculi ſpeciem, in medio, ſpectandam conformauerint; eaq; ſpecie, Oſirim multoculum, ſemperq; vigilantem, innuere voluerunt; iuxta ſanè etiam eiuſdem nominis ſignificationem; *Os* enim Ægyptiaca lingua *multum*; *Iri* verò *oculum* ſignificat. Hinc etiam fortaſſis effectum, vt Platonici Iouem *Mundi animam* appellauerint, quæ certè ſemper inſomnis eſt. Sed habeant deliramenta ſibi ſua antiqui; hæc deliramenta non fuiſſent, quo ad veram diuinitatis rationem explicandam, ſi hanc in immeritis non collocaſſent. Certè ex ſacris litteris, eodem oculati ſceptri hieroglyphico ſummus, ac verus Iupiter parens, nempè Deus rerum omnium conditor, præfiguratus habetur; nam interrogatus Ieremias, raptus in ſpiritum, quid videret; *Virgam*, inquit, *vigilantem* ego video: & dixit Dominus: *bene vidiſti*, *quia vigilabo ego ſuper verbo meo*, vt faciam illud. Sic, Apocal. 5., ſub Leonis ſymbolo Redemptor Deus exprimitur: *Vicit Leo de tribu Iuda &c.* Leones autem inſomnes, ſemperque vigilantes, exiſtimari ab aliquibus, quis neſciat? Et profectò vere ipſe anima dici poteſt, vniuerſi: Solis ipſe Sol auctor; omnia luſtrans oculus, ſemper apertus, qui omnia perſpiciat, quem nihil lateat, qui vel abſcondita nouerit cordis. De ratione igitur veræ Deitatis eſt inſomnem eſſe, ac ſemper rerum omnium regimini aduigilare: atq; ideò non mirum, ſi hæc ipſa Ioui ſuo attribuerint antiqui, cum eum ſcilicet ſummum Deorum omnium Numen arbitrarentur. Ad hæc itaque reſpiciens Vates, cum, ſilentio facto, quieſcentes reliquerit Manes, ac conſopitos præcipuè, maritales inter amplexus, Tartarorum Principes, tranſitum facit ad Numen, ſemper vtiq; vigilantem, atq; opera operibus innectentem, vt & ipſe opera operibus adnectat, & argumentum ſuum proſequatur, longè quidem a dormientium Inferorum regia, quæ ſiant; ſed ad ipſos tandem ſpectantia relaturus. Ac primo quidem, nutu Iouis, Iridem Numina ad concilium conuocantem inducit Numinum feſtinationem, vt preſto ſint, deſcribit: ac tandem loca, iuxta vniuſcuiuſq; dignitatem, eiſdem diſtributa, cæleſti illo in conſeſſu, numeratim recenſet.

INTEREA IVPITER &c. Aduerbium temporis eſt *Interea*, compoſitum ex *inter*, & *ea*; quapropter idem ſonat, ac *eodem*, *quo hæc aguntur*, *tempore*: aduerbium vtique aptiſſimum ad res diſiunctas, diſſitas, diuerſaſq;, ita inter ſe connectendas, vt vnam conſtituat ſeriem orationis, licet diuerſam importet ſeriem actionis. Hoc itaque aduerbio aptiſſimè librum hunc cum præcedenti Vates connectit,

ſicuti

ſicuti eodem vſus eſt Virg. quintum cum quarto Æn. connectens, dum ait:

Interea medium Aeneas iam Claſſe tenebat
Certus iter, fluctuſq; atros Aquilone ſecabat.

nempè, dum Dido moreretur, interea Æneas altū tenebat &c.

Sic Auctor, hoc loco, dum Iugales Inferi obdormirent, Iupiter &c. Porrò, cum Iupiter Hominum, Deorumq; Pater, & Rex eſſet ad eum procùl dubio ſpectabat rerum omnium cura, ac concilium Deorum aduocare, vbi opus futurum videretur. Quia verò de Ioue pluribus & primo, & ſecundo egimus lib., & quæ hùc præcipuè ſpectant nuper exarauimus: tantum noto, peculiari hic ratione *Iouis* nomine deſignari, non verò *Tonantis*, aut *Regis*, aut *Patris &c.* nam, cum Iupiter a iuuando dicatur, quaſi *iuuans Pater*; atq; hic ſe maximè ad iuuandum procliuem ſit oſtenſurus, optimo iure *Iupiter* appellatur.

IVBET THAVMANTIDA, CINCTAM NIMBIS. Ad intelligentiam poſtremæ particulæ *cinctam nimbis* vide dicta lib. 5. carm. 98. & clarius carm. 100. *Iubeo* dem eſt ac *Impero*, *præcipio*, *mando*, quod proprium ſuperioris eſt in inferiorem, peragendis iuſſibus addictum, ita vt illi abnuere licitum nequaquam ſit. Imperio itaq; vtitur Iupiter, & iubet *Thaumantida*, græco more, pro *Thaumantidem* per helleniſmum: nempè Irim Thaumantis ex Electra filiam. Quid autem, & quæ Iris ſit, etiam quo ad fabulas explicatum habes lib. 2. cit. Hìc tantum noto, quòd, licet aliqui, Irim internunciam eſſe Iunonis tantum, non Iouis eſſe aſſeruerint, falſam ab ipſo exiſtimari hanc opinionem, apertè indicat Auctor, Principem ſecutus Poetarum, qui Æn. 9. internunciam Iouis Irim ad ipſam mitti Iunonem proteſtatur.

. . . . *Aeriam cælo nam Iupiter Irim*
Demiſit, Germanæ haud mollia iuſſa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mænibus altis.

quod tamen non obſtat, quin & Iunonis internuncia eſſe potuerit, immò & omnium Deorum, vt alij voluere.

IRE. è ſolio videlicet ipſius Iouis, cui ſemper aſſiſtit, ad nutum prona, vt vidimus lib. 2. cit. ire, inquam, ea qua pollet velocitate, & ad quam exprimendam, eam, inſtar Mercurii alatam effinxerunt.

ET ACCERSERE &c. Munus obeundum cum itinere, coniungit, vt feſtinationem indicet adhibendam; quaſi dixerit, non immorandum apud Deos, ad quos conuocandos mitteretur, ſed, non intermiſſo itinere, vocandos, iterq; ad alios eodem tempore properandum. Porrò *Acceſſere* idem profectò eſt, ac vocare; ſed inſuper etiam aſſumitur pro eodem, ac *Ducere*. Vtitur itaq; hoc verbo Vates, vt oſtendat, iuſſum imperantis ab iri non negligendum fuiſſe, ita vt ſolo vocandi munere contenta rediret; ſed vocationem debuiſſe efficacem fieri, ita vt non ſolum incitaretur ad obediendum iris, ſed vt prædem ſe illis exhiberet, ac duceret ad excipiendos imperantis nutus

DEOS. Deorum nomine Deas etiam complectitur, ſed genere vtitur præſtantiore, vt & de conſequenti minùs præſtans intelligatur; præterquàm quod Deus à Deitate dicitur; quare quidquid habet Deitatem, Dei nomine compræhenditur, nullà diuerſitatis ſexus, ſed Deitatis tantum habita ratione.

TOTO MVNDO. Ideſt ex omnibus totius Mundi partibus; nomine autem Mundi intelligit quidquid ab Inferorum orbe, ſeù ab eiuſdem finibus ad ſolium vſq; ſupremi Iouis protenditur, quod cur dicatur Mundus, alibi ſæpè diximus. Tartara autem non euocantur; nam cum concilium futurum eſſet de non prodendo Cereri Raptore, non dubitandum fuit de Inferis, in quorum bonum vertebat Proſerpinam habuiſſe Reginam; Sed dubitandum de ſuperis, in quorum iniuriam cedere Raptus Proſerpinæ videretur; ideò hos iubet, non inferos acciri. Innuit autem hic tacitè Vates diuiſionem Deorum ab antiquis factam, & quam ipſe inferius in ordinem digeret ſedes diuerſis aſſignans diuerſas. Ex antiquis itaq; Dijs alij Coeleſtes, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 1. cap. 7. alij Terreſtres, alij Aquatiles ſunt crediti; aquaticorum alijs maris, alijs fluuiorum, alijs fontium cura fuit commiſſa: è terreſtribus rurſus alij montani, alij ſylueſtres, & Paſtorum præſides, alij agricolarum fuere: Coeleſtium alij ſummæ rerum præerant humanarum, alij conſultores aderant, alij Præſides tempeſtatum, certiſq; coeli regionibus præfuerunt. Aderant & Tartarei, ſed hos, quippe non de mundo, nec memoro, nec inter accerſendos recenſentur, vt ex dictis. Præter Deos autem in hac diuiſione contentos nulli alij eſſe poſſe crediti ſunt. Ex quo habes qui nam fuerint accerſendi,

ILLA (nempè Iris) ILLAPSA ZEPHYRIS. *Illabor*, à quo partic. illapſa, verbum compoſitum ex *in*, & *labor*, mutata littera *n*, in *l*, ſignificat, celeri quidem, ſed quieto, ac ſuaui curſu, in locum aliquem properare. Dicitur itaq; *illapſa* Iris, ideſt placido, ſed velociſſimo inuecta motu in mandatorum executionem: atque, vt magis innoteſcat velocitas, ſubdit Vates, quibus vſa ſit vehiculis Thaumantis filia, nempè *Zephyris*. De Zephyro vide dicta lib. 1. carm. 185. & lib. 2. carm. 73. Hic tantum ſupereſt dilucidandum, cur Vates Zephyros potiùs Iridi attribuat, quam alios ventos; quandoquidem ventos indifferenter Iridis aurigas oſtenderit Virg. Æn. 5. dum de ea Iunone miſſa ad incitandas Troianorum Matres, vt claſſi ignem ſubijcerent, ne iterum enauigare cogerent, ait:

Irim de Cælo miſit Saturnia Iuno
Iliacam ad claſſem, ventoſq; adſpirat eunti.

Pluribus itaq; de cauſis Irim deſcribit Auctor illapſam Zephyris. Et primo quidem, quia, cum celeritate opus eſſet, nulla ventorum aptior celeritas, ad Cælitum internuncios deferendos, vt patet ex ore Virgiliani Iouis Æn. 4. vbi Mercurium ſummâ celeritate miſſurus ad indicenda Æneæ de diſceſſu ab Didone, mandata, vt nuncium quàm maxime acceleret, ſic concitato alloquitur ſtylo.

Vade age Nate: voca Zephyros: illabere pennis.

Secundo ventus admodum beneficus eſt Zephyrus, quippè cuius beneficio, omnis in herbas turget humus &c. Cum itaq; Iupiter Proſerpinæ raptum in maximum orbis bonum conuertere meditaretur, vtatur Zephyro Iris ad iter, quo concilium aduocet ad huiuſmodi bonum ſtabiliendum. Tertio ſerenitatis effector dicitur Zephyrus apud Mantuanū.

. . . . . *Tota ſerenos*
Amittit Zephyros, totam prolabitur Eurus.

quare, cùm ex conceſſâ Plutoni Proſerpinâ reddita fuiſſet cælo tranquillitas, ablato turbine imminentis belli, aptè Zephyris vtitur, ſerenitatis aſſertoribus, Thaumantias. Quarto fœlicitatem inducens creditur Zephyrus, atq; ideò apud Pontanum legitur.

Spirat odoratus, Zephyris fælicibus, aer.

quare ad conuocandum concilium, quo orbis fælicitas firmaretur, apte fælici vento vtitur Iris. Quinto denique iam noſcimus Zephyrum rore fecundum, & madidantes quatientem nectare pennas, vt glebas fæcundo rore maritet: quare, cum Iris ex aqueo humore concreſcat, & varijs exornetur coloribus, vt vidimus lib. 2. cit. probe Zephyris vtitur, quippe maximè ad Iridis naturam adaptatis; & cum ad maritalia foedera firmanda properet, ne detecto Cereri Raptore, Ceres illa interturbare aggrediatur; iure fæcundo, ac maritali inuehitur vento.

VOLATV COLORATO. Noueris effectui attribui quod eſt proprium cauſæ; nempè volatui attribui colorem, qui pennis alatæ Iridis fuerat tribuendus. De coloribus autem Iridis vide lib. 2. cit Alij cum Parrhaſ. legunt *Zephyros tranſgreſſa volatu*, ſed minùs, vt vides eruditè. Ideò vulgatam ſequor.

CONCLAMAT &c. *Clamare*, à quo & *cum* componitur verbum conclamat, non raro accipitur pro *toto vocis conatu vocare*: ſic de Anna, Didonis ſorore morientis, Virg. Æn. 4. inquit:

Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

ideſt *magna vocat voce*, vt docent Interpretes. Idem itaq; erit *conclamat*, ac *conuocat*; ita vt ſocietas importata per præpoſitionem, à qua illud verbum componitur, ſe teneat ex parte vocatorum, non verò ex parte vocantis, vt ſenſus ſit, clamat Iris voce magna Deos vocans, vt ſimul ad ſolium ſummi Regis conueniant. Ex quo vides, quàm aptè Præconis mores, cuius munus obit Thaumantias, imitetur Poeta.

NVMINA PELAGI. Quid Numinum veniat nomine, ſatis habuimus, in calce lib. 2. carm. 375. Hic Numen & pro perſona, & pro voluntate Deorum ponitur; nam & perſonaliter conuenire iubebantur, & voluntatem afferre in nutum ſummi Iouis paratam. *Pelagus* autem, propriè loquendo, *profundum maris* eſt, græcè πέλαγος, quod ſit πήλοθεν γῆς, ideſt procùl à terra. Sumitur tamen pro quouis mari non ſemel: aſt hic arbitror rigoroſè accipi in propria ſua ſignificatione; nam fluuialia, & marina Numina in profundo maris, ac fluuiorum degere, fuit Antiquorum opinio. Quare Ariſthæus, apud Virg. Georg. 4., matrem vocans Cyrenem Numen fluuiale, ait:

Mater Cyrene, Mater, quæ Gurgitis huius
Ima tenes &c.

& inferiùs ſenſum Ariſthæi confirmans Vates ſubdit:

At Mater ſonitum, thalamo ſub fluminis alti,
Senſit; eum circum Mileſia vellera Nymphæ &c.

De maritimis verò Numinibus idem dicendum deducitur ex eodem Virg. Æn. pri., vbi dicitur Neptunus tunc ſenſiſſe tempeſtatem, ab Æolo immiſſam, cum profundum turbauerit, quaſi dicat, cum in Regijs vſq. penetralibus tumultum exciuerit.

Interea magno miſceri murmure Pontum,
Emiſſamq. hyemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis; grauiter commotus, & altò
Proſpiciens &c.

Vbi nota, Virg. non dixiſſe *Audijt*, ſed *ſenſit* ſtagna imis vadis refuſa; *ſentire* autem propriè de tactu dicitur, & immediationem requirit ſuppoſiti; quarè in imis fuerit vadis Neptunus, neceſſe eſt, qui ſenſerit &c. Inſuper nota illud *proſpiciens altè*, quod pariter indicat, Neptunum ex profundo ſuſpexiſſe, antequam caput ad vndas extolleret ſuperiores. Hinc habes, cur Auctor noſter Irim, magna voce clamantem induxerit, nempè, vt ex aquarum ſuperficie ſtantes in profundo Deos excire poſſet, ita vt audiretur. Verùm ex his aquarum fluctibus tempeſtas in Auctorem ipſum emergit: videtur enim vel immemor fuiſſe eorum, quæ immediatè ante facienda propoſuerat; vel parum ſibi cohærens; vel Thaumantidem, quam toto animo exequendis addictam mandatis inſinuauerat, iam muneris ſui immemorem, ac negligentem efficere. Iuſſerat Iupiter eam ire, totoq; Deos acceriere mundo. Vix dixerat: *illa volat &c.* Sed finis deturpat, non coronat opus; cum ſola aquarum Numina euocata ab Iride recenſeantur: alia verò euocanda Numina quonam loco reponuntur? Certè vel Vates immemor, vel internuncia ſocors, & negligens effecta eſt. Verùm, quod alij ſocordiæ facilè dederint, ego potiùs Prudentiæ, atq; artificio dederim Auctoris. Nam primo, iure quidem optimo, Iris applicatior oſtenditur euocandis Numinibus, eiuſdem Iridis naturæ maximè conſentaneis, nempe aqueis, cum aqueo itidem humore Thaumantidis arcus coaleſcat. Secundò nota Deos maris poſitos eſſe in vltimâ regione, ab Internuncia Iri peragrandâ: ex quo clarè deducitur, Irim, quæ Numina in extremis finibus poſita euocauerit, viciniorum certè conuocationem non neglexiſſe. Quid enim negligeret, quos, præteriens, neceſſario obuios haberet; Dea illa, quæ ad vltima vſq; legationis ſuæ confinia peragrauerit, ad remotiſſimos euocandos? Dixi, Deos maris in vltimis legationis finibus extitiſſe, nam cum in profundo maris degant, centro, vt ita dicam, finitimis, tantùm vltra eos Tartara ſupererant, ad quæ Iris non mittebatur, vt ex dictis. Quid igitur Numina intermedia memoraret Vates, cum præcipuè in aſſignandis in conſeſſu ſedibus, iterum eſſent repetenda, & ex conſequenti ea vt vocata recenſenda? Nonne occidiſſet miſerum, crambe repetita lectorem? Sicuti igitur, quia etiam nomina Deorum e mari euocatorum aperienda erant inferiùs, nullum hic nomine exprimit; ſed generali tantùm vocabulo Deos Maris appellat; ita reliqua Numina, euocata vndiq; non enumerat, iterum inferiùs enumeranda. Iuſſa fuerat Iris Deos pertranſiens, & non intermiſſo itinere conuocare: dum igitur in termino legationis mandata exequens conſtituitur; per neceſſarium conſequens habetur, & tranſitum emenſam fuiſſe, & mandatis in tranſitu non defuiſſe.

ET INCREPAT NYMPHAS MORANTES. Fœmineos hic mores carpit indirectè, quæ lentè adeò feſtinant, maximè cum iter aliquod inſcipiendum ſit, vt nunquam ſatis appareant ad proficiſcendum paratæ, quibus atteritis imitatur ſubindè mores accelerantis, clamantiſq; atq; impatienter vrgentis, vt ſe expediant tandem, & feſtinent, dum eas Irim inducit increpantem: *Increpare* enim eſt *ſonum, crepitumque cum ſtrepitu edere*; ex quo factum, vt translatè pro eodem accipiatur, ac *reprehendere*; ſed reprehenſione quadam, acri verborum vehementia, & pedum ſtrepitu, ac ſupploſione, expreſſâ. Moras igitur Nympharum indignanter redarguit Iris, & vt abrumpant, impellit. De Nymphis latè diſſeruimus, in Præfatione ad lib. 2. carm. 3. Hic, Nympharum nomine, veniunt Amadriades, & Naiades omnes, de quibus vide locum cit. Ingenioſè autem Vates Irim inducit huiuſmodi Nymphas increpantem: primo quidem, quia Iris eas ſibi addictas habere videatur ex eo, quod arcus Iridis multum conferat illis, dum ex vaporibus pluuias colligens earum aquas adauget: nam ait Tibul.

Quamuis prætexens picta ferrugine Cælum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.

hoc enim pacto adaugens Iris Nympharum aqueam ditionem, videtur, quodam quaſi prædominanti iure vti, poſſe, vt in obſtrictas. Secundo certè cadens pluuia crepitum efficit, ſicq; aqueo quaſi pede, videtur Iris terram, & aquam pulſare; ideò iure inquit Vates *increpat* modo explicato *Nymphas morantes*, hoc eſt moras nectentes, & non celeriter accurrentes.

ET EVOCAT FLVVIOS &c. Particula *Et* cumulatiua hic eſt, & ſuperaddentis munus obit, non copulantis, idem, ac *inſuper*. *Euocare* eſt *extra vocare* fluuios, hoc eſt fluuiales Deos, vt quo vocantur iter arripiant.

ANTRIS HVMENTIBVS. Præpoſitio eſt in verbo. Fluuiorum autem Numina in antris, ex quibus flumina exeunt ipſa, reſidere ſolita iam vidimus lib. 2. carm. 69. Cur autem hæc antra humentia dicantur, patet ex ſonte, quem in ijs habeant aquæ.

ANCIPITES, TREPIDIQ; RVVNT &c. Promptam Deorum obedientiam deſcribit, eorumdemq; perplexi animi fluctuationem indicat, ortam ſcilicet ex nouitate rei, cum Deos omnes ad Concilium conuocari neutiquam ſolerent, niſi in ſumma rerum trepidatione: quare & metuentes iure inſinuat. *Ruunt* feſtinantis præcipitantiſq; moras, exprimens celeritatem, verbum eſt de quo nos lib. 2. carm. 20. ſed hic inſuper alludit ad concitatos aquarum curſus, quæ ſemper ruere videantur, dum vnda truditur vnda &c. *Anceps* autem eſt, ac *incertus*, ſeù *fluctuans animo*; quod efficitur, cum, varijs propoſitis rebus, nullis ſatis acquieſcit cogitatio; ſed fluctuantis ad inſtar maris, nunc redit, nunc fugit, &, vnde effugerat, illuc regreditur, iterumq; refugit &c. ſic Caliſtus apud Bracciol. de Cruce lib. 19., animi ſui æſtuantis fluxum, ac refluxum, Iris, aperit:

Mille modi riuolgo, e quello ſteſſo
Ch' hor del mio core mi piacque, hor mi diſpiace &c.

Et hoc ipſum eſt, quod hic per adiectiuum *Ancipites* ſignificatur; varias enim in cogitationes abierant, accita inſperatò, Numina, dum cauſam animo perueſtigantibus multæ occurrerent, nulla probaretur præcipuè tranquillis, vt rebantur, in rebus. Quid tandem *trepidi* nomine importetur, videas lib. 2. carm. 175. Certè trepidatio ex inſperatis oritur, ac præcipuè ab ijs, quæ fieri non aſſolent, niſi in ſummo rerum diſcrimine, (cuiuſmodi fuiſſe dix. hanc Deorum conuocationem) nam animus, ad malum ſemper credendum pronus, terrore facilè completur, cum anceps hæret, nec quid futurum ſit prænoſcere ſatis poteſt. Hic itaque hos duos naturales effectus, non ſolum copulat Vates naturam imitatus, ſed, deſumptam ex ijs rationem etiam reddit Deorum feſtinationis, nam timentes feſtino ſemper properant gradu. Sic Achemenides ille, qui apud Virg. Æn. 3., in Cyclopum incidit, cum eorum, qui ſecum erant celerem fugam, vrgente timore concitatam deſcriberet, ait:

His me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores ſocij vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere &c.

QVÆ CAVSA &c. Rationem aperit, cur ancipites, ac trepidi fuerint Dij: ſecum nempè cogitabant, quæ nam cauſa vrgens adeò adeſſet, vt vocarentur. Aliqui, hunc locum, errore librariorum, arbitrantes corruptum, corrigunt, & legendum aſſerunt: *Quæ cauſa*, non quæ cauſa: ſed primo quidem hi dum locum emendare ſtudent, carmen corrumpunt; ſecundo idem tandem dictitant per diuerſa: nam iuxta horum ſententiam ſenſus erit: *Cogitabant, quæ cauſa, eos exciuerit Iris*: Iuxta autem vulgatam noſtram, actio Iridis in cauſam huius actionis Iridis vocantis refunditur, cum cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, atq; adeò in idem recidit ſenſus: quarè nil arbitror immutandum. Cogitabant itaque, *Quæ cauſa*. Accepta in communi cauſa *eſt omne illud, quod deſinetur*. Quadruplex a Phyl. aſſignatur, nempe efficiens, materialis, formalis, finalis. Hic certum eſt finalem inquiri: finis enim eſt *cuius gratia fit aliquid*; & cum finis primus ſit in intentione, vltimus verò in executione, ſequitur, vt huiuſmodi finem Dij ignorare cogerentur, quippe qui mentem ſummi Iouis nullatenus penetrarent. Cum autem plures fines, quorum gratia aliquid fiat, excogitari poſſint, hinc eſt, vt Dij ancipites eſſent, atq; expectatione anxij.

EXCIERIT, (pro exciuerit, per Sincopen) QVIETOS. *Excire* eſt extra aliquem locum accire. *Quietus* verò a quiete dicitur, quaſi *quiete tutus*; quarè idem eſt, ac *tranquillus, pacatus*, & nulla vel extrinſeca, vel intrinſeca, perturbatione agitatus. En itaque rationem aſſignatam, cur *trepidi* accurrerent Dij. nempe quia Deos, quiete ſua tutos, nunquam Iupiter excire, eorumq; otia interturbare ſolitus fuerat ex

quo

quo graue quoddam ominabantur malum. Adde quietos appellaſſe Deos, hoc eſt *noctiurna conſopitos quiete*, nam intempeſta nocte factam huiuſmodi conuocationem mox videbimus; & ideò multo magis trepidare debuerunt, cum tali, ac tam inopportuno tempore vocarentur.

QVAE RES AGITANDA. Nouerant ex Iri Numina ſe à Ioue ad concilium conuocari, ſed quid in diuino agitandum eſſet Senatu tunc temporis ea prorsùs latebat; ideò cogitabant, quodnam tam vrgens negotium interrumperet otium. Agitare autem, à quo partic. futuri temp. paſſ. *agitanda*, idem eſt, ac *diſcutere*, diſcuti enim in Concilio dicuntur, quæ per diuerſas ſententias examinanda, ad deliberandum proponuntur.

TANTO TVMVLTV. tàm ingenti, tàm magno, tàm accelerato, atq; intempeſtiuo; hæc enim omnia ſonat particula *tanto*. De tumultu vide dicta lib. 2. carm. 154. Hic ponitur pro perturbatione Dijs ipſis iniecta, pro feſtinatione iniuncta, pro ipſo Deorum feſtinato vndiq; concurſu, ac mentis agitatione.

VT PATVIT &c. Quibus curis implicitì, iter ex remotiſſimis ſedibus, Cælum verſus, arripuerint non minùs, quam abſumpſerint Numina, deſcripſit Vates. Nunc quomodo ſe habuerint in termino; quomodo ſedes vnicuiq; pro meritis attributæ fuerint recenſet, ac primo ingreſſum notat eorundem in ſupremum illud conclaue. *Vt patuit &c.* Particula *vt* aduerbium temporis, hoc loco, eſt, idem ſonans, ac *quando*, ſeù *ſtatim ac*; ideò indicatiuo iungitur, non coniunctiuo: ſicuti in hac eadem ſignificatione ea vtitur Virg. Aen. pri. dicens:

Vt ſpolia, vt currus, vtq; ipſum corpus amici,
Se quoq; Principibus permixtum agnouit Achiuis &c.

Patère autem idem eſt, ac *apertum eſſe*, ſeù *aperiri*; quarè ſenſus eſt *ſtatim, ac aperta fuit domus &c.* Suſpicari quis poſſet adnotatum his verbis tempus initi concilij, illudq;, Aurora illuceſcente intromiſſum declarari. Nam Cælum aperiri dicitur, vt in 10. Æn. aſſerit, Seruius, cum Dies illuceſcit, claudi verò, cum Nox ingruit; atq; hoc eſſe Poetis familiare comprobat ex alio Virgilij loco, nempe ex Æn. pri., vbi, cum Virg., ore Aeneæ loquentis, defuturum aſſerat Diem, Noctemque ſucceſſuram, antequam Troianorum calamitates recenſeat cunctas, noctem per Cælum clauſum connotat, dum ſic habet ibi:

O' Dea, ſi prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales noſtrorum audire laborum
Ante Diem clauſo componet veſper Olympo &c.

Verùm huic explicationi obſtat, vt arbitror, ille ipſe finis, cuius gratia ſolicitus Iupiter concilium iuſſerat euocandum, effecturus ſcilicet, vt ignotus Cereri raptor remaneret; nam hic finis dilationem non patiebatur prohibitionis faciendæ, ne quis Deorum detegeret Raptorem, præcipuè cum, vt inferiùs videbimus, occultis illicò ſtimulis eadem nocte Ceres ad inquirendum excitaretur. Quarè, cum ſciret Iupiter, cauendum ne parua mora infinita fieret iactura, nullo modo probabile eſt, eum in nouam vſq; lucem negotium diſtuliſſe; ſed immò, dum apud Inferos nuptialia peragerentur, eodem tempore, Iouem, de præcauendo, ne quid Ceres reſciret, agitaſſe, vt clarè notat particula illa *Interea*, initio libri appoſita.

Dices particulam illam referri ad tempus, quo miſſa fuerit Iris; non ad tempus concilij peragendi, licet enim intempeſta nocte miſſa fuerit, cum tamen ſemotiſſimas adire regiones, ex quibus euocanda Numina eſſent, in ictu oculi potuit: quarè nil mirum, ſi in matutinam horam diſtractum fuerit Concilium, vt interim Numina conuenirent.

Obſtat tamen huic eidem moræ Iris celeritas, Zephyris ad exequendum munus inuecta, vt diximus: obſtat increpatio, quam in Nymphas euibrat morantes, quæ omnia oſtendunt ſumma celeritate concilium conuocatum: & obſtat anxius Deorum timor, quo præcipites in concilium agerentur.

Subdes: Miſſa Iris volatu dicitur colorato aerem permeaſſe; ſed id non potuit, niſi illuceſcente die, quia nullus ſine luce color; ergo &c. & adde, quod Iridis colores ex ſola reflexione lucis efficiuntur, vt nos ipſi lib. 2. docuimus.

Verùm neq; id euincit intentum. Nam Iris hic non ponitur pro arcu, qui via Iridis dicitur à Virg. Aen. 3., ſed pro ipſa arcuati tramitis Dea, ſemper ante Iouis ſolium aſſiſtente, & cuius Alæ colores ſemper induant arcus; atq; adeò, quacumq; hora moueatur, ſemper erit verum dicere, eam volatu colorato euolare; nam etiam, ſine luce, colores omninò rebus inſunt, licet viſibiles non effulgeant.

Potius itaque ante diem peractum fuiſſe concilium deducitur ex textu ipſo, dum habet: *Vt patuit ſtellata Domus*; aperte enim tempus notat nocturnum, quo ſcilicet ſtellæ effulgent in Cælo: & hoc præcipue, ſpectato Poetarum ſenſu, qui ſtellas occidere, ac denuò oriri dictitant; nam, ſi ſtellæ erant in Cælo, certe nox erat; cum enim in occaſum vergerent, eas ſinu maris excipi fabulabantur, vt noſtis. Immò etiam ex conſequentibus deducitur, nam, vt videbimus inferiùs, eodem tempore, quo Concilium, apud Iouem, haberetur, Ceres, apud Cybelem terrebatur in ſomnijs, & aperte notatur nocturnum horum tempus terrorum: ergo & nox erat adhùc, dum cœleſte concilium haberetur. Concludo igitur, Vatem, hoc loco, non tempus illuceſcentis diei notare voluiſſe, ſed tempus admiſſionis Deorum in conclaue tunc fuiſſe, cum *patuit ſtellata domus*: & Principum mores imitatum fuiſſe, qui, Satrapis ad Concilium vocatis, in intimis tamen penetralibus degunt, donec omnes, qui acciti fuerint, in Procætium (vulgò *Anticamera*) vel in atrium conuenerint; quibus omnibus ibidem congregatis, tunc Aulæa tolluntur, apertoq; regio conclaui, vbi Rex aſſideat, in conſpectum adducuntur conſiliarij, vt quid, & de quo agendum percipiant, & agitent. Sic ſphœræ ſunt quaſi atria, & Procætia Cæleſtis Regiæ; Cælum autem ſtellatum, nempè octaua ſphœra, conclaue erit, vbi concilium congregandum aſſideret: in intimis autem penetralibus, nempè in ſuperioribus cælis, de quibus infra, Iupiter degere credendus eſt. In ſeptima itaque ſphœra manſionem feciſſe Numina, ad Concilium accita, donec, congregatis omnibus, Cælum ſtellatum, regium nempe Iouis Conclaue, apertum fuit, introductiq; vocati ad Concilium Dij. Eodem ferè modo loquitur Virg., qui cum in calce libri 9. deſcripſiſſet Troianorum Certamen in Turnum &c. quod certè, adulta iam admodum luce peragebatur; non verò ante Diem, vel oriente vix Die initio 10. Aen. Iouem inducens Deos in Concilium vocantem, vt vetaret vlteriùs in Troianos iam deſæuire, ſic exorditur.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumq; vocat Diuum Pater, atq; hominum Rex
Sydeream in ſedem &c.

Vbi Seruius explicans verbum *panditur*, cum expoſitionem ſupra traditam retulerit, quaſi, quæ dixerat, corrigens ſubdit: *Quamquam panditur Cælum etiam ſimpliciter poſſumus accipere, pro quouis tempore, ſcilicet, ad Numina conuocanda, quod melius erit.* Quamobrem nil mirum ſi & ego, ſententiam ſecutus, in ſenſu, à tempore præciſiuo, explicuerim Auctoris verba: *Vt patuit*

STELLATA DOMVS. Locus commodæ habitationis *domus* appellatur, vt noſtis: *Stellata* autem idem eſt, ac *ſtellis referta*. Quarè, per ſtellatam domum, octauam, vt diximus, ſphœram ſignat, quæ ſola eſt ſtellarum omnium fixarum ſedes, cum reliquæ omnes inferiores ſphœræ, quæ Planetarum dicuntur vnicum ſingulæ deferant ſydus. Verùm & hic obijci poſſet; non ſatis Vatem congruere cum receptiſſimo Ariſtot. de Cælo ſiſtemmate, quod, cum infimam, ſupra ignem, ſphœram Lunæ attribuat, ſecundam Mercurio, tertiam Veneri, quartam Soli, quintam Marti, ſextam Ioui, ſeptimam Saturno, ſatis comprobat, Cælum Iouis ſextum eſſe Cælum, non autem octauam ſphœram, ſeù potiùs Cælum Criſtallinum, ad quod per ſtellatum Cælum ingreſſus pateat adeuntibus. Verùm aduerte Ariſt. in ſuo illo ſiſtemmate ſedes Planetarum ordinatim profectò recenſere; ſed Iouem non conſiderari hic ab Auctore noſtro, vt ſydus, inter errantia, beneficum: ſed, vt Deum, iuxta fabulas, Deorum omnium Regem: atq; adeò, eſto, proprium ſyderis ſit ſextum cælum Iupiter tamen ſtellæ ſuæ dominator, ſummum obtinens imperium, ſummum etiam cælorum ſibi vindicat in ſedem; quod & Virg. cit. Aen. 10. aſſeruit, dum textum proſequens ſupra exaratum ait:

Sydeream in ſedem terras vnde arduus omnes,
Caſtraq; Dardanidum ſpectat, populoſq; Latinos.

CONSIDERE IVSSI. Satrapum adhùc mores imitatur; iſ enim, adſtante ſummo rerum Imperatore, nunquam aſſident, niſi accepto priùs Imperantis nutu: vice autem verſa, vt benignitatem præſeferant imperantes, ſtatim ac in ſolium deuenere, annuere congregatis ſolent, vt ſedeant, ſententiam excepturi. Adſtabant igitur & Cælorum Proceres Ioui: at ille ſtatim iubet, vt ſedeant eiuſdem audituri ſermonem. Verba in aperto iam ſunt ex dictis. Tantum noto altercationes eſſe inter aliquos de ſignificatione verbi *Conſidere*; alij enim volunt, idem eſſe, ac *conſedère*, hoc eſt *ſimul ſedere*; alij dicunt, differre verbum *conſido* à *conſedeo*, eo, quod

ambulādo quietem perduratam ſignificet, *conſidere* verò tranſeuntem, veluti cum viatores, itinere fatigati, alicubi ſedent, ſed quaſi adhùc in motu breuiſſimam ſcilicet poſt moram digreſſuri. Ego, vt fatear, non video hanc diſtinctionem communiter vſurpatam; immò apud Virg. Æn. pri. Didonem hoc verbo viam inuenio ad exprimendam firmam, certam, & non amouibilem quietem, dum enim Troadas inuitat ad figendas ſedes, eaſdem in Regni partem acceptura, ſic habet:

Vultis & hac mecum pariter conſidere Regnis?
Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt: ſubducite naues &c.

Clarius Æn. 6., Æneas, finem laboribus, ac peregrinationibus implorans, hoc eodem vtitur verbo, vt quietem, quam tandem imperturbabilem, immotamq; exoptaret, expoſcat,

. . . . Tuq; ò ſanctiſſima Vates,
Præſcia venturi, da (non indebita poſco
Regna meis Fatis) Latio conſidere Teucros,
Errantesq; Deos, agitataq; Numina Troiæ,

Certè hic ab Auctore etiam noſtro pro eodem, ac *conſedeo* ponitur, vt patet, dum ſubdit *Cœleſtibus ordine ſedes prima datur &c.* Quod ſi quis mordicùs contenderet, ſeruandam eſſe diſtinctionem, adhùc ab hoc conſeſſu non diſſentit, nam Dij ex itinere venerant, vt vidimus, mox ad ſua, peracto Concilio, redituri.

NEC CONFVSVS HONOR. Quæ dicta ſuperiùs ſunt de trepidatione, ac feſtinatione Deorum: nec non de periculo, quod eſſet in mora, ſi res diutiùs protraheretur, videntur anſam præbuiſſe exiſtimandi, futurum, vt concilium illud, captim confuse, tumultuarié, ac nullo ſeruato ordine habendum eſſe. Verùm non poterat Iouem latere eximium illud præſtantiſſimæ dictamen Prudentiæ: nempè *Ante quam quid facias, conſulito: vbi autem conſulueris, maturè facto opus eſt.* Ideò ne videretur Iupiter inconſultò agere, omnia ex præmeditato peracta oſtendit Vates, ita vt, in ipſo feſtinantium tumultu, ordo, tumultuationis excluſiuus, eluceſceret. Quarè agnoſcenda eſt, vt emphatica coniunctio illa diſiunctiua *Nec confuſus honor*: quaſi dixerit: Ex multitudine confuſio, vt dici ſolet: *Nec* tamen hanc in multitudinem Deorum irrepſit confuſio, ſed ordo ſeruatus eſt maximus. Alij legunt *Non confuſus honos* cum Parrhaſ. ſed diſſectus nimis, ac præruptus efficitur ſenſus, vt legenti patet: quare vulgata perplacet cum Heinſiò, qui licet *Honos* legat, non *honor*. nullam hæc litteræ mutatio variationem importat. *Confuſum* porrò dicitur, quod nulla habita ratione partium, quaſi fortuitò, ex diuerſis coaleſcit, aggregatum per accidens. Quare tunc concilium diceretur confuſum, quando nulla dignitatum habita conſideratione, nullo graduum reſpectu, nulla honoris diſtinctione, conſiliarij omnes promiſcue, quam ſors obtulerit, ſedem occuparent: quod hic negat Vates euenisſe. Honor verò accipitur, hoc loco pro reuerentiâ cuiq; iuxta gradum exhibendâ, ſeù pro maioritate, ac præcedentia ſedendi iuxta meritorum varietatem, ac dignitatum. Attingit autem hic alluſiuè Vates ordinem in Senatorio Romanorum conſeſſu ſolitum obſeruari, vt ordinis methodum conſideranti facilè patebit. Cum enim, eiectis Regibus, Reſpub. floruit Romana, vbi primum, ex inſtituto Romuli, centum tantummodo Senatores deligebantur ad regimen, eiectis, inquam, Regibus, habita ratione virtutis potiùs, quam originis, non ſolum ex patricio, ſed etiam ex equeſtri ordine, ac plebeio in Senatum præcipui admittebantur, vt patet ex Hiſt. Rom. apud Liu. Primus tamen in Senatu honor Conſularium erat, ſecundus Patriciorum, tertius Equeſtrium &c. & ratio etiam antianitatis, cæteris paribus ſeruabatur. Sic itaque & Auctor noſter ſedes diſtribuit ſupremi Concilij. Ideò

PRIMA ORDINE SEDES DATVR CÆLESTIBVS. *Primam*, hoc loco, non quo ad numerum, ſed quo ad dignitatem, ac præeminentiam, intelligas: *Prima*; hoc eſt *Principalis*. Et, ſi ad numerum referri velis, primam intelligas eam, quæ immediatè poſt ipſam Iouis ſolium aſſurgit collocata. Quid ſedes ſit notiſſimum eſt; ſed aduerte poſitum hic numerum vnitatis pro numero multitudinis, nempè pro ſedibus omnibus primam immediatè circa Iouem coronam ſtatuentibus. Ideò primam *ordine*, nempè *primam in ordine*. Sed & alium habet reſpectum illa particula *ordine*, quam hic duplici fungi munere non ambigo; nam, præter reſpectum ad locum, dicit etiam reſpectum ad exigentiam ritè conſtitutæ diſpoſitionis, oſtendit enim, iuxta debitam diſpoſitionem, ſedes principales principalibus ritè Numinibus aſſignatas; ideo *Datur prima cæleſtibus*, ideſt in iis primis conſidere iubentur cæleſtes Dij. Vbi aduerte nomen *cæleſtibus* poſitum hic ad modum ſubſtantiui antonomaſticè vſurpari, quaſi indicet ſolos cæleſtes, in comparatione aliorum Deos abſolute dici poſſe: adeò cæteros dignitatis, ac diuinitatis præſtantia antecellunt. Ducor ad ita intelligendum hunc locum, quia Vates dum maris Deos recenſet, non dixit abſolutè *Æquorei*, ſed addidit *Proceres*: vbi noto, ne dignatum eos quidem fuiſſe nomine Deorum, ſed Procerum tantummodo; quaſi dixerit Deos quidem, & eos eſſe, ſed, cæleſtibus comparatos, eſſe ad inſtar ſtellarum, quæ ſi cum Sole concurrant, ſplendorem amittunt, & nomen. ſicq; rationem implicite reddit, cur data cœleſtibus prima fuerit ſedes.

ÆQVOREI PROCERES. Aſſignatâ primâ cælitibus ſede, ſecundam æquoreis Numinibus datam refert, qui æquorei ab æquore dicti ſint. Sed cur *Proceres*, non *omnes*, non *Dij* dixerit, inquirendum. *Proceres* dicuntur capita trabium, hoc eſt mutuli quidam è parietibus prominentes; per tranſlationem verò hoc idem nomen ſignificat Principes, & Magnates Vrbium, Prouinciarum, ac Regnorum, eo, quod & ipſi cæteris emineant. Vtitur itaq; diſtinctione Vates, dum æquoreis Numinibus attributas recenſet ſedes, vt noueris non omnia indiſcriminatim maris numina ſecundum, poſt Cælites, locum obtinuiſſe; ſed habito priùs delectu: nam in Mari dantur & Principes Dij, & Dij minores: dantur Nymphæ principales; & dantur Nymphæ ſubſeruientes, vt patet, apud Poetas, vbicumq; de Satellitio Neptuni, & Amphytrites loquuntur. Principes tantum itaq; ex æquoreis ſedes ſecundas obtinuiſſe declarat, nam reliquos reiicit inter eos, de quibus dicetur inferius: *Plebeia ſtat cætera vitro iuuentus*. Hac eadem diſtinctione vſum fuiſſe Auctorem, etiam reſpectu cæleſtium, videtur inſinuare Parrhaſ. dum ſic ait: *Datur cæleſtibus. Dijs ſuperis, & primis, quos ſelectos appellant, quorum nomina Quem, Ennius hoc diſticho compleuus eſt*,

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Sed hinc abfuiſſe Cererem non eſt admonendum &c. Et iure profectò vocata Ceres non fuerat, quippe ea, contra, quam Concilium illud haberetur. Aduerte tamen nullum Deorum Cæleſtium à Parrhaſio excluſum à primis ſedibus fuiſſe, ſi bene eius verba perpendamus; ſed tantum aſſeruiſſe etiam inter ipſos ſeruatum fuiſſe ordinem, ita vt, in eodem ordine ſedilium primo, ſedentes quidem eſſent omnes, ſed primas tenerent ſedes, qui digniores eſſent, ad quos ſubinde ſequerentur alijs in ſedibus in ordine eodem collocatis, qui minus excellerent dignitati: quare nil noſtræ explicationi refragatur Parrhaſius.

TENVERE TRACTVM SECVNDVM. *Tractus* idem ſonat, ac *ſpatium*: *tenuere*, hoc eſt expleuere ſedentes, ac circa Iouem ſecundam obtinentes coronæ ſeriem. Quæ omnia in aperto ſunt ex dictis.

NEREVS PLACIDVS. Quinam fuerint iſti æquorei Proceres iam nominatim recenſet, ac primo loco Nereum, quem Patrem Amphytrites Maris Reginæ fuiſſe lib. 1. carm. 134. iam vidimus, iure ponit; nam, ſi Orpheo credamus eum, in Argonautis, Deorum antiquiſſimum vocanti, iuxta Græcum eiuſdem carmen ſic apud Mythol. Nat. Com. lib. 8 cap. tranſlatum,

Nerea, cui priſcum genus eſt, hùc antè vocamus,

atq; ſi vera ſit Heſiodi ſententia, qui, in Theogonia ſua, (vt nos etiam vidimus lib. 1. carm. 143.) eum aſſerit Oceani, & Tethyos filium, fratremque Doridis, quam & vxorem duxerit, dicendum erit, Nereum ad Iouis dignitatem valde accedere; cum & Iuppiter Iunonem ſororem habeat, ac coniugem. Quare iure æquoreorum hic princeps conſtituitur, ipſiuſq; Neptuni locum tenens. Quinquaginta hic filias dicitur procreaſſe, quas omnes, patronimico nomine, Nereidas appellarunt: hunc mari præeſſe, atq; in Ægeo habitare ſolitum tradunt, ac choreis puellarum mirificè delectari: quod in cauſa fuit, vt & hic placidus à placendo diceretur, nam placent neceſſe eſt, qui choreis addictus puellas allicit. Vel dicas *placidum* vocari, ideſt nullis agitatum perturbationibus, vt aptior eſſet ad conſilia, cum enim pro ipſo mari ſumatur Nereus, tunc perplacet mare, cum nullis tempeſtatum fragoribus agitatur.

ET CANITIES LVCIDA PHORCI. Proximum Nereo conſtituit Phorcum. Fuit autem Phorcus, vt ferunt, antiquorum fabulæ, Ponti, ſeu, quod idem eſt, Oceani, & terræ filius, conſequenter & Nerei, ex parte Patris frater, licet diuerſa genitus ex Matre; atq; ideò certe inter Maris Proceres computandus. Verum inſurgit difficultas, cur Phorco potius, quam Nereo canitiem tribuat Vates, cum

Ne-

Nereus antiquiſſimus Deorum, vt diximus, cenſeatur. Fabulatur, cum Heſiodo, Parrhaſ. in hunc locum inquiens: *Phorcus Ponti filius, Nerei frater, Græas à patre ſtatim canas ex Ceto ſorore ſuſcepit, quas intelligit Claud. aliquin Canarum canities Nereo magis congrueret, qui natu grandior fuerit*, Fabulatur, inquam, Parrhaſ. & dum, fabuloſo effugio, difficultatem eludere conatur, in maiorem incidit, nam, ſi Græas ex ſorore genuit Phorcus, certe & illæ in Æquoreorum Numinum cætu adnumeratæ fuerint, neceſſe eſt; atq; ipſo teſte Parrhaſ. proprijs ab Heſiodo nominibus, nempè Pemphredo, & Ænyo ſunt appellatæ, quibus tertiam addidit Pherecidem Panon dictam; ergo diſtinctas à Patre ſuſtinuere perſonas, diſtincta fuere numina. Si itaq; per Canitiem Phorci *Græas* Claudianus intellexiſſet, iam ipſas, non Patrem, poſt Nereum conſediſſe aſſeruiſſet; quod eſt omninò falſum, nam ordinem inuertiſſet, quem initio ſeruatum propoſuerat; præponeret enim Deas illas Protheo, quem ſecutum mox ſubdit: ſicq; & ſexus conditioni, & antianitatis legibus, & dignitatum ordini derogaſſet; nam Protheus Maris Princeps &c. vt videbimus ſuo loco, quæ certè Græis non conuenit niſi ſecundariò, quatenus ſcilicet Phorci filiæ ſint. Scio dicturum fortaſſis Parrhal. ſe non locutum in hoc ſenſu, ſed tantum affirmaſſe, Phorcum *canum* fuiſſe appellatum à Vate ad filias reſpiciente; nam, ſicut Pallida mors dicitur, non quia pallida ſit, ſed quod pallidos efficiat, idq; per Metonym. ſic Phorcus dici potuit *canus*, non quia talis ſit, ſed quia canas procreauerit Filias. Verum hæc profectò Metonym. procederet, ſi Phorcus, ex natura ſua, canas producere, habuiſſet; diceretur enim tunc *canus* potentia, non actu; ſeu cauſatiuè, non formaliter. Aſt canities in Filijs, per accidens eſt, & monſtro ſimilis, non verò ex vi habetur generantis, ſicuti loco prodigij habitum ſemper, ſi filius in cæſariem naſcatur capillatus. Inſuper bene procederet Metonym. ſi hæc canities diſtinctam, ac relatiuè oppoſitam perſonam non deſignaret, quaſi proprietas quarto modo; ex quo fit, vt ex hac proprietate non alia perſona intelligi poſſit, quàm illa, cuius de facto eſt proprietas. Relictâ itaq; Parrhaſij fabulâ, veram aliunde denominationis rationem peruestigabimus. Certum itaq; eſt primo, Vatem ſecutum eſſe ſignificationem nominis Græci; nam *Phorcus* græcè *Φόρκυς*, idest Dæmon marinus *Δαίμων* autem apud græcos idem ſonat, ac *Deus*, & ſapiens: quare idem eſt dicere *Phorcus*, ac *Deus ſapiens maris*. Omitto ſapientiam ſeniorum propriam eſſe, & ſeniores canos eſſe, id ſecum ferente ætate; nam hæc metalepſis maiorem, reſpectu Nerei vim haberet. Mitto etiam Iuuenes ſapientia præditos canos dici; cum ex ſacris litteris cani etiam dicantur ſenſus hominis; nam, licet ad hæc reſpexiſſe Poetam, non negauerim, attamen in his non ſiſtit omninò poeticus Auctoris ſenſus. Certum itaq; ſecundo eſt, Vatem ſecutum etiam græci nominis ethymoli. *Φόρκος* itaq; originem trahit à græco nomine *Φορκὸς*, quod latine *canus*, & *albus* eſt. Quarè nil mirum, ſi Vates canitiem attribuat Phorco, qui canitiem ferat in nomine. Verum vlterius quæri poteſt, cur Græci hoc nomine, canitiem importante, Numen iſtud maritimum compellauerint. Aduertendum itaq; inuentores fabularum, Phorci nomine, circularem æquorearum aquarum motum deſignaſſe, & ideò Oceani, ac terræ filium effinxiſſe, quia principium ab Oceano capit, & ab humore in terra exiſtente, ac ſecus litora decurrens, dum terram motu ſuo complectitur Mare, videtur terræ commiſceri, & motum ipſum à terra, qua clauditur, deſumere, cum terræ fluentem ſudorem aliqui mare ipſum dixerint: Cum itaq; ex vndarum ad terram colliſione ſpumæ æquoreæ naſcantur candidæ: hinc eſt vt *Phorcus*, idest *ambiens maris*, ſeu *motus perambiens factus* caneſcere dicatur; quaſi ſpumæ illæ cana ſint Phorci Cæſaries ſuper vndas expanſa; atq; adeò potius dixerim, Phorcum ipſum à natiuitate canum fuiſſe, quam Græas canas procreaſſe, ex quibus nomen deſumpſerit. Ideò & hic per Canitiem Phorcus deſignatur, & iure. *Lucida* autem illa dicitur, quia ex albicantibus, ac perſpicuis aquarum ſpumis confecta; nam *lucidum* eſt quidquid perſpicuum, & tranſparens eſt. Heinſ. *Cærula* legit, quem non improbo: alij *candida*, ſed ineptè. nam in canitie ſatis expreſſus candor: alij *reuerendaq;* alij *Pallida* &c. Non libuit à vulgata recedere. Aliqui hæc, de Phorco dicta, ad Hiſtoriam traducentes, referunt, Phorcum Sardiniæ, ac Corſicæ Regem fuiſſe, qui, prælio nauali, ab Atlante ſuperatus, demerſuſq; cùm nuſquam apparuiſſet, creditus ſit in Deorum æquoris numerum relatus. Sed hæc nihil ad inſtitutum; nam Vates poeticè loquitur, iuxta fabularum inuentores.

SERIES EXTREMA &c. Tertiam iam cæleſtis illius conſeſſus claſſem exornat: atque in illa, quam extremam vocat, & vltimam, Glaucum, & Protheum diſponit.

Poſſet quis hoc loco Vatem de incongruentiâ redarguere; nam & iſti Dij maris ſunt, & quidem, quod ad Protheum ſpectat, eum, putauit Orpheus, claues habere maris, atque omnibus præeſſe, tamquam vniuerſæ Naturæ principium. Quare ſupra Nereum potiùs videbatur locandus. Quod verò ad Glaucum ſpectat, ipſe apud Ouid. Metam. 13. de ſe ipſo hæc apertè profitetur, dum

Non ego prodigium, nec ſum fera bellua, Virgo,
Sed Deus, inquit, aquæ; nec maius in æquore Protheus
Ius habet, aut Triton, Athamantiadeſq; Palæmon.

quare Protheo quidem iungendus, ſed ſupra Nereum videbatur, ob rationem ſupra indicatam. Verùm, iure optimo, extremam eorum ſedem relictos à Vate non ambigo, vt ex dicendis patebit.

SERIES EXTREMA. *Series* nil aliud eſt, quàm *ordo*, ſeu potiùs *continuata ordinis diſpoſitio*. Quare indicat hic Vates, extremas, quas hic memorat, ſedes ſeriem quidem continuaſſe, æquoreis Numinibus aſſignatam; ſed ita in extremitate ordinis fuiſſe collocatas, vt, licet in eadem ſerie, diſtinctam tamen, & inferiorem claſſem efficere viderentur. Ideò *ſeries extrema*, idest *vltima*, ac *poſtremo loco diſpoſita*.

ACCIPIT (hoc eſt, ſuis recipit in ſedibus) GLAVCVM. Filius Polybi Glaucus ortum habuit, in Vrbe maritima Bœotiæ, Anthedon (vulgò *le Negroponte*) nuncupatâ: &, piſcator cùm eſſet, forte Piſces, aliquando captos, in prato expoſuit, qui tactis herbis, quibus excepti fuerant, nouo vigore repleri, ſeſe iterum in mare proripuerunt, quod miratus prodigium, Glaucus, &, vim aliquam diuinitatis ineſſe herbis illis, iam ratus, ipſe quoque cæpit illas herbas, in quibus piſces iacuerant, dentibus mandere; ſtatimq;, alienatus à mente, ex edito loco ſe ſe præcipitem dedit in pelagum, eumq;, ſubinde Maris Dij, miſeratione tacti, in Deum marinum transformarunt. Seriem ipſe idem fortunæ ſuæ ſic pandit apud Ouid. Metam. 13. cit.

Ante tamen mortalis eram, ſed ſcilicet, altis
Deditus æquoribus, tantùm exercebar in illis;
Nam modo ducebam ducentia retia piſces;
Nunc in mole ſedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia littora, quorum
Altera pars vndis, pars altera cingitur herbis &c.

mox ſubdit: *Ego primus*

Ceſpite conſedi, dum lina madentia ſicco,
Vtq; recenſerem, captiuos ordine piſces,
Inſuper expoſui &c. Et ſequitur:
Gramine contacto cæpit mea præda moueri,
Et mutare latus, terràq;, vt in æquore, niti:
Dumq; moror, miror q; ſimul, fugit omnis in vndas
Turba ſuas, dominumq; nouum, lituſq; relinquunt.
Obſtupui, dubitoq; diù; cauſamq; requiro;
Num Deus hoc aliquis, num ſuccus fecerit herbæ?
Quæ tamen has, inquam, vires habet herba? manuq;
Pabula decerpſi, decerptaq; dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura ſuccos,
Cum ſubito trepidare intus præcordia ſenſi;
Alteriuſq; rapi naturæ pectus amore.
Nec potui reſtare diù; repetendaq; nunquam,
Terra, Vale, dixi, corpuſq; ſub æquore merſi.
Dî maris exceptum ſocio dignantur honore &c.

Scio, hanc fabulam à Palephato ad hiſtoriam reduci; id enim confictum ait ipſe, quòd Glaucus optimus fuerit Vrinator, qui, cum ſub vndis natitet, in Inſulam quamdam, cultoribus vacuam dicitur penetraſſe, vbi tres, aut plures dies commoratus, eàdem tandem viâ profundo remensâ natatu, ad ſuos emergens, ſe apud marinos Deos fuiſſe profitebatur; ſicq; rudibus tunc hominibus facilè perſuaſit, ſe maximum Deum effectum fuiſſe. Verùm Ouidio inhæret Auctor; quare nil eſt, cur hiſtoriam diſcutiamus. Hinc certè habes, cur, iure merito, Glaucus poſtrema in ſede fuerit collocatus, quia videlicet alij, ſupradicti, Dij fuerant naturâ, & origine, hic verò ex mortali, per gratiam in Deorum numerum receptus, ipſorum potius commiſeratione, quàm merito illius eiuſdem.

BIFORMEM. Biformis dicitur, qui duas habeat formas: Sic Virg. Minotaurum appellat biformem, mixtum ſcilicet ex homine, & Tauro monſtrum, Æn. 5.

Hic crudelis amor Tauri, ſuppoſtaq; furto
Paſiphae mixtumq; genus, proleſq; biformis.

Sicq;

Sicq; eodem libro Scyllam, humanâ ſurſum venuſtam ſpecie, inferius verò caninis horrentem rictibus, biformem dicit, & Centauros ex homine, & equo coaleſcentes

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaq; biformes.

Quare inueſtigandum remanet, cur Claudianus Glaucum pariter biformem appellauerit. Sciendum itaque, Glaucum compoſitum aſſeri ex homine, & piſce, ita vt partes ſupremæ humanam ſeruent naturam, ac ſpeciem; inferiores verò piſcis induant naturam: atque hinc fortaſſis originem duxit duplicata de Glauco fabula, qua ſcilicet alij dicunt in Deum marinum, alij verò in Balenam transformatum. Hanc duplicis naturæ in ſe ipſo vnionem refert ipſe idem apud Ouid. cit., dum ſic Scyllam alloquitur.

Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam,
Cæſariemq; meam, quam longa per æquora verro,
Ingentesq; humeros, & Cœrula brachia vidi;
Cruraq; pinnigero curuata nouiſsimo piſce.

ET PROTHEA. græco more, cuius loco nos Protheum inflectimus. Porrò Protheus Deus & ipſe Maris fuit Neptuni ex Phœnice Nympha filius, ſi Zezi, ac Stephano credamus: quare ponendus maxime inter Proceres, vt ſupra innuimus, videbatur; hocq; potiſſimum, ſpectato eiuſdem nomine; nam πρωτευς iſte dicitur, & πρωτειος, apud Græcos Princeps dicitur, ſeu Primas, nam eadem vtuntur voce etiam ad Primates exprimendos. Verùm hunc ipſum ex homine Deum factum dicent fortaſſis aliqui; nam, vt idem Stephanus ait, oppido imperauit, in finibus Macedoniæ poſito, ab ea parte, quæ Thracia ſpectat, quod Pallene dictum ferunt. Ibi ex Toronide puella, quam in matrimonium duxiſſet, Tmolum, & Telegonum, filios dicitur ſuſcepiſſe, qui tantæ fuerint crudelitatis, vt, quotquot hoſpites aduentarent, luctâ ſuperatos, neci traderent. Offenſus itaque Protheus, vt ferunt, filiorum immanitate, à Neptuno patre exoptauit, vt, ductis per maris vada cuniculis, in Ægyptum, occultus, poſſet penetrare; cuius preces cum audiſſet Pater, e quodam Pallenes hiatu ſpeluncam ſub mari deduxit, qua Protheum in Ægyptum vſque ſiccum, perduxit; vbi & Regno potitus ſit. Porrò, inter regia Ægyptiorum inſignia, variæ Diadematum ſpecies enumerantur à Pier. lib. hierog. 41. aliqua enim in ſpeciem arboris erigebantur; aliqua in flammarum ſurſum emicantium ſplendorem; aliqua ſuccreſcentem florem imitabantur: quandoque etiam varias in ſpecies criſtarum plumas ſpectare erat diſpoſitas &c. quæ omnia ad decorem modò, modò ad ſtuporem comparabantur: cùm itaque his inſignibus variè vteretur Protheus, ita vt varius ſemper in huiuſmodi ornatibus appareret, datus dicitur fabulæ locus, qua dictus eſt in varias ſe ſe formas commutare ſolitus; Superſtitio enim apud Ægyptios inualuerat, vt crederent, Regem ſuum eam induere naturam, cuius inſignia geſtaret: quare ſi Leonem, Taurum, Draconem &c. in diadematis apicem ſuſtuliſſet, naturas huiuſmodi aſſumere, quò ad affectum, ſi non quò ad effectum credebatur. Nec mirum hoc apud Ægyptios, qui Reges ſuos, vt Deos, venerarentur, & quorum ritus ad alias etiam tranſijt nationes, ita vt tandem Romani non ſolum Reges ſuos, ſed & vxores, & filios eorum diuinis honoribus honeſtauerint, ac, templis etiam dicatis, Deos eſſe profeſſi fuerint. Hæc certe de Protheo ex cit. Auctoribus inuenio; quibus poſitis, ſatis ferè in comperto eſſet, eandem propemodum, licet non omninò rationem militare, quam de Glauco attulimus. Sed, vt fatear, neque hoc ipſum caret difficultate; nam ſi Neptuni ex Phœnice Nympha filius fuit certè ex Dijs genitoribus Deus ex natura ſua procedere debuit, non verò homo, qui poſtea mutaretur in Deum. Quare plures arbitror fuiſſe Protheos, quorum actiones omnes ad Deum tantummodò Marinum deferantur. Nam, ſicuti Zezis Protheum dixit Neptuni ex Phœnice filium, ſic Xantippus filium dixit Oceani, & Tethyos: non poteſt autem idem ex geminâ, certè, diſtinctâ, diuerſâq; Matre ortum ducere. Item, Diodorus Protheum Aegypti Regem ſtatuit; Lucianus verò in Dialogo, qui *Ναυαγιον* inſcribitur, nauclerum facit peritiſſimum; & in Dialogo de ſaltatione Hiſtrionem fuiſſe Protheum aſſeuerat, qui in varias formas mutari diceretur, eo, quòd varias in theatris perſonas aptiſſimè repræſentaret; quæ omnia vni ſane conuenire non poſſunt, vt patet conſideranti. Quare aliam viam arbitror ineundam, ne de incongruentia redarguatur Claudianus. Dupliciter igitur conſiderari Protheus poteſt, vel iuxta fabulas, vel iuxta ſenſum veritatis, ſub ipſis latentem fabulis. Iuxta fabulas Deus Maris fuit; ſed talis, vt in terris pariter, ac in mari degeret: quare non videbatur, omninò cum cæteris Dijs, tantummodo marinis, conuenire; ſed & terreſtrem ſimul eſſe, & maritimum. Incolam profectò Maris eum facit Ouid., Metam. 8., vbi enumerans eos, quibus datum fuerat, ſeſe in varias vertere formas, primo loco Protheum ponit: ſecundo Metram Eryſichtonis filiam; quibus ab alijs additur Tethys, & Peryclimenus, Neſtoris frater, Nelei, & Polymelæ filius: & ſic de Protheo loquitur Ouid.

Vt tibi complexi terram Maris incola Protheu.

In terris verò degentem indicat Homer. Odiſſeæ 4., cuius græca carmina ſic reddit Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 8.

Cum medio radijs iam Sol aſcenderit aſtus,
Aequoreus ſolet ire ſenex in littora verax.
Hunc Zephyro ſufflata ſimul tegit alga marina
Quem circum Phocæ in ſpelunca, e fluctibus altis
Egreſſæ capiunt placidam per membra quietem.

dicitur enim Protheus cuſtos, & paſtor marini gregis à Neptuno conſtitutus: quarè & Hor. lib. pri. carm. od. 2. Diluuium Pyrræ memorans ait:

Omne cum Protheus pecus egit altos
Viſere montes.

Homericum verò locum imitatus Virg. Georg. 4. ait;

Eſt in Carpatio Neptuni gurgite Vates
Cæruleus Protheus, magnum qui piſcibus æquor,
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Aemathiæ portus, patriamq; reuiſit
Pallenem. Hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe
Grandæuus Nereus; nouit namq; omnia Vates,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippè ita Neptuno viſum eſt, immania cuius
Armenta, & turpes paſcit ſub gurgite Phocas.

Vides quomodo hoc loco Virg. ipſe, ſeù potiùs Cyrenes Ariſthei mater, cuius ore loquitur ille, obſtupeſcat, Neptuni bubulcum eo perueniſſe, vt ab ipſo Nereo veneratione afficeretur; atque, nullam huius rei cauſam inueniens, id refundit in Neptuni, cuius filius, licet degenerans, fuerit, voluntatem ſic diſponentem. Quod eſt dicere, apud Deos, Deaſq; Maris, ac fluuiorum nullius fuiſſe exiſtimationis, ac meriti Protheum; ſed Neptuni fauoribus venerationem obtinuiſſe. Deum tamen marinum fatetur, & maris incolam dum dicit: *Paſcit ſub Gurgite Phocas*; ſed & terreſtrem profitetur, dum ſubdit: *Hic nunc Aemathiæ portus &c.*, ſed nec dignatur eum Numinis appellatione, circumlocutione contenta, ex qua, Deum eſſe, deducatur. Verùm parallela Homerici imitatio loci habetur, vbi ſubdit Cyrenes

Ipſa ego te medios cum Sol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori iam gratior vmbra eſt
In ſecreta ſenis ducam, quo feſſus ab vndis
Se recipit &c. . . . quæ apud Autorem perlegens.

Cum igitur penè Maris impatiens videatur degenerans à Patre Protheus, nil mirum, ſi maris Proceres, tamquam non prorsùs ſuum, intueantur; atq; ideò & ad bubulci munus exercendum reijciantur, & inter Proceres ſedem non habeat, licet, vt Neptuno obſequantur, eum cæteroq. venerentur. Ideò, & in hoc cæleſti concilio, vltimam, vel infra glaucum obtinet ſedem, quaſi non prorſus eiuſdem claſſis, cum Maritimis, ſit, qui terrâ ſæpiùs delectetur.

Si verò ſenſum veritatis, his latentem in fabulis, perpendamus; Protheum vim eſſe aeris, ſenſerunt antiqui fabularum Interpretes, vt refert Mythol. cit., quem ideò dicunt Neptuni, ſeù Oceani, filium, quod aer proxime fiat ex aqueis humoribus, extenuatis, atq; ad ſubtilitatem, raritatemque aeri proportionatam redactis; ex quo fit, vt facillimè termino cuicumq; alieno conformentur; ideòq; Protheus dicatur in varias formas abire. Inſuper cum ex aqueis vaporibus nubes efformentur, illaſq; videamus varias induere formas, nam modo Gigantis præferunt ſpeciem, modo Draconem effingunt, modo Taurum, aut Centaurum &c., & in aquam iterùm tandem decidant conuerſæ, nil mirum, ſi varias Protheus induere dicatur formas.

Cum itaque aer maximam quidem habeat cum Oceano connexionem, quippè qui ſemper ſuperficiei aquarum maris indiſſolubiliter adhæreat; iure Protheus, nempè vis aeris, marinus effingitur Deus; ſed tamen, cum extra vndas ipſas verſetur ſemper, licet, vndis incubuiſſe, non pigeat; ſedem etiam habere debuit extra ſeriem aquarum, atq; ideò vltimam; ſed contiguam tamen maritimis Dijs, ſedem debuit obtinere. Et hanc arbitror potiſſimam fuiſſe rationem, cur Claud. vltimam Protheo ſedem, prudentiſſima diſpoſitione aſſignauerit.

MANSVRVM CERTO VVLTV. Protheum vaticinio inſignem fuiſſe, aſſeruerunt Antiqui; ſed ſilentij adeò tena-

cem,

tem, vt nunquam niſi vi coactus reſponſa tribueret, nullis, aut obſequijs cedens, aut precibus: immò, ſi quando in vim incideret, ad reſponſa promenda coarctantem, tunc, in varias abiens formas, vim cogentem eludere conabatur: & tunc tantum reſponſa promebat tandem, cum, perſeuerante ineluctabiliter vi, in priſtinam redire formam cogebatur. Hanc Numinis proprietatem docuit, apud Homer. lib. Odiſ. 4. Dothea (quam Prothei filiam autumant) Menelaum, de reditu in patriam ambigentem, cum diutius in Ægypto detineretur: docuit enim, vt recentibus Phocarum pellibus, vna cum ſocijs, indutus inter Phocas dormire ſimularent, quo tempore, ſub meridiem, Protheus, in ſiccum extens, inter Phocas dormire conſueuerat; atq; illum dormientem comprehenderent, tandiuq; detinerent in varias ſe mutantem formas, donec in priſtinam redierit formam; tunc enim futurum, vt demum illis futura omnia prædiceret. Hæc ipſa recenſet Homerum imitata Virgiliana Cyrenes Ariſtheum audiens Georg. 4. vbi hæc habet:

Hic tibi, Nate, prius vinclis capiendus, vt omnem
Expediat morbi cauſam, euentuſq; ſecundet.
Nam, ſine vi, non vlla dabit præcepta; neq; illum
Orando flectes &c.

& cum, ſe ad futuram, ac filium eo ducturam, vbi dormientem facilè poſſet occupare, pollicita eſſet, ſubdit:

Verum, vbi correptum manibus vinclisq; tenebis;
Tum variæ eludent ſpecies, atq; ora ferarum.
Fiet enim ſubito Sus horridus, atraq; Tigris,
Squammoſuſq; draco, & fulua ceruice leæna:
Aut acrem flammæ ſonitum dabit; atq; ita vinclis
Excidet; aut in aquas tenues dilapſus abibit.
Sed, quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tanto, Nate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit, mutato corpore, qualem
Videris, incæpto tegeret cum lumina ſomno &c.

Cum itaque has varias formas ad illudendum indueret Protheus; ita cum, in Deorum conſeſſu, adſtantem indicat Vates, vt nullam doli artem meditetur, ideò *manſuetum* inquit *torto vultu*. Vultus enim hic ponitur pro *effigie* (vulgo *la ſembianza*) &, quia, ſicuti fons eſt cor, ita vultus ſedes affectuum eſt, *recto vultu*, hoc eſt *immobili* in obſequium affectu manſuetus dicitur Protheus. Ex quo obiter nota, quam apte mores innuat Poeta; cum enim coram ſupremo Numine adſtamus, in certam Prothei naturam omittere debemus, & nudo, apertoq; vultu, certo, ac firmo ſemper in obſequium animo, adſtare debemus. Sic Satrapæ, qui, in ſua ditione, omnia, pro libito, morant, & ſubuertunt, cum in conſpectu ſummi adſtant Imperantis, nil audent nouitatum attentare. Sic itaque & Protheum Vates hic notat adſtantem.

NEC NON ET SENIBVS FLVVIIS &c. Fluminum Deitates, quippè abſolutum in vndis, non obtinentes Imperium, cum tributariæ ſint, reſpectu æquoreorum Numinum, videbantur a ſupremo excludendæ conſeſſu, atq;, inter inferiores Deos ſedendi gloria priuatos reijciendæ; ſeruato ſcilicet Principum more, quibus coram, ſedere, nefas eſt, eos, qui inferiores, ac gregarij ſint. & præcipuè, ſi tributi ſoluendi onere præmantur. Sed, quoniam veneranda ſemper ſenectus eſt, Claudianus, Romanorum mores ſecutus, qui ſenectuti plurimum deferebant, ſummam, hoc loco, Iouis benignitatem oſtentans, datam & ſenibus fluuijs ſedendi gloriam profitetur: atq; adeo, ordinatis ſupremorum Numinum ſedibus, alium inſtruit ſedilium ordinem, quibus fluminum vterentur Deitates, antiquiores tamen ætate, nec, inter ipſas, locorum, in eodem ordine, diſtinctionem ponit; nam cum omnes principalium fluuiorum Dij ſenes ſint, promiſcuè ſedes poterant obtinere; ſeruata tantum ætatis antianitate; quam diſtinctionem non expreſsè ingerit Vates: nam cum dixerit datas ſedes ob reuerentiam ſenectutis, ex neceſſariò conſequenti habetur, eos, iuxta præcedentiam ſenectutis, ſedere debuiſſe. Quarè fruſtra fuiſſet diſtinguere quod ex re ipſa, etiam nullo ſuperaddito, diſtinguitur.

NEC NON CONCESSA. Suple *eſt*. *Nec non*, ex duabus negatiuis coaleſcens particula, in affirmatiuam tranſit, ac pro *Et* vſurpatur, quæ, hoc loco aduerb. ordinis eſt idem, ac *Inſuper*, ſeù præterea aptiſſima vtiq; particula ad tranſitum a diſparatis ad diſparata faciendum. Id porrò concedi dicitur, quod, non ex debito, datur, vel ad exigentiam rei, cui datur; ſed gratuito, atq; ex pura concedentis benignitate. Quapropter propriiſſime, hoc loco, loquitur Vates, vt ex iam dictis patet.

GLORIA SEDENDI. *Gloria*, hoc eſt *venia*, *licentia*, facultas, quæ illis in gloriam cederet; nam maximus fuit fluuiorum honor, cum in conſpectu ſummi Iouis ſedere permiſſi fuerint. *Sedere*, à quo *ſedendi* verbum vtiq; notiſſimæ ſignificationis eſt. Sed non adeo notum, cur actus ſedendi Deorum gloriæ tribuatur, niſi Pier. conſulamus, qui lib. hierogl. 43. ſic de ſe ſe habet. *Summorum Principum ornamenta, inſignaq;, multa, & varia fuiſſe alibi recenſuimus, ſed nullum vnquam, ſellâ ſublimius, neq; augustius, neq; venerabilius, habitum.* Ex quo vides, quanto in honore fuerit ſellâ decorari; quantæq; fuerit gloriæ ſedem obtinere. Certe Macrinus Imperator, cum Baſſianum Antoninum diuinis efficere vellet honoribus, duas illi ſtatuas, ciuili habitu, ſedentes decreuit. Quare maxima, coram Ioue præſertim, ſedendi gloria.

ET SENIBVS FLVVIIS. *Et* pro *etiam* poni notum eſt. Item ſæpe diximus, vnicuique fluuio propriam attribui ſolitam ab Antiquis Deitatem. quare *Flumÿ*, hic, pro fluuiorum Numinibus ponuntur, res nempe poſſeſſa pro poſſeſſore. *Senes* autem dicuntur fluuiorum Dij, vel quia ab orbe condito ſemper fluuij fuere; vel quia, ſpumantibus vndis, canitiem induiſſe credebantur, nam ſenectutis nota canities eſt. Atque hæc ſecunda explicatio magis videtur congruere communi omnium opinioni, quæ Deos Maris omnes efficiat ſenes, quod ſpumis omnes caneſcant. Verùm, iuxta ſenſum Auctoris noſtri, *Senes flumÿ* ponuntur pro *Antiquioribus ætate*. Nam, ſicuti, ex continua mutatione terreſtris non minùs, quam aquei, globi, noui ſæpe ſæpiùs fontes, ac fluuij emerſerunt, qui antea non fuerant: ſicuti nunc Mare pluribus æſtuat in locis, in quibus olim ſolidum terræ corpus extabat, & terra emerſit aliquibus in locis, vbi iam Mare æſtuabat, ſic iure Vates antiqua, & noua flumina diſtinxit, ac illa per *Senes*, hæc per *Iuuenes*, vt infra, denotauit. Ad ætatem itaque prouectiorem, non ad canitiem refertur poeticus ſenſus, cùm cæteroqui per accidens poſſit quis à natiuitate canus eſſe, vt fuit Alovſius Capellus nobilis Ferrarienſis, meus olim Ferrariæ condiſcipulus, quare ineptum fuiſſet huiuſmodi ſignum, ad præcedentias, ætatis gratia diſtribuendas.

CÆTERA IVVENTVS &c. Sicuti, per ſenectutem, antiquiora indicauerat flumina; Sic, nomine Iuuentutis recentiora deſignat. Nec mirum videatur, nam vere non omnia, quæ nunc terram interſecant, ſub Dio, flumina; non omnia, inquam, ab initio Orbis, terram alluerunt: quod & ipſi fabularum inuentores profeſſi ſunt: etenim, ante excoriatum ab Apolline Marſiam, certe, per ipſos, non erat in Phrygia fluuius ille, in quem Marſias dicitur conuerſus, & nomen adhùc Marſiæ retinet, influens in Mæandrum: aut, ſi Marſias non excoriatus fuiſſet, ex lacrymis Nympharum non vidiſſent Phryges effurmatum flumen, iuxta id, quod cecinit Ouid. Metam. 6.

Et Nymphæ flerunt; & quiſquis montibus illis
Lanigeroſq; greges, armentaq; bucera pauit.
Fertilis immaduit, madefactaq; terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis;
Quas, vbi fecit aquas, vacuas emiſit in auras.
Inde, petens rapidum ripis decliuibus æquor,
Marſya nomen habet Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

Lacus Hyries nomine, non fuerat profectò, cùm ex, liquata in lacrymas, Hyrie matre, filium præcipitio colliſum credente, dicatur emerſiſſe; & de qua hæc Ouid. Metam. 7.

At Genetrix Hyrie, ſeruatum neſcia, flendo
Delicuit, ſtagnumq; ſuum de nomine fecit.

Caria non vidit Byblicum fontem, antequam Byblis Mileti Cretenſis filia eò peruenerit Amaſij fugam ſectata, ibiq; in lacrymas ſoluta fontem effecerit: de qua idem Ouid. Metam. 9.

Sic lacrymis conſumpta ſuis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoq;, vallibus illis,
Nomen habet Dominæ, nigraq; ſub ilice manat.

Sed, ne fabulis nimium deleramus, quis neſciat, nouas ſæpè aquarum eruptiones, nempe fontium, lacuum, fluuiorumq;, ex vehementi terræmotu, vbique ferè terrarum proueniſſe? Certe Ladonem Arcadiæ terræmotus emiſit, qui antea non fuerat; &, feruente Mithridatico bello, prope Apamæam, Phrygiæ Vrbem, quaſſatum ſolum nouas paludes, nouos fontes, nouos fluuios egeſſit; nonnullis, vice verſa, terræ meatu abſorptis, exſiccatiſq;. Ratio autem naturalis, cur hæc ad terræmotum ſequantur, in promptu eſt; nam, cum per venas terræ occultas ſeſe inſinuet mare, vt diuerſis regionibus fluuiorum ſuppeditet fluentas, ex agitatione, & conuulſione terræ, noui meatus, ac cuniculi efficiuntur, per quos aquæ ſubterraneæ foras erumpant; &, vice verſa, veteres

teres interdum obſtruuntur, ſicq; vel latices omninò cohibentur, vel alio, per ſubterraneas venas, deriuantur. Quamobrem ad hæc reſpiciens Vates allatam protulit fluminum diuiſionem, noua ab antiquis diſtinguens, hæcq; per *Senes*, illa per *Iuuenes* deſignauit, cum inquit: *Cætera Iuuentus*. De nomine *Cætera* vide lib. 1. carm. 160. *Iuuentus* verò, hoc loco, non viridem, florentemq; ſuccreſcentium hominum ætatem indicat; ſed lectam Iuuenum multitudinem: in quo ſcribit ad Cic. Sulpitius: *Licitum eſt tibi, credo, pro tua dignitate, ex hac Iuuentute Generum eligere*.

STAT MORE PLEBEIO. Hoc eſt pedibus innixa, non ſedens, adſtat. Plebis, quippe quæ vilior pars populi eſt, nulla habebatur ratio, vel in Comitijs, vel in ludis, aut ſpectaculis &c. ſed, ſedentibus nobilibus, hæc promiſcuè agglomerabatur, & ſedendi honore priuata, ſtans adſtare ſolebat, ea nutu pendens nobiliorum. Ex hac itaque conſuetudine, quæ adeò inueterata eſt, vt vim ſancitæ legis videatur obtinuiſſe, deſumit Vates ſimilitudinem, vt clariùs ſub oculis ponat, quo pacto cætera aquarum inferiora Numina his cæleſtibus comitijs intereſſent: ideò *more*, hoc eſt iuxta conſuetudinem plebi iniunctam, nam Plebeium dicitur quod Plebis eſt.

MILLE AMNES. Declarat, quænam ſit hæc Iuuentus in Plebeiorum ſeriem reiecta. *Mille* numerus eſt determinatus pro indeterminato, poſitus, & finitus pro infinito innumerabili, vt vſitatiſſimum reperies, in bis præcipuè numeris *Centum, ſexcenta, & mille*. *Amnes* verò fluuij minores appellantur, iuxta datam explicationem. Verùm aduerto nomen *Amnis* accipi ſæpè pro eodem, ac *torrens*, vt vidimus etiam lib. 5. carm. 198. Quare, ſi quis diceret, Claud., per ſenes fluuios, eos intellexiſſe, qui, perenni fonte decurrentes, indeficientes aquarum vortices deuoluunt; per Iuuenes verò *Torrentes*, qui toties renaſci, & iuueneſcere videntur, quotiès ex aduentitia aquarum tumeſcunt illuuie, non abnuerem: nam verè hi plebei amnes dici poſſunt. Quod ſi hoc dicatur, dicendum etiam erit, *fluuijs* omnibus datam ſedendi facultatem: *Torrentes* verò ſtantes adſtitiſſe.

NAIADES VDÆ &c. Quænam ſint Naiades lib. 5. carm. 56. *Naides* legit Heinſ., de quo vide & locum cit. *Vdus* autem idem eſt, ac *humidus* proprium vtiq; fluuiatilis Nymphæ, qualis Naias eſt, Epitetum.

INCVMBVNT PATRIBVS LIQVIDIS. *Incumbere* alicui *inhærere* eſt. Notat itaque Vates quonam modo ſe haberent, his comitijs adſtantes fluuiales Nymphæ; nam & ipſæ ſtantes indicantur, ſed ita vt, fluuijs ipſis adhærentes, vel illis immediatè, vel eorum ſedilibus inniaæ, ſuſtentarentur. In quo miro ſane modo Paterni, ac Filialis affectus morem imitatur, vt patet conſideranti; ideò appoſitè *Patribus*, inquit, nempè fluuijs, e quibus quælibet ortum traheret, vt filia Genitori dilecta inhærebat. Eoſq; liquidos appellat, hoc eſt *liquidum* incolentes, nam *liquidum*, per adiectiuum ſubſtantiuatum, antonomaſtice vocatur Aqua, cuius Numina eſſent illa. Adde *liquidum* ſæpè pro eodem, ac *lucidum*, ſeù *tranſparens*, aut *diaphanum* vſurpari, cuiuſmodi certe Deitates ſint aqueæ, neceſſe eſt, vt elementi ſui naturam imitentur. Deniq; *liquidum* dicitur id, quod, cum aquis ſcateat, in eaſdem liqueſcere videtur: Cum autem fluuiorum Deitates quippe vndarum incolæ, aquis ipſis imbutæ, depluentibus ea toto corpore guttatim vndis, in illas liqueſcere perenniter videantur; ideò liquidæ dicuntur.

Hanc ipſam Deorum nobilium, ac plebeiorum diſtinctionem ſecutus Ouid. Metam. pri. ſic habuerat:

> . . . . *Dextra, læuaq; Deorum*
> *Atria nobilium valuis celebrantur apertis*
> *Plebs habitat diuerſa locis &c.*

ET FAVNI &c. Apud Poetas Fauni, Satyri, ac Syluani ruſticorum Numina recenſentur: omnes autem originem traxiſſe, autumant, à quodam Italiæ Rege, cui nomen Faunus; & Pici (qui ſe ex Saturno genitum aſſerebat) filius fuiſſe dicitur; vt clarè teſtatur Virg. Aen. 7.

> . . . . . *Fauno Picus Pater: iſq; parentem*
> *Te, Saturne, refert: tu ſanguinis vltimus Auctor.*

Hic itaque Faunus ſororem habuit *Faunam*, vel, vt alij dicunt, *Fatuam*, quam & vxorem duxiſſe fertur; atq; ex eâ filium ſuſcepiſſe, Sterculium nomine, qui primus agrorum ſtercorationem inuenerit; & idcircò inter Deos & ipſe fuerit enumeratus. Ex iiſdem ſubindè Iugalibus reliquum genus, de quo ſupra. Sed quia de Faunorum origine incertè admodum loquuntur Scriptores, quid certò affirmatum fuerit non inuenio. Aliqui, Faunos animalia eſſe, exiſtimarunt: atq; hanc ſententiam ſecutus videtur Ouid., dum illos cornipedes, equorum, vel certè bubulorum, aut caprarum more dicit Faſt. 2.

> *Cornipedi Fauno cæſa, de more, capella*
> *Venit ad exiguas turba vocata dapes.*

Cornua inſuper illis idem eodem lib. attribuit, dum ait:

> *Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos*
> *Aſpicit, & Fauni ſacra bicornis erunt.*

Ab alijs *Fauni* Dæmones eſſe exiſtimabantur, qui, quoſcunque obuios haberent, attonitos redderent. Et hanc ſententiam ſecutus Ouid., in Phædra, ſic ait:

> *Nunc feror, vt Bacchi furijs Eleides actæ*
> *Quæq; ſub Idæo tympana colle mouent;*
> *Aut quas ſemideæ Dryades, Faunique bicornes*
> *Numine contactas attonuère ſuo.*

Sed quiqui fuerint Fauni, omninò pro Dijs ab agreſtibus hominibus colebantur, vt teſtatur Virg. Georg. pri.

> *Et vos agreſtum præſentia Numina Fauni.*

Inter hos præcipuus adfuit ille, qui apud Latinos *Faunus* dicitur. Πὰν apud Græcos: de quo multa adeò fabulati ſunt multi, vt potiùs eius cognitionem abſtulerint, quam adſtruant. Eum alij eiuſdem Pici prolem autumant; alij, cum Hora., Mercurij filium faciunt, capripedem, bicornem. Eumenides eum ex Ioue, & Caliſto natum dicit: Ariſtippus ex Ioue, & Oneide Nympha genitum aſſerit. Alij ex Cælo, & terra: alij ex Æthere, & Nereide: alij ex Demogorgone: alij ex Vlyſſe, & Penelope: alij ex Penelope à Mercurio in hircum mutato, compreſſa, quod, eius amore ſuccenſus, eam, non niſi per dolum, obtenturum ſe omninò, deſperaret. Duris Samius duram profectò de Iniui natiuitate protulit ſententiam; dicit enim, in lib. quem *de Agathocle* inſcripſit, Penelopem, ob Vlyſſis abſentiam à multis adamatam, ac ſollicitatam, cum Procis omnibus rem habuiſſe, atque ex illa ſeminum commixtione Pana ortum habuiſſe. Hæc ſententia non ſolum repugnat communi omnium auctoritati, Penelopem, illibatam ſemper, aſſerenti, immò illam, in ſulgentiſſimum illibatæ pudicitiæ exemplum, Matronis omnibus ſuſpiciendum, proponenti; ſed repugnat etiam rectis phyloſophandi rationibus: nam certe Proci, non omnes ſimul, eodemq; actu rem cum Penelope habere potuerunt; ſed ad ſummum ſucceſſiuè vnus poſt alium. Quo poſito, nonne ex Phyſicis nouimus, Matricis naturam, Conchatum more, ſe gerere, quæ, ſtatim ac rorem excepere ſinu, claudantur illicò, vt vniones elaborent; nec, niſi perfecto fætu, iterum aperiuntur? Quomodo itaque illa permixtio ſeminum haberi potuit, ſi os Matricis, vnius recepto ſemine, ſtatim clauditur, nec ſecundum recipit ſemen? Explodenda itaque hæc ſententia: &, cum *Inuus* eiuſdem, cum cæteris Faunis, naturæ ſit, ex eodem potiùs Fauno Pici filio ortum & ipſe traxiſſe dicendus eſt. Ex hoc ipſo, quòd ille eiuſdem, cum cæteris Faunis, naturæ ſit, facile ex eiuſdem effigie, quænam omnium fuerit ſtructura deducitur. Quare ſic Inuum, & Faunum pingebant Veteres, vt habetur apud Pier. lib. hierogl. 55. nempe facie caprina, rubro colore, hirceis cornibus, variegatis Pantheræ pellibus, indumenta præbentibus; infima parte corporis hiſpida, ac pede prorsùs caprino, vt dici verè cum Italico poſſet

> *Mezz' huomo, mezzo capra, e tutto beſtia;*

ac fiſtulam manu denique geſtantem effingebant. Hi ſunt, quos ruſtici in Deos elegerunt ſuos: Immò hi ſunt, quos ruſticorum Deos declarauit Iupiter ipſe, apud Ouid. Met. 1.

> *Sunt mihi Semidei: ſunt ruſtica Numina Fauni,*
> *Et Nym[illegible] Satyriq;, & Monticolæ ſyluani.*

Quare iure meri[illegible]unos, in generale Deorum concilium adductos, meminit Auctor noſter, qui Faunos, pro omnibus terreſtribus ſolis Deitatibus, poſuit, ſpeciem ſcilicet pro genere; vt noueris, Iridem munus non neglexiſſe omnium, vt ſupra dicebamus, conuocandorum.

TACITI. Alij legunt, cum Parrhaſ., *Placidi*: quod non mediocrem, vt fatear, videtur importare eruditionem; nam, Faunorum fiſtulis delectatas Nymphas circa illos, dum ijs inflandis, moduliſq; eliciendis operam darent, tripudiaſſe, antiquorum fuit opinio: quare *Placidi* dicuntur Fauni, quia Nymphis placeant, vt ſupra de Nereo dicebamus. Sed vlteriùs etiam extenditur ſic legentium ſenſus, ad quem enucleandum, memineris, pulchritudinem corporis, ex ſententia Dionis, aliorumq;, apud Cauſinum de Eloq. lib. 10. c. 7., egregiæ ſimulacrum mentis eſſe, & mutam animi commendationem. Quare, cum contrariorum eadem ſit è conuerſo diſciplina, deformitas, vice verſa, corporis deformis animi, ac deprauatæ mentis indicium ſæpè ſæpiùs erit. His autem poſitis, certè ex Faunorum figura, quam ſupra ex Pier. delinea-

re animus, eorum facile naturam dignoſcere poſſumus. Caprina in illis prædominatur effigies; atque ideò internæ eorum affectiones caprinos referunt mores; & , cum hirceis cornibus ſint præditi, Hircorum procacitatem ſecum ferre, non dubitandum. Capra itaque, Hædus, & Hircus effrenatæ libidinis in hieroglyphicum ab Ægyptijs erigebantur, eò quod huiuſmodi animalia in libidinem, ac procacitatem, immodica ſemper ſint: immò, in ſacris etiam litteris, hircos, hædoſq; immolandos eſſe, edocemur, cum, nequitiam, omnemq; libidinem iugulare, iubemur, interprete Adamantio; quia hæc animalia probra omnia, atque impudica cuiuſcumque libidinoſiſſimi facinora hieroglyphicè referunt, vt clarè notat Pier. cit. Inſuper Hircum, etiam Diaboli, ſymbolum eſſe, voluit Adamantius: quarè nil mirum, ſi, ſpectata Faunorum figura, Dæmones eos exiſtimauerint aliqui. Certe, cum, vt ſupra vidimus, ac ſtructura ipſa corporis teſtatur, eiuſdem maſſæ cenſendi ſunt Fauni, Syluani, ac Satyri, eiuſdemq;, quo ad mores, farinæ; quidquid ſit, an eodem fuerint, an diuerſo ſanguine creti. De Satyris autem, decantatum certè ab omnibus eſt, in omnes eos libidinum impuritates, effrænato ſemper appetitu, procliues, vltra modum, deferri. Et Pauſanias apud Pier. cit. refert, Euthemum quemdam, cum in Hiſpaniam nauigaret, aduerſa tempeſtate in exteriorem Oceanum delatum, ad inſulas tandem quaſdam deueniſſe deſertas, quas Satyri (vt ex deſcriptione formæ colligitur) incolerent, qui, inſpectis hoſpitibus, ocyùs omnes, in extremum littus accurrentes, in fœminas, quæ caſu naui illa vehebantur, tanto impetu irruerunt, vt ægrè ab iniuria, etiam flagris cæſi, ſummoueri potuerint; veritoſq; ideò nautas, ne quid indignum paterentur, inhibita procul naui, in anchoris ſtetiſſe; barbaram verò quamdam mulierem, quam ſecum habebant, in littore expoluiſſe; in quam Satyri poſtea, petulantiſſimè debacchantes, per omnia corporis caua libidinem exercuerint inſatiabilem. Eiuſdem autem naturæ, ac procacitatis eſſe & Faunos teſtatur Auctor ipſe noſter in Epithal. Palladij, & Celerinæ, vbi Amores circa Veneream matrem excubias ducentes deſcribens, ſic ait:

Defendunt alij lucum, Driadeſq; procaces,
Spectandi cupidas, & ruſtica Numina pellunt,
Syluestreſq; Deos; longeq; tuentibus antrum
Flammea laſciuis intendunt ſpicula Faunis.

His itaque prænotatis; reminiſcere, in hoc eodem Deorum Concilio adfuiſſe Nymphas, nempè Naiades, Dryades, Amadryades &c. (cum omnia fuerint Numina congregata) maxima vtique Faunis, ac procacitatem exercendam, incitamenta. Verùm, cum in conſpectu Iouis adſtarent, petulantiam, ac procacitatem, quantumuis irritatam, compeſcere coacti ſunt, ac ſummâ ſe quiete compoſitos oſtentare: atq; hinc intellige, cur *Placidi* dicantur; nam *placidus* idem ſonat, ac *quietus, pacatus,* ac *nullis paſſionum æſtibus agitatus*.

Et hæc dicta in gratiam Parrhaſij, eorumq; qui, cum eo, *Placidi* legunt, non *Taciti*; & ne videar variæ lectionis effugere difficultatem. Verùm & quia vocabulum Placidi obſcuriorem habet, ac longè nimis petendam eruditionem; & quia probabile non videtur, ſapientiſſimum Vatem eodem vti hic epitero voluiſſe, quod immediatè ante Nereo attribuerat, quaſi vocabulorum penuria premeretur. perplacet mihi, vt cum Heinſ. ac vulgata noſtra, *Taciti* legamus, quod & non minorem habeat eruditionem, & congruentiùs procedat ad locum, ad tempus, ad naturam, & ad circumſtantias, quibus Fauni detinentur. Ad locum, quia cum adſtarent coram ſupremo Numine, & Deum ſilentio venerandum docuerint antiqui, nil mirum, ſi taciti adeſſent, Iouem venerantes: ad tempus; nam, cum tempus eſſet audiendi quid Iupiter agendum proponeret, fauendum fuerat linguis, atq; ideò iuxta Virgilianum illud Aen. 2.

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.

Ad Naturam: nam ſyluicolæ, vt Fauni ſunt, ſilentio adeò aſſueſcunt, ex defectu conuerſationis, vt conſuetudo tranſeat in naturam, vt de habitibus tradunt Phyl. Ad circumſtantias; nam mirabundi adſtant; & proprium admirationis eſt, ſilentium in admirantibus parere. quod præcipuè in ruſticis locum habet, qui res admirabiles hianti ore, ſuſpiciunt attoniti ſimiles; atq; ideò & ruſtica hæc Numina, nemp. Fauni taciti.

MIRANTVR SYDERA. De duplici ſignificatione huius verbi *Mirantur* vide dicta lib. 2. carm. 284., atq; vtramq; huc traſnferas. Sed quid mirarentur ſydera, qui Dij eſſent? Admirationem ex ignorantia prouenire in confeſſo eſt apud omnes; de illis enim miramur, quorum cauſas, eſſentias, effectuſq; ignorantes, rationem, cur ita ſe habeant, reddere, immò & dignoſcere, non nouimus: ex quo factum, vt fœlices vocet, qui hæc nouerint Virg. Georg. 2.

Fælix qui rerum potuit cognoſcere cauſas &c.

Anne igitur Dijs illis nouum erat ſydera aſpicere? Anne delectationis ex eorum intuitu percipiendæ expertes antea fuerant omninò? Ita quidem. Nam, licet Dij eſſent, nunquam antea in Cælum acciti fuerant terreſtres Dij, vt Ouidianus Iupiter fatetur Metam. pri. cuius & ſuperiùs attigimus verba.

Sunt mihi Semidei: ſunt ruſtica Numina Fauni;
Et Nymphæ, Satyriq;, & monticolæ ſyluani,
Quos, quoniam cæli nondum dignamur honore,
Quas dedimus certè terras habitare ſinamus.

Iure itaque ex nouitate rei *mirantur*; & *mirantur ſydera*, hoc eſt ſydereas ſedes, nunquam ſibi antea viſas, videnturq; ſibi, in nouum, ignotumq; orbem tranſlati, nil de ijs, quæ videant ſcire, atq; ideò *mirantur*. Sed dices: nonne etiam ex terris ſydera ſuſpexerant? Quid igitur in ſyderibus nouum vident, quò mirentur? Facilis eſt reſponſio: nam ſydera viſuntur profectò etiam ab his terrarum incolis; ſed quis neſciat, quantùm interſit inter viſionem obiecti proximi, ac viſionem obiecti longiſſimè diſtantis? Stellas hinc videmus, ſed viſione imperfecta, deffectiua, atque inhabili ad repræſentandas adamuſſim ſtellas, vt in ſe ſunt. Nouum igitur Faunis erat ſydera cominus videre; immenſam ferè corporum illorum vaſtitatem intueri, quæ minima nobis apparet: eorumdem motus varios, non à longe, & per coniecturas, ſed oculis cernentibus diſtinguere &c. Ideò attoniti inſpiciebant, eſtatica delectatione detenti. Glauer. legit *Numina*, & vbi legatur *Sydera*, is itidem *Numina* interpretatur, quæ ſic per excellentiam dicantur: & quia ſydera (addam ego) & ipſa pro Numinibus colebantur. Clarior tamen vulgata eſt, ac minùs amphybologiæ expoſita: nam Numinum voce potiùs viderentur ſignificari illa Numina maiora, quæ in concilio adeſſent: at minus admirationis poterat inijcere Faunis Numina, quam Sydera; nam illa ſæpiùs videre potuerant terras, vt fabulæ ferunt, peragrantia; ſed Sydera nunquam in proximo viderant, vt ex dictis: quare *mirantur Sydera*, non Numina.

Sed, dum Fauni mirantur, cæteraq; Numina nutum Iouis expectant; nos, quæ ſub his lateant, ad moralem eruditionem ſpectantia, perueſtigemus.

IVPITER INTEREA &c. Mirantur vtplurimùm terrarum incolæ; & , ferè Deum ipſum redarguentes, eiuſdem, in rebus adminiſtrandis, infallibilem prouidentiam temerariâ carpunt oblocutione; cùm interdum videant Impium eleuatum, & ſupra cedros Libani exaltatum; Iuſtum verò depreſſum, & humiliatum, atque infra pulueris vilitatem imminutum, ita vt cogantur ſæpe Iuſti, cum Apoſtolo, inclamare: *Facti ſumus omnium peripſema*. Loco igitur adorandi imperſcrutabilia Dei iudicia, cuius viæ non ſunt viæ noſtræ, contra Deum obloquentes, Diuinam laceſſunt Maieſtatem, vt intret in Iudicium cum ſeruis ſuis, vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cum iudicatur. Verùm, cum Deus noſter longanimis admodum, & patiens ſit, detrectationes ſuſtinet, ac iuſtificationem ſui differt ad tempus vſq; Vniuerſalis Iudicij: tunc enim, conuocato totius Orbis, ac Cæli concilio, notas faciet vias ille ſuas; & quam prudenter, quam iuſtè, quam piè egerit, patefaciet. Cùm autem Iudicium Vniuerſale ſecuturum ſit, poſt peractum quodcumque cuiuſcumque animæ viuentis particulare Iudicium; & tempus interpoſitum inter particulare v. g. Adami Iudicium peractum, & Iudicium finale omnium, ſit momentaneum apud Deum; nam mille anni (hoc eſt totum tempus indefinitè, ſub definito, ſumptum) ante oculos eius tamquam dies externa, quæ præterijt: ideò Vates Iouem, in concilio, rationem diſpoſitionis ſuæ reddentem inducit, ſtatim poſt raptam Proſerpinam: *Interea Iupiter &c.* Tunc enim Deus Thaumantida mittet, Irim videlicet æternæ vitæ, fęlicitatis prænunciam Iuſtis, ærumnarum Reprobis, ex toto orbe concilium conuocantem. Tunc Dij cælites, ideſt Iuſtorum animæ, quibus ipſemet dixit: ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, aderunt; & aderunt Dij maris, ideſt eorum Animæ, qui, aſſiduo paſſionum æſtu, ac tormentorum tempeſtatibus ſuperatis, ſedem ſibi in Cælis paratam meruerunt: aderunt aquarum Dij; ideſt Animæ illæ, quæ commiſſa plangentes, ac lacrymarum flumina profundentes, in fontes videbantur conuerſæ lacrymarum. Aderunt & Fauni, & Satyri, & Syluani, impuriſſimorum videlicet

cætus, quos Cæli honore non dignetur Deus; vno verbo, ij omnes, qui, inſipientes corde, dicebant: non eſt Deus, vt ſibi ipſis ipſi Dij eſſent: & mirabuntur ſydera, ac taciti adſtabunt iudicium expectantes; cum quid dicant, aut quid reſpondeant, vt ſententiam euitent, non inueniant. Triumphauerat de Proſerpina Pluto: Ceres a Ioue adamata vlcere doloris percutitur inſanabili? Ecce impium ſuperexaltatum Inſontem percuſſum, & humiliatum. Cur hoc factum, indicabit Iupiter ſe ipſum abſoluens; & hoc ipſum peraget Deus ille, qui ſolus eſt, cum ad Iudicium venerit. Nos igitur, ne cum Faunis reiciamur, ſin minus cæleſtes ſimus, cum terreas contraxerimus labes, aquei ſaltem Dij efficiamur, in pœnitentiæ lacrymas ſoluti. Et quid interim Italica chelis concinat, audiamus.

Girſene in tanto, e conuocar, del Mondo
Scorrendo ogni confin, de i Dei la ſchiera,
Cinta de nembi ſuoi non graue il pondo,
Di Thaumante alla figlia vn Gioue impera.
Di ben mille colori il vol fecondo
Spiega quella tantoſto; e dalla sfera,
De i Zefiri sù'l dorſo, à i mari oppoſti
Scagliaſi ad eſeguir gl'ordini impoſti.
Chiama del mare al congregarſi i Numi,
Doue l'alto motor tolto gl'attende t
Pigri alle Ninfe i ſoliti coſtumi
Rinfaccia; e pronte all'obedir le rende:
Sin là negl'antri, ou'han la ſede i fiumi,
Della voce eccitante il ſuon s'intende;
E dall'ondoſe ſue, cupe cauerne
Frettoloſo ogni Nume vſcir ſi ſcerne.
Di contrarij penſier in mar crucioſo
D'ogn'vn la mente in dubia lauce ondeggia
Palpita il cuor pien d'vn timore anſioſo;
Ne ſcieglier sa, che preſſagire ei deggia:
Sol chimere ſi finge, e perigliofo
Stato di coſe, in ripenſando ombreggia;
Mà de ſturbati lor lieti ripoſi
Troppo ſon anche i gran motiui aſcoſi.
Al fianco lor l'imaginarie vrgenze
Seruon di ſproni alla ſtellata meta:
Fendon l'aria veloci; e l'eminenze
Gia trauaica del Ciel l'vnita Dieta;
Che de gl'affari al penetrar l'eſſenze,
Il deſir la ſoſpinge, e l'inquieta
Sì, che ſtenderſi in luſtri, à cento, à cento,
D'ogn'induggio gli ſēbri anche vn momēto.
Toſto, ch'apriſſi all'immortal Senato
De ſtellati ſaffiri il varco d'oro,
Entrâro i Numi ad eſſibir, formato
Nel diuino Conclaue, il Conciſtoro.
Diſtinti i gradi, à ciaſchedun fù dato
Seggio, conforme al meritato alloro.
Confuſion non patiſce eterna legge,
Ch', ordinata nel tutto, il tutto regge.
Dell'honor primo al poſſedere i gradi
Scielte, del Ciel le maeſtà s'vnîro:
E, 'ndi poco inferior, le Deitadi,
Stimate più, quindi del mar ſeguîro:
Nereo, trà queſte, à cui già par, che aggradi
Portar le calme in volto, ecco 'l rimîro;
Siedegli à canto, e dell'argenteo crine
Forco, il Nume german, molce le brine.
Chiudon la ſchiera, in ſeggin pur conforme,
Di Negroponte il Peſcator famoſo,
Fatto Nume del mar, Glauco biforme;
E di Scarpanto il Regnatore aſtoſo,
Solito, in mille modi, in mille forme,
Cangiar l'aſpetto, hor al variar ritroſo;
Che non è qui chi de ſuoi ſcherni oggetto
Render ei poſſa al ſuo ingannar ſoggetto.
De maggior fiumi alla canuta etade
Di quì ſeder pur ſi conceſſe il vanto.
Gl'altri poſcia men conti, ò cui non cade
Bianca neue sù 'l crin, reſtanſi in tanto
Ritti sù 'l piè, (com'alla Plebe accade)
Gl'alti diſſegni ad aſpettar da canto.
Schieranſi a mille i minor fiumi; e lieto
S'appaga ogn'vn nell'immortal decreto.
Delle lor Ninfe il grondeggiante ſtuolo,
Con dolce vezzo, à i Genitor s'appoggia:
Mà più lungi ſe'n ſtan, laſciato il ſuolo,
Quei, che, Numi ſilueſtri, il boſco alloggia:
Fauni ſon detti; e gli diuora il duolo;
Che niun d'eſſi, per ſēpre, al Ciel ſe'n poggia;
Aſtratti ed hor le torbide facelle
Ruotan del fronte ad ammirar le ſtelle.

Protheus Rex Carpathiæ Inſulæ, vulgo di Scarpanto. Mariſq. Numen.

Sed, dum mirantur iſti, nos quid intonet Iupiter ex Auctore noſtro percipiamus.

TVM GRAVIS EX ALTO &c. Vbi procacior ſilet Natura, multò magis, compoſitam ſiluiſſe Naturam, dicendum eſt. Quarè, ex Faunorum taciturnitate, cum factum ab omnibus ſilentium ſatis indicauerit Vates, loquentem hic, per Proſopopeiam; inducit Iouem, ſicq; ex excelſo Diuinitatis ſolio ſenſus animi ſui aperientem. Tota autem Oratio Iouis verſatur in hoc, vt ſe expurget ab accuſationibus, quæ, in illum eiubeari potuiſſent, inſipientibus facile viderentur. & altiſſimæ, imperſcrutabiliſq; Prouidentiæ ſecreta aperiat, ad bonum ſemper humani generis euigilantia, licet iis interdum vtantur medijs, quæ ideò carpenda videantur, quia eorum veritas, ignota inſipientibus,

Tum grauis ex alto Genitor ſic orſus olympo eſt.
Adduxēre meas iterum mortalia curas,
Iampridem neglecta mihi, ſaturnia poſtquam
Otia, & ignaui ſenium cognouimus æui;
Sopitoſq; diù populos torpore paternos
Sollicitæ placuit ſtimulis impellere vitæ;
Incultis ne ſpontè ſeges flaueſceret arnis,
Vndaret neù ſylua fauis, neù vina tumerent
Fontibus, & totæ fremerent in pocula ripæ.
Haud equidē inuideo (nec enim liueſcere fas eſt,
Vel nocuiſſe Deos) ſed, quod, diſſuaſor honeſti,
Luxus, & humanas oblimat copia mentes;
Prouocet vt ſegnes animos, rerumq; remotas
Ingenioſa vias paulatim exploret egeſtas;
Vtq; artes pariat ſolertia, nutriat vſus.
Nunc mihi cum magnis inſtat Natura querelis
Humanum releuare genus, durumq; Tyrannum,
Immitemq; vocat; regnataq; ſæcula patri
Cōmemorat, parcumq; Iouem, ſe diuite, clamat.

non vnicuiq; primo pateat innitm. Quod vt plene innoteſcat, ab enumeratione incipit antea factorum, me norans vtilitates ex ablatione aurei ſæculi progenitas &c. Inſerit ſubinde querelas, quas, his non obſtantibus, in Iouem demùò ingererent homines; ac ſingula querelarum capita recenſet, ſicq; Deorum præparat animos, ne durius, quod imperandum erat, arbitrarentur, cum futurum ſit, vt prima fronte duriſſimum videatur: nam ad ipſum in bonum tandem mortalis generis ceſſurum rationibus ſubindè comprobabit adductis.

TVM GRAVIS GENITOR &c. Tum, pro tunc ponitur aduerb. nempè tempus notans opportunum, quo facto a cæteris ſilentio Iupiter

ter loqueretur. *Grauis* autem à grauitate dicitur; & *grauitas* græcè dicitur *σεμνότης* atq; eadem apud græcos voce appellatur ſanctimonia, auctoritas, & ſeueritas; ex qua multiplici eius idem nominis acceptione facilè colligitur, quanto Iouem præconio, vnica hac voce, *Grauis*, proſecutus fuerit Vates; nam, eodem tempore, & ſanctitatem, ideſt illibatam morum conſtantiam, qua, vt Deus, vigeret; & auctoritatem, qua, vt ſummus moderator, polleret; & ſeueritatem, qua, vt iuſtiſſimus ſcelerum vltor, vteretur. prætuliſſe, ſatis oſtendit, in vultu: ſicq; & regiam illius Maieſtatem optimè delineat, & diuinos ad vnguem mores imitatur. Quarè & carmen ipſum, hanc referens grauitatem, graui quodam metro, artificioſè compoſito, graditur potiùs, quam decurrat. Per nomen verò *Genitor* anthonomaſtice Iupiter deſignatur, iuxta ſententiam Orphei, qui nata omnia ex Ioue dictitauerit, græco illo carmine, quod latinitate donatum ſic habetur apud Mythol. Nat. Com. lib. pri. cap. 9.

Iupiter alme tuo ſtant omnia munera nata.

Inſuper ex Homero Odiſſeæ pri. hominum, Deorumq; pater dicitur, cuius græcum carm. ſic transfert Mythol. cit.

Hos ita compellat hominum pater, atq; Deorum.

Et quo ad Deos conſonat Virg. alibi cit. Æn. pri.

Æole (namq; tibi Diuum Pater, atq; hominum Rex &c.

Cum itaque hic Deos alloquatur Iupiter, artificioſiſſimè Genitor dicitur, vt noueris, & illum, patria in filios poteſtate, imperare potuiſſe, & Dijs facultatem non eſſe detrectandi, cum filijs nefas eſt Patris imperium, in licitis, reſpuere.

SIC ORSVS EST. *Ordior*, iuxta Priſcianum, duplicem habet præteriti vocem, nempè vel *ordiui*, vel *orſus ſum*; cum *ordiui* dicitur operatio texentium ſignificatur, & ad telæ, aut ſimilium fabricam refertur verbum: cum verò per vocem *orſus* inflectitur, tunc propriè ſignificat *fari incipere* qua ſpectata ſententia, propriiſſima eſſet hic Poetæ locutio. Verùm, quia interdum à Poetis verbum *orſus* vſurpatur etiam, licet impropriè, & abuſiuè, pro eodem, ac *deſinere*, ſeù *à locutione ceſſare*, vt patet ex Virg. Æn. 9.

Cætera parce puer bello. Sic orſus Apollo

Mortales medio aſpectus ſermone reliquit.

media via incedentes Poetæ verbum huiuſmodi pro eodem aſſumunt, ac ſimpliciter loqui; vt & certè hic.

EX ALTO OLYMPO. Notat hic locum, ex quo Iupiter ſermonem habuerit: & quidem appoſitè, nam cum cæteris inferioribus Dijs data fuerit ſedes, multò magis tribuenda fuerat omnium ſupremo, & quidem cæteris altior, vt fere ex throno maieſtatis loqueretur. Verùm quænam fuerit hæc ſedes, qui locus, ex quo Iupiter inducitur loquens, non adeò facile explicatu eſt: nam, ex vna parte, certè *Olympus* Cælum eſt, vel pro Cælo hic ponitur, atq; ex eo, quod dicatur altus, videtur indicari aliquod Cælum altiùs ſphœra illa, in quam recepta ſederent Numina congregata: Ex altera verò parte, cum Iupiter, Numina congregari, iuſſiſſet, ſydeream in ſedem terras vnde arduus omnes ſpectat, vt ex Virg. diſcemus Æn. 10. cit., videtur dicendum, quod Iupiter in altiori quidem ſede, vt importatur per vocem *ex alto*; ſed quæ tamen in eodem eſſet conſeſſu. Quarè diſcutiendum iam, quid, hoc loco, Olympi nomine intelligatur. Et primo quidem, (cum vndecim ſint Cæli) certum ex dictis eſt nullum ex Cælis ſeptem Planetarum, per huiuſmodi, hic, nomen, ſignificari, cum inferiores hæ ſphœræ ſint, reſpectu octauæ, in quam vidimus accita Numina. Pariter nec dici poteſt, denotari ipſum Cælum ſtellatum, nam non poteſt illud altum ſimul, ac depreſſum dici reſpectu ſui ipſius, vt Iupiter ex alto loquatur, Numina ex humiliori audiant cælo; cum enim Vates dicit locutum Iouem, *ex alto Olympo*, certè altum vocat, non abſolutè, ſed reſpectiuè ad ipſum ſtellatum Cælum, vt altiorem cæteris ſedem aſſignaret: Ergò dicendum neceſſariò, Cælum aliquod ſuperiùs, Olympi nomine, deſignari. Porrò ſupra octauam ſphœram Cælum Criſtallinum eſſe autumant; ſupra hoc autem primum mobile; ac tandem ſupremum Empyreum. Verùm cum Vates loquatur hic, iuxta Ethnicorum ſententiam, vt patet, quia de Ioue concilium Deorum cogente loquitur, certum eſt, nec deſignaſſe, nomine Olympi Empyreum, nam hoc non nouerant Ethnici ſedem Beatorum, quam nos in Empyreo ſtatuimus, in Elyſijs collocantes. Remanent itaque duo tantùm Cæli, nempè Criſtallinum, & primum mobile. Sed neq; de primo mobili intelligendum id, quod protulit Vates; nam ſi de illo intelligeretur, iam, non in concilio, ſed extra concilium, Iupiter omninò ſtatueretur, cum inter conclaue, in quo cæteri eſſent Dij, nempè inter Cælum ſtellatum, & primum mobile mediet Criſtallinum Cælum, quod vtique tantam circumferentiæ craſſitiem habet, vt à quamplurimis Aſtronomis in duas diuidatur ſphœras; atq; adeò inepta fuiſſet hæc ſedes in ordine ad coactum concilium conſtituta. Reliquum igitur eſt, vt dicamus, Olympi nomine, Cælum hic Criſtallinum indicari; nam, ſi hæc ſedes Ioui ſtatuatur, in caſu, certè baſim in ipſo habet Conclaui, cum ſtellati conuexa Cæli immediatè terminentur concauo Criſtallini; & altior cæteris erit ſedibus, quia craſſities Criſtallini multum extenditur ſupra ſtellatum conuexam habens partem, primo immediatè mobili adhærentem. Fauet (ſpectata ſignificatione, ex Græcis deducta) nomen ipſum; nam Olympus dicitur quaſi *Ὁλολαμπος*: *Ὁλος* autem latinè *totus*, & *λαμπος* latinè *lucens* interpretatur: quare idem eſt *Olympus*, ac *totus lucens*: Cælum autem Criſtallinum, ideò ſic dicitur, quia talis ſubſtantiæ ſit, vt, inſtar terſiſſimi Criſtalli, & niteat, & eluceſcat, perſpicuitate, ac ſplendore conſpicuum; atq; ideò *ὁλολαμπος* iure dicitur. Sed adhùc innecti videtur difficultas; nam ſi intelligamus Iouem in Olympo, hoc eſt Cælo criſtallino, conſtitutum, adhùc eum conſtituimus in loco, à ſydereo prorsùs conclaui ſeiuncto, & ſegregato: & debuit mugire aditis cortina recluſis, ad hoc vt euidem oracula ab inferioribus exciperentur numinibus. Verùm, non eſſe hoc conſtituere Iouem in loco à conſeſſu ſegregato, & patet ex dictis, & meliùs congruere dignoſces, ſi memineris, in more poſitum apud antiquos, vt regiam maieſtatem adeò tuerentur, vt, quaſi rem ſacram, in ſacrarijs ſemper abditam detinerent; ita vt Indorum Reges, ne regia vileſceret maieſtas, omnium euitantes conſpectum, etiam cum de ſumma Imperij mole ageretur, ita conſiliarijs adſtarent, vt, interpoſitis aulæis, audiri quidem poſſent, & audire, ſed, reuelata facie, videri nequaquam poſſent. Quarè nil mirum, ſi, ad hunc morem alludens & Vates, Iouem in Cælo Criſtallino collocauerit, vt, quaſi poſt interpoſitam cortinam, Deos extra ſedentes alloqueretur. Quod ſi dixeris, incongruum videri, quod Iupiter, qui ſumme benignus effingitur, vt ſupra, faciem Dijs ab ipſo conuocatis denegare voluerit; memineris, Cælum Criſtallinum ſumme diaphanum eſſe; atq; ideò, licet, ad oſtentationem maieſtatis, prætenſam geſſerit eiuſmodi cortinam Cæli, adhùc tamen, in oſtentum benignitatis, faciem oſtendere potuiſſe, diaphano illo corpore intermedio nil prohibente, quo minùs cernere, & cerni poſſet. Vel dicas, Cælum ipſum Criſtallinum, alto tramite, apertum fuiſſe, vſq; ad Iouem ipſum, ita vt, ex ſydereo Cælo ad Iouis vſq; altitudinem, vnicum continuaretur apertum Conclaue, ſola ſituum altitudine, ac depreſſione diſtinctum: ſicuti, in Theatris, ex infimis gradibus ad ſupremum vnica datur amplitudinis continuatio, licet varijs diſtincta pegmatibus, & Orcheſtris. Et aderit, ad huiuſmodi explicationem confirmandam, Virg. cit. Æn. 10., vbi ſimile Deorum deſcribens Concilium à Ioue conuocatum, de Dijs ſic habet:

Conſidunt tectis bipatentibus. Incipit ipſe &c.

nam bipatentes Cælos poſſumus hoc pacto intelligere, nempè & ex parte inferiori, qua Dij aſcenderant; & ex parte ſuperiori, qua Iouis daretur aſpectus. Scio equidem, Seruium aliter interpretatum fuiſſe cit. Virg. locum: dicit enim, Cælos bipatentes dici, nempè, & ab ortu, & ab occaſu patentes, & apertos. Sed neſcio, an ſatis ſibi ipſi cohæreat Seruius ipſe, ſic explicans; quippè qui immediate antea dixerat, Cælum ab occaſu clauſum dici; cum alium citans Virg. locum, nempè:

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

dixerit, clauſum olympum pro occidentali parte ſumendum. Dicit ipſe (nec ignoro) Claudi Cælum, quod fuerat apertum, occidente Sole; non autem ſemper clauſum eſſe ex parte occidentis. Sed hoc ipſum videtur aſſeri ab eo, merè ad tuendum poſitum, nam vox *clauſo* de præterito eſt, non de præſenti: quarè aptiorem exiſtimauerim expoſitionem à nobis ſupra traditam. Et hæc dicta ſint à nobis, in ſenſu litterali illius vocis *Olympo* perſiſtentibus. Sed non hæret in litteris erudituſſimus Auctor; immò myſteria innectit myſterijs, enucleandus magis, quo magis euidem auri fodinas peruestiges. Quæritat, lib. de falſa religione, Lactantius, cur Iupiter *Olympenus* fuerit cognominatus: & rationem fuiſſe aſſerit, quod Iupiter ſolitus fuerit, in Olympo monte verſari, omneſq;, propoſitis præmijs, qui nouum aliquod inuentum, humano generi vtile, excogitaſſent, eo inuitare, vt ad ſe primum deferrent, quo ipſe poſtea eorum omnium inuentor crederetur, atq;, hac ratione, Diuinos ſibi honores, tanquam vtilium omnium inuentori conſciuiſſe. Cum itaque Iupiter, præſenti oratione, ſe vtilium omnium inuento-

Quodſi quæras ex Pierio, quænam eſſent iſta vincula iugalia, quæ curæ eſſent Iunoni; reſpondet ille, lib. hierogl. 36., Digitum annulo inſignem hieroglyphicum fuiſſe connubij atq; ideò & Pronubum dictum; & ad huiuſmodi annulum, qui quaſi quoddam digiti ligamentum eſt, reſpexiſſe Virg. loco cit., & vincula iugalia pro connubijs ipſis poſuiſſe. Inſuper nomine iugalium vinculorum venit Zona illa, ex lana ouilla, qua noua Nupta præcingebatur, & quam vir prima nocte, ſponſæ accubans in lecto diſſoluebat; ſed cum hæc ipſa *Zona virginalis* diceretur, illius profectò diſſolutio ſolutionem potiùs virginis à virginitatis indicat legibus, ac pudore, quam ipſa formalia connubij vincula. Validiora igitur, & quidem ſtringenda, non ſoluenda vincula Iunoni ſuæ attribuere Inferi voluêre, ideò, ea ex mutuis iugalium amplexibus confieri dictitantes, Iunonem hortantur ſuam, vt hæc ſibi curæ vincula iugalia ſint. Denique irarum cauſa inter Plutonem efferueſcentium, ac Iouem, vt lib. pri. habetur, fuerat, quia Pluto

Impatiens neſcire torum, nullaſq; mariti
Illecebras &c.

ſe neglectum, ac poſthabitum lamentabatur, cum Iupiter amplexibus Iunonis frueretur, ſibique pares negarentur amplexus.

Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Iuno ſinu &c.

Itaque, cum iam a prohibendis Plutoni thalamis Iupiter ceſſaſſet, torum, ac Nuptam conceſſiſſet; reliquum erat, vt ſicuti cæleſtis Iuno Iouem cæleſtem, ita & Iuno Inferna Iouem inferum conſanguineo foueret ſinu, vt tranquillitas pacis, inter vtrumq; Iouem, perpetuo firmaretur; Quod ſi Proſerpina renuiſſet, iam ſe deluſum a Fratre ſuſpicari Pluto potuiſſet, atq; in bellum iterum exardeſcere: ideò hortantur Manes Iunonem ſuam, vt Iouem Inferum amplexibus foueat, ne vlla ampliùs illi iraſcendi facultas concedatur; ſic enim futurum erat, vt ipſa non ſolùm æqualis cæleſti foret Iunoni, ſed ſuperior, cum firmaret illa inter cælites, & inferos pacem, quam nunquàm profectò cæleſtis Iuno conciliare potuiſſet. Ideò *innectite*, quod idem eſt, ac circumligare, prout ſonat etiam apud Virg. Æn. 8., vbi hæc habentur,

Aurea cæſaries ollis, atq; aurea veſtis:
Virgatis lucent ſagulis: & lactea colla
Auro innectuntur &c.

quarè pari paſſu hic *innectite colla mutua*. Collum pars illa corporis teres eſt, quæ inſtar columnæ, baſim inter humeros figit, ac caput ſublime erigit. Præcipui autem amoris pignus eſt, ſi hanc partem amplectamur: ſic Virg. Æn. pri. Cupidinem, Aſcanij ſpecie aſſumpta, ac parentis Æneæ ſe filium ſimulantem in collum inuaſiſſe deſcribit, ex eoq; mutuos inter pendentem amplexus.

Ille vbi complexu Æneæ colloq; pependit
Et magnum falſi impleuit Genitoris amorem &c.

Colla itaque & Vates hic potiùs, quam alias corporis partes innuit amplexandas, vt indicaret, ſummi partes amoris, inter coniugatos, viciſſim adimplendas: nec ideò alios quoſcumque amplexus excludit; iuxta enim commune effatum, qui vnum dicit, alterum non excludit. *Mutua* autem *colla*, dixit; hoc eſt mutuo affectu, eademq; voluntate, in alternas blanditias propendentia; nam mutua dicuntur, quæ ſibi viciſſim pari munere correſpondent, ſecundum *dare*, & *accipere*, vt teſtatur Tullius in Epiſtolis famil. mutuum ſic deſcribens amorem: *Quid tu exiſtimes eſſe in amicitia mutuum neſcio; equidem hoc arbitror cum par voluntas accipitur, & redditur.* *Collum* inſuper ea pars corporis eſt, cui iugum imponitur; & Iugales dicuntur, qui matrimonium iniere, à Iugo, quod inuicem, & vnitim ſubeunt: atq; ex hoc ipſo Iugalia vincula dicuntur, quæ virum colligent cum vxore, &, vice verſa. Quarè *Iugum* ſemper hieroglyphicum fuit vitæ coniugalis, ad indicandum, connubio copulatos, pari amore inter ſe, pari ſtudio, conatu, ac cura, debere, in educandis liberis, conniti. Vt itaque indicarent Manes, connubiale iugum leue eſſe, ac ſuaue, oſtendunt, huiuſmodi iugum, non ferreum eſſe, non æneum, ſed molle; quin ex alternis complectentium brachiorum vinculis faciendum dictitent. Ideò *Innectite colla mutua*

ALTERNIS LACERTIS. Alternus adiectiuum eſt nomen, à verbo deriuatum *Alterno*, quod eſt *viciſſim alterum alterum ponere*: quo innuitur, alteri alterum viciſſim amplexandum. Quid verò lacertus ſit alibi vidimus; hic pro brachio ponitur. Simili autem pacto, conſtructa extat adhortatio Gallieni Cæſaris ad Nepotes.

. . . . Non murmura veſtra columbæ
Brachia non hederæ, non vincant oſcula Conchæ.

IAM FÆLIX ORITVR PROLES &c. Ad vaticinia iam deſcendit, quæ poſtremum obtinent, in Epithalamijs, locum; Fœcunditatem enim Nuptæ, per vaticinium, exponit futuram, atq; augendum numerum pollicetur Deorum. Ideò & prophetico loquitur more, quaſi præſentia videat, quæ futura ſunt, afflatus Numine Plaudentium Chorus: *Iam oritur &c.* *Proles* quid ſignificet, habes lib. pri. carm. 128. *Fælix* pariter notiſſimæ ſignificationis eſt. Hic non minus ad ſecundam, qua polleant, fortunam, quam ad fertilitatem, ſeù numeroſitatem filiorum refertur;

IAM NATVRA. Nota emphaticam, in aduerbio *Iam*, repetitionem, ad oſtendendum deſiderium, quo natura ipſa afficeretur, huiuſmodi prolem venerandi, fouendique. De natura plura diximus lib. pri. carm. 249. Hic pro ipſa Deorum Natura ponitur primariò, quæ incrementum ſui ex mox naſcituris expectaret; Secundariò autem pro Natura creata, quæ nouis augenda eſſet Præſidum aſſiſtentijs.

LÆTA EXPECTAT DEOS FVTVROS. *Læta*, hoc eſt geſtiens ex concepta ſpe, & expectatione. *Expectare* autem hic ponitur pro eodem, ac *ſummo deſiderio aliquid venturum ſpectare*; nam ſæpe *expecto* idem eſt, ac *vehementer cupio*. Item *expectare* ſæpe eſt *anxio deſiderijs expectatione ſperare*: & vtrumq; Vates complectitur ſenſum, dum dicat à Natura expectari *Deos futuros*. Omne agens agit ad aſſimilandum ſibi paſſum; ſed id præcipua quadam ratione militat, in actione generatiua viuentium, cum generatio nil aliud ſit, quam *origo viuentis à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem Naturæ*. Cum itaque Dij eſſent coniuges, de quibus vaticinium procedit, quid niſi Deos generarent? Ideo iure *expectat natura Deos &c.*

ADDITE NOVA NVMINA REBVS. Regreditur, vt finem cantibus imponat, ad exhortationem, qua ſponſos ad explendum excitat Naturæ deſiderium. Ideò *Addite*; quaſi *date ad*; *addere* enim dicimus, cum ad alicuius rei molem, vel numerum, aliquid, quod non habebat, adijcimus. Ideò *Addite*, hoc eſt *adijcite* ad Deorum numerum *noua* (hoc eſt quæ nec antea fuerint, nec, de præſenti, ſint, niſi munere veſtro adijciantur) *Numina*. *Numen* & Deum ipſum, & Dei nutum, voluntatemque, ac potentiam ſignificat. Hic pro Dijs quidem ponitur, ſed non ſimpliciter ſpectatà Deorum eſſentià; nam hæc ſupra adfuit, cum ait; *expectat Natura Deos*; ſpectatà tamen in ordine ad potentiam, ac nutum eorumdem, quibus, hereditario iure, debuerint ad rerum omnium regimen incumbere. Hereditario, inquam, iure, nam, vt ait Lacheſis lib. pri., omnia viuentia, cæteraq; vtcumq; corruptibilia, ad nutum Plutonis, agebantur: quare eadem facultas tranſmittenda certe erat in filios. Ideo, *addite*, inquit, *noua Numina*; ſed non ſubdit *antiquis Numinibus*, niſi virtualiter, quam tamen virtualitatem nos ſupra item attigimus. Sed *addite* inquit *Rebus*. Mundum Deum eſſe, ac totum Dijs repletum, exiſtimarunt antiqui, multiplicati, vt in infinitum ferè, Deorum numeri aſſertores. Ideo non corpora tantùm naturalia, nempè Solem, Lunam, ſtellas, terram, ignem, aquam, aerem, ventos omnes &c. tamquam Deos, coluêre; ſed etiam ſingulos propè animorum noſtrorum motus Diuinitate ſacrarunt: ſic templa fuère conſtructa Fidei, Pietati, Virtuti, Pauori, Timori, Spei &c. ſic & Pudori, Famæ, Alacritati, Miſeriæ, Querelæ &c. Multiplicatis itaque hunc in modum Numinibus, nihil, quamuis exiguum, vile, ac contemptibile, in Mundo eſſe arbitrabantur, quod non eſſet ſub alicuius Numinis tutela. Cum igitur, iuxta horum opiniones, Numinibus plena omnia eſſent; & nil, ſine Numinis ope, ſupereſſet, ſuperfluum videbatur noua rebus addere Numina; atq; adeò vanum vaticinium illud futurum, quo Deorum Prolem Plutoni acceſſuram Manes præcinebant; cum enim Deus, & Natura nihil faciant fruſtra, occupatis iam rerum omnium præfecturis à præexiſtente Deorum numero, quid agerent Numina de nouo producenda? Porrò, ſi non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; multo minus Numina. Quæ autem neceſſitas in pleno iam Numinibus orbe? Scio reſponderi ab aliquibus poſſe, neceſſitatem adeſſe, ad conſeruandum fœdus inter Iouem, ac Plutonem; ad quod conſeruandum requiſitum à Plutone fuerat lib. pri. vt poſſet *dulce patris cognoſcere nomen*. Sed hæc reſponſio non eſſet ad mentem Epithalamij; nam canentes dicunt; *Addite Numina rebus*; quaſi res ipſæ hanc Numinum multiplicationem exigerent; ſicuti etiam ſupra dictum fuerat: *expectat Natura Deos*. Quarè in rebus ipſis, non extra res aſſignanda venit neceſſitas; ne otioſa futura ſit noua Deorum propagatio. Duplex igitur conſiderari poteſt.

poteſt neceſſitas, alia ſimpliciter, alia verò ad bene eſſe. Neceſſitas ſimpliciter eſt, quando res nullo pacto poteſt ſe aliter habere: ſic oculus neceſſarius ſimpliciter eſt, ad videndum; nam, ſine oculo, nullo pacto, eliçi viſio poteſt. Neceſſitas ad bene eſſe eſt, cum res poteſt quidem aliter ſe habere: ſed commodiùs, & aptiùs ita, vel ita ſe habet. Sic Argus videre potuiſſet, & cuſtodire Iouis Pellicem, etiam duobus tantum oculis præditus; ſed non adeò benè, & commodè, vt cum centoculus fuerit. Prima itaque neceſſitas in rebus non fuit; cum iam ſatis ſingula ſingulis Numinibus regerentur: ſed, ſi loquamur de neceſſitate ad bene eſſe, certè, multiplicatis Numinibus, commodiùs, & aptiùs futurum erat, vt regerentur; Deorum enim antiquorum infinita non cenſebatur perfectio, vt alibi vidimus, & conſtat, quia ſi aliquem Deum infinitæ perfectionis eſſe cenſuiſſent, iam vnicus ille fuiſſet omnibus abundè ſufficiens; adeòque multiplicitatem non admiſiſſent Deorum. Itaque ad bene eſſe neceſſaria *rebus* fuit hæc Deorum propagatio. Ex his patet tertium commodi caſum eſſe, non verò ſocietatis, vocem illam *rebus*: & ſenſus eſt Dijs iam rebus præfectis nouos Deos aſſociate, vt additi; hoc eſt ſimul cum illis aſſociati res meliùs regantur, ac meliùs res ipſe ſe habeant.

ET PROFERTE CERERI OPTATOS NEPOTES. Dum fælicem Plutoni, ac Proſerpinæ filiorum, diuinitate pollentium, ſucceſſionem ominantur, tacitè occurrunt Manes obiectioni, quæ fieri ex parte poterat Proſerpinæ, hoc pacto: Qui fieri poteſt, vt fælicem Prolem habeamus, quandoquidem Cereri, Genitrici meæ inuiſam ſemper ſobolem ego pariam? Quæ Matrimonium non approbauit, certè, nec prolem gratam habebit: quarè hoc ſaltem ſemper titulo infelix mea proles erit, quod Cereri inuiſa ſemper futura ſit; nam Pignora connubij ſemper in memoriam reuocabunt, & Raptum, & Raptoris iniuriam, atq; adeò ſemper animum exulcerantia implacabile ſibi odium concitabunt. Huic, inquam, obiectioni occurrunt Epithalamij concinnatores, atq; oſtendunt, non dubitandum, quin Ceres pro rato habitura ſit connubium, charoſq; nepotes, cum eos viderit ſua vtiq; ſtirpe non indignos. Multiplici autem fundamento innititur hæc obiectionis confutatio: & primò quidem fundatur in ipſa iracundiæ natura, cuius præcipuum lenitiuum ſit tempus: quarè eruditiſſimus ille docebat, optimum futurum, ne aliquid incompoſitè agamus, ſi quotieſcumque ira corripimur, antequam quidquam deliberemus, integrum Græcorum alphabetarium recitemus; nam, hac, breui licet, interpoſitâ morâ, iræ furor detumeſcet, ac nos recta ab indirectis ſecernere, rationis ope, permittet. Sic itaque, morâ interpoſitâ, innuunt, & Cereris iram ceſſaturam, ita vt ratum habeat, quod priùs iniurioſum detrectaſſet. Secundo fundatur eadem confutatio in praxi, qua ſæpè videmus, acerbiſſima conſanguineorum diſſidia, intercedente Prole alterutrius partis, facillimè ſedari. & ignem, quem diſertiſſimi Oratores extinguere non potuerint, immò nec effuſi interdum ſanguinis flumina, mutâ naſcentium innocentiâ, nullo negotio, conſopiri. Tertio fundatur in ipſâ ratiocinantium naturâ, quorum appetitus ſemper debet eſſe rationalis: cum itaque quis odio accenſus vindictam appetit, ideò appetit, quia ſe iniuria affectum exiſtimat: vel ſe aliquo, quod optauerat, bono priuatum lamentatur. Quod ſi ex malo, quod ſibi inferri, arbitrabatur, videat non modo non ſpoliatum ſe bono, quod intenderat, ſed potiùs voti ſe compotem factum; rationabile eſt, vt potiùs diligat, quam oderit boni cauſam adepti. Sic itaque virtualiter diſſerunt Manes: quid poterat tandem ex Proſerpina Ceres optare? Certe non aliud, quam vt, digno Nupta propagationem ſui, ac matris, per digniſſimam prolem, ſuſcitaret: ſed & Digno Nupta eſt, & Prolem enitetur fæliciſſimam; ergo vnde ſe offenſam exiſtimabat, voti ſe compotem factam admirabitur Ceres; ac conſequenter non poterit, quin odium deponat, & amorem induat. Denique qui beneficijs vel nolentem proſequatur, eum cogit, ſi rationabilis ſit, ad agnoſcenda tandem beneficia, gratiaſq; illi habendas, qui, vt bene ſe haberet, coegerit: Ceres, ſi illi datum fuiſſet, vt ſuis vteretur conſilijs, nunquam profectò filiæ nuptijs acquieuiſſet; nam quæ Apollinem, Martemq. deſpexerat, vt lib. pri., quaſi indignos, qui Proſerpinam ducerent, cui nam Procorum adhæſiſſet? Mehercule nulli: adeòq; nunquam fuiſſet Nepotes habitura, quos tamen optaſſet. Quare beneficij locum raptus obtinuit, qui Cererem voti compotem faceret. Ideò Vaticinantur Manes, futurum, vt Ceres & iram deponat, & charos habeat Nepotes. Ideò &

PROFERTE, *Proferre* eſt, quod in abſcondito erat, in apertum educere. Et profectò, cum omnis effectus latere videatur in cauſa, proferri dicitur, cum producitur. Effectus in potentia eſt, cum non dum extra cauſas eſt; educitur autem in actum, cum producitur, quaſi ex abſcondito, nempè ex continentia cauſæ (quandoquidem omnis cauſa, continet effectum vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter) in apertum prodeat extra cauſam. Hoc autem præcipuè militat in ijs viuentibus, quæ per actionem producuntur generatiuam; nam, cum huiuſmodi viuentia ex ſemine ab efformatiua matris virtute concrecentur, & ſemen certè ſit quid deciſum ab ipſo generante, filius in venis ſemen elaborantibus in ipſo ſemine latitat, antequàm genitor deciſum illud tranſmittat in matricem: ſubinde latitat fœtus in vtero prægnantis nouem menſium ſpatio, antequam in lucem edatur. Ideo iure *Proferte* inquiunt, hoc eſt ex abdito in lucem educite.

NEPOTES OPTATOS. Nepotes filij filiæ dicuntur, auctore Feſto. Sed de acceptione nominis vide dicta lib. 1. carm. 89. Sed cur dixerit *Optatos*? Dummodo quis voti compos fiat, videtur parum referre, vnde nam compos fiat. Cererem ex Proſerpina promeritos exoptaſſe clarum videtur ex eo, quòd lib. 1. permiſerit, vt Aula Procis perſonaret. Quod ſi Proſerpinam raptu ſubducere conata eſt, cum *ubera deſeruit &c.*, hoc non fecit, ne filia innupta remaneret, ſed ne minùs digno nuberet. Diſtulit itaq; non abſtulit deſiderium Prolis ex Filia procreandæ, vt dignior ſoboles conſequeretur. Inſuper etiam ſi aliunde non conſtaret hoc Cereris deſiderium, ſatis deducitur ex materno affectu ſemper in filiæ bonum propendente: bonum autem nubere filiabus, præcipue in Venerem pronis, vt Proſerpina fuit, de qua lib. 1. habuimus: *Sollicitat iam non iam pronuba flamma pudorem*: nam his certè melius eſt nubere, quam vri: atque de ijs noſtrum illud vulgare militat prouerbium, nempè huiuſmodi fœminis alterutrum eſſe neceſſarium,

O d'vn'huomo, ò che s' abbocchi,
O di Forca, che l' impicchi.

Matris igitur erat, cognita Filiæ inclinatione, eiuſdem bono conſulere, & virum non indignum tedis exquirere, ex quo dignos ſuſciperet nepotes. Licet igitur ex Plutone noluiſſet, nec per raptum Ceres; cognita tamen proceſſu temporis Nepotum præſtantiâ, futurum, inquiunt Manes, vt voti compos facta, parum de modo futura eſſet ſolicita, atq; adeò gratos *optatos* habitura *Nepotes*.

CERERI. Quæ ſit Ceres iam notum ex paſſim alibi dictis. Ponitur autem hic tertius commodi caſus emphaticè: *Proferte Cereri*; hoc eſt in bonum, in ſolamen, in fælicitatem, naſcentes Cereris Nepotes: quæ licet initio, loco iniuriæ habitura ſit beneficium, eo tandem ex fructibus agnito, deliniendа ſit, ita vt depoſito luctu, ac poſthabita indignatione, gaudens ſit Nepotes exceptura. Hic finem Epithalamio impoſitum habes, ac libro ſimul, quem præ manibus habebamus. Nos itaq; ſilentibus iam Inferis, facilius, quid ad ſuperos ſpectet, perpendamus, moralia reſpicientes.

IAM SVVS INFERNO &c. Deliciarũ perennes, quamuis offerat ſpecies raptor Animæ Satanas; illa tamen verè ſemper in Inferno eſt; nam ſicuti vbicumq; Deus eſt, ibi immarceſſibilium deliciarum Paradiſus eſt: ſic vbicumq; Satanas eſt, ibi Infernus eſt: & certè vbicumq; peccatum reſidet, ſuam ibi regiam ſtatuit Lucifer. Et licet connubia peragat cum Anima peccante, dum adhùc illa hac luce fruitur noſtra, tamen Infernum illa portatilem ſecum ducit; & quaſi limax, ac teſtudo, oſſeam ſecum ferentes domum, Inferno ſuo incluſa procedit, licet pondus, aſſuetudine ferendi, non ſentiat; immò, quaſi ad epulas inuitata, continuò geſtiat, occaſione peccandi; dum Satanas fluxis adblandiens oblectamentis eam detinet, ne recogitet, peccati ſtipendia mortem eſſe, & mortem æternam. Sed, dum inſipiens anima præſentibus indulget, futura negligit, eo ſubito ſuus inferno (hoc eſt Animæ peccanti) procedit Heſperus orbi; & iam in Satanæ hærere debet amplexibus, æternum interitura. Quod ſi aliquando vicinos, conſcientia ſtimulante, huiuſmodi Satanæ amplexus anima pertimeſcat, Epithalamium Satanas inducit canentes, homines, pietate quidem perſonatos, ſed vere inferis addictos, eos ſcilicet, de quibus ait Saluator: Cauete à fermento Phariſeorum, quod eſt hypocriſis: hi enim Hypocritæ triſtes, qui exterminant faciem ſulphure, vt videantur hominibus ieiunantes, & veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces, Hi, inquam, venereas diſſolutiones Naturæ appellant tributa ab eiuſdem exacta fragilitate; vindictas,

Ps

ac ſanguinis effuſiones deberi ſuadent nobilitatis inſignibus; luxum conuiuiorum decere hominem ſplendidum: auaritiam Parſimoniæ attribuunt &c. Exponunt plauſus ab hæredibus faciendos, ſi pingues, vel per fas, vel per nefas, facultates adierint: famâ præcincte, euolaturos immortales, qui, inuſtas contra gentilitium decus, ſanguine deterſerint notas &c. ſicque, dum bonum ſuadere videntur, ad complexus nuptiales cum Satana miſcendos adhortantur: Impij profectò, atq; impiè agentibus impiores conſiliarij. Idcò inquit Diuina Sapientia: Cauete, cauete à fermento Phariſæorum. Aſt, ſi quando diuina illuceſcente gratia ſtudeat Anima ex Plutonicis amplexibus effugere, aliam ſubdolus hoſtis init viam, qua eam in amplexus ſedulò alliciat, ac tutè; &, quam rapere non potuit venereis oblectationibus, auaritiæ vinculis, irarum impulſibus &c. eam ſuperbiæ afflatibus aggreditur, & vanæ gloriæ decutit Auſtris. Vel igitur inſinuat Animæ licitos Plutonis amplexus, dummodò nocte pronubâ ſanciantur, hoc eſt in occulto fiant, ita vt in conſpectu hominum non appareant; ſed immò ſanctitatis laruâ occultentur; nec enim peccatum eſſe, quod ſine ſcandalo fiat, nec puniendum, iuxta veritatis aſſertum, quæ dixerit: *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala; verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit*: quaſi ſcandala ſolum punienda dixerit, non verò peccata ſine ſcandalo perpetrata; vt valentius hoſtis teterrimâ ſuadere nititur maliti, & quo pacto facilè plures inducit, vt, laruam ſanctitatis ſectantes, occultè in omnia vitia prolabantur, atq; in ijs obfirmentur, eo quod plaudi ſibi ſentiant, dum imperitum vulgus eorum deprædicet ſanctitatem apparentem, vitia autem non carpant vlli, quæ non nouerint; ideoq; celatos huiuſmodi cum Plutone amplexus, licitos aſſerere videantur. Vel, ſin minus hæc valeat inſimulare, eo quod timetur vndequaq; anima, & recedere à celatis etiam laqueis ſtudeat: curat Satanas, vt ſibi ipſi illa complaceat de perfectione, ita vt dicat: non ſum ſicut cæteri homines: & manus noſtra, & non Deus, fecit hæc omnia. Addit ſuperbiſſimæ huic inflationi folles, ex plauſu, à Pijs edito, dum illam ſuſpiciunt, argenteis columbæ pennis euolantem, & plaudunt; eamq; Diuorum numerum aucturam deprædicant; Filios ſpirituales, Matri Eccleſiæ dignos vtiq; Nepotes producturam, Deum ipſum illi debere, parum abeſt, quin dicant, ſanctè adeò vitam ducenti, ac mirabilia prorsùs operanti. Atq; hoc pacto infælix Anima decepta ſtrictiùs hæret, Plutonis in amplexibus, donec ſuus Inferno procedat Heſperus orbi; ſeq; indiſſolubiliter Satanæ aſſociatam conſpiciat. Contra huiuſmodi inſidias munire animam ſtudet animarum Redemptor, cum ait; In abſcondito ora Patrem tuum; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi: cum facis eleemoſinam, noli tuba canere, ſed neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: Cùm ieiunaueris, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Quod ſi aliquando hæc in lucem educi optimum arbitremur, vt exemplo noſtro incendantur, & alij, meminerimus ſemper, quid de hoc ipſo eadem ſuggerat Sapientia: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. *Patrem veſtrum*; inquit, non *vos ipſos*; nam ſi gloriam tuam ſectaris, eamq; obtineas, recepiſti mercedem tuam, ideòq; nulla remanet ſperanda tibi merces in Cælis. Fuge itaque iactantiam, Hypocriſim fuge, plauſus ſectantem humanos; & fugies Epithalamium, quo amplexus tibi Satanæ gratulentur, qui perniciem tuam, tamquam fœlicitatem ſuſpiciunt.

Sed, quoniam Epithalamium carmine conficitur, nos ad carmina redeamus, Italam excitantes Muſam, vt finem hiſce tandem imponat nuptijs.

Già del Mondo infernal sù l'Horizonte
  Vſcito, à paſſeggiar notturno il Cielo,
  L'Heſpero ſuo, con luminoſa fronte,
  Ingemmana dell'ombre oſcuro il velo;
  Ne raccolſe il Regnante in Flegetonte
  Toſto gl'auſpicij; e, d'amoroſo zelo
  In viuo ardor, mentr'ei le brame impenna
  Ver la ſua Dina, à i Paraninfi accenna.
Nel thalamo nottial quindi s'adduce
  L'intatta ancor, benche rapita, Spoſa.
  Eſtinta ogni lumiera, in chiara luce
  Sol d'Himeneo la face arde gioioſa.
  NOTTE gl'aſſiſte, e nel camin gl'è duce,
  Pronuba fatta; e tutta appar pompoſa;
  Che toglie al noſtro Ciel ſereno il vanto
  Tempeſtato di ſtelle il nero manto.
Queſta de ſacri riti, onde ſi ſtringe
  D'affetto coniugal tenace il nodo,
  Scaltra gl'officij ad eſſeguir s'accinge,
  D'orante in atto, e d'imperioſa in modo,
  La ſteſa deſtra, al conſecrar ſoſpinge,
  Toccando, il letto; e i carmi meſce, e'n ſodo
  Tenor, ſue leggi à i nuoui ſpoſi annoncia;
  Indi eterna frà lor l'vnion prooncia.
Al gioir del ſuo Rè ſue gioie in dono
  Sacran le de gl'Eliſij habitatrici
  Alme concorſe; e, frà le danze, e'l ſuono,
  Odonſi rintrecciar carmi felici.
  Guidan longhe le veglie: e frà lor ſono
  Atteggianti a vicenda, e ſpettatrici.
  Mà s'vniſcon le voci, e, 'n ſuon concorde,
  Tali del metro lor toccan le chorde.
Noſtra Giuno, alma Regina,
    Noſtra gioia, e noſtro cuor,
    Apri à Pluto, che t'inchina,
    Di tue gratie il bel teſor:
    Lieto e tù di tua rapina,
    Godi in braccio del tuo ardor;
  E Genero, e Fratello al gran Tonante,
  Stringi la tua fedel, felice amante.
    Quel nodo v'annoda,
    Che Morte ſol ſnoda.
    Voi, che ſiete immortali,
    Godete, in ripoſi,
    Concordi, amoroſi
  D'vn'eterno gioir l'aure fatali.
  Lieta prole, e numeroſa
    D'eſſer voſtra haurà l'honor;
    Già ſi ſcorge luminoſa
    Trar da voi l'oriente d'or.
    Di Natura ambitioſa
    Già l'attende anſioſo il cor.
  E de Numi adorati alle gran ſoglie
  Tutte s'accinge à tributar ſue ſpoglie.
    Quel nodo v'annoda &c.
  Sù sù ſpoſi v'affrettate
    Nuoui Pluti à generar:
    Nuoue Diue accumulate:
    Ergeranſi i nuoui Altar.
    Nuoui Numi procreate,
    Del Creato al riguardar:
  De Nepoti e la ſerie à voi s'aſcriua
  Ond'adempia i deſir la bionda Diua.
    Quel nodo v'annoda &c.

Hic mores antiquorum ſecutus Vates, qui, poſt cantiones fieri ſolitas ſilentium accerſebant, ne decubantium ſponſorum quies interturbaretur, viriliter & ipſe Inferorum cantiones abrumpit ſimul, & librum, vt facto, non voce tantum, ſilentium indicet adfuiſſe. Liceat itaque & nos ſilentio indulgere, donec noua Iouis decreta percipiamus, ad carmen iterum nos excitantia.

Finis Commentariorum Libri Secundi.

IN

IN TERTIVM CLAVDII CLAVDIANI

LIBRVM DE RAPTV

COMMENTARIA.

CVM præhabitis, de Raptu, libris, primo videlicet, & ſecundo, Præfationes appoſuerit Vates; etiam huic pariter libro tertio præmittendam cenſuerunt nonnulli; ideòq; , apud aliquos Impreſſores, videbis huic libro aſſutam præfationem illam, qua Vates Panegyri ſuæ de ſexto Honorij Conſulatu præluſerat, cuius initium eſt: *Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno &c.* Verùm, ſi ea ritè perpendantur, optimè quidem conuenire Panegyri reperietur, ſed ad præludendum huic libro prorſus inepta, vt, facile, legenti ex contextu ipſo patebit. Nam, licet liber ille, eueniſſe Cereri, deſcribat, quod, illâ præfatione, euenire ſolitum aſſeruit; nempè, vt, iuxta affectuum motionem, quæ, per diem, excitatur, & multiplicatis actibus roboratur, nocturna ſuccedant ſomnia; dum Cererem, præſagam mali, deſcribit, vel inſomnem, ne dum ſomniantem, veras Proſerpinæ ſuæ calamitates animo concipientem; attamen, in illa præfatione, id ſibi eueniſſe, non Cereri, clarè explicat Vates, dum ait: *Me quoq; Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti &c.* Et quid ſomniauerit ſubdit, dum inquit; *En Princeps: En Orbis apex æquatus Olympo &c.* quod nihil habet cum præſentis lib. argumento, vt patebit ex infra dicendis. Quarè hunc librum, nulla præhabita Præfatione conſtructum fuiſſe, & præcedenti immediatè adnexum à Vate, non ambigo; & bene procedere impreſſiones, quæ, ſine Præfatione, hunc librum exordiuntur, pro certo habeo: nam Præfationes, præcedentibus libris additæ, non ſine occaſione fuère; immò illas addere neceſſe fuit; reſpectu quidem lib. primi, quia, initio rerum, ſemper in vſu fuit, aliquid præfari, vt, vnde proueniat exordiendi impulſus, eruditè innuatur: reſpectu ſecundi pariter, neceſſe fuit præfationem præponere, vt aliqua redderetur ratio, cur tandiù intermiſſum opus reaſſumeret tandem; ac præcipuè, vt gratum animum erga Florentinum oſtenderet, cuius liberalitate Auctor ab inopia rei familiaris extractus, ad ſerenitatem animi redierat, quæ carminum concinnatrix eſt; nàm, vt ait Ouid., *Carmina proueniunt animo deducta ſereno*. Aſt, cum tertium librum immediatè, & ſine vlla interpolatione, alteri connectat, per particulam *Interea*, quæ continuationem operis non interruptam, licet diſtinctam, ſignat, nulla opus fuit præfatione; cum hic liber à Præfatione præcedentis, ob continuatam, dependeat, connexionem. Quarè ceſſat ratio præfationis addendæ, ideòq; & ipſa iure ommittitur Præfatio.

Argumentum Libri Tertij.

RAptâ Proſerpinâ, Deorum cogit Concilium Iupiter; &, ne cui liceat Raptorem Cereri prodere, grauiſſimis indictis poenis, edicit. Verum, ne videatur crudeliter in Matrem agere, dum non ſolum, Filiâ orbari eam, permiſerit; ſed etiam à ſolatio, quamuis leui, eamdem prohibeat Fata dignoſcendi ſua, rationem reddit ornatè, cur ad huiuſmodi edictum ſanciendum impellatur; nempè motum ſe naturæ lamentationibus, quæ, aurei ſæculi priuata delicijs, Iouem de tyrannide redargueri t, graui nimis iugo opprimentem eiuſdem naturæ vires; quibus quæſtubus, vt finem imponeret, ac ſe tam indigna abſolueret nota, oſtendit, ſe vti ſtatuiſſe Cereris opera ad læſæ conſulendum naturæ; ideòque priuandam cognitione Raptoris Cererem, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia magis Cererem diſtorquerent, vt, cum tandem voti compos fieret, exuberanti gaudio exultans, Triptolemum mitteret ad ditandas ſegetum vbertate terras omnes frugum rationem mortalibus oſtenſurum, atq; annonam longè, latèq; diſſeminaturum. Ceres interim de Fatis Filiæ per quietem admonita, Phrygia relicta, in Siciliam regreditur, viduatam luſtrat optato pignore domum, luctibus infrendens; ac cognitâ tandem, licet in enigmate, ex Electra, nutrice Filiæ, iam clade, in Cælum toto impetu fertur; atque, vt fatales ſibi euentus innoteſcant, omnem profectò lapidem mouet; ſed, votis fruſtrata, taces in Ætnæis ſuccendens incendijs diuturnam auſpicatur peregrinationem, Filiam, quoquo rapta fuerit, quæſituram.

Quod ſi argumentum huiuſmodi carminibus concinnatum exoptes, accipe ex Theophylo Chalcodyle appoſitum, apud Ianum Parrhaſium, hoc eodem loco, ſic.

Iupiter, vt, ſuperum iam conſediſſe ſenatum,
Conſpicit, accitu Thaumantidos; orſus ab alto
Exponit ſolio, cur vitæ larga prioris
Commoda ſuſtulerit, regnataq; ſæcula Patri.
Scilicet, vt curis acuat mortalia corda.
Nunc (ne ſe toties queſtu Natura fatiget)
Chaonio ſtatuiſſe homines auertere victu:
Atq; ideò, Cererem longo diſcurrere luctu,
Decretum; Natæ, donec, lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges; poenaſq; minatur,
Si quiſquam Cereri Raptorem prodere Diuum
Audeat. Illa, diù Phrygijs bacchata ſub antris,
Nocturno tandem monitu ſua tecta reuiſit;
Agnoſcitq; domus cladem; petit illicet amens
Æthera; cumq; nihil miſeram lamenta iuuarent,
Cælicolum patuere doli. Tum faucibus Ætnæ
Succenſas quatiens pinus, erroribus aptas
Noctiuagis, oras Siculas accincta peragrat,

Sed nos iam inſtitutum proſequamur eruditiſſimam Auctoris noſtri Poeſim ſummatim primo recenſentes.

Pro-

Propoſuerat Poeta, in totius Poematis argumento, quod, Initio lib. primi, expoſuerat, ſe educturum in lucem Inferni Orbis arcana; atque ad hunc finem aſſequendum, implorauerat Inferorum opem Deorum.

Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum &c.

Hæc autem ſecreta partim recenſenda erant, vt antecedentia, partim, vt conſequenti ad Raptum. Quarè, lib. pri., antecedentia attigit omnia; nempe iram Plutonis prælia in Superos molientis.

Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras
Prælia moturus ſuperis &c.

Cauſam tanti tumultus ritè pariter expreſſit

Impatiens neſcire torum, nullaſq; mariti
Illecebras &c.

Intercedentes induxit Parcas, ne deſæuiret,

Sed Parcæ vetuere minas; orbiq; timentes &c.

Legationem ad Iouem miſſam, per Mercurium internuncium retulit.

I celer proferende notas, & iuſſa ſuperba
Redde Iouis &c.

Ancipitem Iouis mentem deſcripſerat; firmatamq; ſubindè ſententiam, quâ Plutoni Proſerpina addiceretur; & datum Veneri executionis munus indicauerat; ac Venerem ipſam dolos parantem, properantemq; induxerat. His poſitis, vt, quod in argumento adiecerat dicendum, proſequeretur; nempè . . . . *Quo Lampade Ditem*

Flexit amor: quo ducta ferox Proſerpina curru
Poſſedit dotale Chaos.

Secundo libro Venerem dolos proſequentem deſcripſit; Plutonem Germani monitu properantem, ad auras erumpentem è ſubterraneis, rapientem deniq; , ac prima ſentientem amoris ſuſpiria, ſub oculis poſuit, vt iure oſtenderetur gauiſa Venus.

Iam durum flexura Chaos, iam Dite ſubacto
Ingentes famulis Mater ductura triumphos.

Data autem occaſione, iterum ad pandenda Inferi orbis ſecreta, Raptum vtiq; ſubſequentia, regreditur; nam, dum Plutonem Tænara intrantem deſcribit, mox occurſum ab Inferis, ſummâ vtiq; frequentiâ aduentantibus, adornatum commemorat.

Conueniunt aurae, quantas truculentior Auſter
Decuſsis arboribus frondes &c.

Seruorum miniſteria recenſet, ac diſtribuit:

Occurrunt properi lecta de Plebe Miniſtri &c.

Nuptiales innuit apparatus.

Pars Aulæa tenent &c.

Elyſias Matres nouæ Nuptæ addicit obſequentes.

Reginam caſto cinxerunt agmine Matres &c.

Nuptias ipſas, ac nuptialia peragit conuiuia; Muſicas addit voces: ſedatas Erebi decantat pœnas; Tartara omnia in lætitias effuſa denotat, & amplificat; ac tandem Proſerpinam in thalamum adducit, Elyſiorumq; cultores Epytalamium inducit concinnentes. Solum itaque ſuperfuerat implenda poſtrema iam pars argumenti, lib. primo propoſiti, nempè . . . . . . *Quæſitaq; per oras*

Sollicitæ Genitrix erroneo anxia curſu.

atq; huiuſmodi Cereris errores, hoc tertio libro auſpicatur. Verùm quidem eſt, non exhiberi hic à Poeta, quod poſtremis eiuſdem argumenti carminibus dicendum promiſerat; nempè *Vnde data Populis fruges, &, glande relicta,*

Ceſſerit inuentis Dodonia Quercus ariſtis

licet Id obiter attingat hoc eodem lib. Iupiter. Sed quanta interdum nouis emergentibus interciduntur. Multa cadunt inter poculum, ſupremaq; labra. Et ſæpè ſæpiùs aliter, ac homo propoſuerat, diſponit Deus. Imperfectum igitur cum & librum hunc, & opus ipſum abruperit potiùs, quàm abſoluerit Vates, nil mirum, ſi omnia adamuſſim non impleuerit; cum cæteroqui videamus, Poetam, nulla ex parte, in ijs, quæ tractauerit, defuiſſe muneri, aut inſtituto. Et vtinam, quidquid propoſuerat, abſoluere potuiſſet, ne tantis ars poetica careret luminibus. Porrò hæc dicta ſint, vt noſcas, quanto ordine procedat, quam exactè Propoſiti memor, quam concinnus ornamenti ſectator fuerit, ſibique cohærens Auctor: iratis ijs, qui eum non ſibi ſatis cohærentem dictitarunt: dum nos interim huius tertij libri explicationem aggredimur.

Iupiter interea cinctam Thaumantida nimbis
Ire iubet; totoq; Deos acceerſere Mundo.
Illa, colorato Zephyris illapſa volatu,
Numina conclamat pelagi, Nymphaſq; morantes
Increpat; & fluuios humentibus euocat antris.
Ancipites, trepidiq; ruunt, quæ cauſa quietos
Excierit, tanto quæ res agitanda tumultu.
Vt patuit ſtellata domus, conſidere iuſſi.
Nec confuſus honor Cæleſtibus ordine ſedes
Prima datur: tractum Proceres tenuêre ſecundũ
Æquorei; placidus Nereus, & lucida Phorci
Canities, Glaucum ſeries extrema biformem
Accipit, & certo manſurum Prothea vultu.
Nec non & ſenibus fluuijs conceſſa ſedendi
Gloria: plebeio ſtat cætera more iuuentus
Mille amnes: liquidis incumbunt Patribus vdæ
Naiades; & taciti mirantur ſydera Fauni.

IVPITER INTEREA &c. Apim, nempè Bouem illum ſuum, quem Ægyptij, vt noſtis, ſub *Oſiridis* nomine, impensè adeò, pro Numine, coluerunt, Iouem, Ægyptijs Patrem, Iuſtum, Ducem, ac conſultorem fuiſſe, teſtatur Diodorus, in ſacris Ægyptiorum litteris: quod fortaſſis inde ortum habuit, quod nouerint, Iouem Bouis ſpeciem aſſumpſiſſe, cum, Europam rapturus, ſe ſe armentis immiſcuit, vt alibi vidimus. Ea itaque hieroglyphica, quibus vſi ſunt Ægyptiorũ Sacerdotes, ad Oſiridem ſuum exprimendum, eadem Ioui aptanda, iuxta eorumdem ſenſum facilè intelligemus. Oſiridem igitur hieroglyphicè expreſſuri, oculum, & ſceptrum, ſeù ſceptrum oculatum, pingere conſueuerunt, vt ex Pier. lib. hierog. 33. deducitur: Interdum etiam in ſceptro ipſo ramuſculos complicare, ſoliti fuerant, ita, vt, in complexum coeuntes, oculi ſpeciem, in medio, ſpectandam conformauerint; eaq; ſpecie, Oſirim multoculum, ſemperq; vigilantem, innuere voluerunt; iuxta ſanè etiam eiuſdem nominis ſignificationem; *Os* enim Ægyptiaca lingua *multum*. *Iri* verò *oculum* ſignificat. Hinc etiam fortaſſis effectum, vt Platonici Iouem *Mundi animam* appellauerint, quæ certè ſemper inſomnis eſt. Sed habeant deliramenta ſibi ſua antiqui; licet deliramenta non fuiſſent, quæ ad veram diuinitatis rationem explicandam, ſi hanc in immeritus non collocaſſent. Certè ex ſacris litteris, eodem oculati ſceptri hieroglyphico ſummus, ac verus Iupiter parens, nempè Deus rerum omnium conditor, præfiguratus habetur; nam interrogatus Ieremias, raptus in ſpiritum, quid videret; *Virgam*, inquit, *vigilantem* ego video: & dixit Dominus: *bene vidiſti*, *quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.* Sic, Apocal. 5., ſub Leonis ſymbolo Redemptor Deus exprimitur: *Vicit Leo de tribu Iuda &c.* Leones autem inſomnes, ſemperque vigilantes, exiſtimari ab aliquibus, quis neſciat? Et profectò vere ipſe anima dici poteſt, vniuerſi; Solus ipſe Sol auctor; omnia luſtrans oculus, ſemper apertus, qui omnia perſpiciat, quem nihil lateat, qui vel abſcondita nouerit cordis. De ratione igitur veræ Deitatis eſt inſomnem eſſe, ac ſemper rerum omnium regimini aduigilare: atq; ideò non mirum, ſi hæc ipſa Ioui ſuo attribuerint antiqui, cum eum ſcilicet ſummum Deorum omnium Numen arbitrarentur. Ad hæc itaque reſpiciens Vates, cum, ſilentio facto, quieſcentes reliquerit Manes, ac conſopitos præcipuè, maritales inter amplexus, Tartarorum Principes, tranſitum facit ad Numen, ſemper vtiq: vigilantem, atq; opera operibus innectentem, vt & ipſe opera operibus adnectat, & argumentum ſuum proſequatur, longè quidem à dormientium Inferorum regia, quæ ſiant; ſed ad ipſos tandem ſpectantia relaturus. Ac primo quidem, nutu Iouis, Iridem Numina ad concilium conuocantem inducit Numinum feſtinationem, vt preſto ſint, deſcribit: ac tandem loca, iuxta vniuſcuiuſq; dignitatem, eiſdem diſtributa, cæleſti illo in conſeſſu, ordinatim recenſet.

INTEREA IVPITER &c. Aduerbium temporis eſt *Interea*, compoſitum ex *inter*, & *ea*; quapropter idem ſonat, ac *eodem, quo hæc aguntur, tempore*: aduerbium vtique aptiſſimum ad res disiunctas, diſſitas, diuerſaſq;, ita inter ſe connectendas, vt vnam conſtituat ſeriem orationis, licet diuerſam importet ſeriem actionis. Hoc itaque aduerbio aptiſſanè librum hunc cum præcedenti Vates connectit,

ſicut

ſicuti eodem vſus eſt Virg. quintum cum quarto Æn. connectens, dum ait:

Interea medium Aeneas iam Claſſe tenebat
Certus iter, fluctuſq; atros Aquilone ſecabat.

nempè, dum Dido moreretur, interea Æneas altũ tenebat &c.

Sic Auctor, hoc loco, dum Iugales Inferi obdormirent, Iupiter &c. Porrò, cum Iupiter Hominum, Deorumq; Pater, & Rex eſſet ad eum procùl dubio ſpectabat rerum omnium cura, ac concilium Deorum aduocare, vbi opus futurum videretur. Quia verò de Ioue pluribus & primo, & ſecundo egimus lib., & quæ hùc præcipuè ſpectant nuper exarauimus: tantum noto, peculiari hic ratione *Iouis* nomine, deſignari, non verò *Tonantis*, aut *Regis*, aut *Patris &c.* nam, cum Iupiter à iuuando dicatur, quaſi *iuuans Pater*; atq; hic ſe maximè ad iuuandum procliuem ſit oſtenſurus, optimo iure *Iupiter* appellatur.

IVBET THAVMANTIDA, CINCTAM NIMBIS. Ad intelligentiam poſtremæ particulæ *cinctam nimbis* vide dicta lib. 1. carm. 98. & clarius carm. 100. *Iubeo* dem eſt ac *Impero, præcipio, mando*, quod proprium ſuperioris eſt in inferiorem, peragendis iuſſionibus addictum, ita vt illi abnuere licitum nequaquam ſit. Imperio itaq; vtitur Iupiter, & iubet *Thaumantida*, græco more, pro *Thaumantidem* per hellaniſmum: nempè Irim Thaumantis ex Electra filiam. Quid autem, & quæ Iris ſit, etiam quo ad fabulas explicatum habes lib. 2. cit. Hic tantum noto, quòd, licet aliqui, Irim internunciam eſſe Iunonis tantum, non Iouis eſſe aſſeruerint, falſam ab ipſo exiſtimari hanc opinionem, apertè indicat Auctor, Principem ſecutus Poetarum, qui Æn. 9. internunciam Iouis Irim ad ipſam mitti Iunonem proteſtatur.

. . . . Aeriam cælo nam Iupiter Irim
Demiſit, Germanæ haud mollia iuſſa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

quod tamen non obſtat, quin & Iunonis internuncia eſſe potuerit, immò & omnium Deorum, vt alij voluere.

IRE. è ſolio videlicet ipſius Iouis, cui ſemper aſſiſtit, ad nutum prona, vt vidimus lib. 2. cit. ire, inquam, ea qua pollet velocitate, & ad quam exprimendam, eam, inſtar Mercurij alatam effinxerunt.

ET ACCERSERE &c. Munus obeundum cum itinere, coniungit, vt feſtinationem indicet adhibendam; quaſi dixerit, non immorandum apud Deos, ad quos conuocandos mitteretur, ſed, non intermiſſo itinere, vocandos, iterq; ad alios eodem tempore properandum. Porrò *Accerſere* idem profectò eſt, ac Vocare; ſed inſuper etiam aſſumitur pro eodem, ac *Ducere*. Vtitur itaq; hoc verbo Vates, vt oſtendat, iuſſum imperantis ab Iri non negligendum fuiſſe, ita vt ſolo vocandi munere contenta rediret; ſed vocationem debuiſſe efficacem fieri, ita vt non ſolum incitaretur ad obediendum Iris, ſed vt prædem ſe illis exhiberet, ac duceret ad excipiendos imperantis nutus.

DEOS. Deorum nomine Deas etiam complectitur, ſed genere vtitur præſtantiore, vt & de conſequenti minùs præſtans intelligatur; præterquàm quod Deus à Deitate dicitur; quare quidquid habet Deitatem, Dei nomine compræhenditur, nullâ diuerſitatis ſexus, ſed Deitatis tantum habita ratione.

TOTO MVNDO. Ideſt ex omnibus totius Mundi partibus; nomine autem Mundi intelligit quidquid ab Inferorum orbe, ſeù ab eiuſdem finibus ad ſolium vſq; ſupremi Iouis protenditur, quod cur dicatur Mundus, alibi ſæpè diximus. Tartara autem non euocantur; nam cum concilium futurum eſſet de non prodendo Cereri Raptore, non dubitandum fuit de Inferis, in quorum bonum vertebat Proſerpinam habuiſſe Reginam; Sed dubitandum de ſuperis, in quorum iniuriam cedere Raptus Proſerpinæ videretur; ideò hos iubet, non inferos acciri. Innuit autem hic tacitè Vates diuiſionem Deorum ab antiquis factam, & quam ipſe inferius in ordinem digeret ſedes diuerſis aſſignans diuerſas. Ex antiquis itaq: Dijs alij Cœleſtes, vt notat Mythol. Nat. Com. lib. 1. cap. 7. alij Terreſtres, alij Aquatiles ſunt crediti: aquaticorum alijs maris, alijs fluuiorum, alijs fontium cura fuit commiſſa: è terreſtribus rurſus alij montani, alij ſylueſtres, & Paſtorum præſides, alij agricolarum fuere: Cœleſtium alij ſummæ rerum præerant humanarum, alij conſultores aderant, alij Præſides tempeſtatum, certiſq; cœli regionibus præfuerunt. Aderant & Tartarei, ſed hos, quippe non de mundo, nec memoro, nec inter accerſendos recenſentur, vt ex dictis. Præter Deos autem in hac diuiſione contentos nulli alij eſſe poſſe crediti ſunt. Ex quo habes qui nam fuerint accerſendi.

ILLA (nempè Iris) ILLAPSA ZEPHYRIS. *Illabor*, à, quo partic. illapſa, verbum compoſitum ex *in*, & *labor*, mutata littera *n*, in *l*, ſignificat, celeri quidem, ſed quieto, ac ſuaui curſu, in locum aliquem properare. Dicitur itaq; *illapſa* Iris, ideſt placido, ſed velociſſimo inuecta motu in mandatorum executionem: atque, vt magis innoteſcat velocitas, ſubdit Vates, quibus vſa ſit vehiculis Thaumantis filia, nempè *Zephyris*. De Zephyro vide dicta lib. 1. carm. 185. & lib. 2. carm. 73. Hic tantum ſupereſt dilucidandum, cur Vates Zephyros potiùs Iridi attribuat, quam alios ventos; quandoquidem ventos indifferenter Iridis aurigas oſtenderit Virg. Æn. 5. dum de ea Iunone miſſa ad incitandas Troianorum Matres, vt claſſi ignem ſubijcerent, ne iterum enauigare cogerent, ait:

Irim de Cælo miſit Saturnia Iuno
Iliacam ad claſſem, ventoſq; adſpirat eunti.

Pluribus itaq; de cauſis Irim deſcribit Auctor illapſam Zephyris. Et primo quidem, quia, cum celeritate opus eſſet, nulla ventorum aptior celeritas, ad Cælitum internuncios deferendos, vt patet ex ore Virgiliani Iouis Æn. 4. vbi Mercurium ſummâ celeritate miſſurus ad indicenda Æneæ de diſceſſu ab Didone, mandata, vt nuncium quàm maxime acceleret, ſic concitato alloquitur ſtylo.

Vade age Nate: voca Zephyros; illabere pennis.

Secundo ventus admodum beneficus eſt Zephyrus, quippè cuius beneficio, omnis in herbas turget humus &c. Cum itaq; Iupiter Proſerpinæ raptum in maximum orbis bonum conuertere meditaretur, vtatur Zephyro Iris ad iter, quo concilium aduocet ad huiuſmodi bonum ſtabiliendum. Tertio ſerenitatis effector dicitur Zephyrus apud Mantuanũ.

. . . . . Tota ſerenos
Amittis Zephyros, totam prolabitur Eurus.

quare, cùm ex conceſſâ Plutoni Proſerpinâ reddita fuiſſet cælo tranquillitas, ablato turbine imminentis belli, aptè Zephyris vtitur, ſerenitatis aſſertoribus, Thaumantias. Quarto fœlicitatem inducens creditur Zephyrus, atq; ideò apud Pontanum legitur.

Spirat odoratus, Zephyris fælicibus, aer.

quare ad conuocandum concilium, quo orbis fælicitas firmaretur, apte fælici vento vtitur Iris. Quinto denique iam noſcimus Zephyrum rore fęcundum, & madidantes quatientem nectare pennas, vt glebas fæcundo rore maritet: quare, cum Iris ex aqueo humore concreſcat, & varijs exornetur coloribus, vt vidimus lib. 2. cit. probe Zephyris vtitur, quippe maximè ad Iridis naturam adaptatis; & cum ad maritalia fœdera firmanda properet, ne detecto Cereri Raptore, Ceres illa interturbare aggrediatur; iure fæcundo, ac maritali inuehitur vento.

VOLATV COLORATO. Noueris effectui attribui quod eſt proprium cauſæ; nempè volatui attribui colorem, qui pennis alatæ Iridis fuerat tribuendus. De coloribus autem Iridis vide lib. 2. cit. Alij cum Parrhaſ. legunt *Zephyros transgreſſa volatu*, ſed minùs, vt vides eruditè. Ideò vulgatam ſequor.

CONCLAMAT &c. *Clamare*, à quo & *cum* componitur verbum conclamat, non rarò accipitur pro *toto vocis conatu vocare*: ſic de Anna, Didonis ſorore morientis, Virg. Æn. 4. inquit:

Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

ideſt *magna vocat voce*, vt docent Interpretes. Idem itaq; erit *conclamat*, ac *conuocat*; ita vt ſocietas importata per præpoſitionem, à qua illud verbum componitur, ſe teneat ex parte vocatorum, non verò ex parte vocantis, vt ſenſus ſit, clamat Iris voce magna Deos vocans, vt ſimul ad ſolium ſummi Regis conueniant. Ex quo vides, quàm aptè Præconis mores, cuius munus obit Thaumantias, imitetur Poeta.

NVMINA PELAGI. Quid Numinum veniat nomine, ſatis habuimus, in calce lib. 2. carm. 375. Hic Numen & pro perſona, & pro voluntate Deorum ponitur; nam & perſonaliter conuenire iubebantur, & voluntatem afferre in nutum ſummi Iouis paratam. *Pelagus* autem, propriè loquendo, *profundum maris* eſt, græcè πέλαγος, quod ſit πέλαγος γῆς, ideſt procùl à terra. Sumitur tamen pro quouis mari non ſemel: aſt hic arbitror rigoroſè accipi in propria ſua ſignificatione; nam fluuialia, & marina Numina in profundo maris, ac fluuiorum degere, fuit Antiquorum opinio. Quare Ariſthæus, apud Virg. Georg. 4., matrem vocans Cyrenem Numen fluuiale, ait:

Mater Cyrene, Mater, quæ Gurgitis huius
Ima tenes &c.

& inferiùs ſenſum Ariſthæi confirmans Vates ſubdit:

At Mater ſonitum, thalamo ſub fluminis alti,
Senſit: eam circum Mileſia vellera Nymphæ &c.

De maritimis verò Numinibus idem dicendum deducitur ex eodem Virg. Æn. pri., vbi dicitur Neptunus tunc ſenſiſſe tempeſtatem, ab Eolo immiſſam, cum profundum turbauerit, quaſi dicat, cum in Regijs vſq. penetralibus tumultum ciecerit.

Interea magno miſceri murmure Pontum,
Emiſſamq. hyemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis; grauiter commotus, & altò
Proſpiciens &c.

Vbi nota, Verg. non dixiſſe *Audijt*, ſed *ſenſit* ſtagna imis vadis refuſa; *ſentire* autem propriè de tactu dicitur, & immediationem requirit ſuppoſiti; quare in imis fuerit vadis Neptunus, neceſſe eſt, qui ſenſerit &c. Inſuper nota illud *proſpiciens altè*, quod pariter indicat, Neptunum ex profundo ſuſpexiſſe, antequam caput ad vndas extolleret ſuperiores. Hinc habes, cur Auctor noſter Irim, magna voce clamantem induxerit, nempè, vt ex aquarum ſuperficie ſtantes in profundo Deos excire poſſet, ita vt audiretur. Verùm ex his aquarum fluctibus tempeſtas in Auctorem ipſum emergit: videtur enim vel immemor fuiſſe eorum, quæ immediatè ante facienda propoſuerat; vel parum ſibi cohærens; vel Thaumantidem, quam toto animo exequendis addictam mandatis inſinuauerat, iam muneris ſui immemorem, ac negligentem efficere. Iuſſerat Iupiter eam ire, totoq; Deos acceriere mundo. Vix dixerat: *Illa volat &c.* Sed finis deturpat, non coronat opus; cum ſola aquarum Numina euocata ab Iride recenſeantur; alia verò euocanda Numina quonam loco reponuntur? Certè vel Vates immemor, vel internuncia ſocors, & negligens effecta eſt. Verùm, quod alij ſocordiæ facilè dederint, ego potiùs Prudentiæ, atq; artificio dederim Auctoris. Nam primò, iure quidem optimo, Iris applicatior oſtenditur euocandis Numinibus, eiuſdem Iridis naturæ maximè conſentaneis, nempe aqueis, cum aqueo itidem humore Thaumantidis arcus coaleſcat. Secundò nota Deos maris poſitos eſſe in vltimâ regione, ab Internuncia Iri peragrandâ; ex quo clarè deducitur, Irim, quæ Numina in extremis finibus poſita euocauerit, viciniorum certè conuocationem non neglexiſſe. Quid enim negligeret, quos, prætereiens, neceſſario obuios haberet, Deos illa, quæ ad vltima vſq; legationis ſuæ confinia peragrauerit, ad remotiſſimos euocandos? Dixi, Deos maris in vltimis legationis finibus extitiſſe, nam cum in profundo maris degant, centro, vt ita dicam, finitimis, tantùm vltra eos Tartara ſupererant, ad quæ Iris non mittebatur, vt ex dictis. Quid igitur Numina intermedia memoraret Vates, cum præcipuè in aſſignandis in conſeſſu ſedibus, iterum eſſent repetenda, & ex conſequenti ea vt vocata recenſenda? Nonne occidiſſet miſerum, crambe repetitâ lectorem? Sicuti igitur, quia etiam nomina Deorum è mari euocatorum aperienda erant inferiùs, nullum hic nomine exprimit; ſed generali tantùm vocabulo Deos Maris appellat; ita reliqua Numina, euocata vndiq; non enumerat, iterum inferiùs enumeranda. Iuſſa fuerat Iris Deos pertranſiens, & non intermiſſo itinere conuocare: dum igitur in termino legationis mandata exequens conſtituitur; per neceſſarium conſequens habetur, & tranſitum emenſam fuiſſe, & mandatis in tranſitu non defuiſſe.

ET INCREPAT NYMPHAS MORANTES. Fœminεos hic mores carpit indirectè, quæ lentè adeò feſtinant, maximè cum iter aliquod ſuſcipiendum ſit, vt nunquam ſatis appareant ad proficiſcendum paratæ, quibus attonitis imitatur ſubindè mores accelerantis, clamantiſq;, atq; impatienter vrgentis, vt ſe expediant tandem, & feſtinent, dum eas Irim inducit increpantem: *Increpare* enim eſt *ſonum, crepitumque cum ſtrepitu edere*; ex quo factum, vt translatè pro eodem accipiatur, ac *reprehendere*; ſed reprehenſione quadam, acri verborum vehementia, & pedum ſtrepitu, ac ſupploſione, expreſſâ. Moras igitur Nympharum indignanter redarguit Iris, & vt abrumpant, impellit. De Nymphis latè diſſeruimus, in Præfatione ad lib. 2. carm. 3. Hic, Nympharum nomine, veniunt Amadriades, & Naiades omnes, de quibus vide locum cit. Ingenioſè autem Vates Irim inducit huiuſmodi Nymphas increpantem: primo quidem, quia Iris eas ſibi addictas habere videatur ex eo, quod arcus Iridis multum conferat illis, dum ex vaporibus pluuias colligens, earum aquas adauget: nam ait Tibul.

Quamuis prætexens picta ferrugine Cælum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam &c.

hoc enim pacto adaugens Iris Nympharum aquam dictionem, videtur, quodam quaſi prædominanti iure vti, poſſe, vt in obſtrictas. Secundò certè cadens pluuia crepitum edit, ſicq; aqueo quaſi pede, videtur Iris terram, & aquam pulſare; ideò iure inquit Vates *increpat* modo explicato *Nymphas morantes*, hoc eſt moras neſtentes, & non celeriter accurrentes.

ET EVOCAT FLVVIOS &c. Particula *Et* cumulatiua hic eſt, & ſuperaddentis munus obit, non copulantis, idem, ac *inſuper*. *Euocare* eſt *extra vocare* fluuios, hoc eſt fluuiales Deos, vt quo vocantur iter arripiant.

ANTRIS HVMENTIBVS. Præpoſitio eſt in verbo. Fluuiorum autem Numina in antris, ex quibus flumina exeunt ipſa, reſidere ſolita iam vidimus lib. 2. carm. 69. Cur autem hæc antra humentia dicantur, patet ex fonte, quem in ijs habeant aquæ.

ANCIPITES, TREPIDIQ; RVVNT &c. Promptam Deorum obedientiam deſcribit, eorundemq; perplexi animi fluctuationem indicat, ortam ſcilicet ex nouitate rei, cum Deos omnes ad Concilium conuocari neutiquam ſolerent, niſi in ſumma rerum trepidatione: quare & metuentes hîc inſinuat. *Ruunt* feſtinantis, præcipitantiſq; moras, exprimens celeritatem, verbum eſt de quo nos lib. 2. carm. 20. ſed hic inſuper alludit ad concitatos aquarum curſus, quæ ſemper ruere videantur, dum vnda truditur vnda &c. *Ancepsitem* eſt, ac *incertus*, ſeu *fluctuans animo*; quod efficitur, cum, varijs propoſitis rebus, nulli ſatis acquieſcit cogitatio; ſed fluctuantis adinſtar maris, nunc redit, nunc fugit, &, vnde effugerat, illuc regreditur, iterumq; refugit &c. ſic Caliſtus apud Bracciol. de Cruce lib. 19., animi ſui æſtuantis fluxum, ac refluxum, his, aperit:

Mille modi riuolgo, e quella ſteſſo
Ch' hor del vero mi piacque, hor mi diſpiace &c.

Et hoc ipſum eſt, quod hic per adiectiuum *Ancipites* ſignificatur; varias enim in cogitationes abierant, accita inſperatò, Numina, dum cauſam animo peruestigantibus multæ occurrerent, nulla probaretur præcipuè tranquillis, vt rebantur, in rebus. Quid tandem *trepidi* nomine importetur, videas lib. 2. carm. 175. Certè trepidatio ex inſperatis oritur, ac præcipuè ab ijs, quæ fieri non aſſolent, niſi in ſummo rerum diſcrimine, (cuiuſmodi fuiſſe dix. hanc Deorum conuocationem) nam animus, ad malum ſemper credendum pronus, terrore facilè completur, cum anceps hæret, nec quid futurum ſit prænoſcere ſatis poteſt. Hic itaque hos duos naturales effectus, non ſolum copulat Vates naturam imitatus, ſed, deſumptam ex ijs rationem etiam reddit Deorum feſtinationis, nam timentes feſtino ſemper properant gradu. Sic Achemenides ille, qui apud Virg. Æn. 3., in Cyclopum incidit, cum eorum, qui ſecum erant celerem fugam, vrgente timore concitatam deſcriberet, ait:

Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores ſocij vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere &c.

QVÆ CAVSA &c. Rationem aperit, cur ancipites, ac trepidi fuerent Dij: ſecum nempè cogitabant, quæ nam cauſa vrgens adeò adeſſet, vt vocarentur. Aliqui, hunc locum, errore librariorum, arbitrantes corruptum, corrigunt, & legendum aſſerunt: *Quo cauſa*, non quæ cauſa: ſed primo quidem hi dum locum emendare ſtudent, carmen corrumpunt; ſecundo idem tandem dictitant per diuerſa: nam iuxta horum ſententiam ſenſus erit: *Cogitabant, quæ cauſa, eos euocaret Iris*: Iuxta autem vulgatam noſtram, actio Iridis in cauſam huius actionis Iridis vocantis refunditur, cum cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, atq; adeò in idem recidit ſenſus: quarè nil arbitror immutandum. Cogitabant itaque, *Quæ cauſa*. Accepta in communi cauſa *ex quo aliquid deſinatur*. Quadruplex à Phyſ. aſſignatur, nempe efficiens, materialis, formalis, finalis. Hic certum eſt finalem inquiri: finis enim eſt *cuius gratia ſit aliquid*; & cum finis primus ſit in intentione, vltimus verò in executione, ſequitur, vt huiuſmodi finem Dij ignorare cogerentur, quippe qui mentem ſummi Iouis nullatenùs penetrarent. Cum autem plures fines, quorum gratia aliquid fiat, excogitari poſſint, hinc eſt, vt Dij ancipites eſſent, atq; expectatione anxij.

EXCIERIT, (pro excineriit, per Sincopen) QVIETOS. *Excire* eſt extra aliquem locum accire. *Quietus* vero à quiete dicitur, quaſi *quietem tenens*: quarè idem eſt, ac *tranquillus, pacatus*, & nulla vel extrinſeca, vel intrinſeca, perturbatione agitatus. Iam itaque rationem aſſignatam, cur *trepidi* accurrerent Dij: nempe quia Deos, quiete ſua tutos, nunquam Iupiter excire, eorumq; otia interturbare ſolitus fuerat, ex

quo

quo graue quoddam ominabantur malum. Adde quietos appellaſſe Deos, hoc eſt *nocturno conſopitos quiete*, nam intempeſta nocte factam huiuſmodi conuocationem mox videbimus; & ideò multo magis trepidare debuerunt, cum tali, ac tam inopportuno tempore vocarentur.

QVAE RES AGITANDA. Nouerant ex Iri Numina ſe à Ioue ad concilium conuocari, ſed quid in diuino agitandum eſſet Senatu tunc temporis ea prorſus latebat; ideò cogitabant, quodnam tam vrgens negotium interrumperet otium. Agitare autem, à quo partic. futuri temp. paſſ. *agitanda*, idem eſt, ac *diſcutere*, diſcuti enim in Concilio dicuntur, quæ per diuerſas ſententias examinanda, ad deliberandum proponuntur.

TANTO TVMVLTV. tàm ingenti, tàm magno, tàm accelerato, atq; intempeſtiuo; hæc enim omnia ſonat particula *tanto*. De tumultu vide dicta lib. 2. carm. 154. Hìc ponitur pro perturbatione Dijs ipſis iniecta, pro feſtinatione iniuncta, pro ipſo Deorum feſtinato vndiq; concurſu, ac mentis agitatione.

VT PATVIT &c. Quibus curis impliciti, iter ex remotiſſimis ſedibus, Cælum verſus, arripuerint non minùs, quam abſumpſerint Numina, deſcripſit Vates. Nunc quomodo ſe habuerint in termino; quomodo ſedes vnicuiq; pro meritis attributæ fuerint recenſet, ac primo ingreſſum notat eorundem in ſupremum illud conclaue. *Vt patuit &c.* Particula *vt* aduerbium temporis, hoc loco, eſt, idem ſonans, ac *quando*, ſeù *ſtatim ac*; ideò indicatiuo iungitur, non coniunctiuo: ſicuti in hac eadem ſignificatione ea vtitur Virg. Aen. pri. dicens:

Vt ſpolia, vt currus, vtq; ipſum corpus amici,
Se quoq; Principibus permixtum agnouit Achiuis &c.

Patere autem idem eſt, ac *apertum eſſe*, ſeù *aperiri*; quarè ſenſus eſt *ſtatim, ac aperta fuit domus &c.* Suſpicari quis poſſet adnotatum his verbis tempus initi concilij, illudq;, Aurora illuceſcente intromiſſum declarari. Nam Cælum aperiri dicitur, vt in 10. Æn. aſſerit, Seruius, cum Dies illuceſcit, claudi verò, cum Nox ingruit; atq; hoc eſſe Poetis familiare comprobat ex alio Virgilij loco, nempe ex Æn. pri., vbi, cum Virg., ore Aeneæ loquentis, defuturum aſſerat Diem, Noctemque ſucceſſuram, antequam Troianorum calamitates recenſeat cunctas, noctem per Cælum clauſum connotat, dum ſic habet ibi:

O' Dea, ſi prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales noſtrorum audire laborum
Ante Diem clauſo componet veſper Olympo &c.

Verùm huic explicationi obſtat, vt arbitror, ille ipſe finis, cuius gratia ſolicitus Iupiter concilium iuſſerat euocandum, effecturus ſcilicet, vt ignotus Cereri raptor remaneret; nam hic finis dilationem non patiebatur prohibitionis faciendæ, ne quis Deorum detegeret Raptorem, præcipuè cum, vt inferiùs videbimus, occultis illicò ſtimulis eadem nocte Ceres ad inquirendum excitaretur. Quare, cum ſciret Iupiter, cauendum ne parua mora infinita fieret iactura, nullo modo probabile eſt, eum in nouam vſq; lucem negotium diſtuliſſe; ſed immò, dum apud Inferos nuptialia peragerentur, eodem tempore, Iouem, de præcauendo, ne quid Ceres reſciret, agitaſſe, vt clarè notat particula illa *Interea*, initio libri appoſita.

Dices particulam illam referri ad tempus, quo miſſa fuerit Iris; non ad tempus concilij peragendi, licet enim intempeſta nocte miſſa fuerit, cum tamen remotiſſimas adire regiones, ex quibus euocanda Numina eſſent, in ictu oculi potuit: quarè nil mirum, ſi in matutinam horam diſtractum fuerit Concilium, vt interim Numina conuenirent.

Obſtat tamen huic eidem moræ Iris celeritas, Zephyris ad exequendum munus inuecta, vt diximus: obſtat increpatio, quam in Nymphas euibrat morantes, quæ omnia oſtendunt ſumma celeritate concilium conuocatum: & obſtat anxius Deorum timor, quo præcipites in concilium agerentur.

Subdes: Miſſa Iris volatu dicitur colorato aerem permeaſſe; ſed id non potuit, niſi illuceſcente die, quia nullus ſine luce color; ergo &c. & adde, quod Iridis colores ex ſola reflexione lucis efficiuntur, vt nos ipſi lib. 2. docuimus.

Verùm neq; id euincit intentum. Nam Iris hic non ponitur pro arcu, qui via Iridis dicitur à Virg. Aen. 3., ſed pro ipſa arcuati tramitis Dea, ſemper ante Iouis ſolium aſſiſtente, & cuius Alæ colores ſemper induant arcus; atq; adeò, quacunq; hora moueatur, ſemper erit verum dicere, eam volatu colorato euolare; nam etiam, ſine luce, colores omninò rebus inſunt, licet viſibiles non effulgeant.

Potius itaque ante diem peractum fuiſſe concilium deducitur ex textu ipſo, dum habet: *Vt patuit ſtellata Domus*; apertè enim tempus notat nocturnum, quo ſcilicet ſtellæ effulgent in Cælo: & hoc præcipue, ſpectato Poetarum ſenſu, qui ſtellas occidere, ac denuò oriri dictitant; nam, ſi ſtellæ erant in Cælo, certe nox erat; cum enim in occaſum vergerent, eas ſinu maris excipi fabulabantur, vt noſtis. Immò etiam ex conſequentibus deducitur, nam, vt videbimus inferiùs, eodem tempore, quo Concilium, apud Iouem, haberetur, Ceres, apud Cybelem terrebatur in ſomnijs, & apertè notatur nocturnum horum tempus terrorum: ergo & nox erat adhùc, dum cœleſte concilium haberetur. Concludo igitur, Vatem, hoc loco, non tempus illuceſcentis diei notare voluiſſe, ſed tempus admiſſionis Deorum in conclaue tunc fuiſſe, cum *patuit ſtellata domus*: & Principum mores imitatum fuiſſe, qui, Satrapis ad Concilium vocatis, in intimis tamen penetralibus degunt, donec omnes, qui acciti fuerint, in Procætium (vulgò *Anticamera*) vel in atrium conuenerint; quibus omnibus ibidem congregatis, tunc Aulæa tolluntur, apertoq; regio conclaui, vbi Rex aſſideat, in conſpectum adducuntur conſiliarij, vt quid, & de quo agendum percipiant, & agitent. Sic ſphœræ ſunt quaſi atria, & Procætia Cæleſtis Regiæ; Cælum autem ſtellatum, nempè octaua ſphœra, conclaue erit, vbi concilium congregandum aſſideret: in intimis autem penetralibus, nempè in ſuperioribus cælis, de quibus infra, Iupiter degere credendus eſt. In ſeptima itaque ſphœra manſionem feciſſe Numina, ad Concilium accita, donec, congregatis omnibus, Cælum ſtellatum, regium nempè Iouis Conclaue, apertum fuit, introductiq; vocati ad Concilium Dij. Eodem ferè modo loquitur Virg., qui cum in calce libri 9. deſcripſiſſet Troianorum Certamen in Turnum &c. quod certè, adulta iam admodum luce peragebatur; non verò ante Diem, vel oriente vix Die initio 10. Aen. Iouem inducens Deos in Concilium vocantem, vt vetaret vlteriùs in Troianos iam deſæuire, ſic exorditur.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumq; vocat Diuum Pater, atq; hominum Rex
Sydeream in ſedem &c.

Vbi Seruius explicans verbum *panditur*, cum expoſitionem ſupra traditam tetulerit, quaſi, quæ dixerat, corrigens ſubdit: *Quamquam panditur Cælum etiam ſimpliciter poſſumus accipere, pro quouis tempore, ſcilicet, ad Numina conuocanda, quod melius erit.* Quamobrem nil mirum ſi & ego, ſententiam ſecutus, in ſenſu, à tempore præciſiuo, explicuerim Auctoris verba: *Vt patuit*

STELLATA DOMVS. Locus commodæ habitationis *domus* appellatur, vt noſtis: *Stellata* autem idem eſt, ac *ſtellis referta*. Quarè, per ſtellatam domum, octauam, vt diximus, ſphœram ſignat, quæ ſola eſt ſtellarum omnium fixarum ſedes, cum reliquæ omnes inferiores ſphœræ, quæ Planetarum dicuntur vnicum ſingulæ deferant ſydus. Verùm & hic obijci poſſet; non ſatis Vatem congruere cum receptiſſimo Ariſtot. de Cælo ſiſtemmate, quod, cum infimam, ſupra ignem, ſphœram Lunæ attribuat, ſecundam Mercurio, tertiam Veneri, quartam Soli, quintam Marti, ſextam Ioui, ſeptimam Saturno, ſatis comprobat, Cælum Iouis ſextum eſſe Cælum, non autem octauam ſphœram, ſeù potiùs Cælum Criſtallinum, ad quod per ſtellatum Cælum ingreſſus pateat adeuntibus. Verùm aduerte Ariſt. in ſuo illo ſiſtemmate ſedes Planetarum ordinatim profectò recenſere; ſed Iouem non conſiderari hic ab Auctore noſtro, vt ſydus, inter errantia, beneficum: ſed, vt Deum, iuxta fabulas, Deorum omnium Regem: atq; adeò, eſto, proprium ſyderis ſit ſextum cælum Iupiter tamen ſtellæ ſuæ dominator, ſummum obtinens imperium. ſummum etiam cælorum ſibi vindicat in ſedem; quod & Virg. cit. Aen. 10. aſſeruit, dum textum proſequens ſupra exaratum ait:

Sydeream in ſedem terras vnde arduus omnes,
Caſtraq; Dardanidum ſpectat, populoſq; Latinos.

CONSIDERE IVSSI. Satrapum adhùc mores imitatur; ij enim, adſtante ſummo rerum Imperatore, nunquam aſſident, niſi accepto priùs Imperantis nutu: vice autem verſa, vt benignitatem præſeferant imperantes, ſtatim ac in ſolium deuenere, annuere congregatis ſolent, vt ſedeant, ſententiam excepturi. Adſtabant igitur & Cælorum Proceres Ioui: at ille ſtatim iubet, vt ſedeant eiuſdem audituri ſermonem. Verba in aperto iam ſunt ex dictis. Tantum noto altercationes eſſe inter aliquos de ſignificatione verbi *conſidere*; alij enim volunt, idem eſſe, ac *conſedère*, hoc eſt *ſimul ſedere*: alij dicunt, differre verbum *conſido* à *conſedeo*, eo, quod

conſedere quietem perdurantem ſignificet, *conſidere* verò tranſeuntem, velut cum viatores, itinere fatigati, alicubi ſedent, ſed quaſi adhuc in motu breuiſſimam ſcilicet poſt moram digreſſuri. Ego, vt fatear, non video hanc diſtinctionem communiter vſurpatam: immò apud Virg. Æn.pri. Didonem hoc verbo viam inuenio ad exprimendam firmam, certam, & non amouibilem quietem, dum enim Troadas inuitat ad figendas ſedes, eaſdem in Regni partem acceptura, ſic habet:

Vultis & his mecum pariter conſidere Regnis?
Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt: ſubducite naues &c.

Clarius Æn. 6., Æneas, finem laboribus, ac peregrinationibus implorans, hoc eodem vtitur verbo, vt quietem, quam tandem imperturbabilem, immotamq; exoptaret, expoſcat,

. . . . *Tuq; ò ſanctiſſima Vates,*
Praſcia venturi, da (non indebita poſco
Regna meis Fatis) Latio conſidere Teucros,
Errantesq; Deos, agitataq; Numina Troiæ,

Certè hic ab Auctore etiam noſtro pro eodem, ac *conſedeo* ponitur, vt patet, dum ſubdit *Cælestibus ordine ſedes prima datur &c.* Quod ſi quis mordicùs contenderet, ſeruandam eſſe diſtinctionem, adhuc ab hoc conſeſſu non diſſentio; nam Dij ex itinere venerant, vt vidimus, mox ad ſua, peracto Concilio, redituri.

NEC CONFVSVS HONOR. Quæ dicta ſuperiùs ſunt de trepidatione, ac feſtinatione Deorum, nec non de periculo, quod eſſet in mora, ſi res diutiùs protraheretur, videtur anſam præbuiſſe exiſtimandi, futurum, vt concilium illud, raptim confuſe, tumultuariè, ac nullo ſeruato ordine habendum eſſe. Verùm non poterat Iouem latere eximium illud præſtantiſſimæ dictamen Prudentiæ: nempe *Antequam quid facias, conſulito: vbi autem conſulueris, maturè facto opus eſt.* Ideò ne videretur Iupiter inconſultò agere, omnia ex præmeditato peracta oſtendit Vates, ita vt, in ipſo feſtinantium tumultu, ordo, tumultuationis excluſiuus, eluceſceret. Quare agnoſcenda eſt, vt emphatica coniunctio illa disiunctiua *Nec confuſus honor*: quaſi dixerit: Ex multitudine confuſio, vt dici ſolet: Nec tamen hanc in multitudinem Deorum irrepſit confuſio, ſed ordo ſeruatus eſt maximus. Alij legunt *Non confuſus honos* cum Parrhaſ. ſed diſſectus nimis, ac præruptus efficitur ſenſus, vt legenti patet: quare vulgata perplacet cum Heinſio, qui licet *Honos* legat, non *honor*. nullam hæc litteræ mutatio variationem importat. *Confuſum* porrò dicitur, quod nulla habita ratione partium, quaſi fortuitò, ex diuerſis coaleſcit, aggregatum per accidens. Quare tunc concilium diceretur confuſum, quando nulla dignitatum habita conſideratione, nullo graduum reſpectu, nulla honoris diſtinctione, conſiliarij omnes promiſcue, quam ſors obtulerit, ſedem occuparent; quod hic negat Vates euenisse. Honor verò accipitur, hoc loco pro reuerentiâ cuiq; iuxta graduum exhibendâ, ſeù pro maieſtate, ac præcedentia ſedendi iuxta meritorum varietatem, ac dignitatum. Attingit autem hic alluſiue Vates ordinem in Senatorio Romanorum conſeſſu ſolitum obſeruari, vt ordinis methodum conſideranti facilè patebit. Cum enim, electis Regibus, Reſpub. floruit Romana, vbi primum, ex inſtituto Romuli, centum tantummodo Senatores deligebantur ad regimen, electis, inquam, Regibus, habita ratione virtutis potiùs, quam originis, non ſolum ex patricio, ſed etiam ex equeſtri ordine, ac plebeio in Senatum præcipui admittebantur, vt patet ex Hiſt. Rom. apud Liu. Primus tamen in Senatu honor Conſularium erat, ſecundus Patriciorum, tertius Equeſtrium &c. & ratio etiam antiquitatis, cæteris paribus ſeruabatur. Sic itaque & Auctor noſter ſedes diſtribuit ſupremi Concilij. Ideò

PRIMA ORDINE SEDES DATVR CÆLESTIBVS. *Primam*, hoc loco, non quo ad numerum, ſed quo ad dignitatem, ac præeminentiam, intelligas: *Primas* hoc eſt *Principales*. Et, ſi ad numerum referri velis, primam intelligas eam, quæ immediatè poſt ipſam Iouis ſolium aſſurgit collocata. Quid ſedes ſit notiſſimum eſt; ſed aduerte poſitum hic numerum vnitatis pro numero multitudinis, nempè pro ſedibus omnibus primam immediatè circa Iouem coronam ſtatuentibus. Ideò primam *ordine*, nempe *primam in ordine*. Sed & alium habet reſpectum illa particula *ordine*, quam hic duplici fungi munere non ambigo; nam, præter reſpectum ad locum, dicit etiam reſpectum ad exigentiam ritè conſtitutæ diſpoſitionis, oſtendit enim, iuxta debitam diſpoſitionem, ſedes principales principalibus ritè Numinibus aſſignatas; ideo *Datur prima cæleſtibus*, id eſt in iis primùs conſidere iubentur cæleſtes Dij. Vbi aduerte nomen *cæleſtibus* poſitum hic ad modum ſubſtantiui antonomaſticè vſurpari, quaſi indicet ſolos cæleſtes, in comparatione aliorum Deos abſolute dici poſſe: adeo cæteros dignitatis, ac diuinitatis præſtantia antecellunt. Ducor ad ita intelligendum hunc locum, quia Vates dum maris Deos recenſet, non dixit abſolutè *Æquorei*, ſed addidit *Proceres*: vbi noto, ne dignatum eos quidem fuiſſe nomine Deorum, ſed Procerum tantummodo; quaſi dixerit Deos quidem, & eos eſſe, ſed, cæleſtibus comparatos, eſſe ad inſtar ſtellarum, quæ ſi cum Sole concurrant, ſplendorem amittunt, & nomen. ſicq; rationem implicitè reddit, cur data cæleſtibus prima fuerit ſedes.

ÆQVOREI PROCERES. Aſſignatâ primâ cælitibus ſede, ſecundam æquoreis Numinibus datam refert, qui æquorei ab æquore dicti ſint. Sed cur *Proceres*, non *omnes*, non *Deos* dixerit, inquirendum. *Proceres* dicuntur capita trabium, hoc eſt mutuli quidam è parietibus prominentes; per tranſlationem verò hoc idem nomen ſignificat Principes, & Magnates Vrbium, Prouinciarum, ac Regnorum, eo, quod & ipſi cæteris emineant. Vtitur itaq; diſtinctione Vates, dum æquoreis Numinibus attributas recenſet ſedes, vt noueris non omnia indiſcriminatim maris numina ſecundum, poſt Cælites, locum obtinuiſſe; ſed habito priùs delectu; nam in Mari dantur & Principes Dij, & Dij minores; dantur Nymphæ principales; & dantur Nymphæ ſubſeruientes, vt patet, apud Poetas, vbicumq; de Satellitio Neptuni, & Amphytrites loquuntur. Principes tantum itaq; ex æquoreis ſedes ſecundas obtinuiſſe declarat, nam reliquos reiicit inter eos, de quibus dicetur inferius: *Plebeis ſtat cætera vitro numinibus.* Hac eadem diſtinctione vſum fuiſſe Auctorem, etiam reſpectu cæleſtium, videtur inſinuare Parrhaſ. dum ſic ait: *Datur cæleſtibus. Dijs ſuperis, & quos primos, quos ſelectos appellant, quorum nomina Quinti Ennius hoc diſticho complexus eſt,*

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Sed hinc abfuiſſe Cererem non eſt admonendum &c. Et iure profectò vocata Ceres non fuerat, quippe ea, contra quam Concilium illud haberetur. Aduerte tamen nullum Deorum Cæleſtium à Parrhaſio excluſum à primis ſedibus fuiſſe, ſi bene eius verba perpendamus; ſed tantum aſſeruiſſe etiam inter ipſos ſeruatum fuiſſe ordinem, ita vt, in eodem ordine ſedilium primo, ſedentes quidem eſſent omnes, ſed primas teneret ſedes, qui digniores eſſent, ad quos ſubinde ſequerentur alijs in ſedibus in ordine eodem collocatis, qui minus excellerent dignitati: quare nil noſtræ explicationi refragatur Parrhaſius.

TENVERE TRACTVM SECVNDVM. *Tractus* idem ſonat, ac *ſpatium*: *tenuere*, hoc eſt expleuere ſedentes, ac circa Iouem ſecundam obtinentes coronæ ſeriem. Quæ omnia in aperto ſunt ex dictis.

NEREVS PLACIDVS. Quinam fuerint iſti æquorei Proceres iam nominatim recenſet, ac primo loco Nereum, quem Patrem Amphytrites Maris Reginæ fuiſſe lib. 1. carm. 134. iam vidimus, iure ponit; nam, ſi Orpheo credamus eum, in Argonauticis, Deorum antiquiſſimum vocanti, iuxta Græcum eiuſdem carmen ſic apud Mythol. Nat. Com. lib. 8 cap. tranſlatum,

Nerea, cui priſcum genus eſt, hùc aurò vocemus,

atq; ſi vera ſit Heſiodi ſententia, qui, in Theogonia ſua, (vt nos etiam vidimus lib. 1. carm. 143.) eum aſſerit Oceani, & Tethyos filium, fratremque Doridis, quam & vxorem duxerit, dicendum erit, Nereum ad Iouis dignitatem valde accedere; cum & Iuppiter Iunonem ſororem habeat, ac coniugem. Quare iure æquoreorum hic princeps conſtituitur, ipſiuſq; Neptuni locum tenens. Quinquaginta hic filias dicitur procreaſſe, quas omnes, patronimico nomine, Nereidas appellarunt: hunc mari præeſſe, atq; in Ægeo habitare ſolitum tradunt, ac choreis puellarum mirificè delectari; quod in cauſa fuit, vt & hic placidus a placendo diceretur, nam placeat neceſſe eſt, qui choreis addictus puellas allicit. Vel dicas *placidum* vocari, id eſt nullis agitatum perturbationibus, vt aptior eſſet ad conſilia, cum enim pro ipſo mari ſumatur Nereus, tunc perplacet mare, cum nullis tempeſtatum fragoribus agitatur.

ET CANITIES LVCIDA PHORCI. Proximum Nereo conſtituit Phorcum. Fuit autem Phorcus, vt ferunt, antiquorum fabulæ, Ponti, ſeu, quod idem eſt, Oceani, & terræ filius, conſequenter & Nerei, ex parte Patris frater, licet diuerſa genitus ex Matre; atq; ideo certe inter Maris Proceres computandus. Verum inſurgit difficultas, cur Phorco potius, quam Nereo canitiem tribuat Vates, cum

Ne-

Nereus antiquiſſimus Deorum, vt diximus, cenſeatur. Fabulatur, cum Heſiodo, Parrhaſ. in hunc locum inquiens: *Phorcus Ponti filius, Nerei frater, Graeas à partu ſtatim canas ex Ceto ſorore ſuſcepit, quas intelligit Claud. alioquin Canitiem canitiem Nereo magis congrueret, qui natu grandior fuerit*, Fabulatur, inquam, Parrhaſ. & dum, fabuloſo effugio, difficultatem eludere conatur, in maiorem incidit, nam, ſi Graeas ex ſorore genuit Phorcus, certe & illæ in Æquoreorum Numinum cætu adnumeratæ fuerint, neceſſe eſt; atq; ipſo teste Parrhaſ. proprijs ab Heſiodo nominibus, nempè Pemphredo, & Ænyo ſunt appellatæ, quibus tertiam addidit Pherecidem Panon dictam; ergo diſtinctas à Patre ſuſtinuere perſonas, diſtincta fuere numina. Si itaq; per Canitiem Phorci *Graeas* Claudianus intellexiſſet, iam ipſas, non Patrem, poſt Nereum conſediſſe aſſeruiſſet; quod eſt omninò falſum, nam ordinem inuertiſſet, quem inino ſeruatum propoſuerat; præponeret enim Deas illas Protheo, quem ſecutum mox ſubdit. ſicq; & ſexus conditioni, & antianitatis legibus, & dignitatum ordini derogaſſet; nam Protheus Maris Princeps &c. vt videbimus in loco, quæ certè Graeis non conpetit niſi ſecundariò, quatenus ſcilicet Phorci filiæ ſint. Scio dicturum fortaſſis Parrhaſ. ſe non locutum in hoc ſenſu, ſed tantum affirmaſſe, Phorcum *canum* fuiſſe appellatum à Vate ad filias reſpiciente; nam, ſicut Pallida mors dicitur, non quia pallida ſit, ſed quod pallidos efficiat, idq; per Metonym. ſic Phorcus dici potuit *canus*, non quia talis ſit, ſed quia canas procreauerit Filias. Verum hæc profectò Metonym. procederet, ſi Phorcus, ex natura ſua, canas producere, habuiſſet; diceretur enim tunc *canus* potentia, non actu; ſeù cauſatiuè, non formaliter. Aſt canities in Filijs, per accidens eſt, & monſtro ſimilis, non verò ex vi habetur generantis, ſicuti loco prodigij habitum ſemper, ſi filius in cæſariem naſcatur capillatus. Inſuper bene procederet Metonym. ſi hæc canities diſtinctam, ac relatiuè oppoſitam perſonam non deſignaret, quaſi proprietas quarto modo; ex quo fit, vt ex hac proprietate non alia perſona intelligi poſſit, quàm illa, cuius de facto eſt proprietas. Relictâ itaq; Parrhaſij fabula, veram aliunde denominationis rationem peruelligabimus. Certum itaq; eſt primò, Vatem ſecutum eſſe ſignificationem nominis Græci; nam *Phorcus* græcè Φόρκυς, ideſt Dæmon marinus; δαίμων autem apud græcos idem ſonat, ac *Deus*, & ſapiens; quare idem eſt dicere *Phorcus*, ac *Deus ſapiens maris*. Omitto ſapientiam ſeniorum proprium eſſe, & ſeniores canos eſſe, id ſecum ferente ætate; nam hæc metalepſis maiorem, reſpectu Nerei vim haberet. Mitto etiam Iuuenes ſapientia præditos canos dici; cum ex ſacris litteris cani etiam dicantur ſenſus hominis; nam, licet ad hæc reſpexiſſe Poetam, non negauerim, attamen in his non ſiſtit omninò poeticus Auctoris ſenſus. Certum itaq; ſecundo eſt, Vatem ſecutum etiam græci nominis ethymoli. Φόρκυς itaq; originem trahit a græco nomine Φορκός, quod latinè *canus*, & *albus* eſt. Quarè nil mirum, ſi Vates canitiem attribuat Phorco, qui canitiem ferat in nomine. Verum vlterius quæri poteſt, cur Græci hoc nomine, canitiem importante, Numen iſtud maritimum compellauerint. Aduertendum itaq; inuentores fabularum, Phorci nomine, circularem æquorearum aquarum motum deſignaſſe, & ideò Oceani, ac terræ filium effinxiſſe, quia principium ab Oceano capit, & ab humore in terra exiſtente, ac ſecus littora decurrens, dum terram motu ſuo complectitur Mare, videtur terræ commiſceri, & motum ipſum a terra, qua clauditur, deſumere, cum terræ fluentem ſudorem aliqui mare ipſum dixerint: Cum itaq; ex vndarum ad terram colliſione ſpumæ æquoreæ naſcantur candidæ; hinc eſt vt *Phorcus*, ideſt *ambiens in mari*, ſeu *motus perambiens factus* caneſcere dicatur; quaſi ſpumæ illæ cana ſint Phorci Cæſaries ſuper vndas expanſa; atq; adeò potius dixerim, Phorcum ipſum à natiuitate canum fuiſſe, quam Graeas canas procreaſſe, ex quibus nomen deſumpſerit. Ideò & hic per Canitiem Phorcus deſignatur, & iure. *Lucida* autem illa dicitur, quia ex albicantibus, ac perſpicuis aquarum ſpumis confecta; nam *lucidum* eſt quidquid perſpicuum, & tranſparens eſt. Heinſ. *Cærula* legit, quem non improbo; alij *candida*, ſed ineptè. nam in canitie ſatis expreſſus candor: alij *reuerendaq;* alij *Pallida* &c. Non libuit à vulgata recedere. Aliqui hæc, de Phorco dicta, ad Hiſtoriam traducentes, referunt, Phorcum Sardiniæ, ac Corſicæ Regem fuiſſe, qui, prælio nauali, ab Atlante ſuperatus, demerſuſq; cùm nuſquam apparuiſſet, creditus ſit in Deorum æquoris numerum relatus. Sed hæc nihil ad inſtitutum; nam Vates poeticè loquitur, iuxta fabularum inuentores.

SERIES EXTREMA &c. Tertiam iam cæleſtis illius conſeſſus claſſem exornat: atque in illa, quam extremam vocat, & vltimam, Glaucum, & Protheum diſponit.

Poſſet quis hoc loco Vatem de incongruentiâ redarguere; nam & iſti Dij maris ſunt, & quidem, quod ad Protheum ſpectat, eum, putauit Orpheus, claues habere maris, atq; ſic omnibus præeſſe, tamquam vniuerſæ Naturæ principium. Quare ſupra Nereum potiùs videbatur locandus. Quod verò ad Glaucum ſpectat, ipſe apud Ouid. Metam. 13. de ſe ipſo hæc apertè profitetur, dum

> *Non ego prodigium, nec ſum fera belua, Virgo,*
> *Sed Deus, inquit, aquæ; nec maius in æquore Protheus*
> *Ius habet, aut Triton, Athamantiadeſq; Palæmon.*

quare Protheo quidem iungendus, ſed ſupra Nereum videbatur, ob rationem ſuprà indicatam. Verùm, iure optimo, extremum eorum ſedem relectos à Vate non ambigo, vt ex dicendis patebit.

SERIES EXTREMA. *Series* nil aliud eſt, quàm *ordo*, ſeu potiùs *continuata ordinata diſpoſitio*. Quare indicat hic Vates, extremas, quas hic memorat, ſedes ſeriem quidem continuaſſe, æquoreis Numinibus aſſignatam; ſed ita in extremitate ordinis fuiſſe collocatis, vt, licet in eadem ſerie, diſtinctam tamen, & inferiorem claſſem efficere viderentur. Ideò *ſeries extrema*, ideſt *vltima*, ac *poſtremo loco diſpoſita*.

ACCIPIT (hoc eſt, ſuis recipit in ſedibus) GLAVCVM. Filius Polybi Glaucus ortum habuit, in Vrbe maritima Bœotiæ, Anthedon (vulgò *di Negroponte*) nuncupatâ: &, piſcator cum eſſet, forte Piſces, aliquando captos, in prato expoſuit, qui tactis herbis, quibus excepti fuerant, nouo vigore repleri, ſe ſe iterum in mare proripuerunt, quod miratus prodigium, Glaucus, &, vim aliquam diuinitatis ineſſe herbis illis, iam ratus, ipſe quoque cæpit illas herbas, in quibus piſces iacuerant, dentibus mandere; ſtatimq;, alienatus à mente, ex edito loco ſe ſe præcipitem dedit in pelagum, eumq; ſubinde Maris Dij, miſeratione tacti, in Deum marinum transformarunt. Seriem ipſe idem fortunæ ſuæ ſic pandit apud Ouid. Metam. 13. etc.

> *Ante tamen mortalis eram, ſed ſcilicet, altis*
> *Deditus æquoribus, tantùm exercebar in illis;*
> *Nam modo ducebam ducentia retia piſces;*
> *Nunc in mole ſedens moderabar arundine linum.*
> *Sunt viridi prato confinia littora, quorum*
> *Altera pars vndis, pars altera cingitur herbis &c.*

mox ſubdit: *Ego primus*

> *Ceſpite conſedi, dum lina madentia ſicco,*
> *Vtq; recenſerem, captiuos ordine piſces,*
> *Inſuper expoſui &c.* Et ſequitur:
> *Gramine contacto cæpit mea præda moueri,*
> *Et mutare latus, terràq;, vt in æquore, niti;*
> *Dumq; moror, miror; ſimul, fugit omnis in vndas*
> *Turba ſuas, dominumq; nouum, littuſq; relinquunt.*
> *Obſtupui, dubitoq; diu; cauſamq; requiro;*
> *Num Deus hoc aliquis, num ſuccus fecerit herbæ?*
> *Quæ tamen has, inquam, vires habet herba? manuq;*
> *Pabula decerpſi, decerptaq; dente momordi.*
> *Vix bene combiberant ignotos guttura ſuccos,*
> *Cum ſubito trepidare intus præcordia ſenſi;*
> *Alteriuſq; rapi naturæ pectus amore.*
> *Nec potui reſtare diu: repetendaq; nunquam,*
> *Terra, Vale, dixi, corpuſq; ſub æquore merſi.*
> *Dij maris exceptum ſocio dignantur honore &c.*

Scio, hanc fabulam à Palephato ad hiſtoriam reduci; id enim confictum ait ipſe, quòd Glaucus optimus fuerit Venator; qui, cum ſub vndis nataret, in Inſulam quamdam, cultoribus vacuam dicitur penetraſſe, vbi tres, aut plures dies commoratus, eâdem tandem viâ profundo remensâ natatu, ad ſuos emergens, ſe apud marinos Deos fuiſſe profitebatur; ſicq; rudibus tunc hominibus facilè perſuaſit, ſe maximum Deum effectum fuiſſe. Verùm Ouidio inhæret Auctor; quare nil eſt, cur hiſtoriam diſcutiamus. Hinc certè habes, cur, iure merito, Glaucus poſtrema in ſede fuerit collocatus, quia videlicet alij, ſupradicti, Dij fuerant naturâ, & origine, hic verò ex mortali, per gratiam in Deorum numerum receptus, ipſorum potiùs commiſeratione, quam merito illius eiuſdem.

BIFORMEM. Biformis dicitur, qui duas habeat formas: Sic Virg. Minotaurum appellat biformem, mixtum ſcilicet ex homine, & Tauro monſtrum, Æn. 5.

> *Hic crudelis amor Tauri, ſuppoſtaq; furto*
> *Paſiphae, mixtumq; genus, proleſq; biformis.*

Sicq;

Sicq; eodem libro Scyllam, humanâ ſurſum venuſtam ſpecie, inferius verò caninis horrentem rictibus, biformem dicit, & Centauros ex homine, & equo coaleſcentes

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaq; biformes.

Quare inueſtigandum remanet, cur Claudianus Glaucum pariter biformem appellauerit. Sciendum itaque, Glaucum compoſitum aſſeri ex homine, & piſce, ita vt partes ſupremæ humanam ſeruent naturam, ac ſpeciem; inferiores verò piſcis induant naturam: atque hinc fortaſſis originem duxit duplicata de Glauco fabula, qua ſcilicet alij dicunt in Deum marinum, alij verò in Balenam transformatum. Hanc duplicis naturæ in ſe ipſo vnionem refert ipſe idem apud Ouid. cit., dum ſic Scyllam alloquitur.

Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam,
Cæſariemq; meam, quam longa per æquora verro,
Ingenteſq; humeros, & Cerula brachia vidi;
Cruraq; pinnigero curuata nouiſſima piſce.

ET PROTHEA. græco more, cuius loco nos Protheum inflectimus. Porrò Protheus Deus & ipſe Maris fuit Neptuni ex Phœnice Nympha filius, ſi Zezi, ac Stephano credamus: quare ponendus maxime inter Proceres, vt ſupra innuimus, videbatur; hocq; potiſſimum, ſpectato eiuſdem nomine; nam πρωτευς iſte dicitur, & πρωτιος, apud Græcos Princeps dicitur, ſeu Primas, nam eadem vtuntur voce etiam ad Primates exprimendos. Verùm hunc ipſum ex homine Deum factum dicent fortaſſis aliqui; nam, vt idem Stephanus ait, oppido imperauit, in finibus Macedoniæ poſito, ab ea parte, quæ Thraciā ſpectat, quod Pallene dictum ferunt. Ibi ex Toronide puella, quam in matrimonium duxiſſet, Tmolum, & Telegonum, filios dicitur ſuſcepiſſe, qui tantæ fuerint crudelitatis, vt, quotquot hoſpites aduentarent, ſuctâ ſuperatos, neci traderent. Offenſus itaque Protheus, vt ferunt, filiorum immanitate, à Neptuno patre exoptauit, vt, ductis per maris vada cuniculis, in Ægyptum, occultus, poſſet penetrare; cuius preces cum audiſſet Pater, e quodam Pallenes hiatu ſpeluncam ſub mari deduxit, qua Protheum in Ægyptum vſque ſiccum, perduxit; vbi & Regno potitus ſit. Porrò, inter regia Ægyptiorum inſignia, variæ Diadematum ſpecies enumerantur à Pier. lib. hierog. 41. aliqua enim in ſpeciem arboris erigebantur; aliqua in flammarum ſurſum emicantium ſplendorem; aliqua ſuccreſcentem florem imitabantur: quandoque etiam varias in ſpecies criſtarum plumas ſpectare erat diſpoſitas &c. quæ omnia ad decorem modò, modò ad ſtuporem comparabantur: cùm itaque his inſignibus variè vteretur Protheus, ita vt varius ſemper in huiuſmodi ornatibus appareret, datus dicitur fabulæ locus, quia dictus eſt in varias ſe ſe formas commutare ſolitus; Superſtitio enim apud Ægyptios inualuerat, vt crederent, Regem ſuum eam induere naturam, cuius inſignia geſtaret: quare ſi Leonem, Taurum, Draconem &c. in diadematis apicem ſuſtuliſſet, naturas huiuſmodi aſſumere, quò ad affectum, ſi non quo ad effectum credebatur. Nec mirum hoc apud Ægyptios, qui Reges ſuos, vt Deos, venerarentur, & quorum ritus ad alias etiam tranſijt nationes, ita vt tandem Romani non ſolum Reges ſuos, ſed & vxores, & filios eorum diuinis honoribus honeſtauerint, ac, templis etiam dicatis, Deos eſſe profeſſi fuerint. Hæc certè de Protheo ex cit. Auctoribus inuenio; quibus poſitis, ſatis ferè in comperto eſſet, eandem propemodum, licet non omninò rationem militare, quam de Glauco attulimus. Sed, vt fatear, neque hoc ipſum caret difficultate; nam ſi Neptuni ex Phœnice Nympha filius fuit certè ex Dijs genitoribus Deus ex natura ſua procedere debuit, non verò homo, qui poſtea mutaretur in Deum. Quare plures arbitror fuiſſe Protheos, quorum actiones omnes ad Deum tantummodò Marinum deferantur. Nam, ſicuti Zezis Protheum dixit Neptuni ex Phœnice filium, ſic Xantippus filium dixit Oceani, & Tethyos: non poteſt autem idem ex geminâ, certè, diſtinctâ, diuerſâq. Matre ortum ducere. Item, Diodorus Protheum Aegypti Regem ſtatuit; Lucianus verò in Dialogo, qui *Nauigium* inſcribitur, nauclerum facit peritiſſimum; & in Dialogo de ſaltatione Hiſtrionem fuiſſe Protheum aſſeuerat, qui in varias formas mutari diceretur, eo, quòd varias in theatris perſonas aptiſſimè repræſentaret; quæ omnia vni ſane conuenire non poſſunt, vt patet conſideranti. Quare aliam viam arbitror ineundam, ne de incongruentia redarguatur Claudianus. Dupliciter igitur conſiderari Protheus poteſt, vel iuxta fabulas, vel iuxta ſenſum veritatis, ſub ipſis latentem fabulis. Iuxta fabulas Deus Maris fuit; ſed talis, vt in terris pariter, ac in mari degeret; quare non videbatur, omninò cum cæteris Dijs, tantummodo marinis, conuenire; ſed & terreſtrem ſimul eſſe, & maritimum. Incolam profectò Maris eum facit Ouid., Metam. 8., vbi enumerans eos, quibus datum fuerat, ſe ſe in varias vertere formas, primo loco Protheum ponit: ſecundo Metram Erychſitonis filiam; quibus ab alijs additur Tethys, & Peryclimenus, Neſtoris frater, Nelei, & Polymelæ filius: & ſic de Protheo loquitur Ouid.

Vt tibi complexi terram Maris incola Protheu.

In terris verò degentem indicat Homer. Odiſſeæ 4., cuius græca carmina ſic reddit Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 8.

Cum medios radijs iam Sol aſcenderit æſtus,
Aequoreus ſolet ire ſenex in littora verax.
Hunc Zephyro afflata ſenem tegit alga marina
Quem circum Phocæ in ſpelunca, e fluctibus altis
Egreſſæ capiunt placidam per membra quietem.

dicitur enim Protheus cuſtos, & paſtor marini gregis à Neptuno conſtitutus: quarè & Hor. lib. pri. carm. od. 2. Diluuium Pyrræ memorans ait:

Omne cum Protheus pecus egit altos
Viſere montes.

Homericum verò locum imitatus Virg. Georg. 4. ait:

Eſt in Carpatio Neptuni gurgite Vates
Cæruleus Protheus, magnum qui piſcibus æquor,
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Aemathiæ portus, patriamq; reuiſit
Pallenem. Hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe
Grandæuus Nereus; nouit namq; omnia Vates,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippè ita Neptuno viſum eſt, immania cuius
Armenta. & turpes paſcit ſub gurgite Phocas.

Vides quomodo hoc loco Virg. ipſe, ſeù potiùs Cyrenes Ariſthei mater, cuius ore loquitur iſte, obſtupeſcat, Neptuni bubulcum eo peruenisſe, vt ab ipſo Nereo veneratione afficeretur; atque, nullam huius rei cauſam inueniens, id refundit in Neptuni, cuius filius, licet degenerans, fuerit, voluntatem ſic diſponentem. Quod eſt dicere, apud Deos, Deaſq; Maris, ac fluuiorum nullius fuiſſe exiſtimationis, ac meriti Protheum; ſed Neptuni fauoribus venerationem obtinuiſſe. Deum tamen marinum fatetur, & maris incolam dum dicit: *Paſcit ſub Gurgite Phocas;* ſed & terreſtrem profitetur, dum ſubdit: *Hic nunc Aemathiæ portus &c.* ſed nec dignatur eum Numinis appellatione, circumlocutione contenta, ex qua, Deum eſſe, deducatur. Verùm parallela Homerici imitatio loci habetur, vbi ſubdit Cyrenes

Ipſa ego te medios cum Sol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori iam gratior vmbra eſt
In ſecreta ſenis ducam, quo feſſus ab vndis
Se recipit &c. . . . quæ apud Autorem perlegeris.

Cum igitur penè Maris impatiens videatur degenerans a Patre Protheus, nil mirum, ſi maris Proceres, tamquam non prorſùs ſuum, intueantur; atq; ideò & ad bubulci munus exercendum reijciantur, & inter Proceres ſedem non habeat, ſicet, vt Neptuno obſequantur, eum cæteroq. venerentur. Ideò, & in hoc cæleſti concilio, vltimam, vel infra glaucum obtinet ſedem, quaſi non prorſus eiuſdem claſſis, cum Maritimis, ſit, qui terrâ ſæpiùs delectetur.

Si verò ſenſum veritatis, his latentem in fabulis, perpendamus; Protheum vim eſſe aeris, ſenſerunt antiqui fabularum Interpretes, vt refert Mythol. cit., quem ideò dicunt Neptuni, ſeù Oceani, filium, quod aer proxime fiat ex aqueis humoribus, extenuatis, atq; ad ſubtilitatem, raritatemque aeri proportionatam redactis; ex quo fit, vt facillimè termino cuicumq; alieno conformentur; ideòq; Protheus dicatur in varias formas abire. Inſuper cum ex aqueis vaporibus nubes efformentur, illaſq; videamus varias induere formas, nam modo Gigantis præferunt ſpeciem, modo Draconem effingunt, modo Taurum, aut Centaurum &c., & in aquam iterùm tandem decidant conuerſæ, nil mirum, ſi varias Protheus induere dicatur formas.

Cum itaque aer maximam quidem habeat cum Oceano connexionem, quippè qui ſemper ſuperficiei aquarum maris indiſſolubiliter adhæreat; iure Protheus, nempe vis aeris, marinus effingitur Deus; ſed tamen, cum extra vndas ipſas verſetur ſemper, licet, vndis incubuiſſe, non pigeat; ſedem etiam habere debuit extra ſeriem aquarum, atq; ideo vltimam; ſed contiguam tamen maritimis Dijs, ſedem debuit obtinere. Et hanc arbitror potiſſimam fuiſſe rationem, cur Claud. vltimam Protheo ſedem, prudentiſſima diſpoſitione aſſignauerit.

MANSVRVM CERTO VVLTV. Protheum vaticinio inſignem fuiſſe, aſſeruerunt Antiqui; ſed ſilentij adeò tena-

ceni,

rem, vt nunquam niſi vi coactus reſponſa tribueret, nullis, aut obſequijs cedens, aut precibus: immò, ſi quando in virum incideret, ad reſponſa promenda coarctantem, tunc, in varias abiens formas, vim cogentem eludere conabatur: & tunc tantum reſponſa promebat tandem, cum, perſeuerante ineluctabiliter vi, in priſtinam redire formam cogebatur. Hanc Numinis proprietatem docuit, apud Homer. lib. Odiſ. 4. Dothea (quam Prothei filiam autumant) Menelaum, de reditu in patriam ambigentem, cum diutius in Ægypto detineretur: docuit enim, vt recentibus Phocarum pellibus, vna cum ſocijs, indutus inter Phocas dormire ſimularent, quo tempore, ſub meridiem, Protheus, in ſiccum exiens, inter Phocas dormire conſueuerat; atq; illum dormientem comprehenderent, tandiuq; detinerent in varias ſe mutantem formas, donec in priſtinam redierit formam; tunc enim futurum, vt demum illis futura omnia prædiceret. Hæc ipſa recenſet Homerum imitata Virgiliana Cyrenes Ariſtheum erudiens Georg. 4. vbi hæc habet:

Hic tibi, Nate, prius vinclis capiendus, vt omnem
Expediat morbi cauſam, euentusq; ſecundet:
Nam, ſine vi, non vlla dabit præcepta; neq; illum
Orando flectes &c.

& cum, ſe ad futuram, ac filium eo ducturam, vbi dormientem facilè poſſet occupare, pollicita eſſet, ſubdit:

Verum, vbi correptum manibus vinclisq; tenebis;
Tum variæ illudent ſpecies, atq; ora ferarum.
Fiet enim ſubito Sus horridus, atraq; Tigris,
Squammoſusq; draco, & fulua ceruice leæna:
Aut acrem flammæ ſonitum dabit; atq; ita vinclis
Excidet; aut in aquas tenues dilapſus abibit.
Sed, quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tanto, Nate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit, mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina ſomno &c.

Cum itaque has varias formas ad illudendum indueret Protheus; ita cum, in Deorum conſeſſu, adſtantem indicat Vates, vt nullam doli artem meditetur, ideò *manſurum* inquit *certa vultum*. Vultus enim hic ponitur pro *effigie* (vulgo *la ſembianza*) &, quia, ſicuti fons eſt cor, ita vultus ſedes affectuum eſt, *certo vultu*, hoc eſt *immobili* in obſequium affectu manſurus dicitur Protheus. Ex quo obiter nota, quam aptè mores imitetur Poeta: cum enim coram ſupremo Numine adſtamus, in certam Prothei naturam omittere debemus, & nudo, apertoq; vultu: certo, ac firmo ſemper in obſequium animo, adſtare debemus. Sic Satrapæ, qui, in ſua ditione, omnia, pro libito, morant, & ſubuertunt, cum in conſpectu ſummi adſtant Imperantis, nil audent nouitatum attentare. Sic itaque & Protheum Vates hic notat adſtantem.

NEC NON ET SENIBVS FLVVIIS &c. Fluminum Deitates, quippè abſolutum in vndis, non obtinentes Imperium, cum tributariæ ſint, reſpectu æquoreorum Numinum, videbantur a ſupremo excludendæ conſeſſu, atq;, inter inferiores Deos ſedendi gloria priuatos reijciendæ; ſeruato ſcilicet Principum more, quibus coram, ſedere, nefas eſt, eos, qui inferiores, ac gregarij ſint. & præcipuè, ſi tributi ſoluendi onere premantur. Sed, quoniam veneranda ſemper ſenectus eſt, Claudianus, Romanorum mores ſecutus, qui ſenectuti plurimum deferebant, ſummam, hoc loco, Iouis benignitatem oſtentans, datam & ſenibus fluuijs ſedendi gloriam profitetur: atq; adeò, ordinatis ſupremorum Numinum ſedibus, alium inſtruit ſedilium ordinem, quibus fluminum vterentur Deitates, antiquiores tamen ætate, nec, inter ipſas, locorum, in eodem ordine, diſtinctionem ponit; nam cum omnes principalium fluuiorum Dij ſenes ſint, promiſcuè ſedes poterant obtinere; ſeruata tantum ætatis antianitate; quam diſtinctionem non expreſsè ingerit Vates: nam cum dixerit datas ſedes ob reuerentiam ſenectutis, ex neceſſariò conſequenti habetur, eos, iuxta præcedentiam ſenectutis, ſedere debuiſſe. Quarè fruſtra fuiſſet diſtinguere quod ex re ipſa, etiam nullo ſuperaddito, diſtinguitur.

NEC NON CONCESSA. Supple *eſt*. *Nec non*, ex duabus negatiuis coaleſcens particula, in affirmatiuam tranſit, ac pro *Et* vſurpatur, quæ, hoc loco aduerb. ordinis eſt idem, ac *Inſuper*, ſeù præterea aptiſſima vtiq; particula ad tranſitum a diſparatis ad diſparata faciendum. Id porrò concedi dicitur, quod, non ex debito, datur, vel ad exigentiam rei, cui datur; ſed gratuito, atq; ex pura concedentis benignitate. Quapropter propriiſſime, hoc loco, loquitur Vates, vt ex iam dictis patet.

GLORIA SEDENDI. *Gloria*, hoc eſt *venia*, *licentia*, facultas, quæ illis in gloriam cederet; nam maximus fuit fluuiorum honor, cum in conſpectu ſummi Iouis ſedere permiſſi fuerint. *Sedere*, à quo *ſedendi* verbum vtiq; notiſſimæ ſignificationis eſt. Sed non adeo notum, cur actus ſedendi Deorum gloriæ tribuatur, niſi Pier. conſulamus, qui lib. hierogl. 43. ſic de ſede habet. *Summorum Principum ornamenta, inſignaq;, multa, & varia fuiſſe alibi recenſuimus, ſed nullum vnquam, ſellâ ſublimiori, neq; auguſtiori, neq; venerabiliori, habitum.* Ex quo vides, quanto in honore fuerit ſellâ decorari; quantæq; fuerit gloriæ ſedem obtinere. Certè Macrinus Imperator, cum Baſſianum Antoninum diuinis efficere vellet honoribus, duas illi ſtatuas, ciuili habitu, ſedentes decreuit. Quare maxima, coram Ioue præſertim, ſedendi gloria.

ET SENIBVS FLVVIIS. *Et* pro *etiam* poni notum eſt. Item ſæpe diximus, vnicuique fluuio propriam attribui ſolitam ab Antiquis Deitatem. quare *Fluuij*, hic, pro fluuiorum Numinibus ponuntur, res nempe poſſeſſa pro poſſeſſore. *Senes* autem dicuntur fluuiorum Dij, vel quia ab orbe condito ſemper fluuij fuere; vel quia, ſpumantibus vndis, canitiem induiſſe credebantur, quo ſenectutis nota canities eſt. Atque hæc ſecunda explicatio magis videtur congruere communi omnium opinioni, quæ Deos Maris omnes efficiat ſenes, quod ſpumis omnes caneſcant. Verùm, iuxta ſenſum Auctoris noſtri, *Senes fluuij* ponuntur pro *Antiquioribus ætate*. Nam, ſicuti, ex continua mutatione terreſtris non nimis, quam aquei, globi, noui ſæpe ſæpiùs fontes, ac fluuij emerſerunt, qui antea non fuerant: ſicuti nunc Mare pluribus æſtuat in locis, in quibus olim ſolidum terræ corpus extabat, & terra emerſit aliquibus in locis, vbi iam Mare æſtuabat, ſic iure Vates antiqua, & noua flumina diſtinxit, ac illa per *Senes*, hæc per *Iuuenes*, vt infra, denotauit. Ad ætatem itaque prouectiorem, non ad canitiem refertur poeticus ſenſus, cùm cæteroqui per accidens poſſit quis à natiuitate canus eſſe, vt fuit Alouſius Capellus nobilis Ferrarienſis, meus olim Ferrariæ condiſcipulus, quare ineptum fuiſſet huiuſmodi ſignum, ad præcedentias, ætatis gratia diſtribuendas.

CÆTERA IVVENTVS &c. Sicuti, per ſenectutem, antiquiora indicauerat flumina; Sic, nomine Iuuentutis recentiora deſignat. Nec mirum videatur, nam vere non omnia, quæ nunc terram interſecant, ſub Dio, flumina; non omnia, inquam, ab initio Orbis, terram alluerunt: quod & ipſi fabularum inuentores profeſſi ſunt: etenim, ante excoriatum ab Apolline Marſiam, certe, per ipſos, non erat in Phrygia fluuius ille, in quem Marſias dicitur conuerſus, & nomen adhùc Marſiæ retinet, influens in Mæandrum: aut, ſi Marſias non excoriatus fuiſſet, ex lacrymis Nympharum non vidiſſent Phryges efformatum flumen, iuxta id, quod cecinit Ouid. Metam. 6.

Et Nymphæ flerunt; & quiſquis montibus illis
Lanigerosq; greges, armentaq; bucera pauit.
Fertilis immaduit, madefactaq; terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis;
Quas, vbi fecit aquas, vacuas emiſit in auras.
Inde, petens rapidum ripis decliuibus æquor,
Marſya nomen habet Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

Lacus Hyries nomine, non fuerat profectò, cùm ex, liquata in lacrymas, Hyrie matre, filium præcipitio colliſum credente, dicatur emerſiſſe; & de qua hæc Ouid. Metam. 7.

At Genitrix Hyrie, ſeruatum neſcia, flendo
Delicuit, ſtagnumq; ſuum de nomine fecit.

Caria non vidit Byblicum fontem, antequam Byblis Mileti Cretenſis filia eò peruenerit Amaſij fugam ſectata, ibiq; in lacrymas ſoluta fontem effecerit: de qua idem Ouid. Metam. 9.

Sic lacrymis conſumpta ſuis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoq;, vallibus illis,
Nomen habet Dominæ, nigraq; ſub ilice manat.

Sed, ne fabulis nimium deferamus, quis neſciat, nouas ſæpè aquarum eruptiones, nempe fontium, lacuum, fluuiorumq;, ex vehementi terræmotu, vbique ferè terrarum prouenisse? Certe Ladonem Arcadiæ terræmotus emiſit, qui antea non fuerat; &, feruente Mithridatico bello, prope Apamæam, Phrygiæ Vrbem, quaſſatum ſolum nouas paludes, nouos fontes, nouos fluuios egeſſit; nonnullis, vice verſa, terræ meatu abſortis, exſiccatiſq;. Ratio autem naturalis, cur hæc ad terræmotum ſequantur, in promptu eſt; nam, cum per venas terræ occultas ſeſe inſinuet mare, vt diuerſis regionibus fluuiorum ſuppeditet fluentas, ex agitatione, & conuulſione terræ, noui meatus, ac cuniculi efficiuntur, per quos aquæ ſubterraneæ foras erumpant; &, vice verſa, veteres

te es interdum obſtruuntur, ſicq; vel latices omninò cohibentur, vel alio, per ſubterraneas venas, deriuantur. Quamobrem adhæc reſpiciens Vates allatam protulit fluminum diuiſionem, noua ab antiquis diſtinguens, hæcq; per *Senes*, illa per *Iuuenes* deſignauit, cum inquit: *Cætera Iuuentus*. De nomine *Cætera* vide lib. 1. carm. 160. *Iuuentus* verò, hoc loco, non viridem, florentemq. ſuccreſcentium hominum ætatem indicat; ſed lectam Iuuenum multitudinem: in quo ſenſu ait ad Cic. Sulpitius: *Licitum eſt tibi, credo, pro tua dignitate, ex hac Iuuentute Generum eligere*.

STAT MORE PLEBEIO. Hoc eſt pedibus innixa, non ſedens, adſtat. Plebis, quippe quæ vilior pars populi eſt, nulla habebatur ratio, vel in Comitijs, vel in ludis, aut ſpectaculis &c. ſed, ſedentibus nobilibus, hæc promiſcuè agglomerabatur, & ſedendi honore priuata, ſtans adſtare ſolebat, ex nutu pendens nobiliorum. Ex hac itaque conſuetudine, quæ adeò inueterata eſt, vt vim ſancitæ legis videatur obtinuiſſe, deſumit Vates ſimilitudinem, vt clariùs ſub oculis ponat, quo pacto cætera aquarum inferiora Numina his cæleſtibus comitijs intereſſent: ideò *more*, hoc eſt iuxta conſuetudinem plebi iniunctam, nam Plebeium dicitur quod Plebis eſt.

MILLE AMNES. Declarat, quænam ſit hæc Iuuentus in Plebeiorum ſeriem reiecta. *Mille* numerus eſt determinatus pro indeterminato, poſitus, & finitus pro infinito innumerabili, vt vſitatiſſimum reperies, in his præcipuè numeris *Centum, ſexcenta, & mille*. *Amnes* verò fluuij minores appellantur, iuxta datam explicationem. Verùm aduerto nomen *Amnes* accipi ſæpè pro eodem, ac *torrens*, vt vidimus etiam lib. 2. carm. 198. Quare, ſi quis diceret, Claud., per ſenes fluuios, eos intellexiſſe, qui, perenni fonte decurrentes, indeficientes aquarum vortices deuoluunt; per Iuuenes verò *Torrentes*, qui toties renaſci, & iuueneſcere videntur, quotiès ex aduentitia aquarum tumeſcunt illuuie, non abnuerem: nam verè hi plebei amnes dici poſſunt. Quod ſi hoc dicatur, dicendum etiam erit, *fluuijs* omnibus datam ſedendi facultatem: *Torrentes* verò ſtantes adſtitiſſe.

NAIADES VDÆ &c. Quænam ſint Naiades lib. 2. carm. 56. *Naides* legit Heinſ., de quo vide & locum cit. *Vdus* autem idem eſt, ac *humidus* proprium vtiq; fluuiatilis Nymphæ, qualis Naias eſt, Epitetum.

INCVMBVNT PATRIBVS LIQVIDIS. *Incumbere* alicui *inhærere* eſt. Notat itaque Vates quonam modo ſe haberent, his comitijs adſtantes fluuiales Nymphæ; nam & ipſæ ſtantes indicantur, ſed ita vt, fluuijs ipſis adhærentes, vel illis immediatè, vel eorum ſedilibus innixæ, ſuſtentarentur. In quo miro ſanè modo Paterni, ac Filialis affectus morem imitatur, vt patet conſideranti; ideò appoſitè *Patribus*, inquit, nempe fluuijs, ex quibus quælibet ortum traheret, vt filia Genitori dilecta inhærebat. Eoſq; liquidos appellat, hoc eſt *liquidum* incolentes, nam *liquidum*, per adiectiuum ſubſtantiuatum, antonomaſtice vocatur Aqua, cuius Numina eſſent illa. Adde *liquidum* ſæpè pro eodem, ac *lucidum*, ſeù *tranſparens*, aut *diaphanum* vſurpari, cuiuſmodi certe Deitates ſint aqueæ, neceſſe eſt, vt elementi ſui naturam imitentur. Deniq; *liquidum* dicitur id, quod, cum aquis ſcateat, in eaſdem liqueſcere videtur: Cum autem fluuiorum Deitates quippe vndarum incolæ, aquis ipſis imbutæ, depluentibus ex toto corpore guttatim vndis, in illas liqueſcere perenniter videantur; ideò liquidæ dicantur.

Hanc ipſam Deorum nobilium, ac plebeiorum diſtinctionem ſecutus Ouid. Metam. pri. ſic habuerat:

. . . . Dextra, læuaq; Deorum
Atria nobilium valuis celebrantur apertis
Plebs habitat diuerſa locis &c.

ET FAVNI &c. Apud Poetas Fauni, Satyri, ac Syluani ruſticorum Numina recenſentur: omnes autem originem traxiſſe, autumant, à quodam Italiæ Rege, cui nomen Faunus; & Pici (qui ſe ex Saturno genitum aſſerebat) filius fuiſſe dicitur; vt clarè teſtatur Virg. Aen. 7.

. . . . . Fauno Picus Pater: iſq; parentem
Te, Saturne, refert; tu ſanguinis vltimus Auctor.

Hic itaque Faunus ſororem habuit *Faunam*, vel, vt alij dicunt, *Fatuam*, quam & vxorem duxiſſe fertur; atq; ex ea filium ſuſcepiſſe, Sterculium nomine, qui primus agrorum ſtercorationem inuenerit; & idcircò inter Deos & ipſe fuerit enumeratus. Ex iiſdem ſubindè Iugalibus reliquum genus, de quo ſupra. Sed quia de Faunorum origine incertè admodum loquuntur Scriptores, quid certò affirmatum fuerit non inuenio. Aliqui, Faunos animalia eſſe, exiſtimarunt: atq; hanc ſententiam ſecutus videtur Ouid., dum illos cornipedes, equorum, vel certè bubulorum, aut caprarum more dicit Faſt. 2.

Cornipedi Fauno cæſa, de more, capella
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

Cornua inſuper illis idem eodem lib. attribuit, dum ait:

Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos
Aſpicit, & Fauni ſacra bicornis erunt.

Ab alijs *Fauni* Dæmones eſſe exiſtimabantur, qui, quotquot obuios haberent, attonitos redderent. Et hanc ſententiam ſecutus Ouid., in Phædra, ſic ait:

Nunc furor, vt Bacchi furijs Eleeides actæ
Quæq; ſub Idæo tympana colle mouent;
Aut quas ſemideæ Dryades, Faunuſq; bicornis
Numine contactas attonuère ſuo.

Sed quiqui fuerint Fauni, omninò pro Dijs ab agreſtibus hominibus colebantur, vt teſtatur Virg. Georg. pri.

Et vos agreſtum præſentia Numina Fauni.

Inter hos præcipuus adfuit ille, qui apud Latinos *Inuus* dicitur, Πὰν apud Græcos: de quo multa adeò fabulati ſunt multi, vt potiùs eius cognitionem abſtulerint, quam adſtruant. Eum alij eiuſdem Pici prolem autumant; alij, cum Hora., Mercurij filium faciunt, capripedem, bicornem. Eumenides eum ex Ioue, & Caliſto natum dicit: Ariſtippus ex Ioue, & Oneide Nympha genitum aſſerit. Alij ex Cælo, & terra: alij ex Æthere, & Nereide: alij ex Demogorgone: alij ex Vlyſſe, & Penelope: alij ex Penelope à Mercurio in hircum mutato, compreſſa, quod, eius amore ſuccenſus, eam, non niſi per dolum, obtenturum ſe omninò, deſperaret. Duris Samius duram profectò de Inui natiuitate protulit ſententiam; dixit enim, in lib. quem *de Agathocle* inſcripſit, Penelopem, ob Vlyſſis abſentiam à multis adamatam, ac ſollicitatam, cum Procis omnibus rem habuiſſe, atque ex illa ſeminum commixtione Pana ortum habuiſſe. Hæc ſententia non ſolum repugnat communi omnium auctoritati, Penelopem, illibatam ſemper, aſſerenti, immò illam, in fulgentiſſimum illibatæ pudicitiæ exemplum, Matronis omnibus ſuſpiciendum, proponenti; ſed repugnat etiam rectis phyloſophandi rationibus: nam certe Proci, non omnes ſimul, eodemq; actu rem cum Penelope habere potuerunt; ſed ad ſummum ſucceſſiuè vnus poſt alium. Quo poſito, nonne ex Phyſicis nouimus, Matricis naturam, Concharum more, ſe gerere, quæ, ſtatim ac rorem excepere ſinu, clauduntur illicò, vt vniones elaborent; nec, niſi perfecto fætu, iterum aperiuntur? Quomodo itaque illa permixto ſeminum haberi potuit, ſi os Matricis, vnius recepto ſemine, ſtatim clauditur, nec ſecundum recipit ſemen? Explodenda itaque hæc ſententia: &, cum *Inuus* eiuſdem, cum cæteris Faunis, naturæ ſit, ex eodem potiùs Fauno Pici filio ortum & ipſe traxiſſe dicendus eſt. Ex hoc ipſo, quòd ille eiuſdem, cum cæteris Faunis, naturæ ſit, facile ex eiuſdem effigie, quænam omnium fuerit ſtructura deducitur. Quare ſic Inuum, & Faunum pingebant Veteres, vt habetur apud Pier. lib. hierogl. 55. nempe facie caprina, rubro colore, hirceis cornibus, variegatis Pantheræ pellibus, indumenta præbentibus; infima parte corporis hiſpida, ac pede prorsùs caprino, vt dici verè cum Italico poſſet

Mezz' huomo, mezzo capra, e tutto beſtia;

ac fiſtulam manu denique geſtantem effingebant. Hi ſunt, quos ruſtici in Deos elegerunt ſuos: Immò hi ſunt, quos ruſticorum Deos declarauit Iupiter ipſe, apud Ouid. Met. 1.

Sunt mihi Semidei: ſunt ruſtica Numina Fauni,
Et Nym[illegible] Satyriq;, & Monticolæ ſyluani.

Quare hinc meri[illegible] unos, in generale Deorum concilium adductos, meminit Auctor noſter, qui Faunos, pro omnibus terreſtris ſolis Deitatibus, poſuit, ſpeciem ſcilicet pro genere; vt noueris, Iridem munus non neglexiſſe omnium, vt ſupra dicebamus, conuocandorum.

TACITI. Alij legunt, cum Parrhaſ., *Placidi*: quod non mediocrem, vt fatear, videtur importare eruditionem; nam, Faunorum fiſtulis delectatas Nymphas circa illos, dum ijs inflandis, moduliſq; eliciendis operam darent, tripudiaſſe, antiquorum fuit opinio: quare *Placidi* dicuntur Fauni, quia Nymphis placeant, vt ſupra de Nereo dicebamus. Sed vlteriùs etiam extenditur ſic legentium ſenſus, ad quem enucleandum, memineris, pulchritudinem corporis, ex ſententia Dionis, aliorumq;, apud Cauſinum de Eloq. lib. 10. c. 7., egregiæ ſimulacrum mentis eſſe, & mutam animi commendationem. Quare, cum contrariorum eadem ſit è conuerſo diſciplina, deformitas, vice verſa, corporis deformis animi, ac deprauatæ mentis indicium ſæpè ſæpiùs erit. His autem poſitis, certè ex Faunorum figura, quam ſupra ex Pier. delinea-

nca-

beauimus, eorum facile naturam dignoſcere poſſumus. Caprina in illis prædominatur effigies; atque ideò internæ eorum affectiones caprinos referunt mores; &, cum hirceis cornibus ſint prædiri, Hircorum procacitatem ſecum ferre, non dubitandum. Capra itaque, Hædus, & Hircus effrenatæ libidinis in hieroglyphicum ab Ægyptijs erigebantur, eò quod huiuſmodi animalia in libidinem, ac procacitatem, immodica ſemper ſint: immò, in ſacris etiam litteris, hircos, hædoſq. immolandos eſſe, edocemur, cum, nequitiam, omnemq; libidinem iugulare, iubemur, interprete Adamantio; quia hæc animalia probra omnia, atque impudica cuiuſcumque libidinoſiſſimi facinora hieroglyphicè referunt, vt clare notat Pier. cit. Inſuper Hircum, etiam Diaboli, ſymbolum eſſe, voluit Adamantius: quarè nil mirum, ſi, ſpectata Faunorum figura, Dæmones eos exiſtimauerint aliqui. Certe, cum, vt ſupra vidimus, ac ſtructura ipſa corporis teſtatur, eiuſdem maſſæ cenſendi ſunt Fauni, Syluani, ac Satyri, eiuſdemq;, quo ad mores, farinæ; quidquid ſit, an eodem fuerint, an diuerſo ſanguine creti. De Satyris autem, decantatum certè ab omnibus eſt, in omnes eos libidinum impuritates, effrænato ſemper appetitu, procliues, vltra modum, deferri. Et Pauſanias apud Pier. cit. refert, Euthemum quemdam, cum in Hiſpaniam nauigaret, aduerſa tempeſtate in exteriorem Oceanum delatum, ad inſulas tandem quaſdam deueniſſe deſertas, quas Satyri (vt ex deſcriptione formæ colligitur) incolerent, qui, inſpectis hoſpitibus, ocyùs omnes, in extremum littus accurrentes, in fœminas, quæ caſu naui illa vehebantur, tanto impetu irruerunt, vt ægrè ab iniuria, etiam flagris cæſi, ſummoueri potuerint; veritoſq; ideò nautas, ne quid indignum paterentur, inhibita procul naui, in anchoris ſteteiſſe; barbaram verò quamdam mulierem, quam ſecum habebant, in littore expoſuiſſe; in quam Satyri poſtea, petulantiſſimè debacchantes, per omnia corporis caua libidinem exercuerint inſatiabilem. Eiuſdem autem naturæ, ac procacitatis eſſe & Faunos teſtatur Auctor ipſe noſter in Epithal. Palladij, & Celerinæ, vbi Amores circa Venerem matrem excubias ducentes deſcribens, ſic ait:

Defendunt alij lucum, Driadeſq; procaces,
Spectandi cupidas, & ruſtica Numina pellunt,
Sylueſtreſq; Deos; longeq; iuuentibus antrum
Flammea laſciuos intendunt ſpicula Faunos.

His itaque prænotatis reminiſcere, in hoc eodem Deorum Concilio adfuiſſe Nymphas, nempè Naiades, Dryades, Amadryades &c. (cum omnia fuerint Numina congregata) maxima vtique Faunis, ac procacitatem exercendam, incitamenta. Verùm, cum in conſpectu Iouis adſtarent, petulantiam, ac procacitatem, quantumuis imitatam, compeſcere coacti ſunt, ac ſummâ ſe quietè compoſitos oſtentare: atq; hinc intellige, cur *Placidi* dicantur: nam *placidus* idem ſonat, ac *quietus, pacatus*, ac *nullis paſsionum æſtibus agitatus*.

Et hæc dicta in gratiam Parrhaſij, eorumq; qui, cum eo, *Placidi* legunt, non *Taciti*; & ne videar variæ lectionis effugere difficultatem. Verùm & quia vocabulum Placidi obſcuriorem habet, ac longè nimis petendam eruditionem; & quia probabile non videtur, ſapientiſſimum Vatem eodem vti hic epiteto voluiſſe, quod immediate ante Nereo attribuerat, quaſi vocabulorum penuria premeretur, perplacet mihi, vt cum Heinſ. ac vulgata noſtra, *Taciti* legamus, quod & non minorem habeat eruditionem, & congruentiùs procedat ad locum, ad tempus, ad naturam, & ad circumſtantias, quibus Fauni detinentur. Ad locum, quia cum adſtarent coram ſupremo Numine, & Deum ſilentio venerandum docuerint antiqui, nil mirum, ſi taciti adeſſent, Iouem venerantes: ad tempus: nam, cum tempus eſſet audiendi quid Iupiter agendum proponeret, fauendum fuerat linguis, atq; ideò iuxta Virgilianum illud Aen. 2.

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.

Ad Naturam: nam ſyluicolæ, vt Fauni ſunt, ſilentio adeò aſſueſcunt, ex deffectu conuerſationis, vt conſuetudo tranſeat in naturam, vt de habitibus tradunt Phyl. Ad circumſtantias; nam mirabundi adſtant; & proprium admirationis eſt, ſilentium in admirantibus parere: quod præcipue in ruſticis locum habet, qui res admirabiles hianti ore, ſuſpiciunt attoniti ſimiles; atq; ideò & ruſtica hæc Numina, nempè Fauni taciti.

MIRANTVR SYDERA. De duplici ſignificatione huius verbi *Mirantur* vide dicta lib. 2. carm. 284., atq; vtramq; hic traſnferas. Sed quid mirarentur ſydera, qui Dij eſſent? Admirationem ex ignorantia prouenire in confeſſo eſt apud omnes; de illis enim miramur, quorum cauſas, eſſentias, effectuſq; ignorantes, rationem, cur ita ſe habeant, reddere, immò & dignoſcere, non nouimus: ex quo factum, vt fœlices vocet, qui hæc nouerint Virg. Georg. 2.

Fœlix qui rerum potuit cognoſcere cauſas &c.

Anne igitur Dijs iſtis nouum erat ſydera aſpicere? Anne delectationis ex eorum intuitu percipiendæ expertes antea fuerant omninò? Ita quidem. Nam, licet Dij eſſent, nunquam antea in Cælum acciti fuerant terreſtres Dij, vt Ouidianus Iupiter fatetur Metam. pri. cuius & ſuperiùs attigimus verba.

Sunt mihi Semidei: ſunt ruſtica Numina Fauni;
Et Nymphæ, Satyriq;, & monticolæ ſyluani,
Quos, quoniam cæli nondum dignamur honore,
Quas dedimus certè terras habitare ſinamus.

Iure itaque ex nouitate rei *mirantur*; & *mirantur ſydera*, hoc eſt ſydereas ſedes, nunquam ſibi antea viſas, videnturq; ſibi, in nouum, ignotumq; orbem tranſlati, nil de ijs, quæ videant ſcire, atq; ideò *mirantur*. Sed dices: nonne etiam ex terris ſydera ſuſpexerant? Quid igitur in ſyderibus nouum vident, quò mirentur? Facilis eſt reſponſio: nam ſydera viſuntur profectò etiam ab his terrarum incolis; ſed quis neſciat, quantùm interſit inter viſionem obiecti proximi, ac viſionem obiecti longiſſimè diſtantis? Stellas hinc videmus, ſed viſione imperfecta, deflectiua, atque inhabili ad repræſentandas adamuſſim ſtellas, vt in ſe ſunt. Nouum igitur Faunis erat ſydera cominus videre; immenſam ferè corporum illorum vaſtitatem intueri, quæ minima nobis apparet; eorumdem motus varios, non à longe, & per coniecturas, ſed oculis cernentibus diſtinguere &c. Ideò attoniti inſpiciebant, eſtatica delectatione detenti. Clauer. legit *Numina*, & vbi legatur *Sydera*, is itidem *Numina* interpretatur, quæ ſic per excellentiam dicantur: & quia ſydera (addam ego) & ipſa pro Numinibus colebantur. Clarior tamen vulgata eſt, ac minùs amphybologiæ expoſita: nam Numinum voce potiùs viderentur ſignificari illa Numina maiora, quæ in concilio adeſſent: at minus admirationis poterat inijcere Faunis Numina, quam Sydera; nam illa ſæpiùs videre potuerant terras, vt fabulæ ferunt, peragrantia; ſed Sydera nunquam in proximo viderant, vt ex dictis: quare *mirantur Sydera*, non Numina.

Sed, dum Fauni mirantur, cæteraq; Numina nutum Iouis expectant; nos, quæ ſub his lateant, ad moralem eruditionem ſpectantia, perueſtigemus.

IVPITER INTEREA &c. Mirantur vt plurimùm terrarum incolæ; &, fere Deum ipſum redarguentes, eiuſdem, in rebus adminiſtrandis, infallibilem prouidentiam temerariâ carpunt oblocutione; cùm interdum videant Impium eleuatum, & ſupra cedros Libani exaltatum; Iuſtum verò depreſſum, & humiliatum, atque infra pulueris vilitatem imminutum, ita vt cogantur ſæpe Iuſti, cum Apoſtolo, inclamare: *Facti ſumus omnium peripſema*. Loco igitur adorandi imperſcrutabilia Dei iudicia, cuius viæ non ſunt viæ noſtræ, contra Deum obloquentes, Diuinam laceſſunt Maieſtatem, vt intret in Iudicium cum ſeruis ſuis, vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cum iudicatur. Verùm, cum Deus noſter longanimis admodum, & patiens ſit, detrectationes ſuſtinet, ac iuſtificationem ſui differt ad tempus vſq; Vniuerſalis Iudicij: tunc enim, conuocato totius Orbis, ac Cæli concilio, notas faciet vias ille ſuas; & quàm prudenter, quàm iuſtè, quam piè egerit, patefaciet. Cùm autem Iudicium Vniuerſale ſecuturum ſit, poſt peractum quodcumque cuiuſcumque animæ viuentis particulare Iudicium; & tempus interpoſitum inter particulare v.g. Adami Iudicium peractum, & Iudicium finale omnium, ſit momentaneum apud Deum; nam mille anni (hoc eſt totum tempus indefinitè, ſub definito, ſumptum) ante oculos eius tamquam dies externa, quæ præterijt: ideò Vates Iouem, in concilio, rationem diſpoſitionis ſuæ reddentem inducit, ſtatim poſt raptam Proſerpinam: *Interea Iupiter &c.* Tunc enim Deus Thaumantida mittet, Irim videlicet æternæ vitæ, fœlicitatis prænunciam Iuſtis, ærumnarum Reprobis, ex toto orbe concilium conuocantem. Tunc Dij cælites, ideſt Iuſtorum animæ, quibus ipſemet dixit: ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, aderunt; & aderunt Dij maris, ideſt eorum Animæ, qui, aſſiduo paſſionum æſtu, ac tormentorum tempeſtatibus ſuperatis, ſedem ſibi in Cælis paratam meruerunt: aderunt aquarum Dij; ideſt Animæ illæ, quæ commiſſa plangentes, ac lacrymarum flumina profundentes, in fontes videbantur conuerſæ lacrymarum. Aderunt & Fauni, & Satyri, & Syluani, impuriſſimorum videlicet

cætus, quos Cæli honore non dignetur Deus; vno verbo, ij omnes, qui, inſipientes corde, dicebant: non eſt Deus, vt ſibi ipſis ipſi Dij eſſent: & mirabuntur ſydera, ac taciti adſtabunt iudicium expectantes; cum quid dicant, aut quid reſpondeant, vt ſententiam euitent, non inueniant. Triumphauerat de Proſerpina Pluto: Ceres a Ioue adamata vlcere doloris percutitur inſanabili? Ecce impium ſuperexaltatum Inſontem percuſſum, & humiliatum. Cur hoc factum, indicabit Iupiter ſe ipſum abſoluens; & hoc ipſum peraget Deus ille, qui ſolus eſt, cum ad Iudicium venerit. Nos igitur, ne cum Faunis reiciamur, ſin minus cæleſtes ſimus, cum terreas contraxerimus labes, à quei ſaltem Dij efficiamur, in pœnitentiæ lacrymas ſoluti. Et quid interim italica chelis concinat, audiamus.

Girſene in tanto, e conuocar, del Mondo
 Scorrendo ogni confin, de i Dei la ſchiera,
 Cinta de nembi ſuoi non graue il pondo,
 Di Thaumante alla figlia vn Gioue impera.
 Di ben mille colori il vol fecondo
 Spiega quella tantoſto; e dalla sfera,
 De i Zefiri sù'l dorſo, à i mari oppoſti
 Scagliaſi ad eſeguir gl'ordini impoſti.
Chiama del mare al congregarſi i Numi,
 Doue l'alto motor toſto gl'attende:
 Pigri alle Ninfe i ſoliti coſtumi
 Rinfaccia; e pronte all'obedir le rende:
 Sin là negl'antri, ou'han la ſede i fiumi,
 Della voce eccitante il ſuon s'intende;
 E dall'ondoſe ſue, cupe cauerne
 Frettoloſo ogni Nume vſcir ſi ſcerne.
Di contrarij penſier in mar cruccioſo
 D'ogn'vn la mente indubia lauce ondeggia
 Palpita il cuor pien d'vn timore anſioſo;
 Ne ſcieglier sa, che preſſagire ei deggia:
 Sol chimere ſi finge, e perigliosò
 Stato di coſe, in ripenſando ombreggia;
 Ma de ſturbati lor lieti ripoſi
 Troppo ſon anche i gran motiui aſcoſi.
Al fianco lor l'imaginarie vrgenze
 Seruon di ſproni alla ſtellata meta:
 Fendon l'aria veloci; e l'eminenze
 Gia traualca del Ciel l'vnita Dieta;
 Che de gl'affari al penetrar l'eſſenze,
 Il deſir la ſoſpinge, e l'inquieta
 Sì, che ſtenderſi in luſtri, a cento, à cento,
 D'ogn'induggio gli ſẽbri anche vn momẽto.
Toſto, ch'apriſſi all'immortal Senato
 De ſtellati ſaffiri il varco d'oro,
 Entrâro i Numi ad eſſibir, formato
 Nel diuino Conclaue, il Conciſtoro.
 Diſtinti i gradi, à ciaſchedun fù dato
 Seggio, conforme al meritato alloro.
 Confuſion non patiſce eterna legge,
 Ch', ordinata nel tutto, il tutto regge.
Dell'honor primo al poſſedere i gradi
 Scielte, del Ciel le maeſtà s'vnîro:
 E, 'ndi poco inferior, le Deitadi,
 Stimate più, quindi del mar ſeguîro:
 Nereo, trà queſte, à cui già par, che aggradi
 Portar le calme in volto, ecco 'l rimîro;
 Siedegli à canto, e dell'argenteo crine
 Forco, il Nume german, molce le brine.
Chiudon la ſchiera, in ſeggio pur conforme,
 Di Negroponte il Peſcator famoſo,
 Fatto Nume del mar, Glauco biforme;
 E di Scarpanto il Regnatore aſtoſo,
 Solito, in mille modi, in mille forme,
 Cangiar l'aſpetto, hor al variar ritroſo;
 Che non è qui chi de ſuoi ſcherni oggetto
 Render ei poſſa al ſuo ingannar ſoggetto.

Prochyon Rex Carpathiæ Inſulæ, vulgo di Scarpanto. Mariſq. Numen.

De maggior fiumi alla canuta etade
 Di quì ſeder pur ſi conceſſe il vanto.
 Gl'altri poſcia men conti, ò cui non cade
 Bianca neue sù 'l crin, reſtanſi in tanto
 Ritti sù 'l piè, (com'alla Plebe accade)
 Gl'alti diſſegni ad aſpettar da canto.
 Schieranſi a mille i minor fiumi; e lieto
 S'appaga ogn'vn nell'immortal decreto.
Delle lor Ninfe il grondeggiante ſtuolo,
 Con dolce vezzo, à i Genitor s'appoggia:
 Mà più lungi ſe'n ſtan, laſciato il ſuolo,
 Quei, che, Numi ſilueſtri, il boſco alloggiat
 Fauni ſon detti: e gli diuora il duolo;
 Che niun d'eſſi, per sẽpre, al Ciel ſe'n poggia;
 Aſtratti ed hor le torbide facelle
 Ruotan del fronte ad ammirar le ſtelle.

Sed, dum mirantur iſti, nos quid intonet Iupiter ex Auctore noſtro percipiamus.

Tum grauis ex alto Genitor ſic orſus olympo eſt.
Adduxêre meas iterum mortalia curas,
Iampridem neglecta mihi, ſaturnia poſtquam
Otia, & ignaui ſenium cognouimus æui;
Sopitoſq; diù populos torpore paterno:
Sollicitæ placuit ſtimulis impellere vitæ;
Incultis ne ſpontè ſeges flaueſceret aruis,
Vndaret neù ſylua fauis, neù vina tumerent
Fontibus, & totæ fremerent in pocula ripæ.
Haud equidẽ inuideo (nec enim liueſcere fas eſt,
Vel nocuiſſe Deos) ſed, quod, diſſuaſor honeſti,
Luxus, & humanas oblimat copia mentes;
Prouocet vt ſegnes animos, rerumq; remotas
Ingenioſa vias paulatim exploret egeſtas;
Vtq; artes pariat ſolertia, nutriat vſus.
Nunc mihi cum magnis inſtat Natura querelis
Humanum releuare genus, durumq; Tyrannum,
Immitemq; vocat; regnataq; ſæcula patri
Cõmemorat, parcumq; Iouem, ſe diuite, clamat.

TVM GRAVIS EX ALTO &c. Vbi procacior ſilet Natura, multò magis, compoſitam ſiluiſſe Naturam, dicendum eſt. Quarè, ex Faunorum taciturnitate, cum factum ab omnibus ſilentium ſatis indicauerit Vates, loquentem hic, per Proſopopeiam, inducit Iouem, ſicq; ex excelſo Diuinitatis ſolio ſenſus animi ſui aperientem. Tota autem Oratio Iouis verſatur in hoc, vt ſe expurget ab accuſationibus, quæ, in illum eiubrari potuiſſe, inſipientibus facile viderentur. & altiſſimæ, imperſcrutabiliſq; Prouidentiæ ſecreta aperiat, ad bonum ſemper humani generis euigilantia, licet ijs interdum vtantur medijs, quæ ideò carpenda videantur, quia eorum veritas, ignota inſipientibus, non vnicuiq; primo pateat intuitu. Quod vt plene innoteſcat, ab enumeratione incipit anteactorum, memorans vtilitates ex ablatione aurei ſæculi progenitas &c. Inſerit ſubinde querelas, quas, his non obſtantibus, in Iouem denuò ingererent homines; ac ſingula querelarum capita recenſet; ſicq; Deorum præparat animos, ne durius, quod imperandum erat, arbitrarentur, cum futurum ſit, vt prima fronte durisſimum videatur: nam id ipſum in bonum tandem mortalis generis ceſſurum rationibus ſubindè comprobabit adductis.

TVM GRAVIS GENITOR &c. *Tum* pro *tunc* ponitur aduerb. nempè tempus notans opportunum, quo facto a cæteris ſilentio Iupiter

ter loqueretur. *Grauis* autem à grauitate dicitur: & *grauitas* græcè dicitur *σεμνότης*; atq; eadem apud græcos voce appellatur ſanctimonia, auctoritas, & ſeueritas; ex qua multiplici eiuſdem nominis acceptione facilè colligitur, quanto Iouem præconio, vnica hac voce, *Grauis*, proſecutus fuerit Vates; nam, eodem tempore, & ſanctitatem, ideſt illibatam morum conſtantiam, qua, vt Deus, vigeret; & auctoritatem, qua, vt ſummus moderator, polleret; & ſeueritatem, qua, vt iuſtiſſimus ſcelerum vltor, vteretur, prætuliſſe, ſatis oſtendit, in vultu: ſicq; & regiam illius Maieſtatem optimè delineat, & diuinos ad vnguem mores imitatur. Quarè & carmen ipſum, hanc referens grauitatem, graui quodam metro, artificiosè compoſito, graditur potiùs, quam decurrat. Per nomen verò *Genitor* anthonomaſtice Iupiter deſignatur, iuxta ſententiam Orphei, qui nata omnia ex Ioue dictitauerit, græco illo carmine, quod latinitate donatum ſic habetur apud Mythol. Nat. Com. lib. pri. cap. 9.

Iupiter alme tuo ſtant omnia munera nota.

Inſuper ex Homero Odiſſeæ pri. hominum, Deorumq; pater dicitur, cuius græcum carm. ſic transfert Mythol. cit.

Hos ita compellat hominum pater, atq; Deorum.

Et quo ad Deos conſonat Virg. alibi cit. Æn. pri.

Æole (namq; tibi Diuum Pater, atq; hominum Rex &c.

Cum itaque hic Deos alloquatur Iupiter, artificioſiſſimè Genitor dicitur, vt noueris, & illum, patria in filios poteſtate, imperare potuiſſe, & Dijs facultatem non eſſe detrectandi, cum filijs nefas eſt Patris imperium, in licitis, reſpuere.

SIC ORSVS EST. *Ordior*, iuxta Priſcianum, duplicem habet præteriti vocem, nempè vel *ordiui*, vel *orſus ſum*: cum *ordiui* dicitur operatio texentium ſignificatur, & ad telæ, aut ſimilium fabricam refertur verbum: cum verò per vocem *orſus* inflectitur, tunc propriè ſignificat *fari incipere* qua ſpectata ſententiá, propriſſima eſſet hic Poetæ locutio. Verùm, quia interdum à Poetis verbum *orſus* vſurpatur etiam, licet impropriè, & abuſiuè, pro eodem, ac *deſinere*, ſeù *à locutione ceſſare*, vt patet ex Virg. Æn. 9.

Cætera parce puer bello. Sic orſus Apollo
Mortales medio aſpectus ſermone reliquit.

media via incedentes Poetæ verbum huiuſmodi pro eodem aſſumunt, ac ſimpliciter loqui; vt & certè hic.

EX ALTO OLYMPO. Notat hic locum, ex quo Iupiter ſermonem habuerit: & quidem appoſitè, nam cum cæteris inferioribus Dijs data fuerit ſedes, multò magis tribuenda fuerat omnium ſupremo, & quidem cæteris altior, vt fere ex throno maieſtatis loqueretur. Verùm quænam fuerit hæc ſedes, qui locus, ex quo Iupiter inducitur loquens, non adeò facile explicatu eſt: nam, ex vna parte, certè *Olympus* Cælum eſt, vel pro Cælo hic ponitur, atq; ex eo, quod dicatur altus, videtur indicari aliquod Cælum altiùs ſphœra illa, in quam recepta ſederent Numina congregata: Ex altera verò parte, cum Iupiter, Numina congregari, iuſſiſſet, ſyderеam in ſedem terras vnde arduus omnes ſpectat, vt ex Virg. diſcimus Æn. 10. cit., videtur dicendum, quod Iupiter in altiori quidem ſede, vt importatur per vocem *ex alto*; ſed quæ tamen in eodem eſſet conſeſſu. Quare diſcutiendum iam, quid, hoc loco, Olympi nomine intelligatur. Et primo quidem, (cum vndecim ſint Cæli) certum ex dictis eſt nullum ex Cælis ſeptem Planetarum, per huiuſmodi, hic, nomen, ſignificari, cum inferiores hæ ſphœræ ſint, reſpectu octauæ, in quam vidimus accita Numina. Pariter nec dici poteſt, denotari ipſum Cælum ſtellatum, nam non poteſt illud altum ſimul, ac depreſſum dici reſpectu ſui ipſius, vt Iupiter ex alto loquatur, Numina ex humiliori audiant cælo; cum enim Vates dicit locutum Iouem, *ex alto Olympo*, certè altum vocat, non abſolutè, ſed reſpectiuè ad ipſum ſtellatum Cælum, vt altiorem cæteris ſedem aſſignaret: Ergò dicendum neceſſariò, Cælum aliquod ſuperiùs, Olympi nomine, deſignari. Porrò ſupra octauam ſphœram Cælum Criſtallinum eſſe autumant; ſupra hoc autem primum mobile; ac tandem ſupremum Empyreum. Verùm cum Vates loquatur hic, iuxta Ethnicorum ſententiam, vt patet, quia de Ioue concilium Deorum cogente loquitur, certum eſt, nec deſignaſſe, nomine Olympi Empyreum, nam hoc non nouerant Ethnici ſedem Beatorum, quam nos in Empyreo ſtatuimus, in Elyſijs collocantes. Remanent itaque duo tantùm Cæli, nempè Criſtallinum, & primum mobile. Sed neq; de primo mobili intelligendum id, quod protulit Vates; nam ſi de illo intelligeretur, iam, non in concilio, ſed extra concilium, Iupiter omninò ſtatueretur, cum inter conclaue, in quo cæteri eſſent Dij, nempè inter Cælum ſtellatum, & primum mobile mediet Criſtallinum Cælum, quod vtique tantam circumferentiæ craſſitiem habet, vt à quamplurimis Aſtronomis in duas diuidatur ſphœras; atq; adeò inepta fuiſſet hæc ſedes in ordine ad coactum concilium conſtituta. Reliquum igitur eſt, vt dicamus, Olympi nomine, Cælum hic Criſtallinum indicari; nam, ſi hæc ſedes Ioui ſtatuatur, in caſu, certè baſim in ipſo habet Conclaui, cum ſtellati conuexa Cæli immediatè terminentur concauo Criſtallini; & altior cæteris erit ſedibus, quia craſſities Criſtallini multum extenditur ſupra ſtellatum conuexam habens partem, primo immediatè mobili adhærentem. Fauet (ſpectata ſignificatione, ex Græcis deductâ) nomen ipſum; nam Olympus dicitur quaſi *Ὁλολαμπὴς*: *Ὅλος* autem latinè *totus*, & *λαμπὴς* latinè *lucens* interpretatur: quare idem eſt *Olympus*, ac *totus lucens*: Cælum autem Criſtallinum, ideò ſic dicitur, quia talis ſubſtantiæ ſit, vt, inſtar terſiſſimi Criſtalli, & niteat, & elucеſcat, perſpicuitate, ac ſplendore conſpicuum; atq; ideò *ὁλολαμπὴς* iure dicitur. Sed adhùc innecti videtur difficultas; nam ſi intelligamus Iouem in Olympo, hoc eſt Cælo criſtallino, conſtitutum, adhùc eum conſtituimus in loco, à ſydereo prorsùs conclaui ſeiuncto, & ſegregato: & debuit mugire aditis cortina recluſis, ad hoc vt eiuſdem oracula ab inferioribus exciperentur numinibus. Verùm, non eſſe hoc conſtituere Iouem in loco à conſeſſu ſegregato, & patet ex dictis, & meliùs congruere dignoſces, ſi memineris, in more poſitum apud antiquos, vt regiam maieſtatem adeò tuerentur, vt, quaſi rem ſacram, in ſacrarijs ſemper abditam detinerent; ita vt Indorum Reges, ne regia vileſceret maieſtas, omnium euitantes conſpectum, etiam cum de ſumma Imperij mole ageretur, ita conſiliarijs adſtarent, vt, interpoſitis aulæis, audiri quidem poſſent, & audire, ſed, reuelata facie, videri nequaquam poſſent. Quarè nil mirum, ſi, ad hunc morem alludens & Vates, Iouem in Cælo Criſtallino collocauerit, vt, quaſi poſt interpoſitam cortinam, Deos extra ſedentes alloqueretur. Quod ſi dixeris, incongruum videri, quod Iupiter, qui ſummè benignus effingitur, vt ſupra, faciem Dijs ab ipſo conuocatis denegare voluerit; memineris, Cælum Criſtallinum ſummè diaphanum eſſe; atq; ideò, licet, ad oſtentationem maieſtatis, prætenſam geſſerit eiuſmodi cortinam Cæli, adhùc tamen, in oſtentum benignitatis, faciem oſtendere potuiſſe, diaphano illo corpore intermedio nil prohibente, quo minus cernere, & cerni poſſet. Vel dicas, Cælum ipſum Criſtallinum, alto tramite, apertum fuiſſe, vſq; ad Iouem ipſum, ita vt, ex ſydereo Cælo ad Iouis vſq; altitudinem, vnicum continuaretur apertum Conclaue, ſola ſituum altitudine, ac depreſſione diſtinctum: ſicuti, in Theatris, ex infimis gradibus ad ſupremum vnica datur amplitudinis continuatio, licet varijs diſtincta pegmatibus, & Orcheſtris. Et aderit, ad huiuſmodi explicationem confirmandam, Virg. cit. Æn. 10., vbi ſimile Deorum deſcribens Concilium a Ioue conuocatum, de Dijs ſic habet:

Conſidunt tectis bipatentibus. Incipit ipſe &c.

nam bipatentes Cælos poſſumus hoc pacto intelligere, nempè & ex parte inferiori, qua Dij aſcenderant; & ex parte ſuperiori, qua Iouis daretur aſpectus. Scio equidem, Seruium aliter interpretatum fuiſſe cit. Virg. locum: dicit enim, Cælos bipatentes dici, nempè, & ab ortu, & ab occaſu patentes, & apertos. Sed neſcio, an ſatis ſibi ipſi cohæreat Seruius ipſe, ſic explicans; quippè qui immediate antea dixerat, Cælum ab occaſu clauſum dici; cum alium citans Virg. locum, nempè:

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

dixerit, clauſum olympum pro occidentali parte ſumendum. Dicit ipſe (nec ignoro) Claudi Cælum, quod fuerat apertum, occidente Sole; non autem ſemper clauſum eſſe ex parte occidentis. Sed hoc ipſum videtur aſſeri ab eo, merè ad tuendum poſitum, nam vox *clauſo* de præterito eſt, non de præſenti: quarè aptiorem exiſtimauerim expoſitionem à nobis ſupra traditam. Et hæc dicta ſint à nobis, in ſenſu litterali illius vocis *Olympo* perſiſtentibus. Sed non hæret in litteris eruditiſſimus Auctor; immò myſteria innectit myſterijs, enucleandus magis, quo magis eiuſdem auri fodinas perueſtiges. Quæritat, lib. de falſa religione, Lactantius, cur Iupiter *Olympius* fuerit cognominatus: & rationem fuiſſe aſſerit, quod Iupiter ſolitus fuerit, in Olympo monte verſari, omneſq; propoſitis præmijs, qui nouum aliquod inuentum, humano generi vtile, excogitaſſent, eo inuitare, vt ad ſe primum deferrent, quo ipſe poſtea eorum omnium inuentor crederetur, atq; hac ratione, Diuinos ſibi honores, tanquam vtilium omnium inuentori conſciuiſſe. Cum itaque Iupiter, præſenti oratione, ſe vtilium omnium inuento-

rem eſſet aſſeueraturus, vt in decurſu patebit, iure Olympo inſidens effingitur; hoc eſt in throno ſpeciem Olympi montis referente, quo, quantùm nubes excedit Olympus, tantùm ille inferiores Deorum ſedes excederet. Sed ex hoc exceſſu alia profectò emergit ratio, cur Olympum, pro ſolio, habuiſſe dicatur. Olympus cum tam altè, vt nubes excedat, extollatur, ſedes dicitur imperturbabilitatis; nam imperturbabile adeò in culmine dicitur eſſe, vt ſi quis in puluere litteras, vel figuras mathematicas delineauerit, ſemper, recurrentibus quibuſuis temporibus, ſi iterum adeat, eas intactas, ac, quaſi recenter, exaratas, reperiat: quod ſignum eſt, nulla illud aeris perturbatione culmen attingi. Cæteris itaque Numinibus ſollicitis, perterritiſq; Iupiter Olympo inſidet; hoc eſt in ſumma animi tranquillitate, extra cuiuſcumqe ictum perturbationis; ideòq; cæteris altior, quo cæteris animo præſtat. Inſuper voluerunt aliqui, apud Mythol. Nat. Com. lib. 2. cap. pri., Olympum virum fuiſſe quemdam Aſtronomum peritiſſimum pariter, ac prudentiſſimum, quem Iouis præceptorem, atq; eiuſdem adoleſcentiæ inſtitutorem à Dionyſio conſtitutum tradunt peritiſſimi Ægyptiorum Scriptores. *Ex Olympo* itaque *alto* loquitur Iupiter, ideſt ex ſummo Prudentiæ culmine, cui innititur, & qua imbutus ab Olympo fuerat præceptore. Sed, ne ab Olympo monte recedamus, Mons in ſe ipſo conſiſtens eſt. In Olympo itaque ſedet Iupiter, ideſt in ipſa ſuæ ipſius eſſentiæ celſitudine, nullis obnoxia perturbationibus, quæq; in ſe ipſa, & ex ſe ipſa ſubſiſtens eſt. In quo veram attingit Vates rationem Deitatis, in fabuloſa Iouis adumbratam pictura: & hoc ipſo altior eſt cæteris, quia ipſa, ſe ſola, beata, atq; ipſa in ſe ſola omniſcientia eſt, ac prudentia ipſa; cætera autem per participationem ab ipſa &c.

ADDVXERE MEAS &c. Per Proſopopeiam, Iouis iam hìc ſubnectit Orationem, qua iuſſurus, ne quis audeat Proſerpinæ Raptorem Cereri indicare, priùs oſtendit nullum à ſe nunquam decretum emanaſſe, quod non ceſſerit in vtilitatem generis humani, licet aſpectu primo aſperum, ac durum videretur, ea in exemplum adducens, quæ poſt expulſum decreuerat Saturnum; idq. peragit, vt, prætenſa vtilitate, lex ſubinde promulganda faciliùs, altiùſq; animis inſideat; dum libenti animorum imbibitur propenſione. Alludit autem Vates ad priſcum morem Romanorum, qui, vt faciliùs ſubditos ſuis audientes legibus haberent, nullam ferebant legem, quam priùs peritiſſimus Orator non inſinuaſſet, tanquam vtilem, neceſſariam, atq; in bonum publicum excogitatam. Initio itaque Iupiter, perfectiſſimi fungens munere Oratoris, vnico Carmine beneuolentiam captat, attentionem, ac docilitatem; beneuolentiam quidem, cum oſtendat, ſe, cui, vt mortalium Regi, liberum ſit, quidquid libuerit peragere, velle tamen ipſos inferiores Deos habere conſortes, in promouendis mortalium vtilitatibus, attentionem, cum de re maximi ponderis, nempè de totius orbis inſtauratione agendum indicat; ac tandem docilitatem, dum apertè declarat, concilium in bonum orbis coactum, ac de eiuſdem bono ſtabiliendo ſanciendum. Ideò

MORTALIA &c. Mortale dicitur quidquid morti ſubiectum eſt. Verùm, quia, vt fert vulgatum illud; *de minimis non curat Prætor*; non adeò generaliter intelligendum eſt hic huiuſmodi nomen; ſed ita vt, mortalis nomine, potior, ac princeps creatura, inter eas, quæ morti ſubijciuntur, intelligenda ſit; quarè idem eſt dicere *mortalia*, ac *res hominum*, ſeù, *quæ ad hominem ſpectant*.

IAMPRIDEM NEGLECTA MIHI. Aduerb. temporis eſt *iampridem*, quod longè anteacti temporis continuationem hic notat, idem ſonans, ac *iamdiu*, ſeù *longo ab hinc tempore*. *Neglige* autem, a quo partic. paſſ. *neglecta*, ex vi compoſitionis, videtur idem ſonare, ac *ne lego quidem*. Fatetur itaque Iupiter, viles adeò iampridem res humanas habuiſſe, vt *ne legere quidem*, hoc eſt, ne reſpicere quidem dignaretur. Parrhaſ. in hunc locum aſſerit, Poetam locutum (licet ore Iouis loquatur) iuxta Epycureorum ſententiam, qui indignum arbitrantes, aſſerere Diuinam Maieſtatem, continuò rebus hiſce inferioribus addictam regendis, gubernandiſq;, atq;, aſſiduo quaſi tædio, oppreſſam exiſtimare; aſſerebant, hæc omnia, caſui commiſſa, nullo pacto, Numinibus cordi eſſe. Quid enim ad Deum pertineat (aiebant ipſi) fælicitas, vel infælicitas infimi huius orbis; cum certè Deitas in ſe ipſa imperturbabilis ſit; in ſe ipſa fœlix ſemper, & beata? Impia profectò ſententia, & iure meritò a Catholicis omnibus deteſtanda, immò & a ſanioris etiam mentis Ethnicorum Phyloſophis reprobata, qui, omnia Diuina quadam inalterabili prouidentia infatigabiliter gubernari, ſolo lumine naturæ, (quod nos & fide agnouimus) affirmarunt. Verùm decepi hoc loco Parrhaſ. arbitror. Nam, licet Vates ſit, qui loquitur, perſonam tamen induit Iouis, & Iouis loquitur ore. Quarè Iupiter iam eſt, qui loquitur, non Vates. Vel igitur Iupiter iuxta rei veritatem loquitur, quæ, quo ad hoc, nulli magis quam ſibi nota eſſe potuit; vel loquitur contra rei veritatem? Si primum; iam verà declarat Epycureorum ſententiam, quod eſt hæreticam affirmare prauitatem. Si ſecundum; iam mendax eſt, vtpotè qui aſſertiuam propoſitionem, contra id, quod de facto eſſe ſciret, pronunciare, non erubeſceret. Scio equidem, reſponderi poſſe, nil mirum eſſe, ſi falſum Numen inducat, ad comprobandam Ethnicorum, hæreticorumq; ſententiam, neq; ideò Vatem redarguendum, cum id non effecerit, vt Epycureis adhæreret; ſed vt mores exprimeret, quos Ioui ſuo, credens in eum turba cooptaret. Eſto verum. Sed non fuit igitur dicendum, quod loquatur in ſenſu Epycuri; ſed potiùs, quod Iouem carpat, & fictum inſinuet Numen, qui, ſe res humanas, iuxta ſententiam Epycureorum, neglexiſſe profiteretur: in quo ſenſu etiam Taſſonus, in ſua heroicomica Poeſi, cantu 2., Saturnum, in Deorum conſeſſu ſic inducit loquentem Italo metro.

Ch' importa a noi ſe guerra, liti, e riſſe
Turban là giù quel miſero abil fondo;
O ſe gl'huomini ſon lieti, ò turbati?
Io gli vorrei veder tutti impiccati.

Sed neq; hoc, quod Parrhaſ. indulgebam, dicendum arbitror fuiſſe; nam, cum, vt ſæpè vidimus, Auctor noſter, ſub his fabularum inuolucris vera contegere, & ſub ficti Iouis perſona, veram Deitatem delineare ſtuduerit, aptiùs dicendum cenſeo, Iouem hìc loquentem per Sarcaſmum induci; ita vt Iupiter ipſe eorum carpat inſipientiam, qui, cum imperſcrutabilia Dei iudicia, atq; altiſſima diuinæ prouidentiæ arcana nequeant penetrare, quoties vident fieri aliqua in Mundo, de quibus, aut cur fiant, aut quomodo fiant, neſciat humana rationem reddere prudentia, (v. g. cum vident impium exaltatum, iuſtum humiliatum) obmurmurantes illicò contra Dei prouidentiam, eam nullam eſſe, temerario auſu affirmant; ac Deum, rerum omnium negligentem, ſola ſua beatitudine eſſentiali contentum, perfido conclamant ore. Roboratur hæc explicatio ex ipſo Auctore noſtro, qui ex indicato à nobis fonte ſententiam Epycuri, atq; Epycurizantium promanaſſe apertè profitetur initio primi in Rufinum, vbi enumeratis ijs, quæ Mundi gubernatricem Prouidentiam abundè teſtantur, ea ſubijcit, quæ, caſu regi omnia, ſuggerant. Pro regnante enim Prouidentia ſtantia oſtendit fœdera Mundi lucis, noctiſq; certas vices; præſcriptos maris fines &c. Pro caſu verùm aſſerendo, florere nocentes; vexari pios &c. Sed ne pigeat textum ipſum, hoc loco exarare, nam dignus notatu eſt.

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cum diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſq; maris fines, annoq; meatus,
Et lucis noctiſq; vices; tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei &c. Inferiùs verò
Sed, cum, res hominum tanta caligine volui,
Adſpicerem, lætoſq; diù florere nocentes,
Vexariq; pios; rurſus labefacta cadebat
Relligio, cauſæq; viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo qua currere ſemina motu
Affirmat, magnumq; nouas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi; quæ Numina ſenſu
Ambiguo vel nulla putat, vel neſcia noſtri.
Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum
Abſoluitq; Deos &c.

En, poſtremo huius narrationis loco, expreſſos, quos & nos innuimus fontes, ex quibus ortum duxerit Epycureorum ſententia Deum ſtatuens orbis non curantem. Epycurizantes igitur per Sarcaſmum perſtringit Iupiter, loquens iuxta eorum querelas hæc effingentes; non iuxta veritatem rei ab impiorum longè abhorrentem ſenſu; nam iuxta veritatem dormire & diſcipulis dictus eſt Deus, cum in mari periclitarent; ſed non ideò eorum negligebat periculum, ſed differebat auxilium, vt eorum votis excitaretur ad ſedandas, tempore, tempeſtates. Iupiter itaque ipſe inducitur hìc eodem ferè operans pacto, nam precibus tandem ſe fatetur exaratum, dum ſubdit

ITERVM ADDVXERE MEAS CVRAS. *Iterum* aduerb. eſt reaſſumptionis, idem ſonans, ac *repetitò*, ſeù reaſſumptiuè.

viee. *Adducere* verò idem eſt, ac *ad ſe ducere*. Fatetur itaque Iupiter, mortalium ſe neceſſitatibus peruotum adduci ad auxilium ferendum. Quare male corrigit, vt arbitror Heinſ. & Clauer. qui *Abduxere* legendum ſtatuunt, non *adduxere*, nam licet explicent ipſi abduxere à cæleſtibus ad mortalia; malè conſonat explicatio ipſa, nam Iupiter mortalium curam gerens cæleſtia ipſa non negligit. *Meas* autem, inquit, *curas*; hoc eſt ſolicitudines, & anxium quoddam operandi ſtudium, quo res mihi mortalium cordi ſint, vt eas meliori ſe loco habere perficiam; nam cura dicitur quod cor edat, & excruciet anxio quodam finis deſiderio, vt alibi vidimus.

SATVRNIA POSTQVAM &c. Incipit enarrare, quæ fecerit ab initio Imperij ſui, & quæ cauſa fuerint, vt, iuxta exiſtimationem inſipientium, mortalia neglecta ſibi fuiſſe dicerentur; vt ſubindè rationem à ſimili reddat, & comprobet, non omnia, quæ, primo intuitu, dura admodum videntur, talia, de facto eſſe, aut contra orbis regimen conſtituta: ſicq; viam ſibi aperit, ad oſtendendum, nec ea, quæ proponenda ſint, atq; in hoc ſancienda conſeſſu, contra ius prudentiſſimæ moderationis futura. Verùm, vt hæc ipſa intelligamus, aliqua, licet alibi à nobis dicta, ſunt hoc loco maximè repetenda. Saturnum Iouis Patrem fuiſſe nemo ignorat: hunc ante Iouem regnaſſe, apud omnes pariter in confeſſo eſt; aureum etiam ſæculum ſub Imperio Saturni effloruiſſe, ſatis patet ex Poetis, qui aſſerunt, nullo tunc temporis nauigio fatigatum mare; nullum fuiſſe militiæ, aut artis vſum militaris; omnia fuiſſe communia, ac terram, liberaliſſima vbertate, ſpontè feracem, neceſſaria omnibus, ad delicias vſq;, affluenter ſuppeditaſſe. Audias Virg. Georg. pri.

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni;
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant: ipſaq; tellus
Omnia liberiùs, nullo poſcente, ferebat.

Latiùs autem eiuſdem ſæculi felicitatem proſecutum audias Tibullum ſic Elegiaco concinnentem ſtylo.

Quàm bene Saturno viuebant Rege priùs quàm
Tellus in longas eſt patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempſerat vndas,
Effuſum ventis præbueratq; ſinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Preſſerat externa Nauita merce ratem.
Illo non validus ſubijt iuga tempore Taurus
Non domito frænos ore momordit equus.
Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arua lapis.
Ipſa mella dabant quercus; vltròq; ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis oues.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſes
Immiti ſæuus preſſerat arte faber.

Cum autem, pulſo patre, atq; in Tartarum relegato, imperium Iupiter occupaſſet, tunc verſa eſt rerum facies: tunc aurei ſæculi felicitas abijt; increbueruntq; ærumnæ, vt idem ſic teſtatur Tibul.

Nunc, Ioue ſub domino, cædes, & vulnera ſemper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.

Iuſiùſq; declarat Virg. cit. Georg. pri. vbi de Ioue ſic:

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris
Prædariq; lupos, iuſſit; pontumq; moueri,
Mellaq; decuſſit folijs, ignemq; remouit,
Et paſſim riuis currentia vina repreſſit &c.

Oppreſſus itaque videri potuit Mundus à Ioue, cum, tot exutus felicitatibus, tot fuerit obiectus ærumnis. Oſtendit igitur, hoc loco, hanc ipſam Mundo preſſuram, non ſine altiſſimo Diuinæ Prouidentiæ conſilio, immiſſam, atq; in bonum datam, non in perniciem; licet hoc immeritò mortales exiſtimauerint. Immò Saturnum carpit, qui, nimium mortalibus indulgens, deſides eos, ſocordes, ac nullius virtutis compotes effeciſſet. Ideò

POSTQVAM COGNOVIMVS &c. Vim habet indicatiuam temporis particula *Poſtquam*, ita vt idem ſonet, ac *tunc temporis, cum ſcilicet cognouimus*, numero multitudinis vtitur per Synecd. vt verè ſupremum decebat Numen; *cognoſcere* autem non ſumitur hic, ita vt ſimplicem cognitionem importet rei antea ignotæ; ſed vt importet attentam rei perquiſitionem, & ponderatam conſiderationem, quæ omnia rei prædicata, omnes proprietates, omneſq; effectus, nec non vtilitates, aut damna inde prouenientia ad trutinam reuocet, & perpendat, & quidem, non ad ſciendum tantummodo, ſed etiam ad, quantum opus ſit, proſpiciendum, ne damna ex tali re inferantur.

OTIA SATVRNIA. A laboribus vacationes *otia* nominat, nam *otiari* eſt à laboribus vacare, *Saturnia* autem dixit, hoc eſt à Saturno Patre in Orbem inducta. Carpit itaque Saturnum Iupiter hic, vt dicebamus; eumq; oſtendit iure priuatum imperio, quippè qui Imperij habenis inſiſtere neſciſſet; ſed, per nimiam in ſubditos indulgentiam, virtutes omnes, quarum eos ſit aduerſitas, langueſcere non ſolum, ſed prorsùs emori, permiſerit. Quare *otium*, hic, vt vitium poſuit Mundum efficiens ignauum, deſidem, ſocordem; quæ omnia in auctorem recidunt probra.

ET SENIVM ÆVI IGNAVI. *Otium* viui eſſe hominis ſepulturam, inquit, ex Theophraſto, Cauſ. de Eloq. lib. 15. Ideò nil mirum, ſi mundum, otio marceſcentem potiùs, quam torpeſcentem, deductum, ſe vidiſſe, affirmet, ad ſenium. *Senium* enim extrema illa vitæ pars eſt, quæ iam iam in ſepulchrum vergitur caſura; &, qua de cauſa, ſegnis illa ætas tædio ſibimet eſt, omnibus odio. Vides autem quam altè, vnico hoc verbo, infelicitatem amplificet illius ſæculi ſub Saturno, quod tamen Mundus, ſuæ ipſius ignarus preſſuræ ſæculum aureum vocitaret; dum ſenio fere confectum delineat, eo ſæculo, Mundum hic pro ſæculo ponitur; ſed per Meton. continens ponitur pro contento, nempe *ſæculum* pro orbe ipſo eius ſæculi otioſitatibus afflicto. Ideò addit ignaui, hoc eſt deſidis, torpentis, atq; otio marceſcentis; nam neceſſariò, terrâ ſpontè omnia exhibente, homines ab omni prorsùs labore, ac negotio immunes torpebant.

ET POPVLOS DIV' SOPITOS. Emphaſim habet hæc dictio *Et populos ſopitos*: habet enim ſenſum latentem, quo oſtendit Iupiter, paruam futuram fuiſſe iacturam, ſi æuum ſenio confectum ſecum tuliſſet materialis tantum orbis excidium, eo pacto, quo domus, cui manus aſſiduè non admoueatur facilè corruit: vel etiam ſi Brutorum tantummodo inertiam tuliſſet, eaq; marcore confecta in nihilum redacta conſpexiſſet. Sed, cum viderit *Et populos* eodem inuolui excidio, hoc quidem maximi intereſſe arbitratus manum cenſuit admouendam, vt ſolueret vetuſtatem. Ideò *Poſtquam cognouimus, & Populos ſopitos*; idest mortuorum imaginem referentes; nam *ſopitus* à *ſopio* inflectitur paſſiuè. *Sopio* autem eſt *ſoporem induco*: & quia dormire incipientibus vires decidunt, nerui diſſoluuntur, & mortuorum imaginem induunt corpora; hac expreſſione oſtendit Iupiter, quanta tenerentur infelicitate, qui tamen, dormitantes, felices ſibi viderentur. Et aggrauat miſeram eorum conditionem conditio temporis appoſita per aduerb. *Diù*, quod longam temporis importat continuationem.

TORPORE PATERNO. Excuſat hoc loco homines, quaſi non vitio ipſi ſuo, non ſpontè, deſides eſſent; ſed ex, immiſſa, quadam, à Saturno regnante in eorundem membra, torpedine. Sicut enim Piſcator, qui in torpedinem incidit, non eſt culpandus, ſi inhabilis ad motum reddatur; ſic homines à torpente Saturno peſſimè affectos commiſeratione potiùs, quam reprehenſione, aut punitione dignos fuiſſe oſtendit. Ideò itaque cauſam appoſitè notat, vt ab hominibus culpam amoueat, ac in Saturnum Patrem refundat. De torpore aliqua attigimus lib. pri. carm. 263. Verùm, ad pleniorem huius loci explicationem, aliqua etiam hic ſuperaddere non grauabor. Torpor itaque à Torpedine, cuius effectus eſt, nomen traxit. Eſt autem Torpedo piſcis quidam, qui, limo merſus, occultat ſe, ac piſces ſupra natantes torpentes reddit, mediante venenata quadam qualitate, quam in ſupernatantes tranſmittit, vt cum torpuerint, exiliens è limo, deuoret Torpedo. Tanta autem eſt huius venenatæ vis qualitatis, vt non ſolum in piſces valeat; ſed in quodcumque, robuſtiſſimis quamlibet neruis præpotens, animal prædominari ab Hiſtoricis dicatur, ita vt, ſi hamo, vel retibus, capiatur Torpedo virus illa ſuum, per funes retium, ſeù per hami filum, diffundat, illudq;, ad modum ignis per ſulphurata funicula, aſcendens ſerpat, & manum Piſcatoris inuadat, ac illicò, totum peruadens corpus, rigere illud faciat, & torpeſcere, inutile iam ad omnia prorsùs effectum. Quarè magicam propemodum hanc Torpedinis vim appellat Pier. lib. hierog. 29. Huiuſmodi autem effectus rationem reddens Pier., inquit, hoc fieri ex vi inſuperabilis cuiuſdam frigoris, quo virus Torpedinis excellat, & quo, naturali calore ſuppreſſo, ac ſpirituum vitalium obſtructis meatibus, facilè partes omnes obſeſſi corporis langueſcant inutiles. Iure igitur Torpedinis effectus Saturni influxibus attribuit Iupiter, ſeù meliùs, Iouis ore, Auctor noſter, ſeptimus enim Planetarum Saturnus, naturâ ſuâ frigidiſſimus eſt, ac lentus adeò, & piger in motu, vt, per ſingula Zodiaci ſigna, triginta integros menſes inſumat, vt

faciat

ferunt Aſtronomi: atq; ideò, cum ſegnis in ſe ſit nil niſi ſegnitiem, ignauiam, ac deſidium influere in ſubiectos poteſt: &, cum frigidiſſimus ſit, non niſi torporem poterit inſtillare. Certè Virg. Georg. pri. Frigidam vocat Saturni ſtellam, vt malignam innuat, & grauem.

Hoc metuens cæli menſes, & ſydera ſerua
Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet &c.

& ideò Saturnum *frigidi ſenis* nomine appellat Pamphylus Saxius, dum ait:

It per ſydereos Rex falcifer arenibus orbes
Quid mirum gelido ſi placet Hydra ſeni.

Rea enim falcifer dictus Saturnus, quia falcis credebatur Inuentor, eiuſq; currui Dracones aptabant vectores antiquis ne Saxij carmina ignores eruditè concinnata. Nil igitur mirum, ſi naturam ſyderis ſecutus Vates, accidioſum Saturnum totius orbis corruptelæ faciat auctorem.

PLACVIT IMPELLERE &c. Prima medicorum ſapientia eſt morborum noſcere qualitates, eorumdemq; origines indagare; nam, his cognitis, facilè, quæ plurimum conferant, medicamenta ægrotanti ſuggerent exhibenda. Sic itaque & Iupiter, remedium periclitanti iam Mundo opportunè allaturus, languentis curam orbis, à cognitione morbi, eiuſdemq; originis, ſe exorditum fuiſſe profitetur: Poſtquam cognouimus &c. Iam, quam aptè præceptis medicorum inhæſerit, eamdem proſequens curam, oſtendit; cum enim vigeat, apud medicos, vniuerſale illud axioma: *contraria contrarijs curantur*; hac eâdem methodo vſum ſe, Iupiter profitetur, deſidiam ſollicitudine curaturus, torporemque agitationibus adhibitis ſanaturus. Ideò *Placuit*. Verbum *placere* (quod idem communiter eſt, ac *gratum ſum*, ſeu *guſtus*, *vel voluntati alicuius arrideo*) ſi impersonaliter vſurpetur, vt hic, pro eodem ferè accipitur, ac *videtur*. Aptè tamen vtitur Vates hoc verbo potiùs, quam verbo *viſum eſt*; nam verbum *Placet* videtur importare dignationem quamdam, qua beneficium illaturus, ex pura benignitate, nulla quamuis obligatione adſtrictus moueatur. Quarè optimè delineat Vates diuinam beneficentiam, cuius maxima dignatio eſt, quoties humilitatem reſpiciat noſtram: & quæ, quotieſcumq; beneficia nobis elargitur, ea pura benignitate largitur immerentibus. Inſuper verbum *Placuit* importat complacentiam aliquam in ipſo beneficiorum largitore, qua ſcilicet gaudere videatur, quoties beneficia, vel indignis, aggreditur diſtribuere. Ideò *Placuit impellere*; hoc eſt *vexare, incitare*, atq; *vrgendo adducere* mortales tarditate torpentes, torpore languentes &c.

STIMVLIS VITÆ SOLLICITÆ. Metaphora vtitur ab equeſtri arte deducta; nam domitores equorum, quotieſcumque reſidem incidant in equum, tandiù ſtimulis fatigant, atq; huc illùcq; agitationibus impellunt, donec contumaciam tandem deponat, ac diſciplinam artis non renuat. Stimulus itaque dicitur quidquid tormenti ſpeciem gerat, exagitet, excruciet, translatione deducta à ſtimulo acutæ cuſpidis, quo Ruſtici boues agunt. Aptiſſime autem hoc vtitur nomine; nam, cum bos ideò ſtimulis indigeat, quia pigrum animal eſt, ſic hominum torpentium pigritia fuit vtiq; ſtimulorum aculeis excutienda, nempè *ſtimulis ſollicitæ vitæ*. Duplicem agnoſcunt vitam Phyloſophi, nempè vitam in actu primo, ſeù eſſentialem; & vitam in actu ſecundo, ſeù accidentalem. Prima conſiſtit formaliter in ipſa vnione animæ cum corpore, qua viuentes eſſentialiter conſtituuntur; & eſt ipſa formalis virtus, ſeù potentia exercendi actus vitales, & ideò dicitur vita in actu primo. Vita autem in actu ſecundo, ſeù accidentalis, in ipſo vitæ exercitio, nempe in ipſa actuum vitalium exercitatione conſiſtit: & de hac vita loquitur Ariſt. Ethic. pri., cum vitam diuidit in Ciuilem, Phyloſophicam, ac Voluptuariam. Dum itaque Vates vitam, hoc loco, memorat, non ita intelligendus eſt, vt loquatur de vita eſſentiali, & in actu primo; ſed de vita actuoſa, accidentali, atq; in actu ſecundo; nempè de ipſo vitæ exercitio: eo pacto, quo etiam Cic. de vita loquitur pro Roſc. Amer. cum ait: *Vita ruſtica honeſtiſſima eſt, atque ſuauiſſima*. Cum itaque vita actuoſa, quam Iupiter omnibus decreuerat aſſumendam plurimum laboris ſecum eſſet allatura, eam ſollicitam vocat, nempè anxiam, inquietam, & curis vndiq; exagitatam.

INCVLTIS NE SPONTE SEGES &c. Excogitatis medicamentis, quibus ab infirmitate curetur ægrotus, excogitanda ſunt media, quibus illa applicari poſſint, præcipuè ſi remedia ſint ipſi ægroto inuiſa, ita vt ab illis, tamquam à venenis abhorreat patiens. Sæpe enim, ac ſæpiùs accidit, vt medici grauioribus morbis aſpera exhibere remedia compellantur, atq; interdum, iacturâ etiam factâ, quod ſeruari poteſt, redimendum venit. Sic brachium v.g. infectum obtruncant, & proijciunt, vt reliquum à putredine corpus præſeruetur. Nec huic profectò muneri defuiſſe ſe Iupiter oſtendit; cum nouiſſet enim, nunquam futurum, vt ſollicitæ remedium vitæ aſſumerent mortales, quandiù, eâ luxuum peſte durante, à remedio retraherentur; reſecanda renaſcentis huius Hydræ capita ſapientiſſimè cenſuit, atq; operi ſe manum admouiſſe recenſet. Ideo *Placuit*

NE SEGES GRANDESCERET. Vt a remotione impedimentorum, ſeù ab expurgatione morboſæ originis curam Iupiter initet. *Ne* igitur prohibentis eſt. *Segetes* verò fruges propriè eorum ſeminum ſunt, ea quibus conficitur panis, ſed quæ nondum ad falcem maturuerint: atq; has, ne grandeſcerent, prohibuit. Porrò *grandeſcere* eſt *ſuccreſcere*; &, poſt germinationem, *augmentum ſumere*, ad perfectam vſq; maturitatem aſſequendam. Poſuit itaque Vates hoc, quod conſequens eſt, reſpectu germinationis; antecedens verò, reſpectu maturitatis, vt vtraq; ex eo, antecedens nempè videlicet, & conſequentia vetita fuiſſe deſignaret. Graneſceret, ſeù caneſceret legunt alij. Placet vulgata cum Heinſ. Parrh., & alijs.

SPONTE. Vide de hoc aduerb. dicta lib. pri. carm. 198.

ARVIS INCVLTIS. Quid ſint arua videris lib. pri. carm. 128. *Incultis* idem valet, ac *non cultis*, non vomeris ictu verſatis, non ferro proſciſſis, non ligone effoſſis, non ſudore irrigatis &c. Porrò hæc priuatio meſſium, ſponte ſuccreſcentium, directè opponitur illi felicitati, quæ primæ ſæculo tribuitur aureo, in opuſculo, quod, incerti auctoris cum ſit, Virg. attribuitur, atq; Ætna inſcribitur: vbi hæc leguntur.

Aurea Saturni quis neſcit ſæcula Regis?
Cum domitis nemo Cererem iactaret in aruis,
Venturiſq; malas prohiberet frugibus herbas;
Annua ſed ſaturæ complerent horrea meſſes.

Dum itaque hanc abſtulit rerum affluentiam Iupiter, curis acuit mortalia corda, vt ſupra innuit Vates, Virg. ſcilicet inhærens, qui Georg. pri. hæc habet:

. . . . Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit; primuſq; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda.

NEV SYLVA VNDARET FAVIS. *Neu* compoſitum ex *ne* prohibentis, & *ue* pro *&*, vltimâ demptâ, ſonat *Et ne Sylua &c.* De ſyluis verò vide lib. pri. carm. 207. Hic pro arboribus ſumitur conſitum nemus conſtituentibus. *Vndaret* pro abundaret per aphæreſim. *Fauis*, hoc eſt melleis liquoribus; nam *Fauus* dicitur cerea apum cellula, in qua natos fouens, eiſdem fauet, & dulci diſtendit nectare cellas. Tempore autem Saturni in arborum frondibus mella inſediſſe dicuntur affluentia adeò, vt latè defluerent. Quod, vna cum vini copia ſponte in riuos tunc temporis decurrente, de qua inferiùs, cecinit Auctor Ætnæ cit. his verbis:

Ipſe ſuo flueret Bacchus pede; mellaq; lentis
Penderent folijs, & pingui, Pallas Oliua &c.

Horum autem priuationem à Ioue immiſſam memorat Vates, Virg. ſecutus, qui Georg. pri. ait:

Mellaque decuſſit folijs, ignemq; remouit
Et paſſim riuis currentia vina repreſſit.

ideò poſt mellis memoratam ablationem, illicò ſubijcit.

NEV VINA TVMERENT FONTIBVS &c. Vina ſatis delibauimus lib. 2. carm. 344., & ibidem carm. 352. quid ſit *immiſſio* iam vidimus. Fons autem indeficiens aquarum ſcaturigo eſt, quæ Saturno aquarum loco vina dicitur eructaſſe; & id ipſum à Ioue prohibitum aſſeritur.

ET TOTÆ RIPÆ FREMERENT IN POCVLA. Non ſatis fuerat vinarios habuiſſe fontes, ni tam fuiſſent affluentes, vt ea illis flumina, vini redundantia defluerent. Ideò, dum Iupiter fontes prohibet, prohibet & flumina. Dices hoc ſuperfluè additum. nam quis neſciat, exſiccari flumina, prohibitis fontibus. Verùm memineris non omnes fontes efficere flumina: quarè benè poterant exſiccari fontes, & non exſiccari flumina, ſi eos videlicet tantum fontes, qui in flumina non abeunt exſiccaſſet; & ideò fontes ſimul, & flumina memorat exſiccata, vt ſcias, omnem ſpontaneam vini ſcaturiginem ceſſaſſe. *Totus* ad quantitatem, ac menſuram refertur; ideò aptè *Tota ripa*, pro tota aluei fluuialis altitudine, longitudine, ac profunditate poſitæ, memorantur. *Ripa* tamen potiùs dicit, quam flumina, ad amplificandam vini affluentiam, quæ talis fuiſſet, vt ſummas vbiq; ripas æquaſſe innuatur. Ideò placuit *ne ripæ fremerent*. *Fremitus* propriè eſt fluctuum murmur; ideò propriiſſimè hic fremere, mero redundantia, flumina, quaſi ſonitu, ac mur-

murmure. Inuitarent *in pocula*, hoc eſt ad largè bibendum eſlicerent; nam *pocula* hic pro ipſo bibendi, & pocula coronandi, ponuntur actu. Quid pocula ſint, non repeto, animimus enim lib. 2. carm. 346.

HAVD EQVIDEM INVIDEO. Præoccupatio Rhetorica eſt, qua negat verum eſſe, quod obijci potuiſſet: nempè, Iouem, inuidia ductum, has mortalibus ſurripuiſſe felicitates: idque negans viam ſibi aperit ad patefaciendum finem, cuius gratia hæc ipſe abſtulerit. In vocibus explicandis non immoror, quia notiſſimæ ſunt: & quid ſit inuidere, alibi fusè vidimus.

NEC ENIM FAS EST &c. Per particulam cauſalem *enim* rationem ſubdit, cur non ſolum inuidiæ ſtimulos non ſenſerit, ſed nec ſentire potuerit, & rationem ipſam detumit ab ea, qua præditus ille eſſet, natura Deitatis: & quidem merito: nam cum ratio Deitatis ſit ratio eſſentialiter ſummi boni: & de ratione ſummi boni ſit, eſſe ſummè communicabile, certè, ex natura ſua, non potuit, ex alienis bonis dolore affici, quod idem eſt, ac inuidere: cum immò, ex natura ſua, non poſſit bona non elargiri, atq; alienis bonis, tamquam delatis a ſe muneribus non gaudere. Ideò per coniunctionem diſiunctiuam *Nec* a ſe ipſo diſiungit id, quod Naturæ improprium fuiſſet ſuæ. *Nec fas eſt*. *Fas* nomen eſt defectiuum primum tantummodo quartum, & quintum ſingularis numeri caſum habens; ſed perfectionem tamen, ſine defectu importat, nam propriè ad Deum refertur, ſicuti *ius* ad homines, vt notauit Virg. Georg. pri., vbi ait: *Fas, & iura ſinunt*: hoc eſt Diuinæ leges, & humanæ. Quarè *Fas*, idem eſt, ac iuſtum, pium, religioſum, & fari dignum; ſed reſpectu Dei potiùs, quam hominis. Ideò *Nec fas eſt*

DEOS LIVESCERE, VEL NOCVISSE. Numero vtitur multitudinis, vt indicet hanc eſſe proprietatem Deorum omnium, vt aſtantes Dij non poſſint, ne ſi velint quidem, inficias ire, ne ſe ipſos ab hac laude alienos detegant, ſi hanc datam immeritò Deitati aſſeuerent. *Liueſcere* eſt *liuore, hoc eſt inuidia tangi*. Paſſio autem inuidiæ liuor dicitur; nam qui veneno huius peſtis imbuitur, tetris ſemper vultibus, atq; horrorem ſpirantibus incedit, iuxta Italicum illud dictum, vel in Triuijs vſurpatum.

L'inuidia figliuol non ſe ſteſſa lacera.

Sub diſtinctione autem, quid Deos non deceat, attingit Iupiter, vt ſe & ab inuidia, & a nocumento, vel ſine inuidia afferendo alienum fuiſſe, id ſua ipſius exigente natura, profiteatur.

SED QVOD DISSVASOR HONESTI &c. Secluſo à motiuis taliter operandi inuidiæ irritamento, quod in ſummam nequeat cadere bonitatem: nec non nocendi fine, qui alienus omninò ſit à Deitate, cuius eſſentia bonitas, & beneficentia eſt; veram iam affert rationem peractorum, veramque operationum ſuarum cauſam aperit finalem, iuxta illud Virg. Georg. pri.

Nec torpere graui paſſus ſua regna veterno.

SED VT EGESTAS INGENIOSA. Per coniunctionem *Sed* aduerſatiuam, à ſemotis cauſis imaginarijs recedens, veras itaque ex aduerſo, ſubnectit Iupiter; ſuperaddita coniunctione cauſatiua *vt*, qua cauſam ipſam denotet finalem. *Egeſtas* autem *rerum inopia* eſt, quæ, licet horrido ſemper appareat vultu, origo tamen bonorum omnium eſt; vt ait, apud Valer. Max. lib. 4. c. 4., Cornelia illa inſignis Graccorum mater Romana, dum Campanam alloquens Matronam inquit: *Quorſum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miſeriarum loco ponere? Tum & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus ſit referta: & huius horridior aſpectus ſolidis, ac certis bonis abundat*. Horridior profectò egeſtatis aſpectus eſt; nam vt ait Mythol. Nat. Com. lib. 5. c. 10.

Improba Paupertas nocuis moleſtibus vna
Plus ſuperis cunctis, ſæua grauisq; Dea.
Veſtibus & gaudet laceris, & pallida ſemper.
Ora fame eſt: nec mas, fœmina & illa nec eſt.
Non eſt illa homini ſimilis, non illa animantis;
Hoc monſtrum ferum triſtia cuncta ſubit.

Aliqui egeſtatem à paupertate diſtinguunt, eo, quod egeſtas commeatuum tantummodo ſit; Paupertas verò rerum omnium indigentia. Quæ diſtinctio ſi vigeat, congruentiſſime profectò procedit Vates; Eſt tamen, vice verſa, egeſtas bonorum fæcunda, nam, dum bona corporis aufert, quæ fluxa ſunt, bona animæ adfert, quæ ſolida, & ſola veraciter bona ſunt, teſte Diogene, qui phyloſophycas in animum virtutes ab egeſtate induci dictitabat; ac dicente Ariſtone, facem eſſe egeſtatem, quæ virtutes omnes, ac animi ſplendidiores ſuis industrias. Quarè nil mirum, ſi locum daturus egeſtati Iupiter, ad mortales bonis, vtiq; ſolidis locupletandos; bona corporis, fluxa, abſtulerit; atq; egeſtas immiſſa ab eodem ſit: quæ apud antiquos Dea credita, vt apud Mythol. cit., templum habuit diuinis culta honoribus apud Gadiræos populos. *Ingenioſa* autem hæc dicitur, quia *ingenioſus* eſt, qui naturalem vim ad aliquid peragendum habeat accommodatam, atq; ingenij acumine polleat, nec non induſtriæ ſolertiâ ad aliquid rite perficiendum. Porrò egeſtas, quæ inopia rerum ſit, ingenioſa certe formaliter in ſe eſſe non poteſt, cum mera priuatio ſit: ſed ingenioſa dicitur efficienter, quia ingenioſum facit hominem egeſtate laborantem, ita vt omnes ineat vias, omneſq; experiatur induſtrias, vt illius à preſſuris liberetur: ad quod alluſit Hetruſcum illud

Biſogno fà buon fante:
E biſognino fà vecchia trottare.

nam Inopia, teſte Perſio omnes edocet artes, & ſapientiam ſortita dicitur apud Euripidem.

PROVOCET SEGNES ANIMOS. *Prouocare, excitare*, hoc loco, eſt, & *incitare*. Animus verò, vt alibi dix., in hoc diſtinguitur ab Anima, quia hæc vita eſt, ille conſilij: Anima enim eſt id, quo viuimus: Animus, quo ſapimus, & intelligimus: quare hic potiùs potentia Animæ intellectiua eſt, quam anima ipſa: & ſumitur, hoc loco, pro intelligentia ipſa, ſeù pro ingenij ſpiritu. & acumine, quod, ſicuti inertiâ, ob rerum copiam hebetatur, ſic ſolertia, ob rerum inopiam, acuitur, vt ſupra, & *ſegnis* dicitur *animus*. tardus, piger, ignauus: nam *ſegnis* eſt, quaſi *ſine igne*: nec ſine myſterio; nam, vt vidimus, tarditas, inertia, torpor ex prædominio humorum oritur frigidorum; ac ratio naturalis in promptu eſt; nam frigore conſtipantur humores cerebri, illiq; ſic conſtipati obſtruunt meatus, per quos ſpiritus, qui ſunt quidam quaſi ſanguinis igniculi, permeare aſſueuerant, vt cerebrum, ac neruos omnes è cerebro prouenientes, iuuarent, & ad intelligentiam, & ad motum: quare, præcluſo aditu ſpirituum, ſtupidum efficitur cerebrum, nerui torpentes &c. ideò *ſegnes*, hoc eſt *ſine igne* animi dicuntur ignauia torpentes. Cum itaque, ex rerum omnium affluentiâ, & ceſſatione à laboribus efficiatur, vt facile mortales luxui tantum, atq; eſcis indulgeantur, efficitur etiam vt, Taxorum, vel potiùs porcorum more, pingueſcant: & quia pinguedo, vt plurimi cenſent phyloſophantium, frigida eſt, ſanguinis igniculos illos prohibet, vt diximus, ac ita ex affluentia ſegnities. Quid igitur remedij? Contrarijs contraria curantur. Accedat egeſtas; atq; ob rerum inopiam ieiunus maneat venter: & tunc, decreſcente pinguedine, & frigiditate, ſoliciti iterum ignei ſpiritus per apertos excurrent meatus, atq; animum ad ſolertiam, atq; induſtriam excitabunt, vt ſibi comparet arte ea, quæ ab egeſtate denegantur, & neceſſaria tamen ſunt. Ideò de ventre ob egeſtatem famelico ait Perſius cit. *Magiſter artis eſt ingeniiq; largitor venter*. Ritè igitur a Ioue immiſſa egeſtas, quæ *prouocet ſegnes animos*.

ET EXPLORET PAVLATIM. Quæ ad excitationem, incitationemq; animi ſequantur, per copulam *&* ſubnectit: certum enim eſt, quod intellectus, repræſentato aliquo fine, quem vt ſibi bonum apperit voluntas, ſtatim excogitat media, ad talem finem conducentia. Ideò *& exploret*, hoc eſt *explorare faciat*. *Explorare* autem eſt *ſagaciter, diligenter, ac toto animo ſedulitate peruestigare*. *Paulatim*, tamen dixit, ideſt ſucceſſiuo nouarum, ac nouarum cognitionum additamento, vt mores ediſcentium imitaretur.

VIAS RERVM REMOTAS. *Via* ſæpè ſæpiùs pro eodem vſurpatur, ac *modus*, ſeù *ratio* faciendi aliquid; nam ſicuti *via* illa eſt, qua ad terminum ducimur, ſic modus, ſeù ratio faciendi eſt id, quo ducimur ad intentum perfectè, & efficaciter operandi. In hoc ſenſu Dido Annam alloquens ſororem, hoc nomine vtitur Æn. 4., vbi ſe modum inueniſſe profitetur, quo ſe expediret ab Amore fugientis Æneæ, dum ait: *Inueni, Germana, viam (gratare ſorori)*
Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſoluat amantem.

In eodem ſenſu Palinurus Æneam rogans Æn. 6., vt ſecum ſe ad vlteriores Acherontis ripas adduceret, ſi quo modo fieri poſſet, inquit:

Aut tu, ſiqua via eſt, ſiquam tibi Diua creatrix
Oſtendit &c.

& in hoc eodem ſenſu ab auctore hic vſurpatur. *Remotas* autem dixit per tranſlationem: nam remotum a nobis dicitur, quod longe diſſitum, & diſtans eſt, ac præcipuè, ſi tanta diſiungatur diſtantia, vt ab oculis ſurripiatur: ex quo factum, vt *remota* dicantur, quæ occulta ſunt, nec facile patent ſenſibus,

ſibus, aut cognitioni. *Vias* itaque *remotas* dicit, hoc eſt *modos antea occultos, ignotoſq; rerum*. Res interdum pro affluentia rerum ponitur, vulgò *le robba*, & in hoc ſenſu profectò hìc: quarè ſubintelliges rerum *acquirendarum*, quas Iupiter, ſponte in ſinum hominis confluere vetuiſſet.

VTQ; SOLERTIA PARIAT &c. Aliam operationis ſuæ finalem exponit Iupiter cauſam, ac cum præcedenti vtique copulat. *Solertia* ingenij quoddam acumen exertum eſt, quo in aliquam intendas operationem, & dexteritas quædam exactiſſima rerum agendarum, quam nos diligentiſſimam rerum peruestigationem, obſeruationemq;, in ordine ad aliquid peragendum, diceremus. *Parere* autem propriè de fœmina dicitur, quæ, conceptum in vtero, filium emittat in lucem. Verùm quia omnis effectus continetur in ſua cauſa, ex eâq; procedens, cum ex potentia in actum deducitur, poni extra cauſam dicitur; ideò & cauſa parere effectum dicitur per translationem. Atque ita & hic ſolertia pariat. Et forſan veritatem attigit latentem ſub fabula Mineruam ex Cerebro Iouis natam enarrante, nam, Minerua ſcientiarum, artiumq; omnium Dea credita, dum è Cerebro naſci dicitur; Ingenium ſcientiarum, artiumq; omnium parens affirmatur.

VSVS NVTRIAT ARTES. Videbatur interponenda coniunctio, ita vt diceret *ſolertia pariat, atq; vſus nutriat artes*. Verùm prudentiſſimè Vates, per aſſintheton, locutus eſt; vt ſcilicet oſtenderet, adeò connexam, ea natura ſua, inuentionem artis eſſe cum exercitatione eiuſdem, vt inſeparabiles ad inuicem ſint: nam, vt docet Ariſtoteles 2. poſter. cap. vlt., priùs homines operati ſunt, ſecundum artem, hoc eſt benè; deindè aduertentes modum, quem tenuerant, in benè operando, compoſuerunt præcepta, & artem confecerunt. Cum itaque nunquam ab exercitatione ars poſſit ſeparari; neque indigent copulari per interpoſitam coniunctionem. Porrò *vſus* nihil eſt aliud, quam frequentata præceptorum executio, artiſq; inuentæ exercitatio. Perſiſtit autem Vates in allegoria incæpta; nam, ſicuti dixerat ſolertiæ partum artes eſſe, ſic, cohærenter, natis artibus Nutricem debuit aſſignare. Ideò *Nutriat vſus*. *Nutrire* enim propriè dicuntur mulieres, quæ lacte ſuo infantulis alimenta præbent, ad hoc vt, per potentiam animæ vegetatiuæ, quæ nutritiua dicitur, non ſolum conſeruentur; ſed etiam augmentum ſumant infantes. Eſt igitur ars recens inuenta, quaſi modò genitus infans, nempè debilis, rudis, impotens: quarè nutritio indiget lacte, vt conſeruetur, augeatur, roboretur, & perficiatur, quod vtiq; efficit exercitatio. Attingit itaque hic Vates, & eruditiſſimè quidem, quomodo artes inuentæ fuerint, quomodò enutritæ, atq; ad perfectiorem, ac perfectiorem ſemper ſtatum deductæ, inhærens doctrinæ Ariſtot. pri. Metaph. cap. pri., vbi proceſſum artis deſcribens ait: *Multæ namque eiuſdem rei memoriæ vnius experientiæ vim efficiunt; ars autem fit, cum è multis experientijs vna de ſimilibus vniuerſalis opinio oritur*. Primò itaque homines, per multiplicatas rerum obſeruationes operati ſunt circa illas, & benè operati ſunt, naturâ in facilioribus lumen præbente: ſubindè, cum in ſimiles caſus incidiſſent, recordantes modum, quo vſi fuerant in operãdo, experiere, num, in difficilioribus, idem modus operandi vim haberet æqualem: & cum animaduerterint, vel eundem omninò, vel modicè variatum modum ad intentum ſuffeciſſe, experientiam ſtatuerunt: ac deniq; ex multis habitis experientijs, & reflexione habita ſupra modum, quo illas exercuerant, præcepta generalia compilarunt, quibus ars conſtaret, quandoquidem nil aliud eſt ars, quam aggregatio præceptorum in aliquem certum, & operabilem finem, operabili modo, infallibiliter dirigentium. Sic itaque ſolertia peperit artes, vt patet conſideranti. Verùm artes iſtæ, ad inſtar Vrſinus partus, qui informes exeunt, & lingua ſubindè matris efformantur, & perpoliuntur; incultæ, rudes, informes, ab initio ſui ortus vtiq; fuere; ſed, quia facile eſt inuentis addere, induſtria ſubindè humana, aſſiduis exercitationibus, atq; circa defectuum auferendorum rationem obſeruationibus, perfectioniſq; inducendæ ſtudio elaborans perfectam tandem artis formam conſtituit expolitam. Ideò *nutriat vſus*: nam excreſcere, & ad perfectionem ars nequit adduci, niſi aſſiduâ præceptorum exercitatione: & ratio eſt, quia ars eſt habitus cum recta ratione vel actiuus, vel factiuus; habitus autem certè non niſi ex frequentatis actibus coaleſcit, & perficitur, vt docent communiter Phyloſ. Quarè exercitatio optimè artium nutrix conſtituitur, vt nutriat

ARTES. Artis nomen quamplurimi deductum volunt ex græco *aretês*, quod eſt *virtus*, quarè, nomine artium, virtutes omnes innuere, hic, Vates voluit, vt arbitror. Ducor quia Ars, vt vidimus, eſt *habitus cum recta ratione actiuus* & certè, Auctore Tullio, virtutis laus omnis *in actione* conſiſtit. Virtutes autem maximum, procùl dubio, ſunt intellectualis bonum creaturæ; nam, quæ virtus moralis eſt, ea definitur *bona qualitas mentis, qua bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum*: atq;, vt ait Ariſtot. 7. Phyſ. tex. 17., virtus eſt *diſpoſitio perfecti ad optimum*. Si verò loquamur de virtutibus intellectualibus, eodem & ipſæ modo definiuntur, ſed ita vt non faciant *bonum ſimpliciter*, ſed tantùm cum addito; v. g. *bonum Phyloſophum, bonum Mathematicum, bonum Oratorem &c.* Vides igitur, quomodo, ſubtiliſſima profectò orationis methodo, Iupiter demonſtret, ſe, dum otia, vitiorum ſcilicet omnium ſcaturigines, ac morum corruptelas, eliminauerit, egeſtate, quæ cogeret, immiſſâ, virtutes omnes humano generi elargitum fuiſſe, atq; adeò fluxis homines expoliaſſe, vt veris, ac ſolidis ditaret bonis.

QVOD LVXVS &c. Rationem reddit, cur, ad huiuſmodi munus exequendum, egeſtate vſus fuerit, quæ ſublatâ ſpontaneâ rerum affluentia, mortales inopia premeret. Ideò *quòd* aduerbio enim cauſali, aperienda ad rationem reddendam fuit via. De *Luxu* verò vide dicta lib. 2. carm. 301. Hìc pro immodica rerum aſſumitur copia, ex qua efficitur, vt homines immemores dignitatis ſuæ, Epycureorum viuant in morem, ſemper illud decantantes: ede, bibe, lude: poſt mortem nulla voluptas: &, ſibi heroicè ſe plaudere, arbitrentur, cum inquiunt: *Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati*: Sardanapali ſequaces, Eliogabali imitatores, atque immemores omnino grauiſſimæ illius ſententiæ, quam ex libris Apophtegmatum habemus, *Nihil ſerui lius, abiectiuſq; eſt, quam gulæ, ventri, & voluptatibus obnoxium viuere*.

DISSVASOR HONESTI. Quidquid, præter id, quod honeſtum ſit, expetendum dixeris, & in bonis enumeraueris; & honeſtum ipſum, quaſi virtutis lumen extinxeris, & virtutem penitùs euerteris: inquit Cic. 3. de Fin. Ex quo patet, quòd idem ſit *ab honeſto retrahere, ac virtutem euertendam ſuadere, vitium q; amplectendum*. Egregiam itaq; hanc laudem luxui attribuit Vates, dum dignum duxit, qui appellaretur *Diſſuaſor honeſti*. *Diſſuaſor* enim dicitur, qui à proſecutione alicuius rei deterret, & dehortatur. *Honeſtum* autem eſt, quo cauetur, ne quid indecorè, turpiter, libidinosè fiat, aut cogitetur; quare virtutem, probitatemq; ſignificat; &, vt ait Quintil. lib. 2. cap. 4., Iuſtum, pium, religioſum, cæteraq; his ſimilia, honeſti nomine complectimur. Quare Luxus, qui diſſuaſor honeſti ſit, virtutibus omnibus infenſus, vitiorum omnium militat propugnator. Emphaticam igitur agnoſces dictionem *Diſſuaſor honeſti*. Heinſius lectionem hanc effert per interrogationem, ſic legens . . . . . . *Sed quid diſſuaſor honeſti*

Luxus & humanas oblimat copia mentes?

In idem tamen recidit ſi perpendatur; ſed neſcio an tam benè congruat textui hæc interrogatio.

ET COPIA OBLIMAT &c. Adnotauit ſuperiùs cauſam proximam, & immediatam, ex qua, tamquàm ex fonte, vitia promanent omnia, ac virtutes enecentur, quia vere nulla capitalior peſtis hominibus, quàm voluptas: hoc autem loco, cauſam remotam, nempe cauſam cauſæ, notat rerum affluentiam; quòd cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati. Ex quo iam habes, quid nomine *Copia* intellexerit: Oblimare verò verbum ex præpoſitione *ob*, & nomine *Limus* efformatum idem ſignificat, ac *cæno inquinare*, & quaſi *limo obuallare*, ſeu *limo humare*. Loquitur autem hic Vates iuxta Apoſtoli ſententiam dicentis: corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: vel iuxta Euangelicum dictum: *Quæ de corde exeunt, hæc coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes prauæ, furta, adulteria, homicidia &c.* quæ omnia ex luxu, & otio procedere iam vidimus. Ideo *Copia oblimat*; nam his addictus homo, quaſi ſus, in volutabro volutatur, cæno mergitur, & cæno cælo mortuus humatur.

MENTES HVMANAS. Quid ſit Mens vidimus luſè lib. 2. carm. 4. Hic pro Anima, eiuſdemq; potentijs omnibus ſumitur: nam vere corpus impinguatum recalcitrat facile, animam faciliùs deijcit, ac cæno voluptatum demerſam proterit. Hæc igitur verè mala auferendi ab humano genere, vt vera, & ſolida induceret bona, finem ſibi ſtatuiſſe Iupiter profitetur, cùm Saturnias fęlicitates, pernicioſas vtique abſtulerit: Atque hunc finem fęliciter etiam obtentum à Ioue fuiſſe memorat Virg. Georg. 1., vbi ſic habet.

Tum variæ venère artes. Labor omnia vincit

Im-

Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Optime itaque demonſtrauit Iupiter, ſe ea ipſa, quæ mala ab hominibus videbantur, in bonum humani generis, admirabili Prudentiæ ſuæ arcano, conuertiſſe.

NVNC MIHI CVM MAGNIS &c. Nihil eſt tàm miſerabilem, quàm ex beato miſerum effici, vt Princeps ait eloquentiæ. Quare nil mirum, ſi mortales ex voluptuoſo illo ſtatu, de quo ſupra, & in quo ſciam conſiſtere fœlicitatem arbitrarentur deiecti, querelas in Iouem perpetuas eiularent, atque ex eo præcipuè, quod otio aſſueti, ac ſegnitiem excutere neſcientes adhuc, areſcente terrarum fæcunditate, coacti fuerunt glandibus, ac ſiliquis veſci, & quidem parce, ne his quidem multitudinis ſufficientibus.

. . . *cum iam glandes, atque arbuſta ſacra*
Deficerent ſyluæ, & victum Dodona negaret,

vt ait Georg. 1. Virg. Cum itaque vniuerſales eſſent hominum queſtus, ſicuti vniuerſalis erat calamitas; hinc eſt, vt Vates, egregius vtiq; morum imitator, Naturam humanam, apud Iouem, querelas exponentem effingat; ac ideò Iouem inducat ipſam Naturæ queſtus in Deorum concilio exprimentem.

NVNC NATVRA INSTAT MIHI. Aduerb. præſentis, hoc loco temporis eſt *Nunc*. De Natura, eiuſq; diuiſione in Naturatam, & Naturantem egimus lib. 1. carm. 149. Hic pro naturata, hoc eſt creata, procùl dubio ponitur. *Inſtare* autem eſt proprie *aſſiduis, continuatis, atque importunis ferè poſtulationibus fatigare*. Et *mihi* dixit emphaticè, quaſi diceret inſipiens ſapienti, imprudens prudenti, odioſa amanti, ac mihi omnia in ipſius bonum, inuitâ quamuis ob ignorantiam illa operanti: & *mihi*, qui cum illius exquiſitam vtilitates, innumeris videor damnis affeciſſe, ex quibus eam ego ſolus etiam poſſim eruere. Inſtat inquam

CVM MAGNIS QVERELIS. Modum ſine præpoſitione efferendum, ne inclamet illicò Grammaticus non ſatis peritus; nam, apud peritiores Grammaticos, Modus actionis præpoſitionem reſpuit, vt ipſi ijdem fuſe docent. Querela proprie lamentatio eſt à dolore expreſſa, quem patimur ob preſſuram, vel iniuriam aliquam nobis illatam: & *magnis*, inquit, hoc eſt vehementibus, toto vocis conatu expreſſis, & quidem non ſpernendis, ex rerum pondere, quod important.

HVMANVM RELEVARE GENVS &c. Expungendum totum hoc carmen exiſtimat Barthius: ſed refragatur Heinſius; &, quid ſibi velit vir ille eruditus, ſe neſcire omninò profitetur. Equidem lubens Heinſium ſequor, nam totam hic ſummam attingi video frequentatæ, ac ſæpè ſæpius repetitæ poſtulationis. *Relevare* per helleniſmum, dixit, græco more pro vt releuem, ideſt in priſtinam, vt reſtituam fælicitatem, vel ſaltem recreem, ne ærumnis pereat. Cætera patent, ideò prætervehor.

ET VOCAT (ſubintelligo *me*) TYRANNVM DVRVM, ET IMMITEM. Acrimoniam aperit querelarum, quæ propiùs ad inuectiuam, quàm ad ſupplicationem accedant: & quidem iuxta mores, nam qui ſe læſos ab aliquo arbitrantur, ingerere conuitia ſolent. *Vocat*, hoc eſt accuſatorio nomine me per conuitium appellat Tyrannum. Hoc autem nomen, cui conueniat, videas lib. 2. carm. 264. *Durum*, hoc eſt inexorabilem tot aſpectu miſeriarum; & *immitem*, quaſi humanitatis expertem, crudelitate compactum.

ET COMMEMORAT &c. Priuatio generat appetitum; atque ideò amiſſa ſemper in deſiderio ſunt; nam res, carendo magis cognoſcimus, quàm fruendo, vt ait Cic. Or. de reditu ad Quir. Hinc eſt, vt ſemper poſteris exprobremus, ſi quid beneficentiùs egerint Maiores. hoſq; iterum reduces è ſepulchro, aperto ore non minus, quàm auido imploremus corde. Mores itaque ſequi, & hic innuitur Natura, dum commemorat ante Iouem (quod vehementiſſimum exprobrationis genus eſt) cum laude Saturni tempora, vt filium Iouem à patre degenerem ſugillet. Hoc autem ipſum aperit Dijs cæteris Iupiter, vt nouerint, teneri eum, tam acerba conuicia, mutato regiminis modo propulſare.

SÆCVLA REGNATA PATRI. Fælicitatem ſcilicet, ſub Saturno regnante, exundantem. Emphaticè quaſi dixerit; *ve veterum exoptans, meq; de regno expulſum exoptans, vt felicitatis Raptorem, infelicitatis aſſertorem*.

ET CLAMAT IOVEM PARCVM. *Clamare* idem hoc loco eſt, ac *vocare*: ſed inſuper exprimit modum vocandi, iuxta dicta in anteactis carm. 4. *Iouem* emphaticè, qui ſe iactet, à iuuando dictum, cum tamen teterrimè noceat. *Parcum*; hoc eſt *auarum*, vulgò *ſcarſo*; cum, omnia in ſua habens poteſtate, ne hilum quidem mortalibus elargiatur, cum omnia ſurripuerit prioris commoda vitæ.

SE DIVITE. Pauperem faſtidire, ac negligere proprium diuitis, ſed diuitis crudelis eſſe dicitur. Itaque & huiuſmodi probrum, oſtendit Iupiter, ſibi à natura conquerente inflictum. Vbi nota antithesim profectò egregiam. Summè in ſe diues pauperes efficit, effectos deſpicit, deſpectos negligit &c.

Verùm, dum auribus obſtrepentem ſuis refert ipſe Naturam, nos humanæ Naturæ, inſanæ vtique cæcitati obſtrepamus, vt nimiam, qua de Deo interdum conquerimur, petulantiam diuellamus.

Imperſcrutabilia ſunt Iudicia Dei: & nos ſæpè ſæpiùs neſcimus quid petamus. Infallibili prouidentia regit omnia Deus; &, cùm amantiſſimus hominum Pater ſit, nihil non in bonum hominum molitur. Sed animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus. Aufert interdum huius ſæculi delicias? Id efficit, vt illi iungamur magis, & quod ſub capite ſpinoſo membrum non deceat eſſe delicatum. Aufert diuitias? Spinas amputat, quæ cor transfigunt, nec requieſcere diuitem ſinunt; nam ſaturitas diuitis non ſinit eum dormire Eccleſ. 5. Tribulationes immittit? Tamquam aurum in fornace probauit electos Dominus, vt tamquam ſtellæ fulgeant in perpetuas æternitates: quod optime nouit patientiſſimus Iob, qui diuitijs ſpoliatus, orbatus filijs, ſanitate priuatus, ærumnis via non confectus, exclamabat; Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum. Aſt quàm longe à tanti nos hominis perfectione abſumus, ac prudentiâ; qui, niſi omnia ad votum, adamuſſim, procedant, ponere os in cælum audeamus; De diuina obloqui prouidentia, in Deum ipſum probra conijcere, atque iniuſtam Dei diſpenſationem aſſerere, temerario auſu, non erubeſcimus? Quod ſi ad tam impia, ad tam execranda non adducamur, ſaltem Deo inſtamus importunè, vt à nobis ea, quæ nobis mala arbitramur, auertat; &, ſi minùs audiat, eo, quod ipſe bona nobis eſſe prænoſcat, impatienter ferimus, ac in nos ipſos Deum concitamus; qui, ſi poſtulata concedat, conceſſionem futuram nobis amaram non ignorat. Diſce igitur Diuinæ promptius ſubeſſe voluntati, nec tam facilè de Diuina obloqui prouidentia, quæ ſanat, dum percutit; viuificat, dum mortificat; eleuat, dum proſternit. Sed, ne longiùs à conquerente, apud Iouem, Naturâ diuertamus, ad Iouem regrediamur loquentem, & inopem Muſam noſtram, Parco vtiq; illi applicemus, vt ſimile congaudeat ſimili, ſi forte in anteactis inopem me copia fecit.

Dal più terſo diamante, in cui la luce
D'Olimpo eterno all'immortal sfauilla,
De Numi all'hora, il Genitore, e Duce
D'ogni mente, ch'al Mondo indi s'inſtilla
Scioglie, in vn dir, che riuerenza induce,
Maeſtoſe le voci; e, 'n ſuon di ſquilla,
Da gl'aſſembrati, alle propoſte intenti,
Tali s'vdiro à rimbombar gl'accenti.

Già di gran tempo, à miei più degni impieghi
Del gouerno del Ciel ſedendo intento,
Poſtergati laſciai del Mondo i prieghi;
Ne curai de mortali vdir l'intento.
Pur è, ch'in fine alla pietà mi pieghi,
Di render paghi i voti lor contento;
Onde gl'affari ſuoi di nuouo imprende
Mio cuor benigno; e conſolargli intende.

Trà gl'otij di Saturno, all'hor ch'i ſcorſi,
Marcir languente intorpidito il Mondo;
Anz'inuecchiato, e di cadere in forſi
Di Natura tarpato il vol fecondo:
Ch'a i delirij paterni irne, m'accorſi,
D'ogni grand'alma i più bei fregi al fondo:
Quegl'aggi indegni ad eſtirpar riuolſi
Ogni mia cura; e non tardar riſolſi.

Sproni, addattati ad eccitar le menti,
Stimai l'inopia, e le mordaci cure;
La fatica, il ſudor, gl'affanni, i ſtenti,
Quel letargo à ſcacciar, sferze ſicure.

Quindi, pronto all'oprar, ſordo à i lamenti,
La radice del mal pungo alla ſcure;
E, tronchi gl'aggi, in affannoſe noie
Sepelliſco del ſuol l'eſtinte gioie.
Non gia ch'inuidij. Ogni liuor diſdiee
A Diuin petto; e ſol giouar può vn Dio.
Mà perche, auuerſo all'honeſtà, non lice,
Che regni il luſſo abbominando, e rio;
O' che del vitio aſil, del luſſo altrice,
La douitia s'arroghi eterno il brio.
Troppo dell'huomo queſte due peſti all'alma
Spargon di lezzo, in impinguar la ſalma.
Queſto adunque fù il fin, queſto il motiuo
Di quell'oprar, d'ond'Io di Gioue hò'l nome;
Di far cioè, che, cò 'l rigor natiuo,
La Penuria, in ſferzar le terree ſome,
Suegli l'alme alloppiate, e tempeſtiuo
Vigor gl'inſtilli, onde di ſpirti al nome
Corriſpondan con l'opre, e ſi procacci
Modo ciaſcuna, ond'il digiun ſi ſcacci.
Quella, vols'io, che le maniere aſcoſte
D'ingegnoſo arricchir, ſcaltra, inſegnaſſe;
E le vie, più ſecrete, e più riposte,
D'vn' induſtre operar tutte additaſſe;
Onde le più bell'arti, al Sole eſpoſte.
L'induſtria poi per parti ſuoi vantaſſe
E, nodrita dall'vſo, arte ſicura
S'ergeſſe altera ad emular Natura.
Hor, con mille querele egra languente,
Le preſſure del ſuol m'addita, e plora;
E, ch'io ſollieui hormai l'humana gente,
Natura inſiſte; e le mie gratie implora.
Che troppo I tardi, in ſouuenir clemente,
E, che creſca più ſempre il duol deplora:
Mi dichiara Tiranno, empio, e crudele,
Ch'il miel gl'inuoli, e ſol gl'appreſti il fiele.
Di Saturno i fauori ogn'hor rimembra,
Ond'il genere human viſſe beato;
Quanto prodigo quel, tanto gli ſembra
Scarſo il Figlio regnante, acerbo, ingrato;
Sgrida, ch'auaro Gioue ogn'altro ſmembra,
Perch'arrida à lui ſol de Creſi il Fato:
Ne d'immenſo teſor mai ſi ſperanzi
Poſto, il Mondo, in nō cal, d'hauer gl'auuāzi.

Hic, & ſe pauperiem pati, Mula noſtra cum videat, conticeſcit. Ideò Nos reliquas Naturæ lamentationes, Auctore duce, proſequemur,

Cur campos horrere ſitu, dumiſque repleri
Rura velim, & nullis exornem fructibus annum?
Se iam, quæ genitrix mortalibus ante fuiſſet,
In diræ ſubito mores tranſiſſe Nouercæ.
Quid mentem traxiſſe Polo, quid profuit altum
Erexiſſe caput, pecudum ſi more pererrant
Auia, ſi frangunt, communia pabula, glandes?
Hæccine vita iuuat ſylueſtribus abdita luſtris
Indiſcreta feris? Tales cum ſæpè Parentis
Pertulerim queſtus; tandem, clementior orbi,
Chaonio ſtatui gentes auertere victu.
Atque ideò Cererem, quæ nunc, ignara malorū,
Verberat Idæos torua cum matre Leones,
Per mare, per terras, auido diſcurrere luctu,
Decretum, donec, Natæ lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges, curruſq; feratur
Nubibus, ignotas populis ſparſurus ariſtas;
Et iuga cærulei ſubeant Actæa dracones.

CVR CAMPOS &c. Proſequitur Iupiter, Naturæ lamentationes exponere; ſeq; ijs permotum oſtendens, quid decreuerit hoc circum aperit, nempè ſubleuandas humani generis oppreſſiones: & quo medio id ipſum aſſequi ſtatuerit manifeſtat, atque inuiolabili firmat decreto.

CVR VELIM &c. Ideſt inſtat quæritans, cur &c. Aduerbio autem interrogantis, cui non niſi per cauſam ſatisfaciat reſponſio; vtitur Natura, vt innuat, nullam à Ioue cauſam aſſignari potuiſſe, legitimam, cur ſic mortales opprimeret; ſed futurum immò, vt ſatem teneatur, ſine cauſa id factum, pro libito: nec poſſit quid aliud dicere, niſi, *ſic volo ſic iubeo*? Hæc enim eſt vis interrogationis vrgendi gratia euibratæ, vt alibi vidimus. Sicq; maximam inuidiam Iouem ipſum adducit. Ideo aptè: *Inſtat cur velim*. Si, vt aiunt Phyloſ. omnis naturæ, ac præcipuè vniuerſalis, appetitus debet eſſe rationabilis, certè multo magis voluntas ipſius Auctoris Naturæ. Quod adeò, etiam apud Ethnicos, firmum fuit, vt ea ipſa, quæ omninò contra rationem facta viderentur, iure, arcano quidem, ſed optimo tamen, facta aſſeuerarent, & ſufficere arbitrarentur, ſi dicerent: *ſic viſum ſuperis*. Quarè etiam Æneas apud Virg. Æn. 3., licet deſtructa ſibi immeritò Troia videretur, ſatis habuit ad oſtendendam, non ſine cauſa, deſtructam, dicere;

Poſtquam res Aſiæ Priamiq; euertere gentem
Immeritam viſum ſuperis,

nam Diuinam voluntatem ſine cauſa procedere non potuiſſe, licet hominibus ignota ex his inferebatur. Cum itaque natura inſtet Ioui, vt ille ipſe voluntatis, atq; operationis ſuæ rationem reddat; & ſupponat, nullam ab eo ipſo afferri poſſe; vides quanta hinc in Iouem reſultet contumelia; & quam acriter comprobet, Tyrannum à ſe merito appellatum fuiſſe, qui, nulla ductus ratione, nulloq; rationabili iure, ſubditos premat, & perimat iniuſtus, quippè qui, nulla habita vel iuſtitiæ, vel æquitatis, ratione, ſolo animi impetu compulſus orbem exagitet. Verùm altiorem etiam, ac theologicam prorsùs, eruditionem attingit, hoc loco, Vates ni fallor. Apud Theologos ita, que certum, & infallibile eſt, voluntatem Dei omninò operatiuam eſſe, iuxta illud Pſalmographi: *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt*: & iuxta illud Geneſeos: *Dixitq; Deus fiat lux, & facta eſt lux &c.* Quarè non dixit Iupiter; *Inſtat cur rura ſitu macerem, cur ſpenar à terræ gremio educerem &c.* quæ locutiones actionem à volitione diſtinctam, & ſubſequentem ſignificant: ſed *cur velim*, vt voluntas Dei indicaretur operatiua, & idem eſſe quærere à Ioue, vt rationem reddat volitionis, ac quærere, vt rationem reddat actionis. Ideò *cur velim*

CAMPOS HORRERE SITV. Propoſitio indefinita pro vniuerſali aſſumitur, vt ſæpè diximus; ideò idem hic eſt dicere *campos*, ac *campos omnes*, nempè totam terræ faciem. *Horrere* autem in duplici ſenſu, nempè & intranſitiuo, & tranſitiuo interdum vſurpatur; nam primo corpora, quæ ſubito quodam horrore corripiuntur, rigida fiunt illicò, & aſpera, vt cum pili ex horrore eriguntur; Hincq; fit, vt *horrere* pro eodem accipiatur, ac *aſperum eſſe*, Sic Virg. Aen. 11. . . . . . –. *Tum latè ferreus haſtis*

Horret ager; campiq; armis ſublimibus ardent.

in quo ſenſum horrorem hoc verbum importat immanentem. Verùm quia, quæ horrida in ſe ſunt, horrorem etiam incutiunt aſpicientibus, *horrere* pro *horrorem ingerere* non ſemel ponitur: atq; vtrumq; hic natura ſenſum complectitur. Ideò *horrere ſitu*. *Situs* ſordes eſt, & illuuies illa, quæ in locis opacis, diù non repurgatis enaſcitur: & accipitur etiam pro ſegnitie quadam nihil operante. in vtroq; hic ſenſu formaliter acceptum, non dubito; illatiuè verò pro ipſa terræ accipi infæcunditate certum eſt.

ET RVRA REPLERI DVMIS. Quid *rura* ſint, vide lib. 2. carm. 86. *Repleri*, *conſtipari*, & confarcinari, vt nulla vel minima pars à ſpinis vacet, ac dumis. *Dumus* verò dicitur quodlibet ſpinarum genus; ideò *Dumeta* loca ſpinis conſita appellantur. Per hyppotipoſim itaque infælicem terrarum methamorphoſim oculis ſubijcit, cum culta olim vireta, ſeù potiùs ſine cultore, ſpontaneo luxu efflore-

ſcentia

ſcentia in dumeta deſcribat iam commutata.

ET NVLLIS EXORNEM FRVCTIBVS ANNVM. A poſitione nocentum ſtirpium, nempè ſpinarum, moleſtiſſimam deſcripſerat orbis mutationem: Iam à priuatione bonorum eamdem amplificat, quam totalem eſſe priuationem apertè exprimit. Sed dices, videri hic Vatem, inuerſo ordine procedere: nam priùs, ſaltem naturâ, eſt *priuationem inducì bonorum*; poſterior verò ſubſequitur *ipſa poſitiua malorum introductio*. Verùm, non ſine arte, id factum reperies, ſi perpendas, mala cum bonis ita permiſceri potuiſſe, vt, per introductionem malorum, non omnia tamen bona extruderentur: ſic Lolium interdum medijs dominatur ariſtis; ſed tamen non paucæ adhùc vigent ariſtæ: ſic etiam inter dumos, & ſenticeta aliqui interdum increſcunt fructus, inferioris quamlibet notæ, ac deterioris qualitatis. Aſt hic omnium iſtepſit priuatio bonorum; ideò per particulam *nullos* vniuerſalem omnes excludit fructus. Nomine autem fructuum propriè venit omne illud, quo frui poſſumus, & ex fundo naſcatur; nam *fructus* à fruendo dicitur. *Exornare* autem, hoc loco, *locupletare* eſt: *exornare* enim eſt *diligenter ornare, magnifice ac parare*. & quia ſplendido cuiq; apparatui pretioſiſſima procul dubio ſupellex adhibetur, ideo pro *locupletare* non ſemel ſumitur *exornare*: & quidem præcipuè valet in agris, quorum diuitiæ, & ornamenta omnia in fructibus ex eorumdem fœcunditate prouenientibus conſiſtunt. In quo tandem ſenſu *Annum* dixerit, vide in ſimili dicta lib. 1. carm. 75.

SE IAM QVÆ GENITRIX &c. Hucuſq; immutatos doluit effectus ſuos Natura; nunc ſe ipſam, & quidem pathecice admodum, dolet immutatam; ita vt, quæ priùs fœcunda mater, ideoq; amabilis eſſet, nunc, præpedito maternorum viſcerum affectu, nouercam agere cogatur, atque ideò odibilis ſit. Refellit autem hic tacitè Vates eorum opinionem, qui dicunt, Naturam Deo ipſi ſuperiorem, ac Deo potentiorem fuiſſe: qui enim cogi poteſt certè inferior, & infirmior cogente eſt. Cum itaque, ſe nouercam agere, coactam à poteſtate Iouis impediente, ne ſolitos vbertatis ſuæ fructus ſponte produceret. Hic doleat Natura, certè ſe Ioue inferiorem profitetur. Ab indigno tamen exagerat, hanc ſibi à Ioue illatam iniuriam, vt iure appellatum Tyrannum confirmet Iouem. Quid enim violentiùs, quam benignis naturæ viribus obſiſtere, ac naturales infringere propenſiones? Iacturas itaque ſuas vt doluit Natura, ritè, gradatim augens orationem, iam ſui ipſius iacturam deplorat, dum non ſine gemitu commemorat.

SE IAM SVBITO TRANSISSE &c. Reciprocum eſt, per ſe notum. *Iam* pro *Nunc* ponitur aduer. temporis quod ex oppoſito correſpondeat aduerbio, quod mox ſubditur *Ante*, vt oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant. *Subitò* aduerb. eſt oſtendentis, aliquid ex tempore, ex inſperato, ac præter expectationem non ſolum, ſed præter id ipſum quod excogitari potuiſſet accidiſſe:& idem ſonat, ac *repente*, ſeù *in ictu oculi, ex improuiſo*. Sicuti igitur præuiſa iacula minùs feriunt, ſic non præuiſa magis lancinant. Ideò Natura, non ſperatam hanc ſui ipſius mutationem exagerat, vt altiùs inſediſſe indicet dolorem. *Se iam ſubitò tranſiſſe*. In momentaneis idem eſt fieri, & factum eſſe, inquiunt Phyloſ. Ideò Natura hic, licet particulam, præſentis temporis, *iam*, pro *nunc*, adhibuerit vocem præteriti ſubdit, vt notet repentè adeò mutationem accidiſſe, vt idem fuerit mutari, & mutatam eſſe, ac priùs ſe mutatam ſenſerit, quam ſe mutari animaduerterit: & quidem, cum ad nutum Iouis facta fuerit hæc mutatio, & nutus inſtantaneus ſit, inſtantanea fuerit & mutatio, neceſſe eſt. Tranſire autem, licet motum localem importet, quo relinquatur terminus a quo, & acquiratur terminus ad quem; tamen tranſlatè ſumitur pro *mutare*: nam quælibet mutatio dicit tranſitum, vel ab habitu ad priuationem, ſi ſit corruptiua, vel à priuatione ad habitum, ſi ſit productiua, vel à minori perfectione ad maiorem, ſi ſit perfectiua, atq; in hac non relinquitur minor perfectio, dum maior in eodem genere acquiritur, ſed tantùm nouus additur gradus perfectionis, vt nos in Phyſ. docebamus. Duplicem igitur mutationem ſui innuit Natura hic, nempè alteram corruptiuam, qua ſcilicet ab habitu Genitricis ad priuationem tranſierat; alteram verò productiuam à priuatione habitus nouercalis ad habitum Nouercæ, ac mores. Sed dicet fortaſſe aliquis hoc repugnare ijs, quæ ſupra dix.; nam, ſi mutatio ſit à priuatione ad habitum, certè duo inuoluet inſtantia, nempe inſtans, in quo vltimo eſt priuatio, & inſtans, in quo primò eſt forma, cum forma & eiuſdem priuatio ſimul eſſe non poſſint in eodem ſubiecto, vt nos ipſi late diſſerebamus, vbi de principijs rerum in Phyſ. Eadem autem ex aduerſo ratio eſt de mutatione corruptiua. Quare, ſi duas innuat mutationes, quatuor inuoluet inſtantia. Quomodo igitur dicta eſt eius mutatio inſtantanea, ex vi aduerb. *iam ſubitò*? Aduerte, quod, licet mutatio dicat duo, vt ſcitè dictum eſt, attamen ſæpè ſæpiùs non ſumitur mutatio adæquatè, ſecundùm totum id, quod dicit mutatio, ſed inadæquatè pro ſola reſultantia formæ, aut priuationis, quæ cum fiat in inſtanti, mutatio, ſic accepta, inſtantanea dicitur: & in hoc ſenſu à Poeta hic vſurpatur. Verùm adhùc remanet difficultas: nam, ſi duas innuit mutationes, adhùc duo ſaltem inuoluet inſtantia. Pro quo tamen rursùs aduerte, quod, quando ſubiectum priori aliqua forma informatum ſubditur agenti illam formam expellere conanti, & nouam introducere, certe, dum noua forma introducitur, vetus etiam expellitur; atq; adeò duæ accidunt ſubiecto mutationes, prima à forma, quam habebat, ad priuationem; ſecunda à priuatione, quam habebat nouæ formæ ad formam ipſam. Sed æquè certum eſt, has mutationes, per vnam, eamdemque actionem fieri; nam illa eadem actio, quæ formam inducit nouam, veterem etiam expellit. Cum itaque mutatio productiua, ſumpta pro ſola inductione formæ ſit inſtantanea; & eodem tempore, quo hæc introducitur, alia expellatur, ita vt idem ſit *introductio* nouæ formæ, & *expulſio* veteris; ſequitur, vt eodem inſtanti vtraq; habeatur mutatio, atq; ideò hæc mutatio, ſic formaliter accepta, inſtantanea erit, licet de conſequenti duas connotet mutationes.

IN MORES DIRÆ NOVERCÆ. Terminum ad quem tranſmutationis ſuæ notat Natura. *Mos* idem eſt, ac *vitæ vſus*; ſeù conſuetudo operandi, quæ, ſi in habitum coaleſcat alteram conſtituit naturam. *Dirus* autem, qui crudelis ſit, & immanis, à *Diris* dicitur, nempè ab Inferorum furijs. De Nouerca verò vide dicta in præfatione ad lib. 2. carm. 29.

QVÆ ANTE FVISSET GENITRIX MORTALIBVS. Terminum hic innuit, a quo tranſmutationis: & nota præclaram anthitheſis vim ad excitandos commiſerationis affectus aptiſſimam. Ex Genitrice Nouerca. Quid patheticum magis, ac luctuoſum? Nota emphaticam vim illius verbi *fuiſſe*, quod cum à Grammaticis ſubſtantiuum dicatur, indicat naturam, non per accidens, ſed, ſecundùm propriam ſubſtantiam, & eſſentialiter eſſe rerum omnium procreatricem. Et quidem rerum omnium Mater Natura dicitur ab Eloquentiæ Principe Parad. pri. 1 hic verò *Genitrix* (quod idem eſt) à gignendo, quia omnia gignit, iuxta illud eiuſdem Cic. pri. de Fin. *Ad maiora quædam nos Natura genuit, & conformauit*. Sed notandum eſt hic, quanto Mater affectu filium foueat, & quinam ex materno affectu effectus ſequantur; de quibus nos lib. pri. carm. 157.; nam ex hoc facilè patebit quantam emphaſim habeat, hoc loco, nomen *Genitrix*: & quam alte aſſurgat contrariorum conflictio. *Genitrix*; *Nouerca*. Sed quid explicationibus opus ſit? Quis Matris in prolem ignoret viſcera? Certe ex Heautontimorumeno Terentij actu 5. ſcena 2. habemus matrem filios etiam perfidos ita diligere, vt, vel in criminibus, fiant prolis adiutrices; ſic enim ipſe: *omnes* matres filijs in peccato adiutrices: filijs auxilio etiam in paterna iniuria, eſſe ſolent. Ex hoc affectu oritur, vt, ſuum eſſe, exiſtiment matres, filios lacte alere, enutrire, educare, locupletes reddere, ac delicijs ſemper affluentes velle: quod Natura à ſe etiam præſtitum proteſtatur, quandiù fuerit Genitrix mortalibus, de quibus vide dicta ſuperiùs carm. 19.

TRAXISSE MENTEM POLO. Beneficiorum, quæ mortalibus, in ipſo vitæ exordio, elargitus ſit, nullam gratiam habendam, improperat Ioui Natura, quæ iam per Proſopopeiam hic loquens effingitur, cum hucuſq; narratorio ſtylo per ethopeiam ducto, mores lamentantis naturæ fuerit proſecutus. Ratio autem huius Naturæ aſſertionis ex eo deducitur, quod non reſpondeant vltima primis; ex quo immò magis infælicitas cumuletur humana cum homines ad Cæleſtem nati fælicitatem, omni ærumnarum genere premantur. Ideò quid profuit &c. Vim autem interrogationi præbet particula *quid* vt magis vrgeat, & quaſi inſinuet id ipſum ab ipſo Ioue fatendum neceſſario. *Proteſſe* eſt *pro aliquo eſſe*, ſeù *fauorabile, vt vtile alicui eſſe*, quod negat Natura, artificioſè interrogans, de beneficijs, quæ ſubſequenter enumerat, & à mente incipit, quam homines traxerint è Polo. Animam rationalem cæleſtem eſſe, aſſeruerunt Platonici, quorum Vates ſententiam attingit hic. Dicebant igitur illi, Animas noſtras, in beatis illis cælorum ſedibus, æthereum, igneumq; vehiculum, quo deferantur, & moueantur habere, ob cuius ignei vehiculi ſubtilitatem, non

poſſint terreno iungi vehiculo, hoc eſt corpori, ſpectatâ terrei craſſitudine, niſi, aliquo intercedente medio, quod vtriuſq; naturæ ſit particeps. Ideò anima, addebant illi, dum per cæleſtes orbes, atq; elementa, tranſit deſcendens, paulatim craſſiori ſe quaſi veſte induit, aereumq; ſibi vehiculum comparat, quo facilè ſubindè huic terreo corpori copuletur; atq; id facit, vt ijdem aiunt corporis induendi cupiditate ſuccenſa. *Zoroaſter*, apud eundem Platonem, alatam eſſe, cenſuit, animam, ac, decidentibus alis, præcipitem in corpus ferri; illiſq; mox iterum ſuccreſcentibus, ad ſuperos denuò reuolare. Falſæ prorſùs profectò ſunt huiuſmodi ſententiæ, quatenùs, vt vides, animas vel a parte ante ſupponunt æternas, vel ſaltem creatas, ſeù natas in Cælo omnes; ibiq; eas diuagari, tempus expectantes, quo in corpus demittantur; cum certum ſit, vnamquamq; Animam rationalem, hic, & nunc, in corpore organizato, creari a Deo immediate, vt talis corporis exigentiæ, vt Auctor naturæ, ſatisfaciat. Non ſunt tamen falſæ, quatenùs dicunt animam cæleſtem, ideſt è Cælo haberi, cum verè à Deo donetur per creationem, & Dei ſedes cælum ſit: quod non eſt dicere natas in Cælo animas, ſed à Deo Cælum inhabitante donatas, ex nulla præſuppoſita materia ab eodem creatas, iuxta Catholicam fidem, & veritatem. Inſuper alluſit Vates ad ſententiam Heraclyti Phyſici, qui vim luminis intellectualis, quam anima è Cælo obtinuiſſe videtur, conſiderans, eam vocauit quamdam maſſæ ſtellaris ſcintillam, ex quo factum, vt Ægyptij, per ſtellam, demortui animam hominis, hieroglyphicè ſignificarent; ac Thimæus Locrus crediderit, vnicuiq; animæ conſertam eſſe ſtellam aliquam, ex firmamento decerptam. Profectò *Mens*, de qua nos fuſè lib. 2. carm. tot., nobiliſſima eſt Animæ potentia, quæ, cum ab ipſa Anima nec realiter, nec formaliter ex natura rei diſtinguatur, iure pro ipſa anima ſumitur, iuxta ſententiam Democriti, Lucretij, Platonis, & aliorum communiter, qui quamlibet ſubſtantiam intellectualem ſpiritualem, *Mentis* nomine, appellant. Porrò Anima, de qua hîc, definitur *actus corporis naturalis organici potentia vitam habentis*, Princeps formarum omnium eſt Diuinitatis imago, paulò minor ab Angelis, & cuius ſplendor è tenebricoſo huius corporis carcere, per ſenſuum rimulas, ſcintillas quaſdam emittens, Phyloſophorum adeo perſtringit oculos, vt eam in quamdam quaſi Diuinitatis particulam aſſeruerint. Ideò & Auctor ad eorum ſententias alludens; tractam eam dixit è *Polo*, nempè Cælo, vt immaterialem innueret, & a parte poſt immortalem, ſententiam non ſolum Catholicam ſecutus, ſed etiam, vt ego (quidquid alij dixerint) in Animaſticis ſuſtineo, Ariſtotelicam; nam licet Ariſtoteles non cognouerit actionem ex nihilo creatiuam, aperte tamen adeò ſecundo de Gener. Anim. profitetur, Animam rationalem non educi de potentia materiæ, vt non, niſi iniquam, pati poſſit interpretationem: ait enim ibi cap. 33. omnem animam generari, *præter intellectiuam, quæ extrinſecus aduenit*. Pariter, Animam à Deo eſſe, & immortalem, clarè fatetur primo de Anima tex. 66. vbi ait: *Amare, & cogitare deſtruuntur cum corpore; at verò intellectus diuinum quid eſt, & impaſſibilis*. Item ſecundo de anima tex. 22. Intellectum aliud genus Animæ, inquit, eſſe à vegetatiuo, & ſenſitiuo, & id poſſe ab eo ſeparari, tanquam perpetuum à corruptibili. Vlterius 12. Met. tex. 17. ait: *Mentem, & animam intellectualem non poſſe eſſe ante corpus; manere autem poſt, nihil prohibet*. Sed ne ab Ariſtotele nimium detineamur, ad Auctorem noſtrum redeamus, qui certe dum animam hominis ex cælo eſſe dixit, eam creari a Deo, immaterialem eſſe, & immortalem abſq; dubio aſſeruit. Quod ipſum videtur ſenſiſſe Ouid. Metam. pri. a nobis alibi citato, licet ambiguè locutus, certum ſe de ſententia non fuiſſe indicet:

Natus homo eſt. Siuè hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo:
Siuè recens tellus, ſeductaq; nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina Cæli.

Nil igitur profuiſſe aſſeris, ſtantibus rebus, natura hominem è Polo mentem, hoc eſt animam, traxiſſe immortalem. Sed nota, quo artificio Vates vſus fuerit hoc verbo traxiſſe. *Trahere*, procul dubio, pro *acquirere* ponitur, vt patet ex eloquentiæ Principe Tullio Phil. 6. vbi ait: *Aliquid ſalis ab vxore Mima trahere potuiſti*. Verùm memineris, nos alibi dixiſſe importari ab hoc verbo vim aliquam, vel reſpectu rei, quæ trahitur, vel reſpectu illius originis, à qua res ipſa trahitur. Secundo memineris, Agentia illa, quæ ex neceſſitate agunt, quatenùs taliter agunt, libera dici non poſſe; nam neceſſitas opponitur libertati. Hoc poſito; ſi diceremus Vatem locutum in ſententia Ariſtotelis, qui putauit Deum eſſe agens neceſſarium; quod in cauſa fuit, vt Mundum poſuerit ab æterno; facile innoteſceret, quid dicere voluerit Vates per verbum *traxiſſe*; nam, ſi Deus agat ex neceſſitate, poſito corpore organizato, debet neceſſariò illi animam tribuere; atq; adeò corpus neceſſitatem Deo imponeret, vt, vel inuitus dare cogeretur; Ideò *traheret*. Verùm hæc explicatio non eſſet ad mentem Auctoris, cuius ex contextu patet, Naturam ipſam, quæ hic loquitur, Deo libertatem attribuiſſe, cum inquit: *Cur ſolem &c.* oſtendit enim ita voluiſſe, vt nolle potuerit, in quo formaliter conſiſtit libertas. Quare non eſt dicendus in ſententia Ariſtotelis fuiſſe. Poſitâ itaque libertate Dei, quæ negari nequit, & poſitâ ab ipſo Vate, nedum a Catholica certiſſima fide, quomodo *traxiſſe* dixit. Aduerte, pro ſolutione, attingi hic celeberrimam de libertate Dei Theologorum ſententiam, quæ ſic exponitur. Deus, vt operans, duplici modo conſiderari poteſt, nam vel intelligitur ſecundùm potentiam abſolutam, vt auctor miraculorum; vel ſecundùm potentiam ordinariam, quam etiam *ordinatam* dicunt, & vt auctor naturæ eſt. Primo modo certè abſolutè, & ſimpliciter liber eſt Deus in operando. Secundo modo videtur operari ex quadam quaſi neceſſitate, non quidem ſimplici, & abſoluta, ſed ſecundùm quid, & conditionata, nempe ex ſuppoſitione decreti de ſic operando: quæ nullo modo diuinæ officit libertati, cum & ipſum decretum, a quo hæc infertur neceſſitas, liberum ſit, & liberè factum. Triplicem itaque neceſſitatem diſtinguunt Theol., nempe *Naturalem*; *Iniunctam*; & *Conditionatam*. Naturalis eſt, quæ ab aliqua habetur natura, ita vt non poſſit dari talis natura, & eſſentia, quin neceſſario producat talem effectum, ſicuti non poteſt naturaliter dari Sol, quin lumen emittat: & hoc ex natura ipſius Solis; & hæc certè non poteſt eſſe in Deo, cuius natura libertas eſt. Neceſſitas iniuncta dicitur, quando quis determinatur ab alio ad aliquid faciendum, vt ſeruus, qui cogente Domino aliquid operetur. Et neq; hæc poteſt eſſe in Deo, qui nullum habeat, à quo dependeat. Neceſſitas autem conditionata ea eſt, de qua ſupra: Et hæc poteſt in Deo reperiri, qui, cum naturas rerum omnium ita creauerit, & ea lege, vt certo ordine mouerentur, atq; effectus haberent ſuos, decreuit etiam, ſe velle liberè præſtare rebus ipſis concurſum ſuum iuxta exigentiam, ſeù potius indigentiam cuiuſcumq; naturæ. ita tamen, vt nunquam potentiæ abſolutæ derogatum voluerit, per huiuſmodi decretum, quin poſſet de omnibus pro libito diſponere, atq; vnicuiq; rerum exigentiæ, ſi vellet, derogare. Quamobrem hanc ſibi neceſſitatem Deus ipſe impoſuit liberè, atq; adeò eiuſdem non derogat libertati. Cum itaque Deus ita Naturam conſtruxerit humanam, vt eius indiuidua informanda eſſent Anima rationali, quæ non poſſit educi de potentia materiæ, ſed debeat à Deo immediatè creari; certè poſito corpore organico in debitis diſpoſitionibus, attribuit etiam appetitum ad formam, qua indigeat, vt compleatur in eſſe hominis: & hæc eſt exigentia illius naturæ. Cum autem huic exigentiæ ſatisfieri à natura ipſa non poſſit; ſed debeat id expectare à liberalitate creantis; ne natura imperfecta, ac male conſtituta remaneret, decreuit ſe animam in corpore creaturum, quoties illud in debitis foret diſpoſitionibus. Cum autem immutabilia ſint decreta Dei; ex ſuppoſitione huius decreti, vt Deus operetur, vt Auctor Naturæ, neceſſariò Animam tribuere debet. Ideò videtur quodammodo exigentia Naturæ, indigentiâ ſuâ Deum excitare, vt promiſſam tribuat Animam: atq; adeò extrahere dicitur, non vi ſua quidem; ſed vi gratuita, ac liberi ipſius Dei decreti. Ad quod alludens Vates ait: *Quod mentem traxiſſe Polo &c.*

QVID EREXISSE ALTVM CAPVT. Intellige *quid profuit &c.* vbi nota emphaticam repetitionem, licet vni verbo duo, per adiunctionem, membra copulentur. *Ergo* eſt quaſi *ab inferioribus regendo, altum*. Quare optime dicitur homo *erexiſſe* caput, quod, collo, quaſi columna tereti, ſuffultum, in altum eleuat, & ſic illud regens ab inferioribus extollit; vt, non ſolum Animâ, ſed ipſâ etiam ſtructurâ corporis, & erectione à brutis omnibus diſtinguatur, vt rectè monuit, primo de legibus, Cic., dum ait: *Cum Natura cæteros animantes abieciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad Cæli quaſi cognationem, domiciliiq; priſtini conſpectum, excitauit*. Quod idem innuit Ouid. pri. Metam. & mox, & alibi cit.

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumq; tueri.

Caput autem totum illud eſt, quod collo ſuſtentatur, ſic.

dictum, quod ex eo omnes capiant initium nerui, per quos totum in corpus ſenſationes diſtribuuntur, ac motus. *Altum* dixit, hoc eſt *ſublime*, excelſum. Seù dicas *erexiſſe altum*, ideſt *in altum*, ad contemplationem æternæ patriæ, quæ ſola ad hominem ſpectat, vt ait Cic. 2. de Nat. Deor. *Sunt ex terra homines, non vt incolæ, & habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſupernarum rerum, atq; cæleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.* Vide, quam altè excellentiam humani generis extollat oratrix natura, cum & ab anima, & à corpore natum comprobet ad Cælum; vt maior ſubinde appareat luctuoſa Cataſtrophes, qua hominem a tanta fælicitate in profundum miſeriarum deiectum dictitat: & nota ex his, & ſequentibus patheticam prorſus reuolutionem.

SI PERERRANT AVIA &c. Particula illa *ſi* conditionalis vim habet oſtendendi maiorem eſſe hominis, quo fælicior ille fuerit, infælicitatem, cum in hanc miſeram inciderit conditionem. Ideò *Quid profuit, ſi &c.* Quaſi dicat, multum quidem profutura Iouis fuiſſe relata beneficia, ni in deterius homo, Ioue ipſo cogente, laberetur. Quare conditionalis quidem illa particula eſt, ſed etiam pro *dum* accipitur, vulgò *mentre che*, ſeù *ſe in tanto pererrant Auia*. Præpoſitio eſt in verbo; *Errant per auia*. Porro *errare* eſt *hùc, illùcq; incerto pede diuagari*. Attingit autem hic tacite Vates ſententiam à Deo latam In Caim, *vagus ſies, & profugus ſuper terram*; atq; adeò errantium hominum calamitates, non inferiores eſſe deſcribit. Porro hæc diuagatio otiantis interdum eſt, & in hoc ſenſu hic non ſumitur; Interdum territi eſt, ac perturbati; & neq; in hoc ſenſu hic: interdum auidè quid amiſſum inquirentis eſt; & in hoc ſenſu aſſumitur, hoc loco. Cum enim ſpontaneis frugibus ſe priuatum videret homo: nec ſibi ſuadere poſſet terram vbiq: ſterileſcere, hùc illùc vagabatur, ſi fortè fæcundam alicubi inueniret. Auia autem ab α Græcorum priuatiua, & *via*, quaſi *ſine via* dicuntur loca, vbi nullæ ſint patentes ad iter viæ, vt ſaltus, & nemora vepribus, ac dumis conſita, quæ nullo teruntur pede, ex quo & oſtenditur, totam in deſertum terram abiiſſe, & hominum vitam in vitam emigraſſe brutorum. Ideò iure ſubdit

MORE PECVDVM. *Pecus* enim nomen genericum eſt includens quodcumq; animal humana carens effigie, ac anima, ideò bruta complectens omnia. Quid autem ſit *Mos* habes ſupra § in mores diræ Nouercæ.

SI FRANGVNT GLANDES. Nota emphaticam, in particula *ſi*, repetitionem, quæ orationem ſimul, & calamitatem adauget per gradationem. *Frangere* eſt *imminuere aliquid, terendo, diuidere*; & quia, dum comedimus, cibum dentes molunt, & atterentes comminuunt, hinc eſt, vt ex antecedenti conſequens ſubiiciatur intelligendum, & *frangere*, pro *comedere* ſumatur. Quid autem glandes ſint, dic. lib. pri. carm. 30.

PABVLA COMMVNIA. Pabulum propriè dicitur quidquid cedit in cibum iumentorum, pecudum, aliorumq; brutorum, cibus nempè herbaceus, fæniceus, palleaceus, vel ſtramentitius &c. Ideò Virg. agens de celeritate, qua Diomedes Rhæſum, vix aduentantem, vt Troiæ auxilium ferret, interemerit, cum Rhæſi equos à Diomede aductos enarret Æn. pri. ait:

Ardentes auertit equos in Caſtra, priuſquam
Pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthumq; bibiſſent.

Cum itaque Glandes cibus propriè porcorum ſint; ideò eas Vates *Pabula* vocat per appoſitionem: & quidem communia, hoc eſt, fame cogente, facta porcorum, & hominum communia; nam *commune* dicitur, quod omnium indiſcriminatim eſt.

HÆCCINE VITA IVVAT &c. *Hæccine* nil magis pollet, quo ad ſignificationem, quam ſimplex *Hæc*: ſed emphaticam quamdam habet vehementiam, ac talis vim interrogationis, cui inficias ire nemo poſſit. Eſt enim *Hæccine* quaſi *Ita ne hæc &c.* qui modus loquendi improperantis eſt, ſi quid indignum importare videatur vt hic. *Vita* autem non accipitur in actu primo, ſed in actu ſecundo vt ſupra. Et in eodem ſenſu Virg. Æn. 4.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ &c.

per verbum verò *Iuuat* vnicum telum duplex eiibrat in vulnus Vates, vt Naturam ſumma contentione perorantem inducat: primo enim Ioui exprobrat, culpâ nimiæ eius tyrannidis, beneficia omnia periiſſe, quæ, prima ab origine ſui, hauſerit è Cælis homo; adeòq; nullam illi gratiam habendam, qui beneficus fuerit, vt latiùs deſæuiret; iamq; Iouem immeritò Iouem dici, cum nil iuuet. Secundò eidem exprobrat Ioui Tartaream prorsùs ſæuitiem, quæ ſcilicet humani generis infortunia in delicijs iam habeat. Verbum enim *Iuuat*, ſicuti in duplici ſignificatione eſt, ſic geminum hunc amplectitur ſenſum. Vel igitur *Iuuat* ſumitur, vt deriuatum a Iuuo verbo vtriq; perſonali actiuo, vel vt verbum ſumitur impersonale. Primo modo, idem ſignificat, ac *prodeſſe, auxilio eſſe*, vel beneficium conferre: & ſic refertur ad homines, vt ſenſus ſit *Hæccine vita iuuat mortales?* Quaſi dixerit: hac ne vita ferina potiùs quam humana mortales premens, te beneficum iactabis? Nullum profectò beneficium illud, quod in veneficium conuertitur, & ad maiorem perniciem ordinatur, ſicq; reſpondet ijs, quæ dixerat: *Quid profuit &c.*, dum nil profuiſſe, iterum vrget, ac proteſtatur interrogans. Secundo modo acceptum verbum *Iuuat* ſæpè ſæpiùs idem, ac *delectare* ſignificat: & ſic refertur ad Iouem: ac ſenſus erit Hæccine vita iuuat te, hoc eſt delectat te? Quaſi dixerit: Nonne iure optimo te tyrannum dixi, qui impius adeò ſis, vt tam ærumnoſâ mortalium vitâ, tamquam lætiſſimo vtiq; ſpectaculo delecteris? Adeo ne Iouem exuiſti, vt nunquam mortalium miſerearis? Primus ſenſus concludit per deducta veriſſimum eſſe quod dixerit, nempè beneficia originis periiſſe: & indirectè tantùm ſuadet, ne perire permittantur. Secundus ſenſus apertè monet, generi humano proſpiciendum, ne Iupiter ſe ipſum exuiſſe dicatur. Vtrumq; ſenſum in mente Vatis adfuiſſe deduco ex eo, quod ipſe nullum artificiosè accuſandi caſum illi verbo attribuerit; & nec dixerit *Iuuat mortales*; nec dixerit: *Iuuat te*, vt nobis liberum eſſet vtrumq; addere, & germanam ſic aſſequi interpretationem. In ambiguo autem ſenſum reliquit, vt, artificiosè magis, natura ipſa loqueretur, Iouem ſcilicet tanta feriens arte, vt ſi ipſe vulnus ſentiens conqueri voluiſſet, poſſet illa verbum ipſum in mitiorem ſenſum detorquere, ita vt commiſerationem erga miſeros excitare, non ferire Iouem voluerit, aut ad iracundiam laceſſere: quod eſt lapidem iacere, & manum abſcondere.

ABDITA LVSTRIS SYLVESTRIBVS. Miſerrimas vitæ, quam commemorauerat, conditiones, epilogum orationi ſtruens, reaſſumit. Quid enim miſeriùs, quam vitam ad Cælum natam in abdita detrudi, vt perpetuo ſordeſcat ſitu? Ideò *abdita*, hoc eſt latens, abſcondita, latebris obſepulta. Abduntur autem, quæ indigna ſunt, quæ luce fruantur, quæ ſordida ſunt adeò, vt ſthomacum moueant &c. vno verbo mundi ſordes, excrementa naturæ. Vide num magis mortalium exagerare ab adiunctis potuerit miſeriam? Quid verò *luſtra* ſint, videas lib. 2. carm. 241. *Syluestribus* autem addit, vt nota differentiali à ſyluis deducta, in quibus ſpelea ferarum latitant, miſeriam magis exprimeret. Sed dices nonne ſatis notum eſt, antra ferarum in ſyluis eſſe? Otioſè igitur additur Epitetum illud. Sed non otioſè dicitur, quod patheticè dicitur; immò quod ad differentiam dicitur, & diſtinctionem. Habent feræ in ſyluis luſtra: ſed & interdum nobilioribus gaudent luſtris; cum videlicet intra ſepta, à Principibus ad oblectamentum conſtructa detinentur, vbi & identidem expurgatur à ſordibus catabulum, ne Principis offendat oculum ſimul, & olfactum. Inſuper ibi cibum abundè à cuſtodibus recipiunt, abſq; exercitatione membrorum ad illud acquirendum; & vbi deniq; nil, præter libertatem feræ deſiderent. Vt itaque deteriorem his faceret hominis conditionem, non ſimpliciter eius vitam abditam luſtris dixit; ſed *luſtris ſylueſtribus*; vbi ſcilicet nullius commodi ſolatio frueretur, omnia ſubiret incommoda, &, ne victum quidem vnde quæreret, haberet, niſi feris communem, & hunc ipſum ſudore, vt ſupra innuerat acquirendũ.

INDISCRETA FERIS. Indiſtincta adeò à vita ferarum, vt diſcerni non poſſit, in quo nam differat: nam *indiſcreta* ex *In* negante, & adiectiuo *diſcreta* componitur, deducto à verbo *diſcerno*, quod eſt *diſtinguo*. *Feræ*, vt alibi vidimus, a feritate dicuntur; atq; hoc ipſo, quod feræ ſint, ac crudeles, cæteris etiam brutis infæliciores: nam quæ a multis timentur, & multos timeant, neceſſe eſt; ac conſequenter, exoſæ omnibus, latere coguntur, ac bonis omnibus egentem degere vitam. Supra itaque cum hominem brutis comparatum innuerit, hic, gradatim adaugens infælicitatem, infæliciſſimis brutorum omnium, feris, & quidem ſylueſtribus, ſimilem effectum dictitat.

TALES CVM SÆPE PARENTIS &c. Peracta querelarum expoſitione, quibus Ioui natura inſtaret: quemnam effectum ſortitæ fuerint, iam aperit, cum ſe miſeratione motum aſtenderet, atq;, ad releuandum humanum genus, ex vi Naturæ perorantis, inclinatum. Ideò

CVM

CVM PERTVLERIM SÆPE. *Perfero* ponitur, hoc loco, pro eodem, ac *patienter fero*, ſeù, *diſsimulationem adhibeo*, *ita audio*, *vt videar non audire*. Sic apud Virg. *Perferre* pro *patienter ferre* Æn. 4.

Hunc ego, ſi tantum potui ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero &c.

Et Æn. 12.

Eſto nunc ſol teſtis, & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores.

In ſecundo autem ſenſu habetur pariter *Perfero* Æn. 9.

Inque ſalutatum linquo (Nox & tua teſtis
Dextera) quod nequeam lacrymas perferre Parentis.

& Æn. 10.

Conclamat Niſus; nec ſe celare tenebris
Amplius; aut tantum potuit perferre dolorem.

ex quibus locis animaduertere etiam licet, quod *perfero* diuturnam importet tolerantiam. Ex quo noua hic inſurgit difficultas circa appoſitum aduer. *ſæpè*: nam illud aduerbium eſt reiterationis, quo oſtenditur Natura, non ſemel, ſed iterato, & quidem frequenti iteratione, ad Iouis aures inſonuiſſe: Verùm ſi hæc iteratio diuturnitatem importat, & diuturnitas habetur in verbo, vt dix., ad quid additur aduerb. ſæpè? Aduerte, diuturnitatem illam, quæ in verbo eſt, ad tolerantiam Iouis referri; continuationem verò importatam per aduer. ſæpe, referri ad iterationem querelarum, habitam à Natura. Pro intelligentia, notaueris id, quod nos ipſi experimur; nam quoties vehementem alicuius lamentationem audimus, querelis præſertim in nos ipſos relatam, à eo afficimur, vt, licet lamentatio iam deſierit, altè tamen adeò reſideat in animo, vt nobis videamur adhùc ſemper, etiam per ſummam quietem, eaſdem audire querelas, auribus inſonantes: quarè, imaginatiua vi operante, eadem patimur ab inſita rei apprehenſione, quæ, ſi actualiter verba increpantis audiremus. Sic Iupiter, cum ſemel audierit Naturæ querelas, licet breui perorantis, attamen *pertulit*, hoc eſt longo tempore patienter tulit; quia, licet verba ceſſaſſent, adhùc eorum memoriâ continuè torquebatur; & tamen nimis longo iam tempore, vt Naturæ videri poterat, diſſimulabat, quaſi non audiſſet: quarè iterum, & ſæpe, querelas iterabat, vt euinceret. Vides itaque verbum hic in vtroq; ſenſu vſurpatum.

TALES QVESTVS. Quales iam exarauit cætera patent.

TANDEM STATVI. De efficacia aduerbij *tandem* vide dicta lib. 1. carm. 119. *ſtatuere* eſt *deliberare, decernere, ſancire*.

AVERTERE GENTES. Hoc eſt totam humani generis congregationem, nam *Gentis* nomen vniuerſaliſſimè hic ſumitur, *Auertere*, nempè *remouere* à

VICTV CHAONIO ad meliorem traducens victum. Nomine Victus omne illud, quo, tamquam alimento, vtimur, continetur. Quid autem fuerit victus Chaonius conſtat ex dictis ſupra § *ſi frangunt*. Sed vide fuſiùs lib. pri. carm. 31., nam Dodonis Ciuitas Chaoniæ fuit, à qua Chaonius. Vides, quonam tandem ſpectauerit prolixa Iouis oratio: nempe ad oſtendendum, quam prudenter ad huiuſmodi decretum deuenerit. Primo quia Iupiter à iuuando dicitur, ad quod probandum experientias attulit, vt videretur, ex natura ſua, ſemper ad iuuandum pronus. Obijci poterant ſaturniæ fælicitates ſublatæ: hoc ipſum ad iuuandum ſe feciſſe oſtendit. Accedebant Naturæ queſtus? Exponendi neceſſariò fuerant, nam excitamenta ineluctabilia, ad tale ſanciendum decretum, continebant. Quarè ſi cui protracta nimis Iouis videatur Oratio recordetur illud Martialis.

Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſsis.

ATQ; IDEO DECRETVM &c. Intendens efficaciter finem certè debet eligere media efficaciter etiam ad finem ducentia, quamuis media, non per ſe, ſed propter finem tantùm, ſint expetibilia. Hoc ipſum ſe feciſſe indicat Iupiter; nam, propoſito fine, quem haberi decreuerat, releuandi humanum genus, oſtendit, hunc finem eſſe cauſam mediorum, quæ proponenda remanent, eligendorum. Idcircò, per particulam *atq;* connexiuam propoſitum finem cum medio copulat proponendo; additq; aduerb. cauſale *Ideò*, quod idem ſonat, ac *ob hanc cauſam finalem*. Quarè immeritò videtur mihi Heinſius Parrhaſianam, ac vulgatam lectionem immutaſſe, *adeò* legens, non *Ideò*. Sed nota artificium Poetæ, in orationis diſpoſitione, naturam exprimens finis. Semper eſt finis primus in intentione, vltimus in executione: Medium verò primum in executione, vltimum in intentione. Cum itaque nihil ſit in ore, quod priùs non fuerit in mente, æquum fuit, vt ea, quæ ore exprimerentur, eumdem in oratione ordinem haberent, quem habebant in mente: ſicq; finis, quippè primus in intentione, primus etiam ponitur in oratione; medium verò, quippè vltimum in intentione, vltimo etiam loco ponitur in oratione. *Decre nam*, Subintellige *eſt*. Porrò *Decerno* (à quo decretum eſt paſſ.) idem eſt, ac *ſtatuo*, de quo ſupra. Sed nota inter ipſa Iouis ordinem decreta; nam primo habetur decretum de fine ponendo; ſubindè decretum, ex primo emergens, de ponendis medijs, vt rectus etiam in decretis ſeruetur ordo. Dixit autem, tàm finem, quam medium decreto firmatum, vt ſcirent Numina, non eſſe hic conſulendum, vel reuertendum, ſed exequendum.

CEREREM &c. Matrem ſcilicet Proſerpinæ, frugum Deam &c. de qua nos alibi ſæpè fuſiùs.

QVÆ NVNC IGNARA MALORVM &c. Exprimit quaſi per parentheſim, obiter conditiones, in quibus pro præſenti ſtatu (ideo *quæ nunc*) Ceres fuerit, vt ex illa quiete, ad motum, non breui ceſſaturum, impellendam ſubindè indicet. Notat autem cauſam, cur Ceres tunc placida adeò quieſceret, quia ſcilicet actum neſciret de Proſerpina; Ideò *ignara malorum* tam ſuorum videlicet, quàm Filiæ. Suorum, inquam, nam, cum filiæ partem propriæ ſubſtantiæ communicet in generatione Mater, præcipuè in ſententia eorum, qui nobiliùm ſentiunt, etiam fœminam actiuè ad generationem concurrere per ſemen proprium, iure filia pars matris viuens dici poteſt; atq; adeò mala, quæ filiam premant, matris mala eſſe, ſine hæſitatione cenſentur. Adde, Raptum filiæ matri originem fuiſſe malorum quampluriũ, vt patebit.

VERBERAT LEONES IDÆOS CVM TORVA MATRE. Societatem indicat præpoſitio *cum*: & per Matrem Cybelem intelligi ſatis patet, tum quia eam Matrem omnium Deorum fuiſſe alibi vidimus; tùm quia genitam à Cybele Cererem lib. pri. memorauimus. Verbum *verbero* à verbere deriuatur: de verberibus autem vide dicta lib. 2. carm. 197. Certè hoc loco indicatur, quod Ceres vna cum Cybele Matre eodem curru à leonibus vecto, circumferrentur, ad animi relaxationem; nam, qui curru aguntur, identidem iugales excitant verberibus. Sed maiorem hic habet Vates eruditionem, ad quam eruendam, memineris, verbera adhiberi ſolita in ſeruos, iure belli captiuos, apud Rom. præcipuè, quorum Ciues verberibus ſubijci, nefas eſſet. Quarè verbera in hoſtes, non in ſuos, exercenda, hinc facilè noſces. Et quidem, hoſtili modo Leones idæos verberari hic, patet; quia verberari dicuntur à *Torua Matre*, hoc eſt irata; nam *iratus toruus* dicitur, ob aſpectus quam induit terribilitatem. Sed cur hoc? Cum viderimus Cybeles, lib. pri. Leones ad obſequium compoſitos, carm. 210. & ſeq. Sed aliud eſt obſequium amoris, aliud obſequium timoris. Secundum exhibebant Leones Phrygij non primum. De his autem leonibus plura diximus lib. pri. cit., ſed tantùm vt videremus, cur leonibus Cybele delectari dicatur, cur ab ijs vehi &c. Nunc de iiſdem agendum iuxta fabulas, vt ſciamus, quinam ſint hi leones, & cur hoſtiliter verberentur. Scineris itaque, ex Ouid. Metam. 11., Atalantam Hyppomeni, aſtu Veneris, ceſſiſſe, in curſu, victoriam, ac præmium victoriæ ſe ipſam, vt nos alibi diximus, & notum iam ſatis eſt. Hyppomenes beneficij gratias Veneri agere neglexit: quarè indignata Venus, cum Hyppomenes, Atalantam ducens, ad templum Cybeles, denſa in Sylua ab Echione, ex Cadmi ſocijs vno, conſtructum, deueniſſet, in eoq; ambo, itineris feſſi labore, paulìſper quieſcerent, tantâ coeundi libidine Hyppomenem ſuccendit, vt ibi coire non erubuerit: quo auſu permota nimium Cybele eos in leones conuertit, ſuoq; adiunxit currui, vt verberum ſemper ſupplicia paterentur, vt hoſtes. Rem totam proſequit his carminibus Venus ipſa apud Ouid. cit.

Templa Deum Matri, quæ quondam clarus Echion
Fecerat, ex voto, nemoroſis abdita ſyluis
Tranſibant: & iter longum requieſcere ſuaſit.
Illic concubitus intempeſtiua cupido
Occupat Hyppomenem, à Numine concita noſtro.
Luminis exigui fuerat propè templa receſſus
Speluncæ ſimilis, natiuo pumice tectus,
Religione ſacer priſca, quo multa Sacerdos
Lignea contulerat veterum ſimulacra Deorum.
Hunc init; & vetito temerat ſacraria probro.
Sacra retorſerunt oculos: turritaq; Mater
An Stygia ſontes dubitauit mergeret vnda.
Pœna leuis viſa eſt. Ergo modo læuia fuluæ
Colla iubæ velant: digiti curuantur in vngues:
Ex humeris armi fiunt: in pectora totum
Pondus abit: ſummæ caudâ verruntur arenæ:

Iram

Iram vulnus habet; pro verbis murmura reddunt:
Pro thalamis celebrant Syluas; aliaſq; tremendo
Dente premunt domito Cybeleia frena Leones.

cum itaque hi ſint Leones, currui Cybeles addicti, meritò, vt hoſtes inuiſi, à tortua matre plectuntur, cuius filia Ceres, quippe, ex vi generationis, iiſdem, quibus mater, affectibus imbuta, & mores eiuſdem ſequitur. Ideò verberat leones Idæos, ab Ida videlicet ſic dictos, vbi degebant apud Cybelem captiui.

DISCVRRERE. Regitur hoc infinitum à præcedenti *decretum eſt*, eſt autem *diſcurrere huc illuc currere*, ſeù *in diuerſas currere partes*. Hic ponitur pro incertis itineribus peregrinari.

LVCTV AVIDO. Id eſt nimio amiſſæ filiæ deſiderio mæſtum, lugentemq; modus enim hic diuagantis exprimitur: nec *mærore*, dixit, ſed *luctu*, nam *luctus*, à lugendo dictus, dolor eſt extrinſecus apparens, ex aſpectu, lacrymis, geſtibus, eiulatibus &c, ac præcipue habetur in Carorum interitu: pro interemptis autem habentur, cum ita amittuntur, vt nulla eorum ſpes appareat recipiendorum. *Auido* autem, dixit, nam auiditas deſiderium rei eſt inexplebile, anxium, ſolicitum, & ſemper inhians optatis.

PER MARE, PER TERRAS. Quid mare ſit, vide lib. pri. carm. 176. *terras* verò non *terram*, dixit, nam id nomen plurali numero vſurpatum ſingulas, & omnes, terræ partes ſignificat, vt alibi vidimus; ſicq; diligentiſſimam exprimit perquiſitionem faciendam, quæ nullum ſcilicet angulum, quem non ſcrutaretur, eſſet relictura. Maris autem, & terræ nomine totus Orbis inferior deſignatur, vt patet.

DONEC LÆTATA &c. *Donec* continuationem temporis importat terminabilem quidem, ſed quæ ſine interruptione extendi debeat quouſq; extrinſeca deſitione terminetur. Lætor, à quo *lætata*, eſt *animi exultationem*, *hilaritatemque recipio*, & quidem ab extrinſeco aliquo. Hic ſumitur ita, vt importet tranſitum à contrario in contrarium, nempè à mærore in lætitiam, cuius cauſa ab extrinſeco ſit.

INDICIO REPERTÆ NATÆ. Indicium interdùm ſignificat *ſignum*, quo ducimur in cognitionem alterius: interdum verò idem ſonat, ac manifeſtatio, delatio, detectio alicuius occulti facta à quopiam, qui rem nouerit, ac ideò detegere potuerit. Et in hoc ſenſu hic. Verum peculiarem hic locus ingerit difficultatem, dum dicit *indicio reperta &c.* Indicium enim dicit futuritionem inueniendi, cum ſe habeat, vt medium ad inueniendum, quod quærimus: non autem dicit, repertum iam eſſe, quod indicat; non enim indicandum nobis, quod iam inuenerimus. Quomodò igitur Vates indicium iungit cum reperta? An Proſerpina reperiri priùs debuerat, quam indicari? Certè id abſonum eſſet. Verùm hæc difficultas, non vnâ quidem, ſed triplici ſolutione, nullo negotio, enodatur. Et primo quidem quoties ignoto in loco eſt, quod quærimus, nonne ſtatim, ac locus, vbi ſit, indicatur dicere ſolemus, *quod quærebam inueni; ſcio vbi ſit; iam habeo?* Quid igitur mirum, ſi hoc eodem pacto loquatur Vates, cum ſcire locum vbi res ſit, & illam reperiſſe pro eodem habeatur? Secundò perpende quid quæreret Ceres, dum peregrinaretur; hoc enim habebis lib. 3. ſic: *Locum cognoſcere fortem:*

Hoc tantum liceat certos habuiſſe dolores:
Scire peto, quæ forma mali; quamcumq; dediſſes
Fortunam, ſi nota, feram, Fatumq; putabo,
Non ſcelus &c.

Quærebat igitur Natam, non vt iterum ſibi haberet, nam expreſsè lib. 3. ait: *Non repetam quæſita manu*; ſed vt ſciret vbi nam eſſet: quarè, hoc habito, per indicium, reperta iam dicitur Filia. Tertio Nota vim verbi, quo vtitur Vates: *Reperio* enim compoſitum ex *re*, & *pario* idem eſt, ac *iterum pario*, conſequenter *reperta* idem, ac *iterum parta*. Filiam, quam pepererat Ceres, Raptor abſtulerat; atq; amiſſam, vt mortuum, lugebat Ceres: Indicium, aperiens vbi nam eſſet, viuam indicat, & vnde expetatur indicat: quarè indicium *iterum* quodammodo Cereri filiam parit. Nota autem obiter *reperire* fortunæ eſſe, vt volunt, *Inuenire* verò conſilij. *Nata* à naſcor dicitur filia. Ideò prætereuolo. Quæret tamen forte aliquis adhùc, quonam tandem indicio nouerit Ceres, Filiam apud Plutonem eſſe? Raptam nouit ex Electra Nutrice, vt docet Auctor lib. 3., ſed à quo nam raptore ſcire non potuit; & apud Claud. nuſquam habetur, quo indicante, id reſciuerit, eo quod, cum ipſe Cererem peregrinantem induxerit, adeo & ipſe ab opere peregrinatus eſt, vt tertium lib. abrupetem, non abſoluerit, atq; adeò, quod quæritur, deſiderandum reliquit. Conſulat itaque curioſus Ouid. Metam. 5., & inde agnoſcet, quænam indicia Natæ, quam quærebat, habuerit Ceres. Primum indicium, per ſigna, expreſſum fuit à Cyane Nympha in fontem conuerſa tunc, cum Prædatoris currum, & ipſa conata fuerit detinere, quod ſic expreſſit Ouid.

Venit & ad Cyanem ea, ni mutata fuiſſet,
Omnia narraſſet: ſed & os, & lingua volenti
Dicere non aderant; nec quæ loqueretur, habebat.
Signa tamen manifeſta dedit; notamq; Parenti,
Illo forte loco delapſam, in gurgite ſacro
Perſephones Zonam ſummis oſtendit in vndis.

Proſerpina græcè Perſephanes.

Verùm hoc indicium nihil plus cognitionis Cereri ſuppeditabat, quam ex Electra iam habuiſſet. Quæ itaque & rapinam patefecit, & raptorem, & locum, quo abuecta fuerit, Arethuſa fuit, quæ, ex vndis emergens ſuis, ſic apud Ouid. cit. locuta eſt,

. . . . Mihi pernia tellus
Præbet iter, ſubterq; imas ablata cauernas,
Hic caput attollo, deſuetaq; ſydera cerno.
Ergo dum Stygio, ſub terris, gurgite labor,
Viſa tua eſt oculis illic Proſerpina noſtris,
Illa quidem triſtis, neq; adhuc interrita vultu,
Sed regina tamen, ſed opaci maxima mundi,
Sed tamen inferni pollens matrona Tyranni.

ſed nos ad inſtitutum, habito poſtliminio, regrediamur.

TRIBVAT FRVGES. Id eſt rationem frugum ſerendarum, earundemq;, ad maturitatem vſq;, colendarum edoceat: conſequens enim hic ponitur pro antecedenti: qui enim artem docet acquirendi aliquid, rei ipſius adeptionem dicitur tribuiſſe, ob rationem ſæpiùs indicatam, quod cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati. *Tribuere* verbum eſt notiſſimum. Hic ponitur pro *diſtribuere*, quod eſt diuerſis regionibus ſparſim, ſeù potiùs omnibus diſtributim tribuere. Sed hic non leuis ingerit difficultas; nam videtur, ſui ipſius immemor, Vates ſibi ipſi contradicere. Quod vt clarè pateat; memineris, Vatem, lib. pri., induxiſſe Cererem, Siciliæ Natam ſuam commendantem, quæ & præmia tutelam proponens cuſtodiæ inquit:

Præmia digna manent. Nullos patiêre ligones, 1.32
Et nullo rigidi verſabere vomeris ictu.
Sponte tuus florebit ager ceſſante iuuenco,
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.

Nonne his clarè aſſerit Auctor, artem colendi agros, ante raptam Proſerpinam, fuiſſe, & de facto in vſu agriculturam fuiſſe? Certè dum terræ pollicetur auferendam ab illa taſtri, vomeris, ligonis tolerantiam, dicit quod hæc antea in vſu fuerint. Quomodo hic igitur negat, ore Iouis loquens, fruges tunc temporis fuiſſe, agriculturam fuiſſe in vſu, homineſque Chaonio vſos affirmat victu; immò & in eodem ſtatu perſeuerandum, donec Ceres *Nata læta à reperta indicio tribuat fruges*? Inſuper non meminit Vates, ſe, cum deſcriberet Cereris ad Cybelem iter, poſuiſſe ſpontaneam ſegetum eruptionem.

Sulcatam fæcundat humum: flaueſcit ariſtis
Orbita; ſurgentes condunt veſtigia fruges &c.

Certè hæc fuerunt ante raptum. Quomodo itaque hic aſſerat Iupiter, ſe abſtuliſſe otia ſaturnia, & ſpontaneas aurei ſæculi germinationes? Certè diuinis, apud Poetas, legibus cautum nouimus, ne quis Deorum violare poſſet, quod alter ſanxiſſet; ex quo clarè deducitur, quod ſi Iupiter prohibuiſſet ſpontaneam ſegetum eruptionem, non potuiſſet terra eas ſponte, licet in obſequium Cereris producere. Hæc ſunt, quæ Vatis textui obijci poſſunt ingenioſe quidem, ac ſubtiliter; ſed ea prorsùs ſubtilitate, quæ, Arachneum opus imitata, facilè diſrumpitur, leuibus vel ſcopis adactis. Noto itaque, vt primum poſtrema diluam, certum eſſe quod Vates ipſe ponat raptum Proſerpinæ poſt ablata Saturni otia, ac tunc temporis eueniſſe, quando tellus, delicijs ſæculi aurei viduata, ſterilitatem induerat. Patet hoc ex ipſa conſolatoria Plutonis ad Proſerpinam oratione lib. 2. vbi ait:

. . . . Illic præſtantior ætas.
Aurea progenies habitat; ſemperq; tenemus
Quod ſuperi meruere ſemel.

Quarè iure optimo potuit hic dicere Iupiter iamdiù ante raptum Proſerpinæ prohibitam à ſe ſpontaneam ſegetum fæcunditatem. Noto inſuper, ſpontaneam ſegetum eruptionem Cereris iter comitantium, prodigioſam, non naturalem fuiſſe, atq; in obſequium Deæ conceſſam ab ipſo Ioue, qui debita Dijs obſequia nunquam prohibere contenderit. Non autem prodigioſa fuiſſet, ſi adhuc aurei ſæculi felicitas perduraſſet; neq; enim extra tempus fuiſſe dici poteſt, nam

vt vidimus lib. 1. carm. 121. tempore ad ſegetes apto legebat flores Proſerpina, cum raptum ſubiji. Conſequenter ſolum potuit prodigioſa cenſeri, quia, non obſtante ſterilitate terræ inducta, ſponte adhùc produceret tellus. Ad id verò, quod dicebatur de legibus diuinis, iam breuibus reſponſum eſt nam ob id ipſum non potuit prohibere honorem Cereri debitum, illamq. ſuo iure priuare: nec prohibitio naturæ iniuncta ad coercendam Deæ libertatem extendi potuit, nam odia ſemper reſtringenda. Iam ad primam ex indicatis contradictionibus regredior. Memineris Siciliam Cereri ſacram, atq; ab ipſa ſibi Cerere in domicilium electam, vt Ceres ipſa fatetur lib. pri. dum dicit:

*. . . . . Salue grati*ſſ*ima tellus,*
Quam nos prætulimus Cœlo.

ex quo videtur neceſſariò inferendum, quod Sicilia peculiari aliquo priuilegio certe fuerit condecoranda, quippè domus Cereris, & peculiari eiuſdem gaudens affectu. Hoc poſito. Ex eo, quod Ceres noluerit, in reuerentiam Iouis, Siciliam eximi à legibus vniuerſalibus fœcunditatem terræ ſpontaneam prohibentibus; probabile certè eſt, immò valde conſentaneum Deæ inhabitanti, vt ipſa ibi primùm agrorum artem colendorum edocuerit: nam indecorum fuiſſet, ſi vbi degeret Ceres, quod negatum naturæ fuerat, non extruderetur ab arte: atq; ideo dicendum eſt, vbi ab ipſa, ſtatim, ac prohibitio lata fuerit, promulgatam fuiſſe artem, ne cum Cerere, ſine Cerere, Sicilia remaneret; & ideò bene ſtat, quod, licet vbiq; terrarum ſterilitas ex Natura haberetur, ac nullibi ars adhùc vigeret, in domo tamen Cereris, ex peculiari Deæ priuilegio hæc ipſa ars in vſu iam eſſet: & hinc potuit Dea polliceri: *Nullos patiere ligones &c.* Idq; confirmatur ex dictis, lib. 2. carm. 121., vbi vidimus etiam tunc ſegetes in Sicilia fuiſſe: non ea Naturæ ſpontanea vbertate, nam prohibitio obſtabat Iouis: ergo per artem ab ipſa Cerere in Siculos promanatam. Verùm, cum Sicilia exiguum punctum, reſpectu totius orbis dici poſſit, non extra ipſam adhùc colendi ars promanaſſet, iure natura communis conqueſta eſt apud Iouem, tanquam de malo vniuerſali, cum parum pro nihilo reputetur. Quid verò nomine frugum intelligatur, alibi diximus: ideò iam accelero.

ET CVRRVS FERATVR NVBIBVS. Supple picto draconum vehente volatu, vt lib. pri. vidimus carm. 180. & ſeq. De hoc curru Cereris Triptolemo ab eadem demandato vide eodem lib. pri. carm. 12.

SPARSVRVS ARISTAS IGNOTAS POPVLIS. Finem, cui voluerit Iupiter currum ferri &c. explicat hoc particip. *Sparſurus* à *ſpargo*, quod eſt *diſſemino*, ac *late diffundo*. *Ignotas* autem, ex negatiua *In*, & *Notus* compoſitum nomen, eſt idem, ac minimè Notus. Aſt quomodo non notas appellat fruges, cum, ſponte naſcentes, eas habuerint homines ſub Saturno, vt dixerat? *Ignotas* dicit quo ad modum, non quo ad ſubſtantiam: licet enim concederemus (quod tamen difficile eſt) aliquos mortales ea ijs, qui aureum viderant ſæculum, ad hæc vſq; tempora perueniſſe, atq; adeò & fruges nouiſſe; Nouerant tamen illi ſpontaneas, non ex vi artis è terræ gremio eductas; quarè, licet noſſent ariſtas quo ad ſubſtantiam, non nouerant tamen eas poſſe per artem, educi ea terra: atq; adeò cum Triptolemus mittendus eſſet ad hunc modum edocendum, dicitur ſparſurus ariſtas, quo ad modum ignotas populis.

ET DRACONES CÆRVLEI. Illi nempè à quibus Cereris veheretur currus Triptolemo demandandus, de quibus vide dicta loco ſupra cit. libri primi.

SVBEANT IVGA ACTÆA. Vides hic figuram Iſteron proteron, nam priùs eſt Iugales iungi, quam currum ferri, licet hic poſtponatur. *Subire* igitur *Iuga* eſt *ire ſub Iuga*, hoc eſt curru adiungi: & *Actæa* dixit, hoc eſt à Triptolemo Celei Eleuſini, in Attica, Regis filio imponenda. Vide dicta carm. 11. lib. pri. & de Iugo vide eodem lib. pri. carm. 12., dum nos interim quæ ad mores pertineant diſcutiamus.

Agnoſce, ò homo, dignitatem tuam; &, diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem, degeneri conuerſatione, redire. Natura ipſa indignum putat, hominem, ad Cœlum vtiq; procreatum, belluinos mores induere, ac vitam degere more ferarum: & tamen ferarum in morem viuere ſæpè ſæpiùs appetit homo. Natus es ad Cœlum. Et tamen venereis ſordibus detentum, quaſi ſus in volutabro, cœno gaudes, & cœnum Cœlo præhabere non erubeſcis. Erectam habes effigiem, vt Cœlum patriam adſpicias tuam, eiuſq; venuſtatem contempleris: tu verò terrenus homo ſæpe ſæpiùs reperis, bonum eſt nos hic eſſe. Quid mentem traxiſſe polo; quid profuit, altum erexiſſe caput; pecudum ſi more pererras? Reſpondes (audio) non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates tenebrarum. Vincimur à præpotenti: & Deus vel res humanas negligit, vel nos perire lubens permittit. Quid dicis hæretice? Fidelis immò Deus, qui non permittit, vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed nos delicati nimium milites, otio marcentes, illecebris huius mundi indulgentes, dum florum delicias quærimus, latentem in floribus anguem nobis ipſis applicamus, vt pro libito laceret, ac mortiferis inficiat venenis. Ideò, ne videatur Deus res noſtras negligere, cogitur interdum otia noſtra diuellere, delicias abripere, fælicitates diſrumpere, vt vexatio det intellectum, vt nos ad bonam reuocet frugem, vt faciat inde cum tentatione prouentum. Ex hoc efficitur, vt quamplures, his acti ſtimulis, ad pœnitentiam conuertantur, & artem ediſcant colendæ, quam plantauit Dominus, vineæ, atq; homini colendam, cuſtodiendamq; locauit, nempe Animam. Sed interdum non adeò hæc vinea à noxijs expurgari poteſt, vt, aduentante rationis die, adhùc non inueniat Dominus vlterius expurgandam; atq; ideò rapitur Proſerpina curru Tartareo, ſi non ad æternum damnatorum, certe ad temporaneum purgantium ignem. Luget raptam Mater Eccleſia, cum nouerit, quæ verè Ceres dici poteſt, cum ſit Euchariſtici panis liberaliſſima diſpenſatrix; quaſi Nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum. Sed vetat Deus, ne quis raptorem reuelet, ne quis ſcilicet edoceat, num Proſerpina, hoc eſt Anima, rapta ſit ad pœnas æternas, an temporaneas, vt Eccleſia Mater abundantes tribuat egentibus fruges, dum in theſaurum aceruat Sanctorum Orationes, quæ, ſi damnatæ nil proſint in beneficium cedunt purgantibus: eos autem frugum theſauros latiſſimæ diſpenſat legata indicio Natæ repertæ, cum ſcilicet, diligenti facta inquiſitione, nouerit Animam aliquam in Sanctorum Album referendam, in terris; quia delatam in Cælos, ſicuti Ceres id feciſſe dicitur indicio natæ repertæ, hoc eſt cum reperta eſt, atque in Cælum ab Inferis, Ouid. teſte, reuocata, vt cum matre eſſet, ad tempus illa; hæc in æternum: his enim animatur Eccleſia Mater ad profundendos theſauros, vt, quæ in ærumnis adhùc degunt, vehiculum habeant, & Viaticum ad Montem Domini aſcendendum. Sed dum in Montis mentionem incidimus, Nos ex Italo Pindi Vertice, tenui Muſa vocat auena, vt proprio metro, quæ diximus, colligemus.

E perche vuoi (vinta dal duolo eſclama)
 Le ville incolte, inſteriliti i campi?
 Perche, di biade in vece, à chi le brama
 Vuoi che de bronchi ſol creſcan gl'inciampi?
 Porgi triboli, e ſpine à chi pur t'ama;
 Ne mai di tua pietà ſcorgonſi i lampi;
 Mà congiura ogni ſtella à noſtri danni;
 Ne mai d'vn frutto inuigorir puon gl'anni.
Anzi contro'l mio petto irati i corſi
 Volge del tuo furor ſtella maligna;
 Ne può mia forza al fiero influſſo opporſi:
 Ond'Io, che, gia d'ogn'huom madre benigna,
 Prouida ſempre al maggior buopo accorſi,
 Son, tua colpa, ò crudel, fatta Matrigna.
 Già non cangio il voler; pure in me ſteſſa
 M'affanno in darno à rintracciar me ſteſſa.
Che gioua, in ſpoglie humane, hauer de gl'aſtri
 Trasfuſa vn'alma, ed inalzar ſublime
 Lieta fronte alle sfere i Zoroaſtri; Zoroaſtres ſtellarum cõtemplatores homines ærumnaſtice deſignat.
 Se ne deſerti poſcia, oue s'imprime
 L'orma ſol delle belue, infra diſaſtri
 Viuer gl'è forza; e'l tuo rigor gl'opprime;
 Si che, pari à Grumenti, à fauor grande
 Habbian, ſe franger puon cibo di grande?
Queſta dunque lor gioua, ed à te piace
 Queſta, a bruti, di lor vita, commune?
 Queſta, che delle ſelue accolta giace
 Ne più aſcoſti couili, oue s'addune
 Stuolo, di ſpirto human, ſolo, incapace?
 E, ſe ben l'huomo è di fierezza immune,
 Dalle fiere indiſtinto hoggi riceue

Mar-

Marco di belua; e coſì viuer deue?
Queſti della Natura aſpri lamenti
Più volte vditi, e fin'ad hor negletti,
Che non vadan al fin ſcherzo de venti
Pietà richiede: e di pietà gl'effetti,
Giuſt'è, che prouin pur lieti i viuenti.
Godan di Gioue i più benigni aſpetti:
Cangin d'annoſa quercia il cibo impuro:
Ch'io così ſtabiliſco, e così giuro.
Mà, perche al fin, ch'è d'ottener già ſcritto,
Scieglier deuonſi ancor mezzi efficaci,
Ne gl'eterni decreti hò già preſcritto,
Che di Cerere al ſuol giouin le faci.
Ella, de mali, ond'haurà 'l cuor trafitto,
Che nulla hor sà, lieta ſi gode i baci
Della Madre Cibelle, e, con lei, pronta
D'Ida i Leon con dure sferze affronta.
Mà, poi, che ſia de proprij danni accorta
(Ed in breue ſarà, ch'ella ſe'n renda.)
Fatta di pianto vn mar, che ſeco porta
L'auide brame à chi 'l ſuo ben gli renda,
Peregrinar dourà douunque apporta
Il Sol la luce, ouunque il Mar ſi ſtenda,
Sin ch'indicio al fin n'habbi, e, 'n cari ſegni
Di grato cuor, l'agricoltura inſegni.
Proſeguirà de viaggi ſuoi gl'errori
Sin, ch', hauuta contezza oue s'annidi
La cara figlia, alleggiarà i dolori:
Ed all'hor fia, ch'à più remoti lidi
Voli 'l ſuo cocchio à diſpenſar fauori;
E i draghi alati Attica man s'affidi
Regger, mercè de gl'adempiti voti,
Profondendo ad ogn'vn teſori ignoti.

Videbatur hoc poſito feſtinandum, ad hoc vt Ceres, citò conſcia facti, fruges citiùs poſſet diſtribuere. Sed ſapientia huius Mundi ſtultitia eſt apud Deum: ideò antequam Iudicium feramus; quid inſuper addat Iupiter audiamus.

QVOD SI QVIS &c. Propoſito, quid de Cerere decretum fuiſſet, in ordine ad releuandum humanum genus, edicit tandem Iupiter, ad quid congregata fuerint Numina; vt nempe ſciant nemini eorum licere, Proſerpinæ Raptorem Cereri indicare. Imperium detrectanti, ac, contra edictum, reuelare audenti, pœnas vtiq; decernit ſubeundas; atque à pœnali hac lege neminem excludit; eaſdemq; ſanctione firmat inuiolabili.

Quod ſi quis Cereri raptorem prodere Diuum
Audeat; Imperij molem, pacemq; profundam
Obteſtor rerum, Natus licet ille, Sororue,
Vel Coniux fuerit, Natarumue agminis vna,
Se licet illa meo conceptam vertice iactet,
Sentiet iratam procul Ægida, ſentiet ictum
Fulminis, & genitum diuina ſorte pigebit;
Optabitq; mori. Tunc vulnere languidus ipſi
Tradetur Genero, paſſurus prodita regna;
Et ſciet, an propriæ conſpirent Tartara cauſæ.
Hoc ſanctum. Manſura fluant hoc ordine Fata.
Dixit: & horrendo concuſſit ſydera motu.

QVOD SI QVIS &c. Deſideria dilata creſcunt; creſcentia torquent; vt alibi diximus, ſed, quantum ex dilatione patimur mœroris, tantum reſultat gaudij, cum tandem, voti compotes, reſpiramus. Ideò iure optimo Iupiter prohibet, ne quis Cereri filiam indicet, vt dilatum gaudium maior tandem exiliens eam impellat ad largas, de quibus ſupra, ſegetum largitiones. Hæc tamen lex Iouis non promulgatur hic expreſsè per verba illa prohibitiua, quibus vti aſſueuerunt legum huiuſmodi promulgatores, qui dicere ſolebant: *Hoc ne facito*; deindè pœnas addentes ſubdebant: *Si quis fecerit &c.* Primam enim partem omiſit Iupiter, quia, de conſequenti, ex decreto poſitiuo de Cereris peregrinationibus habito, cui nefas eſſet renuere ſatis inferrebatur non reuelandam filiam, ne, ceſſante fine, inquiſitio ipſa ceſſaret: ſicq; irritum remaneret decretum. Ideò tamquam promulgata iam tacitè, in ipſo antecedenti decreto, lege ipſa prohibitiua, pœnas iam ſtatuit ſecundam aggreſſus partem, appoſita, de more, particula conditionali *Quod ſi quis* ſubintellige *veſtrum*, quos alloquor. Cætera clara.

AVDEAT. Impudentiam quamdam operandi importat hoc verbum, qua efficitur, vt nec leges, nec Reges, nec Deum ipſum vereatur ille, qui audet, vt propriæ indulgeat vel voluntati, vel voluptati; ideò aptè *ſi quis audeat*

PRODERE DIVVM RAPTOREM. Prodo hic pro eodem ſumitur, ac *detego, aperio, manifeſtum facio*; cum quo tamen ſtat, vt proditoris nomine notetur, qui auſus fuerit reuelare; nam hæc reuelatio anſam Cereri datura fuiſſet filiam omninò repetendi, cum ſumma non Plutonis ſolum raptoris, ſed & ipſius Iouis, raptum approbantis, cui ſummam deberent fidem, iniuria. De voce *Raptorem* vide dicta lib. pri. carm. pri. Per *Diuum* Plutonem intellige: ſed Diuus vſurpatur hic pro eodem, vt arbitror, ac *Deus*: nam vſus inualuit apud antiquos, vt pro eodem hæc nomina promiſcuè vſurparentur. Seruius tamen, Varro, & Atteius Deos à Diuis ita diſtinguunt, vt Dij dicantur illi, qui tales, ex natura ſua, ſunt, nec ab alijs, quam à ſe ipſis, innatam acceperint diuinitatem, atq; æterni, ac perpetui eſſe, ex ſe ipſis intelliguntur: Diui verò dicantur illi, qui, cum homines priùs fuerint, poſtea in album Deorum relati ſunt, vt Glaucus, de quo ſupra. Et profectò Eccleſia ipſa Catholica videtur hac maximè vti diſtinctione; nam ſolum Ens à ſe, omniumq; rerum auctorem, eſſentialiter à ſe ipſo diuinitatem habens, ante omnia tempora, ab æterno, exiſtens immortale *Deum* appellat; reliquos verò, quos Sanctos appellamus, Diuos appellare non renuit. Vſum tamen antiquorum ſequi non dedignatam video æternam Verbi, in carne degentis, Sapientiam, quæ dilectos ſuos Deos dixerit: *Ego dixi Dij eſtis*; vbi certè *Dij* pro *Diui* vſurpari, apertè innoteſcit: atq; adeò vice verſa *Diuum* pro *Deum* per appoſitionem ad Plutonem ipſum, vſurpari non abſonum fuerit, vel etiam dici poterit *Diuum* poſitum pro *Deorum*, vt vſitatiſſimum apud Poetas eſt; ita vt ordo ſit. *Si quis Deorum audeat &c.* & ſi in hoc ſenſu accipiatur, tunc nomen illud *Raptorem* antonomaſtice poſitum intelliges pro Plutone. Mihi tamen primus magis ſenſus arridet; nam ſi ſenſus eſſet: *Si quis Deorum audeat &c.* iam excludi viderentur à lege ſeruanda Satyri, Fauni, & Syluani, qui, non *Dij*, ſed *Semidei* dicuntur ab eodem Ioue, apud Ouid. alibi cit. Et tamen fuerant & ipſi ad excipiendum Imperium congregati. Ideò *Si quis veſtrum* (exponebam ego) *audeat prodere Raptorem Diuum*, hoc eſt *Deum*. Quod ſi quis enixè contenderet, *Diuum* à Vate hic accipi rigoroſè, & iuxta ſenſum ablatæ diſtinctionis; non abnuo; quam adhùc optimè dixerit *Raptorem Diuum*, & non ſpernendam continebit eruditionem. Memineris itaque Iouem eſſe, qui loquitur, & Iouem ipſum ex homine in Deum tranſmigraſſe, iuxta Lucianum, qui Iouem mortuum fuiſſe teſtatur Cretenſium traditionibus innixus, dum ita ſcribit, græcis quidem, ſed latinè explicatis verbis, apud Mythol. Nat. Com. lib. 2. cap. pri. *Cretenſes non ſolum natum apud ſe, & ſepultum Iouem teſtantur, ſed etiam ſepulchrum eius oſtendunt.* Itamò ſcriptum reliquit Epiphanius, ſuis quoq; temporibus, in Iaſio, Cretæ monte, ſepulchrum Iouis monſtrari ſolitum. Sed ratione etiam oſtenditur, Deos antiquorum omnes mortales antea fuiſſe, quam Deos; nam Dij omnes antiquorum, ex ipſis antiquis habetur, quod nati ſint; omnia autem, quæ naſcuntur, aliquandò intereant, neceſſe eſt; quod de Dijs ipſis teſtantur, quæ referunt antiqui, nempe eos & cibum ſumpſiſſe, & alimentis vſos, & in libidines impulſos &c. Certum eſt autem, quod, quæ nutriuntur, intereant; nutritio enim inſtituta eſt à Natura, ad reparandam viuentis, quæ quotidiè deperditur, ſubſtantiam: libidinis autem ſtimulis aguntur in conſeruationem ſpeciei, cum, in indiuiduo, noſmet ipſos conſeruare minimè poſſumus. Ergo mortales omnes antiquorum Dij fuerunt, ex mortalibus in Deorum album relati. atq; ideò *Deus*, non Dij, iuxta datam diſtinctionem.

ſtionem. In tantum autem ſempiterni dicti ſunt, in quantum ab antiquis ſymbolicè conſiderabantur; nempe v. g. Neptunus pro ea Diuina per aquas diffuſa; Iupiter pro ſumma rerum agendarum Prouidentia; Venus pro appetitu Naturæ conſeruationem rerum exoptantis &c. quæ cum ſempiterna ſint, nec pereant, ideò ſempiterni dicti ſunt antiquorum Dij. Quare Iupiter, qui hæc omnia nouerat *Diuum*, non *Deum* Plutonem appellat, ingenuâ prorsùs eruditione ſuffultus.

IMPERII MOLEM &c. Carpit, hoc loco Claudianum, Barthius dum ſic habet: *parum circumſpectè equidem hic fuit Claud. noſter: ſcilicet poſt factum, tam vt Plutonis, & omnis terrarum ipſi factum, ipſe ſanctè demum, quod velit fieri: & cum terrarum Orbes concuſſus fuerit, omneſq; fluuij, Fauni etiam, cum Nymphis, euocati eſſent, Cælo, mariq; conuocatis, indictum raptus vetat bonus Iupiter ad Cererem deferri; quã ſola ſcilicet, cum Matre Deorum, tam altè ſterterit, dum hæc fiunt, vt nihil eorum animaduerterent*. Sed parùm circumſpectè, vt video, inuehitur ipſe in Claud.; nam, quod ad primam ſpectat oppoſitionem, qua dicitur Iupiter poſt factum ſanxiſſe quid faciendum, hallucinatur profectò egregius alioqui Commentator, nam Fatum à Plutone excitum, ſeù extortum tantum circa illud verſatur, quod Iupiter lib. pri. Cythereæ filiæ faſſus fuerat, nempè

Candida Tartareo nuptum Proſerpina Regi
Iamdudum decreta dari &c.

Quarè nil habet hoc cum præſenti decreto, quo Iupiter, non Sponſam Plutoni, ſed vtilitatem mortalibus decernit: ideoq. non factum ſanxiſſe dicendum eſt, ſed quod, infectum adhùc, remanſerat faciendum. Et certè imperſcrutabilis ſupremæ ordo Prouidentiæ id poſtulat, vt mala interdum permiſſa in bonum conuertantur, vt hic Iupiter mala Cereris in bonum ordinat Vniuerſi. Miratur, ſecundo loco Barthius, quod conuocatis tanto ſtrepitu Numinibus ſola Ceres cum matre tumultum non ſenſerint. Miror ego quod ipſe non nouerit, altiſſima id factum ſupremi diſpoſitione Conſilij, quod, cum Cererem, ac Matrem ignaras rerum vellet, altiſſimo etiam eos ſomno conſopire potuerit. Sed vnde habet, quæſo, Barthius totum Orbem concuſſum fuiſſe, cum Numina conuocarentur? An quia vſus eſt verbo conclamat? ſed aduertè quod dixerit *Numina conclamat Pelago*; quare is vocis conatus non extenditur ad Fluuios, ad Faunos &c. Immò cum de his mentio fuit habenda, ne hiſcit quidem Vates, vt oſtendat ſine ſtrepitu conuocatos. Quod etiam facilè comprobatur internuncia Iris dicatur, ad conuocanda Numina, Zephyris illapſa; qui autem illabitur, velociſſimè quidem, ſed ſine ſtrepitu decurrit. An id deducit ex eo, quo dixerit Vates *tanto quæ res agitanda tumultu*? ſed ibi loquitur de tumultu interno, hoc eſt de perturbatione in animis orta conuocatorum, vt nos in loco explicuimus, non de tumultu externo. Cumq; hæc omnia intempeſta nocte peracta fuerunt, vt notauimus, quid mirum, ſi Ceres, ac Mater profundo detentæ ſomno, id Ioue præſertim diſponente, nil ſenſerint? Ingenio mehercule ſuo iniuriam intulit Barth. non Vati. Sed nos ad obfirmatum iam textum regrediamur.

Pœnam tranſgreſſoribus impoſiturus iuramentum Iupiter præmittit, vt ſciant pęnam irreuocabiliter exigendam. Ideò

OBTESTOR. Importat hoc verbum iuramentum promiſſorum, quod conceptum Iupiter hic peragit: & idem eſt, ac *teſtor*, de quo vide dicta lib. pri. carm. 112. ſed maiorem hic habet emphaſim, ſic compoſitum; nam *obteſtari* eſt *enixè precari*. Dicit itaque Iupiter, ſe enixè contra ſe ipſum precari Imperij molem &c. ni exigat pœnas &c.

MOLEM IMPERII. Ianus Parrhaſ., per hanc molem Imperij, eam ipſam intelligit, quam Iupiter ipſe moderatur, & regit; ita vt idem ſit, ac ſi diceret: per hoc ego ſceptrum, & Imperium meum, Iuro. Et profectò huiuſmodi iurandi morem inualuiſſe apud Reges, vt per ſceptra iurarent ſua, negari omninò non poteſt. Et quidem, cum ſacra ſemper habita fuerint regnorum inſignia, nil mirum ſi per ea iurare conſueuerint. Inſuper iuramentũ, per ſceptrum, factã maximam apud omnes religionem inducere profectò potuerunt; nam *Iurare per ſceptrum* idem erat, ac Deos precari, vt, ſi iuramento non ſtetiſſet iurans, illud idem ſceptrum in ſui perniciem verteretur; hoc eſt, vt rebellantes ſubditæ nationes peieratorem deijcerent è throno, & perderent; vel Cælum fulmine ſceptrum de manu excuteret, ſicuti factum legimus, vltimo Neronis anno, cum fulmen è cælo decidens ſceptrum ex Auguſti manibus excutiens, finem ſceleſtiſſimo illius prænunciauit Imperio. Verùm, ne & ego Parrhaſ. ſequar, obſtat & contextus ipſe, & conſonantia reliquorum, quæ Vates ſcripſerat, ſeruanda, & mos à Dijs ipſis ſibi iurare ſolitus. Contextus itaque ſuadet Iouem non iuraſſe per proprium ſceptrum, & Imperium, ſed per Imperium Plutonis fratris: nam dum inquit: *obteſtor Imperij molem, pacemq; profundam*, coniunctio illa copulatiua videtur coniungere epitetum, *profundam*, & cum ipſa pace, & cum ipſa Imperij mole quam obteſtatur; *moles* autem *profunda* Imperij certè Imperium notat Plutonis. Inſuper, ſi pacem obteſtatur Iupiter, ideò obteſtatur, quia, in Pacis gratiam, & Proſerpinam tradiderat filiam, & Plutonem in generum adſciuerat: Pax hæc autem prodita fuiſſet, ſi, conceſſa iam, perturbarentur connubia; & Iupiter auctorem non plecteret perturbationis, nam videretur ipſe Proditoribus aſſentiri: atq; ideò eam Pacem in ſe vindicem, ſi fallat, obteſtatur. Quarè, eodem pacto, de Imperij mole, quam obteſtatur, differendum eſt. Accedit conſonantia, & cohærentia rerum, maximè à Vatibus ſeruanda; ob quam, videamus quid lib. pri. dixerit Vates:

Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras
Prælia moturus ſuperis,

cur autem? . . . . *Quod ſolus egeret connubijs &c.*

Euitauerat diſcrimen Iupiter filiam cedens in nuptam. Quod ſi illico conſcia mater pignus ſuum repeteret, atq; in Plutonem ipſum vim pararet, ac Iupiter auctorem perturbationis non plecteret, videretur profectò, non filiam dediſſe, verè conceſſurus; ſed decepturus; ideò meritò Plutonis Imperium in ſe ipſum concitaret: vt itaq; ſe in fide ſemper manſurum proteſtetur, vltrò Plutonis vires in ſuam perniciem obteſtatur, ni pœnas & quidem rigidiſſimas irroget Proditori. Quod idem fuit, ac ſe ſubijcere ijs flagellis, quæ ſe eubraturum, proteſtatus fuerat Pluto lib. pri. cum ait;

Si dicto parere negas, patefacta ciebo
Tartara: Saturni veteres laxabo catenas &c.

Adde iterum, ex contextu, inter alias pœnas, hanc irrogandam haberi, nempe vt Proditor Prodito tradatur, qui modus ſeruatus eſt ſemper ab ijs, qui firmatam cum hoſtibus pacem, ex animo, fuerant ſeruaturi; nam ſi illa temerario alicuius auſu labefactaretur, in eum vt in proditorem agebatur, atq; hoſtibus ipſis, pro libito, puniendum tradebatur. Ipſi itaque Regnum, quod proditione lædi potuiſſet, in ſe ipſum obteſtatur Iupiter, ac vindicem in ſe ipſum implorat, ſi, dato caſu, non ſatisfaciat Proditorem tradens. Accedit quos ipſe Deorum, quibus, nullum adeò formidandum fuerit iuramentum, quam ſi per Stygiam iurarent Paludem: quarè ſolemne illis ſemper fuit, hoc rebus maximis vti iuramento; Quod & feciſſe hic Iupiter cenſendus eſt. Et profectò idem eſt obteſtari molem Imperij profundam, ac per Stygem in eo iacentem iurare. Ideò obteſtatur *profundam molem Imperij*; quæ cur dicatur *profunda*, vide lib. pri. carm. 2. *Moles* autem idem hic eſt, ac *magnitudo*, *firmitas*, *potentia*, ac *robur* Imperij, quæ nomine *moles* deſignantur, quia magni ponderis ſint, nec facilè ab inceptis amouibiles. *Imperium* verò imperialem importat poteſtatem, ac pro ipſis ſumitur viribus Imperantis.

PACEMQ; PROFVNDAM. Interpretatur hunc locum Ianus eis, congruenter ad iam ab eodem dicta de Imperij mole. Ita ſcilicet, vt, per pacem, eam intelligat vnionem, & adhæreſcentiam entium, quibus hæc tota Mundi machina conficitur, quæ profunda quidem dicatur, non abſolutè, ſed reſpectiuè ad Olympum, ex quo Iupiter loquebatur. Nec vereor quin hæc explicatio ad modum congrua ſit; nam, cum de orbis vtilitate ageretur, congruè implorari poterat vindex hæc ipſa Pax orbis in Iouem, ſi ipſe huius pacis perturbatores plectere neglexiſſet. Verùm Iouis iuramentum certè fieri debuit, per aliquam Diuinitatem, ſi non ſuperiorem Natura, ſaltem ex priuilegio non violandam, vel ſaltem per diuinitatem æqualem. Hæc autem vnio rerum, licet opus ſit diuinitatis, non tamen Dea eſt; niſi quatenus Mundus ipſe Deus fuerit creditus: ſed, ſi, in hoc ſenſu, Dea dicatur, certe erit inferior Ioue, cuius nutu tota hæc machina regi credebatur, nec vllum aſſignari poteſt, cum non violanda ab eo ſit, priuilegium, ſicuti reſpectu ſtygis aſſignatum à nobis fuit, lib. pri. carm. 112, Iurare autem per inferiores ougatorium eſt, cum ſemper iuramentum auctoritati ſuperioris inniti debeat, vel certe æqualis, vt quando quis per ſe ipſum iurat, more quidem diuino, nam & Deus dicere ſolitus eſt, in ſacris litteris: *Per me metipſum iuro*. Memini itaque, Pacem Deam profectò fuiſſe apud antiquos, vt ſcriptum reliquit Pauſanias, eamq; Plutonis fuiſſe Nutricem, vt teſtatur idem Pauſanias in Atticis, vbi aſſerit, templum apud Athenienſes fuiſſe, in quo Pluto à

Pace

Pace nutrice in vlnis, puer, geſtaretur. Hanc igitur arbitror innui a Ioue hic, & per eam iurare, cui multum ſe debere, vtpote fratris Nutrici profiteatur; ideòq; *profundam* appellaſſe à profundo, in quo degat inferorum loco, alumnum non deſertura.

RERVM. *Res* interdum pro *Imperio* ponitur. Sic Virg. Æn. 3. *Poſtquam res Aſiæ Priamiq; euertere gentem*
Immeritam viſum ſuperis &c.

In hoc eodem ſenſu poſitum hic nomen *rei* non ambigo; obteſtatur enim Iupiter Pacem illam, quæ vtrumq; Imperium, nempè & Iouis, & Plutonis, amico fœdere, conſociauit, cum tradita fuerit Proſerpina, atque, huius inituitu lites, & contentiones omnes diremit, Plutonem alumnum iterum concitaturam in prælium, ſi ipſa, rupto fœdere, à cæleſtibus læderetur.

NATVS LICET ILLE &c. Vim ſuam, immò & eſſentiam legis amittit lex, ſi illa non fuerit vniuerſalis; nam *lex* tantùm illa iure dicitur, quæ ad omnes pertinet, ab omnibus obſeruanda. Quod firmum adeo fuit apud antiquos Legiſlatores, vt nec filios ipſos, immò ne ſe ipſos quidem ab obſeruantia legis latæ exemptos eſſe voluerint. Ideò Zaleucus Locrenſium legiſlator, cum legem tuliſſet, qua deprehenſis in adulterio pœnam cæcitatis ſtatuerat ſubeundam; cumq; primus legis tranſgreſſor Zaleuci filius conuictus extiterit; Lictori imperauit Pater, vt lege in filium ageret. Reclamabat Ciuitas vniuerſa, Filij crimen Patris virtuti donandum id, tumultuantium more, videbantur, vt exigere pietatem Patris in filium, velle. Tum verò Zaleucus, ne lex periret, & Populi votis, ſaltem ex parte, ſatisfaceret, pœnam diuiſit, atq; oculum ſibi vnum erui iuſſit, alterum Filio, vt lex integra permaneret, crimenq; duorum oculorum iactura lueretur. Quin Cardona Tyriorum Princeps, cum legem tuliſſet, vt, qui in Senatum ingrederetur armatus, capite plecteretur: ac ipſe idem mox, ex improuiſo vocatus, in Senatum ingreſſus fuiſſet, immemor ſe arma, quibus in recenti venatione vſus fuerat, non depoſuiſſe, vix, ex murmure aſſidentium, ſe legis violatorem notari animaduertit, cum ſe ipſe, iiſdem armis, manu propria arreptis, interemit, ne lex lata periret. Certum adeo illis fuit, legem, nemine excepto, ad omnes pertinere debuiſſe, & ab omnibus indiſcriminatim obſeruari. Quod ſi hoc ſanctum adeò apud homines; multò magis certè de legibus à Deo latis dicendum eſt; cum non ſit exceptor perſonarum Deus. Cum itaque Iupiter, Deus non ſolùm, ſed Deorum omnium Princeps eſſet, iuxta communem, tunc temporis, opinionem, iure eius leges ad omnes indiſcriminatim extendi debuerunt; præſertim cum ipſemet de ſe ipſo, apud Virg. Æn. 10. pronunciet: *Rex Iupiter omnibus idem*. Vt itaque ſe talem, & facto, oſtenderet, latam legem ita extendit ad omnes, qui in Concilio aderant, Deos, vt neminem excludat; ac, ne quis, præſidio ſibi futurum affinitatis, vel conſanguinitatis gradum, arbitraretur, ſicq; fiducialiter in legem delinqueret, expreſsè enumerat coniunctiſſimos quoſq;, vt ſciat, nec eos à lege exemptos iri. Ideò *licet ille* (ſupple: qui fortè deliquerit contra legem) *fuerit meus* (ſupple ex me) nam cætera omninò clara.

SORORVE, VEL CONIVX. Geminam Iouis ſororem recenſet Mythol. Nat. Com. (præter Cererem, quæ hic non vocatur, vt patet) lib. pri. cap. 4. nempe Glaucam, & Iunonem: idem autem eſt dicere *Sororue*, ac dicere *vel Soror* per diſiunctionem, de qua alibi, additq; *vel Coniux*, vt gradus diſtribuat diſtinguens, omneſq; ſub lege coniungens, ne ſe immunes arbitrentur. Coniux Iouis Iuno fuit, & eadem ſoror, vt ipſa de ſe ipſa teſtatur apud Virg. Aen. pri.

Aſt ego, quæ Diuum incedo Regina, Iouiſq;
Et Soror, & Coniux &c.

Si itaque Iupiter Sororem tantùm nominaſſet, explicitè, potuiſſet Iuno exiſtimare ſe non ſubditam latæ legi, quippè quæ, non ſimpliciter Soror eſſet, ſed *& Soror, & Coniux*; comprehendi autem ſolam, ex vi verborum legis, Glaucam, quæ ſimpliciter Soror eſſet, non Coniux: nam cum lex tantum obliget ſolùm, quantum ſonat, Sororem quidem legi addicebant verba, ſed non coniugem, niſi de coniuge expreſſa fieret mentio. Ideò Iupiter: *vel Soror, vel Coniux fuerit.*

NATARVMVE AGMINIS VNA. *Vna*, inquit, nam omnes, collectiuè ſumptas, delinquentes fore, temerarium fuiſſet arbitrari: cum tamen habeat diſtributiuam hoc nomen, quod principium numeri eſt, ita vt omnes Iouis filias, numeratim, ac ſingillatim ſumptas, afficiat. Ideò *vna agminis*, vt vim partitiui dignoſceres: Agminis vero [illegible] multitudinem, quæ ad integrum conflandum ſufficiat exercitum: atq; hoc nomine vſus eſt Vates, vt congruenter ad ea loqueretur, quæ dixerat Ioui exprobrans Pluto lib. pri.

. . . . Tibi ſancta creandi
Copia, te fœlix natorum turba coronat.

vbi & nos vidimus innumeros ferè eſſe Iouis filios, ac filias: ſicuti igitur, ſupra, filios legi ſubdiderat: ſic nunc & filias expreſsè, ne ſe non comprehenſas iudicarent.

LICET ILLA IACTET &c. Palladem profectò notat, ac nominatim, licet periphraſi vſus, legi ſubijcit, hoc loco, vt facile habetur ex eiuſdem Palladis ortu, de quo nos lib. pri. carm. 229. Sed cur nominatim notetur, cum ſatis videri potuerit incluſa in illis particulis *Natarumue agminis vna?* Certum eſt, nullam legem ad caſus inopinatos, ac præter Naturæ ordinem euenientes extendi. Quare, licet præcitata verba Iouis filias omnes attingant diſtributiuè, non tamen ex vi verborum Lex ad Palladem extendi poterat, quippe quæ, in rigore loquendo, filia Iouis dici non poſſet, nec Ioue nata propriè eſſet, ſpectato naturali modo generationis: nam primo quidem ſine matre orta dicitur ex cerebro Iouis; ſecundo autem Vterus, non cerebrum, locus eſt naturalis, concipiendis fœtibus adaptatum. Sic de Incarnatione Verbi agentes Theol., cum Suar. tom. 1. in 3. parte, dicunt, quod, ſi B. Virgo Chriſtum non concepiſſet in vtero, ſed in corde, vt volebant aliqui, non fuiſſet verè, ob ſuprapoſitam rationem, Chriſti Mater. Prudentiſſimè igitur Iupiter, quia Pallas iure poterat exiſtimare, ſe non computandam in generali Natarum appellatione, illam nominatim ſignat. Adde, Palladem, ex hoc ipſo, quod nata ex Iouis cerebro fuerit, Sapientiæ Deam fuiſſe habitam: Sapientiæ autem certè fuiſſet, legem in mitiorem partem interpretari, ſi quo caſu tranſgreſſor aliquis extitiſſet: vt itaque Iupiter omnem Epycheiam, omnemq; iuris interpretationem excluderet, ne ipſi quidem Sapientiæ locum relinquere voluit interpretandi in ſui ipſius fauorem, nedum in fauorem alterius. Tandem Pallas ea fuit, quæ maximè reſtitit Raptori: &, licet ab armis, in reuerentiam Patris ceſſauerit, vt vidimus lib. 1., inuita tamen, & cum fremitu, ceſſit: ideò ſuſpicio aderat, ne ipſa præcipuè, nondum ſedata ſatis, Raptorem proderit: Quarè eam ſpeciatim ſignat Iupiter, ſicuti, Natarum nomine, principaliter, licet tacitè Dianam, ob eamdem rationem, prius notauerat. His poſitis clara remanet textus intelligentia. Nam *lactet ſe conceptam* idem valet, ac licet illa glorìari poſſit, filiam ſe meam non eſſe, ſpectata ortus ſui excellentia, atq; ordine præter naturali, qui eam in Cerebro coagmentatam, non per generationem in vtero ex ſemine efformatam, eduxerit in lucem. *Vertex* enim, de quo nos alibi pro cerebro ponitur, continens ſcilicet pro contento. Heinſ. conceptum legit per Neutrum ſubſtantiuatum, quod in idem recidit.

SENTIET IRATAM PROCVL AEGIDA. *Sentire* eſt *ſenſu percipere*, ex quo experientia ſenſuum conſtat, quarè *Sentio* pro experior vſurpatur, eodem, quo Virg. pacto, Aen. 5., qui, profligatum ferè cæſtorum pugna Entellum exhortans, vt fato cedat, cum Deos experiatur aduerſos inquit:

Non vires alias conuerſaq; Numina ſentis?

Et profectò acerbiſſimum cordato viro ſupplicij genus eſt iratum Numen habere. Ideò Iupiter ab interminatione indignationis ſuæ imponendarum ſummam exorditur pœnarum; ſed talis indignationis, quæ inſtar tormenti bellici futura ſit, quod, eodem tempore, ac accenditur, in perniciem explodit. Ideò *ſentiet*; & ſentiet *procùl*: ponitur enim *procul* hic pro *iuxtà*, vel *proxè*, vulgò *da vicino*; in quo ſenſu habetur etiam apud Virg. Ecl. 6.

Serta procùl, tantùm capiti delapſa, iacebant.

& Æn. 10.

Interea Genitor Tyberini ad fluminis vndam
Vulnera ſiccabat lymphis, corpuſq; leuabat
Arboris acclinis trunco: procùl ærea ramis
Dependet Galea &c.

Vbi Seruius: *Procul modò iuxta ſignificat, vt Ecl. 6. Serta procùl, tantum &c.* in quem etiam locum idem Seruius: *Procul modò prope; nam ostendit tantum capiti delapſa, vt oſtenderet non longe prouolutam eſſe coronam.* Hanc autem particulam appoſuit Iupiter, vt ipſo facto pœnam eſſe tranſgreſſoribus ſubeundam aſſeueraret, ne quis fortaſſe deciperet, ex eo, quod Dij laneos habere pedes dicantur, lentaq., ac ſera eſſe Deorum vindicta &c. Illicò etenim aduigilaturam in ſcelus pœnam pollicetur. *Sentiet pro ut iratam Aegida.* Alij, cum Heinſio, non incongruè legunt *iratum aegida*. *Iratus*, ab iraſcor, eſt quaſi *ira inflammatus*. *Ira*,

vt alibi diximus, ſi cauſaliter definiatur, eſt ebullitio ſanguinis circa cor: ſi formaliter, eſt appetitus vindictæ. Et quia, vt item alibi diximus, maximum iræ lenitiuum eſt, ſi tempus interponatur inter accenſionem cordis, & actum vindictæ ſumendæ, ideò Iupiter, tempus, in caſu tranſgreſſionis, non concedendum, proteſtatur, vt innuimus ſupra; Sed *ſentiet*, inquit, *iratam*; ideſt eodem tempore, quo æſtuet irarum incendium, ad vindictas irruentem, malo ſuo, experietur *Aegida*. Qua voce vtitur per helleniſmum pro *Aegidem*, græcorum more: quod præſtitit & Verg. Æn. 8. à nobis relato lib. 2. carm. 26. vbi etiam plura de Ægide diximus. Vnum noto, non eamdem videlicet Ægidem hic afferri, ac illam, de qua ibi loquebamur, nam illa Palladis, hæc Iouis eſt, quam ibi etiam innuebamus. Scutum itaque Iouis alij, alij thoracem Iouis Ægidem eſſe dixerunt. Ego clypeum eſſe arbitror, ſic dictum ἀπὸ τῆς αἰγὸς, ideſt a Capra; eo quod Iupiter, vt ferunt, Capræ, quam Amaltheam vocant, lacte enutritus, cum infans, ne a Saturno voraretur, in Creta deliteſceret; adultus ſubinde, Capra Nutrice iam demortua, & eius pelle ſcutum ſibi, ad perpetuam rei memoriam, circumtexiſſe dicatur, atque in ſignum grati animi Capram ipſam inter ſydera retuliſſe. Ne videar tamen temere pro libito aſſerere, Ægidem ſcutum fuiſſe potiùs, quam thoracem, prædem mihi Verg. aſſumo, qui Æn. 8. ait:

. . . . *Arcades ipſum*
Credunt ſe vidiſſe Iouem, cum ſæpe nigrantem
Aegida concuteret, dextra nimboſq; cieret.

Non enim quatitur ab irruente in prelium thorax, ſeu cætum pectus tegens; ſcuta quidem quatiunt, haſtiſq; colludunt, vt animum ſibi addant depræliantes, hoſtemq; terreant milites, vt nos iam lib. 2. carm. 62. Sed dices: Clypeus inter arma defenſiua enumeratur, non inter offenſiua. Quomodo itaque hic clypeus ponitur, vbi de infligenda agitur tranſgreſſoribus pœna? Et ideo diceretur etiam, ſi thoracem fuiſſe diximus. Memineris Iouem Ægide non armari, niſi cum ad internecionem armanæ prouocationem; nam & nimbos ciere dicitur Ægide munitus, apud Virg. cit.; & hac ipſa vſus dicitur, cum in bellum contra Gigantes, eos fœdoris deiecturus fulminibus armaretur. Et certum eſt, arma ipſa defenſiua in offenſiua tranſmigrare, quatenus ineuitabilis terrorem incutiunt vulneris inminentis. Ex Clypeo igitur, tanquam ex ſigno rei, clypeatus hic Iupiter intelligitur; ſeu ſenſus inanimatæ attribuitur Ægidi, vt habeatur argumentum a fortiori, quo excedens Iouis ira magis explicetur, nam ſi ex ira Ægidem quatientis Ægis ipſa appareat irata, quid dicendum de Ioue ipſo, in quo ira tam acriter intumeſcat. Ideò elegantiùs dictum arbitror, cum Parrh., ac vulgata noſtra, *Sentiet iratam Aegida*, quam cum Heinſio *ſentiet iratum Aegide*, hoc eſt ex Ægidis concuſſione Iouem animaduertet iratum. Arbitror autem, hic Vatem, ſub his figurarum inuolucris, voluiſſe ordinem imitari Naturæ; nam cum tonitrua fulminis ſemper ictum antecedant, per concuſſionem iratæ Aegidis, tonitrua, ex tali concuſſione, innuit, efformata, ad quæ immediatè fulmen ſubſequatur. Et ideò ſubdit

SENTIET ICTVM FVLMINIS. Nota emphaticam eiuſdem verbi *ſentiet* repetitionem, gradationi vtique deſeruientem, ac per aſſintheton poſitam, vt magis declaret, nil moræ inter tonitrum, & fulmen interponendum. *Ictus* verò à verbo Ico, quod eſt *ferio*, ſeu *vulnero*, deriuatum, idem ſonat, ac vulnus. Quid ſubinde ſit fulmen vide lib. 2. carm. 157.

ET GENITVM &c. Quantæ acerbitatis futurum ſit vulnus infligendum mirè iam explicat ſimul, & amplificat. Quod vt faciliùs innoteſcat, memineris, mortem, apud ſanioris mentis Phyloſophos, finem miſeriarum fuiſſe exiſtimatam, ideòq; & miſeris omnibus ſummopere exoptandam, iiſq; eam vitâ chariorem eſſe. Hac fortaſſis de cauſa Plin. ſummam vitæ fælicitatem in repentino collocauit interitu: atque Aegyptij olim mortem fecerunt argenteam, vt refert Cauſ. de Eloq. lib. 16. cap. 10., eiq; ſpiculum aureum tradidere. Et idcircò Aurindus apud Lyticorum facilè Italicorum Principem Fulurum mortem auet ærumnis oppreſſum, dùm ait:

Morir, morir conuienſi
Cho, morendo, morran mero mia pene.

Et hinc eſt, vt Io: Baptiſta Chietinus in ſuo Leone dixerit;

Qui morte cunctis ſupplicium Iouis iubet
Neſcet Tyrannus eſſe.

immò & minor eſſet inexorabilis ipſa damnatorum in inferis Pœna, ſi, nouæ mortis beneficio, poſſet aliquando tandem abrumpi. Hoc poſito. Memineris, ſecundo loco, Dijs ſuis datam ab antiquis immortalitatem quidem; ſed non impaſſibilitatem; nam & Martem vulneratum, apud ipſos, reperies, & Venerem ſpina transfixam, & Volcanum fracto crure claudicantem &c. Quare Plin., qui id, quod eſt poſſe mori, fælicisſimum nobis accidere aſſeruit; infælicisſimum vice verſa in his Dijs agnouit, eos mori non poſſe, dum inquit: *Deus, ne ſi maxime quidem velit, mortem ſibi conſciſcere poteſt, quod homini dedit optimum, in tantis vitæ pœnis*, ideò Iupiter hic inquit

ET PIGEBIT GENITVM. Subintelligo *ſe eſſe*. Nam ex hoc conſequenti, vulneris fulminei dolorem immenſum indicat, quippe qui facturus ſit, vt Deum vitæ tædeat, ac diuinitatis. *Pigebit* enim idem eſt, ac moleſtum erit, & de ijs dicitur, quæ cum damno, ac malo noſtro patimur coniuncta; quare propriè ad dolorem refertur. Sæpè etiam pro *pœnitet* vſurpatur, quatenùs *pœnitere* eſt dolorem de re aliqua experiri. Sed in idem recidit tandem.

DIVINA SORTE. *Sors* pro ipſa hic ponitur progenie, vt etiam apud Ouid. Faſt. 6.

Si genus aſpicitur, Saturnum prima parentem
Feci: Saturni ſors ego prima fui.

diuinum autem à diuinitate dicitur, quidquid eſt particeps diuinitatis, hoc eſt eſſentiæ Dei, ac naturæ.

OPTABITQ; MORI. Eo ipſo, quòd voluntas ab vno refugit contrario, tamquam à malo, naturaliter in aliud fertur contrarium tamquam in bonum. Cum itaque poſuerit voluntatem, in tali caſu, ab immortalitate refugientem, iure conſequens neceſſarium ſubnectit, nempe futurum, vt mortalitate frui appetat voluntas, tamquam ſibi tunc bona. *Optare eſt votis omnibus aliquid expetere*: ideò *optabit*; ſed incaſſum, quia obſtabit immortalitas, ne moriatur; atque adeo longa morte moriens, nunquam moriturus, deteriores morte ipſa, acerbioreſq; pœnas perſoluet. Quam autem ſit hoc acerbum, in caſu, patefacit querelis ſuis Inachus fluuius, apud Ouid. Metam. 5. ſic:

Nec finire licet tantos mihi morte dolores;
Sed nocet eſſe Deum; præcluſaq; Ianua Lethi
Aeternum noſtros luctus extendit in æuum.

TVNC VVLNERE LANGVIDVS &c. Pœnas pœnis aggerans, & gradatim tormentorum adauget acerbitatem. Et quidem durum adeò ſemper fuit, apud Generoſiſſimos quoſque in iratas hoſtium manus incidere, vt potiùs ſibi vitam adimere voluerint, quàm hoſtilem pati tyrannidem. Sic Brutus ille, Cæſaris olim interfector, cum in Philippicis campis cladem accepiſſet ab Auguſto, & Antonio, ne in manus hoſtium veniret, ſe ipſum interemit: Cato Vticenſis, ne in poteſtatem Cæſaris hoſtis redigeretur, ferro ſibi vitam ademit ſuo. Denique (vt innumeros alios omittam) Curnettus ille, qui, initio Pontificatus S. D. N. Pij V., exulum collecta manu, ad Romanas vſque portas inuectus fuerat populabundus, captus tandem, ac ferreis conſtrictus vinculis, naui impoſitus, vt ad Pontificem duceretur, ne iuſtiſſimam Pontificis iram experiretur, vt erat manicis, ac compedibus ferreis oneratus, ſe ſe in mare præcipitem vltrò dedit. Hanc itaque acerbitate ipſa acerbiorem pœnam, cæteris præmiſſis accumulat Iupiter; dùm tandem Prodito tradendum ſtatuit Proditorem.

TVNC, eodem ſcilicet tempore, quo, ſaucius ictu fulminis mori, incaſſum optabit.

LANGVIDVS. Hoc eſt fractus, debilis, eneruatus; quod epitetum additur, vt omnis fiducia vel aufugiendi, vel reſiſtendi irruentibus Proditi furoribus adimatur: nam, qui languet, nulla ex parte, adiumento ſibi ipſi eſſe poteſt.

VVLNERE. Cauſam notat, ex qua, tamquam ex perenni fonte, futurum ſit, vt languor profluat, & eneruatio. Et quidem, ſpectatâ fulminis naturâ, ea vis fulminis eſt, vt attactos in cinerem redigat illicò; ſpectatâ tamen immortali Deorum naturâ, certè plenum in Deos effectum ſortiri fulmen non poterat; ſed tamen, in quantum poterat, certè acturum fuerat, ac per conſequens, ſi non redegiſſet in cineres, eneruatos ſaltem adeò reliquiſſet, vt impotes ſui omnino redderentur. Aliqui, hoc loco, pro *Languidus* legunt *Saucius*. Sed non videtur hæc lectio admittenda; nam qui ſaucius eſt, certè vulnere ſaucius eſt; quare ſuperfluè adderetur vox *Saucius*. Porrò *Vulnus* non quamcumque plagam etiam modicam dicit, ſed eſt hians, patenſq; corporis apertura, ſiue aliquo inflicta; ex quo patet quantus futurus fuerit fulminis ictus, & quam meritò inflictum vulnus fuerit languoris cauſa futurum.

TRADETVR IPSI GENERO. De verbo diximus lib. 2. carm.

carm. 238. Generi nomine, Pluto, cui Proſerpina nupſerat, indicatur, de quo vide dicta lib. 2. carm. 230. Emphaticè autem additur pronomen *ipſi*, vt maximum quid hoc eſſe indicetur, nempe *ipſi* qui læſus fuerit, ad quem præcipuè vindicta reſeruetur, quo nullus crudelior &c.

PASSVRVS PRODITA REGNA. Finis explicatur, cuius gratia, tradendus Genero ſit, qui deliquerit, nempe *vt ſatietur &c.* hoc eſt daturus indicij pœnas ad ſatietatem vſque Tortoris; quaſi pœnæ, quas Iupiter exacturum ſe dixerat, nihil eſſent, cum infligendis a Genero comparatæ. Regna hic pro regnante ponuntur, ſeù potiùs poteſtate, vi, odio, coniuratiſq. in vindictam Furijs, Plutoni Regi obſequentibus, ac illius iniurias vlciſcentibus. Cur hæc prodita dicantur, In caſu &c. ſatis notum ex dictis

ET SCIET &c. Scientia videlicet experimentali, ſeu practica, & quidem paſſiua, non actiua: hoc eſt paulo nimium ſuo experietur.

AN TARTARA. De Tartaris vide lib. 1. carm 114.

CONSPIRENT PROPRIÆ CAVSÆ. hoc eſt in damnum proditoris, vt propriæ faueant cauſæ, vt propriam tueantur cauſam. Cauſa vero hic ſumitur pro eodem, ac ratio iudicialiter in aliquem agendi. *Conſpirare* autem dicitur quaſi *ſimul ſpirare*: & coniurationem plurium importat; nam coniurati ad aliquid peragendum, videntur vnico quaſi ſpiritu moueri, atque ad idem facinus impelli. Ideo ſciet num Tartara conſpirent; hoc eſt num tartarea monſtra concordi vniantur animo, atque vnico quaſi ferantur ſpiritu ad vindictam de proditoribus ſumendam. Quo oſtendit futurum, vt non ſolum vltrices patiatur furias, ſed quotquot monſtra barathro continentur ad pœnas exigendas conſpirantia.

HOC SANCTVM. Auctoritate, qua pollet, Iupiter legem natam, ſecundum omnes, iam exaratas, partes, aſſeuerat inuiolabiliter obſeruandam. Ideo, pro maieſtate perſonæ, quam ſuſtinet, imperio iam vtitur, vt nullus ſuperſit reclamationibus locus. *Sit hoc ſanctum*, nam verbum ſubintelligitur. *Sanctum* à ſancio deriuatur, de cuius verbi ſignificatione, vide dicta lib. 2. carm. 364. Quod autem hùc ſpectat, *Sanctum*, inquit Vlpianus de verb. ſignif., neq; ſacrum, neq; profanum eſt, ſed ſanctione aliqua firmatum. Sanctio autem ſi quid ſit, quæras; eſt conſtitutio inuiolabilis, firma, & inconcuſſa legis promulgatio; & decretum infragibile, quo caput eius, qui contra faciat pœnis deuouetur, & ſacratur. Ideò *Hoc Sanctum* formula conſueta eſt, qua leges firmabantur inconcuſſæ.

FATA FLVANT &c. Iouem ipſum Fato ſubijci voluerunt antiqui, vt nos lib. pri. docuimus ſæpè. Quomodo itaq; hic Iupiter Fatis imperat: *Manſuro fluant hoc ordine Fata*? Ne hic incidas in æquiuocationem aduerte, Fatum non accipi hic in ſenſu antiquorum, vel etiam recentiorum, nempè Abaſardi, & Vuiklephi Hereticorum aſſerentium, Deum ipſum Fato ſubeſſe: ſed accipi in eo ſenſu, in quo definitum fuit a Boetio 4. de conſolatione proſa 6. vbi ait: *Fatum eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, qua diuina prouidentia ſuis quæq; nectit ordinibus*, nempè ſumitur hic pro ordinata cauſarum ſerie ſecundarum effectus ſuos infallibiliter producentium, iuxta prouidentiam, ac præſcientiam Dei infallibilem. Fatum itaque hic ſic dicitur a fando, ita vt idem ſit, ac *dictum*; eo quod omnia ita eueniant, vt à Deo præuiſa, & pronunciata fuerunt, ac per Dei decretum, vel poſitiuum, ſi de neceſſarijs agentibus loquamur, vel permiſſiuum, ſi de liberis ſermo ſit, infallibiliter ordinantur. Pronunciauerat itaque Iupiter. humanum genus releuandum: ordinauerat cauſarum ſeriem ad finem ducentium; ita vt, iuxta eius diſpoſitionem, Raptus Proſerpinæ eſſet cauſa materni luctus; luctus verò cauſa inquiſitionis, quæ finem non eſſet habitura, niſi poſt diuturnos errores, vt deſideria dilata creſcerent, ac maius tandem gaudium in Cererem matrem redundaret, cum natam noueris Reginam: Gaudium verò cauſa eſſet, vt Ceres affluentiæ theſauros profunderet &c. Ne hæc rerum ſeries interturbaretur legem ſanciuit, ne quis Raptorem proderet &c. ante præfinitum tempus peregrinationis &c. Hæc itaque Fata, ſeu hanc rerum ſeriem, prout decreta ordinauerant, atq; ipſe pronunciauerat, infallibili prouidentiâ dirigente, proceſſuram, adhibito hic firmat imperio: *Fata fluant*; *fluere* enim eſt, ſine impedimento, ſine interruptione decurrere, translatione à fluminibus deducta.

HOC ORDINE. Ordo eſt apta rerum diſtributio, ac aptis quarumcumq; in locis collocatio. Hunc ordinem ex dictis noſti, quare non repetam.

MANSVRA. *Manere*, à quo partic. illud futurum, ſumitur hic pro eodem, ac *fixum eſſe, firmum*, & *inconcuſſum*. In quo ſenſu habetur etiam apud Virg. Æn. pri.

. . . . . Manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis, ſpretæq; iniuria formæ.

&, quia quod fixum eſt, non mouetur, *Manſura* hic pro eodem ſumitur, ac immobiliter, atq; infallibiliter finem obtentura.

DIXIT: ET HORRENDO &c. Peractâ Iouis oratione, vt finem fandi eum feciſſe, indicet Vates, rem iterum historicè proſecuturus, apte vtitur verbo *Dixit*, quod, cum perfecti temporis ſit, perfectam, ac perfectè modo ad finem deductam, oſtentat orationem, ac tranſitum ad alia præbet enarranda, vt videre eſt apud praxim omnium communiter Poetarum; Centies enim & à Virg. ipſo noueris vſurpatum. Ne tamen hoc ipſum verbum, licet vſitatiſſimum, ſine arte hic poſitum arbitreris, noto obiter admirabilem ſemper Auctoris artem. Scias igitur, apud Oratores, aliud eſſe *loqui*, aliud *dicere*; dicunt enim ipſi *loqui* idem eſſe, ac *verba qualia cumq; proferre*: *dicere* verò eſſe *ornatè, ſcitè, prudenter, & diſpoſitè, iuxta artem loqui*. Audi Quintil. lib. 10. *Minime dicere quidem dicitur, niſi qui diſpoſitè, ornatè, & copiosè dicit*. Hæc impleuerat Iupiter. Ideò *Dixit*. Rursùs idem ſæpè eſt *dicere*, ac *edicere*, hoc eſt *denunciare*. Sic Ter. in Andr. *Sed dico ne temere facias*: ideſt *Præcipio*, *edico ne facias &c.* Edixerat Iupiter, denunciauerat, ac præceperat *ne quis audeat &c.* Ideò *Dixit*. Denique, qui Leges ſubditis obſeruandas proponit, *Legem dicere* dicitur. Legem tulerat Iupiter, *ne quis &c.* Ideò, iure optimo, *dixit*

ET CONCVSSIT SYDERA. Conſequentiam, tamquam effectus cum ſua cauſa connectit, nempe cum abſoluta Iouis oratione concuſſionem Syderum. Concutere autem eſt *ſimul quatere*, ideſt *omnia eodem tempore quatere*; & concuſſione quaſi ab extrinſeco applicata, trementia reddere *Sydera*. De Syderibus vide dicta lib. pri. carm. 2. Hic tantum nota, Sydera concuſſa dici, tùm in obſequium Iouis loquentis; tùm in ſignum obſeruantiæ erga eiuſdem decreta promulgata; tùm ob terrorem ex interminatis pœnis conceptum; tùm denique quia nouit Auctor, apud Poetas omnes, ſemper cum Cæli tremore Iouem induci ſolitum loquentem. Sic Ouid. Metam. pri.

Celſior ipſe loco, ſceptroq; innixus eburno
Terrificam capitis concuſſit terq; quaterq;
Cæſariem, cum qua terram, mare, ſydera mouit.

Sic ex Homero Virg. Æn. 9. de Ioue pariter ait.

Annuit; & totum nutu tremefecit Olympum.

quod idem, ad verbum, repetit Æn. 10. de Ioue item loquente.

HORRENDO MOTV. Duplicem trepidationis motum, in ſphœris, adnotarunt Aſtronomi, & quidem naturalem: alter fit ab Ortu in Occaſum, vt obſeruatum fuit à Copernico, & alijs: alter verò à Septentrione in Auſtrum, & ab Auſtro in Septentrionem, vt obſeruatum fuit ab Almathenio, & Alphonſo Aragoniæ Rege. Quare, vt Syderum trepidatio, de qua hic, orta ex præfatis iam cauſis appareret, neceſſe fuit, vt modum naturalis excederet trepidationis, & inſolito motu Sydera quaterentur. Cum autem quidquid inſolitum eſt, horrorem ſemper incutiat aſpicientibus, vel quoquo modo ſentientibus; hinc eſt vt Poeta modum huius ſtatuens trepidationis, *horrendum* appellauerit ſyderum motum, hoc eſt ingentem adeò fuiſſe innuens, vt naturam excederet, ideòq; horrorem ſentientibus incutere potuerit.

Sed, dum Sydera in obſequium contremiſcunt, Nos ſupremi Numinis ineffabilem prorsùs prouidentiam, qua cuncta ordinet, atq; ad ſtatutum finem perducat, mirari potiùs, ac venerari, quam curioſiùs inueſtigare, ac perſcrutari, diſcamus. Viæ eius non ſunt viæ noſtræ, vt ſæpè dix. ex ſacris litteris: & interdum, quæ nobis apta ad perdendum videntur, media aptiſſima immò ſunt ad noſtram vtilitatem procurandam; nam Deus ex venenis antidota, atq; Elixipharmaca nouit, procùl dubio educere: &, cum res maximè in præceps vergere videntur, tunc ex inſperato emergit efficaciſſimum nobis diuinæ bonitatis, ac prouidentiæ ſubſidium. Iacta curam tuam in Domino, & ipſe te enutriet, inquit Regius Pſaltes: ſed *Iacta in Domino*: quod idem eſt, ac dicere: Spera in Deo, & fac bonitatem: & paſceris in diuitijs eius. Deo loquente, Cæli, venerabundi vtiq;, contremiſcunt: Deo operanti laudem attribuunt: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Nos verò terræ vermes, maculæ coinquinantes, arbores autumnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris deſpumantes noſtras confuſiones, ſydera errantia, quibus procella ſeruata eſt

ſi

tenebrarum, vt ait in Epiſtola ſua Iudas Apoſtolus, à Deo ratione, cur ita aut dixerit, aut fecerit exquiremus? Imperſcrutabilia ſunt Iudicia Dei. Nec nobis Deo dicendum: Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis; nam facilè ipſa infallibilis veritas redarguet inquiens: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Et ita profecto eſt; ſed graue nos ipſi efficimus Iugum detrectantes; ex quo poenas in nos ipſos vltrò concitamus. Quidquid Deus iuſſerit obſeruandum: & nullus erit rigor, nulla poena, nullum ſupplicium: Aſt ſuperbum nimis eſt Dei diſpoſitiones ſophiſticis diſcutere velle rationibus, ac tenebras in luce quærere. Et ſcrutator Maieſtatis certe opprimetur à Gloria, dum plus vult ſapere, quàm oporteat ſapere. Libertate nos, procul dubio, donauit Deus, ideo leges ſuas proponit, vt eas ſponte ſequamur. Sed veh illi, qui libertate ſua in propriam vtatur perniciem, legibus non obtemperans. Vindictam de tranſgreſſoribus Deus ipſe ſumet; ſed & plena vindicta tartareis humani generis hoſtibus data eſt ijs trademur in interitum; & ſciemus profectò

Nam, facta propria, conſpirent Tartara cauſa.

Sed interim nos, in Chelym conſpirantes, Italicæ Muſæ pulſus audiamus, ne longiùs, quam par ſit, aberremus.

Che ſe d'alcun ſia coſi ardito il cuore,
Ch'oſi ſcuoprire il Predator diuino
Di Cerere all'inchieſte; aſpro il rigore
Prouar dourà del più crudel Deſtino.
E, s'io manco al mio dir, fonte d'horrore
Facciaſi à me l'abbiſſo (I nò'l declino:)
E ſpietata ver me ſiaſi ferace
Di mie ſtragi maggior leſa la Pace.
Siaſi pur figlio, ò ſia ſorella, ò moglie,
O, di mie Figlie entr'all'amata ſchiera,
Germe il più bel, che traſgredir s'inuoglie;
Eccettioni non vuol chi giuſto impera.
Ne ſia, ch'al mitigar l'irate voglie,
Gioui l'addur, che dal mio capo, artiera
Delle ſcienze, n'vſciſſe, e de gl'honori;
Ne ſian ſchermo al rigor palme, od allori.
Sentirà chiunque ſia (giuro al mio trono.)
Di quell'Egide, ſcoſſa alle vendette,
Nel più interno del cuor l'horribil tuono;
Prouerà, s', al ferir di mie ſaette,
Sà trangoſciar, chi non de hauer perdono,
E dolerſi dourà, che ſian conſtrette
Dall', odiata hoggimai, diuina ſorte
Lungi errar dal ſuo ſen l'armi di Morte.
In tali angoſcie, in sì penoſo ſtato,
Cui non lece il morire; e pur ſi muore,
Dalla piaga crudel franto, e ſneruato,
Giunto al ſommo non penſi il ſuo dolore;
Che maggior pena al delinquente ingrato
S'appreſta ancor dal mio tradito Amore.
Daraſſi, e prigioniero, e ſproueduto
D'ogni lieue ſoccorſo in man di Pluto.
Quì, del ſuo fallo, entr'à gl'offeſi Regni
Poſto, à pagar nouellamente il ſio,
Vedrà, s'incrudelir ſappian gli ſdegni
Del fiero Rè, che de tormenti è'l Dio;
E, ſe paſſar di mia vendetta i ſegni
Il flagello ſaprà del Popol rio:
Vedra quì, ſe punir vaglian l'offeſe
Le Tartaree potenze, hor vilipeſe.
Queſto, ch'io ſtabiliſco, alto diuieto
Ad vdir v'adunai, perche non ſcuſi
L'ignoranza le colpe, e di ſecreto
No'l tacci alcun, che traſgreſſor s'accuſi.
Inuiolabile il voglio: e ſia decreto
Sacroſanto ad ogn'vn ciò, ch'io conchiuſi.
Corra, ſenza variar, ſerie fatale,
Qual, queſt'hor, la fermò legge immortale.
Tanto diſſe il Gran Gioue: e riuerenti
S'humiliaron del Ciel le faci d'oro:
Scoſſer altre dal crin fiammelle ardenti,
Chiuſer altre nell'ombre il bel decoro;
Mercè ch', al ſuon de riueriti accenti,
Vacillando tremâr le ſfere loro,
Con ſcoſſa tal, ch'à chi n'è il fonte ignoto
Fonte d horror fù portentoſo il moto.

His itaque ſo ita habentibus, ne & nos horrore torpeſcere cogamur à Deorum conceſſu diſcedentes, ad Cererem cum Vate noſtro diuertamus.

At procul armiſoni Cererem ſub rupibus antri,
Securam, placidamq; diù, Iam certa perarti
Terrebant ſimulacra mali, noctesq; timorem
Ingeminant, omniq; perit Proſerpina ſomno.
Namq; modo immiſſis inuadi viſcera telis;
Nunc ſibi mutatas horret nigreſcere veſtes;
Nunc ſteriles medijs frondere Penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos olim quæ fronde pudica
Vmbrabat thalamos. Hanc ima ſtirpe recisam
Vidit, & incomptos fœdari puluere ramos:
Quærentiq; nefas Dryades dixere gementes,
Tartarea furias debellauiſſe bipenni.
Sed tunc ipſa ſui, iam non ambagibus vllis,
Nuncia materno facies inſerta ſopori.
Namque videbatur, tenebroſo obtecta receſſu
Carceris, & ſæuis, Proſerpina, vincta catenis;
Non qualem Siculis olim mandauerat aruis,
Nec qualem roſeis nuper conuallibus Ætnæ
Suſpexêre Deæ. Squallebat pulchrior auro
Cæſaries; & nox oculorum infecerat ignes;
Exhauſtuſq; pallet rubor: ille ſuperbi
Flammeus oris honos, & non ceſſura pruinis
Membra colorantur picei caligine Regni.
Ergo hanc vt dubio vix tandem agnoſcere vultu

AT PROCVL ARMISONI &c. Regreditur ad Cererem Vates, quam olim lib. pri. in Phrygiam vſque fuerat comitatus, ibiq; penes Matrem reliquerat. Sicut autem ibi iter faciens Ceres:

Heù quoties præſaga mali violauit oborto
Rore genas! Quoties oculos ad tecta retorſit!

Sic in præſenti eam in eodem, quo reliquerat, inuenit ſtatu; adeòq; illam ſolità non ſolum, ſed adauctâ animi anxietate affectam, ac pereuntis ſemper Proſerpinæ luctum ante oculos habentem deſcribit. Plures itaque, data occaſione, ſomniorum imagines delineat, quibus territam aſſiduò Cererem inſinuat, & quibus actum iam eſſe de Proſerpina, verè nimis portendebatur. Tandem ipſam Filiæ imaginem, infelicitatis ſuæ ſpecimen præ ſe ferentem, catenâ captiuitatis onuſtam, ac mæroris ſui, lacrymabilem in modum, caracteres, in vultu expreſſos, oſtentantem, per hyppotipoſim, deſcribit ante oculos, horrentis ad viſum, Matris oberrantem; & cui Mater ipſa horrore ſimul, ac pietate compulſa quæritans inſtet, quanam forma mali prematur; quæ tanta illi mutatio &c. quaſi ex rerum cognitione ſolatium ſit habitura malorum; cum interim mutatam adeò filiam videat, vt vix agnoſcat, & dubitet, num vera videat, an falſa teneatur imagine ſomni.

AT. Coniunctio hæc eſt aduerſatiua, qua aptiſſimè, à contrario in contrarium tranſeuntes, contrarium contrario facilè ſubnectimus. Sic Virg. 5. Æn. libro quartum ſubnectens, cum tranſire debuiſſet ab Ænea, poſt longam narrationem, quieſcente ad Didonem amoris æſtubus agitatam eàdem particula vtitur.

At Regina graui ſaucia cura

Eualuit: Cuius tot pœnæ criminis? inquit,
Vnde hæc informis macies? Cui tanta poteſtas
In me ſæuitiæ eſt? Rigidi cur vincula ferri,
Vix aptanda feris, molles meruẽre lacerti?
Tù mea tù Proles; an vana fallimur vmbra?

dudum ſaucia cura &c. Eumdem tranſitum facturus erat & Auctor hìc; nam ex Ioue iam quieſcente ad Cererem agitatam progredi debebat Orat., ideò aptè hac vtitur coniunctione.

PROCVL. Idem, hoc loco, ac *longè* eſt; nempe longè à Sicilia, à qua iam Cererem abuectam dixerat.

SVB RVPIBVS &c. Locum, quem per aduerb. *procul* notauerat indeterminatè, iam determinatè notat, in quo Ceres degeret, nempè *Sub rupibus &c.* Rupes quid ſint, iam nouimus lib. pri. carm. 148. &c, cum ibi dixerimus, rupes ex marmoreis montium membris confieri; hic, *rupes* pro marmoribus, quibus conſtructum eſſet Cybeles templum, poſitas non ambigo.

ANTRI ARMISONI. *Antrum* propriè ſpelunca eſt, vt alibi vidimus, in lateribus montium effoſſa. Verùm, quia templa olim Deorum, ac Cybeles præcipuæ (quæ, vt alibi innuimus, credita eſt eadem cum Tellure eſſe) rotunda, atq; in modum ſpecus, internis excauata, conſtruebantur, vt apud Pier. lib. hierogl. 49., ideò *ſub rupibus antri*, ideſt *ſub marmoreo templi fornice*; ſeu *ſub marmoreis interioris cuiuſdam ſacri penetralis, eodem tamen la aduexi, tecto, in ſpeluncæ formam*, vt moris item fuit, *conformato*. Aut dixeris, non templum ipſum totum, ſed ſola ſecretiora eiuſdem templi Adyta in antri formam confieri ſolita, vt videtur innuiſſe Virg. Æn. 6., qui adytum Apollinis appellat antrum, cum ait:

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates &c.

vbi Aſcenſius: *in Antro*, ideſt *in adytis Phœbi*. Quod certè valeret maximè, in caſu noſtro; nam Ceres, cum Matre degens, dicenda ſanè eſt in iiſdem, cum ea, adytis moram traxiſſe, de quibus ſi plura cupias vide lib. pri. carm. 211. Ideò *ſub rupibus antri*: & addidit *Armiſoni*, hoc eſt armorum ſtrepitu reſonantis, vt hac nota ſpeciali apertiùs locum, in quo Ceres degeret, adnotaret. De templo verò Cybeles, armis reſonante vide dicta lib. pri. in eiuſdem templi deſcriptione, cuius initium eſt.

Hic ſedes auguſta Deæ templiq; colendi &c.

IAM CERTA SIMVLACRA MALI PERACTI. *Iam* idem ac *tunc temporis, illicò*, vulgò *hormai*. *Simulacrum* autem eſt imago, ad ſimilitudinem alicuius rei, efficta, idem ac *effigies, idolum, ſpectrum*; quæ, ſi in mente ſunt, *Phantaſmata*; ſi illudunt oculis, per quietem, *ſomnia* dicuntur, quæ & ipſa tandem à Phantaſmatibus proueniunt, vt infra latiùs. Sed quomodo *certa* dicantur? *Simulacrum* dicimus, quaſi *ſimulatum actum*. Actus autem pars aliqua comici operis eſt: &, in comicis, ficte, procul dubio, omnia peraguntur. Quare qui *ſimulacrum* dicit, ex ipſa vi nominis, quid ſimulatum dicit, quod vanum ſit, & falſum, pro vero, oſtentet; vmbram dicit ſine corpore volitantem, ſine veritate tabellam, oculo illudens phantaſma, ac vanum ſpectrum decipiens intellectum. Optima quidem obiectio eſt. Verùm, cum probè noſſet Poeta, aliquod poſſe dari ſimulacrum, quod, licet vanum in eſſendo, ſit tamen verum in repreſentando, ſi videlicet illud fabrefactum ſit ab inſita illa diuinatione, quam à Natura ipſa promanantem vidimus lib. 1. carm. 191.; vt clarè oſtenderet, quænam eſſent ſimulacra Cereris mentem agitantia, *certa* compellauit, nempe ex naturali illa diuinatione producta, atque adeò veraciter, atque infallibiliter exprimentia id, quod peractum de facto erat, licet adhùc ad Cereris aures non perueniſſet. Ideò *certa ſimulacra mali peracti*. Quid veniat nomine *mali*, iam vidimus lib. 1 carm. cit.: dum tamen addit *peracti* determinat ſpeciem mali, immò ſpeciem ipſam ad indiuiduum contrahit, nempe ad raptum Proſerpinæ, qui & ſummum Cereri malum, & iam peractum erat.

TERREBANT DIV'. *Terrere eſt alicui terrorem incutere*, ad quod maximè valerit cauſæ extrinſecæ quidem, ſed non minus intrinſecæ, nempè ſimulacra malorum in intellectu ipſo enata, & ante oculos mentis oberrantia. *Diù* aduerb. temporis, hoc loco, eſt determinati, & pro eodé ponitur, ac *die*, ſeu diurno tempore, vt patet ex contextu, dum ſubditur: *Noctesq; terrores ingeminant &c*, Sic & Plautus inquit: *Nec noctu, nec diù quietus*. Non negauerim tamen illud ipſum aduerb. importare & hic temporis continuationem, ita vt idem ſonet, ac totum diem; oſtendere enim voluit Vates, eo ipſo die, quo rapta eſt filia, matrem à Naturæ præſagiis diù diuexatam, ideſt *per totum diem*, licet, ſubinde, noctu terrores ingruerint maiores, vt infra.

CEREREM SECVRAM, PLACIDAMQ; De Cerere vide fusè dicta lib. 1. carm. 107. 122. & alibi ſæpè. Item de epiteto *ſecura* vide lib. 1. carm. 179. hìc tantum noto, nomen *ſecura*, quod eſt quaſi *ſine cura* non eſſe accipiendum, in ſenſu compoſito, cum agitatione animi, ab errantibus illatâ mali ſimulacris; ita vt ſine cura eſſet, etiam mordacibus hiſce ingruentibus curis; ſed in ſenſu diuiſo; vt ſenſus ſit, *terrebant Cererem aliquando ſecuram*, ea ſcilicet ſecuritate, de qua lib. 1. cit.; & idem dic de addito *placidam*, hoc eſt quietam, tranquillam, & nulla animi perturbatione æſtuantem. Verùm hìc plures ingruunt difficultates. Et primo quidem quomodo *ſecura*, & *placida*, etiam in ſenſu diuiſo, dici potuit Ceres, quam Vates ipſe perturbatam dixerat, vel ante huiuſmodi ſimulacrorum incurſionem, vt lib. primo habetur:

Heu quoties præſaga mali violauit oborto
Rore genas &c.

Secundo quomodo, diurno tempore, ſimulacris terrebatur, cum ſimulacra terrentia, noctu tantùm, diuagentur? Quod ſanè innuit Virg. Georg. 1., vbi de prodigiis agens mortem Cæſaris ornantibus, inquit;

Vox quoque per lucos vulgò exaudita ſilentes
Ingens; & ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis &c.

Certè Lemures, quæ ſimulacra erant territantia, nocturnæ ab omnibus dicuntur. Quod ſi dixeris, vt certè dicendum eſt, non eſſe hìc ſermonem de laruis, ſeu ſimulacris extrinſecis ob oculos oberrantibus, ſed de imaginibus internis ab imaginatiua, ſeu ab intellectu efformatis: Tertia ingruit difficultas: quomodo enim poterat intellectus efformare imagines earum rerum, quæ ſub ſenſu non fuiſſent, cùm ſanè nihil ſit in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu? Facilis tamen eſt harum ſolutio difficultatum; nam, quo ad primam, memineris, minus profectò animum moueri ab iis, quæ tantùm futura ſuſpicamur de poſſibili, quam ab iis, quæ præſentia ſunt: cùm enim de futuris contingentibus nulla detur certa veritas, ſegniùs irritant animum, quam quæ de præſenti veram afferunt oblectationem. Perturbata profectò fuerat, præſaga mali, Ceres, in itinere, ſed mali poſſibilis, contingentis, & incerti; ideò, ponderatâ euentuum incertitudine, & habitâ ad Siciliam, maximis propoſitis præmiis, commendatione, ingenio iterum confiſa loci, timorem excuſſerat, atq; accedentibus ſubindè oblectamentis, quibus apud Matrem aſſiduè fruebatur, quæ animum, præſenti oblectatione, à quocumq; dolore euerterent, delinita, præſentaneis oblectabatur curâ poſſibilium excuſſâ malorum; ideò *placida*, & *ſecura* donec ſimulacra mali iam peracti animum pulſarent iterum, ac nouis complerent terroribus. Ad ſecundam iam data ſolutio eſt, nempè hìc agi de ſimulacris in ipſo Cereris intellectu exiſtentibus. Cum enim ſimulacra nil aliud quam imagines ſint; & proprium ſit intellectus, (cuius cognitio formalis rei imago eſt) rerum imagines efformare; dum Ceres recogitabat quid mali filiæ Proſerpinæ poſſet euenire, varias efformabat imagines malorum videlicet ſimulacra, animum terrentia. Sed dices; ad hoc, vt intellectus ad efformandas huiuſmodi imagines accingatur, debet ab aliquo excitari. Quodnam autem motiuum aſſignari poteſt vbi Ceres ignara prorſùs malorum, vt aſſerit Iupiter, maternis tantùm oblectationibus fruebatur? Reſp. excitatum fuiſſe Cereris intellectum ab illa ipſa connaturali diuinatione, de qua dix. loco cit. lib. pri.; nam licet ab eiuſdem ſtimulis auerterent oblectationes, efficere tandem non potuerunt, vt, poſt peractum malum ſubditis acriùs ab illa calcaribus, Ceres inſenſibilis omninò, etiam tunc perſiſteret, cum noua, ac vehementior inſurgeret excogitatio. Reſp. inſuper ſecundo, attingi à Vate hìc admirabilem prorſùs vim ſympathici affectus, qua ſæpe fit, vt conſanguinei, licet longiſſimè diſtantes mutuis inuicem paſſionibus exerceantur, vt aſſerunt ſympathiæ aſſertores, ita vt, ſi vnus Neapoli v. g. grauiter ægrotet, vel moriatur; alter, licet omnium inſcius, v. g. Lugduni, maximum animi angorem ſentiat, & mærorem, cuius dum cauſam exquirit, mille millium profectò malorum ſimulacra, chariſſimis impendentium ſuis, vel ſibi etiam ipſi, efformat intellectu. Quid mirum itaque ſi Ceres mater; ſaluâ adhuc Filiam, placida fuerit, & ſecura; eâdem autem rapta, ſimulacris malorum

rum

rum agitetur? Sympathica hæc virtus eſt, quæ dum mærorem inducit, cuius ignota eſt cauſa, intellectum excitat, vt mala plura recogitet, & effingat. Remanet tertia difficultas; quomodo ſcilicet id fieri poſſit, cum nihil ſit in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſo. Ad quam enodandam, præmittendus eſt modus, quo intellectus noſter ad cognitionem rerum procedat. Sciendum itaque, certè animam, cuius potentia eſt intellectus, licet de ſe poſſit operari, hoc eſt intelligere, & velle, etiam independenter ab organis corporeis, de facto tamen, eo ipſo, quod corpori vnita eſt, regulariter loquendo, dependenter ab organis operari. Quarè nihil videtur poſſe percipere intellectus, niſi per ſenſum: nam regularis eius modus operandi hic eſt: Obiectum ſenſibile emittit ſpecies ſenſibiles, quæ per medium propagantur vſq; ad organum ſenſus, v. g. ad oculum, & in eodem organo recipiuntur: oculus, receptis hiſce ſpeciebus, quæ *impreſſa* dicuntur, ſpeciem elicit *expreſſam*, quæ eſt imago formalis rei, ſicuti *ſpecies impreſſa* virtualis eſt: iterum ſpecies expreſſa ab oculo efformata relinquit ſpeciem ſui impreſſam, quæ ſubtilioribus ſanguinis partibus defertur ad ſenſum internum, qui ab hac determinatus elicit ſpeciem expreſſam, hoc eſt imaginem formalem rei viſæ, quæ ſpecies phantaſma dicitur: hoc autem phantaſmate excitatus intellectus agens ſpecies ſpirituales producit, quæ ſint imagines virtuales phantaſmatis, per ſenſum efformati; quibus ſpeciebus in intellectu paſſibili receptis, efformantur ab intellectu eodem ſpecies expreſſæ, nempè cogitationes, quæ ſunt imagines formales rerum, per ſenſum repræſentatarum. Quo ordine poſito, videtur certum, nil poſſe eſſe in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu. Et, iuxta hæc, profectò Zoroaſtrum ſuum inducit loquentem, eruditiſſimus noſtri temporis Vates, Leo Sempronius, in ſuo Boemundo, Cantu 8. vbi ait:

Hà l'immenſo dell'huom vaſto intelletto
Vn fonte original, dond'egli hor,
Come preſenza, ogni lontano oggetto
Nelle ſue forme, ò ſianſi buone, ò ree,
Che Fantaſia, preſſo à più ſaggi, è detto:
Oue naſcon le forme, oue l'Idee,
E dono, quaſi in lucida figura,
L'alte imagini ſue pinge Natura.

Verum hæc militant, vbi agitur de cognitione entis realis materialis, quod profectò non conſtituit totam, & adæquatam ſphœram actiuitatis potentiæ intellectiuæ; datus eſt enim a natura intellectus in ordine ad cognoſcendum quidquid cognoſcibile eſt; & ideò intellectus, ex natura ſua, denudatus eſt ab omni ſenſibili, non ſolum, vt cognoſcere poſſit omne ſenſibile, ſicuti oculus denudatus eſt ab omni colore, vt omnes videre poſſit colores; ſed etiam, vt tam ſenſibilia, quam inſenſibilia cognoſcere poſſit. Ideò intellectus non ſolum percipit, quæ ſub ſenſu ſunt, ſed & ſe ipſum, & Angelos, & Deum ipſum, licet hæc ſanè non cadant ſub ſenſu. Et ideò diximus, quòd non ſit, de ſe, potentia omninò organica, cum, etiam independenter ab organis corporeis, cognoſcere aliqua poſſit, nempe ſubſtantias ſpirituales, priuationes, negationes; immò & ipſum impoſſibile, vt nos ſusè prob. in Logicis. Et ratio eſt, quia non potuit natura tantam tradere perfectionem intellectui, quanta requiritur ad cognoſcendum omne ens reale, quin etiam traderet facultatem ſe extendendi ad cognoſcenda etiam non entia, licet hoc fuerit ex ſecundaria tantùm, non ex primaria intentione Naturæ. Intellectus igitur ſe exercens in efformatione imaginum virtualium earum rerum, quarum phantaſmata exhibet ſenſus internus, paulatim, per ſimilitudinem, priùs edíſcit efformare etiam ſpecies rerum, quæ, ſecundùm ſe, ſub ſenſu non ſunt, licet, hoc ipſo, dicantur fuiſſe in ſenſu, in aliquo ſibi ſimili: ſubinde vlteriùs procedit, & efformat ſibi ſpecies, etiam ab illo ipſo ſimili abſtrahentes; nam licet concipiat Deum v. g., per ſimile, hoc eſt ad modum ſenis venerandi, per rationem tamen, qua vtitur, nouit dicere, Deum non eſſe ſenem venerandum, ſed ens a ſe, infinite perfectum, quod ſenſo percipi non poteſt. Ex qua doctrina firmatum remanet, intellectum poſſe aliqua etiam, quæ in ſenſu non fuerant, percipere. Sic itaque Ceres raptam non viderat, nec audierat filiam; attamen, quia, ſicuti amans vigilans ſomniat, & imagines gaudiorum chimericas ſæpè ſæpiùs efformat ſibi; ſic metuens vigilans ſomniat, & terrorum imagines paſſim aggerat efformatas; mala omnia de Proſerpina, timore, ac mærore excitante ſomniabat vigilans. Adde, quod hæc ipſa dici poſſunt in ſenſu fuiſſe, in aliquo ſimili; nam certè filiæ pulchritudinem nouerat, per ſenſus; pulchritudini inſidiatores non deeſſe nouerat à ſimili; nam recordabatur Iouem ſtuprum Latonæ, ac ſibi ipſi inſidias tetendiſſe, ac de Virginitate profligata triumphaſſe; nouerat à ſimili raptores non defuiſſe, nam à Ioue raptam meminerat Europam. Et ſicuti, cum Procos vidiſſet Filiam ſollicitãtes, ne raperetur, timuit. *Rerumſq; timens &c. æthera deſeruit &c.* vt lib. primo; hic, manente eâdem pulchritudine, cur non eoſdem ſibi in mente effectus effingeret, quos timebat? Hæc itaque erant ſimulacra illa, quæ Cererem interdiù territabant, & quorum ipſa artifex eſſet, & efformatrix.

NOCTESQ; TIMOREM INGEMINANT. Simulacris intrinſecis, peſſimis nempè cogitationibus filiæ damnum repræſentantibus agitatam interdiù Cererem cum oſtenderit, quid, noctu, à ſimulacris iiſdem, per ſomnum excitatis pateretur, iam refert, vt poſſit, etiam reſpectu Cereris, vſurpari illud Torquati Hieroſ. liber. cantu 13.

A giorno vna notte più rea ſuccede,
E di peggior di lei, doppo lei vede.

particula enim *que* pro *&* addendi hoc loco particula eſt, de qua alibi diſſeruimus. idem ac *inſuper*. Sed aliquam faceſſit difficultatem vox illa *Noctes*: nam, ex ſolito Oratorum, Poetarumq; modo loquendi, cùm oppoſita iſta, nempe Dies, & Nox, ſucceſſiuè iunguntur, conſtat, quod, ſi aduerbio *Diù* vtantur, illi correſpondeant per vocem *noctu*: *Diù noctuq*; tunc verò voce *Noctes* vtantur, cum *Dies* proprio nomine compellauerint; *Dies noctesq*; Quomodo igitur hic Vates, cum aduerbio *Diù* vſus fuerit, à communi diſceſſit loquendi modo; & loco dicendi: *noctuq; timorem ingeminant ſimulacra malorum &c.*, ordinem inuertit: & ait: *Noctesq. timorem ingeminant*? Noctem, apud Statium, Theb. 10., video vſurpatam pro ſomno. *Talia vociferans noctem conturbabat &c.* Quare & hîc *Noctes* pro eodem poſitas, ac *Somnos* non ambigo: atque ex ipſo contextu comprobatur; nam, quod hic ponit collectiuè, inferiùs diſtribuens, ſubdit: *Omniq; vetat Proſerpina ſomno*. Quaſi ſenſus ſit: *Somniſque timorem ingeminant; quia quolibet vetat Proſerpina ſomno*. Sed noto obiter acutiſſimum Poetæ ingenium, qui eâdem voce & ſomnos, & ſomni tempus ſignatè voluerit exprimere: quod in cauſa fuit, vt à communi modo diſcederet loquendi; nam, ſi eo vſus eſſet, tempus tantùm, non vtrumque, vt volebat, indicaſſet. Et quidem, quod ſpectat ad tempus, non negligenda eius fuit expreſſio, quia nocturnum tempus maximè aptum videtur ad terrores augendos non ſolum, ſed ex integro gignendos: ex quo factum, vt filius Noctis Metus diceretur, vt alibi vidimus ex Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 12. Et Virg. tempeſtatis terrores aucturus Æn. 3. ait.

Tum mihi cæruleus ſupra caput aſtitit imber
Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Noctem terrificam pariter vocauit Valer. Flacc. Argon. 5.

Sæuaq; terrificæ ſupplex monet ornina noctis.

Horrendam eam dixit Seneca ab horroribus, quos gignit.

Exterret animum Noctis horrendæ ſopor.

neceſſariò itaque & hic tempus fuerat noctis adnotandum. Notandi fuerant & ſomni: nam cum Somnus ſit filius Noctis, eo Nox vtebatur, vt magis Cererem terreret; nam interdiù, quantumuis anima malorum ſimulacris premeretur, varijs tamen oblectationibus, à matre exhibitis, diſtrahebatur tantiſper à ſenſu doloris, ac terroris: Sed ſomno ſopitis ſenſibus tota ſibi relinquebatur anima; atque adeò magis dolorum æſtibus fluctuans agitabatur, & totas pleno ore hauriebat dolorum aquas. *Noctes* autem, id eſt ſomni, dixit, non ſomnus, vt, numero vtens multitudinis, oſtenderet Cereris quietem ſæpiùs interruptam, ita vt, interpolatis ſomnis, noctem duceret, iiſq; vigilia ipſa atrocioribus: quippe qui terrores ingeminarent. *Ingemino* eſt, quod ſimplex erat, duplum facio, vulgò *raddoppiare*. Itaque ſi plures erant ſomni, & ſingulus duplicatum reddebat terrorem, quam ante productum reperiebat, patet quam altè Ceres angeretur. Timor quid ſit, ſatis conſtat. Ideò progredior.

OMNIQ; SOMNO &c. Explicatiua eſt, hoc loco, coniunctio illa, nam redditur ratio, cur Noctes terrorem ingeminent. *Omnis* non accipitur hic collectiuè, ſed diſtributiuè, ita vt, diſtribuens per ſingulos interpolatim ſuccedentes ſomnos, idem ſit, ac quolibet. *Somnus* quid, iuxta rei veritatem ſit, & quomodo efficiatur, ac quo pacto ſenſus deuinciat, vidimus in præf. ad lib. 2. carm. 51. Quid item ſit iuxta fabulas, ſomnum effingentes Deum, dix. lib. 2. carm. 218. Sed non in eo ſenſu hic accipitur; quare nouam exigit explicationem. Phantaſum itaque, inter Somni filios, enumerari,

merari, teſtatur Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 14. Porrò *φαντάσος* à *φαντάζω* deducitur, quod latinè eſt *in ſomnis video*. Quare Phantaſus idem erit, ac *Somnium*. Adeò autem addictus Patri eſt filius, vt nunquàm ſine ſomno ſomnium reperiatur, quod innuit aperte Tibullus Eleg. 2. cùm ait: *Poſtquam venit tacitus fuluis circumdatus alis*

Somnus, & incerto ſomnia nigra pede.

immò & à ſomno *ſomnium* dicitur: ex qua nominis origine, & inſeparabilitate iam dicta factum eſt, vt interdum *ſomnus* pro *ſomnio* vſurpetur. Noueris id factum ab Homero, qui Illiad. 2. ait: Miſſum à Ioue ſomnum ad Agamemnonem excitandum, quod repugnans, & impoſſibile fuiſſet, niſi ſomni nomine ſomnium veniſſet, vt bene notat Mythol. cit., & patet ex ipſo Homerico textu, quo ſomnus dicitur Neſtoris perſonam induiſſe, ſicq; Agamemnonem excitaſſe. Patet autem proprium ſomnij, non ſomni, eſſe laruas induere, & effingere. Homeri verò locum imitatus Virg. Æn. 6. ſomnum aperte pro *ſomnio* vſurpauit.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur

Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris &c.

vbi Seruius *ſomni*, inquit, *id eſt ſomniorum; eſt enim in hoc loco Homerum ſecutus*. Tantis itaque auctoribus inhæſiſſe hic & Vatem noſtrum non ambigo, eodem viſum artificio, quo ſupra, in voce *Noctes*; vt vnâ, eâdemq; voce & ſomnia, & ſomniorum Parentem ſomnum ad lacerandam Cererem aſſereret conſpiraſſe; nam ſomnus ſine inſomnijs non aderat, & quodlibet ſomnium perditam referebat Proſerpinam. Ideò *omni ſomno*

PROSERPINA PERIT. *Proſerpina*, inquit, non verò *Cereris filia*, nam Cereris iam non erat, quæ ſub raptoris eſſet poteſtate. Sed proprio compellat nomine, vt patheticè magis aſſurgat oratio, quæ nomen terroris oſtendat, quod nomen fuerat deliciarum. *Perit* repræſentatiuè intelligas, non realiter, neq; enim quis ſæpiùs perire poteſt. Sed, cum vana certe ſint ſomnia, quomodò veraciter, quæ acta fuiſſent, poterant repræſentare? Subindè, cum ſomnia nil aliud ſint, quam peruagantia animæ phantaſmata, quomodo poterant, ad viuum, ac veraciter exprimere, quæ neſcierant? Ad enodandas huiuſmodi difficultates, diſtinguendum eſt, *ſomnium*, quod genericum eſt, in ſpecies ſubdiuidentes, nam licet *ſomnium* in genere, ſit *quicquid nobis videre videmur dormientes*, tamen ex diuerſitate modi, quo inſomnia repræſentare dicuntur variæ ſomniorum ſpecies agnoſcuntur. Aliud itaque eſt ſomnium, quod græcè *ὄνειρος*, latinè *ſomnium* dicitur: aliud, quod græcè *ὅραμα*, latinè *viſio*: aliud græcè *ἐνύπνιον*, latinè *inſomnium*: aliud *χρηματισμός*, latinè *oraculum*: aliud denique *φάντασμα*, latinè *viſum*. Sed, antequam ſomniorum ſpecies explicemus, quomodo ſomnia contingant, ac quibus ex cauſis proueniant, explicandum. Sciendum itaque ſenſum internum, quem communem appellant, in cerebro reſidere, ibiq; phantaſmata ſua, id eſt rerum imagines efformare, vt ſupra dicebamus, quæ ſubindè in poſteriore parte cerebri aſſeruantur, vt identidem excitat, cerebrumque percurrentia memoratiuæ potentiæ deſeruiant: &, quod de phantaſmatibus a ſenſu efformatis dicimus, dicendum proportionaliter de ſpeciebus intellectualibus. Cum autem quis dormit, licet ſenſus externi ſomno obligentur, non ſic ligatur ſenſus internus, aut intellectus: quare, ſi ſpecies illæ, in poſteriori parte cerebri aſſeruatæ ab aliquo moueantur, cerebrum percurrunt, atq; intellectus eodem modo operatur, ac ſi homo vigilans eſſet; nam cogitationes elicit, affirmationes, vel negationes circa obiecta efformat: diſcurſus nectit ſillogiſticos &c. vt bene cecinit Scipio Henricus noſtri huius ſæculi Vates in ſua Heroica poeſi, cuius inſcriptio eſt: *La Babilonia diſtrutta*, dum ait:

Mà, del grande intelletto entro el ſereno,

Delle larue de ſenſi o ſcolta, o pura,

Grauida de penſier, diuerſe forme

L'Alma in eſſo figura, e mai non dorme.

ſi verò interdum ſpecies, ex vi mouentis, non ordinatæ, ſed commixtæ excitentur, tunc ſomnia efficiuntur chimerica; nam ſomnia nil aliud ſunt, quam apparitiones phantaſmatum, exhibitæ per ſenſum internum, dum animal dormit. Quarè, ſi excitetur ſpecies v. g. montis, & ſpecies auri, illæque commiſceantur, iam exhibetur repræſentatio montis aurei, ac ſic montem aureum ſomniamus &c. Si autem excitentur ordinatæ, res etiam, ordine digeſtas ſuo, videre nobis videmur. Porrò cauſæ, huiuſmodi ſpecierum excitatiuæ plures ſunt; ſed, quod ad rem attinet, ad triplicem reduci poſſunt claſſem: in prima enim cauſæ naturales: in ſecunda animales: in tertia morales. Naturalis cauſa eſt ipſa corporis temperies, & diſpoſitio, qua fit, vt melancolici funeſta ſomnient ſemper, colerici rixas &c. Animalis eſt, quæ ex perceptione ſenſuum habetur externorum, qua fit, vt ſæpe ſomniemus ea, quæ interdiù vidimus, audiuimus, conſiderauimus &c. Moralis quæ ex animi affectibus deſumitur, qua fit, vt ambitioſi dignitates; auari pecunias ſomnient &c. Et hæ cauſæ dicuntur internæ; præter quas dantur etiam cauſæ externæ, quæ iterum tres ſunt, nempe Deus, Angeli, & Dæmones, vt late docent Doctores omnes. Sempronius cit. inter cauſas, & ipſe, ſomniorum vapores enumerat, ad cerebrum aſcendentes: nec non mali Dæmonis artem ſpecies perturbantes; cum enim dixiſſet, loco ſupra cit. quod in Phantaſia

L'alte imagini ſue pinge natura. Subdit:

Mà la chiarezza lor turba ſouente,

E le rende men certe, e più confuſe,

Co ſuoi maligni humor febre cocente,

Che nell'opre ſue vene altri racchiuſe;

O', di gelida pur ſogno nocenta

Trà gl'oſcuri vapori erran deluſe...

E, ſour'ogn'altro, à intorbidar le vale,

Co' ſuoi funeſti horror larua infernale.

Cauſæ itaque naturales intrinſecæ, vaporibus mediantibus ſpecies excitant; nam vapores ex cibo euaporantes, à ſthomaco ad cerebrum eleuantur, & impetu ſuo ſpecies mouent; qui impetus, ſi ſit moderatus, ordinatas, vt ſunt, mouet ſpecies: ſi verò nimis vehemens ſit, non mouet ſolum, ſed & turbat, & miſcet. Et quia, quo viuidiores ſunt ſpecies, eo faciliùs mouentur; hinc eſt, vt vapores ſæpe ſæpiùs excitent illas, quæ à diurna cogitatione, aſſiduis, ac multiplicatis cogitationibus, viuaciſſimæ ſunt relictæ; vel quæ à continuatis habituum actibus viuacitatem acceperint &c. ideòq; ſomnia circa earum præcipue verſantur obiecta; vt expreſsè notat ipſe Auctor noſter in Præfatione ad Panegyrim de 6. Honorij Conſul. cum ait:

Omnia, quæ ſenſu voluuntur vota diurno,

Pectore ſopito reddit amica quies.

Venator defeſſa toro cum membra reponit

Mens tamen ad Syluas, & ſua luſtra redit:

Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,

Vanaq; nocturnis meta cauetur equis.

Furto gaudet amans, permutat Nauita merces;

Et vigil elapſas quærit auarus opes &c.

Iam explico indicatas ſomniorum ſpecies. *Somnium*, & *inſomnium*, vt plurimum confunduntur, ex eo, quod à cauſis prædictis oriantur intrinſecis, & ſolum in hoc diſtent, quod *inſomnium* clariùs videtur procedere, quam *ſomnium*, quod obſcurius adſtat; ſicuti ſomnium illud Pharaonis, in ſacris memoratum litteris, quod ſcilicet verborum ambagibus, ac rerum ſimulacris ita tegitur, vt interpretatione indigeat, hieroglyphicorum adinſtar. *Phantaſma* autem, ſeu *viſum* dicitur, quando, qui dormit, ſe adhùc vigilem putat, &, varias verè aſpicere ſe, credit formas, & laruas vel lætas, vel triſtes &c. *Viſio* eſt, cum, quod videras dormiens, eodem modo, quo apparuerat, euenit vigilanti. *Oraculum* tandem eſt, cum Deus, vel Angelus, vel Dæmon, in ſomnis apparens, aliquid denunciat: ſic Angelus apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum &c. Sed iam ad Cererem redeamus. Eâ, quam ſupra diximus inſitam à Natura, diuinatione, præſaga mali mens, ex inſperato, &, ſine cauſa nota, inſurgente mœrore, quam ſympathica vis, vt item dix., produxerat, peſſima quæq;, adhùc vigilans ominabatur de filia; hæſit his cogitationibus detenta diù, &, per multiplicatos conſiderationum actus, ſpecies malorum viuaciſſimas expreſſerat; ac, ſicuti diuerſas malorum ſeries attentiſſimo reuoluerat animo, incerta, quodnam numero malum ex illo portenderetur mœrore; ſic diuerſas ſpecierum ſeries viuaciſſimas in cerebro diſpoſuerat, diuerſimodè quidem, ſed ſolam tandem Proſerpinæ perniciem repræſentantes. Sopitis itaque, per ſomnum, ſenſibus externis, ſenſuq; interno, ac intellectu euigilantibus, ex illa ægri animi habitudine elati ad cerebrum vapores triſtes illas excitabant ſpecies, quas interdiù congeſſerat, illiſq; cerebrum recurrentibus, omnia illa ſomniabat Ceres, quæ, per diem, excogitauerat, & quæ inferiùs explicabuntur; ita vt repræſentatiuè, ſeù in imagine, atq; idea Proſerpinam, quolibet ſomno, pereuntem intueretur. Vera autem, & certa repræſentare dicuntur imagines illæ, licet ſomnia de ſe vana ſemper ſint, & falſa; non quia de ſe haberent ea verè exprimere, quæ neſciebant, ſed quia incidenter, & caſu, ea quæ de facto fuerant, repræſentabant: ſicuti qui incertus

animo tot de aliquo recogitat, vt caſu, & neſciùs veritatem in aliquo tandem attingat: & ſic cæcus toties fuſtem agitat, vt caſu tandem in ſignum impingat. Et hæc dicta, iuxta naturalem ſomniorum eſſentiam, quæ eo ipſo, quod ſomnia ſint ſemper de ſe falſa, ſunt & mendacia: ideóq; iure prohibitum, ne ſomnijs fides adhibeatur, eo magis, quod ſæpè Dæmon iis vti poteſt, vt homini illudat, & in perniciem adducat. Si verò, iuxta fabulas, ſomnia conſiderare velimus, vt proprium eſt Poetam explicantis; cum poetica compoſitio quam maximè fabulis innitatur; alia eſt ineunda via. Et memineris quæ lib. 2. diximus, ad §. *ſunt altera lethes flumina* nempè Lethe ſomni Ciuitatem interfluere, atq; eius vrbis conciues ſomnia eſſe; ita vt ſomnus, & ſomnia inter Deos inferos olim computarentur. Fabulati ſunt autem, geminas huius ciuitatis portas eſſe, alteram corneam, alteram eburneam, quæ aditum ſomnijs ad ſuperos præbeant, & ea eburnea quidem falſa ſemper egredi ſomnia dictitabant; ea cornea vera, vt expreſſè docuit Virg. cit. Æn. 6.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falſa ad Cælum mittunt inſomnia Manes.

Dicendum itaque, iuxta fabulas videtur, quod ſomnus, offenſus fortaſſis, eo, quod ſibi non indulgerent Regij Tartarorum coniuges, maritalibus intenti oblectamentis, rebellanti ceruice in vindictas inſurgens, ſecreta profundi non exhorruerit Cereri reuelare, ſi fortè interturbare tripudia, tot ſibi iniurias inferentia, potuiſſet; ſed quia id non poterat, niſi ſomniorum miniſterio, ideò, ea cornea porta, certa emiſiſſe inſinuatur ſomnia, quæ quidam rei veritatem dormienti detegerent Cereri. Ideò *certa ſimulacra*; ideò perditam Proſerpinam verè exprimentia; licet varijs ſimulacrorum inuolucris veram exprimerent perditionem. Nec dicas, futurum fuiſſe, vt obſtaret Iouis decretum; nam primo quidem Tartarea, vt vidimus, Numina non adfuerunt promulgationi, neq; indicta eis lex fuerat, conſequenter nec obſtringebantur decreto ſomnia. Secundò etiam conſcia fuiſſent legis hæc Numina, nempè & Somnus, & Somnia, certè, legem ipſam proculcantia, nihilominùs ſecretum reuelaſſent. nam & ſomnia, & ſomnum, acerrimos Iouis hoſtes fuiſſe, fabulabantur antiqui, ex eo, quod Ioui nunquam dormienti inuiſa admodum eſſent Numina; hoſtium verò ſemper proprium eſt hoſtiliter agere, vt per ſe patet. Sed dices: *Propria conſortans Tartara cauſa*. Verùm quidem eſt: ſed nec nouum eſt, quod qui odio aliquo in vindictam exardent, torqueri malunt, & cuiuſcumq; pœnæ diſcrimen ſubire, quam vindictæ oblectatione priuari.

NAMQ; MODO &c. Diuerſas iam figuras exponit ſomniorum, quibus ſingulis, ad terrorem compoſitis, & periret repræſentatiuè Proſerpina, & Ceres formaliter torqueretur. Ideò, per particulam *namq;* cauſalem inducitur ratio, cur Ceres adeò terreretur &c. Aduerb. autem *modo* idem eſt, ac *nunc* aptiſſimum vtiq; diſtributioni aduerb. peragendæ.

HORRET. Huic verbo, quod in ſequenti carmine poſitum eſt, & hoc, & duo ſubſequentia membra vniuntur per adiunctionem figuram. *Horrere* autem, quid ſignificet, alibi ſæpè vidimus; hic pro eodem ſumitur ac *ſanguinem in venis conglaciare*, ob receſſum ſpirituum, in ſubſidium oppreſſi cordis accurrentium, ac ideò partes reliquas deſtituentium: Quod prouenire poteſt, vel ea horrido aliquo aſpectu ſenſibus oblato, vel ex vehementi monſtrorum imaginatione. Hic prouenit certè, & à monſtro horribili per ſomnium viſo, & à vehementi apprehenſione damni, quibus oppreſſum cor ad ſui ſubſidium à reliquis partibus auocauerat ſpiritus.

INVADI VISCERA. Quid viſcera ſint, iam vidimus lib. pri. carm. 224. Hic pro internis ventri partibus, nempè pro vtero ipſo ponitur, infelicis ſomniantis, qui ſcilicet Proſerpinam geſtaſſet. Vides, hieroglyphicè ſomnium procedere; ideò verè *ſomnium*, quod interpretatione indigeat; ſed verſatis in Ægyptiorum litteris *inſomnium*, nempè ſatis clarum. Sicuti itaque, vt alibi diximus, apud coniectores, ſi quis, ætate florida vir, aut fœmina, ſibi tranſfixum cor imaginatus fuiſſet, amatorium illi vulnus imminere portendebatur, ſi verò idem ſomniaſſet ſenex, mortis erat præſagium: ſic, in Matribus, tranſfixi vteri imaginatio, vel inſomnium filiorum mortem portendebat, & quidem meritò; nam, cum vterus ſit ſedes fœtuum, ex ipſa vteri tranſfixione, ipſum tranſfigi Natum, deducebant. Simile ideò, in conſimili materia effingit Thetidis inſomnium Statius.

Namq; mihi infeſſos vtero modo condier enſes;
Nunc planctu lucere manus &c.

Inuadere autem eſt *impetu quodam furenti aliquem aggredi*, quo verbo oſtendit Vates repentinam aggreſſionem, & vulneris acerbitatem, ac ferientis immanitatem; quæ omnia adamuſſim Proſerpinæ raptui adaptantur; nam inhumanus Raptor: vulnificus Matri raptus, non minùs quam raptæ inopinatus.

TELIS IMMISSIS. *Aduerſis* legit Heinſ. cum Parrhaſ. ſed perplacet vulgata, nam *immittere* eſt *intus mittere*, quod indicat, tela, à Cerere viſa, & vterum inuadentia, non viſa eſſe, quaſi, leui vulnere in ſuperficie vteri adhæſiſſe, ſed interiora vteri ſuffodientia, penetraſſe, vt primariò contra Filiam, ſecundariò contra ſe ipſam directa, quatenùs occiſa Filia non poterat, quin mater transfigeretur. *Telum* verò propriè dicitur quodlibet in vulnus miſſile ferrum: & quia illud, raptoris in morem, citiſſimum ad rapiendam euolat vitam; ideò *telis* potiùs, quam enſibus, vel pugionibus, inquit Vates, vt magis violentia ipſa, pernicitas, & furor exprimeretur Raptoris. Inſomnium itaque, repræſentans tela Cereris vterum effodientia, pereuntem Proſerpinam oſtentabat. Ideò certè hoc *perit Proſerpina ſomno*.

NVNC SIBI MVTATAS &c. Aliam exprimit, & quidem luctuoſam, ſuccedentis faciem ſomnij, pereuntis, à conſequenti, Proſerpinæ repræſentatiuam. *Nunc* idem eſt, ac ſuprapoſitum *modo*. Ideò prætereuolo.

NIGRESCERE SIBI MVTATAS VESTES. Subintelligo *per ſomnium videt: atq; ideò horret ex infelici portento*. Nigrum enim colorem oſtentum mortis eſſe, quis dubitet? Certè Padanos omnes atratis vti Veſtibus, ait Plutarcus, Phaetontis mortem lugentes, & communis gentium mos eſt pullo vti colore, in ſuorum funeribus proſequendis. Ideò etiam viduæ, nunquam ad ſecundas nuptias tranſituræ, nigram erigebant in ſymbolum columbam Ægyptij; quod ſemper atratis Veſtibus vteretur. Immò, ſpectata coloris natura, niger color æternum denotat luctum: nam colores omnes ex vno in alium permutantur, & alterantur. Sed cum ad nigrum ventum eſt, immobilis perſiſtit, nulla mutandus arte: & ideò talem indicat luctum, qui nunquam lætitiæ radium ſit admiſſurus. Certe & ex nigro colore, quem latices aſſumpsère, in ſacris, confirmatam mortis ſuæ ſententiam deduxit Didò Æn. 4.

Quo magis inceptum peragat, lucemq; relinquat
Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris
(Horrendum dictu) latices nigreſcere ſacros.

quod ſi horrendam dictu hanc mutationem appellat Virg., quam magis horrendum experienti, licet per ſomnium; *nigreſcere ſibi*; hoc eſt in malum vtiq; ſuum. *Veſtes*, quæ quid ſint, & alibi vidimus, & notum ſuppono. *Mutatas* autem inquit Veſtes, quæ videlicet ex albo in nigrum abiſſent colorem. Quod vt ſatiùs intelligas, nota ex Ouid. Metam. 10. Cererem ſolitam fuiſſe albis veſtibus delectari; atq; ideò, in eiuſdem ſacris, Matronæ ſacrificia peragentes albis veſtibus vtebantur. Sic enim inquit ibi Ouid.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua Matres
Illa, quibus niuea velatæ corpora veſte &c.

&, licet Ouid. ibi apertè aſſerat, talia in Veſtibus albis ſacrificia Cereri fieri ſolita; poſt acceptas ab orbe fruges; quod idem eſt, ac dicere *poſt* raptam Proſerpinam, iuxta enarrata, apud Vatem noſtrum, à Ioue in anteactis, nam hæc ſubdit:

Primitias frugum dant ſpicea ſerta comarum.

contra tamen ſentire videtur Strabo, qui lib. 10. apertè docet, poſt Raptum Proſerpinæ, viros, ac mulieres, Cereri ſacra facientes, per noctem, cum accenſis facibus, vociferantes, Proſerpinamq; vocantes diſcurriſſe ad ſimilitudinem Cereris Proſerpinam quæritantis. Quod ſi quæras, quo habitu inceſſerit Ceres, poſt raptam filiam? Atrato, reſpondet Mythol. Nat. Com., vt nos alibi vidimus: quarè ſi Theſmophoria, Ideſt Cereris ſacra, poſt raptum, peragentes Cererem habitu imitabantur certè atratis veſtibus vtebantur. Recedit itaque ab Ouid. cit., quo ad hoc Claud. & Straboni adhæret; ſed, vt vtramq; veſtem Cereri conuenire non neget, Albam indicat in vſu, apud ipſam, fuiſſe, ante raptum; atratam verò, poſt raptum. Ideò ſymbolicè ſomnium inducit, mutatas veſtes nigreſcere, repræſentans, vt mortis hieroglyphicum eſſet: & quia nulli ex propinquis timere perniciem poterat, excepta filia, Ceres; ideò & hoc certè perit Proſerpina ſomno.

NVNC STERILES &c. Tertiam ſomnij faciem delineat,

qui,

quæ, repente nata, & in proceritatem ſimul adducta, vtitur orno, in ipſis Proſerpinæ ædibus, frondes expandente, in hieroglyphicum cladis. Ideo *Nunc horres*, in eadem, qua ſupra, ſignificatione.

FRONDERE ORNOS STERILES. *Frondere* idem eſt, ac *frondibus exornari*, ex quo conſequenti ſatis exprimitur ornus repente nata, adulta, ac frondeſcens eodem ſomnio repræſentata, vt dicebamus. Vtitur autem numero multitudinis, per Synecd., plures pro vno ponens, ſed artificioſè, ad magis ſcilicet exprimendum omen infauſtum, terroremque augendum. Porrò *Ornum* feralem arborem eſſe, nemo negauerit, qui meminerit, inter arbores funeſtas ad conſtruendam pyram, aramq; ſepulchralem Miſeno, a Tritone perempto, electas, ornum fuiſſe enumeratam, apud Virg. Æn. 6. vbi hæc habentur:

Procumbunt Piceæ, ſonat icta ſecuribus Ilex,
Fraxineæq; trabes, cuneis & fiſſile robur
Scinditur: aduoluunt ingentes montibus ornos.

cum itaque hæc de orno, quam plerique ſyluestrem fraxinum, ſeu ſaltem ſylueſtris fraxini ſpeciem eſſe, teſtantur, in comperto ſint; Quid portenderent orni, niſi multiplicatas adeſſe in pyram ſyluas? Cum igitur eſſent in ædibus orni, vbi nulli timendum à Cerere, niſi ſoli Proſerpinæ, certe illius rogum ſignate portendebant. Fruſtra videri additum poſſet epitetum *ſteriles*; nam ornos ſteriles, hoc eſt infęcundas eſſe arbores, quis neſciat? Certè Virg. Georg. 2. ait:

Fluminibus ſalices, craſſiſq; paludibus Alni
Naſcuntur; ſteriles ſaxoſis montibus orni.

non tamen ſine myſterio mentionem facit ſterilitatis Poeta noſter: nam, præter quam quod naturam explicat arboris, maximi etiam momenti, ad ſomnij ſignificationem fuit, huiuſmodi ſterilitatem recenſere. Pro quo, ſciueris dupliciter aliquid poſſe dici fęcundum, nempè vel in potentia, vel in actu. Fęcundum in potentia dicitur id, quod eſt aptum, natum, & idoneum ad ferendos fructus, & de facto identidem, & ſuis certis temporibus, fructum edit; fęcundum verò in actu dicitur illud, quod olim fęcundum potentia fructum actualiter produxit aliquem; nam, licet ſubinde ex aliquo impedimento potentia illa non reducatur ad actum, adhùc tamen dicitur fęcunda in actu, quouſq; durat fructus iam productus. Sic plantæ quæ hoc anno fructum pariunt, etiam ſi anno ſequenti nullum parerent fructum, adhùc fęcundæ in actu dicentur, ſi adhùc extet actus, nempe fructus fęcunditatis. Ceres certe fęcunda fuerat in potentia, cum Proſerpinam genuiſſet; at poſt eam genitam infęcunda fuit etiam potentia, vt teſtatur Vates lib. pri.

Feſſaq; poſt primos haſerunt viſcera partus &c.

Erat tamen fęcunda adhùc in actu, quia adhùc, dum Proſerpina ſalua eſſet, extabat actus fęcunditatis. Cum itaque ſterilitatem ex ſuccreſcentibus ornis ſibi denunciatam videret, quid profectò ominaretur, niſi abreptam ſibi actualem, filiâ pereunte, fęcunditatem?

MEDIIS PENATIBVS. Hoc eſt in medijs propriæ domus penetralibus: nam quid Penates ſint, & quomodò pro Dijs familiaribus habeantur, ac pro ipſa cuiuſcumq; habitatione ponantur, vidimus lib. pri. carm. 179. Sed hinc, ex ipſa arboris natura, alia exoritur cauſa, cur ornus, in ſomnijs viſa, perditam oſtenderet Proſerpinam. Aduerte igitur, Ornos enaſci maximè deſertis in locis, nempe in præruptis montium iugis, vt patet ex cit. Virg. loco. Quid igitur portenderet Ornus in domo Cereris, enata, niſi domum ipſam iam in deſertum emigraſſe? Deſertum autem fieri, reſpectu Cereris, non poterat, niſi quatenùs illinc ablata fuiſſet Proſerpina, vnicum profectò Cereris delicium; & ſine qua, locus quilibet deſertum, apud Cererem putaretur. Sic & Pluto deſertum vocauerat Regnum ſuum lib. pri., quod ſine liberis eſſet:

Aſt ego deſerta mærens inglorius aula &c.

Ideò & hoc certe perit Proſerpina ſomno.

STABAT PRÆTEREA &c. Quartam iam ſomniorum aperit ſcenam, in qua, quod ſomnia antecedentia exitium Proſerpinæ, in genere tantùm, expreſſiſſent, nonnullis conditionibus additis, magis in particulari, & exitium ipſum, & is etiam, à quo exitium promanaſſet, oſtenditur.

PRÆTEREA. Aduerb. hoc additamenti eſt, quo ſomnia ſomnijs copulantur, idem, ac *præter ea*, vulgò *in oltre*.

STABAT LAVRVS. Res hiſtoricè præmittitur, vt magis inde emicet, quam iure, mirum in modum, terreri hoc ſomnio Ceres potuerit. *Stabat*: ideſt virens, erecta, vegeta, florebat, æternum duratura, nam ad durationem non minùs, quam ad figuræ erectionem, referri hoc verbum vidimus lib. pri. carm. 237. quod profectò maximè competit Lauro, cui nunquam decidunt folia, & quæ arbor creditur immortalis. De Daphni in Laurum conuerſa egimus fusè in Præfatione ad lib. 2. carm. 24., vbi etiam plures huius Apollineæ arboris proprietates adnotauimus. Tantùm, quod ad præſens attinet, nota, ea Lauro, & ſomnia, & vaticinia certa, ſemper haberi, creditum fuiſſe ab antiquis; ſomnia quidem, nam, apud Serapionem Aſcalonitam, lauro, ad dormitantium caput, appoſitâ, vera ſomnia videntur: vaticinia verò, quia ob id vaticinantes lauro coronari ſolitos, tradidit Ariſtophanes; &, Daphnin certiſſima reddere ſolitam oracula, dictitabant Spartani, apud Plutarchum in Agide. Nota inſuper Laurum, pro cuſtodia, apponi ſolitam, atq; incolumitatis ſymbolum fuiſſe; Proclus enim apertè ait, veteres Laurum tutelæ conſecraſſe, atq; in foribus, ac locis, vbicumque ſata, vel affixa fuerit, incolumitatem præbere: cuius rei non ignarus Ouid. alibi à nobis cit. inquit:

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamq; tuebere quercum.

Quarè Laurus eorum qui perpetuò ſoſpitari, conſeruari, ac viuere vel debent, vel optantur, ſemper ſymbolum eſt. Emphaticè igitur dictum fuit (& nota obiter gradationem in ſomnijs ab Auctore ſeruari) *Stabat Laurus*, tutelam videlicet præbens, incolumitatem ſeruans, perpetuam Proſerpinæ felicitatem, ac ſoſpitationem pollicita; & ideò

DILECTIOR OMNI LVCO. Ambiguus profectò hic locus iure videri poteſt, dum non ſatis exprimitur, num comparetur hæc Laurus cum luco aliquo, quem indirectè inſinuet Vates, effloruiſſe propè Virginis conclaue, intra eadem ſertea eiuſdem habitationis męnia, quæ lib. pri. deſcripſerat; an verò comparetur cum pretioſiſſimis quibuſq; lucis, quolibet terrarum loco, vel Cereri, vel alijs quibuſcumq; Numinibus, dicatis. Pro prima parte militat congruentia, nam, cum ſemper Deorum templis lucus, eidem Deo ſacratus adderetur; certè non dicendum eſt, ſine luco adiacenti, conſtructam fuiſſe Cereris domum, quam ipſa, & ſibi, & Filiæ, in ſacrarium vtriq; erexiſſet. Adde, quod manca fuiſſet Domus illa, alioquin magnificentiſſimè extructa, ſi nullus ſpatiandi locus fuiſſet adiectus, ita vt & ſolitarias animi relaxationes includeret, & æſtum frondibus temperaret, & fontibus ſcateret, ac riuulis, atq; arborum amęnitate delectaret, ac floribus alliceret. Itaque dicendum videtur, lucum huiuſmodi adfuiſſe, Cereri, ac Proſerpinæ ſacrum, ſed in Proſerpinæ potiùs, quam matris oblectationem efformatum; ideóq; cum toto hoc luco factam, hoc loco, comparationem. Obſtare tamen huic ſententiæ videtur primò ipſa deſcriptio illius domus à Vate habita lib. pri., in qua cum Domus ipſa, ſecundùm ſingulas partes, ac præcipuè adornatum, oblectationemq; ſpectantes, deſcribatur, nulla ſit adiacentis mentio luci. Sed facile hæc obiectio eliditur per axioma *Qui vnum dicit, alterum non excludit*. Immò dici poſſet artificioſè omiſſa adiacentis nemoris mentio, quia in anteactis Iupiter, dum Veneri Proſerpinam permitteret, ſatis oſtendiſſet, etiam intra Proſerpinæ pomeria, campos, flores, lucoſue extitiſſe. nec enim ſimpliciter dixit: *Illudere campis cogetuis armata dolis*; ſed expreſsè ait: *Patulis illudere campis*. Patuli autem dicuntur, qui aperti ſunt, atq; omnibus peruij, ad diſtinctionem eorum, qui intra propria alicuius ſepta clauduntur: quaſi dixiſſet Iupiter: *cogo illudere campis in aperto, & extra domum, non intra domum poſitis*. Ideò prætermiſit Vates, in ſubſequenti deſcriptione, quod Iupiter iam innuiſſet. Hic autem, facta neceſſitate mentionis, indirectè potiùs indicat, quam exprimat, quod iam notum ſupponit. Obſtat tamen adhùc ſecundo huic expoſitioni particula appoſita *Dilectior omni*: nam *omnis* ad numerum refertur ea natura ſua; atq; adeò plures importare lucos videtur, cum quibus hæc fiat comparatio; ſi enim cum vnico comparaſſet, *toto* dixiſſet; non *omni dilectior luco*; nam *totum* ad quantitatem, atq; integritatem refertur. Verùm hæc etiam obiectio facile diluitur; nam, licet rigoroſè loquendo *totus*, & *omnis*, ex natura ſua diſtinguantur, & differant modo dicto; ſi tamen minùs rigoroſè ſumantur, non ſolùm apud Poetas, ſed etiam apud ipſum Eloquentiæ Principem Tullium, pro eodem vſurpantur, ſic enim pro Quintio loquentem audies: *dum enumerarentur quæ vacarent, in hoc ſingulari iudicio cauſa omnis (hoc eſt tota) concluderetur*. Pro ſecunda parte, præter rationes contra primam allatas, licet quoquo modo ſolutas, militat auditas, qua Proſerpina ſe ſe proripuit domo, de qua initio lib. 2., ac ſe ſe in apertos campos conjecit: quæ certe auditas non niſi ex priuatione potuit generari, cum certè priuatio

generet appetitum. Quod ſi domi eaſdem habuiſſet oblectationes, minus, procul dubio, erga externas fuiſſet affecta. Sed facilis eſt ad hoc ipſum reſponſio, nempè propria ex vſu vileſcere, aliena verò, licet inferiora, ex eorumdem priuatione, concupiſci: ſic enim etiam Hebræi Manna fruebantur in Deſerto, & tamen ad Ægyptiacas cepas reſpiciebant. Adde oblectamenta, extra domum poſita, vetita fuiſſe, cum diſcedens Mater, ne foras egrederetur Proſerpina, præcepiſſet; & ſcimus, quod ſemper natura nititur in vetitum. Adhùc igitur ſecundus illi modus explicandi non deſtitutum rationibus porrigit latus: ſed ſtat pro ipſo acerrimè finis Poeticæ locutionis. Certum eſt, Poetam oſtendere voluiſſe laurum illam ſummè dilectam Cereri, vt ſummus ex illius amiſſione emergeret dolor. Non itaque debuit cum paucis vnius luci arboribus eam, ſed cum tota vniuerſitate plantarum comparare, vt ſummum dilectionis gradum exprimeret comparatio. Arbitror igitur, nomen *omni* fuiſſe hic rigoroſè vſurpatum, ita vt & referatur ad numerum, & ſenſum habeat diſtributiuum, atq; ideò idem ſit, ac *quolibet luco*, non ſibi ſolum, ſed cuicunq; Numini ſacrato. Quarè non ſolum comparat laurum ſuam cum gregarijs Siciliæ Syluis, vel cum odoriferis Libani, & Panchaiæ, ſed etiam cum pretioſiſſima Heſperidum aureis fulgente malis, cum Damaſcenis, in Cypro, Veneri dicatis, in quibus aureæ pariter arbores floruere, dicente apud Ouid. Venere Metam. 10.

Eſt ager, Indigenæ Tamaſenum nomine dicunt,
Telluris Cypriæ pars optima, quam mihi Priſci
Sacrauere ſenes: templiſq; accedere dotem
Hanc iuſſêre meis: medio nitet arbor in arua
Fulua comas, fuluo rami crepitantibus auro.

Deniq;, ne plura huiuſmodi recenſeam, comparat etiam fortaſſis cum Martis luco, apud Colchos, in quo aureum vellus aſſeruatum dictitant Poetæ, ac cum alijs ſimilibus, tacitè quidem vt fatear, ſed tamen eruditè. Moueor, quia quæ maximè dilecta ſunt, maximo etiam in pretio ſunt: nec maximo eſſent in pretio, ſi quid dari poſſet exiſtimatione pretioſiùs. Et quidem, cum maximè Filiam diligeret Ceres, non potuit, quin maximè diligeret arborem filiæ tutelarem, ac ſoſpitalem, & quæ permanens fœlici ſemper in filiam omine perſiſtebat.

QVÆ FRONDE PVDICA. De frondibus alibi diſſeruimus: cur item Lauri frondes pudicæ dicantur, conſtat ea dictis de Daphni in Laurum conuerſa, ne ab inſequente Apolline violaretur; nam *Pudicum* a pudicitia dicitur, quæ idem, ac pura caſtitas eſt.

Heinſius quondam legit, non olim, ſed melius vt arbitror vulgata.

VMBRABAT OLIM. Temporis aduerb. eſt *Olim*, & quidem præteriti, ſed proximè præteriti, ita vt idem hic ſonet, ac *nuper*, & ideo imperfecto iungitur *Vmbrabat*. Porro *vmbrare* eſt *tegendo vmbram facere*: ex quo ſatis indicatur, quantam in proceritatem laurus illa excreuiſſet, cum ædium culmina exſuperans ad tegendos vſq; virginis thalamos extenderetur. Nec ſine cauſa tanta hæc arboris proceritas adnotatur; nam quo fęliciùs hæc arbor excreuerit, eo efficaciùs in propitium omen aſſurgit, vt teſtatur lauretum illud Veientanum Liuiæ Auguſtæ, quod ex vnico ſurculo, terræ demandato, breui in ingentem excreſcens ſyluam, tot Populi Rom. glorias ominatus eſt, quot ex illo ſubindè, laureto Cæſares coronas triumphales decerpsêre; hoc eſt innumeras ferè. Vmbraſſe igitur Cerealis laurus thalamos dicitur, vt noueris, quantam in ſpem fęlicitatis, ex filia percipiendæ, erecta Ceres fuiſſet.

THALAMOS VIRGINEOS. Thalamus, vt alibi diximus, propriè Nuptiale cubiculum eſt: ſed non ſemel, pro quocumque, etiam Virginis, cubiculo, ſumitur, vel ex eo, quòd, laxiori vocabulo, hanc etiam habeat ſignificationem, vel, quod potiùs reor, per catachreſim propinquo abutentem nomine. Certè Virg., Æn, 6., etiam Virginis illibatum penetrale *thalamum* vocat.

Hic thalamum inuaſit Natæ, vetitoſq; Hymenæos &c.

Sed & clariùs Georg. 4. vbi de alueolis Apum, quas neſcias efficit coitus, hæc habet:

Pars vbi iam thalamis ſe compoſuêre, ſiletur.

ſic itaque & Auctor noſter. Sed, ne æquiuocationi nomen pateret, addidit Epitetum *Virgineos*, à Virgine, ante raptum Proſerpinæ deductum.

HANC VIDIT &c. Vidiſtis Laurum, præclariſſimum ſalutaris ominis inſigne, Virgineis arridentem thalamis: iam verò, verſa cathaſtrophe, eamdem videamus in infæliciſſimi ominis portentum commutatam. Laurum, inſperatò areſcentem, aut cadentem, aut exciſam, lethale omen præ ſe ferre, apud omnes ferè augures in comperto eſt, & communiter decantatum. Certè, Alexandro Seuero in Germanicam expeditionem proficiſcente, Laurus antiqua ingens, quæ in palatio aderat Ciuitatis, a qua in bellum proficiſcebatur, ſubitò collapſa, mortis illi portentum fuit. Immò auis Regaliolus, laureum ramulum roſtro ferens, cum ſe ſe in Pompeianam curiam intuliſſet; & inde ab auibus diuerſis ex vicino nemore conuolantibus diſcerptus eſſet, mortem Iulij Cæſaris dicitur prænunciaſſe. Sed, vt clariùs res innoteſcat, in ſupra cit. Liuiæ lauretum regrediamur. Liuiam, dicunt, poſt Auguſti ſtatim nuptias, Veientanum ſuum reuiſiſſe, ibiq; tùm illi gallinam albam, quæ ramulum lauri roſtro tenebat, a prætervolante Aquila, quæ illam rapuerat, in gremium demiſſam. Liuia, fælicitatis omine ſuſcepto, & alitem enutriri, & pangi ramulum iuſſit; atque ex hoc ramulo ingens adeò excreuit ſylua, vt ex illa Cæſares omnes, triumphaturi, laureas, boni ominis gratia, decerperent; ſuitq; mos triumphantium, aliàs conſeſtim, eodem loco, laurus pangere. Obſeruatum autem eſt, in huiuſmodi laureto, ſub cuiuſque obitum Cæſaris, arborem, ab ipſo inſtitutam, aruiſſe; Immò vltimo Neronis anno, quo Cæſarum progenies omninò defecit, ſylua illa Veientana radicitus tota dicitur exaruiſſe. Adeò inſitum arbori videtur, vt, ſi tutela, cui ſacra eſt, ſit peritura, intereat priùs, quàm violatum felicitatis omen ſuſtineat. Ideò, etiam in ſomnio Cereris, ſtabat Laurus, dum manſit Proſerpina, eamdemq;, cadens, cecidiſſe demonſtrat; & quidem aliena vi, dum reciſa oſtenditur. *Hanc*, nempe laurum, de qua ſupra, *videt*. Somnijs *viſum* acceſſiſſe oſtendit: quaſi diceret: Somniabat profectò dormiens; ſed ita, vt ſe vigilem putaret, & rerum formas videre, interrogationes expromere, reſponſiones accipere &c. ex quo factum, vt, loco oraculi, ſomnium haberetur. Ideò *videt*, nam videre actio vigilantis eſt, non dormientis, cùm viſio actio vitalis ſit, à principio vitali vitaliter proueniens; nec vitaliter prouenire poteſt ab organis ſomno alligatis, & ab operando impeditis. *Videre* itaque eſt, ſenſu oculorum aliquid vitaliter percipere. Hic vidit per ſomnium profectò Ceres; ſed cùm *Viſus* eſſet huiuſmodi ſomnium; & *Viſus* ſit, cum quis ſe & vigilantem ſomniat, & videntem: hinc eſt, vt exprimatur abſolutè, per verbum *vidit*, nulla addita ſomnij mentione.

RECISAM IMA STIRPE. Male legunt aliqui *ima ſtirpita caſam*, vt probè notat Heinſius: idem itaque eſt *ima ſtirpe*, ac à radicibus extremus; nam ſtirps in arboribus radix eſt. *Imus* verò idem ac infimus, extremus, & vltimus. Ac reſcindere, à quo partic. *reciſam*, idem eſt ac ferro diuidere in partes, ita vt ab inuicem ſeparentur, & vna ab alia auferatur. Sed nota quot hic *viſus* luctus ingeminet. Romani laurum Boni Genij plantam appellare ſoliti fuere, perſuaſumque habuerunt, locum, vbi laurus eſſet, neque à ſacro vllo morbo, neque à Dæmone infeſtari poſſe. Reciſa itaq; lauru abiſſe bonum Proſerpinæ Genium indicabat, eamq; in poteſtatem mali Genij incidiſſe: Lauro cadente, collapſa tutelaris Proſerpinæ vmbra, infracta ſeruatrix cuſtodia, proſtrata fęlicitas oſtendebatur: Pudicis frondibus, è virgineo ablatis tecto, erepta Proſerpinæ pudicitia portendebatur: & quia, non ſponte collapſa; ſed reciſa apparuit arbor, aliena vi oppreſſam, vt dicebamus, Virginem oſtentabat, atque in mortuorum regnum tranſlatam. Quid luctuoſius? Sed proſequitur adhùc *viſus*, & clariùs miſerrimum Proſerpinæ caſum enucleat.

ET RAMOS INCOMPTOS FÆDARI PVLVERE. Portentis portenta, indicijs addit indicia. Puluere aſpergi comas, in chariſſimorum funere, ſolitum ſemper fuit; ideòq; apud Virg. Æn. 6. de Lauſi genitore occiſi perleges.

Agnouit longè gemitum præſaga mali mens.
Caniciem immundo deformat puluere &c.

& Æn. 12. Rex Latinus, audito vxoris fato,

Coniugis attonitus fatis, vrbiſq; ruina
Canitiem immundo perfuſam puluere turpans &c.

Eodem itaque hic pacto, Cereri ſe oſtentat laurus, quaſi fatum Proſerpinæ deplorans ſimul, ac ſignis detegens, *dum videt incomptos fœdari puluere ramos*. Sed & vlteriùs raptam curru Proſerpinam hieroglyphicè oſtentat: nam & Virg. Æn. 1. raptatum curru Troilum deſcribens fœdatam puluere deprædicat haſtam.

. . . . Huic ceruixq;, comæq; trahuntur
Per terram, verſâq; puluis inſcribitur haſta.

& 2. Aen. de Hectore ſimiliter rapto &c. hæc habet.

Raptatus bigis, vt quondam, aterq; cruento
Puluere &c.

Quare & Laurus noſtra, quaſi raptam, in ſe ipſa Proſerpi-

nam

nam deliniet, ſe raptatam, fœdatamque obtulit. Vidit incomptos ſœdari puluere ramos. Quid rami ſint in arbore notiſſimum eſt. Non verò nudos hic ramos conſidera, ſed frondibus onuſtos, quæ quaſi arborum comæ ſunt, quibus incomptis, arbor ipſa incompta dicitur, ramiq; *incomptι*. Comas autem incomptas, & diſperſas proijcere, maximis in luctibus, matronarum ſemper mos fuit; ideò & Laurus ramos gerit incomptos, id eſt male ordinatis, ſparſiſq; frondibus, luctum videlicet, & vim, quam paſſa fuerat Proſerpina, cum curru raperetur *Cæſariem diffuſa meæſtι* oſtendentes. *Fœdari puluere* quid importet, iam ex dictis patet: tantùm nota, quòd dum Laurus ſe reciſam non ſolum, ſed & deiectam, ac per contemptum, per terras raptatam ſe ſe oſtendit, ſpretam, in Filiæ raptu, viliq; factam Cererem demonſtrat.

QVÆRENTIQ; NEFAS &c. Non ceſſat, licet abundè ſatis ſuo functum munere ſomnium videatur; ſed, vt verè *viſus* ſit, Cererem videntem reddit; dum enim ſe vigilantem, videntemq. ſomniat Ceres, dolore fractæ lauris perculſa, quæritat facinoris auctores; & reſponſum referunt Dryades, tantum nefas à Tartareis potentijs perpetratum, vt iam nil facti Cererem lateret, ni vana, etiam ex Lauru, ſomnia credidiſſet. *Et quærenti*, hoc eſt *percunctanti*, *ſciſcitanti &c.* in quo ſenſu ſæpiſſimè verbum *quæro* videris apud Auctores paſſim vſurpatum. *Nefas* vero dicitur quoduis impium facinus. Sed hic, vt vides, facinus, non erat, cur quæreret, quod videret; id enim ſolum quæritur, quod in comperto non eſt: quare poſitum hic noueris effectum pro cauſa, per metonym., nefas ſcilicet pro nefario; ſicuti & ſcelus interdum pro ſcelerato ponitur. Quærebat itaque, non facinus, ſed impium facinoris auctorem. Et quærenti

DRYADES GEMENTES DIXERE. Tenebantur adeò ſuperſtitioſa ſua religione antiqui, vt (quod ſæpè diximus) nil ſine Numine eſſe arbitrarentur; atque adeò omnem publicum, omnem priuatum locum; immò elementa ſingula, herbas, radices, arbores, ſingulos denique terræ fructus, ſuos Deos habere crediderint. Quare, cum ſingulis ſua Numina rebus aſſignarent, montibus Oreades, ſyluis Dryadas, arboribus Amadryadas Nymphas tribuerunt. Oreades in montibus natæ, inibi perpetuò verſari credebantur; &, has cum Strabo lib. 10. quinque tantum ſtatuiſſet, Virg. ad numerum infinitum ferè Æn. 1. adauxit, cum eas ibi Venatrices, ac Dianæ comites memoret.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros; quàm mille ſecutæ
Hinc, atque hinc glomerantur Oreades &c.

vtitur enim Virg. millenario numero finito pro indefinito, vt notant communiter interpretes. Putabantur igitur Oreades montium, ſyluarumq; præſides. Dryadas verum nemoribus, & ſyluis præeſſe dixerunt, in planitie tamen, vt arbitror, conſtitutis, non verò montanis, ne Numinum confunderent curas: Amadryadas autem ſingulis arboribus tribuere, ita vt ſingulæ ſingulis præeſſent; ex quo patet, Dryadas fuiſſe, quaſi principes, ſyluarum omnium Præſides, Amadryadas verò, Nymphas arborum, Dryadum curæ ſubordinatas; &, hanc ipſam fuiſſe de Dryadum, atq; Amadryadum cura Auctoris noſtri ſententiam, ipſe idem aperit lib. de Laudibus Stiliconis 3., vbi, ſeptem cum recenſuerit Dryadas, & ſingulas proprio nomine notauerit, reliquas venatrices Nymphas ſubordinatas, exercitus nomine, hoc eſt innumerabilis ferè multitudinis, complectitur,

. . . . Veniunt humeros, & brachia nuda
Armataeq; manus iaculis, & terga ſagittis
Incomptæ, pulchræq; tamen; ſudoribus ora
Puluerulenta rubent; fetum nec cruda fatetur
Virginitas; ſine lege coma; duo cingula veſtem
Crure tenus pendere vetant. Præcedit amicas
Plana Leucothoe; ſequitur nutrita Lycæo
Nebrophone; teliſq; domat quæ Mænala Thero
Ignea cretæa properat Britomartis ab Ida
Et curſu Zephyros nunquam ceſſura Lycaſte.
Iungunt ſe geminæ, metuenda feris, Hecaerge,
Et ſoror, optatum Numen venantibus, Opis
Progenies Scythiæ diuæ, nemorumq; potentes
Fecit hyperboreis Delos prælata pruinis,
Hæ ſeptem venêre duces. Exercitus alter
Nympharum ſuccedunt, actas formoſa Diana.

nam omnes & Dryades, & Amadryades venatrices dicebantur eſſe, ac Dianæ venationum præſidis comites: innuitur autem hæc Vatis ſententia, vt arbitror, de ſubordinatione Nympharum, græco earumdem nomini; nam Ἀμαδρυάδες videtur compoſitum ex ἅμα aduerbio ſimultatis, & δρυάδες quaſi *ſimul cum Dryade* ſyluis, arboribuſq; præſint: Δρυάδες autem à δρῦς, quod latinè Quercus eſt, deducitur: quare, cum Iouis arbor, conſequenter regia, ſit Quercus, certè Δρυάδες regale obtinere imperium, & ſummum ſupra Amadryadas habere, dicendæ ſunt; ſicuti Iupiter, cui ſacra quercus, cæterorum omnium Numinum & Rex dicitur, & Pater. His tamen non obſtantibus, Dryadas, & Amadryadas promiſcuè cõfundunt alij, quaſi eædem prorſus Nymphę eſſent, nullamq; inter ipſas diſtinctionem agnoſcentes; eo quod & omnes venatrices, & omnes Dianæ comites, arborumque, ac nemorum cuſtodes. Quorum ſententiæ innixus, Parrhaſ., in hunc locum, ait, Dryades gementes dici, eo, quod ſimul cum exciſâ lauru interirent: nam Nymphas arborum præſides, cum ipſis arboribus naſci, &, cum ipſis, interire, ab antiquis credebantur. Fateor, & Dryadas, & Amadryadas illud habuiſſe commune, vt crederentur Deæ quædam mediæ, inter Deos, & homines, atq; vt cum arboribus vnaquæq; ſuis & naſci, & interire crederentur. Quare ſimpliciter loquendo aptiſſima eſſet Iani Parrhaſij expoſitio; ſi cum *Gemitus* conſideretur, certè eſt ille expreſſiuus doloris, & nulli magis debitus videri potuit dolor, quam Dryadi, quæ, cum exciſa ſua lauru, eſſet interitura. Poſſet etiam dici locutus Vates, per Synecd., plures pro vna ponens, cum *Dryades* inquit. Nec obſtaret dicere, quod, ſi laurus reciſa fuerat, & Dryades, cum arboribus intereant, iam vita ipſa Dryadis reciſa fuiſſet, & extincta, atq; adeo quod loqui, aut ingemiſcere non potuiſſet; nam diceret, & verè, Parrhaſ., Animam vegetatiuam plantarum diuiſibilem eſſe: atq; ideo in lauru reciſa adhùc eſſe, & plantam adhùc viuere, licet breui morituram; ſicq; Dryadem, non mortuam, ſed morituram, extremos potuiſſe eiulatus effundere, & violatorem detegere. Attamen Parrhaſ. explicationi nequaquam acquieſco; non ex eo, quod, iuxta datam opinionem, deffendi optimè non poſſit; ſed quia explicatio huiuſmodi eſt prorſus contra ſententiam Vatis, diſtinctionem inter Dryadas, & Amadryadas, vt ſupra aſſerentis. Arbitror itaque, huiuſmodi viſum, Cereris, per ſomnium, animo obuerſantem, iuxta Vatis ſenſum, expreſſiſſe laurum, non ſolum reciſam, deiectam, & puluere fœdatam, ſed & iam arefactam, atq; adeò Amadryadem ipſam peremptam; vel, ſi non omninò arefactam, ſaltem in proximo adeò conſtitutam, vt Amadryas ipſa, expiranti ſimilis, nullum iam vitæ haberet exercitium; circa quam tamen Dryades caſu concuſſæ, conueniſſent, ex eo quod circumfuſo in nemore latitantes impium notaſſent facinus, & iam demortuæ, ſeù vltimo morientis lugentes caſum circumſiſterent; eaſq; quæritanti Cereri reſpondiſſe, & facinus detexiſſe, vt vindictam extinctæ Amadryadis ſuæ Deam excitarent. Ideò *Dryades gementes dixere*.

FVRIAS DEBELLAVISSE &c. Breuem, vt in luctu decet, exponit Dryadum reſponſionem ad interrogata. *Furiæ* quæ ſint, ſæpe diximus. Hic pro Auernalibus potentijs certè ponitur; nam Furiæ Plutonis potentiæ dicuntur eſſe; ijs enim vtitur, furoris ſui miniſtris, vt patet ex ipſo Auctore noſtro, qui, primo in Rufinum, ad reſcindendas Orbis felicitates, Plutonem inducit Furias concitantem, his verbis.

. . . . . . Agnoſcite tandem
Quid Furias deceat; conſuetas ſumite vires
Conuentumq; nefas tanto decernite dignum.

ſic Hetruſcorum Princeps Poetarum, Furias non ſolùm, ſed omnia quæcumq; Inferorum monſtra potentias nominat Tartarei Regis; ita, apud eumdem loquente in Inferorum Concilio Plutonem, Hieroſol. liber. Canto 4.

Mà perche più v'indugg'io? Itene, ò miei
Fedi conſorti, ò mia potenza, e forze,
Ite veloci, & opprimete e voi &c.

debellare autem propriè eſt *hoſte profligato, finem bellis imponere*. Quia verò nunquam ſatis, niſi, hoſte occiſo, finis bello impoſitus dici poteſt, ideò *debellare* pro eodem, ac interimere, ac funditus perdere, prudenter, vt hic, vſurpatur.

TARTAREA BIPENNI. *Tartareus* idem, ac infernalis, nomen eſt è Tartaro, de quo nos ſæpè alibi, deductum. *Bipennes* eſt ferrum ad ſcindendas arbores fabrefactum, *bipennis* dictum, quaſi *duas habens pennas*, ita vt ex vtraque parte eubrentur in ictum. Vulgò *ſcure da due tagli*. Quid clarius? Laurus cadit: Proſerpina perit: virginitas, quam vmbrabat, defloratur: Succiſa Laurus puluere raptata reſpergitur: Proſerpina cinereis reſperſa palloribus, rapitur; & à Tartarea rapitur potentia; ideò Laurus Tartarea bipenni debellatur. Sed ſomnia hæc erant: ideò, licet animum quaterent, & excruciarent, vana vtiq; credebantur.

SED TVNC IPSA SVI &c. Cæteris inſomnijs *viſa*

tandem

tandem ſuperadditur, quæ ſcilicet, per ſomnium, repræſentetur, non quod eſſet euenturum, ſed quod iam euenißet, euenturum tamen reſpectu experimentalis cognitionis miſeræ dormientis, quæ nondum quod euenerat, reſciuiſſet. *Sed* particula diſcretiua profectò eſt; ſed particula ad rem diuerſam tranſeuntis, nempè à cæteris ſomnijs ad viſionem, per ſomnium habitam. *Tunc* emphaticè ponitur; hoceſt, *tunc*, cum adhùc terroribus non cederet; *tunc* cum de vanitate potiùs, quàm de veritate ſomniorum cogitaret, tunc, vt ad ſummum vſq; terrores in iam diſpoſita augerentur &c. *Ipſa* emphaticè pariter ponitur, nempè *ipſa* tot Ægyptiacis ſomniorum caracteribus delineata, tot ſymbolicis expreſſa figuris; *ipſa* raptæ tandem. Proſerpinæ

FACIES. Propriè facies eſt pars anterior capitis humani, conſtans fronte, oculis, naſo, malis, ore, & mento; ſed ampliatiuè ſumitur pro totius corporis habitu, vt certe hic. Inſuper *facies* ſumitur etiam pro figura cuiuſcumq; rei, etiam inanimatæ, quamuis *figura* à fingendo; facies verò à faciendo, ſeù à factura corporis dicatur. Sic egregiam dicimus litterarum faciem, picturæ faciem &c. Quarè aduertenda Vatis ſedulitas. Proſerpina non aderat realiter: ſed, per ſomnium, in imagine repræſentabatur, tamquam præſens, & alloquens; ita vt dormienti perindè eſſet, ac ſi Proſerpina ipſa adfuiſſet. Ideò *facies ipſa*, nempè Proſerpinæ ipſa, apertà facie ſeſe oſtentans. Aſt, quia ſomnij opus erat, pura, & vana, imago erat; ideo iterum *facies*, id eſt *figura*, ſine figurato, *aſpectus* ſine corpore, vulgò *ſembianza apparente*; ſed affabre adeò expreſſa, vt Proſerpina ipſa, viuens, mærens, alloquens videretur: nec mirum, nam per ſpecies impreſſas in mente Cereris, atq; à ſomnio excitatas, delineata, quæ ſpecies rei profectò imagines ſunt, vt Phyloſ. omnes fatentur. Talem oculis obuerſatam dormientis Didonis Virg. ipſe deſcripſit viſionem Æn. pri.

Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris.
Crudeles aras, traiectaq; pectora ferro
Nudauit; cæcumq; domus ſcelus omne retexit.

NVNCIA SVI. *Nuncius* à nunciando dicitur, qui aliquid alteri aperiat ignotum. Ideo *facies ipſa nuncia ſui*, hoc eſt infælicem ſui ipſius ſtatum ſub oculis genitricis exponés.

IAM NON AMBAGIBVS VLLIS. Ideſt *non amplius ſomniorum inuolucris obuelata; non amplius, ſymbolis, ac figuris, obiecta potiùs, quam expreſſa, nec in obſcuro hieroglyphicorum latitans apparatu; ſed aperto ore, detecto vultu, reuelato aſpectu conſpicua*; nam *ambages* circuitus quidam ſunt rerum, aut verborum, dubietatem ſemper afferentes, ideòq; ſic ab ambigo dictæ. Quare & Virg. Georg. 2., cum ſe breuiter, & dilucidè locuturum promitteret Mæcenati, reiectis ambagibus, ſe locuturum ſpondet.

In Manibus terra. Non hic te carmine ficto,
Atq; per ambages, & longa exordia tenebo.

INSERTA SOPORI. Subintellige *eſt*. Alij cum Heinſio legunt *Ingeſta*, quod non improbo; nam in idem recidunt tandem. *Inſertus* enim ab inſero; *ingeſtus* ab ingero deducitur: inſerere autem *immittere* eſt, immiſcere, ac *ſuperimponendo immolare*: Ingerere verò eſt *cumulando inferre*, & *intrudere*: ideò nil altercandum. *Inſerta* autem *ſopori*, hoc eſt, *ſomno* dicitur, nam non ſine ſomno ſomnium, vt vidimus.

NAMQ; VIDEBATVR PROSERPINA &c. Vt rationem reddat, cur Proſerpinæ imago Cereri apparens *Nuncia* dicta fuerit *ſui*, eamdem, ab adiunctis, per hyppotip. deſcribit, per particulam *Namque* exorſus, quæ cauſalis eſt, atq; ad ſubnectendas nata rationes. *Videbatur*: mente quidem, & per ſomnium, ſed ita vt cerni oculis videretur. Quarè *videbatur* pro *apparebat* hic ponitur, *Proſerpina*, non realis, ſed imaginaria; non ipſa, ſed ipſius ſpecies. Dicitur tamen ipſa, vt fortaſſis alluſio habeatur ad ſententiam, quam Valeſius locutus eſt, dicentem, ſpecies obiectorum ſenſibiles eſſe eiuſdem naturæ cum obiectis, ita vt ſpecies Leonis ſit leo; ſpecies ſerpentis ſerpens formaliter, ſed imminutus; & ſic de cæteris loquendo. Quæ opinio cum ſomnia fingat, nil mirum ſi ad eam alludat Vates de ſomniante agens; ideòq; ſine addito dicat: *Namq; videbatur Proſerpina*.

OBTECTA TENEBROSO RECESSV CARCERIS. *Obtego*, à quo *obtecta*, idem, ac *operio* eſt; verùm, quia, quod obtegitur, videtur quaſi ab obtegente circumquaque contineri, atq; includi; hinc eſt vt *obtecta* ponatur hic pro *incluſa tenebroſo receſſu*. *Receſſus* ſignificat hic locum, in tantam profunditatis altitudinem excauatus, vt procul ab ipſis oculis recedere videatur; ex quo neceſſario ſequitur locus idem tenebris horreat obuallatus. Sed nota, quæſo vim nominis; nam, licet, lato dicendi modo, *tenebroſum* dicatur quidquid aliquali obſcuritate infuſcatum appareat; tamen, strictè loquendo, *tenebroſus* idem eſt, ac *tenebris plenus*, ita vt terra quadam, atq; addenſata caligine horrorem incutiat, eo modo, quo apud Virg. Æn. 6. Æneas Acheronteam deſcribit paludem.

Vnum oro (quando hic Inferni ianua Regis
Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo) &c.

Quarè & receſſus iſte Tartareis obſitus tenebris inſinuatur, quem nullus Solis radius attingeret, nulla vel incerta lux illuſtraret, vt verè Tartareum eſſe oſtenderet locum repræſentati *carceris*. Carcer autem à coercendo dicitur locus, in quo rei aſſeruantur. Quod ſi ſecretior ſit carcer, atq; in tenebris ſitus, ſeruatum in eo reum capitalibus ſupplicijs addictum indicat. Repræſentat igitur *viſio* Proſerpinam, & carcere detentam, ſpeciem Barathri præ ſe ferente, & Orco rgcluſam, ac Lethæo carceri addictam. Reuocat autem hæc viſio in mentem, quod de Zaccharia, tenebris lethæi carceris obuallato, apud Perſas, cecinit Hetruſcus Tiſifax, apud Bracciol. de Cruce lib. 29.

Nella Città, che da Seleuco hà 'l nome,
Sù la ſponda del Tigre è 'l carcer poſto;
Di fuor ſuperbo, e minacceuol, come
Sta; per paura, à riguardar propoſto:
Alta è la torre: & hà merlato chiome;
Et euui vn drago à ciaſcun canto oppoſto,
Ch' apre la bocca, e'l cauo bronzo ſuole
Fiſchiar ſonoro, allo ſpirar de venti.
Colà giù dunque in sì malnaggia, e ria
Prigion ferrata, anzi ſepolcr viui,
Che ſi nomina Lethe, accio che poſa,
Che v'entri alcun, d'ogni ſperanza ſi priui,
Trouammo il Venerabil Zaccheria,
Serrato anch'eſſo acerbamente quiui;
E, per trè luſtri, human conforto alcuno
Non hebbe ancor, nell' antro oſcuro, e bruno.
Quiui trouiam, che di ſquallor veſtito
Nelle tenebre cieche horrido ſaſſo;
E la barba, ingombrando il petto, e'l buſto,
Che fu candida pria, liuida ſtaſſi;
Pende il mento ſtracciato, à fruſto, à fruſto,
Tant' è viſſuto in luoghi oſcuri, e baſſi &c.

Sed ad Proſerpinam redeamus, quæ iure tenebricoſo detenta carcere repræſentatur, cum, licet Regina, in reorum tamen carcere latitaret, nempe in Inferis, vbi ſedes propria damnatorum.

ET VINCTA SÆVIS CATENIS. Quomodò *vincta*, ſi Regina? Quomodò *vincta ſæuis catenis*, ſi inter Plutonis amplexus regni particeps venerataur? Ah nimium vincta. Nam præter quam quod coniunctio coniugatorum certe indiſſolubile vinculum eſt, quo vinciuntur nubentes, accedebat, quod Proſerpina Plutoni nupſerat inuita, adeòq; catenarum deſæuientium vices amplexus ipſi ſubibant: Regina dicta fuerat; ſed tamen captiua erat, quia rapta. Ideò *vincta*, à vincio, quod *ligare* eſt, & conſtringere, & *vincta catenis*; nam catena, quæ, propriè loquendo vinculum ferculum ferreum eſt, quo vel ſeruos, vel captiuos irretimus, ne fugiant, & ita dicta, quod ſe capiendo teneat, quia in ea annulus annulum capit: ſymbolicas habet & ipſa ſignificationes, & primo quidem vim apertam ſignificat, quia victis palam iniiciuntur catenæ, neque vllam exigunt occultationem. Victa, fraude Dionea, Cereris Filia vim Tartarei Tyranni experta fuerat: ideò non meliùs vim ſibi illatam exprimere potuit, quam iniectas ſibi catenas oſtentans. ſecundò ſunt catenæ apud Pier. hierog. lib 48. propriæ maritalis vitæ ſimilitudines, nam vitæ illa liberioris progreſſum impedit; ideò Proſerpina, ſe iam nuptam, & inuite nuptam, oſtenſura, non paterat aptiori ſymbolo vti, quam catenis, & quidem *ſæuis*; ideſt *validis*, nam ſæuus interdum pro eodem ſumitur, ac potens, fortis, & validus, vt apud Virg. Æn. 12.

Nec minus interea maternis ſæuus in armis
Æneas acuit Martem, & ſe ſuſcitat irâ.

vbi Seruius: *ſæuus, ideſt fortis, more ſuo*. Et profectò fortes, & validæ ſunt maritales catenæ, vt dicebamus, cum ſola morte alterius coniugis diſrumpi queant: ſed multò magis, reſpectu Proſerpinæ, cuius maritalia vincula, ne morte quidem, diſſolui poſſent, cum & ipſa, & Pluto immortales eſſent. Quod ſi *ſæuum* etiam pro *crudeli* ſumendum eſſe contendas, *crudeles* erant, quatenùs iniectæ fuerant inuitæ.

NON QVALEM &c. Per comparationem à priuatione

de

de præſenti ad habitum de præterito factam, infelicem Proſerpinæ ſpeciem, funeſtumq; adauget portentum Vates: & primo per particulam negatiuam, quidquid pulchri in Proſerpina iam fuerat, negat adeſſe. Ideò *non qualem*, hoc eſt *non tales videbatur, qualem &c.* nam *talis*, & *qualis* ſemper ſibi inuicem, vel tacitè, vel expreſsè correſpondent, in reſpectu qualitatis, alicuius rei naturam declarantis. Mutata igitur omninò, quo ad qualitates naturæ ſuæ conuenientes vita dicitur Proſerpina; eodem pacto, quo Æneas vi ſum ſibi omninò mutatum profert, in ſomnis, Hectorem Æn. 2. vbi ait:

In ſomnis ecce ante oculos mæſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largoſq; effundere fletus,
Raptatus bigis, vt quondam, aterq; cruento
Puluere, perq; pedes traiectus lora tumentes.
Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achilli,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.

MANDAVERAT OLIM ARVIS SICVLIS. Ætnæis nempe campis, vbi domum Cereris fuiſſe, iam vidimus lib. pri. *Mandauerat* pro commendauerat, vulgò *raccommandare*, ſeruandam ſcilicet, tunc quando, raptus timens, Ceres æthera deſeruit, ſiculas relegauit in oras (quibus oſtendit reuocandam eſſe in memoriam Proſerpinæ pulchritudinem, quam lib. pri. expreſſerat, tot Procorum certamina excitantem) vel tunc, cum diſcedens eamdem Siciliæ, propoſitis præmijs commendauit item lib. pri.

. . . . . . Tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & charos vteri commendo labores.

Ideò *olim* inquit, vt ad vtrumq; præteritum reſpiceret tempus, & ſcires comparationem ex oppoſito ad oppoſitum procedere.

NEC QVALEM NVPER. Coniunctione, per negationem disiunctiua remotiorem Proſerpinæ ſtatum fœlicem cum proximiori item præterito coniungens, negat hoc ipſum de præſenti adeſſe. Nota emphaticam repetitionem in particula *qualem*, de qua ſupra. Innuit enim tacitè, ſummam ab initio Proſerpinæ fuiſſe pulchritudinem; nec defuiſſe in poſterum quo ad ſubſtantiam, licet per accidens aliquantulum perturbata fuiſſet, diſceſſu matris aliquid ingerente mæroris. Quaſi dicat: ſi talis non eſt, qualis cum è Cælo eam abſtulit, talem ſaltem eſſe, optandum fuiſſet, qualem diſcedens mæſtam reliquit; ſed nec talis apparet, *qualem nuper*, vulgò *poco fà*.

SVSPEXERE DEÆ. *Suſpicere*, hoc loco, ponitur pro *admirantes aſpicere*: nam, quos miramur, quaſi *ſupra nos poſitos aſpicimus*. Dearum autem nomine, Venerem intellige, Palladem, ac Dianam, quæ profectò non potuerunt, quin mirarentur, cum tenderet lib. 2. *æqualis per gramina greſſu*

Nec membris, nec honore minor &c.

Ne tamen incidas in æquiuocationem aduerte comparationes iſtas a Vate poſitas, atq; ad amplificandum appoſitas: non quod ſomnium eas in mente Cereris operaretur; nam certe ſpecies habere non poterat Ceres de Dearum comitatu admiratione &c. cum nil horum ſciret.

ROSEIS CONVALLIBVS ÆTNÆ. *Roſeus*, adiectiuum à roſa deductum, hic pro eodem vſurpatur, ac floridus, ſpecie pro genere poſita. *Conualles* autem loca dicuntur in planitiem extenſa, ſed inter duos, aut plures montes conſtituta, Iure itaque Ætnea planities, conuallis nomine, deſignatur, nam, vt vidimus, tribus montibus triquetra Sicilia terminatur. Aetna autem in medio Inſulæ eſt: quarè arua Aetneis radicibus adiacentia certe montibus clauduntur, *Ætnæ* nota ſpecialis eſt loci diſtinctiua. Miror hic Heinſium, qui vbiq; *Hennam* legit, vt mordicùs notet locum, ex quo Ceres rapta eſt diſtinctum ab Aetneis campis fuiſſe, hic Aetnæ nobiſcum legiſſe, quæ iam dixerat deſtruens, vel certè nobiſcum ſentiens, qui Hennam, Aetnamq;, loca diximus, ſolo nomine, diſtincta.

SQVALLEBAT PVLCHRIOR AVRO CÆSARIES &c. A negationibus indicatâ Proſerpinæ deformitate, iam à poſitiuis adiunctis eamdem deſcribit; atque ad terrorem aptè componit. De Cæſarie vide dicta lib. 2. carm. 248. Cum auro autem cæſaries comparatur per appoſitum *Pulchrior*, atque inferioris notæ, vel obryzum, fuiſſe declaratur. Senſus autem textus eſt: Cæſaries, olim pulchrior auro, iam venuſtate, ac ſplendore naturali deperdito *ſquallebat*; de cuius verbi ſignificatione vide fusè dicta lib. 1. carm. 80.

ET NOX INFECERAT. *Nox*, vt alibi diximus, vmbra terræ eſt; & *nox* dicta, quia oculis noceat: hic, non pro nocte, orbem noſtrum obſcurante, ponitur, ſed pro Tartarea nocte, ſeu atra potiùs fuligine, quæ illius noctis effectus eſt, poſita pro effectu cauſa. *Inficere* autem idem eſt, ac maculare, tingere, imbuere. *Nox* itaque *infecerat*; hoc eſt caligo obtenebrauerat Tartarea.

IGNES OCVLORVM. Oculos igneæ eſſe naturæ ſenſiſſe Plinius videtur, dum flagrantes, ardenteſq; oculos appellat. Certè non eſt negandum, pluribus ſpiritibus igneis, oculum peruagantibus, illum identidem igneum videri. Sed non attingit hic Vates oculi naturam, ſine reſpectu ad eruditiones. Non igitur nouum eſt, quod D. Ambroſius in laudem oculorum enunciauit, in Hexamer. nempe id eſſe oculos in homine, quod Sol, & Luna in Cælo; Sol enim, & Luna in Cælo duo lumina ſunt; oculi autem duo, in carne, ſydera fulgent, & interiora claro illuſtrant lumine. Ab alijs dicitur oculus Speculum naturæ, Microcoſmi lumen, Parsætherea, Solis Ianua &c. Tandem nil frequentius, apud Poetas, quàm vt ſint oculi faces amoris, frontis ſydera, gemini Soles &c. Et hinc fortaſſis ortum habuit ſententia Platonis, quam ſecuti ſunt Niſſenus, Macrobius, Nemeſius, & alij, aſſerentes viſionem fieri, per extramiſſionem radiorum, quaſi, eodem modo oculus, & Sol operentur, atque adeò ſicuti Sol ex ſeipſo radios emittens ad terram vſque pertingit illuminans, & calefaciens, & quaſi omnia luſtrans oculis; ſic pariter oculus, humani Sol Microcoſmi, ſplendores emittat ſuos, quibus ad Cælum vſque, ſyderum contemplator, efferatur. Cum autem quidam antiquorum, ex ſyderum ſplendore, hallucinati, maſſam ignis, vel ferrum ignitum, aut ignitum aurum, Solem eſſe, crediderint, atque idem de ſyderibus dictitarint; quid mirum, ſi Claud. ad hæc omnia reſpiciens, *ignes oculorum* eruditiſſimè pronunciauerit? Verùm, per *ignes*, noluit hic, arbitratu meo, naturam oculorum definire; ſed tantùm ſplendores in oculo, quaſi in fronte exiſtentes, atque, ad extra identidem, per emiſſionem ſpirituum igneorum, promicantes attingere; quorum effectus non eſſe oculo denegandos, patet experientia eorum, qui ſubitò expergefacti, erumpentibus ex oculo huiuſmodi ſpiritibus, intempeſta licet nocte, cubiculum vident illuſtratum. Inſuper conueniunt omnes in hoc auctores, quod oculus, ex natura ſua, lucidus ſit, & aliquid poſſideat lucis, quæ etiam ad extra conſpiciatur. Huiuſmodi autem oculorum ſplendores, ac fulgores, qui, communiori vocabulo, oculorum viuacitates appellantur, ignis hic nomine, deſignat Vates: hoſq; infectos nocte decantat, turbidum, tenebroſumq; effectum Proſerpinæ innuens oculum, qui ſcilicet organum viſus eſt, vt omnibus patet, & ſimulacrum dicitur animi accuratiſſimum; atque adeò turbidus oculus animum perturbationum mæſtiſſimarum æſtu oſtendit aptatum. Alij legunt; *Oculorum infecerat orbes*: vel quia fortaſſis oculorum neſcirent ignes; vel quia exiſtimarint fortaſſe, meliùs ſic allegoricum conſiſtere ſenſum, quo ſcilicet gemini oculi *Soles gemini* dicerentur, eorumq; orbes pupillæ eſſent, in quibus viſualis reſidet potentia; ſicq; legendum dixerint; *Nox oculorum infecerat orbes*; hoc eſt ſphœras, ſeu Cælos, ita vt oculi illi, qui ſereni fuerant Cæli, geminiq; Solis fulgoribus coruſcantes, iam eſſent nocturnæ ſphæræ, ſub noctis obſcuro latitantes amictu. Et, iuxta hanc lectionem, vt fatear, locutus quodammodo videtur Hetruſcorum Princeps Poetarum Hieroſ. liber. can. 12. vbi Clorindæ ſacrum cælum delineat obtenebratum, ſic habens:

Mà come giunſe, e vidde, in quel bel ſeno,
Opera di ſua man, l'empia ferita;
E quaſi vn Ciel notturno, anco ſereno
Senza ſplendor, la faccia ſcolorita &c.

Verùm maiorem ſapere eruditionem videtur lectio, quæ *ignes* ponit, nec allegoriam reſcindit, & tamen magis naturam exprimit. Hanc autem clariſſimè ſecuta etiam eſt, apud eumdem Principem cit. Erminia Tancredi ſemianimis fortunam deplorans, canto 19., vbi ait:

Ohimè de i lumi già sì dolci, e voi
Ou'è la fiamma, ou'è 'l bel raggio aſcoſo?
Delle fiorite guancie il bel vermiglio
Ou'è fuggito? Ou'è il ſeren del ciglio?

quæ duo poſtrema carmina idem etiam notant, quod Auctor noſter textum proſequens ſubnectit. Quare nil arbitror immutandum.

ET RVBOR PALLET. *Rubor* hic color ille purpureus genarum eſt, qui ex ſanguinis ſuffuſione proueniens, lacteis genarum candoribus admiſcetur, vt pulchritudinem adeò adauget, vt rubor ipſe præcipuas inter pulchritudines enumeretur. Quarè Hetr. ſc. Princ. cit. Armidæ pulchritudines enumerans ſua Canto 4. ait:

Rubor

Dolce color di roſe in quel bel volto
Trà l'auorio ſi ſparge, e ſi confonde;
Mà nella bocca, ond' eſce aura amoroſa
Sola roſſeggia, e ſemplice, la roſa.

& talem fuiſſe Proſerpinam ante raptum inſinuat Vates, ſed, poſt raptum, ruborem deceſſiſſe omninò demonſtrat, ſuccedente pallore. Ideò *rubor pallet*, hoc eſt, in pallorem verſus eſt. Pallor autem color ille eſt, quo pellis, ſanguine deſtituta lucescit: quarè dum Proſerpinam viſio delineat pallidam, exanguem, & ſemianimem deſcribit; ſignum videlicet expreſſum Regni, in quo illa degebat; nam, vt vidimus lib. pri., Tartarus pallore inſignis dictitatur, carm. 41. & confirmatur lib. 2. carm. 326.

EXHAVSTVS GELV. Hoc eſt *conſumptus, & ad nihilum redactus*: & ſic cauſam notat, cur natiuus abierit rubor. Sed quid cum Inferis glacies habeat? Certè Tartareum Regnum, in quo Proſerpina detinebatur, incendiorum fons potiùs eſt, quam glaciei receptaculum, quod & ab ipſo Vate noſtro affirmatum videtur lib. 2. carm. 315. & 316. Accedit Zetæ auctoritas, qui Tartarum nil aliud eſſe, quam ſubterraneum credidit incendium, dictumq; *Tartarum* putauit à Græcis, quia multæ ibi fiant Ταραχαὶ, hoc eſt perturbationes, tremores, clamores, & ſtrepitus incerti: quæ opinio prorſùs conſona fidei videtur noſtræ, ac formidandæ illi ſententiæ, quam Iudex incorruptus contra reprobos eſt prolaturus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*. Verùm ex eadem Euangelica veritate habemus, non vnico tormento affici damnatos, ſed plurimis: adeòq;, de diuite in Inferorum carcere obſepulto, apud Lucam, leges *Cum eſſet in tormentis*: in quem locum, ait Maldonatus plurima eſſe damnatorum tormenta. Et, quod ad glaciem ſpectat, videtur Iob ignem, & glaciem in Inferis poſuiſſe, dum ait, cap. 24., de impio loquens: *Maledicta pars eius ſit &c. Ad calorem nimium, tranſeat ab aquis niuium*. Ex quo Beda in cap. Matth. 7., ad verba *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*: duplicem, in eadem gehenna, gehennam agnoſcit, alteram ardoris, alteram frigoris; atq; vtroq; tormento torqueri ait damnatos. Quarè nil mirum, ſi, quemadmodum Zetes ſenſit Tartarum incendium eſſe; ſic Crates è conuerſo gelidum conſtituerit Tartarum; putauit enim cum alijs ex antiquioribus, Tartarum locum eſſe ſub vtroq; cardine, vbi cuncta ſemper rigent gelu, ac ſempiternam tenebræ interram trahunt. Sic itaque & Auctor noſter, vt varium genus tormentorum in Inferis adeſſe monſtraret, lib. 2. Tartarum, cum Zete, incendium facit; hîc gelu obſtrictum perpetuo, cum Crate, deprædicat. atq; ex vtroq; mediam veriorem indicat ſententiam, quam nos ex ſacris innuimus.

ILLE HONOS FLAMMEVS &c. A Cæſarie ad oculos; ab oculis ad genas deſcenderat; nunc ad labia, ac cæteras corporis partes deſcendit, vt ex enumeratione partium perfectior procedat adiunctorum enumeratio, qua oſtendat, nullam Proſerpinæ partem eſſe, quæ non ad terrorem, horroremque componatur. Ideò *ille* emphaticè: nempe *ille*, quo Phœbi ſororem æmulabatur, quo tot Procos accenderat, quo æthereos pyropos in inuidiam vocare videbatur, ac ſuperaſſe micantes; ideò *flammeus*: hoc eſt, flammæ fulgorem referens, & colorem, ad inſtar Carbunculi gemmæ, quæ & ipſa flammea dicitur à colore ſuo perlucido flammas imitante, qui in cauſa fuit, vt in Regiæ Solis ornatum ab Ouid. 2. Metam. adſciſceretur.

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammas imitante pyropo.

Honos autem idem, ac *honor*, ſed hic pro decore, ac pulchritudine ponitur, prout in eodem ſenſu Virg. nomen honoris vſurpat Aen. pri.

Cæſariem Nato Genetrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum: & lætos oculis afflarat honores.

SVPERBI ORIS. *Superbus* idem ſæpe valet, ac nobilis, magnificus, excellens, ſic apud Virg. Æn. primo.

Hinc populum latè regem, belloq; ſuperbum
Venturum excidio, Troia &c.

atque hunc ſenſum non reſpui à poetico hoc textu fateor. Sed, quia non ſine eruditione loquitur Vates, non hic tranſlatè arbitror vſurpatum hoc nomen; ſed immò in ſua propria ſumptum ſignificatione, aliquid ſuperbia elatum exprimente; quod vt intelligamus, meminerîs Pauonem ſuperbiæ ſimul, & pulchritudinis ſymbolum fuiſſe, vt indicaretur pulchritudo nunquam à ſuperbo quodam faſtu diſiuncta. Quod, ſi vniuerſaliter verum ſit, maximè profectò in fœminis; quæ, vt notat Pier. lib. hierog. 24. tantam habent cum Pauone congenitatem, ac tantum naturæ conſenſum, vt mirum minimè fuerit; ſi Virginem, in Leucadia, vſq; adeò adamatam referant à Pauone, quem ipſa aluerat, vt, eâ defunctâ, auis etiam commori voluerit: ideo Ouid. *Laudata Pauone ſuperbiat*, inquit de fœmina, valde ſibi placente. Nec non Armidam ſuam, Torquatus, Pauone ſuperbam magis, delineat, dum ait, Hieroſ. lib. Canto 16.

Ne'l ſuperbo Pauon sì vago in moſtra
Spiega la pompa dell' occhiute piume &c.

& recentior quidam faſtum fœminæ redarguens pulchritudinem, qua ſuperbiat, caſuram ſuggerit:

Và pur ſuperba và
Quella beltà, ch' ti fa ſuperbir ſi fà
Vn giorno ancor cadrà.

Naturam igitur, & proprietatem ſecutus Claud., vt à pulchritudine inſeparabilem oſtenderet fœminarum ſuperbiam ait: *Ille ſuperbi oris honos*. Quo dicto oſtendit, Proſerpinæ os, antequàm raperetur, tantæ fuiſſe pulchritudinis, vt eam ipſam, ſui conſciam, in ſuperbiam adduceret; flammeis enim compoſitum pyropis, ſed animatis, portam videbatur conſtruere orientalem, ex qua lætitiæ Soles prodirent; & quale nos olim colludentes in ſimili pingebamus his verbis.

Bella porta oriental pinge il Cinabro;
Cerca il carbonchio à tributargli il lume;
E sforza, in pioggia d'or ſtillato ogni Nume
Donar ſe ſteſſo all' Erario d' vn labro.
D' animate rubin quà ſotto à gl' archi &c.

Os itaque Proſerpinæ, ante raptum, in ſummo collocat pulchritudinis gradu, dum flammeum hoc eſt pyropo, vt dicebamus, ſimilem vocat; ſicuti enim pyropus reliquas, ideo, quia flammeus, gemmas omnes ſuperaſſe dicitur à Mardobæo his verſibus.

Ardentes gemmas ſuperat carbunculus omnes;
Nam, velut ignitus, radios iacit vndique Carbo;
Nomen vnde ſui cauſam traxiſſe videtur &c.

ſic in eodem gradu os Proſerpinæ collocatur. Sed quale, poſt raptum, iam appareat, mox videbimus. Os autem concauum propriè illud eſt, intra quod lingua, & dentes concluduntur. Hic tamen extremas oris ſignificat oras, nempe labra,

ET MEMBRA. Ne auditori faſtidium pariat, ſi ſingulas omnes corporis partes enumeret, recenſitis faciei partibus, eò, quòd facies præcipuè ſit animi index, reliquas vna voce complectitur *& membra*. *Membra* autem hic poſuit pro eorum ſuperficiebus, nempè pro ſumma in ſingulis pelle, membra ipſa obtegente.

NON CESSVRA PRVINIS. Præintellige *olim non ceſſura &c.* à *cedo*, quod eſt *vincor*, & *ſuperor*, ideò idem ac ſi dixiſſet *non vincenda pruinis*, vulgò *brine*; in ea videlicet qualitate, qua cætera omnia excellunt pruinæ, nempe in candore.

COLORANTVR CALIGINE. Caligo hic prò fuligine ponitur, quæ nil aliud eſt, quàm nigrum illud excrementum, quod ex fumo caminis, vel furnis inhæret. Flammeum itaque labiorum colorem, ac cæterorum albedinem membrorum, atram in nigredinem aperit commutatam; nam colorari, hoc loco, *infuſcari* eſt, ſeu potiùs infuſcatum oſtendi. Quare Nigram, vt vides, Æthyopem viſio iſta Proſerpinam repræſentat, & quidem infuſcata caligine.

PICEI REGNI. Quod maximè nigredinem adauget ipſam; nam pice, & pice tartarea quid nigrius? Notat itaque locum viſio ipſa, ex quo nigredinem horridam adeò contraxerit Proſerpina; nam Piceum Regnum peryphraſticè Tartara dicuntur, ſeù potiùs antonomaſticè, vt patet ex Iuramento Iouis apud Virg. Æn. 9. per Stygem, ac Plutonis regna iurantis ſic.

Faẗa viam inuenient. Stygij per flumina Fratris
Per pice torrentes, atraſq; voragine ripas &c.

Vides quantum mutatam ab illa repræſentet hoc ſomnium Proſerpinam, in quo efformando, imitatus eſt Auctor Virg. Aen. 2. cit. vbi de forma Hectoris tranſmutata ſic loquitur:

Squallentem barbam, & concretos ſanguine crines,
Vulneraq; illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit Patrios &c.

Sed Vates noſter diuerſimodè ſomnium exornans luculentiùs omnia expreſſit, inuentione vſus tantummodo, in rem ſuam deflexâ, multa addens, ac ferè omnia immutans. Sed quid, hac viſione commotionis in Cerere effectum fuerit agnoſcamus.

ERGO HANC &c. Ad neceſſarium, ex delineata conſequens viſionis figura, reflectitur Vates, oſtendens dubietatem Cereris vix agnoſcentis, ſed agnoſcentis tandem,

quoquo

quoquo pacto Proſerpinam. Cum autem prima mentis titubatio ex deformata Filiæ ſpecie, tamquam effectus à cauſa, procedere:, ideò apte illam infert per particulam *Ergò*, quæ illatiua eſt importans neceſſitatem connexionis conſequentium cum præmiſſis. Duo autem, hac particula inferuntur, vnum tacitè, nempè difficultatem filiam agnoſcendi ex mutatione oris enatam: alterum expreſsè, nempè vehementem affectuum eruptionem, ex miſerabili aſpectu cauſatam.

VT VIX TANDEM. Aduerbium temporis, hìc, eſt, & ordinis particula *vt* idem ſonans, ac *poſtquam*. *Vix* aduerb. eſt difficultatem, laborem, & virium conatum importans, & idem ſonat, ac difficulter, vi, & labore adhibito; ſed dum additur *tandem*, & difficultas augetur, & tempus inſuper additur, in re facienda inſumptum.

EVALVIT HANC AGNOSCERE. *Eualet* idem, hoc loco, eſt, ac poſſum, ſed difficulter poſſum: ex quo vides adauctam difficultatem adhùc, & conatum agnoſcendi: *agnoſcere* autem talem importat cognitionem, per quam, ſe decipi, non debeat intellectus, ſuſpicari. Pronomen *hanc* ſupra imaginem Proſerpinæ cadit, à viſione repræſentatam; ideò ingenioſè Vates nomen non appoſuit, quia vera non erat Proſerpina, quæ apparuerat, ſed eius imago, & quidem adeò deformata, vt diù, vtrum illa eſſet, iure fuerit ambigendum.

DVBIO VVLTV. Rationem reddit, cur ambigendum fuerit, cur tanto conatu enitendum, vt agnoſceretur; quia videlicet *dubius* erat *vultus*, hoc eſt dubietatem pariens. Dixi, hanc dubietatem, pernecessariam illationem, ex antecedentibus, à Vate deductam tacite: & ratio eſt quia, dum dicit *ergò hanc vo dubio &c.* ſenſus eſt: ergò vix Ceres eam potuit agnoſcere, faciei mutatione dubium ingerente; &, vt tandem agnouit, in affectus per interrogationes erupit &c. Quod ſi quæras, quomodo idem vultus, quamuis deformatus, potuerit huiuſmodi parere dubitationes? Memineris, omnem intellectus humani cognitionem à ſpeciebus dependere ex quo inualuit effatum, quod nihil cognoſci poſſit, niſi per ſpecies ab obiecto impreſſas: cum itaque varientur ſpecies impreſſæ, neceſſario variatur etiam expreſſa, hoc eſt ipſa formalis rei cognitio. Quo poſito, aduertes variatas certè fuiſſe ſpecies Proſerpinæ, cum ex pulcherrima in deformem, licet per ſomnium, mutata, eaſdem, quas priùs pulchritudinis ſpecies emittere non poſſet; ſed ſolùm oppoſitas turpitudinis: quarè, attentis hiſce ſpeciebus, negandum fuerat, eamdem eſſe; verùm quia hæc turpitudo non variauerat ſimetriam membrorum, & lineamenta illa naturalia, quæ ex vtero matris deportauerat, licet facta eſſent deformia, adhùc tamen illa ſpecies ſui proprias emittebant, licet à ſpeciebus pulchritudinis ſeiunctas, ac ſpecie deformitatis affectas. Quarè, attentis lineamentorum ſpeciebus, eadem eſſe dicenda fuerat; atq; ideò inter affirmationem, & negationem fluctuans intellectus hærere diù coactus eſt; donec, præualentibus lineamentorum ſpeciebus, eamdem eſſe, vix tandem agnouit. Ideò *dubio vultu*, hoc eſt dubium faciente ob conflictionem ſpecierum &c. *Dubio vix tandem agnoſcere viſu*; legit Heinſius. Sed vel *viſum* accipit formaliter, vel obiectiuè, nempe vel per viſum intelligit actum videndi, vel obiectum concurrens ad viſionem: Si ſecundum? nobiſcum coincidit, ſed non clare adeò loquitur. Si primum? attingit modum viſionis, ſed cauſam huiuſmodi non explicat; quarè radicalis erit magis vulgata lectio.

INQVIT. Connaturale eſt matri, & quidem teneris imbutæ affectibus, vt, quoties Filio aliquid infortunij nouerit accidiſſe, quid hoc ſit ſtatim, vnde fuerit, modum, quo fuerit, ſciſcitetur. Ideò Vates, naturam ſecutus, teneram profectò matrem ad interrogationes adducit huiuſmodi: nam, licet ſciret, vehementi vel admiratione, vel dolore, ſæpe ſæpiùs ab vſu linguæ hominem deturbari; nouit etiam, hæc omnia, naturâ vim doloris, & admirationis, ſuperante, ab affectu materno vincula diſrumpi, vbi agitur de Filiæ damno, cui, mater, ſe reparaturam, poſſit arbitrari, ſi nouerit quid, & cur, & à quo Filia patiatur; ideò Cererem, admiratione, ac dolore ſuperatis induci loquentem.

CVIVS TOT POENÆ CRIMINIS? &c. Ethopeia hæc eſt Cereris, filiam, viſione expreſſam, alloquentis. Ipſe autem ſtatim initio, quærit, cuiuſnam criminis rea, pœnas tot ſubierit, & tantas quo dicto, dum non, vtrum errauerit, quæritat, ſed errorem; videtur crimen in Filia ſupponere, vt certum, atq; incertum tantummodo ſibi eſſe criminis genus; & quidem, attento Eripidis effato, quod ex græco reddit Pier., nempè, *Infortunio eſt, vt alegeſq; demonia ſinis infortuniorum*: certè, viſis Filiæ infortunijs, non poterat Ceres, quin filiam criminis alicuius ream ſuſpicaretur. Iterum, attenta natura interrogationis, quæ ad inſtandum, vrgendumque videtur efformata, dicenda eſſet Ceres filiam de crimine, quod negare non poſſet, cum nocum ex pœna fieret, interrogaſſe. Verùm attende modum loquendi, & omnis prorsùs tolletur æquiuocatio. Aduerte, inquam, interrogationem iſtam non eſſe ſimplicem; ſed eſſe admirantis interrogationem, quæ vtq; ſæpe facit, vt ſenſus ſuppoſiti tranſeat ex affirmatiuo in negatiuum, ita vt, quod videatur ſupponi, non ſupponatur, ſed immò tamquam impoſſibile ponatur. Sic Pater Albertus Lauellus è Soc. Ieſu, præceptor olim meus, atq; eloquendi arte profectò inſignis, ethopeiam Herculis, filios, iam iam ſub carnifice cadentes, vt vix agnouit, alloquentis extruens, ſic ore Herculis alloquitur.

Figli d'Hercol voi ſiete? E qual misfatto
Vi fece rei? Che tanto osò? Che puote
Bever del ſangue mio la miglior parte?

quaſi diceret: quis potuit è Regibus reos facere, quis crimen in prole Herculis effingere? quæ hoc ipſo, quod herculea eſt, criminis incapax eſt. Sic itaque & Ceres non ſupponit crimen in Filia; ſed immò & impoſſibile ſupponit; quod filia Cereris ſit: ac propterea admirans quærit, quodnam crimen agnitum fuerit in impeccabili, vt talibus plecteretur reorum pœnis? Iniuſtitiam itaque ſupponit potiùs in plectente, quam culpam in patiente. & correſpondet iis, quæ Proſerpina ipſa dixerat lib. 2., cum, de Ioue conquerens, ait:

. . . . . Tantas quo crimine moueamus iras?

ſe innoxiam profeſſa, Iouem iniuſtitiæ incuſans. *Cuiue igitur &c.* interrogantis eſt ſimùl, & admirantis, ac ſcirpum in ouo, vbi inueniri non poſſit, quæritantis. *Criminis* nomine quid veniat vide cit. mox carm. lib. 2. *Tot pœnæ*. Subintellige *ſunt in ſupplicium*. *Tot* numerale eſt multiplicitatem pœnarum indefinitè oſtendens, quaſi innumerabiles in ipſo numero ſint. *Pœnæ* autem tormenta ſunt, quibus quis, ob delictum, afficitur, vt alibi diximus. Quare crimen, & pœna ſibi inuicem correſpondent: & vigilant in crimina pœnæ.

VNDE HÆC INFORMIS MACIES? *Vnde*, non locum hìc ex quo emerſerit, ſed cauſam, à qua ortum habuerit macies, quærit; ac illa emphatice per pronomen *hæc* demonſtratur; nempè vt inſolita, impropria, indecens, indebita connotetur. *Macies* autem eſt corporis extenuatio, qua efficitur, vt corpus ipſum rugoſitatibus, ac ſtrigoſitatibus deturpetur, immo liuores contrahat, ac pallorem, & nigredinem. Quarè corpus, hac graciſceſcens extenuatione, *macie torridum* appellauit Cic. Apud Ægyptios tamen, eâ fuit in veneratione Macies, vt eam propiùs ad diuinitatem accedere, arbitrarentur, vt ait, ex Plutarcho, Pier. lib. hierog. 46., igitur, vt oſtenderet Vates, Maciem Proſerpinæ eam non eſſe, ex qua deduci poſſet argumentum Diuinitatis, addito ſugillat epiteto *Informis*; quod nomen quam appoſitè exprimat inferorum caliginem, ſqualloreſq;, videas lib. pri. carm. tot. Ex quo efficitur, vt Ceres non potuerit, ex hac macie Diuinitatem arguere, niſi, quatenùs Proſerpinam Inferarum Deam ſuſpicari potuiſſet conſtitutam. Sed quia alienum nimis ab illius mente id erat; ideò *Quære &c.*

CVI TANTA POTESTAS &c. Ex catenato corporis habitu conſtabat ſatis, captiuam eſſe Proſerpinam; ita vt illud ipſum exprimeretur, quod illa, dum raperetur, dixerat lib. pri. *Infelix Stygio ducor captiua Tyranno*.
Sed Tyrannus quis eſſet, Cereri non patebat, ideò, cum admiratione, indignationi admixta, interrogat de perſona, & auctore facinoris per particulam *Cui*. *Tanta*; hoc eſt tam ingens, tàm excedens modum, ac barbariem ſuperans ipſam, *Poteſtas*, nempe præpotens facultas, audax libertas, temeraria auctoritas; & ſubintellige *data eſt*. Impoſſibile enim Cereri videbatur, in Iouis Filiam, tantum nefas cuicui tandem licuiſſe; niſi ex impertitâ illi ab ipſo Ioue auctoritate: nec fallebat opinio; ſed eam à Ioue tradendam, numquam in mentem adduxiſſet.

SÆVITIAE. Ideſt *ſæuiendi*, ſeù ſæuam, ac barbaram tyrannidem exercendi.

IN ME. Affectum oſtentat maternum, qui ſuas exiſtimet natæ calamitates; ſimulq; oſtendit Auctor, ſe adhærere ſententiæ aſſerenti, etiam fœminam actiuè concurrere ad generationem, atq; adeò partem ſuæ genitis ſubſtantiæ communicare, à ſe ipſa deciſam: nam ex hoc verè efficitur, vt filia pars matris ſit; & vt, conſequenter, qui natam lædit, matrem lædat: ideò *In me* emphaticè: Iouis nempè ſororem, ex Ioue matrem &c.

CVR VINCVLA RIGIDI FERRI &c. Tyrannum

quæſierat: cauſam ſciſcitatur: nam *cur* aduerbium cauſam ſciſcitantis eſt. *Vincula*, à vinciendo dicta, catenæ ſunt, de quibus ſupra; ideò *Rigida ferri*. Rigidus idem eſt, ac *durus*, intractabilis, & non cedens. Ferrum autem quid ſit, ſatis conſtat. Nec clamites materiam ſexto caſu cum præpoſitione ex efferenda eſſe; nam loquitur poeticè Vates cum Virg. Aen. 7.

Centum ærei claudunt vectes, æternaq; ferri
Robora; nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.

vbi Aſcenſius: *ferri*, inſit, hoc eſt *ex ferro*.

VIX APTANDA FERIS. Ab indigno factum auget *Vix* enim, hoc loco, ponitur, vt ſupplens vicem particulæ negatiuæ *vix aptanda*; hoc eſt *Non aptanda*, *non congruenda*, ne feris quidem ipſis, quæ quales ſint, alibi diximus. In ſuprapoſito autem ſenſu particulam *vix* nouimus vſurpatam etiam ab Ouid. cum inquit:

Vix Priamus tanti, totaq; Troia fuit.

hoc eſt *tanti non fuit Priamus* exponit Donatus.

MOLLES MERVERE LACERTI. Lacerti pro totis brachijs quomodò ponantur, & quid ſint vidimus lib. 2. carm. 30. & 49. Molles itaque dicuntur, ideſt delicati, per contrapoſitum ad ſuprapoſitam ferri rigiditatem. Sic etiam Taſſus Hierol. liber. Cantu 2. Sofroniam deſcribens;

Stringon le molli braccia aſpre ritorte &c.

Merere autem eſt aliquid feciſſe (in caſu noſtro) propter quod pœnam in nos ipſos prouocauerimus. Ideò *cur meruere*: quid mali egerunt lacerti, ſeu potiùs Proſerpina, vt digna eſſet, quæ catenas pateretur? &c.

TV MEA, TV PROLES? Emphatica conduplicatio vehementiſſimam affectuum commotionem oſtentat; & pathetice admodum addubitationem innouat, admiratione interrogationi admixtâ. Quid Proles ſit, vidimus lib. pri. carm. 122. hic tantùm noto emphatice omnia procedere, nempe geminationem pronominis *Tu*, *tu*, vt dicebamus, poſſeſſiuum illud *mea*, & nomen ipſum *Proles*: quaſi diceret: *Tu, quæ ſordida mortis adſtas imago*; Tu, quæ monſtrum potiùs videri poſſis Tartareum, quam fœmina, ne dum Dea Iouis ex ſanguine creta; Tu Proles illa, pro qua Mars, & Phœbus decertabant, quam Latona, & Iuno Nurum expoſcebant, Tu illa? Tu mea? ideſt Proles Cereris, quæ affluentiæ Dea, deliciarum Nutrix, Iouis ſoror &c. Tu mea, tu Proles? Conſimili admiratione aſſurgit Andromache, inſperato Aeneam intuens Aen. 3., licet non pathetice adeò, dum ait:

Vera ne te facies; verus mihi nuncius affers
Nate Dea?

AN VANA FALLIMVR VMBRA? *An* interrogantis ſimul, ac dubitantis eſt: nam, cum facilè, quidquid quis vellet, ſibi perſuadeat, facilè & Ceres inclinabat ad credendum, ſe vere decipi, quia decipi ex corde optabat. *Decipi* autem, eludi eſt: & *vtinam eludamur*, tacitis affectibus expreſſum fuiſſe, ex antedictis patet. *Vmbra* verò dixit; hoc eſt imagine; nam vmbra dicitur etiam delineata à pictoribus effigies, quod repræſentet ſine corpore corpus: & ideò *vanâ*, hoc eſt fallaci, falſa, mendaci, in quo ſenſu & Virg. Aen. pri. *Ne fruſtra augurium vani docuere parentes.*

immò *vanus* interdum idem ſonat, ac inueriſimilis, improbabilis, impoſſibilis: ſic Teren. in Eunuc.

Falſum, aut vanum, aut fictum eſt &c.

quia autem voluiſſet Ceres imaginem illam inueriſimilem, & impoſſibilem eſſe; eam, iuxta deſiderium ſuum *vanam* dicit, ambigens tamen.

Sed, ne in vmbris diutiùs hæreamus, lucem ex vmbris exquiramus, qua nos ipſos conſpicuis motibus imbuamus.

AST PROCVL ARMISONI &c. Peregrinatur profectò à ſummo bonorum omnium auctore, qui æthera deſerunt, vt terram inquireret, vt alibi diximus: peregrinatur à patria ſua quiſquis, longe à cogitationibus cæleſtibus, terreis addicitur oblectamentis; immò à ſe ipſo, ſeù à potiore ſui parte peregrinatur, qui, curam animæ negligens, totus corporeis addicitur delicijs. In hoc ſtatu Ceres erat, dum *procùl armiſonis &c.* deſcribitur: Cererem autem rationis illius, quæ princeps Animæ facultas eſt, & ad quam ſpectat animam ipſam tueri ab irruentibus hoſtium inſidijs, vicem ſuſtinuiſſe, alibi iam diximus. Hæc itaque ratio peregrinatur à Cælo, cum Siciliæ, hoc eſt luxurianti diuitiarum affluentiæ temporalium, adhæret; peregrinatur à Proſerpina, nempe ab anima, cum eam inter terum affluentias deſtituit, quæ locum adſtruunt inſidiarum, eiuſdemq; neglectâ curâ, ad ſubigendos Cybeles leones conuertitur; hoc eſt ad corrigenda aliorum vitia, ita vt, feſtucas in alienis intuens oculis, trabes in proprio non conſideret; & peregrinatur à ſe ipſa, ſeù a potiore ſui parte, dum terrenis voluptatibus, ac ſenſualibus oblectamentis irretita, & proprium animus, & animam meliorem ſui negligit partem, inferis vtiq; raptoribus expoſitam: atq; in vtramq; aurem dormire videtur ſecura, dum nil de animæ recogitat ſalute. Captiua Tyranno interim ſtygio, vitiorum catenis ducitur Anima. Et quamuis conſopita ſomno quieſcat ratio, non poteſt quin ſympatico captiuitatis nodo, affectuq; torqueatur. Videt Animæ perniciem; ſed, quaſi ſomnians, videt; quarè ſe errantem potiùs fingit, quam Animam credat captiuam. Terretur tamen; nam ratio, ſine ſe ipſa, numquam poteſt omninò eſſe; atq; adeò, & illi, omni perit Proſerpina ſomno. Sed, quia curam negleſcit; quia ad mentis gubernaculum redire in ſerum diſtulit; tunc perniciem videt, cum adeò inualuit vitioſorum habituum catena captiuans, vt iam non ſua ſit Anima, quam tamen in ſuam cogitur aſſerere. Præuertendum itaque malum eſt, & cauendum, ne vnquam ratio ex arce mentis recedat, ſed fixa ſemper, ac vigil Animæ aſſiſtat, ne illa, abſente hac matre, rapiatur. Sed & Rectores Animarum admoneri hic, arbitror, ne à commiſſa ſibi Animarum cura longe recedant, vt ſibi ipſis indulgeant; nam tunc lupus rapit, & diſpergit oues; ac tunc vlulandum Paſtoribus, iacturam Animarum commiſſi ſibi gregis amarè lugentibus; licet enim varijs animi relaxationibus detineantur, obuerſabitur ante oculos mentis Animarum ſtrages periclitantium, ſic Deo diſpenſante, ac conſcientia ipſa tragicum delineante theatrum, ex quo raptarum repræſentetur exitium, atq; animi cruciatus ingens in Paſtorem proſiliat. Sed ne falcem in alienam meſſem immittamus, quid Italicus ſuggerat Pindus aduertamus,

Ma di Cerere, in tanto, angoſcie ignote
  Giungon frequenti, à lacerar la pace,
  Sin dell'Ida ne gl'antri, oue deuote
  S'agitan l'armi, in fero ſuon, che piace.
  Ben prouate hauea qui liete le ruote
  Del tempo, vn tempo, in vn gioir verace;
  Hor ſi cangian le ſcene; e non ſà d'onde
  Naſca l'horror, ch'ogni piacer confonde.
Signoreggia nel petto, e l'auuelena
  Dell'atra bile il tenebroſo humore;
  Ed infetti del ſangue in ogni vena
  Diſpon gli ſpirti, a por l'aſſedio al cuore;
  Del ſenſo interno alla region ſerena
  Porta i torbidi ſuoi l'atro vapore;
  E'l turba sì, ch'imaginar non vale
  Altra, che di terror ſerie fatale.
Sogna vegliando all'hor, che l'aurea luce
  Scorre brillante, e l'Emisfero indora;
  E, mentr'ella i color nel Mondo adduce,
  Moſtri Ercinna dipinge; e, di Pandora — Ercinna cognomen Cereris apud Mythol. Nat. Com. lib. 5. c. 14.
  Fatta vaſo à ſe ſteſſa, in ſe produce
  Simolacri del mal, che l'alma eſplora;
  Del mal, che troppo, a' danni ſuoi, ſortito
  Le larue informa, e non appar mentito.
Ma, quando pur Notte, del ſonno amica,
  De papaueri ſuoi ſparge i liquori,
  Quant'à gl'altri è propitia, à lei nemica
  Tanto ſi moſtra, in raddoppiar terrori:
  Che, s'il ſonno comparte, al ſonno intrica
  Mille ſogni funeſti, ombre d'horrori;
  Poich', ad Emblemi, ogni ſuo ſonno, impreſſo
  Della Figlia il perir gli porta eſpreſſo.
Nel proprio ventre il penetrar crudele
  Hor gli ſembra prouar d'haſte ſpietate,
  Allo ſquarciar, dentro al ſuo Aſil fedele,
  Dell'inſidiata Figlia il cuor vibrate:
  Hor de gl'habiti ſuoi l'argentee tele
  Mira, in gramaglie, inhorridir, cangiate;
  Hor ne gl'intimi ſuoi chiuſi Penati

Ste-

Sterili frondeggiar gl'Orni mal nati.
Ergeaſi già, d'immortal fronda adorno,
Pompa d'eterno April, pudico alloro.
Che della bella al virginal ſoggiorno
Compartiua dell'ombre almo il riſtoro,
Mentr', abbracciato alla parete intorno,
Sormontaua del tetto i fregi d'oro:
Pianta d'ogn'altra, e più gradita, e cara
Ond', a vincer, fuggendo, Amor, s'impara.
Quì ſtà dalle radici (ahi viſta acerba)
Vede reciſa, e, ſenz'honor, proſteſa;
Ne del faſto primier punto riſerba
La verde chioma, hor dalle Parche offeſa;
Anzi d'immonda polue i sfregi ſerba,
Le ſue ſuenture al propalare inteſa;
Polue, che la deturpa, e rende i ſaggi
Di quai fur del cader fieri gl'oltraggi.
Hor, mentre anſioſa, in ricercar, s'affanna
Del misfatto l'Auttor la Dea dolente,
Le Driadi amiche, à quali pur s'appanna
Dal duolo il cuore, in vn pallor languente,
Ahi: Te, diſſero, al pianto, e Noi, condanna
Forza d'Auerno, in ſuoi furori ardente.
Con tartarea bipenne il tronco eterno
Puote render mortal Furia d'Inferno.
S aprono, in tanto, all'angoſciata mente
D'antro profondo i tenebroſi aſpetti;
Mà non è'l buio ad impedir poſſente
Viſta d'occhio Diuin, cui ſi ſoggetti.
Quindi ſcorge la Diua (e ne riſente
Nel cuor trafitto i diſperati affetti.)
Delle viſcere ſue l'vnico pegno
Della cieca prigion nel centro indegno.
Enigmatico vol di larue incerte
Non più s'aggira in vn variar confuſo;
Mà le ſciagure ſue, pur troppo aperte
Moſtra ella ſteſſa; e'l fiero duol, trasfuſo
Nell'eſterne ſembianze, è, che n'accerte
L'eterno ſcempio, à danni ſuoi profuſo.
E, di ferree catene intorno cinta,
Giace, del corpo ogni ſua parte auuinta.
Non più, qual dianzi, all'hor, che pria l'accolſe,
Sceſa dal Ciel, della Sicilia il ſuolo,
Vibra i raggi quel volto, à cui riuolſe
Febo inuaghito ogni ſua brama à volo:
Non più quel bel, che, non è guari, auuolſe
Di ſe ſteſſo in ſtupor le Dee del Polo,
Là dell'Etna ne campi, hor quì campeggia;
Anzi, già ſpento, in mar di morte ondeggia.
Quella; che l'oro in paragon già vinſe,
Lucida chioma, hor ſcarmigliata, incolta,
In tetrico ſquallor tutta s'intinſe:
E, tiranna de gl'occhi, oſcura, e folta,
Le già faci d'amor la notte eſtinſe,
Che, qual baccante, infuriata, e ſtolta,
Quelle sfere trauolge, ond'arrogante
Tutto ne ſcoſſe il folgorar brillante.
L'oſtro vital, che nelle guancie i fiori
Schierò, raccolti entr'a'ruſai di Peſto,
Conſumato dal gel, che frà gl'horrori
Dell'Abiſſo s'indura, in vn funeſto
Pallor riuolſe i porporini ardori.
Della bocca i rubin, ch', in dolce inneſto,
Fiammeggiauan sù'l labro, hor, traccangiati
In eſtinto carbon, ſon ſcherzo à i Fati.
Gl'alabaſtri del corpo, in ogni parte,
Atti, all'inuidia ad eccitar le neui,
L'orgoglioſo candor poſto in diſparte,
Veſton le peci, all'atra ſtige allieui.
Quindi incerta la Madre, a parte à parte,
La ſembianza ricorre: e non ſon breui
D'inganno i dubij in sì deforme aſpetto:
Pur riconoſce al fin l'vnico oggetto.
Ed, ò Figlia, prorompe, e qual misfatto
Di tante pene in te lo sforzo aduna?
Perche ſmunto così; perche disfatto
Reſe corpo sì bello empia fortuna?
Qual faſcino t'opprime; ò qual l'intatto
Sugge del tuo vigor Strige Importuna?
Chi tanto osò? chi tanto puote? E tanto
Contro me d'infierir s'arroga il vanto
Perche tante di ferro aſpre ritorte
Ti rannodan le membra; ond'io ti miri
Delle fiere più crude in peggior ſorte?
Ah dimmi, ſe mia mente hoggi deliri,
Entro falſa impreſſion d'eburnee porte;
O ſe veri diſcerno i miei martiri.
Sei, ſei Tu la mia Prole? ò pur m'ingombra,
Schernitrice del cuor, fallace vn'ombra?

Strix auis ſanguinem ſugens ex infantibus ſine nutrice noctu relictis Ouid. Faſt 6.

Hæc agitatæ Cereris anguſtia: hæ ſunt, pereuntis ferè dolore, Matris interrogationes. Iam redditum à Proſerpina reſponſum ex Auctore noſtro delibemus.

ILLA REFERT &c. Cereris interrogationibus Proſerpinæ, per ſomnium viſæ, reſponſiones iam ſubijcit, quibus matrem filia redarguit, atque immemorem vocat, & crudelem, ac ſui minimè amantem ſanguinis. Quas querelas ne videatur, iniuriâ, expromere, cauſam reddit, dum ſe Proſerpinam eſſe profitetur, ac, miſerias oculis ſubijciens ſuas, oſtendit, quam abſurdum ſit, matrem in delicijs verſari, filia miſerrimo hercle luctu pereunte. Obteſtatur ſubindè ſupplex materna viſcera, & matris auxilium implorat, vt tot tormentis eripiatur;

Illa refert: Heù dira Parens Natæq; peremptæ,
Immemor! Heù fuluas animo tranſgreſſa Leęnas!
Tanta ne te noſtri tenuere obliuia? Tantum
Vnica deſpicior? Certè Proſerpina, nomen
Dulce tibi, tali, quæ nunc, vt cernis, hiatu
Supplicijs incluſa feror. Tù ſæua choreis
Indulges; Phrygiaſq; etiamnum interſtrepis vrbes.
Quod ſi non omnem pepuliſti pectore Matrem,
Si tu Sancta Ceres, & te non Caſpia Tigris
Edidit, his, oro, miſeram defende catenis;
Inq; ſuperna refer: Prohibent ſi Fata reuerti
Vel ſaltem viſura veni. Sic fata trementes
Tendere conatur palmas: vis improba ferri
Impedit; & motæ ſomnum excuſsêre catenæ.
Obriguit viſis; gaudet non vera fuiſſe;
Complexu caruiſſe dolet: penetralibus amens
Proſilit, & tali compellat voce Cybellem.

vel ſaltem, ſi fata obſtarent, vt ad eam properet inuiſendam, orat, & obſecrat; ac dum tendere manus nititur, excuſſas indicat Auctor, quibus alligabatur, catenas, vehementi adeò ſtrepitu decuſſi ferri, vt matrem excitauerit fragor. Hic, data occaſione, mediam inter terrorem, & gaudium Cererem deſcribit; atq; ex diuerſis motibus in diuerſos, ſed connaturales omnes, procliuem affectus; ac tandem, relicto ſtrato, vt Cybeli vale diceret, ac Siciliam repeteret, properantè inducit.

ILLA REFERT. Nouum profectò non eſt, ſomniantes etiam, inter-

dum, dialogiſmos efformare. Quod dupliciter accidere poteſt; vel ſcilicet per imaginariam repræſentationem, cum qui ſomniat, videtur ſibi aliquem alloqui, & ab eodem reſponſa accipere; vel etiam non ſemel per actualem dialogiſmi efformationem, ita vt ſomnians verè loquatur; &, ſi, caſu, ab aliquo ſecum decubante reſpondeatur, reſponſum percipiat, & replicet, ac ſi verè euigilaret. Quod ſi, quomodo id fieri poſſit, exquiras, facilis eſt reſponſio ex iis, quæ, de ſomni cauſis, iam diximus: cum enim ſomnus proueniat ex obſtructione meatuum ſpiritibus deſeruientium, facta à vaporibus, frigiditate cerebri addenſatis; poteſt interdum fieri, vt non tanta ſit vaporum copia, vt meatus obſtruat omnes: atq; adeò ſpiritus, per vias, quas apertas reperiunt, tranſmeantes, potentiam illam externam mouent, ad quam via ducit aperta, & in operationem impellunt. Hoc poſito. Cum inſomnia fiant, per excitationem ſpecierum in ſenſu interno aſſeruatarum; dum ſpecies illæ excitantur, efficiunt etiam, vt ſpiritus, ſecundum exigentiam ſpecierum excitatarum, moueantur: quare ſi in dormiente tanta fuerit vaporum frigidorum addenſatio, vt vias omnes ſpirituum obſtruat, præter eas, quæ potentiæ deſeruiunt locutiuæ; excitatis ſpeciebus loquendi, ſpiritus ad linguam properant, atq; ad locutionem, à ſpeciebus requiſitam, impellunt; ſed tunc reſponſiones non audiet dormiens, quia obſtructa via auditus ſenſorij eſt. Quod ſi hæc etiam aperta reperiatur, tunc & loquitur, & reſponſa audit, & replicat dormiens. Hoc certè modo non loquebatur Ceres, nec reſponſa verè audiebat, cum, de facto, nec eſſet, quæ reſponſum daret: ſed per imaginariam tantum efformationem dialogiſmi videbatur ſibi, & loqui, & reſponſa accipere, ſicut & videre, & audire, quod de facto nec audiebat, nec videbat. Cum itaque melancholici humores, ad cerebrum euaporantes, ad triſtia ſemper ſomnia inclinent; nil mirum, ſi Ceres, quæ, quæ, mæſta ſemper animo, malum de Proſerpina cogitauerat, noctu ab iiſdem cogitationibus pateretur; ita vt humores melancholici malorum ſpecies excitarent, tanto impetu, vt varias triſtium, antea perceptarum, ſpecies, excitando, confunderent cum ſpecie principali, Proſerpinam, infortunijs afflictam, repræſentanti; ſicq; ſpecies omnes excitatæ, nempè deformitas, maciei, crinium ſquallentium, catenarum opprimentium &c. mæſtæ Proſerpinæ ſpeciem obuallantes ſpectrum illud conficerent, quod exaratum iam vidimus. Cum autem illæ ſpecies connaturaliter excitare linguam debuerint in queſtus, atq; in interrogationes &c. ſpecies alias, ſui ipſarum exigentiæ proportionatas excitarunt; ſicq; viſa eſt ſibi Ceres, modo iam tradito, locuta. Iterùm hæ ſpecies locutionis ſpecies excitarunt proportionatæ reſponſionis, & reliquorum reſponſioni adnexorum; ideò ſibi viſa eſt, & reſponſum audire, & motum reſpondentis aſpicere, ac ſtrepitum percipere catenarum. Et, quia ſomnia res viuidè adeò repræſentant, ac ſi actualiter, vel eſſent, vel fierent; ideò Vates abſolutè loquitur: *Illa refert, Illa* nempè ſomniata Proſerpina, de qua ſupra. *Refert*, hoc eſt reſpondet; nam *refero* eſt *reſponſum fero*, vt videre eſt apud Virg. Aen. 4., vbi cum Didonis ad Aeneam, diſcedere parantem, querelas exaraſſet, ſubdit:

> *. . . . . . Ille Iouis monitis immota tenebat*
> *Lumina, & obnixus curam ſub corde premebat;*
> *Tandem pauca refert &c.*

HEV DIRA PARENS. Reſponſionem iam effert Proſerpinæ, in ſomnis viſæ, ac, per Proſopopeiam, lamentantis. De interiectione dolentis *Heu* vide dicta lib. 2. carm. 238. Tantùm aduerte, particulam hic eſſe dolentis non ſolum, ſed &, per commiſerationem, exprobrantis; nam ex abrupto Proſerpina in matrem inuehitur, ſocordem nimis, atq; incurioſam, vnicâ ſibi filiâ pereunte. Sed nota Vatis artificium, hoc loco. Inducere Proſerpinam ſtatuerat, auxilium à matre implorantem: exordium autem ab exprobratione, nouit, eſſe aptiùs ad exacerbandos, quam ad leniendos animos; &, licet noſſet etiam, exprobrationem, quæ defectum amoris arguat, in parentibus, non extinguere, ſed magis potiùs amoris flammas accendere, tamen, vt vno, eodemq; contextu & exprobrationem exhibeat, & vulnus leniat, & reuerentiam filiæ in matrem ſeruet, verbis vtitur, vel duplici ſignificatione inſignitis, vel modificatis adeò, vt, culpam non matris eſſe, vt matris, ſed matris, vt ab occulta Deorum ira coactæ, atq; à ſe ipſa abalienatæ, inſinuet. Sic vtitur particula *Heu* non tam exprobrantis, quam dolentis. Nomen autem *dira*, licet, de ſe, idem ſit, ac crudelis, immitis, impia; pro eodem tamen etiam accipi ſolet, ac magna, ingens, verenda. Sic apud Virg. Aen. 8.

> *Iam tum religio pauidos terrebat agreſtes*
> *Dira loci; iam tum ſyluam, ſaxumq; tremebant.*

eſto tamen poſitum ſit hic, in prima ſui ſignificatione. Alibi diximus tamen *Dira* dici quaſi *Deorum ira*. Quarè impiam quidem vocat matrem, ſed impietate non ſua, aſt Dei irâ in illam immiſſa, vt filia plecteretur; Idcò *Dira Parens* per contrapoſitum. Monſtrum enim videtur, ſi ea, quæ peperit (à quo Parens) crudelis in partum ſit, ex quo pathetica patet emphaſis.

NATÆQ; PEREMPTAS IMMEMOR. *Que* pro *&* explicatiua, hoc loco particula eſt, idem ſonans, atq; *hoc eſt*, explicat enim cauſam, cur diram dixerit, nempè ideò *diram*, quia *immemor*; non verò quia ipſa poſitiuè mala, quibus obſidebatur, in filiam ingeſſiſſet; ſed quia immemor patrocinationis, aſſiſtentiæ defenſionis, quam natæ, iure materno præſtare debuiſſet, natura ipſa id dictante non ſolum, ſed iubente. *Immemor* autem dicitur quæ non meminit *Natæ*. A *naſcor natæ* dicuntur filij, qui à parentibus generantur. Correlatiuè itaque hic ponitur ad nomen Parens; & quidem emphaticè ad augendam rationem crudelitatis. Certè vulturina aquila ſymbolum ponitur crudelitatis, eo, quod pullos ſuos, nondum ad volatum habiles è nido eijciat, negetque illis maternam, qua adhuc indigeant, operam: Sed non minus eiuſdem immanitatis redarguitur Struthiocamelus, qui, poſtquam oua ſua peperit, neque illa incubatu fouet, nec pullos nutrit, ſed oua terræ puluen demandata relinquit multiuago proterenda pede. Sic Ceres ideò Dira, quia non adfuerit, cum maximè opus eſſet; Sed Siciliæ abſens commiſerit proterendam, rapiendam, &c. atq; in mortuorum regnum transferendam. Ideò *peremptam*, à perimo, quod eſt occido; non quia de facto occiſa fuerit; cum immortalis, quippe Dea, eſſe debuerit; ſed quia inter mortuos viua fuerit obſepulta, & quia morte ipſa deterior ingenuis reputatur captiuitas; ac tandem quia inter mortuos computatur, qui luce, ad quam natus ſit, non fruitur.

HEV TRANSGRESSA ANIMO FVLVAS LEÆNAS. Nota emphaticam repetitionem dolentis, exprobrantiſq; proprium enim eſt, & ſummi doloris, & ſummæ indignationis effectus, crebris interiectionibus voces intercidere. Ideò iure Vates naturam ſic imitatur, *Tranſgreſſa*, à *Tranſgredior*, idem eſt, ac *greſſa trans*, ſeù vltra, Leænas, hoc eſt eas crudelitate ſuperando. De Animo ſæpè diximus illum conſilij eſſe animam verò vitæ, quarè ſatis hic patet, quid innuat. Leæna verò Leonis fœmina eſt, quæ & Lea dicitur. Immenſum autem furorem, quo quis impatentiùs exardeſcat, ſi aliquando collineare libuiſſet, Leonem antiqui effingebant catulos diſcerpentem ſuos. Ad hæc itaque alludens Proſerpina, Matrem, ſui immemorem, Leænas animo trangreſſam dicit, hyperbolicè loquens, vt eius immanitatem, vel lupra immenſum, ſi fieri poſſit, extollat. Et nota, quam aptè Vates naturam imitetur; nam connaturale eſt, vt, ſi quando concitati affectus, vel reuerentiâ aliquâ, vel politico aliquo conatu detineantur, intumeſcant adeò, vt ad inſtar fluuij, oppoſitis detenti marginibus, tandem, rupto margine, erumpant fortiùs. Initio orationis, modificato quodam loquendi more affectus repreſſerat in reuerentiam Matris Proſerpina: ſed tandem iugum illi excutiunt, eâq; vel iniurâ, vehementiùs erumpunt: *Tranſgreſſa Leænas*; & quidem *Fuluas*; nam, hoc epitheto, non purum ſequitur colorem Vates, qui proprius leonis ſit, ſed radicem ſequitur coloris. Aduertendum itaque colores animalium ex naturali temperamento interioris regulariter ſequi conſtitutionis: quarè etiam ex humani vultus colore, ex comarum diuerſitate &c. internum hominis temperamentum colligunt Medici: ſic vultum, nigreſcente infectum colore, terrei, & atrabilioſi temperamenti ſignum ſtatuunt: Crinem rubeſcentem, flauæ bilis prædominantis indicium, aſſerunt &c. Sic igitur, & hoc loco, fuluus color notatur à Vate noſtro, non vt in colore hæreat, ſed vt ex colore cauſam furoris notet in Leæna; nam *fuluus color* ipſius eſt flauæ bilis color, quæ flaua ideò dicitur, quia flaueſcit; color autem *flauus*, & *fuluus* tantùm diſtant ſecundùm magis, & minus, nam *flauus* eſt *fuluus clarior*: ideòq; pro eodem ſæpiſſimè vſurpantur; quia magis, & minus non variant ſpeciem. Leænam itaque maximâ flauæ bilis, ſeù choleræ, copiâ affluentem notat, cui Proſerpina Matrem comparet, & tranſgreſſam dicat. Sed ecquando inquies Filiam Ceres lacerauit, vt catulos Leo? Nonne immeritò tam acri carpitur exprobratione? Verùm memineris legale illud axioma: *Qui cauſam damni dat, damnum feciſſe videtur*. Abſentia Cereris in cauſa fuit, vt damnum Proſerpina pateretur iuxta dicta lib. pri. à Ioue. *Nunc me-*

ore

mo remota. Rem pen ego tempus &c. Ideò Matri imputat damnum, tamquam ſi ipſa eadem illud intuliſſet.

TANTA NE &c. Ab impoſſibili, vel ſaltem ab accepto vt impoſſibili obliuionem ſui, qua mater teneretur, & quam ſupra vix attigerat, in voce *Immemor*, iam exagerat, & per interrogationem admiratione commixtam inculcat, vt vrgeat magis. Dixi *ab impoſſibili, vel accepto vt impoſſibili*; quia, cum pars verè ſit Genitricis ipſa genita Proles, impoſſibile videtur, Genitricem Filiæ immemorem eſſe poſſe, cùm non poſſit eſſe immemor ſui. Immò, ſi Artemidoro credamus, Parentum oculi eſſe cenſentur Filij, & Filiæ; ac ideò, apud Somniorum coniectores, inualuit, vt, ſi quis ſibi tres oculos habere viſus fuerit in ſomnis, filium illi ſuſcipiendum, indubitanter aſſeruerint. Sicut itaque impoſſibile eſt, quemquam oculorum ſuorum obliuiſci, cùm vel Cæcus à natiuitate inclamet: *Domine vt videam*: ita impoſſibile videtur, Genitricem aliquam filiorum, hoc eſt oculorum ſuorum, memoriam amittere. Quod ſi quis obijceret Italicum illud effatum *Lontan da gl' occhi lontan dal cuore*; ex quo natum eſt aliud item Italicum de vulneribus ab amore inflictis facilè ſanandis

La lontananza ogni gran piaga ſalda.

facilè reſponderetur, ex Cauſino de Eloq lib. 2., vera hæc fore, niſi, per oculum, in occipitio poſitum, ea, quibus terga dedimus, perpetuò intueremur; oculum enim, in occipitio poſitum, Memoriam eſſe inquit ille, vt ea, quæ retro relicta ſunt aſſiduè intueamur. Quod certe maximè conuenit Genitrici, quæ filiam, quaſi pupillam oculi ſui, natura ipſa cogente, diligit: nam, quòd a natura inditum eſt, fruſtra, vt excutiatur, obnitimur. Ideò mirari, quaſi portentum, ſolemus, ſi quæ Mater filios ſuos incuriosè negligat, & *Nouercam* illam non *Matrem* dictitamus, ex effectu cauſam coniectantes. *Tanta* igitur hic idem ſonat, ac *tam magnus, & incredibilis*: particula verò *ne* appoſita interrogantis eſt, & admirantis, nec non emphatica, atq; ad vrgendum poſita.

OBLIVIA NOSTRI. Obliuia ſatis explicuimus lib. 1. carm. 282. vno verbo totalis ſunt rerum cognitarum obliteratio. Cur autem *Noſtri* dixerit ſatis patet ex dictis, nam, ſi interrogatio, & reſponſio debent ſibi inuicem cohærere, cùm Ceres interrogans dixerit . . *Cui tanta poteſtas*

In me ſauitia eſt &c.

ſe ipſam ſcilicet malorum participem ſtatuens, conſequens erat, vt reſpondens Proſerpina, & cauſas, ex quibus mala effluxerint, aſſignans, eas vtrique communes adnotaret; ideò *obliuia noſtri*, nempè *& tui, & mei*, quæ tot, & tibi, & mihi ærumnas pepererunt.

TENVERE TE? hoc eſt Poſſedêre, & poſſidentes occupauêre, atque occupantes abſtraxêre à cura, quam meq; ac te ipſam ſeruandi debueras habuiſſe. Emphaticè autem addidit pronomen illud demonſtratiuum *Te*, nempe te matrem, te amantem &c., nam Amans ex Virg. Æn. 4. non poteſt Amatæ obliuiſci, quin ſui ipſius obliuiſcatur, vt profitetur, apud ipſum Æneas inquiens.

. . . . . Nec me meminiſſe pigebit Eliſa
Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Sed quomodo Ceres oblita Filiæ? Nonne &, in itinere, eam commendauerat Siciliæ; & in Phrygia ipſa eam ſemper habuit in mente; ac poſtremo Proſerpinam ſemper habuit præ oculis pereuntem? Immemor, de facto, Ceres profectò Filiæ non fuerat; ſed immemor viſa eſt ex effectu; cum enim non rediſſet opportuna ad euitandam Filiç perniciem, perinde ſe habuit, ac ſi obliuioſa fuiſſet: ideò ſe obliuioni datam & ſupponit, & queritur Proſerpina.

TANTVM. Quod per adiectiuum *Tanta* mox expreſſerat, iam per aduerb., loco à coniugatis vſus, hic exprimit: quare eadem eſt ſignificatio, ſed aduerbialiter efferenda, vt explices.

VNICA DESPICIOR? Cur, & quomodo *Vnica* Proſerpina Cereris fuerit filia vide lib. 1. carm. 122., &, correlatiuè ad eum locum, ſe vnicam vocat hic Proſerpina. Tantum noto, emphaſim quæ hic habetur. Quòd plurium mater filiorum impensè minus in curam ſingulorum euigilet, non adeò mirum videtur; nam pluribus intentus, minor eſt ad ſingula, ſenſus. Aſt maximè profectò mirum eſt, Matrem, quæ vnicam habeat filiam, non omnes in eiuſdem tutelam vires impendere; cum enim, ex primario intento naturæ, adeò inſita ſit vnicuique perpetua ſui conſeruatio, vt non ſolum ſe ipſum in indiuiduo, quoad poteſt, ſed etiam in ſpecie perenniter aueat conſeruari, Portentum eſt ſi, quæ vnicum habeat germen, illud negligat, quaſi ſpeciem perire non recuſet. Ideò *Vnica* tui pars; vnica propagatrix maternæ diuinitatis; vnica ex Ioue; vnica electa olim, & dilecta; nec non ſemper diligenda, licet, neſcio quo fato, iam neglecta, quamuis vnica ſim, *Vnica deſpicior*, ideſt *ego ſola deſpicior*: vt correſpondeat ijs, quæ lib. 1. dixerat, cum raperetur.

O fortunatas alij quæſcumque tulere
Raptores &c.

ſicq; ſe omnium deum infælicisſimam oſtentat, & Matrem fuluas tranſgreſſa Leænas: nam nec Leæna vnicum ventris ſui deſpicit pignus, ſed & fouet, & ſequitur, & prædam agere edocet, non exhibet prædatori &c. Quid autem ſit deſpici, non repeto, nam vidimus lib. 1. carm. 137.

CERTE' PROSERPINA. Subintellige *Sum ego, quæ adſum, & quam cernis*; & reſpondet interrogationi, per Cererem habitæ *Tu mea tu Proles &c.* *Certè* aduerb. affirmantis eſt, ac rem extra omnem dubitationis aleam ſtatuentis.

NOMEN DVLCE TIBI. Nomen eſt, quod cuique attribuitur perſonæ, vt proprio vnaquæque vocabulo deſignetur: ſic dictum à *noſco*, quia notitiam faciat illius, cuius eſt nomen. Quo poſito, conſtat, nomen nil aliud eſſe, quam vocem, ſignificatiuam ad placitum, ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, impoſitam rei ſignificandæ per illam. Et de hac voce videtur loqui Proſerpina, dum ait: *Nomen dulce tibi*; nam dulcedo obiectum guſtus eſt: Guſtus autem ſenſorium certè habet in ore, cum in lingua, ac eius præſertim cuſpide reſideat, vt experientiâ ipsâ edocemur. Porrò ipſa Proſerpinæ ſubſtantia in ore Cereris nunquam fuerat; ſed tantum vox illa, ſeù nomen filiæ impoſitum, quod ſæpiùs proferre, ore ſuo, ſolita Ceres fuerat, atq; illi dulce, ſuper mel, & fauum, videbatur; vt proprium amantium, & vnicè amantium eſt. Quare videri poteſt, per parentheſim, intercidendum à reliquo ſenſu illud *Nomen dulce tibi*. Ex altera tamen parte, cum ſæpè ſignum, pro re ſignata, vſurpare, apud Poetas non ſolum, ſed & apud Oratores ipſos, frequentiſſimum ſit; videri poteſt *Nomen* hic poſitum, pro re ſignificata pronomen; ita vt ſit, per appoſitionem dictum, & pro eadem ſonet Proſerpina: nec obſtat quod *dulce* dicatur; neque enim ſolùm dulce dicitur, quod guſtui dulce eſt; ſed, per tranſlationem, dulcis dicitur etiam memoria alicuius rei benè geſtæ, & certè memoria Guſtui non ſubeſt: ex quo patet, *Dulce* ſumi pro omni eo, quod quomodocumque delectabile eſt, & in delicijs habetur. Poſitum autem, in hoc ſenſu, *Nomen* à Poeta hic, videtur confirmari ex eo, quod Ceres non nomen quæſierat, ſed ſubſtantiam: *Tua ne mea Proles &c.* quarè, vt interrogationi cohæreat reſponſum, videtur *Nomen*, pro re, ponendum fuiſſe, vt poſuit etiam Virg. Georg. 2. vbi edocens, terras ſalſedine infectas fructus, quo ad ſubſtantiam, degeneres producere, ſic ait:

Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infælix (ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat:)

& Aen. 7. Iuno Furiam concitans Auernalem inquit:

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atq; odijs verſare domos. tu verbera tectis,
Funereaſq; inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes &c.

vbi Aſcenſius: Nomina, inquit, ac per nomina formas oſtendit, in quas vertebatur vt falleret. Vtramq; explicationem Poetico huic textui aptari poſſe, non ambigo; nec facilè conuinci poſſet, qui alterutram ſequeretur. Ego tamen, cum ex conſueto Claudiani ſtylo obſeruauerim, eruditiſſimos ab eo ſenſus, leuibus ſæpè verborum inuolucris obtegi, detegendos; arbitror, nec per appoſitionem, nec per parentheſim poſitum ab illo fuiſſe illud *Nomen dulce tibi*; Sed per correctionem; ita vt ſenſus loquentis ſit: *Quæris, ò Mater, num ego proles tua, num ego Proſerpina ſim? Certè illa ſum; ſed non illa, cuius olim tibi dulce nomen fuit: Illa, quia nomen ſeruo: ſed non illa, quia res ſignificata per nomen in aliam transformata, dum ex monſtro pulchritudinis facta ſum monſtrum deformitatis; ex filia lucis filia tenebrarum; ex cœleſti Dea infernale mancipium: adſum Proſerpina quidem: ſed quid dixero Proſerpina; cum, fatorum ludibrio commutata, iam nihil habeam Proſerpina, præter nomen? Certè Proſerpina, ſeù, meliùs, nomen Proſerpinæ, cùm iam ipſa, non amplius ipſa, niſi quo ad nomen, niſi quo ad paſſiones, quibus nimium me ipſam à me ipſa experior diuerſam.* Adde quod vt vidimus ſomnium veram non adduxerat Proſerpinam, ſed tantùm imaginariam eius effigiem. Ideò nomen erat ſine realitate ſubſtantiæ: Iure igitur *Nomen dulce tibi*. Subintellige *Olim*; & emphaſim in his omnibus agnoſcas, atq;

in-

incluſam contrariorum conflictionem: olim dulce; nunc amarum; olim optatum in delicias; nunc inuiſum in tormentis &c. & dulce *tibi* iam fouenti; nunc ſpernenti; iam matri; nunc orbatæ; iam mihi tota mente addictæ; nunc immemori &c Ex quibus ſatis conſtat, quam artificioſa hæc, quam pathetica, procedat oratio; & quam altè aſſurgat, plus, ſingulis verbis, exprimens, quam dicat.

QVÆ NVNC. *Quæ* ad ipſam refertur Proſerpinam loquentem, &, per aduerb. præſentis temporis *nunc*, præſentes ſuas infælicitates, in vinculis, delineantem.

INCLVSA TALI, VT CERNIS, HIATV. Hiatus quid ſit, vidimus lib. 2. carm. 187. Aſt hic certè pro ſpecu ponitur, in altiſſimam demerſo profunditatem: *Tali*: hoc eſt *tam indigno, tam horrido, tam inacceſſo &c. Incluſa*; *intus clauſa*; nam ab Includo eſt, quod eſt *intus claudo*: quod autem alicubi incluſum eſt, nullum habere aditum, ad inde exeundum, ſatis patet: ex quo captiuæ infælicitas augetur. Interruptio autem illa, quam alij *Parenthesim* vocant, *vt cernis* duplicem habet reſpectum, nempe & ad fæditatem antri, & ad ſtatum incluſæ; vtrumque enim, per viſionem, Cereris oculis ſubijciebatur: hanc autem interpoſuit Parenthesim, vt veram adſtruat viſionem, nec ſolùm Matrem innuat, ſed vera eam nimis intueri, aſſeueret, directè ſic ad interrogata reſpondens, atque affectuum commouens vehementiam.

FEROR SVPPLICIIS. Idem *feror* eſt, ac *exhibeor*, ſeu addicor; nam *fero* pro *exhibeo* vſurpatum leges etiam apud Virg. Æn. 3. vbi hæc habentur:

Sacra Dionea matri, Diuiſq; ferebam &c.

Supplicium pœna eſt ſontibus irrogata: numero autem multitudinis vtitur, vt oſtendat, ſe, non vni, ſed innumerabilibus ferè addictam pœnis. Alij legunt: ſupplicijs incluſa *traher*, hoc eſt, *diſtraher, torqueor &c.* ſeu cum Heinſio *teror*, quod atteri ſignificat, & quaſi comminui. Non improbo. Sed idem virtualiter exprimit verbum *feror*, vt ex dictis patet; ideò non recedo.

TV SÆVA INDVLGES CHOREIS. Neronianæ, procul dubio, crudelitatis eſt, exultationes ex aliorum funeribus exhaurire: ſed, in chariſſimorum funere, lætari non ſolùm, ſed & choreas ducere, inhumanum prorſus profectò eſt: nec vlla te magis afflictio additur afflictis, quam ſi videant lætantes eos, quos maximè luctu afficiendos, arbitrabantur. Ideò Proſerpina expreſſæ ſuæ infœlicitati contrariam Matris faciem opponit, vt & ipſa miſerior appareat, & crudelior Mater, quæ lætis adhuc indulgeat. Certè, cum Poetæ fabulantur, luctum, eo tempore, quo Iupiter honores omnes inter Dæmones diſtribuit, abfuiſſe; ac, omnibus tandem diſtributis, ſuperueniſſe; illique, enixè petenti, vt & ſibi aliquid honoris tribueretur, Iouem elargitum fuiſſe lacrymas, & dolores, qui mortuis impenduntur. neceſſitatem, has lacrymas, & dolores, in chariſſimorum funere, ac luctu, impendendi, à Ioue ipſo inditam denotarunt. Ideò *Tu ſæua &c.* emphaticè, nempè Tu, congreſſu Iouis, de hoc tributo, luctui reddendo, erudita: Tu mater, in funere filiæ: tu vnicè diligens, in vnicæ dilectæ interitu: *Tu ſæua*; ideſt amore in ſæuitiem mutato, maternis moribus in Nouercales migrantibus, ferarumq; aſſumptâ Naturâ, immò & ferinam tranſcendes rabiem, iam effera, horrida, crudelis, tot ærumnarum aſpectu non flecteris; immò lætitijs indulgens meam cumulas miſeriam. *Tu ſæua indulges choreis*, dum Filia arctatur vinculis, &, pondere grauis ferri, immobilis ſiſtere cogitur in tormentis. Nota, qui textum legis emphaticas orationis vires; nota contrariorum patheticas conflictiones, & efficaciam ad affectus permouendos, validiſſimo expreſſam conatu. Tu ſæua, non amans: tu leæna, non mater: tu choreis indulges. *Indulgere* enim eſt obſequi, inſeruire, ac plus, æquo, alicui permittere. Ideò *Indulges*; hoc eſt obſequeris ſaltationibus Deæ Matris, me Filiam deſpiciens cadentem: Inſeruis voluptatibus, quas ex illis delibas, ideò nec libera remanes, vt te ex illis exſoluas, atq; ad filiam accurras ſubleuandam: plus æquo, te permittis nugis huiuſmodi, dum earum gratia filiam negligis pereuntem. *Indulges choreis*: & chorea ſaltatio eſt, in tripudijs adhibere ſolita, non in luctu.

ET ETIAMNVM. Saltationibus copulat, & cantiones, ac ſonituum ſtrepitus, quibus & indulgentem increpat Matrem, quaſi iam in Choribantium mores tranſfuſa ſe Deam oblita fuerit, & filiam cuſtodiendam non meminerit. *Etiamnum* integra dictio aduerbialis eſt idem, ac *adhuc*, ſeu *ad hoc vſq; tempus*, aut *etiam nunc*: & Plinio valde familiaris eſt.

INTERSTREPIS VRBES PHRYGIAS. Indicat Matrem ipſam Choribantem egiſſe; nam, vt lib. pri. diximus, Choribantes, furore conciti, per Vrbes Phrygiæ diſcurrebant, ſiſtra pulſantes tinnula &c. Ponitur tamen emphaticè *Phrygias interſtrepis vrbes*, hoc eſt longe à Filia, a qua ne lato quidem vngue diſcedere debuiſſes, præcipuè cum raptus timens æthera deſeruiſſes. *Interſtrepere* eſt *ſtrepere inter*, hoc eſt ſtrepitus inter alios edere, de quibus ſupra dicebamus. Reliqua clara ſunt.

QVOD SI &c. Poſtquam, dolori indulgens, querelas expoſuit ſuas, quibus vehementiſſimos in Matris pectore excitaret affectus, viam illi oſtendit, qua, & iniuſtè filiam conqueſtam, comprobet, & ſe piam; non impiam aſſeueret; atq; ad huiuſmodi viam ineundam Matrem ipſam impellit, præmiſsâ ſpei oſtentatione, qua adhuc alliciatur Filia ad credendum, Cereris viſcera non omninò Matrem exuiſſe. Quare & hoc conditionaliter proponit, vt ad purificandam conditionem ſedula Matris opera innitatur; quam deniq. ſupplex implorat, vt, ſi fieri poſſit, ex tormentis Filiam eximat: vel, ſi non poſſit, ſaltem inuiſat captiuam, præſenti ſaltem ore conſoletur. *Quod*, initio clauſulæ poſitum, idem ſonat, ac *ſed*; ſic apud Virg. Sybilla Æn. 6., propoſitis difficultatibus ad tartara adeundi, modum quo ſuperentur ſuidit per particulam *quod* pro *ſed* aduerſatiuam.

Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt
Bis ſtygios innare lacus &c.
Accipe quæ peragenda priùs &c.

pariter Æn. 11. Turnus, cum ſe & aciæ concurrere, & ſingulari certamine prælium dirimere non recuſantem oſtenderet, propoſito primo diſiuncti membro ad aliud deſcendit: eodem pacto

Quod ſi me ſolum Teucri in certamina poſcunt
Non adeò has exoſa manus victoria fugit &c.

Si conditionalis eſt, qua ita conditio apponitur conditionato, vt nil, niſi eâ purificatâ, affirmet Oratio, ſub tali cadens conditione.

NON PEPVLISTI PECTORE OMNEM MATREM. *Pellere*, ſi ſexto, vt hic, iungatur caſui, *eijcere* eſt, ſeu *abigere*; nam cum ſolo accuſandi caſu coniunctum *agitare* potiùs ſignificat, *percutere*, ac *ferire*. *Pectus* autem hic ponitur pro *corde*, quod omnium ſedes affectuum eſt, continens ſcilicet pro contento, per Metonym. *Omnem Matrem*, hoc eſt *omnem affectum maternitatis proprium, & à natura ipſa maternis inditum viſceribus.*

SI TV SANCTA CERES. Nota emphaticam particulæ conditionalis repetitionem, quæ & gradationem in conditiones inducit. nam facilius quid certè eſt affectus exuere maternos, quam propriam vniuſcuiuſq; rei naturam immutari. *Tu* item emphaticè; hoc eſt tu, quæ huc vſq; ex effectibus non ipſa videris, vt iam diximus; Tu quam alloquor, & vix Matrem agnoſco, cum immemorem videam. *Sancta Ceres*. Subintellige *adhuc es*. *Sanctam* autem, inquit Martianus, propriè dicitur, quod ab iniurijs defenſum, ac immune eſſe debet. Cum itaque Filiæ iniuriam ſibi Ceres aſſumpſiſſet; *cur tanta poteſtas*, inquiens, *in me ſrautia eſt* Nil mirum, ſi ex hac ipſa conditione Filia Matri, opportunè, inſinuet obligationem ſe ab iniurijs reddendi immunem: *Si tu Sancta*. Inſuper *Sanctus* idem eſt, ac *Pius*, & quidem pietate diuina, nam de Dijs præcipuè hoc nomen dicebatur, vt patet ex Tullio in Orat. poſt reddit. Ideò ſi tu ſancta, hoc eſt omnibus pia, omnibus benefica, quia Dea: & ſi *tu Ceres* Mater, quæ & *Epetros* diceris, quia preces audias; Si Ceres mihi, hoc eſt *Gerens* ſis, nam Ceres a Gerendo dicta, & gerentis Matris naturam non amiſeris &c.

ET CASPIA TIGRIS NON EDIDIT TE. Probrum illi inurendum obijcit, ni accurrat, vt ad illud exciret euitandum: ideò, per contrapoſitum pietati, per nomen *Sancta*, inſinuatæ crudelitatem ſubnectit, cuius nota ineuitabilis futura ſit, ſi illa pereunti Filiæ non adſit. *Te*, per emphaſim tot ſcilicet laudibus celebrem, gloria inſignem, encomijs decoratam &c. Regitur autem & hoc membrum à ſuprapoſita conditionali *Si te non edidit &c. Edo* idem hoc loco eſt, ac gigno, pario &c. De Tigride aliqua attigimus in præfatione ad lib. 2. carm. 27. ſed fuſius lib. pri. carm. 18. vbi cum viderimus, Tigridem efferatæ vindictæ ſymbolum eſſe, patet, hoc loco, Proſerpinam memorem conſtitui erroris, commiſſi, cum, fidæ oblita parentis, ſe Veneri credidit; atq; adeò, quaſi vereatur, ne Mater, in vindictam, ceſſet ab eiuſdem auxilio, ſuggerit, ne patiatur, ſe Tigride natam dictitari, atroci nimis vindictarum congerie delectatam. Tigris autem hic *Caſpia* dicitur, hoc eſt *Hircana*, nam *Caſpium Mare* immenſæ latitudinis lacus eſt inter montes Caſpios,

pios, & Hircanos; atq; ex hoc Caſpia dicitur Hircana Tigris omnium vtique ferociſſima.

ORO. Poſito quod conditiones ſuprapoſitæ verificentur (quod alioquin non feciſſet) ſupplicationes exponit ſuas, per verbum *Oro*, affectum exprimens indigentis, ideoq; ſupplicantis.

DEFENDE MISERAM. Qui non defendit, nec obſiſtit iniuriæ, ſi poteſt, tam in vitio eſt, inquit Tullius offic. pri.; quam ſi parentes, aut amicos, aut Patriam deſerat; idcircò, cum hic de Filia agatur, patet quam iure *Defende* dixerit. Verum verbum *defendere* videtur anticipationem importare, qua iniuriam præueniamus, arcentes, antequam offendat: cum itaque iam vincta catenis eſſet Proſerpina, quomodo *defende* ait? Defendere potuiſſet Ceres, antequam vinciri eam contigiſſet, ſi catenas irruentes proſpexiſſet: Aſt, ſecuto iam effectu, quomodo defendat? Noneſt locus defenſioni, vbi iam inflicta offenſa eſt. Agnouit hanc verbi proprietatem Mezentius, apud Virg. Æn. 10., qui, iam iam Æneæ manu moriturus, orat, vt, ſaltem poſt mortem, imminens Rutulorum furor ab extincto corpore hoſtis eiuſdem commiſeratione arceatur.

Vnum hoc, per ſi qua eſt victis venia hoſtibus, oro
Corpus humo patiare tegi: ſcio acerba meorum
Circumſtare odia: hunc oro defende furorem,
Et me conſortem Nati concede ſepulchro.

Verum non ſolum defendere dicitur ille, qui iniuriam propulſat, antequam illa in aliquem fecerit impreſſionem; ſed etiam ille, qui aliquem à ſupplicijs, quæ actu patitur, liberat; nam & malum tollit actuale, & vetat, ne vlteriùs extendatur ſæuities tormentorum. Atque, in hoc ſenſu, videtur eruditiſſimè hoc verbum vſurpaſſe Tolumnius augur, apud Virg. Æn. 12., vbi perpendens, & explicans augurium importatum à littoreis auibus, Aquilam, quæ Cycnum iam vngue tenebat, exagitantibus, & relinquere cogentibus, dicit, Aquilam Æneam eſſe, Turnum verò Cycnum raptum, ſtante fędere, quod Æneæ Turnum addicebat: Rutulos verò aues littoreas, quibus Aquila vincenda eſſet; inquit:

. . . . . *Vos vnanimes denſate cateruas,*
Et Regem vobis pugna defendite raptum.

quaſi dixerit: qui non potuiſtis prohibere, ne fędus, quo vobis Turnus eripitur, ſanciretur, *defendite raptum*, vlteriorem fęderis proſecutionem impedientes, ac ſic regem veſtrum liberantes. Sic itaque & Proſerpina eruditiſſimè, *Defende*, ait. hoc eſt ſolue catenas, & prohibe, ne vlterius atrociter adeò opprimant, & perimant *Miſeram*, hoc eſt ærumnoſam, calamitoſam, infęlicem. Sed nota vim nominis, quam Nomenclatores deducunt ex Tullio pro Mil.; nempè *Miſerum* ſæpè ſumi pro *Innocente, contra Iuſtitiæ leges, afflicto*; nam in hoc potiſſimum ſenſu ſe *miſeram* vocat Proſerpina, vt congruat cum iis, quæ dixerat lib. 2. *Non ego cum vobis ſaneres Phlegræ tumulum ſigna Deos aduerſa tuli &c.*

HIS CATENIS. De his ſupra ſatis. Hic tamen ex ſigno rem ſignatam intellige: nam orat illa, vt à captiuitate liberetur illa, de qua lib. 2. dixerat:

Infelix Stygio ducor captiua Tyranno.

ET REFER IN SVPERNA. *Referre* eſt *retrorſum ferre*, ſeù *portare*. Ex orbe noſtro, Plutonis curru, translata ad Inferos fuerat Proſerpina: retrorſum, orat, à Matre iam ferri, atq; ad ſuperos reduci. Vbi nota, quam benè ſe miſeram appellauerit, quæ ſe ſtractam adeò fatetur, vt, licet vinculis ſoluatur, ſibiq; relinquatur, non futurum ſit; vt poſſit per ſe ipſam ad ſuperos remeare, niſi à Matre deferatur. *Ad ſuperna* verò dum inquit, ſatis apertè docet ſe in inferis eſſe, vt patet ex iis, quæ per oppoſitum diximus lib. pri. carm. pri.

PROHIBENT SI &c. In Fatis fuiſſe, vt ipſa in Plutonis eſſet poteſtate colligere potuerat Proſerpina ex ſancitis à Ioue, per pacificum fulmen connubijs lib. 2.; & cum ſciret, Deos ipſos ita Fatis ſubijci, vt contra ire non liceret, ſicut alibi diximus; ne videretur aliquid impoſsibile à Matre expoſcere, conditionem apponit poſtulationibus *ſi fata non obſtent*, nam, iis obſtantibus, nil obtineri poſſe non dubitat. Dices: Memineris te dixiſſe hanc veram non eſſe Proſerpinam, ſed imaginariam per ſomnium efformatam, ergo non potuit hæc illa ſcire. Veriſſimum eſt: ſed nec tu debes obliuiſci Somnum Somnij genitorem Deum inferum fuiſſe, conſequenter hæc ipſa, per tartareum regnum ex relatione Plutonis, vt in connubijs aſſolet, euulgata ſcire, ac ſubindè menti Cereris ingerere potuiſſe. Subdes: id non poterat niſi per ſpecies in cerebro Cereris aſſeruatas: ſed Ceres non potuit habere ſpecies emiſſi fulminis, cum nil de eo ſciuiſſet, ergo. Probè. Sed nouerat tamen Ceres infortunium Filiæ Iouis nullum euenire potuiſſe, niſi ex ſuperiori fatorum decreto, quarè dum ſpeciem malorum conciperet, concepit etiam fatalitatem à qua pendere debuiſſent, quod ſatis fuit, vt per has commixtas ſpecies ſomnium repręſentaret, quod vere dictura fuiſſet Proſerpina realis, ſi adfuiſſet circa hanc fatalitatem.

VEL. Coniunctio hæc diſiunctiua eſt, qua, implicante primo diſiuncti membro, aliud membrũ ſubijcitur petitioni.

SI FATA PROHIBENT. De conditionali ſatis dictum. De Fato vide fusè dicta lib. pri. Hic dum plurali vtitur numero videtur aſſentiri ſententiæ, quæ vim Fatorum Parcis ineſſe aſſeuerauit. Quid item ſit prohibere videris lib. pri. carm. 103.

REVERTI. *Retro verti* idem, ac *referre* de quo ſupra.

SALTEM VENI VISVRA. *Saltem* tractum à captiuis, qui, dum tenerentur ab hoſtibus, *ſalutem*, inclamare conſueuerant, *concede*. Hinc, per ſynæreſim, natus ſermo, vt in conceptu multarum rerum, quas petere nitimur *ſaltem*, dicamus, hoc concede, quaſi *ſalutem* in hoc noſtram ſtatuamus. Vide dicta lib. 2. carm. 261. *Veni*. Carcere detenti non nihil ſolatij percipiunt, ſi parentes non dedignentur accedere, atq; conſolatorijs ſaltem verbis miſeros delinere. Ideò, ſi nil aliud poſſis, inquit & Proſerpina, *ſaltem veni viſura*; & ſic notas omnes crudelis, efferatæ, ac immemoria euitabis. Æquiſſimum profectò, & quod tenui à Matre non poſſet poſtulatum, quod ſolas poſtulet viſitationes. Sed nota, quam bellè Vates deſideriorum hic adſtruat apparatum, quo ſubindè Ceres impulſa totum orbem peragraret, iuxta firmatum in antea ctis à Ioue, vt filiam ſcilicet inuiſere ſaltem poſſet, ſi non ex raptoris abducere poteſtate.

SIC FATA. Finem perorantis Proſerpinæ verbis impoſiturus, atq; ad patheticam perorantium captiuorum conſuetudinem gradum facturus, verbis vtitur *ſic fata*, hoc eſt *hæc cum dixiſſet*.

CONATVR TENDERE TREMENTES PALMAS. *Conari* eſt *conniti*, &, vi quadam adhibita dare operam, vt aliquid fiat. Optimè autem *conatur* immotum Proſerpina, quæ vinculis, ac pondere ferri fixa eſſet, ac fere immobilis, & conatur *tendere trementes palmas*; nam captiuorum item mos fuit, vt ſupplices tenderent manus, ſalutem à Dominis deprecantes. Et quidem quod hoc ſemper ſignum fuerit ſupplicantis, patet ex Hetruſcorum inſtitutis, ad hunc vſq; diem ſeruatis, vt hoc geſtu manuum, ad preces conualidandas, vterentur ſupplicantes: quarè & Virg. Æn. 5. hunc geſtum Cloantho attribuit ſupplicanti, vt Nauis, qua vehebatur victrix eſſet.

Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris,
Ni palmas ponto tendens vtraſq; Cloanthus
Fudiſſetq; preces, diuoſq; in vota vocaſſet.

Quod ſi placeat hic inueſtigare, quonam geſtu manus tendere conata fuerit Proſerpina? Num ſcilicet iunctis palmis, vt preces ad Deum mos eſt effundentium, ad ſydera eleuare conaretur; an potius ante pectus iungere Perſarum more ſupplicantium; an verò ad prehenſandam Matrem Romanorum ritu, & eo pacto, quo Parcæ apud Plutonem lib. pri. perorantes, extendere? Facilis eſt ad inueſtigationis ſatiſfactionem aditus ex iis, quæ inferius habentur, vbi de Cerere dicitur: *Amplexu caruiſſe doles*: ſati. enim indicatur poſtremo modo palmas tendere conata. Sed adhuc in dubium reuocari poteſt num amplexus iſti ad collum maternum, an ad pectus, an ad pedes dirigerentur? Et quidem, ſi ſupplicationem Creuſæ obſeruemus, apud Virg. Æn. 2., dicendum erit quod ſupplicantis amplexus ad matris pedes deuoluerentur, nam & de Creuſa dicitur ibi:

Ecce autem complexa pedes in limine Coniux &c.

Verum, dicendum potiùs, arbitror, amplexus Proſerpinæ ad genua Matris directos fuiſſe, vt ſedem attingerent clementiæ, ac pietatis, de qua vide fusè dicta loco cit. lib. pri.; & ſibi ſic conſenſerit Vates. Porrò Palma pars concaua manus eſt, ſed hic pro tota accipitur manu per ſynecd. *Trementes* verò dicuntur manus; hoc eſt vacillantes in motu, tum quia macie debilitatæ, tum quia ferro graues; tum quia ſpirituum niſu, ad conatum, concuſſæ. Vide quam patheticè procedat hic modus.

VIS IMPROBA FERRI IMPEDIT: *Vis* idem, hoc loco ſonat, ac *copia*, ſeù pondus ingens ferri. Ideò *improba*: nam *improbus* pro eodem ſumitur, ac *ingens*, *excedens*, *intolerabilis*. Sic Virg. Georg. pri. vbi ait:

Tum variæ venere artes: Labor omnia vincit
Improbus &c.

Item

Itè *improbus* pro crudeli ponitur Virg. de ſerpente Georg 3.

Stagna colit, ripiſq; habitans, hic piſcibus atram
Improbus ingluuiem, ranisq; loquacibus explet.

crudelis autem vis ferri, quæ filiam ab amplexu Matris arceret. Quare vtrumq; ſenſum amplexus Vates. *Impedire* autem idem eſt, ac *implicando, obſtare*, quamobrem propriiſſimè dicitur de catenis manum detinentibus, vt hic.

ET CATENAE, quibus brachia innectebantur, & de quibus ſupra, pendentes ſcilicet, ita vt ad terram vſq; pertingerent, pedeſq; pariter, ac manum vincirent, vt mancipia ſolent.

MOTAE. Nota, quod non dixerit *agitatæ*; non dixerit *commotæ*; ſed *motæ*, vt perſiſteret in indicata difficultate, à pondere iniecti ferri; nam, quæ ponderoſa maximè ſunt, vix moueri toto nitentis poſſunt conatu.

EXCVSSERE SOMNVM. Fragore ſcilicet edito, vt mos eſt catenarum, quæ vel leuiter moueantur, ſi, licet quomodocumq; trahantur tandem. Excitatam igitur oſtendit Cererem motarum fragore catenarum; non quod verè fragor extiterit, cum omnia per ſomnium peragerentur; ſed ex eo, quod ſpecies tractarum excitatæ catenarum connexas ſonitus ſpecies excitarint, atq; adeò eumdem ſortitæ ſint effectum, ac ſi formalis ſonus auribus inſonuiſſet, & dormientem excitaſſet. Ideò *excuſſere*, hoc eſt, *expulêre ſomnum*, nam *excutere* pro *expellere*, ſeù quod idem eſt *excuſſus* pro *expulſus* habetur etiam apud Virg. Aen. 7. vbi ſic Iuno

Quin etiam patriâ excuſſos infeſta per vndas
Auſa ſequi, & profugis toto me opponere Ponto.

Expulſo itaque ſomno euigilauit Ceres, & repetens, quæ in ſomnis viderat.

OBRIGVIT VISIS. Naturam ſecutus Vates, iure optimo, obriguiſſe Cererem notat; nam ex triſtibus inſomniis horror quidam in animo ſemper imprimitur, ita vt gelido quodam torpore, ac non ſemel etiam tremore perſtringamur, quæ omnia apprimè per verbum *obriguit* exprimuntur: nam *obrigeo* eſt quaſi *frigore contraher, & rigidus fio*; quod prouenit ſæpè ex eo, quod ex vehementi aliqua malorum apprehenſione, ſanguis in præſidium cordis accurrens partes alias deſtituat, gelidúſq; recurrat oſſa tremor. *Viſum* autem dicitur portentum aliquod, ſpectrum, phantaſma, ſiue ſpecies horrorem ingerens, dum videre monſtrum videmur dormientes: quamuis nonnunquam & vigilantibus vſu veniat; quemadmodum Bruto, legimus, mali genij viſum, non multum ante Philippicam cladem, apparuiſſe; Quarè & Vates, hoc ſexto cauſali caſu *viſis* notat portentorum apparitiones menti aduigilantis Cereris adhuc obuerſantes cauſas fuiſſe terroris, ac tremoris.

GAVDET NON VERA FVISSE. Reſpirat, excuſſo ſomno, qui dormiens, ob viſum in ſomnis malum, angebatur adeò, vt vix liberè meare ſpiritus poſſent. Quare, naturam ſecutus, id ipſum Cereri accidiſſe, teſtatur Claud. *Gaudet*; ideſt ſecum ipſa lætatur, eiuſq; exhilaratur animus, eo quod *vera* non fuerint, ſed *vana*, quæ mentem torquebant, inſomnia.

DOLET CARVISSE COMPLEXV. Attende contrariorum affectuum aptiſſimam, pro ſuppoſito, conflictionem. Ex eadam cauſa, ſed ex diuerſo motiuo, lætitia oritur, & triſtitia. Lætitia ex eo, quod ſomnium, ſine corpore malorum, vmbra fuerit, vt ſibi ſuadebat: Triſtitia ex eo, quod vere, natæ amplexibus frui, non licuerit, vt optaſſet. Pari paſſu doluiſſe Aeneam apud Virg. Aen. 5. inuenies, quod Patris in ſomno viſi amplexibus caruerit, dum, viſione recedente, inclamat:

Aeneas, quo deindè ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?

PENETRALIBVS AMENS PROSILIT &c. Connaturalem affectuum proceſſionem, mirum in modum, proſequitur Vates. Quos recenſuit, euenire profectò naturaliter ſolent, ſtatim, ac expergiſcimur, leui, & quaſi inſenſibiliter adhuc, habita ad ſomnium reflexione. Aſt ſi ominoſum ſit ſomnium, non ſolum in ſe, ſed etiam quo ad modum excutiendi à dormiente ſomnum; dum reflexio ſupra ſomnij qualitates, ac conditiones, intenditur, alterantur adeò ſpiritus, vt, quaſi phanaticum reddentes, expergefactum impellant, nec ceſſare permutant, donec ſe reddat certiorem de veritate, an falſitate ominis, quod ex viſis portendi videbatur. Omen infandum extitiſſe in Cereris inſomniis nemo dubitauerit, qui dictum meminerit: *Omniq; perit Proſerpina ſomno*. Sed & ominoſum fuit, quo ad modum terminationis, poſtremum Cereris inſomnium, quod viſionem appellamus: nam ſomno repente excuti, mali ominis ſemper eſt habitum. Sic apud Virg. Aeneas Aen. 2., habita in ſomnijs Hectoris viſione, ipſum ad fugam adhortantis, de ſe ipſo hæc habet:

Excutior ſomno: & ſummi faſtigia tecti
Aſcenſu ſupero, arrectiſq; auribus aſto.

& vix tunc effugere potuit, ne patriæ excidio inuolueretur. Iterum Æn. 4. Dormienti Æneæ ſeſe in ſomnis offert Mercurius, increpans, quod a littore non ſolueret, nec Zephyros audiret ſecundos, &

Tum verò Aeneas ſubitis exterritus vmbris
Corripit è ſomno corpus, ſociòſq; fatigat.

Sed, quia tempus opportunum dormiendo inſumpſerat, tempeſtate ſubinde orta, vix naufragio eripitur. Ad hanc itaque repentinam ſomni excuſſionem, reflexis actibus, reſpiciens Ceres, atq; infauſtum hinc omen arripiens, nil mirum, ſi agitari incipiat, ita vt iam inuiſas habeat plumas, in quibus hæc paſſa fuerat decumbens. Inſuper monitorium fuerat inſomnium; nam orabat Proſerpina, vt accurreret ad eam e miſeriis eripiendam; monitoria autem ſomnia a Diis immiſſa credebantur. Sic Homerus ſomnium a Ioue miſſum dixit, vt, Neſtoris indutus perſona, Agamemnonem in Prælium excitaret: a Pallade excitatum deprædicat Nauſicaam, vt in agrum progrediatur, quo Vliſſem ſuſciperet. Sic Virg. Anchiſem, iuſſu Iouis, miſſum, dicit, in ſomnis ad Æneam, vt moneret acquieſcendum conſilijs, quæ Nautes dederat de noua vrbe condenda, dum ipſius ore ſic loquitur:

Imperio Iouis huc venio, qui claſſibus ignem
Depulit, & cœlo tandem miſeratus ab alto eſt.
Conſilijs pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat ſenior &c.

Sic Taſſus noſter, diuina diſpenſatione factum, aſſeruit, vt Dudonis Anima è Cælo, in ſomnis, ad Chriſtianæ militiæ Imperatorem deſcenderet, moneretq;, reuocandum ab exilio Rinaldum, quo facilius Hieruſalem expugnaretur, dum inquit Cantu 4.

Non lunge all'aurea porta, ond'eſce il Sole,
È criſtallina porta in Oriente,
Che, per coſtume, innanzi aprir ſi ſuole,
Che ſi diſchiuda l'vſcio al dì naſcente.
Da queſta eſcono i ſogni, i quai Dio vuole
Mandar per gratia à pura, e caſta mente.
Da queſta hor quel, ch'al pio Buglion deſcende
L'ali dorate in verſo lui diſtende. &c.

Sic Bracciol. ab Angelo Herintam, in ſomnis, edoctam dicit de modo medendi Batrano iam fere morienti; & ab Angelo monitum Heraclium, vt gladium reconderet iam victor &c. Nil itaque mirum, ſi aduertens Ceres, ſomnium, ſeù viſionem ſuam monitoriam fuiſſe, crediderit immiſſam fortaſſis à Ioue ipſo Genitore; ac ideò verè excitari ſe ad accurrendum, ne Filia in viſas incideret ærumnas: atq; ideò anxia, conſternata nocturnis vmbris, furens, ac lymphatæ ſimilis, *Amens* hoc eſt de ſtatu mentis ob perturbationem deiecta; nam ab *alpha* græcorum priuatiuo, & *mens* compoſitum habetur *amens*. *Proſilit* idem, ac *ſe proripit*. Sed nota expreſſiuam verbi efficaciam; nam *Proſilio* eſt *cum ſaltu, ac feſtinatione prodeo; Impetu, ac furore promoueor*; quod propriè explicat ſolicitæ mentis æſtum, anxij animi impetum, & celeritatem, quo quis moras omnes reſcindit, vt acceleret, & motum ipſum vehementi ſolicitat celeritate. *Penetrale*, ex quo Ceres proſilit, interior Cybeleiæ Domus pars eſt, ſacrarium nempe in quod Ceres ad quietem receſſerat; ſed numero multitudinis vtitur per ſynecd. Vates.

ET COMPELLAT CYBELLEN. Rucbat filialis in matrem reuerentia, ac lex hoſpitij veneranda, ne, ea inſalutata, diſcederet Ceres; ideo Matrem adit, vt veniam obtineat abeundi. Sed nota artificium Vatis: nam prius certè adeunda fuit Cybele, e toro excitanda &c. ſed, his omnibus præciſis, immediate connectit *penetralibus proſilit*, & *compellat*, vt, ipſa dicendi feſtinatione, Cereris impetum, quo antecedentia peragens allocutionem arripuerit oſtenderet. Porrò *compellare* idem, quod *alloqui* eſt: &, in hoc eodem ſenſu, habetur apud Virg. Æn. 10.

Iunonem interea compellat Iupiter vltro &c.

de Cybele verò vide dicta lib. pri. carm. 180.

TALI VOCE. *His* nempè *verbis*, poſito genere pro ſpecie. Quænam autem verba hæc fuerint, videbimus. Interim, quid ad mores, obiter peruestigemus.

Cererem (nempè rationis facultatem præſtantiſſimam) inter feras, ab Anima peregrinantem iam vidimus, quoties, ſenſitiui regimine neglecto, Animam raptoribus expoſitam deſtituit; &, licet internis conſcientiæ ſtimulis torqueatur,

sibi

ſibi ipſi tecnas adſtruit, vmbras reputans, quæ vera cernit, extra: atq; adeò in vtramq; aurem ſecura quieſcit, nec, ad regimen denuò capeſcendum feſtinare, contendit. Aperit interim cuſtos Angelus tragicum Animæ infœlicitatis theatrum; eamq; macie, oſtendit, confectam, vultu deturpatam, Dei imaginem abieciſſe, formam Dæmonis aſſumpſiſſe. Videt eam Ratio, tenebricoſo vitiorum carcere detentam, ſcelerum oneratam catenis; implorantem audit ſubſidium, ac manus tendentem cernit, vt efficaciùs imploret: ac tunc motarum fragore catenarum à ſomno excutitur; ſed adhuc, non vera ſe vidiſſe, credens, infœlix gaudet, licet, in anima ipſa, & ſe perditam agnouerit. Proſilit tamen, & feſtinat, vt iacturam reparet. Sed quid prodeſt, cum iam hoſtis diripuerit, cum iam captiuam teneat vitioſorum habituum catenis Animam, ita vt ſolius iam Dei miſerentis ſit, eam ex illis vinculis diuellere? Hæc mutatio dexteræ excelſi. Superat rationis vires: ſuperat inferioris induſtriæ facultatem: ideò timendum ſeriò, ne pœnitentia ſera rarò ſit vera. Per Cybelem etiam repreſentari poteſt hoc loco occaſio peccati proxima, cui ſcilicet tantùm humana tribuit ratio, vt dum, in illius obſequium, ab Anima, inter feras, peregrinatur, indecorum putet ab ea, ſine eius venia, diſcedere, licet ad ferendam Animæ opem excitetur, ac ideò, peſſima vrbanitate detenta, differt auxiliari pereunti; & interim roboratur magis peccati in Animam tyrannicum præ ſeminium, atque eiuſdem animæ captiuitas inualeſcit. Vigilet itaque Ratio: &, ſi quando à regimine cæterarum fuerit abſtracta potentiarum, redeat illicò, nec patiatur Prædones Animâ potiri; nam faciliùs eſt arcem oppugnatam defendere, quam amiſſam recipere: & faciliùs recipitur antequam hoſtis munitiones in illa erexerit, quam cum, per orium, munierit, ac repagulis vndiq; circumſepſerit. Sed iam Italis indulgeamus.

Quella, con voce ad ammollir baſtante
  Qual più duro macigno han l'Alpi in ſeno,
  Ahi, Madre; ahi, cruda, diſſe, e qual diamante
  T'indura sì, che non rimembri almeno
  Dell'eſtinta tua Figlia il cuore amante?
  Di Libica Leonza, ahi, troppo à pieno
  (Lungi dall'empio cuor sbandito amore)
  Alla tua crudeltà cede il furore.
Dunque di Noi così tenace oblìo
  L'alma t'ingombra; onde ne pur ne ſcuota
  Gl'oſtinati letarghi il perir mio!
  Dunque l'vnica tua s'immerge, e nuota
  D'vn mar di pene in flutto acerbo, e rio,
  E tu nò 'l curi? E di pietà sì vuota
  Sei, ch'il ſoffri non ſol; mà non ti cale,
  S'ella, à forza del duol, l'anima eſſale.
Sì sì quella ſon' Io, ch', à te diletta,
  Vn tempo, fui di tue delitie il fonte;
  Hor, qual ſarcina vil, da te negletta
  Eſpoſta giaccio alle ſciagure, all'onte:
  Quella ſon'io, che del tuo labro eletta
  L'Ambroſia fui; che fui corona al fronte:
  Proſerpina ſon'io; troppo ſon d'eſſa.
  Mira. E rimira, in me, perir te ſteſſa.
Catenata, in queſt'antro, oue mi ſcorgi,
  Tormentoſa prigion patir conuienmi;
  Ne tu pur di pietà ſtilla mi porgi:
  Trangoſciante languiſco; e niun ſoſtienmi;
  Tu ne pur del mio mal par che t'accorgi.
  Anzi, per più del mio tormento, auienmi,
  Suonanti vdir delle tue danze, e feſte,
  Con le Frigie Città, l'alte foreſte.
Che ſe l'eſſer di Madre ancor non ſpoglia,
  Tutto in preda al rigor, materno il petto;
  Se diuerſo da quel, ch'egl'eſſer ſoglia,
  Non è d'Erinni il già pietoſo affetto;
  Se tù Cerere ſei, cui ſanta voglia
  Diè pur di Gioue vn ſempre lieto aſpetto;
  E ſe nata non ſei di Tigre Hircana
  Le ſtrade al mio ſoccorſo imprendi, e ſpiana.
Deh Tù di mie miſerie il corſo arreſta
  E ſpezza tù di mie catene i nodi:
  Tù mi ritogli alla crudel tempeſta,
  Cui mi ſacrâr del predator le frodi:
  Tù da queſta d'horror ſpiaggia funeſta
  Mi riconduci, oue del Ciel tu godi:
  E, s'al ritorno al mio deſtin non pieghi;
  Vieni: e'l vederti almen non mi ſi nieghi.
Così chiuſo il ſuo dir; pur s'argomenta
  Stender le palme, aualorando i prieghi,
  Della Madre al ginocchio; e 'n darno il tenta;
  Che della man gl'affettuoſi impieghi
  Vieta 'l ferro crudel, che non rallenta;
  Non che le brame ad incontrar ſi sleghi:
  E, ſol ſtridendo all'attentate moſſe
  Della Diua dagl'occhi il ſonno ſcoſſe.
Ne ſcoſſe il ſonno; ed introduſſe in vece
  Vn gel per l'oſſa; e 'l ſangue al cuor ſi ſtrinſe.
  Gode, che non ſia ver ciò, che gli fece
  Aperto il ſogno, e, come ver, gliel finſe:
  Ma pur, ſenza paſſion, fruir non lece;
  Poich'il caro ſuo pegno almen non ſtrinſe:
  E'l brama ancor; mà nel bramar ſi pente;
  Che vederlo prigion più non conſente.
Hor quanto più nella viſion s'interna,
  Rifletendo, la mente, il cuor ſoſpira;
  Che par (vegliando ancor) l'occhio diſcerna
  Ciò, ch'impreſſo d'horror, l'Alma raggira.
  Fugge le piume; e dalla parte interna
  Di quell'odiato albergo il piè ritira.
  Corre à Cibelle; e di Linfata in guiſa,
  Commiato prende: e la cagion n'auiſa.

Miſſas itaque & nos interim Muſas noſtras faciamus, vt conſonantiori Auctoris Plectro Diuam loquentem auſcultemus.

IAM NON VLTERIVS &c. Argumentum huius lectionis, ſaltem vſq; ad Cybeles reſponſionem, habes ex poſtremo carmine, quod noſtra in anteactis Muſa conſarcinauit. Cum itaque ad Cybelem Ceres properaſſet, vt vale diceret; ſibi iam diſcedendum profitetur, & ne moras iniiceret Cybele, cauſam refert inſtare diſceſſionis: &, quæ huiuſmodi cauſam

Iam non vlteriùs Phrygia tellure morabor,
Sancta parens. Reuocat tandem cuſtodia Chari
Pignoris, & cunctis obiecti fraudibus anni.
Non mihi, Cyclopum quamuis extructa caminis,
Culmina fida ſatis. Timeo, ne fama latebras
Prodiderit; leuiuſq; meum Trinacria celet
Depoſitum. Terret nimium vulgata locorum
Nobilitas. Alijs ſedes obſcurior oris
Exquirenda mihi. Gemitu, flammiſq; propinquis
Enceladi nequeunt vmbracula noſtra taceri.
Somnia quin etiam, varijs infauſta figuris,
Sæpè monent; nulluſq; dies non triſte minatur

inualidæ poſſent, adductis in oppoſitum rationibus, eneruat; ac ſubinde ſomnia adijcit, & prodigia impellentia, ne videatur inurbanè agere, ſi, ne minimum quidem tempus, ſtatuerit; vlteriùs immorandum. Auditis autem frugiferæ Deæ placitis, Cybele, breuiſſimo affatu, & metum detergit, & rationem, cur non timendum, ſubdit; ac ſubindè, con-

Augurium. Quoties flauentia ſerta comarum
Sponte cadunt! Quoties exſudat ab vbere ſanguis?
Larga vel inuito prorumpunt flumina vultu;
Iniuſſæq; manus mirantia pectora tundunt!
Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt;
Tympana ſi quatiam, planctū mihi Tympana reddūt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri.
Heù longæ nocuere moræ. Procùl irrita venti
Dicta ferant (ſubiicit Cybele) non tanta Tonanti
Segnities, vt non pro pignore fulmina mittat,
I tamen: & nullo turbata reuertere caſu,

ceſſa abeundi facultate, fauſta omnia, rebuſq; optimè compoſitis, fœlicem Filiæ reditum precatur.

IAM NON VLTERIVS &c. Ethopeia Cereris hæc eſt, Matrem alloquentis, & quæ, abire ſe illicò velle, ſignificat, & cauſam repentinæ determinationis allegat debitam filiæ cuſtodiam reuocantem. *Iam*, igitur, particula hortantis, ac moram damnantis, aduerbium illud eſt, hoc loco, quod vulgò per vocem *Horsù* exprimitur: nam & ſe ipſam hortatur ad diſceſſum, & mores ſe damnantem omnes oſtentat Ceres, ob conceptum ex ſomnijs terrorem. *Vlterius* verò ad tempus refertur idem, ac diutiùs

NON MORABOR. Morari idem, ac moras trahere, ſeù remanere eſt apud non ſpernendæ Auctores notæ. Sed nota modum loquendi, qui, cum abſolutus ſit, quamdam importat neceſſitatem, cui reluctari ſe non poſſe, profitetur. Quare emphatice dixit *non morabor*

PHRYGIA TELLVRE, Quænam ſit phrygia tellus vide lib. pri. carm, 179.

SANCTA PARENS. Vide de hoc ipſo dicta in anteactis,

REVOCAT TANDEM. Cauſam ad diſceſſum ſubdit impellentem. *Reuocare* autem eſt *retrorſum vocare* à termino, nempe, ad quem quis petiuerat, ad terminum, à quo diſceſſerat, qui reuocatur. *Tandem*, hoc eſt *cum iam* longo nimis tempore hic moras duxerim, & patientiam, ac deſiderium eliſerim expectantis Filiæ; reuocat ad eam *tandem*

CVSTODIA CHARI PIGNORIS, Ideſt cura cuſtodiendi: munus ſcilicet à natura ipſa Matribus iniunctum, vt filios cuſtodiant ſuos: ex quo impium ſemper cenſeatur, ſi quæ hanc Mater negligat curam. Porrò *cuſtodiam* pro munere cuſtodiendi habebis apud Virg. Georg. 4., vbi, apum munia diſtribuens, ait;

Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorte.

& Æn. 7, de Tyrrho regij pecoris Magiſtro, ac Saltuario, inquit

. . . . Tyrrauſq; Pater, cui regia parent
Armenta, & latè cuſtodia credita campi,

De ſignificatione nominis *Chari* vide lib. pri. carm. 195. Item cur filia pignoris nomine ſignificetur vide lib. pri. carm, 178. ideò autem cuſtodia pignoris reuocat, quia chari, & Matris ſemper eſt curam adhibere omnem, ne filia incuſtodita relinquatur.

ET OBIECTI. Cumulatiua, hoc loco, & completiua eſt particula *Et*; dat enim complementum cauſæ motiuæ ad diſceſſum. *Obiectum* verò, hoc loco, eſt idem, ac *expoſitum*, à verbo *obijcere*, quod fere eſt *ante iacio* Quod enim ante aliquem iacitur, facile ab eo ſurripitur, à proijciente neglectum. Sic Dido Æn. 4. de Anna ſorore conqueritur, quod incuſtoditam obiecerit Æneæ. . . . *Tu prima furentem*

His Germana malis oneras, atq; obijcis hoſti.

CVNCTIS FRAVDIBVS ANNI. De nomine *cunctis* vide lib. pri. carm. 57., & de fraudibus lib. 2. carm. 5. Annus verò certè tempus eſt dierum 365., ac ſex circiter horarum, quo Sol curſum conficit ſuum, per duodecim Zodiaci ſigna percurrens, ex quibus etiam in duodecim partes, menſes videlicet, diſtributum annum reperies. Ethimologiam nominis inquirens Sergius, Annum ab anulo deductum dicit, quod in ſe, quaſi anulus redeat; atq; ad huiuſmodi originem nominis alluſiſſe videtur Virg. Georg. 2., vbi de annuo agricolarum labore ait:

. . . . . Redit agricolis labor actus in orbem;
Atq; in ſe ſua per veſtigia voluitur annus.

Immò huic Ethimologiæ adhæſiſſe videtur antiquiſſimorum Ægyptiorum ſapientia; hi enim, antequam inuentæ fuiſſent litteræ, annum per anulum, ex ſerpente confectum, indicabant; cum ſerpentem pingerent, in ſphœricam reuolutam figuram, ac caudam ſuam conuerſo ore remordentem. Hoc poſito: aliud ex anulo ſymbolum notandum eſt, ad textus intelligentiam; nempè in memoriam reuocandum, anulum fuiſſe ſymbolum nuptiarum; nam pronubus anulus, arrhabonis indicium, nuptiarum cauſa dicitur, non ſolum apud Pier. hierog. lib. 36., ſed etiam in ſacris litteris ſæpe: & certè, noſtris etiam hiſce temporibus, coniugij ſignum, anulus traditur, Antiquitus autem anulus; qui pronubus dicebatur, ex ferro conficiebatur, vt ex materia conſtantiam, ex figura verò ſphœrica æternum amicitiæ vinculum, mulieres ſibi agnoſcerent commendari. His prænotatis; memineris, qua ætate fuerit Proſerpina ex dictis lib. pri., & nubilem fuiſſe reperies, cū expreſſe dixerit Vates ibi:

Iam vicina toro plenis
adoleuerat annis
Virginitas &c.

Cum itaque *annus* ab anulo dicatur; & anulus ætatis nubilis hieroglyphicum ſit; iam habes, quid nomine *Anni* intelligat Poeta hic; nempè Proſerpinam incuſtoditam expoſitam fuiſſe fraudibus *anni*, hoc eſt *nubilis ætatis*, cui non ſolum Proci ſemper multiplices inſidiantur, vt de Proſerpina quidem vidimus lib. pri. carm. 133. ſed etiam ipſa ſibi dolos nectit, ac inſidias; dum

Sollicitat teneram iam crebra flamma puderem.

Annum itaque poſuit Poeta hic pro tempore quidem, nam quædam menſura temporis annus eſt: aſt non pro tempore extrinſeco, nempe pro ipſis Cælorum circumuolutionibus, quæ menſura temporis ſunt, omnibus communis, ſed pro tempore intrinſeco; nempè pro duratione, per quam Proſerpina in tempore extrinſeco conſtituebatur, ſeù tempori extrinſeco coexiſtens conſeruabatur. Quod autem hoc Proſerpinæ tempus intrinſecum ætas eſſet iuuentutis, non ſolum ex dictis patet; ſed etiam ex Aegyptiorum eruditionibus, annum olim, vt ex Pier. habetur lib. hierog. 18., diuidentibus in tres tantum partes, nempe Aeſtatem, Hyemem, & Ver; addentibuſq; Aeſtatem anni *Venerem* eſſe; Hyemem *Saturnum*; ac Ver tandem *Proſerpinam*. Cum igitur Anni iuuentus, omnium calculo, Ver dicatur: Proſerpina, quæ Ver ſit, certè florente iuuentutis ætate vigens dicenda eſt, Quam verò hæc ætas fallax, ac labilis ſit, abunde patet ex eo, quod ciſta florum ex Euſebio, apud Pier. lib. hierog. 60., iuuentutis ſimul, ac veris ſymbolum ſtatuitur; ſed flores etiam ipſi hieroglyphicum repentinæ nimis exiſtunt caducitatis, veræ camporum Ephimeræ, ac, raptoribus ſemper expoſita, alliciens præda. Iure igitur, ex anuli ſphœrica figura, hæc ætas, *anni* nomine, compellatur, quæ ſemper labilis eſt, nam figura perfectè ſphærica ſtare nequit, vt docent Mathematici; & Fortunæ tribuitur, in orbe ſemper ludenti, vt ludibrium Fortunæ hæc ætas oſtendatur. Ideò *reuocat cuſtodia Chari pignoris, & cunctis obiecti fraudibus anni*.

NON MIHI CYCLOPVM &c. Per præoccupationem figuram, occurrit obiectioni, quam Cybeles affectus innectere potuiſſet, vt Cererem detineret; nempe non eſſe tandem cur de Filiæ cuſtodia tantopere eſſet ſollicita, cum illa, tatis ipſis domicilij ſui munimentis obuallata exiſtens, cuſtodiatur; vidimus enim, lib. pri. quam valide munita fuerit Cereris domus. Occurrit, inquam, huic obiectioni, & diluit; nam, quantumuis tutiſſima omnibus ſtatio videri poſſit, ſibi non ſatis tuta videtur; & rationem illicò ſubdit, ne irrationabilis dubitatio videatur; cum iam ſecura diſceſſerit ingenio confiſa loci, vt lib. pri.

CVLMINA, Pro tecto ponitur culmen, & tectum pro tota domo. De culminibus vero vide dicta lib. pri. carm. 8.

QVAMVIS EXTRVCTA &c, Iure vtitur particula aduerſatiua *quamuis*, nam, quæ huic particulæ ſubſunt, aduerſari videntur iniecto de incuſtodita filia terrori. *Extructa* verò, ab extruo; idem eſt, ac fabrefacta: de quo vide deſcriptionem habitam lib. pri.

CAMINIS CYCLOPVM, Caminus idem eſt, ac fornax, vt patet ex Virg. Æn. 3. alibi à nobis cit. vbi de Ætnæis fornacibus hæc habet:

. . . . . . Ingentem inſuper Aetnam
Impoſitam ruptis flammam expirare caminis.

& qui nam fuerint fabri Cyclopes videbis ibidem in cit. deſcriptione. Legunt alij, hoc loco *extracta caminis*; minùs propriè vt putat Parrhaſ. Ego non auſim hoc dicere, licet enim nouerim, certum eſſe, quod non extrahantur mœnia, ſeù culmina ex fornacibus fabrefacta, ſed materia tantùm, ex qua fabrefiant: tamen, cum, in ijs quæ per artem fiunt, nil conſtet ſtatuam, v. g. niſi æs, quod è fornace funditur, iure poteſt dici ſtatua e fornacibus educi. Sic apud Virg. Sybilla Æn. 6,

Ante-

Accelerremus, ait, Cyclopum educta caminis
Mœnia conſpicio &c.

NON SATIS. Non quantum opus eſt: FIDA: tuta nempe, ac tutè ſeruantia creditum pignus: MIHI: ſubintellige *ſunt*: quaſi dixerit: quidquid alijs de hoc poſſit eſſe Iudicium; mihi in animo eſt ea non ſatis eſſe tuta: ideò angor, ni properem, & excrucior: & iure quidem timebat, ſed ſerò timebat Ceres; nam, ſi exitus acta probant, actualis Proſerpinæ iactura, infidis fuiſſe Laribus commiſſam comprobauerat.

TIMEO. *Timere* idem eſt, ac timore concuti. Timor autem, fiduciæ oppoſitus, dirus quidam tortor, ac ſatelles meticuloſæ Animæ dicitur, quo illa grauiſſimè excruciatur; eſt enim animi concuſſio in expectatione mali, quæ plus aliquando officit, quam malum ipſum; ſiquidem multos, impendentium malorum formidine, conſtat, eſſe exanimatos. Quarè validiſſimum adducit Ceres motiuum accelerandi ex Phrygia diſceſſum: *Timeo*. Sed qui timeat illa, quæ tota fiducia fuerat, *Ingenio confiſa loci*? Ex oppoſito ad oppoſitum non datur, ſine mutatione, tranſitus. Locus certè non fuerat immutatus. Cur igitur timeat nunc, quod ante fidiſſimum putauerat? Fiducia, ac ſecuritas animi ſæpè ſæpiùs ex non ſatis exactâ rerum conſideratione prouenit; atq; adeò vice verſa timoribus facilè pulſantur prudentes, & conſiderati, quæ pericula à longe præuident, dum omnes ad amuſſim conditiones, ac circumſtantias perpendunt. Sic, apud Virg. Æn. 2. Laocoon, Troianis cæteris fiducia elatis, equumq; à Græcis fabrefactum, intra mœnia deferre certantibus, ſolus timet, & exclamat: *Equo ne credite Teucri,*
Quidquid id eſt, timeo Danaos, & dona ferentes.

Prudens enim perpendebat, nullo modo, poſſe inimicorum dona carere dolis: atq; ideò ſic coniectabat:
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros
Inſpectura domos, ventura q; deſuper vrbi;
Aut aliquis latet error &c.

Et profectò, ſi quid Laocontæ prudentiæ detuliſſet Teucri
Troiaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.

Minùs prudenter egerat Ceres, cum filiam incuſtoditam deſtituit, ingenio confiſa loci; nec enim omnia perpenderat, quæ mente libranda fuerant. Verùm, vrgente ſubinde dilecti pignoris amore, quo nil magis ingenio pollet, excitata prudentiæ perſpicacia, quo plura perpendere aggreſſa eſt, eo faciliorem timori aditum aperuit; ſiquidem, qui tenerrimè diligunt, ijs timeant, quos ament, neceſſe eſt, inquit lib. de Eloq. 8 Cauſinus. Ex maturiori itaque rerum conſideratione facta eſt Cereris ex oppoſito in oppoſitum mutatio.

NE FAMA PRODIDERIT LATEBRAS. Locum ſatis per ſe tutum eſſe profitetur, ſi occultum remaneat; ſed famâ prodi poſſe perpendit. Monſtrum dicacitatis Famam eſſe, vel ex ipsâ nominis patet Ethimologia; nam Fama à Fando dicitur, quaſi *fari amans*. Huiuſmodi monſtrum ex terra, in Deos iratâ, progenitum, Enceladi, ac Cæi Gigantum ſororem autumant; alatam efficiunt, oculis, Argi more, refertam; auribus vndequaq; ſtipatam; nam omnia oculatiſſimè rimatur, omnia audit, vt omnia millenis euulget linguis; &, celerrimo per orbem totum dilapſa volatu, omnia garritu compleat ſuo. Audi quam bellè eam deſcribat Virg. Æn. 4.
Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, vireſq; acquirit eundo;
Parua metu primò; mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens irâ irritata Deorum
Extremam (vt perhibent) Cæo, Enceladoq; ſororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.
Monſtrũ, horrendũ, ingens, cui, quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat Cæli medio, terræq; per vmbram,
Stridens; nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus, aut altis, & magnas territat vrbes
Tàm ficti, prauiq; tenax, quàm nuncia veri.

Iure igitur, ne ſecretum Cereris hoſpitium proderet huius monſtri garrulitas, timebatur. Ponitur etiam pro ipſa locorum celebritate: nam difficilè latent ea, quæ celeberrimis condantur in locis. Celebris autem, atq; in ore omnium Sicilia profectò ſemper fuerat, ætnæis prodigijs eiuſdem celebritatem augentibus, ac exteros ad inuiſendam allicientibus. De verbo *prodiderit* vide dicta ſuper carm. 55. *Latebra* verò propriè dicitur locus, in quo quid occulteatur: itaque, latebrarum nomine, propriam hic notat domum Ceres, in qua Proſerpinam abdiderat, & de qua lib. pri. Ex hoc autem, quod timeat, ne fama prodiderit latebras, ſequitur neceſſario vt timeat, ne expoſita raptoribus Proſerpina facilè periclitetur. Quare ex antecedenti ad conſequens viam aperit.

ET TRINACRIA. Vide de hac lib. pri. carm. 141.

LEVIVS CELET. Imminuit aduerbium illud comparatiuum; quarè idem eſt, ac *minus fideliter*, nec ad intentum ſatis *Celet*, hoc eſt occultet, & occultando cuſtodiat.

MEVM DEPOSITVM. Quidquid alicui, ſub fide, traditur cuſtodiendum, *Depoſitum* dicitur; ideò iure Ceres hoc nomine filiam deſignat ſuam, quam Siciliæ fidei cuſtodiendam tradiderat lib. pri. carm. 194. & ſeq.

NOBILITAS LOCORVM. *Nobilitas* dicitur, quaſi *noſcibilitas*; nam quæ nobilia ſunt, ſolis ad inſtar ſunt, qui; lucem neceſſariò diffundens ſuam, nunquam poteſt ignotus eſſe. Ideò de Nobili Eliſa, ſe ſe in ſyluis occultante, ac, ne agnoſceretur, ſummum impendente ſtudium, inquit Bracciol. lib. de Cruce 3.
Del bel viſo gentil fà proua in vano
Naſconder l'aria, e'l portamento, e'l moto.
Non può l'atto ciuil farſi villano,
Ne reſtar de ſue gratie il ciglio voto.
Troppo candida appar la bella mano,
Troppo, ad ogn'opra, il nobil geſto è noto.
Così nuuola il Sol con gl'atri veli
Non può tanto celar, ch'el giorno celi.

Magnum itaque timendi, ne occulta pateſcant, argumentum eſt *nobilitas locorum*, quæ, cum ignota eſſe non poſſit, facilè, claritate ſua, omnia, quæ in ſinu habeat, detegit: Locorum autem nomine deſignat hic Ceres domicilium proprium, tàm magnificè extructum; campos adiacentes; perpetuo inſignes vere; totam deniq; Siciliam, ob Ætnæa prodigia, vbiq; ſemper terrarum decantatam: nam *locus*, in lata quadam ſignificatione, dicitur quidquid aliud continet, licet, in rigore phyloſophico, *locus* ſit ſuperficies vltima corporis ambientis immobilis.

NIMIVM VVLGATA. In ore omnium poſita, iam Lippis nota, & tonſoribus, ideòq; omnibus patens.

TERRET. Subintellige *me*. *Terrere* autem eſt *terrore complere*, verbum vtiq; omnibus notum.

OBSCVRIOR SEDES &c. Quodnam excogitauerit remedium expulſiuum timoris, ac mali, quod metueret, hic aperit, nempe mutandas ſedes &c. Hoc ipſum remedium, ad euitandum graſſantis mali periculum imminens, oraculum in ſomnis edocet Æneam Æn. 3.
Mutandæ ſedes: non hæc tibi littora ſuaſit
Delius, aut Cretæ iuſſit conſidere Apollo.

Et quidem optima fuiſſet Cereris deliberatio, ni iam nimium ſedes mutaſſet Proſerpina; ſed inſcia Mater facti optimè deliberat, nam vt etiam Italus ait Vates:
Speſſo chi cangia ſuol, cangia fortuna.

Sedes itaque pro loco quietis, ac tutâ ponitur ſtatione, vt alibi dix. Sicuti autem claritas pro nobilitate ponitur, ſic pro ignobilitate obſcuritas, quarè *Obſcurior* hic aſſumitur per contrapoſitum ad nobilitatem Siciliæ iam decantatam; ideſt ignobilis magis, ac conſequenter non tam facilè noſcibilis. Iterum *obſcurum* dicitur quidquid latens in obſcuro, occultum in vmbris eſt: ſic Virg. Æn. 9.
Vidimus obſcuros primam ſub vallibus vrbem &c.

Cum itaque, latebras in Sicilia ſitas non ſatis in obſcuro eſſe dixiſſet, obſcuriores, ideſt quæ magis in occulto ſint, exquirendas appoſitè dicit.

EXQVIRENDA, ſuple *eſt*, MIHI ALIIS ORIS. Hoc eſt diuerſis, diſſitis, ac remotis à Sicilia, in qua nunc degimus. Quid autem *ora* ſint vide lib. pri. carm. 28. *Exquirere* verò eſt, diligenter inquirere, & non obuia quæque, ſed aptiora deligere: & particip. huiuſmodi in dus officium debitum, ac neceſſitatem importat exquirendi. Sed cur *Mihi*, dixerit, non *Proſerpinæ*? Neſciens quid diceret prophetauit; nam de Proſerpina iam actum erat. Senſus tamen Cereris eſt, vt indicet, ſe non ampliùs in poſterum è Filiæ cuſtodia diſceſſuram; atq; adeò eligendam ſibi ſedem, perpetuæ apud Proſerpinam manſionis.

VMBRACVLA NOSTRA &c. Potuiſſet quis à Cerere exquirere, cur non ſatis futurum eſſet, ſecretiorem in eadem inſula locum quærere: ideò rationem reddit, cur non in Sicilia, ſed diſſitis in oris, ſtatuenda iam ſedes eſſet; & ratio eſt, quia, in quacumq; collocaretur Siciliæ parte, ſemper futurum erat, vt Ætnæ proxima eſſet; adeòq; Aetna ſe ipſam prodigijs euulgante, non poſſe, quin & adiacentia nota fie-

rent decurſu temporis opinabatur; nam concurrentes ad Aetnæ viſenda prodigia, tandem & domicilium Cereris reſciuiſſent. Porro *Vmbraculum* eſt, quod ad vmbram eſt factum efficiendam. Vocabulum vtique primo impoſitum ad ſignificandas ſtructuras illas, quæ, tumultuario more, ex cæſis arborum ramis, ad ſolem arcendum conficiebantur, vulgò *le fraſcate*, quibus ſtatis adhùc anni temporibus vtuntur Hæbrei: Sed extenſiuè poſtea translatum ad ſignificandum quidquid vmbram faciat, & ſolem arceat, ac proindè & pro inſanis ædificiorum ſtructuris iam ponitur ab ijs, qui ſua modificant potiùs, quam amplificent. Poſſeſſiuum *Noſtra*, ea intentione loquentis, & ad Cererem, & ad Proſerpinam, totamq; earundem refertur familiam.

NEQVEVNT TACERI. *Nequere* eſt *non poſſe; Tacere* autem dicitur, quod non euulgatur, nec euulgatur, quod dignum non eſt, vt euulgetur: ſed non poteſt non eſſe dignum, quod euulgetur illud, quod laudes meretur; quarè *non tacenda* dicimus, quæ laudanda ſunt; *tacenda* verò, quæ nullam promerentur laudem. Quarè & Ouid. 2. de arte atq;

Exigua eſt virtus præſtare ſilentia rebus

At contra grauis eſt culpa tacenda loqui.

non poterant itaque taceri, ideſt ſilentio premi laudes Cereris, eiuſdemq; domicilij, vtiq; non tacendæ ab Inſula, quæ tota Cereri dicata fœcunditatem vberrimam ex Cereris inhabitantis præſentia decerperet.

GEMITV ENCELADI. De Encelado ſub Aetnæis rupibus gemente vide dicta lib. pri. carm. 154. & ſeq. Sed aduerte, quod hoc etiam loco neſciens quid diceret ſcopum attigit veritatis, nam tunc maximè gemuit Enceladus, cum Pluto, Proſerpinam rapturus, lib. 2.

Sub terris quærebat iter grauibuſq; gementem

Enceladum calcabat equis &c.

atq; ex eo ſubindè gemitu maior indita domicilio Cereris celebritas, quod, ex hoc ipſo, Vatis noſtri carminibus celebratur. Cereris tamen ſenſus fuit, Gementem Enceladum, dum Siciliam famâ reddit inſignem, non poſſe, quin ſingulas Siciliæ partes veſtigantium notioni reddat apertas.

ET FLAMMIS PROPINQVIS. Ignem medium ita eſſe inter diuinam, humanamq; naturam, opinati ſunt antiqui, vt meritò Internuncius Deorum diceretur. Hinc factum, vt igne, in altaribus vterentur; quia ſcilicet exiſtimarent, preces noſtras, igne internuncio, ad Deos referri, vt refert Pier. lib. hierog 49.; materiæ enim adhæret ignis, & ſemper in ſublime fertur, tamquam, rerum omnium noſtrarum conſcius, inferiora hæc omnia Cælicolis manifeſtare videatur. Ad hæc itaque alludens Ceres ait, vmbracula ſua non poſſe taceri, ideſt non poſſe non prodi *flammis propinquis*, ætnæis ſcilicet, propè quas, niſi extra Siciliam locaretur, ſemper futurum fuiſſet Cereris domicilium, cum Aetna centrum Inſulæ ſit, vt vidimus lib. pri. Metuerat Ceres, vt ex eodem lib. noſtis, vel ex Marte raptus, vel ex Phœbo, quos, pro virgine decertantes, illa deſpexerat. Nunc, quippe nil minùs, quam raptorem fore Plutonem, cogitaret, ea iiſdem inſidias Filiæ tendendas pertimeſcebat: vicino igitur, cælicolum internuncio igne, iure ait, non poſſe quin Procis illis vmbracula proderentur ſua.

SOMNIA QVIN ETIAM &c. Quid prudentis conſilij eſſet, expoſuerat, tamquam primariam timoris cauſam, & diſceſſionis Iam & ſomnia in cauſam vocat; ſed tamquam cauſam adijcit ſecundariam, ne leuioris animi notam ſubiret, ſi ſe ſolis ſomnijs terreri fateretur: immò ſomnia ipſa, augurijs concurrentibus, portentoſa corroborat, vt non, ſine ratione, aliquis ſomnijs ipſis deferre, videatur. *Quin etiam* aduerb. augendi eſt, idem ſonans, ac *Præterea, quod notum eſt* Vulgo *anzi di più*. Sic Dido Aen. 4., cum exprobraſſet Aeneæ ingratum erga ſe animum, amorem ſpretum &c. ac ſe ſe morituram proteſtata fuiſſet, vt oſtenderet, eum, non Didonem modo, ſed & ſe ipſum negligere lubdit:

Quin etiam hyberno moliris ſydere Claſſem

Et medijs properas aquilonibus ire per altum &c.

De ſomnijs, & quænam hæc fuerint ſomnia ſatis ſuperq; habuimus in anteactis, quæ quia peſſimi eſſent ominis, iure ab ipſa Cerere vocantur

INFAVSTA. Nam ſicuti *fauſtum* dicitur quidquid, fauente fortuna, proſperum euenit; ſic ex oppoſito *infauſtum*, quod infectantis perfidiâ fortunæ malis omnibus refertum oſtenditur.

SAEPE' MONENT. *Monere* eſt aliquem de officio ſuo certiorem reddere, atque ad illud exequendum incitare: aduerb. autem ſæpè frequentationem importat monitionis. Memorat verò, ſomnia ſua monitoria eſſe, vt non ſpernenda oſtendat, cum, vt diximus, huiuſmodi ſomnia à Dijs immitti cenſerentur. Sic Æneas, apud Virg. Æn. 4., monitoria ſomnia in cauſam vocat, cur a Didone diſcedat;

Me Patris Anchiſæ quoties humentibus vmbris

Nox operit terras; quoties aſtra ignea ſurgunt

Admonet in ſomnis, &c., turbida terret imago.

NVLLVSQ; DIES &c. Diem nocte deteriorem, ob infauſta, quæ percipit, auguria, ſibi illuceſcere profitetur, vt cum antecedentibus cohæreat.

NON MINATVR. Duplex negatio, nempè *nullus non* tranſit in affirmatiuam, ita vt idem ſit, ac *quolibet Dies minatur*: hoc eſt minas intentat, terrorem incutit, dum nullus decurrit dies, qui mihi non aliquod non oſtendat.

AVGVRIVM TRISTE. Luctuoſum ſcilicet, ferale, atq; aduerſa quæque portendens. *Augurium* ab auibus ominantibus dictum, ponitur hic pro quocumq; omine; ſpecies ſcilicet pro genere, ſeù per abuſionem nominis propinqui, quæ cathacreſis eſt.

QVOTIES &c. Aggreditur, hoc loco, Ceres, per diſtributionem, ſeù per diſpoſitionem reſolutiuam, diſtribuere illud totum confuſum auguriorum, quod ſupra innuerat, atq;, in partes reſoluens incluſas, cuncta ſingillatim omnia recenſere, vt clare pateat vrgens diſcedendi neceſſitas. Aduerbium *quoties* numeri hic indeterminati eſt, & admirantis potiùs, quam interrogantis; Idem ſonat, ac *quot vicibus*: nempè crebris adeò, ac tam ſæpè iteratis, vt quotus ſit earum numerus exprimi nequeat: atq; ideò indefinitè ponitur, & emphatice.

FLAVENTIA SERTA COMARVM. Quid *ſerta* ſint, in rigore loquendo, iam vidimus lib. 2. carm. 145. hic in latiori ſumitur ſignificatione, nam ex addito *flauentia*, ideſt auri colorem referentia, vt lib. 1. dia. carm. 121. ſatis patet, pro ſpicea hic corona vſurpari. Verùm non omnino à propria ſignificatione abalienatum huiuſmodi nomen arbitror; nam & triticum floreſcere in comperto eſt; licet enim, cum flaueſcit, iam florem amiſerit, & fructum induerit; in mente iſ tamen fructus reuocat florem. Si quis tamen contenderet, *ſertum* hic poſitum pro *corona in genere*, non abnuo; nam contrahitur illud genus per differentiam *flauentia* ad coronam ſpiceam, qua Ceres ab antiquis coronabatur iuxta illud Tibulli:

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona

Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

appendebantur enim huiuſmodi coronæ pro foribus templorum die 6. Aprilis à ſacrificantibus; ac ſic Deæ cenſebantur oblatæ, vt ipſa ex ijs pro libito crinem cingeret. Nec quæras quomodo Ceres coronas habere potuerit ſpiceas, ſi nondum datæ fuerant populis fruges; nam primo quidem, cum Ceres pro ipſa triticea meſſe ponatur, vt alibi vidimus non potuit quin ſemper, licet nullo offerente ariſtis eſſet coronata: quod adhùc non obſtat, quin Vates ad morem alludere potuerit ſacrificantium; ſecundo memineris Siciliam, vt ſæpè diximus, domum, & incunabula ipſius fuiſſe Cereris; atq; adeò ibi, ex ſpeciali priuilegio fruges adfuiſſe ſpontaneas &c. *Comarum* autem dixit, hoc eſt Comas coarctantia, & in ſignum dignitatis, ac decoris circumambientia.

SPONTE CADVNT. De Aduerb. *ſponte* vide lib. pri. carm. 198. *Cadere* idem, ac *decidere* eſt; quod profectò non potuit ſine infauſto omine euenire; quandoquidem legimus, regiam coronam, ab Othone Bauaro iter faciente amiſſam, eidem, breui temporis interuallo, Regni iacturam portendiſſe; vt ſubindè euentu ferunt comprobatum. Non vnico tamen myſterio Vates coronæ omen, ex capite decidentis, hùc adduxit. Nam primò quidem præſignabat implendum Iouis, de quo in anteactis habuimus, decretum; nempe futurum, vt Ceres, theſauri diù iam tenax ſui, cum large adeò ſubindè diſtribueret, vt videretur ſpicea eiuſdem corona ſponte ex eius capite defluere; & terris potiùs locupletandis, quam redimendis Deæ temporibus, lætari. Secundò, cum ſerta ſint legum ſymbola, iuxta ſententiam D. Hieronymi, pythagoricum hieroglyphicum interpretantis; ſerta ex Cereris crine decidentia periiſſe indicabant leges Proſerpinæ ab eadem datas; atq; exindè exitium coronæ ſuæ, nempè filiæ, (quoniam corona Matris eſt ſapiens filia) portendebant. Tertiò hilaritatis ſymbolum ſerta fuere; ideòq; in conuiuijs, & nuptijs coronæ adhibebantur, quibus non conuiuæ ſolum, ſed & pocula, & menſæ, & parietes, & pauimenta ipſa coronarentur: immò & quæ inſperſa vina mergerentur delibanda: quarè corona e capite decidens profligatam emori lætitiam, latè ſatis oſtendit. Luctum itaque, nullis leuandum conſolationibus ſubitura Ceres iure

coro-

coronam ex proprio decidentem capite intuetur. Quartò Redimitum corona caput Principis, ac dominantis hieroglyphicum fuerat. Ceres cæteris altior matribus extitit quouſq; adfuit, damnum numeri, Proſerpina, penſans. Eâ nunc alienæ factâ ditionis, principatu ſuo Ceres ſpoliabatur; ideò corona ex capite decidit. Deniq; Prudentiæ, ac Prouidentiæ ſedes caput dicitur, quod dum earum illuſtrarit actibus virtutum, inter ſapientiſſimos quoſq; coronâ donatur ſapientiæ. Cum itaque imprudens, atq; improuida fuiſſet Ceres, meritò coronam ex capite decidentem ſæpe ſæpiùs contemplabatur. Sed, ne omnia vnum abſumat omen,

QVOTIES SANGVIS &c. Ferale, apud antiquos portentum erat, quoties ſacrificiorum latices verterentur in ſanguinem. Sic, apud Virg. Aen. 4. oſtentum mortis excipit ex huiuſmodi conuerſione infœlix Dido:

Vidit, Thuricremis cum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigreſcere ſacros
Fuſaq; in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.

Cum itaque lactis fontes, nempe vbera Matris, in fontes verterentur cruoris, certè ferale fuerat Natæ omen teterrima immutatio. Sed non eſt hac tantùm alluſiua eruditione contentus Auctor, qui, more ſuo, plures congerit vnicam in dictionem eruditiones. Memineris itaque, cor, animam, & ſanguinem dici quidquid in primis charum eſt: ſic filium vnicè dilectum, cor ſuum, animam ſuam, ſanguinem ſuum, etiam in familiari ſermone, compellat Mater. Hoc poſito: noueris, mamillas partem eſſe cordi maximè propinquam, & quæ ſanguinem in lac tranſmittandi facultate potitur, ad prolem alendam: cum itaque, ceſſante hac facultate, iam non lac, ſed ſanguis, per mammas, effluit, cor ipſum, (quod per Ariſtot. fons ſanguinis eſt) effluendi è pectore aditum comparare ſibi videtur. Effluente igitur ex mammis ſanguine, cor Cereris, nempè Proſerpinam, è pectore eripi materno portendebatur; &, cum ſanguis animæ vehiculum dicatur, anima, cum ſanguine, nempè Proſerpina à Matre ſeparabatur. Sed quid ambages explicans detineor? Cui quæſo ignotum eſt ſanguinem pro ipſis liberis poni? Audi Anchiſen, apud Virg. Aen. 6., de Cæſare ex Troianis oriundo hæc dicentem:

Tù prior, tù parce, genus qui ducis Olympo
Proÿce tela manu ſanguis meus. . . .

dum itaque ſanguis ex pectore manat Cereris, certè Proſerpina filia ex eius vbere diuellitur. Diuellitur, inquam, nam ſicut lac ſponté, ſic ſanguis non niſi violenter è venis truditur, vel violentia illa extrinſeca, vel intrinſeca ſit. Timuerat à Marte captum Ceres: Mars autem prædominari dicitur ſanguini: quarè effluens ab vbere ſanguis raptam iam deſignabat Filiam, & è pectore Matris, non manu Martis euulſam, ſed euulſam tamen. Inſuper Dearum lacte homines immortalitate donari, Poetæ commenti ſunt; ideòq; Herculem Iunoni ſuppoſitum dixerunt dormienti, vt eius in Deum lacte migraret: ſanguis autem, vice verſa, mortalium alimentum eſt; nam ſanguis proximè vertitur in ſubſtantiam viuentis, vt nos latè docuimus in Animaſticis, vbi de potentia nutritiua. Cum itaque, loco lactis, ſanguinem præberent vbera Cereris, claré oſtentabant, filiam, ijs alendam vberibus, ex immortalium cætu deiectam, inter mortales computatam, mortuorumq; regnis addictam. Tandem ſanguis ægrotantibus propinatus mederi dicitur morbo comitiali, qui & maximus dicitur: in maximum itaque malum ſugentem iam vbera incidiſſe, indicabat ſanguis, lo ipſum iam Proſerpinæ propinans: nec verè immanius poterat malum incidiſſe, quam cum in Orcum inciderit. Ad quod ſortaſſis aptiùs exprimendum, legunt aliqui, cum Heinſio, hic *exundat ab vbere ſanguis*. Verùm non libet à vulgata noſtra recedere, quæ legit

EXSVDAT AB VBERE. Nam, licet *exſudare* ſit idem, ac *guttatim emanare*; vbi *exundat* vberrimam importat affluentiam, tamen, cum & ſudor copioſus erumpere poſſit, non tollitur, per rigoroſam verbi ſignificationem, quin, ſi latiùs ſumatur, non poſſit copioſam extillationem importare. Ponitur autem vt prodigioſus iſte ſanguinis ſudor, quia rarus, & raro eueniens; non quod de facto, naturalis eſſe non poſſit, cum immò Ariſtoteles 7. de Hiſt. Animal. c. 16. & 3. de partibus c. 5. abſoluté aſſerat, naturaliter fieri poſſe, vt ſanguinis ſudor è venis profluat: quo fundamento innixus Maldonatus in Matth. 26. ſuſtinet, ſanguineum Chriſti ſudorem, in horto, naturalem prorsùs fuiſſe, ex vehementi pœnarum apprehenſione, quas ſubiturus in acerbiſſimo mortis agone mox eſſet. Quin & naturali ratione videtur hoc ipſum comprobari; nam, cum ſudor nil aliud ſit, quam pars aquea ſanguinis, quæ ex venis effluit, cur non poſſit ſanguis ipſe ſubtilior, & purior, præcipuè ex delicatiſſimæ conſtitutionis corpore trudi, per vehementiſſimam imminentis mali, & quidem ſummi, atq; ineuitabilis apprehenſionem? Certè Lutetiæ, olim, Pariſiorum robuſtus, ac valens homo fertur, auditâ in ſe capitali ſententiâ, ſanguineum in ſudorem abijſſe. Nil igitur mirum, ſi hoc ipſum de Cerere, in caſu, aſſeruerit Vates. Quid porrò ſint vbera in fœminis, magis notum eſt, quam vt indigeat explicatione. Ideò iam proſequor,

LARGA VEL INVITO &c. Omen omini adnectit, & infauſta oſtentat omnia, vt multiplicem ſui redditus cauſam exponat. Exſiccatum lactis fontem ſanguineos degeneraſſe in latices profeſſa, iam apertos oculorum indicat fontes, atq; ex ijs erumpentia fletus indicat flumina, non ſolùm ſponte, ſed acri adeò profuſionis impetu, vt, ne adhibito quidem conatu valeant coerceri. Et profectò optimè ſibi conſonat Vates; nam ſicuti, remotâ causâ, remouetur effectus, ſic è contrario, inualeſcente cauſa, validior fiat effectus, neceſſe eſt. Sicut igitur, cum primo mæror animum leuiter inuaſiſſet, lib. pri., leues etiam impulit fletus: *Voluntas oborsa fletu genas*. ſic, cum iam radices fixerit mæror, ac latiſſimè cordis occupans arcem inualuerit adeò, vt giganteas excreuerit in vires, vberrimos lacrymarum excitat fontes. Ideò

LARGA FLVMINA PRORVMPVNT. *Prorumpere* eſt, quaſi effractis retinaculis, carceribuſq; cum impetu ruere. Quo verbo oſtendit Ceres lacrimas ſuas tanta vi, & impetu ſurgere, vt nullo detineri margine poſſint, quin effluant in *Flumina*. Flumen autem, à fluendo dicitur; quaré cum & lacrymæ ex oculo quaſi ex fonte fluant, ac præcipuè ſi ſpontaneæ ſint, aptiſſimo fluminis nomine denotantur. Epitetum verò *larga*, licet, ſpectata nominis proprietate ad menſuram quantitatis, ſecundùm latitudinem, ſpectet, hic metaphoricè vſurpatur ad affluentiam, & copiam indicandam; nam *Largus* per translationem idem eſt, ac *abundans, copioſus*, affluens: in quo ſenſu Turnus, apud Virg. Æn. 11. Dranci petulantiam redarguens hoc vtitur nomine

Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi.

VVLTV VEL INVITO. Particula *Vel* idem hic ſonat, ac *quamuis*. *Vultu* autem, inquit, totum pro parte ponens, nempè *vultum* pro oculis in vultu ſedem habentibus. Et *inuitus* dicitur qui repugnans cogitur. Repugnantibus itaque oculis, animo, voluntate, ac toto Cereris conatu, ſpontaneos fletus, & quidem vberrimos coerceri non potuiſſe ſæpiùs erumpentes, ſatetur vltrò. Quod autem huiuſmodi fletus inauſpicatiſſimi ſint, atq; vltimum defleri periculum malo portendant omine, ſatis liquet ex Virg. Æn. 12. Vbi Turnus ex lacrymis Amatæ Reginæ, quæ eum incolumem adhuc, & validum, licet in prælia iturum deflebat, omen arripit mortis; ſicque; obfirmatis animis Reginam alloquitur;

Ne, quæſo, ne me lacrymis, neue omine tanto
Proſequere in duri certamina Martis euntem,
O' Mater; neq; enim Turno mora libera mortis.

Portendebant itaque & Cereris lacrymæ ſupremum natæ periculum, quam deflebat.

ET MANVS &c. Seriem infælicium proſequitur auſpiciorum, feralibus feralia ſubnectens per particulam *Et* copulatiuam ſimul, & cumulatiuam. Liqueſcentibus itaque in lacrymas oculorum cataclyſmis iniurioſas manuum immiſſiones, ſecreto quodam impulſu, ad pectoris tunſionem aggerat admotarum. Porrò tundendi pectoris actus, vel pœnitentis eſt, vel ſummè dolentis; & ad vtrumque arbitror reſpexiſſe Poetam; nam & futurum erat, vt Cererem ſummoperè pœniteret ſoccordiæ ſuæ, quæ filiam raptoribus incuſtoditam deſeruiſſet expoſitam; & ſummè eidem, cognitâ filiæ iacturâ, procul dubio, dolendum. Quod autem actus pœnitentis ſit pectus tundere dexitrâ, ſatis ex communi vſu compertum eſt; & patet ex Euangelico Publicano, qui nec audebat oculos in cælum attollere, ſed percutiebat pectus ſuum &c. Dolentis autem eſſe, innoteſcit ex pluribus Virg. locis, & primo quidem Æn. 4. Anna Didonis ſoror ſummo ob Germanæ mortem dolore correpta.

Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

Æn. 11. Aceſtes in funere Alumni ſui Palantis

Ducitur infelix æuo confectus Aceſtes
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora.

Æn. 12. Iuturna, cum ex Iunone audiſſet Turno ſuo mortem imminere: Germani fatum lugens:

Terq; quaterq; manu pectus percuſſit honeſtum.

quibus ex locis licet inſuper adnotare, pectoris percuſſio-

nem

nem in funeribus familiarem fuiſſe; ex quo neceſſariò deducitur, ſpontaneam huiuſmodi manuum immiſſionem in pectus, non niſi vt ferale omen accipi potuiſſe; ideòq. iure a Cerere, inter, extremi mali prænuncios motus, enumerari. Quid autem manus ſit, omnibus notiſſimum eſt.

INIVSSÆ TVNDVNT. Aliqui legunt *immiſſæ tundunt.* Sed non cohærenter ad textum, qui ſpontaneos hos motus eſſe, conatur oſtendere, vt patet. *Iniuſſa* autem inite exprimit ſpontaneam procedere actionem, cum idem ſit, ac *non iuſſa*, quod autem nullius iuſſu fit, certe ſponte fit. *Tundere* emphaticam hic habet ſignificationem; nam non leuem quamlibet, ſed acrem, ac vehementem importat percuſſionem, cum verbum ſit, ex fabrorum malleo, incudem percutiente, deductum tranſlatiue. Tundere itaque eſt, deſperantium more, vibratis ictibus, pene atterere, & comminuere, vt eo magis ſpontaneus hic motus deſperatarum rerum ſe ſe omen oſtenderet. Sed, ne in verbis tantum vim facere Poetam arbitreris, eum, Aegyptiacis innixum ſymbolis non negligas. Manum itaque auctoritatis, ac poteſtatis hieroglyphicum fuiſſe, memineris; quare, cum, prandente Veſpaſiano, humana in eius triclinium manus fuiſſet illata, reſponderunt Aruſpices, ſummam rerum auctoritatem, poteſtatemq; ad ipſum peruenturam. Iterùm pectus, quippè cordis templum ſit, & altare, ſedes ſemper eſt habitum ſapientiæ. Cum igitur ſapientiam relegauerit Cereris pectus, cum filiam deſeruit; cur non fieret, vt manus, nempe auctoritas Cereris, & poteſtas, quæ iam eo adducta fuerat, vt in Proſerpinæ raptorem non poſſet, in ipſum pectus deſæuiret, quod ſapientiam abijciens tantæ ſibi cauſa fuerat iacturæ? Reatus certe ſui pœnam perſoluere debuit pectus illud, ideo a manu puniatur, quæ pro flagello, in ſacris litteris, aſſumitur, dicente Iob. *Manus Domini tetigit me &c.* Adde, manum, apud Aegyptios, operationis hieroglyphicum fuiſſe: cum itaque operationes Cereris, nempe eiuſdem à filia diſceſſus, ac diuturna abſentia, in cauſa fuerint exitiorum; tunc manus contra pectus iam militant, vt Cereris operationes contra ipſammet Cererem pugnare deſignentur. Ideò iniuſſæ manus tundunt

PECTORA MIRANTIA. Quid ſit pectus iam vidimus lib. 2. carm. 110. Hic pro ſede cordis &c. vt mox ſupra aſſumitur: nam *manus* flagellum doloris præſignat ineuitabilis, quo miſerum Cereris cor acerbiſſimè contunderetur, ac comminueretur. Aliqui *mærentia* pro *mirantia* legunt: ſed frigido nimis ſenſu, inquit Parrhaſ. in hunc locum. Ego, quamuis non libeat a vulgata recedere, non adeò facile tamen ſecundam hanc lectionem cum Parrhaſ. damnauerim; nam cum ſpontanei mærores præſagia ſemper infortuniorum ſint habiti, certè, qui *mærentia* legat, præſagium cumulat eruditè, non autem inſulsè, & frigidè, vt aiebat eit. Auctor. *Mirantia* tamen lubentius lego; nam hæc locutio magis innititur Phyloſophycis rudimentis: docent enim Phyloſophi, potentiam motiuam in homine imperio dirigi voluntatis; cum autem voluntas in corde præcipuam dicatur cum Ariſtotile ſedem habere; & manus, ſine voluntatis imperio, in ſedem cordis iniurioſè moueri dicta fuerit, nil mirum, ſi pectus miretur manum ſe, præter ordinem naturæ, mouentem, ac pectus, iniuſſu voluntatis tundentem; hæc enim rei nouitas admirationē pareret, neceſſe omninò fuit.

SI BVXOS INFLARE VELIM &c. Inſignis eſt vox illa, quam, ex Sophocle depromptam, retulit Germanus: *Omnia metuenti adſtrepunt.* Quare nil mirum, ſi, naturalem effectum imitatus Vates, Cereri, iam ſummè timenti, hilares etiam ſonos adſtrepuiſſe, eruditiſſimè inſinuet. Occurrit itaque per præoccupationem rhetoricam Ceres ſuaſioni, quæ illi prudenter à Matre ingeri potuiſſet ſuadente, vt melancholicos humores, adhibitis dilueret ſymphonijs, oſtenditque oblectamenta hæc ipſa in monſtra ſibi ferale portendentia conuerti. Quod ſi cauſam huius euentus quæras naturalem, memineris, melancholiam atram eſſe venenum cordi hominis illapſum, eáq; pollens virtute, qua pollet Stellionis venenum illius, qui ex genere phalangiorum frequens in Apulia degit, linea per tergum ducta diuerſi coloris, pro ipſius animalis diuerſitate; ita vt, ſi quem animal ex his aliquod momorderit, omnes odio habeat colores patiens, præter eum, quem referat mordentis linea dorſalis: atq; hinc facile intelliges, pectus triſti hoc imbutum humore triſtibus tantum delectari, atq; à lætis omnibus, tamquam à pernicioſiſsimis abhorrere; quod vtiq; nimia ſæpè experientia comprobatur. Itaque & Ceres, ſe hoc ipſum experiri fatetur, vt Matri viam præcludat amuletum doloris ſuggerendi. *Si velim.* De particula conditionali dictum ſupra. *Volo* verbum eſt à voluntate deductum, eiuſdemq; importans actum voluntatis. Porrò in duplici differentia voluntatis ponitur actus. Alius enim eſt *efficax*, ad quem ſcilicet ſequitur intentum, &, nomine potentiæ ſuæ inſignitus, *voluntas* abſolutè dicitur: alius eſt *inefficax*, & potiùs *velleitas*, quam voluntas, appellatur. Hunc prænotarunt ſacræ paginæ, cum dixerint *vult, & non vult piger*; nam talis voluntas eſt, quæ nunquam ad executionem ducit intenti. Cum itaque hic de voluntate Cereris, quæ Dea crederetur, ſermo ſit; ac diuinum velle ſemper ſit operatiuum, certe Vates, per verbum *velim* voluntatem notat efficacem, & operatiuam; quare idem fuit dicere *ſi velim*, ac dicere *ſi inflem*; eruditè tamen hac circumlocutione eſt vſus, vt, quæ ex theologicis edocemur, innueret. *Inflare Buxos.* *Inflo* idem eſt, ac flatu immiſſo, turgentem facio; à folle videlicet deductum, qui flatu vtiq; turgeſcit: ponitur tamen antecedens hic pro conſequenti; nam ex flatus immiſſione ſequitur huiuſmodi inſtrumentorum ſonus: quare communiter etiam *Buccinam, vel calamos inflare* pro *tuba, vel tibia canere* vſurpatur; vt patet ex Virg. Georg. 2.

Inflauit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Buxos autem inquit materiam ponens pro re ſignata, nempè pro tibijs ex buxo confectis, de quibus vide dicta lib. pri. carm. 110.

FERALE GEMISCVNT. Nomen aduerbiatum, more poetico eſt *ferale*, idem ſonans, ac funeſte, lugubriter, diré, exitiale, deductum videlicet a feralibus diebus, quibus epulæ in mortuorum ſepulchra inferebantur: ſic Dido, apud Virg. Æn. 4. iam moritura bubonem ferale canentem audit:

Solaq; culminibus ferali carmine bubo
Sæpè queri, & longas in fletum ducere voces.

iure itaque hoc aduerbiato nomine vtitur & Auctor noſter, cum de funere Proſerpinæ, quod mater pertimeſceret, agetur. Adde, certe buxum non potuiſſe, quin ferale gemiſceret in caſu, nam, vt vidimus lib. 2. carm. 110., extitit etiam in Ætnæis campis inter alias arbores tragicum Proſerpinæ theatrum exornantes; ideò nil mirum ſi ferale gemiſcat funeris conſcia. *Gemiſcere* idem eſt, ac gemitum edere, & quid ſuſpirijs ſimile, ac fletibus, reddere. Sed verbo vtitur inchoatiuo duplici de cauſa, & acutiſſimè quidem. Prima eſt, vt ſibi ipſi adamuſſim cohæreat in contextu: cum enim ſupra dixerit: *Si buxos inflare velim*, quibus verbis inchoatio ſonationis exprimitur: ſic reſpondendum à buxo fuerat, per inchoationem gemituum: ſecunda fuit, vt oſtenderet tenerum Matris in filiam affectum, eiuſdemq;, quem ex tali ſonitu conciperet, horrorem; nam tantus erat affectus in filiam, vt feralia de ipſa reſonans inſtrumentum inflare vlteriùs, non permitteret, cum vix inchoatum gemitum audiſſet, ideòq; imperfectum & opus proſcinderet, & gemitum, inflantia ſubducens ora: & tantus horror erat, vt vix inchoatum lugubrem ſonum abrumperet, nec proſequi pateretur. Sed nota inſuper vim verbi. nam *Gemiſcere* propriè tantùm dicitur de animatis, & quidem rationabilibus, per tranſlationem autem inanimatis hanc actionem attribuit buxis Vates, vt comprobet, quæ ſupra diximus, nempè *omnia metuenti adſtrepere.* Et porrò, vt ait Ouid. in Epiſt.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Amabat tenerrimè filiam Ceres: ideòq & illi, ſollicitè admodum timebat: amantis autem, & ſollicito timore conſternati eſt, vel auram quamlibet pertimeſcere. Adi Æneam, apud Virg. Æn. 2., qui, dum Patri, quem humeris ſublatum ex patrijs eripiebat incendijs, paruuloque Iulo, quem manu ducebat, amans timeret, hæc de ſe ipſo apud Didonem fatetur.

Et me, quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela; neq; aduerſo glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent auræ; ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitiq; oneriq; timentem.

Quantas autem in pectore timentis tragœdias excitet terror, audi Turpilium in Leucadia:

Miſeram terrent me omnia; maris ſonitus,
Scopuli, ſolitudo, ſanctitudo Apollinis.

Audi Claudianum ipſum lib. in Eutrop. 2. ſic de Leone dicentem:

Ecce leuis frondes à tergo concuſſit aura:
Credit tela Leo: valuit pro vulnere terror,
Impleuitq; vicem iaculo, vacuumq; nocentem
Integer, & ſola formidine ſaucius, efflat.

Quin immò validè adeò obſeſſum concutit pectus terror, vt monſtra, Chimeraſq; vndiq; in ſe ipſum effingat conſpirantes, vt ſatis conſtat ex Didone, apud Virg. Æn. 4. cui, in ſumma rerum quiete.

Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Viſa viri, nox cum terras obſcura teneret &c.
Multaq; præterea Vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant: agit ipſe furentem,
In ſomnis, ferus Æneas; ſemperq; relinqui
Sola ſibi; ſemper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deſerta quærere terra.
Eumenidum, veluti demens, videt agmina, Pentheus,
Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas;
Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem, & ſerpentibus atris,
Cum fugit &c.

nil igitur mirum, ſi etiam Cereri, amanti ſimul, ac timenti, feralia omnia appareant; omnia terrorem augeant: atq; ipſa ſibi monſtra vndiq; effingat inſtantia.

SI QVATIAM TYMPANA. Ab inductione oſtenſura, nullum ſibi, apud Matrem, ſolatium ſupereſſe: ſed horrores vndiq; ingruere; poſtquam Tibias, quæ, ob laſciuam ſonitus dulcedinem, Veneri ſacræ ferebantur, primo poſuerit loco, ferale ſibi dictitans inſonantes, ad tympana progreditur, vt ab excluſione præcipuorum inſtrumentorum Cybeleis oblectationibus deſeruientium, nulla ſibi remanere oblectamenta concludat. *Quatio* pro *percutio* hic ponitur; vt in pari ſenſu Virg. Æn. 6.

Continuo ſontes vltrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans &c.

De tympanis vide dicta lib. pri. carm. 208. Hic tantum nota acutiſſimum Vatis ingenium. Tibia Apollini prædilecta cenſebatur: atq; ideò in altera ſimulacri eius (quod Deli erat) manu tres inſidebant Gratiæ (vt refert Pier. hierog. lib. 47.) quarum vna Lyram; Tibias altera; Fiſtulam, quæ media erat, geſtaret: immò dona, legatur, ab Hyperboreis miſſa Cytharis, tibijs, ac fiſtula comitantibus. Tympana verò prædilecta Marti quis neſciat? His poſitis; decertaſſe inuicem Phœbum, Martemq; memineris pro Virgine lib. pri. carm. 133. & ſeq.; ſed incaſſum; nam deſpexit vtrumq; Flaua Ceres, vt ibidem dicebatur. Vates itaque, rei non immemor, eorum præcipuè inſtrumenta Deorum memorat, Cereris horrores augentia; quaſi, ſpretos iam Deos vltores adeſſe, inſinuet, occaſionem nactos: vel quaſi prodigiosè inſtrumenta ipſa ad ſumendam de ſuorum contemptrice Deorum conſpirent vindictam, vt fida Dijs appareant ſuis, in vltionem conſpirantia.

TYMPANA REDDVNT MIHI PLANCTVM. Nota plenam venuſtate iterationem vocis *Tympana*, cum traductione coniunctam, vt patheticè magis decurrat Oratio; huiuſmodi enim figuræ maximè pollent, in aſſeuerationibus, ac doloris affectibus. *Reddere* eſt *quod ab alio accepimus, eidem reſtituere*. Quoniam verò cum tympana ſonum reddunt, quem à virtute pulſantis recipiunt, certè pro planctu *planctum* reddunt; nempè talem ſonitum, qualem ex pulſato excitimus pectore; & qui iure hic *planctus* dicitur, nam aures non ſolum, ſed & miſerum Cereris color moleſtiſſima profectò pulſatione verberabat. Vide de planctu dicta lib. 2. carm. 248. Hic ſumitur pro funebri, ac ferali illo ſonitu, quem ex diſſonis eliciunt tympanis Bellatorum funeratores, exequiarum pompam comitantes. *Mihi* emphaticè additur; innuit enim additam afflictæ afflictionem ex ijs, ex quibus ſolamen quæreret, *mihi*, & non alijs, quaſi me ſolam ſignent affligendam.

AH' VEREOR &c. Expreſſis, validiſſimis vtiq; terrorum cauſis, per reditionem, reuertitur ad patheticam ſui timoris expreſſionem, vt aptè reſpondeant vltima primis; atq; epilogum imponat, claudens, orationi. *Ah'* interiectio dolentis eſt, ex nimio doloris æſtu, ab inuitis etiam non ſemel erumpens; ideòq; aptiſſima ad ſummam doloris acerbitatem exprimendam. *Vereri* a verecundia videtur quodammodo deductum; notant enim verborum interpretes, proprium eſſe liberorum, & idem ſonare, ac *cum ingenuo quodam pudore metuere*. Erraſſe ſe nouerat Ceres, cum Filiam deſeruerit; ideò pudore affecta metuebat, ne, ſui ipſius cauſa, Filia, cui timebat, periſſet. Idcircò *Vereor*, inquit,

NE OMINA. Enumerata videlicet auguriorum ſeries: nam quid ſit omen, iam vidimus lib. pri. carm. 266.

PORTENDANT QVID VERI. *Portendere* eſt *portenta, ſeù prodigia oſtendere*: & ad auguriorum pertinet fidem. Partitiuo tamen vtitur, vt inſinuet, ſe non omnem, ac plenam augurijs fidem præſtare, ne nimio oppreſſa dolore optaret ſe poſſe mori: ſed eo tamen adigi, vt, aliquid veritatis in illis contineri, ſuſpicetur: atque indirectè monet futurum, vt qualibet minima pars oſtentorum, quæ vera foret, nimiæ eſſet iacturæ.

HEV LONGÆ NOCVERE MORÆ. Iterata doloris eruptione in præſtandam augurijs fidem inclinat; ac, per modum vaticinantis, verum aſſerit, quod pertimeſcit: quod vtiq; ſummè timentis eſt. *Heu* interiectio lamentantis eſt, & quaſi erumpens dolentis exclamatio. *Longa* menſuram importat quantitatis extenſæ, ſed ad menſuram etiam, vt hic, transfertur temporis, ita vt idem ſonet, ac *diuturna*. Sicq; in cauſam infortuniorum diuturnitatem temporis, quo eſſet apud Cybelem diuerſata, vocat profectò Ceres. *Mora* in triplici hic ponitur ſignificatione: primò vt manſionem ſignificet, quam diutiùs Ceres, longè à Filia, apud Cybelem duxiſſet; à manendo enim *manſio*; à morando *mora* dicitur, vulgo *dimora*. Secundò vt retardationem importet ab opere aſſumendo; nam à cuſtodia, quam Filiæ debuerat, abſcedens, reaſſumptionem eiuſdem cuſtodiæ iam diutiùs retardauerat. Tertiò vt ſignificet dilationem temporis, operi ſine dilatione perficiendo, datam; nam Ceres, quæ illicò ad filiam redire debuerat, reditum in dies negligens diſtulerat. Hæ moræ igitur *nocuere*; hoc eſt damnum, & iniuriam intulerunt. Hùc autem ſpectat & Horatianum illud: *Nocet empta dolore voluptas*; nam Ceres voluptatibus indulgens dolores meſſuit. Nouerat Ceres, Serpentem, Aquila longiùs ad prædam euagante, in eius nidum irrepere, oua q; perfodere, diripere, ac deuaſtare: ſed ſerò meminit, & præmittuit, ſe monita neglexiſſe columbæ, quæ nunquam ſtationem deſerat, quandiù Veſpertilionis caput inſederit turri; vt, facto, edoceat, ne lato quidem vngue, deſerendam eſſe filiarum innocentiam, tunc præcipuè, cum immunda cogitatio, quæ per Veſpertilionem hieroglyphicè ſignatur, animum titillat, vt eueniſſe vidimus Proſerpinæ lib. pri. vbi legimus. . . *Tenerum iam pronuba flamma pudorem*
Sollicitat, mixtaq; tremit formidine votum.

ideò iure peſſima omnia, ea ſui ipſius diuturna abſentia, verè nimius augurabatur; atq; idcircò pathetico hoc ad modum Epiphonemate claudit orationem.

PROCVL IRRITA VENTI &c. Per inſertam Proſopopeiam, Cybelis reſponſionem iam ſubdit, quæ & irritum iubeat metum eſſe, & Iouis Patris erga filiam memoret protectricem beneuolentiam fęlicitatis prædem; ac tandem conceſſa diſcedendi facultate lauſta omnia precetur, ac reditum imploret fęliciorem.

CYBELE SVBICIT. Ne miteris, ſi, hoc loco, *Cybele* ſcripſerit; ſicut & lib. pri. *Turrigeramq; petit Cybelen* cum, nuper in anteactis, Cybellem ſcripſerit: *tali compellat voce Cybellen*, nam *Cybele*, ea natura ſua, anapeſtus eſt. Aſt conſueuere Poetæ per epentheſi litteram *l* geminatam interponere, vt metro interdum meliùs deſeruiat. Hic igitur naturam, ibi verò figuram ſecutus eſt Vates. De Cybele ſatis dictum loco cit. lib. pri. *Subicit* per Syncop. ponitur pro ſubijcit, vt prima rite corripiatur; ſubijcere autem hic *ſubdere* eſt, vulgò *ſoggiungere*. Sicq; viam aperit reſponſioni per Proſopopeiam efferendæ. Tantum nota, quam graphicè naturam imitetur Vates; proprium enim materni, amantiſq; affectus eſt, via audita ex chari pignoris ore expreſſione doloris, conſolationem illicò ingerere. Ideò omittit hic Auctor particulas ad tranſitum facientes, quibus alibi vſus fuerat, vt dixerat: *vixea &c.* vt moras omnes ipſo loquendi more perrumpat.

VENTI FERANT PROCVL &c. Reſponſio Ideæ Matris conſolatoria ad Cererem hæc eſt; atque ab execratione in enarratam ſiniſtrorum ominum ſeriem exorditur. De Ventis plura ſparſim diſſeruimus. Hic pro quacunq; vehementi aeris agitatione ſumitur Ventus. Quatuor autem ſunt Venti principales, nempè Boreas ab Arcto ſpirans; Notus, ſeù Aquilo ea aduerſa fronte meridionali; Eurus ab ortu; & Zephyrus ſerò veſpere miſſus adeſt: Venti autem, quaſi ſecundarij innumeri ferè ſunt; ſed nihil ad rem noſtram pertinet eoſdem recenſere; dummodò *Ferant Venti*, Prouerbij locum obtinuit, vt quæ carent effectu, à ventis ferri dicantur. Hinc Tibullus eruditè inquit:

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusq; Notusq;
Iactat odoratos vota per Armenios.

Hinc Catullus pariter in Epithal. hæc habet:

Quæ cuncta aerij diſcerpunt irrita venti.

& iterum

Irrita ventoſæ linquens promiſſa procellæ.

Conſimili etiam modo Ouidiana Penelope ait:

Fallar: & hæc tenuem ſomnus vaneſcat in auras.

atq; eiuſdem Dido eodem vſa prouerbio ſic fatur:

Atq; ijdem venti vela, fidemq; ferent.

Virg.

Virg., ab hoc eodem adagio non alienus, de Turno, fugientem Æneæ laruam inſectante, Æn. 10. inquit:

Talia vociferans ſequitur, ſtrictumq; coruſcat
Mucronem: nec ferre videt ſua gaudia ventos.

& Æn. 11., de Arunte loquens, qui, vt bellatricem Camillam interficere poſſet, Apollinem in vota vocauerat, ſe ingloriam ſubinde in Patriam libenter rediturum proteſtatus; hæc habet:

. . . . . . Reducem vt patria alta videret
Non dedit: inq; Notos vocem vertêre procellæ.

hoc igitur eodem prouerbio vtitur & Cybele hic, vt vana iubeat eſſe auguria Cereris animum terrentia, atq;, execratione ſua, ventis ea in ludibrium conſecrat; *Venti ferant procul &c.* Superfluum videri poſſet fortaſſis aduerb. *procùl*; nam, ſi venti aliquid ferant, certe longè ferunt ab eo, à quo illud auferunt. Sed non ſine myſterio, & eruditione additum agnoſco; nam primo *Procùl* ſignat hîc, non quamcumq; diſtantiam, ſed vltimam diſtantiæ partem, ab ipſa Cerere remotiſſimam. Sic enim acceptum nouimus aduerb. *procùl* ab ipſo Virg. Æn. 5.

Ipſa caput tonſæ foliis euinctus oliuæ
Stans procùl in prora pateram tenet &c.

vbi Seruius, *procùl*, inquit, in prora, hoc eſt *in extrema parte proræ*, ita vt vlteriùs, ſeù longiùs prouehi non poſſet. Secundò aduerte, quod, quæ à ventis afferenda feruntur, ob reſiſtentiam paſſi, non poſſunt primo atteri ventorum impetu, & diſſipari; ſed dum longius aſportantur, cedente paulatim reſiſtentia paſſi, & ſuccreſcente impetu agentis, facilè tandem diſſoluuntur. Tertiò aduerte, Cybelem dixiſſe: *Venti ferant dicta*; cum autem dictum ex voce conſtet, & vox nil aliud ſit, quam ſonus, ex repercuſſo, diuerberatoq; aere prodiens, certum eſt, ſonum, non ſtatim, ac vento deferri incipit, interire; ſed ad certam vſq; diſtantiam propagari; ita tamen, vt paulatim decreſcat, donec, longiùs ferente vento, omninò in aerem euaneſcat. His itaq; conſideratis, non ſatis Cybeli fuit dicere: *dicta ferant*; ſed *procùl*, inquit, *ferant*; hoc eſt, *quam longiſſimè ferant*, vt omninò euaneſcentia, in nihilum cadant irrita. Sed dices, intentum Cybeles non fuiſſe, vt dicta ſolum, ſeù voces in ventum diſſoluerentur; ſed res ipſas per voces ſignificatas diſſolui voluiſſe. Optimè quidem. Sed magis hoc meam roborat aſſertionem: nam cum magis conſiſtentes ſint res, quam voces, diuturniori ventorum vectatione indigebant, vt diſſipatæ interirent. Subdes, res conſiſtentes in ventum diſſolui non poſſe. Sed aduerte me non dixiſſe abſolutè *conſiſtentes*; ſed magis, comparatiuè ad vocem, conſiſtentes; nam Cybele non conſiderabat portenta à Cerere enarrata, vt res reales, & ſubſiſtentes, ſed vt laruas, ab imaginatiua læſa efformatas: Laruas autem in ventos diſſolui, ſed non niſi diuturna ventorum agitatione, patet ex Virg. Æn. 4., vbi laruatus viſibili ſpecie Mercurius,

Mortales viſus medio ſermone reliquit;
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

Immò Æn. pariter 9. laruatus Apollo ſpecie item viſibili.

Mortales medio aſpectus ſermone reliquit;
Et procùl in tenuem ex oculis euanuit auram.

Quarè nil mirum, ſi & Cybelem longiſſimam ventorum vectationem laruis portentorum imprecetur, vt pereant; *Venti ferant*; & *procùl ferant dicta*, infortunium videlicet ominantia; ſeù ſomniata omina, dictis Cereris expreſſa, & *ferant irrita*, hoc eſt *non rata, caſſa, vana*, atq; *in nihilum recidentia*. In quo ſenſu eodem vocabulo vſus eſt etiam Virg. Ecl. 4., cum inquit:

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetuâ ſoluent formidine terras.

NON TANTA TONANTI SEGNITIES &c. Execratis infortuniorum augurijs; tacitè redarguit Cererem de nimia in Iouem diffidentia: & non timendum ijs, qui Iouem habeant aſſertorem expreſsè docet, vt ſic cauſas aſſignans, cur omnia Cereri in tutò eſſe debeant, validiſsimam afflictæ adhibeat conſolationem. Particula negatiua cadit ſupra verbum *eſt*, quod tacitè ſubintelligitur, ſed artificioſè per Synecd. fig. reticetur, ne mora conſolatorijs vocibus inijciatur. *Tanta*; ſubintellige correlatiuum *Quanta* in eo eſſet admittenda, ad hoc vt paſsis ſederet manibus, Filia periclitante: reijcetur autem per eamdem figuram, eâdemq; de cauſa. Remordet verò implicitè Epycureorum ſententiam, quæ, vt diximus alibi, Deum dormientem effingens, nullam inferiorum curam habere, dictitabat. *Segnities* idem eſt, ac focordia, tarditas, ſtupiditas, & negligentia rerum agendarum; & hinc *ſegne*, quaſi *ſine igne* cor illud dicitur, quod inferiorem molaris machinæ lapidem, in ſuis motibus emulatur. At quomodò ſine igne, ad vindicandam ab infortunijs filiam eſſe poſsit Iupiter, qui ignea ſemper tela coruſcans credebatur? De antonomaſtico Iouis nomine, *Tonantis* vide dicta lib. pri. carm. 38.

VT NON MITTAT FVLMINA. Coniunctio cauſatiua finalis eſt particula illa *vt*, ratione cuius, hæc à Ioue ſegnities prohibeatur. *Non mittat*; mitti vocabulo vſa eſt: ſed virtualiter idem ſonat, ac vibrer, iaculetur &c. in offendere attentantem: nam quamuis lente decideret fulmen, mortalem ſemper tamen in ictum decidet. De fulminibus vide dicta lib. pri. carm. 97.

PRO PIGNORE. Cur filia nomine pignoris exprimatur vide lib. pri. carm. 178 Præpoſitio autem *Pro* idem, ſonat, ac *in fauorem*, ſeù *ad defenſionem*. In primo ſenſu Virg. Æn. 9.

Tu, Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori &c.
Si qua tuis vnquam pro me Pater Hirtacus aris
Dona tulit &c.

in ſecundo verò ſenſu eodem lib. habetur vbi ſic:

Ipſi intus dextrâ, ac læua pro turribus adſtant
Armati ferro, & criſtis capita alta corruſci.

hic propriè defenſionem importat: ſed quia certe, qui aliquem defendit, illi fauet, in vtroque ſenſu bellè cadet.

I TAMEN &c. Concedentis eſt, hoc loco, non imperantis; eo pacto, quo apud Virg. Aen. 6. Deiphobus:

I decus, i noſtrum: melioribus vtere Fatis.

concedit enim d[illegible]; ſed te ſitum iubet, poſtquam vana conſpexerit, quæ ſuſpicetur, ac ſic terrores exuerit; quod ita auguratur, vt pro certo ponat, quo magis afflictam conſoletur. *Tamen*, coniunctio aduerſatiua, idem ſonat, ac *nihilominus*; ſeù *his non obſtantibus*. Emphaticè autem ponitur, vt ſcilicet confirmet Cybele vana omnia fore, quæ Ceres metueret, & nullam eſſe abeundi neceſſitatem, licet abire concederet.

ET REVERTERE. Subintellige *ad nos*. Sicq; noueris particulam *Et* aduerbium hic ordinis eſſe, idem, ac *deindè*. I, vt vera videas, quæ dixerim, non quæ ſuſpicaris; deindè reuertere. *Reuerti* verò eſt *retro verti*, idest à loco, ad quem quis adierit, ad locum, vndè abierit.

NVLLO CASV TVRBATA. Pium augurium: ſed non fœlix, quia ſucceſſu caruit. *Caſus* hic ponitur pro calamitate, infortunio, ac clade: & *caſus* dicitur quia cadat, ſeù accidat præter, & contra intentum operantis. Porrò turbatio Cereris ex apprehenſo Proſerpinæ infortunio proueniebat: quare, ſi nullum illi accidiſſe comperiſſet, ſecuturum etiam fuiſſet, vt nulla vlteriùs perturbatione quateretur; nam remota cauſa remouetur effectus. Sed fallebant Cybelem vaticinia non Cererem.

Diſce (vt ad moralia tandem regrediamur) diſce, Mundi, & carnis fallacias adblandientis, ac vanam eſſe Animæ ruinam inſinuantis, cum ſe expedire ſtatuit ratio, vt periclitanti animæ opem, ſi quam viam inuenerit, ferat. Iam vidimus in Cerere rationis facultatem expreſſam, quæ, cognitâ, per viſum, ab Angelo cuſtodiente immiſſum, terrâ peccantis animæ captiuitate, exilit, vt iacturam reparet, ſi fieri poſſit. Iam, in Cybele, quæ mater dicitur, noſtri generis humanitatem, ſeù carnem ipſam, agnoſcas; & in eâdem, quæ terra dicitur eſſe, mundum contempleris. Ratio, valedicendum carni, ſanguini, ac mundo, eorumq; quibus infuſcatur, delicijs, illecebriſq; profectò agnoſcit, vt periclitanti accurrat animæ: ſed non audet, niſi ex captioſa hac Cybele, obtenta facultate. Eam alloquitur; terrores exprimit ſuos; delicias ab ea exhibitas in tortores conuerti profitetur, dum animam cogitat pereuntem. Caro, & Mundus ſuadent, ſcrupulos eſſe inanes, vmbratiles terrores, & melancholici humoris effectus, propriæ viſiones infelicitatis; concionatorum voces terriculamenta eſſe puerorum; monita Sacerdotum Hypochriſis fomenta eſſe; inſpirationes, ab Angelo, vel Deo ipſo, immiſſas, deliramenta eſſe animi ſe ipſum decipientis: *Procùl irrita ferant iſta venti*, inquiunt, cum de horrendo Dei Iudicio ſubeundo, ac de Gehenna ſuſtinenda, mentio inciderit: Clemens Deus eſt, & miſericors, opera manuum ſuarum ne deſpiciat. Verùm, ne videantur, ſaluti moram inijcere, velle; facultatem abeundi concedunt: *I tamen*; verum conditionatam concedunt, non abſolutam: *I tamen; ſed & reuertere nullo turbata caſu*: quaſi dixerint: Perge: Animam, quam perditam ſuſpicaris, inquire; at, cum ipſam adhùc in te eſſe repereris; cum noueris Deum, aſſertorem tui, eam Clypeo pietatis munitam reddere; reuertere, vt delicijs fruamur, vt roſis

eg-

coronemur. Proh' indepreſſæ adhùc vaferrimorum hoſtium fallaciæ, quæ, dum adblandientes lingunt, mortalia infligunt vulnera, quo redeamus canes ad vomitum, incitantia. Inſidias fuge, qui ſapis; rumpe moras, ac præcipita, dum præcipitare poteſtas, vt Mercurius ait Aeneam admonens Aen. 4. vt citiùs à Didone diſcederet. Sed iam ex Italo Cheli Cereris, ac Cybeles dialogiſmos extorqueamus, ne latium tantummodò colere videamur.

Non più, dicea, di Frigia entr'al confine
Fermar mi lice, ò ſacra Madre, il piede.
Ch'io rieda, al fin, dou'in perpetue brine
Dell'Etna il giogo incanutito ſiede,
Vuol l'affetto materno, e con le ſpine
D'aſpre cure mordaci il cuor mi fiede:
Ed il caro mio pegno, à ciechi inganni
Eſpoſto di ſua età, ſtringe gl'affanni.
Non ſon, sì ch'io non tema, a miei deſiri
Fidi à baſtanza i, benche ferrei, tetti,
Ch', opra più de Ciclopi, il tempo ammiri,
Temo ſcoperti à chi rapir s'affretti
Del chiuſo acciaio i più naſcoſti giri
Dalla fama loquace; e, 'n ſuoi diſtretti,
Che non celi à baſtanza il mio teſoro
Sicilia infida, in ripenſar, mi moro.
Troppo celebri al Mondo, e troppo chiari
Son dell'Iſola inſigne 'l faſti altieri;
Perch'il maggiore ad occultarſi impari.
S'il caro pegno hò di ſerbar penſieri,
Sceglier m'è d'huopo, anche del nome auari,
Per più franca magion, lidi ſtranieri;
Già che d'Etna vicin la fiamma, il tuono
Tacer non puon di noſtra ſtanza il dono.
Anzi, perche non manchi al mio timore
Di funeſte ſembianze eſca inceſſante,
Sturba il ſogno crudel notturne l'hore;
E cent'ombre d'horror porta volante:
Mille ſpettri rauuiſo; e mille al cuore
Nodi auuolge di gel la turba errante:
E, qual'hor riede à campeggiar, la luce
Cinto d'infauſte note il dì m'adduce.
Quante volte nel ſuol queſta di ſpiche
Bionda corona, ond'io m'adorno il crine,
Volontaria s'atterra, e dell'amiche
Chiome abbandona il natural confine!
Quante i fonti del latte onde nemiche
Sgorgan di ſangue, al preſagir rouine:
E, lor mal grado, i meſti lumi in tanto
Verſan, tratti dal cuor, fiumi di pianto!
La man (che più?) ch'eſſer douria riparo
Dall'eſterne violenze al fianco, al petto,
Ribellante s'infuria; e l, già sì caro,
Tempio del cuore ha d'arietar diletto:
Fù del voler miniſtra: hor gl'è diſcaro
Di ſerua il nome; e ne depon l'effetto:
Stupiſce il ſen, che, dell'impero ad onta,
L'empia del ſuo ſignor la rocca affronta. *Voluntas in corde; cor in pectore.*
Se de cordogli miei, delle tiranne
Paſſion dell'alma, ad ammanſar gli ſdegni,
Prendo de Flauti ad animar le canne;
Gemiti di dolor, funebri ſegni
Rendon di morte; onde vie più s'affanne
Lo ſpirto all'hor, che reſpirar s'ingegni.
E ſe batter vuò i timpani ſuonanti
Mi rimbomban sù 'l cuor flagelli, e pianti.
Ah ch'io pauento (e voglia il Ciel, ch'io menta)
Che di mille portenti in van non cada
L'vnita ſerie, al tormentarmi intenta:
Di veraci ſciagure, ahi, che la ſpada
Pur troppo à danni miei, cred'io, s'auuenta;
Mentr' i Cimbali tuoi tengonmi à bada.
Troppo nel deliciar lunghe dimore
Traſſi: ed, in tanto, ogni mio ben ſi muore.
Lungi gl'augurij horrendi; e'l duol, che t'ange,
Seco ſe 'n porti, e gli diſperda il vento,
Berecinthia ſoggionſe. In van ſi frange
Dal terror la tua pace: e non fia ſpento
Del Tonante l'ardor, ch'empia falange
Ardiſca, vn germe ſuo render ſcontento.
Mentr'i fulmini ſcuote, e no 'l traſcura;
Gl'è di Gioue il tuo pegno: Ei t'aſſicura.
Mà de gl'inganni, ond'il tuo cuor s'infetta,
Perch'il toglier le larue, il fugar l'ombre,
Più, ch'al mio dire, à gl'occhi tuoi s'aſpetta,
Vattene pur (ch'io no 'l contendo) e ſgōbre
Viſta d'amor ciò, ch'il timor ſoſpetta;
Ne più 'l vano terror l'alma t'ingombre.
Vanne: e, viſto ch'haurai, che non fraſtorna
Caſo alcuno il tuo ben, lieta ritorna.

Obtentâ itaque iam & nos veniâ, Cererem, cum Auctore noſtro, proſequamur euntem.

Hæc vbi; digreditur templis: ſed nulla ruenti
Mobilitas: tardos queritur nõn ire iugales;
Immeritaſq; mouens alterno verbere pinnas;
Sicaniam quærit, cum necdum aſcenderit Idam
Cuncta pauet; ſperatq; nihil. Sic æſtuat ales,
Quæ teneros humili fœtus commiſerit orno
Allatura cibos, & plurima cogitat abſens:
Ne gracilem ventus decuſſerit arbore nidum;
Ne furtum pateant homini; neu præda colubris.

HÆC VBI &c. Redeuntis in Siciliam Cereris iter proſequitur Vates; viam celerrimè conficiendi adnotat deſiderium; anxietates animi deſcribit, ac tandem concinna ſimilitudine exprimit.

HÆC VBI &c. Diuerſâ vtitur interpunctione Parrhaſ. ſic ſcribens *Hæc, vbi digreditur &c.* ac ſubiodè per parentheſim ponit verba illa; *ſed nulla ruenti mobilitas*. Accipit itaque Parrhaſ. pronomen *hæc*, vt Cereris demonſtratiuum; & particulam *vbi* explicat per *ſtatim ac &c.* Ego, bona tanti Auctoris pace, libentiùs meo, atq; Heinſiano codici acquieſco, & notatam in eo interpunctionem lubens admitto; ita vt pronomen *hæc*, non ad Cererem, ſed ad mutua inter Cybelem, & Cererem colloquia referatur; & ſenſus ſit: *Vbi hæc*, ideſt vix hæc inuicem verba audita, & reddita fuêre, cum *digreditur templis &c.* Nec dicas textum, hoc pacto expoſitum, amphibologiam pati, cum in obſcuro remaneat quænam ex alterutra digrediatur. Quænam enim abſceſſit, niſi quæ veniam petierit abeundi? Immò Parrhaſiana quidem lectio non amphibologiam tantum, ſed & errorem induceret; nam pronomen *hæc* ſi eſſet demonſtratiuum perſonæ, eam certè deſignaret, quæ vltimo loco poſita fuerat, nempè Cybelem vltimo loquentem, vt patet ex dictis de hoc pronomine libro. carm. 20. Itaque, firma remanente vulgata, iam proſequor.

DIGREDITVR TEMPLIS. *Digredior* eſt idem, ac *de loco gradior*, vt patet ex Virg. Æn. 3.

Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis.

Aduerte autem Vatis artificium, qui non memorat, hic, aptatos currus, dracones in frena vocatos &c. ſed omnia iam parata ſupponuntur, ne mora digredienti inijceretur. *Templis* locum à quo diſceſſerit notat, nempe templum, illud, de quo nos lib. pri. carm. 201.

SED NVLLA RVENTI MOBILITAS. Subaudi *Videtur*

 adeſſe

adeſſe, vel ſufficere, quod per Synecd. fig. reticetur. Sed coniunctio aduerſatiua eſt, nam à digrediente Cerere ſeparat, quam optaſſet, celeritatem, illique aduerſantem coniungit tarditatem, non abſolutam quidem, ſed reſpectiuam, ſpectata ſcilicet itinerantis impatientia. Porrò tantam eſſe ſolicitæ mentis velocitatem vidimus, lib. 2. carm. 102., vt, quidquid velociſſimum eſt, tardum non tantummodo, ſed & immobile dici poſſe videatur, ſi cum ipſa mentis perniciſſima velocitate comparetur: quarè iure ait Saluſtius, *animo cupienti nihil ſatis feſtinari*, cui inhærens Leo Semproniꝰ, egregius noſtri temporis Vates, in ſuo Boemundo cantu primo cupientis animi impatientiam aptiſſimè delineat in Corbano Perſarum Regis filio, qui toto impetu ferebatur, vt Antiochiæ, cui ab armis Chriſtianis metuebat, auxiliarijs ſuis copijs, opportunus adeſſet; ſic enim ait Vates cit.

Cacche ſelue, alti monti, opache valle
Con paſſi velociſſimi diuora;
E ſembra à lui, per quegl' alpeſtri calli,
Vn ſecolo ogni giorno, vn luſtro vn' hora.
Soſpira i troppo lunghi, angoſcioſi interualli,
Diſio di guerreggiar, ed l'innamora;
E vorrebbe improuiſo, alto guerriero,
Hauer alato il piè, come il penſiero.

Quod ſi quæras Saluſtiani illius effati rationem naturalem, memineris, quod nos latè docuimus in Phyſicis, nempè tempus, quod *eſt menſura motus ſecundùm prius, & poſterius*, eſſe tamen & ipſum menſurabile alia exactiori menſura: Quarè diximus, ly *menſura*, ſeù, vt alij dicunt, *numerus*, in definitione temporis, actiuè ſumi poſſe ſimul, & paſſiuè: actiuè quidem, quatenùs tempus (idest motus cæleſtium circulationum) menſura eſt omnes alios menſurans motus: paſſiuè verò, quatenus & ipſum tempus menſurabile eſt, vt dicebamus. Inquirentes autem, quænam poſſit eſſe hæc temporis menſura, cum de ratione menſuræ, viderimus, eſſentialiter eſſe, vt minima ſit, vniformis, & indiuiſibilis, vel ſaltem vt indiuiſibilis accepta, ſtatuimus ibi, nil aptius eſſe ad menſuram temporis conſtituendam, quam ſit cognitio ipſa noſtra. & deſumebamus noſtræ veritatem aſſertionis ex Ariſtotile 4. Phyſ. tex. 97., vbi ſic habet: *at verò non ſine mutatione tempus eſſe videtur; nam cum ipſi nihil mente mutamur, aut non aduertimus nos eſſe mutatos, non videtur nobis tempus fuiſſe.* Cum itaque mutatio mentis non fiat, niſi per nouas, ac nouas, cognitiones, inuicem ſuccedentes, vel recedentes, clare ſequitur, quod menſura temporis ſit cognitio, quæ certè minima eſt, & conditiones omnimò habet ad rationem menſuræ requiſitas. Quo poſito, memineris etiam, tempus eſſe continuum, ſucceſſiuum, in quo cum nullum detur inſtans indiuiſibile, vt nos in Phyſ. late probauimus, nulla eſt temporis pars, adeò exigua, qua minor ſemper, & minor, aſſignari non poſſit: ex quo prouenit, vt, quo minutiores per partes tempus metimur, eo in longum magis protrahatur diuiſio, ac conſequenter breuiſſima quæq; pars temporis in infinitum ferè protenſa interdum videatur; cum itaque, cateruatim ſtipatæ, ſibi inuicem velociſſimæ ſuccedant iteratæ cognitiones, minutatim adeò tempus diuidunt, vt protrahere in infinitum ferè videantur. Hinc eſt, vt ægroti, breuiſſimas quaſque noctes dum tranſigunt inſomnes, æternas eſſe, lamententur, quia ſcilicet ſenſu doloris affecti, dum ſupra dolorem ipſum infinitas ferè aglomerant reflexiones, tempus diuidentes, in infinitum ferè illud protrahant, diuidendo: Ex quo factum, vt poſtulauerit quis à Natura, vt horas voluptatis conſtitueret æque longas, ac horas triſtitiæ. Ceres itaque, ſummo affecta mærore, ac doloris ſui ſtimulis ſolicitata, & deſiderio iter, in ictu oculi, conficiendi accenſa, ſuccedentes iterabat reflexiones ſupra dolorem ipſum ſuum, cauſaſq;, ac circumſtantias malorum, quorum imagine agitabatur, atq; ſupra viam ipſam, quam momento temporis conficere optaſſet, & iterabat adeò, vt quodlibet, vel breuiſſimum, tempus, ſubtiliſſimis hiſce menſuris, dimetiens, ac diuidens, longiſſimum reputaret; & conſequenter, ex tam minutatim diuiſo tempore, motus menſurans deferentium draconum, nullam in illis velocitatem eſſe arbitraretur, cum tam diuturno, iuxta ipſius exiſtimationem, tempore mouerentur; & quo mobilior eſſet ſuarum volatus cogitationum, eo immobilior illi videretur quidquid rapidiſſimam earumdem cognitionum ſucceſſionem non æquaret in motu. Ideò *nulla mobilitas* ſufficere videbatur *ruenti*, à *ruo*. *Ruere* autem eſt *feſtinare*, ſeù potiùs *præcipiti curſu deferri*, vt patet ex Virg. Æn. 10., vbi Æneas, toto in ſe impetu, ac celeritate delatum increpans Lauſum, ſic ait:

Quo moriture ruis? maioraq; viribus audes?

Et Æn. 12. Hilum in prælia præcipiti ſe conijcientem curſu, ab Ænea occiſum, ſic deſcribit Vates:

Illi ruenti Hilo, animiſq; immane frementi
Occurrit, telumq; aurata ad tempora torquet.

Ruebat itaque & Ceres præcipiti Draconum celeritate deuecta; ſed tamen nulla adhùc eorum videbatur mobilitas, quæ præcurrentem deſideriorum volatum non attingeret. Alij legunt *ſed nulla ruenti mobilitas*, quod non improbo.

QVERITVR, NON IRE TARDOS IVGALES. Deſideriorum quoties æſtuat feruor, ſi ea, quibus, ad finem adimplendorum, vtimur non ſatis correſpondeant votis, indignari, in lamentationes irrumpere, atq; iiſdem exprobrare ſolemus; quarè, naturam imitatus Auctor Cererem inducit de tarditate draconum conquerentem. Metalepſim habet verbum quæritur hic; nam ex querimonijs indignationem, ex indignatione exprobrationes ſubijcit intelligendas. *Iugales* à iugo, cui addicti eſſent, Dracones appellat, de quibus vide lib. pri. carm. 180. & *Tardos* vocat, non quia tales de facto eſſent, cum immò ruerent toto volantes impetu; ſed quia tales viderentur, iuxta dicta: Sic etiam intellige particulas *non ire*, nempè non abſolutè, ſed comparatiuè ad mentem præcurrentem.

ET MOVENS &c. Rarò euenit, vt ijs, quibus indignamur, pœnam aliquam non inferamus, ſi liceat, vlciſcentes. Ideò Vates, naturam & hic ſecutus, Cererem flagello dracones diuexantem notat; *Et mouens*; hoc eſt incitans, irritans, atq; ad velociorem motum impellens.

PINNAS IMMERITAS. Aligeros fuiſſe Cereris dracones iam vidimus loco cit. lib. pri. *Pinnas* itaque alas vocat: nam *pinna*, ſeù *penna* (idem enim ſunt) propriè dura illa alarum eſt, vt alibi diximus, pluma verò reliquo mollior corpori. Partem pro toto poſitam hic non ambigo. Sed nota Poetæ ſedulitatem. Alarum fuerat velocitatem intendere; & quia, ad votum, accelerare non videbantur, viſæ in dominam peccare, ab eadem præcipuè puniuntur, id ferente Cereris indignatione, ſed ira, quippè ſemper cæca, punit *immeritas*; hoc eſt non merentes caſtigationem; nam quantum poterant, licet non quantum hera voluiſſet, accelerabant. *Pennas* legit non pinnas Heinſius, ſed nobiſcum coincidit, vt ex dictis. *Immeritas mouens pennas* legit Parrhaſ. ſed immeritò, nam immeritus ſignificationem habet actiuam, cum a verbo deponenti *mereor* elocutetur: Pœnæ autem paſſiuè tantum dici poſſent *immeritæ*, vulgò *non meritate*. Pinnæ autem actiuæ dicuntur *immeritæ*; hoc eſt, caſtigationem quæ non merebantur illatam.

ALTERNO VERBERE. De verberibus vide lib. 2. carm. 197. *Alternum* autem dicitur, quod modò vni, modo alteri permutatis ſucceſſiuè vicibus inceſſanter infligitur; vulgò *à vicenda*, ſeù *hor l'vna, hor l'altra inceſſantemente battendo*. Ex quo vides, ad oculum, expreſſam Cereris itinerantis impatientiam, ab effectibus vtiq; mirificè amplificatam.

QVÆRIT SICANIAM. Id vt habeamus, quærimus, quod non habemus; ideo *Quærit*, hoc locò pro eodem vſurpatur, ac *vellet tenere*; *vellet attigiſſe Sicaniam*, de qua ſatis dix. lib. 2. carm. 160. Sic in eodem ſenſu Virg. Aen. 9. verbum *quærit* vſurpat, dum de Laridis dextera ab hoſte amputata, inquit;

Te deciſa ſuum, Laride, dextera quærit
Semianimeſq; micant digiti, ferrumq; retractant.

CVM NEC DVM ASCENDERIT IDAM. Ab impoſſibili, quod, vt poſſibile, optari videretur, impatientiam Cereris adauget. *Cum* aduerb. temporis eſt, vulgò *in tempo che*. *Nec dum*. Parrhaſ. *nondum* legit; ſed in idem recidit; vulgò *non ancora*. *Aſcenderat Idam*. Diſcedenti e Cybeles templo, iterque in Siciliam facienti, ſuperandus erat mons primò; nam templum illud in conuallibus Idæ, & cui ſcilicet imminéret oppoſitum Siciliæ montis cliuo, poſitum fuiſſe, innuit, in ſua ipſa inuocatione ad Matrem, Proſerpina, dum raperetur, inclamans:

Mater Io, ſeu te phrygijs in vallibus Ida &c.

ideò aptè *cum nec dum aſcenderet*; nam *aſcendere*, ex *ad*, & *ſcando* compoſitum, idem eſt, ac *ſurſum ſcandere*, ſeù *ad altiorem pro uehi ſublimitatem*. *Idam* autem dixit, hoc eſt Idæ verticem, totum videlicet pro ſumma parte, ſeù pro iemitta ſummam ſuperante partem Idæ montis, in qua, Siciliam, quæ adhùc longiſſimè diſtaret, obtinere, impoſſibile fuerat.

CVNCTA PAVET &c. Effectum, affectumq; deſcripſerat impatientiæ; iam cauſas notat, nempè pauorem, ac

dei-

deſperationem, quorum affectuum ſtimulis, veluti Oreſtes furijs, vehementiſſimè agitabatur Cereris animus. *Cuncta ponet*; hoc eſt omnia, & ſingula, quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur, ſummâ animi anxietate perpendens, vt ſollicitæ mentis proprium eſt, infauſta omnia ominabatur, ac ideò ex omnibus pauorem contrahebat. *Pauor* verò, à quo *Panes*, eſt timor vehemens adeò, vt loco moueat mentem; vnde illud Liuij: Pauor ſapientiam omnem mihi ex animo expulerat. Hoc ipſo, nil mirum, ſi & Ceres prudentia nudaretur, ita vt, & velociſſimum ſui curus motum tardum putaret, & immeritos plecteret Iugales, & Sicaniam, in Ida, cuperet obtinuiſſe; & eo tandem adducta eſſet, vt ne in ſpem quidem ſolatij erigi poſſet.

SPERATQ; NIHIL. Sola ſpes, inquit Cic. Inuect. 4. in Catil., hominem in miſerijs conſolari ſolet; ex quo fit, vt, vel vitreo pede, homines, montium prærupta ſcandere ſe poſſe, confidant, ſi ſpem habeant ducem; vt rectè adnotauit Bracciol. de Cruce lib. 18., dum ſpei effigiem deſcribens ait:

Colei che chiuſo in quel ſuo verde manto
Sì tardo hà 'l piede, e baldanzoſa in fronte
Sembra pur conſolarſi, anche nel pianto,
Ne temer le minaccie, e ſoffrir l'onte,
Quella è la ſpeme; e i deſir vani à canto
Le fan corteggio, e ſalgon ſeco il monte.
Mà vedi quei, che van legati, e dentro
Corron aſpro ſentier con piè di vetro.

quarè, vt ſpe miſeros nunquam deſtitui, oſtentarent antiqui, ſpei ſymbolum Oleam erexere; nam ſicuti ſemper viret Olea, & nullis temporum iniurijs viriditate ſpoliatur; ſic ſpes nulli miſeriarum cedit inclementiæ, ſed vireſcit ſemper, &, miſerijs vndiq; circumſepta, inuitis adhùc illis effloreſcit. Ad quæ omnia reſpiciens Italus quidam cecinit:

La ſperanza è vna chimera
Chi la vuole, ſempre l'hà.

Immò effinxerunt Poetæ, ſpem non vnicam eſſe, ſed plures, quo faciliùs vnicuiq; aliqua adeſſe poſſit; eaſq; omnes Erebo, & Nocte progenitas dictitarunt, vt refert Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. 4., vt innuerent, ſpem è medijs ærumnis, ex dolorum profundo, atq; ex ipſis preſſurarum tenebris emergere. Quarè infelicem nimium eſſe profectò dixeris eum, qui etiam ſpei lenocinio deſtituatur. Talis autem indicatur Ceres, quæ omnia expaueſcere dicitur, nil ſperare nulla enim expectatione boni delinita, nec dicere quidem poterat; *poſt tenebras ſpero lucem*, aut ſaltem indefinitè: dum *ſpero, ſpero*. Cum itaque ſtatus huiuſmodi damnatorum ſit, ſatis conſtat, Cereris tormentum inferni æquiparari ſupplicijs. Ex quo vides, quam altè aſſurgat pathetica illius afflictionis expreſſio.

SIC ÆSTVAT ALES &c. A ſimili, ſeù, quod idem eſt, per comparationem à pari, anxium Cereris motum amplificat adhùc. Similitudinem autem deſumit ab aui, de pullis in nido ſolicita relictis; eo proportionaliter pacto, quo Papinius, adnotante Parrhaſio, comparatione vtitur auis nidum conſtruere molientis, ſic, licet in diuerſa proſsùs materia, decantans:

Qualis viemo volucris iam ſedula partu,
Iamq; timens, qua fronde domum ſuſpendat inanem
Prouidet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues
Hinc homines &c.

De aduerbio aſſimilatiuo *Sic* alibi ſæpiùs dix. De verbo item *æſtuat* plura egimus lib. 2. carm. 137. Sed ex ijs, quæ ibi diximus, & locum non habere in affectu timoris adnotauimus, patet, non in eodem ſenſu fuiſſe hic vſurpatum: quare vlteriùs remanet explicandum. *Æſtuare* itaque dicitur mare, cum fluentibus, ac refluentibus vndis agitatur, & modò in hanc, modò in illam partem impellitur; atq;, hinc deducta metaphora, *æſtuare* dicitur animus, dum, inter accedentes, recedenteſq; affectuum, curarumq; varietates, fluctuat anceps, eo pacto, quo ſixartum recens amantem deſcribit Bracciol. lib. 18., cum ait:

Mà del nuouo Amator la dubia mente
Nei contrarij voler ſeco diſcorda:
A ſe ſteſſo d'amar niega, conſente;
Et hor coi ſenſi, hor con ragion s'accorda.
Pallido è fatto; e, 'l velenoſo dente,
Ben dimoſtra di fuor, com' entro morda &c.

Atque, in hoc eodem ſenſu vtitur Vates hic verbo illo *æſtuat*, vt ſcilicet fluctuationem exprimat affectuum, quâ anxia premitur Ceres. *Ales* autem ab alis dicitur quodlibet volatilis familiæ indiuiduum.

QVÆ COMMISERIT FOETVS TENEROS. Committere aliquid alteri, eſt *illud alterius fidei tradere*, vulgò *conſegnare: Dar in balia*. Sic Virg. Georg. 2.

Audes & ignoto ſe ſe committere Ponto.

ex hoc autem conſequenti antecedens intelligendum patet, nempè cum abſceſſerit ab incubatu ad cibos quærendos vt infra. *Fœtus*; ideſt enatos pullos; nam fœtus genericum nomen eſt ad omnia ferè quæ naſcuntur; & a fouendo, vt aliqui volunt, deducitur, quòd dum in vtero eſt, & cum eductus, matre gaudet fouente: ſeù meliùs, arbitratu meo, à fœtando, nam *Fœto* idem eſt, ac parturio. Hic contrahitur à ſubiecta materia ad alitis pullos, quos *teneros* dixit, hoc eſt *recenter natos*, implumes adhùc, molles, ac minimè robuſtos; nam, cum adulti ſunt, ſe ipſos tutari, ac ſibi conſulere poſſunt; ideòq; ſibi ipſis à Matre relinquuntur; at cum implumes ſunt, & imbecilles, tunc maximè curam Matris alliciunt, & maternis ſtimulis agitur, quæ eos in lucem effuderit.

HVMILI ORNO. In arboribus alites nidulari, omnibus in comperto eſt. Quo autem in altiorem excreſcunt arbores proceritatem, eo tutiorem nidulis ſtationem præbent; nec enim adeò facilè noxijs animalibus, vel rapientibus aſcenſum præſtant venatoribus: quo verò depreſſioris exiguitatis ſunt, eo magis nidos inſultantibus facilem exponunt prædam. Ideò Vates non quamcumque arborem, ſed depreſſam, ac nullius ferè proceritatis, in cauſam vocat illius timoris, quo ales in ſimilitudinem aſſumpta torqueatur; atq; idcircò humili, inquit, hoc eſt minus tuta. De orno vide hoc eodem lib. carm. 73. Tantùm nota ſpeciem hìc pro genere poſitam, nempè ornum pro qualibet arbore. Et humilem notauit, vt Cereri aptaretur, quæ humilem terram prætulerit Cælo, dum

Aethera deſeruit, Siculaſq; relegat in oras.

ALLATVRA CIBOS. Tanta eſt auibus indita paruulorum ſuorum naturaliter cura, vt, dum illi in nidis degunt, & foueant incubatu aſſiduo, & nidos cuſtodiant ſemper, nec ab ijs diſcedant, niſi alimentorum, & ſibi, & pullis quærendorum neceſſitate adductæ. Quarè aptè notat Vates cauſam, qua vnica data, abſcedant, & quæ ſi non daretur, nunquam recederent; vt ſcilicet, ex hoc amore innato, manifeſtiùs pateat, quam anxia de pullis ales ſit ſuis, ne pereant, dum ipſa ad eorumdem conſeruationem digreditur, *allatura cibos*, quos, roſtro ferens, in apertas pullorum ingerat phauces, quandoquidem ipſi impotentes adhùc ſint, vt ſibi ipſis victum nanciſcantur. Donatus *victum à cibo* diſtinguit; nam *cibum* in delicatis alimonijs conſiſtere aſſerit, *victum* verò in obuijs facilè, ac vilibus; cui diſtinctioni videtur adhæſiſſe & Auctor indicans, hoc vno nomine, proprium eſſe alitis Matris, non quamcumq; eſcam pullis ſuis infarcinare, ſed quas delicatiores agnouerit, quæritare, vt teneros tenere alat. Sic videmus, de facto hirundines, grana ſi qua deferant pullis, & priùs roſtro atterere, vt excuſſo aſperiori cortice delicatiorem aptent in cibum.

ET ABSENS COGITAT PLVRIMA. Aduerb. ordinis, hoc etiam loco, eſt particula *&* ideo, ac *ſubindè*. *Abſens*, ab abſum, quod idem eſt, ac *dum longè eſt*; nam præſens ſe ipſam obijceret hoſti, vt pullos tueretur, atq; adeò *abſens* metuit, quod præſens non metueret: *& cogitat plurima*. Cogito frequentatiuum eſt à Cogo, eo quod mens plura in vnum cogat, ac ruminet. *Cogitare* itaque eſt ſenſum interiorem, in ſuis operationibus, exercere, ſeù mente agitare. Agitat igitur & ales, à nidulis abſens, ſenſu ſuo interno, quidquid metuendum pullis accidere poſſit; ideò *plurima*, nam plurimi ſunt euentus, quibus perire poſſint alumni; atq; *plurima*, dixit indefinitè, vt modum non ſtatuat, aut numerum ijs, qui cogitantur, euentibus.

NE VENTVS &c. Per diſpoſitionem reſolutiuam, totum illud indefinitè poſitum enucleat, atq; in ſuas partes, potiores ſaltem, reſoluit, vt, quæ generalitatis inuolucro obſcura reddebantur, ad ſingularitatem redacta clariùs, ac diſtinctiùs pateſcant; nam vnus ex modis ſciendi, vt docent Summuliſtæ, eſt, vt noſcamus, nomina generalia, & confuſa, diuidere, per membra, diuiſum ipſum adæquantia. De particula *Ne* vide dicta in anteactis carm. 132. De ventis pariter vide locum nuper cit. carm. 133. Certè, ventorum impetu cum arbores ipſæ eradicari poſſint, multò magis auium niduli e frondibus excuti poſſunt: ideò primum, quod abſenti aliti obijcitur, periculum a ventis oritur; & probè quidem, nam, cum aura vtatur illa ad volandum, volantis per ſpeciem ſui, ſpeciem ventorum excitat furentium; ſpecies enim ſenſibiles, in memoratiua aſſeruatæ, ita ſe habent, vt quoties aliquâ ſpecie, connexionem cum ipſis habente,

imprimitur ſenſus, illæ ex loculo excitentur, atq; ad phantaſiam, ſeù ad æſtimatiuam, recurrentes potentiam, obiectum oſtentent ſuum.

DISCVSSERIT ARBORE. *Diſcutio*, ex *dis*, & *quatio* compoſitum, eſt ita aliquid quatere, vt deijciatur, & diſijciatur. Quid ſit arbor, notum eſt, tantùm nota, Vatem comprobare hic, ornum poſitum fuiſſe pro quacumq; arbore, dum, relictis tropis, nomi. generico vtitur.

NIDVM GRACILEM. *Nidus* dicitur artefactus ille alueolus, quo tamquam incunabulo, vtuntur aues, à ſe ipſis conſtructo, ad fetus inibi ſuos in lucem emittendos, fouendos, educandos &c. Dixi *artefactus*, nam, licet arte acquiſita non polleant aues, negari tamen non poteſt, eas, arte quadam inſita, & naturali, huiuſmodi opera conſtruere: nam videmus, ab iis ſurculos, & paleas congregari, inuicem implicari, tenaciſſimo connecti limo, plumis, aliiſq; mollioribus internam cauitatem conſterni, quo molliori ſtrato pulli naſcentes excipiantur. Nidum autem dictum volunt à nidore, cum mali odoris ſemper ſint auium cubilia; eo quod teneri fetus excrementis aſſiduè reſpergant: *gracilem* verò, dixit, hoc eſt facilè frangibilem, nec reſiſtendi vires habentem. nam *gracile* propriè dicitur, quod ſubtile, ac tenue eſt; at quia, quod tale eſt, facile frangitur, ac diſſipatur, ideò *gracile* pro eodem ponitur, ac *facile frangibile*. Aſt dices fortaſſe id adſtrui contra rei proprietatem; nam videmus ſæpe auium nidos affabrè adeò compaginatos, vt vix infringi poſſint. Eſto. Facile tamen ex arbore deijci poſſunt, & cadentes infringi, vel ſaltem pullos ita quatere, vt emoriantur: quare ſi non ſunt graciles abſolute, ſunt certe reſpectiuè. Petitur itaque timoris occaſio à validitate ventorum, à loco ventis peruio, à non ſatis firmâ niduli adhæreſcentia, qua non immobiliter ramis affigitur, à collapſione facilè inde ſecutura, à colliſione ipſius nidi decidentem comitatura, à morte tandem vel ex concuſſione niduli, vel ex eius lapſu, filiis nondum aptis ad volandum euentura. Vide quam multa, vnico caſu, expendantur, ac conſequenter, quam benè dixerit: *Plurima cogitat abſens*.

NE PATEANT FVRTVM HOMINI. Secundum iam timoris reſerat fontem, diuiſionem ſuam, enumerationemq; proſecutus. *Patere* eſt *apertum eſſe*, ſeù *expoſitum eſſe*. Semper profectò in aperto ſunt arbores; ſed auium tamen, in conſtruendis nidis, ſedulitas efficit, vt non ſemper in propatulo nidi ſint, nam eos in ſtationem deligunt ramos, in quibus maxima frondium conſtipatio latibulum præbeat; ſed & hæc facilè latibula deprehenduntur ab aucupium exercentibus, qui accuratè ramulos omnes oculo peruestigant, atq ex ipſa impexa fronde Nidum conijciunt; ideò iure cogitat ales, *ne pateant furtum*. In duplici ſenſu nomen furti vſurpatum inuenio: primò vt ſignificet ipſam furantis actionem: ſecundò vt ſignificet rem ipſam furto ſublatam: ſic dicuntur latrones furtum abſcondere, cum res furto abreptas ita celent, vt reperiri ab inquirentibus non poſſint. Hinc loco prouerbii habetur, non exponi ſuſpendio qui furtum faciat, ſed qui abſcondere neſciat. In ſecundo ſenſu aſſumitur hic, & pullis auium, per appoſitionem adaptatur. *Homini* autem dixit: ſed ſubintellige *aucupanti nidulos inquirenti*, vt pullos auferat. In hoc ipſo diuiſionis membro plura perpendenti occurrunt, nempe inſidiæ ab auario parabiles, euſdem, in inquirendis nidis, ſolertia, quam vix fallere poſſint frondes; arboris opacitas inſufficiens ad, quantum ſatis ſit, nidos tegendos; manus hinc in furtum extenſa; pulli abſtracti, nidus orbatus &c. ideo *plurima cogitat abſens*, de fetuū periculo ſolicita Mater ales.

NEV PRAEDA COLVBRIS. Quid poſtremò timorem ingerat, recenſet, & tertio diuiſionis membro enumerationem claudit, vt numerum determinatum pro indeterminato ponat, & ternario numero, qui numerus perfectionis eſt, omnem, ex omnibus excogitabilibus collectum periculis, metum circumſcribat, ne in infinitum enumeratio procedere cogatur. *Neù*, id eſt, *& ne*, de quibus particulis fusè alibi dictum. *Præda* (ſubintellige pateant, nam, per adiunctionem figuram, hoc ipſum membrum verbo præcedentis adiungitur) *præda*, inquam, per appoſitionem pullis apponitur, vt ſupra *furtum*. Prædam verò, aſſerit Varro, à pariendo dictam, quaſi *Paredam*, quod manu parta ſit: quarè *præda* dicitur, quæ à Pyratis in mari agitur, atq; à mercatorum nauibus abripitur; item quæ à militibus ex ſuperatis hoſtium caſtris abripitur &c. & propriè corpora ipſa rerum, quæ capta ſunt, *præda* dicuntur; per ampliationem tamen, *præda* dicitur quidquid, violenti inuaſione, alterius ſit, vel iſta manu, vel quouis alio modo, diripiatur. Sic apud Ouid. Metam. 11. Ceruus præda canum dicitur:

. . . . Strictoq; vtrimq; theatro
Vt matutina ceruus periturus arena
Præda canum eſt &c.

Ideò horret auis, ne pulli pateant præda *colubris*. Coluber ſerpens eſt, qui vmbras nemorum incolit, &, bibiturus, venenum priùs euomit, ne, cum aquas, hauriat. Nudum hominem dicitur reformidans, in veſtitum audaciſſimus. Eſt tamen & coluber aquatilis, cuius fel, & adipem habentibus Crocodilum nil nocere poſſe aſſeuerant: ſed de ſyluestri hic Vates loquitur. Nulli autem ignotum eſt, ſerpentes omnes audiſſime auium pullis inſidiari, quippè ex iis delicatiſſimum ſibi comparent obſonium. Quare Aldrouandus, lib. de ſerpentibus, & draconibus, ait ſerpentes omniuoros quidem eſſe, ſed præcipue auibus, & earum pullis delectari. Immò ex Plinio colligitur, magis appetibiles ſerpentibus eſſe implumes auiculas, quam aues ipſæ adultæ: nam refert ille, ſerpentes, auibus deuoratis, plumas, & oſſa euomere: ex quo ſatis patet, plumoſas aues nonnihil faſtidii inferre ſerpentum ſtomaco; quod cum efficere nequeant implumes, nil mirum, ſi has auidiſſime appetant ſerpentes. His ſpectatis, laudat Aloyſius Cadamuſtus ſolertiam Pſitacorum Senegenſis Regni, quæ, vt pullis conſulant ſuis, altiſſimas deligunt arbores, tenuiſſimoſq; earum ramulos, vt in eorum extremitatibus penſiles appendant nidos, ne eo ſerpere valeant ſerpentes, gracilitate ramorum flexuoſi, ac lubrici corporis pondus non ſuſtinente. Iure igitur ſerpentium metuit inuaſiones ales illa, quæ fetus ſuos humili commiſerit orno. Quamuis autem hæc auium auiditas vorandarum omnibus inſita ſerpentibus ſit: probe tamen Vates colubros hic ſpecialiter notat; primò quidem quia, cum ſit incola ſyluæ in proximo ſemper eſt, vt aucupium exerceat: ſecundò quia colubro peculiare videtur, vt aues perſequatur, ea videlicet de cauſa, quod & viciſſim ipſi ab auibus metuendum ſit: ferunt enim Ciconiam bellum aſſiduè ſerpentibus inferre, eoſq; in cibum aſſumere, iiſdemq; pullos ſuos enutrire; vt apertè docet Iuuen. Satyr. 14.

. . . . Serpente Ciconia Pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacertâ.

quod autē de ſerpentibus in genere videtur aſſerere Iuuenalis, Virg. ad colubros profectò contrahit Georg. 2. inquiens:

Candida venit auis longis inuiſa colubris.

Cum itaque coluber vim patiatur, & exitium ab impetu Ciconiæ, nil mirum, ſi, impotens vltionis contra eam ſumendæ, in cæteras minores aues peculiari odio deſæuiat, vt rabiem, quam implere in ſpeciem non poteſt, in genus euomat, &, maioribus impar, in minores irruat, & dilaniet. Vides, & in hoc membro, quanta occurrant cogitanda; nempe odium colubri in aues; naturalis appetentia delicatioris eſcæ, qua in auium pullos defertur; inſidiæ ab inuiſo reptante inſtructæ ſemper locus ſerpenti facile peruius, cum in humili ſit, qui etiam in mentem reuocat imprudentiam nidificantis, ex qua fit, vt ſe ipſam cauſam diſcerpendorum fetuum futuram ales mater vaticinetur, dum longè abeſt. Quæ omnia latè oſtendunt, iure à Vate dictum: *Et plurima cogitat abſens*. Ex quo ſubinde patet, quanto in paſſionum æſtu, Ceres ipſa fluctuans exprimatur. Sed, vt enucleatiùs introſpiciamus, paralelam ne grauemur perpendere comparationem alitis huiuſmodi; cum ipſa Cerere, Humili orno, trunco videlicet infido, pullos commiſerat ales: & *infidis natam Laribus commiſit alendam Ceres*. Imprudenter egit ales, cum ſublimia deſerens humiles nido ſedes delegit: Imprudenter egit Ceres, cum

Aethera deſeruit, Siculaſq; relegat in oras.

& in hoc tantum, deterior conditione alitis, eſt conditio Cereris, quod illa ex neceſſitate, hæc ex arbitrio, & electione abſens fuerat: illa ad victum acquirendum; hæc ad relaxationem animi captandam; ideò magis in cauſam perditionis accita, ac magis paſſionum æſtibus agitanda: ſicq: in comparatione ipſa, per paralelos deducta, occultè latet à fortiori argumentum maioris in Cerere agitationis.

Ratio (vt ad moralia diuertamus) quæ longè ab anima abierit, vt terrena ſectetur oblectamenta, eodem pacto agitabatur; atque ex repræſentatis Animæ exitiis in deſperationem facile adducetur. Omnia timet tunc hæc etiam præſtantiſſima Animæ facultas, ſed fruſtraneo, ad ſalutem, timore, cum iam actum ſit de Proſerpina, hoc eſt de anima, quæ, peccandi conſuetudine obdurata, Raptori, non iam mæſto animo, ſed lubenti, ne dum pacato, manus dedit indiſſolubiliter vinciendas. Regreditur quidem ex variis, quibus abſtrahebatur, illecebris ad cor ſuum Ratio, vt videat,

deat, nun periclitanti animæ opem valeat ferre: ſed *cuncta panet: ſperatq; nihil*. Cuncta panet, quia, quem contempſiſſe, ſe, meminit, Iudicem formidat: & creaturæ ipſæ, quæ conſciæ fuerant, ac miniſtræ peccantis animæ, non ambigit, quin contra abutentem vindices inſurgant. Nouit, tartareum Leonem circuire, quærentem quem deuoret: expaueſcit iratum, quod deſeruit, Cælum; infernum, cui acceſſit, apertum; tortores accinctos dæmones; ignem inextinguibilem paratum: *cuncta panet*. *Speratq; nihil*, quia ſpem vnicam errantium, nempè Redemptoris ſanguinem, pretium ſalutis ſuæ, conculcaſſe ſe, meminit; & ideò non in redemptionem ſperat, futurum; ſed, in pœnam, & damnationem, metuit, adfuturum. Virginem Deiparam, pœnitentium gram, laſciuiarum protectricem, nunquam profectò ſperandam, certiſſimè nouit: Sanctorum agmina, interceſſionibus ſuis, ſe ipſa negligentes non iuuare, recogitat: Angelos Dei miniſtros, ignem vrentem factos, plagarum vaſa effundentes, iam ſuſpicit: ideò *cuncta panet, ſperatq; nihil*; cum iam tartareæ Animam hoſtis prædam videat, &, peccandi obduratam conſuetudine, in infernum portatilem tranſfuſam meditetur. Caue igitur, ne Palinurus iſte è regimine nauis abijciatur, ne fluctibus agitata naufragium rates expectet. Noſq; Italicam iam chelim Cereris ſolicitudines proſequentem, obiter audiamus,

Così chieſto il congedo, e non conteſo
  Da chi ſente pietà dell'altrui doglie;
  Da fieri ſproni il cuor dolente offeſo,
  La bionda Diua alle ſacrate ſoglie
  Ratta il tergo riuolge; e, 'l cocchio aſceſo,
  Lo ſpinge, à volo, al ſodisfar ſue voglie:
  Mà ſembra immoto; e pur ſuo corſo affretta
  Più, che, dall'arco al vol ſpinta, ſaetta,
Che lenti ſian più dell'vſato i draghi;
  Che non ſappian ne pur ſtender le ſpire,
  Al maggior huopo, ond'il deſir s'appaghi,
  Si querela impatiente; e ſorgon l'ire,
  Quaſi l lei duol di fomentar ſian vaghi,
  E'l lor ritroſo alla lei morte aſpire;
  Quindi, à torto, gli sferza; e le grand'ali
  Sforza ſoffrir non meritati i mali.
Gl'erti gioghi dell'Ida ancor non varca;
  E già dell'Etna alle fiorite falde
  Eſſer giunta vorrebbe: indi rimarca
  Tedio più fiero il ſen, quanto più balde
  Tiranneggian le brame, ond'ella è carca;
  E, frà l'ombre d'horror, ſempre più ſalde,
  Quel tormentato cuor, ch'il viaggio impera,
  Tutto vuol; tutto teme; e nulla ſpera.
Non altrimenti, in mar d'affanni ondeggia
  Filomela gentil, ch'il caro nido,
  Ou', ancor nudi, i parti ſuoi vezzeggia,
  Laſciò ſicura; e per il thracio lido,
  Lungi traſcorſe, à rintracciar qual deggia
  Cibo arrecargli; e gli ſouuien ch'infido
  Tronco il ſoſtien, poiche dal ſuol diſtante
  Poco inalza, e dubioſo, il crin tremante,
Diſaſtri, à mille, e rouinoſi oltraggi,
  Mentr'ella è lungi ammutinar ſi finge.
  Hor del vento il furor ne ſuoi preſaggi,
  Scuote da rami il fragil nido: hor ſpinge
  La man rapace al depredare i faggi
  L'vecellator ſpietato: hor ſi dipinge
  Serpe, che s'auuiticchi, e ſi ſolleui
  Sù'l verde tronco, à diuorar gl'allieui.

Autem nos interim deſerentes Cereris exitum proſpiciamus,

Vt domus excubijs incuſtodita remotis,
Et reſupinati, neglecto cardine poſtes,
Flebiles & tacitæ ſpecies apparuit aulæ;
Non expectato reſpectu cladis, amictus
Conſcidit, & fractas, cum crine, auellit ariſtas.
Hæſerunt lacrymæ: nec vox; aut ſpiritus oris
Redditur; atque imis vibrat tremor oſſa medullis;
Succidui titubant greſſus; foribuſq; recluſis,
Dum vacuas ſedes, & deſolata pererrat
Atria, ſemirutas confuſo ſtamine telas
Atque interceptas agnoſcit pectinis artes.
Diuinus perit ille labor: ſpatiumq; relictum
Audax ſacrilego ſupplebat Aranea textu,
Nec defleт, plangitq; malum; tamen oſcula telæ
Figit, & abrumpit mutas in fila querelas:
Attritoſq; manu radios, proiectaq; penſa;
Cunctaq; Virgineo ſparſa oblectamina ludo,
Ceù nata, preſſat gremio; caſtumq; cubile,
Deſertoſq; toros, & ſicubi ſederat olim,
Perlegit. Attonitus ſtabulo ceù paſtor inanī,
Cui pecus, aut rabies Pænorum inopina Leonum,
Aut populatrices infeſtauere cateruæ;
Seruus at ille redit; vaſtataq; paſcua luſtrans;
Non reſponſuros ciet, imploratq; iuuencos.
Atque ibi ſecreta tectorum in parte iacentem
Adſpicit Electram, Natæ quæ ſedula nutrix,
Oceani priſcas inter notiſſima Nymphas,
Par Cereri pietas: hæc, poſt cunabula, dulci
Ferre ſinu, ſummoq; Ioui deducere Paruam
Sueuerat, & genibus ludentem aptare paternis:
Hæc comes, hęc cuſtos, hęc proxima mater haberi.
Tum laceras effuſa comas, & puluere canos
Sordida ſydereæ raptus lugebat Alumnæ.

VT DOMVS &c. Oblato aduentantis heræ oculis deſertæ domus aſpectu, qualis fuerit Ceres, certam primis ex indicijs iacturam iam colligens ſuam, pulcherrima hyppotipoſi, deſcribit; ac ſubinde eam in interiora domus, penetrantem inducit, interceptumque Natæ, de quo lib. pri. diſſeruerat, opus, obiectum oculis contemplantem: ſicque, data occaſione, opus ipſum, continua hyppotipoſi delineat abruptum, confuſum, araneis ſordidum; vno verbo, funeſtiſſima quæq; iam redolens: iterumque hyppotipoſi ad matrem conuerſâ, quonam affectu omnia Proſerpinæ vtenſilia proſecuta fuerit infelix Mater, graphicè deſcribit; atq; à ſimili exornat. Tandem in Nutricem incidit, cui curæ Proſerpina fuerat: hicq; Vates Nutricem ipſam apta laudatione proſecutus, quid iam ageret, rapta Filia, ſub oculis ſcitè ponit.

VT DOMVS. Cererem iter ingreſſam iam vidimus. Quid nunc expectandum putares, niſi peragendum à Vate itineris deſcriptionem; vt & lib. pri. iam fecerat Cererem deducens in Phrygiam? Sed nil minus cogitat Vates. Vix iter ingreſſam ignus; & iam metam indicat attigiſſe, ex conſequentibus, mirabili prorsùs prudentia, mirabili vſus artificio: prudentiâ quidem, quia lib. pri. lætam Cererem, & non, niſi obiter, de relicta Filia infauſtum quid præſagientem, læta omnia comitabantur, obſequium præ ſe ferentia: iam verò, mutatis Deæ vicibus, cum non niſi infauſta tribuere poſſent, quæ illi obtemperare tenebantur, ne Deæ obeſſent ſuæ abſtinendum illis prorsùs fuerat ab oſtentis. Artificio autem, quia, ſuppoſitâ celeritate, qua viam Ceres vorarat, breui adeò tempore credenda eſt viarum ſuarum metam arripuiſſe, vt Vati anſam abripuerit deſcribendi; ideò, vix iter aggreſſa, in termino, præciſis omnibus, conſtituitur.

VT APPARVIT DOMVS INCVSTODITA. Aduentanti Cereri primo occurrit, funeſtum ſuæ cladis nuncium referens, ipſe deſertæ domus aſpectus funebris. Quare particula *vt* aduerbium temporis eſt, idem ſonans, ac *ſtatim ac*, ſeù *Poſtquam*, vel *ex quo primo*, ſicuti iam vidimus initio huius lib. carm. 8. *Apparere* autem eſt *ſe in conſpectum dare*: ex quo patet, Cererem,

rem, etiam antequam totum conficeret iter, aut pede limina propriæ domus attingeret, veſtigia cladis acceptæ deprehendiſſe; nam ad hoc, vt aliquid appareat, ſufficit, ſi ſit in debita diſtantia collocatum, reſpectu potentiæ viſiuæ, quæ, remotis impedimentis, obiectum, quod ſe offert, luſtrare poſſit. Sic Teucris, adhùc iter agentibus, apparuiſſe dicitur Mineruæ templum, eo quod illud aduentantes cernerent, vt habetur Æn. 3.

Crebreſcunt optatæ auræ; portuſq; pateſcit
Iam propior; templumq; apparet in arce Mineruæ.
Vela legunt ſocij: & proras ad littora torquent.

de qua nam autem domo loquatur hic, ſatis per ſe patet, nempe de deſcripta iam lib. pri., & quæ hic apparuit diuerſa ab illa, nempè *incuſtodita*, hoc eſt nullo iam aſſiſtente, cuſtode: in quo ſenſu etiam Ouid. Metam. 2. de bobus Apollini ſubductis a Mercurio, ſic ait Apollinem alloquens:

Dumq; amor eſt curæ, dum te tua fiſtula mulcet
Incuſtoditæ Pylios memorantur in agros
Proceſſiſſe boues. Videt has Atlantide Maia
Natus; & arte ſua ſyluis occultat abactas.

REMOTIS EXCVBIIS. *Remouere*, à quo particip. paſſ. *remotus*, eſt *abſtrahere*, ſeù *auferre*, vulgò *leuar via*, ex quo vides actionem extrinſecam importari, quia cuſtodes cerealis domus ab ea cuſtodienda abſtracti fuerint, vt indicet, non ſponte receſſiſſe, nec recedere potuiſſe, niſi ab alijs fuiſſent deturbati: atq. adeò *remotæ excubiæ* vaſtatam, deſolatamque domum indicabant. Quod vt clariùs innoteſcat, ſcias, Vatem alludere, hoc loco, ad Romanorum morem, qui ſcilicet, cum ſeruis vterentur domorum Ianitoribus, eos in vinculis ad valuas detinebant, vt refert Tranquil. Et hinc factum, arbitror, vt Iuniores olim, hieroglyphicum cuſtodientis erechiri, anſerem alligatum ad anchoram ſtatuerint: nam anſer, vigilantiſſimum pariter, ac clamoſum maximè animal, cuſtodem profectò exprimit, cui nunquam dormiendum eſt, aut tacendum, ſi quis domui appropinquet, clamoribus nunciaturo, immò oculum antiqui in cuſtodientis ſymbolum ereaere: oculum autem, ex anatomicis, neruo vtiq;, nouimus, colligari; atq; in ſua cauitate oſſea, cuncta ſpeculaturum, obfirmari. Sic itaque & Ceres, Ianitores ſuos in vinculis habuiſſe, indicatur, ita vt non niſi alienâ abduci poſſent manu. Ideò *remotis excubijs*. Excubiæ ab excubando dicuntur qui, ad cuſtodiam arcis, caſtrorum, vel domus vigilantes, pro foribus excubant, vulgò *le Guardie*. Diſtinguunt aliqui inter *excubias*, & *vigilias*, eo quod vigilias propriè dictas putent, quæ nocturno tantùm tempore cuſtodiendi munus exercent: excubias verò, quæ & diurno, & nocturno tempore perſiſtunt cuſtodientes. Ego, licet nouerim, hæc iam nomina promiſcuè vſurpari, noto tamen, appoſitè Vatem vſum fuiſſe hoc nomine excubiarum potius, quam vigiliarum, vt ſcilicet, ad datam reſpiciens diſtinctionem, oſtenderet Cereris Ianitores, perpetuò euigilaturos ad cuſtodiam, pro foribus ſtetiſſe; atq; adeò, non ſpernendi fuiſſe oſtenti, eos adnotare remotos, tamquam nil vltra eſſet cuſtodiendum.

ET RESVPINATI POSTES. Quid poſtes ſint, vidimus lib. pri. carm. 238. Et in eadem ſignificatione hic. Reſupinati autem idem eſt, ac è cardinibus euulſi, atq; in terram deiecti, ita vt pars anterior cælum reſpiceret, poſterior ſolum premeret, ex quo non leue emicat ſecundum deſertæ domus indicium, quod Vates primo ſubnectit: nam, deſolata tantùm domo, poſtes hoc iacent pacto, præcipuè ſi per vim hoſtis Domum diripuerit.

NEGLECTO CARDINE. *Negligo*, à quo *neglectus*, idem eſt, ac contemno: &, quia, qui aliquid contemnit, illud ſeiunctum, ac ſepoſitum a ſe ipſo, relinquit, & abit; ideò *neglecto* hic; ideſt ſeiuncto, ſolòque, ac nudo, relicto cardine. De cardinibus plura habes lib. pri. carm. 269. Tantùm nota, accipi hìc in ſua propria ſignificatione, ita vt idem ſit dicere: *reſupinati, neglecto cardine, poſtes*, ac quod vulgò dicimus: *gittate à terra, ſgangherate le porte*: quod vtiq; ſignum extremæ cladis, monimentum exitij, per vim illati; ac deſperandarum rerum certum non minùs, quam lugubre indicium eſt. Sic in excidio Troiæ Virg. rem ad internecionem vſq; redactam deſcribens, pro vltimo terribilium, reſupinatos, neglecto cardine poſtes enarrat Regios, Æn. 2.

Ipſe inter primos, correpta dura bipenni,
Limina perrumpit, poſteſq; a cardine vellit &c.
At domus interior gemitu, miſeroq; tumultu
Miſcetur &c.

Quem locum imitatus Italorum Princeps Hieroſ. lib. can. 19. ait;

Svelſe dal ſaſſo i cardini ſuonanti
Ruppe i ferragli, & abbattè le porte &c.

Et Bracciol. ſupremum Gazacotis exitium aduentaſſe, per euulſos a cardine regios poſtes decantat lib. 2.

Alla porta Real Baccan peruenne,
D'ogni arme ad onta, e lei così percoſſe,
Sollevando à due man dura bipenne,
Ch'à gran cardini ſuoi conuerſe, e ſmoſſe
Con percoſſa minor battan l'antenne
De gl' Arieti all' atterar le ſcoſſe.
Cade il bronzo diſciolto, e'l ſuon percuote
L'aurate logge, e le colonne ſcuote.
Al cader del grand' vſcio inſieme cade
De vacchinſi Pagan l'vltima ſpeme &c.

iure igitur optimo & Auctor noſter reſupinatos memorat poſtes, vt inde, & ſupremæ cladis, & deſperandarum rerum argumentum, terroremq;, atq; horrorem eximium concepiſſe meritò Ceres intelligatur. *Et reſupinato neglecto cardine poſtes*, textus habet Heinſianus: ſed cur lectionem immutet non video, ideò vulgatam proſequor.

ET APPARVIT SPECIES &c. Repeto verbum *apparuit*, non quia geminetur in textu; ſed vt agnoſcas, tria hæc membra, per adiunctionem figuram ex eodem illo verbo pendere, colligante particula, quæ apponitur, connexiua, quia adhùc indicijs indicium aggerat acceptæ cladis, a lugubri totius domus deſumptum aſpectu: Species enim *aſpectus* eſt, ſed paſſiuè ſumptus, pro ea, qua quid cernitur, effigie; & ſpecie dicitur à ſpeciebus, quas, vt alibi vidimus, vnumquodque emittit obiectum, vt ſe, in ijs, viſui repræſentet.

FLEBILIS autem hæc ſpecies dicitur, hoc eſt fletu digna; &, quantum eſt ex ſe, etiam pumiceo ex corde lacrymarum fontes exigens in tributum.

AVLÆ TACITÆ. Aula dicitur domus regali conſurgens magnificentia: cur autem vide lib. 1. carm. 109. Tacitus verò dicitur locus, in quo nullus auditur ſtrepitus; nam licet *tacitus* à taceo, actiuè ſumatur, pro eo qui ne hiſcere quidem audeat, translatè tamen, vt hic, ad loca deflectitur, nullo obtrita pede, nullis cætuum frequentijs reſonata: Sic Virg. Æn. 7. tacitas vocat ſyluas, nullo murmure agitatas, nullis cultas cætibus &c.

. . . Poſtis enim tacitis latet abſtrua ſyluis.

Quare ex hoc conſequenti antecedens colligitur, nempè deſertum eſſe, atque habitatoribus vacuum, locum, qui tacitus dicitur: & in hoc ſenſu hic.

NON EXPECTO RESPECTV CLADIS. Prudentia, quæ vetat, ne incognita pro cognitis habeamus, videtur hìc longe a Cerere abfuiſſe. Sed quid mirum? cum amare, & ſapere vix Deo concedatur. Dandum Matri vnicè filiam diligenti, vt ſummè metuat, ac conſequenter, vt ſemper, quæ deteriora ſunt, mente concipiat, ac ſummè idcirco doleat. Verùm, ſi prudentis eſt ex ſignis rem agnoſcere, atq; ex notis in cognitionem rerum ignotarum deduci, cum Prudentiæ ſit prænoſcere, & prauidere, quis imprudentem hic dixerit Cererem, dum viſis ruinæ, ac cladis indicijs vtiq; manifeſtiſſimis Cladem ipſam toto hauſerit animo, eoq; acerbiùs vulnerato, in extremi ſigna eruperit doloris? Iure itaque ex neceſſariò connexis infortunia proſpicit ſua; & certam prænoſcit cladem. Ideò abſq; eo, quod expectet, vt ipſam cladis faciem cernat; in ſe ipſa, quam in connexis iam nimium cernebat doloris exceſſum ſequitur. *Reſpectus* pro eodem ſumitur, ac *Aſpectus*. Aſpectus autem vel obiectiuè ſumitur; vel formaliter: obiectiuus eſt ipſa res, quæ obijcitur aſpicienda: formalis verò eſt ipſa viſio, qua obiectum aſpicitur. Adeò tamen inter ſe duo hæc relatiua connectuntur, vt, ſeparata, ne intelligi quidem, ne dum explicari poſſint. Pro vtroq; igitur nomen *reſpectus* appoſuit Vates, præcipuè tamen pro aſpectu obiectiuo cladis, nam hæc futura fuerat potiſſima ratio, qua ad veſtes ſcindendas moueretur. Clades verò licet ſæpius pro cæde vſurpetur, certum eſt tamen, hoc loco, in hoc ſenſu non accipi; nam primò Proſerpina, cui timebat, neci, quippe Dea, obnoxia eſſe non poterat; & tantum periſſe dici poterat, quia optabilius ei fuiſſet mori potuiſſe, quam vt immortalis mortuorum Regno traderetur conſepulta. Secundo quia *clades*, propriè loquendo *multorum cædes* eſt, vt v. g. cum exercitus aliquis ad internecionem deletur, ita vt vix nuncius, ac ne nuncius interdum quidem cladis ſuperſit; quare, etiam ſi perempta fuiſſet Proſerpina, eius cædes non potuiſſet *cladis* appellari. Scias itaque *Cladem* interdum pro eodem ſumi, ac ſi diceres *infortunium*, *calamitatem*, *detrimentum*.

mentem, ſed graue adeò, vt cum rerum omnium iactura comparatum grauius adhuc appareat. In hoc ſenſu nomen cladis vſurpatum reperies apud Virg. Æn. 2. Vbi Æneas de ſumma vrbis ſuæ loquens calamitate cladem à cædibus diſtinguit, dum ait:

Quis cladem illius noctis; quis funera, fando,
Explicet, aut poſsit lacrymis æquare labores?

certè enim per funera cædes intelligit, non verò funebres pompas, quibus nullus, in Vrbis excidio, locus. Conſequenter per cladem calamitatem intelligit ſupremam. Scio equidem, illam ab aliquibus dici reiterationem: ſed quam benè viderint ipſi. Ego certè animaduerto, ab oculatiſſimo Poetarum principe vnicuiq;, ex ſupradictis membris diuidentibus, correſpondens ſubijci membrum explicatiuum; nam quatenùs dixerat: *Quis cladem illius noctis*; ſubdit explicaturus: *Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.* Quæ maior calamitas? & tamen nondum cædes attingitur, Quatenùs verò dixerat: *Quis funera fando &c.* ſubdit:

Plurima perq; vias ſternuntur inertia paſsim
Corpora, perq; domos, & religioſa Deorum
Limina &c.

quatenùs verò dixerat *æquare labores*, adijcit explicans;

. . . . . Nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

primò itaque rationem reddit cladis, ideſt calamitatis, ruentem indicans vrbem; ſecundò funerum, ſtragem oſtentans; tertiò laborum, Teucros non ſibi deficientes commemorans. Quarè ſatiùs arbitror, in noſtro ſenſu, intelligendum; ſicut, in eodem, ab Auctore hic noſtro vſurpatum cladis nomen fuiſſe patet ex dictis.

CONSCIDIT AMICTVS. Quid ſit amictus habes lib. 2. carm. 17. *Conſcindere* autem eſt *in multas ſcindere partes*; ex quo efferatior emicet Cereris dolor; ſcindere enim veſtes, ſummo in luctu multarum gentium fuit; vt profectò notius eſt, quam explicetur. Certè, ex ſacris litteris, Ioſuè 7., cum cladem populus accepiſſet, in ſumma illa calamitate, ac mærore ſcidit Ioſue veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram Arca Dei. Iephte, Iudic. 11., cum, bellum initurus contra Ammonitas, vouiſſet, ſe oblaturum, in holocauſtum, Domino egredientem primò è foribus domus ſuæ, vt ſibi, cum victoria redeunti, obuiam procederet; egreſſaque fuiſſet eiuſdem filia, vt vidit, *ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me filia mi &c.* Sed iure, ſcriptorum omnium monimentis decantata, quid immoror? Audi Virg. Æn. 12, vbi Regina Amata Latini coniux cladem vrbis ſuæ non ſuſtinens tanto oppreſſa mærore eſt, vt mortem præelectura, veſtes ſciderit:

Multaque per mæſtum demens effata furorem
Purpureos moritura manu diſcindit amictus.

cuius, & Mortis audito nuncio it ſciſsâ Veſte Latinus &c. Sic itaque & Ceres, agnitâ filiæ iacturâ doloris impotens *Conſcindit amictus.*

ET AVELLIT, CVM CRINE, FRACTAS ARISTAS. Crines vellere feminarum maxime proprium, in luctu, fuit, ac præcipuè, ſi chariſſimorum iacturam paſſæ fuerint. Teſtatur id Lauinia in funere Matris apud Virg. cit. Æn. 12.

Filia prima manu flauos Lauinia crines
Et roſeas laniata genas? &c.

teſtatur itidem Iuturna, quæ vt ex indicio circumuolantis Diræ ineuitabilem nouit fratris iacturam;

Infelix crines ſcindit Iuturna ſolutos.

Aptè igitur & Auctor, hic primo impatientis doloris effectui ſecundum adijcit per particulam *&* cumulatiuam, qua intercedente gradationem etiam inſtituit in effectibus, vt patet: nam minùs certè eſt veſtes ſcindere, quàm crines diuellere. Sed nota, quàm altè Vates, ex hac crinium auulſione, dolorem Cereris amplificet. Certè eò proceſſerit dolor neceſſe eſt, vt in phræneſim adduxerit, ſi mulier ad lacerandos crines inducenda ſit: tanto enim cultu crinem proſequitur mulier, vt & ſe ipſam torqueat, ne vnicus capitis capillus extra ordinem pendeat. Plus comâ mulier, quàm caudâ Pauo ſuperbit: quare ſi huic iniurioſa eſſe debeat, extra mentem exceſſerit opus eſt profectò. Hoc in exceſſu Cererem fuiſſe, doloris impetu, edocet Vates, dum eam crines delineat vellentem. *Auellere eſt à loco, vbi quod fixum fuerat, vellere.* Crines autem è capite vellit Ceres, & non ſine myſterio; nam, vt aiunt Coniectores, ſi dexteram capitis partem, capillis denudatam, quis fuerit imaginatus, ſe habere iacturam metuat maſculorum: ſi leuam fœminarum expectet iacturam. Hæc refert Pier. lib. hierog. 32. Ceres igitur, quæ vnicam habuit, cui timeret, Proſerpinam crines tamen ex vtraque capitis diuellit parte, manibus vtrimque irruentibus, vt denotent euulſi Proſerpinæ iacturam vtriq; ex ſupradictis iacturis comparari, ex eo, quod ſola ea Filia & maſculorum, & fœminarum numerum olim compenſaret: *Damnum numeri Proſerpina penſat* dictum fuit lib. pri.; nec non, vt plecterentur crines ipſi, quòd augurium ipſi ſuum, ſponte cadentes non prætulerint, iuxtà datam coniectorum ſententiam. Crines propriè ſunt capilli capitis, ſic dicti, quaſi *diſcriminabiles*, vel *diſcriminati*, quod crinali acu diſcernantur, ac diuidantur. *Cum crine* autem *vellit ariſtas*, hoc eſt vno, eodemque impetu, vna, eademque actione. Quid ſit ariſta, habes lib. pri. Carm. 31. hic certè pro ſpicea ponuntur corona, de qua in antèactis carm. 126. Neque hoc ipſum myſterio vacat; nam antea ſponte cadebant ſerta, & manu iterum eleuabantur, ac capiti imponebantur; nunc fracta abijciuntur. Quorum hæc tam diſcors mutatio? Corona ſymbolum ſemper æternitatis fuit; ſpica verò ſymbolum fœlicitatis. Corona itaque ſponte decidens prænunciabat Cereri dolorem morte deteriorem, per quem tamen Ceres priuari immortalitate non poſſet; quia *manus Diuina*, hoc eſt *operatio Diuinitatis*, cuius ſymbolum *manus* eſt, eam capiti adnexam detinebat: reſumebat autem decidentem illa coronam; quia nondum conceperat, fore, vt odio ſibi habenda eſſet immortalitas, ob magnitudinem doloris. Iam verò, immortalitatem peroſa, coronam non decidentem manibus infringit, ac proijcit, immortalitatem proijcere, ſi fieri poſſet, exoptans, finem doloribus impoſitura. Inſuper ſpicas proijcit *fractas*, ideſt manu diſcerptas, & laceratas, quia maximam in infœlicitatem collapſa, quæ eas gerebat, abijcienda, & infringenda fuerant felicitatis vexilla.

HÆSERVNT LACRYMÆ. Nulla eſt flendi maior cauſa, quam flere non poſſe, ait Seneca Rhetor, controu. pri. libri 4. cuius rei rationem reddens Ouid. 5. Triſt. Eleg. pri. ſic cecinit;

Strangulat incluſus dolor, atq; exæſtuat intus
Cogitur, & vires multiplicare ſuas.

præclariſſimo autem exemplo Baſilius Magnus hanc ipſam explicat rationem. *Quod enim*, inquit *in flamma videre eſt, eam à ſuo ipſius fumo nonnunquam, ſed ſe ipſum circa illam conuoluente, ſuffocari; hoc ipſum, in ſpiritu animali, docuns euenire; marceſcere enim vi doloris, & extingui, niſi foras, per reſpirationem erumperet*: ad quam incluſi doloris acerbitatem reſpiciens Eloquentiæ Princeps, Phylip. 2. exclamauit: *Miſerum me? conſumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor.* Sic itaque & Auctor hic, vt vehementiorem, quam exprimi poſſit, Cereris dolorem oſtentet, ab hoc negatiuo effectu, nempè à ſuppreſſione lacrymarum, illum amplificat: *Hæſerunt lacrymæ.* De lacrymis, earumq; cauſis plura egimus lib. pri. carm. 191. Tantùm noto, lacrymarum effuſionem, inſtitutam à natura, in abſterſionem doloris; nam, vt ait Baſil. cit., *voluptas ineſt dolentibus circa lamentum, quòd, per lacrymas, id, quod grauabat, ſenſim ſine ſenſu exhauriatur.* Sed quid auctoritatibus fulciatur vlteriùs, quod quotidiana vtiq; dolentium experientia comprobatur? Dolor, ſine lacrymis, inexplebilis Animæ vultur eſt, & implacabilis tortor; quare aptiſſimè notatur ceſſatio lacrymarum ad vim doloris inſuperabilem exprimendam: *Lacrymæ hæſerunt*, *Hærere* eſt arctè rei inſidère, & coniungi. Dicuntur itaque *hæſiſſe* lacrymæ, hoc eſt cerebro inſediſſe, ita vt non mouerentur; atq; adeò exſiccatæ, vt ad oculos deſfluere nequaquam poſſent, quod, in maximis, inopinatis, ac præter ſpem euenientibus cladibus, contingit. De cauſis cur hæreant lacrymæ ſatis dix. lib. pri. cit. Effectum autem expertus, apud Taſſum noſtrum, Tancredus cum, à ſe occiſam, conſpiceret Clorindam, quod doloris fuerat, crudelitati attribuens, exprobrat:

O' dì par con la man luci ſpietate!
Ella le piaghe fè, voi le mirate!
Aſciutte le mirate! Hor corra, doue
Nega d'andar il pianto, il ſangue mio &c.

Immotæ itaque, ac ſinè lacrymis hæret Ceres horribilibus acceptæ cladis perculſa præconcijs.

NEC VOX &c. In ſubitis pauoribus, animiq; conſternationibus, vocem amitti, ſpiritumq; intercludi, crebra nimis eſt experientia comprobatum: ratio autem ea eſt, quam & ſupra ex Ouid. attulimus, quia *ſtrangulat incluſus dolor &c.* Ex hoc itaque defectu vocis, ex hac ſpirituum interceptione, amplificat adhuc magis Auctor, gradationem proſequens, Cereris anguſtias; & diſtinguiſſe eam profitetur,

rigore ſcilicet illo, de quo in maximis conſternationibus non ſemel cecinit Virg. *Gelidusq; per ima cucurrit, Oſſa tremor*: & quo gelu efficitur, vt ſpiritus, retrocedentes in ſubſidium cordis, neruos deſtitutos relinquant, & muſculos, qui ideò ad operationes, eorum proprias, inhabiles redduntur. Hoc poſito: ſcimus ex Anatomicis, vocem fieri in Laringe, in qua viginti ſunt muſculi, ad innumeros ferè motus conſtituti, & quorum miniſterio tot vocum conſlatur diuerſitas. His igitur ſpiritibus deſtituti, qui introrſum auocantur à timoris gelu, præcordia conſtringente, inhabiles redduntur ad motum, & conſequenter ad vocem, quæ ex eorum motu proficiſcitur. Quare & Virg. Æn. 4. territum a Mercurio Æneam hæſiſſe aſſerit ſine vocibus.

At vero Aeneas aſpectu obmutuit amens,
Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæſit.

Naturam itaque imitatus Auctor conſimilem effectum, ex timore prouenientem ſimul, ac dolore, in Cerere conſternata iure commemorat. Quid ſit vox, alibi diximus. Particula *Nec* coniunctio eſt, vt noſtis, diſiunctiua, qua effectus diuerſos, in eadem enumeratione ita Vates coniungat, vt tamen diſtinctos notet.

AVT SPIRITVS ORIS REDDITVR. Vocis ſuppreſſioni interceptionem ſubnectit ſpirituum. Spiritus autem hic, pro ipſa ſumitur reſpiratione, qua mediante, ſpiritus ore reciprocatur, dum ſpirantes reſpiramus; & propriè halitus dicuntur huiuſmodi ſpiritus. Deficere autem hos halitus, ex vehementia doloris, oppreſſo ſcilicet corde, ſatis conſtat. Ipſos verò *ſpiritus oris* appellauit ad diſtinctionem ſpirituum cordis, de quibus ſupra, & vt magis in comperto eſſet, de halitu ſermonem hic eſſe. Quid tandem os ipſum ſit, quo huiuſmodi ſpiritus reciprocantur, vide dicta lib. pri. carm. 84. Verbum *redditur* duplici hic munere fungitur, ita vt pro repetito haberi debeat: id. nec *vox redditur*: nec *ſpiritus oris redditur* quatenùs *voci* apponitur, idem eſt, ac *promitur, datur, emittitur*: quatenùs *ſpiritus oris* adiungitur, idem ſonat, ac reciprocare, acceptum reſtituere. Alij, cum Heinſio, legunt: *nec ſpiritus oris redditur*: nec lectionem improbo: ſed nec video cur ſit à vulgata recedendum.

ATQVE IMIS VIBRAT &c. Terrorem pallor, & tremor conſequitur, ait Cic. Tuſcul. 4. ſit ideò etiam apud Virg. Æn. 2., trementes Graios effingi ſi non, territos videlicet ex Delphici Oraculi reſponſo

Obſtupuere animis; gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor &c.

idemq; repetit Virg. Æn. 12.; vbi reſtaurante bellum Aenea, Turnum, Auſoniosque trementes notat:

Vidit ab aduerſo venientes aggere Turnus
Videre Auſonij; gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor.

Sic itaque & Vates Cererem, inſperata ex clade, rigeſcentem, tremore correptam deſcribis aptiſſimè.

TREMOR VIBRAT OSSA. *Tremor* eſt concuſſio corporis, qualem correpti febribus, frigore, aut timoribus experiuntur. Hæc ex duplici cauſa prouenire poteſt; vel ſcilicet ex concuſſione ſpirituum, artus decuſſantium; vel ex deſtitutione eorundem; nam ijs deſtituta membra langueſcunt; & tremunt; vt in Paralyticis. Hic, cum de tremore agatur, ex terrore ortum habente, quod ex vtroque prouenerit, dicendum eſt; nam primò quidem certè ſpiritus, in ſubſidium cordis recurrentes, neruos reliquerant deſtitutos: ſecundò autem, in intimas detruſi corporis partes, vi ipſa terroris quatiebantur; ideoque ex eorundem concuſſione tremor in intimis; ex eorum receſſione tremor in extimis partibus triumphauit: & licet Vates videatur de tremore tantum in intimis exiſtente locutus, quia tamen non poterat illo tremor, niſi ex reſultante in extimis diſcerni, de vno loqui non potuit, quin & alter inuolueretur, cum inſeparabiles ſint: Ideò *vibrat*, quod idem eſt, ac concutit, & nutare facit *Oſſa*, quæ ſolidamenta ſunt ipſius corporis, neruorum compagine colligata. Quare ijs concuſſis, reliquum eſt, vt totum Cereris corpus in tremores diſſolutum intelligatur.

IMIS MEDVLLIS. Medulla eſt pars illa viuentis, quæ media, inter ſolidas, & fluidas, in medijs oſſium cauitatibus reperitur, & ex qua oſſa ipſa nutriuntur, & creſcunt: quare iure dicitur *ima*, idest in penitioribus, ac maximè intimis partibus conſtituta. Duo itaque indicat Vates, primò quidem locum, in quem concuſſi ſe ſe abdiderint ſpiritus, licet nec ibi inſectante effugerint terrorem: ſecundò verò locum, ex quo exurgens tremor ſe ſe ad totum extenderit corpus.

SVCCIDVI TITVBANT GRESSVS. Maximi profectò mœroris indicium eſt, ſi genua ſubſidant, ac munus ferè detrectent corporis ſuſtinendi. Agnouit hoc, hercle, Hetruſcorum Princeps Poetarum; ac ideò Clorindæ occiſorem, extinctæ corpus aſpicientem, mœrore adeò contabuiſſe deſcribit, vt, ſucciduo greſſu, pronus rueret, ni ſuſtinentes adſtitiſſent; Hieroſ. lib. Cantu 12.

Ma, come giunſe, e vidde in quel bel ſeno
Opera di ſua man, l'empia ferita;
E, quaſi vn ciel notturno anco ſereno,
Senza ſplendor la faccia ſcolorita;
Tremò così, che ne cadea, ſe meno
Era vicina la fedele aita.

Hoc ipſum notauit Æn. 12. Virg. tanquam effectum terroris, animum frangentis, dum de Turno, funeſtibus incurſionibus territo, ait:

Genua labant: Gelidus concreuit frigore ſanguis.

Quid ni igitur & Ceres, mœrore ſimul, ac terrore concuſſa ſucciduos experiretur greſſus? Prouenit autem huiuſmodi effectus ex ea ipſa ſpirituum receſſione; de qua diximus, & quia, debilitatis neruorum compagibus, inhabiles redduntur ad ſuſtinendam in rectilineo labantem oſſium curuaturam, atq; ideò genua labant, greſſus vacillant. *Greſſus*, a gradior, ipſe eſt actus incedendi. Verùm hic effectus ponitur pro cauſa, nempe pro membris ipſis motum exercentibus; quarè pedes, crura, genua titubaſſe dicuntur. Poteſt tamen, non impropriè, intercisus dici, ac titubans motus ipſe; nam ex incertitudine mobilis incertus ſequatur motus, neceſſe eſt: quarè vtrumq; attingendi conſilium Vati adfuiſſe non ambigo. Sed quia *ſuccidui* dicuntur *greſſus*; de membris principaliter locutum non dubito. *Succiduus* enim à *ſuccido* deducitur, quod eſt *ſubtus cado*, vulgò *tagliar ſotto*. Porrò, ſicuti decidit, quod ſuccidītur, ſic *ſucciduus* pronum ſignificat ad cadendum, ac ferè cadentem. Sic vulgò dicimus *ſentirſi tronche ſotto le gambe*: Sic Ouid. Epiſtola 17. Laudomia de ſe ipſa inquit:

Succiduo dicor procubuiſſe genu.

Titubant autem, inquit, hoc eſt inconſtantes, ac modò huc, modò illùc inclinantes, nutantemq; motum efficientes, vt ebrijs euenire ſolet, ac languidis ex tabe, vel corporis, vel animi: qui modus incedendi ſemper eſt collapſioni proximus. Sic Virg. de Niſo Æn. 5. ait:

Hic iuuenis iam victor ouans veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo: ſed pronus in ipſo
Concidit, immundoq; fimo, ſacroq; cruore.

ſic Taſſus de Othone Argantis equo, dum pedes eſſet, barbaricè impulſo, Hieroſ. lib. c. 6. ait:

Tremar le gambe, inſtabile la lena;
Ch' ſi l'aſpra percoſſa; e fiaco e ſtanco
Sovra 'l duro terren batter el fianco.

FORIBVSQ; RECLVSIS &c. Sicuti, in anteactis, prætermiſit Vates deſcriptionem itineris, vt eius celeritate præreptam ſibi dicendi facilitatem oſtenderet, ſic &, in immediatè antecedentibus, Cererem è curru proſiluiſſe, non memorat, neque eam tunc recenſet ingredientem limina domus ſuæ; ſed, ſaltu quaſi quodam vſus, eam immediatè in atrijs conſtituit, orbitatis ſuæ vlteriora relegentem indicia, animi amantis virtute, deficientis deliquia corporis ſuperante, ita vt non minùs celeriter, licet nutanti gradu, extremum itineris, nempè ingreſſum in atria, confecerit. Et, cum in momentaneis idem eſſe dicatur *fieri*, & *factum eſſe*, hinc eſt, vt ipſum fieri itineris non recenſeat, ſed iam factum oſtendat, ex conſequenti antecedens nobis colligendum relinquens. Ex hoc licet adnotare, quam egregie amoris vires, etiam in languenti corpore, vegetas, ſatis, licet tacitè, exprimat: quas ipſas vires in occiſore Clorindæ apertè deprædicat Hetruſcorum fax Poetarum, loco ſupra cit., dicens:

Tremar ſentì la man, mentre la fronte,
Non conoſciuta ancor ſciolſe, e ſcoprio.
La vidde, e la conobbe: e reſtò ſenza
E voce, e moto. Ahi viſta! Ahi conoſcenza!
Non morì già; che ſue virtuti accolſe
Tutte in quel punto; e'n guardia al cor le miſe:
E premendo il ſuo affanno à dar ſi volſe
Vita con l'acqua, a chi co'l ferro vcciſe &c.

Clariùs autem Bracciol. has exprimit amoris vires in Alceſte moriente lib. 24.: nam cum Eliſam coniugem, ob dolorem pereuntis viri, in ſe ipſam ferrum adaptantem cerneret Alceſtes, confractis, quibus mortale gelu linguam enodauerat, vinculis, exclamans coniugem viuere iuſſit.

Mà 'l Canallier diſſoluato, e bianco,
Prìa, che la donna ſua sù 'l ferro cada,
Si sforza sì, che lei per nome appella,
E con l'vltimo ſuon prega, e fauella,
O ſù però, che, com' il lume ſuole,
Giunto all' vltimo fin, creſcer l'ardore,
La vita ſua, che dipartir ſi vuole,
Sorſe all' eſtremo, e racquiſtò vigore;
O ch' vna ſù delle ſourane, e ſole
Merauiglie, e miracoli d'Amore:
Ei m, ch' è 'l tutto à che più nulla puote,
Così fà riſuonar l'eſtreme note.
Viuo, & amamo Eliſa &c.

Sic itaque & Ceres, ſubacta mæroribus, angoribus profligata, terroribus fracta, vacillat, mehercule, & nutat; ſed, vires ſupplente amore, accelerat tamen, & adeò accelerat, vt, dicto citiùs, curſu proſiliat, iter emetiatur, & aria luſtret: ideò ingenioſiſſime Vates lactum oſtendit, quod *vrſiore*, ob celeritatem perpendi non potuit: & ideò non in via priùs, quam in termino conſtituitur Ceres. *Foribuſq; recluſis &c.* Caue ne ſextum hunc caſum, abſolutè hic poſitum, pro ſexto modi accipias; nam, maximam incidens in æquiuocationem, Vatis errorem putares, cum tamen mentis tuæ eſſet error: Nam, ſi modus hic ſignaretur, ſenſus eſſet: *cum fores aperuiſſet Ceres*, qui ſenſus directè opponitur Auctori, qui nuper dixerat *euerſos poſtes &c.* Aſt, ſi abſolutus agnoſcatur, ſenſus erit: *cum iam patentes eſſent fores*: qui ſenſus ex dictis neceſſariò ſequitur. *Fores* propriè dicuntur portarum valuæ, quæ foris aperiuntur: Et Plutarchus memorat, Valerio Publicolæ fratri, cum de Sabinis triumphaſſet, poſitam primo publice domum, cuius fores extra aperirentur, cum antea cæterarum ædium Valuæ intra, reſerando impellerentur. Verùm vſus obtinuit, vt hæc iam nomina paſſim confundantur, & promiſcuè vſurpentur. *Recludere*, a quo *recluſus*, aperire eſt, quarè & particip. apertum eſt.

DVM PERERRAT &c. Luſtrantem domus ſuæ angulos omnes, atq; alijs, alijſq; manifeſtiſſimis indicijs, monumenta cladis deprehendentem inducit Cererem. De aduerb. temporis *dum*, vulgò *mentre che*, alibi ſatis dictum. *Pererrare* eſt hùc, illùcq; incerto pede errare, ſeù diuagari, vt item alibi dia. Itaque Ceres, ſi fortè alicubi filiam inueniat, quam quærit, *Pererrat*

SEDES VACVAS. *Sedem* pro habitatione ſumi, iam ſæpiùs oſtendimus: &, in hoc eodem ſenſu, adeſt hic. Vtitur autem numero multitudinis, quia, cum in eâdem commoda habitatione multa ſint habitacula, quæ ſingula ſedis nomen non reſpuunt, oſtendere voluit, nullam domus manſionem à Cerere peruestigante fuiſſe neglectam. *Vacuas* autem appellat, non eo, quod loca fuerint omni prorsùs corpore carentia, (vt Phyloſophi vacuum definiunt) ſed quia ſine cultoribus erant, abſq; habitatoribus deſerta ſquallebant. Deniq;, quidquid domi haberet, nil Ceres reputabat; & *vacuas* omninò ſedes putabat, in quibus Proſerpina non adeſſet: nam: *Amans amata carens in multitudine ſolus*, cecinit ille. Alij cum Parrhaſ. legunt, hoc loco, *Dum vacuas ædes*: & non incongruè: nam ædes dicuntur cubicula ipſa, quæ, domui inſerta, membra ſunt totius commodæ habitationis: atq;, vt notant nominum indagatores, hoc nomen ædis ſi ſumatur in numero vnitatis, ſedes ſignificat ſacras, in quibus vtiq; Dij, ac Deæ manſionem haberent, vt in caſu noſtro, ſi verò ſumatur in numero multitudinis quælibet cuiuſcumque domus cubicula notat, ſed præcipuè ſacra, vt hic. Ego tamen nomen ſedis non reiecî; nam Cælum ipſum, quod templum ſummi Iouis dicebatur ab antiquis, idem & ſedes, & ædes eiuſdem dicitur, vt legentibus patet.

ET ATRIA DESOLATA. Quid Atria ſint nouimus lib. pri. carm. 85. *Deſolare*, à quo *deſolatum*, eſt *deſertum facere*. Sic Drances, apud Virg. Æn. 11., Turno infœlices belli exitus exagerans, ait:

Pone animos, & pulſus abi; ſat funera fuſi
Vidimus, ingentes & deſolauimus agros.

Pererrat itaque & atria *deſolata*, hoc eſt in deſertum commutata, raptoris vtiq. violentiâ, quæ dominam abripuerat; abſentiâ ſociarum, ancillarumq; quæ fugam arripuerant, non minùs, quam Nymphæ, de quibus lib. 2. *Diffugiunt Nymphæ &c.*

AGNOSCIT TELAS &c. Proprias peruestiganti Cereri ſedes quondam primò occurrerit cladis ſignum iam memorat, nempe infectas Proſerpinæ *telas*, illas, de quibus lib. pri. carm. 146. & ſeq., arachneis iam deturpatas operibus &c. Notanda autem, hoc loco, vis illius verbi *agnoſcit*; verborum enim interpretes inquiunt, agnoſci id propriè, quod nobis olim aut viſum fuerit, aut alia quauis ratione cognitum. Sic Virg. Æn. 3., de Heleno Troiano, Æneam, cum ſuis, obuios ex Chaonio portu habente, cecinit:

Agnoſcitq; ſuos, lætuſq; ad mœnia ducit.

In hac ſignificatione non potuit hoc verbum hic, ab Auctore vſurpari; nam certè Ceres opus illud, à Filia inceptum, poſt diſceſſum Matris, non viderat, vt ea lib. pri. conſtat, vbi *texebat redituræ munera Matri*: nec alia quauis ratione ab ea cognitum dici, niſi commentitiè, poteſt. Altiùs indagandus Poetæ ſenſus, atq; ex phyloſophicis ſcholis expromendus. Cognitio, quæ per verbum illud importatur, in duplici conſiderari poteſt differentia, vt alibi dix.: alia enim eſt cognitio ſenſitiua, alia intellectiua: ſed, quia nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, vel in ſe, vel in aliquo ſui, vel in aliquo ſibi ſimili; cognitio intellectualis ita pendere videtur a cognitione ſenſitiua, vt priùs ſemper rem ſenſus percipiat, ac ſubindè intellectus a cognitione ſenſitiua excitatus in eamdem, vel et ſimilem cognitionem feratur intellectiua. Hunc igitur cognoſcendi proceſſum explicaturus, vnico verbo, Vates verbum *agnoſcit* vſurpauit: nempè agnoſcit cognitione ſenſitiua viſuali, quod idem eſt, ac *videt*: atq; ex viſione mens excitata, dum præſens agnoſcit opus, ſupra artem, artificiumq; ac elegantiam texturæ reflectens, recordatur, huiuſmodi elegantiam propriam fuiſſe illius artis, quam ſæpe viderat exerceri olim à Filia; atq; adeò in ſimili agnoſcit, hoc opus illius fuiſſe induſtriæ, quam non ſemel fuerat admirata. Hoc pacto, & verbi ſignificatio, iuxta verborum interpretes, ſubſiſtit, & eruditio Vatis mirum, more ſuo, emicat in modum.

SEMIRVTAS, CONFVSO STAMINE. Adiectiuum, ſeù participium adiectiuatum *ſemirutas* eſt compoſitum à nomine ſubſtantiuo *ſemis*, quod idem ſonat, ac *dimidium*, & verbo *ruo*, vulgò *rouinare*: quare *ſemirutus* idem erit, ac *magna ex parte deuaſtatus*; vulgo *mezzo rouinato*. Cum autem adijcit *confuſo ſtamine*, rationem reddit, cur ſemirutæ dicerentur telæ; quia videlicet ſtaminum confuſio lacerati operis effigiem præſeferebat. Quid ſtamina ſint, habes lib. pri. carm. 260. remanet explicandum, cur confuſa dicantur (nam Vatem vti numero ſing. pro plur. per Synecd., certum eſt) Porrò *confundo*, à quo particip. *confuſa*, idem eſt, ac *perturbo*, & *omnia in vnum commiſceo*. Aſſerit itaque Vates ſtamina, quibus profectò varijs vſa fuerat, ad opus Proſerpina, vt lib. pri. cit. vidimus, omnia in vnum permiſta, implexaque extitiſſe: ſed quomodo id euenerit, non memorat. Memineris itaque, Proſerpinam, lib. pri. cit., vt Deabus aduentantibus aſſurgeret, eaſq;, quo maiori poterat humanitatis expreſſione exciperet, fila proieciſſe, atq; imperfectum reliquiſſe laborem. Certum autem eſt, ſtamina ſic proiecta, ſibiq; relicta, qualibet vel leui aura inſufflante permiſceri facilè, & confundi: quare ſolent acu pingentes, cum opus intermittunt, fila quæq; repartiri, ac ſuo loco diſponere: nec non ea ponderibus additis obfirmare, ne, aurâ ventilante confundantur. Nil horum effecerat Proſerpina; quarè nil poſtea mirum, ſi ex vehementi illa ob aduentantem Plutonem commotione totius inſulæ, de qua lib. 2., diſcutientes venti ſtamina illa hùc, illùcq; comportantes confuderint, implicuerintq;; & quia ſuperadditis puluere, ac ſordibus fœdata fuerat pictura, ideò ſemirutas vocat confuſo ſtamine telas illas. *D'vno ſtraccio in ſembianza eran ridotti*, diceret incomptus Italus.

ATQ; ARTES PECTINIS INTERCEPTAS. Pendent hæc ab eodem verbo *agnoſcit*, de quo ſupra, cui per copulatiuam alligantur, virtute adiunctionis fig. De pectine ſatis dictum lib 2. carm. 41. Hic tantum remanet notandum, artem non ſemel pro ipſis artefactis poni; ex quo deducit Parrhaſ., Poetam, per artes pectinis, intellexiſſe telas ipſas. Verùm, vt fatear, non acquieſco; nam cum Vates telas ipſas immediate ante expreſſè recenſuerit ſemirutas &c., certe & imperfectas, & non abſolutas oſtendit ſatis. Quarè iam ſutiliter progredi videretur, & idem per idem dicere, vel certe idem per ſynonima referre, cum tamen, hyppotipoſim, vt ex contextu patet inſtituens, varias quidem telæ conditiones attingere debuiſſet, vt exactior eſſet deſcriptio. Arbitror itaque, *Pectinis artes* a Vate poſitas, non pro effectu ipſo artis, ſed pro exercitio ipſius artis intercepto, quod licet non viderit in ſe, vidit, & agnouit Ceres, in eius imperfecto effectu. Noſtis itaque, ea alibi dictis, artem in docentem diuidi, & vtentem: Docens eſt ipſa præceptorum collectio, in mente artificis exiſtens, eamq; præceptiue di-

rigens

rigens ad opus: vtens eſt ipſa eadem ars docens, quatenus ad vſum redacta, ſeù, quod idem eſt, *ipſum exercitium artis ex directione præceptorum procedens*. Hoc exercitium pectinis, nempè *artis textoriæ* interceptum notat hic Vates, licet numero multitudinis, per ſynecd., vtatur, cum ait: *Artes pectinis interceptas*. *Intercipere* eſt efficere, ne quid eo perueniat, quo directum fuerat: quare *interceptum* idem erit, ac *ab incæpti operis proſecutione impeditum*: ex quo videtis importari cauſam aliquam extrinſecam, qua intercedente, ab opere deſiſtat, qui alioquin perfecturus erat incæptum. Licet itaque Ceres noſcere non potuerit cauſam illam, quæ intereeſſerit, nempe ſubdolæ Veneris aduentum &c. qui effecit, vt opus Proſerpina abrumperet ſuum, vel raptorem impedientem, ne rapta ad opus filia rediret perficiendum: ex eo tamen, quod ſciret, filiam talis genij fuiſſe, vt nunquam ab incæpto deſiſteret, ni perfectum videret, agnouit indeterminatè ſaltem, aliquam interruptionis cauſam ab extrinſeco adtitiſſe. Ideo optime inquit Vates:

Atq; interceptas agnouit pectinis artes.

DIVINVS PERIT ILLE LABOR &c. Patheticum Epiphonema miram in commiſerationem concinnatum. Emphaſim habet pronomen *ille*: *labor* verò idem hic eſt, ac *opus elaboratum*, quod antonomaſticè *labor* appellatur; quia, cum labor, vel mentis, vel corporis, defatigationem importet, certè maxima ingenij defatigatio fuerat tantam rerum ſeriem, quantam lib. pri. vidimus, in telas referre, tot colores miſcère, tot fila diſponere &c. præterquam quod & manus ipſa aſſiduo verſatur in motu, & oculus ad vertigines interdum vſque fatigatur. In duplici autem ſignificatione nomen *Diuinus* vſurpatum video: primò quidem ita, vt ſignificet quidquid ad Deum pertinet, vel ex Deo eſt, atq; adeò neſcio quid diuinitatis participare videtur, ea qua & nomen ſortiatur *Diuini*; In hoc ſenſu Virg. Æn. 2. ſic canente:

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Ædificant &c.

ſecundò ita, vt quid ſtupendum, admirabile, & quod humana ſorte maius aſſurgat, ſignificetur; nam quod vires excedit humanas ad diuinas accedere videtur. In hoc ſenſu Virg. Ecl. 3. Alcimedontis ſculptoris peritiem humana ſorte notans maiorem, inquit:

(Inſanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum Diuini opus Alcimedontis.

Vtrumq; ſenſum amplexus Vates, hoc loco, eſt: diuinum enim appellat Proſerpinæ opus, & quia Deæ manu elaboratum, & quia admiranda prorsùs textura ſuſpiciendum. Sed nihilominus iam *perit*. Nota opportunam contrariorum conflictionem, aptiſſima anthitheſi, ſummos commiſerationis affectus excitantem. Diuinitas immortalitatem tribuit, æternitatem largitur, incorruptibilitatem impertitur, & tamen *diuinus perit ille labor*, quod idem eſt, ac *perditur*, conſumitur, ac in interitum conijcitur. Vide quam indignum factu ſit, vt, quod Diuinum eſt, Diuinitate non obſtante deperdatur; & conſequenter, quam altè ſe ſe in affectus inſinuet narratæ rei exclamatio.

SPATIVMQ; RELICTVM &c. Diuinitatem proculcatam, viliſſimiſq; repletam ſordibus intueri, indignum eſt prorsùs, ac lacrymis profectò ſanguineis ſpectaculum deplorabile. Ideò vt pathetice magis procedat Vates, & miſerandum prorsùs tenuitate telæ ſpectaculum inſinuet, exclamationem proſequens ſuam indignatur & ipſe Arachneæ temeritati, imperfectas telas ſordidiſſimis textrinæ ſuæ filis ſupplenti.

ET ARANEA. Eſt *Aranea*, propriè loquendo, Araneorum icatura, vulgò *tela d'Aragno*: & hac ſignificatione habetur apud Ouid. Metam. 4. vbi, Vulcanij retis exprimens tenuitatem, ait:

Retiaq; & laqueos, quæ lumina fallere poſſint
Elimat: non illud opus tenuiſſima vincant
Stamina, non ſummo quæ pendet Aranea tigno.

Reperitur tamen quandoq; *Aranea* pro ipſo animali araneam texente: ſic Virg. Georg. 4. animalia apibus infeſta memorans inter illa Araneam ponit.

Aut aſper clabro imparibus ſe immiſcuit armis;
Aut durum tineæ genus, aut inuiſa Mineruæ
In foribus laxos ſuſpendit Aranea caſſes.

&, in hac ſecunda ſignificatione nomen & hic, araneæ aſſumitur ab Auctore, vt patet ex adiuncto.

AVDAX. Sic enim dicitur ab audacia, quæ eſt nimia quædam confidentia, immò impudentia, & temeritas; vno verbo; eſt quædam animi ſecuritas, qua quis neq; malum præſens, neq; futurum perhorreſcat; atq; in malam ferè ſemper partem accipitur, niſi ex adiunctis limitetur: hic certe pro petulanti aſſumitur temeritate. Porrò epitetum *audax*, araneæ impoſitum, duplicem, hic, habet reſpectum: alterum ad præſens facinus, quo Diuinum Proſerpinæ deturpauerat opus; alterum ad præteritum, quo cum Pallade ipſa fuerat olim auſa decertare. Quæ vt ſatiùs aperta fiant, Arachnem in Araneam memineris conuerſam, vt refert Ouid. Metam. 6. Fuit itaque Arachne Lydia Idmônis filia, quæ, lanificij artem a Pallade edocta, tantùm profecit, vt, teſte Ouid. cit.

Siuè rudem primos lanam glomerabat in orbes;
Seù digitis ſubigebat opus, repetitaq; longo
Vellera mollibat, nebulas æquantia tractu;
Siuè leui teretem verſabat pollice fuſum;
Seù pingebat acu; ſcire à Pallade doctam.

ſuis itaque ſibi placens operibus eo dementiæ proceſſit, vt, dedignata Magiſtram, non ſolum, ſe à Minerua edoctam, negare, auſa fuerit; ſed & ipſam in certamen petulantiùs vocare, quaſi longe ceſſuram arte non dubitaret. Deſcendit in arenam vocata; ſed indignata, quod Arachne Deorum ſolummodò contumelias, ac Iouis præcipuè genitoris, referret in telas,

Et rupit pictas cæleſtia crimina veſtes,
Vtq; Cythoriaco radium de monte tenebat,
Ter quater Idmoniæ frontem percuſſit Arachnes.

Illa ægrè adeò tulit offenſionem, vt ſeſe laqueo ſuſpenderit: at Minerua pendentem alleuauit, nec vitâ excedere permiſit; ſed in araneam conuertit, vt, opere ſemper inutili fatigata, nullum ſui effectum capere poſſet, licet renaſcentia ſemper viſcera, ſe ipſam euiſcerans, in fila deduceret, ac irritas conficeret telas. Audi Ouid. cit.

. . . . Pendentem Pallas miſerata leuauit;
Atq; ita: viue quidem, pende tamen, improba, dixit;
Lexq; eadem pœnæ, ne ſis ſecura futuri,
Dicta tuo generi, ſeriſq; nepotibus eſto.
Poſtea diſcedens ſuccis hecateidos herbæ
Sparſit; & extemplo triſti medicamine tactæ
Defluxere comæ, cum quis & naris, & aures;
Fitq; caput minimum, totoq; eſt corpore parua.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent;
Cætera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet Aranea telas.

Audax itaque Aranea primò, cum Mineruam prouocare, & contumelias Deorum acu pingere eſt auſa: audax verò iterum, cum Proſerpinæ telis ſuas inſerere non erubuerit. Sed nota, quomodò occultè quidem, ſed artificioſiſſimè, Vates, hic, elegantiam texturæ à Proſerpina peractæ amplificet, eam lanificijs Mineruæ non imparem efficiens, dum Arachnem ipſam inducit in certamen operis deſcendentem, vt ſecundò cum altera Pallade contenderet, ſicuti olim cum prima.

SVPPLEBAT SPATIVM RELICTVM. Nempè ſtamina ſubtegmine vacua, in quibus Proſerpina nullam adhùc figuram delineauerat, telas cum reliquerit imperfectas. *Supplere* eſt *aliquid in deficientis locum ſubſtituere*. Igitur quod telæ deerat imperfectæ, implebat ſuis Arachne lineamentis.

TEXTV SACRILEGO. Nempè araneis ſuis, quas ſubtexuerat; nam *textus* a textura opus textile nuncupatur. *Sacrilegum* verò dixit, quia res conſpurcare Diuinas, ſordibuſque immiſcère, ſacrilegium eſt, à quo *ſacrilegum* dicitur, & factum. Iterum Deæ mortalem ſubtexere, ac ſe Deæ parem facere ſacrilegum eſt.

NEC DEFLET, PLANGITQ; MALVM. Ad interruptam, opportuna, ac ferè neceſſaria, exclamatione, narrationem redit: & quam ſe geſſerit, his viſis Ceres enarrare progreditur, per hypotipoſim, ab effectibus deductam. Ideò coniunctione vtitur diſiunctiua, qua, cum aduerſatiua diſtinctione, diſparata connectat; nempè *agnoſcit &c. Nec deflet*. Areſcere ex nimio lacrymas dolore ſuperiùs vidimus. *Plangere* verò eſt, cum eiulatu, manibus coxendices percutere, vel aliam corporis partem. Et idipſum intercipitur, cum ſtrangulat incluſus dolor; nam, intercluſis ſpiritibus, ſenſus lædens omnes opprimit, atq; in ſpirantes ſtatuas ſic dolentes conuertit. Genus tandem poſuit pro ſpecie, cum *malum* inquit; nam *malum* dicitur, quidquid aduerſi accidit: at hic pro ſpecifico, immò indiuiduali Proſerpinæ infortunio, ac partâ Cereri iactura.

TAMEN FIGIT OSCVLA TELÆ. De coniunctione aduerſatiua *tamen* vide nuper dicta carm. 136. Pariter, de qua tela hic ſermo ſit vide dicta carm. 155. *Figere oſcula* eſt

dreſ-

deoſculari; ſed tali affectus impetu, ac ſignificatione, vt anima oſculantis videatur in oſcula ſuſcipientem tranſmigrare; nam *figere* eſt *altiùs imprimere* oſcula, quod nimiæ pietatis eſt, & affectus. Sic Virg. pietatem, affectumque Troianarum mulierum in Regiam iam iam cadentem expreſſurus Æn. 2. ait:

Amplexæq; tenent poſtes, atq; oſcula figunt.

Oſculum quid ſit, notiſſimum profectò eſt. nam, licet diminutiuum ſit ab ore, ita vt *oſculum* idem, ac *paruum os* ſonet, tamen pro *baſio* ponitur, quoniam baſiantes os coarctamus, & quaſi ex ore oſculum facimus. Vno verbo, coniunctio eſt oris ad os, cum affectu, atq; expreſſione beneuolentiam importante. Diſtinguit Donatus inter oſculum, baſium, & ſuauium, ita vt *oſculum* dicat officij eſſe, vt cum è longinquo reuertentes, aliquem ſalutamus oſculantes; baſium verò pudicorum ſit, vt Patris, & filij: ſuauium deniq; à ſuauitate dictum, voluptatis ſit, & incontinentiæ. Hæc diſtinctio, vt fatear, non obſeruatur in praxi apud Auctores hæc nomina promiſcuè vſurpantes: reſpexiſſe tamen ad huiuſmodi differentias Poetam, non ambigo, *oſcula* hic ſumentem in rigoroſiſſima ſignificatione, cum ſint a Cerere è longinquo redeunte, in res ad filiam ſpectantes; conſequenter, & officij eſſe videantur, cum æquum fuerit, vt, ſi filiam non poſſet, quæ ſaltem illius eſſent, ex intimo cordis affectu, conſalutaret. Hoc autem ſignum eſſe vehementiſſimi amoris, ſatis conſtat ex Hetruſcorum Poetarum Principe cantu 12. Hieroſol. liber. vbi Tancredus, loco occiſæ Clorindæ, ſepulchrale, quo obtegebatur, marmor oſculatur dicens:

Non di morte ſei tù, mà di viuaci
Ceneri albergo, ou'è ripoſto amore;
E ben ſent'io da te l'vſate faci,
Men dolci sì, mà non men calde al cuore.
Deh prendi i miei ſoſpiri, e queſti baci
Prendi, ch'io bagno di doglioſo humore;
E dagli tù, poich'io non poſſo, almeno
All'amate reliquie, ch'hai nel ſeno.

Inſuper connaturale affectui materno videtur, vt, cum filiam amiſerit, quidquid filiæ fuerit, amplectatur, oſculeturque. Quare naturam Vates egregiè hoc loco, ac mores imitatur.

ET ABRVMPIT MVTAS QVERELAS IN FILA. Habent & vultus, & oculi vocem ſuam, qua efficaciùs interdum, quam modulis lingua, mutâ quadam eloquentiâ omnes exerceant oratoriæ partes. Sic Bracciol., a nobis alibi relatus, de Oratoria tacentis Amphionis facultate, ait lib. 4.

Conchiude, e tace: e perſuade ancora
Co'l ſilentio, e con gl'atti il volto honeſto.

Pariter lacrymis, ac vultus habitu Euryalum cauſam tutantem ſuam inducit Virg. Æn. 5.

Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq; decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Sic itaque & Ceres, conſumptis dolore lacrymis, atq; interceptâ voce, mutâ quadam nihilominùs eloquentiâ inducitur hìc lamentationes exprimens ſuas. Certe oculum Aegyptij ſermonis hieroglyphicum poſuere, apud Pier. lib. 33. Et experientia ipſa docet, naturam abſumptis dolore vocibus geſtus quoſdam ſubſtituiſſe, ne ſine aliqua interni cruciatus expreſſione remaneret: ſic vel Cælum, ſuſpirijs erumpentibus, intuemur; vel manus, pectinatim inſertis digitis, coniungimus, & vel ad pectus, vel ſub mentum admouemus, vel ad imum ventrem demittimus; vel humeros conſtringimus; vel furiali modo agitamur, noſq; ipſos laniamus &c. Naturam itaque, experientiam, atq; eruditionem ſecutus, Vates hanc Cereri mutam tribuit eloquentiam. *Abrumpere* idem, hoc loco, eſt, ac *interrumpere*: quarè ſenſus eſt: *rumpit inter fila* (ſtamina videlicet à Proſerpina in telas deducta) *Mutas querelas*; hoc eſt lamentationes. Sed, quia *querela* vocem importat exprimentem, ideò *Mutas* addidit, vt, contrario appoſito, per terminum diſtrahentem, abſtrahat *querelæ* nomen a vocali ad non vocalem; ita vt nomen *querelæ* ſignificet hìc reſpicientias pietatem ſpirantes, corrugationem frontis, ſuſpiria interciſa, gemitus interruptos &c. quæ tacitæ dicuntur, ſed vehementiſſimæ lamentationes: immò oſcula ipſa, telis infixa ſatis tacite ſuccenſebant, quæ manum ex opere remouiſſent texentis. Sed nota hic proprietatem poeticæ locutionis. Iam noſtis telæ perfectionem defuiſſe, ita vt ſtamina quidem adeſſent, ſed nullo, extremum verſus, ſubtegmine necterentur. Dum itaque ſtaminibus oſcula figeret Ceres, dum in illa ſuſpiria, ac gemitus euiberaret, fila illa oſculum quaſi, ac ſuſpiria interſecare videbantur, & partem in ſe ipſis recipere, partem verò per interpoſitas intercapedines, quantumuis exiguas, demittere; ideò propriiſſimè inquit: *Et abrumpit mutas in fila querelas*: nam *mutus* dicitur quaſi loquendi ſenſu diminutus, ſed tamen, quoquo modo, ſe, vel aliud efficaciter exprimens ſine voce. Vtrumq; effectum, pari paſſu, complexus eſt Bracciol. lib. 5. vbi de Oreſta, regis ſui obtruncatum corpus ſe vidiſſe opinata, hæc habet;

Lacrima non può trar; che no'l concede
Nel ſouerchio dolor vertù, che langue:
Rimanſi immota: e le querele in tanto
Son ſenza voce, e ſenz'humore il pianto.

ET PRESSAT GREMIO. (Nam *que* pro *&* ponitur, vt noſtis) ſicuti oſcula telæ, ſic amplexus cæteris, quibus filia vtebatur, dicitur impertita. *Preſſo*, verbum à *premo*, frequentatiuum, eſt *frequenter*, ac toto cordis affectu complector, determinatur enim ad hanc ſignificationem a nomine, cui additur, nempè *gremio*; nam *preſſare gremio*, vulgò eſt *ſtrengerſi al ſeno*. Gremium à ſinu diſtingui, videris lib. pri. carm. 104.; ſed cathacreſi vſus Auctor gremium pro ſinu hic poſuit.

RADIOS ATTRITOS MANV. *Radius* vocatur inſtrumentum illud textorium, quo texentes ſtamini ſubtegmen immittunt, vulgò *la nauicella*; ſeù apud alios *la ſpoletta*; apud Siculos *la nauetta*. Virg. Aen. 9. de Euryali matre texente, cum filium occiſum audijt, ait nauiculam ex eius manu decidiſſe.

Excuſſi manibus radij, reuolutaq; penſa.

Attritus idem eſt, ac imminutus; nam *atterere* eſt *rem aliquam ad alteram perfricare*: ex quo fit, vt cum omne agens agendo repatiatur, res illæ inuicem attritæ minuantur. Sic ferrum, terram ſcindens, attritu repatitur, & imminuitur: quare Virg. Georg. pri.

Depreſſo incipiat iam tum mihi Taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

Et textorius itaque radius, dum manus impulſu, inter ſtamina permeat, ab ipſa terente patitur, ac imminuitur manu; ita vt interdum impreſſus digitis, quibus apprehenditur, appareat, vt quotidiana texentium experientia comprobatur. Indicat igitur Vates, a conſequenti, aſſiduam in huiuſmodi telis texendis fuiſſe Proſerpinam, cuius radius longo iam texendi vſu fuerit attritus; ſed cur dicatur *attritus manu*? Atteritur certè & à filis ipſis, quæ permeat radius, ſed peculiarem vim patitur a manu proijciente; atq; hinc eſt, vt de hac peculiariter attritione fiat hic mentio. Inſuper hac impreſſus attritione veſtigia virtutis heræ deferebat, ideò gratior, ac dilectior habebatur, ac peculiari affectu preſſabatur gremio &c.

ET PENSA PROIECTA. De penſis vide dicta lib. pri. carm. 53. Cur dicantur proiecta, patet ex ſupra dictis, & ex ijs, quæ innuimus lib. pri., vbi Proſerpinam Deabus vidimus aſſurgentem. Sed vlteriùs ideò nominatim proiecta memorat, vt indicet, Cererem commæreri penſis voluiſſe eo quod a tam clara proiecta fuerint manu, ac quaſi in commiſerationis pignus amplecti. Adde quod ſibi videbatur, licet ſummè dolens, non ſatis doluiſſe Ceres, ideò proiecta penſa amplectitur *vt proiecta*, quia, vt talia iacturæ ſuæ ſymbolum præferebant, ſicq; cordi ſuperimpoſita magis dolorem augendi vim habebant.

ET CVNCTA OBLECTAMINA. Ab *oblecto oblectamina*, quaſi *oblectamenta* dicuntur ea omnia, quæ oblectationem afferre poſſunt, atq; in delicijs eſſe. Sed quid veniat hùc nomine oblectamentorum ſcrutantur Interpretes; & *ſcruta* reſpondet Parrhaſ. Quod ſi ab ipſo quæras, quid *ſcruta* ſint, hæc exarat. *Nos ſcruta iſta arbitramur attritas vſu veſtes, demoliatas ſtrigiles, & iumentorum ſoleas, refixos clauos; eiuſq; generis alia, quæ viliſſimo pretio venalia Mediolani habent, & Romæ, quos Scrutarios appellabant.* Quod autem hæc veniant, nomine oblectamentorum, reſpectu Proſerpinæ, deducit ipſe ex ſententia, quam citat Apollinaris, quaſi coæquatas res, *friuola*, & *ſcruta* coniungentis ſic. *Nunc quædam friuola, nunc ludo apta virgines ſcruta donabat.* Quidni & nuces, & nugas omnes enumeret, quibus pueri delectantur? Danda huiuſmodi oblectamenta puerulis, vix triennium excedentibus; danda ijs, quorum gregaria conditio, ingenium humile, indoles abiecta: aſt vbi de Proſerpina agitur, quæ Iouis filia, quæ Gloria dicitur Matris, & tandem quæ ex lib. pri.

Iam vicina toro plenis adoleuerat annis

quorſum nugæ iſtæ? Incongruenter profectò proceſſiſſet Vates, ſi quam adeò conſpicuam fecerat lib. pri., iam hic

pregalijs nugis, ac nucibus addiceret, Arcu, paleſtra, diſco, ac cæteris huiuſmodi exercitijs Syrij olim, ac Spartani Virgines ſuas exercebant, vt à puerilibus nugis auerterent; Cereris autem filia in nugas, à Deitate degenerans, propendeat? Nunquam certè in Parrhaſij ſententiam abierim, Proſerpinæ non minùs, quam prudentiſſimo iniurius Vati. Arbitror itaque in æquiuocationem incidiſſe Parrhaſ. eo, quod putarit verba illa *Virgineo ludo* dandi caſu efferri, ita vt nomini illi *oblectamina* deſeruiat. Ego ſanè animaduerto pueriles exercitationes nomine *luſus*, non nomine *ludi*, ab accuratioribus nominum indagatoribus deſignari: quarè ſi voluiſſet Vates oblectamenta innuere, pueribus exercitationibus adaptata, *luſu*, dixiſſet, non *ludo*. Perpendo inſuper, nomen *Ludi* non ſemper quid ludicrum ſignificari, ſed ſæpè ſæpiùs ſignificare locum, in quo aliquod peragatur exercitium: ſic ludum litterarium vocamus, in quo pueri literis dant operam, &, vt teſtatur Aſconius, omnem Scholam Romani *ludum* dixerunt. Itaque in hoc eodem ſenſu poſitum huc ab Auctore nomen arbitror *ludo*, & ſexto efferri caſu, qui participio illi adiectiuato *ſparſa* deſeruiat, ac per locum ſparſa ſignificet, in quo textrinam Proſerpina exercebat, nempe per atria (nam in atrijs textrinam exercebant antiqui, vt refert Aſconius, & Aſconio prior Homerus) quod & in cauſa fuit, vt Vates ſupra, ſtatim ac dixerit:

Dum vacuas ſedes, & deſolata pererrat
Atria &c.

ſubdat quid in atrijs viderit Ceres, nempè

Semirutas confuſo ſtamine telas &c.

Nec clamitent Grammatici, futurum vt dixiſſet Vates *ſparſa per ludum*, ſi id ſignificare voluiſſet, non autem *ſparſa ludo*; nam ſi per qua fiat interrogatio, reſpondendum eſt per accuſandi caſum cum præpoſitione *per*; ſiquidem nil Poetis cum huiuſmodi ſcrupuloſa Grammaticorum obſeruatione, quandoquidem ſciant, etiam apud Oratores, motum per locum eleganter ſexto, ſine præpoſitione, caſu efferri: quarè & Cic. pro Font. inquit, *Hi contra vagantur late, atq; erecti paſſim toto foro*. Sed ne in grammaticis detineamur ita, vt difficultatem propoſitam eludere potiùs, quam enodare videamur; Dico, oblectaminum nomine, venire hùc, arbitratu meo, reliqua omnia inſtrumenta, quibus vteretur ad artem Proſerpina; Pani nempè, vulgò *le ſpole*; Glomi ſerici, aurei, argentei &c. Item crinalis acus; acus Syriæ, Babiloniæque, & cætera huiuſmodi, quæ ideò *oblectamina* dicantur, quia, cum quis exercitio aliquo delectatur, eius oblectamenta, eiuſq; in delicijs ſunt ea omnia, quæ ad exercitium illud conferunt peragendum. Moueor ad hanc explicationem ex ipſo contextu; nam, cum Vates radios, & penſa compellaſſet, ne longa reliquorum inſtrumentorum enumeratione legentes fatigaret, per diſpoſitionem compoſitiuam omnia per genus complectitur, & oblectaminum nomine eruditè compellat; quæ eſſent

SPARSA VIRGINEO LVDO. Diſſeminata, ac ſparſim totis atrijs proiecta. Reliqua enim ex dictis in aperto ſunt ſatis.

CEV NATAM. Non ſecus, ac ſi filiam ipſam amplecteretur; hoc eſt non minori affectuum expreſſione; In verbis non immoror, nam de his alibi dictum.

ET PERLEGIT CASTVM CVBILE. Ex perluſtratis atrijs in intima domus penetralia amoris impetu rapitur Ceres, ſi fortè filiam, vel filiæ ſaltem veſtigia deprehendere valeat. Ea eſt amantis conditio, vt, quæ amet, licet ſe amiſiſſe certò ſciat, vix tamen ſibi perſuadeat, non futurum, vt ijs potiatur, vt ijs fruatur: quare dum decipi cupit ab apprehenſione amiſſi boni, ſe ipſum decipit, vana vtiq. diligentia, inquirens, quod amiſſum irreparabiliter eſt. Sic Æneas, apud Virg. Æn. 2., ereptam ſibi Creuſam, per euerſæ Patriæ ruinas, perueſtigare, incaſſum quamuis, non ceſſat, & de ſe ipſo idem fatetur.

Principio muros, obſcuraq; limina Portæ,
Qua greſſum extuleram, repeto, & veſtigia retrò
Obſeruata ſequor per noctem, & lumine luſtro &c.
Inde, domum ſi fortè pedem, ſi fortè tuliſſet,
Me refero &c.
Procedo ad Priami ſedes, arcemq; reuiſo &c.

tandem, vt à ſuperuacanea inquiſitione ceſſaret, opus fuit, vt dum ille:

Implerot clamore vias, mæſtuſq; Creuſam
Nequidquam ingeminans, iterùmq; iterùmq; vocaret,

vmbra ipſa Creuſæ inſanam illius ſollicitudinem redargueret: his vocibus

Quid tantum inſano iuuat indulgere labori,
O dulcis coniux! Non hæc ſine Numine Diuum
Eueniunt; nec te hinc comitem aſportare Creuſam
Fas; haud ille ſinit ſuperi Regnator Olympi &c.

Aptiſſimè igitur naturam noſter Auctor hic ſecutus, Cererem inducit angulos perueſtigantem omnes, ſi fortè, vt optaſſet, deprehenſis iacturæ ſuæ indicijs deciperetur; & luctum verteret in gaudium: ſed Fato ſuo ducebatur, vt certior fieret de iactura, ac luctum luctui ſuperadderet. Ideò *&* *perlegit*. Aduerte ordinandi eſt hoc loco particula *&*; *perlegere* verò, vt alibi etiam diximus, eſt *diligentiſſima oculorum perueſtigatione perluſtrare*; ſicuti proprium illius eſt, qui aliquid, cupienti animo, inquirat, nec ſibi ſuadere poſſit, non inueniendum; nam & loca omnia diligenter luſtrat; nec ſufficit vidiſſe ſemel. Sic Sapho Nafonis:

Incubuit tergoq; locum, qua parte fuiſti,

Sic itaque & Ceres *Perlegit caſtum cubile*; hoc eſt impollutum, nulliſq; ſenſualibus illecebris inquinatum. In quo ſenſu ait & Virg. Æn. 8. de ſolicita in laborem coniuge loquens:

Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulas ad lumina longo
Exercet penſo; caſtum vt ſeruare cubile
Coniugis, & poſſet paruos educere natos.

hic tamen in ſenſu magis rigoroſo accipitur, quam ibi à Virg.; nam Virg. excludit tantum à thalamo coniugali illicitos concubitus, quod ſufficit, vt caſti nomine noteur; at verò Claud. non illicitos tantum, ſed maritales etiam excludit, cum de Virgineo loquatur cubili. Sed quid hic Vates nomine *cubilis* intelligat? Si nomen cubile ſumeretur in vulgata ipſius, ac omnibus obuia ſignificatione, ita vt pro lectulo, in quo Proſerpina cubaret, poneretur; iam bis lectulus idem veniret luſtrandus, ſemel nempe ſub nomine *cubilis*, ſemel verò ſub nomine *tori*; & idem cum ſe ipſo copularetur per particulam connnectiuam; dum in contextu legitur: *Caſtumq; cubile, deſertoſq; toros &c.* quod non eſt aſſerendum de oculatiſſimo in omnibus Vate. Dicendum igitur, nomen *cubilis* in diuerſâ à communi vſurpatum fuiſſe ſignificatione, de qua iam veniat inquirendum. Noto itaque, nomen cubile, à cubando deductum, non magis ex ſe habere, vt lectulum ſignificet, humanis membris ad quietem excipiendis accommodatum, quam vtquemcumq; locum ſignificet, commodæ, ad quietem, habitationi concinnatum. Immò hoc nomen, licet translatè vſurpetur ad lectulum ſignificandum, videtur priùs, ac directè inſtitutum ad ſignificandum domicilium, vel locum domicilij vices ſupplentem, vt patet, ex eo quod etiam antra, in quibus feræ degant, cubilia propriiſſimè dicantur. Sic Virg. ſubterraneas talparum cauernulas cubilia vocat Æn. pri.

Tum variæ illudunt peſtes: ſæpè exiguus mus
Sub terris poſuitq; domos, atq; horrea fecit;
Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.

Sic Georg. 4. Apum domicilia cubilium nomine deſignauit, cum inquit:

Sæpè etiam, effoſſis (ſi vera eſt fama) latebris,
Sub terra fodêre larem, penituſq; repertæ
Pumicibuſq; cauis, exeſaq; arboris antro.
Tu tamen & laeui rimoſa cubilia limo
Vnge fouens circum &c.

Arbitror itaque & à noſtro *cubile* hic pro *cubiculo* poſitum, eo pacto, quo Virg. Æn. 6. vbi ait:

Veſtibulum ante ipſum, primiſq; in faucibus Orci
Luctus, & vltrices poſuere cubilia curæ.

& eo pacto, quo *Lararium* antiquitùs, ſeù domeſticum illud ſacrarium, in quo Lares, & Dij peculiares adorabantur, *cubile ſalutatorium* dicebatur; ad hoc enim profectò reſpiciens Auctor, cum de cubiculo Deæ ageret, *cubile* nuncupauit, quaſi *adorandum* illius diuinitatis *ſacrarium*, *cubilis ſalutatorij* nomine conſalutaret; eſt autem hoc illud idem cubiculum, de quo ſupra carm. 76.

ET TOROS DESERTOS. De toro vide fusè dicta lib. pri. carm. 35. Hic certè pro lectulo ſumitur, in quo Virgo cubare ſolita fuerit. Sed vtitur Vates numero multitudinis per ſynecd., vt patet. Luſtrato itaque cubiculo, & lectum perlegit Ceres; ſed incaſſum, nam inuenit *toros deſertos*, à deſero, quod eſt deſtituo, derelinquo. Vno verbo, inuenit vacuos herili pondere, cum illis hera domo diſcedens æternum, licet inſcia, vale dixiſſet

ET SICVBI SEDERAT OLIM. Per diſpoſitionem compoſitiuam, ab enumeratis partibus ad totum progreditur, vt vno verbo oſtendat, nullum à Cerere angulum domus relictum à perueſtigatione, & quidem ſedulâ, immunem.

nem. Ideò particulâ *ſicubi* vtitur, quæ aduerb. locale eſt, idem ſonans, ac *ſi alicubi*, quod, licet, quo ad vocem, ſingulariter ſignificare videatur, quo ad ſenſum, tamen aduerb. vniuerſale eſt, omnia complectens loca, in quibus, diſtributiue ſumptis, vel, quod idem eſt in vnoquoq; , quorum ſolita fuiſſet Proſerpina immorari, diuerſis temporum vicibus: & hæc omnia à Cerere indicat perluſtrata, ſi fortè in eorum aliquo inuenire poſſet, quam quæreret; Videbatur enim ſibi deprehendenda in vnoquoq; filia, quam optabat. *Sedere* eſt *immorari, manere, & otiari*, vulgò *ſtar a diporto*, vt aſſueuerat, vel permanenter, vel obiter, Proſerpina *olim*, quod aduerb. temporis præteriti eſt, vulgò *per auante*.

CEV PASTOR &c. Aptiſſima ſimilitudine Cereris confuſionem, ac dolorem, ſub oculis ponit, dum eam confert cum paſtore, qui direptis armentis ſerus superuenit, &, vacua luſtrans ſtabula, infortunium tantummodo deflere ſuum iam poteſt. *Ceu* igitur particula aſſimilantis eſt, idem, ac *velut*, de qua alibi ſatis dictum. Pariter quid ſit Paſtor, habes ex lib. 2. carm. 213. hic enim in eodem effertur ſenſu.

ATTONITVS INANI STABVLO. Sextum in poſtremis particulis cauſalitatis caſum agnoſcas: cauſa enim aſſignatur, cur Paſtor *attonitus* hæreat; hoc eſt ſubitâ, atq; inſperata clade conſternatus adeò, vt ſui ipſius impos videatur, nec, quid agat, nouerit: nam idem eſt *attonitus*, ac *ſubito hærens ſtupore, inſenſato ſimilis*, quod vtiq; euenit vt plurimum, vbi maximus ingruit dolor, vbi inſperata ſimul, atq; atrocia ſubimus infortunia. Sic itaque & Paſtor hæret, viſo *ſtabulo inani*: hoc eſt vacuo eo quod armenta perierint, vel alio abiecta fuerint, dum ille abeſſet. De ſtabulo autem vide lib. 2. carm. 209.

CVI. Relatiue ad Paſtorem, cui damno iactura fuit.

AVT RABIES INOPINA &c. Cum duplici ex cauſa armentorum deuaſtatio prouenire potuerit, vtramq; ſub diſiunctione proponit mediante coniunctione ſeparatiua *aut*. De rabie videas lib. 2. carm. 331. Tantùm noto aptiſſimam Auctoris conſonantiam, qui cum loco cit. lib. 2. Plutonem Proſerpinæ Raptorem Leoni aſſimilauerit, iuuencam, decus ſtabuli, abripienti; ſic, ſibi mirè conſonans, hoc loco, iacturam attoniti Paſtoris, cui Cererem aſſimilet, ex rabie leonum inducit prouenientem: aſt quia verè Leo non fuerat, ſed raptor Pluto, qui, quaſi iure belli, pactam rapuerit Proſerpinam; ideò ſecundam cauſam, ſub diſiunctione, poſuit in præſenti ſimilitudine, ex populabundis prouenientem cateruis, vt vndiq; quadret, nec manca vllo pacto ſit comparatio. *Inopina* autem dicta eſt Leonum rabies, ad oſtentandum doloris immedicabile vulnus paſtori inflictum; nam ſicuti iacula præuiſa minus feriunt, & vt cecinit Italus: *La piaga antiveduta aſſai men duole*.
ſic ex oppoſito, quæ præter expectationem, immò & præmeditationem eueniunt clades, magis exulcerant, & maximè quatiunt animum. Vides in ipſo ſimili amplificatum eximie Cereris dolorem, oculiſq; adamuſſim ſuppoſitum.

PÆNORVM LEONVM. De leonibus vide dicta lib. pri. carm. 210. & lib. 2. carm. 210. *Pæni* quaſi *Phœni*, quia è Phœnicibus orti, dicebantur Carthaginienſes, inquit Seruius in illud pri. Æn. *Ponuntq; feroces Pæni Corda, volente Deo &c.* & adſtipulatur Virg. ipſe ore Veneris eodem lib. Æneam filium alloquentis, ac de Carthagine notitiam tradentis, ait:

Punica regna vides Tyrios, & Agenoris Vrbem.

nempe Vrbem, quam Agenoridæ condiderunt: Agenor autem Phœnicum Rex certè ſuit: immo hanc Carthaginis originem clarè exprimit Virg. ibidem, dùm Didonem eius conditricem vxorem fuiſſe Sichæi phœnicis autumat, his verbis: *Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta &c.* &

Huic coniux Sichæus erat ditiſſimus agri
Phœnicum, & magno miſeræ dilectus amore &c.

&, cum narraſſet Didonis ex finibus Phœniciorum fugam, non paucis comitantibus, ſubdit:

Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernis
Mœnia, ſurgentemq; nouæ Carthaginis arcem.

Quod ſi quæras, vbi nam locorum fuerit Carthago iſta, reſpondet Euſebius, eam fuiſſe Vrbem Africæ totius celeberrimam, poſt Troianum bellum, à Didone conditam: & tertio bello Punico à Scipione Emiliano penitùs euerſam, ac funditùs deletam. Ideò & Virgiliana Venus lib. cit., cùm dixiſſet: *Punica regna vides Tyrios, & Agenoris Vrbem.* ſubdit

Sed fines Lybici genus intractabile bello.

Lybia enim ea tertia pars orbis eſt, quæ & Africa dicitur. Porrò Africa leones omnium maximè terribiles generat. Ideò Vates leonum memorat rabiem, non quorumcumque, ſed *Pænorum*, ideſt ex Africanis oris erumpentium, vt ſtragem amplificet magis, nam illi ipſi in exemplum efferatæ crudelitatis aſſumuntur à Virg. Æn. 12. ad exprimendam iraſcentis Turni violentiam.

Attolliiq; animos Pænorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus
Tum demum mouet arma leo &c.

AVT CATERVÆ POPVLATRICES &c. Infælices profectò campi, qui aut hoſtium, aut prædonum incurſionibus patent: minus enim interdum terroris, horrorisq; ex ferarum rabie infertur, quàm ex huiuſmodi efferatorum hominum cateruis. Porrò *caterua*, in rigore loquendo, propriè fuit Gallorum legio ſenis millibus conſtans, ſicuti Phalanx Macedonum dicebatur. Sed iam vſus inualuit, vt pro quauis aggregatorum hominum multitudine ſumatur. Cateruæ igitur nomine vſus eſt Vates, vt, ab incurſione vel militum, vel prædonum præſcindens, vtramque tamen communi nomine complecteretur: ſicq; alterum hic ſubijcit diſiunctionis membrum, repetita coniunctione ſeparatiua *Aut*. *Populatrices* verò dicuntur a verbo *Populor*, quod eſt prædam ago, diripio, ac deuaſto.

INFESTAVERE PECVS. *Infeſtare* eſt *hoſtiliter in aliquem agere*. Pecus verò dicitur omne animal, quod ſub hominis imperio, paſcitur terræ pabulis: quare genus hic poſitum pro ſpecie dignoſces bouina, de qua infra, & quam ſibi direptam videat Paſtor.

AT ILLE SERVS REDIT. *At* particula eſt aduerſatiua, idem hic ſonans, ac *è contra*. Quaſi dixerit. Prædones feſtine ad raptum deuenere; è contra ſerò adfuit Paſtor *à chender* (vt Italicè dicitur) *doppo perſi i buoi le ſtalle*: nam certe pronomen demonſtratiuum *ille* ad paſtorem refertur: atque epitetum *ſerus* idem ſonat, ac tranſacta iam opportunitate defenſionis *redit*. *Redire* eſt *retro ire*, ac *reuerti*, à loco ſcilicet in quem longe abierat a ſtabulis: quo verbo Vates mirè oſtendit, Paſtoris confuſionem augeri ex eo, quod culpa ſua abactum videat pecus, cùm longè diuagatus occaſionem, ac commoditatem præbuerit, vel leonibus vorandi, vel prædonibus diripiendi; quare, dum *ſerus redit*; ad cladem ferendam, non ad arcendam accedit. Vide quàm apte in ſcopum collineet ſimilitudo; nam & per abſentiam Cereris rapta eſt Proſerpina; &, ſera rediens, Ceres ad luctum, non ad luctam, ſeu ad reluctandum prædonibus peruenit.

ET LVSTRANS &c. *Luſtrare* eſt *attentis aliquid oculis*, per partes omnes, aſpicere. Sic de Euandro, alloquente Æneam circumquaque aſpiciente, 8. Æn. Virg.

. . . . . . *Ille os, oculoſq; loquentis*
Iam dudum, & totum luſtrabat lumine corpus.

& de Alcide, vindictam in Cacum meditante, ait ibid.

Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat, & illuc
Dentibus infrendens &c.

Sic itaque & paſtor, dum cuncta veſtigat oculis, *luſtrans* dicitur.

PASCVA VASTATA. *Vaſtare* idem, ac *depopulari* eſt. *Paſcua*, à paſcendo dicta, ſtabula armentorum ipſa vocari iam vidimus, lib. 1. carm. 279. ſed & prata, in quibus paſcuntur greges, hoc eodem nomine ſignificari iam nouimus: quare vtrumque coniunctim fuiſſe in intentione Vatis, non ambigo; ita vt ſenſus fuerit, quod paſtor, & ſtabulum vndequaque oculis perluſtrauerit, ac ſubinde & prata, in quibus paſcentes ſoliti fuerant greges diuagari, raptim circumactis oculis, peruestigauerit.

CIET, ET IMPLORAT. Inter *Ciere*, ac *Cire* diſtinguunt aliqui, & dicunt *Cire* propriè idem eſſe, ac *vocare*: *Ciere* autem idem eſſe, ac *commouere*. Verùm hæc diſtinctio non ſeruatur in praxi, nam certè Virg. *Ciere* dixit pro vocare Aen. 6. alibi cit. cum ait:

Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu.

& Columel. lib. 7. c. 5. *Cire* poſuit pro *mouere*, dum ait: *illa ciet aluum res*, ideſt commouet. Hic igitur *ciet* pro vocat vſurpatur. *Implorare* eſt *plorando opem ab aliquo expoſcere*. Sic implorare dicimus Deum, cum, tribulationum ſub pondere gementes, diuinum expoſcimus auxilium: at non in hoc ſenſu vſurpatum fuiſſe huiuſmodi verbum ab Auctore hic, patet ex ſubiecta, de qua agitur, materia. Quis enim boum imploret auxilium? Ni velles dicere, bubulcos adeò bobus ſuis addictos eſſe, vt non minus eos colant, quam Iſidem ſuum Aegyptij, ſub ſpecie bouis adorarent; atque hinc eſſe, vt bubulcum effingat Auctor boues ſuos implorantem abſentes, tamquam præſentes &c. Sed, quia hoc iniurioſum nimis paſtorum cætui eſſet, aduerto, verbum

im-

implere interdum pro eodem ſumi, ac *plorans vero*, ſeu *miſerabili clamans voce expoſce*. Sic Virg. Aen. 13. ait:

Vix ea fatus erat; medios volat ecce per hoſtes
Vectus equo ſpumante Sages aduerſa ſagitta
Saucius ora, ruitq; implorans nomine Turnum.

miſerabili ſcilicet eiulatu Turnum compellans, vt quæ dicturus fuerat, audiret. Et in hoc eodem ſenſu ſumptum hic ab Auctore non dubito; nam ſic vere mores imitatur bubulci, qui voce ſæpiùs boues quæritat, ſi forte per ſaltus paſcentes longiùs abierint, quam paſcui fines protendantur.

IVVENCOS NON RESPONSVROS. Boues interdum ad notam vocem remugientes reſpondere quodammodo videntur, vt diximus ex hiſtoria bouum à Caco ſubreptorum, de quibus in Præfatione ad lib. 2. carm 43. Ideò hic *non reſponſuros* notat, vel quia voratos, vel quia longe adeò abactos, vt vocem excipere nequeant, ad quam remugiant. Alludit autem Vates ad illud, quod in diuerſo genere ait de Troianis, amiſſos naufragio ſocios quæritantibus, Virg. Æn. pri.

Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt,
Spemq; metumq; inter, ſeu viuere credant,
Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos,

Fruſtratum itaque dolorem, fruſtratas voces paſtoris oſtendit quæritantis, ac, in ipſo ſimili notat & Cererem oleum, & operam perdidiſſe. De Iuuencis vide dicta lib. pri. carm. 198. Tantùm noto, hoc nomine effici, vt Paſtoris nomen ad bubulcum contrahatur, vt nos ſupra dicebamus; nam qui bouum curam agit, proprie bubulcus dicitur.

ATQ; IBI &c. Peracta ſimilitudine, ſeù comparatione à pari, ad propoſitum reuertitur auctor: & quia dixerat: *Deſertoſq; toros &c. perlegit*; iam quid, inquirendo, inuenerit, per coniunctionem *atq;* connexiuam ſubnectit. *Ibi* aduerbium hic loci eſſe, non arbitror, ſed aduerbium temporis, idem ſonans, ac *tunc*: nam & in hoc ſenſu reperitur aduerb. *ibi* apud Teren. in Eunuch. vbi ait: *Ibi illa cum illo ſermonem occepit &c.* Quod fortaſſis non recordatus Heinſius, & mentem Auctoris tamen introſpiciens noſtri lectionem corrigit inquiens: *Forſan reſtitui vbi*. Quod autem illud non ſit aduerb. loci, ſuadeor ex eo, quod locum ſubindè deſignat Vates expreſsè; quarè aduerbium loci ſuperfluum omninò fuiſſet. Senſus itaque eſt: *ibi*, hoc eſt dum ſedulò inquireret, tunc tandem

ASPICIT ELECTRAM. Aſpicio ex *ad*, & antiquato iam verbo *ſpecio* compoſitum idem eſt, ac *in rem aliquam oculos conuerto*. Electræ vero meminit quidem & Virg. Aen. 8. dum ſic ibi loquitur Aeneas:

Dardanus, Iliacæ primus pater vrbis, & Auctor,
Electrâ, vt Graij perhibent Atlantide cretus.

Verùm non eandem eſſe Electram, de qua Vates hic, conſtat ex eo, quod illam Virg. Atlantis filiam memoret.

. . . . . Electram maximus Atlas
Edidit æthereos humeris qui ſuſtinet orbes &c.

hanc verò Claud. Oceani filiam autumet, vt infra:

Oceani priſcas inter notiſſima Nymphas.

Alij itaque Heſiodo facem præferente dicunt, aliam fuiſſe Electram Oceani & Tethyos filiam, Atlantiſq; vxorem, ex qua deindè genita fuerit ſecunda illa Electra, de qua Virg., & quæ ex Ioue Dardanum conceperit. Verùm adhùc ſyrtiiis adhæret rates; nam ab omnibus profectò Electra inter Atlantis filias enumeratur; ſed inter eas Atlantis filias, quæ Pleiades mutatæ in ſtellas vocantur: Hoc enim teſtatur præcipuè Aratus, in aſtronomicis, Pleiadum nomina recenſens, cuius græca carmina latinitate donata, apud Mythol. Nat. Com. lib. 4. c. 7. hæc ſunt:

Taygete ſuauis, nigris, Electraq; ocellis,
Alcyone, Aſterope, pariter domina Celeno,
Et Maia, & Merope genuit quas ſplendidus Atlas.

Pleiades autem non ex Electra vxore, ſed ex Pleione Atlantis profectò vxore natas aſſerit Ouid. Faſt. 5.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Thetyn
Qui terras liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc ſata Pleione cum cœlifero Atlante
Iungitur, vt fama eſt, Pleiadaſq; parit.

Vt igitur certa ab incertis ſecernamus; certe inter Oceani filias, Heſiodo, alijſq. late Auctoribus, enumeratam video Electram, Æthram, Pleionem, Clymenem, & alias: Sed Electram nupſiſſe Atlanti, aliamq; ex eo Electram ſuſcepiſſe nuſquam inuenio; ſi Atlantis nomine celebratum illum Mauritaniæ Regem intelligamus. Apud aliquos igitur, & præcipue apud Seruium, in cit. Virg. locum reperio tres fuiſſe Atlantes, primum Mauritaniæ Regem, qui & Maximus dicitur; quare de eo & Claud. noſter in præf. ad lib. 2. ait:

. . . . Te Maximus Atlas
Horruit, impoſito cum premeretur polo.

Secundum Italiæ Regem alterius Electræ patrem, quæ Dardanum ex Ioue concepit: tertium Arcadiæ Regem, qui Maiam Mercurij matrem procreauerit: ſicuti ex primo Atlante, ſe Pleione orta dicitur prima illa Electra in ſydus conuerſa. Hæc autem nihilominùs omnia vni Atlanti Maximo tribuuntur, vt moris eſt; nam ſic & ab Alcide Alcmenæ filio geſta ea omnia dicuntur, quæ tamen à pluribus eiuſdem nominis peracta ſunt. Niſi igitur dicamus, Electram, Oceani filiam, alicuius, alterius à Maximo, Atlantis vxorem fuiſſe, nempe illius, quem Italiæ Regem diximus, atque alterius, de qua Virg., Electræ patrem, quæ & ideò dicatur Maximi Atlantis filia, ſicuti prima Electra eodem pacto, ac ratione, qua ſupra eiuſdem dicitur vxor; non video quomodò vera eſſe poſſit ſententia aſſerens, Electram, Oceani filiam, Atlantis fuiſſe vxorem, atque alterius matrem Electræ. Quare id omninò dicendum arbitror, cum Serra in ſuo Synonimorum apparatu, vbi expreſsè ait, Electram, Oceani, & Tethyos filiam, concubinam Iouis fuiſſe; Atlantiq; nupſiſſe; atque ex eo alteram genuiſſe Electram, quæ Dardani mater fuerit. Ex quo habemus Electram illam Atlantis Italiæ Regis vxorem fuiſſe, cum ex illius Atlantis filia Dardanum ſuſceperit Iupiter; Sicq; & perſonam habemus, & cuiuſnam notæ fuerit conſtat. Certe iure Nutrix aſſignatur Proſerpinæ; nam cum hæc vis fatorum dicatur eſſe, *Electram*, quæ *aqua vis* interpretatur, debuit habuiſſe nutricem.

IACENTEM SECRETA PARTE TECTORVM. *Iacere* idem eſt, ac *decumbere*, ſeu *proſtratum eſſe*: huiuſmodi autem corporis deiectionem, ſummis in luctibus adhiberi ſolitam quis neſciat? Certè & de regijs Darij Virginibus, in Alexandri poteſtatem adductis, ac captiuis, ait Curtius lib. 3. *At in gremio anuicantia iacebant adultæ Virgines duæ, non ſuo tantum, ſed illius etiam mœrore confectæ.* Immò, apud eundem Curtium, lib. 5., Darius ipſe, cùm, ſe coniuratorum manus effugere, non poſſe, comperiſſet, in humum pronum corpus abiecit, dolori certè, hoc pacto, indulgens, ac deſolationem animi teſtatus ſui. Vidit itaque *Electram* Ceres *iacentem*, hoc eſt vi doloris proſtratam, ac ſummo doloris impetu pene confectam; & iacentem *Secreta parte tectorum*. Solitudinem enim quærere, omniumq; effugere congreſſum, ſummè dolentis eſt. Vides igitur quomodo ab adiunctis, ſeu ſignis Electræ dolorem amplificet artificioſe priùs, quam explicet. Vidit iacentem; & iacentem in ſecreta parte. *Pars* hic pro angulo quodam ponitur remoto, atq; à frequentatis, ſeu frequentari ſolitis ſeiuncto; nam *ſecreta* dicitur à *ſecerno*, quod eſt ſeparo, ac ſegrego, ideo *ſecreta*, ideſt *ſegregata*; &, quia, quod ſegregatum eſt, in occulto eſt, latitantem oſtendit Electram, vt proprium dolentis ſimul, ac timentis eſt: Qui enim auderet in publicum prodire, quæ nutrix, & comes filiam cuſtodire neſcierit? Lucem ergò timeat; timeat Cererem &c. ideò in ſecreta parte tectorum &c. Tectum ſumma pars domus eſt, qua cætera teguntur. Hic pars pro toto ponitur, vt vides.

QVÆ NOTISSIMA &c. Relatiuum Electram reuocat in mentem, eaq. *notiſſima* dicitur, hoc eſt maximè conſpicua, atque omnium vocibus celebrata. Sed *Notus* interdum etiam accipitur pro eodem, ac *dilectus*: atque in hoc ſenſu aſſumptum hic nomen arbitror; nam certe, Electram illam oceano dilectam Patri fuiſſe facile vel ex hoc deducitur, quod Electram, quaſi *ter electam*, aut quaſi *maris gemmam* vocauerit; nam Electræ nomen ab Electro deriuatur, quod inter gemmas recenſetur. Vlteriùs dilecta certè Ioui adfuit, vt conſtat, ex dictis, dilecta Cereri, & Proſerpinæ, vt ex dicendis, ergò ter electa, ter dilecta: Ideò notiſſima; nam, more græco, vim ſuperlatiui habet *ter nota*.

INTER NYMPHAS PRISCAS OCEANI. Priſcus idem eſt, ac *Antiquus*, ſeù *Maior natu*: ac profectò Oceani filiæ, cum aquarum præſides eſſe dicantur; & aquæ primum rerum omnium fuerint elementum, certè, & aquarum præſides antiquiſſimæ fuerint, neceſſe eſt, ac reliquis maiores natu. De Nymphis autem vide dicta in præf. ad lib. 2. carm. 3. Porrò Oceanus, qui fluuiorum, & animantium omnium, immò & Deorum Pater vocatus eſt ab antiquis, Cæli, & Veſtæ (quæ etiam terra dicitur) filius, vt aiunt, fuit, vt latè teſtatur Heſiodus in Theog., vbi, terræ filios commemorans, Oceanum ipſum notat fœcundiſſimum, dum illi millenas triplicatò filias attribuit, vt ex eius carminibus, ex Græco tranſlatis, apud Mythol. Nat. Com., perlego, lib. 8. c. 1. ſic exaratis.

Sunt

Sunt enim ter mille Puellæ Oceaninæ,
Quæ terras habitant, ſtagnorumq; alta profunda,
In varijs diſperſa locis genus pigneraq; Deum.

NVTRIX (ſupple *data eſt*) SEDVLA NATÆ. Nutrices, iure venuſtatis, plurimum beneuolentiæ poſtulabant, inquit Cic. de Amic. Ideò notiſſima, ideſt ſummè chara dicta eſt ſuperiùs hæc Nympha, & *Nutrix* dicitur à nutriendo, nam lac præbent infantibus Nutrices, eorumq; curam gerunt. *Sedula* autem dicitur, hoc eſt *diligens, officioſa, intenta*; quo Epiteto omnia optimæ nutricis munia vides adamuſſim expreſſa; nempe diligentiam in fouendo; officioſitatem in miniſtrando, atque aſſiduam vigilantiam, quæ in bonum alumni attentiſſimè feratur ſemper, ne quid minus ſit illi, quàm par fuerit: quæ omnia in Electra extitiſſe, licet fruſtra tandem, inſinuat Vates. Nomine *Natæ* Proſerpinam notat, quæ verè *Nata* dicitur reſpectu Cereris, non reſpectu Nutricis, ſi rigoroſam vim nominis perpendamus. Verùm, cum relatiuè ſe habeant Mater, & Nata; Nutrix, & Alumna; ſicuti ſe habet Mater ad filiam; ita Nutrix ad alumnam: ergò, ex permutata proportione, ita ſe habet alumna ad filiam, ſicuti Nutrix ad Matrem. Cum itaque habeamus, Nutricem abſolutè appellari interdum ſolitam, nomine Matris, vt factum à Plauto nouimus, cum de infantibus, adeò facie ſimilibus, vt errorem inducerent, locutus, inquit: *Adeò forma ſimili pueri, vt mater ſua non internoſcere poſſet, quæ mammam dabat; neq; adeò mater ipſa, quæ illos pepererat*, ſequitur vt etiam Alumna appellari poſſit nomine *natæ*. *Figlia di latte* vocant Itali. Quarè etiam reſpectu Nutricis Electræ *Nata* compellari potuit Proſerpina. Et in hoc ſenſu locutum fuiſſe Auctorem, non ambigo; nam, cum inferiùs dicat, Electram non minùs, quam Cererem, Proſerpinæ amantem fuiſſe, certè illam Electra, vt a ſe genitam diligebat: ideò iure *Natam* appellat, ſpectato affectu, non effectu.

PIETAS PAR CERERI. Pietas apud Romanos Dea fuit, quæ ædem habuit Romæ, eo in loco, vbi poſtea extructum Marcelli theatrum. Sed de hac non loquitur Vates, qui tantùm nititur explicare, pietatis nomine, quam vehemens Electræ fuerit in Proſerpinam amor; nam *Pietas*, licet, ſtrictè loquendo, ſit debitus erga Deum, Patriam, Parentes &c. cultus, ita vt ad religionem ſpectet, latiùs tamen ſumpta amorem complectitur, quo filios parentes, propinqui propinquos &c. proſequuntur. Sic Anchiſes, apud Virg. Aen. 6., amorem amplificans Aeneæ, qui, vt Patrem inuiſeret, ad Inferos vſque pertexerat, eum nomine pietatis deſignauit inquiens;

Veniſti tandem: tuaq; expectata parenti
Vicit iter durum pietas. Datur ora tueri &c.

Hic, ſi dicamus ſubintelligi *Electra erat* par pietas &c. ſenſus de plano procedit, nullàq; difficultate obuallatur: ſed nec acumen habet ingenij, nec pondus conſilij, quale ſemper in auctore noſtro veneramur. *Pietas* itaque, per appoſitionem dicitur de perſona, quam periphraſtice deſcripſerat, nempè de Electra, quæ Nutrix dicitur, non *pia* ſolum, ſed *Pietas ipſa* in Proſerpinam: emphaticum, mehercule, dictum, quo oſtendit Vates, tanto in Proſerpinam amore Electram flagraſſe, vt tota erga illam amor eſſe videretur. Ideò *Pietas par Cereri*: nec enim poterat magis filiam Ceres diligere, quam ſi, non amans tantùm, ſed ipſe in eam formalis amor fuiſſet; quod cum & Electra habuiſſe dicatur, patet, cur par Cereri aſſeratur: vbi nota comparationem inter Matrem, quæ pepererat, & Matrem, quæ mammam dederat, à pari procedere.

HAEC pronomen demonſtratiuũ Nutricis, de qua ſupra.

SVEVERAT &c. Ab effectibus exponit, & amplificat, quam ſedula Proſerpinæ Nutrix fuerit Electra, quæ *ſueuerat &c.* *Sueſco* idem eſt, ac compoſitum aſſueſco; ideſt conſuetudinem habeo aliquid peragendi. Adeſt autem in verbo ſyneresis, quæ initio geminam ſyllabam contrahit in vnam, vocali in conſonantem commutata.

FERRE SINV DVLCI PARVAM. Nutricis munus eſt alumnos in vlnis geſtare; ſed & amantis eſt ſinu amplecti, ac preſſare quod amat. Vtrumque igitur copulaturus Vates, in Electra, *Sueuerat*, inquit, *ferre ſinu*, aſt, non quomodocumque (nam etiam Alcides ſinu tulit Antheum perempturus) ſed *ſinu dulci*: dulcia enim dicuntur omnia, quæ ad delicias conferunt: Nutricis verò ſinus multiplici ratione dulcis dicitur; primò quia fons lactis infanti adſuit: ſecundò quia, dulci, hoc eſt ſuaui, amore repletus, propria commoda alumnæ commodis nouerit poſthabere: tertiò quia lectus quietus infanti ſæpe efficitur; quies autem dulcis: quartò quia fatigatis ex ambulatione puerulis lecticam vtique præbeat, ad reſtaurandas vires Nutricis ſinus &c. *Paruam* autem, dixit, pro *paruulam*, ſeu, quod idem eſt, *Puerulam*, nam paruum dicitur quidquid puſillum eſt, & exiguum, vt certè infantes ſunt, exiguis, gracilibuſq; membris compacti. Hic paruulam notat Proſerpinam, vt patet.

POST CVNABVLA. Ordinem certè importat, & ſucceſſionem alicuius rei, reſpectu alterius, præpoſitio *Poſt*: Sed, quem ordinem importet hic, non facilè diſcernitur: Reuocari enim poteſt in dubium, num dicat ordinem loci, an verò ordinem temporis; ſiquidem *Cunabula* lectuli ſunt, in quibus iacere infantes ſolent; atque ideò ſenſus eſſe poteſt, quod Proſerpinæ Nutrix, poſtquam illam è cunis, in quibus quietem ſumpſiſſet, alleuandam ſuſcepiſſet, eam, ſinu preſſam dulces inter blanditias deferret, atque ad Patris gremium expergefactam iam, poſt peractum ſomnum toties quoties deduceret. Ex altera verò parte certum eſt, *Cunabula* translatè vſurpari pro prima hominis adhuc inter faſcias vagientis ætate, ita vt idem ſit dicere *ab incunabulis*, ac *ab ineunte ætate*; quo poſito, illa præpoſitio *poſt* importare poteſt ordinem ætatis, ac temporis, vt ſenſus ſit, Proſerpinam, ſtatim ac primo, puerilibus exſoluta repagulis, cæpit, poſt primam ætatem, robuſtior fieri, ac ad blanditias quoquo modo inferendas adaptari, tunc à Nutrice ſinu acceptam, delatamq; frequenter ad Patrem, vt inter ipſius genua, pueriliter quidem adhùc, ſed blandè tamen, & adblandiens luderet. Vtrumque ſenſum, arbitror, in mente Vatis obiectiuè fuiſſe, ita vt vtrumque more ſuo vnica illa præpoſitione exponibili complecteretur; nam vtrumque munus ad ſedulam ſpectat Nutricem, qualem ipſe dicit Electram, vt planè norunt, qui hæc ipſa proprijs quotidie in ædibus experiuntur. De cunabulis vide plura, ſi cupias, lib. 2. carm. 46.

ET DEDVCERE IOVI SVMMO. Aduerb. ordinantis, hoc loco, eſt particula *&*, idem, ac *ſubinde*. *Deducere* autem, hic, non eſt ex ſuperiori loco in inferiorem ducere, quaſi *deorſum ducere*; nam nil Ioue ſublimius: ſed eſt ſimpliciter *de loco ad locum ducere*; & propriè de eo dicitur, qui alium officij gratia, vel honoris comitatur, vt proprium Nutricis eſt, infantem, nondum ſatis pedibus fidentem, manu ducere, ac ſuſtinere. Quare ſic Electra Proſerpinam ad ſedem Iouis deducebat, eamque Ioui ſummo ſiſtebat. Vbi nota contrapoſitum *Ioui ſummo deducere paruam*: nam qui Iupiter, & cur Summus alibi dix.

ET APTARE GENIBVS PATERNIS LVDENTEM. Particula *&* eodem pacto, ac mox ſupra vſurpatur. *Aptare* eſt conuenienter, ac concinnè rem aliquam alteri iungere, & accommodare. Sic itaque natam Nutrix, vt moris eſt, aptabat *ludentem*; nam proprium illius ætatis eſt innocentibus ſemper ludis detineri. Sed nota, quam bene ſignet hic Vates dignam Proſerpinâ indolem, quæ maieſtate Iouis non territa, non ſtupore coruſcantis attonita, aptata luderet *genibus paternis*. De genu plura dix. lib. 1. carm. 50. Hic tantum noto, quàm præclarus naturæ imitator ſit Claud.; nam certè Parentes, teneros ſuos fœtus ſæpè ſæpius inter genua ludentes detinere, naturaliter gaudent, & delectantur; vel genibus aptare aſſidentes, ludenteſque lubentiùs aſſolent amplexari.

HÆC COMES; HÆC CVSTOS &c. Nota patheticam repetitionem pronominis demonſtratiui, Electram ipſam ſignantis, vt, eam pluribus iteratò ſignans affectibus inſignem, efficiat, vt altiùs ſubindè animis inſideat eiuſdem calamitas, talem, ſibi ereptam, lugentis filiam. *Comes* propriè dicitur, qui, vel quæ, ſequendo aliquem, ſeu aliquam, ſe maiorem, comitatur. Iure igitur Comes Proſerpinæ, quæ Nutrix fuerat; vt innoteſcat, eam iam munere functam Nutricis, non deſeruiſſe Proſerpinam iam adultam, ſed, amore detentam, pediſſequam illius fuiſſe, ac, ne lato quidem vngue, ab Alumna ſolitam fuiſſe diſcedere; ita tamen vt ſe inferiorem agnoſceret; quippe Oceani filia, cum Iouis certè Nata æquiparari non potuerit. *Cuſtos* autem dicitur, qui rem aliquam tuetur, & curat: quarè *cuſtos* meritò Proſerpinæ dicitur Nutrix, cui Alumnæ cura fuerat demandata, & quæ curam ipſam impensè exequebatur, vt dictum eſt.

HAEC PROXIMA MATER HABERI SVEVERAT. *Proxima mater*; hoc eſt *loco matris*, ſeù *altera, poſt veram matrem, mater*; cui nulla præter matrem fœmina præhabenda eſſet. *Haberi*; ideſt exiſtimari à Proſerpina, coli à filia, amari ab alumna. Quod innuitur, vt magis ſubindè emineat dolor, quo maior viſa fuerit fœlicitas amare, & amari viciſſim; & gratos in beneficia profundentem animos caperit,

TV

TVM LACERAS EFFVSA COMAS &c. Formam, ſeù habitum Nutricis, ſummo mærore confectæ, breuiſſima hyppotipoſi, ſub oculis ponit, vt nil tandem non concurrat, ad faciendam Cererem de iactura certiorem. *Tum* pro *tunc* aduerb. temporis ponitur, vt etiam alibi. De *comas effuſis* vide dicta lib. 2. carm. 148.; ſolutos enim, incompoſitos, ac proſciſſos habens crines indicatur Nutrix, vt, ſummo in luctu, moris fuit, apud antiquos.

ET SORDIDA CANOS PVLVERE. Helleniſmum, ſeù metaplaſmum, per Enalagen hic agnoſcas, ſicuti & in immediatè ſuprapoſita dictione *effuſa comas*, pro *effuſis comis*; ſic enim & *ſordida canos* pro *ſordidis canis*; qui loquendi modus frequentiſſimus vtiq; eſt apud Poetas.

Os, humeroſq;, Deo ſimilis &c.

inquit Virg. Porrò *ſordida* à ſordeo dicitur; ſordêre autem idem eſt, ac immunditias inter, & inquinamenta obſoleſcere: quarè *ſordidus* erit *inquinatus*, *conſpurcatus*, *obſoletus*; ita vt vel ſthomacum, vel horrorem cernenti incutiat. *Cani* verò *crines* ſunt iniuriâ prouectæ ætatis albicantes. Quare &, Nutricem iam ſenem fuiſſe, indicat, & maximi luctus argumentum tacitè ex ipſa ſenectute, in ſeipſam deſæuiente, ac ſibi ipſi iniurioſa, efficaciter deducit. Non diſſimili autem arte vſus videtur Taſſus noſter, in morte Clorindæ, cum eius Nutricium Arſetem ſic dolentem deſcribit, Hieroſ. liber. cantu 12.

Mà tutti gl'occhi Arſete in ſe riuolse
Miſerabil di gemito, e d'aſpetto.
Ei, come gl'altri, in lagrime non ſolue
Il duol; che troppo è d'indurato affetto;
Mà i bianchi crini ſuoi d'immonda polue
Si ſparge, e brutta, e fiede il volto, e'l petto &c.

In hoc tantum, vt vides, diſcrepat quod ipſe Arſeti lacrymas negat Cererem imitatus. Claud. vero Electram induxit lugentem; & quidem iure; nam cum Matri, ob dolorem obduratæ, lacrymas denegaſſet, ſi quid minus Nutrici concedendum fuit, lugens fuerat inducenda: certe enim non æquis doloribus, congruum fuit, Matrem, ac Nutricem agitari. Quid ſit puluis, & quomodo in antiquorum more poſitum fuerit, vt, in chariſſimorum funeribus, puluere crinis inſecto deturparetur, iam vidimus hoc eodem lib. carm. 77.

LVGEBAT RAPTVS ALVMNÆ SYDEREÆ. *Lugere* idem eſt, ac *deflere*, & *deplorare*; quod & lacrymis, & habitu etiam, ac corporis compoſitione peragitur. Quarè *Lugeo* acceptum reperies interdum pro *dolorem funebri eſtendere veſte ob mortem aliorum*, vt alibi diximus. Vtrumque coniungit Auctor; nam & habitu, & lacrymis deplorabat Electra *Raptus*, hoc eſt latrocinium, ſeù actionem ipſam per vim rapiendi, qua Pluto alumnam abuexerat, ex quo habes, genitiuum illum *Alumnæ ſyderea* non eſſe actionis, ſed paſſionis; nam paſſa raptum fuerat Proſerpina, quæ quia Dea eſſet, inter Cæleſtes computanda, ſyderea dicitur; & iure, alumnæ nomine, reſpectu Nutricis deſignatur; cum verè alumna dicatur, quæ ab alia vel victu, vel moribus, vel doctrina animæ ſcilicet, & corporis alitur cibus, vt ſatis cuiq; notum eſt.

Hæc ipſa mediusfidius (vt ad moralia diuertamus) Rationi ad cor, vt ſupra, reuertenti prorsùs eueniunt: nam domum inuenit incuſtoditam, dum, neglecta ſenſuum cuſtodia, mors, per feneſtras non ſolum, ſed portis ingreſſa eſt bipatentibus; atq. Infernus raptor pretioſa quæq; diripuit. Ingemiſcit: ſed tardè ad pœnitentiam properat inducendam, cum iam apud ſurdas aures canendum ſit: domum tamen cordis deuaſtatam ingreditur; ſed nihil inuenit, niſi infantium nugas, hinc inde ſparſas: &, ſi aliquid boni operis inceptum fuerat, illud ipſum ſocordiâ reperit intereeptum, inferis araneis, temerario textu; telam ſupplentibus &c. Tandem ſedentem inuenit Nutricium, Angelum ſcilicet Cuſtodem, quem, boni genij nomine, deſignarunt antiqui, raptus lugentem Alumnæ ſuæ Cæleſtis, hoc eſt Animæ, à Deo ad Cælum creatæ, quæ, cum & Rationis monita, & Nutricij conſilia ſpreuerit, ſe ipſam in Tartarei Tyranni poteſtatem coniecit. Sed, ne, inter funebres Mortis apparatus, mortui videamur & ipſi, Italicam, quæſo, Muſam excitemus.

Mà non sì toſto à gl'occhi ſuoi s'offerſe
D'erma ſua Caſa il taciturno aſpetto;
Ch'al ſuo dolor nuouo teatro aperſe;
Diè corpo all'ombre; auualorò'l ſoſpetto.
Vidde (ahi viſta crudel, che tutto immerſe
Ne gl'agoniſmi addolorato il petto!)
Vidde ſciolte le guardie; e le gran porte
Sgangherate additar l'empia ſua ſorte.
All'hor non più di ſue ſuenture attende
Segni più certi, ò più verace auuiſo;
Ne del ſuo mal, che già pur troppo intende,
S'induggia il ceſſo à rimirar preciſo:
Mà, ſquarciate le veſti, al crin ſi ſtende
La man furioſa; e ne riman conquiſo:
Suelto, e lacero ei cade; e ſeco miſte
Tragge infrante nel ſuol le ſuelte ariſte.
Non ſtilla il pianto, allo ſtemprar del duolo
Le dure tempre, ad alleſtirne i sfoghi;
Che di lagrime il fonte arido ſuolo
Rendon gl'acceſi in ſen funerei roghi:
Riſoſpinte sù'l cuor le ſtille à ſtuolo,
Formangli vn mare, in cui conuien s'affoghi;
Che, quanto men ſgorga per gl'occhi il cuore,
Tanto più'l ſtringe il micidial dolore.
Dolor, che, chiuſi anche al lamento i varchi,
Trà gl'intercluſi ohimè, la vita affonda:
Mancan gli ſpirti à gl'affannoſi incarchi;
E ne pur de reſpiri il labro abbonda;
Ch'anzi, del ſuo rubin ſorta trà gl'archi,
Morte trionfa, e'l ſuo teſor ne sfronda;
E (s'vccider non può) dal gelo algente
Si ſcuote ogn'oſſo, e ſmidollar ſi ſente.
Scorre il tremor per ogni neruo, e tocca
Gl'intrecci appoſti al catenar dell'oſſa;
Sì ch'a pena ſi regge, e non trabocca,
Sciolta, il ginocchio, ogni vital ſua poſſa: — *Genibus vitalitatem ineſſe crediderunt antiqui: in quo & in vtriuſque genu commiſſura à priori parte gemina quædam buccarum inanitas eſt, qua perfoſſa, ceu iugulo effugit vita.*
Vacilla il paſſo, e ſpeſſo il piè ritocca,
In vece d'auuanzar, l'orma già moſſa;
Pur ſi sforza; s'inoltra; ed entra al fine
Le porte aperte ad accertar rouine.
Vedoui alberghi; abbandonate loggie
Offronſi, ouunque il piè tremante aggira;
E, mentr'anſioſa, ou'il ſuo ben s'alloggie,
Rintracciando, s'auuolge, ecco rimira
Tele interrotte, e,'n ſcompigliate foggie,
Stami confuſi; e'l meſto cuor martira;
Che di colei, che di ſe ſteſſa è parte,
Opra le ſcuopre il tratteggiar dell'arte.
Mà guaſte quaſi, e poco men, ch'infrante,
Moſtran, che più di lor cura non haue
L'induſtre man, già de lor fregi amante.
Quel diuin lauorio negletto, e graue
D'immonda polue, à ſordidar baſtante,
Perſo il pregio, s'annienta; e, dalla traue
Spiccata, Aracne à i non teſſuti campi
Hauea frapoſti i ſuoi di moſche inciampi.
Mira d'Idmonia i temerarij inſulti
Cerere, e guata à gl'intermeſſi arredi: — *Idmonia Arachnes Idmonis filia.*
Ne pur di pianti, ò ſtrida, ò di ſinguIti
Può tributar del lutto ſuo le ſedi;
Tali al duol, ſtretto il cuor, tributa i culti.
Bacciar ſol l'opra, e ribacciar la vedi,
Co'l cuor sù'l labro; e,'n frà le fila ordite,
Romperſi in muto ſuon querele ardite.
Della man, ch'in trattarle era frequente,
Le lograte Nauette, al fianco, impreſſe;
E gli ſtami gittati, e ciò, ch'attente
Della figlia ſeguir le brame eſpreſſe,

R.

È, ch' hor, ſparſo pe'l ſuol, ſembra languente
A i vezzi ſoſpirar, che già gl' impreſſe
Proſerpina gentile, ella non meno,
Ch'il pegno del ſuo ſen, ſi ſtringe al ſeno.
Quindi ſi tragge, ou'in ſacrario eretto
Del virgineo candor, qual nuouo Cielo,
Già parue inſuperbir lieto ricetto:
Tutto ricorre il ſolitario hoſtelo
Auido l'occhio, e i vuoti ſeggi, e'l letto;
Ne pur creder il sà vedouo ſtelo,
Sin che, tentate anche con man le piume
Sicuro atteſtin d'error dell'occhio il lume.
Trà le ſue cure, ogni penſier deluſo
Di ritrouar delle ſue inchieſte il fine,
Sembra il Paſtor, ch' attonito, e confuſo,
Gira, di vuote ſtalle entr' al confine,
Stupido l'occhio, e d' inſenſato ad vſo,
Mira, in vuoto, il ripien d'altrui rapine;
Se sbrannâro i Leon l'armento; ò'l mena
Predatrice maſnada in ſpiaggia aliena.
Ed alla ſtrage, all'aſportate prede,
Ei, che fù lungi, ahi troppo tardi arriua;
Ch'eſſer ſenza rimedio il mal s'auuede;
E pur ſe ſteſſo il luſingar non ſchiua:
Scorre il pian; ſcorre il poggio; e parte, e riede,
Pur ſempre in darno, in ſolitaria riua.
Chiama ben egli al noto ſuon gl'armenti;
Mà ſol l'antro rimugge à i ſparſi accenti.
Tal frà i ſolinghi, e taciturni horrori
Del ſuo albergo infedel la Dea s'aggira,
Ne ritroua, che ſempre à creppacuori
Eſca maggiore, ond' il lei cuor ſoſpira,
Morto ſolo al ſuo ben, viuo à i dolori.
D' vn vil angolo aſcoſo al fin rimira,
Diletta, vn tempo, al Regnator dell'Etra
Languir nel ſuol la ſconſolata Elettra.
Queſta di Theti, e d'Ocean fecondo
Nata ſi gloria; e di lor Ninfe antiche
Fregio maggior la riconobbe il Mondo:
Queſta da tante, al Gnidio Gioue amiche,
Di quel germe nodrir ſi ſcielſe al pondo,
Ch' hebb' ei dal fior di chi biõdeggia à ſpiche:
E, nodrice fedel, mentr' il gareggia,
Della Madre, in amar, l'ardor pareggia.
Queſta, dall'auree culle, oue bambina
Perſefone vagì, ſempre indiuiſa,
Parue l'infante idolatrar diuina,
Speſſo, tolta alle faſcie, in dolce guiſa,
Al ſen la ſtrinſe; e, doue l'or s'inchina
De gl' aſtri alla gran Reggia in loro aſſiſa,
L'adduſſe al Padre, e l'addattò ſcherzante,
Nel di lui grembo, à vezzeggiarlo amante.
Compagna poi, cuſtoditrice, e Madre
D'amor, diſè, nel lieto fior de gl' anni,
Gli fù coſtante; ond' hor, che diè lla il Padre
Preda al Tiran, ch', in ſempiterni affanni,
De rubelli del Ciel ſtringe le ſquadre,
Di polue aſperſa, e'l crin ſquarciato, e i panni,
Alla rapita ſua celeſte allieua
Tributario di pianti vn mar ſpargeua.

At, dum ipſa luctui indulget, nos quoque, intermiſſo cantu, ad Auctoris iam ſeriem reuertamur.

HANC AGGRESSA CERES &c. Repertâ denique, in quam doloris gurgitem euomeret, iacente in angulo, vt vidimus, nutrice, æquum erat, vt tandem erumperet toto impetu dolor; atq; hinc eſt, vt Vates, naturam ſecutus pulcherrimam hic proſopopeiam ethopeiæ admixtam contexuerit, qua opportunæ Ceres ingentem cladis exagerationem exprimat, & eructet nutricem, aliaſq; domeſticas apertæ inculans negligentiæ vehementer adeò, vt vix ab inijciendis manibus temperaſſe videatur; ac tandem agitatum Electræ animum deſcribit affabre Auctor.

Hanc aggreſſa Ceres, poſtquam ſuſpiria tandem
Laxauit, frænoſq; dolor; quod cernimus, inquit,
Excidium? Cui præda feror? Regnat ne maritus?
An Cælum Tytanes habent? Quæ talia viuo
Auſa Tonante manus? Rupit ne Typhœa ceruix
Inarimen? Tractâ ne iugi compage Veſeui,
Alcyoneus per ſtagna pedes Tyrrhena cucurrit?
An vicina mihi, quaſſatis faucibus Ætna
Protulit Enceladum? Noſtros an forte penates
Appetijt centum Briareia turba lacertis?
Heù, vbi nunc, vbi Nata mihi? Vbi mille miniſtræ?
Quo Cyane? Volucres quæ vis Sirenas abegit?
Hæccine veſtra fides? Sic fas aliena tueri
Pignora? Contremuit Nutrix, mæſorq; timori
Ceſſit; & aſpectus miſeræ non ferre Parentis
Emptum morte velit, longumq; immota moratur
Auctorem dubium, certumq; expromere funus.

HANC AGGRESSA CERES &c. Electram ſignat pronomen demonſtratiuum, vt patet. De Cerere plura ſparſim diximus: ſed cur Cereris potiùs appellatione, quam Matris eam hic Vates compellet, ſpectandum eſt. Ceres legum inuentrix dicitur. Leges de Filia tuenda domeſticis præſcripſerat: violatas vt ſenſit, iure Legiſlatrix iraſcitur, atq; in tranſgreſſores inuehitur; ideò *Ceres*, non *Mater*, ſignate dicitur; præter quam quod *Mater* ampliùs dici non poterat, quæ vnico orbata pignore maternam iam amiſerat relationem. Ideò *Ceres aggreſſa*. *Aggredior* valet *ad gradior*: quarè aggredi aliquem eſt ad aliquem accedere: ſicq; *hanc aggreſſa* idem eſt, atq; *ad hanc iam acceſſiſſet*. Sed nota vim verbi: nam aggredior non ſolum ſignificat *ad aliquem gradior*; ſed impetum quemdam importat, quo feramur, quaſi irati Vindices in reum, hoſtes in hoſtem: cum enim *aggredior* idem ſit etiam, ac *adorior*, *inuado*, & *impetum in aliquem facio*, hinc eſt, vt, etiam cum in ſignificatione ſimpliciter gradiendi vſurpatur, videatur importare non ſatis pacati animi impetum, vt dicebamus: & licet non ſemper in hac rigoroſa coniuncti ſignificatione accipiatur, tamen eruditè admodum, ac prudenter, & artificioſè interdum certè in dato aſſumitur ſenſu. Sic Virg. Æn. 4., Iunonem Veneri ſuccenſentem, eo quod Didonem inflammaſſet inſinuaturus ait:

Talibus aggreditur Venerē Saturnia dictis.
Egregiam verò laudem &c.

quæ Ironia vtens mordaci ſubdit Iuno ibi; & ex quibus patet, cum impetu quodam ab iracundia concitato Iunonem acceſſiſſe: qui impetus in verbo *aggreditur* continetur. Sic pariter & Ceres, cum impetu amoris ageretur ad filiam inquirendam, & impetu quateretur timoris, amiſſam extimeſcens; ſtatim ac Nutricem mæſtam, ac ſine alumna proſpexit, geminatis terroribus, ac fidem fortaſſis ſuſpectam habens, vel certe ſocordiam ſuſpicata, exiliente corde, impetu ad eam rapido deferri debuit; ideoque à Vate, naturam imitante, artificiosè *aggreſſa* dicitur, vt & motus, & impetus vnico notetur verbo.

POSTQVAM TANDEM. Dixerat ſuperiùs interclusam nimio dolore vocem, ita vt Ceres ne hiſcere quidem poſſet. Iam verò, cum tandem obductum verbis vulgare dolorem deberet, neceſſe fuit, oſtendere, relaxata priùs vincula fuiſſe doloris. Sed dices quomodo potuerant hæc vincula relaxari increbreſcente magis, ac magis dolore ipſo, cauſa ſcilicet vinculorum? Nonne idem manens idem ſemper facit idem? Non remotâ cauſâ, quomodò remouetur effectus,

Immò, inualeſcente cauſa, quomodo non validior, ſed remiſſior effectus prodeat in ſcenam? Nonne fœdiſſima hæc rerum incongruentia eſt? Ne canas triumphum, quæſo, ante victoriam quiſquis es, qui, phyloſophicis armatus ſententijs, in eruditiſſimum fulminas Vatem, ſed incaſſum, vtpotè ſua ipſa protectum lauru. Nonne mutus erat Atys, & tamen, cum Patrem vidiſſet hoſtilia vulnera excepturum, exclamare potuit: *Caue pater?* Anne hoſtilis gladius Naturæ vincula obmuteſcentis diſrupit? Certè dices prodigium illud Amoris fuiſſe. Hoc ipſum & Vates tibi, ſi iam adeſſet, reſponderet. Deſerta hucuſq; omnia viderat Ceres, nulliq, obuia, ex quo certior de Natæ rebus fieri potuiſſet, iam verò, in Electram incidens, exilijt cor ipſum in pectore, occaſionem nactum de Proſerpina ſciſcitandi, vt noſceret tandem, num viueret, num ſalua eſſet, num Matri, cum ipſâ, commoriendum. Ideò dolore fortior exſurgens Amor linguam exſoluere potuit, ac dolorem cogere, vt vincula relaxaret. Non tamen tanta id fieri potuit celeritate, vt non aliquantiſper hæreret adhùc, Electram intuens; ideò *Poſtquam tandem*. Emphatice enim ponitur aduerb. illud temporis, eiuſque emphatica ſignificatio augetur ex addito *tandem*, de quo vide dicta lib. 2. carm. 119.

DOLOR LAXAVIT SVSPIRIA. *Dolor*, hoc eſt animi ægritudo, qua ob malum præſens angebatur. *Laxare* eſt *laxum facere*, & *quod intentum erat remittere*. Intenſiſſima erant in corde Cereris ſuſpiria, ac ſingultus, ita vt verba abſumerent potiùs, quam abrumperent: ideò, vt loqueretur, neceſſe fuit, vt remitterentur, aperto ad os, per quem exhalarent, aditu. *Suſpirium*, ſeu *ſuſpiratio*, eſt quaſi *ſurſum ſpiratio* ex corde enim grauis ſurſum anhelitus defertur, cum ſuſpiramus & profectò eximij indicium doloris eſt. Verùm, ſi tei hunc ſenſum Vates non neglexerit, aduerte, *ſuſpirium* etiam interdum accipi pro eo, quod, apud Græcos, ***δύσπνοια*** eſt: id eſt *reſpirandi difficultas*, vt apud Plin. lib. 20. c. 9. *Ad tormina, regios morbos, tuſſim veterem, cum ſuſpiria &c.* Atq; in hoc præcipuè ſenſu vſurpata hic opinor *ſuſpiria*; vt laxatam oſtendat Auctor difficultatem illam reſpirandi, de qua ſupra, vbi ait; *Nec ſpiritus oris*, ſeù *oris redditur*; vt ſibi ipſi conſonè cohæreat. Hanc porrò ipſam affectuum, effectuumq; permixtionem recenſet in Gildippe ſua Leo Sempronius, in Boemundo, cantu 3., cum, Odoardo in captiuitatem redacto, ſic de Gildippe ait amante:

Sentendo il ſuon del doloroſo annuſo,
Stupì la bella, &, all' annuncio atroce,
Strinſe le chiome, e gli mancò la voce.
Mà poiche 'l duol le concedette al fine
Render via alle ſtrada, alma à gl'accenti &c.

ET FRÆNOS. Frænum, (quod in plurali numero heteroclitum eſſe poteſt, nam & fræni, & fræna, tamquam proprias admittit voces, eius inflexio) ſignificat inſtrumentum illud, quo ad coercendos vtimur, vt ſæpè diximus, equos. Verùm per tranſlationem ſignificat etiam quidquid aliud quomodocumq; compeſcat, atq; ab aliqua re peragenda cohibeat. Per *frænos* igitur intelligit Vates impedimenta, voci iniecta ab acerbitate doloris, ne erumpere poſſet in queſtus, iuxta id quod dixerat: *nec vox, nec ſpiritus redditur*: quæ impedimenta certè laxanda fuerant, antequam loqueretur; iiſq. laxatis tandem

INQVIT. Verbo vtitur defectiuo, vt, non ſatis adhùc firma, ſed tremula, ac ferè defectiua voce loquentem commiſeretur.

QVOD EXCIDIVM &c. Adeſt iam cladis exageratio, ex ore Cereris per ethopeiam educta. Effertur autem per crebras emphaticè interrogationes, vt ardeat, &, iaculi ad inſtar, vibretur oratio; quam & ideò artificioſe crebris abrumpit inciſis, vt vehementiùs, acutà, ac breui celeritate ſimul, atq; aſperitate, aſſurgens, & commiſerationem exciter, & facti indignitatem exageret, & iracundiæ motus oſtentet igneſcentes; vt, permixta quadam affectuum velitatione, dum aures vellicat, pectus lancinet; & altiùs inſideant obiurgationes, in fidei, domiq; ſuæ deſertores euibratæ. *Quod* interrogantis eſt; ideòq; idem ſonans, ac *quale, & quantum*. *Excidium*, ab exacido deductum, idem, ac ruina, & clades eſt, ſed ſumma, & extrema.

CERNIMVS? Idem, ac *videmus*, *conſpicimus*; plurali autem vtitur numero, vt, ſecum ipſa, artificioſè Electram pariter videntem coniungat; ſic enim, dum Electram doloris, ac cladis participem declarat, beneuolentiam captat, qua delinita Nutrix faciliùs quidquid de clade reſciuerit; nec adeò, vt celet potiùs, quam detegat facinus, terreatur ab intexenda obiurgatione, quam initio videat formam amatorij queſtus induere, dum ſociam malorum indicit.

CVI PRÆDA FEROR? Raptum ex indicijs, vt certum, ſupponit: Raptorem ignorat: ideò *cui &c.* per interrogationem quæritat, vt ſortem agnoſcat ſuam. Sed quomodo, ſi Filia, non autem Ceres ipſa, rapta fuerat, de ſe ipſa iam loquitur *cui præda feror?* Nil mirum, nam amantis

Viè più l'altrui ch' il proprio danno annoia.

inquit Sempron. cit. cantu 4.; & quia Anima amantis magis eſt vbi amat, quam vbi animat; ideò amantiſſima genitrix ſe ipſam, in prole, raptam conſiderat. Vide in ſimili dicta ſuperiùs. *Cui tanta poteſtas in me ſæuitia &c.* *Præda* propriè dicitur de corpore in captiuitatem adducto: ſed vide, quæ dix. lib. pri. carm. vltimo. Porrò fœminæ, quæ rapiuntur, ſemper certè luctantes, ac renitentes aſportantur, ideò *feror*. Et, quia id, ſine conſenſu, ſaltem permiſſiuo, Iouis, fieri non potuiſſe, iam nouerat; ideò *feror*, inquit, hoc eſt *trador*, *exhibeor*; nam, & hunc ſenſum habere verbum *feror*, ſatis conſtat ex prænotatis ad carm. *Supplicijs incluſa feror &c.*

REGNAT NE MARITVS? Poſito vno impoſſibili, multa ſequuntur impoſſibilia; ſicuti poſito abſurdo multa ſequuntur abſurda, vt aſſerunt Phyl. omnes. Cybeles abſurdum fuiſſe aſſeruerat, Cererem malè de filia ominari, &, rationem reddens, ait impoſſibile fuiſſe, quod periret Tonantis Filia, eo quod euigilarent ad defenſionem fulmina.

. . . . Non tantù Tonantis
Segnities, vt non pro pignore fulmina mittat.

Memor itaque Cybeleij Ceres aſſerti, cuius & ipſa pedibus in ſententiam iſſet, cum iam videat de facto raptam filiam, etiam maritum e regno deiectum ſuſpicatur: ideò in dubium reuocat, num regnet: Regnat ne? Particula *ne* interrogantis certè eſt, vt vides. Aſt interrogatio vrgendi gratia adhibetur, & tanta vi euibratur, vt vel reſpondendum ſit, Iouem non regnare; vel Iouem in filiam peccaſſe, dum regnans à raptoribus eam non defenderit. *Regnare* eſt regnum, non precario, ſed legitima, ac plenaria poteſtate, poſſidere; & ſe, imperio irrefragabili, regem actualiter oſtentare: non enim, qui Rex, nomine tenus, dicitur, Rex eſt, ſed qui, vt rex, actu, ac re, dominatur, & ſe regem veraciter agit? In quibus cum defeciſſe videretur Iupiter, ideò *Regnat ne*, inquit, *Maritus?* Mariti nomine Iouem appellat, *hoc præuelans nomine culpam*, inquit in hunc locum Barthius. Verùm Parrhaſ. apertè docet, ex Euhemero, Ioui tres fuiſſe vxores, nempè Iunonem, Cererem, & Themim: quâ poſitâ ſententiâ, ad veritatem potiùs præferendam, quam ad præuelandam culpam, mariti nomine vteretur. Quidquid tamen de Iouis connubio cum Cerere ſit; certum eſt, & Iunonem, & Cererem, & Themim, compreſſas a Ioue dici, antequam in vxores ducerentur: quarè mariti titulus culpam obuelare nequaquam poteſt. Vtitur tamen mariti nomine emphaticè: incredibile enim erat, quod Iupiter, ac *Iuppiter maritus*, pati poſſet tot ærumnis oppreſſam vxorem, tot calamitatibus filiam; atq; adeò mariti nomen maximè facti auget indignitatem. Nos lib. 2. carm. 279. oſtendimus nomen *maritus* idem ſonare, ac *Mas ſciens*; ideòq; quemcumq; marem à fœmina ſcitur *maritum* dici. Cur non itaque & in hoc ſenſu Ceres mariti nomen hic vſurpet, præſcindendo ab hoc, quod legitimè, vel illegitimè *ſciens*, ſeù, vt Theol. loquuntur, *cognitus* ab ea Iupiter fuerit, cum ea eo Proſerpinam conceperit?

AN TITANES HABENT CÆLVM? *An* particula dubitantis eſt, ſub qua alterum ex oppoſitis proponit. Supra deiectum Iouem ſuſpicabatur, hic verò ex oppoſito regnare *Titanes*, de quibus vide lib. pri. carm. 44. Et profectò Titanes tantummodò exiſtimari poterant Iouis deiectores, cum ad ipſos hæreditario iure regnum pertineret, ſubdolè vſurpatum à Ioue, vt alibi vidimus. Ideò iure Ceres de iis præcipuè dubitat, an habeant, hoc eſt, Ioue pulſo, *poſſideant Cælum*, à celando dictum, &c. vt alibi vidimus; regnum ſcilicet ad quod ſemper vtiq; inhiaſſent, & quod ſi ipſi occupaſſent, fatorum ordinem inuertere potuiſſe credebantur, vt & Proſerpina ſemen vtiq; Iouis perderetur.

QVÆ MANVS &c. Quæ interrogantis eſt, vt ſupra. *Manum* autem auctoritatis potentiæ, ac virium ſymbolum fuiſſe, alibi dix. *Manus* itaque, & hic, pro eodem ponitur, ac *robur, poteſtas*, ac *vis violentia*.

AVSA (ſupple *eſt*) TALIA. Hoc eſt qualia iam cernimus facinora, via dictu, nedum factu credibilia. De ſignificatione verbi *audeo*, à quo *auſa*, vide hoc eodem lib. carm. 56. & lib. 2. carm. 217.

VIVO TONANTE? Nota quam bellè rationem reddat

quæ

tur dubitauerit, num Iupiter, an Titanes regnarent, nempè ex eo, quod ea perpetrata videret ſcelera, quæ impoſſibilia exiſtimaſſet, dummodò Iupiter viueret, & regnaret. *Viuo: non extinĉto*, exponit Parrhaſ. Nec expoſitionem reſpuo, ab impoſſibili deductam, ob allatas rationes, ſtante credita ab antiquis Deorum immortalitate. Sed, vt arbitror, ad intentum Poetæ, atq; ad hoc, vt ſibi adamuſſim cohæreat, vt ſui moris eſt, non ſufficit. Memineris itaque, nomen *viuus* pro eodem interdum accipi, ac *validus*: ſic Æn. pri. Virg. *viuum* appellat Amorem, nouiter ſeſe in Didonis pectus inſinuantem, hoc eſt *validum* ad antiquas Sichæi flammas extinguendas.

. . . . *Paulatim abolere Sichæum*
Incipit, & viuo tentat præuertere amore.

Ceres itaque, quæ nunquam tale quid euenturum putaſſet, quandiù Iupiter viribus polleret ſuis, ait: *Quæ talia viuo auſa Tonante manus?* hoc eſt: ſi quid adhùc Iupiter valeat, & Titanes Cælum, eo deiecto, non habeant, quomodo hæc &c. hoc enim pacto, præmiſſis aptiſſimè cohæret Vates. De Tonante vide dicta lib. pri. carm. 38. Hic non Iouem ſimpliciter, ſed *Tonantem* appellat, hoc eſt, ad vlciſcendas iniurias, fulmina in promptu habentem, nam fulmine armatus Iupiter Tonans dicitur. Vide quam emphaticè hoc dictum fuerit.

RVPIT NE &c. Interrogantis particula iterum emphaticè vtitur Ceres, vt de iis interroget, à quibus Ioui timendum poterat arbitrari, ſciatque num ipſi bellum inſtaurauerint, cæloque potiti Iouem deiecerint. *Rupit* autem, inquit, hoc eſt diſiecit excutiens, ſe ſeque ex ſuperimpoſito pondere exſoluens, Ioui iterum rebellis, in ipſum pugnauit, ac filiam abſtulit captiuam.

CERVIX THYPHOEA. De ceruice vide lib. pri. carm. 156. Hic tantummodò partem pro toto poſitâ agnoſcas per Synecd. nempe pro ipſo Thyphęo, nam *Thyphęa* deriuatiuum à *Thyphęo*, ſeù, vt alij ſcribunt *Thyphone*. Porrò de Thyphęo, quatenus illi ſuperimpoſita fuerit Ætna dix. lib. pri. carm. 153. ac de eodem in caſſide Palladis ſemiuiuo egimus lib. 2. carm. 22. Sicut autem lib. pri. Vates videtur alluſiſſe ad opinionem Ouidij ibidem cit. Sic hoc loco ſequitur ſententiam Homeri, Lucani, ac Virg. eum ſub Inarime ſtatuentium; ideo quæritur à Cerere, num eius Ceruix ruperit.

. INARIMEN. *Inarime* inſula eſt, in Puteolano ſinu ad oram Campaniæ ſitam, propè Neapolim; in qua mons dicitur fuiſſe flammas eructans. In eadem Mons alter fuiſſe fertur, qui terræmotuum vi diuulſus, ſeparatuſque, alteram, iam immiſſo mari, inſulam faciat, quam Prochytam à profuſione dictam autumant; nam προχέω ſignificat idem, ac *Profundo*; ideò *Prochyta*, quaſi *profuſa*, ſeu *effuſa* à reliquo Inſulæ corpore. Inarime autem ea eſt, quæ vulgo *Iſchia* dicitur à coxendicis figura, quam refert; nam coxendix Græcis ἰσχίον. Vocatam etiam memorant Ænariam, à ſtatione, quam præbuit Æneæ nauibus. Immò Græcis hæc eadem Pithecuſæ appellatur; quamuis Pithecuſas Ouid. ab Inarime videatur diſtinxiſſe Metam. 14. vbi ait . . . . *Orbataq; præſide pinus*

Inarimen, Prochytenque legit, ſteriliq; locatas
Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas.

Eandem verò Inſulam eſſe Inarimen, & Pithecuſas edocet ipſa nominis deriuatio: Inarime enim dicta fuit ab *Arimis*, ſeù populis, ſeù beluis incolentibus; quo nomine priſca Hetruſcorum lingua Simias vocauit, quas Græci πιθήκους nuncuparunt. Ideò priſco Hetruſcorum more *Inarime*, Græcorum verò *Pithecuſæ* dicta eſt eadem Inſula. Quod ſi, cur nomen ab Arimis, ſeù Simijs ſortita hæc fuerit, quæras, latè memorant Suidas, Xenagoras, & alij, quibus inhærens Ouid. cit. cum dixiſſet: *habitantum nomine dictas*: ſubdit:

Quippe Deum genitor fraudem, & periuria quondam
Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſæ
In deforme viros animal mutauit, vt idem
Diſſimiles homini poſſent, ſimileſque videri;
Membraq; contraxit, nareſq; à fronte remiſſas
Contudit, & rugis perarauit anilibus ora,
Totaque velatos flauentis corpora villo
Miſit in has ſedes, nec non prius abſtulit vſum
Verborum, & natæ dira in periuria, linguæ:
Poſſe queri tantum rauco ſtridore reliquit.

Fabula autem hæc eſt. Candalus, & Atlas, duo, inquiunt, fuere fratres ſcelerum omnium, quibus humana vita damnata eſt, auctores, inuentoreſque. Diotimus, in Herculis certaminibus, eiuſdem farinæ fuiſſe, recenſet, Olum, & Euribatum: & certe, cum in malum ſemper prona ſit humana Natura, non paucos illis adhæſiſſe ſequaces, mihi facilè perſuaſerim. Præcipuum iis ſtudium erat, appulſos ad littora ſua aduenas dolis omnibus circumuenire; ea quo etiam Cercopum nomine ſunt inſigniti, nam κερκωπίζω apud Græcos idem eſt, ac apud Latinos *adulor*, ad blandior, translatione deducta ab animalibus, quæ cauda adblandiuntur; adblandiebantur enim & ipſi, quò faciliùs incautis illuderent, eoſque in paratos adducerent dolos. Hoc ipſum ſemel dicuntur auſi in Iouem ipſum intentare; ideòque à læſo Numine in Simias conuerſi, nomen Inſulæ dediſſe. Porrò *Inarime* ab Homero in catalogo dicta ἀρίμοις fuit: primuſque Virg. ex Ionum præpoſitione ἐν, & ἀρίμοι vnicam dictionem compoſuit, vt, ſic dictam ab inhabitantibus Simijs ipſo nomine patefaceret, quaſi ἀρίμοις ἐν, habitantibus ἐναρίμοις. Sicuti Tibullus ad Meſſalam ex præpoſitione *In*, & *Alpibus*, quibus addenda fuerat, nomen compoſuit *Inalpinus* inquiens:

Teſtis Inalpinus, & pauper natus in armis.

Sed iam ad noſtra reuertamur. Sub hac Inſula, Homerus, & ex eo, Virg., immenſo ferè oppreſſum pondere, iacuiſſe Thyphęum, voluerunt, Ioue pœnas huiuſmodi ex rebellanti capite maturiùs exigente. Quare Æn. 10. ſic Virg.

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile
Inarime, Iouis imperijs impoſta Thyphęo.

Et in eadem ſententia loquitur Claud. hic apertiſſimè. Neque hinc inferas ſibi ipſi Vatem contradicere, qui lib. pri., vt nos ibi dicebamus, Thyphęum ſub Siciliæ oppreſſum pondere innuerit; hic verò ſub Inarime preſſum aſſerat: neque enim potuit idem eſſe in duplici loco. Non inquam, hoc inferas; nam nil mirum ſi Vates duplicem ſuſtinens perſonam, duas & illas oppoſitas aſtruat ſententias, cum quot ſunt capita, tot ſint ſententiæ. Lib. pri., proprio Vates ore loquebatur: hic verò perſonam induit Cereris: quarè ibi ſententiam protulit ſuam hic ſententiam exprimit Cereris loquentis. Immò artificioſè id factum dixeris, vt videlicet, vtramque notam ſibi fuiſſe ſententiam, indicaret; atque ad vtramque fieret alluſio, opportunè ſimul, ac eruditè. Quod ſi quæras, cur tam in diuerſa abierint Auctores, dum Thyphęi buſtum alij ſub Sicania; alij ſub Inarime; alij in Bœotia; alij in Cilicia, Phrygiaque; alij in Ægypto ſtatuunt cum Herodoto? Satisfaciet curioſius inquirenti Artemon, qui animaduertit Τυφῶνα, apud Græcos, eumdem, ac Τυφωέα reputatum, cum vtroque nomine, apud ipſos, idem gigas compelletur. Porrò, apud eoſdem, Τυφῶνος nomine, & Gigas antedictus, & ventus violentus, nempè turbo, procella, vortex &c. compellantur. Quare mons omnis incendia eructans iure videtur dicendus Thyphoni impoſitus, cum ſubtus habeat procellam ventorum, violentis flatibus, conflagrationes huiuſmodi excitantem, vt dix. lib. pri. in Ætna: atque hinc eſt, vt variatum fuerit Thyphæi buſtum iuxta diuerſa, in quibus huiuſmodi montes reperiuntur, loca. Quærit itaque Ceres, num Thyphęus, rupta Inarime, nempè carceribus ſolutus ſuis, Iouem iterum deturbarit.

FRACTA NE COMPAGE VESEVI IVGI &c. Aliam, vnde timeri poſſe, ſuſpicabatur, cauſam recenſet, reuocatas in Iouem ſcilicet Alcyonei iras, & impetum, excuſſo monte, quo premerentur, exilientes: atque hanc ipſam cauſam, per interrogationem, à particula interrogantis *Ne* importatam, effert: quaſi, nil aliud, quam hæc, & ſimilia excogitari poſſe, pro certo habeat. *Fracta*, igitur inquit, à *frango*, quod eſt *diſrumpo*, & *comminuo*: infringendus enim certe ac radicitùs euellendus Mons fuerat, vt ſubtus iacens, iterum emergeret, proiecto pondere. De compagibus vide dicta lib. 2. carm. 171. nam & hic pro marmorea montis mole, ineluctabilis ferè reſiſtentiæ, ponitur *compages*, vt creſcat, hyperbole, *fracta*. *Iugum* montis *vertex*, ſeù *cacumen* eiuſdem montis eſt: hic verò ponitur *Iugum Veſeui* pro toto monte, per Synecd. Veſeuus autem Mons eſt flammiuomus, Nolæ proximus, in Campania, quem Flauus *Veſbium*, Silius, ac Martialis *Veſuuium*, Papinius Veſuuinum apicem appellant. Ex quo erroris arguitur Seruius, qui putauerit *Veſeuum* montem in Liguria ſitum eſſe; *Veſulus* enim, non *Veſeuus* eſt mons ille in Liguria poſitus. Silius lib. 6. primam in *Veſeuo* produxit, dum ait:

Monſtrantur Veſeuo iuga, atq; in vertice ſummo &c.

Auctor tamen corripuit, inhærens Statio, & Virg. qui pariter corripuere: Statius quidem Sylu. 4.

Creſcit & inſani ſolatur damna Veſeui.

Virg. verò 2. Georg. vbi ſic habet:

Talem diues arat Capua, & vicina Veſeuo
Ora iugo &c.

Vndique, non minus, quam Ætna, ſecunditatem, fertilitatemque, ſpirat Veſeuus, præterquam in ſolo cacumine, vbi magnam habet planitiem, fructum omninò nullum ferentem, veterisq; incendij ſigna oſtentantem. Conſtat autem ſæpiùs arſiſſe, ſed nunquam tamen tantâ ardoris vehementia, tantâq; flammarum vi, quanta, viſus eſt conflagraſſe, Tito imperante; nam tunc temporis erumpens ex eo ignis vicinas regiones latiſſime deuaſtauit; & Plinium naturalis hiſtoriæ ſcriptorem, qui cognoſcendi cupiditate eo ſe contulerat, fumo, flammiſq; necauit, vt teſtatur Plinius minor in Epiſtola ad Tacitum. De incendio autem illo hæc Papinius:

Non adeò Veſuuinus apex, & flammea diri
Montis hyems trepidas exhauſit ciuibus vrbes.

nunc Veſeuus, mutato nomine, *ſumma* dicitur; vulgò *ſomma*,

ALCYONEVS. Terrâ matre, vt & de cæteris fertur Gigantibus, editus dicitur Alcyoneus Gigas, eiuſdemq; frater Porphyrio, ſeù, vt alij legunt, Gorphyrio, qui Gigantum vtriq; Coriphæi extitiſſe dicuntur, cum bellum Cælo inferre conarentur. Horum vtriq; Terra mater dicitur conceſſiſſe, vt, quandiù eam attingerent, inuincibiles eſſent; ſed tandem, Mineruæ monitu, ſublimes elati, edomiti ſunt, & perempti. Et Alcyoneus quidem Herculis fertur manu peremptus; ſeù, vt alij dicunt, ad mortem vulneratus; ſed, quia magis ſemper reuiuiſceret, attactu terræ; à Minerua, impetum faciente, extra Orbem Lunæ extractus interiiſſe. Vide Mythol. Nat. Com. lib. 6. c. 21. Alcyoneo ſeptem fuiſſe filias, memorat Egeſander; quarum hæc nomina recenſentur Pathonia, Anthe, Methone, Alcippa, Palene, Drimo, & Aſteria; quæ omnes, audito patris interitu, è Canaſtræo (quod eſt Pallenes promontorium) ſe ſe in mare præcipites dederint; ſed ab Amphytrite miſerente in aues, à Patris nomine, Alcyones nuncupatas, conuerſæ euolauerint. Scio de Alcyonibus aliam fuiſſe Alexandri Myndij ſententiam: dixit enim ipſe, Halcyonem Æoli filiam fuiſſe, vxoremq; Ceycis, qui, cum ſe ipſum Iouem, vxorem verò Iunonem diceret, indignatione eiuſdem Iouis, Delphos adnauigans naufragio interijt; vndiſq; reiectantibus eius corpus delatum ad littora, ſub vxoris oculis conſtitutum in cauſa fuit, vt & ipſa ſe præcipitem egerit in mare: miſeratione autem Deorum factum, inquit Auctor cit., vt vterq; in aues Alcyoneas mutati fuerint: quibus deindè Pater Æolus indulſerit, vt eorumdem tempore nidificationis, quæ in littore maris fit, maria ipſa imperturbabili tranquillitate ſedeant pacata. Miraris, etiam in hoc diuerſas auctorum eſſe opiniones? Memineris Alcyones in duplici differentia eſſe: nam, vt docet Ariſtot. lib. 8. de Animalibus, vnum Alcyonum genus vocale eſt, arundinibus inſidens; alterum verò mutum, ſed ampliori, quam primum, corpore: his enim cognitis, mirum tibi nequaquam fuerit, ſi, pro diuerſo Alcyonum genere, diuerſam commenti originem ſint Auctores. Sed nos ad Alcyoneum noſtrum, nimis forte digreſſi, regrediamur, de quo quidquid cæteri dixerint, oſtendit hic Vates, cum, cæteris communem cælorum rebellibus, ſortem non effugiſſe, vt ſcilicet montibus, quibus vterentur belligerantes, victi tumularentur; ideòq; Alcyoneum ſub Veſeuo monte iacuiſſe, docet hic Ceres, dum quærit num *fracta compage &c.* iterum emerſerit in prælium &c.

CVCVRRIT PEDES PER STAGNA TYRRHENA? Tantæ proceritatis Alcyoneum fuiſſe, proditum eſt, vt, qua in maximam oceanus deprimeretur altitudinem, ipſe, pedeſtri incedens itinere, vndis tamen, & capite ſuperemineret, & pectore. Quod licet hyperbolicum videri poſſit, cum tamen de Gigante ſermo ſit, mirum non erit: nam & Virg. Æn. 3. de Polyphemo id ipſum affirmauit, cum inquit:

Dentibus infrendens gemitu: graditurq; per æquor
Iam medium; nec dum fluctus latera ardua tinxit.

& de Porphyrione quidem, quem diximus Alcyonei fratrem, ſic Auctor noſter in Gigantomachia ſua:

Ecce autem medium ſpreto delapſus in æquor
Porphyrion, trepidam conatur vellere Delon,
Sydereos ad ſuperos vt torqueat impius axes.

ex quo patet, non mirandam eſſe, in Gigante, hyperbolem, quæ peditem mari incedere, & quæ montes, inſulaſq; diuellere, dictitauerit. Certe & de ipſo Alcyoneo ſcriptum reliquit Theſeus, in Corinthiacis; & Theodorus, in bello gigantæo, vt apud Mythol. Nat. Com. lib. 7. c. pri., cum tantæ molis ſaxum in Herculem proieciſſe, vt ſubindè ſaxum ipſum, ab Hercule euitatum, in Iſthmo iacens, à quinquaginta boum iugis dimoueri nequaquam potuerit. Ex his patet non minorem Porphyrione fratre Alcyoneum fuiſſe; atq; adeò & hic medium dicitur æquor pedibus innixus ſuperaſſe. Ideò *cucurrit*, inquit, *Pedes*, quæ particulæ ex dictis iam in aperto ſunt. *Stagna* autem *Tyrrena* mare inferum notant, ita dictum eo, quod Tyrrheniam, hoc eſt Tuſciam alluat; vulgò *il mar di Toſcana*. Aſt, quia hoc ipſum mare oras etiam alluit Campaniæ, in qua Veſeuum eſſe diximus, hinc eſt, vt hoc potiùs mare, quam aliud, Alcyoneo peragrandum proponatur, ſi, ſuo exſolutus carcere, antiquos gigantum renouet furores; vel etiam quia è Campania in Siciliam properauti hoc mare tranandum fuerat, ſi ad diripiendum, in filia, Iouem properaſſet, bellum innouaturus. Quod autem ſtagni nomine profundum mare deſignetur, ratio eſt, quia ſtagnum à ſtando dicitur, vulgò *aqua morta*: quia verò mare vbi profundiſſimum eſt, difficillimè mouetur, ita vt ſemper ſtare videatur; ideò ſtagnum pro profundiſſima maris parte vſurpatur, ſic Virg. Aen. pri.

Emiſſamq; hyemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis &c.

AN VICINA MIHI &c. Nouum ex ipſis Sicaniæ viſceribus monſtrum timeri potuiſſe, tam indicat, ne imprudens adeò videatur, vt remotiſſima quæque animo relegens pericula, quæ proxima, ac fere domeſtica eſſent, negligeret.

AN ÆTNA VICINA. Aduerb. interrogantis *An* pro *nunquid* ponitur. De Ætna verò vide dicta lib. pri. carm. 152. Vicinus à vico nomen deductum ea ſignificat, quæ in eodem vico ſunt, vel certè non procul ab inuicem diſtant. Ideò *Vicina* dicitur *Ætna*, cum non procul à domibus Cereris eſſe potuerit, vt vidimus lib. item pri. & alibi,

QVASSATIS FAVCIBVS. *Fauces*, à ſingularis numeri Faux, qui tamen vix in vſu eſt, ſicuti, è contra, pluralis frequentiſſimus, ſuperior illa pars gulæ eſt, mento propinqua, ſed interior, vbi os anguſtatur, quæ Græcis λάρυγξ dicitur. Per translationem tamen *fauces* dicuntur omnes ſtricti aditus montium vallium &c. Hic tranſlatè vſurpantur ad ſignificandum hiatum in ſummitate montis Aetnæ apertum, quem *Craterem* vocarunt antiqui, & ex quo, tanquam per apertas fauces, incendia euomit Aetna. Ponitur tamen pars pro toto ipſo monte. Quaſſatus verò, à verbo *quaſſo*, non ſignificat, hic ſimpliciter, quaſſum, ſeu concuſſum. Sed antecedens ponitur pro conſequentis cum enim ex vehementi quaſſatione ſequatur diſruptio rei, quæ quatitur, hic ponitur *quaſſatis* pro diſruptis, & in diuerſa abeuntibus: ſic *quaſſatam* pro *ſimmerſam*, poſuit Virg. Aen. pri.

Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem,
Et Syluis aptare trabes, & ſtringere remos.

PROTVLIT MIHI ENCELADVM. *Proferre* idem eſt, ac in propatulo exponere: & quia non poterat Aetna ſuppoſitum in propatulo exponere Enceladum, quin eidem daretur exiliendi libertas, & quin è carcere ad nouas pugnas vires ſumeret exſolutus; ideò quærit Ceres, num Aetna protulerit Enceladum, de quo plura lib. pri. & 2. habuimus. Mihi datiuum agnoſcas damni. Reliqua patent.

AN FORTE &c. Monſtrum denique, quo non immanius vllum, recenſet, vt num illud in ſui perniciem deſæuierit, ſciſcitetur. *An* pro nunquid, vt ſupra: *forte* idem ſonat, ac fortuito, & veluti *ſorte*, ac *caſu*; vulgò *per mala ſorte*.

BRIAREIA TVRBA. De turba vide dicta lib. 2. carm. 166. Item de Briareo centimano, & de centum, quos habuit, filijs ſatis dix. lib. pri., cum quis eſſet Aegeon diſcutemus carm. 46. Dum itaque *Briaream turbam* notat hic Ceres, præſaga mali, mens raptum ferè attigit, vt de facto euenerat, cum hac tantum diuerſitate, vt Briareo tribuerit, quod Plutonis fuerat. Cæterum ad inferna comportatam non obſcurè diuinatur, cum Aegeon, ſeu Briareus in veſtibulo inferni collocatus habeatur, apud Virg. Aen. 6.

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæq; biformes
Et centumgeminus Briareus, & bellua Lernæ.

Per Briareiam itaque turbam intelligit, ni fallor, Briareum potiùs filiorum caterua ſtipatum, quàm multiplices, vt voluit Parrhaſ., eiuſdem Briarei artus: ſeù potiùs, cum videret effectui demandatum, quod poſſibile nunquam exiſtimaſſet, vt fieret, ſuſpicata eſt multiplicatos fuiſſe, in ſui exitium, Briareos centum, ſicuti ille centimanus erat,

&

& ideò tam bene dixit, *Briareum*, non ſimpliçem Briareum.

CENTVM LACERTIS. Ex eo quod centimanus fuerit Briareus, & quod lacerti pro brachijs ponantur, in aperto hæc ſunt. Et tot Centimanis, ſuſpicabatur Ceres appetitam fuiſſe domum ſuam, vt diriperetur.

APPETIIT PENATES NOSTROS. Alij legunt *arripuit*: ſed, ſi mutanda ſit lectio, potiùs *diripuit* dicendum arbitrarer, quam *arripuit*; nam *arripere ad ſe trahere, ac per vim abducere* eſt: certè autem domum non abduxerant. Quod ſi legatur *diripuit*, optimè conſonat; nam *diripere* eſt *populare*; vulgò *ſaccheggiare*. Sed non video neceſſitatem immutandi; certè enim *appetere* pro *aggredi* ſæpe ſæpiùs vſurpatur; qui autem domum aggreditur, certè ad diripiendum aggreditur; atq; adeò antec. pro conſeq. ponitur. Penates Deos domeſticos eſſe, ac pro ipſa domo poni ſolitos iam vidimus lib. pri. carm. 179. *Noſtros* autem, artificioſè inquit, ad captandum Electræ animum, quam ſecum, hoc pacto, dominam illius efficit domus, quæ propria Cereris eſſet, ac participem iacturæ.

HEV, VBI NVNC, VBI NATA MIHI? Diuerſas cladis cauſas, iuxta diuerſas, quas terror effinxerat, imagines probabilitatis, cum recenſuiſſet Ceres; nec quamnam vocare deberet in culpam malorum, vel in iudicium adducere, vſquam pateſceret: effectum conſiderans, atq; eiulatibus, per particulam dolentis *heu*, indulgens, quid de filia factum, iam quæritat, vt à mali iam cauſis præſcindens, malum ipſum, vndecumq; ortum fuerit, agnoſcat. *Heu vbi nunc eſt nata mihi*: Legit vulgata noſtra. Heinſius verò, qui modò nobiſcum legit, ſic olim legiſſe teſtatur: *Heu vbi nunc, o nata &c.* per apoſtroph. ad filiam. Sed quia cum Florentino codice 5. Marci, vt idem fatetur Heinſius, peruenuſtè legitur: *Vbi nunc, vbi nata mihi* & ipſe in ſententiam deſcendit, & nos à vulgata noſtra receſſimus; nam emphatica admodum viſa hæc lectio eſt, & pathetica, vt conſtat ex coreduplicatione particulæ *vbi*, interpoſita particula *nunc*, mirè, vt vides, ad permouendos affectus concinnatâ: Aduerb. certè, loci interrogatiuum, eſt *vbi*, idem ſonans, ac *quo in loco*. Aſt particula *nunc*, non pro aduerbio temporis, vt alibi, ſed ponitur hic, vt coniunctio aduerſatiua, idem ſonans, ac *ſed*, ſeù *verùm*; quo pacto eadem particula *Nunc* vſus eſt Cic. pri. de Diuin. vbi ait: *Quæ multo plura euenirent, ſi ad quietem integri iremus; nunc onuſti cibo, & vino confuſa, & perturbata cernimus &c.* Aduerte tamen huiuſmodi particulam, ſic vſurpatam, non omninò à tempore præſcindere, ſed vtroq; munere fungi, ita vt ſit idem, ac *nunc verò*, vulgò *Mà hora*. *Nata*, idem, ac filia, de quo alibi: & ſubintellige *eſt*, quod per ſynecd. fig. reticetur. *Mihi* autem emphaticè dixit; hoc eſt, vt meos ſolent dolores; & datiuus commodi erit: ſeù *mihi*; hoc eſt quæ mihi præ omnibus cordi eſt; & datiuus officij erit: mihi in primis quæſita, mihi vnica vel lacrymarum cauſa, vel ſolatij &c, & vtrumq; complecteretur.

QVO MILLE MINISTRAE? Percunctata fuerat de Filia: de Ancillantibus iam quærit; & quo abierint, cur deſeruerint, cur in fide non manſerint, ſciſcitatur: aggrediturque interrogationem per aduerb. loci. Quo, motui ſcilicet ad locum deſeruiens. Determinatus numerus *mille* pro indeterminato ponitur; ſæpè enim *mille*, *centum*, *ſexcenta* hoc habent, vt pro numero indefinito non ſolum, ſed propemodum infinito vſurpentur, vt patet ex communi modo loquendi: & Virg. Aen. pri.

Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc, atq; hinc glomerantur Oreades &c.

Quod ſi quæras quænam, & quot fuerint iſtæ, de quibus hic Proſerpinæ miniſtræ, videas Naiadum Choros lib. 2. deſcriptos. Porrò Miniſtræ, à miniſtrando, dicuntur Ancillarum turmæ, quas defeciſſe mirabatur Ceres, quia meminerat, totum eſſe ſerui ad Dominum eſſe, conſequenter non dubitabat, miniſtras Proſerpinæ ita affectas heræ ſuæ eſſe debuiſſe, vt ſe ipſas potiùs in extrema quæq; pericula fuerint impulſuræ, quam in defectionem inciderent: ſed non meminerat, raros adeò eſſe fideles ſeruos, vt ex Cic. in Clod. pro Mil. conſtet, nullum præmium ſatis magnum eſſe fidelibus ſeruis: quod eſt dicere vix ſeruum inueniri poſſe fidelem; &, ſi inueniatur, portentum fore Naturæ, nullo ſatis vnquam tributo munerandum. Sine mente eſſe, cum, ſeruos, diuinus aſſerat Plato, quis ſe, ſuaq; ſeruis ſeriò fidat? Audi verba Platonis, latinitati donata, apud Abrahamum ſecunda parte Commentar. in Tullium;

Mentis enim medium Diuum Pater eripit illis
Quos adegit fortuna iugum ſeruile ſubire.

Et Ariſtot. 2. Politic. c. 7. ait: *Serui licentiam naƈti contumelioſè ſe gerunt, & audent ſe Dominis comparare; ſi arƈtius tenentur, inſidiantur, & oderunt*: quarè ſemper infidi ſeruorum greges reputantur: ideòq; Romana lege cautum fuerat, ne ſerui teſtes in Dominos aſſumerentur. Ancillas nihiloſminùs, filiæ addictas à Cerere, fidas adeò ipſa eaſtimabat, vt nunquam ſibi ſuaſura fuiſſet, eas turpiter adeò filiā deſerturas. Ideò interrogat quo abierint, quo ſeceſſerint.

QVO CYANE? De hac vide fusè dicta lib. 2. carm. 61. Hic tantum nota, quomodo gradatim ſemper augeatur energia orationis: nam, eſto cætera ancillantium turba defeciſſet, non videbatur Cyane defectura, quippe quæ tantæ fidei ſemper fuerit, vt ne ſibi quidem ipſi, Patriq; mortem inferre perhorruerit, vt Patriæ conſuleret ſuæ. Quod ſi tantum detulit Patriæ, quid factura, periclitante Proſerpina, crederetur? & tamen ab hac ipſa deſertum Filiæ latus intuebatur, vt verum eſſet decantatum illud:

Cum fortuna perit, nullus amicus erit.

QVAE VIS ABEGIT VOLVCRES SIRENAS. Supponit iam Ceres innumeram Ancillarum Turbam, & Cyanen ipſam, non ſponte, ſed externa vi, adigi potuiſſe, vt a Domina ſecederent: quarè, ijs quaſi ignoſcens, Sirenibus indignatur magis, ac per interrogationem ſciſcitatur, quæ vis illas abigere potuerit? quaſi reſpondere volenti neceſſarium futurum eſſet fateri, nulla eas vi abripi potuiſſe, licet, de facto & ipſæ receſſerint. Vide quantum creſcat oratio. *Vis* violentia eſt, ab extrinſeco illata, vt alibi dix. *Abigere* eſt quaſi *agere ab*; ſcilicet ab eâ, quam tueri debuerant, Proſerpinâ. *Volucres* autem dixit, nempè *Volantes*, naturamque auium ſimul, ac Virginum participantes, de quo infra. Porrò Sirenes tres fuiſſe dicuntur, quas Acheloi, & Calliopes filias memorant; alij Sirenum numerum vſque ad octauam produxerunt. Sed quidquid de numero ſit; Certè indiuiduæ, ac fidiſſimæ comites aſſeruntur Proſerpinæ, apud Ouid. Metam. 5. ſic;

In Comitum numero mixtæ Sirenes eratis.

Pluribus autem de cauſis comites Proſerpinæ Sirenes adducuntur. Primò quidem, ſi ad fabulas, ſed eruditè, reſpicias, inueneris, Sirenas excellenti adeò cantu inſignes fuiſſe, vt homines audientes eſtatico quodam ſtupore, ac torpore, conſopirent; ex quo factum, vt & Muſici omnium peritiſſimi, & Oratores præcipui Sirenes in ore habuiſſe dicerentur. Sic apud Cauſinum de Eloq. lib. pri. c. 7. habetur, Sirenem in Iſocratis ſepulchro poſitam melleæ eiuſdem orationum ſuauitatis ſymbolum extitiſſe. Iam memineris lib. pri. dictum, ſumma cantionum ſuauitate polluiſſe Proſerpinam

Ipſa domum tenero mulcens Proſerpina cantu &c.

Memineris, lib. 2., tantam fuiſſe eloquentis Proſerpinæ ſuauitatem, vt vel Ditem flexerit, atque in ſuſpiria impulerit amantem,

Talibus ille ferox dictis, fletuque decoro
Vincitur, & primi ſuſpiria ſenſit amoris.

cum itaque & ſuauitas cantus, & melliflua animorum arbitra Eloquentia, indiuiſibiles Proſerpinæ virtutes adfuerint, nil mirum, ſi dicantur Sirenes eiuſdem fidiſſimæ comites fuiſſe. Inſuper, Sirenes Siculi maris incolas eſſe, aſſeruerunt antiqui; quarè congruum profectò fuit, vt cum Proſerpina Inſulam incolente fœdus iunxiſſe crederentur. Adde per Sirenis hieroglyphicum, illicium Veneris communiter deſignari: memineris autem, Proſerpinam, lib. pri., Venereis titillationibus illectam; dum ibi habetur:

. . . . ., Iam pronuba flamma pudorem
Sollicitat, mixtâque tremit formidine votum.

ideò iure illi Sirenes adduntur comites: & in hoc ſenſu, abactæ quidem fuerant Sirenes è domo Cereris; ſed non à Proſerpina, cum qua immò abreptæ fuerant, & aſportatæ; niſi dixerimus, etiam à Proſerpina, licet in vxorem ducta, ex ipſa mariti, quam deſcripſimus, horribilitate abactas. Denique Sirenis ſymbolo exprimitur adulatio; & conſequenter Aulicorum quorumdam improbi ſignantur mores, qui adblandientes perniciem machinantur; vel certe adblandiuntur, in proſperis; rident, & elongantur in aduerſis: ad quod reſpiciens Didacus Saauedra, apud Picinellum, lib. Mundi Symbolici 3. c. 27., ea Sirene cytharam pulſante Impreſiæ corpus aſſumpſit, animauitque lemmate, ex Hor. in arte, deſumpto; *Formoſa ſupernè*; veram Sirenis naturam importante iuxta cit. Hor. ſententiam, his expreſſam verbis . . . . . *Et turpiter atrum*

Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè.

In quo ſenſu, adulantium notam omnibus inureret Nymphis,

phis, quas vidimus, lib. 2., Proſerpinam comitatas; ac de omnibus, ſub Sirenum nomine quæreret, quo abactæ aduerſâ Natæ fortunâ fuerint adulatrices inſidæ. Et profectò ad hæc omnia, more ſuo reſpexiſſe Poetam non ambigo; cum omnia textibus eiuſdem Vatis congruant, & correſpondeant, vt ex citatis patet. Verùm, quia non ſemper male adeò Sirenes olent, vt ſemper in malam partem flectenda ſit earum effigies, aut nomen; videamus, quid boni a Proſerpina eliminatum, per Sirenes, dicatur; &, vno verbo, dicam, virtutes omnes ſignificari abactas; quod in cauſa fuerit, vt præda eſſet illa Raptori. Nec abſonum videbitur aſſertum, ſi meminerimus, quod memorat eruditiſſimus Picinellus Abbas cit., nempè Impreſſam extitiſſe ex corpore Sirenis muſicum inſtrumentum tenentis, cum lemmate: *dulcedine capio*: ad exprimendam virtutem, quæ, ſola ſibimet pulcherrima merces, corda omnium ſuauiter allicit, & rapit, ac inſiſdem mirabiles ſui ipſius excitat amores. Virtutes itaque abactas queritur Ceres, nempè virtutes illas, quibus, lib. pri., effectum vidimus vt Ceres cunctis altior extaret matribus, dum

Et numero damnum Proſerpina penſat,

Et quas virtutes eliminatas innuit Vates, lib. 3. cum Proſerpinam Matris monita ſpernentem oſtendens ait;

Iamque audax animi, fidæque oblita Parentis &c.

nam ſi verum eſt, quod obedientia ſola virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit, vt Sanctus olim cecinit Pontifex Leo, certè poſthabita obedientia, virtutes cæteras poſthaberi neceſſariò ſequitur. Ideo hanc luget maximè iacturam Proſerpina ipſa, eodem lib. 3., dum iam rapta exclamat:

O male dilecti flores, deſpectaq; Matris
Imperia &c.

Ad hoc ipſum itaque Vatem reſpexiſſe non ambigo, vt ſibi ipſi, citatiſq; ſuis textibus congrueret. Sed altius adhùc, vt arbitror, mens Auctoris erigitur; &, quoniam Dea fuerat illa, cuius ore loquebatur, Cælos ipſe, Deorum, Dearumq;, vt dicebant ſedes tranſgrediens, mentis aciem intendit in Diuini Platonis de Sirenibus ſententiam. Decimo itaque de Republica Plato docet Cælum diuidi in ſphœras, quæ octo ſint; vnicuiq. autem ſphœræ Sirenem ſuperne inhærere, vnà cum globo ſuo, ſeù ſphœra, delatam, *vocem vnam, ſonum vnum* videlicet, emittentem; vnam tamen harmoniam ex omnibus octo concinere: harum autem Sirenum concentu, vt notat Abraham cit., in primam Phil. §. pri., cæleſtium motuum ordinem, & temperiem adumbrauit, quibus hominum Fata reſpondere olim, voluerunt Caldæi præcipuè: & videtur id rectè inferri ex iis, quæ Plato ibidem ſubdit, docens alias, nempè tres, neceſſitatis filias, æquali inuicem interuallo in throno ſedere, Parcas, veſtibus albis capite coronato, Lacheſim, Clothum, Atropon, quæ, ad Sirenum harmoniam, canant: Lacheſis quidem præterita, præſentia Clotho, Atropos futura. Secundum Ariſtot. verò Atropos præterita, Lacheſis futura canit; ex quo factum, vt lib. pri. Vates Lacheſim induxerit præcinentem *Poſito ſenem; dabimur cantus &c.* Concinant igitur Parcæ Syrenibus: hoc eſt, iuxta Caldæorum ſententiam, Fata concinunt ſtellarum motionibus; quia, vt putabant, hominum Fata ex illa conſtellatione, ſub qua quiſq; naſceretur, pendebant; quaſi Diuinum Numen in Cælo, non aliter, ac in membrana extenſa, ſua conſcripſerit decreta: ciuiuſmodi exemplum, præter naturæ ordinem, it . Zonaras, 3. Annal. tom., Iudicem nempe quendam Anthiochiæ, eo ipſo die, quo in Perſide Iulianus, oreo tapsus, interijt, vidiſſe congeriem aſtrorum litteras exprimentem, in hunc ſenſum: *Hodie in Perſide Iulianus occiditur*. Quibus poſitis; cum Sirenes, hoc eſt ſyderum temperies, & motus, ſeù, vt dicunt, Aſteriſmi Proſerpinæ arridentes fuerint ab ortu, dum eam tot dotibus ditauerant &c. videbantur Proſerpinæ quodammodo ancillari, eidemque ex ipſa eorum ſuppoſita inuariabilitate, perpetuo quodam adſtricti fœdere, ad ipſius ſemper ſtabiliendam fœlicitatem. Quæ omnia cum, iam mutata facie, in luctum verſa, infelicitatemq; miraretur, iure quærit quæuis Sirenas, quibus Parcæ, hoc eſt Fata, concinant, abigere potuerit, ne Proſerpinæ fœlicitatem adſciſcerent perpetuam, & eo magis iure miratur, quod ſciret Sirenas intrepidæ, ac magnanimæ adeò fortitudinis fuiſſe, vt cenſerentur inalterabiles: quod ſubinde in cauſa fuit vt Iouius, in Hieroglyph, intrepidi, ac generoſi animi Sirenem aſſumpſerit, addito lemmate: *contemnit tuta procellas*. Quod ſi fabuloſam requiras hiſtoriam natæ dicuntur Sirenes, vt innui ex Acheloo fluuio, qui Ætholiam ab Acarnania diſterminat, Matre Calliope, vel, vt alij dicunt, Melpomene, aut, iuxta alios, Terpſicore, aut Sterope, ex Muſis videlicet vna. Sirenum pariter nomina variant Auctores, qui tres illas dicunt; nam apud aliquos *Leucoſia*, *Parthenope*, & *Ligia* dicuntur; apud alios *Aglaope*, *Piſinoe*, & *Thelxiopia*; iuxta alios verò *Thelxiope*, *Molpe*, *Aglaophanes*. Hanc autem opinionum diuerſitatem ex eo, arbitror, deriuatam, quod Syrenes Maris, cum Sirenibus Cæli, commiſceant, & confundant: atq; adeò diuerſa diuerſis nomina, ac genitrices diuerſas, tamquam iiſdem, attribuant: ducor, vt hoc aſſeram, ex duplici modo, quo Sirenum nomen ſcribi a diuerſis animaduerto; nam aliqui *Sirenes* cum Auctore noſtro ſcribunt; alij verò, per *y*, *Syrenes*. Nomen hoc igitur, primo modo, cum Auctore, exaratum, videtur potiùs Cæleſtibus, quam maritimis, conuenire; nam a græco verbo εἴρω præpoſita littera σ deducitur εἴρω autem latinè eſt *dico*, ſeù *cano*; Cælorum enim Sirenes harmoniæ tantum indulgent; nec homines in perniciem trahunt, vel impellunt: Si verò ſecundo modo ſcribatur *Syrenes*, deducitur nomen à græco σύρω, quod eſt *traho*; quod non videtur conuenire cæleſtibus, quæ ſphœris inhærentes trahuntur potiùs cum ſua ſphœra, quam trahant, ſpectata præſertim verà de Aſteriſmis opinione, quod ſcilicet Planetæ inclinent, ſed non cogant: conuenit et autem Syrenibus maris, quæ, canentes, hominem in perniciem trahunt; ex quo factum, vt Virg. Æn. 2. de ſcopulis Syrenum dixerit;

Iamq; adeò ſcopulos Syrenum aduecta ſubibat
Difficiles quondam, multorumq; oſſibus albos,

propter corpora ſcilicet inhumata, quæ iis in ſcopulis hærebant, donec, ſoluta carne albeſcerent oſſa &c. Et hoc fuit mihi motiuum, vt dicerem, Vatem ad Cæleſtes potiùs, quam ad maritimas Syrenas, reſpexiſſe. Si verò ſpectetur opinio Caldeorum, iuxta quam, Fata volentem ducunt; nolentem trahunt; & Fata à Syrenibus, nempe a conſtellationibus, pendent; promiſcuè tunc, & Sirenes, hoc eſt *canentes*, & Syrenes, hoc eſt *trahentes*, dici poſſunt. Quare nil mirum, ſi, quod ad vtraſq; pertinet Syrenas, ante oculos habuerit Vates, ad illudq; alluſerit canens. Vlteriùs; Monſtra maris dicuntur Syrenes, iuxta illud Ouid., 3. de arte amandi,

Monſtra maris Syrenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admiſſas detinuêre rates,

quod, licet de maritimis dictum, applicari tamen etiam cæleſtibus poteſt, ſpectatâ eorum ſententiâ, qui Cæloſ aqueos poſuerunt; nam Cæleſtis maris monſtra, hoc pacto Syrenes erunt, Nauem ipſam Solis detinentes, cum lucem à Sole receptam detineant Aſtra, per Syrenes huiuſmodi figurata. Se ſe omnibus omnium affectibus Syrenes conformari dicebantur, vt, iuxta cuiuslibet ingenium, canerent, prout habetur ex his carminibus in Mythol, Nat. Com. lib. 7. c. 13.

Quod tuba, quod Litui, quod cornua rauca queruntur;
Quodq; foraminibus tibia mille ſonat;
Quodq; leues calami, quod ſuaues cantat Aedon,
Quod lyra, quod cythara, quod moribundus olor.

quod & Syrenibus quadrat cæleſtibus, quæ, ex ſententia Caldæorum, vnicuiq; præcinunt futuros, iuxta ingenium, euentus. Superatæ ab Vlyſſe dicuntur? Et, quidquid Caldæi dicant, ſapiens dominabitur aſtris. Se ſe in mare præcipitarunt Syrenes? Et Aſtra quotidie Oceano mergi fabulantur Poetæ &c. Nil igitur mirum, ſi, vnico ſub nomine, & quidem, vt vidimus, ex deriuatione æquiuoco, ad tam diuerſa alludere potuerit, & de facto alluſerit Vates. Vnum ſupereſſet examinandum, num ſcilicet (quandoquidem alatæ dicuntur Syrenes, immò fœmineâ aues facie) num, inquam, ab ortu tales fuerint, an verò tantum poſt Proſerpinæ raptum pennas induerint. Sed de hoc infra ad Carm. 254. fuſius dicemus. Interim Auctoris iam contextû proſequamur.

HAECCINE VESTRA FIDES? Exprobrat iam Ceres infidelitatem earum, magnam exerens commotæ mentis obiurgationem, per interrogatiuam *Haeccine*, quæ idem eſt, atq; hæc ne &c. *Fides* dictorum, conuentorumq; conſtantia, & veritas eſt; exinde autem eſt, vt credamus, ex eo, quod fiat, quod dictum eſt, appellatam *fidem* fuiſſe. Oſtendit itaque, hoc loco, Ceres, antequam diſcederet, ex relictis familiaribus fidem exegiſſe, futurum vt pignus, illarum fidei creditum, conſtantiſſimè cuſtodirent, ſeruarent, tuerenturq;: ſi enim, in itinere, filiam Inſulæ commendauit, lib. pri., cur, ante diſceſſum, munera piæ Matris non impleret, natam, toto ſtudio, domeſticis commendans? Sed, etiamſi huiuſmodi fidem palam non exegiſſet: tenentur ex officio ſerui, miniſtri, legatiq;, Principibus aſſiſtentes, Principes ſuos, proprio etiam periculo, tueri; ita vt in ore cuiuſcumq;

Mi-

Miniſtri ea ſemper eſſe debeant Senecæ verba: *vro, cade, accide: non prodam*. Ideò enim, ad exprimendam fidelis aulici conſtantiam, quæ, in aduerſis, perficitur potiùs, quàm deficiat, telam ex Amianto confectam, in igne poſitam, videris depictam, cum lemmate: *Semper candidior*. Cùm itaque huic muneri defuiſſent Proſerpinæ familiares, iure violatam exprobrat Ceres fidem, quam nullam fuiſſe ex facto ipſo euinceretur. Sic Ariadna à Theſeo deſertis in arenis, in littore relicta maris exclamauit, apud Italum Vatem:

Queſta, queſta è la fede,
Che tanto mi giuraſti?
Così nell' alta ſede
Tu mi ripon de gl' aui? &c.

Veſtra autem, inquit, nam de omnibus, cum Electra loquens, conqueritur; quaſi ad Electram pertineret de omnium defectione rationem reddere; & quidem iure: nam cum hæc ſecunda mater haberetur, eius etiam erat reliquas inferiores miniſtras in officio continere, ideò cum illa loquitur, quaſi cum omnium perſonam ſimul, & culpam. ſuſtinente.

SIC FAS TVERI ALIENA PIGNORA? Defectionis, violatæq; fidei arguerat: iam exprimit in particulari, quænam culpa ſit, quæ iis obijciatur, vt ſi quid habeat Electra defenſionis, id proferat. Sed, per interrogationem vrget, vt nullum reis modum indicet eſſe defenſionis. *Sic* aduerb. ſimilitudinis idem ac *tali pacto*, ſeù tali modo. *Fas*, ſubintellige *vobis fuit*, quæ per ſynecdoch. figuram, aptè reticentur. *Fas* autem dicitur, quod decens eſt, quod iuſtum, pium, honeſtum, religioſumq; eſt; & propriè refertur ad Deos, ſicuti *Iuſtum* refertur ad homines: quæ diſtinctio habetur etiam apud Virg. 1. Georg. vbi ait: *Fas, & iura ſinunt &c.* per *fas* Diuina intelligens iura, per *iura* autem humanas leges. Nota Ironiam mordacem, & quidem acriter mordacem, atque emphaticam; & propria illius nominis *fas* applicationem: dum enim de Nymphis loquitur, certè ad aqueas Deas refertur. *Fas* nomen eſt defectiuum tres tantum habens caſus, nempe nominandi, accuſandi, & vocandi non memoro, quia notum. *Tueri* pro eodem ponitur, ac defendere, cuſtodire, conſeruare: Pignora, inquit, pro Pignus: ſed aptè vtitur numero multitudinis, quia penſabat, vt lib. primo vidimus, damnum numeri Proſerpina; quæ cur Pignus dicatur, vide lib. cit. carm. 178. *Alienum* denique dicitur, quod alterius eſt. Proſerpina, non Electræ, non Nympharum, ſed filia Cereris fuit; quare alterius certè ab ipſis fuit. Nota quanta mordacitate emphatica decurrat obiurgatio. *Pignora aliena*: ideſt *neglecta*, quia *non veſtra*: At *pignora*; hoc eſt *vobis credita*: quod autem in fide recipitur, fide reddendum &c.

CONTREMVIT NVTRIX. De Nutrice vide nuper dicta carm. 171. Exprobrationem audiſtis? æquum iam erat, vt eiuſdem effectum intueremini. Ideò *Contremuit*. Mare, præſentiâ, ac virtute prædominantis Lunæ ab imis vſque vadis agitari, perturbariq;, referunt Naturaliſtę omnes communiter: & quia etiam Principum maieſtas, ſubditos terrore complens, etiam ſi à rigoribus, ſupplicijſq; abſtineat, omnes tamen ſolo viſu perturbat, vt experientiâ ipſâ ſatis in comperto eſt; adeò Natura ipſa hominum viſceribus reuerentiam erga Principes, timoremq; indidit Iudicantium, dominorumq;: ideò ad hanc exprimendam maieſtatem, huiuſmodi fæcundam effectuum, Academicus quidam apud Picinel. Mundi Symbolici lib. primo Impreſſam ex Luna oceanum perturbante efformauit, addito lemmate: *Luceat non turbine*. Quod ſi ſerenum maieſtatis lumen, etiam ſine turbine, id efficit; quid, ſi turbine armetur iracundiæ? quid ſi vocibus iratis tonet? quid ſi fulmina moliatur; iam iamq; euibrantia videatur? Audi Bracciol. de Cruce lib. 32., qui cum Herintam deſcripſerit, quæ reum proditionis Dometem, manu arreptum, & ante Cæſaris tribunal conſtitutum redargueret, ac, ſi per Imperatorem lueret, pœnas polliceretur, ſe ab infami capite repetituram: ſic ſubinde effectum in reo deſcribit auditæ obiurgationis.

A queſto detto il miſero tremante,
Più ch' in foce de suo paluſtre canna,
Non può riſpoſta proferir ſonante,
Mà nella fauci ogni ſuo detto appanna;
E, col ſilentio, à danno ſuo parlante,
Confuſo, e meſto il ſuo faller condanna;
E, di morte dipento, e di terrore,
Ne sà negar, ne confeſſar l'errore.

Nil igitur mirum, ſi furente Cereris maieſtate, *contremuit* Nutrix, hoc eſt omnibus ſimul partibus tremuit: hæc enim vis verbi illius eſt, vt tremorem per totum corpus importet diffuſum, qui propriùs vtique extrema omnia timentis eſt.

ET MÆROR CESSIT TIMORI. *Clauus clauo truditur*; antiquiſſimum eſt, notumq; omnibus prouerbium. Sed & æquè notum puto, Animi paſſiones clauos eſſe, qui animam tranſuerberent, vt egregiè monuit D. Ambroſ. lib. de bono mortis cap. 5. dicens: *Clauus triſtitia, clauus iracundia, claui ſunt omnes paſſiones, quæ velut vero quoddam animam noſtram penetrant*. Clauo itaque clauum expulſum indicat Vates, dum mærorem inſinuat ceſſiſſe timori, & à timore expulſum receſſiſſe. *Et mæror &c.* cur in mæroribus verſaretur Electra patet, quia *ſyderea raptus lugebat Alumna*. Sed poſtquam Cererem iratam vidit, minitabundam notauit, ab Alumnæ infortunijs ad proprium conuerſa periculum, lugere alumnam deſijt, ſibiq; timere iam cæpit. Ideò *mæror ceſſit*. *Cedere* enim *ex loco diſcedere* eſt, illumq; alteri cedere. Mæror itaque è pectore ſeceſſit Electræ, illudque vexandum *timori* conceſſit. Porro timor metus eſt imminentis mali, quod ex dictis patet. Alij legunt, cum Heinſio, *mærorq; pudori ceſſit*, exprobrato ſcilicet ex ſcelere reſultanti. Vulgata tamen non diſplicet.

ET ASPECTVS MISERÆ &c. Qui aliena vel fraude, vel incuria ita in miſerias inciderint, vt in ignotum adhùc ærumnarum auctorem inuehi non poſſint, ſi in eos incidant, qui, neglecto munere, cui ex officio addicebantur, cauſam dediſſe videantur miſeriarum, facillimum eſt, vt eos, pro auctoribus, plectant. Hinc eſt, vt, licet prima fronte videatur hic textus compaſſiuum affectum importare; quaſi tanta fuerit Electræ pietas, vt, viſa Cereris afflictione, præoptauerit mori, quàm tali compaſſiuo affectu diſtorqueri: non ego facilè adeò, textum in hunc ſenſum detorquere, auſos fuerim: ſed potiùs dixerim, nomen *miſera* Cereri adaptatum fuiſſe, tamquam in ſe continens legitimam ſimul, & efficaciſſimam cauſam, ne Ceres ab iracundijs temperaret, & quibus armatas in ſe, ob non cuſtoditi pignoris iniuriam, vindictas non immeritò metuebat Electra. Coniunctio igitur & copulatiua non magis hic eſt, quàm cumulatiua, nam gradum præſtat ad intenſiorem timoris acceſſionem mirificè oſtentandam. Sicq; hic ſupra indicati vehementia amplificatur timoris, ac magis ſub oculis ponitur.

VELIT EMPTVM MORTE. Volo ſæpè ſæpiùs pro eodem vſurpatur, ac exopto: Sic Virg. Georg. 2. inſanum eſſe oſtendens deſiderium illud, quo quis fortè cuperet omnes reſcire vitium propagines apertè ait.

Sed neque quàm multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus &c.
Quem qui ſcire velit, Lybici velit æquoris idem
Diſcere, quàm multæ zephyro turbentur arenæ.

Emptum verò ab emo eſt notiſſimæ verbum ſignificationis; hoc autem vtitur Vates participio, vt indicet, tam intenſo Electram timore ſuperfuſam, vt non ſolum mori, optaret de præſenti; ſed iam ſe mortuam eſſe priùs, quàm iratam coacta fuiſſet Cererem intueri. Hyperbolicum profectò dictum; ſed quod modum non excedat mæroris exagerandi; nam certè interdum magis irata Iudicis facies terrorem incutit reo, quàm quælibet circumuolitantis mortis imago. Sic Argillanus ille apud Torquatum, Hieroſ. lib. cantu 8., ſeditionis reus, cum antea morti ſe inter arma obijcere non horruiſſet, viſa irati Imperatoris facie contabuit, & manus tradere lictori non erubuit.

Lampi, e folgori ardean nel regio aſpetto,
Mentr'ei parlò, di maeſtà, d' honore;
Tal ch' Argillano attonito, e conquiſo,
Temè (chi'l crederia?) l'ira d' vn viſo.

Sed, apud Bracciol. de Cruce, ſola ſuſpicio, qua verebatur Caliſirus, ſe à Patre deprehenſum, alienis tectum integumentis, dum ſe fœminam mentiretur, vix eum non exanimauit, vt canit Vates lib. 19.

E Caliſir, ch', in femenile ſpoglia,
Eſſer dal Genitor colto ſi ſtima,
Mancar ſentoſi il cuor, ſi come foglia,
Ch', al fin d' Ottobre, il primo verno opprima
Non sà che far, non sà che dir ſi voglia;
Chiuderſi brama in parte oſcura, & ima &c.

quod idem eſt, ac dicere, ſepulchro ſe cordi præaptaſſe, quàm Irati Genitoris faciem intueri. Nil igitur mirum, ſi & Nutrix hoc *emptum morte velit*. De Morte prout Dea inferorum putabatur, alibi diximus. Hic aſſumitur propriè, vt *vita priuatio eſt*, ſeu *anima à corpore ſeparatio*. Ponitur autem loco pretij cum verbo emendi, quia nil poteſt quis magis erogare quàm vitam, vt aliud, vt maius conceptum,

maluit

malum minori euitet malo. Et quidem in ſententia Stoicorum, & Academicorum aſſerentium, nil aliud mortem eſſe, quàm miſeriarum finem, atque à tempeſtatibus portum, tranquilla in ſtatione compoſitum, Mors induit rationem boni: quare iure Vates, ad huiuſmodi alludens ſententiam, Electræ vota in mortem priùs, quàm in iratum Cereris aſpectum ſuſtinendum, prona depinxit. Adde, quod magis vrget malum præſens, quàm abſens, licet futurum: ideò nil mirum, ſi Nutrix, ad euitandum malum præſens, præeligat abſens.

NON FERRE ASPECTVS PARENTIS MISERÆ. *Ferre* hic pro *tolerare*, *ſuſtinere*, ac *pati* ponitur. *Aſpectus* idem ſonat, ac *obtutus*; quare actiuè ſumendum eſt nomen, non paſſiuè; hoc eſt pro obtutibus iratis, quos Ceres ad terrendam toruâ Electram euibrabat. Sed quomodò *Parentis* dixit, cùm iam Partum Ceres haberet nullum? Certè pereunte termino, perit & relatio actualis Maternitatis, conſequenter & denominatio. Sed, licet non eſſet parens effectu, parens erat affectu, quo filiæ iacturam impatienter nimis iam ferret, ac non cuſtodientibus, ſupra modum, iraſceretur, ideòq. & *miſera* dicitur ex conflictu cordis mærore, luctu, atque iracundia, nimium æſtuantis.

LONGVMQ; IMMOTA MORATVR. De aduerb. *longum* vide dicta lib. 2. carm. 134. *Immotus* à moueo dicitur, præpoſita particula negantis *In*, qui non mouetur, ideòq. immota dicitur Electra, quia inſenſatæ ſimilem eam effecerat præſentis horror diſcriminis: quare *immota* hic ponitur pro attonita, ac ferè à ſenſibus abſtracta, ſeù intenſiori cogitatione defixa: & quæ, vt Italus diceret

Non ha voce, ne ſuon, ſenſo, ne moto.

Morari autem vſurpatur hic pro ancipiti animo hærere, ac, dubia mente, quid agendum, hæſitando perquirere.

EXPROMERE CERTVM FVNVS, AVCTOREM DVBIVM. *Expromo* eſt *enarro*, ac *pronuncio*. Et hoc eſt, quod ſupra, ex Bracciol innuebamus,

Non sà che far; non sà che dir ſi voglia.

nam poterat & ipſa dicere: in medio poſita, quo me vertam, neſcio: inter Iouem enim præcipientem, ne Raptor proderetur, & Cererem inquirentem, quo filia raperetur, hærebat: alliciebat ad reuelandum maternus amor, iuſtus iacturæ dolor, neceſſitas ſe ipſam ab exprobrata purgandi iniuria &c. Deterrebat autem vulgatum, initio huius lib., à Ioue edictum: ideò hæret *expromere*: hoc eſt, quærens intra ſe, quo pacto expromeret *funus certum &c.* Funus pro clade, ac funereo luctu ponitur: ſiuè etiam pro ſepulchro; nam verè ſepulta, licet viua fuerat Proſerpina, ſub terras in mortuorum regnum abuecta: Certum verò dicitur, quod extra omnem dubitationis aleam cernitur. Reuelare igitur optabat ſine ambagibus cladem; ſed optabat etiam expromere *Auctorem dubium*; ne Iouis decreta infringeret, ad pœnas vocanda: ideò dum hæret immota impenſiùs recogitat, quomodò prodat *Auctorem*; ſed per ambages. *Auctor* dicitur rei alicuius, qui illam efficit: quare dum *Auctorem raptus* memorat *raptorem* intelligit promere *dubium*. Vim contrapoſiti habet *funus certum*: *auctorem dubium*; hoc eſt *incertum*, vt & Matri morem gereret, & Iouis iuſſa non negligeret: inter quæ contraria hæſerat, ne incideret in Scyllam cupiens vitare Carybdim.

Sed dum illa hæſitat, nec modum reperit voces in reſponſum concinnandi; nos, nacti tempus, quam ex ambiguis certam, quo ad mores, directionem decerpamus, non hæſitanti animo perueſtigemus.

Sub Electræ nomine bonum Genium iam vidimus adumbratum, ſi opinionem ſpectemus Ethnicorum; tutelarem verò Angelum, iuxta Chriſtianæ documenta veritatis: eundemque dicebamus denotari ex Nutricis pietate, quæ

Sordida Sydereæ raptus lugebat Alumnæ.

&, de facto, mærentem, in ſimili caſu, cuſtodem Angelum inducit Bracciol., de Cruce lib. 10., in morte Amphimenis, quem, vt Ethnicum rapturi obſidebant Dæmones.

E 'l buon Angelo ſuo, che dal Natale,
Per hauerne cuſtodia al Ciel glo dieda,
Tacito ſe ne ſtà, chiuſo nell' ale;
E ſopra 'l letto addolorato ſiede;
Sapendo ei ben, ch' à liberar no'l vale,
Mentr' egli è fuor della Romana fede &c.

Huius igitur pietatem, quæ paternæ, maternæq; non ceſſit, incaſſum aggreditur Ceres, ſeù ſub nomine Cereris Ratio, quæ, cum ipſa ſibi defuerit, culpam tamen perditionis vel in Angelum refundere, quaſi minùs, quam par fuiſſet, in cuſtodiam fuerit intentus, nititur; ipſumq; quaſi in iudicium vocare auſa, vt rationem reddit commiſſi illi pignoris expoſcit. Interrogat autem, ſed impiè, num viuat Deus? Num, eo viuo, opera manuum ſic pereant ſuarum? &c. quaſi Cælum, Deumq;, non ſe ipſam afferat inculandam: & effectum perditionis Animæ quacumq; potiùs ex cauſa videtur adſtruere deſumendam, quam ex ſui ipſius incuriâ, ac ſecordiâ, ne vecordiâ dicam. Horret Angelus perditæ aſpectum, & timet, ne cuſtodia ipſa Angelica, ex huius impietate deficiens, humano generi infinuetur: Ideò rationem reddere aggreditur factorum, ac ſe ipſum expurgare, certum oſtendens luctum; incertum verò auctorem, quia, licet Pluto rapuerit, non venit accuſandus, eo, quod latrare quidem poſſit; mordere tamen, niſi volentem, non poſſit: & tunc demùm rapit, cum, Diuinæ lictor effectus Iuſtitiæ, ex eadem, iuſta iudicante, receperit rapiendi facultatem: Nec Iuſtitia ipſa culpabilis. quippè reos punire debeat ex officio; & ideò virtus ſit, dum puniat, & virtus laudabilis: Sed ipſam inculari noluit, aut Animam, Ratio, ſe ipſam ſeducens: ideò certus luctus; incertus Auctor exponatur. Aſt, dum anceps adhùc hæſitat, modum narrationis inquirens, Electra, nos Italicam ad intermedium Muſam excitemus.

Toſto ver lei, ch' in mar d'angoſcie ondeggia,
Cerere anſioſa il piè tremante affretta;
E s'eſaſpera tanto, e tiraneggia
Più fiero il duol, che d'ambi al cuor ſaetta:
Quindi à i ſoſpir dal ſoſpirar s'eccheggia;
E d'ambi è l'alma al naufragar coſtretta:
Mà poi, ch'io brieue calma, al fin, s'affiſſe,
Così Cerere all' hor proruppe, e diſſe.

Quai rouine ſon queſte, ond', improuiſo,
Mentre l'occhio s'offende, il cuor s'opprime?
Preda di qual Tiranno eſſer m'auuiſo;
O da qual man di ſchiauitù s'imprime
Nota funeſta ad vn' Ercinna in viſo?
Dimmi ſcuot' egli più ſcettro ſublime,
La sù nel Cielo, il mio conſorte? ò 'l regno
Del Titanio furor ceſſe allo ſdegno?

Ercinna cognomen Cereris ex Mythol. Nat. Com.

D' vo così cieco ardir qual mi s'addita
Moſtro ferace; e chi d' oprar ſi vante
Trama di morte, à noſtri danni ordita;
Se pur, trà Numi ancor viue il Tonante?
Forſe dell' Iſchia, al ſprigionar ſua vita,
Le rupi infranſe il gran Tifeo gigante;
E, con nuoue battaglie, al Ciel rubelle
Da noi comincia a funeſtar le ſtelle?

Forſe al Veſuuio, à cui languia ſoppoſto,
L'abbattuto Alcionio i fianchi aperſe;
E, rintracciando à ſue vendette il poſto,
Nel Toſco mar l'alte veſtiggia immerſe?
Varcò l' onde ſpumanti; e 'l petto eſpoſto
De flutti il torreggiar pur non ſommerſe;
Perche, preſane al fin l'oppoſta riua,
Gli ſpogli noſtri al ſuo trionfo aſcriua?

Squarciati ò pur del vicio Etna i gioghi
Sciolſer contro di Noi le furie antiche
D' Encelado il crudele; ond' ei s' arroghi
Del noſtro crine il calpeſtar le ſpiche?
O forſe quì fin da i tartarei luoghi
Giunſer de Briarei forze nemiche,
Che, co'l violar di queſti alberghi il chiuſo,
Pretendeſſero il Ciel render deluſo?

Doue, ahi, doue è mia figlia; oue s'inuola
La di queſt' occhi noſtri vnica luce?
Gia rintronò di mille ancelle: hor ſola
Libia deſerta in mia magion s' induce?
Doue l'amica ſquadra hoggi ſen vola;
Doue Ciane il piè fuggiaſco adduce?
E qual violenza al più diſgiunto polo

Puote

Puote ſcacciar delle Sirene il volo?
Queſta, queſta è la fè; queſto è l'affetto,
Ch'à noi ſi deue, e che giuraſte, inſide?
Così dunque da voi ſi cangia aſpetto,
Qual hor Fortuna il preſo crin recide?
Dunque io fidai nelle man voſtre il petto
Per trarne il toſco, ond'il mio cuor s'ancide?
Cuſtoditi così dal voſtro zelo
Reſtano i pegni altrui, pegni del Cielo?
A sì doglioſi, à sì ſdegnoſi accenti,
Paralitico moto aſsale, e ſcuote
D'Eletra il ſen, qual vibran l'alga i venti.
Cede il duolo al timore; ed ei gia vuote
Rende d'oſtro vital le vene algenti.
A morte, ella, ch'il ferro affretti, e ruote
Mietitor di ſua vita, appende i voti,
Pria che mirar dell'egra Madre i moti.
Mà (poiche ſorda alle ſue brame è Cloto)
Riſponder vuol; ne ſà qual norma imprenda,
Per ridir le rapine; e perche, ignoto
Chi rapì, non ſi ſueli; e no'l comprenda
Chi, più del fatto, aperto il brami, e noto.
Quindi fiſsa ne ſguardi, è, che ſi renda,
Qual ſaſso immota; e dal penſier perpleſſo
Non gl'è sì toſto il fauellar conceſſo.

Dum autem, quid dicendum recogitat Electra, nos quid tandem dictum ſuggerat Auctor, audiamus.

Vix tandem hæc: Acies vtinam veſana Gigantum
Hanc dederit cladem: leuiùs communia tangunt.
Sed Diuæ, multòq; minus quod rere, ſorores
In noſtras nimium coniurauere ruinas.
Inſidias Superum, cognataq; vulnera cernis
Inuidiæ: Phlegra nobis incenſior æther.
Florebat tranquilla domus, nec limina Virgo
Linquere, nec virides audebat viſere ſaltus
Præceptis obſtricta tuis: telæ labor illi,
Sirenes requies; ſermonum gratia mecum,
Mecum ſomnus erat, caſtiq; per atria ludi.
Cum ſubito (dubium, quonam monſtrante tenebras
Præſcierit) Cytheræa venit; ſuſpectaq; nobis
Ne foret, hinc Phęben comites, hinc Pallada iunxit.
Protinùs effuſo lætam ſe fingere riſu,
Nec ſemel amplecti, nomenq; iterare ſororis;
Et dira de Matre quæri, quæ tale receſſu
Maluerit damnare decus, vetitamq; Dearum
Colloquio patrijs procul abſentauerit aſtris.

VIX TANDEM HAEC: &c. Interrogationibus, per Cererem habitis, certè à Nutrice, quippè ſubdita interroganti, tergiuerſatione quamuis interpoſita, fuerat aliquando tandem reſpondendum; nec, ſine nota aut contumacis, aut infidi, aut etiam parricidiorum participis animi, poterat omninò reſponſio ſubticeri. Deſcriptâ itaque Nutricis perplexitate, eam tandem ad ſuperandam reſponſionis efferendæ difficultatem inducit Vates. Atq; adeò, dum ipſius ore, per Proſopopeiam, exprimit reſponſionem, totam rei geſtæ ſeriem breui narratione perſtringit; non neglecta tamen, quæ & in rem faciat, & poetici ſit muneris amplificatione: quæ in cauſa eſt, vt omnia iam geſta, pulcherrimâ, licet laconicè euibrata, hyppotipoſi oculis ſubijciat enarrando.

VIX TANDEM HAEC. Multiplici concuſſam affectu Electram iam vidimus. Mæror, quem, ob raptam Proſerpinam, conceperat, exigere videbatur, vt, ſicut prodita fuerat alumna, ita Nutrix Raptorem proderit: timor pœnarum, quas prodentibus Iupiter indiderat, linguam coercebat; ita vt, ſicuti Deabus in defenſionem armatis obſtitit reuerentia Patris; Sic Nutrici, rei euentum euulgaturæ, obſiſteret reuerentia præcipientis ſimul, ac ſuppliciorum metus: pietas in Matrem exigebat, vt plena interrogationibus reſponſione ſatisfaceret; religio in Patrem obſtabat, ne occultum reuelaret Raptorem: timor, ne in Matris indignationem offenderet, veritatem elicere, immò & extorquere nitebatur; ſed, vigilantes in crimina, pœnæ Tonantis imperata negligere non ſinebant: quarè nil mirum, ſi, tanto contrariorum æſtu detenta, *vix tandem*, remiſſa voce, ac ſpiritu, præ anguſtijs, ferè deficiente, eloqui potuerit, ſummo adhibito conatu, ne ad linguam accitæ voces iterum interirent: quæ omnia per particulas illas *vix tandem* exprimuntur, vt patet ex alibi circa eaſdem particulas dictis; & eo pacto, quo eamdem harum vocum energiam nouimus in vſum à Virg. redactam Aen. 10., vbi dolorem Euandri in morte Pallantis filij ſic exprimit:

Et via vix tandem voci laxata dolore eſt.

Et Aen. 2. Sinon, licet affectatæ difficultatis hyppotipoſim habeat, his iſdè particulis vtitur in eodem ſenſu emphatico.

Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus
Compoſito rumpit vocem, & me deſtinat aris.

In diſſimili autem Aen. 5. de Menete è gubernaclo nauis in profundum deiecto, & ſummis difficultatibus enatante ait Vates:

At grauis vt fundo vix tandem redditus imo eſt &c.

ex quibus locis ſatis conſtat, quantæ efficaciæ ſint huiuſmodi particulæ ad oſtendendas ſuperatas ſumma contentione difficultates propemodum inſuperabiles, vt in caſu noſtro

ex dictis emergentes. Hęc ſubintellige *verba retulit quæ ſequuntur interrogationi reſpondens*, quæ per Synecd. fig. aptiſſimè omnia reticentur.

VTINAM ACIES VESANA GIGANTVM &c. Habetur iam Proſopopeia Nutricis reſpondentis. Et primo quidem delet opinionem, in quam, per ſuſpicionem, ex anteactis contractam, videbatur Ceres deſcendere potuiſſe, nempè ex temerario Gigantum auſu cladem ſibi fuiſſe illatam; ita autem opinionem hanc refellit, vt oſtendat optabilius futurum fuiſſe, vt à Gigantibus diuexarentur. Ideo *Vtinam* aduerb. ſcilicet præoptantis; idem ſonans, ac *annuerent Cælum, facite Deus &c.* Sic Dido Æn. pri. deſiderium oſtentans habendi Aeneam præſentem inſit:

Atq; vtinam Rex ipſe noto compulſus eodem
Afforet Aeneas &c.

In ſenſu verò præoptantis, vt hic, habetur Aen. 3., vbi Achemenides paupertatis miſerias, in qua natus fuerat præoptans potiùs, quam pericula Cyclopum ſubijſſe ait:

Sum patria ex Ithaca comes infelicis Vlyſſei
Nomine Achemenides, Troiam, genitore Adamaſto
Paupere (manſiſſetq; vtinam fortuna) profectus.

Acies propriè ea eſt pars in ferro, quæ ita in acumen deſinit, vt ad cædendum aptiſſima ſit: transfertur tamen idem nomen ad ſignificandum exercitum inſtructum, paratumque ſtrictis enſibus in prælium, eo quod acuto ferro adſtet armatus: & in hoc ſenſu vſurpatur hic. Ex Titanijs, vel Giganteis inuaſionibus illatam ſibi calamitatem ſuſpicata fuerat Ceres. Electra ſuſpicioni occurrens negat miſerandam adeò futuram fuiſſe cladem, ſi omnes omninò, quotquot olim Cælo bellum intulerint, ne dum ſoli gigantes præcitati, creuntes irrupiſſent, ideoque præoptandam fuiſſe eorum commotionem. Idcircò *acies* nomine vſus eſt Vates, vt amplificata, quæ à Gigantibus inferri potuerit, calamitate, oſtendat, nihili faciendam fuiſſe, ſi cum ea, quæ de facto accidit, comparetur: & addit *Veſana* ad magis augendum periculum, quod inde timeri potuiſſet; nam *Veſanus* idem eſt, ac *Vecors, crudelis, furioſus*: nomine verò *Gigantum* omnes terræ filios amplectitur in Cælum olim coniuratos, de quibus latè Ouid. Virg., & alij, cum quibus & Auctor noſter, Gigantomachias concinentes. Nos de ijs ſatis lib. pri., in Ætna.

DEDERIT HANC CLADEM. Id eſt *hoc quod cernis exitium intulerit nobis*: nam *do* pro *infero* ſæpè ponitur.

LEVIVS COMMVNIA TANGVNT. Sententioſum dictum; quo reddit rationem, cur clades, etiamſi eadem, illata fuiſſet à prænotatis, minùs futura fuiſſet calamitoſa ex hoc ipſo, quod ab ipſis illata: quia videlicet *communia* (præintellige *infortunia*) nempè quæ omnium vel certè

multorum ſunt, *Leuius tangunt*: hoc eſt minori premunt tormento, tolerabiliorem infligunt plagam: *leue* enim dicitur, quod ſine pondere eſt: ſicut autem quod ponderoſum eſt grauat humeros, quibus imponitur; ſic infortuniorum acerbitas grauis, per translationem dicitur, cum intoleranter cor opprimit; leuis verò, cum nullius ferè momenti inferat oppreſſionem. *Tangere* verò dicuntur, translatè, quæ affligunt; nam afflictio vulnerum moleſta ſenſatio eſt, quæ & à tactu prouenit, & ad ſenſum tactus refertur ſenſus doloris: ſicque etiam afflictiones animi, dum vulnera animi dicuntur, *tangere* dicuntur, dum affligunt. *Communia* itaque *leuius tangunt* inquit Electra; & ideò tolerabilior foret, ſi à Gigantibus prouenißet Clades, quia non nobis tantum, ſed & cæteris Dijs, Deabuſque commune à communibus hoſtibus fuiſſet exitium nobis illatum: & nemo ferre recuſat ſortem, quam cæteri patiuntur omnes, vt ex Seneca notat hìc Barth. iuxta id quod vulgò iam circumfertur. *Solamen miſeris ſocios habuiſſe malorum*, & Penelopes hoc ipſum ſibi in ſolamen exoptat apud Ouid.

Et mea cum multis iuncta querela foret.

Inſuper, quod ab hoſtibus, licet grauiſſimum, patimur, leuius tamen animum pulſat, quàm ſi idem ab amicis pateremur. Sic Orlandinus, iam agens animam, dum genitorem precatur, vt occiſori ignoſcat, quam leuiter tangant, quæ, grauiſſima quamuis, ab hoſte patimur, meminit apud Sempronium Cantu 7. ſuæ Antiochiæ defenſæ ſic inquiens:

Nemico ei m'era, In che falliſce, ed erra
Nemico, ch'el nemico vccida in guerra?

Leuia igitur ab hoſte ſunt, quæ ſi ab amicis inferantur, intolerabilia ſunt. Ideò inquit Electra, leuiorem futuram fuiſſe cladem à Gigantibus, communibus vtique Deorum hoſtibus, illatam; tum quia alij etiam Dij futuri fuiſſent miſeriarum participes; tum quia ab hoſtibus tandem fuiſſet, à quibus non niſi hoſtilia ſemper expectemus.

SED DIVÆ &c, Subdit iam ex quo capite grauior ſit clades, intolerabilis luctus, exitium nullo vnquam ſatis conatu deplorandum; quia ſcilicet non ab hoſtibus, & hoſtiliter agentibus; ſed ab amicis, à ſororibus, quarum certè fuiſſet Alumnum, ad ſanguinem vſque, illibatam tueri, prodita illa fuerat, & in perniciem adducta. Per particulam itaque aduerſatiuam *ſed*, ab oppoſito in oppoſitum tranſit, nempe ab hoſtibus innocuis, ad ſorores nocentes; à minori negato malo ad maius, eo quod à ſororibus, afferendum malum. *Diuæ* pro eodem hic ponitur, ac Deæ; licet aliqui diſtinguant inter Deos, ac Diuos, vt alibi vidimus. Emphaticè autem nomen ingerit Dearum ad exagerandam proditionis acerbitatem. Primo enim *Diuus* idem eſt, ac *Sanctus*. En quanta hic oppreſſæ infelicitas Proſerpinæ, dum ad violandam ſanctitatem ſanctitas ipſa coniurat, & ſanctitas à ſanctitate temeratur. Secundo de feris nonne tanquam irrefragabile circumfertur, quod nunquam in propriam ſpeciem efferaſcant, ideòque feris crudelior dicitur homo, qui homini lupus fiat? Aſt hic non homo homini; ſed Dea Deæ inſidias ſtruit. Quid magis execrandum reſpectu inſidiantis? Quid miſerandum magis reſpectu circumuentæ atque in perditionem adductæ.

ET (QVOD MINVS RERE) SORORES. Per particulam coniunctiuam, ſeù potiùs, hic, cumulatiuam, *Et*, rei ferè incredibilis, quam expoſuerat, adaugens atrocitatem, aliud magis adhuc incredibile, adijcit: ſed per interpoſitam interlocutionem, parentheſi interclusam animum præparat auditricæ, dum fatetur, ſe incredibilia quidem, ſed veriſſima tamen enarrare: ideò *quod multo minùs* verùm, quàm, quæ dixerim, exiſtimares: *rere* enim à reor, quod eſt *cogito*, ſeù *mente concipio*, aut *ſuſpicor*: nam vix in mentem cadere poteſt facinus, quod omnem naturæ limitem excedat, atque ideò impoſſibile propemodum videatur. *Sorores. Diuæ*; & *Diuæ Sorores*. Vide quantum creſcat exagerati indignitas facinoris. Impium, horrendum, deteſtabile monſtrum habetur, etiam in terris, ſi quis à fratricidio non abhorreat. Ideò in ſacris litteris Cain, teterrima hac ſe labe pollutum conſiderans, mortem ſibi vndique imminere proſpiciens exclamauit. *Quiſquis inuenerit me, occidet me*. In profanis autem quis ab Ethoclis, & Polinicis mutuo, regnandi cauſa, interitu non abhorreat? Quod autem in terris impium habetur, anne admittendum in Cælicolis, ſine maximo impietatis titulo, quis ſentiat? Certè Caſtoris potiùs, ac Pollucis, pulcherrima fraterni amoris exempla extollere Cælicolum gloria eſt: atque adeò incredibile, quod Deæ ſorores in ſororis perniciem irruant coniuratæ. Ideò falſi faciem habere non renuit quod dicat, ſed vera ſe tamen dicere proteſtatur. De ſororibus vide dicta lib. 2. carm. 119. Nomine autem ſororum coniuratarum notat hic Venerem, Cynthiam, ac Palladem: nam, licet Venus tantum proditrix fuerit, quia ſecum fuerant aliæ, ab eadem pice inquinatæ reputantur ab Electra, iuxta effatum *pares cum paribus facillimè congregantur, & qui tangit picem, inquinabitur ab ea*: neq; enim viderat Electra Deliam, & Palladem in defenſionem irruentes, ex eo, quod effugerant Nymphæ ad primum prædatoris aſpectum, nec rei exitum videre ſuſtinuerant,

Diffugiunt Nymphæ. Rapitur Proſerpina curru &c.

CONIVRAVERE NIMIVM. De hoc verbo vide dicta lib. 1. carm. 39. Aduerb. patet ex dictis, & additum fuit, quia, vt arbitrabatur Nutrix, ad internecionem vſque conſpirauerant, nec ab inſidijs ceſſauerant, donec Alumnam in extremam vtique perniciem conieciſſent.

IN NOSTRAS RVINAS. Nutrix, cuius par pietas Cereri, ex transformatiua amoris vi, ita & in Matrem transformabatur, & in alumnam, vt communia ſibi, cum ipſis, infortunia quælibet reputaret: ideò in noſtras, inquit, ruinas, hoc eſt in noſtræ excidium domus.

CERNIS INSIDIAS SVPERVM &c. Effectum coniurationes indicat ſecutum, vt gradatim procedat, & talem profectò effectum, qui diſſimulari haud queat, cum excidia oculis patentia reliquerit. Ideò *Cernis* inquit, inchoatam iam, proſequens apoſtrophen. *Cernere*, hoc loco, *videre* eſt, & *oculis perluſtrare*, quæ iiſdem apertè ſubijciuntur. Et aſſertiuè hic ponitur, vt vides. Inſidiarum nomine propriè ſignificatur doloſa expectatio ad aliquem aggrediendum, decipiendum, & in perniciem adducendum, deducta denominatione ab inſidendis locis, quæ ad inſidias deligit, prædonum more, inſidiator. Hic tamen cauſa ponitur pro effectu, nempè *inſidias* pro excidio ad inſidias ſubſecuto, ex quo, tanquam ab effectu relicto, inſidiæ ipſæ percipi poſſent. Seù ponuntur inſidiæ pro doloſa operatione ex inſidijs peracta, quæ item in effectu eluceat conſpicienda. Ideo *cernis inſidias ſuperum*. *Superi* nomen eſt ſubſtantiuè vſurpatum, quo antonomaſticè cælorum incolæ deſignantur. Quare, in hunc locum, Parrhaſ. *ſuperum*, inquit, hoc eſt Dearum, de quibus ſupra dixerat, ſed Diuæ &c. Verùm, bona tanti auctoris venia, dixerim, me non videre, quomodò hæc explicatio ſubſiſtere poſſit; nam iam Electra diceret idem per idem, ſeù ſub diuerſis idem terminis repeteret, quod & nugatorium eſt, nec admittendum, vbi ſummatim res fuerat perferenda, vt certè in hac Electræ narratione, cum nec tempus, lacrymarum vtiq; potiùs, quàm nugarum, nec perſonarum conditio, alterius ſcilicet breuibus omnia ſcire peroptantis, alterius verò ſe breuibus expedire certantis, id permitteret. Arbitror itaq; Electram, hic, ſuccenſère Dijs omnibus voluiſſe, quaſi omnes in perniciem conſenſerint Alumnæ; atq; ideò dixiſſe: *cernis inſidias ſuperum*, indefinite Deos omnes, Deaſq; comprehendentem; non quidem, quia omnes, de facto, in Proſerpinam coniuraſſent, ſed ad magis ſeruandum intentionis ſuæ finem, qui fuerat certum funus, auctorem verò incertum exprimendi: hac enim poſita explicatione, & optimè ſeruatur congruentia ad intentum; & aliquid noui in oratione affertur, quo oratio ipſa gradatim creſcat, & augeatur, dum à fœmineo, quem ſupra incuſauerat Dearum ſexu, ad omnes indefinite Deos perſtringendos, in iudiciumque vocandos gradum facit. Quod ſi hæc noſtra explicatio non videatur omnino conſona perſonæ loquenti, quæ ſcilicet non debuerit in oratione ſua faciem mendacij præferre; memineris non adeſſe mendacium, vbi præciſiuè procedat elocutio; nam præſcindentium non eſt mendacium: ſed puram adeſſe æquiuocationem, quæ multiplicem appoſitè exhibeat intelligentiam, vt inuolucris dictionum tegatur, quod vetitum eſſet reuelare. Aliam tamen huc placet eiuſdem nominis *Superum* explicationem afferre: huiuſmodi enim genitiuus, per ſyncopem contractus, licet aptiſſimè ad textum, vt ex dictis patet, deriuari poſſit à recto *Superi*; non incongruè tamen deriuatur, vt arbitror, à neutro item ſubſtantiuo *Supera*, quod Cælum ſignificat, ſeù Cælorum ſphœras, vt patet ex Virg. Aen. 6. vbi referens locum Vates, vbi degerent Cybeles Nepotes, ait:

Læta Deum partu centum complexa Nepotes,
Omnes Cælicolas, omnes Supera alta tenentes.

ideſt Cælum habitantes, vt exponunt Interpretes ibi, ſeù diuerſas ipſius Cæli ſphœras. Aſſeruit igitur, *Superum* hoc eſt Cæli, ſeù eiuſdem ſphœrarum inſidias eſſe, Electra, vt, poſito continente pro contento, Iouem ipſum in filiam

cen

coniuraſſe tacitè innueret, iuxta dicta etiam à Latonia lib. pri. *Io, & summus genitor &c.* ſicq; & auctorem prodit, & incertum relinquit: quia verè auctor dici poterat Iupiter rapiendæ Proſerpinæ, dum ipſe eam Genero conceſſit; deſenſuras inhibuit Deas, & rubri fulminis Generum confeſſus alis, pacificè filiam ad inferos deduci, conſenſerat. Ad hæc itaque omnia reſpiciens, prudentiſſimus Vates æquiuocum illud nomen in os narrantis ingeſſit, vt ex multiplici explicatione, quam pati poſſet, implexum magis audienti remaneret id, quod tamen aperto ore declarari videretur.

COGNATAQ; VVLNERA INVIDIAE. Heinſius, reiecta coniunctione, & meliùs quidem, vt arbitror, legit: *Cognata vulnera cernis Inuidiæ.* Si tamen, cum vulgata, legere placeat, ſcineris adiectiuum *cognatus* à cognatione deriuari, quæ eorum dicit coniunctionem, qui vna communiter ſunt ea propagine nati: quarè *cognata vulnera* dicentur ea, quæ à conſanguineis inferuntur ijs, qui vno, eodemque genere ſunt nati: attributo effectibus, quod proprium cauſæ eſt, per metonym. *Cognata vulnera*, hoc eſt *à cognatis inflicta*. Si verò cum Heinſio, & mecum legas: *Cognata vulnera cernis Inuidiæ;* copulatiua per aſſintheſi omittitur, vt acriora fiant, quæ dicuntur. De cætero & eodem modo procedit explicatio, & inferiùs habebis ſenſum *cognata Inuidiæ*. Vulnerum itaque nomine angores animi mærores, ac luctus effectus vtiq; ſecundarios, ex primarijs, nempè ex doloſis actionibus Veneris inſidiantis, atq; ad perditionem inducentis prouenientes deſignat Electra. Nec nouum eſt, quod vulnus appelletur, per translationem, vehemens animi angor. Sic in caſu noſtro Ouid., Metam. 5., vulnus appellat dolorem intenſum, quem, ob Raptam Proſerpinam, & contempta ſui iura fontis à Plutone, conceperat Cyane, dum loco eſt. inquit ille:

> *At Cyane, raptamq; Deam, contemptaq; fontis*
> *Iura ſui mærens, inconſolabile vulnus*
> *Mente gerit tacita, lacrymiſq; abſumitur omnis.*

Sic Virg. Æn. 12. dolorem Iuturnæ, ob, prænunciatam illi à Iunone, Fratris Turni, quæ inſtaret, necem, vulneris pariter nomine deſignat.

> *. . . . . Sic exhortata reliquit*
> *Incertam, & triſti turbatam vulnere mentis.*

& ſic Quintil. lib. 6 dolorem ea orbitate prouenientem vulnus appellat, dum ſic loquitur in funere filij: *Illum in quo ſpem vltimam ſenectutis reponebam, repetito vulnere orbitatis amiſi.* Hæc vtiq; vera ſunt: ſed his tantum non detinetur perſpicacitas Auctoris noſtri. Vulnus igitur etiam pro indignatione, atq; inueterato ponitur odio, quod, Tytij vulturis inſtar, & cor nutrientis corrodit, & vlcerat; & vulnera in hoſtes euibranda perpetuò machinatur. In hoc ſenſu nomen vulneris vſurpatum reperies à Virg. Æn. pri., vbi ait: *Tum Iuno æternum ſeruans ſub pectore vulnus.* ideſt æternum in Troianos odium, vt patet ex contextu ibi. Eodem itaque in ſenſu, nec priore tamen neglecto, nomen vulnerum ingerit Electra, vt ſcilicet, eadem voce, & effectus excidij, angoriſq;, ac mæroris, & cauſam ſimul deſignet, nempè odium Cælicolarum, ex quo, illis, ſub pectore, mordicus inhærente, mortalis ad inſtar vulneris, orbitatis vulnera obuenerint, & Cereri. Iuxta hanc explicationem, & cauſa pro effectu ponitur, vt vides, & in cauſa collucet effectus. Nec mirum, quod plures ſenſus, vnica voce, complectatur oratio, quæ multa, paucis ſtudeat compilare, vt mox dicebamus. Patet autem vterq; ſenſus implicitus, & exponendus ex ipſo contextu, dum addit nomen *inuidia*: nam & *inuidia* vocabulum vtiq; ambiguum eſt, quod tam in eum cadit, qui inuidet, quam in eum, cui quis inuidet; atq; adeò duplicia illa vulnera infert, de quibus nos ſupra diſſerebamus, vt videas, ad vtrumq; vulnerum genus Poetam reſpexiſſe. Inuidia mæror eſt ea aliena proſperitate contractus: & ſi quæras ab Hor. quam valde torqueat, reſpondet lib. pri. Epiſtola 2.

> *Inuidiâ Siculi non inuenêre Tyranni*
> *Tormentum maius &c.*

Si verò inuidia conſideretur, reſpectu illius, qui inuidet, vipereum monſtrum dicitur à D. Baſil., viſcera gignentis corrodens, dum, Homil. de Inuidia, ſic habet: *Sicut viperas, dicunt, abrupto matris ventre, naſci; ſic & inuidia conceptam ſibi animam corrodere ſimul, ac tabeſcere ſolet.* Quantum itaque vulnus infligat inuidenti inuidia, hinc habes apertè. Audi tamen, quid dixerit iiſdem inhærens Sanazarus in Arcadia ſua Italica:

> *L'inuidia figliuol mio ſe ſteſſa lacera;*
> *E ſi diſtrugge com' Agnel per faſcino.*

Quarè eruditus ille, Impreſiam de Inuidia concinnaturus, viperam erexit ex vtero Matris prodeuntem, addito lemmate: *Gignentis viſcera vero.* Si verò conſideretur, reſpectu illius, cui quis inuidet, Baſiliſco eam comparat D. Baſil. cit. cum ait: *Inuidos, exiſtimant nonnulli, non ſolum videre alijs, ſed oculis etiam officere.* Quare aptabilem Inuidiæ cenſuit Picinel., & iure, Impreſiam a Ferro erectam, in qua Baſiliſcus cernitur, cum lemmate *proſternit intuitu*. Ex quo apparet, quam luculenta, etiam ſine vulnere, vulnera infligat patientibus inuidia. Quod autem de inuidia dicitur, prout mæror eſt ex aliena proſperitate contractus, pari paſſu dicendum non ambigo de odio illo implacabili, quod item nomine inuidiæ deſignatum oſtendimus ſupra; nam, etiam quo ad hoc, nomine ambiguo *Inuidia* vtitur ex conſilio Electra, vt vtrumq; ſignificatum, vna voce amplectatur. Sed dicet quis fortaſſis, & non ſine eruditionis oſtentatione: Inuidiam, quæ mæror eſt &c. atq: odiorum mater, ac nutrix in eos, qui proſperantur; & quæ magis propriè inuidentia dicitur, à nimium videndo proſperitatis in alijs, noſti, à peritioribus antiquis, per hydram, ab Hercule edomitam, ſymbolicè figuratam fuiſſe: huiuſmodi autem inuentum inde originem traxiſſe, autumat Pier., lib. hierogl. 16., quod, ſicut Hydra paluſtris fingitur, & ſordido è cœno nata pullulare; ſic inuidia non niſi in ſordidis, abiectiſq; animis reperiatur, & nidificet: quod in cauſa fuit, vt etiam Ouid. Metam. 2. Inuidiam in imis vallibus dixerit latitare.

> *. . . . . Domus eſt imis in vallibus huius*
> *Abdita ſole carens, non vlli peruia vento,*
> *Triſtis, & ignaui pleniſſima frigoris; & quæ*
> *Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.*

Ergo dici non debet, inuidiam huiuſmodi locum in cæleſtibus habuiſſe; nimis enim alienum hoc à cæleſtibus monſtrum; quod cum, in antris ſuis latens, vidiſſet Pallas, auertiſſe ab inuiſa faciem dicitur, deformitatem exoſa, apud Ouid. cit.

> *Concuſſa patuere fores: videt intus edentem*
> *Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorum,*
> *Inuidiam, viſâq; oculos auertit &c.*

Quid plura? Nonne Claud. ipſe, ore Iouis locutus, initio huius libri, inquit:

> *Haud equidem inuideo (nec enim liueſcere fas eſt*
> *Vel nocuiſſe Deos)?*

Arguta, vt fatear obiectio eſt. Sed memineris, præfatam fuiſſe Electram, ſe incredibile aliquid dictu, ne dum factu, dicturam. Non itaque mirandum fuiſſet, aut incredibile, niſi in Cælis monſtrum, Cælo prorsùs indignum, indicaſſet: ideò appoſite Inuidiæ monſtrum inſeruit Cælo: immò addam ego paradoxon augeri ex eo, quod Inuidia ipſa *Dea* dicta fuerit *nigra*, vt apud Lypſium Centuria prima Epiſt. 42., ideſt *Inferorum Dea*; nam Dij cæleſtes albis gaudere dicuntur; & tamen hanc nigram Deam Cælum indicat occupaſſe, vt ab impoſſibili, vt ita dicam, nedum ab incredibili oſtendat, quàm verè dixerit: *& quod minus vere &c.* dum incredibilia ſe, ſed vera tamen relaturam profiteretur. Quod ſpectat ad textum Auctoris noſtri; aduerte dictum ibi *non fas eſſe*, non autem non potuiſſe Deos abſolutè liueſcere. Ideò *Cognata Inuidiæ* optimè legit Heinſius. Quæ *cognata* dicantur, nouimus in explicatione vulgatæ: Iuxta Heinſium verò, *Cognata* additum *Inuidia* magis auget rei indignitatem illam, quam incredibilem dixerat, licet veram: idem eſt enim dicere *cognata Inuidia*, ac ſi dixiſſet, Cognatas, nempe ſorores Deas, ſeù cognatos omnes Cælicolas, non ſolum liuore Inuidiæ affectos: ſed in Inuidiam ipſam transformatos, vulnera inflixiſſe prædicta, nec infligere horruiſſe, quia Inuidia in ipſis, non ipſi: ſeu ipſi, non vt ipſi, ſed vt Inuidia per eſſentiam facti ea fuerant operati. Rectè igitur ex his ſubindè deducit.

PHLEGRA NOBIS INCENSIOR ÆTHER. Seù, vt Heinſius legit, *Infenſior*; quod dictum per Epiphonema eſt, vt quaſi ſtrictâ quâdam ſententiâ, ſe viriliter expediat Electra ab ijs pluribus, quæ contra Cælum ex facto requirerentur exagerationibus, ac peioris notæ, quæ dicenda fuiſſent, euitaret. Vbi nota patheticam narrationem, quæ innuit potiùs, quam enucleet, quaſi horrenda adeò, adeò miſeranda recenſeat, vt, etiam innuendo, nimium feciſſe videatur: nota indignantis energiam; & quàm altè aſſurgat oratio. *Æther* quid ſit, iam vidimus lib. 2. carm. 140. Sphœra ignis propriè eſt, ſed pro toto ponitur Cælo. Sed Cælum hic pro Cælicolis ponitur, continens ſcilicet pro contento. Deditâ tamen opera, ætherem potiùs, quàm aliam pro toto Cælo ſphœram aſſumpſit; quia videlicet, attentis excidijs, ab eo

deriuatis in Cererem, totum Cælum, irarum flammis ſuccenſum, vnica ignis iracundiæ ſphæra iam ab ipſa loquente cenſeretur: ideo *Incenſior &c.* *Infenſior* legit, vt dicebamus, & legendum omninò eſſe contendit Heinſius: ſed non video, cur à vulgata recedendum ſit. Quia *incenſior* latinum non eſt, inquit ipſe, in hunc locum. Sed nec video, cur latinum eſſe non poſſit, cum latinum ſit & *incendo*, & *incendium*, & *incenſus*, à quo *incenſior*. Eſto tamen apud Latinos in vſu non ſit huiuſmodi comparatiuum efformare: cur Vates innouatione verborum vti non potuerit, vt ſignificantiùs conceptum mentis, eruditum profectò, exprimeret? An non amplius onomatopeia Vatibus permittitur? bona igitur Heinſij pace, vulgatam libentiùs ſequar; nam licet *Infenſior* exercitium odij importet, actionemq; offenſiuam, quam non adeò aperte importat nomen *incenſior*; attamen hac voce cauſa pro effectu ponitur; & conſequens ex antecedenti conijciendum relinquitur. Adde, quod vox *Incenſior* eruditiſſimè ponitur; nam primò certè *incenſus ira* dicitur, qui odio in aliquem irruit perdendum: & ideò maximâ incenſi irâ dicti ſunt Gigantes, cum, Phlegræis in campis, bellum in Cælicolas molirentur; nam, præter ingenitas ipſis ex vi gignentis iras, nouis etiam ab eadem irata Matre Terra facibus vtique accendebantur; vt, apud Auctorem noſtrum, in eiuſdem patet Gigantomachia, vbi hæc ore Terræ;

O pubes domitura Deos, quodcumq; videtis,
Pugnando, dabitur; præſtat victoria Mundum:
Sentiat ille meas tandem Satu meus Iras.

Iras ſuas filios Gigantes, in bellum paratos, appellat? Vides quanto faciat æſtuantes iracundiæ incendio. Quod cum ita ſit: dum Vates Cælicolas cum Gigantibus comparat: inuidos cum inuidis; iratos cum iratis; conſequenter, translatè, incenſos cum incenſis profectò confert; &, cum Cælum maiori quam Phlegra incendio conflagraſſe dicturus eſſet, cur non optimè dixerit: *Phlegra nobis incenſior æther?* Secundò autem perpende Phlegræos campos ex ſulphurata, vt referunt Auctores, terra conſtaſſe; atque adeò ad concipiendum faciles ignem; quare nil mirum ſi tam facilè & Gigantes inibi irarum exarſerint igne, igneam facilè naturam ſuccendente. Cælum, vice verſa, potiùs eſſe ex materia igni reſiſtente, ſuadet hoc ipſum, quòd à ſubiecta ſphæra ignis minimè lædatur. Per contrapoſitum igitur Phlegra dicitur intenſior æther; quaſi diceret: æther, alioquin incapax incendij côcipiendi, iam magis in nos ardet, quam Phlegra, ſulphureis ſuis in incendium glebis adaptata: hoc eſt Cælicolæ, ex natura ſua, ad amorem, ac beneficentiam compoſiti, iam maiori in nos odio ardentes extiterunt, quam Gigantes ira geniti, iratumq; in Cælum fomenti compaginati. Vides quantam eruditionem explicet vox *incenſior*, quam cur Heinſius immutatam velit non video; quia certè multum luminis, eruditionis, ac ornamenti, ea immutata, textui detraheretur. *Nobis* datiuus damni eſt, vt patet, &, cur *nobis*, ſe ipſam Cereri adiungens, dixerit, ſatis conſtat ex dictis ſupra. Quid ſit Phlegra, iam attigimus; ſed, clariùs, Vallis, ſeu campus illa fuit in Valle Theſſaliæ, iuxta Pallenem, vbi Gigantes cum Dijs conflixiſſe dicuntur, Phlegra dicta à φλέγω, quod eſt *ardeo, inflammo, comburo*: dicuntur enim Gigantes, ibi, ignitis arboribus in Cælum euibratis, bellum cum Superis iniſſe; quare ex ignium collucentium multitudine *Phlegra* dictus eſt campus ipſe, quaſi inflammans, ſeu comburens. Altera autem Phlegra eſt in Campania, in qua, alij ſtetiſſe contra cælum Gigantes, fabulantur; Phlegramq. fuiſſe vocatam eo, quod igne plurimo, calidarumq. aquarum fluxu vndequaque ſcateret. Quare vides Phlegram, ſemper ab incendio dictam: ex quo nil mirum, ſi, incendium incendio comparans, dixerit Vates *Phlegra nobis incenſior æther*

FLOREBAT TRANQVILLA DOMVS &c. Ex Superum inuidia, & odio vulnera inflicta dixerat Electra: iam verò, ne temerè viderentur notas illas Cælicolis inuſſiſſe, iracundiæ fomitem, Inuidiæ cauſam ſubijcit, ſecundam videlicet domus Cereris proſperitatem commemorans: nam, vt vidimus, Inuidia mæror eſt ex aliena proſperitate contractus. *Florebat* igitur &c. quod decerptum aſſerit Heinſius ex illo Statij: *Florebant hilares, inconcuſſiq; Penates.* *Floreo* idem eſt, ac *vigeo, clareſco, emineo, excello*, & *emineo* & quia hæc omnia ſummam videntur fęlicitatem, ac proſperitatem adſtruere, *florere* pro eodem, translatè, ſumitur, ac viuidâ, vegetâq; frui proſperitate: translatum vtique ex Viridarijs deſumptum, quę tunc fęlicitatis ſedes reputantur, cum florum flagrât amęnitate. Inſuper *florere*, translatè item ſumitur pro *virtutibus omnibus, in vnum concurrentibus, abundare*; ſic D. Ambr., lib. 1. de Iacob c. 1., reddit rationem, cur Sanctus Patriarcha, Geneſ. 27., dixerit: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.* inquit, *erat enim perfuſus omnium flore virtutum*. Sic Sacra Sponſa in Canticis cap. 1., vt Sacrum ad ſe Sponſum alliceret, *Lectulus*, inquit, *noſter floridus*; ideſt multiplicatis refertus virtutum actibus, vt interpretatur Nouarus, in ſuis Euchariſticis amoribus, pag. mihi 140. Quare virtutibus in anima aggregatis dicari poſſet Impreſſa ex Viridario conſtans floribus conſito, ac lemmate appoſito *Suauius ſimul*. *Florebat* itaque (& in hoc ſenſu, dicitur ab Electra) *Domus* nempe Cereris familia, poſito continente pro contento; quia Proſerpina virtutibus inibi adaucta, Dominæ ad exemplum tota ſubinde famularium cohors componebatur, vt meliùs mox infra. Vides itaque verbum *florebat* ad duplicem referri ſenſum; nempè ad fęlicitatem, proſperitatemq;, qua fruebatur Familia, atq; ad virtutum aggregationem, qua copioſè cumulabatur. *Tranquilla* autem dicitur, per metaphoram, à pacato mari deductam, in qua ſcilicet ſumma quies, nullaq; adeſſet perturbatio. Ideò in Inuidiam concitaſſe præſumitur ab Electra Cælicolas ipſos: & ratio eſt, quia Inuidiæ proprium eſt, vt ait Plutar. in Moral. nouos homines, ac nuper euectos potiſſimum inſectari, eo quod, huiuſmodi homines ignotos quaſi cum habuerit, & deſpexerit, tolerare non poteſt, vt euehantur, & pares notis, ob antiquam quadam nobilitatem. Quod quidem in cauſa fuit, vt, per Impreſſam Canis, cum lemmate *Allatrat ignotos* Inuidiæ proprietas exprimeretur. Ceres æthera deſeruerat, ſeq;, ac filiam Siculas in oras relegauerat, vt ex lib. 1., & quidem non ſine aliqua Deorum, Dearumq; contumelia, cum ſcilicet Cælum deſeruiſſet, timens raptus à Dijs Proſerpinam amatoribus faciendos, eo quod eos Ceres deſpexiſſet, ac ſimul Deas, quæ Proſerpinam poſcebant in Nurum: quod profectò fomitem odio accendendo tribuere ſatis potuit, vel ſaltem aliquam ſubindignationem inflammare. Segregatas itaque Cererem, filiamq;, à cæteris Cælicolis, reſpiciebant iam Cælites, vt Deas ignotas, & nouam in terris Deorum Claſſem inituras: &, quia, his non obſtantibus, *florebat* tamen adhuc *tranquilla domus*; En incentiuum Inuidiæ in ignotam, nouamq; domum, quam pati non poſſent, extra Cælum, efflorescere. Secundò quia etiam ſi pares, eiuſdemq. generis ſit, qui efflorescunt, ſemper hæc florida proſperitas magnes Inuidiæ eſt, vt aperte innuit Petrus Franciſcus Spinula Mediolanenſis Poeta, lib. 1. Epigram., de ſe ipſo Inuidiæ ſui temporis expoſito loquens, dum ait:

Spinula ſi indoctus, miſer, & pauperrimus eſſet,
Non hunc morderes inuidioſa manus.

atque vt clariùs expreſſit, in ſuo Mundo Symbol. Picinellus, lib. 7. cap. 8., aſſerens Inuidiæ applicari poſſe Impreſſam Serpentis in Solem erecti, cum lemmate *Arduus in Solem*; eo quod Inuidiæ ſerpens, inquit ille, ex Lypſio, rabidus magis, ac ferocior in eos euibratur, qui magis conſpicui ſunt meritorum fulgoribus, ac virtutum coronamentis. Tertiò tandem, quia flores ſtellas Cæli æmulantur, licet non aſſequantur: quare Picinel. cit., lib. 10. c. 1., floridum Viridarium, quod in Impreſſæ corpus erexit, hoc animauit lemmate *Æmulantur non aſſequuntur*. Idem itaque fuit dicere: *florebat Domus*; ac dicere: fęlicitas noſtræ huius domus terreſtris fęlicitatem cæleſtis domus æmulabatur. Qui autem ſe potentiores, excelſioreſq; reputant, & tales eſſe cupiunt, non ſolum indignantur, ſi quis eorum aſſequatur celſitudinem, ſed etiam, ſi, irrito licet conatu, ſtudeant æmulari. Nil igitur mirum, ſi domus Cereris, Cælum æmulata, odium in ſe ipſam concitauerit, & Inuidiam Cæleſtium, quia *florebat*, & *florebat tranquilla*; ideſt non, niſi inuidiæ tempeſtatibus ſubuertenda. nam certè, *vt nauem interdum*, inquit Iuſtus Lypſius cit. Centur. 1. Epiſtola 42., *improuiſus vortex abſorbet, ſic homines Nigra Dea Inuidia, præſertim eos, quibus indoles melior, & ingenium ſupra annos*: quod vtique adamuſſim Proſerpinæ quadrat infortunijs, quę & indole inſigni, & ſupra annos ingenio præpollebat, vt nouimus ex lib. 1., atque ideò & illius cladi arbitror ſacrari poſſe Impreſſam nauis, ſubita tempeſtate pereuntis, cui Ferrus lemma illud appoſuit: *Vis inopina rapit*: qua Ferrus ipſe in cuiuſdam repentina, ac violenta, vſus eſt morte: & quam Picinel. cit. lib. 20. c. 8., turbinibus aptat Inuidiæ tranquillitatem repentè perturbantis, ac tempeſtate ſua nauem proſperitatis abſorbentis: iuxta quod exclamauit & olim Silius Italicus lib. 6. *O dirum exitium mortalibus, & nihil vnquam*

Creſcere, nec magnas patiens exſurgere laudes,
Inuidia &c.

De-

Denique *Florebat tranquilla domus*: quia nullo effrænatarum æſtu cupiditatum ea tranquillitas compellebatur in fluctus, vt ex dicendis patebit.

NEC VIRGO AVDEBAT LINQVERE LIMINA &c. Virtutes attingere incipit Alumnæ; & primò exponit eius in Matrem reuerentiam, & obſequium, quo Matris ad vnguem præcepta ſeruaret, *Nec Virgo &c.* Infelix eſt fęlicitas, quæ hominem reddit inſolentiorem, vt ex lib. Apophteg. habemus. Itaque Electra, vt veram, ac ſolidam fuiſſe oſtendat fęlicitatem, qua floreret Proſerpina, per negatiuam particulam *nec*, ab illa excludit imperfectionem, &, fęlicitate ſua non factam fuiſſe inſolentiorem indicat, dum Matris mandata non negligeret. Per nomen *Virgo*, antonomaſticè Proſerpinam deſignat; ſed tacitè innuit id, quod Virgini maximè cordi eſſe debet, nempe vt ſit ſera in publico: ideò Virgo; quia virum neſciens. Virgo; quia Virginitatis cuſtos, verecundiæ amans, ac modeſtiæ: ideò nec *au[debat] &c.* *Audere* eſt quaſi *audacter, & impudenter agere*. Et profectò impudentis eſt, ſi præſertim de Virgine loquamur, frequenter in propatulo eſſe; ſicuti modeſtiſſimæ Virginis eſt in intimis ſemper, remota à publico, penetralibus degere: ideò Proſerpina egredi liminibus non audebat. Virgo autem ſui, nec publico ſe exponens ea margarita eſt, quam qui inuenit homo, vendit omnia ſua, & emit eam; eo quod nouerit, nullum ſatis vnquam pretium eſſe, ad illius pretioſitatem coæquandam. Quare penetrali, hac gemmâ ditato, verè applicari poteſt Impreſia ex Conchiſio deſumpta clauſo, cum lemmate: *Gemma latet*: gemma ſcilicet cui omnia è Cælo gratiarum munera debeantur; vt optimè deduxit ex nomine, anagrammaticè inuerſo, non ſpernendæ eruditionis lumen, Pater Angelus Finardus Auguſtinianus, Prior, dum hæc ſcriberem, Conuentus S. Auguſtini Bergomi, conſobrinus meus, dum ex verbis: *Donna riſerata* per Anagramma purum, deduxit: *Nata [illegible] doni*: reticens per Synecd. fig. particulam *al*, quæ apponenda fuerat dicturo *Nata al [illegible] doni*. Ex continentia igitur Proſerpinæ amplificat tacitè, ex oppoſito, inclementiam Deorum, qui dona ab ipſis promerenti infortunia, ac plagas inflixerint. Ideò *nec audebat linquere limina*, hoc eſt *egredi domo*. Linquere enim *deſerere* eſt, ac *poſt tergum relinquere*. *Limen* verò, vt alibi vidimus, Ianuæ ea pars eſt, quæ pedibus teritur, & poſt tergum ab egredientibus relinquitur. Quarè conſequens pro antecedenti poſitum agnoſces.

NEC VISERE VIRIDES SALTVS. Pendet à verbo ſuprapoſito *audebat*, per adiunctionem figuram. Curioſitas, quæ ſemper appetit, quidquid noui afferatur, intueri, atq; ideo Curioſos facillimè impellit, & circumagit, maximè fœmineo in pectore ſedem fixiſſe videtur, iuxta ſenſum Apoſt. Timoth. 5. Cum itaque nouitas, & admirabilitas Ætnæi ruris, ſemper, vt alibi diximus, vireſcentis, gelu, flammiſq. non obſtantibus, quam maximum profectò Proſerpinæ incentiuum eſſe potuiſſet, ad huiuſmodi viſenda prodigia; præterquam quod innatum Virginibus eſſe videtur, vt quam maximè floribus, viridariiſq; delectentur, maxima indicatur fuiſſe Proſerpinæ virtus, quæ naturale hoc tam vehemens, deſiderium tandiù edomuerit, vt nec auderet *Virides inuiſere ſaltus*. *Viſere* eſt *ad videndum ire*, ſeu *viſum ire*. De ſaltibus vide lib. 2. carm. 5. Hic ponuntur pro toto Ætnæo tractu, qui, vtpotè perpetuo vere floreſcens, iure viriditatis notâ deſignatur: nam *viridis* à vigore dicitur, quo terra in germina, ac flores ſemper erumpit fœcunda.

OBSTRICTA PRÆCEPTIS TVIS. Rationem reddit, cur Proſerpina tam virtuosè ſe geſſerit; quia nempè obedientia præceptis præſtita maternis cæteras in illa virtutes inſeruerat. Obſtringo, à quo partic. *obſtricta*, idem eſt, ac vinculis quaſi quibuſdam irretitum detineo. Vinculorum autem vices gerit obedientia in obſeruante, nam enim à præcipiti quocumq; detinet lapſu. Præcepta verò, à verbo præcipio dicta, iuſſa ſunt, ſeù ordinationes, quibus obtemperamus. Alias hæc Matris præcepta, monitorum nomine, deſignauit; nam ſuperiores, ac præcipuè genitores, monendo, præcipiunt. Per poſſeſſiuum autem *tuis*, quod ad Cererem refertur, Laus eiuſdem præcipientis importatur, quidquid enim boni operata fuerat filia, Prudentiæ matris attribuitur dirigentis.

TELÆ LABOR ILLI. Otium fontem eſſe vitiorum nemo dubitat: ideò probè inſinuatur Proſerpina ab otio abhorrens, vt in nullo eratſſe, antequam Venus aduentaret, ex hac ab otio fuga oſtendatur; ſed immò ad virtutem ſemper, quæ in actione conſiſtit, incubuiſſe aſſeratur. *Labor* itaque exercitium tàm mentis dicitur, quàm corporis, è quo otioſæ mentis inanitas eliminatur. Vtrumq; cordi Proſerpinæ fuiſſe oſtendit Electra, dum inquit: *Illi labor telæ*, nempè erant; nam tanti operis telas, nec ſine ingenij, nec ſine manuum labore effici potuiſſe conſtat ex deſcriptione earumde telarum, quam habuimus lib. pri. carm. 246. & ſeq.

SIRENES REQVIES. Quo oblectamento detineretur, ſi quando à labore ceſſaret, iam oſtendit: nam, ſi vera eſt Ouid. ſententia, quam Epiſtola 4. inquit:

Quod caret alterna requie durabile non eſt:

non ſemper debuit texendi labor Proſerpinam fatigare; ſed requies alternanda labori. Requies autem, vt alibi vidimus, eſt ceſſatio à laboribus: quare in hunc locum Parrhaſ. inquit: *Quando animũ relaxabat ſir[enum] cantibus mul[c]ebatur*. Verùm non ego hic *requiem*, pro ſola ceſſatione à laboribus acciperem, ſed pro aliquo oblectamento poſitiuo, quod, non ſolum, labore peracto, ſeù intermiſſo, ſed interdum, etiam in ipſo laboris exercitio, & animum reficeret, & vires etiam corporis quoquo pacto inſtauraret. Itaque dixerim potiùs, per verbum *erant*, quod ſubintelligi ſuperiùs diximus, identitatem exprimi inter Sirenas, & Requiem, ita vt ſenſus ſit, quod ipſa Sirenum ſocietas Alumnæ requies eſſet, eiuſdemque virium inſtauratio. Sic Amans amatam vocare ſolet *requiem ſuam, ſolatium ſuum, dulcedinem, inſtaurationem ſuam*: &, vniuerſaliter loquendo, amicorum conſuetudo *requies* dici ſolet conuerſantium: ait enim Seneca, lib. de Ira, c. 7., *non tam valetudini profuit vtilis regio, & Cælum ſalubrius, quam animis parum firmis in turba meliorum verſari*. Adeò itaque delectabatur conſuetudine Sirenum, ac muſica, quam ipſæ exercebant, Proſerpina, vt *cum ipſis ſuam* illa *requiem* arbitraretur; ideòq; nullas ab extra ſociarum conſuetudines appetebat.

SERMONVM GRATIA MECVM. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vt igitur optimos, oſtenderet, Alumnæ mores, corrumpi prauis non potuiſſe colloquijs, aſſerit eam non niſi ex Nutricis colloquijs voluptatem deſumpſiſſe: *ſermones* enim dicuntur verba, quæ inuicem fiunt, quæ & colloquia dicuntur. *Gratia* verò hic venuſtatem, illecebram, ac voluptatem ſignificat colloquendi.

MECVM SOMNVS ERAT. Diù, noctuq; cuſtoditam à ſe Proſerpinam aſſeuerat, vt refellat opinionem de ſe male conceptam à Cerere, & quam expreſſerat inquiens *Haeccine veſtra fides &c.* Interdiù quidem, vt patebit ex ijs, quæ ſubdet, *caſtiq; per atria ludi*; & etiam ex ſupra dictis: *Sermonum gratia mecum*. Noctu verò, dum commune ſecum cubile aſſerit habuiſſe, vt, ne per ſomnum quidem, incuſtoditam relinqueret noctu; idem enim eſt dicere *Somnus mecum erat*, ac dicere mecum dormiebat.

CASTIQ; PER ATRIA LVDI. *Cautiq; per atria ludi* legit Heinſius. Mihi à vulgatâ recedere nequaquam libet: nam ſi *caſti* certè *cauti*: & inſuper correſpondet ſic adamuſſim, ijs, quæ ſupra dixerat, vbi Virginei mentionem intulit ludi carm. 162. Qui nam autem eſſent iſti ludi, quos ibi Virgineos, hic caſtos appellat, ſatis ibi docuimus. Oſtendit itaque, coram nutrice ſemper Proſerpina, quidquid ageret, egiſſe: & *per atria*; Ideſt intra ſepta propriæ domus, cuius quænam pars *atria* ſint, ſæpè vidimus.

CVM SVBITO &c. Quid tandem tantam domus euerterit tranquillitatem, aggreditur, recenſere; explicatque dolos illos, arte Veneris concinnatos, quos lib. 1. innuerat Iupiter inquiens: *Cogeminis armata dolis, &c.*, & quos repetit, ſed non explicat initio 2. Vates vbi ait: *Prima dolo gaudens &c. Io Venus &c.* *Cum* aduerb. temporis eſt idem, ac quando: hoc eſt *florentis hoc in ſtatu res erant*; *quando &c.* *ſubitò* idem ſonat, ac ex tempore, ex improuiſo, ex inſperatò: neque enim, venturam Venerem, ſuſpicari potuerant, eius in locum, quem omnibus ignotum, quippè humilis, neglectoque in ſecoſſu latentem, exiſtimarent: atque, hunc ſenſum Vatis fuiſſe, indicant, quæ per parentheſim, immediatè interponuntur.

DVBIVM, QVO MONSTRANTE &c. Naturam indirectè innuit ſimul, & carpit ſpeculatoriæ, ſeù exploratoriæ artis, quæ ſemper quam maximè latere ſtudeat: nam, ſi non lateat, pretium ſuum, ſeù oleum perdit, & operam: ideòque impoſſibile eſſe inquiunt ab exploratoribus cauere, cum, tanquam aliud ſemper agentes, conſilijs, nedum verbis, ac factis ſemper immineant, nec agnoſcantur. Ideò *Dubium* (ſubintellige *eſt*) incertum eſt; neſcimus, *quo monſtrante*; (ſupple *quo exploratore monſtrante*) per ſextum, caſum abſolutè poſitum, hoc eſt, quaſi digito oſtendente, ac patefaciente.

PRÆ-

PRÆSCIERIT TENEBRAS. *Latebras* legit Heinſ., & vt fatear congruenter admodum ad ea, quæ ſuperiùs dixerat Ceres domum ſuam latebrarum nomine deſignans. *Timeo ne fama latebras prodiderit &c.* & clariorem etiam, nec negauerim, inducens intelligentiam. Verùm nec vulgatam damnauerim; nam ſicuti Ceres ſupra dixerat, poſt locum cit. immediatè. *Alias ſedes obſcuras tris exquirenda mihi &c.* cur non, hoc loco, obſcuram filiæ ſedem, tenebrarum nomine, deſignare potuit Nutrix? Cur, ſicuti ſcelus ponitur pro ſcelerato per metonym., non potuit Electra *tenebras* dicere pro ſede obſcura, ac tenebricoſa, hoc eſt, remoto in loco, disiunctoque à cæteris poſita, vt faciliùs ignota delitеſceret? Facilitatis tamen gratia, ſi *latebras* legere malis, non renuo: & de latebris vide dicta loco nuper cit. *Præſcire* autem ex *præ*, & *ſcire* compoſitum eſt. Et alludit hoc verbo Vates ad axioma *nil veterum quam præcognoſcas*: nam, ſi Veneri ſtatuendum fuit, vt veniret in domum Cereris, certè *præſcire*, hoc eſt *ante ſcire* debuit, quo nam loco degeret &c.

CYTHEREA VENIT. Subintellige *ad nos*. *Venio* autem ponitur pro *peruenit*: in quo ſenſu eodem vtitur verbo Anchiſes Æneam alloquens, apud Virg. Æn. 6.

Veniſti tandem; tuaque expectata Parenti
Vicit iter durum pietas, ...

De Cytherea verò vide dicta lib. 2. carm. 119. & clariùs lib. 1. carm. 225.

SVSPECTAQVE NOBIS NE FORET &c. Dolos iam enucleare aggreditur, quibus Veneris artes, & aſtus illudere illis potuerunt: & quia, qui ſemel eſt malus, ſemper præſupponitur malus in eodem genere mali, dolo tribuit Electra etiam id, quod vere dolo ſum non fuit; cum non ipſa comites elegiſſet, ſed iuſſu Parentis, ſe ſe illi comites adiunxiſſent, & Pallas, & Diana; vt ex lib. 1. Potuit id tamen dolo attribui, ſpectata intentione Veneris, quæ libenter huiuſmodi comites admiſerit, vt fidem ſibi adiciſceret, nec timeretur, cum talibus aſſociata Virginibus, ad Virginem pergeret. Ideò *Ne foret &c.* Particulam *Et*, aduerbium hìc ſcilicet ordinis, omiſſo, vt iam notam ex alibi dictis: *Ne*, hoc loco, adiunctiua eſt idem, ac *vt non*. *Foret* idem, ac eſſet. *Suſpecta nobis*.

Militat omnis amans: habet & ſua caſtra Cupido:
Attice, crede mihi, militat omnis amans.

inquit Ouid. Quod ſi quæras a Xenophonte, quid bello vtile præſertim ſit? *Dolus vti*, reſpondet in Hyparco: & Ageſilaus, apud Plutarchum, dicere ſolitus fuerat, hoſtes in bello, fallere non iuſtum ſolummodo, valdeq; glorioſum; ſed etiam ſuaue, & lucroſum eſſe; cuius rei rationem reddens Lypſius, de militia, cap. 20., *Latiſſimus eſt*, inquit, *campus ſtrategemmatum; & non alia re, plures victoriæ, ac trophæa parta*. Quis itaque accedentem ad ſe intuens Venerem, cupidinis vtique caſtrorum, amatoriæque militiæ ducem, & anteſignanam, eam de dolo ſuſpectam non habuerit? Hoc autem optimè notum ipſi eidem Veneri fuiſſe, indicat Electra; atque ideo, ad eludendam ſuſpicionem, quam, de ſe accedente, concipere poterat virgo, & Virgine ſagacior Nutrix, ad dolos memorat confugiſſe, *ne foret ſuſpecta*; hoc eſt, ne ſuſpicionem conceptæ proditionis ingereret *nobis*, nempè & Alumnæ, & mihi ad Virginis cuſtodiam, Heſperij inſtar draconis euigilanti.

IVNXIT COMITES. Subintellige *ſibi*, vel *lateri ſuo*, quod per Synecd. fig. reticetur. Exponit iam autem, quo dolo, Venus vtriuſque vigilantiam eluſerit, propriam obtegens fraudem: dolus verò fuit, vt ſe etiam amantem effingeret virginitatis, cum iam virginibus ſtiparetur, ad hoc, vt Proſerpina, pudicam ad ſe Venerem crederet acceſſiſſe, quæ ſecum Pudicitiæ duceret aſſertrices: & nutrix nil auſuram in Virginem ſuſpicaretur Venerem, quæ non iam ſolitudinem quæreret, vt proprium laſciuientium eſt, ſed immò ijs ſtiparetur Virginibus, quæ acerrimam ex ipſa ſumpturæ pœnam eſſent, ſi quid coram auſa eſſet in Virginem. Diodorus lib. 5., vt refert in hunc locum Parrhaſ., tradidit, Dianam, & Mineruam Proſerpinæ contubernales fuiſſe, in Sicilia, & illic vnà flores legere ſolitas, & veſtem Ioui vnanimes contexuiſſe. Diſſentit porrò Claud. à Diodoro, vt patet, tum ex textu ipſo euidenter, tum ex dictis lib. 1., vbi oſtendit, Veneri addictas comites, iuſſu Iouis, cum Proſerpinam eſſet aditura. Et quidem, congruenter ad principia ſua, diſſentit a Diodoro Vates; nam, cum Ceres, per ipſum, filiam ſiculas in oras relegauerit, ne raperetur à Phœbo, aut Marte, olim pro Virgine decertantibus, cum poſcerent & Iuno nurum, & Latona; incongruum fuiſſet, ſi Filiæ contubernales eſſe Latoniam, permiſiſſet, aut Palladem, quæ ſemper in ſuſpicione futuræ eſſent, ne Procis fauerent; Latonia quidem a Matre ſollicitata, & Fratre; Pallas verò conſimili armorum genio adducta, vt Marti patrocinaretur. Ideò, vbi vulgata legit; *iunxit*, alij, cum Heinſio, legunt: *duxit*; aptiùs profectò, ac clariùs, ad ſententiam Auctoris, idcircum à Diodoro diſcrepantem, indicandam. Si tamen cum vulgata legas, noueris antecedens poſitum pro conſequenti; nam priùs eas ſibi ſocias aſſumpſit, ſubindè ſibi iunctas dixit *Comites*. De ſignificatione huius nominis dix., lib. pri. carm. 230. Tantum nota, Poetam ibi, iuxta veritatem dixiſſe *Adiunxit ſe comites &c.* Hic verò, iuxta ſuſpicionem Electræ loquentis, cuius perſonam induat, & ſenſum ſequatur, dixiſſe, *Iunxit ſe comites &c.* Nec inuicem hæc pugnant loca, cum, reſpectu diuerſorum, diuerſificetur locutio.

HINC PHOEBEN, HINC PALLADA. *Hinc*, & *hinc*; hoc eſt ad dexteram, & ad ſiniſtram, ita vt ijs media Venus incederet. *Phœbe* dicitur, Phœbi ſoror, Diana; *Pallada* verò dixit, pro *Palladem*, græco more, per helleniſmum. Nos de vtraq;, & lib. pri., & lib. 2., fuſè diſſeruimus. Hic tantum nota, quam enixe ſtuduiſſe Venus exponatur, vt virgineis vndiq; ſtipata coronamentis appareret: hinc, inde enim Virgines dicitur habuiſſe, quaſi, quo ſe cumq; verteret, in virginitatem incidere gauderet, laſciuiarum oblita, vt fortiùs in virginem inſurgeret. Sic Caper; in hoſtem irruens, retrocedit, vt violentiùs irruat: quarè ex illo, ſic ſe componente, Impreſiam extruxit Picinel., cum lemmate, *cedit, vt cadat*, deceptorem, proditoremq;, hoc ſymbolo, expreſſurus. Et ſic Venus, vt aptiùs falleret, ceſſiſſe iuri ſuo, inter Virgines gradiens, oſtenditur, non quod ceſſerit, ſed quod cederet, vt cæderet. Ab inquieto ſæpe ſimulatur quies, inquit Seneca in Oedip. act. 3., ex quo prouenit, vt qui cauet, ne decipiatur, vix caueat, cum etiam cauet, & ſæpè, cum, caui ſſe ſatis, ratus eſt, is cautor captus ſit, vt inquit Plaut. Aſtum itaque Veneris accedentis affabrè depingit Electra, vt, non ſibi imputandum, quod deceptæ fuerint, adſtruat; ſed aſtui dandum Veneris, quæ, quaſi vulpis, adfuit, quæ ſe mortuam effingit, vt deceptas aues faciliùs decipiens rapiat accedentes, ac deuoret; vt eidem, ſic in impreſia erectæ inſcripſit eruditiſſimus ille Academicus, nempè *Rapit, & deuorat eſto*.

PROTINVS &c. Doloſas Veneris artes, per hyppotipoſim, ab adiunctis, & circumſtantijs deductam, oculis ſubijcere, proſequitur: & primo quidem notat, nullam dolis nectendis moram interpoſuiſſe; ſed ſe ipſam in dolos concinnaſſe *ſtatim ac* (nam id ſonat aduerb. *Protinus*) Proſerpinæ congreſſum iniji: atq; adeò præludia hic omnia notat Electra.

FINGERE SE LÆTAM. Vidimus ſupra, Deos omnes de Inuidia inſimulatos, quaſi ex nimia familiæ Cereris proſperitate angerentur. Hic oſtendit Electra, accuſationem, à ſe ſupra genericè expoſitam, in Venerem præſertim collineaſſe, dum dicit; *finxit ſe lætam* (nam *fingere* poſuit pro *finxit* per enalagen) quod maximè inuidorum eſt: qui, cum fel intus habeant, exteriùs melle condiuntur: quarè, apud Picinel. Mundi ſim ſymbol. lib. 9. c. 12., Inuidi, & adulatores, qui ſcilicet lætitiam, & amicitiam vultu præferunt, corde verò liuorem nutriunt, & odium; atq;, oretenus dum laudant, corde moliuntur proditiones, ad quas melliſluis vocibus incautos præparant, per hederam, impreſiæ corpus efformantem, exprimuntur, addito lemmate *Exteriùs viredis, cætera pallor habet*: iuxta Catonis ſententiam inibi cit. qui, cauendum maximè, præcipit ab huiuſmodi illecebris, dicens:

Sermones blandos, blæſoſque cauere memento:
Simplicitas veri forma eſt; fraus ficta loquendi.

Non decipiebatur autem Electra Venerem Inuidam deſignans; nam, iuxta Ouid. Metam. 5. Venus Inuidiæ ſuffuſa liuore, quòd Virginitatis gemmam, in Proſerpina floreſcentem vidiſſet, eius ſplendorem denigrare aggreſſa, ſic filium, vt alibi adnotauimus, vrget, vt ipſe opus peragat, quod ipſa moliebatur, *Cereris quoque Filia Virgo,*

Si patiemur, erit; nam ſpes affectat eaſdem.
At tu pro ſocio, ſiqua eſt ea gratia, regno
Iunge Deam Patruo &c.

Quarè nil mirum ſi eidem inuidorum etiam proprietatem tribuat fingendi; nam *fingere* eſt componere: idcoque *fingere ſe lætam* eſt ſe ad lætitiam exhilarato, per ſimulationem, vultu componere. *Lætus* verò, à dilatando, dicitur, qui gaudium aſpectu promens, dilatare quodammodo

fa-

faciem videatur, & quam obductam mæroris gerebat nubibus, aperire, atque ad ſerenitatem deducere. Læta fuerat Proſerpina, vt vidimus lib. pri., dum canentem audiuimus; quare Venus ſe illi ſtudet aſſimilare, vt faciliùs decipiat; nam proditoris, & adulatoris eſt iis indui coloribus, quibus ille, cui adhæret coloratus exiſtit. Sic Polypus, qui in varios colores, iuxta verſicoloratum ſcopulum, cui adhæret, mutatur Impreſſa, adulatoribus apta, fuit, cum lemmate *mi coloro al color del mio ſoſtegno*. Et Polypus ipſe ab antiquis profectò Veneris adſculpebatur ſimulacris, vt apud Pier. lib. hierog. 27., vt ſciremus, non alienam ab ipſa Venere exprimenda impreſſam eſſe Polypi ſuprapoſitam; quæ ſcilicet omnibus omnia fiat, ſed vt omnes perdat. Ideò, cum læta, ſe lætam fingit, Proſerpinâ.

EFFVSO RISV. *Riſus effuſus*, per tranſlationem, dicitur immoderatus ridendi actus. Verum, non in hoc ſenſu, arbitror vſurpatum à Vate noſtro huiuſmodi participium; ſed in ſtricta ſui verbi ſignificatione, ita vt idem ſonet, ac *extra fuſo*, vt indicaret, riſum quidem in ſummis labris Veneri adſtitiſſe; ſed in extrinſeco tantum exultaſſe; at nequaquam ex corde profuſum fuiſſe, cum illic dolus, ac venenum inuidiæ mærorem potius enutrirent. Quare riſus ille Veneris dici potuit *riſus plorantis*; ſicuti à Poetis *riſus plorantis Olympi* dicitur Iris, quæ, cum apparentibus tantum coloribus, omni prorſus realitate carentibus, veſtiatur, ſymbolum adulatoris, ac proditoris, & præcipue Veneris eſſe poteſt, cuius delitiæ omnes in ſola apparenti ſimulatione conſiſtunt; & mærorem inducunt, dum ſolantur.

NEC SEMEL AMPLECTI. De mundanis voluptatibus ait Petrus Cellenſis lib. 2. Epiſtola pri. *Monſtra huius faciet blanda, vt decipiat; ſed in poſterioribus aculeum circumfert Scorpionis, vt perimat.* Et, in eadem ſententia, Marinus noſter, tertia Lyræ ſuæ parte, hæc habet:

Ahi che con frode inſidioſa, e rea
Il Mondo menzognero alletta, e inganna;
Cuopre il toſco di mele, e 'l fiel di manna;
E promette Rachele, e poi dà Lea.
Non ſi creda à ſuoi vezzi, aduli, ò finga;
È monſtro di pianto all' hor, che ride;
E ſi ſtudia creder, menzr' ei luſinga.
Così, s'auuien, ch' altrui, con arti vcide,
O Vipera, ò Scorpion lambiſca, ò ſtringa,
BACCIANDO MORDE, & abbracciando vcide.

quæ omnia Veneri adamuſſim aptari poſſe, non dubitem, ſi tantum, in ſecundo carm., pro *Il Mondo menzognero*, modico flexu, dixeris *Venere menzognera &c.* & in primo item ternario *Monſtra* dixeris, vbi ille *Monſtro &c.* nam, cum Mundi voluptatum prima Venus miniſtra ſit, illi maximè conuenit, quidquid de voluptuario dixeris Mundo. Quod cum non ignorauerit Auctor noſter, Venerem in amplexus pronam deſcribit, dum fraudes innecteret, exitiumq; moliretur; quaſi, de illa erigendam, tacite innuerit, impreſſam Scorpionis, brachia in amplexum, caudamq; in vulnus entendentis, cum lemmate *Amplexatur vt perdat*. Verè enim amplexus Veneris tales ſunt, quales adhibuit Ioab, cum Abner, inter amplexus interemit. Sampſonem non fregiſſet Dalida, niſi eum amplexibus detinuiſſet. Exagerat itaque, hoc pacto, malitiam Veneris Electra, & fraudem amicitiæ obtectam indicat velis, vt nil mirum, ſi fidentes deceperit, cum vulgatum ferat axioma:

Da chi mi fido mi guardi Iddio
Da chi non mi fido mi guarderò io.

Iteratos autem fuiſſe amplexus notat, per particulas *Nec ſemel*, vt non ſimplicem, ſed multiplicem, Veneris fraudem fuiſſe oſtendat.

NOMENQ; ITERARE SORORIS. Perfidiam perfidiâ cumulat; & ſub Hyænæ ſpecie Venerem alluſiuè delineat; ea enim eſt perfida Hyænæ natura, apud Plin. lib. 8. c. 30., vt voces humanas imitata, incautos homines e tectis humaniter euocet, vt crudeliter deuoret: cum itaque & Venus euocatura eſſet è tectis Proſerpinam, vt perderet, nil mirum, ſi ſororis nomine, ſæpiùs repetito, vtatur, humaniter ſcilicet euocans, vt crudeliter opprimendam exponeret. Particula igitur *que* pro *&* ordinis eſt, & cumulatiua potius, quàm copulatiua. *Iterare* eſt quaſi iterum agere, nempe & compellationem, & amplexus vt ſupra. Porrò *dulce nomen patris* dixit Auctor lib. 1. hic mellea inter Veneris verba *ſororis nomen* recenſet, ab ea vſurpatum; nec fallitur, nam dulce eſt ſororem habere conſiliorum omnium participem. Sic Dido ad ſororem Æn. 4.

Teſtor, chara, Deos, & te, Germana, tuumque
Dulce caput &c.

artificioſe itaque inducitur Venus hoc nomine vtens, vt ſcilicet, mentione ſororis iniecta, omnem proditionis ſuſpicionem eliminaret, quo faciliùs fidentem in fraudes adduceret.

ET DVRA DE MATRE QVERI &c. *Sicuti vmbra ſe ſoles conformare corpori, cuius eſt vmbra; ſic Adulator aliis ſe conformat*, inquit Bercorius. Oſtendit itaque Electra, Venerem in adulationes pronam ſe conformaſſe connaturali genio Proſerpinæ; nam, licet illa, imperio rationis, & virtutis, iuueniles per flores rura diuagandi impulſus repreſſiſſe dicta ſit ita, vt non auderet limen linquere, præceptis obſtricta Matris &c. tamen non remanebat, quin ſæpè ſæpiùs, natura ſtimulante, appeteret relaxari; & quin nimis durus interdum abditus ille videretur receſſus; ideò Venus, occaſionem nacta, ſe inſinuat; nec erubeſcit in Matrem inuehi, licet amico modo, eiuſdemque aſperitati ſuccenſere, vt Proſerpinæ gratiam ineat, decepturæ. Ideo per particulam ordinandus, cumulatiuam & *Queri* dicitur, hoc eſt querelas innectere, ad oſtentandum, quam moleſte ferret Venus, Cererem tanta in filiam vti rigiditate: quod eſt morem gerere, cui conquerebatur, atque in eam, de qua querebatur, amicè inuehi. Querebatur autem *de dura Matre*; hoc eſt de rigiditate Matris. Vbi nota Veneris artificium, quæ Cererem noluit *crudelem* appellare, ne in Matre, filiam offenderet; ſed, vt amicè conqueri videatur, mitiori vocabulo *duram* appellat; nam quamuis idem ſit *durus*, ac *crudelis*, & *aſper*, vt patet ex Virg. Æn. 6. vbi ait:

Hic quos durus Amor crudeli tabe peredit
Secreti celant calles &c.

tamen miteſcit vocabulum, & ſenſus aſperitatem mitigare videtur, dum *Durus* pro eodem interpretatur, ac *difficilis ad morem alterius gerendum*, quod minus eſt, quam crudelis, quod refertur ad quod iuſtum eſt denegandum.

QVÆ MALVERIT &c. Ne iniuriâ videatur Cereri ſuccenſere, rationem reddit, cur duram appellauerit; nam certe difficilis ad conniuendum filiæ dicenda videtur Mater, quæ eam ſecretis ſemper in penetralibus detineat, contra aliarum conſuetudinem, quæ frequentes in aperto ſunt, vt Procorum excipiant venerationes, quibus maximè delectari aſſolet tenera adhuc Virginum ætas: *Quæ* relatiuè ad Cererem dicitur: *Male* autem, ex vi ipſius verbi ſignificationem habet comparatiuam quare, dum hoc vtitur, Venus, Lyptote vtitur figurâ, quam, dum minus dicimus, plus intelligimus: dum enim dicit *maluerit*, quod idem eſt, ac *potiùs voluerit*; ſenſus eſt *potius voluerit damnare receſſu, quam ſola coram ſplendeſcere contemplandam huiuſmodi lucem, quam Procis incitamentum exponere ardoris, quam Cælis admirabilem exhibere &c.* Quæ per Synecd. reticentur, cum virtualiter ſatis inferantur ex verbo ipſo *Maluerit*, quo plus dicitur, quam dicat, vt ex explicatis conſtat.

DAMNARE TALE DECVS &c. Lib. 1., vbi Cererem è Cælo deducit, clarè dixerat Vates:

Æthera deſeruit, Siculaſque relegat in Oras.

Ibi vidimus Siciliam delectam, tamquam exilij, licet voluntarij, ac relegationis ſedem, ob rationes inibi adductas. Hic verbo *damnare* vtitur Venus, vt inſinuet, ſcire ſe exilium illud, licet Cereri voluntarium, non itidem voluntarium Proſerpinæ fuiſſe, quæ Procos læto aſpiceret vultu, cum ſolicitaret tenerum iam pronuba flamma pudorem, ideoque verbo vtitur pœnam importante *maluerit damnare*. Maiores noſtri (lib. ad Heren. 4. habetur) ſi quam vnius peccati mulierem damnabant, ſimplici iuditio multorum maleficiorum conuictam putabant. Vide quanta ingerat, vnico hoc verbo, Venus! primò enim matrem memorat filiæ infenſam, dum à Procis eam ſegregauerit: ſecundò matrem damnationis executricem in filiam, & iniuſtè damnantem, cum non peccauerit nata: tertiò etiam ſi quid, Naturæ morem gerens, peccauerit, dum ſe amari non dedignaretur, talem non fuiſſe culpam, quæ pœnas graues adeò mererentur; atque adeò exceſſum in puniendo redarguit: Denique tyrannicum ſuggerit Matris imperium, quæ innocentem damnet, quæ Natam è Cælo detrahat, & perpetuo veluti carcere coerceat, iniuria iuuentuti, iniuria pulchritudini &c. Excuſat Proſerpinam ſi errauerit: accuſat Matrem, quæ, ne erraret, prohibuit: inſinuat Procorum memoriam, vt ſenſum titillet: ingerit horrorem ſolitudinis, vt exire cupiat &c. *Tale decus*, Quid de-

cus

cus ſit, & in quo ſenſu accipiatur, iam vidimus in ſimili lib. 2. carm. 209, vbi *Decus*, pro *venuſtate*, *honore*, ac *pulchritudine*, poſitum animaduertimus. Hic itaque abſtractum ponitur pro concreto, nempè pulchritudo pro ipſa pulchritudinem habente. Seù dicas, ingentem hic Auxeſin eſſe, quæ tam altè amplificet Proſerpinæ venuſtatem, vt non ſatis fuerit venuſtam appellare Proſerpinam, ni eam indicaret eſſe *ipſam quaſi in concreto venuſtatem*, licet per abſtractum ſignificata: ideò non vtitur nomine venuſtatis, vel pulchritudinis, quæ propriè formam important abſtractam: ſed *Decus*, inquit; quod cum neutrum ſit concretum importare videtur potiùs, quam abſtractum. Addidit notam *tale*, per emphaſim profectò, quaſi dixerit *tale*, quale & Venus ipſa gratiarum, ac pulchritudinum Dea miretur, ſeque vinci; vltrò libenterque fateatur: *tale*, vt dignum fuerit, cui ſe ipſum ſacrauerit Phœbus, comamque ſuam cederet pulchriori; *tale*, vt præcipuum Cæli eſſe debuerit ornamentum; ac tale tandem, quale optabile eſſet, vt toti Orbi, ad admirationem vſque conſpicuum exponeretur. Hic autem nota artificioſiſſimum Veneris aſtum. Nouerat, Proſerpinam, vt fraus procederet, in Campos educendam, iuxta Iouis monitum lib. 1. *Patulos illudere campos Coge tuis armata dolis*: nouerat obſtare Matris præcepta: quarè & nouit, ſe incaſſum laboraturam, ni priùs reuerentiam illam, obſequiumq; in matrem, quibus Proſerpina obſtringebatur, infringeret. Ideò & matrem in Inuidiam vocauit, vt ſupra, & nunc oleo adulationis Proſerpinam ipſam inungit, vt labatur faciliùs: nam, vt ait D. Auguſt. in Pſal. 140., Oleum illud peccatoris, de quo loquitur Pſaltes ibi, nil aliud eſt, quam Adulatio. Sic enim ait Auguſt. *Noli gaudere, noli annuere, noli gratulari, ſi tibi aſtulit oleum adulationis; ſed caput tuum integrum maneat; non inflatum ſit; non intumeſcat: ſi enim inflatum fuerit, & intumuerit faciat pondus, & præcipitabit te*. Peſtiferam huius olei naturam apprimè nouerat Venus, ideò illo vtitur adulatrix more ſuo. & cui aptari poſſit impreſia ex Præſtero ſerpente deſumpta, cui addatur lemma *Inflando perimit*: ſicut enim illius ſerpentis natura eſt, vt morſu tumorem inducat ad internecionem vſque ſuccreſcentem; ſic adulatrix Venus iam *inflat, vt perimat*. Nam ſi, vt alibi vidimus fœmina, ea natura ſua talis eſt, vt ſymbolo exprimatur Pauonis, cum lemmate, *Forma ſuperbit*; quantò magis, laudata ob pulchritudinem ſuperbiet? Audi de Pauone Ouid. lib. de medicam faciei.

Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, & formâ multa ſuperbit auis.

Quare eidem impreſiæ corpori addi poſſet lemma *Et laudata magis*. Sed ad quid Proſerpinam inflat adeò Venus? Vt faſtu profectò ebria matris monita ſpernat, & conſilia, ſicque domo pedem efferat, vt ſe viſendam in propatulo exhibeat. Hoc itaque dolo intentum obtinuit Venus, nec dolos ſenſit Proſerpina, niſi poſtquam tumor ad internecionem excreuit, ita vt irreparabiliter periret; tunc enim dolens, ſed ſerò dolens exclamauit, vt lib. 3.

O male dilecti flores, deſpectaque Matris
Conſilia? O Veneris deprenſæ ſeriùs artes.

artes enim ibi citatæ eædem ſunt, quæ hìc ab Electra exprimuntur. Propinat, quæ placent Venus, vt & Proſerpina illi, quod placet, indulgeat, & Veneri indulgens in perniciem ruat ineuitabilem.

RECESSV. Sextus eſt pœnæ caſus, damnandi vtique verbo debitus. *Receſſus* dicitur locus quilibet ſecretior, ac remotior, atque, vt ita dicam, carceris ad inſtar reconditus, & in latebris poſitus. Per *receſſum* autem, totam primò Siciliam intelligit, & notat, quæ, ſi Cælo, quod deſeruerat, compararetur, carcer dici potuit vilis, ac tenebricoſo in centro collocatus. ſecundò notat ipſam Cereris domum, quæ videlicet non in inſulæ vrbibus, ſed ſecreta à commercio, in agrorum ſolitudine, ac non procùl ab Ætna, fuerit extructa: quod tamen ingenioſè commentus fuerat Vates, quia, ex antiquorum religione, ſacræ Cereri ædes extra vrbes, minuſque ſemper frequenti loco, verè ſtatuebantur, vt notat Parrhaſ. hìc. Sed nota quomodo hoc ipſum Venus vaferrime ſugillet, atque, vt odioſum ingerat, & indignum, ac pœnalis carceris anguſtias præferens, vt Proſerpinæ horreret animus, ac dilectam priùs domum refugeret ingenium, quam, vt ſepulchrum potiùs, quam vt pudicitiæ aſilum, tacitè Venus decantabat, ſe ſororem inſinuans, vt digna cenſeretur, cui crederet incauta quæcumque diceret.

VETITAMQVE DEARVM COLLOQVIO &c. *Vetitoque Dearum colloquio*: legit Heinſius, cum Iſingrino, & alijs, in quorum ſententiam pedibus eundum arbitror; nam licet *Veto* ſit verbum prohibendi, & verbum *Prohibeo* certè conſtrui poſſit cum accuſatiuo perſonæ, & ablatiuo rei, cum apud Tullium legatur *facile operas adeum prohiberemus*; & apud Verg. Æn. 1. *Quippe vetor fatis* &c. attamen particula, quæ hìc ponitur copulatiua, videtur apertè indicare accuſatiuum verbi *abſentauerit*, quod ſequitur eumdem debere eſſe, qui attributus fuerat verbo damnare, nempe *Tale decus*, nam de eodem ſermo vtiq; continuatur. Ideò, licet cum vulgata, & Parrhaſ., in textu ſcripſerim, Heinſium ſequor legentem *vetitoque Dearum &c.* Pro Iuſtitia, & Honeſtate, itantem ſe effingit Venus, dum ab indigno rigiditatem Cereris carpit, confirmatque, nam indignum profectò videri potuit, filiam à Dearum colloquio prohibere; quaſi vel illa indigna eſſet, quæ Dearum numero adſcripta fuerit, vel Deæ ipſæ exiſtimarentur corrupturæ, colloquijs ſuis, Virginem ipſam, quod in maximam mehercule Dearum cedebat contumeliam. Ideò abſolutè ponitur *Vetito colloquio*, quod idem eſt, ac prohibens, & arcens filiam à Dearum colloquio, hoc eſt à Dearum cum ipſa eloquio. Quæ autem Deæ ſint, ſæpe vidimus. Vetuiſſe itaque Ceres videtur, ne Deæ cum Proſerpina loqui poſſent, dum eam ab ipſarum conſortio ſegregauerat, ſiculoque damnauerat receſſu, tunc, cum Æthera deſeruit &c. quod iniurioſum videbatur, & filiæ, & Deabus ipſis; ideoque contra Iuſtitiam, æquitatem, ac honeſtatem, vt diximus. Vide, quantas vno verbo ingerat contumelias.

PROCVL ABSENTAVERIT. Ideſt longè, ſeu longo locorum interuallo diuidens, & elongans ſegregauerit. Editiones hìc aliæ legunt: *Procul à patrijs damnauerit aſtris*; eaſque ſequitur Barthius. Sed cum idem verbum *damnare* in antecedenti carmine habeatur, non video cur hic repetendum, aut quomodo repeti potuerit, ſine authoris inuitia. *Patrijſque procul mandauerit aſtris*: legit, in hunc locum, Heinſius: & rationem reddens mutationis, *Abſentauerit*, inquit *Latinum eſſe non perſuadent nobis interpretes*. Video tamen, vulgatam lectionem Parrhaſio non improbari; quare nil immutandum arbitrarer, licet enim in vſu eſſe, apud latinos, non videatur verbum *Abſento*; (vix namque, vt fatear, aliud, apud Auctores, exemplum inueneris) cur Vati non liceat innouatione vti, ita vt *abſentare* dicat pro *abſentem* facere? Adde quod in ſenſu Heinſij non legendum fuerat . . . . *Vetitoque Dearum*

Colloquio, patrijſque procul mandauerit aſtris,

nam copulatiua *que* cum in fine verſus adſit præcedentiſ fruſtra, & ſuperuacaneè repeteretur in ſubſequenti. Sed legendum fuerat: *Vetitoque Dearum*

Colloquio patrijs procùl amandauerit aſtris.

Quod ſi hoc pacto legendum contendas; manus vtique dabo, nec ab Heinſio diſſentiam.

ASTRIS PATRIIS. Aſtra pro Cælo ponuntur, contentum ſcilicet pro continente, ſeu ſignum pro re ſignata, *Patrius* verò dicitur locus, vbi quiſque Patrem habuit; ideſt vbi quiſq; natus eſt: cum itaque Proſerpina Ioue Patre nata fuerit, certe cælum illi Patria fuit. Ideò *Patrijs aſtris*. Callidè autem Patriæ mentionem ingerit Venus, vt ſcilicet Patriæ ipſius amore excitato, ac dulci methodo, Proſerpinæ præcordia titillante, tædium receſſus, eam à Patria procùl detinentis, conciperet, atque adeò faciliùs diſponeretur ad pedem efferendum. Nouerat nempe Venus, inſitum etiam auibus eſſe, vt licet molliter, ac lautè, in caueis enutriantur, ſemper tamen ex eis aufugere cupiant, libertatemque repoſcant. Ideò Cereris domum caueæ aſſimilatam, natiuo contraponit Cælo, vt tacitè ſuggerat Proſerpinæ id, quod poſtea Marinus noſter eruditiſſimè cecinit tertia Lyræ ſuæ parte, cum inquit:

Peregrino Uſignuol, s'auuien, che ſia
Chiuſo colà frà prigionieri augelli
E de gran Rege, in ricchi alberghi, e belli,
Pargoletto cantor viua in balia;
Quantunque amica mano eſca gli dia,
E gli preſti in ricetto aurei cancelli,
Rimagheggiando il Patrio Ciel trà quelli,
Soſpira pur la libertà natia.

ſubinde, Marini ordine inuerſo, qui mortis ope, exſoluendam à corpore, cæloque reddendam animam, diſſolui cupientem inducit, Venus, tacitè ſuadens, ſubiecìſſe videtur.

Tu, frà chioſtre d'arcaer, ſia, che t'annezzi
Laſcia goder del carcer tuo terreno,

Lungi

Lungi dal Patrio Ciel, benchè in vezzi,
Scontaſi hormai di dura Madre il freno;
E'l laccio hormai di prigionia ſi ſpezza,
Per rimetter di nuouo à gl'aſtri in ſeno.

nec ſine fundamento; nec tacitè ſuggerit Venus; ſed certâ ſpe decipiendi; quippe innata appetitus Naturæ, cui fauere ſe ſimulet; ſciuerat enim, inſitum à Natura, amorem Patriæ vehementem adeò eſſe, vt viſcera ſæpè ſæpiùs adurat, ſed dulcibus adeò incendijs; vt Phœnices, in huiuſmodi rogo, nos ipſos eſſe gaudeamus. Ideò valde afficit, & attrahit ad Patriam abſentes amor, vt experientiâ edoctus cecinit Ouid., 1. de Ponto, Eleg. 4.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Quid ſint Aſtra, & quid inter aſtrum interſit, & ſydus iam alibi fusè diximus, ideò prætereuehor.

Non adeò prætereuehar tamen, vt quæ ad mores pertinent, prætergrediar. Sub Electræ itaque nomine bonus Genius, ſeu cuſtos Angelus, vt vidimus, deſignatus, ne iniuriæ culpetur, ob ſecutam animæ perditionem, ſe ipſum purgans, aſſiduitatem deſcribit aſſiſtentiæ, qua iam innocens floruerit Anima; atque oſtendit, qua ratione incauta, ſenſuum illecebris decepta ſubinde fuerit, vt eas doceat euitandas. Primò itaque docet carnem, ſeu Venerem, in carne regnantem, nomine ſororis; hoc eſt arctiſſimæ coniunctionis, & affectuum titulo vti, vt Animam in fraudes alliciat ſuas, & nil ſorori inſinuet denegandum. Secundò Ambitionis auram memorat inſtantem, ſuadentemque iugum ſeruitutis non eſſe ſubeundum ijs, quos Deus ipſe liberos voluerit; Parentemque Deum mandaſſe mandata ſua cuſtodiri nimis, vt tandem dicat Impius: *Non eſt Deus* &c. Nec non Matrem Eccleſiam duris in nos nimium legibus impoſſibilia ab humana exigere fragilitate &c. Tertiò ab eadem ſuaderi, meminit, Cælum animæ Patriam eſſe, ideò, non ſine iniuriâ, animæ denegandum, licet illa Veneri obſecundans Procos non deſpiciat: & quaſi odium in Deum ipſum excitare nititur, qui, creatam ad Cælum, animam procul à Patrijs aſtris, tenebroſo corporis receſſu damnauerit, in hac valle lacrymarum collocatam, vetito Angelorum, quo frui deberet conſortio &c. Sicque edocet denique, quomodo, quaſi per cuneos, ſe ſe inſinuet, caro, Venuſq; , ad arcem cordis ſubigendam, & ad ſuadendum Animæ, vt mandata negligat, vt præſentibus fruatur, vt vetitos inter flores luxuriet &c. Quibus ſuaſionibus, Anima, quæ ſe incautè permittit, ſenſim ſine ſenſu, dilabitur, & Venere duce ad præcipitium deducitur, Tartareoq; addicitur Tyranno. Sed, dum hæc animo inſident, Italicam nos Chelim ad numeros reuocemus.

Al fin, ſciogliendo à gl'abhorriti vfficij
La voce à pena, ahi, fuſſe ver, pur diſſe,
Che della terrea prole empij artificij
Fuſſer l'alte ſuenture. A Noi prefiſſe
Più ſpietato deſtino altri ſupplicij,
Che non hebbe il furor, che gl'Aſtri afflisſe.
Troppo è lieue il penar, ſe, qual torrente,
Gl'altieri orgogli al diramar conſente.

Mà 'l noſtro mal, perche più fiero inonde,
D'Aceſidora à i ſoli danni vnito,
Da gli ſdegni del Cielo i flutti altronde
Piegar ſi vieta; e, da quel fonte vſcito,
Io noi di Marra ogn'amarezza infonde.
Delle Diue celeſti; e (quel ch'vdito
Incredibil ti ſembri) aſpra congiura
D'empie Germane ogni tuo ben ci fura.

Cognomen Cereris, quaſi dicatur, donum medicinæ, quia languentes fame mortales frugibus curauit.

Dall'Inuidia del Ciel queſti, che miri,
Spettacoli funeſti hebber le forme:
E chi calca co'l piè ſtellati i giri
Reſe di tua magion la forma informe:
Tradimenti, e perfidie (onde t'adiri,
Più che ti dolga) à riſtampar queſt'orme
D'homicida fierezza Inuidia moſſe,
Ch'i cuori à te congiunti ed arſe, e ſcoſſe.

Fumante anch'hoggi al pellegrin ſi moſtri
Di Flegra il ſuolo, e, com'ancor s'accendi
Nel, bēch'eſtinto, ardor, ch'à gl'aurei chioſtri
Fù già baſtante à minacciar gl'incendi:
Dicaſi e poi, che di Pallêne i Moſtri
Sgorgâr dal petto i mongibelli horrendi:
Che contro Noi, più d'ogni Flegra, auuampa
Guerriero il Cielo, e peggior moſtri accampa.

In dolce calma, in bel ſeren di pace,
Tua magion lieti giorni, aure beate,
Godea tranquilla; e ciò ch'alletta, e piace,
Scielſe trà 'l noſtro acciar ſtanze pregiate:
Fioria così, ſotto la diurna face,
Qual già nel ſecol d'or, la noſtra etate;
E chiudeuanſi à garra in queſte mura
Quante mai gratie altrui porſe Natura.

Di muouer piè fuor delle ferree ſoglie
Proſerpina già mai ſi vidde ardita;
Ne di girne à mirar, come s'accoglie
Ne campi d'Etna eternità fiorita;
Gli s'accendean in ſen cupide voglie:
Che, s'iui Flora al deliciar inuita,
Qui de commandi tuoi cura geloſa
Sapea legarla, e trattenerla aſcoſa.

Teſſer gl'ori alle ſete; aſsirio vn'ago
Oprar, di penna, e di pennello in vece,
Per far, pittrice, in babilonia imago,
Teſoreggiar ciò, ch'animar non lece;
Fur le ſue cure: e 'l genio ſuo fù pago,
L'arte ſtupir, ſe dalla man ſi fece.
Poi, frà gl'otij, vn ſol ſcopo al ſuo deſio
Era il goder delle Sirene il brio.

Meco i diſcorſi ſuoi; meco i penſieri;
Meco gli ſcherzi accumunar ſolea;
Meco, ſe dall'Oriente i ſuoi deſtrieri
Spronaua il Sol; ſe nel meriggio ardea;
O s'i lucidi ſuoi torti ſentieri
Dell'Heſperia nel mare al fin chiudea,
Meco ſempre la vidde; ed innocenti
Meco i giuochi intrecciar; meco i contenti.

Da gl'Atrij poſcia, oue felice il giorno
Guidammo vnite, in virginali impieghi;
All'hor, ch'il manto, è che di ſtelle adorno,
Del dì, la Notte, al funeral diſpieghi;
E, tributario al ſonno ogni contorno,
Gode, ch'i ſenſi, in lieta pace, ei leghi;
Accoglieuaci entrambi vn ſol ricetto,
Vn ripoſo commun, commune vn letto.

Tal di tua regia, in non sfrondato alloro,
Fioria faſtoſo il virginale honore;
Quando giunſe improuiſa (e chi 'l decoro
Suelaſſe à lei de naſcondigli, ò 'l fiore
Gl'additaſſe del chiuſo ampio teſoro,
Noto non è) giunſe la Dea d'Amore:
E, per fingerſi à Noi non più profana
Seco adduce compagne, e Palla, e Diana.

Nelle prime accoglienze, aure ſerene
Schierò la fronte, e ne brillâro i lumi:
Veſtì d'Iride il ciglio; e dalle vene
Parue ſterpar d'ogni meſtitia i dumi:
Trà i rubin delle labra, il riſo, auuiene,
Che, tripudiando, il trionfar s'aſſumi,
E, le gratie accogliendo in lei faſtoſe,
Se ſteſſa tutta all'allegrie compoſe.

Quindi, profuſa in iterati ampleſsi,
Stancò le braccia, e riſtampogli in fronte

Mille baci, d'Amor rimarchi impreſsi.
Qual Narciſo, languir parea sù 'l fonte,
Tali fur del ſuo affetto i ſegni eſpreſsi:
E, di ſorella in replicar ben pronte,
Le voci, il nome, hauer parean, ſuaui
Nel lor dolce ſgorgar, dell'Hibla i faui,
Poi riuolgendo il fauellare aſtoſo,
Di ſcaltrite luſinghe inſigne artiera,
Alle lodi, à gl'encomij; E perche aſcoſo
Dell'Etna, diſse, in queſta vil riuiera
Si bel fregio del Ciel trattienſi otioſo?
Dunque men degna è la ſuprema sfera
Di goder del tuo bello amici i lampi,
Che non ſon quì della Sicilia i campi?
Aſpro rigor! ch'imprigionato auuolſe
In ferrea caua il più bel fior dell'Etra,
Quand'inuolarlo al Ciel natio riſolſe.
Di Marte l'haſta; ò l'Apollinea cetra
S'à ſciſſo preſe; à che vietar poi volſe
Delle Diue il commercio; e quì t'arretra!
Cerere inchino: i ſuoi decreti adoro:
Mà le perdite noſtre In vn deploro.
Sed, dum blanditijs indulget Venus, Nos Proſerpinam intueamur.

Noſtra rudis gaudere malis, & nectare largo
Inſtaurare dapes: nunc arma, habitumq; Dianæ
Induitur; digitiſq; attentat mollibus arcum.
Nunc crinita iubis galeam, laudante Minerua,
Implet, & ingentem clypeum geſtare laborat.
Prima Venus campos, Ætnæaq; rura maligno
Ingerit afflatu, vicinoſq; callida flores
Ingeminat, meritumq; loci, velut inſcia, quærit;
Nec credit, quod bruma roſas innoxia ſeruet;
Quod gelidi ſubeant alieno gramine menſes;
Verna nec iratum timeant virgulta Booten.
Dum loca miratur, ſtudio dum flagrat eundi,
Perſuadet! teneris, heu, lubrica moribus ætas!
Quos ego nequidquam planctus, quas irrita fudi
Ore preces! Ruit illa tamen confiſa ſororum
Præſidio; famulæ lõgo, poſt, ordine Nymphæ.
Itur in æterno veſtitos gramine campos;
Et prima ſub luce legunt; cum rore ſerenus
Alget ager, ſparſoſq; bibunt violaria ſuccos.

NOSTRA RVDIS &c. Proſequitur narrationem ſuam Electra; & qualis ad fuerit Proſerpina Venereis hiſce verſutijs appetita, graphicè, ſed breuibus, iuxta luctuum exigentiam deſcribit: ac ſubinde Venerem nouos aſtus aggerantem recenſet, eoq; deducit, vt Proſerpinam attrahat in ſententiam; ita vt, Electra ipſa incaſſum reclamante, ac precibus, lacrymiſq; perorante, iter ab incauta Alumna, Deabus, quarum patrocinio fideret, aſſociata, ac famulis vndique ſtipantibus Nymphis, in Ætnæos campos arripiatur; ibiq; legendis floribus intentas, vt iam alibi vidimus, cõmemorat.

NOSTRA RVDIS &c. Blandè adeò ſe ſe inſinuat Venus, vt vel oculatiſſimos quoſq; fallat interdum; vt apertiſſimè, malo ſuo, teſtantur, in ſacris litteris Sampſon, Dauid, & Salomon, vt innumera alia, quæ afferri poſſent, exempla celer omittam. Quarè nil mirum, ſi ſumma facilitate incautos, ac fidentes decipiat. Excuſat itaque, & commiſeratione potiùs, quam indignatione dignam Electra oſtendit Proſerpinam, quæ Veneris verſutias ignorans gaudia illa libauerit, quorum extrema luctus occuparet; nec enim nouerat illa, quod poſteà docuit, de Venereis illecebris, D. Valerianus Serm. 6. inquiens: *Nemo inſidioſis eius blanditijs credat, nec ad libidinoſæ vocis incitamenta reſpiciat, quæ, cum oblectant, ſauciant: &, cum blandiuntur, occidunt.* Quod in cauſa fuit, vt etiam Hiſpanus ille, de Venere, dixerit: *Cumple con dar deſguſto, y amargura*, vt notat Picinel. Mundi ſymbol. lib. 3. n. 73. *Noſtra* itaque, ideſt Proſerpina, quæ, Cereris filia per generationem, Electræ verò per affectum meritò, communi nomine, *noſtra* dicitur à Nutrice, vt ſe vnà cum Matre participem iacturæ oſtendat. *Rudis*, hoc eſt *imperita, fallendiq; artium inſcia*, cum nunquam antea experta fuiſſet, fallaces ſemper, captioſaſq; Veneris illecebras eſſe. Inſuper *Rudis* dicitur, vt noſtis, quidquid intactum adhuc eſt, nulliuſq; in vſum ab arte conformatum: Sic dicitur aurum, argentumq; *rude* illud, quod, ex aurifodinis extractum, nondum aurificis manu expolitum, atqi artis impreſſum formis, appareat. *Rudis* itaque dicitur & Proſerpina, in caſu noſtro, quia nunquam antea Venereis ſubacta illecebris, nondum ſe in obſequium illius conformauerat, aut eiuſdem pernicioſiſſimæ artis formas paſſa fuerat impreſſas: nam, licet Pronuba ſemel flamma tenerum illius ſolicitaſſet pudorem, mixtaq; tremuiſſet formidine votum, attamen a Matre ex ardendi fomite abſtracta, non vlteriùs Venerem, niſi nomine agnouerat: atq; adeò & primos illos reſtrinxerat igniculos; & Venerem, peritam adeò decipiendi non ſenſerat: ideò *rudis*, amatoriarum ſcilicet omnino formarum expers, atq; a deguſtandis, ex dulcedine ſuccreſcentibus, amaritiei fontibus eo vſq; immunis. Eodem pacto rudem amoris excipiendi, deceptam a Veneris filio, Didonem facit Virg. Æn. pri., vbi cum Amorem, paruuli ſpeciem Iuli præferentem vultu, ad Reginam acceſſiſſe enarrauerit, ſubdit:

. . . *Hæc oculis, hæc pectore toto*
Hæret, & interdum gremio
fouet, inſcia, Dido,
Inſideat quantus miſeræ
Deus!

& ſic pariter eandem malis ſuis gaudentem notat:

Præcipuè infelix, peſti
deuota futuræ
Expleri mentem nequit,
ardeſcitq; tuendo
Phœniſſa, & puero pariter
doniſq; mouetur.

GAVDERE MALIS. *Gaudere* pro *gaudebat*, per enalagen, quod eſt *ſuaui quadam interiori dulcedine perfundi*; vt alibi ſæpe dix. ſed paradoxum hìc adeſt, ſi vltra litteram non penetres; nam primo prudentem facit Proſerpinam, dum *gaudentem* dicit, non verò nimia effuſam Lætitia, quod imprudentis, & impudentis eſt, vt deducitur ex Tull. Tuſc. 4. vbi ait: *Cum, ratione, animus mouetur placidè, & conſtanter tum illud gaudium dicitur; cum inaniter, & effusè exultat, tum illa Lætitia geſtiens, vel nimia dici poteſt.* Prudens itaque Proſerpina, cuius animus placidè mouetur, ſed conſtanter, & moderatè. At eodem tempore eandem facit imprudentem, dum, eam *gaudere malis* aſſeuerat: malum enim obiectum nequaquam gaudij eſſe poteſt; nam *Gaudium*, ex communi omnium ſenſu, *eſt affectio animi alicuius boni præſentis opinione concepta*. Quomodò igitur *malis gaudens* Proſerpina, & prudens ſit? Secundò voluntas naturaliter fertur in bonum, ergo naturaliter appetere contrarium non poteſt, conſequenter nec *gaudere malis*; Voluntas enim, licet ſit potentia libera, libertate contradictionis, ita vt poſſit exercere, vel non exercere actum odij in malum, non tamen eſt libera, libertate contrarietatis, ita vt poſſit poſitiuè amare, vel odiſſe malum, vt optimè docuit D. Dioniſ. c. 4. de diu. nom., vbi ait: *Nemo intendens malum operatur.* Quomodò igitur *gaudens malis* Proſerpina dicitur? Et eo magis, quod hìc agitur de malis in eam ipſam coniurantibus. Sed, licet veriſſimum ſit, quod voluntas non poteſt abſolutè malum appetere, vt malum, hoc eſt cognitum ſub ratione mali formaliter; poteſt tamen appetere malum, ſub ratione boni; ſi videlicet intellectus, licet aliquid concipiat aliquid, quod in ſe realiter malum eſt, illud tamen, per deceptionem, apprehendat, vt bonum; illudque, ſub ſpecie boni, repreſentet appetendum voluntati; nam, cum ſpecies decipit, nil mirum ſi deceptà voluntas malum appetat, ſub ſpecie boni; & tunc verè dicitur voluntas appetere realiter malum, licet, attenta ſpecie, à qua mouetur, appetat formaliter bonum, hoc eſt id, quod, licet malum, repreſentatur vt bonum. Gaudet itaque Proſerpina illecebris à Venere concinnatis, quæ illi realiter, non malæ tantum, ſed peſſimæ futuræ erant, aſt, ſecundum præſentis ſtatus apparentiam repreſentabantur, vt bona appetibilia. Reſpicit igitur Electra realitatem, ſeù realem malorum eſſentiam, ſub ſpecie boni latitantem, atq; ideò, in ſenſu reali, non in ſenſu formali, eam dixit gaudere malis. *Malum* autem ſubſtantiuè ſumptum, vt hìc, eſt quidquid in damnum, ac perniciem illius, cui malum eſt, vergit.

ET

ET INSTAVRARE DAPES &c. Videtur, hoc loco, Vates tantùm proſequi ordinem rerum geſtarum; ita vt, ſine mutuis tandem hinc indè blanditijs impoſito, conuiuium innuat inſtructum, aſſidentibuſq; Deabus inſtauratas fuiſſe dapes, vt, moris fuiſſe opipare conuiuantium, lib. 2. iam dix. Verùm, te meliùs introſpecta, ſubtiliſſimum Vatis, hoc loco, intueor artificium, qui, ſpecie ordinis rerum enarrandarum, aptiſſimè rationem reddit, cur *rudis* dicta fuerit Proſerpina; nam rudis profectò malorum, ex Venere procedentium, fuerit, neceſſe eſt, quæ inſtauratis dapibus Venerem enutriuerit; ſicuti enim dictum viget: *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*, eamq;, ijs deſtitutam, vis deſerit nocendi: ſic è contrario certum eſt, quod *cum Cerere, & Baccho viget Venus*; nam pabulorum vbertas genituræ redundantiam, procul dubio, animalibus affatim ſubminiſtrat; Idemq;, ſicuti amara Cypris eſt eſurientibus, inquit Achæus, ſic dulcis ſaturos inficit Venus, vt ex Euripide colligitur, qui ait: *Vult crapulatum Cypris, haud famelicum*. Rudis itaque erat, & rudis gaudebat profectò malis, dum ſe, per opiparam conuiuij inſtructionem, Venereis fallacijs ſe ſe iam impotentiùs ſubijciebat. Non nouerat ipſa, Venerem Serpentis hieroglyphico denotari, eo quod prona ſemper vt Serpens in ventrem ſit, vt ait D. Ambroſ. Epiſt. in Sabinum: Serpentem verò ieiuni hominis ſputo eneruari non ſolum, ſed interimi, vt notat idem Auctor lib. Examer. 6. c. 4.; quod ſi nouiſſet, & rudis artium nocendi non fuiſſet, certè, non ſolum conuiuia non inſtauraſſet, adſtante Venere; ſed immò feciſſet, quod poſtremò fecit S. Franciſcus de Sales, ad quem labefactandum terreſtris quædam Venus ingreſſa, ſputo ab eodem eneruata diſceſſit: ſic enim de hoc cecinit Gregor. Bolzius in ſuo Lurario die 28. Ianuarij

Fœmina dum tandem caſtæ parat oſcula fronti,
Vibrat in effrontes, ſputa & ab ore genas;
Sputo tacta ſtatim deuicta puella receſſit.
Quid mirum ſputo ceſſeris? Anguis erat.

Hoc ipſum merita fuiſſet, vt ſecum ageretur à Proſerpina Venus inſidias ſtruens; ſed quia rudis erat puella, gaudebat malis, & dapes inſtaurans, hoſtiles in ſe ipſam augebat vires, ac ſe ipſam aptiùs ignara diſponebat in prædam. Quid verò ſit *inſtaurare dapes*, iam vidimus lib. 2. cit. vbi de Inferorum conuiuijs agebamus. *Inſtaurare* enim eſt *renouare*: quarè & multiplicitatem notat obſoniorum, & inſtaurationem menſarum modo ibidem explicato. *Dapes* autem in ſacrificijs olim Deorum apponi ſolitas memorat Liuius lib. 1. Hiſt. Rom., & propriè ſunt magnifici, atque opipari conuiuiorum apparatus. Aptè igitur Dearum menſam *dapibus* inſtructam notat Vates, vt noueris, diuino more, lectiſternia conſtrata fuiſſe, atque inſtaurata conuiuia pleno luxu redundaſſe.

NECTARE LARGO. Vidimus, loco cit. lib. 2., dum menſæ, & dapes inſtaurarentur; dum ſerui primas auferrent, ac ſecundas ingererent menſas, data temporis intercapedine, in more poſitum fuiſſe, vt pocula coronarentur: ideò Vates hic, facta mentione inſtaurationis, coronatus etiam cyatos innuit, ac propinationes largo nectare affluentes circulari plauſu reſonaſſe. Portò *Nectar*, volunt, nomen eſſe, compoſitum, ac deriuatum à particula priuatiua *ne*, & verbo *κτείνω*, quod eſt occido, eo, quod non eorum, qui moriantur, & occidant, ſed ſolum Deorum immortalium potio ſit. Ideò aptè dapibus nectar apponitur, & quidem *largum*, hoc eſt *large profuſum manu*. Duo autem genera largorum omninò ſunt, inquit Cic. 2. de offic., quorum alteri prodigi, alteri liberales: ex quo facilè intelligas, nectar illud ad prodigalitatem vſque profuſum, copioſum, & ſupereffluens fuiſſe.

NVNC ARMA &c. Remotis epulis, quibuſnam oblectamentis detineretur Proſerpina, continuato narrationis ordine recenſet.

NVNC INDVITVR. Ethopeia hæc eſt Iuuenum, ac præcipuè Virginum, mores imitans, in Proſerpina: connaturale enim iuuentuti eſt, vt ſi quid videant, quod oculis libeat, ſtatim ſibi adaptare geſtiant, vt nouimus, & experiri, num bellè in adſcitijs ornamentis appareant: ſic itaque & Cereris filia *nunc induitur &c. Nunc* aduerb. temporis eſt, quod per figuram repetitionem, initio membrorum ſermocinationis iteratum, per diuerſam temporis ſucceſſionem, quam exprimit, diuerſas Proſerpinæ actiones, animi gratia, ſuſceptas, diſtribuit. *Induere* verò in duplici ſenſu vſurpatur: nam *Induo* propriè *Veſtio* eſt: tranſlatè pro *Aſſumo* ponitur: ſic Virg. in vtroque ſenſu verbum adhibuit Æn. 2. cum ait:

Androgei Galeam, clypeique inſigne decorum
Induitur &c.

nam Galea ferreum certè capitis indumentum eſt; aſt Clypeum aſſumimus quidem, ſed non induimus.

ARMA, ET HABITVM DIANÆ. *Arma*: hoc eſt pharetram, & arcum, poſito nomine generico pro ſpecifico: hæc enim ſunt arma Dianæ, de quibus loquitur, & quæ iam vidimus ab ipſa geſtari lib. 2. in deſcriptione Triuiæ. Per *habitum veſtem* intelligit Parrhaſ. hic. Verùm non placet explicatio huiuſmodi: nam qui fieri potuit, vt Diana, quæ adeò tenax Virginalis modeſtiæ fuiſſe dicitur, nudari, præſente Venere, pateretur? Certè Auctor noſter lib. 2. oſtendit, quam difficilis eſſet illa ad laxandas ſolum, nedum ſoluendas, exuendaſque, veſtes, dum non vnico contentam cinctu, gemino ſuccinctam deſcribit, ne facilè partes detegi poſſent, quas nulli peruias virginalis modeſtia cuſtodiret. Neque dicat Parrhaſ., Dianam ſæpè nudam in balneis, cum Virginibus ſequacibus ablui ſolitam; nam aliud eſt, inter Virgines ſuas; aliud, præſente Venere Meretriciæ artis inuentrice denudari: illud vtique fieri illæſa potuit modeſtia; non illud. Dicet fortaſſis, nomine veſtis, non intelligere ſe *veſtem interiorem*, ſed *amictum*, ſeu veſtem aliquam ſuperiorem, vulgò *la ſopraueſte*, qua Diana vteretur. Sed hæc explicatio diſſonat à moribus venatricis, quæ, vt expeditior ſit, vix vnicam pati veſtem poſſe videtur, vt, de facto, Auctor noſter vnicam illi Gortyniam attribuit veſtem, gemino ſuccinctam Cingulo, venatricis mores optimè imitatus lib. 2. ſed quid igitur, per *habitum*, ſignificatur? *Habitus* interdum pro ipſa habitudine, ideſt pro ipſa corporis ponitur diſpoſitione, & quidem non ſolum intrinſeca, quæ in humorum temperie conſiſtit, & vulgò dicitur *la compleſſione*: in quo ſenſu ait Cic. ad Heren. 4. *Ipſe corporis habitus, quem Barbari complexionem vocant*. Sed etiam extrinſecâ, quæ ſcilicet conſiſtit in regulatione motuum, geſtuum concinnitate, hilaritate vultus, grauitate inceſſus &c & ſic habitum V. G. Regis aſſumpſiſſe dicitur, qui in theatris, perſonam exprimit Regis, Regiique corporis diſpoſitionem imitatur. In hoc itaque ſenſu, & Auctor noſter, habitum Dianæ aſſumptum à Proſerpina, dictitauit; quæ ſcilicet aſſumpto Dianæ arcu, & pharetra, inceſſum, motum, geſtum, & cæteras Dianæ corporis extrinſecas formas, per iocum, hilariter imitaretur: quod facillimum illi fuiſſe, conſtat ex prænotatis lib. 2., vbi Vates de Proſerpina ait:

. . . . Poteriſque videri
Pallas ſi clypeum ferret, ſi ſpicula, Phœbe.

ET ATTENTAT ARCVM MOLLIBVS DIGITIS. Aduerb. ordinantis eſt particula *Et*, vt alibi, nam actionem ſubſequentem antecedenti copulat ordinatim. *Attentare* eſt *frequenter tentare*: *tentare* autem eſt experiri, num aliquid peragere valeamus: *attentat* itaque *arcum*: hoc eſt ſæpiùs experitur, num tendere poſſit, ſæpiùs tendere contendit arcum; inſtrumentum ſcilicet illud notiſſimum, ex quo tela emittuntur, & proprium venatricis Dianæ, vt lib. 2. vidimus, carm. 31. Aptè autem *digitis*, inquit, nam propriè digitorum labor eſt arcum tendere, atque ex eo ſagittas euibrare; Leuæ quippè digitis, arcus curuatura, à pectore arcitenentis, remouenda eſt; dexteræ verò digitorum eſt neruum, quo arcus cornua curuentur, ad eiuſdem pectus attrahere. *Digitis* igitur contendebat Proſerpina arcum tendere; ſed *digitis mollibus*; hoc eſt parùm aptis ad opus perficiendum, ac minùs labori, operique paribus. *Molle* enim dicitur, quod tenerum eſt, & facile cedit: quarè idem eſt dicere *mollibus digitis*, ac *digitis cedentibus* reſiſtentiæ illi, quam neruus in trahentes exercebat. Bracciol. de Cruce lib. 3., imbellem Eliſam ſuam, militaribus ſe ſe armis initiantem, deſcribens, & obſtupeſcens, quomodò fieri potuerit, vt illis aſſueſceret, ait:

E benche, graue al molle petto, annoij,
Tropp' aſpro peſo, il duro arneſe, e ferro;
Vi s'auuezz' ella; e non sò dir, ſe pure
S' intenerìſca il ferro, ò'l ſen s'indure.

quid igitur mirum, ſi etiam Virgo noſtra, nunquam antea arcuum exercitio obdurata mollis appareat, atque imparibus labori, digitis attentare quidem potuerit, ſed non aſſequi, niſi imperfectè, quod optauerit. Hoc certè enim conſequens ex mollibus deducendum digitis reliquit Vates.

NVNC CRINITA IVBIS &c. Alterum diſtributionis membrum proſequitur, & qua Dianam imitari ſtuduerit, in Palladis ſubindè imitationem deſcribit intentam. De aduerb. *nunc* vide ſuperius dicta. *Crinitus* propriè dicitur,

qui crines habet: ſic crinitum, dicunt, natum eſſe Cæſarem, quia ex vtero matris comam geſtauerit. Tranſlate tamen vſurpatur ad ſignificandum quidquid, quomodocumque, comatæ frontis formam imitatur, ſic etiam Cometes *crinitus* dicitur, quia radios crinium diffundat in morem. Sic, & hoc loco, *crinita iubis* dicitur Proſerpina, non quia iubæ illi pro crinibus eſſent, ſed quia, aſſumpta Palladis galeâ, ex cuius cono criſtæ, crinium in morem, deſfluebant in tergum, comatæ ſtellæ formam indueret crinita. *Iubæ* verò propriè crines ſunt ex animalium collo, equorum V. G., ac leonum, dependentes, & quibus vtebatur antiquitas, ad criſtas galeis concinnandas, vt clare habetur ex Virg. Æn. 10. vbi Mezentius Lauſi filij mortem vlturus, in Æneam irruens occiſorem ſic deſcribitur.

. . . . . . Manuſq; ambas iaculis onerauit acutis
Aere caput fulgens, criſtaque hirſutus equina.

quem locum deſumptum aſſerunt interpretes ex Homero Iliad. 10., vbi Paridis galeâ equinam in criſtas caudam dicitur erexiſſe. Verùm irrepſiſſe videtur contradictio, nam lib. 2. criſtata Palladis caſſidem terribili Typhonis aſpectu deſcripſit: hic verò iubis criſtatam indicat. Anne caſſidem mutauit Pallas; an præſto erant criſtæ, quas identidem pro libito variaret? Ne carpas, quæſo, antequam capias. Anne vnquam vidiſti, in ludicris belli ſimulacris, inſignes armis bellatores, Serpentes, Pantheraſque, in conum erigentes; ſed ita tamen, vt volantibus vndequaq; plumis ornentur, iiſdemq; circumquaq; pendentibus ipſum bellatoris tergum exornetur? Quidni igitur & Pallas vtrumq; in conum erexiſſe dicatur, vt copioſioribus horreſceret criſtis? Non contradictionem itaque, ſed eruditionem, morumq. imitationem agnoſcas. Felix porrò Proſerpina, ſi ex equinis illis iubis, capiti impoſitis moderationem animi potuiſſet addiſcere, per equum ipſum expreſſam, qui, quamuis ferox, concitatuſq;, tamen ex præſcripto curriculis ſuis, circulo non egreditur: quarè eidem, in tali motu, additum fuit lemma, *ferox non tranſgreditur*; nam ſic nec ſidæ oblita parentis fuiſſet; nec Venerem extra clauſtra eſſet ſecuta; nec ſe ipſam raptui obtuliſſet.

IMPLET GALEAM. Lib. 2., de Proſerpina, vt vidimus, cum ſororibus Deabus comparata, inquit:

Nec membris, nec honore minor &c.

itaque & hic, ſibi ipſi cohærens, oſtendit Proſerpinæ caput, & conſequenter membra cætera, capiti, cæteriſq; eiuſdem Palladis æqualia membris fuiſſe; dum ait, capus illius galeam adamuſſim Palladis impleuiſſe; nempe totam galeæ cauitatem. De Galeis autem vide dicta lib. 2. carm. 11.

LAVDANTE MINERVA. Mineruam eamdem cum Pallade eſſe iam vidimus lib. pri. carm. 229. Sed cur inducit Vates *Mineruam laudantem*, cum Proſerpina galeam aſſumpſerit; nec innuit *Laudantem Dianam*, cum venatricis indueret habitum? Porrò, ſi in vim hieroglyphici aſſumantur, tàm Dianæ, quàm Palladis ſpolia à Virgine aſſumpta, æquè infauſtum vtrumq; illi fuerat hieroglyphicum; nam venatricis habitum aſſumens videbatur initia ſe ipſam exornare inferni Venatoris in Nuptam: certè enim ex ſacris litteris nouimus, Principem tenebrarum venatorem eſſe, circumeuntem ſemper, quærentemq., quos in laqueum coniiciat ſuum; quarè exclamabat Regius Pſaltes: *Anima noſtra, ſicut paſſer, erepta eſt de laqueo venantium*: præterquam quod Venatoris munus de facto exercebat Pluto, per ſubterraneos accelerans calles conceſſam ſibi in prædam Proſerpinam abripiendam. Iterum galeam capiti imponens, Plutoni pariter imitari videbatur, cuius galeatum caput, apud antiquos, extitiſſe, iam vidimus. Quare nulli, ob hæc, laudanda certe fuerat virgo; licet apte eam ſic Vates inducat proprijs præludentem nuptijs. Sed facile reſpondetur, prælatas Deas non fuiſſe participes Venereæ proditionis, nec conſcias; cum ſola Venus conſcia fuerit furti, ac doli, vt lib. 2. & primò, conſequenter non potuiſſe, in tam infauſtum auſpicium proactiones detorquere. Sed laudat Minerua, quia immò bonum ex impoſita galea ſumpſerat omen: primo quidem, quia galea, ad protegendum caput inuenta, totum, in ipſo capite, corpus ſeruare cenſetur: quare ex illa, cum Epigraphe *Totum ſeruo* impreſſam erexit Io. Franciſcus Bonomus. Quid igitur, per galeam capiti impoſitam ſignificari poterat, niſi quod, ſeruata incolumi rationis ſede, ac conſequenter ratione ipſa, futurum eſſet, vt tota ſeruaretur Proſerpina? Dum igitur caput galea premit, præſtantiſſimam illius animæ potentiam, quæ in capite reſidet, à ſe defenſam iri, profitetur: ideò iure à Minerua, ſapientiæ Dea, laudatur, vt prudens, ac nullis vnquam periculis obijcienda, ſi in propoſito perſeueraſſet. Secundò galeas tantum protegit caput, in quantum clauſum illud tenet, & occultum: ideò præfigurare potuit, Proſerpinam tandiù incolumem futuram, quandiù, præceptis obſtricta Matris, in abſcondito ſe contineret. Cum itaque, hoc hieroglyphico, ſe ipſam celare videretur, laudatur iure à Minerua, quæ, hæc omnia noſcens, eam in propoſito confirmare præoptaret. Tertiò Arma Palladis induens geſtiebat, ſe in nouam Mineruæ effigiem, viuumque ſimulacrum conformare. Laudat itaque Minerua; quia quouſque Proſerpina Palladium, in ſe ipſa expreſſiſſet, vel potiùs in Palladium ſe ipſam conformaſſet, futura, procul dubio, eſſet incolumis, ac nullo inſidiatore violanda: nam & Troia quouſque Palladium habuit inuincibilis fuit: quare Palladium ipſum, nempè effigiata Minerua, viſum eſt, cum Epigraphe, *Seruata ſeruabimur ipſi*, Et profectò, cum Philo Hebr. lib. de Somnijs teſtetur, ſapientiam, quæ vt dix. Minerua eſt, in abdito ſemper, non in propatulo, degere ſolitam, ſi Proſerpina Mineruam induiſſet, in abdito reſidens, Raptoris manum effugiſſet. Ideò laudatur meritò, & quidem *laudante Minerua*; laudis enim gloria eo magis extollitur, quo magis laudandus eſt ille ipſe, qui laudat; laudari enim a laudato viro ſummum gloriæ eſt. Quid verò a Minerua, Deâ vtique ſapientiæ laudari? Vides quanta emphaſi poetica hæc ſententia extollatur. Sed cur non laudauerit & Diana, cum habitu geſtientem ſuo Proſerpinam intueretur? Nonne optimum fuit habitum Virginis aſſumere, quæ ſyluis ſemper abdita, ab omni prorsùs hominum aſpectu, nedum commercio abhorreret? Obſerua, hic, quam exactus morum imitator ſit Claud. Vbi maior, ceſſat minor. Ideò, adſtante ſapientiæ Deâ, incongruum fuiſſet, ſi Diana laudes eas deferre vſurpaſſet ſibi, quæ à ſolo ſapiente, dignum eſt, vt procedant. Idcircò ſilet Diana, & Iudicium Mineruæ relinquit ferendum, num actio illa Proſerpinæ laudandam nec ne cenſeretur. Sed cur Minerua ipſa non laudat? Nonne, Dianæ imitatricem laudare negligens, cum ſubindè imitatricem ſui laudauerit, poterat, tamquam Dianæ inuideas, in liuidum adduci? Sapientia, quod optimum eſt, ſequitur ſemper; neque abeo, ob cuiuſquam offenſionem, declinat. Minerua igitur, quæ oculo ſapientiæ ſuæ, vnico intuitu, omnia videt, ſcrutatur, & trutinat, non inducitur ad laudandam Proſerpinam, eo quod venatricis Virginis habitum induiſſet, quia nouerat, habitum illum ſolitam fuiſſe & Venerem mentiri; ad quod reſpiciens poſtea Virg. Aen. 1. eam filio Aeneæ adſtantem deſcripſit.

Virginis os, habitumque gerens, & Virginis arma &c.
Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
Venatrix &c.

Ideò igitur non laudat actionem illam Proſerpinæ, Dianam imitantis, quia, licet in ſe optima eſſet, tamen non videbatur omninò a ſubdola, & ſimulante Venere, vt voluiſſet, aliena. Vmbram mali ſæpè, ac ſemper effugere; nedum malum ipſum prudentes debent, & auerſari; quod tunc Proſerpina non præſtabat; nam venatricis habitum gerens, incertum reddebatur, num verè Dianæ inhæreret venatrici, an Venerem venatricis ora mentientem ſequeretur; ideò non laudanda, cum de poſtrema imitatione ſuſpecta eſſe potuerit. Galeam verò aſſumit, laudante Minerua, ob iam datas rationes. *Laudare* autem idem eſt ac encomijs, ac plaudentibus proſequi vocibus.

ET LABORAT GESTARE CLYPEVM INGENTEM. Non ſufficit galeam ſumpſiſſe, vt Palladem referat Virgo: quare & Clypeo brachium inſerit, & laborat &c. *Laborare* eſt cum labore, & conatu aliquid agere. Quæ igitur mollibus digitis attentauerat arcum; nil mirum, ſi male firmo etiam lacerto, Palladis clypeum ſuſtineret, & non niſi conatu, ac labore adhibito illum vix potuerit *geſtare*, hoc eſt *gerere*, & *circumferre*; Verbum vtique notiſſimæ ſignificationis. Aſt dum armatam, ac ſub armorum pondere nutantem intueor Proſerpinam, mihi videor videre Erminiam apud Taſſum Can. 6. Hieroſ. lib., Clorindæ armis onuſtam, ac labore conſimili fatigatam, quam ſic egregiè deſcripſit ille:

Co'l duriſſimo acciar preme, & offende
Il delicato collo, e l'aurea chioma;
E la tenera man lo ſcudo prende,
Pur troppo graue, e inſopportabil ſoma &c.
O con quanta fatica ella ſoſtiene
L'inegual paſſo, e mena lenti i paſſi &c.

Porrò ſcutum maius, vt alibi vidimus, Clypeus nomina-

tur

tur à verbo *Clepere*, quod eſt ab ictibus furari; ſeù à τὸ καλύπτειν, hoc eſt à celando, quia totum celet corpus &c. alias verò nominis deriuationes ſi cupias vide ſuſe dicta lib. 2. carm. 224., peculiaria verò ſi quæras de ipſo Palladis Clypeo, ac de inſerta Gorgone &c. videas eodem lib. 4. carm. 26. Eum ouális figuræ fuiſſe autumant complures: ſed nec deſunt, qui aſſerant orbicularem fuiſſe. Certè vtriuſq; figuræ Clypeis, iuxta diuerſitatem opinionum, antiquitùs diuerſis in locis, diuerſæ Palladis ſtatuæ decorabantur. Clypeum Palladi à Troianis aptatum orbicularem fuiſſe, ad inſtar Argolici Clypei teſtatur Æn. 2. Virg., vbi ſub ipſius *orbe* latitaſſe, ait Serpentes Laocoontis:

Sub pedibuſq; Deæ, clypeiq; ſub orbe teguntur.

Hieroglyphicum autem rotundum Palladis clypeum plerique arbitrantur, quod orbem indicare videatur, qui ſub clypei ſpecie tegatur à Sapientia; ideò Martianus de Pallade ait:

Hunc ſibi dat clypeum Sapientia, quod regat orbem.

Hinc habes, cur huiuſmodi clypeum *ingentem* dixerit auctor. Plus certè eſt *ingens*, quàm *magnus*, vt notant verborum interpretes; dicunt enim, nomen *ingens* eam importare magnitudinem, quæ propiùs ferè ad immenſitatem accedat; quo poſito, hyperbolicum eſſe hoc nomen non dubitauerim; nam, quantumuis maximum fuerit ſcutum illud, adhùc tamen certa, procul dubio, menſura limitabitur, figuram habeat circularem, nec vlla dari poſſit figura infinita, ex eo, quod implicet infinitum terminatum, vt nos latè in Phyſ. docebamus: quarè, fuerit vtcumq; maximum, tantum ſemper ab immenſo diſtabit, quantum diſtat finitum ab infinito. Sed, vt ſciamus, in quantam ſe extenderit magnitudinem iſte Palladis clypeus, memineris, fuiſſe eum inſtar argolici, vt dix., clypei conformatum; argolicum verò clypeum immenſæ propemodum vaſtitatis fuiſſe, notat Virg. Æn. 3., qui effoſſum Cyclopis oculum, cum Argolico comparans clypeo, vt meliùs adaugeret vaſtitatem, Argolicum ſubindè Clypeum cum vaſtitate Phœbeæ lampadis confert: *Argolici Clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.* clariùs autem Æn. 2., de Clypeo Palladis expreſsè loquens, immenſam eiuſdem indicat vaſtitatem ex immenſitate draconum, ſub illius Orbe latitantium. Audi primò quam vaſtos deſcripſerit angues:

(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt Pelago, pariterq; ad littora tendunt;
Pectora, quorum inter fluctus arrecta, iubæq;
Sanguineæ exſuperant vndas: pars cætera Pontum
Pone legit, ſinuatq; immenſa volumine terga.

Iam audi, quomodo, Laocoonte, cum filijs, perempto, Clypeo Palladis tegantur.

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſæuæq; petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibuſq; Deæ, clypeiq; ſub orbe teguntur.

Si itaque vterq; ſingillatim anguis immenſus erat, dum ambo ſub eodem clypeo latitant, quantam ille habuiſse immenſitatem dicendus eſt? Nil itaque mirum, ſi laboret Proſerpina geſtare ingentem clypeum. Fœlix tamen laborat, quæ, Minerua laudante, laborat: & iure a Minerua laudatur, quia ſapientiæ virtute, non niſi per laborem, induimur; vt enim ait lib. 4. Strom. Clemens Alexandrinus, labor eſt ante virtutem; atq. adeò virtuti initiatur virgo, dum laborat, ſe Palladi, hoc eſt ſapientiæ, conformare. Inſuper Clypeus ipſe ſymbolum virtutis eſt, quæ cum ſemper in arduis ſit, laborandum certè illi, qui huiuſmodi Clypeum geſtare geſtiat. Virtus porrò ipſa Clypeus ille eſt, cui Gregor. Brunel. lemma illud inſcripſit *Vnus omnia contra*: atq; in cuius laudem Italicè decantans Arcionius Abbas hæc ſcripſit:

Dentro dentro noi ſteſsi arte ſi ſerra
Ond' all' huom vengon dati
Contro à le ſtelle adamantini arneſi.
S'à i cor verità ſia ſcudo; i cori illeſi
Reſteran, benche i Fati
Schieraſſe contro loro ogn' aſtro in guerra.

quod tandem coincidit cum communi effato *Sapiens dominabitur aſtris*. Dum itaque Proſerpinam, ſcutum geſtare laborantem laudat, fruſtra contra eam armari Fatum inſinuat, ſi virtutis, ac ſapientiæ clypeo muniatur. Sed hæc, obiter dicta, tibi tantùm inſinuent ſapientiam Vatis, qui, ſimplici verborum inuolucro, tot ſapientiæ axiomata nouerit amplexari.

PRIMA VENVS &c. Ad Venerem, dolos iterum ſuos repetentem, occultoſq; tendentem laqueos, narrationem rurſùs ſuam reducit Electra, oſtendens, quam vafrè, quam ſubdolè, quam ſedulo ſe ſe in animum Proſerpinæ inſinuauerit, vt pedem è clauſtris efferendum, nullo negotio, ſuaderet. *Prima*: hoc eſt, cæteris ſeria iam, & quæ ad optimam vitæ inſtitutionem facerent, agitantibus, quaſi rerum, à ſe ipſa iam nimis diſcrepantium, pertæſa Venus, auctricem ſe facit de Ætnæis delicijs diſſerendi. Iure Veneris ſimulacrum inſidens Arieti, petulantiæ ſcilicet prototypo, conſtructum eſt apud Eleos; nam, & hic, petulantes profectò ſunt, ludicra, & mollia ſerijs immiſcere, ac, dum ſociæ Deæ Solonis, de Virginibus tuendis, ſalutiferas leges anticipatâ expromerent præuentione, Epycureorum mentionem opinionum ingerere non ſolùm, ſed ſe ad eas ſectandas Principem exhibere. Hanc itaque petulantiam notat Vates, dum ait: *Prima Venus*; quæ ſcilicet, memor agendorum, non vlteriùs pati poterat, vt præceptis, deſiderio ſuo obuerſantibus, detineretur, impudenter à ſerijs ſermonem reuocat ad delicias, vt, quæ à Ioue acceperat, iam ociùs exequeretur, & leta hæc ingerit, vt ad luctum deducat. Sed quid mirum? Venus mater amoris eſt; & vicini quam maximè Amori ſunt voluptatis affectus, & letitiæ; ideò Venus, licet Virginibus veneris aſſociata, vt & ſe iam pudicâ oſtenderet, non poteſt quin ad leta digrediatur, vt Amori indulgeat; nam quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diù. Exitium moliebatur; ideo ſalutares interpellat ſermones, nocenteſq; immiſcet, vt corrumpant bonos mores colloquia ſua.

AFFATV MALIGNO. *Afflatu*! legit in hunc locum Heinſius ex manuſcriptis à ſe, vt ipſe teſtatur viſis: *Afflatum* autem pro *inſtinctu* poſitum aſſeuerat. Et profectò, cum Venus ab antiquis letitiarum, deliciarumq;, ac voluptatum Dea haberetur, nil mirum ſi *inſtinctu naturæ*, ſeù, quod idem eſt, naturâ ipſâ ſuâ ſtimulante deliciarum iniciat mentionem; & *inſtinctu*: ideſt ſuggeſtione (nam vtrumq; ſignificat nomen *inſtinctus*) alios ad delicias allicere conetur; qui tamen *inſtinctus* malignus dicitur, eo quod terreſtres, ac præcipuè ad Venerem ſpectantes, deliciæ mortiferum ſemper, melle ſuo abſconditum propinet venenum. Vt fatear, accepto pro ſuggeſtione *afflatu*, non poſſum quin Heinſio, ita legenti adhæream. Sed non omninò vulgatam arbitror improbandam; nam certè affatus ſuggerit, & locutio eſt ſuggeſtiua, ad alium habita, præſertim ſpectatis hic ſpectandis, vbi de Deabus colloquentibus ſermo eſt. Quare, in ſenſu vulgatæ, idem erit dicere: *affatu maligno*, ac dicere: *ſermone ſuggeſtiuo*, iniecto fraudolenter, ac ſubdolè: *malignus* enim eſt quaſi *conſuetudine malevolus*, vt Nonnius interpretatur: certè autem Veneris ſermo non poteſt quin Virginibus ſemper maleuolus, & malum intentans ſit; ideò *malignus*, quaſi *maligenus*, hoc eſt malum gignens.

INGERIT CAMPOS &c. *Ingerere* eſt *inferre*: &, quia, dum, inter aliorum ſermones, alius ab altero infertur ſermo, videtur quaſi inter eos intrudi, ideò *ingerere* pro intrudit vſurpatur hic, ſeù pro *in medium profert*, ſed quadam veluti violentiâ adhibita, qua petulanter id factum oſtendatur; hanc enim vim habet verbum *ingero*. Odioſè itaque Electra, vt hanc Veneris carpat impudentiam *ingeſsiſſe*, dicit, *campos*; ideſt *de campis mentionem*. Vulgo *introduſſe diſcorſo de campi*; nam certè campos ipſos non protulit in medium: ſed, quia voces ſupponuntur loco rerum, ideò, qui vocem alicuius rei ſignificatiuam profert, rem ipſam dicitur in medium proferre. Sed nota hic Vatis artificium. Venus, primo ad Proſerpinam ingreſſu, de dura conquerens matre, tædium illius ferrei, quo detinebatur, carceris ingerere ſtuduit; atq; exercendæ libertatis amorem conciliare: Iam, vt oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant, receſſui, quem Proſerpinæ indignum deprædicauerat, camporum latitudinem, libertatemque opponit; nam *campus* amplum eſt terræ ſpatium, *campus* à capiendo dictum, quia multa capiat: & quidem cum ſermo hic ſit de campis Ætnæis in propatulo poſitis, vt innuit Iupiter lib. pri. carm. 221., certè receſſui obſerato, priuationi ſcilicet libertatis libertatem opponit; eamq; patulis arripiendam ſuggerit in campis, verùm tacitè inſinuans eſſe effatum illud, apud Italos, vulgatum: *Meglio egl'è l'eſſere augel di boſco, che di gabbia*: vt ſcilicet paulatim impellat incautæ voluntatem ad expetendum, quod vetitum à matre fuerat.

ÆTNÆAQ; RVRA. *Aennæa* non *Ætnæa* legit Heinſius, iuxta antiquorum morem, qui *Ænnam* non *Ætnam* dicebant Siciliæ montem, de quo lib. pri. carm. 152. Verùm cum iam vſus inualuerit, vt *Ætna*, non *Ænna* legatur, non video cur

de

deriuati exinde nominis lectio ſit immutanda. Quænam autem, & qualia ſint Ætnæa rura, vide dicta lib. 2. carm. 71. Hic tantùm iterùm nota Vatis artificium, qui Veneris ſubdolas omninò artes imitetur egregiè. In ſuperioribus, ſuadere ſtuduerat ſubtiliſſimè Venus, ſeù potiùs ſuadens videri voluerat, vt, neglecto à Proſerpina, Matris imperio, carcerem illud ferreum deſereret, & Patrium reuerteretur in Cælum: non quod ipſa verè optaret, incautam ad Cælum reducere, quam potiùs inferis tradendam diſponere ſatagebat: ſed propoſuit aſtutè id, quod, nullo modo, ſine Matris conſortio, peragendum facile videri potuit, licet bonum; ad hoc, vt ſubindè, quod minus videretur, proponens, licet de facto periculoſius eſſet, faciliùs audiretur. Nam talis erat Veneris ſenſus: Ad Cælum redeamus: ſed, ſi Cælum ſine Matre arripere nolis, hocq; iuſtum tibi videtur, non renuo. Aſt ſaltem apertis fruamur campis, ſaltem vicinis oblectemur viridarijs, floribus coronemur: Si ſtellas Poli pedibus calcare, in obſequium Matris, differimus; Stellas ſaltem ſoli, flores ſcilicet non deſpiciamus; & coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nec conqueri poteſt Mater, ſi leuibus hiſce indulgeas: nam, quantumuis auſteræ ſint leges, delicto nequaquam imputant actionem, vbi paruitas materiæ excuſet à delicto. Vide quam ſubtiliter arguat implicitè ſubdola Veneris oratio; & quot, vno verbo, eruditiſſimus Vates amplectatur. Ad Ætnæa rura ſermo Veneris allicientis conuertitur: ſed nota, quod floribus detineatur, à monte autem abſtineat: in quo etiam ars eſt, & quidem aſtuta; nam Ætnæ mons, in ſuperiori parte, niuibus, flammiſq; horrens finem vndequaq; floribus, circumquaq; luxuriantibus, imponit: *vertitur nullo cultore cacumen*: ſicq; clarè indicat, luxuriantes delicias infelici, ac tormentoſo tandem exitu terminari. Quod in cauſa fuit, vt Areſius, Ætnam in ſymbolum eligens damnati, lemmate ditauerit *æſtu, & gelu*: iuxta illud Iob 24. vbi de damnato loquens ait: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium*. Ideò Venus callidè rura memorat; montis verò apicem reticet, ne horrore montis retraheret, quam florũ ſuauitate attraheret.

CALLIDA INGEMINAT FLORES VICINOS. *Callidus* idem eſt, ac *aſtutus, vafer, verſipellis, ſimulandi, ac diſſimulandi arte omninò callens*: atq;, vt notat Cic., *callidus* dicitur, cuius animus vſu huiuſmodi artium, ſicut manus opere concalluit: optimè autem Veneri quadrat, quæ, ex natura ſua, ſemper huiuſmodi exerceat artes, atq; adeò iam callum obduxerit animo; & hic præſertim, vbi & ſimulandi, & diſſimulandi peritiſſima apparet, vt ex infra dicendis in aperto erit. Hæc itaque *Ingeminat flores*: idest florum mentionem ſæpiùs repetit, & inculcat. Sed ad quid iterata iſta mentionis replicatio? *Identidem memorat*, inquit Parrhaſ. *vt deſiderium refouet*. Optimè quidem. Sed quid habeat hæc frequens commemoratio cum deſiderio vtiq; refricando? Non vlteriùs protenditur Parrhaſ.: & tamen, cum non ſpernendam contineat locus iſte eruditionem, non fuerat omnino negligendus. Attingit itaque hic Vates ſententiam illam, quam poſtea ſecutus eſt, ac mirificè illuſtrauit Eminentiſſimus de Lugo, in lib. de Anima, & de Incarn. diſp. 6. ſec. 7., & quam nos de ſcientia habituali agentes, in Logica noſtra, vt indubitatam aſſeruimus, explicantes. Docet hæc ſententia nullum in voluntate dari habitum, qui eamdem voluntatem facilem reddat, ac per modum ponderis inclinet, & attrahat ad actus ſuos eliciendos. Sed totam voluntatis facilitatem, totam vim propenſionis eiuſdem, ex ſpeciebus intellectualibus roboratis, confirmatis, ac radicatis prouenire: quod ſic explicatur. Certum eſt, quod voluntas nunquam feratur in incognitum; quare per præuiam ſemper cognitionem conſtituitur voluntas potens amare aliquod obiectum, repræſentatum à tali cognitione, vt bonum, ſi tamen aliunde non impediatur: ex quo fit, vt voluntas, quæ naturaliter fertur in bonum, ſi illud à cognitione proponatur, & illi repræſentetur, licet ſit potentia libera, & poſſit, ne illud propendeat reſiſtere, futurum tamen, vt non reſiſtat, niſi vel ſupernaturaliter iuuetur, vel aliquo impedimento diſtrahatur. Quo poſito, certum pariter eſt, quod voluntas, quæ, per cognitionem boni in intellectu exiſtentem, conſtituitur potens amare, atq; ad amandum attrahitur, eo magis futurum, vt attrahatur, quo magis illud bonum ab intellectu repræſentabitur: tunc autem certè magis dicitur repræſentari bonitas obiecti, cum, per clariorem, & clariorem cognitionem eadem inuariata numero bonitas obiecti dilucidiùs apparet: Cum autem omnis cognitio, per ſpecies, fiat, quæ ſunt quaſi lumen intellectus, quo ipſe obiectum percipiat, quo magis ſpecies huiuſmodi intenduntur, certè intenditur lumen ipſum intellectuale; ſicq; clariùs, ac clariùs ſemper idem obiectum repræſentabitur, quo magis ſpecies ipſæ multiplicantur, & ingeruntur, ita vt in vnam ſpeciei intenſionem coaleſcant, viuaciorem ſemper, quo maius accipit lumen; ideoq; & validiùs, & faciliùs attrahetur voluntas, niſi impediatur, vt diximus. Præcipua autem impedimenta, à quibus diſtrahi poteſt voluntas, certè ſunt cognitiones oppoſitæ; ſicuti enim voluntas, per cognitionem bonitatis attrahitur, ſic, per cognitionem oppoſitam malitiæ, ab eodem obiecto retrahitur. Neceſſe eſt itaque, ad ſuperandum huiuſmodi impedimentum, vt cognitio bonitatis, v. g., per iteratas ſpecies impreſſas, tantum luminis acquirat, vt oppoſitum lumen valeat infuſcare, nam tunc vbi maius ceſſat minus; & ſic voluntas à maiori lumine ducitur; perindè ac ſi minus non adeſſet: neceſſe etiam eſt, vt cognitio bonitatis, per datam intenſionem tantum ponderis acquirat, vt cognitioni oppoſitæ præualeat; & tunc voluntas in obiectum propendet, viuaciori hac expreſſum cognitione, cuius viuacitas ſubindè, quo magis creſcit, magis ponderat, & attrahit, ac ſic voluntas faciliùs ſemper, & faciliùs propendet. His poſitis. Nouerat profectò Venus, voluntatem, quæ potentia libera eſt, naturaliter etiam in amorem ferri libertatis: nouerat Virginis voluntatem, ætate floreſcente, in flores adamandos, naturâ ſua, procliuem: ſed nouerat etiam, Proſerpinæ voluntatem, Genitricis ſuæ monitis præmunitam, impediri, ne ab amore aut libertatis, aut florum retraheretur à propoſito non efferendi ex clauſtris pedem, vt iam dixerat Electra:

. . . . Nec limina Virgo
Linquere, nec virides audebat viſere ſaltus
Præceptis obſtricta tuis.

Nouerat impedimentum conſiſtere in eo, quod intellectus Proſerpinæ, per iteratas ad præcepta Matris reflexiones, eiuſdem voluntati repræſentabat vt bonum, pedem domi detinere, vt malum verò flores in aperto ſectari, & viuide adeò hæc repræſentabat, vt ſpecies, bonitatem colligendi flores ex agro repræſentans, ad frigidam cerebri partem reiecta euanuiſſet ferè, vel ſaltem nullum attrahendi iam munus poſſet exercere. Auferendum erat huiuſmodi impedimentum; nec auferri poterat, niſi ingeſtâ intenſione ſpecierum de bonitate florum colligendorum, quæ adeò excreſceret, vt contrarias ſpecies ſuffocaret: ideò ingeminat flores, vt per frequentatam horum repetitionem ſpecies in intellectu Proſerpinæ multiplicentur, radicentur, ac roborentur adeò, vt voluntatem attrahant ad intentum, eneruatis ſpeciebus, in oppoſitum inclinantibus. *Gutta cauat lapidem non bis, ſed ſæpè cadendo*. Obduratam præceptis maternis Proſerpinam non tam facile nouerat aſſenſuram: ideò guttatim illabitur, ſed replicatis frequentat guttis, vt tandem frangat. Ex vicinitate autem deliciarum, validiſſimum eruibrat argumentum Venus, vt ſuadeat; nam, vt aptiſſimè ait Carduccius apud Picinellum

Quo propiora vides, cor magè læta ſitit.

quod in cauſa fuit, vt Impreſiæ canis leporem inſectantis, & iam iam à tergo imminentis, additum fuerit lemma. *Quo propior auidior*: atq; extinctæ faci prope Vodonis fontem admotæ inſcriptum fuerit *ad mota accenditur*. Videatur vtcumque extinctus deliciarum appetitus: ſi tamen præſentium fomite attigeris, exardeſcet magis: atque ideò ad hoc exprimendum ingenioſus quidam igni cineribus conſopito, inſcripſit: *Si ſulphure tangar*, alludens ad ea, quæ de remed. Amoris lib. 2. ait Ouid.

Vt pene extinctum cinerem ſi ſulphure tangas,
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit.
Sic niſi vitaris quidquid renouabit amorem,
Flamma recrudeſcet, quæ modò nulla fuit.

La commodità fà l' huomo ladro, inquiunt communiter Itali: ideò & Venus opportunitatem in proximo oſtendens, vehementiſſimum Proſerpinæ ſubijcit incitamentum, vt ad prædandam exeat Floram, Præda ipſa Raptoris extitura.

ET QVÆRIT &c. Quærere, hoc loco, idem eſt, ac *ſciſcitando interrogare*, vt patet ex ſtatim additis *velut neſcias*; nam qui aliquid neſciat *quærit* eos, ſcilicet interrogans, à quibus valeat erudiri. Nota continuatum Veneris artificium, quæ, vt ſpecies, quas ipſa ingeſſerat, identidem memorans flores &c. Validiùs conualeſcerent, de iiſdem interrogat, vt neceſſitatem imponat Proſerpinæ, ſe ſe in deſcriptionem Ætneï ruris effundendi, vt Venerem deceat inſciam: cum enim nil ſit in ore, quod priùs non fuerit in mente; certè, ad hoc vt Proſerpina delicias illas explicaret, refricandæ illi, excitandæque erant illarum ſpecies,

quæ

quæ per nuptias, ac nouas, iuxta ſeriem conceptæ deſcriptionis peragendæ, intenſionem acciperent, & roborarentur; ac viuaciſſimæ fierent; ex iiſque voluptas orietur, quæ, animum faſcinans, in ea, quæ minimè decuiſſent, impelleret. Noui, inquit Cyrillus Alexand. Hom. 19, noui voluptatem faſcinantem animum, eumque, licet pudicitate ornatum, ad ea, quæ minimè decent, facile impellentem. Ideò hac arte vtitur Venus, & ad excitandam voluptatem impellentem, & ad intenſionem ſpeciebus attrahentibus ingerendam, certa ex iis efficiendum, vt tandem voluntas infallibiliter propendeat, & prolabatur.

VELVT INSCIA. En autem illam ſimulandi, & diſſimulandi, artem peritiſſimam, in ſuperioribus, Venerem ignouimus; nam quod vaferrimæ erat aſtutiæ, affectum ſimulat eſſe curioſitatis, dum quærit, &, *velut inſcia* quærit. Simulat, ſe velle erudiri, & alias ſatagit in errorem inducere: diſſimulat ſcientiam, quam haberet, vt alteriuſ iſſius tricas nectat: diſſimulat ſuaſionem, quam inducere ſtudebat; & ſimulat, ſibi ſuaderi non poſſe, quod verum tamen eſſe, ſciret. *Velut* aduerb. aſſimilationis eſt: quod autem alteri ſimile dicitur, certè non eſt idem cum illo; nam inter diſtincta ſemper ſimilitudo intercedit: quod adnotare volui, vt noſcas, quàm aptè verſutiam, hic, Veneris perſtringat Electra, dum *non inſciam* notat; ſed ſe *inſciam* effingentem, vt illudat. *Inſcius* enim dicitur, qui rem aliquam neſciat: at quomodo neſciret, quæ nam, & qualia omnes eſſent rura, Venus, vxor licèt illius Vulcani, quem Ætnæis fornacibus ſæpè vidimus inſudantem? Quomodo flores rura neſciret Venus, quæ non niſi ſtratis recubei in floribus, vt docet apertè Phyloſtratus, apud Pier. lib. Hierogl. 54.? An quæ Floram ipſam ſub vexillis habuit ſuis, ſedes ignoraret Floræ? Hæc tamen, Proſerpinæ ſimplicitati ſe *inſciam* venditat! Vide, quam emphaticè illud extollatur *quærit, velut inſcia*.

MERITVM LOCI. Ideſt qualitates inſignes, quibus mereatur, vt famâ ad eius laudes celebrandas ſonoris adeò inſonet tubis. *Gratiam loci*, vno verbo, exponit Parrhaſ. dignitatem, virtutem, gloriam, interpretatur Barth.

NEC CREDIT &c. Quærenti Deæ reſpondendum profectò fuerat à Proſerpina; nam, qui ſedes ſuas aliquo firmas habet in loco, præſupponitur eruditiſſimus in eiuſdem loci proprietatibus; & eius ſemper eſt hoſpitibus ſuis notitiam eorum tradere, quæ neſcierint. Reſponſum itaq; procul dubio Proſerpina exornauit, ne ſuo iam muneri deeſſet. Aſt, ne cogeretur iterum Vates inſerere hic Ætnæi ruris deſcriptionem, quam lib. 1., & 2. iam habuerat, omiſſa reſponſionis narratione, quam, iuxta alibi dicta, proceſſiſſe, ſupponit, Electram accelerantem inducit, contentam ſcilicet innuiſſe, non neglectam ab Alumna reſponſionem: dum ſubdit, Venerem proteſtatam fuiſſe, nullam, apud ſe, fidem facere, quæ de Ætnæis prærogatiuis narrarentur. *Nec credit &c.* cui enim crederet, aut non crederet, ni Proſerpinam audiſſet, cui ſe non credere ſimularet? Coniunctione itaque vtitur diſiunctiua *Nec*, quæ idem ſonat, ac *Et non*, vt dum continuatos Veneris actus ſuppoſitæ coniungit reſponſioni, aduerſantem, eodem tempore, Veneris aſtutiam à ſimplicitate Proſerpinæ ſeiungat. *Nec credit*: non quia non crederet; ſed quia non credere ſe ſimulat, vt aſſerenti neceſſitatem iniiciat, vel ſaltem vehementiſſimos ſubdat ſtimulos, quibus impellatur ad experientiâ ſenſuum, quod veridicè dixerat, confirmandum; atque adeò ad inuitandam Venerem, vt ſecum pergat, ſuiſquemet oculis credat, quæ veridicæ aſſerentis linguæ non crederet; nam propriè, quæ audimus, credere, vel non credere, dicimur, cum fides ſit ex auditu: quæ autem videmus, *ſcire* dicimur, non *credere*; niſi per catachreſim loquendo.

QVOD BRVMA INNOXIA &c. Hoc præcipuè ex reſponſione habuiſſe oſtendit, quod fidem, apud ipſam non inueniſſe proteſtaretur, nempè, *quod Bruma &c.* *Quod*, iuxta Donati ſententiam, idem ſonat, ac *vt*: hic verò cum iungatur cum verbo credit, ita vt propoſitionem de poſſibili modalem efficiat: ſenſus eſt, vt arbitror, *nec credit poſſibile eſſe vt Bruma &c.* *Brumam* autem pro rigidiſſima aeris temperie poni ſolitam vid. lib. pri. carm. 263. Hic tamen poſitam arbitror pro brumali illo rigore, quem, Ætnæum ſtipantes vndique culmen, niues in ſubiecta effunderent arua, ſeù effundere debuiſſe videbatur. De Epiteto *Innoxia* vide dicta lib. pri. carm. 169.

SERVET ROSAS. *Seruare* eſt non ſolum incolumem, intactumq; relinquere; ſed etiam incolumitati alicuius, adhibito ſeruitutis obſequio, conſulere, quod inter prodigia iure enumerandum videtur, ſi eueniat inter naturalia agentia, naturaliter ad inuicem, vt hic repugnantia. Ex quo videas, quàm vafrè Venus, ſe non credere fingat, quaſi ducta ſit ab ipſa rerum enarratarum incompoſſibilitate; nimis enim contraria roſis bruma, quæ vigoroſiſſima quæq; germina corrumpit ſæpiùs, nedum delicatiſſimam inter flores roſam. Porrò de roſis vide luculenter dicta lib. 2. carm. 92. Placet hic tantum aliquid, de roſarum imbecillitate, ac fragili natura ſubtexere, vt noſcas, quàm aptè, licet roſa, hic, pro floribus ponatur omnibus, roſa tamen potiùs, quàm flos alius, à Venere nominatim eruetur in medium. Delicatæ adeò, ac citò tranſeuntis naturæ roſa eſt, vt *Naſcendo ſeneſcat*: quod illi inſcripſit Bargalius: & *vix orta fugiat*: quod illi inſcripſit Ferrus; vterq; in Impreſiis. Immò tàm longe à perenni duratione, etiam nullis appetita contrariis, roſa eſt, vt ſe ipſam perimat ſpirituum odoratorum copiam effundens nimiam: quarè de ea inquit Plutarcus: *Ingenti odoris redundantia deficit*. Verùm, ſi fluxam Roſæ naturam exactius delineatam exquiras, conſule Auſonium Idil. 14. & hæc, apud ipſum, reperies.

Hæc, modo quæ toto rutilauerat igne comarum,
Pallida collapſis deſerebatur foliis.
Mirabar celerem, fugitiua ætate, rapinam,
Et, dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.
Tot ſpecies, tantoſq; ortus, varioſq; nouatus
Vna dies aperit; conficit vna dies.
Quam longa vna dies, ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.
Collige, virgo, roſas, dum flos nouus, & noua pubes,
Et memor eſto æuum ſic properare tuum.

Cum itaque fluxæ adeò, naturâ ſua, ſint roſæ, quis crediderit, in Ætnæis hortis viguiſſe adeò, vt brumas inter conſeruarentur illæſæ? Optimè igitur Venus roſæ potiùs meminit, quàm alterius floris, cum roſa cæteris omnibus delicatior ſit; vt ſcilicet oſtenderet efficaciùs, ſe, non ſine fundamento, fidem enarranti denegaſſe. Non tamen abſurdum adeò cenſuit, roſas, inuitis etiam brumis, efflorèſcere Aloyſius Tatius Canon. Lateran., qui efflorèſcentium Plantario roſarum inſcripſit: *Ver, integer anno*. Immò in comperto eſt, non ſolum in Ætnæis hortis; ſed in Ægypto etiam, roſas toto anni tempore floruiſſe; ac denuo Romæ, & noſtris etiam hiſce regionibus, nonne & hyberno tempore habentur roſæ? Sed forſitan tunc temporis, non exacta adeò reperta fuerat, vt nunc, excolendarum ratio roſarum: ideò, non ſine fundamento Venus, ſe inſciam fingens, videri potuit incredula, & fidem aſſerentibus iure denegare.

QVOD GELIDI MENSES &c. Ex ſuppoſito quod Ætnæi flores brumas inter, vt ſupra conſeruari poſſent, ſequebatur ex neceſſe, vt etiam hyemali tempore poſſent inuitis efflorèſcere brumis; ac conſequenter, vt perpetuo vere ditarentur Ætnæ conualles, vt alibi dictum; & hic ſupponitur ex reſponſione Proſerpinæ confirmatum: Quarè Venus id ipſum aſſumit in anſam fidei denegandæ; & ſic arguit: Si bruma innoxia ſeruet flores, certè etiam hyemali tempore efflorèſcent: Sed hyeme produci flores incredibile eſt, ergo & quod brumâ ſeruentur &c. Quaſi diceret, ſe & conſequens credituram, ſi antecedens vidiſſet; vt ſic Proſerpinam inducat ad viſionem exhibendam. Ideò *nec credit quod gelidi menſes &c.* De particula *quod* vide dicta mox ſupra. *Menſis* verò eſt pars anni duodecima, iuxta ſtatutam Anni reformationem non ſolum, ſed etiam ex Homeri ſententia, qui dixerit, Æolum (& per *Æolum* ipſum intelligebant annum, ſeù anni tempeſtatem antiqui, vt notat Pier. lib. hierogl. 14.) duodecim filios habuiſſe; mares ſex, totidem fœminas. Quem locum Homeri interpretatus, ait Phurnutus: *Menſes ii ſunt; quorum, qui fœcundi fruges omnium vſui reponunt, fœminæ dicantur; qui verò ſteriles ſunt, mares habeantur.* Ex veterum religione, certè teſtatur Pier. cit., menſes ſingulos, ita Diis ſingulis adſcriptos, vt Ianuario Iuno præficeretur, Februario Neptunus, Martio Minerua, Aprili Venus, Maio Apollo, Iunio Mercurius, Iulio Iupiter, Auguſto Ceres, Septembri Vulcanus, Octobri Mars, Nouembri Diana, Veſta Decembri. *Menſes* itaque, à metiendo dicti, partes ſunt, annum commenſurantes: & *menſes gelidi* hyemales ſunt, inter mares Æoli filios à Phurnuto enumerati, conſequenter ſteriles, &, infœcundi. Ideò nil mirum, ſi pro impoſſibili Venus autumat, & credendum negat, naſci roſas menſibus gelidis, hoc eſt gelu torpentibus, rigentibuſque; Glacies enim non ſolum germina quæcumque adurit, & gramina; ſed etiam terram adeò con-

ſtringit,

ſtringit, vt in fœtus erumpere nequaquam poſſit: Quarè incredibile prorſus videbatur, quod flores æthereis in campis germina ſuccreſcerent arcano defenſa gelu. Ideò *nec credat quod menſes gelidi*

RVBEANT ALIENO GRAMINE. *Rubere* eſt *Ruborem induere*. Ponit autem hic Vates continens pro contento; nempè tale tempus pro agris, in tali temporis rigiditate conſtitutis. Benè autem *Rubeant*, inquit, cum ſermo de roſis producendis ſit, quibus coronatus, ager producens certè rubeat, neceſſe eſt: ſic Virg. Georg. 2.

Sanguineis frontem moris, & tempora pingit. (sic: *Sanguineis ebulis rubens autarta Bacchis*.)

Hic tamen conſequens ponitur pro antecedenti, nempè *Rubere* pro *roſas producere flores, quibus rubicundus ager appareat*. Quo etiam in ſenſu Virg. Georg. 4. tempus notans, quo apes ex perempto naſcantur vitulo, ſic habet:

Ante, nouis rubeant quam prata coloribus; ante
Garrula quàm tignis nidum ſuſpendat Hirundo &c.

quod idem eſt, ac dicere *antequam vere nouo* erumpant in floriferos fœtus prata ipſa, & flores producant. Sed quid ſibi velit; *Alieno gramine*? Nulli licet falcem mittere in meſſem alienam; quod præcipuè locum habere videtur in rebus naturalibus, & naturaliter operantibus; nam, cum opus naturæ ſit opus perfectiſſimæ intelligentiæ; totaq; Naturæ perfectio in inuiolabili ordinatione conſiſtat, abſurdum nimis videretur, ſi natura ipſa in ſuaſmet ordinationes pugnaret, & conſuetum operandi vſum peruerteret. Inuertere autem eſſet naturæ ordinem, ſi in hyemem ea, quæ æſtatis, aut veris, ſunt propria, transferantur. Ex hoc itaque inconuenienti argumentum deſumit Venus ad oſtendendum, abs re non eſſe, ſi non credit &c. Ideò *nec credit*, inquit, *quod gelidi menſes rubeant alieno gramine*. Alienum enim dicitur, quod aliorum eſt, non noſtrum; ſed ab alijs deſumptum, atque iniuſtè vſurpatum, nos in vſum proprium conuertimus: Sic roſam, quæ Veris eſt, ſi ſibi vindicet Hyems, non ſuo, ſed alieno *rubeat gramine*; *germine*, pro *gramine*, legit Heinſius, allegans impropriè dici, quod *gramine*, hoc eſt herbis rubeant viridaria. Et profectò non dubitauerim planiorem, ac clariorem, Heinſij lectionem fateri; ſed quia, vt vidimus lib. 2. carm. 90., Graminum, ſeù herbarum, nomine flores ipſi continentur, tanquam in genere ſpecies, cur non dixerim poſitum & hic pro ſpecie genus per ſynecd., ideoq; non eſſe, cur à vulgata recedamus.

NEC VERNA VIRGVLTA &c. Aliam, præter glaciei in flores hoſtilitatem, ac ordinis naturæ perurſionem, adducit cauſam, qui non credat &c. eamq; deſumit à Ventis, qui, tunc temporis, hoſtili, atq; vrenti nimis afflatu in flores inſurgunt, & perimunt: ex quo incredibile videtur, quod tenera perſiſtant virgulta, & viuant. *Nec* coniunctio diſiunctiua eſt, quia cauſam cauſæ copulet, effectum verò ab effectu diſiungat. De virgultis vide lib. 2. carm. 79. Hic pro ipſarum roſarum ceſpitibus profectò aſſumitur, ſed reliquos etiam florum caules non excludat, immò, & minus quidem principaliter includit: nam ſicuti, nomine roſæ, flores omnes negat poſſe ſubſiſtere; ſic, nomine Ceſpitum roſæ, reliquos omnes comprehendit. De Epitheto *verna* vide dicta lib. 2. cit.

TIMEANT BOOTEN. De Boote vide dicta lib. 2. carm. 190. Hic tamen non pro ipſo Arctophylace, ſeù Arcturo ponitur; neq; enim Ætnæi campi ſeptentrionales ſunt, vt hanc ſeptentrionalem metuant conſtellationem; ſed ponitur pro Vento Borea, qui, à ſeptentrione afflans, videtur à Boote in apertos campos immitti. De vrenti autem, ob penetrabilis maximè frigoris rigorem, huius venti afflatu iam dix. lib. pri. carm. 70. Certè hic ſyluis honorem decutit omnem, vt habetur ex Virg. Georg. 2., & experientia ipſa comprobatur. Tantùm nota hic conflictionem contrariorum inter brumam ſcilicet, & roſas: gelidos menſes, & Veris tempus: Booten, & verna virgulta, quæ, quamuis delicata eum nequaquam in ſuam perniciem timeant armatum. Porrò *timere* paſſionem animi importat; ſed ad virgulta transfertur, nobili illo translationum genere, quod ſenſum tribuit inſenſatis, vt altiùs aſſurgat oratio. Ponitur autem conſequens pro antecedenti, nam timor ſæpè oritur ex experientia incommodi, quod alias ſimilibus paſſi ſumus in caſibus; &, qui non timeat, ſignum eſt nullius incommodi fuiſſe participem. Quare idem eſt dicere *non timeant Booten*, ac dicere *non fuerint à Boote læſa*; ex quo prouenit, vt nec lædi in poſterum timeant.

DVM LOCA MIRATVR &c. Supponit hìc, breuitatis gratiâ, per Synecd. fig., omittens, iteratam Proſerpinæ atteſtationem, quà vera omninò eſſe, quæ, Venus, ſe non credere, ſimularet, aſſeuerauerit: ac proinde abſolutè ſubdit admirationem inde natam, ſeù potiùs ſimulatam à Venere, eiuſdemq; expreſſum viſendi huiuſmodi prodigia deſiderium, tamquam ſubitos iteratæ affirmationis effectus, ſubdolas, re vera, technas, quibus incautam irretiret, ac ſecum adduceret. Declarat igitur hic Eloſtra, quibus poſtremò via ſit artibus Venus, vt in ſententiam traheret eundi Proſerpinam. Se enim incautam ſimulat amoris Mater, vt incendat, iuxta oratoriæ artis præceptum: *Ardeat Orator, ſi vult auditorem incendere*. *Dum* notiſſimum eſt temporis aduerb. vulgò *mentre che*. *Mirari* autem ignorantis eſt, inquit Donatus. Quare, cum ſe inſciam Venus ſimulaſſet, conſequens fuit, vt edocta iam de rebus, quas vix credendas profeſſa eſt, admirationem ex nouitate rerum, ſimularet. Ideò *miratur*, quaſi inauditum quid, inſolitumq; audierit: & *miratur loca*; hoc eſt locorum venuſtatem à Proſerpina deſcriptam, & non exiguis laudibus decoratam.

DVM FLAGRAT STVDIO EVNDI. Nota emphaticam repetitionem in particula *Dum*, de qua ſupra, oſtendit enim, non obiter, ſed diutiùs, iteratò, & ſæpe hæſiſſe, modo admirabunda, dum conſiſteret, modo geſtiens deſiderio exiliret, &, quaſi loco ſtare neſciens, moræ impatiens agitaretur, donec iter ad viſionem locorum concordi animo ſtatueretur. Ideò *dum flagrat &c.* Voluptatis mater admiratio eſt, (inquit Cauſinus de Eloq.) voluptas autem, quæ corde concipitur animum inflammat, atq; ad fruitionem ſui ſtimulans ardore quodam intolerabili concremat. Ideò *flagrat*: id eſt conflagrare ſe, ſimulans, oſtentat. Quid autem ſit flagrare vide lib. 2. carm. 315., ibi tamen propriè fuit vſurpatum, hic translatè vt noſtis, dum flagrare dicitur *Studio eundi*. Quo autem ire geſtiret, per Synecd. fig. reticet, nam ſatis conſtat ex cæteris. *Studium* propriè eſt vehemens animi applicatio ad aliquid peragendum: ait enim Cic. de Inuentione lib. pri. *Studium eſt autem aſsidua, & vehemens, ad aliquam rem applicata, cum voluptate, occupatio*. Vides quomodo ex voluptate concepta ſtudium voluptatis realis exoriatur. Totam ſe igitur explicabat Venus, & enodabat, ac contorquens dilatione, videbatur, tanto ſe ac conſum eundi, ad implendos enarratâ oculos voluptate, deſiderio oſtentabat. Hoc autem artificiosè, & callidè factum, vt ſcilicet erubeſceret Proſerpina, ſi negare in animo habuiſſet, quod Venus aueret, nempe vt ſe ſociam itineris præberet. Et ita

PERSVADET. *Aucupe dolla ſuas fallere geſtit Anas*. Ideò anati, in aquis geſtienti, ac reliquas ſuæ ſpeciei alites ad ſe ipſam ſequendam allicienti, vt morem gerens illi, à quo ſic edocta eſt, eas deducat in retia, eruditiſſimus Abbas Picinel. inſcripſit: *Officioſa alijs exitioſa ſuis*. Quod, & in caſu noſtro Veneri aptandum eſſe non ambigo; dum, officioſa Plutoni vt adſit, exitioſa ſuis, nempe & Cereri extitit, & Proſerpinæ, quam vt ſororem agnouerat, & amplexata fuerat, vt faciliùs proderet; nam, dum *loca miratur*, *ſtudio dum flagrat eundi perſuadet*. Verba mouent, exempla cogunt: ideò Venus exemplo ſuo fortiùs, quam verbis, dum ſe inflammatam deſiderio Aetnæis fruendi voluptatibus oſtendit, *perſuadet*. Perſuadere eſt ad aliquid faciendum inducere, ſeù in ſuam, de aliquo, vel credendo, vel faciendo, ſententiam adducere. Quid igitur Venus perſuadet? Vt Matris monita poſthabeat filia: vt ſoror ſorori morem gerat: vt ſe ipſam negligat, Aſilum relinquens ſuum, ne officio, ſorori debito, deeſſe videatur: vt in publicum prodeat, quo videlicet eam raptor moraretur. Hæc tamen Vates ſilentio preſſit, per Synecd. fig.: nam & muta fuit Veneris Eloquentia ſuadentis, & ſatis ex antecedentibus, ac conſequentibus colliguntur. Patet ergò, quam iure dixerim, conuenire illi Impreſiam ſupra cit. ex Alciato deſumptam, qui Emblem. 50., de prædicta Anate, ſic fallere docta, hæc cecinit:

Altilis allectator anas, & cærula pennis,
Aſſueta ad Dominos ore redire ſuos,
Congeneres cernens volitare per aera turmas;
Garrit, in illorum ſe recipitq; gregem:
Præteriſa incautas donec ſub retia ducat:
Obſtrepitans captæ; anxia at ipſa ſilet.
Perfida cognato ſe ſanguine polluit anas,
Officioſa alijs, exitioſa ſuis.

Cognata vulnera & à Venere cernis, in caſu noſtro; &, capta obſtrepente, ſiluiſſe Venerem, vidimus lib. 2.; atq; hic inter congeneres Deas volitantem cernimus, donec incautam ſub retia ducat, dum perſuadet: quarè ſi hanc ipſam Veneris proditoriam actionem deſcribere voluiſſet Alciatus, nil

aptius

aptiùs canere potuiſſet. Sed nec aptiùs potuit Auctor noſter de Venere loqui, quam cum dixerit: *perſuades*; nam Venus pro voluptate ponitur, & ſemper male ſuada, voluptas ſecum, procùl dubio, adducit etiam oculatiſſimos quoſque, nedum ſimplices, & incautos. Sic apud Ouid. Metam. 7. Medea, cum videret, non ſibi bonum eſſe Iaſonis amore incendi; attamen ſe coactam, nedum perſuaſam à Cupidine fatetur, dum ſic ſe ipſam alloquitur.

Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix: ſi poſſem ſanior eſſem:
Sed trahit inuitam noua vis: aliudque Cupido,
Mens aliud ſuadet: video meliora, proboque
Deteriora ſequor &c.

Hoc ipſum oſtendit impreſa apud eruditiſſ. Picinel. Mundi ſymbol. lib. 8. exarata, ex Papilione videlicet ad lucernam euolante deſumpta, cui inſcribitur lemma:

E sò ben ch' io vò dentro à quel che m' arde.

ſeu alio epigraphe inſignita apud Rancatum ſic:

Non poſſo far di non mi dargli in preda.

Nil igitur mirum, ſi & ſimplici, atque incautæ Proſerpinæ ſoror Venus efficaciter adeò inſiſtat, vt perſuadeat, & ſecum trahat, iam fidæ oblitam Parentis, cum Veneris filia dicatur, apud Saphum, *Pytho*, hoc eſt, *ſuadela*, ſeu *perſuadendi vis*, eo quòd nil intentet Venus, quod non ſuadeat; ac præcipuè, ſi apud iuuentutis flores, ſe ipſam exhibeat perorantem. Ex quo iure inclamet Electra

HEV LVBRICA &c. Aliqui poſt verbum *perſuades* nullam apponunt interpunctionem, ſed continuate legunt, ita vt dandi caſum *teneris moribus* faciant, illi verbo *perſuades* ſubſeruientem; ac ſtatim ſubinde ſequatur Ecphoneſis *Heù &c.* Verùm omninò apponendam interpunctionem noſtram, notat egregiè Heinſius, &, ante illum, Parrhaſ. in hunc locum: ſic enim dilucidior procedit acclamationis ſententia, per Hypallagen, & clariùs diſtinguitur narratio, de peractis à Venere, ab interpoſita lamentantis interiectione, quæ per particulam illam *Heù*, quæ dolentis eſt, effertur; & quaſi per Epiphonema ex narratis infertur.

ÆTAS LVBRICA. *Æuitas*, ab æuo dicta, & per ſyncop. *ætas* nomen generale eſt, totum humanæ vitæ curriculum comprehendens; ſed hic ad iuuentutem coarctatur ab illo epiteto *Lubrica*; nam nulla hominis ætas magis obnoxia eſt collapſionibus, quàm ætas iuuentutis; cui profectò, aptari poteſt Impreſa ex Biſonte animali vtique non ſpernendæ ferocitatis deſumpta; cui lubricis in accliuitatibus conſtituto Carduccius inſcripſit: *Lubrica perdunt.* Quod optime de iuuentute ſentiens Cerchiarius, in Laudibus B. Aloyſij Gonzagæ hæc habuit: *Laudabo, quòd, in tanta rerum omnium affluentia, qua ducuntur in præceps plerumque Iuuenes, nunquam tamen lubrico pede corrueris*, & ſubdit: *Voluptatem in biuio, ſemitarum ad fauces, collocarunt antiqui, vt ſuis illa blanditijs neſcios mulceret adoleſcentium animos, qui cum ſint in vitium cerei, facilè melleis concileatricula vocibus deliniuntur.* Hinc meritò tria illa enigmata ægrè ſe intelligere proteſtabatur Hæbreorum Rex ſapientiſſimus, ſed quartum ignorare ſe penitùs fatebatur, *viam* ſcilicet *viri in adoleſcentia*; cum enim *lubrica* ſit, & *præceps* ſtabili vix poteſt gradu conſiſtere. Hanc igitur iuuentutis lubricitatem deplorat Electra; ac in vitium ætatis refundit imprudentiam, qua, ſe Venereis decipi illecebris, paſſa fuerit alumna, ac in perniciem impelli. Sic Io. Baptiſta Bartolus, in ſuo Dædalo *Icari lapſum* in imprudentiam iuuentutis refundens cecinit:

O come mal s' accorda
In giouanile etade
Senno con libertade!
Non ſe lo dian le piume;
Non ſe le acconcin l' ale;
Perche, come farfalla intorno al lume,
Ella non sà volar, che per ſuo male.

Ideò *lubrica ætas*. Lubricus enim ille dicitur, qui facilè mobilis eſt in præceps ruiturus. Sicuti locus lubricus eſt, qui facile veſtigia fallit, atque ad collabendum impellit adeò, vt conſiſtere nullo queant iam pacto.

MORIBVS TENERIS. *Morem* eſſe vitæ inſtitutum, conſuetudine obfirmatum, ait Varro. Sed *morem* eſſe inſtinctum vitæ, quod ſequi debeat conſuetudo ait Cic. pro Cluen. In ſententiâ tamen Varonis, hæc Auctoris locutio procedit, dum iuuentutis *mores* appellat *teneros*, ideſt *non ſatis conſuetudine obfirmatos*; ideòque faciles, vt loco moueantur, ita vt ex bonis tranſeant in malos. Et ideò *Lubrica ætas*, quia non ſatis obfirmatis moribus inſtructa: *teneri* enim dicuntur *mores*, hoc eſt *facilè flexibiles*, vt patet ex lib. 1. carm. 131.

QVOS EGO NEQVIDQVAM &c. Occurrit, per præoccupationem Rhetoricam obiectioni, quæ fieri poterat à Matre, quæ certè inſtare potuit, ideò Nutricem à ſe datam fuiſſe Electram, vt teneræ illi ætati cuſtos adeſſet, eamque, ex munere ſuſcepto, obſtare lubricis filiæ moribus debuiſſe, nec permittere, vt Venerem extra limina ſequeretur. Occurrit, inquam, obiectioni, & oſtendit, omnem ſe lapidem mouiſſe, vt munus adimplens ſuum, prodeunti obſtaret Alumnæ; ſed oleum, & operam perdidiſſe. *Ego* igitur, emphaticè hic ponitur; nempe ego amore percuſſa, doloris impatiens, officij memor, anxia pro pignore &c. cui Proſerpina curæ, cui Ceres cordi, ſuſpecta cui Venus eſſet; quippè quæ experientijs pluribus edocta dicere ſemper ſolita fuerim

Quidquid ſit circa Venerem, vel caſta ferentem
Conſilia . . . .

QVOS FVDI PLANCTVS? Hoc modo dicendi, per interrogationem, vtimur, quoties indicare volumus, multiplicatis adeò, ac tantis nos inſudaſſe laboribus, ad aliquid peragendum, vt lingua, futurum ſit, vt deficiat priùs, quam explicet. Sic ex ore Argantis oſtendentis ſe nil intentatum reliquiſſe, vt ex Ieroſolimæ portis iterum emitteretur, cum excluſam ſenſiſſet Clorindam, ad cuius periculum euitandum inhiabat, ſic loquitur Taſſus, Ieroſ. liber. Cantu 12.

Ben volen' io, quando prima m' accorſi,
Che fuor ſi rimanea la donna forte,
Seguirla immantenente, e ratto corſi,
Per correr ſeco vna medeſima ſorte.
Che non feci? Che non diſſi? ò quai non porſi
Preghiere al Rè, che feſſe aprir le porte?
Et me pregante, e contendente in vano
Con l' Impero affrenò, ch' hà quì ſourano.

Itaque, & in caſu ſuo Electra ſatagentiam ſic explicat ſuam, qua, Proſerpinam detinere, conata ſit: *Quos fudi &c.* hoc eſt quot, & quantos (de Planctu enim vide lib. 2. carm. 248.) ac quanta animi contentione? Tot videlicet, tantos, ac tantâ, vt exprimi nunquam ſatis queant. Optimè autem *fudi*, inquit; nam *fundere* idem eſt, ac *liquorem ita in terram ſpargere, vt totus deperdatur, nec ad vlteriorem vſum vllo valeat pacto.* Sic illa fudit inutiles, apud ſurdas aures, & planctus, & preces, quos, & quas aura diſtulit, ventus abſorbuit, ſine effectu, incaſſum: ideò

IRRITA. Quod effectuum fuerat proprium, ſibi, tamquam cauſæ, per metonym., attribuit: nam irritus idem eſt, ac *futilis, vanus*, atque *incaſſum effuſus*. Seù dicas *irrita* idem hic eſſe, ac *irrita voti*; hoc eſt *fruſtrata deſiderio*, & *intento* nequaquam obtento.

QVAS PRECES ORE FVDI NEQVIDQVAM? Nota emphaticam traductionem, in repetito nomine relatiuo, *Quos planctus, quas preces*. Superfluè videri forſan poterit additum *Ore*. Sed præterquam quod frequentiſſimum apud Poetas eſt: *Ore loqui; oculis videre; dentibus frendere &c.* certum eſt, quod preces etiam ſine voce haberi poſſunt, per ſigna: ſic interdum lata obſidione preſſi, cum vltima patiantur, nec eorum vox ab hoſtibus audiri poſſit diſtinctè, ſaltem manus tendunt ex muris; genua flectunt; oleas prætendunt &c. quibus, etiam ſine voce, pacem precantur. Quarè, non abs re, ſignatè notat Electra, ſe diſtincta, & clara voce, ore rotundo, Veneris poſthabita reuerentia, & cura, precatam fuiſſe, ne egrederetur, ne ſequeretur, Alumnam: ſed *Nequidquam*. Ne credas, hoc ipſum aduerb., quod idem eſt, ac *fruſtra*, vel *nullo ſecuto effectu*, ſuperfluum hic eſſe, ex eo; quod ſupra dixerit, ſe irritam &c. quod idem eſſe videtur: nam ſicuti, per diſſolutionem, ſeù aſſintheton, duas res diuerſas, nempe planctus extulit, & preces, quas vni verbo, per adiunctionem, copulauit; ſic vnicuique membro ſuam addidit irritantem notam emphaticè potiùs, quam ſuperfluè, vt ſcilicet omnia, & ſingula officia, quæ præſtiterit, vana fuiſſe ſingillatim oſtendat: ideò *nequidquam planctus irrita preces fudi*. Nec mirum, nam Venus ita ſuos inficit ſequaces, vt aſpidis in morem, mordens eos, veneno oblectationis, conſopitos reddat, & quaſi ſine ſenſu, torpentes; ideoque minus habiles ad haurienda ſalutis monita. Immò & qui, Venerem ſequi, obfirmato animo ſtatuit, factus eſt in ſimilitudinem ſerpentis, hoc eſt Aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. Quare & huic aptari poteſt Impreſa aſpi-

dis a Rancaro expreſſa cum Epigraphe;

E per ſtar emsio, il conto vder non vuole.

Sic apud Taſſum cit., cant. 12., licet in diuerſa materia, ad oſtendendum animum obfirmatum, aureſque obturantem, ne ſalutiferas audeat ſuaſiones, inducitur Arſetes, Clorindæ Nutricius, toto conatu contendens, ne illa iniquum ſequatur Martem, ſed incaſſum; nam illa negat: & mortem ſequitur ſuam, dum Martem deſerere conſtanter abnuit.

Vede coſtui l' armi cangiate, & anco
Del gran riſchio s' accorge, on' ella gia;
E ſe n' affligge; e per lo zom, che bianco,
In lei fernendo, hà fatto; e per la pia
Memoria de ſuo vffici, inſtar do priega,
Che dall' impreſa ceſſi: ed ella il niega.

RVIT ILLA TAMEN &c. Quam fruſtra elaborauerit Electra iam ex euentu aperit, dum euntem Proſerpinam narratione proſequitur ſua; eiuſque comitatum obiter attingit. Particulam *tamen* in vim coniunctionis aduerſatiuæ accipit Parrhaſ., & non incongruè, vt fatear; nam coniungit cum antecedentibus conſequentia, quæ omninò precibus aduerſantia ſuis proceſſiſſent; ſicque ſenſum eſſe dicit; *fuſis incaſſum planctibus, ac precibus meis; tamen;* ideſt *nihilo ſecius ruit illa &c.* Melius, tamen arbitror, accipiendam illam particulam in vim aduerbij immediationem temporis importantem, iuxta Calep. ad notationem, ita vt *Tamen* ponatur pro *ſtatim, ſubitò, illicò*; nam ſic aptè rationem reddit, cur planctus incaſſum, cur preces irritas ſe fudiſſe iam dixerit: *illicò* enim, negatis Nutrici auribus, *Ruit &c.* De verbo *Ruit* vide dicta lib. 2. carm. 20. nam, illum ad locum reſpiciens, ſibi hic adamuſſim conſonat Vates. *Ruit*, celeritate attenta, & *Ruit*, quia præceps impellitur. *Illa* Proſerpinam indicat: ſed nec *Cereris filiam*; nec *ſuam* appellat *Alumnam*; nec immò eam proprio dignatur nomine Proſerpinæ: aſt per pronomen tertiæ perſonæ demonſtratiuum, quaſi externam, alienigenamque iam factam denotat; quia filius, ſe ipſum eximens a poteſtate Patris, per inobedientiam, ſeipſum filij nomine indignum facit. Pariter Alumna, quæ poſthabita Nutricis ſuaſione, nutricem ipſam valere iubet, vt proprio ſe ſe regat arbitrio, indignam ſe ſe alumnæ nomine præſtat. Nec *Proſerpinam* vocat, quia iam Proſerpina non erat amplius, quæ, Veneri morem gerens, in Venerem transformabatur; nam qui Meretrici coniungitur vnum cum illa corpus efficitur. Meretriciæ autem artis inuentricem, iam alibi, Venerem vidimus.

CONFISA SORORVM PRÆSIDIO. Verè *per Cereri Preces* Electra; nam, dum in quibus Alumna peccauerit commemorat, ſuam illicò defenſionem profert, excuſans, alleganſque, eam a confidentia allectam, qua ſperaret, ſe tutiſſimam fore. Ideò *Confiſa*, à confido, quod eſt fiduciam habere; ſe extra teli iactum exiſtimare, & nil fore nociturum, pro certo habere. *Præſidio ſororum. Præſidium* idem ſonat, ac *cuſtodia, propugnacle, ac defenſio*: nam & *præſidia* dicuntur milites, ad defenſionem arcis concentrati. Confidebat igitur Proſerpina, & audax ad egreſſum conſtituebatur eo, quòd nil aduerſi metueret cuſtodia, ac defenſione Palladis, ac Dianæ munita, quæ hic *ſororum* nomine deſignantur, & quæ armis, ad præſidium, inſtructæ acceſſiſſe videbantur, earum enim ex aſpectu fugam arrepturo aduerſantia omnia credebantur ab inexperta.

POST, NYMPHÆ FAMVLÆ. Aduerbialiter aſſumitur particula *Poſt*, ita vt non minùs aduerb. temporis ſit immediatè ſequentis, quam ordinis. Poſt eam enim immediatè ſecutæ ſunt Nymphæ, de quibus iam fuſe diximus lib. 2. carm. 55. & ſeq.; & quæ *Famulæ*, hoc eſt, *ſubſeruientes, ancillantes*; dicuntur ob rationes iam traditas eodem lib. 2. cit.

LONGO ORDINE. Non tumultuariè; ſed in ordinem diſtinctæ, digeſtaque, atque in longam eam ſeriem coeuntes, de qua loco cit. lib. 2.

ITVR IN ÆTERNO &c. Enarratione præfati ordinis omiſſa, quippe quæ tradita lib. 2. cit., ſtrictim innuit tantùm, quo itinerantes pertexerint, & quid ibi egerint tandem. *Itur* impersonaliter abſolutè poſitum agnoſces, imitatione Virg. Aen. 6.

Itur in antiquam Syluam ſtabula alta ferarum.

IN CAMPOS. *In colles* legit Heinſius, ex melioribus, vt ipſe ait, manuſcriptis. Verùm, cum antea Venus *Campos* ingeſſerit; & ad *Campos* inuitauerit, non video, cur ſit a vulgata recedendum: eo enim eundum fuerat, quo præcedens impulerat motum excitatio. Et certè lib. etiam ſecundo ait; *Præterum ſpoliatne bonos &c.* Verùm quidem eſt, quod ibidem etiam dixerit, *Varios parò cæterà ſaltus innaſcere cohors*; vbi, per ſaltus, partem Aetnæ frondentem diximus ſignificari: ſed certe campos priùs attingere debuerunt, quam colles occupare, vt ex ipſo ibi contextu patet.

VESTITOS ÆTERNO GRAMINE. *Veſtitos* translatè dixit, deſumpta ab hominibus translatione, qui veſtibus vtuntur iam ad luxum potiùs, quam ad protegendum corpus, vt ſic oſtenderet tantam fuiſſe florum, quibus Ætnea rura abundarent, copiam, vt nulla minima eorum pars à floribus vacaret. Vide dicta lib. 2. carm. 71. & ſeq., & dignoſces, quam iure *veſtitos* hic dixerit campos *æterno gramine*. *Germine*, & hic, legendum putat Heinſius; ſed nil arbitror innouandum; vidimus enim ſupra, carm. 324. per Gramina flores ipſos intelligi poſſe. Ætnam autem æterno vere conſpicuam fuiſſe patet ex dictis lib. 2. carm. 74. & 75. *Æternum* autem dicitur, quod in æuum perpetuò durat; ab æuo enim *æuiternitas*, & per ſyncop. æternitas; à qua *æternum*.

ET PRIMA SVB LVCE LEGVNT &c. Tempus notat, quo in termino ad quem ſui itineris fuerint conſtitutæ, & quibus nam ibi detentæ curis. Sed tu nota Vatis artificium. *Itur* dixerat; & iam in termino collocatas notat, ac decerpendis iam floribus intentas; atque ita per particulam *&* iter cum termino copulat, ac cum operationibus in termino factis, vt ſi vnus tantum paſſus via fuerit a Domo Proſerpinæ in campos. Sic etiam ſupra, vix dixerat: *perſuadet*; & ſtatim ſubdit: *Illa ruit; itur &c.* Quaſi dictum factum occupauerit, tantâ celeritate, vt omnia vnico temporis momento peracta viderentur. Quod efficit Vates, vt dignoſcamus, quam celeri præcipitio ferantur, qui Venerem, voluptatemque ſequuntur. Et nota, de conuiuio factam eſſe mentionem, de actionibus etiam iocoſis, vel inter conuiuandum, vel poſt conuiuium factis, non neglectam fuiſſe narrationem; & mutua etiam colloquia fuiſſe memorata; cum tamen nulla de quiete à Deabus ſumptâ mentio fiat: & tamen certè nocturnum tempus adfuit, quieti addictum, & ad quietem incitans, ſi, *ante lucem*, domo exiſſe dicuntur, dum, *ſub lucem*, iam in campis extitiſſe dicantur. Hoc verò ipſum artificioſè factum intelligas: cum enim non mater eſſe dicatur conſiliorum, non debuit Venus, quæ ſummâ præſtet calliditate, committere, vt ſecedens ad quietem Proſerpina, per otium, poſſet ſupra, id quod perſuaſum fuerat, reflectere. & ſic ad ſaniorem mentem redire, ac tutiorem in deliberationem deduci. Indicat igitur indirectè Vates hanc Veneris calliditatem, quæ cum multam in noctem ſermones diſtraxerit, tandem repentino quaſi æſtro afflata, & perſuaſerit, & impulerit, & ſe præbuerit ducem memor, victoriarum ſummam ſæpè ſæpiùs in ſola exequendi celeritate conſiſtere.

SVB PRIMA LVCE. *Sub* idem hoc loco ſignificat, ac *circum, velcirca*: vulgò *circa il far del giorno*. In quo ſenſit etiam Virg. Georg. 3. de ſollicitudine emungentium agens, vt lacte vtantur, inquit:

Quod, ſurgente die, mulſere, horiſque diurnis
Nocte premunt: quod, iam tenebris, & Sole cadente,
Sub lucem exportant calathis &c.

vbi *ſub lucem*; hoc eſt *paulò ante lucem* exponit Seruius. *Prima lux* dicitur *Aurora*: & quidem iure: nam *prima lux* eſt quaſi *parua lux*, cum ſcilicet primùm cæperit dilucelcere. Ex quo videas quam aptè concordet hic locus cum ijs, quæ dixerat initio lib. 2. tempus notans itineris, cum ait:

Impulit Ionios præmiſſo lumine, fluctus
Nondum pura dies &c.

& cum ijs quæ Venus ipſa ſignans tempus, quo legere flores cæperint, ipſâ eâdem vexilla præferente eodem lib.

. . . Nunc ite ſorores
Dum matutinos prœſudat Solibus aer,
Dum meus humectat flauentes Lucifer agros
Roranti prouectus equo . . .

quarè, vt ex ibidem explicatis videre eſt, *ſub prima luce* nil aliud eſt, quam *ſummo mane, valdè diluculò*, & *vix illuceſcente die*. Vide quam feſtinet, qui ad perniciem properat ſuam.

LEGVNT. *Flores electos colligunt*, de quibus lib. 2. carm. 128. & ſeq. En quibus curis detinerentur: ſed, per ſynecd. fig. reticetur quid legerint, nam ſatis ex textu cõſtat perlegenti.

CVM SERENVS AGER &c. Præciſum adhùc magis diluculi tempus notat, à circumſtantijs; nam & ros decidit inter noctis, ac diei confinia, vt vidimus ad mox cit,

lib.

lib. 2. locum carm. 122., & eodem tempore rident agri roribus aſperſi, vt ait Lucretius 4.

Omnia corrident correpta luce diei.

Cum aduerbium temporis eſt, idem, ac *quando*, vulgò *all' hor che*. Ager, græce *ἄγρος*, latinè *rus* dici poteſt, inquit Donatus. Quarè *Ager* campos, ſaltus, colles, & quidquid rutis nomine continetur, facilè comprehendit. Hic certe pro Ætneo ponitur rure: & *ſerenus* dicitur, hoc eſt proſpero, ac fauorabili circundatus rore, ac rore guttulis, quaſi delapſis è Cælo gemmis, ditatus, ac geſtiens: nam licet *ſerenitas*, à qua *ſerenus* propriè de Cælo dicatur nullis obducto nubibus, ſicuti *tranquillitas*, à qua tranquillus, propriè de mari dicitur nullis tempeſtatibus agitato; quia tamen, dum ſerenum eſt, Cælum proſperitate quadam illius propria frui, lætarique videtur, hinc eſt, vt *ſerenum*, per tranſlationem, dicatur quidquid proſperè ſe habeat, ac proſperitate ſua frui videatur.

ALGET RORE. *Albet* legunt codices alij, vt notat, in hunc locum Parrhaſ., qui & ſic congruentiùs legendum arbitratur. Cum eo conſentiunt Heinſ., & Clauer., qui ſic legendum probant à ſimili, cum videlicet & Hor. dixerit: *Nec prata canis albicant pruinis*: & Valer. Flaccus lib. 11. concinat pariter dicens:

Iamque ſub Æoa dubios Atlantidis ignes
Albet ager &c.

Poteſt hæc doctiſſimorum profectò Auctorum ſententia ex ipſo textu roborari; nam cum dixerit *ſerenus ager*, hoc eſt plena fruens proſperitate, non fuit hæc plena proſperitas, moleſtâ paſſione infectâ, perturbanda. *Algere* autem, vtique, eſt *frigus pati*, & quidem vehemens; nam *algor*, à quo *algeo*, frigus eſt admodum vehemens; & frigus certè moleſtum, ac noxium campis eſt adeò, vt Virg. Geor. 2. ſceleratum appellet, eo quod nimia noxium terræ ſit, nam ibi de qualitatibus terræ noſcibilibus agens inquit:

Quæ grauis eſt ipſo tacitam ſe pondere prodit;
Quæ leuis. Promptum eſt oculis prædiſcere nigram,
Et quiſquis color: at ſceleratum exquirere frigus
Difficile eſt. Piceæ tantum, Taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt veſtigia nigræ.

Ex quo patet, frigus terris inſtar veneni eſſe, cum frigore infecta terra venenatos taxos producat. Qui igitur fieri poteſt, vt ſerenus ſit ager, & algeat? His tamen non obſtantibus, Rapheleng., & Barth. à vulgata, quæ *alget* legat, non recedunt. Ego non improbauerim profectò ſententiam Heinſij, aut Clauer., nam probè *albet* poſſe legi, non ambigo; ſcio enim, agros, recenti rore conſperſos, oculis ipſis albicantes apparere, & veluti margaritarum copia ditatos, vnionum referre ſplendorem, vtique candidum. Verùm, cum Barthio, à vulgata, quæ *alget* habeat, recedendum non puto; nam & iſta eruditione non caret. Pro qua explicanda, noueris, poetarum in more poſitum eſſe, vt non ſemper vtantur verbis in rigoroſiſſima illorum acceptione: ſed aliquandò, per ampliationem, extendant, & dilatent; aliquandò verò, per reſtrictionem, limitent, & coarctent; ſæpè enim & Catachreſi vtuntur. Vates itaque hic non ſumit verbum *alget*, ſecundùm rigoroſiſſimam acceptionem; ſed latiori modo, prout ſcilicet frigus illatum importat, præſcindendo ab hoc, quod ſit frigus intenſum; immò ita, vt ſatis illi ſit, ſi remiſſum induxerit: quare *Alget*, hoc loco, ponitur pro *refrigeratur*. Quo adnotato, memineris, ſermonem hic eſſe de campis omninò floridis; flores autem à nullo magis, quàm à diurno lædi calore, & æſtu: cum autem refrigerantur humore noctis, & rore præſertim cadente, tunc illos reuiuiſcere, ac vegetos magis pulchritudinis ſuæ pompas efferre. *Alget* itaque *ſerenus ager*, idest *refrigeratur*, inquit Vates, vt oſtenderet, ſelectum eſſe à Venere tempus opportunum maximè, cum videlicet refrigerati agri pleniores florum delicias oſtentarent exultantes *rore*; quæ particula magis etiam confirmat, atque intelligenti explicat, Vatem vſum fuiſſe verbo *alget*, iuxtà datam à nobis explicationem, dum ait *alget rore*; cum enim ros, vt vidimus lib. 2. carm. 121., ex frigore circa ſummum coaleſcat, conſequens eſt, vt refrigerare tantum valeat; non verò vehementiori frigore contorquere. Quid autem ſit ros vide ibi, & fuſiùs lib. pri. carm. 192.

ET VIOLARIA BIBVNT SPARSOS SVCCOS. Proſequitur, iam ab adiunctis inceptam, matutini temporis deſcriptionem, & ex antecedentibus, nempè ex roris aſperſione, ad conſequentia procedit, nempè ad effectum auiditatis explicandum, qua flores roſcidum exſugunt humorem, vt vegetiores fiant, ac emicent pulchriores. *Et violaria &c.* *violarium*, nomen à viola deriuatum, ſignificat non ſolum loca violis conſita; ſed etiam, & quidem primariò, violas ipſas, ſeù violarum plantaria, in vno, eodemq; loco turgentia: & in hoc ſenſu accipitur ab Auctore hic. Tantum nota, poni hic pro genere ſpeciem, nempe *violaria* pro quibuſcumq; florum cuiſlibet ſpeciei plantarijs. Quid enim viola ſit, iam vidimus lib. 2. carm. 93. Porrò actus bibendi proprius eſt animalis, vt conſtat, ſed per tranſlationem, deducitur ad herbas, flores, ac plantas, quæ dum humorem attrahunt ex terra, exſugere illum, ac bibere dicuntur. Ideò *violaria bibunt*, inquit Vates; eo pacto quo & Virg. Georg. 4.

Hæc circum Caſiæ virides, & olentia latè
Serpylla, & grauiter ſpirantis, copia Thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.

Per *ſparſos* autem *ſuccos*, rores guttatim vndique defluos, exponit optimè Parrhaſ.

Sed dum violaria bibunt, nos quoque quæ ad mores pertinent impigris animus hauriamus.

NOSTRA RVDIS GAVDERE MALIS &c. Ante ignem conſiſtens, etiam ſi ferreus ſis, diſſoluèris, inquit S. Iſidorus lib. Soliloquiorum ſecundo. Proximus periculo diù tutus non eris. Nunquam igitur adeò oblatis fidendum aut blanditijs, aut delicijs, vt non memineris, papillonem ex lucernæ flamma, ex qua delectationem ſperet, excidium trahere. Audi quid dixerit Comaninus in ſuis myſticæ Theologiæ affectibus lib. 2. cap. 2.

Come farfalla, che ſcherzante, e ſciocca
D' intorno al lume innamorata vola,
S'abbruggia l'ali; e ſoſſe muor, e'l tocca;
Così che t'a ſciocca ò di parola
Dolce d'huom finto, à del giocondo aſpetto,
E riquie, e pace à ſe medeſmo inuola.

Sed, quod iſte in homine exprimit adulante, multò magis locum habet in fœmina adblandiente, in Venere ſuadente. Ignara itaque malis gaudet Proſerpina: hoc eſt Anima, quæ, hæc non recogitans, occaſionem peccandi non euitat. Fugiendum à Venere; non immorandum, ſi alliciat illa: non inſiſtendum colloquijs, vbi illa inuitat; nam luis gaudet malis, qui ſecum colluſiſſe lætatur; vt teſtatur Georg. 3. Virg.

Carpit enim vires paulatim, vritq; videndo
Fœmina &c.

Sibi itaque imputet Anima, non Electræ, hoc eſt non Angelo cuſtodienti, non Genio è Cælis aſſiſtenti, ſi pereat; dum enim occaſionem amat, atq; in illa aſſiduè volutatur, ſe ipſam perdit; nam qui amat periculum peribit in illo. Audi Dionyſium Paradiſium.

Del cuor colpa è la brama,
Che crucia il cuore; ed è miſeria eletta
Il non odiare il ben, che mal ſi brama.
Se medeſmo diſama
Chi ama il ſuo male &c.

Venus namq; blanda allicit: ſubdola blanditur: alliciens, & blandiens ſe ſe ſuauiter inſinuat, &, mellitis verbis, voluptatem ſuadet arripiendam; ſed non inijcit catenas; non trahit nolentem; ſed volentem ducit. Quod ſi conuiuijs indulgeas, ſi Venerem obſonijs, ac nectare nutrias, & impingues, mala tua iam nutris: anguem ſinu foues; & malis gaudes tuis: atq; adeò nil mirum, ſi inualeſcat inſoleſcens; ſi, non ſtandum præceptis, ad ſalutem tuam facientibus, audax ſuadeat; ſi, dum ipſa ardeat, te ipſum incendat ad voluptates illas quærendas, quibus detentam Animam Pluto rapiat; ita vt ne præſidium quidem ipſum ſufficientis gratiæ ſuppetias ferat, aut, pugnantis pro te, militantis Eccleſiæ Clypeus protegat ſatis. His confiſa præſidijs, ſæpè in prauum Anima detorquetur: ſperat enim gratiam Dei ſufficientem defuturam nunquam; & benè ſperat: nam etiam in extremis auxilium præbet; non defutura Eccleſiæ auxilia, ac præſertim Pœnitentiæ, atq: Euchariſtiæ Sacramenta, à Deo in ſalutem humani generis inſtituta &c. ſed, etſi hæc nunquam deficiant, ſi nos ipſos nos ipſi prodimus, quid efficiant? Itur in amenas hortorum Adonidis delicias: leguntur flores; & coronamus nos roſis, antequam marceſcant: Sed ſpinis contigua roſa eſt: & roſa defloreſcente ſolæ remanent ſpinæ: vulnera ſcilicet delicias ſubſequuntur, & talia vulnera, quæ mortuorum nos trudant in regnum, vbi immortalem pariant dolorem ſpinæ.

E ſpinis itaq; potiùs ad roſas gradum facere properemus; atq; à monitis, quæ pungunt, & vrunt, ad tenues Italicæ Muſæ floſculos diuertamus.

La bella noſtra, e ſemplice colomba,
Che non sà del tradir l'arti, e le frodi,
La di ſe ſteſſa adulatrice tromba,
Gode, s'affanni in tributar le lodi;
E, mentr', in ſuon, che piace, ella rimbomba,
Beue l'orecchio affaſcinanti i modi:
Nota in quel dolce il cuore, e non s'annede,
Ch'al duol s'affretta, ou'ei gioir ſi crede,
Ciò, ch'imparte natura à gl'elementi,
Quindi s'accoglie in Apolline cene;
E delle menſe à i ponderoſi argenti
Nuouo peſo à recar l'oro ſe'n viene,
Con empiumi hor fumanti, hor con algenti.
Prodighe l'Hidrie d'or dall'auree vene
Spargon Nettare à fiumi, onde ſi sfida
A non coglierne il vanto il Coppier d'Ida.
Spento de cibi il natural deſire,
Hor di Cinthia, hor di Palla, entro à gl'arneſi,
Par, d'entrambi all'honor, ch'anch'eſſa aſpire:
Nel Turcaſſo d'argento i ſtrali appeſi
Suonan sù 'l tergo: e'l volto, i moti, e l'ire
Di cacciatrice, i motti tutti hà preſi:
Pur la tenera man, ch'il dardo incocca
Al curuar del grand'arco in van s'accocca.
Cangia quindi ſembiante; e ſi conſiglia
Seguir gl'arringhi, abbandonar la caccia:
Depoſto il corno, al crudo acciar s'appiglia;
E l'Elmo, che tutt'empie, al capo allaccia:
Suentolando, il cimier tutta l'abbiglia
D'horridi horrori; ella il grā ſcudo imbraccia.
Gl'applaude Palla; ed all'ardir gl'è cote;
Mà langue al peſo, e ſoſtener no 'l puote,
Coglie Venere il tempo: e, delicata
Già che la ſcorge, al trauagliar nell'armi,
Frà delicie, al tradir, la lingua, vſata,
(Perch'anche il cuor di ritroſia diſarmi)
Scioglie; e ſcioglie al ſuo dir la celebrata
Flora dell'Etnà; e ne rinfiora i carmi.
Tal fa pompa di ſtelle; e 'l toſco ſerba
L'inſidioſo Stellione in grembo all'herba.
Ramenta i campi; e, 'l lor fiorito Aprile,
Par, che la lingua, in paſſeggiar ſi goda:
Pur non ſaper, qual ſia del ſuol lo ſtile,
Scaltra s'infinge; e ne richiede; ond'oda
Ciò, ch'è pur noto in fin da Battro à Tile.
Creder non vuol, ch'il gelo i fior non roda;
Ne ch', ad onta del verno, iui la roſa,
Quaſi al ſuo Maggio in ſen, lieta riposa.
Che de i meſi gelati hiſpido il crine
Tenero germe al coronar s'indori;
Che ſia lui vanto imporporar le brine,
Senz'oſſeruar, ſenza temer gl'Arturi;
Che trasfondanſi erranti, e pellegrine,
Gemme di Flora, oue, trà nembi oſcuri,
Capricorno s'infuria; alla lei fede
Portento è tal, ch'ogni credenza eccede,
Ma non l'eccede, Ella così mentiſce;
Perch'il deſio di rintuzzar s'irriti,
Con la proua ocular, ciò, ch'appariſce
Di poca fede; & al veder s'inuiti.
Quindi ad arte s'ammira; e compariſce
Di brame acceſa al prouocar gl'inuiti;
Anzi inuita ella ſteſſa; e gia, co 'l piede,
Gl'affetti affretta alla fiorita ſede.
E perſuade al fin, pria che s'acqueti,
(Ahi di tenera età, lubrica ogn'hora,
Sconſigliati coſtumi) à tuoi diuieti
Che non ripugni il fauorir la ſuora;
E ch'vn brieue paſſeggio à niun ſi vieti;
Se non vi tragga il piè longa dimora.
Così l'incauta a queſt'infida Sfinge
S'affida; e ſeco al dipartir s'accinge.
Per trattenerla, e quai non ſparſi, in vano,
Preci, pianti, e ſoſpir? Qual di me ſteſſa
Stratio non fei con diſperata mano;
Perch', almen di pietà la mente impreſſa,
L'ingannata fanciulla à quell'inſano
Deſir toglieſſi, onde fù poſcia oppreſſa?
Ma pur ſe n'eſce: e 'l mio predir non cura
Dal Germano valor reſa ſicura.
Le Ninfe ancelle, in longa ſchiera accolte,
Qual fido ſtuol, che corteggiarla ambiſce
Ne ſieguon l'orme, à deliciar riuolte.
Vaſſi: e colà, dou'immortal fioriſce,
Manto, che, le fragranze in vn raccolte,
Ne veſte i campi, e di ſe ſol gioiſce;
Gl'eterni arredi in vagheggiar, gioliue
Termine al viaggio lor pongon le Diue.
E, mentr'ancor d'incerta luce albeggia
Ridente il Ciel; mentre ſereno il prato
Di rugiade s'imperla, ond'ei biancheggia;
Beuendo i fiori il vital ſucco, e grato,
Cō ch'ei, nel ſuolo, vn nuouo Cielo ombreggia,
Di viue ſtelle, in verde ſtel, fregiato;
Ogni mano al predar vola; e ſcompiglia
L'odoroſa di Flora ampia famiglia.

Legant autem illæ profectò vt libet: præſtantiores nos vtiq; genuinas ex Auctore noſtro decerpemus.

SED POSTQVAM &c. Proſequitur narrationem Electra ſuam; cuiuſq; adhuc ore, per Proſopopeiam, loquitur Vates; atq; aduentum Raptoris, è conſequentibus, & adiunctis, deſcribit, latiùs explicans aliqua, quæ, lib. 2., vix attigerat; alia verò, quæ ibi, enarrans, fusè amplificauerat, hic raptim memorans. Euaniſſe Proſerpinam, vnà cum tenebris, currum comitantibus, recenſet; ſed raptam hic non dicit expreſſe, quia Nox illa intercepera[t] viſum oculorum, ita vt nec aurigam licuerit agnoſcere,

Sed, poſtquam medio Sol altior extitit orbe,
Ecce polum nox alta rapit, tremefactaq; nutat
Inſula, cornipedum ſtrepitu, curſuq; rotarum.
Noſſe nec Aurigam licuit; ſeu mortifer æſtus,
Seù mors ipſa fuit: luror permanſit in herbis.
Deficiunt riui: ſqualent rubigine prata:
Et nihil afflatum viuit. Pallere liguſtra,
Expirare roſas, decreſcere lilia vidi.
Vt rauco reduces tractu detorſit habenas,
Nox ſua proſequitur currum; lux redditur orbi.
Perſephone nulla eſt. Voto rediêre peracto,
Nec manſêre Deæ. Medijs inuenimus aruis
Exanimem Cyanem: ceruix redimita iacebat,
Et caligantes marcebant fronte coronæ.

nec virum rapuerit viuam, an mortuam abſtraxerit, internoſcere. Conſequentia ſubinde aggreditur recenſere, & ad dolorem præcipuè; quo Cyane affecta fuerat, ob Diuæ raptum, diuertitur, eiuſdem in fontis naturam conuerſionem recenſens; Syrenum etiam abſceſſum, iramq; vindictas vtiq; molientem deſcribens.

SED POSTQVAM &c. Meridiani temporis peryphraſim hanc eſſe, inquit, in hunc locum, Parrh.; tunc enim, ait, Sol altior dicitur, cum, medio Cæli ſpatio collo-

Aggredimur ſubito: caſus ſciſcitamur heriles
(Nã propior cladi ſteterat) quis vultus equorũ?
Quis regat? Illa nihil: tacito ſed lapſa veneno
Soluitur in laticem. Subrepſit crinibus humor.
Liquitur: in roremq; pedes, & brachia manant:
Noſtraq; mox lambit veſtigia perſpicuus fons.
Diſcedunt aliæ. Rapidis Acheloides alis
Sublatæ, Siculi latus obſedêre Pelori,
Accenſæq; malo, iam non impunè canoras
In peſtem vertêre lyras: vox blanda carinas
Alligat; audito frænantur carmine remi,
Sola domi, luctu ſenium tractura, relinquor.

locatus, caput noſtrum, ad perpendiculum deſpicit. Conſequenter affirmat idem Auctor, Sole in puncto Meridiani exiſtente, raptam à Plutone fuiſſe Proſerpinam. Verùm multa obſtant, vt fatear, ne huiuſmodi acquieſcam opinioni, cum multas illa ſecum trahat incongruentias. Et primò quidem non ſatis videtur congruere cum Decreto Iouis, quod lib. pri. habuimus; ibi enim matutinum tempus præſcribit Iupiter Veneri, ad triumphum ab inferis reportandum, ſuamq; ſub ditionem Inferorum Regem redigendum: ad cuius Decreti executionem inhians Venus, initio lib. 2., properat adeò, vt Diana, Pallas, & Proſerpina, ruere debeant, vt ſequuntur. *Vtraq; Virgo venit &c.* & *rapitur* properans *mouitur corde futuras*, Venus ipſa

Iam dirum flexura Chaos, iam Dite ſubacto
Ingentes famulos manes ductura triumpho.

vbi particula *iam* temporis imminentis aduerbium eſt, vt ibi vidimus, idem ſonans, ac *mox mox*, ſeù *illicò*. Non itaque in meridiem vſq; diſtrahendum fuit id, quod ſummo mane mox mox, & illicò peragendum inſinuatur, iuxta facultatem Veneri ab ipſo Ioue conceſſam. Secundò non ſatis congruit ſententia Parrhaſij cum impatientia raptoris accelerantis indicata, lib. pri., & lib. 2. confirmata: nam, lib. pri., habemus, circa finem, *vinctos temone iugales*, qui Plutonem deueherent ad Siculas arces; cum *ſparſo nox humida ſomno*

Languida Cæruleis nouerat oſſe bigis.

hoc eſt *prima nocte*, & ſtetiſſe ante fores Auerni.

Craſtinæ venturæ ſ eſtantes gaudia prædæ.

Quid igitur? Anne dicendum eſt, quod totam, ante fores, noctem, otioſè, expectanteſq; conſumpſerint, ne, ante meridiem ad optatam prædam deuenirent; an verò dicendum, quod Iugales illi, ſagittâ velociores, vt lib. pri. habetur; & qui, vt lib. 2., violentiùs amne.

Hyberno torto q; ruunt pernicius haſta at
Quantum non iaculum Parthi, non impetus Auſtri,
Non leue ſollicitæ mentis diſcurrit acumen;

tantæ tarditatis tunc fuerint, vt integram non ſolum noctem, ſed, & ſequentis diei dimidium, in abſumendo ab inferis ad ſuperos itinere, inſumpſerint? Certè, ſi, in ictu oculi, totum illud ſpatium velocitate ſua mens ipſa metitur, ocyores mente ipſa iugales, minori (ſi tantum liceat) temporis interuallo, iter illud conficere debuerunt; conſequenter non fuit eorum aduentus in meridiem vſq; diſtrahendus. Subindè, ſi, dum Diuæ, vt hoc 3. lib. habetur, *ſub prima luce legunt*,

Iamq; per anfractus animarum Rector opacos
Sub terris quærebat iter, grauibuſq; gementem
Enceladum calcabat equis &c.

vt lib. 2. quod eſt dicere, Plutonem in Cauernis Ætnæ iam adfuiſſe; quomodò in meridiem vſq; conſtitit, & ne erumperet remoratus? Dicet Parrhaſ., moras a Gigante iniectas, qui vt habetur cit. lib. 2.

. . . . *Tentatq; mouere*
Debiles, & feſſos ſerpentibus impedit artus.

& denuò moram ab obſtantibus vndiq; rupibus factam, nam eodem lib. 2.

. . . . . . *Prohibebant vndiq; rupes*
Oppoſitæ, duræq; Deum compage tenebant.

Sed retunditur hæc reſponſio ex ipſis iiſdem locis pro Parrhaſ. adductis; nam, primo loco, dum Gigantis obſiſtentia oſtenditur, ibi etiam non remoratus dicitur currus, dum ſubditur apertè

Fumida ſulphureo prolabitur orbita dorſo.

verbum enim *prolabi* non imminutam celeritatem oſtendit. Secundo verò loco, *Prohibebant vndiq; rupes*; Sed

Non tulit ille moras, indignatuſq; trabale
Saxa ferit ſceptro &c.

quarè apparet nullis hiſce impedimentis retardatum reſtitiſſe Plutonem. Conſequenter, cum in Cauernis Ætnæ fuerit, dum *prima ſub luce* legerent Diuæ, non potuit, in meridiem vſq; differri eiuſdem ex latebris eruptio. Dicet, dictum quidem ab Auctore Plutonem in Ætnæis extitiſſe cauernis, eodem tempore, quo *flores legerent Diuæ*: ſed aduertendum eſſe, eas non legiſſe, quotquot voluerunt flores, in momento, ſed immò diutiùs-deſtinandis pratorum honoribus inſtitiſſe: quare, licet prima luce legere cœperint, floribus tamen legendis addictum ſtudium, ad meridiem vſque protraxerunt; & ideò, dum legerent adhuc, ſuperuenit Raptor, licet ad meridiem vſq; moras egerit. Sed, prætérquam quod hæc reſponſio non diluit incongruentiam ex Prædonis impatientiâ deſumptam; ſed tantum nititur oſtendere, falſum eſſe quod dixi, nempè Plutonem adfuiſſe multò ante meridiem, quia adfuit, *dum legerent*; aliud inconueniens adſtruit hæc ipſa reſponſio. Quod itaque non elegerint, collegerintq; optatos, in ictu oculi, flores, vltrò concedo: ſed, quod legentes, ad meridiem vſq;, perſeuerauerint, incongruum omninò eſt, atq; ipſi Auctoris textui repugnans. Incongruum quidem, quia contra mores, dignitatemque perſonarum fuiſſet, longa adeò, in meridiem, mora, ſub aperto Solis ardore, ea quo pertimeſcendus vel ruſticis æſtus; ne dum delicatis Dearum, Nympharumq; cutibus: & incongruum etiam, quia flores colligendi fuerant, antequam langueſcerent; feruente autem Solis æſtu flores illæ terrarum gemmæ profectò languent, etiam multò antequam Sol meridiei punctum attingat. Quid igitur legerent ſub meridiem? Immò & flores, quos legiſſent, æſtui expoſitos, peremiſſent, & totus iam legendi labor omninò periiſſet. Repugnans inſuper textui eſt; nam libr. 2. ait Venus: . . . . *Nunc ite ſorores*

Dum meus humectat flauentes Lucifer agros &c.

quod dicit exhortans, vt legerent: *Hortatur Cytherea legant.* Illis autem, vt patet verbis, præſcribit Venus, aptum non tantum, ſed ſtatutum legendi tempus; quaſi dixerit: Ite, legite, *dum matutinis præſudat Solibus aer*; nam cum Sol egerit radios paulatim efficaciores, ita vt rorem exſiccent, & floribus non ſolum, ſed & legentibus noceant, ab opere legendi ad receſſum quietem ſecedendum. Quomodò igitur vltra morem, vltra præſcriptum, vltra tempus, incongruè adeò, vel meridiano adhùc tempore legere perſeuerauerint? Equidem, penſatis penſandis, hoc profectò mihi nunquam perſuaſerim, à naturâ ipſâ, & congruentijs alienum adeò. Sed quid hoc textu clariùs, in totis tribus hiſce libris, inueniri poſſit? (inquit Parrhaſ.) Nonne circulus meridianus medium ſecat orbem? Cum itaque Vates Solem; medio in orbe ſtantem, apertè deſcribat, dum dicit: *Medio adſtiterat Sol altior orbe*; cur non dixerimus in puncto meridiani collocatum oſtendi? Non equidem hoc, in æquiuocationem incidiſſe Parrhaſium: ſed morabar, donec ipſe idem fateretur, ſed vim in verbis feciſſe, ac putaſſe, pro ablatiuo loci, poſitum illum *medio orbe*. Sed ſi vis facienda eſſet in verbis, dicam ego etiam, quod ſi Vates, *medio orbe*, dixiſſet, vt, ablatiuo loci vſus, meridianum indicaret a Sole occupatum, non dixiſſet *medio orbe altior*: ſed vel *medio Sol arduus orbe*, vel *medio altiſſimus orbe*; nam, in puncto meridiani, maximam, quam poſſit, Sol obtinet altitudinem. Scio, reſponderi poſſe, non nouum eſſe, apud Poetas, vt comparatiuo, ſuperlatiui loco, vtantur. Sed vnde conſtat, Vatem noſtrum hoc modo, hìc, loquendi vſum? Certè hæc interpretatio inuenta merè eſt ad tuendum poſitum; neque enim dicendum eſt, Vatem; alioqui oculatiſſimum, verborum ſignificationem inuertere voluiſſe, vt in tot, quas vidimus, incongruentias incideret. Meliùs itaque, opinione mea, dixerim, non meridiei tempus a Vate, hìc, deſignari, ſed potiùs ſecundam, vel tertiam diei ſuccreſcentis horam, quam, per periphraſim, hoc loco deſcribat. Pro qua re notandum eſt, triplicem conſiderari poſſe Solis altitudinem, nempè primam, & quaſi infimam, mediam, & ſupremam. Prima, & quaſi infima eſt, qua Sol, vix ſupra Horizontem eleuatus, lenes adhùc emittit radios, & terram aureis irradiat ſplendoribus: media, cum, ab Horizonte procedens, ad mediam, inter Horizontem, & Meridianum, altitudinem eleuatur, & validioribus iam radijs vim incipit exercere ſuam; atq;, adaucto calore, terram vrgere: ſuprema verò eſt, cum, in Meridiano poſitus, terram perpendicularibus feriens radijs, ſummâ eam vi caloris adurit. Hoc poſito

aliro

altus dicitur Sol, cum, prorsùs ab Horizonte emerſus, in aliquam altitudinem, quamuis depreſſam euchitur: *altior*, cum ad mediam peruenerit altitudinem: *altiſſimus*, cum, in Meridiano, ardentem explicat lucem: maior enim, vel minor Solis altitudo commenſuratur ex maiori, vel minori diſtantia, interpoſita inter Horizontem, a quo proceſſit, & punctum Solis; donec ille ſupremam, nempè meridianam attigerit. Optima explicatio; (diceret fortaſſis Parrhaſ.) ſed gratis aſſumpta, ad tuendum poſitum. Vnde enim habetur, quod per comparationem ad circulum Horizontis, hanc altitudinum Solis diuerſitatem reſpexerit, & mediam deſignare voluerit Vates? Reſpondeo, me id clarè deducere ex contextu ipſius Electræ, atq; ex correſpondentiâ, quam habet textus ipſe cum initio libri ſecundi *Prima luce legunt;* inquit Electra; *ſed poſtquam Sol altior adſtitit &c.* *Prima lux* primam Solis ſupra Horizontem ſignat eleuationem: ergò *Sol altior* maiorem quidem, ſed non ſupremam notat altitudinem; ergò mediam ab Horizonte in Meridianum. Inſuper, initio lib. 2. Proceſsère ad flores Deæ, cum

Impulit Ionias præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies &c.

En Auroræ deſcriptionem. Legere cœperunt, hortante Venere, cum clarior illuceſceret dies;

Dum matutinis præſudat Solibus aer &c.

Præſcribitur legendi tempus, quod commenſurari debeat cum duratione roris à Lucifero demandati.

Dum meus humidas flauentes Lucifer agros &c.

ergo, cum *altior* rorem Sol cœperit exſiccare, deſiſtendum fuit: clarè autem patet, ſecunda, vel tertiâ diei hora, rorem omninò abſumi. Quare, & dicendum, hanc horam ad regrediendum præſignatam; & Plutonem, qui Fratris monitu ſub terris quærebat iter, vt lib. 2. opportunè, hac ipſa hora, ſuperueniſſe, vt Proſerpinam raperet, antequam ex agris recederet; ſubtraheretur que Raptori.

SED. Coniunctio diſcretiua hæc eſt: vt ſæpè dix., diuerſitatem temporum, ac ſucceſſiuum, ſecernens ſimul, ac coniungens.

POSTQVAM, Aduerb. temporis eſt, connectens tempus ſubſequens cum antecedenti; atque ea, quæ tempore ſubſequenti, euenerint, cum iis, quæ tempore antecedenti facta fuerant, coniungens.

SOL. Ex cauſa effectum notat, nempè ex altiori Sole prouectum diem, non ampliùs, vt priùs infantem.

ADSTITIT. Seù, vt alij legunt *exstitit*, quæ verba pro eodem ponantur, ac ſimplex *ſuit*.

ALTIOR. Ideſt ab Horizonte magis euectus, quàm antea dictum fuerat, cum Oriens deſcriberetur, & mediam illam, de qua ſupra altitudinem adeptus.

MEDIO ORBE. Hunc, non ſextum loci caſum, ſed comparatiui, ac comparatiuo debitum agnoſco: & per *medium orbem*, non circulum Meridiani, ſed circulum Horizontis, intelligendum, non ambigo: *medius* enim dicitur circulus, qui ita ſphœras bifariam diuidit, vt æqualem hinc, indè partem ſtatuat: & orbis nomine deſignantur, nam quælibet figura circularis *orbis* nomine, nuncupatur. Et itaque Horizon, qui etiam dicitur *Finitor*; ideſt terminator viſus noſtri; ſeù *circulus Aſtronomicus, & rationalis*, circulus, in ſphœra, maximus, fixus, & pluralis. *Maximus*, quia totam ſphœræ molem in partes æquales bifariam diuidit: *Pluralis*, quia tot ſunt Horizontes, quot puncta terræ diuerſa, quod Mundi habitatores diuerſa terræ incolunt puncta: & fixus, hoc eſt immobilis. Tranſit Horizon per quatuor Mundi plagas Orientem, Meridiem, Occidentem, & Septentrionem: centrum ipſius eſt centrum terræ: Poli ſunt puncta oppoſita, in Meridiano, quem bifariam interſecat, Zenith, & Nadir appellata. Cum itaq. Horizon totum Mundi Globum bifariam, hoc eſt in partes diuidat æquales meritò *medius* dicitur *orbis*, nempè *circulus medius* inter ſuperiorem, & inferiorem dimidiatæ ſphæræ partem. Quare, dum dicit Vates *altior medio orbe*, ideſt *medio circulo*; certè circulum intelligit Horizontis; nam, licet etiam Meridianus ſphæram diuidat bifariam, in partes æquales, tranſiens ſcilicet per vtrumque ſphæræ Polum, & per puncta, quæ dix. Zenith, & Nadir; tamen, comparatiuè ad Meridianum, Sol ſemper erit depreſſior, non altior, nam maiorem altitudinem habere non poteſt, quam quæ illi contigit in Meridiano: quare ſi ad illum nondum acceſſerit, vel ſi ab eo iam receſſerit, depreſſior ſemper hoc *medio orbe* erit, non altior. Quamobrem dum dicitur *altior medio orbe* per comparationem; id dici tantum poteſt, comparatiuè ad Horizontem. Fauent huic ſententiæ, qui, hoc loco, legunt, non *altior adſtitit orbe*, ſed *medio altior exſtitit axe*; nam *Axis*, vt vidimus lib. 1., linea eſt, quæ ab arctico Polo ad antarcticum recta ducitur, per centrum terræ; quapropter, cum Horizon, vt vidimus, per prædictos tranſeat Mundi Polos, idem erit dicere: *altior axe*, ac dicere; *Altior Horizonte*. Iſingrinus cum alijs, apud Heinſ., legit *medio Sol altior inſtitit axi*, quæ lectio explicationi fortaſſis noſtræ videri poſſet contraria; nam *inſtare* videtur pro eodem poni, ac *incumbere*; ideſt, alteri inhærendo, quieſcere, quod non poteſt verificari de Sole, niſi quando eſt in Zenith, nempè in ſummo Meridiani puncto; cum enim tunc ſummam ſit adeptus altitudinem, antequam iterum deuexum iter arripiat, cenſetur ab aliquibus, aliquam quietis morulam, in eo puncto, a Sole alienam nequaquam eſſe: quare ſi illa lectio diceret; *incubuit axi*; certe diceret, Solem, in Meridiano quieſcentem, *incubuiſſe axi*, nempè lineæ illi, quæ a Zenith, per centrum terræ, ad oppoſitum punctum duceretur Nadir. Sed diſtorta nimis eſſet hæc explicatio; nam *axis* propriè non dicitur quæcumque linea, quæ, quomodocumque, duci poſſit per centrum terræ; ſed ea tantum, quæ ab Arctico ducitur ad Antarcticum: quare improprie *axem* appellaſſet lineam a Zenith ductam ad Nadir. Qui igitur legunt *inſtitit axi*, accipiunt verbum *inſtare* pro eodem, ac *vehementer*, ſed non vehementiſſimo adhuc, hoc eſt Meridiano, *calore aſtum axe inſtigat*, hoc eſt vel *Cœlo*, ſub *axis* nomine expreſſo, vel *terra*, per cuius centrum ducitur *axis*. Quare nil contra nos huiuſmodi lectio, ni cum Parrhaſ. in eaſdem incurrat incongruentias.

ECCE POLVM NOX ALTA RAPIT &c. Quæ prænotato temporis puncto euenerint iam recenſet. Sed antequam explicem, caue, ne incidens in æquiuocationem, non ſatis ſibi ipſi, hoc loco, Auctorem congruere, putes, ex eo, quod lib. 2. terræmotum dixerit eueniſſe, antequam Pluto ex Ætna proſilierit; hic vero videatur inſinuare, terræmotum comitatum fuiſſe currum, iam aperto ſub Cœlo procurrentem; nam immò congruentiſſime procedit: nam terræmotus inceptus, dum Pluto ætnea viſcera, latens adhùc, peruagaret, ipſius Ætnæ diſruptione conualuiſſe, ſupponendus eſt; ac ſubinde quod currum ipſum comitatus fuerit per continuationem ſcilicet illius, à rotarum ſtrepitu, equorumque pulſu productam.

ECCE NOX ALTA &c. Quid improuiſum, præter expectationem, ac naturæ ordinem, cum dicendum ſit, eueniſſe, hoc vtimur aduerb. *Ecce*, vt dix. lib. 1. carm. 15. Noctem Inferorum Deam exiſtimatam fuiſſe, alibi etiam vidimus, vmbrarum vtique, tenebrarumque potentem: item Plutonis Regnum cæcis addictum tenebris, æternisq; iam nouimus; quare meritò Nox ſecuta dicitur currum, ac Cœlum ſtatim tenebris inuoluiſſe. Quòd autem *Alta* hæc nox dicatur, reprehendit Heinſius, qui legendum aſſerit: *Ecce Polum nox fœda rapit &c.* & *Alta*, inquit ipſe, *ferri non poteſt, quia altior præceſſit*. Alij *Nox atra* legunt: ſed non video cur à vulgata recedendum. Et primo rationem, ab Heinſ. allatam, nullius eſſe momenti, arbitror; nam quod comparatiuum præceſſerit, mox poſitiuum ſubdatur, nil infert aut abſurdi, aut degradationis, cum ſermo, reſpectu diuerſorum efferatur; *Altior* enim *de Sole* dictum; *alta* autem *de ingruente extra ordinem Nocte*. Quod ſi Heinſius vim faceret in verbo; & incongruum putaret, idem nomen modò efferri per poſitiuum, modò per comparatiuum, etiam immediatè, nedum poſt aliquam interpoſitionem, vt hic, certè locum a Coniugatis, frequenter apud Rhetores vſurpatum, deleat, & abroget, neceſſe eſt. Immò eruditionem redolet hic modus loquendi; nam *altum* etiam pro eodem ſumitur, ac *profundum*, vt alibi dix., ſic altam dicimus voraginem, quæ maximam in profunditatem excauetur. Cur itaque, loquendo de Nocte, ex Inferis educta, non illam vocet *altam*, hoc eſt *profundam*, ſeù è profundo inferorum in altum euectam? Secundò, etiam præſcindendo ab hoc, quod de inferna nocte loquamur, certe noctem, quæ cæcis obuallata tenebris oberret, *Profundam* appellat Augurellus, dum inquit:

Errabam in cæcis tenebris, & nocte profunda.

Si itaque *altum*, pro profundo ponitur *profundum*, pro *ſummè obſcurum*, ac *palpabilibus obſitum tenebris*, per metalepſim; quidni *alta* dicatur nox, quæ currum comitetur Plutonis? Tertiò, etiam ſi nomen *alta* accipiendum eſſet in ſua propria, & rigoroſa ſignificatione, ita vt ſolum poſſet ſignificare, noctem, altitudinem Cœli arripientem, quis non noſcit, Noctem, per Poetas biiugis ferri, alatam

credi

credi &c., vt indicetur nata, apta ad altitudines Cæli peragrandas? Denique, dum oppoſitum cum oppoſito confertur, nempè cum nocte dies, ita vt Nox in diem agat, & deſtruat, certè, cum non detur actio in diſtans, debuerunt in ſtatu approximationis collocari: *altior* itaque cum fuerit dies; *Alta* ponitur Nox, vt poſſit deſtruendi diei, vel impediendi ſaltem, effectum ſortiri: *Alta* tamen dicitur, non *altior*; quia ſi *altior* diceretur, ſenſus eſſet, quod ſupra Solem fuiſſet eleuata, in quo caſu, diem terris non abriperet, ſed cælis tantum ſuperioribus, vt itaque diem nobis abripiant noctis tenebræ *alta* non eſſe debet, oppoſita ſcilicet inter Solem altiorem, ac terras depreſſiores. Sed ſubdes: immò hinc adeſt Auctoris contradictio: nam hic inſinuat abreptum Solem; lib. autem 2., eadem enarrans, non abreptum fuiſſe indicat; cum de equis Plutonis dixerit: *Et Solem dedicere pati*. Facilè tamen reſpondeo, tenebras Acherontis non potuiſſe, in inſtanti, & altè adeò, & latè adeò diffundi, vt totum illicò Solis aſpectum eriperent; cum hoc debuerit fieri per motum ſucceſſiuum: ſed immò equi Plutonis, benè, *Solem dedicere pati*, quia Sol ipſe, ingruentibus tenebris vires deperdere paulatim cæperat, douec tandem, breui manu, abreptus omnino, victoriam currui conceſſit infuſcanti. Ad quod comprobandum nota, quod non dixerit Electra *Nox alta rapuit*, quod indicaſſet, dicto citiùs id factum: ſed *rapit Polum*; hoc eſt celeriter quidem, ſed ſucceſſiua tamen celeritate, *rapit*; quod eſt inuoluit, & obſcurat, eiuſdemque nobis aſpectum eripit: in quo ſenſu & Virg. Æn. 1. de nubibus cælum infuſcantibus ait;

Eripiunt ſubitò nubes, cælumque, diemque
Teucrorum ex oculis &c.

Polus autem quid ſit vide dicta lib. 3., carm. 26., vbi, & quomodo pro Cælo ponatur, habebis.

ET INSVLA. Sicilia videlicet maris circumflua fluctu, cuius deſcriptionem vidimus lib. 1. carm. 141., & ſeq. ea enim eſt, vbi hæc peracta dicuntur.

TREMEFACTA. Terræmotum indicat, quem deſcripſerat lib. 2. carm. 152., & ſeq., tremefieri enim, & concuti terræmotu terram omnibus notum eſt,

Cornipedum ſtrepitu curſuque rotarum,

Cornipedum pulſu, ſtrepituque rotarum, legendum eſſe contendit Heinſ., & optimo, vt fatear, iure, ſi verborum proprietas attendenda ſit: ſed, cum, in vulgata, dici poſſit, poſitum fuiſſe *ſtrepitum*, vt ea effectu cauſa, nempè pulſus, ſtrepitum producens, dignoſcatur; quo ad ſenſum, in idem recidet tandem: ſic etiam vbi legitur *curſuque rotarum* ponitur cauſa pro effectu, nempè pro ſtrepitu, ac fragore, edito ex rotarum curſu: quare, & quo ad hoc, idem erit vtriuſque lectionis ſenſus; licet non negauerim Heinſij lectionem clariorem eſſe, ac iuxta rerum magis proprietatem, ac naturam. Non ſic profectò audiendi ſunt, qui legunt: *Cornipedum ſtrepitu*, ſeù *fremitu*, *pulſuque rotarum*; nam, cum orbita præterlabatur potiùs, quam ſubſultans, decuſſanſque procedat, præcipuè vbi per mollia prata iter ſit, vt in caſu noſtro, certè impropriam omninò adſtruunt locutionem. Sed de his alij videant. Nos, cum Heinſio, proprietatem verborum laudantes, vulgatam tamen ſequimur, & explicabimus. Aperit itaque Electra, hic, cauſam illius terræmotus, de quo Vates, lib. 2., dixerat *Cauſa latens*. Sed, & hic, adeſt, inquies, contradictio; nam ſi ibi Vates latuiſſe cauſam dixit, & ſoli Veneri innotuiſſe.

. . . . . *Dubias agnouit ſola tumultus*
Diua Paphi &c.

Quomodò ſcire hanc ipſam Electra potuit, hicque aperire. Diſtingue, & concordabis: cauſa latuit ante Plutonis eruptionem, initio videlicet terræmotus; patuit poſt eruptionem, cum terræmotus eadem ex cauſa continuaretur; nam cognitâ cauſâ continuationis effectus, habebatur, & cauſa inceptionis, quæ priùs latuerat ſoli cognita Veneri. Porrò *ſtrepitus* propriè *leuior ſonitus* eſt, ſi ſolitariè conſideretur. Verùm ſignificationem vel minuit, vel adauget, iuxta diuerſitatem corporum, à quibus editur: quare, cùm agatur hic de equis infernalibus, vtique ferociſſimis, quorum quadrupedante pulſu tellus quateretur, certè pro ingenti, horrendoque ſonitu, talium pulſu pedum efformato, *ſtrepitus* vſurpatur, præcipuè cum ſufficiens ad totam dicatur inſulam quatiendam. Cornipedes autem dicuntur equi, quod corneos habeant calceos, & ad aſſignandam aſſerti ſtrepitus cauſam. Addit autem *curſuque rotarum* Electra, vt notet non adfuiſſe ſolutos equos, ſed currum trahentes emicaſſe, cuius currentis impetu pulſui cornipedum ſuperaddito, tremor inſulæ augeretur; ita vt & *pulſu pedum*, & *ſtrepitu Rotarum* integra conſtituta fuerit cauſa terræmotus. *Curſu*; hoc eſt fragore, ac ſtrepitu edito ex rotis in curſum concitatis, vt ſupra dicebamus. Et profectò non niſi fragorem edere potuerunt Plutonis Rotæ, quæ ſcabro vtique, ob rubiginem, aæe deferrentur. Vnguunt & ruſtici, ne perſtrepant, axes. *Rotarum* autem, dixit, ea partibus huiuſmodi currum adſtitiſſe ſignificans; nam quid ſint in curru Rotæ, omnibus iam notum eſt.

NVTAT. Vide de hoc verbo dicta lib. 1. carm. 158.

NOSSE NEC AVRIGAM LICVIT. Præoccupat interrogationem, quam ea anxia Cereris cupiditate, cernebat, imminere: cum enim audiſſet, currum, effuſis in curſum equis, aduentaſſe; quid reliquum eſſet, niſi vt, qui nam tandem veheretur, interrogaret? Præoccupat igitur Electra, &, non expectatâ interrogatione, reſpondet, ſe non potuiſſe internoſcere, quis veheretur. *Nec licuit*. *Licet* pro eodem accipitur, ac *facultas*, ſeù *poteſtas datur*. Sic Ilioneus, apud Virg. Æn. 1., facultatem orans quaſſatas ſarciendi rates hæc habet;

Quaſſatam ventis liceat ſubducere claſſem &c.

& quia id, cuius non datur facultas, nequaquam in poteſtate eſt, vt fiat à cupiente. Ideò *non licere* ponitur etiam pro *impoſſibile eſſe*; atque adeò *Nec licuit*, idem eſt, ac *impoſſibile fuit*: Sic Æneas, apud Virg., Æn. 1., dolens quòd Anchiſem genitorem in Italiam deferre non potuerit, aiebat;

Non licuit fines Italos, fatalia que arua,
Nec tecum Auſonium (quicumq; eſt) quærere Tybrim,

In hoc itaque eodem ſenſu Electra hic *nec licuit*, ait, & ſubintellige *mihi*, quod per Synecd. fig. reticetur; *mihi poſſibile non fuit*; *nullo potui pacto*, obſtantibus videlicet tenebris, circa currum addenſatis, ac totum aerem infuſcantibus, *noſſe Aurigam*. Se vidiſſe profectò Aurigam indicat, vt vides; ſed viſione adeò imperfectâ, confuſa, & ſubobſcurà, vt diſtinguere nequaquam potuerit, quis eſſet. Sequitur autem, hoc loco, Vates, naturam ipſam viſionis; nam certè viſio, ad hoc vt eliciatur, exigit obiectum in debita diſtantia conſtitutum; exigit ne potentia viſiua impediatur; ac tandem, vt medium adſit illuminatum; ex quo fit vt oculus, in tenebris, apertus nihil videat; quod ſi igneis ſpiritibus, ex oculo interdum euaporantibus, rareſcant quidem tantiſper tenebræ, ſed non omninò vincantur; tunc viſio fiet imperfecta adeò, vt, ſi hominem his tenebris ſeptum videamus, ſpectrum, aut vmbram, videri à nobis, arbitremur, nec, quis ſit, vllo modo internoſcamus. Sic itaque Electra Aurigam, in tenebris adſtantem viderat, ſed ad modum ſpectri deliteſcentis, ita vt vmbram potiùs ſibi videre viſa fuerit, quam vt, num homo, num Deus eſſet diſcerneret: *noſcere* enim eſt *talem aliquem rei notitiam habere, vt de illa rationem reddere poſſimus, eamq; diſtinguere ab omni alia*: ponitur autem hic *noſce*, per ſyncop., pro nouiſſe. Verùm dices, falsò igitur à nobis dictum ſupra, Electram laboraſſe, atq; immotam diù hæſiſſe, dum mente reuolueret, quomodò certum funus aperiret, incertum relinqueret Auctorem; nam, ſi Auctorem non nouerat, nec poterat Auctorem certum expromere. Scio hanc fuiſſe, in illum locum, Parrhaſij opinionem, qui explicans carm.

. . . . . . *Longumq; immota moratur*
Auctorem dubium, certumq; expromere funus,

inquit; *Sciebat Electra raptam Proſerpinam, Raptoris tamen nomen haud nouerat*. Sed contra hanc ſententiam ego argumentum facilè retorqueo: nam, ſi non nouerat, quid hæſitaret? quid longum immota moraretur, auctorem expromere dubium? Dicendum, ſine cunctatione fuerat, quod nouiſſet, quod non nouiſſet, prætereundum. Cur igitur hæſitet reſponſura? Certe non niſi quia nouerat; ſed, Iouis obſtricta edicto, prodere Raptorem non poterat. Aſt, inquies, fatetur ipſamet hic, ſe non nouiſſe; ergò vel dicendum eſt, veram eſſe Parrhaſ. ſententiam, loco cit. expreſſam, & quam hic iterum ipſe repetit, vel dicendum, mendacem Electra fuiſſe. Ego tamen, & à Parrhaſio diuerſus abeo, & Electram mendacem eſſe, nequaquam conceſſerim. Veriſſimum itaque dicit Electra, dum, ſe non nouiſſe, in actu ipſo rapiendi, quiſnam fuerit raptor proteſtatur; nam verè tunc, tenebris obſtantibus, internoſcere non potuit: Sed, quod tunc non potuit, nouit ſubinde ex Iouis edicto: meminerit enim Iridem iuſſam fuiſſe initio huius lib.

Ire citam, totoq; Deos arceſſere Mundo.

Ibidem verò habes conuocatas fuiſſe, & Nymphas omnes, inter quas, certè Electram, Oceani quippe filiam, computa-

ri,

ri, non eſt in dubium reuocandum. Et profectò, ſi Nymphæ omnes, Fauni, Syluani, cæteriq; agreſtes Dij commonendi fuere, ac pœnarum comminatione deterrendi, ne proderent raptorem, multo magis adſtringenda fuerat Electra, quæ, vtpotè familiaris, prima debuit Cererem obuiam habere, &, vtpotè quæ raptui adfuit, ſuſpecta eſſe debuit, ne rem totam ordine promeret; dum itaque omnes conuocantur, non fuerat illa negligenda; atq; adeò, cum edicto interfuerit, Raptorem etiam ex Iouis oratione cognouit. Licet itaque poſtea cognouerit, nequaquam mendax eſt, ſi dixerit, ſe non nouiſſe, tunc temporis, cum rapuit, quod non tollit quin poſtea agnoſcere potuerit: & ideò morata eſt ſupra, animo recogitans, quomodò incertum exprimeret raptorem. hanc ipſam ſcilicet, qua vititur, excogitans viam aperiendi, quod factum fuerat, & quod ſe nouiſſe teſtatur, ac verè alteram, ſe non nouiſſe raptorem; & tandem ſilendi, quod poſtea nouerit, cum de hoc non eſſet loquendum. Ideò *miſſo nec aurigam ſcimus*. *Auriga* dicitur, qui currum regit, ab *aureis*; *Aurea* autem dicuntur lora illa, quæ circa equorum iugalium aures religantur, & quibus equi ipſi reguntur. Porrò Plutonem, & Seſſorem, & Aurigam ſui currus iam vidimus lib. 2., vbi *Exhortatur equos, & Tænara mitior intrat*. Hunc autem, licet ſciat Electra Plutonem fuiſſe, nomine Aurigæ appellat, iuxta cognitionem, non quam habeat nunc; ſed quam habuit tunc; cum Rectorem currus eſſe agnouit; ſed hunc in indiuiduo Rectorem fuiſſe non cognouit.

SEV MORTIFER ÆSTVS &c. Aperit ſub diſiunctione, quiſnam, ex adiunctis, cenſeri potuerit præfati currus auriga; nam ſæpè, quod in ſe ipſo non nouimus, ex effectibus, quid ſit, opportunè colligimus. Ita igitur, per ambiguam circumlocutionem deſcribit aurigam illum, vt, dum ambagibus regit, quantum ſatis eſt, indicet, vt, hoc pacto, & propriæ indulgeat paſſioni, & tamen Raptorem non prodat, ſed dubium relinquat, ne in Iouis ictum peccet. Vbi nota ſolertiſſimam, in vtroq; Vatis artem. *Seu* coniunctio eſt diſiunctiua, qua ſcilicet ea iungimus, quorum alterum, non vtrumq; affirmamus; atq; idcircò geminata ſemper, in oratione, reperitur, vt etiam hic. *Mortifer æſtus*. *Mortifer ille*: legit Parrhaſ., cum alijs; ita vt pronomen illud demonſtratiuum aurigam ſignet, de quo ſupra; & ſenſus ſit: *ſeu ille fuerit Auriga Mortis &c. ſeu Mors ipſa fuerit aurigans*. Improbat tamen Parrhaſij lectionem Heinſius; atq; vt nos ſcripſimus, legendum contendit; adducitq; locum ex Lucr. 6. ſimilem:

Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æſtus
Finibus Cecropis funeſtos reddidit agros.

Heinſij ego lectionem ſecutus, non tamen auſus fuerim Parrhaſ. improbare, niſi quatenus Parrhaſ. lectio ſimplicior eſt; & ſuccum illum plenioris non habet eruditionis, quem ſecum affert lectio noſtra ab Heinſio comprobata. *Mortifer* itaque *æſtus*, pro *peſte*, ponitur, quæ verè auriga mortis dici poteſt, vt patet conſideranti, & lata nimium, apud infectas ciuitates, experientia miſerabili comprobatur. Patet hoc ex textu ipſo Lucretij, apud Heinſ. cit.; atque ex ipſa Peſtis natura, quæ Ignea dicitur à Luc. lib. 6.

Igneaq; in vultus, & ſacro feruido morbo
Peſtis abit &c.

ideò *æſtus* nomine iure deſignari poteſt, præcipuè addito epiteto *mortifer*, vt a quocumq; alio non peſtilentiali afflatu diſtinguatur: *æſtus* enim *calor* dicitur *aduren*s, ſeù *afflatus*, aut *exhalatio ignea*, nimio vtiq; calore omnia inficiens, ac corrumpens. Talis autem deſcribitur Peſtis apud Braccyol. de Cruce lib. 26. vbi hæc habet:

La Peſte in tanto, infin dal centro vſcendo
Della ſorella el doloroſo ſtratio
Dalle tenebre ſue feruida vſcendo
Sorge all' aperto, e luminoſo ſpatio &c.

Inferius autem

Porta sù le grand' ale atro veleno,
Che tratto hà fuor delle tartaree porte:
Paſſa diſcolorando el Ciel ſereno;
E, douunque ella và, ſparge la morte:
E ne riman lo ſquallido terreno
Tinto d'impreſſion maligna, e ſmorta;
E, là per ſin nella ſuperna mole,
Scurar la Luna, impallidirſi il Sole.

Perpende effectus antea deſcriptos, & mox ab Electra deſcribendos, & videbis adamuſſim congruentes cum hac peſtis deſcriptione, quam ex Cygno Crucis recitauimus; ne in dubium reuoces, num *mortiferi æſtus* Peſtem hic deſignari.

SEV MORS IPSA FVIT. Subintellige *Auriga ille de quo ſermo*. Alterum autem hic diſiuncti membrum proponit. & creſcit oratio; nam ex Peſte mortem ferente, ſeù quæ currui mortis ſe præbeat aurigam, aliqui tandem poſſunt effugere; mortem autem aduenientem, irruentemq; quis effugiat? Textus, per ſe patens eſt. Lethi Deam fuiſſe mortem, dia. lib. 2., vbi de eadem plura: ipſa hic emphaticè ponitur, vt vides; quare non immoror. Tantum nota, Proſerpinam defunctam inſinuari hac Electræ oratione, & iure; nam in defunctorum Regnum fuerat tranſlata; ſed ita hoc dicit, vt non dicat: ſicuti etiam inferiùs *Perſephone nulla eſt*; non inquit *rapta eſt*; *interijt*; *in Inferos detracta eſt*: ſed *nulla eſt*; quod, in ſenſu Electræ, quod factum eſt, ſonat; at in ſenſu audientis ambiguitatem gignit; nam potuit effugiſſe periculum, & peregrè profecta tutiores ſedes delegiſſe; licet nulla in conſpectu fuerit, & viſum fefellerit inſpectantium.

LVROR PERMANSIT IN HERBIS &c. Alij legunt *Liuor*; & hanc lectionem mordicùs defendit Barth. Alij *Luror* cum Raphelengio; quorum lectiones non reprobo; nam *liuor* color eſt, ex pallido nigreſcens, qualem in contuſis corporibus videre eſt: & profectò, cum germina marceſcunt, ad talem accedere videntur colorem: quarè, qui legunt *Liuor permanſit in herbis*, eas indicant, tænarijs afflatas vaporibus emarcuiſſe; nam ex ſigno res colligitur. *Luror* item eſt color quidam ruſus, ſed dilutior; ideoq; pro colore aridæ frondis ſumi poteſt; ideò legentes: *Luror remanſit &c.* flores notant, herbaſq. peſtilenti illo halitu exſiccatos. Verùm à communi, cum Heinſio, non recedo, quia *Luror* propriè eſt *color pallidus*, idemq; ac *pallor*, ſed vehemens, & propriùm potiùs rerum veneno infectarum, quam alterius rei eſſe, notat Ouid. Metam. pri., vbi hunc colorem attribuit aconitis, dicens:

Lurida terribiles miſcent aconita Nouercæ.

Memineris hic, quæ diximus ad calcem lib. pri., nempè equos Plutonis aconito, alijſq; venenatis veſci ſolitos; quarè nil mirum, ſi, horum afflatu contactæ venenum contraxerint herbæ, atq; luridæ ex veneno effectæ, vigorem amiſerint, ac virorem. Inſuper *luridus* à lurore, propriè dicitur *Orcus*, vt notat Parrhaſ. hic, ex Tibullo canente:

*Dum**ʼ** in ignauâ luridus orcus aqua.*

Quarè, cum ſermo ſit de herbis, infernali peſte corruptis, abſumptiſq; nullus, aptè magis, attribui illis potuit color, quam *luror* ipſe; nam & ſic indicium notat Raptoris Electra, nec tamen reuelat, vt ſupra, in cæteris, diximus. Ideò *luror permanſit in herbis*. Quid herbarum nomine hic veniat, videris lib. 2. carm. 90. *Permanat in herbas*; legit Heinſius; ſic enim, ſe reperiſſe, ait in præſtantioribus ſcriptis. Ego a vulgata non arbitror recedendum. nam plus ad intentum facit *permanſit*, quam *permanat*: & ratio eſt, quia *permanare*, importat quidem tranſitum alicuius rei a quodam in quoddam; ſed non importat permanentiam in eo, ad quod promanat: at verò *permanere* importat permanentiam promanantis in recipiente. Dum itaque Electra inquit: *Luror permanſit in herbis*; ſenſus eſt, quod *luror*, contractus ex curru illo, ita herbas infecerit, vt eas prorsùs peremerit; ideòq; non potuiſſe illas amplius ſe redigere in priſtinum; ſed in emortuis lurorem indelebilem remanſiſſe. Quod ſi diceret tantùm *permanat in herbas*, poſſet intelligi, quod languentes quidem fuerint herbæ, ſed, quippè non prorsùs enecatæ, ſe etiam breui in priſtinam reducere potuerint; quam facultatem excludit verbum *permanſit*; atq; ideò ex eo aptiùs colligitur, Peſtem, vel mortem ipſam fuiſſe Aurigã.

DEFICIVNT RIVI. Alius effectus priori adnectitur; ſed, per aſyndeton, quo grauior, ac mæſtitiæ congruentior procedat oratio. Igneam autem vim Peſti illi inſitam, ideòq; eam iure, mortiferi æſtus nomine deſignatam, oſtendit ex effectu exhauriendarum ex riuis omnibus aquarum. Noſtis Ætnea rura, aquis vndiq; ſcatentibus, floribus ſuis vitam impertiri: *Riguus ſalum* dix. lib. 2.; *Nemus de pumice fontes lambebant gramina*: dictum fuit, lib. pri.; hic autem horrendum viſu effertur *Deficiunt riui*; exhauſtis videlicet aquis, ac ceſſante ab effundendis profluentibus fonte, deſinunt riui; quare & ipſi mortem prorsùs ſubijſſe videntur.

PRATA SQVALLENT RVBIGINE. Non flores ſolum, ſed cæteras etiam duriores herbas interemptas hic notat, nomine ſcilicet pratorum indicatas. Quid enim propriè ſit pratum videas lib. 2. carm. 128. Item de verbo *ſquallent* vide dicta lib. pri. carm. 80. *Rubigo* autem, in metallis, propriè eſt illa, quæ ſitu quodam contrahitur, arida, rubraq; metallumq; ipſum paulatim abrodens, & abſumens, qualem

in

in ferro ſæpè videmus. Translatè autem *rubigo* vocatur præcipuum quoddam in ſegete vitium, ſpicas eodem modo abſumens, ac rubigo ferrum: ad quod vitium à meſſibus arcendum, Rubigalia inſtituta ab antiquis fuere, idest feſti dies amoliendi rubigini impenſiùs ſacrati. Hoc igitur vitio infecta repente prata obſoleuiſſe iudicat, atq; ideò omne illicò eorum gramen interiiſſe; nam ſi ſegetes ſuam, & cæteræ ſuam herbæ patiuntur rubiginem.

ET NIHIL AFFLATVM VIVIT. Nulla acrior peſtis, quam quæ infecto in aere ſedem figit. Huiuſmodi oſtendit fuiſſe peſtem, à curru ſupra indicato, in Ætneos inductam campos; illicò enim maligno eius afflatu infectus aer quidquid attigit, infectione ſuſtulit. Ideò *& nihil &c.* Vs le ſe ab effectuum enumeratione viriliter expediat, ſub vniuerſali negatione omnia, quæ recenſeri poterant, comprehendit. *Nihil afflatum*, hoc eſt quod vel aura illius attingere potuerit; nam *afflare* eſt quaſi *alicui flare*, idest *in faciem flare*. Non ſolum igitur occubuêre, quæ tetigit currus, ſed & omnia longè, latèq;, quacumq; ſcilicet aura illa corrumpens venenum extendit ſuum. Ideò *nihil afflatum vivit*, idest *vitam producere vlteriùs potuit*; ſed omnia ineuitabili hac mortis falce demetuntur.

PALLERE LIGVSTRA &c. Expedierat ſe ab odioſa vtiq; narratione Electra, omnia, quæ dici poterant, per particulam vniuerſalem, colligens in vnum: & tamen nunc iterum, quaſi enumerationem reaſſumens, particularia proſequitur. Nota, in hoc, duplex Vatis artificium: & primo quidem morum imitationem; nam perturbati animi eſt, etiam in orationibus, ordinem interturbare; nam qui in ſe compos non eſt, ſed vix; immò ne vix quidem ſui compos eſt, quomodo comptam ſeruet orationem? Sic itaque Electra, ſummo, quo agitabatur, dolore ferè demens effecta, orationem, procul dubio, nutantem, atq; incomptam habere debuit. Secundò hanc ipſam, quæ perturbatio ordinis videtur, artificioſam eſſe rerum coordinationem agnoſcas; nam, quaſi gregaria quædam cum dixiſſet hucuſq;; atq; adeò ſe expediens in vnum colligaſſet; poſtremò, quæ magis admiranda cenſerentur, atq; incredibilia, magis peculiariter effert, vt magis comprobet, vel peſtem mortis aurigam, vel mortem ipſam fuiſſe.

VIDI PALLERE LIGVSTRA &c. Teſtis oculatus, ſi cætera concurrant, teſtis eſt, omni maior exceptione. Se itaque vidiſſe profitetur Electra, vt Cereris animum præueniat, inſinuetq; ſe incredibile quid enarraturam, & quod nec ipſa crederet, ni vidiſſet: ſed verùm tamen, niſi fides oculis ſit deneganda. *Vidi*, non ex alijs didici enarrantibus; ſed hiſce egomet oculis vidi. Video & ego difficultatem ab aliquibus obijciendam, ex eo, quod verbum *vidi* hic poſitum videatur importare contradictionem reſpectu ſupradictorum; nam, *ſi noſſe aurigam non licuit*, ob tenebrarum denſitatem; quomodò minora entia videre licuit, floſculos videlicet, eoſq; internoſcere, ſecernere, & diſtinguere, eiſdem adhùc permanentibus tenebris? Verùm nota, ſublatam eſſe difficultatem ex eo, quod præmiſerit *nihil afflatum vivit*; nam *Roſæ liguſtra &c.* inter ea enumerantur, quæ, ſolo afflatu, licet longè adhùc diſtaret currus interiiſſe memorantur. Antequam igitur Nox, quæ currum vndequaq; ſtipabat, per totum prorſùs aerem diffunderetur, primo eius ex Ætnæis latebris egreſſu, præmiſſa eſt hæc aura corrumpens, quæ adeo actiua fuerit, vt, in ictu oculi attacta omnia perimeret: quarè & tota nondum rapta die, hæc videri potuerunt; & Aurigam noſcere non licuit, quia ſemper circa eum tota obſtitit ſtipata Nox. Sed ad textum redeamus. *Vidi pallere liguſtra*: hoc eſt candorem amittere ſuum, & nigreſcentia marceſcere. Hoc autem maximè profectò prodigioſum fuit; nam cum liguſtra viderimus ex Cypro deuecta, quæ Inſula Veneris eſt, conſequenter ſub ipſius Veneris tutela eſſe intelligantur, vt lib. 2. carm. 130., explicuimus; non debuerunt profectò, ipſo ſuo Numine, hoc eſt Venere, præſentaliter afflante, alieno, quamuis peſtifero afflatu deſloreſcere: & tamen, ſub ipſo Diuæ protegentis intuitu, *pallere* liguſtra vidit: quod idem eſt, ac dicere, tantam fuiſſe afflantis currus malignitatem, vt & ipſa præſentis, fauentiſq; Veneris tutela ceſſerit ſuperata.

EXPIRARE ROSAS. Hoc ipſum membrum, ſicuti & ſubſequens eidem verbo *vidi*, per adiunctionem, coniunguntur. Roſas item Veneri ſacras iam vidimus lib. 2. carm. 92., carm. 123. & alibi. Quarè, eas hic expirare, ob eamdem, quam de liguſtris vidimus, rationem, prodigium eſt. *Expirare* enim eſt *ſpiritum efflare, animam emittere, & mori*, translatione videlicet ab animalibus deducta, quæ, quoniam, abeunte anima, contabeſcunt, & citò in tabem deſinunt; ideò hic *expirare* pro eodem ſumitur, ac *marceſcere*.

DECRESCERE LILIA. *Canescere*, non verò *decreſcere* habuit Codex Regius, vt teſtatur Heinſius, qui & ſe olim legiſſe, profitetur: *Areſcere lilia vidi*. Non reſpuo lectiones, vel proprias, vel eruditè figuratas; vt iſtæ profectò ſunt: ſed quia verbum *decreſcere* maiorem, meo iudicio, eruditionem habet, à vulgata, quam ſic explico, non recedo. *Decreſcere* idem eſt, ac *minui*; atq; ex excellenti quodam gradu, vel magnitudinis, vel qualitatis, ad imum vſq; deijci. Hoc poſito: noſtis, lilium, ſublimitate, fragrantia, nec non candore cæteris omnibus viridariorum decoramentis præſtare; ita vt de ſublimitate illius ſcripſerit Plin. lib. 2. cap. 5. *Nulla florum excelſitas maior*; quarè & in Impreſſis cum Epigraphe reperitur: *ſupergreditur omnes*: de fragrantia autem loquendo, patet, tantam odoroſorum ſpirituum vim ex lilio effundi, vt quam longiſſime percipiatur olfactu; immò qui debilitate cerebri laborant, ex nimia lilij fragrantia capitis dolorem contrahunt; quod, vt, lilij vitium non eſſe, ſed cerebri, oſtenderet Areſius, illud hæc dicens induxit, in Impreſſam: *Se ſteſſo incolpe chi'l mio odore annoia*. De candore tandem dicere ſufficiet, aſſumptum fuiſſe lilium in hieroglyphicum intemeratæ puritatis Deiparæ, addito lemmate: *Nil candidius*. Hunc tamen, inſignem tot dotibus florem ex fetido enaſci ceſpite adnotarunt Auctores, rerumq; naturalium indagatores; ad quod alludens Areoſtus Rodomontem inducit cantu 27. ſic fœmineæ inſultantem ſuperbiæ.

> *Non ſiate però tumide, e faſtoſe,*
> *Donne, per dir, che l'huom ſia voſtro figlio;*
> *Che dalle ſpine ancor ſpuntan le roſe;*
> *E da vna fetid' herba naſce il Giglio.*

Quibus prænotatis, iam in aperto eſt, quamnam eruditionem habeat verbum *decreſcere*; nil enim aliud ſignificat, quam lilia ita, marceſcendo, imminui, vt ex fragranti flore in herbam decreſcat fœtidam, & deſinat; ita vt, ex ſua ſublimitate, vix ima ſuperſit radix, cui taſtus floris concepto æquetur veneno; atque ex candore illo eximio ad marceſcentis colorem illicò redigatur. Quod & profectò prodigioſiſſimum videri potuit, attentâ lilij naturâ, quæ, vt alibi dix., tanto vigore prædita eſt, vt, vel cum auulſum fuerit à radice lilium, & viſum fuerit aruiſſe, adhùc, redeunte anni tempore, occultam exerat virtutem, ruſumq; floris ſui honore veſtiatur. Quod itaque lilium, quod, ne ſucciſum quidem, areſcat, hoc tactum veneno, contabeſcat illicò, & emoriatur, ita vt, ne veſtigia quidem, aut vix ipſius veſtigia remaneant fixa ſolo, maximi certè prodigij loco haberi meritò potuis. Ideò decreſcere &c.

VT RAVCO TRACTV &c. Quæ currum præceſſerint, quæ fuerint comitata deſcripſit: iam abeuntem notat, & quæ abſceſſum ſecuta fuerint, recenſet. *Vt* aduerb. hic temporis eſt, idem, ac *quando autem*: *Tractus* verò à trahendo deducitur, & verbale nomen eſt, ſignificans ipſam habenarum attractionem, ab Auriga fieri ſolitam, cum, ad ſtatutam metam progreſſus, ora citatorum dextra contorſit equorum, vt inquit Æn. 12. Virg., ac lora in gyrum flectens currum conuertit, quà venerat. *Rauco* autem *tractu* dixit, hoc eſt *horrificè ſonanti concuſſione*, quod adiunctum terroris eſt, modum notans eiuſdem currus reuertentis *rauco tractu* idest tali attractarum habenarum ſtrepitu, ac fragore, vt ſonitus illius inſuauitate, abſonoque attritu habenarum horror audientibus incuteretur, geliduſq; per ima micaret oſſa tremor. In quo profectò naturam imitatur. Qui enim ſonus ex ferrugineo prorſùs curru elici potuit, niſi inamabilis, abſonus, immò & terribilis fragor?

DETORSIT HABENAS REDVCES. Hoc eſt ex prima itineris linea contorſit, in eam currum conuertens partem, vnde antea proceſſerat. Quid habenæ ſint, vide lib. 2. carm. 272. ex conuerſis autem habenis, conuerſio intelligitur equorum, qui loris reguntur habenarum. ex conuerſione verò equorum conuerſio currus per metalepſ. *Reduces* autem dixit: hoc eſt *reuertentes*, ſeù *retroducentes*, quaſi duces retroceſſionis, ſi enim proprie applicandum ſit habenis vocabulum, non poteſt quin accipiatur, vt verbale nomen à *Duco* cum *re* compoſito deductum.

NOX SVA PROSEQVITVR CVRRVM. Notat hic apertè, noctem, à qua ereptum dixerat Cælum, non naturalem, ſed prodigioſam, fuiſſe; non eam, quam matrem Deorum, hominumq; Orpheus, in Hymnis, appellauit: ſed eam, cuius Filia Rabies fuerit, ex Theogenis ſententiâ lib. de Dijs 2.; vel quæ inuidiam, contentionem, fatumq; malum, Par-

eamque nigrantem, & mortem genuit, teſte, in Theogon. Heſiodo. De Nocte vide dicta nóa ſupra §. *Ecce polum &c.* Poſſeſſiuum verò *ſua*, quod ad currum, quem nóa illa comitabatur, refertur, expreſsè indicat, aliam eſſe noctem, quæ ex Oceano emergere dicitur, iuxta illud Virg. Æn. 2.

Voluitur interea cælum, & ruit Oceano Nox.

aliam verò eſſe noctem, quam ex Erebo erumpentem agnouit Euripides: ac conſequenter aptè *Nox ſua*, inquit Electra, hoc eſt Noa, non Oceani, ſed Erebi Alumna, ſeù mortifero addicta currui, ad mundi perniciem, non quietem, vt altera inferendam; ideò *Nox ſua*, nempè à curru illo, ex quo gignitur, inſeparabilis, *proſequitur currum*; ideſt vna cum curru retrocedente reuertitur, vndè emerſerat, & Polum ab illata liberat oppreſſione. Vno verbo: caliginem, quam ſecum currus aduexerat, ſecum ipſe reducit.

LVX REDDITVR ORBI. Abeuntibus tenebris, reliquum fuerat, vt dies, tenebrarum caligine interceptus, exſolutus iam iterum emicaret. Quarè, poſito antecedenti, conſequens iam recenſet: nec videatur ſuperfluum, eo, quod ſatis conſtare videatur, quod, ſi tenebræ recedant, lux effulgeat; nam hoc quidem ſemper verum eſt, ſi de tenebris loquamur, quæ nil aliud ſunt, quam priuatio lucis, nam priuatio huius priuationis certe eſt ipſum poſitiuum lucis, ſeù ipſa poſitiua, & realis lucis forma; aſt ſi loquamur de tenebris poſitiuis, hoc eſt, de caligine, cænoſo, ac turbido Acheronte refuſà; tunc potuit hæc abſcedere; & tamen lux non ſuccedere, ſi v. g. caligo iſta, in noctem vſq; naturalem, perduraſſet. Oſtendit itaque, non diuturnam, ſed breuem habitam à curru, ac nocte illa prodigioſa, moram ſuper terras. Ideò nox dum ſua proſequitur currum, *lux redditur orbi*. Eàdem verò praxi antecedentia priùs, ſubinde conſequentia exprimendi vſus eſt & Virg. Æn. 12.

Vix primum diſcuſſa vmbra, & lux reddita menti eſt.

Lux, ideſt, ea Solis lux, quæ antea diem mundo attulerat, & quæ repreſſa quidem, non compreſſa omninò infernis fuerat tenebris; *Redditur*; per ſe ipſam, intellige. Sed, quia, dum, e a remotione impedimentorum, aliquid fit, quod, ijs poſitis, fieri nequaquam poterat, videtur cauſa poſitionis illius is, qui impedimenta abſtulit; ideò *redditur*, paſſiuæ voce effertur. Per *orbem* autem Cælum non minùs innuit, quam terram, & oculos ipſos, qui & ipſi orbes ſunt animati, vt cernere cuncta poſſent.

PERSEPHONE NVLLA EST. Habita digreſſione, ſed neceſſaria, ad ſuam reuertitur, &, de Proſerpina quid actum ſit, dum explicitè non dicit, omnis dicit: nam certè periſſe aſſerit, licet modum eius referre neſciat; ex conſequenti enim, nempe ex eo, quod nuſquam appàruerit, certò deducitur, vel illam raptam, vel, peſte illa enecatam, ita illicò contabuiſſe, vt ne veſtigia quidem corporis remanſerint: vel ſi occidi, quia Dea, non potuit, vel in latices ſolutam, vel in auras &c. vel ſaltem turbine in alienas aſportatam regiones; vel ipſam ſibi celeri fuga conſuluiſſe in remotiſſimas euolans mundi plagas. Vbi nota Vatis artificium. Electra, Proſerpinam periſſe, affirmat profectò; ſed enigmaticè adeò, vt ſpes matri relinqui poſſit reperiendæ adhùc Proſerpinæ; dum non apertè dicit interemptam; immò ita loquitur, vt interpretari poſſit ſermo in leniorem partem, credendo ſcilicet, vel eam aufugiſſe ad latebras, è quibus tandem emergat incolumis; vel tutum in locum, fauente Patre, per turbinem aſportatam fuiſſe &c. Quo artificio, duplici de cauſa, vſus eſt Vates; primo quidem ne Electra acerbiſſimum, quod poterat, vulnus Cereris animo infligeret, affectui parcens materno. Secundò vt aperiretur via ad eam, quam, ſubinde Ceres faciendam arripiet, Filiæ ſuæ inquiſitionem, iuxta à Ioue decretum, in Concil. lib. 2. Porrò *Perſephone* græcum Proſerpinæ nomen eſt, ea enim apud ipſos Περσεφόνη communiter nominatur. Quod verò pertinet ad particulas *Nulla eſt*: redarguit lectionem Heinſius; & legendum eſſe contendit: *Perſephone nuſquam*: vel ad ſummum, addito verbo ſubſtantiuo, *Perſephone nuſquam eſt*; eo modo quo Martialis, apud ipſum cit. ait:

Dic vbi ſit decies mater quod amica rubiquit?

Nuſquam eſt. Fecisti rem, Line, difficilem.

Ego Heinſij lectionem abs re non eſſe, facile, & vltrò conceſſerim. Sed non video, cur ipſe noſtram abs re eſſe dictitauerit. Affert tamen ipſe rationem; & dicit hanc lectionem deſumptam fuiſſe ex imitatione Propertij, qui: *nullus ſum*: dixerit, propertij. Quod certe hic minus ad rem facit. Porrò, ſi Propertij dictum, ab ipſo allatum, in toto rigore, & iuxta ſenſum proferentis, ſumatur, certè hic aptari non poteſt adamuſſim; nam qui actualiter dicit de ſe: *Nullus ſum*. ita *Perij*, certè fatetur, ſe in ſummum diſcrimen adductum, ita vt exitium imminens euitare non poſſit, & ideò, quod certò imminet, pro iam facto, effert: *Perij* vulgò *ſon ſpedito*. Hic porrò quid vere factum ſit, non verò quid ſit ineuitabiliter faciendum, oſtenditur. Quarè in ſenſu Propertij procedere non poteſt hæc dictio. Si itaque *Nullum eſſe* ſumatur, iuxta communem Comicorum acceptionem, pro eodem profectò, ac *periſſe*, ponitur, vt notant Clauer., Barth., Rapheleng. & alij. Quarè ſenſus lectionis noſtræ hic eſt: *Perſephone nulla eſt*; ideſt *amiſſa, nobis periit Proſerpina*: ſeù, vt ait Parrhaſ. *Perſephone nuſquam, vel non amplius, viſa eſt nobis*: ex quo illam periſſe deducitur, vt neceſſarium ex antecedenti conſequens. Verùm, quod, Heinſius, minus ad rem eſſe, dicit, equidem, quam maximè ad rem eſſe, agnoſco, atq; eruditiſſimè dictum; imitatur enim, & exprimit adamuſſim mores rem, ſummè optatam, perquirentis; nam qui, deſiderio amiſſæ rei accenſus, ſummo illam exquirit ſtudio, licet eam vere nullibi inueniat, tamen illam ſibi, omnibus in locis, præſentem fingit, & quaſi, iuxta multiplicationem locorum, quæ ſcrutatur, multiplicata eſſet & ipſa, ſibi eam perſuadet, vbiq; inueniendam; ſed ſe tandem imaginatione deceptum agnoſcit, dum quam, ſingulis in locis, effingit, in nullo eſſe reperiat. Hoc igitur ſui ſtudium, hanc animi anxietatem, hanc intellectus ſui deceptionem, irritumq; repetitum inquirendi laborem inſinuat Electra, dum dicit: *nulla eſt*, Quaſi dicat videbar inquirens mihi eam ſingulis in locis, quaſi multiplicatam videre, & tamen nulla vere viſa eſt, nulla in vllo aderat loco.

VOTO REDIERE PERACTO &c. Omnibus indiſcriminatim iniuriam ſibi, ac Cereri illatam tribuit Electra; nam tanta eſt doloris acerbitas, vt inſontes ſecernere neſciat ab illa, quæ ſola in fraudes impulit; nempè, à Venere proditrice Palladem, ac Dianam, nullo ſcelere maculatas non diſtinguens. Ideò *Deæ* illæ ſcilicet, quæ Proſerpinam Domo eduxerant, & quarum fuiſſet illam intra clauſtra reducere. *Rediêre*, qua venerant, ad Cælum nempè, vnde eas, lib. pri., deſcendiſſe iam vidimus.

NEC MANSERE. Nec moram fecêre, vt par fuerat, aut Proſerpinam, quam ſecum adduxerant, inquirentes; aut nos de cladis exitu admonentes; aut ſaltem conſalutantes: *ne momento quidem temporis moratæ ſunt; ſed illicò, inſalutatis hoſpitibus redeere*. Ex quibus indicijs colligit Electra, omnes proditionis participes fuiſſe. Vides hic ab ingenioſiſſimo Vate, adamuſſim, delineatam ſuſpicioſæ mentis naturam, quæ, aranearum more, vel florum ſuccos perfectiſſimos in venena vertentium, quidquid viderit, interpretetur in malum, atq; in ſui ipſius vertat venenum ea etiam, quæ apta alioquin fuiſſent ſuſpicionem repellere. Cum gemitu, ſupremis ceſſerant nutibus Genitoris & Pallas, & Diana, vt vidimus lib. pri.; moram facere eo in loco, vbi ſororem amiſerant, dolor, ex iactura conceptus, non patiebatur: Comites Nymphas de rapto admonere, non ſuſtinuerant, ne altiori ipſæ & affligerent, & affligerentur vulnere: conſalutandi hoſpites officium exequi prætermiſerant, ne exuberantibus lacrymis amiſſam dicere cogerentur. Aſt hæc ipſa in criminis indicia aſſumuntur ab Electra, malum vndiq; ominante, doloris quippè, ac ſuſpicionis æſtro concitata.

VOTO PERACTO. Confecto, quod expetierant, & ad quod venerant, negotio: nam *votum*, pro re maximè optata, ponitur; eo quod, quæ ſummopere deſideramus, adhibitis votis, à Deo expoſcere ſoleamus. *Peracto* autem à perago eſt, de cuius verbi ſignificatione vide lib. pri. carm. 550. Votum autem huiuſmodi, perdendæ ſcilicet Proſerpinæ, decepta, attribuit omnibus ſuſpicioſa Electra, cum tamen, ſe vera ſoli Veneri tribuendum fuerit, vt ex dictis patet; non enim viderat reſiſtentiam, à Deabus factam, nocte ſcilicet impediente, quæ currum ſtipauerat, vt ſupra.

MEDIIS INVENIMVS ARVIS &c. Dearum aſſiſtentia deſtitutis, Electræ, alijſq; paucis comitibus, quæ præſtantiori animo adſtiterant, quid euenerit, iam indicat, prodigia prodigijs interſerens. *Inuenimus*, nempè ego, inquit tacitè Electra. & Syrenes, de quibus infra, huc illùc peruagantes, veſtigantesq;, num alicubi latens adeſſet Proſerpina. loco ipſius, quam quærebamus, *Inuenimus Cyanem &c.* *Inuenire* eſt quaſi *in aliquem venire*, qui vtiq; non quærebatur; ſed in eum, aliud inquirentes, incidimus. Notat autem locum vbi inuenerint, dum inquit: *Mediys aruis*. *Vndis*, non *aruis* legendum putat Heinſius afferens illud Ouid. Metam. 5., vbi ait:

Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas,

Gurgite quæ medio ſummus tenus extitit aluo &c.

Verùm nil mirum, ſi Auctor noſter ab Ouidio diſcrepet, quo

ad

ad hoc; nam Ouid. non poſuit Cyanem in comitatu Proſerpinæ, cum per ſaltus, & arua diuagaretur; ſed, quaſi caſu quodam ea vndis emergentem ſuis effinxit, cum Perſephone abueheretur: Auctor autem ſoller, eam in comitatu fuiſſe memorat: *Cyane totum ſupereminet agmen*, vt lib. 2. vidimus: atq; adeò nil mirum, ſi in *aruis*, non in *vndis* ſtatuat languentem.

CYANEM. In ſuperioribus tota in ſui ipſius defenſione fuerat Electra, vt ſcilicet ea ſe ipſa repelleret negligentiæ notam. Iam Cyanem à culpa aggreditur liberare. Noſtis hanc eſſe, de qua nominatim conqueſta fuerat Ceres: ideò & nominatim eiuſdem hic fidem, & ex fide infortunium, narrat Electra, vt Cereri ſatisfaciat. Sed de Cyane vide locum cit. lib. 2., & dicta pariter in antecedentibus §. *Quo Cyane*: nam ea ipſa eſt, de qua hic Electra ait inuentam fuiſſe.

EXANIMEM. Semimortuam, &, mortuæ adinſtar, languentem, ac ſenſibus deſtitutam, ob terrorem ſcilicet, & contractum ex curru, cui propiùs adſliterat, venenum.

CERVIX REDIMITA &c. Breuis, ſed pathetica admodum languentis Nymphæ hippotipoſis. Ceruix quid ſit, & quomodo pro toto ponatur capite, videas lib. pri. carm. 156. Porrò collectos flores in coronas complicatos fuiſſe à legentibus Nymphis, dixerat lib. 2., ideò hic & Cyane *redimita* deſcribitur, hoc eſt *coronata*. In quo ſenſu & Virg., Georg. pri., ſacra Cereri facientes coronari, iubens, contorta quercu, ſic ait . . . . . . *Neque ante*

Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Sed non ad id tantùm reſpexit Vates, cum hic redimitam Cyanem deſcripſit. Memineris, Cyanem, vt lib. 2. dix. oraculi monitu, Patrem ſuum, ac ſe ipſam, Sacerdotis munere functa, Patriæ ſaluti ſacrificaſſe: ideò igitur redimiculo inſignita deſcribitur, quod ornamentum fuit, ea Mitra Sacerdotali dependens; præterquam quod redimiculum fuerat etiam muliebris Mitræ ornamentum; atq; adeò, his omnibus attentis, à redimiculis dicitur *redimita*. Adde, in more poſitum fuiſſe, vt victimæ, ſacris dicandæ aris, floribus coronarentur; Cyane, victima dolori, ob amiſſam Proſerpinam, ſeù potiùs Proſerpinæ ipſi deperditæ ſacrata, dum cadit, iure redimita in mortem deſignatur.

IACEBAT. Hoc eodem actu Lesbinum morientem habet Torquatus Hieroſ. lib. Cantu 9. *Languer tremante*
Gl' occhi, e cader sù 'l tergo il collo mira &c.

deiectum itaque in humeros Nymphę caput hic dicitur; atq; ideò, ſedentem, fractis, lapſiſq; genibus, conſtitui hic Nympham, arbitror, mærore, ac veneno oppreſſam adeò, vt, ne caput quidem erectum ſuſtinere, valuerit, iam ſimilis collabenti. Niſi malis, cum Parrhaſ., dicere, proſtratam humi toto corpore Nympham inuentam eſſe, & *caput iacens* pro toto corpore poſitum fuiſſe, quod non abnuo.

ET CORONÆ CALIGANTES MARCEBANT FRONTE. Plurali numero vtitur pro ſing. per Synecd. loquens de corona illa, quam diximus floribus contextam, capitiq; impoſitam: & *caligantes* dixit; hoc eſt Marcoris caliginem contrahentes, naturali ſucco, vigore, ac colore deperditis. Verbum *Marcere* notiſſimæ ſignificationis eſt; & frons quid ſit, ſæpe dix., & quomodo accipiatur ex contextu hic patet. Tantùm nota emphatica hic poſitam particulam *fronte*; nam cum aqueis humoribus alantur, vegetent, ac vigeant flores, prodigioſum videri potuit, quod Cyanes in fronte (quæ videlicet aquarum Nympha eſſet) langueſcentes marceſſerent.

AGGREDIMVR SVBITO. Notat amantem ſolertiam, quæ ſtatim arripuerit occaſionem de Hera ſciſcitandi. De ſignificatione autem verbi vide in antea ctis carm. 179. Nota tamen, aſſumptum hic eſſe in latiori ſignificatione; ideſt prout tantum ſignificat *gradimur ad*, hoc eſt ad Cyanem: eamq; occupamus *ſubitò*. *Subito*: legit Heinſ., quod non improbo. Vtcumq; enim legas, moras omnes amputatas notat, & anxium perquirendi indicat animum.

CASVS SCITAMVR HERILES. Inemendatè legunt alij: *caſuſq; ſcitamur heriles*; nam prima in *ſcitamur* corripienda non eſt, vt benè notat Clauer.; ni dicere velles, poſitum *ſcitamur* pro *ſciſcitamur* per Aphereſim, quod non eſt dicendum, quia verbum *ſcitor* habetur de facto, à *ſciſcitor* diſtinctum; & ſignificat idem, quod *inueſtigo*, & *quæ occulta magis, ac ſecretiora ſunt interrogo, exquiro*. Sic Virg. hoc eodem verbo vſum nouimus Æn. 2.

Suſpenſi Eurypylum ſcitatum Numina Phœbi
Mittimus &c.

Et caſus ſcitamur &c. legit Heinſius: Sed & grauior eſt per aſſintheton locutio, & magis ſolertiam, atq; anxietatem animi imitatur. *Caſus* autem, inquit, hoc eſt, *Fortunas, euentus, ſortes, calamitates*. In quo ſenſu Virg. Æn. 2.

Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros &c.

Heriles ab Hera dixit; hoc eſt, ad Heram pertinentes. Sic idem nomen ab Hero deduxit Virg. Æn. 7. vbi de ceruo Aſcanij telis perempto, ait:

Ille manum patiens, menſæq; aſſuetus herili.

& Æn. 8.

Procedunt greſſumq; canes comitantur herilem.

Hic pro eodem ſumitur, ac *quæ heræ obuenerint*.

NAM PROPIOR STETERAT CLADI. Hac breui interpoſitione, per parentheſ. poſita, rationem reddit, cur ab ea inquirendum fuiſſe cenſuiſſent: atq;, eodem tempore, fidiſſimam Proſerpinæ Cyanem fuiſſe, oſtendit, quæ, cæteris longe digreſſis, & hàc, illùcq; vagantibus, ſemper ipſa lateri, vt ita dicam, adhæſerit, cum non longiùs, quam in Deas obſequium cogeret, abſceſſiſſet. *Nam* itaque particula cauſatiua eſt, rationem reddens &c. *Steterat propior*. Præſtantiam animi hoc verbum explicat, interritam periculo, obfirmatam fide, ac morti ipſi non cedentem, vt herilibus veſtigijs inhæreret; & *propior* inhæreret, ideſt in maxima omnium vicinitate, comparatiuè ad Nymphas tamen cæteras, non abſolutè ita, vt nil mediaret inter Cyanem, & Proſerpinam: nam Deæ certè propiores fuere: ex vicinitate autem maiori maior emicat fides aſſociantis, quæ, vel in aduerſis, ſteterit, nec fugam vt aliæ arripuerit: atq; ex hoc ipſo ſequitur clarior expectata rerum notitia. Per cladem verò exitium non Proſerpinæ ſolum, ſed & Nymphæ ipſius intelligit; nam currus Proſerpinam abuexit; hanc verò exanimem reliquit; & mox in latices ſolutam, vt videbimus. Porrò hanc vicinitatem Nymphæ attribuit Auctor innixus Hiſtoriæ: nam Cyane fons dicitur eſſe Proſerpinæ ſacer iuxta Syracuſas, teſte Diodoro, & iuxta quem raptam fuiſſe Proſerpinam, docet Cic.

QVIS VVLTVS EQVORVM? QVIS REGAT. Hæc ſunt præcipuè, de quibus Cyane ab Electra, cæteriſq; comitibus, interrogetur. *Vultus*, hic, translatè ponitur, pro *ſpecie, lineamentis, atq; aſpectu* equini capitis, ſeù ipſorum equorum, parte pro toto poſita, per Synecd.; nam *vultus* propriè loquendo ſolius hominis eſt, vt Cic. docet. De quibus autem loquatur equis, patet ex dictis, nempè raptoris currum trahentibus. Quæritur autem qui nam fuerint equi, vt, ſi nec ipſa Aurigam nouiſſet, ſaltem ex equorum indicijs deprehendi poſſet, quis Ductor fuerit: ſed quia hoc vltimum potiùs expetebatur, ideò creſcens oratio quæritat, *quis regat?* nam ex qualitate regentis currum, quid de Proſerpina factum fuerit, poterant ſubindè coniectari.

ILLA NIHIL. Oſtendit, Cyanem altè adeò, vel dolore, vel concepta tabe offenſam, vt, morti proxima, vſum vocis amiſerit, vt morientis eſt. Ideò *illa* pronomen Cyanes demonſtratiuum; *nihil*. Subaudi *reſpondet moriens*.

SED LAPSA TACITO VENENO &c. *Sed* coniunctio aduerſatiua eſt, qua oſtenditur quomodo ex aduerſo, loco percipiendi auribus reſponſionem, oculis coactæ fuerint eius videre reſolutionem. *Laſa*, non *lapſa*: legit Heinſius ex Aldo, & ſcriptis, vt ille ait, quamplurimis. Lectionem non improbo: ſed neq; hic recedendum arbitror à vulgata, quam & Barth. ſequitur, & Parrhaſ., ratio eſt, quia vocabulum illud *lapſa* magis indicat naturam veneni, ſeù peſtis Cyanem abſumentis. Nota eſt, arbitror, proprietas illius veneni, quod paruulus ſerpens, Lepſis nomine, exibrat in vulnus; ea enim peſtilens adeò eſt, vt læſam partem illicò in tabem diſſoluat, ac ſubinde, totum peruadens corpus, in ſaniem vertit, ita vt vndiq; ſanie ſcatens dilabatur, & corruat. Sic itaque venenum, à Cyane conceptum, eamdem, quia in ſaniem, obſtante diuinitate, non poterat, ſoluebat in latices: ideò *lapſa*, ideſt *reſoluta*, ac deficiens; nam *labor* pro eodem ſumitur, ac deficio; vt apud Virg. Georg. 3.

Labitur infelix, ſtudiorum, atq; immemor herbæ
Victor equus, fonteſq; auertitur, & pede terram
Crebra ferit; demiſſæ aures, incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus; aret &c.

Tacito autem, dixit, *veneno*; hoc eſt, inteſtina, & quam medullitus hauſerat peſte taciturnitatem inducente; atq; miſeram in confinijs iam mortis ſtatuente; nam ex antecedenti conſequens emanat: &, quod effectui debetur, cauſæ attribuitur, per metonym.

SOLVITVR IN LATICEM. En transmutationem Nymphæ in fontem, quam Ouid. Metam. 5. ex vi doloris

 pro-

prouenisse aſſeruit, vt lib. 2. vidimus; Auctor verò noſter contractæ attribuit peſti. *Soluuntur* pro *diſſoluuntur*, per aphereſim: hoc eſt, ex ſolida ſubſtantia funditur in liquidam, reſolutis, quibus conſtabat, compagibus. *In latices*, idest *in vndas*: *Latex* enim quiuis humor dicitur, & pro aquis expreſſè ponitur à Virg. Aen. 4. vbi ait:

Sparſerat & Latices ſimulatos fontis Auerni.

in quo tamen nota Vatis artificium, qui hic morem, in quem Cyane reſoluta defluxit, noluit abſolutè *vndam*, vel *aquam* appellare; ſed *Laticem*; quaſi non poſſet abſolutè dici *aqua*, quæ nil aliud eſſet, quam Nymphæ liquatum corpus, & conſequenter non purum, vt aqua, elementum.

SVBREPSIT CRINIBVS HVMOR. Deſcribit hic modum, quo paulatim, in fontem conuerſa, effluxerit Cyane. Et hyppotipoſis eſt: primò enim crines, ſubindè brachia, ac denique pedes, conſequenter totum corpus, in vndas abiſſe recenſet. Ab humo, *humor* dicitur *aqua*, eo, quod aquæ terris incluſæ ſerantur. Ideò *humor*; hoc eſt aqueus humor, ſeù liquor aquarum inſtar *ſubrepſit*. *Subrepit*: legit Heinſius; nec fortaſſis immeritò; nam, cum hyppotipoſis rem oculis ſubijciat, congruum videtur, vt præſenti vtatur, non præterito; ſicuti hoc ſeruatum ab Auctore noſtro cernimus in ſubſequentibus. Si tamen vulgatam tueri velis, dixeris, præterito vſam Electram, vt oſtenderet, ſe non animaduertiſſe, dum initio ſubreperet humor, quippe qui dicto citiùs emanauerit; ſed ſolum animaduertiſſe, cum iam ſubrepſiſſet; quod ſubindè in cauſa fuerit, vt ſequentia, in ipſo fieri, animaduerteret; ideò, de crinium humore, tamquam de præterito, de cæteris verò, tamquam de præſentibus, & in fieri locutam. Porrò verbum *ſubrepere*, ſi cum tertio, vt hic, caſu conſtruatur, videtur idem eſſe, ac *ſe ſe inſinuare*. Dum itaque inquit: *Subrepſit crinibus humor*, ex quibus ſubindè guttatim defluens, conuerſos eos in fontem indicauerit; idem eſt ac ſi dixiſſet: *ſe ſe inſinuauit in crines humor*, vt indicetur caput primo in fontem conuerſum. Quid *crines* ſint, ſatis conſtat: vnde dicti, alibi vidimus; quarè prætereo hoc. Magis tamen prætereuehitur Parrhaſius; nam eius lectio, in codice, penes me, totum omittit carmen

Soluuntur in Laticem. Subrepſit crinibus humor,

& legit. . . . *Tactu ſed lapſa veneno. Liquitur &c.* quam benè viderit ipſe. Certè Heinſ., Barth., Clauer., Raphelen., & alij communiter, nobiſcum legunt; nec carmen negligunt. Sed fortaſſis errorem librariorum, non Parrhaſij fuiſſe, dicendum eſt.

LIQVITVR &c. Tertiæ coniugationis hoc verbum eſt; idem, ac *liqueſt*, ſeù liqueſcit. Refertur autem hoc verbum ad totam Cyanem: & congrue hic ponitur; nam, ſicuti ex dolore capitis languor in totum corpus diffunditur iuxta illud: *Quando caput languet, cætera membra dolent*: ſic, capite in fontem verſo, quid expectes, niſi vt totum in vndas abeat corpus? Vſus eſt hoc eodem verbo, in ſimili Lucanus lib. 9.

. . . . *Demerum quoque manſerunt omnis*
Liquitur, & nigrâ diſtillant inguina tabe.

IN ROREMQ; PEDES, ET BRACHIA MANANT. Ex toto corpore liqueſcente, quænam priùs partes in vndas degenerauerint, exponit; atq; eas primo loco recenſet, quæ ad reſolutionem videntur faciliores, nempè pedes, & brachia, Ouid. ſecutus, qui Metam. 6., de eadem Cyane cecinit:

. . . . . . *Molire membra videres;*
Oſſa pati flexus, vngues poſuiſſe vigorem:
Primaq; de tota, tenuiſſima quæq; liqueſcunt:
Cærulei crines, digitiq; & crura, pedeſque;
Nam breuis in gelidas membris exilibus vndas
Tranſitus eſt: poſt hæc humeri, tergumq; latuſq;
Pectoraq; in tenues abeunt euaneſcere riuos.

ſequitur & morientium naturam, quorum ſemper extremæ partes gelu mortis vincuntur primæ. Per polyſintheton, *& pedes, & brachia* coniungit, vt oſtendat, ea ſimul, & eodem tempore, fluxiſſe. Quænam autem hæ partes in corpore ſint, ſatis conſtat. *Manare* eſt *fundi*, ac *fluere*: & propriè dicitur de aliquo, quod ex integro, ſed non ſatis ſolido, in minutiſſimas diſtillat partes. Verbum vtiq; tractum ex Græcis, qui μαινεῖν νανῦν appellant. Ex quo vides, quam benè ſeruet Vates obſeruationem, quam nos afferebamus ad verba *ſoluuntur in laticem*. *In rorem* autem dixit, vt in guttas ſolui, & guttatim reſolui, indicaret, ad modum cadentis roris; quæ guttæ, in vnum coeuntes fontem constituerint.

ET MOX PERSPICVVS FONS. Conſequentia cum antecedentibus aptè nectit copulatiuè; quamuis particula *Et* aduerb. hoc loco ordinantis ſit. *Mox* aduerb. eſt temporis, vt ſæpè vidimus, idem, ac ſtatim &c. *Perſpicuus fons*, hoc eſt, tota ipſa Cyane, in fontem perſpicuum verſa, ac limpidiſſimum decurrens in riuum.

LAMBIT VESTIGIA NOSTRA. Ad pedes prouoluitur noſtros, & quaſi veniam impetratura, eo, quod, licet inuita, interrogationes fruſtrata fuiſſet noſtras, oſculari veſtigia conabatur. Vide, quam pathetice infœlicem deſcribat transformationem. Nam *lambere* proprium fidiſſimi canis eſt, atq; ad Cyanem in riuum conuerſam transfertur, quæ, quaſi non adhùc oblita fidelitatis ſuæ, cum Proſerpinæ non poſſet, pedes ſeruarum ſaltem ſuarum adhùc lingere conaretur. Cum quo ſtat & ratio verbi *lambere*, quatenùs pro *alluere* interdù ponitur, vt apud Hor. lib. carm. 1. od. 23.

Siuè per ſyrtes iter æſtuoſas,
Siuè facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Veſtigia autem ea ſunt ſigna, quæ impreſſis arenæ pedibus efformantur. Sed hìc pro ipſa planta pedum vſurpantur. Nota autem, quam aptè lapſum decurrentis exprimat aquæ, ipſo etiam carminis metro in monoſillabum deſinentis.

DISCEDVNT ALIAE &c. Quid comites, his viſis, fecerint Nymphæ, breuibus abſoluit, vt reſpondeat interrogationi ſuprapoſitæ: *Quo mille miniſtræ?* Et quia eas diffugiſſe iam dixerat Vates: *Diffugiunt Nymphæ*, intelligendus eſt Electræ ſermo de paucis illis, quæ ſecum, à clade remotiores adfuerant, & quæ ſecum Proſerpinam ſubindè quæritarent; nam quæ antea diffugerant, certe poſt cladem diſcedere non potuerunt. Ideò *aliæ*: ſubintellige *comites, quæ mecum erant, diſcedunt*. Infœlix dominorum conditio, quorum in obſequium, ſecundis rebus, accurrentes ſeruorum cateruæ, ſi in aduerſam inciderint fortunam, retrocedunt omnes, atq; in rem quiſq; abiens ſuam, vix dominorum calamitates recordantur! *Diſcedunt aliæ*: nec quo ierint memorat, nam ad ſua diuertiſſe ex facto ipſo ſatis conſtat. Sed hæc dicta iuxta mentem, & interpunctionem Parrhaſij, atq; Heinſij, qui legunt, interpoſito puncto, ſic: *Diſcedunt aliæ. Rapidis Acheloides alis &c.* Si verò legendum, vt in codice, penes me, ſine interpunctione vlla.

Diſcedunt aliæ rapidis Acheloides alis &c.

tunc ſenſus erit: *Acheloides, factæ iam aliæ, diſcedunt &c.* *Aliæ*; hoc eſt à ſe ipſis aliæ; nam tunc dicitur aliquid fieri *aliud*, cum eius natura, quo ad eſſentiam, immutatur, ſicuti *fieri alterum* eſt quo ad accidentia, immutari. *Aliæ* itaque dicuntur factæ Syrenes, quia, priùs ad delectandum natæ, iam ad ſtragem crudeliter peragendam conformatæ: Item *aliæ*, ſi per Syrenas intelligamus cæleſtes illas, de quibus ſupra; nam, quæ proſpera concinnauerant omnia, iam omnia deſerunt luctibus euerſa; & à Proſerpina iam perdita in alios transferunt crudelitatis ſuæ experimentum. Quod ſi interrogationi, de Nymphis habitæ, hoc pacto non reſpondeat, habetur reſponſio implicita in verbis *Sola domi in illa &c.*, de quibus infra; nam ſi ſola remanſit, certè reliquæ omnes fugam arripuerint, neceſſe eſt.

ACHELOIDES. Reſpondet itaque inſtantiæ de Syrenibus factæ; nam Acheloides dicuntur Syrenes, patronimicò nomine, ab Acheloo, earum genitore deducto, vt in anteactis vidimus; & quid etiam de his factum ſit, breuiter exponit.

SVBLATÆ RAPIDIS ALIS. *Sublatæ*: hoc eſt, in altum euectæ, ac de medijs illis aruis abſtractæ, celeri volatu, nam id ſignificat *rapidis alis*; poſita pro effectu cauſa, ſeù inſtrumento volatus. Remanet hic diſcutiendum, num Syrenes à partu alatæ fuerint, an verò, poſt raptam tantummodo Proſerpinam, alas ſumpſerint; quod, in anteactis, propoſitum hunc in locum diſtulimus tractandum. Ouid. Metam. 5., eas alis ditatas, fabulatus eſt, tantùm poſt Raptam Proſerpinam, immò & aliquo, poſt raptam, tempore: ait enim Syrenes, fidiſſimas raptæ Socias, eam totis terris quæritaſſe, quam cum nullibi inueniſſent, à Ioue impetraſſe, vt remigium eis excreſceret alarum, quo maria omnia, ac vaſtam aeris peruelligarent regionem, ſiqua via daretur inueniendi, quam deperibant: ſic enim Ouid. ibi:

. . . . *Vobis Acheloides vnde*
Pluma, pedeſq; auium, cum Virginis ora geratis?
An, quia, cum legeret vernos Proſerpina flores
In comitum numero mixtæ Syrenes eratis?
Quam poſtquam toto fruſtra quæſiſtis in orbe,
Protinus, vt veſtram ſentirent æquora curam,
Poſſe, ſuper fluctus alarum inſiſtere remis,

Oppoſtis; facileſq; Deos habuiſtis & artus
Vidiſtis veſtros ſubitò flaueſcere pennis;
Ne tamen ille canor, mulcendas natus ad aures,
Tantaq; dos oris linguæ deperderet vſum,
Virginei vultus, & vox humana remanſit.

Crobylus verò, lib. pri., quem citat Mythol. Nat. Com. lib. 7. cap. 13.; Stephanus, & Lycophronis interpres, apud Parthaſ. hic, aſſerunt. Syrenes ab ortu ipſas ſuo alatas fuiſſe: ſed factum tandem, vt, cantus peritia elatæ, muſas ipſas in certamen auſæ fuerint prouocare; hiſq; ſuperatis, Muſas, remigio alarum euulſo, earum plumas capitibus aptaſſe ſuis in coronam; atq;, ad perpetuam rei memoriam, Cretæ Ciuitatem, iuxta quam hoc euenerit, *Apteram* fuiſſe nominatam: nam *ἄπτερος* Græcis, *Implumis* Latinis eſt. Ab Ouidio autem receſſiſſe, & poſtremam hanc opinionem ſecutum eſſe Auctorem noſtrum, ſatis patet; nam, & in anteactis, Ceres Syrenas *volucres* appellauit, conſequenter, ante raptum alatas nouerat: & nunc ſtatim euolaſſe dicuntur; quarè certum eſt, Vatem cum Crobylo, alijſq. ſenſiſſe; & forſan etiam, ad hiſtoricam reſpiciens veritatem, hæc ſenſit; nam ferunt, Aues quaſdam in India eſſe Syrenas appellatas, cantu hominem mulcentes, vt ſomno ſubindè grauatum lacerent. Adde, quod aliqui Syrenas, putant, de genere Harpyarum fuiſſe, conſequenter a partu alatas, cum monſtra ex auium fuerint ſpecie. Eas autem euolaſſe, dicit Electra, rapidis alis, non quod timor alas addiderit; ſed, quod, indignationibus percitæ, ad vindictam properarent, vt infra.

OBSEDERE LATVS PELORI SICVLI. Notat terminum ad quem perrexerint, & in quo ſtationem poſuerint, ruinas vndiq; excitaturæ, vt Diuæ ſuæ, occiſorum ſanguine, litarent, nauigantibus nimibus infeſtæ: ideò enim *obſidêre*, hoc eſt, maria hoſtili obſidione prementes occupauere, *Latus Pelori*. Ea pars corporis, quæ infra alam, in auibus, eſt, *latus* dicitur; per translationem autem, ſignificat hic accliuum montis inferiorem, vulgò *la coſta del monte*. Pelori verò notitia tradita eſt fusè lib. pri. carm. 151. Sed addidit hic *Siculi*, ad diſtinctionem alterius Pelori, qui ſcilicet locus eſt in Paleſtina, qui aliquibus *Pelorus* dicitur, licet, ab Vrbe Peloria, *Pelorius* dicendus fuerit. Hic autem ſequitur Vates Eraſtotenis auctoritatem; qui Syrenarum ſtationem ad Pelorum ſtatuit, Siciliæ Promontorium; quamuis Pompon. Mela, & Strabo, in ſinu Poſſidoniate, ad amnem Silarim, collocauerint.

ACCENSÆQ: MALO &c. Hinc patet, cur Pelorum obſederint: quia ſcilicet, indignè ferentes acceptam cladem, in ſtrages præternauigantium eſſent euigilaturæ. Ideò *Accenſa malo*. Alibi diximus, Iram eſſe ſanguinis ebullitionem circa cor, Ideòq; iram Incendio æquiparari, quod incendium, quia ortum habuit, & fomitem ab accepta cladè, ideò *accenſa*, & *accenſa malo*, poſito nomine generico, pro ſpecifico, nempè pro violentia, quam paſſa fuerat, dum raperetur, Proſerpina.

VERTERE &c. Inſinuat hic Vates Syrenes olim inſontes fuiſſe, nullamq; plectris ſuis fraudem mortalium generi concinnaſſe, dum ſcilicet Proſerpina manſit incolumis, dum eius fuerint comites; ſed iacturæ ipſius dolore crudelitatem aſſumpſiſſe. Itaque, hac occaſione *vertêre*, hoc eſt tranſformauêre.

IAM NON IMPVNE. Non ſine effectu deplorabili. Partic[illegible] aduerb. temporis, hoc loco eſt, idem ſonans, ac *nunc* [illegible], ſeù *nunc temporis*. Et idem eſt *non impunè*, ac *non fruſtra*; in quo ſenſu, hoc eodem aduerbio vſum, nouimus, etiam Iuuenal. Sat. 1., vbi ait:

Impunè ergo mihi recitauerit ille togatas?

quarè, à primo ad vltimum, *non ſine effectu* dicuntur, vertiſſe.

LYRAS CANORAS IN PESTEM. Lyrâ canere ſolitas Syrenes, iam vidimus: & quid Lyra ſit, inſtrumentum videlicet muſicum &c., de quo alibi, iam nouimus: quæue & *canora* dicitur, per translationem, nam propriè ſonora. Dicuntur autem Lyras *in peſtem* vertiſſe, quia, quod fuerat inſtrumentum voluptatis, verterunt in inſtrumentum mortis, dum quotquot cantu alliciebant, conſopiebántq;, miſerabiliter lacerabant, vt iam alibi dictum. Quare Camerarius concinenti ad Lyram Syreni, pro epigraphe, inſcripſit: *Mortem dabit ipſa voluptas*. Quamobrem & Cerchiarius, Neronem Cythara canentem Syrenibus aſſimilans, ait:

Incipit ambroſiam iucundo è gutture vocem
Mittere, & arguta pleſtro fila ciebit!
Turba tacet defixa oculis. qui negliget aures
Porrigere, hunc vitam ſurripiet enſe Nero.

Dulcia Syrenum modulatur carmina Cæſar
Namq; homines, poſtquam concinit, illa vorat.

Verterunt itaque lyras in peſtem; ideſt in nauigantium perniciem, exitiumq:; nomen enim peſtis, etſi propriè ſignificet morbum contagioſum, ex infectione aeris, vt plurimum, initia ducentem, per translationem tamen, & excidium, & ruinam ſignificat; quarè & perditi ciues *Peſtes Reipublicæ* appellantur ab eruditiſſimo Rom. Eloquentiæ Principe.

VOX BLANDA ALLIGAT CARINAS. Deſcribit modum, quo nauigantes detineant, vt perimant: cantu videlicet adblandiente. Ideò *vox blanda*, hoc eſt *beneplacens*, quippè ad numerum concinnata, ſuauiter inflexa, ac iucundiſſime ſonora, dum præcipue ea, vt alibi vidimus, canebat, quæ vniuſcuiuſq: genio magis conſona eſſent; *blandaque* ideò, quia *adblandiens* adulationum magiſtra, ac melleis inſtructa modulis. *Alligare* propriè eſt *ad aliquid*, quaſi ad palum, *ligare*. Sic antiquitus Iudices de morte plectendis imperantes dicebant: *I lictor alliga ad palum; ſecurem expedi &c.* Aptè itaque & Vates *alligat*: inquit; quaſi *ad ſe ipſam ligat morituros*, qui prætereuehuntur, nauigantes; *carinas* enim dixit, vt ex parte totam intelligeremus nauem, ex naui verò continente nautas contentos &c. nam *carina* infima ea pars nauis eſt, quæ illi, quaſi pro fundamento, eſt, cui tota nauis innititur machina. Alludit autem, hoc loco, Vates ad portentoſam prorsùs Echeneidis vim, vulgò *la Remora*, de qua Plinius lib. 32. hæc habet: *Quid violentius mari, ventiſue, & turbinibus, & procellis? Quo maiore hominum ingenio, in vlla ſui parte, adiuta natura eſt, quam velis, remiſq;? Et tamen hæc omnia, pariterq; eodem impellentia, vnus, ac paruus admodum, piſciculus, Echeneis appellatus, in ſe tenet. Ruant venti licet, & ſæuiant procellæ, imperat furori, viréſq; tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia &c.* Hoc autem efficit piſciculus ille, nullo prorsùs negotio; ſufficit enim ſi carinis adhæreat, vt idem Auctor refert. Quod & explicans eruditè Guido Vannius, lib. pri. de arte amandi Deum, ſic ait:

Aſpice, prægrandi, remoram, non corpore, nomen,
Velivolas puppes, quod remoretur, habet,
Brachia ventorum contra luctantur, & artus;
Illa hæret: Nauis ſtat remorata ſalo.

Idemq; ingenioſè applicans voluptati, cecinit Vates alter.

Vt Remora ingentem potis eſt retinere carinam,
Hæc licet optato nauiget vſq; Noto;
Ingenijs obſtat ſic, magnis parua voluptas &c.

En illa voluptas mortem afferens, quam modò, Syrenum vocibus inſitam, contemplabamur, quæue placet, ac perimit, atq;, vt perimat, carinas alligat &c.

REMI FRÆNANTVR AVDITO CARMINE. Non quidem remi, ſed remiges immoti remanent, nec remos impellunt. Verùm *remi*, inquit, vt, ex immobilitate inſtrumenti, ceſſantem à motu cauſam agnoſceremus principalem. Et *frænantur*, dixit metaphora ex equeſtri arte, ab animato ad inanimatum ducta; nam frænari propriè dicuntur equi, dum, fræno attracto, a curſu detinentur: ſic, quia remi redduntur immobiles, frænari dicuntur, *audito carmine*. Non audiunt Remi, ſed Remiges; ideò hæc additio roborat explicationem à nobis ſupra traditam, quæ & hic locum habet. Quodnam autem iſtud eſſet carmen, ſatis conſtat ex dictis. Hæc infortunia ſubindè ne paterentur Argonautæ, vt ſcripſit Herodotus, Comitem nauigationis Orpheum ſumpſerunt, qui remigum mentes a Syrenum cantu ad cantus auerteret ſuos: quod & fœliciter geſtum. Sugillat tacitè, hoc loco Auctorem Barthius, dum ait: *Mira autem res eſt, vnde Anus iſta hanc vindictam, & morem reſciuerit.* Sed numquid Pelorus longè à Sicilia eſt, vt Sicula anus hæc noſcere non poſſit? An, tunc temporis, bonit Barth., nullam in eo mari rateam extitiſſe, in quam exercere vindictam, Syrenes inciperent, vt poſſit ipſe aſſerere, mirum adeò eſſe, quod Electra Siciliam incolens hæc reſcire non potuerit? Adde, quod, vt ſcripſit Archippus, lib. 5. de piſcibus, apud Mythol. Nat. Com. lib. 7. cap. 13., loca quædam marina, in anguſtias quaſdam præruptorum montium contracta fuerunt, in quas illiſi fluctus ſonum, cum ſuauitate, & harmonia, emittentes, allicerent nauigantes ad videndum; quo cum appuliſſent, vndarum impetu delati, abſorbebantur, vnde datus ſit fabulæ locus, Syrenas adſtruendi. Memineris autem, ſub Peloro Carybdim fuiſſe, vt fusè lib. pri. docuimus, nauium ſcilicet peſtem, exitiumq. Cur igitur, & inter anguſtias prærupti montis, ſonitum lyræ ſimilem non habuerit, modo dicto? Cur ad id reſpiciens Electra Syrenas illùc tranſmigraſſe, vindictas exercentes, dicere non potuerit? Sed dices: quod-

Nam

nam genus vindictæ eſt in homines deſæuire, cùm Pluto reus criminis fuerit? Primò quidem interrogo, num vnquam audieris, quod apud Italos axioma circumfertur: *che non può batter il cauallo, batte la ſella?* Si itaque ſupponas, notum Syrenibus fuiſſe, raptum à Plutone perpetratum, cum in ipſum non poſſent concentum explere furorem, in eos, quorum originem Plutoni attribuit Lacheſis lib. pri. dum ait:

Quæ vitam leto que regis; nam, quidquid vbique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi; certiſque ambagibus æui
Rurſus corporeos animæ mittuntur in artus &c.

rabiem exercere non detrectant, licet, eximiæ hoc crudelitatis eſſe, non abnuerim. Sed ſi, eas ignoraſſe, dicas (vt dicendum arbitror) raptam à Plutone fuiſſe Proſerpinam: raptam tamen ſciebant, & ſuſpicari profectò poterant ab Apolline raptam, vel eius ab alijs iuſſu: & quia arbitrabantur, non niſi nauigio abuehi ab Inſula potuiſſe, in nauigantes omnes deſæuiebant, ſi fortè communi omnium ruinâ fontes aliquando tandem opprimerentur. Sed ad Electram, obſecro, regrediamur.

SOLA RELINQVOR DOMI. Deſerta concludit in Aulâ ſe ſolam ſupereſſe, luctum in mortem vſque productura. *Sola*; hoc eſt ſine comitum, quæ omnes abierant, cætu: & iterum *Sola*, ideſt ſolitaria, deſerta, & graui obſita lectu, tamquam terra inuia, deſerta, & horrens: nam hoc ipſum ſonat nomen *ſolus* apud Virg. Georg. 3.

Heù malè tum Lybia ſolis erratur in agris.

Relinquor; *deſeror, deſtituor*, vt proprium calamitoſi eſt, quem nemo audeat accedere, ne eadem inuoluatur calamitate. Domi, de qua lib. pri., & in qua, mox ſupra, florebat fœlicitas, nunc dolor vndique, mæror, & calamitas triumphat: Emphatice dictum: nam ex loco, vbi charos amplecti ſoliti fuerimus, augetur dolor, cum iiſdem vacuum luſtramus.

TRACTVRA SENIVM LVCTV. Rectè: nam trahere vitam dicitur ille, cui vita ipſa grauis eſt; & grauem ſibi eſſe, amiſsâ alumnâ, ſedula Nutrix, hoc verbo proteſtatur. Senium autem vltima, & deterior, vitæ ætas eſt, quam ſibi trahendam Electra notat *Luctu*; ad mortem vſque. Sic concludit, Proſerpinam inter mortuos translatam. nam *luctus*, vt alibi dix., eſt in funere chariſſimorum pignorum eiulatio. Sed, finem narrationis ſuæ imponente Electra, Nos, quæ ad mores ſpectent, perlegere, incipiamus.

SED POSTQVAM &c. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris: exclamabat iure merito Regius ad Deum Pſaltes. Primo ætatis noſtræ initio, iucundum videtur floribus laſciuire, inter Mundi videlicet illecebras detineri; dulce venereis acquieſcere blanditijs; ſuauè, eiuſdem ductu, florea per rura hilariter diuagari. Ideò monita cuſtodientis ſpernimus intelligentiæ; rationis dictaminibus aures claudimus, ne verba ſapienter incantantium audiamus. & Diuina, humanaque, iura proculcare non perhorreſcimus, ac, miſeri, inſipientes ſumus, gaudentes malis noſtris. Spatiamur in hortis huius mundi, floridas inter ſæculi voluptates, à paterna domo aberrantes, & ignoramus perditionis periculum, cui obuiam, citato, pergimus greſſu. Nunquam nobis perituri videmur: & tamen in lubrico verſamur adeò, vt ſæpè, nondum mane primæ ætatis peracto, currus, & Auriga mortis, ſeù mors ipſa, falcatum agens currum, nos demetat, & rapiat. Tunc Nox alta rapit Cælum, quia peccatorum noſtrorum tenebræ nobis Cælum eripiunt: tunc tota corporis noſtri tellus, vera in Oceani tempeſtatibus fluctuans Inſula, contremiſcit, inferno properante ad prædam Raptore: tunc deficiunt riui, quorum aquæ vſque ad animam intrauerant noſtram, cum iniquitatem bibebamus ſicut aquam: Tunc ſpes noſtra, viridantibus in herbis repreſentata, langueſcit: tunc emoritur omne deſideriorum germen, raptoris afflatu corruptum: tunc pallent Liguſtra Innocentiæ, quam turpiter lacerauimus: tunc roſæ deliciarum Mundi expirant: tunc lilia mundanæ decreſcunt ſuperbiæ; præterit enim figura huius Mundi; & qui duxerant in bonis dies ſuos, iam in puncto ad inferna deſcendunt. Lugent propinqui, lugent remotiores amici: quæritur quid de Proſerpina actum ſit; at nemo poteſt, quo ducta fuerit, recenſere. Faceſſunt amici, auolant Adulatores; & ſolus domi, nempè etiam in Patria, ſi tantum liceret, mærens Angelus Cuſtos luctui indulget, eo, quod incaſſum, nos à periculis, conatus fuerit, reuocare. Sed reuocemus & nos ad luctuoſum ſtylum cataſtrophem; cumque Italicis iam Muſis proſequamur.

Mà poi, ch'il Sole, in più viuaci ardori,
S'alzò dal cerchio horizontal ſublime;
Ecco d'inuidia notte i ciechi horrori
Stringon del Mondo, e l'altre parti, e l'imee
Calpeſtìo di caualli, aſpri ſtridori
Romban di ruote; ond'il terror s'imprime;
Sì che l'Iſola tutta, egra tremante,
Sembra fatta nel mar Ciclade errante.
Qual, del cocchio funeſto empio cocchiero,
Guidaſſe i freni; occhio non fù, fra tanti,
Ch'il buio penetrar, ritrarne il vero
Poteſſe, ancor ch'vn Lince eſſer ſi vanti.
Mà certo ò fù di morte ei condottiero
Peſtifero vapor, feccia d'Amſanti;
O fù la Morte ſteſſa al mieter pronta
Ciò, ch'è del ferro ſuo ſoggetto all'onta.
Cadde languente infracidita ogn'herba,
Al tocco ſol della forriera arſura:
Pianta i riui n'haurian la ſorte acerba;
Mà lo ſteſſo vapor l'onde gli fura:
Del decoro primier nulla più ſerba
Squallido il prato, alla mortal ſciagura:
Nulla v'è, che non pera, anche da lunge,
Se de gl'haliti infetti vn fiato il giunge.
Del liguſtro i candori irne sfregiati,
Perſo il vago del fior, perſi gl'odori,
Viddi in vn punto; e, gl'oſtri ſuoi sfiorati,
Veſtir di morte i gelidi pallori
Quella roſa, che dianzi, honor de prati,
Parue co i raggi d'oro il Sol de fiori:
E 'l Giglio, à quel furor, ch'il tutto addenta,
Benche nato Fenice, anch'el s'annienta.
Pur, quando al fin, con ſtrepitoſe ſcoſſe,
Tors'ei le briglie, al ritornar riuolto,
Ond'hebber prima i gran corſier le moſſe,
L'immenſo di ſua notte in vn raccolto
Riede co 'l cocchio; e, dall'auuerſe poſſe,
Vibra luce più chiara il Ciel, diſciolto.
Ma che prò? Se non più da Noi ſi vede
L'amata figlia; e in van ſi cerca, e chiede.
Così ſortito il lor bramato intento,
Spinſer le Diue all'alta sfera il piede,
Ratto sì, che ne pure vn ſol momento,
Frà noi, s'arreſti in queſta baſſa ſede:
Dubie n'andar, cred'io, ch'il mio tormento
Gli rinfacciaſſe vna tradita fede:
S'inuolaron: ne dier d'animo pio
Segno all'Hoſpite lor d'vn ſolo à Dio.
Hor mentre Noi, di noſtra Diua in traccia,
N'andiamo errando in queſta parte, in quella,
Ecco trouiam, tinta di morte in faccia
La più fedel, mà sfortunata ancella,
Che moribonda in mezzo à campi aggiaccia.
Oue morir pria, che fuggir vols'ella.
Queſta è Ciane; ed, al languir del viſo,
Sembra dal verme vn vago fior reciſo.
Giacea colà, mezza trà viua, e morta,
Trofeo di fede, inghirlandata ancora;
Mà sù la fronte, illanguidita, e ſmorta,
Gionti anch'erano i fiori all'vltim'hora.
Gli ſiam toſto d'intorno: e doue ſcorta
Sia l'abſente cagion, che c'addolora,
Chiediam; ch'ella ſol può, che fù vicina
Additar, ſe ci ſia fuga, ò rapina.
Chiediam qual fuſſe il nero cocchio, e quale
De i feroci deſtrier fuſſe il ſembiante:

Qual

Qual ſeſſore il premeſſe; ò chi, frà l'ale
Di cieca notte, il raggiraſſe errante?
Mà nulla puote ella ridir; che tale
Velen ne traſſe, ond'hà le voci infrante.
Et (ahi tradita fè!) l'egra, che langue,
Anzi diſtilla in humor freddo il ſangue.
Del mal nato liquor gonfia pregnante,
Ne grondeggia la chioma; indi ſi ſquaglia
In rugiadoſe ſtille il piè tremante:
Al piè, ch'in onda fugge, il braccio eguaglia
L'empia del rio velen forza ſquagliante:
Ogni membro, ogni parte, oue ſi ſcaglia,
Serpendo, il toſco, in fonte al fin ſi ſcioglie;
E'l noſtro piede in fredde linfe accoglie.
Altra da quel che fù, poi che cangiata
Vidde ſua gioia in sì crudel martoro,
Ratta sù l'ali, al dipartir, vibrata
Se 'n vola ogni ſirena; e, del Peloro,
Si porta, il fianco ad aſſediare, irata;
E, de concerti ſuoi lo ſtil canoro
S'hebbe, in plettro vital, dolce harmonia,
Hor crudo il vuoi, vuol, che mortale hor ſia.
Non che ſoaui, à paragon dell'Etre,
Non taſteggino ancor fila d'argento,
Co' plettri d'oro, in sù l'eburnee cetre;
Mà perche inſido il ſuon tragge contento
L'vdito; e'l lega all'eſecrande pietre;
E'l nocchier, che s'accoſta, empio tormento
Laceraro ſottentra: e ſon, già fiere,
Le Sirene, del mar ſpietate Ethère.
Ne può non accoſtarſi ogn'vn, che ſpieghi
Le gonfie vele, entr'à quell'onde amare.
Calamìta, ch'il Pino attragga, e leghi,
Luſinghiera è la voce; ed arreſtare
Soſpeſi i remi può, sì che non pieghi
L'ali la naue, al flagellar quel mare;
Se non quanto piegar, voglia, chi venne,
Ver le luſinghe al proprio mal l'antenne.
Così sbandate, ouunque il piè le guida,
E le Diue, e le Ninfe, e le Sirene,
Sola ſi rimango, in queſta ſoglia infida,
Sù gl'orli del morir, viua alle pene:
Pene, che di troncar l'Alma diffida,
S'in preda à Cloto il vital erin non viene;
E, ſe quella il rifiuta, eccoti eterno
Seggio il mio cuor d'vn tormentoſo inferno.

Silente iam Electra Ceteris commotiones excipiamus.

Hæret adhùc ſuſpenſa Ceres: & ſingula demens,
Ceù nondum tranſacta, timet: mox, lumina torquens
Vultu, ad Cælicolas furiato pectore fertur.
Arduus hyrcana quatitur ſic Matre Nyphates,
Cuius Achæmenio Regi ludibria natos
Auexit tremebundus eques: fremit illa marito
Mobilior Zephiro, totamque virentibus iram
Diſpergit maculis, iam iamq; hauſura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.
Haud aliter toto Genitrix bacchatur Olympo;
Reddite vociferans: Nô me vagus edidit amnis;
Non Dryadum de plebe ſumus turrita Cybelle
Me quoq; Saturno gennit. Quo iura Deorum;
Quo leges cecidere poli? Quid viuere rectè
Proderit? En audet noti Cytherea pudoris
Oſtentare ſuos, poſt lemnia vincula, vultus.
Hos animos bonus ille ſopor, caſtumq; cubile
Præbuit. Amplexus hoc promeruere pudici.
Nec mirum, ſi turpe nihil poſt talia ducit.
Quid vos expertes thalami? Tantumne relictus
Virginitatis honos? Tantùm mutata voluntas?
Iam Veneri, & ſocijs iunctæ raptoribus itis?
O templa ſcythiæ, atq; hominem ſitientibus aris
Vtraq; digna coli! Tanti quæ cauſa furoris?

HÆRET ADHVC &c. Cereris deſcribit motus; & à ſimili amplificat, Tigride in ſimilitudinem aſſumpta, cui ſublati fuerunt catuli, cuius & furorem, & velocitatem imitata Ceres conſcendiſſe dicitur Cælos, omnemq; eorum ambitum queſtubus implens deſcribitur; in Venerem præcipuè contumelijs acriter inuecta, ac ſubinde in Palladem, ac Dianam.

HÆRET ADHVC. Attonitam, aſpectu cladis, iam ſupra deſcripſerat Cererem, Paſtori, direptis ſtabulis, aſſimilans: *Attonitus ſtabulo cum Paſtor &c.* Hic eodem adhùc ſtupore defixam oſtendit, & quaſi à mente abalienatam, ſtatuæ in modum marmoreæ, ex vehementi malorum apprehenſione detentam. Ideò *Hæret. Mæret adhùc* Legerunt aliqui, vt notat Parrhaſ., ſed male profectò; nam cum iam diù mærentem, conceptæ cladis cauſâ, Cererem ſtatuerit Vates; certè eâdem cauſâ perſeuerante, immò clariùs emicante, & effectum mæroris perduraſſe, neceſſe eſt. Quarè nil noui afferret hic Vates; ſed, quod ſatis ex contextu conſtat puerili exponeret nugacitate. Adde quod hæc locutio, ex ſe, ſupponit, mærentem incidiſſe in aliquid, naturâ ſuâ, aptum ad mærores eijciendos, quod tamen, eo quod mærenti inſufficiens videatur, effectu careat, ita vt qui mæſtus fuerat *mæreat adhùc*: aſt hic Ceres nullum habuit motiuum conſolationis, ſed potiùs augendi cauſam doloris: atq; adeò improprium eſſet dicere: *mæret adhùc*. Legendum itaq; omninò arbitror: *Hæret*; *Hærere* enim eſt *ſe aliquo in loco immobilem ſtatuere*. Sic Polypus adhærere ſcopulis dicitur, quia immobiliter adeò ijs coniungitur, vt diſcerpi malit, quam diuelli. Virg. pariter, *Æn. 9.*, volantem ex Niſi manu haſtam, infixam Tagi cerebro ſtetiſſe, deſcribens, ait:

Dum trepidant; it haſta Tago per tempus vtrumq;
Stridens; traiectoq; hæſit tepefacta cerebro.

Sic itaque & Ceres, acerbo doloris vulnere, à ſenſibus abalienata, immobilis, ceu ſtatua, perſeuerat. In quo apprimè naturam Vates imitatur: ex magnitudine enim, aut horribilitate, vel viſi, vel auditi monſtri ſtupor oritur, qui eſt quædam ſenſuum abalienatio, eo, quod ſcilicet ſtupore ſenſus conſtipentur, ineptiq; ad operationes ſuas reddantur peragendas; ex quo fit, vt ſtupore correptus, inſenſatæ adinſtar, hæreat, ſtatuæ. Inſuper *Hærere* eſt *in ancipiti eſſe*; ideſt ancipiti adeò cogitationum æſtu agitari, vt, quia in hanc potiùs, quam in illam partem, contrarijs æquè trahentibus, ac retrahentibus, nulla datur inclinandi facultas, mens immota manere, dum nil interim deliberat, videatur. Sic apud Virg. Aen. 3. Achemenides vbi:

. . . . Dardanios
habitus & Troia vidit
Arma procul paulum aſpectu conterritus hæſit,
Continuitq; gradum &c.

Et, hoc ipſum vt exprimeret in Cerere Vates, eam benè dixit: *Hæret adhùc*. In ancipiti iam fuerat Ceres, num ſalua, nec ne eſſet Proſerpina; cum de ea dixerit Vates: *cuncta pauet, ſperatq; nihil*. Aſt hæc dubitatio ceſſauit; vt deſertæ domus aſpectus de Dominæ excidio certiorem fecit. Addubitauit iterum, atque in ancipiti fuit, circa modum, ac genus cladis: &, quid, ea poſita, ſibi faciendum eſſet, recogitans. Ex Electra, & Proſerpinæ iacturam, & modum, & Auctores nouit; ſed in enigmate adeò, vt adhùc ſcire non potuerit, num perempta, an tantum abuecta fuerit; &, ſi abuecta, quo, vel à quo abuecta nondum conſtabat: quarè *adhùc* (quod aduerbium temporis continuati eſt, atque per id tempus dubietatis, ſtuporiſque continuationem ſignificans) *hæret*, in ambiguo nempè eſt, quà inquirenda ſit Filia, à quo repetenda, quibus vteretur auxilijs &c.

SVS-

SVSPENSA CERES. *Suſpenſus* itidem duplicem habet ſignificationem: nam primo quidem, pro eodem, ac *afflictionibus obrutus*, accipitur. *Vix compos mentis ſum*, inquit Plautus, *ita mihi ſuſpendis animum &c.* Vbi *ſuſpendis*, nempè *affligis*, exponunt Interpretes. Secundò ſolicitum, perplexum, incertumque ſignificat. Hoc autem participio appoſitè vſus eſt Vates, vt duplici etiam ſuprapoſiti verbi *haret* ſignificationi reſponderet: *Haret ſuſpenſa*: ideſt, afflictionum tormentis detenta, atque oppreſſa, redditur immobilis: & *haret ſuſpenſa*: ideſt, in ancipiti adhùc eſt incerto cogitationum æſtu agitata. *Ceres* quæ ſit, iam nouimus, ideò accelero.

ET DEMENS &c. Idem eſt *demens*, ac *de mente cadens*; ſeu *de mente excedens*. Aptè autem, tot inter animi angores; tantaque auditâ clade, nec vllâ ſeſe oſtentante euadendi viâ; aptè, inquam, *demens* effingitur *Ceres*; ideſt *mente capta*, *mentis impos*; & *nullorum pollens lumine rationis*. Ob cuius rei intelligentiam, reuocandum eſt hic in memoriam, quod nos ſumus, in Philoſophicis docuimus: nempè *Dementiam*, quæ à Cic. Tuſc. 3. definitur *affectio animi lumine mentis carens*: *Delirium*, quod eſt *alienatio mentis, proueniens ex intemperie cerebri vitiante actiones principis facultatis*: ac tandem *Phreneſim*, quæ *morbus eſt lædens mentem, & ad inſaniam, furoremque perducens*, ſi cauſaliter definiatur; Si verò formaliter, *eſt inſanus furens*; prouenire ex perturbatione ſpecierum, in ſenſu interno receptarum, quæ, dum immoderatis vaporibus agitantur, & permiſcentur, ſenſum interdum omnem confundunt; ex quo ſubinde fit, vt intellectus ipſe, ſpecies à ſenſu diſtortas, incompta ſque recipiens, ex arce deturbetur, vel totaliter, ſi ſpecies omnes ſint diſtortæ, & confuſæ in ſenſu; vel partialiter, ſi vna tantum, v. g., aut aliquæ tantum ſpecies diſtortæ ſint, & perturbatæ. Sic olim demens Romæ fuit, qui, cætera ſanus, in hoc tantum delirus erat, vt diceret, *ſe Patrem æternum eſſe*: & tùnc hæc partialis inſania prouenit ex diſtorta illa ſpecie, quæ viuida adeò, radicata, & roborata emicat, vt intenſione diſtorti ſui luminis, reliquarum ſpecierum lumen obruat totum; atque ideò intellectus, cæteris, ad rationem facientibus, quaſi ſuppreſſis ſpeciebus, hac vna in indirectum fertur, actioneſque rectæ rationi elicit aduerſantes. Quod ſi hæc ſpecies interdum in poſteriorem cerebri partem vbi receptaculum memoriæ eſt, ſecedat; nec à noua aliqua conſimili ſpecie excitetur, ita vt in anteriorem iterum recurrat partem; tunc cæteris, rationi conſonis, ſpeciebus præualentibus, intellectus ſanâ vtitur ratione, nec demens vſquam apparet: aſt ſi quis alloquens mentionem rei iniiciat, circa quam delirat: tunc denuò ſpecies hæc noua conſimilem illam excitat roboratam delirij ſpeciem; atque iterum illâ in anteriorem cerebri partem recurrente, inſanus efficitur. En itaque Ceres, confuſis iam ſomniorum ſpeciebus, euentuumque expectatione ſuſpenſa, per mala omnia diuagabatur mente; ſed tandem ſola Proſerpinæ iactura luctuoſam implebat cataſtrophem: *omnique perit Proſerpina ſomno*. Ex deſerti aſpectu domicilij &c. magis, ac magis ſpecies illæ conualidatæ fuerant, ac roboratæ: ex narratione denique Nutricis aliæ ingeruntur ſpecies, ſed confuſæ adeò, vt certum exitium, incertus appareat auctor; atque adeò & iſtæ, Proſerpinam periſſe indicantes, nullum afferunt reparandæ cladis remedium. Quare fixa iam adeò, confirmata, roborata, ac viuida emicabat pereuntis ſpecies Proſerpinæ, vt, licet eſſet, itenera, ſpecies de re tranſacta, quia tamen præſens aderat ſpecies, quæ vicaria obiecti erat, præſentialiter repræſentabat pereuntem Proſerpinam, ita vt intellectus, ex diſtorta huiuſmodi repræſentatione, deturbaretur à recta rerum intelligentia, & *tranſacta iam præſentia adhùc eſſe*, iudicaret, ac malum, quod ſubierat Ceres, imminens adhùc, &, in ipſo eſſe fieri, exiſtimaret. Ideò iure *demens* dicitur huiuſmodi delirumentis detenta Ceres, dum

TIMET SINGVLA, CEV NONDVM TRANSACTA. Timor eſt metus impendentis mali, vt alibi vidimus. Hic nullum verè erat impendens malum, cum & Ceres, cum Italo, dicere poſſet:

Fortuna, fortuneggia quanto ſai,
Peggio non mi puoi far, che fatto m'hai.

Iam euolauerat irreparabile telum; iam vulnus inflixerat; ideò nil vlteriùs timendum. Ideò *demens timet*, quia iam ſpeciem cladis potiùs, quam cladem timet, vt conſtat ex dictis: *& timet ſingula*; hoc eſt, vnumquodq; ſingillatim, ex iam narratis, & perceptis, infortunium, per vnumquodq; illorum ita mente excurrens, vt, in vnoquoq; hæreat immobilis animus, quaſi illud ſolum ſeparatim ab alijs, perpenderet, ac numeraret; atq; ita ex multiplicatis partialibus terroribus ſummus ille conflaretur terror, qui vix Cererem non exanimaret timentem ſingula iſta, *ceu nondum tranſacta*. *Ceu* aduerb. comparantis eſt, idem, ac ſi dixiſſet *eodem modo ac ſi nondum*; aduerb. temporis, idem ſonat, ac *non adhuc*: *Tranſacta* à tranſeo, nouiſſimæ ſignificationis particip. eſt. Timet itaque tranſacta infortunia, eodem modo, ac ſi non adhùc tranſacta eſſent; ſed de præſenti fierent: quia de præſenti fieri, in eius mente, à ſpeciebus impreſſis, licet diſtortis, viuidè repræſentabantur. Ideò *demens timet &c.*

MOX TORQVENS LVMINA VVLTV &c. Gradatim ex delirio in phreneſim deducitur, ideſt in furentem inſaniam, cuius ſigna extant in oculis inuerſis, obliquatis, ac toruè terrificum in modum intuentibus, vt in Lymphatis fieri aſſolet. *Mox* idem ſonat, ac *paulò poſt*; ſublocutionem enim, & temporis hic notat, & alterationis gradatim ſuccedentis. *Torquens lumina &c.* Vulgò *ſtralunando in fronte gl'occhi*: *torquere* enim *obliquare eſt*, vulgò *ſtralunare*: *Lumina* autem dicuntur oculi, vel quod oculorum beneficio lumen conſpiciamus, vel quia oculi ſunt corpora, de ſe, lucida, & lumen ex ſe ipſis diffundentia; vel etiam quia in Microcoſmo hominis ſydera præcipua ſunt oculi; atq; ideò antonomaſticè ſydera vocantur, & lumina, ſicuti & Cæli ſydera *Cæli faces*, & *lumina* compellantur. Quomodocumq; autem lumina, pro oculis, accipiantur, vides nomen eſſe translatiuè vſurpatum. Certè toruitas intuitus, oculorumq; obliquatio, apud omnes, indicium animi in furorem excandeſcentis eſt: nam toruitas à Tauri ferocia nomen habet, quæ vtiq; modum neſcit, ſi, ſubditis iracundiæ facibus, excandeſcat. Quare, dum *Lumina torquens* deſcribitur Ceres, in furorem dicitur concitari. De vultu, ait Cic. in Piſonem, *Vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt*, ex quo licet colligere, quamuis notum ſit, oculos in vultu ſitos eſſe, tamen non ſuperuacaneè hic apponi particulam *vultus* indicat enim, Cererem obliquaſſe lumina, vultu in Cælum ſublato; tali profectò oris habitu, vt, tacito ſermone, Cælicolas in crimen vocare videretur, ac vindictam, ex illis ſumendam, machinari. Ideò *demens*, nam, ipſa cum errafſet, filiam incuſtoditam relinquens, culpam reijciebat in Cælum, & Dijs iraſcebatur, eo, quod ipſa deliquiſſet. Alij, pro *vultu*, legunt *vltrò*, cum Heinſio, Delrio, Clauer., Barth., & alijs; nec lectionem improbo: nam vox *vltrò* aliquid inconſultò fieri, videtur indicare, vt notat Barth. ſed non ſine eruditione video lectionem efferri vulgatam, ideò non abijcio.

FERTVR AD CAELICOLAS. Alij legunt *ferol* pro *fertur*, non inuenuſtè. Sed quia, per enalagen, id dictum agnoſco, de lectionis diuerſitate, non libet, altercari. *Fertur* itaque; hoc eſt iter arripit, & toto furoris ſui impetu velociſſimè ſurſum fertur. Igni aſſimilatur iracundia: ignis autem, cauo incluſus vaſe, ni frangat ſecum vas, quo continetur, in altum defert; præſertim ſi ignis ſit ſulphuratus exceptus; ideò & Ceres iracundiæ igne ſuccenſa ſurſum *fertur ad Cælicolas*. Alij, cum Heinſio legunt *in* Cælicolas. Vt libuerit legas; nam præpoſitio *ad* denotat terminum ad quem tendit; ad Cælum enim, vt Cælicolas conueniret, properabat: Præpoſitio verò *in* idem ſonat, ac *contra*; ideſt in Cælum fertur, contra Cælicolas, vt odium euomat ſuum. *Cælicolæ* autem dicuntur Dij cælum incolentes, vt alibi vidimus.

FVRIATO PECTORE. *Iram*, à mente alienantem, præcipitem, infanam, Græci *μανίαν* vocant, Euſtatius [illegible], Latini *furorem* nominant. Hæc à Gregorio Nyſſeno cum energumenorum affectibus comparatur, apud Cauſ. de Eloq. lib. 8. cap. 28. *Eadem enim*, inquit, *urates, quæ energumenis accidunt. Sanguine diffuſi, ac diſtorti oculi, lingua præceps, vocis [illegible], ac latranti ſimiles, quaſſato capite, manuum ſolidi motus, pedes inſtabiles, totius corporis concuſſio. Hac ſunt irato, & Dæmoni communia.* Vide quanta innuat Vates, hac vnica dictione *Furiato pectore*: Furiatus enim dicitur, qui quaſi furijs agitatus eximio furore concutitur, & vltiones meditatur acerrimas. Diſtinguunt aliqui, cum Seruio inter *furioſum*, & *furiatum*, quod *furioſus* ille dicatur, à quo furor nunquam abſceſſit; *furiatus* verò, qui tantum, hic, & nunc, ex data cauſa, in furorem concitatur. Sic itaque, non *furioſa*, ſed *furiata*, (vulgò *indemoniata*) ſi expoſitionem ſequamur Niſſeni, dicitur Ceres, quæ ex data fureret occaſione; ſicuti Corœbus, apud Virg. Aen. 2., viſâ in vinculis Caſſandra

Non tulit hanc ſpeciem, furiata mente, Corœbus &c.

& apud eumdem, lib. eodem, Aeneas, cum, ruente Patria, Hele-

Helenam excidij cauſam vidiſſet, furiata mente, ſe ad vindictam ſumendam fatetur concitatum.

. . . . Etſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt; nec habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentes
Laudabor pœnas; animumq; expleſſe iuuabit
Vltricis flammæ, & cineres ſatiaſſe meorum.
Talia iactabam; &, furiata mente, ferebar.

Sic cladis dolore percita Ceres, vindictis inhians, fertur, *furiato pectore*. Ira in corde reſidet, appetitus vindictæ in corde coaleſcit: ideò ex irato corde, furiarum ſtimulis, totum concutitur pectus, & ideò inte: *Incalescolas furiato pectore fertur*.

ARDVVS HYRCANA &c. A ſimili furorem Cereris, ac velocitatem, qua rapitur, amplificat.

SIC ARDVVS NIPHATES. *Sic* particula eſt aſſimilatiua, viam efferendis præbens ſimilibus. *Niphates* mons eſt ſupra Aſſyriam, ad fines maioris Armeniæ, Tauri videlicet montis pars, de quo etiam mentionem habuit Virg. initio 3. Æneid. cum inquit:

Addam vrbes Aſiæ domitas, pulſumq; Niphatem.

Nomen ſortitus eſt Mons à niuibus, quibus perpetuò ferè obſidetur. nam *Nifo*, latine, eſt ningo; *Nifetos*, niuis defluxus; & *Nifopea*, niue obruor. Fœtum tigribus montem aſſerit Strabo; ex quo etiam Sidonius eum Tigriferum appellauit; id. Tigres ferentem.

Aut ex Tigriferò pharetrata per arua Niphate &c.

Appoſite igitur Vates Niphatem adducit in ſcenam, dum ex tigrium velocitate, ac fur r ſimilitudinem aſſumit. Arduus autem aptè dicitur Niphates, hoc eſt altus, ideòq; aſcenſu difficilis, vt natura ſua eſſe fertur.

QVATITVR HYRCANA MATRE. *Quatitur*; hoc eſt pulſatur, & tremit, vt rectè exponit Parrhaſ., quod certè hyperbolicè dictum agnoueris, ſed ingenioſiſſimè tamen, ad oſtendendum, ingentem adeò horrorem incuti ex rabida, ob raptos catulos Tigri, vt, ſi mons ipſe capax eſſet ſenſationis, dum efferatæ tigridis curſu premitur, in terrorem vſque, ac tremorem profectò premeretur *Hyrcana matre*. Antonomaſtice autem hæc poſita ſunt, ad fœtam Tigridem indicandam. Sed dices: Anne in Hyrcania (a qua deriuatur *Hyrcanus*) aliæ, præter Tigridem, non ſunt matres, vt huiuſmodi Antonomaſia non ſubſit equiuocationi? Verùm aduerte, adiectiuum illud *Hyrcana*, non ab *Hyrcania* regione Aſiæ, ſed ab *Hyrcana*, ſylua, quæ Scythiæ Aſiaticæ ſubiacet, eſſe deductum. Scias itaque Scythiam Aſiaticam Monte Tauro, cuius partem eſſe diximus Niphatem, a meridie terminari. In hac verò extrema parte Scythiæ Aſiaticæ ſylua eſt antiqua, ſpeliæis confita ferarum, inuia, inhoſpita, ita vt nulla in ea ſit hominum habitatio. In hac frequentiſſimè degunt Tigres; & ideò, *Hyrcana mater* dum dicitur, ſola, quæ peperit, Tigris potuit deſignari, denominatione à potiori numero ſumptà, atq; à crudeliori præſignatà. Ab hac Hyrcana ſylua nomen deſumpſit, & *Hyrcania*, regio illi conterminа, quæ & ipſa Aſiatica eſt, magna ex parte plana, præclaris ornata vrbibus, ac fertilis adeò, vt vitis vna metretam vini ferat; ficus vna ſexaginta proferat ficorum modios, vt ferunt; immò frumentum naſci ibi dicebatur ex ſemine, quod ex culmo caderet; in arboribus mellificari, & mella ex oleis defluere. Sed, vt dix., non ex hac regione, ſed ex prædicta Sylua deductum eſt nomen *Hyrcana*, quo vſus eſt Vates hic. In quo eodem ſenſu & Virgiliana Dido Æn. 4. ait:

Nec tibi Diua parens generis, nec Dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus; Hyrcanæq; admorunt vbera tygres.

Cur autem Tigrem hyrcanam potiùs, quam alterius regionis, hic memoret, in comperto eſt. nam, licet quælibet Tigris crudeliſſima ſit, inter omnes tamen, crudelitate præſtare Hyrcana dicitur. Quod ſi plura de Tigribus cupias, vide dicta lib. pri. carm. 18. De Tigrium velocitate vnum hoc dictum ſufficeret, nempè *ſagittam*, Medorum lingua, *Tigrim* dici: nam ex hoc patet, & feram ipſam *Tigrim* appellari, eo, quod curſus velocitate æquare ſagittam videatur. Creſcit autem, raptis catulis, ex ira concepta, Tigridis mobilitas, & velocitas, ita vt Auctor noſter in Ruffinum pri., ad ſummam, & incredibilem inſtabilis animi mobilitatem exprimendam, dixerit:

Tigride mobilior fœta, violentior Auſtris.

Sed meliùs hæc velocitas, in cauſa, exprimetur inferiùs, vbi Tigridem vento conceptam habebimus.

CVIVS NATOS &c. Cauſam refert concitati, in Tigride, furoris, velocitatem augentis; nam *cuius* ad Hyrcanam refertur Matrem; per *natos* verò *catulos* recenter editos, vnicos videlicet Matris amores deſignat.

EQVES TREMEBVNDVS AVEXIT. *Eques* ab equo dicitur hic *venator*, qui equo inſidens venationem exercet. Et profectò equis, ad Tagum, Zephyro conceptis, hoc eſt patrem velocitate imitantibus, indiget, qui Tigrium cauеas prædari aggreditur, vt latiùs infra. Non tamen abnuerim, nomen *eques* poſſe hic accipi, pro primæ, inter aulicos, nobilitatis viro. nam aulicorum Principes, vt plurimum, ij ſunt, qui, in Regum gratiam, venationum magiſtri conſpiciuntur. Ideò autem *tremebundus* dicitur, quia huiuſmodi Tigrium venatio plena periculis eſt, & cum morte ipſa, in proximo, luctatur, qui fœtas Tigres, catulos abripiens, prouocat ad vindictam; quod ſi, vrgentem à tergo, Tigrem videat, qui non timeat, cum ſolus tigridis aſpectus horrorem, terroremq; incutiat, etiamſi in vltionem non irruat? *Tremebundus* igitur quippè de præda non ſolum, ſed de vita ipſa ſua, ſummum in diſcrimen adducta, ſolicitus. *Tremebundus*, dum accedit, timens ne in feram incurrat incubantem. *Tremebundus*, dum catulos rapit, abſente matre, metuens, ne caſu ſuperueniat mater, ac, fugam intercipiens dilaniet; & *tremebundus*, poſt rapturam, veritus, ne velox ſatis effuſum ſufficiat equus in curſum, atq; adeò ne prædа remaneat prædator, qui natos *auexit*; hoc eſt *abduxit*; ſed proprietatem magis tenet verbum *auexit*, ex *ab*, & *vello* compoſitum, quaſi *ab vbere auulſos aſportauit*. paruulos enim Tigridis catulos, comprehenſos, equo venator aſportat, vt benè memorat Valer. Flac. Argon. pri.

Venator, cum luſtra fugit, dominoq; trementem
Vrget equum, teneras complexus pectore tygres &c.

Modus itaque hanc venationem exercendi hic eſt, ex Pier. lib. hierogl. 11. Venator, obſeruata Tigridis cauea, velociſſimo inſidens equo, locum verſus pergit, nactuſq; tempus, quo digreſſa, ad cibum quærendum, ſit mater, paruulos fœtus, qui ſemper numeroſi ſunt, arripit, & dicto citiùs equum conſcendit, &, quam maximè poteſt, effuſum concitat in fugam. Tigris, quæ, cum fœtibus incubat, non longè admodum à cauea diuertit; nec longas abſens deducit moras, cum, regreſſa, populatum nouerit ſpelæum, totam, citatiſſimo curſu, circumcurſat regionem, donec, veſtigia venatoris deprehendens, ſummo percita furore, in raptorem fertur, ac breui aſſequitur. Proijcit tunc ille ex ablatis catulis vnum, quem Tigris receptum, armiſq; impoſitum, ad cauеam reuehit; atq; citatiſſimo iterum curſu, raptorem iterum ſequitur, & aſſequitur. Proijcit ille catulum alterum; & mater paruulo, vt priùs onuſta reuertitur ad Caueam, iterumq; in prædatorem toto impetu fertur: & toties hæc ludi alea iteratur, donec raptor ad mare deuectus citiſſimè nauim, equo in littore relicto, conſcendit, ac velis, remiſq; è littore elongatur, cum catulis, quos ſeruare potuit, non proiectis. Regreditur interim Tigris, atq; vndis à curſu, ne ſequatur, intercepta in equum relictum irruit, ac miſerabiliter dilaniat. Quarè hanc, equi viſcera diſcerpentem pingens eruditus quidam, eam hoc lemmate inſigniuit: *Minuet vindicta dolorem*. Immò refert Solinus cap. 34, tantam eſſe tunc Tigridis rabiem, vt naui impoſitum prædatorem, etiam per fluctus, perſequi conetur donec, vndis quaſſata, mergatur tandem: quod maximè confert ad exprimendum maternі animi affectum ſimul, conceptumq; furorem.

LVDIBRIA REGI ACHÆMENIO. *Ludibrium* dicitur quidquid contemptibile, ac deridendum videtur, & quaſi ad hoc, vt illi alludatur, efformatum. Sic Regius Plaltes, in ſacris litteris, Infernum humani generis hoſtem, ſub nomine Draconis adumbratum, dixit ludibrium nobis exponi, dum ait Pſ. 103. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei &c.* Sic Virgilianus Æneas Æn. 6. Sybillam orat, folijs ne carmina mandet, ne videlicet illudentes venti permiſceant, & confundant, atq; abripiant flatibus colludentes; Sic enim ipſe ibi

. . . . . . Folijs tantum ne carmina manda
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

In eodem ſenſu nomen iſtud *ludibria*, hoc loco, adeſt; atq; ad raptos Tigridis catulos, per appoſitionem, accedit; nam, quamuis, natura ſua, ferociſſimum ſit animal Tigris, immanitate pollens, ac ſanguinis auidiſſimum, attamen, cum paruulum eſt, & imbecille, nondumq; vngues exerere, ac dentibus infrendere didicerit, vix natum, innocens eſt, & neſcium lædendi; ideò ludibrio eſt cuicumq; illud attrectanti non ſolum, ſed cum eodem colludenti. Quod ſi ciuilibus detineatur in caueis, ita magiſtro aſſueſcit, vt, etiam poſtquam adoleuerit, eidem ludibrio ſit, licet alijs terribilis ſolus eius aſpectus videatur. Sed non in his ſiſtit Vatis eru-

ditio; qui inſuper Regum Parthorum, Perſarumq; morem reuocat in mentem, qui ſcilicet, Xenophonta teſte, ſoliti fuerint feras intra ſepta enutrire, quibus ſubindè conficiendis exercerentur: ideò inquit abreptos Tigridis fetus deferri *ludibria* Regi; nam certe ludibrio ſunt, quæ, ioci, ac ſolatij cauſa trucidantur impunè. Impunè, inquam, quia nec effugere incluſæ poſſunt feræ, nec in aggreſſorem irruere, niſi in mortem irruant: cautè adeò Reges in huiuſmodi venationes, Magiſtri venationis adducunt. Porrò Rex eſt, vt alibi vidimus, qui regioni cuipiam legitimè imperat, ad differentiam Tyranni, qui ſe in dominium non ſuum, vi, aut fraude adhibita, intrudit. Per *Regem* autem *Achæmenium*, intelligit hic Vates Perſarum, Parthorumq. Regem, qui omnes ex Achæmenia tribu deligebantur, vt teſtatur Herodotus; vel certè omnes a primo Achemenij appellabantur, vt alij ſentiunt; Quem morem ſeruatum, alibi vidimus, ab Aegyptijs, qui Reges ſuos omnes Ptolemeos vocabant. Perpende hic, quam adamuſſim rei exprimendę reſpondeat ſimilitudo. Fęta Tigris? Genitrix Ceres. Illa furit raptis catulis? Hæc rapta filia vertitur in furorem. Tigride nati abrepti ſupponuntur, in gratiam Regis Parthorum? Cerere nata educta domo fuerat, in gratiam Tartarei Regis, à Venere; & ab eodem non equo, ſed equis, & curru rapta, & abuecta. Quatitur à furente Tigride Niphates? A Cerere in phreneſim acta quatitur Olympus, vt infra: Sed, vt meliùs eluceat comparatio, deſcriptionem furentis, in caſu poſitæ, Tigridis Vates ſubijcit, vt in ſimili Cererem ſub oculis ponat.

FREMIT ILLA &c. Deſcriptio furentis Tigridis, per hypotypoſim, hæc eſt; nam illa ad feram refertur, eamq; demonſtrat. *Premit*, pro *Fremit*, legit Heinſius, & reddit rationem ex eo, quod, cum velit Poeta oſtendere tigridis velocitatem, verbum *Fremit* nil habeat cùm velocitate exprimendâ: & *premit* legendum eſſe deducit ex conſimili textu Auctoris noſtri, qui primo in Rufinum, ait:

Quæ ſic Getuli iaculo percuſſa Leæna;
Aut Hyrcana premens Raptorem bellua partus;
Aut Serpens calcata furit; &c.

Ego Heinſij lectionem profectò non improbauerim; namegregiè ſub oculis ponit immanem feræ iracundiam, quæ curſu ita fertur præcipiti in vltionem, vt vix ab eiuſdem vrgente furore viam ſe ſe expediendi reperiendam venator arbitretur: *premere* namque *vrgere* eſt, & quod vulgò dicimus *in calcar ſeguendo*, latinè *inſtare à tergo ſuccumpiens*, ita vt ferè fugientis veſtigium veſtigio trudatur perſequentis. Verùm his non obſtantibus, recedere à vulgata, non libet. Cur enim non potuerit Vates, eruditè quidem, ac naturam maximè imitatus, & celeritatem in curſu, ex indignatione adauctam, & ipſius edita indignationis indicia, vno eodemque textu, complecti? Non itaque *Fremit*, arbitratu meo, dixerit Vates, quia *Fremere* ad velocitatem faciat: nam hæc ſatis exprimitur ex eo, quòd *mobilior Zephyro* dicatur; ſed quia *Fremere* ſit indicium vehementiſſimæ indignationis, ex qua velocitas currentis, quaſi ſubditis calcaribus, enixè concitetur. Certe Tigris, in venatorem irruens, & premit currendo, & fremit premendo; quare vterque effectus appoſite coniungitur, quaſi inſeparabilis. Immò aptiſſime mentionem de fremitu facit Vates; nam cum ſupra dixerit: *Hyrcana quatitur ſic Matre Niphates*, hic rationem ſubdit, quaſi & tremere illum, dixerit, horrendo Tigridis perculſum fremitu. Porrò fremere eſt ſonitum, cum ſtrepitu ex ore emittere: quod proprium indignantis eſſe, conſtat ex Virg. alibi cit. vbi de ventis Æn. 1

Illi indignantes, magno cum murmure, Montis
Circum clauſtra fremunt &c.

MOBILIOR ZEPHYRO MARITO. Mobile dicitur quidquid facilè mouetur: & quia mobilitas iſta, ſi ab intrinſeco ſit, eſt cauſa velocitatis; ideò, cauſâ pro effectu poſitâ, *mobilior*, hoc eſt velocior dicitur Tigris *Zephyro marito*. Inuertunt hunc locum aliqui: & pro *Marito*, *Mauro* legendum eſſe, contendunt, fortaſſis ex eo, quòd, Oppiani libros, quos de Venatione ad Antoninum Cæſarem ſcripſit perlegentes, in eum inciderint locum, quo ipſe indictam aliorum opinionem, aſſerentium, Tigrides ex Vento concipere, nullumque inter eas marem eſſe, reijcit dicens: *Quis hoc admittat, grauidas nempè ſpiritu feras reddi?* Verùm ſi hanc opinionem non ſequitur Oppianus, alios tamen in hac ſententia fuiſſe, ipſe idem non inficiatur. Et quidem, ſi Olyſiponenſes equæ conuerſo in Ventos ore, concipere dicuntur, apud Varronem, & perniciſſimos in curſu pullos edere, cur non idem de Tigribus dici poſſit? Si in genere vulturum, marem nuſquam inueniri, eaſque ex Vento concipere, & Plutarchi auctoritate, & Ægyptiorum eruditione ſuffultus, teſtatur Pier. lib. hierogl. 18.; Cur adeò abſurdum dictu eſt, quod & Tigrides eodem modo concipere poſſint. Sed eſtò erronea, ac fabuloſa prorsùs, vt & ego arbitror, opinio ſit, atque inuenta tantùm ad reddendam aliquam rationem ſummæ velocitatis, quæ in his animalibus reperiatur. Cur non licuerit Poetæ, iuxta fabulas, aſſertiuè loqui, cum præcipuum Poeſis ornamentum fabulæ eſſe videantur? Maneat igitur vulgata noſtra: & *Zephyro Marito* legatur, eo quòd Tigres ex Zephyri afflatu concipere dicantur. Quis verò ſit Zephyrus lib. 2 carm 73. & lib. 1. carm. 185. *Maritus* autem dicitur; quaſi *Mas fetans* à Tigride fœmina, & quo operante ipſa concipiat. Sed vide de hoc nomine dicta lib. 5. carm. 279. Hic tantum perpende, quanta velocitate præditam, hyperbolicè, efficiat Tigrem; quam ventos dixerit præuertentem.

ET DISPERGIT TOTAM IRAM. Ab effectu inficiendi externos ipſos corporis colores, quam vehementi irarum incendio æſtuet, raptis catulis, hyrcana mater, oſtendit. Pro intelligentia, ſciendum, iracundiæ ſedem in felle collocari; humor enim ille corporis, qui flaua bilis dicitur, & qui propriè cum iraſcimur, accenditur, certè in felle reſidet animalis: quare columba, quæ ſine felle eſſe dicitur, iracundiam neſcit. Hic autem humor, cum violentiùs accenditur, non ſolum intimas, ſed etiam extimas ſæpè partes, ſe ſe ipſum diffundens, inficit; atque ideò iratum ſæpè videmus, aut vultu liueſcere, aut ſubuiridi colore perfundi, vel flauum induere &c. iuxta diuerſam illius humoris temperaturam, à qua vel nimis, vel magis ater eidem color reſultat; immò interdum iraſcentis fauces ex iræ impetu amareſcunt, qui, procul dubio, effectus ex felle, amaritudinem ſuam effundente, prouenit. Ad hæc itaque reſpiciens Vates, Tigrem, ait diſpergere totam iram; ideſt, totam Tigridis bilem ex vexica fellis, tanto impetu, diffundi ſuccenſam, vt eiuſdem color etiam in extrinſecis pilorum maculis, ſe ſe efferat conſpiciendam. Ideò *diſpergit*; nam *diſpergere* eſt *in diuerſas ſpargere partes*; & quia Tigris per omnes ſui corporis partes ſuccenſum ſpargit bilis humorem, diſpergere dicitur *Totam iram*. *Totam*, hoc eſt, *integram*; eo quod bilioſus humor ita fuerit ſuccenſus, vt ne gutta quidem in ſuo vaſe remanſerit. *Iram* nempè eumdem fellis humorem, qui, vt medici autumant, conſuetudine iraſcendi, augetur; & augmento eiuſdem facto, faciliùs iraſcimur.

VIRENTIBVS MACVLIS. Tigres omnium ferè ferarum, ſicut & Pantheras, coloribus variegari, ex pluribus profectò auctoribus, vt eſt apud Pier., ſatis nouimus: ſed, quòd virides habeat maculas, nondum legi. Certè quas egomet vidi, in ſeptis Sereniſſimi Hetruriæ Ducis, non fuere viridibus maculis inſignes. Non itaque naturalem hic notat Vates macularum colorem; ſed colorem, in quem, ex violentia ſuccenſæ bilis, maculæ ipſæ migrant, & commutantur: atque adeò erit ablatiuus abſolutè poſitus. Notandum itaque bilem à medicis multigenam poni, nempè flauam; croceam, vitellinam, luteam, pallidam, rufam, æruginoſam, rubiginoſam, cæruleam, iſatidem, porraceam, praſinam, rubram, ſubrubram, fuſcam, atram, nigram &c. Quæ autem colore ſuo magis ad virorem vergit, vel nigredinem, crudeliùs efferatum reddere cenſetur. Sic cærulea, quæ etiam iſatidis dicitur, glaſtum (vulgò *il guado herba*) colore imitans, aſperioris eſt notæ: & multo magis porracea, quæ videlicet porri virorem imitatur. Huiuſmodi eſſe Tigridis bilem inſinuat hic Vates, dum, viridi colore, ex ea diffuſa inſici tegminis maculas, apertè dicit. Vides, quàm vaſte amplificet hyrcanæ matris furorem, qui, vel in ipſis feræ villis, ſui ipſius viſibilia imprimat ſigna?

IAM IAMQVE &c. Quo pacto præſens vindicta ex ore Tigridis eripiatur, iam indicat. Aduerb. temporis futuri eſt particula *iam iam*; ſed adeò impendentis, vt ferè præſens habeatur: quo & hic vſus eſt Vates, vt Tigrem vltioni imminentem conſtitueret ita, vt mox voratura ſit ac de præſenti iam vorare prædatorum cibi videatur.

HAVSVRA VIRVM. *Haurio*, à quo particip. *Hauſura*, pro eodem interdum ſumitur, ac *conſumo*, ſeù *abſumo*: hic pro *ingurgito* ponitur: & *Hauſura*, inquit, pro *Hauſtura*, per Syncopem, Virg. imitatus, qui Æn. 4., ore Didonis, ſic Æneam alloquitur.

I, pete Italiam ventis; pete Regna per vndas.

Spero

Spero equidem mediis (ſi quid pia Numina poſſunt)
Supplicia hauſurum ſcopulis &c.

Porrò *Verum*, à virtute, dixit huiuſmodi venatorem; nam ſummâ animi præſtantiâ polleat, neceſſe eſt, qui ſe tali obijciat periculo.

ORE PROFVNDO. Famelici eſt hianti ore, poſitum in proximo, cibum affectare. Fames, licet propriè appetitus cibi ſit, eruditè tamen transfertur ad ſignificandum quodlibet cuiuſcumque rei, quod modum excedat, deſiderium. Ex quo etiam Virg. Æn. 3. auiditatem auri *famem* appellauit.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames!

Vindictæ igitur maximoperè inhians Tigris, nil mirum, ſi famelici in modum, aperto ore, in vicinum iam irruat offenſorem: & eo magis, quia, laniatu tantùm Tigris, ac voratu, poteſt de prædatore vindictam ſumere. Ideò Vates naturam ſecutus, eam deſcribit hauſturam accedere, *ore profundo*, hoc eſt, *patente* adeò, & *latè adaperto*, vt vſque ad imum ventris receptaculum pateat ex ore, per apertas gutturis cannas, aſpectui aditus.

TARDATVR IMAGINE VITREÆ FORMÆ. Nota pulcherrimum hic ſuſtentationis artificium. Quid enim ex tot præmiſſis expectares, niſi vt prædator ille, miſerrima iam præda Tigridis factus, vindictæ famem expleret? Sed ſuſpenſis, hoc pacto, auditorum animis inexpectatum quid ſubditur; nam eluditur Tigris, & Raptor euolat, dum illa, in ipſo vindictarum limine, *vitreæ tardatur imagine formæ*. Ad cuius rei intelligentiam, aduerte, attingi à Vate hic alterum modum ſe ſc ex maternis furijs eripiendi, quo vtuntur Venatores illi, qui non vno, aut duobus catulis contenti ſint, ſed quotquot inuenerint, nullo proiecto, auferre ſtudeant. Hi enim, vt habetur ex D. Ambr. Hexaem. lib. 6., ad huiuſmodi venationem vitreis inſtructi ſphœris, ſpeculorum in morem conformatis, accedunt: cum autem, fugâ ſibi conſulentes, Tigridem matrem à tergo inſtantem, & iam ex proximo vrgentem, cernunt, ſphœram vnam ex præparatis proijciunt ante matrem. Illa imaginem ſuam in vitro cernens, ac ſobolem eſſe ſuam, à prædatore proiectam, putans, curſum abrumpens, & impetum, fętum colligere deſiderans, remoratur: ſed, poſtquam diù vitream illam ſphœram verſauerit, inani ſe ſpecie detentam ſentiens, maiori excandeſcens ira, iterùm, totis viribus, in prædatorem effunditur; atque iracundiæ ſtimulo velocior, breui, rurſus fugienti imminet. Proijcit ille alteram ſphœram: & memoria fraudis ſedulitatem Matris non excludit; ſed iterum caſſam verſat imaginem, & quaſi lactatura fętum, reſidet: hocque & tertiò fit interdum, & quartò, donec Tigris pietatis ſuæ ſtudio decepta, & vindictam amittit, & prolem. Ad hæc itaque alludens Auctor, *tardatur*, inquit, ideſt à curſu, & à vindicta, atque à recipienda prole detinetur, *imagine*, non re; nam ſubſtantia non adeſt, ſed vana tantùm in ſpeculo repreſentatio, & quaſi, ſine corpore, vmbra, *Vitreæ formæ*; quia in vitro illa forma, ſeù ſpecies apparet, dum ſpecies tigridis Matris, in ſpeculum impingentes, reflectuntur, & alteram quaſi tigrem deceptæ repreſentant Matri.

HAVD ALITER &c. Peracta exempli deſcriptione, applicationem ſoctatus ad Cererem regreditur. Superflua tamen fortaſſis videri poterit particula aſſimilatiua *Haud aliter*, quæ idem eſt, ac *non ſecus*, ſeù *pari pacto*, ex eo, quod, in ſuperioribus, ſatis videatur applicata comparatio, per illud, quod appoſuit, aduerb. ſimilitudinis *Sic*. Verùm memineris, quid Rhetoricæ artis doceant Præceptores, vbi de interpoſitionibus loquuntur: præcipiunt enim, vt, quoties parentheſis, interpoſitio, ſeù digreſſio longiores interdum fuerint, neceſſe ſit, quod poſtremo loco aſſumptum fuerat, ante interpoſitionem, poſt ipſam continuò repetatur, ne fortè memoriâ auditorum exciderit, atq; imperfecta videatur orationis ſtructura. Sic itaque & Auctor hic, poſt interpoſitam furentis Tigridis deſcriptionem, repetit particulam applicatiuam, licet ſub diuerſis terminis, *Haud aliter*

GENITRIX BACCHATVR TOTO OLYMPO. Quæ genuit *Genitrix* dicitur: ideò *Genitrix* Ceres, quæ Proſerpinam genuerat: & *genitrix* iterum antonomaſticè, quia videlicet Ceres omnium genitrix frugum dicatur eſſe. *Bacchatur*; hoc eſt, furentium inſtar Mænadum hùc, illucq; concita rapitur; omniaq; inſanis complet clamoribus. Per *totum* autem *olympum* totum intelligas Cælum, in ſuas vtriq; ſphœras omnes diuiſum, iiſdemq; compactum: & per quas omnes Ceres dicitur inſaniens excurriſſe: De Olympo enim, quatenùs ad peculiarem ſphœram reſtringitur, ſatis egimus initio huius lib.

REDDITE VOCIFERANS. En clamores, quibus totum illa Cælum impleret. *Vociferare* eſt *magna vocis contentione clamare*, vt conſtat ex Virg., pluribus in locis, ſed manifeſtiſſimè Æn. 7. vbi furenti Bacchantis in morem Amatæ Reginæ hæc vox attribuitur.

. . . . . *Simulato Numine Bacchi,*
Maius adorta nefas, maioremq; orſa furorem,
Euolat, & Natam frondoſis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, tedaſq; moretur;
Euohe Bacche fremens, ſolum te Virgine dignum
Vociferans &c.

Tota itaque vocis contentione clamabat & Ceres: *Reddite*. Vox hæc iuris eſt propria repetentis. *Reddite* nempè filiam, quam ſurripuiſtis, quæ reticentur, per fig. Reticentiam, quia mutilatæ locutiones maximè propriæ furentis ſunt: inſuper demens ex dolore dicta fuerat Ceres; ideò, dementis more, imperfectè loquitur, omnibus, quæ in mente habeat, etiam ſine vocibus, aperta eſſe, arbitrata.

NON ME VAGVS EDIDIT AMNIS &c. Exprobrat Cælicolis impudentiam, qua auſi ſint Cereris Numen violare, eiuſq; temerare domum; hancq; impij facinoris iniuriam exagerat, à dignitate ſui ipſius, primo quidem à ſe remouendo quidquid contemptum parere potuerit, deindè eam in ſe aſſerendo dignitatem, quæ omnibus ſacroſancta eſſe debuiſſet, ſuumq; inuiolabile Numen reddere. Ideò *Non vagus amnis &c.* In conſeſſu Deorum, initio huius lib. deſcripto, vidimus in extremam, & infimam ſedilium ſeriem ſenes fluuios reiectos, quaſi parum à plebeis Numinibus, quæ ſtantia ſubinde aderant, ſeiunctos. Naiades denique, fluuiorum filias, ſtantes vidimus, vt cætera Plebeiorum Numinum turba. Negat itaque Ceres, ſe ex Naiadum ordine eſſe, in quas, vtpotè infimi, plebeiq; ordinis Deas, peccari, ſine magna dignitatis iactura potuiſſet. *Non vagus amnis &c.* Quid nomine *amnis* ſignificetur, iam vidimus, initio huius lib. carm. 16. *Vagus* autem *amnis* dicitur, vt magis eius contemptibilitas inſinuetur; nam *vagus* dicitur, qui, hùc, illùcq; oberrans, certam non habeat ſedem: ſicq; amnes, cum in continuo ſint fluxu, & modò tumentes, modò humiles excurrant, nullum videntur ſtabilis dignitatis modum ſeruare. *Non vagus amnis edidit me*. *Edere* eſt quaſi *extra dare*: & quia parturientes extra ſe fetum emittunt; ideò *edere* pro eodem, ac *parere* interdum ſumitur, vt hìc, & apud Virg. Æn. 8.

. . . . . . *Electram maximus Atlas,*
Edidit, æthereos humeris qui ſuſtinet orbes.

NON DRYADVM DE PLEBE SVMVS. Nota emphaticam repetitionem particulæ negatiuæ, per diſſolutionem, decurrentis, gradationi hic ſubſeruientem, nam, cum ſe ſecreuiſſet Ceres à Nymphis fluuialibus, nunc ſe à ſylueſtribus ſecernit, quæ minoris adhùc eſſent exiſtimationis; nam, vt vidimus, in conſeſſu cit., ſyluarum Deos vix cæleſtium honore conſeſſuum Superi dignabantur. De Dryadum verò conditione vide hoc eodem lib. carm. 78.

TVRRITA CYBELLE &c. Dignitatem ſuam poſitiuè iam effert ex genere, dum ſe filiam Cybeles dicit, quæ cur *turrita* dicatur, habuimus lib. 1. carm. 180., vbi etiam quæ Cybele ſit, habetur.

GENVIT ME QVOQVE SATVRNO. Loco item cit. lib. 1., quomodo Ceres filia Cybeles dicatur, & Opis, & Rheæ &c. fuſe explicuimus, ſententias concordantes. Quare non repeto. Ex eodem loco habetur, quomodo ex Saturno genita; nam, ſi Opis, & Cybeles, filia eſt; Saturni ſit etiam filia neceſſe eſt. *Me quoque* emphaticè dictum, vt ſe non inferiorem Iunone ipſa, ne dum cæteris cæleſtibus, profiteatur. De Saturno pariter ſæpiùs locuti, nil addimus.

QVO IVRA DEORVM &c. Iniuſtitię Cælicolas omnes redarguit, vel quòd in fraudes filiam impulerint, vt de Venere, Pallade, ac Diana, expoſuerat Electra; vel quod rapuerint, aut perdiderint; vel quod raptum, exitiumque permiſerint, vel quod arma non ſumpſerint ad vindictam. Ideòque omnia vndequaque Deorum iura innuit violata, labefactata, ac funditùs euerſa. Quod per interrogationem, inſtandi gratia, effert; nec reſponſum expectat, quia non aliud, quam iuxta ſenſum interrogantis, dari poſſe, ex facto ipſo conſtare, interroganti Deæ videbatur. Quo, igitur, aduerb. loci eſt. Vulgò *Doue?* Sic Virg. Æn. 3.

Quo ſequimur? Quoue ire iubes? vbi ponere ſedes?

hìc tamen emphaticè ponitur, eòq;, ex vi interrogationis,

negatiuè vtitur Ceres, oſtendens ſcilicet, iam Deorum iura periiſse, ideòq; cum nullibi ſint, quæ nulla ſint, quo abierint, interrogat, iura Deorum. Ius a iuſſu, vt quidam volunt, deducitur; quia nil aliud tandem ius ſit, quam quod vel Natura, vel Ciuitas, aut populus, aut gens, vel conſuetudo iubet. Et differt à lege ex eo, quod ius generale ſit, & ſe ſe extendens ad omnes; Lex verò iuris ſpecies eſt, & pars generi ſubiecta: & iterum ius ad non ſcripta etiam pertinet; lex verò tantùm ad ſcripta. Iura itaque Deorum certè non ſcripta ſunt, ſed a natura ipſa Deorum illis inſita, ac cum ipſis nata, inuiolabiliter ab ipſis, inter ſe ipſos ſeruanda. Ius autem omne tribus omninò præceptis abſoluitur; nempè Honeſtè viuendum: Neminem lædendum: Vnicuiq; ſuum eſſe tribuendum. Quod ſi inter homines vigeat, multò magis inter Deos vigorem debuit obtinuiſse. Aſt Aliena rapere certe non eſt honeſtè viuere, nihil enim honeſtum eſse poteſt, quod iuſtitia vacat, vt docet, primo de offic. Cic. Pariter non eſt neminem lædere, cum Prædones certe ſpoliato iniuriam inferant, & lædant: Deniq; qui aliena rapiat, alieniſſimus profectò eſt abs ſuum cuiq; tribuendo. Inſuper, quia iniuſtitiæ duo ſunt genera, vt, primo offic. cit., docet Cic., nempè alterum eorum qui inferunt; alterum eorum, qui ab ijs, quibus infertur, non propulſant iniuriam; in iuſtitiam peccaſſe Cælites arguuntur à Cerere, non ſolum ex eo, quod in raptum conſenſerint, vel Raptori manus dederint; ſed quia iniuriam a Matre, ac Filia, quibus inferebatur non propulſauerint. Ideò meritò, ſpectata Cereris opinione de Dijs in ſe coniuratis, periiſſe Deorum iura: iniuſtos Cælicolas eſse aſseuerat. Adde, quod ius in duplici ſenſu accipi poteſt, nempe & ita, vt ſignificet id, quod ſupra dix., & vt ſignificet aliquid alicui debitum, ſeù actionem iuſtam, quam quis habet ad aliquid exigendum, obtinendum, & poſſidendum: & hoc ipſum ius vnicuiq; ex numero Deorum peculiare, in ſe ipſa, omnibus periiſse, affirmat Ceres, vt oſtendat cauſam ſuam, cauſam eſse Dijs omnibus communem; eoſq; ſocordiæ redarguat, ſi contra offenſorem non inſurgant: & ratio eſt, quia, ſi violatur impunè ius illud, quod Ceres habuit, & vt Saturni, Opiſq;, ſeù Cybeles filia, & vt ſoror Iouis, quippè ex Saturno genita, vt, in reuerentiam Matris, Prolem omnes ſuam venerarentur, quippè ex Ioue ipſo progenitam; Quis cæteros Deos omnes non ſpernat; & quiſnam ampliùs Deorum Numen adoret; cum impia adeò, in ſuum genus, impunè perpetrari, patiantur? Quo iura Deorum?

QVO LEGES POLI CECIDERE? Polus pro Cælo ponitur, vt ſæpe dix. Cum itaque violata Deorum omnium iura generaliter indicaſset, ſubdit, quod deterius eſt, leges ipſas Cæli periiſse. & ſic gradatim auget rei enormitatem. Nam eſto iura Deorum. V. G. maris perturbarentur, non adeò abſonum videretur, cum nil refluis incertius vndis: quod iura prolaberentur inferorum, nec mirum fortaſſis, cum, vbi nulla fides, nulla ibi vigeat lex: Quod ſylueſtrium Numinum iura pereant, quid mirandum? Infima de Plebe ſunt Numina, contemptui ſemper obnoxia. Aſt Cælum, & Cælites, eorumq; iura violari, ſummum profectò abſurdorum eſt. Nam, cum Cæli leges ferant, vt ex eo nil, niſi ſanctiſſimum emanet, vt aſseruit Plato relatus à Pier. lib. hierogl. 3., ſi leges huiuſmodi violentur, quanam aderit orbis parte ſanctitas vlla inuiolabilis? Nota autem inſtantem repetitionis emphaſim in aduerb. Quò, ad oſtendendum, vt ſupra, omnia iura, leges omnes Cælorum, ita periiſse, vt nullibi earum extet veſtigium, tanto a Cælicolis admiſso ſcelere. Inſuper leges, vt dicebamus, dicuntur, quæ ſcriptis demandantur, ordinationes: leges autem Cæli ſyderum caracteribus exarantur, vt vidimus, vbi de Cælorum ſyrenis agebamus. Cum igitur ſancita, ſyderum lege, in Proſerpina, Cereris fęlicitas videretur, eâ iam in infęlicitatem verſa iure interrogat: quo leges poli cecidère? Abière, vel obiere legendum rectiùs eſse, putat Heinſius. Verùm, ſpectata verbi ſignificatione, non video, cur à vulgata recedendum ſit, quamuis Heinſij lectiones non improbem. Cadere ſanè dicuntur omnia, quæ ab ordine, & conſtantia ſua declinantes vacillant, & nutant, atq; in interitum vergere videntur, vt notat eruditè Barth. Quare cum cælorum leges labefactari, Ceres iam dixerit & interire, cur nõ & cadere dicantur?

QVID VIVERE RECTE &c. Poli leges inter, præcipua hæc aderat, etiam Gentilium opinione, vt inſontes præmijs, pœnis autem ſontes afficerentur; & iuxta vniuſcuiuſq; actiones, quibus vel præmium promeruiſset, vel pœnam, illa vtiq; diſpertienda, vt conſtat apud Virg. toto Aen. 6., vbi locum tormentorum, ſontibus, in tartareis antris, conſtitutum, diuerſis diſtinctum ſtationibus, perleges, in quibus diuerſimodè pro delictorum diuerſitate ſontes torquerentur: & iterum inſontibus Elyſios campos, fœlicitate affluentes, præparatos inuenies; atq; hos ipſos, in ſtationes diuiſos, pro diuerſitate meritorum &c. Hanc itaque legem tuere oſtendit Ceres, dum ſe depreſſam, afflictam, profligatam experitur; impios verò in Cælis, nempè Venerem Dianam &c. florentes, exaltatos, & eleuatos ſupra cedros Libani, vt Pſ. 36, cecinit & Regius Vates. Eiuſdem Legis euerſionem in cauſam adducit Auctor noſter, primo in Rufinum, cur interdum vacillent in fide homines; & nullum eſſe Deum aſſerant Atheiſtæ, dum dicit:

Sed cum, res hominum tantâ caligine volui,
Adſpicerem; læteſq; diù florere nocentes,
Vexariq; pios; rurſus labefacta cadebat
Religio, cauſæq; viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo quæ currere ſemina motu
Affirmat, magnumq; nouas per inane figuras
Fortunâ, non arte, regi; quæ Numina ſenſu
Ambiguo, vel nulla putat, vel neſcia noſtri.

Ex eiuſdem legis euerſione argumentum infertur hæreticorum aſſerentium, operationes noſtras nil ad ſalutem noſtram conferre, ſed ex mero libito Dei animas alias eligi, alias reijci nulla habita ratione meritorum; in quorum ſenſu, ſenſus ſuos profert & Ceres dum ait Quid viuere rectè proderit? dum ſcilicet, ex effectu, & me, & Filiam inſontes plecti; Venerem verò, omni ſcelerum imbutam labe, floreſcere, compertum eſt. Memineris tamen, Vatem priùs dixiſſe, deiectam de mente Cererem fuiſſe ex acerbitate doloris, vt non mireris, ſi abſonas in Cęlum ſententias proferat demens, quas tamen nec abſolutè profert, ſed ex falſo illo ſuppoſito, quo & ſe, & Proſerpinam virtutum omnium Idæas ſuâ ipsa effinxerat mente.

QVID PRODERIT. Interrogans vrget, vt: Nil proderit tacite reſpondendum, aſſeueret. Nam particula Quid emphaticè, & non ſine interrogantis indignatione effertur. Prodeſſe verò eſt quaſi pro aliquo eſſe, vt videlicet incolumis ſeruetur, fęlicitate fruatur &c.

VIVERE RECTE. Vitam agere rectæ rationi conſentaneam; ita vt iuſtitiam colamus, virtutem ſectemur; vno verbo, vt declinantes a malo, bonum perpetuo faciamus. Vides verbum viuere intelligendum hic eſſe de vita in actu ſecundo, nempè de actionibus vitæ, non verò de vita in actu primo, quæ in vnione Animæ cum corpore conſiſtit. Supponit itaque Ceres actiones omnes, tam ſuas, quam Natæ irreprehenſibiles fuiſſe, nec tamen illas pro ipſis ſteтiſſe, ne miſerabili clade plecterentur; ex quo deducit, quod ſi inſontibus non profuerint Deabus, multò minus futurum ſit vt alijs in poſterum proſit.

EN CYTHEREA &c. Reddit rationem, cur non ſit profuturum rectè viuere; nempe quia iam etiam qui, non ſolum non rectè viuunt, ſed omni ſcelerum genere inquinantur, proſperentur in Cælis. Immò ſi contrariorum eadem eſt, ex aduerſo, diſciplina, implicite arguit: Malè viuentes proſperantur? Ergo benè viuentes plectuntur, ſicuti & nos plectimur; conſequenter rectè viuere non ſolum non prodeſſe, ſed obſuiſſe: atque, hinc data occaſione acerrimè in Venerem inuchitur, eamque amariſſimè carpit; En quippe increpantis eſt: Et Cytheream Venerem eſſe, ac cur ſic fuerit vocata, vidimus lib. 1. carm. 215.

NOTI PVDORIS. Hoc eſt proſtituti corporis notâ vtique infamis; nam pudorem pro dedecore, ſcelere, & infamia non ſemel poni, ſciunt omnes, qui Epiſtolam Ouid. 11. legerint; vbi ſic ipſe:

Iprumit, & noſtrum vulgat clamore pudorem.

Nota autem dicitur Veneris infamia, quia notum omnibus eſt, eam, vt alibi dix., fuiſſe Meretriciæ artis inuentricem, ac proſtituendæ magiſtram honeſtatis; notum enim dicitur quidquid in vulgus emanauerit, ac per omnium ora volitauerit. Et inſuper nota maximè dicitur, reſpectu Deorum, ob rationem immediatè ſubdendam.

POST LEMNIA VINCVLA. Poſt præpoſitio eſt rerum ordinem, ac temporum, indicans inuicem ſuccedentium. Vincula nomen genericum eſt, quo omnia, quibus ad vinciendum vtimur, comprehenduntur; ſed per Epitetum Lemnia ad ſignificandum rete contrahitur, quo Vulcanus vxorem cum adultero Marte comprehenſam irretiuit. Lemnia namque deriuatum nomen eſt ab Inſula Ægei maris, quæ Lemnos dicitur, Vulcani caſu nobilitata; in hanc enim cecidiſſe, è Cælo deiectus, dicitur; cum ſcilicet eum Iuno, ob deformitatem, auerſata, è Cælo in mare præcipitem dederit, ex quo & claudus effectus ſit, vt dix. lib.

5.

1. carm. 16. *Lemnia* igitur *vincula* dicuntur, hoc eſt à Vulcano, officinam, in Lemno Inſula, exercente, fabrefacta. Sed, qua occaſione, & ad quid, fabrefacta fuerint, ac, quo pacto, in Veneris dedecus conſpirantia, breuibus accipe. Fabulantur, vt notum eſt, Venerem Vulcani vxorem fuiſſe, quæ cum Maritum non adamaret deformem, dum fabrilibus is eſſet operibus intentus, clam cum Marte, bellorum Deo, congrediebatur adultera. Mars Gallum, prædilectum ſibi iuuenem, ſecum adducebat cuſtodem, relinquebatque ad oſtium, vt aduentantes nunciaret, obſeruaretque Solem præcipue, quem maximè Mars metuebat, &, ne rem Vulcano nunciaret, verebatur, propter ſingularem illius cum Vulcano amicitiam. Verùm, Gallo ſemel in ſomnum delapſo, nemine præſciente, Sol adfuit; rem conſpexit, ac Vulcano indicauit, qui, vt par erat, indignatus, tenuiſſimum illicò ex calybe confecit rete, ac circa thorum ita tetendit, vt conſpici non poſſet: mòx vtroſque nudos, illo rete implicatos, Dijs omnibus, ad ſpectaculum accitis, ridendos expoſuit. Audi Ouidianam Leucothoen Metam.4. hæc de Sole dicentem:

Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
Hic vidiſſe Deus: videt hic Deus omnia primus.
Indoluit facto; Iunonigenæque marito
Furta tori, furtique locum monſtrauit: at illi
Et mens, & quod opus fabrilis dextra tenebat
Excidit: Extemplo graciles ex ære catenas,
Retiaque, & laqueos, quæ lumina fallere poſſent,
Elimat: non illud opus tenuiſſima vincant
Stamina; nec ſummo quæ pendet aranea tigno.
Vtque leues tactus, momentaque parua ſequantur,
Efficit, & lecto circumdata collocat aptè.
Vt venêre thorum coniux, & adulter in vnum,
Arte viri, vinclisque, noua ratione, paratis,
In medijs ambo deprenſi amplexibus hærent.
Lemnius extemplo valuas patefecit eburnas
Admiſitque Deos. Illi iacuêre ligati
Turpiter &c. Et ſubdit: *Superi riſere, diùque*
Hæc fuit in toto notiſſima fabula Cælo &c.

Ideò Venus *non poſt Lemnia vincla pudoris*. Et tamen eadem (quod in obbrobrium vergit Deorum hæc probra tolerantium) poſt hæc, inquit Ceres,

AVDET OSTENTARE SVOS VVLTVS; Et quaſi præclariſſimum facinus peregiſſet, impunè non ſolum, ſed iactabunda, ſereni Iouis facie gaudere ſe geſtit, ac ſumma frui tranquillitate. Vides quam altè ab iniuſto, ab indigno Deorum carpat ſenatum, qui talia videat, & patiatur. Quaſi & ipſa dicat cum Armida, apud Torquatum noſtrum Hieroſ. liber. cantu 16.

O Cieli, ò Dei, perche ſoffrir queſt' Empij;
Fulminar poi le torri, e i Sacri Tempij?

Audere enim eſt *ſecuro non minus, quàm impudenti animo* (vt homines perfricatæ aſſolent frontis) aliquid peragere: *oſtentare* verò eſt *apertè non ſolum, ſed & cum procaci quadam iactantia oſtendere*. Naturâ ipsâ inſitum videtur, vt peccantes latibula quærant: quid igitur indignius efferri poteſt, quàm vt gloriabunda adhùc poſt Lemnia vincula Venus oſtentet *Vultus ſuos*; hoc eſt deprauati animi imagines meretricio vultu circumferat, nullis tandem obſtricta pudoribus?

BONVS ILLE SOPOR CASTVMQVE CVBILE PRÆBVIT HOS ANIMOS. Sarcaſmum hic licet adnotare, mordacem nempè prorſus Ironiam, qua bene cum Venere agi ſuperis exprobrat, in obſequium infamiæ, vt hoc pacto confirmet, nil profuturam Innocentiam, eo ipſo, quod ſontes proſperentur. *Sopor* propriè ſomnus eſt: ſed, ab antiquis ſoporem, pro concubitu, ſæpiùs vſurpatum, edocet Barth., & in hoc certè ſenſu aſſumitur à Vate hic. Per pronomen verò demonſtratiuum *ille* ſignat apertè concubitum, de quo loquatur, nempe, de quo ſupra; quem & *bonum* appellat, eo, quòd non ſolum *minimè bonum*, per antiphraſim; ſed ex eo, quod *ſummè malum*, vt de facto eſt, exiſtimetur: ea namq; eſt vis Ironiæ, vt non ſolum aliud ſenſu, aliud verbis, oſtendat, ſed & omninò oppoſitum ſignificet. Addidit *& caſtum cubile* Ironiam proſequens inceptam; *caſtumq; cubile* vocans, per oppoſitum, quod adulterijs conſtabat prophanarum à Venere fuiſſe. Vni autem verbo *præbuit*, vtrumq; adiunxit, per fig. adiunctionem, quia, ex ſe ipſis, inſeparabilia ſunt illa, vt ex facto patet. *Præbere*, *tribuere* eſt, & *impertire*: *Animos* verò, plurali numero, ponunt eleganter Auctores, pro petulanti quadam arrogantia. Sic Cic., pro Cluen., *Noſtis*, inquit, *animos eius, & ſpiritus tribunicios*: Sic Drances apud Virg. Æn. 11. Turno pacem ſuadens.

Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes &c.

mox ſubdit:

Pone Animos, & pulſus abi: ſat funera fuſi
Vidimus, ingentes & deſolauimus agros.

& in hoc eodem ſenſu à Poeta hic vſurpatur; attingit enim ſolitum proſtitutæ fœminæ morem, quæ cum ſemel verecundiam fregerit, nihil iam ſibi non licere arbitratur.

AMPLEXVS HOC PROMERVERE PVDICI. Proſequitur Sarcaſmum adhùc, & *pudicos* ironicè vocat *amplexus impudicos, atq; adulterij ſcelere inquinatos*. *Amplexus* autem pro ipſo adulterij ſcelere ponuntur, nempè ex ſigno res ſignificatur. Vide quæ de amplexibus, in ordine ad connubia, dix. lib. pri. carm. 104.: nam eadem hic dicenda proportione ex oppoſito ſeruata. *Promeruere hoc*: ideſt, vt ipſa ſcelere triumphet; nos verò à ſcelerata Inſontes opprimamur.

NEC MIRVM &c. Per modum Epiphonematis ſententioſum hoc ex dictis deducit. Sententioſum, inquam, nam licet, per correctionem, ſe ipſam hic redarguat Ceres, quod nimia fuerit, in inſectanda Venere, quæ, ſi læſerit, non potuit non lædere, cum Lupa ſit: fueritq; cæterarum oblita, quarum in ſe iniuria creſcat ex eo, quod potiùs Virgines Virgini patrocinium præbere debuiſſent; ſicq; viam adaperiat ad obiurgationes, in Dianam, ac Palladem congerendas; attamen vim ſententiæ habet dictum illud, quo probra Veneris claudit, & viam ſtruit ad alias redarguendas. Sed, vt inſitam ſententiæ vim faciliùs agnoſcas, memineris, in quibuſdam Vitellij Cæſaris numiſmatibus impreſſam fuiſſe honoris effigiem, muliebri inſignitam forma; cuius rei rationem reddens Pier. hierogl. lib. 59. ait: *Honos muliebri forma depingitur, quod mulieres maximè honoris ſtudioſas eſſe deceat*. Et profectò mulier, quæ ſemel honoris ſui curam poſthabeat, perdita omninò dici poteſt, nam facilè in deterrima quæq; prolabetur; cum enim, naturâ ſuâ, labilis quam maximè, & ad delinquendum procliuis, fœmina ſit, vt teſtatur Cyrillus, ſolo honoris fræno coerceri ſolet, quod ſi proijciat effrenata, tunc in numero earum haberi poteſt, de quibus vulgatum illud circumfertur.

Nux, Aſinus, Mulier, ſimili ſunt lege ligati.
Hæc tria nil recti faciunt ſi verbera ceſſent.

Fuſte igitur domanda fuerat & Venus, quæ frænum proieciſſet honoris: aſt, cum impunita non ſolum, ſed iactabunda exultaret; ſequebatur ex neceſſe, vt omnia ſibi licere arbitraretur: nam certè nil periculoſius impunitate eſt, quæ & ad peccandum alliciat, & ſemper in deterius impellat. Iure igitur Ceres ex præmiſſis deducit, non mirandum, ſi nil turpe ſibi Venus exiſtimet; nam, per Phyloſophos, poſito vno abſurdo, multa ſequantur, neceſſe eſt. Nec mirum. Admiratio ex inſolitis, nouiſque, ac præter expectationem cadentibus oritur rebus. Aſt quid noui ferat deſerta proſtituti animi Africa, niſi monſtra, ferasq;? Nil igitur præter expectationem; atq; adeò nec mirum quidquid ſceleris ex proſtituta Venere profluat.

NIL TVRPE DVCIT. Subintellige *ſibi*, nulla, ex dormientibus illi Numinibus, pęna in ipſam euigilante. Et ſic reddit rationem, cur mirum non ſit, ſi & Proſerpinam prodere auſa fuerit; vt ſic ad alias tranſeat redarguendas.

QVID VOS EXPERTES THALAMI &c. Sermonem, Apoſtrophe vſa, ad Dianam, ac Palladem conuertit: atq;, vt nil mirum dixerat, Venerem in turpia omnia prolabentem intueri; ſic, è contrario, oſtendit, ſummopere mirari ſe, quod Virgines meretrici, ac Virginum Raptoribus iungantur: atq;, hinc ſumpta occaſione, in eaſdem inuehitur. *Quid*. Hoc aduerb. interrogandi vtitur, vt acriùs redarguat: quod ex natura ipſa conſtat interrogationis. *Vos* emphaticè ponitur, quaſi dixerit: *Vos*, quas nil minus deceat, quæ ex affinitate ſanguinis, & virtutis, Virgines Virgini fauere debuiſſetis; quibus vel minima inuecta labes, perinde ac macula in Sole, portenti locum obtineat: *Vos expertes thalami*. Expers alicuius rei dicitur, qui nullam illius partem habeat: thalami verò nomine, cubiculum nuptiale ſignificari: atq; ex eo maritales amplexus, lectumq; commune nulli iam in comperto non eſt. Emphaticè id ipſum ponitur; nam, vt ait ſapientiſſimus ille, ſi noſſe deſideras, cuius nam famæ aliquis ſit, aduerte, cui nam ille aſſocietur. Quis igitur Virginem exiſtimet, quæ meretrici adhæreat? Indecorum adeò ſemper Virgini viſum eſt aliquid, quod Venerem redoleat amplecti; vt, non antiquitùs ſolum, ſed noſtris etiam hiſce temporibus, à nouæ Nuptæ ceremonijs, conuiuijſque

uijſque

vſque Virgines omninò arceantur. Ideò portenti loco effertur à Cerere, quod Deæ Virgines, & innuptæ, Veneri fuerint aſſociatæ, ac cum raptoribus conſenſerint, quaſi & ſe ipſas à raptoribus abuehi exoptaſſent. Ex hoc autem ipſo propriam adauget Ceres calamitatem, dum ea etiam, quæ incredibilia, atq; impoſſibilia factu exiſtimanda fuiſſent, facta iam innuit, vt nil extremæ ſuæ deeſſet calamitati. Senſus intercisus eſt, ob ſupra traditas rationes, ſed iuxta data exponendus.

TANTVMNE RELICTVS HONOS? Ab enormitate rei, perfidiam adauget Dearum, quas cum Venere coniuraſſe crediderat; nam enorme profectò eſt, Virginem, poſthabita pudicitiæ cura, meretricibus inhærere. Ideò *Tantumne*, inquit, interrogans, vt exprobret, quod negari non poſſit. *Ne* coniunctio eſt rationalis vim inducens illatiuæ *ergo*; eaq; vtitur Ceres, vt oſtendat, neglectam ab illis pudicitiam, ex facto ipſo euinci; ac conſequenter negari non poſſe. Sic Virg. Æn. 1.

. . . . . . Tantane animis cæleſtibus iræ?

Tantum verò aduerb. eſt, idem hoc loco ſonans, ac *vſq; adeò*, vulgò *ſin à tal ſegno*, vt videlicet & ipſæ nil vobis iam turpe ducatis, in Venerem tranſiſſe. *Relictus*; hoc eſt *neglectus*, *abiectus* vobis eſt *Honos*; hoc eſt honoris cura non minus, quam in conſanguineas *amor*; nam *honos* amorem etiam ſignificat interdum. Quarè & Regina Amata Æn. 12. Turnum precatur, ſi eam amet, ne in bellum prodeat, his verbis;

. . . . Per has ego te lacrymas, per ſi quis Amatæ
Tangit honos, Spes in vnùc vna ſenectæ &c.

TANTVM MVTATA VOLVNTAS? Mutatio nulla fieri poteſt, niſi vel per acquiſitionem, vel per deperditionem; mutatio enim ſemper eſt tranſitus, vel à forma ad priuationem, vel à priuatione ad formam. Quare, dum *mutata* dicitur harum voluntas Dearum, tranſiſſe, innuitur à forma, nempe ab amore virginitatis, quo gloriari ſemper ſolita fuerat, ad priuationem illius, ceſſantibus amoris actibus, quibus virginitatem impenſius colere aſſueuerant. Et quia legale axioma eſt: *quod ſemel placuit amplius diſſoluere non poteſt*; quod maximè locum habere videtur in diuinis, cum certè diuina voluntas immutabilis cenſenda ſit; hinc eſt, vt ex hac mutatione, portenti loco habita, anſam arripiat exprobrandi. *Tantumne*, nam eadem particula interrogantis ſubintelligitur hic: idest *vſq; adeò veſtra mutata voluntas eſt*, vt iam diſpliceat virginitas Venus placeat? Vt voluntas, quæ, ſuapte natura, in bonum fertur, iam à bono refugiat, vt dedecus ſectetur, & malum? Voluntas, ex Stoicorum ſententia definitur eſſe, *quæ quid cum ratione deſiderat*; atq; ideò voluntatem in ſolis ſapientibus eſſe aſſeuerabant Stoici; quæ autem aduerſus rationem incitata eſt vehementiùs, ea (aiebant ipſi) libido eſt, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis inuenitur. Vide quam iure Ceres, portenti loco habendam, aſſerat, huiuſmodi Dearum mutationem. Quid enim mirandum magis, quam quod ſapientiæ Dea in ſtultam degeneret Acum; quod Diana, quæ adeò oculata ſit, vt oculis præeſſe dicatur, iam cæcutiat, & ſapientiæ lucem peroſa ſtultitiæ tenebras ſectetur, cæcum Veneris amorem ſequens, ſplendores virginitatis auerſata? *Voluntas* etiam, pro eodem, interdum ſumitur, ac *fauor*. Mutata itaque *voluntas* dicitur, quia fauorem, quo proſequi virginitatem aſſueuiſſent, deſerentes, ab illa in Venerem deflexiſſent.

IAM ITIS IVNCTÆ VENERI. Ex effectibus mutatam earum comprobat voluntatem. Eoſdem tamen effectus, per interrogationem illis obijcit, vt grauiùs vrgeat: *iam itis &c.* Exprimitur autem hic apertè, per tacitam ad hieroglyphica alluſionem, quidnam ſit id, quod maximam in admirationem adducit; nempe quod Veneri ſint iunctæ Virgines, nec viſcera earum diſrumpantur, occulta quadam conceptę vi impudentiæ. Smaragdum, in hieroglyphicum virginitatis, aſſumptum, teſtatur Pier. lib. hierogl. 41. eo quod experimento compertum ſit, eum, duritie, aliòq; inſignem, nec ideò ſculptoribus facilem, ſponte diſrumpi, ſi ab impudica Veneri operam dantis manu leuiter attingatur: quarè & doctiſſimus Impreſiarum concinnator Picinellus lib. iiij Mundi ſymbolici 33. cap. 32., Smaragdum lemmate inſigniuit *Veneris impatiens*; & apud ipſum Carduccius *Cyprio diſcinditur aſtu*. Quo poſito, nota occultam Emphaſim, in Poetæ verbis latentem; Vos virgines: vos innuptæ: vos lucidiſſimi virginitatis Smaragdi, *iam itis*, per aduerbium temporis præſentis, inito fœdere cum impudica maris filia, eiq; iam manus datis, *iunctæ*, *aſſociatæ*, non corpore tantùm, ſed actione, ac turpitudine; nec viſcera veſtra, ſcelerata commiſtione diſrumpuntur? Quid mirandum magis?

ET SOCIIS RAPTORIBVS. Deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in viâ. Qui autem raptoribus ſponte fidat, quid, ni vt rapiatur, exoptet? *Iunctæ itis ſocijs raptoribus*. Quiſnam vnquam audiuit Virgines in raptum Virginis conſpirantes. Nec feræ in proprium irruunt genus; atq; etiam inter barbaros inuiolabiliter ſeruatur, vt qui eiuſdem ſunt profeſſionis, ſe ſe inuicem tueantur. *Quid igitur vos ſocij iunctæ raptoribus itis?* Vide quam altè aſſurgat Cereris inuectiua.

O TEMPLIS SCYTHIÆ &c. Ex præindicatis, dum inueheretur Ceres in Palladem, ac Dianam, refricatis animi vulneribus, recurrente acceptæ cladis memoriâ, acriùs in iram concitatur, exacerbatoq; dolore, in exclamationem erumpit, vt in ſimilibus euenit, impellente naturâ.

O exclamantis eſt, & animo effertur, ex vehementia doloris, vel iracundiæ, in vehementiores affectus erumpente.

VTRAQVE. A nominibus abſtinet, nam connaturale eſt, vt eos, quibus vehementer iraſcimur, proprijs compellare nominibus dedignemur, ac notis tantummodò quibuſdam contemptum indicantibus ſugillemus potiùs, quam compellamus. Dum autem, *vtraque*, inquit Ceres, oſtendit æque ream, apud ſe, eſſe tam Palladem, quam Dianam, quæ ad cladem filiæ, vt ipſa arbitrabatur, conſpirantes cum Venere, perinde ſe habuerint, ac ſi vnaquæq; ſeorſim, ac ſeparatim ſumpta filiam ipſam peremiſſet, atq; adeò totam cladis culpam contraxiſſet: nam, vt notant interpretes, tunc nomine *vterq;* vtimur, cum ſignificamus, duos ſeorſim idem peregiſſe; ſicut, vice verſa, ſi eandem actionem à duobus vnitim fieri, ſignificare velimus, nomen *ambo* præcipiunt adhibendum.

DIGNA COLI TEMPLIS SCYTHIÆ. Imprecationem hanc eſſe arbitrati ſunt aliqui; ſed immeritò; non enim imprecatur Ceres; ſed improperans obijcit illis immanitatem ſacrorum; quibus illæ iam diù potiri aſſueuiſſent; & contendit, huiuſmodi opprobrium vere, ac iure crudeliſſimis earum ingenijs conuenire. Indirectè autem Deorum hic omnium crudelitatem perſtringit, qui humanis placari victimis aſſueuerint: hocque expoſitum Deorum iuſſu, vt docet Dionyſius Halycarnaſſeus, qui, cum retuliſſet lib. pri. calamitates quibus premerentur Pelaſgi, ob non perſolutas Dijs decimas omnium pretioſiſſimarum rerum, quibus ditarentur, ſubdit: *Sententiam ferente quodam, Deum eſſe interrogandum, an ſibi gratum eſſet hominum Decimas perſolui, miſſi ſciſcitatum miniſtri, quibus reſpondit oraculum, Ita eſſe faciendum.* Quæ certè reſponſio innatam Dijs illis antiquorum feritatem oſtendit. Saturno itaque hominem immolari ſolitum, docet idem Dionyſ. dum ait, apud Heſperias nationes, Saturno ſacra fieri ſolita, in quibus homines cæderentur. Plutarc., in libello de ſuperſtitione teſtatur, Carthaginenſes liberos ſponte ſuos immolaſſe Saturno, &, qui liberos non haberent, ab habentibus emiſſe immolandos. Ioui etiam, Apollini, cæteriſq; Dijs impium hoc ſacrorum genus peractum non diſplicuiſſe, recenſet Mythol. Nat. Com. lib. pri. cap. 18., vbi antiquorum crudelitatem Deorum mirè, dum factis comprobat, exagitat. Quod verò ad Dianam pertinet, ne longiùs aberremus, quis neſciat, eam humanis ſe placari victimis voluiſſe? Græci, expeditione in Troiam ſuſcepta, cum in Aulidem deueniſſent; Agamemnon, eorum tunc temporis Dux, incautè Ceruam Dianæ ſacram dicitur interemiſſe; atq; hinc factum, vt Diana in vindictam exardens, atq; ex Ceruæ ſuæ interfectoribus pœnas repetens, ventos ſtare iuſſerit, ita vt Græcis ex Aulide ſoluere impoſſibile eſſet. Interim, dum Venti expectarentur, peſtis in exercitum graſſari cæpit adeò, vt, ad internecionem, futurum vt deleretur, animis omnium inſederit. Quid, in tanta omnium conſternatione, agendum, cum nuſquam Dux poſſet excogitare; oraculum conſulunt; à quo hæc reddita ſunt: *Iratam Dianam, ſanguine, ex Agamemnonis familia deſumpto, eſſe placandam.* Quarè, Vlyſſis ductu, Iphygenia Agamemnonis filia immolanda ſtetit ad Aras. Huius immolationis mentionem iniicis Virg. Æn. 2., vbi, Sinonis ore, aliud refert oraculum, quo iterum humanâ victimâ placari expoſcerent Dij, illudq; his verbis exarat pronunciatum.

Sanguine placaſtis ventos, & Virgine cæſa,
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quærendi reditus &c.

Alij tamen (quamuis Euripides luculentiſſimam Tragædiam de immolata Iphygenia conſtruxerit, in qua etiã totam ſacrificiorum immanitatem exponit) vt Dianam ab hac eximant crudelitatis nota, dicunt Iphygeniam ductam quidem fuiſſe,

vt

vt immolaretur, ſed non immolatam fuiſſe, quia, Virginis commiſeratione permota, Diana eam ſubtraxerit, ac eius loco Ceruam ſubſtituerit, vel, vt Nicander ait, Iuuencam: ipſamq; Iphygeniam deportatam fuiſſe in Tauricam regionem, vbi à Thoante Rege in honore habita ſit, & Dianæ ab ipſo Sacerdos conſtituta. Verùm, dum Dianam defendunt illi, magis lædunt; nam Taurica regio ea eſt, quæ & Cherroneſus dicitur, Peninſula videlicet, in finibus Europæ, quos Scytham Europeam appellant; eaque Boſphoro Cimmerio, Byce palude, & Carcinite ſinu propemodum circumfuſo, anguſto tantùm Iſthmo continenti adhærens, immitis Dianæ ara, hoſpitum immolatione infamis eſt, ait Lucan. Pharſ. pri.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates horrenſq; feris altaribus Heſus;
Et Tauroſcythicæ non mitior ara Dianæ.

quia ſcilicet, humanis tantùm victimis, eo in templo, Dianæ ſacra facere, in more poſitum fuerit: narrant enim Clemens Sydonius, Ammianus, &, illis prior, Herodotus, in hunc locum, cit. à Parrhaſ., Tauroſcytharum morem fuiſſe, vt aduenas omnes, qui vel rerum ignari illùc appuliſſent, vel tempeſtate coacti eo ſe recepiſſent, comprehenſos Dianæ immolarent; ac ſectarentur præcipuè Græcos, in gratiam Iphygeniæ, quæ, hoc pacto, vicem Græcis rependere ſatageret, pro eo, quod eam ipſi ſacrificare voluiſſent. Quare, ſi Diana, Iphygeniam immolari, non eſt paſſa, id non effecit pietas, ſed crudelitas; voluit enim, vt Sacerdos conſtituta centum, & mille Græcorum hoſtias, vice vnius, hoc eſt vice ſui, ipſa mactaret. Scio alios, ex hoc probro Dianam vindicaturos, aſſeruiſſe, Herodotum retuliſſe quidem morem Tauroſcytharum homines immolantium, ſed non affirmaſſe huiuſmodi ſacra Dianæ fuiſſe dicata; immò contrarium edocuiſſe, in Melpomene, dum ait apertè, non Dianæ, ſed Iphygeniæ, in Dearum album relatæ huiuſmodi ſacrificia, Græcis victimis, fieri ſolita in vltionem &c.; & ſic eſſe intelligendum Herodotum, vbi dicit, *In gratiam Iphygeniæ Sacerdotis*, hoc eſt, quæ priùs Sacerdos, poſtea Dea fuerit, *immolantes*. Cum his ſentire videtur Ouid. pri. de Ponto Eleg. 3. ad Maximum, vbi ait:

Non vacat, in qua ſint poſitus regione Tomitæ,
Quærere, finitimo vix loca nota Getæ:
Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iazyges acres;
Cultaq; Oreſtea Taurica terra Deâ.

per Deam enim Oreſteam Iphygeniam, Oreſtis ſororem, intelligendam ibi eſſe aſſerunt interpretes. Verùm ex eodem Ouid. 3. de Ponto habetur, Dianæ fieri ſolita hæc ſacra, dum ait:

Eſt locus in Scythia, Tauros dixere priores,
Qui Getica longe non ita diſtat humo.
Hac ego ſum terra, Patriæ nec pœnitet, ortus:
Conſortem Phœbi gens colit illa Deam.
Templa manent hodie, vaſtis innixa columnis,
Perq; quaterdenos itur in illa gradus.
Fama refert, illic ſignum cæleſte fuiſſe;
Quoq; minus dubites, ſtat baſis orba Deâ.
Araq; quæ fuerat, naturâ, candida ſaxi,
Decolor à fuſo tincta cruore rubet.
Fœmina ſacra facit, tedâ non nota iugali,
Quæ ſuperat Scythicas nobilitate Nurus.
Sacrificî genus eſt, ſic inſtituêre priores,
Aduena virgineo cæſus vt enſe cadat.

Immò abominandam ipſi Iphygeniæ, quæ ſacris peragendis præeſſet, impiam ſactorum carnificinam, teſtatur Ouid. Ibidem, dum quomodo illùc delata fuerit, & quam ægro animo ſacris præeſſet, ſic ſubdit:

Regna Thoas habuit, Mæotide clarus in ora,
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas feciſſe per auras,
Neſcio quam, dicunt, Iphygenian iter.
Quam, lenibus ventis, ſub nube, per æquora, vectam
Creditur his Phœbe depoſuiſſe locis.
Præfuerat templo multos ea rite per annos
Inuitâ peragens triſtia ſacra manu.

Non ergò Ouid., cum ijs, ſenſit, qui dicunt, non Dianæ, ſed Iphygeniæ, in Deam conuerſæ, humanas, in Tauris, victimas mactari ſolitas; cum hic expreſſe dicat, Dianæ, inuitâ licet Iphygeniæ manu, humanas hoſtias immolari. Quod ſi ex me ſciſcitarentur, cur igitur, loco ſupra cit. ſacrificia illa dicantur *culta Deâ Oreſtea*, facilè reſponderem, Per *Deam Oreſteam*, Dianam ipſam ab Ouid. deſignari; quam *Oreſteam* appellat, quia, cum Diana reliquos omnes inuiſos homines habuerit, ſoli Oreſti viſa fuerit fauorabilis, & propitia; dum, ſeruatâ ab imminenti immolatione Iphygeniâ Oreſtis ſorore, per eam poſtea Oreſtem ipſum, Tauricis aris addictum ſeruauit immunem; quapropter *Dea* dicitur *Oreſtea*. quaſi nulli, præterquam Oreſti, extiterit Dea; ſi verum ſit, Deitati inſitum eſſe, vt faueat, non vt noceat, vt beneficia impertiatur, non autem vt lædat. Oreſtem autem, ac Pyladem a Tauricis captos, ac impiæ damnatos aræ enarrat fusè, eodem cit. lib. 3. loco, Ouid., &, quo pacto, Iphygeniæ pietate factum fuerit, vt & fratrem ipſa agnoſceret, atque, cum immolandis ipſis, ſecum abuehens Dianæ ſimulacrum profugerit, latè proſequitur. Quare, ſi, loco cit. lib. de Ponto primi, per *Deam Oreſteam*, non Dianam intelligere velint, ſed Iphygeniam, Oreſtis ſororem, ſenſus erit. *Culta Deâ Oreſtea*, hoc eſt *culta*, quæ manu Iphygeniæ peragebantur, quæ magis Oreſti Dea fuit, quam Diana; cum, quem Diana victimam expoſcebat, illa, diuina prorsùs pietate vtens, immunem abire permiſit non ſolum, ſed & comitata euntem eſt, vt lætior abiret. Sed iam nimis, licet non abs re, extra chorum ſaltauimus; ad oſtendendum, non ſine fundamento, Dianæ crudelitatem à Cerere exprobari, cum verè, victimis humanis, eam coli ſolitam comprobauerimus. Adde, hunc eidem Deæ, cognomento *Tricolareæ*, Virginem, ac puerum immolari ſolitos, apud Achæos, vt refert, in Achaicis, Pauſanias: quare & hic, cum de Clade Virginis Proſerpinæ agatur, optimè congruit illi exprobatio, ex horrendis ſacris deſumpta. Palladi item, ſub Mineruæ nomine, Laodiceæ Syriæ, Virginem in ſacris immolari ſolitam, oſtendit Parrhaſius in hunc locum. Quamobrem iure merito inquit Ceres: *O vtraque Digna coli &c.* Dignus dicitur, cui aliquid meritò debetur; ideò, attenta crudelitate, qua in Proſerpinam deſæuiſſe credebantur, vtrique debitum aſſerit probrum, quo humani ſanguinis auidæ denotentur. *Coli* verò *honorari* eſt, quod ironicè dictum agnoueris; nam huiuſmodi cultus, vt maximum illis dedecus obijcitur, ſublata deceptione, qua obcæcati, earum cultores ſummum ſic illis honorem tribui, arbitrarentur. *Vtraque digna coli templis Scythiæ*; hoc eſt humanarum laniena victimarum, vt patet ex dictis de templis, & ſacris Tauroſcythicis.

ATQVE ARIS SITIENTIBVS HOMINEM. Seu *ſitientibus hominum*, vt, cum alijs, non inuenuſtè legit Heinſius. Hæc addit Ceres, ne quis ambigere poſſet, aut ſuſpicari, veri, ac meriti honoris gratiâ Deas illas dignas coli templis Scythiæ fuiſſe appellatas, habito reſpectu ad magnificentiam, ac ſumptum, quibus extructa fuiſſent templa illa, potiùs, quàm ad ſacrificiorum immanitatem. Ideò explicatiuè addidit particulam *atq;* copulatiuam templorum cum victimis, de quibus ſupra. Ara locus ille in templis eſt, in modum menſæ extructus, quem & altare vocant, in quo victimæ olim adolebantur. *Anſa* olim dicebatur hic locus, vt autumant aliqui, vel ex Tripodum anſis, quas ſacrificantes tenebant, vt volunt nonnulli; vel ex eo, quod ſupplices aras ipſas tenerent, vt alijs placuit: nunc, mutatâ tandem littera, ex *Anſa* factum eſt *Ara*. Verùm hanc opinionem non ſequitur hic Vates; ſed ethimologiam potiùs græcam reſpicit, iuxta quam, Ara ab *ἀρᾶομαι* deducitur: *ἀρᾶομαι* autem duplicem habet ſignificationem; nam & in bonam partem accipitur pro *oro, precor, imploro*: & etiam in malam flectitur, pro *imprecor, execror, noceo*: ſicuti *ἀρὰ*, apud Græcos, & *orationem* ſonat ſupplicantis, & *nocumentum, imprecationem, & improperia, execrationes*; immò & *cladem* ſignificat. Dignas itaque *Aris* Deas illas vocat, vt dignas execrationibus, imprecationibus, ac maledictis oſtendat, ob acceptas Aras hominum ſemper clade fumantes, ad quas, ſimul, & ſemel, reſpiciens addit *Sitientibus hominem*, ſeu, cum Heinſ., *hominum*. Sic enim auiditatem oſtendit, qua victimis inhiarent humanis Deæ. *Sitire* enim, pro eodem, translatè ſumitur, ac *vehementer optare*. Quare Tomyris, apud Iuſtinum, Cyri caput in vtrem, ſanguine repletam, demergens, *Satia te*, inquit, *ſanguine, quem ſitiſti*: & Silius lib. 3., apud Heinſ. hic,

Atque ille, haud vnquam parcus pro laude cruoris,
Et ſemper famæ ſitiens &c.

Ideò *Sitientibus*, hoc eſt, *auidè cupientibus*, atque ideircò exigentibus humanas victimas. Vbi aduerte, aris tribui, quod proprium Dearum eſſet, poſito ſigno pro re ſignata, ſeu, Aris Deas continentibus, pro Deabus ipſis inexiſtentibus: ſicuti *hominem* dixit, ſeu *hominum*, id eſt humani ſanguinis; ſed artificioſè *hominem* dixit, non *ſanguinem*, vt indicaret, eas non contentas vulneribus, ex quibus, citra mortis periculum, cruor extraheretur, ſed talem voluiſſe ſanguinis hauſtum,

ex

ex quo totius hominis ſequeretur deſtructio.

TANTI QVÆ CAVSA FVRORIS? Excitat Deas ipſas ad exprimendam, ſi quam habuerint, cauſam, cur Proſerpinam furerent, vt, nullam ijs adducere valentibus, deteſtanda magis appareat earum crudelitas, in inſontem inſurgens. Interrogatione autem vtitur, qua nulla ſeſe expurgandi facultas relinquatur: nam *Quæ* pro *qualis* ponitur, vt admirantis ſimul, & interrogantis proprium eſt. *Cauſa* verò eſt id propriè, ex quo, vel propter quod, aut per quod, vel à quo aliquid fit: Sed hic cauſam inquirit, propter quam, verbo inhærens græco καίειν, quod incendium ſignificat, eo quod hæc cauſa ea ſit, quæ nos ad aliquid peragendum incendit: & bene, dum cauſam furoris quærit, incentiuum quærit; cum *furor* incendium ſit cordis, vt ſæpè vidimus. Ideò *Quæ cauſa tanti furoris?* Quanti videlicet, hoc facto, rabiem explentibus: nam *Tantus* ſemper vel tacitè, vel expreſsè correlatiuum trahit *quantus*; & pro eodem accipitur, ac *tam magnus*, *adeo multus*, *excedens adeò* &c. *furor* verò eſt ira grauior, & quæ ferarum potiùs ſit, quàm hominum, nedùm Dearum: & quia *furor mentes ad omnia accendit* exiſtimatur; Vide quàm aitè Deas, hac vna voce Ceres perſtringat.

Sed ne tandiù furoris æſtro detineamur, vt & ipſi in furorem verti credamur, mitiori iam ſtylo, quid moribus imbuendis faueat, interpolata Cereris inuectiua, perſcrutemur.

HÆRET ADHVC SVSPENSA CERES &c: Quamuis Ceres, quæ rationalis facultas eſt, vt dix., audierit ex bono Genio, ſeu Angelo cuſtodiente, Proſerpinæ perditionem ex proprijs eiuſdem partam concupiſcentijs; hæret tamen adhùc; & adhùc culpas ſuas refundere conatur in Cælum: &, quaſi impium ſit legale illud, iuſtiſſimumq; decretum: *Qui peccat in vno, factus eſt omnium reus*; &, quaſi, inſuper, nullum eſſet delictum, ſi Anima, vnita corpori, corporeis oblectetur; carnem non maceret, ſed foueat Veneri non reſiſtat; mundique nibſequatur illecebris; iniuſtè punitam, audet dicere, Animam; & nil rectè viuere profuiſſe: Alios peccaſſe, & tamen Cælo frui; Latronem rapinis ſuis, rapto tandem Cælo, Colophonem impoſuiſſe: Magdalam proſtitutam, in Cælis nihilominùs, triumphare: Saulum crudelem, humanique ſitientem cruoris, Vas electionis factum &c. Proſerpinam autem ſuam, horum exemplis deceptam, inſontem periſſe; Ideò toto conquerens bacchatur Olympo: reddite: vociferans, quaſi iniuſtè raptam iure aſſerat reddendam: nec meminit, quòd ſi Proſerpina ſua ſecuta fuerat errantes, ſequi & debuiſſet pœnitentes, ne in perditionem incideret. Iactat ex Ioue originem: ſed non meminit, ſe ſimul & filiam, errando, degeneres extitiſſe. Dolet quod cæleſtes virtutes, protectione ſua, animam deſeruerint: ſed non meminit eas Iuſtitiæ, meritò punienti obſiſtere non potuiſſe, quæ libertati, qua male vſa eſt Anima, derogare non potuerint. Quærit quæ cauſa Cælum mouerit ad perdendam animam; ſed fruſtra cauſam quærit extra ſe ipſam, quæ ſola in cauſa fuerit perditionis, cum filiam reliquerit incuſtoditam. Sibi igitur doſtram relinquentes, quibus iam vocibus Italicæ fides Cererem proſequantur, attendamus.

Reſta pur anche, à sì doglioſi accenti,
Più che mai dubia, attonita, e confuſa,
Di Cerere la mente: e, de gl'euenti
Nel certo, incerto ogni ſuo ſtudio accuſa;
Volge l'aſpra cagion de ſuoi tormenti,
A parte, à parte; e nel penſier deluſa,
Cio, che fù, quaſi hor cada; e 'l crudo artiglio
Quaſi hor cali al ghermir, trema al periglio.
Quindi tutta ſi ſcuote, e biecchi i lumi
Ruota alle ſtelle, in forſennato aſpetto:
Batte il ſuol: morde il deto: e 'n neri fumi
Vedi sbuffar queſta nouella Aletto:
Volge il tergo a gl'alberghi; e, gl'alti Numi
Mentre minaccia, ebro di furie, il petto;
Gia già, di ſtragi in diſuſata foggia
Per auuolger il Cielo, al Ciel ſe 'n poggia.
Qual tigre hircana, à cui dal nido i figli
Scithico cacciator tremante inuola;
Poiche fur, d'aſportargli, i ſuoi conſigli
Dell'Achemenio Rè ſcherno alla ſcuola;
Mentr'ei, ratto sfuggendo i ſuoi perigli,
Sprona vn corſier, che, nel fuggir, ſe 'n vola;
Freme la Madre; e del ladrone in traccia
Spinge ſe ſteſsa; e, ſenza poſa, il caccia.
Al fremito rimbomba, al corſo, trema
Scoſso il Nifate: e non rallenta i ſdegni
L'offeſa belua; anzi dell'ira eſtrema
Macchian ſue macchie, in lor trasfuſi i ſegni:
Del Zefiro marito e ſcarſa, e ſcema
(Quantunque il volo accelerar s'ingegni)
Sembra la forza, in paragon del corſo,
Con ch'ella vola al vendicar co 'l morſo.
Già lo ſcuopre, il raggiunge, e già ſpalanca
Del ventre alle voragini profonde
Gl'aditi horrendi, ad ingoiar; mà franca
Gl'oppon difeſa, ond'ogni riſchio affonde,
Quello, à cui, per ſottrarſi, arte non manca:
Stere, di vane imagini feconde,
Gitta. A l'Imago ella di ſe s'affide,
Ch'i parti crede: ei gli s'inuola, e ride.
Tal per à ponto, inuiperita i campi
Tutti ſcorre del Ciel Cerere offeſa;
E già, da gl'occhi allo ſcoppiar de i lampi,
Par, che s'infiammi ogni lor ſfera acceſa.
S'agita, ſi dibatte, ò più s'auuampi
L'incerta furia, al vendicarſi inteſa;
E, con voce di tuono, in alte ſtrida,
Rendete: ò là: per tutto intuona, e ſgrida.
Non ſon io già di vago fiume vn germe;
Ne, con la più vil plebe hebbi i natali:
Ninfa non ſon del boſco, e non, tra l'erme
Rupi, ſfregio l'honor de gl'immortali:
Ne ſon'io da ſprezzar, quantunque inerme
Non tratti la mia man l'armi fatali:
Son Figlia al gran Saturno, e mi diè in luce
Quella, che pur fù madre al ſommo Duce.
Il douer, la ragione, i dritti auiti
D'ogni Nume oue ſon? Doue ſe 'n giro
Del Ciel le leggi; e dell'Olimpo i riti?
Che gioui hauer d'alma innocente al giro
D'ogni virtude i più bei fregi vniti?
Ecco Ciprigna, à cui l'infamie ordiro
Publico manto; e pur trionfa altiera
Poi, ch'in rete d'acciar fatta è guerriera.

In giro ſe circumuolent in ſolar dant antiqui.

Sì sì. Dal dolce ſonno, in cui ſi giacque,
Specchio dell'honeſtà, con Marte auuinta;
Dal caſto letto, oue reſtar gli piacque
Sotto 'l nemico ed abbattuta, e vinta,
Queſto ſpirto faſtoſo in lei ne nacque,
Onde ſe 'n và di ſue baldanze hor cinta:
Sì. Queſte glorie à lei produſſe al certo
Di que' pudichi ampleſſi inſigne il merto.
Ah che pur troppo è ver; che, s'in non cale
Ponga vna volta il ſuo natio roſſore,
Donna impudica, ad ogn'ecceſſo hà l'ale.
Che s'è impunita, approuation maggiore
Non cerca all'opre indegne: e, quanto vale,
L'infamie ammaſſa; e le ſi ſtima honore.
Quindi non è ſtupor, s', in tai progreſſi
Gnidia, per faſto hà i più nefandi ecceſſi.
Mà voi: voi di laſciuie al tutto ſchiue;
Voi, ch'abbhorrite anche di nozze il nome;
Voi macchiate il candor, perfide Diue?
Così dunque ſon fatte odioſe ſome,

Che

Che ſi gittan da voi neglette, e priue
Del ſuo ſacrato honor virginee chiome?
Qual sì diuerſa voglia in voi s'alligna,
Ch'vnite à ladri ſuoi v'hebbe Ciprigna?
O ne tempij di Scithia ambe del pari
Ben degne Deità d'vn culto inſano,
E de fumanti ogn' hor, barbari altari,
Non mai ſatij al verſar del ſangue humano!
Qual furor ſi v'acceſe, onde s'impari,
Co'l voſtro ſangue ancor ſtile inhumano?
Qual cagion; qual motiuo à tanti ſdegni
Spiegò di guerra inferociti i ſegni?

Belligeris hic tertita mentionibus Muſa conticeſcit, vt Nos ſubinde attentiùs ad claſſicum ab Auctore pulſatum regrediamur.

Quam mea vel dicto tenui Proſerpina læſit?
Scilicet hæc charis pepulit te Delia ſyluis:
Aut, tibi commiſſas rapuit Tritonia, pugnas?
An grauis alloquio? Veſtros an forte petebat
Importuna choros? Atqui Trinacria longè,
Eſſet ne vobis oneri, deſerta colebat.
Quid latuiſse iuuat? Rabiem liuoris acerbi
Nulla poteſt placare dies. His increpat omnes
Vocibus. Aſt illæ (prohibet reuerentia Patris)
Aut reticent; aut noſse negant; reſponſaq; Matri
Dant lacrymas. Quid agat? Rursùs ſe victa remittit,
Inq; humiles demiſsa preces, ignoſcite, ſi quid
Intumuit pietas; ſi quid flagrantius actum eſt,
Quam decuit miſeram. Supplex, miſerandaq; veſtris
Aduoluor genibus. Liceat cognoſcere ſortem.
Hoc tantùm: liceat certos habuiſſe dolores.
Scire peto quæ forma mali. Quamcumq; dediſtis
Fortunam, ſi nota, feram; Fatumq; putabo,
Non ſcelus. Aſpectum precor indulgete Parenti,
Non repetam quæſita manu. Securus habeto
Quiſquis es. Affirmo prædam. Deſiſte vereri.

QVAM MEA VEL DICTO &c. Inſtat adhùc Ceres, ſuam proſequens inuectiuam, vt aſſignent, ſi quam poſſint, cauſam Diuæ, cur perditam voluerint Proſerpinam; ac varias ipſa enumerat interrogationibus vrgens, certa, non niſi negatiuam poſſe ab ipſis ferri reſponſionem. Sed tacentibus, aut ſe conſcias negantibus illis, ac lacrymarum tantummodo tributa rependentibus, cum, nil ſe proficere, animaduerteret, animos demittit, atq; ad ſubmiſſas preces, obſecrationeſque conuertitur: nec, *Reddite*: vlteriùs inclamàt; ſed tantùm, vt inuiſere liceat, obſecratur. Prædam, cedens Fatis, ſe affirmare profitetur, ne, ſuſpicione futuræ ad recipiendam violentiæ, & ab euentuum cognitione, & ab intuitu, quem peroptaret, Filiæ, crudeliter arceatur.

QVAM MEA &c. Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt, ea Epiſtola Iacobi, tertio; & ideò linguam ſimilem, iure merito, dixerunt aliqui, Carduo Sylueſtri, vndequaque acutiſſimis conſito ſpinis: &, non ſine ſale, acutiſſimus quidam *Carduo*, in hieroglyphicum ſatyricæ linguæ aſſumpto, lemma illud inſcripſit: *Non niſi aculeos*: vt Hiſtrieis in morem, ſpinas vndiq; eiibrantis lingua ipſa indicaretur, quæ quia adeò lubrica eſt, vt via coerceri poſſit, eam dentibus obuallatam voluit natura, ne tàm facilè laberetur. Idcircò igitur Ceres, vt nullam aſſignari poſſe irarum comprobet cauſam, Filiam ne verbo quidem deliquiſſe aſſeuerat; ſed, per interrogationem vrget, vt, negare non valentes, ſuæ habeat aſſertionis teſtes, vel inuitas, eas ipſas, quibus perfidiam obijciebat. Particula *quam* vim induit partitiui, vt vides, & pro *quamnam ex vobis* ponitur, vt vnamquamq; Deam, ſub disiunctione interrogans amplectatur. *Quam læſit*. *Lædere* eſt *aliquid damni alicui inferre*: quod indifferenter dicitur, tàm ſi dicto, quàm ſi facto, iniuria inferatur. Verùm, vt arbitror, adhæſit hic Vates opinioni eorum, qui credunt, verbum *lædo* deductum ex græco *Λοιδορεω*, quod propriè ſignificat *maledictis*, & *conuicijs quempiam inceſſere*: ſic enim aptiſſimè hoc verbo vtitur in ſubiecta materia.

MEA PROSERPINA. Quomodo *mea* inquit, cum iam non ampliùs in ſua, ſed in aliena eſſet poteſtate? Legum inuentricem, memineris, Deam eſſe, quæ loquitur, eamq; legalibus innixam fundamentis, locutam fuiſſe, non miraboris. Quantumuis enim rem ſibi vſurpet aliquis alienam, eam nunquam, per legis peritos, faciet ſuam; quippè rei dominium ſemper penes ſpoliatum remanet, non penes iniuſtum vſurpatorem, licet actualis poſſeſſio ſit apud raptorem, non apud ſpoliatum. Quamuis igitur in poteſtate Raptoris eſſet Proſerpina, non ideò manumiſſa a matris poteſtate cenſenda fuerat. Ideò *mea*; licet, iuxta diuerſam conſiderationem, *mea tam non mea* dicere potuiſſet & illa; ſicuti de fide ſua dixit ſubindè, apud Taſſum Hieroſ. liber. Canto 16. Armida, cum ait:

Struggo la fede noſtra, anch'io t'affretto.
Che dico noſtra? Ah non più mia: fedele
Sono à te ſolo Idolo mio crudele.

VEL TENVI DICTO. *Vel* pro *ſaltem*: & vim habet aduerbij excludentis, perinde, ac ſi dixiſſet: *ne tenui quidem dicto*. Nomen eſt hic *Dictum* à dico deriuatum, & pro quauis accipitur dictione: *tenue* autem, per tranſlationem, dicitur *dictum*, quod nullius ferè conſiderationis ſit; & nil propemodum aculei habere poſſit ad lædendum, licet, apud delicatiores aures, habeat tandem.

SCILICET HÆC &c. Excluſis offenſionibus, ex dicto: ad iniurias deſcendit, quæ ea facto inferri potuiſſent. eaſq; enumerat aſſertiuè quidem, ſi ſonum ſpectes verborum; ſed negatiuè, ſpectato ſenſu, cum & verbis vtatur apertè ironicis, & interrogatione vrgeat, cui non niſi negatiuè reſpondeatur. *Scilicet* aduerbium affirmantis eſt, idem, ac *certè*, *profectò* &c. Sed maximè, vt notat, cum communi, Parrhaſ., ad ironiam accommodatum, ac fere ſemper ironicè vſurpatum. Sic Dido, Æn. 4., cum Æneas ab ipſa ſe inuitum diſcedere profiteretur; ſed monitu Deorum cogi &c., vt commentitias oſtendat cauſas ab eo adductas, ironicè affirmans, ait:

Scilicet is ſuperis labor eſt: ea cura quietos
Sollicitat &c.

Vtitur itaque hoc aduerb. & Ceres, vt quid erroneum prorsùs, improbabile, atq; incredibile a ſe profiteatur aſſerri: & interrogatione inſtat, vt illud fieri non potuiſſe, concedendum vel ab inuitis oſtendat. Quod ſpectat ad pronomen *Hæc*, inquiunt Grammatici, in quo differant pronomina *Hic*, *iſte*, *ille*, cum vnumquodq; demonſtratiuum ſit rei, aut perſonæ: & dicunt, differre ea eo, quod pronomen *Hic* dicatur de perſona, aut re loquentis, vel ſaltem illi proxima, ac cohærente: *Iſte* dicatur potiùs de perſona audientis vel ad illum pertinente: *Ille* verò de tertia aliqua perſona & à loquente, & ab audiente remota. Cum itaque Ceres Proſerpinam vocaſſet *ſuam*, iure eam notat per pronomen *Hæc*.

PEPVLIT TE, DELIA, CHARIS SYLVIS. Sicuti antea, per Apoſtrophen, ad vtramq; ſimul ſermonem conuerterat, vt vtramq; ſimul Deam accuſaret: ſic in præſenti, vt vnamquamq; ſeparatim in iudicium vocet, & cauſam indicat dicendam, ad vtramq; ſeorſim apoſtrophem dirigit; nam, quia diuerſas vtraq; fortaſſis allegare cauſas potuiſſet in ſui defenſionem; recta iudicij forma expoſcebat, vt vnaquæque ſeorſim conueniretur. Primam itaque Deliam alloquens vrget, vt cauſam dicat. Et, quamuis prohibitum, per leges, Quæſitoribus ſit, ſuggeſtiuas reo interrogationes exhibere, iis tamen vtitur Ceres, vt, in confidentiam ſuæ culpæ, anſam præbeat accuſatis defenſionum, ſi quas poſſint, intexendarum: cum nouerit, eas nullam iracundiæ cauſa prætexere potuiſſe. A Delia autem incipit, quam proprio nomine compellat, ne diſſimulare poſſit, ſibi ne, an alteri cauſa indicatur; & hanc primam aggreditur, vtpotè quæ integritati magis eſſe debuit addicta; atq; adeò ratione perſonæ, quam emphaticè deſignat per demonſtratiuum *Te*, creſceret crudelitatis crimen; quod non adeò abſonum cenſeri potuit, reſpectu Palladis, ex eo, quod armati ſolutiores à pietatis legibus videantur, nam

Nulla fides pietaſq; viris, qui caſtra ſequuntur.

Porrò *pello*, à quo præteritum geminatum *pepuli*, idem eſt, ac *aliquem vi ex loco dimouere; vt illata de poſſeſſione deiectio, & abigo &c.* ſic Celæno, apud Virg. Æn. 3. ad Troianos ait:

Bellum etiam pro cæde boum, ſtratiſq; iuuencis,
Laomedontiadæ, bellum ne inferre paratis
Et patrio inſontes Harpyas pellere regno?

Grauiſſimum profectò ſcelus fuiſſet, ſi è ſyluis Dianam pepuliſſet Proſerpina. nam de perturbata Iuriſdictione, meritò compellari rea potuiſſet; immò & crimen læſæ maieſtatis admiſiſſe cenſenda procul dubio fuiſſet; quia in Dianæ venationum principis tutela ſyluæ ſunt omnes, eiq; hominum, Deorumq; iuribus addictæ. Ideò aptè interrogat Ceres, num huiuſmodi ſcelus machinata fuerit Proſerpina, vt Deliam *Syluis, & charis ſyluis*, ideſt quas *delicias ſuas*, ac ſuauiſſimæ ſibi iucunditatis fęcundas reputaret venatrix. Sed qui id fieri poterat? Cum Proſerpina adeò cederet viribus, vt Dianæ arcum vix mollibus intentare digitis poſſet.

AVT RAPVIT TIBI, TRITONIA &c. Dianâ affirmare non auſâ, ad Palladem conuertitur, quæ à Tritonia palude Tritoniæ nomen ſortita eſt, vt alibi dix., &, per coniunctionem diſiunctiuam *aut*, eam ſecundo loco ad cauſam dicendam prouocat, ac ſuggerit, vt, prætexere & ipſa, ſi valeat, cauſam poſſit. Per vocandi caſum compellat, ob rationem ſupra traditam, in *Delia*. *Rapere* eſt *aliquid à domino Domina, aperta vi, & impetu, ac cum quadam celeritate, contemptum indicante, auferre*: quod certè, ſine inanimæ ſpoliati iniuria, fieri nequaquam poteſt. Ideo quærit, an rapuerit Proſerpina &c. *Tibi* autem emphaticè dixit: quaſi diceret: hæc imbellis rapuit *tibi* bellorum Præſidi: hæc Inermis *tibi* armorum neruo: hæc imbecillia *tibi* ſtrenuæ, animamq; valoris circumferenti.

PVGNAS TIBI COMMISSAS. Repeto demonſtratiuum *tibi*, nam duplici, ac ſi geminatum hic eſſet, fungitur officio; ſupplet enim & datiuum damni, reſpectu verbi *rapuit*, & datiuum fauoris, ac dignitatis, reſpectu participij *commiſſas*. Bellorum præſidem fuiſſe Palladem, ſatis nouimus: quarè, ex illius manu bellorum adminiſtrationem violenter eripere, crimen læſæ maieſtatis, & perturbatæ pariter Iuriſdictionis fuiſſet, vt de eijcienda ex ſyluis Delia, iam diximus. Ideò *aut rapuit pugnas &c.* ideſt prælia, dimicationes, certamina, quæ pugnæ nomine deſignantur, vt notat Donatus, eo, quod ante vſum ferri, atq; armorum, pugnis, calcibus, ac morſu decertare ſoliti fuerint antiqui; ex quo factum, vt a *pugno*, quo ſe inuicem tundebant, pugna dicta fuerit dimicatio. Et *pugnas*, inquit, *tibi commiſſas*; hoc eſt Protectioni tuæ, directioni, atq; arbitrio traditas tuo, à natura videlicet ipſa tua, quæ te armatam protulit, atq; ea Deorum conſilio, quo tibi datum eſt, vt pro libito vel ſedes ſtatuas, vel euertas, &, quibus viſum fuerit, vel ſecundas, vel aduerſas, tuo numine, efficiendas.

AN GRAVIS &c. Mirabili ſemper methodo, Auctoris noſtri ingenioſiſſimum decurrit acumen; ſed in eo maximè præcellit, in quo Naturæ mores imitatur. Perpende, quæſo, hanc iratæ Cereris conciſam vndiq; orationem, interruptam, refluam, incertam: & facile animaduertes, quam bene nouerit, & præcepta artis ad praxim reuocare, & iracundiæ motibus obſecundare. *Motus iracundiæ*, inquit Oratorum Præceptor eruditiſſimus Cauſ. lib. 8. cap. 35., *mordaci viſu præclarè interdum temperantur*. Nota, quot Sarcaſmis conſita Cereris inuectiua decurrat; & quam acri, ac mordaci riſu, cauſas ſuggerat iracundiæ interrogans, vt videat accuſatas defenſionem, licet oblatam, arripere non valentes. Mens iratæ Oceano fluctuanti ſimilis eſſe dicitur, ex Cauſini Tragœdia, cui Titulus inſcribitur *Felicitas*, actu 2., vbi ait:

Iras non capit cordis ſalum.

ex quo factum, vt mari in ſymbolum irati cordis aſſumpto, inſcriptum fuerit lemma: *Sordida vomit*; ſeù etiam *Iras non capit*. Vidiſti, quo pacto, iras non caperet Cereris pectus, dum Tigridis in morem

Infremit, & toto Genitrix bacchatur Olympo.

Vidiſti, quam ſordida in Deas euomuerit, dum, quidquid exprobrari potuit, in illas pleno ore effudit; vt de ea prorſus videri poſſit locutus Saluator Carduccius, cum dixit:

Non capit Oceanus ſpumantes fluctibus æſtus,
Non ſecus irato corde procella furit.

Sed, quoniam fluctuantes incidimus in æſtus, perpende, quam incerto furore fluentibus, ac refluentibus vndis agitatum mare aquarum miſceat furias: & bene noſces, hac ipſa de cauſa iratum cor Oceano æſtuanti fuiſſe comparatum, Æn. 4., vbi de Didone habetur: *Magnoq; irarum fluctuat æſtu.* Nam vere & ira in corde fluctuans æſtuat vndarum fluxu, ac refluxu, ideſt incerta affectuum agitatione incertiſſimum ſemper oceanum repræſentans. Quare & irati ſermo interruptus verticibus frangitur, conciſis tumultuat; & modo huc, modo illuc excurrens in nullis ſiſtitur, dum in multis illiditur, & ſæpè refluo curſu, vnde diſceſſerat, in idem reuertitur. Quæ qui ſine confuſione miſcuerit, perfectè naturam imitantis laudem adeptus profectò fuerit. Aſpice iam Auctoris noſtri, in huiuſmodi permiſcendis ſolertiam. Modo enim Ceres in Cælicolas omnes inuehitur: modò Venerem vnam contumelijs onerat: modò Palladem ſimul obiurgat, ac Dianam: modò vnamquamque ſingillatim laceſſit: & tandem nunc in vtramque iterum inuehitur, vtramque iterum vocat in iudicium: & quæ, ne dicto quidem, Proſerpinam deliquiſſe iam oſtenderat; & nec facto ſubindè iniurioſam vlli fuiſſe, profeſſa fuerat, iterum ad dicta reuertitur, ſed cum diſtinctione tamen, vt ſiim confuſione, in ipſa ſui confuſione, procedat. Cum diſtinctione, inquam; nam, ſupra, de dictis in genere locuta eſt, hic verò de collocutionibus loquitur, quæ inter Filiam, ipſaſq; Deas miſceri præſentialiter; & amicè quidem potuerint: aliud eſt enim profectò abſentem mordere dictis: aliud præſentem conuitijs proſequi. Sed horum vtrumque genus amplexa Ceres, cum dixerit *Quam mea vel dicta ſonus &c.* Hic iam inuentionem ingerit illius moleſtiæ, quæ à verboſis nimium afferri ſolet, cum ſcilicet, in ſaniorum cætu, adeò garriunt aliqui, vt faſtidium caſtigatis auribus pariant. In quo nota poeticæ degradationis artificium, quo ſcilicet à maximis ad minima deſcendit, vt quò magis minuitur furoris cauſa, eò etiam magis, cauſâ illâ ablatâ, gradatim ex oppoſito creſcat furoris impietas. Ideò *An grauis &c.* *An* interrogantis eſt, & quidem de eo, quod affirmari non poſſit: atque idem valet, ac *Numquid*. *Grauis*; hoc eſt, moleſta, importuna, infeſta: & ſubintellige *fuit*, quod per ſynecd. fig. reticetur, vt interciſus ſermo magis congruat iratæ. Qui autem *moleſtus* eſt, *grauis*, per translationem dicitur, quia intolerabilis, grauiſſimi inſtar ponderis, eſt.

ALLOQVIO. Ab alloquor; hoc eſt *ſermone vobiſcum habito*, modo quo ſupra explicato.

AN FORTE IMPORTVNA &c. Aliam, quæ afferri poterat, cauſam exprimit, ſub diſiunctione; &, per interrogationem obijcit negandam, *An* in eodem, ac ſupra ponitur ſenſu, licet vim etiam habeat diſiunctiuæ, quæ ideo poſita fuit geminata. *Forte* idem eſt, ac *caſu quodam*, & quaſi *per fortem*, vt innuat prudentiam Proſerpinæ, quæ inconſideratum nihil perageret, ne caſu quidem, eas lædere, potuiſſe. *Importunus* verò dicitur, qui aliquid facit præter rationem loci, temporis, aut perſonarum. Ideò peccare in leges vrbanitatis dicitur, qui non vocatus ſeſe aliorum cætui immiſceat. Quare importunitatis notâ iure ſignata fuiſſet Proſerpina; ſi, hoc pacto, ſe Dearum cætibus, aut temerè, aut frequentiùs inſeruiſſet; nam, vt ait Italus quidam,

Il troppo conuerſar genera noia.

PETEBAT CHOROS VESTROS. Ideſt *veſtros cætus intempeſtiue turbabat adueniens?* In ſuſpicionem exploratoris facilè incidit, qui ſe cætibus aliorum ſimul colloquentium applicet impudenter, vel temerè immiſceat, quaſi accedat, quæ dixerint, percepturus, &, ſi quid carpendum dixerint, delaturus. Ideò aptè vtitur hic Vates verbo *petebat*, quod interdum pro eodem accipitur, ac *exploratrices tendere inſidias*; vt ex Tullio habetur, qui pro Plancio ait: *Quo magis me petiuerunt, tanto maiorem his fruſtratio dolorem attulit.* Licet igitur hic *peto*, pro *accedo*, ponatur, acutè tamen hoc potiùs, quam alio verbo vſa eſt Ceres, vt ſinem notaret non concedendum. *Veſtros* autem *choros* dixit; hoc eſt *vos tantummodo admittentes*. Chorum, pro cætu, accipit Parrhaſ. hic; nec immeritò: ſed, vlteriùs, arbitror, Poetam hoc nomine vſum, vt innueret, quæ nam agerent; vel de quibus nam agerent Diuæ, in ijs quos ſimul haberent congreſſibus; eoſq; ideò *Choros* dixiſſe, quia certè tractant ſemper fabulas fabri. Quare congreſſus Dianæ, & Palladis non niſi *Chori* fuerant appellandi; nam, vt alibi vidimus, *Chorus* eſt *conuentus canentium, ac ſaltantium*: Scimus autem Deliam Choris, & muſicis inſtrumentis ſummoperè delectatam, vt ea Homero in Hymnis, notat Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 18., Palladem pariter tibiarum inuentricem, atque harmonici concentus excogitatricem fuiſſe, docet idem Auctor lib. 4. cap. 5., idq; ex Ouid., Metam. 6., deduxit: nam ibi Vates Tibiarum inuentionem Tritoniæ attribuit, quibus ſubinde Marſias ab Apollo victus fuerit.

. . . . Exemtum ſatyri reminiſcitur alter,
Quem Tritoniacâ Latous arundine victum

Affecit

Affecit pena &c.

Et quamuis dicatur Pallas, inuentum poſtea ſuum aduerſata, ob deformitatem vultus intumeſcentis ex flatu, quo vti neceſſe eſt, ad concinnatos calamos inflandos, Tibias proieciſſe; non tamen à choreis abhorruiſſe dicenda eſt, cum immò, in ipſis velitaribus prælijs, chorearum ſimilitudine, viſa ſit, delectari; leues namque illæ pugnæ, curſu in girum acto, ineundæ præcipiuntur, vulgò *caracollando*. Quid igitur, in earum congreſſu Dearum, præter choros, ageretur; aut de quo, niſi de Choreis inter Virgines illas ſermo eſſet?

ATQVI COLEBAT &c. Propoſitis interrogationibus, per figuram ſubiectionem, reſpondet & ipſa, ſilentibus illis, quibus reſponſionis incubuerat cura; & rationem adducit, qua impoſſibilia factu oſtendat ea omnia, quæ, per interrogationes propoſita fuerant. Coniunctio aduerſatiua eſt *Atqui*, idem, ac ſed: emphaticè tamen poſita: nam ſenſus eſt: *Aſſ tantùm abeſt eam vobis moleſtam eſſe potuiſſe, vt potiùs in remotiſſimas relegata regiones deliteſceret; dum colebat &c.* hoc eſt *habitabat*, vt alibi expoſuimus.

DESERTA TRINACRIA. Vtitur numero plur. pro ſing. per Synecd. Deſertum autem locus eſt inacceſſus, incultus, inhabitabilis, in quo vix feræ, nedum homines degere poſſint. Sed qui conueniat floridiſſimæ hoc nomen Siciliæ? Et certè hic Sicilia Deſerti nomine deſignatur; nam eam Trinacream appellatam nouimus lib. pri., vnde ortum habuit deriuatiuum *Trinacrius* adiectiuorum more inflexum. Verùm primo quidem ceſſabit difficultas, ſi memineris, quæ iam diximus hoc eodem lib. carm. 212. quia videlicet *Deſertum* aptè dicitur totus terrarum orbis, nedum minima eius pars Sicilia, ſi cum Cælo, quod deſeruerat, compareiur. Secundò nota Siciliam, Deſerti nomine, appoſitè, & conſultò, *Deſertum* appellari, per Sarcaſmum, vt ſibi notam oſtendat Ceres, atq; eodem tempore carpat doloſam Veneris fraudem, quæ, loco ſupra cit., inhoſpitalem terram, Proſerpinæ carcerem, abominandum receſſum, repræſentauerat Siciliam, vt illius odium credulæ nimis Virgini ingereret.

LONGE. Subintellige à Dearum commercio; immò & à locis Dearum cætu frequentatis ſemota. Nam *Longè* aduerb. diſtantiæ eſt, idem ſonans, ac *procùl*, & *longo procùl interuallo*.

NE ESSET VOBIS ONERI. In deſerto degentes, ſupra homines, eſſe, aſſeuerauit Ariſtoteles pri. Politic. 3. Quarè ne quod quietis, & ſecuritatis cauſa factum fuerat, ſuperbiæ imputaretur, quaſi Proſerpina ſe à conſortio ſegregaſſet Dearum, vt, ſupra Deas, ipſas ſe ipſam extolleret; eo quod de Virgine clauſa dictum fuerit: *Non viſa præfulget*: cauſam finalem oſtendit, quæ eius animum mouerit, ad ſolitudinem incolendam: nempè vt, in obſequium ſecederet, ne moleſta illis, aut alloquio, aut conſuetudine eſſet: vulgò *Per non eſſerui d'incommodo*.

QVID IVVAT LATVISSE? Emphatica interrogatio, & quæ plus dicat, quam dicit: continet enim Proſerpinæ calamitatis exagerationem ampliſſimam; ad quam eruendam, memineris, abiſſe iam in prouerbium vulgatum illud: *Feriunt altos fulmina montes*: cui è conuerſo correſpondet illud Senecæ in Hippolit. actu 3. *Minus in paruos fortuna furit*. Sicuti ex oppoſito, in Agamem., dixerat: *feriunt celſos*

Fulmina colles; corpora morbos

Maiora patent &c.

quibus, noſtris etiam hiſce temporibus, ſubſcripſit Iacobus Gaddus:

Emiſſa Cælo vindice montium (inquiens)

Culmina ſuperbum ſpecula verberant

Ferire quæ parcunt Penates

Agricolarum humileſq; caſas.

Sic Torquatus Hieroſ. liber. can. 7. paſtorem induxerat dicentem: . . . . *Sì come il folgore non cade*

In baſſo pian, mà sù l'eccelſe cime:

Così 'l furor di peregrine ſpade

Sol de gran Rè l'altere teſte opprime,

Ex his autem acutiſſimè deducens concluſionem, neceſſariò ex præmiſſis eliciendam, Fuluius Teſtius oſtendit, humilem, atque in ſolitudine degentem vitam, tutiſſimam eſſe, & ab omni procsùs fortunæ ictu immunem, dum tertia ſuæ Poeſ. parte moraliter ludens cecinit,

Ben dal Ciel forza di fulminè

Delle torri atterra i culminè;

E ſfondrate

Lacerate

Suol laſciar alpine cimeri.

Mà di Gioue irata deſtra,

Se tuonò

Non toccò

Baſſo monte, humil gineſtra;

E di canne in vil ricouero,

Stan ſicuri i Paſtor poueri.

La tua gioia mai non varia,

Bella vita ſolitaria.

Hiſq; conſiderationibus innixus Seneca, in Octauia, circa finem, humiles in ſolitudine caſas tutiſſimas decantabat inquiens . . . . . . *Bene paupertas*

Humili tecto contenta latet.

Quatiunt altas ſæpè procellæ,

Aut euertit fortuna domos.

Et Seneca Moralis Epiſtola 10. ſolitudinem amplecti tutiſſimum eſſe ſic dictitabat: *Sic eſt. Non muto ſententiam. Fuge multitudinem; fuge paucitatem; fuge etiam vnum. Non habeo, cum quo te communicatum velim: non inuenio, cum quo te malim eſſe, quàm tecum.* Quod in cauſa fuit, vt Capaccius in ſymbolum prudentis, ſe ſe in abſcondito detinentis, teſtudinem erexerit, eamq; induxerit dicentem: *Intra me maneo*; inde Pater Gambertus in hieroglyphicum ſecuritatis, qua fruitur, in ordine ad ſui conſeruationem, qui clauſtris in abſcondito detinetur, Niuem aſſumpſit, in cauerna montis ſepoſitam, ita vt vix per anguſtum foramen, ſeu aditum, cerni poſſet cum epigraphe, ex hoc Claud. textu emergente: *Latuiſſe iuuat*. Alcibiades Lucarinus, his omnibus ſpectatis, ac veritate alliciente, in eiuſdem ſecuritatis argumentum, ignem pinxit, quam cineres contecturæ aſcenderent; & induxit dicentem: *Seruor, non perdor*. Sic, in figuram Principis, rarò in publicum prodeuntis, Mercurij ſtella in vicinitate Solis latens erecta fuit ab alijs, cum lemmate: *Sic latuiſſe iuuat*. Hæc omnia, ſolidiſſimis cæteroqui firmata ſententijs, improba Proſerpinę eluſit, euertitq; fortuna. Quare nil mirum, ſi Ceres, interrogatione ad exprimendam iracundiam concinnata, in vehementem eruperit affectum: *Quid latuiſſe iuuat?* Cui, non niſi *Nil latuiſſe iuuat* poſſit, ex facto ipſo, reſponderi. Quid patheticum magis efferri potuit, quæſo? Dum eam nil eorum, quæ ad effugiendos fortunæ ictus, ad declinandam Deorum iram, ad ſecuritatem in ſolitudine ſtatuendam conferunt, iuuare potuit.

RABIEM LIVORIS ACERBI &c. Epiphonema eſt, nempè ſententioſum ex præfatis dictum aptiſſimè deductum; quo ſcilicet & rationem reddit, cur nil Proſerpinam iuuerit latuiſſe; & vberem in Inuidiæ peſtem adſtruit inuectiuam; eiuſq; notam Dearum frontibus inurit acerrima Ceres, iuxta illud, quod inſinuauit Electra Nutrix ſupra, cum ait:

Inſidias Superum, cognataq; vulnera cernes

Inuidiæ &c.

Inuidiæ amuletum inuenturam fuiſſe Proſerpinam, crediderat Mater, longe à Superis relegatam, humiliq; in loco degentem; nam, vt poſtea docuit Ouid. lib. de Remed. 5.

Summa petit liuor: perflant altiſſima Venti.

cuius ſubindè auctoritati innitens Iacobus Gaddus, initio ſuæ Poeſis, quam humilem reputabat, ſic librum ipſi ſuum alloquitur.

Inuidia trepidant ſolum excellentia fulmen.

I liber. Inuidiæ fulmine liber eris.

Verùm, cum vulnera vidiſſet cognatæ inuidiæ, fateri coacta eſt, *Inuidiæ telum* quouis eſſe clypeo ineuitabile fulmen, vt nuper expreſſit, in Impreſijs ſuis Abbas Certanus, cum Clypeum fulmine tranſuerberatum, effractumq; aſſumens, hoc addito inſigniuit lemmate:

Troppo debil riparo à sì gran colpo.

Quod cum præter naturam ipſius inuidiæ videretur ex dictis; ne paradoxorum efformatrix cenſeretur Ceres, illud ea refundit in naturam Dearum, dum dicit *Rabiem liuoris acerbi*, vt ex dicendis patebit: quaſi dixerit: *Alta tantum, fateor, inuidia ferit, humilia negligit*: Sed ſi ſermo ſit de inuidia crudelitati coniuncta, qualis eſt illa Dearum, quas ſcythicis dignas templis appellauimus; iam huius inuidiæ telo competit lemma illud, quod falci apponitur Mortis, nempè *Nullo flectitur obſequio*. Ideò

NVLLA DIES &c. *La lontananza ogni gran piaga ſalda*: tritum eſt apud Italos effatum, quo Amoris amuletum eſſe inſinuent, ſi ab amato obiecto ſeparemur longo & locorum, & temporum interuallo. Sed hoc ipſum, ad extinguendas ſuccreſcentis iracundiæ flammas, optimum haberi, experientià ſui ipſius, docuit Architas, qui ſeruorum ſuorum iniurià quàdam culpabili irritatus, ſtatim, terga vertens, abijt, ſeſeq; ab illis elongans, ait: *Valete; nam ego iratus vobiſcum ſum*. Antenodorus verò procliui ad iracundiam

Cæſari præcipiebat, vt, priuſquam aliquid, irâ excandeſcente, faceret, græcum mente percurreret alphabetum; vt ſcilicet, mora illa iniecta furor tepeſceret. Nil Proſerpinæ diſtantiam profuiſſe locorum iam dixerat Ceres; iam rationem reddit ex eo, quod neque diuturnitas temporis interpoſita, quæ quoslibet alioquin vehementiſſimos affectus permulcere ſoleat, & delinire, hanc Dearum inuidiam potuerit imminuere. Hoc eſſe Inuidiæ proprium quarto modo, vt non ſolùm non minuatur tempore, ſed in dies immò magis augeatur, docet Parthaſ.; & rationem aſſignat, quia quiſquis hac perturbatione laboret, ne ijs quidem, quos fidiſſimos habeat, turpiſſimum hoc morbi genus audeat detegere; atq; ita, dum in profundo pectoris ægritudinem fouet, inteſtinis curis exeditur; ſicuti inclulus magis æſtuat ignis; ac neq. medicum, neq; remedium vllum admittit, niſi ex eorum, quibus inuidet, calamitate. Verùm, vtcumq; hoc veriſſimum ſit, videtur tamen, reſpectu humanæ inuidiæ, aliquam poſſe, ex dictis, exceptionem pati; ſaltem ſpectata communi hominum ſententia, quæ vult, inuidiam tepeſcere, vbi is, cui inuideat, inuidi nequaquam oculis ſubijciatur, ſed obſcuro diutiùs loco detentus deliteſcat; hoc enim ſpeciem quandam calamitatis, & miſeriarum præfert, qua exſaturata miteſcat inuidia. Ideò Vates, ne exceptionem patiantur, loqui ſe innuit de inuidia Dearum; hoc eſt de inalterabili Naturæ immutabilis paſſione, quam videtur adumbraſſe Plutar., in moralibus, vbi ait: *Arbores inuidæ, veniſaque, ſubnaſcentes arbuſculas vmbrâ ſuâ premunt, nec ſinunt efflorescere*: vt videlicet innuere ſuperiorum Inuidiam inferioribus ſemper pernicioſam. Ex quo figuram aſſumens eruditiſſimus Picinel. Epigraphen addidit: *Subnaſcentes ſuffocat*. Venus, ac Pallas primatum certè, ſupra ſororem Proſerpinam, ſibi ipſis vſurpabant. Proſerpina autem, licet longè ſemota, ſub cælo tamen, in quo illæ degerent ſuccreſcebat, ideò ſemper inuidiæ expoſita, vmbriſq; earum obnoxia. Ideò *Nulla dies &c.* *Nulla quies* legendum eſſe, cum Belgicis quibuſdam lib., contendit Barth., & cum eo Heinſ., & alij, qui dicunt, lectionem noſtram, quæ Parthaſ. adhæret ineptam eſſe. Non equidem inficiabor, & Heinſianam lectionem rectè procedere, eiq; aptè rationem reddi, cur nil Proſerpinam iuuerit latuiſſe, quia ſcilicet, vt ipſi dicunt, nulla quies, nulla ſolitudo, latebra nulla, nulla tumultuum, & turbarum fuga, nulla obſequens modeſtia, poteſt à nocendi propoſito inuidiam auertere. Scio, ex hac vniuerſali propoſitione, rectè particularem inferri, nempè nil mirum ſi nec Proſerpinæ quies inuidiam placare potuerit Dearum. Sed non video, cur illi Auctores ineptam appellent Parthaſ. lectionem, quæ & id ipſum dicat, & vlteriùs peruicaciam huius exprimat Inuidiæ, quæ ne temporis quidem, quo affectus omnes ſedantur, beneficio, demulceri potuerit. Certè hac habita lectione, & crudelior apparet Inuidia, & maior infelicis calamitas. Ideò *Nulla dies &c.* Alibi vidimus, nomen *Dies* ſub fœmineo genere vſurpatum non accipi, vt plurimum, pro commenſurato, apud nos, vigintiquatuor horarum tempore; ſed ſignificare potiùs indeterminatum tempus, & quidem diuturno prolabens curſu: ac proindè idem eſt dicere *nulla dies*, ac *nullum tempus*, vt patet ex Virg. Æn. 9. vbi ſic loquitur:

Euryalus: Me nulla dies tam fortibus auſis
Diſſimilem arguerit &c.

ideſt *nullum erit tempus, quo me poſsint arguere &c.* vt exponunt Interpretes. Et in eodem ſenſu hic.

POTEST PLACARE. Indomabile dixit Inuidiæ monſtrum D. Baſil., de Inuidia, inquiens: *Quod animal tam agreſte, quod feritate non vincant Inuidi? Canes namq; educatione manſueſcunt; Leones obſequio tractabiles fiunt; Inuidi tantum officijs agreſtiores fiunt.* Quarè fruſtra tempus teritur ab eo, qui Inuidum placare ſtudeat. Ideò *Nulla dies*, quamuis continuatis ſtipata officijs, *poteſt placare*; ideſt manſuefacere, mitemq;, ac placidam reddere.

RABIEM LIVORIS ACERBI. Inuidiam cani aſſimilat Plutarc., in Moral.; Sed rabidum ego Canem lubentiùs appellauerim, quippe quæ, cum ſine latratu, & quaſi fugiens mordeat, præcaueri, euitariq; non poteſt: atque hùc reſpexiſſe Vatem non ambigo, dum Inuidiæ furores *rabiem* compellauit: nam *rabies* morbus propriè canum eſt, quo, veluti furore quodam acti hùc, illùcq; rapiuntur; nec vllum quietis locum reperiunt. Et profectò, quæ maior dici, aut excogitari rabies poteſt (inquit Parthaſ.) quam paſſim, vt quiſq; virtuti maxime intendit, inuidere? & ijs in primis à quibus beneficio prouoceris? Quippe, quò maiora in Inuidum beneficia conferuntur, eo magis dolet, turbatur, angitur: plus namq; mæroris ex alterius officio, atque bene de ſe merendi facultate ſuſcipit, quam ob oblata beneficia voluptatis. *Liuor* color propriè plumbeus eſt, quo quia Inuidorum vultus inficitur, *liuor*, ab effectu ipſo, Inuidia dicitur: *Acerbus* autem, hoc eſt crudelis, barbarus, inhumanus, quæ cur dicantur in ſubiecta materia, iam ſatis ex ſupra dictis conſtat.

HIS VOCIBVS &c. Ne, prolixa nimis tædio afficeret Cereris oratio (quod contra intentum Poeſis, quæ delectandi munus ſectetur, fuiſſet) eam apta interruptione reſcindit; atque hiſtoricè interſerit, quomodo ſe habuerint Deæ tot, iniuriâ, conuicijs laceſſitæ non magis, quàm miſeratione in afflictam permotæ. *Vox* hic ponitur, pro clamore, ſpectata *vocis* deriuatione à τῷ βοᾷν, quod eſt clamare: ideò *his vocibus*; hoc eſt *clamoribus*, vt correſpondeat ijs, quæ ab initio dixerat *redditae vociferans*

INCREPAT OMNES. *Increpare* eſt *vehementer, atque acri cum ſtrepitu redarguere omnes, Cælicolas* intellige: nam licet de Deabus illis præſertim conqueri videatur; omnibus tamen ſucceſuit, cum dixit: *Quo iura Deorum? &c.* nam hoc fuit in ſcelus vocare Deos omnes, qui ſceleratis conniuendo auctores ſcelerum fierent.

AST ILLÆ &c. *Aſt* coniunctio aduerſatiua eſt, quæ ex enarrata Cereris agitatione tranſitum præbet ad exprimendam Dearum, in hoc ſtatu rerum, moderantiam ſimul, & commiſerationem. *Illa* emphaticum eſt, nempe illæ Deæ tot probris appetitæ, tot conuitijs exagitatæ, tot querelis in iudicium accitæ &c.

(PROHIBET REVERENTIA PATRIS) Hac interpoſita parentheſi, indicat, permotas adeò Deas fuiſſe, vt facilè futurum fuiſſet, vt rem totam ex ordine Cereri aperirent, ni Iouis obſtitiſſet prohibens decretum, de quo initio huius lib. *Prohibet ſententia Patris*: legendum contendit Heinſ., cuius ego lectionem optimam vtique fateri non abnuerim, quippe apertè magis, ac proximum magis motiuum aſſignet, quod Deas ab aperiendis arcanis deterruerit: Sed nec vulgatam, quæ & Parthaſ. eſt, auſus fuerim improbare; ideoq; eam ſecutus, ſic explico. De *reuerentia* vide dicta lib. 2. carm. 234., cum hac tantum diuerſitate, vt, ſicuti ibi de reuerentia agitur exhibita Iouis voluntati, per ſigna expreſſæ, ſic ingeritur hoc loco reuerentia illa, quæ expreſſo per apertas voces decreto eiuſdem Iouis, a filijs vtique, & ſubditis, debeatur. *Prohibere* autem eſt *impedire, ne quid fiat*. Per ſynecd. verò fig. reticetur, quid prohibeat, quia ſatis ſuperq; intelligi potuit, ſpectata naturali inclinatione, quam quiſque habet ſeſe a noxis immunem aſſerendi: Interrogatus quidam ſapiens, quidnam eſſet illud, quod nemo domi ſuæ adeſſe velit, prudentiſſimè reſpondit: *Culpa*. Et profectò etiam perditiſſimus quiſque, ſed ſemper inculpabilem oſtendere, nititur: quod ſi nullus alius id aſſequendi modus exiſtat, culpam ſuam in alium reijcit, vt ipſe innocens, in ipſo ſcelere appareat. Sic Pilatus Auctorem Vitæ, impia ſententia, damnauit; ſed culpam, crimenq; reiecit in populum, cum, manus lauans, inquit: *Innocens ego ſum à ſanguine Iuſti huius &c.* Adam cum peccaſſet, culpam reijcit in vxorem: *Mulier quam dediſti mihi &c.* Eua culpam reijcit in Serpentem: *Serpens decepit me &c.* Sed, quam rei ipſi a ſe reijcere, conantur; multò magis qui verè inculpabiles ſunt, & culpantur immeritò. Nam quis non ardeat, ſi eiſibi crimina imputentur, quæ ne excogitauerit quidem, nedum admiſerit? Non poteſt ingenuus candor pati maculas, alieno liuore efformatas, ac in ſe ipſum, vt ab extrinſeco maculetur, malignè ingeſtas. Inſontis exiſtimationem alienis lacerari calumnijs, non patitur innocens; & culpam, quam non admiſit, ſibi adſui, nequaquam tolerat: culpa enim adeò in ſe monſtruoſa, deformis, & horrida eſt, vt nemo non impudentiſſimus audeat ſe illi inhærentem fateri. Quare, horridum culpæ aſpectum ſignificaturus eruditiſſimè, Lurcatinus Ranæ corpus depictum animauit Epigraphe *Et informis ex orta*. Quomodo igitur huiuſmodi monſtrum ſibi impoſitum tacitæ ferrent Diuæ? Venus quidem, cum negare non poſſet, certè culpam in Iouem reieciſſet, qui iuſſerit: *Semel immodo Sicanos &c.* lib. primo: atque adeò totam telæ ſeriem retexiſſet. Pallas, & Diana inſontes proteſtatæ vtique fuiſſent, ſe Virgini non defuiſſe: immò ad arma deueniſſe, nec Patruo ceſſiſſe, donec confeſſus Iupiter Generum repreſſerit: ſicq;, vt ſe ipſas exonerarent, rem totam explicuiſſent. Et profectò ad ſuprema vſque labia vox defenſionis aſcenderat: Sed prohibuit reuerentia Patris, ne decretum de non prodendo violarent raptore.

AVT RETICENT, AVT NOSSE NEGANT. Per coniunctionem disiunctiuam, diſtributionem exorditur affec-

tuum

tium in ipſis reſpectiuè Deabus exſurgentium: & quomodò Cereris querelas eluſerint, graphicè deſcribit. *Aut reticent. Quæ tacet conſentire videtur*, ſeu veriùs *Quæ tacet nec conſentire, nec diſſentire videtur*. Quare dictum eſt hoc reſpectu Veneris, quæ cum negare non poſſet, ſe, per fraudem, Raptori Virginem expoſuiſſe, conticuit, vt neque veritatem fateri, contra decretum, neque eam apertè negare, vt à ſe culpam auerteret, cogeretur. Adde proprium Veneris eſſe, vt, furta ſemper ſua ſilentio contegi, ſtudeat; ideò & hic, quæ acta fuerant, ſilentio premit, & reticet. Reticent tamen & aliæ expectantes forſan paulisper, vt viderent, num, quæ in culpa erat, prior alloqui vellet; cum tritum videatur, vt qui maximè culpabilis eſt, prior etiam defenſiones exordiatur: ideò Vates plurali vtitur numero *reticent*. Sed, cum illa ne hiſceret quidem, aliæ, ne intempeſtiui ſilentij coniecturà cauſam ipſæ ſuam prodere, & querelas ſilentio veras, ſeque læſæ Virginitatis reas fateri, viderentur, breuibus reſpondent, & *Neſſe negant*. *Neſcire* autem eſt rei notitiam habere, vt alibi dix. Atqui, inquies: Quomodo id negent Deæ? Num mendacijs vti Deas decet? Aut igitur dicendum, non, in hac ſignificatione, textum explicari poſſe: aut Vatem contra morum imitationem turpiter peccaſſe. Verùm facilis eſt reſponſio; nam aliud eſt mentiri; aliud eſt incautum eludere, ingenioſà æquiuocatione interpoſita; aliud eſt falſum deponere; aliud verò eleganti aliquo ſubterfugio veritatem reticere. Duplex igitur notitia (quod ad rem præſentem ſpectat) conſiderari poteſt; alia, quæ verſetur circa factum; alia, quæ verſetur circa participationem criminis, quam penes ipſas fuiſſe accuſatorio more inſinuauerat Ceres. Notitiam facti non negant: notitiam criminis, penes ipſas exiſtentis, negant. Non negant igitur, ſe ſcire, raptam fuiſſe Proſerpinam, & à Plutone raptam. Sed negant, ſe conſcias eſſe impoſiti criminis. Duo continebat Cereris inuectiua: primum erat eas, expertes thalami, ſeſe Veneri addixiſſe, ac Virginis raptoribus ſe ſe prædes præbuiſſe: alterum autem erat, hoc ab ipſis perpetratum ex liuore, odio, ac tabie in Proſerpinam inſontem, quam perditam omninò vellent. Geminum hoc accuſationis telum, vehementiſſima dicendi vi, atq; acerbiſſimo conquerendi modo, vibratum fuerat à Cerere in inſontes, quas ipſa ſontes exiſtimabat, non tantum, vt exprobraret; ſed vt, inflicto vulnere, cogerentur detegere Raptorem, vt ſe ipſas defenderent. Reſpondent Diuæ, ſe neſcire, ſe non ſibi conſcias eſſe eorum, de quibus accuſarentur, ac ſic fruſtratum eludunt finem Cereris apertiorem facti confeſſionem, ac manifeſtationem extorquere conantis. Imitatur itaque potiùs adamuſſim Vates falsò accuſati naturam, & mores: nam, ſi quis nobis crimen imponat, cuius conſcij non ſimus; *neſcio quid dicas*: reſpondere, ſolemus profectò: nam licet ſciuerimus, crimen ab alijs commiſſum, neſcimus quid dicat, quatenus commiſſum à nobis dicit, quod verè neſcimus, nos commiſiſſe. Ideò dixi has particulas ad Dianam, & Palladem referri, non ad Venerem, quæ certè negare ſe conſciam furti non poterat.

RESPONSAQ; MATRI DANT LACRYMAS. Alienis collacrymari miſerijs, pignus eſt animi eniſè miſerentis, ſed in cuius poteſtate non ſit, releuetur vt miſer. Tales hic Deas, nempe Palladem, & Dianam, deſcribit Vates. In quo libet adnotare, quàm aptè morum ſeruet æquabilitatem: nam, lib. 5., cum *reuerentia Patris obſtitit ambobus*,

Inuitæ ceſſere Deæ: compeſcuit arcum
Cum gemitu &c.

nil mirum, ſi & hic morem ſeruent, & lacrymas reſponſionis loco profundant, in afflictæ Matris tributum. Perpulchrè autem *Dant lacrymas*. Primò quidem, quia, ex inſtinctu data Naturæ Arma dicuntur puerorum, ac virginum lacrymæ, ad quas, cùm nullum aliud ad ſui defenſionem, patere videatur effugium, vltrò vtique confugiunt. Sic Euryalus apud Virg. Æn. 5. cum timeret, futurum vt à Salio præmium ſibi ſuperati certaminis eriperetur; nec, quo pacto, ius ſuum tutaretur, imperitæ illius ætati in promptu eſſet, lacrymis perorauit.

Tutatur fauor Euryalum lacrymæq; decoræ.

Dido Æn. 4., cùm nil ad detinendum valeret Æneam lacrymis orat: *Per hasego te lacrymas &c.*

Armida apud Torquatum Hieroſ. lib. can. 16., Amaſio diſcedente, *Volea più dir, ma l'interruppe il pianto,*

Che qual fonte ſorgea l'Alpina pietra.

Aluida, apud Cycnum Crucis, lib. 27., cùm ad Heraclium ſe tranſtuliſſet, in eius poteſtate futura, donec Caſſirius Heraclij filius, Coſroæ captiuus Patri redderetur incolumis, rogante Heraclio, ſe filiam Regis, licet hoſtis, apud ſe, ne liberam quidem, nedum in vinculis, habiturum remeans illa, quà venerat, vndam vallo circumfuſam.

Vaſſene diſperata; e'l lago accreſce
Co'l triſto humor, che da begl' occhi gl' eſce.

Sic itaque & Diuæ falsò inſimulantur, falsò redarguuntur: probra nec ferre poſſunt, nec refellere; immò nec licet illis ſe ipſas expurgare, ne in Iouis incidant indignationem, rem totam patefacientes; quare nil mirum, ſi doloris pondere preſſum diſtillet pectus in lacrymas. Secundò amantis non, minùs, quàm miſerentis eſt; immò & cuiuſcumque, qui humanitatem prorsùs non exuerit, alienis, ac præcipuè amicorum miſerijs ingemiſcere, &, ſi prodeſſe non poſſint, lacrymarum ſaltem tributa perſoluere. Sic Aeneas, apud Virg. Æn. 4. anguſtias Didonis cernens eum detinere conantis, ac neceſſitatem ſibi Iouis iuſſu impoſitam diſcedendi, cui repugnare nefas eſſet, cum nil aliud poſſet in lacrymas ſoluitur.

Mens immota manet: lacrymæ voluuntur inanes.

Rinaldus loco cit. apud Taſſum, cum Armidam ſemimortuam reſpiceret, diùn, vt ait Vates,

Dura neceſſità ſeco ne'l porta.

cum nil aliud poſſet, lacrymis indulget diſcedens; ita vt Vates Armidam excitet, vt ex ijs ſolamen hauriat intuens.

Apre la miſera gl' occhi. Il pianto amaro
Ne gl' occhi al ſuo nemico hor che non miri!

Pari itaque paſſu, apud Auctorem, Diuæ hoſtilis animi arguebantur à Cerere, & tamen amantes erant, ac miſerabili genitricis aſpectu ſummoperè mouebantur. Dediſſent profectò libenti animo manus, poſtulatis ſatisfeciſſent non ſolum: ſed & fœdera iuniſſent in raptorem: aſt, reuerentia Patris prohibente, cum nil aliud poſſent *Dant lacrymas*. Videas, num patheticè magis decurrere potuerit breuia hæc Dearum commotionis enarratio? *Reſponſa Matri dat lacrymas*. Pondus interdum vocis & lacrymæ habent, inquit Ouid. 3. de Ponto, ad Coniugem.

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

Ideò Vates, Dearum lacrymas, non reſponſionis locum tenuiſſe, dixit, ſed abſolutè *reſponſa* connexis per appoſitionem ſubſtantiuis appellauit. Reſpondendum fuerat Cereris querelis, defenſiones ornandæ, oppoſitæ delendæ labes; ſed vſum linguæ præoccupans eripuit fletus, at fletus, mutà quadam facundià eloquens adeò, vt Deas, apud Cererem abſolueret, conceptumq; ab ea, compeſcens odium, eiuſdem animi mutauit affectum: nam quomodò hoſtiles animos habuiſſe cenſendæ fuerant, quę afflictæ calamitatibus lacrymas impertitentur? Quomodo crudeles, quæ tam teneros ſeruarent affectus, vt vel exprobrantis, ingerentiſq; conuicia illacrimarentur ærumnis? Quomodò Inuidæ, quæ, tantum abeſt, vt alienis gaudeant malis, vt potiùs, tanti infortunij ſenſu, diſſoluantur in lacrymas? En igitur, quàm facundæ fuerint oratrices lacrymæ illæ, quæ reſponſa fuerint *Matri*. Porrò motiuum, per hanc particulam *Matri*, emphaticè poſitam, exprimit lacrymarum. Dolent cognata vulnera: dolent Saturniæ Prolis infortunia: ſed magis dolent *Matris* acerbiſſimas vices. Quantus enim orbatæ Matris dolor inſurgat, nullus profectò, qui neſciat, quid ſit eſſe Matrem, exprimere ſatis poterit, & vix ſatia mente concipere. Aſt Deæ, quarum cognitionem nil lateat, ſatis iam deprehenderant; ideò in lacrymas effunduntur. Sed quid tandem hæ lacrymæ obtinuerint, attendamus.

QVID AGAT? En primum profuſi fletus effectum Cererem nempe, iam dubiam ſententiæ ſuæ, addubitantemq;, ne immeritò tam acriter in inſontes inuecta fuerit, atq; ideò metuentem, ne, irritatis Dearum animis, negari ſibi, quod optauerat, promeruiſſet. Idcircò *Quid agat?* An Deas iterum premat, vt, ad defenſionem coactæ, quid de Proſerpina actum ſit, fateantur? An veniam oret, quòd immeritò offenderit? Si iniurià læſerit, ſe non audiendam iam fore ſuſpicatur: Si iuſte; iterum eſſent increpandæ; ſed profuſæ obſiſtunt lacrymæ, quæ innocuam ſuggerunt voluntatem. *Quid agat?* Vide quantam hæc addubitatio excitet commiſerationem? Conſimili, ni fallor, agitatione perturbatum video Æneam, apud Virg. Æn. 4., vbi de eo, inter obedientiam præcipienti diſceſſum debitam Ioui, & lacrymas Didonis, quas animo conceperat, æſtuante ait Poeta:

Heu quid agat? Quo nunc Reginam ambire furentem
Audeat affatu? Et quæ prima exordia ſumat?

Similem pariter, in re diſſimili, commotionem excitat Torquatus Hieroſ. lib. cant. 16. in Rinaldo, ſemimortuam Armidam conſpiciente.

Hor che farà? Dee ſù l'ignuda arena

Ceſſai

Coſtei laſciar, verò ſtà viua, o morta?
Corteſia lo vieton, pietà l'affrena;
Dura neceſſità ſeco ne'l porta.

Auctor autem noſtrum non deſcribit quem æſtum in animo Cereris Dearum accenderint lacrymæ; nam facilè ex antecedenti, conſequentiq; contextu, ab habente ſenſum, iuxta dicta deducitur.

RVRSVS SE VICTA REMITTIT &c. Delectationis mater eſt varietas, quam, vt natura in rebus, ſic in oratione ars, & ipſa, quæ conficitur ex arte, ratio prudenter obſeruat: inquit Rhetorum Præceptor Cauſ. de Eloq. lib. 8. c. 12.: ex quo etiam deducit, non omnia vnico affectu pertexenda; ſed prout rerum, actionumq; diſſimilitudo poſtulabit, grata diſparitate permiſcenda. Hoc præceptum, qui apprimè nouerat, ſecutus Auctor noſter, miram hic affectuum permixtionem inſerere voluit; hoc ipſum poſtulante rerum, actionumq; varietate. Nota itaque mirabile prorſus Vatis artificium. Auctrices infortuniorum Deas inſinuauerat Electra, Cælumq; proditionis auctorem: *Cognata vulnera cernis Immedia &c. Phlegra nobis incenſior æther.* Hinc ardet Ceres, furit, bacchatur; & quaſi Cælum, terramq; aueat permiſcere, magnis complet clamoribus orbes: *reddite vociferans &c.* Superbo ſe ipſam faſtu laudat ab origine, à probitate vitæ &c. Alias deprimit, ac præcipue Deas proditionis inſimulatas inſectatur, vrget, premit, & exagitat: ac iterum Filiæ virtutes extollit, modeſtiam exagerat, obſequium deprædicat, ſolitudinem amplificat: & rurſus ad conuitia regreditur in Deas; Inuidas appellat, flagitioſas &c. vno verbo implacabilem vbique furorem ſpirat. Mutandus tandem erat violentus ille affectuum motus, cùm nil violentum durabile cenſeatur. Verùm, ne in leuitatis notam incideret Ceres, ſi nulla data, ex diſſimilitudine actionum occaſione, furorem remitteret, affectumq; mutaret: accerſitas in iudicium Deas collacrymantes inducit, vt, earum lacrymis, huius extinguantur incendia; ita vt, placata non ſolum Ceres, ſed iam humilis, & ſupplex, lenibus contendat affectibus, obiurgatas iam Deas ſibi fauorabiles reddere. Ideò *Rurſus &c.* Interrogauerat Vates, quid Cereri agendum. Iam per ſubiectionem ſibi ipſi reſpondet; &, quid egerit ipſa, declarat. Porrò *Rurſus*, vt ait Donatus, eſt quaſi *retrò proruſus*: atque idcircò, *Rurſus* inquit Vates, quaſi dixerit: *retrò prorſus cedens ab ira. Victa* lacrymis, ſubintellige, illis, de quibus ſupra: & aſſignat ſic cauſam, cur ab ira retroceſſerit Ceres, nempe quia furoris incendium ſui lacrymæ viciſſent illæ. Sed nota, participium *Victus*, a vinco, non ſolum ſignificare eum, qui victoriam alteri ceſſit; ſed etiam ſumi pro eodem interdum, ac à propoſito retrocedens. Quare duplici in ſenſu *Victa* hic dicitur Ceres, nempe & à propoſito retrocedens, vt dicebamus, & victa, quia lacrymis victoriam ceſſit. In primo ſenſu accipi participium *Victus* nulli ignotum eſt: & facilè vinci animum lacrymis, teſtatur, apud Virg. Æn. 12. Latinus Rex, dum Turnum alloquens ait:

Me Natam nulli veterum ſociare Procorum
Fas erat; idq; omnes Diuiq; hominesq; canebant.
Victus amore tui, cognato ſanguine victus,
Coniugis & mæſtæ lacrymis, vincla omnia rupi &c.

Quare nil mirum, ſi & amoris indicijs, & cognato ſanguine, & lacrymis commiſerantium victa fuerit Ceres, & detumuerit. In ſecunda ſignificatione, non adeò notum eſt participium illud; ſed tamen ſic vſurpatum reperio, apud Virg. Æn. 2., vbi Æneas, memorato Genitoris ſui obfirmato non efferendi pedem animo, ſed in ipſis Troiæ excidijs moriendi; memorat ſubindè prodigium de Cælo miſſum, quo *Victus* Genitor, hoc eſt *a propoſito recedens* (vt interpretatur Seruius ibi) in fugam ſtatim conſenſit.

Hic verò victus Genitor ſe tollit ad auras,
Affaturq; Deos, & ſanctum ſydus adorat;
Iam iam nulla mora eſt: ſequor &c.

Victus inſuper pro eodem interdum ſumitur, ac *voti impos*. Sic, apud Virg., Ecl. 9., Mœris

Nunc victi triſtes, quoniam fors omnia verſat &c.

vbi Seruius *Nunc victi*, inquit, *idest voti impotes: nam quomodo victores dicimus voti compotes, qui, quod volunt, faciunt; ſic victos, è contrario, voti impotes, qui non poſſunt facere, quod volunt.* Dupliciter igitur, & in hoc ſenſu, *Victa Ceres*, nempè *Voti impos*; & quia videlicet aſſequi non potuit, vt filia redderetur; & quia nec, vt ſibi proderetur raptor, ab obiurgatis obtinuit Deabus. Quæ omnia vnica hac voce à Vate innui non ambigo, cum moris ipſius ſit, plures vnico vocabulo ſenſus comprehendere. *Remittit ſe.* Verbum *remitto* eam hic importat remiſſionem, quæ iuxta modum differendi Phyloſophorum, directè opponitur intenſioni. Tantam in intenſionem Cereris furor excreuerat, vt Tigridi aſſimilata fuerit, raptis vtriq; catulis furenti. Sed, vt ipſa *vitrea tardatur imagine forma*, ita vt & iam detumeſcat furor, & compoſito iam animo mitioribus teneatur affectibus; ſic Ceres *vitrea tardatur imagine forma*; quia lacrymæ, criſtallinas in ſphæras orbiculatim cadentes, pietatem oſtenderant, vbi ipſa, crudelitatem ineſſe, fuerat arbitrata. Ideo *remittit ſe*, poſito continente pro contento, nempe ipſa Cerere pro furore in ipſa exardeſcente, quem iam langueſcere permittit, vt mitiùs rem agat ſuam.

ET DEMISSA IN HVMILES PRECES. *Demiſſa*, hoc eſt *depreſſa, atque à ſublimi illa, quam antea oſtentauerat, ſuperbiſſimæ faſtus celſitudine deiecta, non quidem aliena vi, ſed ſua ipſa, ſe ipſam remittente conſentiente.* Demiſſa animo, atq; humilibus referta ſenſibus ſupplex abit *humiles in preces*. Nota quantum valeat maternus amor, qui ſtatim adeò à contrario in contrarium proſilit, ne quid intentatum relinquat, vt voti compos efficiatur, & *victor* adſit, in quo iam fuerat *victus*. Conſimilem in re diſſimili affectuum mutationem habet Virg. Æn. 4., in Didone, quæ, cum primò, vt Æneam à diſceſſe deterreret, acriter in eum fuiſſet inuecta. *Nec te diua parens &c.*

Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus &c.

tandem remittit ſe, atq; ad preces confugere iterùm decernit: ex quo Vates eam in exclamationem erumpit.

Improbe Amor. Quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterùm in lacrymas, iterùm tentare precando
Cogitur; & ſupplex animos ſubmittere Amori,
Ne quid inexpertum fruſtrà moritura relinquat.

Quid aptiùs dicere potuiſſet, ſi, ſub Didonis figura, Cererem noſtram exprimere voluiſſet? *Demiſſa* itaque *in humiles preces*; hoc eſt humilitatem, & ſubmiſſionem animi mirum præſerentes in modum, vt & ſibi Deas conciliaret, & pronas iam ad miſerendum, vt ex lacrymis indicabantur, in pleniorem impelleret commiſerationem.

IGNOSCITE &c. Subintellige, *ſi quis*; noua enim hæc Ethopeia Cereris eſt, qua preces ſuas inducitur exponens. *Ignoſcere* eſt *veniam dare; excuſatum habere*, ſi quis in aliquo deliquerit. Veniam itaque precatur Ceres, vt Deas, ſedato animo, ſibi conciliet.

SI QVID INTVMVIT PIETAS. Venia dignus videtur error, in quem Amor impulerit: ideò Ceres errorem intumeſcentis animi, quem fatetur, in Amorem, quo filiam proſequatur, refundit: nam Amor Parentum in filios, & filiorum, vice verſa, in Patrem, pietatis nomine deſignatur. Sic Æn. 6. Amorem, qui Aeneam impulit ad inuiſendum, apud Inferos, Genitorem, Sybilla *Pietatem* appellat, Charontem alloquens:

Si te nulla mouet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc &c.

Nota autem, hoc loco, exactiſſimum purgandi ſceleris artificium; nam, qui ſe ipſum expurgare deſideret, fateri quidem debet errorem; ſed ita, vt fateatur, & non fateatur: hoc eſt fateatur errorem materialiter, non fateatur formaliter. Fateri errorem materialiter, eſt fateri, ſe actum aliquem phyſicum perpetraſſe, qui faciem erroris habeat, atq; ab obſeruantibus error cenſeri poſſit. Non fateri autem, errorem fuiſſe formaliter, eſt non fateri, illum actum fuiſſe voluntarium; immò oſtendere illum fuiſſe aliquem ex ijs primis motibus, qui in noſtra poteſtate non ſunt; atq; ideò, ex inaduertentia, non formaliter peccaminoſum, nam vbi aduertentia non eſt, nec plane voluntas concurrit; & non eſt peccatum, niſi voluntarium. Hoc artificio ſubtiliſſime hic vtitur Ceres; nam, dum veniam petit, eam ſub conditione petit: *Si quid &c.* Quo pacto, ſe perturbato agitatam animo fuiſſe adeò profitetur, vt non ſolum impotens, & inepta fuerit ad diſcernendum, num benè, vel male ageret, ſed vt ne ſciret quidem, quid ageret; ex quo factum, vt num intumuerit, nec ne, planè non nouerit; ac ideo dubitantè loquatur, neq; negans ſcilicet, neq; concedens, ſed ipſi Dearum iudicio decernendum ſubijciens; quæ ſi actionem damnent, iudicium non renuit, ſed veniam petit, tamquam de noxa, quæ vel voluntaria non fuerit, vel non plene voluntaria, quippè ex perturbato animo proueniens, & per primum turbati animi motum. Ex hoc ſecundum ſequitur artificium, extenuandi videlicet, quantum fieri poteſt, errorem: quod vt aſſequatur Ceres, non dicit apertè *intumui*, ſed addit particulam minuentem *ſi quid intumuimus*: quæ particula

ticula *ſi quod* vim induit partitiui, & quidem minimam aſſumentis partem, cæteris relictis; vt patet ex Virg. Aen. 11. vbi Drances Turnum nullius ferè valoris inſimulaturus, ait:

> . . . . *Tu ſi qua tibi vis*
> *Si Patrij quid Martis habes, illum aſpice contra*
> *Quę vocat &c.* Quæ Italus ſic efferret:
> *Se punto hai di valor, ch'il cuor t'animi.*

Sic itaque & Ceres culpam intumeſcendi, per illam particulam *Si quod* extenuat adeò, vt ad inſenſibile ferè punctum deducat, vt faciliores Deas precibus reddat ſuis: *Si quid intumuit*. *Intumére*, ſeù *intumeſcere* propriè *inflari* ſignificat, & *in tumorem verti*: translatè tamen, vt hic, eo quod iraſcentes inflari, vt vix interdum non diſrumpantur, & ſuperbientes pariter videantur, & *iraſci*, & *ſuperbia follibus inflare* ſignificat. Sed iterùm artificium nota, ac ſubtiliſſimum ingenij acumen. Duplicem in culpam vocari poterat ab offenſis Ceres Deabus: primò, quòd excanduerit in inſontes: ſecundò, quòd ſuperbè nimis exprobraſſet Diuino dignis honore. Venia erat reſpectu vtriuſque petenda, quia vtramque ſibi aſſumere potuiſſent puniendam Diuæ: ideò illa verbo vtitur vtramque complectente; ſed, ne inſontes, quantùm in ſe erat, omninò Diuas fateretur, quarum innocentia à poſteriori tantùm, hoc eſt ex lacrymis deducebatur, verbo vtitur ambiguo, quod & ad iram, & ad ſuperbiam ſimul referri poſſet ab audientibus; ab ipſa verò, ſi res tuliſſet, ad ſolam ſuperbiam, quam ipſa eadem fatebatur, detorqueri poſſet; ita vt ſenſus eſſet: *Ignoſcite*, ſi quid, amiſſæ filiæ dolore ſuperbiùs excidit ore. Nota contrapoſitum in verbis *Pietas intumuit*, ſed contrapoſitum agnoſcas relatiuum; nam *Pietas*, vt dix., Amor in filiam eſt: Amantis autem proprium eſt, facilè non ſolum, ſed ſummè iraſci ijs qui, quod amat, læſerint: & ex Amore hæc naſcitur iracundia. Quare venia dignum errorem ſuum ſatis probat Ceres, dùm in cauſam refundit neceſſariam, vel quaſi neceſſariam; quod alterum eſt ſe ſe purgantis artificium: Qui amat iraſcitur: qui iraſcitur certè ijs, quibus iraſcitur, pacificè loqui non poteſt, ſed contumelioſè, ac ſuperbè. quare, vtcumq; accipiatur verbum *intumuit*, vndequaque venia dignus error comprobatur.

SI QVID FLAGRANTIVS ACTVM EST. Cordis affectus excuſauerat, ac tumeſcentibus animi motibus veniam implorauerat. Iam verò verba ipſa, actionemq; ſuam, eadem de cauſa excuſans, ijſdem, quatenùs modum exceſſerint, veniam precatur. De particula *ſi quod* ſatis dictum. *Actor*, per leges, dicitur, qui, iure ſuo vtens, aliquem in iudicium vocat, vel vt, quod ſuum eſt, repetat, vel vt illum criminis alicuius accuſat; quare etiam verbum *agere* ſignificat & ſuum repetere, & alium criminis accuſare. Ceres Actoris perſonam gerens Deas criminis accuſauerat.

> *Iam Venere & ſocijs ſuncta raptoribus ante &c.*

& ſuum repetere aggreſſa eſt: *Reddite vociferans*. Hæc, ſi lege agantur, culpa vacant profectò; nam, qui iure vtitur ſuo, nemini facit iniuriam: Aſt, ſi extraiudicialiter velit quis eſſe & Actor, & Iudex, ac partem indictà cauſa damnare, iniurius, procul dubio, eſt. Hoc pacto actionem ſuam intentauerat Ceres, ideò non immunis à culpa, niſi, ex concepti vehementia doloris, ſatis, ſuperq; excuſaretur, vt ſupra: idcircò, eandem allegans cauſam, delictum imminuit, modo dicto, & veniale oſtendit, *Si quod actum eſt flagrantius*, hoc eſt *ardentius, vehementius, ac maiore, quàm par eſſet, animi commotione, & impetu*; vel *ardentiori ore, ac geſtuum compoſitione*; nam *agere apud aliquem dicere* eſt, ac *perorare*, eâ diſcurſum comitante actione, quæ propria oratorum eſt, in geſtu & vultus, & corporis conſiſtens. Ex quibus habetur, quàm bene omnia Ceres complectatur, in quibus culpabilis haberi potuiſſet, vt omnibus veniam petat. Et nota artificium carminis in monoſyllabum deſinentis *Actum eſt*; quo oſtenditur affectus compunctione diſruptus, vox ipſa mærore concidens, fractus animus, atque interciſus ſingultibus ſermo. Quare non video, cur verbum *eſt* à carmine expunxerit Heinſ., quod certè adnotatũ legit Parrhaſ.

QVAM DECVIT MISERAM. Varia eſt vitæ, commutabiliſq; ratio, ait Cic. pro Mil. Hinc fit, vt, quæ fortunatum deceant, ac fęlicem, miſerum, infortunatumq; non deceant. Agnouit hoc ipſum Dido Æn. 4., quæ cum furens in Æneam, Troianoſq; qui iam vela dederant, eâ in veſtibulo mortis relicta, exclamaſſet,

> *Flauentes abſciſſa comas: Proh Iupiter, ibit*
> *Hic procul, & noſtris illuſerit aduena regnis?*
> *Non arma expedient; totaq; ex vrbe ſequentur;*
> *Diripientq; rates alij naualibus? Ite,*
> *Ferte citò flammas, date vela, impellite remos.*

ſtatim ærumnas, in quibus moritura relinquebatur, reſpiciens, ea ſibi, tunc temporis, moliri, incongruum eſſe per correctionem fatetur, quo ſibi moriendum eſſet, non pugnandum. Quare illicò ſubdit:

> *Quid loquor? Aut vbi ſum? Quæ mentē inſania mutat?*
> *Infelix Dido! Nunc te Fata impia tangunt.*
> *Tunc decuit cum ſceptra dabas &c.*

Elatæ ceruicis homines, Phyſiognomici, ſuperbos eſſe, dicunt. Quare connaturalis fortaſſe videri poſſit ſuperbiæ faſtus ijs, qui nondum ſub iugum miſſi fuerint: ſed ſuperbire eos, quorum ceruices grauiſſimum miſeriarum iugum infregerit, Monſtrum cenſeri poterit profectò. Ideò miſerum ſuperbia dedecet adeò, vt ex ipſis Sacris litteris habeatur, quod *pauperem ſuperbum odio habet Dominus*: pauper autem, & miſer, in communi omnium exiſtimatione conuertuntur, quia paupertas ærumnarum fęcunda credi ſoleat, ſi de coactâ tamen, non de voluntaria paupertate loquamur. Miſer omnium indiget: quare abſonum nimis fuerit, ſi in eius inſonet ore dictum illud, quod Nautilo, piſci videlicet, in perfectè inſtructi formam nauigij conformato, atque oceani vaſtitates, per ſe ipſum, enauiganti, nec non ideò in ſuperbi Impreſiam aſſumpto, inſcripſit Areſius *Nullius egeo*. Quamobrem & iraſci pauperem ijs, quorum ope indigeat miſer, eximiæ ſpecies eſt temeritatis. Idcircò Ceres: *flagrantius*, ait, *ſi quod actum eſt, quàm miſeram decuit*. Vbi nota Vatis artificium, qui, vt magis minuat, ore Cereris loquens, errores, quos faſſa eſſet, indirectè oſtendit, cum cum Deabus illis agendi modum non futurum fuiſſe, per ſe ipſum, indecens Cereri, ſi lottima, ac fęlicitate, & amplitudine ſua vteretur; ita vt poſſet & ipſa dicere: *tunc decuit cum ſceptra dabam &c.*; ſed factum fuiſſe indecorum, & initium ab extrinſeco, nempè ex verſâ vice Fortunæ, ac miſeriarum pondere maieſtatem illius deprimente: cùm autem miſeris debita ſit miſeratio, venialis omninò hæc culpa reddebatur; & ita deijcitur Ceres, vt tamen maieſtatis ſuæ memoriam ſeruet, & ingerat, vt faciliùs Deæ licet offenſæ cōpatiantur.

SVPPLEX &c. Quæ nil, furentibus notis, proſeciſſet, nil mirum, ſi, obtinendi, quod optauerat, ardore, mutatis ſupplex appareat conſilijs. Sic Armida apud Taſſum Hieroſ. liber. can. 16. priùs *Terrarum tonat ore Deos, Erebumq;, Chaoſq; Tergeminam Hecatem &c.* vt Amaſius, quem Carolus, Vbalduſq; abdocerent, ſibi redderetur; aſt, cum nil profiſceret, ſupplex efficitur.

> *Quante mormorò mai profane note*
> *Theſſala maga con la bocca immonda;*
> *Ciò, ch'arreſtar può le celeſti ruote,*
> *E l'ombre trar dalla prigion profonda,*
> *Sapea ben tutto: e pur oprar non puote,*
> *Ch'almen l'Inferno al ſuo parlar reſponda.*
> *Laſcia gl'incanti: e vuol prouar, ſe vaga,*
> *E ſupplice beltà ſia miglior maga.*

Sic itaque & Ceres, fruſtrato bacchantis, minitantiſq; furore, in preces demittitur non ſolum; ſed, ſupplicis in morem, aduoluitur genibus earum, quas læſerat irata. De hoc autem ſupplicandi ritu vide dicta lib. 1, carm. 50. Supplex certè dicitur, qui alteri, abiectè, demiſsè, atque humiliter genua flectens, aut ad ipſius pedes ſeſe proſternens, preces fundit.

MISERANDAQVE &c. *Deiectaq; veſtris &c.* legendum eſſe, contendit Heinſ., & rationem reddit, quia videlicet *miſeranda*, vno, eodemq; verſu, cum *miſera*, efferri non poſſit: ſecumq; citat Clauer. & Iſingr. codices. Verùm, bonâ tanti Auctoris veniâ, à vulgatâ, quæ etiam Parrhaſij eſt, non diſcedam. Quod ſi Heinſ. ait, *miſeram*, cum *miſeranda* eodem verſu efferri non poſſe; quomodò, per ipſum, efferri, vno, eodemq; verſu, *Supplex* poſſit, & *Deiecta*; quandoquidem *Deiecta* in ipſo ſupplicis nomine continearut? Nonne hoc fuiſſet idem per idem dicere? Sed, vlteriùs: Quantum diſtat, quod dixerat: *Inque humiles demiſſa preces?* Certè vnicum mediat carmen. An non idem in caſu noſtro eſt *Demiſſa*, & *Deiecta*? Triplici igitur vocabulo, Vates, qui nil otioſum admittat, idem prorſùs expreſſerit, abſq; vlla neceſſitate, aut emphaſi? Adde, quod tantùm abeſt, vt, vno, eodemq; verſu efferri non poſſint *miſera*, & *miſeranda*, vt potiùs, ſpectata nominum natura, vno, eodemq; verſu ſint neceſſariò efferenda: hæc enim relationem ad inuicem dicunt, & contraria ſunt relatiua; non autem vnum, & idem, vt putaſſe videtur Heinſ.; nam *miſer* eſt ille, qui miſerias patitur; miſerandus verò, qui, ob miſerias, quas patitur, dignus eſt, cui miſeratio, ſeu miſericordia exhibeatur. Regum affli-

afflictæ fortunæ, inquit Cic. pro Lege Manil.; multorum opes ad miſericordiam alliciunt; quod idem eſt, ac dicere: miſeri ſi fiant, qui fęliciter regnabant, miſeratione digni ſunt; & miſerationem, tamquam ſibi debitam, exigunt iure. Cum igitur hæc relatiua ſint, & connexa, cur, vnico etiam verſu, connexa non oſtententur? An non poſſunt ſimul eſſe ſcriptione, quæ natura ſint ſimul cognitione? Miſeram itaq; ſe faſſa, Ceres, & miſerandam ſe dicit, vt innuat, ſe non eſſe ex iis miſeris, qui miſerias meritò patiuntur, eaſq;, delictorum pretio, emptitarunt, quibus certè miſeratio non debetur; ſed ex iis eſſe, qui in miſerias, aduerſa tantùm ducente Fatorum, incidunt, ſerie, eaſq; inculpabiles ſubeunt; & ideò digni, quibus vnuſquiſq;, ex corde, miſerationem exhibeat. Hoc autem maximè confert ad intentum Cereris obtinendum, placandi videlicet, ac ſibi conciliandi Deorum animos; ita vt ignoſcant non ſolum; ſed præſto, quantum poſſint, auxilio ſint.

ADVOLVOR GENIBVS VESTRIS. Quia dupliciter fieri poterat ſupplicatio, vt dix., vel poplite tantum flexo, vel corpore proſtrato, oſtendit Ceres, non ſatis ſibi viſum, ſi primo ſupplicationis genere vteretur, niſi ad ſecundum deſcenderet humiliorem; ideò non ſatis fuerat dicere: *ſupplex*; niſi expreſſiſſet, quonam genere ſupplicationis, addendo *aduoluor genibus*: *aduolui* enim *genibus* eſt proſterni, vt genua amplectamur. Cur autem id fieret, vide loco cit. lib. 1.

LICEAT COGNOSCERE SORTEM &c. Imperatiuo modo, locuta fuerat Ceres: *reddite*: *vociferans*; cum efferueſceret animus iracundia. Iam ſponte iure ſuo cedens, tantùm de prima poſtulatione remittit, vt non ſolum valedicat Imperio; ſed & ſortem approbet ſuam, ne, contumax adhùc, contra Deorum ſtare videatur decreta: & tantùm orat, vt concedatur precanti ſcire, quomodo, & à quo rapta, quoue abuecta fuerit Filia, & ocius ſaltem priuetur aſpectu. Nota autem ſupplicantis artificium, quæ exigua adeò petat, vt, negari ea non poſſe, ſine maximâ impietatis notâ, videantur. Quid enim Matri minus concedi potuit, quam vt filiam liceret aſpicere? Habent poſtulata honeſtatem, habent iuſtitiam obſecundantem, & vtilia, ac neceſſaria ſunt matri, ad exiguum ſaltem doloris leuamen; ſunt concedentibus facilia, & honorifica: nam magni animi eſt ea concedere, quæ alijs proſunt, & concedenti non obſunt, ſine vllo detrimento, aut incommodo concedentis decurrunt: quarè omnes eas habent partes, quæ ad iuſtiſſimam petitionem requiruntur, & quæ negantem redarguant crudelitatis, ſi negans perſeueret. *Liceat* itaque precantis eſt, non imperantis, vt patet. *Cognoſcere*, pro *ſcire*, ponitur; nam ſcientia omnis in cognitione conſiſtit. Sortis autem nomine effectus hic deſignantur, quibus, vel caſu, vel fortuna, vel etiam Fato obſtetricante, progenitis, calamitas in Cereris Domum inuecta fuerat; nam ſortis denominationem & Caſui, & Fortunæ, & Fato, indiſcriminatim tribuerunt antiqui. Vocabulo autem ambiguo vtitur conſultò Ceres, & in multiplici ſignificatione vſurpato, vt proprij ambiguitatem animi oſtentet, cui originem calamitatis imputaret ſuæ.

HOC TANTVM. Excludit quidquid vlteriùs à Matre exigi potuiſſet, vt faciliùs quod petitur concedatur, atq; vt ſic vim precibus addat patheticam, dum ſe minimum quid expetere indicat, *Hoc tantum oro*.

LICEAT CERTOS HABVISSE DOLORES. Nota emphaticam in verbo *liceat* repetitionem. Eſt autem hæc clarior præcedentis petitionis explicatio, qua ſimul tacitè rationem reddit, cur, cognoſcere ſortem, in votis fuerit; nempè vt originem dolorum ſuorum certum habeat, & qua fulmen ab arce venerit, innoteſcat. *Liceat certos habuiſſe*, hoc eſt non ampliùs in enigmate, non in obſcuro, ſed apertè *habuiſſe* pro *cognoſcere* ponitur, mutato, per enalagen, tempore: idem eſt enim *certum habere*, ac *euidenter cognoſcere*, cum certitudo ex euidentia ſit. *Dolores* verò, dixit, hoc eſt dolorum cauſas, & originem producentem; nam vera, & rigoroſa ſcientia eſt *rem per cauſam cognoſcere*, atq; effectum in ipſa cauſa rimari.

SCIRE PETO QVÆ FORMA MALI &c. Suſpecta reddi potuit Cereris petitio: nam videri potuit expetiſſe, vt malorum ſibi innoteſceret origo ſuorum, quo ſubinde in vindictam promptiùs irrueret, ac certiùs. Ideò ad huiuſmodi ſuſpicionem tollendam, quæ ſola obſtare potuiſſe videbatur, ne tota ſibi rerum ſeries panderetur, ſe ſe exprimit, intentumq; ſuum non hoc eſſe, declarat; ſed tantùm, ſe ſcire velle, profitetur, quo ordine, qua ſerie, mala proceſſerint ſua, cui, ne infeſta fore credatur, anticipate ſubſcribit, &, quæcumq; illa fuerit, approbat, non oppugnatura. Non eſt hæc igitur noua explicatio rei, iam explicatæ, ſed addit rebus petitis aliquid, quod vlteriùs aueat ſcire; &, per præoccupationem rhetoricam diluit obiectionem, quæ obſtare, ne voti compos fieret potuiſſet. Hoc ſecundum patet ex dictis: primum vero patet, quia priùs petierat, vt poſſet ſcire, num Caſu, num Fortuna, num Fato hæc illi accidiſſent: ſecundò quo Auctore, ſeù quo operante, vt Fati, vel fortunæ miniſtro, mala fuerint illata: tertiò, hic tandem, locum, modum, & ordinem, quo mala ipſa proceſſerint, ſciſcitatur; nam *forma*, pro modo, & ordine, rerum ſumi, patet ex Virg. Æn. 6.

Incluſi pœnam expectant: ne quære doceri
Quam pœnam; aut quæ forma viros; fortunaue merſit.

vbi, per pœnam, effectum notat Diuinæ Vates Iuſtitiæ; per *formam* ſpeciem, ordinem, ſeriemue pœnarum; per Fortunam verò, infortunium, ſeù cauſam, pœnis addicentem, vt incit. locum notant Interpretes. Portò *petere* eſt *aliquid ſuppliciter & precari, & poſtulare*. Sic Dido, in preces effuſa, Æn. 4.

Tempus inane peto, requiem, ſpatiumq; furori &c.

& *Scire peto*, inquit, nam ſcientia in ſola obiecti cognitione conſiſtit, non tendit ad opus, nil innouandum circa ipſum molitur. Ideò *peto ſcire*; non vt mala deleantur, non vt vindex adſim; non vt fortunam immutem. *Peto tantum ſcire*, *Quæ*, hoc eſt, *Qualis ſit forma*, iuxta dicta, *mali*, hoc eſt, cladis, infortuniorum, miſeriarum facies.

FERAM FORTVNAM. Aperte hic pollicetur, ſe manum daturam, vt Deorum decreta vim ſuam inuiolabiliter obtineant. *Ferre* eſt *tolerare*, ſeù *æquo aliquid animo pati*. Sic Virg. Æo. 9. . . . . . . *Cum tamen omnes*

Ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.

Fortuna verò vocabulum anceps eſt, quod tàm in bonam, quàm in malam partem accipitur, ideſt tàm pro ſecundâ, quam pro aduerſa Fortunâ. Et, licet fortunæ nomen, ſimpliciter, & abſolute prolatum, ſoleat accipi in ſenſu fęlici, vt conſtare videtur ex Virg. Æn. 10., vbi Iupiter ait:

. . . . Sua cuiq; exorſa laborem
Fortunamq; ferent &c

vbi Interpretes, eo quod fortuna labori opponatur, *Fortunam*, pro fęlicitate, aſſerunt accipiendam, ſicuti *laborem*, pro infortunio poſitum exiſtimant; attamen ex eodem Virg. ibidem patet Fortunæ nomen, etiam ſimpliciter, & abſolutè prolatum, medium eſſe, & anceps; dum idem Iupiter ait ibi:

Quæ cuiq; eſt Fortuna hodie, quam quiſq; ſecat ſpem,
Tros, Rutulusue fuat, nullo diſcrimine habebo.

vbi Interpretes: *Quæ cuique Fortuna*, hoc eſt *vel bona, vel mala fuerit &c.* Quod ſi, in hoc eodem ſenſu explicaretur textus Auctoris noſtri, non poſſet profectò redargui explicatio: nam ſenſus eſſet: *libenti animo feram quemcumque rebus noſtris euentum præbueritis, ſiue bonum, ſiue malum*: nam *Fortuna* nil aliud tandem eſt, quam *accidentium rerum ſubitus, & inopinatus euentus*: ex quo patet, Fortunam à bono, & malo præſcindere: &, quamuis Ceres malum ſibi, & quidem ſummum, reputaret filiæ amiſſionem; tamen, quia fieri potuiſſet, vt filiæ optimo ſe res loco haberent: ideò vocabulo vtitur ancipiti. Verùm, quia *Fortunam* video, pro ipſo rerum ſtatu, & conditione, vſurpatam non ſemel ab ipſo oratorum Principe; in hoc potiùs ſenſu, a Vate hic poſitam arbitror; ita vt ſenſus ſit: *feram conditionem, ac ſtatum rerum, quantumuis acerbiſſimum, ac omni miſeriarum genere infęliciſſimum*. Moueor, quia nomen Fortunæ, per adnexum verbum *feram*, (quod pati, & tolerare ſignificat) ab ancipiti extrahitur, atq; ad ſignificationem infortunij contrahitur tolerandi.

QVAMCVMQ; DEDISTIS. Oſtendit hic, Deam non eſſe Fortunam: ſed ordinatam à Diuina Prouidentia rerum ſeriem, vtcumq; cadat ſemper adorandam: ideò *quamcumq;* hoc eſt acerbiſſima licet, ac miſerrima, & peſſima ſit, quam *dediſtis*; nam nihil habemus, quod à Dijs non acceperimus, vel vt Ethnici dicebant, vbi nos à Deo.

SI NOTA. Subintellige *fuerit*, quod, per ſynecd. figuram reticetur. Conditionalis autem hæc eſt oſtentans conditionem, ſine qua non; hoc eſt qua poſita, animus patienter fortunam laturus ſit; qua non poſita, nunquam doloris ſui niſi impatientem ſe fore proteſtatur. *Si nota*, ideſt cognita, & euidenter cognita, vt dicebamus. Alij legunt (*ſi nota*) per parentheſ.; ſed in idem recidunt. *Quodcumque dediſtis Fortunæ*: legit Heinſ. ſed & hoc cum vulgata coincidit. Alij *ſi rapta* legunt, ſed minùs facit ad contextum, vt patet. Alij cum Parthaſ. *ſi rapta*, quaſi per conceſſionem.

Sed hoc coincideret cum ſubſequentibus. Ideò libentiùs vulgatam ſequor.

FATVMQ; PVTABO, NON SCELVS. Fato Deos ſubeſſe ex antiquorum ſententia, iam vidimus, lib. 1. Quare fatalibus non acquieſcere diſpoſitionibus, nefas illis omninò cenſebatur. Vt itaque Ceres oſtenderet, quàm quieto animo eſſet exceptura infortunium, dummodò ſeriem tantùm ſcire potuiſſet euentuum, ſed quidquid acciderat, pro Fato, accepturam proteſtatur. *Et putabo fatum*. Subintellige *fuiſſe quidquid mihi moleſtum fuit; putare* autem *exiſtimare* eſt, & *pro certo habere, rem ita eſſe &c.* Fatum quid ſit, ſæpè vidimus, ideò prouehor.

NON SCELVS. Quæ Fato fiunt (inquit Parthaſ. hic) nec laudem in ſe, neque culpam habent vllam, ex quo patet, quod, ſi vera eſſet, falſa illa non ſolum, ſed impia Caluini, ac Lutheri ſententia, aſſerens, ineluctabili quadam neceſſitate etiam humanam voluntatem ad bonum, vel malum impelli, iam nullus peccans poſſet iure à Deo damnari; nam cur damner, ſi ea operor, quæ in mea poteſtate, vt non operer, non ſint? Hoc ipſum innuit noſtra Ceres: *Fatum putabo*: ideò *non ſcelus eſſe putabo*; nec erit, cur iraſcar, aut Deabus cooperantibus, aut raptori abripienti &c. quia in ſcelere non ſunt, qui, Fato vrgente, ſic operantur, poſita fatalis neceſſitatis ſententia. Quod ſi Fatum ſumatur in ſenſu Platonis, Dial. de Republica vltimo, nempe pro ipſa Dei infallibili voluntate (vel antecedenti, vel conſequenti cum Theol.) omnia ineluctabili decreto decernente, ac præcipuè pœnas reprobis, præmia iuſtis ſtatuente, ita vt ſemper vigilent in crimina pœnæ: Senſus erit: Voluntatem hanc Iouis exiſtimauero, quæ me, ac Filiam ob graue aliquod demeritum, à nobis contractum, puniat: atque ideo non putabo ſcelus id, quod actus incorruptæ Iuſtitiæ cenſendus ſit, ac venerandus, non redarguendus.

ADSPECTVM PRECOR INDVLGETE PARENTI. Peractis proteſtationibus, iterùm diuertit ad preces explicans, quamnam ſcientiam exoptauerit, nempè ſcientiam Phyſicam experimentalem, nam experientiâ ſenſus viſiui optabat conditionem Natæ, quæcumq; illa eſſet, dignoſcere. *Precor*, quod idem eſt, ac *oro, obteſtor, obſecro*. Quid magis patheticum, quam Iouis ſororem Iouis filiabus humiles adeò ingerentem preces aſpicere? *Indulgete*, hoc eſt clementiam exercentes permittite, miſerentes concedite. *Parens* emphaticè, ad oſtendendam petitionis æquitatem non ſolum, ſed & iuſtitiam. Quis enim parenti neget eam inuiſere, quam quia peperit, dicta ſit parens? *Aſpectum*, ſubintelligas *Natæ*; & contrapoſitum habebis relatiuum, & emphaticum. De aſpectu autem ſtibi dix.

NON REPETAM &c. Iterum ad proteſtationes reuertitur, vt omnem intentandæ reſtitutionis prorsùs deleat ſuſpicionem: ſæpius autem in hoc inſiſtit, quia hæc vna votibus obſtare ſuis ſuſpicio poterat, iuxta prudentis exiſtimationem, cui Iouis decretum eſſet ignotum. *Non repetam*. Repetendæ res erant, antequam bellum indiceretur, quo quis res ſibi ereptas in ſuam iterum redigeret poteſtatem, vt vidimus etiam lib. pri. carm. 65. Vt itaque oſtendat Ceres, ſe, non doloſo animo, rerum cognitionem, ac filiæ aſpectum expoſtulaſſe; tantùm abeſſe profitetur, vt ipſa tali velit cognitione vti, ad bellum raptori indicendum, vt, ne repetendam quidem a ſe filiam, abſolutè polliceatur.

QVÆSITA MANV. Quæſitum, à *quæro*, pro *acquiro* deductum, *Acquiſitum* ſonat, eo ſcilicet pacto vſurpatum, quo, apud Ouid. Metam. 7., ab Æaco, qui cum formicas in homines conuerſas commemoraret, ne ipſe vacuo dominaretur in regno, ſic de iis ait hominibus.

Myrmidonaſq; voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidiſti: mores, quos ante gerebant,
Nunc quoq; habent. paruum genus eſt, patiensq; laborū,
Quæſitiq; tenax, & quod quæſita reſeruet.

ex quo patet, res, facultates, opes, diuitias, & quidquid aliud eſt, quod ab aliquo, vi, virtute, labore, atq; induſtria acquiritur, *quæſitorum* nomine comprehendi. Verùm, cum addatur hic particula illa: *Quæſita manu*, certum remanet, *quæſitum* pro eodem poni, ac *Præda*, & quidem *furto, aut rapina abuecta*: nam apud Plautum, & Catullum inuenias, manum ſiniſtram præcipuè, furacitatis hieroglyphicum fuiſſe. Quarè idem eſt dicere *quæſita manu*, ac *furto, ſeù rapinis abuecta*. Vlterius nota perſpicaciſſimum hic Vatis artificium. Si quis, ſcelere aliquo inquinatus, plures circum ſe, habere manus ſomniauerit, infauſtum illi ſomnium eſſe, aſſerunt coniectores: dicunt enim, portendi, multas, ad ipſius coercitionem manus expediri, ſceleris ipſius pœnam exigentes; eo quod manus miniſtra iuſtitiæ ſit ad reos coercendos. Dixerat Ceres: *Si noſcam euentuum ſeriem, fatum putabo, non ſcelus*: ideò ſubdit *non repetam* manu, ideſt punientis miniſtra Iuſtitiæ, ea quæ fuerint *quæſita manu*. Quod inſinuat Ceres, vt oſtendat, ſe, & raptorem, & Deas raptori iunctas, ſcelere abſolutas facturam, vt faciliùs ad rem totam inclinentur detegendam. Sed cum vna Proſerpina rapta fuerit, cur numero vtitur multitudinis? Facilè ſe quis expedire putauerit, ſi dixerit, id factum per Synecd. Verùm Synecdoche tropus eſt: conſequenter non, niſi cum virtute, adhibendus: virtus autem non erit, vbi anſa detur ambigendi, num verè plura intelligi debeant, an vnum, cum tamen, in rei veritate, de vno tantum ſermo ſit. Quarè, niſi aliquod ex re ipſa fundamentum habeatur, tropum adſtruendi, non eſt adeò facilè admittendus. Hæc difficultas, vt arbitror, in cauſa fuit, vt aliqui hunc locum immutauerint, ac legerint: *Non repetam ſecura manu*: hoc eſt *Ego, ſecura licet, & victoria certa, non repetam manu*, hoc eſt, *vi adhibita ineluctabili*, filiam, quam, tantùm vt aſpicerem, poſtulaui. Sed non ideò à vulgata recedendum puto; cum immò fundamentum tropi adſtruendi ex primo Auctoris lib. habeatur abundè. Memineris, ibi dictum fuiſſe, vnam Cereri Proſerpinam numerum plurium impleuiſſe.

Foſſaq; poſt primos haſerunt viſcera partus,
Infecunda quidem; ſed cunctis altior extat
Matribus, & damnum numero Proſerpina penſat.

Si igitur, loco plurium filiarum ſimul, ac filiorum, illa fuit enaſcens, cur non, loco plurium, in matris exiſtimatione ſit, iam periens, vt poſſit mater numero multitudinis vti, & quidem neutro genere vſurpato, cum plures diuerſi generis neutrum conficiant? *Non repetam quæſita manu*. Sic profectò cum virtute tropus aderit, cum exactiſſimam textuum cohærentiam, clariſſima Auctoris ingenij face coruſcante, oſtentet. Aptiſſime igitur expoſuit Parthaſ. *Non repetam quæſita manu*, hoc eſt, *Filiam, quam quis ſibi virtute manuum comparauit*. Scio hanc à Barthio lectionem improbari, tamquam, ſi non vitioſam, ſaltem inconcinnam, licet ipſe idem, *violentiam* ſignificari per *manum*, fateatur: & *Non repetam. Quam viſa moneo*: legit ipſe. Ego verò ipſius profectò lectionem non improbauero: ſed, maiorem ſub vulgata noſtra eruditionem latere, non dubito: duplicem enim hæc habet ad legum axiomata reſpectum: primò quidem ad decantatum illud *vim vi repellere licet*; ſecundò ad illud, quo dicitur: *De facto ſpolians, de facto ſpoliandus*: quibus ſtantibus, videbatur Ceres, ne iuramento quidem ſuo; obſtringi poſſe, vt à repetenda filia abſtineret, niſi priùs expreſse legibus ſibi fauentibus renunciaſſet; ideò *non repetam*, inquit illa, *quæſita manu*: hoc eſt, quamuis filia, iniuſtè rapta, iniuſtè detineatur; quamuis, qui de facto ſpoliauerit, de facto ſpoliandus ſit; quamuis abripientis vis, apertâ etiam vi, eſſet infringenda, cedo victoriam, iuri abrenuncians meo; &, dummodo mihi concedatur, vt natam videam, nunc, prout ex tunc, cuicumq; fauorabili legis priuilegio derogans ſpontè impunè relicturam promitto. *Non repetam*.

QVISQVIS ES &c. Apoſtrophe hæc eſt, qua abſentem, tamquam præſentem alloquitur raptorem, effectus videlicet amentis, quia amantis impulſu protinùs erumpens illius paſſionis, cui anguſtum nimis eſſet oppreſſi cordis ergaſtulum. Mores itaque ſummè dolentis imitatur Matris, & patheticam mirum in modum ſequitur affectuum concinnationem. Certus erat funus, incertus Auctor, vt vidimus, ideò nomine vtitur indeterminato *Quiſquis es*, omnes ſcilicet comprehendente, & per ſingulos diſtribuente, vt certum aliquem, in ipſa incertitudine, deſignet, &, Adabatarum more, detineat. Pari ferè paſſo, Æneas apud Virg. Æn. 4., cui ſe forma Dei obtulerat, in ſomnis monens, vt moras abrumperet, atq; à Didonis littore protinùs ſolueret, cum iam illa, officio functa, ſe ſe tenebris immiſcuiſſet, abſentem iam, incertus, quis Deorum eſſet, ſic alloquitur, certa tenens monita, incertum Auctorem.

. . . . . . Sequimur te, ſancte Deorum
Quiſquis es; imperioq; iterum paremus ouantes.

SECVRVS HABETO. Formula hæc loquendi eſt, quæ legiſlatorem deceat, conceſſiuas leges promulgantem: ideò autem, legum latricis, in ore reſonat Cereris, vt ſermo perſonæ congruat. Concedit itaque Ceres, per conceſſionem quidem amaram, ſed quæ abſolutè concedat tamen, filiam Raptori, dummodo ab eius aſpectu mater non arceatur; nam *habere* idem eſt, ac *in poteſtate detinere*, ſeù *poſſidere*. Quarè idem *habeto* eſt, ac *poſſideas ſecurus*, non futurum, vt ex poſſeſſione vnquam deturberis. Sic Æneas, apud Virg.

Æn. 12., Regnum Latino Regi addictum fore pollicetur, nec Latinum Troianis armis e ſede deturbandum, dum ait:

. . . . . . Socer arma Latinus habeto.

His ſuum itaque, his verbis; Ceres Raptori cedit, illudq; in eum transfert; ſicuti Dametas, apud Virg., Ecl. 3. amatam Phyllidem tuali cedit, ſi propoſitum ille enodet enigma, ſic dicens:

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regis
Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habeto.

Quid, per nomen *ſocerus*, intelligatur vide lib. 1. carm. 167.

AFFIRMO PRÆDAM. *Affirmare*, hoc loco, eſt *ratum habere*, & *ratum facere*; nam *affirmatores* Tertulliano ſunt, qui, teſtimonio ſuo, negotium ratum habent, certificant, & conualidant, vt notat eruditè Barthius. Quare idem eſt *affirmo prædam*, & *conſentio, vt teneat, inſtar prædæ, nec iure meo reſtituas, quam iure tuo teneas tuo*. Prædam feciſti tuam? & tua, decreto meo, ſit præda. Vide quantum largiatur Mater, vt ſaltem filiæ fruatur aſpectu. Vide quam miſeræ ſubſcribat conditioni; & num patheticè magis decurrere potuerit oratio, ipſe Iudices.

DESISTE VERERI. Securitas foras pellit timorem: ideò congruenter, poſito antecedenti, *ſe meus habeto*, cuius ſecuritatis ſe ſe fideiuſſorem conſtituit Ceres: *affirmo prædam*, conſequens ſubnectit: *Deſiſte vereri*: quod idem eſt, ac dicere: *Ne vlterius timeas ex afflicta Matre, quam, aſpecta filia, ſolatius fueres, aut inſideas, aut apertam vim*. Prædam affirmo. Deſiſte vereri.

Sed, peracto inter ſpoliatam, ac ſpoliantem contractu, nos, quid extrahere, ad mores pertinens, debeamus, ſolicito non minus animo peruestigemus.

Rationalis facultas, quæ Cereris nomine deſignatur, vt vidimus, iacturam ſuam impatienter adeò dolet, vt ſui ipſius impos, extra ſe ipſam, iam ratio, ſine rationis vſu effecta longè, lateq; diuagetur, furoris non minùs, quam doloris impatiens; atq;, vt in Cælum damnationis ſuæ culpam refundat, in nullo peccaſſe Animam, dum ſomniat, innocentem in ijs ipſis, in quibus maxime peccauerit; ore temerario non minùs, euulgat, quam rotundo. Reuerentiæ attribuit, quod Cælum, ac Cælites alloquio, ideſt orationum frequentiâ, non laceſſiuerit; quod Sanctorum, Sanctarumque non ſe, per contemplationem, cætibus immiſcuerit; quod e Cælo Cælites non extraxerit, ſupplicationum ardore in ſui videlicet ſubſidium attrahens: & non meminit, præceptum ab Apoſtolo fuiſſe: oportet ſemper orare, & nunquam deficere; documentumq; à Dauide traditum habere, in hæc verba: *cum ſancto ſanctus eris*; ac tandem à Diuina Sapientia præſcriptum, vt Regnum Cælorum rapiatur: Violenti rapiunt illud; petendum dixiſſe, vt accipiamus, &, vſq; ad importunitatem, petendum &c. innocentem dictitat animam, eo quod, ne Cælitibus oneri eſſet, Cælum, ac Cælites neglexerit, humi degens, & humo tantùm adhereſcens: nec nouit, ob id ipſum, culpabilem fuiſſe, quod longe a Cælo terrea omnis, aberrauerit immemor Cæli; & præcipuè cum Trinacriam incoleret, emporium ſcilicet earum deliciarum, quas inter lateat ſemper Auerni coluber. In id tandem prouehitur dementiæ, vt odium Dei audeat dicere, quod Iuſtitia eſt, quam blaſphemiam potiſſimum proferunt damnati deſperantes. Sed, crocitet vtcumq;, à ſe ipſa procul aberrans ratio, Cælum vanos negligit queſtus: & compatiuntur quidem delirantis ſed, ne reſponſo quidem, dignantur Cælites, iuſtiſſimam Dei ſententiam venerati. Deliret vtcumq; tandem rationalis damnatorum facultas, ſibi interdum reddita, ſententiam cogitur approbare, ac damnationis tandem ſuæ adſtipulari decretis: ſed incaſſum eodem tempore ſciſcitatur cauſas, modum, & Auctorem damnationis, quaſi, vel ignoret, mortem ſtipendia eſſe peccati, vel ſe vnquam peccaſſe neſcierit. Non videt itaque Proſerpinam ſuam Ratio, inferorum carcere detentam: quia non videt Animam, in ſua à Deo puritate efformatam, in Dæmonem per peccatum transformatam: ideò auet eam intueri, quamcumque, æquo ſubinde animo, latura fortunam. Sed, cum obſtinato ſint in inferis animo damnati, fruſtra requiritur redemptio, vbi nulla eſt, in redemptionis olim contemptores redemptio. Poteſt etiam in Cereris matris pro filia ſupplicantis imagine, Sancta Mater Eccleſia delineari, quæ quid actum ſit de filijs, quotidiè quæritans, aſſiduis Deum precibus fatigat, vt ex hoc ſæculo migrantes, viuentes videat, in vitæ incorruptibilis Regno: ſed cadunt incaſſum gemitus, vbi anima peccati pondere in Tartaris detinetur, licet proficuiſint, ac ſalubres ijs, quæ Purgatorijs pœnis premuntur ad ſalutem. Has videbit in Cælo fœlices; illam videbit æterno incluſam carcere tormentorum: ſed ſententiam affirmabit, damnationem iuſtiſſimam fatebitur: & æquo feret animo eorum tormenta, qui iuſto Dei iudicio damnati ſunt. Nos verò interim ad conſuetas Muſas deflectamus.

Qual di voi da mia Figlia vnqua s'offeſe,
  Con lieue ſcherzo, ò con parola acerba?
  Ah sì; che forſe, ò Delia, à te conteſe *Endimionis ſabulam memineris.*
  Le caccie, i boſchi; e 'l deliciar tra l'herba.
  O pur le guerre ella trattar preteſe,
  Ch'à te ſola, ò Tritonia, il Fato ſerba.
  Com'ardì, come volſe, e come puote
  Tanto vn cuor, che, qual fronda, ogn'aura
    ſcuote?
Forſe ſturbò co 'l ſuo garrire odioſo, *Euippides Euippes filiæ in Picas vulgò ... Metam. 5. conuerſæ.*
  Euippide nouella, i più peſati
  Voſtri diſcorſi; e, con lo ſtil noioſo,
  Mercò gli ſdegni: e gli prouò ſpietati?
  Forſe importuna il piè trà 'l maeſtoſo
  De voſtri Cori ella ſoſpinſe; ò i grati,
  Con le ſciapite ſue forme confuſe,
  Voſtri congreſſi à fraſtornar s'intruſe?
Mà fù pur anzi oſſequioſa, e lungi,
  (Per non renderſi odioſa) i giorni traſſe,
  Longi da voi, longi dal Cielo, e longi
  Dal Mondo ſteſſo, in parti oſcure, e baſſe;
  Que deſerti habitò, che tu diſgiungi
  Dall'Italia, ò Nettunno; e ne contraſſe
  Gl'odij più fieri; e dall'altrui congiure
  Non fur l'erme ſue ſpiagge ancor ſicure.
D'vn romitaggio in vil tugurio aſcoſta
  L'eſſer ſtatta, e che gioua; anche ſepolta,
  Se fù del Cielo alle violenze eſpoſta?
  Da cruda inuidia, all'addentar riuolta,
  Lontananza di luogo in van ſi ſcoſta;
  Ch'ogn'Aſilo al sfogar la rabbia accolta,
  Campo ella forma: e dell'infauſte moſſe
  Ne pur può 'l tempo infieuolir le poſſe.
Così l'afflitta, eſſagerando i torti
  Le Diue accuſa, e le doglianze inteſſe:
  Ma 'l moto in lor, che le diſcolpe apporti
  Frenan del Genitor le leggi eſpreſſe:
  Ond'ò ſi tace; ò non ſaper, che porti
  Di querele, s'adduce, al duolo anneſſe:
  E le riſpoſte all'egra madre in tanto
  Gl'interpreti del cuor rendon co 'l pianto. *Oculi cordis interpretes dicuntur.*
Miſera! E che farà? ch'all'ire ſparte,
  Oprar non può, ch'almen riſponda il Cielo,
  Ch'anzi pioggia di lagrime comparte
  Ad ingroſſar de ſuoi timori il gelo.
  A sì grand'huopo altri conſigli, altr'arte
  Vſar conuiengli; onde, qual vinta, il telo
  De ſdegni abbaſſa; e 'l ſupplicare imprende;
  Già che ſpeſſo alle preci il Ciel s'arrende.
Dall'innata clemenza, ah ſi condoni,
  Dicea, mie Diue, ad vn materno affetto;
  Che d'amor, di dolor gl'aggiunti ſproni
  Non caccian lento à precipitij vn petto,
  S', ad vn miſero cuor, più, che ſi doni,
  Fù ſuperbo il mio dir, toruo l'aſpetto,
  Perdonate i miei falli. Anche gl'eceſſi
  Son d'orba madre al vaneggiar conceſſi.
Supplice, e degna, in cui pietà s'impieghi
  Eccomi humile al voſtro piè proſtrata.
  Deh, gran voſtra mercè, non mi ſi nieghi,

Con-

Contezza hauer d'ogni mia ſorte ingrata.
Queſto ſol ſi conceda; e de miei prieghi
N'andrò contenta. Ah, qual ſi ſia ſpietata
La ſerie del mio mal s'addíti almeno;
E volontaria ecco gl'appreſto il ſeno.
Sarò, qual più vogliate, Etna, ò Cocito,
I, di me ſteſſa al tormentar l'interno:
Ne, qualunque da voi m'habbi ſortito
Fortuna auuerſa, anche peggior d'Inferno,
Mi ſia graue il ſoffrir, ch'al rio partito
Di viuer ſempre in vn morire eterno,
Dirò, guidòmmi il mio deſtin crudele;
Ne ſon, colpa d'altrui, le mie querele.
Che, s', in oltre bearci anche in vn noſtro
Inferno di ſciagure hoggi bramate,
Come, il brami, raſſembra il pianto voſtro;
A queſt'afflitta madre, ahi, per pietate,
Non inuoli la figlia ignoto vn chioſtro.
Ch'io la riuegga, ah, mi ſi doni; e dato,
Che ſi ſatijn d'amor foriere, e duci,
Nel caro aſpetto almen l'auide luci.
A chi tragge da quella i ſuoi contenti
(Così ferma prometto, e così giuro)
Di ritoglierla mai, non ſia, ch'io tenti.
Chiunque l'habbi in poter viui ſicuro.
Ti ſoſcriuo l'acquiſto: i tuoi ſcontenti,
Se tua preda la feſti, i non procuro.
Laſcia il timor: te la concedo: e parmi,
Ch'vn'inchieſta d'amor non tocchi all'armi.

Verùm ſupplicationes Cereris vlteriùs adhùc protractas, nos ex Auctore noſtro, nugis relictis, decerpamus.

Quod ſi vos aliquo præuenit munere Raptor;
Tu certè Latona refer: confeſſa Diana
Forte tibi. Noſti quid ſit Lucina, timorque
Progenitis, & quantus amor; partuſq; tuliſti
Tu geminos; hæc vna mihi. Sic crine fruaris
Semper Apollineo; ſic me fęlicior æuum
Mater agas. Largis tũc imbribus ora madeſcunt.
Quid tantum eſt dignum fleri, dignumq; taceri?
Hei mihi! Diſcedunt omnes. Quid vana moraris
Vlteriùs? Non bella palam cæleſtia ſentis?
Quin potiùs natam pelago, terriſq; requiris?
Accingar luſtrare diem. Per deuia rerum
Indefeſſa ferar. Nulla ceſſabitur ora.
Non requies, nõ ſomnus erit, dũ pignus ademptũ
Inueniam; gremio quamuis mergatur Iberæ
Tethyos, & rubro iaceat vallata profundo.
Non Rheni glacies; non me Rhiphæa tenebunt
Frigora; non dubio Syrtis cunctabitur æſtu.
Stat fines penetrare Noti, Boreæq; niualem
Perluſtrare domum: primo calcabitur Atlas
Occaſu; facibuſq; meis lucebit Hydaſpes.
Impius errantem videat per rura, per vrbes
Iupiter: extincta ſatietur pellice Iuno.
Inſultate mihi. Cælo regnate ſuperbi.
Ducite pręclarum Cereris de ſtirpe triumphum.
Sic fatur; notæq; iugis dilabitur Aetnæ
Noctiuago tædas inflammatura labori.

QVOD SI &c. Iurgijs, precibuſq;, incaſſum conſumptis, ſupplicationes iam ſuas ad Latonam Deliæ Matrem conuertit Ceres. Aſt, iterum lacrymas ſe ex cæliginum oculis ciere tantùm, animaduerteris, cata, hunc eſſe artificialem preces ſuas eludendi modum, excandeſcit denuò in Cælum; totumque ſibi orbem eſſe peragrandum iam ſtatuens, vt filiam quærat, &, quoquo dicatur inueniat, & reducat: extremas omnes mundi oras enumerat relegendas, difficultates itinerum ſuperandas decernit, nec ceſſaturam ſe à labore profitetur, ni voti compos tandem effecta. Quibus in animo firmatis, iurgia iterum in Iouem ipſum, ac Cælicolas euomens reliquos, terga vertit ſyderibus: Ætnamq: repetit, vt tedas illius igne accendat, quibus obſcura quæque, ad filiam inquirendam valeat peruestigare.

QVOD SI &c. Munera, crede mihi, placant homineſq;, Deoſq;, inquit Vates ille, qui munerum efficaciam declarabat. Quarè nil mirum, ſi Ceres, precibus apud ſurdas aures effuſis, corruptas à Raptore Deas muneribus, ne eum proderent ſuſpicetur. Quam ſuſpicionem dum hic exprimit, altiùs profectò, quam dici poſsit, Deas ipſas perſtringit, eas ſcilicet auaritiæ inſimulans, quas ab illius vtiq; labe, quam longiſsimè abeſſe, ipsâ impellente naturâ, oportuerat, iuxta Platonis, 10. de legibus, documentum, qui acriter in eos inuehitur, qui Deos peccatoris muneribus corrumpi poſſe exiſtiment. Verùm, cum Deos ſuos, omni prorsùs vitiorum ſcelere inquinatos, efformaret antiquitas, vt alibi adnotauimus, quo ſibi quiſq; impunè peccandi adſtrueret facultatem, iure potuit & Ceres, Deas illas muneribus corruptas, ſuſpicari. Anſam præbuit ſuſpicioni ſilentium, quo fruſtratæ ſunt preces ſupplicantis, ac iuſtiſsimum, vt ſibi videbatur, ſolatium implorantis: nam ea eſt munerum vis, vt locutionis acumen obtundat, vt adnotauit Petrus Damianus Epiſt. 23., vbi ſic ait; *Acceptis muneribus, ſi quid contra datorem agere volumus, mox in ore noſtro verba molleſcunt, loquentis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubeſcentia præpeditur; mens quippè, perceptis muneribus conſcia debilitat iudicialis cenſuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem.* Ad quod alludens Bernardus Taſſus manui piſcatoris ex capta torpedine, quam depinxerat, torpenti inſcripſit. *Ex præda ſtupor:* cuius impreſiæ explicationem ſubdens Camerarius, inquit: *Munere ſic animum.* Ideò

Quod ſi &c. quæ coniunctio eſt aduerſatiua. Vulgò *Che ſe &c.*

RAPTOR. Qui filiam ſcilicet rapuit, quemue nota ſignat facinoris, cum quis eſſet, neſciret adhùc. Sed de Raptore vide fuſiùs dicta lib. pri. carm. pri.

PRAEVENIT. Hoc eſt præoccupauit, ſeù *præ me venit*, atq; animum præmuniuit, ne proderetis ſciſcitanti.

VOS. Emphaticè id dictum intelligas; ideſt vos, quibus munera placent; nam Cerua Dianæ, ſed aureis placuit cornibus, vt in Præfatione ad lib. 2., & Palladi Dracones dicantur, qui videlicet theſaurorum cuſtodes indicantur. *Vos* itaque muneribus aſſuetas, muneribuſque placabiles &c.

MVNERE ALIQVO. *Munus* donum eſt; & ſic dictum, teſte Varrone, quia, qui mutuo animo ſunt, id dent, officij gratia: ex quo vides, quam benè ſibi reſpondeat Vates, qui ſcilicet ſupra dixerit:

. . . . . Et ſocijs innocta raptoribus iras.

Senſus intercisus hic eſt, & imperfectus: ſed, quæ per fig. ſynecd. reticentur, facilè ex ipſo ſenſu deprehenduntur; nempè *Quod ſi vos aliquo præuenit munere Raptor, vel mentis indicium; non vlteriùs, vt indecentis miſſo: Munera veſtra vobiſcum ſint; non vlteriùs precibus fatigo: ſed incorrupti alterius Numinis opem implorabo.* Alij, hoc loco, Heinſio approbante, legunt:

Quod ſi Nos aliquo præuenit fœdere Raptor.

Parrhaſ. verò

Quod ſi vos aliquo præuenit fœdere Raptor.

A Parrhaſ. non diſſentio; nam etiam *fœderis* nomen coniunctionem animorum importat, & confęderationem illam, quam innuit Ceres cum dixit: *Iuncta raptoribus ora.* Sed magis emicat, vt arbitror, lectio noſtra, nam fœdus ex muneribus firmatum innuit, ſicq; cauſam notat ſimul, & effectum. Heinſio manus dare nequaquam poſſum, nam licet in aliquo bono ſenſu explicari poſſit Heinſiana lectio; ita vt ſenſus ſit: *ſi præuenit nos*, hoc eſt, *officium noſtrum anteuerit, fœdere vobiſcum ſancito;* ita vt ſera ſubindè fuerit ſupplicatio noſtra &c. Attamen negari non poteſt, quin aliquam pariat amphybologiam pronomen illud *Nos*; nam videtur, & alloquentem, & eas, quas alloquitur deſignare, præſertim cum in ſupplicationibus ſuis, nunquam plurali numero vſa fuerit Ceres ad ſe ipſam ſignandam, quia ſupplicantem non decebat hic loquendi modus, qui faſtum potiùs indicat, quam animi deiectionem.

TV CERTE LATONA REFER. Per apoſtrophem, à præcitatis Deabus ad Latonam Cereris ſermo conuertitur, quam per vnicum ſecundæ perſonæ demonſtratiuum pronomen notat, vt clariùs appareat ſermonis ad illam conuerſio. *Certe*, hoc eſt, *ſaltem* exponit Parrhaſ., nec incongruè. Verùm mihi videtur vlteriùs explicandum acutiſſimi Vatis ingenium; & conſultò vſum fuiſſe, dixerim, hoc potiùs aduerb. quam aduerb. *ſaltem*, quia *certè* affirmantis eſt, quo ſcilicet eximiam Ceres confidentiam oſtentans, pro certo ſe habere, declarat, futurum, vt procul dubio, à Latona voti compos efficiatur; quo actu eam adeò ſibi deuincire ſtudet, vt negare pudeat: quod maximum profectò perorantis artificium eſt. Latonæ notitiam ſatis tradidimus lib. pri. explicantes *Latonia ſurta*. Hic tantùm remanet; vt videamus, cur ad Latonam potiùs, quam ad Deam aliam, ſupplicationes ſuas conuerterit Ceres; nam ex hoc ipſo patebit eximium perorantis artificium. Cauſſinus de eloq. lib. 8. cap. 41., de induſtrijs agens miſerationum excitandarum, eruditiſſimè præcipit, primò habendam eſſe rationem perſonarum, ne incaſſum laboremus, affectum huiuſmodi excitare conantes: enumerans autem perſonas, quæ facilè ad commiſerationem procliues ſiut, ne in delectu decipiamur, ait eos facillimè in miſerationem attrahi, qui multa olim, & grauia paſſi, cæterorum miſerijs occurrere didicerunt; & rationem reddit ex eo, quod prioris fortunæ veſtigium quoddam, & imago, quæ intimis implicita ſenſibus eſt, miſericordiam, in aliorum caſibus, ex fortunæ ſimilitudine, faciliùs excitet. Nouit hoc ipſum eruditiſſimus Auctor noſter; & ideò ad Latonam potiùs, quam ad aliam Ceres per ipſum, conuertitur: nam & Latonam ipſam, innumeris, odio Iunonis, exercitam preſſuris, de filiorum ſalute ſolicitam, de Pythonis anxiam immiſſi rabie, atq; ab obſtrictis iuramento terris, in eorum perniciem coniurantibus æternum metuentem, loco cit., iam vidimus. Quarè, cum in eâdem ferè illa fuerit naui, qua nunc Ceres fluctuet, iure facilior creditur ad commiſerationem impertiendam, eiq; afferendam opem, in qua fortunæ ſuæ imaginem proſpiciat. Aliam pariter rationem affert Parrhaſ., cur Latonam potiùs, quam cæteras implorauerit; quia ſcilicet hæc Dea Latonæ nomen à manſuetudine morum ſortita ſit, apud Græcos, ex interpretatione Platonis, conſequenter faciliùs permouenda, atq; ad indulgendum pronior videri potuerit.

REFER. *Referre* eſt *quod ab altero accepimus, alteri enarrare*. vt patet ex Virg. Æn. 3. vbi Phrygij Penates Æneam, de futuris rebus, erudiunt; ac ſubindè præcipientes, vt, quæ audierit, ad Genitorem deferat, hoc ipſo vtuntur verbo.

> *Surge, age, & hæc lætus longæuo dicta Parenti*
> *Haud dubitanda refer &c.*

ſic Æn. 12. Turnus legationem deſtinans ad Æneam.

> *Nuncius hæc Idmon, Phrygio mea dicta Tyranno*
> *Haud placitura refer.*

Interdum *referre* non eſt vtcumq; *enarrare*: ſed *enarrando oſtendere*, cum ad factum refertur. Sic Æn. 4.

> *Talibus orabat: taliſq; miſerrima fletus*
> *Fertq; refertq; ſoror &c.*

Senſum itaque Vatis hic arbitror ex vtroq; commixtum; nempè, & quæ acceperis ex his, quæ cladem nouerunt, enarres, & enarrando doceas, & oſtendas, quæ fuerit forma mali &c.

CONFESSA DIANA FORTE TIBI. Indicat, cur ipſa exiſtimet, à Latona facilè indicari poſſe, quæ exoptet. A natura enim inditum filijs videtur, vt nullum cordis arcanum genitoribus occultent; ad quod, arbitror, ſignificandum, in more poſitum fuit, vt pueriliſis ingenuitatis inſigne Bulla eſſet, cordis referens figuram, è collo dependens; quaſi pueris indicerent antiqui, cor eorum genitoribus in aperto ſemper eſſe debuiſſe; ad quod fortaſſis alludens Terentius ſummè improbitatis eos redarguit filios, qui genitoribus auſi fuerint mendacia imponere. *Cor ſuum* filias audietis ſæpe à matribus compellari: ſi igitur conſiliorum omnium cor ſedes eſt, vt notat Pier. in hierogl., quomodò mater *conſilia filiæ* (quod eſt dicere: *conſilia cordis ſui*) ignoret? Omnium itaque conſiliorum ſuorum participem habere matrem filia præſumitur. Ideò *Forte Diana &c.* Dubitatiua vtitur particula; ſed ita tamen, vt in affirmationem potiùs, quam negationem propendeat; quia, quamuis ſupra tradita regula, firmiſſimam habens probabilitatem, poſſit exceptionem pati, ſi filij peruerſi ſint, ac degeneres, attamen id non fuit credendum de probitate ipſius Dianæ, quæ licet Cereri ſupra negaſſet, ſe noſſe &c. non fuit præſumenda id ipſum Latonæ matri occultaſſe. Ideò *confeſſa tibi*. Subintellige *fuerit ea, quæ nobis negauerit*; nam, licet *confeſſa* interdum paſſiuè ſumatur, hic certè actiuè ſumitur, eo pacto quo Ouid. 2. de Ponto Eleg. 2. ad Meſſalinum, ait:

> *Non eſt confeſſæ cauſa tuenda rei.*

Ex hoc vides, quam bellè inſinuet Ceres, nondum expurgatam ſuſpicionem, quam hauſerat, de raptu, Diana cooperante, confecto: quod cum puderis eidem Dianæ argumentum eſſe potuerit; indicat, ob id, nulli noxam huiuſmodi patefaciendam quidem, fuiſſe, ſed matri non faſſam fuiſſe Dianam, vix credendum profitetur.

NOSTI QVID SIT LVCINA &c. Motiua ſuggerit quibus ad opem ferendam impellatur. *Noſti quid ſit Lucina*; hoc eſt *Noſti, quid ſit eſſe Matrem*, nam & tu mater fuiſti, & te non latet, quantum, in enitendo, laboris Matres ferant; ideò non potes Matri non indulgere; nam, ſimilitudo fortunæ animos iungat, neceſſe eſt, atq; in mutuum inclinet auxilium. Ideò non precibus fatiganda mater, vt matri ſuccurrat afflictæ: ſatis eſt, ſi, & ſe matrem eſſe, meminerit. *Noſti quid ſit Lucina*. *Lucinam* poſuit, Deam nempè, infantium omnium obſtetricem, pro ipſo pariendi labore, nam huic tantum aderat, vt præſes, atq; vt opitularetur Lucina, de qua vide dicta lib. pri. carm. 125.

TIMORQ; PRO GENITIS. Solicitus eſt de filijs ſemper Genitorum affectus, adeò vt de Aenea, Aen. pri., habeatur, apud Virg., eum medijs in armis, ac furentibus vndique bellorum turbinibus, ſui ipſius oblitum, de Aſcanij tantum ſalute fuiſſe ſolicitum:

> *Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.*

Quod ſi hoc in genitore locum habet, multò magis in matre, quæ, vtpotè fœmina, certè mollioris naturæ eſt, & pluris filios facit, eo quod, quanti ſibi ſteterint, in partu, agnouerit. Sed, præter innatam matribus ſolicitudinem pro filijs, peculiares etiam timores perpeſſa fuerat Latona, vt ſupra ex lib. pri. memorabamus, ideò hos Ceres illi in mentem reuocat, vt

> *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcat;*

eo modo, quo poſtea, apud Virg. Dido ſibi eueniſſe fatetur.

> *Me quoq; per multos ſimilis fortuna labores*
> *Iactatam, hac demum voluit conſiſtere terra.*
> *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.*

Quid ſit Lucina, quis horror pro genitis? vel *quod ſit Lucina, quod horror* legunt alij cum Heinſio. Sed in idem recidunt; ſi hoc tantum adnotaueris, horrorem ſcilicet aliquid maius notare, quam timorem: licet & timens horreat. *Pro genitis* autem appoſitè dixit, vt, per expreſſam correlatiui mentionem, & timoris intenſio magis eniteſceret, & pietatis affectus excitaretur intenſior in ea, quæ in eadem fuerat naui, conſimilem experta fortunam.

ET QVANTVS AMOR. Gilbertus, inſignis vir eruditionis, Amori, menſuras, lanceſq; proijcienti, depicto pro lemmate addidit: *Verus amor nullum nouit habere modum*. Quod quidem, ſi vlli vnquam, certè materno in filios congruit amori, quem inexplicabilem cum dixerint non infimæ notæ auctores, explicarunt tamen Aegyptij per hieroglyphicum Vulpanſeris auis, quæ ſe ſe obijcit venatori, vt filij incolumes euolent. Hunc nouerit qui experiatur. Quarè, quæ vim illius experta fuerat, Latona eius etiam dignoſcere poterat vehementiam; & ideò anguſtijs earum compati, quæ filijs priuarentur ſuis &c. Hinc eſt, vt artificioſiſſimè Ceres materni, apud illam, amoris mentionem fecerit, quo vehementiùs eam in commiſerationem impelleret, ſibiq; profuturam conciliaret.

PARTVSQ; TVLISTI TV GEMINOS &c. Ingeſtâ dolorum, terrorumq; memoriâ, quos paſſa, filiorum amore, fuerat Latona, vt, maiores eſſe ærumnas, in quas Ceres ipſa incidiſſet, oſtenderet, argumentum à fortiori ſic conſtruit: minus eſt, ſi, qui geminos habet, vnum amittat, quam ſi vnicum habens eo ipſo priuetur; ergo & minor illi, quam huic, & dolor, & damnum. Sed tu geminos habuiſti liberos; & tamen tot angoribus preſſam duxiſti vitam metuens, ne alterutro priuareris; ego verò vnicam habui, & amiſi; ergò multo maioribus ego premor angoribus, conſequenter miſeranda magis; ac tua ope iouanda &c. *Et tu*. Completiua, hoc loco, eſt particula *&*, atq; emphaticè ſonat *& etiam*; vulgò *E pur voi &c.* vt emphaticum comparationi, quam Ceres factura eſt, præbeat initium. *Tuliſti*. *Fero* hic pro *obtineo* poſitum, ſeù *aſſequor*, agnoſcas. In quo ſenſu & Virg. Æn. 5., dum Æneam præmia largientem victoribus ex nauali ludo redeuntibus deſcribens, ait:

> . . . . . *Et Argenti magnum dat ferre talentum.*

Geminos partus. Gemini propriè dicuntur duo eodem par-

tu editi. Quarè Virg. Æn. 8., de Remo, ac Romulo, quos vno, eodemq; partu Rhea Siluia pepererat, vt apud Liuium lib. pri. habetur, loquens geminos eos appellat.

Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuiſſe lupam: geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros &c.

quod cum certè magnum fęcunditatis, in pariente indicium ſit, appoſitè meminit Ceres geminorum, ex Latona editorum, vt ex illius fęcunditate, ſterilitati Cereris oppoſita, cuius *poſt primos haſerunt viſcera partus infęcunda*, vt lib. pri. habuimus, infęlicitatem ſuam, ſupra infęlicitatem omnem, quam Latona ſibi euenturam pertimeſcere potuiſſet, extollat: nam certè, etiam ſi Latona ambos amiſiſſet Natos, adhùc tamen, attenta vteri ſui fęcunditate, poterat in ſpem erigi alios procreandi: atq; ex ea ſpe fructum conſolationis percipere. Aſt Ceres & re, & ſpe, vno, eodemq; raptu, priuabatur, quippè infęcunda: atq; adeò maiori profectò commiſeratione digna oſtendebatur. *Partus* vero, licet pro ipſo actu pariendi interdum ſumatur, vt patet ex Virg. Æn. pri., vbi Iupiter prædicens Veneri ſupradictos ex Rhea Siluia Geminos, & hæc, quæ dicimus de *Partus* ſignificatione, & quæ de Geminis, ſupra, retulimus confirmans, ait:

Hic iam tercentum totos regnabitur annos
Gente ſub Hectorea: donec Regina Sacerdos,
Marte grauis, geminam partu dabit Ilia prolem.

Licet, inquam, pro eodem actu pariendi ſumatur, ſæpè tamen ſæpiùs, vt hic, accipitur pro fętu ipſo: quare Martial. in Amphit. Epig. 12. de ſue, quæ ex vulnere peperit, inquit:

Exiluit partus miſera de vulnere Matris.
O Lucina ferox! Hoc peperiſſe fuit?

Per partus itaque geminos Latonæ Dianam ſignat, & Apollinem, de quibus nos lib. pri. ad *Latonæ ſurua*.

HAEC VNA MIHI. En alteram contrapoſiti partem: *Tu geminos: Hæc vna mihi*: Hæc, emphaticè poſitum, Proſerpinam ſignat amiſſam, cuius non pronunciat nomen, ne exacerbato vulnere fletus affluentior inſurgat, ac loquendi adimat facultatem. *Hæc*, quæ cæteris matribus altior ibam; *hæc*, quæ damnum penſabat numeri; hæc, quam, charos vteri labores ſcilicet, Siciliæ fruſtra volui commendatam. Hæc, quam lugeo, qua angor &c. *Vna* pro eodem ſumitur, ac *vnica*: quarè videas lib. pri. carm. 123. Innuit tamen hic effatum illud, quod vulgò prouerbij locum obtinuit, nempè *qui vnam habet nullam habet*, nimis, damno ſuo, adimpletum ærumnas ſuas ad ſummum vſq; cumulaſſe. *Mihi* item emphaticè dixit; hoc eſt, ideò te ipſa infęliciori, non ſolum, quia tu, metu tantum afflicta, iacturam tamen non feciſti: ego verò & iacturam patior; ſed quia, etiam ſi vnius feciſſes, altera remanebat proles: ego verò & iacturam feci, & altera non ſupereſt, & ſpe quoq; deſtituor procreandi.

SIC FRVARIS SEMPER &c. Precibus obſecrationem addit, quam Rhetores & deprecationem, & obteſtationem vocant. *Sic* namq; particula obteſtantis, obſecrantiſq;, ac bonum alicui, ſi preces audiat, optantis eſt, vt patet ex Virg. Lycida Mærim, vt canat, obſecrante, dum ait:

Sic tua Cyrnæas fugiant examina Taxos;
Sic Cytiſo paſtæ diſtentent vbera vaccæ.

Porrò, per ea, quæ cuiq; ex ijs, quorum opem imploramus, chariſſima ſunt, obſecratio inſtituenda præcipitur: ideò Ceres, per delectationem, quam ex Apollineo crine Latona deſumeret, quamq; illi perpetuam auguratur, eam vt præſto ſit, obteſtatur. *Frui* enim eſt *fructum, voluptatemq; percipere* & maximus cordi fructus eſt percepta ex aliquo voluptas, honeſtatis comes. Ideò *ſic fruaris*, & *fruaris ſemper*: tranſitoria enim voluptas, eo ipſo, quod tranſitoria ſit, dum recreat, torquet; nam dum præſens durat, metu impendentis amiſſionis excruciat; quarè & imperfecta eſt, & vix voluptatis nomen meretur: vbi è contra, quæ permanens ſit, vera, & ſola voluptas eſt. Ideò Ceres, vt beneuolam ſibi Latonam faciat, ſe illi perpetuam optare fęlicitatem, ſi petita concedat, proteſtatur: *ſic fruaris ſemper*

CRINE APOLLINEO. Apollinem inconſum ſemper omnium Poetarum commenta effinxere: cuius rei rationem reddit Macrobius, apud Parrhaſ. hic, quia videlicet à fronte Solis, qui Apollo eſt, radij, qui crines ſunt, auelli nequaquam poſſint: quarè *Acerſecomes* etiam dictus eſt Apollo, hoc eſt *intonſus*. Eius itaque cæſarie Latona mater eximiè delectabatur, teſte Tibullo, qui de hoc Deo Paſtore loquens, apud eumdem Parrhaſ., hæc habet:

Sæpè horrere ſacros doluit Latona capillos,
Quos admirata eſt ipſa Nouerca prius.

Ideò Ceres liberam ſemper ab huiuſmodi anxietate precatur, ſi faueat, vt quod gratiſſimum futurum eſſet, augurаretur.

SIC ME FÆLICIOR MATER &c. Conſimilem, licet crudelem minùs, fortunam expertæ quid gratiùs optari potuit, quam vt, conuerſa, crinem ſponte traderet Fortuna? Hoc itaque Ceres Latonæ deprecatur, ſi faueat; nempè vt aliam, à Cereris, fortunam: hoc eſt omninò propitiam experiatur. Natorum fęlicitate, virtutibus, & incolumitate, fęliciſſima efficitur mater; atque hac ſua fęlicitate, in ſuperbiam vſq;, lætiſſimo fruitur animo. Quarè Cornelia Romana Matronæ illi Spartanæ, quæ immenſum fere auri, gemmarumque pondus in partem, ſeù potiùs in ſummum fęlicitatis adſcitum ſuæ oſtentauerat; filios ipſa manu indicans, *Ang gemmas*, inquit, *meas, en multiplicem cordis mei theſaurum, & fontes fęlicitatis noſtræ perennes*. Ad quod reſpiciens, arbitror, eruditiſſimus ille impreſiarum Auctor Conchæ margaritis ditatæ, inſcripſit: *Hæc prole ſuperbit*; atq; in ſymbolum fortunatæ matris erexit. Dum itaque Ceres matri Latonæ fęlicitatem illam, quæ matrem deceat, precatur, ſoſpites in æuum filios, quod maximè nouerat in votis eſſe, precatur. De particula *ſic* vide ſuperiùs dicta; eſt enim & hæc noua priori addita obſecratio, vt vides. Dixit autem *Mater fęlicior me*, quia etiam Ceres ab initio fœlix fuerat, cum altior cunctis matribus iret &c. vt lib. pri. ſed fęlicitas, in infęlicitatem conuerſa, eam breui effecerat dolorum omnium receptaculum. Ideò *fęlicior me*, inquit, vt immutabilem illi ſe optare indicet fęlicitatem; ad quod magis exprimendum addidit

AGAS ÆVVM. Nam *æuum agere æternum viuere* eſt fęlicitate immutabili vitam ipſam comitantem. Quam verò patheticè decurrat hic Cereris oratio obuium magis profectò eſt, quam explicetur.

TVNC ORA MADESCVNT LARGIS IMBRIBVS. Cautes ipſas ad emolliendum habilis effluxerat Cereris deprecatio: & tamen, emollire quidem materna Latonæ viſcera potuit in lacrymas, ſed non tantum, vt optatum redderet vocis ſonum, ſummi obſtante Iouis decreto, valuit inflectere: quod oſtendit hic Vates, dum & Latonam ipſam lacrymas, reſponſi loco, tribuentem inducit. *Tunc* aduerb. temporis eſt, notans tempus illud, quod poſtremam Cereris perorationem exceperit; nam, illo eodem tempore, in lacrymas abiiſſe Latonam ſignificat. *Ora* autem dixit; hoc eſt facies Latonæ non minùs, quam cæterarum, de quibus ſupra, Dearum, quæ iam, non oborto leniter irrigantur rore, ſed effuſis lacrymarum fontibus exundantur. Ideò *Madeſcunt*: madeſcere enim eſt adeò ex humore recepto madidum fieri, vt altè humor imbibatur, & penetret ad partes vſq; intimas madefacti; quod licet nunquam eueniat in genis, largo quamuis lacrymarum flumine obrutis, attamen confert admodum ad cadentis humoris copiam oſtentandam; quam clariùs ſubindè notat, dum ſubdit: *Largis imbribus*: ſicuti enim, lib. pri., roris nomine exiguas lacrymas deſignauit: *Violante eborco. Rore genas &c.* ſic in præſenti redundantes fletus imbrium nomine deſignat, quia imbres ex maximâ, rores ex modicâ aquei humoris vi efficiuntur, vt loco cit. lib. 1. adnotauimus. Largos autem imbres, ideſt prodigâ profuſos vrnâ appellat.

QVID TANTVM EST &c. In admirantis interrogationem Cereris affectus, indignantiq; proximus erumpit. Et quidem aptè cadit admiratio, vbi adeſſe videatur contrariorum in ſe inuicem pugnantium fęderata coniunctio. Videbat Ceres lacrymarum profluuium, quod permotas vtiq; pietatis affectu Deas oſtentaret; ſed eodem tempore videbat, miſerationis effectui non minùs, quam affectui, clauſa Dearum viſcera, dum ne reſponſo eam quidem dignarentur, vt opem, quantumuis fluxam, denegarent: ideò artificioſiſſimè, ac ad Naturam aptiſſimè, mirata interrogat: *Quid tantum eſt?* nempè, quænam res tanti hæc ponderis eſt, vt & fleri debeat, & taceri: vt lacrymas miſerentium ex oculis extorqueat; ſilentium, quo miſerationis effectus impediatur, imponat? *Quid tantum eſt*

DIGNVM FLERI, DIGNVMQ; TACERI? *Dignum* dicitur, cui aliquid merito debetur; quarè *dignum fleri* eſt id, quod tanta obuallatur calamitate, tot ſtipatur ærumnis, tot horreſcit infortunijs, vt lacrymas exigat, ac perſolutas meritò obtineat. Ideò vni, inter Numina, luctus lacrymas à Ioue conceſſas Poetæ meminerunt, vt alibi vidimus. Quod verò taceatur, dignum tantummodo eſt id, quod *infandum* eſt; nec infandum eſſe poteſt, quod non omnem excedat modum, doloris inſtar illius, de quo Æneas, apud Virg. Æn. 2., ait:

Infandum Regina iubes renouare dolorem.

Ideò

Ideò *quid tantum ero*, hoc eſt: Quid magnum adeò mentis oculis obuerſatur excidium, vt, eodem tempore, & linguæ intercipiat vſum, &, luctuoſa cataſtrophe, lacrymarum excitet profluuium. Ex his autem argumentum deſumit Ceres, ac Deas illas, quaſi Crocodilli lacrymas funderent, acutiſſimo hoc ferit dilemmate: Vel meæ fortunæ vos miſeret; vel non miſeret? Si miſeret; atq; ideò lacrymas effunditis: quid tacetis? Quid Raptorem non indicatis? Quid tam dignum taceri, vt lacrymis potiùs perorandum cenſeatis, quam voce ſubueniendum illi, cui lacrymas tribuatis? Si non miſeret: cur fletibus indulgeatis? Quid ſibi erumpentes poſtulant lacrymæ? Atq. hæc ſunt, quæ, vnico hoc carmine, tanti Ceres cuibrat Emphaſi.

HEI MIHI! DISCEDVNT OMNES. Quorum enixè miſeremur, ſi eo ærumnarum deuenerint, vt eos ex ijs eximere in noſtra poteſtate non ſit, eorum nec aſpectum quidem diutiùs, ne viſcera noſtra diſtorqueantur, poſſumus ſuſtinere, eà vrgente naturâ, cuius ope, non nobis tantum nati ſumus. Quare, licet, apud ærumnoſum, cor affectu maneat pietatis, ab eodem pes noſter elongatur, ne illi inuſiles nos ipſos inutiliter, nimium eius inhærentes aſpectui, torqueamus. Hunc affectum non minus, quam effectum naturalem optimus naturæ, ac morum imitator Vates aptè in Deabus illis, ſummo vtiq; miſerationis affectu permotis, ſed opem ferre non valentibus obſtante Iouis decreto, exprimit egregiè; dum ex conſequenti Cereris lamentatione, eas vnam poſt aliam indicat abiiſſe, Cererem orbitati, ærumnis, dolori q; ſuo relictam lugentes fruſtra. Iterum, cum quis argumentorum pondere premitur; nec, quid reſpondeat, facilè in promptu habeat, confuſionis rubore perfuſus, terga vertere ſolet ijs, qui validis adeò vrgeant rationibus: eo pacto, quo Adulteræ accuſatores in Euangelico textu, Incarnatæ Sapientiæ arguentibus hieroglyphicis confuſi vnus poſt alium taciti abiere. Ex vtroq; igitur motiuo, ſolum vertiſſe Deas, prudentiſſime indicat Auctor noſter. Ex harum autem diſceſſu ſtatim aptè erumpit Cereris lamentatio: *Hei mihi! Hei* interiectio dolentis, ingemiſcentiſq; eſt, quæ ideò aſpiratur, quia huiuſmodi animæ affectus aſpiratione magis declarantur, quaſi difficulter, ac ſuſpirio vocem præeunte, erumpant ex, intercluſo doloris vi pectoris emittentis meatu. Sic apud Virg. Turnus, audito direptæ vrbis clamore, dum ipſe in acie Troiugenis inſiſteret Æn. 12., tactus dolore cordis excidio preſſa vrbem conſpectantis inclamat:

Hei mihi? Quid tanto turbantur mœnia luctu!
Quiſue ruit tantus diuerſa clamor ab Vrbe!

Diſcedunt omnes. Hæc, & quæ ſequuntur, ſecum ipſa loquitur Ceres: ac primò, cum *Hei mihi* exclamans indoluerit, cauſam hìc ſuccreſcentis memorat doloris, & quidem patheticè adeò, vt concipi potiùs, quam exprimi profectò poſſit. Ex lacrymis quibus indulgentes viderat Deas, non minùs, quam ex Athamantis vnda concipere incendium nares enarrantur, igniculos illa ſpei nequaquam fraudandæ, conceperat: verùm, diſcedentibus omnibus, eamq; omni prorſus deſtitutam ſolatio relinquentibus, florem eſſe, qui ephimera campi, oritur, & moritur, ſpem ipſam, nimio malo ſuo, facile experta eſt; immò florem quidem eſſe; ſed *aris florem*, nempè viſcoſam illam, ex humido progenitam, viridemq; rubiginem, quæ, dum viridi quodam enchauſto exornare metallum videtur, corroſiuâ illud afficit qualitate; & cui quidem, in ſpei ſymbolum erectæ Carduccius poſtea inſcripſit: *Viridi dat funera flore*. Ideò poterat & illa dicere, quod poſtea cecinit, apud Bracciol. lib. 16. Aluida:

Diſperata che ſarò Vattene: e mori;
Poiche ſorte acerbiſſima preſiſſa
Ch'altro fin non ſi troui à i tuoi dolori.

Io: Ferrus, vt eorum paſſiones exprimeret, qui, ab omnibus, ſumma in derelictione, deſtituti, omni ſpe, quam conceperant, auxiliorum priuantur, Tantalum depinxit, pomis, vndiſque refugientibus fruſtratum, cum lemmate: *Et proxima ludunt*. Quomodo itaque ſe habuerit Ceres, quam *et proxima ludunt*; nempè quam eiuſdem cum illa generis Cælites, quæ fletu ſe illius commiſeratione commotas oſtentauerant, abeuntes deluſam derelinquunt? Vide quantos excitet commiſerationis affectus, hoc vnico pronunciato: *Diſcedunt omnes*. *Diſcedere* idem profectò eſt, ac *abire*: ſed translatè acceptum, ſignificat etiam *alicuius ſententiam improbare*; nam ſicuti, qui alicuius in Senatu ſententiam comprobabant, ad partes illius, cuius laudare vellent ſententiam, accedebant, ex quo *ire in ſententiam pedibus* dicebantur; ſic improbante. ex ſententiam ferentis partibus migrabant diſcedentes; ex quo *in alienam abire ſententiam* dicebantur. Diſcedentes itaque Cælites, à Cerere eius petitionem reiicientes improbabant. Nec poterat illa dicere, cum Iunone, Æn. 7.

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo

Nam filiam apud Inferos eſſe, nequaquam ſuſpicabatur; nec, etiamſi id certò reſciuiſſet, flexibilem precibus Orcum exiſtimaſſet. Quarè, ex Cælitum diſceſſu, omni ſpe deſtituta, iure doloris impatiens exclamat: *Hei mihi! Diſcedunt omnes*.

QVID VANA MORARIS VLTERIVS? Se ipſam increpat, quod falsò crediderit, cælites ſibi fore placabiles, ſpemq; Deas in vota alliciendi conceperit; & quod adhùc, eluſâ ſpe, inanibus lamentationum nenijs tempus terat, cum interim ſummum inquirendæ filiæ negotium negligat. *Quid* interrogantis eſt: atq; indignantis interrogatio hæc eſt: nam ſe ipſam vrget, in ſe ipſa inuehitur, ac ſe ipſam ſocordiæ redarguit. Herclè ſtultus dicitur, qui rebus detinetur inanibus, in ijſq; ſtudium, neglectis collocat ſerijs: & ideò *vanam* ſe, hoc eſt, *ſtultam*, ac dementem ex prædictis appellat Ceres: nam qui *ſtultus* eſt, *vanus* dicitur, quaſi *mente vacuus*. Sic, apud Virg., Camilla Æn. 11., *vanum*, hoc eſt, *ſtultum* appellat Auni filium eo, quod, loco viriliter congrediendi, hoſtem inanibus eludere dolis ſtuduerit, dum ſic improperat.

Vane Ligur; fruſtràq; animis elate ſuperbis,
Nequicquam patrias tentaſti lubricus artes;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.

Apud Barth., *vana*, hìc, pro *decepta* accipitur, & *eluſa*: nec improbo; nam in eodem ſenſu, deceptam ſe circa veri cognitionem, vt diceret Iuno, apud Virg. Æn. 10. hoc eodem nomine vtitur inquiens:

Nunc manet inſontem grauis exitus; aut ego veri
Vana feror &c.

Sed explicationem ſupra poſitam congruentiùs ad motum animi, quo ſe ipſam redarguit Ceres, procedere arbitror; ni malis vtrumq; ſenſum eidem nomini ſubeſſe, vt moris eſt, eruditiſſimi Auctoris. *Morari* eſt moras nectere, & nil agendo tempus inſumere, cum potiùs res ſummam exigant feſtinationem agendi: & periculum ſit in mora: ex quo vides, quam acriter ſe ipſam incitet Ceres ad alios pro ſalute filiæ lapides permouendos. Aduerb. temporis *vlteriùs* clarum per ſe eſt; ideò prætereo: Italus vno verbo hæc omnia vulgò exprimeret: *Che ſi và indugiando?*

NON SENTIS PALAM BELLA CÆLESTIA? Sibi ipſi rationem inſinuat, cur iure ſe ſtultam dixerit, quæ ab hoſtibus Dijs ſuppetias petere, non abnuerit: confirmat opinionem, ſibi iam ab Electra inſinuatam, nempè pro euidenti iam habens, Cælum ſibi Phlegra eſſe infenſius ipſa, atq; in ſui exitium votis omnibus coniuraſſe: & ideo inſaniæ, tribuendum, quod ſupplex ad Cælites acceſſerit ex ſecuta, vt videbatur, euidentia facti, confirmat tandem. *Non ſentis?* Emphatica interrogatio, qua ſcilicet ſocordiam adhùc Ceres redarguat ſuam. *Sentire* propriè ad ſenſus pertinet: quarè oſtendit, hac interrogatione, ſe certiſſimam iam eſſe, quippè experientiâ ipsâ oculati, de Deorum in ſe nimium coniuratione ſatis edoctam: atq; ideò ſtultum eſſe, ſe ipſam vlteriùs decipere, atq; euidentem proditionem in dubium reuocare. *Non ſentis*; hoc eſt, ita ne adhùc demens es, vt ex actuali Deorum, quam cernis auerſione, perfidam eorum in te voluntatem, inuidiamq; non videas? *Palam*; hoc eſt apertè, oculiſq; cernentibus, ac publicâ, in oculis omnium aduerſi animi oſtentatione. In obſcuro poſita latuiſſe Deorum ira videri potuit, quandiù, & abſente Marte, & ſub noctem Filiam adière, quandiù ſe ſorores ſimulauerant Diuæ, vt incautam, quaſi aliud agentes, Raptori exponerent; quandiù collacrymantes compaſſiuo dolore proſequi viſæ ſunt infelicisſimæ Matris anguſtias: Sed cum, auerſa facie, manus dare detrectantes abiêrunt, verè, apertè, ac palam ſe iunctas facto edixère raptoribus, atq; in Cereris perniciem coniuratas; nam vt alibi dix., ex Tullio 1. de officijs, qui non propulſant ab oppreſſo iniuriam, cum poſſint, in eadem culpa cenſentur cum eo, qui infert. Poſſe autem exiſtimabantur à Cerere, cum illa tantùm petiiſſet, vt raptorem indicarent, nec ſciret, eas inuiolabili Iouis decreto detineri, ne proderent. Ideò iure infert *Non ſentis palam bella caleſtia? Bellum*, per antiphraſim, quia minimè bellum, dicitur: & eſt continuatio quædam rixarum, diuturniori tempore hoſtes in armis detinentium, vt alibi dix., ad diſtinctionem *prælij*, quod propriè ſignificat concertationem, quæ hic & nunc, aperto Marte, exercetur, cum manus actualiter conferunt hoſtes. Hic manum actu non inferebant Cælites

ſed hoſtiliter tamen agere non deſiſtebant, iuxta Cereris opinionem, ex poſtremis ſignis roboratam. Ideo *bella*, inquit, nempè continuationem hoſtilitatis a cęlitibus ſeruatã.

QVIN NATAM POTIVS &c. Iam ſuggerit ſibi ipſi quid agendum, ac ſe ipſam increpat, quod non ſtatim ſaniora exequatur conſilia.

QVIN POTIVS. Negligere, quod in nobis auxilij eſſe poſſit, vt externa ſectemur, imprudentis eſt, & inſani. Ideò, ſatiùs eſſe, ſibi inſinuat Ceres, terrâ, mariq; filiam inquirere, quam, fruſtra opem a Cælitibus rogando, tempus terere. Ideò *Quin potius*, vulgò *perche non più toſto* corrigit enim dementiam ſuam, & ad ſaniora conuertit.

REQVIRIS NATAM. *Requirere* eſt *diligenter quærere*: &, procul dubio, neſcienti, qua aliquid quærat, cum incerto ſemper gradu diuertendû ſit, ſumma opus eſt diligentia, qua ſemotiſſimos quoſq; peruelſtiget receſſus, & nil, quod non rimetur, relinquat. Emphatico autem nomine *Natam* dixit, nempè potiorem tui partem, theſaurum tuum, cor tuum, quo cæteris altior iam matribus ibas. Sicq; ſe magis ad exactiſſimam perquiſitionem accendit.

PELAGO, TERRISQ; In Cælis Proſerpinam non reperierat, cum toto bacchata Olympo fuerit: *reddere vociferans*: in inferis ſuſpicari detruſam non poterat innocentem: ideò iure infert, iuxta prudentem, licet, ex non præuidendis, fallacem exiſtimationem, eam terra, mariq; perquirendam. *Pelago* autem, inquit, vt oſtenderet, non in ſuperficie tantùm quærendam maris; ſed, qua maximè in profundum Regia Neptuni demergitur, intima quæq; vndantis Regni rimanda penetralia: nam pelagus propriè dicitur altiſſima maris profunditas, quaſi πάλαι ἀπὸ τῆς γῆς, quod ſit πάλαι ἀπὸ τῆς γῆς, hoc eſt *procul à terra*: ſed, quia pro quouis etiam mari *pelagus* accipitur, omnes & ſuperas, & inferas, quantumuis remotiſſimas, maris partes ſtatuit tranandas. *Terris* verò, dixit, numero multitudinis vtens, ad hoc ipſum, reſpectu terræ indicandum; nam *terra* totum terreſtre globum ſignificat: *terræ* verò partes diſtributiuè ſumptas deſignant, vt alibi adnotauimus.

ACCINGAR LVSTRARE DIEM &c. Iter iam ſibi peragendum ſtrictim recenſet. *Accingi* eſt expeditionem ornare, & quam citiſſime ad illam peragendam feſtinare. Sicq; hoc verbo, deliberaſſe iam ſe, quid ageret, & firmam circa illud voluntatem ſuam, indicat Ceres. Verbum *luſtro*, in duplici, vſurpatum ſignificatione, quod ad rem ſpectat, reperio: primò quidem, vt idem ſit, ac *peragro, ambio, circumeo*: ſecundo vt idem ſit, ac *circumquaq; aſpicio, & oculis cunctis quodammodo ambio*. In primo ſenſu illud reperies vſurpatum ab Heleno, apud Virg. Æn. 3., vbi inſtruens Aeneam de ſeruandis vt tutus, per tot Oceani ſpatia, iter ageret, inquit:

Pauca tibi è multis, quo tutior hoſpita luſtres
Aequora, & Auſonio poſſis conſidere portu
Expediam dictis &c.

in ſecundo verò ſenſu illud habes Aen. 8. alibi à nobis cit.

Dixerat Aeneas: ille os, oculoſq; loquentis
Iamdudum, & totum luſtrabat luminis corpus.

vtrumq; ſenſum complectitur, hoc loco, Ceres; nam & eundum erat, & circumquaq; quo illet aſpiciendum. Porrò *dies* eſt vbicumq; Sol eſt: & eo *dies* protenditur, quo ſemitæ Solis extenduntur. Quarè *luſtrare diem*, nil aliud erit, quam ſemitas eaſdem, quas Sol peragat, peragrare; & partes omnes, quas Sol illuminet, attentiori perueſtigatione, explorare. Itaque ambiendum ſibi decernit totum, tàm ſupra, quàm infra, terrarum Orbem, & quidquid die fruitur perluſtrandum.

FERAR INDEFESSA, PER DEVIA RERVM. Qui, Solis ſemitas ſecutus, omnem, quæ ſub ſignifero regionem collocatur, peragrauerit, non ſtatim totum perluſtraſſe terrarum orbem cenſendus eſt: nam, præter loca ſolibus peruia, ſunt alia in orbe, eidem Planetarum principi imperuia: nam primò regiones, vt lib. præ. dicebamus, frigidis ſubiectæ Zonis, ac Polis ipſis immediatè ſubiacentes, vel nullum, vel modicum accipiunt Solem, vt teſtatur etiam Virg. Georg. 3. vbi de ſcythicis regionibus Mæotide palude &c. ait:

Tum Sol pallentes haud vnquam diſcutit vmbras:
Nec cum inuectus equis altum petit æquora; nec cum
Præcipitem Oceani rubro lauit æquore currum &c.

Sic apud Parapamiſadas, gelidiſſimum Septentrionis axem ſpectantes, perpetua ferè, nox opprimit ſolum: nam apud huiuſmodi populos, è ſcythis oriundos, obſcura ſemper Cæli veriùs vmbra, quam lux, (inquit Curtius lib. 7. de Geſtis Alexandri) nocti ſimilis terram premit, ita vt, quæ propè ſint, conſpici poſſint. Inſuper opaca adſunt antra, & in immenſam fere profunditatem deuexi ſpecus, in montibus, æternæ prorſùs noctis domicilia. Adde, quod Ephorus ſcribit, nempè, iuxta Auernum lacum ſubterraneas eſſe Ciuitates, quæ Solem lateant, ibiq; inhabitare populos quoſdam, quos Itali Cimmerios vocitent; nam hi, vt ipſe teſtatur, & Feſtus comprobat, in ſubterraneis tantum habitant domicilijs, & mos eorum patrius inalterabilis eſt, vt nemo vnquam Solem aſpiciat; ſed nocte tantùm ad neceſſaria peragenda egrediantur è caueis. Vt itaque oſtendat Ceres, nil inacceſſum adeo futurum, quod non ſit ex diligenti ipſius perueſtigatione luſtrandum; ſemitis ſolaribus, quas ſe dixerat ſecuturam, loca dici etiam imperuia, opponens, ſubdit, vt hæc etiam veſtigijs imprimenda ſtatuat ſuis, ac diligenti indagatione pertentanda. Emphaticè autem dixit *ferar*; hoc eſt Amoris æſtro, doloris aculeo, furoris impetu, *ferar*: nam, qui his animi actus perturbationibus operatur, non ſponte progredi, ſed rapi, ac ferri prorsùs ad operandum videtur. Quare de ſe ipſo ait Aeneas apud Virg. Aen. 3.

Talibus Orſiada dictis, & Numine Diuum,
In flammas, & in arma feror quo triſtis Erynnis,
Quo fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.

Vt, nullis ſe fatigandum laboribus, oſtentaret eruditus ille, Aetherem in impreſæ corpus aſſumptum animauit Epigraphe *Indefeſſus agendo*. Quod ſi hæc corporum proprietas cæleſtium eſt, quanto magis Deæ, & quidem amanti debuit conuenire? Apte igitur Ceres *ferar*, inquit, *indefeſſa*, hoc eſt nullo itinerum labore, nullis obuiantium impedimentorum difficultatibus fatiganda. Præoccupatio igitur Rhetorica hæc eſt, qua reſpondet præuiſæ obiectioni, futurum ſcilicet, vt fatigetur, exponenti. *Iaceat* igitur, inquit Ceres *extra ſydera tellus, extra anni, Soliſq; vias*; (vt meminiſſe videtur, licet in ſenſu magis caſtigato, Virg. Aen. 6.) perueſtigationem Cereris non effugiet; nam *ferar per deuia rerum*; hoc eſt qua nullus etiam pateat acceſſus, vt optimè interpretatur Parrhaſ. qui nomine *rerum* totum ſignificari Mundum, iure optimo aſſerit.

NVLLA CESSABITVR HORA. Tempus habes negatiue generaliter prolatum. Sed aduerte vim illius nominis *Hora*: nam, quamuis nunc vigeſimam quartam diei partem deſignet, ex quo diem in 24. horarum ſpatia diuiſerunt; antiquitus tamen *hora* pro quacumq; temporis parte ſumebatur, ita vt vel ipſa momenta temporis, *hora* nomine poſſent deſignari: ſicuti vice verſa quatuor ipſæ anni partes *horæ anni quatuor* dicebantur. Quarè, hoc loco, idem eſt dicere *nulla horâ*, ac dicere *nullo temporis momento ceſſabitur*. Ceſſare eſt *ab incæpto quoquo modo deſiſtere*; vel *ab incæpto opere requieſcere*, vt ſpiritus reſumatur. Indefeſſam futuram ſe, profeſſa fuerat Ceres: conſequens erat, vt nunquam ceſſura laboribus, nunquam ab incæpto perueſtigationis munere requieſceret: & hoc ipſum proteſtatur illa, vt doceat, ſcire ſe, aſſiduâ opus eſſe perſeuerantiâ, quâ res tandem omnes ad optatum finem adducantur; ideoq; non incipientem, ſed perficientem corona donandum. Quod in cauſa fuit, vt Academicus Solicitus Pyramidem pinxerit, circa quam actu ſcalpri exercerentur, cum lemmate *Donec abſolutum*. Et quidem, ſpectata magnitudine animi, qua Ceres ad quærendam accingebatur filiam, poterat illa exprimi per ſymbolum illud, quo vſus poſtea eſt eruditiſſimus Abbas Picinellus, ad ſignificandas generoſi animi vires, qui, repugnante quamuis corporis imbecillitate, grauiſſimam negotiorum ſubeat molem; Baſim enim pinxit, quæ, quamuis hiſcens, ac debilis, onus ſuperbiſſimum Pyramidis excipiebat, dicens: *Nec labor iſte grauabit*. Sic nempè & Ceres, ſe non laboribus frangendam pollicetur, quamuis ex nimia concepti doloris agitatione iam adeò eneruata, vt genua labarent &c. vt iam dictum. Spectatâ verò rei, quam aggrediebatur, natura, quæ varium effectura erat quemcumq; Cereris laborem, erigi in ipſius impreſiam poterat aranea telam incipiens, cum lemmate *Donec perfecerit*: hoc eſt *nunquam, donec perfecerit, ceſſabitur*. Sed quid iuuat, cum in re prorsùs inani vitam inſumpſerit? Noſcet quidem Ceres vbi nam filia ſit: ſed nouiſſe pœnitebit, cum non redimendam agnoſcet.

NON REQVIES &c. Occurrit obiectioni, quam ſibi ipſi potuiſſet ipſa conficere, nempè aſſiduitatem perquirendi, nulla interpoſita mora, violentam nimis futuram, conſequenter non durabilem: nam, vt ait Ouid. Epiſt. 4.

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

Hoc autem neceſſarium continuati laboris impedimentum ſuperandum ſibi proponit, & ſtatuit; quaſi inſtar equi curſorij

ſorij

ſorij ſit futura, qui nunquam, niſi ad metam peruenerit, quieſcit. ideòq; in impreſſæ corpus aſſumptus currens lemmate animatur *Donec ad metam*. Nec videatur Ceres aliquid ſibi impoſſibile peragendum propoſuiſſe: nam immo quod proprium amantis eſt, ſibi arrogat amanti: incitatus enim amoris ſtimulis amans ſtare loco, neſcit, vt de equo inquit Virg. Georg. 3.

Continuo pecoris generoſi pullus in aruis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit:
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet & ignoto ſeſe committere ponti &c.

& inferius:

Stare loco neſcit: micat auribus &c.

Nam Amor, vt ait D. Dionyſ. de Hierarch. cæleſti eſt quiddam mobile, inceſſabile, acutum, feruens, & ſuperferuens. Quare hoc accenſa Ceres iure ſe requiem non admiſſuram pollicebatur, ſpectatâ amantis natura, quem immò, quo ad motum ſine requie peragendum, Picinellus Abbas pulueri aſſimilat ex ſuperiori horaria clepſidra in inferiorem prolabenti, addito lemmate *Irrequietus inerrat*: iuxta illud Epigramma de Aleippo conſtructum, in quo Aleippus dicitur *amoris factus ob ignē cinis* in horologio incluſus, ac ſubindè ſubditur:

Irrequietus enim miſeros teſtabere amantes,
More tuo, nulla poſſe quiete frui.

NON SOMNVS ERIT. Diu, noctùq; peregrinandum ſibi ſtatuerat Ceres, cum inquit: *Nulla ceſſabitur hora*. Diurnam quietem decreuerat explodendam: *Non requies*. Iam, quia noctis tempus ſomnum conciliat, &, quaſi neceſſario, ingerit oculis, vt, ſopitis ſenſibus, à diurno tandem labore recreemur, vt ait Virg. Æn. 2. . . *Nox humida cœlo Præcipitat; ſuadentq; cadentia ſydera ſomnos.*

& hoc quidem dono Diuum euenire inſinuat ibidem

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Diuum gratiſſima ſerpit.

Hinc eſt, vt Ceres hanc quoq; continuandæ perquiſitionis remoram abijciendam ſibi profiteatur, ne impedimento ſit celeritati, qua Filiam recuperandam exoptabat: nec mirum; nam ex antiquis aliqui, Leonem omninò inſomnem eſſe affirmarunt, licet reclamante Ariſtotele, qui ait, nullum animal perpetua vti poſſe vigilia. Multo autem magis id Cererem decebat, quæ ex affectu vindictæ Naturam induiſſet Leænæ, ardoremq; quo in efferatam illæ feruntur vindictam. Ideò *non ſomnus erit*. Adde quod & proprium amantis eſt inſomnes ducere noctes; & certè Ceres amoris impulſu in viam conijciebatur.

DVM INVENIAM PIGNVS ADEMPTVM. Subtrahenda ſibi etiam neceſſaria ad vitam, non commodè quidem, ac diuinitùs, ſed ad mioùs etiam, quam humanitùs, peragendam propoſuerat Ceres: iam tempus notat, laborum continuationi præſcriptum, nempè *donec inueniat*, quam quærendam ſtatuerat. *Dum* enim aduerb. hoc loco temporis eſt indeterminati, determinatæ tamen ab extrinſeco limitandi, idem valens, ac *donec*. Inuenio idem ferè ſonat, ac *in id, quod quæritabam, venio*. Quare hic propriiſſimè dicitur, & in ſenſu Plaut. in Ciſtel. dicentis: quod quæritabam, Filiam inueni meam. Quid verò per Pignus intelligat ſatis conſtat ex textu; ſed vide fuſiùs lib. pri. carm. 178. *Ademptum* autem, dixit, hoc eſt, *raptum*; nam *adimere* propriè eſt *præcidere, & præcidendo eripere* quod propriiſſimè de erepta dicitur filia, quæ, cum pars matris ſit, rapi non potuit, quin diuelleretur à matre.

QVAMVIS MERGATVR &c. Cæleſtibus Dijs, Cælum, terramue ſortitis poſſidendam, in aliam quam Iouis ditionem inferre pedem, non conceſſum vidimus lib. pri., vbi hoc ſancitum dicebamus ijs legibus, quas Parcæ dederint, neuitq; colus &c. vt fusè ibi carm. 63. & ſeq., & ex qua lege vnus excipiebatur Mercurius Deorum internuncius, vt habetur eodem lib. pri. carm. 89. & ſeq. Quibus poſitis, videri potuit Cereris peregrinatio terrarum tantùm ambitu coercenda; licet iactauerit, ſe maria omnia peruestigaturam, poſtquam Cælos luſtrauerat omnes: Vel certè peculiaris difficultas peregrinationi, per alienam inſtituendæ ditionem, obijciebatur, non facile ſuperanda; & præcipue de ditione æquoreorum Numinum loquendo; nam, licet ex congreſſu Cereris cum Neptuno, de quo lib. pri., videri potuerit Ceres, titulo pellicatus, in Amaſij Regnum facilem aditum reperire potuiſſe; obſtabat tamen offenſæ Amphitrites Numen, quæ ſi pellicem in ſuo Regno diuagantem reſcire potuiſſet, certè in vltiones illicò ruitura credi debuit. Quarè, peculiari titulo, hanc expreſſe difficultatem ſibi ſuperandam proponit, ac certo decernit animo: ac non ſolum ſcrutandum ſtatuit æquor, ſed ex ipſo gremio Oceanitidæ vxoris deducendam, ſi eo exceptam Filiam reperiſſet. Et iure profectò & leges negligit, & periculum nihili facit, cui ſe mater exponeret filiæ amans, vt filiam redimeret, vel morte ſua, ſi mori, vt illa vitam haberet, potuiſſet; nam hoc materno affectui inſitum à natura eſt. *Per amore ebrius* (inquit Plutar. diſp. amatoria) *quia Deum ſuum habet adiunctum, ignem, & mare, & flatus paratus eſt æthereos peruolare*. Quod confirmauit Leander, apud Muſæum, cum, Herus puellæ amore, Heleſpontum eſſet, vt ad ipſam ferretur, tranſnataturus; intrepide enim hæc fuit, aperto ore proteſtatus.

Tuum, ò Virgo, propter amorē, etiā aſperam tranſibo aquā
Licet igni ferueat, & innauigabilis ſit vnda.

Nil enim amori impermium, nil arduum; adeò vt Amorem aſſimilet Picinellus adulterinæ illi claui, (vulgò, apud Longobardos, *il grimaldello*) quæ facillimè ſeram omnem, quamuis ineluctabilem ſuperat, & aperit: addito lemmate *ſubera ogni contraſto*. Quod ſi hæc cuicumque congruant amantis quantò magis amantem Deam, amantemq; deceant Matrem, cum nullus amor materno præſtet amori? Iure igitur, repeto, vt amoris ſui vehementiam teſtetur, peruestigaturam ſe Ceres pignus ſuum proteſtatur, quocumq; tandem raptum fuerit; *Quamuis &c.* quod aduerbium eſt exceptiuè excluſiuum, & quo oſtenditur maxima etiam, quæ proponatur, difficultas ſuperanda. *Quamuis mergatur*; hoc eſt *ſub aquis poſita detineatur*; nam *mergi* eſt aqua ſupereffluente operiri, & occultari.

GREMIO IBERÆ TETHYOS. De gremio dictum lib. pri. carm. 104. Pariter quænam ſit Tethys, Oceani vxor, fluuiorum, Nympharumq; mater habes lib. 2. carm. 46. Hic pro mari ponitur, cuius Dea eſt, eiuſq; gremium pro maris, in altiſſimam profunditatem deiecta, cauitate; licet non ſine alluſione ad Deam ipſam, vt ſupra innuebamus. Remanet, vt perpendamus, quamnam maris partem deſignet, dum ad hoc indicandum, epiteto vtitur *Iberæ*. Per *Iberam*, itaq; *Tethyn*, totum intellige Mediterraneum mare; hoc eſt mare illud, quod ex Oceano, inter Abylam Mauritaniæ, & Calpen Hiſpaniæ, promontoria, irrumpens, per medias terras, (mediterraneum ideò dictum) diffunditur, Africamq; ab Europa diuidit. Hoc variè à terris, quas alluit, nominatur; ſed primo *Iberi* nomen ſortitur, vulgò *Mar di Granato*, ea in parte, qua inter Calpem Herculis columnam, & Claridemum Hiſpaniæ Beticæ promontorium diffunditur: Hiſpania enim Iberia dicitur, ab Ibero, maximo veq; illius regionis fluuio, qui, apud Cantabros, Oriens, per Hiſpaniæ regionem longè, latèq; fluens, in Balearicum mare delabitur, quod ea pars Mediterranei eſt, quæ à nuper citatis promontorijs ad Templum Veneris, per oras Hiſpaniæ Taraconenſis protenditur. Sumptâ itaq; primâ Mediterranei denominatione, totum, per Iberam Tethyn, deſignat; quod quam longè, latèque protendatur, ac quantam in altitudinem demergatur, facilè intelliges, ſi memineris, partem Mediterranei Ægeum eſſe; vulgò *l'Arcipelago*.

ET IACEAT &c. Tranandum mare totum ſtatuerat illud, quod terram interluit, atque à terrâ tandem, licet immenſis diffitâ ſpatijs, continetur. Iam huic labori, per copulatiuam, ſeù potiùs cumulatiuam particulam *&*, laborem coniungit ſubeundum, in peruestiganda immenſitate illius maris, quæ totam ſinu ſuo terram complectitur, vt ait Taſſus alibi à nobis cit. Hieroſ. liber. canto 15., eamdem naturam in geminum mare diuiſionem ſecutus, atque vtrumque inuicem conferens, argumentum à minori, Mediterraneo ſcilicet, ad maius ſic deducens.

Se'l Mar quì è tanto, ch'il terreno il ſerra,
Che ſia colà, dou'egli hà in ſen la terra?

Iaceat: hoc eſt, vndis tumulantibus, obſepulta, licet viuens, decumbat, vi tantùm educenda. Ideò

VALLATA. A *vallo*, hoc eſt caſtrorum munitione, quæ *vallis* ideſt *palis* fieret *vallatus* dicitur quicumque inſuperabili munimento circumſeptus detinetur: per translationem verò, ad ſignificandum, hic, transfertur munimentum illud, quod, immenſis vndarum molibus, imperuias reddit Oceani cauitates.

RVBRO PROFVNDO. *Profundum*, in neutro genere, vſurpatum eſſe pro Mari, omnibus in comperto eſt. Sed hæc Profundi antonomaſia, ſi vnquam alijs Neptunij partibus regni competat, certe maxime *Rubrum* deceat *Mare*, neceſſe eſt: quare & Luc. lib. 8. *Rubrum Profundum*, quaſi peculiari nota, recenſuit, inſignitum. Mare itaque rubrum

Græci

Græci Erythræum appellarunt, ab Erythra Rege, Perſei, & Andromedes filio; & pars Oceani eſt Arabiæ confinis, ex quo vulgò dicitur *Mar d'Arabia*. *Rubrum* autem fuit appellatum, non quia rubras habeat vndas; ſed quia ex ſubiectis arenis, quæ rubræ ſint, ac ſolarium repercuſſione radiorum eius rubræ appareant vndæ. Per *Profundum* igitur *Rubrum*, parte pro toto poſita Oceanus deſignatur, qui & *mare externum* dicitur; hoc eſt extra Herculeas profuſum columnas, & quod vniuerſam circumeat terram: de cuius immenſitate ait Taſſus cit.

Dell'onda il Ciel, dal Ciel l'onda è confine.

ac, de eiuſdem terribili aſpectu loquens, inferiùs ſubdit:

. . . . . Hercole, poi ch' vceiſi i moſtri
Hebbe di Libia, e del paeſe Hiſpano,
E tutti ſcorſi, e vinti i lidi voſtri
Non osò di tentar l'ampio Oceano.

Tandem, nauium impatientem olim, Oceanum dictitans ait:

S'altre vi ſù da venti à forza ſpinte;
O non tornonni, ò vi rimaſe eſtinte.

Nunc verò terrores omnes audacia humani vicit ingenij adeò, vt peruius iam nauibus omnibus ſit Oceanus; quod tamen non tollit, quò minus tunc temporis, cum Ceres illum peruestigare decreuerit, non fuerit omnibus pertimeſcendus, ac nulli peruius. Quod ſi eius profunditatem dignoſcere cupias, memineris, ab expertis traditum fuiſſe, mare illud profundè adeò demergi, vt fruſtra vltimam eius depreſſionem, pluribus in locis, indagauerint peritiores. Nihilominùs, ingens amoris ſui incendium tantis non extinguendum vndis, ſibi ipſi Ceres pollicetur, quaſi asbeſtus eſſet ignitus, cui inſcribendum, *Medijs nec ceſſat in vndis*; ſicuti de Amore Aloyſius ait Nouarinus.

Nec medio maſcens obrutus eſt pelago.

NON RHENI GLACIES &c. Maria omnia emenſæ, quæ obſiſtere, in terris potuiſſent, difficultates recenſet ſuperandas; & nihili eas ſe facturam, eidem animi firmitate, proteſtatur; ac primo a Rheni glacie ducit exordium. Poſitam hic pro genere ſpeciem, nempe Rheni glaciem, pro quibuſcumque locis glaciei aſperitate imperuijs, nemo dubitauerit. Sed perpendendum eſt, cur potiùs Rheni glaciem elegerit exprimendum, quam alterius aut fluuij, aut regionis; puta vel, quæ Tanaim compedibus perſtringat ſuis, vel qua Scythia perhorreſcat &c. Rhenus itaq; fluuius ingentis eſt magnitudinis, Belgas à Germanis diuidens; cuius naturam qui referunt, vix mehercle fidem inueniunt; Sed referunt tamen (Stephano, qui Gentes deſcripſit, auctore) eum talis eſſe naturæ, vt legitimas probet proles: quod adeò in comperto fuiſſe dictitant, vt Accolæ recentes à partu filios, ad probandam coniugum fidem, deferrent ad Rhenum; eoſq. ſcuto impoſitos, quà rapidior eſt, alueo committerent: quibus autem vnda pepercißet, vt ſuos agnoſcerent; extinctos verò ex adulterio conceptos exiſtimarent: credebatur enim fluuius pollutam, vel impollutam ſentire, ac cenſorijs pœnis, præmijſq; ſic proſequi pudicitiam. Huic ſententiæ adhæſiſſe videtur & Claud. 2. in Ruf. dum Stiliconis copias enumerans hæc habet:

Inde truces flauo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit;
Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Hoc poſito. Si ab vllo fluuio rapienda, mergendaq; fuerat Proſerpina, maximè à Rheno, pollutam Matris ex concubitu Iouis pudicitiam plectente, deploranda hac natæ demerſione: atque idem maxime glacie ſua eam circumuallare debuerat, vt inquirentem Matrem à filiæ excluderet recuperatione: Rheno enim glaciem omnes vnanimiter attribuunt auctores: gelidum vocat Auſonius: *Trans gelidum Rhenum &c.*; Algentem Conradus inquiens:

Vel quos algentem, niuibuſq; & aureis
Vadum Rhenum &c.

glacialem Priſcian. *Oceani rumpens glacialis littora Rhenus &c.* & Gallus apud Virg. Ecl. 10. niues illi tribuit, & frigora exclamans:

Alpinas ah dura niues, & frigora Rheni &c.

Ex hoc autem Principis Poetarum textu habes, cur glacialis dicatur Rhenus, nempe quia ex alpibus oritur, quarum iuga, perpetuis obſita niuibus, non poſſunt, quin flumen ipſum gelidum efficiant. Inſuper, Germaniæ contentiuus non poteſt fluuius, quin regionis, cui adhæreat, qualitatem participet; ea autem aſpera ſitu eſt, ac frigidiſſimis Cælorum inclementijs obnoxia. Adde, quod Rhenus ſeptentrionalis dici poteſt, quatenus ſeptentrionali tandem miſcetur Oceano. De ſeptentrionalibus autem plagis, meminiſti quid in tela ſua lib. primo expreſſerit Proſerpina, cum

Torpentes traxit gemmas; brumáq; perenni
Radat, & æterno conſtringit frigore telas.

certè Lucanus Pharſ. primo Rhenum *arcticum* appellat:

Frigus, & arctos ſummentem vertice Rhenum &c.

NON FRIGORA RHYPHÆA. Ryphæos montes cum alpibus confundunt Poſſidonius, & Tibullus, & alij. Damaſtes verò Græcus (qui Auctor gentes exponit) ſic gradatim procedit: *Scythas, inquit, excipiunt Iſſedones; hos Arimaſpi continguunt; vlteriùs Ryphæi ſunt, vnde flat Aquilo, continuis obſeſſi niuibus: deinceps externi maris oras habitant Hyperborei*: ex quo habes Alpes à Ryphæis montibus diſtinctas. Sed, quia ab Auctore hoc videtur diſſentire Virg. Æn. 4. dum Boreales flatus, hoc eſt Aquilonares impetus ab Alpibus procedere, videtur innuere; dum ait:

Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant &c.

quibus verbis Virg. adhæſiſſe potiùs videtur Poſſidonio, & alijs, quam Damaſti, vtramq; ſententiam arbitror conciliandam; ita vt, qui dicunt Alpes, Rhyphæoſq; montes, pro eodem accipiendos, non hoc dixerint, eo quod Rhyphæi (qui ſeptentrionalis Scythiæ montes ſunt) ſint vnum & idem cum Alpibus, quæ finem Italiæ ſtatuunt, & de quibus nos lib. 2. diſſeruimus, carm. 176.; ſed ex eo, quod Rhyphæi continuo dorſi iugo cum altiſſimis Europeæ Scythiæ montibus coniungantur, qui etiam *Scythica Alpes*, ob celſitudinem, dicantur, nam quoſlibet altiſſimos montes Alpium nomine deſignari iam vidimus loco citato lib. 2. Quarè, qui cum Alpibus Rhyphæos confundunt, de ſcythicis alpibus locutos, arbitror; nam cæteroqui certum eſt, quod Alpes, quæ fines Italiæ ſunt, quam longiſſimo terrarum ſpatio à Rhyphæis montibus diſſitæ, diſtinguantur. Et certum eſt, Cererem, per Rhyphæos montes Alpes noſtras innuere noluiſſe; nam nil noui afferret, per *frigora Rhyphæa*, quam attuliſſet, per *Rheni glaciem*, vt ex dictis ſatis conſtat: & tamen certè nouam hic affert Ceres difficultatem ſuperandam, cum eam per coniunctionem diſiunctiuam *Non* ita copulet cum prima, vt diſtinctam, diſiunctamq; oſtendat, licet in eodem genere ſit. Immò & creſcit oratio; nam licet Rheni glacies, ex Alpium noſtrarum frigore concretus, Alpes noſtras oſtendat non admodum à Rhyphæis, in qualitate, diſſimiles; certum eſt tamen, quod Rhyphæi, vtpotè qui magis gelidiſſimo Septentrionis axi ſubijciantur, intolerabiliori frigore adurantur. Teſtis eſt Curtius de rebus geſtis Alexandri lib. 7., vbi Arimaſpos Scythiæ populos, poſtea *Euergetas* dictos, autumat; hoc eſt *beneficos*, eo quod, frigore penè conſumptum, Cyri exercitum recreauerint; & ipſum Alexandri exercitum, iiſdem frigoribus, dum orbem illum peragraret, deletum dictitat. Sic etiam Virg. Georg. 3. ea frigora deſcribens ait:

Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ,
Vndaq; iam tergo ferratos ſuſtinet orbes &c.
Et tota ſolidam in glaciem vertere lacunæ:
Stiriaq; impexis indurùit horrida barbis &c.

& inferiùs

Talis Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni
Gens effrena virum Rhyphæo tunditur euro &c.

Minori itaque frigori, per Rheni glaciem indicato maius ſubnectit ex Rhyphæis montibus deductum, vt omnia, oſtendat, incendio amoris ſui, nullo negotio ſuperanda. Ideò non

ME TENEBVNT. Hoc eſt remorari ab itinere, aut ab incæpti operis proſecutione deterrere non poterunt, obiecta licet tranſmeandi impoſſibilitate.

NON SYRTIS CVNCTABITVR. Hunc locum, de maris ſyrtibus, intelligendum ſupponit, & exponit Parrhaſ. Sed fallitur, vt arbitror, eo quòd recordatus non fuerit, in terris etiam ſyrtes eſſe. Moueor ad hoc aſſerendum, quia certè qui difficultates omnes ſuperare decreuerit, per ignem ſibi, & aquam tranſeundum eſſe, neceſſe eſt ſibi firmiter in animo propoſuerit. Quare, propoſitis difficultatibus, quæ ab vno ex contrarijs ingeri potuerint, certe ad eas proponendas, quæ ex altero contrario haberi poſſint, ſeruato ordine eſt tranſeundum. Sicut itaque Ceres ex humido, inſtabiliq; aquarum, ad ſiccam terræ ſtabilitatem tranſitum fecerat; ſic ea frigorum rigoribus, non ad diſparatum maris æſtum, ſed ad æſtum caloris, nimia incendiorum vi, obſiſtentem gradum facere debuit: calor autem vehementior ſemper in terris, procul dubio erit, quam in vndis: nam, cum frigida antonomaſticè vnda ſit, nec tantam, quantam terræ, habeat ſoliditatem, ac denſitatem, ad ſolares ignes reuerberandos;

certè calor in vndis remiſſior ſemper erit, quam in terris. Sunt itaque, fateor, ſyrtes in mari geminas, quas memorat, & deſcribit Saluſtius: Sed ſunt & ſyrtes in terra, quarum meminit, naturamq; earum deſcribit Solinus. Primæ ſunt periculoſiſſimi ſinus duo, in Lybico mari, quod Africam proprie dictam alluit, quorum alter, qui Carthagini propinquior eſt, & minor dicitur ſyrtis, trecentorum millia paſſuum ambitu continetur: alter verò, qui in Cirenaicam vergit, & maior ſyrtis dicitur, habet circuitum ſexcentorum triginta quinque millia paſſuum. Vtraque ſyrtis nauigantibus formidabilis eſt; nam, quòd ibi vadoſum mare ſit, arenæ cumulos vehens, faciem ſemper immutat locorum; dorſaq;, & breuia in alia, atque alia transfert viciſſim loca, in quæ ſi naues impellantur, arenas dum ſulcant, in ijſdem tenaciter hærent, vndiſq; deſtitutæ, proprio dehiſcant pondere, neceſſe eſt. Audi de ijs Solinum in Iugurt. *Duo ſunt ſinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, naturâ tamen pares, quorum proxima terris, perlata ſunt; cæterum, vbi fors tulit alta; aliàs tempeſtate vadoſa; nam vbi mare magnum eſſe, & ventis ſæuire cœpit, limum, arenamq; & ſaxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis ſimul mutatur &c.* Sunt & ſyrtes in terra, vt dicebamus, & in eadem Africa ſunt, vento arenas excitante, & proxima quæque operiente, quarum naturam nos ſusè etiam deſcripſimus lib. 2. carm. 310. Auctor autem eſt Solinus, in ijs locis, quamuis terrâ iter facientes, curſum ſyderibus regere: nam arenarum cumuli vento agitati, locorum faciem mutant, &c, quemadmodum in mari, nunc aggere ſublimia faciunt, quæ priùs deſidebant; nunc vallibus profunda, quæ priùs erigebantur, excelſa. Denique procellarum ritu, arenæ exagitantur, ſyrtemq; faciunt terreſtrem, paris cum illis æquoreis, periculi; parum enim refert, vndis ne, an arenis, quis obruatur. Hæc Solinus. Sed & ſimiles in Aſia ſyrtes, in finibus ſcilicet Bactrianorum, qui in extrema ſunt Aſia, collocatas, deſcribit Curtius lib. 7. cit., cuius hæc ſunt verba. *Magnam eiuſdem terræ partem* (de Bactriana loquitur) *ſteriles arenæ tenent. Squallida ſiccitate regio, non hominem, non frugem alit; cum verò venti à Pontico mari ſpirant, quidquid ſabuli in campis iacet, conuerrunt; quod, vbi cumulatum eſt, magnorum collium procul ſpecies eſt; omniaq; priſtini itineris veſtigia intereunt. Itaque, qui tranſeunt campos, nauigantium modo, noctis ſydera obſeruant, ad quorum curſum iter dirigunt: & propemodum clarior eſt noctis vmbra, quàm lux. Ergò interdiu inuia eſt regio; quia nec veſtigium, quod ſequantur, inueniunt; & nitor ſyderum caligine abſconditur. Cæterùm ſi quos ille ventus, qui à mari exoritur, deprehendit, arena obruit.* Quòd ſi quæras, quinam inibi ſint æſtus, quæ caligo cælum obtenebret? Audi eundem Curtium mox ſic explicantem: *Arenas aſtiui Solis vapor accendit, quæ vbi flagrare cœperunt, haud ſecùs, quàm continenti incendio cuncta torrentur.* En quanto hæ ſyrtes exæſtuent æſtu. *Caligo deinde* (ſubdit Curt.) *immodico terræ feruore excitata lucem tegit; camporumq; non alia, quàm vaſti, ac profundi æquoris, ſpecies eſt. Nocturnum iter tolerabile, quia rore, & matutino frigore, corpora leuantur: cæterum, cum ipſa luce, æſtus oritur, omnemq; naturalem abſorbet humorem ſiccitas ſ... vra, viſceraq; penitùs vruntur.* En quàm periculoſa ſit harum ſyrtium terreſtris, vt ita dixerim, enauigatio. Ad has igitur terreſtres ſyrtes reſpexit, proculdubio, Ceres, cum dixit: *Non dubiæ ſyrtes cunctabitur æſtu*: vt, conſideratâ extremi frigoris obſiſtentia, vtique ſuperanda, præ oculis adeſſet, ex altero extremo, nempe ex nimia caloris aduſtione emergens difficultas. Itaque *Syrtes*, inquit, per ſynecd. ſingulari numero vtens pro plurali. *Non cunctabitur*. *Nulla mihi cunctatio erit*, exponit Parrhaſ., *etiam obiectam ſyrtim videntibus*. Ex quo patet, verbum *cunctor* ab hoc Interprete acceptum fuiſſe in ſenſu intranſitiuo, cum tamen ab Auctore noſtro, in ſenſu actiuo, hoc eſt tranſitiuo ponatur, vt ex conſtructione patet: ita vt pro eodem ſumatur, ac *retardo*, quem ſenſum ab hoc verbo non reſpui, docet Calepinus ipſe.

DVBIO ÆSTV. hoc eſt, *anceps periculum obijciente*; nam *dubium* dicitur, quod ancipiti periculo obuallatur: ita *ſalutem dubiam* dixit Cic. in Epiſtola ad Ligarium. *Æſtus* autem calor nimis, feruor, & flagrantia Solis eſt: in quo ſenſu Corydon, apud Virg. Ecl. 2.

Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpyllumq; herbas contundit olentes.

Nota, quàm bene expreſſerit Ceres ea, quæ, præter illa, quæ ſuo loco diximus, continentur in eo vniuerſali *per deuia rerum*, quod ante pronunciauerat; dum deuios Oceani fluctus; impetuum cuiuſcumque maris profundum; inuias Rhyphæorum rupes, perpetuis niuibus inacceſſibiles; ſyrtium terrearum inſuperabiles calores ſuperaturam ſe, ſpondet intrepidè: ſic ſeſe Amarantum effingens, cui inſcribendum ſit: *Nec gelu, nec æſtu.*

STAT FINES PENETRARE NOTI &c. Terrâ, marique, oppoſitis periculis, præoccupante iam animo, ac ſuperante, conceptis; nullam totius Orbis partem, à perquiſitione ſua immunem relinquendam decernit. Ideò *Stat*: hoc eſt, *ſedet animo; certum eſt; ſtatutum eſt*: qui modus loquendi eorum vtique proprium eſt, qui, fixum ſibi in animo eſſe aliquid peragendum, velint oſtendere, nec mutabilem fore ſententiam. Sic Turnus, apud Virg., Æn. 12., obfirmatum in ſingulare certamen, cum Ænea incundum oſtentans animum ait:

Stat conferre manum Æneæ: ſtat quidquid acerbi eſt
Morte pati: nec me indecorem, Germana, videbis.

Penetro eſt *penitus intro*: quod proprium illius eſt, qui, aliquid peruestigaturus, intima quæque abditiſſimi cuiuſcumq; rimatur receſſus Sed nota vim verbi; nam *intrare* dicitur, reſpectu loci, qui facilem præbeat aditum: at verò *Penetrare*, reſpectu loci, qui non niſi aliqua difficultate, & quidem ſuperatu difficili, peruadatur. *Notus* idem, ac *Auſter* eſt, vt alibi diximus, ventus ſcilicet meridionalis, cuius naturam alibi ſæpe attigimus. Hic pro notâ regionis ponitur, quam penetrandam ſibi Ceres ſtatuebat, ita vt, per *Fines Noti*, Meridionales plagæ omnes deſignentur; nam ſtatuens, ſingulas quatuor Mundi partes perueſtigare, vt nulla eximeretur, a meridie incipit, ſeu à Polo, vt vocant, Antarctico, cui mox addetur Polus oppoſitus, nempe Arcticus; de quibus lib. 2. iam ſatis: tandem ortus, & occaſus, vt, ex enumeratione partium, totus Orbis pateat peruagandus. *Fines* itaq; *Noti* ea Mundi confinia ſunt, quæ Polo ſubſunt Antarctico: & antecedens ponitur pro conſequenti, nempe *penetrare* pro *perueſtigare*.

ET VESTIGARE NIVALEM DOMVM BOREÆ. Per copulam & Polum oppoſitum, Septentrionalem nempe, Meridionali ſuprapoſito iungit inuiſendum. *Veſtigare* autem eſt quaſi *veſtigia, perluſtrando, indagare*: quo verbo exactiſſima exprimitur diligentia, qua Ceres Filiæ veſtigia ijs in regionibus eſſet indagatura. Boream ſub Arctico Polo ſedem habuiſſe, atque ex eo frigidiſſimos ſuos flatus ad nos deferre, ſatis iò comperto eſt.

Gelidus ſicco Boreas bacchatur ab Arcto.

inquit Ouid. Quare *niualis Boreæ domus* plagas omnes vltimo Septentrioni ſubiectas indicat, quæ, ex cauſa ſupra dicta *Domus Boreæ* dicuntur, & quidem *niuales*, quia, vt alibi dix. præſertim, in tela Proſerpinæ, regiones, illi Polo ſubiectæ, perpetuis torpent niuibus. Ab Auſtro igitur ad Boream, nil ſe intentatum relicturam Ceres proteſtatur.

PRIMO CALCABITVR ATLAS OCCASV. Occidentalem Mundi plagam non minus peragrandam decernit, parte pro toto poſita. De Atlante fusè dictum in præfatione ad lib. 2. carm. 45. Hic Mons Atlas pro ſigno ſumitur ad indicandam ſupremam Occidentis oram; nam mons iſte, in extremâ ſitus Mauritaniâ, Oceano occidentali alluitur, qui & ideò Atlanticum mare nuncupatur. Eius dorſum, quia fluctibus occiduis imminet, inacceſſum credebatur. Ideò *calcabitur Atlas*; hoc eſt, pedes inacceſſum Atlantis iugum conſcendam, ſuperatis ijs rupibus, quæ non niſi auibus, peruiæ, præruptis lateribus oculum, mentemq; fatigant, nedum ab aſcenſu pedites abſterreant. *Primò* (*ſupremo* exponit Barth., & eruditè quidem) *occaſu*; hoc eſt, ex ea etiam parte, quæ occaſum reſpicit, & ſupremo conterminus occidenti, vltimam occidentem verſus proficiſcenti metam terrarum ſtatuit. *Calcare* igitur propriè eſt *pedibus aliquid premendum ſubijcere*; atq; etiam hîc antecedens pro conſequenti ponitur, nempe *calcandumq; Atlantem* pro *perueſtigatione, in eo orbis parte, peragenda*: nam omnia ad eundem finem diriguntur.

ET HYDASPES LVCEBIT FACIBVS MEIS. Orientem deſignant, nam Hydaſpes, vt etiam lib. 2. vidimus, Orientalis Indiæ fluuius eſt, auro inſignis, atq; in Indum flumen influens apud Nyſam Vrbem. Quare Lucretius lib. 6. inquit:

Quam rapidus Ganges, & quam Nyſæus Hydaſpes ...

Ab Occidente igitur in Orientem iter ſe ducturam profitetur, ac totum etiam Orientem ipſum luſtraturam, poſita pro toto parte. Ideò & Hydaſpes *Lucebit*. *Lucere* ſanè idem eſt, ac *ſplendeſcere*, ſeu *conſpicuâ luce coruſcare*. Sed quod facibus, in ipſo lucis fonte, ſit munus? Nonne ſemper verum erit axioma; *vbi maior ceſſat minor*? Si igitur Oriens

regia

regia Solis eſt, quomodo, orientis Solis illuſtratus fulgoribus, lucem ex minori, nempè ex Cereris facibus, concipiat? Nota Vatis ſedulitatem. Meminerat Ceres, vt lib. pri., deſpectum à ſe Phœbum cum Proſerpinæ Procum ageret, de ea cum Marte decertans: *Deſpexit vtrumq; flamma Ceres &c.* Iure igitur ſuſpicari potuit, ne Filiam in Oriente, quæritanti diurnas Phœbus ipſe faces denegaret, vel ne filiam reperiret, ſi ipſam Phœbus ipſe rapuiſſet; vel in vindictam temeritatis, qua ſe in deſpectu Numinis regiam intruſiſſet; ideò tacitè hanc ſecum voluens difficultatem Ceres, eiuſdem ſuperandæ modum excogitat, & pronunciat. *Lucebit Hydaſpeæ mens facibus*, ſi ſuas deneget Phœbus. Quænam autem hæ faces fuerint, patebit infernùs.

IMPIVS ERRANTEM &c. Conceſſio amara, qua, iterum in Numina excandeſcens, Iouem ipſum ſceleris inſimulat; eiuſdemq; impietatem, qua Cereris tormenta ſitiat, exſaturaturam ſe, ſatis, ſuperq;, profitetur. Ideo *impius Iupiter*: non quidem quod putauerit, eum in Filiæ perniciem conìuraſſe, (vt dictum à Delia lib. 2. *In me conìurat Genitor.*) Sed quia non propulſaſſet, vt potuerat, iniuriam, ad quam propulſandam videbatur à naturà ipsà obſtringi, vt innuerat Cybeles hoc eodem lib. *Non tanta Tonantis ſegnities, vt non pro pignore fulmina mittat.* Ideò *Impius*; hoc eſt in Amaſiam, natamque crudelis; ideo male de Deabus conſanguineis meritus. Iupiter à iuuando: & ideò maximè impius, qui ſuas non iuuerit. Nota virtualem antitheſim, quaſi dixerit *Inuitor*, iam non *Iupiter &c.*

VIDEAT ERRANTEM PER RVRA, PER VRBES. Conceſſiuè dictum agnoſcas, non imperatiuè. Conceſſio tamen amara eſt, vt dix., nam hoc ipſum, quod concedit, euitare, ne concederet, potuiſſe, emptum morte vellet, ſi mori potuiſſet. Talem, in diſſimili, conceſſionem habes ex Didone Æn. 4. vbi ſic

I, ſequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

quem locum Taſſus, Hieroſ. liber. cantu 16. Armidæ ſuæ adaptauit.

Vattene, paſſa il mar; pugna, e trauaglia;
Struggi la fede noſtra; anch'io t'affretto.

Sed aduerte vlteriùs, per huiuſmodi conceſſionem, connotari acerbiſſimum in ipſo Ioue odium, qui hæc Cereris infortunia, hanc indignam Deà peregrinationem non exoptet ſolum, ſed vrgeat, cum eam, vt facilè poſſit, non impediat: cui & odio vt Ceres ſatisfaciat, maliſq; exſaturet ſuis, amaram hanc in conceſſionem deſcendit. Sic Aeneam, vt cauſam mortis ſuæ, conſiderans Dido, Aen. 4. eidem concedit, vt rogi ſui flammis oblectetur, atq; aſpectu miſeriarum exſaturetur ſuarum, vt, ex ipſa conceſſione, impium redarguat, qui ſic eam occiderit.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.

Vltionis tandem, ex ebulliente iracundia, excogitatum aliquem effectum habet: obiicit enim Ioui ignominiæ dedecus, quod contracturus eſſet ex indigna peregrinatione illius, quam adamaſſet, quam matrem effeciſſet, ac prole ſua donaſſet: Si enim Principis in dedecus cederet, ſi, ſororem indignè vagantem eſſe, permitteret; quanto magis Iouis ſororem, ac Iouis filiæ matrem, errabundam pergere, ſi Iupiter permittat, in eiuſdem ceſſerit infamiam? Hac igitur quaſi gaudeat Ceres, ex eáq; itineris ſit captatura ſolatium, ſe vltrò errantem obiicit Ioui: & *Impius*, inquit *videat errantem*. Hac eadem fere ratione, apud Taſſum cit., Armida, Can. 16., cum decreuiſſet medios inter armatos diuerſari; ſe ipſam in optatæ vindictæ præmium offerre &c., dedecus, quod in ſe ipſam agnoſceret redundaturum, in Patruum dictitat, non in ſe ipſam refundendum.

Non accuſi già me, biaſmi ſe ſteſſo
Il mio cuſtode, e Zio, che così volſe.
Ei l'Alma baldanzoſa, e'l fragil ſeſſo
A i non debiti vffici in prima volſe;
Eſſo mi fè donna vagante; e d'eſſo
Sprezzò l'ardire, e la vergogna ſciolſe:
Tutto ſi recchi à lui, ciò, che d'ingegno
Fei per amore, ò che farò per ſdegno.

Sic itaque virtualiter diſſerit & Ceres, licet in diſſimili. *Impius Iupiter videat errantem per rura, per vrbes.* Quid veniat nomine *rura*, aut *vrbes* ſæpè alibi vidimus. Idem, hoc loco, eſt, ac ſi diceret *per omnes Mundi partes*, tam frequentes, quam infrequentes; tam cultas, quam incultas, vt, nil Cererem non vidiſſe, teſtari poſſit, lugentem funus, ac filiæ vel buſtum ſaltem inquirentem.

IVNO SATIETVR EXTINCTA PELLICE. Conceſſerat Ioui, quod ipſum voluiſſe, ex facto coniectauerat, iam Iunoni concedit, quod eam optaſſe, pro certo habuerit, attenta Iunonis implacabili ſemper in Iouis pellices ira. Et hæc quoq; conceſſio amara eſt, & Ioui conuicioſa, qui ſcilicet ſuas, Iunoni odio expoſitas à ſe ipſo, non protegeret, ac præſtaret immunes. Sed hæc ipſa conceſſio ſummos profectò, in Cereris calamitatem pronos, commouet commiſerationis affectus. De Iunone ſatis dictum lib. pri. carm. 106. De eiuſdem odio in Iouis pellices implacabili vide dicta in Præfatione ad lib. 2. carm. 19. & ſeq. Quibus poſitis, iure optimo, addubitare potuit non ſolum, ſed & pro certo habere, Iunonis odio effectum, vt & ipſa tot cladibus opprimeretur: cumq; ſe ab ipſo Ioue, cuius cauſa Iunonis odium ſubierat, deſtitutam videret, in deſperantis incidens affectum, ſe vltro victimam cedit, inquiens: *Satietur Iuno. Satiari eſt ad faſtidium vſq; eo, quod vehementius optatum eſt, repleri.* Sic Tomiris ad Cyrum *ſatia te ſanguine, quem ſitiſti*: vt alibi dix. Et Eliſa ad virum ſuum, qui eam olim extinctam voluerat, cum iam ſponte ſe illi obtuliſſet perimendam, ſic ait, apud Cycnum Crucis lib. 3.

God ui ben'io, ch'è tuo piacere, Alceſte,
Non ti turbar; non ti dirò Conſorte,
Che ne moglie, ne viua Eliſa reſto;
Ne vuò, ch'il veder mio noia t'apporte.
Morir vogl'io: mà ſpargi tu di queſte
Mie vene il ſangue; e dammi tù la morte.
Fallo. Che più tardar. Saziati homai.
E ſappi ſol, ch'io non t'offeſi mai.

Sic itaque & Ceres Iunoni concedit, vt ſitim pœnarum, Cereri irrogandarum, iam expleat, quibus ſe ſe vltro offerens; *ſatietur*, inquit, *extincta Pellice*: habito enim fine ceſſat motus: Finis autem illius, qui aliquem implacabili odio proſequatur, nil aliud tandem eſſe poteſt, quam odio habiti exitium. Ideò *ſatietur extincta*. Verum imprudenter hoc dictum, videri aliquibus poteſt; nam *extincta* idem valet, ac *mortua*; Ceres autem, quippè Dea, extingui, hoc eſt mori nequaquam potuit, cum Deus quiſque *Athanatos* apud omnes, hoc eſt immortalis ſemper fuerit. Quomodo igitur ſatiabitur Iuno, Cerere extincta? Sed aduerte, quod, hic, eruditiſſimè notat Barth., extincti nomine, non ſemper *occiſum*, aut quomodocumq; *mortuum*, ſignificari; ſed ſæpè ſæpiùs *extingui*, apud Poetas, idem eſſe, ac *ſummo*, etiam citra mortem, *mærore affici*, qui, ſi morti comparetur, non ſolum mortis amaritudinem æquet; ſed interdum ſuperet; ita vt, æſtimatione patientis, mors ipſa eo, quem patitur, mærore optabilior videatur. Sic, amatorijs cruciatibus delitantes, ſe extingui, ſe mori, ſemper dictitant, nec vnquam tamen moriuntur; ſed id ipſum dicunt, vt ſignificent, ſe vehementer adeò diſtorqueri, vt mortis, ſine morte, dolores experiantur: & ſint, vt quidam ait,

Morti ſolo al gioir; viui alle pene.

Quod ſi has huius verbi ſignificationes, ex Poetarum Principe ratas, velle, tibi in animo ſederit; perlege quid, moriente Didone, dixerit Anna ſoror, Æn. 4. circa finem.

Extinxti Te, Meq;, Soror, Populumq; Patreſq;
Sydonios, vrbemq; tuam &c.

vbi verbum *extinxti*, pro *extinxiſti*, per ſyncop., quatenus de Didone dicitur, benè accipi potuit pro *occidiſti te*; nam licet mortua tunc nondum eſſet Dido, tamen in procinctu erat, vt moreretur, & iam animam agebat; at quatenus idem verbum *extinxti* reſpectu ſui ipſius pronunciat Anna, reſpectu Popoli, Patrum, Vrbis &c. certè non potuit accipi, vt pater, pro *occidiſti*; ſed tantum ſignificat, eos in ſummum adductos dolorem, morti videlicet comparandum. In hoc itaque ſenſu, *ſatietur extincta Pellice*, ait & Ceres. *Pellex*, ſi, iuxta ethymolog. nominis, rigoroſè ſumatur, proprium adulteræ nomen eſt: *Pellex* enim à *pelliciendo* dicitur, quod eſt *blandiendo decipio*; quia, blandiendo, virum decipit, & ab vxore ſeducit. Apud antiquos tamen Pellex ea quæcumque dicta eſt, quæ, cum vxor non eſſet, cum aliquo tamen viuebat. *Concubinam* nunc appellamus, vel mitiori nomine *Amicam*. C. Flac. à Parrhaſ. cit., de iure Papiriano ſcribens, ait, pellicem vocari, quæ cum eo, cui vxor non ſit, corpus miſceat: alios autem arbitrari, eam eſſe, quæ, vxoris loco, ſine nuptijs, in domo ſit. Hìc certe, pellicatus nomine, adulterium ſignificatur; & ideò pellicem ſe Ceres fatetur, quia ex Ioue, Iunonem habente vxorem, conceperit Proſerpinam. Hoc autem ſibi nomen attribuit, non vt ſe deliquiſſe fateatur, cum ſui copiam fecerit Ioui; nam ſic contradictoriam proferret ſibi ipſi ſententiam, deleret enim quæ ſupra dixerat: *quod vxoris rectè proderet? &c.*, vbi ſe

ipſam, & filiam inculpabiles aſſeuerat directè; neq; enim culpæ dabatur apud ipſam, ſi Ioui inferiora omnia quoquo tandem pacto ſubderentur. Sed hoc vtitur nomine, vt oſtendat, quo contemptu à Iunone afficeretur, & quo loco eſſet in eiuſdem Iunonis exiſtimatione; ac cauſam odij adducat, vt Ioui improperet ſegnitiem, qui *Amicam*, Iunonis contemptui nō ſolum, ſed & odijs plectendam permiſiſſet.

INSVLTATE MIHI. Alia eſt conceſſio amara, qua poſt Iouem, ac Iunonem, alios Cælites omnes, ad ſe ipſam deridendam, conculcandam, proterendamq; pronos indicet; atq; id ipſum illis concedat peragendum. *Inſultare* enim conceſſiui modi eſt, ſed inſtigantis vim præfert. *Inſultare* autem propriè eſt *muliebri impetu, ſuper rem aliquam ſaltare, eamq; pedibus proculcare*: ſed, per translationem, accipitur pro *irridère*, & *contumelioſiùs in aliquem pluradicere*. *aut facere*. Et, in vtroq; ſenſu, hic à Cerere vſurpatur: videbat enim omnibus in ſe factam proterendi facultatem, cum Iuno perſequeretur, Iupiter deſereret, ac ne reſpicere qui ſem dignaretur. Ideò *Inſultate mihi*, vt Iouis id cernat impietas, & meis ſatientur opprobrijs: Iuno videat, & pœnis geſtiat exſaturata meis. Sic, vt vides, Cælites omnes magnam in inuidiam vocat, & acerbiſſimè ſugillat.

CÆLO REGNATE SVPERBI. Alia conceſſio amara, per Sarcaſmum, vehementiùs embraca. *Regnare*. Rex hoc verbum peperit, inquit Priſcianus, quod *Regnum poſsidere* ſignificat. Sed, quia Rex ſumma in ſuo regno pollet auctoritate, verbum *regnare* translate ſumitur pro eodem, ac *ſumma auctoritate pollere*: & in hoc ſenſu vſurpatur à Cerere hic; nam quo ad principem regni poteſtatem, eam eſſe penes ſolum Iouem, qui vnicus ſit hominum Rex, atq; Deorum, ſatis ſuperq; omnibus innotuit: reliquos autem Deos, quaſi inferiores regni conſortes, ſeù potiùs adminiſtratores Ioui ſubditos fuiſſe. Iam, quia inter conſortes regni id auctoritatis, quod vni detrahitur, alteri accedit; Ideò Ceres: *Regnate*, inquit: quaſi diceret: Quoniam Cererem, ac Ceteris prolem, Cælo eiecìſtis, vos, auctoritate nobis adempta maiores, regios extollite faſtus: *Regnate*: hoc eſt regno veſtro gaudete, expulſa Cerere, quæ, Ioui olim prædilecta, veſtram videbatur imminuere auctoritatem: *Regnate Cælo*. Quid ſit Cælum, & alibi vidimus, & notiſſimum eſt. Hic tantum emphaſim agnoſcas latentem; nam primo quidem oſtendit Ceres, ſe cedere Cælo, eiuſdemq; regimini non ſolum; ſed & debitæ ſibi habitationi valedicere, vt cæteri latiùs Cælites fimbrias valeant, ac filacteria ſua dilatare, Cereri inſultantes: quod, ab indigno, quam maximè amplificat Cereris calamitatem. Sed dices: Cælo iam diutiùs ante valedixerat Ceres, cum ſcilicet raptus timens æthera deſeruit, lib. pri.; quare nil hic iam noui affertur. Ceſſerat quidem tunc Cælo Ceres: ſed nondum tamen iuri ſuo ceſſerat in Cælum iterum conſcendendi, ibiq; commorandi, ac parem cæteris Dijs poteſtatem exercendi. Hic ſe his omnibus abdicat, Cælum non viſura, niſi recepto pignore, quod amiſerat: quæ vehementiſſima doloris expreſſio eſt. Secundò Ironiam habent mordacem verba illa *Regnate Cælo*: acerrimè enim Iouem perſtringit, qui tantam inferioribus Dijs facultatem permiſerit, vt, ipſam Iouis filiam perdere non erubuerint, & tamen impunes ſcelere exultent ſuo, quaſi non iam Rex Iupiter, niſi nomine tenus, eſſet, facto autem cæteri inferiores Dij, Cælum non ſolum pro libito, ſed & ipſius Iouis regerent voluntatem, eumq; ſubditum ſibi ipſis ducerent ad nutum. Ideò *Regnate Cælo*. Et *regnate ſuperbi*: hoc eſt *faſtu elati, inſolentes, inflati*; nam *ſuperbia*, ex qua *ſuperbus*, *menris elatio eſt*, ſeù *arrogantia*, & *inſolentia*. Nil indigniùs ferre poteſt e ſublimi cadens fortuna, quam opprimentium, ſi ferre cogatur, faſtum. Sic, apud Virg., Æn. 3., Andromache, cum fœlicem vocaſſet Priameiam Virginem, quæ mori iuſſa fuerat

Hoſtilem ad tumulum, Troiæ ſub mœnibus altis;

infœliciſſimam ſe vitam duxiſſe dictitat, eo, quod coacta fuerit faſtum pati Victoris iam captiua.

Nos, patria incenſa, diuerſa per æquora vectæ
Stirpis Achilleæ faſtus, iuuenemq; ſuperbum
Seruitio enixæ tulimus &c.

eodem itaque pacto calamitatem, hoc verbo ſuam Ceres amplificat: nam luctuoſum profectò fuerat, eam è gradu deijci; luctuoſiùs, corde ſuo, hoc eſt, amatiſſimo pignore priuari; luctuoſiſſimum tandem, cogi ad ferendos victores Deos, eiuſdem excidijs, quæ patrauerint ipſi, ridentes, inſultanteſque, eorumq; elati animi faſtum tolerandum. Hoc eodem loquendi modo mordacem illam, quam inceperat Ceres ironiam proſequitur: *Regnate ſuperbi*. In ijs, qui hoſtem deprimere certent, parta ex profligatis hoſtibus victoria, faſtus, elationeſq; animi producuntur: ſic ſuperbum ex victoria, quam de Darete retulerat, facit Entellum Virg., Æn. 5., addita Tauri occiſione

Hic victor ſuperans animis, Tauroq; ſuperbus &c.

ſic, apud eumdem, Æn. 8., Alcides, proſtrato Gerione

Tergemini nece Geryonis, ſpolijſq; ſuperbus.

Sed notaueris, victoriam dolo quæſitam, ac quaſi furtim obtentam, dedecori potiùs victori eſſe, quam gloriæ. Ideò faſtus ex ſimili victoria progenitos probris potiùs, quam laude afficiendos deprædicant prudentes. Sic Taſſus Solimani copias, nocturno prælio, in Chriſtianorum caſtra irruentes, ac cæde omnia funeſtantes *latronum*, non *bellatorum*, nomine deſignat: Hieroſ. liber. Cantu 9.

Egli che, dopo 'l grido, vdì 'l tumulto,
Che par, che ſempre più terribil ſuoni,
Auuiſa ben, che repentino inſulto
Eſſer deuea de gl' Arabi ladroni &c.

& cantu 11., Argantis audacia Chriſtianis obijcit Anthiochiam, nocturnis prælijs, doliſq; ſubactam.

Non è queſta Antiochia, e non è queſta
La notte amica alle Chriſtiane frode &c.

Hac de cauſa, apud Bracciol. lib. 17. de Cruce, Herinia, licet, regis iuſſu coacta, equeſtrem duceret aciem ad inuadenda Heraclij caſtra, nocturna quietè conſopita; Dormientes aggredi indecorum putans, lento paſſu procedit, vt peditum priùs irruentium agmine excitentur.

Guida Herinia i caualli; e ſpeſſe altera
Trà via ſi ferma, e lor raffrena l'orme;
Come che la magnanima guerriera
Si diſdegni aſſalir gente, che dorme.
Pur, penſando al ſuo Rè, che queſte impera,
Sequita di condur l'armate torme;
Mà lenta sì, che pria ſian giunte, ſtime
A i ripari Chriſtian le ſquadre prime.

Pariter, ſi ſuperexcedenti armorum vi, aut auxiliatiorum comitatu, ex hoſte, non æquis armis inſtructo, victoriam retuleris; aut nimia, vincens, crudelitate vſus fueris, certè in dedecus victoria vertitur: & ideò cum Taſſi Circaſſus, equo inſidens, peditem Hottonem inuaderet, & proſterneret equi impetu non ſolum, ſed ſupra collapſi pectus equum vrgeret, iure vt infamis, vt vilis, vt latro Tancredi lingua redarguitur, Hieroſ. liber. Cantu 6.

Poſcia manca gridando; Anima vile,
Ch' anche nelle vittorie infame ſei,
Qual titolo di laude alto, e gentile
Da modi attendi sì ſcorteſi, e rei?
Frà i ladroni d' Arabia, ò frà ſimile
Barbara turba auuezzo eſſer tù dei.
Fuggi la luce; e và con l'altre belue
A incrudelir ne i monti, ò trà le ſelue.

Hoc dedecus vt euitaret, apud Cycnum Crucis lib. 23., Batranus, cum Arnallum ſingulari ſecum certamine congreſſum, enſe illi è manibus elapſo, nudatum vidiſſet, ceſſat ab ictibus euibrandis.

Batrano all'hor, che ſenza ferro il mira,
Dal ſoſpeſo ferir la man ritira.

Denique, ſi cum imbelli pugnes, ex ipſa cadentis conditione, victoria denigratur. Ideò Orgontes, apud Brac. cit. lib. 14., Perſarum Dux Erintæ ſecum deprælianti.

Renditi, grida à me, renditi vanto
Ne valer, che ſei donna, ancor che forte,
La mia ſpada auuilir con la tua morte.

Quinimmò Æneas, à nobis alibi cit., apud Virg. Aen. 2., Victoriam ex fœmina reportatam, in laude non eſſe, teſtatur.

. . . . . . Nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt: nec habet victoria laudem.

Hinc Argantis Sarcaſmus, Hieroſ. liber. Cantu 19. apud Taſſum, in Tancredum, qui Clorindam victor occiderat.

Fatto ſcudo di tuoi: troua in aiuto
Nuoui ordigni di guerra, inſolit' armi;
Che non potrai dalle mie mani, ò forte
Delle donne vccisor, fugger la morte.

Iam caſum Cereris perpende. Victam ſe fatetur: Cælo cedit: & victoriam de ſe Cælitibus decantandam concedit; ſed victoriam dolo partam, vt lib. hoc ipſo,

Prima Venus campos, Aetnaaq; rura maligna
Ingerit aſſuta &c.

Victoriam ex hoſte non ſolum non repugnante, ſed & inſciente, & abſente: *Nunc Matre remota*
Rem peragi tempus &c.

vt

vt lib. pri. ex hoſte ad reſiſtendum impotenti; nam quis poſſit? Vbi omnes in vnum coniurant Superi,

. . . . . . Phlegra nobis inconſitior æther
Inſidias ſuperum, cognataq; vulnera contis.

Victoriam in improuidam: *Quæ nunc ignaua malorum &c.* ac tandem ex imbecilli ſexu reportatam, vt patet. Quarè altiſſimè ſurgit Sarcaſmus: *Regnate ſuperbi*, quaſi dixerit: præclarum quid peregiſtis; plaudite vobis; &, quaſi gloriæ Reges Io triumphe vobiſmet ipſis præcinite. Simili modo illudit Veneri, apud Virg., Iuno, Æn. 4., eo quod Didonem in Æneæ amorem impulerit.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla tuliſtis
Tuq; puerq; tuus: magnum, & memorabile nomen;
Vna dolo Diuum, ſi fœmina victa duorum eſt.

DVCITE PRÆCLARVM CERERIS DE STIRPE TRIVMPHVM. Triumphi, de quibus, initio lib. 2. diſſeruimus, victoriam ſequebantur; ideò, poſt conceſſam victoriam, ad triumphos ſibi ipſis adſciſcendos victores prouocat Ceres, Sarcaſmum, atq; antarsio proſequens conceſſionem. Quid ſit *triumphum ducere*, vide dicta initio lib 2, carm. 14. *Præclarum* ironicè dixit, ex cauſis ſuperiùs iam exaratis. *De ſtirpe Cereris*: ſubintellige *afflicta, profligata*, atq; *in ſupremum excidium adducta*. *Stirps* autem non ſolùm pro ſobole hic, ſed pro tota Cereris familia ponitur, ita vt & ſe ipſam, & Filiam, & Iouem ipſum, grauiſſima in eumdem contumelia, includat ſupradictis inhærens.

SIC FATVR &c. Exprobrauerat ſibi ſuperiùs Ceres, quod vana moraretur vlteriùs: quarè, ne, contra quod damnauerat, tempus adhùc terere videretur; dum finem eius orationi Vates imponit, oſtendit etiam, Cererem non remoratam fuiſſe, ſed ſtatim conceptum iter arripuiſſe; ac ea, quæ dixit, dum actu diſcederet, & ſuum perageret iter, dixiſſe. Ideo, per copulam & coniunctiuam, itinerantem ſimul indicat, & loquentem *Fatur & illabitur &c.* *Sic* aduerbium ſolet eſſe ſimilitudinis: verùm hic ponitur pro aduerb. identitatis, quo oſtenditur Ceres hæc ipſa, quæ ſuperiùs exarata ſunt, dixiſſe. *Fari* minùs eſt, inquit Varro, quam *loqui*, cum propriè dici ſoleat de pueris, cum primum voces edere incipiunt; ita vt *Fari* ſit *imperfectè loqui*. Vſus tamen inualuit, vt pro *abſolutè loqui* vſurpetur, vt hic, per cathacreſim. Sic Virg. Æn. 6.

Sic fatur lacrymans, claſſiq; immittit habenas.

Illabi autem verbum eſt tranſlatum à fluuijs, qui præcipiti curſu per decliue deſcendentes, prolabentibus ſimiles, in mare decurrunt. Quarè *illabitur* idem eſt, ac ſummâ adhibitâ celeritate deſcendit. Sic Æneas, apud Virg. Æn. 3. ſupplex ait:

Da Pater augurium; atq; animis illabere noſtris.

ILLABITVR itaque Ceres IVGIS NOTÆ ÆTNÆ. *Iugum* vertex eſt, ſeù cacumen montis. Hic tamen non ponitur pro ſumma omninò montis parte, ſed pro ſummitate dorſi illius montuoſi eiuſdem Ætnæ, de quo dictum, lib. pri., *Pars altera frondet arboribus &c.* nam ex hac frondenti ſummitate ad ſummum ſubindè eiuſdem montis verticem ſcandiſſe Cererem inferiùs videbimus. Vide dicta lib. 2. carm. 71., & quæ ibi diximus de vertice herboſo, hic proportionaliter applica. De Ætna plura dix. lib. 1. & 2, locis cit. Hic cur *nota* dicatur, remanet explicandum. *Notus* idem eſt, ac *cognitus*. Cum itaque non longe ab Aetna Cereris abeſſet domus, certè Ceres, non ſemel, per omnes Aetnæ partes diuagaſſe credenda eſt, ac ſitus omnes illius perueſtigaſſe, naturamq:, ac loci ingenium multiplicatis experientijs, dignouiſſe. *Nota* igitur dixit iuga, ad quæ deſcenderit, vt ſcias, non caſu, & fortuito, ad quamcumq; fortuna obtuliſſet, Aetnæ partem deſcendiſſe, ſed ad eam, dedito ſtudio, quam nouerat intentioni congruam ſuæ, nempè ex qua faces, de quibus inferiùs, ſciret ſe poſſe decerpere.

INFLAMMATVRA TEDAS. Iam, qua intentione, in hæc iuga deſcenderit, manifeſtat: nempe *Inflammatura tedas*. *Informatura* legit Hingr. cum alijs, quos & quidem iure laudat Heinſ.; nam *informare* eſt *primam, & rudem alicuius operis formam tradere*, vulgò, apud nos, *ſmaſſare*. In quo ſenſu & Virg. Aen. 8. ait:

His informatum manibus, iam parte polita,
Fulmen erat, toto Genitor quæ plurima Cælo
Deijcit in terras; pars imperfecta manebat.

& infra.

Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum; ſeptenoſq. orbibus orbes &c.

Quadrat autem etiam aptiſſimè hic ſenſus facibus à Cerere adaptandis; nam, vt infra videbimus, vix primam, rudemq; illis formam adaptauit. Ideò probè *informatura*. Verùm, cum eodem Heinſio, nil arbitror immutandum: nam, ſi particip. illud *informatura* finem exprimit proximum, & immediatum; particip. *inflammatura* finem exerit vltimatum, qui ſolus verè habeat rationem finis, vt nos in Phyſicis docebamus. Itaque *inflammatura*; hoc eſt acceptura tedas, illicò accendendas, & excitandas in flammam. *Tedas* faces fuiſſe, iam alibi fuse vidimus, ideò non immoror.

LABORI NOCTIVAGO. Diù, noctuq;, peregrinationi inſtituram ſe, ſine intermiſſione, dixerat; die facibus non indigebat, ſed noctu: ideò *labori* noctiuago, ideſt peregrinationi nocturnis temporibus peragendæ, quæ certè non ſine maximo itinerantis labore haberi poterat. Sed dum illa inſiſtit operi; nos quid ad mores attingamus.

Rationalis, vt diximus, facultas Ceres eſt. Et quidem, cum abſtractâ filiâ, in ſuperâ adhùc verſari repræſentetur regione, certè eam repræſentat rationalem facultatem, quæ, poſt coniunctorum mortem, in alijs adhùc in mundo degentibus, remanet. Hæc, poſtquam Cælum, Deumq; ipſum querelis, lacrymiſq; laſſauerit, fruſtra, *redditio*, inclamans, *defuncti animam*, eam ſibi, per ſe ipſam reſtituere meditata, toto quærere aggreditur orbe; ſed incaſſum. Redarguit itaque, hoc loco, ſymbolicè Vates erroneam eorum ſententiam, qui, tranſmigrationem aſſerentes animarum, dicebant, animam hominis morientis, non ſolum in alios ſucceſſiuè homines; ſed etiam in feras, & bruta quæcumq; animantia; immò in ſtirpes, & plantas commigrare. Hi vtiq; totum orbem, dilectam vt quærerent animam, irrito peruagantur labore. Sed nil mirum; nam errantes, ſemper ſolummodo errorum ductu, diuagantur; nec poſſunt, quin errent ſtupendo: nam tedis, in Aetna accenſis, vt lumen videant, vtuntur; Aetna autem, vt noſtis, ex antiquorum quorumdam opinione, ſpiraculum Ditis eſt credita; & inferorum eam in ſymbolum exigens Picinellus, eidem inſcripſit: *Dum erogat, præparat*: lemma, vt ipſe apertè dicit, ex Tertull. Apologet. c. 48., deſumptum; vbi ſic ait Tertul. *Profani, & qui non integri ad Deum, in pœna æquè ignis habentes, ex ipſa natura eorum, Diuinam ſubminiſtrationem incorruptibilitatis; non enim abſumit, quod exurit, ſed, dum erogat, reparat.* Piceis itaque his ignibus tedas inflammantes, quid mirum, ſi fallaci hoc ductu mille per errores diſtrahantur, & fruſtra, in creaturis adhùc, totum orbem ingenio peragrantes, animam requirant; dum illa in Tartaris iacet, Tartareo addicta Tyranno? Id autem prouenit ex eo, quod Dei Iuſtitiam non ſatis agnoſcere velint, ne à peccatis & ipſi abſterreantur: ideò peccantem effingunt inſontem: ideò ne putant quidem in inferos fuiſſe relegandum: atq; ideò, in alia quæq; migraſſe credentes, toto orbe requirunt incaſſum.

Diſcite Iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos;

In Inferno eſt, qui in peccatis deceſſit; nec alibi perquirentes vnquam reperietis. Vos vobis ipſis adulatores exiſtitis, ſi peccantem, non in Inferorum tormenta, ſed in alias huius orbis creaturas migraſse, credatis, vt & vobis ipſis peccantibus id ipſum euenturum exiſtimetis.

Sed iam nos ab iſtorum erroribus ad Cereris errores Italica reuocat Muſa.

Che ſe preuenne il Predator ſagace
  Gl'affetti voſtri; e quel tacer ſeuero
  Comprò co' doni, ond'il mio cuor ſi sface;
  Che di fè gli ſi manchi i già non chero,
  Ne vi ſtimolo i più. Dateui pace,
  Mà tù, Latona, almen, tù; che nel vero
  Sai, che ſia l'eſſer Madre; hor ch'in te ſola
  Sol mi lece ſperar, Tù mi conſola.
Che mai celaſſe à Genitrice amante
  L'amata figlia i più profondi arcani
  Del cuor, creder non deuo; à me coſtante
  Quant'ella è ſtatta, in non ſuelar profani
  I tradimenti altrui; tanto zelante
  Di non render tuoi voti irriti, e vani,
  Forſe de pianti miei, del mio dolore
  T'haurà Diana ſuelato il crudo Auttore.
Deh tù, che ſai da quant'angoſcie, e quante
  Naſca il gioir, che dal figliar ſi coglie;
  Tù, cui nuouo non è d'vn cuor tremante,

De

De figli al perigliar, quai ſian le doglie
Tu, che da Pargoletti vſcir gigante
L'amor prouaſti a tormentar le voglie,
Deh ſoccorri vna Madre, à cui rapiſce
Dal petto il cuor, chi 'l parto ſuo tradiſce.
Che ſe d'affanni in te raccolto vn mare
Soffriſti tù, qual ſia 'l mio duol conſiglia.
Madre te di due parti il ripenſare
All'azzardo d'vn ſol tutta ſcompiglia:
I perdo (ahi ſorte! ahi rimembranze amare!)
Di viſcere infeconde vnica figlia,
Dimmi: deh dimmi almen, doue ſe 'n fugge
Chi ſe 'n porta il mio cuor, chi me 'l diſtrugge.
Dillo, non più tardar; che così arrida
Sempre à tuoi faſti il biondo crin, ch'adori;
Quel biondo crin, dou' il tuo cuor s'annida,
E d'Apollo le tempia auuolge in ori,
Dillo: che di tua vita indi ſia guida,
Nata, di gioie al diluuiar teſori,
Stella propitia; ed in tua prole ancora
Più felice di me ti renda ogn' hora,
Così dic'ella: e dalle Diue à fiumi
Sgorga, per gl'occhi, impetuoſo il pianto:
Il tributo, che puon, porgono i lumi;
Già che le lingue han pur d'immote il vanto;
Che non v'è chi 'l tacer violar preſumi,
E qual portento è d'vn celar cotanto
Degno (ripiglia) onde non mai ſi ſueli;
E ſprema i pianti, in vn dolci, e crudeli!
Ahi che tutte ſe 'n vanno; ed io rimango
Centro d'angoſcie in ſolitaria sfera,
Che più bado ingannata; e che quì piango,
Fatta ogni ſtella a danni miei guerriera?
Qual, ſe fuſſe di terra ignobil fango,
Cerere ſi diſprezza: e quell'altiera
Fronte de Numi, al calpeſtarti accinta,
Stolta, hormai nõ cõprendi ancorche vinta?
Perche più toſto, oue del mar ſi ſtende
L'immenſo giro ad abbracciar la terra;
O pur doue, in fuggir dall'onde horrende,
Timido al centro il ſuol ſi ſtringe, e ſerra,
Il tuo volo, à tracciar (ſe non ſi rende)
La rapita tua figlia, hor non s'atterra?
Sì sì. Mi veggia, in quella baſſa mole,
Di ſue carriere emulatrice il Sole,
Dounque i diurni raggi accolga, ò ſpieghi
Quel grãd'occhio del Ciel, ſia, ch'io m'interni,
Di mie inchieſte à portar gl'auuidi impieghi,
Anzi dou'ei non giunga; e i lettiſterni,
Sacrati all'ombre, egli a toccar non pieghi,
Spinger vuò 'l piè ne più riposti interni,
Varcherò, ſpierò (vaglia il decreto,)
Non mai ſtanca, ogni chiuſo, ogni ſecreto.
Triegua d'vn ſol momento all'intrapreſa
Norma del faticar non ſia ſi doni:
Riposo, ò ſonno, ad ottener la reſa
Del cuor, nõ ſia, ch' i ſenſi vnqua imprigioni:
Veglierò, viaggerò, non mai ſorpreſa
Da lente voglie; e i miei deſir ſian ſproni;
Sin, ch', ouunque il mio pegno hor ſi ritroui,
La preda inſieme, e 'l predator non troui.
Siaſi cola, dou', in profondi abbiſſi,
L'Ibera Teti i ſuoi valloni affonda;
O doue il roſſo mar più s'inabbiſſi
Del cupo ſeno alla region profonda;
Non ſia, ch'inciampo a i viaggi a me prefiſſi,
Porga, co 'l ſuo terror, perfida l'onda
Del Rheno i giaccī, e de Rifei le neui,
Delle Sirti gl'ardor paſſo, quai lieui.
Della Libia deſerta oltre i confini
Vuò penetrar, là Doue l'Auſtro alberga:
E, nel Polo gelato, à i gioghi alpini
De Caſpij monti, ou' Aquilon s'atterga
M'inoltrerò: mi ſi faran gradini
L'occidue rupi, al valicar le terga
Del Mauro Atlante, e dell' Hidaſpe à gl'ori
Porteran le mie faci i ſuoi ſplendori.
Quel, che non più co' vezzi hor mi luſinga,
Drudo crudel, con duri viaggi incerti,
Lieto goda, in vedermi irne raminga
Per Città, per Villaggi, e per Deſerti.
La riuale Giunon, fatta Salpinga
Vibri 'l velen: ſcopo il mio cuor n'accerti: Salpinga ſerpens terreſtris venenata de quo Luc. lib. 9.
E, sù gl'occhi di Gioue, à mille ſtratij
L'Adultera dannata, hormai ſi ſatij.
Beffeggiata, ſchernita, e vilipeſa,
Calpeſtatemi e voi Numi ſpietati.
Coronateui il crini ſenza diffeſa,
Mi ſcacciaſte dal Cielo; ed hor beati
Colà regnate, onde ſon' io diſceſa.
Sì. Regnate ſuperbi. Eccoui ornati
Gl'alti trofei, che ei rapiſte in guerra.
Trionfatene pur. Noi ſiamo à terra.
Fende, nel così dir, l'aeree ſtrade
Rapida sì, (tant' il deſio l'incalza.)
Che più veloce il fulmine non cade.
Dell' Etna à i noti gioghi, oue s'inalza
La ſelua intatta alle più ardite ſpade,
Scende; e, vinti gl'horror, prende la balza;
Che trar vuol quindi, à ſuoi notturni errori,
Tede addattate al concepir gl'ardori.

Sed, dum ipſa accingitur operi, opus & nos, Auctorem noſtrum ſecuti, retexamus,

Lucus erat propè flauum Acim, quem candida profert
Sæpè mari, pulchroq; ſecat Galatea natatu,
Denſus, & innexis Aetnea cacumina ramis
Qualibet vſq; tegens. Illìc poſuiſſe cruentam
Ægida, captiuamq; Pater, poſt prælia, Prædam
Aduexiſſe datur. Phlegræis ſylua ſuperbit
Exuuijs; totumq; nemus victoria veſtit.
Hìc patuli rictus: hìc prodigioſa Gigantum
Tergora dependent; & adhùc crudele minantur
Affixæ facies truncis: immaniaq; oſſa
Serpentum paſſim, tumulis exſanguibus, albent;

LVCVS ERAT &c. Cererem, e Cælo delapſam, in Aetna conſediſſe, iam dixerat, tedas, quibus nocturni itineris tenebras excuteret, decerpturam. Iam lucum, vnde illas decerpſerit, ſacrà horrendum religione, ab adiunctis, deſcribit: atq; ex ipſà amplificata loci religione, iam Cereris, obfirmato animo, lucum ſuccidentis, amplificat: quæ videlicet ita ſtipites, Tonantis ſacratos victorijs, euſdemque, ex Giganteo prælio quæ retulerat, trophæis ſuſtinendis addictos obtruncauerit, vt Iouem ipſum, quatenùs amplexu ſuo truncos tutari voluiſſet, obtruncatura videretur.

LVCVS ERAT &c. Lucus hic verè dicitur, per antiphraſin, ſylua denſis

Et rigidæ multo ſuſpirant fulmine pelles:
Nullaque non magni iactat ſe nominis arbos.
Hæc centumgemini ſtrictos Ægeonis enſes
Curuata vix fronde leuat; lucentibus illa
Exultat Cæi ſpolijs: hæc arma Mimantis
Suſtinet: hos onerat ramos exutus Ophion:
Altior & cunctis, Abies, vmbroſaq; latè
Ipſius Enceladi fumantia geſtat opima
Summi terrigenum regis, caderetq; grauata
Pondere, ni lapſum fulciret proxima quercus.
Inde timor, numenq; loco; nemoriſq; ſenectæ
Parcitur, ætherijſq; nefas nocuiſſe tropheis.
Paſcere nullus oues; nec robora lædere Cyclops
Audet; & ipſe fugit ſacra Polyphemus ab vmbra.
Non tamen hoc tardata Ceres, accenditur vltrò
Religione loci, vibratq; incerta ſecurrim,
Ipſum etiam petitura Iouem. Succidere pinus,
Et magis enodes properat proſternere cedros,
Exploratq; habiles truncos, rectiq; tenorem
Stipitis, & certo pertentat brachia niſu

denſis conſita arboribus, atq; ideò ſolaribus radijs imperuia; eo quod minimè luceat, iuxta dicta etiam lib. pri. carm. 203. Deſcriptionem itaque Nemoris, ex quo Ceres inflammandas arripuerit tedas, aggreſſurus Vates, locum notat, vbi fuerit opacum nemus, nempè

PROPE FLAVVM ACIM. *Propè flumen Acim* legunt, cum Parrhaſ., & Clauer., omnes ferè vulgati codices. Verùm ego, Heinſium ſecutus *flauum* repoſui, pro *flumen*, vt, in antiquiſſimo codice, ſcriptum notat Clauer. ipſa cit., licet vulgatam nihilominùs maluerit ſequi. Ratio, cur antiquam potiùs, quam vulgatam ſequar lectionem eſt, quia verè vulgata a receptis Proſodiæ legibus prorsùs aaorbitat, cum primam corripiat in *Acim*, quæ omninò longa eſt, apud probos Auctores omnes. Sic Ouid: Metam. 13.

Acis erat Fauno, Nymphaq; Symæthide cretus
Acides in nobis fuerit præſtantior, odam.
Acides in gremio reſidens procul auribus auſi.
Acim amas? præferſq; meis amplexibus Acim
Me video, atq; Acim: videoq; exclamat & ista
Acis erat: & ſic quoq; erat tamen Acis in amnem
Verſus, & antiquum tenuerunt flumina nomen.

Immò non hic ſolum, ſed & Faſt. 4. hæc habens Ouid.

Prataque & ripas herbifer Aci tuas.

Silius pariter lib. 14. primam produxit, inquiens:

Quiq; per Aetnæos Acis petit æquora fines,
Et dulci gratum Nereidi perlabitur vnda.

ante hos omnes tamen primam in ἄκιδος produxit Theocritus, cuius carmen latinè redditum ſic ſonat:

Non faſtigium Aetnæ, non ſacras Acidis vndas.

Quarè, cum tàm apud Græcos, quàm apud Latinos primi nominis auctores, prima in *Acis* producta, vbiq; conſpiciatur, iure librariorum errorem hùc irrepſiſſe, ſuſpicamur. Scio equidem, apud Græcos, α, ι, & υ, ancipites eſſe, atq; ex ſe indifferentes ad hoc, vt in aliquibus dictionibus breues ſint, in aliquibus longæ; quarà, præſcindendo ab auctoritatibus Poetarum, noui etiam, non poſſe abſolutè reprehendi, qui primam in *Acis* corriperet, atq; adeò cum vulgata legeret: *Lucus erat propè flumen Acim &c.* Scio nomina Græcorum aliqua libertate gaudere; & noui ab eadem libertate nomina propria, etiam apud Latinos, non omnimodè abhorrere, vbi nulla ſit proſodiaci iuris in contrarium regula. Verùm, quia, vt ait Ricciolius, initio ſuæ Proſodiæ,

Eſt proſodiaci iuris Apollo tenax. Et

Firmatur exemplo cum regula deficit omnis,

ex eiuſdem Proſodiaci iuris decreto; non facilè dicendus eſt, oculatiſſimus cæteroqui Vates neglectis probatiſſimorum exemplis, voluiſſe, ſine neceſſitate, primam in *Acim*, ſolo ſuo arbitratu, corripere. Et ideò a vulgata, hoc loco diſceſſi, Heinſium ſecutus. Dicet quis fortaſſis dicendum neceſſariò fuiſſe *propè flumen Acim*, quia oſtendendum fuerit, Acim fluuium eſſe. Sed hæc apud pueros, non apud eruditos fuerant aperienda; nam in fabulis verſati, ex ipſo *Acis* nomine, ſatis norunt, eum apud Ætnam flumen eſſe. *Propè* itaque præpoſitio eſt, idem ſonans, ac *iuxta*, & in proximo ad Acim. *Acis* verò Paſtor olim fuit, ſed Deorum ſtirpe progenitus, quippè qui Faunum Patrem, Nympham que, Simæthi fluuij filiam habuerit matrem, vt Ouid. cit. Hunc, cum ſexdecim eſſet annorum, ardentiſſimè adamauit Galatea, de qua inferiùs, eiuſq; amore, Polyphemum Cyclopem ardentiſſimum ſui amatorem deſpiciebat non ſolum: ſed tanto eum odio, quanto Acim amore, proſequebatur. Riualem igitur ſibi præferri indignè ferens Polyphemus, cum quadam die Galateam in Acidis gremio iacentem conſpexiſſet, vtrumq; adortus eſt: & Galatea quidem aufugit; ſed Acis, ab eo ingenti lapidis mole, quæ pars mon-

tis fuerat ictus, in ſui nominis flumen, Deorum miſeratione dicitur conuerſus. Rem tota fusè pandit Ouid. cit., ad quam curioſum remitto. Eſt itaq; iam Acis fluuius Siciliæ ex Aetna procedens, ex cuius ripis, fertur idem poſtea Polyphemus ſaxum in Vlyſſam ieciſſe: & ideò in ipſa Sicilia eiuſdem eueniſſe tranſmutationem canit Ouid. cit. Dum itaque Claud. dicit lucum fuiſſe propè *Acim*, clarè docet, ſyluam ipſam in Ætnæ accliuis fuiſſe, ipſiq; Aci fluuio conterminam. *Flauos* verò appellari fluuios, adeò vulgatum eſt, vt nil apud Poetas frequentiùs. Sic flauus Tyberis: flauus Alphæus; flauus Simæthes ipſa dicitur, a quo Acis ortum duxiſſe dicitur, cum eius fuerit ex filia Nepos. Quarè cum apud Ouid. ait. dixerit eadem Galathea.

Formoſus, vt vires aſſumeret Acis auitas;

iure & ipſum ex Aui qualitatibus *flauum* appellat Vates.

QVEM. *Quod* legunt Parrhaſ., & alij, qui *Propè flumen Acim* legerant. Nos *Quem*, relatiuè ad fluuium Acim, legimus.

CANDIDA GALATEA. Filia hæc Doridos, & Nerei dicitur apud Ouid. ait., vbi ipſa de ſe loquens, ait:

At mihi, cui Pater eſt Nereus, quam cærula Doris
Enixa eſt, quæ ſum turbâ quoq; tuta ſororum,
Non, niſi per luctus, licuit Cyclopis amorem
Effugere &c.

Candida dicitur à forma ipſius, quam deſcribens, Heſiodus ait, Galateam candidis extitiſſe comis faciemq; lacti ſimilem habuiſſe; &, quia Γάλα Græcis hæc dicitur, ideò lactea Virgo Galatea; ſicuti etiam, eodem nomine, via cæli lactea nuncupatur. Sic apud Virg. Corydon Ecl. 7. candorem deprædicat inſignem, dum ait:

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior Cycnis, hedera formoſior albâ.

SAEPE PRAEFERT MARI. Dum ſcilicet magis, & frequentiùs (quod importatur per aduerb. frequentatiuum *ſæpè*) hoc fluuio, quam natiuo mari delectatur: & nil mirum; nam cum Galatea Acim deperiret, de quo dixerat apud Ouid. ſæpiùs cit.

Acis erat, Fauno, Nymphâq; Symæthide cretus,
Magna quidem patriſq; ſui, matriſq; voluptas;
Noſtra tamen maior; nam me ſibi iunxerat vni.
Pulcher, & octonis iterum natalibus actis
Signarat teneras dubia lanugine malas.
Hunc ego, me Cyclops nullo cum fine petebat.

nil inquam mirum, ſi, etiam poſtquam fuerat reſolutus in amnem, hunc præferat mari; licet ipſa Dijs orta marinis, atq; ex maris ſpuma lacteum ſortita candorem, totam ſe mari addictam agnouiſſe debuerat; nam, cum Anima plus ſit vbi amat, quam vbi animat; non poterat quin animam illa ſuam, in Acidis fluitantem vndis ſequeretur. Cæterùm de verbo *præferre* vide lib. pri. carm. 194.

ET SECAT PVLCHRO NATATV. *Secari* proprium eſt rerum ſolidarum; ſed, translatè, ad quamcumq; rem, quoquo modo diuidendam, traducitur; &, quia innatans certe vndas diuidit; ideò *ſecat pulchro natatu*; qui ſcilicet eſt ipſa actio natandi, quæ maritimis vtiq; Deitatibus propriſſima videtur: Dicitur autem *pulcher natatus*, quia pulchra natatrix; iuxta illud Virg. Aen. 5. de Euryalo.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

DENSVS &c. Ea neceſſitate exprimendi locum, in quo lucus eſſet, aliqua vſus digreſſiuncula, ad notitiam eiuſdem loci ſpectante, reuertitur iam ad luci deſcriptionem, quam cœperat, cum dixiſſet: *Lucus erat propè flumen Acim*: quæ hùc referenda ſunt; nam *denſus* dicitur *lucus* eo pacto, quo diſſeruimus etiam lib. pri. carm. 202.

ET TEGENS QVALIBET VSQVE AETNEA CACVMINA,

NA. Effectum cum cauſa copulat; nempè opacitatem Solis, in quo lucus eſſet, ortam ex denſitate nemoris, quam & ſupra innuit, & hic magis explicat: *tegere* enim, reſpectu ſui ſectæ materiæ, *operire* eſt, atq; ab ingruentibus Solis radijs *protegere*, quod idem eſt, ac opacitatem inducere. *Qualibet* verò idem ſonat, ac vndequaq; & *vſque* adverb. hic, temporis eſt, idem, ac *aſſiduè*, & *ſemper*; in quo ſenſu, non ſemel accipi, latè oſtendit Torſellinus in ſuis particulis, adductis ex Teren., Plaut., Cic., ac Virg., exemplis. Vnum illud Virg. referam ex eius Lycida depromptum Ecl. 9. *Cantantes licet vſq; (minus via lædet) eamus.* *Quamlibet vſq; premens* legit, pro *qual bet vſq; tegens* Heinſ. Sed quam congruenter ad textum viderit ipſe. Vulgatam profectò, vt optimam, tenendam arbitror, cum Parrhaſio. *Aetnea* verò *cacumina* in eodem lato ſenſu, quo ſupra diximus accipi *Æthneum iugum*, §. ſcilicet *Illa tenet &c.* accipienda ſunt; nempè pro ſummitate eius partis, de qua lib. pri. dixerat; *Pars ceteræ frondes &c.* Scio Parrhaſ. hic *cacumina* accipere in ſenſu rigoroſo, pro ipſa videlicet ſummitate totius abſolute montis. Sed forſan innuere voluit Parrhaſ., lucum illum in altitudinem adeò creuiſſe, vt ipſa ſumma excedens cacumina, ea obtegeret circumquaq; ita vt oculi, in conuallibus poſiti, ea aſpicere non poſſent. In quo ſenſu, non abnuerem explicari poſſe hunc textum, ni viderentur obſtare, quæ dixerat lib. pri. Vates;

> *Æthneos apices ſolo cognoſcere viſu*
> *Non aditu tentare licet &c.*

Verùm quia poſſet reſpondere Parrhaſ., Aetneos apices potuiſſe oculis dignoſci, ex loco editiori, puta ex aliqua turri inſpicientibus; licet imperuij eſſent, ex inferiori ſuſpicientibus, obſtante ſylua; ideo Parrhaſ. non improbo. Sed meliùs arbitror, iuxta data, explicandum.

ILLIC &c. Venerationem nemori inſitam amplificare aggreditur ab adiunctis. Ideò *illic*, quod aduerb. loci eſt, idem ſonans, ac *in eo loco*, ſeu, hic *Luco*.

PATER, Antonomaſtice Iouem deſignat, qui, vt alibi vidimus, *Iupiter* dicitur, quaſi *Iuuans Pater*. Inſuper, Iouem omnia eſſe, crediderunt Græci, eo quòd Ioue omnia plena debere eſſe, crediderint, vt extiterant; quare, cum in hac ſententiâ omnia reciperent eſſe à Ioue, meritò ſolus omnium Pater dicitur. Adde, Patrem hic appoſitè Iouem appellari; vt ſcilicet, peculiari titulo, nemus illud ipſi Cereri ſummè verendum eſſe, debuiſſe, ſatis ſuperque oſtendatur; nam vt filiam adamaret, certè magis debuit nemus eiuſdem natæ Genitori ſacratum, dilectumque vereri, ne Patrem offenderet, quæ Patri filiam, quam quærere inſtituerat, deberet. Quod ipſum facit ad amplificationem iracundiæ, qua in Deos conceptâ ferebatur Ceres, quaſi furialibus æſtris concitata, vt infra, ab effectibus numeratim exponendis latè patebit.

DATVR. *Traditur*, ſimplici, pro compoſito, in ſeriem locutionis adductos, idemque ſonante, ac *fertur*, *dicitur*, *narratur*: Sic & Virg. Mælybeus Ecl. 1.

> *Sed tamen iſte Deus qui ſit, da Tityre nobis.*

POSVISSE CRVENTAM ÆGIDA. Inſignem, à Ioue reportatam de Gigantibus victoriam retulimus lib. 1, carm. 553., ad quam ſibi comparandam dicitur Iupiter in bellum armatus Ægide ſua proceſſiſſe: atque illam, poſt victoriam ſupracitato in luco depoſuiſſe, hic dicitur ab Auctore noſtro. Ægidem Iouis clypeum fuiſſe ſatis innuimus lib. 2., vbi de Clypeo Palladis, quem & Aegidem vocant, ageremus, immò omnium ſcuta Deorum Aegidis nomen ſortita, dicebamus ibi ab hoc Iouis Clypeo, qui Aegis dictus ſit, quia fabrefactum ex pelle capræ Amaltheæ, quæ Iouem enutriuerat, & quam demortuam Iupiter in Cælum tranſtulerat. Ideò Aegis, quia *αἶγα* Græcis *capra* eſt. Quare, hac Aegide, verendum ſummopere nemus efficiebatur; ni Ceres, tunc temporis, omni poſthabita religione, non contempſiſſet quidquid ad filiam non faceret inueniendam. Tali numine, lucum illum, quem in monte Tarpeio, ante ædificatas ibi aureas Iouis arces ſummâ religione cultum fuiſſe, memorant, ſummumque ſui horrorem animis omnium incuſſiſſe. Virg. Aen. 8.

> *Hinc ad Tarpeiam ſedem, & capitolia ducit*
> *Aurea nunc, olim ſylueſtribus horrida dumis;*
> *Iam tunc religio pauidos terrebat agreſtes*
> *Dira loci, iam tum ſyluam, ſaxumque tremebant.*

cuius religionis, terroriſque rationem reddens ibi Euander

> *Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem*
> *(Quis Deus, incertum eſt) habitat Deus: Arcades ipſi*
> *Credunt ſe vidiſſe Iouem, cum ſæpè nigrantem*
> *Aegida concuteret, dextrâ nimboſque cieret.*

Poſuiſſe idem eſt, ac *depoſuiſſe*, in ſignum videlicet belli, iam ad finem fœliciter redacti., nam rebus, firmata pace compoſitis, arma ſuſpendere, pendentiaque ad otium relinquere, in more poſitum fuit apud Bellatores; vnde & originem habuit Italicum illud *Appender l' armi al tempio*, cum quis ſignificare velit, non vlteriùs in re aliqua inſiſtendum. *Ponere* autem pro *deponere* poſuit & Virg. Georg. 4., vbi apes referens animam deponentes, dum feriant, ait:

> *Illis ira modum ſupra eſt: læſaque venenum*
> *Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt*
> *Affixæ venis, animaſque in vulnere ponunt.*

Cruentam verò dixit; hoc eſt cruore profligatorum hoſtium reſperſam vndique, vt indicaret, quam altis rebelles plagis Iupiter punierit: quod quidem maximè facit ad amplificandam Cereris audaciam, de qua infra, quæ videlicet, quamuis ante oculos haberet monimentum iræ, qua Iupiter in ſe contumaces plectere ſoleat, animo tamen adhùc in Iouem ipſum obſtinato, eiuſdem nemus aggreſſa fuerit temerè violandum. Quare artificium Vatis hoc poſito adnotaueris.

ET ADVEXISSE. Supple *& illùc aduexiſſe, atque ibi collocaſſe*. Verbum non explico, nam notum ſatis.

PRÆDAM CAPTIVAM. *Præda* quid propriè ſit alibi vidimus. Hic nomine prædæ venit quidquid ex hoſte profligato in victoris poteſtatem redactum eſt, nempè omnia, & quæcumque hoſtium ſpolia. *Captiuum* verò dicitur, quod, iure belli, captum à victore eiuſdem iam factum eſt iuris.

POST PRAELIA. Notat tempus, nempè poſt prælium fœliciter geſtum, vt ſcias, Iouem iure trophæa erexiſſe, nec triumphum ſibi, ante victoriam ſtatuiſſe.

PHLEGRÆIS SYLVA SVPERBIT EXVVIIS &c. Prædam, iam genericè indicatam, diſpoſitione reſolutiuâ, in partes generi ſubiectas diuidit; &, ſpolia quæque, quibus præda illa conſtaret, enumerans, oſtendit, totum nemus trophæis Ioui poſitis, inſignitum, atque ideò vndequàque verendum. Quid, nomine Syluæ, prout à nemore diſtinguitur, intelligendum ſit, vide lib. 1. carm. 207. Hic certè, pro nemore, ponitur, præaltis conſito arboribus, de quo ſupra. Quare Catachreſim agnoſces. *Superbire* eſt *ſeſe quodam glorioſiùs extollere*. Ex quo vides, quam altè aſſurgat elocutio ſenſum inſenſibilibus præbens, ſed eruditè tamen; nam omnia, vt Deo plena ſunt, ita etiam Dijs omnia, ſuo modo, ſentiunt fauores; atque, in obſequium Numinis, promptiora quolibet ſenſu habente ſæpe ſæpiùs adſtant: ideò nil mirum, ſi à Ioue decorata ſuperbire dicatur Sylua, *Exuuijs Phlegræis*. *Exuuiæ*, ab exuendo, ſicut *induuiæ* ab induendo dictæ ſunt profectò ſpolia hoſtibus detracta; vt patet ex Pallante apud Virg. Aen. 9., Hoſtis ſpolia Tybris Numini deuouente, ſi eius auxilio, hoſtem valeat proſternere,

> *Da nunc, Tybri Pater, ferro, quod miſſile libro,*
> *Fortunam, atque viam duri per pectus Haleſi.*
> *Hæc arma, exuuiaſque viri tua quercus habebit.*

Hinc etiam vides, in more poſitum fuiſſe, vt tam arma victricia, quàm cadentum exuuiæ, in trophæo collocarentur. Atque ideo & Iupiter Aegidem ſimul, qua vicerat, & detracta ex hoſtibus ſpolia, ex arboribus præfati nemoris pendentia dicitur reliquiſſe. Sed ſunt etiam *exuuiæ* pelles ipſæ ex decorticatis belluis detractæ. Quare apud Virg. Aen. 9. habetur:

> *Dat Niſo Mneſtheus pellem, horrentiaſque leonis*
> *Exuuias &c.* & Aen. 11. Camillæ
> *Tegridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.*

Nota itaque quàm aptè, ſpectata Gigantum naturâ, & rabie, qua in Cælum arma mouiſſe dicuntur, eorum ſpolia *exuuiæ*, in vtraque ſignificatione dicantur: *exuuiæ* quidem, quia ab hoſtibus detractæ, & exuuiæ, quia aderant & decorticatorum pelles, vt infra §. *Tergora*, pelles, inquam, à feris belluis detractæ: nam Gigantes, vt alibi vidimus, anguipedes fuiſſe traduntur, atque adeò draconum participantes naturam. Immò Auctor noſter, eos ſemidracones, videtur, agnouiſſe, in Gigantomachia ſua, dum ait

> *. . . . . Tunc comminus enſe Pelorum*
> *Tranſigit aduerſo ſemorum, qua parte volutus*
> *Duplex ſemiferis connectitur ilibus anguis.*

Quod ſi rabiem ſpectes; quodnam ex Africa monſtrum maiori exardens rabie deduces? Enceladus certè licet ſuperimpoſito monte gemat, adhùc, *ſancta membra recenſens ſpirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur*, vt vidimus

lib.

lib. 1 immenſi ſcilicet in ſignum furoris. *Phlegræa* autem dicuntur *arma*, nam, cum Gigantes ex Phlegra eſſent, vt ſæpe dix., quidquid ad ipſos pertinet, Phlegræum dicitur. Porrò, hæc de Gigantibus trophæa, alij dicunt, à Ioue in Pithecuſis, erecta, alij cum Procopio ad Damaſcum Syriæ; alij, cum Valerio Flacco in Theſſalia. Sed diſcordat ab his omnibus Claud ſeu potiùs, quæ alij ſparſim varijs in locis poſita trophæa commemorant in hunc tandem lucum conuexiſſe autumat Iouem; & quidem non ſine veriſimilitudinis fundamento, id comminiſcitur; nam, cum in Sicilia iaceat Enceladus primus Gigantum Coryphæus, & trophæa erigi ſoleant in loco, vbi deuictus fuerat hoſtis, vbi nam melius, quàm in Aetnæ dorſo, vbi Enceladi buſtum adſit, collocarentur? Sed ad noſtra redeamus.

ET VICTORIA VESTIT TOTVM NEMVS. *Victoria*; hoc eſt *victoriæ inſignia*; Res enim ſignata pro ipſis ponitur ſignis, ſi ſenſum litteralem ſpectemus. Sed, ſi aptatum eruditioni ſenſum intueamur, noueris victoriam apud Romanos Deam fuiſſe, quam lauro coronatam effingebant, alterâ manu palmæ, altera oliuæ ramos præferentem. Quo poſito, ſenſus erit, aduectis in hunc lucum Phlegræis ſpolijs, Victoriæ Deæ munus fuiſſe, ea per totum lucum diſtribuere, ac ſingulas arbores, trophæis ſingillatim diſtributis, inſignire; quod & in obſequium victoris effecerit Iouis. Ideò *veſtit*; hoc eſt contegit, & exornat; nam veſtes & ad tegendum, & ad ornandum conferunt corpus. *Totum nemus*; hoc eſt omnes, & ſingulas nemoris arbores, vt intelligas innumera fere fuiſſe trophæa, quibus iure ſylua ſuperbiret, ac verenda eſſet.

HIC PATVLI RICTVS &c. Explicato quid veneris nomine prædæ, & à qua nam manu diſtributa fuerint Trophæa, ad enumerationem deſcendit iam, & cuiuſnam generis ſingula eſſent trophæa, magis peculiariter exprimit: & per aduerb. *hic* peculiarem deſignat prædicati nemoris partem; in qua prout ab alijs ſignatim diſtincta.

DEPENDENT. *Dependere* eſt *ab aliquo pendere*, vt profectò trophæa, truncis affixa, ex ijſdem pendentia exiſtant, neceſſe eſt. *Pendent* itaque (ſupple *ex arboribus*)

PATVLI RICTVS. *Rictus* non ſolum ſignificat hiatum illum, vnde exeunt voces, quem propriè os appellamus; ſed totam illam partem circa hiatum ipſum, quæ homine turpiter diuerſas os in partes contorquente, lineis quibuſdam, rugarum in morem ductis, terminatur. Quarè, apud Budæum *rictus oris diſtentio* dicitur. *Rictus*, inquit Parrhaſ. hic, *ora Gigantum ſunt; ſed Rictus*, ait, *ad exprobrandos agreſtes Gigantum mores; nam, vero nomine, rictus in beluis, roſtra dicuntur*. Quod, à Parrhaſio dictum, quamuis veriſſimum ſit, & ſententiam comprobet noſtram, qua diximus, ferarum æmulatores ab Auctore noſtro Gigantes inſinuari: attamen, quia, vt video, apud probatos Auctores, *rictus* communis eſt tam beluis, quàm hominibus, magis hæc communis explicatio arridet; nam hoc nomine, notat Vates ferinos homines, ſeu potiùs feras ſimul, & homines, Gigantes fuiſſe; ideò eorum ora *Rictus*, nomine ſcilicet hominum, feriſque communi, compellat. Vno verbo *Rictus* pro minaci oris habitu aptiſſime hìc ponitur. Ideò *patuli Rictus*, *patulus* enim idem eſt, ac *latè apertus*; & differt à *patente*, quia *patentia* dicuntur, quæ ad tempus patent, *patula* verò, quæ ſemper aperta ſunt. Labia autem in apertam ſcindere voraginem, ac turpiter contorquere, ad maleuolorum geſtum attinet exprimendum, vt notat Cauſ. de Eloq. lib. 9. c. 9. Et inſuper, apud Mathematicos, inuenies faciem, collo, ore, oculis, ac toto capitis geſtu tortuoſam, ac patulos hiantem in Rictus, pro ſymbolo acerrimi aduerſantis, hoſtiliterque agentis, aſſumptam, atque in terroris hieroglyphicum, apud Pauſaniam erigi, oſtentarique reperies. Iterum proprium eſt illius, qui acerrimo pœnæ ſenſu diſcrucietur, hianti ore, acriùs ingemiſcere. Ideo, ad hæc omnia reſpiciens Vates, patulos Gigantum rictus delineat, vt videlicet oſtendat, quo actu ipſi interierint, nempe furorem adhùc ſpirantes, & terrorem, ac vno, eodemque tempore atrociſſimis affecti pęnis, atrociter gementes. Et quia, quo in actu quis moritur, in eodem à mortis gelu in æuum obduratur, ideò *patuli* Gigantum *Rictus*, nunquam ſcilicet claudendi, ſed adhùc furorem, terroremque ſpirantes, ac crudele quid, etiam poſt funera, in Cælum minitantes.

HIC &c. Supple *dependent*; nam huic eidem verbo vtrumque membrum, per adiunctionem figuram connectitur. Diſtributioni autem deſeruit geminatum, per repetitionem, *Hic*, non rerum ſolum, ſed & locorum; idem enim ſonat, ac *parte in alia dependent*

TERGORA. *Tergus* propriè *corium* eſt; *corium* autem, pellis craſſior, præcipuè quæ *tergum*, hoc eſt *dorſum*, tegit, ſpinæque dorſali, ac coſtis inde pendentibus ſuperinduitur. Quare Virg. Aen. 5. inquit:

Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.

rigoroſè enim loquendo craſſiores brutorum pelles *coria*, & *tergora* dicuntur, immò & Draconum pellem tergo inhærentem, hoc nomine deſignat Silius lib. 3.

. . . . Squallentis tergore ſerpens.

Per translationem nihilominùs ſolet commune pellibus omnibus hoc nomen fieri. Quare vox iſta eoſdem explicat ſenſus, quos ſupra adnotauimus in voce *Rictus*; ideò quæ ibi diximus, hìc proportionaliter iteranda. Tantùm nota, hoc ipſum non ſine alluſione dictum; alludit enim ad fabuloſam de deuictis à Ioue Gigantibus Hiſtoriam, qua fertur *Aſpus*, ſeu, vt ſcribit Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 21., *Aſpus*, ex turmâ Gigantum vnus, cum Liberum Patrem captum in Bardynem Syriæ fluuium deieciſſet, à vindice Mercurio occupatum, edomitumque, excarnificatus, nedum tantum excoriatum, fuiſſe; nudatiſque viſceribus, exemplum cæteris omnibus interijſſe. Iure igitur huiuſmodi tergora Vates inter ſpolia enumerat, quibus erecta Ioui ditarentur trophęa.

PRODIGIOSA GIGANTVM. Prodigioſum eſt id, quod præter conſuetum naturæ morem appareat, nam portenti locum obtinet, ac terrorem parit, aut admirationem. Cum itaque pelles, ſeu potius *coria illa* Gigantum magnitudinis eſſent ſuſpiciendæ, ac pari extuberarent craſſitiæ, licet iam exſiccata tempore, & arida, admirationem ſimul, ac terrorem proſpicientibus incutiebant. Ideò *prodigioſa*. De Gigantibus verò vide dicta lib. 1. carm. 153.

ET FACIES AFFIXAE TRVNCIS &c. Correſpondet hoc membrum membro iam ante poſito, quo dixerat: *Hic patuli dependent Rictus*: & explicat, quam terribiles, ac minaces etiam demortui eſſent Rictus illi; nam *facies* tota anterior capitis pars eſt conſtans fronte, oculis, naſo, malis, ore mento: quare indicat hìc, ſe partem pro toto poſuiſſe, cum dixerit: *Rictus dependent*: & de quo toto locutus fuerit explanat, eiuſdemque notat terribilitatem. Video, Parrhaſium hanc ſententiam ad morem trophęorum conficiendorum detorquere: dicit enim hic, maiores noſtros, fugatis hoſtibus, humana ſpecie ſtipitem inſignitum ſolitos fuiſſe conſtituere, quem ſtatuebant in ſummo aliquo iugo, eumdemque ſpolijs ornatum trophęum nominabant. Quibus verbis innuere videtur hunc Vatis locum, vel de Gigantum effigie truncis impreſsâ intelligendum, vel ſaltem ad illam eſſe alluſiuum. Sed quid opus imagine, vbi prototypus eluceat ipſe? An nouum eſt obtruncata hoſtium capita haſtis infixa editis in locis ad reliquorum terrorem exponi ſolita ab ijs, qui de cæſis victoriam reportarunt? De realibus itaque Gigantum capitibus, ac faciebus, quas *Rictus* appellauerit, intelligendum arbitror Vatem, qui, figura vſus diſtributione, quid proprium earumdem fuerit, ſubinde ſubdat. Notat autem primo modum, quo ex arbore penderent, non videlicet adſtrictæ funiculis, ſed *affixa*, hoc eſt infixis clauis ſolidatæ: & hic verè alludit ad morem primi nominis venatorum, qui, cum truculentam aliquam beluam interfecerint, horrendos illius rictus, caput videlicet obtruncatum, tamquam fortitudinis trophęum, valuis affigunt inſpiciendum: ſic enim & Iupiter, cum immaniſſimas illas Gigantæ ſtructuræ beluas profligaſſet, horrendos earum rictus voluit in trophęum, affixos *truncis*; arborum videlicet ſolidioribus ſtipitibus, ad ſuſtinendas victoriarum ſuarum pompas electis.

CRVDELE MINANTVR. Aduerbiatum, more poetico, nomen eſt *crudele*, idem ſonans, ac efferatum in morem; ſeu quaſi *ferrantes adhùc furorem*. Ideò *minantur*; hoc eſt minarum adhùc impreſſa ſeruant veſtigia, quibus cælites territare præſumpſerant, & quaſi actu adhùc minas vibrant interemptæ. Refert Curtius, lib. 8. de Rebus geſtis Alexandri, Macedones quoſdam tempeſtate, ac fulminibus afflictos, arboribus adhæſiſſe, ibique emortuos, repertos ſubinde fuiſſe viuentibus ſimiles, ac colloquentibus, durante adhùc habitu, in quo mors quemque deprehenderat. Nil igitur mirum, ſi idem Vates deprædicet in Gigantibus extinctis, naturam ſecutus.

ET IMMANIA OSSA SERPENTVM &c. Serpentum nomine Gigantes deſignat, quos iam vidimus, in inferiori parte, ſerpentinâ præditos naturâ, ita vt *Semidracones*,

vel *homodracones* dici poſſent. Sed improprium fortaſſis videri aliquibus, poſſit, oſſa ſerpentibus attribuere, ex eo quod oſſa, ob ſuam inflexibilitatem, repugnare videantur tortuoſorum flexibilitati ſerpentum. Verùm memineris, etiam ſerpentibus, procul dubio, ſpinam ineſſe dorſalem, quam *vertebram* appellant, eo quod eius ſit munus facultatem præbere animanti corporis inflectendi, incuruandiq;. Ex hac vertebra grandiori tenuiores aliæ laterales ſpinæ deſcendunt, quæ coſtularum munus obeuntes, complexu ſuo ſerpentis inteſtina coerceant, vt videre eſt in ſerpentibus anatomicè diſſectis. Hæ ſpinæ in paruulis reptilibus, admodum exiguæ ſunt, & ſubtiliſſimis ſerici filis perſimiles, ſi ſoliditatem earum non conſideres; ſed in grandioribus maiores; & quo maior moles eſt, proportione ſeruata, maioribus fulcitur ſpinis. Ita vt ingentis molis Dracones ſpinas habeant, oſſeis coſtis non diſſimiles; atque ideò nec flexuoſum adeò corpus, ſuperiori ex parte, valeant agitare, vt ſerpentes gregarij, licet inferiorem partem ad caudam ſummâ celeritate, quaquà velint, circumflectant. Sicut igitur & piſces non niſi ſpinas habent; & tamen in maximis Oceani monſtris oſſa diſcernuntur; ſic non incongruum erit, in reptilium monſtris, oſſa dignoſcere; præcipue cum hic ſermo ſit, non de quocumque ſerpente, ſed de homodraconibus Gigantibus. De Epiteto immania vide lib. 1. carm. 80.

ALBENT PASSIM TVMVLIS EXANGVIBVS. *Albére* eſt *albicantem induere colorem*; ſeù *albicantis ſpeciem oculis ingerere*. Porrò oſſa cum nuda ſunt, excarnificata ſcilicet, ac temporis diuturnitate, pluuijſque ingruentibus expurgata, ac ſole iterùm, iterùmque exſiccata, albeſcunt profectò. Ideò ex conſequenti antecedens hic apponitur intelligendum, nempe nuda, & inſepulta, extitiſſe Gigantum oſſa, pluuijs, ac ſolibus expoſita, in opprobrium ſcilicet temeritatis, vt quæ cælum occupare per vim voluerant exiguâ etiam ſepulchrali terra priuarentur. Hoc eodem verbo vſus eſt, in ſimili, Latinus Rex Aen. 12., cum ait:

> . . . . *Recalent noſtro Tyberina fluenta*
> *Sanguine adhùc, campique ingentes oſſibus albent.*

Paſſim, à paſſu deductum, aduerb. locale eſt, idem ſonans, ac *ſparſim*, & *velut*, *per ſingulos paſſus*; ad differentiam aduerbij *vbiq;*, quod dicitur de rebus in loco continuato, quaſi continuate, diſpoſitis, ita vt nullum ſit inter eas interpoſitum ſpatium, quæ interpoſitio importatur per aduerb. *paſſim*. Ex quo deducere licet, ibi fuiſſe aceruos oſſium, vbi tergora diuerſis ex arboribus dependerent. *Tumulus* dicitur quilibet paruulus collis eminens à terra, atque ad huius ſimilitudinem *tumulus* etiam dicitur cumulus, ſeu aceruus rerum aggregatarum, ſe ſeque in colliculum eleuantium. Et in hoc ſenſu aſſumitur hic. Quare non video, qua ratione, Heinſius, hunc locum corrigens dixerit, legendum eſſe *cumulis*, vel inuitis codicibus, vt ipſe ait; non verò *tumulis*; cum in eadem ſignificatione eſſe poſſint & *tumulus*, & *cumulus*. Adde, quod *tumuli* nomine, ad paruulos montes alluſiuo, aptè vtitur Vates: nam *immania oſſa* ſufficere debuerant, vt in aceruum collata, tumuli, ſeu parui montis ſpeciem referrent. *Tumulis* verò *exanguibus* dixit, quia demortuis oſſibus conficiebantur; mortuus enim eſt, qui ſine ſanguine eſt.

ET RIGIDÆ PELLES &c. Videri poteſt hic Vates non ſatis firmo gradu procedere, in huiuſmodi trophęorum diſtributione peragenda; ſed ſaltitare potiùs, atque incerto pede deferri; dum à rictibus ad pelles procedit; inde ad rictus iterum ſub nomine facierum reuertitur; inde ad oſſa deſilit; & hinc iterum in pelles ſaltitat, nullo ſeruato iure, vel ordinis, vel congruentiæ, vel gradationis. Ego tamen, in hoc ipſo, egregium auctoris artificium adnotare im potius, quàm eum de imperitia, quo ad artem, redarguam. Recta igitur, atque ordinata, cuiuſcumque trophęi ſtructura, vt ex ipſo patet contextu, hæc eſt, vt ſcilicet, in ſuperiori parte rictus pendentes emineant, quos ſubter tergora dependeant, ac tandem ſub ipſis pendentibus iaceant exoſſatorum cadauerum oſſa, in aceruos vtiq; congregata, quaſi colle ex oſſibus facto reliquum fulciatur trophęum, licet, re verâ, trunco arboris innitatur. Hoc poſito: qua arte Vates poſitis rictibus ad pelles tranſeat, in aperto eſt: cur, & qua ſubinde arte, à pellibus ad facies redeat, innuimus ſupra: cur a faciebus, ſeu capitibus in ſummo poſitis ad terram deſiliat, atque ad ſuppoſitos oſſium aceruos delabatur, ratio in promptu eſt; nam connexio, quæ ex operante natura habetur, inter caput, ac cætera membrorum oſſa, iure poſtulabat, vt à capite ad connexa oſſa gradus fieret. Sciendum igitur, è cerebro originem ducere neruos omnes, qui ad oſſium compagem conſerunt efficiendam, colligandamque: ſecundò notandum, ſpinam dorſalem, quam vertebrarum ſpinam appellant, initium ſumere à parte poſteriore cranij, atque ad os vſque, quod ſacrum appellamus, continuatis iunctura nexibus, produci, ac tandem cum reliqua oſſium ſtructura, connecti, ac colligari. Quare iure, habita mentione capitis, reliquorum oſſium infertur mentio, licet, per accidens iam diſiuncta à capite ſint, ac diſſito in loco poſita. Sed cur iterum inquies, ex infimo, quo ſe depreſſerat, loco aſcendit, atq; iterum ad pelles regreditur? Vt noueris, vnumquemque oſſium aceruum, vnicuique pelli, qua exutus fuerat, ſubeſſe, atque adeò ex hac immediatione loci datam anſam ad pelles iterum redeundi, vt iam dictis de pelle eius hic propria qualitas correſpondeat, ne imperfecta remaneat, licet per accidens interrupta diſtributio. *Et pelles*; tergora videlicet illa, de quibus ſupra, oſſibus ſuis ſuperpoſita, atque ex trunco ſupra eorum aceruo pendentia. Mirum autem eſt quanta explicet epitetum *rigidæ*. *Rigidum* dicitur, quod frigore, geluque, diriguit. Et huiuſmodi pelles mortis gelu diriguiſſe, licet fulmineis accenſas flammis, negari haud quaquam poteſt. *Rigidum* dicitur, quod ſiccitate diſtentum, aut contractum eſt, & aſperatum. Et tales erant pelles, ſucco, ac ſanguine exſiccatis. *Rigidum* certè corium exuſtum eſt, nam viſui, & tactui moleſtam, aſperitate, ingerit ſenſationem. Et talia erant Gigantum coria fulmineis exuſta flammis. *Rigidum* dicitur, per translationem quidquid horrendum ſpirat, & crudelitatis præfert imaginem. Et tales erant Gigantum exuuiæ, terrorem adhùc ſpirantes, quamquam exanimes. *Rigidum* denique quidquid quomodocumque obduratum eſt præter morem. Et obdurata, igne ſimul cæleſti, ac mortis gelu, in perniciem coniuratis, hæc Gigantum ſpolia. Vide, quam multa vnum complectatur epitetum.

SVSPIRANT. Ideſt *ſurſum ſpirant adhùc conceptas à fulmine, flammas*, exponit doctiſſimè Parrhaſ. *Suſpirant*: hoc eſt *ſurſum ſpirant fulminis afflatu turgent*, explicat, non minori, Barth., eruditione. Ego vtrumque vnico verbo collectum arbitror ab eruditiſſimo Auctore.

MVLTO FVLMINE. Cauſam notat, ex qua prædicti pullulent effectus, nempè *crebrò, aſſiduè*, inceſſantique irati Iouis manu cribratis fulminibus, quæ omnia, in rebellantes concitata, eam ediderunt ſtragem, nullis vnquam ſæculorum vorticibus non memorandam. In numero itaque ſingulari pluralitatem, & multiplicitatem facit epitetum *multo*; quod, non ad quantitatem, ſeu molem tantummodò fulminum refertur, quibus nunquam ante maioribus vſus ſit Iupiter; ſed etiam ad multiplicitatem, & numerum; nam pluiſſe tunc è cælo fulmina dici poſſunt. Vide, quàm altè amplificet & Gigantum cædem, & cædis atrocitatem, & amplam de ijs ſumptam à Ioue vindictam.

NVLLAQVE ARBOS &c. In trophęis deuictorum hoſtium nomina ſcribebantur, vt ex more, ab Aenea ſeruato, in funere Pallantis, apud Virg. Aen. 11., patet, vbi trophęis, ad funus condecorandum inſtructis, nomina iuſſit profligatorum apponi.

> *Indutoſque iubet truncos hoſtilibus armis*
> *Ipſos ferre Duces, memoreſque nomina fingi.*

Ideò aptè: *& nulla arbos* &c. quibus oſtenditur, quanta fuerit ibi trophæorum copia, quæ ſcilicet totum occuparet nemus, ita vt vnaquæque nimeratim arbor deuicti alicuius Gigantis nomine inſcripta fuerit, ac ſpolijs inſignita. *Nulla arbos non tollat ſe &c.* Ex æquipollentia propoſitionum tranſit hæc in affirmatiuam, non tantum iuxta Phyloſ., ſed etiam iuxta Grammaticos. Ideò *nulla arbos non tollat* idem eſt, ac quælibet arbor (nam *arbos* idem, ac *arbor*, vt alibi vidimus.)

IACTAT SE. Ideſt ſe ſe effert, & ambitioſiùs gloriatur, inſcriptione videlicet, qua decoretur.

MAGNI NOMINIS. Quaſi arbor ipſa, ea denominatione, à cæteris ſeiungeretur arboribus, tantoque cæteris arboribus præeſſet, quantò Gigas, cuius nomine inſcribebatur, cæteris præſtaret hominibus celſitudine. Senſum autem hic præbet inſenſatis rebus, iuxta præcipuum Metaphoræ lumen Poetarum more, vt alibi vidimus

Hæc CENTVMGEMINI &c. Sicuti priùs, Gigantum ſpolia, genericè indicata, poſtquam dixiſſet hunc in lucum aduecta, ea ſubinde diſtribuit in trophęa, ac varijs attribuit arboribus ſuſtinenda; ſic iam, pari paſſu, cum ge-

nerice

nericè dixerit, nullam arborem eſſe, quæ non gerat aliquod nomen profligatorum, incipit iam, per diſtributionem, particulariter recenſere, quæ ex præcipuis nomina ſingulis arboribus inſcripta fuerint, quaſi vniuſcuiuſque inſcriptionem oculis ſubijciat perlegendam.

HAEC. Pronomen demonſtratiuum certam: peculiarem arborem demonſtrat, quæ, quaſi digito, à Vate notetur.

VIX LEVAT. Subintellige *vt ex inſcriptione apertum ſit*. *Vix*, ideſt *ægrè*, licet robore nitens ſuo, & quidem ſummo, ſummoque quaſi adhibito conatu, *leuat*; hoc eſt in altum tollit, ac ſurſum erigit, ex ſe ipſa pendentes.

STRICTOS ENSES. Optimè plurali numero vtitur, vt multas Briarei, enſibus vtentis, exprimat manus. *Strictos* autem dixit, hoc eſt euaginatos adhùc enſes, Briarei olim manibus ſtrictos, & eubratos. Alij tamen, non *Strictos*, ſed *fractos* legunt: quod profectò magis ad rem facere non abnuerim; nam *fractos* idem eſſe non dubitauerim, ac *hebetatos*, & nullam vlterius vim ad rebellandum habituros. Quanti autem ponderis fuerit vnuſquiſq; ex Briarei enſibus, facilè eſt ex viribus vtentis coniectare; nam ſi Gigantes dicuntur montes, telorum loco eubraſſe, cuiuſnam ponderis enſes tractauerint? Non immeritò igitur: *Vix leuat arbor enſes ſtrictos*.

CENTIMANI ÆGÆONIS. De centimano Ægæone, vide iam dicta lib. 1. carm. 46.

CVRVATA FRONTE. *Fronde*, non *fronte* legit vulgata: ſed, vt arbitror, impropriè, nam tanti ponderis enſes, non frondibus, ſed ramis, & quidem robuſtioribus, alligatos fuiſſe, credendum eſt, illoſque, non frondes, grauaſſe. Quare libentiùs, cum Heinſio, & priſcis editionibus, quas & Parrhaſ. ſequitur, & Clauer., *Fronte* legendum duxi; neque enim nouum eſt, apud Poetas, arboribus frontem, caput, brachia, comaſque attribui paſſim. Frons itaque in arboribus, ſumma earum pars eſt, ſic per translationem dicta, quæ & hic *curuata* dicitur, & aptè, nam ſicuti caput altum, & erectum victores ferunt; ſic victi inclinatum, ac demiſſum. Quare arbor victum repræſentans Aegæonem, iure *curuata* eſt, hoc eſt inclinata, & terram verſus nonnihil inflexa, premente præſertim armorum pondere, quod ſuſtineat. Ex quo apparet, qua etiam difficultate ſuſtineat enſes &c.

ILLA EXVLTAT &c. *Illa* pronomen eſt demonſtratiuum rei remotioris (ſicuti *Hæc* vicinioris fuerat) quo aliam arborem, quaſi digito, ſignat, vt diſtributionem proſequatur. Per verbum *Exultat*, inſenſatæ arbori ſenſum tribuit, vt ſupra peritè admodum. Certè tamen hic non habetur hoc verbum in ſua propria ſignificatione; nam *exultare* eſt *motibus*, *geſtibus*, ac ſaltibus ſignum edere vehementis lætitiæ, quos motus arbor illa habere non potuit; ſed accipitur translatè, ita vt pro eodem ſumatur, ac *gaudet*, & *immodicè lætatur*, ac *faſtum induit*. Nec mireris, ſi huiuſmodi effectus inſenſatis attribuantur; nam, per Poetas, vt noſti, nullus in Syluis, ſine Numine, truncus aderat, cum omnibus inſiderent Dryades, vt lib. 2. vidimus. Quare nil mirum, ſi illæ in trunco lætantes, ob inſignem Iouis victoriam, inducantur, arbore ſua in trophæum dicata victori.

SPOLIIS CÆI. *Caci* legunt quidam non *Cæi*; ſed perperam: *Cacus* enim nec Gigas, nec terræ filius vnquam fuiſſe reperitur; ſed, ſecundùm fabulas, homo ignivomus fuit, Vulcani filius; ſecundùm hiſtoriam verò ſeruus fuit Euandri nequiſſimus, & latrocinio infamis. Vide dicta in præf. ad lib. 2. carm. 43. Barthius pariter, Cæi loco, *Zancli* legendum putauit, ex optimis, vt ipſe ait, libris. Sed faceſſere eum iubet Heinſius. Et profectò, cum Barthius ipſe dicat, Zanclum ſuum, licet nobis ignotum Gigantem fuiſſe vnum ex coniuratis, gladio ipſe ſuo ſe iugulat; nam, ſi ignotus eſt Zanclus, quomodo ipſe, quem non nouerit, Gigantem aſſerit? Sed ignotum ille *Zanclum* non duxiſſet, ſi Stephanum legiſſet, qui, referente Parrhaſ. ait *Zanclum* ſub vrbe Siciliæ iacuiſſe, quæ nunc *Meſſana* dicitur, olim *Zancle* dicebatur, deducto nomine ab huiuſmodi *Zanclo* profligato, atque illius pondere ciuitatis oppreſſo; ſicut Aetnâ Enceladus, totâque Thyphæus inſulâ. Alij tamen dicunt vrbem illam *Zanclen* appellatam fuiſſe, non à ficto huiuſmodi Zanclo, ſed ab eiuſdem ſtructuræ vrbis curuatura, quæ falcis in modum flecteretur. Alij legunt *Rhæſi*, vel *Rhæci*. Et quidem Rhæcum habemus Gigantem ex Hor. vt infra, ſed non video, cur à vulgata recedendum. *Spolium* igitur eſt quidquid hoſtibus detrahitur, præcipuè arma, exuuiæ, & quidquid in ornatum corporis aſſumebatur ab hoſtibus; quæ hic erecta in trophæum recenſentur. Cæus verò nomen Gigantis eſt, qui cum cæteris, ex terra ortus, bellum vnanimiter intulit Cælo. Sic enim habet Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 21. *Memorantur verò inter prædictos Gigantes, Cæus, & Iapetus, à Virgil. Mimantem, & Rhæcum nominauit Hor. Deinde cum his fuerunt Aſius, Cranus, Berbion, Almops, Echion, Pelorus, Athos, Celada, Damaſor, Pallenens, et alij complures*. Virgil. verò citatus Georg. 1. de Luna agens hæc habet:

> . . . . *Quintam fuge. Pallidus Orcus*
> *Eumenideſque ſatæ: tum partu terra nefando*
> *Cœumque, Iapetumque creat, ſæuumque Thyphœa,*
> *Et coniuratos Cælum reſcindere Fratres.*

ex quibus conſtat, Cæum præcipui nominis Gigantem fuiſſe, cum, ſeparatim a reliqua turba, proprio nomine deſignetur, quaſi inter primores Gigantum duces recenſitus: Ideò exultat Cæi ſpolijs.

LIVENTIBVS. Hoc eſt ab inflictâ geſtatori pœna decoloratis, denigratiſque, & tamen liuorem adhùc, quem ex geſtante contraxerant, in Cælum ſpirantibus, iuxta explicata iam ſupra.

HÆC SVSTINET ARMA MIMANTIS. Aliam in proximo poſitam arborem, per pronomen *hæc* deſignat, & quaſi digito notat, enumerationem proſequens ſuam. *Suſtinet*, hoc eſt *ſuſpenſa tenet*, & ſurſum detinet eleuata *arma*, nempe loricam, æneum thoracem, galeam, clypeum &c. omnia defenſiua; ac inſuper haſtam, enſem, iacula, & alia omnia, quibus vſus fuerit, offenſiua. Mimas autem vnus, inter præcipuos Cælo rebelles fuit, vt dix., cuius meminit Hor. lib. 3. carm. od. 4.

> *Magnum illa terrorem intulerat Ioui*
> *Fidens iuuentus horrida brachijs,*
> *Fratreſque tendentes opaco*
> *Pelion impoſuiſſe Olympo.*
> *Sed quid Typhœus, & validus Mimas,*
> *Aut quid minaci Porphyrion ſtatu;*
> *Quid Rhæcus, euulſiſque truncis*
> *Enceladus iaculator audax &c.*

ex quo patet, hunc etiam, inter ſupremos aciei ductores fuiſſe, dum de eo nominatim mentio fit, & cum Encelado, ac Typhæo, coryphæis vtique comparatur. Hunc Mars prælìantem interemit, vt ex Auctoris noſtri Gigantomachia, vbi ſic

> *Occurrit pro fratre* Mimas Lemnumque calentem,*
> *Cum Lare Vulcani, ſpumantibus eruit vndis;*
> *Et prope torſiſſet, ſi non Mauortia cuſpis*
> *Antè reuelato cerebrum ſudiſſet ab ore.*

* Pro Peloro interfecto.

OPHION. Mendum hùc irrepſiſſe arbitror, & *Echion*, non *Ophion*, legendum eſſe, vt ex dicendis patebit, quamuis & Parrhaſ. & Heinſ., & alios videam, vulgatam ſequentes: Quare videndum priùs, quis fuerit *Ophion*. Iouem, qui Saturno ſucceſſit, in Ophionis ſolio regnaſſe, dum memorat, in Caſſandra, Lycophron, Parrhaſio adnotante: clarè indicat, Ophionem cæleſtis, ante Saturnum, imperij dominatorem fuiſſe, quem Saturnus regno deiecerit. Hinc nil mirum, inquit Parrhaſ., ſi imperium ſuum recuperaturus, inter cæteros Gigantes fermè princeps, militauerit. Verùm, vt fatear, non ſatis huic Parrhaſ. expoſitioni acquieſcere poſſum; admodum enim vereor, ne ſatis ad fabuloſam hiſtoriam congruenter procedat. Non equidem inficias ierim, vera eſſe, quæ ex Lycophrone Parrhaſ. commemorat, nam eadem exarata inuenio apud Mythol. Nat. Com. lib. 6. cap. 20. vbi hæc habentur: *Titanes aduersùs Iouem, bellum id de causa ſuſceperunt; quia ante Saturnum, Ophion, & Eurynome Oceani filia (fuit hæc Ophionis vxor.) qui Titanes vocati fuerunt, Dijs imperabant; at Saturnus, Ophione poſtea debellato, cum Rhea, paleſtrâ, Eurynomen vicißet, illos imperium eripuiſſe &c.* Hæc, inquam, non negauerim. Sed ex his ipſis inſurgit difficultas; nam ex his clare concluditur, vnum ex Titanibus Ophionem fuiſſe. Quo poſito, inter Gigantes, terræ filios, enumerari non poteſt. Gigantes enim ab irata terra genitos fuiſſe, teſtatur Apollonius, eoſq; in vltionem incitatos ab eo ipſo, quem mater conceperat, furore, eo quia occiſi à Dijs Titanes fuiſſent. In Apollonij ſententia & Apollodorum fuiſſe refert Mythol. cit. cap. 21. De internecione autem Titanorum loquens, eadem Mythol. lib. 5. cap. 13. ait: *Sed cum denuò Titanes arma clam paraſſent, ab eodem, victi pugnâ, ad vnum trucidati ſunt*. Si itaque ad vnum omnes trucidati; quomodo vnus ex Titanibus Ophion ſuperſtes

hic, inter Gigantes numeratur? Dices idem ſoluendum, in ſuprapoſito Cæo Gigante; nam & Cæum inter Titanas enumeratum vidimus lib. pri. carm. 44. §. *Titanas pubes*. Verùm aduerte idem, quo ad hunc, eſse nomen; ſed non eamdem perſonam: cum enim Cæum habeamus, inter Gigantes terræ filios, ab Auctoribus enumeratum; Cæum, inter Titanas, occiſum, dicendum eſt hunc ſecundum nomen quidem, ſed non perſonam geſſiſſe Titani. Quod de Ophione non valet, quem occiſum quidem inter Titanas habemus, ſed nullum nominatim inter Gigantes, terræ filios, tali nomine expreſſum reperimus. Quare commentitium eſſet duplicem Ophionem affirmare, ſed non commenticium eſt duos Cæos aſſerere, cum id Auctorum fulciatur auctoritatibus, vt vidimus. Echion itaque legendum arbitror, & eum eſſe duxerim, de quo mentionem facit etiam Auctor noſter in Gigantomachia, vbi eum Damaſtoris fratrem appellat, atque à Tritonia, Gorgoneis aſpectibus in ſaxum conuerſum autumat, dum fratris vlturus mortem in Deam ipſam irrueret.

Hic verò conuerſum fratris miratur Echion
Inſcius auctorem dum vult tentare nocendo,
Te, Dea, reſpexit, ſolam quam cernere nulli
Bis licuit. Meruit ſublata audacia pœnas;
Et didicit cum morte Deam &c.

Huius itaque Echionis arma, ſpoliaque emortuo detracta, arbitror, ea eſſe, quæ hic erecta in trophæum dicuntur; poſito poſſeſſore, pro re poſſeſſa, dum ait: *Echion*

EXVTVS. Hoc eſt ſpolijs, armiſque nudatus ijſdem

ONERAT HOS RAMOS. Immanis & hæc ſpolia ponderis indicantur, quibus altera arbos, per *hos ramos*, denotata, parte ſcilicet pro toto poſita, grauaretur; *onerare* enim eſt *onus grauando, imponere*: ex quo noueris quàm æquabiles vbique mores ſeruet inceptis inhærens Vates.

ALTIOR ET CVNCTIS &c. Inter præcipua, quæ neglectis minoribus recenſuerat trophæa, maximum, quod iam ibi eſſet, ex opimis confectum ſpolijs vltimo hoc tandem enumerat loco.

ET ABIES CVNCTIS ALTIOR. Stipitem primò notat, cui trophæum fuerit impoſitum, in eoque indicando eiuſdem ſequitur naturam, & declarat, atque ethymologiam nominis explanat; nam, vt aiunt rerum naturalium indagatores, *abies* arbor eſt præ omnibus calida, & cuius ratione caloris in altiſſimam impellitur proceritatem, ex quo fit, vt Græcè ἐλάτη dicatur à verbo ἐλάω, quod eſt *impello*. Quare inquit de ea D. Iſidorus *abies dicta, quòd præ cæteris arboribus longe eat, & in excelſum promineat*. Ideò iure abietem ſuam Vates cæteris Syluæ arboribus altiorem facit, ſpectatâ naturâ. Sed & inſuper ab aliquibus Enceladus Gigantum maximus fuiſſe creditur; ideò ad ſuſtinenda maximi Gigantis ſpolia maxima inter arbores eligenda fuerat profectò.

ET LATE VMBROSA Naturam adhùc ſequitur arboris; nam, vt habet Plin. lib. 6. *abies è cunctis ampliſſima eſt*; atq; adeò ingentem circumiacit vmbram. Sed, vt notat Caſtor Durandus, eius vmbra lethalis eſt, & vim habens veneni. *Effugias vmbram nocet abietis vmbra veneni*
Inſtar &c.

ideò, quaſi natura ipſa noxium illud venenum aueat occultare, efficit vt abies, denſiſſimis medius vt plurimum ſyluis, enaſcatur, vmbriſq; proximorum montium tegi gaudeat, in locis maxime luxurians opacis; quarè, in ſuo mundo ſymbolico, eruditè Picinellus Abbas, lib. 9. cap. pri. eidem inſcripſit: *Pulchrior ab vmbris*. Rectè igitur Abies, venenatæ ſcilicet arbor vmbræ eligitur, vt in ea trophæum, de Enceladο, hoc eſt, de præcipua Gigantum peſte reportatum, collocetur, vt vel vmbra arboris edoceat, ne mortuo quidem accedendum, cum vel in planta ſua venenum adſit.

GESTAT OPIMA FVMANTIA. Spolia dicebantur *opima*, quæ dux hoſtilium copiarum Duci detraxiſſet: & dicta *opima*, primò quia huiuſmodi ſpolia non niſi ampla, & magnifica, digna videlicet Imperatore poterant eſſe; & quidquid amplum, egregium, magnificum eſſet *opimum* antiqui dicebant: ſecundò *opima*, quia hoc nomen ab opere deductum, ait Plutar., quaſi *opere maxima*; nam egregij, maximiq; operis cenſebatur exercituum Animas, in ipſis ducibus conſiſtentes à ferreis exercituum corporibus reuellere, atq; in vnico Ducis capite multiplicem bellorum hydram trucidare: tertiò *opima* dicta ab ope, ſublatâ ſcilicet ab hoſtibus, ſi *ops* pro auxilio ſumatur; ſibi autem conciliata ſi *ops* pro potentia, & vigore vſurpetur; nam geminam hanc ſignificationem habuiſſe apud antiquos *opis* nomen reperio. Deniq; *opima*, in caſu noſtro ab *ope* illa, quam antiqui Tellurem eſſe dixerunt, & ipſam terram eſſe protulſi ſunt; cum enim hæc Gigantum fuerit mater, eoſdemq; ipſa in Cælum armauerit, certè Gigantum maximo, duciq; ſuo ſpolia, armaq; omnia ſuppeditaſſe credenda eſt, ab eaq; opima dicta. *Fumantia* autem dixit, hoc eſt fumum adhùc emittentia, ratione videlicet ardoris, quem à fulminibus contraxerant, cum ictus fulmine geſtator Aetnam habuit in ſepulchrum, ſeù potiùs in adhùc viuentis tormentum ineluctabile, vt lib. 1. dix. ſeù etiam *fumantia*, hoc eſt adhùc fumum ſpirantia irarum, terrorumq; iuxta illud Martial.

Fumantem non naſum ne lacerat Vrſi.

Verbum *geſtat* ſatis hic notum; nam idem ſonat, ac ſuſtinet, ramis, brachiorum inſtar, gerens ſpolia &c.

IPSIVS ENCELADI. *Ipſius* emphaticè, quaſi mirum maxime fuerit, quod, non cæteri ſolum Gigantes, ſed ipſe Gigantum maximus pœnam luerit temeritatis, ſpoliaq; victori ceſſerit vel inuitus. De Encelado vide dicta lib. 1. carm. 154.

SVMMI REGIS TERRIGENVM. En cur eius ſpolia opima dicantur, quia ſcilicet à Ioue, ſummo Cælitum Rege, ſummo Terrigenum Regi detracta. Huiuſmodi enim præcipuè ſpolia opima, vt innuimus, dicebantur, ritu Romanorum, quorum primus Romulus, vt refert Liu. lib. ab vrbe condita pri., Cæſo Ceninenſium Duce, Ioui Feretrio opima obtulit ſpolia: ex quo in vſu poſitum fuit, vt prima ſpolia opima eidem Ioui; ſecunda Marti; tertia Quirino, ab eo, qui tot à deuictis hoſtium regibus reportaſſet, dicarentur. Quarè Virg. in laudem Marcelli Æn 6.

Hic, rem Romanam magno turbante tumultu,
Siſtet eques; ſternet Pœnos, Gallumq; rebellem;
Tertiaq; arma Patri ſuſpendet capta Quirino.

Inualuit tamen ſubindè, vt opima ſpolia cenſerentur, etiam gregarij manu militis parta, dummodo ex cæſo hoſtium Rege reportata. Quarè Pallas in Turnum irruens Æn. 10. ait:

Aut ſpolijs ego iam raptis laudabor opimis
Aut letho inſigni &c.

Sed, ne à noſtris aberremus, inquirendum, cur Enceladus Gigantum hìc rex dicatur, cum alibi à nobis dictum fuerit, atq; aliorum auctoritate comprobatum, præcipuos Gigantum Choriphæos Porphyrionem, ac Alcyoneum fuiſſe. Sed facilis eſt enodatio: nam illi Choriphæi quidem, & Principes dicuntur; Enceladus autem Rex, cui ſcilicet & illi ſubeſſent, quamuis cæteris præſtarent inferioribus, iiſdemq; facem præferrent furoris ſecundi poſt Enceladum. Cur autem *Terrigenum* nomine notentur Gigantes, patet, qui Terrâ genitos ſæpè diximus.

ET GRAVATA PONDERE &c. Abies ſcilicet de qua ſupra. *Grauata*; hoc eſt, *onerata nimis*, ac *ferè afflicta pondere*, nempè *grauitate* ſuperimpoſitâ ſpoliorum &c, quibus ſuſtinendis impar eſſet. Vbi nota, quam alte amplificet ſpoliorum pondus, vt ex eo facilè intelligas, molem, ac vires illius, cui detracta fuerant: ad quam amplificationem dignoſcendam, memineris, eam eſſe abietis naturam, vt ponderi inflexibilis reſiſtat; immò, quo magis premitur, (quod & de palma dicitur) contranitatur magis, ac fortiùs aſſurgat: quarè abieti inſcripſit Carduccius *Flexilis haud onere*, vt inuictam animi fortitudinem ſic exprimeret: & Ruellius item abieti depictæ addidit: *Non flectitur onere, ſed renititur*. Cum itaque hìc impar oneri dicatur, & caſura, immenſi trophæum ponderis, quo illa grauaretur, innuitur. Ideò optimè

CADERET &c. Nam cum abies nec flecti, nec frangi onere patiatur, ſi illi oneribus cedendum ſit, non poteſt, quin, cedente terrâ, euerſis decidat radicibus, ac præceps vnà cum pondere corruat grauante.

NI PROXIMA QVERCVS &c. *Ni* conditionalis particula exceptiua eſt, in caſu poſito. Porrò *Quercus omnis Iouis*: ideò nil mirum, ſi eruditè à Poeta ad fulciendum dicatum Ioui trophæum inducatur. Et *proxima* dicitur, vt oſtendatur ipſius Iouis, aut trophæa diſponentis, victoriæ prouidentia, quæ caſuræ abieti fulcrum appoſuerit aptum; *proximum* enim dicitur quidquid in propinquo eſt.

FVLCIRET LAPSVM. *Fulciret* quaſi *fulcimen iret*, vel *in fulcrum iret*, aut *fulcrum fieret*, quo abies, iam corruens, muniatur, & ſuſtentetur, ne cadat. *Lapſam* alij legunt. Sed, vt probè notat Heinſ., ſi lapſa iam erat, quid fulcro indiget, ne labatur. *Laſſam* itaque pro *lapſam* reponit Heinſ. ipſe, & quidem eruditè, ſeruato nempè Auctoris more, & deducta ex eo paritate, dum etiam in Phœnice, ait Claud.

. . . . . . *Cetù laſſa procellis*

Ardua

Audax Caucaſeo nutat de vertice pinus.

Verùm nec incongruam arbitror vulgatam ; nam *fulcire lapſum alicuius*, eſt *ruinam illius impedire*, atq; eiuſdem *caſum prohibere*. Poſſet etiam defendi, qui *lapſam* legat, ſi participium illud *lapſam* ſumatur ; non abſolutè, ſed reſpectiuè, ita vt dicat ; ni proxima quercus reciperet in ſe *lapſam*, ac ſuſtineret, ne omninò, ac totaliter corruet, atq; ad terram deducatur.

INDE TIMOR &c. Ex ſupra recenſitis factum, profitetur, vt verendæ omnibus eſſent luci iſtius vmbræ ; atq; vt nulli vnquam cadua fuerit ſylua : licet enim aduerb. *Inde*, tam de loco, quàm de rebus dicatur ; hic in ſecundo ſenſu accipitur ; & idem ſonat, ac ex his. quas recenſuimus, cauſis habitus eſt *Timor* ; hoc eſt, ſacer ille horror ; quo lucum Ioui addictum venerabantur omnes, ita vt ne accedere quidem, auderent, loci Diuinitatem à longè venerantes ; adeò vt de hoc luco dici potuerit, quod poſtea cecinit Taſſus noſter de nemore ſuo præſtigiato Hieroſ. liber. cant. 13.

Queſto appreſſando, oue lor ſeggio han poſto
Gl' empi Demoni, in quel ſeluaggio horrore,
Non temeran le nere ombre iui toſto,
Che lor ſi ſcoſſe, e tornò ghiaccio il cuore.

NVMENQVE LOCO ; ideſt *inſtar numinis maieſtas* ; nam lucos Dijs ſacratos, Numine, hoc eſt, Diuinitate afflatos arbitrabantur antiqui, &, loco Numinis, Lucum colebant. Vide dicta lib. pri. carm. 203. *loco* enim, pro *luco*, hic Vates dixit ; poſito, pro ſpecie, ipſo genere, ſeù continente pro contento, hoc eſt, loco, in quo lucus eſſet, pro luco ipſo.

ET PARCITVR &c. Parcere, eſt quaſi *pacem dare*, & *à nocendo abſtinere*. Ideò *parcitur*, hoc eſt parcè agitur, & pax datur, ita vt nullus nocere audeat.

SANECTÆ NEMORIS ; ideſt grandæuæ nemoris ætati. Sed nota obiter, quam altè reuerentiam nemori ab omnibus exhibitam amplificet : nam non modo non auſum fuiſſe quemquam indicat, virides ex ſylua ramulos decerpere ; ſed ne ſurculos quidem, ſi qui eſſent, ob antiquam arborum ætatem, areſcentes, aſportare : *ſenectus* enim, ſeù *ſenecta* dicitur, quaſi *ſemineces inſtar effecta*. Et certè videmus grandæuas arbores paulatim areſcere, & ſemimortuas ſe interdum, aridis ex parte ramis, oſtendere. Nec huiuſmodi itaque ramos, ætate areſcentes, obtruncare, quiſquam, licet nemori iam inutiles, audebat ; tanta inceſſerat loci religio animos. Ideò *parcitur ſenectæ nemoris*. Quid nemus ſit, alibi ſæpè diximus.

ET NEFAS NOCVISSE ÆTHERIIS TROPHÆIS. Rationem affert, cur *parcatur*, quia ſcilicet *nefas*, hoc eſt *ſacrilegum* haberetur *nocuiſſe*, pro *nocere*, per enalagen. Hæc religio in omnes, Dijs dicatos lucos ſeruabat, vt lib. pri. cit., ſed multo magis huic, quippè *ætherijs*, hoc cæleſtibus, immò Cæleſtium Regi dicatis, inſignito tropheis. Sed quid Trophea, inquies, cum cæduis arboribus ? Dixerat Vates, vnamquamque huius nemoris arborem aliquo fuiſſe inſignitam trophęo : trophęum autem, non ſolum ſpolia pendentia, ſed & ſtipites, à quibus dependeant, comprehendit ; nam trophęum nil aliud eſt, quam truncus ſpolijs ex hoſte detractis, à victore decoratus ; ideò idem eſt dicere *nocuiſſe trophęis*, ac *nocuiſſe arboribus ſpolia hæc ſuſtinentibus &c.*

NVLLVS AVDET PASCERE OVES. Proſequitur adhùc, à conſequentibus, huius nemoris horrorem, ad cuius imitationem, vt arbitror, ſyluam ſuam configurauit Taſſus noſter Hieroſ. liber. cantu 13. cum ait :

Sorge non lunge alle Christiane tende
Trà ſolitarie valli alta foreſta,
Foltiſſima di piante antiche, horrende,
Che ſpargon d'ogn' intorno ombra funeſta.
Quì, nell' hora, ch'el Sol più chiaro ſplende,
E luce incerta, e ſcolorita, e meſta,
Quale in nubilo Ciel dubia ſi vede,
Se 'l dì alla notte, ò s'ella à lui ſuccede.
Mà, quando parte il Sol, quì toſto adombra
Notte, nube, caligine, & horrore,
Che raſſembra infernal, che gl' occhi ingombra ;
Nè quì gregge, od armento à paſchi, all' ombra
Guida Bifolco mai, guida Paſtore ;
Nè v'entra Pellegrin, ſe non ſmarrito,
Mà lunge paſſa, e la dimoſtra à dito.

Pari igitur paſſu *Nullus &c.* inquit Claud. qui autem nullum dicit, quemlibet excludit, nam terminus vniuerſalis negatiuus eſt *Nullus*. *Audet* : hoc eſt *fidens adeò, ac temerarius eſt*, vt hanc in ſyluam oues ad paſcendum impellat ; quia non trophęa ipſa ſolum, ſed locus, vt ſupra dixerat, verendus adeò fuerat, vt etiam minutiſſimum quodq; gramen, loco Numinis, haberetur, ideòq; pecorum dentibus non carpendum. *Nullus audet paſcere*. Subintelligę *ibi*, ſeù *in eo luco*, *oues*. Saltus aptiſſimam gregibus præbere ſtationem, docuit Virg. Georg. 3. cum præcipiens inquit :

In ſaltus vtrumq; gregem, & in paſcua mittes.

ſed vt Paſtoribus inſuper regulas traderet, quibus greges opiparè impinguarent, & integros conſeruarent, hæc de delectu locorum ſubdit :

Luciferi primo cum ſydere, frigida rura
Carpamus, dum mane nouum ; dum gramina canent ;
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba &c.
Æſtibus at medijs, vmbroſam exquirere vallem ;
Sicubi magna Iouis, antiquo robore, quercus
Ingentes tendat ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubet vmbra.

Hanc curandi gregis regulam certè non ignorarunt antiqui, quorum præcipuè opes ex gregibus deſumebantur, vt ex ipſis ſacris paginis conſtat. Licet tamen hæc ſcirent, nullus auſus eſt vnquam *paſcere oues ibi*, ne ſcilicet loci ſanctitas violaretur. *Ouium* nomine, lanigerum, procul dubio, deſignat pecus : ſed artem nota. *Oues*, inquit, ſpeciem pro genere, ideſt, pro cuiuſcunq; generis grege, per ſynecd., aſſumens : ſed minutam recenſet animalia, vt à minori ad maius deducas, quod ſi illùc greges non audebant impellere minores, multo minus armenta &c.

NEC CYCLOPS (ſupple *audet &c.* nam illi verbo & hoc membrum additur per adiunctionem.) Nomen *Cyclops* accipit, hoc loco, Parrhaſ., vt nomen proprium perſonæ ; & dicit, Cyclopem, & Leſtrigonem duos fuiſſe fratres, quorum Leſtrigon Antiphatem, Cyclops Polyphemum genuerit : citat Auctorem Septimium ; &, colligi hoc idem, inquit, ex Tibullo, qui Cyclopem à Polyphemo diuerſum facit, dum, ad Meſſalam, ait :

Non valuit capros curſus auertere Cyclops ;
Ceſſit & Ætnea Neptunnius incola rupis.

Sed, vt fatear, Tibulli locus, vt mihi videtur, potiùs in Parrhaſ. pugnat, quam eidem faueat : nam dum Polyphemum notat, vt idem ait Parrhaſius, notâ illa peculiari : *Neptunnius incola ætnæa rupis*, certè Polyphemum Neptuni filium facit, iuxta ſententiam Heſiodi à nobis cit. lib. pri. carm. 237. tantùm abeſt, vt Polyphemum Cyclopis filium, ideòq; ab illo diuerſum aſſeueret. Quod ſi diuerſum facit Tibullus, ob id ipſum, facit, ob quod, nos ipſi, diuerſum à Vate noſtro effectum, mox indicabimus. Arbitror itaque nomen Cyclops gentile hic nomen eſſe, hoc eſt nationis, & ſtirpis, non perſonæ, & Vatem vſum fuiſſe numero vnitatis pro numero multitudinis, per Synecd. : ni malis, quod rectiùs arbitror, dicere, vſum hoc numero ſingulari, quia, ex vi disiunctiuæ coniunctionis *nec* interpoſitæ, illud nomen Cyclops veniat coniungendum cum antepoſito termino generali *Nullus* ; ita vt ſenſus ſit : Nullus *Paſtor audet paſcere* ; *Nec*, ideſt *Et nullus Cyclops audet lædere &c.* Verùm dicet quis fortaſſe : ſi iam *Nullus* dixerat, qui terminus eſt vniuerſalis, iam ſub illo termino *Nullus* etiam Cyclopes includebantur, conſequenter ſuperuacaneum fuiſſet reiterare *Nullus Cyclops* ; ſed debuiſſet potiùs, per emphaticam repetitionem, dicere : *Aut robora lædere nullus*. Cur itaque ſpecificatiuè, quaſi ſpeciem à ſpecie diſtinguens, dixerit : *Et nullus Cyclops &c.* iuxta datam explicationem ? Facilis tamen eſt ſolutio, quæ ex ipſa difficultate reſultat. Quæris difficultas propoſita, cur ſpecificè dixerit : Nullus Cyclops, quaſi ſpeciem à ſpecie diſtinguens ? Et ego, ob id ipſum, reſpondeo ; nempè, vt ſpeciem diſtinguat à ſpecie ; non quidem hominum, (nam & Cyclopes homines fuere, atq; in eadem ſpecie humana contenti) ſed ferociæ, temeritatis, & crudelitatis. Recole igitur, quæ de Cyclopum immanitate diximus loco cit. lib. 1., & ex teterrimâ eorum naturâ facilè dignoſces, ab ijs, audaciâ, temeritate, ac morum improbitate, cæteros longè homines ſuperatos ; atq; adeò diſtinctam crudelitatis ſpeciem ab eorum implacabili immanitate conſtitui, qua creſcat emphaticè, ac mirum in modum Vatis oratio : quaſi dixerit : mirum eſt quidem, omnes homines tantam huic luco reuerentiam adhibuiſſe, ſed multo magis, eos etiam, qui inhumanitate pollent homines non humani, quibus ſcilicet exlegibus vna lex ſit, homines non ſolum trucidare, vt ſibi parent conuiuia, ſed Deos omnes negligere, eoſq; ſummis proſequi contumelijs. Audi Homerum, Polyphemi ore loquentem, cuius græca

carmina

carmina ſic transfert Mythol. Nat. Com. lib. 8. cap. eodem.

Stultus es, aut hùc longinquis è finibus erras,
Qui curare Iouemq; mones, ſuperoſq; vereri.
Nec mos Cyclopum eſt ſuperos curare, Iouemque,
Quod ſuperiſq; Ioueq; ſuperno robore praſtant.
Nec tibi, vel ſocijs parcam, magni Iouis iram
Quo vitem, niſi ſit animo mihi ſudere ipſi.

Vides, quam altè augeatur huius luci religio, dum ab illo, & ipſi Deorum contemptores abſtinuiſſe dicuntur, nec auſi

LÆDERE ROBORA. Verbum *lede* latitudinem habet læſionis, tàm enim qui grauem, quàm qui vel minimam infert læſionem, profectò *ladere* dicitur. Hoc tamen loco, vim habet diminutiuam, ita vt idem ſonet, ac *ne minimâ quidem ex parte violare*, ac *ne ſurculum quidem diuellere*; quod non ſolum ingens quid, ac mirum eſt, attenta Cyclopum temeritate, atq; in Deos contemptu; ſed etiam, attentâ Cyclopum arte; nam hi, cum fabrilibus eſſent operibus addicti, ita vt ex eorum numero, æthnæis etiam incudibus, qui deſudare dicuntur, ſcelecti fuerint: attamen, ne ad inflammandam quidem herilem Ætnæ fornacem, mirum quod hæc robora lædere non ſint auſi. Porrò robur ſpecies eſt glandiferæ arboris, & quidem duritie inſignis; ſed hic ſpecies pro genere ponitur, nempè *robora* pro quocunq; ligno nemus illud conficiente.

ET POLYPHEMVS IPSE &c. Ille idem Polyphemus hic eſt, a quo occiſum, paulò ante diximus, Acim, quem Galatea Polyphemo prætulerat adamandum; Ille, vt Galatea ipſa enarrat, apud Ouid. Metam. 13.

. . . . Immitis & ipſis
Horrendus ſyluis, & viſus ab hoſpite nullo
Impunè; & magni, cum Dijs contemptor olympi:

ille, quem Achemenides deſcribens, apud Virg. Æn. 3. peſtem vocat terrarum.

. . . . . . Ipſe arduus, altaq; pulſat
Sydera (Dij talem terris auertite peſtem)
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis vlli;
Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atro.

Polyphemus itaque, omnium ferè calculo, Cyclopum Princeps facile ſtatuitur, eo quod ipſe cæteris etiam, tum viribus corporis, tum molis magnitudine præſtaret: immò eorum omnium patrem ſtatuit Polyphemum Euripides in Cyclope, cum eiuſdem ore ſic loquatur, græco, in latinum tranſlato, carmine apud Mythol. Nat. Com. lib. 9. cap. 8.

. . . . Cuſtodientes filios eorum greges &c.

Cuiuſnam autem filius fuerit Polyphemus, incertum eſt. Apollonius, pri. Argonaut., Neptuni ex Europa filium autumat: Homer. in primo Odyſſeæ, Neptuno ex Thooſa Nympha natum aſſerit: Andro Teius, & Poſidonius Elata Patre, Matre Stilbe, progenitum dicit: Conon, in Heraclea, Elaſi, & Amymones filium decantauit. Sed, vndecumq; tandem ortus fuerit, certum eſt, eum, in omnium ſententia, gigantææ fuiſſe ſtructuræ; monoculum, vt Cyclopes alij; crudelitate inſignem, & qui ſolum ventrem pro Deo habuerit, putaueritque, ſe cogere potuiſſe terram, vt, vel inuita, fruges ſibi, ac pecoribus ſuis herbas (paſtor enim fuit) abundè pareret, nullo Deorum indigens, adeòq; omnes elato contemnens faſtu: quarè, apud Euripidem ſic loquitur, græcis verbis, ſed latinitate donatis à Mythol. cit.

Neceſſe terra ſit, volenti, ſiue non,
Herbas creare; pinguis vt ſit grex meus.
Nulli Deorum; ſed mihi, quem nutrio,
At huic, Deorum maximo, ventri; vt as
Vt ſolus eſt hic Iupiter prudentibus.

Si plura de Polyphemo cupias, conſule Ouid. Virgiliumq; citatos, & Mythol. Nat. Com. hic: ad inſtitutum enim dicta ſufficiunt, vt ſcilicet intelligas, Vatis orationem creſcere adhùc, & perfectæ gradationis methodum ſeruare; dum, non homines ſolum pij; ſed & impij Cyclopes, ac tandem impiorum Princeps ab huiuſmodi violando abſtinuit luco. Quarè emphaticè poſitum agnoueris pronomen *ipſe*, vt ſupra diximus de pronomine *ipſius*.

FVGIT AB VMBRA SACRA. Nota & anthiteſim, hoc loco, & emphaſim. Anthiteſim quidem, quia Polyphemus, cum paſtor eſſet, vmbras, ſub meridiem, paſtorum more, quæritare debuiſſet, & tamen fugit Paſtor ab vmbra, in argumentum profectò inenarrabilis timoris, quem conceperat, atq; obſequij, quod tribueret: Emphaſim verò, nam, quam vehementer timeret ille, edicitur, qui, nedum robora lædere, ſed ne ſub vmbrâ quidem ſobſiſtere valeret nemoris: immò, quantùm ſpatij occuparet, proiecta ab altiſſimis arboribus vmbra, tantùm Polyphemus à luco longe recederet, *vmbram* ipſam veritus *ſacram*, hoc eſt venerabili illo refertam horrore, qui timorem, ac reuerentiam, Numinis, cui ſacer eſſet lucus, conciliabat. Ideò *fugit*: nam *fugere ab aliquo* eſt *ab illo diſcedere, ac magno vtq; curſu elongari*; quod tunc maxime fit, quandò terror præcordia ſtringit, & quaſi ſubditis calcaribus, ſeu æſtro admoto, concitat in fugam. Quarè, dum ait, Polyphemum fugere, hoc eſt, ab aſpectu ipſo nemoris declinare, ſatis oſtendit, ſummum illum Deorum contemptorem animos hic demiſiſſe, horrore ſacrati nemoris perculſum, vt à maiori ad minus, quantum alij terroris conciperent, intelligas. Nec nouum videatur, tanti huic luco terroris productionem attribui; nam etiam Lucanus Pharſ. 3. ſimilem non modo, ſed & maiorem luco ſuo adſcripſit, cum illum deſcribens ſic ait:

Lucus erat longo nunquam violatus ab æuo
Obſcurum cingens, connexis aëra ramis,
Et gelidas, altè ſubmotis ſolibus vmbras &c.
Illis & volucres metuunt inſiſtere ramis,
Et luſtris recubare feræ; nec ventus in illas
Incubuit ſyluas, excuſſaq; nubibus atris
Fulgura; non vllis frondem præbentibus auris,
Arboribus ſuus horror ineſt &c.
Iole ſitus putriſq; factis iam robore pallor
Attonitos; non vulgatis ſacrata figuris
Numina ſic metuunt: tantùm terroribus addit
Quos timeant non noſſe Deos &c.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere Deis. Medio cum Phœbus in axe eſt
Aut Cœlum nox atra tenet, pauet ipſe ſacerdos
Acceſſus, dominumq; timet deprehendere luci.

NON TAMEN HOC TARDATA CERES &c. Cum obfirmatiſſimos quoſque immaniſſimorum, atq; in Deos contumaciſſimorum animos, luci religione perdomitos ediderit, ad Cererem reuertitur; ac, dum eam nil loci ſanctitate permotam dictitat, certe oſtendit, quanto animi ardore inflammaretur, quantum eius in odium viſcera in Cælites exarſerint, quanto deferretur furore, quem ſic ab effectu mirificè, per comparationem ad oppoſitum, amplificat. Ideò *tamen*, aduerb. ſcilicet vtitur exceptiuo, quia iam ſe ſe à cæteris non audentibus excipit Ceres, quæ nec obſequium tribuit, nec timorem concipit, nec religione mouetur; aduerſatiua enim coniunctio eſt *tamen*, quæ oppoſita, & inuicem aduerſantia nectit, vt oppoſita iuxta ſe poſita magis elucеſcant. *Ceres* emphaticè, quaſi diceret *Ceres*, iam *non Ceres*; quia illa, legifera cum ſit, iam Cyclopibus ipſis exlex magis apparet; quæ mitis eſſe ſolet, ac benigna, nunc furiali iactata barbarie Polyphemum ipſum ſuperat immanitate; quæ ita Ioui addicta fuerit, vt & ſe ipſam illi conceſſerit, iam *non Ceres* lucos Ioui ſacratos, ſuccidere aggreditur; & ex Cæleſtium numero cum ſit, cæleſtem fœdat ditionem, atq; in proprium genus irruit efferata. *Non tardata*: hoc eſt, non ſolum non prohibita eſt, ne ad violandas arbores ferrum eiibraret; ſed nec vlla illi iniecta mora eſt, vt ſaltem remiſſiùs, ageret: quod mirè amplificat animi illius firmitatem, contemptum in ſuperos, atq; in Iouem ipſum contumaciam. *Hoc* Numine videlicet loci, ſacrarum terrore vmbrarum, atq; inuiolato nemoris priuilegio, quamuis exemplo ante oculos obuerſante, quo ſcilicet oſtenderetur, neminem perditiſſimorum auſum, ante ipſam lædere ſacratas vmbras.

ACCENDITVR VLTRO &c. Auget adhùc magis Cereris furorem, cui ea ipſa, quæ alijs frænum inijcerent, ſtimulos adiunxerint, vt, quo magis ſacer eſſet lucus, eo libentiùs illa ad ſuccidendum accingeretur, auida vindictarum, quas de cælitibus aſſumere, tamquam de filiæ ſuæ proditoribus, exoptaret. Iam alibi dix., iram incendio comparari, ex eo, quod definiatur: *Ebullitio ſanguinis circa cor*. Quarè quilibet iræ motus *accenſio cordis* dici poteſt; & quælibet acceſſio, ſeù augmentum illius acceſſio incendij poteſt nuncupari. Ideò *accenditur*: & *accenditur vltrò*; hoc eſt *ſuperaccenditur*; nam aduerb. *vltrò* idem ſæpè ſonat, ac *inſuper*, vulgò *di vantaggio*. In quo ſenſu & Virg. Æn. 2.

His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus vltro.

Vbi Seruius: *vltrò non eſt ſpontè, nam non rogauerat Sinon; ſed inſuper*. In eodem autem ſenſo hic habetur: nec enim ſpontè omninò fit illud, ad quod ab extrinſeco impellimur aliquo: Ceres autem, iam in Cælites irata, ex aſpectu loci Cælituum ſummo ſacrati maiorem impellitur in furorem, vt benè notat Vates, dum inquit: *religione loci*; cauſam enim extrinſecam ſic notat adauctæ iracundiæ; nam magis illa in iram concitatur ex hoc ipſo, quod Ioui ſacer lucus eſſet,

efico, aliquam ſibi de Ioue ipſo vindictam, ex ſucciſione arborum pollicita.

ET INCERTA VIBRAT SECVRIM. Ex affectu in effectum proſilit, quarè hunc cum illo, quaſi cum cauſa copulat, vt nullam interpoſitam intelligas moram. *Accenditur vlterò, & vibrat*, hoc eſt celeri impetu in ictus rotat, & impellit *ſecurim*, latum ſcilicet ferrum, vt alibi vidimus, ad ſuccidendas arbores adaptatum: *& vibrat incerta*. *Infeſta* legunt alij, cum Aldo. Sed à vulgata non recedo: nam *infeſta* ſuperuacaneum fuiſſet Epitetum, cum, ex ipſa actione, *infeſta* dignoſcatur; atq; adeò nil ſuperadderet, quod ſaltem virtualiter non ſit dictum: at *incerta* ſuperaddit & modum actionis, & furentis proprietatem, & furoris amplificationem: *incerta* enim idem eſt, ac non aduertens, quas potiùs arbores cæderet, quas relinqueret; ſed, quoquo fortuna deferret, bipennem, ſine delectu, inijciens, & obuias quaſcumq; arbores proſternens, ſine diſcrimine; quod proprium furentis, & maximè furentis, eſt.

IPSVM ETIAM PETITVRA IOVEM. Redditur ratio cur magis immò accenſa fuerit *religione loci*; nam, quæ ira ardebat in Iouem, in omnia, quæ Iouis eſſent, hoc ipſo, quod Iouis eſſent, violentiùs ferebatur, *ipſum etiam petitura Iouem*, ſi tantum ſibi, per vires, licuiſſet. *Ipſum* emphaticè poſitum agnoſces: *etiam* aduerb. eſt cumulatiuum: hiſq; ad ſummum vſq; perducitur amplificatio Cereris furentis, quæ ne Ioui quidem ſuo parcendum duceret, nedum rebus Ioui dicatis. *Ipſum etiam Iouem petitura*: *violenter aggreſſura*, ferro ſcilicet illo, quo lucum incerta ſuccidebat. *Ipſum etiam peritura Iouem*: legit Heinſ., ex Clauerianis codicibus, quos & Rapheleng. ſequitur, quaſi dixerit: *per medium ipſius Iouis pectus ferro ruerat*. Lectionem improbare non auſim, vt profectò improbat Barthius, qui ait: *Nobis illud per Iouem ire longiùs abire à Claudiano videtur*. Quod tamen, pro ratione carminis immutandi, notat Heinſ., nempè claudicare carmen, ſi legamus *ipſum etiam petitura Iouem* non ſtatim approbo; nam, licet ſecunda, hercle, in petitura longa ſit, ex natura ſua, non video, cur, per figuram ſiſtolem, corripi non potuerit; nam certè

Ecloſis intendit, rapiet ſed fiſtula vocem.

quare & Parrhaſ. nobiſcum vulgatam ſequitur. *Ipſum etiam petatura Iouem*, legit Barthius, omnium fortaſſis elegantiùs. Alij legunt *feritura*. Vos, quos magis libuerit, ſequimini. Certe vulgata citatas aliorum lectiones ſaltem virtualiter continet.

PROPERAT SVCCIDERE PINVS &c. Dixerat ſuperiùs Vates, Cererem incertam furere, & obuias quaſq; arbores, ſine delectu, proſternere: aſt hic videtur innuere, non ſine delectu obtruncaſſe, dum in pinum præcipue, ac cedrum dicitur irruiſſe, & quidem enodes magis &c. vt videbimus. Quomodo itaque ſine delectu dixerit, quam tanto hic delectu ſuccidentem inducit? Aduerte duplicem hic conſiderari poſſe delectum, iuxta diuerſum, quem ad diuerſa ordinem habere poteſt. Alter itaque delectus conſiderari poteſt, qui ordinem dicat ad finem; alter qui dicat ordinem ad damnum. Finis Cereris fuerat, vt noſtis, faces deligendi, quibus in itinere vteretur; &, in ordine ad hunc finem, delectus haberi debuerat arborum ſuccidendarum. Sed, irruens in Syluam, Ceres iam non ſibi ad ſtatuit pro fine immediato, licet ſtatuiſſet pro fine vltimato; ſed finis eius immediatus fuit ſummam, quam poſſet, Ioui iniuriam ferre, ac damnum luco inferre, quam maximum: ex quo alter inſurgit delectus, quo aptiores, nobiliores, ac venuſtiores deligeret arbores, quas ſuccideret, vt lucum vaſtaret priùs, quam tedas ſceligeret, cæderetq;; nam, ſi finem tantummodò conficiendarum reſpexiſſet tedarum, vnam tantum, vel ſecundam, aut tertiam ad ſummum arborem deieciſſet: ſed quia damnum volebat, & vaſtationem, neglecto interim tedarum delectu, delectum tantum habuit in maius damnum ducentem: ideò incerta, & ſine delectu, quo ad tedas eligendas; certa verò, & cum delectu, quo ad damnum, quod maximè poſſet, inferendum. *Properare* eſt *feſtinare*, *celeritate vti*; vulgò *affrettarſi*. In quo ſenſu & Dido Æn. 4. ad Æneam

Et medijs properas aquilonibus ire per altum.

Succidere eſt *imà à ſtirpe cadere*; ſecuri videlicet ad radicem arborum poſita. Verbum eſt à *cado*, & *ſubcompoſitum*, vt noſtis. Et ſic Virg. Georg. 1.

At rubicunda Ceres medio ſucciditur æſtu.

Pinus verò notitiam tradidimus lib. 1. carm. 202. Quarè hic tantum notare libet, quomodo, ſine delectu inordine ad tædas, delectum habeat ad damnum. Et quidem, ſi delectum ad tedas tantummodo habere voluiſſet, nec potiùs vaſtitatem faciendam, quam tedas, reſpexiſſet, certè *Pinum* non obtruncaſſet; quia, licet huiuſmodi arbor, quippè pingui quodam adipe, ac reſinâ diues, apta ſit ad tedas; attamen, cum magnæ Matri, quam adeò colebat Ceres, dicata eſſet, illi profectò pepercisset, alias deligens aptiores: ſed, quia vaſtare volebat, nec Matris rationem habet, nec plantæ; immò hanc deligit ſuccidendam, quia hæc, cum mirâ polleat fertilitate, recentibus ſcilicet fructibus diteſcens, antequam priores, quos peperit, diuellantur, præcipuum decus nemoris, ac fęcunditas videbatur: ideò maximum ex illa ſucciſa luco damnum emergebat.

ET PROSTERNERE CEDROS MAGIS ENODES. *Proſternere*; hoc eſt, toto impetu ſternere, ac in terram deijcere, ex quo conſequenti antecedens ſucciſio intelligatur. *Cedrus* arbor eſt perpetuis virens frondibus, ligno contorto, ac nodoſo, medullaq; odorata, ac rubenti, inſignis, & nouo fructu, per autumnum, cum anniculo pendente, immò, floribus, circa noua poma, ac vetera ſuccreſcentibus, mirabilis: ita vt iure, Gloria Libani, Cedrus fęcunditatis hieroglyphicum dici poſſit: plantarum Regina, ac ſummum profectò viridantis familiæ decus immortale. Hæc facibus concinnandis aptiſſima; nam eius lignum reſinam electiſſimam præbens, dentium doloribus vtilem, flammas facilè concipit, & nutrit: ſuccus eius Elephantiaſim curat, pulmonis medetur vlceribus, ac contra venena pollere maximè dicitur. Quarè Hæbrei olim, huius arboris fructu, ſolemnem quamdam diem celebrabant, vt refert Pier. Valer., diuinæ miſericordiæ opem implorantes. Implorauerat Cælituum & Ceres, ſed fruſtra, auxilium: ideò proſternitur Cedrus, quæ paſſim ſymbolum habetur pietatis; quaſi diceret: quid iuuat Cedrus, dum

Nulla fides, pietaſq; Dijs, quis crimina proſunt?

Inſuper Cedrus, quia, omnibus anni temporibus, vt ait Dioſcorides, pomifera eſt, ſibi inuicem ſuccedente fructu, ac floribus aucta, in ſymbolum Diuinæ beneficentiæ aſſumpta, inſcripta fuit epigraphe *omni tempore*, ad ſignificandam perpetuam beneficiorum Dei ſucceſſionem, quorum fructuum talis ſemper natura eſt.

Che, mentre ſpunta l'un, l'altro matura.

vt ait Taſſus, alibi à nobis cit., de arboribus in Armidæ viridario floreſcentibus. Iam non beneficum, ſed inuidum, impium, maleficum Ceres Iouem arbitrabatur; ideò, *ipſum etiam petitura Iouem*, eius beneficentiam, in Cedro, ſuccidendam iudicat, & damnat. Cariem neſcit, aut putredinem Cedrus, ſymbolum ideò immortalitatis: idcircò à Cerere ſucciditur, immortalitatem non ſibi tantum, ſed & Cælitibus omnibus ademptura, ſi poſſet, ipſum etiam petitura Iouem, qui filiam in mortem tradiderit, licet immortalem. Ex quo vides, Cedrum ſucciſam, non quia delectus habitus ad faces fuerit precisè: ſed quia eas arbores deligeret ſuccidendas, in quibus, maxima Ioui inferri videretur iniuria, ac maximum ſacrato eidem luco detrimentum. Fęcunda pinus, fęcunda cedrus, fęcunditatem illam in mentem reuocabant, de qua Pluto, lib. pri., ad Iouem improperans, ait:

. . . . Tibi tanta creandi
Copia; te fęlix natorum turba coronat;

&, è conuerſo, oppoſitas ſe ſe Cereri infęcunditati præferebant: ideò vtraq: à Cerere ſucciditur, quæ Iouis iam odio habens fęcunditatem, quæ effeciſſet, quo minùs filiam curaret in Cedros irruit, *ipſum etiam petitura Iouem*. Sed cur magis enodes ſceligit? *Enodis* eſt *expers nodi*, ſeù *ſine nodis*; ſed quia vidimus cedri lignum, naturâ ſuâ, nodoſum eſſe, non dixit ſimpliciter *enodes*; ſed *magis enodes*, id eſt *paucioribus aſperatas nodis*; nam ſic aptiores erant ad Iouis fęlicitatem, nullis aſperatam curarum nodis indicandam; & quam Ceres ſuccidere, ſi potuiſſet, exoptabat.

ET EXPLORAT TRVNCOS HABILES &c. *Explorare* eſt *ſagaci diligentia exquirere*: vnde & exploratores dicti ſunt, qui hoſtium, in bello, veſtigia ſagaciter perueſtigant. Ceres itaque, certè vt ſuccidat, *explorat habiles truncos*, vt, cum vulgata noſtra, legit etiam Heinſ.; alij tamen, cum Parrhaſ. legunt; *exploratq. abiens truncos*: ita vt ſenſus ſit: *abiens à cedris, ac pinu ſucciſis, alios, totâ diſcurrens ſyluâ, truncos veſtigat ſuccidendos*. Fateor, hanc Parrhaſij lectionem potiorem eâ eſſe, quam alij commenti ſunt legentes: *exploratq; abies truncos*; nam, qui ſic legat, neceſſe eſt *abies* poſuerit, pro *abiens*, quod & contra analogiam nominis eſt, & in amphibologiam vergit. Sed nec ideò Parrhaſij lectio ſatis placet, quia neq; ipſa effugit amphibologiam;

logiſmi; *abire* enim, à quo *abiens*, eſt *à loco, in quo eramus, diſcedere*: quare potuit ita intelligi, vt diceret, Cererem, diſcedentem à ſylua, exploraſſe truncos iam reciſos, vt noſceret, quinam aptiores eſſent ad faces, niſi ipſe interpretationem addidiſſet, nempè ſe ab arboribus reciſis, non a ſylua diſceſſum intelligere: ſed cur ipſe, hoc pacto, intelligat, & exponat, niſi ad tuendum poſitum. Satiùs igitur arbitror, cum vulgata legendum: *habiles truncos*. *Truncus* eſt pars arboris craſſior, ea qua rami enaſcuntur, & quæ immediatè bipenni ſubijcitur, in ſucciſione arborum. Vibrat igitur Ceres incerta ſecurim; ſed in maximum certa dannum intendens, non viles arbores, non ſtirpes inutiles, non humilia virgulta petit; ſed *truncos habiles*; hoc eſt eas tantùm arbores, quæ magis aptæ eſſent ad quodcumq; lignarium opus ex iis conficiendum. Neque enim crediderim, adiectiuum illud *habiles* relatiuè ſe habere ad tedas; ſed ad dannum, per ſucciſionem inferendum; nam, quæ placuerint in tedas, explicat inferius. Adde, quod ſic explicatus textus magis oſtendit, quomodo delectum, ſine delectu habuerit, & quomodo, certa quo ad dannum, incerta quo ad vſum, arbores ſucciderct Ceres.

ET TENOREM RECTI STIPITIS. Id appoſuit Vates, vt indicaret, quænam eſſent arbores, quas *habiles* appellauerit: quarè particula & explicatiua eſt illius eiuſdem Epiteti: nam quæ minùs nodoſæ, & rectilineæ ſunt arbores, tereti trunco in inflexibilem altitudinem elato, illæ, procul dubio, aptiſſimæ ad omnia lignariæ artis opera cenſentur. *Tenor* itaque *recti ſtipitis* nil aliud hic ſonat, quam *formam*, ſeù rectitudinis, ab imo ad ſummum ſtipitem, continuationem, qua cæduæ arbores attolluntur.

ET PRÆTENTAT BRACHIA CERTO NISV. *Percenſet*, ſeù *præcenſet*, non *prætentat*, legendum monet Heinſ. Et profectò, ſi legeret, cum aliquibus alijs, *percenſet*, ſeu *præcenſet brachia viſu*, congruenter procederet, & gradatim ad principia; nam, cum dixerit Vates: *explorat truncos habiles*; conſequens erat, vt & ramos ſubindè, quæ arborum brachia dicuntur, oculis *percenſeret*, hoc eſt luſtraret, legeret, ac diligenti obſeruatione metiretur; ſed, cum non *viſu*, ſed *niſu*, cum ſcriptis, & Repheleugio, legendum contendat Heinſius, non video quomodo cohæreat; nam *percenſere* idem eſt, ac *recenſere*: *recenſeo* autem eſt *numerum alicuius multitudinis recognoſco, enumero, perpendo &c.* ad quod quo niſu opus ſit, non video. Item *præcenſere* eſt quaſi *ante cenſere*; *cenſeo* autem in eádem ſignificatione eſt, ac *percenſeo*: quare in idem ſemper recidimus. *Et certo prætentat brachia niſu*: perlegunt alij. Sed neq; hæc placet lectio. nam, quid ſibi velit, non ſatis video, niſi verbum *prætentat* pro *intentat* vſurpetur; in quo caſu ſenſus lectionis eſſet: *& conatur* brachijs euertere certum, ſecurim ſcilicet eubrantibus. Adderetur hoc pacto noua arboribus arbor ſuccidenda, & quidem dilecta Ioui, nam Cerrus in genere quercuum computatur: ſed, cum iam Vates, per diſpoſitionem reſolutiuam a toto generico ad partes deſcenderit, & iterum à partibus, per compoſitiuam ad genus fuerit regreſſus, non videtur dicendum, quod iterum ad partes exiliter redire voluerit: Quare meliùs arbitror vulgatam ſequi, cum Parrhaſio; licet, quo ad explicationem, nec ipſi Parrhaſio, nec Barthio, cum eo ſentienti facilè aſſenſerim: nam hi, per *brachia*, ramos arborum ſignificari aſſerunt: & Parrhaſius apertè dicit; *brachia, non ſua, vt inepte aliqui ſuſpicantur, ſed ramos intellige*. Verùm ineptiùs mihi videtur textum iuxta Parrhaſij mentem explicare; nam *prætentat* eſt *ante tentat*, ex vi particulæ componentis, *tentare* autem eſt *experiri*: quarè *prætentat* idem erit, ac *ante experitur*, quam arborem ſuccidat. Quo poſito: anne dicenda eſt Ceres, quæ feſtinaret arbores proſternere, per ramos priùs arborum volitaſſe, vt caperiretur, cuiuſnam roboris eſſent? An verò dicenda eſt, ſubitò in giganteam ſtaturam excreuiſſe, vt ſummos arborum ramos, manuum niſu prætentaret? Nonne ſimiles aſſerere nugas, Parrhaſiana lectio videatur, ſi Ceres prætentare niſu ramos arborum debuerit, antequam ſucciderct? Brachia itaque, non arborum, ſed ſua, quibus illa ſecurim eubraret, prætentaſſe dicitur, vt arbitror, Ceres: voluit enim, hoc loco, Vates innuere præuiam illam membrorum agitationem, quam naturaliter exercet quiſquis ſe ad certum opus accingens, præludere, ſimulatis hiſce motibus, geſtit. Sic Dares apud Virg. Æn. 5., vt præluderet, lauſiticis agitationibus membrorum, vero ceſtuum prælio, quod parabat, virium oſtentationem, inani cæſtuum circumrotatione, præferebat,

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditq; humeros latos, alternaq; iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

ſic apud Taſſum Argantis furor Hieroſ. liber. cantu 7. præludit furoribus, quos ſingulari certamine in Gallorum duces exercere meditabatur, dum pugnæ tempus expectaret.

Nuda hà la ſpada, e la ſcuote, e freme,
Gridando, e l'aria, e l'ombre in van percuote.

Hoc itaque ſæpè ſæpiùs pacto, vt experiamur, num corporis vires conceptis animi furoribus, futurum ſit, vt reſpondeant, neruos exercere ſolemus, ſimulatiſq; ictibus, quem tandem certiùs feriamus, ſcopum deſignare. Hoc ipſum, in Cerere, eueniſſe, denotat, hoc loco, Vates, quæ videlicet, in virium ſuarum experimentum, brachia priùs, quam feriret, circumrotabat, atq;, innocua bipennis circumrotatione, priùs locum deſignabat, quo certiùs ſubinde, ac validiùs ſuccidentes infligeret ictus: atq;, ea hac præludente membrorum agitatione, voluit, nos intelligere, quanto impetu ſubindè proſterneret; poſito videlicet antecedenti, pro conſequenti. Item apte *prætentat*: ideſt vires experitur ſuas; & num ſuffectura furoribus ſint, præuia exercitatione, ſua tentat brachia, quæ quid ſint, alibi vidimus; *certo niſu*, vel, vt alij legunt, *nixu*: nam in idem recidit; vulgò *sforzo*, qui *certus* dicitur: hoc eſt experimentum non fruſtratus, ſed, haud dubiè intentui correſpondens, ita vt, ſe ad effectum ſuffecturum comprobet experimento.

Sed, dum ipſa furores exerit ſuos, quæ nobis portenta innuat, perpendamus.

LVCVS ERAT PROPE FLAVVM ACIM &c. Acis, cum fluuius ſit, prolabentis humanæ vitæ ſuſtinet vices: ideòq; Ouid. 3. de Arte, inquit:

Eunt anni, more labentis aquæ;
Nec, quæ præterijt, rurſum reuocabitur vnda;
Nec, quæ præterijt hora redire poteſt.

cui concordat & Trag. Senec, in Hercule furente, actu 1.

Dura peragunt penſa ſorores,
Nec ſua retro fila reuoluunt.

Quarè Fluuius cum lemmate *Nunquam retrorſum* aſſumptus olim fuit, ad ſignificandam humanæ vitæ fugacitatem: &, quia quotidie morimur; & ſicut aquæ dilabimur, ac tunc quoq;, cum creſcimus, vita decreſcit, fluuius cum lemmate *Semper ad imo*. ad hoc ipſum ſignificandum, extitit in Impreſijs; & quidem iuxta mentem Nazianz., carm. de hominis vita, exclamantis:

Ipſum quod viuis voluit rapidiſſimus amnis
Qui, ſurſum exoriens, ſemper ad ima fluit.

Sed, ſi hæc quilibet habeat fluuius, multo magis profectò Acis, quippe ex demortui adoleſcentis liquore concreſcens, atq;, ex Venereis emerſus illecebris, apertè indicans, ſtipendia ſemper peccati mortem eſſe. Sed vtcumq; ſit

. . . . . Hunc candida præfert
Sæpè mari, pulchroq; ſecat Galatea in ſinu.

Nam Anima, quæ, in prints naturalibus, lactis candorem ſuperat, & ideò lactea dici poteſt, & a candore lactis candida Galatea, vnione adeò delectatur cum corpore, in qua vita conſiſtit humana, vt mortalis huius vitæ labilitatem præferat mari, vnde ipſa ortum habuerit, nempe Deum, ex cuius ore proceſſerit, eiuſq;, qua lumine allici deberet, immenſitati; raro enim adſunt, qui cum Apoſtolo exclament: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Inter huiuſmodi flumen, atq; Ætnæi verticis flammam, quam ſymbolum eſſe diximus inferorum, mediat lucus, nullius profectò particeps luminis, ſummoque Ioui dicatus, nam mortis dies *dies Domini* dicitur, atq; hoc in luco trophæa cernuntur omnia, quæ Deus tandem de contumacibus retulit profligatis, vt, Deum denique eſſe, nouerint, qui dixiſſent, cum impijs: *non eſt Deus*. Ideò, ſuperbis deuictorum ſpolijs, ſuperbiunt vmbræ, & Gigantum, in ſupremos axes minitantium hic pendent vndique:

Exuuiæ, totumq; nemus victoria veſtit.

Rationalis itaque facultas, quæ adhùc, in ſpecie humana, terras incolens, remanet, vt dicebamus, poſt raptam è Sicilia *filiam*; hoc eſt, ex ſuarum loco deliciarum *Animam*, hunc mortis lucum ingreditur, ex quo, terroris concipiendi loco, pertinaciores adhùc reſumit ſpiritus, ac, nimium delirans *accenditur vltro vel ignea loco*; & quia abiſſus abiſſum inuocat, in deterius, hoc ipſo, prolabitur, ex quo exhaurire documenta debuerat ſalutis; ſiquidem ex profligatorum rebellium memorijs, non licuiſſe, impunè à Cælorum Rege deficere, longe, lateq; edocemur. Sed, hoc ipſo, inquam *accenditur* vltrò, &, vt impune liceat peccare, hæc diuinæ monimenta Iuſtitiæ terriculamenta dictitat puerorum

mortem

mortem nullam eſſe decantat; ſed animas è corpore in corpus migrare, cum Pythagoricis aſſerit; atq; adeò incaſſum aſſeri, mortem eſſe ſtipendia peccati. Sicq; *pinum* obtruncat, quam mortis ſymbolum eſſe, vidimus, lib. pri. ſed, quia *vibras incerta ſecurim*, iterum, cum Epycureis, ſimul cum corpore, animam ipſam aſſerit interire, vt dicat: *ede, bibe, lude; poſt mortem nulla voluptas*: ſicq; *cedrum* ſuccidit, quam immortalitatis hieroglyphicum nouimus: rurſus immortalem dicit animam; ſed ita, vt, factus acceptor perſonarum Deus hanc nullo Iuſtitiæ ordine ſpectato, ad Cælum euehat in ſponſam; illam, pro libito, repudiet, atq; in Tartara deprimat, neglectum æterni pabulum ignis, nulla habita humanarum actionum, meritorum, ac demeritorum ratione: & ſic proſternit *habiles truncos*, dum totam prædeſtinationis ſeriem ſubruit. Humana crimina in vim ſyderum reijcit coactiuam, ita vt aſſerat, hominem libidini indolgere coactum, eo, quod Venerem habuerit ortus ſui dominatricem; iracundum eſſe, quia Mars ſanguini præeſt; crudelem, quia Saturnus imperat &c. Sicq; *ornum* ſuccidit, inclinantibus, non cogentibus, reſiſtere valentem ponderibus, nempe humanæ arbitrium voluntatis, cuicumq; ſyderum inclinationi repugnare, & quidem cum victoria, Deo fauente, iam potens. Hominem, inquit, ex neceſſitate naturæ, cariem, & putredinem pati actualium delictorum, & gratiam ſufficientem non ſufficientia præbere, contra huiuſcemodi putredinem, opobalſama: & ſic *cedrum* deijcit ad terram, qui cariem non admittens putredini reſiſtit, atq; ad ſeruandam incolumem naturam humanam maximè, vt vidimus, confert. Hæc ea ſunt deliramenta, quibus rationalis facultas in incertum incerta fertur; ſed certa ſemper, atq; in diuinas obdurata propendens offenſiones, dum Catholicæ fidei dogmata, bipenni hæreticarum prauitatum, ſubuertere nititur, & obtruncare, *ipſum etiam potentem Deum*: immò interdum ipſum etiam aggreſſa Deum, cum Atheiſtis, audens Deum ipſum negare: *Dixit inſipiens non eſt Deus*. Sed iam impiorum dogmata nimis fortè congeſſimus: quarè, ea meritò deteſtati, quid Italica ſuggerat Muſa, non iniquis auribus, audiamus.

Non lungi al fiume, à cui diè l'onda, e'l nome
Di Simetho il Nipote, all' hor, ch' iufrante,
Sotto d'vn monte alle marmoree ſome,
Laſciò le membra; e del riuale amante
Satiò gli ſdegni; ò Galatea le chiome
Squarciò, per doglia; e quindi à lui, coſtante,
S'vniſce à nuoto, e, più del mar, ſe'n gode;
La ſelua s'erge; e di non tocca hà lode.
Giganteggia ne tronchi; e l'intrecciate
Ramoſe braccia al ſaettar di Cinto
Di teſtudine oppoſta in guiſa alzate,
S'addenſan sì, ch'il dì lui sforzo è vinto.
L'ombre ſotto, ad ogn'hor, ſiedonui aggiate,
Onde tutto s'imbruna il gran raccinto;
E, s'vn'incerta luce in lor s'accoglie,
L'horror s'accreſce, e l'annottar non toglie.
Stende gl'alberi ſuoi l'alta foreſta
Inſin dell' Etna alla neuoſa balza:
E pur della voragine funeſta,
Di donde il fuoco ad hor ad hor trabbalza,
L'altere vette alla frondoſa teſta
Son del boſco inferior; tant'ei s'inalza.
Così tutta del monte ei ſignoreggia
La baſſa coſta, e l'alte cime ombreggia.
Che di queſt'ombre entro a i ſeluaggi horrori,
Ch'ei conſecrò di ſue vittorie in Tempio,
Vinti di Flegra i moſtri; ed i terrori
Atterrati del Ciel; fattone ſcempio;
Spogliaſſe l'armi; e i trionfali honori
Poi v'appendeſſe, à i temerarij eſſempio,
Gioue ſi dice, e l'acquiſtate prede,
Ch'ei tutte accolſe in queſt'ombroſa ſede.
Da quelle ſpoglie, onde ſe'n giro onuſti
Dell'empia terra i fulminati Figli,
Gode arrichiti i tronchi ſuoi vetuſti
Superbo il boſco, e da gl'altrui ſcompigli
Nati, a prò di ſe ſteſſo, i faſti auguſti;
Anzi, in lui d'albergar, che ſi conſigli
La Vittoria del Ciel, mentr'ogni pianta
De ſuoi trionfi, e di ſe ſteſſa ammanta.
Qui Ceffi affiſſi, alle beſtemmie, all'onte
Spalancati, laſciò lo ſpirto abſente:
La più d'vn cuoio appeſo, è, che s'acconte,
Che veſtì l'oſſa, or n'è dal peſo eſſente.
Fiere minaccie ancor ſpira ogni fronte;
Che, ne per morte, è'l ſuo terror perdente:
Quell'horride membrane, e prodigioſe,
Par che veſtano ancor membra orgoglioſe.
Pur ſe'n giaccion colà l'oſſa inſepolte,
Ch'immenſo ſpatio ad ingombrar gl'è dato;
E, biancheggiando in quell'arene incolte,
Moſtran cedente ogni lor poſſa al Fato.
Ma gl'eſſangui ſerpenti, in quelle folte
Fratte de bronchi, il ſuo perir celato
Non laſcian già; che accataſtati à monti,
Par che da morti ancora il Ciel s'affronti.
La vendetta fatal, ſoura i rubelli
Sceſa, ſi ſcorge in que'ſuperbi auuanzi;
Ch', eterno ardor, fà, che ſe'n viua in quelli
De fulmini al fragor ſcopo già dianzi:
E i tronchi teſchi, e l'arſicciate pelli
Di fuligine horrenda empionſi; ed anzi,
Mentr'eſſalano i fumi, anche non puoco,
Trà'l fulmineo vapor ſe'n ſcoppia il fuoco.
Pianta non v'è, che di gran nome inciſa,
Non s'innalzi faſtoſa, e non ſoſtenga
D'appeſi fregi vn' immortal diuiſa.
Cinquanta ſpade, ancor ch'inſrãte, auuenga,
Che porti, queſta vn Briareo s'auuiſa.
Furon già di quel moſtro: hor, ſi mantenga,
Conuien, dall'Elce il ſimolacro, e i voti;
Già ch' à vuoto ſe'n gir le furie, e i moti.
D'ogni ſpada al formar, vuota vna vena
Dieſſi d'acciar dall'Alizon non parco;
Ond', al peſo s'incurua, e regge à pena
L'antico tronco à quel grauoſo incarco;
Ne ſi frange però, benche ſi ſlena,
Perch' al trionfo ei ſi traſformi in arco.
Altra ſi ſtanca, in ſtabilir d'vn Ceo
Le ſpoglie accolte in ſingolar trofeo.
Queſta del gran Mimante inſegne, ed armi
Poderoſa ſoſtien: quella gl'arredi
Del ſuperbo Echion ſpiega, trà carmi
Nel tronco appoſti, onde quai ſian, t'auuedi.
Ma ſe tronco non v'è, che ſi riſparmi
Da graue pondo; e pur gioire il vedi;
Mira colà, dou'in altezza eccede
Tutta vn'Abete hor de trofei la ſede.
Trà giganti del boſco ei ſol gigante
Sembra: tant'alto il regio capo eſtolle:
E, ricourate all'ombra ſua le piante,
Rè loro il boſco, e di ſe ſteſſo, il volle.
Quì d'Encelado ſteſſo ancor fumante
Di quell'incendio, in cui s'auuinſe il folle,
Vaſta pender vedrai la ſpoglia opima,
Steſi gl'horror dall'alta parte all'ima.
Quel vipereo ſquadron di terrea prole,
Ch'ardì ſcagliarſi ad aſſaltar le ſtelle,

Alizones, alio nomine Calybes populi ad Thermodontem incolentes optimi fuſſores ferri.

Là d'Encelado inſana, immenſa, mole,
Ch'è fra torri minor nuoua Babelle,
Viſta ſorger trà lor, l'inchina, e cole;
Sommo Duce l'acclama: e le procelle
Il crede ſolo à ſuperar baſtante,
Con che più s'armi il Regnator tuonante.
Mà, contrario à diſſegni il fin caduto,
Rotte le ſquadre, ed atterrato il Duce,
Queſto de regij arneſi hebbe il tributo
Regale abete, ed in trofeo gl'adduce.
Poi langue sì, ch'ei già ſaria caduto,
Al pondo, ch'vn per nulla hebbe quel truce;
Mà di vicina quercia alle rouine
S'oppon lo sforzo, e lo ſoſtiene al fine.
Quindi 'l terror, ch'in ogni cuor s'inſtilla;
Quindi l'honor di Deita, ch'ei ſpira,
Traſſe il boſco ſacrato; e, 'n ſuon di ſquilla,
Se'l ſcuote, il vento à celebrarlo aſpira.
Di Miriadi ſi gode eta tranquilla,
Dal taglio immune; e così niun delira,
Ch'vn ramo, vn ſterpo ſol, violarne ardiſca.
Empio, i trofei, s'ha chi del Ciel feriſca.
Paſtor non v'è, che di tal ſelua all'ombre
Guidi à paſcer la greggia, ancor ch'ardente
Il Sirio à viue fiamme il campo ingombre:
Temerario Ciclope aſcia tagliente
Trattar non oſa, oue 'l più denſo adombre:
Qual dal fraſſino il ſerpe, anzi repente
(Qual hor n'è 'l buio a rimirar riuolto)
Lo ſteſſo Poliſemo in fuga è volto.
Non, perciò, dall'impreſa il corſo arreſta
Cerere irata; anzi viè più s'accende
Da quel ſacro d'horror, ch'iui s'inneſta.
Vibra la man dura bipenne; e ſcende,
Senza ſcielta, sù i tronchi aſpra tempeſta
De colpi ſuoi, ch'ogni gran pianta offende.
Legni, e trofei, vuol, che ſua furia atterri
E, s'in Gioue s'auuien, Gioue s'atterri.
Gloria maggior di que receſſi ombroſi,
Conſacra al ſuo furore i pini inciſi;
E i più ſaldi ne ſceglie: e i men nodoſi
Cedri s'affretta ad atterrar receſi.
Quei, che, retti viè più, s'ergon glorioſi
Vtili tronchi, e ch'à troncar s'auuiſi;
E, nel sforzo maggior, tutta s'addeſtra,
Perche mai colpo in van cali la deſtra.

Irruat, pro libito Ceres, dum nos interim Vates ſequamur à ſimili amplificantem.

Sic qui vecturus longinqua per æquora merces
Molitur tellure ratem, vitamq; procellis
Obiectare parat; fagos metitur, & alnos,
Et varium rudibus ſyluis accommodat vſum.
Quæ longa eſt tumidis præbebit cornua velis:
Quæ fortis clauo potior; quæ lenta fauebit
Remigio: ſtagni patiens aptanda carinæ.
Tollebat geminę capita inuiolata cupreſſus
Ceſpite vicino; quales non rupibus Idæ
Miratur Simois; quales non diuite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
Germanas adeò credas: ſic frondibus æquis
Adſtant, & ſocio deſpectant vertice lucum.
Hæ placuere faces. Pernix inuadit vtramq;
Cincta ſinus, exſerta manus, armata bipenni;
Alternaſq; ferit; totiſq; obnixa trementes
Viribus impellit. Pariter traxere ruinam,
Et pariter poſuere comas, cãpoq; recũbunt,
Faunorũ, Dryadũq; dolor. Complectitur ambas,
Sicut erant, aliè q; leuat; retròq; ſolutis
Crinibus, adſcendit faſtigia montis anheli,
Exſuperatq; æſtus, & nulli peruia ſaxa,
Atq; indignantes veſtigia calcat arenas.

SIC QVI VECTVRVS &c. Syluæ, quam ſupra innuerat, ſtragem, aptatã vtique, amplificat ſimilitudine, deſumpta ab ijs videlicet, qui, naues compacturi, ſyluas cædunt, aptiorem quamque arborem deligentes. Subindè, ne videatur Ceres, nemori vaſtando addicta propoſitum oblita finem fuiſſe, quas tandem faces delegerit, enarrat; eas, per hyppotipoſim, deſcribens; ac, pariter per hyppotipoſim deſcripta Cerere, illa ſuccidente, his eam tandem onuſtam ad ſummum Ætnæi montis cacumen proſequitur properantem. *Sic* itaque aduerb. eſt aſſimilatiuum, quo Cereri aſſimilat eum, qui nauibus comparandis nemora populetur; eiuſque exemplo docet, quo pacto, Ceres arbores exploraret ſuccidendas, cum ſupra dixerit; *exploratq; habiles truncos &c.* Heinſius, hoc loco, legit *Sic quo vecturus longinqua per æquora merces molitur ratem*. Et profectò non incongruè, & fortaſſis aptiùs ad carminis concinnitatem. Immò, vt fatear, poſſet etiam videri magis ad rei naturam facère hæc Heinſij lectio; nam verè mercatores, ac nauium conſtructores, valdè inter ſe diſtare videntur; & qui naues conſtruunt, vt plurimum, fabrefactam nauim alijs tradunt adhibendam; ſunt enim artifices, arti nauticæ ſubſeruientes; & mercator quidem ijs vtitur, vt naues comparet: non autem ipſe immediatè, aut ligna cædit, aut expolire aggreditur, aut in nauigij formam compaginat. Verùm, quia diuerſitas temporum diuerſas etiam vices ingerit rerum; notandum eſt, eumdem, qui nunc habetur, non ſemper rerum ordinem fuiſſe, aut artium ſubordinationem: antiquitùs enim, qui nauibus vti vellent, eas & conſtruere, ob inopiam artificum, cogebantur; & ideò primi nauigationis inuentores, primi etiam fuere nauium conſtructores, ſi non manuales, ſaltem manualium opera dirigentes: ideò ego, Parrhaſianis codicibus inhærens, vulgatam ſequor, minus quidem, ad concinnitatem carminis aptatam, ſed aptiorem, vt arbitror, ad rerum antiquitatem, ſpectatã temporum naturã, in quibus hæc effici dicantur, exprimendam. Nec tamen Heinſium improbo, ſed laudo, qui, venuſtatem carminis ſecutus, efflorescente, temporibus noſtris artium diſtinctione antiquã quoq; donauerit ætatem. Quarè poterit quiſq; pro libito, harum, quam malit, lectionem ſequi.

QVI VECTVRVS MERCES &c. Peryphraſis mercatoris hæc eſt, qui *vecturus* à vehendo dicitur, quia is vehit longinquas in regiones, ex noſtris, merces, quibus nos abundamus, & quarum illæ inopiam patiuntur; atq;, ex illis, ad nos reuehit, quæ nobis opportuna eſſe poſſe videantur; vtitur autem particip. futuri temporis, vt finem ad quem nauis conſtruenda fuerit, indicet. *Merces* autem dicuntur res, quæcumq; aut vendendæ veniunt, aut emendæ: ſicuti *mercatura* à mercibus dicitur ipſum negotiationis exercitium; & *mercator* à mercando, qui mercaturam exerceat. *Merces* verò dictas volunt à merendo, eo quod res emenda, aut vendenda, pretium vtique mereatur.

LONGINQVA PER ÆQVORA. Quid ſit æquor, alibi ſæpè vidimus: *Longinqua* autem dicuntur æquora, ideſt *in quam longiſſimum protenſa ſpatium*, ſuperandum videlicet ab ijs, qui merces ſuas in regiones, immenſo ab ipſis, vt ita dicam, maris ſpatio diſſitas, deferre ſtudeant, iuxta illud Hor., libro Epiſtol. 1. Epiſt. prima ad Mæcenatem, vbi ait:

Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

MOLITVR RATEM. Qui finem ſtatuit, media ad illum ducentia eligat, neceſſe eſt: & quia finis primus in intentione eſt, vltimus in executione; nam media priora ſunt exequenti; ideò, indicato fine, in intentione poſito mercatoris, per verba *vecturus merces &c.* ex eo procedentem, mediorum ſubijcit executionem: *molitur ratem*, ſine

qua

qua ſcilicet æquor ſuperandum minimè videatur, & ſit. *Moliri* idem eſt, ac conſtruere. Virg. Æn. pri.

Inſtant ardentes Tyrij; pars ducere muros,
Moliriq; arcem, & manibus ſubuoluere ſaxa.

Rates verò quædam ſunt connexarum trabium compages, quæ antequam nauigia eſſent inuenta, nauium vices explebant, vulgò *Zattere*. Sed vſus, apud Poetas inualuit, vt pro nauibus ipſis, optimâ conſtructis arte, vſurpentur. Sic Virg. Æn. 5. Sergeſti nauem, quam Centaurum appellatam dixerat:

Sergeſtuſq; domus tenet, à quo Sergia nomen
Centauro conſiſtitur &c.

mox *ratis* nomine deſignat, & *ratem* abſolutè appellat

Amiſſis remis; atq; ordine debilis vno
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.

TELLVRE. Locum notat, in quo naues aſſolent fabrefieri: in naualibus enim, extra vndas poſitis, ac telluris in gremio obfirmatis ædificantur; ideò, tutiſſima eſſe nauigia, in naualia redacta, dicebat ſapiens ille Phyloſophus, qui nauigationem periculis ſemper plenam eſſe, iure cenſebat.

ET PARAT OBIECTARE VITAM PROCELLIS. Quatuor tantum digitis à morte diſtant nauigantes, etiam cum, tranquilla per alta, nullis decertantibus Euris, obuehuntur: quare temerarium ſemper, apud prudentes, viſum eſt vndis fidere, vt vidimus in Præfatione ad primum de Raptu: aſt cum fremunt æquora, exſibilant ventorum furiæ &c. quam dubiam aleam ſubeant nauigantes, quis neſciat? Ouidium conſule, qui pericula nauigationis ſuæ, totis ferè Triſtium elucubrationibus decantat. *Parare* eſt deſtinare, ſtatuere, ac deliberato animo decernere, & media inſtruere ad, firmatum animo, decretum executioni mandandum. In quo ſenſu Virg. Æn. 11.

Hic aſtu, aliud Genitor ſecum ipſe voluebat
Interuentumq; parat fratres dimittere ab armis.

Obiectare frequentatiuum eſt ab *obijcio*, quod eſt *ante iacio, affero, expono*: quarè idem eſt *obiectare*, ac ſine intermiſſione ſæpè ſæpiùs exponere. Sic Æneas, apud Virg. Æn. 2.

Stat caſus renouare omnes, omnemq; reuerti
Per Troiam, & rurſus caput obiectare periclis.

Vita in Animæ, & corporis coniunctione eſſentialiter conſiſtit: *quarè obiectare vitam* eſt coniunctionem hanc exponere diſſoluendam *ora illas*; hoc eſt, ventorum, fluctuum, tempeſtatumque deſæuientibus furijs: nam *procella* propriè furentem maris æſtum, ventorum coniurationibus concitatum, pluuijs tenebris, ac crebris fulgurum coruſcationibus aſperatum, ſignificat.

METITVR FAGOS, ET ALNOS. *Metiri* idem eſt, ac *menſurare*, vel, *curas adhibitas, quid ex aliqua re fieri poſſit, decernere*. Hoc ipſum, hoc loco ſignificat: ſed caue, ne materialiter nimis textum intelligas; non enim ſenſus eſt, eum, qui arbores deligit, ad naues conſtruendas, in quamq; arborem conſcendere, ac materialibus vlnis, exquirere, quanta ſit longitudo eius, vel rotunditas; ſed hanc commenſurationem oculis fieri, ac mente peritorum, qui, dum arborem ab imis ad ſummum vſq. perluſtrant oculis, ſtatim mente concipiunt, num longa ſatis, num firma &c. ſit, ad inſtitutum: & hoc eſt *metiri*. Fagus autem arbor eſt, ex genere glandiferarum; ſic dicta à *πὸ τῦ φάγειν*, hoc eſt à comedendo, quod glandibus earum arborum homines, ante fruges inuentas, veſcerentur. Hanc nauibus conficiendis accommodatam nouit Bracciol. de Cruce lib. 14., vbi Erani turmam, ligna cedentem, quibus nauigia fierent, cum deſcripſiſſet, ſubdit:

Fendon gl' horridi tronchi i ferri duri;
E ne caggion ſuonanti abeti, e faggi.

Quid verò alnus ſit, & quomodo nauigijs apta vide lib. 2. carm 178.

ET ACCOMMODAT VARIVM VSVM RVDIBVS SYLVIS. Hoc eſt variam, in varios vſus, ſyluarum deſtinat materiam, antequam arbores cædere aggrediatur: *accommodare* enim eſt *aptare*; ſeù *conuenienter aliquid alicui iniungere, ſeù imponere*. *Accommodat itaque* mercator: hoc eſt, conuenienti deſignatione, iniungit vnicuique materiæ vſum peculiarem, cui deſeruiat in nauium conſtructione; & hunc *varium*; nam ſicuti non vnius generis ſunt omnia, neceſſaria nauibus, inſtrumenta, aut partes nauim componentes: ſed variæ admodum, & diuerſæ; ſic varium, hoc eſt diuerſum, & multiplicem materiæ expoſcunt vſum. Vſus autem eſt ipſe *actus vtens*; nam diuerſimodè ab artifice conformari arbores debent, vt diuerſis nauium vſibus deſeruiant. Per *rudes* verò *ſyluas*, arbores ipſas, antequam cædantur, expolianturq;, deſignat: *rude* enim dicitur, quidquid ſcabrum adhuc, & impolitum eſt, vt profectò ſunt in ſyluis arbores: quarè *ſyluas* dixit pro arboribus ſyluam conſtituentibus.

QVÆ LONGA EST &c. Quomodo materiam, in ſyluis repertam, varios diſtribuat in vſus, iam edocet: & ſic obiter, quæ ratio cædendæ materiæ, in caſu, ſeruanda ſit, aptè inſinuat. *Quæ longa eſt* (præintellige *arbor*, & ſubintellige *præ cæteris*) Epitetum verò *longa* proceram ſignificat, & rectilineam, nam *longum* pro recto, interdum accipitur. Sic Virg. Æn. 9.

Stant longis annixi haſtis, & ſcuta tenentes.

PRÆBEBIT CORNVA TVMIDIS VELIS. Hæc ſecum ipſo mercatorem diſſerere indicat, ratione vſus, qua materiam diſtribuat: quare Proſopopeiæ locum obtinet hæc locutio. *Præbebit: ſuppeditabit*: hoc eſt, ex ea facilè, & aptè conficientur *cornua*: Sic Nautæ appellant geminas antennarum extremitates; vt patet ex Virg. Æn. 3.

Haud mora: continuo, perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obuertimus antennarum &c.

hic tamen *cornua* pro integris antennis vſurpantur, per ſynecd. Antenna autem, vt noſtis, lignum teres, oblongum eſt, tranſuerſum, in naui, ad malum, cui velum alligatur, ita vt ex eo pendeat explicatum, ad excipiendas auras: quare illud *Antennam* dicunt, quaſi *ante nauem*; ſeù *in anteriore parte nauis tenens velum*; vel *ante ventos tenens velum*. Ideò *quæ longa eſt præbebit cornua tumidis velis*. Velum, in nauibus, lineum textum eſt, quod, in lintei modum, expanditur, à nautis ante malum ad ventos eiuſdem ſinu captandos. Ideò *tumidis*; nam, cum vento inflantur, tumentis ſpeciem referunt, aut veris, aut vteri.

QVAE FORTIS POTIOR CLAVO. Sicuti, antennas confecturo proceritatem arboris docuit inſpectandam; ſic robur, ac validitatem admonet obſeruandam ijs, qui clauum deſtinent conficiendum. *Malo*, vt cohæreat, arbitror, antennis, legit Heinſius, non *clauo*: ego tamen libentiùs vulgatæ adhæreo. nam, & antennæ, & malum, certe ex robuſtioribus lignis, nedum ex procerioribus conficienda; ſed, quia, ſine proceritate, robur nil ad miniſterium conferret eorum; ideò ex longitudine aptitudinem ad conficiendas deſumpſit antennas, quæ, dum ex malo dependent, vela ſuſtinentes, vnicum quoddam cum ipſo, integrare videntur nauis inſtrumentum quarè, per *cornua velis præbenda*, videtur & malum ipſum importari; poſita pro toto parte totius inſtrumenti. Clauus verò non tanta indiget proceritate; ſed fortior debet eſſe, ac robuſtior, vt vndis vndequaq; arietantibus reſiſtat, ad nauis iter, ſummâ interdum naucleri vi, dirigendum: & ideò ex fortitudine potiùs, quam ex proceritate, materies clauo apta perpenditur, & *potior* erit, hoc eſt præſtantior, aptior, atq; accommodatior ad clauum conſtruendum. *Clauus* latum illud inſtrumentum eſt, quod, maximæ ad inſtar macheræ, ex puppi nauis dependens, affixum quidem, ſed verſatile, in vndis mergitur, &, ad cuius vel modicam inflexionem, dum variè ſcinditur vnda, varios accipit nauis motus, & circumquaq; deflectitur: vno verbo *Gubernaculum nauis eſt*, ſine quo, impoſſibile eſt, vt nauigia vel rectum iter teneant, vel naufragia effugiant: idcircò vt plurimum ex quercu, robuſtiſſimâ inter arbores, conficitur, ne facilè cedat vndis, & effringatur.

QVAE LENTA FAVEBIT REMIGIO. Quænam arbor apta ſit conficiendis, iam ſuggerit, remis: nempè *quæ lenta eſt*: porrò *lentus* idem eſt, ac tenax, & viſcoſus: Sic Virg. Georg. 4.

Narciſſi lacrymam; & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina &c.

Sed, quia, quod huiuſmodi eſt, ita, ſecundùm omnes ſui partes adglutinatur, & adhæreſcit, vt non facile ab inuicem partes diuelli poſſint, & ſeiungi, hinc eſt, vt quidquid tenaciter diſcontinuationi, hoc eſt partium ſuarum ſeparationi, reſiſtit, ita vt flecti quidem, ſed non frangi facile poſſit, *lentum* dicatur. Hinc *lenta arbor fauebit remigio*; hoc eſt *vtilis* erit: nam quod alicui vtile eſt, certè, vtilitatis beneficio, fauere dicitur: atq; apta remis erit, quia remus flecti debet, non frangi ab vndis, quibus, ad promouendam nauim, reluctat. Sed nota hic obiter, quam bene principijs ſuis cohæreat Vates: Dixerat, in varios vſus, varia ſyluarum ligna à mercatoribus enauigaturis diſponi: Hinc, cum diſtributionem inſtituit, vnumquodq; diſtributionis membrum, non per effectum, ſed per actionem, exercitium, vſumq; illius explicat: *Longa* vſui, ſeù exercitio ſuſtinen-

dorum deſtinatur velorum: fortis vſui erit ad nauem clauo dirigendam: *Lenta* denique deſeruiet *remigio*; eſt enim *remigium* ipſa remigatio, ſeù remigandi vſus, & exercitium, ſed quia remis remigium exercent remigantes, ideò *famulus remigio* idem eſt, ac *apta ad conſtruendos ertis remos*, vt dicebamus. Remus notiſſimum artis nauticæ inſtrumentum eſt: & quidem maiora nauigia plures remorum ordines habebant, minora paucioribus conſtabant; ea quorum numero, varia etiam nomina naues ipſæ ſortitæ ſunt: nam aliæ ſeſquiremes, aliæ quinqueremes, aliæ quadriremes, triremes aliæ, aut biremes dicebantur, vt paſſim apud Auctores. Remos autem ex lentis lignis, vt ea vlmo, aut fraxino, confieri ſolitos innuit etiam Virg., cum, apud eum, Helenus Aen. 3. inquit:

Ante & Trinacria lentandus remus in vnda.

STAGNI PATIENS APTANDA CARINÆ. Præintellige *quæ eſt*. Nec quid ſit *ſtagnum* repeto, nam alibi ſæpè diximus. Hic ſtagnum pro mari quidem primario ſumitur, quod ſtagnum vocari, alibi vidimus; ſed ſecundariò etiam pro quacunque aquarum collectione, in qua naues poſſint adhiberi. *Stagni* autem *patiens* dicitur lignum illud, quod, diutiùs in vadis melius durat, nec facile ab iis labefactatur: ideò *ſtagni patiens* arbor *aptanda carinæ*. En iterum vſus per actionem explicatus ponitur; nam *aptanda* idem eſt, ac *adhibenda* ad conſtruendas carinas. Carina vero infima pars ratis eſt, quæ ſemper condita latet fluctibus, & idcircò ſtagni patiens eſſe debet eius materies: eam & *alueum*, & *ventrem* etiam nauis vocant: nam in eam deſcendunt omnia nauis purgamenta; vulgò *la ſentina*. Aliis tamen *carina* non eſt infimus ratis alueus; ſed trabs tantum illa, quæ infimo in loco ſita eſt, & cui inædificatur Nauis, quæue illi pro fundamento eſt, cui tota innititur nauis.

TOLLEBANT GEMINÆ &c. Peractâ ſimilitudine, quæ Cereri, quod ſolertiam arborum, quas cæderet, eligendarum, applicari debet; non verò quo ad vſum; nam, qui mercator vſum ſpectat, hæc damnum, iniuriam, vaſtationem ſpectabat inferendam: peractâ, inquam, ſimilitudine, quas tandem, cædendis arboribus, ſi non exſaturata, fatigata certe, in faces elegerit, iuxta finem vltimum, deſcribit.

GEMINÆ CVPRESSVS. Quid *gemini* nomine intelligatur, alibi vidimus: hic pro eodem vſurpatur, ac *duæ*; ſed ita forma æquales, vt vno, eodemque partu editæ viderentur. Vbi autem vulgata *Cupreſſus* legit, *Cupreſſi* in melioribus haberi, dicit Heinſ. Sed cum etiam in quarta declinatione Cupreſſus habeatur, apud Ouid. de Triſt.:

Funeris ara mihi ferali cincta Cupreſſu.

nil arbitror innouandum. De Cupreſſu vide dicta lib. 2. carm. 108., profectò congruum maximè fuerat, funereas arbores lugubres in tædas, deligere. Sed hoc obuium nimis; nec in cortice ſiſtit eruditiſſimi Vatis ſpeculatio. Cupreſſus in Ditis tutela eſt: ideò Cupreſſus in faces eligit, non Ceres, ſed occulta illa, ipſius inſita naturæ, diuinationis vis, quæ hoc quaſi hieroglyphico, Filiam apud Ditem quærendam, non apud ſuperos, erudire Matrem, ſatagebat, licet nil profecerit, non intellecta. Emblema igitur tacite conficit illa ex cupreſſibus à Cerere, vt filiam quæreret recisis, quo edoceatur, fruſtraneum laborem eius futurum, ſi, non inferos, quò Cupreſſus ducit, ſed ſuperos adeat, vt inquirat. Succidendi Cupreſſos omen, tacitè, apud intelligentem, exclamaſſet: *Nec damnum reparas vnquam*; quod lemma eruditè appoſitum Cupreſſo fuit ſubindè ab eruditiſſimo Picinello, qui ex his impreſiam confecit, lib. ſymbol. ſui Mundi 9., cap. 11., qua, contaminatam ſemel, virginitatem non ampliùs reparari, poſſe, exprimeret. Actum erat de virginitate Proſerpinæ iam nuptæ; ideò Cupreſſus cæſa, quæ ſcilicet nunquam ampliùs repullulat, Cererem moneat, *virginem* non quærendam: Virginitatem illius defflorauerat Pluto: ideò *Cupreſſus* Diti ſacra ſucciditur, vt Ceres edoceatur, ſuccidendum Plutonem, ſi vindicta ex Raptore, ac violatore ſumenda. Nupta erat Filia: conſequenter Matri non reddenda: quarè irreparabile Cereris damnum, per reciſas exprimebatur Cupreſſus. Sed hæc apud ſurdas aures iactabantur, cum furenti, ideòque ea arce mentis deturbatæ, exhiberentur: Quarè intenta operi Ceres; quid portenderetur, non diſdicit, ſed, quod ſibi peragendum ſtatuerat, eſt profecuta. Verùm, quia hæc, ex Aruſpicum officina deprompta, videntur potiùs, cæleſti quadam diſpenſatione, Cereri, ſi ſapere potuiſſet, in documentum oblata, quam eius ſtudio quæſita, videamus, cur, quantum in ipſa Cerere eſt, cupreſſos potiùs, quam cedros, quos ſucciderat, in faces eligat. Cedrus immortalitatis ſymbolum eſt; ideò cedrum reſpicit, ne ex cedro faces, perpetuò illi immortalitatem ſuam memoriæ ſuggerentes, dolorem in immenſum augerent, dum, ne morte quidem abſumi poſſe, præſignarent. Cedros quidem, immortalitatis ſigna, ſuccidit, vt, optare ſe, & ſuam, & Iouis, cæterorumq; Cælitum immortalitatem ſuccidere, indicaret; ſuam quidem, ne Filiæ ſuperſtes eſſet amiſſæ; Iouis in vindictam Filiæ non ſeruatæ; cæterorum vero in vltionem conceptæ proditionis: aſt reciſas cedros noluit in faces aſſumere, ne immortalitatis deferens ſigna, acerbiori, ac diuturna morte in ipſa ſua immortalitate, premeretur. Cupreſſum autem aſſumit, quæ funerea eſt, vt indicet, ſe funus optare ſuum, ni filiam reparet, ne ſecum immortalis adſit & luctus. Inſuper ſatiare cupiebat Cælituum in ſe crudelitatem, iuxta superiùs dicta: itaque Cupreſſus in faces eligit, vt oſtendat, ſe, immortalitate abdicatam, mortalitatis inſignia circumferre, vt & miſeriam deprædicet ſuam; & ſe, rebus ſuis omninò deſperatis, arbitrio deſæuientium ſuperum permiſſam oſtentet. Tandem, cupreſſinis facibus, oſtendere voluit, gloriam illam, quam ex Proſerpina contraxerat, & qua cæteris altior ibat Matribus, in cupreſſum degeneraſſe, quæ pulcherrime quidem frondet, ſed fructibus omnino caret; ex quo factum, vt epigraphe ſignaretur *Pulchra coma nihil aliud*: &, ſterilitatem ad ſe rediſſe confeſſa, ludibrium ſe meritò omnium fore faterentur in poſterum.

TOLLEBANT. CAPITA INVIOLATA. *Caput*, per translationem, arboribus attribui notum eſt, eoque ſummum arboris verticem, ſeù culmen deſignari. Itaque *tollere*, ſeù, quod idem eſt, *extollere caput*, quod ad rem ſpectat, eſt ſe ſe in non gregariam altitudinem erigere: &, quia frons elata ſignum ſuperbiæ eſt, formâ ſua ſuperbire cupreſſus, indicat, ipſos; & eo magis, quod *tollant inuiolata*, hoc eſt nullo vnquam delibata ferro, in venerationis indicium quacunq; abſtinente manu. Quarè, diuinitatem quamdam quod ſpirare viderentur, iure meritò poterant ſuperbire.

CESPITE VICINO. Notat quo pacto *gemina* dici potuerint: nam adeò propinquæ erant, vt poſſent ex ea eadem ferè radice progenitæ exiſtimari, atq; adeò eodem editæ partu: nam *vicinum*, vt alibi vidimus, dicitur, qui in proximo eſt, & modicuſſimo diſtat interuallo. *Ceſpes* pariter quid ſit, alibi nouimus: hic pro imo aſſumitur trunco, qui ſubdit; ſe immediate è radicibus exoriatur. Erant itaque ibi duæ cupreſſus, germana quadam ſimilitudine pares, incæduæ, inter ſe proximæ, & quæ maximam in altitudinem euaſerant.

QVALES SIMOIS NON MIRATVR &c. Vt arborum amplificet pulchritudinem, proceritatem &c. eas cum illis comparat, quæ eiuſdem generis Dardania in Ida enaſci dicuntur, illiſq; maiores efficit. Quales itaque relatiuum qualitatis eſt, rei explicans naturam; & aſſimilatiuum eſt; nam *talis*, & *qualis* ſibi inuicem ſemper correſpondent. Senſus igitur eſt: quales iſtæ ſunt, tales nunquam fuere in Ida &c. *Simois* enim fluuius Troadis eſt ex Ida monte enaſcens, ac per Troianum campum (qui & ideò Simoeſius dicitur) decurrens; idemq;, mari appropinquans, Xanto commiſcetur, ac in paludem cogitur, ex qua ſubindè in Heleſpontum influit iuxta Sigæum promontorium. De eo autem ſic Virg. Aen. 1.

. . . . . . Tot Simois correpta ſub vndis
Scuta virum, galeaſq; & fortia corpora voluit.

Porrò *miror* interdum idem ſonat, ac *video*, ſeù *intueor*. In quo ſenſu Virg. Georg. 3. ait:

Seù quis Olympiaca miratus præmia palmæ
Paſcit equos &c.

Sed, vt plurimum, *mirari* non eſt ſimpliciter *intueri*; ſed *cum ſtupore intueri*. Licet igitur in primo ſenſu poſſet hic non ineptè explicari, in ſecundo tamen, ad Vatis mentem, arbitror accipiendum, nam, quæ reliqua ſui generis pulchritudine ſuperat formæ, cum voluptate non minus, quam cum admiratione intuemur. Cum igitur, apud Simoentem, celeberrimæ proceritatis cupreſſus excreſcant, dicitur Simois cum voluptate, & admiratione illas intueri; ſed licet ſuas miretur, non tamen miratur tales, quales, quæ in Ætnæa ſylua hic deſcribuntur enatæ: quod dictum eſt, vt noueris, eas licet pulcherrimas, his gloriam cedere pulchritudinis. Datur autem hic fluuio actus vitalis videndi, & admirandi, quia, vt ſæpè diximus, habent & flumina Numen. Quare Simois, pro ipſo Simoentis Numine, hic ponitur.

RVPIBVS IDÆIS. Rupes *præruptæ montium* dicuntur: quarè, dum rupes idæas hic memorat, Idam montem, eiuſdemque notat aſperitatem. Sed caue, ne æquiuocatione nominis decipiaris. nam triplex eſt Ida: prima in Phrygiæ regionibus, vbi Cybeles colebatur, vt vidimus lib. 1. carm. 200. Secunda in regione Cretenſi, vbi Iupiter infans Saturnum latuiſſe dicitur. Tertia, de qua hic, in oris Dardaniæ, a Troia tribus paſſuum millibus diſtans, Ida autem Dardanius hic mons dictus fertur ab Ida Dardani Regis filia. In hoc eximiæ proceritatis, pulchritudiniſq; cupreſſus excreſcere dicuntur, quarum & Virg. meminit, Georg. 2., vbi innuit, non omnibus datam eſſe eandem pulchritudinem, quam Idææ habeant Cypariſſi.

Præterea genus haud vnum, nec fortibus vlmis,
Nec Salici, Lotoq;, aut Idæis Cypariſſis.

Aptè autem dicitur Simois ſimiles non mirari Cypariſſos in rupibus Idæ, nam ex Ida, vt vidimus, profluit Simois; & fluminum Numina in antris, vbi eorum fontes habeantur, reſidere crediti ſunt.

QVALES ORONTES &c. Alia comparatione oſtendit, quam pulchræ cupreſſus eſſent, Cereris furoribus obiectæ, Comparationem autem harum facit cum cupreſſibus illis, quas vberrimum Syriæ ſolum pulcherrimas producit: nam, vt ex Strabone notat Theatrum humanæ vitæ, licet cupreſſi feraciſſima videatur Cretenſis regio, attamen cedit illa Iudeæ montibus, quos *albos* appellant, in quibus, perpetuà quamuis niue obſitis, pulcherrimæ dicuntur cupreſſus ſponte, nulliſq; excitato cultoribus ſolo, enaſci: quod, portenti loco, habetur, ex eo, quod huiuſmodi arbor calidis, ex naturâ ſuâ gaudeat regionibus. Porrò Iudeæ regionem ad Syriam pertinuiſſe, non negant Coſmographi; ex quo licet arguere, quod multò magis, in cæteris Syriæ partibus calidioribus, vegetiores huiuſmodi arbores, ac pulchriores, vndique emergentes, ſuccreſcant. Iudaicæ Cupreſſus pulchritudo certe habetur etiam ex ſacris litteris, dum pulcherrima inter mulieres, Deipara Virgo dicitur, quaſi cedrus in Libano, & quaſi cupreſſus in monte Sion. Nil igitur mirum, ſi Auctor noſter, Orontem pulcherrimis cupreſſibus humores ſuppeditare, commemoret, cum Syriæ fluuius ſit, vbi amæniſſimæ paſſim huiuſmodi arbores enaſcantur, *Orontes*, quem eumdem cum Ladone fluuium eſſe arbitrantur nonnulli. Oritur ex Libano, Syriæ interioris, quam Celen appellant, monte; &, per conuallem, inter Libanum ipſum, & Antilibanum, decurrens, indeq; diuertens Antiochiam alluit, eamq; à Syria determinans, mari tandem Syriaco excipitur: olim Typhon dictus fertur, à Thyphone gigante, ibi, vt aiunt, fulminibus deiecto: poſtea Orontes appellatus, ab eo Oronte, qui primus eiuſdem fluminis ripas ponte coniunxit. Hic, inter Apameam, & Antiochiam, in ſubterraneam ſpecum mergi dicitur, quam & Carybdim vocant; & inde, quinq; millibus paſſuum, per cuniculos elapſus iterum emergere.

NVTRITOR APOLLINEI NEMORIS. Senſum Vatis, hoc loco detorquet Parrhaſius, & cum eo Barth. ad Daphnonem, laurigeram videlicet ſyluam, quam ad Orontis ripas ſitam eſſe ex pluribus conſtat Auctoribus. Scio equidem, Arrhiano duce, Daphnem ab Apolline adamatam, *Ladonis* (quod idem cum Oronte flumen dicitur) filiam conſtitui: atque ideò ad Orontis ripas eueniſſe quidquid de Daphne in Laurum verſa, recenſeant Fabulæ, ab eodem affirmari: ex quo celeberrimum ſortita fuerit nomen Sylua illa laurigera, quam adhuc Orontes Pater humoribus fouet, & quaſi filiam adhuc agnoſcens, vberrime nutrit. Hinc Orontem nutritorem Apollinei nemoris dici potuiſſe, habito ad hanc Syluam reſpectu, non inficior. Sed quid Daphnon habeat cum cupreſſibus? Quo modo laurus comparationi, quam præ manibus habemus, deſeruiat? Certè particula *Quales*, vt diximus, arbores appellat eiuſdem naturæ, atque adeò impertinentes ſe habent, ad huiuſmodi comparationem lauri. Ideò dixi, ſenſum Vatis detorqueri potius, quàm explicari, dum ad laurigeram tantummodo Syluam dicitur reſpexiſſe. Aliam itaque ego exorſus viam, nomine *Apollinei nemoris* conſitam cupreſſibus exprimi Orontis ripam agnoſco; nam, cum Cypariſſus adamatus & ipſe fuerit ab Apolline, & ab eodem in arborem ſui nominis transformatus, ne totus abiret in lacrymas, addito ab eodem Numine lugubri carmine, quod Ouid. Metam. 10. exarat ab Apolline pronunciatum dum

. . . . . . Lugebere nobis
Lugebiſque alios, aderiſque dolentibus, inquit;

ſatis conſtat, Cupreſſum non minus, quàm Laurum, Apollineam arborem eſſe: ac conſequenter Syluam Cupreſſibus refertam *Apollineum nemus* iure merito appellari. Adde, quod teſtatur Cappacius, lib. Impreſiarum tertio, nempè Cypariſſum puerum Apollini dilectum, nil aliud fuiſſe, iuxta Cabaliſtarum interpretationem, quàm ipſum ſolare iubar, ſeu radios ipſos Solis: quid autem Apollineum magis, quàm aurea eiuſdem coma? Sed dices, talis exiſtentiam nemoris ad Orontem priùs ſtabiliendam. Facile eſt, ea ipſa Cypariſſi fabula hoc ipſum deducere. Memineris itaque, Orontem, cuius & Ouid. mentionem habet, Metam. 2,

Arſit, & Euphrates Babylonius arſit Orontes,

flumen eſſe minoris Aſiæ, in qua Syria eſt; quarè, ampliatiuè, ac poeticè loquendo, quidquid in minori Aſia reperitur, Orontis eſſe, ſeu ad Orontem pertinere, non immeritò cenſetur. Quo poſito, memineris etiam, Cypariſſum, quem diximus Apollini dilectum, atque in arborem, de qua hic, conuerſum, Telephi Myſiæ Regis filium fuiſſe; ac Myſiam minoris profectò Aſiæ fuiſſe regionem; conſequenter pueri illius in plantam transformationem in regionibus factam ad Orontem pertinentibus. Si itaque ex conuerſione Daphnitica, in loco, vbi habita eſt, laurigera excreuit Sylua, cur non æquè ſuccreuerit ex cupreſſu nemus, vbi primum Cupreſſus radices fixit, & originem eodem traxit ex ſolo? Qua vlteriùs ſuccreſcere potuit à quâ pulchrior, quàm in ea regione, quæ illi natiua ſit ſimul, & ſatiua? Immò fabulam inde deductam facilè crediderim, quod nullibi tam copioſa, tam pulchra, ac tantâ inſignis proceritate, ſicuti in Aſiæ minoris regionibus, obſeruata fuerit Cupreſſus: & quia Orontes ab Apolline decoratus laurigerâ ſyluâ fuit, cur non & cupreſſinâ ditatus, cum vtraque Deo æqualiter dilecta, ac conſequenter eâdem in regione collocata cenſeri debeat, vt vnico Deus intuitu, vtraque conſpectâ lætetur, vnico alatur flumine, quod Apollini pariter ideò dilectus, quòd ſuas nutriat ſyluas. Ideò *Nutritor* dicitur. Fluminum humoribus terras vndiq; fœcundas reddi, & vberes plantas enutriri, ſegetes ali &c. nullum latet, vt arbitror. Certe Curtius, de rebus geſtis Alexand. lib. 5., regionem inter Tigrim, & Euphratem extenſam fertilem adeò, & vberem refert, vt à paſtu pecora repellantur, ne ſatietas perimat: atq; tantæ cauſam fertilitatis in humorem refundit, quem ex fluminibus vndique ebibit ſolum: ideò fluuij frugum iure nutritores, ac plantarum dicuntur; atq; hac ipſa de cauſa prædictarum Syluarum *Nutritor Orontes*. *Prædictarum* dixi *Syluarum*; nam facilè conceſſerim, ad vtrumq; Poetam nemus reſpexiſſe, ſed de Cupreſſino principaliter locutum, quod ſolum faueat initæ ab auctore comparationi.

NON LAMBIT DIVITE RIPA. Has ipſas minoris Aſiæ cupreſſus inferiores eſſe teſtatur, ſi cum iis, quas Ceres aggreditur, comparentur, dum dicit tales ab Oronte non lambi, quales ſunt iſtæ, quas deſcribit: *Non lambit*: hoc eſt, non rigat humoribus, non complectitur blanditijs fouens ſois, dum nutrit *Diuite ripa*. Hoc poſtremum vel ad fœcunditatem ipſius fluminis refertur, quod ripas, ac regiones quaſcumq; alluit, adiacentes mira repleat vbertate; vel ad communes Aſiæ diuitias; nam, vt alibi innuimus, nulla tam diues regio eſt, quæ Aſiaticis non cedat diuitijs.

GERMANAS ADEO CREDAS. Peractâ comparatione prænotatarum arborum, redit ad earumdem deſcriptionem: &, quia *germanas* appellauerat, talis rationem reddit appellationis. *Adeò* particula, hoc loco, affirmatiua eſt; nempè aduerb. affirmantis idem ſonans, ac *certè*. Sic & apud Virg. Georg. 1.

Multum adeò raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineaſq; trahit crates, iuuat arua &c.

Credas; hoc eſt oculis emetientibus ſi fidem præſtes, facilè aſſenſu mentis exiſtimabis, ac iudicabis, eas eſſe *germanas*, *germanum* à germine dictum Feſtus aſſerit, dum ait: *germen eſt quod ex arborum ſurculis naſcitur; vnde germani, quaſi eadem ſtirpe nati*. *Germanas* itaque, hoc eſt eadem ſtirpe natas, vno partu progenitas ſorores.

SIC ADSTANT. Aduerb. aſſimilatiuum *ſic* eas tota inter ſe decertantes ſimilitudine oſtendit. *Adſtant*; hoc eſt præſentes præſentibus cernuntur, & comparantibus ſe viſendas præbent. Alij *exſtant* legendum putarunt, nec abnuo, ſed nec vulgata deterior.

FRONDIBVS AEQVIS. *Frontibus* legit, hoc loco Heinſius: ſed non approbo, quia *frons arborum* earum culmen eſt. Quid igitur Vates *frontes* hic memoret, cum immediatè poſtea ſubdat, & *ſolet vertice deſpoliant &c.* Nonne nu-

nu-

nugatorium fuiſſet bis idem per diuerſa repetere? Meliùs igitur, cum vulgata, *frondibus*, nam *frondes* cupreſſi corpus quaſi integrantes efformant: & ideò *frondibus æquat*: hoc eſt æquali à capite ad calcem corporis ſpecie, rotunditate, leuitate, proportione &c. ex quibus omnibus exacta, de qua ſupra reſultat ſimilitudo.

ET SOCIO VERTICE &c. Quid vertex ſit, & fusè diſſeruimus lib. 2., & immediatè ſupra innuimus, pro ſummo arborum apice, hic poni. Altitudinem igitur æqualem parili corporum ſtructuræ adnectit: *ſocia* enim ea omnia dicuntur, quæ quaſi inità ſocietate, indiſſolubili pari paſſu procedunt in omnibus; ſic, quia iſtæ arbores in æqualem omnimode altitudine apices prouexerant. Ideò *ſocio vertice*

DESPECTANT LVCVM. *Deſpicere* eſt deorſum aſpicere. Vide lib. pri. carm. 137. Senſus traditur inſenſatis, vt vides, clariſſimo vtique, ac nobiliſſimo genere translationis. Sed, hac ipſa arte, in quantam erigerentur arbores altitudinem, declarat; tantam nempè, vt cæteras nemoris arbores excederent; atq; adeò, infra ſe poſitas, deorſum aſpicientes, parui facerent quodammodo, & contemnerent. De Luco vide ſuperiùs §. *Lucus erat &c.*

HÆ PLACVERE FACES. Perſtringit Claudianum Scaliger, hoc loco, quaſi cupreſſi naturam infeliciter contorſerit: *nam tedas non dat cupreſſus*, inquit ipſe. Verùm immeritò redarguitur eruditiſſimus Vates: vere enim & cupreſſus habilis ad concipiendum ignem experientià ipſa facile comprobatur: quarè eruditus quidam, non minus virtute, quam Equeſtri ordine celebris, apud Cappacium cit., vt oſtenderet, ſe etiam poſt mortem Amaſiam ſuam ardentiùs amaturum, geminos ex cupreſſu ramos, flammis vtrinq; conceptis collucentes in Impreſiæ corpus aſſumpſit, addito lemmate: *ſumunt ex funere vires*. Fateor tamen *tedas* ex cupreſſu non fieri: ſed potiùs ex ſpina, pinu, aliiſq; ſimilibus; ſi *teda*, pro *coniugali face* accipiatur: ſed ideò non dixit Vates: *Hæ placuêre tedæ*; ſed *Hæ placuere faces*: nomen enim facis genericum magis eſt, & faces etiam eas comprehendit funebres, quas defunctorum propinqui, auerſis vultibus, retrogradientes rogis ſubijciebant; vt apud Virg. Æn. 6.

> . . . . . . *Pars ingenti ſubiere feretro*
> *Triſte miniſterium, & ſubiectam more parentum,*
> *Auerſi tenuere facem &c.*

Quod ſi, vt alibi ex Ouid. vidimus, amatorum funera indicant inuerſæ faces; certe, ſi e conuerſo, recto ordine circumferantur, nuptias potiùs præſignabunt, quam funera. Ne itaque Ceres nuptiales attollere faces videretur; cum eas erectis ad Cælum luminibus circumferret: opus fuit, vt eas ex funebri conſtrueret arbore. Quod ſi cupreſſus, quippè quæ non eo pingui ſucco abundet, quo piceæ tedæ, pinus &c. ſupplet arcanis Ceres luminentis, vt notat inferiùs Auctor, ne videatur naturam ignoraſſe arboris, quæ facilè quidem ignem côcipiat; ſed alendo minùs ſubinde, ex defectu picei humoris, apta aliquibus videatur: mox enim ſubdet:

> *Tum, ne deficerent tantis erroribus ignes,*
> *Semper inoccidnos, inſopitoſq; manere,*
> *Iuſſit, & arcano perfudit robora ſucco.*

Hæc dicta ingratiam Scaligeri; nam alioqui etiam ex cupreſſu faces fieri poſſe nemo dubitat; quam facilè enim ignem concipiat ſatis patet. Igitur pronomen *Hæ* geminas, de quibus ſupra deſignat cupreſſus: *Faces* per appoſitionem additur; hoc eſt *in faces conſtruendæ aſſumuntur*, vt & luctui conſonæ, & ignibus habiles, & perquiſitioni non ineptæ. Ideò *placuere*: aptæ adeò viſæ ſunt, vt eas eligere Cereri placuerit, & quidem non mero arbitratu, ſed placitis, in natura, & qualitate fundatis; nam cupreſſus non ſolum funerea vtcumq; eſt, ſed nobilium præcipue funerum deſignatrix, iuxta illud Lucani Pharſ. 3.

> *Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.*

Quarè, cum in funere Diuæ faces eſſent eligendæ, quænam aptiores videri potuerint, quam ex cupreſſu confectæ. Inſuper occultam quamdam ſupremi Numinis diſpenſationem, licet hic latenter inſitam, atq; ab auctore expreſſam admirari, qua ſcilicet Iupiter diſpoſuerit, vt Ceres cupreſſos in faces eligeret, vt in hieroglyphicum erigerentur, Fatum Proſerpinæ, ac Fati cauſam repræſentans: ex cupreſſu enim, vt notat Tucidides apud Cappacium cit., ſepulchra erigebantur iis, qui pro Patria ſalute mortem ſubiiſſent: Proſerpina Patriam habuerat Cælum; mortuorum Regno addicta fuerat, ne Cælum vim, ab Inferis paratam, pateretur: itaque, pro ſalute Patriæ occumbens, id ipſum honoris habeat, vt cupreſſinis illi facibus parentetur. Rursùm Regina ſilentis Populi conſecrata fuerat Proſerpina: Ideò, in eius honorem, cupreſſus comburatur, quæ ſymbolum loquacitatis eſt, cum loquacis proprium ſit verborum frondibus ſe ſe abunde exornare, nullis autem ſententiarum fructibus ditari (ſicuti de Leoſthene oratore inquit, apud Plutar. in Apophteg., Phocion Athenienſis; nempè eius orationem cupreſſis fuiſſe ſimilem, quæ cum frondibus niteant, fructibus careant. Hæc, ignorante Cerere; ſed Iouis tamen omnia prænoſcentis diuina diſpenſatione perpendente, effectum eſt, vt hæ placuerint faces. Adde alias nonnullas, ex parte Cereris cauſas. Quorum capita ſupremis plectenda ſupplicijs Iudices cenſuerent, eorum ſtatuas (ſi reos ipſos aſſequi non poſſint) ſuſpendio afficiunt; vel ſi cremandi rei fuerint, combuſtione abſumunt. Legifera Ceres Iunonem, ac Iouem, morte dignos diiudicabat; illam quidem, vt acerrimam inſontium perſecutricem; hunc vero, vt proprij ſanguinis deſertorem, innocentiæ proditorem: non fuit in eius poteſtate in eos irruere, eorum perdere capita, & contrucidare, *ipſum etiam licet genitura Iouem eſſet*; Ideò, reorum, ſuo indicto, Deorum loco, in faces eliguntur cupreſſus, vt rei crementur in ſtatuis; nam, ex cupreſſu tantum, Iouis, ac Iunonis ſtatuam confieri ſolitam fuiſſe, conſtat ex Pier. Valer. lib. hierog. 51. Inſuper, leges Cæli periſſe, exageraverat ſupra: *Quo leges cecidere Poli? &c.* Ideò crementur cupreſſus, non item ampliùs tabulas latiræ, in quibus publicæ leges, vt moris olim fuit, exarentur. Sed quid plura? Si Scaliger Claudianum carpere exoptet; carpat & Virg. neceſſe eſt, qui Æn. 2. docet, cupreſſum ante Cereris deſertæ templum multos per annos ſeruatam, certè in huiuſmodi, quod ſubierat, muneris monimentum.

> *Eſt vrbe egreſſis tumulus, templumq; vetuſtum*
> *Deſertæ Cereris, iuxtaq; antiqua cupreſſus*
> *Religione Patrum multos ſeruata per annos &c.*

Et quando nam deſerta fuit Ceres, niſi cum, amiſſa Filia, Deos omnes à ſe longè, experta eſt diſceſſiſſe? *Hei mihi diſcedunt omnes &c.* Ecquando deſerta, niſi cum, peregrè proficiſcens, vt filiam inquireret ſola, facibus accenſis, totum terrarum orbem, omni omninò deſtituta ſolatio peragraret? Si itaque *Deſertæ Cereri* cupreſſus additur, certe ad cupreſſinas, quas adhibuerit, faces exprimendas additur. Quibus omnibus ſpectatis, nil mirum, ſi Auctor noſter, Virg. adhærens, recedat ab Ouid. qui Metam. 5. Pinus aſſerit à Cerere in faces aſſumptos, cum ait:

> . . *Flammiferas pinus manibus ſuccendit ab Ætna,*
> *Perq; pruinoſas tulit irrequieta tenebras.*

aptiores enim ad eruditionum pondus ſuſtinendum Cupreſſus, cum Poetarum Principe, Claudianus agnouit. Ideò *Hæ placuere faces.*

PERNIX INVADIT VTRAMQ: &c. Cererem geminas obtruncantem Cupreſſus iam graphicè, per hyppotipoſim deſcribit. A pernicitate autem, quæ idem ſit, ac velocitas, *pernix*, hoc eſt *velox*, & *præcipitanter velox* dicitur. In quo ſenſu, hoc eodem nomine vtitur Virg. Georg. 3., vbi Saturnum inducit, ſub equi forma velociſſimè fugientem, vt aduentum coniugis falleret, quæ vix eum non comprehenderat inter Phyliræ amplexus hærentem, ſic inquiens:

> *Talis & ipſe iubam ceruice effudit equina,*
> *Coniugis aduentu, pernix Saturnus: & altum*
> *Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto.*

&, quia pernicitas moram reſpuit omnem, ideò *pernix* nullà mora ruentem indicat Cererem. *Inuadere* eſt repentè, impetu, ac vi, aliquem aggredi: Sic apud Virg. Æn. 10.

> *At Iouis interea monitis Mezentius ardens*
> . . *Succedit pugnæ, Teucroſq; inuadit ouantes.*

Vtramq; autem, dixit, hoc eſt *& vnam, & alteram*, ſeparatim quidem, & alternata, mox in vnam, mox in alteram, actione; ſed pari, & per continuationem, vno, eodemq; impetu aggreſſa.

CINCTA SINVS. Expeditam vndequaq; ad opus Cererem oſtendit: ideò *cincta ſinus*, per helleniſmum, pro collectis, ſuſpenſiſq; veſtium ſinibus, eo pacto, quo vidimus Virgines, cum Venere ad colligendos flores præcinctas, lib. 2.; & eo pacto, quo Ferrarienſis Areoſtus Marphiſam ſuam ad bellicum opus expeditam deſcribit:

> *In habito ſuccinto era Marfiſa*
> . . *Qual ſi conuiene à Dama, & à guerriera.*

qui habitus negocioſis omnibus, operarijſq; valdè congruit. Si plura cupis de veſtium ſinu, de collectis veſtibus &c. vide locum cit. lib. 2.

EXSERTA MANVS. *Exerto* idem eſt, ac *nudo*: ſic exerte

re gladium dicimus, qui eum è vagina educens nudat, & ſtringit. Ideò *exſertamanus*, per helleniſmum pariter pronunciatum, idem eſt, ac *nudans*, vt expeditior eſſet, *lacertos*, vt proprium eorum eſt, qui ſyluas cædunt; manus enim hic ponitur pro lacerto, pars ſcilicet pro toto, per Synecd., vel abutitur nomine propinquo, per catacreſim. Vulgò *voltati à dietro le maniche*.

ARMATA BIPENNI. De bipenni vide dicta hoc eodem lib. carm. 79.; *armata* verò idem eſt, ac *inſtructa*, ferro videlicet offenſiuo illo, quo cupreſſus obtruncaret.

ALTERNASQ; FERIT. Alij, & rectiùs fortaſſis, legunt: *Alternanſq. ferit*. Modum actionis deſcribit; ideò antecedentibus ad actionem diſpoſitionibus, per particulam coniunctiuam conſequentem ſubnectit actionem; *Et ferit*, quod verbum vtiq; notiſſimum eſt: *Alternas*, ſeù *alternans*; hoc eſt modo hanc, modo illam alternis vicibus ferit, vt ambas ſimul proſternat.

TOTISQ; OBNIXA TREMENTES VIRIBVS IMPELLIT. Crebris vulneribus, quibus arbores afflictauerat, feroces, toto corporis niſu, impulſus addentem notat, vt proprium eorum eſt, qui debilitatas ad radicem arbores viribus corporis impellere nituntur, vt citiùs euertant: & talem mihi hic videor Cererem aſpicere, qualem ſacræ litteræ Sampſonem deſcribunt, columnas amplectentem, ac totis viribus quatientem, vellentemq;, vt totam ſuperimpoſiti molem ædificij ſubueteret. *Et impellit*; hoc eſt, robuſtiſſimis brachiorum viribus, concutit, atq; oppoſito, obnitentiq; corpore vrget in præceps. *Obnixa*: obniti enim eſt contra alicuius rei reſiſtentiam niti, vt cam euincamus. Sic Æn. 5. Palinurus ineluctabilem ventorum vim aſſerens ingruentem ait:

Conſurgunt venti: atq; in nubem cogitur aer:
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus &c. Et Æn. 3.
Obnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

Totis viribus. Quam exerto conatu luctaretur ad proſternendas arbores agnoſcas, dum quota viribus Dea eſt, totam ſe arboribus applicat, intentis neruis vt impellat, ac deijciat *trementes*. Tremor ſæpè ſæpiùs prouenit ex debilitatione neruorum, vt in Paraliticis: item tremor ex grauibus acceptis vulneribus non ſemel originem ducit: & ex vtroque capite, tremorem plantis io eſſe hic aſſerit Vates, nam altiſſimè ſæpiùs Cereris bipennem receperant; eâque debilitatæ vix proprio, nedum & impellentis ponderi ſufficiebant, nutantes ideò

PARITER TRAXERE RVINAM. Actioni effectum ex actione prouenientem ſubdit. *Pariter* eſt, hoc loco aduerb. ſocietatis, idem, ac *ſimul*; in quo ſenſu & Virg. Æn. 2.

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt.

Trahere verò *ruinam* eſt, *in præceps ruere*, ac *præcipitanter decidere*. Sic Virg. dirutam Caci domum deſcribens Æn. 8. inquit: *Iam primum ſaxis ſuſpenſam hanc aſpice rupem;*

Diſiecta procul vt moles, deſertaque montis
Stat domus: & ſcopuli ingentem traxere ruinam.

nam *ruina* à ruendo dicta, præcipitem exprimit collapſionem: Ambæ itaque cupreſſus ſimul, tantis impulſæ viribus, præcipites cecidere.

ET PARITER POSVERE COMAS. *Comam* legit Heinſius, ſed rectius vulgata, vt arbitror, cum de gemina agat cupreſſu. Comas arboris frondes eſſe, ſic per tranſlationem appellatas nemo eſt qui neſciat. *Ponere* igitur *comas*, hoc loco, nil aliud eſt, quàm *frondes in terram abijcere*; quod ad caſum plantæ conſequens eſt. Quare non hic idem per idem explicatur; ſed effectus effectui ſuperadditur; nam decidentis arboris frondes ipſo collapſionis concuſſu acerrime iactatæ ad terram inclinatæ quaſi langueſcant perituræ, conuertuntur.

CAMPOQVE RECVMBVNT. *Recumbere* idem eſt, ac proſtratum, exporrectumque iacere: quare ſtatum arborum denotat, poſt lapſum, gradatim procedendo. Simili modo loquendi vſus eſt Virg., ſerenitatis futuræ indicium aſſignans nebulas, quæ ima petant, & campis extenſæ iaceant, Georg. 2. dicens:

At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt.

Vaſtitas inſuper arborum emphaticè deſignatur hic; nam *campus* à capiendo dicitur, vt alibi dix., ingens, atque amplum terræ ſpatium planæ; & hinc quales fuerint ſuccisæ cupreſſus, quo ad dimenſionem deducitur, dum integram occupant campum.

FAVNORVM, DRYADVMQVE DOLOR. *Dolor* hic per appoſitionem habetur: & cauſatiuè, non formaliter, intelligenda ſententia eſt; eo proportionaliter pacto, quo diximus lib. 2. carm. 37. Cur autem dolor Dryadum dicatur arborum obtruncatio, vide dicta hoc eodem lib. carm. 78., ex quo, cur etiam Faunorum dolor dicatur, patebit, cum & Fauni Syluarum præſides ſint, vt dix. hoc eodem lib. carm. 17. Immò eadem de cauſa, & Syluanis dilectam indicat cupreſſum Virg. Georg. 1., cum inquit:

Et teneram ab radice ferens, Syluane, cupreſſum.

Ex hoc mirè amplificatur Cereris indignatio, quæ furiata adeò mente ferretur, vt, vel Iouem petitura non erubuerit tanto afficere dolore Dryades, Nymphas videlicet illas, quas ſacrificiorum haberet conſortes, vt Mnaſeas memorat Patareus, qui nulla fieri ſolita Cereri ſacra, ſine Nymphis, autumat; Nymphaſque illas, quarum ipſa iniurias acerbiſſimè plectere aſſueuerit; nam, à Cerere confectum fame Eriſicthonem, refert Callimachus, quòd eiſdem ſacras arbores excidiſſet. Rem attigit Ouid. etiam, Metam. 8., vbi memorans Eriſicthonem fame conſumptum, quod lucum Cereris vaſtaret; non ante tamen Deam in vltionem arſiſſe, notat, quàm temerarius ille quercum Nympharum delicias excidiſſet.

Stabat in his ingens annoſo robore Quercus
Vna nemus: vittæ mediam, memoreſque tabellæ,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.
Sæpè ſub hac Dryades feſtas duxêre choreas &c.

Hanc perfidus ille, non obſtantibus prodigijs, quibus deterreri potuerat, obtruncaſſe dicitur; eâque miſerrimè obtruncatâ, ac deiectâ.

Attonitæ Dryades damno nemorumque ſuoque
Omnes Germanæ Cererem, cum veſtibus atris
Mærentes adeunt, pœnamque Eriſicthonis orant.
Annuit his, capitiſque fuit pulcherrima motu
Concuſſit grauibus onerates meſſibus agros;
Moliturque genus pœnæ miſerabile &c.

Vindex igitur iniuriarum iam maximas vltrò infert iniurias, ipſum etiam petitura Iouem.

COMPLECTITVR AMBAS. *Complector*, non ſemel, pro *comprehendo*, *arripio*, aut *corripio* ponitur: in quo ſenſu, commune potiùs verbum eſt, quàm deponens; nam & paſſiuè vſurpatur à Cic. pro Roſcio, vbi ait: *Quo vno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur*. Hic pro *corripio* ponitur: & nota verbum furorem ſimul indicans, & affectum: furorem, quatenus idem eſt, *complectitur*, ac *corripit*, quod actum maximè indignantis exprimit, ac furentis, & in contemptum illius, cui ſacratum eſſet nemus, operantis: affectum verò, quatenùs verbum *complector* interiorem importat amoris commotionem; non enim poterat Ceres, ſine affectu, eas apprehendere faces, quas ſibi, ad quærendam filiam adiutrices fore, ſperaret. Aptè autem *Ambas*; nam hoc nomen & de duobus tantùm dicitur, & de duobus quorum priùs præceſſerit mentio, vt hic.

SICVT ERANT. Hoc eſt, non decuſſis frondibus, non deciſis ramis, nec trunco dolabris expolito, ſed quales Sylua produxerat, quales procubuerant campo, integras arripit.

ET ALTE LEVAT. Antequàm dicas *fœmineis viribus impar onus*; memineris Deam eſſe Cererem, & Deam amore ſimùl, atque ira percitam, & nil iam illi difficile arbitraberis. *Altè leuat*: *in altum erigit*, eo ſcilicet pacto, quo fuerant radicibus innixæ; ſed ita tamen, vt iam Cereris manus illis, pro ſuſtentaculo, eſſent, non radices. *Altè leuat*, quaſi ſigna attolleret in Raptorem, & quaſi Olympo oſtentans prima, quæ ipſa erexiſſet vindictarum trophæa: & *leuat*; quia ſtatus erectionis ijs conuenit, quæ ad operationem accinguntur.

ET RETRO SOLVTIS CRINIBVS. Bellatricis in morem; nam, vt alibi vidimus, Lacedemonij bellatores ſuos crinem à tergo demiſſum geſtare, iuſſerunt, vt nec hoſtes capillis manum inijcere poſſent, ſi à fronte penderent, & poſſent, ſi bellator ignauus terga vertere non erubeſceret. Furentis etiam ſpeciem præfert capillus in tergum reiectus: & ideò Tiſiphone, apud Ouid. Metam. 4. Iunonis monitu in Athamantem furens

. . . . *Vt erat turbata capillos*
Mouit, & obſtantes reiecit ab ore colubras.

Inſuper fronte capillatâ, fortuna eſt: æquum fuit, vt ea, cui fortuna aduerſaretur, ſolutos in tergum crines oſtentaret. Quod ſi cogitationum crines habeant ſignificationem, iure in tergum repelluntur ab ea, cui nulla cordi futura eſſet

N3

ſet cogitatio, præter eam, quam manu geſtabat, ideſt faces præferendi, ad filiam inquirendam, ac ne oculis luſtrantibus ſe ſe importuni crines obijcerent, in tergum abijciuntur. Tandem deſperationis indicium eſſe ſolent impexi, laniati, abiectique in tergum crines: quæ omnia cum Cereri congruerent, iure iam incedit *ſolutis retrò crinibus*, hoc eſt *in tergum abiectis*, Furiarum more, ac deſperantium.

ASCENDIT &c. Inſtructis ad ignem facibus, quo igne inflammarentur, erat inquirendum: ideò primos Cereris greſſus, ad Ætnæos apices directos, memorat, atque accenſas inde enarrat faces. *Aſcendo* ex *ad*, & ſcando componitur, abiectâ litterâ D. quare idem eſt aſcendit, ac *ſcandit ad*

FASTIGIA. *Culmen, & conus, & ſummitas vltima* cuiuſcumque rei *faſtigium* dicitur; nam *faſtigiare* eſt aliquid acuminare, & in conum erigere: quarè *faſtigium* propriè dicitur de ijs rebus, quæ à latitudine ſurgere incipiant, ac paulatim tollantur in acumen, vt profectò montes: quamuis & ad alias rerum ſummitates ſignificandas transferatur, vt apud Virg. Æn. 2. vbi Æneas

Excutior ſomno, & ſummi faſtigia tecti
Aſcenſu ſupero &c.

MONTIS ANHELI. Ætnam igne æſtuantem notat; & cauſam vnam, ex prænotatis lib. pri., nempè ventorum ſubterraneo impetu ingruentium furores, ex quibus incendia ſuſcitentur, adnotat, iuxta ibi dicta. *Anhelus* enim ab anhelitu dicitur; & anhelitus nil aliud eſt, quam vehemens aeris ad reſpirationem collecti, ſpirituumq;, interclusio, qua laterum clauſtra quatiuntur, ita vt graui licet crebro motu, modo extrorſum extuberent, modo introrſum recedant, maris quaſi æſtum imitata furentis, dum interim, violento impetu, licet vix difficultate reſpirandi ſuperata, erumpat fumi ad inſtar, vt ex ore, & ex naribus, denſa interclusi aeris euaporatio, vt videre eſt in ijs, qui, nimio labore fatigati, ægriùs ſpiritum ducunt. Hæc autem vitalis proprietas ad paſſionem, ſeù effectum montis illius indicandum, iure transfertur; nam interclusis, agitatiſq; ventorum ſpiritibus aditum quærentibus, & latera quatiuntur montis, & fumei ex eiuſdem aperto ore erumpunt globi, & ignea ſubſequitur vis, quæ, intùs accenſa, diſruptis tandem obſtaculis, ſummo pariter erumpit impetu. Ideò *anhelus* mons dicitur, qui perpetuis æſtuet incendijs, vt de Ætna jam dix. Verum quidem eſt, hanc non eſſe ſolius Ætnæ proprietatem, vt alibi adnotauimus; ſed ſermo ad Ætnam contrahitur ex reliquo contextu; & ex eodem omnis tollitur ambiguitas; nam, cum ſupra dixerit: *necdum longè illabitur Aetna*, certum remanet non alium montem per *faſtigia montis anheli* deſignatum.

ET SVPERAT ÆSTVS. Difficultates itineris, à Cerere ſuperatas, enumerat: & primo loco *æſtum* ponit, nempè nimium, ex erumpente igne productum calorem, qui potiùs igneus vapor adurens, quam ſimplex calor dici poſſit, & quem ſuperatum à Cerere aſſerit: *exſuperat* enim poſuit pro *ſuperat*, nam in eadem ſignificatione ſunt, hoc tantum intercedente diſcrimine, quod verbum compoſitum maiorem importet emphaticè difficultatem, & laborem, quam ſimplex *ſuperat*.

ET NVLLI PERVIA SAXA. Per adiunctionem figuram, hoc ipſum præcedenti verbo *exſuperat* adiungitur. Omnia, quantumuis imperuia, amantibus peruia fieri, iam diximus. Filiam deperibat Ceres: ideò & nulli peruia ſuperat ſaxa; hoc eſt montis rupes, alijs omnibus inacceſſas. Adde Deam eſſe, de qua hæc, quaſi prodigia, prædicantur, & omnis ceſſabit admiratio. De ſaxis Ætnæ vide lib. pri. in ipſius Ætnæ deſcriptione.

ATQ; CALCAT ARENAS &c. *Calcare* eſt *pede premere*, ſed *cum faſtu*, vt proprium victoris eſt deuictum prementis, ac inſuper contemnentis hoſtem; quo pacto Turnus apud Virg. Æn. 10. ſuperatum Pallanta

. . . . Laeuo preſſit pede, talia fatus
Exanimum, rapiens immania pondera baltei.

& quo pacto, apud Bracciol. de Cruce, Herinta, lib. 30.

La vincitrice all' hor ch'l piè sù 'l preſſe
Al caduto guerrier così fauella:
Và temprouera, và, campion perfetto,
Me d'incoſtante, e femina m'appella.
Tu coſtante, e viril ſei quì coſtretto
A morir per la man d'vna donzella &c.

Sic itaque & Ceres *calcat*, vincens pariter, ac deſpiciens cum faſtu, *arenas*, quæ hic ponuntur pro minutioribus ſaxis, quæ in comparatione rupium certè rationem induunt arenæ. Vel dicas, arenarum nomine, terram montis, ex nimio ignis feruore aridam, inſtar arenæ deſignaſſe. Ideò *calcat arenas*

INDIGNANTES VESTIGIA. Arenis ſenſu carentibus ſenſum tribuit, & animos quoſdã, eo pacto quo Virg. Æn. 8.

Indomitaeq; Dea: & pontem indignatus Araxes.

Indignantes autem eſt *non ferre aſſuetas*, & *ideò ſe ipſis indignum putantes* ferre *veſtigia*; hoc eſt, calcantium impreſſiones plantarum; ferunt enim, pedes ea accedentium iugæ exuri, ex feruidis, quibus ſemper obruitur, ſolùm fauillis. Quarè lib. pri. dictum fuit

Aetnaei apices ſolo cognoſcere viſu,
Non aditu tentare licet.

Aſt, dum illa difficultates exſuperat itineris, Nos iter noſtrum ad morales vertamus inſtructiones.

Cupreſſum ſibi eligit Ceres; nam, dum per ea de quibus iam diſſeruimus, deſiramenta peruagatur, mortem ſibi ipſi accelerat rationalis facultas; & tamen ex mortuorum inſignibus faces ſibi aſſumere arbitratur, quibus ſeparatarum ſtatum animarum inquirat in terris, cum tamen cupreſſus indicet, demortuos verè ſuos, vel in Cælum, vel in Tartara dimigraſſe. Si enim conſideretur cupreſſus, vt Diti ſacra, Ditem indicat mortuorum Regem: ſi, vt arbor, ex qua Iouis ſtatua conficiatur, ſupremum denotat Iouem mortis arbitrum, &, poſt mortem, viuentium in Cælis glorificatorem: Si conſideretur ſecundùm radices, quas altiùs figit ſolo, mortuorum animas comitatur ad inferos. ſi ſecundùm conum, quo in ſublime erigitur, mortuorum viuentes animas ad Cælum euehi, mutâ quâdam dictitat eloquentia. Sed cupreſſum ſuccidit, qui hæc omnia negligens, tantum in hoc inſilit, vt immortalitatem animæ terris quærat affixam; ex quo ſubindè fit, vt ſibi cupreſſum ad inferos tandem deligat ducturam: nam & Ceres ad Inferorum accedit hiatum, poſt delectas in facem cupreſſos. Optimum quidem eſſet cupreſſus in faces eligere, vt, earum ductu, ea, quæ laqueum pedibus inijcere poſſunt noſtris, penitus introſpiciamus, ne in via Dei offendicula patiamur, neue in circumpoſita dilabamur præcipitia, quod profectò aſſequeremur, ſi cupreſſum, hoc eſt mortis monimentum ſemper præ manibus, atq; ante oculos haberemus. Sed in Deum ipſum monimenta ſalutis euibrare, & ex memoria mortis fomitem augere peccandi, cum Epycureis dictitantibus: ede, bibe, lude; poſt mortem nulla voluptas, ſtulti prorsùs, ac furentis eſt, perditiſſimi animi eſt. Naſcimur ad Cælum: atq; adeò fruſtra perennatam in terris animam his facibus inquirimus. Sed iam Cererem proſequamur, ijs, quas Italica Muſa exprimat, methodis.

Così chi penſa al tragittar per l'onde
 Merci ſtraniere à ſconoſciuti lidi,
 Per ſuperar di quelle vie profonde
 Le voragini ondoſe, i flutti infidi,
 Al fabricar sù l'arenoſe ſponde
 Superba naue, ond' arriſchiar s'affidi
 Trà le morti ſe ſteſſo, oſſerua, e ſcerne
 Que legni più, ch' atti al penſier diſcerne.
Gl'alni, i faggi, gl'abeti, i pini, i cerri
 Compaſſa l'occhio, in quell' ombroſa fratta;
 Et all' hor vibra alla radice i ferri,
 Che vidde arte maeſtra, à cui s'addatta
 De gl' vſi ſuoi, perch' il miglior s'atterri;
 Mercè ch', in rozzo *ſtel di ſelua intatta, * Arſenale Lauoro ſtupe. [illegible]
 De varij ordigni ſuoi fatto il diſegno,
 Vuol, che, ſcielto, al ſuo fin ſerua ogni legno.
Quello, che di longhezza ogn' altro eccede,
 Darà l'antenne alle gonfiate vele:
 Quello, che viè più forte eſſer ſi crede,
 Reſiſterà in temone al mar crudele:
 Fia, ne remi, quell' vn, che lento cede,
 Mà non ſi ſpezza, al vogator fedele:
 Le ſentine al formar diede Natura
 Quel, ch' immerſo nell' onde, al mar s'indura.
Mà là nel boſco, ou' alla ſtrage intenta
 De tronchi più, che ad appronrar le faci,
 Cerere infuria, e 'l verde ſtuol tormenta;
 Sempre inuiolati, al Ciel, ſempre tenaci

Del

Del ſuo verde, la fronte ergean, contenta
Nel libar di Giunon * più puri i baci,
Due ſuperbi Cipreſſi, al cui decoro
L'altre piante minor cedean l'alloro *.
Vicino il ceſpo, egual la fronda, eguali
Hebber l'altezze, ond'ogni pianta è vinta,
Que gemelli Obeliſchi; e non mai tali,
Cola dell'Ida in sù la rupe, accinta
Di Troia i caſi al preſſagir ferali,
Ne vidde il Chiſma *: anzi ne reſta eſtinta
Di quei la gloria, onde ſi cinge in fronte
Quel, che d'Apol nutre le ſelue, Oronte.
Queſti piacquero in faci; e contro queſti
Ratta ſi ſcaglia ad infierir ſpietata
Spedita, e lieue, in ben ſuccinte veſti,
Snudato hà 'l braccio; e di bipenne armata,
Alternando il ferir, colpi funeſti
Fà che prouino i tronchi; ed oſtinata
Nell'eſtremo de ſforzi, entrambi afferra;
Gl'vrta, gli ſcuote, e gli rouerſcia a terra.
Caddero inſieme; e, con l'egual caduta,
Sparſe del pari al ſuol ſteſer le chiome:
Vaſto il campo gl'accoglie; e la canuta
Polue ſoruola all'atterrate ſome.
Ed ò qual duolo, ò Fauni; e qual ſcruta
Prouaſte voi, che pur sì fide al nome
Di Cerere già fuſte, ò Driadi, amiche,
Di sì bei tronchi habitatrici antiche!
Senza ſuellerne vn ramo, onde ſi ſgraue
L'altera ſalma; e del ſuo verde ſmalto
Senza ſcuoterne i fregi; anzi, quai gl'haue
Atterrati del ferro il fiero aſſalto,
Con quella mano, à cui niun pondo è graue,
Ambi gli ſtringe, e riſſollieua in alto;
Sì, ch'vn boſco portatile direſti
Che della Diua in man ritto s'inneſti.
Ella, del tergo à flagellar le neui,
Scarmigliato cader laſciando il crine,
Par, che porti nel piè l'aure più lieui,
Nell'aſcender del monte ermo il confine.
Corre d'Etna alle cime: e ſuoi ſollieui
Sono il vincer l'ardor, vincer le brine;
Varcar le rupi ad ogni ardir ſerrate;
Calcar l'arene, all'impreſſion ſdegnate.

Progrediatur itaque furens, ac nos ad Vatem noſtrum reuertamur.

* Iunonis eſt, quo altior, eo purior. Lauro victores coronabantur.

* Simois apud Troas Chiſma, vulgò dicitur Chaſma.

Qualis peſtiferas animare ad crimina Taxos
Torua Megæra ruit, Cadmi ſeù mœnia poſcat,
Siuè Thyeſtæis properet ſæuire Mycenis.
Dant tenebræ, Maneſq; locum; plantiſq; reſultant
Tartara ferratis; donec Phlegetontis ad vndas
Conſtitit, & plenos accepit lampade fluctus.

QVALIS &c. Quo vultu, quoue corporis habitu, Ceres ad inflammandas faces accederet, obiter attigerat: hic verò, aptâ, ac germanâ profectò ſimilitudine, eundem Cereris habitum ſub oculis ponere, atq; ad vnguem aggreditur, delineare. Germanâ, inquam, ſimilitudine; quia, vt notat Parrhaſ., non tunc primum furiales aſſumpſerat habitus Ceres, cum etiam tunc, cum ex Neptuno Heram conceperit, ſub forma Furiæ, cum ipſo concubuiſſe dicatur, ex quo & Erynnis nomen ipſa quoq; ſortita fuerit Ceres. Ideò aptiſſime & hic Erynni comparatur, habitû videlicet, & ad nomen, & ad furorem alluſione.

QVALIS itaque nomen aſſimilatiuum eſt, de quo vide ſupra carm. 371.

TORVA MEGAERA &c. *Toruus* idem eſt, ac terribilis, terroremq; inſpirans, vt alibi vidimus, & proprium Furiarum eſt. *Megæra* autem altera ex Furijs, vt, lib. pri., innuimus, carm. 39., eſſe dicitur: cuius ſi naturam quæras, ac quænam feralia obeat munia ſciſciteris, habes hæc omnia clarè, apud Auctorem noſtrum, expreſſa, lib. in Ruf. 1.

Improba mox ſurgit triſti de ſede Megæra,
Quam penes inſani fremitus, animique profanus
Error, & vndantes ſpumis furialibus iræ.
Non niſi quæſitum cognata cæde cruorem,
Illicitumque bibit, patrius quem fuderit enſis,
Quem dederint Fratres. Hæc terruit Herculis ora:
Hæc Agamemnonios inter bacchata Penates
Alternis luſit iugulis: Hac auſpice, tæda
Oedipodem Matri, Natæ iunxêre Thyeſten.

Μεγαίρα itaque dicitur; nam Μεγαίρω, apud Græcos idem eſt, ac, apud Latinos, *Odi*, *æmulor*, *inuideo*, vt ex ipſo nomine, Furiæ naturam penitùs introſpicias. Iure igitur Megæræ aſſimilatur Ceres, & quia ſupremo, atque implacabili, ſuccenſa odio ferebatur; & quia Dijs ipſis cælitibus, tamquam in ſe ipſam conſpirantibus, infenſos gerebat animos, & quia, vel cognato, immò & fraterno, Iouis ſcilicet, ac Plutonis, cæterorumque Deorum ſanguine, litandum ſibi exiſtimabat, ſi fieri potuiſſet, ni filiam redderent, aut a quo abuectam indicarent: *ipſum etiam poſitura Iouem &c.*

RVIT ANIMARE &c. Pro *ad animandas* faces, more poetico, per helleniſmum. De verbo *Ruo* vide dicta lib. 2. carm. 20. Alij *Armare* legunt, iuxta illud Silij 16. *Armatam hinc igne pinum, & deuoluere ſaxa &c.* Alij *Animarum* putant legendum, & *ruit*, pro *eruit*, poſitum arbitrantur. Vulgatam, pluribus Auctorum exemplis, confirmat, ac roborat Heinſius, & familiare oſtendit auctori noſtro hoc ipſo verbo ſæpius vti, in eadem, qua hic, ſignificatione. Quarè & ego vulgatam ſequor, quæ non vulgarem continet eruditionem. Et primò quidem à Zenone ſtoico *vnus ignis Anima* eſſe credebatur, & illa, de qua nos alibi Antiquorum religio, vt ignem extinguere nefas eſſet, animam non eſſe ex propria ſede deturbandam præſignabat; ac tandem Plato, 6. de Legibus, apertè igni *Animam* comparauit, dum vitam, à progenitoribus ad poſteros demandatam, in ijs agnouit facibus, quas Lampadophori, in ludis, à Prometheo inſtitutis alij alijs demandabat. Et quoniam in Prometheum incidimus, nonne ignem, quem ab ignis fonte rapuerat dictus eſt ipſe hominem animaſſe? Iure igitur *animare* faces dicuntur, quæ accenduntur; & *faces animare*, pro *faces ſuccendere* dicitur. Sic enim & Varro *Lucernæ animam* ignem, quo accenditur, compellauit, dum ait, in Bimarco, *Nocti lucernam tollo; ad locum fero; meſtis animam reuoco forte.* Quid quod aliqui, ignem viuere, enutriri, ac mori crediderint? Stet igitur vulgata lectio: *Ruit animare*

PESTIFERAS TAXOS. Dignas, mehercule, Megæra faces: nam Taxus arbor eſt, abieti, ac piceæ ſimilis (ideò ad tedas apta) bacchas ferens, quibus lethale venenum ineſt, præcipuè in Hiſpania, & Arcadia. Vaſa etiam viatoria, ex Taxo, apud Gallos, conſtructa, viniſque deferendis accommodata, mortifera fuiſſe compertum eſt: immò Taxos in Arcadia repertos fuiſſe, aſſerunt, tam præſentis veneni, vt ſi quis, ſubearum vmbra, vel dormiat, vel cibum capiat, illicò moriatur. Ex quo, credunt quamplurimi, quæ *toxica* nunc diximus, *Taxica* olim vocata peſtifera orbi venena. Hanc arborem, etiam apibus infeſtiſſimam notat Virg.; dum, apud eum Lycidas Ecl. 9. *Sic tua Cyrnæas fugiant examina Taxos.*
Cirnæas autem vocat à Cirne, vulgò *La Corſica*, quæ plurimas progignere dicitur Taxos: & 4. pariter Georg., Taxum præcipit ab aluearibus, remouendam.

Neu propiùs tectis Taxum ſine; neue rubentes
Vre foco cancros &c.

Ex his patet, quam iure *peſtifera*, hoc eſt *peſtem ferens*, dicatur hæc arbor, & quam digna Megæræ manibus adſit.

AD CRIMINA. *Crimen* in duplici ſignificatione vſurpari comperio: primò quidem pro delicto, quod adnexam habeat atrocitatem. Sic apud Virg. Aen. 6.

Quæſitor Minos vrnam mouet: ille ſilentum
Conciliumq; vocat, vitaſq; & crimina diſcit.

ſecundò pro diſcordia, ex qua, tamquam ex fonte, plurima, ac nefaria crimina exoriantur. Sic, apud eumdem Virg.

Æn. 7., Iuno, Alectum excitans ad diſcordias ſuſcitandas, inquit: *Tu potes vnanimes armare in prælia fratres;*

Atq; odijs verſare domos: tu verbera tectis,
Funereaſq; inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus:
Disijce compoſitam pacem; ſere crimina belli.

Hoc eſt *diſcordias, bellum commouentes*, vt communiter exponunt Interpretes. Vtramque ſignificationem complectitur Vates; nam ſi conſideres perſonam accendentis faces, nempè Megæram, crimina parat ipſa perpetrare, dum deprauare homines, ac in mutuas impellere cædes, meditatur: ſi verò media quæras, quibus hæc peragat, certè, per immiſſas diſcordias, ac cædes accendit, & ad ſcelera excitat: ſi rurſùm perſonas, funalibus attactas tedis conſideres, diſcordijs furunt cædibus exultant. Quarè *ad crimina* intellige, vel ab ipſa Furia patranda, dum homines deprauat, vel ſerenda, dum diſcordias ſerit, vel colligenda, dum ex ſemine diſcordiarum ſcelerum meſſem colligit vberrimam, ab inflammatis expreſſam.

SEV POSCAT MOENIA CADMI &c. Qua occaſione tales Megæra faces accendat, erudite commemorat, vt in vno, aut altero exemplo, ediſcas, ad quid illa faces aſſumat, & crimine ab vno diſcas omnes. *Seu* particula eſt, vt ſæpè dix., diſiunctiua, quod ea coniungimus, quorum, non vtrumque, ſed alterutrum affirmamus. *Poſcat* idem hic eſt, ac *aggrediatur*, ſeu potiùs *aggredi meditetur*; nam de præparatione ad aggreſſionem hic agitur. Per *mœnia Cadmi* Thebas Bœotiorum à Cadmo conditas deſignat, atq; vrbis originem obiter attingit. Notam iam lippis, & tonſoribus fabulam fuiſſe, non ambigo, quam de conditis Thebis latè proſequitur Ouid. Metam. 3. ſed, ne apud imperitos, aliquid in obſcuro videar relinquere, eam hic repetere non grauabor. Rapta itaque Europa, vt alibi dix., Agenoris filia, abs Ioue, ſub forma Tauri, decepta; Agenoreius pater, qui tunc in Phœnicia regnaret, Cadmo filio itidem ſuo, ac raptæ fratri, imperauit, vt ad inquirendam, quam amiſſam putauerat, Europam proficiſceretur, & vel eam inueniret, vel domum ne ipſe quidem rediret. Cadmus, imperata facturus, cum iam totum ferè terrarum orbem peragraſſet, nec ſororem vſquam inueniſſet, Apollinem conſuluit, qua in orbis parte, exul à Patre, degere iam poſſet. Cui hæc ex Oraculo, apud Ouid. cit, reſponſa.

Bos tibi (Phœbus ait) ſolis occurret in aruis,
Nullum paſſa iugum, curuiq; immunis aratri;
Hac duce carpe vias, &, quà requieuerit herba,
Mœnia fac condas; Bœotiaq; illa vocato.

digreſſus itaque è templo Cadmus Bouem inuenit; ſecutus eiuſdem veſtigia, vbi ea conſtitit, ſuperatis difficultatibus, quæ ex dracone, ac turmis, eiuſdem ex dentibus, quos ſeuerat, enatis, vt Cadmum perderent, tandem vrbem condidit, quam *Bœotiam*, iuxta Oraculum, & Thebas, ab Aegyptijs Thebis deſumpto nomine, appellauit: &, vt ait Ouid. cit,

Iam ſtabant Thebæ; poteras iam, Cadme, videri
Exilio felix: ſoceri tibi Marſq;, Venuſq;
Contigerant; huc adde genus de coniuge tanta
Tot natos, nataſq; & pignora cara Nepotes,
Hos quoq; iam iuuenes. Sed ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt; dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaq; funera debet.

Primus Cadmi luctus Actæon, eiuſdem Nepos, fuit, eo quod Dianam ſe lauantem in Gargaphijs viderit, in ceruum conuerſus, atq; à proprijs canibus laceratus. Semelem ſubinde, Cadmi filiam, à Ioue compreſſam, Iuno in fraudem impulit, vt fulminibus obruta interiret, quod alibi explicuimus. Sed cæteris Cadmi infortunijs omiſſis, quæ ad Megæram pertineant referamus. Ino Semelis ſoror, ac Bacchi nutrix, vxor fuit Athamantis, cætera fœlix, niſi in Iunonis odium incidiſſet, eo, quod nimium alumno Libero deferret, vt notat Ouid. Metam. 4. Iuno itaque, vt & hanc perderet, iter in Tartara arripuit; atq; excitatis in Athamantis regiam furijs, effecit, vt Athamas Learchum filium, quem veneno infectus furiali, leonem crediderat, occidere, vxoremque, ac alterum filium, Melicertam nomine, adeò perſequeretur, vt Ino e ſcopulo ſe, ſimul cum puero, quem in vlnis ſtrinxerat, præcipitem dederit. Sed, præter ea quæ diximus, quot ſemper, & quantis Thebas funeſtauit tragædijs furens Megæra? Quis Agauem Cadmi filiam impulit, vt Pantheum, a ſe genitum diſcerperet? Audi Lucanum Pharſ. pri., qui, non abſimilem ab hac Auctoris noſtri, ſimilitudinem inſtituens hæc habet, de Roma loquens, cui ciuile bellum immineret.

. . . . . *Ingens vrbem cingebat Erynnis*
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentesque comas. Thebanam qualis Agauem
Impulit, aut ſæui contorſit tela Lycurgi
Eumenis; aut qualem iuſſu Iunonis iniquæ
Horruit Alcides, viſo iam Dite Megæram.

Quis Etheoclis, & Pollinicis funera neſciat? Nonne Etheocles Oedipi, ex Thebarum rege Laio progeniti, filius, ex nefario cum Matre ipſius Oedipi concubitu natus Pollinicem fratrem regno expulit; qui ſubinde, dum bello ſe in regnum reſtituere conatetur, inito cum fratre certamine, & eum occidit, & ab ipſo eodem tempore, in eodem campo, occiſus interijt? Vnde Herculeus, iuxta cit. Luc., in liberos furor &c. Sed, iam conſumptis Thebis, conſumptus & furor admonet, vt ad vlteriora procedamus. Vides hæc omnia in cit. ſupra carminibus Auctoris noſtri. Vnum aduerte, hanc nempe tot tragediarum excitatricem facem, quam Auctor noſter Megæræ attribuit, Tiſiphoni ab Ouid. attribui Metam. 4.

Nec mora Tiſiphone madefactam ſanguine ſumit
Importuna facem &c,

Verùm ne mireris: nam, cum furiæ ſorores ſint, munia etiam habent communia, & ideò promiſcuè, & nomina vſurpantur ad libitum, &, dum geſta enarrantur, modò huic, modò illi, pro libito addicuntur. Rectiùs tamen dicerem, ſpectato Megæræ nomine, illi dandum fuiſſe, cum Vate noſtro, munus enarratum, quam Tiſiphoni, cum Ouid.

SIVE PROPERET SÆVIRE &c. De particula *ſiue* vide ſupra, §. *ſeu &c.* De verbo *properet* vide pariter in anteactis carm. 360. *Sæuire* autem eſt crudeliter in aliquem agere; nam ſæuities crudelitas eſt.

MYCENIS THYESTEIS. Locum exprimit, in quo Furia deſæuierit: nam aliud infandis ſcelerum tragicis theatrum exhibuere Mycenæ, quæ Ciuitas in Peloponeſo a Perſeo Iouis ex Danae filio condita, vt ferunt; & in qua poſtea regnauit Agamemnon, ex quo Mycenas Agamemnonias cognominauit Virg. Æn 6., vbi hæc habentur;

Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas.

& hoc ipſum eſt, quod innuit Auctor, loco, ex primo in Ruf. cit. dum ait:

Hæc Agamemnonios inter bacchata Penates
Alternis luſit iugulis &c.

Mycenas autem appellatas tradunt, ex eo, quòd Perſeo, eo in loco, in quo vrbem condidit *Μύκης*, hoc eſt gladij capulus excidiſſet. Thyeſteas verò denominat Auctor noſter à Thyeſte, quem Pelops, Tantali ex Euryanaſſe filius, ex Hyppodamia dicitur genuiſſe; hic enim regnauit Mycenis tunc, cum ea in regia maxime debaccharetur Megæra, Quare Vates, ad notandum Furiæ irruentis tempus, Thyeſteas memorat Mycenas. Thyeſteas porrò tragædias, & Vectius, & alij luculentis carminibus tradidere: ſed, quod ad rem facit, in memoriam reuocanda eſt Senecæ fabula, qui Megæræ opera, excitatam ab Inferis Tantali vmbram effingit, ad inflammandas ad ſcelera fratrum mentes; ſic enim apud ipſum Megæra Tantali vmbrã alloquitur,

Perge deteſtabilis vmbra, & Penates impios furijs age.

Sed, quæ Seneca, Tantali vmbra mediante, Auctor noſter immediatè ipſi attribuit Megæræ; nam cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Thyeſtes itaque fratrem habuit Atreum, Agamemnonis Patrem; cumque Regnum ipſi à Patre Pelope, hac conditione, accepiſſent, vt alternis regnarent annis; ſiuè quia *Regnum non capit duos*; ſiuè, vt alij volunt, Mercurio pœnas repoſcente, ob Myrtillum à Pelope cæſum, motuis adeò odijs Atreus, ac Thyeſtes exarſère, vt alter alteri inſidias ſtruere non deſiſteret. Thyeſtes tandem, vt ex Senec. tragæd. habetur, quo faciliùs aureo vellere, in quo regni fata conſiſterent, poiiretur, Aeropem Atrei vxorem compreſſit, ex eaque filios ſuſcepit. Re cognita, Atreus bello eum in exilium eiecit: ſed mox atrociores vindictas meditatus, ſimulata gratiâ, fratrem ad ſe reuocauit; treſque eius filios decoctos ſic illi appoſuit comedendos, vt, ſanguinem quoque poculis immiſcuiſſe, credatur. Quod ſcelus impium adeò, crudele, ac infandum viſum fuit, vt ne illud aſpiceret Sol ipſe, aliò radios ſuos dicitur conuertiſſe: quod & meminit Lucanus Pharſ. 1.

Ipſo cæpit medio Titan, cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Inuoluitque orbem tenebris, gentesſque coegit
Deſperare diem: qualem, fugiente per ortus
Sole, Thyeſtææ noctem duxere Mycenæ &c.

atque ad hæc ipſum alludens, Æn. 1. inquit:

Non

Nec tam auerſus equos Tyria Sol auferet ab vrbe.
ex quo ſubinde illatu Carniuoros Numæ prohibitio, apud Ouid. Metam. 15.

Neue Thyeſteis cumulemus viſcera menſis.

Thyeſtes iterum filiam ſuam compreſſit, ex eaque Ægiſtum ſuſcepit filium, quem infantulum mater, cauſa tegendi ſceleris, perdendum feris expoſuit in ſyluis; ſed à Paſtore inuentus, & capris enutritus *αιγισθος*, à Capra, quæ *αιγα*, eſt nominatus: prouectiori poſtea adultus ætate, Atreum, impellente tamen Patre, interfecit, & eiuſdem filium Agamemnonem in balneis, vel, vt alij volunt, in primo egreſſu ab ijs, adiuuante vxore Clytemneſtra, qua etiam turpiſſimè vſus fuerat obtruncauit; poſtremò ab Oreſte Agamemnonis filio & ipſe obtruncatus, vnà cum Clytemneſtra, eiuſdem Oreſtis Matre, vt paternæ cædis, & adulterij criminibus obnoxia. Exinde furijs agitatus Oreſtes &c. de quibus alibi diximus. Quare de Mycenis non minus, quàm de Thebis, dici poſſe iam noueris id, quod de Furia Thebas tendente cecinit Statius, apud Parthaſ. hic:

Arripit extemplo Maleæ de valle reſurgens,
Notum iter ad Thebas: neque enim velocior vllas
Itque reditque vias, cognataque Tartara mauult.

Ex his igitur effectibus dignoſcere abundè licet ipſius cauſæ paſſiones, nempè quàm atrox vultu, quàm torua oculis, quàm toto furiata corpore ſeſe ad hæc Megæra accinxerit. Horrida ipſis Tartaris erat, vt innuit Vates; & ideò

DANT TENEBRÆ MANESQ; LOCVM. Ex aſpectu furentis Megæræ perterritos inferorum cultores, ac verſos indicat in fugam. *Dant locum*; hoc eſt *recedunt ab illa, ac longè diffugiunt*, horrore perculſæ *tenebræ*. Tenebrarum nomine ipſam Inferorum fuliginem, & obſcuritatem intelligit Parthaſ.; ſic enim hunc locum exponit: *obſcuritas, & vmbra ſu[illegible]; altera lucis aduentu; altera metu Furiæ.* Sed cuiuſnam, quæſo, lucis aduentu, obſcuritas fugiat? An ignis, quem ſpiret oculis furia? Sed Infernus ignis ſine luce flagrat, vt omnibus notum eſt. An face ab eadem arrepta, qua ad crimina incitaret? Sed ea nondum accenſa eſt; ſed ad accendendam iuit, & poſtmodum accendi videbimus. An Furia ipſa ardore ſuo ſcintillat? Sed eo ipſo, quod Furia eſt, tetrica eſt. Arbitror itaque hallucinatum, hoc loco, Parrhaſium, eo, quod myſticam tenebrarum ſignificationem neglexerit. Per tenebras igitur, tàm atratum pompæ apparatum, quam mortem ipſam, ſignificarunt Antiqui, vt refert Pier. hierogl. lib. 29., immò & per *tenebras, iniquitatem, infidelitatem*, ac *aduerſantia omnia, mortiſq; acerbitatem* expreſſere ipſa ſacrarum ſymbola ſcripturarum, vt docet Eucherius, apud eumdem Pier. lib. 20. Quare & ab Auctore noſtro, tenebrarum nomine, eas omnes inferorum cateruas, arbitror, deſignari, quæ aduerſantium omnium artifices, infidelitate, iniquitate, ac ſæuitia vigent; quas ideò cedere loco, dixerit; quia victas ſe vnius Megæræ perfidia, ac terribilitate perſpexerint. *Vmbras* dici defunctorum *Animas*, ſæpè vidimus; cur non tenebrarum nomine iſtiuſmodi Animarum peſtes deſignentur? Timent itaque hæ peſtes ipſæ truculentiorem ſe ipſis peſtem in Megæra furentem Terræ, ac tenebrarum filias dicit Sophocles Furias: ſi itaque tenebræ dant locum, iam certè truculentior progenitoribus Filia extet Megæra neceſſe eſt. *Maneſque.* Vel animas ſeparatas intellige, vel dæmones ipſos inferorum præſides; in vtràq; enim ſignificatione, *Manium* vidimus nomen vſurpari; ſicq; agnoſces, non ſine gradatione, poeticum ſermonem procedere. Simile quid habet & Tibullus.

Tiſiphoneq; impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, & huc illuc impia turba fugit.

ET TARTARA RESVLTANT FERRATIS PLANTIS. Quæ ſint Tartara ſæpè vidimus: reſultare autem propriè eſt *iterum, iterumq; ſurſum ſaltare*; vt cum pila pauimento illiſa ſurſum reſilit: ſed, quia ea, quæ vehementi ſonitu repercuſſa reboant, reſilire quodammodò, & ſurſum ferè ſaltare videantur trementia; ideò verbum *reſultare*, transfertur etiam ad ſignificandam hanc ſonitus repercuſſionem. Sic Virg. Æn. 5., huiuſmodi motum in rebus repercuſſis deſcribens, ait:

Tum plauſu, fremituq; virum, ſtudijſq; fauentum
Conſonat omne nemus; vocemq; incluſa volutant
Littora: pulſati colles clamore reſultant.

& idem ferè repetit Aen. 8. de Saliorum cantibus agens

Conſonat omne nemus ſtrepitu, colleſq; reſultant.

Quarè *Tartara reſultant*, hoc eſt reſonant, vel reboant, ac tremunt, *Ferratis plantis*. Aeripedes Furias eſſe cecinit Sophocles in Electra, vt apud Mythol. Nat. Com. lib. 3. cap. 10. Quare & hic *ferrati* Megæræ pedes tribuuntur, quorum dum rueret, ſtrepitu horrificè Tartara reſultarent. Alij *ferratis portis*; vel *ferratis palmis*. Sed perplacet vulgata, quippè eruditioni innixa.

DONEC CONSTITIT AD VNDAS PHLEGETONTIS. Et quò vſque Megæræ curſus perdurauerit, & quò vſque, æripedis ſtrepitu, Tartara reſultarint, per aduerb. adnotat *Donec*. Sed nota additi verbi proprietatem: nam *conſiſtere* propriè non eſt *ab incæpto itinere omninò deſiſtere*, licet non ſemel in hac ſignificatione vſurpetur: ſed propriè eſt *incæptum iter mora aliqua interrumpere*, non vt abrumpatur, ſed vt reſumatur. Ideò *donec conſtitit*; non enim terminum itineris ſui Phlegetontem ſtatuerat Erynnis; ſed ibi paulìſper ab itinere abſtitit, vt faces accenderet, quibus ſuccenſis, ad metam rueret deſtinatam; nempe *ad vndas &c*. Alij legunt *In vnda*. Sed quia non video, cur, ad finem intentum debuerit in vndas deſcendere, atque in ijs conſiſtere, cum faces æquè bene poſſet è fluuij margine ſuccendere; ideò benè arbitror, cum Heinſio, dictum *ad vndas*; nam præpoſitio *ad* vicinitatem ſignificat, vt omnibus notum eſt: quare, dum dicitur conſtitiſſe *ad vndas*, in littore conſtitiſſe, ſatis oſtenditur, Phlegetontis, quem fluuium igneũ eſſe vidimus, lib. 1. carm. 24. vbi, & de eo fusè.

ET ACCEPIT LAMPADE PLENOS FLVCTVS. Cur ſteterit ad flumen, ac quid egerit indicat. *Et excepit* legit Heinſius: & meliùs, vt arbitror, licet Parrhaſ., cum communi, legat *Accepit*: nam quamuis ego *Accepit* non improbem, quia tandem idem ſonat, ac *ſumpſit ab eo flumine &c.* attamen, vt fatear, aptiùs exprimit factum *excepit*: licet enim *excipere*, pro *accipere*, & *recipere* ſumatur, nihilominùs ex vi compoſitionis aliquam habet peculiarem ſignificationem, quæ hic profectò venit exprimendam. *Excipere* igitur ſignificat, *cum exceptione capere, ſeù aſſumere*, quod fit, cum ex aliquo toto ſelecta pars aſſumitur, cæteræ relinquuntur: cùm itaque Megæra licet dicatur *plenos fluctus* hauſiſſe, non totum exhauſerit flumen, ſed totam facem ea parte aſſumpta fluminis, incenderit: rectè *excepit lampade &c.* hoc eſt, ea face, de qua ſupra ea Taxo concinnata; nam lampas, & fax, pari pacto, à *τῶ τῦ λάμπειν*, quod eſt *ſplendere* deducitur: & lampadem, pro face poſitam, pariter habebis, Æn. 6., vbi de Salmoneo agens Virg. hæc canit:

Quatuor hic inuectus equis, & lampada quaſſans &c.

& clariùs Aen. 9. de Turno hoſtilem incendente turrim.

Princeps ardentem coniecit lampada Turnus;
Et flammam affixit lateri &c.

Plenos autem dicit *fluctus*; hoc eſt *abundantes, cumulatos, exuberanteſq;*, quantum nempè ſatis, ſuperq. eſſent ad tedam inflammandam. Cum verò *fluctus* inquit, non addidit igneos, quia hoc ſans conſtare, præſupponitur ex ipſa natura fluminis, qui igneas vehat vndas, vt dix. lib. 1. cit.

Si iam hic quæ ad mores pertineant expectes, vno verbo abſoluam; rationalem ſcilicet facultatem, à recto Cæli tramite declinantem; ideoq; in hæreſum errores ruentem, dum tedas inflammatura infectibus ignibus ruit; atq; in Cælum minatur, vt ipſa inſons appareat, dum iure plectitur; meritò furialibus auſis comparari; immò in furiam conuerti, immaniſſimorum ſcelerum originem. Quam ſimilitudinė, quo metro, Italica explicet Muſa percipiamus.

Tal, di Pluton trà i cauernoſi horrori,
Torua Megera i ſuoi furor ſoſpinge;
Ne peſtiferi Taſſi atri fulgori
All'hor ch'inſana ad auuiuar s'accinge;
O ſe di Cadmo in deteſtandi errori
Voglia auuolger le mura; ò ſe ſi ſpinge
Al produr di que moſtri, onde ſi veggia
D'empio Thieſte imperuerſar la Reggia.
Corre veloce: e gli ſi ſgombra innante
Dalle torme d'Auerno ogni ſentiero;
Che non ſoſtien di sì crudel ſembiante
Peſte, ò ſpirto verun l'aſpetto altiero.
Scoſſe treman le grotte, e riſuonante
Riſponde il centro al calpeſtio guerriero
Del ferreo piè, che di tremoto in guiſa,
N'introna gl'antri, e del furor gl'auuiſa.

Mà, quando poi sù l'infuocate ſponde
L'Hidra d'horror di Flegetonte arriua,
Raffrena il corſo, e nel bollor dell'onde,
Che d'incendio fatal le fiamme auuiua,
Gl'auuelenati taſſi ad arte infonde,
E del fiume gl'ardori in lor deriua,
Sin ch'à pieno auuampanti indi gli tragge,
Faci addattate al fulminar la ſtragge.

Fulmina quæ Deus auertat, dum Nos interim Cererem proſequimur.

Poſtquam eſt peruentum ſcopuli flagrantis in ora,
Protinùs arſuras auerſa fronte cupreſſus
Faucibus iniècit medijs, latèq; cauernas
Texit, & vndantem flammarum obſtruxit hiatum.
Compreſſo mons igne tonat; clauſuſq; laborat
Mulciber, obducti nequeunt exire vapores,
Coniferi micuere apices; ereuitq; fauillis
Ætna nouis: ſtrident admiſſo ſulphure rami.
Tùm, ne deficerent tantis erroribus ignes,
Semper inocciduos, inſopitoſq; manere,
Iuſſit; & arcano perfudit robora ſucco,
Quo Phaeton irrorat equos, quo Luna iuuencos,
Iamq; ſoporiferas nocturna ſilentia terris
Explicuère vices: laniato pectore longas
Inchoat illa vias; & ſic ingreſſa profatur,

POSTQVAM EST PERVENTVM &c. Quomodò faces accenderit Ceres, iam per hypotipoſim, ab adiunctis deductam graphicè deſcribit: ac ſuccenſionis recenſet circumſtantias. Medicis ſubindè ſuccis eaſdem refert perfudiſſe, vt deſiderio ſufficerent, ac tandem iter ingredientem oſtendit; atque ad enarrandum lugubre ipſius ſoliloquium viam patefacit & ipſe. *Poſtquam* connexiua particula eſt, qua dicta ſequentibus connectuntur. Sic Virg. Aen. 4. connexiuè, procedens, inquit:

Poſtquam altos ventum in montes, atq; inuia luſtra,
Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ &c.

Eſt peruentum: impersonaliter paſſiuè poſitum, licet à verbo perſonali *peruenio* deriuatum. Atq; hoc ipſum cum particula *poſtquam* coniunxit Virg. Georg. 4., de Ariſtæi cum matre congreſſu loquens:

Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta
Peruentum, & nati fletus cognouit inanes
Cyrene &c. Et Aen. 2.
Aſt vbi iam Patriæ ventum eſt ad limina ſedis &c.

peruenisse autem eſt ſtatutam itineris metam attigiſſe.

IN ORA SCOPVLI FLAGRANTIS. *In*, pro *vſq; ad*, ponitur; in hac enim ſignificatione, ſæpè ab Auctoribus vſurpatum nemo ignorat. Sic Martialis lib. 5., Epig. 73., de Acerra, hæc habet:

Heſterno fœtere mero, qui credit, Acerram,
Fallitur: in lucem ſemper Acerra bibit.

hoc eſt *vſque ad* lucem, vt exponunt Interpretes. *Ora* verò, de quibus hic mentio, non ſunt cauitates illæ viuentium, in quibus lingua, & dentes concluduntur. Sed translatè vſurpantur, ad denotandam ingentem illam cauitatem, ſeù hiatum montis, quas *crateras* appellant, vt alibi diximus, & vnde ignis euoluitur ad axem. *Scopulus* autem propriè dicitur ſaxum ingens, dorſum immane mari ſummo, hoc eſt, inſtar montis erectum in mari; ſed per translationem transfertur ad ſignificandos quoſcumq; montes. Sic Virg. Georg 3., vbi de pernicitate Olisiponenſium agens equarum, hæc habet:

Saxa per & ſcopulos, & depreſſas conualles,
Diffugiunt &c.

Sic igitur, & hoc loco, *ſcopuli*: hoc eſt *montes flagrantis*, nempè *flumen incendium alentis*: & Aetnam periphraſticè deſignat.

PROTINVS &c. Aduerb. eſt accelerandi, idem ſonans, ac *ſtatim, ſubitò, illicò*: vulgò *ſenz' indugio*: quo aduerbio vtitur Vates ad oſtendendam celeritatem Cereris incæpta proſequentis, eo pacto, quo Virg. celeritatem, qua fama Aeneæ, ac Didonis Amores peruulgauerit, oſtendurus, inquit, Aen. 4.

Protinùs ad Regem curſus detorquet Iarbam,
Incenditq; animum dictis, atq; aggerat iras.

Scio equidem, hoc ipſum aduerb. *protinùs* non ſemel pro eodem accipi, ac *omninò*. In quo ſenſu Virg. de diuiſione Trinacriæ diſſerens ab Italia, Aen. 3., ait:

Hæc loca vi quondam, & vaſta conuulſa ruina
Diſsiluiſſe ferunt; cum protinùs vtraq; tellus
Vna foret.

Quarè, ſi quis aduerbium illud cum participio potiùs *arſuras* iungeret, quam cum Cereris actione, per verbum *iniècit* expreſſam; ita vt *omninò arſuras* ſignificaret, non abnuerem. Sed aptiùs ad furorem, ac feſtinationem Cereris videtur, ſi actioni iungatur, vt ſupra.

INIECIT CVPRESSVS. *Iniicere* propriè eſt *intus iacere, immittere, intrudere*. Sic Virg. Aen. 2.

Non tulit hanc ſpeciem; furiata mente Chorœbus
Et ſe ſe medium iniecit moriturus in agmen.

ſic itaq; & Ceres cupreſſus ſuos, de quibus ſup. *iniecit*

FAVCIBVS MEDIIS. *In medias*, non dixit *fauces*, prout requiri videbatur à verbo, quod ſi diſſoluatur, *iacere in* ſonat; ſed *faucibus medijs*; nam *inijcere*, cum commodum, aut incommodum rei, cui quid inijcit, importat, etiam cum tertio caſu conſtruitur: Sic *inijcere alicui cupiditatem* ait ſæpiùs in Epiſt. Cic. Quare, cum hic, iniuriâ montis, euenturum eſſet, vt immiſſis premeretur cupreſſibus, quod infra apertè patebit, iure optimo datiuo iungitur *medijs faucibus*. Fauces quid ſint, alibi diximus, & ſatis per ſe notum eſt. Hic translatè ſignificat apertum montis hiatum, de quo ſupra: & nota quam benè allegoria cohæreat; nam *ora* dixerat: & fauces correſpondet.

AVERSA FRONTE. Quo modo cupreſſus Aetnæas in fauces inieccrit, hoc eſt cacumine in imum deiecto, hic deſcribit: quarè, non *auerſa*, ſed *aduerſa*, legendum eſſe, contendit Heinſius. Et quidem ſi nomen *aduerſa* ſumatur reſpectiuè ad flammas, quibus arbores obijciebantur, certè cum Heinſio legendum eſt; nam *aduerſus* dicitur qui, *versâ ad aliquem fronte*, ſtatuitur: Sic vulnera accipere, aduerſâ fronte dicitur, qui, iuſto dimicans bello, frontem ab hoſte interritus non auertit & recipere, auerſâ fronte dicitur, qui terga vertens vulneretur, dum fugit. Quamobrem & cupreſſus, cum, aduerſà in flammas fronte, impellerentur, non immeritò ſic legendum cenſuit Heinſius. Verùm, non reſpectiuè ad flammas, quibus obijcerentur, hoc dictum, arbitror; ſed potiùs reſpectiuè ad connaturalem arborum ſitum, quibus cum proprium ſit culmen ad Cælum erigere, eo ipſo, quod inuerterentur, deiecto centrum verſus cacumine, rectè *auerſa* à naturali ſitu *fronte*, dicuntur faucibus igneis mergi. Ideò vulgatam ſecutus nil arbitror immutandum: quamuis nec Heinſium improbauerim, cum, reſpectu diuerſorum, diuerſa eidem congruere poſſit denominatio. Quid autem hic nomine frontis veniat, ſatis ex dictis patet. Sed Parrhaſium video explicationi noſtræ repugnantem, qui particulas *auerſâ fronte*, non *ad arborem*, ſed *ad Cererem* refert: *Auerſâ enim Corpo fronte* (inquit ipſe in hunc locum) *iniecit &c. quia fumo mixtam fauillam ex hiatu erumpentem ferre aduerſâ fronte non poterat*. Nec diſpliceret profectò explicatio; nam præter morem quem ſequitur naturalem, oculos, faciemq; à fumiferis caminis auertendi; importaret etiam efformatum hieroglyphicum, ſeù potiùs præſagium, quo oſtenderetur Ceres, funebres quidem faces accendere potuiſſe, ſed ad funus, non ad recuperationem filiæ: dum auerſa facie faces ferret, morem ſuccendentis rogum imitata. Verùm, quantumuis viuida, quantumuis erudita ſit explicatio, eidem aſſentiri non poſſum: neque enim licet propoſitiones, quæ contradicentium faciem præferre poſſint, admittere, vt eruditionem ſequamur. Cum itaque dixerit Vates, intrepido Cererem vultu *æſtum*, hoc eſt igneum montis vaporem, arenaſq; indignantes veſtigia, vrendo ſcilicet, arcentes, vt Parrhaſ. ipſe exponit, ſuſtinuiſſe; Quomodo iam hic Ceres fumum ferre non valeat? Quæ vrentes, in aſſenſu, fauillas ſuperarit interrita, hic iam non ferat, quia fumo commixtas! Ergo magis iam fumus lædat, quam fauilla. nam hæc ſine fumo euincitur, admixta fumo non euincitur. Nonne hoc eſſet, igne triumphaliter calcato, fumum imbecilliter pertimeſcere? Quod ſi inſuperabilia, & nulli peruia ſuperaſſe dicitur Ceres, quia Dea, quia furens: an, quà magis opus fuerat,

deſinit eſſe Dea, deſinit eſſe furens? Quam benè hæc Inuicem cohæreant, videat ipſe. Ego germanum me Vatis ſenſum arbitror attigiſſe, cum dixerim: *Auerſa fronte*, hoc eſt *inuerſas* cupreſſos iniecisſe, ſine vlla mora in igneas montis crateras; cupreſſus, inquam, *arſuras*; ideſt quæ in faces aſſumptæ in fauces mergebantur, ex quibus ignem conciperent, quo verè *faces ardentes* collucerent.

ET LATE TEXIT CAVERNAS. Cupreſſuum magnitudinem oſtendit, quæ, ipsâ mole ſuâ, integrum ferè nemus expreſſiſſe conijciuntur, ex eo quod vaſtiſſimum Aetnæi montis hiatum extruxiſſe dicantur: ex effectu enim certè qualitas dignoſcitur cauſæ. *Latè* idem ſæpè ſonat, ac *vndequàque*: Sic Virg., Georg. pri., de exundante flumine, ac campos limo operiente vndequàq;, ait:

Exit, & obducto latè tenet omnia limo.

Pariter *latè* idem interdum eſt, ac *vndequàq; per circuitum*: ſic Virg. Georg. 2, de malo medico odores in ſphœram ſpirante.

Et, ſi non alium latè ſpiraret odorem,
Laurus erat &c.

In hoc eodem ſenſu adeſt hic aduerb. *latè*. Sed nota, cur potiùs *latè* dixerit Vates, quam *vndique*, vel *plenè*, aut potiùs *totas texit cauernas &c.*; ratio enim eſt, quia his, quos ſuggerimus, dicendi modis expreſſiſſet quidem obſtructa omninò cauernarum ora arboribus iniectis; ſed ora illa magnam in latitudinem protenſa non expreſſiſſet, ſicuti exprimit, per ſuprapoſitum aduerb.; *latè* enim obſtrui non poteſt, quod latitudinem, & vaſtitatem non habeat. Latas itaque latè *texit*; hoc eſt iniectis obſtruens occupauit arboribus. Conſimili autem modo, licet in re diſſimili, loquitur Torquatus Taſſus Hieroſ. liber. Cantu 10., Solimanum ſubterranei cuniculi, quem ingrediebatur, ora vaſtâ corporis mole occupantem deſcribens:

Coſi diſs' egli: e 'l Caualliero all' hora
Co'l gran corpo ingombrò l'humil cauerna.

Porrò *cauerna ſpecus*, & *antrum ſubterraneum* eſt: ideòq; plurali vtitur nomine, quia, in Aetna monte, ignibus hinc illinc depaſcentibus, plures, ingenteſq; in vtero montis cauernas extitiſſe, nulli dubium eſt; & ideò aptè *texit*, ideſt *obtinuit*, non *impleuit* cauernas; impleri enim tot, circumquaque effuſi, ſpecus, geminâ, quamuis immani arbore non poterant: at confluentibus cauernarum faucibus, conſpirantibuſque in vnum illum montis hiatum, Crateras appellatum, benè eo obſtructo tegi, hoc eſt obturari dicuntur cauernæ.

ET OBSTRVXIT HIATVM VNDANTEM FLAMMARVM. Explicat hic, quomodo Ceres immiſſis arboribus Aetnæ hiatum texerit; edocet enim, non ita texiſſe, vt hiatum quoquo modo operiret, eo verbi gratia pacto, quo frondibus aliquid, ad arcendum Solem operimus, inter quas adhuc aliquæ tamen ſolaribus radijs, exiguæ ſaltem remaneant ad penetrandum viæ; ſed eo ferè pacto, quo dolia operculis obſtruantur, ne Lyei ſpiritus euaporent: ideò *obſtruxit*, quod eſt quaſi *lignorum ſtrue obturauit*; hoc eſt *vndequaq; occupauit*, nullo euaporationi aditu relicto. Sic, licet in re diſpari, Virg. Aen. 4.

Fata obſtant: placidaſq; viri Deus obſtruit aures.

Hiatus propriè eſt *deducti oris apertio*: tranſlatè autem pro terræ chaſmate accipitur, vt alibi diximus: quarè allegoriæ inhærens Vates, cum *ora* ſupremum Aetnææ cauitatis periculamentum compellaſſet; *fauces* verò depreſſiorem eiuſdem cauitatem, conſonum fuit, vt eiuſdem apertam latitudinem *hiatum* vocaret *vndantem flammarum*, ab *vndo*, quod non ſemel ſumitur pro *abundo*, ſeù *redundo*, vt vidimus, initio huius lib. carm. 25.; & ſumitur etiam pro *æſtuo*: &, in vtraq; ſignificatione habetur hic; nam certè æſtuat, quod flammis abundat.

COMPRESSO MONS IGNE TONAT &c. Ex prænotata obſtruente cauſa quinam ſequantur effectus, exponit. Et primo *Mons tonat*; hoc eſt ſtrepitum, ac fragorem edit, tonitruum ad inſtar. Secutus autem, hoc loco, eſt intercluſi ignis naturam: nam certè ignis fornaculis Incluſus ita, vt nullum illi, ad erumpendum, ſpiraculum relinquatur, adeò furit, ac violenter adeò exardeſcit, vt & incluſa imitetur tonitrua, & totum diruat carcerem, ni euaporandi detur, aliquo facto aditu, facultas. Quarè, optimo iure, intercluſo fornaculis igni additum lemma fuit: *Quanto è riſtretto più, tanto è più fiero*. Hyperbolicè dictum videri poſſet *Mons tonat*: ſed, ſi tormenti bellici bombum meminerimus, non hyperbolicè, ſed tranſlatè tantummodo dictum, agnoſcemus: *tonat compreſſo igne*. En ingentis, inſtar tonitruum, proditas in lucem cauſas; nempè obturationem hiatus, ignisq; ex illâ compreſſionem. *Compreſſo igne*: hoc eſt *intra fauces voraginis preſſo, & quaſi ad condenſationem coacto*, prohibitis, quibus rarefieri poterat, exhalationibus; ex quibus adiunctis, furas ignis incluſus neceſſe eſt, eoq; agitetur furore, vt, ni quam firmiſſima eſſent montis latera, quibus detineatur, carceres profectò effringeret euaſurus: ſed cum aditus pateat nullus, in ſe ipſum reuerſus colliditur; atq; adeò ingentem illum edit fragorem, qui ſpeciem referat tonitruum.

ET MVLCIBER CLAVSVS LABORAT. Augetur hic quam maximè oratio, dum ex labore, quo mons affligitur, gradus fit ad ipſius igniferi Dei anxietatem ex compreſſis ignibus prouenientem: *Mulciber* enim, eo quod vtpotè faber ferrarius ferrum mulceat dictus eſt, ignis Deus, Vulcanus, de quo hic iam ſermo: neque enim placet, quod alij innuere videntur, nempè, per nomen *Mulciber*, ipſum eumdem ignem intelligi; nam quamuis nouerim, hoc eodem nomine ignem deſignari, quod omnia mulceat, hoc tamen loco, ignem non ſignificari, ſed ignis Deum, ex ipſo patet contextu; nam ignem clauſum, & compreſſum dixerat immediatè ante Vates: quarè ſi & hic, per mulciberem, ignes intelligeret, iam idem futiliter repeteret, & nugatoria eſſet oratio potiùs, quam ſynonima. Vulcanum igitur intelligit, vt gradatim procedat, cui in Aetnæis antris erectam fuiſſe tradunt officinam, & qui etiam, ab ipſius arte, *Doctor ferri* dicitur: hoc eſt, ferri in varios vſus per extenſionem igne, & malleo, faciendam conformator: ſicuti ex varia ſubindè habitatione dicitur *Inſulenſis*: cum credatur, non in Sicilia ſolum, ſed & in Lemno, & in vnaquaq; ex Inſulis Aeolijs officinam habuiſſe: [illegible]; de eius in Aeolijs habitatione id fertur, quod, ſi quis eius opera vti vellet, depoſito veſperi pretio, quodcumq; petierat ibi de mane reperiebat. Conſiderat itaque Vates Vulcanum hic tamquam in Aetnæa officina mulcendo ferro operam dantem, & ideò mulciberem appellat; eumq; oppreſſum intrò regurgitantibus fumis, fauilliſq; vix ſpiritum agentem indicat, à recidiuis videlicet vaporibus intercluſum. *Mulciber clauſus*: ſubintellige *in loco officinæ ſuæ*; nam, cum ea in monte Aetnæo ſita crederetur; & nullus monti adeſſet, præter crateras hiatus, ijs obſtructus, *clauſus* profectò vndiq;, in anguſtijs poſitus fuerit, neceſſe eſt. Ideò *clauſus*; hoc eſt incluſus, & cæco quaſi carcere obſtrictus, *laborat*; *malè* videlicet *ſe habet*; ex reſidentibus enim fumoſis in officina, igneiſq; vaporibus, qui magis, ac magis circa ipſum identidem condenſarentur, intercluſis ſpiritibus, vix non in extremis laborabat. In quo naturam ſequitur Vates, ac naturales exponit effectus.

OBDVCTI VAPORES NEQVEVNT EXIRE. Subaudi præpoſitam exceptiuam particulam *attamen*. ex hoc enim conſequenti nobis agnoſcendum obijcit Vates, ad quid montis in ſinu agitatione ſua, tonitrum imitatus fuerit ignis; ad quid mulciber laborauerit: ignis quidem, vt erumperet; Vulcanus verò, vt ſe ſe ex anguſtijs, atq; ex intercluſorum ſpirituum oppreſſionibus liberaret, ſtudium & ipſe ſuum conferre ſtudebat, vt per ſolitos aſcenderet caminos ignis, fumo etiam præeunte; ſed incaſſum; nam nil hiſce proficientibus, *obducti vapores &c.* hoc eſt *intercluſi*; nam *obduco*, à quo *obductus*, idem eſt, ac *obſtruo*, &, *viâ ad egrediendum impeditâ*, opprimo. Vapor autem eſt quidem cuiuſcumque elementi exhalatio: ſed hic ponitur pro fumea ſimul, & ignea exhalatione, ſeù potiùs pro ipſo igne fumis admixto: quo pacto Virg. Aen. 5. nauium incendia à Troianis matribus excitata, per vaporis nomen deſignat, dū inquit

Sed non idcircò flamma; atq; incendia vires
Indomitas poſuêre. Vdo ſub robore viuit
Stuppa vomens tardum fumum; lentuſq; carinas
Eſt vapor; & toto deſcendit corpore peſtis.

Nequeunt exire. Intellige, *quamuis & ipſi obſtinatè reluctent*, & Vulcanus ipſe vim faciat, vt aditum illis adaperiat: verba enim alioqui clara ſunt: nec indigent explicatione. Heinſius, hoc loco ex mente, vt ipſe ait Claudiani, *abductiq; negant barere vapores*, legendum eſſe decernit. Verùm, cum hoc non modo latenter, ſed expreſsè, contineatur in eo, quod dixerat: *compreſſo mons igne tonat*; ni legens igneæ omninò ſit ignarus naturæ, non video, cur repetendum. Quarè ſatiùs duxi, iuxta datam explicationem, vulgatam ſequi, quæ aliquid profectò addit, nempè irritam ignis obſtructioni reluctantiam.

CONIFERI MICVERE APICES. Effectum tandem, quem Ceres intendebat, ſubſecutum oſtendit; nempe ſuc-

ſcenſas

cenſas tandem cupreſſos. Igni, priuſquam formam ſuam inducat in materiam, certe ſuperanda eſt; contrarij reſiſtentia: &, quo magis virent ligna, eo magis incendio reſiſtunt, ac difficiliùs ardorem concipiunt: ideò, ne videretur Vates incongruentiam aſſerere, ſi Cereris cupreſſus, vix à ſtirpe reciſas, illicò ignem contraxiſſe dixiſſet, præmittenda neceſſariò fuerant, quæ præmiſit, nempe compreſſum ignem æſtuaſſe, viam exhalationibus non reperiſſe; ideòq; vires intendiſſe, fortiorem euaſiſſe &c. vt rectiùs ſubindè exarſiſſe protinùs arbores aſſereret; nam quo vis ignis acrior, eo faciliùs, ac citiùs reſiſtentiam quantumuis validiſſimam ſuperat. Cum autem ignis incluſus, & cui nulla datur euaporandi facultas, ſummè intendatur, furat, æſtuet, & vires acquirat ſummas, nil mirum, ſi ex tali interclusione validiſſimus factus materiam quamlibet licet eximie virentem ſuccendat; ideò *coniferi apices micuère*. *Apex* dicitur cuiuſcumq; rei ſummitas acuminata; & quia non ſolum integra cupreſſus in conum deſinit, ſed etiam rami, & frondes omnes eamdem ſeruant figuram; ideò *apices coniferi*, hoc eſt ferentes figuram coni, frondes, rami, & integræ arbores; immò & nuces ipſæ, quas ferunt, coni dicuntur; ideò *coniferi apices*; hoc eſt conos ferentes micuere. *Micare*, vt alibi diximus, propriè eſt *ſubindè, & per interualla*, vt micæ faciunt, *fulgère, ac ſplendeſcere*: quo verbo Vates adamuſſim exprimit effectum, quem ex viridi materia flammas concipiente, emergentem quotidiano conſpicimus experimento: huiuſmodi enim materia, vt notum eſt, dum flammas concipit, identidem quaſdam quaſi flammarum eiubrat linguas, quæ illicò etiam, quaſi fumis obrutæ ſubſidunt, & iterùm eodem pacto reſiliunt, vt videantur triſulcas draconum linguas celeri [illegible]aculatione imitari; donec perfectè tandem concepto igne, materies plenas eluceat in flammas. Sic itaque & Cereris cupreſſus flammam concipientes *micuère*, quod idem eſt, atq; ardores modo dicto concepère.

ET AETNA CREVIT NOVIS FAVILLIS. Effectum effectui addit; nam crebras non minùs, quam copioſas emittere fauillas, proprium eſt ignis irritati, & viridis etiam materiæ, quæ crepitans accenditur. Aperit itaque ex hoc conſequenti Vates antecedentem Cereris impatientiam, quæ, citiùs accendi faces, cum cuperet, iniectas in hiatum igneum arbores crebro concuteret, ac motaret, ex quo factum fuerit, vt & irritatus voraginum ignis excandeſceret magis, & in copioſiſſimas ſcintillas erumperet per ramos, ac inſuper, vt eædem arbores ignem concipientes; per aſſiduam motationem, fauillas fauillis redderent: quo pacto egregiè: *Aetna creuit*; hoc eſt *auctus eſt mons*, & ditior factus, ac locuplenior. Nam *creſcere* idem eſt, ac augmentum ſumere: & licet videatur ad molem referri, transfertur tamen ad ſignificandum quodlibet, quomodocumq; habeatur, incrementum: & profectò, dum creſcit ignis, accedente materia combuſtibili, nam *ex fomite vires*; certè abundantiori æſtu, ac flammis augeatur, neceſſe eſt, id quod ignem continet. Ideò creuit *nouis fauillis*, *nouis*, hoc eſt de nouo expreſſis, & erumpentibus ex accenſa materia &c. vt ſupra. *Fauilla* verò hic ſumitur, non pro ſcintilla igne deſtituta, ſed pro *ignea verè ſcintilla*; hoc eſt, pro quibuſdam ignis partibus minutiſſimis, materiæ adhæreſcentibus; & quæ, impetu quodam à cætero corpore reſiliunt, & auolant, vt interdum fieri videmus, cum pueri *torres* in igne poſitos ferro irritant, vel apud fabros ferrarios, cum vehementiùs ignem follibus exagitant, ac ferro irritantes fricant.

STRIDENT RAMI &c. Heinſius *ſtridunt* legere maluit, cui non repugno; nam & lib. pri. habetur: *Angues Triptolemi ſtridunt &c.* ſed nec ideò vulgata improbanda eſt, cum eadem ſignificatio ſit. Ex hoc autem ramorum ſtridore, & reſiſtentiam arborum conflagrantium notat, atq; efferaciorem ignis actiuitatem, qui, cum acriùs agere in virides credatur materias, obtinuit, vt, talibus inhærens materijs, lemmate ditaretur *Micat acrius ardor*: nam *ſtrideo*, quod ad rem pertinet, idem eſt, ac *crepito*; hoc eſt ob ingentem, quam patior violentiam, & cui ſummâ vi reſiſtere conor, ſtrepitum edo, quaſi dato tubis in pugnam ſigno animus excitetur. Sic itaque harum arborum rami, dum violenter incenduntur, ſtrident in pugnam, & crepitant; ſed victi incendio corripiuntur.

ADMISSO SVLPHVRE. *Concepto Aetna flammis, cuius nutrimentum eſt ſulphur*, exponit Parthaſ.; ſed minùs ad rem, vt arbitror: nam voluit hic, opinione mea, Vates, cauſam aliam aſſignare, cur virens illa materies faciliùs ignem conceperit; nempe quia ex ipſis Aetnæ viſceribus nacta ſulphur, quod ignis nutrimentum eſt, ſulphuratis coactè ramis, ignem reſpuere nequiuerit. ſulphuratæ enim montis viſcera eſſe, & nemo dubitat, & iam alibi vidimus. liquato autem recrudeſcentibus ignibus ſulphure, quid mirum, ſi iniectæ arbores, impinguatæ, minùs ſubinde adhæreſcentibus flammis reſiſtere potuerint, ac citiùs conflagrauerint?

TVM, NE DEFICERENT &c. Quoniam ignis *alendo devorat*, vt inquit in Impreſſis ſui Mundi ſymbolici eruditiſſimus Abbas Picinellus; & *dum agitur augetur*, vt ex Impreſſa Academici, inter Philoponas Piſtorienſes, inſeruerat ijs præmouerat Ceres, faces ſuas, ex ingenti quamuis cupreſſu extructas, laboribus, ac diuturnæ, quam meditabatur peregrinationi non ſuffecturas; & eo minus, quia, cum agitandæ eſſent concitato ſerentis curſu, ventorumq; ingruentium occurſu, viderat, ijs addi poſſe lemma illud, faci ſuæ recenter additum ab Academico, inter eoſdem Philoponas agitato, *Fomes incendia mortis*, æque benè, ac illud quod Scipio Bargalius faci iniunxit ſuæ dicens:

E quanto è più agitata, e più ſi ſtrugge.

ideoq; non ignorabat, futurum, vt, breui conſumptis facibus, deſtitueretur in via: quarè, harum proſpectura deffectui, ſcitè inducitur ad arcanis eaſdem imbuendas ſuccis, quibus inconſumptibiles redditæ æternas alerent flammas: nec mirum hoc videri debet, attentà Cereris Deitate; nam ſi imbecillia hominum ingenia lucernas addicere ſepulchris potuerunt, quas æterno duraturas lumine non dubitarunt extruere: quid ni Dea inconſumptibiles ſibi aſſerere faces?

Tum, aduerb. temporis pro tunc, cum ſcilicet incenſas iam faces ex hiatu montis extraxiſſet. In eodem autem ſenſu, ac particula *tum* vſus eſt Virg. Æn. 4.

Tum breuiter Dido, vultum demiſſa profatur.

NE IGNES, quibus faces collucerent, DEFICERENT. Cauſam aperit finalem, cur faces ita munierit, *Ne*, ideſt *vt non*, particula enim hic adiunctiua eſt; *deficerent*; hoc eſt deſinerent conſumptæ, atq; adeò impares eſſent itineri peragendo: nam *deficere*, ſi cum tertio caſu, vt hic, conſtruatur, eſt *non ſufficere*.

TANTIS ERRORIBVS. Tam diuturnis ſcilicet, quos meditabatur. *Errores* verò hic ponuntur pro peruagationibus, peregrinationibuſq; obeundis: & *tantis*, dixit, hoc eſt *tanti ab ipſa æſtimatis*, vt nil magis illi cordi eſſet, & tanti apud ipſam ponderis, quanti ſua ipſius immortalitas.

IVSSIT MANERE. Numinis verba operatiua vtiq; eſſe debent: & Numinis voluntati nullus profectò, cum victoriá, reſiſtit: ideo Ceres, vt Numen, propria vtens auctoritate, ac verbo vtiq; operatiuo, *Iuſſit*. *Iubere* autem *imperare* quidem eſt, ſed modo efficaci adeò, vt nulla detrectandi facultas iuſſa excipienti relinquatur. Idem *iubeo*, eſt, ac *volo*; ſed efficax, atq; operatiuum velle importat hoc loco, cum de iuſſu diuino, & abſoluto, cui reſiſti non poſſit, ſermo ſit. *Manere* eſt *perſiſtere, perdurare, perſeueranter conſiſtere*: hæc enim proprie exprimit hic verbum *maneo*: vt etiam apud Virg. Æn. 1.

Semper honos, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt.

SEMPER INOCCIDVOS, ET INSOPITOS. *Semper* aduerb. eſt temporis indeſinentis, ſeù potiùs æternitatem importans ſubſecuturam, vt etiam in mox cit. Virg. carm. *Semper honos &c.* *Inoccidiuum* verò dicitur quidquid finem neſciat ſui: *Inoccidiuum* enim appellatur quidquid occaſum neſciat, metaphora à Sole deducta, qui, cum in occaſum labitur, extingui dicitur, & tandiù inextinctus, quandiù occaſum neſciat. *Et inſopitos*: hæc omnia ad facum ignes referuntur, quos inextinctos perſeuerare iuſſit, & *inſopitos*; hoc eſt nullo torpentes languore: nam *ſopitus* proprie dicitur ignis, non qui extinctus ſit; ſed qui cinereo latens ſub cumulo, ab illuminandi actione quaſi dormiens ceſſat, vnde excitandus eſt, iuxta illud Virg. Æn. 3.

Hæc memorans cineres, & ſopitos excitat ignes.

Quarè è contra *inſopitos ignes* dicimus, qui nunquam languescunt, aut torpent; ſed viuaciſſimo ſemper emicant ſplendore.

ET PERFVDIT ROBORA &c. Iuſſiſſe, non contenta eâdem, qua pollebat Diuinitatis virtute, nouum facibus vigorem inſtillat, quo & ignis nutriatur, & arbores ardeant inconſumptibiles. *Perfudit*, hoc eſt *imbuit*, ac *tota inextinguibilibus implevit ligna*: nam *perfundere*, in hoc ſenſu, ſæpiùs apud optimos Auctores, vſurpatum nouimus: ſic *perfundere animum voluptate* Tullianum eſt: *animos ſuauitate perfundere* Plinianum &c. Nec placet Parthaſius, qui *perfundere* explicuit, per verbum *inficere, linire, vngere*, nam hæc medicamen extrinſecè applicatum important; Vates autem certè

intrinſecè applicatum voluit; & ideò medicamen ipſum *arcanum*, hoc eſt *occultum* vocauit: licet Parrhaſ. ad tuendum poſitum, *arcanum*, hoc eſt *ſacrum* interpretetur. Sed de hoc epiteto mox infra. *Robora* autem, inquit, cupreſſos denotans; quia robur, inter glandiferas, arbor duriſſima eſt; ex quo factum, vt per translationem, omne, quod forte eſt, roboris nomine deſignemus, vt notat Seruius. Sic Virg. Aen. 6. Iani templum deſcribens, fortiſſimis obfirmatum clauſtris, inquit:

Centum ærei claudunt vectes, æternaq. ferri
Robora; nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.

Sic itaque & noſter hic ſolidos cupreſſinum truncos à robuſtiore fortitudine, ac ſoliditate *robora* appellauit, &, quia ex trunco vitales ſuccos hauriunt rami, imbibito ex trunco, ramos ipſos, eodem medicamine afflatos, deducendum relinquit.

ARCANO SVCCO. Succus propriè loquendo humor ille vitalis eſt, quem animalia ex originali nutritionis fonte; plantæ à radicibus, ſeu ex terra potiùs, per radices, exſugunt; ac, per ſui corporis membra, diſtribuunt vnicuique, quantum illi ſatis; diſtribuente natura, quæ omnibus hoc ſucco mediante alimentum præbet, conſeruat, & auget membra ipſa &c. Ex hoc confirmatur, quod ſupra diximus, nempè medicamen à Cerere facibus adhibitum intrinſecum fuiſſe, non verò, vt voluit Parrhaſ., extrinſecum, & infuſum fuiſſe, non circumfuſum. Scio, ab exactè, & ex profeſſo, rem herbariam tractantibus diſtingui inter lacrymam, liquorem, & ſuccum: Dicunt enim *lacrymam* eſſe humorem illum, qui ſponte ex arboribus profluit, vt Gummæ, Reſinæ, Myrrha prima &c, *liquorem* dici qui ex ſcarificato, inciſoque cortice emanat, vt Myrrha ſecunda &c. *ſuccum* verò eſſe, qui ea plantâ contuſa exprimitur, ſed hic non eſt ſermo de ſucco, qui extrahatur, ſed de *ſucco*, qui attrahatur ab arboribus ad conſeruationem, & nutrimentum ſui, vt ex textu patet: nam ſuccus a Cerere infuſus fuit, ad arborum conſeruationem, vt ſcilicet ardendo non conſumerentur. Nec videatur hoc extra vires eſſe Naturæ, nedum Diuinitatis operantis: nam certè lychnus, qui ociſſime alioqui conſumeretur ab igne diutiùs, ac diutiùs durat, addito olei nutrimento. Et quidem Hirpij, vel, vt Varro legit Hirpini, ſucco quodam vtebantur, quo delibutis pedum plantis, nudi prunas calcarent ardentes, ne vllam paterentur læſionem; quamuis hoc, prodigij loco referat Virg. Aen. 11., rem, quæ ſupra naturam videretur, in religionem refundens, dum ſic apud ipſum Aruns precatur.

Summe Deum, & ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus; cui pineus ardor aceruo
Paſcitur; &, medium, freti pietate, per ignem,
Cultores multa premimus veſtigia pruna;
Da Pater hoc noſtris &c.

Quid igitur mirum, ſi Ceres diuinitate pollens talem potuerit humorem facibus inſtillare, vt conflagrarent æternum duraturæ? *Succum* itaque, hoc eſt humorem medicatum infudit, ex quo inconſumptibilitatem inter ardores acquirerent. Ideò *arcano*, ideſt omnibus, præterquam Cereri, ignoto: atque adeò Vatis induſtriâ non explicando; & *arcano*; hoc eſt *Diuino*, quippe ex Deæ Cereris manu prouenient; nam nil magis arcanum, quam Diuinitatis operatio, cuius etſi videamus effectum, rationem tamen ignoramus, nec quomodo fieri poſſit ſatis vnquam percipimus: ac tandem *arcano* in ſenſu ſupra poſito, cum Parrhaſij ſententiam reiiceremus.

QVO PHAETON IRRORAT EQVOS &c. A ſimili explicat, cuiuſnam ſpeciei virtutis, & efficaciæ eſſet ſuccus iam indicatus, dum dicit eiuſdem fuiſſe rationis, at ſuccus ille, quo Phaeton &c. λελλὸς φαΐθων: habetur apud Homerum, quod eſt *obliquus Sol* apud Latinos; λελλὸς; hoc eſt *obliquus*, quia via per quam Sol incedit, obliqua eſt, vt patet ea figura Zodiaci in ſphœra: φαΐθων verò, quia luceat Græcis enim φαΐθω idem eſt, ac Latinis *luceo*, ſplendeo, fulgorem emitto. Caue igitur æquiuocationem, quæ hic irrepere poſſet ex ambiguo *Phaetontis* nomine, quæ tamen ambiguitas ſatis ſuperque ea reliquo antiquatur contextu. Caue, inquam, ne Phaetontis nomine filium hic illum intelligas Solis, qui ſemel ſolarem currum in ſui perniciem obtinuit à Patre, ac fulmine deiectus interijt, vt latè Metamorph. 2., ſed Solem ipſum intellige; nam ex eo quod græcum verbum, φαΐθω duplicem habeat ſignificationem, nempè *luceo*, & *ardeo*, nomen Phaetontis ea natura Sol pater nactus eſt à φαΐθω, quod eſt *luceo*; nomen Phaetontis inditum eſt ab accidente, & per accidens filio, à φαΐθω, quod eſt *ardeo*. Solem itaque non Solis filium Phaetontis hic nomine appellat Vates, & illa eſt qui *irrorat equos*. *Irrorare* eſt *aſpergere*, *humectare*, *madefacere*; ſed ita, vt humor in re madefacta imbibatur, ſicuti rore imbuitur tellus, herbæ, flores &c. quæ rore nutriuntur. Quadrigam Soli attributam nemo neſcit; quare obuium vnicuique eſt ſcire, quoſnam equos irroratos indicet Vates; nempe eos, qui ſolarem vehunt currum, & quorum nomina recenſet, 2. Metam., Ouid. ſic:

Interea volucres Pyroeis, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartuſque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibuſq; repagula pulſant;

Cum itaque, ex immediatè recitato Ouidij carmine, flammis ſemper æſtuent, flammaſque, quas gerunt in pectore, afflent Solis equi: & cum, ex altera parte, ignis elementum ſit, quo omnia conſumuntur, iure effingit Vates, equos, quibus Sol vehitur, ab eodem, vtpotè medicaminum omnium inuentore, ſacro quodam, hoc eſt diuino, hominibuſque ignoto, medicamine delinitos, vt flammis non ſolum reſiſtant inconſumpti; ſed etiam aſſiduis, tantiſque percurrendi Cæli laboribus ſufficiant. Huiuſmodi autem medicamen in poteſtate Solis eſſe, & ab eodem adhiberi, non effinxit Vates arbitrio ſuo; ſed auctoritati inhærens Ouidij cit., qui hoc ipſo medicamine imbutum docet à Sole Patre Phaetontem filium, cum ei currum conceſſerit flammiferum.

Tum Pater ora ſui ſacro medicamine Nati
Contigit, & rapida fecit patientia flammæ.

QVO LVNA IVVENCOS: Quo medicamine vtitur Phœbus, nil mirum, ſi & Luna ſoror, cui omnia fratris communia, pari pacto vtatur. Ideò congruenter Vates, eodem vſam, indicat, Lunam, ad hoc, vt, conceptos ex influente fratre ardores ſuſtineant eius currum trahentes iuuenci; & vt pariter nocturnis ſufficiant itineribus, Cælum inceſſanter peragrantes. De Luna vide fuſiùs dicta lib. 2. carm. 45. Aſt in controuerſiam facilè reuocari poteſt, à quibuſnam animalium Lunæ currus trahatur, cum in diuerſa abeant Auctores. A mulo trahi, eo, quod huius animalis ſterilitas Lunæ congruat infœcunditati, notat Feſtus; ſeù, vt notat Parrhaſ., quia, ſicut mulus non ea proprij generis parentibus, ſed ex equo, & aſina, procreatur, ſic Luna, non ſuo, ſed alieno luceat ſplendore, vt alibi docuimus. Alij equos, & Lunæ attribuunt, ſicut Soli; ſed biiugum tantum faciunt currum. Ita Marcus Manilius, dum ait:

Quadriiugis & Phœbus equis, & Delia bigis.

Sed hos equos albos voluit Ouid. pri. de Remed. Amoris:

Vt ſoles in niueis Luna vehatur equis.

Alij, altero albo, altero nigro vehi, autumant, de quibus vide Mythol. Nat. com. lib. 3. cap. 17. A iuuencis deniq; trahi aſſerunt alij, cum quibus, ſentit Claud. hic; & in Phœnice, vbi ait:

Feruet odoratus velis cæleſtibus agger,
Conſumitq; ſenem. Niueos ſtupefacta iuuencos
Luna premit, pigroſq; Polus non concitat axes.

Et profectò Fulgentius in Mythologijs ait:

Aſtrigeroq; nitens diademate Luna bicornis
Bullatum biiugis conſcenderat æthera Tauris.

Apis etiam Bos in Ægypto Lunæ ſacer erat: eidemq; ſemeſtrem Græci bouem immolabant: & Tauropola Luna procul dubio antiquitùs vocabatur. Verùm, ſi de meo aliquid hic addere liceat, dicerem profectò libentiùs, Auctorem noſtrum *iuuencos* Lunæ currui addidiſſe, non proprietatem nominis, ſed Ethymologiam ſecutus, vt & ab omnium diſcordantibus præſcinderet ſententijs, & nulli adhærens, omnes ſuo in robore relinqueret; cum enim *iuuencus* à *iuuando* dictus ſit; quia hominem in colendis maximè agris iuuet; certè quodcumq; animal, quod iuuet, *iuuencus*, ſpectata nominis Ethymol., dici poterit: quarè animalia currum Lunæ trahentia, cum, quæcumq; tandem illa ſint, certe Lunam iuuare credantur, ad iter peragendum, cur iuuencorum nomine deſignari non poſſint?

IAMQ; SOPORIFERAS &c. Ingruente iam nocte, dum, quæ dicta ſunt, peragerentur, Cererem nihilominùs iter ſuum indicat aggredientem.

ET IAM NOCTVRNA SILENTIA &c. Peryphraſis ingruentis noctis hæc eſt, à conſequentibus deducta: nam ex nocte ſomnus oritur; ex ſomno ſilentium, longe, lateq; diffuſum. Ideò *nocturna ſilentia*; hoc eſt *quæ nocte fiunt*, non per accidens, extra tempus: ſed ex ipſius iuſſu naturæ, quæ nocturnum tempus quieti addixit; ita vt, non animalia ſo-

ſolum, ſed etiam inſanas æquoris vndas, tunc temporis, ſilere iuſſas, arbitratus fuerit Virg. Æn. 4.

Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora, per terras, ſyluaq; & ſæua quierant
Æquora: cum medio voluuntur ſydera lapſu:
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres,
Quæq; lacus latè liquidos, quæq; aſpera dumis
Rura tenent, ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Propria igitur noctis ſilentia ſunt; ideò *nocturna*. *Silentia* autem ipſa nil aliud tandem ſunt, quam priuatio vocis, ac cuiuſcumq; alterius vel ſoni, vel ſtrepitus. Memineris tamen, *ſilentium* ipſum, antiquitus inter Deos enumeratum; & non abs re videbitur data ſilentijs vitalis actio, dum ait Vates.

EXPLICVERE VICES SOPORIFERAS TERRIS. *Explicare eſt quod convolutum erat aperire, & extendere: Vices* autem *soporiferæ* nil aliud important, quam ſomnum ipſum, qui mortalibus, vice laborum quietem impertitur neceſſariam ad inſtaurandos ſpiritus, diurno iam labore conſumptos. *Terris* verò dicit; hoc eſt viuentibus terram incolentibus, continente poſito pro contento, in cuius beneficium, per amica ſilentia Lunæ, ſomnus longe, lateq; diuagatur, ac curas omnes conſopitas letheis conſpergit roribus, vt alibi diximus.

ILLA LANIATO PECTORE &c. Sic ingruentis noctis tempore non conſopitam, non retardatam, Cererem notat: ſed immò viam, ſine mora, arripuiſſe. *Illa* igitur emphaticè dictum de Cerere agnoſcas. Quid pectus ſit, iam notum: *laniare* autem idem, ac lacerare eſt: ſed dupliciter laceratum dicitur Cereris pectus, nempè intrinſecè, lanienam exercente dolore: & extrinſecè, manu eiuſdem Cereris pœnas neglectæ filiæ, huiuſmodi laniatu, repetente, vt ex dicendis patebit. Laniare enim ſe ipſum dolentis non minùs, quam deſperantis eſt; & ad mortem vſq; mærentis, furentiſq;, ſic Virg. Georg. 3.

Mox erat hoc ipſum exitio: furijſq; refecti
Ardebant; ipſiq; ſuos, iam morte ſub ægra,
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.

INCHOAT LONGAS VIAS: Iam ſcilicet antea animo præmeditatas, præfixaſq;, vt filiam inquireret. Porrò *inchoare* eſt *ab re noua ſeu ad aliquid accedere*, & illud incipere peragendum: deductum enim volunt hoc verbum à Chao, rerum videlicet omnium initio: & ideò aſpirandum eodem modo, quo Chaos, plures cenſuere. *Vias* pro itineribus poſuit, ſeù erroribus, de quibus ſupra: & *longas* dixit, hoc eſt diuturnas; nam profectò longum nimis ſemper videtur id, cuius finis nullatenus innoteſcit: ſic viæ Cereris longæ; nam quo loco peregrinationis meta ſtatueretur, penitùs ignorabat, atq; adeò finis nullus.

ET INGRESSA, Subaudi *ſtratum*, de quo ſupra, *iters* nam verbum ſuprapoſitum, *inchoat*, primum, vt ita dicam Cereris indicat gradum, à quo initium deſumpſerit iter. cum autem *via vnius paſſus* propriè *via* dici non poſſit, oſtendit hic Vates continuationem, dum ait *ingreſſa*; ideſt *capta iam per primos greſſus, quam deſtinauerat, viâ*.

PROFATVR SIC, Ne tempus tereret, queſtubus, ante arreptum iter, indulgens: dum graditur, ſecum ipſa quidem, ſed, quaſi præſens adeſſet Proſerpina, eam alloquitur; *Profari* enim, hoc loco nil aliud eſt, quam *dicere*, ſeù *loqui*, aut *pronunciare*. *Sic* aſſimulatiue ſe habet: quaſi dixerit talibus alloquitur verbis, qualia in ſequentibus exponemus.

All interim breuibus, quæ ad mores pertineant perſtringamus.

Furijs æquiparatur rationalis in Cerere facultas, quæ perfido nilu conatur efficere, vt lumen ſibi ſplendeſcat è tenebris, dum faces, non ad æterni Solis rotam admouet accendendas, ſed ætneis ingerit faucibus, hoc eſt terris inferorum exhalationibus, quæ, dum per ora Hæreticorum, atq; infidelium erumpunt, tot ſulphureas efformant cauernas, quibus inferno igne lugubres omninò faces accendantur, quibus rationalis facultas animam è corpore digreſſam, quæritet in terris, ſed irrito labore; cum impoſſibile ſit, vt fallaces huiuſmodi faces in optatum collineant finem: ſi enim hæreticum profectò lumen ipſis exorbitat in initijs, quomodo rectam ducat ad metam? Et tamen has faces nutrimento fidei erroneæ ſibi firmat æternas, æternos in errores æternum peruagatura. Quam ſatiùs, herclè, fuiſſet agnoſcere, nil fieri, ſine diſpenſatione ſupremi Numinis, cuius imperſcrutabilia iudicia ſunt: & nil aliud inquirere, quàm vt in eo viueret, moueretur, & eſſet. Sed nil mirum, ſi ipſum, rebelli ceruice, Iouem petitura, infernum ſuis adſtruat facibus portatilem, donec cupreſſu tandem, ad permanentia Tartara deducatur. Sed hinc ad Muſam noſtram iam reduces.

Giunta del monte all'alte foci ardenti,
  Nel ſito oppoſto al natural, trauolge
  Le Piramidi eccelſe; e ne torrenti
  Del rio Vulcan le baſſe cime auuolge.
  Così dal proprio peſo à ſuoi tormenti,
  Per ſatiarne il furor, che le ſconuolge,
  Tratte dell'Etna all'ime parti interne,
  Tutte à pienò ingombrar l'ampie cauerne.
Chiuſi del fuoco all'eſſalare i varchi,
  Più fiero ei freme, e ſi rinforza irato:
  E, mentr'aditi nuoui, ou'ei ſe 'n varchi,
  Tenta, hor queſto ſcorrendo, ed hor quel lato,
  Ribolle, ondeggia, e gl'addoſſati incarchi
  Toſto s'accinge al diuorar ſpietato.
  Tuona in tanto la rupe; e par, ch'appreſte
  Di fulmineo fragor cieche tempeſte.
Nel cupo centro il zoppo fabro anhela;
  Ch'il reſpirar, trà gl'addenſati fumi,
  Gl'è quaſi tolto, e'l giorno à lui ſi cela.
  Ogn'arte ei ben ritenta, acciò ſe 'n sfumi
  Quel raccolto vapor, cui, di querela,
  Dan pianto in vece à lor mal grado i lumi:
  Mà tutto in van; che ſcarcerar non puote
  Del chiuſo ardor quell'agitate ruote.
Stridon tra tanto in concepir gl'ardori,
  Le ſeluaggie Piramidi ſommerſe
  Del ſen del monte entr'a i fuocoſi errori:
  Di lenti asfalti, e più di zolfo aſperſe, *Aſphaltos Græcis Latinis Bitumen eſt.*
  Già n'auuampan le frondi i atri fulgori,
  Vampe interrotte, al paleſar conuerſe,
  Scoppian del fumo infra i ruotanti horrori:
  Già di nuoue ſcintille Etna s'inonda;
  E nuouo ardor sù 'l vecchio fuoco abbonda.
Eſtratte all'hor l'acceſe faci al Cielo
  Riſolleua la Diua, e deſtinate
  Al ſquarciar della notte odiato il velo
  Tempre v'aggiunge all'immortal ſacrate.
  Ne tronchi, vuol, che, quaſi in proprio ſtelo,
  Viuan le fiamme eterne, inalterate.
  Così commanda, e, con l'impero à i legni
  La forza infonde, ond'eſſeguir gl'inſegni.
Quindi, de viaggi ſuoi perche s'eterni
  Fida ſcorta la fiamma, e non conſumi
  Quei, che ſeco ella vuol, fanali eterni:
  D'vn celeſte liquor gl'arcani empiumi
  De tronchi inſtilla entr'à i ſecreti interni,
  Che d'asbeſto immortal porge i coſtumi.
  Con queſto i ſuoi deſtrier Febo auualora:
  Delia con queſto i ſuoi giouenchi honora.
Premean co'l piè di feltro, in veſte nera
  Già notturni ſilentij ogni contorno;
  E, fatta di cent'occhi Argo la sfera
  Le dorate pupille apria d'intorno;
  Mentre, nel ſuol d'ogni mortal la ſchiera
  Giacea preda del ſonno, eſtinto il giorno:
  Quando, lacero il ſen, la Diua impreſe
  Sue longhe ſtrade; e 'n così dir s'eſteſe.

Pergat itaque infelis Ceres, dum nos, quæ dixerit, ex probatiſſima Auctoris noſtri ſolertia decerpamus.

NON

Non tales geſtare tibi Proſerpina tædas
Sperabam: ſed vota mihi communia Matrum,
Et thalami, feſtæq; faces, cæloque canendus
Ante oculos Hymenæus erat. Sic Numina Fatis
Voluimur: & Lacheſis, nullo diſcrimine, ſæuit.
Quam nuper ſublimis eram, quantiſq; Procorum
Cingebar ſtudijs! Quæ non mihi, pignus ob vnum,
Cedebat numeroſa parens! Tu prima voluptas,
Tu poſtrema mihi; per te fæcunda videbar.
O decus, ò requies, ò grata ſuperbia Matris!
Quâ geſſi florente Deam: qua ſoſpite nunquam
Inferior Iunone fui: nunc ſqualiida, vilis.
Hoc placitum Patri. Cur autem adſcribimus illum
His lacrymis? Ego te, fateor, crudelis ademi,
Quæ te deſerui ſolam: quæ inſtantibus vltrò
Hoſtibus expoſui: raucis ſecura fruebar
Nimirum Thyaſis, & læta ſonantibus armis
Iungebam Phrygios, cum tu raperêre leones.
Accipe quas merui pœnas. En ora fatiſcunt
Vulneribus, grandeſq; rubent in pectore ſulci.
Immemor en vterus crebro contunditur ictu.
Qua te parte poli; quo te ſubcardine quæram?
Quis monſtrator erit? Quæ me veſtigia ducent?
Quis currus? Quis ferus ille eſt? Terrçne, mariſne
Incola? Quæ volucrum deprendam ſigna rotarum?
Ibo: ibo quocumq; pedes, quocumq; iubebit
Caſus: ſic Venerem quærat deſerta Dione.
Efficiet ne labor? Rurſus te, Nata, licebit
Amplecti? Manet ille decor? Manet ille genarum
Fulgor? An infçlix talem fortaſſe videbo,
Qualis nocte venis, qualem per ſomnia vidi?

NON TALES &c. Proſopopeia hęc eſt ethopeiæ admixta, quâ habita ab ineunte iter Cerere, deploratio exprimitur; & quidem patheticè adeò, vt vix quid poſſit ad permouendos affectus aptiùs inueniri. Sed obiter nota, quam bene totam, de Proſerpina ſua, quaſi in epilogum redigat hiſtoriam Ceres: quod vtique propriiſſimum eſt, & ad amuſſim conſonum Naturæ, cui, dum chariſſimos quoſque ſuos perditos deplorat, antiquiſſimum eſt, vt egregias omnes eorum dotes, gaudia, honores, vtilitateſque ex illis perceptas commemoret, vt luctibus pleniori indulgeat vrnâ; effectuumque affluentiorem excitet copiam. Primò itaque loco, ab inſperatis calamitatem exagerat ſuam; nam, quæ præter ſpem, atq; expectationem accidunt, magis animum pulſant: Sicuti enim iacula præuiſa minùs feriunt; ſic e conuerſo, magis feriunt, & dilacerant inſperata, & quæ nec vllo pacto, prouidentis Prudentiæ oculo peruia fieri potuerunt; ſed immò potiùs, rectæ innixa rationi, ſpes oppoſitum omninò iuſſerit expectandum, vt hìc: nam ex his omnibus doloris ſui acerbitatem Ceres exagerat.

NON SPERABAM. Hoc eſt, non putaſſe vnquam; nec exiſtimare potuiſſem, tale infortunium nobis euenturum; & ideò *non ſperabam*; ideſt *non timebam*; verbum enim *ſpero* abuſiuè hìc poſitum eſt, pro *timeo*; ſicut & alibi vidimus ex Auctore noſtro, & ex Virg. ibidem cit. qui pri. Æn. inquit:

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma
At ſperate Deos memores fandi, atq; nefandi.

Vbi Seruius *ſperate abuſiuè poſitum, pro timete*. Cum alioqui bona tantum ſperemus; mala tantum timeamus. Intolerabiles porrò dolores eſſe, qui ex inſperato, accidunt, clarè dignoſces ex Didone apud Virg. Æn. 4., vbi hæc ad ſororem

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero.

Ideò & Ceres hìc: *non ſperabam*: inquit, vt ſe intolerabili affectam vulnere declamitet.

PROSERPINA. Patheticè, nomine proprio, amiſſam compellat, eamq; quaſi præſentem, alloquitur, per apoſtrophem: nec *filiam* nominat, quia iam non ſuam, & ex Matris ademptam poteſtate agnoſcebat. Inſuper nec *filiam* nominat, vel ne, filiæ nomine dolorem magis augeret; vel ne doloris amaritudinem, quam intenſiſſimam exoptabat, melleo filiæ nomine deliniret.

GESTARE TIBI TALES TÆDAS. Verbum ſpero cum futuris copulandum clamitent vtcumque Grammatici. Non nouum eſt, apud Poetas, huiuſmodi helleniſmo eleganter vti, *geſtare* autem frequentatiuum à *gero* eſt; idem ſonans, ac aſſiduè gerere. *Tibi* perſonam Proſerpinæ, de qua ſupra, demonſtratiuè deſignat. Sed nota exactiſſimum Vatis artificium, qui datiuo vtitur communi, tàm in bonum flexibili, quàm in malum, cum tàm commodum, quàm incommodum, æquè benè poſſit ſignificare, iuxta diuerſitatem contextuum, in quibus hic, & nunc reperiatur. Aſt hic ita ab Auctore noſtro adhibetur, vt in vtrumq; ſenſum facilè deflectatur: nam ſi hæc tædarum geſtatio cum illa comparetur, quam Ceres ſe habituram ſperaſſet, certè damnum Proſerpinæ oſtentat dilucide. Si verò ipſam Proſerpinam ſpectes, cui inquirendæ accenſæ fuerant faces, certe in ipſius bonum elucebant. Si cauſam accenſionis tædarum quæras remotam, cum hæc fuerit Proſerpinæ raptus, malum indicant abreptæ. Si cauſam inſpicias proximam, cum hæc ſit inueſtigatio peragenda, vt quæ rapta fuerat, in libertatem vindicetur, in bonum accenſas dixeris. Quarè prudentiſſimè Vates dandi vtitur caſu in vtrumq; ſenſum flexibili. Dum *tales* inquit; *quales*, ſubaudi, iam geſto: nam *tales*, & *quales* correlatiua ſunt, vt ſæpè diximus, quæ ſemper ſibi inuicem, vel tacitè, vel expreſsè correſpondeant. De tædis fusè alibi diximus: quarè hìc ſatis erit indicaſſe, alluſionem haberi ad Græcorum morem, de quo nos alibi, & quo ſanctum erat, vt matres nuptiales tædas præferrent, cum nuberent Filiæ. Quare *tædas* emphaticè dictas, per oppoſitum, agnoſcas *ſeu illam* ita vt ſenſus ſit: Quæ nuptiales ferre debui tædas, ferales geſtare cogor. Vide, quantus in anthiteto affectuum adſit ardor.

SED VOTA MIHI &c. Ex oppoſito, quod timere nequiuerat, in appoſitum, quod ſperare debuerat apertè decurrit: & quod implicitè, per tædas, innuerat, explicitè iam declarat. *Sed* coniunctio aduerſatiua eſt, vt ſæpè dix., qua oppoſito oppoſitum, ex aduerſo, connectentes, ſubdimus. Alij, hoc loco, legunt. *Et vota mihi*. Sed ineptè, vt notat Heinſius. *Votum* pro eodem, ac vehemens deſiderium accipitur, per tranſlationem, quia quod impensè optamus, vt alibi diximus, enixis precibus, ac promiſſionibus, Deo factis, quæ propriè *vota* dicuntur, impetrare ſtudeamus. Mihi, per contrapoſitum ponitur ad pronomen *tibi*, de quo ſupra, & quidem emphaticè.

COMMVNIA MATRVM. *Commune* dicitur quod multorum eſt, vt alibi dix. Oſtendit itaque Ceres, vota ſua non irrationabilia fuiſſe, nec optaſſe niſi ea, quæ natura ipſa cunctis matribus indiderit exoptanda, nempè vt dignum ſibi generum adſciſceret, vt Nepotes ſuſciperet, vt filiam prole fælice in ſuſpiceret &c. Hæc enim communia matrum vota. Ex quo magis patet Cereris calamitas, cuius, quamuis Deæ iuſtiſſima deſideria non compleantur; ſed immò vlteriùs omni iam ſpe deiecta, ipſius prolis ſuæ priuatione plectatur. Aduerte autem, quomodo hic tacitè crimen diluat, quod obijci potuiſſet, nempè nimis ſuperbam, tali filiâ, Cererem inceſſiſſe, cum *conſiliis alter matribus ires*; cum decertantibus pro virgine Phœbo, ac Marte, *deſpexit vtrumque flaua Ceres &c.* tacitè enim oſtendit, non alienam ſe à Filiæ nuptijs mentem habuiſſe; ſed tantum diſtuliſſe, vt maturiùs generum deligeret: nec Deos deſpexiſſe, ſed tixas illas, quas in virginis ipſius detrimenta futurum vt vergerent, pertimuiſſet: ex quo adhùc creſcit Cereris infælicitas, quæ, dum Raptum vitare ſtuduit, Raptoribus Natam expoſuit &c. Ne tamen hic verbum expectes, cum quo hæc vota conſtruantur. nam & hæc, & quæ ſequuntur, omnia ad verbum in fine poſitum, nempè *ante oculos erat*, per adiunctionem figuram referuntur.

ET THALAMI *Et* particula hoc loco explicatiua eſt, quænam vota fuerint prædicta, enucleans, quare poſitam noueris pro *hoc eſt Thalami*, vt alibi dictum, cubicula coniugalia ſunt: quarè hic pro coniugio ipſo ponuntur, conſequens ſcilicet pro antecedenti, ſeù ſignum pro re ſignata, vt alibi fuſiùs; ac numero multitudinis vtitur pro numero vnitatis, per Synecd.

FESTAEQVE FACES. Nuptiales videlicet tædæ, quæ feſtæ dicebantur, hoc eſt feſtiuis plenæ lætitijs, de quibus, alibi fusè dictum.

ET HYMENEVS. Vide de Hymeneo dicta lib. 2. carm. 13.

CANENDVS CAELO. De cantionibus, in nuptiarum ſolemnijs adhiberi ſolitis, vide dicta lib. & carm. mox cit., ad eas enim alludit participium *canendus*. *Cælo* autem, inquit, per oppoſitum ad quemcumque locum inferiorem, in quo indignum eſſe, vt Proſerpina degeret, arbitrabatur; & ex vaticinatione illa naturali inſita, de qua ſæpè dic., neſciens quid diceret, collineauit in ſcopum: nam decantatum Proſerpinæ Hymeneum vidimus apud Inferos, cum lib. 2. ducta eſſet in thalamum virgo. Cælo autem, non Tartaris, canendus in votis fuerat Hymeneus. Cælum verò pro Cælitibus poſuit, continens pro contento &c.

ERAT ANTE OCVLOS. Hoc eſt mente agitabam; nam oculus interni hominis *mens eſt*; & quidquid cogitatione molimur, ante oculos animæ tunc dicitur obuerſari, quia tota oculus mens eſt.

SIC NVMINA FATIS VOLVIMVR &c. Epiphonema eſt: ſententioſum videlicet dictum, ex iam propoſita rerum cataſtrophe deductum. *Sic* non eſt, hoc loco, particula aſſimilatiua; ſed potiùs modi indicatiua, ſeù expreſſiua idem ſonans, quod *hoc pacto*, ſeù *hoc quem de facto experimur modo*. Dido pariter Aen. 4. ait:

. . . . Sic, ſic iuuat ire ſub vmbras.

Porrò Parcarum decretis, ſeù, quod idem eſt, Fatorum diſpoſitionibus, etiam Deos ſubeſſe, ea Poetarum ſententia, vidimus iam lib. 1. Et licet hoc falſum eſſe aſſeruerit Poſſidonius; certè Ouid. Metam. 9., immò Iupiter, apud ipſum, ibi hoc veriſſimum affirmauit, dum cæteros alloquens Deos, ait:

Vos etiam (quoque hoc animo meliore feratis)
Me quoque fata regunt; quæ ſi mutare valerem,
Nec noſtrum ſeri curuarent Æacon anni,
Perpetuumque æui florem Rhadamanthus haberet,
Cum Minoe meo &c.

Et Ouidio conſonans Martialis Epig. ad Silium ait:

Numina cum videas duris obnoxia Fatis,
Inuidiâ poſſis exonerare Deos.

Hoc etiam nos ipſi antiquorum auctoritatibus inhærentes, relatiuè innuimus lib. 1. carm. 48. Atque hanc amplexus opinionem Auctor, ore Cereris eam roborat, dum ait: *Sic Numina fatis voluimur &c.* *Numina* autem emphatice dixit, non obſcuram videlicet exprimens indignationem, quâ ægre ferret hanc ineuitabilem Dijs ipſis impoſitam neceſſitatem Fatis obtemperandi. *Voluimur*. Quid luctuoſius? Quid indignius? *Numina*, quæ ſcilicet cuncta nutu regimus; quorum voluntati nemo reſiſtit, & quæ *Numina* ab inuiolabili dicuntur poteſtate, *Voluimur*; hoc eſt in diuerſa trahimur, &, quaſi luſorij turbines in girum vertimur, & agitamur, ac malleo trudimur calamitatum. *Voluimur fatis*, ſubintellige *prædominantibus, rotantibus*, ac impellentibus, noſtramque in perniciem coniurantibus. Plurali autem vtitur nomine quia, vt alibi vidimus, tres Parcas Fatum eſſe, aliqui voluerunt, alij Iouem; alij neceſſitatem quamdam his omnibus ſuperiorem; ideòq; plurali numero exprimenda fuit Fatorum in Cerere credulitas. De Fato autem fusè iam dictum à nobis alibi, quarè non immoror.

ET LACHESIS SAEVIT NVLLO DISCRIMINE. Cum; Fatum eſſe, arbitrati fuerint, ipſum Parcarum Ternarium, præcipua tamen Fati vis in ipſa Lacheſi fuerat ſtatuenda; nam prima illa, ac Princeps Parcarum fuit, vt, lib. 1. diſſeruimus, carm. 54. Fata igitur; hoc eſt totum Ternarium Parcarum, Dijs præeſſe dicuntur, eoſque pro libito verſare: ſed Lacheſim ſubinde eam eſſe, autumat Ceres, quæ principales fati obtinens vires, *ſequitur*. Nil magis decantatum in Triuijs, quam Parcas ſæuas, immites, inexorabiles eſſe. Iniquas appellauit Hor., lib. 2. carm. ode 6.

Vnde ſi Parcæ prohibent iniquæ &c.

Malignas vocat Pontanus, dum ait:

Iniecitque auidas Parca maligna manus.

Crudeles Politianus

Numina crudeles Parcas miſeranda laceſſit.

Nocentes Statius Theb. 5.

Me penes, & Superi mecum, Parcæque nocentes &c.

Quarè nil mirum, ſi & Ceres ſæuientem aſſerat Lacheſim; *ſæuire* enim eſt *crudeliter in aliquem agere*; crudelior autem Lacheſis eſſe non potuit, quam exprimatur ab hoc Cereris affectu, amiſſam dolentis filiam. Ideò *ſæuit*, & *ſæuit* *nullo diſcrimine*; hoc eſt nulla habitâ meritorum, conditionis, ac ſtatus conſideratione; ita vt, ſicut apud Virg. Dido dixit Aen. 1.

Tros Tyriuſue mihi nullo diſcrimine agetur.

ſic Parca modico verborum flexu accinere poſſit

Vir ſuperuſue mihi nullo diſcrimine agetur.

Vel eo pacto, quo Iupiter Aen. 10. inquit:

Tros Rutulusue fuat nullo diſcrimine habebo.

ſic ipſa: *Vir ſuperuſue fuat, nullo diſcrimine habebo.*
Nam indiſcriminatim omnibus, iuxta antiquorum ſententiam, neceſſitatem ſuam inijciebat: & *nulli cuiſſo colere licuit; nulli ſcriptum proferre Deum*, vt inquit Seneca: Nec quiſquam potuit Parcam vitare, vt docuit Homerus. Ex hoc ſumma exageratur Parcarum in Cererem iniuria; nam, vt apud Legisperitos habetur, *ſummum ius ſumma iniuria* quod vtique maximè amplificat Cereris calamitatem.

QVAM NVPER SVBLIMIS ERAM &c. Relegit anteactas ſuas fælicitates, ex quibus deiecta fuerit Dea, vt magis ex earum mentione euidenter appareat miſeranda infælicitas. nihil enim tam miſerabile eſt, quam ex Beato miſerum effici, vt inquit Tullius. Et profectò ſummam miſeriarum attigiſſe dicendi ſunt, qui tolluntur in altum, vt lapſu grauiorem ruant. Ideò aptè per antitheſim infælicitatem ſuam exagerat Ceres, quæ primò fuerit proponens, vt grauiori ſe laſam lapſu ſignificet, *Quam ſublimis*. En altitudinis apicem quem attigit. particula enim *Quam* intenſiua eſt, quæ, cuicumque applicetur ſummum illi adiudicat gradum. Sic Dido, apud Virg., Aen. 4., dotes admirans Aeneæ, quem iam deperibat, eaſque inexplicabiles reputans ait:

Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Quem ſeſe ore ferens? Quam forti pectore & armis?

Sic & Ceres hic, vt ſe euectam in eam fuiſſe notet ſublimitatem, quæ non ſatis explicari poſſit, eam exagerat, per particulam *quam* appoſitam: *quam ſublimis &c.* hoc eſt in altum eleuata, nam hæc eſt illius vocis ſignificatio. Quare & Virg., de Venere loquens, Æn. 1., inquit:

Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſque reuiſit
Læta ſuas &c.

Hic tamen certè non de ſublimitate locali eſt intelligenda, ſed de apice honoris, exiſtimationis &c. ad quæ ſignificanda transtulit nomen illud *ſublimis*, & correſpondet hic locus ijs, quæ dixerat lib. 1.

Infæcunda quidem, ſed cunctis altior extat &c.

Nuper aduerb. præteriti temporis eſt, ſed vix præteriti; & ideò aptè etiam cum imperfecto copulatur. *Nuper eram*, quo ſit vt grauiora appareant Cereris infortunia; nam, vt 3. Tuſcul. teſtatur Cic., *omnia repentina grauiora*.

ET QVANTIS PROCORVM STVDIIS CINGEBAR. Correſpondent hæc ijs, quæ dixerat pariter lib. pri. *Perſonat aula Procis &c.* Nomen *quantis* ad numerum, ad pondus, & ad menſuram refertur. Optimè igitur *quantis*, vt numeroſam procorum memoret turbam; vt eos magni ponderis. hoc eſt, æſtimatione grauiſſimos, ac menſurâ meritorum inſignes denotet. Quid autem Procorum nomine intelligatur, vide locum cit. lib. pri. Per nomen verò *ſtudijs*, & intenſi eorum affectus, & frequentantium aſſiduitas, atq; inter ipſos, pro Virgine, concertationes importantur, de quibus lib. pri. cit. Sed dices: quid hoc ad matris celſitudinem? Proſerpinæ honori datur, non matris. An non meminerimus, filiarum gloriam inter præcipua matrum decora computatam? Naturam itaque ſequitur Vates, quæ matres edocet, filiarum decus ſibi ipſis quaſi originarijs fontibus attribuere. Ideò Ceres non dixit: *Quantis procorum ſtudijs cingebatur*: ſed *quantis cingebar*; nam ſuum reputat, quidquid filiæ eſt. *Cingi* enim eſt arctè adeò circumdari, vt ferè prematur vndiq; latus; & vix detur reſpirandi facultas. Obſeſſam ſe itaque (vt ita dicam) fuiſſe, indicat, Procorum aſſiduâ frequentiâ, ac poſtulationibus, Ceres; ſicq; ijs correſpondet, quæ itidem dicta reperies lib. 1. cit.

. . . . Hinc æmula Iuno
Hinc poſcit Latona nurum &c.

& *cingebar* ait, primò quia matri inſtabant; ſecundò vt naturam matribus communem attingeret, quæ Procorum ſtudijs, filias proſequentibus, magis vt plurimum, quam filiæ ipſæ, ſuperbiunt.

QVAE NVMEROSA PARENS &c. Correſpondet dictis lib. item 1.

Sed numero damnum Proſerpina penſat.

numeroſum enim dicitur, quod magno ditatur numero: ſicq; *numeroſa parens*, quam *felix natorum turba coronat*; ex quo cum fœcunditas arguatur, fœcundiſſimam quamq; parentem notat,

notat,ac ſibi alioquin inſęcūdæ ceſſiſſe aſſerit, vt dictum ibi.

NON CEDEBAT MIHI. *Cedere* inferioris eſt: quarè *non cedebat*: hoc eſt, *non ſubmiſsiorem ſe gerebat: nondum inferior poterat*, ſi mecum in honoris certamen deſcendiſſet.

OB VNVM PIGNVS. Cauſam, propter quam reliquæ cederent matres, aſſignat explicitè, iuxta locum cit. lib. 1.

Aeternæ Cereri proles optata vetabat
Vnica nec tribuit ſobolem Lucina ſecundam.

Ob enim præpoſitio eſt cauſalis vim habens conditionis, & idem eſt, ac *propter*. Sic, apud Virg. Drances, in Turnum inuehens, eum cauſam communis exitij declarat his vocibus

Cuius ob auſpicium infauſtum, moreſq; ſiniſtros
Lumina tot cecidiſſe ducum, totamq; videmus
Conſediſſe vrbem luctu &c.

Vnum pignus, nempè *filiam vnam*, quæ cur *pignus* dicatur, videas lib. 1. carm. 178. Et iure *vnum*; nam *vnus* principium quidem numeri eſt, ſed non numerus: quarè directè opponitur, per anthiteſim, numeroſitati aliarum, de qua ſupra iure *vnum*; nam lib. pri. habetur:

Feſſaq; poſt primos haſerunt viſcera partus.

Videas dicta, ac cit. carmen *vnica nec tribuit ſobolem &c.* Hæc autem omnia, per interrogationem affert, ad vim affectuum exerendam. & quia veriſſima ſit, nec negari poſſint.

TV PRIMA MIHI VOLVPTAS: TV POSTREMA. Reſpondet dictis lib. pri. *Hanc fouet, hanc ſequitur &c.* Definitio autem hæc antonomaſtica eſt, qua, quid Matri Proſerpina fuerit, exponit. *Tu* Proſerpinæ pronomen demonſtratiuum eſt, quam abſentem tamquam præſentem alloquitur mater: & emphaticè poſitum agnoſces. *Prima*; nam ante illam nullum ediderat fętum, vt ex Orphei ſententia inſinuat Vates. Sed vide dicta lib. pri. ad cit. carm. *Vnica nec tribuit &c. primus* enim ſemper dicitur, quem nemo præceſſerit. *Tu poſtrema*. Nota emphaticam repetitionem pronominis, patheticam admodum. *Primus*, & *nouiſſimus*: *Principium*, & *Finis α*, & *ω* notæ ſunt, ſupremæ Diuinitatis expreſſiuæ, vt ex ſacris litteris conſtat. Quare vides, quantam filiæ conferat dignitatem, dum *primam*, & *poſtremam*, quod idem eſt, ac *nouiſſimam*, nominat voluptatem ſuam; nempè principium, & finem gaudiorum, ac deſideriorum ſuorum: *α*, & *ω*, cui adirigiſaret, & in quo quieſceret Matris affectus iuxta dicta lib. pri. *Hanc fouet &c.* vt ſupra innuimus. Porrò quidquid cum delectatione animum mulcet, *voluptas* dicitur. Ideò Proſerpina prima, & poſtrema matris voluptas dicitur, quia præter eam nil Ceres haberet, quod eius cum delectatione animum mulceret. Sic Euander apud Virg. Æn. 8., Pallantem alloquens filium, ait:

Dum te chare puer, mea ſola, & ſera voluptas
Complexu teneo &c.

PER TE FÆCVNDA VIDEBAR. *Per te*: ideſt *gratia tua, munere tuo videbar fęcunda*. Non dixit abſolutè *eram*; nam infæcunda dicta eſt lib. pri., quia per vnicum partum fæcunditas non ſubſiſtat; ſed tantummodo *minus ſterilis* dici potuit. Aſt *videbar*, ait: quia ſcilicet *damnum numeri Proſerpina penſabat*, vt dictum lib. pri. Vide ibi, nam explanatio illa plurimum conferet ad præſentis textus intelligentiam, & explicationem.

O DECVS &c. Magnis rerum geſtarum narrationibus appoſitas exclamationes ad permouendos affectus efficaciſſimas, recenſet eruditiſſimus Rhetorum Præceptor Cauſinus lib. de Eloq. 8. cap. eodem: & affert celebre illud exemplum à Cic. deſumptum, cum videlicet ille, poſtquam de ſupplicio Gauij diſſerens, repetitum illum miſeri clamorem: *Ciuis Romanus ſum*: commemoraſſet; ſtatim in mitem erumpens exclamationem, hæc adiecit: *O nomen dulce libertatis! O ius eximium noſtræ Ciuitatis! O lex Porcia, legeſq; Sempronia! O grauiter deſiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia poteſtas!* Quæ quantum habeant virium, ad excitandos, permouendoſq; affectus, vel ſimpliciter legenti ſatis patet. Hac ipſa itaque arte vſus Auctor noſter, quo aptiùs naturam imitetur, efficit, vt Ceres prænarratis quas ex vnica filia perceperat, fęlicitatibus, in mites erumpat exclamationes: *O decus &c.* Quæ exclamatio in eo eſt exclamationum genere, quæ ad admirationem, cum laude exprimendam conferunt, vt notat cit. Cauſ. lib. 7. cap. 25., & maximam inſuper præ ſe fert vehementiam doloris. O interiectio dolentis, admirantis, atq; exclamantis eſt ſimul: ac maximè affectibus indulgens, ac deſerviens. *Decus* idem eſt, ac *honor, lons, ornamentum, dignitas*; quæ omnia, hac vna voce, Proſerpinæ tribuuntur, quaſi iure ex antecedenti narratione deducta; ac de ea hic antonomaſticè dicuntur, per definitionem. Confimili autem definitione vtitur Virg. Georg. 2. Mæcenati addità, licet, non exclamantis, ſed inuocantis ſit.

O decus; ò famæ meritò pars maxima noſtræ.

Et Regina Amata in laudes Turni effuſa Æn. 12.

. . . . . . Tu ſpes nunc vna ſenectæ
Tu requies miſeræ, decus, imperiumq; Latini.

O REQVIES. Nota emphaticam, quo ad affectum exclamationis, iterationem, ac gradationis inſtructionem mirificè concinnatam. *Requies* autem anthonomaſticè dicitur, quia ipſa vnicum fuerat matris in quocumq; labore, anguſtia, ac mærore, ſolatium, vnica animi quies.

O GRATA SVPERBIA MATRIS. *Grata*; hoc eſt *beneplacens, iucunda, dilecta*. *Superbia*; hoc eſt, *cauſa qua ſuperbirem*, atq; altiſſimo ſupra omnes efferrer animo. Definitio anthonomaſtica. Appoſite autem *grata* dicitur *ſuperbia*: nam ſuperbia inuiſa omnibus eſſe ſolet, & ingrata: ſed, vt oſtenderet Ceres, ſibi hanc in delicijs ſuperbiam fuiſſe, meritò gratam compellauit. *Matris* autem dixit, & vt oſtenderet, cui grata eſſet illa ſuperbia, quæ cæteris cauſa fortaſſis inuidiæ fuerit; & correlatiue ad filiam, quaſi dixerit: *dum mater eram*, vt vehementiori affectu commiſerationis decoretur, & miſeriam magis exageret ſuam, cum quod fuit, & non eſt, pro nihilo reputetur. His itaque omnibus ſubaudi additam particulam præmiſſam *nuper*, vt magis ex ſubita cathaſtrophe appareat infælicitas.

QVA FLORENTE GESSI DEAM. Rationem reddit, cur Proſerpinam definierit *gratam Matris ſuperbiam*. Quâ correlatiuè ad Filiam, ad quam ſermonem conuerterat. *Florente* correlatiuè ad carm. lib. 1.

Aeternæ Cereri proles optata vetabat.

atq; ad id, quod Electra dixerat hoc eodem libro *Florebat tranquilla domus &c.* ideò *florente*; hoc eſt, bonis affluente, fælicìq; æuo perfruente. *Geſsi Deam*. Deæ perſonam videlicet, ac dignitatem ſuſtinui. Vno verbo: *Dea fui*. Vbi vim præteriti temporis emphaticam perpende. Quod enim præteritum abſolutè eſt, nihil de præſenti eſt. Sic Panthus apud Virg. Æn. 2., vt actum eſſe de rebus Troianorum indicaret, præterito vſus aiebat.

. . . . . Fuimus Troes: fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

Quod idem fuit, ac ſi dixiſſet: Fuimus; iam non ſumus: nec niſi vmbra Troiæ iam ipſi ſupereſt Troiæ. Sic itaque emphaticè & Ceres *geſsi Deam*: *Dea fui*: iam *Dea vmbra*; *tam in nihilum redacta*: *à celſitudine maieſtatis deturbata*; opprobrium, & abiectio Plebis Deorum facta.

QVA SOSPITE, NVNQVAM FVI INFERIOR IVNONE. Iterationem habes in relatiuo; gradationē in membris, vt vides. Dixerat: *qua florente Deam geſsi*. Plus certè eſt *florere*, quam *ſoſpitem eſſe*: nam *florere* vitam importat omnibus affluentem bonis, vt dicebamus: *ſoſpitem eſſe* tantum dicit vitam à malis, à morbis, ab infortunijs alienam, licet aliundè nullis affluat bonis. Quare decreſcere potiùs videtur Vatis oratio, quàm creſcere. Aſt, ſi cautiùs aduertas, decreſcit vt creſcat; nam, *Filia florente*, ſe Deam fuiſſe, poſtquam faſſa eſt Ceres, fatetur inſuper, Deam ſe, & Deam Iunoni æqualem fuiſſe, quandiù ſoſpes fuerit filia, etiam præſcindendo ab hoc, quod, vltra id, quod eſt ſoſpitem eſſe, affluentiam vllam habuerit fælicitatis: ſatis enim Cereri fuiſſet, eam incolumem habere, licet non tantis refertam bonis, vt florens dici potuiſſet. *Nunquam* expungit Heinſius; & *nuſquam* legit: ſed, cur immutandum non video; nam certe qui, per aduerbium temporis *nunquam* aliquid reſpectu omnis temporis, negat, etiam profectò, reſpectu cuiuſcumque loci, id negat: nam, vt nos in Phyſicis docebamus, poteſt quidem aliquid, ſaltem per diuinam potentiam eſſe, & eſſe *nuſquam*, quod idem eſt, ac *nullibi*, cum locus diſtinguatur realiter à locato, ſi de loco extrinſeco ſermo ſit; diſtinguatur autem realiter modaliter, ſi de intrinſeco loquamur, ac conſequenter poſſit locus tam intrinſecus, quàm extrinſecus deſtrui in deſtructà eſſentia illius, qui fuerat in loco; ſicuti de facto deſtruitur vbicatio præſens, cum per motum alibi transferor in deſtructà mea eſſentia. Aſt non poteſt quid eſſe in aliquo loco (quamuis hoc ipſimo conceſſerit Pater Pallauicinus e Soc. Ieſu Romæ Lector) & non eſſe in tempore: nam, cum *eſſe in tempore*, vt nos ibi docuimus, nil ſit aliud, quam *conſeruari pro tali tempore in eſſe*, certè implicat, aliquid conſeruari in eſſe, & non eſſe in tempore. Aſt, cum *eſſe in loco* præſupponat eſſe, & conſeruari, quod locatur, certè non poteſt quid eſſe in loco, & non eſſe in tem-

tempore. Quarè aduerbium omne tempus excludens, etiam omnem excludit locum. Non itaque à vulgata recedendum, quæ *nunquam* habet, hoc eſt, nullo tempore, *ſum inferior*. Inferior quis dici poteſt, vel reſpectu loci, vel reſpectu dignitatis, ac maieſtatis, & exiſtimationis, ſed de his potiùs quam de illo decantatur, nam, qui ſuperior ſit dignitate, maieſtate, & exiſtimatione, licet interdum per accidens ſit in loco inferiori, non tamen abſolutè *inferior* dicitur. In hoc itaque ſenſu & hic ſumitur, oſtendit enim Ceres, ſe Iunonis ſemper maieſtati, dignitati, & exiſtimationi æqualem obtinuiſſe gradum celſitudinis, ac cum ea de dignitate contendere potuiſſe: cum ea, inquam, *Iunone*, quæ de ſe ipſa diceret Aen. 1.

Aſt ego quæ Diuum incedo Regina, Iouiſque,
Et ſoror, & coniux &c.

Vides quam altè dignitatem olim ſuam amplificet, vt inde grauiùs ſe corruiſſe poſtmodum oſtendat, & præſentem deiectionem miſerrimam fuiſſe.

NVNC SQVALLIDA, VILIS. Summam Cereris amplitudinem, maieſtatemq; vidiſti. Iam infimum in gradum depreſſam inſpice deiectionem, vt, per iuxtapoſitionem oppoſitorum, eius magis eluceat infælicitas. *Nunc ſquallida viſus*; ſeù *ſquallida vultus*; legendum putat Heinſius, quia, vt ipſe ait, non nouus eſt Vati Græciſmus. Verùm ſqualleret profectò cum Cerere, ac vilior eſſet oratio, vt arbitror; nam, cum ſquallor, in luctibus comes ſemper lugentium eſſe debeat; ex quo factum, vt Auctor noſter *ſordidam*, quod idem eſt, ac ſquallidam deſcripſerit Electram: *ſordida ſyderea vapens lugebat Alumna*. Certè per hoc, quod Ceres, ſe ſquallidam viſu, vel vultu, diceret, luctuum tantummodo ſuorum acerbitatem exprimeret; ac conſequenter non ſatis vis hic debita Anthiteſis appareret; & tamen certè debet ex oppoſito in oppoſitum deſcendere, vt Cathaſtrophem oſtentet ſuam. Scio equidem, nomen *ſquallidus* idem eſſe, ac *ſordidus*, ſeù *ſordidum* *cultum* *inquinatus*, *obſitus*, *deturpatus*; &, quia, qui huiuſmodi eſt, contemptibilis eſt, ideò ſquallidum interdum pro contemptibili viſurpari: ſed, vt dicebam, hæc eſſet antithesis virtualis, & deducenda potiùs, per methareſim, quam expreſſa. Sed dato etiam, quod ad expreſſam reduceretur, adhùc minor eſſet oratio, nam effectum ſine cauſa exprimeret; nempè ſe contemptibilem diceret, ſed nullam contemptibilitatis cauſam ſignaret. Quod ſi legas: *Nunc ſquallida, vilis*, ſe contemptibilem apertè notat, dum vilem appellat, & cauſam notat, quia ſcilicet ſit ſquallida luctu indigno &c. In quo etiam gradatione, & emphaſi decoratur oratio. Quarè nil arbitror de vulgata immutandum. *Nunc* itaque aduerb. temporis præſentis eſt, quod ex diametro opponitur præterito *ſui*. *Squallida*: ſuple *ſum*; & directè opponitur præteritis, quæ iactauerat, ornamentis: *Tu prima voluptas &c*. *Vilis* cumulatiuè ponitur; nam *vilis* idem eſt, ac *humilis*, *abiectus*, *plebeius*, *contemptibilis*; immò de facto contemptus: quæ omnia ex eo proueniunt, quod Ceres ammiſsa filia luctuum ſordes, ſquallorem q; induerit, ac totum decus illud, quod ſe ex Proſerpina recepiſſe dictitauerat, amiſerit.

HOC PLACITVM PATRI. Exul in Ponto Ouid.

Hoc mihi ſupremo fulmen ab arce venit,

exclamabat fortunam ingemiſcens ſuam. Et *Tu quoq; Fili* ingemuit, vt alibi diximus Cæſar, cum inter interfectores ſuos Brutum agnouerit; quia teterrimum miſeriæ genus eſt, eos in perniciem noſtram coniurantes inſpicere, quos protectores futuros ſperabamus, quoſue ad protegendum à natura ipſa inſtitutos, arbitrabamur. Patheticè igitur, ac mirum in modum inuidioſe hoc dictum, agnoueris. Sed emphaſim perpende. Hoc contra ius Cælorum, ac Deorum omnium perpetratum: hoc contra iuſtitiam in inſontes euibratum malum: hoc quod filiæ perditionem, Amaſiæ deiectionem, florentiſſimæ Dearum familiæ excidium, dolo intulit malo: *Hoc placitum Patri*. *Placere* ad actum pertinet voluntatis, vel rem aliquam amplectentis cum gaudio, vel ſaltem non reijcientis, cum poſſit, atq; adeò æquo animo tolerantis, & permittentis. Voluntas naturaliter fertur in bonum, & ſi de voluntate Diuina loquamur, adeo fertur in bonum, vt nullo pacto ferri poſſit in malum, ni ipſa, quod impoſſibile eſt, natura pereat Diuina. Et tamen hoc, quod ingens, adeò malum cenſebatur, *hoc placitum* dicit. Vide, quanta dicendi polleat energia. Iouem enim, Iouem eſſe, deſiſſe neceſſario oſtendit; cum illi placitum fuerit, quod, ſalua Deorum natura, illi nunquam placere potuiſſet. *Hoc placitum Patri*. Ioui videlicet, ex quo Proſerpinam conceperat. Pater græcè πατὴρ dicitur, quaſi πατηρ, hoc eſt παῖδας τηρῶν, quod latinè ſonat *filios ſeruans*. Vide, quam inuidioſe, quam patheticè decurrat oratio: ingentem enim rei excitat admirationem, cum quod impoſſibile, ſpectata agentium natura, videretur, poſſibile non ſolum, ſed & factum oſtendit. Poſſibile ne eſt, vt qui natura eſt *ſeruans filios*, filiam ſponte perdiderit? Attamen hoc factum notat: *Hoc placitum Patri*. Procellis agitatum mare cum pinxiſſet eruditiſſimus Abbas Picinellus, in Mundo ſuo ſymbolico, lib. 2., cuius ſurijs Delphinus explodebatur in ſittus, impreſſæ, hoc lemmate, corpus animauit; *Propria nec parcit alumnos*: ſeù *quem genuit perdit*: vt teterrimum oſtenderet crudelitatis genus, procul dubio, ijs ineſſe Patribus, qui filios perdant. Hoc ipſum Ioui obijcit Ceres; &, dum eum in inuidiam vocat, miſerrimam & ſui, & filiæ conditionem oſtentat. Correſpondet autem hic ijs, quæ dixerat Cynthia lib. 2. *In te conſurat genitor &c*.

CVR AVTEM &c. Per correctionem poſitam mox in Iouem ſententiam reuocat, vt, quod deterius videri potuit, in miſeriarum ſubdat argumentum ſimul, & augmentum; nempè ſibi ſoli imputandam filiæ perditionem; ſeq. ſolam excidij cauſam fuiſſe. *Cur* interrogantis eſt. ſe enim ipſam interrogans vrget Ceres, ac redarguit. *Autem* idem valet, ac ſed: coniunctio videlicet aduerſatiua, qua oſtendat, mentem ſuam iam deceptionis conſciam prædictis in Iouem probris auerſari.

ADSCRIBIMVS ILLVM HIS LACRYMIS? *Adſcribimus*; hoc eſt in auctorem criminis adſciſcimus: nam *adſcribere* eſt nomen alicuius ſcribere ſub aliqua ſententia iam lata: ſeù *perſonam aliquam crimini addicere*. *Illum*; nempe Iouem patrem, de quo ſupra. Nomen autem artificioſè reticet; &, per pronomen demonſtratiuum ſignat, *illum*; vulgò *lui*; vt oſtendat, ſe iam conſciam iniuriæ in Iouem euibratæ, acerrima confuſione ſuffuſam, ne audere quidem offenſi Numinis nomen, immundo ore, iactare.

HIS LACRYMIS. Cur, inquam, facimus auctorem cladis illius, quàm *his fuſe lacrymis* proſequimur lamentantes? Quaſi dixerit: non ille luctus cauſa: non tortor viſcerum; non exactor lacrymarum: fruſtra Iouem inculamus, dum Nos totam tanti ſceleris reitatem contrahimus.

EGO TE, FATEOR &c. Se ipſam interrogauerat; Iam ſibi ipſi, per ſubiectionem reſpondet: & quod deterius ſit, ſubdit. *Ego*. Se ipſam in culpam vocat. Sed emphaſim nota. *Ego*, quæ Patrem, iam non Patrem, redarguo, quia filiam non ſeruauerit; nec video, me matrem eſſe deſijſſe: *Ego*, quæ mater, ſed non mater; quia, iuxta debitum, à matris nomine importatum, filiæ non conſului: nam μήτηρ à μητιάω, quod eſt *conſulo* dicitur; quarè idem eſt *Mater*, ac filijs conſulens; Aſt *ego Te &c*. Nota n ppoſitionem relatiuam, & emphaticam. *Ego*, tibi conſulendi munere obſtricta, *Te*, cui conſulere debuiſſem.

ADEMI CRVDELIS. *Ademere* idem eſt, ac *de medio tollere*, *perdere*, ac *deſtruere*. Nota contrapoſitum, quod directè officijs opponitur matris, & quo vtitur Ceres, vt culpam exageret ſuam. *Crudelis*, in patrem videlicet, qui, incuriâ mea, filiam amiſerit; in filiam, quæ orbata ſit genitoribus, Cælo priuata, ſeruitio Prædatoris addicta: in me ipſam, quæ voluptate, decoramento, ac requie vnicâ meâ me ipſam negligens, priuatam effeci: *Crudelis* per antitheton ad naturam matris, quæ tota pia in filias, ac benigna à Natura ipſa inſtituitur. *Ego te crudelis ademi*; cum tu incuriâ meâ perieris: mihi, non Ioui imputandum eſt exitium, quo premeris.

FATEOR. Apertè, palam, ac, ſincero iam animo, confiteor: nec enim negari poteſt, quod, facto ipſo clamante comprobatur. Vides, Cererem, pœnitentia ductam, crimen fateri ſuum: & filiæ perditionem ex ſe ſola prouenientem confiteri. Sed, quia ſero ſapiunt Phryges, huiuſmodi actum confeſſionis, deſperantis potiùs, in ſe ipſam eſſe obiurgationem, quam fructuoſum pœnitentis, ac veniam implorantis affectum.

QVÆ TE DESERVI SOLAM. Hæc ratio, cur ſe cauſam exitij dixerit, & ex qua tantam ſibi, ac filiæ cladem comparauerit. *Quæ* relatiuè dictum ad pronomen *Ego*, quo ſe ipſam Ceres ſupra deſignauerat. Per verbum verò *Deſerui*, ſe ipſam proditionis inſimulat, vt acriùs in ſe ipſam inuehat; nam à *deſero* deſertores dicuntur *proditores*, qui, quos maxime defendere, ac tueri debuerant, in diſcrimine relinquunt: quarè idem eſt, hoc loco, *deſerui*, ac *deſerens prodidi*; vulgò *t'ho abbandonandoti tradij*. Quid de matre atrociùs dici potuit? Quid ad infelicitatem exagerandam efficaciùs? Quid ad affectum commiſerationis permouendum

dum aptiùs ? *Solam*; hoc eſt incuſtoditam, ac debito matris præſidio denudatam. Correſpondet autem hic locus lamentationibus a Proſerpina, per ſomnium, apud matrem peractis hoc eodem lib. *Heu dira parens, nataq; peremptæ Immemor; heu ſuluas animo tranſgreſſa Leænas &c.*

QVÆ VLTRO &c. Quomodo, ex hoc, quòd deſeruerit, proditrix dicenda ſit, explicat: & nota emphaticam relatiui *quæ* repetitionem. *Vltrò* hoc eſt, volens, lubenſq; nullo cogente, ſed ſponte mea; cum nullus deſerere coegerit, niſi ipſa mea deſerendi voluntas.

EXPOSVI INSTANTIBVS HOSTIBVS. Præuidit Ceres raptus futuros, vt habetur lib. 1. *raptuſq; timens &* .eoſq; vt cautè euitaret: *Aethera deſerui &c.* Quare cum præuiderit, aſſiduè timere debuit, ac Filiæ aſſiduam ſui cuſtodiam exhibere: quod cum non fecerit, videtur vltrò filiam hoſtibus, quos timebat, abripiendam obieciſſe: ideò *expoſui*; nam *exponere* eſt quaſi *extra, & in propatulo ponere* aliquid, vt poſſit pro libito quiſquis prætericus abripere. In propatulo autem expoſuit, cum *inſcitis natam Laribus commiſit alendam*. *Hoſtibus*; hoc eſt raptoribus, hoſtiliter ſemper agentibus, ac dum prædæ inhiarent, *inſtantibus*; quod eſt *imminentibus*, atque in prædæ occaſionem euigilantibus. Sic *inſtantibus* pro imminentibus vtitur Iupiter, apud Virg. Æn. 12., vbi Iunoni, exoranti modum letho eripiendi Turnum, his inſinuat.

Tolle fugâ Turnum: atque inſtantibus eripe Fatis,

NIMIRVM &c. Aduerb. affirmantis eſt, vt ſentit Parrhal, idem, ac *ſanè*: vulgò *per verità*. Verùm, ſi res attentiùs introſpiciatur, aduerbium illud ego potiùs exiſtimauerim explicatiuum ſimul, & affirmatiuum; nam nouam quaſi rationem reddit Ceres, cur ipſa filiam hoſtibus tradidiſſe, iure dici potuerit, quia nempe, ſi deſeruiſſet tantùm; ſed ſtatum ad cuſtodiendi munus rediſſet, forſitan hoſtium aggreſſionibus occurriſſet opportuna, & obtinuiſſet: ſed quia longas in moras abſentiam à filia ſuam, Phrygijs detenta illecebris, duxit; ideò anſam hoſtibus præbuit, impunè non ſolum, ſed & ſine vllo incommodo prædam agendi. Ideò *nimirum*, hoc eſt, *videlicet quia*: vulgò *mercè che nel vero*; quo aduerbio explicat, quid intellexerit, per verbum *deſerui*, & per verbum *expoſui*, ac nouam, vt dixi, cauſam addit, cur proditrix diceretur.

SECVRA. A metu otioſa, quod indignum profectò matre fuerat, quæ iam rapiendæ filiæ conceperat præſagia; *rapenſq; timens &c.* vt lib. primo. Correſpondet verò hic locus ijs, quæ dixerat, lib. primo.

Hic tibi ſeruandum mater fidiſſima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit ſecura Penates.

Quare vide ibi dicta, quæ non parum conferunt ad huius loci explicationem.

FRVEBAR. *Voluptate gaudens intereram*, & detinebar.

RAVCIS THYASIS. Quid de Thyaſis dicendum, vide lib. 1. carm. 205. Et *raucis* dixit, quia ad raucum, diſſonantemque tympanorum ſonitum ſaltabant, vt ibidem vidimus, Corybantes; ac ipſa, inter ipſos, tripudiabat, vt eidem per ſomnium improperauit, hoc eodem lib. Proſerpina, inquiês.

Suppliciſ incluſa feror. Tu ſæua choreis
Indulges; Phrygiaſq; etiamnum interſtrepis vrbes.

& iure meritò hoc ſibi exprobratum fatetur hic Ceres.

ET LÆTA SONANTIBVS ARMIS. Vide dicta lib. 1. carm. 209. loquitur enim de armorum plauſu, quem Corybantes edebant, vt ibi. *Aruis*, non *Armis* legendum putat Heinſius, quem non improbo; nam his plauſibus reſonantem latè campum iam alibi vidimus; & certe, in his aruis, Ceres Phrygios iungebat leones. Sed meliùs, arbitror, ſi locus loco correſpondeat, iuxta noſtram explicationem.

IVNGEBAM LEONES PHRYGIOS: Quibus ſcilicet, materno in curru veheretur ſublimis, Vide dicta hoc eodem lib. carm. 49.

CVM TV RAPERERE. Nota, quam eruditè ſocordiam ſuam fateatur, quâ videlicet, ſe matrem exuiſſe, euincatur. Notiſſima, apud omnes, eſt ea Naturæ vis, quam ſympaticam appellant Phyloſophi; & qua efficitur, vt amici abſentis amicus; conſanguinei, aut filij abſentis conſanguineus, & Pater abſens, dolores quoquo modo percipiat; nam ſæpe dum abſens filius infirmatur, Pater, licet rei ignarus, & longè diſſitus, vritur, torquetur, affligitur, & arcano quodam mærore inficitur, adeò, vt vix ſe credat non conficiendum. Quomodo igitur mater ea fuerit, quæ pereunte filia, quamuis abſente, mærorem ſaltem non experiretur intenſum: ſed immò læta caneret, exultaret &c. Vide quantam in inuidiam ſe ipſam vocet: quam altè Fatorum peruicaciam deploret; quam erixè infortunium exageret ſuum, quod ſe ſe matrem eſſe non permiſerit. Correſpondet autem hic locus ijs, quæ habentur lib. 2. *Rapitur Proſerpina curru &c.* & patheticè admodum emicat, & exardeſcit oratio.

ACCIPE, QVAS MERVI, POENAS &c. Offenſionis illatæ pœnitentiam ſequitur ſatisfactoria, quam ipſe peccans, de ſe ipſo in ſe ipſum ſumit vindicta. Cum itaque Ceres ſe ipſam faſſa fuerit tot malorum auctricem; quid expectares, niſi vt ipſa in ſe ipſam deſæuiret, peccatum ſcilicet, quod ſponte ſe admiſiſſe fatebatur, ſponte in ſe ipſa puniens? Verùm, quia iratis Dijs ſanguine litandum, cenſebant antiqui, iuxta oraculum, quod a Phœbo redditum affirmat Sinon, apud Virg. Æn. 2.

Sanguine placaſtis ventos, & Virgine cæſa,
Cum primum, Iliacas, Danai, veniſtis ad oras,
Sanguine quærendi reditus, animâq; litandum
Argolica &c.

Ideò Ceres, Deam vtiq; Proſerpinam, iratam fortaſſis ſuſpicata, ſanguine placandam ducens: cum ſe ipſam immolare, obſtante Diuinitate, non poſſet, ſanguine ſaltem è vulneribus, lacerationibuſq; extracto, litat; illumq; expiatorium facinoris, iratæ offert filiæ liquorem, quo facile in gratiam reddeat, ſibiq; ignoſcatur. Ideò *accipe pœnas*. Verbum offerentis eſt, & debitum alicui tributum rependentis. Debita eſt pœna peccato; nam ſemper *vigilans in crimina pœna* &c, quia Filia pœnas huiuſmodi à matre vel nollet, vel nequiret exigere, vltrò ipſa eas illi exhibet, & offert: *Accipe pœnas*: quod ſummum profectò deſperantis animi dolorem tragicam educit in ſcenam; atq; vberrimam commiſerationis affectuum colligit meſſem. Porrò *pœna* eſt *ſupplicium*, vt alibi dix., *ex delicto alicui debitum*: ideò *pœnas, quas merui*: non enim ſponte confeſſo, vel conuicto de delictis, meritò pœna, & quidem æquiparanda debetur delicto: quarè, quæ in proprium ſanguinem peccauerat, proprio debuit & ſanguine pœnas luere. Ideò

EN ORA FATISCVNT VVLNERIBVS. Quales dederit pœnas, iam exprimit, per aduerb. oſtenſiuum, ſeu demonſtratiuum *en*, quod quaſi digito ſignat, & oſtendit id, cui addicitur. Ex quo facilè deduco, deceptum, hoc loco, Parrhaſium, qui verbum ſuprapoſitum *accipe*, pro eodem, accipiendum aſſeruit, ac ſi diceret *ecce*, adducens illud Virg. Æn. 2. vbi *accipe* pro *ecce* ponitur.

Accipe nunc Danaum inſidias &c.

Sic enim Parthaſ. ipſe interpretatur Virgilij locum. Fallitur, inquam, Auctor cit., nam, ſi *accipe* pro *ecce* poſitum fuiſſet, iam inſulse ſubderetur particula *en*, quod non eſt dicendum. Sed explicationem proſequamur. Lacerare vnguibus genas: comas diuellere &c. maximum doloris, ac deſperationis profectò ſignum eſt, vt & alibi vidimus: & proprium maximè fœminarum videtur, quæ vtpote impotentioris Naturæ faciliùs in huiuſmodi feruntur exceſſus. Cum itaque & Ceres, criminis, quod ſibi obiecerat, impatiens, ac doloris impotens, genas alte ſuas dilaceraſſet, ſanguinem ex laceratis profluentem; nec non vulnera ipſa offenſæ offert Proſerpinæ. *En ora &c.* *Os* pro toto ponitur vultu, & numero plurali vtitur pro ſingulari per ſynecd. *Fatiſcunt*. Subaudi *immiſſis vnguibus*; nam *fatiſcere* eſt quaſi *effatim hiſcere*; hoc eſt *latè non minùs, quàm profundè aperiri*: certè autem Cereris genæ non ſponte ita dehiſcebant; ſed vnguibus diſcerpentibus dilaniatæ excauabantur in ſulcos. Quod latè confirmatur ex addito: *Vulneribus*:. nam vulnera ex immiſſis vnguibus ſanè effecta. *Vulnus* enim non dicitur quælibet vtcumque cutis, vel carnis diſruptio leuis: ſed ſolum, ſi propriè loquamur, hians, patenſq; corporis apertura, ictu aliquo inflicta: & licet vngues modica ſint feriendi inſtrumenta, nec primo ictu valeant profundè adeò carnem ſcindere; iteratis tamen proſciſſionibus, alte demergi poſſunt, & vulnera efficere patentia.

ET GRANDES SVLCI RVBENT IN PECTORE. Iure plectitur peccantis vultus, qui ſcilicet non erubuerit infanda perpetrare: ſed meliùs pectus tunditur, quippe quod affectuum cor fontem contineat, ex quo ea exeunt, quę coinquinant; cum enim nullum ſit peccatum niſi voluntarium, & voluntas præcipue cenſeatur in corde reſidere: ex corde peccata omnia prouenire dicuntur; atque adeo iure ipſa cordis plectitur ſedes in vindictam. Ceres itaque, laniato vultu, theatrum ſcilicet, quam vocant affectuum, etiam pectus, in quo fons, & ſedes affectuum cor eſt, laniauerat: atque hanc ipſam, ex ſe repetitam, pœnam, in expiationem ſui, dilectæ offert Proſerpinæ, pœnam pœnæ copu-

lans

lius per coniunctiuam *&*: *grandes ſulci* tranſlatio eſt ex aratorijs exercitijs deſumpta; nam, ſicuti terra aratro longos ſcinditur in ſulcos, qui propriè nil aliud ſunt, quam foſſæ oblongæ, quæ vomere, inter arandum fiunt; ſic, vomeris inſtar, vngues pectus proſcindentes, lacerantesque, quaſi aratro ducto, excauant foſſas; hoc eſt oblonga ducunt, & excauant vulnera. Et ideò *grandes ſulci*; hoc eſt grandia, iteratis vnguium perarationibus, vulnera ſulcorum deducta in morem, & quæ ſanguine deſluente purpureum oſtentant colorem; & ideò *rubent in pectore*.

EN VTERVS IMMEMOR &c. Punierat & vultum, & pectus: iam vteri exhibet punitionem. Correſpondet autem hic locus ijs, quæ ante dixerat.

. . . . . . Exſudat ab vbere ſanguis:
Larga, vel inuito, prorumpunt flumina vultu;
Intuſſaq; manus mirantia pectora tundunt.

& ante *Nonq; modo omen ſoror innuens viſcera telis &c.* ea enim, quę augurijs quaſi dictantibus facienda cognouerat, iam implet: & in pœnam patrati criminis offert. Sed quid, inquies, vterus peccauit, vt ſic puniatur? Vteri munus eſt prolem fouere, cuſtodire, atque à contrarijs omnibus indemnem ſeruare: quare, cum Cereris vterus pignus neglexerit ſuum, eo quòd ſero nimis in ſe, vt ſupra, haſtas oſtenderit conuerſas; ideò & vterum iure plectitur. Particula *en* in eodem, quo ſupra, ſenſu habetur, niſi in quantum hic emphaticam vim habet repetitio. *Vterus immemor*. Subaudi *officij ſui*; hoc eſt ſollicitudinis, quam pro filia habere debuit. Vide dicta lib. 1. carm. 195. Sed videri hic fortaſſe poterit impropriè locutus Vates, qui memoriam in poſteriore parte cerebri reſidentem vtero attribuat. Memineris tamen, memoriam eſſe Animæ potentiam; & quidem, vt nos latè in animaſticis docuimus, ab ipſa anima indiſtinctam; animam verò ita eſſe informantem, vt ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: ſicq; facile intelliges, cur, licet in vtero non operetur anima, per memoriam, ſed in cerebro, ampliatiuè tamen poſſit vtero attribui effectus, vel deffectus memoriæ, quatenus ita animam, quæ informat, excitare poteſt ad exercendos in organo apto actus memoriæ; vel eamdem non excitare &c.

CONTVNDITVR CREBRO ICTV. Manuum videlicet alternatim in vindictam percutientium; nam *contundere* *percutere* eſt; & ictus *percuſsio* eſt. *Crebro* autem dixit, hoc eſt ſæpius iterato, ac frequenti. De verbo tandem vide dicta hoc eodem lib. carm. 129.

QVA TE PARTE POLI &c. Emiſtichium eſt ex Lucano deſumptum, qui, Pharſ. 9., ait:

Quâ te parte Poli; quâ te tellure reliqui &c.

Anxietatem his animi, & præcipuam deſperantis animi cauſam oſtendit, quæ ſcilicet in eo conſiſteret, quod neſciret, quo loco degeret: ſi enim hoc ſciuiſſet, ſperandum arbitrabatur futurum, vt vel precibus, vel apertâ vi, eam iterum in ſuam vindicaret. Sed quomodo id ageret, cum ne vbi quidem eſſet reſcire potuerit? Ideò *qua parte Poli &c.* Quid Polus ſit, fuſe vidimus lib. 1. hic pars pro toto ponitur, nempe *Polus Mundi* pro ipſo Vniuerſo: quare idem eſt dicere: *qua parte Poli*, ac dicere: *qua Mundi parte*, aut *ſub quo Cæli plaga*, vt notat eruditè Parrhaſ.

QVÆRAM TE? Per interrogationem effert ſententiam ſuam; quaſi Proſerpinam de hoc interroget, quæ ſola indicare potuerit: cum reliqui Deorum ſub altiſſimo rem tegerent ſilentio, vt ſupra vidimus: ſed abſentem, & non reſponſuram interrogat, quod proprium animi eſt, præ nimio delirantis dolore. Quarè & dolorem Cereris ad inſaniam penè oſtendit adigentem, & vehementiſſimos excitat commiſerationis affectus. De verbo *quæram* vide alibi dicta. Certè quæruntur, quæ deperdita ſunt; quarè in ſenſu propriſſimo adhibetur

QVO TE SVB CARDINE QVÆRAM? Cardinum nomine, quatuor præcipuas Mundi partes appellant Coſmographi, nempè *Ortum*, *Occaſum*, *Septentrionem*, & *Meridiem*. Incerta igitur itineris interrogat, quam potiùs ad harum partium iter dirigat. Sed, ne videatur Vates idem dixiſſe per idem, inani quadam, & ſuperuacua iteratione, memineris eum à toto, quod dixerat, ad partium diſtributionem deſcendiſſe, per diſpoſitionem reſolutiuam Rhetoricis vtiq; omnibus familiarem. Subindè memineris, inter præcipuas Mundi, quas commemorauimus, partes, alias eſſe intermedias, de quibus primo loco locutus ſit; ac ſubinde ad præcipuas deſcenderit. Sic quatuor venti principales, ex illis quatuor præcipuis Mundi partibus ſpirantes à Nautis recenſentur; ſed, præter eos, alios etiam ventos agnoſcunt, ex partibus intermedijs efflantes, quos etiam ſingulos peculiaribus deſignant nominibus: atq; adeò nil mirum, ſi, partibus intermedijs vniuerſali nomine notatis, præcipuas ſubinde, proprio cardinum nomine, recenſendas, Vates etiam ſoller fuerit arbitratus. Tantum nota emphaticam pronominis *Te* repetitionem, & traductionem in interrogatiuis *qua parte*: *quo cardine*; vt, incertitudine quaſi titubantis figuræ, propria animi titubatio emicet, & exprimatur.

QVIS MONSTRATOR ERIT? Qua pergeret, ambigebat: iam quo duce vtatur, ſe prorsùs neſcire, non diſſimulans, quærit: cum enim Dij, Deæq; omnes, ſe ſe illi præſides offerre, recuſauerint, quo iam duce vteretur? Ideò *quis monſtrator*. Vide, quantam animi afflictionem præ ſe ferat oratio. *Monſtrator* interdum pro *inuentore* aſſumitur, vt apud Virg. Georg. 1.

Adſis ò Tegeæ fauens; oleæq; Minerua
Inuentrix: vnciq; puer monſtrator aratri.

Hic tamen non omninò in hac aſſumitur ſignificatione, licet nec omninò ab illa recedat: eſt enim *monſtrator* nomen à verbo *monſtro* deductum, quod eſt *oſtendo*, *indico*, *doceo*. Quarè *monſtrator* dicetur, qui aliquid monſtret, oſtendat, indicet &c. Verùm, quia hic agitur de Proſerpina inquirenda, quam ita inquirere optabat Ceres, vt inquirendo, inueniret: ideò monſtratoris nomine vtitur: *quis monſtrator erit?* hoc eſt quis ita iter diriget, vt mecum inueniat, quam quæro? Quis oſtendat, vbi ſis, vt mecum adſit inuentor ſalutis tuæ? &c. *Quis monſtrator erit?* Subaudi vel itineris, vel raptoris, vel loci, in quo degas; vel tui ipſius; ita vt, eo duce, & rectum iter inueniam, & Raptorem noſcam, & locum comperiam, vt te ipſam reperiam, vt voti tandem compos conquieſcam.

QVÆ ME VESTIGIA DVCENT? Figuram addubitationem, quam ſupra attexere cæperat, proſequitur, vt pathetica magis decurrat oratio. *Quæ &c.* Deficiente duce itineris; vel rei, quam inueſtigamus, monſtratore, obſeruare ſolemus, num aliquod ſignum alicubi extet, quo ducamur in cognitionem itineris faciendi, vt eo ducamur, quo Raptor præceſſerit. Sic Hercules, raptis à Caco bobus, cum nullum raptoris indicem haberet, veſtigia cæpit obſeruare, vt ex ijs, ſolo impreſſis aduerteret, quo abactæ fuerant boues. Sed, quia calidiſſimus latro eas in ſpecum per caudam attraxerat, fallebant veſtigia ipſa eorumdem incumbentem indicijs Herculem: qui ſubinde ex mugitu tandem, vbi nam eſſent, nimio latrones damno, ſatis percepit. Hunc modum veſtigijs inhærendi edocuit canes venaticos natura ipſa, qui neſcientes, qua parte feram inquirant, odorà, quâ pollent, vi, eiuſdem rimantur veſtigia, & ſequuntur, iiſdemque ducentibus feram inueniunt. Se itaque venaticis canibus ſimilem futuram, oſtentat Ceres, ſi veſtigia internoſcere, datum eſſet. Nec indigna eſt profectò comparatio: nam canis ſymbolum eſt fidelitatis; & certè *fidiſſima mater* dicta eſt Ceres lib. pri. Sed, & quæ veſtigia obſeruet penitùs ignorans, interrogat: *quæ veſtigia* vel raptoris videlicet, vel tui ipſius, impreſſa ſolo me ducent, cum nulla videam, & ſi videam, neſciam an raptoris, an tui, an aliorum veſtigia ſint? *Veſtigium* eſt ſignum alicuius rei alicubi impreſſum, ex quo ad rem ipſam ducimur; & propriè eſt pedis ſignum: ſed, vbi incerta ſunt veſtigia, nil certi, quo ad rem, aſſequi poſſumus, ideò ſemper in incerto hæſitat animus.

QVIS CVRRVS? &c. Proſerpinam curru raptam didicerat ex Electra, ſupra dicente.

Inſula cornipedum ſtrepitu, curſuq; rotarum &c. Et
Non ſua ſequitur currum &c.

Sed cuiuſnam currus eſſet, non nouerat; nam Electra
Noſſe nec aurigam licuit &c. vt ibi:

quarè hic iure quæritat, quanam forma conſtructus, quonam ſeſſore onuſtus fuerit abuehens currus; vt ex indicijs, ſi poſſit, in cognitionem veniat raptoris: ſed fruſtra, quia inſanientis more abſentem interrogat, vt diximus, & quod auet, reſpondendum à filia, irrito deſiderat.

QVIS FERVS ILLE EST? De curru quæſierat; de ſeſſore iam quærit; quem *ferum* vocat, eo quod & Virgini, & inſonti vim intulerit; & matri non pepercerit, filiam perdens; quod vtiq; maximum feritatis genus eſt. *Ipſe* pro *ille* legendum putat Heinſ. Sed magis emphaticum arbitror *ille*: & refertur ad aurigã raptorem, de quo Electra loco cit.

INCOLA NE TERRÆ &c. Crebris, & interciſis interrogationibus, anxium animi motum, atq; interciſos ferè ſpiritus mirabiliter, exprimit. Quæſierat, quis raptor eſſet: iam,

iam, ſi id minus ſciri poſſit, nec qua ſub poli parte ſpeciatim degat; ſaltem ſcire efflagitat in genere, num terram incolat, aut mare, quo breuiori eum vix poſſit inquirere. De cælo non quærit, quia iam totum peragrauerat, vt in anteactis. *Ne*, vt noſtis interrogantis eſt. Quis ſit *en ola*, habetur lib. 2. carm. 199. Sequitur autem hic Vates Raptorum, Prædonumque naturam, qui nullam, vt plurimum, certam habent, ac permanentem ſedem; ſed hùc, illùcq; ad loca tamen ſemper occultiſſima migrant, ne facilè deprehendantur: quare vbiq; exterorum more, ac peregrinorum ritu, ſe habent ſemper: ideò *incolæ* vbiq., quia extra Patriam migrantes loca incolunt extera, vt loco cit. iam vidimus de incolis loquentes. Nomine vero *Terræ* totum comprehendit terreum globum.

MARIS NE? Subintellige *eſt* quod reticetur, quia iam ſupra poſitum fuerat: & nomine maris totam aquarum pariter deſignat molem. De mari verò, ſecundùm ſe, vide fusè dicta lib. pri. carm. 176

QVÆ SIGNA DEPREHENDAM VOLVCRVM ROTARVM? Si nullam ex prædictis aſſequi poſſit cognitionem; ſaltem, quod minimum ſit, exoptat; nempe vt impreſſam ſaltem tapetibus ex rotis orbitam dignoſcere valeat, cui inhærens Raptorem ipſum, quocunq tandem perexerit, ſequatur. Porrò *deprehendere* dicimus, cum aliquem incautum, in aliquo ſcelere, quaſi capimus, tum videmus. Incautè egiſſet Raptor, ſi rotarum ſigna reliquiſſet deprehendenda. Ideò *quæ deprehendam ſigna* inquit Ceres, vt impoſſibile aliquid obijciat ſibi; nouerat enim raptoris naturam vulpium eſſe ſemper imitatricem, quæ, dum latibula quærunt, veſtigia, quæ pede imprimunt, puluere, cauda euertunt, ne deprehendantur. Id autem ipſum à Prædatore ſuo Ceres arbitratur; atq; opinionem confirmat, dum ait: *volucrum rotarum*. quibus ſcilicet raptoris currus abueheretur; nam *volucres* dicuntur per translationem, attenta equorum pernicitate, qui eas traherent rotantes celeriter adeò, vt volatum potiùs, quam motum imitarentur progreſſiuum: Volatus autem nullum ſui veſtigium relinquit deprehendendum, ſicuti de equo velociſſimo inquit Vates alibi cit,

Nè veſtigio dol suo l'arena ſerba.

Poſſet quis ſuſpicari hoc loco Vatem, dum ait: *volucrum rotarum*, terræ, & mari aerem addere voluiſſe; ſed, cum iam dictum ſit, Cererem *toto cælo* debacchaſſe; & regio ipſa aeris *aerum* dicatur *cælum*; ſuperflue hic repeterentur iam dicta; & cacophonia adeſſet. Inſuper, cum orbem inferiorem ſibi peragrandum ſtatuiſſet Ceres, cum ait:

Quo potius Natam pelago, terriſq; requiram &c.

iam ſaltaret extra chorum, ſi ad aereas iterum regiones ſe ipſam conuerteret, Quare datam latiùs eſt explicationem amplecti.

IBO, IBO &c. Cum nullis ſe videat ducendam indicijs, incertam iterum ſibi ſtatuit peregrinationem. Reditio itaque figura hæc eſt, qua ſcilicet ad iam ſtatuta redit, atq; noue firmat decreto. *Ire*, vt alibi diximus de eo propriè dicitur, qui pedes iter faciat; ideò, cum pedeſtrem aggrediatur Ceres peregrinationem, iure *ibo*, inquit, idq; iteratò profert, vt patheticam maximè conſtruat orationis perorationem; Ibo, ibo: quod & obſtinatiſſimi animi ſenſum exprimit, in ipſo deſperationis affectu ſe ipſum nequaquam deſtituentis

QVOCVMQ; PEDES. Subaudi *ducent*: quo pacto Virg. Lycidas Ecl. 9. inquit: *Quo te Mare pedes &c. Quocumq;*, aduerb. localè idem ſonat, ac *quemcumque ad locum* me ducent pedes: quod proprium illius eſt, cui nulla certa ſit itineris meta: ſed ſemper in incertum iter.

QVOCVMQ; CASVS IVBEBIT. Nota patheticam adverbij repetitionem. *Caſus* autem hic pro eodem, ac *Fortuna* ſumitur, de qua alibi ſæpe; & quæ incerta ſemper voluitur, ac ruit. Et *iubebis*, inquit: nam Fortuna rerum omnium domina antiquitùs cenſebatur, vt ex Euripide teſtatur Mythol. Nat. Com. lib. 4. cap. 9.

SIC VENEREM &c. Imprecatio eſt, ſeù, vt alij dicunt execratio, qua iræ ſuæ non tantùm, ſed & paribus tormentis, erroribuſq; deuouet Ceres Dionem Veneris Matrem, vt, quas habuit doloris ſui auctrices, pari pœnâ punitas habeat, quantum in voto habere poſſit. Sequitur & hic naturam Vates: nam, quoties malum aliquod, aut incommodum alterius cauſa percipimus, connaturale eſt, vt quid ſimile, ne quid; etus, infelicitatis noſtræ auctoribus imprecemur

SIC DIONE DESERTA QVÆRAT VENEREM. *Sic* particula eſt aſſimilatiua, & paritatem importans aliquam. *Dione* ea eſt; ex qua Iupiter Venerem dicitur filiam ſuſcepiſſe. Notes autem paritatem infortunij, quam exprimit participium illud *Deſerta*. Nam in tantum dicta Ceres fuit *deſerta*, in quantum orbata filijs ſola remanſerat; quod in cauſa fuit, vt illi cognomento *deſertæ* templum illud dicaretur, de quo Virg. alibi à nobis cit. ſeù apud eum ibi Æneas dixerit: *Eſt vrbe egreſſis tumulus, templumq; vetuſtum*

Deſertæ Cereris &c.

Pari pacto igitur optat, & imprecatur, vt, orbata filijs Dione, *deſerta* dici poſſit. Ex quo vides, ab imprecatione hæc omnia importari; nempe vt & Venus, quæ Proſerpinam raptori tradiderat, pari pacto rapiatur, & mater ſolitudinem, & ſolitudinis experiatur dolores; vt nullus raptæ, aut raptoris index eidem faueat; vt tormentum augeatur; & tandem vt extremæ, ob id, vim patiatur deſperationis; ac perpetuâ, incertâque peregrinatione filiam quærat, ſine vlla ſpe reperiendi &c.

EFFICIET NE LABOR? Anxietas anxietati, vt fluctus fluctui, æſtus æſtui ſuccedit. Peregrinandum decreuerat; & iam rursùs inſurgit addubitatio, ne incaſſum cadat: Ideò quærit, num hæc ipſa tandem profutura ſit, vt incertum de hoc ipſo animum, atque excruciatum ſummoperè hac ipſa incertitudine demonſtret. *Efficere* idem eſt, ac *faciendo aſſequi*: quare propriſſime loquitur, dum quærit, num peregrè proficiſcens, futurum ſit, vt aſſequatur intentum filiæ reperiendæ, an non. Porrò totius orbis terrarum, ac marium omnium ambitus peragrari, ſine ſummo labore, ſanè non poteſt; ideò laborem peregrinationis hic exprimens, quærit, num labor iſte ſit profuturus: nam, ſicuti labor, cui intentus correſpondet effectus, naturam ferè amittit laboris; ſic è contra irritus labor tormentum auget, & dolorem; & timor ipſe, ne irritus cadat, & grauiorem laborem efficit, & anxietatem animum torquet, & dilacerat.

LICEBIT NE, NATA, AMPLECTI TE RVRSVS? En nouus animi æſtus. Poſito quod inuenerim, *licebit ne amplecti?* Hæc autem addubitatio oritur ex memoria rerum, quas illi ſomnium obtulerat, cum videlicet

. . . . . Videbatur tenebroſo obſeſſa receſſu

Carceris, & ſæuis Proſerpina vincta catenis &c.

& cum tractu catenarum expergefacta iam mater

Obriguit viſis; gaudet non vera fuiſſe;

Amplexu caruiſſe dolet.

veretur itaque & hic, ne deteriori malo ſuo, Proſerpinam inueniens, eam viſura ſit carcere detentam, catenis oppreſſam &c. ita vt, non ſolum ſpes eam in libertatem vindicandi adimatur, ſed ne amplexibus quidem penitus concedatur? Ideò *licebit ne*: hoc eſt dabitur ne mihi *amplecti te, Nata*, Clarus perſe textus eſt: ideò prætereo. Tantùm nota emphaticum affectum, in vocandi caſu, *Nata*, mirabiliter incluſum, eodemq; expreſſum. *Rurſus*, hoc eſt *iterum, denuo*. Iteratio autem alicuius actionis ſupponit eamdem actionem alias factam: quare aduerte, non referri hoc aduerb. *rurſus* ad ſupra notatum tempus, quo amplexibus caruiſſe doluit; ſed ad tempus, lib. 1., indicatum, vbi dictum fuit;

Hanc fouet, hanc ſequitur &c.

MANET ILLE DECOR? &c. En iterum ſupereffluentis animi agitatio. Pulcherrima fuerat Proſerpina, vt innuimus lib. 1. cit. & hoc eodem lib. carm. 84. Deformatam in ſomnijs viderat, vt eodem cit. huius lib. loco. quare veretur, ne eam forte talem inueniat, qualem obtulit ſomnium; quod foret profectò idem, ac interimi. Ideò quærit, num maneat: hoc eſt num perduret adhùc, & perſeueret, an non ille decor; illa nempe oris maieſtas, illa corporis venuſtas, quâ incedebat, nec membris, nec honore, cæteris minor Deabus, vt lib. 1. Quare ad huius decoris explicationem, loca relegas iam citata.

MANET ILLE GENARVM FVLGOR? Correſpondent hæc ijs, quæ habentur ſupra, nempe *Ille ſuperbi flammeus oris honos &c.* quare vide ibi dicta. Hic tantum nota, quàm pulchrè maternum exprimat affectum, cui filiarum deformatio, inſtar gladij, animam transfigentis, ſit; ideoq; eas ſemper virentes vellent, floreteſq;

AN INFÆLIX &c. Quod optaſſet propoſuit, dubia, ne venti vota ferrent: quod nollet, & metuit; quodq; ſummam ſibi inferret calamitatem, per oppoſitum, ſubdit. Abrumpit autem ſententiam, per interiectionem, *Infælix*, vt ſuſpirantis, ad tantæ cladis memoriam, cordis ingerat affectum.

AN VIDEBO TALEM &c. Somniauerat ante: nunc horreſcit, ne futurum ſit, vt vigilans videat, quæ per ſomnum vidit; & dicere, de obiecto & ipſe ſuo cogatur, quod poſtea Erminia, apud Taſſum Hierol. liber. cantu 19., cum Tancredum morientem adinuenerit, dixit exclamans;

Ma-

Miſero, non credea, ch'à gl'occhi miei
Poteſſe in alcun tempo eſſer naſcoſo,
Hor ſenza forma volontier torrei,
Per non vederui; o ritrouar non oſo.
Ohimè de i lumi, gia sì dolci, o voi,
Ou'è la fiamma, ou'è'l bel raggio aſcoſo?
Delle fiorite guancie il bel vermiglio
Ou'è fuggito? Ou'è il ſeren del ciglio?

QVALIS NOCTE VENIS, QVALEM PER SOMNIA VIDI? Relege dicta hoc eodem lib. carm 69. & ſeq., ac carm. 80. & ſeq.; ex dictis enim ibi intelliges quid importetur, per correlatiua, *talem, qualis, & qualem &c.*: & nota emphaticam traductionem: dum nos interim, ad moralia digredientes, aliud inquirimus.

Ex his, hercle, colligere licet, quam altè decipiatur Rationalis facultas, quotieſcumque animæ perditionem, decretis potiùs prædeſtinantibus, ſeu, melius dixerim, reprobantibus, quam ſibi imputet ipſi: nam, cum omnia aggerauerit, quæ ad excuſationem ſui efferre, ac ſocordiæ ſuæ prætendere potuit, cogitur ſubinde tandem (velit, nolit) fateri, non aliundè, quam ex ſe ipſa, perditionem animæ deriuatam: ſicq; errantium cogitationum ſuarum

Abſtulit hunc tandem, pænis edocta, tumultum
Abſoluitq; Deus. vt ait Auct. in Ruf.

cuius carmina modico in hunc locum flexu traducimus. Sed tamen, Animam ab inferno abuectam Raptore redemptura, laborem ſuſcipit incaſſum; nam Auerni aditus, vt ait Vates Italicus, *è, con mirabil vſo,*
All'entrar ſempre aperto, all'vſcir chiuſo.

Caue igitur, ne in errorem incidas; nam quod ſocordia tua eſt, Dei decretis imputandum non eſt, cum Deus neminem temere perdat; ſed perditionis ſibi quiſque auctor fit ſuæ.

Sed iã de Cerere quid Italica concinat Muſa, perquiramus.

Queſte gia non ſon quelle, ond'io ſperauo,
Figlia, il faſto alla man, ſplendide faci;
Queſte non ſon, ch'à merti tuoi ſacrauo,
Le, già de voti miei, fiamme, capaci.
Altre faci, altre fiamme anch'io bramauo,
Del tuo fruir, del mio goder feraci;
Ne quel deſir, ch'è d'ogni madre al cuore,
Ingiuſto parue al mio materno amore.
Tede nutiali inalberar preteſi;
Talami d'oro alle tue nozze aperti
Figuraua il penſier: dal Cielo atteſi
D'inuſitato ſuon nuoui concerti,
Gl'Epitalamij al concertarne inteſi.
Ed ecco errai? Così de Numi incerti
Rende il Fato i diſſegni. Ogn'vn proſterne
Lacheſi, all'hor, ch'infuria, e niun diſcerne.
Quanto, ahi, quanto, teſt'è, ſublimi à volo
Le mie glorie ſe'n giro? In quanti ardori
Del tuo bel gl'Idolatri, à ſtuolo, à ſtuolo,
De miei, troppo ſprezzanti, aſpri rigori,
Stelle fur di corteggio, intorno al Polo?
Qual di sì lunga ſerie hebbe gl'honori
Dell'eſſer Madre; e non reſtò ſeconda
A me, d'vn pegno ſol reſa feconda?
Tu fuſti à mie delicie, à miei contenti
L'Alfa, e l'Omega: i, per te ſol beata,
D'infecondo roſſor ſchiuai gl'euenti;
O mio bel fregio, ò mio riſtoro, ò grata
A chi de giorni tuoi l'albe ridenti
Puote lieta produr, ſuperbia innata!
Quanto tù in fior ti conſeruaſti, anch'io
Hebbi di Dea l'honor; Gioue fù mio.
Saluo della mia figlia il bel compoſto,
Non ſi vanti Giunon, che mai poteſſe
Di Cerere ottener maggiore il poſto.
Benche Regina il fren de gl'aſtri haueſſe.
Hor, che perſa hò la Prole, ecco depoſto
L'honor, che Gioue à merti miei conceſſe;
Eccomi à ſprezzi altrui vile berſaglio:
Se'n gode il Padre? ì ritrattar nò'l vaglio.
Ma che vaneggio, ahi ſtolta? ed, à qual fine,
Da queſt'vrne di pianto, à mia diſcolpa,
Quaſi fabro primier di tue rouine,
La Sorte, il Fato, il Genitor s'incolpa;
S'io fui la traditrice; e delle ſpine,
Colte da i fior, s'à me ſi dee la colpa?
Sì, sì: del tuo perir, di tue ſciagure,
Oprai ſpietata i ſol l'aſpre ſuenture.
I quella fui, ch', in queſt'infide arene
Fidando, ahi troppo; abbandonata, e ſola
Co'l qui laſciarti, accelerai le pene,
Ond'ogni ſpirto à queſto cuor s'inuola.
I fui, ch', à bel diletto, ogni mio bene
A quel Ladron, ch'ou'hor non sò ſe'n vola,
Eſpoſi ſcioca; ond'alla preda intento,
Ei, che vegliaua, al fin n'hebbe l'intento.
Madre di nome ſol (troppo gl'è vero.)
Hebbi di bronzo vn cuore, vn ſen di marmi:
Che ſcordata di te, trà'l luſinghiero
Brillar de balli, al timbombar de i carmi;
Che ſenz'ombra d'horror trà'l ſuon più fiero,
Godeo de Galli al ſtrepitar dell'armi,
Aggiogando i Leon; ne mi s'apriua
Quel cuor, che teco il Predator rapiua.
Hor, s'io ſola peccai; tu da me prendi
Hormai le pene, al mio fallir condegne,
Tradita Figlia. A te conſacro horrendi
Gli ſtratij impreſſi à queſte guancie indegne.
Tu queſto ſen di tue vendette attendi
Squarciato à ſolchi, imporporar l'inſegne:
Di ſcioperato ventre ecco i difetti
Di ſpeſſi colpi al martellar ſoggetti.
In qual ſpiaggia ti cerco; e qual t'aſconde
Secreto Clima alle mie voglie auer-ſo?
Chi m'addita il camin? Chi diſaſconde
L'orme à gl'occhi bramoſi; ò del peruerſo
Quali ſpirino al volo aure ſeconde,
Mi ſuela almeno? A miei ſoſpir conuerſo,
Chi m'aſſiſte fedel, tal ch'io rintracci
Mia vita al fine; e'l mio teſoro abbracci?
Deh qual cocchio crudel porta il mio pegno?
Chi fù quel fier ch'à me rapirlo il puote?
Ha fors'egli nel ſuolo; ò pur del Regno
Di Theti hà ſua magion nell'onde ignote?
Qual veſtigio n'appar? Qual liene ſegno
Tracciar potrò delle volanti ruote?
Ahi mio crudo Deſtin! De miei martiri
Cuopron l'empio eſattor Dedalei giri!
N'andrò; n'andrò, infelice, ouunque porti
Queſt'odioſa mia ſalma errante il piede.
N'andrò, priua d'aiuto, e di conforti,
Douunque il caſo alla mia ſalda fede
Il gir preſeriua; ò'l mio vagar traſporti.
Tal mi ſi dia, che del mio duolo herede,
Veggia Dione vn dì volger le piante
Gnidia rapita al rintracciar vagante.
Gioueranmi gl'affanni? ò fien in vano
Sparſe le mie fatiche, i miei ſudori?
Potrò di nuouo mai giunger la mano;
Stringerti al ſeno; (ò cara figlia) e i fiori
Libar del volto ad ogni bel ſourano?
Dimmi. Han più le tue guãcie i ſuoi ſplẽdori?
Han più le membra il ſuo decoro? O meſta,
Qual trà ſogni, vedrotti ombra funeſta?

SIC

Sic ait: & prima greſſus molitur ab Ætna:
Exitijq; reos flores, ipſumque rapinæ
Deteſtata locum, ſequitur diſperſa viarum
Indicia; & pleno rimatur lumine campos;
Inclinatq; faces. Omnis madet orbita fletu;
Omnibus admugit, quocumque it. In æthere fuluis
Annatat vmbra fretis, extremaq; lucis imago
Italiam, Lybiamq; ferit: clareſcit Hetruſcum
Littus, & accenſo reſplendent æquore ſyrtes.
Antra procùl Scyllæa petit; canibuſq; reductis,
Pars ſtupefacta ſilet; pars nondum exterrita latrat.

Reliqua deſiderantur.

SIC AIT &c. Inceptam Cereris peregrinationem cum eiuſdem lamentationibus referam indicauerit, eiubrataſq; deſcripſerit querelas, Proſopopeiæ vſus miniſterio: ad deſcribendam iam hic exactam indagantis ſolertiam Matris progreditur; ac, data occaſione, quam ingenti lumine pollerent accenſæ faces, ab effectibus diffuſi luminis edocet, & amplificat. De modo orationi alicuius finem imponendi, per verba *ſic ait*, vt ad alia recenſenda progrediamur, vide dicta lib. pri. carm. 200.

ET MOLITVR GRESSVS &c. Continuationem itineris copulat cum deſitione locutionis & modum itinerantis affabre exprimit. *Moliri*, vt alibi vidimus, eſt aliquid, non ſine difficultate, immò magno conatu adhibito, mouere. Cum itaque Ceres, magno eneruata dolore, via pedibus inſiſteret, vt proprium cuiuſcumq; eſt, qui mæſtiſſimis animi angatur curis; optimè, *molitur*, inquit, *greſſus*; nam difficulter, & non ſine conatu graditur, qui via tantum habet virium, vt languentem corporis ſuſtineat molem. *Greſſus* autem ipſa actio incedendi, ſeù ambulandi eſt: vulgò *i paſſi*.

PRIMA AB ÆTNA. *A ſummo ipſius Aetnæ vertice*; exponit Parrhaſ. in hunc locum, vbi etiam per hypallagen aſſerit, intelligi poſſe *primà greſſus molitur ab Aetna*, pro *primos ab Aetna molitur greſſus*. Verùm fallitur, arbitratu meo, eruditiſſimus alioquin Interpres; nam repugnat apertè hæc explicatio ijs, quæ paulò ante Vates ipſe aſſeruit, cum ait:

Inchoat illa vias; & ſic ingreſſa profatur.

Si enim, cum lamentationes ſuas exorditur Ceres, viam inchoauerat, atq; iter iam fuerat ingreſſa, quomodò, poſt longam adeò, quam edidit, queſtuum ſeriem, adhùc in limine hæret, ita vt primos vix tandem moliatur greſſus? Vel loquens viam inierat, vel non? Si non inierat, errauit Vates citatum recitans carmen. Si inierat, ergò tunc primos molita eſt à ſummo vertice greſſus, ergò implicat, quod ait Parrhaſ., eam nunc adhùc in vertice montis eſſe, primoſq; ea eo greſſus moliri. Quid igitur, inquies, dicendum? *Prima* dicuntur cuiuſcumq; rei principia. Sic Liu., lib. ab vrbe conditâ 8., ait: *Bellum, ſi prima ſatis proſpera fuiſſent, haud dubiè peruenſſet ad Romanos.* Vbi vides *prima belli*, pro *initia belli*, vſurpata. Quo poſito; ſatis patet Parrhaſij æquiuocatio, qui, per *primam Aetnæ partem*, quæ importatur ab illis vocibus *à prima Aetna*, verticem montis intellexit, qui certè, reſpectu deſcendentis, principium, & prima montis pars rectiſſimè dici poterit. Sed non animaduertit ipſe, quod idem, reſpectu diuerſæ conſiderationis, & *primum*, & *poſtremum* dici poſſit. Quamuis igitur principium, & prima pars montis, reſpectu deſcendentis, ſit vertex à deſcendente deſerendus; abſolutè tamen loquendo, & ſpectatâ montium ſtructura, principia montis ſunt *ipſæ montis radices*, ex quibus ſuccreſcere in altitudinem incipit: vertex verò poſtrema, & vltima eiuſdem montis pars eſt. Senſus igitur Auctoris noſtri eſt, vt oſtendat, Cererem eodem tempore ſaltem, ſi non immò in præcedenti ad tempus, quo cœpit vocibus lenire dolorem, iter aggreſſam fuiſſe ſuum; illudq;, dum lamentaretur, proſecutam ad radices montis deueniſſe, eaſq;, cum queſtus perſolueret, attigiſſe; atq; ex ijs ſubindè, quas *primam* vocat *Aetnam*, hoc eſt *Aetnæ principium*, peractis querimonijs, iter ſuſceptum proſecutam, diuertiſſe. Moueor ex ipſo ſubſequenti Auctoris textu, qui ſtatim ſubdit;

Exitijq; reos flores, ipſumq; rapinæ
Deteſtata locum &c.

Vbi enim fuerant flores memorati, niſi in campis ad radices Ætnæ diffuſis? Nonne audiſtis Electram ſupra dicentem:

Itur in æterno viſtitis gramine campos
Et primâ ſub luce legunt &c.?

Si igitur, per particulam *que*, pro *&*, copulatiuam Cererem, *primâ greſſus molientem ab Aetna*, & *flores* coniungit *deteſtantem*, certè indicat, ex ipſa florum, in quam inciderit, præſentia moram ad huiuſmodi affectum deteſtationis; conſequenter in imo, vbi flores aderant, non in ſummo, vbi *nullo veſtitur colore cacumen*, iam aderat & Ceres, cum *primâ greſſus molitur ab Aetna*. Emenſo igitur, inter loquendum, monte, iam ab ipſo diſcedens Ceres indicatur.

ET DETESTATA &c. *Deteſtor* idem eſt, ac *abominor, execror*, ac *maledictis proſequor*. Porrò naturæ morem gerit hic Vates; innatum enim cuius videtur, vt ea, ea quibus detrimentum aliquod paſſi ſumus, tunc maximè cum in illa inciderimus, execrationibus proſequamur. Ideò *& deteſtata*

FLORES, quorum ſcilicet deſiderio adducta in campos, Raptori patuit Proſerpina, & de quibus lib. 2.

REOS EXITII. Reus dicitur quicumq; in culpam alicuius admiſſi criminis vocatur. Sed quid peccauerant flores? *Qui cauſam damni dat, damnum feciſſe videtur*: leges omnes inclamant. Damnum profectò intulerat Pluto; ſed non intuliſſet, niſi flores Proſerpinam allicientes in propatulum adduxiſſent, ac cauſam quodammodo raptus præbuiſſent. Ideò *reos exitij*. *Exitium* enim quaſi *peſſimum* dicimus *exitum*: & *peſſimus* certè fuit Proſerpinæ *exitus*, ex quo tantæ cladis *peſſimum* & ipſa, & Mater ſortita fuit *exitum*.

ET DETESTATA IPSVM LOCVM RAPINÆ. Ex campis Ætnæ rapta eſt Proſerpina curru, vt ea lib. pri. habetur, & ea narratione Electræ ſuperiùs didicerat Ceres. Ideò campos illos *locum rapinæ* appellat, hoc eſt *violentæ in Proſerpinam manus iniectionis, abductioniſq;*; nam rapina *res aliena per vim ablata eſt*: & *Rapinatorem*, quem nos, per syncop. *Raptorem*, dicebant antiqui eum, qui rapinam exerceret.

SEQVITVR INDICIA DISPERSA VIARVM. Metalepſim agnoſce: nam *ſequi* eſt hoc loco idem, ac veſtigare, & veſtigatis inhærere veſtigijs, inhærendoq;, quo illa ducunt, iter inceptum declinare. *Indicia* verò à verbo *indico*, dicuntur ſigna omnia, quæ in cognitionem alicuius ignoti, vel actu adducunt, vel certè adducere apta cenſentur, quaſi *indicantia*; & in hoc vltimo ſenſu *indicia* hic aſſumuntur; & *indicia* dicuntur *viarum*; nam *via*, vt alibi dix., & locum ſignificat, per quem iter habere omnibus liceat, & etiam pro ipſo eundi per viam actu aſſumitur iuxta illud Ouid. Metam. 2. vbi de Coronice ad coruum hæc habet,

Audiaq; via cantà, non vtile corpus,
Inquit, iter. Ne ſperne meæ præſagia linguæ.

Indicia itaque *viarum* dicit, non ſolum quæ oſtendere poſſe cenſebantur loca, quà iter habuerit, prædam abuehens, raptor; ſed etiam iter ipſum, ſeù actum per loca illa itinerantis. Et *viarum*, inquit, attentâ Raptorum verſutiâ, quæ, ex compoſito, vias vijs innectere ſoleat; atq; hùc illùc veſtigia, quaſi in incertum errantia ſpargere, & implicare, vt mentem indagantium confundat, ne facilè ea veſtigijs raptor deprehendatur. Adde, Ætneos campos, vt alibi vidimus, omnibus peruios fuiſſe viatoribus; atq; adeò multis attritos orbitis inuicem concurrentibus, rectè, obliqueue decurrentibus, ac ſe inuicem decuſſantibus &c. quare Prædatoris orbitas indagaturæ opus profectò fuit, vt omnium, qui illàc iter fecerant, orbitas peruestigaret, ſi fortè, eas inter, peculiare aliquod Prædonis, quem aſſequi cuperet, veſtigium, indiciumq; reperiret: ideò *ſequitur indicia viarum*; & *indicia diſperſa*, hoc eſt ſparſa in varias partes, ac diuerſiſſimis in locis impreſſa: nam *diſpergo*, à quo *diſperſa*, eſt *in varias ſpargo partes*: quarè, hoc ipſo minùs ad intentum apta deſignantur indicia.

ET RIMATVR CAMPOS &c. De verbi ſignificatione vide dicta lib. 2. carm. 168.; & , in primâ ex ibi allatis ſignificationibus, hic aſſumptum noueris. Per campos verò, eoſdem deſignat, de quibus lib. 2. carm. 77. quarè vide ibi dicta.

PLENO LVMINE. Hoc eſt totâ, quâ faces affluebant, luminis copiâ, diligentiſſimæ peruestigationi applicata. Aliqui legunt: *Prono lumine*: ſed perperam, vt proœ notat Heinſ.; nam fruſtra ſubindè, ſi *prono* legendum eſſet, adderetur

retur: *inclinatq; faces*; ſi enim pronum eſt lumen iam inclinatæ, non inclinandæ ſunt faces: *Pleno* autem vti, pro *toto*, vel pro *copioſo*, non nouum eſt apud Poetas. Sic Statius ad vxorem.

Sed venient plenis, venient connubia tædis.

Virg. Georg. 2.

Floret ager: ſpumat plenis vindemia labris.

& Aen. 6.

Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis.

INCLINATQ; FACES. Geſtum ſcrutantis quam bellè expreſſerit, aduerte. *In limen* enim eſt *id, quod erectum fuerat, ad aliquid inferius poſitum, depreſſa manu, admouere.* Propiùs igitur ad terram faces, depreſſa admouet manu, vt vel minutiſſima quæque veſtigia exactiſſimè perſcrutetur. Ex hac Cereris perueſtigatione morem increuiſſe, ait Barthius, vt filij familias in peregrinatione demortui, prælucentibus facibus, in fanum Cereris comportarentur.

OMNIS MADET ORBITA FLETV. Quam profuſis lacrymis amiſſam, quam quærebat, filiam defleret, à conſequenti deſcribit. *Omnis perit orbita fletu*: legit Heinſ.; immo & ſic legendum præcipit. Verùm, cum & ipſum *madet orbita fletu* hyberbolicum ſit, videat, ne hyperbole, in voce *perit* contenta, ſit non ſolum vltra fidem, ſed & vltra modum: certè enim vix largi è Cælo imbres impreſſas rotarum orbitas delent. Quomodo autem tam largos fontes exigua effundere poſſit pupilla, vt eas deleat? Malo itaque, cum vulgatâ, *madet*, quam cum Heinſio, *perit*; *madere* enim eſt *ſuperaffluente humore* imbui, ac ſpongiæ in modum repleri, quod vtiq; hyperbolicum eſt, vt dixi; ſed non excedit modum deflentis Deæ, & matris, & amantis, & de perantis. Terminus verò (vt cum Logicis loquar) ſincategorematicus vniuerſalis: *Omnis* diſtributiuè, hoc loco, non collectiuè, ſumendus eſt, ita vt idem ſonet, ac *qualibet orbita*; hoc eſt ſignum prætereuntibus rotis impreſſum ſolo. *Fletu* autem, dixit, hoc eſt lacrymis profuſe manantibus. Vide dicta lib. 2. carm. 273.

OMNIBVS ADMVGIT &c. Non ſine eiulatu, ingentiq; pariter, ac lamentabili voce Proſerpinam pleno ore vocantis lacrymas proceſſiſſe commemorat. Atq; hic mihi Poetæ textus in mentem reuocat Hylam Theodamantis a Nymphis raptum, ac ſubindè magnis vocibus, ab Hercule, ſocijſq. Cholcum adnauigantibus conquiſitum, de quo obiter Virg. Ecl. 6.

His adiungit Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent, vt littus Hyla, Hyla omne ſonaret.

Admugit. Nota textuum auctoris noſtri exactiſſimam profectò conſonantiam lib. 1. de Cerere filiam fouente dixerat:

. . . . *Vitulam non blandius ambit*
Torua parens &c.

ideò hic *admugit*, metaphorâ à tauris deſumptâ, qui, amore abſentis perciti iuuencæ, mugitibus eam vocitant iteratis; vel etiam à boue matre, quæ deſiderio ereptæ ſibi vitulæ *admugit*; hoc eſt *ad illam mugit*, vt eâ remugiente vbi nam ſit ediſcat. *Mugire* tamen hic ponitur pro rauco, ob vehementiam, ac conatum vocis ſono clamores edere. *Omnibus* autem, inquit, hoc eſt *omnibus orbitis*, de quibus ſupra: & nota traductionem, in ſincategorematicis, *omnis*, *omnibus*; nam in eodem ſenſu & hic.

QVOCVMQ; IT. Aduerb. vniuerſale loci *quocumq;* ſumendum eſt diſtributiuè, vt ſupra dix. de termino *omnis*, & *omnibus*: verbum verò notiſſimæ ſignificationis eſt; ideò prætereo.

IN ÆTHERE FVLVIS &c. Ne mireris, cum me videris, hoc loco, partim vulgatæ inhærentem, partim ab eâdem recedentem; nam, vt notat Heinſius, quæ hic exarata ſunt, inquinatiſsima ſunt; & quibus manum non temere, qui ſapit, admoueat. Legit itaque vulgata, & cum ea Parrhaſ., ac veteres non pauci.

Omnibus admugit quacumq; it. In æquore fuluis
Annatat vmbra fretis &c.

Et lectio, vt fatear non diſpliceret, ni viderem inferiùs hoc ipſo textu, repetitum: *& accenſo reſplendent æquore ſyrtes*; nam, ſi hoc non obſtaret, ſenſus illius lectionis eſſet, vmbras vi luminis à Cerere accenſi perculſas in æquore, ex quo ortum habere dicuntur, iuxta illud Virg. *ruit oceano Nox*, langueſcere; atq; ex apertis maribus ſe ſe in freta recipere, vt ferientis fulgores luminis effugiant. Sed obſtat, vt dix., earum etiam æquorearum anguſtiarum illuminatio, quam extitiſſe, inferiùs aſſeuerat: *reſplendent æquore ſyrtes*: nam certè ſyrtes in fretis ſunt, vt alibi vidimus. Nec dici poteſt, voluiſſe Vatem, hoc pacto, oſtendere, quomodo gradatim lumen extenderetur; nam extenſio luminis non fit gradatim, & ſucceſsiuè, vt patet; ſed totam, in ictu oculi ſphæram occupat ſuam, & illuminat. Legunt alij, cum Heinſio, & Quinto Vaticano, cuius lectioni Heinſius ipſe inhæret, & optimæ illi notæ laudem tribuit.

Omnibus admugit, quacumq; it in æthere, ſulcis.

cui lectioni aſſentitur & Barthius, qui, vt Interpres, ait: *Sulcis, rotarum videlicet; non enim de alio quoquam loquitur.* Sed, ſi de ſulcis rotarum loquitur, quomodo in æthere ſtatuuntur, dum orbitas terris Ceres veſtigat impreſſas? Vlteriùs, cum iam Vates dixiſſet: *omnis madet orbita fletu*; ſatis fuerat dixiſſe: *omnibus admugit*, cum vulgata; nam *ſulcis* addere eſt idem dicere per diuerſa, & ſynonimis ludere. Legunt denìq; alij: *omnibus admugit, quacumq; it, in æquore*, vel vt alij *in æthere ſyluis*. Sed vitioſa ſatis, per ſe ipſam, apparet hæc lectio. Quid enim cum Cælo ſyluis: quid cum æquore? Niſi fortaſſe dixeris, *æquor* accipi pro ingenti camporum planitie. Sed etiam hoc poſito, quod fieri poſſe, non inficior, certè amphibologica lectio eſſet, atq;, ob id ipſum, tanto Vate indigna.

Satiùs igitur arbitror, ſi legamus, vt iam exaratum eſt à nobis.

Omnibus admugit, quacumq; it. In æthere fuluis
Annatat vmbra fretis.

quam lectionem. vt congrua pateat, ſic explico.

Quanto coruſcarent fulgore accenſæ à Cerere faces, ſatis profectò colligi poteſt & ex ipſa tædarum mole, & ex modo eas accendendi, & ex arcano illo ſucco, quo eaſdem imbuit Dea; de quibus omnibus iam ſatis dictum eſt. Verùm, vt ſatiùs adhùc innoteſcat, ſplendorem ipſum ab effectu amplificat, hoc loco, Vates, atq; hyperbolicè deſcribit: primum autem illius effectum recenſet fugatas toto tenebras Cælo. Ideò

VMBRA: Illa ſcilicet tenebrarum obſcuritas, quâ, poſt Solis occaſum, nox, atris inuecta bigis, Cælum inuoluit, iuxta illud Virg. Aen. 2.

Vertitur interea Cælum: & ruit Oceano Nox,
Inuoluens vmbrâ magnâ terramq;, Polumq;

IN AETHERE. Subaudi: *iam triumphant*; ex eo, quod, vt ſuperiùs dictum eſt, cum Ceres inchoaret vias ſuas, iam Nox æthereis campis longe, lateq; potiebatur.

Iamq; ſuperfuſas nocturna ſilentia terris
Explicuêre vices &c.

ANNATAT FRETIS FVLVIS. Hoc eſt, ex æthere ipſo expulſa, ad maria, vnde exierat, iterum refugit, hoſtiles emicantis impetus lucis euitatura. Sed incaſſum refugit; nam freta ipſa facibus collucent; ideoq; *fulua* dicuntur. *Annatat fretis fuluis*. *Annatare* enim eſt *natare ad*, quamuis tertio iungatur caſu. Sic Virg. Aen. 4. conſtruit verbum *adnare*, quod idem eſt, ac annatare, dum ibi, apud eum, Dido procellis deuouens Aeneæ caput fugientis inquit;

. . . . *Si tangere portus*
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt &c.

Et Aen. 6. Vmbra Palinuri Fatum ſuum Aeneæ exponens:

Paulatim adnabam terræ; & iam tuta tenebam &c.

Quarè ſenſus erit: *vmbra in æthere nox domina effugit ad freta, quæ tamen & ipſa innumeris exoſa lucis irradiata fulgoribus.* Aſt, ſi altiorem copias eruditionem, ſic conſtrue: *Vmbra annatat fuluis fretis, in æthere*; & ſubintellige *collocatis*. Memineris enim, *fretum*, ſeu mare, nil aliud eſſe, quam congregationes aquarum, iuxta illud, Geneſ. 1. *Vocauitq; Deus aridam terram; & congregationes aquarum appellauit maria.* Adhæc memineris Cælum fuiſſe ex aquis efformatum, vt deducitur ex eodem 1. Geneſ., *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis: & fecit Deus firmamentum; & diuiſit aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum.* Ex quo ſacratum ſcripturarum loco aliqui anſam deſumpſerunt aſſerendi, non ſolum Cælos aqueos eſſe, ſed & fluidos inſtar maris, ſyderaq; in eis, tamquam piſces eſſe natantes; ad quam, arbitror, ſententiam reſpiciens Ennius ait: *Omne paruulas Cæli fretum.* Quibus poſitis, ſenſus Vatis, ad hanc ipſam alludentis ſententiam hic erit: *Vmbra*, hoc eſt noctis tenebræ, ſeù priuatio lucis, *annatat fretis*; ideſt *enatat à fretis*, quod idem eſt, ac fugit *à congregatione aquarum*, ſeù *ab aquis in æthere poſitis*: & *à fretis* dixit *fuluis*; nam fuluus color ex ardore, ac virore conſtat; ardorem autem, ſeù ſplendorem contraxerant Cæli, ex Cereris facibus irradiati, qui ſplendor aqueo, ſeu marino copulatus colori, Cælo connaturali, fuluum conſtituebat colorem. Hæc autem peryphraſis erit decedentium è Cælo tenebrarum. Videsne iamq; explicatam

tionem in idem tandem recidere, quo ad ſententiam; ſed ſecundam pleniori eruditione fulciri. Tu pro libito explicabis; nam dum tenebras ex orbe fugat, eas in ſe recipit textus, ni plenis ingenij facibus irradietur.

EXTREMAQ: LVCIS IMAGO &c. Pulſis è Cælo tenebris, è terris etiam pulſas eodem lumine oſtendit. Itaque particula *que* pro *&* copulatiua actionum, effectuum, ac temporum eſt, ita vt expulſio tenebrarum è Cælo, terriſq; eâdem actione eodem tempore facta indicetur. *Extrema* verò dicitur vltima cuiuſq; pars rei, quæ terminum extenſioni eiuſdem rei imponat: nec inficior, in hoc ſenſu, hoc nomen hic explicari poſſe: quaſi dixerit, lumen ex tædis illis promanans adeò diffuſum in extenſionem fuiſſe, vt, cum in conum more ſuo procederet, cuius baſis in corpore luminoſo haberetur, eiuſdem coni apice Italia, ac Lybia colluſtrarentur; vt intelligeremus, has faces quantumuis maximas non illimitatæ tamen, aut infinitæ actionis fuiſſe, vel lumen infinitè extenſum euibraſſe. Attamen, cum videamus Vatis ſenſum vndequáq; hyperbolicum, in auctionem tendere, non in diminutionem, non in hoc ſenſu, arbitror, explicandum: ſed ita vt *extrema* idem hoc loco ſit, ac *maxima*; *extremum* enim pro eodem, ac *maximum* interdum accipi non nouum eſt; cum etiam Seneca: *In hoc*, dixerit, *ſumma bonitas*; *in illo extrema malitia*. Quo loco, addubitari non poteſt, quin *extrema* pro maxima vſurpetur; vt legenti ſatis patet. *Extremaq;* igitur hoc eſt, & *maxima illa*

IMAGO LVCIS. Per *lucis imaginem* intelligit profectò *lumen ipſum*. à corpore luminoſo euibratum. Sed, vt noueris, cur lumen *lucis* dicatur *imago*; aduerte, duplicem de eſſentia luminis extare Phyloſophantium ſententiam. Alteram aſſerunt Marſilius, & alij eiuſdem ſectatores aſſerentes, lumen non eſſe qualitatem phyſicam corpoream, ſed eſſe qualitatem purè intentionalem; quæ ſententia ſi vera eſſet, iam lumen nil aliud eſſet, quam ſpecies intentionalis ab ipſa luce in corpore luminoſo exiſtente emiſſa, & propagata per medium, vſque ad ſubiectum luminis receptiuum. Altera ſententia eſt Peripateticorum, qui cum eorum Principe Ariſtot. definiunt, *Lumen eſſe actum perſpicui, ſecundùm quod perſpicuum eſt*; & conſequenter eſſe qualitatem phyſicam realem corpoream. Dicunt tamen & ipſi, hanc qualitatem ab ipſa luce differre ex eo, quod *lux* propriè ſumpta dicatur, & ſit illa tantum qualitas, quæ cum corpore luminoſo compoſitionem facit, in eoq; exiſtit, tamquam in proprio ſubiecto: *lumen* verò dicatur, & ſit illa qualitas fulgida, quæ, veluti ſoboles à luce progignitur, & in externam tranſit materiam; licet, in communi modo loquendi, pro eodem, vt plurimum, *lux*, & *lumen* vſurpentur. Quænam autem ex his ſententijs verior ſit, nec eſt hic locus diſputandi, neq; ad rem, quam peragimus, confert; nam æquè benè in vtraq. ſententia ſaluatur; quod verè *lumen imago lucis* dici poſſit; ſi enim lumen iuxta primam ſit qualitas intentionalis, quam *lucis ſpeciem* appellemus; certè ſpecies intentionales ab obiectis emiſſæ, ipſorum, à quibus emittuntur, imagines ſunt, vt in confeſſo iam eſt apud omnes, & nos latè in animaſticis diſſeremus, de huiuſmodi ſpeciebus intentionalibus agentes. Si lumen ſit qualitas Phyſica, iuxta ſecundam ſententiam, & quæ quaſi ſoboles à luce progenita emanet; iure filia lucis dici poteſt: cum autem filij ſemper ſint imagines Genitorum, iure & hæc qualitas dici poterit *imago lucis*. Quarè in vtraq; ſententia, optimè ſentit Auctor noſter, ac loquitur.

FERIT ITALIAM, ET LYBIAM. *Ferio* interdum pro excito vſurpatur, vt apud Quintil. *ferire aures* dicitur pro *excitare*. Sed & *ferio*, vtcumque ſumatur, ſemper importat moleſtam in eo, quem ferias, ſenſationem; ideò quidquid moleſtam alicui ſenſationem ingerat, *ferire* dicitur. Sic horrida voce aures; ſic ſpectris feriuntur oculi, inquit Cic, &c. In vtroque ſenſu, verbum, hoc loco, arbitror vſurpatum; nam Solis inſtar intempeſta quamuis exurgens nocte, lumen illud non potuit, quin prouincias, quas illuſtraret, è ſomno in admirationem ſaltem excitaret; & cum oculis vix expergefactis, lux ſubitò, ac plena affulgens eos perſtringat, & moleſta aliqua afficiat ſenſatione, ita vt nictare cogantur, & quaſi lumen ipſum reſpuere, donec illud pati aſſueſcant; meritò dicitur, in caſu, *extremaq; lucis imago Italiam, Lybiamq; ferit*; regiones ſcilicet Siciliæ oppoſitas, atq; interfluente diſſitas mare; nam Italiam quidem à Sicilia ſiculum fretum diſterminat, vulgò *il Faro di Meſsina*, vt lib. 1. adnotauimus carm. 145. Lybia verò, interfluente parte illa mediterranei, quę *Mare Africum* dicitur, & ad Getulam pertinet Thetym, è Regione Lylibei Promontorij ſita eſt, ſicuti è regione Pelori Italia, vt item vidimus lib. 1.

CLARESCIT HETRVSCVM LITTVS. Hetruriam à Sicilia Tyrrhenum diuidit mare, de quo lib. 1.

Concuſſit obieſſum rabies Tyrrhena Pelorum.

Hoc autem adiecit Vates, vt intelligeremus, non ſolum eam Italiæ partem, quæ anguſto illo, de quo ſupra, diuiditur freto, his fulgoribus irradiatam; ſed remotiſſimas etiam regiones: nam, cum Hetruſcum littus ora ſit Inferi maris, ſatis oſtendit, hac pro omnibus poſità, omnes inferi maris oras fuiſſe irradiatas; ac conſequenter omnes etiam regiones ſupero mari adiacentes; & vno verbo regiones omnes circumquáq; è regione Siciliæ, emergentes; nam, corpus luminoſum cum ſemper agat in ſphæram, ſequitur, vt quantum actione protenditur, V. G. in occaſum; tantum protendatur & ad Ortum, & ad Meridiem, & ad Septentrionem: circumquáq; enim, eâdem vi, & actione æqualiter lumen euibrat. Ideò *clareſcit*; hoc eſt illuſtratur tædarum fulgoribus, noctemq; ſuam in diem experitur conuerſam. Nam licet *clareſco* verbum videatur inchoatiuum, tamen ſæpè ſæpiùs ſignificat abſolutè *clarum fieri*, & tenebris denudari. De Hetruſco littore plura alibi dix., ideò non repeto.

ET, ACCENSO ÆQVORE, RESPLENDENT SYRTES. *Et* pro *ſimul* hic ponitur: *æquor* certè pro mari vſurpatur, quod *accenſum* dicit, hoc eſt ignea illa luce effulgens adeò, vt vndas videretur flammeas agitare: & hoc ponit, pro antecedenti cauſali, ad quod neceſſariò ſequatur conſequens, nempè *reſplendent ſyrtes*. Syrtes enim, vt noſtis ex dictis hoc eodem lib. carm. 321., geminæ ſunt in Lybico mari, quibus vadoſum mare efficitur; ſed ita vndis contectæ latent, vt à nautis percipi non facilè poſſint, quarè, vt plurimum, in eas impingunt nauigia, & diſrumpuntur. Has itaque etiam, quamuis ſub aquis latitantes, lucis fulgore notat illuſtratas, mediante tamen accenſione, hoc eſt luminis intenſione quam maxima in vndis ipſis coaleſcente: ideò *reſplendent*, ideſt ſplendore ſuffunduntur, & lumen recipiunt.

ANTRA PROCVL &c. Sicuti ſub aquis latent, versùs Lybiam Syrtes; ſic *antra Scyllæa* ſub aquis merguntur, ad rupes Italiæ finem ſtatuentes, ad fretum ſiculum: ideò, vt efficaciam Cerealis luminis oſtendat, illud in antra ipſa Scyllæi monſtri receptacula dictitat penetraſſe.

PETIT. Hoc eſt ille fulgor, ſeù lumen à facibus emiſſum actione ſuâ illuminatiua extenditur adeò, vt pertingat, & illuminet etiam

ANTRA SCYLLÆA. De his ſatis diſſeruimus lib. pri., dato ex Siciliæ deſcriptione argumento. Quarè illùc curioſum remitto.

PROCVL. Subintellige *recedentia*; hoc eſt penitùs in profundum demerſa, excíſiq; ſcopulorum amphractibus in altiſſimos receſſus depreſſa; & quo vix credi potuerit aditurum lumen.

CANIBVSQ: REDVCTIS &c. Ab effectu indicat, quam altè immiſſum illud lumen Scyllæum perſtrinxerit monſtrum. Canes, inguinum tenus, Scyllam obuallantes adfuiſſe, iuxta fabuloſam hiſtoriam, vidimus lib. pri. cit.; & de his loquitur Vates; quarè non ſuperaddendum. Adeat locum qui cupiat ex lib. pri. cit. Reduco, à quo eſt *reductis*, idem eſt, ac *retrò duco*; quarè *reductis* idem erit, ac *retrò ſurſum ductis*; quo exprimatur terror, quem ex inſueto lumine monſtrum conceperit; dum retrorſùm à fulgore irradiante canes ducit, quaſi effugere conetur vim luminis, inſolito oculos fulgore perſtringentis.

PARS STVPEFACTA SILET. *Pars catulorum* exponit Parrhaſ.; nec improbo. Sed, cum ſuperiùs dixerit: *canibuſque reductis*, quæ actio ad monſtrum pertinet, cuius partes ſunt canes ipſi; etiam cum dicit *Pars &c.* ad ipſum monſtrum, nempè ad ſcyllam ipſam in monſtrum commutatam, referri, ſatiùs arbitror. Ideò *Pars*; hoc eſt ſcylla ipſa, ſecundùm partem, ideſt ſecundùm aliqua ſui ipſius ora, *ſilet*, vocem videlicet intercludente terrore non ſolum, ſed & torpore quodam, ac ſtupiditate, ex inſoliti luminis affulſione contractâ: vnam idcircò cauſam allegat, nempè *ſtupefacta*, quod idem eſt, ac *ſtupore perculſa*. Stupor autem ex inſolitis emergit.

PARS NONDVM EXTERRITA LATRAT. *Pars latrat*: hoc eſt Scylla ipſa, ſecundùm aliquam aliam ſui partem, nempe ſecundùm aliquot alia ſui ora, quibus caninis tantum pollet, ſi dicamus, ſcyllam monſtrum eſſe, ſeptem caninis capitibus inſignitum, iuxta ſecundam opinionem lib. 1. relatam: *latrat*: *latratum* (quod proprium canum

eſt) *odit*, in expreſſionem videlicet indignationis, erga lumen, quo perſtringebatur, concepta. Si vero dicamus, Scyllam faciem retinere virgineam, canibus verò inguinum tenus tantum oblatrari, iuxta aliorum opinionem item lib. 3. tel 3. iram : ſenſus erit, quod pars humana, nempe os virgineum ſileat; nam verè *ſtupeſcere* proprium magis humanæ, quam ferinæ videtur naturæ. Pars autem, nempe, quæ canibus conſtat, *latrat, mordum ex ira*; nam certe ferina ea canum natura diutiùs terrori reſiſtere dicenda fuit; atq; adeò *mutam*; hoc eſt non *tam citò*, ac natura Virginis *exterrita*: ideſt terroribus oppreſſa, atq; ab emittendis vocibus prohibita, quaſi offendenti lumini indignata, in rabiem vertitur, ac ideò adlatrat, vt rabiem effundat, prout proprium caninæ naturæ, in iram aſſurgentis eſt.

Quod ſi, quæ ad mores pertineant, requiris; accipe. Rationalis facultas, dum infernis ignibus accenſas exhibeat faces, vt animam quaſi tranſmigrantem, iuxta Pythagoram, quærat, lumine ſuo, procul dubio, in monſtra tantum incidit, quocumq; exhibetur. maria fluctibus agitatur: Syrtibus adhæret, ſcopulis alliditur, voraginibus mergitur: & canes, veraces nempe non minus, quam vere ſapientes, Cynicos excitat, vt temeritati iure oblatrent requirentis, in terris, eam quam raptam deflere deberet ad Inferos.

Sed, dum Ceres, imperfecto opere, ab Auctore noſtro deſtituitur, Nos quid imperfecta Italica ſuggerat Muſa, percipiamus.

Coſi diſs' ella: e del ſalito monte
Preſe, ſcendendo, io queſto dir, le falde:
Pe'l vaſto pian, che gli ſi ſtende à fronte,
Moue il piè vacillante; e viè più ſalde
Creſcon le voglie, al rammentar dell'onte.
Le delicie de fiori ardite, e balde,
Fonte di ſue rouine vnico, e certo,
Deteſta, e'l luogo alle rapine aperto.
Qual veltro in traccia, ouunque mira impreſſi
Segni nel ſuol di fuggitiua nota,
S'atterga all'orme; e, ſe quì vede eſpreſſi
Giri di confuſion tutti gli nota:
Se là ſparſi gli ſcorge, è che s'appreſſi
A ciaſcun ella; e lo contempli immota;
Mentre delle gran faci à pieni lampi,
Curua ſe'n và, tutti ſpiando i campi.
Le tede abbaſſa; e di que' ſolchi il vuoto
Clitia d'amor minutamente oſſerua:
Mà di lagrime in tanto offerte in voto,
Beue i fonti ogni ſolco; e ne conſerua
L'accolto humor; perche de fuochi ignoto
Tempri l'ardor, ch' il ſen gli sfiora, e ſnerua.
Ella co' ſuoi mugiti il monte, e'l piano
Tutto rintrona: e pur gli ſparge in vano.
Fugge le sfere, oue pur dianzi atrato
Del giorno à i funerali, il manto ſteſe,
Notturna l'ombra; e'n mar s'attuffa, e ſtato
Ne pur quì troua, al ſuo languir corteſe;
Che ſua luce diffonde in ogni lato
L'alto ſplendor di quelle faci acceſe,
Per cui, di Theti il ſen culla di luce
Sembra già fatto; e nuouo giorno adduce.
Al folgorar di que' trasfuſi ardori
Stringe l'Itala abbacinato il ciglio;
E proua Libia i criſtallini humori
Dell'occhiu ammirator poſti a ſcompiglio:
Stupiſcon là, nel Toſco lido, i cuori
Sua notte eſtinta, entr' al chiaror vermiglio:
E'l mare acceſo, à que' fuocoſi ſpirti,
Fà ſotto l'onde ancor ſplender le ſirti.
Scilla colà, ne gl' vltimi receſſi
De gl' antri ſuoi, benche ſe'n giaccia aſcoſa,
Forzata è pure à ſoſtener gl' ecceſſi
Di tanta luce; e la declina odioſa:
Volge altroue la fronte; e i cani anneſſi
Al di lei ventre indietro volge anſioſa;
Parte ſtupida tace; e parte irati
L'intrepido furor sfoga in latrati.

Exhalationes Ciceroni Tusc. 1. ſpiritus ſunt. E però ſpiriti ſi chiamano l'eſalationi fuocoſe.

Finis hic Claudij Claudiani eruditiſſimis, de Raptu, libris ab aduerſante potius fortuna, quam ab Auctore, ſui operis proſecutionem negligente, imponitur: iniuria enim temporum effectum eſt, vt ea, quæ, quarto libro, iuxta Clauerij Indicem contenta, ad nos peruenire debuiſſent, prorsùs exciderint, dolendâ mehercule cuicumq; ſapiat iacturâ. Sic Heinſius adnotat: ſic Barthius aſſeuerat: Noſq; ereptam nobis melleam tanti operis perfectionem meritò ingemiſcimus. Si tamen quæras, quoſnam exitus ſortitæ tandem fuerint Cereris peregrinationes, laboreſq; in inquirenda ioſumpti Proſerpina; breuibus, quæ ex Ouid. Metam. 5. referuntur, ne vel curioſis deſim, recenſeo. Et primo, quod ſpectat ad longiſſimos Cereris errores, quam illi diuturni fuerint, ex vnico hoc habemus cit. Ouid. Emiſtichior *Quærenti defuit orbis*. Tandem ex ſub terris labente Arethuſa nouit, Proſerpinam ſtygio nuptam Tyranno, apud Inferos, degere. Quarè, enixis Iouem precibus fatigans obtinuit, vt Proſerpinam ipſa reduceret; ſed ea appoſita conditione, ſi videlicet nil cibi apud Inferos guſtaſſet. Cum itaque quæſtio fieret, num quid Proſerpina deguſtaſſet, indicio Aſcalaphi proditum eſt, eam aliquot mali punici grana comediſſe; quamobrem à Cerere in bubonem ipſe, mali ominis auem, conuerſus eſt. Iupiter autem, attentâ paruitate materiæ, Fratri, ex æquo, ac Cereri indulgens tribuit, vt Proſerpina dimidiam apud virum anni partem, dimidiam verò apud Matrem ageret. Hæc ex Ouidio, alijſque ex antiquis communiter ſcriptoribus; licet non deſint, qui affirment, nunquam recuperatam Proſerpinam fuiſſe; quod magis profectò congruit naturæ illius loci, ex quo ingreſſis nulla datur remeandi facultas; ſed non adeò congruit Proſerpinæ, quæ pro ſeminum virtute, aut ſegetum radice, accipiatur; nam hæc certè partim ſub terris degit, partim in ſegetes, fructuſque erumpens, aperto fruitur Cælo.

Sed iam finis fandi: cum ad hæc Auctoris noſtri de Raptu labor non extendatur; nec noſtri ſit inſtituti diutiùs in alienis extra chorum ſaltantes immorari.

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ hoc volumine continentur.

Primus numerus paginam ſecundus columnam ſignat.

A

Abdera quid, & vnde. 135.1
Abderitus Alcidi in delicijs. 211.2
Abdita quæ iure mutuant. 453.2
Abies, & quid de ea. 304.2
Abies inflexibiliter ponderi reſiſtit natura, & hieroglyph., & vmbra lethalis. 380.1.2.
Abnuere quid ſit. 284.2
Abrupta exordia in patheticis. 380.1
Accelerare quid ſit; & cur Venus acceleret. 164.2. 165.1.
Accendere quid ſignificet, & vnde compoſitum. 186.1.2
Accentus vbi poeticè non ſeruetur. 29.1
Accerſere vocare eſt, & ducere. 29.1. 433.1
Acceſſorium ſequitur naturam principalis. 100.2 246.1
Aceſtes Egeſtæ filius, Siciliæ Rex, Æneæ receptator. 273.1.2.
Acerſecomes cur dictus Apollo. 565.1
Achelous ſerpens factus. 221.1. 222.1
Achelous in Taurum. 222.2
Achemenij dicti omnes Perſarum Reges. 546.1.
Acheron fluuius doloris. 66.1
Acheron cur ad Inferos detruſus. 163.2
Acherontes duo, & vbi. 419.2
Acheruſia palus corpora viua non ſuſtinet, mortua ſupernatantia tranſuehit ad ripam. 419.2
Accidentia veſtes ſubſtantiæ, & eorum definitio. 292.1
Acies quid ſit. 36.1. 513.2
Acis quis fuerit. 575.1.2
Acroceraunia naufragijs horrenda. 4.1
Actæon Cadmi luctus. 594.1
Actio indiſtans non datur. 331.2
Actio, & paſſio non diſtinguuntur à p. r. 350.1.2
Actio non extenditur vltra ſphæram actiuitatis. 118.1
Actor quis ſit iuxta leges. 559.2
Actus in triplici ſignificatione. 220.1
Acumen quid ſit. 359.2
Acus quid, & Acus Idalia quæ, & vnde. 247.2
Adamas obduratæ mentis ſymbolum. 28.1
Adamas Plutonis ſymbolum. 28.1
Addere quid ſignificet. 188.2
Adeſſe quid ſit, 194.2. 284.1
Aditus quid ſit. 313.1
Aditus ad Inferos Dijs interdictus. 48.2
Adytum in templis quid ſit. 552.1
Adyta templorum in antri formam efformata. 463.1
Admiratio voluptatis mater. 528.2
Admiratio ex ignorantia prouenit. 441.1.2. 528.2
Admouere genibus manus ſupplicantium eſt. 43.1
Adolere quid ſit. 94.2
Adonidis mors. 292.2. & ſeq.
Adonidis ex ſanguine Anemones. 293.2
Adſpicere quid ſignificet. 382.2
Aduerſus quis dicatur, 57.1.2. 348.1. 389.1
Adulatio oleum peccatoris, & cur. 520.1
Adulator ſe alienis moribus conformat. 519.1.2
Adulatoris ſymbolum Polypus. 519.1
Adulatoris ſymbolum Iris. 519.1
Ædes Deorum, Dearumq; olim ex ferro omnes. 172.2
Ædes Cereris manu Cyclopum conſtructa. 172.1. & ſeq.
Ædes quæ ſint. 497.1
Ædes Cereris non procul Athenis. 17.1
Ædificatoriæ artis duplex munus. 172.2
Ægeon, & quid de eo. 40.1
Ægeonis Catenæ ex Adamante. 40.2
Ægis quis ſit, & Clypeus non Thorax. 254.1. 460.1
Ægis Iouis quid ſit. 576.1
Ægide quando armetur Iupiter. 460.1
Ægyptus Deos recipit ex fuga. 109.1
Ægyptus cur Delta dicatur, & figuram cordis exprimit. 229.1
Aegyptus ſine nubibus. 391.2
Ægiſtus quis, vnde dictus, Agamemnonis interfector, & cur ab Oreſte occiſus. 595.1
Æmula Iuno. 100.1.2
Æmus Mons Thraciæ Catena Mundi, & eius altitudo. 216.1.2.
Æolus quis, & prudentis viri typus. 57.1
Æqualitas quid propriè, quid translatè. 361.2
Æquales cenſentur qui eiuſdem profeſſionis ſunt. 382.2
Æquator, ſeu Æquinoctialis circulus maximus. 182.1
Æquor cur dicatur mare. 352.1. 400.1
Aer natura ſua frigidus. 304.1
Aer quid, & cuius naturæ. 312.2
Aer diaphanus. 134.2
Aer calidus iuxta Ariſt. frigidus iuxta Stoicos. 312.2
Aer inter cæleſtes ſphœras enumeratus. 186.2
Aeris tres regiones. 131.1
Aeris ros filius. 312.2
Aeris douitiæ. 400.2
Æs ante ferrum Orbi innotuit. 67.2
Æs pro inſtrumentis ex ære factis, quæ in ſacris. 151.1
Æris ſono ineſſe Dæmonum voces credebantur. ibid.
Ærea inſtrumenta in ſacris Cybeles. ibid.
Æſtas Venus dicebatur. 482.2
Æſtrum quid ſit. 9.1
Æſtuare quid ſit. 324.2
Æſtuare in multiplici ſignificatione. 491.1
Æſtus quid. 104.1.2. 304.1. 576.2
Æſtus pro vehementi calore. 116.1
Æſtus mortifer pro peſte. 536.1
Æſtus pro calore vrenti. 392.2
Ætas ad matrimonium per Canones requiſita. 94.2
Ætas quid. 358.2
Ætas Cæli progenies. 399.1
Ætatis diuiſiones variæ. 94.2. & ſeq.
Æther Cælum, & ſphæra ignis. 102.1. 515.2
Æther Iouis ſedes, eiuſdemq; voluntas. 376.1
Æther ſphœra ignis eſt. 102.1
Æther pro igne, & aere. 185.2
Æternitas quid præſcindendo ab æternitate Dei. 192.2
Aeternum nihil in terris. 192.1
Aetna vrbs vmbilicum Siciliæ à Hierone condita. 90.2. 108.1.
Aetna, & Henna floridæ. 281.2
Aetna Mons vmbilicus Siciliæ officina Vulcani ex Virg. 108.1.2
Aetna cur inacceſſibilis. 108.2 113.1.2. & ſeq.
Aetna cælum prouocans in experimentum virium. 115.1.2
Aetna ſe ipſum torquet dum ignes euomit. 118.2

Ætna

Aetna mons ſulphureus, 123.2
Aetnæ denominatio vnde, 90.1
Aetnæ diuiſio in duas partes, 113.2
Aetnæ flammiuomæ tempeſtates, 114.2
Aetnæ ignis qualis, 115.1
Aetnæ incendia quid nutriat, 115.2
Aetnæ ignis niuibus fidem ſeruans, & eiuſdem hyerogliphicum. 115.1. & ſeq.
eidem ſeruanti fidem ſeruatur à niuibus. 117.1
Ætnæ prodigia non proletaria. 241.2
Ætneæ crateræ quid ſint. 113.1
Ætnei campi ſereno ſemper cælo fruuntur. 283.1
Æthon Plutonis equus inſolentiam importat. 202.1
Æuum quid ſit. 48.1
Æuum primum, ætas prima. 269.1
Æuum agere quid ſit. 565.2
Affatus ſermo ſuggeſtiuus. 525.2
Affirmatores qui fuerint. 562.1
Afflare quid ſit. 10.2. 537.1
Agaue Cadmi filia natum diſcerpit. 594.1
Agenoris, & Cadmi fabula. 594.1
Agens ſimile non agit in ſimile. 116.2
Agens omne agit ad aſſimilandum ſibi paſſum. 91.1
Agens omne agit propter finem. 121.2
Ager quid ſit, & quotuplex. 342.1
Ager idem, ac Rus. 531.1
Agere apud aliquem dicere eſt. 559.1
Agere æuum, *æternum viuere eſt*. 565.2
Agere in duplici ſenſu. 185.1
Agere remos vacuos. 423.2
Aggredi quid ſit. 505.1
Aglaurus inuida in ſaxum mutata. 227.1
Agmen quid. 327.2. 459.1.2
Agmen quid propriè, quid translatè, & Agmen caſtum quod. 410.1
Agna quæ. 317.2. ſecundo.
Agnam lupo committere. 101.2
Agni, & Lupi diſſidium. 317.2. ſecundo.
Agnoſco quam cognitionem importet. 473.1
Agnoſcere quid ſit. 333.1. 497.2
Agricultura num fuerit ante raptam Proſerpinam. 455.2. & ſeq.
Ahenum quid. 296.2
Ahenus quid. 57.2. 177.2
Ala celeritatis ſymbolum. 59.1
Alaſtor equus Plutonis latinè peſſimus Dæmon. 202.1
Album à candido diſtinctum, & quid ſit. 319.2
Alcides quis fuerit, & quid de eo. 210.1.2
Alcides vnde dictus. 216.1
Alcides Cælū ferens Atlantis vice, & cur. 230.1.2. & ſeq.
Alcides in Cælum translatus. 232.1
Alcidi in delicijs abderitus. 211.2
Alcyones aues in duplici differentia. 508.1
Alcyonei dies mare tranquillum habent. ibid.
Alcyoneus Gigas, & quid de eo. 508.1
Alcyonei proceritas, & vires. 508.1.2
Alcippi cineres horologium conficientes. 568.1
Alecto quæ, eiuſq; natura, ac munia. 200.2
Ales Iouis Armiger cur ſine fulmine. 217.2
Alga excrementum maris quid ſit. 188.1
Algeo pro refrigeror. 531.1
Allectoria gemma alliciens victorias. 248.2
Alligo damnantis verbum. 541.2
Alnus quid, & cur mæſta. 545.1.2
Alpes vnde dictæ niuoſæ, ſed non Inhoſpitæ Italiæ propugnacula, & fines pro Gallia interdū poſitæ. 543.1.2
Alpheus vnde dictus, & cur aduena Siciliæ. 275.1
Alpheus ſub terris dicitur ex experientia commiſceri Arethuſæ. 275.1
Alternum quid ſonet. 490.2
Altus quis dicatur. 92.1
Altum pro Cælo. 184.1
Alueria quomodo conſtruantur. 316.1.2
Aluus, & alueus quid. 316.1
Aluus pro naui. 22
Amadriades arborum Nymphæ, cum ſuis arboribus naſcuntur, & pereunt. 469.1.2
Amans amata carens in multitudine ſolus. 81.2. 497.1
Amans vigilans ſomniat. 137.2. 177.1. 464.1. 500.1.2
Amans ſemper pauidus. 101.1. 486.2
Amans quod optat, ſibi facilè ſuadet. 138.1
Amans omnia negligit, omnia ſuperat. 568.1.2. & ſeq.
Amātis anima magis eſt vbi amat, quā vbi animat. 152.2
Amantium vita mors perennis. 246.2
Amaracus olim puer, nūc herba vulgò Magiorana. 318.2
Amaricina vnguenta pretioſa. 318.2
Amare, & ſapere vix Deo conceditur. 494.2
Amazones quæ, & quid de ipſis. 224.1.2
Amazones cur Septemtrioni infeſtæ dicantur. 276.2
Amazones cur niueæ dictæ. 277.1
Amazones ab Hercule debellatæ, & cur. 224.2
Amazones gemma præcingebantur. 248.2
Amazones Veneres armatæ. 276.1
Amazonis vices implet Venus. 247.2. 248.2
Amazonum Regia Themyſciræ. 277.1
Ambages quid ſint. 48.2
Ambages pro circuitu rerum, verborumq; 470.1
Ambire quid ſit. 93.2
Aurea quæſiuit Azeſiam caſſus ſcilicet labor. 30.2
Amens ab a, et, & mens. 480.2
Amicus magis lædit, quam hoſtis. 524.1
Amicorum incerta fides. 360.2
Amphitrite filia Nerei, & quæ ſit. 77.1.2
Amphitrite Neptuno nupſit, & quomodo. ibid.
Amyclæ Vrbs Licaoniæ Phœbo ſacra, & ſeculi aurei perpetua ſedes, eiuſdemq; ethymologia. 99.2
Amyclis Hyacinti pater Amyclarum conditor. 321.2
Amictus ferrugineus quid portenderet. 394.1
Amictus quid ſit. 248.1
Amnis pro amnis numine Nympharum patre. 279.2
Amnis quid nominis, & quid rei. 358.2
Amnis tacitus. 201.1
Amnis pro torrente interdum ſumitur. 440.1
Amor in odium conuerſus furor ſit. 162.2
Amor fuga vincendus. 32.2. 102.1
Amor Iouis ex Virg. 162.2. & ſeq.
Amor inter fratres à natura. 51.1
Amor Erebi, & Noctis filius. 425.1
Amor, & honor curas diſtrahunt muliebres. 96.2
Amor in filios *pietas* dicitur. 558.2
Amor ignis. 102.1. 137.2
Amor obliuio eſt, & inſania. 322.1
Amor mobile nunquam quieſcens. 568.1
Amor, & Maieſtas non conueniunt. 152.1
Amor otioſi pectoris cura. 250.1
Amor clauis omnia aperiens. 568.2
Amoris ſymbolum ignis. 28.1
Amoris vis ſuadendi maxima. 138.1
Amoris per appetitum definitio. 321.2. 365.2
Amoris telum aureum, & plumbeum. 217.1
Amoris vi, vel languentes vigent. 496.2. & ſeq.
Amoris vis. 558.2. 568.2. & ſeq.
Amores equorum ex Virg. 162.2
Amphora obſtricto collo inuerſa vix aquam incluſam demittit. 221.1
Amſanctus Diris ſpiraculum. 21.1
Amſancti vorago quæ. 419.1
Anceps animi quis. 434.2
Ancile de Cælo à Marte demiſſum. 98.2
Anemones ex Adonidis ſanguine. 293.1
Anfractus quidnam ſit. 534.1
Angues pro naui anguibus inſignita. 17.2
Angues ſerpentes aquatici. ibid.
Angues à Iunone in Alcidem miſſi, qui fuerint, & quomodo immiſſi. 221.1.2
Angues Meduſæ in caſo adhuc viuentes capite. 253.2
Angulus viſualis, quo minor, minor res viſibilis apparet. 133.2.
Anhelus, & anhelitus quid. 27.1. 266.2. 592.1
Anhelitus, id eſt proflatus. 254.2

Ani-

Animæ quid ſit, & quotuplex. 47.2. 405.1
Anima tota in toto, & tota in qualibet parte. 76.1
Anima non graditur pedibus, ſed affectibus. 12.1
Anima rationalis, per Pitagoram. immortalis; ab æterno eſt, & quibus rationibus; ex fide, & veritate creata, in tempore, æternum duratura. 48.2. & ſeq.
Anima vnica omnibus communis per Auerroem, ſed contra fidem, & veritatem. 49.1
Anima Cæli Iupiter. 76.1
Anima per Zoroaſtrum alata. 452.1
Anima ſine corpore amare poteſt. 162.1
Anima creatur in corpore hic, & nunc. 49.1. 453.1
Anima iure cæleſtis dicitur. 452.1
Anima per Stellæ ſymbolum expreſſa. 452.1
Anima rationalis per Ariſtotelem immortalis, ibid.
Anima ſcintilla maſſæ ſtellatæ ex Heracl. ibid.
Anima rationalis Cælo pulchrior, 88.1
Anima ignis fuit ex ſenſu Zenonis. 185. 1. 593.2
Anima ſeparata cur loqui non poſſit, 381.2. & ſeq.
Anima plantarum diuiſibilis. 469.3
Animæ omnia relinquunt ad ripas Acherontis. 402.1
Animæ operationes in duplici differentia. 381.2
Animæ apud Platonicos opinio. 451, 2, & ſeq.
Animæ potentiæ ab ipſa non diſtinctæ. 161.1
Animæ quæ dicantur. 174. 1.2
Animæ omnes eiuſdem ſpeciei. 402.2
Animæ ſeparatæ apud Antiquos peregrinari cenſebantur, & peregrinatione expiari. 49.2
Animæ expiatæ concilium adibant Deorum remittebantur in corpora, per Platonem, à Proſerpina; per Auctorem verò noſtrum à Plutone. ibidem.
Animæ expiatæ Elyſium petunt, lethem bibunt, redeunt in orbem. 50.1
Animæ rationalis definitio, & excellentia. 452.1
Animarum duplex via. 49.2
Animarum ſedes perpetua, etiamſi apud Superos, incommoda per Heracli. 49.1
Animarum tranſmigratio iuxta Pytag. & alios, & quid prærequireretur tranſmigrationi, 49. 50.1
Animarum aurea progenies. 398.2
Animas per tranſmiſſionem in noua corpora pęnas luere delictorum, ait Empedocles. 49.1
Animal omne poſt coitum triſtatur. 159.2
Animalia diuerſa, & animalia in Zodiaco. 401.1
Animus pro arrogantia. 54. 1. 549. 1.2
Animus perturbatus orationem perturbat ſuam. 537.1
Animus, & anima, in quo diſtinguantur. 87.2, 174. 1. 240. 1. 396. 2.
Animus anceps inter amorem, & timorem. 512.1. 513.1
Anytus Titanorum vnus, 39.2
Annibal Capuæ fractus. 295.1
Annus quid ſit. 34.2. 283. 1. 482.1
Annus ab annulo dictus, & pro nubili ætate poſitus, 482.1.
Annus magnus quid ſit, 49.2
Annus in tres tantum diuiſus partes. 482.2
Anni mille tanquam dies heſterna, quæ præterijt, 154.2
Annos quot habuerit Proſerpina rapienda, 95.1
Annulus nuptiarum ſymb. 482.1
Annulus nuptialis ferreus, & cur, 482.2
Annulatorum natura, 251.2
Antæus, & Anthæus qui fuerint. 226.1
Antæus ab Hercule occiſus, 226.2
Antenna quid ſit. 587.2
Antiperiſtaſis in igne, & niuibus Ætnæ. 116.2 & eius cauſa duplex. 117.1.2
Antonius Maliaborcus Sereniſſimo Hetruriæ Duci percarus. 216.2. ſecundo,
Antra quæ. 121.2
Antra Muſarum quæ, 234.2
Antra fluuiorum domicilia. 279.2
Anxietas quæ, & anxius quis. 30.2
Aper, & Leo iuncti ſymb. totalis fortitudinis. 223.2
Aper Erymanthi ab Hercule domitus. 223.2. & ſeq.
Aperire quid ſit. 374.2
Apes caſtæ, & ſymb. puritatis. 306.1
Apes malè accipiunt ex coitu inquinatos. ibidem.
Apes regem habent, & obſeruant. 315.1.2
Apes exercitū conſtruunt, & non ſibi mellificant. 316.1
Apes electis tantum inſident herbis. 316.2
Apum fides, & incolumitas ex Rege pendent. 315.2
Apum Reſpublica ciuilis, & militaris. 315.2. & ſeq.
Apum Rex medius procedit. 316.1
Apum ſolicitudo in melle colligendo. 315.2
Apex quid ſit propriè, & translatè. 113.1. 328.1. 598.1
Apis Ægyptiorum Deus. 432.1.
Apollo ſine lauru nulla dabat oracula. 216.2. ſecundo.
Apollo quando, & cur exarmatus radijs, 269.1. 322.1.2
Apollo intonſus. 565.1
Apollinis ſtatua tres manu gratias ſuſtinens. 487.1
Apollinis crines qui. 565.1. 589.2
Apollini humanæ victimæ, 550.2
Apparere quid ſit. 351. 1. 493. 2. & ſeq.
Appetere quid ſit, & pro aggredi. 225. 1. 309.1
Approximatio agentis, & paſſi neceſſariò requiritur ad actionem. 118.1
Aptera Cretæ vrbs vnde ſic dicta. 541.1
Aqua ab α, λείπω priuatiuo, ideſt *ſine qua*. 414.2
Aqua antonomaſticè *liquidam*. 440.1
Aqua omnium elementorum præſtantiſſimum, & ex Aqua Cælum ipſum. 186.2
Aqua conſtant omnia etiam Dij per Thaletem, & Pindarum. 270.1
Aqua primum rerum omnium elementum. 502.2
Aqua odij ſymb. 28.1
Aqua, & ignis in nuptijs, & cur. 377.1
Aqua incendiorum cauſa, & alimentum, 122.2. & ſeq.
Aqua, & aquarum numina vitrea. 270.1
Aqua terremotuum cauſa ex Democr. 122.1
Aqua, & terra vnicum conficiunt ſphæricum globum. 134.1, 169.1,
Aquarum nouæ eruptiones. 439.2
Aquila Gallinam albam deferens, 217.2
Aquila diuagante ſerpens nidum populatur, 487.2
Aquila prudentis, & ſtudioſi ſymb. 216.1. ſecundo,
Aquila filios non fouet, niſi probatos. ibidem.
Aquilones ante ortum ſpirant caniculæ. 275.2
Ara vnde dicta. 551.2
Ara ignoto Deo Plutoni dicitur dicata. 16.2
Arabum mulierum cuſtodia, 96.1
Arachnes mæonia. 196.2
Aranea in quam verſa Arachnes, & cur. 179.2. 498.1.2
Aranea floreos ſuccos vertit in venenum. 538.2
Aratrum demolitionis ſymb, 340.2
Arbiter quis dicatur. 46.1
Arbor aurea Proſerpinæ dicata. 400.1
Arbores Apollineæ cupreſſus, & laurus, 589.1.2
Arbores lanam producentes. 263.1
Arborum lachrimæ quæ, 209.2
Arborum canities, 263.1
Arcadia Deorum Patria, 68.2
Arcadum Rex Apollo, 99.2
Arcanum quid, & vnde deriuetur, eiuſdemq; ſignificationes, 117.1. 336.1.2. 599.1
Arctos cur prima dicatur territa, 351.2
Arcturus pigrum ſydus, & cur. 191.1.2
Arcus quid. 225.1. 257.1
Arcus cæleſtis non Iris, ſed Iridis via. 299.2. 435.1
Arcus ex cornibus animalium. 362.1
Arcus, & ſagittæ in ſimulacris Apollinis, & Dianæ. 257.1
Arcus remiſſus pacis ſymb. 257.1
Ardor quid ſit. 163.1
Ardor pro ſplendore. 238.2. & ſeq.
Ardeat orator, ſi vult Aud. incendere. 101.1. 528.2
Arduus quid propriè, quid translatè. 173.1
Arduus, ideſt procèrus. 216.1
Arena in multiplici ſignificatione. 360.2
Arena cur bibula. 188.2
Arenoſum mare. 56, 1. 406. 1. 570.1
Arethuſa, & Alpheus qui. 274.2. & ſeq.

Are-

Arethuſa Cereri patefecit raptam Proſerpinam. 455.2
Argos plures dictæ vrbes. 210.2
Argus Iuuencæ cuſtos Inachię occiſus à Mercurio. 296.2
Aries petulantiæ ſymb. 525.2
Aries principium veris. 290.2
Arimaſpi Cyrum frigore oppreſſum reſtaurant. 569.2
Arion equus. 92.2
Ariſta quid propriè ſit. 32.1
Ariſtæ pro matura iam meſſe. 32.1. 132.1
Ariſtomenis cor ſetis obſitum. 163.2
Ariſtoteles dicens aquam igneſcere non poſſe explicatur. 122.2
Ariſtoteles Deum putauit neceſſariò agere. 452.2
Ariſtotelis de immortalitate animæ ſententia. 452.1
Arma appendere quid ſit. 576.2
Arma Veneris. 159.1.2
Arma nomen analogicum quot genera armorum includat. 159.1.2
Armorum duplex genus. 327.1
Armari, hoc eſt in bellum accingi. 55.1
Armentum quaſi aramentum. 363.2
Armenti nomine, quæ veniant. 202.2. 208. 2. 363.2
Ars naturam perficit. 2.2. 301.1
Ars imitatrix naturæ. 1.2
Ars quid ſit, & vnde dicta. 448.2
Ars pro artefactis, & exercitio artis. 497.2
Ars docens, & vtens. 497.2. & ſeq.
Ars pro dolo. 391.2
Ars duplex. 205.2
Ars quid ſit. 3.1. 24.2. 116.2. 263.2
Ars quid, & quotuplex. 167.2. & ſeq.
Artis vis, & excellentia. 2.2
Artium origo, & progreſſus. 3.1. & ſeq. 448.1
Artificium orationis ſuaſoriæ. 52.2
Artus qui ſint, & vnde dicti. 48.2. 226.1
Arundo quid, & cur fluuiorum veſtis, ſceptrumq; 323.1
Arundo ſymb. reſipiſcentiæ. 262.2
Arundo ſymb. calamitatis. 323.1
Arundine cur redimitur Charon. 423.2
Aruum quid ſit. 94.1. 211.1
Arx vnde dicta, & ſumma arx Cælum. 154.2. & ſeq.
Arces ſiculæ quænam eſſe intelligantur. 200.1.2
Arces Pandioniæ quæ. 249.2
Asbeſtus in vndis ignitus. 569.1
Aſcalaphus in bufonem conuerſus, & cur. 201.2. & ſeq.
Aſcendere, *ſurſum ſcandere*. 490.2. & ſeq. 592.1
Aſcus, ſeu Atius Gigas excoriatus. 577.2
Aſia gemmis affluens. 295.2
Aſpectus obiectiuè, & formaliter. 494.2
Aſperare quid. 64.1
Aſperum quid dicatur. 250.1
Aſpernari quid ſit. 329.1
Aſpis obturat aures, ne incantationes percipiat, & conſopitos reddit, quos mordet. 329.2
Aſſibilare quid ſit. 374.2
Aſſiduus qui. 190.1.2. 283.1
Aſsyrij lanis inficiendis optimi. 290.2
Aſter, & Aſtrum quid, & in quo differant. 87.1
Aſtra animalia olim credita. 351.2
Aſtra ſecundùm ſe, & pro poſſeſſore poſita. 115.2
Aſteria Latonæ ſoror à Ioue compreſſa in coturnicem, poſtea in Ortygiam inſulam conuerſa. 79.1
Aſtrologiæ iudiciariæ vanitas. 6.1
Atalanta aureis pomis ſuperata. 399.2
Atalanta, & Hyppomenes in Leones conuerſi, & cur. 454.2.
Athamas furijs agitatus, & filium occidens. 594.1
Athamantis vnda naues incendens. 566.1
Athis in pinum conuerſus, & cur. 147.1
Atlas, & de eo plura. 67.1.2
Atlas columna Cæli. 67.2
Atlas inter primos nauigantes. 58.2
Atlas cur maximus dictus. 231.2.
Atlas quis ex Ouid. 230.2
Atlas Cæli baſis. 354.1
Atlas à quo verſus in montem, & cur. 67.2. 231.1
Atlas hiſtoricè quis. 67.1. & ſeq. 231.1
Atlas cur exteros arceret e finibus ſuis. 231.1
Atlas mons, qua occiduus inacceſſus. 570.2
Atlantes tres. 502.1.2
Atrium quid ſit. 65.1
Atropos fila reſcindens. 42.1. 45.1. 157.1
Atrox quid ſit. 54.1
Attonitus quis dicatur. 355.2. 501.1
Attritus quid ſit. 18.1. 499.2
Atys vincula diſrumpens linguæ in periculo Patris. 506.1
Auari auiditas. 25.2. 26.1
Auctores ſationis qui dicantur. 31.1
Audacia præceps. 5.2
Audax quis. 10.1. 239.2. 498.1.2
Audere quid ſit. 368.2. 457.2
Audio pro obedio. 87.1
Audiendi ſenſus inanimis datus. 214.1
Auernus ſpiraculum Ditis peſtem efflans. 11.1. 418.2
Auerroes vnicam animam communem ponens malè ſentit. 49.1
Auerſi rogis faces ſubdunt funeratores. 596.2
Auerſus, & aduerſus in quo differant. 596.2
Aues quæ dicantur. 418.2
Augere quid ſit. 64.2
Augurium vnde dictum. 165.2. 326.1. 484.2
Auguſtum quid dicatur. 145.1
Auia vnde dicta. 453.1
Auiditas, & auidus. 324.2
Aula, & quid ipſa. 81.2
Aula Cereris quatenus Cælum. 97.2. & ſeq.
Aula Hetruriæ Ducis Magni Cælorum motus imitata. 216.1.2. ſecundo.
Auiæ Gentilium tenebris refertæ. 216.1. ſecundo.
Aulæa quid, & vbi primò in vſu. 408.1
Aulæa babylonica, ſeu veſtis quæ. 181.1
Aura quid. 52.1. 73.2. 257.1. 360.1
Aurum quid ſit, & vnde dictum. 130.2. 186.1
Aurum ſolare metallum. 21.1
Aurum fieri poſſe ex arte. 301.1
Auri piſcatores. 401.1
Aurea mala in Atlantis poteſtate ex Ouid. 230.2
Aurea mala Atalantæ veraciter mala. 399.2. 454.2
Aurea mala etiam in Cypro. 468.1
Aurea flumina paludes, & Pelagus. 401.1
Aurei ſæculi felicitas. 142.1
Aureum Vellus in Colchis. 468.1
Aureæ equorum quæ. 536.1
Auriga ab aureis dictus. 536.1
Aurigarum mos in incitandis equis. 405.2
Auris quid, & vnde dicta. 87.1
Aurora quid. 158.2. & ſeq.
Aurora filia Solis, pro die poſita. 265.2
Aurora triplex. 313.1.2
Auſpex qui, & eius munia. 425.2
Auſter quid, & cuius naturæ. 359.1.2. 405.1.2. & ſeq.
Auſus ab audeo quid ſit. 2.1
Autumnus quid ſit, & vnde dictus. 400.1
Axes feræ Baccho ſacræ in India. 223.2
Axis quid ſit. 85.1. 335.1. 534.2

B

Babylonica Aulæa, ſeu veſtis. 181.1
Babylonici operis inuentrix Semiramis, per Poetas verò Pallas. ibidem.
Bacchus cur ſemper hederis coronatus. 20.2
Bacchus Proſerpinæ filius contra mentem auctoris. 20.1
Bacchus, & ebrietas idem. 21.2
Bacchus ab *ιακχω* Iacchus dictus, & cur, Diadematis, ſacrificiorumq; inuentor generationis auctor. 20.1
Crudelis, & cur. lenis, & cur. 20.2
Pyratas perdidit. Pentheum dilaniatum voluit. 21.1
Bacchi de Licurgo vindicta. 21.1
Baccho axes ſacræ. 223.2

Bacchari quid ſit. 148.2. 547.1
Bacchantes in Pardales conuerſæ. 21.1
Baiazettus ferrea incluſus cauea. 402.1
Baltheum cingulum militare. 224.2
Baltheum Hyppolites Amazonum Reginæ. 224.2
Baltheum arctiſſimè cingebant, illudq; amittere dedecus. 224.2
Barathrum quid ſit. 36.1
Barba antiquitatis, & virilitatis ſymb. 407.2
Barbatus cur Eſculapius. 407.2
Barthij calumnia in Claudianum. 141.2
Battus in Lydium lapidem conuerſus. 126.2. & ſeq.
Beatorum ſedes in Luna. 258.2
Bellum, & prælium differunt. 56.1. 250.1
Bellum per antiphraſim dictum. 250.1. 566.2
Bellum iure indicendi leges. 52.1. 367.1
Bellum iure indicendum. 366.1.2
Bellum ciuile quid, & quam execrandum. 51.1
Bellum ex ventis triplex. 55.2
Bellorum exitus difficiles. 251.2
Bellatoris qualitates. 328.1
Bellatores delicijs effœminantur. 295.1
Bellatores crinem in tergum reijciebant, & cur. 256.1. 591.2.
Bellatorum criſtæ quæ. 250.2. & ſeq.
Belligerandi duplex modus. 98.2
Beneficia conferens docet reddere. 139.1
Berecynthia vndè dicta. 127.1
Bibula cur dicatur arena. 188.2
Biga quid ſit. 199.2
Biga, & quadriga cur ſic dictæ. 200.2
Bilis variæ ſpecies, eiuſdemq; effectus. 546.2
Bipennis quid ſit. 469.2
Biſtones qui. 210.1
Blandior pro foueo. 285.2
Blandus quis dicatur. 151.2. 541.2
Bonum natura ſua communicabile. 34.1
Bootes, & quid de eo. 352.2
Boreas quis, & qualis. 55.1. 528.1
Boreas Horythion rapuit. 55.1
Boreæ rabies. 56.2
Bos acerrimo præſtans auditu. 208.2
Bos hieroglyphicum diuinitatis. 93.1
Bouem Apim adorarunt Ægyptij Iouem ſuum appellantes. 432.1
Brachium à lacerto diſtinguitur. 256.1
Brachia nuda operantis ſunt. 256.1
Brachia Lilibea quid ſignificent. 106.2
Briareus centimanus in inferis degens, & Briarea turba quæ. 508.2. & ſeq.
Brimo Inferorum Regina. 18.2
Britomartes Dianæ in primis dilecta. 257.2
Bruma quid ſit. 191.2. 304.1. 517.1
Bruta eſtimatiuam habent, & memoratiuam per ſpecies ſenſibiles impreſſas. 208.2
Buſiris quis, & eius crudelitas. 228.2
Buſiris Ægypti vrbs à Buſiride condita. 229.2
Buſtum quid. 109.2
Buſtum Enceladi quod. 109.2
Buxus quid, & pro tybia ponitur. 151.1
Buxus, eiuſdemq; natura. 306.2
Byblis in fontem conuerſa. 439.2

C

CAbiri quinam fuerint. 148.1.2
Cacumen quid ſit. 114.1. 306.2
Cacus inter Gigantes non numerandus. 579.1
Cacus quis fuerit, cur, & quomodo ab Hercule occiſus, eiuſdemq; Virgiliana narratio. 228.2
Cadere quid ſignificet. 184.2
Cadmi dolor Semele. 584.1
Cadmi luctus Acthæon. 594.1
Cadmi, & Agenoris fabula. 594.1
Cadmi filia Agaue filium diſcerpit. 594.1
Cadmi armata ſeges. 335.2. 336.2
Caduceum vim fati oſtendit. 59.2
Caduceum quid ſit, & concordiæ ſymbolum. 59.2
Caduceum militare ſignum. 60.1
Cæcitas quæ deploranda magis. 88.1
Cæius inter Titanas enumerandus. 39.2
Cælare quid propriè, quid translatè. 287.2
Cælum ductor naualis itineris. 6.1
Cælum Inferorum. 27.2. 398.1
Cælum quartum Cereris aula. 97.2. & ſeq.
Cælum quid, & æther. 139.2
Cælum aqueum per Thetim expreſſum. 266.1.2. & ſeq.
Cælum ex aquis fabrefactum. 186.2. 610.2
Cælum amor alatus. 139.2. 297.2
Cælum quinta eſſentia, ſeu quintum elementum ex Ariſt., & Iouis ſedes. 182.1.2
Cælum incorruptibile per Ariſt., & quomodo per nos. 155.1. 401.2.
Cælum primo loco creatum. 182.2
Cælum à celando quodnam ſit. 139.2. 351.1
Cælum ex igne conſtitutum per Anaxag., & Cic. 182.2. 185.1.
Cælum conſtans ex floribus elementorum per Platonem. 155.1
Cælum aperiri dicitur, oriente die, cadente claudi. 435.1
Cælum ex materia igni reſiſtente. 516.1
Cælum Iouis quodnam ſit. 435.2
Cælum Argus nocturnus. 186.1
Cæli motus indefeſſus. 567.2
Cæli ſpeculum mare. 187.1
Cæli quomodo enarrent gloriam Dei. 108.2
Cæli armonici qui ſint, & non. 218.2
Cæli tremunt Deo loquente. 461.2
Cælorum eſſentia quæ. 155.1
Cælorum in eruptione Plutonis perturbatio. 351.1.2. & ſeq.
Cærulum cur dicatur mare. 239.2
Cæruleum quid ſit. 267.1
Cæſar crinitus naſcitur. 523.2. & ſeq.
Cæſares cur lauro redimiti. 217.2
Cæſaries quæ, & vnde dicta. 385.2
Cætus quid, & vnde dictus. 283.1
Cæus Gigas. 579.1.2
Calamitas ſumma quæ. 88.1
Calamitoſum nemo audet accedere. 542.1
Calathus quid ſit. 325.1
Calathus augurium nuptiarum. 326.1
Calcare quid ſit. 334.1. 592.1
Calybs quid, & vnde dictum. 173.1.2
Caligo pro fuligine. 472.2
Caligo, hoc eſt aer craſſior. 355.2
Caliſto. 6.2
Calliditas quid ex Cicer. 245.1
Callidus quis. 526.1
Caluini erronea de prędeterminatione ſententia. 44.1.2
Camarina quæ; & Camarinam mouere quid. 274.1.2
Caminus idem ac fornax. 482.2
Campus quid, & vnde dictus. 158.2. 283.2. 525.2. 591.1
Cancer porta hominum, & cur. 49.2
Candalus, & Atlas ſceleſtiſſimi. 307.1
Candere pro candeſcere, ſeu candorem induere. 184.2
Candidus in varia ſignificatione. 149.1
Candidum quid. 156.2. 249.1
Candor fidei, & ſinceritatis ſymbolum. 42.2
Canere vaticinantium, & decretantium. 157.2. 241.2
Canere, & canorus. 212.2. & ſeq. 418.1
Canis ſymbolum fidelitatis. 108.2
Canis Stygius qui, & vinctus ab Alcide. 223.1
Canes, ad Vulcani ædem ſub Ætna, caſtis blandientes, impuros lacerantes. 108.1
Canes Epiri qui. 217.1. ſecundo.
Canes Deos lares, & genia locorum ſymbolice exprimentes. 108.1
Canes odori, & curſores qui. 217.2. ſecundo. 329.2
Canes venatici veſtigia ſcrutantur, & ſymbolum fidelitatis.

taiis. 606.2
Cambus Sicilia vndequaque munita. 108.1
Canities quid, & ſymbola. 42.2
Canities arborum. 263.1
Canus, & iterum canities. 131.2. 504.1
Cantus quid ſit, & cur teneri Proſerpinæ cantus. 178.2. & ſeq.
Cantus Thracis Syrenes ſuperans. 207.2
Caper proditoris ſymbolum. 518.2
Capillus flauus, ſeu rubeus indicium crudelitatis. 277.1
Capilli mulieris in ſerpentes degenerant. 37.1. 253.2
Capilli per aliquos animati anima peculiari. 94.1. 253.2
Capra libidinis ſymbolum. 441.1
Capra Amalthea Iouis nutrix, ex eius pelle Ægis; ipſaq; in Sydus conuerſa. 460.1
Caprea pellis *αιγιs* græcè. 254.1
Capricornus porta cæleſtium, & cur. 49.2
Captiuitas morte deterior. 460.2. 476.2
Captiuæ mores. 361.2
Captiuus qui. 390.2
Captiuorum miſera conditio. 380.2
Captiuorum mos ſalutem implorantium. 479.2
Caput pileatum ſymbolum nobilitatis. 60.1
Caput capillis denudatum quid portendat. 495.2
Caput quid propriè, quid translatè. 106.1
Caput ſedes conſilij. 64.1
Caput in ſerpente præcipua veneni ſedes. 374.2
Caput dum languet, cætera dolent. 540.1
Caput fons neruorum. 268.2. 447.2
Caput prudentiæ, ac prouidentiæ ſedes. 485.1
Carbunculus gemma ignea cæteris præſtat. 472.1
Carcer quid. 39.2. 348.2
Carcer, & carceris lethæi deſcriptio. 470.2
Cardines Mundi quatuor. 189.1. 606.1
Cardona ſe ipſum perimit, cũ in legẽ peccauerit. 459.1
Cardo mobilis quinam ſit. 194.1.2
Carina quid ſit. 541.2. 588.1
Carmen quid, & ethym. 147.2. 215.1
Carpere quid ſit. 287.2
Carthaginis origo. 501.1
Caſpij Montes, & Caſpius Lacus. 478.2
Caſſis quid ſit. 250.3
Caſtor, & Pollux nautis propitij. 170.2
Caſtor, & Pollux vnde, & vbi nati. 384.2
Caſtoris, & Pollucis præclara exempla. 514.1
Caſtra quid ſonent. 38.1
Caſus pro infortunio. 539.2
Caſus pro fortuna. 607.1
Caſuale quid dicatur. 57.1
Catena quid propriè, & ſymbolicè. 470.2
Cateruæ quænam ſint. 501.2
Cauerna quid ſit. 341.1. 597.1
Cauerna Inferorum inferior, & ſuperior. 192.2
Cauneas, Cauneas, *caue ne eas*. 241.2
Cauſa, fons, origo, & principium. 332.2
Cauſa quomodo contineat effectum. 55.1
Cauſæ quot, & quæ. 552.1
Cauſarum genera quatuor. 434.2
Cautes quid ſint. 188.1
Cecrops terræ filius, biceps, Athenarum Rex, ex eo Cecropides Athenienſes, eius ſepulchrum in ara Athenis; eidem Gallos immolabant; & idem auctor matrimoniorum. 16.2
Cedant arma Togæ. 329.1
Cedere quid ſit. 362.2. 378.2. 603.1
Cedrus quid ſymbolicè. 583.2
Cedri nobilitas, & fæcunditas. ibidem.
Cedri ſymbola. 288.2
Celeritas ex varijs amplificata. 358.1.2
Celeus Eleuſinus Rex Cereris hoſpes. 17.1.2
Celmes Corybas, in Adamantem, ſeu ferrum mutatus. 150.1.2.
Cephiſſus fluuius Beotiæ Narciſſi pater. 322.2
Celſum pro *excellens*. 178.1
Centauri Ixione, & Nube nati. 230.1
Centauri vnde dicti, & cur ſemiequi. 230.1
Centaurorum ſynonima. 229.2
Centaurorum nomina aliqua, eorumq; cædes. 230.1
Centrum terræ ima terra. 16.1
Centrum in ſphæra quid ſit. 184.1
Centum, ſexcenta, & mille pro infinito numero vſurpata. 440.1. 509.1
Ceramicum quid apud Græcos. 263.2
Ceraſtæ quænam ſint. 418.1
Cerberus qui, & qualis. 65.1.2
Cerberus Hydra, & vento progenitus. 65.2
Cercopes qui, & vnde dicti. 507.2
Ceres prima frugum inuentrix. 50.2. 32.1
Ceres legifera. 31.1.2. 505.1
Ceres Heram peperit ex Neptuno. 90.2
Ceres à Neptuno compreſſa equum peperit. 31.1. 90.2
Ceres cur flaua. 100.2. & ſeq.
Ceres latuit, & à Pane viſa. 31.1
Ceres Plutum genuit. 90.2
& eius nomen Arion. 92.2
Ceres à Parcis exorata, & ignotum quando fruges dederit. 31.1.2
Ceres pacis Dea. 100.2
Ceres Iouis ſoror ab eodem compreſſa. 79.1
Ceres Corcyræ habitauit. & cur Ætnea dicta. 90.1
Ceres Ætnea, non Hennea rectè dicitur. 90.1.2
Ceres in Venerem effrænata Iouis Neptuni, ac Iaſionis pellex. 90.2
Ceres cur dicatur infæcunda. 91.1
Ceres prudens, & cæca futuri. 135.2. 136.1
Ceres *ſerrus*, hoc eſt preces audiens. 478.2
Ceres glorias : xagetans ſuas. 547.2
Ceres Nympharum vlciſcitur iniurias. 591.2
Cereris deſertæ templum. 590.2
Cereris ædes extra vrbes extruebantur. 520.1
Cereris ſacra quomodo peragerentur. 466.2
Cereris filius Philomelus. 92.2
Cereris mutatæ veſtes 466.2
Cereri natale ſolum Sicilia. 90.1. 102.1
Cereri Sicilia adiudicata. 90.2
Cereri ſpicea corona. 31.1
Cereri ſacra, & Nymphis communia. 591.2
Cernere quid ſit. 14.1
Certare. 98.1. 356.2
Cerua Dianæ ſacra cornibus aureis conſpicua, & æripes. 227.2. & ſeq.
Ceruus demiſſis auribus obſurdeſcit. 208.2
Ceruus lunare animal; Leo ſolare. 218.2
Cerui amantes ſymphoniæ. 118.2
Cerui, eorumq; natura. 218.1.2
Ceruix, quæ, & quid ſignificet, & ſymbolum ſuperbi, & audacis. 110.2. 559.2
Ceſtus Veneris. 259.2
Chaos ipſum eſt Regnum Plutonis. 159.2
Chaos quid fuerit. 30.1
Chaos ante Mundi conſtitutionem, vbi fuerit. 181.2
Charybdis quæ, & vbi, & hiſtoricè quæ ſit. 107.2
Chariſſimorum amiſſio acerba ſemper. 382.1
Charon vnde dictus. 423.1
Charon cur arundine redimitus. 423.2
Charon compedibus irretitus ad annum, & cur. 223.1
Charontis fabula vnde deducta. 419.2
Charontem quis eluſerit. 423.1
Chaſmata quæ. 350.2
Chelys quid, & Cytharæ inuentio. 209.2. & ſeq.
Choragium Veneris. 159.2
Choreis Delia, & Pallas delectantur. 554.2
Chorus quid ſit. 149.2
Chorus græcè *χορὸς* quid ſignificet. 329.1
Cibus idem, alteri alimentum, alteri venenum. 201.1
Cibus à victu quomodo diſtinguatur. 491.2
Ciere quid ſit. 83.1
Cicures feræ quænam ſint. 208.1
Cincinni indicium animi laſciuientis. 247.1. 256.1
Cinctus Dianæ duplex, & qui. 258.1.2

Cin-

Cingere quid ſit. 76.1
Cingere idem interdum, ac contegere. 177.1
Cingere pro circumſiſtere. 410.1
Cingulum Venatorium. 258.2
Cingulum nuptiale à ſolo viro ſoluebatur. 295.1
Cingula Parthorum quæ. 294.2. & ſeq.
Cingulis præcincta terra. 294.2. & ſeq.
Circij venti violentia. 120.1
Circumfluum actiuè, & paſſiuè. 259.2
Circuli ſphæræ cæleſtis. 189.1
Ciſſus in Hederam mutatur. 20.2
Ciuile bellum quid ſit. 51.2
Ciuitates ſubterraneæ. 567.2
Ciuis quantum Patriæ debeat. 212.2
Clades *calamitas* eſt non *cades*. 494.2. & ſeq.
Clades quando *cades* dicatur. 494.2 & ſeq.
Clamare in ſenſu miſerantis. 45.2
Clarère quid ſit. 167.2
Clarij lares, & claros quæ. 100.1
Claudianus in Ægypto natus Florentia oriundus. In vita Claud.
Claudianus Crucem grammaticis fixit. 186.1
Claudianus accuſatus, quod impropriè ſterilitatem dixerit, & defenſus. 35.1
Claudianus ab accuſatione Parrhaſij defenſus. 51.2
Claudianus à Barthij calumnia defenſus. 252.1. 458.1. 541.2.
Claudiani acumen in probationibus. 108.1
Clauſtrum quid ſit. 58.1. 173.2
Clauus quid ſit. 587.2
Clauus clauum pellit. 511.2
Clemens quis, & clementia pueri propria. 269.1
Clitemnestra Oreſtis mater, adultera à filio occiditur. 595.1.
Cliuus quid ſit. 302.1
Clypeus Palladis ex Gorgone conſtans. 253.2
Clypeus quid, & in quo differat à ſcuto. 262.1. 374.1
Clypeus vnde dictus. 262.1. 524.2. & ſeq.
Clypeus à cælaturis. 262.1.2. 374.2
Clypeus ſapientiæ, ac prudentiæ Hierogl. 262.2
Clypeus Palladis quam ingens, & cuius figuræ. 525.1
Clypeus virtus eſt. ibidem.
Clotho auctrix vitæ rerum omnium. 41.2
Clotho collum ſuſtinet. 45.1
Cocytus fluuius inferorum lacrymis exundans. 66.1
Cocytus virens hederis, vino exundans. 420.2
Cocyti fons è terra noſtra. 420.2
Coercere quid ſit. 343.2
Cogere violentiam importat, & quomodo à Ioue vſurpatum. 158.2
Cogitare quid ſignificet. 491.2
Cogitationum Hierogl. 42.2
Cognati qui dicantur. 105.2
Cognitio ſpeculatiua, & practica. 358.1
Cognitio diuina qualis ſit. 445.1
Cognitio omnis à ſpeciebus dependet. 473.1. 526.1.2
Cognitio menſura temporis. 490.1
Cognitio ſenſitiua, & intellectiua. 497.2
Cognoſco, & agnoſco quomodo differant. 113.1
Cohors quid ſit, & vnde dicta. 277.1. 311.1
Collectum quid dicatur. 263.1
Colligere quid ſignificet. 286.2. 405.2
Collis vnde dictus. 302.1
Collis in quo diſtinguatur à monte. 209.1
Collum obſtrictum iuris dicterium. 18.1
Collum amplecti præcipuum amoris pignus. 428.1
Colo pro inhabito, & culturam exerceo. 347.1
Coloni qui dicantur, & pro quo poſiti. 286.2. 349.1
Color idem cum luce, & per alios diſtinctus. 75.1
Color quid, & quotuplex. 185.2
Color vernus quid ſit. 290.2. & ſeq.
Color fuluus auri color. 400.2
Color interni indicium temperamentis. 476.2
Color viridis ſpei ſymb. 403.2
Color rutilus. 130.2
Color rubeus non ſemper feralis. 276.1
Colores primi albus, & niger; medij verò ex his. 185.2. 290.2.
Coluber ſilueſtris, & aquatilis. 492.1
Coluber à Ciconia vocatur. 492.2
Columba neſcia fellis. 216.1. ſecundo. 546.2
Columba nidum non deſerit, ſedente in Turri Veſpertilione. 487.2
Columba nigra ſymb. Viduæ. 466.2
Columnæ variæ, ſepulchrales, triumphales &c. 178.1.2
Coluri circuli cæleſtes. 189.1
Coma quid ſit. 45.2. 256.2. 591.1
Coma Dianæ, ſeù Lunæ quid indicet. 256.2
Coma ſymb. cogitationum. 42.2
Coma ſoluta ſymb. mæroris. 42.1
Comas diuellere. 495.1. 605.2
Comes quis. 167.1.2. 217.1. 242.2. 503.2
Cometes, & quid de illis. 167.2. & ſeq.
Cometes infauſti ſemper. 168.1.2
Cometes ex Dearum greſſu Proſerpinæ minabantur. 168.2. & ſeq.
Cometes ex Calphurnio placidi. 168.1
Cometes num homines in bella vrgeant, & quomodo. 170.2.
Cometes ſanguinei funeſtiores. 169.2
Comitari inferioris eſt. 133.1
Commercia facere quid ſit. 69.1
Committere quid ſit. 101.2. 403.1. 491.1.2
Commune quid ſit. 362.2. 601.2
Compages quid ſit. 85.1
Compellare pro alloqui. 282.1. 480.2
Compenſatio inter Planetas, & mare. 267.1
Compeſcere quid ſignificet. 66.1. 378.2
Complecti gremio quid ſit. 77.2
Complector quid ſignificet. 591.2
Concha vnica Diuis gemma ſymb. matris vnica prole ditatæ. 92.2
Concha Veneri ſacra. 248.1
Concha per exertam capitur linguam. 248.2
Concedendi modus per imperatiuum expreſſus. 158.1
Concedi quid dicatur. 439.1
Conceſſiones amaræ plures. 571.1.2. & ſeq.
Conuentus quid. 148.2
Concilium omnium Deorum in ſumma tantum trepidatione. 434.2
Conclamare eſt *magna voce vocare*. 433.2
Concretus pennas Heleniſmo. 55.2
Conditiones in diuiſionibus. 50.1. 74.1
Concutere quid ſit. 107.1. 289.1. 461.2
Confidere quid ſignificet. 102.1
Confinia quæ. 105.1
Configere quid ſit. 331.2. & ſeq.
Confuſum quid dicatur. 436.1
Coniugatorum ſymbola iugum, & manicæ ferreæ. 88.1
Coniuges quæ fuerint Plutone dignæ. 370.2
Coniuges duo in carne vna. 34.1. 370.2
Coniugium, & Connubium onerosum. 82.1. 87.2. & ſeq.
Coniugijs habendis quæ præcogitanda. 99.1
Coniurare quid ſit. 36.2
Coniuratio bellica. 37.1
Coniurationes epoto ſanguine firmatæ. 36.2
Coniux nulla in Inferis digna Deo. 33.1
Coniux e ſuperis difficilè obtinenda. 33.1. 87.2
Connubium, & Coniugium quid. 34.1. 87.2. 378.1
Connubia per diuiſum panem ſancita. 34.2
Conſanguineæ nuptiæ Ioui exprobratæ. 18.2
Conſanguinitatis gradus iuxta ius canonicum, & ciuile. 68.1.
Conſanguinei etiam fratres dicuntur. 78.2
Conſanguineorum cõſenſus in nuptijs requiſitus. 100.1
Conſanguineas tantum ducebant Parthi. 78.2
Conſcientia tortor ſceleris. 143.2. 367.2. 382.1. 384.1
Conſidere, & conſedere quum differant. 435.2. & ſeq.
Conſilium imprudentis, & inſani. 567.1
Conſilia quæ. 39.2

Conſiſtere quid ſignificet. 595.2
Conſortium quid. 427.2
Conſpirare quid ſit. 461.1
Conſtruere quid. 174.1
Conticeo quid ſignificet. 150.1
Contiguum, & continuum, in quo differant. 118.1
Contrarijs contraria curantur. 447.2
Conuallis quæ. 471.1
Conuertere in duplici ſignificatione. 51.1
Conuexum, & concauum quid ſint. 291.2
Conuiuium quid. 412.1
Conuiuia bipartita. 412.1
Conuiuia Venerem fouent. 523.1
Conus, & Conifer quid ſint. 147.1
Copia, & copiam facere. 48.1
Copernicum ſiſtema; & repudiatur. 127.1
Cor ſedes affectuum. 5.1.439.1.605.2
Cor à Mercurio prædominante regitur. 5.1.60.2
Cor Cæli ſymb. 139.2
Cor rerum radix agendarum. 5.1
Cor voluntatis fons. 5.1.168.1
Cor Tytij cur vulturi expoſitum. 5.1
Cor transfixum ſi ſomniet puer amorem portendit, ſi ſenex mortem expectet. 322.1
Cor per Ariſtotelem fons ſanguinis. 485.1
Cor ſedes conſiliorum. 567.1
Cordis Præſes Mercurius. 5.1
Cordis imago puerorum pendens è collo quid. 564.1
Corcyra *Drepanum* à falce dicta. 90.1
Corpora metheorologica, in qua aeris regione ſiant, 131.1.
Corybas Cybeles ex Iaſone filius. 150.1
Corybantes tres, & Cybeles Sacerdotes. 150.1
Corybantes quinquaginta, & cur Galli dicti. 150.1
Corybantes, Curete, Idactili, Idei, Teſchines, Cabiri, ijdem eſſe dicuntur. 150.1
Corybantes Cretenſes ſunt ijdem qui Iouem contexerunt. 150.1.2
Corybantes homines ne, an Dæmones fuerint. 150.2
Corybantes brachia ſauciantes. 150.2
Corybantium duplex ordo, eorumq; ritus in ſacris. 150.2
Cornipedes qui. 373.2
Cornus, & quid de ea. 304.2
Cornu venatorium. 166.1.2
Corona ſpicea Cereri ſacra. 31.1.484.2
Corona Patris dicuntur filij. 80.2
Corona vnde dicta. 372.2. & ſeq.
Corona matris filia ſapiens. 484.2
Corona, eiuſdemq; ſymb., & auguria. 326.1
Corona perficienti, non incipienti datur. 567.2
Corona ex capite decidens augurium triſte. 484.2
Corona Imperij ſymb. 485.1
Corona gloriæ ſymb. 80.2
Corona ſymb. æternitatis. 495.1
Corona ex quercu in ſacris Cereris. 539.2
Corona, & coronare quid ſit. 80.2.325.2
Corona in tripudijs. 80.2
Corona in conuiuijs cur. 412.1
Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. 448.2
Corpus organicum quod. 47.2
Corpora cæleſtia quietem habent in ipſo motu, & quomodo. 266.2
Corruptio vnius eſt generatio alterius. 26.1.47.1
Corrumpūt bonos mores colloquia praua. 248.2.517.2
Coſmus vices adimplens Solis. 216.2. ſecundo,
Crater, & cratera quid ſint. 417.2
Crateræ Ætneæ. 113.1
Creare pro producere. 48.1.80.1
Creatio quid ſit. 48.1.80.1
Creatio, in quo diſtinguatur ab eductione. 48.1
Credere quid ſignificet. 315.1.398.1
Crepuſculum matutinum. 138.2
Creſcere quid ſit. 302.1
Crimen pro delicto, & diſcordia. 593.2. & ſeq.
Crimina quot, & quæ capitalia, quæ non. 363.1
Crimniſus fluuius Ægeſtæ coniux, & canis idem, vel verſus amoris. 273.1
Crinis quid ſit. 171.1
Crinis aureus Proſerpinæ munus dicatum, & prius Plutoni. 421.2
Crinis Cæſariem, & vinculum ſignificat. 247.1
Crines vnde dicti. 495.2
Crines religare indicium depoſiti luctus. 410.2
Crines vellere in luctu ſolitum. 495.1.605.2
Crines ſpargere indicium doloris. 45.2.385.2.469.1
Crines ſoluti quid indicent. 42.1.591.2
Crinitus quis dicatur, & crinitus naſcitur Cæſar. 523.2. & ſeq.
Criſtæ in ſerpentibus. 18.1.374.2
Criſtæ Draconum Corona. 130.1
Criſtæ in Galeis bellatorum quæ. 252.2. & ſeq. 328.2
Criſtatus Sol. 468.2
Crura Gigantum anguinea. 335.1
Cubile pro cubiculo. 500.2
Culmen quid ſit. 14.2.482.2
Culmus olim columus. 32.2
Culpa recidens in Auctorem. 37.1.212.1
Culpa duplex in Proſerpina. 391.1
Culpæ obnoxius primus defenſiones orditur. 557.1
Culpam à ſe relegant omnes. 391.1.556.2
Cultor in triplici ſignificatione. 114.1
Cunabula, & cunæ quæ. 266.1
Cunabula Solis, & Lunæ cur præbeat Thetys. 266.1.2
Cunabula pro prima ætate hominis. 503.2
Cuniculi deſcriptiones. 337.1
Cupere quid ſit. 288.1.338.1
Cupido Chloridos, & Zephyri filius. 282.2
Cupienti etiam celeritas mora eſt. 69.1
Cupienti nil ſatis feſtinat. 490.1
Cupreſſus ex funere nata Cypariſſi. 305.2
Cupreſſus Plutoni dicata, & in Ditis tutela. 305.1
Cupreſſus Diti ſacra non repullulat exciſa pulchra fronde fructu carens. 588.1.2
Cupreſſus Faunis dilecta. 591.2
Cupreſſus Iudaicæ pulcherrimæ. 589.1
Cupreſſus ante Cereris deſertæ templum. 590.2
Cupreſſus dat faces, non dat tædas. 590.1
Cupreſſus loquacitatis ſymb. 590.2
Cupreſſu Dianæ luci ſtruebantur. 305.1
Cupreſſina ſylua *nemus* eſt *Apollinarum*. 589.1.2
Cupreſſina ſepulchra, quibus darentur. 590.1
Cupreſſina Ioui, ac Iunoni ſtatua. 590.2
Cupreſſinæ legum tabulæ. 590.2
Cura, quod *cor edat*, dicta. 81.2.156.2.396.2
Curetes qui fuerint. 150.1
Curioſæ ex natura ſua fœminæ. 517.1
Currus cur Plutoni datus. 10.2
Currus Cereris Triptolemo datus. 17.2
Currus Plutonis cur altus. 408.1
Curuitas ſerpentis propria. 18.1
Curuare quid ſit. 94.1.400.1
& curuari. 301.2.
Cuſpis quid ſit. 249.2
Cuſtodia filiorum matribus indita à natura. 482.1
Cuſtodis ſymb. Anſer, & oculus. 494.1
Cyane fons Proſerpinæ ſacer. 539.2
Cyane, quæ, & quomodo in fontē mutata. 275.2.540.1
Cyane fidiſſima comes. 539.2
Cyanes languentis deſcriptio. 539.1
Cyanes liqueſcentis deſcriptio ex Ouid. 540.2
Cybeles cur ſic dicta. 149.1
Cybeles, & quid de ipſa. 127.1. & ſeq.
Cybele non eſt vna ex Penatibus, licet magna Dea. 126.2
Cybelles non ab eodem deriuatur, ac Cybele. 152.1
Cybeles Sacerdotes *Kubiſtan* à rotando. 127.2
Cybeles Deorum matris effigies Cælitus delapſa. 145.1
Cybeles quinam fuerint Leones. 454.2
Cybeles templum totum ex ſilice compoſitum, & cur. 146.2.
Cybeles templum, in qua Idæ parte. 492.2

Cybeles ſacrorum ritus, à quo in Phrygiam delati. 148.1
Cybeles ſtatua turribus redimita. 127.2
Cyclades errantes Inſulæ. 259.1
Cyclops Polyphemum non genuit, & Cyclops Neptuni filius. 581.2
Cyclopes quot fuerint, & quorum filij. 172.2
Cyclopes crudeles, ac Deorum contemptores. 172.2. 581. 2. & ſeq.
Cyclopes ædificatores, & multa ab ijs conſtructa. 172.2
Cyclopes operatores Vulcani. 72. 2. 172.2
Cyclopes primi ferream fabricam inuenerunt. 173.1
Cyclopum prædictorum nomina. 72.2
Cyclopum receptatio Sicilia. 112.1.2
Cyclopum in fulminibus conficiendis ſudor ex Virg. 72. 1. 108. 2.
Cyclopum nomina ex Græco expoſita. 72.2
Cycnus magnanimi ſymb., & ſymb. Hyppocritę. 216.1. ſec.
Cylindri Hieroglyphica. 263.2
Cyllene Nympha Mercurij nutrix. 59.1
Cyllenius Mercurius, & cur ales. 59.1
Cynoſura duplex. 6.1
Cynthus mons Deli. 384.2
Cypariſſa Boreæ Celtarum Regis filia. 305.2
Cypariſſus qui fuerit. 589.1.2
Cyri Domus. 223. 2. 285.2
Cytheræ artes quæ. 217.1 ſecundo.
Cythara quid, & pro quo ſumatur. 156. 1. 208 2. & ſeq.
Cytharedorum praxis. 213.1
Cythêra quæ, & vbi, ac vnde dicta. 156.1
Cytherea vnde dicta. 156.1
Cytheronis montis nomen, à Cytherone puero Thiſiphones indignatione perempto. 37.1

D.

DÆmones Incubi, & ſucubi. 162. 1. 334.2
Dama quæ, & Tigridem metuens. 118 1
Damnare aliquem indicta cauſa non licet. 388 1
Damnatorum pœnæ in Encellado. 110.1
Damnum quid. 93.1
Damni cauſam qui dat, damnum feciſſe videtur. 609.2
Daphne cuius filia. 100. 1. 217.1
Daphnes priuilegia. 217.1
Daphni fanum dicatum. 306.2
Daphnitica oracula certa habebantur. 467.2
Daphnon ſylua ex lauru apud Orontem. 589.1
Dapes in ſacris Deorum. 523.1
Dare pro obedire. 396. 2. & ſeq.
Deæ ex inceſſu agnoſcuntur. 261.2
Dearum lacte immortalitas confertur. 485.1
Dearum ſedes à ventis, tempeſtatibuſq; immunis. 147.2
Debilis quis dicatur. 335.1
Decipere quid ſit. 322.1
Decreſcere in duplici ſignificatione. 133.2
Decretum Iouis de tradenda Proſerpina ex præuiſis meritis. 154.1
Decretum Iouis, & decretorum ordo. 454.2
Decus quid. 106. 1. 363. 2. 220. 1. 603.1
Decus eburneum in duplici ſignificatione. 196.1
Dedicatio operis laus eſt eius cui dicatur. 234.1
Dediſco pro depono. 5.1
Defendere pro liberare. 381. 2. 479.1
Defendo pro iniurias arceo. 117.1
Deformis quid ſignificet. 369.2
Deformitas corporis deprauatæ mentis indicium. 440.2
Deicere pro obtruncare. 226.1
Delabi, & dilabi quid ſit. 269.1
Delectus duplex. 583.1
Delphica Delubra, & Oracula. 384. 2. & ſeq.
Delphinus in Cælum cur translatus. 77.1
Delia quæ, & vnde dicta. 362.1
Delirij definitio. 544.1
Delius à Delo Lycaoniæ monte. 322.2
Delos vnde dicta. 79.1
Delos inſula, cur Ortygia dicta, & eadē errabunda. 79.1
Delos Inter Cyclades. 100.1
Delos Inſula, quæ, & cur in Triuiæ veſtibus. 258.2
Delubra quid. 14. 1. 148.2
Deludere quid ſit. 73.1
Dementia, delirium, & phrænesis quomodo fiant. 544.1
Dementiæ definitio 544.1
Denſum quid dicatur. 147.1
Depellere quid ſit. 387.2
Depoſitum quid. 483
Deſcriptio fermentis poſt tempeſtatem maris. 15.2
Deſcriptio horroris in delitias conuerſi. 152.2
Deſerere quid ſignificet. 194. 2. 371.2
Deſertæ Cereris templum. 590.2
Deſertus locus qui ſit. 81. 2. 555.1
Deſideria dilata creſcunt, creſcentia torquent. 382.2
Deſolatum quid dicatur. 497.1
Deſperantis affectus. 571.2
Deſperantium furor ſemper metuendus. 83.2
Deſpicere quid ſit. 100. 2. 106. 1. 216. 2. ſecundo. 365.2
Deſpuere, & ignem deſpuere. 269.1
Detegere quid ſonet. 158. 2. 415.1
Detrectare quid ſignificet. 110.2
Detrudi quid. 389 2
Deuium quid. 337.2
Deus humilia reſpicit. 12.2
Deus non prædeterminat voluntatem cogens. 43.2
Deus fidelis. 165.2
Deus quid iuxta Antiquorum ſententias. 182.1
Deus ante Mundi conſtitutionem in Chao, & quomodo. 182.1
Deus è Cælo omnia reſpicit. 154.2
Deus in ſe inculpabilis, quomodo interdum nobis culpabilis videatur. 156.1
Deus vult omnes homines ſaluos fieri. 156.2
Deus quod quis firmauerit alter non infringit. 321.2. 378. 1.455. 2.
Deus oculi, virgæ, & aliorū ſymbolis expreſſus. 432.1.2
Deus deitate Deus. 378. 1.433.1
Deus ex Epycuro hæc infima non curat, iuxta fidem, & veritatem omnia curat. 444.1.2
Deus à calumnia Epycuri abſoluitur præmiſſis vtriuſq; ſententiæ motiuis. 444. 1.2
Deus ſilentio colendus. 441.1
Deus, & Deitas quid ſit. 447.1
Deus liber omninò in operibus ad extra. 452.2
Deus operans vt auctor naturæ quomodo liber. 452.2
Deus Cæli oculus. 154.2
Dei conſortio, Deiformes efficimur. 12.2
Dei timor omnibus ineſſe debet. 14.1
Dei iudicia abyſſus multa. 155.1
Dei ſedes ante Mundi cōſtitutionem quænā eſſet. 181.2
Dei eſt inſomnem eſſe. 432.2
Dei prouidentia ſub Iouis fabula. 444. 2. & ſeq.
Dei numquam ſine ratione voluntas. 450.1
Dei eſſentia bonitas. 447.1
Deo volenti nemo reſiſtit. 381.2
Deo omnia præſentia. 154.2
Deo loquente Cæli contremiſcunt. 461.2
Dij boni, & mali. 38.1
Dij è Cælo detrudebantur in pœnam. 88.1
Dij elementorum vires. 127.1
Dij antiquorum prius homines, quam Dij. 127.2. 457.2
Dij in corpore aſſumpto Venerem exercebant. 161. 2. 162. 1.
Dij, Deæque omnes corporeæ in ſenſu Poetarum 163.1
Dij inferni emergentes Cælum terricans. 451.1
Dij animalia immortalia. 391.2
Dij antiquorum paſſionibus agitati. 378.2
Dij ſelecti qui. 436.2
Dij antiquorum quid ſymbolicè. 458.1
Dij laneos habent pedes. 459.2
Deorum terror ex gigantibus fuga &c. 109.1
Deorum apud Antiquos diuiſio. 423.1
Deorum aquatilium ſedes vbi. 431. 2. & ſeq
Deorum cæleſtium dignitas. 436.2

Deo-

Deorum ſera vindicta. 459.2
Deorum de Gigantibus ſumpta vindicta. 109. 1.2
Deorum crudelitas Antiquorum. 550 2
Deorum infinitus penè numerus. 126. 2. 469.1
Dijs primitiæ debentur. 287.2
Deos inuidiæ liuoribus tangi nefas. 447.1
Deos omni ſcelere inquinatos, cur ſibi adſciſcerent antiqui. 79.1
Diadematum variæ ſpecies apud Ægyptios. 438.1
Diana ante nuptias placanda. 19.2
Diana amor virginitatis. 165.1
ideo Veneri infenſa. 166.1.2
Diana Venatrix. 166.1.2. 257 1
Diana cur Regina dicatur. 249.1
Diana nuda, quia nulla illi apta veſtis. 255.2
Diana muliebrem comarum negligens vanitatem. 256.2
Diana oculorum præſes. 550.1
Dianæ oſcula ex Endimione caſtè libata. 255.2
Dianæ imagines nudis brachijs. 255.2. & ſeq.
Dianæ ſtrangulatæ ſtatua. 257.2
Dianæ antypatia in Venerem. 329.1.2
Dianæ, quæ, & triclaria humanæ victimæ. 550.2
Dicere apud Oratores quid ſit. 461.2
Dicte Nympha, à qua Mons Dicte, & Dictea Creta. 222.2.
Dido amore ſaucia Ceruæ aſſimilatur vulneratæ ex Virg. 162.2
Didonis relata viſio. 470.1
Dies pro Cælo, & luce. 71.1. 398 1
Dies quid, & effectus pro cauſa. 115.1
Dies pro Sole. 199.1. 238 2
Dies nondum pura quæ. 238.2
Differtur quid, quod non aufertur. 414.1
Diſſuadere quid ſit. 385.2
Dignor quid ſignificet. 283.2
Digredi quid ſignificet. 489.2
Diluuium Pyrræ, & Deucalionis tempore. 346.2
Dindyma quænam ſint. 392.2
Diomedes Thraciæ Tyrannus. 211.2
Diomedes punitus, & quomodo. 212.1
Dione Veneris mater. 607.1
Dionea cur Venus dicta. 240.1
Diræ Deirra. 64.1. 369.1
Diræ vnde dicantur furiæ. 64.1. 369.1
Diræ quomodo Deæ, & plures ſunt quam furiæ. 369.2
Dirum quid. 212.1. 369.1
Dirus in duplici ſignificatione. 476.1.2
Dis adiectiuum. 296.2
Diſcedere pro dehiſcere. 350.2
Diſcedere, hoc eſt vnum ab alio ſecedere. 183.2
Diſcedere eſt improbare ſententiam. 566.1
Diſcere quid ſit. 358.1
Diſcernere quid ſit. 183.1
Diſcolor quid ſignificet. 354.2
Diſcordia concors. 35.2
Diſcordiarum ſedes Infernus. 30.1
Diſcrimen quid ſit. 105.1. 155.2
Diſcurro quid ſignificet. 120.1. 359.1. 455.2
Diſcus luſorius quid eſſet. 321.1
Diſcutere vnde deductum. 492.1
Diſpergere quid ſonet. 287.2
Diſſilio quid ſignificet. 348.1.2
Diſſimile quid dicatur. 407.1
Diſſoluere nodos enſe quid ſit. 50.2
Diſtinctio inter practicam, & ſpeculatiuam. 205.2
Ditis imperio omnia ſubeſſe credebantur. 46.2
Diues quis dicatur. 142.1. & ſeq.
Diuitum in pauperes crudelitas. 449.2
Diù pro die. 463.1
Diuidere quid ſonet. 247.1
Diuiſio imperij inter Iouem, Neptunum, & Plutonem. 50.2.
Diuus, & Deus in quo diſtinguantur. 457.1.2
Diuina quæ ſint. 287.2
Diuinitatis Hierogl. Bos. 93.1
Diuinitatis effectus. 498.1
Diuinitatem proculcari horrendum. 498.1.2
Diuinum in duplici ſignificatione. 498.1
Diuinatio quid, & diuinatio naturalis. 135.2. 136.1. 463.1.
Diuortia quomodo fierent. 426.1
Diuortia Hebræis permiſſa in lege Euágelica ſunt. 426.2
Docere quid ſit. 328.1
Dodona ex qua Dodonia quercus. 32.1
Dodoneæ quercus oracula reddentes. 32.1
Dodoneis glandibus veſcebantur homines, & nullis tunc legibus tenebantur. 31.2. 32.1
Dodoneum nemus, & templum. 32.1
Dolor pro quacumque animi paſſione. 64.1. 261.1
Dolor quid ſit. 64.1. 261.1. 394.2. 410.2
Dolor excedens morti æquiparatur. 571.2
Doloris vehementis effectus. 380.1
Dolus quid. 159.2
Doli præcipuæ præliorum vires. 518.1
Dominium raptæ rei penes ſpoliatum eſt. 71.2. 553.1
Dominorum infælix conditio. 540.2
Domitor quis dicatur. 367.1
Domus Cereris Proſerpinæ augurium fatale Thori, & cur. 172.2
Domus Cereris cur ebore intrinſecus contecta. 177.1
Domus hæc licet ænea mulcetur cantu. 178.2
Domus quid, & Iouis domus quæ. 371.1
Domorum Ianitores in vinculis apud Romanos. 494.1
Donare quid ſit. 99.1.2
Donum à præmio diſtinguitur, & cur. 48.1
Dorſum quid. 335.2
Dotem raptis raptor inſtituere tenetur. 29.2
Dotem vxoribus tradebant antiqui. 29.2
Draco Heſperidum quid fuerit. 128.1
Draco mentis, ſeu animæ Mundi ſymb. 129.2
Dracones Cereris qui, & cur illi adſcripti. 127.2
Dracones inferioris, & ſuperioris Mundi ſymbolum. 28.1. 130.2.
Dracones Cereris emiſſarij, & cur. 131.1
Draconum corona criſtæ. 130.1
Draconarij qui, & vnde dicti. 37.1
Dryades, & quæ de ipſis. 469.1.2
Dubius quis dicatur. 111.1
Dubius cauſatiue. 473.1
Ducere ebur quid ſit. 213.2
Ducere quid importet. 236.1. 276.1. 309.1
Ducere in templum. 246.2. & ſeq.
Ducere figuras in verum. 264.1
Ducere pro in longum protrahere. 426.2
Ducere verbum nuptiale. 425.1
Ducta idem, ac Nupta. 29.2
Dux quis. 33.1
Dux anima exercitus. 580.1
Duces diei, ac noctis Sol, & Luna. 265.2. & ſeq.
Dulcedo obiectum guſtus. 477.2
Dumus, & Dumeta quid. 450.2
Durabile non eſt quod caret alterna requie. 517.2
Durus, id eſt incapax affectuum. 209.1
Durus in duplici ſignificatione. 519.2
Durum quid dicatur. 340.1

E

EBrietas, & ebrietatis effectus. 21.2
Ebur quid; & augurium fatalis Proſerpinæ thori. 176.2. & ſeq.
Ecce aduerb. improuiſa notans. 19.2. 331.2
Echeneidis vis. 549.2
Echidna Serpens quid. 65.2
Echidna, & Excetra Hydræ nomina. 226.2
Echion Gigas Damaſto is frater. 580.1
Eccho Nympha in montibus degens. 354.1
Eccho Nympha vocalis, & quomodo fiat Eccho. 341. 1. 2. 354. 1.
Ecliptica. 75.2

Effectus

Effectus in cauſa latens educitur, cum producitur. 429.2
Effectu implicante implicat cauſa, & quomodo. 57.2
Efficere eſt *faciendo aſſequi*. 607.2
Effodere quid ſit. 366.1
Egére quid. 34.1
Egeſta quo pacto Crimniſi vxor. 273.1
Egeſtas horrida, ſed benefica, eiuſdemq; deſcrip. 447.1
Egeſtas Dea ſapientiæ inuentrix, artium magiſtra; pura priuatio. 447.1.2
Egeſtatis à paupertate diſtinctio. 447.1
Elabi quid ſit, & quid importet. 311.1
Electra Pleiadum vna. 58.2. 502.1
Electra gemma ter electa. 502.2
Electræ plures. 503.1.2
Electrum bitumen, & metallum. 177.2
Electrum ipſum Proſerpinæ nuptias portendebat tartareas. 178.1
Elementum vnde dictum. 181.2
Elementum aquæ omnium præſtantiſſimum. 186.2
Elementa quid; & confuſa olim in Chao à Ioue poſtea diſtincta. 39.1. 181.2
Elementorum omnium principia quomodo remaneant in mixto. 183.2
Elementorum diſpoſitio in ordine. 183. vſq; ad 185.1
Eleuſis quæ. 17.1
Eliſa ſe in ſyluis occultans. 433.2
Eludere quid ſit. 336.1
Elyſij campi à ſede Plutonis diſtincti, licet in Inferis. 75.1
Elyſiorum deſcriptio. 398.2. & ſeq.
Empedoclis in Ætna temeritas. 113.2
Encelladus ſub Ætna typus damnatorũ. 110.1.2. 111.1
Encelladus cur dictus Gigantum Rex. 580.2
Enna, & Aetna in Sicilia. 90.2
Epirus hodie Albania. 217.1. ſecundo.
Epithalamium ante thalamos cani ſolitum. 418.1. 426.2
Epithalamij partes quæ. 427.1
Epulæ quid ſint. 411.2
Epulæ in ſepulchris apponi ſolitæ. 393.1. 411.1
Equæ Olyſiponenſes vento concipiunt. 545.2
Equarum amores ex Virg. 162.2
Equus profanus in ſacris repudiatus. 12.2
Equus moderationis ſymbolum. 524.1
Equi conſternati naturales effectus. 356.1
Equi optimi qualitates. 129.1.2
Equum peperit Ceres ex Neptuno. 31.1. 90.2
Equi cur Plutoni tribuantur, & quales. 10.2
Equi fel habent veneficum, ideo Plutoni dicati. 120.2
Equorum nomina Phœbi. 599.2
Equorum Plutonis nomina. 201.2. & ſeq.
Equeſtris in Pallade virtus, barbaries in Plutone. 373.2
Equeſtris moris eſt fœminis locum cedere. 427.1.2
Erebus, & Erebi, ac Noctis filij. 33.1
Eridanus duplex, & Eridanus fluuiorum Rex. 345.2
Eridanus cæleſtis, & Elyſiorum. 10.1
Erymanthus mons, vrbs, fluuius. 224.1
Eriſicthones fame periens, & cur. 591.2
Erynnes vnde dictæ. 162.1
Errare pro vagari. 30. 2. 201. 1. 256. 2. 453.1
Errare, & vagari in quo differant. 422.1
Errantium, non errantium Brixiæ Impreſa. 30.2
Error Protagoniſtæ cõdonabilis eſſe debet. 193.1. 339.2
Error voluntarius, & inuoluntarius. 321.1
Erroris materialis, & formalis differentia. 558.2
Errores conſanguineorum in Principes redundant. 571.1
Erubeſcere quid ſit. 54.1
Erumpere quid. 337.1
Eſculapius cur barbatus. 407.2
Eſſentialia, ſalua eſſentia, non mutantur. 419.1
Etheoclis, & Polinicis crimina. 514.1. 594.2
Ennea, an Ætnéa ſit Ceres dicenda. 90. 1.2
Eualeo quid ſignificet. 473.1
Euentus pro rerum exitu. 263.2
Eumenides quæ, & vnde dictæ. 367.2
Eurydices Ariſthei fugiens à ſerpente icta interijt. 205.1
Euripus Æubeam inter, & Phocidem terribilis. 122.1.2
Europa à Ioue in Taurum conuerſo rapta. 389.2. & ſeq. 594. 1.
Exhalatio quæ, & quotuplex. 72.1
Examina Apum quæ. 315.1
Exardet iratus. 33. 1.2
Excellens ſenſibile lædit ſenſum. 355.2
Excidium quid ſit. 506.1
Exclamationes affectum excitant. 603.1
Excubiæ quæ, & vnde dictæ. 494.1
Excutere quid ſit. 215. 2. 235.1
Excutio pro expello. 480.1
Exempla cogunt. 314. 2. 528.2
Exercitus qui, & vnde dictus. 316.1
Exhalatio terrea, & aquea, ſicca, & humida. 119.2
Exhalatio fumida, & humida. 119.2
Exhalatio quid, & quotuplex. ibidem.
Exilire quid ſit. 152.1
Exitium quid, & vnde dictum. 392. 2. & ſeq. 609.2
Exitus ex Inferno non datur. 40.1
Exordium quid ſit. 427.1
Exordia quæ. 287.1
Exordia ex abrupto inuectiuis aptiſſima. 367.1
Exordia ex abrupto in Patheticis. 380.1
Exordiorum munia. 22. 1.2
Exornare quid ſignificet. 451.1
Explorare quid ſignificet. 447. 2. 583.2
Exploratorum ars, vt lateant. 517.2
Exploraturus accedere creditur, qui cœtibus adhæret non vocatus. 554.2
Exquirere quid ſit. 483.2
Extare quid ſignificet. 92.2
Extollere quid ſonet. 17. 1. 408.2
Extrema gaudij luctus occupat. 179. 1. 522.1
Exubero quid ſignificet. 116.1
Exul, & relegatus vnde differant. 389.2
Exultare peltis quid ſit. 276. 1.2
Exuuiæ quænam ſint. 576.2

F.

Fabula poeſis anima. 32. 1.2
Fabularum inuentores dogmata ſectantur veritatis. 217. 2.
Faces accendendi mos apud Siculos. 17.2
Faces amoris radij viſuales. 28.1
Faces quid ſint, & cur furijs datæ. 37.2
Faces in bello adhibitæ. ibidem.
Faces furiarum immutatæ. 418.2
Fax quid ſit. 195. 2. 368.1
Facies quid ſit. 470. 1. 577.2
Facies theatrum affectuum. 195.1
Fagus arbor quæ, & vnde dicta. 316.2
Falſum deponere, & veritatem reticere differunt. 557.1
Fama quid, & vnde dicta. 483.1
Famæ deſcriptio ex Virg. 483.1
Fames *rabida*, & *rabies* eſt. 364.2
Fames naturalis, & prodigioſa. ibidem.
Fames deſcripta ex Ouid. 365.1
Fames Erebi, & Noctis filia. 364.2
Fames dicitur omne deſiderium vehemens. 547.1
Fari quid ſit. 86.2
Fari prout diſtinguitur à loqui. 86. 2. 314.2
Fas diuinum, ius humanum. 69. 1. 511.1
Faſces Rom. ſumebat, qui plures haberet liberos. 80.2
Fatale quid dicatur. 192.2
Fateri quid ſit. 156.1
Fatum dupliciter ſumi poteſt. 461.1
Fatum in ſenſu Platonis. 561.1
Fatum cauſa prędeterminans.
Series effectuum à cauſa prędeterminante.
Prædeterminans, & cogens per ſtoicos.
In ſyderibus ſitum per Caldeos.
In Parcis neceſſitate progenitis.
In quo ſenſu ſit prima cauſa.
In Chriſtiano ſenſu quid. 43.2. & ſeq.

Fatum in ſenſu Abailardi, ſubindè Boetij. 461.1
Fati vis Proſerpinæ voluntati impertita. 403.1
Fato, & Dij ſubſunt. 41.2
Fato Deum cogi iure negat Auguſtinus. 43.2
Fauces quid proprie, quid tranſlate. 508.2
Fauere quid ſit. 284.1
Fauilla quid ſit, & pro igne poſita. 117.1
Fauilla pro ardenti ſcintilla. 598.1
Fauni qui, & Dæmones exiſtimati; Ruſticorum Dij: in Cælum non admittebantur. 440.1.2.& ſeq.
Fauni Semidei. 457.2
Fauni Syluarum præſides. 591.2
Faunorum origo, & deſcripta effigies. 440.2
Faunorum procacitas. 441.1
Fauus quid ſit, & vnde dictus. 306.1.466.2.587.1
Ferale quid dicatur. 36.1.393.1.486.2
Feræ quænam ſint. 208.1.250.1
Feræ in propriuum non irruunt genus. 550.2
Ferio quid ſignificet. 340.2.373.1.611.1
Fero pro tolero. 340.2.512.1
Fero pro exhibeo. 478.1
Ferox quis dicatur. 29.2.393.2
Ferratum quid, & pro ferro poſitum. 173.1.328.1
Ferrugo dicitur purpura plumbei coloris. 294.1
Ferrugo propriè quis color dicatur. ibidem.
Ferrugo inſigne inferorum. 294.1.2
Ferrugineus amictus quid portenderet. 394.1
Ferrum, & ferreum cor facile molleſcit. 163.1.2
Ferrũ ex humido,& terreo conſtat,ideò liquabile. 176.1
Ferrum natare doces. Prou. 173.1
Feruens quid ſit. 116.1
Feruor quid. 189.2.324.2
Feſſus quis dicatur. 99.1
Feſtum tempus quodnam eſſet apud Antiquos. 312.2
Fibræ quæ; & fibras creſcere quid. 415.2
Fibula Veneris aurea ne, an ferrea. 248.1
Fides ex auditu. 527.1
Fides in aduerſis perficitur. 511.1
Fides Cytharæ ex animaliũ inteſtinis,vel Calybe. 212.2
Fiducia ex inconſideratione. 483.1
Fidus quis, & quomodo. 125.1.240.1
Figura idem ac imago propriè hominis facies. 264.1. 310.1.
Figuræ ſphæricæ repugnat immobilitas. 482.2
Filiæ venuſtæ ſuperbia matrum. 603.2
Filiarum deformatio, matris transfixio. 607.2
Filiarum gloria, matris lætitia. 602.2
Filius non obediens filij nomine indignus. 530.1
Filium vnicum habens nullum habet. 565.1
Filij cur pignora dicantur. 81.2
Filij gaudium, & corona patris, ſed non ita videntur filiæ. 80.2
Filij Iouis plurimi enumerantur. 80.2
Filij parentum oculi. 477.1
Filij genitorum voluptas. 141.1
Filios plures habens prior faſces ſumebat. 80.2
Filijs nefas, quæ per matrem, promiſerint violare. 82.2
Filum quid ſit. 187.2.264.1
Finis pro interitu. 47.1
Finis extremitas cuiuſcunque rei, & fines ſphæræ Poli. 191.1.
Finis primus in intentione vltimus in executione. 454.1
Finem intendenti media ſunt eligenda. ibidem.
Fines qui dicantur. 158.1
Findere quid ſignificet. 334.2
Fingere quid propriè, quid tranſlatè. 269.1
Fingere inuidorum eſt. 518.2
Fiſtulæ arundineæ ſonus furentem placare credebatur. 262.2.
Firmamentum in motu, ſed tardiſſimo, conſtitutũ. 49.2
Firmare pro fundare. 173.1.378.1
Flagrans quid, & vndè dictum. 110.1
Flamen maſc., & flamen neut. quid dicant. 36.1
Flamen quid ſit. 174.2.287.2
Flaminis pileus cum apice. 113.1
Flamma pronuba quæ. 95.2
Flamma quid ſit. 117.2.185.1.239.2
Flammæ cur nuptiarum teſtes. 378.1
Flammeum velum quid, & cur ſic dictum. 410.2
Flatus à flando dicitur ventus. 2.2
Flatus quid ſit. 122.1.283.1
Flaua cur dicatur Ceres. 100.2.& ſeq.
Flauentes agri quinam dicantur. 313.2.314.1.2
Flaueſcere quid, & cur denuo flaua Ceres. 132.1
Flectere quid ſit. 28.2.388.1
Flecti quid. 54.1.2
Flere. 209.2.384.2
Flere fortis animi non eſt. 380.1
Flere non poſſe, vtique deflendum eſt. 495.2
Fletus in funeribus Magnatorum. 242.1
Fletus decorus. 393.2
Fletus ſpontanei malum ominantur. 135.2.485.2
Fletus in duplici conſideratione. 136.1
Fletus inſtitutus à natura in leuamen doloris. 495.2
Flora quæ fuerit. 391.1
Florere quid ſit. 142.2.516.1.2 603.2
Flores qui virtutibus affluit. 516.1.2
Flos quid, & vnde dictus. 301.1
Flores effimeræ camporum. 482.2.566.1
Flores herbæ ſpecies. 291.2
Flores inſcripti nomina Regum. 293.2
Flores præſagia feracis animi. 142.2
Flores ſtellas æmulantur, non aſſequuntur. 516.2
Floribus exornari meretricium eſt. 391.1
Floreum, & floridum in quo differant. 311.2
Fluctus quid ſint, & vnde dicti. 187.2
Fluere quid. 185.1
Flumen igneum ex liquato ferro efformatum. 176.1
Flumen, & Torrens in quo differant. 207.2
Flumina, & fontes licet e mari prodeant, cur ſalſedinem non habeant. 122.2
Flumina ex Mari exeunt, in Mare redeunt. 348.2
Flumina omnia ſub Tauri ſpecie. 222.2
Flumina fęcundant terram. 589.2
Fluminum veſtes, & ſceptra arundinea. 323.1
Fluuius vnde dictus. 348.2
Fluuius igneus in Lelanto. 122.2
Fluuij auro celebres. 401.1
Fluuij ſenes, ac iuuenes qui. 439.2
Fœcunda quæ fœmina dicatur. 92.2
Fœcundare. 131.2
Fœcunditas glorioſa. 92.2
Fœcundum formaliter, & cauſatiuè. 290.1
Fœcundum in actu, & potentia. 290.1.467.1
Fœdare quid ſonet. 115.1.191.2
Fœdus pro fide coniugali. 426.1
Fœdera quid ſint, vnde dicta, & quomodo ſancita. 51.1
Fœdera in quo differant à legibus. 51.2
Fœdera ſancientes aras tenebant. 425.2
Fœdum quid dicatur. 63.2
Fœlix quis. 263.2.399.2.441.2
Fœlix formaliter, & cauſatiuè. 80.1
Fœlicem quæ decent, miſerum dedecent. 559.1.2
Fœlicitas infęlix. 517.1.602.1.& ſeq.
Fœmina actiuè concurrens ad generationem. 92.1.140.1
Fœminæ Lydiæ purpurei coloris cur creditæ inuentrices. 196.2
Fœminæ ex natura ſua curioſæ. 517.1
Fœminarum ſeduitas in capus exornandum. 247.1
Fœminis Venereis quid opus. 549.2
Fœminei ritus tarde molientes. 434.1
Fœtus quid ſit. 284.2
Fœtus vnde dicti. 491.2
Fodere quid ſit. 364.1
Folles ferrarij. 175.2
Fomes peccati. 165.1
Fons quid propriè, & tranſlatè, & vnde nomen. 1 8.2
Fontes licet e mari exeuntes, cur ſalſedinem non habeant. 122.2
Fontes delicijs aptiſſimi. 302.1.2

Fon

Fontes in Nympharum poteſtate. 273.2
Fores quid ſint, & pro Ianua poſitæ. 203.1
Fores quid, & cui primum datæ. 497.1
Forma quid ſit. 64.1. 265.2. 301.1. 560.2
Formas in varias abeuntes. 438.2
Formido quid. 96.2
Formido, eiuſque effectus. 352.1
Formidatum, & formidandum in quo differant. 417.1
Formula poteſtatem tradendi. 403.1
Fornax quid, & ſuccenſa, leui roris aſpergine, accenditur magis. 176.2
Fortè quid ſignificet. 57.1.71.2
Fortitudo quid, & quis fortis. 220.2. 327.1. 348.1
Fortuna quæ, & per Poetas quæ, & Dea non eſt per Iuuenalem. 71.1
Fortuna ludens in Orbe. 482.2
Fortuna in bonam, & malam partem. 560.2
Fortuna vna ex Parcis. 74.1
Fortuna Dea non eſt. 71.1. 560.2
Fortunæ Dij ipſi cedebant. 71.1. & ſeq.
Fortunæ varia figura apud Poetas. 71.1
Fortunatus quis. 389.2
Fouere quid ſit. 93.1. 217.2. ſecundo. 287.2
Fragor quid. 331.2
Frangere in triplici ſignificatione. 277.2
Frangi pro annichilari, & pro debilitari. 58.1
Fratricida ingens monſtrum. 52.1. 514.1
Fraus quæ. 240.1
Fraxinus, & Cerrus. 375.1
Fremere indignantis eſt. 546.1
Fremere pro inhire. 203.1
Fremere proprium Leonis. 384.1
Frementis maris poſt tempeſtatem deſcriptio. 15.2
Fremitus quid ſit. 15.2. & ſeq. 446.2. & ſeq.
Fretum quid ſit. 304.2
Fretum Siculum quid, & quanta eius latitudo. 105.1
Frigiditas naturæ timoris eſca. 353.2
Frigus num in poſitiuo, an negatiuo conſiſtat. 191.2
Frigus conſtipat. 55.1. 191.2. 527.2. & ſeq.
Frigus terræ venenum. 303.2. 531.1
Frenare quid ſit. 149.2. 214.1. 329.2
Frenum quid, vnde dictum, & ſymb. ſeruitutis. 129.2
Frenum quid tranſlatè. 506.1
Frondere quid ſit. 114.1
Frondes cur decidant auro ſpirante. 405.1.2
Frondes vnde dictæ, & quomodo diſtinguantur à folijs. 147.1. 325.1.
Frons quid ſit, & inditium animi. 130.1. 322.1
Frons, quæ pars animalis. 322.1
Frons elata ſuperbiæ ſignum. 588.2
Fructus quid, & vnde dictus. 451.1
Fruges quæ. 31.1
Fruges ſurgentes. 132.1.2
Fruges ex Græcis, & Latinis quid. 132.1
Fruges cur ignotæ dicerentur. 456.1
Frugifera Ceres. 30.2. 32.1
Fruitio boni in quo conſiſtat. 143.1
Fulgor auri ſplendor. 400.1
Fulgur cur dicatur armorum fulgor. 328.2
Fulguris in aere celeritas. 129.1
Fulgura, fulmina &c. in qua regione aeris fiant. 131.1
Fulgura nuptialia. 377.2. & ſeq.
Fulgurum efformatio. 72.2
Fulmen quid ſit. 72.1
Fulmen cur ex Vulcani officina, & Cyclopum manu eductam. 72.2
Fulmen cur alatum. 376.1
Fulmen quid cum nuptijs habeat. 376.2
Fulmen, & tonitrua celebritatis, & gloriæ ſymb. 377.1
Fulmen cur terram, non Cælum feriat. 73.1
Fulminis vis. 460.2
Fulminum natura, & efformatio. 72.2
Fulminum augurium duplex. 376.1
Fultus, & fulcire quid ſit. 22.1. 62.1
Fuluus color qui. 143.2. 250.2. 610.2
Fuluus color flauæ bilis indicium. 476.2
Fumidum quid. 72.1. 335.2
Fumus nubis nomine deſignatus, & cur. 115.1
Fundamen quid ſit. 336.1
Fundere quid ſonet. 42.1. 386.1. 529.2
Fundere quid propriè, quid tranſlatè. 258.1
Fundere pro effundere, & ſpargere. 106.2. 315.1
Funeſtus, quaſi funere mæſtus, & cur. 396.2
Furere quid ſit. 120.2
Furentis locutiones imperfectæ. 547.1
Furiæ vnde ſic dictæ, & cur tres. 36.1
Furiæ vnde natæ. 36.1
Furiæ Diræ dictæ ex Virg. 36.2
Furiæ vnde dicantur Diræ. 64.1
Furiæ cur triſtes dictæ. 370.2
Furiæ Noctis filiæ ex Virg., & Eſchylo. 36.2
Furiæ cur ſerpentibus crinitæ. 37.1
Furiæ inferni, in Cælum imbelles; in eius furunt imagines. 111.1
Furiæ Plutonis potentiæ. 469.2
Furiarum nomina. 36.2
Furiatus, & furioſus differunt. 544.2
Furor quid ſit. 12.1. 552.1
Furor pro inſana irarum rabie. 417.2
Furor poeticus quid ſit. 12.1.2. & ſeq.
Furor huiuſmodi etiam Oratoris proprius. 13.1
Furoris poetici effectus. ibidem.
Furtum quid. 79.1
Furtum cur dicatur raptus Proſerpinæ; 245.2
Furtum *res eſt*, & *actio ipſa*. 492.1
Fuſcari, & fucari quid ſit. 296.1
Fuſcus color mortuis congruens. 318.2
Futurum quid ſit; ignotum illud, & in quo diſtinguatur à purè poſſibili. 101.2
Futura incerta. 463.2

G.

GAlatea quæ fuerit. 575.2
Galea quid ſit. 308.1
Galea in capite totum protegit. 524.1
Galerus quid ſit, & cuius formæ. 60.1
eiuſdemque ſymbolica ſignificatio. ibidem.
Gallia peſte deuaſtata. 343.2
Galli, cur Cybeles dicti Sacerdotes. 392.2
Gallina alba, cur potius quam Columba, Cycnus &c. demittatur in gremium Auguſti, & cur Surculum, non Coronam lauream detulerit. 216.1. ſecundo.
Gallus Iuuenis Cybeli dilectus. 392.2
Gallus Veneri inuiſus, & cur. 248.2. 549.1
Gallus Fluuius vnde dictus. 392.2
Gargara Idæ vertex. 149.1
Gaudeo pro lætor, & quæ inter vtrumque diſtinctio. 152.1. 245.1
Gaudere quid ſignificet. 311.1
Gaudere prudentis eſt, lætitia effundi impudētis. 522.2
Gaudium quid ſit. 140.2
Gaudium maculatæ conſcientiæ quale. 333.1.2
Gelas fluuius qui, & vnde dictus. 273.2. & ſeq.
Idem cum Himera, & bipartitus decurrit. 244.1
Gelu pro frigore. 117.1
Gemelli ſimiles errorem inducunt, & cur. 254.2
Gemere. 148.2. 241.2. 334.2
Gemini ver præceps agunt. 290.2
Gemini partus ſignum fœcunditatis. 505.1
Gemiſcere quid ſit. 486.2
Gemitus in populo ſilēti quomodo. 412., & ſeq. 415.1
Gemma quid propriè, quid tranſlatè. 187.1.2. 295.2
Gemma in cingulo Veneris quæ, & gemmæ omnes in eius ornatu. 248.2
Gemmis quam abundet Aſia. 295.2
Genæ quænam ſint in rigore. 136.2
Generatio quid ſit. 80.1
Generatio perfectiſſimum opus. 82.1
Generationis viuentium definitio. 428.2

Genitalia quæ dicantur. 426.1
Genitor antonomaſticè Iupiter. 381.2. 443.1
Genitores partem ſui à ſe deciſam genitis communicant. 141.1
Genitricis affectus. 30.2
Genium quid, & geniale quid dicatur. 411.2
Gens idem ac genus, & quid ſignificet. 411.1.2
Gentilium Dij omnes inquinati. 79.1. 156.1. 378.2
Gentilium ſuperſtitio in augurijs. 241.1
Genua labantia in terrore, ac dolore, & cur. 496.2
Genua pietatis Aræ, eaq; amplecti ſupplicantiũ eſt. 43.1
Genibus reijcere aduolutos, crudele eſt. 43.1
Gerion quis fuerit. 225.2
Gerionis boues carniuori. ibidem.
Germanus dicitur frater, & cur. 200.1
Germanus vnde dictus. 200.1. 589.2
Germen quid propriè, quid translatè. 94.1. 283.2
Getæ qui, & eorum mores. 277.1
Getæ vbinam degant, & Geticus à Getis. 55.2
Getulum Mare, ſeu Lybicum. 106.2
Gigantes cum Titanis non confundendi. 109.1
Gigantes qui, & vnde nati. 108.2. & ſeq.
Gigantes terræ matris iræ. 516.1
Gigantes Semidracones. 251.2. 576.2
Gigantes poſt internecionem Titanorum geniti, 109.1. 579.2.
Gigantum prælia in Cælum. 109.1
Gigantum ſpolia vbi poſita iuxta varios. 577.1
Gigantum crura anguinea. 335.1
Gigantum aliquis excoriatus. 577.2
Gigantum præcipuorum nomina. 579.2
Gigantum Rex cur Encelladus. 580.2
Gigantei triumphi in quo ſenſu dicantur. 509.2
Giges Titanorum vnus. 59.2
Glacies niualis, & glacies quid. 55.1
Glacies quid, & pro niue. 116.2
Glandibus veſcebantur homines. 31.2. 32.1
Glaucus à Circe deceptus fontem inficit Scyllæ. 107.2
Glaucus quis fuerit, & quis hiſtoricè, & cur biformis. 437.2. & ſeq.
Gleba quænam ſit. 290.1
Glomerare quid. 118.2
Gloria pro celebritate nominis. 224.1
Gloria patris filius ſapiens. 80.2. 261.1
Gloria quid ſit. ibidem.
Gorgones quæ, & cur ſic dictæ. 253.1
Gorgonei capitis angues adhuc, eo abſciſſo, viuentes, ſtridentes'q; 253.2
Gortyna Cretæ Vrbs Britomartis Patria. 257.2
Gortyna Vrbs Arcadiæ. 258.1
Gortynia veſtis quæ. 257.2
Gortynia, non Cortynia ſcribendum. 258.1
Gradior, & gradiuus. 319.1
Gramen quid ſit, & pro quo ponatur. 261.2. 303.1
Grando quid. 55.1
Gratiæ Patriâ Idaliæ ex Venere natæ eiuſdem comites, & comentes. 247.2
Gratiæ negatiuæ, & poſitiuæ quæ. 414.2
Gratus pro iucundus. 74.1
Gratus in triplici ſignificatione. 138.2
Grauare, & grauatum quid. 115.1
Graue, & grauitas non conſiſtunt in indiuiſibili. 184.1
Graue quid propriè, quid translatè. 268.1.2. 434.1
Grauida quid propriè, quid translatè. 279.1
Grauis, ideſt moleſtus. 55.1. 554.2
Grauitas qualitas diſtincta ab ipſo graui. 184.2
Grauitas pro auctoritate quid, & vnde. 443.1
Greæ Phorci filiæ à natiuitate canæ, & nomina earum. 473.1.
Gremium quid 77.2
Gremium Thetydis quod. 366.2
Greſſus quid. 167.2
Grex non de pecoribus tantum, ſed & de armentis dicitur. 225.2
Gurges quid. 27.1. 309.2. 403.1. 419.2
Gutta cauat lapidem non bis, ſed ſæpè cadendo. 526.2
Gyrus, & quidem terribilis quid ſit. 252.2

H.

Habenæ quæ. 317.2
Habenæ quid, & pro poteſtate poſitæ. 393.1
Habeto legale concedentis verbum. 561.2. & ſeq.
Habitus quid; eius munus, & progreſſus. 4.1
Habitus perfectus. 5.1
Habitus in potentijs externis non datur. 235.2
Habitus intellectualis corrumpitur per ceſſationem ab actibus, & quomodo. 236.1
Habitus tranſeunt in naturam. 7.1. 327.2. 451.2
Habitus qualitas difficile mobilis. 4.1. 330.1
Habitus mentis, & corporis quid ſit. 523.2
Habitus in voluntate nullus. 526.1
Habitus Veneris ad laſciuiam compoſitus, & cur parcus. 247.2
Habituum vis. 5.1
Hadriano Imperante muta prorſus Oracula. 385.1
Hæmus Mons Thraciæ. 99.2
Hæmus idem Catena Mundi, & eius altitudo. 216.1.2
Hærere quid ſit. 92.1
Hærere in duplici ſignificatione. 543.1.2
Hæretici per Talpam expreſſi. 136.1
Haſta celibaris, & Haſta ſymb. nuptiarum. 28.2
Haſta Sceptrum Antiquorum. 249.2
Haſta cur Palladi detur, & quid ſit. 252.1.2
Haſta ſymb. Imperij. 252.2
Haſtæ amentatæ. 358.2
Hebrus Thraciæ fluuius Iouis filius, & Orphei caput deportans. 214.2
Hecate non vna, ſed plures. 18.2
Hecate ab ἑκάς. 19.1
Hecate Regina Inferorum. 18.2
Hecate venatrix, & veneſica. 19.1
Hecate Proſerpina. 19.2
Hecate Luna. 19.1
Hecates quinque, & quænam. 19.2
Hecatas omnes cur in vnum confundant. 19.2
Hector mutatus apud Virg. 471.1. 472.2
Hedera ſemper coronatus Bacchus; iiſdem ab ira tegitur Iunonis. 20.2
Hedera inuidorum ſymb. 518.2
Hedera ſemper viret ſymb. Iuuentæ, amuletum vini eſt, & vino mixta inebriat. 20.2
Hedera duplicis ſpeciei. 20.2
Hedera vnde dicta. 306.2
Hederæ captiuitatis ſymb. 307.1
Hederæ vitibus prælatæ in Sacris. 307.1
Heinſius collaudatus. 119.2
Helenæ Sydus accenſum Nautis infauſtũ, & cur. 170.2
Helliades in nigras populos conuerſa. 178.1
Helicon quid, & vbi. 321.1
Heliopolis Ciuitas Solis. 286.1
Hera Cereris filia ex Neptuno. 90.2
Hera qualis fuerit. 91.1
Herbarum nomine, & flores veniunt. 291.2
Hercules vnde dictus. 210.1
Hercules purpurandi inuentor, & cur. 196.1.2
Hercules ætatem ſuperans cognitione. 381.1.2. 222.1
Hercules Sol arcu pollens, & ſagittis. 225.1.2
Hercules Augiæ ſtabulum repurgauit. 211.1.2
Hercules Atlantis diſcipulus. 231.1
Hercules Cælum pro Atlante ſuſtinet, & cur. 230.1.2
Herilis ab Hero, vel Hera. 539.1
Hermus aureus fluuius. 279.1
Herum genuit Ceres. 90.2
Herycthonius Inuidiæ cuſtos, & cur. 327.2
Heſperia duplex 103.1
Heſperia vltima quæ. 225.2
Heſperides quæ, & vbi earum horti. 231.2
Heſperidum Draco ab Hercule peremptus. 230.1.2
Heſperus quis iuxta fabulas, eiuſdem ſynonima, & cur

nuptis fœlix omen. 425.1
Hetruſcorum Alpes. 343.2
Heu dolentis. 101.1. 135.1. 476.1. 487.2. 509.1
Hiatus quid ſit. 350.2. 478.1. 597.1
Hiatus à Platone apertus in parte Montis Aquilonari. 351.2.
Himera fluuius. 274.1
Hinnitus quid ſit. 354.1
Hircus, & Hædus libidinis ſymb. 441.1
Hirundo ſymb. falſæ amicitiæ. 360.2
Hiſpidus quis. 55.1
Homeritæ populi Orientales. 286.1
Homo homini Lupus. 514.1
Homo ex ipſa corporis ſtructura ad Cœlum natus. 452.2.
Hominis excellentia. 453.1
Homines cur facilius demergantur in Flumina, quam in Mare. 122.2
Homines Deorum in album relati. 127.2
Honeſta tantum ab amico petenda. 138.2
Honeſtum quid, & honeſti diſſuaſor luxus. 448.2
Honor tripliciter explicatus. 261.2. & ſeq.
Honor muliebris cultus forma, & cur. 549.2
Honos pro ornatu, & venuſtate. 317.2
Honos interdum amorem ſonat. 550.1
Hora quid ſit, & fuerit. 567.2
Horizon medius circulus, & maximus. 189.1. 534.1
Horreo pro obſtupeſco. 232.1
Horreo in duplici ſenſu. 450.2
Horroris in delicias conuerſi deſcriptio. 152.2
Horroris cauſa duplex. 466.1
Hortari cuius ſit. 311.2
Hoſtis, & inimicus differunt. 170.2. & ſeq.
Hoſtis quis ſit, quis inimicus. 170.2. & ſeq. 226.1
Hoſtis minus lædit, quam amicus ſi in eodem lędat. 114.1. 604.1.
Hoſtium capita haſtis ad terrorem infixa. 572.2
Hoſtilitatis ſigna in ore, oculis, facie &c. 577.2
Humanitas quid ſit. 13.1
Humerus quid. 232.2. & ſeq.
Humeri lati indicium fortis. 232.2
Humor dicitur aqua, & cur. 309.1. 604.1
Humus ab humando, & cur. 131.2
Humus non ab humando. ſed ab humore. 291.1
Hyacintus Daphnidi frater; Apollini in delicijs, filius Amyclæ Amyclarum conditoris. 100.1. 293.1
Hyacintus flos cur niger. 293.2. & ſeq.
Hyacintus ferrugineus. 294.1
Hyacintus prudentiæ ſymb. 319.2
Hyacinti floris origo ex duplici fabula. 293.1.2
Hyænæ perfida natura. 519.1
Hyberni nomen vnde deductum. 358.2
Hybla Mons qui, & vbi. 284.2
Hydaſpes Indicus, & Perſa, & quid de ipſis. 285.2. 570.2
Hydaſpes Orientem notat. 571.1
Hydaſpem ſoli potabant Perſarum Reges. 285.2
Hydra Lernæ, & quid de ea. 226.2. & ſeq.
Hydra Virg. quinquaginta capitum. 226.2
Hydra ſeptem capita habuit repullulantia; vbinam nata, educata, & occiſa. 227.1
Hydra Sophiſtas exprimit, & inuidiam ſignat. ibidem.
Hydra aquarum violentia. 227.2
Hydræ nomina alia. 226.2
Hydræ virus quàm vehemens. 227.1
Hydram ſecare prouerbialiter de quibus dictum, 227.1
Hydrus ſerpens aquatilis. 37.1
Hyems pro tempeſtate, procella, ac vi ventorum. 6.2
Hyems quid, & quæ ſignificet. 297.2
Hyems Saturnus. 482.2
Hyla à Nymphis raptus. 610.1
Hymeneus nuptiarum Deus. 16.2. 377.1
Hymeneus dicitur etiam Hymnus in nuptijs. 377.2
Hymeneus patria Athenienſis. 16.2
Hymeneo cur, & quomodo Tonitrus tradatur. 377.2
Hyperion Solis pater quis fuerit. 264.2
Hyppolite Theſeo in coniugem data. 224.2
Hyrcana Sylua, à qua Tigres Hyrcanæ. 545.1
Hyrcania Tigribus abundans. 20.2
Hyrcaniæ regionis fertilitas. 545.1
Hyrties mater in lacum verſa. 439.2

I

IAcentes qui dicantur. 71.2
Iacère ſolent dolentes. 502.2
Iaculum quid, & à ſagitta diſtinctum. 359.1
Iacula prauiſa minus feriunt. 451.1
& è contra. 601.1. 602.2
Ianitor Orci Cerberus. 65.1
Ianitor vnde dictus. 66.1
Ianitores in vinculis aſſeruari ſolitos. 494.1
Ianua Ditis in Atticis. 17.1
Ianua quę, vnde dicta, & à porta diſtinguitur. 339.2. & ſeq.
Iaſonis armata ſeges. 336.2
Iaſpis gratiam concilians, & In capulo Æneæ. 248.2
Iaſpis anagrammaticè, & Iaſpides variæ. 263.1
Iaſpis ſymb. ſpei breui perituræ. 263.2
Ibera Thetys Mediterraneum notat. 568.2
Ibi pro tunc, vt Terentius. 502.1
Ictus quid ſit. 142.1. 375.1. 460.1. 606.1
Ida mons Phrygiæ. 143.2
Ida alter in Creta. 150.1
Ida triplex. 589.1
Idæ Montis ſituatio. 392.1.2
Idalium oppidum in Cypro à Calcenore conſtructum. 247.2.
Ignarus, imprudens, inſcius. 325.2. & ſeq.
Ignarus quid ſonet. 61.2
Ignauus Mundus qui, & cur. 367.1.2
Igneus fluuius in Lelanto. 122.2
Ignis clauſus ferocior. 120.1. 597.1.2. & ſeq.
Ignis amoris ſymb. 28.1
Ignis æthereus, aer accenſus. 401.2
Ignis Veſtalium inextinguibilis. 426.2
Ignis animal putatus. 115.2
Ignis Ætnæ qualis. 115.1
Ignis motus ad ſphœram. 118.1
Ignis, & aqua in nuptijs cur. 377.1
Ignis belli ſymb. 407.1
Ignis Ætnæ niuibus fidem ſeruans, & eius Hyerogl. 115.1. & ſeq.
eidem ſeruanti fidem ſeruatur à niuibus. 117.2
Ignis ex humido nutritus. 115.1
Ignis aliquid humidi non reſpuit. 407.2
Ignis Deorum Internuncius. 484.1
Ignis Zenoni anima eſt, ideo nefas illum extinguere, eoq; Prometheus hominem animauit. 593.2
Ignis alentem deuorat. 598.2
Ignis Deus Vulcanus. 119.1
Ignis incluſi vis. 544.2. 597.1
Ignorantia admirationem parit. 441.1.2
Ilex quid, & Proſerpinæ dicata. 306.1
Ilex fauis abundans infœlicitatis ſymb. 306.1
Ille pronom. à quacunque dignitate præſcindens. 53.1
Illudere, hoc eſt per ludum nocere. 158.2
Illuminare quid ſit, & illuminationis effectus Haſtis datus. 375.2
Illuminatio ſit per totam in inſtanti ſphœram. 610.2
Imaginatio facit caſum. 454.1
Imbres ex largo, rores ex modico humore. 565.2
Immane in triplici ſenſu. 63.1
Immanitas edomita per Tigres Bacchi expreſſa. 21.1.2
Immenſum quid ſit. 173.2 350.2
Immunis quis. 161.1 422.2
Impatiens quid ſonet. 34.2
Impedit, implicat. 335.1
Impellere quid ſit. 348.1. 446.1. 591.1
Impellere vndas cuius ſit, & eas impellit Eurus oriente Sole. 238.1.2
Imperare cuius ſit. 381.2

Imperium Plutonis tyrannicum. 23.2. 24.1. 65.1
Imperij diuiſio inter Iouem, Neptunum, & Plutonẽ. 50.2
Impetus quid ſonet. 57.2. 359.1
Implacatum quid. 82.2. & ſeq.
Implorare. 208.2. 361.2. 500. 1.2. & ſeq.
Importunus quis. 554.2
Impoſſibilitas Metaphyſica, Phyſica, & Moralis. 3.1
Impreſia Errantium Academ. Brixiæ. 30.2
Improbus in duplici ſignificatione. 479.2. & ſeq.
Imprudentis eſt tempus terere, vbi periculum in mora. 373.1
Imprudentis. & inſani conſilium quod. 567.1
Impunè poſitum pro fruſtrà. 541.1
Impunitas pernicioſa, & cur. 549.2
Inacceſſum quid dicatur. 161.1
Inachia pars Peloponneſi. 210.2
Inæqualitas inter fratres odij cauſa eſt. 33.2
Inanis, hoc eſt otioſus. 57.2
Inarime quæ, & eius ſynonima. 507.1.2
Incandere quid ſit. 184.2
Incendium quid. 115.2. 407.2
Incendia Ætnæ quid nutriat. 115.2
Incerti animi motus. 558.2
Inceſtare quid ſignificet. 368.2
Inceſtum, & inceſtus quid. 82.1
Inclementia quid ſit. 64.1
Inclinare quid dicat. 149.1
Incola quis cenſeatur. 143.1. 391.1. 607.1
Increpare quid ſit. 434.1. 556.2
Incultum quid dicatur. 446.2
Indiæ Orientalis fertilitas. 286.2
Indictum Cereri datum ad Proſerpinam inquirendam. 455.2
Indicta cauſa damnare non licet. 388.1
Indigena quis. 114.2
Indignari quid ſit. 340.2. 592.2
Indignus pro *miſero*, & *deplorabili* &c. 397.1
Indocilis quis. 54.2. 256.2
Induere quid ſit. 292.1. 523.1
Iners quid ſonet. 24.2
Inertia ex quo proueniat. 447.2
Inferiæ omnes ad Proſerpinam referuntur. 420.1
Infandum *quod dici non poteſt*. 565.2
Infans quis, & vnde dictus. 266.2
Inferior in duplici ſignificatione. 604.1
Inferi ſecundùm naturam *vmbra*, ſed in corpore &c. 161.2 & ſeq.
Infernus adiectiuè, & ſubſtantiuè. 10.1
Infernus cur *vltima regna* dicatur. 160.2
Inferorum duplex porta. 406.2
Infeſtare eſt *hoſtiliter agere*. 501.2
Infeſtum quid dicatur. 37.2
Infeſtum à feſtinando dictum. 38.1
Inficere quid ſit. 195.2. 360.2. 471.2
Inficiendis lanis optimi Aſſyrij. 296.2
Infidus quis ſit. 102.1
Infinitum actu, poſita æternitate Mundi, malè negat Ariſtoteles. 24.2. 49.1
Infinitum vnum maius alio admitti non debet. 25.1
Infinitum totum actu non datur extra Deum. 49.1
Inflare tubam pro *tuba canere*. 486.2
Infœlix fœlicitas. 517.1. 602.1
Infœlix, qui miſer cum ſit, non poſſit mori. 460.1.2
Informare quid ſit. 573.1
Informe quid dicatur. 74.2
Infortunium dementiæ finis. 473.1.2
Ingenium pro natura. 102.2. 263.2
Ingenioſus quis. 447.2
Ingens plus dicit, quam magnus. 66.1
Ingerere quid ſit. 525.2
Inglorius quis. 81.1. 374.1
Inijcere contemptum indicat. 330.1
Inimicus, & hoſtis in quo diſtinguantur. 170.2. & ſeq.
Iniuſtitia duplex. 548.1
Innocuus actiuè, & paſſiuè. 418.2
Innoxium quid. 117.2
Ino, & Melicerta è ſaxo præcipites. 594.1
Inopia artium, ſcientiarumq; magiſtra. 447.1.2
Inopinum magis ferit, quam præuiſum. 501.1
Inſenſata ſenſum habent, vbi Deo obediendum. 138.1. 576.2.
Inſerpere quid propriè, quid translatè. 188.1.2
Inſidiæ quid propriè ſint. 514.2
Inſignire acu quid ſit. 181.1
Inſolentia in duplici ſignificatione. 202.1
Inſtar nomen quid ſignificet. 252.2
Inſula quid, & vnde dicta. 111.1
Inſula inter Liparen, & Siciliam igniuoma. 341.2
Inſulæ Nympharum in Lydia. 392.1
Inſularum Fortunatarum deſcriptio ex Taſ. 399.1
Inſultare quid ſit tàm propriè, quàm translatè. 572.1
Intellectus operatur dependenter ab organis; non tamen eſt potentia omninò organica, ideò & non entia cognoſcit &c. quomodo in operando procedat, & quænam ſit eius ſphœra. 464.1
Intendere quid propriè, quid translatè. 152.2. 362.1
Intermicare. 130.2
Interpres Diuum Mercurius. 59.1
Intexere quid ſit. 318.1
Intumeſcere ſuperbi, & irati eſt. 559.1
Inuadere. 158.1. 315.1. 466.2. 590.2
Inuenire. 1.2. 414.2. & ſeq. 568.1
Inuenire in duplici ſignificatione. 32.1
Inuenta, & in quo differant inuenire, & reperire. 1.2. 455.1.
Inuentor rerum quomodo Iupiter. 443.1
Inuidere, & inuidia peſtis. 284.2
Inuidia quid in ſe, & eam horrent Superi; Inferorum Dea eſt, & Dea nigra. 515.2
Inuidia conſpicuos quoſq; perſequitur. 516.2
Inuidia humiles, ignobileſq; non petit. 555.2
Inuidia ineuitabile telum. ibidem.
Inuidia fons malorum omnium. 217.2
Inuidia tẽpore creſcit, & monſtris indomabile eſt. 556.1
Inuidia ſuperiorum inferioribus pernicioſa. ibidem.
Inuidia canis, & quidem rabidus, & cur, & beneficijs fouetur, non extinguitur. 556.1.2
Inuidia cur liuor dicatur. 556.2
Inuidiæ Monſtrum per Hydram expreſſum, eiuſdemque effectus deplorabiles. 227.1
Inuidiæ domus vbi. 327.2
Inuidiæ paſſio liuor. 447.1
Inuidiæ vulnera quæ. 515.1.2
Inuidiæ ſymb. ſerpens erectus in Solem. 516.2
Inuidiæ nomen ambiguum, ipſa tormentum inuidi; vipereum monſtrum, & baſiliſcus eſt. 515.1.2
Inuidiæ ſymb. Canis, & cur. 516.2
Inuidiæ magnes proſperitas. 516.2
Inuidiæ amuletum quod. 515.2
Inuitus quis dicatur. 378.1
Inuocationes poſt exordia Poetis familiares. 23.1. & ſeq.
Inuus qui, & Pan, vnde ortus, & cur. 440.2
Io à Ioue compreſſa. 294.1
Io vox dolentis, & triumphantis. 591.2
Iocalia in Nuptijs. 199.2
Ionium Mare quodnam ſit. 106.2. 238.1
Ionium Mare vnde dictum. 6.2
Iphygenia Dianæ immolata iuxta Virg. 550.2
Iphygenia non immolata, ſed Dianæ Sacerdos. 550.2. & ſeq.
Iphygenia in Dearum album relata. 551.1
Iphygenia Dea Oreſtica, & inuita Dianæ ſacris operabatur. 551.1
Ira quid ſit. 33.2. 340.2
Ira vnde dicta. 33.2. 106.2
Ira tumidum facit iratum. 33.2
Ira motus animi eſt. 338.1.2
Iræ effectus qui. 33.2
Iræ definitio cauſalis. 39.1. 582.2
Iræ vis in ipſum iratum ſæua. 37.1

Iræ ferentis effectus. 544.2. & ſeq.
Iræ ſedes in felle. 546.2
Iræ affectus quomodo ab Oratore tractandus. 554.1
Iratum amulctum tempus. 555.1.2
Irati mens Oceano ſimilis. 33.2. 554.2
Irati qualis ſermo. 554.2
Iris quid, & verè, & fabuloſè, & quid de ea. 297.2. 298.1. & ſeq.
Iris Nymphas habet obſtrictas, & cur. 434.1
Iris artificialis quæ. 298.2
Iris Adulatorum ſymb. 519.1
Iris Thaumantis filia nuncia Iunonis, ac Iouis. 298.1. 433.1.
Iridis colores veri ne, an apparentes. 298.2. & ſeq.
Irrumpere quid ſit. 5.2
Italia vnde ſic dicta. 103.2
Italia, cuius olim pars Sicilia; Heſperia olim, & Oenotria dicta. 103.1.2
Iter quid. 121.2. 333.2
Iubæ quid ſint Leonis maſc., non fœm. propriæ. 151.2
Iubæ, & iubis ornatæ Galeæ. 524.1
Iubarum erectio ſignũ feruentis iracundiæ. 151.2. 365.1
Iubarum demiſſio placati animi ſignum. 151.2
Iubar quid ſit. 40.1
Iucundus à iuuando. 138.2
Iudices Inferorum.
ijs cur vrna data, eorumq; iudiciorum forma ex Athenienſibus. & Romanis deſumpta. 413.1.2
Iudicia Dei Abyſſus multa. 155.1
Iugales ſub iugum miſſi. 82.1
Iugales à iugo. 82.1. 200.2. 408.1. 490.2
Iugales equi vnde dicti. 200.2
Iugerum quid, & quantum. 415.2
Iugum quid ſit. 38.1. 200.2. 384.1
Iugum laboris ſymb. 82.1
Iugum ſymb. ſtatus coniugalis. 428.1
Iungere greſſum quid ſit. 243.1
Iungere quid ſonet. 295.2. & ſeq.
Iuno vnà cum Ioue nuptiarum inuentrix, ideo dicta Iuga. 52.2
Iuno quæ fuerit, & diuitiarum Dea. 78.1
Iuno Tonantis ſoror, & coniux quam Iupiter vitiauerat. 11.2. 78.1. 459.1
Iuno Lucina. 91.2
Iuno ex floribus contactu Martem ſine concubitu parit. 98.2.
Iuno æmula. 100.1.2
Iunonis odium in Alcidem. 219.1
Iunonis ales quæ, & cur. 296.2
Iunonis ſtatua Cupreſſina. 590.2
Iupiter à iuuando. 33.1. 69.2
Iupiter Diuum Pater, atque hominum Rex. 151.2. 87.1
Iupiter Deorum Rex. 36.2. 572.1
Iupiter cur omnium Pater. 52.2
Iupiter Parcis, ſeu Fato ſubijcitur. 43.1
Iupiter nuptiarum arbiter, & auctor. 52.1.2
Iupiter pro aere ſumptus. 72.2
Iupiter anima Cæli. 76.1
Iupiter virilia patris abſcidit. 63.2
Iupiter Iunonem vitiaturus in Cuculum conuerſus. 78.1
Iupiter crudelis. 70.2. 78.1.2. 571.1
Iupiter cur ſæuiſſimus. 70.1
Iupiter anima Mundi. 80.2. 432.1
Iupiter prudentiſſimus effingendus. 89.1
Iupiter in tela Proſerpinæ. 183.1
Iupiter homo fuit, & mortuus apud Cretenſes tumulatus. 457.2
Iupiter quomodo Deus factus. 443.2
Iupiter Rex omnibus idem. 36.2. 459.1
Iupiter Alaſtor dictus, idest Altor. 202.2
Iupiter iuuans Pater, & omnium Pater. 433.1. 576.1
Iouis ſimulacrum, cuius ſupra caput Parcæ. 43.1
Iouis Amor ex Virg. 162.2. & ſeq.
Iouis beneficum ſydus. 388.1
Iouis decretum de tradenda Proſerpina ex prauiſs moritis. 154.1
Iouis artificium in lege ferenda. 444.1
Iouis prudentia in tradenda Proſerpina. 89.1. 154.1
Iouis ſedes ante Mundi conſtitutionem in Chao. 182.1
Iouis ſorores quæ. 459.1
Iouis filiæ preces. 80.2
Iouis ſedes, & voluntas Æther. 376.1
Iouis filij, ac filiæ innumerabiles. 79.2. 459.2
Iouis ægis quid eſſet. 576.1
Iouis Pellices ſine numero. 79.2
Iouis manubiæ tres, & quæ fuerint. 376.1
Iouis ſtatua cupreſſina. 590.2
Ioui ſeruatori dicatum templum. 305.1
Ioui humanæ victimæ. 550.2
Ioue omnia plena. 576.1
Iurare quid, & iuramentum duplex. 82.1.2
Iurare per ſceptrum proprium Regis eſt. 458.1
Ius quid ſit. 70.1
Ius ſummum ſumma iniuria. 602.2
Ius per quid diſtinguatur à lege, & quot habeat partes. 548.1.
Ius item petendi, poſſidendi &c. 548.1
Iuſſus quid ſit. 165.2
Iuſtus locus. 183.2
Iuuat in duplici ſenſu. 453.1.2
Iuuencus à iuuando dictus. 142.2. 599.2
Iuuentæ ſymb. per flores. 482.2
Iuuentus lubrica, & cur. 529.1
Ixion ſymb. inuidorum, & ambitioſorum. 414.1
Ixion proditor, & ſubindè expiatus. 222.2. & ſeq.
Ixion Iunonis amans cum nube, in ſpeciem Iunonis, coit, atq; ex ea nube Centauros giguit, ob id apud Inferos rota damnatus. 230.1

L.

LAbi pro deficere, & mori. 539.2
Labor quid. 517.2
Labor pro opere elaborato. 194.2. 498.1
Labor inſanus. 192.2
Labor pro operatione, & operato. 140.2. 194.2
Labor omnia vincit. 448.2
Labor irritum tormentum auget. 607.2
Laborare quid ſit. 335.1. 524.2
Laceſcere quid ſit. 115.1
Lacheſis vnde dicta. 45.1
Lacheſis inter Parcas prima, & principalis filum protrahit. 45.1. 421.1
Lacheſis præcipua Fati vis. 602.1
Lacryma, gumma, ſuccus, in quo differant. 599.1
Lacryma citiſſimè areſcit. 136.2
Lacryma ex nimio areſcit dolore. 136.2. 207.1. 298.2.
Lacrymæ margaritæ dicuntur. 136.2
Lacrymæ quid, & vnde proueniant. ibidem.
Lacrymæ quaſi lacerrimæ. 394.1
Lacrymæ arma mulierum, & puerorum. 557.1
Lacrymæ amantium, & miſerantium ſunt, & facundæ. 557.2.
Lacrymarum ſymb. vniones. 136.2
Lacrymarum cum rore comparatio. ibidem.
Lacrymarum cauſæ. 137.1
Lacrymarum vis. 393.2
Lactis ſymbolicæ ſignificationes. 419.2. & ſeq.
Lacte vtebantur in inferijs, & lacte exundans Acheron. 420.1.
Lacte Dearum immortalitas confertur. 455.1
Lacte in Inferis præludium vitæ. 420.1
Lacus liquati ferri in Vulcani fornace. 176.1
Lacus quid; & delicias auget. 307.2
Lacus à ſtagno, & palude diſtinctus. ibidem.
Lacus nouus Hyria ſtillante. 439.2
Ladonis flumen nouum ex terræmotu. 439.2
Lætari quid ſonet. 279.2. 455.1
Lætor, & gaudeo, in quo differant. 212.2
Lætus quis, & vnde dicatur. 518.2. & ſeq.
Lambere quid ſit. 117.2

Lam.

Lambere quid propriè, quid translatè. 303. 1. 540. 2. 589. 2.
Lamenta, & lamenta turbida quid. 421. 2. & ſeq.
Lampas, & lampades amoris. 28. 1.2
Lana ab arboribus producta. 263.1
Lanis inficiendis optimi Aſsyrij. 296.2
Lancea ſtrenuitatis, & Imperij ſymb. 28.2
Lancea ignea quæ. ibidem.
Laniſtica præexercitatio. 584. 1.2
Lapides loco Numinum venerati. 545.2
Lapſus ſerpentium. 18.1
Lararium quid ſit. 500.2
Lares, & Larunda mater. 100.1
Largiri quid ſit. 99.2
Largus à largior. 287.2
Laruæ in Ventos diſſoluuntur. 488.1
Laſciuire quæ dicantur. 328.1
Laſciuus, & laſciuia. 163.1
Laſſus quid ſignificet. 176.2
Latebræ quænam ſint. 483.1
Latere in duplici ſignificatione. 332.2
Latex quid ſit. 540.1
Latices cur dicantur aquæ Arethuſæ. 275.1
Latices nigreſcere oſtentum mortis. 466.2
Latices in ſanguinem verti infauſtum. 485.1
Latona quæ fuerit. 78. 2. & ſeq.
Latona à Ioue compreſſa, Cælo deiecta, Pythoni obiecta locum pariendi non inuenit; Delos præbuit. 79.1
Latonia furta quænam. ibidem.
Latonia quæ fuerit. 378.2
Latratus canis proprius. 62.1
Latratus etiam mari tribuitur. 506.2
Latus dare quid ſit. 317. 2. ſecundo.
Latus quodnam ſit. 415.2
Lauretum Liuiæ Auguſtæ. 468. 1.2
Laurus, & quid de ea. 217.1
Laurus caſta etiamſi arbor. 216. 2. & ſeq. ſecundo.
Laurus olim Laudus, & cur. 317. 1.2
Laurus inſana, & cur. 217.2
Laurus ſomnia efficit certa, & pro cuſtodia ponitur, 467. 2.
Laurus ſymb. virtutis, & cur. 216. 1. ſecundo.
Laurus Apollini, & Ioui dicata. 216.2. ſecundo.
Laurus Poetis coronas innectit, & fatidica eſt. 216. 2. ſecundo.
Laurus fulmine non tangitur, & cur. ibidem.
Laurus Apollinem fugientibus ominoſa. 306.2
Laurus boni Genij planta, & areſcens lethale omen. 468. 1. 2.
Laurus Imperialis arbor. 217.2
Laurus quo magis aſſurgit, fęlix magis. 468.2
Lauri folia vera gignunt ſomnia. 216. 2. 467.2
Lauri ex Baccis oleum, frigidis paſſionibus vnicum. 216. 2. ſecundo.
Laurum in vſus inhoneſtos, aut viles expendere nefas. 217. 1.
Lauro cur Cæſares redimiti, & præcipuè in triumphis. 217. 2.
Laus dulcis. 139.1
Laxare quid ſit. 327. 1. 506.1
Laxare pro liberare. 84. 2. 348.2
Lectiſternium quid. 34.2
Lectulus, & menſa coniugibus communia. 34.2
Legatorum immunitas. 60.1
Legere nauticum verbum. 3.2
Legere, ideſt cum delectu colligere. 31 1.2
Lemures nocturnæ. 463.2
Lenis quid ſignificet. 213.1. 254.1
Leo generoſiſſimum animal ſymb. terroris, & rotarum ſtrepitu horreſcit. 151.2
Leo in Zodiacum tranſlatus. 223.2
Leo Cytheronius, & Nemêus ab Hercule occiſi, licèt inuulnerabiles. 223.1
Leo Syluarum terror. 384.1
Leo qualis ſit. 208.2
Leo Cytheronius, & Nemêus idem cenſentur è Cælo Lunæ demiſſus. 223.1
Leo Bembinites ab Hercule occiſus. 223.2
Leo alienum à Venere animal. 208.1
Leo ſanguinis auidiſſimus. 364.1
Leo catulos diſcerpens ſuos. 476.2
Leo inſomnis. 568.1
Leo ſolare animal, Ceruus lunare. 218.2
Leonis in Mentorem gratus animus. 108.2
Leonis ſe ad iram prouocantis actus. 365.1
Leonis ſolo interdum rugitu animalia necantur. 208.2
Leones Cybeli cur cordi ſint. 127.2. 151.1
Leones Cybeles qui ſint, & cur hoſtes cenſerentur. 454.2
Leporis natura, & lepores Galeati. 217.2. ſecundo.
Lepſis, eiuſdemq; veneni proprietas. 539.2
Lernæa Hydra, quæ, & quid de ea. 226.2. & ſeq.
Lethe Somni Ciuitatem interluit. 370.1
Lethes Numina quæ. 370.1.2
Lethum quid ſit. 48.1
Lethum cur, & vndè mors dicatur. 422.2
Leuare *delinire* eſt, & *minuere*. 410.2
Leuitas non conſiſtit in indiuiſibili. 183.2
Leuitas qualitas diſtincta ab ipſo leui. 184.1
Leue quid importet per Parrhaſium. ibidem.
Leuis, hoc eſt fragilis. 359.2
Leuo pro recreo. 18.1
Lex quid ſit ex Cic. 50.2
Lex quo pacto, & conuentione accepta. 50.2
Lex in triplici ſenſu. 182.2. & ſeq.
Lex Diuum vetat quod vnus ſtatuerat alterum infringere. 321. 2. 378.1. 455.2
Lex nulla ferebatur à Romanis, niſi intimata. 444.1
Lex in tantum obligat, in quantum ſonat, & ad caſus inopinatos non extenditur. 459.1.2
Lex vniuerſalis eſſe debet. 459.1
Lex de repetundis. 561.1
Legem dicere. 461.2
Leges & fruges non ſimul datæ. 31.2
Legum definitio. 50.2
Legum prohibentium forma apud veteres. 457.1
Legum ſanciendarum formula. 461.1
Legum tabulæ olim cupreſſinæ. 590.2
Legifera Ceres. 31.1.2. 505.1
Libare quid ſit. 269.2
Libertas quid. 121.2. 229.2
Libertas ſemper in votis. 520.2. & ſeq.
Libicum Mare. 106.2
Libare quid ſit. 123.2. 375.1
Licere, & licet pro *facultas datur*. 535.2
Ligones inſtrumenta ruſtica. 142.1
Liguſtrum quid, & vnde aduectum. 319.2
Liguſtra Veneri ſacra. 537.1
Lilybeus Promontorium Siciliæ. 107.1
Lilium perennis ſymb. fœlicitatis, & cur. 292.1
Lilium florum Rex, cur inuiſum Veneri Nymphis addictum; pulchritudinis, virginitatis, & ſpei ſymbolum, eiuſdemq; deſcriptio. 318.1
Lilium ex fœtido caudice, illudq; decreſcens quid ſit. 537.2.
Lilium, vel ſucciſum, viret. ibidem.
Lilij imago cum inſcriptione *Spes publica*. 318.2
Lilij dotes. 537.2
Lilij odorem non patitur qui cerebro læſus. 537.2
Limen quid ſit. 69.1
Limes quid, & qualis. 190.1. 336.1
Lingua quæ, & vnde dicta. 201.2
Lingua Mercurio dicata. 59.1
Lingua ærario cordis præfecta. 137.2
Lingua qui non offendat, perfectus eſt, ideo eius labilitas dentibus obuallata. 553.1
Linquere quid ſit. 133.1. 371.1
Lipare Siciliæ fluuius olei naturam redolens. 342.1
Lipare Inſula quæ, & vnde dicta. 341.2
Liparen inter, & Siciliam Inſula igniuoma. 341.2
Liquidus pro molli, pulchro, eleganti. 195.1

Liquor

Liquor Solis ab ardore præſeruans. 599.2
Lis, & amicitia duo rerum omnium principia. 181.2
Littora quid ſint, vnde dicta, & quomodo à ripis diſtinguantur. 187.1
Locus quid, & in quo differat à ſitu. 104.2
Locus iuſtus qui. 183.2
Locus tacitus qui dicatur. 494.2
Locus medius, honoris gratia, quibus detur. 305.1
Loci definitio, & explicatio. 171.1.2
Longa cur ægrotis nox, licet breuis. 490.1
Longæua Themis cur. 157 1.2
Longè pro *maximè*. 285.2
Longum pro *æternum*. 355.1. 380.2
Loquendi modus multiplex. 108.2
Loquendum de diuinis operibus parcè. 383.1
Lotus arbor Solis ſimulacrum, Phœbo dicatur; & Tybijs apta. 15.1
Loti arboris natura. ibidem.
Lubricum, & lubrica ætas. 529.1
Lucere quid ſonet. 570.2
Lucernæ ſepulchrales æternæ. 598.2
Lucifer quid, & vnde dictus. 313.1
Lucifero cur equus tribuatur. 313.1.2
Lucina, eiuſque officium. 91.2
Lucina pro pariendi labore poſita. 564.2
Lucis, ac luminis diffuſio quomodo fiat. 338.2. 610.2. & ſeq.
Lucis imago quæ. 399.2
Lucus quid ſit. & vnde dictus. 148.1. 575.1
Luci apud Inferos. 399.2
Luci ſacrati inſtar Numinis colebantur. 581.1
Lucos Dijs dicari ſolitos, & cur. 146.1.467.2
Lucos huiuſmodi violare nefas. 147.1
Luctus quid ſit. 383.1. 455.1. 542.1
Luctus in ſui honorem lacrymas à Ioue habuit. 478.1
Ludere, & illudere. 239.2
Ludere quid ſonet. 218.1. 239.2. 283.2
Ludibria quæ ſint. 545.2. & ſeq.
Lugere quid ſignificet. 206.1.2. 322.2. 504.1
Lumen in ſacris litteris Diem, Iuſtitiam, Fidem, & proſpera omnia ſignificans. 15.1
Lumen pro Cælo, & Mundo. 73.2
Lumen gratum quodnam ſit. 74.2
Lumen, & lux qualitas à corpore luminoſo promanans. 238. 2.
Luminis, & lucis diſtinctio ex Seruio. ibidem.
Lumen obiectum potentiæ viſiuæ. 398.1
Luna triceps, & cur. 19. 1. 254.1
Luna Iana dicta. 128.2
Luna ſyluas intus, ſaltuſq; habens. 223.1
Luna, & ſydera an, & quomodo lumen habeant. 254. 2. & ſeq.
Luna mas exiſtimata, & qui cõtra ſentiret punitus. 255.2
Luna ſedes beatorum iuxta Ægyptios. 258.2
Luna filia Solis. 265.1
Luna long. poſt Solem nata dicitur. 265.1
Luna cur bigis, Sol quadrigis vteretur. ibidem.
Luna quid verè ſit. ibidem.
Luna quaſi lux aliena. 254.2
Luna in quo à Sole differat. 265. 1.2
Luna nauigio vecta per Ægyptios. 255.1
Luna Hermaphroditus. 265.2
Luna veſtes mutans, quia ſemper variabilis. 265. 1.2
Luna in læua Mundi parte. 269.2
Luna maximè humida aeris vapor; roris mater. 270.1
Luna, & Sydera aquis ali dicuntur. ibidem.
Luna æſtus maris cauſa dicitur. ibidem.
Luna Sol, & Sydera Oceani conuiuæ. ibidem.
Luna rerum omnium parens. ibidem.
Luna cur Triuia dicta. 270 2
Luna Dea cornuta, vt Bacchus, & Pan. 278.2
Luna quibus iugalibus veheretur. 599.2
Lunæ veſtis quæ propriè ſit. 259.1
Lunæ curſus per totam Zodiaci latitudinem. 258.2
Lunæ mutationes quomodo fiant, & cui modò in corpus, modò media &c. appareat. 270. 2. & ſeq.
Luna antiquiores Arcades. 265.1
Lunaris globus, & ſphæra, eiuſq; munia. 401.2
Lunata frons quæ, & cur. 94.1
Lupatum quid. 356.1
Lupus in quem cõuerſus Lycaon. 217. 2. & ſeq. ſecundo.
Lupi, & Agni diſſidium. 217. 2. ſecundo.
Lupi Cybeles curruiadiecti comites. 148.2
Lurida dicuntur venena; Luridus Orcus. 536.2
Luror, & lutor quid. ibidem.
Luſum inter, & ludum differentia. 500.1
Luſtra quæ, & vnde dicta. 383.2
Luſtra ſylueſtria. 453.2
Luſtrare quid ſit. 232. 2. 501. 2. 567.1
Lux clara comes diuinitatis. 14. 2. & ſeq. 167.2
Lux dubia, & incerta quæ. 14. 2. 238.2
Lux pro Aurora. 158.2
Lux prima quænam ſit. 530.2
Lux, & lumen, in quo differant. 611.1
Luxus honeſtati repugnat. 448.2
Luxum in armis quærere effœminati eſt. 250.2
Luxuriare quid ſignificet. 272. 1. 411.1
Lybia tertia pars totius Orbis. 231. 2. 501.1
Lyæus vnde dictus. 420.2
Lycæus mons Arcadiæ, & Lycæum Atticum quod. 249.1
Lycaonis transformatio. 217. 2. ſecundo.
Lydia Mæonia dicta. 22. 1. 196. 2. 278.2
Lydiæ mulieres inficiendarum lanarũ peritiſſimæ. 296 2
Lydius lapis, ſeu Index. 126. 2. 127.1
Lyra ſymb. Poetæ, Muſæ, & Muſicæ. 9.2
Lyra quid ſit. 253.1

M.

MAcedones ſimiles viuis etiam poſt mortem. 577.2
Machina; & machina rerum quæ. 397.1.2
Macies quid, & Macies Ægyptiorum Dea. 473.2
Maculæ in Luna quando, & quomodo appareant. 259.2
Maculæ in Sole. 398.1
Madêre quid ſit. 176. 2. 193. 1. 230. 1. 610.1
Madidare quid. 289.2
Mæonia Lydia eſt, in qua Bacchus præcipuè colebatur; inde Mæonius Thyrſus. 22.1
Mænala Mons Arcadiæ Dianæ ſacer. 166.2
Magnanimitas Regia. 46.2
Maia Atlantis filia, vna ex ſeptem ſtellis &c. 58.2
Maieſtas quid. 62.2
Maieſtas Principum, vel ſerena, territat. 511.2
Maieſtas, & amor non conueniunt. 152.1
Maior vbi, ceſſat minor. 32. 1. 381.1
Maia aurea *oues aurei velleris*. 225.2
Malignus quid ſignificet. 525.2
Malum omne panditur ab Aquilone. 451.2
Malum quid, & vt malum non eſt obiectum proſecutionis. 522.2
Malum nauis. 587.2
Mandatũ dicitur *expreſſum amantis deſiderium*. 87.2
Manere pro *fixum eſſe*. 461. 1.2
Manes quid eſſent. 38. 1. 192. 2. 595.1
Manes Solis noſtri aſpectum non ferunt. 356.
Manicæ ferreæ ſymb. Coniugij. 88.1
Manubiæ Iouis tres, & quæ fuerint. 376.1
Manus quid, & vnde dicta. 172.1
Manus operationis, & liberalitatis ſymb. 268.2
Manus potentiæ ſymb. 350.1
Manus poteſtatis, & operationis ſymb. 486. 1. 495.2
Manus exerta. 591.1
Manus ſiniſtra furacitatis ſymb. 561. 1
Manus plures ſomniatæ à ſceleſto. 561. 1.2
Marcidus in duplici ſignificatione. 201.1
Mare natura ſua tranquillum. 3.2
Mare edomitum deliciæ nautarum. 5.2
Mare Egeum, & Ionium. 6.2
Mare ventis agitatum. 55.2
Mare Ionium, & Geticum. 106.2

Mare Tyrrhenum. 207. 1. 508.2
Mare Aphricum. 611.1
Mare excrementum, non elementum. 122.2
Mare calidum eo quod ſalſum. 122. 2. & ſeq.
Mare quid ſit, & pro elemento ſumptum aquarum. 185. 1. 610. 2.
Mare ſpeculum Cæli. 187.1
Mare Erythræum gemmis abundans. 187.2
Mare arenoſum deſcriptum. 406.1
Mare Rubrum Arabicum, Erythræum. 568. 2. & ſeq
Mare nec filijs parcit. 604.2
Margines qui. 194. 1. 308. 1
Maris aqua incendiorum cauſa, & quomodo. 123.1
Maris aqua minus apta ad ignem extinguẽdum. ibidem.
Maris aqua cur ingentia adeò nauigiorum pondera facile ſuſtineat. 122 2
Maris ſalſedo vnde proueniat. 122.2. 123.1
Maris frementis poſt tempeſtatem deſcriptio. 15.2
Maris diuiſiones varia nomina &c. 238.1
Maris æſtus ea Luna efficiente. 270.1
Maris douitiæ. 400.2
Maritare quid propriè, quid translatè. 289 2. & ſeq.
Maritus vndè dictus. 35.1. 546.2
Maritus quis ſit. 397.1
Maritus nomen præſcindens à legitimo, & non 397.1. 506.2.
Mars quis; vnde natus; cur bellorum præſes. 98.1 2
Mars Romæ protector; eius Sacerdotes Salij. 98.2
Mars in Aprum mutatus, vt Adonidem perderet. 293.1
Martis Amaſia Venus. 329.1
Marti equus ſacratus. 12.2
Martius à Marte. 328.2
Marſias in fluuium conuerſus. 439.2
Marſias fluuius ex lacrymis Nympharum. ibidem.
Maſſylus Leo qui fuerit. 218.1
Mater Deorum omnium Nox. 82.2
Mater in duplici ſenſu. 92.2
Mater nomen dignitatis, nobilitatis &c. 92.2. 410 1
Mater ferox in pueri periculo. 221.2
Mater Chriſti non eſſet B.V ſi cõcepiſſet in corde. 459.2
Mater non poteſt filiorum obliuiſci. 477.1
Mater nunquam ſatis pro filijs ſolicita. 140.2
Mater curam filiorum negligere nequit. 477.1.2
Mater ex natorum virtute fœlix fit. 565.2
Mater ſuum reputat quidquid filiæ eſt. 602.2
Mater ex græco *filijs conſulens*. 604.2
Matris nomen dulce ex Virg. 35.1
Matris ſolatium filij. ibidem.
Matris non eſt crudeliter agere. 604.2
Matris fuit apud græcos nuptiales præferre faces. 376.2. 601.2.
Matris affectus in filios. 391.2.451.2 558.2.564.2
Matres Troianæ cur naues incenderint. 88.2
Matres ſemper timidæ. 221.2. 564.2
Matres Elyſiæ quæ. 410.1
Matrimonium ad quid inſtitutum. 82.1
Matrimonia debent ſumma libertate gaudere. 87.2
Materia tranſit de compoſito in compoſitum, & principium primum rerum omnium eſt. 47.2.48.1
Materia triplex ex Phyloſ. 186.1. 264 2
Materiæ deſinitio. 48.1
Matuta Dea diem referans. 302.2. & ſeq.
Maximus nomen eſt Dei proprium. 46.1
Maximus cur dictus Atlas. 231.2
Meatus quid ſit. 121.1
Media in executione prima, vltima in intentione. 454.1
Medici violenta remedia grauioribus adhibent morbis. 446.1.2.
Medicorum præcipua circa ægrotos cura. 446.1
Mediterraneum Mare quà extendatur. 568.2
Medium pro centro. 184.1.2
Medium ſerenum in triplici ſignificatione. 292.1
Medulla quid ſit. 496.1
Meduſa, & quid de ea. 253.1
Meduſa a Perſeo obtruncatur quomodo, & cur. 253.1
Meduſæ ex capite Palladis Clypeus. 253.2
Megera ætipes. 595.1.2
Megeræ natura, & munia. 593.1
Melancholia atrum cordis venenum. 486.1
Melancholiæ proprietas triſtibus gaudere. 486.1
Melleus ros e Cælo decidens quercubus inſidet. 306.1
Membra, & membrana. 128.2
Membra quid ſint. 261.2. 472.2
Memoria oculus in occiput. 477.1
Mendacij Pater, Auctor veritatis. 217.2
Mens quid ſit. 9.1. 155.1
Mens congeſta, ſeu concuſſa &c. 9.1
Mens pro anima, eiuſdemq; potentijs. 448.2
Mens, eiuſq; vires, ac velocitas. 359.2
Mens nobiliſſima animæ potentia. 452.1
Mens pro voluntate. 155.2. 388.1
Mentis æſtus deſcriptus. 491.1
Menſes duodecim Æoli filij ſinguli, ſingulis dicati Dijs. 527.2.
Menſura temporis, & tempus extrinſecum. 84.2
Menſura temporis cognitio. 490.1
Mentio pro eodem ac *ſimulo*. 188.1
Mentor Leonis Medicus. 108.2
Meonia alio nomine Lydia. 278.2
Merces quæ, & vnde dictæ. 586.2
Mercurius cordis præſes. 5.1.60.2
Mercurius Deorum internuncius. 58.2
Mercurius Caduceator. 59.2
Mercurius concordiæ Numen. ibidem.
Mercurius Plutonis nepos. 58.2
Mercurius Maia genitus ex Ioue. ibidem.
Mercurius cur Ales; cur Cyllenius. 59.1
Mercurius Mercatorum præſes. 5.1
Mercurius interpres Diuum, orationis vis &c. 59.2
Mercurius ſomniorum præſes, & præfectus mortuorum. 60.1
Mercurius animas reducit ab Inferis. ibidem.
Mercurius cur triceps, & Deorum voluntas. 68.2
Mercurius Numen commune qui. ibidem.
Mercurius Cytharæ inuentor. 209.2
Mercurij nutrix Cyllene. 59.1
Mercurij ſimulacrum. 68.2
Mercurij Sydus velociſſimum. 86.2
Mercurio virga aurea, & arundinea, & cur. 59.1.2
Meretrix omnia audet, & de peccato gloriatur. 549.1.2
Meretrici qui iungitur vnum cum illa efficitur. 530.1
Meridianus, eiuſq; ſitus. 189.1. 534.1
Meridies per Notum deſignatus. 570.2
Meritum ſequuntur, & præmia, & pœnæ. 548.1
Meſſis quæ. 143.1
Metallum quid ſit. 175.2
Metalla cur liquari poſſint ex Ariſt. 176.1
Metere quid proprie, quid translatè. 319.2
Methereologica corpora in qua aeris regione fiãt. 131.1
Metiri corde pro *ſpeculari*. 246.2
Metiri quid ſit. 587.1
Metus quid ſit. 5.1
Metus filius Noctis. 464.2
Metus tortor, & ſatelles. 5.1.483.1
Metuo vndè deriuatum. 250.1
Metuere ſeruorum eſt. 208.2
Metuens vigilans ſomniat. 464.1
Metuenti obſtrepunt omnia. 486.1.2
Meticuloſus quis. 5.2
Mezentij crudelitas præcepta. 372.1
Micare, ideſt *per interualla collucere*. 202.1. 598.1
Miles vnde dictus. 335.2
Militi conſternato arma ipſa impedimenta ſunt. 342.2
Milites cunicularij. 335.2. 336.2
Mille anni tanquam dies externa quæ præterijt. 154.2
Mille, centum, ſexcenta pro infinito numero vſurpantur 440. 1. 509.1
Mimas ex Gigantibus vnus. 579.2
Minæ quænam ſint. 42. 1. 417. 2. & ſeq.
Mineruâ naſcente aurum pluit. 98.2

Mi-

Miniſtræ quæ, & vnde dictæ. 509.1
Miniſtri qui dicantur. 408.1
Minos Iouis, & Europæ filius. 413.2
Miror in triplici ſignificatione. 143.1
Mirari obſtupeſcere, & cum *voluptate intueri*. 398. 1. 588. 2.
Miſceri quid ſignificet. 479.1
Miſer quis ſit ex Tulio. 479.1
Miſer, & miſerandus, in quo differant. 559.2
Miſeriarum maxima ex beato miſerum effici. 602.2
Miſerias experti facilè miſerentur. 564.1
Miſerationum excitandarum ars. 564.1
Miteſcere quid ſit. 328.1
Mitti *ſubditum* indicat, qui *mittitur*. 48.2. 210.2
Modulari quid ſit. 147.2. 213.1
Modus quid, & vnde dictus. 207.2
Mœnia quæ. 111. 2. 172. 2. & ſeq. 327.2
Mœrens quid ſonet. 81.1. 319.2. & ſeq.
Mœror quid ſit. 81.1
Mœrores ſpontanei infortunia præſagium. 486.1
Molarum ab Ætna euibratorum cauſa. 120.1
Moliri *conſtruere* eſt. 586.2
Moliri conatum importat. 200. 1. 609.1
Molleſcere quid dicat. 163. 2. 407.1
Mollis idem, ac delicatus. 318.2
Mollis pro inhabilis. 523.2
Moloſſi canes Epiri. 217. 1.2. ſecundo.
Mons igniuomus, vulgò *la Radicoſa*, & eius qualitates. 116. 2.
Mons, in quo diſtinguatur à colle. 209.1
Monſtrator quis. 606.2
Monſtra Inferorum ex Bracciolino deſcripta. 35.2
Monſtra ex diuerſarum ſpecierum coitu oriuntur. 65.2
Monſtrum quid ſit. 35.2
Monſtrum, & prodigium, in quo differant. 242. 1.2
Mora in triplici ſenſu. 487.2
Mora ſæpè parua infinita iactura. 435.1
Moræ quæ. 340.2
Mores, & mores teneri qui ſint. 529.1
Moriendi duplex modus, & qui. 421. 1.2
Moriendi dies vnicuiq; ſtatuta. 421.1
Moriens ferociter. 25. 2. & ſeq.
Morientium extremæ partes deficiunt primæ. 540.1
Mors, propria viuentis, de omnibus etiam inanimatis dicitur. 47.1
Mors finis malorum omnium. 47. 2. 460. 1. 512.1
Mors vltima rerum linea. 47.1
Mors vitæ priuatio 69.2
Mors æquans omnia. 402. 1. & ſeq.
Mors potentiſſima Inferorum ſatelles. 402.2
Mors fatalis difficilis, & quæ, & cur. 421.2
Mors argentea, eiuſq; ſpiculum aureum. 460.1
Mors quid ſit. 47. 1. 422.1
Mors interdum induit rationem boni. 511. 2. & ſeq.
Mortalium nomine homines præcipuè eueniunt. 444.1
Mortui qui portarentur in fanum Cereris. 610.1
Mos altera natura eſt, & definitur. 331.1
Mos tranſit in naturam. 451.2
Morum imitatio præcipua poeſis virtus. 207.1. 221.1
Motus quid, & eius acceptiones. 115.2
Motus non omnis in fine velocior. 92.1
Motus dari nequit perpetuus. 567.2
Motus localis natura. 171.1
Mouere quid ſignificet. 14. 1. 234. 2. 368. 1. 490.2
Mugio quid ſonet. 331. 2. 610.1
Mugitus quid propriè, quid tranſlatè. 149. 2. 222.2
Mulcere quid ſignificet. 178.2
Mulciber cur dictus Vulcanus. 342. 1. 597.2
Mulier pulchra Pauone ſuperbior. 472. 1. 520.1
Mulier comâ magis, quam caudâ Pauo, ſuperbit. 495.1
Mulier, in vno peccans, plurium rea cenſetur. 519.2
Mulier effrœnis fuſtæ domanda. 549.2
Mulieres Lydiæ inficiendarum lanarũ peritiſſimæ. 296.2
Mulierum ſedulitas in concinnandis crinibus. 247.1
Multifidum quid ſit. ibidem.
Mundus ab æterno per Ariſtotelem. 24.1
Mundus Inferorum, & Superum. 75.1
Mundus κόσμος dictus, & cur. 88. 1. 182.2
Mundus inferior, & ſuperior. 88. 1. 182.2
Mundus pro Cælo. 232.2
Mundus perfectus, & idealis iuxta aliquos. 259.1
Mundus Deus, & Dijs plenus. 428.2
Mundi machina ex Chao educta. 39. 1. 181.2
Munera placant homineſq;, Deoſq;, ſed muneribus Deus iudex non corrumpitur. 563.1
Munerum vis in accipientibus. 563. 1.2
Murmur quid, & in quo diſtinguatur à fremitu. 66. 2. 188. 1.
Murus prout à pariete diſtinguitur. 336.1
Muſæ quæ fuerint, & ex quo octæ. 234. 2. & ſeq.
Muſæ ſphærarum animæ. 234.2
Muſarum nomina, officia, & antra dicata. 234.2. & ſeq.
Muſarum antrum *Poeta pectus*. 235.1
Muſis, & Somno ara dicata. 236.1
Muſica pars aritmeticæ. 147.2
Muſica in conuiuijs adhibita. 412.2
Muſicæ artes, quaſi veneficæ incantationes. 217.1. ſecundo.
Muſicæ proluſiones. 213.1
Muſici in Elyſijs. 412.2
Mutare quid ſit. 104. 2. 111.2
Mutatio à forma ad priuationem, vel viceuerſa. 550.1
Mutatio adæquata, & inadæquata quæ. 451.2
Mutatio regionum ſæpè fortunam immutat. 483.2
Mutationes receſſum important veteris formæ, & acceſſum nouæ. 328. 1.2
Mutui amoris definitio ex Cic. 428.1
Mutus ex vi amoris loquitur. 506.1
Mycenæ à Perſeo conditæ. 594.2
Mygdonia duplex, & Mygdonius cantus. 392.1
Myrmidones populi qui. 561.1

N.

NAiades Proſerpinam comitantes, & cur. 272.1
Naiades Proſerpinæ miniſtræ, & cur. 272. 1.2
Naiades fontium præcipuæ præſides. 273.2
Narciſſus colligens rapitur Proſerpina. 320. 2. 361.1
Narciſſus, qui flos, & quis ante florem. 320. 1.2
Narciſſus filius Cephiſi amnis ex Liriope. 320.1
Narciſſus Eccho adamatus ſuę imaginis amans &c. ibidẽ.
Narciſſus, Furijs ſacer, perituræ ſymb. formæ. 320.2
Narciſſus nil amauit præter fontem. 321.2
Narro differt à dico. 78.2
Natare quid, & cuius ſit. 344.1
Natorum vitia in parentes redundant. 93.2
Natura naturans, & naturata. 3.1. 105.1.2. 183.1
Natura naturans quid ſit explicatur. 183.1
Natura rebus omnibus fines præſcribit ſuos. 3.1. 105.1
Natura vult conſeruationem ſui in quantum poteſt, ſi non in indiuiduo, ſaltem in ſpecie. 34.1. 141.1
Natura Dea fuit. 105.2
Natura mater rerum omnium. 451.2
Natura præſentis futurum malum. 136.1
Natura nunquam prorſus expellitur. 7.1. 207.2
Natura pro habitu, & qualitate naturali. 208.1
Natura nulla Deo ſuperior. 183.1. 451.1
Natura nititur in vetitum. 468.1
Naturæ opus eſt opus perfectiſſimę Intelligentiæ. 528.1
Nauis quid ſit. 1.2
Nauis inuentor primus. 1.1
Nauis qua de cauſa ſupernatet. 2.2
Nauis ſubita tempeſtate periens ſymbolum pereuntis ex inuidia. 516.2
Naues optimæ quæ. 587.1
Nauigantes quatuor tantũ digitis à morte diſtant. 587.1
Nauigantes cur ſpeculam in ſummo mali conſtituant. 134.1.
Nauigatio à natura præmonſtrata. 3.1
Nauigatio moraliter impoſſibilis fuerat. ibidem.

Nauigatio temerarium opus. 2.2. 42.& ſeq. 587.1
Nauigationis inuentores ijdem, & nauium. 1.2. 586.1
Nauta quis, & pro quo. 169.2. 422.2
Nautilis piſcis ſymb. ſuperbiæ. 559.2
Nebulæ campo recumbentes ſerenitatis indicium. 591.1
Neceſſitas ſimpliciter, & ad benè eſſe. 429.1
Neceſſitas triplex apud Theologos. 452.2
Neceſſitas ex præſuppoſito decreto non tollit libertatem. 452.2
Nectar quid propriè, quid translatè. 289.2
Nectar quid, & vnde dictum. 289.2. 523.1
Nectere quid ſit. 173.2
Nefas quid. 389.1. 581.1
Nefas pro nefario. 469.1
Negare in duplici ſenſu. 83.1
Negare pro prohibere. 347.1
Negatio malignantis naturæ. 114.1. 222.1
Negligere, & neglectum quid. 205.2
Nemo repentè fit ſummus. 3.1
Nemora ad radices Aetnæ. 113.2
Nepos quis, & nomen gradum importat, non perſonam. 67.2. & ſeq.
Nepotes cur optati dicantur. 429.2
Neptunus, & quid de eo. 77.2
Neptuni cum Iunone de Theſſalia contentio. 346.2
Neptuni ſceptrum quale, & cur trifidum. 347.2
Neptuno Troades puellæ immolabantur. 273.1
Nereia cur dicatur Amphitrite. 77.1.2
Nereus Pater Nympharum omnium. 77.1
Nereus qui, & pro Neptuno poſitus, & Siciliam ab Italia diuidit. 104.2
Nerei dignitas, & filiæ quinquaginta Nereides dictæ. 77.1. 436.2.
Nero Cythara canens Syreni ſimilis. 541.1.2
Neronis ſceptrũ e manu excuſſum fulmine. 63.1. 458.1
Neroniana crudelitas. 478.1
Neruí pro fidibus, & cur. 213.1. 257.1
Nerui omnes e cerebro oriuntur. 106.1. 578.2
Nicteus Plutonis equus quis, & vnde dictus. 202.1,2
Nidus quid ſit, & nidi Pſitacorum penſiles. 452.1,2
Niger color cur Plutoni. 62.2
Niger color oſtentum mortis. 62.2. 402.2. 456.2
Nigra columba Viduæ ſymb. 466.2
Nil volitum, quin præcognitum. 110.2
Nil in ore, quod prius non fuerit in mente. 454.1. 526.2
Nil violentum durabile. 517.2. 558.1
Nilus Aquila cor Promethei exedens. 228.2
Nilus ſub Iouis nomine, ac Numine cultus. 229.1
Nili exundantis variæ cauſæ. 228.2
Nili principium vnde. 229.1
Nili aquæ dulciſſimæ. 229.1
Nili ſeptem oſtia, & eius ſymb. cor. 229.1
Niphates à Niue Mons Tigribus fętus. 545.1
Niteo quid ſignificet. 172.1. 256.1
Nix quid ſit. 116.2
Nix, eiuſdemq; efformatio. 215.2. & ſeq.
Nix cœleſtium aquarum ſpuma ex Plin. 215.2
Nix auditum hebetat. 216.1
Nobilitas noſtra in actionibus conſiſtit. 321.1
Nobilitas generis à genitore in filios cum ſanguine transmittitur. 320.2
Nobilitas quaſi noſcibilitas. 483.2
Nodari quid ſit. 263.1
Nomen pro re poſitum. 477.2
Nomen ſine corpore. ibidem.
Noſcere, eſt claram habere cognitionem. 335.2. 557.1
Nota quid ſit. 130.1. 174.1.2
Notæ, & præcipuè naturales quid ſint. 130.1
Notare quid ſit. 139.2
Notitia facti, & conſcientiæ diuerſa. 557.2
Notus Ventus Meridionalis, qui & Auſter. 175.1
Notus ventus, mitis de ſe potius, quam violentus; natura ſua calidus; & Caniculam ſequitur. 175.2
Notus Ventus, eiuſdemq; proprietas. 69.1
Noti ſines Meridies. 570.2
Nouerca, & Nouercale odium, ac perfidia. 220.1
Nox Deorum mater. 82.2
Nox credebatur immenſa, & Dea ante omnes, & æterna. 82.2
Nox ex Chao, & Erebo nata. ibidem.
Nox mortis ſymb. 198.2
Nox furtis, & amatorijs fraudibus amica. ibidem.
Nox priuatio lucis, & per antiquos Dea. 199.1
Nox cur humida dicatur. ibidem.
Nox ſomni mater. ibidem.
Nox pro ſomno. 464.2
Nox terræ vmbra eſt. 471.1
Nox digna Plutonis connubio. 370.2
Nox pro regno Noctis. 371.2
Nox Plutoni pronuba. 198.2
Nox pronuba cur ſtellata. 425.2
Nox terroribus opportuna. 464.2
Nox pro atra fuligine poſita. 471.1.2
Nox conſiliorum mater. 530.2
Nox alta quænam ſit. 534.2. & ſeq.
Nox Erebi alumna; inuidiam, contentionem, fatum, &c. parit illa. 532.2. & ſeq.
Noctis filia cæcitas. 33.1
Noctis filij qui. 46.1
Noctis filia rabies. 537.1
Nocti cur tribuantur equi, modò nigri, modò cærulei. 199.2. & ſeq.
Noxa culpam ſonat, & pœnam. 389.2
Nubere quid ſit. 157.1
Nubes vapor, ſeu aer coactus. 63.2
Nubes cur męſtæ dicantur. ibidem.
Nubes, & nubila quid ſint. 128.2. 252.2
Nubigenæ Centauri, & cur. 230.1
Nubium diuerſitas. 215.1
Nudari, & nudatus. 316.2
Nudare quid ſit propriè, & translatè. 155.1. 316.2. 364.2
Nulla fides, pietaſq; viris &c. 328.2
Numen quid ſit. 68.2. 288.1. 408.2
Numen Deus, & Dei voluntas. 68.2. 433.2
Numina corpus habent aſſumptum. 162.2
Numina Maris, & fluuiorũ vbinam degant. 433.2. & ſeq.
Numina antiquis ſine numero. 469.1
Numina Fatis ſubiecta. 41.2. 602.1
Numina vnde dicta. 602.1
Numeri indeterminati pro infinitis vſurpantur. 440.1
Numerus, & nos ſumus iuxta Epicurum. 448.2
Nunc pro *ſed* particula aduerſatiua. 509.2
Nunc pro tandem aliquando. 312.1
Nuptæ antiquitus rapiebantur. 376.2
Nuptæ ſub noctem ducebantur ad virum. 424.1.2
Nuptiales dies qui. 426.2
Nuptiæ virginitate inferiores. 22.2
Nuptiæ per diuiſum panem ſancitæ. 34.2
Nuptas ob nubendi ritum à quo deductus. 410.2
Nuptum à nubo, & cur nubere dicatur &c. 156.2. & ſeq.
Nurus quæ propriè dicatur. 100.2
Nurus quæque dicitur fœmina, præſertim ſponſa. 406.2
Nutritio ad quid inſtituta. 457.2
Nutrix mater dicitur, & cur. 503.1.2
Nutricis munia, & eius ſinus cur dulcis. ibidem.
Nymbus quid, & eius multiplex ſignificatio. 114.2. 299.2. 377.2.
Nymphæ quæ, & quales. 205.2. & ſeq.
Nymphæ floribus delectantur; ipſiſq; mel offerri ſolitum. 283.1
Nymphæ Meoniæ Baccho ſacræ, & cur. 278.2
Nympharum inſulæ in Lydia. 392.1

O.

OBducere quid ſit. 84.2. & ſeq.
Obedientia virtutum omnium, & cuſtos. 510.1
Obedientia ſalubre vinculum. 517.1
Obedire ſeruorum eſt. 83.1
Obex quid ſit. 120.2. 374.1

Obijcere quid ſonet. 57.2. 107.1. 482.1
Oblectamina virginea quæ. 499.2.& ſeq.
Oblimare quid ſignificet. 448.2
Obmuteſcere qoid. 66.2
Obnubendi nuptas ritus à quo deductus. 406.2
Obrigeo quid. 480.5
Obſcuritas oppoſita nobilitati. 483.2
Obſecratio per quæ fiat. 565.1
Obſideo, & obſido in quo differant. 189.2
Obſtare quid, & quot modis fiat. 381.1
Obſtrepere quid ſit. 316.2. 422.1
Obſtrictum collum *iuris dicterium*. 18.1
Obtendo, & obtentus. 254.1
Obteſtor quid ſignificet. 458.2
Obuelata facie ſponſa ducebatur, & cur. 410.2
Obuium quid dicatur. 40.2. 375.2
Obumbrare quid ſit. 547.1
Occaſio proxima fugienda. 102.1
Occaſio proxima maximum peccandi motiuum. 526.2
Occaſus per Atlantem deſignatus. 570.2
Occiſores ſui ne hoſtium captiui ducerentur. 460.2
Occurrere quid ſit. 407.2. & ſeq.
Oceanus, & Oceani filiæ aquarum præſides. 502.2
Oceani vxores duæ, & qoi ex ijs filij. 211.1
Oceanus quid. 187.1. 193.2. 238.1
Oceanus nauium olim impatiens. 569.1
Oculus imago animi; index affectuum cordis &c. 137.1
Oculus ſermonis ſymb. 499.1
Oculus igneæ naturæ imago animi &c. 471.2
Oculus elatus. demiſſus, ac nutans quid indicet. 137.1
Oculus Eliotropio comparatus. ibidem.
Oculus in occipitio memoria eſt. 477.1
Oculus cuſtodientis ſymb. 494.1
Oculus interni hominis mens. 602 1
Oculi in amore doces ab amore ducti. 96.1. 137.1
Oculi preces habent ſuas. 96.1
Oculi vnde dicti. 537.1
Oculi vocem habent ſuam. 394.1
Oculi filiorum ſymb. 477.1
Oculi Soles gemini, gemina Sydera &c. 471.2
Oculi humani lumina Microcoſmi. 471.2. 544.2
Oculorum conuerſio mali ominis eſt. 137.2
Oculos obliquare indicium furentis. 544 2
Oculis Diana præeſt. 550.1
Oculatus amans. 137.1
Odij ſymb. aqua. 28.1
Odor quid, & quomodo ſenſorium afficiat. 285.1
Odoratus actiuè, & paſſiuè. 285.2
Offendere quid ſit. 121.1
Olea ſpei ſymb., & cur. 491.1
Oleum peccatoris adulatio eſt. 520.1
Oliua fontis nomen apud Delum Laconiæ Montem. 322.2.
Olus, & Euribatus. 507.2
Olympus vndè dictus, & cur gelidus. 348.2
Olympus, ex Græco *totus lucens*. 443.2
Olympus Iouis præceptor. 444.1
Olympus mons imperturbabilis, & Dei ſymb. 444.1
Olympi altitudo. 215.2
Olympi nomine Cælum criſtallinum deſignatur, & cur. 443.1.2.
Olympum montem incoluit Iupiter. 443.2
Omen quid ſit. 193.1
Omne agens agit ad aſſimilandum ſibi paſſum. 91.1
Omnia in terram ex qua orta dilabuntur. 48.1.2
Onus, *pondus*, & ex pondere moleſtia. 510.2
Operire in duplici ſignificatione. 520.2
Ophyon vnus Titanorum. 579.2
Opima ſpolia quæ, & cui dicarentur. 580.1.2
Opis Dea quæ. 527.2
Oppidum quid. 332.2
Opponere quid ſit. 105.2
Opprimere in duplici ſignificatione. 125.2
Optio quid ſit. 91.1
Opus quid ſignificet. 173.2. 205.2
Opus naturæ eſt opus perfectiſſimæ intelligentię. 528 1
Ora quæ. 30. 1. 102.1
Oracula ſolus Iupiter, & Phœbus reddidere. 15.2
Oracula Themis prima reddidit. 157.2
Oracula Delphis ſiluere, & quando. 385.1.2
Oratoris præſtantia ex commotione affectuum. 53 2
Oratoris ars præcipua eſt artem tegere. 22. 2. 138.2
Oratio pathetica interciſis gaudet. 380.1
Oratio incompta, incompti animi eſt. 535.1
Orbis quid ſit. 42. 1. 169.1
Orbis totus punctum reſpectu Cæli. 125.2
Orbis alius in Luna. 223. 1. 258.2
Orbis imago maculæ in Luna. 223. 1. 258.2
Orbis totius diuiſio in duas ſphæras. 188.2
Orbis cæleſtis coordinatio. 338.1
Orbis terræ magnum animal. 142 1
Orbis pro Cælo, & ſphœris. 355.1
Orbita quæ, & cur flaueſcere dicta. 132.1
Ordior in doplici ſenſo. 443.1
Oreades montium Nymphæ. 469.1
Oreſtea Dea quæ fuerit. 551.1.2
Oreſtes furijs actus. 595.1
Orion quis, & quid de illo in ortu, & interitu. 353.1.2
Oris deſcriptio pulchri. 472.2
Ornare quid ſignificet. 75. 2. 318.2
Ornus feralis arbor. 467.1
Ornus deſertis gaudens. ibidem.
Orontes Syriæ flumen, alijs Ladon. 589.1
Orphæus Apolline maior effectus. 217. 1. ſecundo.
Orphæus quis, & cuius filius. 204.2.& ſeq.
Orphæus cur cantu ſe abdicauerit. 205. 1.2. 206.2.& ſeq.
Orphæus Syrenes ſuperans. 207. 2. 541.2
Orphæus quomodo à Mercurio Liram accepiſſe dicatur. 210.1
Orphæi mors. 205.2
Orphæi plures. 205.1
Orphne Nympha Auernalis mater Aſcalaphi. 200 1.2
Orphnæus Plutonis equus ceſpitationem ſonat. 201.2
Os quænam pars hominis. 64. 2. 193. 1. 236.2
Os quid ſit. 472.2
Os quid, & pro toto poſitum corporis habitu. 222.1
Os theatrum affectuum. 193.1
Oſculum quaſi os paruum, & cur maximum pignus amoris. 152.2
Oſculum quid; quid baſium, & ſuauium. 499.1
Oſiris, eiuſq; Hierogl., & Ethymologia. 432.1
Oſſa Mons Thraciæ, conterminus Theſſaliæ, olim Olympi pars. 215.1
Oſſa Olympi olim pars, nunc Mons diuiſus, & cur. 348.1
Oſſa non dedecent ſerpentes maiores. 577. 2. & ſeq.
Oſtendere quaſi os tendere. 221.1
Oſtrum Sydonium. 196.2
Oſtrum plumbeum quod, & cur ex eo mare efformatum in tela Proſerpinæ. 187.1
Oſtrum quid ſit. 186.2
Oſtrum triplex. 187. 1. 293 2
Oſtri viuacitas ex radijs ſolaribus. 187.1
Othrus Canis Cerberi frater. 225.2
Otium pudicitiæ hoſtis. 179.2
Otium pro quiete nocturna. 199.2
Otium virtutes eliminat omnes. 250.1
& fons vitiorum eſt. 517.1
Otium Saturnium quod. 445.2
Otia agere, ſeu otiari. 257.1
Ouatio, & triumphus quid, & cui cõcederentur. 246.1.2

P.

PAbulum commune quid fuerit. 31. 2. 453.1
Pachynus Siciliæ Promontorium. 106.5
Padus qui fluuius, & cur Eridanus dicatur; vnde oriatur; & quo fluat. 345. 2. & ſeq.
Padus pro toto Italiæ corpore poſitus. 346.1
Palla quid ſit. 254.1
Pallas vnus ex Titanibus. 39.2

Pallas quæ, & vnde dicta. 165.2
Pallas lanifica. 166.1
& lanificij inuentrix, ac magiſtra. 179.1
Pallas eadem, ac Minerua, & pluta de eadē. 165.1.166.2
Pallas ſemper Veneri aduerſa. 166.1
Pallas Dei ſapientia; Dei voluntas. 166.2
Pallas bellorum præſes. 165.1.554.1
Pallas vnde dicta fuerit Tritonia; ac eadem aeris, animorumque moderatrix. 250.2
Pallas bellica Iouis virtus. 251.1
Pallas non eſt propriè filia Iouis. 459.2
Palladis ſtatua non ſine clypeo. 262.1
Palladis ſtatua apud Athen. quæ, & cur haſtata. 252.1
Palladem à Minerua diuerſam faciūt aliqui. 165.2.166.1
Palladi virgo immolabatur. 551.2
Palladium ſeruatum ſeruat. 524.2
Pallens quid ſit. 38.1
Palleſcere, & pallor quid propriè, quid translatè. 308.1.354.1.
Palliga Regio cur dicatur Infernus. 411.1
Pallor amantis color. 38.1
Pallor quid ſit. 411.1.472.1
Palma fontis nomen apud Delū Laconiæ Montē. 322.2
Palma, corrupta parte, quæ illi cerebri inſtar, emoritur. 322.2.
Palus pro Lacu. 346.2
Pampinus quid. 307.1
Pan vnde dictus; ex quibus ortus iuxta varios. 440.2
Pan montium omnium præſes. 281.1
Panchaia Arabiæ regio, & quæ. 285.1
Pandere quid ſit in nautica. 4.1.2
& in ſimili quid. 297.1.317.2.& ſeq.
Pandere abſolute quid ſit. 27.2
Pandioniæ arces Atticæ vrbes. 249.2
Panegyris natura, & diſpoſitio. 320.2.& ſeq.
Pantagia quæ, & vnde dicta. 273.2
Paphos duplex. 333.1
Parcæ Cererem exorant. 31.1.2
Parcæ cur potius, quam aliud Numen Plutoni obſiſtant ſupplicantes. 41.1
Parcæ Iouis ex Themide filiæ. ibidem.
Parcæ cur inexorabiles. ibidem.
Parcæ affectuum diſpenſatrices. 41.2
Parcæ fatum cui, & Numina ſubijciuntur. ibidem.
Parcæ quænam, & quot, earumq; nomina. 41.2
Parcæ ſemper concordes. ibidem.
Parcæ cur ſic dictæ. 42.1
Parcæ neceſſitatis filiæ. 43.2
Parcæ tres, tria Fata; & in quo ſenſu. 45.1
Parcarum veſtes ex Pierio. 41.2
Parcarum epiteta crudelitatem ſonantia. 602.1
Parcas euitare nullus poteſt. 602.1.2
Parcæ de diuinis operibus loquendum. 383.1
Parcere quid ſignificet. 53.2
Pares cum paribus faciliimè congregantur. 514.2
Parens à pariendo; ſed & nomen affectus, & honoris. 93.2.427.1.
Parens ex affectu dictus. 165.2
Parentes pro matribus. 422.1
Parère ſeruorum eſt. 83.1
Parere quid propriè, quid translatè. 448.1
Paritas in nuptijs exquirenda. 369.2.& ſeq.
Parrhaſia Regio *Arcadia*, & Parrhaſius in ea Mons. 249.1.
Pars quid, & vnde dicta. 213.2
Partes Mundi, dextera, & læua quæ. 267.2
Partes in continuo, non actu, ſed per deſignationē. 291.1
Parthenius Mons, in quo Veneri ſacra fierent, & Deliæ venationibus inſignis. 329.1.2
Parthia Aſſyriæ regia. 294.2
Parthi ſagittarij inſignes. 359.1
Parthi conſanguineas tantum ducebant. 78.2
Parthorum origo, & denominatio, & primus eorum Rex Seleucus. 294.2
Parthorum cingula quæ. 294.2.& ſeq.
Parthis nulla natio effœminatior. 295.1
Partus, & actum pariendi dicit, & fœtum. 92.1.565.1
Parua ſæpè mora infinita iactura. 435.1
Paruitas materiæ excuſat à delicto. 526.1
Paſco pro delector. 355.1.2
Paſcua pro pratis. 500.1.2
Paſcua Cocyti, quæ pabula exhiberent. 200.1.2
Paſſus quid ſit. 261.2
Pateſieri quid ſit. 83.2
Pater idem, ac totus affectus. 35.2
Pater Diuum Iupiter. 15.2.87.1
Pater mendacij, Auctor veritatis. 217.2
Pater vnde dictus Zephirus. 282.1.2
Pater ex græco *ſeruans filios*. 35.1.604.1.2
Patris cur dulce nomen. 35.1.81.2
Patris, ac filiorum reciprocus amor imitandus. 440.1
Pati quando dicamur. 407.1
Patientia læſa vertitur in furorem. 407.1
Patria vnicuiq; dilecta. 139.1
Patriæ, ac libertatis vehemens amor. 520.2.& ſeq.
Patriæ ortum debemus. 212.2.321.1
Patulus à patenti per quid diſtinguatur. 577.1
Patuli campi qui dicantur. 158.2.467.2
Pauo Iunoni ſacer. 296.2
Pauo Iunonis ſymb. 297.1
Pauo ab Adriano Iunoni oblatus. 297.1
Pauo pulchritudinis, ac ſuperbiæ ſymb. 472.1.2
Pauonis pompæ. 297.1.2
Pauonis cauda Cœli ſymb. 297.1.2
Pauor ſapientiam eijcit. 491.1
Pauperem ſuperbum odio habet Dominus. 559.2
Pax vnde dicta, & quid ſit. 51.1
Pax nutrix Plutonis, eiuſq; templum. 458.2
Peccantes culpas ſuas in Cœlum refundunt. 165.1
Peccantium excuſationes. 159.2
Peccatum non eſt niſi voluntarium. 321.1.389.1.558.2
Peccatum omne ex corde proueniens. 605.2
Peccati fomes quid. 65.1
Pecten, & plectrum quid. 213.1
Pecten textorium inſtrumentum. 364.1
Pectus quid propriè, quid translatè. 161.1.364.1
Pectus tundere pœnitentis, dolentis, ac deſperantis eſt. 485.2.& ſeq.
Pectus cordis templum, & altare. 486.1
Pecus genericum nomen ad omnia bruta. 458.1
Pedes affectus ſymb. voluptuarij. 41.2
Pedes ſymb. aggreſſoris, & cur. 42.2
Pelagus ventis agitatus. 50.1.2
Pelagus cur dicatur profundum maris. 5.2.435.2
Pelagus vnde ſic dictus. 567.1
Pellere de fundo, eſt ab ipſius poſſeſſione deturbare. 554.1.
Pellex quæ dicatur. 571.2.& ſeq.
Pellices, ac filij Iouis ſine numero. 79.2
Pelloponneſi antiqua diuiſio. 16.2
Pelopes elixatus. 414.1
Pelorus Apennini pars, vnde ſic dictus. 103.2
Pelorus tertius Siciliæ angulus. 107.1
Pelorus duplex. 541.1
Pelta, & peltis exultare quid ſit. 376.1.2
Penates, & quid de ipſis. 126.1
Penates magni Dij, quorum imagines à Pallade Pallanti dono datæ. 126.1.2
Penatibus templa dicata in ſubterraneis. 126.2
Penelopes per aliquos impudica, ſed defenſa. 440.2
Penetrale quid ſit. 27.2.155.1
Penetrare quid. 570.2
Penêus fluuius, & quid de eo. 346.2
Penna, & pluma quæ. 289.1
Penſum quid ſit. 44.1
Peragere quid. 157.2.412.1
Perferre quid ſonet. 454.1
Pergus lacus idem, ac *perſpicuus*, & *transfigens*. 307.2
Periclis ſtatua galeata, & cur. 60.1
Perilli taurus. 242.1

Per-

Perlegere quid ſignificet. 500.2
Perluſtrare quid. 27.1
Permanare, & promanare, in quo differant. 536.2
Perpetuitas *perpetua ætas*. 399.2
Pernix quid ſignificet. 590.2
Perſephone bona Dea. 12.1
Perſephone Proſerpina eſt. 538.1
Perſeus quomodo Atlantem in montē mutauerit. 331.1
Perſonare quid ſonet. 97.2
Perſpectiuæ artis induſtria. 133.2
Perſpicuitas aquæ proprietas. 310.1
Peruium quid ſit. 129.1
Peruigil cur ignis veſtalis dictus, 426.2. & ſeq.
Peſtes memoranda. 360.1
Peſtis ex corruptione aeris, & peſtis effectus, 360.1.2
Peſtis cur æſtus nomine deſignetur. 536.1
Peſtis pro quocumq; exitio. 541.1.2
Peſtes Reipublicæ mali ciues. 541.2
Petere pro velle. 50.2
Petere in doplici ſignificatione. 127.1
Petere anxium dicit animum obtinendi. 240.2
Phaeton cur dictus Sol ipſe. 599.1.2
Phaetonis caſus &c. ac ſorores in nigras populos conuerſæ. 178.1
per Apollonium in alnos. 345.2
Phantaſiæ laus ex Sempronio, 464.1
Phantaſma quid ſit. ibidem.
Phantaſus Somni filius. 464.2. & ſeq.
Pharetra quid ſit, & perpetuò à Delia geſtatur. 383.2.& ſeq.
Philomelus Cereris filius quis. 91.2
Phlegeton quid ſit. 26.2
Phlegeton exhilaratus, 407.1
Phlegra quæ, & vbi, 389.1.516.1
Phlegrei campi ſulphurei. 516.1
Phebe quid ſit, & vnde dicta. 262.2.265.1
Phebus auctor generationis, & corruptionis. 99.1
Phebus Poetarum Numen, Muſarumq; Princeps. 13.2
Phebus medicaminum omnium inuentor. 599.2
Phebi cum Marte comparatio. 98.1. vſq; 100.1
Phenix ales longæua, cur ſic dicta, & quamdiu viuat. 286.1.
Phœnix arbor palma. 286.1
Phœnix, & quid de ea, eiuſdemq; deſcriptio, 286.1.2
Pholoe Mons Arcadiæ à Pholo dictus. 229.2
Pholus Herculis hoſpes. 230.1
Phorcus quid de eo, & cur Canus dictus, 436.2. & ſeq.
Phorcus quis, & cur Canus verè dicatur. 437.1
Phorcus Sardiniæ Rex. ibidem.
Phorci ethymologia, quâ Canus dicatur, ibidem.
Phreneſis definitio, 544.1
Phrygia quæ. 126.2
Pica loquacitatis ſymb. Baccho dicata. 420.2
Picem tangens inquinabitur. 514.2
Piceum quid ſignificet. 115.1
Piceum Plutonis Regnum, & cur. 472.2
Pietas armatis nulla. 328.2
Pietas, beneuolentia, ac clementia generalis, 388.1
Pietas Dea, & Amor naturalis. 503.1
Pignora cur filij dicantur, 81.2
Pignus quid ſit. 81.2, 125.2
Pignus matri creditum fœmina, 125.2
Pigror quid ſignificet. 215.1
Pij qui dicantur. 598.1.2
Pileus libertatis ſymb. 60.1
Pinea fax à nuptialibus excluſa. 37.2
Pingere quid ſit. 130.1
Pingere acu. 192.1
Pingere pro exornare. 130.1, 294.1
Pingue quid per Ariſtotelem. 123.2
Pinna, *penna* eſt *alaris*. 490.2
Pinus cur Furijs addicta, internecionis ſymb., naturæ imago, & à nuptijs prohibita. 37.2
Pinus Cybeles muſica. 147.1.2
Pinus quid, & cur Cybeli dicata, 146.2. & ſeq.
Pinus conifera, & cur. 147.1
Pinus Cybeles cur ſtridula. 148.1
Pinus quercui amica, & contraria, & pinus funerea. 216.2. & ſeq.
Pinus fœcunda. 583.2
Placatus, & pacatus quid ſonent. 228.2
Placet imperſ. quid importet, 387.2.446.1
Placidum quid dicatur. 129.2.436.2.440.2
Plaga, nempe regio, quid ſit. 189.2
Plaga media quæ. 189.2
Plagæ quæ, & quid ſint. 75.1.189.2
Plagæ vitales, ſeu temperatæ. 190.2
Plagæ frigidæ, ſeu torpentes ineptæ ad generationem credebantur, 191.1.2
Planctus quid. 386.1.487.1
Planetæ influunt, ſed non cogunt. 6.1.2
Planetæ ad bonum potius cogunt. 44.2
Planetæ quot, & qui, & ordo inter ipſos, 351.1
Plangere quid ſit, 422.2.498.2
Planities quid ſit. 301.2
Plauſus, & plaudere quid ſit. 426.2
Plebs vilis, & contempta, & plebs ſcelecta quæ. 408.1
Plebs vilis, & contempta præcipuè in Comitijs. 440.1
Plectrum olim ex ebore, nunc ex ala Vulturis. 213.1
Plectrum, & pecten quid. ibidem.
Pleiades vnde dictæ, earum nomina, & numerus. 58.2
Plinij mors. 113.2.508.1
Pluto *Dis*, hoc eſt *diuitiarum Deus*. 11.2
Pluto galeatus Deus ignotus. 36.2
Pluto, & Proſerpina à Vate inuocati. 23.2
Pluto ſummanus. 46.2
Pluto inuidus. 64.1
Pluto adamas. 28.1
Pluto Iupiter terreſtris cur dictus. 338.1
Pluto cur ſepultus. 372.1
Pluto venator. 534.1
Pluto cæcus iracundia. 10.2.28.1
Pluto, & Proſerpina cur non lapideſcerent detectâ, per Palladem, Gorgone. 375.2
Pluto mortuorum Rex. 36.1.48.1.371.1.2
Pluto legitimus Rex cur Tyrannus dictus. 65.1
Pluto mundum amans, cum raptum exornaret. 246.1
Pluto vnde emerſerit. 350.2
Plutonis templum in Pylo. 16.2
Plutonis imperium tyrannicum. 23.2.24.1.65.1.157.1
Plutonis ambitio. 75.1.397.2
Plutonis Imperium regni ſocios non admittit. 23.2. & ſeq.
Plutonis Imperium à lacteo incipiens circulo per Pitag. 401.2.
Plutonis indignantis furor ex varijs Poetis. 30.2
Plutonis Regnum quale ſit. 74.2. & ſeq.
Plutonis ſedes quæ, & vbi. 74.2. & ſeq. 367.2.368.1
Plutone quæ coniuges dignæ. 270.2
Plutum genuit Ceres, qui fuerit; & eius nomen Arion. 91.1.92.2.
Pluuiarum impendentium ſigna ex Virg. 297.2
Poculum vnde dictum. 418.2
Pocula coronare quid ſit. 412.1
Pœna æquiparanda delicto. 605.2
Pœni qui, & pœni Leones crudeles. 501.1.2
Poeſis vetuſtas inuentio. 14.1
Poeſis eloquens pictura, 17.1
Poeſis cur cantus dicatur. 205.1
Poetæ per Cycnum ſignificati. 9.2
Poetæ omnia ſua ad Apollinem deferunt, 9.1
Polares circuli cæleſtes. 189.1
Poli duo, & polus quid. 27.2.189.1
Poli apud Inferos. 27.2
Poli vnde dicti, 232.1.2
Polyphemus Cyclopum Pater. 582.1
Polyphemi eximia crudelitas, & Deorum contemptus. ibidem.
Polypus ſcopulis adhærens. 543.1
Polypus adulatoris ſymb., & Veneri ſimulacri additus, 519.1.

Pol-

Pollex quid, & pro manu poſitus. 213.1
Pollex vnde dictus, & poteſtatis, ac pacis ſymb, 44.1
Pomum aureum Deabus obiectum. 399.2
Pondus quid, & pro re ponderoſa. 123.2
Pono pro ceſſo. 384.2
Pontus qui. 104.1
Pontus aureus Lunæ ſplendor, 259.2
Poples quid ſit. 258.1
Populari quid. 121.2
Populus, & populi. 31.2. 170.1
Populus arbor duplex, & quid de ijs. 216.1
Populus inferorum cur ſilens. 381.2
Porca Cereri immolata, & cur. 31.1
Porca Iunoni nuptiali feriebatur, 426.1
Porphyrion Gigas. 508.1
Porta quid, & vnde dicta. 327.2
Portæ ſomniorum altera cornea, altera eburnea. 176.2. & ſeq.
Portæ animarum quæ. 49.2
Portare quid ſit. 267.1
Portendere quid. 487.1
Portitor quis, & portitor Inferorum cur Charon. 422.2. & ſeq.
Poſcere non eſt ſupplicantis. 52.1. 100.2
Poſſibilitas quid ſit. 101.2
Poſſeſſium tradendi ritus. 161.2
Poſſum quaſi potens ſum. 262.1
Poſtes reſupinati indicium cladis. 493.1 2
Poſtes in ædificijs quid ſint. 57.2
Poſtes quid, & pro foribus poſiti. 173.1
Potare quid ſit. 269.2
Potens quid ſignificet. 46.1
Potentia, quæ non reducitur ad actum fruſtra eſt. 34.2
Potentia motiua ab imperio dirigitur voluntatis. 486.1
Poteſtas quæ. 397.2
Præbere quid ſonet. 46.2. 217.2. 266.1
Præceps, & præpes in quo diſtinguantur. 168.2
Præcepta quæ ſint. 165.1
Præcipio pro præmoneo. 165.2
Præconum immunitas. 60.2
Præcordia quid ſint. 13.2
Præda quid, & vndè dicta. 203.1. 492.1
Prædæ præſentia Raptorem allicit. 218.1
Prædeſtinatio, & reprobatio nulla habita ratione meritorum apud hæreticos. 548.2
Prægnantium, & parturientium incómoda, earumdemque lætitia poſt partum. 191.1
Præferre quid ſit. 139.2
Prælium, & bellum differunt. 56.1
Prælium à premo, melius à prælo. 33.2
Præmium quid ſit. 141.2
Præmiorum in Elyſijs tempus limitatum. 50.1
Præſaga quæ, & quid præſagium. 135.2
Præſagia plura Proſerpinam, ſi aduertiſſet, admonentia. 274.2.
Præſcius quis. 193.1
Præſcindentium non eſt mendacium. 514.2
Præſepe quid ſit in lata, & ſtricta ſignificatione. 212 1
Præſidium, cuſtodia, & propugnatio. 530.1
Præſtantes, hoc eſt *ante ſtantes*. 320.2
Præſteri ſerpentis virus infauſ. 520.1
Præſudo quid ſignificet. 312.2
Prætendere quid ſit. 106.1. 374.2
Prata Erebi, venenata producunt germina. 201.1
Pratum vnde dictum, & quod ſit, aut fuerit. 318.1
Preces Iouis filiæ. 80.2
Preces oculi habent ſuas. 96.1
Preces ſine voce per ſigna. 529.2
Preces irritæ apud Taſſum. 530.1
Premere pro occidere. 221.2
Premere quid propriè ſit. 232.1. 546.1
Prima emphaticè Venus quia proditrix. 244.2. & ſeq.
Primus, & nouiſſimus, principium, & finis, α, & ω notæ diuinitatis. 603.1
Primum, & poſtremum quid ſint. 609.1
Primitiæ Dijs debitæ. 287.2
Primordia rerum quæ. 82.2
Principes ſomnum auerſantes. 199.2
Principum Maieſtas, vel ſerena, territat. 511.1
Principium omne à Deo ſumendum. 32.2
Principijs obſtandum. 7.2
Priuatio indebita iniurioſior, quam debita. 34.1
Priuatio generat appetitum. 34.2. 449.1. 467.2
Priuignus quis ſit. 220.1
Priuilegia Daphni conceſſa. 217.1
Procella quid ſit. 57.2. 58.1. 147.2. & ſeq.
Procellæ quæ dicantur. 57.2. & ſeq.
Proceres qui cenſeantur. 436.2
Prochita, & Pythecuſæ quæ. 507.1
Proci quinam ſint, & vnde dicti. 97.1
Prodere quot habeat ſignificationes. 9.2. 457.1. 309.2
Prodeſſe eſt *eſſe pro*. 451.2
Prodigium bonum, & malum. 169.2
Prodigus qui, & prout differt à liberali. 279.2
Prodire in aliquem. 385.2
Proditores vnde etiam dicantur deſertores. 604 2
Proditorum pœna. 458.2
Proditorum ſymb. Caper. 518.2
Proditorum amplexus qui. 529 1
Productio rerum ex vi ignium ſubterraneorum. 47.1
Profani quinam ſint. 12.2
Profundum quid, & cur de mari dicatur. 310.1
Profundum pro mari. 2.1
Progenies animarum aurea. 398.2
Prohibere in triplici ſignificatione, & tertia proprium diuinitatis. 76.2
Proijcere quid, & contemptum indicat. 256.2
Proles quid ſit. 90.2
Proluo quid ſignificet. 352.1
Promere, & prodere promiſcuè accepta. 9.2
Prometheus inter Titanas computatus. 39.2
Promontoria Siciliæ quantum inter ſe diſtent. 108.1
Pronuba flamma quid ſignificet. 95 2
Pronubæ munus. 95.2. 425.2
Promus quis dicatur. 152.2. 215.2
Propoſitio diſiunctiua. 119.1
Propria ex vſu vileſcunt; aliena appetuntur magis. 468.1
Proſerpina Iuno dicta, & cur, vis ſegetum, & frugum; ideò Perſephone. 11.2
Proſerpina cur ferox dicta. 29.2
Proſerpina electum opus Fatorum. 91.1
Proſerpina cur optata, & vnica. ibidem.
Proſerpina cur vitula dicatur. 93.2. & ſeq.
Proſerpina quod annos habuerit rapienda. 195.1
Proſerpina à vero igne, & aqua ſe ipſá interdixit. 186.2
Proſerpina narciſſum colligens rapitur. 320.2. 361.1
Proſerpina Iudex Inferorum conſtituta. 402.2
Proſerpina ver fuit. 482.2
Proſerpina, comparatiuè ad alios Deos, innocens, in ipſá culpá. 156.2
Proſerpina Palladem æquat lanificam. 498.2
Proſerpina quibus damnationem promerita. 158.1. 192.2
Proſerpina matris memor abſentis. 179.2
Proſerpina quo diei tempore rapta. 534.1.2
Proſerpinæ comites Syrenes. 178.2
Proſerpinæ modeſtia in rebus ſuis extenuandis. 181.1
Protagoniſtæ error cõdonabilis eſſe debet. 193.1. 331.2
Protegere eſt tegendo defendere. 249.2
Protendere quid ſonet. 106.1
Proterere quid. 94.1. 372.1
Protheus, & quid de eo. 438.1. & ſeq.
Protheus cuſtos marini gregis, Deus ſimul marinus, ac terreſtris, & idem aeris vis. 438.2
Protheus varias abiens in formas. 438.1.2. 439.1
Prothei plures. 438.1
Prouehi quid ſit. 313.1
Prudentia virtutum virtus, ijſdemq; ſtipata. 88.1. & ſeq.
Prudentia Iouis in tradẽda Proſerpina. 89.1. 154.1. 160.2
Prudentia habitus intellectualis practicus &c. 136 1
Prudentia ſapiens, Sapientia prudens. 217.2

Pru-

Prudentiæ munia. 89.1.326 1.494.2
Prudentiæ dictamen de conſulendo. 436.1
Prudentis eſt metuere. 483.1
Prudentiſſimus, & ſapientiſſimus quis ex Cic. 89.2
Pruina quid, & vnde dicta. 118.1
Pruina quid ex Ariſtotele. 136.2
Pruina candore excellens. 472.2
Pubes ſignum maturitatis. 269.1
Pubeſcere *exuberare* eſt. 269.1
Pubeſcere quid ſit propriè, & translatè. 284 2
Pudicitia roſa, & lilium eſt. 96 1
Pudicitia læſa non reparatur. 97.1.588.1
Pudicitiæ argumentum artis textoriæ ſtudium. 179.2
Pudor quid ſit. 96.1
Pudor, & verecundia. 95 2. 195.2. & ſeq.
Pudor virginitatis cuſtos. 96 1.239.2. & ſeq.
Pudor, & pudicitia. 390.2
Pudor pro infamia. 548.2
Puer, & infans qui. 221.1
Pueri timoris incapaces, & cur. 221.3
Pueri naturaliter timidi, & omnia matri oſtendũt. 221.2
Pueri mentiri genitoribus non debent. 564.1
Pulchritudo corporis muta animi commendatio. 440.2
Pulſare pro *verberare*. 109.2. 358.1
Puluis quid; ſemina iuuat; cur Canus dicatur. 131.2
Puluere aſpergebantur comæ in funereis. 468.2
Pumex quid, & quomodo fontibus aptus. 203.2. & ſeq.
Puniceus color Auroræ. 159.1
Purpura verecundiæ ſymb. 195.1
Purpura Sydonia. 196.2
Purpurandi inuentor Hercules, & cur. 196.1.2
Puto quid, & vnde Ethym. 71.2
Putridum in triplici ſignificatione. 321.2. & ſeq.
Pyragmon ignis multus. 73.2
Pyratæ in Delphinos conuerſi. 21.1
Pyrrhæ, & Deucalionis diluuium. 274.1. 346.2
Pyropus omnes ſuperat gemmas. 472.2
Pytho Veneris filia. 529.1
Python ab Apolline interemptus. 99.1
Pythonis ortus ex Terra, & quomodo. ibidem.

Q.

QVæro pro actu habere cupit. 490.2
Quærere quid ſit. 207.2. 533.2
Quadriga quid, & vnde dicta. 369.1
Quantus ad numerum relatus. 30.1
Quatere quid ſit. 60.1. 232.2. 545.1
Quercus Oracula reddentes. 32.1
Quercus Cereri ſacra iuxta Pinum ſata emoritur. 216.2
Quercus cur trahatur à Pinu, & non viceuerſa. 217.1
Quercus amica Ioui, & cur. 305.1. 580.2
Quercus in Coronam Ciuium adſciſcebatur. 305.1
Quies quid, & pro ceſſatione ab armis. 82.1
Quieſcere quid dicat. 160.2
Quietus quis dicatur. 434.2
Quippè pro *certè*, & pro *quinimmò*. 306.1

R.

RAbies quid ſit. 207.1. 364.2
Radiari quid ſit. 207.1
Radij viſuales faces Amoris. 28.1
Radij Solis ſymbolicè per ſagittas expreſſi, & radius quid. 268.2
Radij Solis duodecim. 269.1
Radius textorius. 499.2
Radix quid propriè, quid translatè. 332.2
Ramus quid ſit. 147.1. 304.1
Rami virides in triumphis. 408.2
Rapere quid ſit. 56.1. 315.2. 554.1
Rapiebantur antiquitus nuptæ. 376.2
Raptæ rei dominium penes ſpoliatum eſt. 553.1
Raptati curru, & puluere fœdati qui. 468.2
Raptor tenetur dotare raptam ex proprio. 29.2
Raptor olim rapinator. 609.2
Raptores qui dicantur. 10.1. 245.2. & ſeq.
Raptores vulpium imitatores. 607.1
Raptorum calliditas expreſſa. 609.2
Raptus. rapina, & raptio differunt. 101.1
Raptus Proſerpinæ crimen læſæ maieſtatis. 363.1
Raptus varij. 389.2. & ſeq.
Rareſcere noctem quid ſit. 413.1
Rates quid, & pro quo ponantur. 170.2. 587.1
Rationes habendæ in connubijs contrahendis. 99.1
Raucus, & raucedo quid. 54.2
Rebellis quis dicatur. 110.2
Recedere quid ſonet. 328.2
Receſſus quid ſit. 88.2. 470.1. 510.1
Recipere in triplici ſenſu. 78.1
Rector animarum Pluto. 333.1
Reddere quid ſignificet. 69.2. 487.1
Redimiculum Sacerdotale, & muliebre. 539.1
Redire, hoc eſt *retro ire*. 58.1. 208.1. 501.2
Referre quid ſit. 279.1. 287.1. 479.1. 564.1
Refugere quid. 153.2
Regale quid cenſeatur. 296.1
Regere quid ſit. 128.2
Reges vnde dicti. 401.2
Regia Maieſtas nunquam peruia apud Indos. 443.2
Regina quæ, & cur Diana talis. 249.1
Regina conſalutatur Proſerpina. 410.1
Regio quid, & vnde dicta. 161.1. 411.1
Regiones ſub Zona torrida, ac ſub frigidis inhabitabiles cenſebantur, ſed falsò. 189.1.2
Regiones Sole carentes. 567.1.2
Regionum mutatio ſæpè fortunam immutat. 483.2
Relangueo quid ſignificet. 54.1
Relegare quid ſit. 102.1
Remigare quid. 345.1
Remiſſio prout opponitur intenſioni. 558.2
Remora naues detinet veliuolas. 541.2
Remota cauſa remouetur effectus. 207.2
Remotum pro occulto, & cur. 447.2. & ſeq.
Remus, & remigium. 587.2. & ſeq.
Remos quis inuenerit. 2.1
Remos agere vacuos. 423.2
Rependere quid ſit. 47.1
Repens quid. 351.2
Reperiri quid dicatur. 455.1
Reponere quid ſit. 328.1
Reportare quid ſonet. 38.2
Repoſcere quid. 121.2
Requies quid ſit. 517.2. 603.2
Requirere quid. 89.1
Res ſacræ quænam dicantur. 27.2
Res pro imperio. 459.1
Reſidere quid ſit. 66.1
Reſpicere quid ſignificet. 283.1
Reſpirare quid, & cuius proprium ſit. 413.2. & ſeq.
Retardare quid ſit. 373.2. & ſeq.
Rete Vulcani. 548.2
Retia quid, eaq; & venatores conficiunt. 383.2
Retrocedendum, vt fortiùs quis irruat. 518.2
Retundere quid propriè, quid translatè. 322.1
Reuelare quid ſit. 362.1
Reuerentia quid. 381.1. 556.2
Reus quis dicatur. 609.2
Rei obſtricto collo trahebantur in iudicium. 18.1
Rei indicta cauſa non damnantur. 388.1
Rei ante Inferorum iudices fatentur coacti. 403.1
Reorum miſera conditio. 391.1
Rex, & Tyrannus in quo differant. 546.1
Regis eſt inſomnem eſſe. 139. 1. 216, 1. ſecundo.
Regis ad exemplũ totus componitur Orbis. 35.2. 162.1
Regis Hierogl. ſerpens, & Rex anima Regni, eiuſdemq; Numen tutelare. 368.2
Regum ritus in tuſſis tradendis. 58.1
Regnare quid ſit. 282.2. 582.1
Regnare, & Regem eſſe quis nouerit. 506.2

Re-

Regnum non capit duos. 24. 1. 62.1
Regnum Plutonis quale ſit. 74. 2 & ſeq.
Regnum pro regnante. 461.1
Regnum mortuorum quod. 55.1
Regna vltima inferorum ſedes. 160.1
Rhadamanthus Iouis ex Europa filius. 80.2
Rhætus gigas. 579.1
Rhædariorum, & circumpedum mores. 408.1
Rhenus proles probans, & cur gelidus dicatur. 569.1
Rhodope Thraciæ mons, vndè ſic dictus, 99.1.2
Rhiphæi Montes qui, & vbi. 569.2
Rictus quid ſit. 577.1
Ridere translatiuè ſumptum. 325.1
Rigere quid ſit. 64.1. 278 1
Rigidum in triplici ſignificatione. 578.2
Riguus actiuè, & paſſiuè. 240.1
Rimari quid ſit. 337.2
Rimoſum quid dicatur. 121.1
Riſus contemnentis, & immodicus leuitatis indicium. 222.1.
Riſus plorantis qui. 519.1
Riſus, & fletus pratorum. 209.2
Ritus Rom. in legibus ferendis. 444.1
Ritus obnubendi nuptas, à quo deductus, 410.2
Riuales facile ad vim inclinant. 101.1
Riui mobiles qui, & cur. 303.1
Robur quid ſit. 71.1. 389.1
Rogus quid, & quomodo conſtrueretur. 422.1
Rogum ſuccendere cuius ſit. ibidem.
Romanorum mos in augurijs obſeruandis. 376.2
Ros quid ſit. & quomodo fiat. 136.2
Ros Lunæ filius. 270.1
Ros humo ſudo decidens cælo. 290.1
Ros ſudor aeris, eiuſdemque cadentis tempus. 312.2. & ſeq.
Roris cum lacrymis proportio. 136.2
Rores Cœli lacrymæ. 206.1
Rores vegetantium vita. 283.1
Rores ex frigore citra ſummum. 312.2
Roſa ſymb. pudicitiæ. 96.1
Roſa ab initio ſine ſpinis; ſpeculum humanæ vitæ; ſymb. bonitatis mala ſuperantis; cur florum Regina, & fluxæ fœlicitatis ſymb. 292.1.2
Roſa ſepulchralis Veneri dicata, eiuſdemq; voluptates indicans fugaces. 293.2
Roſa primum alba, inde purpurea. ibidem.
Roſa Venerem ſauciat, & ſanguine inficitur. 293.1
Roſa qualis nata in nouo Æternitatis vere. ibidem.
Roſa ſignum doloris, & cur. 314.2
Roſa Veneris flos. 537.1
Roſæ fugacitas. 292. 2. 527.2
Roſæ toto anni tempore floreſcentes. 527.2
Roſarum fragilitas. 319. 1. 527.2
Roſarum cum Lucifero ſtella vis ſympathica. 319.1
Roſeum quid dicatur. 267.1
Roſtra nauium ex ære. 178.1
Rota quid ſit, & vnde dicta. 131.2
Rota Cereris cultoris vicem adimplens. ibidem.
Rota Ixionis. 414.1
Rota Ixionis, Orphæo canente, ceſſauit. 414.2
Rotare violentis eſt. 118. 2. 273.2
Rubigo in metallis, ac meſſibus quid. 536. 2. & ſeq.
Rubor, & verecundia. 54. 1. 195.1
Rubor modeſtæ Virginis proprius. 195.1
Rubor in genis pulchrum facit. 471.2
Ruboris cauſa. 195.1
Rubeus color non ſemper feralis. 376.1
Rudis quis propriè, & translatè. 61. 1. 2. 522.1
Ruere quid ſit. 36. 1. 119. 1. 249. 2. 434. 2. 490.1
Rupes quæ ſint. 106. 1. 589.1
Rura quæ ſint. 287.2
Rurſus quaſi *retrorſum prorſus*. 558.1
Rutilus color qui. 130.2
Rutilum quid. 354.2

S.

SAbæi quot affluerent diuitijs. 295.2
Sacrum quidquid Deo dicatum. 422.1
Sacra Cybeli inſtituta, vnde delata. 148.2
Sacra non miſcenda profanis. 12.1
Sacra ſemper verenda. 281.2
Sacræ res quæ. 27.2
Sacrantes ſacranda tangunt. 425.2
Sacris initiati quales eſſe debeant. 22.2
Sacrarium quid ſit. 192.1
Sæculum quid, & ſæculares centeſimo quoq; anno ludi. 44. 1.
Sæculum optatum à Phœnice. 287.1
Sæculum aureum à Ioue ſublatum. 445.1
Sæculi aurei primordia. 21.2
Sæculi aurei deſcriptiones variæ. 399.1
Sæculi, ſub Saturno, aurei deſcriptio. 445.1
Sæculi aurei ſpontanea fertilitas. 446.2
Sæuus pro forti, ac valido, & crudeli. 470 2
Sæuus in genere quid ſignificet. 208 1
Sagittæ pendentes poſt tergum quid ſignificent. 257. 1. 2
Salſedo maris vnde proueniat. 122. 2. 123.1
Saltus qui ſint. 240. 2. 315.1
Saltem vnde deductum. 479.2
Salue ſalutationis vox, & funerea vox. 137.2
Salue vox exprimens amicitiæ fidem. 138.2
Sancire quid ſit propriè, & translatè. 425. 2. & ſeq.
Sanctum quid ſignificet. 461.1
Sanctus quid ſonet. 478.2
Sanguis anima ipſa fuit ex Empedocle, ſed impiè dictum. 140. 2.
Sanguis pro ſtirpe, & progenie. 140.1
Sanguis animæ vehiculum, & vinculum ſocietatis inter animam, & corpus. 140. 2. 485.1
Sanguis alimentum proximum viuentis, & quomodo. 212. 1. 485. 1.
Sanguis morbo medetur comitiali. 485.1
Sanguis riget ex receſſu ſpirituum. 466 1
Sanguinis Mars præſes. 485.1
Sanguinis ſudor naturalis eſſe poteſt. 485.1
Sanguine placanda Numina. 605.2
Sanguineum, quid dicatur. 292.2
Saties quid ſit. 365.1
Sapientia ſeniorum propria. 437.1
Sapientia quod optimum eſt ſemper ſequitur. 524.2
Sapiens ægritudines animi non admittit. 380 1
Sarmatia duplex, & quæ. 277.1
Sationis auctores qui dicantur. 31.1
Saturnus apud Inferos catenatus, & cur. 83. 2. & ſeq.
Saturnus Iouis inſidias molitur. 83.2
Saturnus in ſphæris adſtrictus vinculis, 84.2
Saturnus tempus, eiuſdemq; Ethymologia. 84.1
Saturnus à Ioue ſugillatus. 444.2
Saturnus frigidiſſimus, & cur falcifer. 445. 2. & ſeq.
Saturnus Hiems fuit. 482.2
Saturni, Opiſq; filij tres. 32.2
Saturni virilia à Ioue abſciſſa. 83.2
Saturni ſtatuæ apud Rom. catenatæ Saturnaliorum feſtis ſoluebantur. 84.1
Saturno humanæ victimæ immolabantur. 550.2
Satyrorum procacitas. 441.1
Sauciare quid ſit. 348.1
Saucius in duplici ſignificatione. 110.1
Saxum prout diſtinguitur à lapide. 340.2
Saxa quomodo creſcant, & quomodo in viſceribus montium cohæreant. 121.1
Scalligeri cenſura in Claudianum. 167.1.590.1
Scelus quid ſit. 417.1
Sceptrum inſigne regium hominibus à Ioue datũ. 63.1
Sceptrũ e manu Neronis excuſſum fulmine. 63.1.458.1
Sceptrum imitans aratri ferrum, ſignum poteſtatis. 340.2.
Sceptrum pro regno, ac regnante poſitum. 396.2. & ſeq.
Scientia omnis in cognitione conſiſtit. 540.1

Scien-

Scientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ diſtinctio. 205.2
Scire, & ſcientia duplex. 116.1.2
Scopulus quid ſit, & vnde dictus. 108.2. 596.1
Scorpio ſymb. proditoris. 519.1
Scruta quæ. 499.2
Scrutari quid ſit. 121.2. 229.1
Scuta Deorum ægides dicuntur. 254.1
Scylla in auem conuerſa. 107.1.2
Scylla quæ; ea duplex, & Sicula vbi ſit. 107.1.2
Scylla hiſtoricè quid ſit. 107.2
Scythiæ frigora. 569.2
Scythicæ alpes. ibidem.
Secare quid ſit. 2.1. 575.2
Secare translatum, & vndè. 131.1
Secretum quid. 28.1. 156.2
Securis quæ, & à quo inuenta. 278.1
Securitas ex inconſideratis. 483.1
Securus pro contemptor. 117.1
Securus, & tutus in quo differant. ibidem.
Secere quid ſit. 62.2
Sedes quid. 84.1.2. 144.2
Sedes Dei ante Mundi conſtitutionem quænam eſſet. 181.2.
Sedes Beatorum in Luna iuxta Ægyptios. 258.2
Sedes perpetua, licet apud Superos, incommoda per Heraclitum. 49.1
Sedes Plutonis quæ, & vbi. 74.2.& ſeq. 267.2. 368.1
Sedis gloria quæ fuerit. 439.2
Sedes quo ordine diſtributæ in Sen. Rom. 436.1
Seges quid ſit. 133.1. 446.2
Segnities ex quo proueniat. 447.2
Segne *ſine igne* interpretatur. 447.2. 488.1
Sella aurea Vulcani Iunonem vinciens. 248.1
Semele Cadmi doloꝗ. 584.1
Semen quaſi *ſerimen*; & pro ortu rerum poſitum. 47.1. 183.2.
Semen vndiq; deciſum ad generationem confluit. 92.1
Semen maſculeum tantummodo ad generationem confert actiuè ex Diog. 140.1. 265.1
Semen quid ſit. 265.1
Semidei ſunt Fauni. 457.2
Semiramis phrygij operis inuentrix. 181.1
Semirutum quid dicatur. 497.2
Semita quæ. 167.1
Senatus Rom. ordo circa ſedes. 436.1
Senecta *ſeminex effecta*. 581.1
Senectus apud Rom. ſancta. 439.1
Senex quaſi *ſeminex*. 423.1
Senium quid. 445.2. 542.1
Senſus poetarum quadruplex. 6.2
Senſus pro applicatione. 13.2
Senſus audiendi inanimis datus. 214.1
Senſus internus, & quid de eo. 465.1
Senſum lædit excellens ſenſibile. 355.2
Sententia certa quæ. 89.1
Sentire cuius ſit, & translatè quid dicat. 162.2
Sentire, & ſentiri. 194.2. 459.2
Seponere quid ſit. 205.2
Septentrio per Boream deſignatur. 570.2
Sepultus cur Pluto dicatur. 372.1
Sequi modum dicit ſpontaneum. 61.2. 87.2
Sequi quid ſignificet. 93.1
Serenitas *alacritas*; ſerenus *alacer*. 18.1
Serenitas Cæli propria. 531.1
Serenum medium in triplici ſignificatione. 292.1
Serica veſtis, ante bombycem inuentum. 262.2
Serica in arboribus lana. 263.1
Series quid ſit. 43.2. 181.2. 437.2
Sermo ſine manibus operatur. 59.1
Serpens perlucidus auſpicatior. 18.1
Serpens erectus totius Mundi machinæ ſymb. 128.1
Serpens in dextera Saturni manu collocatus. ibidem.
Serpens Venereæ ſymb. voluptatis, & cur. 251.2
Serpens ſummâ parte peremptus, imâ verò moriens ſymb. Virginis, & cur. 252.1
Serpens ſputo ieiuni hominis necatur. 513.1
Serpentes oſcula inuicem figentes. 49.2
Serpentes, & Dracones in quo differant. 143.2
Serpentes puellarum amaſij. 251.2
Serpentes quando in ſibilum erumpant. 375.1
Serpentes cum ferociunt in caudam eriguntur. 417.2
Serpentes cur auibus inſidientur. 492.2
Serpere quid propriè ſit. 188.1
Serta legum, & lætitiæ ſymbola. 484.2
Sertum quid ſit. 288.1. 328.1
Seruare fidem quid. 116.2
Seruare quid ſonet. 125.2. 527.1.2
Seruatori Ciuium quæ Corona. 305.1
Seruiendum tempori. 3.2
Seruire quid ſit. 397.2
Serui totum eſſe ad Dominum eſt. 509.1
Seruis non fidendum; & teſtes in Dominos non aſſumuntur. 509.1.2
Seruitutis ſymb. frœnum. 129.1
Seuerus idem, ac *venerandus*. 42.2
Seuerus, ideſt crudelis, tetricus &c. 163.1
Sexus quid ſit. 255.2
Sexuum diuerſitas in gemellis vnde oriatur. 254.2
Si pro poſtquam. 56.2
Si in ſenſu cauſali. 57.1
Sicania vnde dicta. 158.2. 307.2
Sicilia Cereris Patria. 91.1. 102.1
Sicilia quo caſu ab Italia exciſa. 103.2. & ſeq.
Sicilia ad Pelorum inacceſſa. 103.2
Sicilia canibus vndequaq; munita. 108.1
Sicilia cauernoſa ſulphure, ac bitumine plena. 110.1
Sicilia terræmotibus obnoxia. 110.2
Sicilia Cyclopum inſula. 112.2
Sicilia ſterilitatis tempore, ex priuilegio fertilis. 456.1
Syciliæ ſymbola. 102.2
Siciliæ deſcriptio ex Auctore, Lucano, & Virg. nomen vndè; & cur dicta Trinacria. 103.1
Siciliæ figura quænam ſit. 105.2. & ſeq.
Siciliæ terræmotus cauſa fabuloſa. 110.2. & ſeq.
Signare quid ſit. 128.2. 129.1. 202.2. 271.1
Signi definitio. 324.2. 455.1
Signum Alaſtoris quodnam fuerit. 202.2
Signa tollere quid ſit. 51.2
Signa malum impendens ominantia. 136.1
Signa ferre quid ſonet. 388.2
Signifer, eiuſq; deſcriptio. 75.2
Silentium ex terrore. 65.1. 66.2
Silentium, & taciturnitas quid. 150.1. 209.2
Silentium ex admiratione. 441.1
Silentium inter Deos enumeratum. 600.1
Silentio Deus colendus. 441.1
Silens cur dicatur inferorum populus. 381.1.2
Silex quid in ſe, & quid ſymbolicè. 145.2. & ſeq.
Similitudo deceptiua. 254.2
Simois Troiæ fluuius. 588.2
Simulacra certa quæ, & ſimulacrum quid. 463.1.2
Sinuare quid ſit. 193.2
Sinus quid. 78.1
Sinus maris qui. 4.1
Sinus Lybici qui. 231.1
Sinus pro veſte. 296.1
Sinu recipere quid ſit. 77.2
Sirenes, & Syrenes in quo differant. 510.2
Siſtema Copernicum repudiatum. 127.1
Sithonia extrema pars Thraciæ. 215.2
Sitire quid ſit. 190.1 551.2
& quid propriè, quid translatè. 215.1
Sitis amor aquæ, vel alterius potabilis. 321.2
Situs quid, & cur Auerno congruat. 63.2
Situs, & locus in quo differant. 104.2
Situs quid ſit. 450.2
Smaragdus gemma Veneri antipathica, & ſpei ſymb. 248.2.
Smaragdus Veneris impatiens ſymb. virginitatis. 550.1
Soboles quid ſit. 92.1

Socerus quis. 376.2
Sociabiles quinam ſint, & ſociare quid ſit. 325.2
Socius quis dicatur. 167.1. 275.1. 590.1
Sodalis quis. 167.1
Sol Princeps Deus, imò vnicus, & ſolus Deus, & Mundi mens ex Cic. 15.1.2
Sol Ianus dictus. 128.1
Sol ſymb. diuinitatis. 567.2
Syl ſyderibus fons luminis. 88.2
Sol candens ferri maſſa per Anaxagoram, 190.2
Sol noctu in gremio Tethidis. 198.2
Sol, & Stellæ igneæ glebæ, vel vaſa igne plena. 239.1
Sol occidens Oceano excipitur, & in ortum defertur, 238. 1.
Sol cur Titan dictus. 264.2
Sol quid ſit, & vnde dictus. 88.2. 190.2. 264.2
Sol Briareus, & Bellator. 268.2
Sol cur magis ardeat in meridie. ibidem.
Sol, Luna, & Sydera aquis nutriuntur, ideo Oceani dicuntur conuiuæ. 278.1
Sol, & Luna nauigijs vti credebantur. ibidem.
Sol, & Sydera in regno Plutonis. 398.1
Sol, & homo generant hominem. 6.1. 321.1
Solis Ethymol., & Hierogl. 88.2
Solis, ac Lunæ genitores qui fuerint. 264.2. & ſeq.
Solis, ac Lunæ munus. 255.2
Solis, ac Lunæ nutrix Thetys, & cur. 266.1.2
Solis motus naturalis, & motus raptus. 267.2
Solis triplex altitudo. 533.2
Soli equum Parthi ſacrificabant. 268.2
Solem ex addenſatis ignibus conflari. 268.1
Soles quid ſint. 303.2. 312.2
Solamen miſeris ſocios habuiſſe &c. 514.1
Solari quid ſignificet. 81.2. 266.2. 394.2
Solatium formale, & cauſale. 206.2
Solere quid ſit. 160.1
Solertia quid. 448.1
Solicitare quid ſonet. 2.1. 95.2
Solicitus quis. 30.2. 359.2
Solidari quid ſit. 177.1
Solimani mollis animus in Lesbini morte. 380.1
Solitariæ vitæ ſecuritas, ac fœlicitas. 555.1 2
Solitudinem quærere dolentis eſt. 502.2
Solium quid, & vnde dictum, & cur Regibus datū. 62.1
Solium ſymb. ceſſationis. 62.2
Solium quid; Regibus tantummodò datum; cæteris in eo ſedere capitale fuit; & ſolij ſymbolica ſignificatio. 42.2
Soluere paſſionem importans. 350.1
Solum quid, pro Mari, ac Cælo poſitum. 2.1
Solum deſertum. 542.1
Solo cedit, quod de ſolo viuit. 114.1
Solus nomen exponibile. 113.1. 333.1
Somnium quid; ſomniorum ſpecies, & cauſæ. 465.1.2
Somnium ominoſum, etiam cum abierit, terret. 480.1
Somnia ſemper vana; quomodo interdum certa. 465. 2. & ſeq.
Somnia, & Somnus inferorum Dij. 466.1
Somnia triſtia ex commotione atræ bilis. 476.1
Somnia monitoria à Dijs eſſe credebantur. 480.2. 484.2
Somniorum ſpecies explicatæ. 465.2
Somnijs fides non adhibenda, & cur. 466.1
Somniantes quomodo interdum dialogizent. 476.1
Somnus quid ſit verè, & fabuloſè, & quomodo fiat iuxta fabulas. 199.1.2
Somnus Noctis filius. 199.1. 464.2
Somnus quid, & quomodo fiat iuxta veritatem. 235.2
Somnus pro ſomnio vſurpatur. 465.1
Somnus, & otia in curru Noctis. 200.1
Somnus Iouis inimicus, & Diti rebellis, quia ſpretus. 466.1.
Somnus Dei donum. 568.1
Somni portæ quæ. 176.2. & ſeq. 466.1
Somni Ciuitas deſcripta ex Luciano. 370.1
Somni filius Phantaſus, hoc eſt Somnium. 464.2. & ſeq.
Sonare quid, & quæ ad ſonum concurrant. 341.1
Sonorus turbo; ſonoræ tempeſtates. 56.1
Sonus in duplici ſignificatione. 236.1
Sonus formaliter acceptus. 341.1
Sopor mortis imago. 445.2
Sopor pro concubitu apud antiquos. 549.1
Sorores Iouis Iuno, & Ceres. 78.1. 79.1
Sorores quæ, & cur ſic dictæ. 242.2
Sorores Iouis Glauca, Iuno, ac Ceres. 459.1
Sororum nomen ſortiuntur fœminæ omnes, eodem ſanguine ſatæ. 312.1
Sororum nomen dulce. 519.1.2
Sors Deorum quæ. 74.1
Sors pro *hæreditas*. 371.2
Sors pro iudicio, & ſortes incertæ quæ. 413.2
Sors pro ſtirpe. 460.2
Sors, & Caſum, & Fortunā, & Fatum notat. 74.1. 560.1
Sors ſuprema quæ dicatur. 74.2
Spadonum, fœminarum, puerorum cœtus gregis nomine deſignati. 363.2
Sphæra ignis quid ſit. 72.2. 185.1
Sphæra Geographica, & ſphæra Aſtronomica quæ, 588.2.
correſpondentes inuicem in diuiſionibus. 189.2
Sphæræ Aſtronomicæ in circulos diuiſio. 189.1
Sphæræ Planetarum procætium Iouis; octaua verò ipſius conclaue. 435.2
Sphærarum coordinatio, 538.1
Sphærica figura maximè labilis, 482.2
Species intentionales vicariæ obiecti ab ipſo ad oculum procedunt in conum. 133.1
Species, ideſt *forma*. 254.1
Species impreſſæ, à quo moueantur in ſomniantibus, 465. 1. 2.
Species ſenſibiles eiuſdem cum obiecto naturæ. 470.1
Species impreſſæ, & expreſſæ quæ. 64. 1. 473.1
Species commixtæ monſtra in ſomnijs oſtentant. 476.1
Species idem, ac effigies. 494.2
Spectare, hoc eſt geſtienti animo meditari. 203.1
Speculari quid ſit. 154.2
Speculum Cæli mare. 187.1
Speculum Luna eſt. 255.1
Speculum Archimedis, & Gerſami. ibidem.
Speculum Lunæ, in quo ab his differat. ibidem.
Speculum quomodo reddat rerum imagines. 321.2
Spes quid ſit. 324.1
Spes non vnica, ſed plures. 491.1
Spes Erebi, ac Noctis, cur dicta proles. ibidem.
Spes per æris florem expreſſa. 566.2
Spei deſcriptio, & quidditas. 491.1
Spei ſymb. Olea, & cur. ibidem.
Spero pro timeo. 601.1
Spica ſymb. lætitiæ. 495.2
Spicea Corona Cereri dicata. 31.1. 484.1
Spiculum, & ſagitta quid. 262.1
Spiræ quid ſint, 231.1
Spirare quid ſit, 13.1. 174.1
Spirare pro *halare*. 110.1. 285.1
Spiritus in Metheor. quid. 72.1
Spiritus quid, & ſpiritus lethifer. 360.1
Spiritus ſanguinis igniculi. 447.2
Spiritus dolore intercluditur. 495. 2. & ſeq.
Splendor quid ſit, 76.1
Spolia Gigantum vbi, iuxta varios. 577.1
Spolio pro rapio, & ſpolium quid. 318.1
Spoliator de facto, de facto ſpoliandus. 561.2
Sponſa potiri virum ante viſum Heſperum nefas. 424.1.2
Sponſalia tonitru ſancita; interdum & dirempta. 377.1
Spontanei angores malum ominantur. 135.1
Spontè naſcentia ex Ouid. deſcripta. 91.1
Spuma quid ſit. 129. 1. 201.2
Spumæ cur animalium ex ore reiiciantur, & generoſitatis indicium. 129.1

Spu-

Spumæ Draconum propriæ, & venena. 129.2
Spumæ colorum aptiſſimæ ad inficiendum. 296.2
Spumæ ſanguineæ quid portendant. 360.1
Spumare proprium apri ferocientis. 384.1
Squallere quid ſit, & vnde deductum. 63.1. 190.1.471.1
Squallor quid. 413.1
Squallidus pro contemptibili vſurpatur. 604.1
Squammæ quid. 130.2
Stabile vnde quid dicatur. 327.2
Stabulum quid, & variè denominatum. 363.2
Stagnum quid, & vnde dictum. 200. 1.2
Stagnum cur dicatur profundum mare. 82.2. 508 2
Stagni patiens lignum. 588.1
Stamen à ſtando. 46.2
Stamina & ſubtegmina. 190. 1. 259.2
Stare quid ſit, & quid ſignificet. 173. 1. 202. 2. 365. 1. 425. 2. 457. 1. 570. 2.
Statio perpetua etiamſi in cælis ſit animabus incommoda per Heraclitum. 99.1
Stellæ omnes inter ſe aliquo modo diſſimiles. 76.1
Stellæ ex auro cōflatæ apud Poetas, & cur. 130.2.186.1
Stellæ vnde dictæ; quid ſint; quomodo à ſyderibus diſtinguantur. 186.1
Stellæ ex igne per Anaxag. Ibidem.
Stellæ fixæ mouētur per Epiciclos, & Excentricos. 398.1
Stellæ, & corpora cæleſtia incorruptibilia, & quomodo. 319. 1.
Stellæ Iuliani mortem deſcribunt. 510.1
Stellatus à ſtello. 319.1
Stellionis ſerpentis forma, & proprietas. 323.1
Stellionis venenum, eiuſq; proprietas. 486.1
Sterculius ſtercorationis inuentor. 440.1
Sterilitas quid ſit. 34.1
Sterilitas probroſa. 91.2
Sternere pro debellare. 277.1
Steropes *fulgur* interpretatur. 73. 2. 174.1
Stimulus quid. 219. 2. 368. 1. 446.1
Stipare quid ſit propriè, & translatè. 272.2
Stridor, & ſtridula carmina quæ. 147.2
Struthiocamelus crudelis in filios. 476.2
Studium quid ſignificet. 307.1
Studium quid ex Cicer. 528.2
Stupere quid ſit. 342 1
Stix quænam ſit, & qualis. 26.1
Stygis nomen vnde. 26.2
Stygiæ paludis fons vbi; eius ſub terris curſus; vnda venenum; amplitudo quartam æquat Oceani partem; huius Nympha Oceani filia, cuius numen Dijs violare nefas. 26. 1. 2. 458.2
Stymphalides aues quæ, & quid de ipſis. 224. 2. & ſeq.
Suada vis Veneris filia. 529.1
Suaſoriæ artificium in oratione Lacheſis. 50.2
& fuſius. 52.2
Suaſoriæ artificiū in oratione Cereris ad Siciliā. 138.1.2
Suaſoriæ artificium in oratione Veneris. 312.1
Suaſoriæ artificium in oratione Plutonis. 396.1
Subigere eſt ſub *iugum agere* Rom. more. 246.1
Subitus, hoc eſt *repentinus*. 193. 1. 351.1
Sublime quid, & vnde. 64.1
Submittere in duplici ſignificatione. 151.2
Subtegmen quid ſit. 189.2
Succinum ex Apollinis lacrymis compactum. 178.1
Succus contra ignem apud Hirpinos. 599.1
Sudor cur ſalſus. 123.1
Sudor pro labore. 174.1
Sudor pars aquea ſanguinis; per conſeq. ſudor ſanguinis naturalis eſſe poteſt. 485. 1.2
Suggeſtiuæ interrogationes à legibus interdictæ. 553.2
Sulphur quid, & ſpecie duplex. 110.1
Sum pro habeo. 369.1
Summanus Pluto, quaſi *ſummus manium*. 46.2
Summum ius ſumma iniuria. 602 2
Supera pro ſphæris. 514. 2
Superare quid ſignificet. 301. 1. 592.1
Superbia muliebris. 472.2
Superborum elatio. 340. 1.2
Superſtitio Gentilium in augurijs. 241.1
Supplicium eſt iratum Numen habere. 459.2
Supplicantium habitus. 42. 1.479.2
Supplicantium ritus. 426.2
Supplicis eſt ad pedes deuolui. 42.2
Surgere pro *naſci*, & *creſcere*. 132.1
Surgere quid propriè, quid translatè. 178.1
Suſæ quæ apud Perſas, vbi & Regia Cyri. 285.2
Suſpenſus ideſt *afflictus, perplexus, anceps*. 544.1
Suſpicere quid ſignificet. 471.1
Suſpirium quid. 393.2. 506.1
Suſpiria amantis indicia. 393.2. & ſeq.
Suſpirare eſt *ſurſum ſpirare*. 578.2
Sydus Mercurij velociſſimè mouetur. 86.2
Sydera exhalationibus turbata. 11.1
Sydera errantia, eorumq; motus. 30.2. 351.1.2
Vehiculis vti dicuntur. 351.2
Sydera igneæ moles. 139.2. 254.2
Sydera olim recenſita inter animantia. 351.2
Sydera inſtar piſcium natantia. 610.2
Syderibus fons luminis Sol. 88.2
Sylua pro nemore. 56.2. 209.2
Sylua in genere quid. 149.1
Sylua pro arbore. 252.2
Syluæ ad delicias compoſitæ. 303. 1.2
Syluæ in Dianæ tutela. 554.1
Sympathia naturalis præſaga. 605.1
Sympathiæ vis. 463.2
Syren virtutis ſymb. 510.1
Syren 1 quæ ſint. 509.2
Syrenes cur Proſerpinæ comites, & ſymb. aulicæ adulationis. ibidem.
Syrenes cœleſtes iuxta Platonem. 510.1
Syrenes Maris cum cœleſtibus comparatæ. 510.2
Syrenes ex Ouid. alas poſt raptum ſumpſere. 540.2
Syrenes Acheloides dictæ. ibidem.
Syrenes, iuxta Auctorem, ab origine alatæ. 541.1
Syrenes à Muſis deplumatæ, & cur. 541.1
Syrenes aues crudeles in India. ibidem.
Syrenes Pelorum obſident, & cur. ibidem.
Syrenes ante raptum innocuæ. ibidem.
Syrenes, & Sirenes in quo differant. 510.1
Syrenum fabula vnde. 541.2
Syrenibus concinunt Parcæ, & cur. 510.2
Syrenibus aſſimilatur Nero. 541.1.2
Syrtes Maris, & Terræ quæ. 570.1

T.

TAcere etiam inanimata dicuntur. 209. 1. 419.1
Tacenda, vel non tacenda quæ. 484.1
Tacens conſentire videtur; verius tamen nec conſentis, nec diſſentis. 557.1
Tacitus quis locus dicatur. 494.1
Tægæa, & Tegea; ſed vna Tegæa, & quæ. 68.1.2
Tænarus oſtium Ditis. 11.1
Tænarus viridi abundant marmore. 403.2
Talpa ſymb. præſagij, cæcitatis, & ignorantiæ. 136.1
Tamen pro *ſtatim*. 530.1
Tanais, & eius natura. 277.2. & ſeq.
Tandem pro *tamen*. 89.2
Tandem quam vim habeat in oratione. 329.2
Tantalus auarorum typus. 414.1
Tantali hiſtoria fabuloſa. ibidem.
Tantali aqua cur inuida dicatur. 414.2
Tantus quid, & vnde deriuetur. 70. 1. 79. 2. 117. 1. 174. 1. 245. 2.
Tartarus qui locus in Inferis. 83.1 2
Tartarum incendium eſt, & gelidum eſt. 472. 1. 526. 1
Tartara impia ad diſtinctionem Elyſiorum. 413.2
Tartareus vndè deriuetur. 156.2
Taurica regio quæ, & vbi. 551.1
Tauroſcythæ aduenas omnes Dianæ immolabant. 551.1
Taurus ſuperbi, & iracundi ſymb., cuius mugitus per toni-

tonitrua; & cauendus per fœnum in cornu deſignatur. 64.2
Taurus ab Hercule occiſus. 222.2
Taurus Perilli. 242.1
Taurus veris adulti dominator. 290.2
Taxus infecta Veneris arbor, cuius vel vmbra lethalis, apibus pernicioſa &c. 593.2
Taygetus Mons qui, & vnde dictus. 384.1
Tectum vnde dictum. 137.1.2
Tela Proſerpinæ citata, in qua Mundi efformatio. 39.1
Tela phrygiatum opus. 191.2
Telæ perfectio æqualitas. 264.1
Tellus Dea. 138.2. 349.1
Tellus Cybele non eſt, ſed pro ea ponitur. 349.1
Telum quid ſit. 73.1. 466.2
Temperare quid ſit. 303.2
Temperies quid, & pro aere poſita. 190.2
Templum quid ſit. 146.1
Templum pro ſepulchro poſitum. 16.2
Templum ſine luco nullum. 467.2
Templum Eumenidum in Cerrynea. 410.1
Tempia Penatibus dicata in ſubterraneis. 126.2
Templa in antri formam ſtrui ſolita. 463.1
Templorum ſumma apud antiquos veneratio, 145.1.2
Templorum inſignis apud antiquos ſtructura. 145.1
Tempus, & proles lenitiuum iracundiæ. 429.1
Tempus quid ſit. 34.2. 84.2. 271.1
Tempus longiſſimum in cognitione Dei breuiſſimum eſt. 154.2
Temporis iactura nullo pretio redimibilis. 331.2
Tempore felici multi numerantur amici &c. 540.2
Tendere pro *iter facere*. 126.1. 261.1
Tendere pro extendere, ac tentoria figere, tentoriumq; vſus non in bello tantum. 397.2
Tendo pro porrigo. 18.2
Tenebræ quid ſint per Philoſ. 85.1
Tenebræ poſitiuæ, & priuatiuæ. 538.1
Tenebræ dicuntur dæmones mali. 595.1
Tenebroſus *tenebris* plenus. 470.2
Tenere pro *tegere*, & *opprimere*. 346.2
Tenere pro *remorari*, & *conſtringere*. 340.1
Teneo pro *poſſideo*. 400.1
Tentare quid ſit. 4.1. 113.1. 335.1. 584.1
Ter vim habens ſuperlatiui. 79.2. 285.2. 348.2
Teres quid. 263.2
Terga quænam pars. 130.2
Tergeminus Gerion. 225.2
Tergus quid propriè, quid translatè. 577.2
Ternarij numeri ſignificationes, & ſymbola. 241.1
Ternarius numerus perfectionis eſt. 36.1. 241.2. 285.2. 492.1.
Tero plures habens ſignificationes. 114.1
Terra circa centrum pendens immobilis. 127.1 & cur. 185.1.2
Terra facilè in ignem vertitur. 119.2
Terra, in itinere Cereris, æmula Cæli. 133.1
Terra, & aqua vnicum conficiunt globum rotundum. 134.1. 169.1.
Terra cingulis redimita. 394.2. & ſeq.
Terra in quinque plagas diuiſa. 189.1.2
Terra Lunaris. 258.2. 390.2
Terræmotus aduentantium Deorum prænuncius. 14.1
Terræmotus Ætneus cur non perpetuus. 121.1
Terræmotus vndè proueniat. 104.2
Terræmotus Siciliæ cauſæ fabuloſa. 110.2. & ſeq.
Terræmotu flumina ſiccantur; noua erumpunt, & cur. 439.2. & ſeq.
Terræmotus frequentiores, & vehementiores vbinam fiant. 122.2
Terræmotuum cauſa venti per Ariſtotelem. 119.2
Terræmotuum cauſa aquæ per Democr., & duplici modo. 122.1
Terræmotuum, & ignium erumpentium eadem cauſa. 122.1.2.
Terræmotuum effectus. 331.2. & ſeq.
Terrere quid ſit. 166.1. 222.2. 463.1
Terrentes cauſæ quæ. 355.1
Terrigenæ qui. 336.2
Terror quid ſit. 64.2
Terroris nimij effectus. 352.1. 355.2
Teſtis oculatus. 537.1
Teſtes, ac teſtium munus. 378.1
Teterrimus Aſtrorum cur dicatur Pluto. 367.2
Tethis quæ, cuius filia; Oceani vxor, & cur Solis, ac Lunæ nutrix. 266.1
Texta Semyramia. 295.1
Textoriæ artis excellentia, & antiquitas, & matronarum hæc ſtudium. 179.1.2
Thalamus vxorius, & virgineus. 11.1. 468.1
Thalamus pro nuptijs. 76.2. 601.2
Thalaſſium, & thalaſſiones qui. 326.1
Thebæ à Cadmo conditæ. 594.1
Thebæ tragicis feraces. 594.1.2
Themis à Ioue fugiens, tandem vitiata. 9.2
Themis honeſtatis, & iuſtitiæ Dea, Coeli, & Terræ filia, oraculorum diſpenſatrix. 157.1
Themis duplex. 157.2
Themiſcyra Amazonum Regia. 277.1
Theodori conſtantia in aduerſis. 380.1
Theorica ad praxim non ſemper reduci poteſt. 313.2
Thermodoon olim Araxes, à quo Thermodoontiaca ſecuris. 378.1.2
Theſaurus quid, & Theſauri in poteſtate Plutonis. 25.2
Theſmophoria quid fuerint. 466.2
Theſſalia olim Theſſalus Lacus; cur, & per terræmotum exſiccata, & cur in Neptuno tribuatur. 346.1.2
Theſſalia quæ, & eiuſdem varia nomina. 346.2
Theſſellatum opus. 295.2
Thetis quænam ſit. 106.2
Thetis maxima quæ. 231.2
Thracia olim Scython, & vndè dicta. 99.2
Thracia ſub tutela Martis. 92.2. 216.2
Thracia non omnino infecunda. 211.1
Thracius vates Orphæus. 215.2. 283.1.2
Thronax Mons, in quo Iuno vitiata. 98.1
Thus quid ſit, vnde dicatur; duplex eius vindemia, & probatio. 285.1
Thuris arbor, quæ in Arabia tantum alitur. 285.1
Thyaſus quid ſit, & vndè dictus. 148.1
Thyeſtis, & Atrei tragica. 594.2
Thyeſtea crimina horruit Sol ipſe. 594.2. & ſeq.
Thyphæus ſub Inarime, & cur, eius buſtum diuerſis ſtatuatur in locis. 507.2
Thyphon quis fuerit. 351.1
Thyphon à Pallade occiſus. 251.1.2
Thyphon in Caſſide Palladis. 251.2
Thyrſus quid, & nocumenti abſconditi ſymb. 221.1
Tibia quid, & ſacræ rei ſymb. 151.1
Tibia Veneri, atque Apollini ſacra. 487.1
Tibiarum inuentrix Pallas. 554.2
Tigris fluuius vndè ſic dictus. 21.1
Tigris Indica quæ, & ſymb. vltionis. 21.1
Tigris cur Damas potius, quam Lepores ſectetur. 218.1
Tigris *Sagitta* dicitur, & item *animal* propter velocitatem; & huius plena periculis venatio. 545.1.2
Tigres currum Bacchi trahentes; earum crudelitas; exuuies, & immanitas edomita. 21.1.2
Tigres venandi modus duplex. 545.2. 547.1
Tigres vento grauidantur. 546.1
Timere ſeruorum eſt. 62.2
Timere prudentis eſt. 483.1
Timere, & timor quid. 483.1. 544.1
Timet Amor. 101.1
Timidus quis. 5.2. 149.1
Timor Dei omnibus ineſſe debet. 14.1
Timor cõnaturalis matri affectus, & timidus quis. 321.2
Timor non armatur. 342.2
Timor cauſalis, & formalis. 331.1
Timor tortor, & ſatelles. 483.1
Timoris effectus varij. 486.2. & ſeq.

Tiſiphone cædium victrix. 107.1
Tiſiphone Cytheronem amauit, & ſepulta eſt; & cur Hydris crinita. 37.1
Tiſiphone Cytheronem non amauit. 167.1
Titan cur Sol dictus. 264.2
Titanes diuerſi à Gigantibus Phlægræis. 40.1
Titanorum nomina, & Titania pubeſ quæ. 39.2
Tolerare quid ſit. 82.1
Tollere ſigna quid ſit. 51.2
Tomyris de Cyro vindicta. 551.2
Tonans quando dicatur Iuppiter. 507.1
Tonantis nomen vnde inditum Ioui. 36.2
Tonitrus, & quomodo Himeneo tradatur. 377.2
Tonitru ſponſalia impediebantur, ſed & ſanciebantur, 377.1.
Tonitrua imitari conantes. 64.2
Tonitrua quomodo fiant. ibidem.
Tonitrua præmonitiones innoxiæ, 73.2
Tonitruum duplex genus. 73.1
Tormentum pro inſtrumento quolibet violento. 118.1
Tormina dolores vteri, 118.2
Torpere, & torpedo piſcis, 214.2
Torpor, & torpedo quid, ac torpedinis effectus, & cauſa, 445.2
Torquatus Taſſus Claudianum induit. 62.1.2
Torquere quid ſonet. [illegible].2. & ſeq.
Torus quid ſit. 34.2
Torrebia Carij mater, 392 1
Torrens quid ſit. 358.2
Torrere quid ſignificet. 303.2
Toruus pro *optimus*. 93.2
Totum, & omne in quo diſtinguantur. 275.2. 291.1
Totum, & omne pro eodem ſumuntur, 462.2
Trabs ſolida quæ, & quid trabs. 277.1.2
Tractant fabrilia fabri. 383.2
Tractus quid. 128.2
Tradere quid ſignificet. 381.2
Trahit ſua quemque voluptas, 217.1
Trahi violentiam indicat. 87.2
idem & trahere. 191. 1. 259. 2. 452. 1.2
& interdum pro ſimplici ducere ponitur. 217.1
Trames callis obliquus. 299.2
Tranare quid ſonet. 230.2
Tranquillitas maris propria. 3. 2. 531.1
Transfixio cordis, per ſomnium, amorem, vel mortem indicat. 322.1
Tranſilire quid ſignificet. 336.1
Tranſitus ab extremo in extremum non ſit ſine mutatione. 355. 2. 483.1
Tremor, & tremere quid ſit. 65.1
Tremor ex terrore quid ſit, & quomodo inſurgat. 65.1, 469. 1.
Tremor vnde oriatur. 591.1
Tremere, & votum tremere. 96. 2. 101.1
Trepidare, & trepidus quis. 14. 1. 342.2
Trepidationis motus in ſphæris, 232. 2. 461.2
Trepidantis eſt accelerare, 434.2
Tribuere quid ſit, 92.1
Triclariæ virginem, & puerum immolari ſolita. 551.2
Tridentis Hieroglyphica. 347.2
Triones duo, & qui. 75. 2. & ſeq.
Triplex Lunæ mutatio. 19.1
Triptolemum Celei filium Ceres nutrit, eidemq; currum tribuit ſuum. 17.2
Triſte quid ſit. 250.1
Triſtis quid propriè, & translatè, 162.1
Triſulcum quid. 105.2
Tritonia vnde Pallas dicta. 250. 2. 554.1
Triuia cur Luna dicatur, 19. 2. 254. 1.2
Triuia Luna; quia triplex ſignat tempus, 270.1
Triumphus, & ouatio quid, & cui concederetur. 246. 1.2
Triumphi Gigantei in quo ſenſu dicantur. 109.2
Troianæ matres cur naues incenderint. 88.2
Tropheum quid. 581.1
Trophea Romanorum quomodo conficerentur. 344.2
Trophea quibus conſtarent. 578.1
Trophea ex Gigantibus reportata, diuerſis in locis poſita; cur in ſolum Ætneum nemus comportata. 577.1
Tropheorum conficiendorum antiquus ritus. 577.2
Tropici animarum portæ. 49.2
Tropici circuli cæleſtes. 189.1
Tuba quid; vnde dicta; à quo inuenta, & cur Marti dicata. 326.2
Tulliæ Romanæ crudelitas. 334.2
Tumeo quid ſignificet. 187. 2. 419.2
Tumidus, ideſt ſuperbus. 33.2
Tumor quid ſit. 301.2
Tumulus, & cumulus. 578.1
Tumulus ſepulchrum eſt tumultuarium, 305.2
Tumultus *timor multus*. 183. 1. 333.1
Turba quid ſit, & vnde dicta. 80. 2. 336.2
Turbare quid ſit. 327. 2. 341.2
Turbo puerilis qui. 9.2
Turbo quid ſit. 54.2
Turgere in herbas quid. 291.2
Turma quid ſit. 36. 1. 276.2
Turres quid. 331.2
Tybris ex Alpibus Ethruſcis, & pro iJs ponitur. 344.1
Tybris olim Albula cur Lydius dictus. ibidem.
Typhon ventus. 65.2
Typhones quid, & vnde dicti. 54.2
Tympanum quid, & pro cymbalo acceptum ſymb. ruſticorum. 149.2
Tympanum Marti dicatum. 487.1
Tyrannus quis. 65.1
Tyrannus quis eſſe neſciat. 460.1
Tyrinthius cur dictus Alcides. 234.1
Tyrrhenum mare. 107. 1. 508.2
Tytij hiſtoria fabuloſa. 415.1
Tytij corporis vaſtitas. 415. 1.2

V.

VAcare quid ſignificet. 411.2
Vacuum quid, & quod naturaliter ſimpliciter. 25.1
Vacuus pro otioſus. 423.2
Vacca Veneri dicata. 208.1
Vacca cur Leonem timeat. 208. 1.2
Vaccinium Parthaſio arbor. 293.1
Vaccinia quinam ſint flores. 293.1
Vaccinia cur purpurea, nigra &c. 293.2
Vadum quid. 26. 2. 191.2
Vagitus quid. 269.1
Vagus quid ſonet. 5. 2. 337.2
Vale in inferijs vſitatum, 380.2
Vallis quid ſit. 282.2
Vallum quid ſit propriè, & translatè. 568.2
Vanitas muliebris in concinnandis crinibus. 247.1
Vanus pro *inanis*. 73. 2. 396.2
Vanus pro *ſtultus*, & *deceptus*. 566.2
Vanas cur dixerit auras, 73.2
Vaneſcere quid ſonet, 57.2
Vapor quid in Metheorolog. 72.1
Vapor genericè quid, & pro igne poſitus. 117. 1. 597.2
Variare quid ſit. 295.1
Varius in triplici ſignificatione, 315.1
Vates vnde dicti. 9. 1. 212.2
Vber pro fertilitate, & mamma muliebri. 270.1
Vbera cur dederit matribus natura. 269.2
Vbera Tethyos cur vitrea. 270.1
Vbertas à Cerere itinerante longiſſimè infuſa. 132. 1.2
Vbi maior ceſſat minor. 32. 1. 381. 1. 524.2
Vbi multitudo, ibi confuſio. 436.1
Vegetantia ex humido viuunt. 83. 1. 289.2
Velare quid ſignificet. 21. 1. 423.1
Velitares pugnæ, 555.1
Velle actum importat ſpontaneum. 88.1
Vellere quid ſonet. 327.2
Vellus quid ſit, & vnde dictus. 296.1
Velocitas amplificata ex varijs, 338.1

Ve-

Velum nuptiale crocei coloris. 410.2
Venæ quæ, & venæ montium. 287.2
Venatorum trophæa. 577.1
Venatricis habitus. 256.2. 257.2
Veneuum noxium, & beneficum. 129.1
Venenum ex conſuetudine fit alimentum. 201.2
Venus quid ſit. 155.2 165.1
Venus infenſa Proſerpinæ. 29.1. 158.1
Venus in concha margaritarum concepta. 155.2
Venus nauigantibus propitia, & cur. ibidem.
Venus armata. 159.1
Venus Adonidis amans cum eo venatur. 292.2
Venus meretriciæ artis inuentrix. 155.2. 584.2
Venus Solem odit, & cur. 198.2
Venus Noctis nomine ſignatur, & ideò Amor Noctis filius. 425.1
Venus nuptijs præfecta. 155.2
Venus æſtas fuit. 482.2
Venus Deos ipſos, & Deorum Patrem irretiuit. 159.1. 2. & ſeq.
Venus amatoriæ princeps militiæ. 518.1
Venus Mundi procreatrix. 159.2
Venus inuida, & proditrix. 518.1.2
Venus Palladi infenſa. 166.1
Venus cur Dionea dicta. 240.1
Venus in Cypro præcipuè culta. 247.2
Venus oculatiſſimos quoſq; fallit. 522.1
Venus crapulatum vult, non ieiunum. 523.1
Venus venatrix. 292.2. 524.2
Venus ad Cælum inuitat, vt in Infernum ducat. 526.1
Venus ſimulandi, & diſſimulandi peritiſſima. 526.1. 527.1
Venus voluptas, & maleſuada voluptas. 529.2
Veneris ceſtus, & choragium. 159.2
Veneris illecebræ amaræ. 522.1
Veneris arma quæ fuerint. 159.1.2
Veneris nomen idem ac Heri in morem veniens. 161.2
Veneris, & Amoris igneæ ſagittæ. 163.2
Veneris ſimulacrum Arieti inſidens, & cur. 525.2
Veneris ſymb. anas Venatori ſeruiens. 528.2
Veneris filia Pytho, ideſt ſuadendi vis. 529.1
Veneres plures. 155.2
Venerei aſpides autem monitis obturantes. 529.2
Ventus quid. 2.2. 69.1
Ventus in ignem vertitur. 120.2
Ventus ferocior interclusus. 120.1.2
Vento animalia non fecundantur. 546.1
Venti quid ſint ex græco. 2.2
Venti cur Eolo traditi. 3.2. 57.1
Venti ſemper proni in prælia. 56.1
Venti terræmotuum cauſa. 104.2. 110.2. 119.2
Venti quid ſint ex Ariſtotele. 119.1.2
Venti alati. 55.2. 282.2. 289.1
Venti incendiorum cauſa, & quomodo. 120.1
Venti pro Dijs habiti. 56.1
Venti, rores, pruinæ, grandines, in qua regione aeris fiant. 131.1
Venti ferant prouerbialiter dictum. 487.2
Venti viuentes crediti. 175.1
Venti principales quatuor, ſecundarij plures. 487.2. 606. 1. 2.
Ventorum mites animæ. 4.2
Ventorum triplex bellum. 55.2
Ventorum rabies ex cometis portenditur. 170.2
Ventorum rabies decertantium. ibidem.
Ventorum genitores. 57.1
Ventorum vis, & natura. 119.2
Ventorum qualitates. 214.1
Verbera quid ſint. 358.1
Verbera patiuntur damnati. 413.2
Verberantur ſerui, & hoſtes, non ciues. 454.2
Verboſi faſtidium pariunt. 554.2
Verecundia cuſtos virtutum omnium, & cuius propria. 54.1.
Verecundia, & rubor. 54.1. 195.1
Verenda Saturni Patris abſcidit Iupiter. 14.1
Vereri, & verendus. 62.2. 487.1
Ver vnde dictum. 282.2. 320.2
Ver rubens ex Virg. & cur. 290.2
Ver Proſerpina cenſebatur. 482.2
Veris diuiſio in nouum, adultum, & præceps. ibidem.
Veris deſcriptio ex Virg. 291.1
Veris initium iuxta varios. 320.2
Vernare quid ſit. 328.2
Vernus color qui. 292.2. & ſeq.
Verro pro verto. 211.2. & ſeq.
Verro pro contineo. 400.2
Vertex quid, & fœm. gen. apud Græcos. 281.1
Verto pro euerto. 332.2
Veſanum quid cenſeatur. 148.2. 513.2
Veſuuius Mons ignivomus vbi, & quid de eo. 307.2. & ſeq.
Veſpertilio ſymb. venereæ titillationis. 487.2
Veſta Dea inter Penates enumerata purus ignis eſt. 145.2
Veſta Domorum inuentrix, & ſeruatrix, eamq; violari nefas. 145.1
Veſtalium ignis inextinguibilis. 426.2
Veſtis Gortynia quæ. 257.2
Veſtis Lunæ quæ propriè ſit. 259.1
Veſtis à vellere, ſeu à velando. 262.2
Veſtis ſerica ante inuentum bombycem. ibidem.
Veſtes ſcindere, ſceptra proijcere in luctu ſolitum. 322. 2. 495.1.
Veſtes Cereris ante raptum albæ, poſt verò nigræ. 466.2
Veſtire quid propriè, quid tranſlatè. 132.2
Veſtigare quid ſignificet. 570.2
Veto tribunicium verbum. 42.1
Vexare quid ſit. 40.2. 396.2
Vexillifer quantum valeat in prælijs. 388.2
Via animarum ad inferos, vna vſq; ad Acherontem, inde in duas diuiſa. 49.2. & ſeq.
Via peregrinationis animarum duplex. 49.2
Via quæ, & quomodo à ſemita diſtinguatur. 251.2
Via Iridis quæ. 299.2
Via pro *modo*, & *ratione* faciendi. 447.2
Via, & *locum* ſignificat, & *iter*. 609.2
Viæ animarum dux. 49.2
Vibrare quid ſit. 332.2. 583.1
Vibro intranſitiuum. 239.1
Vices quid ſignificent. 47.1.2
Viciaus qui. 94.2. 218.1
Vicinus à vico deductum nomen. 508.2
Victoria ſemper laudabilis. 5.2
Victoria Stygis filia. 26.2
Victoria de Gerione cum victoria de Cerbero comparata. 226.1
Victoria in celeritate. 530.2
Victoria apud Rom. Dea. 577.1
Victoriæ infames quæ. 572.2
Victor victorum ſpolia induit. 21.1
Victor quis dicatur. 226.1
Victor, hoc eſt *voti compos*. 336.1
Victoris faſtus victi dolor præcipuus. 572.1
Victus qui *cedit*, qui à propoſito recedit, qui voti impos efficitur. 558.1
Victa cur dicatur Sicilia. 350.1
Video pro *prouideo*. 154.1
Video quo ad ſenſum, & quo ad animum. 170.1
Videre ad inanima tranſlatum. 280.2. & ſeq.
Videre quid ſit. 398.1
Videor pro appareo. 262.1. 470.1
Viduæ ſymb. nigra Columba. 466.2
Vigiliæ quomodo ab Excubijs diſtinguantur. 494.1
Villorum cuibratio ſignum iracundiæ. 171.1
Vim vi repellere licet. 121.2. 362.2
Vincula iugalia quæ, & in cuius tutela. 427.2. & ſeq.
Vindicare pro defendere. 304.1
Vindicta Deorum de Gigantibus. 109.1.2
Vindictæ appetens pœnas negligit. 466.1
Vineæ ſileutes quæ dicantur. 381.1
Vinum vnde dictum. 417.2

Vinum Muſicæ ſomes. 418.1
Vinum auerſantur Furiæ, & Serpentes, ideò in ſacris Eumenidum prohibitum, & lætitiæ ſymb. 418.1
Vinum in inferijs adhibitum. 420.2
Vini vſus moderatus ſæuitiem mulcet. 21.1
Vini fontes, & flumina ſub Saturno. 446.2
Vino nullum efficacius tormentum ad veritatem extorquendam. 420.2
Viola quid, & cuius coloris. 294.1.
Viola nata in pabulum Ius puellæ. ibidem.
Violaria quæ. 531.2
Violare quid ſit, & de quo dicatur. 136.1
Vipera amatorij vulneris Hierogl. 37.1
Virago quænam ſit. 276.2
Vir à virtute, 336.2
Virere quid ſit. 91.2. 299.2
Virens, & viridis à vigore. 130.1
Virentis, ac viridis ethymologia. 130.1
Vires animi, & corporis, à natura inſitæ, ſed fortunæ ſubſunt, 70.2
Virga Mercurij triplex, eademq; fatalis. 59.2
Virga aurea ſymb. Eloquentiæ. ibidem.
Virgæ Mercurij cur ſomniferæ. ibidem.
Virgilij de Ætnei fratribus ſenſus. 112.1.2
Virgo vndè dicta, 331.2
Virgo in abditis ſeruanda. 96.1
Virgo latè, & ſtrictè quæ. 249.2
Virgo ſera in publico; eius ſymb. vnio in concha. 517.1
Virgo in clauſtris præfulget. 555.1.2
Virginis comam qualem eſſe deceat. 256.1
Virgini indecorum olere Venerem, ideo etiam à licitis nuptarum arcetur conuiuijs. 549.2. & ſeq.
Virgines quænam res dicantur. 2.1
Virgines Syriæ, ac Spartanæ quibus detinerentur ludis, 300.1.
Virginitas quid ſit, & optimè ſemper olet. 94.2
Virginitatis iactura omnium maxima. 382.2. & ſeq. 390.2.
Virgultum quid propriè, quid translatè, & pro quo ponatur. 284.1 528.1
Virtus beatæ conſtitutiuum vitæ. 7.1
Virtus in arduis. 211.1. 225.2. 378.2
Virtus temporum victrix. 216.1. ſecundo.
Virtus quid ſit. 448.1.2
Virtus per clypeum expreſſa. 525.1
Virtutis cos aduerſitas. 445.2
Virtutes comites prudentiæ. 89.1
Vis ignea ad eſſe omnium confert, 46.2. 47.1
Vis pro viribus, 53.2
Vis ſimpatica naturalis. 463.2
Viſcera quænam ſint. 92.1
Viſio per introſuſceptionem; eius natura, modus, & conſequentia ad illam. 133.1.2. 134.1. 308.1
Viſio ſemper ſit per lineam rectam, impeditur ſæpè ab interpoſita curuitate terræ. 134.1
Viſio non ſit niſi intra ſphæram actiuitatis ſpecierum, 133.2.
Viſio imperfecta quæ, & quæ requirantur ad viſionem. 535.2
Viſio per extramiſſionem quæ. 308.2
Viſio actus vitalis, & vitaliter procedens. 468.2
Viſualis potentia, actiua, non purè paſſiua. 133.1. 308.2,
Viſus alius ſenſitiuus, alius intellectualis. 113.1
Viſus & *actum* ſignificat, & *potentiam*. 133.2, 309.1
Viſum quid, & brutis viſum terræfactum. 480.1
Vita quid. 48.1
Vita in actu primo, & ſecundo quæ. 446.1
Vita ruſticalis honeſtiſſima ex Cic. ibidem.
Vita in quo conſiſtat. 587.1
Vitæ beatæ conſtitutiuum virtus. 7.1
Vitæ conceptum communem plantis, & hominibus negat Ariaga. 47.2
Vitæ, ac necis poteſtas Proſerpinæ tradita. 403.1
Vitæ varia, & commutabilis ratio. 559.1
Vitale formaliter, & cauſaliter. 190.2
Vitia natorum in parentes redundant. 93.2
Vitis ſignum libertatis, hilaritatis &c. 307.1
Vitis Cyro Imperij præludium. ibidem.
Vitis nocumenti ſymb. abſconditi. 22.1. 307.1
Vitis Hecates cum Ætnea vite comparata. 307.1
Vitis ylmo ſympatica. 307.2
Vitis principatum renuens. 418.1
Vitula cur dicatur Proſerpina. 93.2. & ſeq.
Vitula quæ dicatur, & quomodo à Iuuenca diſtinguatur. 93.2
Vitula in ſacris ſymb. continentiæ. 93.2. & ſeq.
Vitula lætitiæ Idea. 93.2.
Vitrea aqua, & aquarum Numina. 270.1
Vitreus Oceano color. 194.2
Viuus, hoc eſt *naturalis*. 303.1
Viuus pro validus. 307.1
Vix aduerb. quid ſonet. 53.1. 86.1. 214.1. 473.1
Vltrò aduer. pro inſuper. 582.2
Vlulatus quid, & vnde deductus. 148.2
Vmbo quid ſit. 373.1
Vmbra dicitur effigies picta. 474.1
Vmbram mali fugiat qui prudens eſt. 524.2
Vmbraculum quid ſit. 484.1
Vmbræ locum non occupant. 25.2
Vmbræ dicuntur Manes. 46.1. 411.1.2
Vmbræ paſtoribus quærendæ. 581.2
Vnanimis in multiplici ſignificatione. 427.2
Vnda tremula cur, & quomodo. 239.1. & ſeq.
Vnda, & aqua in quo diſtinguantur. 415.1
Vnguentis mortui liniuntur. 318.2
Vngues aurei cur in Bacchi Tigride. 21.2
Vnica filia cur Proſerpina Cereris dicatur, cum alios genuerit. 90.2. & ſeq.
Vnio vnica in candore. 155.2
Vniones lacrymarum ſymb. 130.2
Vniones amantium lacrymæ. 248.2
Vniones in ſomnis quid portendant. 136.2
Vniones cur Cæli partus dicantur. 313.1
Vnum, & vnitas quid ſit. 185.2
Vociferor, & vociſero quid. 373.1. 547.2
Voco pro *ſolicito*, *ſtimulo*, & *concito*. 38.1
Volatus volantis actus. 131.1. 282.2
Volatus quid ſit, & cur ventis tribuatur. 282.2
Volo, & voluntas efficax, & inefficax. 284.1. 486.2
Voluntas non fertur in incognitum. 34.2
Voluntas Dei operatiua. 284.1. 450.2. 598.2
Voluntas nunquam fertur in malum. 522.2
Voluntas ſemper fertur in bonum. 34.2. 522.2. 550.1
Voluntas quid iuxta Stoicos, & in ſolis ſapientibus eſt. 550.1.
Voluntas appetit malum ſub ratione boni, & quomodo, 460.2. 522.2
Voluntas diuina ita fertur in bonum, vt ferri in malum non poſſit. 604.1
Voluntas manuducitur ab intellectu. 34.2. 526.1
Voluntas Dei immutabilis, & idem interdum ac fauor. 550.1.
Voluntatis fons cor. 5.1. 161.1. 486.1
Voluptas animum faſcinat. 527.1
Voluptas Syren, & Remora mortifera. 541.2
Voluptas tranſitoria, amara, & nulla. 565.1
Voluptas quid ſit. 603.1
Voluptatis mater admiratio. 528.2
Voluptatum affluentia hominum peſtis. 448.2
Vomere quid ſignificet. 114.1.2
Vomerum diuerſæ ſpecies. 142.1
Vorago Amſancti quæ. 419.1
Vortex quid ſit. 27.1
Votum, & votum temere quid ſit. 96.2. 101.1
Votum peractum. 538.2
Votum quid ſit. 601.2
Vota mouere quid ſit, & mouere tragedias quis dicatur. 137.2.
Vox quid propriè ſit. 137.2. 394.2

Vox cur amittatur in terroribus, ac doloribus. 495.2. & ſeq.
Vox vbi efformetur. 496.1
Vox ex græco *clamorem* ſonat. 556.2
Vocem habent ſuam & oculi, & vultus. 52.2. 499 1
Voces ſupponuntur loco rerum, & conceptuum. 137. 2. 225. 2.
Vrbs materialis, & formalis. 111.1.2. 222.2
Vrbis denominatio vnde ſumatur. 111.1
Vrere quid ſit. 160.1
Vrina cur ſalſa. 123.1
Vrinatores impellunt vndas. 238.1
Vrna fluuijs addicta. 279.2
Vrna cur Iudicibus data, & cur eá quatiat Minos. 413.2
Vrſa maior, & minor. 6.2
Vrſæ nunquam occidunt; & cur illis vetitum mare. 6.2. 352 1.
Vſus vini moderatus ſæuitiem demulcet. 21.1
Vſus quid ſit. 448.1. 587.1
Vterus quid ſit. 141.1
Vterus in ſomnijs transfixus natorum portendit lethum. 466.1
Vtero memoria num tribui poſſit. 606.1
Vtrique, & ambo in quo differant. 249.2. 550.2
Vulcanus arma Dijs conſtruit. 70.1
Vulcanus ignis Deus. 119.1
Vulcanus cur Mulciber dictus. 342.1
Vulcanus Veneris coniux; Ferrarius, & Aurifex. 248.1
Sellam auream, quæ ſeſſores vinciret, conſtruxit. ibid.
Vulcanus è Cælo deiectus. 548.2
Vulcani officina ex Virg. deſcripta. 72.1
Vulcani templum ad Ætnam. 108.1
Vulcani officina quæ, & vbi. 119.1. 341.1. & ſeq.
Vulgus quid ſit. 24.2. 281.2
Vulgus *populus inferior*. 281.2
Vulnus quid ſit. 460.2. 515.1. 605.2
Vulpanſer ſe pro filijs obijcit venatori. 564.2
Vulpis aſtus, vt aues capiat. 518.2
Vultur quæ, & mas non datur. 415.2
Vultures vento concipiunt. 415.2. 546.1
Vulturina Aquila pullos e nido proijcit. 466.2
Vultus quid ſit, & imago animi eſt. 195.2
Vultus tacitus ſermo ex Cicer. 344.2
Vultus ſolius hominis eſt ex Cicer. 539.2
Vultus quid, & affectuum ſedes. 439.1
Vxor, *vnxor*, & cur. 82.1
Vxor nec nobilitatem, nec ignobilitatem viro afferre poteſt. 427.1
Vxores Iouis, per Claud. non ſunt Ceres, ac Themis; ſunt autem per Parrhaſium. 79.2
Vxores Iouis tres. 79. 2. 506. 2
Vxoribus dotem antiquitus tradebant viri. 29. 2. 99. 1

Z.

Zaleucus filio non parcit in legem reo. 459.1
Zanclus quis fuerit. 579.1
Zelotipia tota oculis referta. 137.1
Zephyrus quid, & eiuſdem Ethymologia. 131.1
Zephyrus quis, & Floræ coniux. 282.1
Zephyrus Auroræ filius, Veris Pater. 282.2
Zephyrus vnde *Pater* dictus. 282. 1.2
Zephyrus furens, & pacatus. 282. 2. & ſeq.
Zephyrus roribus affluens. 289.2
Zephyrus Auriga deferens internuncios Deorum. 433.2
Zephyri, ventorumq; ſtationes vbi. 282.1
Zephyro cur Iris vtatur. 433.2
Zodiacus quid, & vnde dictus. 75. 2. 189.1
Zona torrida, quem locum habeat, & cur ſic dicta. 189. 1
Zona ſymb. virginitatis. 258.2
Zona virginalis. 418.1
Zonæ cæleſtes quinque. 189.1
Zonæ temperatæ quæ, & cur ſic dictæ. 189.1
Zonæ frigidæ, & cur ſic dictæ. 189.1

FINIS.

INDEX

Errorum maximè notabilium, quæ in hac animaduerterimus impreſſione.

Errata.	*Corrige.*
pag.col.lin.	
4.1.61.κολπους	κολπους
5.1.25.ιοιaltier	totaliter
5.1.68.Dedidiſco	Dediſco
10.1.45.orcus ſignificans,ſcilicet	orcus, ſignificans ſcilicet
10.2.21.de Deo aliquo,non	de Deo aliquo egerit,non
12.1.36.Et forſans indirectè	Et forſan indirectè
16.1.12 gaudia ræda	gaudia prædæ
16.2.72.textu indi cari	textu indicari
17.1. 7.ſigna importent	ſigna importet
18.2.50.ad turpia ſol licitantis	ad turpia ſolicitantis
20.1.52.gratior libero poſſet	gratior Libero poſſet
20.2.12.generationis auctore	generationis auctorem
21.2.60.in idem tandem	in idem tandem
24.1.25.entelli	Entelli
25.2.55.habei poſſeſſorem	habeat poſſeſſorem
26.2.10.ſtygiam paludem Plutonis arce nouies interfuſa circumdatam	ſtygiâ palude Plutonis arcem,nouies interfuſâ, circumdatam
26.2.41.ἀ πατῶ	ἀ ποτῶ
62.De quibus imperium	Dij quibus imperium
63.Eſt Chaos & Phlegeton	Et Chaos & Phlegeton
27.2.44.Æneas ex Hyperboreis	eneas e e hyperboreis
77 nempe ſine Cælis	nempe ſine Cælis
80.Dico enim certè	Duo enim certè
28.1.10.in ditione iam poſita	in ditione iam poſiti
30.1. 7.tenebrarumq; omnium	tenebrarumq; omnium
9.coæternum ſuo	coæternam ſuo
2. 8.perierit quæ perfecerit	perierint quæ perfecerit
29.ſolliciti cura	ſolicita cura
70.filiæ Raptoris	filiæ Raptorem
32.1.13.omnibus notis	omnibus noti
21.incolæ, exteriſue	incolæ, exteriue
54.ceſſit cedens, munus	ceſſit, cedens munus
55.particip. iuuentis	particip. iuuentus
2 32.Per fame immenſo	Per fame immenſo
32.in textu carm.2. ſolus egeiret	ſolus egeret
33.1. 2.initium cauſar, excogitet	initium, cauſas excogitet
35.Ac cantu commotæ	At cantu commotæ
60.affrenatum rabie	effrenatum rabie
76.fluios	fluuios
81.ne Platoni	ne Plutoni
34.1.10.Ergone	Ergo ne
12.largiter impertitum	largiter impertitur
19 &, cum non poſſet	& cum non poſſit
64.infixam Plutoni innuit intellectui cauſas	infixam Plutonis innuit intellectui, cauſas
35.2.46.E le vipre in giù	E le vipere in giù
36.1.58.ſi magis ipſe	ſi magis ipſæ
c.36.conſurgeret dicantur	conſurgere dicantur
59.inferorum Numinum	inferiorum Numinum
37.1.44.quaſi proprium,	quaſi propriam,
2. 9.cum non tamen	cum tamen
75.Hieroſ lib.cap. 9.	Hierol. lib. can. 9.
39.c.80.habuiſſe ducantur	habuiſſe dicantur
40.2.23.quibus non tam	quibuſdam iem
32.Virg. Æn. 6.	Virg. Ecl. 6.
35.aut Scylla Niſi? aut qua	aut Scyllam Niſi?aut quâ
41.2.50.cum eas, coniuratorum	cum ij, coniuratorum
80.eeiſtimetur, ſectator	eeiſtimetur ſectator,
42.2.34.perorant priùs,	perorarent priùs,
43.1. 6.idem Pompeius apud	idem Pompeius, apud
2.49.cum eandem quem	cum eamdem, quam
65.neceſſitate deuinciant	neceſſitate deuinciat
67.agere dictitent	agere dictitet.
44.1.40.diſtinctéq; procedunt	diſtinctéq; procedant
68.ſed expenſis fila	ſed ea Penſis fila
71.orb is excidie	orbis excidia

Errata.	*Corrige.*
pag.col.lin.	
44.2.45.ſui cæleſte	ſui cæleſtem
45.2.51.oſtentat, ex mox	oſtentat, vt ex mox
47.2.37.beneficium	beneficum
41.ſi ee beneficio	ſi ea benefico
48.2.81.nihil ad ſe gignit	nihil á ſe gignit
51.2.53.ænæi tubi	ænei tubi
52.1.80.de pendere	dependere
c.27.ſi hæc non ſufficiat	ſi hæc non ſufficiant
31.ſanè artem qua	ſanè arte, artem, qua
44.orationem ipſam	oratione ipſâ,
52.Dilui dum dicit	Diluit, dum dicit
53.1.50.Parrhaſius, Heinſius	Parrhaſius. Heinſius
52.Vix ille pepercit	Vis ille pepercit
53.illis ſententiam	Illius ſententiam
54.2.44.Τιθαν	Τυφαν
65.potius ſimiles.	potiùs ſimilis
60.1.13.Poſce; Fatum,	Poſcet Fatum,
24.Qui poſſit Iupiter	Qui poſſit Iupiter
63.2.60.Sic Neptunum.	Sic Neptunus
65.1.57.Non tamen Regni	Non tamen ille Regni
66.2.79.relucet	reluctet
69.2.16.ni myſteria lateret	ni myſteria laterent
71.1.87.Iuuenum rariſſimè	Iuuenum rariſſime
72.1.77.eahalationem	exhalationum
73.2, 3.ἀσρατὰ fulgur ὦρ	ἀστραπὴ fulgur πῦρ
73.2.11.hoc á diuina	hoc eſt a diuina
74.2.42.Vocatum præmunt	Vocatum premunt
47.pro tota pars	pro toto pars
75.1.67.fluit	fuit
79.quam has tacitè	qua has tacitè
c.51.Vt ſemper	Et ſemper
81.Didanis	Didonis
76 1.26.quam & Eliem	quem & Elicem
2 28.tranſitum	tranſitus
77.1.41.Scyllè potius eſt	Scyllà potitus eſt
43.ne eá Glaucus foueretur	ne ea Glaucus frueretur
78.1.54.Poſtea Coccijs	Poſtea Coccys
42.perhorrendum facinus	Per horrendum facinus,
79.Theſtiplis	Theſtylis
c.68.illateat	Nil lateat
79.1.30.cum ſit ὄρτυξ	cum ſit ὄρτυξ
80.1.56.Tu partu terra	Tum partu terra
81.1.18.conſequar gaudio	conſequar gaudia
40.Ac ſolus nouerat	Ac Colus neuerat
2.25.Qui igitur	Qui igitur
74.Daturi ſeu	Datum ſeu
82.1. 2.ad quietem	ac quietem nullam
18.reſcindendam	reſcindenda
67.Vt talis iam	At talis iam
83.2.29.reuulſis portibus	reuulſis poſtibus
84.1.54.indagoatr	indagator
03.ἀ πὸ το κοραν	ἀ πὸ τῦ κοραν
86.2.12.di vitaiſpoli	di vita i Poli
2. 4.Legationem autem	Legatione autem
2.20.vt pat ex	vt paret ex
87.2.11.ſumitur, legem eſſe	ſumitur, memineris, legẽ
88.1.61.Ioui conſideratione	Ioui conſiderationem
2.39.pro ſola receſſus	pro ſole receſſus
89.2.72.Ne autem hoc partam decreto illo inuiolabili	Ne autem hoc partam decreto inuiolabilem
90.2.62.plenis expecta	plenis expectata
91.1.43.primos adhuc	primus adhuc
2.44.partu editâ	partu editam
51.obſtetrie adeſſe	obſtetrie adeſſet
92.1.20.quæ extra	quæ extra dicuntur
2.27.Tranſcribunt verbi	Tranſcribunt verbi
93.1.50.ſpectat peritiores,	ſpectat, vt peritiores
2.67.Illum ſolam	Illum ſolùm

Errata.	Corrige.
pag.col.lin.	
94.2.66.ſtamenns	ſtatuentes
95.2.10.ad complementum eſt.	ad complementum, eſt
49 quia Theologis	qui à Theologis
96.1.56 Pudicitiam	Pudicitia
2.69.participium eſt miſceo	participium eſt à miſceo
97.2. 3.'n ſil piglia s'eſiglia	indi'l igliar s'eſiglia
38.Muſæ contremiſcat	Muſæ contremiſcant
98.1.32.& neuter	vt neuter
2.30.ortum dicere	ortum ducere
99.2.11 raptor fecit	raptor fuit
43.Martis rigore	Martis rigori
100.1. 5.vehementi amorem	vehementi amore
2.46.eſt Deorum	eſt deorſum
101.1.50.iudiciariæ ſectatoribus	iudiciariæ ſectatores
78.nedum non res alias	nedum res alias
2.61.Proſerpina	Proſerpinam
79.Nominæ Natæ	Nomine Natæ
102.2.50 procurantem	procurantes
103.1.41.Græci ἄκρα	Græci ἄκρα
2.36.& nauem io ſaxa	& naues in ſaxa
54.interemit, ac in Promontorio humauit	interemerit, ac in Promontorio humauerit
104.1.59.admodum	ad modum
106.1.29.nam παχύ	nam παχύ
67.Verum legas	Vtrum legas
107.2. 3.Pluma fuit: pulmis	Pluma fuit: plumis
32.Nunc Dea	Hunc Dea
77.Scyllam cæcus	Scyllam cæcis
108 2.19.ideſt valde eſtis	ideſt valde vſtis
2.75.Gigantes & terra	Gigantes ex terra
109.1.76.Gigantum auſus	Gigantum auſibus
110.1.20.ſub æra	ſub Ætna
2. 8.at pectus	ac pectus
50 Initium rebellantis	Initium rebellantis
111.1.12.compleat interdum	complent interdum
26.Inſula a Salo	Inſulam à Salo
42.Inſulimis e radicibus	Inſula imis e radicibus
49 quaſi Inſulam	quati Inſulam
62.Vrbs propria	Vrbs propriè
2. 6.decurentur	decorentur
45.inſidias Latra	inſidias Latro
78.altier, al ſuo furor	altier, ch'al ſuo furor
112.2. 6.atringi viderentur	attingi videretur
113 1.37.tamen ſolum hoc	tamen qui ſolum hoc
114.1.37.ſubſequenti	ſubſequentis
61.Perreratur	Pererratur
2. 5.conuulſione	conuulſione
80.qui habent	qui non habent
115.1.30.hoc erumpentibus	hoc eſt, erumpentibus
117.1.14.obnuerem	abnuerem
17 ad minus	ac minus
119.1.57.In verò	In vero
2.22.ſonitruum tonitrua	ſonituum tonitrua
120.1.37.Violentiam	violentiâ
41.cauſam quam	cauſam quâ
2.79.in vicem	inuicem
121.1.23.facile dilabeas	facile dilabens
2. 3.quos diximus	quos diximus
22.Iu fugam ſit	In fugam ſit
25.Iter abeundo	Iter ab eundo
123.1.13.partium admixtionem	partium admixtione
124.1. 1.Ætna ipſe	Ætna ipſa
19.Et igni perpetuo	Et quæ igni perpetuo
125 2. 2.Intermiſſam iam	Intermiſſa iam
126.1. 7.ac eundem ſibi	ac eamdem ſibi
48.de qua ſupra	de quo ſupra
127.2. 1.vt Cubeles	vt Cybeles
21.ἀπὸ τὰ μω	ἀπὸ τὰ μω
32 ac radiuum	ac radicum
128.2.11.deſcribere ad ortus	deſcribere adortus
129.1.47.aquarum mare	aquarum more
78.in laboribus aſſiduis	in laboribus aſſiduus
2. 1.equorum vices	equorum vice
130.2.43.hyperbolice, hyperboles locum habeat	hyperbolicè; ſi tamen hyperboles locum
61.prodeant ergo	prodeunt ergo
131.1.26.multiplicitatem	multiplicitate
42.ad deſcendentes	ac deſcendentes
132.1.81.vſus in græca	vſus ſit in græca
133.1.66.& vuariæ obiecti	& vicariæ obiecti

Errata.	Corrige.
pag.col.lin.	
134.1.29 per decliuo	per decliue
74.non collnees	non collineet
136.2. 8.aliquid habeat	aliquid habeant
137.1.61.ſi non natata	ſi non Naram
2.11.oculis, non attingat	oculis, attingat
81.ignara, dicebamus,	ignara, vt dicebamus,
138.1. 7.Siciliam obſecratur	Siciliam obſecrat
12 proprio Penates	proprios Penates
139.1.39.ſumma in ea fiducia	ſumma in eo fiducia
2.33.quam maximam amplificationem	quam maxima amplificatio
140.2.27.certe animam per ſe	certè anima per ſe
28.vitalis, ſuâq; ſe	vitalis eſt, ſuâq; ſe
57.appellat caros	appellet caros
141.1.50.partem a deciſam	partem à ſe deciſam
2.35.Incitat pretijs animos	Inuitat precijs animos
70.quæ ſita	quæſita
73.Cererem Plutoni	Proſerpinam Plutoni
142.1.59 omni felicitatem	omni felicitate
143.2.65.noſtria gentes	noſtri agentes
70.& male agent is	& male agentis
74.nullo eius Anima	nulli eius Anima
144.1.72.ſuauientes	ſuauiantes
2. 6.ſedes autem propria	ſedes autem propriè
17.nuncupatur	nuncupetur
145.1. 1.fortaſſis dicatioris	fortaſſis delicatioris
61.nomen oppedo dedit	nomen oppido dedit
2.36.ingentem	ingens
2.81.vitam	vitam
146.1.50.colendume, amq;	colendum, eamq;
2.18 Ariæ quercus	Aeriæ quercus
147.1.53.Heinſius	Heinſius
2.50.Interpretis expoſitio	Interpretis expoſitione
149.2.14.Matris exhilat	Matris exhillarat
70.Tympani, ſonitus	Tympani ſonitus,
71 ſubterraneum	ſubterraneorum
150.1.80.Raphal	Raphael
2.52.placat Deum	placat Deam
78.NON BVXIS	NON BVXVS
81.De particulam Non	De particula Non
151.1.62 ſine illis certatur	ſine illis cernatur
2. 3.ſilato modo	ſi lato modo
48.demitti non potes	demitti poteſt
152.1.55.Tremore omnia	Tremere omnia
153.2.59.ch'l baccio impronte	che'l baccio impronte
154.2.52.dignoſcerent	dignoſceret
53.vbi Iouem induit	vbi Iouem inducit
155.1.28.inferiore	inferiora
61.adſtrebatur	adſtruebatur
156.2. 8.ne cogeret	ne cogeret
14.ac reſpectu Veneri	ac reſpectu Veneris
68.attenta ſæuitiæ	attentâ ſæuitiâ
157 2.31.vetuſtiſſimum illum	vetuſtiſſimum illud
32.oracula reſtebatur	oracula reddebantur
158.2.18.illuſine	alluſiue
159.1.28.& officium ipſum	& in officium ipſius
63.incedere dicit	incedere dicitur
160.1.1.ex præfata Ceſte	ex præfato Ceſto
3.in Ceſte	in Ceſto
70.illas recidiuum	illas, quibus recidiuum
161.1. 3.regna ab agitatione	regna quieſcere ab
29 fierent *regiones*, hoc eſt Plagæ, fines, ſpatia, tractus à regibus regerentur,	fierent, *Regiones*, hoc eſt, Plagæ, fines, ſpacia, tractus à Regibus regebantur
2.17.quod ſententiam ſit	quod ſentiam ſit;
23.vt idem ſic	vt idem ſit
38.eamq; confictas ait	eamq; confutans ait
41.quaſi idem ſonat	quaſi idem ſonans
61.ne in illi virium	ne in illis virium
162.1.81.Andiiis Plutoni	Auidiùs Plutoni
2.20.acquieſcerit	acquiſierit
25.Armidam	Armida
75.his laboribus, ſic	his laboribus, his
163.1.17.Veneres	Venereæ
18.exercenda	exercendas
164.2.17.Si che fattene il fier	Si che fattane il fier
165.1.18.inferioris non voce	inferioris ſit non voce
2.41.Pares deniq; reſpectu	Parens reſpectu
166.1. 8.giuſta, e forte	giuſta, e forte
19.ſimul, ac ſaniſicam	ſimul, ac ſanificam

Errata.	*Corrige.*
pag. col. lin.	
166.2.71.Iupiter in Vatis	Iupiter in votis
167.1. 4.Veneri non coniungunt	Veneris non coniungunt
2. 7.vel rubenti	vel rubens
168.1. 8.infinite propemodum	infinitæ propemodum
19.accendat	accendatur
71.Cælo impreſſam	Cælo impreſſum
2.72.cordi eſſet	cordi eſſe
169.1. 5.Heinſium	Heinſius
2.50.ſi quæ tamen de facto	ſit, quæ tamen de facto
fuerint memoret,	fuerint, memoret:
51.ſed relicto fulgore	ſe, relicto fulgore,
58.de primum obtinente,	de primum obtinente,
in locutione locum,	in locutione, locum,
63 Deus comitantem	Deas comitantem
70.compellere	compellare
80.addendum eſt	addendum ſit
81.ſatis dictam alibi	ſatis dictum alibi
170.1.11.ideſt intellectus	id eſt intellectus
31.quio videas	quin videns
39.timendum eſſe	timendos eſſe
171.2.15.infra tormenti	infra i martiri
35.i Nocchier	il Nocchier
172.1.15.Ceres tecta	Cereris tecta
173.1. 4 quoque modo	quoquo modo
48.theſaurum; nam	theſaurũ clauduntur; nã
2.38.ortarum ingentia	portarum ingentia
77.videat	videatur
174.2.20 per eamdem, quod	per eamdem, qua
75 continet Myrrhæ	continent Myrrhæ
176.1 16.flumine	flamine
177.1.73.ſecundo ſolidus	ſecundò ſolidas
178.1.24.fulmine detectum	fulmine deiectum
51.arbitratu	arbitrata
77.vt Phyloſ. patet	vt Phyl. placet
2.61.euaderet labor	euadat labor
62.Georg. prima	Georg. primo
179.2.63.idem quam breui	ideſt quam breui
181.1.18.omnia captandi	omina captandi
29.cum alio quid	cum alioquin
2.15.Prima vtique	Primam vtique
182.2.47.admirandum	admirandam
183.2.59.Hic iam locum ipſa	Hic iam loca ipſa
184.1. 7 videntur, ac in tela,	videntur, hac in tela,
2.21.prohibent entia	prohibentur entia
24.proprium, & partis	proprium eſt patris
26.partibus vniuerſis	partibus Vniuerſi
185.1.14.Cælum *adyta*	Cælum *adyta*
75.continuis æſtibus	continuis æſtubus
2.63.non receſſerit	non receſſerim
70.ac vnius, & ſolus	ac vnicus, & ſolus
186.1.39.alluſionem	alluſione
188.1. 9 recipiatur	decipiatur
78 vt certè, vbi	vt certè hìc, vbi
189.1 10.ex Cæli parte	eſt Cæli parte
2.54.ſubiectaa	ſubiecta
190.2. 1.Deum Auctor, auctor	Deum Auctor,
191.2.23.ita inſpicientes	ita in inſpicientes
25.abhorreat	abhorreant
50.aſſidua ferre	aſſiduâ ferè
66.arctat, opprimis	arctat, opprimit
192.1.46 at quaſi	vt quaſi
60.græce *adyton*	græcè *adyton*
2.24.agnoſcentis	agnoſcente
193.1.10.licet impueris	licet impuris
78.qui omnia	qui omina
2. 7.& ſupinam	& ſupinum
12.poſitum certè	poſitum; certè
18.& circumflectentes	& circumflectens
73.cærulea vexit?	cærula vexit?
78.quo longius	qua longius
194.1 44 experta eſſe	experta ſit
61.quam nomen	qua nomen
2. 7.intendere	intercedere
59.quo ad ſtantem	quo adſtantem
195.1.27.purpura verecundiæ	purpuram verecundiæ
28.lib. Gerog. 40.	lib. Hierog. 40.
196.1.48.ruborem ipſo	rubore ipſo
197.1.34.vitreus oceanum	vitreis oceanum
198.1.12.Le palli d'ombre	Le pallid' ombre
30.nſidys	inſidys

Errata.	*Corrige.*
pag. col. lin.	
198.1.30.ſupeerat	ſupererat
57 Solus Veneris	dolus Veneris
2.40.Antiquorum alludens	Antiquorũ opinionẽ &c.
199.1.60.achereis	æthereis
61.tenebrorum	tenebroſum
75.Lingna parlò	Lingua parlò
2.26.LANGIDA	LANGVIDA
58.quaſi cæruleus,	quaſi cæluleus;
200.1.43.præcinde notos	proſcinde Notos
2.27.luctificiam	luctificam
201.1. 7.furores indicent	furores indicet
202.1.63.rapturum	rapturus
204.in argum. Præf. lin. 18.in cauſa	in cauſam
204. in textu carm. 2. onus	opus
2.30.Thracias à Thracia	Thracius à Thracia
33.Hic, vt Zerſes	Hic, vt Zerſes
205.1.17.& Polyionniæ	& Polyimniæ
2.48.quantum iam Poeſi	quantum iam à Poeſi
67.quia verè opus dicatur	quin verè opus dicatur
206.1. 7.Dum Virg.	Idem Virg.
9.cæleſtes, cum enim	cæleſtes. Cum enim
11.præmij alliciens	præmijs alliciens
33.& ſylueſtricum	& ſylueſtrium
69.eo quod aſſiduo, luctu	eo quod, aſſiduo luctu,
207.1.76.quem dolor	quin dolor
208.2.13.euaſerint metu, nihilom.	euaſerint; metu nihilom.
209.1.65.hæc Rinaldum	hæc in Rinaldum
2.5.Rhopem	Rhodopem
51.quotidianam experientiã	quotidiana experientia
210.1.42.inducit	inducuntur
213.2. 1.licet enim index	licèt & index
20.Pollice teſtino	Pollice feſtino
214.1. 9.eumque,	cumq;,
20.correſpondeat	correſpondeant
215.1.20.ſed qua ineptè	ſed quàm ineptè
2.38.diſijtur	diſijcitur
216.1.28.pulcherima	pulcherimam
44.& candidè	& candidæ
48.opulus Alcidà	Populus Alcidi
75.reperiunt	reperiuntur
2. 8.Viridè quoddam	Viride quoddam
24.populum pro populea	populum enim pro
217.1.16.diſtingueret Deus	diſtingueretur Deus
28.vt Daphnis	vt Daphnes
218.1. 2.hæſunt	hæ ſunt
58.vt Damæ	At Damæ
66.quam periculoſum ſit	quod quam periculoſum
71.ſocietatem	ſocietas
75.ampliore	ampliora
2.58.nam nouum Cælum	nam nonum Cælum
219.2. 3.L'elce campagna,	L'Elce compagna
31.fuſtis eſt acutè	fuſtis eſt acutæ
220.1.32.Et mihi eamq;	Eſt mihi namq;
58.ideò actuum	ideò nomen actuum
2.50.ſicuti ſtrictum	ſicuti ſtrictim
61.non ad modum	non admodum
221.1.11.Subindè enarrandos ef-	Subindè enumerãdos ef-
fectus in ipſa indicatos	fectus, in ipsâ indicatos
cauſa cognoueris,	causâ, cognoueris,
2.52.Puer intepidus	Puer intrepidus
57.certè ne poteſt	certè non poteſt
61.quia nunquam	quia nundum
222.1.26.diſcriminis meminit;	diſcriminis, meminit
dum lib.	Ouid., dum lib.
32.hic aduerbium	hic ad verbum
2.37.vtrumque	vtcumque
44.qui expauerit	qui non expauerit
54.pro parte diſtributiuè	pro partibus diſtributiuè
223 1.21.effigij cauſa	effugij causâ
2.60.ad normam	ad enormem
224.1. 6.noſtris atiam	noſtris etiam
48.anducter arcerent	audacter arcerent
73.victorim reportare	victor iam reportare
2.80.& non cæcas	& non cæſas
225.1.19.quam verbum	quâ verbum
40.roſtris effingentes	roſtris effringentes
2.45.nil habere cum	nullam habere cum
226.1.11.enodaturum oſſium	enodaturam oſſium
80 in luctum	in luctam
227.1.5.capite cæco	capite cæſo

Errata.	*Corrige.*
pag.col.lin.	
227.1 16.proceſſit, & dicit	proceſſit, & vicit
76.Pectora felle vorent	Pecto-a felle virent
81.Sacceſſus hominum	Succeſſus hominum
2 40.producerentur	producerent
71.Ceruum æripedem	Ceruam æripedem
228.2.15 molaribus inſtac	molaribus inſtat
52.& Buſiridem ipſam	Buſiridem ipſum
229.2.33.rubent acciaria baccis	rubent auiaria baccis
65.tumulatus	tumulato
76.dixerim	duxerim
230.1. 5.vt incautam	vt incautum
40.ſed niſtoriam	ſed hiſtoricam
79.FINES	SINVS
2.50.excedentem	exedentem
232.2.30.ea fulcientis	& fulcientis
75 deorſum reddit	decorum reddit
233.1.27.quidquid aderſi	quidquid aduerſi
29.ſuſtines; minitantem	ſuſtineas; minitantem
34.decerpitis ex Piado	decerptis ex Pindo
46.ſchermio	ſchermo
2.16.è che ſi ſprezzi	è che ti ſprezzi
235.1.46.& plectri motiorem	& plectri motionem
2.21.partic. eſt torquentia	partic. eſt torpentia
237.In argum. lib. 2. lin. 20. Inter hæc equos in Tartara	Inter hæc equos vrget in Tartara
& ibid. lin. 21. omaia	omnia
238.1 35.hoc de manibus	hac de maribus
2. 5.Euri afflat	Euri afflatu
241.1 81,temeritate	temeritatem
243.1. 9 vt comitati potiùs	vt comitari potiùs
2 47.quidduid	quidquid
244.in textu verſu 15. Sylue.	Syluæ.
245.1.29.ac Proſerpinam	ad Proſerpinam
246.2.72.Nos famulos	Hos famulos
248.1.30.aurificia	aurifica
2. 3.induatur Vaſta	induatur veſte
4.laſciuiæ	laſciuæ
250.1 31.obdurauerat	obduruerat
2.54.non eſſe aptanda	non eſt aptanda
252.2. 1 ò le ſchimero	ò lo ſchimere
253.2.20 cui addicit, aſſicitur, omneſq; alios	cui addicitur, afficit, omneſq; alias excludit
255.2.79 Formàr nelle figure	Formàr nelle figure
256.2.28.militares ludos	militares ludos
257.1.12.in vellem aureum	in velum aureum
258 2 37.affirmataamq;	firmataamq;
259.1.14.non obſtat quia	non obſtat quin
260.1. 9.caultante	exultantem
63.vinctus greſſibus	iunctus greſſibus
2.34.adito il ciglio	adito al ciglio
50.Porge à Cothurne	Porge à Cothurni
261.in textu carm. 12.deſpicit	deſpuit
266.2.45.incidentes	inſidentes
267.2.16 occidente	occidentem
52.de Cælo capta	de Cælo lapſa
73.in occidente poſito	in occidente poſitum
269.1.54.QVO PRIMO	ÆVO PRIMO
59.quo primo	æuo primo
2. 6.a pro certo	ac pro certo
271.1. 1.definet	deſinat
66.qui viuetur	qui iuuetur
272.1.29.Nel ſuperbo Pauon	Ne'l ſuperbo Pauon
43.ſuperiùs vidimus	ſuperiùs vidimus
273.1.81.Benignę itaq; conceptus	Benignè itaque exceptus
2.26.allucent	alluunt
274.1.28.nominatur	nominatas
48.Eſt ne figura	Et, ne figura
275.2.60.quia explicaretur	quin explicaretur
276.1.55.earumq; mares	earumq, mores
2.54.coegentes	cegentes
278.1.52.in modum cunti	in modum conti
2.68.vna Mæonijs	vna ex Mæonijs
280.2.41.traditur vnda	truditur vnda
281.1.27.ſpernanda	ſpernenda
59.ſubtiliſſimo	ſubtiliſſimè
2.41.pertinentium hæc	pertinentium, ita vt hæc
282.1.35.induatur	inducatur
60.in vallis	in vallibus
74.viues	iuues
283.1.26.minuatum,	minutatim,

Errata.	*Corrige.*
pag.col.lin.	
283.2 49.qua de cenſoria	quare de cenſoria
285.1.77.cacipiendas	cacipiendus
286 1.61.aſſerit	aſſerat
288.2 63.e ciò ch'aſſiſe	oue s'aſſiſe
64.S'vſa trà Gigli, ad olleggiare impari	SVSA trà Gigli, ad oleggiare impari
289.1. 1.accoglie i cari,	accoglie, i cari
290.1.30.deciduunt fruſtra	deciduunt fruſta
292.1.18 tecundo vt ſi	ſecundo vt ſit
2.30.beneuolentia	bene olentia
81.eius dentes	eius dente
293.1. 9.addidit,	abdidit,
2. 5 cum adegit	cum adegit
294.2.19.intis Ætnæ	infontis Ætnæ
72.conſtant	conſtat
296.1.14.notoq; ſinus	nodoq; ſinus
2. 5.ſpumam maris	ſpumâ maris
16.mari agitare	mari agitato
48.indine	inducit
80.cauda	caudam
297.1.16.vero	vere
2 8.oſtendit	oſtenditur
298.1 16.incipere à partic,	incipere, a quo partic;
2.78.Noſtris autem	Noſtas autem
301.1. 4.flatibus	floribus
2.72.parinus	paucus
302.1.21.curuaturo	curuatura
303.1.24.ta & Ond.	Ira & Ond.
25.Actæonem	Actæone
304.2.41.Tendon	Fendon
305.1.34.amica	amicam
306.1. 4.Morenis	Maronis
306.1.16.Proſerpina	Proſerpinæ
61.concedentibus aliena, vt libentur lingua	concordantibus, alienâ vt libentur linguâ,
2.80.Idem dici	Idem dic
307.1.38.ex verè	ex vere
73.nampe	nempe
2.61.quale idem	quare idem
308.1.74.dolet, licet	decet, licet
2.67.Contra eas manifeſtè	Contra eſt manifeſtè
309.1.38.ducit vius	ducit viua
310.2.12.vno ſine altero	vnum ſine altero
311.1.42 & ſegetes	& ſegetis
313.1.68.poſſeſſiuo	poſſeſſiuum
314.2.16.prænoſciſſet	prænouiſſet
315.2.17.inſtituunt	inſtituat
316.2.50 in iuſſu Regis	iniuſſu Regis
318.1.11.hic alij quis	hic aliquis
2.53.vel alia lquatis	vel alia quatis
55.à Syri	ac Syrij
76.& forum	& forum
319.1.47 promimus iſto	promimus iſte
2.28.ab vberta	ab vbertate
320.1.18.dignæ videatur	dignæ videatur
2.75.ſermo	ſermonem
321.1.21.cuique expoſitis	cuique ex poſitis
29 & circuito	& circuitu
67.Diſcum inuentis occidit	Diſcum iacientis, occidit
322.2.28.iam dies defunctum	iam diu defunctum
323.1.27.vt impetu	ac impetu
324.1.73.reſultantia	reſultantes
2.41.conſpicuus	conſpicuum
325.1.14.qui fuerat eapenſis,	qui fuerat ex penſis,
2.20.effloruerit	effloruerint
34.vocitetur	vocentur
326.1.68.Parrhaſium	Parrhaſius
2.52.mas eſt	mos eſt
327.2.48.Tu Regina	Tum Regina
329.1.42.quam iubendi	quam lubendi
330.1.47.tranſcendentes	tranſcendens
332.1. 5.differet	differeret
2.77.peruestigaretur	peruestigare
333.1.33.trahent	trahantur
2.61.congrui rei	congruit rei
334.1.17.obſiſtentes	obſiſtentibus
57.currum	curru
2.33.currum vectum	curru vectum
335.1.58.& totam motus ſuo	& totam, motu ſuo,
2. 4.orbita pro tota	orbita pro tota

Errata	Corrige
pag.col.lin.	
336.2.58.ſin ex ſeminatis	qui ex ſeminatis
66.ſegetes	ſeges
337.1.28 terræ, rimulas	terræ rimulas
338.1.11.rimari dutus	rimari dictus
342.1.59.& magnitudine	ex magnitudine
343.2. 3.qui Apes	qui Alpes
344.2.25.ac amplius,	ac amplus,
64.ipſe Hetruſcorum Alpes	ipſæ Hetruſcorum Alpes
345.1.56.ab Alpibus ad Apes	ab Alpibus ad Alpes
2.29.& Clymeneus	& Clymenes
346.2.70.fruiſſe	fouiſſe
347.1.36.effunderet	effunderent
73.merſa non erat arua	merſa, non erant arua;
348.2.76.vſurpentur	arbitrentur
349.2. 1.e d'vn ſol ponto	e, d'vn ſol punto,
350.1. 7.in aduerſis *ſe*	in aduerbio *ſe*
351.1.44.conſpectu	conſpectui.
353.2.75.deductum	deductam
354.1.14.idem eſt ac palleſcere	idem ac palleſcere
2. 1 ſequitur adeſſe	ſequitur ad eſſe
53.ſordeſcat attractus	ſordeſcat atratus
355.1.34.clamitates	clamitantes
356.1.69.nam verò	non verò
358.2.33.quod ex *flno*	quod eſt *flno*
359.1.35.conciderer	coinciderer
2. 5.hebetere	hebetare
24.aſtra virium	aſtra viarum
25.quos Dæmonis	quos Dæmones
75.conſequetur	conſequatur
360.1.32.& fruitra	& fruſta
2.79.diffugiunt ille	diffugiunt illæ
362.1.77.quia in prælium	quin in prælium
2.48 exercenda	exercendas
363.2. 5.quam leonem	quem leonem
364.1.48.iecur, pulma	iecur, pulmo
81.præcepit communem	præcipit commune
2.45.non officit quia	non officis quin
365.2.12.congrui feræ	congruit feræ
366.2.12.in ſeggia viene	in Vggia viene
40.Spiro gl'honori	Sfioro gl'honori
367.1. 5.inducerentur	indicerentur
368.2. 4.quem aetem	quin aetem
369.1.75.Poetam ſynonimiam ſententiam	Poeta ſynonimiam ſententiarum
2.24.Terreiq; Eumenidum	Ferreiq; Eumenidum
370.1.65.frequentiſſimus	frequentiſſimis,
72.Nycti porum	Nyctiporum
2.15.atq; vno	atq; vnum
74.poſitam agnoſces	poſitum agnoſces
371.1.26.commodum	commodam
373. in tex. carm. a 30. Nymphis	Nymbis
374.2.32.obices	obice
375.1.11.initium	initio
45.exſibilantem	exſibilantes
2. 3.hydra	hydros
46.Curas incluſerat	Suras incluſerat
377.1.11.quæ iſtiuſmodi	qui iſtiuſmodi
53.& aqua	& aquam
379.1. 7.ac ſignificationes	ac ſignificatione
381.2. 3.quem allegat	quam allegat
59.Vates incluſij	Vates incluſis
383.2.45.prohibeatur	prohibeantur
384.2.80.partium nomen	patrium nomen
385.2.37. vis eſt illius vis aduerb.	eſt illius vis aduerbij
386.2.10.quam ſummo	quã ſummo
34.oſtendidit	oſtendit
2.20.cagion	caggion
387.1.73.latinè & filios	latinè eſt fillos
2. 2.adeſt autem *πολος*	adeſt autem *πολος*
40.quid Patri faciendum potiùs fuiſſet, cum	quid patri faciendum potiùs inculcaret, eam
388.1.54.legunt melius arbitror	legit: meliùs, arbitror,
389.2.68.infælicitatum	infælicitatem
390.1.39.aufert facultas	aufertur facultas
52.Vates; cum idem	Vates incidiſſe; cum idem
2.38.vt tam male	vt tam malè
391.2.27.aduerſo tandem	auerſo tandem
2.49.& quid ſcitiſſimè	& quidem ſcitiſſimè
64.adhuc autem	adhuc audet
392.1.33.notat Pic	notat hic

Errata	Corrige
pag.col lin.	
392.2.56.ſe ipſos ciurarunt	ſe ipſos euitarunt
393.2.62.& ideò virtus ille	& ideò victus ille
394.1.52.Inferni adeſſe	Infernis adeſſe
395.1.34.exclamas	exclamans
50.iam traditis	iam traditi
2.32.O ſi trattenga	O ti trattenga
398.2.33.ita illud	ita vt illud
400.1.56.recenſetur	recenſet
402.1.53.& maiore	& maiorem
2.47.Ideò mixto omnes	Ideò mixti omnes
49.neque Rex ſibi	neque Rex ibi
51.ſedibus Regina	ſedebis Regina
403.1. 1.cui ij	cum ij
62.nli maius	nil maius
404.2.12.all'altro glorie	all'altre glorie
406.2.20.ac decorum	ac decoram
407.1. 6.cum nobis ipſis	vim nobis ipſis
19.exhibitur	exhibitum
2. 7.Hac verò	Hanc verò
50.Ariſt. ipſe notis	Ariſt. ipſe nobis
408.2.16.inſiſtere	inſiſterent
43.ſuccederet	ſuccederent
409.1. 6.adud Virg.	apud Virg.
22.cuncta	venenata
410.1.54.ad Pacra	ad Sacra
2.48.inditius	indicium
413.2.12.regimipe	regimine
72.quæ impia	quæ ſuper impia
414.1.27.excrucia coſtractione	excruciat confractione
415.1.14.non potuit	nam potuit
2.37.inter vulnerum	inter vulturum
418.2.79 & cohibere	eſt cohibere
419.2.18.Hunc itaque	Hanc itaque
421.1.45.imperturbari	interturbari
422.2.22.vt cum longiùs	vt cum Logicis
53.IMMANIA	IMMVNIA
53.mortis triumphant	mortibus triumphent
423.2.30.carmen enim eſt, vt	carmen enim, vt alibi
424.1 73.duceretur & virum	duceretur ad virum
427.1.80.molibus	moribus
429.2.38.exquierere	exquirere
432.1. 7 vt conſequenti	vt conſequentia
433.1.32.Germane	Germanæ
49.incitaretur	incitaret
2.12.de ca Iunone	de cà a Iunone
14.cogerent	cogerentur
434.1.35.enocandis	euocandis
435.1.61.cum tamen	non tamen
436.1.70.poſt ipſam Iouis	poſt ipſum Iouis
2.43.primas teneret	primas tenerent
70.nam placens	nam placeat
437.1.12.Pherecidem	Pherecides
438.2.52 reijciantur	reijciatur
439 1.29.Aut aerem	Aut acrem
43.in certam	incertam
46.morant,	motant,
440.1.21.iiunctam	iniunctam
441.1.46.ac procacitatem	ad procacitatem
48.imitatam	irritatam
442.1.31.Di contrarij penſier	Di contrarij penſieri
2.11.E,'ndi poco inferior	E,'n di poco inferior
443.1.18.munera nata	munere nata
27.nefas eſt	nefas ſit
444.1. 7.imperturbabile	imperturbabilis
2.55.anxiq; meatus	anniq; meatus
74.periclitarent	periclitarentur
79.exaratum	exoratum
445.1.14.quæ cauſa	quæ in cauſa
2. 7.quarum eos	quarum eos
21.Mundum hic pro	Mundum Æuum hic pro
446.2.62.quæ Saturno	quæ, ſub Saturno,
447.1.55.veras itaque	veras vtique
2.40 indulgeantur	indulgeant
449.1. 5.miſerabilem	miſerabile
8.& in quo ſciam	& in quo ſuam
13.multitudinis	multitudini
14.atque arbuſta	atque arbuta
36.reſpuit	non reſpuit
450.1.21.dell'huomo	dell'huom
26 inuidiam	in inuidiam

Errata.	Corrige.
pag.col.lin.	
450.2.34.ſenſum	ſenſu
451.1.38.produceret. Hic	produceret, hic
453.1.80.ehauſerit e Cælis	hauſerit è Cælis
454.2.45.Cybeles lib.pri. Leones	Cybelis, lib. pri., Leones
455.2.15.mæſtum,	mæſtam,
69.vt mortuum	vt mortuam
456.1.35.noo extra ipſam	nec extra ipſam
2.22.Luget raptor mater Ecclefia, cum	Luget, raptum Mater Eccleſia cum nouerit,
31.legata	lætata
59.hauer de gl'aſtri	hauer da gl'aſtri
457.2.33.ablatæ diſtinctionis	allatæ diſtinctionis
458.1. 3.Neptunus procei	Neptunus pro vi
45.comprobatur internuncia Iris	comprobatur, cum internuncia Iris
2.39.pro libito puniendum	pro libito, puniendus
71.cum non	cur non
459.1.78.cum tamen	vim tamen
2.23.in 3. parte	in tertiam partem
39.proderit	proderet
77.deciperet	deciperetur
460 1.73.oppreſſum	oppreſſus
461.2.29.coaſequentiam	conſequentia
462.1.20 Num factæ	Num facto
463.2.50.euerterent	auerterent
80.Salua adhuc filiam	Saluâ adhuc filiâ
464.2.10.& quorum ipia	& quorum ipſa
465.1.53.excitat	excitata
2.12 perturbantes	perturbantiſ
466.1.38.etiam conſcia	etiam ſi conſcia
467.2. 1.competi	competit
49.adornatum	ad ornatum
469.1.37.38.45.47.&c.Orcades	Oreades
73.Progenis	Progenies
2.47.vt vindictam	vt ad vindictam
470.1.80.ſequitur locus idem	ſequitur, vt locus idem
2.56.vincolum ferculũ ferreũ	vinculum ferreum
68.non paterat	non poterat
471.2.32.quaſi in fronte	quaſi in fonte
47.æſtu oſtendit aptatum	æſtu oſtendit agitatum
78 vt pulchritudinem	& pulchritudinem
472.2.58.infuſcata caligine	Infuſcatam caligine
80.reflectitur Vates	Deflectit Vates
474.2.14.curam negleſcit	curam neglexit
476.1.34.Ceres quæ quæ mæſto	Ceres quæ mæſto
40.nempe deformitas	nempe deformitatis
477.2.30 ſignificata pronomen	ſignificata per nomen
45.Tua ne mea proles	Tu ne mea proles
478.2.58.Tranſcendes rabiem	Tranſcendens rabiem
480.2.63.Ruebat filialis	Poſcebat filialis
481.2.22.E s'al ritorno al mio	E, s'al ritorno il mio
Io textu carm.119.celler	celer
482.1.17.& mores	& moras
483.1.36.Demiſiſſet Teucri	Demiſiſſent Teucri
484.1.63.aliquia ſomnijs	aliquid ſomnijs
2.13.nõ aliquod non oſtentet	non aliquod oſtentet
487.1.53.Cereris color	Cereris cor
489.1. 1.Proh indepreſſæ	Proh indeprenſæ
11.Ch',opra più	Ch',opra pur
490.1.55.minuatim adeò	minutatim adeò
2.69.immineret oppoſitum Siciliæ montis cliuo	immineret, oppoſitus Siciliæ, montis cliuus,
491.1.69.Exartum recens	Enartum recens
492.1.34.à colluſione ipſius nidi decidentem comitatura	à colliſione ipſius nidi, decidentem comitaturã
2.19.nonnihil	non nihil
74.agitabatur	agitabitur
493.1.73.peragendum	peragendam
494.2.28.& ſpecie	& ſpecies
46.NON EXPECTO	NON EXPECTATO
495.2.17.Quorum hæc	Quorſum hæc
496.1.42.Effingit ſi non	Effingit Sinon
80.inſectante effugerint	inſectantem effugerint
2.80.quibus motrale	quibus mortale
498.2.15.ſcire à Pallade	ſcires à Pallade
499.2.32.terram ſurridens	terram ſcindens
500.1.12.pueribus	puerilibus
501.1.38.decus ſtabuit	decus ſtabuli
502.1.54.alitur cibus	alitur cibo
505.in textu carm.283.Typhœa	Typhôea

Errata.	Corrige.
pag.col.lin.	
506.1.79.qua delinita nutrix facilius quidquid	quã delinita Nutrix facilius prodat quidquid
2.56.marem à fœmina	marem, ſi à fœmina
510.1.72.quærit quæuis	quærit, quæ vis
2.19.à græco ἔρω,	à græco εἴρω,
511.1.34.& propria	& propriam
69.luceret	liceret
2.75.ſe cordi præapiaſſe	ſe condi præopeaſſe
512.2. 1.vt rationem reddit	vt rationem reddat
2.17.ſed ipſam	ſe ipſam
513.1.32.proderit	proderet
2.45.creuntes	coeuntes
514.1.39 Alumnum,	Alumnam
45.Deos ac Diues	Deos, ac Diuos
515.1.21.per aſſintheſi	per aſſintheſim
516.1.34.cur noa optimè	cur non optimè
42 intenſior æther	incenſior æther
47.fomenti	fomentis
518.2.10.iunctas dixit	iunctas duxit
519 2.20.ordinandis	ordinis
49.quam ſola coram	quàm, ſole, coram,
520.2.17.caiſtimaretur	exiſtimarentur
523.1.54.coronatus etiam	coronatos etiam
524.1. 7.non quia iube illi	non quia iubæ, illi
20.criſtata Palladis	criſtatam Palladis
62 calles conceſſam	calles ad conceſſam
71.proactiones	huiuſmodi actiones
2. 2.galeas tantum	Galea in tantum
35.laudandam	laudanda
525.1.25.Imitabitur, figuram	Imitabitur, cum figuram
2.38.propinet	propinent
54.in medum	in medium
526.1 49 refouet	refricet
70.ne illud	ne in illud
2.56.Vodonis	Dodonis
78.Venerem deceat	Venerem doceat
528.1.52.excludat	excludit
531.2.80.& viuant	& iuuant,
532.1. 7.Nota in quel dolce	Noota in quel dolce
533.1.33.deuehent	deueherent
2 55.ſed vim	ſe vim
534.1.56.Et itaque	Eſt itaque
61.quod Mundi	quæ Mundi
535.1.72.Electra fuiſſe	Electram fuiſſe
537.2.31.ſic tiaque	ſic itaque
2.21 in impreſſam	in impreſſam
538.1.78 properij	pro pere
539.1.59.emphatica hic	emphaticè hic
2.12.quæ horæ	quæ Heræ
542.1.24.obſita lectu	obſita luctu
2. 1.Ecco d'inuidia	Ecco d inuida
543.2.17.Sola ſi rimango	Sola i rimango
544.1.76.irreparabile	irreparabile
546.2.67.Videri, quam vaſtè	Videas, quam vaſtè
547.1.28.vindictarum lemine	vindictarum limine
552.1. 3.cur Proſerpinam	cur in Proſerpinam
553.2.20.aſſertiuè	aſſertiuè
554.1.16.qui id fieri	qui id fieri
555.2. 9.præter thoros	præter choros
45.vt, ſupra Deas, ipſas ſe	vt, ſupra Deas ipſas, ſe
2.28.quam cineres	quem cineres
556.1.28.innuere	innueret
2.48.ſed ſemper	ſe ſemper
557.2.33.dat lacrymas	dans lacrymas
558.1. 4.Auctor autem noſtrum	Auctor autem noſter
2.15.ſe ſua ipſa	ſed ſuâ ipſa
559.1.47.accuſat	accuſet
560.2.28.iure ſuo cedens	iuri ſuo cedens
63.certum habeat	certam habeat
2.71.vel vt Ethnici	vt, vel Ethnici,
561.1. 8.ſed qoidquid	ſe, quidquid
2.64.&, Adabatarum more,	& Andabatarum more,
563.1. 8.Animaduerteris,	Animaduertens,
566.1.43.excidio preſſa	excidio preſſam
80.ſic improbante	ſic improbantes
570.1.74.calor omis,	calor nimius
571.1.50.ferat omnia mortis	ferat omina mortis
575.2.43.hac dicitur	lac dicitur
576.1.35.ſeu hic luco	ſeu hoc in luco
52.adductos	adducto

576

pag.col.lin.	Errata	Corrige
576.1.70.	non contempſiſſet	contempſiſſet
577.2.20	Mercurio occupatum, edomitumq;, excarnificatus, nedum tantum excoriatum,	Mercurio occupatus edomituſque excarnificatus, nedum excoriatus
578.1.22.	oſſæ dignoſcere	oſſa dignoſcere
2.39	inflate turgent	inflatæ turgent
580.1.46.	præceteris arboribus	præ cæteris arboribus
2.13.	verbum geſta	verbum geſtat
46.	qui terra genitos	quia terra genitos
581.2. 7.	corruet	corruat
24.	Diuinitate alſlanos	Diuinitate afflatos
48.	lucos ſeruabat	lucos ſeruabatur
2.26.	ſed minutam	ſed minuta
582.1.61.	ventre	ventri
583.2. 2.	certè pinus	certè pinum
585.2.53.	Dou'in altezza eccede	Dou'in altezza eccede,
54.	Tutta vn'Abete hor &c.	Tutta, vn'Abete, hor &c.
586.1. 1.	La d'Encelado	La d'Encelado
16.	illa ſuccidente,	illas ſuccidente,
587.1.48.	vel, *certis adhibitis, quod ex aliqua*	vel, *certis adhibitis menſuris, quod ex aliqua*
588.1.34.	quod ſolertiam	quo ad ſolertiam
2. 2.	cedrum reſpicit	cedrum reſpuit
590.1.11.	quæ quaſi initâ ſocietate, indiſſolubili	quæ, quaſi initâ ſocietate indiſſolubili,
70.	cupreſſu confectæ.	cupreſſu confectæ?
593.2.16.	Nonne ignem,	Nonne igne,
594.1.24.	diſiunctiua, quod ea	diſiunctiua, quâ ea
2.81.	alludens Æn. 1.	alludens Virg. Æn. 1

pag.col.lin.	Errata	Corrige
595.2. 8.	*ἀγγιστὴς*	*ἀγγιστος*
10.	Arcum, impellente	Atreum, impellente
56.	in Megæra furentem Terræ, ac tenebrarum	in Megera furentem. Terræ, ac tenebrarum
2.56.	infectibus ignibus	infectis ignibus
596.2.16.17.	cui quid inijcit	cui quid inijcitur
597.1.61.	periculamentum compellaſſet	periculamentum compellaſſet
81.	inſtar tonitruum, proditas	inſtar tonitruum, fragoris proditas
598.2.30.	ac particula *tum*	hac particula *tum*
599.2. 3.	& illa eſt,	& ille eſt,
13.	impleat	implent
600.1.75.	collineant finem	collineent finem
601.1.44.	non putaſſe	Non putaſſem
2.38.	in appoſitum	in oppoſitum
77.	*hoc eſt Thalamo*	*hoc eſt. Thalamo,*
602.1.58.	fati obtinens vices, *ſequuntur*	Fati obtinens vices, ſæuit
2.23.	grauiorem ruant	grauiore ruant
603.1.21.	ac cit. carmen	ad cit. carmen
23.	veriſſima ſit	veriſſima ſint
2.74.	in deſtructa	indeſtructa
605.2.36.	anſam haſtibus	anſam hoſtibus
2.76.	quam vocant	quem vocant
606.1.24.	Ideò & veterum	Ideò & veteras
2.45.	nimio latrones	nimio latronis
607.2.32.	anxietatem	anxietate
79.	& ipſe ſuo	& ipſa ſuo



MEDIOLANI

Ex Typographia Ludouici Montiæ. 1684.

SVPERIORVM PERMISSV.

39
4
29

A01 1465024

ized by Google